This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

480 . i . 2

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Googl

Digitized by Google

1 – 5 – 0

A 1072 1111.

Digitized by Google

Digitized by Google

SCRIPTORUM
ECCLESIASTICORUM
HISTORIA
LITERARIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

GUILIELMI CAVE
SS. TH. PR. CANONICI WINDESOR.
SCRIPTORUM
ECCLESIASTICORUM
HISTORIA LITERARIA,

A CHRISTO Nato, usque ad Sæculum XIV. facili Methodo digesta, & nunc auctior facta.

QUA DE VITA ILLORUM AC REBUS GESTIS,

De Sectâ, Dogmatibus, Elogio, Stylo; De Scriptis genuinis, dubiis, supposititiis, ineditis, deperditis, Fragmentis; Deque variis Operum Editionibus perspicuè agitur.

ACCEDUNT

SCRIPTORES GENTILES

Christianæ Religionis Oppugnatores; & cujusvis Sæculi Breviarium.

Additur ad finem cujusque Sæculi

CONCILIORUM OMNIUM

Tum Generalium, tum Particularium Historica Notitia.

Inseruntur suis Locis Veterum aliquot Opuscula & Fragmenta, tum Græca tum Latina hactenus inedita.

Præmissa denique PROLEGOMENA, quibus plurima ad Antiquitatis Ecclesiasticæ Studium spectantia traduntur.

Accedunt ab aliis manibus DUÆ APPENDICES, *in unam congestæ, ab ineunte Sæculo XIV. ad annum usque MDXVII. ab ipso Autore correctæ & Auctæ.*

Et ad calcem Operis DISSERTATIONES TRES, I. *De* SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS incertæ ætatis. II. *De* Libris & Officiis Ecclesiasticis GRÆCORUM. III. *De* EUSEBII CÆSARIENSIS ARIANISMO, *adversùs* JOANNEM CLERICUM.

Adjecti sunt CATALOGUS AUTORUM, & INDICES SCRIPTORUM & CONCILIORUM *atque* RERUM, *Alphabetico-Chronologici*, &c.

EDITIO NOVISSIMA, valde accuratior, & plurimis mendis, quibus priores scatebant repurgata, in qua, quid de novo præstitum, edocet proximè sequens Pagina.

COLONIÆ ALLOBROGUM,
Apud GABRIELEM DE TOURNES & FILIOS.
M. DCC. XX.

Digitized by Google

MVSEVM BRITANNICVM

Digitized by Google

BIBLIOPOLARUM
IN NOVISSIMAM
HISTORIÆ LITERARIÆ
SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM
D. CAVE, *Editionem*
PRÆFATIO.

TERTIAM *Historiæ Literariæ Scriptorum Ecclesiasticorum Clarissimi D. Cave Editionem, Tibi exhibemus*, Humanissime Lector. *Prior ante aliquot Annos hìc prodierat, duobus distincta Tomis, altero nempe, quem primum Author ediderat, altero verò quem, sub Alterius Partis titulo, emiserat, quo & quàmplurima in Priori prætermissa recensebantur, & nonnulla ad incudem revocata, exhibebantur. Verùm quum cita Exemplarium distractio nos, ut hoc Opus de novo prælo subjiceremus moneret, consilia & operâ Virorum Doctorum & in Libris edendis versatorum usi, in unum Volumen illud congessimus, relatis singulis Articulis posterioris Partis in suam sedem, sub hac nota* P. II., *Ita ut, &*

Digitized by Google

quæ addita, & quæ recognita, uno veluti obtutu, cernere queas. Eadem operâ ac fine ex duobus Indicibus unicum conflavimus, sive Nominum, sive Rerum; Idem in duabus Appendicibus præstitimus, at hac adhibita cautione, ut quæ sunt Dni. Henrici Warton his literis H. W. *quæ verò Dni. Roberti Gerii istis* R. G. *ad marginem appositis, annotentur: Epistolam Dedicatoriam & Prolegomena Prioris Partis, Epistolæ Dedicatoriæ & Præfationi Posterioris, servato temporis ordine, præmisimus. Hæc Te monitum voluimus; Vale, & Conatus nostros æqui, bonique consule.*

SANCTIS-

SANCTISSIMÆ CHARISSIMÆQUE

MATRI

ECCLESIÆ ANGLICANÆ,

Quod fœlix fauſtumque ſit.

OPUS, Mater, ſub tuis Auſpiciis natum, in Filiorum Tuorum uſum præcipuè elaboratum, Tuove proinde Nomini jure meritò nuncupandum, in publicum emitto. Te certè tanquam veræ pietatis Magiſtram, Catholicæ Doctrinæ vindicem, pulcherrimum primævæ Antiquitatis Archetypum colunt ac venerantur omnes, quotquot iniquo partium ſtudio non ducuntur. Fides Tua eadem quæ Sanctis olim ſemel tradita; à Te ſtant Patrum dogmata, Conciliorum Decreta; à Te omnia Veteris Eccleſiæ Symbola, nullis quæſitis coloribus fucata, nullis novis Fidei Articulis aucta vel interpolata: In tuis ſcriniis divina ſervantur Oracula, non ἐν τοῖς ἀποκρύφοις recondita, non intra Clathros & Cancellos repoſita, non ſolis doctis & πολυγλώττοις cognita, ſed familiari ſermone expoſita, in Templis, Ædibus, Officinis lecta, cuivis nota, ubivis obvia. *Utilis* ſiquidem *eſt omnis Scriptura divinitùs inſpirata, & hâc unâ ratione à Spiritu S. conſcripta*, (notante D. Baſilio Procem. in Pſalmos Pag. 125.) ἵν᾽ ὥσπερ ἐν κοινῷ τῶν ψυχῶν ἰατρείῳ, πάντες ἄνθρωποι τὸ ἴαμα τοῦ οἰκείου πάθους ἕκαστος ἐκλεγώμεθα; *ut ex eâ; haud ſecus atque è communi curandarum animarum officinâ, medelam ſuo quiſque morbo ſalutarem & accommodam queat ſeligere.* Penès Te Sacramentis Dominicis ſua ſtat dignitas, reverentia, & integritas illibata; veneranda, inquam, Chriſtianæ Religionis myſteria, non numero ſeptenario tumida, non portentoſis dogmatibus gravida, non ludicris & ineptis ritibus onuſta, ſed pura, ſincera, ſimplicia, qualia à Domino olim inſtituta, ab Apoſtolis tradita. Templa Tibi caſta, decora, venuſta; neque ſqualore ſordida, neque ad pompam theatricam extructa & ornata; non corraſis undique Reliquiarum thecis turgida, nec immenſo lampadum cryſtallinarum ſplendore rutilantia, non ſu-

Digitized by Google

perba elegantissimis, nullâque non arte pretióque limatis Sanctorum Imaginibus, quas nonnisi *contra Scripturarum & Religionis nostræ auctoritatem;* in Ecclesia Christi retineri posse, disertè olim affirmavit Epiphanius. Cultum tuum publicum verè primævum esse, Catholicum, pium, Deoque dignum testantur singula tuæ Liturgiæ munera, solennes precum formulæ, quique in sacris usurpantur Ritus & Ceremoniæ, numero paucæ, institutione graves, observatione utiles. In te antiquum, & ab ipsis Apostolis acceptum regimen miramur pariter ac prædicamus, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum Ordines sibimet invicem succedentes: Potestatem Tibi à Domino concessam intra proprios limites coerces; quæ *Cæsaris sunt Cæsari* in solidum *tribuis*, quæ *Dei Deo*: Apud Te, si unquam aliàs, sacro-sancta Regum Majestas intemerata conservatur, suisque nullo invidente, nullo convellente, gaudet privilegiis. Habent penès te honorem suum vetusti Canones, quorum potiorem partem in Codicem Tuum Synodicum transcripsisti: ad hos, quantum hodierna ferunt tempora, temet totam componis, optasque enixè, ut pristinæ disciplinæ vigor in integrum restituatur. Paucis agam: In te renovatam intuemur ævi Cypriani simplicitatem, Constantiniani zelum ac puritatem, Theodosiani decus & εὐταξίαν, utinam addere liceret, & felicitatem. Vigeat apud Te magis magisque antiqua fides, virtus, simplicitas; sint Laici tui moribus inculpati, in fide firmi fortesque; sint Sacerdotes tui justitiâ amicti, doctrinâ ornati, & sit, in omne ævum, ut hactenus, *stupor mundi Clerus Britannus.* Propitios experiaris Serenissimum Regem, *omnesque in eminentia constitutos,* ut pro quorum salute indies ad Deum preces fundis, eorum præsidio muniaris, Tuique omnes *vitam agant quietam ac tranquillam, cum omni pietate & gravitate.* Ita vovet, optat, & ex animo precatur.

Dat. in Colleg. Windesoriæ. Non.
Octobr. MDCLXXXVIII.

Filiorum Tuorum minimus
GUILIELMUS CAVE.

PROLEGO-

PROLEGOMENA.

PRODIIT jam tandem, sat citò, si sat benè, *Scriptorum Ecclesiasticorum Historia Literaria*. De cujus ortu, progressu, materiâ, methodo, mediis & subsidiis, plurimisque ad Antiquitatis Ecclesiasticæ notitiam spectantibus, tuâ forsan æquè ac meâ intererit, CANDIDE LECTOR, ut paucis hîc in antecessum agam.

SECTIO PRIMA.

De hujusce Operis Ortu & Progressu.

IN quam immensam molem parvâ ab origine res sæpiùs crescant, hoc ipso Opere satis superque didici. Decimus quartus jam agitur annus, ex quo *Scriptorum Ecclesiasticorum Tabulas* typis mandavi; quæ Hamburgi, deinde Anno MDCLXXVI. me planè, inscio, recusę sunt. Eo enim tempore de hâc re ulteriùs promovendâ, ἰδ' ὄναρ ἰδ' ὕπαρ ne semel quidem subiit animum cogitatio. Post paucos verò annos enixè rogârunt, & acriùs apud me instabant amicorum plurimi, Viri haud vulgares, ut de Scriptoribus Ecclesiasticis accuratiùs adhuc aliquid commentarer, & suppletis quæ in aliorum hâc de re libris deesse videbantur, opus conderem, quod communi studiosorum commodo inserviret. Talia suadentibus surdas objeci aures, nec tam argumentis quàm iteratis precibus victus, tandem manus dedi, & conquisitis undique, quę futuri operis subsidio, simul & ornamento fore videbantur, *Historiæ* hujusce *Literariæ* fundamenta jeci. Verùm protinùs expertus sum, duram me cepisse provinciam, nec tam gravi oneri pares subesse humeros, magnum esse negotium, laboris & periculi plenum, nec unius anni id opus fore. Non enim nobis, qui sub sole & pulvere indies laboramus, licet esse tam beatis, ut cæteris soluti curis, unico negotio, operâ atque animo incumbamus. Aliò nos vocant quotidianæ vitæ curæ & sollicitudines, & frigidæ plerunque occupationes, quæ simul & avocant animum & comminuunt; aliò, quæ amicis præstantur obsequia; aliò, diversa quandoque studiorum Ratio; aliò deinque sacri nostri muneris officia; quorum singula vel totum occuparent hominem. His tamen non obstantibus in Historiâ hâc concinnandâ penè ad finem Quarti Sæculi ante plures jam annos progressus eram, cùm primò nutans rerum mearum status, mox pertinax & penè conclamata valetudo, & moles, quâ premor, cadaverosa, opus incœptum è manibus excusserunt. Interim ne nihil omninò egisse viderer, Anno MDCLXXXV. *Cartophylacem Ecclesiasticum*, quo propè 1500. Scriptores, eorumque scripta recensebantur, in lucem emisi. Ex eo tempore duo Scriptores Galli idem argumentum ex parte tractarunt; *Viz. Ludi Ellies du Pin*, Facultatis Sorbonicæ Theologus, qui Auctorum Ecclesiasticorum novam Bibliothecam Gallico sermone edidit *Paris.* 1686. 8°. Vir (quantum ex iis quæ latinè edidit, perspicere licet, Gallica enim haud satis capio) doctus & candidus, & antiquitatis ecclesiasticæ cultor diligentissimus. Alter *Casimirus Oudin*, Presbyter Præmonstratensis, qui eodem loco & tempore *Supplementum ad Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis* evulgavit. Quo in opere utinam eandem cùm *Clar. Du Pin* diligentiam, par judicium adhibuisset: non tot fœdis erroribus se implicuisset, nec adeò magnam operis sui partem ex Miræo, Labbeo, Vossio, aliisque (sæpè ne levissimâ quidem eorum, unde sua desumpserit, mentione factâ) ad verbum transcripsisset: non levem alioqui candoris, & diligentiæ non inutiliter positæ laudem reportaturus. Verùm ad *Cartophylacem* redeo. Cùm opusculum illud breve nimis & jejunum esse quàm ut studiosorum usibus satisfaceret, amici undique conquererentur, mecum tum coram tum per literas egerunt, ut opus quod ad blattas & tineas relegâram, ad incudem revocarem, adeóque ad telam quam orsus eram, pertexendam, stimulos addiderunt. Feci igitur quod potui, & opus ad hanc, quam vides, formam molemque, non sine immenso [quod præfiscinè dicam] labore tandem perduxi. De quo mòdò candidè judicent eruditi, sat erit; quid censores, quid nasutuli, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ.

Dicet fortasse aliquis, me actum agere, & in hoc instituto post Sixtum Senensem, Possevinum, Bellarminum, Miræum, Labbeum, Gesnerum, Simlerum, Perkinsium, Scultetum, &c. versari, nil aliud esse, quàm post Homerum Iliadem scribere. Fateor quod res est, plures in hoc genere Scriptores extare; quorum lucubrationes à me quàm longissimè abfit, ut è studiosorum manibus excuti vellem. Habent aliorum libri suos usus, habet forsan & meus suos. In eodem stadio decurrentibus non eadem omnibus currendi ratio, non eadem terenda semita, neque eadem cursum fœliciter conficiendi adminicula; nec qui

qui

qui in amœno amploque deambulant horto, eosdem semper decerpunt flosculos. Latissimè patet Scriptorum Ecclesiasticorum campus in quo plures absque aliorum damno sese exercere possunt. Quid alii qui de Scriptoribus agunt Ecclesiasticis, quid verò ipse in hoc opere præstiterim, aliorum esto judicium; mallem ego ex ipsius operis collatione, quam ex mea deprædicatione, id Lectori innotescere. Sine jactantia spero dici potest, præter ea quæ mihi cum aliis communia sunt, quàmplurima hîc reperiri, quæ frustra alibi quærantur. Utcunque sit, vulgatum illud S. Augustini huc etiam trahere licet: *Neque enim omnia, quæ ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniunt. Et fieri potest, ut nonnulli, qui etiam hæc nostra intelligere valent, illos planiores non inveniant libros, & in istos saltem incidant. Ideoque utile est plures à pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus iisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic.*

Aug. de Trin. lib. 1. cap. 3. Tom. 3. pag. 211.

SECTIO II.

De Materiâ & Methodo hujus Operis.

Restat jam, ut paulò explicatiùs de ipsis quos hîc exhibemus Scriptoribus, de illorum scriptis, déque Operum Editionibus, deinque de Methodo & Ordine quo usi sumus, paucis agamus. Scriptores ipsi non sunt unius generis. In quatuor classes commodè dispesci possunt: Sunt enim vel Majores, vel Minores, vel Hæretici, vel Gentiles. Majores voco, non tantùm qui ætate & auctoritate cæteris præstant, quales sunt Apostoli virique Apostolici, οἱ τὴν πρώτην τάξιν τῆς τῶν ἀποστόλων ἐπέχοντες διαδοχῆς (ut de iis Eusebius lib. 3. cap. 37.) sed qui indefesso studio immensis laboribus plura volumina in Ecclesiæ juxta ac Reipublicæ literariæ commodum elucubrârunt: Et in hoc genere nullum me prætermisisse spero. Minorum gentium Scriptores sunt, qui non nisi paucos aliquot tractatulos ediderunt, vel singularem aliquam epistolam ad Posteros transmiserunt. Hos etiam undique conquisivi & in censum retuli. Quod ut majore cum fructu facerem non modò magna Patrum volumina sedulò excussi, verùm ingentes Bibliothecæ Patrum, Conciliorum, Miscellaneorum, & (quotquot ad manus meas pervenerunt) istiusmodi Collectaneorum Tomos pervolvi, plurimosque inibi latentes Scriptores in lucem protraxi: In hâc Scriptorum Classe, primum locum tenent, (non enim de iis jam loquor, qui justa volumina condiderunt) Pontifices Romani propè omnes, quorum Acta, Epistolæ, Decreta, Diplomata, cùm ad rei Ecclesiasticæ notitiam sint maximè necessaria, nescio qua de causa in Scriptorum Ecclesiasticorum censum (quod tamen vulgò fieri non solet) non sint reponendi. Quòd Hæreticos inseruerim id inde factum est, quia horum non minùs quàm aliorum notitia ad historiam Ecclesiæ illustrandam apprimè confert. Cùm enim haud minima Ecclesiasticæ Antiquitatis pars sint, plurimumq; referat scire quinam fuerint, & unde orti; quænam illorum secta & placita, quosve libros ad dogmata sua vindicanda procuderint, quâve occasione hæreses suas disseminarint; necesse est, ut in hujuscemodi opere eorum ratio habeatur. Quod tamen vel penitùs insuper-habent, vel negligenter admodum curare solent, qui Scriptores Ecclesiasticos nobis exhibent. Eâdem de causâ etiam eorum rationem habui, quorum nulla hodie supersint opera, eò quòd Antiquitatis studioso plurimum intersit, ut ad horum cognitionem deducatur. Historiæ Politicæ Scriptores hinc inde, at parcè quidem in Commentarios misi: cui enim ignotum sequioribus Ecclesiæ temporibus paucos admodum fuisse, qui res Ecclesiasticas separatim tradiderunt; verùm unâ eâdemque operâ civilia & ecclesiastica negotia literis mandare soliti sint? Plures à me Scriptores omissos nemo miretur. Quis enim vel Bernardo oculatior videt omnia? præterea, multi sunt Anonymi, quorum capita in censum non veniunt, & tamen hos quoque inter Veteres plerumque notavimus. Multi incerti prorsùs temporis, quorum ætatem nullo vel verisimilis conjecturæ hamo expiscari poteram; multi satis quidem noti, sed nullius nominis, quippe futiles ac proletarii, ac proinde aliis tantummodò cedere digni. Cùm enim posterioribus præsertim Ecclesiæ sæculis infinita sit Scriptorum messis, Scholasticorum putà, Chronologorum, Biographorum, &c, delectus in his quandoque habendus erat, quò præteritis obscuris & nullius numeri scriptoribus, farfari foliis, celebrioribus & sæculorum memoriâ dignis locus esset. Vereor tamen nè etiam mihi vitio vertatur, me plures quàm par erat hujus farinæ scriptorculos reliquis immiscuisse. In prioribus sæculis summam quam potuimus, præstitimus diligentiam: quo fine totum penè Eusebium, Hieronymum, Gennadium, Photium, Suidam, & ex veteribus alios, quantum ad institutum nostrum attinet, hausimus. Sub singulis Scriptoribus, primò quidem res gestas maximè memorabiles, pręsertim ad Ecclesię & Reipublicę literarię statum pertinentes, ex optimis quibusque scriptoribus, notavi. Id enim in aliis, qui nobis in hoc argumento pręcesserunt, maximè deesse sępiùs observaveram, quòd parcè nimis de scriptoribus suis agant, nec historicam eorum notitiam satis amplam, junioribus maximè necessariam, propinare solent. Hâc tamen in re modum tenui, ita ut neque nihil, neque tamen omnia dicerem; pauca tamen sunt illustriora Antiquitatis Ecclesiasticę capita, quorum summa ex hoc vel illo loco peti non potest. Scriptoris vitam sequitur Elogium & de stylo censura, hęc ex veteribus quamplurimum deprompsi, & ubi deficiunt veteres, ex recentioribus, sed primi subsellii viris; Erasmo, Scaligero, Casaubono, &c. nec rarò meum etiam, quale quale id sit, judicium interposui.

Ad finem cujusvis Sęculi Scriptores Gentiles addidi, qui fidem nostram sanctissimamque Religionem suo tempore oppugnarunt. Tenuis fateor horum est, & exiguus quàm pro tot sęculorum ratione numerus.

Verùm

Verùm plurimorum etiam nomina unà cum ſcriptis perierunt. Siquidem primi Imperatores Chriſtiani pię fervido quidem (num etiam laudando?) zelo Gentilium adversùs Chriſtianam fidem libros flammis adjudicarunt. De Porphyrio Conſtantinus M. Epiſtolâ ad Epiſcopos & Plebem, apud Socrat. lib. 1. cap. 9. Πορφύριος ὁ τῆς θεοσεβείας ἐχθρὸς, συντάγματα παράνομα κατὰ τῆς θρησκείας συστησάμενος, ἄξιον εὕρετο μισθὸν, καὶ τοιοῦτον ὥστε ἐπονείδιστον μὲν αὐτὸν πρὸς τὸν ἑξῆς γίνεσθαι χρόνον, καὶ πλείστης ἀναπλησθῆναι κακοδοξίας, ἀφανισθῆναι δὲ τὰ ἀσεβῆ αὐτοῦ συγγράμματα. *Porphyrius veræ pietatis inimicus, compoſitis adversùs Chriſtianam Religionem nefariis voluminibus dignam mercedem retulit, ut & ipſe infamis ſit apud poſteros, multiſque appetitus opprobriis, & impii ejus libri penitùs fuerint aboliti.* En etiam Theodoſii M. Legem Cod. *de Summ. Trinit.* Tit. 1. Leg. 3. *Decere arbitramur noſtrum imperium, ſubditos noſtros de Religione commonefacere——Sancimus igitur, ut omnia quæcunque* Porphyrius *ſuâ pulſus inſaniâ, aut quivis alius contra Religioſum Chriſtianorum cultum conſcripſit, apud quemcunque inventa fuerint, igni mancipentur. Omnia enim provocantia Deum ad iracundiam ſcripta, & pias mentes offendentia, ne ad aures quidem hominum pervenire volumus.* Inde fit ut ne multorum quidem, qui adversùs Chriſtianos ſcripſerunt, nomina nobis nota ſint, nedum ipſorum libri integri ad nos pervenerint.

Scripta quod ſpectat, ſingula ad proprias claſſes revocavi; omnium tum junctim, tum ſeorſim editorum Indicem appoſui; ſub alienis nominibus latitantia ſuis autoribus reſtitui; deperditorum veſtigia ſcrutatus ſum, & quænam hodie ſuperſint fragmenta, & ubinam reperiantur, quaſi digito monſtravi; quæ dubię ſint fidei Lectorem monui, genuina à ſuppoſititiis ſedulò diſtinxi, & ubi opus erat, rationes addidi; breviter id quidem, & tribus quaſi uerbis, niſi ubi pleniorem criſim res ipſa poſtularet. Non enim mihi par viſum eſt, longa argumentorum agmina in aciem proferre, ad ea opuſcula ſpuria demonſtranda, quæ à longè majore doctiorique ipſorum Pontificiorum parte veluti ſuppoſititia rejiciuntur. Neque ſanè, cùm hæc ſcriberem, neceſſe erat: nondum exortis apud nos novis cauſæ pontificiæ hyperaſpiſtis, qui cramben centiès coctam, centiès rejectam, nobis reponunt, Veterumque opuſcula ab omnibus ferè hactenus pro ſpuriis habita tantâ temeritate, tam perfrictâ fronte nobis obtrudunt, quaſi nemo adhuc iis litem intentaverat. Conſtitutiones & Acta Synodalia non ſemper notavi. Mecum certè deſtinaveram, unicuique ſæculo Concilia eorumque Acta & literas appendere. Sed ab hâc ſententiâ diſceſſi, ne in majorem quàm par erat molem liber excreſceret. Utinam exurgat tandem, qui hâc ſimilive methodo nobis Concilia tradat. Etſi verò de ſcriptis editis prima mihi ac pręcipua cura fuit, ἀνέκδοτα tamen & quæ hactenus latent manuſcripta, omni, quâ potui, ſedulitate inveſtigavi: in quo nihilominùs vereor ut curioſo Lectori ſatisfecerim. Intereſſet ſanè Antiquitatis ſtudio, ut refractis Bibliothecarum clauſtris intima Archivorum penetralia reſerarentur, & plenus tot reconditorum Eccleſiæ monumentorum theſaurus nobis pateſceret. Verùm enim verò quis huic oneri ſufficeret Atlas? quis huic labori perferendo par Hercules inveniatur? Interim hujus temporis fœlicitati gratulor, quòd tot Veterum monumenta è tenebris eruta, blattarum & tinearum imperio erepta videt: quòd tot *Sirmondos, Valeſios, Holſtenios, Allatios, Labbeos, Cotelerios, Garnerios, Baluzios, Mabillonios, Dacherios, Huetios, Lambecios, Wetſtenios* [ut noſtrates hodie florentes ſileam] noſtra hæc tulit ætas.

Scriptorum Eccleſiaſticorum Editiones, ſi non omnes, certè penè omnes eaſque longè præſtantiores appoſui; Opuſcula ſeorſim edita, & quę in reliquis operibus deſiderantur, diligenter recenſui. Editionibus recentioribus vetuſtiores plerumque adjunxi, quę ob rationes infra męmorandas ſuo pretio meritò ęſtimantur. In plurimorum librorum, qui primis naſcentis typographię temporibus prodierunt, editionibus indagandis, optimos quos invenire potui duces ſecutus ſum. Nec melioris notæ catalogos neglexi, tum Bibliothecarum publicarum, *Oxonienſis, Leydenſis,* &c. tum privatarum, *Thuanæ, Heinſianæ, Arundellianæ,* &c. partim ut varias editiones inter ſe conferre, partim ut quę non ubivis proſtant, faciliùs inveſtigare liceret. Verùm de SS. Patrum editionibus ſuo loco fuſiùs agemus.

Ad ordinem tandem & methodum, quâ uſi ſumus, deveniamus. Et primo quidem loco cuivis ſęculò proprium titulum addidi quò faciliùs à reliquis diſtinguatur, & legentis memorię firmiùs inhęreat. Deinde iſtius ſæculi Breviarium pręmiſi, quo Hiſtorię Eccleſiaſticę & Literarię fontes aperiuntur; ſed in hâc re brevior quidem fui, cùm res maximè memorabiles ſub ſingulis Scriptoribus recenſeantur. In digerendis Scriptoribus, temporis ſeriem, utpote naturę magis congruentem, & quę in lectione Patrum ordine maximè commodo nos manuducit, obſervavi: annum, quo quiſque floruit, pręſertim fatalem quo obiit, certiſſimum quippe ętatis indicium, notavimus; ubi certa ętas inveniri nequit, conjecturis uſi ſumus, ratione tamen non prorsùs deſtitutis. Dato hujus vel illius ſcriptoris mortis tempore, annum quo claruit decennio ante collocavimus, niſi ubi peculiaris quędam ratio aliter ſuaſit. In figendis Imperatorum, Epiſcoporum, Abbatumque ętatibus, ab anno quo ad munera & dignitates evecti ſunt, ubi haberi potuit, Epocham duximus. In Pontificum Romanorum ſucceſſione, temporiſque notatione, à ſęculo quarto, catalogum quem non ita pridem edidit Papebrochius, ut, in rebus eorum geſtis recenſendis, auctores è quibus ſua deſumpſit Baronius, plerumque ſecuti ſumus. Sæculum claudunt Gentiles, qui ſanctiſſimam Chriſti religionem ſcriptis ſuis oppugnârunt; verùm hi in ſęculo ſexto deſinunt, totâ deinceps Philoſophorum eruditorumque Ethnicorum gente penè ubique deletâ.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO III.

De mediis & subsidiis in condendo hoc Opere adhibitis.

Rectè olim C. Plinius, Præfat. ad Vespasianum historiæ naturali præmissâ: *Et benignum, ut arbitror, & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris: non ut plerique ex iis quos attigi, fecerunt. Scito enim conferentem autores me deprehendisse, à juratissimis & proximis veteres transcriptos ad verbum, neque nominatos.——Obnoxii profectò animi, & infœlicis ingenii est deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere, cùm præsertim sors fiat ex usurâ.* Postquàm igitur declaraverim, quid à me in hoc opere præstitum sit, æquum est, ut quibus subsidiis instructus, quâ amicorum ope suffultus, illud promoverim, proximè exponam. Et primò quidem præfidentiùs dicam, me suum cuique reddidisse: neminem lęsi, nullius famam, nomen, scripta suppressi; nullius scrinia compilavi; ipsos, ubi licuit, fontes semper petii; quoties verò recentiores in subsidium vocandi essent, apposito Auctoris & nomine & loco, candidè & fideliter recognovi. Libri quibus usus sum, ubivis extant, cuivis patent; quorum proindè Elenchum hisce Prolegomenis præfixi. Nec pro parte sua deerant Amici, ut mihi in hac arena desudanti manus auxiliatrices admoverent: quosdam in ipso operis cursu notavi, paucos huic loco reservavi. Inter exteros primum locum tenet *L. Otto Menckenius*, in Academiâ Lipsiensi Prof. publ. & Collegii *Acta Eruditorum* elucubrantis Præses dignissimus; cui non uno nomine obstrictus sum, à me verò hoc loco celebrandus, quòd opuscula quædam Græca è Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis codd. MSS. in usus meos describenda curavit, quorum unum aut alterum huic operi inserui. *Hen. Dodvvellus* Dublinensis, Historiarum in Academia Oxoniensi Professor celeberrimus, operis mei fautor benignus, qui mihi huic oneri humeros non semel subtrahenti vires animumque addidit, fluctuantem confirmavit, si quid mihi verò opus esset, tum de pectore, tum de scrinio lubens deprompsit. Quædam notavit *Ab. Sellerus* Devoniensis, vir meliori loco sortéque dignus. Sed cùm in insanam prope molem opus excrescere viderem, parciùs iis quæ ab amicis accepi usus sum. Unicum adhuc est, de quo paulò disertiùs agendum erit. Jacobus Usserius Archiepiscopus Armachanus, ab ipsis studii Theologici incunabulis *Bibliothecam* quandam *Theologicam* [ita enim operis titulum ipsemet formaverat] meditatus est, publicis eruditorum votis diu multúmque expetitam. *Bibliothecam tuam Theologicam* [inquit Clar. Spanhemius Epist. Dedicat. ad *Dub. Evangel.* par. 3. *Genevæ* 1639.] *& veterum Scriptorum Ecclesiasticorum Criticum omnes antiquitatis genuinæ studiosi à subactissimo judicio tuo summo cum desiderio expectant.* Hunc in finem Patres per singula sæcula decurrentes studiosè legebat, & plurima in futuri operis materiam undique conquisivit. Sed proh dolor! opus erat institutum potiùs quàm inchoatum, nec nisi *rudis indigestaque moles.* Gravioribus enim negotiis occupatus, & belli civilis per plures annos apud nos grassantis tempestate hinc inde jactatus, vix ultra confusa quædam collectanea progressus est. Eruditissimi Pręsulis autographum pro summâ, quâ pollet, humanitate mecum communicavit *Edvardus Stillingfleet*, Ædis Paulinę apud Londinenses Decanus, Gentis pariter ac sęculi nostri ornamentum. Sed cùm haud aliud pręter schedas quasdam laceras, & miserè detritas, malè exaratas, nulloque ordine dispositas contineret, spes quam conceperam pręclara exinde in usum meum depromendi, magnam partem frustrata est; paucula excerpsi, quæ servatis, ut plurimum, ipsius Usserii verbis, suis locis inseruntur. Ne verò quę tantâ diligentiâ collegerat Usserius, penitùs perirent, Ger. Langbaini Col. Regi-nalis Oxon. Prępositi curę ea moriens commendavit. Nec Amici integerrimi votis defuit Langbainus; Collectanea Usseriana excribenda curavit, in Ordinem qualem potuit, redegit; lacunas supplevit, citationes in margine detritas restituit: sed cùm studio, quàm par erat, ardentiori in Bibliothecâ publicâ hieme inclementiori hoc opus perurgeret, ipsi immortuus est anno 1657. Apographum Langbainianum in Bibliothecę Bodleianę Archivis servatur; ubi illud olim me vidisse memini. Verùm (ut ad amicos, unde digressus sum redeam) nec laude suâ fraudandus est *Hen. VVarthonus*, Artium Magister, Vir optimi ingenii, & quâvis ferè meliori literaturâ longè suprà ętatem eruditus, qui ut oculorum meorum imbecillitatem sublevaret, in scrutandis Auctorum locis, editionibus conferendis, versionibus conficiendis, colligendis plurimorum Pontificum Romanorum rebus gestis per septem vel octo menses mecum fideliter laboravit. Et dum aliud postea agens variarum Bibliothecarum forulos excuteret, non unum Scriptorem, non unum fragmentum mihi indicavit, ut suis locis notavi. Denique dum operi egomet nimiùm intentus ad sæculi XIII. exitum properarem, ecce gravissima me afflixit valetudo, adeò ut de salute, penè de ipsa uita desperarem. Hunc igitur in partem vocavi, huic lampada tradidi, qui ab anno 1301. juxta Ordinem & fundamenta in *Carthophylace* posita, cętera absolvit: cujus proinde Appendix hujus Operis calci subnectitur. His jam de Opere nostro pręmissis, ad alia Antiquitatis Ecclesiasticę notitiam propiùs spectantia, nostroque proposito apprimè congrua descendamus.

SECTIO

SECTIO IV.

Regulæ Criticæ ad discernenda genuina Sanctorum Patrum Opera necessariæ.

CUM in primariis fidei controversiis ad Patrum Tribunal undique provocari solet, cúmque ex commentitiis fictæ antiquitatis Scriniis causam suam contra nos plerumq; agant Pontificii; quantùm antiquitatis Ecclesiasticæ Studiosis intersit, genuina SS. Patrum opera à Spuriis posse secernere, neminem, nisi in re Ecclesiastica planè cœcum, latere potest. Nullo non sæculo fuerunt falsarii nebulones, qui non modò Patrum Scriptis violentas manus injecerunt, & partim addendo, partim detruncando fœdè interpolarunt, sed & integros libros à se confictos iis impudenter supposuerunt. Hinc tot *Evangelia*, *Constitutiones*, *Traditiones*, *Revelationes*, *Itineraria* sub ipsis Apostolorum nominibus olim venditata, *à nescio quibus Sutoribus fabularum sub Apostolorum nomine Scripta*, ut de Manichæorum Apocryphis loquitur † Augustinus. Hinc Pauli & Theclæ Περίοδοι, putidis fabulis refertę, à Presbytero quodam Asiano Pauli σπουδαστῇ confictæ, qui fraudem D. Joanni Apostolo confessus est; ab eo idcirco Presbyterii gradu dejectus; quod ex Tertulliano refert † Hieronymus. Et si nec ipsis Apostolis pepercerint, quid mirum si in illorum Successores grassata sit effrænis hæc fingendi licentia? Cui non nota quæ sub Clementis Romani, Lini, Prochori, Martialis, Melitonis, Justini Martyris, Tertulliani, Cypriani, Dorothei, Athanasii, Hieronymi, Augustini, Chrysostomi, &c. nominibus circumferuntur spuria? quęque in sequenti Opere utramvis ferè faciunt paginam. Vetustiorum hac in parte fraudes & imposturas imitati sunt sequiorum sæculorum Monachi: his tot Diplomata, Epistolas, Homilias, Sanctorum Vitas & Passiones, & id genus sexcenta alia, splendidis antiquorum nominibus insignita, debemus. Quod vel monuisse sat est. Fateor me hoc hominum genus iniquo admodùm animo semper tulisse, viros utiq; in Reipublicæ literariæ perniciem natos, & proinde loris ac pistrinâ dignos; vel ut ore *Plautino* loquar, *Ad fustitudinas, ferricrepidinas insulas* ablegandos, *ubi vivos homines mortui incursant boves*. Ad Crisim igitur de his feliciùs instituendam, quò vera à falsis secernantur, varias nobis regulas & aphorismos tradiderunt celeberrimi è Reformatorum gente Theologi; Hyperius, *de ratione Stud. Theolog.* lib. 4. cap. 9. Observat. 3. p. 688. Scultetus, *Aphorismis de fructuosâ lectione Patrum Medullæ* præmissis; Rivetus, Tract. *de Patrum Auctorit.* c. 14. p. 88. Holdsvvorthus, SS. Theologiæ in Collegio Greshamensi olim Professor, Lect. 37. p. 328. Spanhemius in Academiâ Leidensi Professor Theologus hodie clarus, *Introduct. ad Hist. N. Testam.* p. 120. Horum ego Vestigiis insistens, paucos quosdam Canones delineabo, notisque & exemplis illustratos in medium proferam.

† Cont. Faust. Manich. l. 22. cap. 79.

† De Script. c. 7.

I. *In quocunque opere Rerum Personarumve, Scriptoris cujus nomen præ se fert liber, ætate recentiorum, occurrit mentio, certissimum est falsitatis indicium.* Personas quod attinet, paucis exemplis demonstratum ibo. In Abdiæ Babylonii, unius è LXX. discipulis, *Hist. Apostol.* lib. 5. laudatur Hegesippus; In *Quæst. & Respons. ad Orthodox.* sub Justini M. nomine quæst. CXV. Irenæus; Quæst. LXXXII. LXXXVI. Origenes, quæst. CXXVII. Manichæi; omnes Justino longè recentiores memorantur. Liber *de Trinitate*, Tertulliano diu tributus, *Sabellianorum* meminit, qui post Tertulliani demum tempora exorti sunt. In Titi Bostrensis Commentariis *in Lucam* Gregorius Nazianzenus, Nyssenus, Chrysostomus, Isidorus Pelеusiotes, Cyrillus Alexandrinus non una vice citantur. In Athanasii *Quæstionibus ad Antiochum* Nysseni, Chrysostomi aliorumq; recentiorum occurrunt nomina. Liber *de Spiritu & Anima*, inter Augustini opera habetur, qui etsi opus sit, notante Erasmo, hominis varię multæque lectionis, & Philosophiam Aristotelicam altiùs ingressi, Augustini tamen non esse, præter alia, vel hinc constat, quod c. 37. citetur *Boëthius*, Augustini morte penè integro Sæculo posterior. *Rerum* nomine præcipuè intelligo ritus & ceremonias, controversias, & hæreses. In Canonibus & Constitutionibus Apostolicis, in Dionysii Areopagiticis, & Epistolis Pseudo-Decretalibus, nullibi non occurrunt sexcenta de templis, altaribus, consecrationibus, vestimentis, festis publicis, jejuniis, de missis, baptismi tempore, & administrandi modo, de exorcismo, pœnitentia, monachatu loca, & infinita alia, ævo Apostolico nondum nata. Constitut. Apostol. lib. 6. 15. de Baptismo hæreticorum agitur, & controversia accuratè definitur, cùm quæstio hâc de re non nisi tertio demum sæculo exorta sit. Extant Origenis nomine Commentariorum *in Iob* libri tres, in quibus nihilominus *Manichæorum* fit mentio, & Arii hæresis disertè propugnatur. Et ita quidem Commentarii *in Psalmos* qui Arnobii Afri nomen gerunt, Photini, ejusque hæresis pluribus post Arnobii annis adinventæ, meminerunt. Huc etiam pertinet quòd in quibusdam Cypriano ascriptis opusculis, non pauca Sacræ Scripturæ loca ex Hieronymi versione citantur. Id quod forsan in aliis nonnullis notari possit.

II. *Vocabula nova, vel novatæ significationis, & quæ manifestò sunt sequioris ætatis, libri, quo reperiuntur, νόθευσιν liquidò ostendunt.* Hoc indicio ubique se produnt Epistolæ, quas vocant, *Decretales*, in quibus nullo non loco, *Primatum, Patriarcharum, Metropolitanorum, Archiepiscoporum, Apocrisiariorum, Patriciorum, Comitum, literarum formatarum*, &c. nomina, de quibus prima Ecclesiæ Christianæ sæcula ne per somnium quidem cogitabant, se nobis offerunt. Hâc etiam regulâ Liturgiis & Constitutionibus Apostolicis detrahitur larva; in quibus *Pontifices, Patriarchæ, Archiepiscopi, Monachi*, cum suis *Subdiaconis, Lectoribus*,

Digitized by Google

ribus, *Cantoribus*; *Thymiamata*, *Diptycha*, *Trisagium*, *Alleluia*, *Altaria*, &c. toties occurrunt, Sæculo Apostolico, æquè ac novus orbis, penitùs incognita. S. Joannis Vitam Prochoro, ejus discipulo longè esse recentiorem satis arguunt voces, ὁμουσίου, Τριάδος, ὑποστάσεως; non minùs quàm Nicodemi Evangelium, *Sacræ Trinitatis*, & *peccati originalis* vocabula, post non unum demum sæculum in Ecclesiasticum loquendi usum introducta.

III. *Fabulæ inanes, nugæque ineptissimæ ab ævi Apostolici, vel scriptoris alicujus antiqui ingenio & gravitate abhorrentes, librum, quo continentur, cujuscunque tandem nomen gerat, supposititium esse clamant; saltem justam de eo dubitandi rationem exhibent.* Hoc nomine in nothorum censum jure merito veniunt seu *Periodi* illæ Pauli & Theclæ, quarum Tertullianus lib. de Baptismo, & Hieronymus de Script. cap. 7. meminerunt; seu *Acta* illa S. Teclæ Virginis, quæ hodie supersunt, fabulis utique conspurcatissima, de quibus vide Baronium prolixè disputantem Not. ad *Martyrolog.* Septemb. XXIII. nec melioris ferè notæ sunt, qui sub *Lini* nomine habentur *De Passione Petri & Pauli* libri II. quibus tot incerta, falsa, frivola narrantur. Ad ejusdem farinæ cumulum relegandum est Jacobi *Proto-Evangelium*, nugis & commentis plusquam judaicis de Joachim & Anna, B. Virginis parentibus, de Mariæ Natalibus, educatione, nuptiis, partu, &c. undique scatens, à Judaizante quodam nebulone, seu ex Gnosticorum grege aliquo confictum, & sub venerando & sacrosancto Jacobi Apostoli nomine hominum credulitati sine fronte impositum; adeoque *apocryphis* istis *Evangeliis* annumerandum, quæ Lucianus in Decreto PseudoGelasiano falsâsse dicitur: Ubi fortasse pro *Lucianus*, *Lucius*, seu *Leucius* (de quo mox agit Gelasius) reponendus est. Unde & imposturam suam luculenter prodit Commentarii *in Hexaemeron* sub Eustathii Antiocheni nomine compilator; qui totam ferè hanc historiam, Eustathii forsan ætate ignotam, ejus certè judicio indignam, in suum commentarium securè transfudit, ut suo loco notavi. Ejusdem planè furfuris est libellus *de Nativitate S. Mariæ*, inter Hieronymi opera repertus, à Gelasio itidem damnatus, quem impostor Hieronymum ex Hebraïco transtulisse fingit, librumque ipsum (si Diis placet) fuisse à Sancto Matthæo literis Hebraicis primò conscriptum, dein diu secreto repositum, tandem à Seleuco quodam Manichæi discipulo in lucem editum. Hunc Seleucum eumdem esse cum Leucio sive Lucio (de quo Pseudo-Gelasius, quemque *discipulum diaboli* vocat) apud omnes, arbitror in confesso est. Nec ulli dubium esse potest, utrumque opusculum, tum *Pseudo-Evangelium*, tum *de Nativitate* libellum ex eadem Gnosticorum officina prodiisse, quippe qui teste Epiphanio *, inter μυρία παρ' αὐτοῖς πεπλασμένα, γραφεῖα, librum *de progenie Mariæ* inscriptum, portentosis fabulis plenum habuerunt. Has fabulas à Gnosticis acceptas plenius excoluerunt Manichæi, & in his præcipuè Leucius, sive Seleucus: unde Innocentius I.* ea quæ sub Matthæi, (alii legunt *Matthiæ*) Jacobi Minoris, Petri & Joannis nomine, *à quodam Leucio scripta sunt, non solùm repudianda, sed & damnanda esse* definivit. Melitonis Sardensis liber *de Transitu B. Mariæ*. Historia *de Passione Imaginis Christi in Beryto*, quæ inter S. Athanasii opera locum habet, omnibus in propatulo sunt, risu potius quàm fide digna, ut infinita alia jam mittam.

* Hæres. 26. Num. 12.

* Epist. 3. ad Exup. c. 7.

IV. *Stylus totiusque orationis contextus, longè diversus ab eo dicendi Charactere, quo in genuinis suis usus est auctor, manifestum præbet suppositionis argumentum.* In hoc Criterio (ut de τοῖς ἔξωθεν nil dicam) consentiunt Critici Ecclesiastici, Eusebius, Hieronymus, Gennadius, Photius, & recentiores omnes. Ortâ olim de Cypriani sententiâ circa baptismum hæreticorum controversiâ, cùm nonnulli epistolas ejus hac de re confictas esse clamitarent, eas Cypriani esse ex Sermonis textura dijudicavit Augustinus, * *eò quod Stylus ejus*, inquit, *habet quandam propriam faciem*, *quâ possit agnosci*. Nec ferè aliter fieri solet: etsi enim peritus dicendi artifex alterius stylum dextrè satis quandoque imitari possit; rarò tamen reperitur, qui hoc præstare potest, & vix è millibus unus. Neque post omnem, etiam sedulò navatam operam efficiet, quin vel in verborum nitore, vel elocutionis formâ, vel dispositionis artificio, ingens dissimilitudo attentè legenti apparebit: Id quod sexcentis exemplis in Cypriani, Hilarii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, &c. operibus dudum demonstravit Erasmus Roterodamus, sagacissimus, & extra controversiam summus Latinitatis Ecclesiasticæ censor: ut singulos scriptores hac in re notare necesse non sit. Fateor cujusvis non esse, de stylo aptè judicare: Sed fato quodam impostoribus accidit, ut non modò infra proprium ac nativum veri autoris dicendi genus subsidant, sed & plerumque infantium balbutiem, & barbariem apertè prodant; ut ex ungue leonem, vel potiùs ex auribus asinum facilè agnoscas.

* ad Vincent. Epist. 48. Col. 184.

V. *Meritò* νοθεύσεως *damnatur liber, quo reperiuntur dogmata, iis planè contraria, quæ in genuinis & indubitatis operibus verus Author tradidit.* Ab omni quippe verisimilitudinis specie abhorret, ut unus idemque Scriptor, prudens, gravis, eruditus, sibimet ipsi contradiceret, & propositiones quandoque ex Diametro pugnantes libris suis intertexeret. Quod enim quis opiniones à se olim venditatas, postea revocet & refingat, ut in *Retractationum* libris sub vitæ finem scriptis fecit Augustinus, summæ prudentiæ & candoris est. Hæc non eo sensu accipi velim, quasi unus idemque scriptor nusquam, præsertim in rebus levioris momenti, sibi contradixerit (istiusmodi enim, præcipuè in scriptoribus πολυγράφοις, non unum exemplum dari potest, seu memoriæ vitio, seu disputationis æstu contigerit) sed quod rarò id accidit.

Digitized by Google

dit, nec in istiusmodi ἀσυγχισίαις, quæ invirum doctum & sapientem ægrè cadere solent. Quis credat Origenem *Commentariis in Iob** Christum tribus annis cum dimidio, à baptismo usque in passionem, prædicare docuisse, qui περὶ ἀρχῶν lib.4.c.1. † ipsum unico tantùm supra aliquot menses anno prædicasse disertè affirmaverat. Justinus M. *Dialogo cum* * *Tryphone*, Angelum cum Jacobo colloquentem increatum facit, & non modò θεὸν καλεῖσθαι, sed & θεὸν εἶναι asserit. At in *Quæstionibus ad Orthodoxos** ipsi tributis, *Quæst*. CXLII. ipsum solummodò propter commissum sibi munus τῆς τάξεως καὶ τῆς προστηγορίας τοῦ Θεοῦ obtinuisse scribit, nec alio sensu quàm quo homines *Dii* vocati sunt: *quo munere obito desinunt vocari Dii, qui propter functionem aliquam Dei nomen accepêre.* Quis credat Homiliam *de Deipara*, quâ B. Virginem invocandam esse docet, Athanasii esse, qui toties in sermonibus adversùs Arianos penitùs illicitum esse cuivis creaturæ creaturam adorare luculenter affirmat, liquidò demonstrat. Libri *Hypognosticôn* Augustino meritò abjudicantur, ut in quibus Pelagiana dogmata disertè traduntur. In operibus suis indubitatis nemo Cyrillo Alexandrino, Origenis dogmata fortiùs impugnavit, acriùs exagitavit; certissimo argumento, *Homilias in Leviticum* ejus non esse, in quibus tot de animarum præexistentia, de improborum, quin & Dæmonum suppliciis tandem aliquando finem habituris, aliisque id genus somniis Origenianis, testimonia habentur.

*Tom. 2. fol. 281. C. † Tom. 4. fol. 150. G. * P. 281.

VI. *Si in aliquo opere, Autorem Græcum sibi vendicante, occurrat Latinorum vocabulorum censura & explicatio, meritissimam falsitatis vel fraudis suspicionem injicit.* Cùm à Græcorum Patrum [ut rectè notat Holdsvvorthus nostras] scribendi consuetudine hoc maximè abhorreat. In variis Origenis Opusculis exterminandis hæc Regula præcipuè locum habet. De Commentariis *in Iob*, *in Cantica*, *in Psalmos* 36. 37. 38. de Homiliis in *diversos Matthæi locos*, aliisque post Erasmum & Sixtum Senensem, Cocus, Rivetus, aliique id observarunt; adeo ut aut hominis Latini opuscula sint, aut ab interprete insigniter interpolata. Idem de Hesychii Hierosolymitani commentariis *in Leviticum* dici debet; in quibus, ut alia taceam, Hieronymi versione utitur, eamque *nostram translationem* vocat. Huic etiam classi accensendi sunt tractatus varii, qui etsi Græcos parentes mentiantur, Latinorum tamen fœtus esse penè certum est. Cujusmodi farinæ sunt Melitonis liber *de transitu B. Mariæ*, Origenis *Lamentum*, & Homiliæ plures; Athanasii Epistolæ *ad Marcum*, *Liberium* & *Felicem*, &c. Nec minùs impostori meritò larvam detrahit, ubi author Græcus Latinè scripsisse perhibetur. Hoc indicio dignitate sua cadit Dorothei *Synopsis de Vita & morte Prophetarum, Apostolorum*, &c. quam Anonymus Grecus, à me jam primùm in lucem prolatus, Dorotheum Latinè scripsisse fingit. Cui enim unquam persuaserit, Dorotheum hominem, gente ac linguâ Syrum, saltem Grecum, Tyri inter Phœnices Episcopum, monumenta sua Latino sermone consignasse.

VII *Quæcunque opuscula pro spuriis damnarunt Veteres, ægrè admodùm, nec nisi clarissimis & validissimis argumentis admitti debent; præsertim si accedant eorum suffragia, quorum interest, ut pro genuinis habeantur.* Quodnam de variis quę sub veterum nomine circumferuntur scriptis judicium tulerint Eusebius, Epiphanius, Hieronymus, Gennadius, Photius, non est quòd pluribus apud eruditos agam; cùm eorum libri omnium quotidiè manibus terantur. Gelasii Pontificis *de libris Apocryphis & damnatis* decretum, etsi suo loco spurium esse probabimus, nihilominus apud Pontificios Autoritatem suam sartam tectam tuetur; adeoque quęcumque Pseudo-Gelasius ad suppositițiorum censum amandarit, ipsis pro adulterinis habenda sunt. Vi quidem veritatis adacti non defuerunt etiam in medio Papatu cordatiores Pontificii, qui è Patrum γνησίων albo scripta plurima expunxerint, & vel ad dubia, vel ad apocrypha relegarint. In omnium ore manibusque sunt Sixtus Senensis, Possevinus, Bellarminus, Sirmondus, Petavius, Labbeus, Mireus, Valesius, Fronto Ducęus, De Marca, Baluzius, Mabillonius, Du Pin, alii: unus ferè est Baronius, qui Scriptores futiles & fabulosos omni quâ potuit diligentiâ tueri solet: & ubi nullâ arte defendi possunt, ex iis tamen historica monumenta depromere non erubescit. *Nequid*, ut ipsemet fatetur, * *ab avidis legentium animis, subtraxisse videatur.* Hæc nos breviter; plura alii. Neque enim omnia, quę hac de re dici poterant, congerere mihi in animo erat.

* Ad an. 58, n. 10.

SECTIO V.

Regulæ Generales in seligendis SS. Patrum editionibus adhibendæ.

NIhil ferè est in toto rei literarię circulo, in quod frequentiùs impingere solent juniores, & in stadio Theologico minùs exercitati, quàm in pravis minusve commodis SS. Patrum editionibus in usus suos comparandis; dum nullâ curâ, nullo habito delectu, arripiunt quicquid in proclivi est, quicquid primâ statim fronte sese iis offert. Quò fit, ut non sine gravi sumptûs, temporis, & quod pretiosius adhuc, ipsius quandoque veritatis dispendio, editiones quotidie terant imperfectas, corruptas, vitiis & erroribus scatentes, quęq; legentibus fucum faciunt, & non rarò à recto veritatis tramite abducunt. Mirari quidem subit, inter tot antiquitatis Ecclesiasticę cultores quos pręsens aut superior tulit ætas neminé reperiri, qui aliquid ex professo hac de re commentatus sit. Plures pro re natâ editiones Patrum hinc inde designarunt; nemo quod sciam, qui datâ operâ, vel levi aliquâ dissertatiunculâ huic lucem

††2 prætulerit.

prętulerit. Donec igitur exurgat, qui hoc saxum diligentiùs volvat, in gratiam juventutis φιλαρχαίω fungar ego paulisper hoc munere, & observationes nonnullas adjiciant alii, vel nostris sua etiam adjungere ne dedignentur.

I. *Editiones SS. Patrum quò sunt vetustiores, eò sunt ut plurimùm fideliores*; quod duplici de causâ profectum est. 1. Quod editiones, quę in primis rei typographicę incunabulis prodierunt ex optimis quibusvis MSS. expressæ sint, adeò ut desideratis jam plerisque Codicibus MSS. editiones istę non immeritò Manuscriptorum vicem supplere possint. 2. Quia nondum natis de Ecclesiâ reformandâ controversiis, nondum exorto Romanos inter & Reformatos de fidei articulis, & Ecclesię Romanæ corruptelis dissidio, nulla satis idonea causa subesse poterat, cur in excudendis Patrum operibus fraude uterentur. Nullus adhuc Hannibal ad portas, nemo ferè qui adversùs eos castra moveret, quique frequentes Patrum turmas in aciem proferret. Hinc Scriptores Ecclesiasticos sine fraude & fuco, propria dogmata propriis verbis tradentes nobis exhibuerunt. Atque utinàm nunquam aliter factum fuisset. Sed eheu! tot pudendis exemplis sole clarius liquet, Patres fœdè corruptos fuisse, vetustiores editiones, quantũ fieri poterat, suppressas; sequentes truncatas, vel interpolatas; quin & eò usque insanię proruperunt, ut ad incitas redacti, hanc vel illam editionem unquam extitisse negare non erubescant: id quod de Christiani Druthmari Commentariis in Matthęum suo loco notavi; & plura forsàn id genus notari possunt. His addi potest, quod primi rei typographicę curatores sua quam emendatè in lucem emiserunt; non ignaris, ineptis & è trivio petitis, quos vocant, *correctoribus* emendandi curam relinquentes, quocirca editiones ab inventa typographia, id est ab anno circiter MCCCCXLII. vel potiùs MCCCCL. forsàn MCCCCLX. quando ad paulò perfectiorem formam perduci cœpit, usque ad religionis reformationem à Luthero incœptam anno 1517. in publicum emissę, auro contra non charę æstimari debent: quibus proximè accedunt, quæ ab eo tempore usque ad Concilium Tridentinum prodierunt. Dudum est, quod Viri eruditi veterum editionum raritatem deplorarunt; immensâ earum copiâ laborarunt primi Religionis Reformatę Antesignani, quas illorum Successores, nitidioribus typis, & cumulatioribus accessionibus illecti, magno nostro damno insuper habuerunt; unde vel abolitę vel suppressæ jam penè frustra queruntur, nec apparent amplius, nisi rarę admodùm, quasi post naufragium *nantes in gurgite vasto*. Optandum sanè esset, ut quotquot hodie supersint, in Bibliothecas publicas reponerentur, ubi & tutior illis sedes esset, & commodior cuivis inspiciendi facultas. Quoad hoc fiat, utinam esset, qui hunc laborem in se susciperet, ut perquisitis undique editionibus, & excussis diligenter bibliothecarum forulis, accuratum earum catalogum nobis conficeret, & ubinam delitescant, indicaret. Prę̨stitit aliquid hâc in parte, veteresque editiones ab anno 1459. usque ad annum 1500. quę in Bibliotheca Regia Parisiensi asservantur, recensuit, de Republica literaria non uno nomine meritus, Ph. Labbeus *Biblioth. Nov.* MS. *Supplem.* IX. pag. 337. His prę̨lo jam jam mandandis, incidi in Cornel. à Beughem *Incunabula Typographiæ*, sive *Catalogum librorum, scriptorumque proximis ab inventione Typographiæ annis usque ad Annum Christi* MD. *inclusivè, in quâvis linguâ editorum*. Amstelod. 1688. 12°.

II. *Opera SS. Patrum, quæ ex Roberti Stephani officinâ Græcè prodierunt, cæteras editiones emendationis curâ, & typorum nitore facilè vincunt*. Cùm res literaria primùm reflorescere cœpit, Gręcè Linguę studium strenuè promovebatur. Hinc tot Scriptores Gręcos omni versione destitutos procuderunt primorum typographείων curatores, de posterorum inscitia & socordia, in versionibus Latinis solummodò evolvendis, ne per somnium quidem cogitantes. In his extra omne dubium primas tenuit officina Stephanęa. De Henrico I. Stephano, Roberti Patre; De Henrico II. Roberti filio, nulli non eruditorum noto, aliisque gentis Stephanęę surculis, re typographicâ apprimè claris, impræsentiarum agere nec nostri operis est, nec otii. Fecit id non sine sua laude Theodorus Jansonius M.D. Dissertat. Epistol. *de Vitis Stephanorum*, Amstelod. 1683. 8°. Quę Robertum nostrum spectant, paucis expediemus. Vir erat literis Latinis, Græcis, Hebraïcis admodùm eruditus; non modò Galliæ suę, sed & exteras Academias atque Bibliothecas studiosè perlustravit. Eruditionem testantur tot ex ejus officinâ editi, tot ab eo proprio marte scripti libri; imprimis insignis ille *Latinæ Linguæ Thesaurus*; verè Thesaurus, qualem nullum vidit prior, nulla dabit postera ætas. Juvenis adhuc Typographię Simonis Colinęi vitrici sui curam gessit; deinde extructâ sibi officinâ rem suam impigrè curavit: tandem à Francisco I. magno illo literarum Mecænate, Regius Typographus constitutus est. In hoc munere, quantâ curâ, quantâ sedulitate se gessit, nos docet Henricus filius *Præfat. ad Agell.* Patrem nempe Decemviratum quendam literarium domi habuisse, ex omnibus penè nationibus conflatum. Hos decemviros variis rei literarię promovendis partibus adhibuit, præcipui ex iis erant, qui correctorio munere fungebantur. Neque tamen alienis oculis rem hanc integrè commisit; sed omnia penè propriis oculis relegit tanto quidem studio, tam accuratâ diligentiâ, ut notante Cl. Jansonio, fama erat, ipsum solitum esse, singula folia perlegenda, hic illic per plateas, locis certis affixisse, adjuncto pretio illi, qui vitia quædam, quorum etiam sua erant, prout enormia essent, præmia, detexisset. His summam typorum pulchritudinem adjunxit, admirabilem planè elegantiam, adeò ut omnes in hunc usque diem Typographos longo post se intervallo reliquit, & ad invidiam provocavit.

Testes

Digitized by Google

Testes sunt, ut τοὺς ἔξωθεν Scriptores mittam, Novum Testamentum, Justini Martyris, Eusebii Cęsariensis opera, Socratis, Sozomeni, Theodoriti, Theodori, Evagrii Historia Ecclesiastica, &c. tam splendidè, nitidè, emendatè excusa, ut vel solus typorum nitor nos ad eorum lectionem alliceret, & invitaret. Verùm en tandem virtutis, eruditionis & tot laborum in Reipublicæ literariæ commoda exantlatorum pręmium. Annotationibus quibusdam, quas sub Vatabli nomine Bibliis Latinis à se editis adjunxerat, offensi Theologi Sorbonici, hominem hęreseos accusarunt, perpetuamque molestiam per plures annos facessere non destiterunt; adeò ut post mortem Francisci Regis vexationum & injuriarum pertęsus, solum vertere necesse habuerit, quin & post ipsius discessum effigies ejus publicâ carnificis manu exusta est. Circa annum igitur 1551. Penates totamque librariam officinam Genevam transtulit, ubi arti suę gnaviter incumbens rebus humanis feliciter excessit VII. Idus Septembris anno 1559. Ætat. LVI. *Aldum Venetum, & Frobenium Basiliensem*, inquit ampliss. Thuanus †, *longo spatio supergressus est, acri judicio, diligentiâ accuratâ, & artis ipsius elegantiâ; cui ob id non solùm Gallia, sed universus Christianus orbis plus debet, quàm cuiquam fortissimorum belli ducum ob propagatos fines patria unquam debuit; majusque ex ejus unius industria, quàm ex tot praeclarè bello & pace gestis ad Franciscum decus & nunquam interitura gloria redundavit.* Geminum huic Theodori Bezæ elogium. *Quantò illi* [Aldus, Frobenius, alii] *cæteros antecelluerunt, tantò majorem tibi, Roberte Stephane, superiores omnes longè latèque supergresso gloriam tribuendam esse, vel ipsa fremens invidia confitetur. Nam ut alii tecum nonnulli de librorum quorundam excusorum elegentia & venustate certent, nemo tamen, vel in operosissimis libris tecum in emendationis fide ac diligentia fuerit comparandus. Tibi Linguam Hebraam magnopere illustratam, tibi Græcorum characterum summam elegantiam*, &c. *debemus.* Denique plures erant circa hæc tempora celebriores typographi, qui prælis suis Gręcas literas tum sacras tum prophanas insigniter promoverunt; Venetiis Aldus Manutius, ejusque filius Paulus, tum in officina paterna, tum posteà Romæ; Parisiis pręter Stephanos, Hadrianus Turnebus, Linguarum & Philosophiæ professor & typographus Regius; neque enim eo tempore munus typographicum dedignabantur celeberrimi Professores. Testantur id adhuc Joannes Oporinus, & Fr. Raphelengius, hic Linguæ Hebrææ in Lugduno Batavâ, ille Grecę in Academia Basiliensi Professor simul & Typographus. Genevę primùm, deinde Heidelbergæ Hieronymus Commelinus, vir gravis & doctus, qui non una Patrum Græcorum monumenta nobis emendatè dedit, moriensque anno 1597. eandem curam filiis quasi hęreditario jure demandavit: alios penè infinitos taceo, pręcipuè recentiores, de quibus peculiari capite Bern. Malincrotius Dissert. Hist *de Arte Typographicâ cap.* 14. p. 91.

† Lib. 23. ad an. 1559. p. 708.

Icon in R. Steph. Sub Lit. Y. II.

III. *Patrum Latinorum Editiones Frobenianæ jure merito magni æstimantur*, utpote quæ summâ fide, nec minori, pro eâ ætate, venustate prodierunt. De Typographeio Frobeniano hęc Erasmus *, *Officina* Frobeniana *non est alia vel accuratior, vel unde plus bonorum exeat codicum, præsertim qui ad sacras pertineant literas.* Nec aliter Nicolaus Beraldus † ad Erasmum, *Utinam, ea omnia propediem pulcherrimis Typis excusa videre contingat, Frobenianis videlicet, quibus nihil fieri puto posse nitidius, elegantius, amænius.* Joannes Frobenius domo Hammelburgensis, primus officinę conditor, typographorum, si non omnium, saltem Germanorum, facile princeps, Basileæ lares fixit; vir insigni probitate, fide, eruditione, industriâ, & in rem literariam adjuvandam studio planè incredibili: nullis vigiliis, nullis laboribus, nullis denique impendiis pepercit, ut eximios autores ornaret, nitidè & fideliter ornatos in lucem emitteret. *Habuit domi*, inquit Erasmus *, *Virum utriusque literaturà doctissimum, parique fide præditum, quod ego sanè non in postremis numero.* Designat, opinor, hominem muneri correctorio pręfectum. Quo in loco habuit Lachnerum, ante paucos annos peste sublatum, ipsius Frobenii Socerum, officinæ Frobenianæ principem, cujus mortem alibi deflet Erasmus †. Habuit adhuc filios bonis literis innutritos, quique rem paternam pro virili strenuè satagebant. Sed summa officinę Frobenianæ gloria erat magnus ille Erasmus, sęculi sui decus, quem semper patronum, sępiùs domi suæ per plures menses hospitem habuit Frobenius; cujus stupendâ planè curâ & indefessâ diligentiâ, Irenæi, Cypriani, Hilarii, Hieronymi, Augustini, aliorumque Opera undique conquisita, accuratè recognita, bonis avibus exierunt, iteratis editionibus non semel ibidem repetita. Quantas hac in re difficultates, sudores, molestias subiret Erasmus, vel ex unica Hieronymi editione discas; de qua in Epistola ad Waramum Archiepiscopum Cantuariensem ait. *Unum illud, ut verè dicam & audacter, minoris arbitror Hieronymo suos constituisse libros conditos, quàm nobis restitutos, & paucioribus vigiliis apud illum natos fuisse, quàm apud nos renatos---Contemptis difficultatibus omnibus, Herculano quodam animo, laboriosissimam quidem sed pulcherrimam adii provinciam, unus propemodum de tot mendarum portentis depugnaturus, nec enim tantundem laboris exantlatum arbitror in paucis edomandis monstris, Herculi, quàm mihi in tollendis tot mendarum millibus.* Obiit Joannes Frobenius repentinâ paralysi correptus anno 1527. Amico integerrimo, & tot præclaris tantorum virorum monumentis de Republica literaria optimè merito, Epitaphium posuit Erasmus, quod quidem hoc loco subjungere non pigebit,

Arida Ioannis tegit hic lapis ossa Frobeni,
Orbe viret toto, nescia fama mori.
Moribus hanc niveis meruit studiisque juvandis:
Quæ nunc mœsta jacent orba parente suo.

* Ad Leon. X. li. 2. Ep. 1.

† ibid. lib. 11. Epist. 13.

* Li. 19. Ep. 8.

† Lib. 3. Ep. 2.

Digitized by Google

Rettulit, ornavit veterum monumenta sophorum,
Arte, manu, curis, ære, favore, fide.
Huic vitam in cœlis date, Numina justa, perennem;
Per nos in terris fama perennis erit.

Aliorum potiùs commodo intentus quàm suo, rem literariam magis auxit quàm familiarem, suisque hæredibus plus honestæ famæ reliquit, quàm pecuniæ. In defuncti officinam pariter ac thorum successit Joannes Hervagius, vir bonę fidei, nec indoctus, qui in provehendis ornandisque literis, bonisque Authoribus restituendis, si non parem, supparem certè, cum Frobenio curam & diligentiam adhibuit; & Erasmo pręcipuè opem consiliumque impendente eosdem Patres sedulò recensitos, emendatissimè excudit, aliosque è tenebris in lucem revocavit. De editionibus Coloniensibus, Lovaniensibus, Lugdunensibus, Antverpiensibus, Romanis, non est quod multis lectorem morarer, cùm cuivis notum sit, eas fide saltem & emendatione infra Basileenses immensâ distantiâ subsidere. Scriptores Ecclesiastici quos Rigaltius, Sirmondus, Garnerius, Baluzius, & novissimè, Monachi Benedictini, è pręlis Parisiensibus emiserunt, alias omnes recentiores editiones longissimè superant.

IV. *SS. Patrum opera, quæ Græcè & Latinè Parisienses in lucem emiserunt, aliis in suo genere palmam præripiunt.* Diu apud renascentis literaturæ instauratores imperium suum tenuisse Linguę Gręcę studium, non leve inde ducitur argumentum, quòd Scriptores Gręci tunc temporis Græcè solummodò ederentur: Et quamvis aliter subinde fieri poterat, raro tamen id contigit; nec nisi vergente ad exitum superiori sęculo in usu communi esse cœpit, ut Libri Gręci additâ è regione versione Latinâ, utrâque linguâ ederentur. Frigescere quippe jam cœperat facundissimę & divinę linguę hujus cultura, neque ampliùs sine cortice natare norant studiosi. Dedignati sunt hanc socordiam viri eruditi, unde Joan. Meursius Pręfatione *ad Cecropiam suam*, rationem reddens, cur Autorum Gręcorum locis citatis neque ex more suo, neque sponte versionem addidisset, subdit, *Est enim*, inquit, *hoc sæculi hujus vitium, an infortunium, ut cùm pauci Græcæ Linguæ studiosi habeantur, inter eos plures etiam inveniantur, qui ament, magis quàm intelligant.* Hinc sordebant penè ubique pulcherrimę licèt, Editiones Gręcę versione Latinâ destitutę, quę paucos emptores, pauciores verò lectores inveniebant. Pudendum hujusce rei exemplum nobis suppeditat nobilissima illa Chrisostomi Editio Saviliana, quâ nihil pulchrius, nihil perfectius Sol vidit unquam: tam immenso sumptu procurata, tanta fide studioque castigata, tantis accessionibus ex omni penè Europâ conquisitis aucta, tam eruditis pręfationibus, notis, censuris, illustrata, denique tam eleganti typorum venustate, chartæque puritate undique ornata, ut ad summum perfectionis apicem aspirare videatur. Quod verò Gręcè tantummodò excusa esset, paucorum manibus teritur, ad blattas & tineas amandata, Gręco-Latina interea Parisiensi in omnibus ferè Bibliothecis tam publicis, quàm privatis locum occupante. Cùm igitur animadverterent Viri docti necesse esse, ut studentium ignavię, dicam an inscitiæ? hac in parte subveniretur; sedulam huic rei navabant operam. Pręclarè quidem in hoc munere se gessit Hieronymus Commelinus, qui plures ex Patribus Gręcis nitori suo restitutos, Gręcè & Latinè quàm correctissimè nobis dedit. Verùm omnem industriam, sumptumque in Græcorum Patrum operibus utroque sermone excudendis, tum characterum pulchritudine, tum editionis perfectione, longè vicit Typographorum Parisiensium cura & diligentia. In his familiam ducit gens *Morelliana*, quæ Carolum, Claudium, Dionysium & forsan alios peperit. Quin & ante integrum fermè sæculum hac in re inclarescere cœperant; quippe Gulielmus Morellius Caletensis, referente Thuano *, accuratâ linguæ Græcæ peritiâ insignis, circa an. 1555. Hadriano Turnebo in Typographiæ Regiæ Græcæ cura successit, quam cum per integrum novennium summâ fide ac diligentiâ adornasset, diem clausit ultimum XI. Kalend. Martii 1564. Morelliis proximè accedunt *Sohnnii*, *Cramoisii*, *Vitrii*, *Petiti* &c. His tot debemus Patres Græcos Græcè pariter ac Latinè loquentes, qui sub auspiciis Morellii, Frontonis Ducæi, Petavii, Valesii, Cotelerii aliorumque præstantium virorum elegantissimè prodierunt. Id solùm monendus Lector, posteriores editiones Parisienses prioribus typorum saltem chartæque nitore plurimum cedere. Id quod in operibus Justini Martyris, Basilii, Nazianzeni, Nysseni, Chrysostomi, &c. primo statim intuitu videre est.

* Hist. l. b. 36. p. 288.

V. *In discernendis SS. Patrum editionibus plurimum refert scire, quis editionis curam in se susceperit;* cùm ex editoris fide, peritiâ, diligentiâ ipsius editionis pretium integrè dependeat. Non quidem omnes qui libris alienis in lucem edendis obstetricantur, sunt Erasmi, Rhenani, Sylburgii, Elmenhorstii, Scaligeri, Casauboni, Goldasti, Sirmondi, Rigaltii, Ducæi, Huetii, Garnerii, &c. Viri extra omnem controversiam doctrinâ, & integritate venerandi. Imò nec omnes Typographi Manutiis, Frobeniis, Amerbachiis, Stephanis, Vascosanis, Oporinis, Commelinis, Morelliis accedunt, & presso pede sequuntur. In his reperiuntur haud pauci, qui lucro solùm ac quæstui inhiantes, non rarò Scriptores Ecclesiasticos nullâ curâ recensitos, nullâ collatione ad Codices MSS. nedum ad priores editiones recognitos, quin & propriis (si Diis placet) oculis relectos & revisos in orbem literarium protrudunt, ipsimet barbari ac stipites, & qui equum ab asino vix discernere norunt. Alii sunt qui typographiæ quidem

Digitized by Google

dem suæ curatores, ac Correctores admovent, virosque alunt libris prælo parandis invigilaturos, sed vili pretio conductos, ignaros nempe & ignavos Monachos, qui, levi, quod aiunt, digito, rem suam oscitanter agunt, & pro uno vitio sublato, immenso mendarum cumulo libros augere solent: ut de prælis Lugdunensibus, aliisque nonnullis, non infimę notæ viros gravissimè conquerentes non semel audivi. Sed missis typographis, ad alios deveniamus. Non defuerunt quovis tempore viri quidem eruditissimi, qui SS. Patrum operibus in lucem proferendis strenuè addixerunt animum; sed pravo fidei Pontificiæ vindicandæ zelo ducti, & immodico in hæreticos quos vocant, odio animati, Patres à se editos, obtorto licet collo, in partes suas pertrahere conabantur, & vel addendo, vel detrahendo sententiam pro se dicere cogebant. Exemplo uno aut altero res fiet clarior. Extat sub Chrysostomi nomine, Scriptoris certè cujusdam non inerudit, *Opus imperfectum in Matthæum*: Homiliâ quadragesimâ nonâ agit Autor de unica Sacræ Scripturæ adversus traditiones, hæreses, schismata, copia & Autoritate, *Nullum aliud esse Christianorum fidei veritatem cognoscere volentium refugium, nullam aliam posse esse veræ Christianitatis probationem, nullam aliam in tantâ rerum confusione veræ Christi Ecclesiæ notam; ideóque mandâsse Dominum, ut Christiani volentes firmitatem accipere fidei veræ ad nullam rem fugiant nisi ad Scripturas*; pluribus hæc, iisque sanè quam disertissimis verbis persequitur, & firmissimè astruit. Integrum hunc locum benè longum in Editione sua quam adornavit Editor Parisiensis, excusam apud *Audoenum Parvum Paris.* 1557. 8°. (ut de Antvverpiensi aliisque nonnullis nihil jam dicam) penitùs omisit; non diffitente ipsomet Bellarmino *, *totum hunc locum tanquam ab Arianis insertum è quibusdam Codicibus super* (lege nuper) *emendatis sublatum esse*. Quin & in ipso statim operis Vestibulo monet editor, *diligenter ab Arianorum fæcibus purgatum esse*; & in Præfatione, *nullum non lapidem motum esse, quò sincerius hoc, ac Sordibus omnibus purgatum (si fieri posset) nitidius opus in posterum prostaret*. An verò quod toties objectant, hic de quo agimus locus, impietatem Arianam totus olet, legant primùm, dein judicent æqui rerum æstimatores. Vide etiam quę hac de re notavimus in *Chrysostomo* seq. operis p. 268. Homilia XI. de vasis sanctificatis agens, inquit, *in quibus non est verum Corpus Christi, sed Mysterium corporis ejus continetur*: quæ verba in hac editione frustra quæruntur. Homilia verò XIX. quod Autor habet, *sacrificium panis & vini offerentem*, in hæc mutatur verba, *sacrificium corporis & sanguinis Christi offerentem*. Quoties Pamelio Antvverpiẽsi, & Romanis Cypriani editoribus objecerint nostri, decantatissimum illum Cypriani locum ex libro *de Unitate Ecclesiæ* cap. 3. fœdissimè ab iis corruptum esse; atque hęc verba, *Christum unam Cathedram constituisse; Primatum Petro datum, Ecclesiæ renititur & resistit, qui Cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia, deserit*, contra omnium penè codicum MSS. omnium vetustissimarum editionum fidem, in ipsum Cypriani textum intrusa esse. Sexcenta hujusmodi exempla, ut Polemicos taceam, nobis dabunt, Cocus, Perkinsius, Rivetus, Hottingerus, Dallęus, & prę omnibus aliis Thomas Jamesius nostras, Tractatu *de SS. Scripturæ, Patrum, & Conciliorum corruptione*, quem patrio Sermone evulgavit. Verùm de his mox plura.

* De verbo Dei l.4.c.11. p. 199.

VI. *Præcipuè cavendæ sunt Editiones SS. Patrum, quæ iis in locis prodeunt, in quibus S. Inquisitionis viget Officium.* In promptu ratio est, quod istiusmodi editiones ad *Indicum Expurgatoriorum* regulas ad amussim recognoscantur: neque enim in recentiorum scripta involare contenti, in ipsos venerandos Patres imperium, dicam an tyrannidem, exercent. Candidè hoc fassus est, & miris ob id laudibus Pium V. effert † Sixtus Senensis. *Primum toto Christianorum orbe conquiri nefariæ doctrinæ libros, & publicè exuri jussisti. Deinde expurgari, & emaculari curasti omnia Catholicorum Scriptorum, ac præcipuè veterum Patrum scripta, hæreticorum ætatis nostræ fæcibus contaminata, & venenis infecta. Postremò Catalogum vel Indicem edi mandasti Autorum, ac librorum omnium hæretici nominis, qui essent ab Ecclesiasticâ Bibliothecâ arcendi, & ab omnibus Christianis lectoribus abjiciendi.* Quod ut paulò clariùs constet, rem forsan cuivis haud satis notam paucis expediam. Vix caput extulerat cœpta à Luthero Religionis reformatio, cùm Leo X. gravi pœnâ vetuit, *ne quis librum aliquem imprimeret nisi priùs per S. Palatii Magistrum, vel diœcesis Episcopum, vel hæreticæ pravitatis Inquisitorem diligenter examinaretur.* Hujus exemplum secuti Episcopi & Inquisitores, varios librorum pestilentium & damnandorum Indices pro ratione temporis emiserunt. Et ut quod factum erat tueretur, Scripsit Gabriel Putherbæus *Theotinum*, seu *de tollendis & expungendis malis libris*, libros 3. editos *Paris.* 1549 8°. Verùm crescente indies scriptorum hæreticorum numero, & depromptis undique ex Antiquitatis Ecclesiasticæ armamentario telis, synodus Tridentina ex omnibus ferè nationibus insignes aliquot Prælatos, & lectissimos quosdam Theologos ad Indicem Librorum prohibitorum conficiendum delegit. In quo negotio cùm haud parum progressi essent, Synodus rem integram ad sedem Apostolicam deferendam statuit. Igitur anno 1564. Indicem à Romanis Inquisitoribus non ita pridem confectum, & à Patribus Tridentinis approbatum recensuit, & adjectis quibusdam regulis autoritate suâ evulgavit. Eandem materiam sub incudem postea revocarunt, & novis aliquot accessionibus auctam reconcinnârunt Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. Tandem anno 1595. Clemens VIII. delecto VII. Cardinalium collegio, aliisque piis & eruditis viris in consilium adhibitis operi colophonem addidit, adjectis non modò regulis, sed & instructionibus; quarum Cap. *de Correctione librorum* Sect. 1. statutum est, ut *Episcopi & Inquisitores conjunctim habeant facultatem, quoscunque libros juxta præscriptum hujus Indicis, etiam in locis exemptis expurgandi; hancque librorum expurgationem non nisi viris eruditione & pietate insignibus committendam esse.* Sect. 2. hæc inter alia à Correctoribus expurganda decernuntur. viz. *Positiones hæreticæ, erroneæ, hæresim sapientes, scandalosæ, piarum aurium offensivæ, temerariæ &c. quæ contra Sacramentorum ritus, & cæremonias, contraque receptum usum & consuetudinem Romanæ Ecclesiæ novita-*

† Epist. Dedicat. Biblioth. Sanctæ præfix.

novitatem aliquam inducunt; Verba item dubia & ambigua, quæ legentium animos à recto Catholicoque sensu ad nefarias opiniones adducere possunt. Et jam quidem non *prohibitorii* modò, sed & *Expurgatorii* Indices ubique invaluerant. Primus, quòd sciam, agmen duxit *Index Belgicus*, Philippi Hispaniarum Regis autoritate confectus, & cum Ariæ Montani præfatione editus *Antv.* 1571. 4°. à Junio, Pappo aliisque, additis novis præfationibus non semel recusus. Index *Lusitanicus* per Georgium Dalmidam, Archiepiscopum Ulisiponensem prodiit *Vlisipon.* 1581. 4°. *Hispanicus* per Gasparem Quirogam Cardinalem & Archiepiscopum Toletanum, & Hispaniæ Inquisitorem generalem, *Madriti* 1584. 4°. *Neapolitanus* per Gregorium Capucinum, sub titulo *Enchiridii Ecclesiastici*, Venet. 1588. 8°. Denique *Romanus* per Joannem Mariam Brasichalanum, S. Palatii Magistrum *Romæ* 1607. 8°. ut his recentiores taceam. Tam execrandi instituti, in Deum hominesque, in SS. Patres, ipsamque veritatem adeò injurii, pudere non potuit primos illius architectos. Hinc sub velo primùm, & remotis arbitris res acta est, paucis cognita, & intra domesticos Censorum Parietes conclusa. Unde Philippi Regis diplomate, Belgico Indici præmisso cautum est, *ne Index iste expurgatorius distraheretur, solis Censoribus distribuendus; qui ipsi privatim nullisque consciis apud se Indicem Expurgatorium habebunt, eundemque neque aliis communicabunt, neque ejus exemplum ulli dabunt; sed tantùm id curabunt diligentissimè ut loca prædicta inquirant, expungant, restituantque.* Postquàm verò hujusce Indicis exemplar in Fr. Junii manus incidisset, horribile secretum in vulgus emanavit. Et jam quo clypeo, quâ apologiâ se tueantur? Prodiit tandem in arenam Jacobus Gretserus Jesuita, qui *de jure & more prohibendi, expurgandi & abolendi libros hæreticos & noxios*, duos libros edidit *Ingolstad.* 1603. 4°. quibus anno sequenti duas partes *supplementi* vice addidit. In his omnibus non sine præclaro quidem eruditionis apparatu, sed fide & ingenio planè Jesuitico, id est, vafro subdoloque, causam suam agit. Fatetur † Protestantes hunc Indicem in ore semper habere, Catholicisque summi sceleris loco objicere, quem nihilominus defendit veluti laude dignum, ejusque autores & executores tanquam de Mortalibus optimè meritos. Et alibi †, *Ius hoc semper & est, & fuit, penès Ecclesiam, ut quæ gregi detrimentum adferunt, solicitè amoliatur, & si integrum librum proscribere fas est, fas etiam erit proscribere partem libri, seu magnam, seu parvam; eum exscindendo, delendo, obliterando, vel simpliciter omittendo, idque ob lectoris utilitatem.* Quò verò objectionem omnium gravissimam speciosiùs amoliretur, disertè negat vel Patres à se esse purgatos, vel id Indicum Autores voluisse. *Impudenter*, inquit †, *mentiuntur, quoties affirmant quidquam in veterum Patrum libris, à nobis deleri, aut ut deleatur, ab Indice Expurgatorio præscribi? Nihil delemus in Patribus, nihil obliteramus.* ---- * *Nomina vel unum librum unius ex prædictis patribus, qui in ullo Indice prohibitorio vel expurgatorio interdicatur. Non Augustinus, non Cyprianus, non Chrysostomus, non Cyrillus*, &c. ---- † *Neque enim Belgicus, aut quivis alius Index eo fine conscriptus est, ut Patrum monumentis emaculandis corrigendisque inserviat; quod suprà etiam testati sumus, & res satis ex ipso Indice liquet.* Ain' verò bone Gretsere? age, an ita sit, paulisper experiamur: Chrysostomus * Homil. IV. *de Lazaro*, hæc habet, μὴ γὰρ ἀνθρώπῳ λέγεις ἵνα ὀνειδίσῃ σε, μὴ γὰρ τῷ συνδούλῳ ὁμολογεῖς ἵνα ἐκπομπεύσῃ, τῷ κηδεμόνι, τῷ φιλανθρώπῳ, τῷ ἰατρῷ τὸ τραῦμα ἐπιδεικνύεις, *Non enim peccata homini dicis, ut te probro afficiat; non enim conservo confiteris, ut in publicum proferat, immò verò ei qui Dominus est, ei qui tui curam gerit, ei qui humanus est, ei qui Medicus est ostendas vulnera.* Et tamen ex Indice Chrysostomiano hæc verba ab Indice Hispanico expungenda curantur. *Deleantur*, inquit, *hæc verba, Confitenda Deo peccata non homini.* Οὐκ εἶπεν ἐπὶ τῷ Πέτρῳ, inquit idem Chrysostomus *, οὔτε γὰρ ἐπὶ τῷ ἀνθρώπῳ, ἀλλ' ἐπὶ τὴν πίστιν, τὴν Ἐκκλησίαν αὐτοῦ ᾠκοδόμησε---τί οὖν ἐστιν ἐπὶ τῇ πέτρᾳ, ὁμολογίᾳ ἐπὶ τοῖς ῥήμασιν. *Super hanc Petram, non dixit* super Petrum, *non enim super hominem, sed super fidem ædificavit Ecclesiam suam: quid est* super Petram, *hoc super confessionem, super sermones pietatis.* Index Expurgatorius ad hunc locum in Indice Chrysostomi; *Deleantur hæc verba, Ecclesia non super hominem, sed super fidem ædificatur.* Augustinus * de Eucharistia disertè dicit, *Non enim Dominus dubitavit dicere, Hoc est Corpus meum, cùm signum daret Corporis sui.* Et tamen ex Augustini Indice hæc verba delenda volunt Indicis Sandovaliani curatores, *Christus dedit signum Corporis sui.* Athanasius † de cultu divino κτίσματα γὰρ κτίσμα οὐ προσκυνεῖ, ἀλλὰ δοῦλος δεσπότην, καὶ κτίσμα Θεόν---ὥστε Θεοῦ ἐστι μόνου τὸ προσκυνεῖσθαι. *Creatura Creaturam non adorat, sed servus Dominum, & Creatura deum: ---- quocirca solius Dei est adorari.* Et tamen ex ejus Indice hæc verba eximit idem Index Hispanicus, *Adorari solius Dei est.* Eadem ferè habet Epiphanius *, ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία οὐ κτίσμα προσκυνεῖ, *sancta Dei Ecclesia Creaturam non adorat.* Nihilominus ex annotationibus hæc verba loco submovent boni Censores, *Creaturam non adorari.* Hilarius in Matthæum *, *Alienis operibus ac meritis nemo adjuvandus, quia unicuique lampadi suæ emere oleum sit necesse.* Hæc ex Indice deleri jubent his verbis *alienis meritis, & operibus nemo juvatur.* His & sexcentis hujusmodi locis à nobis objectis σοφὸν hoc φάρμακον promptè adhibet Gretserus, Indices Patrum Operibus apponi solitos, solummodò esse recentiorum Commenta. Miserum mehercle effugium! An non enim hi Patrum Indices à Viris Catholicis & eruditissimis ut plurimùm confecti sint? an non idem utrobique sensus? eadem ubique verba reperiantur? Cùm igitur hoc cuniculo se nequaquam elapsurum esse animadverteret, ad aliud non minùs infirmum confugit, nempe juxta vetus verbum, *sæpe idem, cùm ab iisdem dicitur non esse idem.* Dicta Patrum cùm ab hæreticis usurpantur, eadem esse posse si verba spectes, at longè diversa si sensum & mentem. Quasi verò tam immanis sit differentia, ut quod in textu sit orthodoxum, in Indice sit hæreticum. Cùm eadem sententia nullo afficto sensu, nullo glossemate detorta, iisdem verbis, penè totidem syllabis utrobique habeatur! Quid facies huic hominum generi? *quo teneas nodo?* Miseret me planè illorum, qui ea effutire coguntur, non quæ vera sunt, neque quæ ipsimet fortasse sentiunt, sed

† Lib. I. c. I. p. 2.

† Lib. 2. c. 10. p. 329.

† Lib. I. c. I. p. 14.

* Lib. 2. c. 7. p. 298.

† Ibid. c. 10. p. 324.

* Tom. 5. p. 87. Edit. Paril. Morel.

* Serm. de Pentecost. Tom. 6 p. 233.

* Contr. Adiman. c. 12. Tom. 6. col. 187.

† Contra Arian. Orat. 3. p. 204.

* Hæresi. 69. n. 36. p. 759.

* Can. 27. Col. 521.

Digitized by Google

sed quæ pravæ causæ vindicandæ necessitas extorquere solet.

Sed missis Indicibus, ad ipsos Patres accedamus; quorum germano textui non pepercerunt, nec ab ipsissimis illorum verbis violentas manus abstinuerunt. Inspiciatur Index Hispanicus pag. 62. videbis dominos Inquisitores in Cyrillum Alexandrinum hanc sententiam ferentes, *ex D. Cyrilli Commentariis in Esaiam, Laurentio Humphredo interprete, cap.* 1. *ex textu deleantur illa verba; Fidei autem gratiam cum his qui valde inquinati sunt*, &c. cap. 51. *in fine deleantur, ex textu illa verba; Sed ubi non haberent Dei timorem in seipsis, nec Iesum per fidem incolam reciperent, habitat enim in cordibus nostris per fidem, sicut, scriptum est.* Ad hæc Gretserus *, Glossemata, *inquit*, ab hæreticis Cyrillo assuta, Scholia, maleferiatorum annotamenta, & interpretamenta expungenda sunt, & inducenda. Quin & præcedentibus verbis quasi jam victoriam reportasset canit Triumphum. *Sed tu*, inquit ad Junium, *si mendax non es, ostende illum indicem expurgatorium, qui aliquid, quod ad ipsum & genuinum Cyrilli contextum pertineat, obliterari præcipiat.* An igitur hæc Cyrilli non sint? conferantur, obsecro, cum Græcis Latina. Videbis adeò esse accuratè & fideliter versa, ut in omnibus ferè Pontificiorum editionibus, etiam in novissimâ illâ Græco latinâ *Paris.* 1638. totidem verbis hodiè reperiantur. Videatur quid notet Index p. 74. de ejusdem libro *adversus Anthropomorphitas*? quid de Eucherii Commentariis *in Genesim*: quid Index Romanus de Gelasii libro *de duabus in Christo naturis* p. 146. mitto infinita ubivis obvia: Quin & Jamesius noster non modò per totum *de Corruptione Patrum* Librum id egerit, sed & parti IV. attexuit Catalogum CCCXXIII. Scriptorum Ecclesiasticorum, partim veterum, partim recentiorum, quorum libri, vel ab Indicibus Expurgatoriis prohibentur, vel expurgari jubentur. vel iniquâ denique censurâ notantur. Non hic commemoro Antonii Magni, Fortunati, Bertrami aliorumque plurium integros libros ab Indice prohibitos. Occasione quidem libelli Bertramiani, juxta judicium Universitatis Duacensis ingenuè fatentur Censores Belgici, *se in Catholicis veteribus plurimos ferre errores, extenuare, excusare; excogitato commento persæpe negare, & commodum iis sensum affingere, dum opponuntur in disputationibus, aut conflictionibus cum adversariis.* Quis non exclamabit, *Magna est veritas, & prævalebit.* Restat denique ut videamus, an ad Codices quoque MSS. sese extendat hoc purgandi privilegium? & ita quidem ex † Possevino colligi potest; dum enim monet potissimum cavendum esse, ne Libri MSS. qui ab Ecclesia non permittuntur, unicuique pateant, mox subdit, *Ad istos enim quoque purgatio pertinet.* Et hac occasione liceat mihi notare quod retulit olim Jamesius nostras, in Bibliothecâ Vaticanâ non paucos pingendi artifices quotidie ali; quorum erat, Conciliorum Acta, & Antiquorum Patrum opera exscribere, idque literis, vetustissimos Codices, quantum fieri poterat, imitantibus. Quâ mente id factum fuerit, ipsi norunt: certè rem ipsam se accepisse testatur ex ore nobilissimi cujusdam Angli, qui in Bibliothecâ Vaticanâ hæc propriis oculis lustraverat, & ad fidem sacramento suo roborandam se sponte obtulit. Sed quicquid de Codicibus MSS. fiat, certissimum est Typographiam in Palatio Vaticano dudum erectam esse, tanquam veritatis Orthodoxæ non solùm tuendæ, verùm propagandæ arcem munitissimam. Ex eaque prodiitura (ita enim nobis spondent †) emendatissima SS. Patrum monumenta, pristino suo splendori restituta. Ex hac typographiâ Cypriani, Ambrosii, Gregorii M. Opera, ut alia taceam, nobis dederunt. In quibus plurima adjecta, plurima abscissa, omnia emendata, expurgata, restituta esse ipsimet non diffitentur Editores. Quantâ negligentiâ, seu potiùs fraude, Cyprianum tractarint, per singulas ferè paginas notat ipsemet Pamelius. In Ambrosio, Epistolarum & Sermonum ordinem miserè turbarunt; Inscriptiones & Titulos mutarunt; plures Tractatus, Epistolas, Sermones nunquam antea typis datos addiderunt, ne nominatis quidem Codicibus MSS. unde eos deprompserint. In operibus Gregorii M. ne alia notem, præter expositiones *in Libros Regum & Psalmos* à nullo veterum memoratas, nullis Codd. MSS. satis munitas, plusquam CXL. Epistolas inseruerunt: quæ in omnibus nostris Codicibus desiderantur, teste Jamesio, qui de Gregorii editionibus, earumque cum antiquis exemplaribus MSS. collatione, copiosè agit in *Vindiciis Gregorianis*, Genevæ 1625. 4°. Et ne infinitus sim, prodierunt Augustini Opera *Venet.* 1584. x. Tom. 4°. Quid in hac Editione præstiterint boni Editores, in ipsâ statim operis fronte ingenuè nos docent. *In quo præter locorum multorum restitutionem secundùm collationem vetustiorum exemplarium, curavimus*, inquiunt, *removeri ea omnia, quæ fidelium mentes hæreticâ prævitate possent inficere, aut à Catholicâ, & Orthodoxâ fide deviare.* Vt, proinde hæ similesve editiones, non sine summa cautela, studiosorum manibus terendæ sint.

* Lib 2. c. 17. p. 305.

† Biblioth. select. lib. 1. c. 48. p. 38.

† Vid. Præf. ad Greg. M. tom. 1. & 5. Rom. 1588.

SECTIO VI.

Libri ad Ecclesiasticæ Antiquitatis studium manuductorii.

NON hic mihi tantum arrogo, ut de rei Ecclesiasticæ studio leges & methodum aliis præscribam. Absit; novi meo memet metiri modulo. Tantùm Mercurialis statuæ vice fungar, intento in optimos viæ duces digito, qui junioribus ad vetustiora tempora tendentibus viam præmonstrare, ac præmunire possint. Hi sunt vel veteres, vel recentiores: ex utrisque, qui ingenti ubivis numero prostant, nonnisi paucos, eosque selectiores dabo. Ex antiquis duos solummodò, sed magni nominis, viros in medium adducam; *Hieronimum* in Latinis, in Græcis *Photium*. Hieronymus omnis politioris pariter ac reconditioris literaturæ apparatu instructissimus, in sacris & Ecclesiasticis primas tenuit. De scriptis Scriptoribusque Ecclesiasticis passim agit tum in epistolis, speciatim in Epistolâ ad Magnum Oratorem, tum

Digitized by Google

tum prȩfationibus ad Commentarios in S. Scripturam; ex professo verò in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, cujus priorem partem ex Eusebii Historiâ deprompsit, posteriorem, quȩ sȩculum quartum ad annum usque CCCXCII. complectitur, proprio Marte & penè ex propria scientia, addidit. In hoc opere Scriptores, quotquot reperire potuit, recensuit, scripta enumeravit, & prȩclaram de iis censuram sȩpenumerò subjecit. Photium, quo doctiorem forsan nusquam tulit ingeniorum ferax Grȩcia, egregiè commendant ingenium ad omnia natum, judicium solidum, summum acumen, infinita lectio, incredibilis diligentia; omnia penè reipublicȩ munera obierat, omnia Ecclesiȩ monumenta pervestigarat; in unicâ, quam habemus hodiè Bibliothecâ CCLXXX. ferè Scriptores, majorem partem Ecclesiasticos sistit, diligenter à se lectos, recensitos, excerptos; deque eorum libris, argumentis, stylo, fide & auctoritate accuratum, si quis unquam alius, judicium tulit. His subnecti, si non potiùs præmitti, debent Historiȩ Ecclesiasticæ conditores, Eusebius, à Christo nato ad annum CCCXXV. à Rufino ad an. CCCXV. continuatus; & qui Eusebium excipiunt Socrates, Sozomenus, Theodoritus, ab exorto Ario usque ad annum circiter CCCCXXXIX. Hos secuti Philostorgius, Euagrius, Theodorus Lector, Historia Tripartita ex Sozomeno, Socrate, & Theodorito, ab Epiphanio scholastico Latinè versa, à Cassiodoro in compendium redacta. His longo, sed proximus intervallo Nicephorus Callistus, à nato Christo ad annum usque DCXXV. qui etsi fabulis ubique & ineptiis scateat, haud pœnitendos tamen meliori sȩculi pannos Historiæ suȩ Ecclesiasticȩ non rarò admiscuit.

Recentiorum ὁδηγῶν duas constituo classes, Generalem & Specialem. Ad generalem Classem referuntur 1°. *Historici Ecclesiastici*, qui Ecclesiȩ Christianȩ quovis seculo statum nobis ob oculos ponunt. In his primum locum merentur Centuriatores Magdeburgenses, qui incredibili planè diligentiâ ad quodvis seculum, immensam rerum Ecclesiasticarum materiam congesserunt, & in propria capita non inconcinno ordine distribuerunt; quibus plurimi defectus, errores plures condonari debent, qui primi hâc in parte glaciem fregerint, & semitâ hactenus non tritâ, non tentatâ institerunt. Centuriatorum Historiam Lucas Osiander VVirtembergensis ineunte hoc sȩculo in Epitomen redegit. Illustrissimus Annalium Ecclesiasticorum parens, Cardinalis *Baronius* XII. ingentes Historiȩ Ecclesiasticæ Tomos pectore adamantino, & labore penè suprà vires humanas, conscripsit. Immensum planè, sed & triginta annorum opus, non nisi post Historiam Ecclesiasticam septies in Oratorio, singulis quippe quinquenniis repetitam, tandem inchoatum: integrum suâ ipsius manu, nullâ Amanuensium operâ suppetias ferente (ita quidem fidem nobis facit Vitȩ illius * Auctor) scriptum, & inter quotidiana curȩ Parochialis munera, inter frequentes confessiones audiendi, concionandi, domesticisque congregationis suȩ rebus prospiciendi partes, ne alias occupationes, alia ejus scripta commemorem, ad umbilicum perductum. In hoc opere prȩclarè quidem de Antiquitate Ecclesiasticâ meruit (me certè ex eo non parùm profecisse, haud invitus agnosco) longè maiorem gloriam reportaturus, si non omnes sudores, omnes ingenii & eruditionis nervos ad hunc unicum scopum retulisset, ut Majestatis Pontificiȩ Pomœria dilataret, ejusque dignitatem & autoritatem non modò supra Ecclesiastica, sed & supra Regia & Imperialia jura, omneque supereminens fastigium, idque non rarò ex Apocryphis, supposititiis, insulsis & futilibus admodum scriptoribus, quoquo modo eveheret & stabiliret. Ut de opere tunc solùm incœpto, rectè olim notavit Petrus Pithœus [referente Casaubono] quod *non Annales Ecclesiastici, sed de Potestate Papæ* potiùs dicendi essent. Certè Baronium haud aliud in animo habuisse, quàm ut contra sui temporis novatores, i.e. Magdeburgenses, *pro sacrarum traditionum antiquitate, & conservandâ Ecclesiæ Romanæ Catholicæ potestate decertaret*, nec ipsemet *, nec Hieronymus Barnabeus † diffitentur. Baronii Annales, ab Anno MCXCVIII. in quem desinebant, continuarunt Abrahamus Bzovius, Odoricus Rainaldus, denique in Gallia Henricus Spondanus, qui etsi reliquis mole cedat, fide tamen, diligentiâ, atque judicio accuratiori longè superat. His adjungantur Casauboni *de Rebus Sacris & Ecclesiasticis Exercitationes ad Baronium*, Lond. 1614. f. Rich. Montacutii *Ecclesiasticarum Exercitationum Analecta* Lond. 1622. f. quȩ postea aucta & recognita sub titulo *Apparatus ad Origines Ecclesiasticas* prodierunt, *Oxon.* 1635. f. Ejusdem *de Originibus Ecclesiasticis commentationum pars prior & posterior*, Lond. 1636. 1640. f. Item *Diatriba* ejus adversùs Bulingerum ut Rosvveydi, Capelli, Eudȩmon-Joannis, Prideauxii, Bulengeri, aliorumque scripta hûc spectantia, prȩtermittam. Inter Historiȩ Ecclesiasticȩ compendia eminent Gabrielis Bisciolæ *Epitome* X. *Tomorum Annalium Baronii* Lugduni & Venet. 1612. II. Tom. 4°. Joannis Micrelii *Syntagma Historiarum Ecclesiæ*, cum continuatione Dan. Hartnaccii, *Lipsiæ* 1679. 4°. Hieronymi Kromaieri, *Historiæ Ecclesiasticæ Centuriæ* XVI. Lipsiæ 1666. 4°. J.H. Hottingeri *Historia Ecclesiastica Novi Testamenti*, prodiit *Tiguri* IX. Vol. ab ann 1651. usque ad an. 1667. quo vivere desiit 80. Frid. Spanhemii *Introductio ad Chronologiam & Historiam Sacram Christianam* Tom.I. *Lugd.Bat.* 1683. Tom.II. ibidem 1687. 4°. reliquos suo tempore expectamus.

* Hier. Barnab. De Vit. Baron. lib. I. c. 19. p. 45.

* Epist. ded. ad Sixt. V. præfix. to. I.
† Vit. Baron. ib. c. 18. 19.

2. *Conciliorum editores*, Jacobus Merlinus II. Tom. *Paris.* 1535. 8°. Petri Crabbe II. Tom. *Colon.* 1538. 1551. f. Barth. Caranza in *Summâ Conciliorum*, Paris. 1624. 12°. *Duac.* 1659. 8°. Laur. Surius IV. Tom. *Colon.* 1627. f. Dominic. Nicolinus V. Tom. *Venet.* 1585. f. Concilia generalia IV. Tom. *Rom.* 1608. f. Sev. Binnius IV. Tom. *Colon.* 1606. 1618. X. vol. *Paris.* 1636. f. Fr. Longus à Coriolano in *Summâ Conciliorum omnium* cum Annot. *Antv.* 1623. f. Labbeus & Cossartius (ut Editionem Regiam Luparȩam jam mittam) unà cum duplici apparatu *Paris.* 1672. XVIII. Vol. fol. *Pandectæ Canonum, Apostolorum & Conciliorum ab Ec-*

Digitized by Google

ab Ecclesiâ Græcâ receptorum Gr.Lat.cum annotationibus Guilielm.Beveregii, *Oxon.* 1672. II. Vol. f. Ruellii & Hartmanni *Historia Conciliorum Ecclesiastica* ad annum usque 1661. *Norimb.* 1675. IV. Vol. 4°. Concilia *Britannica* per Spelmannum II. Vol. *Lond.* 1639. 1664. *Hispanica* per Garciam Loaisam, *Madriti* 1595. *Gallica* per Sirmondum III. Tom. 1629. f. *Narbonensia* per Baluzium, *Paris.* 1668. 8°. Huc etiam referri possunt Ph. Labbei *Synopsis Conciliorum*, Paris. 1661. 4°. Et Conciliorum Tomis præfixa: David Chytræi *Catalogus Conciliorum* Onomastico ejus Theologico subjectus, & à Pappo ad calcem *Synodici* additus, *Argentor.* 1601. 4°. Casp. Heunischii *Chronologia Conciliorum sex Oecumenicorum*, Rotenburg. 1677.

3. Qui de Veteris Ecclesiæ *Symbolis* egerunt, Joannes Vossius Differt. de 3. *Symbolis*, Amstelodami 1642. & 1662. 4°. Jac. Usserii Armachani *De Rom. Ecclesiæ symbolo Apostolico veteri, aliisque fidei formulis Diatriba*, Lond. 1647. *Oxon.* 1660. 4°. Ægid. Strauchii *Historia Symboli Apostolici*, Wittemb. 1668. 4°.

4. *De Pontificibus Romanis* agunt præter veteres, Anastasium, Luitprandum, &c. *Bartholomæus Platina*, Colon. 1610. 4°. & alibi sępè. Joannes Stella *de Vitis Summorum Pontificum*, Basil. 1507. Onuphrius Panvinius in *Epistome Pontificum Romanorum*, Venet. 1557. f. *Colon.* 1624. 4°. Papirius Massonus, scriptor admodùm accuratus & eruditus, *de Vitis Pontificum Romanorum*, Paris. 1586. 4°. Dan. Papebrochii *Conatus Chronico-Historicus ad Catalogum Romanorum Pontificum*, elegantissimis figuris exornatus, tum separatim, tum ante Tom. IV. Sanctorum Maii, *Ant.* 1685. f. Ludovici Jacob à S. Carolo, *Bibliotheca Pontificia* Libris II. distincta. In primo agitur de ipsis Pontificibus ordine alphabetico. In sęcundo de omnibus Autoribus qui cùm in generali tum in particulari eorum vitas & laudes, pręcellentiam autoritatemve, posteritati consecrârunt, *Lugd.* 1643. 4°. adeò ut hac de re plura dicere supersedeo.

5. *Persecutiones Ecclesiæ Primitivæ* nobis depingunt pręter Historicos, Joannes Meisnerus *de Persecutionibus & Martyriis Christianorum veterum*, Wittemberg. 1654. 4°. Christian. Kortholtius Tract. *de Persecutionibus Ecclesiæ Primitivæ sub Imperatoribus Ethnicis, deque veterum Christianorum cruciatibus*, Jenæ 1660. 8°. Antonius Gallonius libro *de SS. Martyrum cruciatibus*, figuris elegantissimis illustrato, *Colon.* 1602. 8°. *Antv.* 1668. 12°. His accensenda sunt *Martyrologia* Hieronymi, Bedę, Flori, VVandelberti, Rabani, Usuardi, Adonis Viennensis, Notkeri, de quibus omnibus agit M. Frid. Beckius Comment. *ad Martyrologium Ecclesiæ Germanicæ pervetustum* à se nuper editum cap. 2. *August. Vindel.* 1687. 4°. Martyrologia *Romanum, Gallicanum, Hispanicum*, &c. satis nota sciens prętereo.

6. *Hæreses* in Ecclesia Veteri exortas passim notant Historici Ecclesiastici. Seorsim describunt Irenęus, Tertullianus, Epiphanius, Philastrius, Augustinus, Auctor sub nomine *Prædestinati* à Sirmondo editus [de quo, ejusque variis editionibus sub Primasio egimus] Theodoritus, Damascenus, Nicetas Choniates. Ex recentioribus id ex professo agunt Bernardus Lutzenburgius in *Catalogo Hæreticorum* 1523. 8°. Alfonsus à Castro lib. 14. *contra hæreses*, inter ejus opera; & seorsim *Colon.* 1549. f. *Antverp.* 1565. Gabriel Prateolus, *de Vitis, Sectis & Dogmatibus omnium hæreticorum*, Colon. 1569. f. Theodorus Petręus in *Catalogo Hæreticorum à Christo nato ad sua tempora*, Colon. 1629. Dan. Crameri *Arbor hæreticæ Consanguinitatis*, Argentin. 1623. 4°. Laurent. Lęlii *Index Hæreseωn*, Francof. 1614. 8°. Joannes Pontanus in *Catalogo Hæreticorum tam veterum, quàm recentiorum*, Methodo Alphabeticâ, *Francof.* 1615. 12°. His tamen aliisque plurimis, qui addi poterant, non obstantibus, Opus accuratum de Hęreticis pręcipuè antiquis, deque eorum ortu, progressu, affinitate, dogmatibus, duratione, meritò adhuc inter desiderata habendum est. Nos in sequenti opere aliquid hac in parte, etsi non satis pro argumenti copia & dignitate, conati sumus.

7. *Ritus & Ceremonias Ecclesiasticas* exponunt Scriptores de divinis Ecclesię Catholicę Officiis, *Ordo Romanus, Isidorus, Alcuinus, Amalarius, Rabanus Maurus*, &c. quos in unum corpus collegit, ediditque Melchior Hittorpius, *Paris.* 1610. f. ac proinde in Bibliotheca Patrum haberi solent, Guil. Durantus in *Rationali Divinorum Officiorum*, Lugd. 1592. 8°. Stephanus Durandus de *Ritibus Catholicæ Ecclesiæ*, lib. 3. *Rom.* 1591. *Colon.* 1592. *Lugd.* 1606. *Paris.* 1631. 8°. Bartholomęus Gavantus in *Thesauro Sacrorum Rituum* II. Tom. *Rom.* 1628. *Antv.* 1634. *Lugd.* 1664. 4°. J. Bapt. Casalius *de Veteribus sacris Christianorum ritibus*, Rom. 1647. f. Gabriel Albaspineus *de Veteribus Ecclesiæ Ritibus* observationum lib. 2. *Paris.* 1623. 4°. *Helmstad.* 1672. 4°. & in novissima Optati Editione *Paris.* 1679. f.

8. *Veteris Monachismi* statum exhibent pro re nata ex antiquis, Socrates, Sozomenus; datâ operâ Theodoritus *in Historiâ Religiosâ*, Palladius in *Historiâ Lausiacâ*, Cassianus in *Institutis Cœnobiorum*, & *Collat. Patrum*, Joan. Climacus in *Prato spirituali*, &c. Ex modernis Rod. Hospinianus, *de Origine & Progressu Monachatûs*, *ac Ordinum Monasticorum* lib. VI. *Tiguri* 1588. & 1609. f. Fr. Modii *Ordinis Ecclesiastici Origo, Progressus, & vestitûs ratio*, Francofurt. 1614. 8°. Joan. Crecceelii *Collectanea ex Historiis de Origine & Fundatione, omnium ferè Monasticorum Ordinum*, figuris ornata, *Francofurt.* 1614. 4°. Laur. Landmeter *de Vetere Clerico Monacho* lib. III. *Antv.* 1635. 4°. Ant. Dadini Alteserræ *Asceticωn*, sive *Originum Rei Monasticæ* libri x. *Paris.* 1674. 4°.

9. *Chronologiam*

Digitized by Google

9. *Chronologiam Ecclesiasticam* te docebunt Eusebius, Hieronymus, Prosper, &c. Dion. Petavius *de doctrina temporum*, 2. Tom. *Paris.* 1627. f. & in *Rationario Temporum* Paris. 1634. 1636. 1652. 8° Mogunt. 1646. 8°. J. Ricciolus in *Chronologia Reformata*, Bonon. 1669. fol. Philippi Labbei & Ph. Brietii *Chronologia Historica & Technica* Paris. 1670. v. vol. fol. Ph. Brietii *Annales Mundi*, sive *Chronicon Vniversale, ab orbe condito ad annum Christi* 1660. 3. vol. *Paris.* 1662. 12°. Ægid. Bucherii *de Doctrina temporum Commentarius in Antiquos Canonum Paschalium scriptores* Antv. 1634. f. Casp. Heunischii *ætates Patrum præcipuorum ex certis fundamentis Historicis & Chronologicis accuratè demonstratæ*, Rotenburg. 1677. 8°.

10. Ecclesiæ Veteris *Geographiam Sacram* optimè delineabunt Leonis Sapientis Imperatoris *Notitia Episcopatuum*, Græcè & Lat. à Cl. Beveregio edita. Annot. ad Can. p. 135. & Διατυπώσεις, quæ in Leunclavii *Iure Græco Romano* non semel exhibentur. Pleniùs Aub. Miræus in *Notitia Episcopatuum Orbis Christiani* cum notis, *Paris.* 1610. *Francofurt.* 1614. *Lugdun.* 1620. 8°. Augustinus Lubinus in Comment *ad Martyrologium Romanum*, notis tabulisque Geographicis & Historicis explicatum, *Paris.* 1661. 4°. Frid. Spanhemius in *Introductione ad Geographiam Sacram & Ecclesiasticam*, Lugd. Bat. 1679. 8°. qui longè uberius hac de re opus pollicitus est, quod utinam tandem publico non invideat. Omnibus hactenus hâc in re palmam præripuit Carolus à S. Paulo, Abbas Fuliensis, *in Geographâ Sacrâ*, seu *Notitiâ Antiquâ Episcopatuum Ecclesiæ Vniversæ*, unà cum Tabulis Geographicis ad Ecclesiæ Christianæ statum accuratè concinnatis, *Paris.* 1641. f. Huc etiam facit P. Jos. Cantelii *Metropolitanarum Vrbium Historia Sacra & Civilis*; cujus Tomus primus prodiit *Paris.* 1684. 4°.

11. In subsidium etiam vocandi sunt *Lexicographi Ecclesiastici*, qui voces & phraseolagias, Ecclesiæ scriptoribus peculiares, vel magis proprias luculenter explicant. Præstitit aliquid hâc in parte Lud. de la Cerda in *Adversariis*; aliquid Navarinus in *Electis Sacro prophanis*; ex professo magis J. H. Alstedius in *Paratitlis Theologicis*, Francofurt. 1626. 4°. Josua Arndius in *Lexico Antiquitatum Ecclesiasticarum*, Gripsvvald. 1669. 4°. Petrus Crespetius in *summâ Ecclesiasticæ disciplinæ* alphabeticè dispositâ, *Lugd.* 1628. f. Dominicus & Carolus Macri in *Hiero-Lexico*, primò linguâ Italicâ, titulo *Notizia de' Vocaboli Ecclesiastici*, *Rom.* 1650. 4°. Deinde in immensum aucto, & Latinè evulgato *Rom.* 1677. f. Sed omnium hâc in parte industriam vicit, singularis Jo. Caspari Suiceri labor, qui *Thesaurum Ecclesiasticum* è Patribus Græcis ordine alphabetico concinnatum, viginti annorum opus in lucem emisit, *Amstelod.* 1682. II. Vol. fol. Notandum, hos omnes, non nuda vocabula, phrasiumque etymologias & origines; sed & ritus, cæremonias, dogmata, hæreses & hujusmodi alia liquidò exponere. In hunc etiam censum veniunt Henrici Spelmanni *Glossarium Archaiologicum. Latino-Barbarum* London. 1664. f. Caroli du Fresne *Glossarium ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis*, 3. vol. *Paris.* 1678. f. Verùm, qui de hujuscemodi rebus agunt, scriptorum, quis erit finis? In genere igitur ad antiquitates Ecclesiæ illustrandas haud parum conferent *Centuriæ Magdeburgenses*, Hottingeri, & Spanhemii *Historiæ Ecclesiasticæ* supra recensitæ, Hornbeekii *vetera & nova*, Ultraj. 1672. 4°. J. Conr. Danhavveri *Christeis*, *trisecularem Ecclesiæ sortem à Christo in cœlos sublimato, usque ad Constant. M. exhibens*, Argentor. 1646. 4°. Balt. Bebelii *Antiquitates Evangelicæ & Iudaicæ*. Argent. 1673. 4°. ejusdem *Antiquitates Ecclesiæ trium priorum sæculorum*, ibidem 1669. 4°. Tomus alter ibid. 1679. 4°. Jos. Quesnelii *dissertationes ad Leonem* M. Paris. 1675. 4°. Garnerii *Dissertationes* ad Marium Mercatorem, Theodoritum, Liberatum, Librum Diurnum, *&c.* L. Eli. du Pin *Dissertationes Historicæ de antiqua Ecclesiæ disciplina*, Paris. 1686. 4°. Qui ære & otio abundant, non inutiliter consulere possunt Natalis Alexandri ex Ordine Prædic. *dissertationes ad selecta Historiæ Ecclesiasticæ Capita:* immensum opus, XXII. Volumina in 8°. complectens, quæ ab anno MDCLXXVI. *Parisiis* prodierunt. Quid in opere tam laborioso præstiterit indefessus Monachus, penès alios sit judicium; fateor me, excepto Tomo primo, hactenus non percurrisse. Deniq; cùm plura non capit instituti nostri ratio, unicum adhuc Lectori Scriptorem commendabo. Is est Joan. Forbesius Scoto Britannus, qui *Instructiones Historico Theologicas* de Doctrinâ Christianâ & vario rerum statu, ortisque erroribus & controversiis, jam jam inde à temporibus Apostolicis, lib. XVI. edidit *Amstelod.* 1645. f. Genevæ 1680. f Opus, si quid in his studiis posui, quantivis pretii, & antiquitatis Ecclesiasticæ studiosis apprimè utile, multò utilius futurum, si modò ad telam, quam orsus erat pertexendam, longiorem lucis usuram eruditissimo Autori Deus non denegâsset.

Ad specialem classem jam accedamus. Hanc in duas dispesco partes. Prima respicit eos, qui de SS. Patrum operibus genuinis, spuriis, dubiis solummodò criticen exercent, vel de iis rectiùs intelligendis, interpretandis, & in usum adhibendis regulas excogitarunt. In his præ cæteris præcellunt. Sixtus Senensis quatuor postremis *Bibliothecæ Sanctæ* libris; Andreas Hyperius *de Ratione Studii Theologici*, præcipuè libro tertio & quarto. *Basil.* 1559. 1572. 8°. Cujus penè integrum opus in suos *de rectè formando Theologiæ studio* libros transcripsit Laur. Villa-Vincentius, Hispanus, Theologus Augustinianus *Antv.* 1565. 8o. *Colon.* 1575. Guil. PerKinsius in Προπαιδεία *Iuventutis ad lectionem omnium Patrum*. Problemati de fidei Romanæ ementito catholicismo præmissa. *Cantabr.* 1604. 4°. *Hanov.* 1604. 12°. Robertus Cocus nostras, in *censurâ quorundam scriptorum, quæ sub nominibus Sanctorum, & veterum Auctorum à Pontificiis citantur*, Londini 1614. 1623. 4°. *Helmstad.* 1655. 8°. Fallitur verò Ant. Teisserius, dum hoc opus ab ejus-

Digitized by Google

ab ejusdem Coci *Censura Patrum* diversum facit; cui tamen hac in parte ipse præiverat Labbeus. Andreas Rivetus in *Critici Sacri* libris IV. & Tract. *de Patrum autoritate, errorum causis & Nothorum notis*, his libris præfixo, *Genevæ* 1642. 8°. J. H. Hottingerus *in Introductione ad lectionem Patrum, & Dissertatione de usu Patrum*; inter Analecta Historico-Theologica, *Tigur.* 1652. 8°. Ejusdem dissertatio de *Abusu Patrum*; ut & *Catalogus Scriptorum Ecclesiasticorum Suppositiriorum*, unà cum aliis sub titulo *Dissertationum Miscellanearum*, edit. ibid. 1654. 8°. Quæque habet in libro *Bibliothecæ Theologicæ* secundo ibid. 1664. 4°. Joan. Forbesius *Instruct. Hist. Theol.* lib. 7. c. 5. Regulas XII. exemplis & observationibus illustratas ad scripta Patrum commodiùs intelligenda apprimè utiles tradit. Plurima etiam hanc in rem habet Rich. Holdsvvorthus in *Prælect. Theolog.* à Lect. XXXV. usque ad XLIII. Plurima, & lectu non indigna Joannes Hornbeckius Tract. *de Theologia Patrum*, sed qui in Arnobio desinit. Habetur inter ejus *Vetera & Nova* Ultraject. 1672. 4°. Jo. Dallæus lib. 2. *de Vero usu Patrum* Genevæ 1656. 4°. *de Scriptis Dionysii Areopagitæ & Ignatii*, ibid. 1666. 4°. *de Pseudepigraphis Apostolicis* Harderv. 1653. 8°. Mart. Chemnitius in Oratione *de Lectione Patrum, sive Doctorum Ecclesiasticorum*, quam locorum Explicationi VVirtenbergæ præmisit, *Francof.* 1653. p. 1. Joan. Botiaccus in *Patrologia*, seu de *libertate Veterum Doctorum scripta judicandi*, Stetin. 1663. 8°. Frid. Gronovius in *observationibus in Scriptores Ecclesiasticos*, Davent. 1651. 12°.

Altera pars complectitur Autores, qui de ipsis Scriptoribus Ecclesiasticis eorumque scriptis κατὰ πλάτος, & ex professo agunt. Ex horum numero in prima acie stant Hieronymus, Gennadius Massiliensis, Isidorus Hispalensis, Ildefonsus Toletanus, Honorius Augustodunensis, Sigebertus Gemblacensis, Henricus Gandavensis. Hos simul edidit, & notis illustravit Suffridus Petrus, *Colon.* 1580. 8°. cum Scholiis etiam & ingenti *Auctario* Aub. Miræus, in *Bibliothecâ Ecclesiast.* AntVverp. 1639. fol. post cujus mortem prodiit pars altera, ibid. 1649. Joannes Trithemius in *Collectaneis de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Mogunt. 1494. & cum additionibus. *Parisf.* 1512. 4°. *Coloniæ* 1531. 1546. 4°. *Basileæ* 1594. Sixtus Senensis in *Bibliothecæ Sanctæ* libro IV. per totum. Anton. Possevinus in *Apparatu Sacro*, Colon. 1608. II. Vol. fol. Abr. Scultetus *in Medulla Theologiæ Patrum, quâ de Patribus, & Theologiæ priscorum Primitivæ Ecclesiæ Doctorum, qui ante & post Concilium Nicænum floruerunt*, prolixè & accuratè agit, sed ultra Basilii & Hilarii tempora haud progreditur, *Hamburg.* 1613. *Francofurt.* 1634. 4°. Joannes Schopfius in *Academia Iesu Christi*, Tubing. 1593. *Spiræ* 1616. sed qui Centuriatorum utplurimum legit vestigia. Petrus Halloixius in *Vitis, Scriptis, & Documentis illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum primi & secundi seculi*; in quo opere de iis fusissimè agit, *Duaci* 1633. 1636. II. Vol. fol. Robertus Bellarminus Cardinalis libro de *Scriptoribus Ecclesiasticis*, Colon. 1612. 8°. *Lugdun.* 1613. 4°. *Parisf.* 1617. 8°. Et cum Appendice Philologicâ Ph. Labbei, *Parisf.* 1658. 8°. *Lugduni* 1675. 8°. Bellarmino supplementum dedit Andreas Du-Saussay Episcopus Tullensis, *Tulli Leucor.* 1665. 4°. Et aliud nuper Casimirus Oudin. Philippus Labbeus in *Dissertationibus Philologicis & Historicis de scriptoribus Ecclesiasticis quos attigit Bellarminus*, Parisf. 1660. 2. vol. 8°. Vir quidem infinitæ lectionis, & diligentiç in re literariâ promovendâ indefessæ, sed ingenio in Lutheranos & Reformatos duro nimis & acerbo. Augustinus Varenius in *Rationario Theologico de Scriptoribus Ecclesiasticis primi & secundi seculi*, Rostoch. 1669. 1673. 4°. Gerardi *Patrologiam* prætereo, utpote quam summi ipsius amici fatentur tantummodò in privatos ejus usus fuisse collectam, nec eo animo, ut in publicum ederetur. Id quod prima libri inspectio, & res ipsa satis docet. J. Gottfr. Olearius in *Abaco Patrologico*, sive *Ecclesiæ Christianæ Patrum & Doctorum Alphabeticâ enumeratione, in Patrologiæ Gerardi supplementum*, Jenæ 1673. 8°. Gerardus Meierus in *Bibliotheca Theologicæ Contractæ lib.* 2. *Bremæ* 1660. 12°. sed qui parcâ nimis ac jejunâ manu hanc materiam tractat. Ne alios commemorem, non inutile erit Lectori curioso consulere Gisberti Voetii *Bibliothecam studiosi Theologiæ*, Ultrajecti 1651. 12°. J. Andr. Bosii *Schediasma de comparanda notitia Scriptorum Ecclesiasticorum*, Jenæ 1673. 4°. Val. H. Vogleri *Introductionem Vniversalem in Notitiam cujuscunque generis bonorum Scriptorum*, Helmstad. 1670. 4°. Ph. Labbei *Bibliothecam Bibliothecarum*, Parisf. 1664. 8°. Quam nuper recensuit, & immenso cumulo auxit Antonius Teisserius Nemausensis, *Genevæ* 1686. 4°. Sev. VValt. Sluteri *Propylæum Historiæ Christianæ*, Francof. 1680. 12°.

Restat denique ut ex iis aliquot, qui librorum MSS. Indices ediderunt, breviter recenseamus. Huc spectant Possevini *Appendix* ad Tom. II. *Apparatus sacri*; sed nullo delectu, nec satis pro rei dignitate accuratè facta. Ph. Labbei *Nova Bibliotheca MSS. librorum*, Parisf. 1653. 4°. Theoph. Spizelii *Sacræ Bibliothecarum illustrium arcana retecta*, Aug. Vindel. 1668. 8°. Th. Jamesii *Ecloga Oxonio-Cantabrigiensis*, Lond. 1600. 4°. Jac. Ph. Thomasini *Bibliothecæ Patavinæ MSS. publicæ & privatæ*, Utin. 1639. 4°. Ejusdem *Bibliothecæ Venetæ MSS. publicæ & privatæ*, ibidem 1650. 4° Alexandri Barvoetii *Catalogus præcipuorum Autorum Græcè MSS.* qui asservantur in Bibliothecâ Scorialensi, Corderii Prolegomenis in Cyrilli Homil. in Jerem. subjectus, *Antverp.* 1648. 8°. & apud Lab. Biblioth. Nov. p. 175. Ant. Sanderi *Bibliotheca Belgica MSS.* sive *Elenchus Vniversalis Codd. MSS.* &c. *Insul.* 1641. 4° *Monachiensis Bibliothecæ* MSS. Græca Theologica ab Hervarto in Indicem relata, extant tum alibi tum apud Spizel. lib citat. p. 145. *Trajectinæ Bibliothecæ* MS. Theol. *Traject.* 1608. & apud Spizel. p. 290. D. Hæschelii *Catalogus Græcorum Codd. MSS. in Bibliothecâ Augustanâ*, Aug. Vind. 1595. & 1605. 4°. Deinde curâ Eliæ Ehingeri 1630. 4°. *Basileensis* Bibliothecæ MS. Theol. suppeditat Spizel. p. 17. H. Ernstii *Catalogus Librorum MSS. Bibliothecæ Florentinæ* Mediceæ, *Amstelod.* 1641. Catalogus Bibliothecæ *Lugduno-Batavæ* à Clarissimo Spanhemio recognitus, *Lugd. Bat.* 1674. 4°. Præcipuè à pag. 295. quo libri impressi desinunt. Bibliothecæ

Digitized by Google

Thuanæ Codices MSS. ad calcem *Bibliothecæ Thuanæ* pag. 419. Parif. 1679. 2. vol. 8°. Antonii Reiseri *Index Librorum MSS. in Bibliothecâ Augustanâ*, August. 1675. 4°. Joach. Felleri *Catalogus Codicum MSS. Bibliothecæ Paulinæ in Academia Lipsiensi*, Lipsiæ 1686. 12°. Sed præ aliis omnibus palmam meretur tum librorum MSS. numero, tum raritate, tum pluribus antiquitatis monumentis admodùm curiosis, Petrus Lambecius, *Commentariis de Augustissimâ Bibliothecâ Vindobonensi*, Vienn. 1665. fol. ex quo tempore VIII. volumina ad annum usque 1679. prodierunt, & tamen operi, nondum perfecto magno Reipublicæ literariæ damno, immortuus est Auctor Clarissimus.

SECTIO VII.

ad Ecclesiasticæ Antiquitatis studium Paranesis.

OMnibus tandem in hunc modum apparatis, optimos viæ Duces nacti, & idoneis undique subsidiis instructi, quid obstat quo minùs ad scripta Sanctorum Patrum evolvenda festinemus, & in hęc studia toto feramur animo? Vitiò nobis vertere solent Pontificii, nos antiquos Patres contemnere & rejicere. In Locis Theologicis non semel exprobrat Melchior Canus, vir aliàs candidi & moderati ingenii, Lutheranos *nihil habere cum Patribus commercii*, eorum *autoritatem ipsos de gradu dejicere, eosque aut deridendos, aut certè despiciendos propinare. Hæretici*, inquit Possevinus Biblioth. Select. lib. 5. capite 26. *Patres nunquam ex professo exposuerunt in Scholis, nec libenter, aut incorruptè unquam eos ediderunt.* Et cum his Bellarminus, Maldonatus, Hardingus, Campianus, &c. eandem ferè canunt cantilenam. Quàm falsa, quàm iniqua sit hęc calumnia, tum Lutherani tum Reformati scriptis suis publicè dudum demonstrarunt. Ut in nos verò eadem cudatur faba, vix puto quenquam tam perfrictæ frontis esse, qui Ecclesiæ nostrę Alumnis hoc nomine dicam scribat. Quàm non simus in Veterum monumentis planè hospites, ipsi adversarii nostri suo periculo quotidie experiuntur, & vel ipsa fremens invidia non denegabit. Certè quantâ curâ, quàm felici successu, Ecclesia Anglicana ab ipsis reformatæ apud nos religionis incunabulis, Ecclesiasticæ antiquitatis Studium semper excoluerit, testantur tot clarissima in rebus literariis Nomina, *Cranmerus, Ridleius*, *Parkerus, Iuellus, Noellus, Humfredus, Whitgiftus, Reynoldus, Whitakerus, Hookerus, Richardus & Ioannes Cosini, Bilsonus, Brancoftus, Sutlivius, Dovvnamus, Perkinsius, Andreusius, Cocus, Robertus & Georgius Abboti, Fieldus, Buckrigius, Overallus, Whitus, Willetus, Nic. Fullerus, Cracanthorpus, Davenantius*, Serenissimus Rex *IACOBVS*, *Laudus, Featleius, Linsellus, Iunius, Masonus, Wardus, Brunrigius, Chillingvvorthus, Holdsvvorthus, Hallus, Halesius, Vsserius, Heylinus, Prideauxius, Mortonus, Montacutius, Gregorius, Sandersonus; Hammondus, Taylerus, Thorndicius, IsaacusBarrovv, Fellus, Gunningus, Pearsonus, Savilius, Seldenus*, &c. Quales, Deus bone! & quanti viri; ut eorum qui hodie in vivis sunt pudori parcam. Tenet Ecclesia nostra tenuitque semper firmam illam & immotam Tertulliani Regulam, *Id verius quod prius, id prius quod ab initio.* Quò propiùs ad Veritatis fontem accedimus, eò purior decurrit Catholicæ Doctrinæ Rivus. Nec manifestius ullum labentis fidei ruentisve Ecclesiæ signum, quàm à recto genuinæ vetustatis tramite defectio; *Dum pro cœlesti dogmate humanæ superstitiones introducuntur, dum bene fundata antiquitas scelestâ novitate subruitur, dum superiorum instituta violantur, dum rescinduntur scita Patrum, dum convelluntur definita Majorum, dum sese intra sacratæ atque incorruptæ vetustatis castissimos limites prophanæ ac novellæ curiositatis libido non continet*, ut optimè Vincentius Lirinensis. In æternum Ecclesię nostrę decus ac gloriam cedit, quod fidem suam non ex ἀγράφοις & ambiguis Traditionibus, non ex turbidis Scholasticorum lacunis, non ex inconditis Systematicorum rhapsodiis, sed ex sacra pagina, ex venerandis sanctorum Patrum monumentis, & primorum Conciliorum decretis hauserunt Reformationis Anglicanæ Ἐργοδιῶκται; quod Liturgiam, ritus & cæremonias, totam denique politiam non ad Scholæ Pontificię, non ad Lutheri, aut Calvini placita, sed ad primævæ Antiquitatis normam & exemplar accuratè delinearunt. Unde Magnus ille Casaubonus, vir in Patrum scriptis versatissimus, palam scribere non dubitavit, *Ecclesiam Anglicanam ita esse institutam, ut ad florentis quondam Ecclesiæ formam nulla hodie propiùs accedat, inter vel excessu, vel defectu peccantes mediam viam secuta.* Quid quod ipsæ leges nostræ, in solennibus Regni Comitiis editæ, sedulò cavent, ne ulla apud nos doctrina pro orthodoxâ habeatur, nisi cum Canonicis Scripturis, primisque quatuor Conciliis Oecumenicis optimè congruat? Graviter omnino & appositè D. Basilius *de Spiritu Sancto* cap. 29. Δυσωπητικὰ γὰρ πως τὰ παλαιὰ τῶν δογμάτων, οἱονεί πολιᾷ τινι τῇ ἀρχαιότητι τὸ αἰδέσιμον ἔχοντα: *Veneranda sunt vetusta dogmata, quod ob antiquitatem, ceu Canitiem quandam, habeant quiddam reverendum.*

Suum etiam rebus externis accedit ab antiquitate pretium. Quis non miretur, & tacitâ quâdam veneratione intueatur Veteris Romæ Rudera, Templa, Theatra, Porticus, exesas vetustate statuas, disjecta & perfracta marmora? Quis non insigni quâdam voluptate tractet antiqua Numismata, ærea forsan illa, at ipso auro haud redimenda, tanti ab omnibus habita, ut inter pretiosissima Regum κειμήλια, locum meruerint? Quem non mirâ delectatione afficit retroactorum Sæculorum memoria? Præteritorum temporum Annales revolvere, nascentis mundi imaginem contemplari, gentium origines, mores, migrationes investigare; imperiorum ortus & occasus recolere, populorum fata, variasque humani generis, quaquà patet terrarum Orbis, vicissitudines repetere? Jam verò juxta Prophetæ enunciatum, *Quid palea ad triticum?*——*Si tanti vitrum, quanti margaritam?* Ut cum Tertulliano loquar, *ad Martyr.* cap. 4. Suaviter

viter nos ducunt, penè dixerim, rapiunt, urbium, gentiumque antiquitates; quantò majori voluptate perfundunt animum Ecclesiæ Christianæ natales & primordia, progressus & incrementa, sedes fundatæ, institutæ Metropoles, Episcoporum successiones, Patriarcharum jura? Quis est, nisi peponem pro corde habeat, qui non avidissimè exoptet beatorum Apostolorum actus, peregrinationes, certamina relegere, Sanctorum Martyrum, qui de ipsis equuleis, ungulis, gravissimis tormentis egerunt triumphum, palmas lemniscatas contrectare, synodales conventus ingredi, Venerandos Patrum consessus oculis lustrare, vota & decreta auribus haurire? Cui non volupe est fidem nostram enascentem, & è tot difficultatum fluctibus eluctantem intueri, & vi quâdam divinitus immissâ totum penè mundum sibimet subigentem? Quid denique jucundius, quàm cum hominibus candidi pectoris, & infucatę pietatis vitam traducere, cum his versari, qui suis moribus, doctrinâ, eruditione, & præclaris monumentis Ecclesiam ornarunt, ædificarunt, unâque nomina sua æternitati consecrarunt? Huc nos ducunt, hac nos dulcedine permulcent antiquitates Christianæ.

At non modò voluptati, verùm & necessitati consulendum est. Invigilandum utique Ecclesię nostræ honori simul & patrocinio, ab ultima antiquitate petita subsidia in promptu sunt habenda, ut toto mundo constare possit quàm immeritò *Novatorum* nominę traducamur. Cum iis nobis res est, qui ultra Calvini Institutiones & recentiorum systemata se sapere videri volunt, qui nil nisi Antiquitatem crepare solent, & quasi sanctorum Patrum essent ex asse hęredes, solis sibimetipsis tanquam peculium vendicant. *Ad Patres siquando licebit accedere* (inquit Campianus Rat. 5.) *confectum est prælium; tam sunt nostri, quàm Gregorius ipse decimus tertius, filiorum Ecclesiæ pater amantissimus.----quoquò se moverit adversarius, nisi gloriam Deo cesserit, feret incommodum; Patres admiserit, captus est; excluserit, nullus est.*

His igitur armis optimè instructi simus, parati semper nostra tueri, iisque respondere, qui fidei nostrę (quam verè primitivam, Catholicam, Apostolicam esse sanctè profitemur) rationem requisiverint. Neque enim is est Ecclesiæ nostræ status, ut pro summo purioris Antiquitatis tribunali causam dicere defugiamus. Facessat à Nobis inutilis omnis studiorum ratio, facessant difficiles nugæ, implacabiles rixę, leves & ludicrę disputatiunculæ; ętatem teramus non in foro & prætoriis, non agyrtarum more sursum & deorsum cursitantes, non apud Magnatum limina sordidis obsequiis gratiam & favorem aucupantes, verùm in rostris, in ambone, intra bibliothecæ denique clathros & cancellos, Ecclesiæ commodo, animarum saluti, antiquitatis cognitioni, bonisque literis promovendis gnaviter incumbentes. Quin ergo agite vosmet, & ad sacra hæc studia totis viribus, omnibus nervis contendite; vos, inquam, maximè, quibus melior indoles & liberius otium; dignitatibus ornati, reditibus aucti, quos tanquam meliorum literarum pręmia, & cumulatioris diligentiæ stimulos & incitamenta majorum pietas consecravit. Vigeat apud nos pietatis & literarum ecclesiasticarum studium; sint in æternâ memoriâ venerandi Ecclesiæ Catholicæ Patres; sit scriptis eorum summus honor & æstimatio, quorum notitiam si hęc quam contulimus symbola vel tantillum promovebit, præclarè mecum agi putem; meque bonas horas benè collocasse judicabo.

SECTIO VIII.

Prolegomenωn Peroratio.

Ut tandem aliquando hisce Prolegomenis coronidem imponamus, lectores eruditos oratos volumus, ut hoc opus benignè & humaniter tractent. Non enim tantùm Doctis hæc scribimus, & in Antiquitatis palæstra exercitatis, sed præcipuè Tyronibus φιλαρχαίοις Antiquitatis Ecclesiasticæ candidatis, qui veteris Ecclesiæ monumenta vix primoribus labiis degustârunt. Errores lapsúsque in tam longo, tam difficili opere elaborando mihimet obrepsisse, quis mirabitur? cùm opus ipsum longè diversis temporibus scriptum sit, totúmque ferè inter varia afflictę valetudinis incommoda natum. Homo igitur cùm sim, errare neutiquam à me alienum puto: quicquid peccavero, vel leviter admonitus, lubens emendaturus. Si stylum alicubi minùs ęqualem deprehendat Lector, animadvertat, velim, ab infinitis quibuscum penè semper versatus sum scriptoribus, me labem fortasse aliquam contraxisse. Omnem certè rebus ipsis adhibui diligentiam, de stylo minùs sollicitus. Tot vitia reperiri typographica planè doleo, quibus medicam admovere manum Lector benevolus ne dedignetur. Plura notavi, alia ipse fortean observabit. Et mirari subit, ad majorem cumulum non accrevisse: Præterquam enim quod cum typographis ignaris, Latina Gręcave excudere non assuetis, mihi res erat, primam operis partem relegendi corrigendive molestiam oculi mei vix & ne vix quidem sustinere potuerunt, Amanuensi meo, cui hanc curam ex parte commiseram, sæpè nimis dormitante. Sed hoc mihi commune accidit cum aliis penè omnibus infortunium: tunc demum enim librum sine mendis proditurum speres, cùm ipse auctor ab omni prorsùs errore liber & immunis fuerit,

----Optimus ille,
Qui minimis urgetur.

††† 2 *Maximè*

Maximè Reverendo in Christo Patri ac Domino

D. THOMÆ,

Divinâ Providentiâ

ARCHIEPISC. CANTUARIENSI,

Totius Angliæ PRIMATI, & METROPOLITANO, Regiæ Majestati à Sanctioribus Consiliis.

ILLUSTRISSIME PRÆSUL,

GRAVES sunt & molestæ satis Virorum principum occupationes, curæ longè difficillimæ. Etiam ipsum otium, sicubi detur, negotii plenum; ut effringenda sint ei omnia penè pudoris & reverentiæ claustra, qui secessus eorum severiores intempestivâ temeritate velit interpellare. Quocirca diu mecum hæsitavi, num is ego sim, privati laris homo, & ruris planè agrestis colonus, qui horas tuas, si quæ sint, subsecivas perturbare ausim, & hoc, quicquid est, Operis Nomini tuo usuique, lubens licet meritóque, dedicarem. Fecit tandem ut id auderem singulare tuum in has literas Studium, Judicium grave, Candor eximius, & si hoc etiam addere fas sit, constans olim & diuturna tecum consuetudo. Jacta sunt, Te suadente, prima instituti mei *de Scriptoribus Ecclesiasticis* fundamenta. Te subveniente accrevit opus, nutanti sæpiùs & vacillanti animo novas Tu vires addidisti. Non pauca ex tua ditissima Bibliotheca, quædam & ex scriniis tuis deprompta. Quid igitur mirum si ad Te redit Opus jam absolutum, tuumque ambit judicium pariter & patrocinium? Habes hìc longo satis agmine venerandos Reipublicæ Christianæ Proceres, nomina æternitati consecrata. Habes veteris Ecclesiæ Bibliothecam, aureis & quantivis pretii monumentis instructissimam. Habes denique solemnes sanctorum Præsulum Consessus, Acta, Decreta, quæ & ad fidem spectant, & disciplinam. Cum his, DOMINE, frequenter Tu versari soles, in his (si per negotia liceret) ætatem terere voluisti. Et rectè quidem. Quid enim dulcius, quid suavius, quid præclarius? Omnia hìc sancta, honesta, pulchra, pietate & canitie veneranda; pacifica hìc & tranquilla omnia, à perversis & importunis contentiosi hujus seculi clamoribus longissimè remota. Juvat hìc quotidie contemplari genuinam Ecclesię primitivę faciem, ad quam Anglicana nostra se in solidum componit, nec fœdâ Novaturientium rusticitate deformis, nec fucatis Pontificiorum lenociniis & superstitionibus maculata. Mediâ nos incedimus viâ, & ab utrisque damnati, ad ęquum Catholicę antiquitatis judicium constanter & intrepidè provocamus. Voto finiam. Redeat, Te Ecclesię nostrę gubernacula sub auspiciis Regiis administrante, prisca Majorum pietas, mores antiqui: Custodiatur fides pura, primęva, Apostolica; publicus Divini Numinis cultus integer & illibatus; Ecclesię jura sarta tecta conservata: τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, in omne ęvum duratura: floreat vigeatque res literaria, ad summum perfectionis apicem sub tuo patrocinio evecta: Reddantur literatis præmia, in Eruditionis, diligentiæ, & Virtutis stimulum & honestamentum à majoribus olim piè constituta: Sacerdotibus suus constet honor & pretium: sint doctrina sani, disciplinis exculti, moribus graves, casti, candidi, & inculpati, ubique conversationis, charitatis, fidei & puritatis exemplaria: sit denique quod hactenùs, *Stupor mundi Clerus Britannus.* Ita vovet, ita ex animo precatur.

Maximè Reverendi Nominis tui

Cultor Observantissimus,
GUILIELMUS CAVE.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

NOn postrema temporum nostrorum fœlicitas jure meritò censeri debet, quòd meliorum literarum, purioris præsertim Antiquitatis studium tam fausto successu ubique reflorescat. Depulsis ignorantiæ tenebris, quas fœda Gothorum, Vandalorumque barbaries, mox Monachorum inscitia, Scholasticorúmque tricæ & quisquiliæ orbi Europæo obduxerant, novam planè faciem induit res literaria; pristinúmque decus ac majestatem post liminiò recuperavit. Præluxerant quidem, etiam in mediis tenebris, Viri aliquot cordatiores, renascentium literarum Phosphori, qui omni, quâ poterant, contentione barbariem sæculi sui profligare sategerunt; inter Græcos, Maximus Planudes, Demetrius Cydonius, Manuel Chrysoloras, Constantinus Lascaris, Georgius Gemistus Pletho, Georgius Trapezuntius, Cardinalis Bessarion; apud Italos, Fr. Petrarcha, Leon. Aretinus, Fr. Poggius, Æneas Sylvius, Fr. Philelphus, Hermolaus Barbarus, Laurentius Valla; in Galliâ, Nicolaus Oresmius, Petrus de Alliaco, Joannes Gerson, Nicolaus Clemangius, Ægidius Carlerius; apud Hispanos, Raimundus Lullius, Alvarus Pelagius, Fr. Ximenius, Alphonsus Tostatus, Joannes de Turre-crematâ, Petrus Cirvelus, Ferdinandus Pintianus; in Germaniâ, Joannes de Janduno, Joannes Nider, Nicolaus Cusanus, Dion. Carthusianus, Rudolphus Agricola. Ex Anglis nostris, unicum tantummodò exemplum dabo, sed πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, Virum melioribus literis pro sorte sæculi haud vulgariter imbutum, egregium planè literarum & literatorum Patronum; Richardum intelligo Buriensem, quem nobilis & opulenta sedes Dunelmensis olim tulit Episcopum, utinam sic semper talem. Vixit is regnante Edvardo Tertio Regum nostrorum fœlicissimo, (cujus pueritiam rexerat, & ad mores Principe dignos formaverat) magnis & Ecclesiæ & Reipublicæ muneribus functus; erat quippe, ut alia mittam, summus Angliæ Cancellarius, magnúsque ærarii Regii Thesaurarius: quàm flagranti verò, & ut ipsius verbo utar, *exstatico* in literis promovendis, ferebatur animo, in libello suo, quem idcircò *Philobiblion*, sive *de amore librorum* inscripsit, ipse † nos docet. Ab ineunte ætate viros doctrinâ claros familiares habuit, suavissimâ eorum consuetudine mirificè delectatus; quos postea etiam in dignitate positus socios sibi ascivit, in hospitio commensales, in itinere comites, in omni fortunâ sodales. Impetratâ facultate Regiâ, omnes Regni Bibliothecas, tùm publicas, tum privatas perlustravit, & diligenter excussit. Ab iis, quos maximis devinxerat beneficiis nullum gratius ἀντίδωρον offerri potuit, quàm si pulverulenti quaterniones, & decrepiti codices donarentur. In plurimis, quas apud exteros Principes Legationibus in Gallia, Italia, Germania, obiit, nunquam non ei curæ fuit, supellectilem librariam augere. Quócunque pedem moveret, omnia librorum armamentaria solertèr invisit, & quicquid thesauri literarii reperiit, munificâ liberalitate redemit. Nec tabernâs librarias neglexit, si quid in rem suam inde reportaret. Ex ordinibus Monasticis, præcipuè Prædicatoribus, & Minoritis, Monachos selectiores habuit, quos in omnem literati orbis angulum misit ut melioris notæ codices vel prece vel pretio sibi compararent. In atriis suis ingens semper aderat Antiquariorum, Scriptorum, Colligatorum, Correctorum, & Illuminatorum multitudo, qui libros suâ quisque facultate curarent. Et quoniam probè sciret, linguarum cognitionem unicam esse ad reseranda scientiarum penetralia clavem, Grammaticam Græcam, ut & Hebræam adornari curavit, adjunctis aliis, quę in his Linguis excolendis studiorum usibus inservirent. Antiquos codices emendavit, voces vetustate nimiâ caligantes congruis interpretationibus elucidavit, veterumque Grammaticorum Orthographiam, Prosodiam, Etymologiam, & Diasynthesin inconcussâ sedulitate instauravit. Denique, nè quid deesset, apud se statuit, Aulam publicam in Academiâ Oxoniensi fundare, reditibus ditare, inque eâ Bibliothecam, quam habuit instructissimam, in communem Academicorum usum collocare: ut plures certè libros, quàm omnes simul istius temporis Angliæ Episcopi, possedisse dicitur. Utrumque præstitisse, Collegium nempe Dunelmense à Monachis antea inchoatum perfecisse, prædiisque locupletasse, & Bibliothecam suam inibi reposuisse, disertè tradunt Annales Oxonienses. † Hæc Buriensis noster, cujus exemplum haud pari licet passu secuti sint alii, ex meliore luto habentes præcordia, qui de bonarum artium studiis his temporibus optimè meriti sunt. Sed pauci erant, & *rari nantes in gurgite vasto*. Plenissima optimarum disciplinarum lux τὸν τῆς διορθώσεως καιρὸν expectabat. Et quidem inchoatâ semel Religionis reformatione, in omnes mox angulos splendoris sui radios diffundere cœpit melior, & reconditior literatura. Fugatis barbarismis & solœcismis, quibus dudùm scatebant omnia, caput extulit purior Latinitas, & Romanæ linguæ nitor & venustas vigebat indies. Artes & disciplinæ liberales spinis & vepribus diù obsitę, ex umbrâ tandem in solem proferuntur, nitori suo in integrum restitutæ. Exauctorato, qui hactenùs in scholis tyrannidem exercuerat, Aristotele, in libertatem sese vindicavit nobilior Philosophia, ex ipsis naturæ penetralibus hausta, ad rectæ rationis trutinam librata. Sordes deposuit Theologia, ad sacræ scripturæ magisterium, ad primævæ antiquitatis normam exacta & expensa. Ecclesiæ antiquitates à tot retrò sæculis suis quasi ruderibus sepultæ, effodiuntur, éque ruinis suis emerserunt. Patres Gręci, Latinique in obscuris Bibliothecarum forulis hucusque vincti, catenulis eximuntur, suâ quisque linguâ nobiscum liberè conversantes. Historiam Ecclesiasticam diligenter excolere cœperunt sacræ vetustatis candidati, qui genuinam Ecclesiæ Catholicæ faciem delinearunt, ejusque doctrinam, politiam, disciplinam, ritus, moréſque, cœtus Synodales, Sanctorum Martyrum certamina & ἀνδραγαθήματα

† Vid. Philob. cap. 8. 10 11. 18. 19. Edit. Gold.

† Hist. & Antiq. lib. 2. Ox. fol. 48

Digitized by Google

Schismatum & hæresέων ortus & incrementa, Scriptorum Ecclesiasticorum occasiones & progressus, ab ipsis rei Christianæ incunabulis velut in speculo nobis ob oculos posuerunt. Et jam reserantur ubique Ecclesiarum scrinia, Monasteriorum Archiva, Bibliothecarum arcana, Principum Chartophylacia: Unde mox in lucem producta antiquorum Patrum monumenta, Conciliorum decreta, Martyrum, Sanctorùmque Acta, Imperatorum Edicta, Regum, Principùmque Diplomata, quibus jura Ecclesiastica & sancita primùm, & sarta tecta conservata: Uberrima Historiæ Ecclesiasticæ seges futura.

Primi, ni fallor, qui superiori sæculo singulare quidpiam hâc in parte sunt aggressi, erant *Centuriarum Magdeburgensium* conditores, Joannes Wigandus, Mattheus Judex, Basilius Faber, quique totius instituti prora quasi ac puppis erat, Matthias Flacius, patriâ Illyricus, qui abjecto vitæ, quam animo destinaverat, Monasticæ studio, in Germaniam abiit, & fixis tandem Magdeburgi laribus, socios sibi & συνεργοὺς ascivit; qui, partitis inter se laboriosissimi ἐπιχειρήματος curis, operi se sedulò accinxerunt.

Quò verò res fœliciùs cederet, missi sunt in diversas Europæ provincias, quę pulverulentos Bibliothecarum angulos excuterent, abditos antiquitatis thesauros extraherent, codices manu exaratos describerent; imò ipse Flacius, teste M. Adamo †, assumpto Monachi habitu & personâ, celebriores aliquot in Germaniâ Monasteriorum Bibliothecas perlustravit, & quos commodè posset, historicos clam secum abstulit; quibus adminiculis, præsertim *Catalogum testium veritatis* postea confecisse dicitur. Omnibus jam ritè præparatis, universum Opus in XIII. *Centurias*, sive sæcula distribuerunt (neque enim ulteriùs progressi sunt) quâvis Centuriâ XV. primaria capita complectente, quibus de Ecclesiæ propagatione, de statu tranquillo vel turbato, de doctrinâ sanâ vel corruptâ, de Conciliis, de Episcopis, Doctoribus, Virisque illustribus, de Hæresibus, Martyribus, &c. prolixè actum est. Et in has quidem classes, tanquam totidem alvearia, quicquid uspiam ex antiquitate congeri poterat, magnâ fide & diligentiâ reposuerunt. Facili methodo, indagantium usui satis accommodatâ. Certè propriè loquendo, non tam Historia Ecclesiastica dici debet, quàm rerum Ecclesiasticarum quovis sæculo memorabilium ditissimum, amplissimùmque penu & promptuarium; unde sua Historici Ecclesiastici, sua Theologi, Dogmatici, Elenctici, Rituales, sua denique fidei Christianæ adversùs tum Gentiles, tum hæreticos propugnatores plenâ messe petere & reportare possint. Opus immensi laboris, quantivis pretii. Inesse labes & nævos, multa omissa, peccata multa, deprehendi etiam quandoque in ipsis Conditoribus nimiam affectuum indulgentiam, & ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς, nec negari potest, nec debet dissimulari. Sed homines erant, & humanis proinde erroribus & infirmitatibus obnoxii; viâ incedebant minimè tritâ, idque in ipso penè renascentium literarum diluculo: rariores adhuc erant sanctorum Patrum editiones, rariora multò Græcorum exemplaria, quorum versionibus, iisque haud satis fidis, plerumque utendum erat. Non pauca quæ eos latuerunt, ex eo tempore lucem viderunt. Opus jam editum ad secundas curas revocare nunquam licuit. Nihil simul inchoatum & perfectum. "Fatentur * ingenuè, quâ erant modestiâ, se potiùs "delineationem Historię Ecclesiasticæ qualemcunque tentâsse, quàm integram & omnibus numeris ab"solutam scriptionem; occasionem se aliis præbere voluisse, qui perfectius & melius quiddam gignere "vel velent, vel poterunt.

Obstupuit planè eruditorum orbis, & meritò quidem, cùm videret pauculos quosdam in obscuro Germaniæ loco latitantes, nullius anteà nominis, nullâ eruditionis famâ celebres, vix ullis librorum subsidiis munitos, nullo ære publico sustentatos, nullius auspiciis, nullo prǽeunte exemplo, ex fractis, disjectisque collapsę vetustatis ruderibus hinc indè conquisitis & convasatis, tàm splendidam, tàm stupendam Historię Ecclesiasticę molem condidisse. Prima Centuria edita est *Basiliæ* anno MDLIX. Reliquæ sequentibus annis, partim ibi, partim alibi elaboratæ. Omnes tandem recognovit Ludovicus Lucius Professor Basiliensis, junctimque edidit *Basil. MDCXXXIV. VI. Tom. Fol.* Has Centurias, sed non servato eodem ordine, nec pari felicitate, in compendium redegit Lucas Osiander Norimbergensis, addita continuatione ad annum usque *MDCI.* Hoc Osiandri opus prodiit *Tubingæ* 4$^{to.}$ ab anno *MDXCI.* ad an. *MDCIII.* Vix dum publici juris factę sunt priores Centuriarum partes, cùm tota commovebatur Roma, & tanquàm *Hannibal ad portas*, tota contremuit. Videbant aulę Romanæ proceres, Ecclesiæ suę fraudes & imposturas, superstitiones & corruptelas, nova placita pro antiquis venditata, in hoc opere ubique detegi, & denudari, nullique jam non constare, præsentem Ecclesiæ Romanæ faciem tantùm à primævâ illâ & Apostolicâ distare, ὅσον οὐρανὸς ἐστ᾽ ἀπὸ γαίης. Communi igitur suffragio bellum decernitur, disperdenda erant Magdeburgensium agmina, & quibuscunque machinis delenda Carthago. Primus in hanc arenam descendit Onuphrius Panvinius, Eremita Augustinianus, vir in Antiquitatibus sacris & profanis egregiè exercitatus, qui *Annales Ecclesiasticos* aggressus est, neque levem in iis progressum fecit, verùm affectos tantùm post se reliquit; quorum ingentes aliquot tomi MSS. in Bibliothecâ Vaticanâ hodiè asservantur. Nec alia ut videtur, est *Historia Ecclesiastica MS. de dignitate sedis Apostolicæ, & de potestate summi Pontificis adversùs Centuriatores*, cujus meminit L. Jacob. à S. Carolo,* *Bibliothecæ Pontificiæ* conditor. Sedè vivis migrante Panvinio anno Christi *MDLXVIII.* ætatis *xxxix.* ad Cæsarem Baronium res devoluta est. Erat is Congregationis Oratorii à Philippo Nereo recens instituti presbyter, cui in mandatis dedit Philippus, ut ad conscribendam Historiam Ecclesiasticam omni, quo poterat, studio animum appelleret. Vehementiùs renitebatur Cæsar, multa in suam excusationem protulit, causatus inter alia, hoc ipso tempore Onuphrium Panvinium, hominem longè doctissimum, magnum hoc ipsum opus moliri. Instante nihilominus Philippo, graviter fluctuabat Baronii animus cùm accidit, referente Hieron. Barnabeo †, quod omnem ei scrupulum exemit. Visus est sibi per somnum cùm Onuphrio Panvinio hâc

† Vit. Fl. Illyr. p. 475.

* Præf. generali ante T. I.

* Bibl. Pontif. lib. 2. p. 409.

† Vit. Baron. l. 1. cap. 18. p. 42.

hâc de re colloqui; rogare, ut opus Ecclesiasticæ Historię à se jam pridem inchoatum absolveret & perficeret; abnuere Onuphrium, atque aures oculosque pariter avertere. Urgente adhùc Baronio: extemplò vox audita est, quam Philippi esse cognovit *quiesce* Baroni, *nè quid ultrà loquere, Annales ipsemet scribes.* Victus jam collum submisit; gravissimoque oneri humerum supposuit. Erat in eo, notante J. Nicio Erythreo *, antequàm opus aggrederetur, doctrina mediocris, eruditio vulgaris, Latinè scribendi usus propemodum nullus; quas tamen dificultates labore improbo & indefessa diligentia superavit. Inter Oratorii instituta erat & illud laude planè dignum ut ex quatuor, qui de rebus Divinis verba facerent, unus Historiam Ecclesiasticam auditoribus prælegeret. Hanc provinciam sibi à Philippo demandatam strenuè executus est Baronius; omnia veterum monumenta, edita, inedita, legit, excussit, examinavit; quicquid se obtulit, excerpsit, & in usus suos seposuit; singulis ferè quadriennis integrum Historiæ Ecclesiasticæ cursum absolvit; finito curriculo, idem rediit labor actus in orbem; adeò ut, ipsomet teste, triginta annorum spatio integram rerum gestarum seriem septiès in Oratorio repetiverit. Erant in urbe viri doctrinâ & eruditione conspicui, quibuscum consilia sua communicavit, & à quibus impetravit auxilium; exteros per literas consuluit; patebant indiès nobiliores Romæ Bibliothecæ, præsertim Vaticanæ recessus intimi.

* Pinacoth. I. c 48. p. 84.

Ita instructus, post triginta demùm annos ad conscribendos Annales se contulit: collectanea de totius orbis Christiani statu, quæ ex omni antiquitate ingenti copia sibi conquisiverat, in sua sæcula digessit, cujusvis sæculi memorabilia ad suos quæque annos redegit; quo pacto integra Reipublicę Christianæ Historia à Christo nato ad annum usque *MCXCVIII.* continuâ annorum serie feliciter decurrebat: optimâ quidem methodo atque operi Historico apprimè congruâ, magno cum legentium fructu, sed majore sibi difficultate, & labore propemodùm infinito. Multa aureæ vetustatis monumenta eruit, æternis aliter tenebris fortè damnanda, aliis plurimam affudit lucem, omnia inscriptionibus & numismatibus antiquis ornavit simul & illustravit. Accedit ad laudis cumulum, justámque omnibus admirationem movet quòd unius auctoris opus est, solius Baronii studio & inchoatum & absolutum, quodque integri XII. tomi propriâ Auctoris manu semel iterùmque exarati sint. Undè rogante magno quodam Antistite, cui collectiones suas ostenderat, quotnam Amanuensium operâ uteretur, subridens propheticum illud usurpavit (an eâ, quâ in Christum par erat, reverentiâ viderent alii) *torcular calcavi solus.* Adhùc, elaboravit hæc omnia inter quotidianas Ecclesię parochialis curas, confessionibus excipiendis, Missis celebrandis, horariis precibus recitandis, sermonibus alternis prope diebus ad populum habendis sedulò intentus. Nec leviter distrahebant hominem aliàs occupatissimum, maximarum, quas sustinuit, dignitatum muniera. Prætérquàm enim quòd Bibliothecę Vaticanæ cura ei commissa sit, Clementi VIII. à confessionibus audiendis erat. Deponente præfecturam Philippo, congregationis suę Præpositus eligitur, Protonotarius etiam Apostolicus constitutus, tandémque in Purpuratorum collegium cooptatus. Quibus non obstantibus, in pertexendis Annalibus gnavitèr perrexit, & ad umbilicum perduxit; quos tamen nè omnibus numeris absolutos daret, obstabant plura, de quibus viri cordati dudùm conquesti sunt. Nos tria brevitèr notabimus. Primò, in causa fuit crassa linguę Græcę ignorantia, undè factum est, ut in veteris Ecclesiæ historiâ magnâ ex parte hospes fuerit & peregrinus; cum Patribus Græcis quibuscum præcipuè ei res erat, non nisi per interpretem colloqui potuit, & versionum auctores malefidos sæpenumerò viæ duces in solidum sequi necesse habuit ut nihil mirum, si turpes lapsus & hallucinationes ubique reperiantur. Secundo defectus Chronologię, quam primarium Historiæ oculum meritò dixeris. Nondum satis excussæ erant rationes Chronologiæ; nondum ritè dispositi, & accuratè repurgati Fasti Consulares; nec satis illustratę celebriores Epochæ, & Olympiadum periodi; nondum certò definita Imperatorum tempora, Pontificum & Episcoporum successiones. Hinc tot parachronismi & metachronismi ubivis obvii, de quibus prę aliis consulendus eruditissimus *Pagius* in *Criticâ Historico-Chronologicâ in Baronii Annales.* Tertium, idque longè gravissimum, immoderatum partium studium, quo fit, ut quocunque ferè moveret pedem veritati offuciæ tanquam soli nebulæ objiciendę erant. Luce ipsâ clarius est Baronium, cùm ad scribendum primò animum appulit, id sibi solum negotii dari credidisse, ut Ecclesię Romanæ traditiones, mores & placita, superstitiones densissimis sęculorum tenebris natas, venerandæ antiquitatis nomine incrustaret, sedis Pontificiæ dignitatem, auctoritatem, majestatem, monarchiam, ac penè omnipotentiam statuminaret. Centurias Magdeburgenses, quas *Centurias Satanæ* alicubi appellat *, oppugnaret, prosterneret, profligaret. Non obscurè id profitetur ipsemet Baronius †, disertiùs affirmat vitæ ejus auctor * disertè Pagius † *primarius*, inquit, *ac præcipuus, quem sibi proposuerat, scopus erat, confutatio Centuriarum Magdeburgensium, in quibus auctores cumulârant quæcunque adversus sanctitatem ecclesiæ Romanæ, auctoritatem summorum Pontificum, omniáque religionis Catholicæ dogmata adversari sibi videbantur.* Hinc tot veterum, tum Patrum tùm Conciliorum loca divulsa, & fictis fucatisque interpretationibus à genuinâ auctorum mente detorta, alia suppressa vel interpolata; hinc scripta apocrypha & supposititia totiès in testimonium adducta, dubia, incerta, ficta, fabulosa, ad partes vocata, & pro antiquis, & genuinis vendita; hinc tot veritatis testes suo quisque tempore damnati & rejecti; hinc Regum & Imperatorum, qui iniquis Romanorum Pontificum usurpationibus viriliter se opposuerunt, auctoritas imminuta, & non Diademata modò, sed & colla protervè conculcata. Hæc hisque similia utramque faciunt paginam, omnibus qui Baronium vel à limine salutârunt, satis nota. Quid multa? In Annalibus Baronianis ingenium, dexteritatem, gravitatem, eruditionem, & diligentiam suspicimus & prædicamus; judicium, fidem, integritatem,

* Grat. Act. ad Ph. Neri præfix. T. VIII.
† Epist. Ded. ad Sixt. V. T. I.
* Ubi supra
† L. I. c. 18. 19.
Præf. ad Critic. N. III.

tem, simplicitatem, candorem meritò desideramus. Prodiit primus Annalium tomus Romæ ex Typographiâ Vaticanâ ann. MDLXXXVIII. sequentes sequentibus annis;exindè Venetis, Antuverpiensibus, Coloniensibus, Moguntinis typis expressi. Habent verò hoc singulare editiones posteriores, nempè quæ ab ineunte sęculo evulgatæ sunt, ut quæ secundis curis addenda vel emendanda censuit illustrissimus auctor, vel suis locis inserta sint, vel singulorum calci, saltem ad Tomi decimi finem adjiciantur. Præter XII. tomos editos, extare tres MSS. testis est H. Barnabeus, Congregationis Oratorii Presbyter *, *Tres*, inquit, *alios qui de duodecim alteris post ejus obitum reperiri potuerunt, nos ipsi asservamus in nostrâ Vallicellanâ Bibliothecâ, unà cum annotationibus ad Martyrologium Romanum, aliisque opusculis nondum in lucem editis*. Cur verò supprimantur, utinam nobis indicâsset. De Operis Baroniani epitomis & continuationibus, nempè Bzovii, Rainoldi, & Spondani, de ejusdem elogiis, vindiciis, nævis, censuris, animadversionibus, versionibus, editionibus; denique de inferioris subsellii Historiæ Ecclesiasticæ scriptoribus, Pontificiis, Lutheranis, Reformatis multa congesserunt Cas. Sagittarius. *Introduct. in Historiam Ecclesiasticam* capp. 14. 15. &c. Jo. Frid. Mayerus Theologus Hamburgensis celeberrimus libello *de fide Baronii* nuper edito, & nos breviter pro instituto nostro *Prolegom. Hist. Lit. Sect.* VI. Jam ad institutum nostrum propiùs accedamus.

* Vit. Bar. l. 1. c. 19.

Postquàm artes & scientiæ ad summum penè perfectionis suæ fastigium jam pervenissent, non tam deesse videbantur libri novi in quocunque literarum genere elucubrandi, quàm Parascevastici & Manuductorii, qui hactenùs editorum notitiam in vulgus propagarent, usum & utilitatem ostenderent, ipsos auctores describerent, Criticásque quasdam regulas traderent, quibus vera à falsis, genuina à supposititiis discernerentur. Id ut in aliis facultatibus, sic præcipuè in re Historico Ecclesiasticâ factum videmus. Hinc tot Ecclesiæ *Bibliothecarii*, præclara veterum monumenta in proprias classes reponentes; tot *Critici sacri*, de scriptis adespotis, obscuris, dubiis, spuriis, de Auctorum stylo & ætate sententiam & judicium ferentes; tot sanctorum Patrum *Catalogi* & Nomenclatores; tot introductiones ad lectionem Patrum; tot Scriptores de Scriptoribus Ecclesiasticis; déque eorum vitâ, sectis, dogmatibus, scriptis &c. quorum amplum satis Catalogum alibi pertexuimus. Et hoc quidem Saxum ab ipsis ferè studiorum Theologicorum primordiis (præfiscinè id, & absque jactantiâ dicam) me volvisse fateor. Ut vitas SS. Apostolorum, Patrúmque Primitivorum, qui quatuor prioribus Ecclesiæ sæculis inclaruerunt, aliáque nonnulla à me patrio sermone olim conscripta prætermittam, hinc natæ mihi *Tabula Ecclesiasticæ*, venerandum sanctorum Patrum chorum uno intuitu exhibentes. Has secutus est *Carthophylax Ecclesiasticus*, majoris & amplioris operis Prodromus. Cartophylacem excepit *Scriptorum Ecclesiasticorum Historia Literaria*, quæ prodiit *Londini* anno MDCLXXXVIII. & *Genevæ* anno MDCXCIII. Effluxerunt jam bina annorum lustra ex quo Opus istud typis mandavi: & hoc labore defunctus, sperabam futurum deinceps, ut his solutus curis in angulo cum libello quietè posthàc latitarem. Verùm jucundissimum illud, quod mihi suaviter somniaram otium, amici inviderunt, ad consuetos labores me, obtorto quidem collo, retrahere satagentes. Monebant, tantę molis opus secundas curas non admittere modò, sed exigere; superesse plurima, quæ diligentiam meam hactenus effugerant, alia fortè, quæ manum emendatricem expectarent, non pauca veterum opuscula ex eo tempore in lucem emissa, novas quotidiè prodire editiones, eásque longè accuratiores, plura adhiberi posse subsidia, quæ anteà denegata fuerant. In his, similibúsque amicorum monitis acquievi tandem, parùm cautus, in quem curarum & difficultatum gurgitem memet iterum pręcipitarem; undè non sine summâ molestiâ, mihíque, fractis jam corporis animíque viribus, ægrè ferenda, eluctandum erat. Sed jacta erat alea, nec pedem retrahere licuit. In novo hoc molimine duo imprimis ob oculos habui, primò, ut excussis denuò veterum monumentis, Scriptores mihi antehàc incognitos, aut præteritos, è tenebris eruerem & in lucem publicam revocarem, quorum plures Centurię in hoc opere reperiuntur. Alterum, ut quę in Scriptoribus à me olim recensitis deesse videbantur, supplerem, novísque accessionibus & observationibus illustrarem; quod pro operis instituto, meęque facultatis tenuitate, aliquâ saltem ex parte, me pręstitisse spero. Scriptores Ecclesiastici non sunt unius generis; sunt quippè Exegetici, Dogmatici, Elenctici, Historici. *Exegetici*, qui scripturas sacras scholiis & commentariis suis, sæpe & homiliis ad populum habitis exposuerunt. *Dogmatici*, qui fidei Catholicę doctrinam à Majoribus acceptam tradiderunt. *Elenctici*, qui controversias suo tempore agitatas excusserunt, & Ecclesiæ Christianę causam adversùs Judæos, Gentiles, Hęreticos feliciter propugnârunt. *Historici*, qui genuinum Ecclesia statum, ortum, progressum, & corruptionem literis consignârunt. Hìque iterùm in quatuor classes dispertiuntur; sunt enim vel *Historici Ecclesiastici* propriè sic dicti, qui res in Ecclesiâ gestas, & cujusque Sęculi memorabilia vel compendio, vel κατὰ πλάτος posterorum memorię commendârunt; vel *Chronographi*, qui habitâ strictiori temporis ratione, gesta quęlibet ad certas periodos, vel ad singulos annos redegerunt; vel *Hæresiologi*, qui veterum hęresέων originem, incrementa, exitum, dogmata, & deliramenta delineârunt; vel denique *Biographi*, qui vitas Sanctorum, aliorúmque doctrinâ & pietate illustrium in literas miserunt, nobisque in exemplum posuerunt. Quò verò ętate sunt sequiores hi Scriptores, eò viliori pretio sunt æstimandi. Otiosi quippe Monachi, pręsertim à Sæculo octavo & deinceps majorum suorum acta posteritati tradere voluerunt, res eorum, non prout gestę fuerant, describere contenti, fabulosis narratiunculis, fictisque miraculis augere, atque exornare studuerunt; idque eâ mente, ut majorem eorum admirationem in animis hominum excitarent, miserique popelli ad ipsorum altaria

supplicantis

Digitized by Google

supplicantis crumenas suaviùs emulgerent. Quo pacto in immensum mox excrevit Biographorum numerus, ut sub hoc onere gemeret planè res Ecclesiastica. Sequi sæculum est, ex quo viri eruditi in colligendis Sanctorum vitis sedulò desudârunt, Lippomannus, Surius, Mosander, Mombritius, Haræus, Lippelous, Dacherius, Mabillonius, & qui omnibus palmam longè præripuerint, Bollandiani, qui incredibili labore, nec mediocri doctrinę apparatu XX. ingentia volumina jam evulgârunt; & tamen paulò plus quàm primum Semestre absolverunt. Vastum hoc & planè stupendum opus parciùs attigi, partim quòd non ubique ad manum esset, partim quòd ὠκεανὸς ἀπέραντος (ut Clementis Romani verbo utar) videbatur; & quis tàm profundo, tam immenso mari se temerè committeret? quis tot voluminibus recensendis incumberet, quibus legendis (modò ad umbilicum perducantur) vix unius hominis vita sufficeret? nec parùm deterrebant plena, quibus undique scatent, fabularum & nugarum plaustra, ut operosa istiusmodi recensio forsàn ab emunctæ naris viris censetur *stultus labor ineptiarum*. Interim negari nequit, plures in his scriptoribus nec contemnendas, sui præsertim temporis Historias occurrere, quę vix aliundè peti possunt; ut in ipso Ennii stercore aurum quandóque reperire licet, si quis tædium istud devoraverit. Cùm verò nemo majori curâ, meliori fide, acriori judicio in recensendis Sanctorum actis versatus sit, quàm Joannes Mabillonius, idcircò ejus *Acta Benedictinorum* paulò diligentiùs excutienda censui; ut quæ in rem meam facerent, inde seligerem.

Scriptoribus *Anonymis*, quos in priore hujus Operis parte neglexeram, in hâc locum dedi, Vossii, aliorumque exemplum secutus; nec pauci certè sunt, iique melioris notæ Scriptores, quorum nomina celavit invidiosa vetustas. Non editos modò, sed & *Manuscriptos*, quorum saltem ad me notitia pervenerit, exhibui, quorum ingens thesaurus, & auro contrà non carus in Bibliothecarum Archivis delitescit. Verùm cauto pede hâc in parte progrediendum erat; fallunt quippè nos non rarò codicum Manuscriptorum tituli, & à recto tramite nos ducunt, ut nisi inspectis membranis, sæpè de ipso opere judicare, haud facile sit. Quo nomine æquiores mihi fore lectores spero, si librorum inscriptionibus deceptus, alicubi lapsus fuerim. Nihilominus summoperè mihi curæ fuit, non nisi præstantiores Manuscriptorum Catalogos in subsidium vocare, quales sunt Bibliothecæ Bodleianæ, Cottonianæ, Lugduno-Batavæ, Regiæ Parisiensis, &c. & qui hactenùs editos longè antecellit, Cæsareæ Vindobonensis. Augustissimam hanc & verè incomparabilem Gazam, fœdè antehàc neglectam, repurgare, atque in ordinem redigere aggressus est Petrus Lambecius, Cęsareæ Majestatis Consiliarius, & Bibliothecę præfectus, qui Commentariorum Tomos VIII. evulgavit, & tamen non nisi DCXXI. Codices MSS. Græcos recensuit; Latinos penè nullos, paucis exceptis, qui Tomo secundo continentur; decem ferè mille, partim Græcos, partim Latinos intactos post se reliquit. Dan. Nesselius, Lambecii in hâc arenâ successor, eundem laborem, sed haud pari felicitate continuavit. Imperatoris jussu opus Lambecianum, servatis verbis, sed mutato ordine, in compendium redegit. Philologos aliquot, & Historicos profanos, Codicesque Orientales de suo addidit, residuis majori otio reservatis. Nihilominùs catalogus est utilissimus, quique aliis exemplo esse potest. Utroque hoc catalogo, tùm Lambeciano, tùm Nesseliano in sequenti opere usus sum. Scriptoribus Gręcis & Latinis *Orientales* nonnullos adjunxi, Syros, Arabes, Armenos; sed parcè, relictâ pleniori messe iis, qui novam Scriptorum Orientalium Bibliothecam adornaturi sunt.

Ad tractandi rationem quod attinet, eundem, quem in priore parte, modum tenui, ità ut de Scriptoribus neque nihil, neque tamen omnia dicerem; quod satis est prudenti lectori fecisse contentus In longiores Sermones rariùs excurri, & non nisi ubi res ipsa postulare videbatur. Prolixiores Dissertationes ad Scriptores Ecclesiasticos qui desiderant, adeant ii Possevinum, Sculteum, Natalem Alexandrum, Dupinium, Nourium, Tentzelium, &, qui magna de se promittere solet, Casimirum Oudinum, qui Epistolâ *de ratione studiorum suorum*, Amstelodami paucis ab hinc annis editâ, magnificum hunc operis à se mox evulgandi titulum exhibet. *Commentarius de Scriptoribus Ecclesiæ, vel scriptis antiquis, tàm impressis, quàm manuscriptis, adhùc in celebrioribus Europæ Bibliothecis extantibus, ab Antonio Possevino, Roberto Bellarmino, Gulielmo Cavo, & aliis omissis ad annum* MCDLX. *vel ad artem typographicam inventam, cum accessione ducentorum & ampliùs Authorum, de quibus apud omnes ferè silentium, quorum Opera, quibus lateant in Bibliothecis, quoque Codice latitent, aperitur.* Multis hoc opus ipse laudibus effert, mira de eo prædicat ac pollicetur; in eo se acturum de Scriptorum ortu, patriâ, natione, genere, ingenio, professione, officiis, fortunâ, morte, & aliis; varias Dissertationes de quorundam scriptorum opusculis latiùs atque accuratiùs discutiendis se aggressurum, quasque veretur, ne quandam ob sui nimietatem lectoribus nauseam pariant: in his argumentis vel nihil, vel pauca à se omissa esse. Deniq; in his locum habituras *amplissimas, atque votum ultra suum, & ad nauseam prolixas Dissertationes* (quę ipsius verba sunt) de Thomę Aquinatis, deque Bonaventuræ scriptis. *Nam quæ*, inquit, *de his Doctoribus* Cavus *habet, ità jejuna atque arida sunt, ut lectionem vix mereantur.* Et habet, quidem Cavum, si ita velit, confitentem reum. Tametsi enim, servatâ justâ operis proportione, non pauca de his etiam Doctoribus dixerim; nihilominùs fœces temporum minùs mihi curæ fuisse, ingenuè fateor; de prioribus Ecclesiæ sæculis maximè fui sollicitus, in quibus omnem, quam potui, præstiti diligentiam, ut tùm in præfatione ad *Cartophylacem*, tùm Prolegomenis ad *Historiam Literariam* disertè monui. Habeat sibi Oudinus suum Thomam, Bonaventuram suum, & si qua sequioris sæculi recrementa: in his se totum exerceat, omnesque ingenii atque eruditionis nervos experiatur; dummodò integrum mihi fuerit versar

cum

Digitized by Google

cum Philone Judæo, Josepho, Justino Martyre, Origene, Eusebio, Epiphanio, Chrysostomo, reliquisque aureæ vetustatis monumentis. Sed aliud fortassè erat, quod hominem propius urebat. In *Supplemento Bellarminiano* tùnc recèns edito notaveram fortè (solo justitiæ & veritatis amore ductus, nullo certè obtrectandi, nullo *insurgendi* animo; notaveram inquam) ex infinitis paucula, quæ Auctor ex Miræo, Vossio, Labbeo, aliisque per integras quandóque paginas in opus suum compilaverat, nè levissimâ quidem eorum, è quibus desumpserat, mentione factâ, vel de quo in præfatione, ne verbulo quidem lectorem monuerat. Hæc, ut videtur, molestè tulit, ac proindè in prædictâ Epistolâ me, quem fato functum existimavit, accenset iis *quibus contrà se expostulantibus surdus obduruit.* Neque aliam hujusce rei rationem reddere dignatus est. *Cæteros inter* Cavum *pluribus in locis contrà me in Historia Scriptorum Ecclesiasticorum insurgentem eâ ratione correxi; qui si viveret nunc, meis opinor sententiis minùs irasceretur, neque temerè, quæ nescivit, condemnaret.* Verùm cùm res ipsa loquitur quod negari nequit, virúmne doctum & ingenuum candida magis deceret confessio, an durum & pertinax silentium viderit ipse, eruditi judicent, immò quemvis cedo arbitrum. Sed homini parco, quem desertis Pontificiorum castris ad Reformatos transiisse audio, cujusque candorem & diligentiam alibi laudavi, iterúmque laudo; utque labores, quos in perlustrandis Bibliothecis insumpserit, in Reipublicę Literariæ emolumentum cedant, magnoperè exopto.

Absolutis Scriptoribus, mihique quietis portum jam ingressuro, ecce amici aurem iterùm vellicârunt. Heus tu, inquiunt, nescisne Concilia potiorem & potentiorem esse Antiquitatis Ecclesiasticę partem, eorumque Acta, Canones & Decreta primum inter scripta Ecclesiastica locum sibi vindicare? Fateor quod res est, olim mihi in animo fuisse aliqualem Synodorum synopsin eâdem, quâ scriptores, methodo concinnare, ut in præfatione tùm ad *Cartophylacem*, tùm ad *Historiam Literariam* declaràvi. Sed quoties ad id animum appulerim, totiès rerum difficultate deterritus consilium deposui. Oblatâ tandem hâc occasione, & accedentibus amicorum votis, malui qualemcunque Conciliorum notitiam exhibere, quàm rem, penitus intactam relinquere. Et jam novus mihi nascitur labor: perscrutanda erant Ecclesiarum Cartophylacia, evolvendi Conciliorum Tomi, Historici suo quisq; ævo consulendi. Concilia ad quatuor capita reducuntur, Diœcesana, Metropolitica, Patriarchalia, & Oecumenica. *Diœcesana*, (juxta hodiernum vocabuli usum) seu mavis Episcopalia, quæ ab Episcopo unà cum Clero suo habita sunt. Et horum Decretorum vis intrà istius Episcopatûs limites coercebatur. *Metropolitica*, quæ à totius Provinciæ Episcopis, præsidente Metropolitano, celebrantur. *Patriarchalia*, quæ ab uno ex quinque majoribus Patriarchis cum Episcopis & Metropolitis suis congregata sunt. Sub hoc genere monere fas sit, fuisse Synodos quasdam Ἐνδημούσας, à Patriarchis Constantinopolitanis ut plurimùm celebrari solitas, quandò, re ita exigente, Patriarcha Episcopos, qui tùm fortè in urbe Regiâ versabantur, pro re natâ in Synodum coegit, quarum apud Historicos Byzantinos frequens occurrit mentio. Denique *Oecumenica*, quandò Imperatoris mandato, missis undequàque Divalibus Sacris (uti vocare mos erat) Episcopi ex omni orbe Romano evocati convenire, de gravioribus Ecclesiæ Catholicæ negotiis acturi. Tria priora genera pro ratione instituti leviori digito expedivi, Synodi cujusque locum, tempus, occasionem; Episcoporum, Canonumque ab iis conditorum numerum tribus quasi verbis notâsse contentus, quid in eâ gestum sit, quid supersit, & ubinam reperire licet. Cúmque singulos Canones enumerare non licuit, sub generali *Fidei vel Disciplinæ Ecclesiasticæ* titulo complexus sum. Conciliorum verò Oecumenicorum, aliorúmque, quæ ad Antiquitatis Ecclesiasticæ notitiam plurimùm conferre videbantur, Historiam, ex ipsis Actis ut plurimùm concinnatam, fusiùs exposui, Canones quandoque illustravi, & ubi opus erat, à Pontificiorum objectionibus vindicavi. In disponendis Conciliorum temporibus editionem *Labbeo-Cossartianam*, omnium utpote amplissimam accuratissimámque, secutus sum, nisi ubi manifesta ratio me ab eâ recedere coegit. Nec vulgatos modo Conciliorum Tomos, sed & cujúsque gentis Collectanea Synodica consului, *Armenica* Clementis Galani, *Britannica* Spelmanni, *Gallica* Sirmondi, *Hispanica* Loaisæ, Ferdinandi Mendozæ, &c. Sed omnium Hispanorum diligentiam longissimo intervallo post se reliquit Josephus de Aguirre S. Balbinæ Cardinalis, qui *Collectionem maximam Conciliorum omnium Hispaniæ, & novi Orbis*, notis & dissertationibus illustratam, nupèr in lucem emisit *Rom. MDCXCIV. IV. Vol. Fol.* Præmiserat integram vasti hujus operis *Notitiam Salmanticæ* an. *MDCLXXXVI.* 8vo. quâ primò quidem sum usus; posteà beneficio Viri nullis non nominibus mihi æstimandi, Ottonis Menckenii, in Academiâ Lipsiensi Professoris publici, incertum eruditione an humanitate præstantioris, ipsa Concilia nactus sum. In hâc Collectione illustrissimo auctori visum est, plura veterum Hispanorum opuscula, & longè majorem Dissertationum Ecclesiasticarum partem, aliáque quædam, quæ in ipsâ notitiâ promiserat, penitus omittere, Tomo primo maximam partem occupato in adstruendâ & vindicandâ Epistolarum pseudo-Isidorianarum causâ, quas damnârunt tot etiam Romanæ communionis viri cordatiores, & ad orcum relegârunt. Magno quidem id âgit eruditionis apparatu, sed conjecturis potiùs quàm argumentis, & lævissimis sæpe objectionum solutionibus, quæ magis Auctoris ingenium, & propensum in hanc causam studium, quàm causæ ipsius bonitatem ostendere videntur. Quid, quòd ipse eruditissimus Cardinalis causæ, quam agebat, non nimiùm confisus, istarum Epistolarum γνησιότητα usquequaque defendere ausus non est, aquam sibi hac in parte hærere professus, séque cum delectu tantùm vindicare, ut ex *Dissert. I. & IV.* & ex *Præfatione* tùm ad *Tom. I. num.* II. III. IV. VII. tùm ad *Tom. III. num.* VI. amplius videre licet. Næ is rectiùs & famæ suæ, & Reipublicæ Ecclesiasticæ commodo consuluisset, si, missis his, varias, quas meditatus

Digitized by Google

meditatus erat, Dissertationes de ritibus & disciplinâ Ecclesiasticâ Collectioni suæ addidisset.

Ab ipso Opere ad Appendicem venio. Duo postrema sæcula recognoscere, & additis nonnullis augere apud se statuerat H. Whartonus. Verùm priusquàm huic labori manum admovere potuit, magno Reipublicæ Literariæ damno humanis ereptus est III. *Non. Mart.* an. *MDCXCIV. ætat. XXXI.* Mortuo VVhartono, alter substituendus erat. Et, me quidem rogante, hanc provinciam in se recepit clarissimus, mihique conjunctissimus Robertus Gerius, magni illius Roberti Sandersoni Lincolniensium Antistitis ex matre nepos. Quo successu id præstiterit, dicere meum non est, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι, doctiores quippè, & in his exercitati ritè judicabunt. Certè cujusvis non est, post exquisitam aliorum diligentiam tam amplum colligere spicilegium. Ad calcem operis tres Dissertationes adjeci. Prima agit *de Scriptoribus Ecclesiasticis incertæ ætatis*; quam quidem opellam si ab initio destinâssem, plures, qui in ipso Opere, tenui satis conjecturâ, locum habent ad hanc classem relegassem. Secunda agit *de Libris & Officiis Ecclesiasticis Græcorum*; quę multis, præsertim junioribus minùs nota sunt. Ex his libris Ritualibus nonnulli venerandæ sunt antiquitatis, & priorum sęculorum ætatem præ se ferunt, adeóque ad Scriptores Ecclesiaticos meritò sunt referendi. Tertiæ, *de Eusebii Cæsariensis Arianismo* occasionem dedit liber sub Joannis Clerici nomine annò superiori apud nos editus, ex vitis quas ipse Gallicè scripsit, desumptus, quo gravem Eusebio, nec levem mihi eâ occasione dicam impingit. Sed utrique immeritò, ut in ipsâ Dissertatione pluribus ostendi. Optandum certè esset, ut viri cœterà doctissimus, & in quovis ferè literarum genere non indiligenter versatus, à tam liberis, tam iniquis & temerariis censuris, quales potissimùm Tomo decimo Bibliothecæ universalis reperiuntur, magis temperâsset, de quo celeberrimus hujus sæculi Polyhistor, Henricus Meibomius * ante sexennium ipsum graviter admonuit. Denique si in hoc libro quædam lectori occurrant, quæ heri demùm contigisse videntur; sciat hoc opus biennium inter Typothetarum hæsisse manus: id solum commodi exindè evenit, ut, dum moras subindè necteret Typographus, nata mihi sub manum sint Paralipomena nonnulla; forsan non contemnendi commatis, quæ τοῖς φιλαρχαίοις non forè ingrata spero. In his de hæresis Manichaicæ ortu, & Prędecessoribus, deque Manetis veterúmque Manichęorum scriptis paulò latiùs disserui, utpotè quod antiquitatis Ecclesiasticæ partem satis obscuram haud parùm illustrare potest. Paucula etiam, partim à me, partim ab amicis notata, quæ in priori Parte emendanda, vel illustranda videbantur, his *Addendis* subnexui.

* addit. ad Vogler. introd. p. 167. 168. &c.

Restaret jam, ut Coronidis loco juniores Theologos ad antiquitatis Ecclesiasticę studium excitarem. Verùm suprà in *Prolegomenis* satis id, superque factum est: tametsi nova nobis non desint argumenta, præsertim ab infaustâ illâ ingeniorum nostri temporis in κακοδοξίαν prurigine, quæ tot antiquas hæreses, Ecclesiæ Catholicę judicio constantèr damnatas, ab orco revocavit. Pomæria sua longè latéque nuper apud nos dilatârunt famosissimi Hęresiarchæ Alexandrini discipuli, seu Photini potiùs gregales & asseclę; qui cùm videant pro veteris Ecclesiæ tribunali se causam suam sustinere non posse, in ipsam insurgunt antiquitatem, & venerandos primævę Fidei testes lacerant, conculcant, exectantur. Perpetua his hominibus sudes in oculis Nicæna Fides, cujus hyperaspistas, Athanasium, Hilarium, &c. cane pejùs & angue traducunt odio. Habent quidèm suam, quam jactitant, antiquitatem, sed antiqui illius Serpentis progeniem. Suos habent Patres, sed quos? Ebionem, Cerinthum, Symmachum, Theodotionem, Paulum Samosatenum, Photinum, alios.

Hos venditant præcursores suos; his fidei parentibus Unitarii nostri gloriantur. Catholicos aut apertè reiiciunt, aut eorum testimonia sophisticis argutiis eludunt, aut, quod caput est, in suas sæpenumerò partes pertrahere nituntur. Evigilandum igitur studiosę juventuti, totisque viribus scriptis Veterum gnaviter incumbendum, ut his armis muniti, adversariorum tela retundant, sophismata solvant, & Ecclesiæ Catholicæ, ac proindè Anglicanæ, causam fæliciter propugnent. *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in eâ.* Hæc nobis Serpentum latibula monstrabit, hæc ad ipsissimum veritatis fontem nos rectà ducet. Claudam hæc optimis Tertulliani verbis. * *Si hæc ita sunt, constat omnem doctrinam, quæ cum Ecclesiis Apostolicis, matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam; sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit; omnem verò doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contrà veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi & Dei*——— † *Age jam, qui voles curiositatem meliùs exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsident, apud quas ipsæ Authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque* * Alibique, *In summâ, si constat id verius quod prius, id prius quod & ab initio, id ab initio quod ab Apostolis; pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum.*

Jerem. vi. 16.

* De Præscript. Hæret. c. 21. p. 209.

† ibid. cap. 36. p. 215.

* Advers. Marcion. lib. iv. cap. 5. p. 415.

E. Colleg. Windesor. v. Kalend.
Decemb. Ann. MDCXCVII.

ELENCHUS

Digitized by Google

ELENCHUS
AUCTORUM, SCRIPTORUMQUE
Recentiorum, in hoc Opere citatorum.

Unà cum Editionibus, quibus in condendo hoc Opere usi sumus.

A

ACTA *Eruditorum*, *Lipsiæ* ab an. 1682. 4°.
Melchior Adamus.
Vitæ Germanorum Theologorum, *Francof.* 1653. 8°.
Vitæ Germanorum Jurisconsultorum, *Heidelbergæ* 1620. 8°.
Vitæ Germanorum Philosophorum, *Heidelbergæ* 1615. 8°.
Ælianus.
Historia varia Græc. Lat. *Genevæ*, 1630. 12°.
Iosephus d'Aguirre, Cardinalis.
Collectio maxima Conciliorum omnium Hispaniæ, & novi Orbis, *Rom.* 1693. 4. Vol. *fol.*
Notitia Conciliorum Hispaniæ & novi Orbis, *Salmanticæ*, 1686. 8°.
Synopsis Collectionis maximæ Conciliorum, *Rom.* 1695. 8°.
Antonius Alegre.
Paradisus Carmelitici decoris, *Lugd.* 1639. fol.
Nicolaus Alemannus.
Notę in Procopii Anecdota, *Par.* 1663. *fol.*
Natalis Alexander.
Selecta Historiæ Ecclesiasticæ capita, *Tom. I. Paris.* 1676. 8°.
Leo Allatius.
De Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetuâ consensione libri tres, *Colon.* reverà *Amstelod.* 1648. 4°.
De libris Ecclesiasticis Græcorum dissertationes duæ, *Paris.* 1645. 4°.
De Scriptis Simeonum Diatriba, *Paris.* 1664. 4°.
Eustathii Antiocheni opera ob eo edita, *Lugd.* 1629. 4°.
Græcię Orthodoxæ Tom. 2. *Rom.* 1652. 1659. 4°.
De Ecclesię Occident. & Orient. consensione in dogmate de Purgatorio, *Rom.* 1655. 8°.
H. Hottingerus fraudis & imposturæ convictus, *Rom.* 1661. 8°.
De octavâ Synodo Photianâ liber, *Rom.* 1662. 8°.
De Psellis, & eorum scriptis Diatriba, *Rom.* 1630. 4°.
Apes urbanæ, sive de Viris illustribus, &c. *Romæ* 1633. 8°.
Symmicta, sive Opuscula, &c. Gr. Lat. *Colon.* (i. e.) *Amstelod.* 1653. 8°.
De Nilis & eorum Scriptis Diatriba S. Nili Ascetę Epistolis subjuncta, *Romæ* 1668. *fol.*
In Rob. Creightoni Apparatum, Versionem, & Notas ad Historiam Concil. Florentini exercitationes XXXI. *Rom.* 1674. 4°.
Edmundus Albertinus.
De Eucharistiæ Sacramento libri tres, *Davent.* 1654. fol.
De Georgiis & eorum scriptis Diatriba, edita inter notas ad Georg. Acropolit. *Paris.* 1651. fol.
De Methodiorum scriptis Diatriba præfixa not. ad Methodii Convivium, *Romæ* 1656. 8°.
Petrus Allix. Theologus Gallus.
Dissertatio de Tertulliani vitâ & scriptis, *Paris.* 1679. 8°.
Antiquitates Universitatis Oxoniensis, *Oxon.* 1674. fol.
Dissertatio de Trisagii origine, *Rothom.* 1674. 8°.
Almachinus, sive *Elmacinus.*
Historia Saracenica edita per Erpen. *L. Bat.* 1625. 4°.
Ambrosius de Altamura.
Bibliotheca Dominicana, *Rom.* 1677. fol.
Antiquitates Ecclesiæ Orientalis, sive Dissertationes Epistolicæ, *Lond.* 1682. 8°.
Nicolaus Antonius.
Bibliotheca Hispana, sive de Scriptoribus qui ab anno 1500. floruerunt, &c. 2. vol. *Rom.* 1672. fol.
Petrus Arcudius, Corcyrensis.
De concordiâ Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis in Sacramentorum administratione *Par.* 1672. 4°.
Opuscula Aurea Theologica Gr. Lat. *Rom.* 1630. 4°.
Auctarium Bibliothecæ Patrum Gr. Lat. 2. Vol. *Paris.* 1624. fol.
Paulus Aringius.
Roma subterranea novissima, cum fig. *Rom.* 1651. 2. Vol. *fol.*
Arnas Magnæus Islandus.
Edidit Anonymi Chronicon Danicum, cum notis, *Lipsiæ*, 1695. 8°.
Andreas Arnoldus.
Edidit Syntagma Athanasii ad Clericos, &c. Græc. Lat. cum notis, *Par.* 1685. 8°.
Ioannes Aventinus.
Annales Boiorum, *Ingolstad.* 1554. fol.
Augustinus Iustinianus.
Porchetum Salvaticum edidit, *Paris.* 1520. fol.

Augu-

Digitized by Google

Augustinus Florentinus.
Historia Camaldulensis, *Florent.* 1575. 4°.
Leonardus Augustinus, Senensis.
Gemmæ & Sculpturæ antiquæ, *Amstelod.* 1685. 4°.
M. *Lud. Bail.*
Summa Conciliorum omnium, 2. Vol. *Paris.* 1659. *fol.*
Bohuslaus Balbinus.
Miscellanea Historię regni Bohemię, 5. Vol. *Pragæ*, 1679. & seq. *fol.*
Joannes Baleus.
Collectanea de Scriptoribus Carmeliticis, 2. Vol. 4°. MS.
Illustrium Angliæ Scriptorum Catalogus. *Basil.* 1559. f.
Stephanus Baluzius.
Nova collectio Conciliorum, *Paris.* 1683. f.
Miscellanea, h. e. Collectio veterum monumentorum, &c. 4. Tom. *Paris.* 1679. & seqq. annis, 8°.
Edidit etiam, & notis illustravit Salvianum, Reginonem, Agobardum, Capitularia, &c.
Notæ in Vincentium Lirinensem. *Par.* 1669. 8°.
Concilia Galliæ Narbonensis, *Par.* 1668. 8°.
Edidit Vitas Paparum Avenionensium cum amplissimis Commentariis & Actorum veterum collectione 2. Vol. *Paris.* 1693. 4°.
Hieronymus Barnabeus, Presb. Oratorii.
Vita Cæsaris Baronii Cardinalis, *Rom.* 1651. 4°.
Cæsar Baronius.
Annales Ecclesiastici XII. Tom, *Antverp.* 1612. f.
Martyrologium, *Ant.* 1589. fol.
Vincentius Barralis.
Chronologia Lirinensis, cum notis, *Lugd.* 1613.
L. de la Barre.
Historia Christiana veterum Patrum. *Paris.* 1583. f.
Gaspar Barthius.
Edidit Claudianum, Gallum, &c.
Paulus Bauldri,
Edidit Lactantium *de Mortibus Persecutorum*, cum omnium notis, *Traject. ad Rhen.* 1692. 8.
Balthasar Bebelius.
Antiquitates Ecclesiasticæ III. priorum Sæculorum, *Argentor.* 1669. 8°.
Robertus Bellarminus. Card.
Controversiæ, 3. Vol. *Paris.* 1608. *fol.*
De Scriptoribus Ecclesiasticis, *Paris.* 1658. 8°.
Pet. Bellonius.
Observationes rerum memorab. in Oriente, *Antverp.* 1589. 8°.
Gulielmus Beveregius.
Pandectæ Canonum Gr. Lat. 2. vol. *Oxon.* 1672. f.
Theodorus Beza.
Edidit Theodorum de Incarnatione Domini Gr. Lat. *Geneva* 1576. 4°.
Bibliotheca Patrum editionis novissimæ, XXVII vol. *Lugd.* 1677. fol. N. B. nos hanc editionem secutos esse, tum quòd cæteris copiosior sit, tum quòd optimas Scriptorum Occidentalium editiones notis illustratas ubique exhibet.
Bibliotheca Lugd. Batava Catalog. *Lugd. Bat.* 1674. 4°.
Bibliotheca Thuana Catalogus, *Paris.* 1679. 2. vol. 8°.
Bibliotheca Cluniacensis, Paris. 1614. 4°.
Marg. Bignaus.
Appendix ad B. PP. quâ Poëtæ Christiani, tum Græci, tum Latini continentur, *Paris.* 1624. fol.
Franciscus Bivarus.
Dextri Chronicon cum notis edidit, *Lugd.* 1627. f.
David Blondellus.
Pseudo-Isidorus, & Turrianus Vapulans, *Geneva* 1628. 4°.
De Sibyllis, Anglicè *Lond.* 1656. f.
Laurentius Bochellus.
Decreta Ecclesiæ Gallicanæ edidit, lib. 8. *Paris.* 1609. *fol.*
Bollandiani socii.
Vitæ sanctorum, per menses singulos, *Antvverp.* ab an. 1643.
Joannes Boissardus.
Icones illustrium virorum IV. Tom. *Francof.* 1597. &c. 4°.
Joannes Bona.
De Rebus Liturgicis, *Paris.* 1676. 8°.
De divinâ Psalmodiâ, *Paris.* 1663. 4°.
Jacobus Bonfrerius.
Eusebius de locis Hebraicis, Gr. Lat. cum notis, *Paris.* 1659. fol.
Olaus Borrichius.
Dissertationes Academicæ de Poëtis, *Francofurti* 1683. 4°.
Ioon. à Bosco.
Bibliotheca Floriacensis, *Lugd.* 1605. 8°.
Andreas Bosius.
Exercitationes Historico-Criticæ in perioch. Josephi de Jesu Christo.
Schediasma de notitiâ Scriptorum Eccles. *Jenæ*, 1673. 4°.
Joannes de Bourdieu Gallus,
Dissertatio Historica de Thebeâ legione, Anglicè, *Lond.* 1696. 8°.
Janus Maria Brasichellanus.
Index Romanus, *Rom.* 1607. 8°.
Philippus Brietius Soc. Jesu.
Annales mundi, sive Chronicon universale, *Par.* 1662. 3. vol. 12°.
Christoph. Brovverus.
Vitæ Sanctorum illustrium Germanię, *Mog.* 1616.
Edvvardus Brovvn.
Edidit fasciculum rerum expetendarum & fugiendarum, cum insigni auctario, *Lond.* 1690, 2. Vol. *fol*,
Ægidius Bucherius.
De doctrinâ Temporum, *Antv.* 1634. fol.
Commentarius in Victorii Canonem Paschalem, *Antv.* 1634. fol.
Georgius Bullus, S.T.P.
Defensio fidei Nicęnę, *Oxon.* 1685. 4°.
Richardus Buriensis, Dunelm. Episc.
Philobiblion, ad calc. Epist. Philolog. edit. à Goldast. *Franc.* 1610. 8°.
Matthæus Bustus Etonensis.
Edidit Joannis Euchaitensis carmina Grecè, cum notis, *Etonæ*, 1610. 4°.

Digitized by Google

Abrahamus Bzovius.
Annales Ecclesiast. 7. vol. fol. *Col* 1621. & seqq.

C

Constantinus Cajetanus, Abbas,
Edidit vitam Gelasii II. Papæ cum notis, *Rom.* 1638.
Guliel. Cambdenus, Anglus.
Britannia, *Amstelod.* 1662. fol.
David Camerarius.
De Scotorum fortitudine, &c. *Parif.* 1631. 4°.
Nicolaus Camusacius Trecensis,
Edidit Histor. Albingésium Petri Galli, *Trecis.* 1615.
Hen. Canisius.
Antiquæ Lectiones Tom. VI. *Ingolst.* 1601. &c. 4°.
Joannes Cantacuzenus, Eximp.
Historiarum libri 4. Græc. Lat. cum notis Pontani, *Parif.* 1645. 3. Vol. *fol.*
Melchior Canus.
Locorum communium lib. XII. *Venet.* 1567. 8°.
Joannes Capgravius.
Legenda Sanctorum Angliæ, *Lond.* 1516.
M. *Ant. Cappellus.*
Dissertatio de Appellationibus Ecclesiæ Africanæ ad Romanam sedem, *Par.* 1622. 8°.
I. Bapt. Casalius, Romanus.
De veteribus sacris Christianorum Ritibus, *Rom.* 1647. *fol.*
Isaacus Casaubonus.
Exercitationes ad Annales Baronii, *Lond.* 1614. f.
Georgius Cassander.
Opera, *Parif.* 1616. f.
Hen. Lud. Castaneus Rupipozeus.
Nomenclatura Cardinalium (sed suppresso Auctoris nomine) *Parif.* 1615. 4°.
Catalogus { MSS. in Anglia, Oxonii, &c. *Oxon.* 2. Vol. *fol.* nondum absolutus.
MSS. Bibliothecæ Cottonianæ per T. Smithum, *Oxon.* 1696. *fol.* }
Joan. Bapt. Catumsyritus.
Vera utriusque Ecclesiæ Sacramentorum Concordia, *Ven.* 1632. 4°.
Ludov. Cellotius.
Hincmari Opuscula aliquot, *Parif.* 1658. 4°.
Centuriæ Magdeburgenses, sive Historia Ecclesiastica, *Bas.* 1624. 6. Vol. *fol.*
Joan. Chapeavillus.
Rerum Leodicensium Historia, *Leod.* 1612.
Laertius Cherubinus.
Bullarium Magnum, *Romæ* 1638. 3. vol. f.
Andreas Du Chesnius, sive *Quercetanus.*
Rerum Francicarum Scriptores, Tom. V. *Parif.* 1636. 1649. fol.
Rerum Normannicarum Scriptores, *Par.* 1619. f.
P. Fr. Chiffletius.
Bedæ Historia Ecclesiastica, *Parif.* 1681. 4°.
Dissertationes de uno Dionysio, &c. *Parif.* 1676. 8°.
Joan. Jac. Chiffletius.
De Antiquitatibus Vesontinis, *Lugd.* 1619, 4°.
Alphonsus Ciacconius.
Vitæ & res gestæ Pontificum Romanorum, 4. Vol. *Romæ*, 1677. *fol.*

Joannes Ciampinus, Romanus Magister Brevium.
Vetera monumenta Musiva, cum fig. *Rom.* 1690. *fol.*
Synopsis Historica de sacris ædificiis Constantini M. cum fig. *Rom.* 1693. *fol.*
De perpetuo Azymorum usu in Ecclesiâ Latinâ, *Rom.* 1688. 4°.
Examen libri Pontificalis, *Rom.* 1688. 4°.
M. T. *Cicero*,
Opera, *Lond.* 1681. 2. Vol. *fol.*
Joannes Clericus.
Vitæ 4. *viz.* Clementis Alexand. Eusebii, &c. ex Gallico Anglicè, *Lond.* 1696, 8°.
De causis incredulitatis, Anglicè, *Londini* 1697. 8°.
Carolus Le Cointe Trecensis, Scriptor accuratus, cujus calculos in rebus Gallicis præcipuè secutus sum.
Annales Ecclesiastici Francorum ad an. *viz.* 845. VIII. vol. fol. *Parif.* ab an. 1665. usque ad ann. 1683.
Franciscus Combefis.
Bibliothecæ Patrum Græco Lat. Auctarium novum, 2. vol. *Parif.* 1648. f.
Auctarium novissimum Gr. Lat. *Parif.* 1672.
Originum CP. Manipulus Gr. Lat. *Parif.* 1664. 4°.
Edidit item Andream Cretensem, Amphilochium, &c.
Acta Martyrum antiqua, Græc. Lat. cum not. *Par.* 1660. 8°.
Edidit Scriptores post Theophanem, Gr. Lat. *Par.* 1685. *fol.*
Concilia Maxima. Editionis novissimæ, per Labbeum & Cossartium, XVIII. vol. *Parif.* 1672. f.
Hermannus Conringius.
De antiquitatibus Academicis cum supplemento, *Helmstadt.* 1674. 4°.
Epistolæ, *Helmst.* 1694. 4°.
Constantinus Porphyrogenneta, Imp.
Opera Græc. Lat. cum notis Meursii, *L. Bat.* 1617. 8°.
Jo. Bapt. Cotelerius.
Patres Apostolici Gr. Lat. cum notis, *Par.* 1672. f.
Ecclesiæ Græcæ monumenta, 3. vol. *Parif.* 1677. 1681. 1687. 4°.
Edidit etiam Chrysostomum in Psalm. & Dan. *Parif.* 1691. 4°.
Claudius Coussardus.
Edidit Reinerium de Catharis & Leonistis, *Par.* 1548.
Jo. Croius.
Specimen conjecturarum & observationum in loca quædam Origenis, Irenæi, Tertulliani, & Epiphanii, 1632. 8°.
Martinus Cromerus.
Chronicon de origine & rebus gestis Polonorum, *Bas.* 1582.

D

Lucas Dacherius.
Veterum aliquot Spicilegium, vol, XIII. *Par.* 1665. & seqq. annis 4°.
Edidit item Lanfrancum, Guibertum, &c.
Joannes Dallæus,
De imaginibus, *L. Bat.* 1642. 8°.

De

Digitized by Google

De usu Patrum, *Genev.* 1656. 4°.
De Scriptis Dionysii & Ignatii, *Genev.* 1666. 4°.
Damascius, Philosophus.
Vita Isidori Philosophi, apud Suid. in voce ἰσιδ.
Ioannes Conradus Danhavverus.
Christeis, seu de statu Ecclesiæ trisæculari, *Argentor.* 1646. 4°.
Ludovicus Dattichius.
Flores Historiæ Cardinalium, *Paris.* 1660. III. Tom. fol.
Mart. Del Rio.
Edidit Orientii Commonitorium, &c.
Dermicius Thadæi, Nitela Franciscanæ Religionis, *Lugd.* 1627. 4°.
Henricus Dodvvellus.
Dissertationes Cyprianicæ, *Oxon.* 1684. 8°.
Dissertatio de jure Laicorum sacerdotali, *Lond.* 1685. 8°.
Dissertatio singularis de Pontificum Rom. primævâ successione, *Lond.* 1688. 4°.
Chronologia Novi Testamenti MS.
Dissertationes in Irenæum *Oxon.* 1689. 8°.
Dorotheus Metropolita Monembaziensis, Synopsis Historiarum ab orbe condito usque ad captam Constantinopolim, Græcè vulgari idiomate, 1631. 4°.
Theodorus Douza.
Edidit Georgium Acropolit. cum versione & notis, *Lugd. Bat.* 1614. 8°.
Fronto Ducæus.
Edidit Bibliothecæ Patrum Auctarium, Græc. Lat. *Paris.* 2. Vol. *fol.* item not. in Basilium, &c.
Gulielmus Dugdalius, Eq. Aur.
Monasticon Anglicanum, *Lond.* 1682. 3. Vol. *fol.*
Carolus Dufresnius. D. Ducange.
Glossarium mediæ & infimę Latinitatis, *Paris.* 1678. 2. Vol. *fol.*
Glossarium mediæ & infimæ Græcitatis, *Lugd.* 1688. 2. Vol. *fol.*
Edidit item Chronicon Paschale, cum notis, *Paris.* 1689. *fol.*
L. Ell. Dupin.
Nova Bibliotheca Auctorum Ecclesiasticorum, ex versione Latinâ, *Amstel.* 1692. 3. Vol. 4°.
I. Steph. Durantus.
De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ, *Par.* 1631. 8°.

E.

A*Brahamus Ecchellensis*, Maronita.
Eutychius vindicatus, *Rom.* 1661. 4°. typis Congreg. de propagandâ fide.
Notæ in Catalog. Ebed-Jesu, *Mogunt.* 1655. 8°.
Concilii Nicæni Canones Arabicæ, cum not. Conc. *Tom.* 2.
Ioannes Eichelius.
Procopii Historia Arcana Gr. Lat. cum Animadversionibus, *Helmstad.* 1654. 4°.
Antonius Eparchus.
Index librorum Græcorum, MS. apud le Moine var. sacr. *Tom.* 1. p. 517.
Ephremius CP.
Chronicon Patriarcharum CP. apud L. Allat. *de Consens.* l. 2.

Desiderius Erasmus.
Epistolæ, *Londini* 1642. fol.
Ciceronianus, *Basil.* 1529. 8°.
Ianus Nicius Erythræus.
Pinacotheca imaginum illustrium virorum, *Col.* 1645. 8°.

F.

T*Anaquil. Faber.*
Diatriba de Josephi testimonio de Christo, 1655. 8°.
Georgius Fabricius.
Poëtas Christianos veteres collegit, & edidit, *Basil.* 1564. 4°.
Octavius Falconerius.
Inscriptiones Athleticæ, cum notis *Rom.* 1668. 4°.
Ioachimus Fellerus Professor Lipsiensis.
Catalogus Codicum MSS. Bibliothecę Lipsiensis, *Lipsiæ* 1686. 12°.
Ioannes Fellus, Episc. Oxon.
Edidit Clementis Epistolam, Athenagoram, Theophilum, &c. Gręcè & Latinè, 12°.
Franciscus Feuardentius.
Irenæum, Ildefonsum, &c. cum notis edidit.
Ioannes Forbesius.
Instructiones Historico-Theologicæ, *Amstelod.* 1645. fol.
Valent. Forsterus.
Historia Juris Civilis, *Genev.* 1609. 8°.
Ioannes Foxus, Martyrologus,
Edidit Ælfrici sermonem Paschalem in Act. & Monument. *Tom.* 2.
Acta & Monumenta Ecclesiæ, *Lond.* 1641. f. Anglicè.
Marquardus Freherus.
Rerum Germanicarum Scriptores, 3. vol. *Francofurt.* 1600. fol.
Chronologia Juri Gręco-Romano præmissa.
Carolus Du-Fresne, Consiliarius, & Quæstor regius.
Edidit Cinnamum cum notis Historicis & Philologicis, notasque addidit in Niceph. Brienium.
Historia, i.e. Familia Byzantina, &c. *Par.* 1680. f.
Nicolaus Fullerus, Anglus.
Miscellanea Theologica, *Crit. Sacr.* Tom. 8.

G.

J. *Bapt. Gabius.*
Edidit Latinè Joan. Curopalatæ Historiam Byzant. *Venet.* 1570. *fol.*
Iacobus Gaddius.
De Scriptoribus non Ecclesiasticis, 2. vol. f. *Florent.* 1648. & *Lugd.* 1649.
Clemens Galanus, familiâ *Theat.* Cleric. regul. & ex Mission. Apost.
Conciliatio Ecclesiæ Armenæ cum Romanâ, Armenicè & Latinè, *Rom.* 1650. 3. Vol. *fol.* typis Congreg. de prop. fide.
Thomas Galeus, Decanus Eborac.
Historię Anglicanę Scriptores, *Oxon.* 1687. 1691. *fol.* Plura etiam ex scriniis ejus MSS. deprompta.
Georgius Galopinus, Monachus,
Edidit vitam S. Veroni cum scholiis, *Montibus*, 1636.

Digitized by Google

Ant. Petrus Gariellus.
Series Præsulũ Magalonensium & Monspeliensium, *Tolos.* 1652. *fol.* auctior *ibid.* 1665. 2. vol. *fol.*
Ioannes Garnerius.
Edidit Theodoriti Tomum quintum; Marii Mercatoris opera, cum notis & dissertationibus; Liberati Breviarium, &c.
Garsias Loaisa, Hispanus.
Tractatus de primatu Eccles. Tolet. Conc. *Tom.* 5.
Edidit item notas in Concilia Hispaniæ.
Gilbertus Genebrardus.
Chronographiæ libri 4. *Lugd.* 1609. fol.
Geographia Nubiensis, Paris. 1619. 4°.
Conradus Gesnerus.
Edidit Antonium Melissam, Gr. Lat. *Tigur.* 1546. f.
Gesta Dei per Francos, sive Orientalium Expeditionum Scriptores à Bongarsio collecti & editi, 2. vol. *Hanov.* 1611. f.
Girolamo Ghilini.
Theatro delli Huomini letterati, *Venet.* 1647. 4°.
Richardus Gibbonus.
Aelredi Opera Theologica edidit, *Duac.* 1631.
Edmundus Gibsonus, Coll. Regin. Socios.
Chronicum Saxonicum, Saxonicè & Latinè, cum notis, *Oxon.* 1692. 4°.
Syl. Giraldus, Cambrensis.
Hibernia expugnata, inter Anglica, &c. Cambdeni, p. 755. *Francof.* 1602. *fol.*
Iacobus Goar Parisinus.
Rituale Græcorum Gr. Lat. *Paris.* 1647. fol.
Franciscus Godvvinus Episc. Landavensis.
Cõmentarius de Prçsulibus Angliç, *Lond.* 1616. 4°.
Melchior Goldastus.
Monarchia S. Imperii Romani, 3. v. *Hanov.* 1612. f.
Centuria *Epp.* Philologicarum, *Francof.* 1610. 8°.
Rerum Alemannicarum Scriptores vetusti, *Francof.* 1606. *fol.*
Iacobus Golius.
Grammatica Arabica Erpenii, cum auctario, Arabicè & Latinè, *L. Bat.* 1656. 4°.
Iacobus Gothofredus.
Philostorgium Gr. Lat. cum dissertationibus edidit, *Genevæ* 1645. 4°.
Codex Theodosianus, cum commentariis, *Lugd.* 1665. 4. Vol. *fol.*
Nicephorus Gregoras.
Historia Romana Græc. Lat. *Genev.* 1615. *fol.*
Iacobus Gretserus.
De jure & more prohibendi, expurgandi, & abolendi libros hæreticos & noxios, lib. 2. *Ingolstad.* 1603. 4°.
Supplementum, *ibid.* 1604. 4°.
Edidit III. Tomos de Cruce, *Ingolstad.* 1616. fol.
Item Theodorum Abucaram, Simeonem, &c.
Ποδονιπτὴρ, seu Pedilavium, de more lavandi, &c. *Ingolst.* 1612. 4°.
Fullo Redivivus, seu Tractatus de Trisagio, *Ingolst.* 1608. 4°.
Edidit Annotat. in Joan. Cantacuzeni historiam
Hugo Grotius.
Historia Gothorum, &c. *Amstel.* 1653. 8°.
Annotationes in S. Scripturam.

Georgius Gualterius, Messanensis.
Siciliæ antiquç tabulç cum notis, *Messanæ*, 1625. 4°.
Marq. Gudius, Hamburgensis,
Edidit Græcè Hippolyti Demonstrationem de Antichristo, *Paris.* 1661. 8°.

H.

Isaac Habertus, Doctor Sorbonicus.
Pontificale Ecclesiæ Græcæ, Gr. Lat. cum notis & observationibus, *Par.* 1643. *fol.*
Ioannes Halesius, Etonensis,
Notæ in Chrysostomum, Edit. Savil.
Ioannes Hallervordus.
Spicilegium de Historicis Latinis, *Jenæ* 1672. 8°.
Bibliotheca curiosa *Franc.* 1676. 4°.
Petrus Halloix.
Illustrium Ecclesiæ Orient. Scriptorum vitæ; 2. vol. *Duaci* 1633. f.
Martinus Hanckius.
De Scriptoribus Byzantinis, *Lipsiæ* 1677. 4°.
De rerum Romanarum Scriptoribus, *Lipsiæ*, 1666, 1679. 2. Vol. 4°.
Ioannes Harduinus, S. J.
De nummis Hærodiadum, *Par.* 1693. 4°.
Hebed Iesu.
Catalogus librorum Chaldæorum, cum notis Abr. Ecchellensis, *Mogunt*, 1655. 8°.
Claudius Hemeræus Doctor Sorbonicus.
De Academiâ Parisiensi liber, *Paris.* 1637. 4°.
Herodianus.
Historia Romana Grçc. Lat. cum notis, *Lugd.* 1611. 8°.
Thomas Hyde
Catalogus Librorum Bibliothecæ Bodleianæ, *Oxon.* 1674. fol.
Humfredus Hodius, S. T. P.
Joan. Malalæ Historia Chronica Gr. Lat. cum notis, &c. *Oxon.* 1691. 8°.
Resurrectionis ejusdem corporis demonstratio, Anglicè, *Lond.* 1694. 8°.
Redargutio novi schismatis Anglicani, sive Anonymi tractatus de Episcopis injustè depositis, Gr. Lat. *Oxon.* 1691. 4°.
De sedibus Episcoporum per iniquam deprivationem vacantibus, Anglicè, *Lond.* 1693. 4°.
David Hoeschelius.
Edidit Græcè cum notis, Photii Bibliothecam, Adriani Isagogen, &c.
Lucas Holstenius.
Dissertatio de vitâ & scriptis Porphyrii ad calcem Porph. de Abstinentiâ.
Edidit item Codicem Regularum, &c.
Collectio Romana bipartita, *Rom.* 1662. 8°.
Iacobus Hommius.
Supplementum Patrum, seu varia Patrum opuscula nunc primùm edita cum not. *Par.* 1684. 8°.
Ioh. Hen. Hottingerus.
Bibliotheca Orientalis, *Tigur.* 1660. 4°.
Historia Orientalis, *Tigur.* 1660. 4°.
Historia Ecclesiastica 9. vol. *Tigur.* 1651. & seqq. annis. 8°.
Dissertationum Miscellanearum πῖναξ. *Tiguri*, 1654. 8°.

Petrus

Digitized by Google

Patrus Daniel Huetius.
Origeniana *Rothomag.* 1668. fol.
De origine Fabularum Romanensium Diatriba.
De claris Interpretibus liber.

I

Lvdovicus Iacob à S. Carolo.
Bibliotheca Pontificia, *Lugd.* 1643.4o.
Thomas Iames.
Ecloga Oxonio-Cantabrigiensis, *Londini* 1600.4°
Index generalis librorum prohibitorum à Pontificiis, *Oxoniæ* 1627. 12°.
De corruptione Scripturæ, Patrum, &c. *Lond.* 1612.4°. Angl.
Vindiciæ Gregorianæ, *Genevæ* 1625.4°.
M. Fl. Illyricus.
Catalogus Testium veritatis, *Argentin.* 1562.fol.
Edidit Otfridi Evangelia Theotisca, *Basil.* 1571.8o.
Ioannes Imperialis.
Musæum Historicum, *Venet.* 1640.4°.
Ioannes Ionsius.
De Scriptoribus Historiæ Philosophicæ, *Francof.* 1659.4°.
Paulus Iovius Novocomensis.
Elogia virorum doctorum, *Basil.* 1571. 8°.
Thomas Ittigius, Lipsiensis.
Prolegomena amplissima ad nuperam Josephi editionem.
Appendix ad Dissert. de Hæresiarchis, *Lipsiæ*, 1696.4°.
Hadrianus Junius, Belga,
Edidit Hesychium de Viris claris Græc. Lat. *Par.* 1593.8°.
Christophorus Iustellus, Pater.
Photii Nomocanon, Gr.Lat. *Paris.* 1615.4o.
Henricus Iustellus fil.& *Guliemus Voellius.*
Bibliotheca Juris Canonici veteris Gr. Lat. 2. vol. *Paris.* 1661.fol.

K

WHitus Kennettus,
Vita Guil. Somneri, libro *de portubus Romanis* præmissa, Anglicè, *Oxoniæ* 1693.8o.
Petrus Kirstenius.
Vita IV. Evangelistarum, 1610, fol.
Albertus Krantzius, Decanus Hamburgensis.
Metropolis, sive Historia Ecclesiastica Saxoniæ, *Colon.* 1574.8o.

L

PHilippus Labbeus.
Nova Bibliotheca MSS. librorum, 2. vol. *Paris.* 1657.fol,
Nova Bibliotheca MSS. librorum, sive Specimen antiquarum Lectionum, *Paris.* 1653.4°.
Conspectus novæ Editionis *Opp.* Damasceni, *Paris.* 1652.4o.
Dissertatio de Scriptoribus Ecclesiasticis, 2. vol. *Paris.* 1660.8o.
Protrepticon ad Scriptores Historiæ Byzantinę, *Paris.* 1648.*fol.*
Guilielmus Lambardus, Anglus.
Ἀρχαιονομία, sive de priscis Anglorum legibus, Saxonicè & Latinè, *Cantab.* 1649. *fol.*
Itinerarium Cantii, Anglicè, *Lond.* 1656.8o.

Petrus Lambecius,
Comment. de Bibliotheca Vindobonensi, *Vien.* 1665. &c. fol.
Origines Hamburgenses, 2. vol. *Hamburg.* 1652. &c. 4°.
Cornelius à Lapide.
Commentaria in S. Scripturam satis nota.
Matthæus Larroquanus.
Dissertatio de Photino Hæretico, *Genev.* 1670.8o.
Observationes in Ignatianas Vindicias (sed absque auctoris nomine) *Rothom.* 1674. 8°.
Adversaria sacra, *L. Bat.* 1688. 8°.
Dan. Larroquanus F.
Præfatio ad Patris sui Adversaria.
Ioannes Launoius.
Gymnasii Navarrensis Hist. 2. vol. *Paris.* 1677.4°.
De verâ causâ secessus Brunonis in eremum Dissertatio, *Par.* 1662.8°.
Ioannes Lelandus, Antiquarius.
Cygnea Cantio, cum cōmentario, *Lond.* 1658.8°.
Ioannis Leusdeni, Philologus Hebræo-Græcus; *Vltraject.* 1670. 4°.
I. Ant. Vander Linden.
De Scriptis Medicis, *Amstelod.* 1662.8o.
Gulielmus Lisleus, Anglus.
Antiqua Saxonica monumenta, Saxonicè & Anglicè, *Lond.* 1638.4°.
Iustus Lipsius.
Politicorum libri, inter Lipsii opera.
Lucianus Samosatensis.
Opera Græc Lat. *Salmur.* 1619. 2. Vol. 8°.
Ioannes Lucius.
De regno Dalmatiæ, *Amstel.* 1667. *fol.*
Iob Ludolphus.
Historia Æthiopica, cum fig. *Francof.* 1681. *fol.*
Commentarius Æthiopicus, cum fig. *Francof.* 1691. *fol.*
Luitprandus Ticinensis.
Opera, *Antvverp.* 1640. *fol.*
Christianus Lupus.
Epistolæ Patrum de Concilio Ephesino cum scholiis & notis *Lovan.* 1682. 4°.

M

IOannes Mabillonius.
Analecta vetera 4. vol. *Paris.* 1675. & seqq. annis, 8o.
Iter & Musæum Italicum, *Paris.* 1687.4°.
Acta Benedictinorum per varia sæcula, vol. 5. *Paris.* 1668. & seqq. annis. fol.
Ioan. Maderus
Edidit Chronicon Ditmari, &c. *Helmst.* 1677. 4o.
Magdeburgenses Centuriatores, *Basil.* 1624. fol.
Bernardus Mallincrotius.
Paralipomena ad Vossium de Historicis Græcis, *Col.* 1656. 4to.
Petrus de Marcâ, Archiep. Par.
Diatriba de tempore Synodi Sirmiensis, inter opuscula, *Par.* 1681. 8vo.
Dissertatio de Epist. Vigilii, &c. *Par.* 1669. 8vo.
Marca Hispanica, *Par.* 1688. *fol.*

Digitized by Google

Joannes Mariana.
Commentarii de rebus Hispanicis; Hispan. Illustr. Tom. 2. *Mogunt.* 1605. 4°.
Joannes Markius.
De Sibyllinis Oraculis *Franecker.* 1682. 8°.
Guilielmus Marlot.
Metropolis Rhemensis historia, 2. Vol. *Insulis*, 1666—79. *fol.*
Floravant. Martinellus, Romanus.
Roma ex Ethnicâ, Sacra, apud Ciampin. *de libro Pontif.* p. 27.
Petrus Martyr.
Defensio Eucharistię adv. Gardinerum, *Tiguri* 1559. f.
Loci Communes, *Genevæ* 1624. fol.
Io. Bapt. Marus Canonicus Romanus edidit Victoris III. Pontificis Dialogos, & Petrum Diaconum de Viris illustribus Casin. *Paris.* 1666, 8°.
Papirius Massonus.
De Episcopis Urbis qui Romanam Ecclesiam rexerunt, rebúsque gestis eorum libri sex, *Paris.* 1586 4to.
Gerardus Mastrichtius Prof. Duesburg.
Historia Juris Ecclesiastici & Pontificii, *Duesburg.* 1676. 8°.
Alphonsus Matamorus.
De eruditis Hispaniæ viris & Academiis, inter Scriptores Hispanicos ab Andreâ Schotto in *Hispania illustrata* editos.
Gilb. Mauguinus in supremâ monetarum Curiâ præses.
Veterum Auctorum, qui IX. sęculo scripserunt de Prædestinatione & Gratiâ, Opera, 2. Vol. *Paris.* 1650. 4°.
I. Frid. Mayerus, Hamburgensis,
De fide Baronii ipsis Pontificiis ambigua, *Amstel.* 1697. 8°.
I. Henric. Meibomius
Edidit rerum Germanicarum Scriptores cum notis & dissertationibus, *Helmst.* 1688. 2. Vol. *f.*
Additamenta ad Vogleri Introduct. univers. *Helmst.* 1691. 4to.
Opuscula Historica, *Helmstad.* 1660. 4to.
G. Theod. Meierus.
Relatio Historica de collectionibus Canonum, ad Cod. Can. Eccles. univers. *Helmst.* 1663, 4to.
Hugo Menardus.
S. Barnabæ Epistola cum notis *Paris.* 1644. 4°.
Paulus Merula, Belga,
Edidit Willeramum de Nuptiis Christi & Ecclesiæ, *L. Bat.* 1598. 8vo.
Iodocus Metzlerus, Monachus S. Galli.
Epistola ad Goldastum, inter Epist. Goldast. *Franc.* 1688. 4to.
Joannes Meursius.
Glossarium Græco-barbarum, *L. Bat.* 1614. 4to.
Hesychius de Viris claris, Gr. Lat. cum notis, *L. Bat.* 1613. 8vo.
Edidit *Opp.* Constantini Porphyrogen. &c.
Matthias Michovius.
Chronica Polonorum, *Bas.* 1582.
Micropresbyticum veterum quorundam brevium Theologorum, *Basil.* 1550. f.
Aubertus Miræus.
Bibliotheca Ecclesiastica, sive Hieronymus, Gennadius, Ildefonsus, &c. cum notis & Auctario, *Ant.* 1639. f.
Origo & incrementa ordinis Carmelitani, *Col.* 1643. 8vo.
Arthurus du Monstier.
Neustria Pia, *Rothom.* 1663. fol.
Richardus Montacutius.
Edidit Photii *Epp.* Eusebium adv. Marcellum, &c. Gr. Lat. cum Notis.
Origines Ecclesiasticæ, *Lond.* 1640. fol.
Analecta Ecclesiast. exercitationum in Baronium, *Lond.* 1622. *fol.*
Notæ in Eusebium *de Eccles. Theol.*
Fredericus Morellus.
Edidit Jo. Geometræ *hortum Epigrammatum*, Gr. Lat. *Par.* 1595. 8°,
Dan. Geo. Morhofius.
Polyhistor, sive de notitiâ Auctorum, &c. *Lubec.* 1688. 4°.
Joannes Morinus, Congr. Orat.
Commentarius Historicus de Pœnitentiâ, *Antvverp.* 1682. *fol.*
De Sacris Ecclesiæ Ordinationibus, *Antvverp.* 1695. *fol.*
Alexander Morus.
Notę in N. Testamentum unà cum Tena, &c. Lond. 1661. folio.
Stephanus Le Moyne.
Varia Sacra, 2. Vol. 4°. *Lugd. Bat.* 1685.

N

Faustus Naironius, Maronita, linguę Syriacæ in Gymnasio Romano Prælector.
Dissertatio de origine, nomine, ac religione Maronitarum, *Rom.* 1679. 8°.
Euoplia fidei Catholicæ Romanæ Historico-dogmatica, *Rom.* 1694. 8°. Typis Congreg. de prop. fide.
Dan. Nesselius, Bibliothecarius Cæsareus.
Breviarium, & supplementum commentariorum Lambecianorum de Bibliothecâ Vindobonensi, cum fig. *Viennæ* 1690. 2. Vol. *fol.*
Gulielmus Nicholsonus, Archidiaconus Carleol.
Anglorum Bibliotheca Historica, *Lond.* 1696. 8°. Anglicè.
Flaminius Nobilius.
Fragmentum veterum Interpret. Græc. Bibl. Walton. T. 6. & alibi.
Henricus Noris, Cardinalis.
Historica Dissertatio de uno ex Trinitate carne passo, *Venet.* 1696. 8°.
Laurentius Normanus.
Edidit Theodulum, Orthodox. Confessioné, &c.

O

I. Godfrid. Olearius.
Abacus Patrologicus ordine Alphabetico, *Jenæ* 1673. 8°.
Abrahamus Ortelius, Antvverpiensis.
Thesaurus Geographicus, *Antvverp.* 1587. *f.*
Orthodoxographa S S. Patrum Monumenta, 2. Vol. *Basil.* 1569. f.
Hieronymus Osorius, Lusitanus.
De Rebus Emmanuelis, *Col.* 1576. 8°.

Digitized by Google

Casimirus Oudinus.
Supplementum ad Bellarminum de Script. Ecclef. *Parif.* 1686. 8°.
Opufcula facra veterum aliquot Galliç & Belgii Scriptorum, *L. Bat.* 1692. 8°. abfque auctoris nomine.
Epiftola ad Mayerum Hamburg. de ratione ftudiorum fuorum, *L. Bat.* 1692. 4°.

P

ANtonius *Pagi*, Ordinis Minorum.
Critica Hiftorico-chronologica in Annales Baronii, *Parif.* 1689. *fol.*
Differtatio Hypatica, feu de Confulibus Cçfareis, *Lugd.* 1682. 4°.
Iofeph Pamphilus.
Chronica Fratrum Eremitarum S. Auguftini, *Rom.* 1581. 4°.
Henricus Pantaleon.
De viris illuftribus Germaniæ, *Bafil.* 1565. f.
Dan. Papebrochius. S. J.
Conatus Chronico-hiftoricus ad catalogum Roman. Pontificum, cum fig. *Antvverp.* 1685. *f.*
Joannes Pappus.
Libellus Synodicus Gr. Lat. cum notis, *Argentorat.* 1601. 4°.
Ludovicus à Paramo Boroxenfis.
De origine & progreffu officii S. Inquifitionis, *Matriti* 1598. fol.
Mat. Parkerus Archiep. Cant.
Edidit Saxonicè & Anglicè Ælfrici fermonem Pafchalem, *Lond.* 1567. 12°.
De Antiquitatibus Ecclefiæ Britannicæ, & privilegiis Ecclefiæ Cantuarienfis hiftoria. *Hanov.* 1605. *fol.*
Paufanias.
Defcriptio Græciæ, Gr. Lat. *Hanov.* 1613. *fol.*
Joannes Pearfonus.
Vindiciæ Epiftolarum S. Ignatii, *Cantab.* 1672. 4°.
Differtationes de fucceffione Romanorum Pontificum, ab *Henrico Dodvvello* fuppletæ & evulgatç, *Londini* 1687. 4°.
Dionyfius Petavius, S. J.
Dogmata Theologica. *Par.* 1645. 5. Vol. *fol.*
Epiphanium, Synefium, &c. Gr. Lat. cum notis edidit.
Paulus Petavius.
Syntagma de Nithardo, *Parif.* 1613. 8°.
Jacobus Petit.
Theodori Pœnitentiale cum notis & differtationibus, Tom. 2. *Parif.* 1677. 4°.
Philo-Byblius.
Fragmentum de Phœnicum Theologiâ ap. Eufeb. *de Præparat. Evang.*
Photii Bibliotheca Gr. Lat. *Rothom.* 1653. fol.
Georgius Phranza Protoveftiarius.
Chronicon de ultimis Orientalis Imperii temporibus, ex verfione & cum notis Pontani, *Ingolft.* 1604. 4°.
Joannes Picardus.
Edidit Gulielmum Nubrigenfem cum notis, *Parif.* 1610. 8°.
Joannes Piftorius.
Scriptores Germanicos edidit, *Francof.* 1583. f.
Petrus Pithœus.
Scriptores coætanei XII. *Francof.* 1594. 8°.
Joannes Pitfeus.
De illuftribus Britann. Scriptoribus, *Parif.* 1619. 4°.
Vincentius Placcius.
De Scriptoribus Pfeudonymis, *Hamburg.* 1674. 4°.
C. *Plinius Secundus.*
Naturalis Hiftoria, cum notis variorum, *L. Bat.* 1689. 3. Vol. 8°.
C. *Plinius Cæcilius.*
Epiftolç. *L. Bat.* 1653. 12°.
Michael Pocciancius.
Catalogus Scriptorum Florentin. *Floren.* 1588. 4°.
Edvardus Pocokius.
Eutychii Annales Arab. & Lat. *Oxon.* 1659. 4°.
Polydorus Vergilius.
Anglica Hiftoria, *Bafil.* 1555. *fol.*
Placidus Porcheron, Benedict.
Edidit Anonymi Ravennatis de Geographiâ libros 5. cum notis *Par.* 1688. 8°.
Æmilius Portus.
Edidit Suidam Gr. Lat. 2. vol. *Genevæ* 1619. fol.
Antonius Poffevinus.
Apparatus facer, 2. vol. *Colon.* 1608. fol.
Petrus Poffinus.
Epiftolæ Chronologicæ tres ad Papebrochium, præfixæ Conatui ejus de vitis Pontif.
Thefaurus Afceticus, five fyntagma opufculorum, &c. Gr. Lat. *Par.* 1684. 4°.
Procopius Gazæus.
Scholia in libros Regum, & Paralipomenon, Gr. Lat. *L. Bat.* 1620. 4°.
Procopius Cæfarienfis.
De bello Perfico, &c. Gr. Lat. *Par.* 1662. *fol.*
Claudius Ptolemæus.
Geographia Græc. Lat. *Amftel.* 1618. *fol.*

Q

F*Rancifcus Quarefmius.*
Elucidatio terræ fanctæ Theologica, &c. *Antvverp.* 1639. 2. Vol.
Jofephus Quefnellius.
Edidit Leonis M. *Opp.* cum notis & differtationibus, 2. vol. *Parif.* 1676. 4°.

R

M*Atthæus Raderus.*
Petri Siculi Hiftoria de Manichæis, Gr. Lat. *Ingolftad.* 1604. 4°.
Chronicon Alexandr. Gr. Lat. *Monachii* 1615. 4°.
Odoricus Raynaldus.
Annales Ecclefiaftici, five Continuatio Baronii ad finem Conc. Trident. 10. Vol. *Rom.* 1646. & feq. *fol.* Octo priora volumina in unum redigit *ibid.* 1677. *fol.*
Theophilus Raynaudus.
Erotemata de Bonis & malis libris *Lugd.* 1653. 4°.
Indiculus Sanctorum Lugdunenf. *Lugd.* 1629. 12°.
Anfelmi *Opp. Lugd.* 1630. f.
Reinerus Reineccius.
Edidit Brochardum de terrâ fanctâ, *Magdeburg.* 1587. 4°.
Antonius Reiferus.
Index Librorum Manufcriptorum Bibliothecæ Auguftanæ, *Auguftæ* 1675. 4°.

Digitized by Google

Justus Reuberus.
Rerum Germanic. Scriptor. *Francof.* 1584. f.
Nicolaus Reusnerus.
Epp. Turcicæ *Francof. ad Mœnum*, 1598. 4o.
Nicolaus Rigaltius.
Tertullianum, Cyprianum, &c. edidit.
Edidit Commodiani instructiones, cum notis, *Tulli Leuc.* 1650. 4°.
Conradus Ritterhusius.
Isidori Pelusiotæ *Epp.* libri quatuor, Gr. Lat. cum notis, *Heidelb.* 1605. fol.
Edidit Salvianum cum notis amplissimis *Altorf.* 1611. 2. vol. 8o.
Andreas Rivetus.
Criticus sacer, *Genevæ* 1642. 8°.
Joannes Roberti S. J.
Historia S. Huberti, cum notis, & Paralipomenis, *Luxemb.* 1621. 4o.
Eugenius Roblesius, Hispanus.
Scripsit Hispanicè de vitâ & gestis Card. Ximenii, *Tolet.* 1604.
Herbertus Rosvveydus.
Historia Eremitica, seu vitæ PP. *Antv.* 1628. fol.
Petrus Roverius.
Historia Reomaënsis, *Paris.* 1637.
Hieronymus Rubeus.
Historia Ravennat. *Ven.* 1590. f.
Theodoricus Ruinartus Benedict.
Acta primorum Martyrum sincera & selecta, cum notis & observationibus, *Par.* 1689. 4°

S

G*aspar. Sagittarius.*
Introductio in historiam Ecclesiasticam, 1694. 4°.
Tamaius Salazar, Hispanus.
Edidit Martyrologium Hispanicum, à Cardinale d'Aguirre non semel citatum.
Jacob Salianus.
Annales Veteris Testamenti, *Colon.* 1620. fol.
Claudius Salmasius.
Exercitationes Plinianę, *Par.* 1629. 2. Vol. *fol.*
Joannes Sambucus.
Edidit Latinè fragmentum Hyppolyti de genealogiâ Christi, *Patav.* 1556. 8°.
Christophorus Sandius.
Notę ad Vossium de Historicis Latinis, *Amstel.* 1677. 12°.
Tractatus de Veteribus Scriptoribus Ecclesiasticis Hist. Eccl. pręfix.
Henricus Savilius.
Chrysostomi *Opp.* Gr. edidit 8. Vol. *Eton.* 1611. f.
Andreas Saussayus, sive *Du Saussay.*
De mysticis Gallię Scriptoribus, *Paris.* 1639. 4°.
Josephus Scaliger.
De Emendatione temporum, *Lugd. Bat.* 1598.
Trihæreseos Elenchus, *Arnhem.* 1619. 4°.
Edidit Hippolyti Canonem Paschalem, &c.
Simon Schardius.
Rerum Germanicarum Scriptores, *Giess.* 1673. f.
Scriptores de potestate imperiali & sacerdotali, *Basil.* 1566. f.
Emmanuel Schelstrat. Bibliothecarius Vaticanus.
Acta Constantiensis Concilii cum dissertatione edidit *Antvverp.* 1683. 4°.
Tractatus de sensu & auctoritate Decretorum Conc. Const. circa potestatem Ecclesiasticam, *Romæ*, 1686. 4o.
Antiquitas Ecclesiæ, sive opus Chronologicum, *Rom.* 1692. *fol.* typis Congreg. de prop. fide.
Ecclesia Africana sub Primate Carthaginiensi, *Par.* 1679. 4°.
Sacrum Antiochenum Concilium cum commentario, *Antvverp.* 1681. 4o.
Andreas Schottus.
Isid. Pelus. *Epp.* lib. quintum, Gr. Lat. cum notis edidit, *Francof.* 1629. f.
Hispaniam illustratam edidit *Francof.* 1606. f.
Antonius Scipio.
Elogia Abbatum Casinensium, *Neop.* 1643. f.
Scriptores de arte Cabalistica, *Basil.* 1550. f.
Scriptores de Officiis & Mysteriis divinis per Melch. Hittorpium editi, *Paris.* 1610. f.
Joannes Seldenus
De Synedriis, 3. vol. *Lond.* 1650. &c. 4o.
Præfatio ad histor. Anglic. Scriptores X.
De Diis Syris, *Lipsiæ*, 1662. 8°.
Hugo Sempilius.
De Disciplinis Mathematicis, libri 12. *Antvverp.* 1635.
Josias Simlerus.
Bibliotheca Gesneri contracta & aucta, *Tiguri* 1574. f.
Richardus Simon.
Fides Ecclesię Orientalis de transubstantiatione, *Paris.* 1687. 12°. Gallicè
Richardus Simonius.
Historia Critica Pręcipuorum Commentatorum in N. Test. *Roterod.* 1693. 4°. Gallicè.
Historia Critica de religione & moribus Orientalium, ex Gallico Anglicè, *Lond.* 1685. 8°.
Iacobus Sirmondus.
Veterum opuscula dogmatica 5. *Paris.* 1630. 8°.
Anastasii Collectanea, *Paris.* 1620. 8°.
Eusebii Pamph. Opuscula XIV. *Paris.* 1643. 8°.
Theodulphi *Opp. Paris.* 1646. 8°.
Edidit item Sidonium, Alcim. Avitum, Facundum, Hermian. Ennodium, Eugenium, Flodoardum, Hincmarum, &c.
Sixtus Senensis.
Bibliotheca Sancta, *Col.* 1586. f.
Thomas Smith S.T.P.
Miscellanea, *Lond.* 1686. 8°.
Guilielmus Somnerus, Cantuariensis.
Edidit Ælfrici Grammaticam, & Glossarium Saxonicum, *Oxon.* 1659. *fol.*
Arnoldus Sorbinus.
Gallicè reddidit historiam Albingensium Petri de Valle Sarnensi, *Par.* 1569.
Fr. Spanhemius Junior.
Introductio ad Historiam & Chronologiam sacram, Tom. I. *Lugd. Bat.* 1683. Tom. II. 1687. 4o.
Historia Imaginum restituta *Lugd. Bat.* 1686. 8°.
Henricus Spelmannus.
Vita Ælfridi, *Oxon.* 1677. f.
Concilia Britannica, Scotica, Hibernica, &c. cum notis, *Lond.* 1639. 1664. 2. vol. *fol.*

Hen-

Digitized by Google

Henricus Spondanus.
Continuatio Annalium Ecclesiasticorum Baronii,2. Vol.*Lugd.* 1678.*fol.*
Simon Staravolscus.
Epitome omnium Conciliorum *Romæ* 1653.*fol.*
Ioannes Stella.
Commentarius de vitis ac moribus Pontificum Romanorum Anno 1650. 12°. secundùm exemplar Basiliense, 1505.
Carolus Stengelius.
Vita S. VVilhelmi Hirsaug.& Gellonensis *Aug. Vind.* 1611. 4°.
Stephanus de Urbibus cum Commentariis Thomę de Pinedo, *Amstelod.* 1678.fol.
Petrus Steuartius.
Auctarium ad Canisii lectiones antiquas, *Ingolst.* 1616.4°.
Ioannes Stovv.
Descriptio civitatis Londinensis,Anglicè,*Lond.* 1633.*fol.*
Strabo.
Geographia, Gr. Lat. cum notis Casaub. *Par.* 1620.*fol,*
Laurentius Surius.
Vitæ Sanctorum ex probatis Authoribus 4.vol. *Colon.* 1617. fol.
Fr. Svveertius.
Athenæ Belgicæ, *Antv.* 1628.f.
Fredericus Sylburgius.
Saracenica, Gr. Lat.*Heidelberg.*1594.8°.
Æneas Sylvius.
Opera omnia, *Basil.* 1551.*fol.*
Symeon Thessalonicensis.
Liber de sacris Græcorum ordinationibus, Gr. Lat. ap. Morin. de ordinat. p.404.

T.

W*Ern. Tentzelius.*
Exercitationes selectæ, 1692.4°.
Iacobus Thomasius.
De Plagio literario, *Lipsiæ* 1673.4°.
Iof. Maria Thomasius.
Codices Sacramentorum vetustissimi, *viz.* Gelasianus, &c. *Rom.* 1680. 4°.
Ioannes Tilius.
Libri Carolini adv. secundam Synodum Nicænam, *Paris.* 1549. 8°. *Francof.* 1608. 8°.
I.Bapt. Timagninus, Venetus.
Historia Monothelitarum, *Par.* 1678. 8°.
Bertrandus Tissierius.
Bibliotheca Cisterciensis tom. 6. *Bono-Fonte,* 1660.&c.
Cornelius Tollius.
Cinnamum Gr.Lat. cũ notis edidit *Vltr.*1652.4°.
Iacobus Tollius,
Insignia itinerarii Italici, sive antiquitates sacrę, *viz.* Carmina Gr. Naz.&c. cum not. *Vltraject.* 1696.4°.
I.Ph. Tomasinus.
Illustrium virorum elogia, *Patav.*1630.4 .
Bibliothecæ Patavinę MSS. publicæ & privatæ, *Vtini* 1639.4°.

Ioannes Trithemius.
De Scriptoribus Ecclesiasticis,*Paris.*1512.4°.
Chronicon Hirsaugiense, *Francof.*2.Vol.*fol.*
De ortu, progressu, & viris illustribus ordinis Carmelitici, *Col.* 1643. 8°.
Franciscus Turrianus. S. J.
Constitutiones Apostolicæ, cum scholiis & observationibus, *Antvverp.* 1578.

V.

J. *Foy-Vaillantius.*
Numismata ærea Imperatorum in Coloniis, &c. *Paris.* 1695.*fol.*
Henricus Valesius.
Eusebii, Socratis,&c. Historiam Ecclesiasticam Gr. Lat. cum notis edidit.
Excerpta ex Collectaneis Constantini Porphyr. Gr. Lat. cum notis, *Paris.* 1604.4°.
I. Mich. Vanslebius, Monachus Dominicanus.
Brevis relatio de rebellionibus,& cruentis bellis in Æthiopiâ tempore Patrum societatis excitatis;ex MS.Lat.Anglicè reddita,*Lond.*1679.
Scripsit etiam Gallicè *Historiam Ecclesiæ Alexandrinæ* in sermonem Anglicum traductam.
Edidit item Ludolphi Lexicon, & Opusc. Æthiop. *Lond.* 1661.
Marcus Velserus.
Opera Historica, &c. *Norimb.*1682.*fol.*
Gottofredus Vendelinus.
Divinatio de Clementis Epistolis,Conc.Tom.I.
*Ferdinand.Vghellus,*Florentinus.
Italia sacra, sive de Episcopis Italiæ, &c. *Rom.* 1643. & seqq. 9.vol.*fol.*
Daniel à Virgine Mariâ.
Speculum Carmelitanum, *Antvv.*1680.4.Tom.f.
Sext. Aurelius Victor.
De Cęsaribus Romanis, *Lugd.Bat.*1670.8°.
Carolus de Visch.
Bibliotheca Scriptorum Cisterciensium *Colon.* 1656.4°.
Raphael Volaterranus.
Commentarii, *Genevæ,* 1563.f.
Ger. Ioan. Vossius.
De Historicis Græcis,*Lugd. Bat.* 1651.4°.
De Historicis Latinis, *Lugd. Bat.* 1651,4°.
De Poëtis Gręcis et Latinis, *Amstelod.* 1654.4°.
Historia Pelagiana, *Amst.*1655.4°.
Isaacus Vossius.
Dissertatio de LXX. Interpretibus, *Haga-Com.* 1661.4°.
Observationes ad Pomponium Melam, *Hag.* 1655.4°.
Epistolę duę ad Rivetum, à Pearsono editæ.
Gerardus Vossius Tongrens.
Gregorii Thaumaturgi *Opp.* Gr.Lat. cum notis edidit, *Mogunt,* 1604. 4°.
Christianus Vrstisius.
Rerum Germanicarum Scriptores,2. vol. *Francof. ad Mœnum* 1670.f.
Iacobus Vsserius.
S Ignatii *Epp.* Gr.Lat.cum notis, *Oxon.*1644.4°.
Syntagma de LXX.Interpretibus,*Lond.*1665.4°.
Appendix Ignatiana,*Lond.*1647.4°.

De

Digitized by Google

De Britannic. Eccles. Primordiis, *Dublin.* 1639. 4°.
Veterum *Epp.* Hibernicarum Sylloge, *Dublin.* 1632. 4°.
Historia Gotteschalci, *Hanov.* 1662. 8°.
Bibliotheca Theologica, f. MS. penès Cl. V. Edv. Stillingfleetum, Decanum Londinensem.

VV.

Lucas VVadingus.
Annales Minorum, Tom. I. II. &c. *Lugd.* 1625. & seqq. annis, f.
Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum, *Romæ* 1650. fol.

Christianus VVagnerus. Lipsiensis.
Præfatio historica preliminaris ad Genesium, MS. penès hæredes.

Brianus VValtonus, Episc. Cestr.
Biblia Polyglotta, *Lond.* 1657. 6. vol. *fol.*

Iacobus VVaræus, Eq. Aur.
Comment. de Presulibus Hibernię, *Dublin.* 1664. fol.
Edidit etiam sancti Patricii & Bedę opusc. &c.
De Scriptoribus Hiberniæ, *Dublin.* 1639. 4°.
De Hiberniâ, & antiquitatibus ejus, *Lond.* 1658. 8°.

Andr. VVengerscius.
Historia Ecclesiastica Sclavonica, *Amst.* 1679. 4°.

Ioannes Rodolphus VVetstenius.
Edidit Origenis Dialogos contra Marcionitas, Gr. Lat. *Basil.* 1674. 4°.

Henricus VVhartonus.
Anglia sacra, sive collectio historiarum, &c. *Lond.* 1691. 2. vol. *fol.*
Historia de Episcopis & Decanis Londinens. & Assavens. *Lond.* 1695. 8°.
Auctarium ad Usserii historiam Dogmaticam de Scripturis, *Lond.* 1690. 4°.

Abrahamus VVhelocus.
Bedæ Historiam Ecclesiasticam Saxonicè & Latinè cum notis edidit, *Cantab.* 1643. f.

Arnoldus VVion.
Lignum Vitę, *Ven.* 1595. 4°.

Ioannes VVolphius.
Lectiones memorabiles, 2. vol. *Laving.* 1600. f.

Antonius à VVood.
Historia & antiquitates Universitatis Oxoniensis, *Oxon.* 1674. *fol.*

X

Fr. Ximenes, Card.
Edidit officium Mozarabicum, *Tolet.* 1500.

Alios Scriptores in ipso Opere citatos reperiet Lector quos hic fortè præterivimus.

Cùm in sequenti Opere Auctor ad libros à se patrio sermone scriptos Lectorem sæpius remiserit, fas erit, salvâ verecundiâ, eos etiam in hunc locum referre.

Christianismus Primitivus, seu de Religione veterum Christianorum, &c. *Londini* 1672. 8°. exinde quartâ vice editus.

Antiquitates Apostolicæ, seu *Vitæ SS. Apostolorum*, *Lond.* 1674. fol. Prodierunt auctiores quartâ vice *ibid.* 1684. fol.

Apostolici, seu *Vitæ Patrum primitivorum trium priorum Sæculorum*, pręmissâ dissertatione de Christianæ Religionis successu sub Paganismo, *Lond.* 1676. 1686. fol.

Vitæ Patrum Primitivorum IV. Sæculi; pręmisso Apparatu de statu Paganorum sub Christianis Imperatoribus, *Lond.* 1683. fol.

Dissertatio de regimine veteris Ecclesiæ per Episcopos, Metropolitas, & Patriarchas, & de iniquis Pontif. Romanorum usurpationibus, Lond. 1683. 8°.

Chartophylax Ecclesiasticus, seu de Scriptoribus Ecclesiasticis, eorumque scriptis, *Lond.* 1685. 8°. Lat.

Tabulæ Ecclesiasticæ, quibus Scriptores Ecclesiastici, eorumque patria, ordo, ætas & obitus breviter exhibentur; à Christo Nato ad Annum usque 1517. *Londini* 1674. *Hamburg.* 1676. Lat.

Digitized by Google

XXXXVII.

Εἰς τὸν τιμαλφέστατον Θεολόγον Βίλελμον Κάβιον τὸν ἀληθῶς τετυχηκότα πάσης παιδείας, καὶ ἱερᾶς κριτικῆς τὰ πρῶτα.

Χαῖρ' ἄνερ τειπόθητε, φίλος μακάρεσσιν ἀκούεις,
  Καὶ θνητοῖς φίλος εἶ, καὶ φίλος ἐστὶ Θεῷ.
Πολλοὶ μὲν, κ' ἀγαθοί τε πάλαι πολυΐστορες ἄνδρες
  Τῶν πατέρων πράξεις, καὶ καλὰ μαρτύρια,
Τάς τε γραφὰς τίνες εἰσὶ νόθαι, ἢ γνήσιαί εἰσι
  Λυγρὰ διέκριναν δόγματά τ' αἱρετικῶν,
Εὐσέβιος μάλα κλειτὸς ἐπίσκοπος, εἶτα μετ' αὐτὸν
  Στειδώνιος χολίου πρεσβύτερος στομάχου,
Γεννάδιος καὶ Μασσαλιεὺς βραχύ τι πελαγίζων
  Συγγραφέας ἐπίθη τοὺς παραλειπομένους.
Ταῦτα πέλει, ὅτε δῖα Θέμις, καὶ δῖος Ἀπόλλων,
  Καὶ χάριτες γνωσταὶ πατράσιν αἰδεσίμοις.
Ὕστερον ἐς κλυδῶνα κακῶν ἄπορον κατέβαινε
  Ναῦς ἱερὰ, τλήμων φρικαλέαν ταραχήν,
Αἰθέρι μίσγετο πόντος, ἐν ὕδασι λῦετο ἄστρα,
  Βαρβαρότης ἐκρότει ἀνηθέος στόματος,
Ἑλλὰς κ' οὐκ Ἑλλὰς ἦν, καὶ πότνια Ῥώμη
  Ἀρκτώοις γίνεται λεῖα τροπαιοφόροις,
Καὶ τότε Ἰσίδωρος, Ὀνώριος, Ἰλδήφονσος,
  (Ὡς τότε φοίνικες Θεολόγοι Σπάνιοι)
Σιγίβερτος ἐὼν μοναχὸς τοῦ Γέμβλακος αἴης,
  Τριτέμιος μαγικῆς, φαντὶ, ἐπιστάμενος,
(Ὧνπερ πολλὰ μὲν ἐσθλὰ, μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.)
  Λαμπρύνουσ' ὀλίγον τὸν σκοτόεντα χρόνον.
Σὺ δ' ἐγίνωσκέ μοι, ὄλβι' ἄνερ, μακάρεσσιν ἐνωθεὶς
  Φώτιε συμπάσας τὸ κλέος ἀντολίας,
Φώτιε Ῥωμαίων βρόντῃσι κεραυνοβοληθεὶς;
  Καὶ μᾶλλον τοίνυν οὐρανίοισι φίλος,
Παντοδαπῆς τῆς παιδείας ἔτυχές συ ἀληθῶς,
  Τῆς μὲν Ῥωμαϊκῆς, τῆς δὲ καὶ Ἑλλαδικῆς·
Ἄνθεσί σε στεφανοῦν ὕμνων εἰς ταυτὸ συνῆλθε,
  Καὶ καταφωτίζειν λυχνίσιν ἥλιον.
Ἀλλ' ἀνεγειρομένης, Μούσαις ἅμα, θειοσεβείας,
  Οὐκ ὀλίγοι πατέρων ἱστορεῦσι βίους.
Ξῖστος, Ποσσηβῖνος, Αὐβερτός τε Μιραῖος,
  Γεσνῆρος, Ῥίβετος, καὶ Κόκος ἡμεδαπός,
Βελλαρμῖνος ἀνελλήνιστος ἐὼν (μέγα θαῦμα) δικάζων
  Ἀλλότρι' Ἑλλήνων γράμματ' ὑπερκριτικῶς,
Λαββεῖος μετέπειτα κριτὴς δεινὸς, μάλα πικρὸς,
  Ἑλλάδος οὐ ξεῖνος, τοῦ δὲ πρέποντος ἐών·
Ὕστατος Οὔδινος σφόδρα κλεπτικὸς, ὃς ἀπὸ βίβλου
  Ἄλλων ὅσσον ἔχει, τόσσον ἄφελκε βίβλων,
Τυποθετεῖ τίτλους, σημεῖά τε βιβλιοπώλων,
  Σφάλματα καὶ κτίστου, οὐδενὸς ἄλλα πέλει·
Αὐτῷ σοῦ περὶ κλῆϊς ἐπὶ γλώσσῃ τε βέβηκεν;
  Οὗ ἀπό μὲν φρέατος ἤντλει πλεῖστον ὕδωρ·
Αὐτὰρ σύ τέλος ἐν Σπαρτίῳ ἀνὰ, σεμνὲ, λεληφὼς
  Χαρτοφύλαξ πότε, νῦν Οἰκονόμος γέγονας,
Κρυπτ' ἀποφαινόμενος κειμήλια βιβλιοθηκῶν,
  Ὀρθοδιαγνωστῶν, ἀλλὰ καὶ αἱρετικῶν.
Κύρια δόγματα, ἀρχαῖ' ἤθη, τέθμι' ἀνάκτων,
  Γράμματ' ἔπι κοσμικὰ, σχίσματα, καὶ συνόδους.
Κύδιμε χαῖρ' ἄνερ, βαθυγήρως ἄλκιμος εἴης,
  Σοί σθένος ἄγναμπτον, καὶ μέλεα στιβαρά.
Μακρόβιος γήρασκε δίκην Πυλίου τριγέροντος,
  Οὗ ῥέεν ἐκ γλώσσης πᾶν μέλιτος γλυκίον.

Σὸς καθδύναμιν,

AB. SELLERUS.

TABELLA SÆCULORUM.

I. SÆculum Apostolicum. Continet Scriptores Ecclesiast. xxvi. Gentilem i. — Pagina 1

II. Sæculum Gnosticum. Scriptores Ecclesiast. lxvii. Gentiles vii. — Pag. 26

III. Sæculum Novatianum. Scriptores Ecclesiast. xlvi. Gentiles ii. — Pag. 59

IV. Sæculum Arianum. Scriptores Ecclesiast. cxliv. Gentiles xii. — Pag. 101

V. Sæculum Nestorianum. Scriptores Ecclesiast. ccxix. Gentiles iii. — Pag. 237

VI. Sæculum Eutychianum. Scriptores Ecclesiast. cxliii. Gentiles ii. — Pag. 317

VII. Sæculum Monotheleticum. Scriptores cxiv. — Pag. 369

VIII. Sæculum Eiconoclasticum. Scriptores lxxviii. — Pag. 401

IX. Sæculum Photianum. Scriptores clxxiv. — Pag. 432

X. Sæculum Obscurum. Scriptores lxxxiv. — Pag. 491

XI. Sæculum Hildebrandinum. Scriptores cxlviii. — Pag. 517

XII. Sæculum VValdense. Scriptores ccli. — Pag. 556

XIII. Sæculum Scholasticum. Scriptores clxx. — Pag. 615

APPENDIX.

XIV. Sæculum VVikclevianum. Scriptores ccix. — Pag. 1

XV. Sæculum Synodale. Scriptores cclxiii. — Pag. 67

XVI. Sæculum Reformatum. Scriptores xxxvii. — Pag. 154

SÆCULUM

Digitized by Google

SÆCULUM APOSTOLICUM.

CONSPECTUS SÆCULI.

APPROPINQUANTE toties promisso, tam diu expectato Messiæ adventu, præmissus est *Ioannes Baptista, limes quidam constitutus inter vetera & nova, ad quem desineret Iudaismus, & à quo inciperet Christianismus*, ut non ineleganter vocatur à Tertulliano *Advers. Marc.* l. 4. c. 33. Χρίστȣ ὁ πρώτης φανερώσεως κήρυξ, Justino Martyri *Dial. cum Tryph.* p. 268. Clementi Alexandr. *Protrep.* p. 7. Ἡ φωνὴ πρόδρομος τοῦ λόγου, φωνὴ παρακλητική, προετοιμάζουσα εἰς σωτηρίαν, φωνὴ προτρέπουσα εἰς κληρονομίαν οὐρανῶν. *Vox Verbum præcurrens, vox adhortatoria, præparans ad salutem, vox adhortans ad hæreditatem Cælorum.* Joannem mox sequitur Dominus noster, verus ille Messias, ad Evangelium annunciandum, & humanum genus redimendum οὐρανόθεν missus. Ab eo constituti sunt duodecim APOSTOLI, Legati ad gentes convertendas destinati. His adjuncti LXX. Discipuli, quos nominatim recenset Pseudo-Dorotheus, omnesque episcopos fuisse, assignata cuivis sede Episcopali, lepidè nugatur. Christo demum in Cœlos recepto, Apostoli mirificis Spiritûs S. donis ornati, postquam per plures annos Judæis prædicassent, in varias orbis terrarum provincias se conferunt, à quibus Evangelium prædicatur, fundantur Ecclesiæ, non modò in Syriâ, verùm Romæ, Alexandriæ, *&c.* De Paulo etiam ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθόντι, teste Clemente ad Corinth. Num. V. Britanniam subinnuente, saltem Hispaniam. Quod enim Romam intelligendam esse contendunt viri quidam doctissimi, ut ita sentiam, ægrè admodùm à me impetrare possum. Quin enim Romam in citeriore occidentis parte sitam, sensu Clementis *Occidentis terminum* appellaret? Mecum certè facit (ne alios jam memorem) clarissimus Cestriensis noster, nec id dicit tantùm, sed pluribus probat, tum in *Annalibus Paulinis* ad Ann. Christ. LXIII. tum Differt. 1. cap. 8. §. 9. Quò verò fidei, morumque regula certior redderetur, libri Nov. Testamenti θεόπνευστοι partim ab ipsis Apostolis, partim à Sociis eorum ac ministris, scriptis traduntur. Ann. Chr. XLVII. In Concilio Hierosolymitano Christianos è gentibus conversos ad ritus Mosaïcos observandos non teneri, ab Apostolis sententia fertur. Quâ non obstante, observationes Judaïcas Christianismo postea miscebant Hæretici, Simonis Magi infœlix Soboles. Ann. LXIV. arreptâ ex Romanæ urbis incendio occasione, primam in Christianos persecutionem movit Nero, ut ex ipsis Senatûs Romani Commentariis notavit olim Tertullianus, Apol. cap. 5. *Illic*, inquit, *reperietis primum Neronem in hanc Sectam, cùm maximè Romæ Orientem Cæsariano gladio ferocisse.* Ann. LXX. captis & combustis à Tito Hierosolymis, tota Judæorum politia tum Sacra tum civilis radicitùs evellitur, ipsâ gente penè deletâ. Anno sequenti hæresim suam inter Christianos Pellæ tunc agentes venditare cœpit Ebion, asserens Christum purum putum hominem fuisse, factâ mox non levi discipulorum messe. His præcipuè Evangelium suum opposuit D. Johannes. Ann. Chr. XCV. forsan exeunte, secundam persecutionem excitat Domitianus, *portio Neronis de crudelitate*, ut non inscitè de eo Tertull. De hac persecutione agit Euseb. l. 3. c. 17. 18. &c. De Neronianâ, l. 2. c. 25.

SÆC. I. à CHR. N.

Digitized by Google

SCRIPTORES.

SÆC. I. à CHR. N.

IESUS CHRISTUS, Dominus noster, Dei ab æterno filius, ex Regio Hebræorum stemmate secundùm carnem, matre Maria, ἀειπαρθένῳ, Bethlehemi in Judæa natus est, ex Usserii calculo Ann. M. 4000. Æræ vulgaris 4004. Duodecennis adhuc in Templo Hierosolymitano cum Juris Hebraici Consultis publicè disputavit. Vitam dum egit privatam, arti fabrili sub Josepho, Patre (uti habebatur) suo, operam dedit. Innuit id D. Marcus VI. 3. *Nonne hic est faber, Mariæ filius?* Explicatiùs paulò Justinus M. * Ταῦτα γὰρ τὰ τεκτονικὰ ἔργα εἰργάζετο ἐν ἀνθρώποις ὢν ἄροτρα καὶ ζυγὰ, διὰ τούτων καὶ τὰ τῆς δικαιοσύνης σύμβολα διδάσκων, καὶ ἐνεργῆ βίον. *Fabrilia namque cùm in hominibus esset, faciebat opera, aratra & juga conficiens, per hæc justitiæ docens signa, & vitam non otiosam.* Baptizatus anno ætatis 30. ad munus subeundum se accinxit, doctrinam quam cœlo detulerat, palàm annunciavit, miraculis confirmavit, Apostolos, aliosque Evangelii præcones constituit: An. 33. cruci pro salute humani generis affixus, tertio demum die è mortuis resurrexit, & cum Apostolis per quadraginta dies versatus, Angelorum stipatus satellitio, cœlum repetiit.

* Dialog. cum Tryphone, p. 316.

Inter Scriptores Ecclesiasticos familiam ducit, non tàm propter θεόπνευστα Evangelia, magnam partem ipsius ore prolata, integrè Spiritu ejus dictante conscripta, quàm ob celebrem illam ad Abgarum Edessenum Epistolam, ὀλιγόστιχον μὲν, πολυδύναμον δὲ [ut Eusebii verbis utar] ex Archivis Edessenis depromptam. Exstat G. L. unà cum Abgari ad Dominum Epistolâ apud Euseb. l. 1. c. 13. Supposititias esse has Epistolas contendunt recentiorum haud pauci; ex Pontificiis, Erasmus, Costerus, Canus, Bellarminus; è Reformatis, Cocus, Rivetus, Hornbeckius, Spanhemius junior, & alii. Verùm ego non adeò temerè abjiciendum esse censeo tam venerandæ vetustatis monumentum. Primò enim nullum in toto Epistolæ contextu apparet fraudis, vel νοθείας vestigium; nihil quod Domini nostri sapientiæ, bonitati, dignitati non apprimè conveniat; ipso non inficiante Riveto *, non esse aliquid in iis, cur rejiciantur. 2. Magnum apud me pondus habet summa Eusebii fides, & authoritas, qui has Epistolas ex ipsis Edessenorum tabulariis descripsit, & è sermone Syriaco in Græcum transtulit; & cùm nec ipse facilè falli potuerit, neque nobis fucum facere voluisse censendus erit. Verè de eo Pearsonus † noster, Deus bone, quantus judex! *Ego verò Eusebium tantâ diligentiâ, tantoque judicio in examinandis Christianorum primævæ antiquitatis scriptis, in quibus traditionem Apostolicam contineri arbitratus est, usum fuisse contendo; ut nemo unquam de ejus fide, aut de scriptis, quæ ille pro indubitatis habuit, postea dubitaverit.* 3. Eusebio fidem astruit S. Ephræm, ipse Syrus, & in Syrorum scriptis versatissimus, & quod propius adhuc, Diaconus Edessenus. Proferam, quæ habet in Testamento suo, ex Syriacâ linguâ in Græcam, exinde Interprete Gerardo Vossio, Latinè verso: ubi Edessenos suos sic alloquitur. † *Benedicta vestra sit civitas, in quâ habitatis *. Ipsa enim sapientum est civitas, & mater, Edessa: quæ quidem etiam palam, atque manifestè ex ore Christi Domini benedicta est per suos discipulos, nostros verò Apostolos. Nam quando Rex Abgarus, qui hanc civitatem exstruxit, rogabat, exciperet eum, qui peregrinus in terris apparuerat, salvatorem, inquam, universorum, & Dominum Christum, dicebat: Omnia audivi, quæ à te facta sunt, & quæcunque à reprobis, & aspernantibus te Judæis passus es. Veni igitur huc, & nobiscum habita; habeo enim mihi civitatem hanc exiguam, quæ tibi & mihi sufficiet. Cujus etiam fidem admiratus Dominus, mittens eò per nuncios, perpetuò civitati illi benedixit, firmans ipsius fundamenta.* Hasce etiam Epistolas citat Darius Comes, Epist. ad D. Augustinum *; ut his recentiores taceam. Quòd verò Scriptores Eusebio antiquiores non meminerint, id inde factum est, quòd Patres Græci linguæ Syriacæ ut plurimùm ignari, nullum ferè cum Edessenis commercium habuerint. Nec ullius penè momenti sunt, quæ in contrarium proferuntur, argumenta: præcipua ad examen revocabo. Obj. 1. Nullam harum Epistolarum, vel legationis Abgarianæ apud Scriptores Evangelicos haberi mentionem. Fateor; neque enim iis in animo erat, cuncta, quæ gessit Christus, literis mandare. Quin disertè testatur S. Johannes * *multa alia fecisse Jesum, quæ non sunt scripta in hoc libro, & quæ si scribantur sigillatim, ne mundum quidem ipsum capturum eos, qui scriberentur, libros.* Obj. 2. Citari in hâc Epistolâ locum quendam è S. Johannis Evangelio, quod non nisi post plures demum annos conditum sit. Respondeo. Similis quædam sententiola utrobique, non tamen iisdem verbis, nec eodem prorsus sensu. Hujusmodi enim Apophthegmatibus Dominus noster crebrò usus videtur. Verùm utcunque eadem esset sententia, non tamen inde citatur. Citari quidem videtur locus ex Prophetarum oraculis, quem doctissimus Valesius ad cap. VI. Esaiæ refert: Alii alibi quærunt. Ego verò illud, γέγραπται, non tam de loco aliquo particulari, quàm de communi Prophetarum voce intelligendum esse existimarem; quo sensu apud Clementem Romanum, aliosque sæpe occurrit. Obj. 3. Rationem temporis non constare. Dicuntur quippe [ex vulgari Eusebii lectione] hæc Edessæ acta esse anno Christi *quadragesimo tertio*. Sed totum hunc scrupulum fœliciter exemit Cl. Valesius, qui partim ex emendatioribus Eusebii Codicibus MS. partim ex verâ Edessenorum Epochâ ostendit, annum Edessenorum trecentesimum & quadragesimum [ita enim legendum erat] quo Thaddæus Edessam venit, in eum ipsum annum cadere, quo Christus & passus est, & à mortuis resurrexit. Expositâ hunc in modum, & confirmatâ sententiâ nostrâ, omnia nihilominùs doctiorum judicio submitto, nec cum quoquam hâc de re contentionis funem ducam. Miram sanè magni Casauboni, ejusque in palæstrâ Baronianâ successoris Rich. Montacutii modestiam lubens amplector. *De Epistolâ Abgari Toparchæ Edesseni ad Dominum*, inquit Casaubonus †, *doctiorum judicia audire malim, quàm ipse aliquid pronunciare.* R. Montacutius. * *Nec est in iis aliquid, cur rejiciantur. Omnia pia, modesta, & cum Christianâ pietate conjuncta. Sed utcunque mihi ita videantur æstimanda; unusquisque tamen in suo sensu abundet.* Denique monendus est Lector, Epistolas quasdam Christi Petro & Paulo inscriptas, eas artes exponentes, quarum

* Critic. Sacr. l. 1. c. 1.

† Vindic. Ignat. par. 1. c. 8.

† Op. tom. 3. & ap. Sur. Febr. 1. Num. IV.

* Epist. 263. edit. Lovan. ap. Baron. an. 31.

* XX 30. XXI. 25.

† Exercitat. ad Baron. 13. cap. 31.

* Origin. Ecclef. tom. 1. part. post. p. 63.

SÆC. I. à CHR. N. quarum ope miracula sua confecerat, adhuc Augustini ævo circumferri solitas esse: verùm eas veluti putidissima desipientium somnia & deliramenta meritò respuit. †.

† de consensu Evang. l. 1. c. 9. 10. tom. 4.

Adversùs Epistolam Jesu Christi ad Abgarum objicit amicus meus singularis D. P. A. privatis ad me literis, quòd in Actis Edessenis, quibus inseritur, apud Euseb. l. 1. c. XIII. Thaddæus Articulum de descensu Christi ad Inferos confessus sit, qui tamen talem antiquitatem haud sapere videtur. At 1. sententia de Christi εἰς τὸν ᾅδην descensu, antiquissima videtur; seriùs in Symbolo articuli locum obtinuisse constat, dogma verò ipsum longè esse vetustius, quid vetat? In ipsa enim propositione consentiunt omnes [*quis nisi infidelis*, inquit Augustinus Epist. XCIX. p. 437. *negaverit fuisse apud Inferos Christum:*] tantùm de sensu & explicandi modo litigatur. 2. Epistolæ & Acta Edessena mihi non pari nituntur authoritate; Acta quippe post Christi demum ascensum confecta sunt, idque forsan à notariis, qui rem, quam auditu acceperant, parùm accuratè intelligebant, saltem facilè hallucinari poterant; quique non nisi summa Orationis Thaddæanæ capita nobis exhibent, quo verò sensu ea tradiderit, non exponunt; verùm hàc in re suo quisque fruatur judicio.

P. II. JESUS CHRISTUS, Dominus noster, natus est Anno Æræ vulgaris 4004. Pleráque apocrypha sub Christi Domini ejusque Apostolorum nomine circumferri olim solita, alibi notavimus. Præter Epistolas quas *de magicis artibus*, ad Petrum & Paulum, Dominum nostrum scripsisse, Augustini adhuc ævo crepabant Hæretici, *Hymnum Domini* in scriptis suis apocryphis circumferebant Priscillianistæ; illum nempe, quem Dominus post cœnam sumptam, secretè dixit Apostolis suis. Cui Divinam tribuebant autoritatem, & quod scelestius est, canonicis scripturis præferebant. In canone verò non esse positum affirmabant propter eos, qui secundùm se sentiunt, & non secundùm Spiritum, & veritatem Dei; eò quòd scriptum est, *Sacramentum Regis bonum est abscondere, opera autem Dei revelare honorificum est.* Hæc ex iisdem apocryphis refert Augustinus Epist. ad Ceretium Episcopum Edit. noviss. 237. vulgar. 253. ubi nonnullas hujus hymni particulas verbatim exhibet, & solidè refellit. *Epistola* etiam Jesu Christi quæ de cœlo cecidit, & quæ per Michaelem Archangelum inventa est ad portam Ephrem, quam confinxit Adelbertus Episcopus hæreticus, lecta est in synodo Romanâ Anno 745. habitâ Act. II. Conc. T. VI. p. 1560. ubi ejus initium habetur. Plura ejusdem furfuris in Decreto Pseudo-Galesiano recensentur: nempe ut alia mittam, *Liber de navitate Salvatoris, & de Mariâ & obstetrice; Liber de Infantiâ Salvatoris.* Meminit hujus posterioris Anastasius, Ὁδηγ. c. 13. p. 26. ubi in Scholio ad locum quendam Melitonis Sardicensis notat Τὰ λεγόμενα παιδικὰ θαύματα τοῦ Χριστοῦ, *quæ vocantur puerilia Chisti miracula*, ψευδῆ εἶναι καὶ ἀπόβλητα, *falsa & supposititia esse.* Idem, ut videtur, opusculum quod & hodie superest, sed in fine mutilum, à Thomâ Israëlitâ, si Diis placet, scriptum [Thomam Apostolum, ut opinor, designat fabulator] hoc titulo: Λόγος εἰς τὰ παιδικὰ καὶ μεγαλεῖα τοῦ Κυρίου καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Liber de pueritiâ & miraculis Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Opus quale quale sit, cum versione suâ ex codice Regio edidit Cl. Cotelerius, Not. ad Patres Apostol. pag. 274. ubi etiam mentionem facit Libelli cujusdam Matthæi Evangelistæ, *de Infantiâ Salvatoris*, qui eousque considerationem meretur, quod continet responsionem, sed parumper interpolatam, Christi adhuc pueri literas discentis, ad magistrum suum se interrogantem; quam etiam ἐκ τῶν ἀποκρύφων καὶ νόθων γραφῶν, ex supposititiis nempe Valentinianorum Evangeliis refert Irenæus, l. 1. cap. 17. p. 104. Denique habetur *Liturgia Æthiopica* D. N. Jesu Christo ascripta, quam J. Mich. Vanslebius, Ordinis Dominicani monachus, ex oriente redux secum detulit, & unà cum aliis operibus Æthiopicis Parisiis se editurum esse promisit. An præstiterit, mihi nondum est compertum. Quicquid verò præ se ferat Vanslebius, vix fieri potuit ut crederet eam pro Liturgiâ à Domino nostro compositâ venditari; ipsa enim lectio talem opinionem mox revinceret. Testatur quidem eruditissimus Ludolfus, * inter Liturgias Æthiopicas certis diebus festis legi solitas haberi *Liturgiam Domini nostri*; subdit verò, istiusmodi inscriptiones fefellisse doctos quosdam viros, qui eas ceu apocryphas, vel planè pseudepigraphas infamaverunt: non enim ab auctoribus sic dictas fuisse satis ostendit ipse textus, quandoque & auctoris nomen titulo adjectum, ut allato specimine manifestum facit. Et in *Commentario Æthiopico* ubi hâc de re fusiùs agit ad lib. III. cap. 4. *num.* XXXI. p. 341. ipsam Liturgiam sub titulo *Orationis Eucharisticæ Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi* Æthiopicè & Latinè exhibet, anteà quidem unà cum Novo Testamento Æthiopico, sed mendosè, editam p. 168. Ex cujus contextu vel primo statim intuitu patet, nil aliud esse quàm orationem ad Dominum nostrum factam. Et *num.* sequenti p. 345. hanc præter alias notat causam, cur hæ Liturgiæ ita inscriberentur, non quòd auctorum nomina designarent, sed ut in eorum festis recitarentur, ac propterea non statim mendacii vel fraudis arguendæ. Undè Vanslebium graviter arguit, qui in hâc insanâ, uti vocat, opinione fuisse videtur, sextam illam Liturgiam Domino nostro Jesu Christo tanquàm auctori inscribi. Plura habet eò loci vir insigniter eruditus, & in rebus Æthiopicis exercitatissimus.

* Hist. Æthiop. lib. III. c. 4.

S. PETRUS, antea *Simon* dictus, Joniæ vel Joannis filius; patriâ Galilæus, Bethsaida oriundus, ab arte piscatoriâ ad munus Apostolicum à Domino vocatus Anno Christi 31. Christo ex humanis sublato Anno Æræ Vulgaris 33. Tiberii 19. nondum absoluto, ipse oratione habitâ tria Judæorum millia convertit. Claudum in Templi porticu sanat; causam apud Synedrium bis dicit. Anno, ut videtur, sequenti ab Apostolis Samariam missus, Simonem Magum prosternit, Samaritanos in fide confirmat. Ann. 37. Redditâ jam Ecclesiis pace, per omnes pertransiens, Lyddam devenit, Æneam paralyticum sanat, Tabitham Joppensem à mortuis resuscitat, multosque dies apud Simonem Coriarium moratur. Anno sequenti Cornelium convertit, & Hierosolyma rediens [propter solennitatem Paschalem, uti conjicit Cl. Dodvvellus] accusatusque quòd Gentilibus prædicasset, se ipsum narratione factâ coram Ecclesia vindicat. Anno 44. ab Herode in vincula conjectus, ab Angelo liberatur. Anno 47. ortâ de circumcisione quæstione, Concilio Hierosolymitano interfuit, primusque sententiam tulit. Anno 48. Antiochiam venit, ob simulatum cum Judæis consensum, & quòd non recto pede juxta veritatem Evangelicam incederet, acerrimè à D. Paulo reprehensus. Quid de eo exinde factum sit, non liquet: nec enim ejus ulteriùs meminerunt Sacræ literæ; & quidem postquam de illo silet Historia Apostolica, incerta ferè sunt, quæ traduntur, omnia. De duplici ejus in urbem Romam profectione, [quarum prima anno Christi 42. Claudii 2. contigisse dicitur] de 25. annorum in ea Urbe Episcopatu, de ejus in Africam, & extremas Occidentis oras peregrinatione, aliisque, quæ 31.

Digitized by Google

vulgò circumferuntur, miserè laborat Annalium fides. Sententiam hâc de re nostram, quam ante hos quatuordecim annos edidi, liberè proferam. Post Christi in Cœlos Ascensionem non videntur Apostoli per duodecim annos Hierosolymorum finibus excessisse: Ita enim Dominum Apostolis suis præcepisse, ex veterum traditione disertè testatur Apollonius * secundi sæculi scriptor. Huic traditioni astipulatur geminus apud Clem. Alex. Apollonii æquilem, locus. Stromat. Lib. 6. p. 636. ubi hoc Petri testimonium adducit, Dominum scilicet Apostolis dixisse, Ἐὰν μὲν οὖν τις θελήσῃ τοῦ Ἰσραὴλ μετανοῆσαι, διὰ τοῦ ὀνόματός μου πιστεύειν εἰς τὸν Θεὸν, ἀφεθήσονται αὐτῷ αἱ ἁμαρτίαι μετὰ δώδεκα ἔτη. Ἐξέλθετε εἰς τὸν κόσμον, μή τις εἴπῃ, οὐκ ἠκούσαμεν. *Si quis ergo velit ex Israël duci pœnitentiâ, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata post duodecim annos. Egredimini in mundum, ne quis dicat, non audivimus.* Et ita quidem hunc locum punctis suis distinctum, exhibent omnes, quas hactenus vidi, editiones; vitiosissimè, meo quidem judicio, & nullo planè sensu: quem enim quæso sensum fundunt hæc verba; *remittentur ei peccata post duodecim annos?* Distinguantur igitur verba hoc modo, & commodè fluent omnia: Ἐὰν μὲν οὖν τις θελήσῃ τοῦ Ἰσραὴλ μετανοῆσαι, διὰ τοῦ ὀνόματός μου πιστεύειν ἐς τὸν Θεὸν, ἀφεθήσονται αὐτῷ αἱ ἁμαρτίαι. Μετὰ δώδεκα ἔτη ἐξέλθετε εἰς τὸν κόσμον, μή τις εἴπῃ, οὐκ ἠκούσαμεν. *Si quis ergo velit ex Israël duci pœnitentia, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata. Post duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat, non audivimus.* Id nempe Apostolis Dominus in mandatis dederat, ut primò Judæis remissionem evangelicam prædicarent, duodecim verò annis hoc munere inter Israëlitas functi, ad gentes egrederentur, totique mundo evangelium annunciarent: exacto igitur hoc duodecennio, dispergi cœperunt Apostoli; & post congressum cum Paulo Antiochiæ habitum, Petrus per varias Orientis Ægyptique provincias pluribus annis, præsertim inter Judæos, Evangelium propagavit. Tandem sub Nerone, forsan circa annum 63. Romam venit; fideles quos ibi reperit, in ordinem redegit; Ecclesiam constituit, auxit & mox Sanguine suo nobilitavit. Et Petrum quidem hoc circiter tempore Romam venisse, testes habeo vetustate nobiles, Lactantium & Origenem. Lactantius *, postquam dixisset Apostolos per annos XXV. usque ad principium Neroniani imperii per omnes provincias & civitates Ecclesiæ fundamenta misisse, statim subdit, *Cumque jam Nero imperaret Petrus Romam advenit, & editis quibusdam miraculis quæ virtute ipsius Dei, datâ sibi ab eo potestate, faciebat, convertit multos ad justitiam, Deoque templum fidele ac stabile collocavit, quâ re ad Neronem delatâ---primus omnium persecutus Dei servos, Petrum cruci adfixit, & Paulum interfecit.* Origenes, postquam de Petri inter Judæos ἐν τῇ διασπορᾷ prædicatione egisset, hæc habet †, quæ ut à Majoribus tradita se accepisse refert, ὃς καὶ ἐπὶ τέλει ἐν Ῥώμῃ γενόμενος ἀνεσκολοπίσθη κατὰ κεφαλῆς, οὕτως αὐτὸς ἀξιώσας παθεῖν. *Qui ad extremum Romam veniens, cruci suffixus est, capite deorsum demisso: Sic enim ut in cruce collocaretur, oraverat.* Obiit igitur sanctus Petrus anno Christi 64. Neronis 10. sub initium Persecutionis Neronianæ, ut in opere vernaculo *de vitis Apostolorum,* latiùs disseruimus. Etenim cum Nero ob grande illud Romanæ urbis incendium in omnium odium venisset, abolendo rumori, inquit Tacitus *, crimen conjecit in Christianos, eosque hâc de causâ quæsitissimis pœnis affecit. Quin hâc occasione rapti sint ad Martyrium Apostoli, nemo, cui sanum sinciput, dubitare potest: præsertim cùm nulla alia persecutio Romæ facta, inter Neronis & Domitiani tempora intercessit: & forsan non sine aliquâ verisimilitudinis umbrâ capitale illud crimen Christianis, præcipuè Apostolis obtendi poterat, qui tum voce tum Scriptis de futurâ mundi conflagratione, impiisque igne puniendis, toties publicè declamâssent. Id quod secundâ suâ epistolâ nuper scriptâ, Petrus noster copiosè fecerat. Quin &, Teste Lactantio †, inter alia quæ Petrus & Paulus Romæ prædicaverunt, & illud erat: post breve tempus totam Judæorum gentem penitùs excindendam esse, omnia denique igne ferroque vastanda. Itaque cùm Romanum illud incendium contigerit C. Lecanio, & M. Licinio. COSS. Julii 19. eodem prorsus anno jam inclinante Petrus Martyrium subiisse censendus est, in Vaticano sepultus; ubi teste Cajo *, Ecclesiæ Romanæ Presbytero, qui sæculo tertio ineunte vixit, sepulchrum seu tropæum ejus cuivis videre licuit.

* Ap. Euseb. lib. 5. c. 28.

* De Mort. Persec. Sect. 2.

† Tom. 3. In Gen. ap. Euseb. l. 3. c. 1.

* Tacit. Ann. 15. p. 279.

† De Ver. Sap. l. 4. c. 21.

* Ap. Euseb. lib. 2. c. 25.

Reliquit post se Epistolas duas, Judæis-Christianis præcipuè inscriptas; harum prima *Babylone* scripta est, per quam Romam figuratè intelligendam esse contendunt tum Veterum, tum Recentiorum plurimi: Verùm tum rerum, tum temporis rationi magis congruit, ut vox [*Babylon*] ῥητῶς intelligatur; idque vel de Babylone Parthica, cui vel in ipsis ruinis Babylonis nomen adhæsit, quod ex Strabone, Plinio, Stephano, aliisque constat; vel de Babylone, quæ in Ægypto erat, cujus mentionem faciunt Strabo, Ptolemæus, Stephanus, aliique de quâ urbe haud pauca congessit Rever. Cestriensis, de Successl. Dissert. 1. cap. 8. §. 7. verùm ego priorem sententiam tanquam longè verisimiliorem amplector, tum quod in Babylone Parthicâ magna esset Judæorum frequentia, qui αἰχμαλωτάρχην suum habuerunt; tum quod Petro Antiochia discedenti facilior ac commodior esset in hæc loca transitus, in quibus eum diu prædicâsse, nemo opinor facile negabit; quòd verò in Ægypto unquam versatus fuerit, ne levissima quidem antiquitatis umbra obtendi potest. Scripta est hæc epistola, ex mente Cl. Dodwelli, anno Christi 54. post conversionem Asianorum, post triennalem Sancti Pauli in Asiâ moram, cùm Judæi conversi hisce in partibus persecutionem paterentur, de quâ ipse agit 1. Pet. 1. 6. quamque fortasse innuit Divus Paulus Heb. 10. 32.

Epistola secunda, Romæ, ut videtur, paulò ante ejus mortem scripta propter styli cum priore dissonantiam (ut tradit Hieronymus) diu in S. Scripturæ Canonem non erat admissa, ὅμως δὲ πολλοῖς χρήσιμος φανεῖσα μετὰ τῶν ἄλλων ἐσπουδάσθη γραφῶν, inquit Eusebius, *cum verò utilis esse videretur quamplurimis, unà cum reliquis S. Scripturæ libris studiosè lectitata est.*

Lib. 3. c. 3.

Sequuntur jam Apocrypha, quæ olim sub Petri nomine circumferebantur; spuria quidem, sed vetusta, ævi, ut videtur, Apostolici; saltem proximè sequentis: de quibus agit Eusebius loco citato. Qualia erant κήρυγμα sive *prædicatio*, cujus fragmenta videre est apud Clem. Alex. Strom. lib. 6. p. 269. 270. 271. 288. Electa ejusdem à Combefisio edita, p. 210. in Theodoti Epitome, p. 809. Origen. in Matt. cap. 13. In Joann. Tom. 14. Greg. Nazianzen. Orat. 16. Epist. priore ad Cæsarium fratrem. Damascen. Paral. lib. 2. c. 16. Maximum Serm. 62. de consuetudine. Citatur etiam ab Autore * libri de rebaptizandis hæreticis, Cypriano coævo; ut cum Valesio jure mirari possimus cur Eusebius dicat, à nemine seu Veterum seu Recentiorum Ecclesiæ Scriptorum citari. Porrò eundem, quem è prædicatione Petri Damascenum attulisse locum diximus, è Doctrina ejus citatum Græcè nobis

* Inter op. Cypr. p. 142.

Digitized by Google

nobis exhibet Cotelerius, Not. ad Const. Apostol. p. 211. adeò ut unus idemque liber prædicatio ac doctrina Petri fuisse videantur. *Actus Petri*, quorum meminit Origenes tom. 20. in Joann. *Evangelium*, quod adversùs hæreticos qui eo utebantur, falsitatis redarguit Serapion Episcopus Antiochenus, apud Euseb. l. 6. c. 12. *Apocalypsis*, sive Revelatio, quam suo adhuc tempore in quibusdam Palæstinæ Ecclesiis semel quotannis, die sc. Parasceves, legi solitam refert Sozomenus *; ex hoc libro fragmenta quædam exhibentur in excerptis Theodoti posterioribus ad calcem Clementis Alexandrini, & in Clementis Electis à Combefisio editis, pagina 206. *Judicium* etiam *Petri* memorat Ruffinus in expositione Symboli; eundem tamen libellum cum Herma, sive Pastore facit. Animadvertat denique Lector, periodum illam de Domino nostro discipulis suis post Resurrectionem apparente, deque δαιμονίῳ ἀσωμάτῳ, quam profert Ignatius Epistolâ ad Smyrnæos, juxta Hieronymum † ex Evangelio secundùm Hebræos desumptam esse; ab Origene verò lib. 1. περὶ ἀρχῶν in procem. ex libello qui *Petri Doctrina* appellatur (quem tamen negat vel Petri esse, vel alterius cujusquam qui Spiritu Dei fuit inspiratus) citari: forsan in utroque habebatur. Ut verò semel hoc obiter notem, primis Ecclesiæ sæculis multa hujusmodi ψευδεπίγραφα circumlata sunt, ab hæreticis ut plurimùm conficta, qui ex venerando Apostoli alicujus nomine nugis suis authoritatem conciliare satagebant. Hinc conficta passim Apostolorum & Apostolicorum virorum Evangelia, Traditiones, Revelationes, Διδασκαλίαι, &c. quorum nonnulla suprà notavimus, alia infrà notaturi: quædam etiam & hîc loci, quibus locus commodior deerat. Circumferebantur enim olim *Evangelia XII. Apostolorum*, *Thomæ* & *Matthiæ*, *Traditiones Matthiæ*, quarum laciniam exhibet Clemens Alex. Strom. lib. 2. p. 380. *Andreæ* & *Joannis Acta*; *Bartholomæi* denique, *Barnabæ*, *Judæ* & *Philippi Evangelia*: quorum præter nomina, vix aliquid superfuit. Porrò extat *Missa* D. Petri nomine inscripta G. L. *Paris.* 1595. 8°. & in *Auctario* Biblioth. PP. 1624. Tom. 2. verùm recentioris ævi opus esse liquidò constat.

*Lib. 7. c. 19.

† De Script. c. 16.

31. P. II. S. Petrus Apostolorum Princeps, primusque, ut fertur, Romæ Episcopus, claruit à suscepto Apostolatu, anno Christi 31. Petrum Romæ fuisse, sedésque in eâ aliquamdiu tenuisse, cum toto antiquorum cœtu intrepidè affirmamus. Testes damus omni exceptione majores, ex ultimâ antiquitate petitos; Ignatium Antiochiæ Episcopum, S. Petri discipulum, certè in sede Antiochenâ successorem, in epistolâ ad Romanos, Papiam Hierapolitanum, S. Joannis Evangelistæ, saltem Presbyteri, auditorem, ap. Euseb. lib. 2. cap. 15. p. 53. Irenæum Lugdunensem, virum Apostolicorum temporum, S. Polycarpi discipulum, advers. Hæres. l. 3. cap. 1. p. 229. cap. 3. p. 232. Dionysium Corinthium ap. Euseb. l. 2. cap. 15. Tertullianum de Præscript. cap. 36. p. 215. de Baptism. c. 4. pag. 215. Scorpiac. cap. ultim. p. 500. Caium Presbyterum Romanum, magni nominis virum Ecclesiasticum, ap. Euseb. l. 2. p. 25. 67. Origenem T. III. in Genes. ap. Euseb. l. 3. cap. 1. p. 71. confer. ibid. l. 6. cap. 14. p. 216. Horum omnium testimonia adversùs Cl. Spanhemii exceptiones alibi olim vindicavimus *. Vitio quidem mihi vertit Dan. Larroquanus † quòd cùm Spartam hanc ex professo adornandam susceperim, illustrem illum Lactantii locum in libro *de mortibus Persecutorum* mihimet excidere passus sum. Immeritò: cùm in hâc ipsâ dissertatione lectorem monui, testes à me in hâc causâ, non ultra Origenis tempora esse producendos, ac proinde Cyprianum, Arnobium, Lactantium, Eusebium, Athanasium, Epiphanium, Ambrosium, Optatum, Hieronymum, Augustinum, aliósque plures sciens lubensque prætermisi. Quòd verè eandem dicam impingit Cl. Pearsono, egregiè fallitur, summóque viro injuriam facit, qui in *Dissert. de Serie Roman. Pontificum*, cap. 7. num. 4. testimonium illud Lactantii disertè citat. Igitur post tot veneranda nomina, tam clara primæ vetustatis monumenta, quis rem tam perspicuè, tam constanter traditam, in dubium revocabit? Certè si tam densa testium nubes, tam concors veterum sententia pro cujusvis ingenii pruritu sit vellicanda, actum erit penitùs de primorum sæculorum memoria; nec cuiquam ultra suam ætatem sapere licebit.

*Append. ad vit. S. Petri p. 39.

† Præf. ad Patris sui Advers. sacr.

II. Etiamsi verò cum antiquis Petrum Romæ fuisse, & istius Ecclesiæ fundamenta posuisse facilè concedimus: ipsum tamen hanc Cathedram, per XXV. annos tenuisse, adversùs recentiores Majestatis Pontificiæ propugnatores constanter pernegamus. Repugnat Historia Apostolica, repugnant Epistolæ Paulinæ, totiúsque vitæ S. Petri cursus; repugnant mille, quæ ex antiquitate oriuntur, difficultates, nullis sophismatum fucis solvendæ; repugnant denique veterum testimonia, Origenis præcipuè & Lactantii, asserentium, Petrum sub vitæ demùm finem, & imperante jam Nerone Romam venisse, & sanguine suo nobilitâsse. Loca in priore hujus operis parte protulimus. His addi potest Petrus Episcopus Alexandrinus, sub Diocletiani persecutione martyrio clarus, Epistol. Canon. Can. 9. Ὁ πρόκριτος τῶν Ἀποστόλων Πέτρος πολλάκις συλληφθεὶς καὶ φυλακισθεὶς, καὶ ἀτιμασθεὶς ὕστερον ἐν Ῥώμῃ ἐσταυρώθη. *Petrus Apostolorum primus sæpe comprehensus & custodiæ traditus ignominiáque affectus, postremò Romæ crucifixus est.* Quid multa? ex antiquitate res tam clarè elucet, ut vi veritatis adacti, causam hanc Ecclesiæ suæ apertè deseruerunt, Valesius, Henschenius, Papebrochius, Baluzius, Norisius, Pagius, Toinardus, in re chronologico-ecclesiasticâ viri principes.

III. Nihilominus, ut difficultatibus quæ communem Ecclesiæ Romanæ sententiam premunt, meliùs occurreret, aliam annorum Christi chronotaxin ab aliis olim excogitatam recoxit, pluribúsque auxit nuperus Bibliothecæ Vaticanæ custos, Emanuel Schelstratius, in *opere chronologico* Romæ 1692. edito. Summa hæc est. D. N. J. Christum in diebus Herodis regis natum esse, Herodis mortem Æram vulgarem quadriennio præcedere, adeóque Domini nativitatem vulgarem Epocham integro quinquennio antevertere; quibus ità positis, commodè fluere XII. annorum spatium, ab ascensione Christi numerandum, juxta traditionem Apollonii, cujus meminit Eusebius, † Dominum scilicet Apostolis suis præcepisse, nè intra duodecim annos Hierosolymis excederent: optimè etiam cum hâc supputatione consistere Petri Romam adventum Claudii anno II. nec ulli alii convenire. Non est hujus loci chronotaxin Schelstratianam scrupulosâ lance expendere. Id unicum notare liceat, incerto & infirmo tibicine fulciri: cùm primarium ad eam astruendam argumentum ex anno mortis Herodianæ desumatur. Initium quippe regni Herodis à duplici Epochâ numerari potest, vel ab anno Juliano VI. quo, mediante Antonio, à Senatu Romano regnum Judææ est consecutus: vel ab Hierosolymis post triennium captis, & occiso Antigono, quando Judæâ in integrum potitus est. Si à priori, regnavit annos XXXVII. si à posteriori XXXIV. calculum ponente Josepho Antiquit. l. 17. cap. 10. p. 599. Verùm Josephus, quo Auctore imprimis nititur, sibi hâc in re haud benè constat: Etenim Antiq. l. 14. cap.

† l. 5. c. 18.

Digitized by Google

17. pag. 483. disertè refert Herodem post prælium Actiacum, quo tempore Galilææ Præfectura ei commissa est, non nisi quindecim annos natum esse; libro verò 7. cap. 8. p. 595. Herodem jam morti vicinum septuagenarium decessisse; quod cum priori computo per integrum decennium conciliari nequit. Nodum quem solvere non potuit, secat Schelstratius *, affirmans textum Josephi corruptum esse, decemque annorum errorem irrepsisse, & vel pro XV. legendum XXV. vel quod rectius putat, pro LXX. LX. reponendum: Etsi ingenuè fateatur, pro hâc correctione textûs Josephi se nullam antiquorum codicum lectionem, nullum antiqui autoris testimonium reperisse. Joann. Harduinus, in hisce literis vir magni nominis, lib. *de Nummis Herodiadum*, haud ita pridem edito, & post suppressam editionem Parisiensem *Lipsiæ* nuper recuso, p. 34. sententiam suam de anno Christi natali se mutasse profitetur, æramque nunc illam, quæ vulgò recepta est, verissimam esse arbitrari, idque se alibi ostensurum esse. Fidem Josephi datâ quâvis occasione convellit omnemque ei auctoritatem abrogat, &, quod magis adhuc mireris, fabulosum, falsum, spurium, & recentioris ævi scriptorem vocat. Sed inauditam novi hujus censoris temeritatem aliis castigandam relinquimus. Interim communem Dominicæ nativitatis mortisque Epocham magnâ diligentiâ, nec minori rei Chronologicæ peritiâ defendit, & objectiones in contrarium allatas feliciter solvit P. Possinus, S. J. tribus epistolis ad Papebrochium datis, quæ operi Papebrochiano *de Vitis Pontificum* præmissæ sunt.

* Op. Chro. differt. c. 2. artic. 1. n. 3. 4. 5.

IV. Sed missis quæ ad Æræ vulgaris causam spectant, ad excutiendum primum Petri in urbem adventum progrediamur. Hunc ad annum II. Claudii, Æræ vulgaris XLII. communiter referunt scriptores Pontificii, ad primum Schelstratius. Neutro id fieri posse manifestum est. Cùm enim ipse Claudius non ante Februar. 1. renunciatus sit Imperator; in tam turbato rerum statu, nutantibus Imperii Romani fatis, multa erant in suam, multa in Reipublicæ salutem disponenda, antequàm de Herode Agrippâ in regnum Judææ reponendo cogitaret. Quid quòd Edictum in Judæorum * gratiam per universum orbem missum, non nisi jam Consul II. designatus promulgavit Claudius. Quod etsi eodem anno fieri poterat, vix nisi exeunte factum esse verisimile est: Ut ante annum proximum, licèt festinaret, in patriam ægrè redire potuit Herodes. Multa erant ei cum Cæsare, multa cum amicis, quibuscum diù Romæ vixerat, transigenda: multa tam longinquo itineri necessaria, paranda: haud modicum temporis spatium in conficiendo itinere insumendum; multa in Judæam: multa Hierosolyma venienti, primisque regni curis incumbenti ordinanda [de quibus Josephus cap. 5.] priusquàm ad persequendos Christianos, Jacobum capite plectendum, Petrumque carceri mancipandum, animum appellere potuit. Et hæc quidem omnia paucis mensibus, certè ante Festum Paschale peragi potuisse, quis credet? In annum itaque sequentem, Claudii III. Herodis ultimum, rejicienda videtur Petri ante-paschalis custodia, consentientibus penè omnibus magni nominis chronologis.

* Ap. Joseph. l. 19. c. 4. p. 647.

V. Petrus ministrante Angelo vinculis solutus, profectus est, inquit Sanct. Lucas, *in alium locum*, i. e. Romam, ut uno penè ore interpretes Romani. Esto; sed neque hoc modo XXV. annorum ratio constabit, cùm à Claudii III. ad Neronis XI. ann. Christi LXV. quo Petrum Martyrium subiisse penè certum est, non intercedant nisi anni XXI. cum aliquot mensibus. Quod verò de hoc Romam adventu somniant, gratis omnino dictum est. Altum de eo apud Veteres silentium. Silet imprimis Historia Apostolica, quæ de hoc aliove adventu nè verbulum habet. Non omnes res à Petro gestas prosecutum esse Lucam Evangelistam Baronio † facilè largimur. Verùm tam egregium & nobile Petri factum, si quid unquam aliud memoratu dignum, quâ facie, quâ fide prætermitti potuit? Res longè minoris momenti à B. Petro gestas accuratè recenset Lucas; Profectionem Samaritanam Act. VIII. 14. ad Samaritanos in fide confirmandos, Philippi ministerio nuper conversos; Lyddensem, ad Æneam saluti suæ restituendum; Joppensem, ad Tabitham à mortuis resuscitandam; non taciturus utique profectionem Romanam ad fundandam nobilissimam in totius orbis Metropoli Ecclesiam, quæ omnium Ecclesiarum Mater & vertex futura erat, & in quâ recognoscendâ omnium mortalium verteretur salus, si hoc tempore contigisset. Petrum igitur libertati redditum Antiochiam potiùs, vel aliqua Orientalis loca concessisse arbitror, ut Gentilibus suis, τοῖς ἐν τῇ διασπορᾷ, ipse circumcisionis Apostolus prædicaret.

† Ann. 34. n. 285. ann. 39. n. 12.

VI. Anno XLVII. Conversionis suæ circiter XIV. Paulus Hierosolyma repetens, Petrum ibi convenit, Galat. II. 1. 9. occasione, ut videtur, Concilii Apostolici de rituum Mosaicorum observantiâ eo ipso anno Hierosolymis habiti, cujus Petrus pars magna fuit. Non diu post finitam synodum Petrus Antiochiam petiit; ubi aliquamdiu moratus est, cum Paulo congressus, qui ei in faciem restitit, Galat. II. 11. Hujus Concilii tempus mirè confundit Baronius, † ut occasione Edicti Claudiani Judæos urbe pellentis, Petrum Româ ad hunc Synodum venisse fingat: cum ex Orosio * certum sit, idque ipse Orosius Josephi authoritate firmat, Claudium non nisi nono regni sui anno, Judæos Edicto suo Româ pepulisse. Anno LIV. pro calculo nostro Paulus ad Romanos scripsit Epistolam, cujus capite XVI. penè integro per plures fide & pietate Christianâ admodùm illustres, Romæ tum consistentes, nominatim salutat, debitisque ornat præconiis: De Petro nè levissima mentio. Anno LVII. ipse Paulus Romam, captivus ducitur. Occurrunt ei fratres ad Appii Forum. Conveniunt Romæ Judæorum Primores, at his Petrus nusquàm comparet. Durante biennali captivitate Paulus inde scripsit quatuor vel quinque Epistolas, ad Colossenses, Ephesios, Philippenses, & Philemonem, in quibus nullæ notæ, nulla indicia, undè vel divinando quis assequi possit, Petrum Romæ vel tunc esse, vel unquam fuisse; imò non pauca, quæ contrarium planè innuere videntur. In Epistolâ ad Colossenses, cap. IV. qui secum erant Romæ socios recenset, ex circumcisione verò solos Aristarchum, Marcum, & Justum *qui soli sibi erant adjutores in Regno Dei, soli sibi solatio.* Petrum vel sociam operam denegâsse, vel Paulum illud silentio tegere voluisse.

† Vid. ad an. 39. n. 15. ann. 51. n. 1. 3.

* lib. 7. c. 6. fol. 297.

———credat *Judæus Appella*,
Non ego———————

In posteriori ad Timotheum, quam hoc etiam tempore scriptam esse maximè est probabile, *in prima sua defensione neminem sibi adfuisse, sed omnes se deseruisse*, disertè nos docet; quod de Petro vel suspicari religio est. Carcere Romano liberatus, dum adhuc in Italiâ hæreret, scripsit epistolam ad Hebræos; sub cujus finem meminit Timothei vinculis soluti, secúmque ad illos venturi, non omissurus hâc occasione Petri labores, curas, ærumnas, quas Romæ, vel in Occidente, Christi causâ pertulisset. Adeò ut tota Historiæ Apostolicæ series

Petrum

Digitized by Google

Petrum hactenus Romæ non fuisse, suadere videatur.

VII. Vidimus quo successu ex Historiâ sacrâ præsidium quærunt; qui Petrum anno II. Claudii Romam contendisse volunt. Videamus jam an ex Antiquitate Ecclesiastica res illis fœliciùs cedat. Et primò quidem ad Athanasium & Leonem M. nos remittit Schelstratius † hunc quinti, illum quarti sæculi scriptorem, rerum in ipsis rei Christianæ incunabulis gestarum testes haud satis idoneos. Sed utrumque frustra. Inspiciantur loca, & nisi quidlibet ex quolibet exculpatur, citiùs aquam è pumice, quàm duplicem Petri Romam adventum, ex iis elicias. Athanasius Apolog. de fug. suâ, p. 554. Πέτρος μὲν ὁ διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων κρυπτόμενος, καὶ Παῦλος ὁ Ἀπόστολος ἐν σαργάνῃ χαλασθεὶς καὶ φυγὼν, ἀκούσαντες, εἰς Ῥώμην δεῖ ὑμᾶς μαρτυρῆσαι, οὐκ ἀνεβάλοντο τὴν ἀποδημίαν, χαίροντες δὲ μᾶλλον ἀπῆλθον, καὶ ὁ μὲν ὡς πρὸς τοὺς ἰδίους σπεύδων, ἐγάννυτο σφαζόμενος, ὁ δὲ καὶ παρόντα τὸν καιρὸν οὐ κατέπτηξεν, ἀλλὰ καὶ ἐκαυχᾶτο λέγων, ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι, καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἀναλύσεώς μου ἐφέστηκε. *Petrus quoque qui ob metum Judæorum in latebris se habuit, & Paulus Apostolus in sportâ demissus, & ita fugiens, cùm audiissent oportere se Romæ martyrium subire, non abjecerunt eam profectionem, sed potiùs cum gaudio abierunt, & alter etiam antea quàm Judæos fugeret, gestiebat se mactari, alter verò præsens tempus non exhorruit, sed gloriabatur dicens, Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* Decepit hominem parùm in Græcis exercitatum Latina P. Nannii versio. Non sum nescius codicem Anglicanum habere, ὁ μὲν πρὸ τοῦ, τοὺς Ἰουδαίους φεύγων. Et ad hanc fortè lectionem versionem suam concinnavit Nannius. Sed aliter legunt omnes codices, tam editi quàm MSS. & certum est, Athanasium de unâ eâdemque Petri fugâ loqui. Leo M. Serm. LXXX. *in natal.* Apost. Petri, c. 3. 4. pag. *Cùm duodecim Apostoli acceptâ per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum evangelio mundum; distributis sibi terrarum partibus, suscepissent; Beatissimus Petrus princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur Imperii——nec mundi Dominam times Romam, qui in Caiaphæ domo expaveras sacerdotis ancillam; nunquid aut judicio Pilati, aut sævitiâ Judæorum minor erat, vel in Claudio potestas, vel in Nerone crudelitas?* Soli ex Imperatoribus Romanis in Christianos hactenus sævierant Claudius & Nero, quorum proindè potestatem & crudelitatem parvi pendere potuit Petrus, etsi Romæ sub Claudio nunquam fuerat. Hoc quippe loco non Historici munere fungitur Leo, sed Oratoris, ad magnificiendam Petri fortitudinem, omnes ingenii & eloquentiæ nervos intendentis.

† Dissert. l. c. 5. art. 4. n. 3. p. 89.

VIII. Post Athanasium & Leonem, ad Eusebium in Chronico provocat Schelstratius, ubi ad annum Domini XLIII. hæc habentur. *Petrus Apostolus cùm primus Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam mittitur, ubi Evangelium prædicans* XXV. *annis ejusdem urbis Episcopus perseverat.* Sed cùm in excerptis Eusebianis quæ Græcè hodiè supersunt, nihil hujusmodi reperitur; incertum planè est, hæcne ad Eusebium, an ad Hieronymum ejus interpretem, qui Chronicon Eusebianum multis in locis interpolavit, referenda sint. Ipsius Eusebii esse existimat Dodwellus * noster, & Eusebium hac in parte receptos ante sua tempora calculos secutum, juxta quos Dominum nostrum Æræ vulgaris anno XXIX. Tiberii XV. Rubellio & Fusio *Geminis* Coss. passum esse, & in cœlos ascendisse crediderunt Veteres, & ab eodem anno Petri episcopatum, veluti Romanæ successionis originem numerare solebant. Et ita quidem, ut alios taceam, *Catalogus* Bucheanus, à Cuspiniano primùm, dein à Bucherio, Henschenio, Papebrochio, & Schelstratio editus, *Passus est Dominus noster Jesus Christus duobus Geminis Coss. VIII. Cal. Aprilis, & post ascensum ejus Beatissimum Petrus Episcopatum suscepit.* Numerantes igitur Petri Episcopatum ab anno Christi XXIX. Martyrium ejus post XXV. annos ad initium Imperii Neroniani anno LIV. collocarunt, omne illud intervallum ab ascensione Christi usque ad Lini electionem, Romano Petri Episcopatui deputantes. Cum verò videret Eusebius hæc cum Historiâ Evangelicâ nequaquam convenire, sed post *Geminos* Consules, festa quædam Paschalia ad explendam Historiam Dominicam superesse, nec tamen certò sciret quo Neronis anno Petrus martyrium passus sit, in annum Neronis XIII. reverà ultimum, illud rejecit; atque ita retrò numerando, primum XXV. annorum Petri in annum II. Claudii reponebat. Hæc, ni fallor, ex mente viri clarissimi; acutè quidem, quàm solidè judicent alii. Certè ut suspicer Eusebium hæc Chronico suo minimè inseruisse, non leviter me movet, quod in Historiâ Ecclesiasticâ, quam absoluto jam chronico accuratè scripsit, nil tale habet; nulla ibi annorum Petri, nulla de episcopatu suscepto, martyriive anno vel die mentio; immò nec uspiam Petrum Romanum Episcopum disertè dicat. Auctor quidem est lib. 2. cap. 13. 14. Petrum ad occurrendum Simonis Magi præstigiis Romam sub Claudio venisse. Rem refert, annum non exprimit. Fucum bono viro fecisse videtur decantatissima de Petri cum Simone congressu fabula, nescio ex quâ incertâ & insulsâ traditione hausta: non aliunde forsan, quàm quòd Simonem Romæ sub Claudio fuisse, & ob artes magicas magno in honore habitum referant, Justinus * Martyr, & Irenæus †, qui tamen de Petro ejusve cum Simone Romæ congressu, ne verbum habent certissimo mihi argumento, nondum natam esse hanc fabulam, cujus primus, quod sciam, ineunte sæculo IV. meminit Arnobius *. Ad Hieronymum itaque interpretem Eusebianum res redit, qui tum in chronici versione, tum catal. de script. Eccles. cap. 1. disertè tradit Petrum anno 2. Claudii ad expugnandum Simonem magum Romam perrexisse, ibique XXV. annis cathedram sacerdotalem tenuisse. Quæ unde hauserit Hieronymus, an ex vulgari traditione, an ex malè intellecto Lactantii loco, referentis Apostolos Evangelium per annos XXV. usque ad principium Neroniani imperii per omnes Provincias prædicasse, (uti non inscitè conjicit Baluzius) haud satis liquet.

* Dissert. sing. de succ. Rom. Pont. c. 3. p. 13.

* Apol. 2. p. 69. 91.
† Advers. Hær. l. 1. c. 20. p. 115.
* Advers. Gent. l. 2. p. 23.

IX. Postremò Schelstratius ad catalogos Romanorum Pontificum confugit, qui quidem uno ore & longo satis agmine testantur, Petrum cathedram Romani Episcopatûs XXV. annis habuisse. Verùm quanta sit horum catalogorum fides, nemo nescit; qui varias à variis additiones, & interpolationes, suo quisque tempore, passi sunt; unusque ex altero commentis novis subinde additis, exscribi solet. Sed omnium antiquissimus, & Liberii Papæ tempore concinnatus, Bucherianus dictus, hæc habet: *Petrus annis* XXV. *mense* 1. *diebus* 9. At hunc etiam mendis vitiisque insigniter scatere manifestum est. Fœdissimis librariorum erroribus depravatus est. Quod satis ostendit exemplarium etiam editorum discrepantia. Multa habet secum pugnantia; multa vetustioribus Pontificum Romanorum Fastis, prout apud Irenæum, Epiphanium, Optatum, Augustinum, aliósque istorum temporum Scriptores extant, contraria; non pauca ex chronici Eusebiani versione deprompta. Præter annos, menses etiam, diésque Pontificum emortuales adjicit, antiquioribus ignotos, & vix ante sextum sæculum usurpari solitos: Cletum, eumque ab Anacleto diversum,

diversum, reclamante penè omni Veterum auctoritate, inserit; eique annos, menses, diesque suos tribuit, quos nullos habuit: Et hos quidem alios à mensibus, diebusque Anacleti, quos ab antiquioribus, qui Cletum alium ab Anacleto non agnoscunt, habere non potuit; ut rectè observat Cl. Dodvellus †, qui etiam hujus catalogi auctoritatem ævo Liberiano recentiorem esse, & ad sextum sæculum relegandum arbitratur, nec alium illum quàm secundi catalogi circa annum DXXX. sub Justiniano conditi, quemque ex Christinæ Reginæ codice primus edidit Henschenius, abbreviatorem: qui assumpto sibi Damasi nomine, catalogum in contractiorem formam redegit, & in Liberio desinebat, ne Pontifices Damaso posteriores commemoraret; Et hunc primum libri Pontificalis fontem esse, Damaso vulgò tributi. Hanc conjecturam pluribus, iisque minimè protritis observationibus & exemplis illustrat simul & confirmat vir eruditissimus, quæ lectoribus φιλαρχαίοις discutienda relinquimus. Utut sit, catalogum Bucherianum ætatem quam præ se fert Liberianam habere, nec ullis scatere mendis concederemus: fatendum tamen erit, sententiam de Petri annis XXV. nullum habere testem anno CCCLIV. vetustiorem.

† Dissert. sing. c. 7. n. 2. &c. c. 8. n. 2. c. 9. n. 1. 11. c. 15. num. 13. p. 224. & alibi passim.

X. Restat Lactantii testimonium, quod verè crucem illi figit, Schelstratio diluendum. Huic nihil aliud reponit *, quàm eo loco Lactantium non negare Petrum sub Claudio Romam venisse, aut ibi XXV. annis sedisse; sed solùm dicere, Apostolos à morte Christi, usque ad principium Neroniani Imperii, per annos XXV. prædicasse Evangelium. Ain' verò? Audiatur ipsemet Lactantius † *Dispersi sunt per omnem terram ad evangelium prædicandum, sicut illis magister Dominus imperaverat, & per annos XXV. usque ad principium Neroniani Imperii, per omnes Provincias & Civitates Ecclesiæ fundamenta miserunt. Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit, & editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipsius Dei datâ sibi ab eo potestate faciebat, convertit multos ad justitiam: quâ re ad Neronem delatâ-----primus omnium persecutus Dei servos, Petrum cruci adfixit, & Paulum interfecit.* Ex quibus verbis mente læsus sit oportet, qui alium sensum extundere queat, quàm post Christi in Cœlos Ascensum XII. Apostolos per varias orbis terrarum provincias & civitates Evangelium per XXV. annos prædicasse: Cùmque Nero jam Imperii gubernacula teneret, Petrum demùm Romam venisse, & fundatâ ibi Ecclesiâ crucem subiisse. Quod enim suggerit Schelstratius potuisse Petrum, salvo Lactantii testimonio, sub Claudio etiam in urbe fuisse, falsum planè est; nec ullis fidiculis ex his verbis extorqueri potest: Immò apertissimè repugnant.

* Dissert. 1. c. 5. art. 4. n. 4. p. 90.

† De morte persecut. c. 2. p. 28.

XI. Ut huic dissertatiunculæ finem tandem faciamus; non immeritò dubitari potest, an propriè loquendo, Petrus Romæ Episcopus dici debeat. Laxiori quidem sensu Romanum Episcopum dici posse, quatenus hujus Ecclesiæ fundamenta posuit, eamque martyrio suo illustrem reddidit, mecum opinor fatebuntur omnes tam veteres, quàm recentiores. Romanæ verò Cathedræ tanquam peculiarem Episcopum affixum esse, ægrè patitur muneris Apostolici ratio; nec ulla nos docent primæ vetustatis monumenta. Irenæus * qui Pontificum Romanorum successionem primus tradidit, ita habet: Θεμελιώσαντες οὖν καὶ οἰκοδομήσαντες οἱ μακάριοι ἀπόστολοι τὴν ἐκκλησίαν Λίνῳ τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρισαν, *Fundatâ jam & ædificatâ Ecclesiâ beatissimi Apostoli Episcopatûs officium Lino tradiderunt.* Nec aliter Eusebius *; Post Pauli Petrique martyrium πρῶτος τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας κληρῶσαι τὴν ἐπισκοπὴν Λῖνος, *Primus Ecclesiæ Romanæ Episcopatum suscepit Linus.* Quin ex veteribus qui Romanum Episcopatum Petro adjudicant sociam etiam Pauli operam, & commune ministerium agnoscunt, eique ejusdem dignitatis prærogativam, eandem cum Petro curam, tum in fundanda, tum in regendâ Ecclesiâ Romanâ constanter tribuunt. Loquatur pro omnibus Epiphanius †, qui Ecclesiarum Archiva non indiligenter rimatus est. Ἐν Ῥώμῃ γὰρ γεγόνασι πρῶτοι Πέτρος καὶ Παῦλος οἱ Ἀπόστολοι αὐτοὶ καὶ Ἐπίσκοποι, εἶτα Λῖνος, *Romæ primi omnium Petrus & Paulus Apostoli pariter atque Episcopi fuerunt; inde Linus,* &c. Et mox, Ἡ τῶν ἐν Ῥώμῃ ἐπισκόπων διαδοχὴ ταύτην ἔχει τὴν ἀκολουθίαν· Πέτρος καὶ Παῦλος, Λῖνος; *Romanorum Pontificum ista successio est: Petrus & Paulus, Linus,* &c. Eadem & alii, si modo iis recensendis immorari vellem. Καὶ ταῦτα μὲν περὶ τούτων In quæ, nescio quo suavi Antiquitatis amore, longiùs me traxit opus Schelstratianum Urceum institui, currente rotâ exiit amphora.

* Advers. Hæres. l. 3. ap. Euseb. l. 5. c. 6. p. 170.

* L. 3. c. 2. p. 71.

† Advers. Carpocrat. Hæres. 27. n. 5. p. 107.

S. PAULUS, *Saulus* anteà vocatus; Patriâ Cilix, Civitate Tarsensis, ortu Judæus, tribu Benjaminita, sectâ Pharisæus, ante σκηνοποιὸς, sæcularibus erat literis satis eruditus, in Jure Hebræo ad pedes Gamalielis educatus: dum patriæ religionis zelo immane quantum flagraret, modo planè mirabili ad fidem Christi conversus, Discipulus fit & Apostolus Anno Chr. 33. exeunte, saltem ineunte proximo. Quo Judæorum invidiam declinaret, mox secessit in Arabiam, ibique ferè per triennium moratus, an. 36. Damascum rediit; ubi ex insidiis Judæorum elapsus, Hierosolyma se contulit, Petrumque convenit, Gal. 1. 18. Anno sequenti ab Hellenistis fugatus, Tarsum profectus est, unde ann. 42. à Barnaba Antiochiam ducitur, ibique per annum integrum commorati sunt, Act. xi. 25. 26. An. 44. urgente fame, eleemosinas Hierosolyma deportarunt, mox jubente Spiritu S. ad Evangelium Gentilibus prædicandum ordinati sunt, in quo munere obeundo duobus sequentibus annis varia loca peragrarunt, de quibus Act. xiii. xiv. Anno 47. Synodo Hierosolymitanæ intererant, inde Antiochiam redierunt. Sequenti anno Paulus assumpto Silâ, ad munus Evangelicum se iterum accinxit, quò verò profectus est nos docet S. Lucas, Act. xv. xvi. xvii. an. 49. Corinthum venit, ibique Aquilam & Priscillam reperit Act. xviii. 1. 2. Corinthi sesquiannum moratus, an. 50. in Syriam navigavit, inde Hierosolyma petiit, mox Antiochiam reversus. Anno 51. ineunte Ephesum venit, ubi triennio egit, Act. xviii. 21. 31. Inde in Macedoniam & Achaiam, Act. xix. 21. xx. 1. Ann. 54. Corinthum iterum profectus, inde Hierosolyma se contulit, quo de itinere agit S. Lucas Act. xx. Hierosolymis in templo agens à Judæis apprehensus, coram Felice accusatur, à quo in vincula conjectus biennio detinetur. Ann. 56. cùm Cæsarem appellâsset, à Festo, Felicis successore, Romam mittitur, & adultâ jam hyeme Melitam insulam appulit: totum hujus navigationis cursum accuratè describit S. Lucas, Act. xxvii. an 57. Romam abductus est, & sub curâ Burrhi prætorio Præfecti, viri optimi, & humanitatis pleni in libera custodia per biennium detinetur. Anno 59. carcere solutus, ad consuetum Evangelii prædicandi munus se recepit, & sequentibus annis Asiam, Cretam & nonnulla forsan Occidentis loca peragravit, anno 63. vel proximi initio, Romam rediit, ubi occasione conflagrationis Neronianæ eodem anno capite truncatur. Martyrium passus, innuit S. Clemens epistola ad Corinthios ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, 33.

i. e.

Digitized by Google

i. e. interprete Patr. Junio, *sub Imperatoribus*; rectiùs fortasse Dodvvellus noster, *sub Prætorio Præfectis*, quippe in locum Burrhi anno 62. mortui, suffecti sunt duo Prætorio Præfecti, Fenius Rufus, & Sophonius Tigellinus, teste Tacito Annal. l. 14. p. 257.

Extant ab eo Scriptæ *Epistolæ* XIV. ad Ecclesias ex gentibus collectas IX. de curâ & munere Pastorali IV. ad Hebræos unica; has prout in sacro habentur Canone, ordine recensebimus.

Epistola ad Romanos, secundo Pauli ad Corinthum adventu, anno 54. scripta, in qua mentio fit Narcissi, qui hoc ipso anno periit.

Epistola prima ad Corinthios, dum Ephesi ageret, anno 53. ante Pentecosten, & priusquam venerit in Macedoniam, scripta, capit. 16. versic. 5. 8.

Epistola secunda ad Corinthios, eodem ut videtur anno exeunte, dum in Macedonia hæreret, missa; idque per Titum, quem eò destinârat, ut Corinthiorum in eleemosynis altera jam vice colligendis diligentiam excitaret.

Epistola ad Galatas, qua seipsum & Doctrinam Evangelicam adversùs Judaizantium hæreticorum calumnias fortiter vindicat. Scriptam esse Anno 53. idque ante epistolam ad Corinthios primam, dum in Asia ἱκανὸν χρόνον Apostolus, conjicit Cl. Dodvvellus.

Epistola ad Ephesios data, ut videtur, Romæ anno 59. eodem circiter tempore, quo à prima captivitate Romana dimissus est.

Epistola ad Philippenses, eodem loco, eodemque tempore scripta..

Epistola ad Colossenses, quos Epaphras à Paulo missus, ad fidem converterat; per eum igitur hanc Epistolam hoc eodem anno 59. Româ mittit.

Epistola prima ad Thessalonicenses, Corintho An. Chr. 49. scripta, statim postquam illuc venerant Silas & Timotheus Vid. Act. XVIII. 5. 1. Thess. III. 6.

Epistola secunda ad Thessalonicenses, paulò post priorem scripta, quo verò loci haud adeò certum sit.

Epistola prima ad Timotheum, quem Ephesi reliquerat, scripta anno 63. dum è Macedonia, alterâ jam Vice Romam, saltem in Occidentem, contenderet.

Epistola secunda ad Timotheum, scriptam esse Romæ, in prima Pauli captivitate, contendit Cl. Hammondus. Sed errat omnino vir eruditissimus; quisquis enim totius epistolæ contextum omnesque hujus temporis circumstantias seriò perpenderit, quin scripta sit anno 64. paulò ante Apostoli Martyrium, dubitare nequit.

Epistola ad Titum, quem primarium Cretæ Episcopum ordinarat, data anno 63. è medio aliquo loco inter Macedoniam & Nicopolim, illîc enim hyemare decreverat.

Epistola ad Philemonem, non infimi nominis apud Colossenses, virum ad quem scripsit Paulus Romam jamjam relicturus, anno Christi 59.

Epistola ad Hebræos, post biennalem Romæ Custodiam, dum Romæ adhuc, saltem in Italia hæreret, anno 59. scripta. Nomen quidem Pauli, reliquarum instar, in fronte non gerit; ejus tamen esse eruditi ferè omnes consentiunt. Certè à Divo Paulo Hebraicè conscriptam, à Luca Evangelista, vel S. Clemente, vel, ut alii, à Barnaba, Græcè versam esse judicarunt Veteres, ap. Euseb. l. 3. c. 38. & Hieronymum de script. c. 5. à nonnullis verò repudiata est, teste eodem Eusebio, lib. 3. c. 3. Quod ab Ecclesia Romana pro certa ac genuina Pauli epistola non haberetur.

SPURIA.

Epistola ad Laodicenses, per quam nihil aliud quàm Epistolam ad Ephesios intelligit Tertullianus, adv. Marcionem lib. 5. cap. 11. 17. Unde etiam Epiphanius, Hæres. 42. locum quendam à Marcione ex Epistola ad Laodicenses citatum exhibet, qui in hodierna ad Ephesios epistola reperitur; extat quidem Gr. hodienum epistola ad Laodicenses, sed spuriam esse nemini non constat. Habetur in Hutteri Testamento Novo XII. Linguarum, *Norimbergæ* 1599. & exinde in Joan. Leusdeni *Philologo Hebræo Græco*, Dissert. 4. & forsan alibi non semel.

Ἀναβατικὸν, sive *Ascensio*, quam occasione ἐκστάσεως Paulinæ, ei affinxerunt Cajani hæretici; magni faciebant Gnostici, de quo vide quæ habet Epiphanius, Hæres. 38. n. 2.

Apocalypsis, quam etiam sæculo quarto à credulis Monachis maximopere deprædicatam memorat Sozomenus *, quæque in cistâ marmoreâ in S. Pauli ædibus apud Tarsum monitu divino effossa, reperiri falsò dicta, eximiam apud Orientales venerationem obtinuit. Eam non immeritò sugillat Augustinus Tract. 98. in Joannem, in fine. * L. 7. c. 19.

Actus Pauli memorantur ab Origene †, & Eusebio *; indubitatæ verò fidei scriptis non annumerant. † Περὶ ἀρχ. l. 1. c. 2. * L. 3. c. 3.

Epistolæ sex ad Senecam, unà cum octo Senecæ ad Paulum, Augustini & Hieronymi ævo in pretio nonnullo habitæ, extant apud Sixtum Senens. Biblioth. Sanct. lib. 2. & cum tractatu, de quatuor Cardinalibus Virtutibus, *Lond.* 1523. 4°. *Venet.* 1588. 8°. Quisquilias esse, vel primo intuitu patet: verùm ejusmodi nugis refellendis immorari hominis esset, & suo & lectoris otio nimium abutentis. Cæterùm Pauli quædam, quæ in Epistolis ejus non extant, citat Clemens Alexandrinus, Strom. pag. 636.

Stylus Paulinus rudis planè, ac simplex à Veteribus judicatur; gravitatem tamen spirat quandoque etiam eloquentiam; Πάντων ἐν παρασκευῇ λόγων δυνατώτατος, νοήμασί τε ἱκανώτατος, ut de eo Eusebius *. *Inter omnes Apostolos, & verborum apparatu, & sententiarum pondere facilè præstabat.* De ejus scribendi genere hæc olim Irenæus †, *Hyperbatis frequenter utitur propter velocitatem sermonum suorum, & propter impetum, qui in ipso est, Spiritûs.* De eo sic Epiphanius *, Ὥσπερ ἀκοντιστὴς ὁ Ἀπόστολος δεινὸς διεστραμμένα ῥήματα τῶν λόγων εἰς μέσον ἐμβαλὼν, ἀσαφῆ μὲν, καὶ ἐπικεκαλυμμένην εἰς βάθος τῶν ἀναγνωσμάτων τὴν ἐξεργασίαν, ἀληθεστάτην δὲ, καὶ ὀρθόδοξον, καὶ μηδὲν ἔχουσαν ἀπημελημένον, ἢ δύσφημον· τοῖς μὲν γὰρ μὴ μετὰ σπουδῆς, ἀλλ᾽ ἀγεννῶς ἐκπίπτουσι τοῖς λόγοις, ἀσυνάρτητα ἔσθ᾽ ὅτι δοκεῖ, καὶ ἀσύμφωνα λέγειν, τοῖς δὲ αὖ σπουδαίως, καὶ λογισμῷ νήφουσι, ὁπόσης τάξεως ἔμπλεα καὶ ἀληθείας. *Etenim Apostolus, velut peritissimus quidam jaculator, contortas verborum sententias in medium emittens, ut obscuram, profundissimisque sensibus occultatam orationem instituit, sic verissimam rectaque fidei consentaneam, quæ nihil aut negligentius dictum, aut absurdum continet. Qui enim non studiosè, sed oscitanter in illius sermones incurrunt, iis nonnunquam minus sibi consentanea, ac cohærentia dicere videtur. Qui verò operam adhibent, & sobriâ, atque experrectâ mente in illos incumbunt, ex ordine omnia, ac rei veritate pronunciata judicant.* Quàm audacter in sermonem Paulinum virgam censoriam movet Hieronymus, vide sis ad Algas. Quæst. 11. pag. 169. Quæst. 11. ad Hedib. p. 151. in Ephes. 3. p. 216. Com. in Gal. 3. pag. 170.

* L. 3. c. 24.
† L. 3. c. 7.
* Hæres. 64. n. 29.

S. MATTHÆUS, *Levi* itidem dictus, patriâ 51.

Digitized by Google

tria forsan Galilæus, quin &, si Arabico vitæ ejus Auctori à Kirstenio * edito standum sit, urbe Nazareth oriundus, patre *Ducu* dicto, matre *Karutiâ*, ex tribu Issacharis. Ex publicano, infami apud Judæos munere, ad Apostolatum eum Christus vocavit. Quo in cœlos sublato, doctrinam Evangelicam toto duodecennio per Judæam prædicavit; inde in Æthiopiam Asiaticam se contulit ibique in civitate *Naddaver*, vel ut alii, Hierapoli in Parthiâ, Martyrium passus est, circa annum 60. Primus fuit, qui Evangelium scripto consignavit. Cùm enim Hebræis primò fidem prædicasset, inde ad alias quoque gentes profecturus, Evangelium suum patrio sermone conscribens, id quod præsentiæ suæ adhuc superesse videbatur, scripto illis, quos relinquebat, supplevit, ut nos docet Eusebius. * Et quidem Historiam suam Evangelicam Hebraicè scripsisse, miro sanè consensu tradunt Veteres; adeò ut totius penè antiquitatis testimonio refragari hac in re nefas sit. De quo vide quæ in Vitâ ejus alibi notavimus. Scripsisse Evangelium suum VIII°. à Christi resurrectione anno vulgò dicitur; quod tamen ad annum à Christi assumptione XV. referunt Author Chronici Alexandrini, & Nicephorus †; & sanè cùm ante annum à Passione Christi XII. Apostolis Judææ finibus egredi non licuit, vix ante ann. XV. Christi XLVIII. finitâ jam Synodo Hierosolymitanâ, ad suam quisque sortem abierunt, adeò ut paulò ante Matthæus Evangelium suum condidisse videatur.

* Pag. 22.
* L. 5. c. 24.
† L. 2. c. 45.

Hoc Evangelio, sed multis in locis fœdè adulterato, posteà soli ferè usi sunt Nazaræi, Ebionitæ, &c. Fragmenta ejus hinc inde è Scriptoribus vetustis collecta exhibet Grotius, Annotat. in Matth. cap. 1. quibus adjicere licet ab eo prætermissa bina quæ apud Origenem exstant, alterum benè longum, Tract. 8. in Matth. alterum breviusculum, Tom. 2. in Joan. Ex eodem desumpta videtur sententia illa Christi (Ἐν οἷς ἂν ὑμᾶς καταλάβω, ἐν τούτοις καὶ κρινῶ) quæ habetur apud Justinum Mart. in Dial. cum Tryphone, Origen. Hom. quadam in Hierem. item August. Exemplar ejus in Bibliothecâ suâ Cæsariensi reposuit Pamphilus Martyr; alterius quoque Berœæ in Syria Hieronymo * exscribendi copiam fecerunt Nazaræi. Addam denique, quæ habet Theodorus Lector †, sub imperio Zenonis in Cypro repertas fuisse Barnabæ Apostoli reliquias, super cujus pectore repositum erat Evangelium Matthæi, ipsius Barnabæ manu descriptum. Deposuit illud Zeno in palatio in æde S. Stephani. Evangelium Matthæi Hebraicum edidisse se gloriatus est Seb. Munsterus. Verùm totum opus ex sua, saltem Impostoris alicujus, officina prodiisse, ementito fucatum titulo, satis constat. Quis Evangelium Matthæi in Græcum Sermonem transtulerit, an Apostolus quis, an Apostolorum Comes, [Synopseως Athanasianæ Author * id S. Jacobo Minori, Theophylactus † S. Johanni ascribunt] parum certi constat. Græco sanè exemplari constanter usa est Ecclesia Catholica.

* De script. c. 2.
† Hist. Eccl. l. 2. non longè ab init.
* P. 493.
† Præf. in Matth. p. 2.

Denique habetur Latinè in Bibliotheca Patrum (sub nomine Canonis Universalis) *Liturgia* D. Matthæo inscripta; opus, si quid aliud, spurium, & recentioris sæculi fœtus: & inter Hieronymi Opera, Tom. IV. Liber *de Ortu sive Nativitate B. Virginis*, cujus Procemium ipsum ab Hieronymo ex Matthæi Opere Hebraïcè scripto Latinè conversum esse splendidè mentitur.

31. S. JACOBUS Apostolus, ob distinctionem à Jacobo Majori ab Herode occiso, *Minor* dictus, cognomento *Justus*, frater Domini, Josephi utpotè ex priori uxore, seu ut Chrysostomo, Hieronymoque * placet, Mariæ sororis Matris Domini filius. Post Christi in cœlos ascensum ab Apostolis [δεσποτικῇ τῇ χειρί, inquit Photius †, Christo scilicet Apostolorum manus dirigente] primus Hierosolymorum Episcopus consecratus est. Procurante Anano juniore Pontifice, à Synedrio damnatur, & de pinnâ templi præcipitatus, semivivus adhuc fullonis fuste caput percussus interiit, An. LXI. Vir ob pietatem, & summam vitæ sanctimoniam ipsis etiam Judæis venerabilis: adeò ut non aliam ob causam mala illa, quæ Judæos obsessis Hierosolymis afflixerunt, contigisse, quàm propter scelus in Jacobum admissum, ipse Josephus † fateatur. Cathedram ejus Episcopalem suo adhuc tempore servatam, & magna veneratione habitam fuisse refert Eusebius *. Quædam de illo ex Evangelio Nazareno habet Hieronymus †. Scripsit, paulò, ut videtur, ante mortem, Epistolam Catholicam Judæis, ἐν τῇ διασπορᾷ, Christianam præcipuè doctrinam professis; ut doceret, inutilem prorsus esse Christianæ fidei professionem, nisi cum vitæ puritate, & sanctitate conjuncta sit: de quâ ita Eusebius *; ἰστέον δὲ, ὡς νοθεύεται μὲν, &c. *Sciendum verò, eam veluti spuriam rejectam esse. Sanè pauci admodùm ex vetustioribus ejus mentionem fecerunt*: paulatim verò (*inquit Hieronymus*) procedente tempore obtinuit authoritatem. Exstat iterum sub ejus nomine Πρωτο-ευαγγέλιον, in quo de Domini nostri, & B. Mariæ natalibus præcipuè agitur; in cujus fine testatur se, tumultu Hierosolymis ab Herode concitato, in desertum se subduxisse, ibique illud conscripsisse. Primus ex Oriente advexit Gul. Postellus, qui genuinum Jacobi opus esse strenuè contendit, ac in Ecclesiis Orientalibus tanquam indubitatæ fidei publicè legi jactitavit; quin & illius nugas D. Marci Evangelii principio assuere non dubitavit, notante Usserio, *Biblioth. Theol.* MS. p. 11. Verùm opus esse suppositum nemo non videt. Habetur Gr. Lat. inter Orthodoxographa, Tom. 1. p. 71. Deniq; citatur à Concilio sexto in Trullo *, Can. 32. & etiamnum exstat sub Jacobi nostri nomine, *Liturgia* Græcè Paris. 1560. pag. 3. G. L. Actuar. 1624. Tom. 2. Verùm non longè ante illud Concilium conficta videtur: Jacobi non esse neque ævi Apostolici liquidò satis ostendunt vocabula in ea frequenter usurpata θυμίαμα, θυσιαστηρίου πύλαι, τρισάγιον, *hymnus Cherubicus*, θεοτόκος, ὁμοούσιος, *Templa*, *Monasteria*, *Confessores*, aliaque diu post D. Jacobi ævum nata & excogitata. Demonstrant id ritus, precumque formulæ, à sæculo Apostolico prorsus alienæ, quod cuivis inspicienti ad oculum patebit. Ut mirum planè videri debeat, viros cæterà doctissimos, Leonem Allatium, dissertatione hac de re editâ, quam *Symmistis* suis inseruit, part. 1. p. 176. & Cardinalem Bonam de Reb. Liturg. l. 1. c. 8. §. 3. hanc liturgiam tanquam genuinum S. Jacobi opus tueri; quamvis à posterioribus interpolatam, nonnullis additis vel detractis, vel pro opportunitate temporis immutatis, non inficiantur. Rejicit hanc Liturgiam, ut & illam D. Marci Theodorus Balsamon * Respons. ad Interrogat. Marci Patriarchæ Alexandrini, ubi notat eas nec Canonum Apostolicorum LXXXV. nec Laodicenæ Synodi LIX. quibus utriusque Testamenti scripta, librique Apostolici, qui in usu nobis esse debent, enumerantur; neque denique ab Ecclesia CP. agnitas esse, pronunciamus igitur, *inquit*, non esse has recipiendas: Etsi enim ab iis factæ essent, παντελῶς ἀπραξίας κατεψηφίσθησαν, ὡς καὶ ἄλλα πολλὰ *ab omni usu vacare jubentur, ut & alia multa*; quod in sequentibus pluribus demonstrat.

* De Script. c. 2.
† Epist. 117.
† Ap. Hiero. de Script. c. 2.
* L. 7. c. 19.
† Loc. cit.
* L. 2. c. 23.
* Per Concilium sextum in Trullo, intelligitur Quini-sextum, Trullanum dictum. Concilii Sexti propriè dicti, in Trullo itidem habiti Appendix.
* Jus Gr. Rom. l. 5. Respons. 1. p. 365.

Digitized by Google

SÆC. I. à CHR. N. 31. S. JUDAS, Apostolus, idem qui *Thaddæus*, & *Lebbæus*, S. Jacobi Minoris frater, Josephi filius. Vid. Matth. XIII. 55. Docuit non modò apud Judæos, Galilæos, & Samaritas, sed & apud Idumæos, Syros, Arabes, Mesopotamitanos, tandemque in Perside, eò quod Magorum superstitiones liberiùs carperet, martyrio coronatus est circa annum 61. ut quidam volunt. Constat scripsisse illum Epistolam suam Canonicam post D. Petri posteriorem, utpote ex quâ plurima iisdem penè retentis vocibus in suam transumpserit. Epistolæ hujus, ut & Jacobi illius paucos ex veteribus meminisse testatur Eusebius *. Addit Hieronymus † à plerisque rejectam esse ob testimonium ex libro Enochi apocrypho in ea citatum, authoritatem tamen, vetustate & usu meruisse, & inter S. Scripturas computari. Seorsim ab aliis abit Ill. Grotius, qui hanc Epistolam Judæ cuidam juniori, 15mo Hierosolymorum Episcopo, qui Adriani temporibus claruit, attribuit: utque conjecturam suam verisimiliorem redderet, ait, voces istas, quæ in fronte Epistolæ exstant [*Frater Jacobi*,] à scribis appositas esse. Id verò asserit, nullius antiqui codicis fide, nullo Veterum Testimonio fultus, ac proinde neutiquam in hac re audiendus. Quin & illi apertè refragatur Epiphanius *, cujus authoritatem alibi † mirè deprædicavit Grotius.

*Loc. cit.
†De Script. c. 4.
*Hær. XXVI. cap. 2.
† Annotat. in Apocalypsin.

31. P. II. S. JUDAS, Josephi, qui B. Virginis sponsus erat, ex priori conjugio juxta veteres filius, Jacobi Minoris frater germanus, claruit ab initio Apostolatu anno Christi XXXI. Jacobi fratrem non alio animo in fronte Epistolæ se vocat, quàm quòd Jacobus, tùm propter loci, cui tunc præsidebat, præeminentiam, (primus, utique Hierosolymorum Antistes; tùm propter martyrii, quod non ita pridem subierat, prærogativam, summamque totius vitæ sanctitatem, omnibus admodùm gratus acceptusque fuerat, ab ipsis etiam Judæis magno in honore habitus Vitæ instituto, ante susceptum Apostolatum, agricolam fuisse Judam, non obscurè testatur Constitutionum Apostolicarum compilator, lib. II. c. 63. p. 303. Certè Hegesippus apud Eusebium, lib. III. c. 20. p. 89. de Judæ nostri nepotibus disertè refert, quod apud Domitianum delati, quasi ex Regia Davidis stirpe prognati essent, ab eoque interrogati, quantas possessiones quantumve pecuniæ haberent, responderunt; facultates se nequaquam in argento habere, sed solummodò in æstimatione agrorum; novem scilicet ac triginta jugerum; ex quorum fructibus, & tributa persolverent, & sibi ipsis, non sine proprio labore, victum compararent. Quo tempore catholicam suam epistolam scripsit Judas noster, non certò liquet. Non desunt qui eum circa annum LXI. martyrio coronatum esse volunt, ut alibi monuimus. Verùm id nulla ratione stare potest. Scripsisse post B. Petri mortem, saltem post secundam ejus epistolam, manifestissimum est. Eosdem male-feriatos homines depingit, Petrique de iis verba penè ubique retinet. Quos in Ecclesia exorituros Petrus prædixerat ipse actu exortos fuisse tradit. *Subintroierunt*, inquit vers. 4. *quidam homines* ἀσεβεῖς, *Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem Deum, Dominumque nostrum Jesum Christi abnegantes.* Vers. 8. *Hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem blasphemant.* Vers. 10. *Hi autem quæcunque ignorant, blasphemant, quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Væ illis quia in via Caïn abierunt*, &c. Οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες συνευωχούμενοι ὑμῖν, *sine timore semetipsos pascentes, nubes sine aqua*, &c. Vers. 16. *Murmuratores querulosi, secundùm desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstûs causâ.* Vers. 19. *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes.* Monetque suos, Vers. 17. 18. *Ut memores sint verborum quæ prædicta fuerant ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant eis quoniam in novissimo tempore venient illusores secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus.* Quod disertum est B. Petri monitum, idque ipsissimis illius verbis 2. Epist. cap. 3. Hâc descriptione Apostolum nostrum Ebionitas præcipuè designare, nullus dubito, perditissimum hominum genus, qui Christianis tunc temporis Pellæ degentibus se immiscentes, Christi Religionem impiis dogmatibus, & moribus turpissimis corrumpere satagebant. Quicquid enim, horrendum, perniciosum, abominabile, informe, odiosque plenum ex singulis sectis corradere poterant, nempe à Samaritanis, Judæis, Osscæis, Nazaræis, Cerinthianis, Carpocratianis, id omne, teste Epiphanio *, in se transfuderunt, & Christianorum nomen habere voluerunt. Unde Ebionem πολύμορφον τεράστιον vocat Epiphanius, eumque multicipitis Hydræ serpentariam formam in semetipso expressisse dicit. Ut igitur Christianos tunc Pellæ versantes opportunè moneret, & pestilentem hanc hæresin in herba comprimeret, Apostolus Judas Epistolam hanc scripsisse videtur, novisque his monstris, è regione circa Pellam erumpentibus, opposuisse. Ut proclive sit cum Cl. Dodwello * conjicere, eam anno LXXI. vel saltem sequenti scriptam esse. Christiani quippe Domini oraculo præmoniti, ante urbem à Romanis obsessam, Pellam Regionis Decapolitanæ civitatem prope Batanæam confugerant. Expugnata est à Tito & excisa Urbs Hierosolymitana anno Christi LXX. Sequenti ipse Titus Romam rediit. Eo profectò, Christiani, ut videtur anno LXXII. in urbem reversi sunt; id quod in Annalibus suis disertè refert Eutychius Patriarcha. Medio igitur tempore, circa annum LXXI. certè ante reditum ex Pellâ, Judas Epistolam suam scripsisse censendus est. Si enim seriùs id factum fuisset, Symeonis germani sui, paulò pòst in sedem Hierosolymitanam subrogati, non minùs quàm Jacobi, in Inscriptione meminisset. Catholicam Judæ Epistolam ex veteribus citat Clemens Alexandrinus Pædag. lib. III. cap. 8. p. 239. qui & eandem scholiis breviusculis illustravit. Hanc Clementis expositionem, ut & in reliquas Epistolas Canonicas, in Latinum sermonem transferri olim fecit Cassiodorus, ipsomet teste de Divin. Institut. cap. 8. p. 454. sed ità, ut *exclusis quibusdam offendiculis* [quæ scilicet incautè locutus erat] *purificata doctrina ejus securior posset hauriri.* Latinè extant hodie hæc Clementis scholia, tum in Bibliotheca Patrum, tum ad calcem sermonis Clement. *de Divite servando*, Edit. Oxon. p. 127. an eadem prorsus, quæ vertit Cassiodorus, pro certo non ausim affirmare.

*Hæres. 30.
*Dissert. 1. in Iren. n. 14. p. 15.

S. JOANNES, Apostolus, & Evangelista, patriâ Galilæus, Zebedæi, & Salomes filius, Jacobi Majoris frater junior, è cymba piscatoria, in qua pater illum educaverat, ad Piscaturam hominum (i.e.) Apostolatum, à Christo vocatus est, anno 31. Discipulus ille fuit, quem præ cæteris Dominus amavit, quem in sinu suo reposuit, & cujus curæ, ac tutelæ matrem suam moriens commendavit. In sortitione Provinciarum orbis per Apostolos facta, Asiam ei obtigisse ex Origene memorat Euseb. †. ubi officii sui partes summâ curâ & diligentiâ Apostolicâ fœliciter adimplevit. Tandem, erumpente persecutione Ann. 95. Domit. XIV. apud Domitianum accusatus, Romam à Proconsule mittitur, ibique in oleum igneum demersus 31.

†L. 3. c. 1.

SÆC I. à CHR. N.

ſus, referente Tertulliano *, illæſus evaſit: quo facto, in Patmon Ægei maris inſulam, eodem anno exeunte, relegatur. Interfecto Domitiano, Epheſum rediit, Ann. Chr. XCVII. in qua, ut & in regionibus circumvicinis, reliquum vitæ tranſegit, & circa exitum ſæculi Apoſtolici, An. Chr. C. Trajani III. juxta Euſebium & Hieronymum, anno uno aut altero, centenario major, [quamvis Chryſoſtomus † & Dorotheus * an. 120. eum obiiſſe dicant] in domino placidè obdormivit. Chronicon verò Alexandrinum, & fôrſan longè rectiùs, mortem ejus refert ad an. CIV. ab Aſcenſione Domini LXXII. De tempore ejus obitûs multa accuratè atque eruditè, ut ſolet, notavit Hen. Dodwellus, Addit. ad Pearſoni Diſſert. 2. c. 5. Mitto, quæ de ejus ſepultura & tumulo nonnulli Veterum tradunt, fabulis potiùs, quàm hiſtoriis accenſenda. Scripſit dum in Patmo erat, ann. Chr. XCVI. Domit. XV. Apocalypſin, quâ futurum Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatum, quamplurimis viſionibus ei præmonſtratum, depingit. In Monaſterio quodam hujus inſulæ, teſte Bellonio †, hodienum aſſervatur cadaveris manus, cui ungues, quoties reſecantur, ſuccreſcunt. Hanc Græci D. Johannis manum eſſe aſſerunt quâ iſthic Apocalypſin ſuam exaravit. De hoc libro, ſimul ac Authore ejus multi Veterum diu dubitarunt, quin & repudiarunt penitus, ac refutarunt, nec veram eſſe Revelationem, nec Johannem eſſe ejus Authorem, immò non modò Apoſtolorum neminem, ſed ne ullum quidem è Sanctis, & Eccleſiaſticis viris hujus libri fuiſſe conditorem contendentes: qua de re vide Dionyſium Alex. apud Euſeb. lib. 7. c. 25. Tandem verò ſummo totius Eccleſiæ conſenſu tanquam genuinus Apoſtoli Johannis fœtus receptus eſt. Non improbabilis videtur Cl. Grotii * conjectura, ideò à nonnullis opus iſtud Joanni Presbytero D. Joannis diſcipulo aſcriptum fuiſſe, quod ei ab Apoſtolo cuſtodiendum committeretur. Rogatus ab Aſiæ Epiſcopis ſub finem vitæ, circa an. CIV. Evangelium ſuum conſcripſit, partim ut naſcentes Cerinthi, & Ebionitarum blaſphemias refelleret, aſſerentium Chriſtum ante Mariam non fuiſſe; [unde ea præcipuè tractat, quæ ad divinam Chriſti naturam demonſtrandam faciunt;] partim ut cæterorum Evangeliſtarum defectus ſuppleret, quod & fecit: de quo vide ſis, Euſeb. l. 3. c. 24. Addam ſolùm, quod habet Epiphanius †, Evangelium Johannis de Græca lingua in Hebræam tranſlatum, in Judæorum Tiberiadenſium Gazophylaciis aſſervari, καὶ ἐν ἀποκρύφοις repoſitum fuiſſe. Scripſit etiam Epiſtolas tres, quarum prima, quæ, teſte D. Auguſtino *, *Parthis* olim inſcripta erat, Catholica vocatur; nec de hâc ulla unquam erat Controverſia. Poſteriores duæ Johanni cuidam juniori, Epheſi etiam habitanti, olim aſcribebantur. Verùm eas poſtea communis conſenſus, & maturum Eccleſiæ judicium approbavit: licèt ab hodiernâ Eccleſiâ Syriacâ pro genuinis nondum habeantur. Tres haſce Epiſtolas ſcripſiſſe videtur ann. Chr. XCVII. poſt reditum ex Patmo; primam quidem dum Epheſi hæreret; ſecundam, cùm viſitationem Aſiaticam in animo jam haberet; tertiam, dum in ipſâ peregrinatione adhuc eſſet. Quod ſtylum S. Joannis attinet, notavit olim Dionyſius Alex. † eum in Evangelio & Epiſtolâ primâ non emendatè ſolùm locutum fuiſſe, verùm etiam ſummam elegantiam tùm in verbis, tum in argumentationibus, & in tota orationis compoſitione adhibuiſſe, Dominum ſcil. hæc duo ipſi conceſſiſſe, ſcientiam ac ſimul eloquentiam: at verò in Apocalypſi dictionem ejus non admodùm Græcam deprehendi, ſed barbariſmis potiùs, atque interdum ſolœciſmis inquinari. Non obſtante tamen viri hujus ſanctiſſimi judicio, cuivis notum eſt, dictionem ejus Syriaſmis abundare, eumque voces quaſdam peculiares, & exoticas adhibere, quæ in reliquis Scriptoribus ſacris non reperiuntur.

* De Præſcipt. c. 36.
† Serm. de S. Joan. To. 6. p. 505.
* Synopſ. in S. Joa. p. 157.
† Obſerv. l. 2. c. 11.
* Comm. in Apoc. c. 1.
† Hæreſ. 30.
* Quæſt. Evan. l. 2. c. 39. vid. Poſſid. indic.
† Apud Euſeb. loc. cit.

SÆC. I. à CHR. N.

NICODEMUS, Phariſæus, inter primores Judæorum clarus, deinde Chriſti diſcipulus, 34.
quem noctu primò adiit, Joh. III. 1. 2. poſtea à Phariſæis accuſatum in Synedrio tutatus eſt, Joh. VII. 50. ac crucifixi Domini corpus aromatibus conditum ſepulchro intulit, Joh. XIX. 39. Clar. ab an. 34. De morte ejus nil certi liquet. Extat ſub ejus nomine *Evangelium de paſſione & reſurrectione Chriſti*, Hieroſolymis in Pontii Pilati Prætorio, Theodoſio M. imperante, reperiri, ac ex Hebraico in Latinum ſermonem converti dictum [quod tamen ſpurium eſſe facilè conſtat] Lat. in *Orthodoxogr.* p. 643. Prodierat antea *Lipſiæ* 1516. 4°. Saxonicè id in Bibliothecâ S. Benedicti Cant. extare nos docet Welocus, not. ad Hiſt. Bedæ p. 77. 78.

S. BARNABAS, Joſes, ſeu Joſeph priùs 34.
dictus, patriâ erat Cyprius, genere Levites, unus è LXX. diſcipulis, qui pro pietate ſua agrum, quem habebat, vendidit; obtulitque pecuniam & in uſum naſcentis Eccleſiæ depoſuit ad pedes Apoſtolorum. Unà cum S. Paulo [in cujus proinde vitâ geſta ejus, quorum in Hiſtoria Apoſtolicâ fit mentio, ferè recenſentur] gentium Apoſtolus ordinatus, varias Orientis provincias peragravit, Eccleſias fundavit, fundatas ſtabilivit. Sunt, qui volunt eum Romæ prædicaſſe, ac Mediolani etiam Eccleſiæ fundamenta poſuiſſe, iſtiuſque ſedis primum Epiſcopum factum eſſe. Alii eum Alexandriæ docuiſſe volunt. Probabile eſt ſub vitæ finem in Cypro, inſulâ natali, martyrio coronatum fuiſſe, ubi poſtea regnante Zenone, reliquiæ ejus repertæ ſunt. * Aſcripta ei erat olim Epiſtola ad Hebræos, quod ex Tertulliano † liquet. Extat etiam hodie ſub ipſius nomine Epiſtola G. L. ſtylo ſatis obſcuro & involuto, quæ in quæſtionibus & argumentis adverſùs Judæos penè tota verſatur; ſed quæ ab Euſebio * inter τὰ νόθα recenſetur; ubi libri νόθοι, ut rectè notat Cl. Valeſius, ipſi non ſunt prorſus adulterini, ſed qui duntaxat ambiguæ ſunt authoritatis, & in ſacræ Scripturæ Canonem non admittebantur, quos proinde τοὺς ἀντιλεγομένους ſuprà vocaverat, id quod etiam de iis quæ de Epiſtola Jacobi, Judæ, Petri 2. Johannis 2. & 3. Apocalypſi, &c. ibidem habet, manifeſtò liquet. Certè quicquid de hac Epiſtola dicant recentiores Critici, eam Barnabæ noſtro conſtanter adſcribunt Veteres. *Nemo certè fuit*, inquit ὁ πάνυ Ceſtrienſis † noſter, *qui hanc Epiſtolam Barnabæ non tribuerit, neque in ea quidquam apparet, quod eam ætatem non ferat.* Quæ in contrarium profert V. Cl. Steph. Moynius, * levia ſunt, nulliuſque ponderis. Si genuinus eſſet B. Barnabæ partus, *inquit*, non video quaſi inter Scripturas Canonicas non relata fuiſſet: parentis dignitas, Apoſtoli nempè Barnabæ, Pauli Apoſt. ſocii, & de Eccleſia inſtar aliorum Apoſtolorum tam benè meriti, illi locum inter libros ſacros proculdubiò vindicaſſet. Sed an non idem de S. Clementis Epiſtola ad Corinthios dici poterat, quam tamen genuinam eſſe, nemo, quod ſcio, unquam negavit? Objicit, 2. Epiſtolam poſt excidium Hieroſolymitanum ſcriptam eſſe, ut potè in quâ fit mentio templi everſi & deleti, diu poſtquam rebus humanis ereptus ſit Barnabas. Innuit id fateor Epiſtolæ author, ſed obſcurè. At unde pro certo habet, Barnabam ad ann. uſque LXX. quo

* Theod. Lector, l. 2.
† De pudicitiâ, c. 20.
* L. 3. c. 25.
† Lect. ſecunda in Act. App. §. 10.
* Prolegom. in Var. Sacr. tom. 1.

wa-

SÆC. I. à CHR. N. πανολεθεία ista Judaica contigit, vitam non protelasse? Certè non negant Veteres, apud quos altum de tempore mortis ipsius silentium; non obstat hominis ætas, quò minùs credamus illum octogesimum ætatis annum attigisse. Tertiò objicit, plurima in ea ex Apocryphis ac lacunis Judaicis derivata, more Apostolicis prorsus insolito, memorari. Verum hæc objectio æquè ferit Epistolam ad Hebræos, & Epistolam Judæ, ubi plurima ex Apocrypho Enochii libro desumuntur; ut & de secunda ad Timotheum, in qua *Jannis & Jambris* fit mentio nil dicam. Denique quod B. Polycarpo hanc Epistolam tribuendam censet vir doctiss. nova quidem est, sed infirmâ planè conjecturâ. Epistola Barnabæ, autorem ortu Hebræum nec levi religionis suæ scientiâ imbutum luculenter prodit, ac proinde Barnabæ Levitæ optimè congruit, & quidem tum materiâ, tum stylo scribendique genere tantùm ab illâ Polycarpi distat, ὅσον ὐρανὸς ἐς ἀπὸ γαίης. Nec aliud opinionis suæ fundamentum habet, quàm quòd in plerisque Codd. MSS. Epistolæ Polycarpianæ absque ullo authoris nomine adjungatur. Unde desertâ tandem propriâ conjecturâ, se hoc tantùm hæsitanter exponere fatetur, nec conjecturam suam ut κυρίαν δόξαν admittendam jubet. Verùm quicquid de autore fiat, sive Barnabas is sit, sive alius quispiam, Epistolam ipsam vetustissimam esse, & sæculo natam Apostolico consentiunt ferè omnes: unde à Clemente Alexandrino, & Origene tanquam genuina sæpius citata sit. Quin & Origenes * eam Barnabæ Catholicæ Epistolæ titulo insignire non dubitavit. Primus hanc Epistolam è tenebris eruit, & prelo Oxoniensi subjecit Rev. Usserius 1643. verùm impressione nondum ad umbilicum perductâ exemplar totum, unà cum schedis jam impressis, gravi incendio periit. Partem sanè Græci, quo usus est Usserius, MS. Codicis non exiguam, etiamnum videre est in Bibliotheca ejus Theolog. p. 530. ubi quicquid ab antiquis Scriptoribus è S. Barnabæ Epistola Græcè citatum reperiri poterat, cum textu Græco Codicis MS. è regione posito confertur: additâ etiam ad latus veteri versione Latinâ ex MS. etiam Codice deprompta, ut eo modo accuratior institueretur collatio. An. 1645. H. Menardus una cum antiqua admodùm versione & notis doctissimis edidit *Parisiis*, 4°. Anno sequente Cl. Is. Vossius Epistolarum Ignatianarum calci subdidit, *L. Bat.* An. 1672. Johan. Cotelerius eam Patribus suis Apostolicis inseruit, *Paris.* Prodiit etiam Oxonii, an. 1685. 12°. in qua editione quæcunque in Græco textu desunt ab antiquo Interprete Latinè exhibita, quæcunque etiam in interprete desiderantur ex Græco suppleta, minio obducuntur. Novissimè Steph. Le Moyne Theologus Leidensis fusissimis Commentariis illustratam inter Varia sua Sacra exhibuit, *L. Bat.* 1685. 4°.

* L. 1. contra Cels.

34. *P. II.* S. BARNABAS Apostolus claruit ab anno Christi XXXIV. Catholicam ipsius Epistolam post Exterminium Templi Hierosolymitani *i. e.* post annum Domini LXX. scriptam esse, ipse satis apertè prodit cap. 16. quo de Templo agit, Edit. Oxon. p. 94. Ut planè concidit toties repetita Cl. le Moynii objectio, quamque invictum argumentum vocat, Barnabam non esse hujus Epistolæ auctorem, eò quòd obierit multò antequàm Templum Hierosolymitanum funditùs everteretur, sub Nerone utique, in Cypro, Martyrio coronatus. Et hanc communem sententiam esse dicit. At quænam, amabò, fuerit hæc communis sententia? quâ veterum autoritate nixa? Quum nec ipse ullum pro hac sententia testem profert. Et quæ gratis dicta sunt gratis rejiciuntur. De hâc Epistolâ alibi egimus, eamque adversùs Le Moynii exceptiunculas fusè vindicavimus. Paucula tamen etiam hoc loco Lectorem monuisse non erit supervacaneum. Allegoriis plena est; & mystagogica: Fateor, sed eo nomine doctrinæ quam à teneris unguiculis imbiberat, & contribulium suorum indoli & institutis, magis congrua. Neque in ipsis Novi Testamenti libris allegorica de Agar, Melchisedec; Bestiæ Romanæ nomine θηρίῳ, aliaque hujus commatis plura desiderantur. Quod de imminente rerum fine habet, cum omnibus ferè Apostolis idem sentit. Si qua occurrunt de ætate mundi; de Chiliade fœlici, sive mundi sabbato, de mundo sex millibus annorum duraturo, tandemque in septimo millenario seu Sabbatico desiente; per creationis Hexameron, & Sabbati sive septimæ diei gaudium & festivitatem [quando Deus quievit ab omnibus operibus suis) adumbrato; eadem ferè habent Petrus & Joannes; Collegii Apostolici columnæ; eadem primorum sæculorum Patres, qui septimæ rerum chiliadis sub Adventu Christi Domini fœlicia & planè sabbatica gaudia ubique deprædicant; tradit id disertè & luculenter Lactantius, lib. VII. cap. 14. tradit Iræneus, libro V. capit. 23. ut de aliis; multò magis de Judæis gentiumque philosophis; nil dicam. Neque invitus id fatetur ipsemet Le Moynius. * *Hæc fuit*, inquit, *sententia omnium ferè Patrum, ad quam Platonici & Pythagorei proximè videbantur accedere; suam verò istam doctrinam ab ipsis Hebræis hausisse, nullus est paulò humanior, & litteraturâ Judaicâ & Cabalisticâ imbutus, qui hoc facilè non sibi persuadeat.* Vide quæ ex Veteribus concessit eruditissimus Cotelerius, Not. in S. Barnab. p. 31. 32. &c. Certè cum hâc sententiâ Epocha Josephi & Ecclesiæ Græcæ, Ægyptiorum, Chaldæorum aliorumque Orientalium, quin & ipsorum Sinensium chronica non malè conveniunt. Verum, his missis, ad alia pergamus. Singularis est forsan, ingeniosa tamen eruditissimi Dodvvelli * conjectura posteriorem epistolæ Barnabeæ partem, ejus Διδαχὴν, fuisse à reliquo Διδαχῶν corpore divulsam; idque colligi posse ex his verbis, unde incipit, Μεθαβῶμεν δὲ καὶ ἐπὶ ἑτέραν γνῶσιν καὶ ΔΙΔΑΧΗΝ. Ecquis est qui non videat, quàm aptè locum habere potuit in ipso Διδαχῶν corpore hæc transitio? Hæc ut rectiùs intelligantur, sciendum est, sublatis de medio Apostolis, Basilidianos, Valentinianos, aliosque secundi seculi hæreticos; quò malas suas merces misero popello speciosiùs venditarent, fictas quasdam traditiones quasi ab Apostolis acceptas in vulgus proseminasse. His ut se statim opponerent Catholici, veras & genuinas Διδαχὰς καὶ κηρύγματα, quæ primæ successionis seniores, qui cum Apostolis versati fuerant sibi tradidissent in medium proferebant, & quisque prout poterat hujus vel illius viri Apostolici sermones & prædicationes colligebat. Hinc Διδαχὴς & Διδασκαλίας τῶν Ἀποστόλων Κλήμεντος, Ἰγνατίου, Πολυκάρπου, Ποιμένος ἢ Ἑρμᾶ, frequens in stichometriis mentio. Hinc traditiones seniorum sive presbyterorum, qui ipsos Apostolos viderant & audierant, toties ab Irenæo allegatæ; quem etiam Ἐπίδειξιν Ἀποστολικοῦ κηρύγματος contexuisse memorat Eusebius. * Has Διδαχὰς sigillatim collectas in unum tandem corpus redegit, additis subinde aliis laciniis corrasis. Constitutionum Apostolicarum compilator, quarum in ipsis, quas habemus hodie, Apostolorum Constitutionibus manifesta vestigia cernuntur. In hâc collectione

* Not. ad Ep. Barnab. p. 848.

* Differt. 1. in Iren. nu. 51. p. 56.

* Hist. Eccl. lib. 5. c. 26

Digitized by Google

SÆC. I. à CHR. N. locum ſuum habere poterat poſterior Epiſtolæ Barnabæ pars, ad Mores Chriſtianorum ritè formandos apprimè utilis: Quidni etiam Clementis Homiliæ, ſive ut vulgò vocatur, Epiſtolæ ſecundæ, quod etiamnum ſupereſt fragmentum? Conſtat enim etiam ex hodiernis Διαταγαῖς, non ſolùm myſtica, ſoliſque Epiſcopis & Doctoribus communicanda, ſed & plurima ſimplicioribus, qui primis fidei elementis imbuendi, & ad vitam verè Chriſtianam formandi erant, impertienda contineri. Eſt aliud de hâc Barnabæ Epiſtola notandum. In more apud veteres poſitum erat, ut Polycarpi, Barnabæ & Ignatii Epiſtolæ in eodem codice, quandòque nulla interpoſita diſtinctione, deſcriberentur. Inde forſan evenit, ut Hieronymus unam pro alterâ citaverit, Dial. adverſ. Pelag. l. III. pag. 297. *Ignatius vir Apoſtolicus & Martyr ſcribit audacter; elegit Dominus Apoſtolos qui ſuper omnes homines peccatores erant.* Quæ verba non in Ignatianis, ſed in Barnabæ Epiſtolâ hodie reperiuntur, capit. 5. pap. 22. Ὅτε δὲ τοὺς ἰδίους Ἀποςόλους μέλλοντας κηρύσσειν τὸ εὐαγγέλιον αὐτοῦ ἐξελέξατο, ὄντας ὑπὲρ πᾶσαν ἁμαρτίαν ἀνομωτέρους. *Tunc Apoſtolos ſuos, qui incipiebant prædicare Evangelium ſuum elegit, qui erant ſuper omne peccatum peccatores.* Simili planè errore deceptus eſt non ita pridem D. Rullæus Concionator Batavus, qui cùm in vetuſtum Bibliothecæ Mediceæ codicem incidiſſet, in quo continuâ ſerie exaratæ erant Polycarpi & Barnabæ Epiſtolæ, eaſque in ſuum uſum deſcripſiſſet, inæſtimabilem ſe theſaurum poſſidere ubique crepabat, Polycarpi nempe epiſtolam editis duplo auctiorem. Verùm inſpecto penitiùs codice, mox deprehenſum eſt, nihil aliud continere præter Polycarpi & Barnabæ epiſtolas, hanc principio, illam fine mutilam, nulla adhibita diſtinctione deſcriptas, ſolo Policarpi nomine fronti codicis præfixo. Cujus rei hiſtoriam prolixè & ad nauſeam uſque recenſet Steph. Le Moinius Prolegom. ad Varia Sacra; qui proinde has Epiſtolas eodem tenore exhibuit. Primum erroris fontem exinde natum eſſe veriſimile fit, quod quaternione ex medio primævi alicujus codicis, Librarii culpâ, vel temporis injuriâ omnia quæ ex eo codice deinceps deſcripta ſunt exemplaria eodem defectu laborarent. Unde factum eſt, ut in nonnullis codicibus MSS. Polycarpi Epiſtola in fine, Barnabæ in initio deficit, & ut in codice Mediceo videre eſt, utraque ne linea quidem abrupta arctiſſimè conjuncta. Notare hoc loco liceat Græcè extare Biblioth. Vindob. Cod. Theol. CCCII. num. 3. fol. 554. anonymi cujuſdam interpretationem nominum Hebraicorum, quæ in Epiſtolâ S. Barnabæ Apoſtoli occurrunt, teſte Neſſelio Catal. part. I. p. 407. Novam hujus Epiſtolæ editionem, hactenùs editis longè accuratiorem V. V. CLL. Dodwelli annotationibus, & Bernardi curis illuſtratam, diu expectavimus. Parata eſt prælo, & ni fallor, penes D. Millium latet. Ne tenebris diutiùs damnetur, oramus omnes.

35. SIMON, *Magus* dictus, gente Samaritanus, ortus è vico Gitton, claruit anno 35. & deinceps. Tantam apud populares ſuos authoritatem præſtigiis & magicis artibus adeptus eſt, ut magnam Dei virtutem ipſum eſſe exiſtimarent. Philippi demùm Diaconi apud Samaritanos prædicantis miraculis obſtupefactus, fidem Chriſtianam profiteri præ ſe tulit, Baptiſmo initiatus: mox miraculorum donum oblatâ pecuniâ à D. Petro licitari in animo habens, acriter eo nomine ab Apoſtolo correptus, hac voce rejectus eſt, *Pecunia tua tecum pereat.* Hanc repulſam ægrè ferens Simon, à fide Chriſtiana defecit, & ad ſolitum ſe contulit virus. Procedente tempore Romam profectus eſt, ubi præſtigiis ac veneficiis omnium in ſe ora oculoſque convertit. Verùm à D. Petro Romam eum ſecuto, diſputatione habitâ impoſturæ convictus, ad ſilentium redactus eſt: & [ſi nonnullis è ſequioribus Hiſtoricis credendum ſit] ejuſdem precibus miſeranda morte multatus. Inter Judæos ſeſe Dei filium eſſe, ſive Meſſiam jactitavit; inter Samaritanos Dei patris perſonam induit; inter Gentiles Spiritûs S. titulum ſibi vendicavit. Alia plura errorum ac blaſphemiarum portenta commentus eſt; quæ ſigillatim enumerant Irenæus, Epiphanius, Theodoritus, &c. & ut verbo dicam, Valentinianis, Gnoſticis, totique Hæreticorum peſti, tam dogmatibus quàm exemplo prævit. Scripſit [teſte authore Conſtitutionum Apoſtolicarum l. 6. c. 16.] peſſimos ac venenoſis ejus placitis paſſim refertos libros, quos venerandis Chriſti & Apoſtolorum nominibus ſuppoſuit. Idem [eodem teſte] fecit & Cleobius, & ipſe Hæreſeos à Simoniana non multùm abludentis conditor. Verùm utriuſque næniæ jamdudum perierunt.

PHILO, ortu Judæus, gente Alexandrinus 40.
de genere ſacerdotali, Alexandri Alabarchæ (ſummus is erat Judæorum apud Alexandriam magiſtratus) frater, claruit An. XL. Æræ vulgaris XLII. imperante Caio Caligulâ, Princeps legationis Romam miſſus, ut cauſam gentis ſuæ adverſus Appionem tueretur. At ſubinfenſior Caius eum dicere prohibuit: quin & in diſcrimen capitis adduxit. Quando ad ſuos converſus dixit, Philo, bono ipſos animo eſſe oportere; cùm Caius quidem ipſis ſuccenſeat, reipſa verò Deum ſibi hoſtem conſtituerit. Cùm ſecunda vice veniſſet ad Claudium [ſi modò vera referant Euſebius, * Hieronymus, † aliique] in urbe Roma cum Petro Apoſtolo ſermonem habuit, ejuſque coluit amicitiam. Addit Photius * eundem Chriſtianis etiam ſacris initiatum fuiſſe, ſed ab his dolore quodam & iracundiâ tandem deſciviſſe. Platonis ſcholæ ſe dedit, ejuſque Philoſophiam & facundiam penitùs imbibit: unde vulgatum illud, Ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει. Vir erat τὰ πάντα ἔνδοξος inquit Joſephus. *. Πολὺς γε μὴν τῷ λόγῳ, καὶ πλατὺς ταῖς διανοίαις, ὑψηλὸς τε, καὶ μετέωρος ἐν ταῖς εἰς τὰς θείας γραφὰς θεωρείαις γεγενημένος, ποικίλην καὶ πολύτροπον τῶν ἱερῶν πεποίηται, τὴν ὑφήγησιν, quod de eo habet Euſebius †, *Vir erat*, inquit, *in dicendo copioſus, in ſententiis locuples, in ſcriptura intelligentiâ ſublimis atque excelſus; variam ac multiplicem ſacrorum voluminum expoſitionem edidit.* Senſum Allegoricum præcipuè ſectatus eſt; quin & omnis Allegoricus ſacræ ſcripturæ ſermo, cenſente Photio, * ab eo in Eccleſiam promanavit. Scripſit præclara, & innumerabilia opera, quæ tanti ab hominibus habebantur, ut digna judicata ſint, quæ in publicis Romanorum Bibliothecis conſecrarentur. Extant ejus opera Gr. ex editione Turnebi, *Pariſ.* 1552. f. *Lat.* per Gelenium 1561. G. L. *Genevæ*, 1613. fol. auctiora, & typis nitidioribus, *Pariſ.* 1640. fol. hoc ordine.

* L. 2. c. 17. † De ſcript. c. 11. * Cod. 105. * Antiqu. Jud. l. 8. c. 10. † L. 2. c. 18. * Cod. 105.

De Mundi opificio.
Legis Allegoriarum libri, II.
De Cherubin, flammeo gladio, & Caini.
De Sacrificiis Abelis & Caini.
Quod deterius potiori inſidiari ſoleat.
De Agricultura.
De Plantatione Noe, Libri II.
De Tumulentiâ.
De his verbis, Reſipuit Noe.

De

SÆC. I. à CHR. N.

De Gigantibus.
Quod Deus ſit immutabilis.
De confuſione Linguarum.
Vita ſapientis per doctrinam perfecti, ſive *de legibus non ſcriptis*, viz. de Abrahamo.
De Migratione Abrahami.
De Congreſſu quærendæ eruditionis gratiâ.
De Profugis.
Quis rerum divinarum ſit hæres.
Vita viri civilis, ſive *de Joſepho.*
De eo, quòd à Deo mittantur ſomnia.
De vitâ Moſis, viz. *de Theologiâ, ac Prophetis, Libri* III.
De Charitate.
De Judice.
De Creatione principis.
De Fortitudine.
De Decalogo.
De ſpecialibus legibus, quæ referuntur ad tria Decalogi capita, *viz.* 3. 4. & 5.
De ſpecialibus legibus, quæ referuntur ad Decalogi capita, 6. & 7.
De Circumciſione.
De Monarchiâ.
De Præmiis Sacerdotum & honoribus.
De Animalibus idoneis ſacrificio, deque victimarum generibus.
De victimas offerentibus.
De Mercede meretricis non accipiendâ in ſacrarium.
Quòd liber ſit, quiſquis virtuti ſtudet.
De vitâ contemplativâ, ſive *Supplicum virtutibus.* Hoc libro agit de moribus & inſtitutis quorundam Aſcetarum, quos Therapeutas vocat; quos Chriſtianos fuiſſe operâ D. Marci in Ægypto à Judaiſmo converſos longâ argumentorum ſerie contendit Euſebius: quam rectè, viderint alii. Mihi certè ſecus videtur, rationes alibi * fuſiùs expoſui.

* Vit. App. in vit. D. Marc. Nu. 3.

De Nobilitate.
De Præmiis & Pœnis.
De Execrationibus.
Quod Mundus ſit incorruptibilis.
In Flaccum.
De Virtutibus, & Legatione ad Caium.
Quare quorundam in Scripturis mutata ſint nomina.
Sacræ leges Allegoriarum poſt ſex dierum opus, libri III.
De Somniis, quod à Deo immittantur.
De Mundo liber qui quidem dubius eſt.
De Septenario, & feſtis diebus.
De Providentiâ Dei Fragmenta II. ex Michaele Apoſtolio Byzantino deſcripta. Hucuſque Editio Pariſienſis.
De interpretatione ſeu mutatione Hebraicorum nominum, quæ in veteri Teſtamento inveniuntur, liber. Extat lat. ab Hieronymo verſus inter ejuſdem opera. Tom. III.
De Biblicis Antiquitatibus ab Adamo ad Sauli regis mortem, liber; quem nonnulli Philoni Biblio (quem exeunte hoc ſæculo claruiſſe volunt) alii Philoni noſtro tribuunt. Rectiùs illi qui utrique abjudicant, & nugivenduli cujuſdam recentioris opus eſſe cenſent. Habetur Latinè in Micropresbytico, *Baſil.* 1550. p. 295. inter hujuſmodi nugamenta, *Lugd.* 1560. 12°. & alibi.
Brevarium de Temporibus in duas partes diviſum. Incipit ab Adamo, deſinit in annum Chriſti LXXVIII. Philoni id ſuppoſuit, commentariis illuſtravit, & Latinè inter alios ejuſdem farinæ ſcriptores edi curavit Joannes Annius Viterbienſis; *Romæ* 1498. f. recuſum *Pariſiis* 1515. f. & alibi ſæpius. Ejuſdem commatis eſt liber de *Genealogiâ Chriſti*, qui cum Annii Commentariis Latinè extat, *Pariſ.* 1612.

40. *P. II.*

PHILO, Judæus ortu, patriâ Alexandrinus, claruit anno Chriſti XL. Inter Veteres nemo Philonem illuſtriori ornavit elogio, quàm Euſebius *, quem refert in patriis diſciplinis maximopere elaboraſſe, in Platonicâ & Pythagoricâ philoſophiâ omnes ſui temporis ſuperaſſe, in dicendo copioſum, in ſententiis locupletem, in Divinæ Scripturæ intelligentia ſublimem, atque excelſum. Alibique † τὰ οἰκεῖα πατρόθεν ἀκριβοῦντα, *qui res ſuæ gentis à majoribus acceptas, accuratè ac diligenter expendit.* Mirâ quidem dicendi vi ac venuſtate pollere nemo unquam negaverit, ut dictionis Atticæ puritate cum ipſo Platone certare videbatur; quo nomine tritum illud ei tribuerunt Veteres, *aut Plato Philonizat, aut Philo Platonizat.* Linguæ interim Majorum & Hebraiſmi prorsùs ignarus, Myſtes potiùs, quàm Theologus, Philoſophus non Sacerdos. Cùm Alexandriæ natus educatuſque fuerit, Scholæ Platonicæ doctrinam & ingenium penitiùs imbibit, mordicus retinuit, omnia ferè obtorto licet collo hùc trahens. Hinc nata ei νοῦς ἐνθουσιαστικὸς, & myſtica Philoſophandi ratio, reconditæ & ſupercœleſtes ſpeculationes: Hinc Platonis placita Moſaïcis immixta, Deique dogmata ad Academiæ ſenſum explicata: Hinc novæ & ſubtiles ratiunculæ ſolerter excogitatæ, undique conquiſitæ, à ſummi Legiſlatoris mente quàm maximè alienæ: Hinc ineptæ ac pueriles allegoriæ, abſurdæ longiùſque petitæ alluſiones utramvis faciunt paginam; Compta, arguta, detorta interpretamenta, quibus divina eloquia, totâmque legis Moſaïcæ faciem fœdè inquinavit. Vidit hæc olim, & in opprobrium vertit Celſus, Judaicæ pariter ac Chriſtianæ Religionis hoſtis accerrimus. Habentur ejus verba apud Origenem, lib. IV. contr. Celſ. p. 198. Αἱ γοῦν δοκοῦσαι περὶ αὐτῶν ἀλληγορίαι γεγράφθαι, πολὺ τῶν μύθων αἰσχίους εἰσὶ καὶ ἀτοπώτεραι, τὰ μηδαμῆ μηδαμῶς ἁρμοσθῆναι δυνάμενα, θαυμαστῇ τινὶ καὶ παντάπασιν ἀναισθήτῳ μωρίᾳ συνάπτουσαι. *Quæ igitur de his allegoriæ conſcriptæ ſunt, multò turpiores ſunt quàm ipſæ fabulæ, atque abſurdiores etiam, mirâ ſtultitiâ coaptare conantes quæ nullo modo cohærent.* Quâ cenſurâ Philonem notari non diffitetur Origenes, ipſe licet Philonis, in inepta hac interpretandi ratione, ſedulus imitator. Certè ex hoc fonte [Philonis ſcripta intellige] omnis allegoricus exponendi modus, notante Photio, in Eccleſiam Chriſti promanavit. Objecit idem Chriſtianis Porphyrius †, Celſo ætate ſuppar, malitiâ æqualis, eos nempe ad expoſitiones quaſdam, ἀσυγκλώστους, καὶ ἀναρμόστους, male-cohærentes, nec ſcripturis ipſis ſatis accommodatas, confugere. *Et poſtquam*, inquit, *ea quæ à Moſe apertiſſimè dicta ſunt figuras quaſdam, atque adumbratas imagines eſſe jactarunt, ac veluti oracula arcanis, plena myſteriis, Divino quodam cultu proſecuti ſunt, hujuſcemodi vanitatis præſtigiis mentis acie quodammodo faſcinatâ, expoſitiones ſuas deinceps proferunt.* Quo nomine Origenem acriùs carpit, quòd cùm allegoricum in explicandis Græcorum myſteriis modum didiciſſet, eum Judaicis ſcripturis adhibuit. Commodum accidit ut meum hâc in parte judicium, confirmaret vir clariſſimus Eduardus Bernardus, Doctor Theologus, & Aſtronomiæ in Academia Oxonienſi Profeſſor, haud ita pridem, Savilianus, Literis ad me dum hæc ſcriberem datis. "Philo Judæus, *inquit*, Hebraiſmi "nimis ignarus apparet, nomenclatuis ſolis con"tribulium ſuorum Hebræo-Græcis inſtructus.

* Hiſt lib. 2. c. 4. p. 43. c. 18. p. 58.
† Præpar. Evang. l. 7. c. 12. p. 324.
† Lib. 3. adverſ. Chriſtian. ap. Euſeb. Hiſt. l. 6. c. 19. p. 219.

Digitized by Google

SÆC. I. à CHR. N.

“Unde à versione septuaginta Doctorum ne versum aut verbum unicum in tantis commentariis unquam discedere potuit. Potuit tamen in vocum Hebraicarum interpretamentis pueriliter ludere. Cultu etiam philosophiæ idem Platone minor videtur, quàm ætate. Nihil enim extra trivium; in illo commentatore lego: dignum nihil Platonis discipulo, si dogmata Mosis ipsius exceperis. De Angelorum quidem officiis, ubi accuratior esse voluit, vera miscet falsis, de incorruptibili mundo falsus planè, ac futilis. Vides tamen ex indice Eusebiano, hujus Sophistæ opera pleraque in nostrum tempus perseverasse, quasi longa somnia hominis nimis otiosi, & cerebri sui, ceu mundi ipsius ideis figmentisque sibi perplacentis. Ille ergo cunctis operibus suis præter paucissima, in Pentateuchum Divini Mosis commentatus est, sententiis quidem nimium repetitis, dictionis tamen flore admirabili, delectuque. Allegorias præterea quibus abundant ejus libri, partim à priscis commentariis, quod sæpè lubens ille profitetur, partimque maximam partem ab ingenio suo derivavit: magno sanè litteraturæ sacræ & historiæ verissimæ damno, nisi is in plerisque traductionibus, ridiculus satis, nugarumque prodigus videretur. Mirum quidem Origenem nostrum sequi potuisse tam vanum doctorem. Sed facilitas fecit. Allegorias enim spargere in plebem exiguus labor. Virtutis tamen & pietatis erga Deum studium amoremque summum ubique explicat Philo, & quidem facundiâ vix imitabili. Quamobrem allegoriarum nugas illi facilius condonamus. Præterea Hierophantarum Ægyptiorum vitam sobriam & secretam, quam Herodotus, Diodorus, & Porphyrius diligenter describunt, imitabantur simul & in melius reformabant annis ante Christum natum CL. pars proba Judæorum Esseni, in Collegiis pietati operam dantes. Apta quidem satis Ægyptus erat tali politiæ, imò fami tolerandæ. Hanc adeò sectam eadem in regione postea vicerunt austeritate vitæ participes nostræ fidei, Antonius, Paulus & mille alii Ascetæ, patresque Ascetarum. Therapeutas denique Philonis Christianos esse maluit Eusebius Cæsariensis, ut solet scriptorum Veterum testimonia bonâ malâque fide undique ad evangelica sua comportare. De Therapeutis hisce quorum mores & instituta depingit Philo, quousque Christianismi cultores fuisse contendunt, Eusebius, Hieronymus, aliique, prolixè agunt præter alios Valesius not. in Euseb. lib. II. cap. 17. pag. 34. 35. Hankius de Scriptor. Rom. lib. II. part. I. cap. 8. numer. 56. &c. & nos olim suo loco. Extant in Philonis libros *de Vita Mosis*, in librum *de Vita Josephi Patriarchæ*, sive *viri civilis*, & *de Vita Abrahami*, sive *de legibus non scriptis*, Anonymi cujusdam, sed antiqui, authoris annotationes marginales Græcæ MSS. Biblioth. Vindob. *cod. Historiæ* LXXXI.

40. S. MARCUS, Evangelista [quem cum Johanne Marco, de quo Act. XII. 12. malè nonnulli confundunt] genere erat Levites, clar. post ann. 40. Petri discipulus & Interpres, ac teste Isidoro Hispalensi *, in baptismate filius ejusque deinde comes assiduus, ab eo in Ægyptum missus. Alexandriæ primus Episcopus factus, Martyrium ibi subiit, quo verò anno mihi hactenus est incompertum. Rogatus Romæ à fratribus, scripsit Evangelium à Petro approbatum [inde Petri etiam Evangelium, dictum] idque Græco sermone Romanis satis familiari: factum id circa annum LXV. Petro & Paulo jam morte sublatis; cùm enim illum epistolâ secundâ ad Timotheum non longè ante Martyrium scriptâ, Romam accersiverat Paulus; probabile est Marcum vel eodem, vel saltem sequenti anno illuc venisse, ibique Evangelium vel primum condidisse, vel priùs conditum in publicum edidisse. Certè Irenæus lib. 3. cap. 1. & ap. Euseb. l. 5. cap. 8. S. Marcum *μετὰ τὴν τούτων ἔξοδον, post Petri Paulique interitum*, Evangelium suum conscripsisse disertè tradit. Quod verò Evangelium à Petro approbatum dicat Eusebius, id forsan de scribendi consilio, rebusque Evangelicis ipsi à B. Petro dum adhuc in vivis erat, communicatis, intelligendum est. In Evangelio suo condendo Matthæi ordinem sequitur, ejusque additis nonnullis ferè ubique premit vestigia. Capitulum hujus Evangelii ultimum in omnibus penè Græciæ codicibus olim defuisse testatur Hieronymus †. De stylo ejus observavit Chrysostomus * ipsum Petrum magistrum suum verborum paucitate gaudentem imitari studuisse. Sunt, qui volunt Marcum Latinè scripsisse: adducunt alii † ipsius autographum Latinum Venetiis in Bibliotheca D. Marci hodienum asservari. Utrumque certè parem apud me fidem meretur. Magis observari meretur, quod narrat Hieronymus *, scilicet in quibusdam maximè Græcorum, exemplaribus, fini Evangelii D. Marci adjectam fuisse coronidem haud ita orthodoxam, quam nobis descriptam exhibet. Liturgiam quod attinet D. Marco inscriptam, & sub ejus nomine editam G. L. Paris. 1583. & in Auctario 1624. Tom. II. spuriam esse, ac ætate Apostolicâ longè inferiorem nemo non videt. Cæterùm Joannes ille Marcus, de quo Act. XII. passionem Barnabæ Apostoli scripsisse à Sigeberto Gemblacensi de Script. Eccles. c. 2. dicitur. Verùm non magis id fidem meretur, quàm quòd nonnulli volunt eundem Evangelii etiam authorem esse.

* De Vir. & Ob. Sanctorum, c. 84.

SÆC. I. à CHR. N.

† Ad Hedib. qu. 3. to. 3. p. 143.

* Homil. 3. in Matt. non longè ab init.

† Corn. à Lapid. præf. in Marc. p. 562.

* Adv. Pelagian. Dial. 2.

EUODIUS, primus post S. Petrum, Ecclesiæ Antiochenæ Episcopus constitutus, juxtà Syncellum anno XL. Cathedram hanc tenuit ex Syncelli calculo, annos XXIX. secundùm Nicephorum CP. in Chronographia XXIII. Et Martyr à multis obiisse dicitur. Meminit Euodii, præter Eusebium & Hieronymum, Impostor Ignatianus Epist. ad *Antiochenos*. Meminit Joannes Nesteutes orat. *de Pseudoprophetis*, quæ inter Chrysostomi opera habetur, T. VI. pag. 479. Ποῦ Εὐόδιος ἡ εὐωδία τῆς ἐκκλησίας; καὶ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων Διάδοχος, ποῦ Ἰγνάτιος; &c. *Ubi Euodius ille bonus odor Ecclesiæ; & sanctorum Apostolorum successor atque imitator? Ubi Ignatius.* &c. Sic Nicephorus Callist. Histor. Eccles. lib. II. cap. 3. Ὁ πολὺς τὰ θεῖα Εὐόδιος, τῶν ἱερῶν δ' Ἀποστόλων καὶ οὗτος Διάδοχος, *Divinus Euodius, qui & ipse sanctorum Apostolorum successor fuit.* Quo in loco Euodium, commentarios scripsisse docet, præcipuè Epistolam, quam φῶς, sive *lumen* inscripsit. Hujus Fragmentum ibidem profert Nicephorus, quo refert auctor Dominum nostrum, Petrum tantummodò propriis manibus baptizâsse; Petrum, porrò Andream, filiósque Zebedæi; hos deinceps, reliquos Apostolos; Petrum verò & Joannem, LXX. discipulos; aliaque plura de annis Christi & B. Virginis, &c. tradit. Verùm salvâ Nicephori autoritate, suspecti mihi videntur hi commentarii, suspecta hæc Epistola, nec aliunde quàm ex recentiorum Græculorum Officinâ, prodiisse. In omnibus priorum sæculorum monumentis nè levissima mentio. Vix credibile est latere potuisse Eusebium, qui omnium penè Bibliothecarum angulos diligenter excussit. Silent Hieronymus, Genadius, & reliqui longo agmine scriptores Ecclesiastici. Quid, quòd Baronius † semel iterúmque fatetur hanc Euodii Epistolam nemini veterum innotuisse, nec unde eam accepe- 44. P. II.

† Apparat. n. 47. & ad an. 71. n. 1.

rit

Digitized by Google

rit Nicephorus se invenisse? De ipso Euodio id monere visum, plures tùm Græcorum tùm Latinorum eundem facere cum Euodiâ, cujus meminit D. Paulus, Philipp. IV. 2. Vide quæ congessit Cotelerius not. ad Pp. Apost. p. 198.

49. S. LUCAS Antiochenus, arte Medicus, [de ejus pingendi peritiâ miras narrant fabulas S. Metaphrastes, Gretserus, Nicephorus, & alii] à D. Paulo, dum Antiochiæ ageret [uti verisimile est] conversus, cujus perinde sectator erat, & omnis peregrinationis comes, eoque Romanis vinculis soluto, in Dalmatiâ, Galatiâ, Italiâ, Macedoniâ, & alibi fortassis, prædicavit. Vitam egit cœlibem, ac mortuus est anno ætatis 84. circa ann. (ut nonnulli volunt) LXX. quó verò mortis genere incertum est. Nicephorus * scribit enim ex fructiferâ oleæ arbore suspensum fuisse; Dorotheus † Ephesii obiisse; Martyrologium Român. * in Bithyniâ martyrio esse affectum: alii Romæ, alii alibi. Certè Arabicus vitæ ejus apud Kirstenium scriptor † ipsum Romæ, idque non diu post primam S. Pauli è carcere solutionem passum esse vult, redditâ hâc ratione, quòd si diutiùs vixisset, Actuum Apostolicorum historiam longiùs protraxisset; quæ ratio an satis solida sit, judicent eruditi. A D. Paulo, & reliquis Apostolis doctrinam Evangelicam didicit, è quorum narrationibus Evangelium suum composuit; in quo multa fusiùs ac copiosiùs, quàm cæteri Evangelistæ, describit; ea præcipuè tractans, quæ ad Christi sacerdotium pertinent. Scripsit etiam, sed hæc αὐτόπτης, Acta Apostolorum, origines & incrementa Ecclesiæ Evangelicæ, præsertim D. Pauli [cujus individuus erat assecla] labores, certamina, & peregrinationes complexa usque ad biennalem Romæ incarcerationem, in quâ historiam suam claudit. Utrumque opus inscripsit Theophilo, optimati (ut credere par est) Antiocheno; συγκλητικὸν ἄνδρα, καὶ ἄρχοντα ἴσως vocat Theophylactus †. Utrumque anno Christ. LIX. S. Paulo nondum ex carcere dimisso, scripsisse videtur. De stylo ejus hæc Hieronymus * ex mente Veterum. *Evangelistam Lucam tradunt veteres Ecclesiæ Tractatores Medicinæ artis fuisse scientissimum, & magis Græcas literas scisse, quàm Hebræas. Unde sermo ejus tam in Evangelio quàm in Actibus Apostolorum comptior est, & sæcularem redolet eloquentiam.* Et alibi †, *Lucas, qui inter omnes Evangelistas Græci sermonis eruditissimus fuit, quippe Medicus, & qui Evangelium Græcis scripserit, quia se vidit proprietatem sermonis transferre non posse, meliùs arbitratus est tacere, quàm id ponere quod legenti faceret quæstionem.* Hieronymus * in Lucâ libri cujusdam, [quem Apocryphis annumerat] Περιόδων Pauli & Theclæ inscripti, meminit; quem ex Tertulliani fide Presbyterum quendam Asiaticum, D. Pauli amore ductum, supposuisse, idque S. Johanni confessum, ob id loco excidisse narrat; utrùm verò sub Lucæ nomine confictæ essent hæ Περίοδοι, disertim non dicit.

* Hist. Eccl. l. 2. c. 43.
† De vir. & mort. App. in Biblioth. patr. tom. 3. p. 148.
* Ad diem 18. Octob. p. 545.
† Vit. IV. Evan. p. 45.
† Procem. in Luc. p. 293.
* Com. in c. 6. Esaiæ.
† Ep. ad Damasum Tit. III. p. 124.
* De Script. c. 7.

50. DIONYSIUS, patriâ Atheniensis, de quo Suidas *, ἀνὴρ ἐλλογιμώτατος, καὶ τῆς ἑλληνικῆς παιδείας εἰς ἄκρον ἐληλακώς, *Vir Clarissimus, & ad summum Græcæ disciplinæ fastigium provectus.* Literarum humaniorum studiis se dedit primùm Athenis, deinde Heliopoli in Ægypto; ubi [si vitæ ejus Scriptoribus fides sit adhibenda] admirabilem illam Solis Eclipsin, quæ tempore passionis Christi contigit, spectatâ, exclamâsse dicitur, ἢ τὸ θεῖον πάσχει, ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει, *aut Deus patitur, aut cum patiente dolet.* Domum reversus in senatum Areopagi cooptatus est, unde & Areopagitæ nomen traxit. Circa ann. Christi 50. Paulo Athenis prædicante, Christianam fidem amplexus est: quin & primum Atheniensium Episcopum constitutum fuisse tradit Dionysius Corinthiorum Antistes *. Immò si Suidæ, Nicephoro, Syncello, &c. fides sit habenda, ipsius Pauli manibus est ordinatus. Demum post clarissimam fidei confessionem, post gravissima tormentorum genera, glorioso martyrio coronatum esse refert Aristides Philosophus Atheniensis in Apologiâ suâ, si modò eam verè allegant Usuardus & Ado in Martyrologio †. Quo verò tempore obiit, an sub Trajano, an sub Adriano, vel [quod verisimilius videtur] sub Domitiano, non liquet. De duobus Dionysiis, Parisiensi uno, Atheniensi altero, vel ut alii, uno eodemque Dionysio, nihil hic agam. An Dionysius noster quidquam scripti post se reliquerit, quicquid dicant alii, non satis constat. De Pseudo-Dionysio, ejusque scriptis, agemus sæculo quarto.

* In voce Διον.
* Ap. Euseb. l. 3. c. 4. & l. 4. c. 23.
† V. Non. Octob.

MARCELLUS, Romanus, Marci urbis præfecti filius, ex Simonis Magi auditore B. Petri Discipulus, claruit, ut fertur, ann. 50. & deinceps; demum martyrio coronatus. Sed fabulosa omnia, nullo veteri authore fulta. Scripsisse eum *de Conflictu S. Petri & Simonis Magi ad SS. Nereum, & Achilleum; de Obitu S. Petronillæ filiæ D. Petri Apostoli; de Passione S. Feliculæ; de Passione S. Nicomedis*, aliaque quædam de Sanctorum gestis, memorant Sigebertus Gemblacensis, Trithemius, Possevinus, aliique. Extat fragmentum libelli *de Conflictu S. Petri cum Simone M.* ad calcem *Bibliothec. Pontif.* Lud. Jacobi à S. Carolo, p. 487. Ego autem, si tanti res esset, ut conjecturis indulgerem, hunc libellum potiùs Marcello I. ab anno 304. Episcop. Romano, qui obiit anno 349. tribuendum esse existimarem. 59.

ACHAIÆ Presbyteri, qui Martyrio S. Andreæ Apostoli interfuerunt, anno 59. Epistolam de ejus passione scripsisse dicuntur. Extat Lat. apud Lipomannum & Surium ad XXX. Novembris. Quæ utut antiqua, & pro legitimâ à Bellarmino, Possevino, Labbeo, &c. defendi soleat, utpote dogmati suo de Eucharistia paulò faventior, nihilominus à longè majori eruditorum parte tanquam spuria meritò rejicitur, quin & olim à S. Philastrio Brixiensi, ab Innocentio I. & Gelasio Papis, in Apocryphorum censum detrusa est. Certè Baronius non uno loco damnare videtur: viz. anno 44. Sect. 42. 43. anno 69. Sect. 34. neque ipsi Bellarminus & Labbeus, etsi defendant, certò tamen genuinam esse pronunciare audent. 59.

ACHAIÆ Presbyteri & Diaconi Epistolam encyclicam de Passione B. Andreæ scripsisse dicuntur. Hanc ab omnibus penè damnatam, etiam à cordatioribus Pontificiis rejectam recoxit haud ita pridem, & tanquam Acta genuina, & sincera propugnavit Natalis Alexander Histor. Eccles. Sæcul. I. cap. 10. Articul. 8. Verùm res ei infœliciter cedit. Palmarium, quo utitur, argumentum à Patrum Autoritate ducitur; nullos verò profert testes sæculo octavo, eòque exeunte, vetustiores: Etherium Uxamensem anno 789. Remigium Autissiodorensem anno 880. Petrum Damianum anno 1057. Lanfrancum Cantuariensem anno 1070. S. Bernardum anno 1115. Ivonem Carnotensem anno 1092. bellos proculdubio & idoneos testes, qui de re plusquam septingentis, vel mille ante se natos annis gestâ, sententiam dicant! Sed in officio S. Andreæ [ut cùm Bellarmino & Natali pergam] Ecclesia hæc Acta legit. Quasi verò in Breviario Romano, etiam maximè correcto, nullæ legerentur fabulæ, nulla scripta Apocrypha & spuria usurparentur. Extitisse olim Philastrii tempore Andreæ Acta, 59. P. III.

Digitized by Google

ſed à Manichæis fœdè corrupta, non nego; verùm ab hodiernis planè aliena. Certè quæ hodie extant, ab aliquo mediæ ætatis monacho conficta videntur. Sunt quidem in ipſis Actis quæ Apoſtolicorum temporum Scriptori minimè conveniunt: Ipſa inſcriptionis forma nova planè eſt, & ſingularis, *ab univerſis Eccleſiis quæ ſunt in Oriente, & Occidente, & Meridiano, & Septentrione:* cujus ſimile exemplum haud alibi reperies. Ut alia mittam, quis credet Apoſtolicæ ſimplicitatis virum in oratione quam ad Pro-conſulem habuit, tot comptas & concinnas Antitheſes de ligno prævaricationis, & de ligno Paſſionis, de terrâ immaculatâ unde factus primus homo, & de virgine immaculatâ quâ natus eſt Chriſtus perfectus homo, aliiſque huc ſpectantibus habuiſſe? vel tam elegantia & planè inepta ad crucem ſuam verba feciſſe? Quis credet immenſam penè totius Provinciæ multitudinem ad occidendum Ægeam, & Andream Apoſtolum, fractis carceris januis, liberandum, Patras veniſſe? Quis credet mitiſſimum Apoſtolum, Ægeam Proconſulem pro Tribunali ſedentem, *filium mortis*, & *ſtipulam æternis paratam incendiis* vocâſſe, eique palàm impudentiam objeciſſe? Ut de modo alligandi ad crucem, déque carnificibus, qui, jubente Ægeâ, manus ad crucem, ut inde Apoſtolum ſolverent, miſerunt, fruſtrà tentantibus, ſtupentibus eorum brachiis quotieſcúnque extenderentur, nil dicam. Denique quis non mirabitur in Præfatione tam accuratam & ſubtilem SS. Trinitatis explicationem adhiberi? Et de proceſſione Spiritûs Sancti tam perſpicuè agi? Quæ non niſi ſequioribus Eccleſiæ ſæculis agitari cœperunt. Baronius † quidem hanc de Spiritu Sancto clauſulam in antiquis MSS. haberi negat. At quis novit, *inquit Cl. du Pinius* * an in nonnullis non fuerint deleta potius hæc vocabula, quàm in cæteris addita? Subditque pro candore quo pollet eximio, hanc Paſſionem, ſaltem ut ſcriptum dubium reſpici debere; quod, autore Hieronymo, nulli probando fidei dogmati inſervire poteſt. Uno verbo: Tota horum Actorum compages piam fraudem, & ineptum monachorum ingenium & zelum manifeſtò ſapit.

† Biblioth. Nov. P. I. p. 27. Edit. Lat.

* Ad Martyr. Rom. Novem 30.

59. ABDIAS, Babylonius, inter Scriptores hujus ævi Eccleſiaſticos numerari ſolet. Ortu erat Judæus, & è LXX. diſcipulis unus, Dominumque noſtrum (ſi modò fidei ejus ſtandum ſit) in carne vidit, multis Apoſtolorum geſtis & paſſionibus interfuit, ac Simonem & Judam in Perſida abeuntes comitatus, ibi ab iis primus Babyloniæ Epiſcopus conſtitutus eſt. Sed nugæ omnia, à nullo Veterum vel ſemel memorata. Dato enim Abdiam vel unquam in rerum naturâ extitiſſe, multò magis adhuc aliquid eum ſcripſiſſe incertum eſt. Etenim quos ſub ejus nomine ex vetuſtis admodùm exemplaribus, & 700. penè annorum ætatem præ ſe ferentibus edidit Wolfg. Lazius Baſil. anno 1551. fol. *de Hiſtoriâ Certaminis Apoſtolici*, libri x. ab Abdiâ Hebraicè conſcripti, ab Eutropio diſcipulo Græcè converſi, demùm à Julio Africano in Latinum ſermonem tranſlati, putidi ſunt adeò, ac fabuloſi, ut vix inter Legendas ligneas locum habere mereantur. Unde mirum videri debet quiſquilias haſce W. Lazio, viro non indocto & diligentiſſimo, adeò fucum feciſſe, ut in præfatione ſcribere non dubitaverit, tantam inter Actus Apoſtolorum, & priorem horum librorum partem intercedere ſimilitudinem, ut vel Abdiam hæc ex Lucâ ſumpſiſſe, vel Lucam ex Abdia, credendum ſit; cùm uterque eodem tempore vixerit, & Apoſtolorum diſcipulus extiterit. Nec Cl. Voſſio * aſſenti i poſſum, hos Abdiæ libros, à B. Auguſtino deſignari, contra Adamantium, cap. 17. ubi hiſtoriolam quandam de Apoſtolo Thomâ ex Scripturis Apocryphis refert, quæ in Abdiæ libro IX. reperitur. Multæ enim erant fabulæ Auguſtini ævo, diuque antea de Apoſtolis confictæ, partim ſcriptæ, partim ore traditæ, quas hujus hiſtoriæ conſarcinator in ſuam farraginem transferre poterat. Quinimò in ipſo iſtius libri initio affirmat impoſtor, ſe ea quæ habet de D. Thomæ geſtis, ex libro quodam antiquiori, in quem incidit, omiſſis ſupervacaneis exſcripſiſſe. Prodiit etiam hæc Abdiæ Hiſtoria, *Colon.* 1569. 12. *Pariſ.* 1571. 8°. & in Bibliothecâ Patrum haberi ſolet.

* De Hiſt. Gr. l. 2. c. 9.

LINUS, natione Italus, patriâ Tuſcus Claudiæ filius, à D. Paulo Ep. ſecundâ ad Timotheum Romæ ſcriptâ, memoratus: Poſt Paulum Petrumque, τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας πρῶτος κληροῦται τῆς ἐπισκοπῆς, inquit Euſebius *. Sedem tenuit juxta Ceſtrienſem noſtrum ab ann. Chr. LV. ad ann. LXVII. Mihi verò longè probabilius videtur, Eccleſiæ Romanæ à Petro & Paulo ann. LXIII. vel LXIV. fundatæ Linum ab iis primum epiſcopum datum fuiſſe, Θεμελιώσαντες οὖν καὶ οἰκοδομήσαντες μακάριοι ἀπόστολοι τὴν ἐκκλησίαν, Λίνῳ τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρησαν, inquit Irenæus *; *Fundata jam & ædificata Eccleſia, beatiſſimi Apoſtoli Epiſcopatûs officium Lino tradiderunt.* Sed brevi admodùm tempore ſediſſe videtur, & forſan aut cum Conſtitutionum Apoſtolicarum Autore * ſtatuendum eſt, ipſum, vivente adhuc Petro, obiiſſe, aut ſaltem non diu poſt Apoſtolorum martyrium, vigente adhuc Perſecutione Neronianâ, mortem oppetiiſſe. Non opus eſt monere Lectorem eruditum, in primorum Romæ Pontificum ætate & ſucceſſione diſponenda, miram ac pene irreconciliabilem inter Scriptores Eccleſiaſticos tam Veteres quàm Recentiores eſſe diſcrepantiam: quàm magna ſit hæc confuſio, & unde ortum habuerit fusè & ex profeſſo agunt Pearſonus & Dodwellus, in Diſſertationibus Chronologicis nuper editis. Sed ad Linum redeo. Multa de eo fabulantur Chiffletius *, aliique. Hîc locum habet ob libellos duos de paſſione SS. Petri, & Pauli quos licet Linus à Sigeberto † dicatur Græcè ſcripſiſſe, ii tamen quos nunc habemus barbari cujuſdam ac priſci Monachi opus eſſe videntur, judice Cl. Voſſio *: quin & prout nunc typis excuſi exſtant, ab hæreticis corrupti, fuliginis aliquid contraxerunt; tametſi eos adhuc illibatos in antiquiſſimis codicibus Biſontinis aſſervari teſtatur Chiffletius †. Exſtant Biblioth. Patr. tom. 11. & in quavis aliâ editione: Ut de Laurentii Barrii *Hiſtoriâ Chriſtianâ*, & Jac. Fabri Commentariis in Epiſtolas Paulinas nihil dicam, quorum utrique inſeruntur. Spurios eſſe, nulliuſque fidei, dubitari nequit. Fatentibus etiam Baronio ann. LXIX. Poſſevino, Joanne Maria Braſichallano in indice Romano à ſe confecto, Bellarmino, Labbeo, ut de aliis non dicam. 64.

* L. 2. c. 3.

* L. 3. c. 3 & ap. Euſeb. l. 5. c. 6.

* L. 7. c. 47.

* Veſont.

† Part. 2. c. 1.

† De Script. Eccleſ. c. 5.

* Hiſt. Gr. l. 2. c. 9.

† Loc. cit.

CLEMENS, Romam natalem habuiſſe dicitur, ad Montem Cælium, Patre Fauſtino, matre Mattidiâ natus, quod tamen incertum eſt. S. Pauli comes erat, & συνεργός, unà cum aliis, *quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ*, Philip. 4. 3. Eum Petri Apoſtoli diſcipulum vocat Origenes; & probabile eſt unà cum Petro in ædificandâ Romanâ Eccleſiâ laboraſſe. De tempore quo ad ſedem Romanam pervenerit, variæ ſunt eruditorum ſententiæ, quas hoc loco enumerare non vacat. Fateor me Tertulliani præcipuè, & Euſebii autoritate ductum in eâ olim fuiſſe ſententiâ; Clementem à S. Petro ordinatum, in partem muneris epiſcopalis admiſſum eſſe, nimirum ut Eccleſiæ Judæorum Romæ habitantium præſideret, donec, mortuo Lino, quem Eccleſiæ Gentilium Epiſcopum D. Paulus ibidem conſtituerat, & qui illum ſequebatur, Clero, Eccleſia Romana tam Judæorum quàm Gentilium inter 65.

ſe jam

Digitized by Google

SÆC. I. à CHR. N.

se jam conjuncta, Clementem circa ann. XCI. in totius Ecclesiæ curam successisse; tandemque teste Eusebio, ann. Trajani III. Chr. C. decessisse, quâ de re prolixè alibi * disputavimus; Re verò jam melius perpensâ, Cl. Dodwello potius assentior, Lino scilicet & Anacleto brevi admodùm tempore sublatis, Clementem ab ann. LXIV. vel LXV. in sede Romanâ successisse; eamque ad ann. LXXXI. vel ut habet calculus Pearsonianus LXXXIII. tenuisse. Eusebius quidem, ut suprà notavimus, cùm annum Trajani III. Chr. C. ob persecutionem hoc tempore excitatam insignem reddere voluit, in hunc etiam annum Clementis mortem conjecit. Addiderunt Recentiores ipsum Chersonam Ponticam relegatum, Martyrio coronatum esse. Verùm Martyrii Clementini non meminit Eusebius, non Eusebio antiquiores Irenæus, Clem. Alexan. Tertullianus, aliive; de hac re ante quintum ferè sæculum ne γρῦ quidem. Totius fabulæ origo hinc profluxisse videtur, quòd primi hujus Martyrii fabricatores Clementem nostrum cum Flavio Clemente Consule, Domitiani Imperatoris consobrino, qui propter Christi fidem circa hæc tempora martyrium subiit, temerè confuderint, uti rectè animadvertit Cl. Dodwellus. Hinc de martyrio ejus, de genere Imperiali, & cum Domitiano Augusto affinitate, nata fabula; quod nos etiam olim observavimus. Addam solùm quod habet Irenæus, loc. supr. citat. tertio ab Apostolis loco Pontificatum sortitum esse Clementem, quid quidem Beatissim. Apostolos viderat, & cum iisdem familiariter versatus fuerat, & prædicationem Apostolorum adhuc auribus suis insonantem traditionemque præ oculis habebat.

* Vit. PP. tom. I. in Vit. Clem. n. 4.

OPERA GENUINA.

Epistola ad Corinthios, occasione gravissimi schismatis in Ecclesiâ Corinthiaca grassantis, Ecclesiæ Romanæ nomine scripta; quâ eos ad pacem, concordiamque revocavit, & fidem illorum, & quam recens ab Apostolis susceperant, traditionem renovavit. Miris sanè Elogiis hæc Epistola à Veteribus ornatur; Irenæo * audit ἱκανωτάτη γραφὴ, *scriptum luculentissimum*; Eusebio † μεγάλη τὲ καὶ θαυμασία, *eximia atque mirabilis*, καὶ ἀνωμολογημένη παρὰ πᾶσι, *ab omnibus recepta*, Photio * ἀξιόλογος, *magni facienda*; Hieronymo † *valdè utilis:* tanto sanè pretio ab omnibus habita, ut testante Eusebio *, in plerisque Ecclesiis, & suâ & superiori memoriâ publicè legeretur. De ista ita censet Photius *, ἁπλοῦς δὲ κατὰ τὴν φράσιν, καὶ σαφής ἐστιν, καὶ ἐγγὺς τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ, καὶ ἀπεριέργου χαρακτῆρος, *simplex ejus oratio est, ac perspicua, ad Ecclesiasticam, & inelaboratam accedens dicendi formam.* De tempore quo scripta sit hæc epistola inter eruditos nondum convenit. Missis aliorum sententiis, unicam Dodwelli conjecturam in medium proferam; scriptam scilicet fuisse, Clemente nondum Romanæ urbis Episcopo constituto; quod enim non ad Neronis, sed ad Domitiani tempora rejiciunt plurimi, multis ipse refellit, Addit. ad Pearson. Dissert. 2. cap. 6. §. 24. Cùm igitur ann. Chr. LXIV. occasione hominum quorundam πνευματικῶν, qui donis Spiritûs Sanct. extraordinariis insigniti adversùs ordinarios Ecclesiæ rectores insurgebant gravi schismate laboraret Ecclesia Corinthiaca, Fortunatum, quem Primitias Achaiæ vocat S. Paulus, 1. Corinth. 16. 15. Claudium aliosque legatos miserunt ad Romanos, eorum opem autem auxiliumque implorantes; anno demum sequenti Corinthiis respondet Ecclesia Romana, sede forsan propter persecutionem recentemque Apostolorum cædem nedum plenâ. Hinc non suo, sed Ecclesiæ nomine scribit Clemens: Hinc epistolæ initio se excusat, quod postulatis eorum tardiùs animum adjecerit, διὰ γενομένας ἡμῖν συμφορὰς καὶ περιπτώσεις; *propter calamitates, & casus adversos qui nobis acciderunt.* Intelligit [ut opinor] Neronis persecutionem; vix adhuc sedatam. Pluribus hæc firmari poterant; sed nolò hisce diutiùs immorari. Verisimillima quidem videntur, tamen discutienda relinquimus.

* Ap. Euseb. l. 5. c. 6.
† L. 3. c. 16.
* Cod. 112.
† De Script. c. 15.
* Loc. cit.
* Cod. 126.

Fragmentum *Epistolæ secundæ*, seu potius Homiliæ, quæ admonitionem institutionemque vitæ melioris continet. (Aliud etiam hujus Homiliæ fragmentum ex Damasceni parallelis desumtum Græcè exhibet in notis suis Cotelerius.) Hanc verò non proinde ac priorem receptam, ac probatam fuisse; neque vetustiores ejus testimonio unquam usos esse disertim testantur Eusebius *, Hieronymus †, Photius *, aliique: Quanquam non desunt, qui eam Clementi nostro strenuè vendicent; & in his Gottifredus Vendelinus [qui & versionem Latinam huic fragmento adjunxit] *Divinat. de Clementis Epistolis*, novissimæ Conciliorum Editioni insertâ, Tom. I. Hasce Epistolas tot retro sæculis amissas, postquàm eas desperabundus deplorârat orbis eruditus, ex vetustissimi Codicis S. Bibliorum MS. Græci, Theclæ Virginis manu [ut ferunt] descripti, & à Cyrillo Patriarcha ad Serenissimum Angliæ Regem dono missi, calce desumptas, primus in lucem edidit, notisque doctissimis illustravit Patricius Junius *Oxon.* 1633. in 4°. Extant etiam *Oxon.* 1677. 12. [sed omissis Junii notis] & in Conciliorum Tomo I. *Helmstadii*; curâ Joach. Maderi 1654. 4°. & cum Pauli Colomesii notarum Spicilegio; *Londini* 1687. 8°. Hanc ad Corinthios epistolam in Sermonem Anglicum transtulit, & notis sanè non ineruditis illustravit Gulielm. Burtonus Londinensis, Historiæ Linguæ Græcæ Autor, *Londini*, 1647. 4°. Cæterùm haud satis constat, quid sibi velit Hieronymus *, cùm de Epistolis à Clemente ad Corinthios scriptis verba faciens, *omnem penè sermonem suum de virginitatis puritate Clementem contexuisse scribat.* Neque enim alias ab hisce quæ nunc extant, Epistolas ad Corinthios dedisse Clementem credi potest, nec in his utramque faciunt paginam virginitatis laudes. Id potiùs dicendum videtur, Hieronymum nimio virginitatis laudandæ studio abreptum, hyperbolicâ dictione usum fuisse, cúmque Clemens paucúlas periodos animi corporisque puritati docendæ impendat, totum sermonem virginitatis encomio dicatum esse voluisse.

* L. 3. c. 38.
† Loc. cit.
* Cod. 112.
* Lib. I. adv. Jovinian.

OPERA SUPPOSITITIA.

Canones *Apostolorum* LXXXV. Videntur hi Canones ex Communi Ecclesiæ Primitivæ disciplinâ, institutis, decretis, orti, circa finem secundi sæculi in unum Synodicon esse redacti: Apostolici dicti, non quod ab ipsis Apostolis conditi sint, sed quòd ex doctrinâ, & praxi Apostolicâ profluerent, vel à viris Apostolicis editi essent. An verò à Clemente Alex. primùm collecti, qui scripsit περὶ κανόνων ἐκκλησιαστικῶν, ut fidem nobis faciunt Eusebius *, Hieronymus *, & Photius †, [uti satis acutè conjicit Doctiss. noster Beveregius] aliorum esto judicium. Sigillatim hos Canones explicavit; & adversùs Dallæum, ejusque hyperaspisten vindicavit idem Beveregius tum in Annotationibus ad Pandectas Canonum, tum in Codice Canonum Ecclesiæ Primitivæ vindicato, *Londini* 1678. edito. Habentur isti Canones Gr. Lat. Concil. Tom. I. p. 25.

* L. 6. c. 13.
* De Script. c. 15.
† Cod. cxi.

Constitutionum Apostolicarum libri VIII. eodem circiter tempore, quo Canones, scripti: ex variis

Digitized by Google

[SÆC. I. à CHR. N.] variis διδασκαλίαις & διατάξεσι, quas Viri Apostolici tunc temporis edere solebant, primùm, ut videtur, compositi. Has Constitutiones Epiphanii ævo ab Hæreticis graviter depravatas; longè alias ab iis, quæ olim exstiterunt, ac diversas esse certissimè constat, quod ex additionibus, truncationibus, & interpolationibus facilè contingere potuit. Eas Græcè primus edidit Franciscus Turrianus, qui prolegomena & Scholia sua Græcè addidit, *Venetiis*, 1563. 4°. Latinè unà cum Scholiis Car. Bovius, *Paris.* 1564. 8°. Gr. Lat. Fronto Ducæus, Jesuitarum in eruendis Ecclesiæ Græcæ monumentis doctissimus, ad calcem Commentariorum Zonaræ, *Paris.* 1618. fol. Unde in novissimam suam Conciliorum editionem transtulit Cl. Labbeus, tom. I.

Recognitionum Libri X. varia sortiri nomina, quandoque *S. Clementis Acta, Historia, Chronica,* quandoque *S. Petri Acta, Itinerarium, Periodi, Dialogi cum Appione*, dicti. Horum librorum antiquitatem satis arguunt, quæ ex iis sub Clementis Περιόδων nomine citat Origenes † quæque in hodiernis exemplaribus totidem verbis reperiuntur. Exstat amplissimum Bardesanis Syri fragmentum ex Libro de Fato Gr. apud Eusebium *, quod iisdem verbis nono Recognitionum libro habetur hodie. Quis ab altero acceperit, haud satis certum est. Quid si ipse Bardesanes harum Recognitionum compilator fuit? conjecturam sanè nostram de hâc re rationibus suis munitam; prolixè alibi exposuimus. Exstant Lat. ex antiqua versione Ruffini (qui nævos forsan in iis olim ab Hieronymo & Photio notatos suppressit) curâ Jacobi Stapulensis, *Paris.* 1541. 1544. *Colon.* 1570. & cum reliquis Clementis Operibus alibi sæpiùs.

[Vit. PP. primit. in Clement. tom. I. num. II. † Philocal. c. 23. p. 81. 82. * Præp. Evang. l. 6. c. 10.]

Τὰ Κλημέντια, seu *Homiliæ Clementinæ* XIX. eadem esse videntur, ac altera Recognitionum Editio, cujus meminit Ruffinus. Certè quicquid de ista referat; iis apprimè convenit. Primus edidit Gr. unà cum versione Latina doctiss. Cotelerius.

Κλήμεντος περὶ τῶν πράξεων, &c. De Rebus gestis, peregrinationibus, & prædicationibus S. Petri Apostoli Epitome: ex Recognitionibus & Homiliis à Simeone Metaphrasta, [si in re tam incerta conjecturam mihi ferre liceat] olim collecta: quod ex posteriore ejus parte cum S. Clementis Martyrio à Metaphraste edito collata constare potest. Edidit Gr. Lat. Joach. Perionius, *Paris.* 1555. 4°. reliquis Clementis Operibus adjungi solet.

Epistola ad Jacobum, Fratrem Domini, Actis S. Petri olim præfixa, prout & in Homiliis Clementinis hodie reperitur: quæ in binis Recognitionum editionibus (de quibus antea) varia erat: in hac B. Petro, in illa S. Clementi ascripta, notante Photio: * ex Græcâ hujus Epistolæ editione jam apparet, quàm mala fide egerint Epistolarum Decretalium consarcinatores, qui Versioni suæ Latinæ laciniam ipsâ Epistolâ duplo ferè auctiorem assuerunt.

[* Cod. 112.]

Omnia ista Clementis Opera, tum genuina, tum spuria, in unum collecta, & annotationibus sanè quàm doctissimis elucidata, edidit Gr. Lat. Joh. Bapt. Cotelerius in PP. Apostolicis, *Paris.* 1672. fol.

De Clementis *Liturgia*, & Epistolis Decretalibus, utpotè ab omnibus jam rejectis, & damnatis, nihil nos agere, semel jam monuisse sufficiat.

65. HERMAS, *Pastor* dictus. Quis, cujusve fuerit hic Hermas, (nomen, opinante Grotio, contractum ex Hermodorus (non benè consentiunt sive Veteres, sive Recentiores. Multi volunt Hermam illum fuisse Pauli discipulum, de quo mentio habetur Rom. XVI. 14. & qui obiisse dicitur an. Chr. 80. atque id ipsum Author innuere videtur in fine Visionis secundæ; ubi de Clemente loquitur, & Graptâ. Hanc sententiam fovisse videntur (ne quid jam de posterioribus dicam) Irenæus, Tertullianus, Clemens Alex. Origenes, aliique secundi & tertii sæculi scriptores. Alii verò, at non pari ratione; solius quippe libri Pontificalis authoritate ducti, eundem faciunt cum Hermete Pii Papæ Romani fratre, qui sequenti sæculo claruit. Verùm prior sententia veritati est longè magis consentanea; certè Autor est antiquissimus, ac ævi planè Apostolici. Vixisse videtur sub Clemente Romano; eoque jam Pontifice, quem Sedem Romanam tenuisse ab ann. LXIV. vel LXV. ad LXXXI. vult Dodvvellus, ab ann. LXIX. ad LXXXIII. Cestrensis. Et ita quidem *Visione secundâ* jubetur Hermas duo Visionis suæ exemplaria conscribere; unum *Graptæ*, Ecclesiæ Romanæ, ut videtur, viduæ communicandum, quo viduas & orphanos commoneret, alterum *Clementi* mittendum, ut in exteras Civitates mitteret: ubi (ut rectè notat doctiss. Oxoniensium antistes, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις) Clementem Romæ Episcopum proculdubio intelligit, qui pro muneris sui ratione litteras encyclicas, systaticas, & formatas ad vicinas Ecclesias frequenter dirigere, earumque rebus consulere solebat. *Magnam illam tribulationem superventuram*, de quâ agit Visione quartâ, §. 3. ad excidium Hierosolymitanum, illam, θλίψιν illam μεγάλην, & ὀργὴν μέλλουσαν toties in N. T. prædictam, aptè satis referunt Hammondus, & Dodwellus; ac proinde scripsisse oportet, ante ann. LXX. quo urbs Hierosolyma à Tito expugnata, & vastata est. Scripsit tres libros, qui & hodie Latinè exstant. Primus, qui Ecclesia inscribitur, 4. Visiones complectitur, Autori factas. Secundus, Pastor dictus, continet 12. Mandata, ab Angelo custode sub specie venerandi Pastoris tradita. Tertius, 10. habet Similitudines, per quas ad vitam beatam, & Christiano dignam author instruitur. Prodiit Opus istud primò *Parisiis* à Jac. Fabro editum anno 1513. mox *Argentorati* ann. 1522. deinde inter Orthodoxographa Basiliensia; & Biblioth. Patr. tom. II. denique majori curâ & diligentiâ exculto inter Patres Apostolicos locum dedit Cotelerius, *Paris.* 1672. Seorsim edidit cum notis Gasp. Barthius [qui versionem, quam habemus, Anastasio Bibliothecario adjudicat] ac Claudiano Mamerto suo ann. 1655. edito subjunxit. Nuperrimè ad duos MS. Codd. castigatum brevibusque scholiis ornatum, unà cum Barnabæ Epistolâ in lucem emisit doctissimus Oxoniensium Antistes, *Oxon.* 1685. 12. Eosdem esse hos libros cum iis, qui in primis Ecclesiæ sæculis exstiterunt, fidem faciunt ea, quæ ab Irenæo, Tertulliano, aliisque ex iis citantur, in iisdem hodie reperta: quamvis non negem quædam iis assuta esse, & affixa. Missis aliorum censuris ea solùm proferam, quæ de hoc scriptore habet Eusebius *. Ἰστέον δ', ὡς καὶ τοῦτο [Hermæ βιβλίον] πρὸς μὲν τινῶν ἀντιλέλεκται, δι' οὓς οὐκ ἂν ἐν ὁμολογουμένοις τεθείη. Ὑφ' ἑτέρων δὲ ἀναγκαιότατον οἷς μάλιστα δεῖ στοιχειώσεως εἰσαγωγικῆς, κέκριται, ὅθεν ἤδη καὶ ἐν ἐκκλησίαις ἴσμεν αὐτὸ δεδημοσιευμένον, καὶ τῶν παλαιοτάτων δὲ συγγραφέων κεχρημένους τινὰς αὐτῷ κατείληφα, *Sciendum est eum librum à nonnullis quidem in dubium esse revocatum. Quamobrem inter receptæ authoritatis libros censeri non potest. Ab aliis verò maximè necessarius judicatur, iis præsertim qui primis religionis nostræ elementis instituendi sunt. Unde etiam in Ecclesiis eum publicè legi comperimus, & quosdam ex vetustissimis scriptoribus ipsius testimonio*

[L. I. Vis. 2. §. 3.] [* L. 3. c. 3.]

Digitized by Google

SÆC. I. à CHR. N. † De Script. c. 10. *testimonio usos fuisse.* Etiam Hieronymus † suo adhuc tempore apud quasdam Græciæ Ecclesias publicè legi innuere videtur. Tantæ olim insuper authoritatis, ut ab Irenæo, Tertulliano, & Origene sub *Scripturæ* nomine sæpè citaretur. Nihilominùs à pluribus Veterum rejectus est, quorum sententiam sic explicat Rev. Usserius in Biblioth. Theolog. MS. p. 23. " Tertullianus " * Scripturam apocrypham & falsam vocat, & " omni concilio nostrorum damnatam. Gelasius " cum Concilio LXX. Episcoporum in Decreto " suo de libris apocryphis † inter Scripturas apo" cryphas dubiæ fidei rejicit. Prosper Aquitani" cus † testimonium ejus repudiat. Athanasius † " & Theodoretus * Arianos qui ex hoc libro " testimonium petebant, dicunt ex libro non " canonico testimonium petiisse. Arianorum " quidem hæresi favere videtur illud quod legi" mus lib. 3. Similitud. Semen humanum cum " filio Dei fuisse à Deo ditatum. Novatianorum " hæresi initium videtur dedisse; quod non semel " ait lib. 1. Mandat. 4. non esse secundam pœni" tentiam. Clemens in Stromat. hinc confirmat " Apostolos etiam apud inferos Christum prædi" casse: Origenes † quod bini angeli singulos " quosque hominum comitentur. Stapletonus * " nihilominus librum hunc ab Ecclesia Romana " Canonicum judicari fierique posse pronunciat. " Hactenus Cl. Usserius, qui pluribus de hoc libro " ibidem agit. Plura item habent Magdeburgenses " Centur. 2. cap. 4. Præ omnibus verò fusissimè " de eo agit Cl. Pearsonus, Vindic. Ignat. par. 1. p. " 39. &c.

* De Pudicit. cap. 10. 20.
† Dist. 15.
† De libero Arbitr.
† Lib. de Decret. Syn. Nicæn.
* Hist. l. 1. c. 18.
* Περὶ ἀρχ. l. 3. c. 2.
* Doctrinal. Princip. l. 9. c. 14.

67. FL. JOSEPHUS, Nobilis Hebræus, Patrem Matthiam, seu Mattathiam habuit: Hierosolymis natus, anno Chr. 37. Paternum genus longâ serie ex ordine sacerdotali, idque ex primâ vice τῶν εἰκοσιτεσσάρων, maternum ex regiâ Hasmonæorum familiâ duxit. Sectâ erat Pharisæus, sed in liberalibus studiis enutritus. Anno 63. Romam petiit causam sacerdotum quorundam acturus. Reversus in patriam, bello & seditione tunc laborantem, dux Galilæorum factus est, ubi præclarè & fortiter se gessit: donec captâ à Romanis Jotapatâ, capitur & ipse; tandem à Vespasiano vinculis solutus, libros de Bello Judaico ei obtulit; ob quos, & propter eruditionis famam, & præcipuè ob Vespasiano imperium prædictum, statuâ in urbe Româ donatus est: quin & libri ab eo conscripti in Bibliotheca publica collocati. Qui plura de eo vult, adeat Vitam ejus à seipso conscriptam. In vivis adhuc erat ann. Chr. 93. sed quid de illo exinde factum sit, non liquet. De stylo ejus talem fert censuram ὁ κριτικώτατος Photius *. Καθαρὸς τὴν φράσιν, καὶ ἀξίωμα λόγου μετὰ ἡδονῆς καὶ εὐκρινείας δεινὸς ἐκφῆναι, πιθανός τε ἐν δημηγορίαις, καὶ ἐπίχαρις, κἂν ἐπὶ τ' ἀναντία ὁ καιρὸς καλῇ χρήσασθαι τῷ λόγῳ, δέξιος καὶ γόνιμος ἐνθυμημάτων ἐφ' ἑκάτερα, καὶ γνωμολογικὸς δὲ ὡς εἴτις, καὶ πάθη τῷ λόγῳ περιθήσαι ἱκανώτατος, καὶ ἐγεῖραι πάθος, καὶ πραΰναι δοκιμώτατος. *Candidus illi sermo, qui rationum pondus, atque momentum cum puritate ac jucunditate exprimere possit. In concionibus persuadendi vi præditus est, ac gratiosus, tum etiam cum suadet opportunitas orationem in contrariam partem flectere: dextrè quoque, ac copiosè enthymematis in utramque partem utitur, sententiasque, si quis alius, adhibet. Orationi insuper affectum imprimendi, & concitandi motus, eosdemque mox leniendi est peritissimus.* Sunt è Criticis modernis, qui fidem ejus & eruditionem, datâ quavis occasione, vellicare solent; & inter hos primus Salianus Annalium V. T. Conditor, sed hisce opponam unius magni Scaligeri judicium. *Diligentissimus*, inquit *, καὶ φιλαληθέστατος *omnium Scriptorum Josephus, de quo nos audacter dicimus, non solum in rebus Judaicis, sed etiam in externis tutiùs illi credi, quàm omnibus Græcis & Latinis; quippe cujus fides & eruditio in omnibus elucet.*

* Cod. 47.

SÆC. I. à CHR. N. * Proleg. in lib. de Emen. dat. temp.

OPERA.

Antiquitatum Judaicarum libri XX. Libro 18. cap. 4. extat locus ille de Jesu Christo vexatissimus simul ac celeberrimus, quem è Criticorum gente quamplurimi spurium esse contendunt, genuinum verò haud pauciores. Post tam uberrimam virorum doctissimorum messem spicilegium aliquod adjicere nostri non est.

De Bello Judaico libri VII. quos patrio sermone antea ediderat, uti ipse testatur in præfat.

Vita sui-ipsius.

Contra Appionem libri II. quibus Judaicæ gentis antiquitatem ex ipsis Græcorum monumentis summo acumine ac eruditione propugnat.

De Imperio Rationis, sive Panegyricus in Maccabæos. Eusebio * οὐκ ἀγεννὲς σπούδασμα; Hieronymo †, *valdè elegans opus*. Josephi tamen esse negant ex eruditis quamplurimi.

* Lib. 3. c. 10. † De Script. c. 13.

Exstant hæc opera Gr. *Basil.* 1544. Lat. ibid. 1567. Gr. Lat. *Genevæ* 1634. f. Lat. ibid. 16. 1611. Fragmenta quædam Josephi quæ in editis non comparent ex Syncello affert Is. Vossius de LXX. Interpret. p. 37. 46. & alibi non semel; quædam etiam habet Suidas in voce Ἰησοῦς, p. 331. an verò hallucinatus non sit Suidas, perpendant eruditi. Hippolyti Tractatus περὶ τοῦ παντὸς, sub Josephi nomine Græcè ab Hoeschelio, & qui Hoeschelium expressit And. Schotto evulgatus est Not. in Photii Bibl. p. 10. istius tamen non esse nulli ferè non censent Critici.

Cæterùm hîc loci non inutile erit Lectorem de Josepho Gorionide pauca quædam docere. Josephus iste, qui dum nugas suas pro genuino Fl. Josephi Opere apud populares suos venditare voluerit, stolidè hallucinatus, se Gorionis filium dixit, Judæus aliquis, Gallicæ gentis ex agro Turonensi fuisse, & post annum Christi sexcentesimum scripsisse videtur Scaligero *, cui ferè per omnia succinit Vossius †. Scripsit Hebraicè Compendium quasi quoddam F. Josephi Historiarum, Acta LXX. Interpretum, gesta Maccabæorum & Excidii Hierosolymitani narrationem complexum, quod ex Latino Ruffini excerpsit. Insulsus admodùm & inficetus Scriptor, qui inscitiam suam & imposturam ferè ubique prodit; ex quo tamen solo, quæcumque de Maccabæis & Excidio Hierosolymitano habent; Judæi Scriptores accipiunt. Primi ediderunt Judæi *Constantinopoli* Hebr. inde Seb. Munsterus (omissis tamen fabulis plerisque putidioribus) Hebraico-Latinè cum notis, *Wormatiæ* 1529. & *Basil.* 1541. Prodiit etiam Hebraicè *Venet.* 1544. & *Cracoviæ* 1589. Fusissimè de eo agit Cl. Usserius Bibl. Theol. MS. p. 116. &c.

* Trihær. Elench. c. 4. 5. † De Histor. Græc. l. 2. c. 8.

JOSEPHUS, genere Hebræus, domo Hierosolymitanus, dignitate sacerdos, claruit anno Christi LXVII. Etiam à puerìtiâ incumbens disciplinis egregiè profecit, ipsomet teste de vit. suâ, pag. 989. Visus intellectu & memoriâ præcellere; ita ut jam tum quartumdecimum agens annum, tantam laudem ex literarum studiis consecutus sit, ut etiam à summis Pontificibus, & urbis Primoribus de penitiori Legum sensu consuleretur. Obiit exeunte circiter hoc sæculo. Josephum ob egregia scripta à se edita, résque, & in Ecclesiâ, & Republicâ præclarè gestas, tanto in honore non modò apud populares suos, verùm apud Romanos rerum dominos habitum 67. P. II.

tum

tum esse tradit Eusebius * ut in urbe Româ, Statuâ donatus sit, ejúsque libri in Bibliothecâ publicâ fuerint collocati. Quin & ipse † nobis auctor est, se libros suos [quos opinor, de Bello Judaico conscripsit] non modò illustrioribus Romanis qui bello interfuerunt, sed & ipsis Vespasianis Augustis obtulisse, Titumque Imper. eosdem manu suâ subscriptos publicari præcepisse. Ut mirum planè videri debeat, Josephi scripta tam benè curata, in tam publicâ hominum luce posita, omnium penè manibus quotidiè trita, ad tam pauca exemplaria hodiè redacta esse, támque rarò in Bibliothecis Manuscripta reperiri, tam hiulca, mutila, obscura, & fœdè depravata ad nos pervenisse, ut plura sint loca, quæ vix sanum fundant sensum. De quibus citiùs inter horologia, quàm inter eruditos conveniet. Infinitus essem, si singula percurrerem. Uno, alteróve exemplo manifestum fiet. Primum sit πολυθρύλλητον illud & vexatissimum de Jesu Christo testimonium, quod in editis sic se habet; Antiq. lib. XVIII. cap. 4. pag. 621. Γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς σοφὸς ἀνὴρ, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή. Ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητὴς, διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τ' ἀληθῆ δεχομένων. Καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ Ἑλληνικοὺς ἐπηγάγετο. Ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν. Καὶ αὐτὸν. &c. Id est, interprete Ruffino, seu antiquo alio: *Fuit autem eisdem temporibus Jesus, sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est. Erat enim mirabilium operum effector, & doctor hominum eorum, qui libenter quæ vera sunt, audiunt. Et multos quidem Judæorum, multos etiam ex Gentibus sibi adjunxit. Christus hic erat. Hinc*, &c. Mitto reliqua utpotè omnibus nota. Quantis objectiunculis, quàm discrepantibus lectionibus, quot Grammaticalibus minutiis & observationibus locum hunc vexârint recentiores Critici, nôrunt omnes qui in literis Ecclesiasticis versantur. Non est hujus operis, neque in animo mihi, genuinam hujus testimonii authoritatem ex professo vindicare, multò minùs cum quoquam hâc de re contendere; fruatur quisque judicio suo; paucula tantùm, ὡς ἐν παρόδῳ, notabo, quæ ad summam rei pertinere videntur.

* Lib. 3. c. 9. p. 84.

† De vit. suâ. p. 1026. contr. App. l. 1. p. 1037.

Josephum, magni nominis Historicum, res sui temporis, gentisque suæ, literis mandantem, de CHRISTO JESU, Viro ob ortum, vitam, miracula, mortem, resurrectionem, religionem recèns institutam, discipulos, per omnium ora celeberrimo, déque rebus ab eo recenti memoriâ gestis, nullam planè fecisse mentionem, cùm vel ipsi meminerint hujus temporis scriptores Gentiles, Tacitus, Suetonius, Plinius, &c. quis credet? Sed loco non suo interpositum est hoc elogium, nec cum iis cohæret quæ præcedunt, sequunturque; sublato hoc, reliqua aptè cohærere. Verùm gratis hæc omnia dicuntur; nec verè quidem. Priori enim capitis parte de rebus à Judæis sub Pilato gestis agit: Undè aptè satis ad Domini nostri mentionem delabitur. Quin & quæ sequuntur multò minùs ad Pilati historiam pertinere videntur, quàm hæc de Domino nostro periocha. Certè in toto hoc capite ea recensere videtur Josephus, quæ sub Pilati regimine, diversis licèt temporibus, contigerunt. Sed suppositum est Josepho hoc testimonium, ejusque operibus intrusum. At quo authore, quo tempore id factum? quo teste, quo indicio id constat? Josephi libri in omnium erant manibus, ab omnibus lecti, excussi, Judæis, Gentilibus, Christianis apprimè noti. Ut non citiùs talem laciniam suffercire potuisset impostor, quin statim exclamaret orbis universus, & rumores de tam insigni νοθείᾳ in omnes angulos spargerentur. Primus qui hoc Josephi testimonium citavit, erat Eusebius, circa annum CCCXXIV. quo tempore nè levissima quidem suspicionis umbra habebatur. Ubique ad manum erant Josephi exemplaria, & in Bibliothecis Romanis vetustissima, ad quæ facilè provocari poterat. Nec dubitandum est, tùm Judæos, tùm Gentiles id facturos esse. Ipse Eusebius, qui omnium penè Bibliothecarum forulos excusserat, & de rebus antiquissimis optimè judicare nôrat, nec facilè falli potuit, nec fallere voluit; ut nec, qui eum secutus est Hieronymus. Quid verò faciemus iis † qui ipsummet Eusebium doli & imposturæ quam somniant Architectum fuisse volunt? Itáne verò? an tam sublestæ fidei, tam deploratæ famæ fuerit Vir omni ævo Celeberrimus, ut post candorem, & sinceritatem tot sæculis probatam, in falsi fraudísque crimen tandem veniret; & fides hactenùs illibata, ab ingratâ posteritate, absque vel minimâ justæ suspicionis ratione, in dubium revocetur? Quin nec si hoc facere voluisset Eusebius, facilè potuit. In Evangelicæ Demonstrationis opere, rei Christianæ causam præcipuè adversùs Judæos, idque allato hoc ipso Josephi testimonio, luculenter agit. Si fraudulenter supposuisset, quàm malè fidei, famæque suæ & causæ quam agebat, consuluisset, qui inspectis Josephi libris facilè revinci potuit? Apage tales suspiciunculas nullâ probabilitate nixas, viris ingenuis atque eruditis indignas, ex æquo ineptas & malitiosas! Quid, quod omnes etiam vetustissimi, qui hodie supersunt, codices MSS. exaratum habent eâdem manu hoc testimonium, & vix proferri potest antiquum aliquod exemplar in quo desideratur; adeò ut per XV. penè sæcula à nemine usquam sollicitatum fuerit, sed constanter pro genuino habitum? Sed hujus testimonii Origenes & Photius nè verbulo quidem meminerunt. Esto. Habuerunt proculdubiò rationes suas cur silerent. Fortè in codices inciderunt, in quibus omissum erat, aut erasum. Judæis quippe solenne erat postquàm Christiana Religio invaluerat, omnia librorum suorum loca vel corrumpere, vel subtrahere, quibus fides Christiana niteretur: Et si ipsis Sacris ubi de Christo agunt, manus violentas injicere non reformidarint, quid mirum si Josepho non pepercerint? Nec vana est prorsus hæc suspicio. Audiamus quæ hac de re tradit Gyraldus Cambrensis, libro *de institutione Principis*, apud Cl. Galeum, nondum edito. *Robertus* [*Canutus* dictus, qui claruit circa annum 1170. de quo vide Baleum cent. 3. cap. 4. p. 213.] *Prior S. Fridiswidæ apud Oxoniam, Hebraicè doctus, in duobus exemplaribus Josephi Hebraicè scriptis invenit Testimonium de Christo, in aliis nuper erasum. Quod & Judæis Oxoniæ degentibus ostensum fuit.* Dices Josephum testari, se libros de bello Judaico primò quidem Hebraicè scripsisse, ac Græcè postea vertisse; de Antiquitatibus idem non affirmat. Fieri tamen potuit, ut in contribulium suorum gratiam, hos etiam libros patrio sermone condiderit, etsi in opere Græco quod habemus hodie, id non tradiderit. Vel fieri etiam potuit, ut ipsi Judæi eos Hebraicè transtulerint. Ac proinde in omnibus exemplaribus quæ vel sub potestate suâ erant, vel à se descripta, hoc de Christo testimonium, aut omiserint penitùs, aut deleverint. Quicquid sit, certum est in hodiernis Josephi codicibus multa deesse, quæ à veteribus citantur. Fragmenta benè longa Græcè MSS. apud se servari me monuit eruditissimus Galeus, quæ in vulgatis Josephi codicibus frustrà quæsiveris. Plura profert Isaacus Vossius, & ex eo Cl. Ittigius, Theologus Lipsiensis, in prolegomenis quæ nuperæ Josephi editioni præmisit; quibus & alia non pauca addi possunt.

† *Mihi imprimis credibile fit, auctorem hujus τεχνάσματος esse Eusebium.* Tan. Faber in Diatr. mox citanda p. 37. Alios vid. ap. Bos. in exercit. in hoc Joseph. testimoniũ.

Primus,

Digitized by Google

Primus, ni fallar, saltem è primis, qui nostrâ memoriâ huic testimonio litem movere non contentus, deditâ operâ refutare aggressus sit, erat Tanaquillus Faber, editâ hac de re peculiari diatribâ anno 1655. 8*vo*. quam deinde in primam Epistolarum partem transtulit, num. 44. Levia planè videntur, nec critico ejus acumine satis digna, quæ hâc in causâ objicit: Nec tanti sunt (si id jam agerem) omnia variorum argumenta, quorum summam magnâ quidem perspicuitate & judicio exhibet Andreas Bosius *; quæ illustre hoc Christianæ antiquitatis monumentum studiosorum manibus excutiant. Quod fortiùs stringit illud est: Videri Josephum hoc in loco D. Jesum pro vero Deo & Messiâ agnoscere. Id enim verba illa innuere videntur; ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν; quod de Josepho neutiquam credi potest. At quid si hæc clausula Josephi non fuerit, sed à Christiano quodam in margine annotata, postea Librariorum incuriâ in textum irrepserit? Suspicatus est hoc olim Montacutius noster, in re Critico-ecclesiasticâ vir summus, qui de his verbis agens, Χριστὸς οὗτος ἦν, *proculdubio*, inquit,* *glossema est, & marginalis cujusdam Christiani lectoris adnotatio, licèt habeatur in scripto codice, & in Josepho.* Suspicionem non leviter auget, quòd hæc verba in Josephi testimonio prout apud Cedrenum * extat, desiderantur. Unde pronum est conjicere Cedrenum in codice quo usus, ea neutiquam reperisse. Verùm sint ipsius Josephi verba. Quis nobis fidem faciet ex suâ, non ex aliorum mente Josephum loqui, remque tradidisse, non quam ille, veram existimavit, sed quæ vulgari famâ circumferebatur? Nec aliud forsan est hæc clausula, quàm usitata apud Græcos loquendi formula, οὗτος ἦν, pro λεγόμενος, Hieronymus † vel in codice suo ita legit, vel saltem intellexit, cùm hunc locum ita reddidit, *Hic credebatur esse Christus.* Et ita quidem alibi Antiq. lib. 20. cap. 8. p. 698. ipse Josephus de Christo loquitur, mentemque suam satis apertè explicat Ἰησοῦς ὁ λεγόμενος Χριστός. *Jesus qui Christus dictus est:* Ut salvo hoc testimonio, non sit necesse Josephum vel pro Christiano, vel pro Christianæ Religionis encomiaste habendum esse. Scripsit Pilatus super crucem Domini, Οὗτός ἐστιν Ἰησοῦς βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων: quem tamen pro Christi discipulo, vel admiratore nemo opinor unquam habuit. Et proinde concidit planè argumentum, in quo tot triumphos agit Tanaquillus Faber *, ex Origenis testimonio depromptum; Josephum nempe Jesum pro Christo non agnovisse. Addam, coronidis loco, Cl. le Moine * hâc de re sententiam. "Cùm Josephus quædam in isto loco de Messia & Jesu injecisset, & "dixisset quòd ille esset λεγόμενος Χριστός, levi im- "mutatione, & fraude non improbandâ, quidam "Christianus ad marginem scripserat, ἦν ὁ Χριστὸς "cùm λεγόμενος minus dicere, quàm par erat, exi- "stimaret; tandem describentibus amanuensibus, "exultavit textus ipse, & glossa marginalis illius "locum occupavit----Dixit Josephus quòd isto "tempore ortus Jesus ὁ Χριστὸς λέγεται *dicebatur* "*Messias.* Tale loquendi genus occurrit in lib. *Sopherim* citante Galatino, ישו הנוצרי נדאת המשיח "*Jesus Nazarenus videbatur Messias.* Occurrit & "apud ipsum Maimonidem, cap. 11. Tractat. ultim. "Lib. *Jad.* אף אותו שנדמה שיהיה משיח *De illo qui* "*Messias existimatur, vel qui existimatur esse Chri-* "*stus.* Quod quadrat cum verbis Josephi, qui dicit "de Jesu Nazareno, quòd ἦν λεγόμενος Χριστός. Hæc "Hactenus.

* Exercit. Hist. crit. in perioch. Joseph. de Jes. Christo, c. 3. §. 17. &c. p. 85.
* Not. in lib. 3. Euseb. de Demonstr. Evang. ad p. 124.
* Edit. Paris. p. 196.
† De script. in Joseph. c. 13. p. 7.
* Diatr. p. 1. 33. 34. 35.
* Not. ad var. sacr. p. 931.

Alter Josephi locus, perplexus satis, & difficilis habetur de Bell. Judaic. lib. 6. cap. [*Græc.*] 18. [*Lat.*] 7. pag. 921. ubi de Romanæ Legionis Ballistis Hierosolymitanos jactis lapidibus graviter infestantibus agens, refert obsessos speculatores in turribus constituisse, qui quando impelleretur machina, saxumq; ferretur, præmonerent, patriâ linguâ clamantes, ὁ υἱὸς ἔρχεται, *Filius venit*. Hæc verba incommodum fundunt sensum, imò planè nullum. Scio, modò id patiantur codices MSS. levissimâ quidem mutatione pro υἱὸς legi posse ἰὸς *missile*, seu *sagitta*, quod aptè quidem huic loco convenit. Quo minùs verò in hâc conjecturâ acquiescam facit, partim quòd ἰὸς verbum sit poeticum, Homero ut plurimùm usitatum; præcipuè verò quòd speculatores non Græcâ, sed Hebræâ seu Syro Chaldæâ linguâ hæc verba ediderunt. Liceat igitur mihi aliam conjecturam in medium proferre, eamque viri longè doctissimi, Christiani Wagneri, Lipsiensis Theologi, mihique dum viveret amicissimi, qui sententiam hâc de re rogatus in hæc verba rescripsit. "Equidem non "memini apud ullum Philologorum ea de re "quidquam mihi observatum, attamen creditu "perfacile est, nisi egregiè fallor, obsessos ad con- "spectum lapidis è longinquo advolantis clamas- "se, אבנא אתי λίθος ἔρχεται, *lapis venit*; quod Fla- "vius Josephus [vel potiùs maleferiatus interpo- "lator, qui Josephi vernaculis, λίθος ἔρχεται, versionem "Græcam substituendam putavit] interpretatus "est υἱὸς ἔρχεται, sensu sanè incommodo ac insulso. "Causa παρερμηνείας non aliunde arcessenda, quàm "quod אבנא, *lapidem* æquè notat ac *filium*. Prior "vocis vis notissima est, ac vel à Danielis II. 35. V. "23. patescit. Altera paulò rarior, non tamen Hie- "rosolymitanis inusitata. Liquet id non modò ex "Arabismo [qui, æquè ac Chaldaismus Josepho ver- "naculus, Ebraismo ortum debet] & Ebraicis "Rabbinorum Hispaniensium Arabùmque titulis; "[Ibi nempe *abnon*, heic אבן *filium* significat] sed "ex ipso etiam Targum Proverbiorum, c. XXIII. v. "27. ubi dicitur וצאד אבני שכרא *Et venatur* "*filios stultos*. Scilicet אבני priori sensu ex Ebr. "בן posteriori ex בן cum א prosthetico enascitur. "Nec אבן & הבן valdè dissona sunt à se invicem, "ut credas clamasse Judæos בנא האתי quod scio- "lus acceperit pro בנא הכן. Sed Ebræa mater "pridem vulgi notitia subducta erat. Ergò אבנא "אתי magis arridet. Hæc vir incomparabilis, longéque suprà ætatem eruditus, linguarum verò Orientalium callentissimus, Literis ad me unâ alterâve septimanâ ante obitum datis, nempe 7. Idus Junias MDCXCIII. In eandem penè sententiam conjecturam suam obiter proposuit vir doctissimus Steph. Le Moine *Not.* in Epist. Barnab. pag. 57. Existimat Galeus noster pro υἱὸς reponendum esse λίθος, totidem enim sunt literæ, totidem apices, similes literarum ductus in utraque voce, unde facilis hic lapsus. Verùm de hisce conjecturis judicent alii. Ex his aliisque infinitis quæ addi poterant perspicere licet, quàm calidis, justisque votis novam & accuratam Josephi Editionem expetit & expectat gens literaria, Quantopere in hâc arenâ desudarit Stephan. Le Moine, in præfatione ad Varia sua Sacra ipse nos prolixè docet. Quàm fœlicibus auspiciis incœpta fuerit pulcherrima & castigatissima Editio Oxoniensis, quousque processerit, & quas tandem ob causas in fumum abierit, dicant alii. De variis Josephi editionibus, quæ hactenùs in lucem prodierunt, uberrimè agit amicus noster Thomas Ittigius, in Prolegomenis quæ Editioni Lipsiensi haud ita pridem præmissa sunt. Josephi stylum egregiè commendat Photius, nec immeritò, Thucydidem dictione imitatur, Atticismi observantissimus, ac si in ipso Athenarum sinu natus, educatusque fuerat. In contexendâ historiâ, mediâ incedit viâ inter LXX. Interpretes, & codices Hebraicos, qui Rabbinis à sæculo Aquilæ in usu fuerunt. Negligenter itaque factum à viris doctis indoctisque, qui editionem Interpretum Alexandrinorum Flavium

Digitized by Google

SÆC. I. à CHR. N. vium nostrum secutum esse asseruerunt, cùm millies ab illis senibus discedit; ut me nuper monuit optimus Bernardus noster, in quibusvis melioris notæ scriptoribus egregiè versatus, in Josepho versatissimus. Addam solummodò pauca de libello Josephi *de Maccabæis*, seu περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ, quem quartum Maccabæorum librum appellant veteres, Hunc Josepho nostro, post Eusebium & Hieronymum, disertè tribuit Philostorgius, lib. I. cap. 1. notatque Photius καὶ αὐτὸν συνομολογεῖν, ipsum etiam hâc in re aliis consentire. Nihilominùs an genuinum sit Josephi opus justa est dubitandi ratio. Nec dictio, nec phrasis Josephi est: imò ei in quibusdam auctor contradicit. Quidam codices MSS. monente Galeo nostro, *Martyrium* habent SS. *Maccabæorum* ἐκ τῆς Ἰωσήπου ἱστορίας. Unde liquet non à Josepho scripta, sed ex eo efformata fuisse hæc Maccabaica. Inde drama illud scripsisse aliquem Judæo-Christianum censet idem vir summus; nec sententiæ suæ rationes deesse monuit. Πίστιν πρὸς Θεὸν celebrat, perinde ut auctor Epistolæ ad Hebræos, cap. XI. Sed & illa verba in variantibus lectionibus ἀντίψυχον γεγονότας τῆς τοῦ ἔθνους ἁμαρτίας, καὶ διὰ τοῦ αἵματος, non obscurè doctrinam Christianam repræsentant. Huc etiam facit solennis illa ferè in omnibus Ecclesiasticorum sermonibus conclusio ——Θεῷ, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας [τῶν αἰώνων] ἀμήν. Dixerat S. Matthæus cap. X. v. 28. Μὴ φοβηθῆτε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα, Maccabaicus ille, Μὴ φοβηθῶμεν τὸν δοκοῦντα ἀποκτείνειν τὸ σῶμα. Interim libenter edoceri vellem, quid Erasmo in mentem venerit, qui initio Versionis seu Paraphraseos suæ auctorem inducit asserentem, se Maccabæorum agones ad exhortationem prosapiæ suæ, Polybio Megalopolytâ id flagitante, tradere voluisse. Quorum in Græcis nec vola est, nec vestigium. Nodum solvant alii. Quin id pro ingenii sui pruritu fecerit Erasmus, dubitari nequit. Hunc libellum novâ, eâque accuratâ, veste donatum notis illustravit, addiditque Fr. Combefis *Auct. Noviss.* Par. 1672. p. 1.

70. MARTIALIS, Lemovicum in Galliis Episcopus & Apostolus, unà cum S. Petro [ut volunt] ex Oriente Romam venit, indeque ab eo in Gallias amandatur; ubi Lemovicensibus, Turonensibus, aliisque ad fidem conversis, obiit [ut ex Actis ejus liquet] an. 74. Mitto, quæ de illo habent, utpote incerta prorsus & fabulosa, Acta ab Aureliano S. Martialis auditore & successore conficta: nec enim vel levissimam veritatis umbram habere videntur. De ætate ejus, jam ab aliquot sæculis acriter inter Scriptores Gallicos disputatur; aliis eum huic sæculo ascribentibus, aliis ad tertium revocantibus; & adhuc, [inquit Labbeus] sub judice lis est. Primus, quod sciam, ejus meminit Gregorius Turonensis † ex historia passionis Saturnini; qui non nisi Decio imperante, & consulatum gerente, h. e. an. Chr. 254. S. Martialem in Gallias missum, & Lemovicensem Episcopum destinatum fuisse scribit. Ascriptæ sunt huic Martiali Epistolæ duæ, ad Burdegalenses una, ad Tolosanos altera, repertæ in sacrario basilicæ S. Petri in urbe Lemovicâ, Philippo Galliarum rege imperante, uti præ se fert Codex MS. Elmenhorstianus, qui, grassante insuper Domitiani persecutione, ibi repositas esse mentitur. Primùm editæ sunt à Badio Ascensio, *Paris.* 1521. deinde in Biblioth. Patr. sæpiùs recusæ, necnon à Geverh. Elmenhorstio ad calcem Gennadii de Dogm. Eccles. cum notis editæ, *Hamburgi*, 1614. Multa sunt in ipsis Epistolis longè posterioris ævi indicia & quæ nec primi nec tertii sæculi scriptorem manifestè arguunt: quod fusiùs demonstrant tam Reformati, quàm Pontificii, viz. Possevinus, Bellarminus, Miræus, Labbeus, &c. quos videant, quibus hæc curæ sunt: nec enim tanti res est, ut in hisce diutiùs immoremur. Interim ejusmodi quisquiliarum curiosi consulant Andr. Saussayum Parisinum † qui de eo, ejusque Epistolis prolixè agit, quas strenuè propugnat, licèt aliqua parte mutatas, ac depravatas esse non deffiteatur.

† Hist. Franc. l. 1. c. 30.

† De Mistic. Gall. script. in S. Mart. p. 302.

70. PROCHORUS, S. Stephani Protomartyris, ut volunt, consobrinus, unus è septem Diaconis ab Apostolis Act. vi. constitutis, D. Johannis denique auditor, & discipulus: Clar. circa an. 70. Scripsisse dicitur Vitam S. Johannis Evangelistæ & Apostoli, quæ exstat Gr. Lat. in Orthodoxogr. *Basil.* 1569. Latinè tantùm, integrior verò in Biblioth. Patr. tom. 11. Sed suppositіtiam esse apertè satis clamant stylus, vocabula ævo isti prorsus ignota, narrationes, & fabulæ, quæ, supra quàm par erat, in tam brevi libello deprehenduntur; id quod etiam fatentur Baronius an. 92. Lorinus in Act. 6. Brasichalanus, Labbeus, &c. Eundem esse hunc librum cum *Circuitu Johannis*, qui ab Athanasio inter Apocrypha recensetur, post Bellarminum, Vossium, aliosque lubens concesserim.

80. CERINTHUS, ortu ut videtur, Judæus, claruit circa an. 80. in Ægypto diu versatus, & in Philosophicis scientiis eruditus; fidem demum Christianam amplexus est; ita tamen ut Judaicæ religionis zelum retineret, & Gentiles in Ecclesiam admitti ægrè ferret. Hinc D. Petrum ob baptisma Cornelio concessum reum egit; Antiochiæ necessitatem observandæ legis Mosaicæ, & Proselytos circumcidendos esse docens, turbas movit; ac D. Paulum profanati introductis Græcis templi Hierosolymitani accusavit. Posteà verò ab Ecclesiâ secedens Hæresin in Asiâ propagavit, ac sectam sibi cognominem instituit. Docuit enim non à Deo, sed à separatis quibusdam potestatibus Dei ignaris mundum creatum esse, Jesum à Josepho genitum fuisse, in eum demum recèns baptizatum Christum sub columbæ specie supernè descendisse, ac ante passionem iterum avolasse, adeò ut Jesus merus homo cruci affigeretur: Christum post sæculi finem mille annos Hierosolymis regnantem sanctis viris resuscitatis omnium voluptatum carnalium copiam affatim indulturum esse. Alia etiam Errorum portenta commentus est, quæ ab eo accepta Valentiniani in systema quoddam ineptiarum digesserunt. Ut istius imprimis Hæresin refelleret, Evangelium suum edidisse D. Joannem autor est Irenæus. Eundem etiam tanto odio habuit S. Apostolus; ut balneum Ephesi ingressurus, cùm Cerinthum intro esse audiret, Pedem evestigio retulerit, comites suos sic allocutus, *Fugiamus, ne balneum corruat, in quo Cerinthus est, veritatis inimicus.* Addit Hieronymus † balneum statim corruens Cerinthum ruinâ subitâ oppressisse, ut quidem affirmat Fevardentius *not. in Iren. l. 5. c. 3. n.* 20. Unde & P. Halloix illud tanquam ἁμάρτημα μνημονικὸν Fevardentio tribuit, *not. in vit. S. Polycarpi c.* 10. *p.* 557. Scripsit, teste Caio ap. Euseb. l. 3. c. 28. *Revelationes* quasdam, quas ab Angelo sibi patefactas esse commentus est; in quibus de millennio plurima somniavit. Quin &, teste Dionysio Alex. ap. eund. ibid. non deerant, qui Apocalypsin sub D. Joannis nomine à Cerintho confictam esse prædicarent, occasione forsan inde natâ, quòd Chiliastarum dogmati, quod Cerinthus strenuè tutatus est, favere liber iste videatur.

Irenæus l. 3. c. 11. Euseb. l. 3. c. 28. Epiphan. Hær. 28. Theod. Hæret. Fab. l. 2. c. 3.

† Dial. adv. Lucifer. ian.

JUSTUS, Judæus, Pisti filius, Tiberiade Galilææ

Digitized by Google

SÆC. I. à CHR. N. * In Vitâ suâ

Galilæâ natus, vir magni apud suos nominis, καὶ γδ ἦν φύσει πως ἐπιφανής, ut de Patre ejus testatur Josephus *. Magnæ, gravesque ei cum Josepho intercesserunt inimicitiæ; quâ de re multa Josephus in Vita sua, ubi mendacia ejus detegit, & redarguit, calumniasque à se depellit. Clar. an. 90. Scripsit Chronicon Regum Judæorum, qui coronati fuerunt, incipiens à Mose, & perducens illud ad exitum usque Agrippæ, Regum Judaicorum ultimi, h. e. ad an. 100. Scripsit præterea Commentarios de Bello Judaicô, quos per viginti annos latere voluit, ne mendacia suâ coarguerentur; quod ei Josephus objicit. Conjicerem planè hosce Commentarios eam fuisse Chronici partem, quâ res Judæorum sub Vespasiano & Titô attigit, nisi me aliter sentire cogeret Stephanus de Urb. * qui Justum ait, Τὸν Ἰεδαικὸν πόλεμον τὸν κατὰ Οὐεσπασιανȣ̃ ἱςορῆσαι. Stylo usus est συντομωτάτῳ, ait Photius *, & pleraque relatu cumprimis necessaria prætermisit; addiditque eum communi Hebræorum vitio laborâsse, quòd Judæus cum esset, de Christi adventu, deque iis, quæ ipsi acciderunt, aut de miraculis ab illo patratis nullam prorsus fecerit mentionem; Ipse Josephus fatetur eum Græcarum disciplinarum non fuisse imperitum; sed populari quadam facundiâ, verborumque præstigiis polluisse, quibus saniora suadentes facilè vincere potuit. Justi verò hujus scripta aut alicubi adhuc latent, aut quod verisimilius est, aliquot retrò sæculis perierunt.

SÆC. I. à CHR. N. * In voce Τιβεριάς. * Cod. 33.

Gentilium Scripta Christum hoc sæculo perstringentia.

ACTA PILATI, sive Relatio ad Tiberium Imp. de Domino nostro ejusque Morte, Resurrectione, Ascensione, deque Criminibus, quorum apud ipsum reus peragebatur. Romanis in more positum fuisse, ut Proconsules Rectoresque Provinciarum, rerum apud se gestarum, Acta conficerent, atque ad Imperatorem Senatumve transmitterent, nemo nescit, qui in Historia Romana hospes non est. Notavit id olim hac ipsa in re Eusebius, lib. 2. c. 2. Παλαιȣ̃ κεκρατηκότος ἔθȣς τοῖς τῶν ἐθνῶν ἄρχȣσι. *Vetus erat*, inquit, *consuetudo Provinciarum Rectoribus, ut quicquid novi apud ipsos contigisset, Imperatori nunciarent, ne quid ipsum lateret: Pilatus igitur de Resurrectione Servatoris nostri Jesu Christi, cujus per universam Palæstinam celebris erat fama, ad Tiberium Principem retulit: multa quoque alia ejusdem Miracula se auditu accepisse significans, & qualiter ad vitam denuò revocatus, à plerisque jam Deus haberetur.* Testantur id etiam Eusebio antiquiores, Justinus Martyr, & Tertullianus: hic *Apologet. adv. Gentes*, c. 21. p. 20. ubi relationis hujusce ad Tiberium meminit, ipsumque Pilatum jam *pro suâ Conscientiâ Christianum* fuisse ait: Ille Apol. 2. ad Antoninum Pium *, ubi ad hæc Pilati Acta non semel provocat. Καὶ ταῦτα ὅτι γέγονε, δύνασθε μαθεῖν ἐκ τῶν ἐπὶ Ποντίȣ Πιλάτȣ γενομένων ἄκτων: *Atque hæc ita gesta esse, cognoscere ex actis quæ sub Pilato sunt conscripta, potestis.* Corruperunt hæc Acta, saltem ad horum imitationem alia condiderunt, tum Hæretici, tùm Gentiles. De hæreticis id narrat Epiphan. Hæres. L. n. 1. seque non uno istorum Actorum exemplari usum esse innuit. Gentiles verò, regnante Diocletiano, in Christianorum odium Acta sub Pilati nomine confinxerunt, quæ in lucem tandem protulit Maximinus Aug. jussitque ut ubique locorum tam in agris, quàm in civitatibus publicè proponerentur, utque Ludimagistri pro dictatis hæc declamanda, & memoriæ commendanda pueris traderent, referente Euseb. lib. 9. c. 5. Vid. lib. 1. c. 9. Perierunt dudum hæc Acta, tam genuina, quàm supposititia. Habetur quidem apud Pseudo-Hegesippum *Anacephal.* p. 683. Epistola Pilati ad Claudium Imp. de hac ipsa re. Verùm vanitate suâ se statim prodit, ac proinde meritò ab omnibus rejicitur.

* P. 76. C. 84. C.

SÆC. I.

Concilia hoc Sæculo habita.

47. P. II.

HIEROSOLYMITANUM, Synodorum omnium propriè dictarum prima, Hierosolymis ab Apostolis circa annum XLVII. celebrata. Occasionem dedit exorta nuper Antiochiæ inter fideles Judæos, & è Gentilibus controversia, de circumcisionis, rituumque Mosaicorum observantia ad salutem necessaria. Quis fuerit hujus controversiæ status, Lector, paucis accipe. Judæi ad Christi fidem traducti, Legis suæ à tot retroactis sæculis receptæ, toties divinitùs confirmatæ, amorem cultumque ægrè admodum deponere potuerunt. Ferebant in oculis Mosen suum; Venerabantur Majorum instituta, ritusque à Deo traditos, maximè, quâ Dei peculium censebantur, Circumcisionem. Hæc in Ecclesiam Christianam secum inferre satagebant, hæc non minùs quàm Christi præcepta ad salutem necessaria ubique venditabant. Neque id modò, sed & Gentiles qui religionem Christianam amplectebantur, ad ea observanda cogere studuerunt, frustra alioquin Christi gratiam in hâc vitâ, & æternam fœlicitatem in futura expectaturos. Verùm animosè restiterunt Gentiles, neque gravissimo huic jugo colla subdere voluerunt. Hinc nata Antiochiæ lis, ubi magna erat Judæorum frequentia, non levi contentione utrinque agitata, neque Pauli & Barnabæ autoritate sopiri potuit. Ipsis igitur ab Ecclesiâ Antiochenâ Hierosolyma missis, ad Apostolos res devenit; qui Concilium hanc in rem mox cogebant: Præcipuas in hâc synodo partes sustinebant, B. Petrus, & Jacobus Hierosolymorum Antistes. Sententiam primus dixit Petrus inter Apostolos senior, Decretoriam Jacobus, ut potè loci Episcopus; nempè Gentiles non aliis Legis ceremoniis teneri, quàm ut ab iis quæ immolata sunt simulachris, à sanguine, suffoca-

Digitized by Google

SÆC. I. à CHR. N.

to, & scortatione abstinerent. Extat Decretum & Epistola Synodica ap. Lucam Act. cap. XV. Non obstante Decreto hoc Apostolico, controversia penitus non deferbuit. Latitabant in angulis Pseudo-Apostoli, falsique doctores, qui fermentum hoc Judaicum spargere non cessabant. His ut occurreret S. Paulus, ei omnibus modis enitendum erat. Hinc natæ ei tot curæ, labores, molestiæ, hinc nova prædicandi seges, nempè ut ostenderet non Legem Mosis, sed Evangelium Christi, methodum esse salutis à Domino institutam; neque Legis opera, sed fidem Christi [*i. e.* verumque, sincerumque assensum & obsequium promissis, præceptisque Evangelii præstitum] ad salutem esse necessariam. Neque ad reserandas plerasque D. Pauli Epistolas præsertim ad Romanos, Corinthios, Galatas, aptior ulla rectiorve clavis adhiberi potest. Verùm hæc obiter. Plures alias Apostolorum synodos memorant scriptores Pontificii; nempè Hierosolymitanam circa Electionem Matthiæ Apostoli anno Christi 33. paulò post Domini Nostri in Cœlum ascensum; alteram itidem eodem loco in Festo Pentecostes habitam; ne de aliis dicam, quibus Conciliorum nomen impropriè & καταχρηστικῶς tribuitur, quæ potiùs piorum Conventus, quàm cœtus Synodales haberi debent. De Canonibus & Constitutionibus, quæ Apostolorum nomine vulgò circumferuntur, quæque primis Ecclesiæ sæculis condita, tandem in unum codicem collecta sunt, agit hæc Historia Literaria inter S. Clementis Opera ad ann. 65.

SÆCULUM GNOSTICUM.

CONSPECTUS SÆCULI.

SÆC. II. ab An. C.

NON obstante Judæorum in Christianos odio plusquàm Vatiniano, nequicquam valentibus tum Philosophorum argumentis, tum Imperatorum armis, mirè invalescit Christiana Religio, non paucis ex illustrioribus gentilibus ad fidem conversis, J. Martyre, Theophilo Antiocheno, *&c.* qui oblatis pro Christianis eorumque cultu Apologiis, sanctissimam religionem ab Ethnicorum calumniis strenuè vindicant. Turpissima Gnosticorum hæresis, Valentiniani, Carpocratiani, Menandriani, Marcionitæ, *&c.* Scholæ Simonianæ ex præcedenti sæculo propagines, latiùs se diffundunt. Succedunt hæreses Tatiani, Montani, Theodoti, ut alias impurissimes sectas taceam. S. Biblia non unâ vice ex Hebræâ in Græcam linguam transfunduntur. Cessantibus Hierosolymorum Episcopis, qui huc usque ex circumcisione fuerant, primus ex gentibus constituitur Marcus an. CXXXVI. Viget Schismâ in causâ Paschali, hinc Victore Romano Episcopo Festum Paschatis die solùm dominicâ, illinc Polycrate cum Episcopis Asiaticis Quartadecimâ Lunâ (quâcunque demum die contigerit) celebrandam esse pertinaciter contendente: in Asiaticos idcirco anathematis fulmen temerè vibrat Victor. Varię inde Synodi tum in Oriente, tum in Occidente habitę, de quibus Euseb. l. 5. c. 23. 24. 25. Sub initium sęculi an. CVII. imperante jam Trajano contigit tertia adversùs Christianos persecutio, hoc nomine excitata, quod solennes illorum conventus *hæteriæ* essent, & illicita collegia, legibus Romanis disertè vetita. De Christianis Plinium Juniorem Bithyniæ Proconsulem consuluerat Trajanus: respondit Plinius, bonos esse viros, pravâ quidem & immodicâ superstitione laborantes, sed ad mortem pro religione subeundam paratissimos. Rescripsit Trajanus, Christianos proinde *conquirendos non esse, si vero deferantur & arguantur, puniendos.* De hoc rescripto argutè prorsus Tertullianus Apol. c. 2. *O sententiam necessitate confusam; negat inquirendos, ut innocentes: & mandat puniendos, ut nocentes; parcit, & sævit; dissimulat, & animadvertit: Quid temetipsam censura circumvenis? Si damnas cur non & inquiris? Si non inquiris, cur non & absolvis? Damnatis ergo oblatum, quem nemo voluit requisitum; qui puto jam non ideò meruit pœnam, quia nocens est; sed quia, non requirendus, inventus est.* Quartam persecutionem sub Adriano ponit Sulpitius Severus; quam tamen Eusebius aliique ad Marci Antonini tempora referunt, circa an. CLXIII. neque unum duntaxat annum durasse videtur hęc persecutio. Certè an. CLXVII. in Galliis vehementiùs exarsit; quod testantur tot illustrium Martyrum certamina, qui Lugduni pro pietate occubuerunt; de quibus ex ipsis Lugdunensium & Viennensium literis prolixè agit Eusebius, l. 5. c. 1.

SCRI-

Digitized by Google

SCRIPTORES.

SÆC. II. ab An. C. 101.

IGNATIUS: De hujus Patria & Parentibus silent Veteres: eundem esse cum puerulo illo, quem manibus suis sublatum Christus Discipulis exhibuit, indeque nomen Θεοφόρȣ reportasse volunt S. Metaphrastes, Nicephorus, aliique incertâ prorsus traditione. Testis nobis est Chrysostomus * illum cum Apostolis familiariter vixisse, ab iisque fluenta spiritualia hausisse, καὶ ῥήτων, καὶ ἀποῤῥήτων αὐτοῖς κοινωνῆσαι; & sedis Antiochenæ principatu dignum ab iis esse judicatum. Certè mortuo Euodio, ad Ecclesiæ istius præsulatum evectus est: hancque gratiam suscepit διὰ τ τȣ͂ μεγάλȣ Πέτρȣ δεξιᾶς, ut loquitur Theodoritus, * *ipso Petro manus ei imponente*. Rexerat hanc Ecclesiam annos plusquam XL. Cùm Trajanus circa an. 107. Parthis bellum illaturus Antiochiam venit, à quo S. Ignatius ad bestias damnatur, & Romam ad Martyrium subeundum vinctus mittitur; Ubi in Amphitheatrum productus XIII. Cal. Januar. ann. CVII. corpore leonum dentibus mox comminuto beatam animam Deo reddidit. Verùm de itinere, totoque Martyrii cursu, videnda sunt antiquissima Martyrii ejus Acta; de quibus infrà.

* Homil. in S. Ignat. p. 499. Tom. I.

* Dial. I. p. 33.

OPERA GENUINA.

Epistolæ VII. *viz. ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphenos, ad Smyrnæos, ad Polycarpum.* Priores quatuor Smyrnæ, tres posteriores Troadis, dum iis locis Romam ad Martyrium subeundum contendens, hæreret, scriptæ. En præclarum Polycarpi * de his Epistolis testimonium, ἐξ ὧν μεγάλα ὠφεληθῆναι δυνήσεσθε, περιέχȣσι γὰρ πίστιν, καὶ ὑπομονὴν, καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν, τ εἰς τὸν κύριον ἡμῶν ἀνήκȣσαν: *Ex iis magnam vobis percipere utilitatem licebat: continent enim fidem, patientiam, & cætera quæ ad augendum Domini nostri cultum pertinent.* Et sunt sanè primævæ pietatis, Doctrinæ Ecclesiasticæ, & regiminis Episcopalis in ipsa Apostolica Ecclesia vigentis, testes luculentissimi. Hanc ob causam acriter in eos insurgunt Novatores, totisque viribus oppugnarunt Blondellus, Salmasius, Dallæus, doctissima Novaturientium capita. Ne quid jam dicam de minorum gentium Scriptoribus, Oweno, Voetio, &c. Sed inanes horum impetus fortiter debellavit; ὁ πάνυ Hammondus nostras, dissertationibus quatuor adversus Blondellum, aliosque an. 1651. editis: cui succenturiatus doctissimus, & nunquam sine honoris præfatione nominandus, Joh. Pearsonus † postea Episcopus Cestriensis, Vindicias Ignatianas an. 1672. in lucem emisit; quibus objectiones omnes funditùs adeò difflavit, & causam Ignatianam tot validis, invictisque argumentis munivit, ut mirum planè videri debeat, si Adversarii nostri copias suas toties devictas in aciem iterum proferre audeant. Has Epistolas à multis retrò sæculis miserè interpolatas tandem integritati suæ restituere incepit Rev. Armachanus, edito è regione Græci textûs vetustissimo Interprete Latino è publicâ Gonvilii & Caii apud Cantabrigienses Collegii: & privatâ Rich. Montacutii Episcopi Norvicensis Bibliothecis desumpto, additamentisque Græcis minio distinctis, quò vera à falsis faciliùs discernerentur: dissertationes item præliminares, & notas adjunxit, *Oxon.* 1664. Biennio post, viz. ann. 1646. V. Cl. Is. Vossius textum Græcum genuinum è Bibliothecâ Medicæâ, ubi diu latuerat antiquo Interpreti Usseriano apprimè congruentem, unà cum ista versione, ac suis notis divulgavit. Demum anno sequenti, ut editionem suam absolutam redderet, Usserius Appendicem geminam, Vossii textum complexam cum nova versione, aliisque huc spectantibus, addidit.

* Epist. ad Smyrnæos.

SÆC. II. ab An. C.

OPERA SPURIA.

Epistola VIII. *ad Mariam Cassobolitam*, [cui in editione Usseriana 1644. præmittitur Lat. in Appendice 1647. Gr. Epistola Mariæ Cassobolitæ ad Ignatium, ab ejusdem, ut videtur, Impostoris manu profecta, Antonio tamen Melissâ vetustior, à quo citatur, l. 2. Serm. 19.] *ad Tarsenses, ad Antiochenos, ad Philippenses ad Heronem ad B. Virg. Mariam, ad Johannem Apostolum* duæ. Tres istæ posteriores Latinè tantùm exstant.

De Epistolarum Ignatii genuinarum interpolatione, & spuriarum suppositione, talem ferunt censuram CLL. Usserius & Pearsonus; Genuinas ineunte seculo sexto interpolatas esse, quippe quas primi citarunt Steph. Gobarus circa an. 580. Anastasius Antiochenus an. 595. & Chronici Alexandrini Author an. 630. Addit Usserius [quod & pluribus probare nititur] ab eadem illas manu corruptas esse, quæ Canonibus Apostolicis Capitula posteriora 35. affinxit, & Constitutiones Apostolicas interpolavit; interpolatorem verò quisquis demum fuerit, Hæreticum fuisse. De Epistolis Spuriis, quæ Græcè extant, sic censent, illas, exeunte eodem sæculo, confictas esse; utpote quas primi allegârunt Anastasius Presbyter circa an. 650. Antiochus Monachus an. 614. Damascenus & Melissa. Excipit istarum numero Cl. Pearsonus Epistolam ad Philippenses, quam recentioris ævi, Adone tamen Viennensi à quo citatur, antiquiorem esse vult. Tres denique Epistolas Latinas, Latinæ originis ac multò recentioris commatis esse arbitrantur, quippe quæ à Bernardo, Dionysio Carthusiano, & Pseudo-Dextro primùm citatæ deprehenduntur.

In editionibus Ignatii ferè omnibus habetur vetustus Epistolarum interpolatarum Interpres Latinus, quem Adone Viennensi [qui circa ann. 875. floruit] antiquiorem esse conjicit Usserius. In editionibus verò Usserianis habetur Latina Epistolarum non interpolatarum versio, de quâ suprà. Robertum Episcopum Lincolniensem ejus Authorem esse opinatur idem Usserius.

Missis Editionibus aliis, quarum accuratam seriem dabit Cl. Pearsonus, * & ex eo nuper Oudinus. † Extant omnes tum spuriæ tum genuinæ, *Oxon.* 1644. unà cum Appendice, *Londini*, 1647. 4°. & in Collectione PP. App. Coteleriana, *Paris.* 1672. Editio etiam Vossiana iterum prodiit, *Londin.* 1680. 4°.

* Procem. c. 2. 3. 4.

† Supplem. ad Bellarm. de Script. p. 8.

Conficta olim erat ab Hæreticis, ut videtur quibusdam sub Ignatii nomine Διδαχὴ sive Διδασκαλία, quâ explicabantur traditiones & dogmata ab Apostolis inter colloquendum accepta. Ex hujusmodi ut dictum est, Διδασκαλίαις variis consarcinatæ sunt Constitutiones Apostolicæ: & in iis locum non infimum meretur Ignatiana, ita tamen

Digitized by Google

SÆC. II. ab An. C. men aliis immixta ac confusa, ut quænam ei sint propria, ne divinando quidem quisquam assequi possit. Fragmenta verò quædam proferunt Damascenus & Antonius Melissa.

107. PHILO, Diaconus Tarsensis, & Agathopus Ignatii ex Oriente ad Romam usque comites (quorum ipse meminit in fine Epistolæ ad Philadelphenos) scripserunt, ut par est credere, Martyrii Ignatiani Acta. Horum antiquissimam versionem duplicem primus eruit Rev. Usserius, & in Append. Ignat. an. 1647. publici juris fecit. Edidit etiam Bollandus in Vitis SS. ad primum Februarii diem. Mirum certè videri debet, doctissimum Usserium Græca non edidisse, quorum exemplar MS. in Bibliothecâ Bodleianâ ipse se reperisse testatur.

108. POLYCARPUS, Smyrnensis, circa extrema Neronis natus nonnullis esse videtur. *L. 3. c. 3. *Vir*, inquit Irenæus, * *qui non solùm ab Apostolis eruditus, & cum multis, qui Dominum viderant, familiariter versatus, verùm etiam in Asiâ Smyrnensis Ecclesiæ ab ipsis Apostolis ordinatus est Episcopus:* Johannem Apostolum præcipuè intelligit, cujus Discipulus Polycarpus fuit, atque ab eo Episcopus constitutus, idque factum esse circa an. 94. vel 95. necesse est: si modò vera esset doctissimi Usserii conjectura, eum esse Smyrnensis Ecclesiæ Angelum illum, cui Epistolam scripsit D. Johannes *Apocal.* II. Ortâ gravi de die Paschatis controversiâ, Romam se contulit, ibique cum Aniceto Episcopo (qui juxta Pearsoni & Dodwelli calculum, ex Eutychio haustum, pontificatum iniit an. CXLII.) familiariter versatus est, plurimosque Marcionis & Valentini errore deceptos ad fidem reduxit. Demum sub M. Antonino, vel ut alii, Antonino Pio, incalescente persecutione, Polycarpus Smyrnæ ad rogum damnatus, igni traditur: at flammâ instar veli navalis ventorum flatu sinuati corpus Martyris circumvolitante, neque illud tangere ausâ, tandem gladio confossus est.

Mortui corpus in cineres redegerunt Ethnici, ne abreptas ejus reliquias divino honore Christiani prosequerentur, veriti. *Stulti* (inquit Ecclesia Smyrnensis) *qui ignorarunt nos nec posse unquam Christum relinquere, nec alium quemquam colere: illum enim utpote filium Dei adoramus, Martyres verò tamquam discipulos & imitatores Domini meritò amore prosequimur ob eximiam ipsorum benevolentiam, quam erga regem & magistrum suum declararunt.* Ossa tamen Martyris semiambusta *gemmis pretiosissimis* (ut ipsorum verbis utar) *cariora, & quovis auro puriora* collegerunt Christiani, & sepulchro honorificè intulerunt; Passionis illius memoriam celebrato quotannis die festo recolentes. Obiit Polycarpus πάνυ γηραλέος [inquit Irenæus] *valde longævus*, nempe LXXXVI. ætatis anno, ita enim Proconsuli dixit, ὀγδοήκοντα καὶ ἓξ ἔτη δουλεύω αὐτῷ, *Sex & octoginta continuos annos Christo ministravi:* quos non de Christianæ professionis tempore, ut ex recentioribus nonnulli interpretantur; sed de toto vitæ cursu intelligendos esse volunt Veteres. De anno quo martyrium passus, sic mirè variant Scriptores. Eusebius illum reponit in ann. Chr. CLXVII. Usserius & Bucherius an. CLXIX. Petitus an. CLXXV. Doctiss. verò Pearsonus noster eum ann. Chr. CXLVII. passum esse strenuè contendit. Quod prolixè, neque uno argumentorum genere demonstrat. Vide ipsum hac de re fusè atque eruditè disserentem, Dissert. II. c. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

Scripsit Epistolas plures, partim ad vicinas Ecclesias, ut eas confirmaret, partim ad quosdam ex fratribus, admonens illos, atque exhortans, uti refert Irenæus. * *Epistolam ad Athenienses* citans, S. Maximus, † & Joannes Maxentius; aliam ad Dionysium Areopagitam memorat Suidas in voce Πολύκ. Verùm ista spuria videtur. Ex his etiamnum exstat *Epistola ad Philippenses*, Latinè unà cum Ignatii Epistolis sæpius edita; primùm verò Gr. Lat. à Petro Halloix. Soc. Jesu, in Vitâ Polycarpi, *Duaci*, 1633. Deinde auctior à Rev. Usserio in Appendice Ignatianâ, 1647. Græcè & Latinè edita. Illam denique inter varia Sacra in lucem nuper emisit, notisque prolixis & miscellaneis ornavit, dicam, an oneravit Vir Eruditus Steph. Le Moyne, Theologus Leidensis, *Lugd. Bat.* 1689. 4°. Ubi tamen notatu non indignum est, istam Epistolæ partem, ubi celeberrimum illud Epistolis Ignatianis testimonium redditur, deesse: quæ utcunque in MS. suo Codice non haberetur, nescire tamen non potuit eam tum in Halloixianâ, tum in Usserianâ Editione reperiri. De hac Epistolâ ita Irenæus, * ἐςὶ δὲ ἐπιςολὴ Πολυκάρπου πρὸς Φιλιππησίους γεγραμμένη ἱκανωτάτη, ἐξ ἧς καὶ τὸν χαρακτῆρα τῆς πίστεως αὐτοῦ, καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας, οἱ βουλόμενοι καὶ φροντίζοντες τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας δύνανται μαθεῖν. *Exstat etiam Epistola Polycarpi ad Philippenses luculentissima, ex quâ quicunque salutis suæ curam gerunt, poterunt, si volunt, & formam fidei illius, & prædicationem veritatis cognoscere.* Nec aliter Photius †, Ἀνεγνώσθη καὶ Πολυκάρπου ἐπιςολὴ πρὸς Φιλιππησίους, γέμουσα πολλῆς νουθεσίας μετὰ σαφηνείας καὶ ἁπλότητος κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν τῆς ἑρμηνείας τύπον. *Lecta est Polycarpi Epistola ad Philippenses, multis referta admonitionibus cum perspicuitate ac simplicitate, Ecclesiastici more interpretis.* Πάνυ θαυμαςήν vocat Suidas *, *valdè utilem* Hieronymus †, atque eam etiam suo tempore in Asiæ conventu legi solitam. Extant etiam quædam Polycarpi fragmenta à Victore Capuano circa an. 480. ex Græco Responsionum Capitulorum B. Polycarpi Codice Latina facta, quæ primus Fr. Fevardentius ad calcem c. 3. l. 3. Irenæi, & ex eo P. Halloix in *Vit. Patrum Orient.* Tom. I. p. 525. Postremò Jac. Usserius in Appendice Ignatianâ in publicum dederunt. Verùm an genuina sint, non sine ratione dubitare licet. Circumferebatur olim sub illius nomine Διδαχὴ quædam à Maximo, Bedâ, Adone, aliisque citata, ejusdem cum Ignatianâ commatis, nec aliter quàm ista in Constitutionibus Apostolicis locum obtinet. Nescio an memoratu dignum sit quod notat Pet. Halloixius in Vita Polycarpi c. 16. "Pionius, *inquit*, qui vitam S. Polycarpi Græcè scripsit, auctor est eundem Polycarpum multos scripsisse tractatus & homilias & epistolas. Fertur & integrum librum de obitu S. Johannis Evangelistæ magistri sui, composuisse, qui hodieque extat manu scriptus in Bibliothecâ Abbatiæ S. Floræ in Gallia Cisalpina. E quo libro nonnulla producit Franciscus Humblot in concione de S. Johanne Evangelista, sub finem. Quòd si verè is liber hujus S. Polycarpi est, quæ hæc invidia, Deus Bone, thesaurum tantum in occulto detinere, & usum fructum publico invidere? Sed pro Thesauro, quin carbones sint eruendi, nemo opinor, sanus dubitavit.

*Ep. ad Florin. ap. Euseb. l. 5. c. 20.
† Prolog. ad opp. S. Dionys.
* L. 3. c. 3. & ap. Euseb. l. 4. c. 14.
† Cod. 26.
* In voce Πολυκ.
† De Script. c. 17.

POLYCARPUS, Smyrnensis Episcopus claruit anno CVIII. De Epistolâ Polycarpianâ satis pro instituti nostri ratione, suprà diximus. Quoniam verò nondum penitùs sopita sit de ejus autoritate controversia, non abs re forsan erit hanc rem paucis excutere, Veram ac genuinam esse Polycarpi Epistolam satis 108. *P. II.*

tis

SÆC. II. ab An. C. tis arguit, quod omnes germanæ antiquitatis notas præ se fert. Ὁ χαρακτὴρ τῆς πίςεως, καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας, uti de eâ Irenæus testis penè σύγχρονος styli simplicitas & perspicuitas, totiusque orationis pietas, gravitas, dignitas ætatem spirant verè primævam, verè Apostolicam. Antiquissimis SS. Patrum testimoniis fulcitur; & loca quæ ex eâ citarunt veteres in eâ hodie reperiuntur; plurima ex priore Petri Epistolâ desumpta testimonia inibi deprehenduntur. Quâ notâ illam olim signavit Eusebius. * Primi hanc Epistolam in dubium vocârunt Centuriatores, † levissimis quidem de causis an germana sit subdubitantes. Fatentur manifestum aliquem errorem non continere, inesse tamen quæ attento lectori suspicionem fortè movere possunt; optantes nihilominùs, ut vetustissima exemplaria bonâ fide inquirantur. Et quid nimirum si hâc in parte minùs rem acu tangerent; cùm ex densissimis tenebris vix dum emerserat res literaria; cùm controversiæ Historico-Ecclesiasticæ parum essent excussæ, & ventilatæ; & pauca SS. Patrum monumenta, Græca penè nulla edita fuerint. Fecerunt quod pro tempore poterant diligentissimi historiæ Ecclesiasticæ eruderatores, ac proinde, si in quibusdam minùs rectè judicârint, meritò condonandi. E Recentioribus quòd litem ei moverint, Dallæus, Albertinus, Larroquanus, e Neotericorum gente non postremi in causâ erat nobile illud testimonium quod Polycarpus reddit Ignatii Epistolis, quæ ex ultima antiquitate Episcopalis ὑπεροχῆς veluti prora & puppis sunt. Non obscurè illud innuere videtur ipsemet Dallæus * qui, post quæsitas undique objectiunculas, fateri tandem coactus est, exceptis quæ in ultimâ Epistolæ particulâ continentur, in quibus locum habet hoc testimonium, nihil in Epistolâ occurrere, quod vel quenquam offendere, vel Polycarpo indignum censeri debeat. Hoc illis stomachum movet; hinc *tantæ animis cœlestibus iræ*, omnesque ad subvertendum hunc murum adhibitæ machinæ. Et primò quidem, ut postremam Epistolæ partem excluderet, affirmat Dallæus * veram Epistolam in solennem illam periodum, quæ votum pro Philippensibus continet, olim desiisse, *Deus autem & Pater Domini nostri Jesu Christi, ipse sempiternus Pontifex, Dei Filius, Christus Jesus ædificet vos in fide & veritate*, &c. ad illa usque verba *ut sitis in* « *illo perfecti*. In hanc decentissimam, *inquit*, ut « omnes vident, clausulam, desinebat Epistolâ; « quæ sequuntur, istis minimè cohærent, omni« noque videntur temerè & præter Auctoris men« tem alienâ manu assuta. Vis argumentationis, siqua sit, huc redit; ita fuit, quia ita fieri debuit. Sed quis Dallæum Epistolarum conscribendarum Arbitrum constituit? Immò quis nescit quoties tales precandi formulæ, & quas vocat Dallæus *decentissima clausula* in Epistolâ Clementis ad Corinthios, quin & in ipsis Paulinis Epistolis occurrant, ubi nondum Epistolæ coronis imponitur? Apage tales exceptiunculas viris eruditis & ingenuis indignas; & quæ non argumenti, sed ne conjecturæ quidem umbram præ se ferunt! Objicere pergunt, Dallæus ejusque ὑπερασπιςὴς Matt. Larroquanus, nisi postrema Epistolæ pars resecetur, Auctorem pugnantia secum loqui; dum uno loco Ignatium martyrio coronatum nobis sistit, unà cum aliis *qui ad locum sibi à Deo debitum pervenerunt*, ᾧ καὶ συνέπαθον, *cui & compassi sunt*, sive ut reddit Valesius, *quandoquidem & passionum ejus participes extiterant*, alibi verò tanquam horum ignarus, de Ignatio tanquam adhuc vivente loquitur. *De ipso*, inquit, *Ignatio, ac de his qui cum eo sunt, quod certius agnoveritis*

* Lib. IV. c. 14. p. 128.
† Cent. 2. cap. 10. p. 134.
* De script. Ignat. cap. 32. 42.
* ibid. p. 427.

significate. Hinc omnibus, quibus possunt, nervis paratragœdiant Censores nostri. Fieri profectò non potest, *inquit* Dallæus, ut utrumque homo idem scripserit cui cerebrum quidem sanum esset; omnium verò minimè Polycarpus vir sapientissimus. Nec aliter Larroquanus, * *sanè nulla unquam excogitari potuit major contradictio*. Verùm 1. Prior ille apud Polycarpum locus non de solo Ignatio, sed primò & præcipuè de Martyribus Philippensibus, de ipso Paulo, cæterisque Apostolis intelligendus est; quibus meritò conjungi poterat Ignatius, qui non modò multa mala Christi causâ pertulerat, sed & sub capitis sententiâ constitutus, ad cursum martyrii consummandum properaverat. 2. Demus Polycarpum existimâsse, Ignatium reverâ martyrii coronâ fuisse redimitum, [quod quidem ex damnationis sententiâ in eum latâ, ex itinere ad Romam eum in finem instituto, ex obstinatâ & pertinaci adversariorum sævitiâ facilè colligi potuit] quid vetat quò minùs à Philippensibus [qui Romæ viciniores, quique, ut videtur, comites ad Ignatium deducendum miserant, unde facilius quæ gesta erant, rescire poterant, ab his inquam] peteret, si quid de Ignatio ejusque postremâ Romanæ peregrinationis parte, de ejus ad Romam adventu, de martyrii modo, fortitudine, patientia, rebusque in hoc ultimo agone gestis; de sociis, aliisve circumstantiis acceperint, se certiorem facerent? Quænam amabo in his turpis & ridicula, quam toties & tantopere objectant, ἀντιλογία? Immò quid non perspicuum, quid non Polycarpo, Ignatio, & ipsi rationi apprimè congruum? In hâc enim posteriore clausulâ de Ignatio in genere solùm loquitur Polycarpus, quem neque mortuum, neque vivum disertè dicit. Novissimus in hanc arenam descendit Ern. Tentzelius †, qui epistolam hanc non quidem spuriam, & supposititiam; sed interpolatam, & adulteratam esse contendit; idque ab interpolatore Ignatiano factum. Improbaverat hanc ejus sententiam, firmisque argumentis contrariam asseruerat, pro eâ quâ pollet antiquitatis Ecclesiasticæ peritiâ, amicus noster Thomas Ittigius. *De Hæresiarch.* Sect. II. cap. 10. pag. 186. Hoc non obstante secundis curis conjecturam suam recoquit, & interpolatorem Ignatianum reponere conatur Tentzelius. Dixerat hoc ipsum ante Tentzelium eruditissimus Dallæus † qui de interpolatore Polycarpiano agens, hæc habet; *neque is longè, ut ego quidem arbitror, quærendus est, is enim proculdubio ipse est, quem nos hactenus Ignatii nomen mentitum epistolas sanctissimo martyri à se confictas subdidisse, pluribus iisque firmissimis documentis demonstravimus. Is ut faciliùs fallere, difficiliùs autem argui & revinci possit, à Polycarpo sanctissimo, antiquissimo, & Ignatio suo συγχρόνῳ viro præsidium suis mendaciis petendum putavit*. Verùm interpolatam esse epistolam unde liquet? An ullos proferunt codices MSS. quibus antiquam hujus epistolæ faciem, ab hodierna diversam esse demonstrent? an ulla Patrum loca quæ aliter se habent quàm hodierna exemplaria repræsentant? Neutiquam sanè. Nudam proponunt conjecturam; quæ eâdem facilitate, eodem jure quo affertur, rejicitur. Nullam hìc depravationem vidit Eusebius, nullam Eusebio Ecclesiasticæ critices peritior Photius. Siqua interpolatio intervenerit, Eusebii tempora antevertisse, necesse est; cùm sole clarius sit, eandem quâ ille usus est Epistolam nostris etiam manibus hodie teri. A Polycarpi martyrio Anno CLXVII. juxta Eusebium, CLXIX. juxta Usserium, usque ad sequentis Sæculi exitum, quo circiter Eusebius Ecclesiarum scrinia excutere

* Observ. in vind. Ignat. p. 69.
† Exercit. select. 4. n. 43. 44. 46. 47. 48. p. 158. &c.
† Ubi supra p. 428.

Digitized by Google

SÆC. II. ab An. C.

tere cœpit, anni erant plus minus CXXX. Toto hoc tempore Polycarpi Epistola in omnium manibus erat; & quod majus adhuc, in publicis Christianorum conventibus, non Eusebii solum, sed & Hieronymi ætate legebatur. Dic igitur qui fieri poterat, ut mutationem aliquam passa sit celeberrima hæc Epistola, quin fraudem subodoraret qui varios proculdubio codices inspexit Eusebius? Quin & reclamaret totus penè orbis Christianus? Sed ab eodem maleferiato homine, qui Ignatii Epistolas adulteravit, interpolata est: Esto; salvâ Eusebii Epistolâ, salva nobis erunt omnia. Interpolator Ignatianus non nisi sexto sæculo eoque exeunte vivebat, ut ex eo liquet, quòd nemo ante Anastasium Antiochenum circa annum DXCV. ex his interpolatis epistolis vel leviculum verbulum nominatim citaverit. Paulò apertiùs Chronici Alexandrini compilator circa annum DCXXX. Verùm ubinam deprehenduntur vel tantillæ interpolationis vestigia? Extant Epistolæ Ignatii interpolatæ; Extant & genuinæ. Quin & etiamsi nullus extaret genuinarum codex, interpolator, tanquam sorex, suo se prodit indicio; quorum neutrum de Polycarpi Epistolâ dici queat. Sed mutila est, inquies, & imperfecta. An igitur mox ad apocryphorum & interpolatorum classem releganda? Clementis ad Corinthios Epistolæ in ipso Epistolæ corpore haud pauca desunt, & ad calcem integer quaternio; quam tamen sinceram & genuinam esse nemo unquam negaverit. At quid si Epistola Polycarpiana non sit imperfecta? In Græco quidem textu quædam desiderantur, vetus tamen versio Latina, integra videtur. Nec plus continent vetustissimi qui extant codices. De extremâ ferè clausulâ, quæ in editione Halloixianâ deest, in Usserianâ habetur, scrupulum injicere videtur vir eruditus, an ex fide veterum MSS. exhibuerit Usserius. Certè de suo ingenio addidisse, à Sanctissimi & Reverendissimi Archiepiscopi moribus erat alienissimum; qui non modò Græcum textum accuratè contulit, sed & varia versionis Latinæ exemplaria, præcipuè egregium illud Collegii Magdalenensis, se consuluisse, non uno loco testatur. Græci codicis defectus supplevisse Cotelerium ex Natali Alexandro colligit Cl. Tentzelius. Verùm decepit eum Natalis, qui quidem integram Polycarpi Epistolam Cotelerium exhibuisse dicit, cùm editionem Usserianam solummodò expressit, ne verbo quidem textui addito. Quin & in præfatione, se non eò fœlicitatis processisse, ut in exemplar Polycarpianæ Epistolæ incurreret, ingenuè fatetur. Primus Polycarpi Epistolam cum Ignatii & Dionysii scriptis Latinè edidit Jacobus Faber Stapulensis, *Paris.* 1498. Prodiit cum iisdem *Argentin.* 1502. *Basil.* 1520. Dein *Colon.* 1536. In *Micro-Presbytico Basiliensi* anno 1550. Novam à se adornatam versionem dedit Joac. Perionius *Colon.* 1557. ut alias taceam. Græcè & Latinè ex Sirmondi apographo primus extulit Petr. Halloixius, Script. Orient. T. I. in vit. S. Polycarp. cap. 17. p. 525. *Duac.* 1633. Cum notis Jac. Usserius *Oxon.* 1647. Maderus *Helmstad.* 1653. Inter Patres Apostolicos Cotelerius *Paris.* 1672. In Variis suis Sacris, sed admodùm mutilam, Le Moinius *L. Bat.* 1685. Denique cum reliquis genuinis Patrum Apostolicorum scriptis nuper Anglicè pari fide ac elegantiâ reddidit vir Cl. Wilhelm. Wakius Ædis Christi apud Oxonienses Canonicus, qui versioni suæ prolixam & eruditam præfationem præmisit. Hæc dum Typographo traditurus eram, ad manus meas venit à Cl. Auctore missa, Th. Ittigii *Appendix* Dissertationis *de Hæresiarchis*, ubi integro penè capite X. amicam cum Ern. Tentzelio de hâc controversiâ disceptationem instituit, suámque de Epistolâ Polycarpianâ, sincerâ utique, minimèque interpolatâ, sententiam strenuè atque eruditè tuetur; nec tamen quæ nosmet hâc de re observavimus, inutilia reddit.

SÆC. II. ab An. C.

PAPIAS, Asianus, forsan Hierapoli natus, S. Johannis erat auditor, & Polycarpi sodalis. Eusebius * quidem non Apostolum, sed Johannem Presbyterum, seu seniorem intelligit. At Irenæus †, & longo post eum agmine Scriptores cæteri illum Johannis Apostoli fuisse discipulum disertè satis innuere videntur. Quidquid sit, id certum est, familiariter illum cum Senioribus, qui Apostolorum auditores fuerant, conversatum fuisse; ex iisque curiosè sciscitatum, quænam essent Seniorum dicta: quid Petrus, quid Andreas, quid Philippus, quid cæteri Domini Discipuli dicere soliti essent; quidnam Aristion, & Johannes Presbyter prædicarent: neque enim ex librorum lectione, inquit, tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam ex hominum adhuc superstitum vivâ voce. Ecclesiæ Hierapolitanæ in Phrygiâ Episcopus factus multos annos ei summâ cum laude præfuit: Martyrem esse factum testatur Steph. Gobarus apud Photium *, eumque fervente persecutione sub M. Aurelio Pergami passum esse tradit Chronici Alexandrini Autor †. Erat, inquit Eusebius *, ἀνὴρ τὰ πάντα ὅτι μάλιστα λογιώτατος, καὶ τῆς γραφῆς εἰδήμων, *vir imprimis disertus, ac eruditus, & scripturarum peritus.* Hoc quidem elogium ab imperito quodam Scholiaste adjectum esse suspicatur Hen. Valesius, eò quòd desit in quibusdam MSS. quibus usus est, Codicibus; quodque de Papiâ Eusebius alibi dicat, σφόδρα μικρὸν εἶναι τὸν νοῦν, *fuisse mediocri admodùm ingenio.* Sed hæc ultima Eusebii verba restringenda sunt ad mysticos quosdam Scripturæ sensus, & Apostolorum narrationes; ex quibus non benè perpensis, & malè intellectis [addam ego & ex futilibus Judæorum commentis] opinionem suam de Chiliasmo [de hoc enim solo verbis præcedentibus loquitur Eusebius] beatos scilicet per mille annorum spatium post corporis resurrectionem cum Christo in terra corporaliter regnaturos, fabricatus est. Scripsit Papias λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεως, Seu *de Explanatione Oraculorum Dominicorum libros quinque*, ex quibus nihil hodie super est præter Fragmenta quædam de Millennio apud Irenæum †, de Apostolis & senioribus, de miraculis quibusdam ab iis factis, de Matthæi, & Marci Evangeliis apud Eusebium *. Quædam etiam ex eo habet Andreas Cæsariensis †, & Oecumenius *.

110.

* Lib. 3. c. 39.
† L. 5. c. 33.
* Cod. 232.
† An. 3. Olymp. 235.
* L. 3. c. 38.
† L. 5. c. 33.
* L. 3. c. 39.
† Comm. in Apoc. Serm. 12.
* In cap. 27. Matth.

PAPIAS Hierapolitanus in Phrygiâ Episcopus, claruit anno CX. Scripsit *de Explanatione Oraculorum Dominicorum* libros quinque. Extitisse hos libros adhuc Trithemii tempore quis credet? Et tamen Halloixium, disertè id affirmat L. Du Pin *, vir cæterà doctissimus. Et ita quidem primâ fronte sonare videntur ipsius Trithemii verba. *Extat*, inquit †, de Papiâ agens, *opus insigne quinque voluminibus distinctum, quod prænotavit sic:* Explanationem Sermonum Domini Lib. V. *Alia quæ scripsit non vidimus*; quasi innuere voluisset se hoc vidisse: ut vel falso alicujus non absimilis operis titulo deceptus sit oportet Trithemius; vel, quod verisimilius duco, nihil aliud innuere voluit, quàm tale fuisse opus à Papiâ scriptum, neque aliorum ejus operum se vidisse mentionem; ut certè nulla vel ab Eusebio, vel ab Hieronymo facta est. Aliter vix credi potest, tam nobile venerandæ antiquitatis monumentum, tot erudi-

110.
P. II.

* Biblioth. Nov. in *Pap.* Tom. I p. 80.
† De Script. Eccl. f. 51. fac. 2.

torum

Digitized by Google

SÆC. II. ab An. C.

torum diligentiam fugisse, & Trithemii demum ætate [qui scripsit exeunte sæculo XV. & vixit usque ad annum 1516.] eique soli innotuisse; & si reverà innotuisset, famam ejus per omnium ora ac scripta non volitâsse. Novimus quidem Lactantii opusculum *de mortibus Persecutorum* post Hieronymi tempora incognitum, nostrâ demum memoriâ repertum esse. Verùm exiguus libellus sub majoris voluminis umbrâ facilè latitare poterat; at semel repertus mox in publicum protractus est, communi omnium eruditorum gaudio acceptus. Et idem ferè de Clementis ad Corinthios Epistolâ dici potest. Quantò magis id de hoc Papiæ opere censendum erit? P æterquàm enim quòd ingens & spissum opus V. libros, sive ut Hieronymus, *Volumina*, complexum, ægrè per tot sæcula occultari potuit; si ipsum vidisset & tractâsset Trithemius, credi vix potest, quin statim totum, quaquà patet, personaret orbem eruditum, & è tenebris suis in publicam lucem protraxisset, vel saltem nobis indicasset quò loci invenerit, & in cujus Bibliothecæ forulis lateret, opus scilicet calidissimis omnium φιλαρχαίων votis expetendum. Extitisse etiam hos Libros Græcè ad Nicephori Calisti usque tempora, sive ad ann. usque Domini circiter MCCC. judicat Pet. Halloixius, * non firmiori nixus argumento, quàm quòd ait Nicephorus, Papiæ libros V. quos *Dominicorum sermonum explanationem*, inscripsit, circumferri; non animadvertens fuisse illum & nullius judicii scriptorem has voces laxiori sensu usurpare, & hoc in loco Eusebii hàc de re verba, pro more, sua facere. Quòd paucula quædam ab Eusebio non memorata ex Papiâ citàrint Andreas Cæsariensis, & Oecumenius, exindè forsan quis inferre possit etiam tum extitisse. Verùm incerta admodùm est utriusque ætas; eorumque citationes inter dubia & incerta reponit ipse Halloixius. Et certè an ex ipso Papiæ opere an ex aliorum excerptis sua hauserint, parum liquet. Quin & dubitari potest, utrum hæc scripta Hieronymus legerit, viderit ve. Certè in vitâ Papiæ id non dicit, sed quicquid de eo habet, id totum ex Eusebio exscripsit. Verùm de his plus satis. Denique ulteriùs monendus est Lector, haberi apud Irenæum L. IV. cap. 45. pag. 384. ampla quædam fragmenta, à Presbytero quodam, qui audierat ab iis qui Apostolos viderant, & ab iis didicerant, Irenæi familiari, desumpta, saltem ab ore ejus accepta; annon ex Papiâ nostro hæc deprompserit Irenæus, eruditorum esto judicium; nihil certè probabilius videtur; præsertim cum l. 5. cap. 33. Papiam Joannis auditorem facit, & Presbyteris accenset, qui Joannem discipulum Domini viderant, & cum eo versati fuerant. Quidni & ejus fuerint celebres illi Jambi qui habentur ap. Irenæum lib. 1. cap. 12. & exinde ap. Epiphan. Hæres. 34. quos ὁ θεῖος πρεσβύτης καὶ κήρυξ τῆς ἀληθείας, quod de eo habet Irenæus, scripsit in Marcum quendam hujus sæculi Hæresiarcham τερατοσκόπον, qui magicis incantationibus, & præstigiis astrologicis, mulierculas sequaces fascinare solebat, & sua ubique miracula crepabat. Per hunc πρεσβύτην designari Pothinum Episcopum & Martyrem, ipsius Irenæi in sede Lugdunensi decessorem, contendit Cl. Dodwellus *Dissert. in Iren. num. 3. p.* 293. quippè qui pro ætate cum Apostolorum discipulis conversari, & Marcum etiam Hæreticum in Rhodanensi regione furentem Jambis perstringere poterat, sed cùm Presbyterum hunc non modò πρεσβύτην, sed & alibi τὸν κρείττονα ἡμῶν vocet Irenæus, ipsum saltem aliquantò longiùs ab ætate Irenæi remotiorem fuisse subinnuit, cùm juxta ipsius Dodwelli calculum quo tempore pas-

* Script. Orient. T.I. in vit. Pap. c. 4. p. 646.

sus sit Pothinus, Irenæus vix XX. annis minor erat. Verùm hâc in re nihil temerè statuo.

SÆC. II. ab An. C.

BASILIDES, Menandri discipulus, Saturnili condiscipulus, à quibus tamen diversam sectam instituit. Gnosticorum ante-signanus, magicis artibus plurimùm addictus, in Ægypto præcipuè hæresin suam propagavit. Glauciam S. Petri interpretem se magistrum habuisse gloriari solitus. Claruit circa ann. CXII. juxta alios aliquantò seriùs. Obiit sub Adriano. De ætate ejus videsis doctissimum Pearsonum eruditè & accuratè, ut solet, disputantem, Vindic. Ignac. Par. 2. cap. 7. Hereseos ejus summa capita hæc fuerunt. In creatione rerum successivam quandam admitti scalam, in quâ unumquodque ens à priori creatum, sequens crearet, atque adeò Deo unicum ens creationem suam acceptam ferre, quin & ex CCCLXV. cœlis cœlum empyreum ac terram intercedentibus, singulum motorem ac creatorem habere angelum sibi affixum, qui ab Angelo superiore creatus fuerit. Hinc decantatum illud vocabulum, quòd toties in gemmis Basilidianis occurrit, ΑΒΡΑΞΑΣ sive ΑΒΡΑΣΑΞ, ἡ ὑπεράνω τούτων δύναμις καὶ ἀρχὴ, inquit Epiphanius *, summum nempe Ba[illegible] numen, inde conflatum, quòd hujus vocis literæ CCCLXV. numerum efficiunt. Nec improbabile videtur, quod alicubi conjicit D. Hieronymus, Abraxam hunc non alium fuisse, quàm Persarum Mithram seu Solem, qui annuo cursu CCCLXV. dies conficit. Docuit porrò Basilides, Christum specie tenus duntaxat mortalibus apparuisse, ac meram fuisse φαντασίαν ἐν τῷ φαίνεσθαι, μὴ εἶναι δ' ἄνθρωπον, μηδὲ σάρκα εἰληφέναι. Christum reverà in cruce passum non fuisse, sed vicarium sibi, Simonem Cyrenæum substituisse: licitos esse virorum ac mulierum promiscuos concubitus: Martyrium non obeundum esse, fidem autem ja[illegible]e occasione data ejurari posse, quippe quam specie tenus profiteri sufficiat, pari modo ac pro nobis Christus mortem tulit: Animæ soli salutem deberi, atque adeò corruptionis statu corpus nunquam emersurum esse. Sectatoribus denique suis Pythagoreorum more silentium quinquennale indixit [teste Agrippâ Castore ap. Euseb. l. 4. c. 7.] Qui plura de eo volet, Epiphanium adeat, Hæres. XXIV. ubi hæc fusiùs exponuntur. Scripsit Basilides XXIV. libros Comment. in Evangelium. An verò in Evangelium N. T. has expositiones composuerit, an potiùs, uti conjicit Valesius, in suum ipsius Evangelium, τὸ κατὰ Βασιλείδην εὐαγγέλιον, cujus meminerunt Origenes *, Ambrosius †; aliique, non satis liquet. Extant Fragm. apud Epiphanium, Hæres. XXIV. num. 1 & Clem. Alex. Stromat. l.4. p.506.509. Ejusdem Odas memorat Origenes in Olympiodori Catenâ in Jobum à P. Comitolo editâ, p. 345. 112.

* Hæres. XXIV. num. [illegible] p. 73.

* Hom. 1. in Luc.

† Procem. in Luc.

HERMES, Pseudo-Trismegistus, qui *Pæmandrum* & quædam alia scripsit, Cl. Casaubono * Christianus est, seu potiùs semi-christianus. "Librum "integrum, inquit, qui sub nomine Mercurii Tris- "megisti circumferri ab aliquot sæculis cœpit, non "veremur pronunciare & omni asseveratione confir- "mare esse ψευδεπίγραφον: utpote qui sit Christiani "alicujus, vel ut dicam meliùs, semi-christiani me- "rum figmentum. Neque verò dubitamus id egisse "auctorem, ut multa pietatis Christianæ dogmata, "quæ ceu nova & priùs inaudita rejiciebantur, "probaret ab ultimâ antiquitate sapientibus fuisse "nota; & ab illo ipso Mercurio in literas fuisse re- "lata, quem non solùm Ægyptii, sed etiam Græci "propter vetustatem & doctrinæ opinionem ma- "gnoperè suspiciebant. Et sanè à nullo alio, quàm Christiano quodam Platonizante scribi potuisse, quæ *Pæmander* habet, latè in sequentibus perse- 120.

* Exercit. I. in Baron. nu. 10. p. 75. &c.

quitur

SÆC. II. ab An. C.

quitur. Claruisse videtur circa ann. cxx. Exstant ejus *Opera* Græc. Latin. Parisiis 1554. 4°. & *Colon.* 1630. f.

120. VALENTINUS, Patriâ, ut ferunt, Phrebonites in Ægypto, Scholæ Platonicæ sectator, Græcorum artibus institutus, Theodadis D. Pauli familiaris discipulus, si Valentinianis fides: certè ὐκ εὐτελὴς ἦν ἀνὴρ, inquit Droserius ejus sectator, ap. Origen. dialog. adv. Marc. §. IV. Episcopatûs repulsam passus ab Ecclesiâ Catholicâ defecit, aliisque Gnosticæ hæreseos propaginis Autor extitit. Famosus esse cœpit circa ann. CXX. vel ut alii seriùs. Relictâ Alexandriâ, teste Irenæo *, Romam venit sub Pontificatu Hygini, viguit autem temporibus Pii, & ad Anicetum usque permansit. Româ secedens in Cyprum insulam se contulit, ubi ad extremum impietatis prolapsus [uti Epiphanius † habet] in eam quam tuebatur, flagitiorum disciplinam altiùs se immersit. Præter ea quæ cum Basilide communia habuit, hujusmodi ferè dogmata confinxit. Fabulosam quandam Deorum ac Æonum genealogiam barbaris nominibus refertam, & Hesiodicæ perquàm similem excogitavit. Christum è cœlo corpus detulisse docuit, & tanquam aqua per fistulam, sic eum per Mariam transisse Virginem, neque quicquam ex utero ejus sumpsisse. Tres hominum ordines constituit, Spiritualium, Animalium, atque Carnalium, ex quibus primos (suos scilicet asseclas, cæterosque Gnosticos) solâ cognitione, secundos tam fide, quàm operibus, ultimos nullo modo salutem consequi posse voluit. Flagitiosissimas libidines licitò perpetrari posse, quin & nullum summum perfectionis gradum assequi, qui mulierem ad amorem sui non aliquando pellexerit. Carnis enim resurrectionem negâsse ait Epiphanius *; non omnis verò, sed hujus solius carnis Tertullianus †: Legis & Prophetarum quibusdam libris probatis alios improbavit. Plura de his videri possunt apud Irenæum toto ferè libro primo & secundo, Tertullianum lib. adv. Valentin. & de Præscrip. cap. 49. & Epiphan. Hæres. XXXI. Scripsit *Evangelium* cujus mentionem facit Tertullianus *; & *Psalmos*, ab eodem †, ab Origene * item memoratos. Meminit *Epistolarum* ejus Clemens Alexandr. & ex iis fragmenta quædam citat, Strom l. 2. p. 375. 409. l. 3. pag. 451. uti & *Homiliæ* cujusdam, cujus fragmentum exhibet l. 4. p. 509. item aliud ex Homiliâ de Amicis [nisi eadem forsan sit cum priore] l. 6. p. 641. atque alterum p. 635. Habetur fragmentum Valentini satis prolixum de vexatissima quæstione, πόθεν τὰ κακά; quæ non Deo, sed materiæ Deo coæternæ tribuenda esse contendit ap. auctorem Dialogi adv. Marcion. sub nomine Origenis, sect. IV. pag. 85. Amplum insuper fragmentum ex libro illius, aut saltem discipulorum ejus videre est apud Epiph. Hæres. XXXII. Num. 5. 6.

* L. 3. c. 4.
† Hæres. 31.
* Loc. cit.
† De præscrip. c. 49.
* Loc. cit.
† De carne Christi, c. 17. 20.
* Caten. in Job. de quâ supra in Basilid.

Ex Valentini asseclis magni nominis quendam Heracleonta dictum [Cerdonis magistrum, & Colarbasi successorem, teste Epiphanio, Hæres. XXXVI. qui dogmata ejus recenset] memorat Clemens Alex. Strom. l. 4. pag. 502. ubi & laciniam adducit ex Scripto quodam illius in hæc verba, *Quicunque me confessus fuerit*, &c. Matth. x. Habentur ejusdem verba quædam & in Theodoti Excerptis, p. 804. Quinetiam passim citatur, & confutatur ab Origene in Johannem. Plura de eo non liquent, adeò ut separatum ei locum inter Scriptores assignare minùs è re visum fuerit.

120. P. II. VALENTINUS Hæresiarcha claruit ann. CXX. Valentinum, ob negatum, quem spe devoraverat, Episcopatum, ab Ecclesia recessisse, & in hæresin proruisse disertis verbis tradit Tertullianus advers. Valentin. cap. 4. p. 251. *Speraverat* (inquit) *Episcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat & eloquio. Sed alium ex martyrii prærogativâ loci potitum indignatus, de Ecclesiâ authenticæ regulæ abrupit (ut solent animi pro prioratu exciti præsumptione ultionis accendi) ad expugnandam conversus veritatem.* Inter alia Valentini dogmata, ipsum Legis & Prophetarum quædam improbâsse refert Auctor Appendicis ad Tertulliani librum de Præscript. cap. 49. p. 222. *id est*, addit, *omnia improbat, dum quædam reprobat.* Aliter verò habet ipse Tertullianus c. 38. p. 222. his verbis, *Neque enim si Valentinus integro instrumento uti videtur, non callidiore ingenio, quàm Marcion, manus intulit veritati.* Difficiliùs verò hæc conciliari queant, si modò quod contendit Cl. Dodwellus * ipse Tertullianus hujus Appendicis Auctor fuerit. Certè aut idem est, aut eodem circiter tempore scripsisse videtur.

SÆC. II. ab An. C.

* Dissert. sing. de succes. c. 5. n. 9. d. 216.

EPIPHANES patrem habuit Carpocratem * genere Alexandrinum, & Gnosticæ Sectæ κυρίως dictæ conditorem, matrem verò Alexandriam gente Cephaleneam. Claruit circa ann. cxx. Toto disciplinarum cursu & Platonicâ Philosophiâ à Patre institutus, egregius paternæ hæreseωs propugnator evasit. Præter multa enim quæ cum Basilide & Valentino communia habuit dogmata, mundum ab angelis conditum, & Christum ex Josepho & Maria more vulgari natum esse voluit, magicis artibus, philtris & veneficiis & voce & exemplo patrocinatus est, uxores omnibus perfectionis Christianæ æmulis communes esse debere contendit, & impudicitias ac libidinis promiscuæ usum cunctis summum pietatis apicem sectantibus non solùm licita, sed & necessaria esse docuit. Obiit nonnisi XVII. annos natus, & Samæ, quæ urbs est Cephaleniæ, sepultus divinis honoribus à gregalibus paternis affectus est, templo magnifico in ejus honorem constructo, sacrificiis eis oblatis, & hymnis in laudem ejus quotannis decantatis. Scripsit *librum de Justitiâ*, quo mulieres omnes singulis viris communes esse debere probandum in se suscepit. Plurima ejus fragmenta profert Clemens Alexand. Strom. l. 3. p. 428. &c. 120.

* Clem. Alex. Strom. lib. 3. p. 428.

QUADRATUS, forsan urbe, saltem institutione Atheniensis, cujus sedis, post Martyrium Publii, qui Dionysio Areopagitæ successit, Episcopus constitutus est. Ejus certè labore & industriâ Athenienses post Publii mortem veluti oves absque Pastore palantes in Ecclesiam denuò convenisse, & redivivum fidei ardorem in illis reparatum esse testatur Dionysius Corinthius *. Discipulus erat Apostolorum, ut disertè tradunt Eusebius † & Hieronymus *, quod de S. Joanne præcipuè est intelligendum, si non potiùs vox Apostolorum sensu laxiori capienda sit pro Viris Apostolicis, qui cum Apostolis versati sint: adeóque alibi Eusebius † Quadratum nostrum iis annumerat, qui inter Apostolorum Successores τὴν πρώτην τάξιν obtinuerint. Vir erat planè pientissimus, quique προφητικὸν χάρισμα, quod adhuc in Ecclesia vigebat, habuisse dicitur. Circa ann. 123. Hadriano Imperat. Athenis hyemem agente, ibique sacris Eleusiniis initiato, gravissima adversùs Christianos orta est persecutio: cui ut se opponeret Quadratus, obtulit Imperatori *Orationem Apologeticam* pro religione nostrâ à se compositam. Ἐξ ἧ κατιδεῖν ἐςὶ λαμπρὰ τεκμήρια τῆ τε τῆ ἀνδρὸς διανοίας, καὶ τῆς ἀποστολικῆς ὀρθοτομίας, inquit Eusebius *; *Ex quâ & ingenium ejus viri, & rectam Apostolicæ fidei doctrinam perspicuè licet cognoscere*: eamque tanto successu obtulit, ut grassantem persecutionem excellenti ingenio sedaverit. 123.

* Ap. Euseb. l. 4. c. 23.
† Χρον. κατ. ad an. ρκζ.
* De Script. c. 19.
† Lib. 3. c. 36.
* Lib. 4. c. 3.

Digitized by Google

sedaverit. Periit dudum hæc *Apologia*, nec ex eâ aliquid hodie superest, præter breve admodùm fragmentum, de nonnullis, qui à Christo Domino sanati illâ adhuc ætate superstites erant, quod habet Eusebius loc. cit. Præter hanc nihil aliud scripto commisit, saltem cujus vel levissima habeatur mentio. Unde spissus patet Magdeburgensium * error, (quem tamen clausis oculis absorpsit hodiernus Professor Argentoratensis Balth. Bebelius †) qui Eusebium volunt meminisse, & alterius libri à Quadrato compositi, qui *Syngramma* nominatur: cùm tamen Pueris locum Eusebianum inspicientibus vel primo intuitu appareat, Eusebium ibi non nisi de prædictâ *Apologiâ* loqui. De Morte Quadrati nihil constat, nisi quod Græci in Menæo * suo referant, eum Athenis procul depulsum, primò saxis appetitum, deinde igne aliisque tormentis probatum, tandem regnante adhuc Adriano Martyrii palmam reportasse.

* Cent. 2. c. 10. col. 152.

† Antiqu. Eccles. cent. 2. artic. 1. p. 183.

* Τῆκα' Σεπτεμβρ.

Me quidem nequaquam latet, Valesium & ex eo alios Quadratum nostrum ab Episcopo Atheniensi diversum esse contendere, duplici nixos argumento, 1. quòd Eusebius, l. 3. c. 37. Quadratum quendam Propheticis donis instructum memoret omisso Episcopi titulo. Verùm id nullius momenti est, cùm non semper dignitatis suæ tituli viris præsertim illustribus apponantur; & Quadratus nondum Episcopus factus videatur eo tempore, de quo ibi loci agit Eusebius. Objiciunt 2. Quadratum Apologiæ Authorem Adriani temporibus non superfuisse, Episcopum verò à Dionysio Corinthio ap. Euseb. l. 4. c. 23. tanquam sibi coævum & recenter ordinatum laudari. Verùm quisquis locum istum Dionysii seriò perpenderit, ejusmodi sensum nullâ arte inde excudi posse facilè agnoscet. His adde à nostris partibus stare Hieronymum & Græcorum Menologium: qui unum eumdemque Quadratum fuisse disertim affirmant.

123. ARISTIDES, [cujus perparca apud Veteres mentio] Philosophus Atheniensis, sub eo habitu Christianam fidem professus est. Claruit eodem tempore, eodemque loco, quo Quadratus, & eâdem de causâ *Apologeticum* Adriano Imp. pro Christianis obtulit, contextum inquit Hieronymus *, Philosophorum sententiis; quem postea Justinus, & ipse Philosophus, imitatus est. Extitit hæc Aristidis *Apologia* non modo Eusebii & Hieronymi tempore, verùm & ætate Usuardi & Adonis Viennensis; si modò vera sint quæ de passione Dionysii Areopagitæ ex eâ referunt: quemadmodum in Dionysio, superiùs monuimus.

* Epist. ad Magn. Orat. p. 327.

128

140. MARCION, Natione Ponticus, Patriâ Sinopensis, Patre Catholicæ communionis Episcopo natus est. Eusebio lib. 5. cap. 13. ὁ ναυτής. Tertulliano non semel *Ponticus Nauclerus* dicitur. An quòd in Juventute artem navigandi didicerit vel potiùs quòd in urbe maritima inter naucleros præcipuè natus sit, & educatus, judicent alii. Primò quidem castitatem præ se ferens, vitæ asceticæ instituta secutus est; cùm verò virginem quandam constuprasset, à patre suo, viro sanctissimo Ecclesiâ pulsus est, nec ut eum restitueret, ullis precibus, ullâ pœnitentiæ simulatione adduci potuit, vir disciplinæ Ecclesiasticæ observantissimus. Hanc ob causam cùm popularium suorum convicia ferre non posset, clàm patriâ se proripuit, Romam profectus, anno circiter CXL. non ad communionem solùm admitti, sed & principem illic locum se consecuturum sperans. Verùm causâ ejus cognitâ, patrisque propositi sui tenacissimi voluntate notâ, Ecclesiæ Romanæ Seniores eum recipere noluerunt: ne publicæ disciplinæ ratio, & communionis Catholicæ vinculum solveretur, veriti. Irritato exinde animo in apertum erupit schisma, & Cerdonis Magistri sui vestigia secutus, nova ac blasphema dogmata in vulgus projicere cœpit. Romæ dum aderat *, fortè ei occurrit Polycarpus Smyrnæorum Episcopus, cui cùm *Agnosce nos, Polycarpe*, dixerat; *Agnosco te*, respondit Polycarpus, *Primogenitum Satanæ*. Refert Tertullianus Marcionem tandem errorum pœnituisse suamque pœnitentiam publicè testari voluisse, sed dum in Ecclesiam recipiendus esset, eâ lege, ut quos in errorem seduxerat Ecclesiæ restitueret, morte præventus id absolvere non potuit. Sectarios ejus ipsum Episcopi nomine honorasse constat tum ex Megethio ap Orig. Dial. advers. Marcion. sect. 1. tum ex Optato, lib. 4. p. 116. Dogmata ejus hujusmodi fuerunt. Tres esse Deos supremos, sive rerum principia, primum invisibilem, quem bonum Deum ac Domini nostri patrem appellavit; alterum aspectabilem, & creatorem, simul ac Judicem; Tertium inter utrumque medium, quem & Diabolum vocavit. Et ita quidem hæc Marcionis Principia recenset Epiphanius; Theodoritus verò quatuor ingenitas substantias enumerat. 1. Deum bonum & incognitum, Domini Patrem. 2. Creatorem Justum, quem & Malum nominavit. 3. Materiam, quæ mala sit. 4. Alium Malum, cui Materia subest. Sed propriè loquendo, duo tantum principia statuebat Marcion, Bonum scilicet & Malum: Alterum, Judicem ferum, bellipotentem; alterum mitem, placidum, & tantummodò bonum atque optimum, ut † Tertulliani verbis utar. Hinc Sectam Marcioniticam Hæresin *Duitarum* vocat * Prudentius. Quin Dogma illud suum ex Stoicis hauserit Marcion, nemini dubium esse potest. Stoicos enim duo statuisse Principia, Bonum, Malumque Dæmonem, cuivis notum est, unde Marcion Stoicæ studiosus, † Tertulliano audit. Ex his Deum secundum maximè severum, & iniquum esse finxit, qui & Judæis leges durissimas posuit, & Adamum injustissimo mandato pulcherrimam Paradisi arborem attingere inhibuerit. Illo igitur longè meliorem esse serpentem, quippe qui ad arboris istius fructum edendum parentes nostros hortatus est; hinc & serpentem æneum in arculâ reconditum venerati sunt sectatores ejus: uti αὐτόπτης narrat Theodoritus *. Porrò Christum è cœlis descendisse, ut in ipsum credentes ab iniqui illius Dei servitute liberaret, non tamen veram, sed φαντασιώδη solùm carnem induisse, nec verè passum esse, cùm pati visus fuerit. Eum ad inferos post mortem descendentem, prædicato ibi Evangelio, conversos Cainitas, Sodomitas, cæterosque omnes sceleribus, ac vitiis infames, secum ad cœlum retulisse; Noachum verò, Abrahamum, reliquosque Patriarchas justitiæ suæ nimiùm confisos, ac prædicationi ejus auscultare renitentes, ibi relegatos reliquisse. Resurrectionem animæ solius esse, non corporis: Ter iterari posse Baptismum in eorum gratiam, qui post admissum primâ ac secundâ vice, salutare lavacrum, in mortale crimen inciderant. Legem denique ac Prophetas omnes repudiandos esse, utpote qui mali illius Dei, mundi Creatoris, afflatu vaticinati sint. Quin & Epistolas Pauli quatuor rejecit, reliquasque decem fœdissimè corrupit, multis ex iis detractis, multis additis, & ex omnibus Evangeliis D. Lucæ solum recepit, idque genealogiâ Christi maximâ parte resectâ, cæteris Scripturis Canoninis penitùs repudiatis. De absurdis his, insulsisque

* Iren. l. 3. c. 3.

De Præscript. c. 30. p. 212.

† Advers. Marcion l. 1. c. 6. p. 368.

* Præfat. ad Hamartigen.

† Loc. supr. citat.

* Hæret. Fab. l. 1. c. 14.

Digitized by Google

SÆC. II. ab An. C. que dogmatibus videri possint, Irenæus, l. 1. c. 29. Tertullianus libris quinque adversùs Marcionem, Epiphanius, Hæres. XLII. Theodoritus Hæret. Fab. l. 1. c. 24. *Duos libros*, quos & divinæ authoritatis haberi voluit, in usum discipulorum suorum composuit, alterum *Evangelium* ex Evangelio D. Lucæ, mutatis ac resectis nonnullis acceptum; alterum *Apostolicon* vocatum, ex Epistolis D. Pauli ad Galatas, ad Corinthios duabus, ad Romanos, ad Thessalonicenses duabus, ad Ephesios, ad Colossenses, ad Philemonem, ad Philippenses, & ad Laodicenos, sed miserè depravatis consarcinatum. Ex utroque amplissima excerpta exhibet Epiphanius unà cum propriis refutationibus, Hæres. XLII. Conscripsit etiam alia volumina, quorum tituli à Veteribus non commemorantur.

128. P. II. MARCION, gente Ponticus, ex eâ regionis parte quæ *Helenopontus* dicebatur, Episcopi Sinopensis hominis admodùm Catholici filius, in hæresin erupit anno CXXVIII. vel paulò post, quem alibi ad annum CXL. rejecimus, seriùs paulò quàm par erat. Certissimum quippe est Marcionem imperante Hadriano doctrinæ suæ venenum longè latéque disseminâsse. Disertè id tradit Clemens Alexandrinus †, ubi de hæreticis qui sub Hadriano erant Basilide & Valentino agens subjungit, Μαρκίων γὰρ κατὰ τὴν αὐτὴν αὐτοῖς ἡλικίαν γενόμενος, ὡς πρεσβύτης νεωτέροις συνεγένετο. *Marcion enim cum natus esset eâdem quâ ipsi ætate, versabatur ut Senex cum junioribus.* Ita quidem habent editiones omnes, ita forsan codices MSS. Nihilominùs mendum huic loco subesse, nemo non videt. Repugnat enim omni rationi chronologicæ Marcionem Basilide & Valentino fuisse seniorem. Et hîc aquam quidem mihi post alios diu hæsisse fateor, donec saniorem lectionem levi mutatione substituendam esse primus monuit Is. Vossius † legendum ratus, ὡς πρεσβύταις νεώτερος συνεγένετο, *ut junior cum senioribus versatus est*: Vossio accedunt Pearsonus * & Dodwellus †. Nec sanè sine admissa hac emendatione suus Clementi constabit sensus, sua historiæ Ecclesiasticæ fides. Romam venit Marcion, teste Epiphanio *, sede tunc vacante post Hygini Papæ obitum qui mortuus est, ex calculo Pearsoni, anno CXXVI. Dodwelli CXXVII. Quod verò alibi habet Epiphanius † post Aniceti Romani Pontificis tempus id contigisse, planum est, nomen Aniceti pro Hygino in hunc locum irrepsisse; præsertim cùm ipsum etiam hoc loco nonum Romæ Episcopum vocat, uti rectè animadvertit Pearsonus * noster. Marcion Romæ positus mox Ecclesia recessit, & ex ore Cerdonis magistri malesana sua dogmata hausit, cum Basilide & Valentino ipse jam hæreticus versatus. Nec seriùs id commodè fieri potuit, siquidem Basilides sub Hadriano circa ann. CXXXIV. diem clauserit extremum. Quid quòd Marcionis & Marcionistarum meminit ipse Celsus †, qui, teste Origene *, Hadriani tempore vixit. Sed usque ad Antonini majoris ætatem pervenit Marcion, ut loco suprà citato auctor est Clemens. Et rectè quidem. Etiamsi enim altas sub Hadriano radices egerit hæresis Marcionitica, altiores adhud agebat sub Antonino. Masculè jam res gessit Hæresiarcha, auctôque discipulorum numero, scholam suam latiùs propagavit. *Marcion*, inquit Irenæus *, *illi* (Cerdoni) *succedens invaluit sub Aniceto*, qui Antonini tempore pontificatum tenuit, inde *Antoninianus Marcion* Tertulliano † dictus, & alibi *, *Antoninianus hæreticus, sub Pio impius.* Ubi Pium imperatorem, non Pium Pontificem Romanum intelligere Tertullianum manifestum est. Neque id negat Dodvvellus †; id modò contendit, errasse Tertullianum, vetustiorem aliquem auctorem, unde illa desumpserit, hâc in parte secutum, dùm initium hæresis Marcioniticæ Pio Imperatori ascribit, quod reverâ Pii Romani Pontificis tempori sit tribuendum. Et quidem quicquid de sensu Tertulliani hoc posteriori loco sit, in priori de incrementis hujus hæresis loqui videtur. Mox enim subdit, *totum jam implevisse mundum.* Quicquid sit, in vivis adhuc erat, vigebatque Marcion, quo tempore priorem Apologiam Antonino Pio obtulit * Justinus Martyr; ὃς καὶ νῦν ἔτι ἐστὶ διδάσκων τοὺς πειθομένους, *qui etiam usque hodiè discipulos suos docet.* Unde vel luce clariùs liquet, Marcionem non modò sub Antonino, sed & diu ante ejus imperium pestiferi erroris sui virus propinasse. De ætate hactenus; jam ad ea, quæ de scriptis ejus restant notanda, veniamus. Scripserat Marcion *Evangelium* in sectæ suæ usum (de quo alibi,) nempe Lucæ Evangelium, multis additis. Ut fidem suam juxta hoc Evangelium magis confirmaret, contexuit opus quod *Antitheses* nominavit, quo Vetus & Novum Testamentum inter se commisit, pugnantia quæ sibi videbantur colligit & digessit, ostendere conatus alium esse Deum Veteris, alium Novi Instrumenti, Christúmque non fuisse Creatoris filium, qui mundum condidit, quemque Judæi sub Vetere Testamento pro Deo habuerunt. Hoc opus refutandum in se recepit Tertullianus, quod integro *libro quarto adversùs Marcionem* fœliciter præstitit, prolixè demonstrans, eundem esse sub Evangelio Christum, qui olim in mundum venturus esset, omnésque Veteris Testamenti hâc de re prædictiones, sub Novo in Christo fuisse perfectè adimpletas. In *Apostolico* suo decem solummodò ex Epistolis Pauli, easque miserè truncatas & interpolatas, admisit Marcion. Ex harum numero erat illa *ad Philemonem*, ab eo intacta & incorrupta: ita quidem Tertullianus *advers. Marcion.* lib. V. cap. ult. *Soli huic Epistolæ brevitas sua profuit, ut falsarias manus Marcionis evaderet.* Aliter planè Epiphanius in refutatione librorum Marcionis *Hæres.* XLII. p. 373. Ὅμως ἀπὸ ταύτης τῆς πρὸς Φιλήμονα οὐδὲν παρεθέμεθα, διὰ τὸ ὁλοσχερῶς αὐτὴν διαςρόφως παρ' αὐτῷ κεῖσθαι. *Cæterum nihil ex Epistolâ ad Philemonem adnotavimus, quod apud illum omnino depravata legitur.* Quem nodum aliis solvendum relinquo. Meminit Tertullianus *de carne Christi* cap. 2. p. 308. *Epistolæ* cujusdam Marcionis, quâ *confessus est se à fide priori excidisse, rescindendo quod retrò crediderat*; Eandem etiam citat *advers. Marcion.* lib. IV. cap. 4. pag. 415. Cui verò inscripta fuerit, non liquet. In his aliisque suis scriptis non modò Cerdonis placita expressit Marcion, sed & omnia penè impia dogmata consarcinavit, recoxit, auxit, quibus ei præluserant Ebion, Cerinthus, Menander, aliique primæ successionis hæretici, quos proindè Tertullianus * *præcoquos & obortivos quodammodò Marcianitas* non inscitè vocat.

128. AQUILA, gente Ponticus, Sinope urbe Ponti celeberrimâ oriundus, religione Gentilis Adriani Imp. πενθερίδης [ut Epiphanius †] πενθερὸς [ut Chronici Alexandrini Autor *] uterque forsan ex fabulosis Judæorum traditionibus; & ab eo operarum in extruenda urbe Æliâ sive Hierosolymâ præfectus constitutus. Visis, quæ frequenter illi ediderunt, Christianorum miraculis, fidem Christi amplexus est, & baptismo initiatus fuit. Quum vanam Astrologiam, quam à pueritia didicerat, non desereret, quin potiùs arti Genethliacæ se magis, magisque addiceret, nec ab Ecclesiæ Doctoribus admonitus, se corrigeret; tandem ex Ecclesia ejicitur: Eam ignominiam impatienter ferens, abnegato Christianismo, ad Judæos se confert, & circumcisione signatur. Rabbi Achibæ, Christianorum hostis infen-

† Strom. lib. VII. p. 764.
† Epist. II. ad Rivet. ad calcem vindic. Ignat. p. 29.
* Vindic. Ignat. Part. II. p. 85.
† Dissert. I. ad Iren. n. XVIII. p. 34
* Hæres. XLII. n. 1. p. 302.
† ibid. p. 364.
* De Success. Part. II. c. 8. n. 4. p. 839.
† Apud Orig. l. V. p. 272. l. VI. p. 312.
* Contr. Cels. lib. I. p. 8.
* Lib. III. c. 4. p. 243.
† Ad Marcion. lib. V. c. 18. p. 484.
* ibid. l. 1. c. 19. p. 374.
† Addit. ad Pears. de Success. Part. II. p. 8. n. 3. 4.
* Apol. II. p. 70. vide p. 92.
* Adv. Marc. lib. V. c. 8. p. 401.
† De pond. & mens. Num. 14.
* P. 398.

SÆC. II. An. C. insensissimi, discipulus factus. A Judæis Linguam Hebræam incredibili diligentiâ didicit, quam eousque excoluit, ut circa a. Chr. CXXVIII. vel CXXIX. novam Bibliorum versionem Græcam aggressus sit, eo præcipuè animo, ut LXXII. interpretationem eluderet, & testimonia de Christo in Scripturis prolata perverteret, atque aliter ederet. De eo ita Hieronymus *: *Aquila proselytus, & contentiosus interpres, qui non solùm verba, sed & etymologias verborum transferre conatus est, jure projicitur à nobis.* Quanquam alibi de illo benigniùs loquitur: Nempe *Aquilam non contentiosius, ut quidam putant, sed studiosiùs verbum interpretari ad verbum,* Quæst. 2. ad Damas. tom. III. p. 35. *Verborum Hebræorum diligentissimum explicatorem vocat*, Epist. ad Marcell. ib. p. 96. *Aquilæ editionem cum voluminibus Hebræorum confero, nequid forsitan propter odium Christi Synagoga mutaverit, &, ut amicæ menti fatear, quæ ad nostram fidem pertineant roborandam, plura reperio.* Epist. ad Marcell. Tom. II. p. 312. Hinc non rarò Aquilam ipsis τοῖς ὁ præfert. *Meliùs puto illud, quod habetur in Hebræo, Aquila transtulit.* Quæst. Hebraic. in Genes. III. p. 216. & alibi, non semel. Hieronymo prævivit Origenes Comment. in Joan. Tom. VIII. p. 131. & Tom. III. in Genes. Philocal. c. 14. asserens ipsum κυριώτατα ἑρμηνεύειν φιλοτιμούμενον, *aptissimè interpretari studuisse. Versionem* suam, testante Hieronymo *, iteratâ editione, quam κατ' ἀκρίβειαν nominabant Judæi, perpolivit. Hujus translationis supersunt hodie tantùm particulæ quædam, Antiquorum scriptis hinc inde assutæ, quas in unum collectas Nobilius, Drusius, & Waltonus ediderunt.

* Epist. ad Pammach. p. 370.

* In Ezech. cap. 3. tom. 5.

128. P. II. AQUILA Proselyta Judæus, claruit circa annum CXXVIII. Quanti ejus Versionem, præsertim arctam & accuratam Hebraicæ veritatis interpretationem, æstimarint Christiani veteres, non uno Hieronymi & Origenis testimonio ostendimus *Histor. Liter.* Part. I. His addere licet egregium Origenis locum ex *Respons. ad African.* p. 224. ὥς γὰρ Ἀκύλας δουλεύων τῇ Ἑβραϊκῇ λέξει ἐκδέδωκεν ἑαυτόν. φιλοτιμότερον πεπιστευμένος παρὰ Ἰουδαίοις ἡρμηνευκέναι τὴν γραφήν, ᾧ μάλιστα εἰώθασιν οἱ ἀγνοοῦντες τὴν Ἑβραίων διάλεκτον χρῆσθαι, ὡς πάντων μᾶλλον ἐπιτετευγμένῳ. *Sic enim Aquilas Hebraicæ dictioni serviens edidit, quem Judæi honorificè præ aliis credunt interpretatum esse scripturam, cujus versioni maximè assueti sunt ii qui Hebræâ dialecto ipsi uti nesciunt, tanquam is omnium maximè sensum assecutus fuerit.* Ad hunc Origenis locum non pauca notavit Cl. Wetstenius, variasque Veterum de Aquilæ versione sententias studiosè collegit. Quicquid verò de accuratâ ejus & literali Versione dici potest, minùs tamen fidelem esse passim conqueruntur Veteres. Eusebius in fragmento MS. ait Aquilam interpretationem non recto & sincero, sed iniquo in Christianos animo edidisse. Josephus *Hypomnestici* auctor ineditus cap. 122. affirmat Aquilam circa linguam Hebræam multùm laborasse, & quoniam intellexit septuaginta Interpretes propter imperitiam Græcæ minùs accuratè in suâ versione se gessisse τὸ μὴ τὴν Ἑλλήνων φωνὴν ἀκριβοῦν, ipse accuratiùs interpretatus est. Et tamen fraudes vel errores ejus ubique ferè notantur in Catenis Veterum, tum editis, tum MSS. De eo deniq; chronographus Græcus MS. apud Cl. Galeum ἐπὶ Ἀδριανοῦ ὁ ἀσεβὴς Ἀκύλας, ὁ τὴν γραφὴν εὐθύνας ἐτύγχανεν. *Vixit sub Adriano impius ille Aquila, qui Scripturam vertendo pervertit.* Exemplum habes Isa. IX. 8. *Dominus misit* λόγον *ad Jacobum,* inquiunt LXX. Interpretes, hîc Aquila ῥῆμα transtulit, fraude quidem manifestâ, ne de Christo Λόγῳ intelligeretur.

ISIDORUS, Basilidis filius sectâ Gnosticus, clar. circa an. CXXX. Dogmata ejus quod attinet ei cum Patre communia fuerunt, cujus fabulosa dicta novis quibusdam additamentis confirmavit. Scripsit ἐξηγητικά, seu *libros Expositionum in Barcabam* † *& Parchor* [pro Παρχώρ H. Valesius legendum censet Βαρχώρ] *Patris sui Prophetas*, teste Clemente Alex. Strom. l. 6. p. 641. qui ibidem ex iis quædam adducit; item *librum* περὶ προσφυοῦς ψυχῆς, *De adnatâ Animâ* cujus *fragmentum* exhibet idem l. 2. p. 409. Ἠθικὰ denique, sive παραινέσεις, ex quibus fragmenta habentur apud eund. l. 3. p. 427. & Epiphan. Hæres. XXXII. Num. 4. SÆC. II. ab An. C. 130.

† Vid Euseb. l. 4. c. 7.

AGRIPPA, Castor dictus, γνωριμώτατος συγγραφεύς, ut ab Eusebio * *Vir valdè doctus*, ut ab Hieronymo † dicitur. Claruit præcipuè sub principatu Hadriani, circa an. CXXXII. Scripsit accuratissimam *confutationem* τῶν ἐξηγητικῶν *Basilidis*, cujus fragmenta quædam habet Eusebius loc. cit. ubi testatur in eâ omnes Basilidis fraudes ac præstigias detegi, & cuncta ejus arcana in lucem proferri. Isidorum etiam Basilidis filium scripto confutavit; uti testatur Theodoritus *. 132.

* Lib. 4 c. 7.

† De Script. c. 21.

* Hæret. Fab. l. 1. c. 4.

HERMES, qui & Pastor etiam vocatus est, Presbyter, Pii I. Episcopi Romani frater claruit an. CXXXVII. obiit anno CL. Hunc *libri* illius vetustissimi *Pastoris* dicti autorem faciunt Pseudo Damasus in Vitâ Pii, & Autor Carminum adversus Marcionem Tertulliano ascriptorum. Verùm † Bellarminus potiùs duos fuisse Hermetes contendit, & diversos eodem titulo insignitos scripsisse *Commentarios*. Quippe Hermas Apostolicus centum ferè annis hoc nostro antiquior erat; nec mandatum illud Angeli sub habitu Pastoris traditum de sancto Paschate die Dominicâ celebrando, quod Pii frater acceptum Pastori suo inseruerat, in libro *Pastoris*, qui hodiè extat, uspiam reperitur. Adde, quod Hieronymus † ait, antiquissimum illum *Pastoris* librum, licet in quibusdam Græciæ Ecclesiis etiam suâ ætate publicè legeretur, apud Latinos tamen penè ignotum fuisset: ideòque probabile est, Hermetis librum, si modò tamen unquam scripserit [quod non facilè ausim affirmare] citò interiisse. Huic etiam Hermeti Baronius attribuit *Acta Praxedis Virginis* ipsiusque fratrum; ejusque ad Timotheum Praxedis fratrem *Epistolam*, aliamque Timothei ad Pastorem exhibet, Tom. II. ad an. CLXII. 136.

† De Script. in Hermet.

† De Script. c. 10.

SIBYLLINA *Oracula*, saltem ex iis plura, Adriano imperante, forsan circa ann. CXXX. nata videntur, quippe Justino Martyre antiquiora: alia sub Antoninis addita, demum circa Commodi extrema, perfecta & digesta. Certè non uno eodemque tempore composita sunt; quædam etiam Clementis Romani tempore extitisse, fidem nobis facit Author *Quæst. & Respons. ad Orthodoxos* sub Justini nomine, quæst. 74. ubi Clementem in suâ ad Corinthios epistolâ Sybillæ vaticinia citasse dicit. Certè in hâc epistolâ propè finem plurima hodie desiderantur, nempe antiqui exemplaris folium integrum [teste qui primus edidit, Patricio Junio] quod quatuor impressi codicis folia constituit. Adde, quæ Clementem citasse dicit Quæstionum Autor, ab iis quæ in Clementis epistola immediatè præcesserant, non planè abludere videntur. Conficta esse, idque in gratiam Christianæ fidei nemo non videt: interim negari non potest ex veterum Sibyllarum Carminibus quædam hodiernis immixta fuisse; quò speciosiùs eruditorum orbi obtruderentur. De

Digitized by Google

SÆC. II. ab An. C. De vera illorum ætate & origine, non eadem est omnium sententia. V. Cl. Is. Vossius non exiguam eorum partem à Judæis annis ante Christum natum LXXX. circiter confictam esse, à Romanis in Capitolio repositam, & per omnium manus ante, circa, & post Christi adventum circumlatam, multa demum additamenta à Christianis [ac inter eos præcipuè à Gnosticis] recepisse arbitratur. Hornbeckius ea Papiæ; Blondellus aut Hermeti [immediatè præcedenti] aut Montano Hæresiarchæ, Maresius postremo huic, attribuunt. Nuperus denique Auctor, Joh. Marckius Hæreticis quibusdam, Montanistico præcipuè spiritu correptis, ea ascribit: crasso satis errore, cùm vel Sole clarius sit ista Oracula plusquàm XL. annis ante exortum Montanum orbi innotescere cœpisse. Marckii quidem verba sunt *Disp. XII.* de Sibyll. *Carm. p.* 275. ubi totius operis summam in quædam colligit: *liquere videtur*... *i i i. factum illud esse non tam à Christianis Orthodoxis, quàm quidem hæreticis* Montanistico *præcipuè spiritu correptis, ut simul scilicet & religio Christiana promoveretur, & prædicati tantoperè raptus commendarentur.* Cùm verò [ut ab amico accepi, librum enim ipsum nondum vidi] se ab hac sententia procul esse testetur in *Exercit. Text. ad* 50. *selecta Scripturæ loca p.* 475. non alium Cl. viro sensum ascribi velim quàm quem ipse agnoscere paratus sit. Verùm de his ulterius disputare, nobis nec otium est, nec animus; præter eos, qui hâc de re obiter egerunt, Baronium, Casaubonum, Montacutium, Ger. Joh. Vossium, &c. adeant, qui volunt, Blondellum, Is. Vossium, Marckium, Crassetium; qui hanc rem novissimè peculiaribus scriptis pertractarunt. Extant hæc oracula, aliaque huc spectantia, libris VIII. comprehensa, cum notis Opsopæi, *Paris.* 1599. 1607. 8°. ut alias Editiones his longè inferiores non commemorem.

P. II. Sibyllina Oracula; quisquis eorum auctor fuerit, circa annum CXXX. certè ante annum CXL. condita & collecta videntur. Confinxit ea ex Vaticiniis, Historiis, Dogmatibus librorum sacrorum utriusque Testamenti, insertis forsan hinc inde quibusdam ex veterrimis Oraculis, Christianus aliquis Alexandrinus, & Sibyllarum nomine venditavit, eo quo nunc habemus corpore, licèt non eodem prorsùs ordine. Pauca quidem sunt quæ post hæc tempora addita videntur. Sibyllis hæc supposuisse Christianos objiciebant olim Pagani, ætate jam Lactantii. *His testimoniis,* inquit quidam, *revicti, solent eò confugere, ut aiant non esse ea carmina Sibyllina, sed à nostris conficta atque composita.* De verâ sapient. Lib. IV. cap. 15. p. 299. Ex libro Enochi, tacito licèt nomine, in suam Rhapsodiam non pauca transtulit compilator. Ut videre est lib. I. p. 168. lib. II. p. 203. 204. & alibi non semel. Liber enim Enochi hoc poëmate multò antiquior est, & inter vetustissima Judæorum commenta locum habet. Certè Tertulliani ævo, licèt *à quibusdam non receptus, nec in Armarium Judaicum admissus, pro antiquâ scripturâ* habebatur, & parum abfuit, quin ipse Tertullianus hunc librum *pro canonicâ & divinitus inspiratâ scripturâ* haberet. Vide lib. I. *de cultu Fœmin.* cap. 3. p. 151. An vaticinia sua carmine semper tradiderint Sibyllæ, meritò quæri potest: cùm Josephus Antiquitatum lib. I. cap. 5. pag. 12. Sibyllam inducit de turri Babylonicâ loquentem his verbis, *Πάντων ὁμοφώνων ὄντων τῶν ἀνθρώπων πύργον ᾠκοδόμησαν τινὲς ὑψηλότατον, ὡς ἐπὶ τὸν οὐρανὸν ἀναβησόμενοι δι' αὐτοῦ*; &c. Quædam huc spectantia habent hodiernæ farraginis consarcinatores, lib. III. p. 223. 224. qui ex vetustioribus Schedis, iisque aliquando Græcè scriptis, ea compilâsse videntur. Ex eadem cum Sibyllinis officinâ prodiisse videntur Mercurii *Poëmander*, ejusque *adhortationes ad Tatt. filium.* Certè vix alium præter Christianum aliquem ex Scholâ Alexandrinâ in dogmata Platonica admodùm propensum auctorem agnoscunt. Ad hanc denique classem, & ad hæc forsan tempora referenda sunt *XII. Patriarcharum Testamenta*; quæ confinxit aliquis ex Judæo Christianus, quo utrámque veri Messiæ conditionem, humilem nempè, ac Regiam, ex Veteri Testamento comprobaret; simúlque præcipuarum virtutum exempla in singulis Jacobi Patriarchæ Liberis nobis ante oculos poneret. In decreto *Pseudo-Gelasiano* damnatur tanquam apocryphus, liber qui vocatur *Testamentum Jacob* [alii codices habent *Job*]. Error forsan non aliùnde profluxerit quàm ex Latini Scriptoris imperitiâ, qui ex Græco istius Testamenti titulo, Διαθήκη ιβ' Ἰακώβ, hunc titulum efformârit, *Testamentum Job,* seu *Jacob,* pro Testamentum filiorum Jacob: quin opus sit cujusdam judaizantis Christiani dubitari nequit, cùm omni ferè paginâ ineptè satis aliquid de Christo ingerit, & Test. I. disertè mentionem facit τελειώσεως χρόνων Ἀρχιερέως Χριστοῦ. Testamenta hæc Græcè hactenùs inedita sunt. Verùm ex codicibus MSS. fideliter descripta, diligenter collata, versione, notisque illustrata, ab eruditâ manu propediem expectamus.

ARISTO PELLÆUS, quia Pellæ in Palæstina natus, ortu Judæus, cultu Hebræus, an Christianus non satis liquet. Claruisse videtur circa an. CXXXVI. Judæorum rebellione, Duce Barchocheba, ab Adriano nuper profligatâ. Scripsit Aristo *Obsidionem Betthara & Judæorum expugnationem,* ex quo opere quædam profert Eusebius l. 4. c. 6. Illi etiam adscribenda videtur *Disputatio Iasonis & Papisci*: habeo id fide S. Maximi, qui in Scholiis, ad Dionys. de Mysticâ Theologiâ, c. 1. hæc nosdocet: Ἀνέγνων δὲ τοῦτο ἑπτὰ οὐρανοὺς καὶ ἐν τῇ συγγεγραμμένῃ Ἀρίστωνι τῷ Πελλαίῳ διαλέξει Παπίσκου καὶ Ἰάσονος, ἣν Κλήμης ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν ἕκτῳ βιβλίῳ τῶν Ὑποτυπώσεων, τὸν ἅγιον Λουκᾶν φησιν ἀναγράψαι. *Legi etiam septem Cœlos in Disputatione Papisci ac Jasonis quæ scripta est ab Aristone Pellæo, quam Clemens Alexandrinus in sexto libro Hypotyposeon ait S. Lucam descripsisse.* Hunc Jasonem plurimi eundem esse volunt cum Jasone Thessalonicensi, cujus mentio habetur Act. XVII. 5. Rom. XVI. 21. quemque Græci in Menologio primum Tarsi Episcopum à D. Paulo constitutum esse tradunt. Verùm hæc incerta, nulloque fide digno autore nixa. Quisquis sit, Disputationem instituit cum Papisco Judæo Alexandrino *de Veritate Christianæ Religionis,* cui exitus iste contigit, ut Papiscus Christiani argumentis devictus, Judaismo renunciaret, & baptismum enixè postularet. Extiterunt olim Græcè, imò (si Rigaltio * fides adhibenda sit, verba quædam inde citanti) jam extant *Acta concertationis* hujusce, sive ab Aristone nostro, sivè ab alio quodam in litteras redacta. Ea tanquam insulsum quoddam opus olim sugillavit Celsus Epicuræus: cujus iniquam idcirco censuram diluit Origenes † & egregium iis eruditionis elogium tribuit. Meminit eorumdem Hieronymus in Quæstionibus in Genesin. *Acta* ista in Latinum sermonem vertit, & præfatione bene longâ Vigilio Episcopo nuncupatâ auxit Celsus quidam; quis qualisve ille fuerit non constat. Id solum liquet ex plurimis præfationis locis, eum vigentibus adhuc Persecutionum temporibus, & ante susceptam ab Imperatoribus fidem Christianam scripsisse. Extat *præfatio* inter Cypriani

136.

* Not. in Celsi Præfat.

† Adv. Cels. l. 4. non longe à medio.

SÆC. II. ab An. C. priani opera, cujus nomini perperam inscribi solet.

136. P.II. ARISTO PELLÆUS, ex Judæo, ut videtur, Christianus, claruit circa annum CXXXVI. Meminit Chronici Alexandrini Auctor * Apellis, & Aristonis, *quos* inquit, *laudat Eusebius* in Historiâ Ecclesiasticâ; eósque Apologiam pro Fide Christianâ Adriano Imper. obtulisse tradit. At vereor ne penitùs hallucinatus sit Chronici Auctor, & nomina Aristidis & Aristonis Pellæi, quæ apud Eusebium occurrunt, temerè confundens, duos hos Scriptores nobis procuderit. Vide, lector, annon hic sit Aristo ille, tertius Smyrnæ Episcopus factus, cujus meminerunt Constitutionum Apostolicarum consarcinatores, lib VII. cap.46. pag. 357. De *Disputatione Iasonis & Papisci* quam Aristoni nostro disertè tribuit S. Maximus, verba quædam ex Nicolao Fabro proferre videtur Rigaltius; unde colligere quis possit hæc Acta etiam hodie superesse. Sed reverà verba illa quæ habentur apud Rigaltium non sunt Fabri, sed Hieronymi, qui lib. II. *Comment.in Epist.ad Galat.cap.3.p.* 175. ita scribit, *Memini me in Altercatione Iasonis & Papisci, quæ Græco sermone conscripta est, ita reperisse,* λοιδορία Θεοῦ ὁ κρεμάμενος, i.e. *Maledictio Dei qui appensus* Celsi cujusdam Præfatio in hanc concertationem à se latinè versam, ad Vigilium Episcopum, inter Cypriani opera haberi solet: quæ etsi non sit Cypriani, perantiqua tamen est, & erudita, ut rectè judicat Petavius, *Dogm. Theol.* Tom. IV. P. II. lib 13. cap. 2. num. 7.

*Olym.228 Sever. & Varo Coss. Indict. I. Ann.Christi 228. p. 255. Edit.Noviss.

140. JUSTINUS, Martyr κατ' ἐξοχὴν dictus, Prisci filius, Bachii nepos, Neapolim, urbem Samariæ non incelebrem, natalem habuit, ὁ μετ' οὐ πολὺ τῶν ἀποστόλων, inquit Eusebius, † ἀνὴρ οὔτε τῷ χρόνῳ πόρρω ὢν τῶν ἀποστόλων, οὔτε τῇ ἀρετῇ ait Methodius Tyrius *. Quin & de seipso loquitur Justinus †, quasi esset, ἀποστόλων γενόμενος μαθητὴς, quod de Viris Apostolicis, vel potiùs de doctrina Apostolorum intelligendum est. Universas ferè philosophantium sectas curiosè pervagatus, in Platonica substitit; donec à sene quodam venerando & verè divino meliora edoctus, ad diviniorem, ac nobiliorem Philosophiam, Christianam nempe, transiit, circa an CXXXIII. ἐν φιλοσόφου σχήματι πρεσβεύων τὸν θεῖον λόγον, *etiam sub habitu Philosophi verbum Dei prædicans.* Ineunte Imperium Antonino Pio, Romam profectus est; & in colle Viminali hospitium habuit; utque grassantem adversùs Christianos crudelitatem restingueret, eosque à fictis Gentium calumniis vindicaret, circa an. CXL. *Apologiam* primam pro Christianis Antonino Pio, ejusque filiis, & Senatui Romano nuncupatam obtulit: Quod in Apologia enim anni CL. à Christo effluxisse dicantur, id in characterum numeralium corruptionem referri necesse est; cùm Edictum Imperatoris Antonini Pii à Justini Apologiâ impetratum tertio Antonini Consulatu factum sit, qui in annum Christi CXL. incidit: post hæc in Asiam reversus, celebratissimum illud cum Tryphone Judæo *colloquium* habuit: Inde Romam rediit, atque alteram *Apologiam* pro Christianis conscripsit; eamque M. Antonino, & Senatui Romano dedicavit: Tandem dum Crescentem, Philosophum Cynicum, veluti hominem gulosum, mortis timidum, luxuriæ & libidinum sectatorem, τὸν φιλόψοφον, καὶ φιλόκομπον οὐ φιλόσοφον, liberè nimis coargueret; à Crescente apud Imperatorem accusatur, à quo damnatus, gladio percussus est, ut habent Martyrii ejus Acta *, ut verò Græci † in Menæo, propinato veneno interiit, circa an. CLXIV. M. Aurelii 4. seu ut in Chronico Alex. annotatum est, M. Au-

† L. 2. c. 13.

* Ap. Phot. Cod. 234.

† Epist. ad Diognet. p. 501.

Euseb. l. 4. c. 11.

* Ap. Sur. ad XII. Jun. & Baron. ad an. 165.

† Τῇ α' Ἰουν.

Cave Hist. Lit.

relii, & Lucii Impp. 6. Unde patet immani errore Epiphanium * laborare, qui Justini mortem ad Adriani imperium refert, eamque tricesimo Justini ætatis anno contigisse ait. De eo hæc habet Photius †. Ἔστι δὲ φιλοσοφίας μὲν ὁ ἀνὴρ τῆς καθ' ἡμᾶς καὶ μάλιστά γε τῆς θύραθεν εἰς ἄκρον ἀνηγμένος, πολυμαθείᾳ τε καὶ ἱστοριῶν περιρρεόμενος πλούτῳ. ῥητορικαῖς δὲ τέχναις οὐκ ἔσχε σπουδὴν ἐπιχρῶσαι τὸ ἔμφυτον αὐτοῦ τῆς φιλοσοφίας κάλλος, διὸ καὶ οἱ λόγοι αὐτοῦ ἄλλως ὄντες δυνατοὶ καὶ τὸ ἐπιστημονικὸν διασώζοντες, τῶν ἐκεῖθεν οὐκ εἰσὶν ἀποσταζόντες ἡδυσμάτων, οὐδὲ τῷ ἐπαγωγῷ καὶ θελκτηρίῳ τοὺς πολλοὺς τῶν ἀκροατῶν ἐφελκόμενοι. *Est autem vir ille ad Philosophia tum nostra, tum potissimum profana, summum evectus fastigium; multiplicisque eruditionis, & historiarum copiâ circumfluens. Sed Rhetorico artificio nativam Philosophiæ suæ pulchritudinem colorare haud studio habuit. Quamobrem etiam oratio ejus pollens alioqui, ac valida, scientificumque spirans stylum; rhetorica illa condimenta non spirat, nec illecebris aut blandimentis vulgus auditorum trahit.* Literarum Hebraicarum rudem penitùs & imperitum fuisse, Justino vitio verti non debet, 1°. quia quamvis patriâ fuerit Samaritanus, Græcis tamen parentibus natus sit; deinde quòd magnam vitæ partem in religione Gentilium traduxerit: denique quòd Philosophiæ, Græcisque disciplinis se totum dederit, quæ à literarum Hebraicarum studio immane quantum abhorrent. Hinc factum est, ut in Hebræis adeò pueriliter lapsus sit. Exemplum dabo. Satanam à voce שטן, *adversari, odio habere*, derivari nemo nescit, qui linguam Hebræam vel à primo limine salutarit. En tamen ridiculam planè Justini nostri interpretationem. * Σατανᾶς προσηγόρευται, ὄνομα ἀπὸ τῆς πράξεως ἧς ἔπραξε σύνθετον κτησάμενος, τὸ γὰρ σατὰ τῇ Ἰουδαίων καὶ Σύρων φωνῇ ἀποστάτης ἐστὶ τὸ δὲ νᾶς ὄνομα ἐξ οὗ ἡ ἑρμηνεία ὄφις ἐκλήθη, ταυτόν ἐστι σατὰ τῇ Ἑβραίων ἑρμηνευθείσῃ φωνῇ, ἐξ ὧν ἀμφοτέρων τῶν εἰρημένων ἓν ὄνομα γίνεται Σατανᾶς. *Satanas appellatur, nomen cum rebus ipsis quas egit congruens, indeque compositum nactus. Nam Sata Judæorum & Syrorum voce Apostata & desertor est: nomen autem* Nas [*unde interpretatione etiam serpens vocatur*] *idem est quod* Sata *Hebræorum expositum sermone. Ex quibus utrisque unum compositum, fit nomen* Satanas. Quantò rectiùs Origenes *: Ὁ δὲ Ἑβραίων διαλέκτῳ Σατὰν, καί Ἑλληνικώτερον ὑπό τινων ὀνομασθεὶς Σατανᾶς, μεταλαμβανόμενος εἰς Ἑλλάδα φωνὴν ἐστὶν ἀντικείμενος: *Cæterum* Satan *Hebræâ linguâ dictus, & à quibusdam formâ magis Græcanicâ nominatus* Satanas, *interpretatur Adversarius.* Hæc non animadvertit futilis ille Antiquitatis Ecclesiasticæ propola, Chr. Sandius †, qui *Quæstiones ad Orthodoxos* non esse genuinum Justini opus hoc argumento contendit; quòd vocem, *Osanna* per μεγαλωσύνην ὑπερκειμένην, *magnificentiam excellentem*, istarum Autor ridiculè interpretetur: cùm verus, inquit, Justinus utpote Samaritanus, vocis *Osanna* significationem non potuit ignorare. Majorem fuisse hominis ignorantiam, an impudentiam quis facilè dixerit? Præterquam enim quòd falso & frivolo nitatur argumento, totam istam periodum benè longam ex Riveti * Critico, tacito quidem Riveti nomine; nec vel levissimâ ejus mentione nisi è longinquo & indirectè facta, exscripsit: ac proinde dormitante Riveto, ipse dormivit securus. Sed ad Justinum redeamus. Scripsit, inquit Eusebius *, plurima ingenii sui, doctrinæque & intenti in res divinas studii monumenta, πάσης ὠφελείας ἔμπλεα, *multiplicis utilitatis plena*; quæ sequuntur.

SÆC. II. ab An. C.

* Hæres. 46. p. 171.

† Cod. 125.

* Dialog. cum Tryphon. p. 331.

* Contra Cels. lib. 6. p. 306.

† Tract. de Vet. Script. Eccl. p. 44. Quæst. 50.

* Vid Rivet. l. 2. c. 5.

* L. 4. c. 18.

D OPERA

Digitized by Google

OPERA GENUINA.

Parænesis, sive Exhortatio ad Græcos, quâ Gentiles ad fidem Christianam amplectendam hortatur.

Elenchus, seu Oratio ad Græcos, quâ modum præcipuè describit, quo Græci ad Christianæ fidei cognitionem pervenire possint. In Orationibus istis adversùs Gentes desiderari nonnulla videntur. In earum enim altera de Dæmonum natura disputasse Justinum prodit Hieronymus: quod tamen in his quæ extant nullibi reperitur. Quin & Leontius Byzantinus, lib. 2. contra Nestorium & Eutych. ex Justini Oratione contra Gentes fragmentum profert, quod in istarum quas habemus, utravis frustra quæras: uti & disputationem contra Platonem, de morte & immortalitate, in iis olim repertam, cujus laciniam adducit Steph. Gobarus ap. Photium, Cod. 232.

Apologia pro Christianis prima, quæ in omnibus Justini editionibus secundo loco ponitur.

Apologia pro Christianis secunda.

Liber de Monarchiâ Dei, forsan in principio mutilus, vel potiùs secunda pars operis integri. Genuinum esse Justini opus arguit stylus, & quicquid alii dicant, res ipsa clamat.

Dialogus cum Tryphone Judæo. Triphon iste idem forsan fuit, quem Judæi Rabbi Tarphonem, & vulgò הכהן העשיר, *Sacerdotem divitem* vocant; Rabbi Achibæ collega & commilito; qui ob rebellionem à Barchocabe excitatam, patria relictâ, in Græciam se contulerat.

Epistola ad Diognetum, Eusebio quidem non memorata; sed nec Eusebius vidit omnia: nec obstat stylus paulò comptior, & elegantior, quò minùs Justini sit. Nulli enim dubium esse potest, Justinum pro re nata tersiori & floridiori stylo uti potuisse. Hunc Diognetum eundem fuisse cum eo, quem inter præceptores M. Aurelius * numerat, veri non absimile est.

Epistola ad Zenam & Serenum, quæ Ethica est, & de Moribus accuratè & eruditè differit. Hanc in dubium vocat Bellarminus, immeritò, mea quidem sententia; neque ipse Bellarminus ullam opinionis suæ rationem adducit.

Aristotelicorum quorumdam Dogmatum Eversio. Perionius in Notis multa profert, quæ de hoc libello scrupulum moveant: Nihilominùs tanti non sunt, ut propterea hunc libellum Justino abjudicemus, præsertim cum Photius Martyri nostro disertim ascribat.

* Τῶν εἰς ἑαυτόν. l. 1. §. 6.

OPERA SUPPOSITITIA.

Quæstiones, & Responsiones ad Græcos. In his citantur Manichæi: ut alia non afferam.

Quæstiones Græcanicæ, de Incorporeo, & de Deo, & de Reformatione mortuorum, & ad easdem *Christianæ Responsiones*: ejusdem Commatis & Rectoris cum prioribus, quibus Appendicis loco adjiciuntur, videntur.

Quæstionum CXLVI. *Responsiones ad Orthodoxos.* Aut hic liber omninò Justini nostri fœtus non est, quod mihi verisimillimum videtur, aut mirè interpolatus. Multa enim in eo sunt, quæ sæcula aliquot Justino sequiora, quæque ævum Arianum, & κρατοῦντος Christianismi tempora, planè sapiunt: ut de Irenæo, Origene, & Manichæis inibi citatis nihil dicam: certè Cl. Dodvvellus censet, autorem fuisse Justinum Siculum, qui inclinante sæculo quinto scripsit. Quisquis tandem Autor sit, scriptor sanè est magni judicii, variæ eruditionis, & elegantis ingenii. Interim vide, annon sit idem liber, sed miserè interpolatus, de quo Photius * hoc titulo, ἀπορειῶν κατὰ τῆς εὐσεβείας κεφαλαιωδεῖς ἐπιλύσεις: *Dubitationum adversus Religionem summariæ solutiones.* Istud enim Justini opus fuisse genuinum, accuratum Photii Judicium, acumen, atque doctrina nos dubitare non sinunt.

SÆC. II. ab An. C. Cod. 125.

Expositio Fidei de S. Trinitate: Hanc tamen tanquam Justini Philosophi & Martyris opus citat Leontius Byzantinus, lib. 1. contra Nestorium apud Canis. Antiq. Lect. Tom. IV. ex eoque quædam profert, quæ in hac expositione hodie leguntur.

DESIDERANTUR.

Commentarius de Animâ.

Liber Psaltes dictus.

Contra omnes Hæreses liber, cujus ipse Justinus meminit in Apologia prima ad Antoninum Pium.

Contra Marcionem. Ex hoc libro quædam citat Irenæus l. 4. c. 14. & l. 5. c. 26. Euseb. l. 4. cap. 11. Non tam distinctum opus à præcedente quàm pars quædam illius fuisse videtur.

Dubitationum adversus Religionem Solutiones summariæ: nisi sit idem opus, sed interpolatum, cum *Responsionibus ad Orthodoxos.*

Expositio in Apocalypsin, teste Hieronymo *.

Commentarius in Hexaemeron: cujus meminit Anastasius Sinaita, Anagog. Contemplat. l. 6.

Epistola πρὸς τὸν Πάππαν à se scriptæ ipse meminit *.

De Resurrectione Carnis, teste Damasceno, qui plurima ex eo libro, & amplissima fragmenta citat in Parallelis suis, ex quibus desumpta exhibuit Gr. & Lat. P. Holloixius in Vita Justini, cap. 27.

* De Script. c. 9.

* Ep. ad Zen. & Seren. in initio.

Quædam porrò ex libris Justini deperditis habent Tatianus Justini discipulus, Orat. ad Gentes, pag. 157. Antonius Melissa, Serm. l. 1. c. 19. l. 2. c. 6. 43. Damascen. Parall. l. 1. c. 19. & alibi.

Unicam Justini Sententiam, ex Ant. Melissæ, l. 2. c. 43. hìc referam, Philosopho Christiano & Martyre dignissimam. Τέλος τῷ φιλοσοφοῦντι, ἡ πρὸς Θεὸν ὁμοίωσις κατὰ τὸ δυνατὸν: *Finis philosophanti est, Deo, quoad ejus fieri potest, assimilari.*

Nævorum, qui in Justini scriptis hodie occurrunt, & in quibus, si non omnes, saltem plurimos Veterum ὁμοψήφους habuit, præcipui sunt; dogmata de Chiliasmo; de statu animarum post hanc vitam; de salute Paganorum, quos μετὰ λόγου βιῶν, & ἀπὸ μέρους Christum agnovisse dicit; de Angelorum cum fœminis contubernio, ex mala τῶν ὁ versione orto; de nimiâ liberi arbitrii potestate; de quibus alii; & nos alibi fusiùs. Quod verò Socratem aliosque quosdam Gentiles vixisse μετὰ λόγου, Christumque ex parte agnovisse contendit, in hâc nempe erat Sententiâ, & cum eo illustriores ferè istius temporis Theologi, Christum verum esse & æternum Patris λόγον, omnis rationis Sapientiæque fontem, atque ab eo tanquam à sole radium, λόγον, seu rationem in quemvis hominem naturaliter derivari: λόγος enim *qui erat apud Deum, eratque ipse Deus, lux erat illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Hinc Christus *Martyri nostro, τοῦ παντὸς λόγος, ejusque respectu, ratio σπερματικὸς λόγος. τοῦ σπερματικοῦ θείου λόγου τὸ * συγγενὲς & ἡ ἔννοια ἐμφύτου τοῦ λόγου σπορὰ, sæpiuscule dicitur, quam proinde αὐτῷ τῷ σπέρματι satis aperte distinguit †, alibique non semel affirmat, quæcunque vel Poëtæ vel Philosophi de moribus præclarè docuerunt, ea omnia διὰ τὸ ἔμφυτον παντὶ γένει ἀνθρώπων σπέρμα τοῦ λόγου, *ab innato toti generi humano rationis semine* profluxisse. Hæc, quantum assequi possum, erat sententiæ ejus; eorumque qui ipsum proximo secuti sunt intervallo, hâc de re summa: quam allatis pluribus

* Apol. 1. p. 46.

* Ib. p. 31.

† P. 46. 48.

SÆC. II. ab An. C. ribus ipsius Justini, Clementis Alexandrini, atque Origenis testimoniis alibi latiùs diduximus. Certè non memini me observasse, Justinum alicubi affirmare Gentiles extra Christianę religionis professionem positos, salvandos fore, neque ad hanc rem sufficere nudam Philosophię cognitionem, verum id sibi tantum voluisse, quotquot inter illos innato τῷ λόγῳ, ratione scilicet, ad Deum colendum, vitamque optimè instituendam rectè usi essent, Christo, ęterno τῷ λόγῳ, proximè accedere, & eousque conformes esse. Opera ejus, quotquot supersunt, prodierunt Grçcè curâ Rob. Stephani, *Paris.* 1551. f. 1571. f. 1592. f. Lat. *Basil.* 1528. 1551. *Paris.* 1554. 1565. *Basil.* 1555. 1565. *Paris.* 1578. Gr. Lat. *Heidelbergæ* ab Hieron. Commelino 1593. f. *Paris.* 1615. 1636. f. Editionibus his novissimis Parisiensibus prçter Sylburgii, Perionii, *Billii*, & Lanselii notas, reliqui Apologistæ accesserunt.

140. P. II. JUSTINUS, Philosophus & Martyr, claruit anno CXL. & sub M. Aurelio circa annum CLXIV. martyrii palmam reportasse dicitur. De operibus ejus alibi à nobis recensitis id solummodò monendum restat, scripsisse ipsum librum *adversùs Emphrasium Sophistam*, περὶ προνοίας καὶ πίστεως, *de Providentia & Fide*, cujus hoc initium; Ἄχραντος ὁ Λόγος. Meminit hujus operis, & ex eo fragmenta quædam profert S. Maximus in *Tomo Dogmatico* Opusc. *Theol. & Polem.* Tom. II. pag. 154. aliud, sed breviusculum Euthymius Zigabenus *Panopl. Dogm.* Part. II. Tit. XV. c. 27. De hoc libro silent Eusebius, Hieronymus & Photius, ubi de Justini scriptis luculenter agunt. Ex fragmentis verò quæ supersunt, num genuinus fuerit Justini fœtus haud facilè quis judicare potest.

147. SMYRNENSIS Ecclesia Antistite suo Polycarpo viduata an. juxta vulgares Chronologiæ rationes 167. juxta verò Pearsoni & Dodvvelli (quos hîc sequimur) calculum, an. CXLVII. Scripsit eodem anno *literas circulares* πάσαις ταῖς κατὰ πάντα τόπον τῆς ἁγίας καθολικῆς ἐκκλησίας παροικίαις, [Eusebius * ait eam scripsisse ταῖς κατὰ Πόντον παροικίαις] quibus totam *passionis Polycarpi* eorumque qui cum eo passi sunt, *historiam* eleganter sanè ac copiosè exponit. Extant hæc *Acta* apud Eusebium, sed principio ac fine mutila. Verùm lacunas hasce opportunè supplevit Reverendiss. Hibernię primas, Jac. Usserius, qui an. 1647. integrum Martyrium ex Cod. Barocciano unà cum antiquo Interprete Latino ex Ecclesię Sarisburiensis Codice MS. in Appendice sua Ignatianâ edidit. Hanc Smyrnęorum Epistolam [ut ex notis Actorum Usserianorum calci additis liquet] ex ipsius Irenęi Polycarpi Discipuli exemplari transcripsit Gaius Irenæo familiaris, quemadmodum ex Gaii exemplaribus suum transcripsit Socrates Corinthius, cujus Codice MS. usus est Usserius.

* L. 4. c. 13.

150. PTOLOMÆUS, è Valentini, & Gnosticorum Schola; Vir, fatente Epiphanio, * longè doctissimus. Clar. (si rectè conjicio, neque enim ętatem ejus temerè definire ausus sum) circ. an. CL. Magistrorum suorum dogmatibus nonnulla adjecit, Legem Mosaicam maledictis incessit, & ex Vetere Instrumento nonnihil à Deo, aliquid à Mose, reliquum à Senioribus Judaicis manasse contendit. Extat Gr. Lat. *Epistola* benè longa *contra legem Mosaicam* ad Floram gregis sui mulierculam, impia ejus & blasphema dogmata exponens, ap. Epiphan. Hęres. XXXIII. à Num. 3. ad 7. & Fragmenta quædam apud Irenęum.

* Hæres. 33.

Cave Hist. Lit.

SÆC. II. ab An. C. 158. PIUS, Patriâ Aquileiensis, ex patre Rufino, frater Pastoris, ad pontificatum Romanum evectus est (juxta Bellarminum & Baronium) anno CLVIII. Longè accuratiori calculo Pearsonus & Dodvvellus ipsum ab anno CXXVII. ad ann. CXLII. sedisse ostendunt. Extant sub ejus nomine *Epistolæ* duę *ad Justum Viennensem*, communi ferè doctorum consensu tanquam spuriæ rejectę, nec ipse Bellarminus, * qui ex iis testimonium citat, veluti indubitatæ fidei defendere audet. Et sanè prçterquàm quòd à nullo Veterum memorantur ætatem recentiorem satis prodit, impostoris in rebus Ecclesię paulò antiquioribus imperitia, quod non uno exemplo probat Cl. Dodvvellus, Addit. ad Pearson. Dissert. c. 9. §. 3. Habentur Orthodoxogr. Tom. II. p. 3. in omnibus Bibliothecę Patrum editionibus, ap. Baron. ad ann. CXLVI. & Joh. à Bosco, Bibliothec. Floriac. part. 2. p. 22. 24.

* De Rom. Pontif. l. 2. c. 14.

164. SOTER, Natione Italus, patriâ Campanus, de Civitate Fundis ortus, tandem Romanus Episcopus factus est, de Successionis ejus ordine ac tempore mirè variant tum Veteres, tum Recentiores. Eusebius, Hieronymus & Prosper illum referunt ad ann. CLXVIII. Catalogi duo, Bucherianus & Heinschenianus ad an. CLXI. Catalogus tertius à Schelstratio editus ad ann. CLXIV. Onuphrius & Ant. Augustinus ad an. CLXIII. Baronius & Bellarminus ad an. CLXXV. Petavius & Labbeus ad an. CLXXIII. Juxta Pearsonum Pontifex erat ab CLXI. usque ad an. CLXX. Ex Dodvvelli verò calculo ab an. CLIII. usque ad an. CLXII. Scripsit * teste autore de Hæresibus, sub *Prædestinati* nomine à Sirmondo edito, librum *contra Cataphrygas*, cui respondit Tertullianus, Montani vindicias agens, sed utrumque opus dudum periit.

* Hæres. 26. & 86.

164. ABERCIUS, Hierapolitanus, parentibus ingenuis, iisque Christianis, natus, Ecclesiæ Hierapolitanæ Episcopus creatur circa ann. CLXIV. Multa sub M. Aurelio, & L. Vero à Gentilibus passus est; iisque adhuc imperantibus è vivis placidè excessit. Hujus vitam ex Actis Græcis à Sim. Metaphraste collectis, & ex Græcorum Menæo fusè & ad nauseam usque descripsit P. Haloixius. * Sed qualis sint fidei & auctoritatis hæc Acta, quivis facile videt: nec sanè hujusmodi Abercii memoriam vel Eusebius, vel ulli Veterum nobis tradiderunt. Scripsisse dicitur *librum disciplinæ, in Presbyterorum & Diaconorum suorum usum*, ut & *Epistolam ad M. Aurelium Imp.* quæ [si Baronii * judicio standum sit] spiritum planè Apostolicum redolebat. Hanc ex Græco Card. Sirleti Cod. MS. eruerat Baronius, eamque integram in Annalibus suis se exhibiturum esse promisit: sed casu aliquo è manibus ejus elapsa, nuspiam postea comparuit.

* Vitt. PP. Orient. tom. II.

* Vide Baron. ad An. 163. N. 15. & not. ad Martyr. Rom. Octob. 12.

167. IRENÆUS, gente Asianus, Smyrnâ, ut videtur, oriundus, ὁ ἐγγὺς τῶν ἀποστόλων γενόμενος, * non longè à temporibus Apostolorum inquit Augustinus * secundùm Hieronymum † Papiæ ipso verò Irenæo * teste, Polycarpi Discipulus: cujus acta omnia, incessus, vitæque totius formam diligenter notabat, dicta omnia & sermones studiosiùs audiebat; audita in mente reposuit. Probabile est, illum unà cum Polycarpo Romam sub Aniceto venisse, indeque in Gallias profectum, Lugduni lares fixisse, ejusque Ecclesiæ Presbyterum factum esse. Mortuo Pothino, Lugdunensis Ecclesię pontificatum adeptus est; atque ut provinciam, quam nactus erat, meliùs ornaret, nullis

* Bas. de Sp. S. c. 29.
* Aug. cont. Iulian. l. 1. c. 3.
† Epist. ad Theod. p. 196.
* Epist. ap. Euseb. l. 5. c. 20.

Digitized by Google

nullis laboribus pepercit; Hæreticos verbo & scriptis refutavit; in unione Ecclesiarum resarciendâ, præsertim in componendâ Paschali controversiâ, plurimùm laboravit; eoque nomine Victorem Romanum Pontificem Ecclesiis Asiaticis anathema parantem, coactâ Episcoporum Gallicanorum Synodo, per literas pacificè admonuit, & renitentem acriter objurgavit. Obiit capite truncatus, si communes sequamur calculos, sub Persecutione Severianâ, circa an. CCII. vel ut alii, an. CCVIII. cùm Britannicam expeditionem molitus Severus Imp. Lugduni aliquandiu commoratus est. Cæterùm Cl. Dodvvellus, amicus noster singularis, dissertatione *de ætate Irenæi*, quam unà cum aliis ad novam Irenæi editionem adornandam parat, aliter planè quàm vulgò fieri solet, Irenæi tempora disponit. Sententiam quam hoc loco amplectendam duximus, paucis explicabo. Statuit igitur Irenæum natum esse sub Nerva an. Chr. XCVII. Quod quidem ex ipsius verbis colligi posse videtur, lib. V. cap. 30. ubi exitum imperii Domitiani vocat σχεδὸν τὴν ἡμετέραν γενεάν, seu ut habet antiqua versio, *penè nostrum sæculum*. Sæculum verò suum à suis natalibus ipsum deducere, nulli dubium esse potest. Circa annum ut videtur, CXXII. dum adhuc ἐν τῇ πρώτῃ ἡλικίᾳ erat, Polycarpum vidit & audivit: Florinum apud Polycarpum inferiore Asia vidit παῖς ὢν ἔτι, Epist. ad Florin. ap. Euseb. l. V. c. 20. i. e. ætatis annum XXX. quem Epiphanius ἡλικίαν καθεστῶσαν vocat adv. Tat. Hæres. XLVI. Num. I. Eodem tempore vidit Florentinum splendidè agentem ἐν τῇ αὐλῇ βασιλικῇ, loc. cit. Hadriano nempe in Asia agente, quod fieri ante illum saltem annum ægrè potuit. Ann. CLXVII. incalescente in Gallia persecutione, Pothino Lugdunensium Antistiti, martyrium passo, successit Irenæus, πρεσβύτερος ætate pariter & officio, annum agens LXX. Pontificatum tenente Eleuthero. Ann. CLXXVI. vel sequenti scripsit adversùs Hæreses; opus omnium primum, post editam Theodotionis versionem, cùm Commodum participem imperii admisisset Marcus ann. CLXXV. post aliquot à Polycarpi martyrio in sede Smyrnensi successiones, scriptum; cùm jam senuisset Irenæus annum nimirum agens circiter LXXX. Eleuthero adhuc in vivis agente. Ann. CLXXXII. ætat. LXXXV. scripsit adversus Blastum & Florinum Epistolas, Victore Pontifice, hanc, ut videtur, ob causam hoc anno, Commodi III. Eusebio in Chron. & Chronici Alexandr. conditori insignis. Alastus Asianis favet in causa Paschatis, propterea Presbyterio dejectus. Inde initia litis cum ipsis Asianis. An. CLXXXIX. ætat. XCII. Commodi X. sub Victore habita est disputatio de Paschate, cui superstes fuit Irenæus paulò posteà defunctus. Certè ipsum scriptoribus Victoris exitu antiquioribus accenset Caius ipsius Irenæi [si Actis Polycarpi fides sit habenda] discipulus, sub Zephyrino ap. Euseb. l. V. c. 28.

Et hactenus quidem viri eruditissimi de annis Irenæi sententia, ὡς ἐν τύπῳ descripta, remissa pleniori tum explicatione, tum confirmatione ad ipsas Dissertationes propediem edendas. Quod verò Irenæus Martyr fuisse vulgò dicatur, id sequiorum potiùs sæculorum commentum censendum erit. Certe ignorasse videntur vetustiores, Tertullianus, Eusebius, Augustinus, Theodoritus: primus penè qui hunc ei titulum affingit, est auctor Quæst. & Reponsf. sub Justini nomine, non nisi quinti fortasse sæculi scriptor. Semel quidem Hieronymus Irenæum Martyrem vocat, Comment. in Esai. c. LXIV. p. 240. sed fas erit dubitare, annon eo in loco vox *Martyris* in Textum irrepserit? cùm nusquam alibi Hieronymus ipsum Martyrem dicit, ne quidem in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi de Irenæo ex professo agit.

SCRIPTA.

ADversus Hæreses, seu *de Refutatione, & Eversione falsæ scientiæ Libri V.* in quibus de omnibus ad sua usque tempora Hæresiarchis, deque execrandis eorum dogmatibus & actis, agit; impias eorum objectiones refellit; quæstiones objectas diluit; veritatem que adversùs omnia ipsorum tela animosè propugnat. Deperditis Græcis, [nec enim refutari merentur, qui Irenæum Latinè scripsisse volunt] extat horum librorum *Latina versio*, vetusta satis, sed barbara imprimis, difficilis, & salebrosa. Recentiorem Tertulliano esse hanc Versionem, postremis verò S. Augustini temporibus antiquiorem, ac proinde exeunte sæculo IV. factam dissertatione singulari demonstrabit doctiss. Dodvvellus. Huic Versioni ortum dedisse videtur Hæresis Priscilliani, quæ veterum Gnosticorum dogmata renovavit. Habuit Marcum quendam Ægyptium præceptorem Priscillianus, quem cum Marco Marcosiorum apud Irenæum Antesignano nonnulli temerè confuderunt, in hunc forsan errorem lapsi, quasi Irenæus adversùs hunc Marcum ex professo scripserat. Dolendum planè est, originalem hujusce operis textum periisse. Ut verò damnum, aliquo saltem modo resarciretur, perplurima ipsius Irenæi Græca nobis conservavit Epiphanius: plurima enim Damascenus in Parallelis, quæ magno sanè Reipublicæ literariæ beneficio Græcè simul ac Latinè exhibuit P. Halloixius in Vitâ Irenæi, cap. 15. Scripsit, quæ hodie non extant, libellum *adversus Gentes de Scientiâ, seu Disciplinâ* inscriptum; [Hieronymus * ex uno volumine duo fecit:] *Demonstrationem Apostolicæ prædicationis* ad Martianum fratrem; *Variarum Disputationum* sive διαλέξεων διαφόρων *librum*; *De Ogdoade Commentarium*, cujus fini solennem illam & utilissimam adnotationem, sive adjurationem addidit, quæ habetur ap. Euseb. l. 5. c. 20. Ὁρκίζω σε τὸ βιβλίον τοῦτο, κατὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ κατὰ τῆς ἐνδόξου παρουσίας αὐτοῦ ἧς ἔρχεται κρίναι ζῶντας καὶ νεκρούς, ἵνα ἀντιβάλῃς ὃ μεταγράψω, καὶ κατορθώσῃς αὐτὸ πρὸς τὸ ἀντίγραφον τοῦτο ὅθεν μεταγράψω ἐπιμελῶς, καὶ τὸν ὅρκον τοῦτον ὁμοίως μεταγράψῃς, καὶ θήσεις ἐν τῷ ἀντιγράφῳ. *Adjuro te, cui transcripseris hunc librum per Dominum nostrum Iesum Christum, & per gloriosum ejus adventum; in quo judicaturus est vivos & mortuos; ut conferas, quod transcripseris, & diligenter emendes ad exemplar, ex quo transcripsisti: utque adjurationem istam similiter exscribas, & codici tuo inseras.* Porro libro isto Valentinianos, ceterosque Gnosticos oppugnasse videtur Irenæus. Isti enim Hæretici pudicissimam Æonum quorundam genealogiam commenti fuerant, quos in varios sexus dispertitos connubiis inter se junxerant, binos Æones connubio sociatos, Conjugationem vocantes, & ex primis quatuor Conjugationibus, sive octo prioribus Æonibus reliquos omnes originem ducere somniantes. Sed qui penitiùs ista scire velit, adeat Joh. Croium de totâ Gnosticorum Theologiâ doctissimè disserentem, *Specim. Conjectur. in loca quædam Origenis* &c. *Epistolam* etiam scripsit ad Blastum *de Schismate*, alteramque ad Florinum *de Monarchiâ*, seu *quòd Deus non sit conditor malorum*: cujus pars extat ap. Euseb. loc. cit. Commentarium in Apocalypsin, cujus meminit Hieronymus: Denique *Epistolam Synodicam ad Victorem Episcopum Romanum*

* De script. c. 35.

De script. c. 9.

SÆC. II. ab An. C. manum *de Paschate*; ex quâ fragmenta quædam habet Eusebius l. 5. c. 24. Quin & *Epistolas* plures ad varios Episcopos de eadem re scripsit. De quibusdam ejus operibus ita Photius *, Εἰ καὶ ἐν ἐνίοις αὐτῷ ἡ τῆς κατὰ τὰ ἐκκλησιαστικὰ δόγματα ἀληθείας ἀκρίβεια νόθοις λογισμοῖς κιβδηλεύεται. *In aliquibus Ecclesiasticorum dogmatum accurata veritas spuriis rationibus fucari videtur.* Fatendum sanè est, etiam in iis quæ supersunt, nævos quosdam inesse; qui si defendi non possunt, merentur excusari. Ex his maximè notari meretur, qui l. 2. adv. Hær. c. 39. 40. reperitur: Christum, sc. nonnisi anno ætatis quinquagesimo munus propheticum aggressum esse: quippe partim ex nimio disputandi fervore adversus Gnosticos, qui Christum expleto anno ætatis suæ tricesimo primo terris excessisse voluerunt, oriri potuit; partim ex malè intellecto S. Johannis VIII. 57. loco; præsertim accedente traditione quadam falsâ, quàm à Papia magistro, aut quovis alio, eum accepisse non malè forsan credi posset. Phrases quæ apud ipsum sæpius occurrunt, duriusculæ, & dictiones incommodiores, quæ forsan interpreti satis barbaro, ut plurimum ascribi debent, notare non est opus; ipse prudens lector facilè animadvertet. Stylo usus est admodum simplici & inelaborato; Nec enim, quod de se fatetur †, verborum artificium, neque sermonis vim, nec dictionis ornamentum, nec persuadendi facultatem ostendit; utpote quæ nec didicit, nec affectavit. Adde, quòd nativam dicendi simplicitatem, Barbarorum, inter quos degebat, linguam addiscendo, plurimùm corrupit. Opera ejus prodierunt per Erasmum, *Basil.* 1526. 1534. 1548. 1560. f. *Paris.* 1563. 1567. 8. *Genevæ* (cum notis Gallasii) 1570. f. *Basil.* [curâ Grynæi unà cum var. lect.] 1571. 8°. *Paris.* 1577. 8°. *Colon. Agr.* 1595. f. Inter omnes autem editiones præstantissima est *Parisiensis* An. 1639. fol. cum fragmentis Græcis, uberrimisque Fr. Fevardentii Commentariis, qui tamen omnia ad causam pontificiam stabiliendam obtorto collo trahere solet.

* Cod. 120.

† Præfat. ad l. I.

167. P. II. IRENÆUS, Episcopus Lugdunensis, claruit circa annum CLXVII. Fragmentum ex libro quinto *advers. Hær.* c. 28. de consummatione sæculi Græcè exhibet Cotelerius ex codice Regio *Not. in Barnab.* p. 34. ubi etiam duo Fragmenta subjungit *de computatione annorum quàm diu duraturus sit mundus*, idque ex literis numeralibus vocum χειρὸς σαυρὸς, quæ ad illustrandum illum Irenæi locum haud parùm faciunt. Excerpta plurima ex scriptis Irenæi, ex Catenis Veterum deprompta Græc. Lat. exhibet Fr. Combefisius *Auct. Noviss.* 1672. pag. 298. Scripsit prætereà Irenæus sermonem *de Fide* ad Demetrium Diaconum Viennensem, cujus hoc erat initium, Ζητῶν τὸν Θεὸν ἄκουε τοῦ Δαυὶδ λέγοντος. *Qui Deum quæris, audi Davidem dicentem.* Fragmentum ex hoc opusculo profert S. Maximus, *Opusc. Theol. & Polem.* Tom. II. p. 152. Quòd verò Irenæum nostrum S. Joannis Apostoli & Evangelistæ *discipulum* vocat, laxiori sensu intelligendus est. Erat quippe Irenæus discipulus Polycarpi, qui S. Joannis discipulus & auditor fuerat.

168. THEOPHILUS, Antiochenus in omni sæcularis literaturæ genere eruditus: totus in variis Gentilium studiis, & per vanos superstitionum labyrinthos deerrabat; donec vi Veritatis cogente, & validissimis Christianæ fidei argumentis victus, cultum Paganorum deseruit, & ad Christi castra confugit. Ad Episcopatum Antiochenum, mortuo Erote, circa an. CLXVIII. saltem anno sequente, promotus. Quam provinciam cùm per annos XIII. summâ diligentiâ ac fide administraverat; sub Commodi Imp. initia, anno circiter CLXXI. cursum fœliciter absolvit. Scripsit ad Autolycum, amicum integerrimum, & Christianæ Religionis hostem accerrimum, *de Fide Christianorum & adversus ejus calumniatores, libros III.* ςοιχειώδη συγγράμματα, uti eos vocat Eusebius *, *institutionem fidei continentes*, typis excusos Gr. Lat. inter Orthodoxogr. *Basil.* 1555. Tom. I. ad calcem Justini M. *Paris.* 1615. 1636. Auctuar. Gr. Lat. Biblioth. Patr. cum notis Frontonis Ducæi, *Paris.* 1624. Tom. I. seorsim *Oxon.* 1684. 12°.

* L. 4. c. 24.

Extant etiam sub ejus nomine *Commentarii in Evangelia quatuor*; ex quibus multa in Commentarios suos transcripsit Hieronymus; *Lat.* Bibliothec. PP. Tom. 11. Latino cuidam Scriptori recentioris ævi, qui tamen eos ex genuinis Theophili Commentariis excerpsisse potuit, ascribendi potiùs videntur.

Interierunt *Liber* ejus *contra Marcionem*, (quem tamen, crasso satis errore, adhuc extare scribit Joh. Conr. Dannhawerus Christeid. Act. i. p. 604.) & *alter adversus Hæresin Hermogenis*, in quo testimoniis ex S. Johannis Apocalypsi desumptis usus est. Commentarii item in Proverbia Solomonis, & in Evangelium [iidem forsan, ex quibus excerpti sunt Commentarii breves prædicti] qui mihi, inquit Hieronymus †, cum superiorum voluminum elegantiâ & phrasi non videntur congruere. Fragmentum ex Commentariis in Evangelium idem exhibet in Epist. ad Algasiam. Quæst. VI. ubi & Theophilum Evangelistarum quatuor in unum opus dicta compegisse ait. Alia denique κατηχητικὰ βιβλία, quibus Elementa fidei tradebantur, teste Eusebio *.

† De Script. c. 25.

* Loc. cit.

THEOPHILUS Ecclesiæ Antiochenæ Episcopus, claruit juxta Eusebium in Chronico anno CLXIX. 169. P. II. De eo ejúsque ætate admodùm variant eruditorum sententiæ. Sunt qui illum ab ipsis Apostolorum temporibus accersunt. Circa hoc tempus collocant Scriptorum pars longè maxima. Cùm Theophilo Chronographo, quem aliquoties citat Malela, eundem facit Rev. Pater Jo. Fellus Oxoniensis. Alii diversum à nostro Theophilum Antiochenum faciunt, cui tres ad Autolycum libros tribuunt, quemque sub Persecutione Severianâ floruisse volunt. Et in hâc quidem sententiâ est Dodwellus * noster. Quò propiùs veritati accedamus, certa ab incertis secernenda sunt. Constat igitur 1. fuisse Theophilum quendam Antiochiæ Episcopum. Hunc nobis exhibet Eusebius, hunc Hieronymus, hunc omnes quotquot de rebus Ecclesiasticis agunt longo agmine Scriptores. 2. Certum est nostrum non fuisse Theophilum illum Antiochenum, cui S. Lucas Evangelium suum, & Acta Apostolica nuncupavit, quem κράτιστον vocat; συγκλητικὸν ἄνδρα καὶ ἄρχοντα ἴσως, Theophylactus †: etsi ita olim somniavit, ex Veterum, ut videtur, Antiochenorum traditione, Gulielmus Tyri Archiepiscopus, sæculi XII. Scriptor. Repugnat penitùs temporum ratio, annorum plus quàm CL. neque enim quo tempore scripsit Lucas, Theophilus Juvenis censendus est. 3. Certum est, Theophilum sextum fuisse in sede Antiochenâ Episcopum, Erotis successorem, & sub Marco Aurelio claruisse. Disertis verbis id affirmat Eusebius *; Τηνικαῦτα καὶ ἐπὶ τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας Θεόφιλος ἕκτος ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων ἐγνωρίζετο: *tunc temporis Antiochenæ Ecclesiæ Episcopatum sextus ab Apostolis Theophilus gubernabat:* Disertis Hieronymus *, *Theophilus sextus Ecclesiæ Antiochensis Episcopus sub Imperatore M. Antonino Vero librum contra Marcionem composuit.* 4. Certum est Theophilum hunc sextum Antiochiæ Episcopum, trium librorum ad Auto-

* Dissert. 2. ad Iren. n. 44. p. 171. Addend. ad Pearson. de Success. c. 4. p. 11.

† Argum. in Luc. 293.

* Lib. IV. c. 20. p. 141.

* De Script. c. 25. p. 11.

Digitized by Google

tolycum Autorem esse. Disertè id tradunt Eusebius & Hieronymus. Τοῦ δὲ Θεοφίλου, inquit Eusebius, ὃν τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας ἐπίσκοπον δεδηλώκαμεν τρία τὰ πρὸς Αὐτόλυκον στοιχειώδη φέρεται συγγράμματα. *Theophili verò quem Antiochinæ Ecclesiæ Episcopum fuisse superiùs retulimus, tres supersunt ad Autolicum libri, institutionem fidei continentes.* Nec aliter Hieronymus post verba supra citata; *Feruntur ejus & ad Autolycum tria volumina.* Duo præcipuè objicit Cl. Dodvvellus, quæ pondus & robur suum habere videntur. 1. Theophilum post Chryserotem Marci Aurelii libertum, quem citat, scripsisse; Chryserotem verò nonnisi mortuo jam Vero anno CLXXX. Nomenclatorem suum edidisse. Esto. Scribere potuit Chryseros ipsomet Marci anno emortuali. Editum Chryserotis opus sequenti anno citare potuit Theophilus, præsertim cùm illud sub operis finem allegat; adeóque partes reliquæ antea absolvi poterant. Nec quicquam vetat, quò minùs credamus Theophilum eo ipso anno vel saltem sequenti, diem suum obiisse. Certè cum Chronicon Eusebianum illum in ann. CLXIX. reponit, & tredecim ei annos tribuit in chronographia suâ Nicephorus CP. hoc circiter tempore è vivis excessisse suspicari licet. 2. Objicit Theophilum ut ex ipsius operis calce liquet, scripsisse cùm magna persecutio in Christianos sæviret, τῶ καθ' ἡμέραν, καὶ ἕως τοῦ δεῦρο, vigente scilicet adhuc persecutione; cùm à Marco ad Severum nulla extiterit persecutio; adeòque Theophilum post ann. CCII. quo incepit persecutio sub Severo, opus suum edidisse. Verum etiamsi toto illo tempore nulla esset universalis persecutio; poterant esse persecutiones τοπικαὶ καὶ μερικαὶ, hinc inde excitatæ, quarum in Historiâ Ecclesiasticâ non pauca habentur exempla. Quin & sub ipso Commodi Imperio etsi tranquillum Ecclesiæ statum tantopere deprædicet Eusebius † fatetur tamen infestissimum Diabolum, varias adversùs Christianos machinas excogitasse; & in ipsâ urbe Româ Appollonium, dignitate & literis humanioribus eximium, apud Senatum, quòd Christianus esset, accusatum, capitali supplicio à Senatu damnatum esse, circa annum CLXXXVI. Denique nihil obstat, quò minùs Theophilum loqui, non de hâc illâve persecutione, sed καθόλου & in genere, de solito constantíque Gentilium in Christianos odio intelligamus; nempè ab ipsis Rei Christianæ incunabulis in hunc usque diem Gentiles dirissimis persecutionibus in Christianos sævire non desiisse. Quicquid sit, nolim cum viro doctissimo & amicissimo in certamen descendere. Fruatur ille sententiâ suâ; Ego certè vulgari opinioni, à tot retrò sæculis receptæ, potius adhærendum esse censeo. Inter opera Theophili deperdita, erat liber *contra Marcionem*, qui Eusebii & Hieronymi tempore extitit, sed dudum interiit; quâ occasione ἁμάρτημα μνημονικὸν de Joan. Danhavvero, in quod aliud agendo olim lapsus sum, corrigere liceat. Cùm enim Hieronymi de hoc libro verba, non diverso, ut in citationibus fieri solet characterum genere distincta allegaverat; quæ *Hieronymi* erant, in *Danhavverum* incautus transcripsi.

† Lib. V. c. 21. p. 186.

170. MELITO, Asianus, Vir pietate non minùs quàm doctrinâ clarus. Vitam duxit cœlibem, & planè cœlestem; unde Eunuchum eum vocat Polycrates Ephesius *, additquè illum ἐν ἁγίῳ πνεύματι πάντα πολιτευσάμενον, *spiritu sancto afflatum cuncta gessisse*: eumque à plerisque Christianorum Prophetam habitum esse testatur Tertullianus †. Tandem Sardibus Episcopus datus est: ibique demum sepultus περιμένων τὴν ἀπὸ τῶν οὐρανῶν ἐπισκοπὴν, ait Polycrates, *Domini de cœlis visitationem, in quâ resurrecturus est, exspectans.* Elegans ejus & declamatorium ingenium laudavit Tertullianus *. Ann. CLXX. grassante persecutione sub M. Antonino, impudentissimisque delatoribus, qui ex imperialibus edictis occasionem captârant, Christianos affligentibus, Melito pro iis libellum Imperatori Apologeticum nuncupavit; ex quo quædam de Christianis, eorumque delatoribus habentur apud Eusebium l. 4. cap. 26. Multa etiam alia scripsit, quæ injuriâ temporis interciderunt. Quorum tamen indiculum Eusebius & Hieronymus hunc in modum nobis tradiderunt.

* Ap. Euseb. l. 5. c. 24.

† Ap. Hier. de Script. c. 24.

* Loc. cit.

Apologeticus, de quo supra. *De Paschate* libri II. ex occasione controversiæ de die Paschatis celebrandâ nati: quorum etiam Clemens Alex. in Opere suo Paschali mentionem fecit. *De rectâ vivendi ratione, & de Prophetis, liber* unus. *De Ecclesiâ. De die Dominicâ. De Naturâ Hominis. De Creatione. De Obedientiâ sensuum fidei præstandâ. De Animâ, Corpore, & Mente. De Lavacro. De Veritate.* Περὶ πίστεως, *De Fide* [quidam Codices legunt Περὶ κτίσεως, *de Creatione*] *& Generatione Christi*, respectu proculdubiò habito ad illud, Proverb. VIII. 22. Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ. *De Prophetiâ. De Hospitalitate. Liber* Clavis *Dictus. De Diabolo. De Johannis Apocalypsi.* Περὶ ἐν σώματι Θεοῦ, *De Deo* [non corporeo, sed] *corporato*, seu *corpore induto*, ut olim Ruffinus reddidit. *Excerptorum ex libris Vet. Testamenti* libri VI. Ex his ἀποσπασμάτων, seu potiùs præfatio erat *Epistola* illa ad Onesimum fratrem, Catalogum librorum V. Testamenti continens, quæ integra extat ap. Euseb. loc. cit. In hoc Catalogo observare licet, deesse *Estheris* librum [quod & in Athanasii, Gr. Nazianzeni, & Leontii Catalogis videre est] forsan uti non malè arbitratur Sixtus Senensis *, quia tunc temporis tanquam indubitatæ fidei receptus non fuerit, Additamentis calci appositis, libri reliqui fidei litem moventibus: quin & *Nehemiæ* librum desiderari, sub *Ezræ* nomine olim comprehensum, cujus libro Appendicis vice inservivit: Librum denique *Sapientiæ* in eo recitari, quod non de libro Apocrypho ejusce tituli intelligendum est, sed de *Proverbiis Salomonis*, quæ sub eo nomine ab Hegesippo, Irenæo, omnibusque antiquis, teste Eusebio †, citari sunt solita, Quod magis etiamnum patet ex verâ loci istius lectione [viz. Σολόμωνος παροιμίαι, ἡ καὶ σοφία] ex Nicephoro, & MSS. Cod. à Valesio restitutâ. Periodum ex quodam Melitonis libro laudat Autor Chronici Alexandrini ad VI. M. Aurelii, & L. Veri, quâ non stipites ac lapides à Christianis, sed verum ac æternum Deum adorari prædicat Melito. Pauca etiam Fragmenta habes in Catenâ Græcâ in Genesin, c. XXII.

* Biblioth. Sacr. l. 2. p. 5.

† L. 4. c. 22.

Extat sub ejus nomine Liber *De Transitu B. Virginis* (sed ab omnibus pro spurio habitus etiam à Baronio ann. XLVIII. & CLXXIII. Sixto Senensi, Brasichallano, Possevino, Bellarmino, Labbeo, &c.) Lat. in Biblioth. PP. Tom. II. Primus quod sciam sub Melitonis nomine citavit Beda (Retractat. in Acta cap. VIII. & XIII.) qui nonnulla in eo S. Scripturæ veritati repugnantia notat; quæ propterea in Editionibus nonnullis omittuntur.

Melito Asianus, Episcopus Sardensis, claruit anno CLXX, Inter opera Melitonis ab Eusebio * recensita habetur libri περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ. Quod hac voce intelligendum sit, haud statim constat. Hieronymus † Græcam Eusebii vocem retinuit, incertus, ut videtur, quid sibi voluit. Ruffinus * vertit *de Deo corpore induto*, seu ut loqueretur fortassè Tertullianus, *corporato*. Valesius reddit *librum de Incarnatione Dei*; Christophorsonus *de Deo Incarnato*, Et in hâc quidem sententiâ me olim fuisse fateor, 170. P. II.

* Lib. IV. c. 26. p. 147.

† De Script. Eccl. in Melit.

* Hist. Eccl. lib. IV. c. 26. p. 94.

Digitized by Google

*Ap. Theod. quæst. 20. in Gen. p. 21.

teor. Ut verò aliter jam sentiam, facit Origenes *, Melitoni ętate suppar, qui Melitonem iis disertè accenset, qui imaginem Dei in corpore hominis consistere affirmabant, aitque ipsum Commentarios reliquisse περὶ τοῦ ἐνσώματον εἶναι τὸν Θεόν, *de eo, quòd Deus sit corporeus* μέλη γὰρ Θεοῦ ὀνομαζόμενα εὑρίσκοντες &c. *Membra enim Dei appellata cum reperiunt*, &c. Quin & Gennadius † Melitonem & Tertullianum, corporeum quid in Trinitate credidisse, tradit. Alius igitur ab hoc fuit Melitonis liber *de Incarnatione*, si quidem talem scripserit; ut scripsisse certum est, etsi Eusebius in Indice suo non meminerit. Et plures quidem illos complectebatur hoc opus. Certè tertium Melitonis librum, περὶ σαρκώσεως Χριστοῦ, citat. Anastasius Sinaita ὁδηγ. cap. 13. p. 258. contra Marcionem scriptum, qui Divinam Christi incarnationem negavit, & Melitonis hac in parte doctrinam scripto edito oppugnaverat. Extat hujus operis Fragmentum ap. Anastas. *ibid.* p. 260. quo de humanæ Christi naturæ veritate, affectionibus, & actionibus post Baptismum editis, luculenter agit. Fragmentum ipsum, cùm sit quantivis pretii, nec à quoquam [quòd sciam] etiam diligentissimo FIDEI NICÆNÆ Defensore, in medium prolatum, integrum hic deponam; ὡς οὐδὲ μία ἀνάγκη τοῖς νοῦν ἔχουσιν, ἐξ ὧν μετὰ τὸ Βάπτισμα ὁ Χριστὸς ἔπραξε παριστᾶν τὸ ἀληθὲς καὶ ἀφάνταστον τῆς ψυχῆς αὐτοῦ καὶ τοῦ σώματος τῆς καθ' ἡμᾶς ἀνθρωπίνης φύσεως. τὰ γὰρ μετὰ τὸ Βάπτισμα φησὶν ὑπὸ Χριστοῦ πραχθέντα, καὶ μάλιστα τὰ σημεῖα, τὴν αὐτοῦ κεκρυμμένην ἐν σαρκὶ Θεότητα, ἐδήλουν καὶ ἐπιστοῦντο τῷ κόσμῳ. Θεὸς γὰρ ὢν ὁμοῦ τε, καὶ ἄνθρωπος τέλειος ὁ αὐτὸς τὰς δύο αὐτοῦ οὐσίας ἐπιστώσατο ἡμῖν. Τὴν μὲν Θεότητα αὐτοῦ διὰ τῶν σημείων ἐν τῇ τριετίᾳ τῇ μετὰ τὸ βάπτισμα, τὴν δὲ Ἀνθρωπότητα αὐτοῦ ἐν τοῖς τριάκοντα χρόνοις, τοῖς πρὸ τοῦ Βαπτίσματος. Ἐν οἷς διὰ τὸ ἀτελὲς τὸ κατὰ σάρκα ἀπέκρυψε τὰ σημεῖα τῆς αὐτοῦ Θεότητος. Καίπερ Θεὸς ἀληθὴς προαιώνιος ὑπάρχων. *Non est necessarium his quos ratio non fugit ex actionibus Christi post Baptismum adstruere & demonstrare animæ & corporis ejus, & humanæ naturæ nobiscum convenientis, veritatem, & ab omni fictione remotionem. Nam quæ post Baptismum à Christo gesta sunt,* [*inquit Melito*] *maximè miracula, latentem ejus Divinitatem potissimùm mundo comprobabant & confirmabant. Cum enim idem Deus simul & homo perfectus esset, duas naturas ejus nobis patefecit; Divinitatem quidem per miracula triennio illo post Baptismum patrata; humanitatem verò suam triginta illis annis Baptismum antegressis, quibus carnis vilitas tegebat & abscondebat Divinitatis signa, tametsi Deus verus esset & sempiternus.* Notent hæc Eutychiani, duarum in Christo naturarum oppugnatores; notent Ariani, & qui Socini de grege Dominum nostrum Deum verum & sempiternum esse præfractè negare non verentur.

† De dogm. Eccl. c. IV. p. 4.

170.

CL. APOLLINARIS, Hierapolitanus, eodem tempore claruit; Ecclesiæ Hierapolitanorum in Phrygiâ Episcopus constitutus. Flagrante eâdem persecutione, *Libellum Apologeticum* pro fidei nostræ defensione M. Aurelio Imp. obtulit: enascenti etiam in Phrygiâ, ann. circiter CLXXI. Montani Hæresi viriliter se opposuit, eamque missis ubique literis circularibus condemnavit. De Mortis modo vel tempore nil liquet. De eo ita Theodoritus *, ἀνὴρ ἀξιέπαινος: καὶ πρὸς τῇ γνώσει τῶν θείων καὶ τὴν ἔξωθεν παιδείαν προσειληφώς. *Vir laude dignus, & qui præter divinarum rerum cognitionem, externa quoque disciplina excultus fuit.* In eundem modum Photius †, ἀξιόλογος δὲ ὁ ἀνὴρ, καὶ φράσει ἀξιολόγῳ κεχρημένος, *Vir sane præstans, & stylo præstanti usus.* E multis, quos scripsit, libris, iisque jam deperditis hi solummodò tituli ad nos pervenerunt. *Oratio pro fide Christianorum ad Imperatorem. Adversùs Gentiles libri V. De Veritate libri II, Contra Judæos libri II. Liber de Pietate*, teste Photio. *Adversus Hæresin Cataphrygum* [de quo libro vid. infra in Asterio Urbano.] Scripsit item *literas* [nisi idem fuisse opus quis existimaverit] *super condemnatione Montani*, ejusque novæ Prophetiæ; quarum meminit Serapion Antiochenus ap. Euseb. l. 5. c. 19.

*Hæret. Fab. l. 3. c. 2.

† Cod. 14.

170. P. II.

CL. APOLLINARIS, Ecclesiæ Hierapolitanæ in Phrygiâ Episcopus, ὁ ἐγγὺς τῶν Ἀποστολικῶν χρόνων γεγονώς, inquit Chronici Paschalis sive Alexandrini auctor, claruit sub M. Aurelio circa annum CLXX. Præter opera quæ ex Eusebio, Hieronymo, & Photio, suo loco memoravimus, scripsit etiam, vigente jam Paschali controversiâ, librum *de Paschate*. Ex quo duo Fragmenta breviuscula nobis conservavit, idem Chronici Paschalis conditor in Præfat. p. 6. *Edit. Noviss.* hoc nempè argumento. Ὅτε ἐν ᾧ καιρῷ ὁ Κύριος ἔπαθεν, οὐκ ἔφαγε τὸ τυπικὸν πάσχα.

170.

DIONYSIUS, Vir propter doctrinę pietatem, vitæ sanctimoniam, morum gravitatem, sermonum eloquentiam, inter sui sæculi pręsules celebratissimus, Corinthiorum Ecclesię Episcopatum gessit, claruitque circa ann. CLXX. nec suæ tantummodò Ecclesiæ commodis prospexit, sed & communi omnium ferè aliarum urbium ac Provinciarum utilitati, missis ubique Catholicis epistolis, inservivit. Obiit Martyr, teste Græcorum Menæo, gladio percussus: Novembris XXIX. idque forsan circa ann. CLXXVIII. Scripsit *Epistolas* plures; quarum nulla hodie extat: earum tamen indicem texuit Eusebius *, ac post eum Hieronymus †. *ad Lacedæmonios* unam, quę rectæ fidei institutionem, & ad pacem, concordiamque argumenta, continebat. Alteram *ad Athenienses*, quâ eos ad fidei puritatem, & ad vitam evangelicam excitavit. Tertiam *ad Nicomedienses*, adversùs Marcionis Heresim, ut veritatis regulæ firmiter adhęrescerent. Quarta erat *ad Gortynensium, cæterasque Cretæ Ecclesias*, tum eorum, tum præcipuè Philippi ipsorum Episcopi laudes deprædicans, monensque ut ab Hæreticorum fraude ac versutiâ sibi caverent. Quinta *ad Amastrianos*, & ad reliquas Ponti Ecclesias, agebat de variis Scripturæ locis, de Nuptiis, & Castitate, deque Pœnitentibus, qui in grave quodvis delictum, seu Hæreticam pravitatem lapsi essent benignè recipiendis. Sexta *ad Gnossianos*, in quâ Pinytum eorum Episcopum monuit, ne grave castitatis onus fratrum cervicibus tanquam necessarium imponeret, sed ejus, quæ plerisque inest, infirmitatis rationem haberet. Septima *ad Romanos*, Soteri Episcopo eorum nuncupata, in quâ de summâ Ecclesiæ Romanæ munificentiâ, de suppetiis, exulibus, egenis, damnatis, & omnibus ubicumque Ecclesiis liberaliter sublevatis, deque Clementis Romani Epistola suo tempore in Ecclesiâ Corinthiacâ legi solitâ, egit. Ex hâc Epistolâ quædam de Petri & Pauli in urbem Romam profectu citat Eusebius l. 2. c. 25. item alia de Ecclesiæ Romanę moribus & institutis, l. 4. c. 25. Aliam denique scripsit *ad Chrysophoram* sororem fidelissimam, cui spiritale pabulum subministravit. Addam solùm, de quo conquestus est ipse Dionysius, se adhuc in vivis agente, Hæreticos quosdam Epistolas suas corrupisse, quædam ex illis expungentes; quædam adjicientes, Οἷς, inquit, τὸ οὐαὶ κεῖται, *quos manet ferale illud, væ vobis.*

* L. 4. c. 23. † De Script. c. 27.

170. P. II.

HERMOGENES Hæresiarcha hoc sæculo insignis, undè ortus incertum, vitę instituto Pictor, quam artem pingendis Deorum Gentilium simulachris, jam Christianus exercebat; claruit circa annum CLXX. Theophilo Antiocheno æqualis. Undè

Digitized by Google

SÆC. II. ab An. C. doctrinam ejus † *novellam* vocat Tertullianus *advers. Hermog.* cap. 1. p. 233. hominemque *ad hodiernum in sæculo* fuisse refert, *naturâ hæreticum turbulentum.* Subdit mox [ut hominis ingenium rectiùs depingeret] *qui loquacitatem facundiam existimat; impudentiam, constantiam deputat: & maledicere singulis, officium bonæ conscientiæ judicat: homo ad libidinem pronus.* Quo nomine ipsum mordaci sale perfricat Tertullianus loc. citat. *præterea pingit illicitè, nubit assiduè, Legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit; bis falsarius, & cauterio & stylo, totus adulter, & prædicationis & carnis; siquidem & nubentium contagio fœtet; ab Ecclesiâ ad Porticum; à Christianis ad Stoicos transiit;* fortè non aliâ de causâ, opinante Baronio, quàm ut M. Antonino Imp. adularetur, hanc sectam profitenti. Docuit Hermogenes quod ex sectâ suâ hauserat, materiam Deo fuisse coæternam, & ex hâc non ex nihilo, Deum omnia creâsse; [undè sequaces ejus, *immateriarios hæreticos* vocat idem Tertullianus, cap. 25.] corpus Domini nostri in Sole depositum fuisse, juxta illud Davidicum, *in sole posuit Tabernaculum suum,* [teste Clement. Alex. in excerpt. Theodoti, p. 808.] Diabolum autem & Dæmones in materiam refundendos. Stylum in illum strinxit Theophilus Antiochenus, & posteà Origenes, uti testantur Eusebius, lib. IV. cap. 24. & Theodorit. *Hæret. Fab.* lib. I. cap. 19. pag. 207. Libros nonnullos scripsisse Hermogenem quibus dogmata sua propalavit, ac tuebatur, etsi nec libri ipsi, nec librorum tituli ad nos pervenerint, nemo possit dubitare, cùm tot apud Veteres habeantur indicia. Quin & non unam ejus sententiam passim citat Tertullianus. Verùm scripta ista in Deum blasphema, piorum Zelus, & propria impietas, æternis tenebris meritò damnavit.

170. HEGESIPPUS, origine, ut videtur, Ju-
* Cod 232. dæus, ad fidem Christi postea conversus est, Steph.
† L. 2. c. 23. Gobaro apud Photium *, ἀρχαῖος τε ἀνὴρ καὶ ἀποστολικὸς, seu ut habet Eusebius †, ἐπὶ τῆς πρώτης τῶν ἀπο-
† De Script. c. 22. στόλων γινόμενος διαδοχῆς, quod Hieronymus * ita reddit, *vicinus Apostolicorum temporum.* Natus quippe sub initia secundi sæculi, Romam instituto itinere, in variis, quas peregrinatus est, Provinciis cum viris Apostolicis doctrinâ & pietate celeberrimis sermones habuit, & ex iis Ecclesiarum origines, fideique incrementa curiosè pervestigavit. Romæ demũ cum Aniceto Pontifice, populari suo, familiariter vixit, ibique ferè per decennium mansit, ab anno circiter CLXX. usque ad Commodi principatum, quo imperante in vivis esse desiit: quod testatur Chronicon Alexandrinum ad an. Commodi I. Primus erat, qui Historiam Ecclesiasticam condere aggressus est. Scripsit enim ὑπομνήματα τῶν ἐκκλησιαστικῶν πράξεων, seu *Commentariorum Actorum Ecclesiasticorum libros* V. sermone
* Loc. cit. quidem simplici, inquit Hieronymus *, ut quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem. Magno sanè Ecclesiæ damno hi Commentarii perierunt: nec ex iis aliquid superest, præter fragmenta quædam illustria, quæ nobis conservavit Eusebius: Nempe, *Historiam Martyrii Iacobi* Fratris Domini, l. 2. c. 23. *De persecutione propinquorum Servatoris nostri,* l. 3. c. 20. *De Simeonis Cleopæ filii martyrio, & Ecclesiæ Hierosolymitanæ isto tempore statu,* l. 3. c. 32. *De ætate sua,* l. 4. c. 8. *De Profectione ad Urbem Romam, & Sectis Iudaicis,* l. 4. c. 22. Fragmentum item breviusculum ex ejusdem Commentariorum libro quinto exhibet Steph. Gobarus ap. Phot. Cod. 232. Quæ utut sitim nostram explere non poterunt, possunt saltem lenire.

De ὑποβολιμαίῳ Hegesippo, vid. S. Ambrosium in Sæc. IV.

PINYTUS, Vir eloquentissimus, Cnossi urbis in Cretâ antiquissimæ Episcopus, claruit Hegesippi æqualis, an. CLXXII. rigidioris disciplinæ observantissimus. Unicam ejus *Epistolam*, sed valdè elegantem [quæ temporis injuriâ interiit] memorat Eusebius †; qui commonitoriæ Dionysii epistolæ de non imponendo castitatis jugo respondit, Dionysium quidem impensè laudans, simulque hortans, ut solidiorem cibum tandem impertiat, & transmissis iterum perfectioris doctrinæ literis plebem sibi commissam alere vellet, ne fortè lacteis sermonibus perpetuò enutriti homines, in infantili quâdam disciplinâ paulatim consenescant. Ex quibus infert Eusebius, in hac Epistolâ & rectam Pinyti fidem, & solicitudinem de profectu plebis ipsi commissæ; eloquentiam quoque, & peritiam rerum divinarum, veluti tabellâ quadam pictâ egregiè commonstrari. SÆC. II. ab An. C. * 172. † L. 4. c. 23.

PHILIPPUS, & ipse eadem ætate, an. scilicet CLXXII. Cretensis Episcopus, Ecclesiæ Gortynensium Antistes, cujus laudes in suis ad Gortynenses literis magnoperè prædicavit Dionysius Corinthius: eò quòd ejus curâ Ecclesia Gortynensis egregiam laudem fortitudinis, & generosi animi communi omnium testimonio retulisset. Nihil de illo ampliùs tradiderunt Veteres, nisi quod luculentissimum *adversùs Marcionem librum* composuit, qui ad nos non pervenit. 172. Vid. Euseb. l. 4. c. 25.

MONTANUS, ex Ardaban Mysiæ vico, Phrygiæ contermino, oriundus [unde Sectatores ejus Phryges & Cataphryges dicti sunt.] Circa an. CLXXII. (ex Eusebii * calculo) novam Sectam condidit; & Prophetiæ donum sibi divinitùs concessum jactitans, Paracletum à Deo missum semet appellavit; adscitisque sibi duabus profligatissimis mulierculis, Priscillâ & Maximillâ, quas Spiritûs S. dono summum prophetici muneris apicem assecutas prædicavit, & in se Deum Patrem, in Prophetissis suis Spiritum S. inhabitare gloriatus, eo prætextu varios in vulgus errores spargebat. Errorum quos fovebant hi Cataphryges, summam, antiqui Scriptoris sub Prædestinati nomine à Sirmondo editi, verbis hìc tradam, cap. 26. "Hi itaque adventum Spiritûs Sancti à Domino promissum in se potius, quàm in Apostolis, fuisse asserunt redditum. Secundas nuptias pro fornicationibus habent: & ideò dicunt eas permisisse Apostolum Paulum, quia ex parte sciebat, & ex parte prophetabat. Nondum enim venerat quod perfectum est. Hoc autem perfectum in Montanum, & in ejus prophetissas, quas suprà diximus, venisse delirant. Delectâ quasi in Hæreseos Metropolim, Pepuzâ Phrygiæ vico, ad hanc omnes tanquam ad novam Hierosolymam, salutis studiosos convenire voluit; unà cum prophetissis suis crebra vaticinia obscuris & ænigmaticis dictionibus involuta effudit. Exstaticis semper motibus correpti, & extra se planè positis similes, vaticinati sunt, & inter alia deliria, nullum post se Prophetam oriturum docuerunt. Ipsi interim lucro inhiantes, corrasis undique vasibus argenteis, pecunia, & pretiosis vestibus, credulam plebem emunxerunt. Martyres è sectâ suâ prodeuntes assiduò crepabant; quos tamen aut nullos esse, aut ob commissa scelera morte merita multatos fuisse, constanter affirmarunt Catholici. Ipse Montanus, ac Maximilla laqueo tandem sibimet ipsis gulam fregisse dicuntur. Rigidioris disciplinæ, ac severioris pietatis observantissimi videri voluerunt; atque ideò nuptiis, & usu quorumdam ciborum interdixerunt: matrimonii discidia docuerunt, & inter orandum, ut animi tristitiam, & affectatam quandam sanctitatem præ se ferrent, indicem manûs 172. * In Chron. ad a. 172. Vid. Euseb. l. 5. c. 16. 17. 18. 19. & Epiphan. Hæres. 48.

Digitized by Google

SÆC. II. ab An. C. nûs digitum naso imposuerunt, inde *Tascodrugitæ* cognominati: quòd illorum linguâ τασκὸς Paxillum, δρῦγγος verò nasum significet. Detestando ritu in mysteriis eorum die quodam festo celebrandis usi feruntur: infantulum enim acubus æreis toto corpore pungentes, exceptum sanguinem sacrificiis suis adhibuerunt. Cætera Catholicam ferè doctrinam amplexi sunt. Scripsit suo & prophetissarum suarum nomine *Libros Propheticos*; ex quibus Fragmenta breviuscula habentur apud Epiphanium, loc. cit.

173. THEMISON, Illustris Montani assecla, eodem, quo Montanus, tempore claruit, aut paulò post. Primò Catholicæ fidei addictus, ob cujus professionem vincula aliquamdiu pertulit, quibus deinde ope magnæ pecuniæ à Christianis corrogatæ semet exemit, & turpissimi facti horrore à Catholicis odio habitus, ad Montani castra transfugit, cujus Sectam Confessoris & Martyris titulo fretus, strenuè propugnavit, adeò ut Catholicos piissimos, Zoticum Comanensem & Julianum Apamenum Episcopos, Dæmonium quo Maximillam agitari credebant, coarguere volentes, authoritate nominis sui inhibuerit, Euseb. Hist. Eccl. V. 18. & Apostoli ad instar conscripta *Epistola Catholica*, ad recipiendam Montani prophetiam Ecclesias omnes hortari ausus sit; atque eos qui fideliores ipso exstiterant, instituere aggressus, in Dominum, in Apostolos, & sacrosanctam Ecclesiam impiè locutus est. Non extat.

172. TATIANUS, genere Syrus, professione Sophista, cultu Gentilis, dein Christianus, Justini M. discipulus factus erat, quem Romam usque comitatus, Crescentis ibi odium, atque inimicitias expertus est. Post mortem Præceptoris, tanquam cœcus duce destitutus, in præcipitia se dedit. Inflatus enim arrogantiâ, & eloquentiæ tumore, novam quamdam Hæresin condidit, damnans matrimonium veluti corruptionem, ac stuprum, immò τὸν γάμον τ̃ διαβόλε, inducens adhuc à vino & animatis abstinentiam, aquâ solummodò etiam in sacris mysteriis adhibitâ: unde Sectatores ejus *Encratitæ*, & *Hydroparastatæ* dicebantur. Negavit præterea Adamo Salutem, & cum Valentino Æones quosdam invisibiles commentus est. Deniqne in *libro adversùs Gentiles* scribit animas humanas naturâ suâ mortales esse, beneficio verò divino immortales factas; ita tamen ut impiorum animæ cum corpore intereant, & cum eo iterum resurgant æternis pœnis plectendæ. Reversus in Orientem, Scholam primò aperuit in Mesopotamia, circa ann. CLXXII. M. Aurelii Antonini XII. (malè habet Epiphanius Antonini Pii.) Præcipuè verò Antiochiæ ad Daphnen, in Cilicia etiam, & Pisidia prædicavit. De Morte ejus nihil constat. Scripsit πολὺ τι πλῆθος τῶν συγγραμμάτων, inquit Eusebius *, *infinita volumina*, uti Hieronymus †: in quibus familiam ducit, omnium quos scripsit, κάλλιστός τε, καὶ ὠφελιμώτατος, *elegantissimus simul ac utilissimus*, insignis ille *adversùs Gentiles Liber*; in quo repetitis ævi prioris temporibus, Mosen, cæterosque Prophetas omnibus, qui apud Græcos celeberrimi exstiterunt, vetustiores fuisse; Græcosque ipsos omnia penè sua, quibus gloriantur, studia à Barbaris accepisse convincit. Extat hæc *Oratio*, Gr. Lat. inter Orthodoxogr. *Basil.* 1551. 1555. Auctuar. Bibliothec. PP. *Parif.* 1615. 1636. prodiit etiam *Parif.* 1618. f. Ut Editiones Latinas mittam. *Catenam* insuper, sive *Harmoniam Evangeliorum* Eusebio*, & Theodorito memoratam contexuit, quam Διὰ τεσσάρων, seu Evangelium ex quatuor Evangeliis compositum nominavit: amputatis ex eo genealogiis,

Vid. Irenæi, l. 1. c. 31. Euseb. l. 4. 29. Epiphan. Hæres. 46. Theod. Hæret. Fab. l. 1. c. 20.

* Loc. cit.
† De Script. c. 29.
*Loc. cit.

& aliis omnibus, quæ Dominum ex semine Davidis secundùm carnem natum ostendunt: eoquetanquam libro compendiario, fraude non animadversâ, usos esse non modò ejus Sectatores, verùm & eos qui Apostolica dogmata sequebantur, testis est Theodoritus. Quin & erant, qui hunc librum *Evangelium secundùm Hebræos* vocabant, quod ex Epiphanio * liquet. Latinè extat hæc *Harmonia Evangelica*, Orthodoxogr. Tom. I. & Bibliothec. Patr. Tom. II. Ammonio Alexandrino perperàm ascripta, uti & Ammonii *Harmonia* Tatiano malè inscribitur. Quod ex Victoris Capuani Ammonianæ Harmoniæ interpretis errore primò ortum videtur, & facillimè agnoscitur ex Harmoniæ Tatiani notis in Theodorito & Eusebio repertis, quæ Harmoniæ Ammonio inscriptæ ad amussim conveniunt, & vicissim: [sed de hac re vide plura in Ammonio] licèt eam ab Interprete Latino, viro sanè non ineleganti multùm mutatam fuisse lubens concesserim. Scripsit item librum *de Perfectione secundùm Servatorem*, quo matrimonium damnavit, & illicitum esse probare contendit. Fragmentum quoddam inde citat ac refellit Clemens Alex. Strom. l. 3. p. 460. *Problematum* etiam *librum* à Tatiano conscriptum memorat Rhodon ap. Euseb. l. 5. c. 13. *Chronicon* etiam ei affingit Ruffinus: Verùm errorem istum ex malè intellectis Eusebii [l. 6. 13.] verbis ortum esse constat. Ex reliquis operibus ne tituli quidem ad nos pervenerunt. Unicum adhuc de eo referam, quod ex nonnullorum traditione habet Eusebius *, ausum illum esse dicta Pauli Apostoli elegantioribus verbis exprimere, ut potè qui compositionem verborum illius corrigere studeret.

* Loc cit.
Hist. Eccl. l. 6. c. 21.
* L. 4. c. 29.

TATIANUS, Justini M. discipulus claruit anno CLXXII. De ejus dogmatibus alibi egimus. His adjiciantur quæ habet Origenes Lib. *de Orat.* in ἐξηγ. εὐχῆς κυρ. ακ. §. 13. pagin. 77. ubi de voce γενηθήτω, quæ in Oratione Dominica habetur, agens, hæc de Tatiano scribit: Μὴ συνιδὼν δὲ ὁ Τατιανὸς τὸ γενηθήτω οὐ πάντοτε σημαίνειν τὸ εὐκτικὸν, ἀλλ' ἔσθ' ὅπου καὶ προστακτικὸν ἀσεβέστατα ὑπείληφε περὶ τοῦ εἰπόντος, γενηθήτω φῶς, Θεοῦ ὡς εὐξαμένου μᾶλλον, ἤπερ προστάξαντος γενηθῆναι τὸ φῶς, ἐπεὶ ὡς φησιν ἐκεῖνος ἀθέως νοῶν, ἐν σκότῳ ἦν ὁ Θεός. *Non considerans autem Tatianus* τὸ γενηθήτω *non semper optativo, sed aliquandò etiam imperativo sensu accipi, impiissimam hanc de Deo opinionem fovebat; illum nempe cùm dixerit, fiat lex, optasse potius quàm imperasse ut fieret, siquidem inquit ille* [*qui erat animi atheismus*] *Deus tunc in tenebris erat.* Eadem ferè de Tatiano notat Clemens Alexandrinus in *excerpt.* Theodori pag. 806. col. 2. 172. P. II.

BARDESANES, Syrus, Edessæ in Mesopotamia natus, claruit præcipuè circa annum CLXXII. Vir Græcè & Syriacè doctus, sermone disertissimus, & in disputando acerrimus ἐπ' ἄκρον δὲ τ̃ Χαλδαϊκῆς ἐπιστήμης ἐληλακώς, inquit Eusebius † *summam Chaldaicæ doctrinæ perfectionem adeptus.* Augaro Essedenorum principi, viro sanctissimo inprimis familiaris fuit, junctisque cum eo studiis, fidem Christianam fortiter asseruit, quam vitâ, scriptis, & disputationibus propugnavit. Id cùm jam per multos annos præstitisset, in errores Valentini [è cujus quidem Schola prodierat] dilapsus est. Quem proinde Epiphanius * comparat pulcherrimæ navi, beneque onustæ, quæ juxta ripas portûs tracta, totum mercimonium perdit, aliisque qui navim conscenderant, mortem infert. Extremum autem hæresis istius virus non hausit: Legis enim ac Prophetarum libros, adeóque integrum Vetus ac novum Testamentum agnovit: 172.

† Præpar. Evangel. l. 6. c. 9. p. 273.
* Hæres. 56.

Digitized by Google

SÆC. II. ab An. C. agnovit: mortuorum licèt resurrectionem præfractiùs, quàm ipse Valentinus negaverit. Certè ex † Marino constat Bardesianistas in tribus præcipuè ab Ecclesiâ Catholicâ abiisse; asserentes 1. Præter Deum alium esse ἀρχὴν seu ῥίζαν, Diabolum nempè, quem αὐτοφυῆ καὶ αὐτογέννητον esse affirmabant, omnis mali fontem & Autorem. 2. Christum non ex muliere esse natum, sed carnem Cœlo detulisse. 3. Corpus non esse resurrecturum. Ex Eusebio † tamen constat Bardesanem postea doctrinam Valentinianam improbasse; & cùm pleraque ejus dogmata fictas esse fabulas convicisset; ipse quidem sibi visus ad rectiorem sententiam transivisse, ita tamen, ut vetusti, atque inoliti erroris sordes non penitus excusserit. Scripsit patriâ linguâ, viz. Syriacâ *dialogos* quamplurimos, cum infinitis aliis opusculis, & in his contra *Marcionem*, atque omnes ferè Hæreticos, qui ætate ejus pullulaverant, multaque volumina ex occasione persecutionis tunc temporis grassatæ composita; quæ Discipuli illius [quos plurimos habuit] ex Syriaco sermone in Græcum transtulerunt. Inter ea præcipuè eminebat *dialogus* ille sanè luculentissimus *De Fato*, quem Antonio inscripsit. An verò D. Antonium Imp. Eusebius intelligat, [quod Hieronymo videtur] an potiùs aliquem ex ipsius Bardesanis amicis, non satis constat. Prior tamen sententia verisimilior videbitur illi, quisquis perpenderit, quæ Epiphanius † tradit de Apollonio Antonini amico Bardesanem admonente, ut seipsum Christianum esse negaret. Cui viriliter, & ad confessionem usque se opposuit Bardesanes, mortem se non formidare dicens, ut potè quæ necessariò futura sit etiamsi Imperatori non contradiceret. Eundem proculdubio *dialogum* intelligit Epiphanius † quando ait eum, dum in Abidam Astronomum contra Fatum disseruit, multa collegisse. Ex hoc *dialogo* amplum satis Fragmentum hodie extat apud Eusebium, Præpar. Evangel. l. 6. c. 10. cujus pars maxima totidem verbis habetur *Recognitionum Clementinarum* libro nono: adeò ut quis ab altero sua acceperit, incertum sit. Quin & fortè non sine ratione suspicari possumus ipsum Bardesanem harum *Recognitionum* auctorem fuisse, ut suprà in Clemente annotavimus. Librum *de Indorum Gymnosophistis* à Bardesane Babylonio conscriptum refert, & ex eo Fragmentum exhibet Porphyrius de Abstinentia l. 4. c. 17. cujus auctorem eundem cum nostro Bardesane fuisse veri non adeò dissimile est: præsertim cùm Porphyrius eum hâc notâ insigniat, ὁ ἐπὶ τῶν πατέρων ἡμῶν γεγονὼς, *qui parentum nostrorum temporibus fuit*. N.E.

† Ap. Orig. Dial. contra Marcion. Sect. 3.

† L. 4. c. 30.

† Loc. cit.

† Ibid.

JULIUS CASSIANUS, Valentini
174. discipulus, claruisse videtur circa an. CLXXIV. *Docetarum* hæresin condidit: docens Christum non nisi phantasticum assumpsisse corpus: quin & in re matrimonii ac continentiæ paria cum Tatiano sensit. Plura de eo non liquent. Scripsit *Exegeticωn libros* aliquot (ex quorum primo quædam habet Clemens Alex. Strom. l. 1. p. 320.) & librum περὶ ἐγκρατείας, ἢ περὶ εὐνουχίας, ex quo multa adducit idem Strom. l. 3. p. 465. 466.

Clem. Alex. Strom. l. 3.

THEODOTION, gente Ponticus (Ephe-
175. sium vocat Irenæus † forsan quia ibi habitavit.) Claruit [ut nos docet Epiphanius * qui tamen immani Metachronismo eum Symmacho posteriorem facit] sub secundo Commodo, i. e. M. Aurelii Veri filio, qui imperium iniit anno CLXXX. Verùm notandum est, jam anno CLXXV. Marcum Imperatorem Commodum in Imperii consortium admisisse, adeóque Theodotionem pluribus antea annis inclarescere potuisse, ad minimùm anno CLXXV. Christianam fidem professus, Marcionis Pontici, popularis sui, qui quædam Ebionis dogmata suis miscuerat, Sectæ se dedit: unde & *Ebionita* aliquando appellatur. Tandem & isti Hæresi infensus, religionem Christianam penitus deseruit, & detracto præputio ad Judæos defecit. Ab iis literas Hebræas edoctus, *Vetus Testamentum* Græcè transtulit, LXX. Interpretes præcipuè secutus; à quibus ait Hieronymus * *simplicitate sermonis non discordat*. Hanc ob causam cæteris prælatus est; adeò ut Origenes, cùm Hexapla sua conderet quæ in LXX. ex Hebræo deerant, ex Theodotione supplenda censeret, Asteriscis notata. Quin & totam Danielis Prophetiam non ex LXX. sed ex Theodotionis versione & olim & hodie legit Ecclesia. Unde & in vetustissimo Prophetarum exemplari, cujus meminit Cl. Usserius *, hunc titulum præfixum habuit Danielis liber: Δανιὴλ κατὰ Θεοδοτίωνα. *Hanc Translationem*, quæ in Hexaplis Origenianis quartum locum occupavit, edidisse dicitur Theodotion circa an. CLXXXII. vel ut habet Chron. Alex. an. CLXXXVI. Commodi VI. Certè antequam libros adversùs Hæreses scripserit Irenæus, qui tamen Eleuthero pontificem agente scripti sunt. Verùm cùm scripserit Irenæus an. CLXXVI. vel CLXXVII. ut suprà in Irenæo notavimus, necesse est, Theodotionem ante illud tempus versionem suam non modò adornasse sed & edidisse. Paucula, quæ supersunt, fragmenta apud Nobilium, Drusium & in Londinensi LXX. editione anni 1653. 8°. & Bibl. Waltonens. Tom. VI. exhibentur.

† Adv. Hær. l. 3. c. 24.
† De Mens. & Pond. n. 17.

* Comm. in Eccles. cap. 2. tom. 7.

* Syntagm. de 70. Interpr. c. 6. p. 58.

MUSANUS, non ignobilis hujus ævi Scriptor, floruit sub M. Aurelio, & L. Vero, circa an. CLXXVI. quem iis accenset Eusebius * quorum libri sinceram Apostolicæ traditionis, ac veræ fidei doctrinam continentes, ad sua tempora pervenerunt. Scripsit *Librum* elegantissimum *ad fratres quosdam qui ad Encratitarum Hæresin desciverant*, N.E. 176.

* L. 4. c. 21. & 28.

MODESTUS etiam eodem tempore claruit, anno nempe CLXXVI. Scripsit *insigne adversùs Marcionem volumen*; in quo, teste Eusebio *, præ cæteris egregiè errores illius, ac dolos detegens, omnibus spectandos exhibuit. Monet Hieronymus †, alia quoque sub ejus nomine circumferri opuscula, sed ab eruditis, quasi pseudepigrapha repudiari. N. E. 176.

* L. 4. c. 25.
† De Script. c. 32.

ATHENAGORAS, nobilis Philosophus Atheniensis, non minùs Christianâ, quàm Gentilium Theologiâ, ac Scientiâ, celebris. 177.
Claruit circa an. CLXXVII. Altum de eo silentium est apud Eusebium, & Hieronymum; nec ex Veteribus, quisquam ejus meminit, præter Methodium Patarensem, in cujus Excerptis è libro de Resurrectione Mortuorum, quæ apud Epiphan. Hæres. LXIV. & Photium, Cod. CCXXXIV. habentur, adducitur locus ex Athenagora, qui in Legatione ejus pro Christianis, p. 27. totidem verbis hodie reperitur. Bina post se reliquit opuscula; quæ & hodie extant: *Apologiam*, seu *Legationem pro Christianis*, M. Aurelio Antonio, & L. Aurelio Commodo Impp. Armeniacis, Sarmaticis & quod maximum est, inquit, Philosophis, oblatum, (anno CLXVIII. uti contendit CL. Dodvvellus *) in qua petit, ut Christiani, non minùs æquo jure quàm alii rei, apud Tribunalia fruantur; deinde illos à flagitiis iis impingi solitis vindicat: Postremò veteris Ecclesię more, Imperatoribus,

* Dissert. Cypr. XI. §. 37. 38.

SÆC. II. ab An. C. Imperatoribus fausta omnia, ac fœlicia ex animo precatur. Alter libellus est *De Resurrectione Mortuorum*; in quo etiam Christianæ veritatis causam adversus infideles agit. Primus hos libros Gr. & Lat. in lucem protractos edidit Sim. Grynæus inter Orthodoxogr. *Basil.* 1551. prodiit etiam *Libellus de Resurrect.* (Gr. Lat. *Parif.* 1541.) inter eadem Gr. Lat. *Basil.* 1555. Uterque Gr. Lat. *Parif.* 1557. Gr. *Lugd. Bat.* 1558. *Colon.* 1567. Gr. Lat. ad calcem Justini, *Parif.* 1615. 1636. f. Auctuar. Bibliothec. PP. *Parif.* 1624. Seorsim, *Oxon.* 1682. 12°. Apologeticus, *Parif.* 1577. 8°. *Lipsiæ*, 1684. 8°. cum variorum notis. Libros XII. περὶ τ̃ εἰς ἑαυτὸν, quos in Bibliothecâ Gesneriana latuisse volunt, non esse Athenagoræ, sed M. Antonini Imperatoris, vel solus titulus ostendit.

Extant sub Athenagoræ nomine *Amatoria*, seu *de vero & perfecto Amore*: Opus historicum, ex eorum librorum genere, quos Romanenses hodie vocant. Librum (ni fallor) ex Oriente olim illatum Gallicè vertit & ad Dominum de Lamanè Cardinalis de Armagniaco Secretarium, an. 1569. misit Martinus Fumeius, Dominus de Genillè. Tandem inter schedas suas repertum, an. 1612. edidit Bernardus *San-Jorry*. Græca ubinam jam delitescant, mihi planè incompertum est. Versionem Gallicam vidi in instructissima CL. If. Vossii bibliotheca, & quia in paucorum manibus liber versatur, integrum totum hìc apponere non gravabor.

Du Vray & parfait Amour; escrit en Grec par Athenagoras Philosophe Athenien: contenant les Amours honnestes de Theogone & de Charide, de Pherecides & de Melangenie. A Paris chez Daniel Guillemot demeurant rüe des Cordiers derriere les Iacobins, M. DCXII.

An genuinum sit Philosophi nostri opus non immeritò dubitari potest. Suspicari quis possit, scriptum ab eo esse ante susceptam fidem Christianam. Quod si ita sit, non pauca à recentiori manu accessisse, cuivis inspicienti facile constabit. Post hæc scripta, & jamjam in Prælo mittenda, incidit in manus meas Cl. Huetii de origine fabularum Romanensium Diatriba, è Gallico non ita pridem Latinè versa, in qua de hoc opere ejusque Autore prolixè disserit, omnia miro ingenii acumine expendit, volvit, revolvit, objicit, objectiones proprias solvit, fatetur etsi Græcum Exemplar non viderit, tamen ex interpretationis lectione, asseverare, se non dubitare, Fumeium id operis Athenagoræ, Apologiæ Autori, non sine ratione aliqua probabili ascripsisse; nihilominus Athenagoræ nostro adjudicat; quin & eò usque devenit, ut levissimâ quidem conjecturâ ductus suspicetur Philandrum Vitruvii Commentatorem, hominem undequaque doctissimum & Cardinali Armeniaco percharum, quo suas opiniones aliqua antiquitatis autoritate fulciret, & Cardinali arti Architectonicæ impensè dedito speciosius commendaret opus istud in quo tot Architectonicæ peritiæ vestigia exhibentur, ex proprio cerebro confinxisse atque ita Lamanæo Protonotario, & interpreti Fumeio fucum fecisse, quod quidem emunctæ naris viris ægrè nunquam persuadebit vir eruditissimus. Interim ipsum librum miris effert laudibus; Quidquid sit, inquit illud certè opus acutè & solerter inventum est, artificiosè deductum eximiis sententiis, & præclaris Ethicæ præceptis illuminatum, magna jucundissimarum Imaginum sapientissimè dispositarum varietate condecoratum, ibi sunt verisimiles eventus è re duct episodia, distincta dicendi genera, honestas u i que religiosius observata, nihil hic humile, nihil accersitum, nihil quod Sophistarum puerilitatem redoleat.

177 P. II. ATHENAGORAS. Celeberrimi hujus & antiquissimi Apologistæ nec Eusebium nec Hieronymum, etsi ex professo de Scriptoribus Ecclesiasticis agentes, meminisse, in *Chartophylace* affirmaveram. Cùm verò pro libelli istius instituto, tribus quasi verbis agendum esset; Methodii Patarensis locum in quo aliqualis habetur Athenagoræ mentio, non adduxi, majori id operi reservans. Carpit hæc obiter atque indirectè Ern. Tentzelius, *Exercit. select.* V. nu. XXX. p. 200. qui tamen nescire non potuit, me in *Historia Literaria* triennio post *Chartophylacem* editâ, Methodii locum, qui tùm apud Epiphanium, tùm apud Photium habetur, disertè citasse. Sed missis tricis ad ulteriora pergamus. Erat Athenagoras Philosophus Atheniensis. Gentilis adhuc, ad oppugnandam Christi fidem induxit animum; dum verò S. Scripturarum lectioni sedulò incumberet, quò propriis telis fortiùs Christianos aggrederetur, aspirante Divini Spiritûs gratiâ captus est, fidem quam subvertere meditabatur, amplexus. Relictis Athenis [nisi potiùs id ante conversionem contigisse volumus] Alexandriam commigravit; ibique non solùm Philosophiam Platonicam publicè docuit, sed & scholæ Christianorum Catecheticæ apud Alexandrinos præfuit, Christianam Religionem in ipso quoque Pallio professus. Hæc omnia nos docet Fragmentum è Philippi Sidetæ Historiæ Christianæ Serm. XXIV. à Nicephoro Callisto, ut videtur, excerptum, quòd ex codice Barocciano in appendice *Dissert. ad Irenæum* edidit Cl. Dodvvellus in quo etiam Scholæ hujus catecheticæ Rectorum successio hoc ordine nobis exhibetur, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Pantænus, Origenes, Heraclas, Dionysius, Pierius, Theognostus, Serapion, Petrus Martyr, Macarius Politicus, Didymus, Rhodon. Mitto quæ ad hoc Fragmentum illustrandum eruditè [ut solet] observavit Dodvvellus noster. Id solum mihi notare liceat, Athenagoram nostrum, primum Scholæ catecheticæ Rectorem hic dici, Τ̃ διδασκαλεῖυ τ̃ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ πρῶτος ἡγήσατο. Non quòd ante illum nullos habuit hæc Schola Rectores; erat enim moris longè Athenagorâ antiquioris. Sed primus fortassis erat in Rhodonis catalogo memoratus; è cujus ore Philippus hæc hausisse videtur. Utcunque sit; cùm primus nobis occurrat Athenagoras, qui huic Scholæ præfuisse disertè traditur, non abs re forsan erit in Juniorum φιλαρχαίων gratiam, de Scholæ hujus origine & instituto, paucula quædam hoc loco annotare. Constat certè Rem Christianam egregiè hoc sæculo promovisse Scholas Ecclesiasticas, non modò privatas, quales in majoribus Ecclesiis haberi solebant, sed & publicas sacris dogmatibus explicandis destinatas, iisque, tum adversùs Gentiles, tum hæreticos, vindicandis, sanctissimorumque virorum, doctissimorumque virorum curæ & fidei commissas. In his principatum tenuit Alexandrina, quæ jam inde à priscis temporibus, ἐξ ἀρχαίου ἔθυς, inquit Eusebius *; in ea civitate fuerat instituta. Veterem verò hanc consuetudinem à Marco Evangelista fuisse introductam, disertè tradit Hieronymus †. Quod ut dilucidiùs fiat, res paulò altiùs erit repetenda. Erat quidem Alexandriæ etiam ab ultimis temporibus Musæum à Regibus Ptolemæis intra ipsa Regiæ pomœria extructum, porticibus & exedris ornatum, pecuniis & reditibus auctum, in qu teste Strabone *, hujus Collegii consortes, οἱ φιλόλογοι, ad communem mensam vescebantur, præfecto illis qui Sacrorum curam gereret Sacerdote, non

* Hist. Eccl. IV. c. 10. p. 175.

† Catalog. c 36.

* Lib. 17. p. 794.

Digitized by Google

 non nisi ab ipsis Regibus, ac posteà à Cæsaribus Romanis, constituendo. Huc tanquam ad publicum melioris literaturæ Emporium, ex omni orbis terrarum parte confluebat literata juventus, quibus Grammaticæ, Rhetoricæ, Poëticæ, Philosophiæ, Astronomiæ, Musicæ, Medicinæ, aliarumque artium & disciplinarum rudimenta à suis quibùsque Professoribus tradebantur. Florebant hìc Scholæ Platonicæ junioris, ut & Aristotelicæ, Professores, quorum successiones accuratè notarunt Jonsius, Vossius, alii. Situm erat hoc Musæum in eâ urbis regione quæ *Bruction* appellabatur; *Diuturnum*, inquit Ammianus Marcellus, *præstantium hominum Domicilium.* Certè à Ptolomæi Philadelphi ætate, usque ad quintum vel sextum Christi sæculum perduravit. Quinimò occupantibus penè omnia Orientis loca Saracenis, varia erant hìc loci studiosorum Collegia, siqua vera nobis referant Benjaminus Tudilensis, & Leo Africanus. Sed ut, unde digressus sum redeam. Ad hujus Gymnasii imitationem, ab ipsis nascentis Christianismi incunabulis Schola fidelium sacra à B. Marco Alexandriæ est instituta, in quâ rudiores primis fidei imbuerentur, adultiores reconditioribus fidei Christianæ mysteriis erudirentur, constitutis ad id præstantissimis magistris, qui, ut de Pantæno loquitur Eusebius, partim vivâ voce, partim scriptis, Divinorum dogmatum thesauros auditoribus suis exponerent, & hęreticorum objectiones & sophismata refellerent. Et hęc erat celeberrima illa Κατηχήσεως Schola Alexandrina, cujus frequens apud Scriptores Ecclesiasticos occurrit mentio. Cui pręfuerunt, & doctrinâ, moribus, scriptisque ornarunt, tot Ecclesię lumina, Athenagoras, Pantęnus, Clemens Alexandrinus, aliique suprà recensiti. Sua quidam ętate perseverasse, & ab hominibus, tùm eloquentia, tùm divinarum literarum studio instructissimis obtineri, testatur Eusebius: quin & Constantis & Juliani Apostatæ temporibus floruisse, Didymi cæci Præfectura, referente Sozomeno *, nos docet. Nec dubium est, subsecutis aliquot Sęculis, imminuta licèt famę laude, durasse. Interim notatu dignum est, & hactenùs planè inauditum quod prędictum Philippi Sidetę Fragmentum refert; nempè Rhodonem qui Didymo successit, hanc Scholam in Siden Pamphylię urbem, quę Philippi patria erat, transtulisse, idque Theodosii magni tempore contigisse. Sed forsan nihil aliud voluit Philippus, quàm Rhodonem Scholam in urbe Sida erexisse, similem planè ei, quę à tot retrò sęculis Alexandrię instituta fuerat. Unicum ad hęc mihi notare liceat, Cl. Conringium † in eâ esse opinione, duas fuisse Alexandrię Scholas sacras; & κατηχήσεων Scholam à celeberrimo illo Pantęni Ludo (cui Didymum pręfuisse vult) fuisse diversam. Qua vero de causa hanc sententiam amplexus sit vir eruditus, planè mihi non liquet. Certè Eusebius & Hieronymus unam eandémque Scholam disertè faciunt.

*Lib. III. c.25.

† Addend. ad Antiq. Acad. p.292.

177. HERMIAS, Philosophus Christianus, cujus neque patriam, ętatem, genus, nec vitæ institutum, ulla sedulitate indagare potui: ideò hic locum habet, quia cum cęteris hujus sæculi Apologistis, & forsan non immeritò, conjungi solet. Scripsit διασυρμὸν τῶν ἔξω φιλοσόφων, seu *Gentilium Philosophorum irrisionem*: in quâ dissentientes Philosophorum sententias, *De Deo*, *De Animâ*, &c. inter se committit, atque falsè & eleganter ludibrio exponit. Extat, Gr. & Lat. cum Cydonio, *Basil.* 1552. ad calcem Justini, *Paris.* 1615. 1636. & in Auctuar. Bibliothec. PP. *Paris.* 1624. Tom. I. Bigneus equidem, aliique Bibliothecæ PP. Editores quarti sęculi Scriptoribus annumerarunt, nullâ tamen authoritate freti.

HERMIAS, scripsit *Irrisionem Gentilium Philosophorum.* Quod hunc Scriptorem huic sæculo ascripserim eâ de causâ factum est, quòd reliquis hujus ævi Christianę fidei Apologistis meritò accensendus videbatur. De eo altùm silent omnes Veteres, & penè Recentiores. Tacent Raph. Seilerus, & Con. Gesnerus, qui libellum primi ediderunt. Front. Ducæus, qui *Auctuario* suo illum inseruit, de Autore vel ætate ne verbulum quidem habet. Cl. Lambecius, Comment. de *Biblioth. Vindob.* lib.VII. p. 54. conjicit fuisse Hermiam Sozomenum, Historię Ecclesiasticę Scriptorem, qui sęculo V. sub Theodosio juniore floruit; ductus (ut opinor) partim nominis identitate, partim locis quibusdam in Sozomeni Historiâ, ubi de Gentilibus, eorúmque Philosophis agitur, *viz.* Lib.I.cap.18.lib.II.cap.5. lib. III cap.17.lib.V cap.1. Hanc conjecturam amplexus est nuper Ern. Tentzelius *Exercit. Select.* V. p. 228. & *Addend.* in fin. 456. Quò minùs verò in hanc sententiam descenderim, obstant quę sequuntur argumenta. 1. In omnibus codicibus tùm excusis, tùm MSS. Hermias noster Philosophi nomen sortitur, Ἑρμίου τοῦ φιλοσόφου. Quod quâ ratione Sozomeno congruat, non video. Erat vitę instituto Scholasticus, sive Advocatus, causas publicè egit, & cùm ad scribendum animum appulit, Historię Ecclesiasticę se totum dedit: Professionis verò philosophicę nec vola, nec vestigium. Non sum nescius severiores vitæ Asceticæ cultores laxiori vocis significatione quandoque philosophari dictos esse; adeòque apud ipsum Sozomenum *, Ecclesiastici Philosophi vocantur. Sed, pręterquàm quòd Sozomenum Monachum fuisse nemo dixerit, nec de se aliud habet † quàm quòd νέος ὢν cum Senibus quibusdam Gazensibus versatus sit; Philosophi nomen hoc loco, strictiori & magis proprio sensu accipi oportet, nec à Scriptoribus Ecclesiasticis tribui solet, nisi iis qui è Philosophorum Scholis prodierint, & post conversionem, pristinum & nomen & habitum retinebant. Quo sensu Aristidem, Justinum, Pantęnum Philosophos vocant Eusebius, & Hieronymus. Et Athenagoras in utriùsque sui operis Inscriptione Philosophus Christianus appellatur. 2. Ex toto opusculi contextu constare videtur; vigente adhùc Ethnicismo, scriptum fuisse. Hinc ad subruenda magistrorum subsellia, omnia in eo, miro sanè artificio, aptè composita; hinc pugnantia Philosophorum placita, & adversantes opiniones eleganter inter se commissæ; hinc de variis Philosophantium Sectis non aliter loquitur, acsi in Scholis & Academiis jam regnarent, & eorum dogmata ubique obtinerent: quod de Sozomeni tempore dici non potest, quandò Gentilium superstitio Sylvas & Pagos quæreret, & pauci qui supererant Philosophi, in angulis latitarent, ut vix ulla hujusmodi opusculi necessitas esse poterat. 3. Si hujus libelli auctor esset Sozomenus, scripsit eum vel ante, vel postquàm Historiam Ecclesiasticam condidit. Non ante: Quî enim fieri potuit, ut ubi de Gentilibus agit, & Philosophos arguit, hujus opusculi non meminisset, Lectoremque ad id non remisisset? Non posteà: Quia vix credi potest hominem Christianum, Historiæ Ecclesiasticæ, & quinti jam Sæculi Scriptorem, hujusmodi datâ occasione, de Christianis eorumque dogmatibus, statu, persecutione, Gentiliumque Philosophorum (præsertim sub Juliano) in eos calumniis, ne levissimam quidem fecisse mentionem. Photii codicem XXX. cur citaverit Lambecius nullus video. Loca quæ ad firmandam conjecturam ex Sozomeni Historia adducit, parùm immò nihil ad rem conferunt, ut vel primo

177. P II.

*L.III.c.17. P.529.

† Lib.5.c.15. p.627.

Digitized by Google

SÆC. II. ab An. C. mo intuitu quivis videt. Quinimò si exinde valeret argumentum, opusculum Sozomeno tribuendum esse, quòd de Gentilibus, eorúmque Philosophis, tribus quasi verbis pro re natâ agit; quantò potiori jure Socrati Scholastico ascribi debet, qui non modò obiter id facit, verùm lib. III. cap. 22. adversùs Libanium, alióśque sub Juliani Imperio Gentilium Philosophos, singularem, eruditam, & Hermiæ libellum tantùm non mole exæquantem, dissertationem inseruit. 4. Denique stylus Sozomeni ab Hermiæ stylo plurimùm recedere videtur. Etsi enim Socrate in scribendo præstantiorem esse judicet Photius; nihilominus stylus ejus est simplex, inelaboratus, & parùm elegans; Hermiæ verò concinnus, concisus, argutus, salibus & dicteriis undique conspersus, ut adeò dicendi genus toto cœlo distare videatur.

177. MARTYRES Lugdunenses, circa ann. CLXXVII. grassante persecutione [de quâ infrà] dum in vinculis adhuc essent, varias scripserunt *Epistolas*, pro pace Ecclesiæ & adversùs Montanistas, partim ad fratres in Asia, & Phrygiâ degentes, partim ad Eleutherum Romanæ Urbis Episcopum (qui & ipse, testante Tertulliano *, Montanistici erroris labe infectus fuerat) eâ ratione quasi legatione fungentes. Has literas Romam perferendas Irenæo adhuc Presbytero, Martyres dederunt, eumque per eas Eleuthero commendârunt; quarum fragmentum aliquod exhibet Eusebius l. 5. c. 4.

*Adv. Prax. cap. 1. p. 501.

177. ECCLESIA Viennensis & Lugdunensis in Galliâ persecutione adversùs Christianos, tum in aliis provinciis, tum præcipuè in Gallia, speciatim verò in Civitate Lugdunensi, exardescente, [in qua Photinus Reverendiss. Ecclesiæ Lugdunensis Præsul anno ætatis suæ xc. Attalus Pergamenus, Sanctus Diaconus Viennensis, Blandina nobilis fœmina, Alexander medicus, aliique plures gravissima tormenta passi, martyrii coronâ redimiti sunt,] totam penè *persecutionis hujus Lugdunensis historiam* litteris suis comprehensam ad Asiæ, Phrygiæque Ecclesias miserunt; judicium adhuc suum religiosum imprimis & orthodoxum subnectentes de Montano Prophetâ, ejusque dogmatibus, quæ Ecclesias Phrygianas tunc temporis maximè turbârunt. Extât maximam partem integra ap. *Euseb.* l. 5. c. 1. 2. 3.

180. MILTIADES, Rhetor, *Ecclesiarum Sophista* Tertulliano * dictus. Claruit sub Commodi initia, anno circiter CLXXX. Plura sui in divinis Scripturis studii monumenta reliquit: nempe *Apologeticum pro Christianâ, quam ipse profitebatur, Philosophiâ*, πρὸς τὰς κοσμικὰς ἄρχοντας, ad principem illius temporis, inquit Hieronymus † nisi potiùs cum H. Valesio exponendum sit, Provinciarum præsides. Condidit etiam *librum adversus Montani Hæresim*, περὶ τοῦ μὴ δεῖν προφήτην ἐν ἐκστάσει λαλεῖν, *non decere Prophetam in ecstasi loqui*: quem Anonymus ille [apud Euseb. l. 5. c. 17.] contra Cataphrygas Scriptor in Compendium redegit. Scripsit item tum *contra gentes*, tum *adversus Judæos*, utrumque argumentum binis voluminibus executus. N. E.

*Advers. Valentin. c. 5. Euseb. l. 5. c. 17.

†De Script. c. 39.

180. P. II. LUCIUS, rectiùs LEUCIUS CHARINUS, pessimæ notæ hæreticus, sectâ sive Marcionita, sive Montanista, sive ex utraque conflatus, circa annum CLXXX. vixisse videtur; certè post exortam Montani Hæresin, si modò Cataphrygum antesignanus fuerit. Hunc ad finem Sæculi VI. Part. I. pag. 358. breviter recensui, non quòd eo tempore vixisse crediderim; sed inter incertæ ætatis scriptores, Photio antiquiores, eo loci deposuerim. Contexuit opus, teste Photio cod. 114. *Periodi Apostolorum* dictum, quo, stylo inæquali & invenusto, Acta SS. Apostolorum, Petri, Joannis, Andreæ, Thomæ & Pauli complexus est, infinitis narratiunculis, stultis, absurdis, & secum invicem planè pugnantibus ubique referta. His admiscuit plura dogmata, insulsa, insana, puerilia, malignè conficta, falsa, impia denique & detestanda, ut ex iis, quæ refert Photius, luculenter constat, qui opus illud πάσης αἱρέσεως πηγὴν καὶ μητέρα rectè dici debere pronunciat. Quis fuerit hic Leucius Charinus, quandóve vixerit, haud facilè quis divinabit: non alius fortasse [quod me nuper monuit V. Cl. M. I. E. Grabius, Prussus, qui Oxonii hoc tempore rei literariæ promovendæ studia sua gnaviter impendit] quàm Leucius iste, cujus meminit tum Augustinus *de fide contra Manich.* cap. 38. *col.* 81. & *ibidem* cap. 5. [ubi etsi in editis *Leontius* perperam habetur, nihilominùs in melioris notæ codicibus MSS. *Leucius* rectè legitur] tum Pacianus Epistolâ I. *de nomine Catholico* ad Sympron. num. VI. quam unà cum reliquis Paciani opusculis à se recognitis & illustratis inseruit Collectioni suæ *Concil. Hispan.* Card. d'Aguirre, Tom. II. pag. 80. Certè Augustinus utroque loco citato, Leucium Acta *sub Apostolicorum nomine* scripsisse disertè dicit, & ex iis nonnulla profert. Turibius etiam Asturicensis in Hispania Episcopus circa ann. CCCCXLVII. Epist. ad Idatium & Ceponium [Sect. V. ap. Aguirre *ibidem* pag. 219.] inter fabulosa Manichæorum scripta recenset *Actus S. Andreæ, & S. Joannis, quos sacrilego* Leucius *ore conscripsit*. Addi possunt, si libet, decretum Pseudo-Gelasianum *de lib. Apocryph.* quo damnantur libri omnes, *quos fecit Leucius discipulus Diaboli*; & Innocentius I. *Epist.* ad Exuper. nu. VII. qui Acta sub nomine Petri, & Joannis, &c. à quodam Leucio scripta fuisse affirmat. Ætatem ejus designat Pacianus loc. citat. cùm ait, *illi ipsi Phryges nobiliores, qui se animatos mentiuntur à Leucio, se institutos à Proculo gloriantur*. Jam verò Cataphrygum hæresis orta est juxta Euseb. in Chron. anno Marci Aurelii XI. Christ. 172. secundùm verò Epiphanium *Hæres.* XLVIII. num. 1. Antonii Pii anno XIX. Chr. 156. Perturbari ab Epiphanio temporis ordinem, ut notis contendit Petavius; Epiphanium defendit Pearsonus *de success.* Dissert. II. cap. 9. pag. 253. Verùm eundem calculum iterum exhibet Epiphanius, *ibidem* num. II. ubi à prædicatione Maximillæ ad Valentiniani annum XII. annos numerat CCXC. In numeris vitium esse manifestum est, & fatetur Petavius, adeóque pro διακόσια ἐννενήκοντα, scribendum esse διακόσια εἴκοσι, sive CCXX. quod in annum Christi CLVI. exactè incidit. Forsan utriusque Chronologia conciliari potest, si dicamus Epiphanium de primo hæresis Montanisticæ ortu, cùm clam serpere cœpit, Eusebium de amplioribus incrementis, cùm palam & aperta fronte caput extulerit, intelligendum esse. Erat & eodem circiter tempore Lucianus, quem *seniorem* vocat Epiphanius *Hæres.* XLIII. num. 1. pag. 378. ut à juniore, homine [ut dicitur] Ariano, distingueretur. Marcionis erat sectator & discipulus, à quo posteà divulsus, privatum gregem sibi contraxit, & novæ sectæ factus est conditor, à quo Lucianistæ veteres nomen acceperunt. Lucanum appellant Tertullianus *de resurrect. carnis*, cap. 2. pag. 227. & auctor appendicis ad lib. *de præscript.* cap. 51. pag. 223. Origenes *contra Cels.* l. 2. pag. 77. Philastrius *Hæres.* XLVI. pag. 21. An verò Lucius noster, producto nomine, idem fuerit cum hoc Luciano, non audeo statim affirmare. Tempora quidem non multùm repugnant, quippe si Marcion ultrà medium hujus sæculi vitam

Digitized by Google

tam protraxerit, ejus discipulus Leucius facilè fieri potuit, & postea, inclinante jam sæculo, inter Cataphrygas nomen suum profiteri. Dogmata verò apprimè conveniunt. Asserebat Lucianus juxtà Epiphan. alium esse creatorem, & judicem ac justum; bonum alium, & alium malum. Asserebat & Leucius, alium esse Judæorum Deum, eúmque malum, cujus Simon Magus minister fuit; alium rursùm Christum, eúmque bonum. Fingebat Leucius absurdas & pueriles resurrectiones, non hominum modò, sed boum & jumentorum: idem de suo Lucano habet Tertullianus loc. cit. In odium Creatoris nuptias damnavit Lucianus, castimoniam professus: rejecit & Leucius conjugia legitima, omnémque adeò generationem malam esse contendit, & à malo profectam; ut alia jam mittam. Quid verò sibi voluit Photius, dum ait, Leucium in Actis B. Joannis videri sibi *καὶ εἰκόνων τοῖς εἰκονομάχοις δογματίζειν*, *imaginum usum cum Iconomachis damnare*, me ignorare fateor. Nulla his temporibus erat inter Catholicos de imaginibus controversia, vestigia nulla. Si qui usurpabant, hæreticorum erant pessimi, Gnostici, Carpocratiani, &c. ut ex Irenæo aliisque notissimum est. Sed in causâ imaginum perspicacissimus erat Photius, tantôque ferebatur zelo; ut si quid vel è longinquo cerneret, imaginem esse mox somniaret. Hæc in medium proferre volui, non quasi certa & indubitata, sed tanquam probabilia, quæ doctioribus perpendenda relinquo. De *Luciano, Leucio, Seleuco*, in decreto Gelasiano memoratis, vide quæ diximus ad *Prolegom.* Part. I. §. 4. num. 3. De juniore Luciano actum, *ibidem* p. 97. ubi col. 2. l. 49. notula, parenthesi inclusa, nescio quo casu irrepserit, quam proinde ad calcem hujus operis, delendam esse monui.

181. PANTÆNUS, an Patriâ Siculus, an Palæstinus, & ab ultimâ origine Hebræus; quod ex Clementis Alexandrini *, & Eusebii † verbis colligunt nonnulli, prorsus incertum est. Clemens Alexandrinus, cui erat præceptor, *Apem Siculam* vocat, Prophetici & Apostolici prati flores decerpentem, si modò (uti vult Eusebius) de Pantæno verba ejus sint intelligenda. Unde eum Siciliâ oriundum esse arbitratur Valesius: & fortassis non improbabile erit illum Siculis parentibus ortum, Alexandriæ natum esse. Erat è Sectâ Stoicâ Philosophus Christianus, iis usus magistris, teste Photio *, qui Apostolos vidissent: quod verò sequitur apud me haud parem fidem meretur, ob tam longum temporis intervallum Pantænum scilicet nonnullorum ex ipsis Apostolis auditorem fuisse. Sub primordia Commodi Imp. circa ann. CLXXXI. Scholæ Catecheticæ quæ Alexandriæ *ἐξ ἀρχαίου ἔθους* [ut habet Eusebius *] ab ipsius Marci Evangelistæ temporibus, [uti Hieronymus †] floruerat, præfuit. Tanto animi ardore erga verbum Dei æstuabat, ut Orientis nationibus Evangelium prædicaverit; à Demetrio Episcopo Alexandrino rogantibus istius gentis Legatis, ad ipsam usque Indiam missus: Ubi Evangelium S. Matthæi Hebraicis conscriptum literis, â Bartholomæo Apostolo ibi olim relictum, apud quosdam Christi notitiâ imbutos reperit, illudque revertens Alexandriam denuò regebat, eoque munere ad obitum usque, qui non nisi imperante Antonio Caracallâ, circa ann. CCXIII. contigit, functus est. Erat inquit Eusebius *, *τὴν παιδείαν ἀνὴρ ἐπιδοξότατος*, *Vir doctrinâ causâ celeberrimus*, qui partim viva voce, partim scriptis Divinorum Dogmatum Thesauros exposuit. Scripsit quippe multos *in Sacram Scripturam Commentarios*, ex quibus paucula quædam sed non *κατὰ λέξιν*, in Theodori Eclogis Græcis citantur. N. E.

* Stromat. I. p 274.
† L. 5. c. 11. Loc. citat.
L. 5. c. 11. Annot. p. 95.
* Cod. 118.
* Loc. cit.
† De Script. c. 36.
* Loc. cit.

PANTÆNUS. Fuisse Pantænum primò Civem & Philosophum Atheniensem, Sectâ Pythagoræum, deinde Gymnasii Alexandrini Præfectum, & quod magis adhuc mirum videri debeat, Clementis Alexandrini discipulum, disertè tradit Philippi Sidetæ Fragmentum, cujus suprà in Athenagora meminimus. Eusebio hâc in parte adversari Philippum, rectè olim notavit ipsius excerptor, seu Nicephorus is fuerit, seu quis alius. Ad firmandum hoc Philippi testimonium multa congessit Cl. Dodwellus. Summa ferè huc redit; Eusebium ex Stromatεων I. non disertè dicere Pantænum fuisse Clementis Præceptorem; sed illud tantùm è Clementis verbis, obscuris illis quidem, & Pantænum; nec de nomine, nec de notâ aliquâ propriâ describentibus, se colligere: At in Hypotyposεων libris, teste eodem Eusebio, Pantæni, *ὡς ἂν διδασκάλου*, nominatim meminit Clemens: quod quidem non de institutione, sed de successione *ἐν διδασκαλείῳ Ἀλεξανδρινῷ* intelligendum esse contendit Dodwellus: Quòd verò in eclogis quæ supersunt, Pantænum *nostrum* appellet Clemens, id non ad institutionem, sed vel ad arctiorem amicitiam, vel potiùs ad eandem fidei catholicæ communionem, referendum esse: Clementem traditionibus à viris Apostolicis haustis, in scriptis suis ut plurimùm uti, ac proindè probabile esse, ipsum illis temporibus fuisse paulò viciniorem; illúdque Veteres denotare, cùm illum Presbyteri titulo toties ornent; ut fuit potiùs ætate Presbyter, quàm gradu; quippè in illorum temporum Scriptoribus nullus frequentior vocis illius usus, quàm de senioribus traditionis Apostolicæ testibus, qui primarios saltem traditionis testes, primæ nimirum successionis ab Apostolis, potuerint per ætatem attigisse. Quin etiam Clemente juniorem fuisse in Scholæ moderamine Pantænum, ex Origenis verbis * colligi posse, ubi de suo in Gentilium literis studio agens, ait, se in hoc exemplum secutum tùm Pantæni illius *τοῦ πρὸ ἡμῶν*, tùm Heraclæ tunc temporis Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyteri; hujus nempè tanquam immediati in munere catechetico successoris, illius ut proximi decessoris: Neque enim aliter, ulla ratio satis commoda dari potest, cur Clementem Gentilium Literis Celeberrimum, prætermiserit: Denique notat, Pantænum sensu aliquo Clemente & priorem, & posteriorem fuisse, dici posse; siquidem ex Eusebio liquet ipsum bis Scholæ catecheticæ præfuisse; primò sub Juliano Episcopo, ineunte Principatum Commodo, ante expeditionem Indicam; eòque absente, Clementem in Scholâ successisse; postea ex Indiâ reversum sub vitæ finem, nempè sub Severo & Caracallâ, hoc munere denuò functum esse. Quod etiam & nos ex Eusebio & Hieronymo, tùm in Historiæ Literariæ Part. I. tùm in Pantæni vitâ ante plures annos patrio sermone scriptâ, olim observavimus. Quòd verò Pantænum Pythagoræum facit Philippus, quem ex Stoicorum disciplinâ prodiisse expressè dicunt, Eusebius, Hieronymus, aliiq;, id hoc quidem sensu intelligendum vult Dodvvellus, Pantæni tempore Sectam Pythagoricam cum aliis, præsertim Stoicis, coaluisse, & permisceri solitam, ut adeò idem Philosophus, & Pythagoricus & Stoicus dici possit; quod & aliis exemplis demonstrat. An ad subvertendam vulgarem & hactenùs receptam de Pantæno & Clemente sententiam, sufficiat hæc Philippi autoritas, quæque ad illam fulciendam, adducit Dodvvellus noster, aliorum esto judicium. Ut liberè dicam, ingenuè fateor me adhuc ab Eusebii partibus stare, qui omnia Veterum scrinia diligenter excussit, qui Pantæno ætate proximus erat, quique in Ægypto versatus, Scholæ catecheticæ successionem, propiùs ex ipso fonte haurire poterat: huic, inquam, potiùs fidem

* Epist. apud Euseb. l. 6. c. 19. p. 221.

Digitized by Google

SÆC. II. ab An. C. dendum existimo, quàm Philippo Sidetæ, plus quàm duobus integris sæculis à Pantæno remoto, qui, quæ hac de re habuit, ex Rhodone, ore tenus, accipiens, in Præceptorum Catecheticorum ordine & successione facilè hallucinari potuit, denique qui tum Socratis, tum Photii testimonio, nullius judicii & parum accuratus Scriptor haberi debet: præsertim verò cùm Eusebii sententiam confirmant, Pamphilus Martyr in Apologia pro Origene, Hieronymus, & Photius non uno loco. Maximus etiam in Scholiis suis in Gregorium Nazianzenum [quæ prelo Oxoniensi expedivit commisitque Galeus noster] ubi sic ait: ὁμοίως δὲ καὶ οἱ περὶ Πάνταινον τὸν γενόμενον καθηγητὴν τοῦ στρωματέως μεγάλου Κλήμεντος, &c. *similiter & Pantænus, qui fuit Præceptor magni Stromatæi Clementis*! Sub Severo floruit Pantænus, inquit anonymus Chronographus Galei, τοῦ Ἀκόλουθος Κλήμης ὁ στρωματεὺς τοῦ δὲ Ὠριγένης, quem secutus est Clemens Stromateus, hunc Origenes.

188. ASTERIUS URBANUS, Episcopus, an Presbyter, incertum, Zoticum certè Otrenum compresbyterum appellat. Claruit circa annum CLXXXVIII. Cùm Ecclesiam Ancyræ in Galatiâ ab Hæreticis Cataphrygibus, eorumque Pseudo-Prophetis turbatam deprehendisset, continuatâ per plures dies in publico Ecclesiæ istius loci conventu disputatione, de singulis controversiæ capitibus ab iis propositis ubertim atque eloquenter disseruit, & fugatis Hæreticis Ecclesiam Ancyranam maximè confirmavit: cùmque Presbyteri Ancyrani enixè ab eo petiissent, ut eorum quæ contra veritatis adversarios dicta fuerant, commentarium apud eos relinqueret, id quidem tunc temporis distulit, postea autem id munus injungente Abercio Marcello [an idem sit cum Abercio Hierapolytano, de quo supra, vide. int eruditi] *argumenta sua contra Cataphrygas* tribus libris complexus est, & Marcello nuncupavit. Hos Rufinus *, & ex eo alii Apollinari Hierapolitano, Hieronymus † Rhodoni, aliquando etiam Apollonio tribuunt. Ex Eusebii verò notâ fragmentis ejus appositâ constat Asterium quendam Urbanum istorum librorum auctorem esse. Extant fragmenta quædam aurea de Montano ejusque Sectâ, apud Eusebium, l. 5. c. 16. 17.

* Hist. Eccl. l. 1. c. 18.
† De Script. c. 37. 39. 40.

188. Vid. Euseb. l. 5. c. 13. Tertull. de præscript. propè finem. APELLES, *Senex* appellatus, Marcionis auditor, Luciani condiscipulus, à quibus tamen diversam Sectam instituit, postquam ob stuprum commissum à Præceptore suo ejectus fuerat. Claruit anno CLXXXVIII. Christi corpus voluit nec crassiorem substantiam; sed aereum sibi corpus illum de cœlo descendentem contexisse, idque ascendentem aeri reddidisse. Unum quidem omnium rerum principium esse docuit, Deum, qui cùm malos Angelos creasset, ex iis uni mundum creandum commiserit. Carnis resurrectionem negavit. Legem & Prophetas repudiavit. Fidem denique Christianam examini qualicunque subjici noluit; unumquemque autem in eâ quam semel imbibisset, opinione perstare debere contendit. Habuit, teste Tertulliano *, privatas, sed extraordinarias Lectiones suas, quas appellat φανερώσεις cujusdam puellæ, cui nomen erat Philumene quamque quasi Prophetissam secutus est Apelles. Edidit præterea libros, quos inscripsit, *Syllogismorum*, in quibus probare annisus est, omnia quæcunque Moses de Deo scripserit, non vera esse, sed falsa. N. E.

* Ibid.

189. RHODON, ex Asia oriundus, claruit circa an. CLXXXIX. Romæ dum vixit, Tatianum Justini M. Discipulum Præceptorem nactus est. Contra Marcionitas præcipuè militavit, & cum Appelle colloquium habuit: in quo simplicem planè, & mediocris ingenii hominem facilè convicit, ac fugavit. Varios conscripsit libros, & cum reliquis præcipuum *adversus Marcionis hæresim* Callistioni nuncupatum; in quo Sectam Marcioniticam suâ ætate in diversas scissam esse sententias narravit, Auctores illius dissidii referens, & mendacia à singulis excogitata diligenter coarguens. Ex hoc opere quædam habet Eusebius, l. 5. c. 13. Scripsit etiam *Commentarium in Hexaemeron*, & *Quæstionum* * à Tatiano propositarum circa obscuros atque involutos S. Scripturæ locos, solutiones peculiari se opere editurum esse pollicitus est. N. E.

SÆC. II. ab An. C. Augustin. de Hæres. num. 23. Epiphan. Hæres. 44.
* Ibid.

HARMONIUS, natione Syrus, domo, ni fallor, Edessenus, Bardesanis Syri filius, claruit circa ann. CXC. Postquàm studiorum suorum fundamenta in patriâ posuisset, Athenas, commune meliorum Literarum Emporium, petiit, ubi linguam Græcam accuratè didicit, teste Theodorito *, malesana Patris sui dogmata amplexus: multa non Græcè modò, sed & linguâ Syriacâ composuit. In his erant *Cantica Sacra*, festis martyrum diebus cantari solita. In quibus pangendis, modorum suavitati impietatem admiscens, audientium animos demulcebat, & ad exitium pertrahebat. Hujus igitur exemplo postea excitatus Ephraim Syrus, modorum compositionem ab illo mutuatus pietatem canticis permiscuit, ac suavissimum simul & utilissimum medicamentum audientibus exhibuit. Atque hæc Cantica festos martyrum dies, lætiores ac splendidiores etiamnum efficiunt, *inquit* alibi idem Theodoritus †; qui etiam priori loco subdit, Ephræmum utriusque errorem, Bardesanis nempè & Harmonii, strenuè confutasse. 190. P. II.

* Hæret. Fab. Lib. I. c. 22. p. 209.
† Hist. Eccl. lib. 4. c. 29. p. 192.

EZECHIEL, Poeta, *Historias Judaïcas* Tragico carmine complexus, religione Hebræus an Christianus, non liquet. Claruit ante annum CXC. Clemente Alexandr. * antiquior, qui ex eo quædam adducit. Nec de ætate ejus certius quidpiam statui potest. Doctissimi Le Moyne † conjecturâ à vero non longè recedere videtur, Ezechielum nostrum Drama suum post excidium Hierosolymitanum, & Gentis Judaicæ dispersionem, vel paulò post tempora Barcosbæ, composuisse; ut Judæos tantâ calamitate obrutos solaretur, & eorum animos erigeret spe futuræ liberationis, & novi cujusdam Mosis, qui captivos Judæos in libertatem assereret; sicut Moses olim Hebræos sub Pharaonis jugo gementes & obrutos tandem liberaverat: cujus rei (Mosaicæ liberationis) *Historiam* contexuit Ezechielus carmine Dramatico, cui titulum fecit Ἐξαγωγὴ, sive *Eductio Hebræorum*. Extat Fragmentum ingens Gr. Lat. *Paris.* 1609. 8°. & in Appendice Bigneanâ ad Bibliothec. PP. *Paris.* 1624. p. 153. 190.

* Strom. l. 1. p. 344.
† Observat. ad. Var. Sacra Tom. 1. p. 336.

ANONYMUS, Autor *Testamenti* XII. *Patriarcharum*, exeunte hoc sæculo circa ann. CXC. scripsisse videtur, certè ante Origenem, à quo citatur in Homiliis in Genesin & Josue. Judæus, an Christianus fuerit Author, haud liquidò constat, Judaizans fortè Christianus, quales isto ævo non pauci exstiterunt. Liber sanè ineptiis non vacat, plurimis tamen Ethicis præceptis iisque melioris quidem notæ passim refertus. In eo singuli ex duodecim Jacobi filiis jamjam morituri, ad astantem progeniem de virtutis alicujus studio vel vitii fugâ uerba facere finguntur; ac istiusmodi præcepta nepotibus suis Testamenti vice delegant. Extat Latinè ex Versione Roberti Gosthead Lincolnien- 190.

Digitized by Google

sis Episcopi an. 1242. facta, in Orthodoxogr. p. 842. & in Bibliotheca Patr. Tom. II. Græcè quinetiam MS. penes virum Cl. Thomam Smith, S. T. D. Coll. Magd. Oxon. Socium, [& ni fallor apud alios] qui, se editionem Græco Latinam adornaturum esse, mihi dudum affirmavit.

190. SERAPION, magni nominis hoc tempore Præsul, Ann. cxc. ad Episcopatûs Antiocheni culmen evectus est: quod viginti & ampliùs annis tenuit. Impugnandæ Hæreticæ pravitati, non minore diligentia & calore, quàm priores istius loci Episcopi, incubuit. Scripsit *Epistolam ad Caricum, & Ponticum, Ecclesiasticos viros, adversus Montani Hæresim:* cujus pars quædam extat apud Eusebium l. 5. c. 19. cum subscriptionibus quorundam Thraciæ Episcoporum, Aurelii Cyrenii Martyris, Ælii Publii Julii [Develti, Coloniæ Thraciæ Episcopi] aliorumque: qui literas ad Asiæ, Phrygiæque Ecclesias, Montanismum damnantes misisse visi sunt. *Ad Dominum* quoque, qui Persecutionis tempore à fide Christi ad Judæorum superstitionem desciverat, *volumen* exaravit. Item *Librum de Evangelio Petri* [quod ab Hæreticis quibusdam sub Apostoli nomine circumferebatur] quæ in eo falsa erant, coarguentem, in gratiam quorundam ex Rhossensi Parœcia, [urbs ea est in Syriæ & Ciliciæ confinio] qui ex occasione illius Evangelii ad doctrinam à rectâ fide alienam declinaverant. Ex eo fragmentum habes ap. Euseb. l. 6. c. 10. Quin & plures alias breves Epistolas, Auctoris sui ἀσκήσει, inquit Hieronymus *, & vitæ congruentes.

* De Script. c. 41.

192. APOLLONIUS, cujus neque genus, neque patriam prodiderunt Veteres, Clar. circa ann. cxcII. Peculiare *adversus Cataphrygas volumen* condidit; quo perniciosissimos eorum errores abundè & luculentissimè confutavit; tum falsas Prophetias, quæ ab illis venditabantur, verbatim expendens, tum vitam, moresque eorum, qui Hæresis illius auctores fuerant, discutiens. Ex hoc fragmenta quædam reperiuntur ap. Eusebium l. 5. c. 18. Tertullianus, jam Montanista, editis sex libris περὶ ἐκστάσεως, septimum propriè adversùs Appollonium elaboravit: in quo omnia quæ Apollonius arguit, defendere fategit. Diversus ab hoc est alter ille Apollonius, genere, atque opibus clarus, & qui in humaniorum literarum & Philosophiæ scientiâ eximius habebatur; cujus meminit Eusebius * quique Commodo imperante, Romæ martyrio coronatus est. Hunc Scriptoribus Ecclesiasticis accenset Hieronymus †, aitque illum insigne *Volumen pro fide sua* composuisse, quod in Senatu legit. Verùm id non dicit Eusebius, sed solummodò Apollonium, à Perenne Judice rogatum, pro fidei suæ defensione, coram Senatu elegantissimè peroràsse. Quicquid sit, *Orationem* istam sive ex scripto recitatam ab Apollonio, sive ex ore dicentis ab actuariis exceptam unà cum Actis Martyrii ejus Eusebius Collectioni suæ Antiquorum Martyriorum inseruit. Verùm utrumque opus jamdudum periit.

* L. 5. c. 21.
† De Script. c. 42.

192. VICTOR, natione Afer, defuncto Eleutherio, ann. cxcII. juxta Dodwellum CLXXVII. Romanæ Ecclesiæ gubernaculis admovetur. Vir ex gentis suæ genio subiratior, Ecclesiis Asiaticis ob diversam Paschatis celebrandi consuetudinem infensissimus erat: quas idcircò tanquam rectæ fidei contraria sentientes à communione abscindere non modò conatus est, (uti rem istam emollit H. Valesius) quin & στηλιτεύει γε διὰ γραμμάτων, ἀκοινωνήτους ἄρδην πάντας τοὺς ἐκεῖσε ἀνακηρύττων ἀδελφοὺς, ipsissima sunt Eusebii * verba; *datisque literis, universos qui illic erant, fratres proscribit, & ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos esse pronunciat.* Quamobrem ab omnibus ferè illius ætatis Episcopis, præcipuè à S. Irenæo, acerbiùs perstringebatur. Obiit martyrio affectus, juxta vulgarem calculum ann. ccI. Scripsit, teste Hieronymo †, super Quæstione Paschæ, & alia quædam Opuscula. NE.

* L. 5. c. 24.
† De Script. c. 34.

192. THEOPHILUS, Cæsareæ Palestinæ Episcopus, Irenæo & Victori ætate par. Claruit circa annum cxcII. Scripsit nomine Synodi Cæsariensis *Epistolam* valdè utilem super quæstione Paschali, quæ tunc temporis vehementiùs exagitabatur; cujus mentionem faciunt Eusebius *, & Hieronymus †. Habentur apud Bedam lib. de Æquinoct. & Bucherium Comment. in Victorii Canon. Pasch. sub Philippi cujusdam nomine *Acta Synodi Cæsariensis circa quæstionem Paschatis celebrandi à* Theophilo anno cxcvI. habitæ. Quis fuerit hic Philippus, sibi ignotum esse profitetur Bucherius; sed probabile est, in Codice Bucheriano mendum subesse, & pro *Epistola Philippi*, legendum, *Epistola Theophili.* Et ita quidem haberi in MS. Codice Oxoniensi, me nuper monuit Cl. Allixius.

* L. 5. c. 23.
† De Script. c. 43.

192. THEODOTUS, Patriâ Byzantinus, arte quidem Coriarius, verùm literis apprimè eruditus. Claruit ann. cxcII. Fervente persecutione Christum negans, relictâ Patriâ, Romam profugit; ubi à quodam agnitus, & fœdissimæ defectionis à Christi fide incusatus, ad sui excusationem vanum dogma commentus est, atque ita jactare cœpit, se *non Deum*, sed *hominem* negâsse: Interrogatus autem, *quem demum hominem? Christum* inquit, *hominem negavi.* Hinc arreptâ occasione, novam Hæresim excogitavit, ob id à Victore Papâ excommunicatus circa annum cxcIV. Nec de ejus Hæresi quid amplius habent Epiphanius & Theodoritus: Istius tamen capita [qualia in Excerptis ejus hodiè reperiuntur] summa ferè hæc fuerunt. Christum à Patre ante mundum conditum, creatum fuisse, ut ab eo mundus deinceps crearetur: Hunc quidem patris esse imaginem perfectissimam, ei tamen substantiâ dissimilem, & dignitate inferiorem. Solum Deum patrem esse immaterialem, Filium autem, omnesque Angelos materiales esse, subtili scilicet quadam materiâ constantes, sic ut Angeli minùs tenui corpore induantur, quàm Deus Filius, & ex iis alii aliis pro dignitatis gradu corporis subtilitate præstent: Quinetiam tam Christum quàm Angelos figuris quibusdam, & formis externis circumscriptos esse, quoad nos quidem invisibilibus, inter illos autem facilè conspicuis: in Angelis adhuc dari sexûs differentiam: Animas etiam & Dæmonas corporales esse, aliter enim inferni pœnas ab iis sentiri non posse. Christum à primo rerum principio incarnatum fuisse, λόγῳ enim πνεῦμα tanquam vehiculum semper adfuisse, cúmque in terras descenderet, his adjuncta esse ψυχὴν & σῶμα; ut eo modo humanis oculis visibilis redderetur. Ipsi porrò Jesu redemptione opus fuisse, quam columbæ post baptismum immissæ beneficio obtinuit. Deum patrem in Christo patiente passum esse, quatenus filius est pars patris, ab eo emanans. Distinctione deinceps factâ inter θείαν & ὑλικὴν ψυχὴν [qualem ferè inter νοῦν & ψυχὴν faciunt Platonici] docet, à Christo ante passionem recessisse divinitatem suam, & ψυχὴν πνευματικὴν sive θείαν, recedente scilicet essentiâ, quâ indutus erat in Jordane baptizatus. Astra, sive potiùs Angelos astra moderantes, fatum quoddam rebus omnibus, & humanis actionibus, vi sua naturali inducere; adeóque eo tantùm fine Christum carnem nostram induisse,

SÆC. II. ab An. C. ac passum esse, ut in se credentes ab isto fato, & actionum necessitate liberaret. Habentur ad calcem Operum Clementis Alexand. *excerpta bina* amplissima ex scriptis Theodoti, quorum prius desumptum est ex Theodoti libro, cui titulus videtur fuisse Ἀνατολικὴ διδασκαλία, alterum ex ejusdem Προφητικοῖς. In iis tamen quædam insunt, quæ aliunde etiam accepta credi possunt. Quid quòd an ejusdem sit Auctoris utrumque Excerptum, tum propter styli, tum propter dogmatum differentiam meritò dubitari posset. Utrum verò ab ipso Clemente consarcinata hæc fuerint, an ab alio quodam, parùm liquet. Vid. Clementis Alex. Hypotyposes in articulo sequente. NE.

192. T. FL. CLEMENS, patriâ Alexandrinus, vel ut alii, Atheniensis; nisi potiùs illum origine Atheniensem, domo Alexandrinum fuisse dicamus. Claruit ab ann. CXCII. Ætatem laxiore quidem sensu, ipse signare videtur *, ubi de seipso loquens, primis Apostolorum temporibus proximum fuisse testatur. In omni politioris literaturæ genere ad summum usque gradum institutus. Plures in Theologicis præceptores habuit, ἄνδρας μακαρίους, καὶ τῷ ὄντι ἀξιολόγους, *Viros beatos, & reverà præstantissimos*, à quibus vivam illam, atque efficacem Apostolorum doctrinam audire meruit. Unum in Græciâ Jonicum, [quem Baronius † Dionysium Corinthium, vel Caium fuisse arbitratur] alterum in Magnâ Græciâ, (quem Theophilum Patriarcham Antiochenum fuisse idem existimat) hunc ex Cœlosyriâ, illum ex Ægypto oriundum. In Oriente cuidam Assyrio [quem alii Bardesanem, alii Tatianum fuisse volunt] adhæsit, in Palæstinâ Hebræo [qui Baronio Theophilus Cæsareæ Episcopus videtur, rectiùs Theodotus.] Novissimum præceptorem consecutus est Pantænum, sub cujus disciplinâ Divinarum Scripturarum studiis incubuit; ejus vices in Scholâ Catecheticâ regendâ, dum in itinere Indico versaretur Pantænus, circa ann. CXCI. tenuit, & morienti in isthoc munere successit. Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyter, non Præsul [ut vult Jacobus Gaddius] vigente jam persecutione Severianâ, solum vertere coactus, in Orientem se recepit, atque Hierosolymis versatus est; ubi, testante Alexandro Episcopo †, Ecclesiam Christi & confirmavit, & magnopere auxit. Inde Antiochiam proficiscitur: demum Alexandriam reversus, obiit forsan circa exitum Antonini Caracallæ, saltem ejus temporibus non diu supervixit: De illo enim, quasi jam vita functo loquitur Alexander Hierosolymitanus in Epistola * ad Origenem. *Vir*, inquit prædictus Alexander †, ἐνάρετος, καὶ δόκιμος, de quo Cyrillus Alexandrinus, & Theodoritus *, ἱερὸς ἀνὴρ, καὶ πολυμαθείᾳ ἁπάντας ἀπολιπών. *Vir Sanctus, & qui doctrinæ copiâ omnibus antecelluit.* Testes adsint insignia, quæ conscripsit, volumina. *Plena*, inquit Hieronymus †, *eruditionis & eloquentiæ, tam de Scripturis divinis, quàm de sæcularis literaturæ instrumento*; & alibi *. *Quid in illis indoctum? immò quid non è media Philosophia est?*

* Strom. l. 1. p. 274. & ap. Euseb. l. 5. c. 11. l. 5. c. 13.
† Annal. tom. 2. ad an. 185.
De Script. non Ecclesi. tom. 1. p. 128.
† Ap. Euseb. l. 6. c. 11.
* Ap. Euseb. l. 6. c. 11.
† Ap. Euseb. l. 6. c. 11.
* Hæret. Fab. l. 1. c. 6.
† De Script. c. 38.
* Ep. ad Magnum tom. 3. p. 327.

OPERA QUÆ EXTANT.

PRotrepticon *ad Gentes*, in quo Gentiles redarguit, eosque ad Christianam Philosophiam amplectendam hortatur.

Pædagogus, libros III. complexus, in quo Gentilem jam conversum ad vitam, moresque verè Christianos informat.

Hymnus in laudem D. N. J. C.

Stromatum libri VIII. post mortem Commodi Imp. scripti: Πλείστης κεστομαθείας ἔμπλεοι, inquit Eusebius *, *varia utilissimæ eruditionis copiâ referti*: in quibus adultos, καὶ τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἔχοντας, *ad pleniorem, & perfectiorem rerum sacrarum cognitionem instituit*; & non solùm ex sacris literis plurimos insternit flosculos, verùm etiam ex Gentilium libris, si quid fortè ab illis commodè dictum est, commemorat: varias Græcorum simul ac Barbarorum explicans opiniones, falsa quoque Hæresiarcharum Dogmata coarguens, multiplicesque recensens Historias, ἀπόθετον πολυμαθοῦς παιδείας, *uberrimam* nobis *promiscuæ eruditionis materiam* subministrat. Quapropter hosce Commentarios Στρώματα, *Stragulas*, seu *Sermones variegatos* ab eo dictos ipse † nos docet. In hisce libris quædam οὐχ ὑγιῶς dicta haberi Photius * observavit. Plures ejus nævos tùm Historicos, tum Chronicos, tum Chronologicos, tum etiam Theologicos ὡς ἐν παρόδῳ notat D. Blondellus de Sybillis, l. 1. c. 6. Photius de Clementis stylo, præsertim in Protreptico & Pædagogo hæc habet †. Ἡ φράσις ἀνθηρὰ καὶ εἰς ὄγκον ἠρμένη σύμμετρον καὶ τῷ ἡδέος, καὶ ἡ πολυμάθεια ἐμφερόμενοι. *Dictio ipsa floridior, ad attemperatam quandam gravitatem non sine jucunditate assurgit, cui & varia illa, quæ in iis est, rerum cognitio apprimè convenit.* In Stromatis verò, neque ordinem, neque dictionis ornatum & elegantiam se affectasse ipse fatetur Clemens †, contentus res ita exponere, ut intelligantur. *Liber octavus heterogenea* quædam tractat, & cum reliquis nihil affine habet, circa Logicæ ac Philosophiæ principia præsertim versatus.

SÆC. II. ab An. C.
* L. 6. c. 13.
† Strom. l. 4. p. 476.
* Cod. 111.
† Cod. 110.
† Strom. l. 7. in fine. Vid. l. 1. p. 293.

Oratio περὶ τοῦ, τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος, ex quâ fragmentum satis longum habet Eusebius l. 3. c. 23. In quibusdam Codicibus Photii ævo superstitibus octavum Stromatum librum confecit. Integram nobis nuper exhibuit Fr. Combefisius in Auctario Bibliothec. PP. Gr. Lat. *Parif.* 1672. & recentiùs prodiit, *Oxon.* 1683. 12°. Prodierat quidem antea, sed sub Origenis nomine, à Michaele Gheislero edita in Commentario Origenis super Jeremiam.

OPERA DEPERDITA.

HYpotheseon, seu *Institutionum* libri VIII. in quibus utriusque Testamenti, Veteris ac Novi, compendiosam enarrationem instituit; & quæcunque à Magistro suo Pantæno hauserat, à majoribus ipsi tradita, exposuit. Verùm in hisce libris plurimos ἀσεβεῖς καὶ μυθώδεις λόγους, *impios, omnino & fabulosos sermones*, immo βλασφήμους τερατολογίας, *blasphemiarum portenta* olim notavit Photius *, qui suspicatur hæc ab alio ejus personam induto, addita fuisse. Quin & postea ait †, multa in his libris contineri, quæ in cæteris suis Scriptis Clemens oppugnat? Neque dubium est Arianos libros ejus, ut & complurium aliorum, fœdè corrupisse: de quo vide Apolog. pro Orig. inter Opera Hieronymi Tom. IV. Fragmenta horum librorum quæ supersunt, videre est apud Eusebium, l. 1. c. 12. l. 2. c. 1. 9. 15. l. 6. c. 14.

Fragmenta Theodotiana [de quibus titulo præcedente] si modò à Clemente nostro excerpta sint, his libris inserta ab eo fuisse videntur, & ex iis ad nos transmissa.

Rem totam certiorem reddent, quæ habet Cl. Usserius in Biblioth. Theol. MS. "Ex loco, inquit, "isto in fine posteriorum Eclogarum, Πανταῖνος "δὲ ἡμῶν ἔλεγε, &c. probabiliter colligitur ἐκλο-"γὰς istas esse fragmentum τῶν ὑποτυπώσεων. In illis "enim Clementem nominatim meminisse Pantæ-"ni ut Præceptoris indicant Eusebius *, & Pho-"tius †, in Bibliotheca sua, qui etiam addit au-"thorem in quibusdam locis ὑποτυπώσεων παντε-

* Cod. 109.
† Cod. 111.
* L. 5. c. 11. l. 6. c. 13.
† Cod. 109.

SÆC. II. ab An. C.

"λῶς. εἰς ἀσεβεῖς καὶ μυθώδεις λόγους φέρεσθαι, καὶ "ἄλλα δὲ μύρια, inquit, βλασφημεῖ καὶ φλυαρεῖ, εἴτε "αὐτὸς, εἴτε τὶς ἕτερος τὸ αὐτοῦ πρόσωπον ὑποκριθεὶς. "Et sanè Excerpta ista non usquequaque ortho-"doxa esse rectè notat Sylburgius, ut quæ Basili-"dis quoque & Valentini opiniones identidem "allegent. Adde etiam, quòd locus qui à Joan-"ne Damasceno * sub Clementis Alex. nomine "producitur, in Eclogis istis habeatur. Nec ve-"rò absimile est cóllectas ab eo fuisse, ἐκ Προφητι-"κῶν Θεοδότου. Theodotum enim commentitiæ "Prophetiæ [qualis in Montani mulierculis fuit] "quasi Procurationem suscepisse testatur Apolli-"naris ap. Euseb. l. 5. c. 15. Montanum namque & "Maximillam & Priscillam secutus est, ut docet "Pacianus ad Sympronianum scribens de nomine "Catholico. Hactenus Usserius.

* Parall. l. 2. c. 49.

Canon Ecclesiasticus seu *adversùs Judaizantes*, Alexandro Hierosolymorum Episcopo inscriptus, sive ut apud Photium * titulus habet, Περὶ κανόνων ἐκκλησιαστικῶν, *De Canonibus Ecclesiasticis.* An Photio diversi sint *Canones Ecclesiastici* & adversùs eos, qui Judæorum errorem sequuntur ex ipsius textu non satis liquet, viderint eruditi.

* Cod. 111.

Liber de Paschate.

De Obtrectatione.

Disputationes de Jejunio.

Exhortatio ad Patientiam, scripta ad Neophytos.

Liber Περὶ τοῦ, &c. *Veram turpitudinem non in rerum nominibus, sed in actionibus consistere*, cujus meminit ipse Clemens Pædagog. lib. 2. c. 6.

De continentia liber, cujus mentio habetur Pædagog. l. 2. c. 10.

Λόγος γαμικὸς, seu *de Nuptiis liber* à Clemente memoratus, Pædagog. l. 3. c. 8.

Denique Strom. alicubi pollicitus est Clemens scripturum se *Commentarios in Genesin.* Strom. lib. 4. *Librum adversùs Hæreses*, lib. 3. p.431. *Librum de Principiis*, lib.3. p.432. l.5.p.591. *Librum de Anima*, & l.1. p. 346. l.4. p. 511. l.5.p. 591. *Librum de Prophetiâ.* Utrum verò promissum præstiterit, incertum est. Habetur Clementis nostri fragmentum de Eleemosyna apud Nicet. Caten. Græc. in Matth. cap. 5.

* De Institut. divin. Script. c. 8.

Scripsit adhuc [teste Cassiodoro *] *Commentarios in Epistolas Canonicas*, viz. *S. Petri primam, S. Johannis primam & secundam, & S. Jacobi*, in quibus multa utiliter, sed aliqua incautè locutus est. Hosce *Commentarios* in sermonem Latinum ita transferri fecit Cassiodorus, ut exclusis [uti ipse ait] offendiculis, purificata doctrina securior posset hauriri. An verò hi *Commentarii* iidem sint cum illis, qui in Bibliothecâ PP. Tom. 111. & in Appendice ad *Orationem Clementis* περὶ τοῦ, τὶς ὁ σωζόμενος πλούσιος *Oxonii* 1683. excusam, [ubi & fragmenta nonnulla ex Clementis Operibus Græca reperiuntur] hodie extant, meritò dubitari potest.

Prodierunt Opera ejus [desideratâ solùm Oratione sive Homiliâ de Divitum salute] Gr. *Florent.* 1550. Lat. ibid. 1551. *Basil.* 1556. *Parif.* 1592. Gr. *Heidelberg.* 1592. f. Gr. Lat. *Parif.* 1612. f. *Lugd. Bat.* 1616. f. *Parif.* 1629. 1641. f. Ex his præstant tres istæ posteriores, [quarum tamen ultima minùs correcta est atque accurata, quàm reliquæ] cum Sylburgii, & Dan. Heinsii notis, variisque aliorum collectaneis.

192. P. II. T. Fl. Clemens Alexandrinus claruit ab anno CXCII. Clementem Athenis natum & educatum, indéque accitum, ad Scholam Alexandrinam translatum esse [inde enim etiam in antiquissimis temporibus Scholarum suarum Moderatores petere solebant Alexandrini] mihi longè verisimile est. Id quidem innuere videtur Epiphanius, cum ait † alios quidem ipsum facere Alexandrinum, Atheniensem alios. Et utroque nomine dici poterat, si (quod suspicari fas) ortu erat Atheniensis; habitatione, & professione Alexandrinus. Id quod de Aristarcho Grammatico, celeberrimo illo Scriptore πολυγράφῳ refert Suidas *, Ἀλεξανδρεὺς θέσει, τῇ δὲ φύσει Σαμόθραξ: *Utique gente erat Samothracius, Alexandrinus verò, utpote civitatis illius jus adeptus.* Sic Herodotus *Thurius*, Apollonius *Rhodius*. Philippus Sidetes in Fragmento à Dodwello edito, Clementem nostrum, non solùm Scholæ Alexandrinæ Præfectum, sed & Athenagoræ Discipulum disertè facit, & quod cum Eusebii, omniumque Veterum authoritate pugnat, ipsius Pantæni Præceptorem; quâ de re, non pauca suprà in *Pantæno* diximus. De ordine & tempore librorum à se conditorum hæc ipse nos docet; *Protrepticon ad Gentes* ante *Stromata* scriptum esse, *Strom.* l. VII. p 711. idem & de *Pædagogo* affirmat, l. V. p. 616. *Stromata* verò statim post Commodi Imp. Mortem, eodem ut videtur anno, *i. e.* ex ejus calculo, anno Christi CXCIV. ut ipse non obscurè innuit, lib. I. pag. 339. 340. In hoc opere se non pauca pertractaturum pollicetur, quorum neque vola, nec vestigium hodie reperitur; ut vel opus imperfectum ad nos devenerit, vel juxta promissum suum absolverit. Liber octavus in argumenti materia cum reliquis parum convenit; ut ejusdemne operis pars sit, multi dubitârunt. Siquis verò verba quibus librum VII. claudit Clemens, seriò perpenderit, Καὶ δὴ κατὰ τὸν ἕβδομον τοῦτον ἡμῖν Στρωματέα, τῶν ἑξῆς ἀπ᾽ ἄλλης ἀρχῆς ποιησόμεθα τὸν λόγον, *Atque adeò post hunc septimum librum Stromatum, de iis quæ deinceps sequuntur, aliud sumamus exordium.* Nihil, inquam, mirabitur, si libro sequente ad aliud argumentum transire videatur. Etsi & in hujus libri initio, quadam desiderari quivis facile videbit. Ampla satis Clementis *Expositio in Job* I. 21. extat apud Nicet. Caten. *in Job*, cap. XXI. pag. 59. Eadem expositio & iisdem penè verbis, sed brevissima, reperitur, *Strom.* lib. IV. pag. 538. Fragmentum verò apud Nicetam, unde desumptum, longè amplius uberiusque habetur. Unde concludas oportet, vel Clementem eundem locum alibi fusius pertractâsse, vel alium quempiam brevem ejus expositionem prolixiori oratione diduxisse; sed prius verisimilius existimo. Inter ejus deperdita recensendus est Liber *de Resurrectione*, quem se adversùs *Montanistas* compositurum non uno loco pollicetur, nempe *Pædag.* lib. II. c. 10. p. 199. Sed vel fidem suam non liberavit, vel opus temporis injuria nobis eripuit. In sermone *de Divite salvando*, num. 26. se opus περὶ ἀρχῶν scripsisse innuit, in eoque veræ Theologiæ expositionem tradidisse. An libros ὑποτυπώσεων intelligat, quærant alii. Certè tale opus se contexturum esse, ipse in libris *Stromatum* aliquoties pollicetur. Librum ejus *de providentia* semel iterumque memorat S. Maximus, & bina ex eo fragmenta profert, *Opusc. Theol. & Polem.* Tom. II. p. 144. 152. Denique *Eclogas Propheticas* ex Hypotyposeωn libris à Theodoto collectas, à se Latinè versas, Græc. Latin. edidit Combefisius *Auct. Noviss.* 1672. p. 197.

SÆC. II. ab An. C.

† Hæres. XXXII. n. 6. p. 213.

* In voc. Ἀρις.

Q. SEPT. FLOR. TERTULLIANUS, Carthagine, paulò ante medium hujus sæculi, ut videtur natus, Centurionem Proconsularem Patrem habuit, omnifariam literarum humaniorum, ac imprimis Juris Romani, scientiam excoluit, moribus tamen perditissimis, ut ipse fatetur * deditus; donec Christianam religionem circa ann. CLXXXV. amplexus fuerit. 193.

* De Spectac. c. 19. de Resurrect. c. 59. de Pœnit. c. 4. 12.

Digitized by Google

SÆC. II. ab An. C. Uxorem duxit, Gentilis adhuc, an Christianus, nondum constat, nisi quòd paulò ante susceptum Presbyterii gradum, id contigisse quædam suadere videntur. Presbyter Ecclesiæ Carthaginensis factus, anno circiter CXCII. fidei Christianæ causam, & Ecclesiæ doctrinam simul ac disciplinam ingenti zelo tutatus est. Sunt, qui volunt eum ad Presbyterii gradum evectum, nuptiarum operi, solenni voto, annuente etiam uxore, renunciâsse, & cum eâ vitam deinceps quasi cœlibem egisse: quod tamen validis satis argumentis probari nequit. Contrarium certè non obscurè innuit Tertullianus, uxorem integro ferè libro I. hortatus, ut quantâ posset continentiâ post illius excessum renunciaret nuptiis; atque eodem libro cap. 7. eam ita allocutus. *Quare facultatem continentiæ, quantùm possumus, non diligamus? Quum primùm obvenerit, imbibamus, ut quod in matrimonio non valemus, in viduitate sectemur, Amplectenda occasio est, quæ ademit, quod necessitas imperabat.* Circa mediam autem teste Hieronymo * [ætatem intellige non tam vitæ naturalis, quàm Christianæ, [i. e.] circa hujus Sæculi exitum, anno uti non malè conjici potest CXCIX.] ad Montani dogma prolabitur; invidiâ & contumeliis Clericorum Romanæ Ecclesiæ provocatus. De quo, salvis aliorum judiciis, liceat mihi conjecturam meam, quam olim in Tertulliani vitâ * anno 1675. scriptâ, Num. IX. proposui, hoc loco paucis exponere. Scilicet, Clericos Romanos duriori ingenio, & nimiâ morum Tertullianorum asperitate offensos, eum veluti Montanistarum gregalem, atque vindicem accusâsse, placitaque Montanistica damnare renitentem, à communione abscidisse. Quibus ille commotus, vir ingentis ac fervidioris animi, ac injuriarum haud benè patientis, speciosis adhuc Montanistarum jejuniis & vigiliis, cæteràque rigidioris vitæ disciplinâ captus, illorum cœtui se adjunxit. Neque enim crediderim Tertullianum, magni judicii, ingenii, gravitatis, & sinceræ probitatis virum, fæces Montanisticas unquam imbibisse, sed solummodò Montanum, tanquam novum quendam Prophetam ac Paracletum agnovisse, miraculosis Spiritûs Sancti donis instructum, & in mundum à Deo missum, ut lapsos Christianorum mores fortiùs corrigeret, Doctrinamque Evangelicam à Christo Domino olim traditam, & sub involucris quibusdam adhuc latentem pleniùs & luculentiùs edoceret. Montanista factus, sectam hanc viriliter propugnavit, editis quamplurimis doctissimis pariter, atque eloquentissimis libris, quibus Disciplinæ suæ rigorem à contemptu vindicavit, aliisque, quibus Eccesiam Catholicam, sub nomine *Psychicorum* invectus est. Obiit decrepitâ jam ætate, idque si in re tam incertâ conjecturis niti fas sit, circa ann. CCXX. *Vir erat*, ut de eo verè Hieronymus *, *acris & vehementis ingenii:* & alibi † *Quid Tertulliano eruditius? Quid acutius?* Missis aliis, unum proferam Vincentium Lirinensem *. *Sicut ille (Origenes) apud Græcos, ita apud Latinos nostrorum omnium facilè princeps judicandus est. Quid enim hoc viro doctius; quid in divinis atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem Philosophiam, & cunctas Philosophorum sectas, auctores, adsertoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum varietatem mirâ quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio verò nonne tam gravi ac vehementi excelluit, ut sibi nihil penè ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliserit? Jam porrò orationis suæ laudes quis exequi valeat, quæ tanta nescio qua rationum necessitate conserta est, ut ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat, cujus quot penè verba, tot sententiæ sunt; quot sensus, tot victoriæ?* Deinde sequentibus, lapsum ejus tamquam Catholici dogmatis, ac vetustæ fidei parum tenacis luget. De stylo ejus ita Lactantius † *Septimius quoque Tertullianus fuit omni genere literarum peritus, sed in eloquendo parum facilis, & minus comptus, & multum obscurus fuit.* Habet tamen [quod pace tanti viri dixerim] Tertulliani stylus majestatem quandam sibi propriam, & grandem eloquentiam sale & acumine plurimùm conditam, quæ simul legentis ingenium exercet, & animum suaviter delectat. De tempore atque ordine, quo in Scriptis suis exarandis usus est Tertullianus litem haud exiguam movent eruditi. In his cùm Doctiss. D. Alix. * rei veritatem proximè omnium attigisse videatur, ordinem ab eo designatum in enùmerandis Tertulliani Operibus præcipuè sequar, ita tamen, ut in nonnullis à Viro Clarissimo non possim non dissentire.

* De Script. c. 53.
* Vit. PP. Primit. To. I. p. 208.
* Loc. cit.
† Ep. ad Magnum, To. 2. p. 328.
* Commonit. c. 24. p. 345.
† De Instit. l. 5. c. 2.
* Dissert. de Tertull. Vit. & Script.

OPERA, QUÆ EXTANT.

Ante Lapsum Scripta.

De *Baptismo*, cui occasionem dedit Quintilla quædam, quæ Caianam Hæresin professa, doctrinâ suâ plerosque Carthagine infecerat, Baptismum evertens.

De Pœnitentiâ liber, quem Tertulliano abdicavit Erasmus, sed immeritò.

De Oratione.

Post Lapsum Scripta.

Apologeticus adversus Gentes, si non Romano Senatui, saltem Provinciarum Præsidibus (quod verisimilius) oblatus: Carthagine scriptus, ut quidam volunt, an. CXCVI. alii CXCIX. Rejiciunt id alii & in his Cl. D. Alix in an. CCXVII. quando Scapula Africæ Proconsul Christianos mirè afflixit, quo etiam tempore libellum supplicem Scapulæ nuncupavit. Nostrum non est tantas componere lites. Mihi sanè verisimilius videtur scriptum fuisse sub persecutione sexta, circa an. CCII. quo Severus Imperator, aliquos Christianos fieri sub gravi pœna vetuit. Et sanè Severum rescripto jussisse eos qui illicitum Collegium coiisse dicuntur (quo in numero Christianorum cœtus comprehendi nemo nescit) apud Præfectum Urbis accusandos, ex Ulpiano * liquet. Immò eousque efferbuit persecutio hæc Severiana, ut referente Eusebio †, per omnes ubique locorum Ecclesias ab Athletis pro pietate certantibus, tormenta, mortesque invicto animo perpessis, illustria sint confecta Martyria. Quin & tam vehementer conturbati sunt multorum animi, ut etiam decantatum illum Antichristi adventum imminere existimaverint. Nulli itaque aliæ Epochæ hujus Scripti annum natalem majore veritatis specie assignare possumus.

Spartian. in vit. Severi, c. 17. p. 352.
* Lib. I. F. de Offic. Præfect. Urb. §. 14. tit. 12 l. 1.
† L. 6. c. 1.

Ad Nationes libri II. ejusdem argumenti, iisdem rationibus muniti, immò & iisdem plerumque verbis scripti: Adeò ut credi possit eadem eodem utrumque opus tempore compositum atque editum esse, eo consilio, ut Apologetico Judices ea quæ iis nosse intererat, doceret; libris autem ad Nationes scriptis plebem de iisdem rebus certiorem faceret. De his [qui ad nos miserè mutilati pervenerunt] ut & de Apologetico breviter non minùs quàm verè Hieronymus †, *Cunctam sæculi obtinent disciplinam.*

† Ad Magn. ubi supra.

De Testimonio Animæ Liber, eodem circiter

Digitized by Google

SÆC. II. ab An. C.

tempore, post Apologeticum tamen scriptus, uti ex cap. ejus 50. non obscurè colligitur.

De Pudicitiâ.

De fugâ in Persecutione.

De Jejuniis.

De Monogamiâ. Plures hac de re libros à Tertulliano scriptos fuisse innuere videtur Hieronymus Ep. 153. quæ est ad Paulinum: sed perperam. Quatuor isti *libri contra Catholicos* scripti, quo tempore à Tertulliano editi fuerint, haud ita certò constat: nisi quod *liber de fuga in Persecutione* circa an. CCV. natus videatur: omnes autem inter an. CXCIX. & CCIX. scriptos esse multis argumentis evinci queat.

De Spectaculis, scriptus anno CCIV.

De Idololatriâ, eodem ferè tempore scriptus.

De Cultu Fœminarum Libri II. anno CCV. Ex his primus à nonnullis inscribitur, *De Habitu Mulierum*, secundus *De Cultu Fœminarum.*

Libri ad Uxorem II. haud multò pòst scripti.

De Virginibus Velandis, eodem circiter tempore scriptus.

De Exhortatione Castitatis, circa idem tempus verisimiliter, & ante an. CCX. certò certiùs editus.

De Coronâ Militis, circa ann. CCVIII. scriptus. In hoc libro mentio fit Claudii Saturnini Scriptoris luculentissimi, qui eandem materiam fusissimè ac doctissimè tractaverat. Verùm utrum Christianus an Gentilis fuerit scriptor non satis liquet.

De Pallio, eodem ferè tempore editus.

Contra Marcionis Hæresin libri V. ann. CCVII. scripti. Brevius ejusdem argumenti Opus longè antea delineaverat Tertullianus, quod à quodam furtim surreptum majoris operis aggrediendi ansam dedit.

De *Præscriptione Hæreticorum*, eodem ferè tempore.

De Animâ, non longè post.

De Carne Christi, paulò post.

De Resurrectione Carnis, haud ita multò post.

Adversùs Judæos, anno CCVIII. scriptus.

Adversùs Praxeam Patro-passianorum Ducem, anno CCIX. scriptus.

Adversùs Hermogenem, post ann. CCVII. & Librum de Præscript. Hæret. scriptus.

Scorpiace, (quâ Cainianos Martyrii damnatores insectantur) post libros adversùs Marcionem scripta.

Ad Scapulam Africæ Proconsulem in Christianos sævientem liber Apologeticus, ann. CCXVII. scriptus.

Ad Martyres, *De Patientiâ*, } Uterque eodem ferè tempore scriptus ex occasione Persecutionis à Scapulâ motæ.

OPERA DEPERDITA.

De Paradiso.

De Spe Fidelium.

De Ecstasi libri VII. Ex his ultimus contra Apollonium militavit, forsan & contra Soterа Papam, quem adversùs Montanistas librum scripsisse, & à Tertulliano Montanistâ jam facto, pariter ac Apollonium oppugnatum fuisse tradit Primasius, vel alius quis sub *Prædestinati* nomine à Sirmondo editus: Hæres. XXVI. ut in *Sotere* suprà notavimus.

Adversùs Apellecianos.

De Vestibus Aaron.

De Censu Animæ, quem tamen non alium ab eo esse qui *De Animâ* inscriptus hodie extat, suspicatur Cl. Alix.

Portò Tertullianus de Baptism. capit. 15. & de Virginibus Veland. in init. de utroque argumento Græcè priùs se egisse testatur. Quin & lib. de Coronâ, cap. 6. se *De Spectaculis* Græco stylo disseruisse scribit. Alicubi etiam testatur se librum *De Coronâ Militis* Græcè edidisse.

SÆC. II. ab An. C.

SUPPOSITITIA.

Catalogus Hæreticorum libro *de Præscriptione Hæreticorum* Appendicis vice subnexus: quem præter styli diversitatem, aliaque argumenta complura, Codicum MS. ferè omnium Autoritas Tertulliano abjudicat. Paulò post Hieronymi ætatem compositum esse opinatur Cl. Alix.

Poëmata varia, viz. *Genesis*, *Sodoma*, *Libri V. adversus Marcionem*, *de Judicio Dei*, *Carmen ad Senatorem*, & *De Jonâ & Ninive*: quæ Pamelius Tertulliano adhuc juveni ascribit, nullo tamen Antiquorum testimonio nullâ ratione suffultus. Ex iis priora duo Salviano Presbytero Massiliensi, *Carmen De Judicio Dei* Verecundo Episcopo Africano (qui circa medium sæculi sexti floruit) tribuit Doctissimus Alix, licet ex his posteriori lacinias aliquot ab homine decimi sæculi intertextas fuisse non diffiteatur. Idem Libros *adversus Marcionem* post Hieronymi ævum natos; *Carmen* autem *ad Senatorem* [quod inter Cypriani Opera Tom. III. legitur] ante Constantini tempora conscriptum arbitratur. Poëma denique *De Jonâ & Ninive*, [quod in Bibliothecâ PP. Tertulliano inscriptum reperitur] antiqui cujusdam Authoris, ejusdem forsan, cujus est Sodoma, opus esse conjicit.

Vid. Gennad. de Script. c. 67. & Append. ad Isidor. de viris illustr. c. 6.

Prodierunt Opera ejus, *Basil.* 1521. 1525. 1528. 1539. 1550. 1562. *Antverp.* 1579. 1584. *Paris.* 1566. 2. vol. 8. 1580. 1583. 1608. 1616. *Heidelb.* 1596. 1601. *Colon.* 1617. *Genevæ* 1597. *Franekeræ* 1597. In his omnibus Editionibus desiderati sunt Libri II. *Ad Nationes*, à Jacobo Gothofredo primùm editi *Genevæ* 1624. 4°. Prodierunt deinceps auctiora Tertulliani Opera, *Paris.* 1624. 1630. 1634. 1641. 1644. 1646. 1650. 1658. 1663. *Argentinæ* 1657. In his præstant Editiones Rigaltianæ, præcipuè *Parisiensis* illa, quam anno 1663. cum integris Rigaltii, selectis Pamelii, Lacerdæ, aliorumque notis additis etiam, ubi necesse erat, suis, paginæ cujusvis calci subditis, Ph. Priorius in lucem emisit.

BACCHYLUS, Corinthiorum Episcopus, ab Auctore Synodici à Pappo editi *Archiepiscopus* dictus claruit circa ann. CXCVI. & ab Eusebio * inter eos numeratur, qui rectæ fidei doctrinam scriptis suis proditam nobis reliquerunt. Scripsit nomine † omnium, qui in Achaiâ erant, Episcoporum elegantem *Librum de Paschate.* Quin & privatim illum hâc de re *literas* dedisse innuit Eusebius *. N. E. 196.

* L. 5. c. 22.
† Hieron. de Script. c. 44.
* L. 5. c. 23.

POLYCRATES, Ecclesiæ Ephesinæ Antistes, inter Episcopos hujus temporis ob doctrinam, gravitatem, sedisque dignitatem celeberrimus habebatur. Septem ex consanguineis suis Episcopos habuit, quibus ipse octavus accessit, claruitque circa ann. CXCVI. Synodum Episcoporum Asianorum ex occasione Controversiæ Paschalis ingenti numero convocavit. Quorum nomine LXV. jam annos natus, luculentissimam scripsit *Epistolam ad Victorem, & ad Romanæ Urbis Ecclesiam*, in qua sententiam suam de Die Paschatis more sibi à majoribus constanter tradito, Veterumque auctoritate tuebatur, & Victori in Asianos ferocienti animosè restitit. Insignis hujus *Epistolæ* fragmentum verè aureum exhibet Eusebius 196.

Digitized by Google

SÆC. II. ab An. C.

ſebius l. 5. c. 24. *Aliud* adhuc *de SS. Johannis & Philippi obitu* agens habet id. l. 3. c. 31. NE.

Scriptæ ſunt etiam, ut hoc obiter notem, eodem ferè tempore, & de eadem re multæ aliæ *Epiſtolæ:* nempè Epiſcoporum Ponti, Galliarum, Provinciæ Oſdroenæ, aliorumque complurium, qui omnes eandem fidem, eandemque doctrinam cum Victore Romano proferentes, unam edidere ſententiam. De his vide Euſebium lib. 5. c. 23. N. E.

Circumfertur ſub Polycratis Epheſini nomine *Paſſio S. Timothei*; à Jac. Fabro Stapulenſi primùm edita, & habentur Gr. Lat. apud Bollandum ad diem XXIV. Januarii. Verùm ſuppoſititiam eſſe non uno argumento conſtat.

196. ATHENOGENES, Martyr celeberrimus, Clementi Alexandrino σύγχρονος fuiſſe, & igne martyrium obiiſſe videtur. Scripſit *Hymnum Matutinum*, qui ſic incipit, Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, & *Hymnum veſpertinum*, incipientem, Φῶς ἱλαρὸν ἁγίας δόξης, quos ad martyrium feſtinantem tanquam valedictionis munus diſcipulis ſuis reliquiſſe eum tradit Sanctus Baſilius *. Sophronio Patriarchæ Tract. *de Symbolis* propè finem, & Clar. Viri Thomæ Smith Miſcellan. [cum notis] *Londini* 1686. 8°.

* De Sp. S. c. 29.

196. HERACLITUS, ſeu *Heracleus*, claruit circa ann. CXCVI. Scripſit *in D. Pauli Epiſtolas Commentarios*. N. E.

196. MAXIMUS, οὐκ ἄσημος ἀνὴρ τῆς Χριστοῦ διατριβῆς, *Vir inter Chriſtianos inſignis*, claruit anno CXCVI. Scripſit *volumen de* vulgatiſſimâ illâ apud Philoſophos *Quæſtione*, *Unde ſit Malum*, ſive περὶ τῆς ὕλης, vel, *de eo quod Materia ſit facta, & malorum non ſit cauſa*. Ex eo ampliſſimum fragmentum exhibet Euſebius, Præparat. Evangel. l. 7. c. 22. quod in Origenis etiam Dialogo contra Marcioniſtas, totidem verbis habetur. Hinc nata Viris eruditis diſſidii ſeges. Vir Clar. Wetſtenius in Præfatione ad Origenis Dialog. id à Maximi *libro* περὶ τῆς ὕλης acceptum, Dialogo ſuo inſeruiſſe Origenem contendit. E contrà Doctiſſimus Huetius, Origenian. lib. 3. cap. 4. §. 7 cenſet Maximum noſtrum [quem ad Conſtantini tempora detrudit] Dialogum iſtum ſub Origenis nomine compoſuiſſe, Operique ſuo περὶ τῆς ὕλης intexuiſſe, & exinde fragmentum illud ab Euſebio depromptum eſſe. Lis eſto penes eruditos.

† Euſeb. Præpa. Evang. l. 7. c. 22.

CANDIDUS, Maximi æqualis, claruit ann. CXCVI. Scripſit in *Hexaemeron*. N. E. 196.

APPION, eodem tempore clarus, de eodem argumento *Commentarios* edidit. N. E. 196.

SEXTUS, Claruit an. CXCVI. Scripſit *De Reſurrectione*. N. E. 196.

ARABIANUS. Claruit ann. CXCVI. & de *Chriſtiano Dogmate Opuſcula* edidit. N. E. De his aliiſque vide Euſeb. l. 5. c. 27. Hieron. de Script. cap. 46. &c. 196.

Scriptores Gentiles, qui hoc Sæculo in Chriſtianos invecti ſunt.

CORN. TACITUS, genere Romanus, Galliæ Belgicæ ſub Veſpaſiano Procurator, Conſulatum ſub Nervâ geſſit anno Chriſti XCVII. Scripſit verò ſub Trajano an. C. Religionem Chriſtianam velut exitiabilem ſuperſtitionem, Chriſtianoſque tanquam per flagitia inviſos, & odio humani generis convictos damnat. Annal. l. 15.

C. PLINIUS SECUNDUS, Patriâ Novocomenſis, Plinii Senioris nepos, Quintiliani diſcipulus, Taciti æqualis, Quæſtor, Prætor, ærarii Præfectus, denique Conſul an. Chriſti C. ſub initia Hadriani obiiſſe videtur. *In Epiſtolâ* * *ad Trajanum* fidem Chriſtianam veluti pravam & immodicam ſuperſtitionem vocat; eorumque in tuenda religione conſtantiam pervicaciam eſſe, & inflexibilem obſtinationem affirmat ſupplicio coercendam. Utcunquè aliter de innocuis illorum moribus, cultuque ſacro nobile ſatis teſtimonium reddit.

* L. 10. ep. 97.

C. SUETONIUS TRANQUILLUS, Grammaticus Romanus, claruit ſub Trajano circa an. Chriſti CXII. ſub Hadriano Epiſtolarum Magiſter factus. Chriſtianos genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ appellat, eoque nomine ſuppliciis affectos fuiſſe ait in Vit. Neron. c. 16. Quæ de Judæis impulſore Chriſto tumultuantibus habet, vid. in Vit. Tiber. c. 25.

ARRIANUS, domo Nicomedienſis, Epicteti diſcipulus, Philoſophus, Orator Hiſtoricus ſummus, novus Xenophon dictus, Conſulatum etiam in republicâ geſſit: ab Euſebio † ad an. Chr. CXLVII. refertur. Odioſo Galilæorum nomine Chriſtianos traducit, eorumque in adeundis periculis promptitudinem, inſaniæ ac conſuetudini aſcribit, Diſſert. in Epiſt. l. 4. c. 7. Vide, quæ de Judæorum, vel ut alii volunt, Chriſtianorum baptiſmo habet, l. 2. c. 9.

† Chronic. ad an. 147.

CELSUS, Philoſophus ſectâ Epicureus, ergà Platonis etiam ſcholam benè animatus, claruit poſtremis Adriani temporibus & deinceps. Fidem moreſque Chriſtianorum peculiari libro, quem ἀληθῆ λόγον inſcripſit, oppugnavit. Extant fragmenta hinc inde apud Origenem libris VIII. contra Celſum, quibus futiles Celſi calumnias & argumenta validè refutavit.

M. AUR. ANTONINUS, cognomine Philoſophus, Annii Veri Prætoris filius. Antonini Pii gener, ad Imperium Romanum evectus anno Chriſti CLXI. obiit anno CLXXX. Lib. XI. *de rebus ſuis*, §. 3. Chriſtianorum ſubeundo Martyrio fortitudinem ψιλὴν παράταξιν fuiſſe aſſerit, *meram animi obſtinationem*, nec ἀπὸ τῆς κρίσεως, *à judicio particulari provenire* aſſerit.

LUCIANUS, Samoſatis oriundus, profeſſione Epicureus, claruit circa an. Chriſti CLXXVI. ἀνὴρ σπουδαῖος εἰς τὸ γελασθῆναι, [ipſo fatente Eunapio †] qui ingenii ſui ſalibus Chriſtianos rituſque eorum ac dogmata non ſemel perfricuit, præcipuè his Dialogis, *Pſeudomant. de Morte Peregrini*, & *Philopatr.* [ſi ejus ſit, ſaltem ſcriptoris coævi,] Eoſdem in *Aſino* quoque ſuo ſemel ex obliquo perſtringere videtur.

† Proœm. lib. de Vit. Philoſ.

SÆC. II.

SÆC. II.

Concilia hoc Sæculo habita.

SÆC. II. ab An. C. 150. P. II. PERGAMENSE circa annum CL. sub Theodoto Pergamensi, & septem Episcopis in causâ Hæresis Colorbasianæ, celebratum. Prodierat ex Valentini Scholâ Colorbasus, Marci Hæresiarchæ, [ut volunt nonnulli] discipulus, ut alii (rectiùs opinor) magister: quippè Marcus se unum μήτραν καὶ ἐκδοχεῖον τῆς Κολορβάσου σιγῆς fuisse dicit, ut qui unigenitus ipsi esset, teste Irenæo, lib. I. c. 10. p. 76. quin dogmatis à Colorbaso excogitati se obstetricem fuisse disertè innuit. Præter cætera Colorbasi monstrosa dogmata, de quibus Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Theodoritus, alii, docuit vitam omnium in septem stellis esse positam, eásque septem Ecclesias, & septem Candelabra aurea esse. Ad hunc expugnandum Theodotus Episcopus Pergamensis Mysiæ Mediterraneæ Episcopos congregavit, qui, habitâ Synodo, insani capitis hominem anathemati subjecerunt. Meminit hujus Synodi unus (quod sciam) libri *de Hæresi prædestinatianâ* Auctor Primasius is fuerit, sive alius, *Hæres.* XV. Idem Auctor cap. sequenti, omnium Siciliæ Episcoporum Concilium sub Eustathio Lilybæorum, & Theodoro Panormiorum Episcopis, adversùs Heracleonem hæreticum coactum, nobis exhibet; quique Episcopos Hæresiarchæ dogmata, Alexandro Romano Pontifici ad explorandam ejus sententiam, misisse tradit. Hanc Synodum ad annum Christi CXXV. refert Baluzius, *nov. collect. Concil. p.* 3. Verùm omninò repugnant tempora. Siquidem Alexander diem obiit ex mente Pearsoni anno CI. juxtà Dodwellum sequenti, certè Trajano adhuc imperante, *Æliano & Vetere Coss. i. e.* anno Æræ vulgaris CXVI. teste catalogo Bucheriano. Heracleonis verò Hæresis non ante Pii Papæ tempora, saltem in Occidente, innotuit. Unde hoc Concilium pro nullo habet Cl. Pearsonius. Rationes apud ipsum videri possunt, *De Success. Dissert.* II. cap. 7. num. 5. p. 230. Unde nec de Synodo Orientali, sub Apollonio Corinthiorum Episcopo, adversùs Cerdonem habitâ multùm laboramus, cujus meminit idem Auctor, *Hæres.* XXIII. pag. 24.

173. P. II. HIERAPOLITANUM circa annum CLXXIII. ab Apollinario Hierapolis Episcopo, aliisque XXVI. Episcopis celebratum; quo Montanus & Maximilla pseudo-prophetæ, & Theodotus Coriarius excisi & condemnati sunt, si vera nobis referat Libelli *Synodici* Auctor, p. 4. Certè solâ hujus Autoris fide in re tam vetusta vix agerem, nisi antiquus ille adversùs Cataphrygas Scriptor apud Euseb. lib. V. c. 16. p. 181. disertè tradidisset, hoc circiter tempore fideles, qui in Asia erant, sæpiùs & plurimis Asiæ locis hujus rei causâ convenisse, novamque illam doctrinam examinasse, & prophanam atque impiam judicasse; damnatâ verò hæresi, eos ab Ecclesiâ, & fidelium communione expulsos fuisse. Confer quæ notavit Baluzius, *Collect. Nov.* p. 5. SÆC. II. ab An. C.

CÆSARIENSE, Cæsareæ (ut videtur) Palæstinæ, in Controversiâ de *Die Paschatis* celebrando, à Victore Romano nuper excitatâ, circa annum CXCVI. habitum. Ad annum CLXXXIX. revocat Cl. Dodwellus. Præsidebant Theophilus Cæsariensis, & Narcissus Hierosolymorum Episcopi, qui pro Victore Romano sententiam dixerunt: Pascha nempe non alio quàm die Dominico esse celebrandum. Actorum hujus Synodi Fragmenta, vel potiùs ipsa Acta integra conservavit Philippus, nescio quis, in Epistolâ quæ Latinè habetur apud Bedam, lib. de Æquinoct. Vern. Tom. II. in fin. & apud Bucher. *De Doctr. Temp.* p. 469. qui nomen Autoris ex MS. restituit. 196. P. II.

EPHESINUM, à Polycrate Ephesi Metropolitâ, unà cum aliis Asiæ Pro-Consularis Episcopis, eodem tempore, & eâdem de causâ habitum. Hi juxta morem sibi à Majoribus traditum, Pascha 14. Lunâ in quemcunque demum diem incideret, celebrandum esse adversùs Victorem acriter contendebant; in quos proinde anathematis sententiam temerè vibravit iratus Pontifex. Extat à Polycrate scriptæ epistolæ Synodalis Fragmentum aureum apud Euseb. lib. V. cap. 24. p. 191. 196. P. II.

LUGDUNENSE, ab Irenæo & Episcopis Gallicanis eâdem de causâ celebratum, qui pro Victoris sententia stabant; nihilominus Victorem ob temerè vibratum excommunicationis fulmen, & ruptam Ecclesiarum pacem, acriùs perstringebant. Extant Epistolæ Synodalis ab Irenæo scriptæ Fragmenta auro non chara, apud Euseb. lib. V. cap. 24. p. 192. Plures aliæ Synodi eodem tempore, & eâdem de causâ habitæ sunt: nempè *Romæ* sub Victore; in *Ponto* sub Palmâ: Ecclesiarum in Provinciâ *Osdroenæ*; Corinthi sub Bacchyllo, de quibus vid. Euseb. lib. V. c. 23. p. 190. 197. P. II.

Finis Secundi Sæculi.

SÆCULUM

Digitized by Google

SÆCULUM NOVATIANUM.

CONSPECTUS SÆCULI.

FIDES Christiana longè latéque propagatur. Oriuntur hæreses *Sabellii*, tres hypostases in Trinitate confundentis; *Nepotis*, qui post Papiam, ejusque asseclas, millennium astruebat; *Pauli Samosateni*, Christum ψιλὸν ἄνθρωπον affirmantis, à Synodo Antiochenâ ann. CCLXV. alteràque ibid. ann. CCX. habitâ, ob id damnati. Denique *Manetis* seu *Manichæi*, circ. ann. CCLXXVII. Ob nimiam erga lapsos indulgentiam Schisma fovet Novatianus, non uno sæculo extinguendum. De hæreticorum Baptismo strenuè rixantur Stephanus Papa, Cyprianus, Firmilianus, alii. Plures de hac causa in Africa Synodi; de quibus passim Cyprianus, sed consulendi præ aliis Cl. Pearsoni *Annales Cyprianici*. An. CCII. paulò post VIII. idus April. quintam, aliis sextam, persecutionem excitavit Septimus Severus, *Imperator verè nominis sui verè Pertinax, verè Severus*, quod vulgi sermone tunc jactabatur, λαμπρὰ μὲν τῶν ὑπὲρ εὐσεβείας ἀθλητῶν ἐν ἁπάσαις ταῖς ἐκκλησίαις κατὰ πάντα τόπον ἀπετελεῖτο μαρτύρια inquit Eusebius Eccles. Hist. l. 6. c. 1. *Per omnes quidem ubique locorum Ecclesias ab Athletis pro proprietate certantibus illustria sunt confecta martyria.* Hanc persecutionem sanguine suo nobilitarunt Leonidas Origenis Pater, Serenus, Heraclides, Heron, Herais, Origenis discipuli; Marcella, ejusque filia Potamiæna, Felicitas & Perpetua, aliique plures, quorum nomina in libro Vitæ scripta sunt. Ortum gravissimæ huic & satis diuturnæ persecutioni (duravit enim usque ad ann. CCIV.) dedisse videtur defectio Judæorum, quos Severus nuper bello profligaverat. Colligi id potest ex Ælio Spartiano in Vit. Sever. cap. 16. qui Senatum, Severo ob res in Syria benè gestas, Judaicum triumphum decrevisse tradit. Subdit mox Imperatorem in itinere Palæstinis, plurima jura fundâsse, Judæos, vel Christianos fieri sub gravi pœna vetuisse. Ann. CCXXV. exorta est sexta persecutio sub Maximino Thrace, qui in Episcopos & Sacerdotes præcipuè desæviit. φύσει δὲ ἦν τὸ ἦθος, ὥσπερ καὶ τὸ γένος, βάρβαρος, inquit Herodianus l. 7. p. 253. *quo non fuit crudelius animal in terris*, ipso fatente Jul. Capitolino in Maxim. cap. 9. Ann. CCXLIX. exeunte, contigit sub Decio septima Persecutio, etiam superiore anno Alexandriæ orta; gravis quidem illa & verè truculenta, quæ non nisi anno demum tertio deferbuit. Ann. CCLVII. octava sub Valeriano, qui *non dissimili furore correptus*, (inquit Lactantius de Mort. Persec. cap. 5.) *impias manus in Deum intentavit, & multum quamvis brevi tempore, justi sanguinis fudit.* De Martyribus hisce, pluribus agit Dionysius Alexandrinus, pluribus Cyprianus, qui & ipse sub hoc Valeriano martyrii coronam reportavit. Nona demum sub Aureliano, anno CCLXXV. quę missis solummodo edictis vix nomen Persecutionis meretur. Nondum quippe, (teste Lactantio ibidem cap. 6.) ad provincias ulteriores, cruenta ejus scripta pervenerant, & jam Cœnofrurio, qui locus est Thraciæ, cruentus ipse humi jacebat, falsâ quadam suspicione ab amicis suis interemptus. Adeò ut illi, *ne perficere quidem quæ cogitaverat*, licuit, ut præcedentibus verbis observat Lactantius. Eadem habet Eusebius, qui suæ narrationi notam hanc verè piam subjungit, lib. 7. cap. 30. Λαμπρῶς τε τοῖς πᾶσι συνορᾶν παριστῶσα, ὡς οὔποτε γένοιτ' ἂν ῥᾳστώνη τοῖς τοῦ βίου ἄρχουσι κατὰ τῶν τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησιῶν, μὴ οὐχὶ τῆς ὑπερμάχου χειρὸς θείᾳ καὶ οὐρανίῳ κρίσει, παιδείας ἕνεκα καὶ ἐπιστροφῆς, καθ' οὓς ἂν αὐτὸ δοκιμάζοι καιροὺς, τοῦτ' ἐπιτελεῖσθαι συγχωρούσης. *Simulque omnibus apertissimè ostendens, nihil unquam hujus mundi principibus adversus Christi Ecclesias licere, nisi propugnatrix Dei dextera arcano quodam ac cœlesti judicio ad castigationem & emendationem nostram, quibus ipsi visum est temporibus, id fieri permiserit.*

SÆC. III. ab An. CC.

SCRIPTORES.

SÆC. III. ab An. CC. 201. SYMMACHUS, genere Samaritanus, ἐκ τῶν παρ' αὐτοῖς σοφῶν, * ex illorum numero, qui Sapientes apud Samaritanos habebantur. Claruit sub Severo, ineunte hoc sæculo circa ann. CCI. Non bene sibi constat Athanasius, seu quisquis autor erat Synopseos S. Scripturæ, qui Græcos Scripturæ interpretes recensens Symmachum tertio loco ponit sub Severo, Theodotionem verò quarto loco sub Commodo, atque illum eo ipso tempore quo Symmachus, S. Scripturam interpretatum esse. Nec aliter Epiphanius †, qui Symmachum sub Severo florentem, Theodotioni qui sub Commodo viguit, præponit, & disertè dicit, μετὰ τοῦτον δὲ (Symmachum intelligit) καὶ Θεοδοτίων ἐν τῷ ἑξῆς χρόνῳ *post hunc autem mox sequenti temporis progressu Theodotion quidam Ponticus*, &c. Nonnulli ut huic morbo medicinam facerent, mendam in Epiphanii codice cubare suspicantur, pro Severo Lucium Verum reponentes, eoque regnante Symmachum floruisse volunt. Certè Epiphanius in isthoc loco Imperatorum nec annos nec ordinem satis accuratè enumerat. Verùm ego in istâ potiùs sum sententiâ, Epiphanium, cùm ea scriberet, ut & Synopseos Autorem, Origenis Hexapla ante oculos habuisse, in quibus ex Versionibus Symmachus secundum, Theodotion non nisi quartum locum occupavit, interposita τῶν LXX. translatione; ac proinde eosdem, eodem servato ordine, exceptis duntaxat LXX. Interpretibus, qui primum locum jure sibi vendicabant, in suis narrationibus exhibuisse. Sed ad Symmachum redeamus. Cùm apud suos gratiam & honorem pro merito non sit assecutus, quin propter ambitionem odio potiùs haberetur, ad Judæos descivit, secundâ vice circumcisus, ut mos erat vel à Judæis ad Samaritas, vel à Samaritis ad Judæos transfugientium, retractâ per instrumentum quoddam, quod Spathisterem appellabant, præputii cuticulâ, ut rursus circumciderentur. Denique à Judæis ad Christianos, saltem ad Ebionitas defecit; & ut popularium suorum interpretationes subverteret, simulque loca quædam de Christo, ad genealogiam ejus præcipuè spectantia, celaret, novam *Veteris Instrumenti Translationem Græcam* condidit, quam secundâ etiam editione perpolivit: in quâ, non ut Aquila, verbum è verbo, ut Hieronymus * innuere videtur, sed potiùs sensum è sensu expressit. Hujus *Versionis* fragmenta collegerunt Nobilius, Drusius, Waltonus, aliique. Præter *Versionem* Symmachus *ad Ebionitarum Hæresin defendendam Commentarios* etiam scripsit, in quibus adversus Evangelium Matthæi acriter disputavit, Christi Genealogiam præcipuè oppugnans. Ebionæi enim Christum ex Josepho & Maria genitum, nudumque hominem esse contendebant, atque ab eo *Symmachiani* dicti sunt. Hos Symmachi *Commentarios* unà cum *Versione* ejus se à Julianâ quâdam, ad quam successionis jure pervenerant, accepisse testatur Origenes *. N. E. Extare apud Chaldæos refert Hebediesu † libros Symmachi nonnullos, quorum unus nuncupatur *de distinctione Præceptorum*.

* Epiph. de Pond. & Mens. §. XVI.
† Loc. cit.
* Præfat. in Job. Tom. 3. p. 23.
* Ap. Euseb. l. 6. c. 17.
† Catalog. libr. Chald. p. 18.

202. ANONYMUS Autor, qui scripsit *Acta Felicitatis & Perpetuæ*. Claruit circa an. CCII. Quibusdam Montani assecla, Cl. Dodwello † non sine aliqua verisimilitudine Scriptor Catholicus. Primus in lucem extractum edidit Holstenius *Paris.* 1664. & exinde antiqui Codicis Sarisberiensis subsidio correctum præli Sheldoniani Curatores ad calcem Lactantii *De Mortibus Persecutorum* adjunxerunt, *Oxon.* 1680. 12°. SÆC. III. ab An. CC.

† Dissert. Cypr. IV. §. 12. 13.

Quamplurima etiam alia *Martyrum Sanctorum Acta* hodie circumferuntur, ex iis multa antiquitatem planè ementita, reliqua jure admodùm dubio sibi vendicantia.

JUDAS, Theologus simul & Historicus claruit anno CCII. Scripsit uberrimè *de Septuaginta apud Danielem Hebdomadibus*; in qua *Dissertatione* supputationem temporum ad decimum usque Severi Imperatoris annum perduxit: Persecutione VI. tunc temporis eousque flagrante ut Judas noster præsentem mundi occasum & decantatum Antichristi adventum jam tum affuturum esse existimaverit. N. E. 202. Vid. Euseb. l. 6. c. 7.

CAIUS, vel Gaius, Vir disertissimus, Romanæ Ecclesiæ Presbyter, & *Gentium Episcopus* ordinatus, teste Photio *, i. e. si rectè interpreter, ad id Episcopus factus, ut Gentiles in solo Barbarico constitutos ad fidem Christi converteret, Ecclesiisque inibi fundatis præesset. Claruit circa an. CCX. Romæ dum ageret, celebrem cum Proclo Cataphrygarum Hæresis propugnatore Disputationem habuit, quam postea in *Dialogi* formam redactam scripto consignavit: Ex eâ locum quendam de SS. Petri & Pauli Sepulchris verbatim recenset Eusebius lib. 2. cap. 25. alium de Cerintho l. 3. c. 28. aliaque l. 6. c. 20. Scripsit item *contra Artemonis Hæresim*, librumque alium *Labyrinthum* dictum, nisi (quod longè veriùs videtur) idem sit opus, Origeni à nonnullis malè tributum: adeò ut in eo hallucinatus videatur Photius *, cùm præter *Labyrinthum* peculiarem quoque alium librum contra Artemonis Hæresim Caium scripsisse dicit. Ex hoc *parvo Labyrintho* (ita enim se habuit titulus) nobile illud fragmentum adversùs Theodoti & Artemonis Hæresim deprompsit Eusebius, quod extat apud eum l. 5. c. 28. Præterquam enim quòd Photius † Librum quendam contra Artemonis Hæresim, aliumque *Labyrinthum* dictum, à Caio conscriptum fuisse testetur, Nicephorus * librum istum ignoti Auctoris contra Artemonem, unde Eusebius fragmentum suum hausit, Labyrinthum parvum inscriptum fuisse refert, quo nomine Theodoritus † etiam librum *contra Artemonis & Theodotii Hæresim* compositum, insignitum esse tradit, & ex eo lepidam admodùm narratiunculam adducit. Scripsit adhuc Caius περὶ τῆς τοῦ παντὸς οὐσίας, uti in fine Labyrinthi sui, exscriptore Photio †, ipse testatum reliquit. Verùm an id opus idem sit cum eo quod περὶ τοῦ παντὸς inscriptum, & Hippolyti operibus vulgò annumeratum extat, incertum est. De ea re vide plura in Hippolyto. Non alius à nostro videtur Gaius ille, cujus mentio fit in calce Actorum B. Polycarpi editionis Usserianæ, ubi legimus eum cum Irenæo conversatum esse, & Smyrnensium Epistolam ex ipsius Irenæi exemplaribus transcripsisse. N. E. 210.

* Cod. 48.
* Ibid.
† Loc. cit.
* Hist. Eccl. l. 4. c. 21.
† Hæret. Fab. l. 2. c. 5.
† Loc. cit.

PROCULUS sive *Proclus*, Tertulliano dictus 210.

SÆC. III. ab An. CC. Adverſ. Valentin. c. 5. dictus *virginis ſenecta & Christianæ eloquentiæ dignitas*, Montaniſtici dogmatis propugnator acerrimus ſimul ac famoſiſſimus. Ab eo enim altera Montaniſtarum bifariam diſſidentium Secta nomen duxit, οἱ κατὰ Πρόκλον dicti. Claruit circa an. CCX. Romæ ſub Zephyrino Pontifice cum Caio Presbytero diſputationem iniit. Allatum ibi quoddam ab eo argumentum videre apud Euſebium l. 3. c. 31. Scripſit *contra Valentinianos*, opus inſigne, teſte Tertulliano loc. cit. quod interiit. Alium quidem eſſe ab hoc Proculo Proclum Montaniſtam contendit Valeſius; verùm argumentis non ſatis cogentibus. Annot. in Euſeb. p. 123

212. Euſeb. l. 6. c. 11. ALEXANDER, Cappadocum Epiſcopus, primùm ſub Severo inclareſcere cœpit; quo mortuo, divina revelatione in ſomniis admonitus, Hieroſolyma tum orandi, tum locorum viſendorum gratiâ profectus eſt: ubi Clerici iſtius Eccleſiæ Revelatione item & ipſi præmoniti, extra portas Civitatis egreſſi, deſtinatum ſibi à Deo Epiſcopum humaniſſimè exceperunt, & conſentientibus Palæſtinæ Epiſcopis, ac præcipuè Narciſſo Hieroſolymorum Antiſtite ſedecim tunc ſupra centum annos nato, manere deinceps apud ſe eum coegerunt. Ac proinde circa annum CCXXII. Collega & Adjutor Narciſſo datus, eo mortuo ſedem Hieroſolymitanam ſolus tenuit. Quo in loco nobiliſſimam Bibliothecam extruxit, in eâque virorum Eccleſiaſticorum, qui doctrinâ excellebant, ſcripta, præſertim Epiſtolas repoſuit. Unde uberrimam materiam ad Hiſtoriam ſuam Eccleſiaſticam condendam ſe habuiſſe grato animo Euſebius * agnoſcit. Multa paſſus eſt Alexander ſub Severo, multa item ſub Caracalla, tandem ſub Decio, Vir decora ſenectute, & veneranda canitie conſpicuus, Cæſareæ in carcerem conjicitur: in quo poſt præclaram atque illuſtrem Chriſtianæ fidei confeſſionem in prȩſidiali judicio editam, circa an. CCL. μακαρίως ἀνεπαύσατο, inquit Dionyſius Alexandrinus *, *Beato exitu defunctus eſt*; ſive ut Hieronymus †, Martyrio coronatur. Scripſit *Epiſtolas* aliquot *ad Antinoitas*, ex quarum una particulam habet Euſebius l. 6. c. 11. *Aliam ad Antiochenos*, ex qua quædam citat idem loc. laudat. item *aliam ad Origenem*, ubi Clementis & Pantæni tanquam ſibi familiarium meminit. Fragmentum ejus exhibet Euſebius l. 6. c. 14. Scripſit etiam *literas* unà cum Theoctiſto Cæſarienſi *ad Demetrium Alexandrinum*, quibus Origenem nondum ſacris ordinibus initiatum in Eccleſia coram Epiſcopis concionantem defendit. Fragmentum eius extat ap. Euſeb. l. 6. c. 19. & plures alias, quæ N. E.

*L. 6. c. 20. — * Ap. Euſeb. l. 6. c. 46. — † De Scipt. c. 62.

215. P. II. AGRIPPINUS gente forſan Afer, Epiſcopus Cartaginenſis, circa annum CCXV. claruiſſe dicitur. Orta eſt ejus tempore de Baptiſmo Hȩreticorum controverſia, quem nullum & invalidum eſſe cenſuit magna Eccleſiȩ Africanæ pars; ac proinde Hȩreticos ad Eccleſiam Catholicam redeuntes, novo Baptiſmo eſſe initiandos. Agrippinus igitur convocatis omnibus penè Africæ & Numidiȩ Epiſcopis, numero *LXX.* hanc cauſam ſedulò excuſſit, & *librato Concilii communis examine* firmavit. *Quorum ſententiam*, inquit Cyprianus, *& religioſam & legitimam, & ſalutarem, Fidei & Eccleſiæ Catholicæ congruentem, nos etiam ſecuti ſumus.* Agunt hâc de re, Cyprianus ad Quintum *de Hæret. Baptiz.* Epiſt. LXXI. p. 120. Auguſt. *de Baptiſm.* contra *Donat.* lib. II. cap. 8. Tom. VII. col. 397. Vinc. Lerin. *adverſ. Hæreſ.* cap. 9. Habita eſt hæc Synodus, juxta communem etiam recentiorum chronologorum ſententiam, anno CCXV. quod parum mihi probabile videtur; prȩſertim cùm diſertè dicat Cyprianus * *multi jam anni, & longa ætas, ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ Viro, convenientes in unum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerint.* Quæ verba pluſquam XXX. aut XL. annorum ſpatium neceſſariò deſignant. Scio Auguſtinum aliter ſentire, & non longum temporis ſpatium inter Agrippinum & Cyprianum facere. Verùm Cypriano utpotè longè antiquiori, & in prædeceſſorum ſuorum rebus accuratiùs verſato, potiùs adhærendum eſt. Agrippinum igitur cum ſuâ Synodo ad inclinantem ſuperioris ſæculi partem removendum eſſe cenſeo. Scripſiſſe Agrippinum in cauſa Baptiſmi Hæreticorum colligi poteſt ex Auguſtini verbis Epiſt. XLVIII. ad *Vincent.* Tom. II. col. 183. *Noli ergo frater contra Divina tam multa, tam clara, tam indubitata teſtimonia colligere velle calumnias ex Epiſcoporum ſcriptis ſive noſtrorum, ſicut Hilarii, ſive antequam pars Donati ſepararetur, ipſius unitatis ſicut Cypriani & Agrippini.* Quæ verba non tam de Synodicis ſub Agrippino Decretis, quàm de propriis ipſius ſcriptis intelligenda ſunt.

Cave Hiſt. Lit.

SÆC. III. ab An. CC. * Ad Jubaian. Ep. LXXIII. p. 122.

220. M. MINUCIUS FELIX, gente ut veriſimile eſt, Afer, non ignobilem inter Romanos Cauſidicos locum tenuit, doctrina tamen ac Pietate Chriſtianâ ipſe longè nobilior. De ætate ejus quâ vixit, nil habeo, quod pro certò affirmare auſim: ſi tamen in re obſcurâ, dubiâque hariolari liceat, conjiciam illum, utpote Tertulliano ſupparem, Cypriano antiquiorem, circa an. ccxx. claruiſſe. Scripſit Romȩ *libellum*, pro octavo Arnobii libro aliquot retrò ſȩculis falsò habitum, *Dialogum*, inquam, illum inſignem, *Octavium* dictum inter Cæcilium Natalem, Gentilem acerrimum, accuſatorem, & Octavium Januarium, acutum Chriſtianorum vindicem ac patronum; quos intermedius ſedet bonus Arbiter, Minucius Felix. In quo ſanè libello totum Gentilium cultum, Deorumque proſapiam non minùs eruditè quàm venuſtè & ingenioſè convellit, & Chriſtianos eorumque ſacra ab omnibus Cȩcilii calumniis atque objectionibus eleganter & nervosè vindicat. Tandem manus dans Cȩcilius gloriatur ſe quidem ab Octavio victum, de errore tamen triumphaſſe. Atque hic ſanè liber ſatis declarat, inquit Lactantius *, quàm idoneus veritatis aſſertor eſſe potuiſſet, ſi ſe totum ad id ſtudium contuliſſet. Extat Bibliothec. PP. Tom. III. & ad calcem Arnobii in primis ejuſce Patris editionibus. Minucio primus vindicavit, ac ſub ejus nomine edidit Franciſcus Balduinus, *Heidelbergæ* 1560. Deinde Fulvius Urſinus idem prȩſtitiſſe videri volens, diſſimulato Balduini præjudicio edidit *Romæ* 1583. hos ſecuti ſunt Voverius *Baſil.* 1603. *Elmenhorſtius Hamburg.* 1612. f. Heraldus *Pariſ.* 1613. 4o. Rigaltius *Pariſ.* 1643. ad calcem Arnobii, & deinde ibid. 1666. ad calcem Cypriani cum notis & Balduini prolegomenis. Ouzelius deinde à ſe ipſo recenſitum, & fuſiſſimis Variorum Commentariis illuſtratum edidit *Lugd. Bat.* 1652. 4o. Prodiit demum unà cum Variorum notis *Lugd. Bat.* 1672. Extitiſſe ſuo ævo ſub Minucii nomine *librum de Fato* vel *contra Mathematicos* prodit Hieronymus *, quem licèt diſerti hominis opus fuiſſe agnoſcat, à Minucii tamen ſtylo diſcrepaſſe cenſet. N. E.

* Inſtit. l. 5. c. 1. — * De Scipt. c. 58.

220. HIPPOLITUS, Irenæi diſcipulus erat, teſte Photio, * Epiſcopum fuiſſe inter omnes convenit, cujuſnam verò urbis nondum conſtat. Id Euſebium quidem, & poſt eum Hieronymum fugiſſe videtur. Sic enim ille †: Βήρυλλος ἦν ἐπίσκοπος τῶν κατὰ τὴν Βόστραν Ἀράβων. Ὡσαύτως δὲ καὶ ὑππόλυτος

* Cod. 121. — † Luc. 6. c. 21.

λυτ☉ ἑτέρας πȣ̃, καὶ αὐτὸς προεςὼς ἐπίσκοπ☉. Iste autem sic habet: † *Hypolitus cujusdam Ecclesiæ Episcopus (nomen quippe Urbis scire non potui)* Hinc nata sequioris sæculi scriptoribus aut conjectandi aut fabulandi materia. Zonaras * & Nicephorus †, unà cum Recentioribus ferè omnibus eum Portûs Romani Episcopum esse volunt. Germanus C P. * & Leontius Bizantinus * Romæ Episcopum fuisse innunt. Ostiensem Episcopum appellant Centuriatores Magdeburgenses †. Gelasius * denique Episcopum Metropolis Arabiæ fuisse scribit. Verùm inter omnes hâc de re sententias verisimillima videtur nupera CL. L. Moyne * conjectura, Hyppolytum fuisse Episcopum Portûs Romani in Arabia, ἐμπόριον τῆς Ἀραβίας à Ptolomæo vocati, ac posteà *Adana* sive *Adena* nomen, quod & hodie retinet, adepti, Romanis Mercatoribus perquam noti, & ab iis tunc temporis admodùm frequentati. Hinc Romam vergente ætate venisse illum censeri potest, ibique demum mortuum, sepultum esse. Claruit circa ann. ccxx. Certè plures erant hoc ævo Hippolyti, aliusque à nostro videtur Hippolytus ille Martyr, cujus passionem prolixiore Hymno describit Prudentius *. Is enim inter Schismatis Novatiani asseclas Presbyter fuerat. Ille verò de quo agimus Origene familiarissimè utebatur, eumque imitatus, eoque sæpiùs præsente, Homilias ad populum habuit, tantaque admiratione (narrante Photio †) Origenis sermones suscepit, ut ad divinam scripturam commentario illustrandam hortando impulerit: additis suo sumptu septem Notariis qui dictata celeriter acciperent, totidemq; librariis, qui accuratè describerent. Ac proindè opus quodvis ab Origene elaboratum sine remissione exigere solebat, ἐργοδιώκτης idcircò ab Origene dictus. Narrationi huic calculum apponere videtur Hieronymus *. Uterque tamen palam lapsus, dum quod Ambrosio proprium erat, Hippolyto attribuant. Circa ann. ccxxx. Martyrium obiisse dicitur Hippolytus: incerta tamen fama, nec enim improbabile est vitam eum ulterius produxisse.

† De Script. c. 61.
* An. Tom 2.
† Hist. Eccl. l. 4. c. 31.
* Theor. Ecclesf. Auct. T. 2.
* Act. 3. de Sectis.
† Cent. 3. c. 10.
* Advers. Eutych.
* Prolegom. ad Varia Sacra.
* Hymn. 11.
† Loc. cit.
* De Script. c. 61.

Opera tum ab eo scripta, tum ei ascripta, hæc sunt.

DE *Paschate liber*, cui titulum fecit, *ἀπόδειξις χρόνων τȣ̃ πάσχα*; in quo temporum seriem describens in Imp. Alexandri anno primo [i.e.] an. Chr. ccxxii. desiit. Huic etiam Operi Canonem Paschalem ἑκκαιδεκαετηρίδα, ab ejusdem Imperatoris anno primo incipientem, inseruit. Iste *Canon* superiori demum sæculo, marmoreæ statuæ ipsius, ut videtur, Hippolyti cathedræ insidentis, Græcè inscriptus repertus est: literis ex utroque sedis laterculo sexdecim annorum circuitum, in dextro Quartarum decimarum, in sinistro Dominicalium Cyclum exhibentibus, utroque annis cxii. universim comprehensos, qua annorum periodo Ferias easdem in orbem redire credidit Hippolytus. Porro in Margine dextri laterculi plurima ipsius Hippolyti scripta recensentur quorum notitiam alibi frustra quæras. Nobile hoc Antiquitatis Ecclesiasticæ Monumentum in agro Verano non procul ab æde D. Laurentii extra muros Urbis Romæ anno 1551. erutum est, & Bibliothecæ Vaticanæ illatum, à Josepho Scaligero * cum notis Græcè editum, à Grutero † in Corpus Inscriptionum Antiquarum relatum, postremò Latinè redditum, Commentario illustratum Ægidius Bucherius * divulgavit. Nos Hippolyti Scriptorum Indiculum dextri laterculi margini annexum, eò quod materiæ præ manibus versatæ lucem plurimam affundat, reique literariæ locupletandæ inserviat, hîc loci apponere [qualis apud Gruterum habetur] non gravabimus, quod Lectori non ingratum fore arbitramur.

* Lib. de Emendat. temp.
† Fol. 140, 141.
* Comment. in Vict. Can. Pasch. c. 15.

Laterculi

Digitized by Google

ΙΟΥC
ΝΙΑC
ΑΛΜΟΥC
ΥΤC ΤRΙΜΥΘΟΝ
Α ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΚΑΤΑΙ
ΑΝΗΝ
ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΥ ΚΑΙ ΑΠΟ
ΚΑΛΥΨΕωC
ΠΕΡΙ ΧΑΡΙCΜΑΤωΝ
ΑΠΟCΤΟΛΙΚΗ ΠΑΡΑΔΟ
CΙC
ΧΡΟΝΙΚωΝ
ΠΡΟC ΕΛΛΗΝΑC
ΚΑΙ ΠΡΟC ΠΑΤωΝΑ
Η ΚΑΙ ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΠΑΝΤΟC
ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚΟC ΠΡΟC CΕ
ΒΗΡΕΙΝΑΝ
ΑΠΟΔΕΙΞΙC ΧΡΟΝωΝ
ΤΟΥ ΠΑCΧΑ
ΚΑΤΑ ΕΝ Τω ΠΙΝΑΚΙ
ωΔΑΠCΠΑCΑC ΤΑC ΓΡΑ
ΦΑC
ΠΕΡΙ ΘΥ ΚΑΙ CΑΡΚΟC
ΑΝΑCΤΑCΕωC
ΠΕΡΙ ΤΑΓΑΘΟΥ ΚΑΙ
ΠΟΘΕΝ ΤΟ ΚΑΚΟΝ

Laterculi istius dexter angulus abruptus quinque priores lineas truncaverat.

Exemplar inscriptionis Gruterianum ubique κατὰ πόδας secuti sumus. Hinc in voce TRIMYΘON R. pro P. ponitur, in voce IωANHN desideratur litera N. semel, in voce ΠATωNA deest ι. in plerisque ω minusculâ formâ exprimitur, & plurimæ passim voces in unum coeunt.

Hactenus marmoreæ Cathedræ Inscriptio, cujus explicationem cum fusissimè persecutus sit Doctiss. Moynius, tribus quasi verbis expediemus.

In ea duæ priores lineæ maxima parte mutilatæ, non nisi conjecturis locum præbent. ΙΟΥC & ΝΙΑC reliquias esse vocum ΨΑΛΜΟΥC, ΜΕΤΑΝΟΙΑC opinatur Scaliger, & post eum Bucherius, qui Latinæ Indiculi Versionis suæ fronti apposuit, IN PSALMOS POENITENTIALES. Cum verò opus Hippolyti in Psalmos postea sequatur, & in inscriptione non ΝΟΙΑC sed ΝΙΑC habeatur, & Psalmorum adhuc pœnitentialium memoria planè sit hesterna, omninò rejicienda est ista conjectura. Suspicatur CL. Moynius ΙΟΥC & ΝΙΑC reliquias esse vocum πρώτοπλάστους & περὶ κοσμογονίας vel ζωογονίας, quæ designent Hippolyti lucubrationes εἰς τὰ μετὰ τὴν ἑξαήμερον, & εἰς τὴν ἑξαήμερον, quales ab eo scriptos fuisse testantur Eusebius †, & Hieronymus *: licet iste de Commentariis in Exodum & Genesim eos libros intelligi velit. Sed in re tam obscura satius est assensum inhibere, quàm conjecturis audacter nimis indulgere.

† L. 6. c. 21.
* De script. c. 61.

ΑΛΜΟΥC] Sunt proculdubio ultimæ Syllabæ vocis ΨΑΛΜΟΥC, in quos *Commentarios* scripsit Hippolytus, teste Hieronymo. Ex iis multa habet Catena in Psalmos, quæ Codice MS. asservatur in Bibliotheca Mediceâ, cujus meminit Moynius Prolegom. ad var. Sacr. Fragmenta bina exinde etiam exhibet Theodoritus Inconfus. Dial. II. Tom. IV. p. 89. 90. Primum ex Commentariis in Psalmum II. Secundum ex Comm. in Psalmum 23. Ex Præfat. in Psalmos fragmentum dabit Al. Morus Not. in N. T. p. 167

ΥΓΑCΤΡΙΜΥΘΟΝ] Vox ἐγγαστρίμυθον aliquantulum deformata. Scripsit * enim Hippolytus *de Saul & Pythonissâ.*

* Hieron. loc. cit.

ΑΥΠΕΡ, &c.] α [forsan legendum τὰ] ὑπὲρ τοῦ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίου καὶ ἀποκαλύψεως. Opus ejus in Apocalypsin memorat Hieronymus.

ΠΕΡΙ ΧΑΡΙCΜΑΤωΝ] Operis hujusce titulus procul dubio desumptus ex I. Cor. XII.

ΑΠΟCΤΟΛΙΚΗ ΠΑΡΑΔΟCΙΣ] Eadem credi potest cum Διδασκαλίᾳ ejus, cujus crebra fit mentio in Codicibus MS. Constitutionum Apostolicarum, quæ ex Hippolyti pariter ac aliorum Patrum Διδασκαλίαις contextæ sunt. Διδασκαλίαν Ἱππολύτου in Codice MS. Bibliothecæ Oxoniensis latere, ac maximam partem libri octavi Constitutionum Apostolicarum excerptis illius constare testatur CL. Pearsonus *. Hanc ex codice MS. eruit, & cum reliquis Hippolyti operibus propediem editurus est Joannes Mill S. T. D. Aulæ Edmundianæ apud Oxonienses Principalis, à quo certiora de Hippolyto ejusque Scriptis expectamus.

* Vindic. Ignat. par. 2. p. 60, 61.

SÆC. III. ab An. CC. ΧΡΟΝΙΚΩΝ ΠΡΟΣ ΕΛΛΗΝΑΣ] *Chronicon ad Gentes.* Nec enim insolitum erat ejusce ævi Scriptoribus Ecclesiasticis rerum gestarum Chronologias texendo ementitam Gentilium Deorum & Heroum antiquitatem refutare. Hippolytum certè nostrum rei Chronologicæ fuisse peritissimum demonstrat Opus ejus Paschale.

ΠΡΟΣ ΠΛΑΤΩΝΑ, ἢ καὶ περὶ τ̃ παντὸς] *Contra Platonem, sive De Universo.* Amplissimum hujus libelli fragmentum sibi ex Italia missum Gr. Lat. edidit D. Hæschelius notis ad Photium p. 9. isthoc titulo Ἰωσήπȣ ἐκ τȣ̃ πρὸς Ἕλληνας λόγȣ τȣ̃ ἐπιγεγραμμένȣ κατὰ Πλάτωνα περὶ τ. τȣ̃ παντὸς αἰτίας. Verum Josepho adjudicat ipse Hæschelius. Et cum in Epigraphe dicatur λόγος πρὸς Ἕλληνας, non malè forsan conjici queat superiora laterculi verba cum hoc scripto conjungi debere. Revera exstitit olim * Cod. 48. [teste Photio* sub Josephi nomine Opus περὶ τȣ̃ παντὸς, seu *de universi causa*, vel *Natura*, ut variè inscribitur, in cujus tamen calce annotatum invenit Photius, non esse Josephi, sed Caii Presbyteri. Alii id Justino Martyri; nonnulli Irenæo ascripserunt. Divisum erat Opus in duos libellos, quibus Author secum pugnare Platonem ostendit; de Anima quoque, Materiâ & Resurrectione Alciroum ut falsò ac absurdè disserentem reprehendit: suas verò de his Thesibus opiniones opposuit, docuitque Judæorum nationem esse Græcis longè antiquiorem. Brevem quandam Periodum ex eo citat Photius loc. cit. Utcumque autem de vero hujus Operis Auctore inter Antiquos non convenit, Neoterici ferè omnes Indiculi hujusce autoritate, stylo, & argumentationis genere, aliisque adhuc argumentis freti, Hippolyto id adjudicant; & in his novissimus Steph. Le Moyne, qui Latina versione instructum Fragmentum ejus ab Hæschelio olim editum recudi fecit inter Varia Sacra *Lugd. Bat.* 1685.

ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚΟΣ πρὸς Σεβηρεῖναν] Legendum censet Moynius πρὸς Σεβήραν αὐ. *ad Severam Augustam*, non improbabili sanè conjecturâ. Scripsit forsan Hippolytus Epistolam προτρεπτικὴν ad Severam Philippi Imp. uxorem, quam Origenem etiam literis compellasse scribit Eusebius*. * L. 6. c. 36. Sin Hippolyti ætatem eousque protrahere durius videatur, ad Alexandri Severi sororem, aut ex ejus familia aliquam Epistola hæc non malè referri potest. Certè πρὸς βασιλίδα τινὰ Epistolam scripsisse Hyppolytum disertè testatur Theodoritus, & ex ea fragmenta bina adducit Dialog. III. alterumque Dialog. II.

ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ χρόνων τȣ̃ πάσχα κατὰ τὸ ἐν πίνακι] De qua supra *Compendium* ejus sive *Canon Paschalis* Cathedræ inscribebatur, & apud Scaligerum, Gruterum, & Bucherium habetur.

ΩΔΑΙ ΙΣ πάσας τὰς γραφὰς] Insolenti satis conjecturâ usus Moynius legendum censet εἰς πάσας τὰς αἱρέσεις. Ista sanè ratione quidlibet ex quolibet nullo negotio exsculpi, & quadrata rotundis quàm facillimè permutari queant. Mallem hâc in re inscitiam meam profiteri, quàm invitâ Minerva & refragante ratione novi aliquid comminisci.

ΠΕΡΙ ΘΕΟΥ καὶ σαρκὸς ἀναστάσεως.] Varia opuscula scripsit Hippolytus, quæ huic titulo nonnihil accedunt. Si titulum enim bifariam secemus; Περὶ Θεȣ̃ καὶ σαρκὸς Hippolyti libros vel de Deo trino & uno, & de Incarnatione, vel de Theologia & Incarnatione, hodie superstites; & ἀναστάσεως [subaudita περὶ] librum ejus de Resurrectione ab SÆC. III. ab An. CC. Hieronymo memoratum designare potest. Sin potiùs unicum sub his verbis latentem agnoscamus titulum, Opus aliquod contra Hæreticos [quos omnes scripto confutasse Hippolytum tradit Hieronymus] eo notari à vero non abludit. Nulli enim ferè non istius ævi Hæretici circa divinam essentiam, & Resurrectionem carnis delirarunt.

ΠΕΡΙ τ̃ ἀγαθȣ̃ καὶ πόθεν τὸ κακὸν] Quæstio eâ ætate vexatissima, quamque Ecclesiæ Doctores plurimis Commentariis tam contra Gentiles quàm Hæreticos editis illustrarunt. Ex illis Philosophi ferè universi, ex his Marcionitæ, Cerdoniani, aliique quamplurimi diversa boni & mali principia statuerunt. Contra Marcionem scripsisse Hippolytum Autor est Hieronymus. De quo libro iste titulus non malè forsan accipi posset. Cæterùm nos in hac re digitum intendere contenti, nec conjecturis utcunque verisimilibus nimium confisi, reliqua Hippolyti opera, quorum Indiculus non apertè meminit, subnectemus.

Oratio de Consummatione Mundi & Anti-christo ac secundo Domini adventu; quam tamen multi in dubium revocant. Prodiit Græcè & Latinè *Paris.* 1557. Extat etiam in Auctuar. Bibliothec. PP. Tom. II. *Paris.* 1627. Genuinum Hippolyti opus non esse pluribus probare nititur Rev. Usserius in Biblioth. Theol. MS. argumenta sua his demum verbis claudens. *Apparet igitur tum ex ipso Græcæ dictionis genere quod plerunque puerile est, tum ex rei veritate atque pondere libelli istius auctorem hominem illiteratum fuisse atque indoctum.*

Demonstratio de Antichristo, & in Susannam. Extat Gr. Lat. apud Combef. Auct. PP. *Paris.* 1672.

Homilia de Deo Trino & Uno, & de Mysterio Incarnationis, contra Hæresim Noeti. Extat Lat. Interprete & Editore Ger. Vossio in Append. ad Greg. Thaumat. *Mogunt.* 1604. & in Bibliothec. PP. Tom. III.

De Theologia & Incarnatione contra Beronem & Heliconem Hæreticos. Excerpta exinde quædam edidit Gr. Lat. inter Anastasii Bibliothecarii Collectanea Sirmondus *Paris.* 1620. 8. Quæ tamen à Moynio non uno nomine suspecta habentur, & ipsi pariter ac Possevino & Canisio Eutychianismum redolere videntur.

Demonstratio adversus Judæos quam Latinè redditam primùm Possevinus in Apparatu suo publicavit. Fidem ejus in dubium multi revocant. Græcum hujusce tractatus exemplar penes Turrianum fuit.

De Duodecim Apostolis, ubinam quisque eorum prædicaverit, & consummatus sit, Indiculus; Hippolyto Juniori potiùs tribuendus. Extat Gr. Lat. apud Combef. Auctuar. *Paris.* 1648. Tom. II.

Scripsit etiam Hippolytus [quæ non extant] Varios *in Scripturam Commentarios*, ex quibus à Veteribus memorantur, *in Genesim* [ex hoc, ut videtur, est fragmentum illud benè longum de Mystica significatione Isaac, Rebecca, Esau, quod profert Hieronymus epist. ad Damasum Quæst 3. Tom. III. p. 56.] *in Exodum, in Cantica Canticorum*, [ex eo fragmenta tria exhibet Theodoritus Dial. 2. tom. IV. p. 88. 89.] *in Proverbia, in Ecclesiasten, in Esaiam*, [ex eo aliquid habet Theodoritus Dial. I. Tom. IV. p. 36.] *in Zachariam, in capita quædam Ezechielis, & in Danielem. Commentarium in Danielem* perlegerat Photius*, quodque in * Cod. 202. eo argueret, deprehendit. Sic enim scribit. *Cæterum quoad Antichristi adventum [quando etiam mundi hujus aspectabilis interitus sequetur] quem ne*

Discipulis

Digitized by Google

SÆC. III. ab An. CC. *Discipulis quidem rogantibus Dominus manifestavit, Hippolytus hic quingentesimo post Christum anno ascribere ausus sit, quasi à prima mundi constitutione sex millibus annorum tum decursis ejus interitus instaret; hoc sanè calidioris, quàm par sit, animi est.* Ex hâc in Danielem expositione, extat hodienum MS. Græc. breve Commentarium *in somnium Nabuchodonosoris*, quod in Codice quatuor Majorum Prophetarum admodùm vetusto, ab annis minimùm octingentis scripto, Romæ in Bibliotheca Chigiana vidit CL. Mabilonius, It. Ital. p. 94. Commentarios Hippolyti *in Cantica Canticorum* & *libros Solomonis* in Bibliotheca Cæsarea hodienum asservari testatur Moynius, Prolegom. in Var. Sacra. Quin & Catalogus Bibliothecæ Scorialensis à Barvoetio editus Hippolyti tractatum de Susanna, & fragmentum de Daniele, plurimaque ex Commentario ejus in Proverbia excerpta inibi extare præ se fert.

Scripsit adhuc Hippolytus *De Laudibus Domini nostri*, *De Resurrectione*, ex Hippolyti tractatu περὶ ἀναστάσεως καὶ ἀφθαρσίας. Excerptum habet Anastasius Sinaita Ὁδηγ. cap. 23. p. 357. *Contra Marcionem*, & *Adversùs omnes Hæreses* [uti habet Hieronymus] quæ numero erant XXXII. teste Photio *, (* Cod. 121.) Auspicatus à Dositheanis usque ad Noetianos argumenti filo perducto, singulos Hæreticos refutavit, rationibus ut plurimùm Irenæi magistri usus, cujus argumentorum summam se colligentem libellum suum conscripsisse ipse † non diffitebatur. († Apud Phot. loc. cit.) Gelasius * istud opus citat sub titulo *Memoria Hæresεων*. (* Lib. de duabus in Christo naturis.)

Scripsit denique Hippolytus *Homilias* varias, ex quibus Excerpta nonnulla exhibet Theodoritus in Dialogis, nempe ex Homilia in illud, *Dominus pascit me*, Dial. I. p. 36. ex Hom. *in Helcanam & Anam*, ibid. & Dial. II. p. 88. ex Hom. *de distributione Talentorum*, Dial. II. p. 88. ex Hom. *de duobus Latronibus*, Dial. III. p. 156. Homiliam Hippolyti *in Sanctam Theophaniam*, unà cum ejusdem Opusculo *contra errorem Noeti*, & *Fragmento de Incarnatione*, quæ penès se habebat, edere constituerat Holstenius, sed morte præreptus propositum non absolvit, teste Moynio loc. cit.

Ex libro quodam Hippolyti τῶν τῶν Ἀποστόλων γνωρίμων, de virgine quadam Christiana narrationem excerptam exhibet Palladius Hist. Lausiac. cap. 148.

Inter Chaldæos extare refert Hebediesu Hippolyti *librum de regimine*, *Expositionem in Danielem minorem & Susannam*, nec non capita *adversùs Caium*, & *Apologiam pro Apocalypsi & Evangelio D. Joannis*.

De stylo ejus sic Photius *, (* Cod. 121.) Τὴν δὲ φράσιν σαφὴς ἐστι, καὶ ὑπόσεμνος καὶ ἀπέριττος, εἰ καὶ πρὸς τὸν Ἀττικὸν οὐκ ἐπιστρέφεται λόγον. *Oratio ejus clara est, ac nonnihil gravis, minimèque redundans, etsi ad Atticum sermonem non tendat.* Quod quidem in homine Arabe minimè mirandum est. Addam denique, quod de quibusdam Hippolyti Operibus notat Nicephorus †, († Hist. Ecc. l. 4. c. 31.) ea reprehensione non caruisse, omnem verò ignorantiæ maculam martyrio suo detersisse.

220. P. II. HIPPOLYTUS, genere procul dubio Arabs, Patriam habuit optimarum artium & disciplinarum cultricem, Divinarum, humanarumque literarum scientiâ olim florentissimam. Priusquàm ad antiquissimi hujus, totoque Oriente pariter ac Occidente celeberrimi, Patris scripta descendamus, tria nobis breviter excutienda sunt. 1. Locus in quo sedebat, 2. Tempus quo vixerit, 3. Idemne fuerit cum Hippolyto Martyre Romano, cujus meminit Prudentius. 1. Sedem

Cave Hist. Lit.

quod attinet, eò diligentiùs investiganda est, quod † Hieronymus se nescivisse fateatur, cujusnam urbis Episcopus fuit, nondùm igitur nata de Episcopatu ejus Portuensi propè Romam traditio. (SÆC. III. ab An. CC. † De Script. cap. 61.) Alia longè ei quærenda sedes, *Aden* nempè *Portus Romanus* in Arabia fœlici celeberrimus. Etenim Aden Urbs erat ad Mare rubrum sita, alto monte circundata, qui in Mare linguâ procurrit, & utrinque fluctibus in sinus reductis alluitur, ita ut Peninsula fiat: Civitas Emporetica, portu utriusque Maris celebris, unde Naves in Sindam, Indiam, &c. solvere, & merces inde revehere solent, teste Geographo * Neubiensi. (* Clim. I. Part. VI. p. m. 25.) Floret etiamnum splendidis ædificiis, frequenti mercatura; negotiatorum ex Æthiopiâ, Indiâ, & Perside concursu nobilis & opulenta, prolixè describit Osorius *de reb. Emanuel.* lib. IX. fol 150. Sed cum Veteribus nobis jam res est, Adanam urbem fuisse, in mediterranea fœlicis Arabiæ parte, ex Uranii Arabicorum lib. III. ostendit Stephanus *. (* In voc. Ἄδαν.) Meminit & Plinius Insulæ *Sadani*, in sinu Arabico; ubi *Adanum* legendum esse rectè contendunt Salmasius † & Vossius. *. († Excerp. P. in. p. 1264. * In Pomp. Mel. lib. III. c. 9. p. 301.) Hinc νῆσος Ἄδαν apud Ptolemæum, qui & lib. 6. c. 7. τῆς Ἀραβίας Ἐμπόριον in Homeritarum regione memorat; uti in margine notatur, *Aden aliis vocari.* Scriptoribus Græcis τὸ Ῥωμαϊκὸν Ἐμπόριον, sive *Portus Romanus* dicitur, ad exteriorem Oceanum vergens, ob situs commoditatem, & variam mercimoniorum copiam non orientalibus modò, sed & Romani Orbis incolis maximè frequentatus. Hùc enim cuncti qui ex Romanorum ditione veniunt, appellere solebant, ut disertè nos docet Philostorgius, lib. III. cap. 4. Neque id Constantii modò ætate, sed & retroactis sæculis factum est. Quippe Athenodorus Philosophus, Strabonis in peregrinando socius, in patriam reversus, cum admiratione narrare solebat, multos se Romanos, aliosque peregrinos in sinu Arabico invenisse, teste Strabone, lib. XVI. p. 779. In hac urbe quin sedem suam habuerit Hippolytus, *Portûs Romani* Episcopus, nulli dubitamus. Unde ipsum *Arabiæ Metropolis* Episcopum fuisse scribit Gelasius † Papa certè in Arabiâ Episcopum fuisse non obscurè innuunt ipsius Eusebii * verba si rectè perpendantur, ubi de Berillo & Hippolyto agit († L. de duab. Chr nat. adversùs Eutych. * Lib. VI. c. 20. p. 222.) Ἐπίσκοπος δ᾽ οὗτος ἦν [Βήρυλλ] κατὰ Βόστραν Ἀράβων. Ὡσαύτως δὲ καὶ Ἱππόλυτος; ἑτέρας που καὶ αὐτὸς προεστὼς ἐκκλησίας. *Beryllus, Bostrorum in Arabia Episcopus erat; similiter & ipse Hippolytus alterius cujusdam* [in eadem nempè Arabia] *Ecclesiæ Episcopus.* Ex hoc *Portu Romano* nata est vulgaris fabula, Hyppolytum *Portûs Romani* ad Ostia Tyburis, decimo sexto ab urbe lapide, Episcopum fuisse. Unde *Portuensis & Ostiensis* vulgò audit. Relictâ Arabiâ, [quâ occasione incertum est] Romam venisse lubens fateor, eamque doctrinâ pariter ac sanguine suo nobilitasse non nego. Hinc forsan *Romanus*, & *Romanorum* Episcopus, Scriptoribus Græcis pariter ac Latinis, non raro dictus. Quid quòd sæculo jam sexto Leontius *, (* De Sect. Act. III. p. 403.) dum Patres Ante-Nicænos recenset, Clementem & Hippolytum Ῥώμης Ἐπισκόπους expresse vocat. Quin si aliundè deficerent argumenta, Hippolytum ibi Lares fixisse & Martyrium subiisse, abundè satis fidem faceret Marmorea illius Cathedra in agro Verano, non procul ab Æde S. Laurentii ad Urbem, superiori sæculo effossa. Ubi etiam Cœmeterium erat B. Hyppolyti juxta S. Laurentium, à primis temporibus eo loci conditum; quod vetustate collapsum, instauravit Hadrianus Papa, uti testis est libri Pontificalis Auctor * in Vit. Hadrian. I. 2. Agendum jam de tem- (* Conc. T. VI. col. 1750.)

SÆC. III. ab An. CC.

tempore quo claruit Hippolytus. Et ipsum quidem ad Alexandri Mammææ Imperium, qui regnare cœpit anno CCXXII. communiter referunt Veteres, Eusebius, Hieronymus, Syncellus, alii; ad Alexandri annum VI. Christi CCXXVIII. Eusebius in Chronico. Irenæi, qui vergente ad exitum superiore seculo, mortuus est, discipulum facit Photius, tum in Bibliotheca cod. CXXI. tum tractatu ἀνεκδότῳ adversùs Latinos, *de processione Spiritûs Sancti*; Vetustiorem alii. Hinc Ἱππόλυτος ὁ πάλαι, καὶ Ἀποστόλοις αὐτοῖς γνώριμος dictus Cyrillo * Scythopolytano, & qui Cyrillo antiquior erat, Palladio †. Quod laxiori quidem sensu, de Successione Apostolicâ, eâque secundâ, tertiâve, intelligendum est. Ipse Cyclum suum Paschalem ad primum Alexandri annum perduxit, quousque verò vitam protelarit, non constat. Non moror viros, cæterà eruditos, qui illum anno CCXXXV. Alexandri ultimo, vel Maximini primo, vitam martyrio consummasse volunt. Quod gratis quidem dictum est, nullo antiquitatis testimonio nixum. Eusebius quippè & Hieronymus, qui soli ex vetustioribus meminerunt, illum vixisse quidem & scripsisse sub Alexandro, non Martyrium subiisse, tradunt. Nec desunt qui vitam ejus longè diutiùs producunt. Nobis sufficit, ipsum imperante Alexandro floruisse, Clementis Alexandrini, Origenis, & Berylli Bostreni familiarem. 3. Inquirendum denique, idemne fuerit noster cum Hippolyto Martyre Romano, cujus meminit Prudentius, cujusque Passionem, Monumentum, & Ædiculam ex solido argento cineres ejus continentem, altari super impositam, in Catacumbis Romanis vidit, atque eleganter, ut solet descripsit περὶ Στεφ. Hymn. 10. 516. Fuerat anteà sectâ Novatianus, sed ad fidem catholicam rediit, proque ea strenuè militavit, & docendi munere, summa cum laude, magnoque fructu functus est, donec efflagitantibus Romanis, ad Judicis Tribunal rapitur, damnatusque, ut equis indomitis discerperetur. Quod & factum est, pioque hoc voto beatam animam exhalavit.

* Vit. Euth. cap. 109. ap. Coteler. Monum. T. II. p. 293. & Vit. Sab. T. III. p. 354.

† Hist. Laus. cap. 148. p. 1049.

Ultima vox audita senis venerabilis hæc est:
Hi rapiant artus, tu rape Christe animam.

Tres Hippolytos, martyrio hoc sæculo illustres, nobis exhibet Martyrologium Romanum; Hippolytum Presbyterum Antiochenum circa annum CCLV. Januar. XXX. Hypolytum militem Romanum circa annum CCLXI. Augus. XIII. Et Episcopum Portuensem, August. XXII. De quibus distinctè agit Baronius, tùm in Annalibus, tùm in suis ad Martyrologium notis. Alii aliter sentiunt, & Prudentium ex tribus Hippolytis unicum conflasse volunt. In his est Theod. Ruinartus, qui *Acta primorum Martyrum sincera & selecta* [uti præ se fert] nuper evulgavit, nec alium agnoscit * Hippolytum Prudentianum, præter Portuensem, Martyrem celeberrimum, cui omnia quæ à Prudentio referuntur, optimè competere contendit. Quo minus in hanc sententiam descenderim, duo præcipuè me retrahunt: primò, quòd Hippolytus Prudentianus, Presbyter solummodò dicatur, nusquàm Episcopus; nisi forsan per Presbyterum non alium, quàm ætate seniorem, designat, ut posteà Hippolytum disertè *seniorem* vocat. Certè non desunt quæ ipsum Episcopum fuisse innuere videntur. Qualia sunt, quòd exclamarent Romani,

* p. 159

Ipsum Christicolis esse caput populis.

hoc sublato, omnes Romanos Diis suis se sponte submissuros. Alibi vocatur *venerandus Sacerdos, sanctus Magister*, gregis & ovilis Christi *Pastor sedulus*, & alia quædam, quæ vix ulli quàm Episcopo, hoc saltem sæculo, congruebant. 2. Temporum rationes, hâc in re, haud bene conveniunt. Cùm enim Hippolytus Irenæi fuerat discipulus; quo tempore vigesimum saltem ætatis annum attigisse censendus est, Irenæus verò pro rationibus Dodwellianis, anno circiter CXC. diem obierit; cùm non nisi anno CCLI. in schisma eruperit Novatus quo recens emergente, vix hâc labe statim infectus sit Hippolytus [imò diu ante martyrium id contigisse innuere videtur Prudentius.

SÆC. III. ab An. CC.

———— *Qui quondam schisma Novati Presbyter attigerat*] ————

cum denique Hippolytum, non mox schisma illud deseruisse verisimile sit, & renunciatione jam factâ, diù apud Romanos, docendi munere functum esse, fieri non potuit, quin centenario longè major sit oportet, cùm martyrium pateretur. Perpendat æquus rerum æstimator, & pro suo arbitratu statuat. Utcunque sit, Hippolyti Portuensis erat marmoreum illud monumentum quod in agro Verano, extra muros Urbis Romæ, anno MDLI. erutum est. Cujus dexter laterculus marginem habuit in quâ indiculus plurimorum operum à S. Hippolyto Græcè conscriptorum continebatur. Hanc inscriptionem, æri non ineleganter incisam, in primam hujus Operis partem retulimus, & pro modulo nostro illustravimus. Verùm cùm variæ variorum de re obscurâ conjecturæ sint, eandem inscriptionem, prout ipse eam distinxit & explicavit, pro humanitate suâ, Oxoniâ, ad me transmisit, meliorum Literarum stator, Edvardus Bernardus; quam in Lectoris gratiam, hìc apponam.

Ἀπόδειξις
Κατὰ Ἰουδαίους.
Περὶ κοσμογονίας [q]
Εἰς τοὺς Ψαλμοὺς
Εἰς τὴν ἐγγαστρίμυθον.
Ἀπολογία ὑπὲρ τοῦ κατὰ Ἰωάννην
Εὐαγγελίου καὶ Ἀποκαλύψεως.
Περὶ χαρισμάτων [a]
Ἀποστολικὴ παράδοσις.
Χρονικὸν [b]
Πρὸς Ἕλληνας
Καὶ πρὸς Πλάτωνα
Περὶ αἰτίας τοῦ παντός.
Προτρεπτικὸς πρὸς Σεβήρειναν.
Ἀπόδειξις χρόνων
Τοῦ Πάσχα.
Κατὰ τὰ ἐν τῷ πίνακι [d]
Εἰς ἁπάσας [e] τὰς γραφὰς
Περὶ Χριστοῦ καὶ σαρκὸς
Ἀναστάσεως
Περὶ τ' ἀγαθοῦ καὶ
Πόθεν τὸ κακόν.

[q] Aut περὶ κόσμου συντελείας.

[a] De donis, hoc est, Muneribus & Officiis Ecclesiasticis. Liber enim octavus Constitutionum Apostolicarum, Arabico huic Episcopo debetur.

[b] Hoc extat in Canisii collectaneis.

[d] Claudit enim latus alterum sedentis Præsulis in ære antiquo tabula Paschalis valdè elegans.

[e] Aut εἰς Δανιὴλ καὶ πάσας τὰς γραφάς.

Cùm vero in his jam versemur; En alterius viri planè Eruditissimi Th. Galei, in celebratissimi hujus

Digitized by Google

jus Marmoris Inſcriptionem, conjecturas, τοῖς φιλαρχαίοις non ingratas futuras.

ΙΟΥΣ.] Ἀπόδειξις πρὸς τοὺς Ἰουδαίους. *Demonſtratio adverſus Judæos.* Edidit Poſſevinus. κατὰ τοὺς Ἰουδαίους longè aliud ſonat.

ΝΙΑΣ.) Περὶ ἡγεμονίας. *De Regimine.* Hebedjeſu meminit in ſuo catalogo. Videant eruditi annon hoc ſit illud opus, quod Joſepho malè attribuitur περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ. Certè inſcribebatur etiam περὶ ἡγεμονίας.

ΑΛΜΟΥΣ.) Εἰς τοὺς ψαλμούς. *Exegeſis in Pſalmos.* Ejus hypotheſis apud me extat.

ΙΤΣ ΤΡΙΜΥΘΟΝ.] Εἰς ἐξαστρίμυθον. Meminit Hieronymus. De eodem argumento ſcripſit Methodius.

Α ΥΠΕΡ ΤΟΥ ΚΑΤΑ ΙωΑΝΗΝ] Haud dubiè Ἀπολογία *pro Apocalypſi & Evangelio D. Joannis.* Agnoſcit Hebed-jeſu, & Hieronymus.

ΠΕΡΙ ΧΑΡΙΣΜΑΤωΝ] Opus aliundè incognitum. Suſpicor partem fuiſſe, Ἀποστολικῶν διατάξεων, quas Hippolytus ex Oriente Romam attulit, quæ etiam nunc extant: Syncellus in notis Scaligeri ad Euſebium pag. 176. Hippolytum vocat Ἀπόστολον. Ego id ita accipio. Hippolytus, mittente Dionyſio Alexandrino, attulit Romam παραδόσεις Ἀποστολικάς. Vid. Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. l. VI. cap. 46. pag. 248.

ΑΠΟΣΤΟΛΙΚΗ ΠΑΡΑΔΟΣΙΣ] παραδόσεις Ἱππολύτου laudat Syncellus, ibid.

ΧΡΟΝΙΚωΝ.] Lege cum aliis *Chronicon*, quanquàm & illud ferri poſſit. Meminit Petrus Alexandrinus in tractatu *de Paſchate*, quem edidit Petavius in *Uranologia*, & Nicephorus Chron. ſub Severo Imperatore.

ΠΡΟΣ Ἕλληνας καὶ πρὸς Πλάτωνα, ἢ καὶ περὶ τοῦ παντός. N. L.

ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚΟΣ πρὸς Σεβήρειναν] Fortè Theodoritus meminit.

ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ χρόνων τοῦ πάσχα, κατὰ τὰ ἐν τῷ πίνακι vel πινακίῳ, Qui bene perpendit Anonymi verba hæc apud Labbè *Bibl. MSS.* Tom. I. pag. 305. *Ut autem aliter oſtendamus non tantùm per tempora Regum, ſed etiam à quo Paſcha ſervatum eſt*, & quæ ibi ſequuntur [*Eſdras*, *Ezech.* *Joſias*, *Generatio Chriſti*, *Paſſio Chriſti*, &c. quæ quidem & in Pinace habentur] is facilè videbit hoc ipſum opus Hippolyti deſignari, ſimul etiam Hippolytum iſtius operis *De Diviſionibus & generationibus gentium*, auctorem fuiſſe; quod mihi [nondum inſpectâ Cl. Dufreſnii præfatione ad Chron. Paſchale] pridem videbatur probabile: immò pro certo nunc habeo. Syncellus: Ἰεχονίας, ὁ καὶ Ἰωακεὶμ μῆνας γ. ἄλλοι ἔτη γ. ὡς καὶ ὁ ἱερὸς Ἱππόλυτος. Anonymus. Labbei pag. 305. *Joachim annis* 3. &c. Adhuc Syncellus Hippolyto tribuit ea quæ Euſebius ſcribit; ſub anno XII Nebucodonoſoris p. 242. Ἐπιτ. χρόνων. Atqui eadem in Anonymo Labbeano, paulò licèt confuſiùs, occurrunt pag. 304. 305. In aliis limbis hujus pinacis inſeruntur, *Geneſis Chriſti*, *Ezechias*, *Joſias*, *Exodus ſecundum Danielem, Eſdras ſecundum Daniel. & in Eremo*, *Ezechias ſecundum Daniel. & Joſias*, *Paſſio Chriſti*, *Jeſus ſecund. Daniel. Exodus in Deſerto*, *Eſdras.* Scaliger, inquit Bucherius putat eſſe lectiones ſtatas, vagâſque ex utroque Teſtamento, quarum erat uſus eo tempore, in Eccleſiâ; immò Hippolytus per iſta vocabula deſignat tempora in quibus ſecundùm ejus rationes, Paſcha olim celebrari contigerat. Primum Paſcha ſervabatur in Exitu Iſraelis ex Ægypto. Hoc denotatur voce *Exodus.* Secundum Joſhua celebrabat. Id vocabulum *Jeſus* oſtendit. Idem intelligitur per *Ezechias*, *Joſias*, *Eſdras.* Porrò, *poſt Eſdram ſervatoris uſque generationem* (γένεσιν) *Chriſti poſt annos* DLXIII. *Paſcha fit. A generatione autem Chriſti poſt* XXX. *annum cùm paſſus eſt Dominus*, *Paſcha celebrabatur. Ipſe enim erat juſtum Paſcha*, &c. Cùm igitur hæc omnia breviter in Pinace Hippolyti, latiùs in Labbeano Anonymo, ſed concorditer utrobique ponantur, dubitari non poteſt, quin Hippolytus, utriuſque ſcriptionis ſit auctor. Quod autem additur in Pinace, *ſecundùm Danielem*, per hoc opinor, poſſumus intelligere, Hippolytum in iſtis locis rationes Danielis ſecutum eſſe. Is verò Daniel fuerit Apocryphus ille, quem Nicephorus CP. commemorat, & ſub cujus nomine, multa olim circumferebantur. Sed hoc in dubio pono.

ΩΔΑΙΣ πάσας τὰς γραφάς] Intelligo Odas & carmina in omnes SS. Scripturæ libros, quales multæ nunc extant Græcè, præcipuè in Evangelia, & Epiſtolas, & Pſalmos.

ΠΕΡΙ ΘΥ καὶ σαρκὸς ἀναστάσεως,] Quadratarius in hoc marmore multa peccavit. Quare fortè non ΘΥ ſed Χριστοῦ legamus, nam *de laudibus D. noſtri, & de reſurrectione* opus Hippolyti ferebatur.

ΠΕΡΙ τἀγαθοῦ, καὶ πόθεν τὸ κακόν] Unde malum? Philoſophi & Eccleſiaſtici multum diſputarunt. Videatur Methodius, & Maximus apud Hieron. *de Scriptoribus.* Obſervo eadem ferè argumenta Diodorum Antiochenum, Methodium & Hippolytum tractaſſe. Illud addo, Hippolytum *conſignaſſe tempora Pontificum Romanorum.* Nota enim apud Bucherium *de Doct. Temp.* iſta verba, *Quis, quot annis præfuit.* Eadem habes in Anonymo Labbeano p. 309. Bibl. MSS. T. I. *Nomina Epiſcoporum Romæ & quis quot annis præfuit.* Prior igitur pars iſtius laterculi fuit ab Hippolyto; ſed ex eo quod jam adduximus opere deſumpta. Hactenus Cl. Galeus, penes quem habentur Græcè MSS. ſub Hippolyti nomine hæc opuſcula: *Oratio* εἰς τὰ ἅγια Θεοφάνεια. Pr. ἀγαθὰ μὲν καλὰ καὶ καλά λίαν. *Argumentum*, ſive *hypotheſis in Pſalmos. Sermo de Antichriſto*, in quo habentur nonnulla, quæ etiam Auctor Teſtament. XII. Patriarcharum profert ex libro Enoch, quædam itidem quæ apud Methodium legas. *Demonſtrationem de Antichriſto*, ut & *expoſitionem in Suſannam* [utrumque genuinum Hippolyti opus] Græcè primus extulit Marq. Gudius Hamburgenſis, eleganter planè excuſam, *Pariſ.* 1661. 8*vo.* Recudit cum notis Gr. Lat. Combefiſius in *Auct. noviſſ. Pariſ.* 1672. p. 26. *Tractatus de XII. Apoſtolis.* Fragmenta quædam Hippolyti Thebani ex Chronicâ Hiſtoriâ, multò auctiora quàm apud Caniſium habentur. *Oratio de Antichriſto*, *de ſecundo Chriſti adventu & conſummatione mundi.* Tria poſtrema opuſcula edita ſunt, Juniori Hippolyto procul dubio tribuenda.

Quotquot verò fuerint, quæ poſt ſe reliquit Hippolytus noſter, eruditionis & pietatis monumenta, certum eſt ex genuinis & indubitatis S. hujus Patris ſcriptis paucula hodie integra ſupereſſe. Fragmenta plura tum in Catenis editis & alibi tum in Codicibus MSS. hinc inde deliteſcunt. Præter Canonem Paſchalem, ſcripſit

Digitized by Google

SÆC. III. ab An. CC. opus integrum *de Paschate* [cui etiam Canonem annexuit] quod in plures libros divisum erat. Ex libro I. Fragmentum exhibet Chronici Paschalis sive Alexandrini compilator *Præfat.* p. 6. *Edit. Noviss.* Aliud etiam ex libro *adversùs omnes hæreses* habetur ibidem; quo de Christi Paschate agit. Fragmentum Commentarii *in Canticum Canticorum* exhibet Anastasius Sinaita *quæst.* XLI. p. 334. Prolixius adhuc lectuque dignum *de libris Solomonis* Lambecius Comment. lib. VIII. p. 390. ubi plura de hac re non ineruditè congessit. *Expositionis in Danielem* Fragmentum extat ap. Anastas. *Quæst.* XLVIII. p. 350. *Expositionem in Historiam Susannæ* à Combefisio edita ejusdem operis pars esse videtur. Aliud ex ejusdem expositionibus in dicta quædam S. Scripturæ habetur Biblioth. *cod. Theol.* CXCIX. num. 1. Ibid. *cod. Hist.* VII. *num.* 2. fol. 3. Διατάξεις τῶν ἁγίων Ἀποστόλων διὰ Ἱππολύτου. Incipiunt ἄμα τοίνυν ὑπάρχοντες ἡμεῖς οἱ δώδεκα τοῦ κυρίου Ἀπόστολοι τὰς δὲ τὰς θείας ὑμῖν ἐντελλόμεθα διατάξεις περὶ παντὸς ἐκκλησιαστικοῦ τύπου συμπαρόντος ἡμῖν, &c. Respiciunt *Constitutionum Apostolicarum* lib. VIII. c. 4. 16. p. 457. & forsan nihil aliud sunt, quàm Διδασκαλία illa διὰ Ἱππολύτου quæ in Bibliothecâ *Bodleianâ* asservatur; suam quippe Διδαχὴν habuit Hippolytus forsan non à se compositam, sed ex vetustiorum, virorumque Apostolicorum sermonibus & traditionibus collectam; & quæ forsan non alia fuerit quàm Παράδοσις illa Ἀποστολικὴ, quam inter Hippolyti opera recenset marmoreæ Cathedræ laterculus, cujus suprà meminimus. Palladius Hist. Lausiac. cap. 148. 149. p. 1049. ex libro quodam Hippolyti, qui fuit familiaris Apostolorum, profert narrationem benè longam de Virgine Corinthiacâ, quæ adversùs Judicis gentilis nequitias, pudicitiam & castitatem suam sartam tectam conservavit, & quomodo mediante Magistriano, pio quodam adolescente vestésque cum eo commutando, ex communi prostibulo, ad quod à judice amandata fuerat illæsa evasit. Ex quo verò Hippolyti libro, decerpta sit hæc Historia, Palladius non indicat. In Bibliothecâ Bodleianâ Class. II. cod. 17. fol. 129. extant MSS. quæ sequuntur. S. Hippolytus martyr in illud, *Sapientia ædificavit sibi domum.* Quis sit sensus illorum, Eccles. II. 24. οὐκ ἔστιν ἀγαθὸν ἐν ἀνθρώπῳ ὃς φάγεται καὶ πίεται καὶ δείξει τῇ ψυχῇ αὐτοῦ ἀγαθὸν ἐν μόχθῳ αὐτοῦ. *De dimensione Templi Salomonis:* Quomodò intelligenda sint illa ἐπαινεῖται ὁ ἁμαρτωλὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ καὶ ὁ ἀδικῶν εὐλογεῖται. De quibus ut pote nondum visis sententiam ferre non audeo. Vide. Catal. MSS. Biblioth. Bodleian. cod. CCLXIII. p. 36. In Catalogo Homiliarum SS. Patrum quas edere constituit Lucas Holstenius, erant Hippolyti in S. *Theophania* contra *hæresin Noëti. De Incarnatione* Fragmenta quædam referente *Lambecio* lib. I. p. 3. Neque prætereundum est, quod Anonymi illius Chronici partem ab Adam ad Alexandri Imp. annum XIII. quam Canisius & Labbeus ediderunt sub titulo libri *De divisionibus gentium*, quæque incipit *Liber generationis ab Adam*, Julio Africano à doctioribus tributam, Hippolyto nostro pluribus adserere conatur illustris & eruditissimus Du Fresnius Præfat. *ad Chron. Paschal.* num. XVIII. XXV. Quam benè hanc causam egerit judicent alii; mihi notasse sufficit. Vide quæ hac de re suprà notavit Cl. Galeus.

220. AMMONIUS, Philosophus Alexandrinus, eodem, quo Hippolytus, tempore ab ipso Commodi imperio clarus habebatur, præcipuè verò circa ann. CCXX. Vitæ quidem instituto primùm Bajulus, inde à saccis quibus frumenta circumferebat, *Saccas* dictus. His verò relictis, Philosophiæ se totum dedit; & Philosophorum omnium sui temporis celeberrimus evasit. Scholam Platonicam Alexandriæ aperuit, in qua regenda ἐνθουσιάσας πρὸς τὸ τῆς φιλοσοφίας ἀληθινὸν, ut Hieroclis * de eo verbis utar, *dum astu quodam ad Philosophiæ veritatem raptus est*, rixosas Platonicorum & Peripateticorum disputatiunculas contempsit; Veterum Philosophorum opinionibus perpurgatis, & resectis, quæ utrinque excreverant, nugis, in præcipuis quibusque & maximè necessariis dogmatibus concordem esse Platonis & Aristotelis sententiam demonstravit: utramque Sectam reconciliavit, & à contentionibus liberam Philosophiam omnibus suis Auditoribus tradidit. Unde & illum Θεοδίδακτον appellari solitum prædicat Hierocles. Christianus erat, Christianis Parentibus natus, atque ab iis educatus, ipso fatente Porphyrio *, insigni illo Christianorum adversario; cùm verò illum à veri Numinis cultu ad Gentilium ritum transiisse dicit, ψεύδεται μὲν σαφῶς, inquit Eusebius *, *in eo manifestissimè mentitus est.* Ammonius enim divinæ & Christianæ Philosophiæ præcepta ad extremum usque vitæ terminum integra atque immota retinuit, [Mitto quæ de hâc re habet Eutychius †, utpote nullius judicii & parum probatæ fidei Scriptor] idque testantur, inquit, etiamnum lucubrationes viri illius ob ea quæ reliquit ingenii monumenta celeberrimi. Obiit circa ann. CCXXX.

*De Provid. & Fat. Cod. 251. 214.

* Lib. 3. adversus Christian. apud Eusebi. l. 6. c. 19.

* Loc. cit.

† Annal. p. 332.

Scripsit enim Ammonius inter alia, *De Consensu Mosis & Jesu*, Opus elegans, quod non extat; & *Evangelicos Canones* excogitavit, quos postea secutus est Eusebius Cæsariensis. Sic Hieronymus *. Qui tamen in eo lapsus videtur. Præterquàm enim quod Cassiodorus † Eusebio eos disertè ascribat, ipse Eusebius in Epistolâ ad Carpianum Canonibus præfixâ se Canones istos occasione Ammoniani *Monotessari* excogitasse testatur. Rectiùs forsan Victor Capuanus * qui ab Ammonio mirabili studio repertos, & ab Eusebio deinde diligenter excultos fuisse Canones scribit. Extat in Orthodoxogr. Tom. 2. & in Bibliothecæ PP. singulis editionibus Sanctorum quatuor Evangeliorum *Harmonia* ab Ammonio consarcinata, a Victore autem Capuano interprete Tatiano malè inscripta. In eâ enim exhibentur Christi Genealogiæ, quas à Tatiano amputatas fuisse produnt Eusebius * & Theodoritus †, quæque in Tatiani *Diatessaro*, Ammonio falsò inscripto, reverà desiderantur. Quid quod ipse Victor dubius aliquamdiu hæret, cui potiùs, Ammonio an Tatiano, ascribat; & Zacharias Chrysopolitanus, qui ante annos quingentos Harmoniam istam Commentariis illustraverit, Ammonio eam disertè attribuat? Extat etiam [uti suprà dictum est] Tatiani *Diatessaron* ementitum Ammonii nomen præ se ferens. *Canones* verò *Harmoniæ* aut subjungi solent. Alius longè à nostro, utpote integro penè Sæculo antiquior, erat Ammonius ille Ægyptius Plutarchi Chœronensis Præceptor; de quo ipse Plutarchus lib. περὶ τοῦ [εἶ] τοῦ ἐν Δελφοῖς, pag. 385. Et Eunapius proœm. ad Vit. Sophistarum pag. 11.

* De Script. c. 5.

† Instit. divin. Script. c. 7.

* Præfat. ad Tatiani diatess.

* L. 4. c. 29.

† Hæret. Fab. l. 1. c. 20.

JUL. AFRICANUS, quem nonnulli Palæstinum fuisse volunt, erat, teste Suidâ *, à quo etiam *Sextus* vocatur, Lybiâ oriundus, atque exinde proculdubiò *Africani* nomen traxit. Fama Heraclæ, Origenis Discipuli, viri in Philosophiâ aliisque Græcorum disciplinis excellentis, excitatus. Alexandriam profectus est, ut in optimarum literarum studiis promovendis se cum illo propiùs conjungeret. Lares verò præcipuè fixit Nicopoli in Palæstinâ, quæ antiquo nomine *Emmaus* dicebatur; in cujus gratiam anno CCXX. legationem ad 220.

* In voce Ἀφρικ.

Anto-

Antoninum Heliogabalum suscepit, ut mœnia dirutæ urbis instaurarentur: immò [si fides habenda sit Hebedjesu * Metropolitæ Sobensi] ejusce Civitatis Episcopus fuit. Provectâ jam ætate mortuus est circa ann. CCXXXII. Scripta, quibus inclaruit, hæc fere sunt.

* cat alog. lib. cald. c. 15. p. 18.

De Chronographiâ libri V. ἐπ' ἀκριβὲς πεπονημένοι, inquit Eusebius, lib. 6. cap. 31. *accuratissimè compositi*, concisâ quidem methodo sed quę nihil cognitu necessarium omisit. Incœpit ab Orbe condito; & ad Christi adventum Chronologiam perduxit: magis verò succinctè commemoravit gesta jam inde à Christi ætate usque ad Macrini Imper. tempora, in quibus desiit, vel ut aliis placet, Heliogabali qui Macrino successit, anno 111. Christi autem CCXXI. de quo hęc *Photius Ἐςὶ σύντομος μὲν, ἀλλὰ μηδὲν τῶν ἀναγκαίων ἱςορηθῆναι παραλιμπάνων: *Concisus vero est, nihil vero relinquit eorum, quæ memoratu digna sunt.* Integrum penè hoc opus in priorem Chronici sui partem securè transfudit Eusebius, haud ulla Africani mentione facta: deperditis verò tum Africani tum Eusebii Gręcis, nihil restat, nisi quod Georgius Syncellus in Chronographia sua conservavit; ex qua, ut & ex Fastis Siculis Jos. Scaliger Chronicon Eusebii Græcum, mutilum satis & confusum, consarcinavit, quale in Thesauro Temporum nobis exhibuit; in quo neque quæ sint Africani, neque quę Eusebii, neque denique quę sint Syncelli partes, quis vel divinando assequi possit. Quæ quidem in postremâ Syncelli editione, quam Jacobus Goar Parisinus adornavit, longè distinctiùs discriminantur. Meminerit interim Lector breve Africani fragmentum de Doxologiæ formula ex Chronicorum libro quinto à D. Basilio * citari, & ex libro tertio fragmentum benè longum haberi ap. Euseb præparat. Evang. l. 10. cap. 10. aliudque ex libro quinto ap. eund. Demonstrat. Evang. l. 8. pag. 389. aliud libri V. ex Eusebii Pamphili Propheticis Eclogis [ubi plurima latent] descriptum Græcè exhibere Lambecium Comment. de Biblioth. Vindob. l. 1. pag. 141. Aliud ap. Hieron. in Dan. cap. 9. Aliud denique ap. Damascen. Parall. lib. 2. cap. 15. Suspicatur Vossius † primam partem Collectaneorum Chronologicorum [quę in unum fasciculum redegit Gallus quidam Caroli M. σύγχρονος] non alium esse quàm Africani nostri Chronographiam. Extat Latinè is Liber titulo *de Divisionibus, & Generationibus* gentium, apud Canis. Tom. 11. pag. 579. emendatior ap. Labb. Nov. Bibl. MSS. Tom. 1. p. 298. at in fine mutilus.

* cod. 33.

* De Sp. S. c. 29.

† De Hist. Lat. l. 3. c. 3.

Epistola ad Aristidem, de Dissensione quæ videtur esse inter Matthæum & Lucam in Historia Christi recensenda: In quâ Evangelistarum consensum ex narratione quâdam, quam à majoribus acceperat, apertissimè demonstravit. Hujus partem longè majorem refert Eusebius l. 1. c. 7.

Epistola ad Origenem de Historiâ Susannæ, in quâ Historiam istam quæ in Danielis libro legitur, spuriam & commentitiam, & Hebraicę veritati minimè convenientem esse contendit. De hâc Epistolâ ita ipse Origenes Responsi sui initio. Ἡ μὲν σὴ ἐπιςολὴ βραχεῖα μέντις εἶναι δοκεῖ, ἐν ὀλίγοις δὲ πολλὰ προβλήματα ἔχουσα ὧν ἕκαςον ἐδεῖτο, οὐ τῆς τυχούσης ἐξεργασίας, ἀλλὰ τοσαύτης, ὥςε ὑπερβαίνειν τὸν ἐπιςολικὸν χαρακτῆρα, καὶ συγγράμματος ἔχειν περιγραφήν. *Tua equidem Epistola brevis esse videtur, sed paucis verbis multas continebat quæstiones; quarum qualibet non vulgarem requirebat industriam; sed tantam, quæ excederet Epistolæ modum, & Commentarii ambitum requireret.* Sane rationes quas profert Africanus neutiquam contemnendæ sunt; quarum summam hoc ordine nobis compendio exhibet CL. Werstenius præfat. ad Orig. opuscula. 1. Quod verus Daniel Visionibus Propheticis sua edoctus fuerat: hic verò ex impulsu Spiritus judicium fecerit. 2. Quod lusu verborum mimico more Seniores convincat. 3. Quod lusus ille verborum Gręcorum, σχῖνε ad σχίσαι, & πρῖνε ad πρίσαι, Scriptorem Græcum manifeste prodat. 4. Quod Captivi de Capitalibus non judicant, nec reos capite plectant. 5. Neque illisdem Palatia & Horti spatiosi sint. 6. Hebræis etiam Historia illa in libris sacris non sit consignata. 7. Nec Propheta alterius Prophetę verbis [sicut iste Daniel] utatur. Denique 8. Quod stylus multum à veri Danielis differat. Hanc Epistolam Gręcè edidit D. Hæschelius Anno 1602. Græcè & Latinè unà cum quibusdam Origenis opusculis Joh. Rod. Wetstenius *Basil.* 1674.

Τῶν Κεςῶν Opus, Alexandro Mammœæ nuncupatum. In numero librorum Veteres non conveniunt, nec de Auctore Recentiores. Eusebius * novem tantum fuisse dicit, Photius † quatuordecim, Suidas † verò viginti quatuor: adeò ut errorem alicubi latere necesse sit. Hos libros quotquot tandem fuerint, Jos. Scaliger *. & Hen. Valesius † alio cuidam Africano attribuunt; adeoque duos fuisse volunt Africanos, unum Palæstinum, Chronographum nostrum, religione Christianum; Afrum alterum, Philosophum Gentilem, *Sextum* dictum, κεςῶν Authorem. Aliter visum VV. CL. Vossio † Lambecio *, Wetstenio †, aliisque; à quorum partibus stant Eusebius, Photius, Suidas, qui unum eundemque Scriptorem disertè faciunt. Quid si media insistentes via, dicamus, Africani nostri opus esse, sed ab eo antequam Christi fidem amplecteretur, scriptum? Quod in Athenagoræ Amatoriis, Julii Firmici Astronomicis, aliisque id genus scriptis contigisse verisimile est. Extant hi libri MSS. tum alibi, tum in Bibliotheca Clarissimi Viri If. Vossii.

* chron. Græc. p. 84.
† cod. 34.
† In voc. Ἀφρικ.
* Animad. ad chron. Euseb. p. 232.
† Annot. in Euseb. p. 127
† De Hist. Græc. l. 2. c. 15.
* Biblioth. Vind. Tom. 5.
† Not. in Epist. Afric. p. 154.

Chronicon Africani, & Commentarios in Novum Testamentum apud Chaldæos etiamnum extare scribit Hebediesu; penès quem fides esto.

Sex. Jul. Africanus, Chronographus Christianus, Origenis familiaris, claruit circa annum CCXX. immo diu antea ipsum collocat Anonymus Chronographus Græcus, quem MS. possidet Cl. Galeus, nempe sub Ælio Pertinace qui imperavit an Chr. CXCIII. ἐπὶ τούτου [inquit] ἦν Ἀφρικανὸς ὁ χρονογράφος. Superest Græcè MS. ejus *Narratio de iis quæ in Perside contigerunt per Incarnationem Christi*, ex opere ejus chronographico desumpta: habet hunc titulum & initium: Διήγησις Ἀφρικανοῦ περὶ τῶν ἐν Περσίδι γενομένων διὰ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Κυρίου καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριςοῦ. Ἐκ Περσίδος ἐγνώσθη ἀπ' ἀρχῆς ὁ Χριςὸς, οὐδὲν γὰρ λανθάνει τοὺς ἐν αὐτῇ νομομαθεῖς, ἅπαντα φιλοπονοῦντας. Ὅσα γὰρ, &c. Extat Biblioth. Vindob. cod. Theol. ex dispositione *Lambec.* CCCXXXIV. *Nessel.* XLVIII. num. 4. fol. 26. p. 2. usque ad fol. 28. p. 2. Insigne Fragmentum ex chronographię lib. V. conservavit Eusebius, *Ecloq. prophet. de Christo* lib. III. c. ult. in opere ἀνεκδότῳ Biblioth. Vindob. codice 29. Habetur & aliud de *Genealogia Christi* ex *Epistola ejus ad Aristidem*, ut videtur, depromptum, quodque in ea parte quam nobis conservavit Eusebius, non reperitur ibid. cod. LXXI. in Catena, sive Commentario amplissimo in S. Lucam ex variis SS. Patrum, aliorúmque Veterum Scriptorum Ecclesiasticorum operibus collecto, ubi fol. 251. pag. 2. his verbis incipit, οὐκ ἀκριβῶς μὲν τοι τινὲς λέγουσι, ὅςι δικαίως γέγονεν ἡ διαφορὰ αὕτη τῶν ὀνομάτων καταριθμήσεις τε καὶ ἐπιμιξία, τῶν ἱερατικῶν ὡς οἴονται καὶ τῶν βασιλικῶν, ἵνα δειχθῇ δικαίως ὁ Χριςὸς. Ἱερεύς τε καὶ Βασιλεὺς γινόμενος. &c. confer Lambec. Comment. L. I. p. 141. Quoniam verò

220. P. II.

Digitized by Google

verò præter ea, quæ tùm hic, tum in priori hujus operis parte, recensuimus, longè plura Africani fragmenta, maximam partem chronologica, exhibet Georgius Syncellus, ea quoque, potiora saltem, hoc loco indicabimus. Occurrunt igitur fragmenta Africani ap. Syncellum chronograph. Edit. Paris. *De commentitia Ægyptiorum, Chaldeorumque chronologia* p. 17. *De Egregoris* p. 19. *De diluvio* p. 21. *De dynastiâ* V. p. 57. *De* XIII. p. 61. Alia chronologica p. 83. 86. *De Abraham* p. 99. *De Abrahamo & Loto* p. 100. *De Jacobo* p. 105. 106. 111. Chronologica alia p. 148. 149. 197. *De Hircano, Antigono, Herode, Augusto*, &c. fragmentum satis prolixum p. 307. aliud benè longum *De iis, quæ salutari Christi passione, & vivifica Resurrectione, contigerunt*, p. 322. His addi potest Africani locus ex Athanasiii oratione quadam MS. in interpretatione S. Matthæi de Herode, ejusque genere. Verùm nihil ferè aliud continet quàm quæ de eadem re, ex Africano citat Eusebius Hist. Eccl. lib. I. c. 6. p. 18. Notandum denique Acta S. Symphorosæ & septem ejus filiorum qui Martyrium, imperante Hadriano, circa annum CXX. passi sunt, in MSS. codicibus Julio Africano tribui. Extant apud Surium, Mombritium, aliósque. Exhibet etiam in novâ suâ collectione Theodoricus Ruinartus p. 18. aitque fieri potuisse, ut in Africani libris de Chronographia incerta fuerint, cum in iis præcipuos eventus, qui ab orbe condito usque ab Heliogabali Imp. tempora contigerant, retulerit. Verùm ea Africano asserere non audet, quamvis, *inquit*, de eorum sinceritate nullus videatur dubitandi locus; quod doctioribus, & emunctæ naris viris ægrè persuadebit. Τῶν Κεςῶν opus unà cum Herone Alexandrino aliisque Mechanicis & Mathematicis antiquis nuper in lucem prodiit ex typographia Regiâ *Par.* 1693. fol. sed *Cesti* græcè tantum, nec satis emendatè, ut ipsemet Editor non diffitetur. Interim Africani nostri opus esse non videtur, etsi aliter visum Veteribus, & Recentiorum plurimis, qua de re alibi.

230. ORIGENES, ob incredibiles, quos tum studiorum religionis causâ sustinuit labores, Χαλκέντερος, & *Adamantius* dictus, Alexandriæ natus est anno CLXXXVI. Parentibus ortus Christianis, & in Divinis Scripturis jam inde à puero exercitatus; quod multis exemplis luculentè probat Eusebius. † Unde liquet, quàm egregiè mentiatur Porphyrius *, dum ait, Origenem cum Gentilis esset, & Gentilium innutritus disciplinis, πρὸς τὸ βάρβαρον τόλμημα [ita Christianam Religionem contumeliosè lacessit homo Gentilis] declinasse: Sub Patris Leonidæ auspiciis prima literarum tirocinia posuit, ab eo hausta sacrarum Scripturarum scientia, quam tanta diligentia puer etiamnum excoluit, ut simplici & obvia earum lectione minimè contentus, majus aliquid inquireret, & profondiores jam tum sensus scrutaretur; Patrique negotium haud leve facesseret, sciscitatus ex illo quid sententia divinitùs inspiratæ Scripturæ significaret. Inde Clementis Alex. disciplinæ traditus; postremò celebrem illum Ammonium, de quo suprà, præceptorem habuit; sub quo Platonicæ Philosophiæ præsertim incubuit. Quin non modò Platonicorum sed & Pythagoricorum & Stoicorum Scripta quotidie habebat in manibus, à quibus ut rectè de eo notavit Porphyrius *, cùm allegoricum in explicandis Græcorum mysteriis modum didicisset, eum Judaicis Scripturis adhibuit. Anno CII. sub persecutione Severiana patrem † amisit Martyrio coronatum. Ex eo tempore paternis facultatibus in fiscum redactis, Matrem cum sex parvulis liberis, ex Artis Grammaticæ professione necessaria vitæ subsidia sibi comparans, sustentavit. Annum jam agens XVIII. privatę Catechumenorum institutioni præfectus est; postea in locum Clementis Præceptoris sui in publica Catecheseων Schola à Demetrio Episcopo subrogatus *; quo in loco plurimos, eosque magni nominis Gentiles Discipulos habuit. Sub Zepherino adhuc Pontifice Romam perrexit, ηὐξάμενος τὴν ἀρχαιοτάτην Ῥωμαίων ἐκκλησίαν ἰδεῖν, ut ipse † nos docet. Verùm ibi paulisper moratus, Alexandriam ad consuetum Catecheseων munus rediit. Aliquanto post tempore seditione Alexandriæ factâ, & exercitum eò ducente Imperatore Caracalla, clàm inde aufugiens Palæstinam petiit, & Cæsareæ domicilium fixit †; Ubi ab illius Regionis Episcopis Theoctisto nimirum Cæsariensi, & Alexandro Hierosolymitano rogatus est, ut publicè in Ecclesiâ dissereret, & S. Scripturas, tametsi Laicus adhuc, exponeret: ringente quidem, & ægrè admodum id ferente Demetrio, cum Episcopis per literas hac de re acrius expostulante, qui tamen prolato non uno exemplo quod factum fuerat, tuebantur. Missis verò diaconis Origenis reditum urgere non destitit Demetrius: tandem Alexandriam reversus, vices solitas à Demetrio iterum sibi demandatas obiit. Coorto postea inter Persas & Romanos bello, Antiochiam venit Alexander Imp. Matre Mammæâ comite, piâ imprimis ac religiosâ, quæ ingenti Origenis fama excitata; misso militari satellitio, illum Antiochiam accersivit †, ab eoque multa pietatis & divinę cognitionis documenta hausit. Alexandriam deinde redeuns *, urgente, sumptusque liberaliter suppeditante Ambrosio, ad Commentarios in S. Scripturam scribendos se accinxit, Scholę Catecheticę curam cum Heracla discipulo partitus. Utramque provinciam strenuè excoluit, donec in Achaiam negotii cujusdam Ecclesiastici conficiendi gratiâ evocatus, Cæsaream iterum profectus est: ubi à Theoctisto & Alexandro Episcopis Presbyter ordinatur anno Chr. CCXXVIII. ætatis suæ XLIII. Ægerrimè id tulit Demetrius Episcopus Alexandrinus, doctrinæ ac eloquentiæ Origenianę gloriam olim æmulatus; adeò ut posthac cum Origene nunquam in gratiam rediret. Verùm coacta Synodo *, non modo Alexandria illum expellendum, sed & Sacerdotio exuendum esse decretis Synodicis curavit. An factum id una, an duabus Synodis, parùm refert. Relicta igitur anno CCXXXIII. Alexandria, Cæsaream iterum migravit *, ubi magna sanè cum æstimatione & honore apud omnes floruit: ex ejusque Schola viri doctrina ac pietate clarissimi, atque in his Gregorius Thaumaturgus, & ipsius frater Athenodorus, prodierunt. Mota verò post biennium à Maximino Imp. in Christianos persecutione Cæsarea cedendum ratus, ad Firmilianum Cæsareæ Cappadociæ Episcopum summa sibi necessitudine devinctum se subduxit. Urgente autem adhuc periculo uterque apud Julianam piam, non minùs quàm divitem matronam, usque ad Maximini mortem delituerunt. Quo sublato, pace Ecclesiis reddita, Origenes Cappadociam reliquit, & Nicomediæ aliquamdiu moratus, Athenas iteratò migravit, [quo loci dum moraretur, Commentarios in Ezechielem ipsum absolvisse, testatur Eusebius *, priorem ad eam urbem adventum innuere videtur Epiphanius †) mox ad pristinas sedes Cæsaream Palęstinę reversus; nullo non loco scriptis ab eo recens editis nobilitato. Circa id tempus in Arabiam * ad Berylli Bostrensis Episcopi Hæresim consopiendam enixis Arabum precibus Origenes evocatur.

† L. 6. c. 2.
* Ap. Euseb. l. 6. c. 29.
* Ap. Euseb. l. 6. c. 19.
† ibid. c. 1.
* Ibid. c. 3.
† Ap. Euseb. l. 6. c. 14.
† Euseb. ib. c. 19.
† Ibid. c. 21.
* Ibid. c. 23.
* Pamph. Apol. ap. Phot. Cod. CXVIII. & Hieron. ap. Rufin. invect. II. p. 225.
* Euseb. ib. c. 26. 30.
* Ibid. c. 32.
† Hæres. LXXIV. Num. 1.
* Euseb. ib. c. 33.

Digitized by Google

Quo profectus, colloquio palam habito Hæresim compescuit: Beryllum confutavit, & ad veritatem retraxit: Quin & procedente tempore Helcesaitarum, aliorumque Hæreticorum pertinaciam simul ac errores modo haud dissimili expugnavit. Tandem gravissimam in Christianos persecutionem ciente Decio* Imp. fulminis istius violentiam Tyri [ubi per annum ferè Cæsarea profectus moratus fuerat] Origenes Sexagenario jam major satis gravem excepit. Omnes enim malignus Dæmon in eum copias instantius movebat; adeò ut vincula & corporis cruciatus, & in intimo carceris recessu ferrei torquis ærumnas, perferret pedib. etiam multorum dierum spatio in nervo ad quatuor usque foraminum interstitia distentis, ad hæc ignium minas, & quæcunque alia ab inimicis illata fortiter sustinuit. His tamen non obstantibus, Galli & Volusiani, qui Decio successerunt, temporibus supervixit. Mortuus Tyri, ibique sepultus anno Valeriani Imp. primo, Christi CCLIV. ætatis suę LXIX. Pamphilus quidem Martyr, & cum eo plurimi [teste Photio*] referunt Origenem celebri martyrio sub persecutione Deciana vitâ decessisse. Verùm errorem meritò notat Photius, cum ad Galli & Volusiani tempora perduravit. Quin & Epiphanius* etsi fateatur ipsum multa sub Decio passum, martyrii tamen exitum minimè adeptum esse disertè tradit. Nec saltem ex alio fonte profluxit Pamphili error [si modò ejus fuerit] quam ex celebri illius confessionis famâ, quam Cæsareæ sub Decii persecutione tulit Origenes, queque martyrii cujusdam præparatorii titulum jure vendicare potest.

(* Euseb. ib. c. 39.)

(* Cod. CXVIII.)

(* De Pond. & mensur. Num. XVIII. p. 175.)

Moribus erat inculpatissimis, & vitam egit planè Philosophicam, penéque supra fidem rigidam & severam: lectionis item & eruditionis erat infinitę, Linguarum pręcipuè Hebraicę & Græcæ callentissimus, *Dialecticam quoq;* [ut Hieronymi*, de immortali ejus ingenio, ita enim vocat, verbis utar] *Geometriam, Astronomiam, Arithmeticã, Musicam, Grammaticam & Rhetoricã, omniumq; Philosophorum Sectas ita didicit; ut studiosos quoq; literarum sæcularium Sectatores haberet, & interpretaretur iis quotidie; concursusq; ad eum miri fierent, quos ille propterea recipiebat, ut sub occasione sæcularis literaturæ in fide Christi eos instrueret.* Addam quod habet Vincentius Lirinensis*, prolixiora quidem, at elegantia, & huic loco apposita. " In Origene, *inquit*, plura adeò præclara, adeò singularia, adeò mira extiterunt, ut inter initia habendam adsertionibus ejus finem quivis facile judicaret. Nam si vita facit autoritatem; magna illi industria, magna pudicitia, patientia, tolerantia. Si genus vel eruditio; quid eo nobilius, qui primum in ea domo natus est, quę est inlustrata martyrio, deinde pro Christo, non solùm patre, sed omni quoque facultate privatus, tantùm inter sanctę paupertatis profecit angustias, ut pro nomine dominicæ confessionis sæpius, ut ferunt, adfligeretur. Neque verò hæc in illo sola erant, quę cuncta postea tentationi forent: sed tanta etiam vis ingenii, tam profundi, tam acris, tam elegantis; ut omnes penè multùm longèque superaret: tantâ doctrinæ ac totius eruditionis magnificentiâ, ut pauca forent divinæ, penè fortasse nulla humanę Philosophiæ, quę non penitùs adsequeretur: cujus scientię cùm Græca concederent, Hebræa quoque elaborata sunt. Eloquentiam verò quid memorem, cujus fuit tam amœna, tam lactea, tam dulcis oratio, ut mihi in ore ipsius non tam verba quàm mella quędam fluxisse videantur? Quæ non ille persuasu difficilia disputandi virib. elimpidavit? quæ factu ardua non ut facillima viderentur, effecit? Sed forsitan argumentorum tandummodò nexibus adsertiones suas texit? Immò planè nemo unquam magistrorum fuit, qui pluribus divinę legis uteretur exemplis. Sed, credo, pauca conscripsit? Nemo mortalium plura; ut mihi sua omnia non solùm non perlegi, sed ne inveniri quidem posse videantur. Cui ne quicquam ad scientiæ instrumenta deesset, etiam plenitudo exabundavit ætatis. Maximam certè laudem, teste ipso Porphyrio*, ob ea quę reliquit, ingenii sui monumenta adeptus est. Fama enim erat, eum sena millia librorum conscripsisse; quo numero singulas quasve Homilias & Epistolas comprehendi necesse est. Stylo usus est perspicuo & facili, sed diffuso nimis & redundanti. Unde vitio ei datum est ab adversariis, quod *infinita verba multiplicavit**: Hinc toties ei objicit Hieronymo vetustior, Eustathius † Antiochenus, quòd ἄνω καὶ κάτω ταυτολογεῖ γραωδῶς, *quod idem satis aniliter iterat repetendo*; quod κουφολογίᾳ περιηχήσας ἀπειροπληθεῖ τὸν κόσμον, οὐδὲ τοῦτο ξυνιέντων. *immanem verborum copiam absque modo vel fine profuderit*, φλυαρίᾳ δὲ πολλῇ ταυτολογήσας*, *ingenti verborum ambitu iterum atque iterum eadem repetierit.* Sed parum refert de stylo, modò in dogmatibus nihil esset, quod objicerent Adversarii. Fatendum sanè illum à toto penè antiquorum senatu damnari, gravissimisque erroribus urgeri, quorum vestigia satis nota in ipsius Operibus hodie comparent. Præter multos enim, gravesque errores, quos aut ipsi invito impegerunt Veteres, vel communes habuerunt Scriptores antiqui, hæc ferè errorum capita in ipsius Scriptis ubique deprehenduntur; de quibus pręter alios, fusissimè in *Origenianis* CL. Huetius.

(* De Script. c. 54.)

(* Commonit. c. 23. p. 342.)

(* Ap. Euseb. l. 6. c. 19. Epiphan. Hæres. 64.)

(* Epiphan. ad Joan. ap. Hieron. Tom. II. p. 158.)

(† Dissert. de Engastrim. p. 384.)

(* Ibid. p. 403.)

Inter SS. Trinitatis Personas inæqualitatem, ac dignitatis gradus intercedere voluit; ita ut Filius Patre, & utroque Spiritus S. inferior esset: Pari modo ac radius à solari corpore emissus, ipsi Soli dignitate cedit. Christi mortem non hominibus solùm, sed Angelis etiam, Dęmonibus, quin & Sideribus [utpote animâ rationali ex ipsius sententia præditis, adeóque peccati capacibus] profuisse. Rationis participes naturas omnes sive Dęmonas, sive Animas humanas, sive alias quascunque [nam & alias plerasque rationis compotes esse somniavit] ejusdem omnes inter se naturæ, & eodem tempore, nempe ab æterno à Deo conditas fuisse, tuncque fuisse νόας, deinde verò propter varios illarum motus & diversum liberi arbitrii usum in varios ordines sive Angelorum, sive Hominum, sive Dæmonum distributas esse, graviora vel subtiliora corpora pro criminum modo ac mensurâ indutas. Angelos enim cæteraque entia rationalia corpore sui generis subtili quidem & ęthereo, materiali tamen constare credidit; ita ut incorporei & spirituales nonnisi reliquis mundi corporibus comparati, & crassiorum respectu dici meruerint. Mentes porrò [eo nomine omnia entia rationalia complectendo] in quocunque demum statu sive Angelorum, sive Hominum, &c. versatę fuerint, prout benè vel malè libero arbitrio [cujus jacturam, ne minimam quidem unquam patiuntur] usæ sint, post exutum istum statum, vel in superiorem gradum ascendere, vel in deteriorem detrudi, mutuâ quadam μετενσωματώσει in æternum factâ, ita ut una eademque mens omnes entium rationalium ordines successivè idque sępiùs experiri queat. Hinc animas humanas non nisi peccati antea commissi causâ in corporum ergastula detrudi, quibus solutæ aut Angeli fiant aut Dæmones commissa scelera pœnâ temporariâ luituri. In eo enim consistere Resurrectionis mysterium docuit, Quod Justorum animæ levioribus & æthereis corporibus sint induendę, impiorum autem

tem pro peccatorum magnitudine graviora vel leviora tormenta sint subiturę. Quinetiam nec damnatorum, nec ipsorum etiam Diabolorū pœnas, nec beatorum gaudia fore sempiterna, sed pœnis expletis ac conflagrata terra, futuram rerum omnium conversionem & ἀποκατάστασιν, redituraque ad pristinum statum omnia, terram iterum habitatam iri, mentes eodem futuras loco, quo fuerunt, antequam virtutibus vel peccatis ad Angelorum, Dęmonum, Hominumve naturam adjungi meruissent, iterumque fata sua experiundi facultatem nancisci. Hujuscemodi denique rerum periodos in æternum revolvi, ac sese invicem excipere.

Hi ferè errores, aliique affines, qui ex his quasi Corollaria facile deduci possunt, ac imprimis Allegorica S. Scripturas explicandi methodus [cui in tantum indulsit, ut totam Paradisi Historiam, integram ferè legem Mosaicam, ac pleraque etiam Christi pręcepta & res gestas allegoricè interpretatus sit] plurimorum odium & inimicitias, atque anathemata tandem, illi induxerunt. Qui si defendi nequaquam possint, multis saltem nominibus merentur excusari. Fusè id egerunt plurimi. Missis ergo aliorum Apologiis, quinque hæc solummodò breviter animadvertam. I. Multa Originem adhuc juvenem in Schola Platonica pręjudicia hausisse, quę demum excutere haud ita facilè fuit: multa ætatis suæ genio, cui dogmata ejusmodi, ac imprimis Allegorica Scripturæ Expositio in deliciis erant: multa nimiæ in scribendo festinationi, & multifaria sollicitudine ac cura distracto animo: multa denique præfervido Origenis Hæreticos oppugnantis ingenio sunt condonanda. Hinc

* Cod. 117. Apologista ejus apud Photium * errorem illius circa Trinitatem nimio Sabellium confutandi zelo, acceptum refert, & ex reliquis erroribus benè multi haud dissimilem originem agnoscunt. II. Multa ab eo dicta, scripta sunt non dogmaticè, verùm problematicè, & exercitationis aliorum duntaxat causâ. Quid quod maximam Dogmatum erroneorum partem dubius admodum & hæsitabundus in medium proferat; quasi nec ipse eorum veritatem persuasam habens, nec à Lectoribus fidem eis adhibendam sperans. Vid. Apologiam de Origene & ejus Dogmatibus apud Photium loc. cit. Pamphili Apologiam apud Hieron. Tom. IV. p. 172. Hieronymi Epistolam ad Avitum Tom. 2. p. 151. quin & ipsum Origenem περὶ ἀρχῶν l. 2. c. 6. Certè Origenes etsi ingenio fuerat sciendi cupidissimo, timiditate tamen, atque modestia quadam naturali ardorem suum cohibuisse videtur. Hinc [quod rectè notat CL. Werstenius] †

† Not. Epist. Orig. ad African. p. 169. toties in Scriptis ejus occurrit illud τάχα *forsitan*, *fortaße*, item δοκεῖ, *videtur*, si quid insolitum aut novum proferebat. Patuit utrumque in emendatione LXX. Interpretum, cum enim multis modis vitiatam [de editione κοινῇ & vulgata loquor, ab Origine correcta] reperisset, eam quidem corrigere aggressus est. Sed non tam forti ausu, ac intrepido pectore, quo Hieronymus. Pluribus idem persequitur loco citato vir eruditus. III. Libri Origeniani quibus errores prę aliis continentur, non in communem Ecclesię, sed in privatum Amicorum usum scripti sunt, nec ab se, sed ab aliis in lucem prolati. Unde apud Fabianum Papam de Ambrosio familiari

† Ap. Hieron. ad Pammach. de err. Orig. Tom. 2. p. 193. suo conquestus est †, *quòd secretò edita in publicum protulerit.* Vide hac de re Pamphili Apologiam præcipuè pagin. 174. 177. Quinetiam de his ipsis Origenem pœnitentiam egisse ipse Hie-

† Loc. cit. ronymus † fassus est. IV. Multæ, quę in Origene damnantur opiniones, nullis neque Ecclesiæ Catholicæ articulis, neque Apostolicis Traditionibus, nec Conciliorum decretis, eo saltem tempore adversabantur: sed vel quæstiones erant reconditę, nonnisi in Philosophorum Scholis agitatæ; aut notiones minùs commodę ab ipso recèns adinventę. Certè in ipsâ Operis περὶ ἀρχῶν prefatione pro fundamento disertè ponit Origenes, servandam esse Ecclesiasticam Pręedicationem per successionis ordinem ab Apostolis traditam, & usque ad id temporis in Ecclesiis permanentem, eamque solam credendam esse veritatem, quę ab Ecclesiastica non discordat Traditione. V. Notandum est, plurima Origenis scripta ab Hęreticis fœdè adulterata fuisse, qui vel opiniones ejus nomine inseruerunt. Id ita esse pluribus adversùs Hieronymum ostendit Ruffinus, per totam quam pro Origene composuit, Apologiam, & Præfatione ad libros περὶ ἀρχῶν à se Latinè versos. Quin semet adhuc vivente, id ausos esse questus est olim Origenes non modò apud Apologistam Photianum, verùm & in Epistola, quam ad Alexandrinos scripsit, quamque suę Apologiæ Ruffinus intexuit. Unde meritò concludit

Ruffinus † nullo modo fieri potuisse, *ut vir tam eruditus, tam prudens,* [quem post Apostolos *Ecclesiarum magistrum*, inquit Hieronymus, nemo nisi imperitus negat] *certè quod indulgere etiam accusatores ejus possunt, Vir neque stultus, nec insanus, ipse sibi contraria & repugnantia in sententiis suis scriberet; interdum iisdem in locis, atque ut ita dixerim, sequenti ferè Capite sententia contrarii sensus reperiantur inserta.* Certè olim Theotimus Scytharum Episcopus, Vir pietate & sanctimonia venerandus, Epiphanio, ut Origenis libros damnaret, pluribus urgenti respondit †, se neque eum qui jampridem piè defunctus fuerat, contumeliâ afficere velle neque tam impium facinus aggredi audere, ut ea condemnet quæ Majores minimè repudiarunt: pręsertim cùm sciret nil malę doctrinæ in Origenis libris reperiri. Omnia summatim contraham, idque verbis Haymonis Halberstatensis Episcopi. " Ego sanè " de eo, *inquit* *, salvâ fide Patrum dixerim, vel " quod hæc omninò non scripserit, sed ab Hære- " ticis ob pręclarum nomen ejus obfuscandum " malignè conficta sint, & conscripta, & nomi- " ne suo pręetitulata; vel si scripsit non statuit " ex sententiâ, sed disseruit ex opinione. Nam ut " ipse dicit, Philosophorum & Hęreticorum dog- " mata didicerat, ne ad eos convincendos im- " paratior esset, si ignoraret quę apud ipsos erant; " & fortasse cum in aliquibus locis scribendo at- " tingit eorum errores, calumniatus est, hoc à se- " metipso dixisse. Quod si etiam pręedictas hęre- " ses, ut placet quibusdam, ex sententia scripsit, " valde compatiendum est tam eruditi pectoris " viro, qui tantam nobis eruditionis copiam mi- " nistravit. Cujus vitia si quę sunt in scriptis, " potest eorum quæ fideliter scripsit, luminosus " quidem ac cœlestis splendor exuperare.

† Apol. p. 194. Præfat. in lib. de Nom. Hebr.

† Socrat. Hist. Eccl. l. 6. c. 12.

* Breviar. Hist. Eccl. l. 6. c. 3. p. 208.

Opera ejus, quorum notitia ad nos pervenit.

Singulos Scripturę libros Origenis studio illustratos fuisse testantur Epiphanius †, & alii. Quod sanè triplici modo ab eo factum est. Nam vel prolixis Commentariis, quicquid suppeditabant ingenium, & doctrina, ubertim congessit; vel brevibus tantùm Scholiis obscuriora quæque illustravit; vel ad populi captum se demisit, & selecta quędam Scripturę loca minùs accuratè per Homilias exposuit. Quique interpretandis Scripturis triplex Expositionis genus adhibuit, triplicem etiam illis sensum eruere ac investigare consue-

† Hæres. 64.

Digitized by Google

SÆC. III. ab An. CC. consuevit; Historicum, quem & Literæ sensum appellant, Mysticum, & Moralem. Ab Historico autem sensu ad Mysticum, à Mystico ad Moralem fere progreditur: quamquam hunc ordinem nonnunquam immutet. Cæterum quotquot ex hisce Exegeticis vel supersunt, vel à Veteribus memorantur, proximè sequuntur. Antequam autem ea recenseamus, notari non indignum est, magnam in distinguendis Origenis Homiliis adhibendam esse curam. Alias enim mediatè conscriptas edidit. Alias ex tempore recitatas ab actuariis excipi permisit. Priores variis temporibus elucubravit: Extemporales verò omnes [quæ literis mandatæ sunt] post sexagesimum ætatis annum pronunciatæ sunt. Ex utroque genere multæ extant.

Homiliarum Mysticarum in Genesin libri II.

Commentariorum in Genesin libri XIII. Fragmenta quædam apud Eusebium, Pamphilum & Philocalias supersunt.

Extant Latinè (à Rufino versæ) *Homiliæ* XVII. diversæ autem à Mysticis, Extemporales fuisse videntur.

Commentariorum Tomi in Exodum, Fragmenta eorum reperire est ap. Philocal. cap. 26.

Scholia in Exodum.

Homiliæ in Exodum XII. à Rufino versæ. Extemporales videntur.

Scholia in Leviticum.

Homiliæ in Leviticum XVI. extant ex Rufini versione. Extemporales videntur. *Homilia* 2. in Leviticum fragmentum ap. Philocal. c. 1. exhibetur; cujus ne apicem quidem in Homilia 2. Latinæ Editionis, aliisve reperias, ex quo facile intellectu est plures in Leviticum Homiliarum Collectiones fuisse. Idem de Homiliis in alios Scripturæ libros paribus argumentis ostendi potest.

Homiliæ in Numeros XXVIII. extant ex Rufini versione, & extemporales fuisse videntur. Scholia quoque eum edidisse prodit Ruffinus: Sed in unum ita cum Homiliis permista sunt à Rufino, cum Latine utraque exponeret, ut pro uno, eodemque opere haberi queant.

Sese aliquando in Deuteronomium disseruisse Origenes alicubi declarat: & octo in hunc locum Origenis Homilias memorat Cassiodorus. Porrò dictos in Pentateuchum Tomos Origenis Hexaemeron vocat Hieronymus, Ep. ad Pammach. de Error. Origen. Tom. 2. pag. centesima nonagesima secunda.

In librum Iosue extant Homiliæ XXVI. ex versione Rufini. Extemporales sunt. Fragmentum ex Homiliâ 20. Philocaliæ cap. duodecimum repræsentat.

In librum Iudicum extant Homiliæ IX. ex ejusdem versione.

In libros Regum duæ omnino *Homiliæ* supersunt. Prior in I. Regum, cap. 1. & 2. Latinè solum ex Rufini versione; altera in I. Reg. 28. *de Engastrimytho* inscripta, habetur Græco-latina inter Eustathii Antiocheni Collectanea ab Allatio edita *Lugd.* 1629. 4. & inter Origeniana Huetii in II. Tomis edita *Rothomagi* 1668. necnon inter *Critica Sacra*: *Londini* 1660. Tom. VIII. col. 407. Utraque extemporalis videtur. Testatur insuper Origenes se aliquando *de duabus Meretricibus*, quarum litem Solomon diremit, in Ecclesiâ ad populum disseruisse. Cassiodorus præterea scribit se IV. Origenis Homilias in primum Regum librum invenisse, unam in secundum Regum, & al-

Cave Hist. Lit.

teram satis prolixam in secundum Paralipomenωn. Idem narrat visas sibi esse in duos *Esdræ* libros singulas Origenis Homilias, quæ à Bellatore Presbytero Romanâ oratione explicatæ sunt.

In Iobum Homiliæ, quas è Græco in Latinum ab Hilario Confessore versas tradit Hieronymus. * — * Advers. Vigilant. Tom. 2. p. 313.

In Psalmos { *Commentarii*, qui in Cæsareâ Viennensi Bibliothecâ & alibi asservantur. / *Homiliæ.* / *Scholia.* }

Ex Commentariis multa vel imitatus, vel interpretatus est Hilarius, quem quadraginta fermè millia versuum Origenis in Job & Psalmos transtulisse refert Hieronymus *. Septem Commentariorum istorum Tomos à decimo nempè ad XVI. Latinis verbis ipse expressit Hieronymus. Tractatus adhuc CL. Origenis in Psalterium vidisse se narrat Trithemius †. Ex Homiliis IX. viz. in Ps. XXXVI. Hom. V. in Psal. XXXVII. Hom. II. in Psalm. XXXVIII. Hom. II. à Rufino Latinè versas editio Origenis Latina habet, quas tamen aut Origenem Authorem, aut Rufinum Interpretem habere multi negant, an meritò, judicent eruditi. Ex Homilia in Psalm. LXXXII. fragmentum exhibet Eusebius l. 6. c. 8. & Homiliam in Psalmum centesimum ipse citat Origenes. Brevibus Scholiis Psalterium ab Origene annotatum fuisse Auctor est Hieronymus. Porrò è Tomis in Psalmum I. habemus partes aliquas apud Eusebium, Pamphilum, Philocaliam & Epiphanium. Rursus insigne fragmentum è Tomo in Psalmum 4. exhibet Philocalia; & aliud è Commentario in Psalmum 6. Apologeticus Pamphili; & alia iterum fragmenta è commentariis in Psalmos XV. XVIII. & XL.

* Apol. ad. vers. Rufin. Tom. 2. p. 196.

† De Script. Eccl. fol. 10.

In Proverbia Commentarii, ex quibus particulas duas deprompsit Pamphilus in Apologia. Catena quoque MS. Bibliothecæ Mazarinianæ in Lucam ad cap. VIII. ver. 4. insigne fragmentum indidem expromit.

In Ecclesiasten Explicatio. Cujus meminisse Methodium affirmat Sixtus Senensis *, quam tamen neque nos, nec ipse Huetius qui omnia diligenter investigavit, in Methodio invenire potuimus. — * Biblioth. Sanct. l. 4. in Orig.

In Cantica Canticorum Commentarii, post annum CCXXXVIII. scripti, quorum binam editionem adornavit Origenes, alteram juvenis, unico Tomo constantem, ex qua laciniam Philocaliæ capiti 7. intextam deprehendas; alteram jam provectior longè auctiorem, decem quippè Tomos complexam, ex qua quidquid hodiè superest, in Homilias VI. malè distribuitur; [quarum duæ priores interpretem habent Hieronymum, reliquæ à quibusdam Hieronymo sunt adjudicatæ, sed malè. Rufinum enim Interpretem habent. Vid. CL. Pearsonum Vindic. Ignat. par. I. p. 111. &c. adversus Blondellum & Dallæum de istarum Homiliarum authore & interprete fusè disserentem. Fragmentum è Tomo 2. habetur in Philocal. cap. 26.

In Esaiam { *Commentariorum* libri XXX. / *Homiliæ* XXV. / *Scholia.* }

Digitized by Google

Præter ista alios sub Origenis nomine de visione τετραπόδων, duos ad Gratam libros suo tempore circumlatos, (licet pseudepigraphi vulgò haberentur) memorat Hieronymus Præfat. Comm. in Esaiam.

Ex Commentariis fragmenta bina in Pamphili Apologetico asservantur. Extant Lat. Homiliæ IX. quas extemporales fuisse, & ab Hieronymo versas censet Huetius.

In Hieremiam Homiliæ XLV. teste Cassiodoro.

Ex his XIV. confuso ordine ab Hieronymo versæ inter Latina Origenis Opera extant. Extant Græcè in variis Codd. SS. Novendecim, quarum XII. inter Hieronymianas Latinè habentur. Ex Codd. MSS. VII. eas sc. quæ in Hieronymianis deerant, edidit Mich. Ghislerius in Catena sua in Jeremiam *Lugd.* 1623. Integras deinde XIX. (seu potius XVIII. ultima enim Clementis Alexand. est) Græcè edidit sub Cyrilli nomine Balth. Corderius, *Parif.* 1648. Origeni demum postliminiò redditas Huetius publicavit. Fragmentum Homiliæ XXXIX. Philocaliæ caput duodecimum, exhibet. Extemporales esse vult Huetius.

*L. 6. c. 24. *In Threnos Tomi* IX. ex quibus quinque duntaxat ad suam ætatem pervenisse Eusebius * prodit.

In Ezechielem Tomi XXV. vicesimi particula constat Philocaliæ cap. II.

Ex Homiliis XIV. ab Hieronymo versa in Latina editione extant. Exemporales esse judicat Huetius.

In Danielem Expositio.

In XII. Prophetas Tomos XXV. reperit Eusebius. Scripsit adhuc Origenes in Hoseam, Zachariam & Malachiam, Commentarios: qui tamen è XXV. priorum numero fuisse censeri possint. De Commentariis in Hoseam testatur Hieronymus Origenem duo scripsisse *Volumina*, in quibus nihilominus vix tertiam partem à principio Libri usque ad visionem Quadrigarum edisseruit, nempe parvum libellum, cui hunc Titulum imposuit, περὶ τῦ πῶς ὀνομάσθη ἐν τῷ Ὠσηὲ Ἐφραΐμ, in quo ostendere voluit, quæcunque contra eum dicuntur ad Hæreticorum referenda Personam; aliud item *volunt* ἀκέφαλον καὶ ἀτέλεςον. Ex his Commentariis in Hoseam petitum fragmentum extat in Philocaliæ cap. 8. (Prolog. in Ose. Tom. 6. p. 4.)

In Matthæum
- *Commentariorum* libri XXV. Philippo imperante scripti.
- *Homiliæ.*
- *Scholia.*

Ex his quicquid Græcè extat, nempe Commentariorum partem à capite XIII. vers. 36. incipientem, ad cap. XXII. 33. pertingentem edidit Huetius, unà cum fragmentis aliquot è tomis II. & VII. quæ apud Pamphilum, Eusebium, & Philocaliam asservantur. Quicquid autem Latinè extat (viz. Commentariorum pars à Capit. XVI. 33. initium ducens & ad finem fere Evangelii progressa) in Homilias XXXV malè divisum Interprete [uti Huetius conjicit] vel Epiphanio Scholastico, vel Bellatore Presbytero, Cassiodori familiaribus, in Latina Editione habetur.

Inter Homilias, quæ in Diversos inscribuntur VII. circa Matthæi interpretationem versantur.

In Marcum Tractatus à se scripti meminit Origenes tract. XXXV. in Matth. Cujus nemo, quod sciam, mentionem fecit.

In Lucam
- Tomi V.
- Extant Lat. Homiliæ XXXIX. ex Hieronymi versione. Scriptæ sunt ab Origene adhuc perquam Juvene, judice Pearsono.

Particulas quasdam Origenis Commentariorum in Matthæum, in Lucam, & in Joannem exhibet Jul. Cæsar Bulengerus, quas alibi reperire non est: unde eas deprompserit, incertum est.

In Iohannem
- *Commentariorum* Tomi XXXII. ex quibus priores circa an. CCXXII. scripti, posteriores post ann. CCXXXVII. Horum XXII. viderat Eusebius.
- *Homiliæ* II. habentur inter eas, quæ In Diversos inscribuntur.

E commentariis Tomi IX. hodie supersunt, ab Huetio Græco-Latinè editi, viz. 1us. 2us. VI. X. XIII. XIX. XX. XXVIII. XXXII. E Tomo IV. fragmenta adducuntur *Philocaliæ* cap. 4. item cap. 5. alia fragmenta è Præfatione quinti Tomi, cujus Præfationis aliam quoque portionem exhibet Eusebius lib. 6. capit. 25. Editi sunt Tomi isti IX. Latine à Genebrardo inter Opera Origenis, in quibus editionibus notandum est eos in XXXII. Tomos divisos haberi. Quod ex Græculi alicujus fraude profectum esse nos docet Possevinus opus mutilatum callidè aucta librorum multitudine tanquam integrum venditare cupientis. Istius fraude illusus Ambrosius Mediolanensis, monachus Casinensis hoc ipsum Opus Latinè vertit, & XXXII. Tomorum partitione impressum divulgavit.

In Acta Apostolorum Homiliæ aliquot. Caput siquidem Philocaliæ 7. claudit Fragmentum è 4. Homilia in hunc librum.

In Epistolam Pauli ad Romanos Commentariorum Tomi XX. quos pessimâ fide Latinè à se versos, miserè interpolatos, detrunçatos & ad mediam fere partem contractos edidit Rufinus, Versione suâ in X. Tomos distributa & Hieronymo summâ vafritie ascripta. Fragmenta ex hisce Commentariis bina habentur in Pamphili Apolog. E Tomo I. expertum amplum subministrat Philocaliæ caput 24. aliudque è Tomo IX. ejusdem caput 9.

In I. ad Corinthios Commentarii.

In Epistolam ad Galatas
- *Tomi* V.
- *Scholia.*
- *Tractatus* varii.

teste Hieronymo.

In Epistolam ad Ephesios Commentariorum libri III.

In Epistolam ad Colossenses Commentarii, ex quorum libro 3. laciniam exhibet Pamphilus in Apologetico.

In I. ad Thessalonicenses ἐξηγητικὰ quorum 3m. librum

Digitized by Google

SÆC. III. ab An. CC. brum citat Hieronymus Ep. ad Miner. Tom. 3. p. 193.

In Epistolam ad Titum ἐξηγητικὰ, ex quibus Fragmenta nonnulla habes in Pamphili Apologetico.

In Epistolam ad Hebræos { *Commentarii.* *Homiliæ.*

Ex illis fragmenta quædam Pamphilus Apologiæ suæ inseruit, ex his Eusebius Hist. Eccles. l. 6. c. 25.

In Apocalypsim Expositionem pollicitus est Origenes tract. 30. in Matth. an præstiterit, non liquet.

Horum ἐξηγητικῶν quicquid Græcè reperiri potuit, unà cum versione Latina edidit *Rothomagi* 1668. in II. Vol. fol. Vir. CL. P. Daniel Huetius, additis insuper Notis & dissertationibus Origenianis; in quas omnia quæ ad Origenem, ejusque Dogmata ac libros spectant ὅλῳ τῷ θυλάκῳ congessit. Ex quibus nos in hisce Origenis Scriptis recensendis lucis haud parum accepisse non ingrati profitemur. Huetii editionem nuper expresserunt *Francofurtenses* II. vol. fol. 1686.

Origenes in secessu suo apud Julianam nobilissimum simul ac utilissimum, quod *Hexapla* appellavit, opus concinnavit ac edidit. Opus istud ex Diplis Hebraicis, (sc. textu Hebraico Hebraicis ac Græcis characteribus expresso) ac quatuor Instrumenti Veteris Versionibus viz. LXX. Aquilæ, Theodotionis, & Symmachi, per totidem columnas dispositis constabat: ita ut Textus Hebraicus propriis literis depictus primam, idem Græcis characteribus exaratus secundam, Aquilæ versio tertiam, Symmachi quartam, LXX. Senum quintam, Theodotionis sextam columnas occuparent. Ex his LXX. Versionem accuratè recensitam emendaverat Origenes. Suppletis ex Theodotione quæcunque in eâ deerant in Hebræo expressa, additamentis hisce asterisco notatis, quæcunque verò LXX. senes præter Hebraicorum Codicum fidem adjecissent obelo præfixo insignivit. Hisce sex columnis accedentibus postea, atque ultimo loco appositis binis aliis Versionibus Græcis, quarum prima à studioso quodam ex iis qui erant Hierosolymæ, in doliis Hierichunte reperta imperante Caracalla, secunda sub Alexandro Mammeæ Nicopoli ad Actium à quodam Origenis discipulo inventa est, addita adhuc alia Psalmorum Versione, quæ unà cum Codice Hierichuntino reperta fuerat, emerserunt *Octapla*. Sunt tamen, qui volunt *Hexapla* atque *Octapla* unum, idemque fuisse opus, modò à sex, modò ab octo columnis denominatum. Nec enim integræ fuerant Versiones Anonymæ, sed aliquos duntaxat S. Scripturæ libros continebant. Unde factum, ut Opus istud partim esset *Hexaplum*, partim *Octaplum*, annumerata denique ultima Psalmorum versione, partim *Enneaplum*; licet hujusce in tota Bibliorum denominanda mole, ratio à nemine habita fuerit.

Procedente tempore *Tetraplum* Origenes in gratiam studiosorum, quibus tantum abs re sua vel otii vel facultatis non erat, ut Hexapla comparare possent, edidit ex quatuor notissimis Græcis Versionibus, nempe Aquilæ, Symmachi, LXX. & Theodotionis, eodem prout in Hexaplis ordine ac methodo dispositis, concinnatum. Utrumque Opus interiit. Specimen tantum Hexapli ex Cod. MS. Card. Barberini exhibent Biblia Waltoniensia Tom. VI. ex quo Schema quoddam Hexaplorum nos olim delineavimus, cujus & alibi * copiam fecimus.

Cave Hist. Lit.

SÆC. III. ab An. CC.

* In Vit. Origenis Num. 18. Vit. PP. Primit. Tom. I.

Libri de Resurrectione II. totidem enim memorat Eusebius, quartum tamen alicubi citat Hieronymus. Ex libris primo & secundo fragmenta aliquot deprompsit Pamphilus in Apolog. Ejusdem quoque Operis particula quædam habetur, l. 2. περὶ ἀρχῶν. c. 10.

De Resurrectione Dialogi II.

Stromateων libri X. ex his ultimus commaticâ Epistolæ ad Galatas Expositione ferè constabat. Ex libro VI. Specimen desumptum habet Hieronymus, in quo mendacio aliquando uti licere contendit Origenes. Ex X. fragmentum bene longum profert idem Hieronymus Comment. in Galat. cap. 4. p. 191.

Protrepticus ad Martyrium, Maximino Imperante scriptus; & Ambrosio, ac Protocteto Cæsariensis Ecclesiæ Presbytero nuncupatus. Extat. Gr. Lat. à Wetstenio primùm editus unà cum notis *Basil.* 1674. 4°.

Epistolam ejusdem argumenti ad Patrem Martyrio destinatum scripserat Origenes etiamnum Puer, cujus Epistolæ verba quædam repetit Eusebius l. 6. c. 2.

Acta disputationis Origenis cum Beryllo habitæ de quibus plura in Beryllo. Præter hunc Dialogum [ita enim Acta inscribuntur] alios quoque literis Origenes mandasse fertur. Rufinus quendam ab eo scriptum, & à Candido Hæretico quicum habitus fuerat, adulteratum memorat. Africanus initio Epistolæ de Susanna laudat *Dialogum* ejus *in Agnomonem*.

Epistolæ plusquam centum, quas à se fuisse collectas, & in libros proprios digestas tradit Eusebius: ex his integræ extant.

Epistola ad Julium Africanum de Historia Susannæ circa ann. CCXXXVIII. scripta, quam primus Græcè edidit Hæschelius *Augustæ Vindel.* 1602. 4°. deinde Græcè ac Latinè cum notis Wetstenius, loc. cit.

Epistola ad Gregorium Thaumaturgum ad sacrarum literarum studium adhortatoria, quæ Philocaliæ cap. 13. exhibetur.

Fragmenta quædam aliarum *Epistolarum* hinc inde à Veteribus proferuntur, ab Eusebio l. 7. c. 2. 19. 36. à Rufino, Hieronymo, Cedreno, Suida, & in Catenis.

Libri περὶ ἀρχῶν IV. ante annum CCXXXIII. scripti, difficillimi sanè atque obscurissimi, qui in Latina Origenis Operum editione extant ex Versione Rufini pessima fide confecta, multis quippe omissis, multis interpolatis ac in melius mutatis, uti nec ipse dissimulat Rufinus. Haud dissimili arte in cæteris etiam à se versis Origenis libris usus est Rufinus, adeò ut vera Origenis sententia ob Interpretis malèfidi additamenta, truncationes, atque interpolationes vix ac ne vix deprehendi possit. Quapropter Hieronymus librorum περὶ ἀρχῶν versionem adornavit; ut Ecclesiæ Latinæ Origenis errores, & Rufini fraudem detegeret. Ejus autem versio temporis injuria interiit. Hoc opus Origenis adversariis perpetua erat calumniandi & convitiandi seges, qua occasione liceat mihi Origenis Epitaphium à studioso quodam sub ejus persona conscriptum, quod in veterrimo Codice Corbeiensi libris περὶ ἀρχῶν præfixum reperit CL. * Mabillonius, hoc loco subjicere. Præmissa est hæc inscriptio.

* Analect. Tom. 3. p. 660. 665.

 TITULUS

Digitized by Google

SÆC. III. ab An. CC.

TITULUS ORIGENIS SUPER TUMULUM A SEIPSO COMPOSITUS.

Ille ego Origenes Doctor verissimus olim
Quem primum fidei gratia clara dedit.
Si mihi credere vis, libros tot millia scripsi,
Quot legio missos mittit in arma viros.
Nulla meos unquam tetigit blasphemia sensus,
Sed probus, atque vigil, tutus ab hoste fui.
Sola mihi casum Periarcon dicta dederunt:
His me confectum undique tela premunt.

Contra Celsum libri VIII. Ambrosii rogatu conscripti circa an. CCXL VII. contra Philosophum istum Epicureum qui Christianam religionem impugnaverat libro, cui titulum fecit ἀληθὴς λόγος. Hosce Gr. Lat. primus edidit cum notis D. Hæschelius *Augusta-Vindelicorum* 1605. 4°. inde unà cum doctissimis annotationibus Gul. Spencerus. *Cantabrigiæ* 1658 4°. Paucis ab hinc annis ibidem recusi sunt.

Interpretatio Nominum Hebraicorum & Mensurarum Novi Testamenti, ad imitationem Philonis libelli de Interpretatione Nominum Hebraicorum Veteris Testamenti, cui etiam libro opus suum adjunctum edidit Origenes. Meminit ejus Auctor Quæstionum ad Orthodoxos. Imaginem ejusdem, forsan & versionem liberiorem repræsentat Hieronymus in libro de *Nominibus Hebraicis Novi Testamenti.*

De Oratione liber hortatu Ambrosii & Tatianæ elucubratus; in quo de natura, vi, variisque orandi generibus, aliisque huc spectantibus accuratè satis agit; quædam verò haud satis sana dogmata, idque γυμνῇ τῇ κεφαλῇ profert, & quæ vix ullis coloribus excusari possunt. V. g. Sect. I. ubi negat preces nostras ad Christum esse dirigendas, sed solummodò ad Patrem & Universi Deum; Filium verò esse ἕτερον κατ' οὐσίαν, καὶ ὑποκείμενον τοῦ πατρός. Ut alia levioris momenti taceam. Hujus opusculi ἀποσπασμάτιον quoddam, pagellam nempe unam aut alteram *Par.* edidit Morellus anno 1601. integrum verò opus unà cum Paraphrasi in Orationem Dominicam ex Codice Holmiensi (qui nunc in Bibliotheca Collegii Sanct. Trinitatis Cantabrig. servatur) Græcè & Latinè ediderunt Oxonienses anno 1686. 12°.

Commentarii in Veteres Philosophos, quorum Opera non Prælectionibus solùm, sed Scriptis etiam in discipulorum gratiam explicabat Origenes. Meminit eorum Eusebius.

Philocalia, quæ quid sit, breviter declarat Epigraphe ipsi præfigi solita. Ἐκλογὴ ἡ παροῦσα περιέχει βίβλος γραφικῶν ζητημάτων καὶ λύσεων ἐκ διαφόρων βίβλων τῶν Ὠριγένους ποιηθεῖσα ἠθροισμένη ὑπὸ τῶν τὰ θεῖα σοφῶν Γρηγορίου καὶ Βασιλείου. Prodiit Gr. Lat. *Paris.* 1618. 4°. & in calce Cantabrigiensium Editionum librorum contra Celsum.

Contra Sectas & Hæreses liber, hunc MS. extare sed mutilum ab ea parte quæ refutationem continebat Florentiæ in Bibliotheca Medicea, testis est qui vidit, & ni fallor inde descripsit Rev. Mabillonius It. Ital. p. 168.

OPERA SUPPOSITITIA.

D*ialogus contra Marcionitas de Recta in Deum Fide*, cum Megethio, Marco, aliisque Hæreticis habitus, quem tamen genuinum esse Origenis opus, pluribus argumentis contendit Wetstenius, contrarium licet sentiant eruditorum pars potior: Justa saltem est de eo dubitandi ratio: Vir Cl. Huetius Maximo eum adjudicat, ut suprà dictum est in Maximo, Dialogum istum Græc. Latin. primus edidit notis illustratum Cl. Wetstenius loc. cit.

SÆC. III. ab An. CC.

In Jobum
- *Commentariorum* libri III. in tria priora Jobi capita. Extant in Latina Operum Origenis edit.
- *Commentariola* sive *Scholia* in totum librum, Perionio interprete.
- *Homiliæ* IV. quas Chrysostomi esse deprehensum est.

Commentarios & Commentariola binis Autoribus Arianis è Lucianistarum sectâ ascribit Huetius.

Commentarius in Evangelium Marci, qui in Bibliotheca Regiâ Parisinâ, & Corporis Christi Oxoniensi Græcè extare dicitur, à nonnullis Codicibus Origeni, ab aliis Cyrillo Alex. à reliquis Victori Antiocheno ascriptus. Sub Victoris nomine Latinè à se redditum edidit Theod. Peltanus.

Homiliæ in Diversos IX. quarum antehac meminimus quibus etiam decima *de Mariâ Magdalenâ* adjungi solet. Extant in Latinâ Origenis editione.

Ὠριγένους φιλοσοφούμενα, sive de Philosophorum sectis & dogmatibus liber. Autor in Procemio se Episcopum fuisse affirmat. Epiphanio adjudicat Huetius, apud quem plura de eo vid. Origenian. l. 3. c. 4. §. 9.

Lamentum sive *Planctus Origenis*. Lat. in Origenis Opp. editionibus.

Scholia in Orationem Dominicam, & in *Cantica B. Virginis, Zachariæ, Simeonis*, quæ sub Origenis, velut ipse apposuit, alterius Doctoris συγγενοῦς nomine, Græcè edidit Fred. Morellus *Paris.* 1601. 8°. Verum Petrum Laodicensem legitimum esse Autorem ex Bibliothecâ PP. colligit Huetius. Sed Scholia *in Orat. Domin.* ipsius Origenis esse videntur, & libello *de Orat.* in edit. *Oxon.* subjiciuntur: Si modò eadem sint Scholia; Editio enim *Paris.* jam ad manum non est.

Libellus de Singularitate Clericorum, qui inter Cypriani opera habetur, à nonnullis Origeni ascriptus, sed malè: licèt Author ejus non contemnendæ sit vetustatis, Hieronymi saltem ævo non inferior.

Origenis Opera, quotquot Latinè solummodò habentur, prodierunt *Paris.* 1512. 1522. 1530. 1536. *Basil.* 1536. auctiora verò ibid. 1545. 1571. deinde *Paris.* 1574. curâ Gilb. Genebrardi, 1604. 1619.

Postremò monendus est lector, alterum fuisse Origenem, nostri coævum, Philosophum Gentilem, cui Scholam suam ingredienti assurrexit Plotinus, summaque eum veneratione prosecutus est. Ejus mentio fit apud Longinum † Porphyrium *, Hieroclem *, Proclum *, aliosque. Illum viri cæterà doctissimi cum nostro Origene malè solent confundere.

† Lib. περὶ ψυχῆς
* In vit. Plotini.
* Ap. Phot. Cod. 214.
* In vit. Porphyr. 1.
* Plat. Theo. l. 2. c. 4. p. 90.

ORIGENES ortu Alexandrinus, claruit anno CCXXX. Post uberrimam Origenianorum messem, quam collegit vir eruditissimus Daniel Huetius, & ea quæ nos ipsi pro modulo nostro, in priori hujus Historiæ parte de Origene, ejusque scriptis disseruimus, frustrà amplum à nobis spicilegium expectandum erit. Unum igitur, alterumve notasse sufficiat. In opere *contra Celsum* Origenes plurium librorum à se scriptorum ipse meminit. Nempe libro VII. p. 33. *Commentariorum in Isaiam* atque *Ezechielem*, & in aliquot è XII. *Prophetis*. L. V. pag.

230. P. II.

SÆC. III. ab An. CC. V. pag. 263. *Commentariorum in epistolam ad Romanos.* L. II. pag. 101. *Exegeticῶν in I. ad Thessalonicenses.* L. V. pag. 144. operis *de Resurrectione.* Præter Commentarios & Homilias, quas in Psalmos edidit, brevibus Scholiis Psalterium illustrasse testatur Hieronymus. Extant hæc *Scholia* Græcè MSS. singulis versibus subjuncta à Psalm. IX. v. 10. ubi incipiunt his verbis: Οἱ γὰρ ἐξ αὐτῶν πιστεύσαντες ἔγνωσαν, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ κριτὴς πάντων, &c. habentur Protopsaltæ Ecclesiæ cujusdam Cretensis manu descripta Biblioth. Vindob. cod. Theol. ex dispositione *Lambecii* XVI. *Nesselii* CCCXI. Extat penes Cl. Galeum Græcè MS. Ὑπόμνημα Ὠριγένους εἰς ψαλμούς Pr. Οἱ ἐπιγεγραμμένοι ψαλμοὶ ὑπὲρ, &c. & ex Origenis commentariis aliud longum τμῆμα, cui etsi Origenis nomen non sit præfixum, ejus tamen esse ex Hieronymi apologiâ ad Ruffinum, perspicuè colligitur. Perplurima etiam ex Origenis Scholiis in Catenis MSS. penes se habet idem Vir eruditus. Ex libris περὶ Ἀρχῶν XXIV. Fragmenta Græcè habentur in Justiniani Imperat. Tract. *Advers. Orig. Errores* Concil. Tom. V. pag. 672. &c. Quædam etiam in excerptis Methodianis περὶ τῶν γεννητῶν, quæ ex hoc opere desumpta videntur. Opus integrum quantivis pretii alicubi fortè apud nos latere suspicatur Galeus, præsertim cùm Nic. Fullerus nostras hos libros MSS. citet *Miscel. Sacr.* lib. IV. cap. 13. vereor tamen ne potius designet fragmenta quædam hujusce operis alicubi MSS. latentia. Librum *de oratione*, Oxonii ante paucos annos editum, notis illustratum, nuper iterùm in lucem emisit Cl. Wetstenius Professor Basiliensis *Amstel.* 1695. 4*to.* Codicem MS. Holmiensem, quem tantoperè celebrat Huetius, ab Is. Vossio accepit Herbertus Thorndicius, à Thorndicio unà cum nonnullis aliis Origenis Commentariis Galeus, qui illum reposuit in Archivis Bibliothecæ SS. Trinit. Coll. ap. Cantabrigienses, & ex hoc codice fluxit Editio, tùm Oxoniensis tùm Amstelodamensis. In hoc opusculo, multis disputat Origenes de vi & significatione vocis, ἐπιούσιος, quæ minùs probat Galeus noster, nullo modo *substantialem* panem in illâ notari putans, sed potiùs ab ἐπὶ & ἰὼν, ἰούσης, derivari contendit. Eadem enim analogiâ quâ dicimus γέρων, γερούσης, γερούσιος, ἑκὼν ἑκούσης ἑκούσιος ἐθέλων ἐθελούσης, ἐθελούσιος, &c. dici etiam potest Ἰὼν, ἰούσης, ἰούσιος, Ἄρτος ergo ἐπιούσιος est *panis superveniens, assiduus, quotidianus*; ut benè & Latinè vertit vulgatus Interpres. *Expositio brevissima Orationis Dominicæ*, quam sub Origenis nomine Græcè edidit Morellus *Paris.* 1601. & quæ editionis *Oxoniensis* calci subjecta est, ipsius Origenis non esse videtur, partim ob styli discrepantiam, partim quòd in ea quædam aliter explicantur, quàm in tractatu suo genuino exponit Origenes; nec quicquam Origenis libro *de Oratione* affine habet. Φιλοσοφούμενα quæ Origeni sed falsò tribuuntur, extiterunt Græcè MSS. nuper ap. Luc. Holstenium Bibliothecæ Vaticanæ Præfectum, ut ex indice codd. MSS. Græcorum, quem ab amico acceperat, fidem facit Cl. Morhofius, *Polyhist.* l. I. cap. 7. quo de Manuscriptis agit. Habuit eorundem exemplar Cl. Menagius.

Origenis Philocaliam Græcè MS. penes se habet Galeus noster, emendatam ex variis codicibus MSS. novâque versione donatam, quam ut in lucem emittat omnes puto eruditi mecum obtestabuntur. Denique multa Origenis opera, nobis incognita, vidit apud Episcopum quendam Græcum in Chio Insulâ vir eruditus, fide optima, longéque meliori fato dignus, Fr. Vernonius Anglus, ut Literæ quas hac de re scripsit ad Cl. Galeum, perspicuè testantur.

Cave Hist. Lit.

AMBROSIUS, Alexandrinus, generis claritudine, vitæ instituto, (erat enim τῶν διαφανῶν ἐν αὐλαῖς βασιλικαῖς, inquit Epiphanius *) facultatum copia, nec minùs indolis atque ingenii acumine, & quod majus est, pietate, & Christiani nominis confessione nobilissimus. Claruit circa ann. CCXXX. Uxorem habuit Marcellam, ex qua plures liberos suscepit. Sectæ Valentinianæ & Marcionistæ insidiis captus, Origenis Operâ ad rectam fidem & Catholicam veritatem reductus est; Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconus factus: Ex quo arctissima ei cum Origene necessitudo intercessit. Amici fidelissimi unà sæpius habitabant, junctisque studiis rem literariam eo animi ardore promovebant, ut neque inter cœnandum ab Exemplarium S. Voluminum inter se collatione abstinerent; neque à cœna ambulare, aut corpus quiete relaxare datum sit. Quin & illo etiam tempore literis vacabant, studiis in multam noctem protractis; ne quid dicam de matutinis laboribus, qui ad nonam nonnunquam verò ad decimam horam trahebantur, uti ipse Origenes † nos docet. Quæstiones ad dubia Origeni solvenda quotidie proponebat Ambrosius, illumque ad Commentarios in S. Scripturam conscribendos innumeris stimulis non verbis modò, sed & re ipsa incitavit, ἐργοδιώκτης propterea ab eo dictus. Sumptus enim necessarios ad alendos septem & amplius Notarios, qui dictanti Origeni per vices præstò adessent, totidemque Librarios unà cum Puellis eleganter scribendi peritis copiosè subministravit. Illi etiam scripta sua corrigenda non raró submisit Origenes. Obiit post Maximini persecutionem Origene adhuc in vivis agente; ob id unum reprehensione dignus, quòd cum locuples fuerit, amici & magistri sui, senis jam & inopiâ laborantis, moriens non recordatus sit. Scripsit *Epistolas ad Origenem*, ex quibus judice Hieronymo *, liquidò constat eum non inelegantis ingenii fuisse. N. E.

SÆC. III. ab An CC. 230. * Hæres. 36. † Epist. ap. Suid. in voc. Orig. p. 390. & ap. Cedren. p. 208. Hieron. de Script. c. 56. * Loc. cit.

BERYLLUS, Bostrorum in Arabiâ Episcopus. Claruit circa an. CCXXX. Qui cum Ecclesiam suam prudenter ac fideliter diu rexerat, tandem in nova dogmata, & à fide Catholicâ aliena lapsus est, ausus asserere Dominum ac Servatorem nostrum antequam inter homines versaretur non substitisse in propriæ personæ differentia; nec propriam, sed paternam duntaxat Divinitatem in se residentem habere. Plurimis Episcoporum colloquiis & disputationibus eâ de re ultro citroque habitis, rogatus est Origenes unà cum reliquis, ut sermones cum eo consereret; qui allatis rationibus & demonstrationibus convictum hominem quasi manu apprehendens ad veritatis viam perduxit, & ad pristinam sanamque sententiam revocavit. Scripsit lucubrationes & Epistolas, præsertim ad Origenem, quibus ei gratias egit. Varia quoque elegantis ingenii monumenta, quæ διαφόρου φιλοκαλίας Eusebius † vocat: quibus intelligi Hen. Valesius * Hymnos & Poëmata intelligi putat. Extitit † Hieronymi ætate *Dialogus Origenis & Berylli*, in quo Hæreseos iste coarguebatur: Idem designari opus opinor de quo Eusebius *, φέρεται ὡσεὶ νῦν ἔγγραφα, τοῦ τε Βηρύλλου, &c. Extant hodieque tum Berylli, tum Synodi istius causa congregatæ, *Scripta* edita in quibus & quæstiones adversus illum propositæ ab Origene, & *disputationes*, in Ecclesia ejus habitæ, & singula quæ tunc gesta sunt, continentur. N. E.

230. † L. 6. c. 20. * Annot. p. 123. † De Script. c. 60. * L. 6. c. 33.

232. GEMINUS, sive Geminianus, Presbyter Antiochenus. Claruit circa an. ccxxxii. sub Zebenno Antiochiæ Episcopo, qui notante Eusebio * Ecclesiæ Antiochenæ cathedram ascendit anno ccxxix. Pauca quædam ingenii sui monumenta eum composuisse testatur Hieronym. † Quænam verò ea fuerint, nec Eusebius, nec ipse Hieronymus posteris tradiderunt. N. E.

* Chron. an. ccxxix.
† De Script. c. 64.

233. TRYPHON, Origenis Auditor, ad quem nonnullæ ab eo scriptæ sunt Epistolæ. Claruit circa an. ccxxxv. De eo haud aliud dicendum restat, quàm quod habet Hieronymus *, eum scilicet in Scripturis eruditissimum fuisse, idque multa ejus Opuscula testari, præcipuè librum quem composuit De Vacca Rufa in Num. cap. XIX. & de Dichotomematibus, quæ cum columba & turture Abrahami ponuntur in Genesi. N. E. Græcè penes Galeum nostrum εὐχὴ τοῦ ἁγίου τρύφωνος. Hujus an alterius, non constat.

* De Script. c. 57.

233. FIRMILIANUS, Vir genere, pietate, atque eruditione illustris, circa an. ccxxxiii. Cæsareæ Cappadocum Episcopus factus est. Multa ei cum Origene tunc docendi munere Cæsareæ in Palæstina fungente familiaritas intercessit, immò tam propenso erga Origenem animo fuit, ut modo illum in suam Provinciam ad Ecclesiarum utilitatem evocaret, modò ad ipsum visendum Judæam usque proficisceretur, & cum eo aliquandiu maneret, ut majorem rerum divinarum cognitionem perciperet. Tanti ab omnibus habitus est, ut gravioribus Ecclesiæ negotiis eo tempore agitatis semper interfuerit. Magnas cum Stephano Romano Pontifice ob Dogmata de Hæreticis Rebaptizandis lites exercuit. Coacta enim Episcoporum Galatiæ, Phrygiæ, Ciciliæ, & proximarum Provinciarum Synodo Iconiensi, Cypriani sententiam Hæreticos denuò esse rebaptizandos adversus Stephanum constanter contendentis confirmavit: Propterea à Stephano malè habitus, qui rupto pacis Ecclesiasticæ vinculo eum ab Ecclesiæ suæ communione abscidit. An. cclxv. Synodo Orientalium Antiochiæ adversus Paulum Samosatenum ejusdem Urbis Episcopum habitæ interfuit, & magna pars erat; in qua Dogmatis à Paulo invecti novitatem quidem damnavit, hominem verò ipsum sententiam se mutaturum promittentem damnare distulit, ab homine nullius fidei deceptus, speransque sine ullo Religionis dispendio rem optimè posse constitui. Synodi istius Epistola Synodica à Turriano tenebris eruta extat Gr. Lat. Concil. Tom. I. Auctuar. Bibliothec. PP. Parif. 1624. Tom. I. p. 302. Cum verò anno cclxx. ad secundam Synodum Antiochenam adversus eundem Paulum collectam iter faceret, & jam Tarsum usque pervenerat, ibi grandævus decessit: uti Synodi istius Patres in literis suis Encyclicis testantur †. Extat inter Epistolas Cyprianicas Firmiliani ad Cyprianum Epistola, à Cypriano, cujus stylum planè sapit, Latinè ut videtur, versa; qua confirmata Cypriani de Hæreticorum Baptismo sententiâ, Stephanum Papam ob inhumanitatem, audaciam, insolentiam aliaque ab eo improbè gesta acerbè perstringit. Firmiani libros, quos post se reliquit, citat Basilius de Spiritu S. cap. 29. pag. 360. quot verò, vel quinam fuerint non dicit.

Eufeb. l. 6. c. 26. 27.
† Ap. Eufeb. l. 7. c. 30.

244. NEPOS, in Ægypto Episcopus, forsan alicujus civitatis ex præfectura Arsinoitica. Claruit circa ann. ccxliv. Promissiones hominibus sanctis in sacris Voluminibus factas Judaïco sensu intelligendas esse voluit, unde & mille annorum spatium corporalibus refertum deliciis in hac terra sanctis post resurrectionem indultum iri docuit, argumentis pro dogmate suo ut plurimum ex Apocalypsi ductis, cujus libri oracula cum spirituali & allegorico sensu accipienda esse contenderent Orthodoxi, Nepos *Librum de* ista quæstione composuit, quem *ἔλεγχον ἀλληγοριστῶν* vocavit, tanto passim favore ab Ægyptiis acceptum, ut schismate facto integræ Ecclesiæ à recta fide deficerent. Quapropter Dionysius Alexandrinus Nepotis jam mortui librum scriptis duobus *de Promissionibus* voluminibus refutavit, & coactâ Presbyterorum Arsinoiticorum Synodo Sectatores ejus disputatione habita, ad sanitatem reduxit. Scripsit adhuc Nepos in Ecclesiæ usum *Psalmos* atque *Hymnos* quamplurimos pios admodum & ab ipso Dionysio celebratos. Verum hæc Nepotis nostri opera jam olim periisse videntur. Quare, an non idem fuerit Nepos cujus liber Apochryphus in Decreto Pseudo-Gelasiano damnatur?

THASCIUS CÆCILIUS CYPRIANUS, Carthaginensis, artis oratoriæ professione clarus, magnam sibi gloriam, opes, honores, acquisivit, epularibus cœnis & largis dapibus assuetus, pretiosâ veste conspicuus, auro atque purpurâ fulgens, fascibus oblectatus & honoribus, stipatus clientium cuneis, frequentiore comitatu officiosi agminis honestatus; ut ipse * de se loquitur. Longè majorem vitæ partem inter Gentiles Idololatriæ assertor transegit, donec mediante Cæcilio Presbytero Carthaginensi (cujus proinde nomen sibi postea assumpsit) à sæculari errore ad fidem Christi transiit, haustoque cœlitus Spiritu in novum hominem nativitas secunda eum reparavit. Contigisse id anno 246. probabili sanè conjectura ductus statuit Reverendus Episcopus Cestriensis in accuratissimis Annalibus Cyprianicis. Neophytus factus bona vendidit, & in pauperum usus erogavit: statim à baptismo libellum ad Donatum scripsisse videtur, & longè post alium de Idolorum vanitate, Tertulliani magistri sui, ac imprimis Minucii Fœlicis, è quo plurima ad verbum transtulit, æmulus. Exeunte anno 247. Presbyter Charthaginensis factus est; annoque insequente, & jam adulto efflagitante plebe, & penè rapiente, ipsomet verò humiliter renitente, & latebras quærente, ad Episcopalem celeberrimæ illius Ecclesiæ thronum post mortem Donati promovetur; quem vix per anni & quod occurrit spatium ornaverat, cùm exortâ sub Decio persecutione, ad Leonem in Circo sæpius petitus, secessum quæsivit; proscriptus sub hac solenni formula: SI QUIS TENET VEL POSSIDET DE BONIS CÆCILII CYPRIANI EPISCOPI CHRISTIANORUM, &c. In hoc secessu, ne Ecclesiæ suæ utilitati prorsus deesse videretur, scripsit XXX. quæ extant Epistolas. Persecutione sopita anno 251. latebris egressus, & Ecclesiæ suæ redditus, Synodum Carthagine in causa lapsorum habuit: qua statutum est, pœnitentiam eorum diu protrahendam esse, ut nec in totum spes pacis denegaretur, nec censura Ecclesiastica solveretur. Synodus verò Idibus Maii anni proximi habita paulò mitius cum iis egit, decernens ob ingruentes tempestates pacem lapsis pœnitentibus concedendam esse. Grassante paucis post mensibus ferali peste simul ac fame, Cyprianus tam sermone, quàm manu, tum voce, tum opere suis prospexit: eademque occasione elegantissimum libellum de Mortalitate exaravit. Anno 253. Concilium 66. Episcoporum Carthagine celebravit; in qua

* Ad Donat. p. 2.

Digitized by Google

quâ scripta est Epistola ad Fidum de Baptismo parvulorum. Ortam anno 255. de Baptismo Hæreticorum controversiam Cyprianus Concilii Carthaginensis decreto sedare conatus est, statuens Hæreticorum Baptismum invalidum ac planè nullum esse. Hâc enim de re Synodum hoc anno habitam esse ostendit eruditissimus Annalium Cyprianicorum Conditor. Istam sententiam Synodus 71. Episcoporum anno proximè sequenti habita authoritate suâ confirmavit. Cum verò non pauci, ac in iis præcipuè Stephanus Episcopus Romanus, strenuè restiterint; majus & frequentius Concilium Calend. Septembr. ejusdem anni convocavit Cyprianus, in quo Episcopi 87. suffragiis suis sigillatim pronunciatis prius decretum roborarunt. Anno 257. persecutionem in Christianos movet Valerianus Imper. quando Cyprianus confessione coram Aspasio Proconsule facta in exilium mittitur, Curubas provinciæ Zeugitanæ intra mare Libycum oppidulum relegatus: ubi visione divina de Passione post annum exactum subeunda admonetur. Quod sanè ita evenit. Anno enim sequente ab exilio retractus, capitis damnatur, Proconsule decretum ex tabella recitante, THASCIUM CYPRIANUM GLADIO ANIMADVERTI PLACET. Quod factum est XVIII. Kalend. Octobr. in agro Sexti an. 258. ejusque corpus in areis Macrobii candidi Procuratoris juxta Piscinas in Viâ Mappaliensi conditum. Integro decennio sedem Carthaginensem occupavit, primusque Episcoporum istius Urbis Martyrii coronam meruit. Vir planè θαυμάσι☉, Christianæ pietatis cultor summus, disciplinæ Ecclesiasticæ & Episcopalis potestatis vindex acerrimus. Bonis artibus apprimè imbutus, in Rhetorica excelluit, in Sacris Theologicis acutissimus. Tertulliani scripta continuò versavit, sine quorum lectione vix diem ullam præterivit. Notario suo dicere solitus, *Da Magistrum*: quod ex ipsius Notarii ore exceptum Hieronymo * retulit Paulus Concordiensis. De stylo ejus audiamus Christianæ eloquentiæ Principem †. *Vnus igitur præcipuus & clarus extitit Cyprianus: admodum multa conscripsit in suo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioso & suavi, [quæ sermonis maxima est virtus] aperto: ut discernere nequeas utrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit.* Opera ejus [teste Hieronymo *] *Sole clariora*, secundùm tempora quibus scripta sunt, & prout in Editione Oxoniensi disponuntur, hic enumerabo.

* De Script. c. 53.

† Lactant. Instit. l. 5 c. 1.

* De Script. c. 67.

Scriptus Anno 246.

Libellus ad Donatum, à sæcularibus Oratorum disciplinis ad Christi fidem recens conversum.

247.

De Idolorum Vanitate.

248.

Testimonium ad Quirinum adversus Judæos Libri III.

De habitu Virginum.

249.

Epistolæ IV. *viz.* 1. 2. 3 4. in Edit. Oxon. quæ in Editionibus Rigaltianis sunt numero 65. 60. 64. 61. Notet interim Lector, in novissima Rigaltii Editione à Priorio adornata *Parif.* 1666. numerorum ordinem turbatum esse. Nam deest numerus 23. ac proinde omnes sequentes numeri justam quantitatem unitate excedunt.

250.

Epistolæ in secessu scriptæ XXIX. una cum quinque aliis ad Cyprianum scriptis; atque unica Celerrimi ad Lucianum Confessorem Carthaginensem, altera Luciani ad Celerinum, aliaque Chaldonii, &c. ad Clerum Carthaginensem à numero 5. ad 40. inclusivè in Edit. Oxon. in Rigalt. verò hunc ordinem obtinent. 4. 80. 35. 2. 3. 8 7. 36. 6. 5. 10. 9. 11. 12. 13. 14. 20. 21. 16. 18. 19. 17. 22. 24. 23. 30. 25. 31. 26. 27. 28. 29. 15. 32. 33. 34.

251.

Epistolæ adhuc in secessu scriptæ II. cum Epistola Caldonii ad Cyprianum Num. 41. 42. 43. Oxon, 37. 38. 39 Rigalt.

Post reditum Epistolæ VII. cum tribus ad Cyprianum datis. Num. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52 53. Oxon. 41. 40. 43. 42. 44. 45. 47. 46. 48. 49. Rigalt.

De Vnitate Ecclesiæ, nonnulli huic libello titulum fecerunt *De Simplicitate Prælatorum.* Fœdè interpolatum esse multi volunt. Pontificiorum fraudem in eo corrumpendo egregiam pluribus redarguit Doctiss. Jamesius tractatu vernaculo de corruptione Scripturæ, Patrum, &c. Par. II. p. 1. &c.

De Lapsis.

252.

Epistolæ VII. *viz.* 54. 55. 56. 57. 58 59. 60. Oxon. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. Rigalt.

De Oratione Dominica.

De Mortalitate.

Exhortatio ad Martyrium.

253.

Epistolæ V. *viz.* 61. 62. 63. 64. 65. Oxon. 57. 59. 62. 58. 63. Rigalt.

Liber ad Demetrianum.

254.

Epistolæ III. *viz.* 66. 67. 68. Oxon. 68. 67 66. Rigalt. Ex his ultimam ad Stephanum Papam scriptam Cypriani non esse acriter contendit Launoius.

De Opere & Eleemosinis.

255.

Epistolæ III. *viz.* 69. 70. 71. Oxon. 75. 69. 70. Rigalt.

De Bono Patientiæ.

256.

Epistolæ III. cum Epistolâ Firmiliani ad Cyprianum, *viz.* 72. 73 74. 75. Oxon. 71. 72. 73. 74. Rigalt.

De zelo & Livore.

Concilium Carthaginense de Rebaptizandis Hæreticis.

257.

Epistola una cum tribus ad Cyprianum datis, *viz.* 76. 77. 78. 79. Oxon. 67. 77. 78. 79. Rigalt.

258.

Epistolæ II. *viz.* 80. 81. Oxon. 81. 82. Rigalt.

Opuscula Cypriano falsò ascripta.

De Pascha Computus. Tractatus vetustus, & si non Cypriani, ejus saltem ævo subpar, ex Codice Cottoniano, cum Notis & variis Lectionibus inter Opuscula Cyprianica Oxonii primùm editus.

De Spectaculis.

De Disciplina & Bono Pudicitiæ. Hunc pariter ac præcedentem libellum Cypriano adjudicat Pamelius. Eadem autem obstat ratio.

Ad Novatianum, quod Lapsis spes veniæ non sit deneganda. Multi opus istud Cypriano non indignum esse censent: Alii è contra.

De Cardinalibus Christi operibus, quem esse Arnoldi Abbatis Bonæ Vallis omnes jam norunt: quippe præter Præfationem sequentes Tractatus 12. complectitur, *viz.*

Digitized by Google

De Nativitate Christi.
De Ratione Circumcisionis.
De Stellâ & Magis, ac Innocentium Nece.
De Baptismo Christi, & Manifestatione Trinitatis.
De Jejunio & Tentationibus Christi.
De Cœnâ Domini.
De Ablutione Pedum.
De Unctione Chrismatis, & aliis Sacramentis.
De Passione Christi.
De Resurrectione Christi.
De Ascensione Christi.
De Spiritu Sancto. Hactenus Arnoldus.
De Aleatoribus. Bellarminus Pontificis alicujus Romani recentioris ævi esse conjicit.
De Montibus Sina & Sion contra Judæos.
Carmen Genesis.
Carmen Sodoma.
Carmen ad Senatorem Apostatam. De his Carminibus vid plura in Tertulliano.
Hymnus de Paschâ Domini, Victorino Petavionensi à Beda ascriptus.
Oratio Cypriani pro Martyribus.
Oratio ejusdem in die Passionis suæ.
De Singularitate Clericorum. Vid. plura in Origenes. Doctissimi Editionis Oxoniensis Curatores circa Bedæ ætatem scriptum esse arbitrantur.
In Symbolum Apostolicum Expositio. Rufini est, sub ejusque nomine habetur inter Opera Hieronymi.
De Judaica Incredulitate ad Vigilium. Vid. plura in *Aristone Pellæo.*
Adversùs Judæos, qui Christum insecuti sunt.
De Revelatione Capitis B. Joh. Baptistæ. In eo agitur de Pipino Francorum Rege.
De duplici Martyrio ad Fortunatum. Inibi de Turcis agitur.
De XII. Abusionibus Sæculi.
Dispositio Cœnæ. Opus ineptum, ac ridiculum.

Hæc omnia, (exceptis Libris *De Disciplinâ & Bono Pudicitiæ, De Laude Martyrii ad Mosem & Maximum, De lapsorum veniâ ad Novatianum*) Cypriano abjudicant Bellarminus, & Labbæus. Monendus denique Lector est superesse quendam libellum, qui licèt Cyprianum autorem non habeat instauratorem tamen agnoscit, Tyronis intelligo & Senecæ notas Tachygraphicas, quas Præsul & Martyr cumulò satis grandi locupletavit, adjiciens vocabula Christianorum usibus necessaria, quæ in codice à Grutero edito affatim comparent.

Prodierunt opera Cypriani, *Spiræ* 1471. *Paris.* 1512. *Colon.* 1520. *Basil.* per Erasmum 1520. 1525. 1558. *Lugduni,* 1528. 1537. 1544. 1550. *Coloniæ,* 1544. 1549. *Paris.* 1541. 1564. *Romæ,* 1563. deinde per Pamelium *Antverp.* 1568. 1586. *Paris.* 1574. 1603. 1616. 1644. *Colon.* 1617. *Genevæ* per Goulartium, 1593. *Paris.* per Rigaltium, 1648. 1666. De Editione Parisiensi 1541. Pamelii censura in Doctores Sorbonicos Parisienses (qui Cyprianum innumeris mendis contaminârunt) observatu digna est. Ita enim ille notâ 65. in Cyprian. de Orat. Dominicâ, "Interseruntur hîc "aliquot lineæ in Editione Parisiensi apud Arnul-"phum l'Angelier, anno 1541. sed quæ Cypriani "non sunt, ut ipse fatetur in margine hâc anno-"tatiunculâ (Additio cujusdam) ex qua de cæte-"ris judicare facile est Lectori; utpote qui quan-"tumvis repurgationem jactet in titulo, innume-"ris Cyprianum mendis contaminarit. Ut tamen "plausibiliorem suam editionem faceret, subscrip-"tionem Epistolæ dedicatoriæ Erasmi immutare "non est veritus; & quum scriptam constet *Lova-*"*nii* 1519. ipse subscripsit. *Paris.* 1541.

Inter Editiones Cyprianicas eminent Rigaltianæ, ea præcipuè quam anno 1666. cum integris Rigaltii, selectis aliorum, suisque etiam Commentariis uno conspectu dispositis, *Parisiis* edidit Ph. Priorius, & nupera *Oxoniensis,* quam anno 1682. Annalibus Cyprianicis τοῦ πάνυ Joannis Pearsoni Episcopi Cestriensis, notis etiam doctissimis illustratam, Reverendus Pater Johannes Fell, Præsul Oxoniensis ὁ μακαρίτης adornavit.

Antequam Lectorem dimittam, monendum duxi, alium fuisse [uti volunt] Cyprianum, Præsulem Antiochenum, unà cum Justina Virgine, quam insanè deperibat, sub Diocletiano Nicomediæ passum; de quo mira narrant, & quem temerè cum nostro Cypriano confundunt Nazianzenus, Prudentius, Metaphrastes, aliique. Totam hujusce rei narrationem [teste Photio *] tribus libris carmine Heroico conditis fusè olim depinxit Eudocia Augusta ex vetustiore, ut videtur, Historia. Extat Latinè hujus Cypriani [si modò hujus sit] seu *Pœnitentia* seu *Confessio,* quâ prioris vitæ flagitia uberrimè deflet. Hanc unà cum Notis & variantibus Lectionibus primus in lucem dedit nuperæ operum Cyprianicorum Editionis Oxoniensis curator. Scio clarissimum Editorem conjecturis non contemnendis fultum disertè affirmare, talem Cyprianum Antiochenum nusquam extitisse, quin totam narrationem nihil aliud esse, quàm Cypriani nostri historiam ab aliquo ex eorum numero, qui Martyrum res gestas novis argumentis decorare gestiebant, mirè interpolatam, vel potiùs de novo conditam. Esto: dummodò quod Sole clarius est, concedatur vetustissimam esse hanc fabulam, & ante Nazianzeni tempora natam, qui hanc ipsam, saltem hujusmodi confessionem designare videtur, dum de Cypriano hæc habet *; Ὁ δὲ καὶ μακρῷ στηλιτεύων τὴν προτέραν ἑαυτοῦ κακίαν, ἵνα καὶ τοῦτο Θεῷ καρποφορήσῃ τὴν ἐξαγόρευσιν, καὶ πολλοῖς ὁδὸς γίνεται τῆς χρηστοτέρας ἐλπίδος τῶν ἀπὸ κακίας ἐπιστρεφόντων. *Hic superioris vitæ turpitudinem longâ oratione proscindit, ut ipsam quoque scelerum confessionem Deo muneris loco offerat, ac multis eorum, qui ab improbâ & flagitiosâ vivendi ratione animum revocant, ad melius sperandum via existat.*

* Cod. 184.

* Orat. 18. p. 278.

CORNELIUS, natione Romanus, patre Castino natus, inter Ecclesiæ Romanæ Presbyteros primas tenuit. Vacaverat jam sedes Romana post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani annum unum, menses quatuor, dies quindecim; Clero Romano novi Episcopi electionem propter rerum & temporum difficultates differente. Tandem defervescente furore Deciano, Cornelius ineunte Iunio anni 251. factus est Episcopus, *de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio, & de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio,* ut loquitur Cyprianus *, quem de ordinatione sua scriptis ad illum literis Cornelius certiorem fecerat. Vix tamen per unius anni spatium sedem istam tranquillè tenuit. Mense enim Julio insequentis anni jussu Imperatoris Galli Centumcellas Tusciæ urbem relegatur, ubi Cypriani literis ad ipsum datis mirè refocillatus post duos ferè menses, nempe XVIII. Cal. Octobr. ann. CCLII. Martyrium subiit. Scripsit ad *Cyprianum Epistolas* plures, ex quibus hodie supersunt II. inter Cyprianicas edit. Rigalt. 45. 47. Edit. *Oxon.* 49. 50. Quatuor item ad Fabium (Flavianum vocat Hieronymus *) Antiochenæ Ecclesiæ Antistitem; ex quarum unâ insigne extat fragmen-

251.
Vid. Epist. Cleri Rom. ad Cypr. nu. 31. p. 44.

* Epist. 52. (ad Anton.) p. 68.

* De Script. c. 66.

 fragmentum de Novatiano ap. Euseb. l. 6. c. 43. reliquæ perierunt.

251. NOVATIANUS, ex Stoico Philosopho Christianus, dum inter Catechumenos energumenus ab exorcistis foveretur, in morbum gravissimum collapsus, in ipso quo jacebat lectulo Baptismum Clinicus suscepit, nec à morbo liberatus ea percepit, quæ Ecclesiastica regula exigebat, nec ab Episcopo confirmatus: id ei postea objiciente tum clero, tum plebe, singulari tamen Episcopi gratiâ ad Presbyterii gradum in Ecclesiâ Ro. evectus est. Post mortem Fabiani, vacante diutiùs sede, tremendis sacramentis seipsum obstrinxit, se Episcopatum non ambire. Nihilominùs cùm anno 251. Cornelium ad sacerdotii sublime fastigium, sese insuper habito, promoveri cerneret; homo fastu & invidiâ turgidus, & sui plenus, Novati Presbyteri Carthaginensis (hosce duos nominum similitudine decepti perpetuò ferè confundunt scriptores Græci) aliorumque qui à Cypriano defecerant, factione stipatus, & quod majus erat, Confessorum Romanorum, quos specioso severioris disciplinæ obtentu in partes suas traxerat, suffragio ornatus, Episcopali cathedræ tam insano studio, animo tam obfirmato inhiavit, ut à tribus Episcopis, rudioris & simplicioris ingenii hominibus, quos è vilissima Italiæ parte Romam evocaverat, & inclusos aliquamdiu, mox crapulâ oppressos detinuerat, se Episcopum constitui per fraudem & vim curavit, ut saltem *εἰκονικὴν τινὰ καὶ ματαίαν χειρεπιθεσίαν*, ut Cornelius † loquitur, adumbratam quandam & inanem ordinationem habere videretur. Hoc facto, probra & convitia in Cornelium pleno ore conjecit, missis, ut mos erat, undequaque literis, Ecclesias inferiores de ordinatione sua certiores fecit, & socios suos, novos, quos Cyprianus vocat, Apostolos, delegavit; qui per vicos, urbes, oppida discurrentes, homines incautos in societatem suam, errorisque consortium perducerent. Denique ut execrando sigillo suos sibi obstringeret, dum sacram Eucharistiam singulis divideret, manibus manus comprehendens, eos in hæc verba jurare coëgit: *Jura per corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te nunquam meas partes deserturum, nec ad Cornelium esse rediturum.* Quum verò his artibus se nihil proficere animadverteret, in apertum erupit schisma, & dogma de Pœnitentiæ *γυμνῇ κεφαλῇ*, gnaviter propugnavit, asserens lapsos pœnitentes ad Ecclesiæ pacem nunquam esse admittendos, nec in Ecclesiæ potestate situm esse veniam iis concedere, quin tales summo solius Dei judicio relinquendos. In dogmatibus reliquis à doctrina Catholica non recessit. De morte ejus non constat. Hominem suis coloribus ita depingit Cyprianus *: *In perniciem fratrum*, inquit, *lingua sua perstrepit, & facundiæ venenata jacula contorquet, magis durus Philosophiæ secularis pravitate, quam Philosophiæ Dominicæ lenitate pacificus; desertor Ecclesiæ, misericordiæ hostis, interfector pœnitentiæ, doctor superbiæ, veritatis corruptor, perditor charitatis.* Scriptis antequam schisma faceret, nomine Cleri Romani elegantem *Epistolam ad Cyprianum*, quæ inter Cyprianicas est xxx. Post schisma verò, *Librum de Trinitate*, (in eo enim Hæreseos Sabellianæ, quæ circa an. 257. exorta est, meminit) qui quasi Epitome quædam est operis Tertulliani de eodem argumento, olim à nonnullis Tertulliano, ab aliis Cypriano malè ascriptum, *Epistolam de Cibis Judaicis*, si modò illius sit; eam enim non nisi conjecturis, perquàm verisimilibus tamen, ducti Novatiano adjudicant eruditi, à quibusdam codicibus Tertulliano tributam. Utrumque opusculum extat, & cum operibus Tertulliani excudi solet. Scripsit adhuc Novatianus, sed quo tempore incertum, *de Pascha, De Sabbato, De Sacerdote, De Oratione, De Animalibus mundis & immundis Quæstiunculas* (quas idem fuisse opus cum illo *de Cibis Judaicis* jure quis suspicari possit) *De Instantia, De Attalo, De Circumcisione*, libellum *contra Cornelium*, multaque alia, quæ non extant; nisi quod habeatur inter opera Hieronymo ascripta, Tom. IV. Liber hoc titulo, *De Vera Circumcisione*, an verò sit iste Novatiani opus *De Circumcisione*, meritò dubitari potest.

† ap. Euseb. l. 7. c. 43.

* Epist. 67. (ad Cornel.)

251. PONTIUS, gente, ut videtur Afer, claruit anno 251. Cypriani in Ecclesia Carthaginensi Diaconus, ejusque per omnia quæ sustinuit, certamina comes individuus, & fidus Achates; præsertim in ultimo exilio & Martyrii tempore operam ei fidelem præstitit, quando, ut ipsius verbis utar; *inter gaudium passionis & remanendi dolorem divisus erat animus, & angustum nimis pectus affectus duplices onerabant: multum ac nimis multum de gloria Cypriani exultavit, plus tamen doluit, quod ipse remansit.* Hunc duos Philippos Impp. ad Christi fidem convertisse temerè affirmat Trithemius *; quod tamen alii (etsi omnibus ferè eruditis fabulam sapit) Fabiano Episcopo Romano constanter ascribunt. Quamdiu Cypriano supervixit Pontius, non liquet, nisi quod ex actis ejus colligi potest, de quibus infrà; id modò tradunt antiqua Martyrologia *, illum in suis passionibus Dominum semper glorificantem coronam vitæ promeruisse. Scripsit stylo simplici & inelaborato *vitam & passionem Cypriani*, *egregium*, inquit Hieronymus †, *volumen*, quod Cypriani operibus præfigi solet.

* De Script. Eccles. fol. 12.

* Ad VIII. Id. Martii.

† De Script. c. 68.

Habentur in Editione Cypriani Rigaltianâ tria alia Martyrii Cypriani *acta* summam antiquitatem præ se ferentia, præter ea quæ Paulus Diaconus concinnavit: verùm an reverà antiqua & genuina incertum est.

Porrò *Acta Martyrii ipsius Pontii* (quod contigisse dicitur anno 258. die 8. Martyrii, à Valerio Cypriani Diacono, & Pontii contubernali conscribi dicta in lucem emisit Steph. Balusius, Miscellaneorum Tomo II. pag. 124. *Parif.* 1679. cujusnam verò sint pretii, nobis nondum constat.

253. STEPHANUS, genere Romanus, patrem Julium, sive ut alii, Jobium habuit. Anno CCLIII. mortuo Lucio, 13. die mensis Maii, Romanus Episcopus factus est. Vir immitis ingenii, & in iracundiam præceps, inimicitias cum Cypriano, aliisque hujusce temporis clarissimis Episcopis de Baptismo Hæreticorum graves exercuit, quos clariùs planè atque inclementiùs excepit. Fatendum sanè est ex Ecclesiæ Catholicæ sensu stetisse à partibus Stephani, veritatem, non integram tamen. Nullos enim omninò rebaptizari voluit Hæreticos, ne illos quidem, qui Trinitatem impugnabant, & formulam à Christo præscriptam in baptismate suo non adhibuerunt. Utcunque verò causâ superior, sententiam suam vehementiori quàm par erat animo tuebatur; eousque adversùs Cyprianum exardescens, ut Episcopos, quos legatos hâc de re Romam miserat Cyprianus, non modò ad colloquium non admitteret, sed & fratribus universis præcepit, ne quis eos in domum suam reciperet; ut venientibus non solùm pax & communio, sed & tectum etiam, ac Hospitium negaretur. Obiit IV. Non. Augusti anni 257. in cœmiterio Callisti sepultus. Scripsit, quantum colligere possumus, de famosâ illâ controversiâ *Epistolas II. unam ad Cyprianum*, de qua agit Cyprianus Epistolâ ad Pompejum, *alteram ad Episcopos Orientales*

Digitized by Google

SÆC. III. ab An. CC. *Orientales contra Helenum & Firmilianum*; sed neutra harum jam extat.

253. P. II. STEPHANUS Romanus Episcopus claruit anno CCLIII. Periit epistola quam ad Cyprianum dedit de Hæreticis non rebaptizandis; breve tamen illius Fragmentum habetur apud Cyprian. Epist. LXXIV. ad Pompejum, pag 129. de qua Cyprianus Stephani injuriis irritatus, & commotior factus, ait, *Stephanum multa vel superba, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria, imperitè atque improvidè scripsisse.* Vide Vincent. Lirinens. *Commonit.* pag. 323. & quæ de hâc Epistola notavit Cl. Baluzius, pag. 436. Quænam fuerit Stephani sententia de baptismo Hæreticorum, & de tota hujus dissidii historia pluribus agit Cl. Pagius *Crit. Hist. Chron.* ad ann. CCLVI. num. IV, V, VI. & seqq.

253. ANONYMUS author *Tractatûs de Baptismo non iterando* à Rigaltio inter opera Cypriani primùm editi. Antiquus certè est, ac ab ævo Cypriani parùm distans, quodque pluribus locis libelli sui non obscurè innuit; fervente adhuc controversia de rebaptizandis Hæreticis, scripsit. Nihil amplius de eo dicendum restat, nisi quòd locus quidam Tractatûs sui (p. 138. Rigalt. 1666.) Episcopum fuisse suadere videatur, ubi Author se à Clero minore apertè satis distinguit, unumque ex iis fuisse subindicat, quibus Baptisma Spiritûs per manûs impositionem conferendi potestas à Domino tradita sit. Quo majorem verò lucem rei afferamus, locum integrum apponere non gravabimur. *Et ideò* inquit, *cum salus nostra in baptismate Spiritûs* (quod impositione manuum Episcopalium conferri suprà sæpius docuerat) *quod plerunque cum baptismate aquæ conjunctum est, sit constituta, siquidem per nos baptisma tradetur, integrè, & solenniter, & per omnia quæ scripta sunt, assignetur, atque sine ulla ullius rei separatione tradatur, aut si à minore Clero* (i. e. Presbytero & Diacono, ut in notis rectè Rigaltius) *per necessitatem traditum fuerit, eventum expectemus, ut aut suppleatur à nobis, aut à Domino supplendum reservetur.* Nuperus tamen Scriptor (Casimirus Oudin. Supplem. de Script. in Cypriano) libellum istum Ursino Monacho cuidam Africano Gennadii Massiliensis, & Vaticani MS. (quo usus est Labbæus in editione Conciliorum) autoritate nixus, ascribit. Cui sententiæ, ut calculum apponamus, vix à nobis impetrari potest. Præterquam enim, quod incalescente adhuc controversiâ scripsisse, & ad Episcopalem ordinem spectasse videatur autor noster. Ursinus (teste Gennadio *) huic imprimis probando incubuit illos non esse rebaptizandos, qui in nomine vel simpliciter Christi, vel in nomine Patris, Filii, & Spiritûs S. quamvis pravo sensu, baptizati fuerint; quod in Anonymo nostro neutiquam disertè reperitur, quem licet tale quid sensisse concedendum sit, aliud tamen ille argumentum elucidandum suscepit. Quod verò rem omni dubitandi ratione eximit, Anonymi nostri ætate crebras persecutiones in Ecclesiam grassatas esse, innumeris libelli, de quo agitur, locis ostendi possit: cùm Ursinus ille à Gennadio inter ævi quarti jam inclinantis Scriptores referatur. Denique stylus, totaque scribendi ratio Tertulliani, vel Cypriani ætatem, quin & gentem satis apertè prodit. Extat inter Cypriani opera, *Paris.* 1648. *1666. Oxoniæ* 1682.

* De Script. c. 27.

254. GREGORIUS, qui & *Theodotus*, à miraculorum dono, quo pollebat maximè *Thaumaturgus* dictus, Neocæsariæ Cappadocum natus est. Parentes habuit Gentiles, patrem verò superstitionum Gentilium cultorem studiosissimum. Post prima literarum tirocinia in urbe natali posita, haustaque ibi Rhetoricæ & Juris Romani elementa, studiorum causâ Alexandriam se contulit, mox Athenas, deinde Berytum legum Romanarum Emporium celeberrimum, postremùm circa ann. 254. cum fratre Athenodoro Origenis publico tunc temporis docendi munere Cæsareæ in Palæstina fungentis curæ se commisit; à quo Logicam, Physicam, Mathematicam, Ethicam, cæterasque cultioris Philosophiæ partes, & bonarum artium disciplinas accuratiùs percepit; quodque majoris adhuc momenti erat, ab eo Christianæ fidei, & Evangelicæ Theologiæ cognitione imbutus est. Exacto sub Origenis auspiciis quinquennio in patriam revertitur; & à Phædimo Amaseæ antistite Neocæsareæ Episcopus ordinatur, modo planè mirabili, & hactenus inaudito. Cùm enim Gregorius in solitudinem secesserat, ne à Philosophiæ studiis distraheretur animus, & ut Phædimi consilium evitaret, novas subinde latebras quæreret; Phædimus impetu quodam divino provectus, oratione primùm ad Deum conversa, deinde sermone ad Gregorium habito, eum, quasi jam præsenti manus imponeret, Deo & Ecclesiæ isti Episcopum consecravit. Quam provinciam, Deo animum ejus suaviter disponente, Gregorius more consueto, uti credi par est, priùs ordinatus, postea lubens suscepit. Munere suscepto, Neocæsaream invenit, ut olim Paulus Athenas, κατείδωλον quam tamen tantâ diligentiâ, tantâ curâ excoluit, ut cùm primo ejus adventu per totam urbem, agrumque circumvicinum septendecim tantùm Christianos reperisset, moriens totidem solummodo Gentiles post se reliquerit. Persecutione sub Decio motâ, sibi suæque Ecclesiæ commodis maturo secessu consuluit. Sedata demum tempestate, reversus, multa à Gothorum, gentiumque barbararum incursionibus passus est: è quibus tamen omnibus, Deo protegente, salvus evasit. Anno 265. Concilio adversùs Paulum Samosatenum Antiochiæ habito interfuit, eodemque anno diem clausit extremum. Fœdè erravit Nicephorus *, qui Gregorium ad Diocletiani usque tempora durasse, multò adhuc magis Suidas †, qui Juliano imperante decessisse scribit. De signis & miraculis, quæ perpetravit Gregorius plurimis, videndus omnino Nyssenus [qui tamen haud pauca ea ex incertis narratiunculis hausisse videtur] in oratione quam de *Vita & Miraculis* illius composuit. De eo sic Basilius *; Γρηγόριον δὲ τὸν μέγαν καὶ τὰς ἐκείνου φωνὰς ποῦ θήσομεν; ἆρ' οὐχὶ μετὰ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν; ἄνδρα τῷ αὐτῷ ἐκείνοις πνεύματι περιπατήσαντα, καὶ τοῖς τῶν ἁγίων ἴχνεσιν διὰ παντὸς τοῦ βίου στοιχήσαντα καὶ τῆς εὐαγγελικῆς πολιτείας τὸ ἀκριβὲς διὰ πάσης αὐτοῦ τῆς ζωῆς κατορθώσαντα. *Gregorium Magnum & illius voces quo loco ponam? Annon cum Apostolis & Prophetis? Virum qui eodem Spiritu quo illi, versatus sit, qui Sanctorum vestigiis per omnem vitam inhæserit, quique Evangelicæ conversationis vigorem quamdiu vixit præstiterit.* Quo in loco pluribus de eo agit, ut & in Epistola LXIII. ad Neocæsarienses; in Epistola etiam sequenti ad Doctores illius Ecclesiæ scripta, quædam à Gregorio minùs accuratè dicta, quæ Sabelliano dogmati favere viderentur, commoda interpretatione mollire conatus est; aitque ea οὐ δογματικῶς ἀλλ' ἀγωνιστικῶς in disputatione adversùs Ælianum Gentilem dicta esse.

* L. 6. c. 17.
† In voce Γρήγορ. p. 628.
* De Spir. S. c. 29.

SCRIPTA.

Προσφωνητικὸς εὐχαριστίας *ad Origenem*; quem Scholæ Origenianæ valedicturus, frequenti

con-

SÆC. III. ab An. C C. condiscipulorum auditorio, ipso etiam Origene præsente, recitavit. Exstat Gr. Lat.

Metaphrasis in Ecclesiasten. Exstat Latinè tantùm in Editione Vossiana, Gr. Lat. inter Gregorii Nazianzeni orationes [num. 53.] & in Editione *Paris.* 1622.

Brevis expositio fidei, quam à Joanne Evangelista ei, unà cum B. Virgine Maria noctu apparente traditam, & ipsius Gregorii manu scriptam in Ecclesiæ Neocæsariensis archivis suo tempore conservatam esse refert Gregorius Nyssenus. Exstat Gr. Lat.

Epistola Canonica, *de iis*, *qui Barbarorum incursu lapsi essent.* Exstat Gr. Lat.

Alia Epistola plures, præcipuè *de Fide*, quæ non exstant.

Scripta ei supposita.

H *Κατὰ μέρ@ πίςις*, *sive Expositio fidei prolixior*, Arianis præcipuè ac Sabelliacis opposita. Exstat Lat.

Capita XII. de Fide, *cum Anathematismis*, qui Nestorii & Eutychis erroribus præsertim opponuntur. Extant Gr. Lat.

Sermo in Sancta Theophania. Extat Gr. Lat.

Hæc quatuor proximè recensita rejiciunt, certè neutiquam ejus esse probant Bellarminus, Labbeus, aliique aliquot censores Pontificii.

Ad Tatianum de Anima λόγ@ κεφαλαιώδης. Extat Gr. Lat.

Fragmenta quædam Gregorii nostri exhibet Catena Ghisleriana in Jerem. Tom.I. 788. 796. 831. 839.

Prodierunt Gregorii Opera Lat. *Venet.* 1574. 8. deinde Gr. Lat cum notis edidit Gerardus Vossius Præpositus Tungrensis *Mogunt.* 1604. 4. Adjectis Appendicis vice Miscellaneis Sanctorum aliquorum Patrum Opusculis antea non editis. Hanc editionem anno 1622. *Parisienses* expresserunt in fol. cui *Mercurii* & *Basilii* Seleuciensis Opera, *Zonaræque in Epistolas Canonicas Expositionem* addiderunt.

254. DIONYSIUS, genere ut opinor, Alexandrinus, parentibus ortus est Gentilibus, sed honore & dignitate conspicuis. Dum singulas variarum sectarum sententias diligenti examini subjiceret, & veritatem sedulò perquireret, ad Christi fidem impulsus est; Origenis forsan, cujus discipulus erat, documentis non parùm adjutus ac confirmatus. Presbyter Alexandrinus factus, post Heraclam circa ann. CCXXXII. Alexandriæ Episcopum constitutum, Scholam Catechesεων regendam tenuit; tandemque anno CCXLVII. mortuo Heraclæ in sede Alexandrina successit. Exorta persecutione Deciana à militibus comprehensus Taposi im oppidulum inter Alexandriam & Canopum mittitur; fortassis ut ibi sine strepitu ac tumultu summo supplicio afficeretur: sed Deo ita disponente ex eorum manibus elapsus est: qua verò occasione, lepidam Historiam ipse narrat Epistola adversùs Germanum ap. Euseb. l.6. c.40. Duriùs cum eo actum est anno CCLVII. Namque Valeriano gravissimam persecutionem in Christianos commovente, post præclaram coram Æmiliano Præfecto Augustali factam Cephro, desertissimam & incultissimam Lybiæ regionem relegatur, quò cum tametsi graviter ægrotantem, ne diei quidem unius dilatione concessa statim proficisci compulerunt milites. Post triennale exilium, Gallieni edicto favorem Christianis indulgente, Alexandriam rediit; & non modò cum Gentilibus, sed & cum Schismaticis & Hæresiarchis conflixit. Novatianum Schisma molientem mitissima Epistola in Ecclesiæ sinum reducere sategit. Ortam inter Stephanum & Cyprianum de Rebaptizandis Hæreticis controversiam modis quibuscunque sopire studuit, ipse quasi pacis arbiter, utrumque ad concordiam resarciendam obnixè hortatus, in Cypriani tamen partes propensior, quippe quibus veritatem adesse persuasum illi erat. Contra Sabellium Hæreticum Ptolemaide Pentapolitana oriundum, qui unicam in SS. Trinitate subsistentiam, unicam Personam tribus nominibus insignitam esse somniarat, fortiter dimicavit: Nimio tamen disputationis ardore abreptus, in contrarium erroris scopulum tantum non impegit, dum non tantùm Personarum distinctionem, sed & Essentiæ differentiam, & potestatis gloriæque inæqualitatem in SS. Trinitate reperiri doceret: In hoc tamen excusandus, tum quòd præ nimio Hæreticorum odio cæcutierit, tum quòd reliquis in scriptis Orthodoxè sentiat, & seipsum à Romana Synodo erroris admonitum edita Apologia tueretur, dictis incautioribus sensu Orthodoxo explicatis. Nepotis denique ac Chiliastarum Ægyptiorum Schisma ~~& erro~~rem colloquio habito restinxit & expugnavit. Tandem anno CCLXV. ad Synodum Antiochenam vocatus, ut cum Paulo Samosateno congrederetur, adventum distulit, senectutem & corporis infirmitatem causatus; veruntamen sententiam suam istâ de controversia per literas indicavit, Paulum verò ipsum ne salutatione quidem dignatus est. Hoc ipso demum anno post XVII. in Episcopali munere elapsos annos vitam cum morte commutavit; eodemque tempore, forsan & eodem die, quo Gregorius Neocæsariensis è vivis excessit. Amborum enim memoria in omnibus Latinorum Martyrologiis XV. Cal. Novembr. celebratur. Ejus nomine erectam esse Alexandriæ Ecclesiam Epiphanius nos docet*. Opera quorum præter fragmenta quædam Eusebii beneficio conservata, vix quidquam superest, conscripsit plurima. Ea in duas classes commodè dispesci possunt, *Tractatus* & *Epistolas*.

* Hæres. 69.

TRACTATUS.

L*iber de Pœnitentia ad Cononem Episcopum Hermapolitanum.*

Libellus de Martyrio ad Origenem.

De Promissionibus adversus Nepotem libri II. Ex horum secundo amplum satis & illustre fragmentum de S. Johannis Apocalypsi extat ap. Euseb. l.7. cap. 24 25. *de Corintho aliud* l. 3. cap. 28.

Ad Dionysium Romanum adversus Sabellium libri IV. totidem Epistolis comprehensi, & ἐλέγχε καὶ ἀπολογίας titulo inscripti. Ex occasione enim Epistolarum aliarum, ac præcipuè ad Ammonem & Euphranorem adversus Sabellium scriptarum quædam minùs orthodoxè sensisse accusatus apud Dionysium Romanum & Synodum Romæ habitam Dionysius noster, & ab iis admonitus, Epistolis hisce Apologeticis crimen affictum diluit. & Sabellii Hæresin acriùs adhuc, cautiùs tamen, oppugnavit. Ex his libris plurima fragmenta & excerpta passim exhibentur in Athanasii libro *de sententia* Dionysii Alex. aliud in ejusdem libro *de Synodo Arimini* p. 707. habetur. Alia adhuc Epistolæ Secundæ fragmenta extant ap. *Basil.* de Spir. S. cap. ult.

Ad Timotheum Puerum de Natura libri aliquot. Ampla satis ex iis excerpta exhibet Eusebius Præparat. Evangel. l.14. c.23. 24. 25. 26. 27.

Liber de Tentationibus ad Euphranorem.

Com-

Digitized by Google

Commentarius in primam partem Ecclesiastis.

EPISTOLÆ.

Epistola ad Cornelium Episcopum Romanum, ex qua quædam profert Eusebius l. 6. c. ult.

Epistola ad Stephanum, Episcopum Romanum ab Euseb. l. 7. c. 5.

Ad Sixtum Papam de Baptismo Epistola II. ex priori fragmentum habetur ap. Euseb. l. 7. c. 56. ex posteriori l. 7. c. 9.

Adversus Germanum Episcopum Epistola, ex qua duo præclara fragmenta exhibet Eusebius l. 6. c. 40. l. 7. c. 11.

Epistola ad Fabium Antiochiæ Episcopum, ex qua duo fragmenta habet Eusebius, prius de Persecutione Alexandrina sub Decio l. 6. c. 41. 42. posterius de Serapione c. 44.

Brevis Epistola ad Novatianum de Schismate: integra extat ap. Euseb. l. 6. c. 45. in qua pro χίσαι legendum esse θύσαι rectè monet Reverendus Pearsonus in Annal. Cyprian. Vox enim ea loco suo restituta sententiam Dionysii satis elegantem & acutam reddit.

Epistola de Pœnitentia ad Fratres per Ægyptum constitutos.

Ad Gregem suum Alexandrinum Epistola objurgatoria.

Epistola ad Laodicenos.

Epistola ad Armenios de Pœnitentia.

Epistola ad Romanos de Officio Diaconi.

Alia ad eosdem de Pace Pœnitentiâ.

Ad Confessores Novatianos Romæ Epistolæ III.

Ad Philemonem Presbyterum Romanum de Baptismo. Fragmentum habetur ap. Euseb. l. 7. c. 7.

Alia itidem ad Dionysium adhuc Presbyt. Rom. de Baptismo. Fragmentum de Novatiano extat ap. Euseb. l. 7. c. 8.

Epistola suo & Ecclesiæ suæ nomine ad Sixtum & Ecclesiam Rom. de eadem re.

Ad Dionysium Romanum Epistola de Luciano.

Epistola ad Hermammonem, ex qua tria exhibet fragmenta Eusebius l. 7. cap. 1. 10. 23. nisi potius Epistolam hoc loco memoratam distinctam esse malimus, utpotè quę ad Hermammonem & Fratres in Ægypto degentes scripta sit.

Epistola ad Domitium & Didymum.

Epistola ad Compresbyteros Alexandrinos.

Epistola ad Hieracem Episcopum Ægyptium, cujus fragmentum de Seditione Alexandrina extat ap. Euseb. l. 7. c. 21.

Epistola de Sabbato.

Epistola ad Fratres de Mortalitate, seu *de Peste Alexandriæ grassante*, cujus nobile fragmentum extat ap. Euseb. l. 7. c. 22.

Epistola de Exercitatione.

Epistola ad Ammonem Berenicensem Episcopum contra Sabellium.

Alia ejusdem argumenti ad Telesphorum.

Ad Euphranorem alia.

Epistola Canonica ad Basilidem Episcopum.

Alia ad Ammonem & Euporum.

Epistola Canonica ad Basilidem Episcopum Pentapolitanum de diversis capitibus, de quibus illum Basilides consuluerat. Extat integra Gr. Lat. cum Commentario Balsamonis tum alibi, tum in *Synodico Magno*, quod Oxonii edidit D. Beveregius Tom. II. Alias etiam eum ad Basilidem literas dedisse testatur Eusebius, l. 7. c. 26.

Epistola ad Synodum Antiochenam adversus Paulum Samosatenum.

Epistola ad Paulum Samosatenum unà cum Responsionibus ad Pauli Samosateni decem Quæstiones. Extat Gr. Lat. Concil. Tom. I. multis tamen eo nomine suspecta quod Patres Antiocheni in Epistola ap. Euseb. l. 7. c. 30. disertè affirment, Dionysium quidem ad universam Antiochensium Ecclesiam literas direxisse, Paulum verò ne salutatione dignatum. In Epistolæ hujus fronte mentionem injicit Dionysius alterius cujusdam prioris ad Paulum Epistolæ.

Ex memoratis Epistolis quædam erant ἑορταστικαὶ seu Paschales: quin & plures alias de eodem argumento scripsit Dionysius: Certò sanè constat eum infinitas penè Epistolas scripsisse, de quibus Eusebius †: καὶ ἄλλοις δὲ πλείοσιν ὁμοίως διὰ γραμμάτων ὁμιλήσας ποικίλας τοῖς ἔτι νῦν σπουδὴν περὶ τοὺς λόγους αὐτοῦ ποιουμένοις καταλέλοιπεν ὠφελείας: *Alias quoque complures ad Diversos scripsit Epistolas, ex quibus quicunque illius Operum studiosi sunt amatores* (sunt autem etiamnum plurimi) *multiplicem percipere possunt utilitatem.* Binas illius Epistolas, *alteram ad Theodosium Monachum*, ad *Ursinuphium Lectorem alteram*, Græcè MSS. extare ad calcem vetustæ expositionis Anonymæ *in Libros Regum*, in Bibliothecâ Cæsareâ, fidem facit Cl. Lambecius Comment. l. 3. c. 1. p. 18. qui & initia earum ibidem exhibet.

DIONYSIUS, Alexandrinus, factus est celeberrimæ istius civitatis Episcopus ann. CCXLVII. Obiit anno CCLXV. Scripsisse Dionysium adversus Origenem exindè liquet, quòd Fragmentum profert Anastasius Sinaita quæst. 23. pag. 266. ἐκ τῶν κατὰ Ὠριγένους, quo de situ Paradisi agit. De hoc opere silent Eusebius & Hieronymus. Biblioth. Vindob. *cod. Theol.* CXXXV. fol. 23. ad calcem expositionis in *libros Regum* habentur sub Dionysii nomine Epistolæ II. nondum ut volunt editæ, quas Dionysii nostri Alexandrini esse, absque hæsitatione affirmat eruditissimus Lambecius. Prima sic incipit. Διονυσίου Ἐπιστολὴ Θεοδοσίῳ μονάζοντι Τί θαυμάζεις ὅτι ὑπ᾽ ἑνὸς ἁμαρτήματος ὅλη τραυματίζεται πόλις, ὥσπερ καὶ Δαυὶδ γενόμενον ἔγνως. Desinit προφανῆ προςησάμενοι. Posterior ad Ursinuphium Ἀναγνώστῃ, cujus hoc initium Ὁ μὲν οὖν Ἀβεσσαλὼν δίκην παρὰ τῆς θείας ἀπητήθη δίκης, ἐπὶ καθαιρέσει τοῦ οἰκείου πατρὸς, &c. In fine, δίκην εἰσεπράξετο Has Epistolas ex codice Cęsareo descriptas, cum primùm legerim, olim suspicatus sum; stylus, dicendique genus hujus sæculi non videntur. Certè ipsa vox μονάζων justam satis suspicionem injicit, & paulo sequioris ævi Scriptorem arguere videtur; cùm monachatûs, nec res, nec nomen, hoc tempore innotuerit. Miror verò Cl. Lambecium diffusissimæ lectionis, nec contemnendæ eruditionis virum fugisse, has Epistolas non Dionysii Alexandrini, neque alicujus Dionysii esse, sed Isidori Pelusiotæ, inter cujus Epistolas reperiuntur. Prior ad Theodosium lib. I. Epist. XXXIX. pag. 10. Posterior ad Ursinuphium lib. III. Epist. CCXIX. pag. 300. Ad quem etiam habentur & aliæ, nempe Lib. II. Epist. CCXL. Lib. IV. Epist. LXXVIII. LXXX. Atque eò magis miranda est Lambecii ἀβλεψία, quòd, ut ex ipsius commentariis liquet, plures Epistolarum Isidori codices MSS. evolvisset, & præsertim ad cod. Theol. CCXCI. num. 1. Epistolæ ad Ursinuphium mentionem facit. Sed Bernardus non videt omnia. 247. P. II.

BASILIDES, gente, ut videtur, Ægyptius, Pentapolis in Lybia Episcopus, claruit circa annum CCLVI. Dionysio Alexandrino ætate par, eique admodum charus & familiaris. Ad quem scripsit de tempore Dominicæ Resurrectionis, & qua hora illius diei jejunium Antepaschale solvendum erat. Perierunt Basilidis Literæ; supersunt verò Dionysii Responsoriæ, quibus hac de re accuratè agit, Græc. Latin. cùm Commentariis Balsamonis & Zonaræ, inter opera Balsamonis *Part.* 1620. *Pandect.* 256.

 decl. Can. Tom. II. p. 1. Meminit Eusebius † alterius ad Basilidem Epistolæ, in qua Dionysius Commentarium, in librum qui dicitur *Ecclesiastes*, se composuisse refert. Nec dubium est, quin longè plures ad Dionysium Epistolas dederit Basilides, cùm testetur Eusebius Dionysium varias ad hunc Basilidem Epistolas reliquisse.

† Lib. VII. c. 26. p. 277.

259. DIONYSIUS, origine, ut ferunt, Græcus, λόγιός τε καὶ θαυμάσιος ἀνὴρ, teste Dionysio Alexandrino †, Ecclesiæ Romanæ Presbyter, ac deinde ab anno CCLIX. Episcopus: sedem istam tenuit usque ad exeuntem annum CCLXIX. Dionysio Alexandrino Hæreticarum opinionum ab Episcopis quibusdam Pentapolitanis apud eum Romæ accusato Synodum coegit, scriptâque suo ac Synodi nomine *Epistolâ* Dionysium erroris admissi certiorem fecit, utque semetipsum eo crimine purgaret, amicè admonuit: & Sabellii dogmata confutat. Extat Fragmentum ap. Athanas. de decretis Synodi Nicænæ p. 421.

† Ap. Euseb. l. 7. c. 7.

259. P. II. DIONYSIUS ex Monacho, Romanæ Ecclesiæ Pontifex constitutus est, anno CCLIX. Obiit anno CCLXIX. Virum fuisse eruditissimum, & planè admirandum, satis testatur apud Eusebium, ejusdem & nominis & temporis scriptor Dionysius Alexandrinus. Plura opuscula Dionysio nostro tribuit L. Jacob à S. Carolo *Biblioth. Pontif.* lib. II. p. 62. nempè,

Epistolas II. apud Binium Concil. Tom. I. Sed spurias planè & ex Pseudo Isidori officina depromptas, ab ipsis novissimæ Conciliorum editionis Curatoribus rejectas.

Adversùs Arianas & Sabellianas Hæreses Commentarium: quasi scilicet adversùs Arium scripserit, qui plusquam XL. annos antè exortum Arium diem obierit.

Adversùs Paulum Samosatenum hæreticum. Hoc opusculum sine dubio cum Dionysii Alexandrini adversùs Paulum Samosatenum commentario, eique falso attributo, confunditur. Dionysii Alexand. Epistol. ad Basilidem cum Scholiis extat apud Cl. Galeum.

De Situ Orbis librum, ex Fragmentis Luitprandi Ticinensis. Et Luitprandus quidem in Adversariis, num. 295. hæc habet; *Sunt qui putant Dionysium Papam, fuisse natione Africum, Scriptorem libri de Situ Orbis.* Sed nescirène potuit vir aliàs nec indoctus, nec indiligens, Luitprandum fabulosum esse, & nullius judicii scriptorem, eumque hæc non ex propria, sed ex aliorum sententia tradere? An nescivit, libri *de Situ Orbis* auctorem fuisse Dionysium Περιηγητὴν, Alexandriæ propè Sinum Persicum natum, religione gentilem, & qui Augusti tempore vel (ut vult Scaliger in Animadv. in Euseb.) Severi floruit? Sed *stultus labor est ineptiarum*: nec in re tantilla mihi jam vacat operam atque oleum perdere. Hæc solùm notasse volui, ne pudendus Ludovici Jacobi error incautis lectoribus fucum faceret.

259. EUSEBIUS, Diaconus Alexandrinus, à me quidem in *Chartophylace Ecclesiastico* prætermissus, non quòd illum in Adversariis non habuerim, sed quòd incertus tunc fuerim, utrùm inter Scriptores Ecclesiasticos recensendus esset. Verùm quum quorundam ab eo Scriptorum mentionem fecerit Vir Cl. Paulus Colomesius, hîc locum ipsi non denegabo. Ecclesiæ Alexandrinæ sub Dionysio Antistite Diaconus erat, ubi sub Persecutione Valeriana Martyribus non sine capitis sui periculo ministeria strenuè exhibuit; postea factus non Ecclesiæ Alexandrinæ in Asia Archiepiscopus, uti vult Turrianus, sed Laodiceæ in Syria Episcopus, quod disertè tradit Eusebius *. Claruit igitur circa ann. CCLVII. & deinceps. Unde mirari subest, quod habet prædictus Colomesius, se existimare eum longè esse juniorem: cùm ipse Dionysius † Eusebii nostri utpote Diaconi sui luculenter meminerit. Aut hac igitur tempestate vixit, aut diversum à nostro, eoque juniorem fuisse necesse est, de quo Turrianus & Colomesius verba faciunt, Eusebium. Hujus Homilias XVIII. se reperisse testatur Turrianus, ex quibus Fragmenta profert in Defensione Epist. Pontific. Ampliora adhuc ejusdem fragmenta in Damasceni Parallelis exhiberi affirmat Colomesius: & reverâ Eusebii cujusdam fragmenta prolixiora inibi deprehenduntur, an verò ejusdem sint Eusebii, an alterius cujusdam, non liquet. Homilias ejus IV. viz. *in passionem Christi, in secundum adventum Christi, Dominicâ post dimissam concionem. De memoriâ Sanctorum,* se editurum receperat Holstenius, teste Lambecio *, verùm morte præventus fidem non præstitit. N E.

Cave Hist. Lit.

 Paralyp. ad Chartophyl. Eccles.

* L. 7. c. 31.

† Ap. Euseb. loc. cit.

* Commen. l. 1. p. 12.

PAULUS, Samosatis oriundus, anno CCLX. ad Ecclesiæ Antiochenæ cathedram Zenobiæ reginæ potentiâ evectus, Vir ad insaniam usque superbus & arrogans, & moribus adhuc perditissimis infamis. Præ fastu ac tumore à veritate excidens (uti habet Epiphanius †) Artemonis Hæresim instauravit, Christum Dei Verbum subsistentiam à Patre distinctam habere negans, ipsum tamen in terras descendentem nudum hominem fuisse: ante Mariam non extitisse, & nomen Filii Dei nonnisi bonis operibus meruisse. Quapropter Synodo Episcoporum Orientalium anno CCLXV. Antiochiæ habitâ, unanimi Patrum consensu, Hæresis ejus damnata est, quorum suffragio succumbens Paulus & Catholicam fidem professus, severiorem Synodi censuram tunc temporis callida dissimulatione elusit: Postea verò ad Hæresin iterum defecit. Quapropter anno CCLXX. Antiochiæ secunda vice convenerunt Episcopi, & eum sede Antiochena dimoverunt, substituto ei Domno. Cùm tamen spreto Synodi decreto dignitati suæ renunciare recusaret Paulus, edicto Aureliani Imperat. eâ de re ab Episcopis interpellati, Ecclesiæ domo tandem deturbatus est. Psalmos quosdam sui ipsius elogium complexos composuit, quos abrogatis publicis Ecclesiæ Psalmis in honorem Domini nostri Jesu Christi cani solitis, in Ecclesia media magno Paschatis die à mulierculis cantari præcepit. Circumferuntur sub ipsius nomine *Quæstiones* X. Dionysio Alexandrino propositæ, unà cum Dionysii *Responsionibus*; quæ tametsi suspectæ quibusdam fidei, quò minùs tamen Pauli credantur, nil certi obest. Habentur in *Epistola Dionysii ad Paulum*, in cujus fronte mentionem injicit Dionysius literarum à Paulo sibi antea inscriptarum. 260.

† Hæres. 65.

PAULUS, ortu Samosatenus, factus est Antiochiæ Episcopus, anno CCLX. In Concilio Antiocheno anno CCLXV. impii in Christum dogmatis reus peractus, fidem catholicam vaferrimè simulando, salvus evasit. Verùm in altera Synodo anno CCLXX. celebratâ, convictus est, damnatus, & episcopatu exutus. In quo consistebat, Pauli κυρία δόξα non omnes idem sentiunt. Missis Neotericis audiamus, quid hâc de re Veteres. Patres Antiocheni in Epistola Synodica * τὴν ἀρνουμένου τὸν θεὸν αὐτοῦ κακίαν vocant, *improbitatem hominis Deum negantis*, aiuntque ipsum docuisse Jesum Christum κάτωθεν è terra ortum esse, nec à cœlo descendisse; Paulumque prodito atque ejurato religionis nostræ Mysterio, in execrandam Artimæ sivè Artemonis, Christum ψιλὸν ἄνθρωπον esse affirmantis, 260. P. II.

* Apud Euseb. lib. VII. c. 30. p. 280, 281.

SÆC. III. ab An. CC. † Conc. T. I. col. 845. hæresin lapsum esse. Et in altera † ad ipsum Paulum priusquam deponeretur, si de dogmatibus ejus, ex iis quæ contra opposuerunt Patres, judicare fas sit, Filium Dei ante mundi constitutionem fuisse negavit, & non ὐσίᾳ καὶ ὑποςάσει sed solummodò προγνώσει, ante sæcula Deum fuisse, adeoque Filium Dei Deum esse confiteri, nihil aliud esse quàm duos Deos prædicare. De eo Eusebius *; Contra Ecclesiæ doctrinam abjectè nimis & humiliter de Christo sentiisse, quasi is nihil supra communem hominum naturam habuisset. Athanasius † de Pauli sententia, hæc inter alia habet; Christum non ante extitisse quam ex Maria nasceretur, & ab ea initia suę essentiæ accepisse; ante sæcula quidem fuisse, sed τῷ προορισμῷ; & post incarnationem demum, idque ἐκ προκοπῆς, ex profectu virtutis Deum factum esse. Theodoritus *, deprehensus est, inquit, Christum hominem dicere θείας χάριτ@ διαφερόντως ἠξιωμένον, Divinâ gratiâ insigniter ornatum. Ex Athanasio † quidem colligunt multi Samosatenum τὸ ὁμοούσιον in Christo agnovisse. Verùm non aliud eo loco dicit Athanasius quàm Paulum ex detorto Catholicorum vocabulo sophisticum argumentum contra Christi Divinitatem excogitasse; nempe nisi confiteremur Christum ex homine Deum factum esse, sequeretur ipsum Patri esse ὁμοούσιον, ac proinde tres esse substantias, unam quidem primariam, duas ex illa derivatas; σωματικῶς enim & crasso sensu vocabulum accepit, quasi in Essentiâ Divinâ, perindè ac in rebus corporeis usu venit, ut ab unâ substantia, altera, eaque diversa, derivetur. Quo circa nè hac voce hæretici ulterius abuterentur, silentio supprimendam censuerunt Patres Antiocheni; non quod Catholicum vocis sensum damnarent, sed ut omnem sophisticè cavillandi occasionem hæreticis præriperent, ut ex Athanasio, Basilio, aliisque, abundè liquet. Ex his manifestum est, quænam fuerit Pauli de Christo sententia nempè ex virgine Mariâ natum, nullum ante incarnationem Essentiæ suæ interim habuisse, & exindè profectu quodam Deum factum esse. Et impia quidem hæc dogmata eo lubentius amplexus est, ut Zenobiæ Reginæ, quæ tunc Syriæ principatum obtinebat, mulier in Judęorum ritus & dogmata nimiùm propensa, cujusque ope ad Episcopatum suum promotus fuerat, gratiam speciosius demereretur, ut non obscurè innuit Athanasius * disertè affirmat Theodoritus †. Quæ scripsit, Paulus, ad nos minimè pervenerunt. Præter Psalmos & Hymnos à suis in Ecclesia cantari solitos, scripsit & alia, & in his libros aliquot ad Sabeanum. Superest fragmentum Gr. MS. ἐκ τῶν πρὸς Σαβειανὸν, in collectione quâdam testimoniorum, cap. 36. quam Damasceno tribuunt nonnulli, quæque in Bibliotheca Collegii Claromontani reperitur; uti nos docet Labbeus, Conspect. Damas. p. 53. Non paucæ Pauli Samosateni sententiæ in Contestatione Cleri C. P. publicè proposita αὐτολέξει exhibentur Conc. T. II. p. 338. De ejus, Eunomii, &c. opusculis notat Vincentius Lirinensis * fuisse Sacræ Scripturæ testimoniis refertissima, ut nulla propè omittatur pagina quæ non Novi aut Veteris Testamenti sententiis fucata & colorata sit, id quod cernere licet in ejus X. quæstionibus, Dionysio Alexandrino propositis, quæque genuinæ jure haberi poterant, nisi Dionysii ad illum Epistola, qua continentur, suspecta esset, cum in Synodicâ suâ disertè referant Patres Antiocheni Dionysium, ad Ecclesiam solum Antiochenam, non ad ipsum Paulum, dedisse literas, quem ne salutatione quidem dignatus sit: Nisi dicere velimus diu ante posteriorem Antiochiæ Synodum, has Dionysium inter & Paulum Literas intercessisse.

* Ibid. c. 27. p. 277.

† De Synod. Arim. p. 691. 702. Orat. de Sal. adv. n. p. 495.

* Hæret. Fab. lib. II. 8. p. 223.

† De Synod. 708.

† Ad Solit. p. 663.

† Ubi suprà, p. 222.

* Commonit. p. 356.

SÆC. III. ab An. CC. 265. P. II. MAGNES, Presbyter Hierosolymitanus, Auctor longè vetustissimus, nec tamen ulli ex Veteribus (quod sciam) cognitus. Obscuri hujus Scriptoris, & incertæ hactenus ætatis tempus tandem expiscari licuit: Germanus enim Patriarcha CP. in Dogmatico ad Anthimum MS. apud Cl. Galeum, ubi de Synodo Antiochena adversùs Samosatenum, agit, hæc habet. *Interfuerant*, inquit, *Concilio Antiocheno contra Paulum Samosatenum, Gregorius Taumaturgus, Leo Tarsensis, Maximus Bostrensis*, καὶ Ἱεροσολύμων Μάγνης τὶς ἱερεὺς, καὶ ἡ ἡμετέρας Καππαδοκίας Φιρμιλιανὸς ὁ θαυμάσι@ *Theotecnus, Photinus, Marcellus*, &c. Claruit igitur anno CCLXV. quo habita est, adversus Paulum, Antiochiæ Synodus; saltem anno uno alterove sequenti. Episcopos enim hac occasione κατὰ καιροὺς διαφόρως καὶ πολλάκις, in unum coiisse refert Eusebius, lib. VII. cap. 28. pag 278. quod vel de diversis Synodis, vel de diversis ejusdem Synodi Sessionibus intelligendum est. Quicquid sit, vix de alia Synodo quàm quæ ann. CCLXV. habita est, intelligi potest Germanus, cum hoc circiter anno Gregorius Thaumaturgus obiisse dicatur. Cum igitur Sacerdos fuerit Hierosolymitanus Magnes noster, Hymenæum Episcopum suum eò comitatus est. Plures enim Presbyteri & Diaconi huic Concilio interfuerunt. In his nominibus pro Λεὼν, levi mutatione legendum est, Ἕλεν@, is enim erat hoc tempore Tarsensis Episcopus, ut disertè habent Eusebius, Syncellus, & Nicephorus. Scripsit Magnes adversus Theosthenem, aliosque gentiles qui Evangelia calumniabantur, libros V. suspicari licet extare Græcè MSS. tùm alicubi apud Græcos, tum in Bibliothecâ Venetâ D. Marci; unde fragmenta protulit Fr. Turrianus in opere quod pro canonibus Apostolorum & Epistolis decretalibus, adversùs Magdeburgenses scripsit. Vide quæ diximus, Part. I. ad ann. CCCL.

270. THEOGNOSTUS, Alexandrinus, sacrorum librorum Interpres ap. Photium *, ἀνὴρ λόγι@ Athanasio †, qui & alibi eum τὸν θαυμάσιον καὶ σπουδαῖον vocat. Claruisse videtur circa annum CCLXX. Origenis discipulus, saltem in scriptis ejus versatissimus. Scripsit stylo venusto admodum ac perspicuo, *Hypotyposewn libros* VII: quorum singula argumenta recenset Photius. Primo de *Deo Patre* egit ac materiam ei coæternam non esse demonstravit, Secundo necessitatem existentiæ Filii, Tertio Spiritus S. probandam suscepit; in utroque verò Origenis nimium sequax, errores immiscuit pessimos, inter SS. Trinitatis personas, totidem dignitatis gradus affingens, Christumque pariter ac Spiritum S. ad creaturarum sortem detrudens. Quartò paria ferè cum Origene de Angelis & Dæmonibus docuit. Quinto & Sexto de Incarnatione Dei disseruit eam passibilem esse probare satagens: ubi tamen Origenis vestigiis insistens, declinare non destitit, circumscriptum esse Christi corpus negans, Ultimò denique libro de Creatione Dei piè magis atque Orthodoxè argumentatus est. Fragmenta è libro 2. bina exhibet Athanasius, De Decret. Synod. Nicæn. p. 420. 421. Alia Fragmenta habet Idem, Homil. in illud; *Quicunque dixerit verbum*, &c. non longè ab initio.

* Cod. 106.

† De Decret. Synod. Nicæn.

* Loc. cit.

282. P. II. THEOGNOSTUS, vir tùm ob doctrinam, tùm ob vitæ sanctimoniam celeberrimus. Gymnasii Catecheticæ apud Alexandrinos Præfectus erat. Unde in operum suorum inscriptione ἐξηγητὴς

Digitized by Google

τῆς, seu Librorum sacrorum interpres, dictus est, voce huic muneri penè propriâ. Origenis fuisse dicipulum nemo dubitare potest, qui librorum ejus argumenta, quæ exhibet Photius, secum perpendet. Certè Arianis temporibus vetustiorem fuisse, satis arguit, quòd adversùs Arianos testis adducitur, quódque ipsum proximè post Origenem inter viros *priscos*, *admirandos*, *eruditos*, recenset Athanasius *. Philippus Sidetes eum Pierio in Schola Alexandrina successisse dicit. Unde conjicere fas erit, Theognostum circa an. CCLXXXII. hanc Scholam tenuisse, ut in Pierio observavimus. Mirum certè videri debet, tam celebris Theologi, sibíque ætate paris, Eusebium non meminisse. Dolo quidem malo id ab Eusebio factum suspicatur Baronius †; Theognosti scilicet nomen atque scripta silentio obvoluta reliquisse, quod Consubstantialis nominis esset assertor. Verùm Eusebium ab hâc suspicione liberant phrases Theognosti duriores, periculosæ, & Arianis paulò faventiores; ipsa denique librorum argumenta, de quibus agit Photius cod. CVI. qui nihilominùs Theognostum in extrema operis sui parte, aliquanto piè magis, cùm de aliis, tum præsertim de Filio Dei, tractasse notat.

*In illud, *Quicunque dix.* p. 755. T. I.

† Ad ann. CIX. n. 59.

270. MALCHION, Vir disertissimus, claruit anno CCLXX. Literis sæcularibus impensè eruditus. Scholæ Sophisticæ apud Antiochiam præfuit, ibique Rhetoricam florentissimè docuit. * Tandem ob Eminentissimam fidei Christianæ sinceritatem Presbyterii honorem in Ecclesia Antiochena consecutus est. Interfuit Concilio Antiocheno posteriori anno CCLXX. adversùs Paulum Samosatenum congregato, in quo solenni disputatione, excipientibus cuncta Notariis, cum Hæresiarcha congressus est; & solus erat, qui occultos hominis sensus detegere valuit. Ex hac *disputatione* seu *Dialogo* loca quædam adducit Leontius libris *contra Nestorium*. Refert etiam Hieronymus *, scripsisse Malchionem ex persona Synodi Antiochenæ celebrem illam *Epistolam adversùs Paulum Samosatenum*, quam ad Dionysium, Maximum, cæterosque Catholicæ Ecclesiæ Antistites, in omnes provincias transmiserunt Patres Antiocheni. Vereor autem, ne sine auctore id tradiderit Hieronymus. De hâc enim re ne γρῦ quidem habet Eusebius, apud quem Epistola Synodalis penè integra extat l. 7. c. 30. Utcunque tamen tantam ex confutatione Pauli gloriam retulit Malchion, ut ea de causa in Menologiis Græcorum meruerit consecrari die XXVIII. Octobris.

* Hieron. de Script. c. 71.

* Loc. cit.

270. ANATOLIUS, Alexandriâ oriundus, claruit anno CCLXX. Non modò supra vulgus Doctorum sapuit, verùm inter omnes sui temporis penitiori literaturâ & Philosophiâ præstantes τὰ πρῶτα τῶν μάλιστα δοκιμωτάτων ἀπενηνεγμένα ἦν, inquit Eusebius †, *principem sine controversia locum tenuit*: quippe in quovis doctrinæ genere, Arithmeticâ, Geometriâ, Astronomiâ, Physicâ quoque Dialecticâ, ac Rhetoricâ ad supremum usque fastigium eruditus. Qua de causa ab Alexandrinis rogatus est, ut ad exemplum Scholæ Platonicæ Scholam Aristotelicæ successionis ibidem institueret. Eundem hunc esse censet Valesius * cum Anatolio, quem Eunapius † Jamblici Præceptorem facit, eumque secundum à Porphyrio locum obtinuisse dicit. Utut sit, magnam apud omnes sui nominis famam, & inter Civitatis suæ Proceres præcipuam honoris prærogativam adeptus est. Relictâ tandem Alexandriâ, in Syriam proficiscitur; ubi Theotechnus, Cæsareæ Palæstinæ Præsul, primus illi manus imposuit, eumque Episcopum ordinavit, successorem Ecclesiæ suæ despondens: & sanè aliquantisper vicariam operam Theotechno in sede Cæsariensi regenda præstitit. Posteà dum Antiochiam pergens, Laodiceam pertransiret, à Laodicensibus detentus est, ut in locum Eusebii istius Ecclesiæ Episcopi fato nuper functi succederet. Quid ei exinde evenerit, certò non constat. Martyr tamen à quibusdam fuisse dicitur.

† L. c. 32.

* Annot. in Euseb. p. 158.

† In vit. Iamblic. non longè ab init.

Scripsit *Volumen de Paschate*, sive *Canones Paschales*. Præclarum hujusce Operis fragmentum exhibet Eusebius l. 7. c. 32.

Opus verò integrum ex pravâ Ruffini versione, forsan exscribentium vitio depravatiori factâ doctissimo Commentario illustratum cum Victorii *Canone Paschali* primus evulgavit Ægidius Bucherius *Antverp.* 1634. Genuinum esse tum quæ ex ejus fermè initio Eusebius, tum quæ ex fine citat Beda, liquidò ostendunt. Scripsit præterea Anatolius *Institutionum Arithmeticarum libros* X. ex quibus excerpta hodie extare inter Θεολογούμενα τῆς Ἀριθμητικῆς monet Valesius *. Quædam etiam alia suæ in sacris literis diligentiæ atque doctrinæ monumenta reliquit: ex quibus omnibus δυνατὸν ὁμοῦ τό τε λόγιον καὶ πολυμαθὲς, inquit Eusebius †, *eloquentiam simul & multiplicem ejus eruditionem abundè licet cognoscere*: sed N. E.

* Annot. in Euseb. p. 160

† Loc. cit.

ANATOLIUS Alexandrinus, Episcopus Laodicenus, claruit anno CCLXX. Quod eundem hunc cum Anatolio Jamblichi Philosophi præceptore facit Valesius, longè à scopo errare videtur. Nec tempora satis congruunt. Extat quidem Jamblici ad Anatolium fragmentum Epistolæ *de Justitia* apud Stobæum, *Serm.* IX. p. 104. Extant etiam ad eum plures Libanii Epistolæ adhuc ineditæ. Verùm is provinciæ alicujus præfectus erat, nec religione Christianus. Scripsit noster *Canonem Paschalem*, sive *librum de Paschate*, qui Latinè extat. Cujusnam sit antiqua versio, Ruffini, an alterius, non liquet; prava certè est, obscura parumque fida & accurata. Interim mirari subit Cl. Du Pinium * hujus opusculi fidem vellicare, nulla ratione reddita, nullis codicibus MSS. Patrumve testimoniis in hanc rem adductis; nec ad locum ab Eusebio citatum, aliud quod responderet, habet, quàm facilè fieri potuisse, ut aliquis impostor locum ab Eusebio allatum, cùm facilè potuit inveniri, operi suo inseruerit. Videant verò Criticæ sacræ magistri, quò tendat hæc argumentandi ratio, quâ semel admissâ, actum erit de plerisque antiquorum monumentis, quæ hoc præcipuè argumento, genuina esse demonstrari solent, quòd loca ex illis à Veteribus citata, in iis reperiuntur. Certè integrum Anatolii opusculum ejusdem commatis, & coloris est, & ab una eademque manu profectum esse videtur, Θεολογούμενα Arithmetica, quæ Anatolio tribuuntur, non produnt auctorem suum. Qui scripsit, videtur planè fuisse ex Scholâ Pythagoricâ, ut me monuit Cl. Galæus. 270. P. II.

* Tom. I. in Anat. p. 300.

COMMODIANUS, Scriptor per multa sæcula penè ignotus, [cujus utpote præter Gennadium, & Gelasium fortè Romanum, nemo ex Veteribus meminerit] *Gazæi* etiam nomen sibi assumpsit, an à gaza seu gazophylacio, ut à Commodo Commodiani, an à Gaza Palæstinæ urbe, cum Cl. Rigaltio me ignorare fateor. Ortu & cultu fuisse ethnicum satis indicat ipse, Gentiles Instruct. 33. sic alloquens. 326.

Et ego, qui moneo, idem fui, nescius, errans.

Inde Instruct. 61. *se de cloacâ levatum* dicit. Dum Christia-

Digitized by Google

SÆC. III. ab An. CC. Christianæ enim fidei libros evolveret, divinæ veritatis radiis illuminatus, Christianis adhæsit. Italusne fuerit, haud liquet; constat in Italia vixisse, &. quod verisimillimum, Romæ, Constantini M. ætate, tempore, ut videtur, Nicæni Concilii, certissimè sub Sylvestro Romano Pontifice, cujus ad præsepe palantes Gentiles invitat. Instruct. 23. Scripsit *Instructionum opus adversus Paganos*, quo Gentilium cultum & numina acutè perstringit, & lapsos aliquantulum Christianorum sui sæculi mores acriter castigat. Egregium, mihi crede, antiquæ pietatis monumentum, in quo spirat ubique verus Christianæ virtutis & disciplinæ genius, zelus ingens & incompatibilis, mirus erga Christum amor & ardens studium, singularis pauperum cura, & animus ad Martyrium paratus. Genus scribendi est Metro-prosaicum, nullis quidem metri legibus servatis, sed quod Poemati formam & ingenium solummodò imitatur. Unde Gennadius * illum mediocri sermone quasi versu scripsisse dicit. Totum opus est Acrosticon LXXX. Instructiones complectens, quibus totidem Acrostichides continentur, unâ sexagesimâ exceptâ, quæ Alphabeti ordinem sequitur. Instructione ultimâ per literas versuum initiales retrò legendas nomen suum & characterem exprimit, hoc modo, COMMODIANUS MENDICUS CHRISTI. Verbis utitur materiæ, quam tractat, satis congruentibus. Stylus tamen, inquit Rigaltius †, Africanæ ferociæ rusticitatem sapit; quæ nihilominus ad acumina Tertulliani, Cypriani, Minutii non rarò alludit: quædam etiam interserit Græcæ & Latinæ antiquitatis scita non vulgaria. Libello isto nævos quosdam reperire est immixtos, Commodiano cum pluribus præcedentium sæculorum patribus communes. Instruct. 3. asserit Angelos apostatas cœlo delapsos, & insano fœminarum amore ac amplexibus irretitos, Giganteam sobolem procreasse; errore quidem prisco, sed qui ex Apocrypho Enochi libro veteribus sæpiùs laudato, & malè intellectâ LXX. versione Genes. VI. 2. haustus est. Instruct. 19. 43. 44. 80. Chiliastarum fabulam propugnat, de aureis sæculis posthac venturis, de mille annorum regno, Anastasi primâ, fœlicitate terrenâ, de fine sæculi, de mundo ex traditione veteri per sexies mille annos duraturo. Propter hos errores credere par est Gelasium Romanum Episcopum in Decreto suo Synodali Concil. Tom. IV. opuscula Commodiani inter Apocrypha recensuisse. At in eodem decreto, quod benè notet lector, prout apud Gratianum extat, Commodiani nomen non habetur. Primus Instructiones hasce ex Sirmondi apographo cum notis edidit Nicolaus Rigaltius editionis suæ Cyprianicæ subnexas, *Paris.* 1640. iterumque 1666. denique habentur in Biblioth. PP. Tom. XXVII. pag. 12.

* De Script. Eccl. c. 15.

† Præfat. in Commod.

270. P. II. COMMODIANUS, ortu Italus, an potiùs Afer, haud satis liquet. Afrum fuisse, suadere videntur quæ usurpat vocabula, Afris Scriptoribus penè propria, *Zabulus*, *Zacones*, &c. Certè stylus, dicendique genus, notante Rigaltio, Africanæ ferociæ rusticitatem sapit. Gentilibus se natum parentibus testatur, *Præfat.* vers. V.

Ipse diù gentilis, erravi tempore multo,
Gens & ego fui, perversâ mente moratus.

Instruct. XXVI. vers. 24. *De cloaca levatus*, Instruct. LXI. v. 1. & alibi sæpiùs, Instruct. LXXX. *Gazæum* se vocat, non ab urbe aliquâ, *Gazâ* dictâ; sed à gazo, seu Ecclesiæ thesauro, ut à commodo *Commodianus* dicebatur. Hoc, nomen erat Gentilitium; illud, Christianus jam factus sibi indidit; idque non aliâ forsan ratione, quàm quòd post conversionem pauper factus, ex communi Ecclesiæ ærario nutriretur. Unde & *Mendicum Christi* se nominat. De ætate, quâ vixit, oritur difficultas haud facilè solvenda. Vulgarem sententiam de tempore Sylvestri Pontificis Romani, à Rigaltio primùm excogitatam, olim secuti, ipsum sub Constantini M. Imperio ad annum CCCXXVI. collocavimus. Re verò jam accuratiùs perpensâ, eum ad tertium potiùs sæculum remittendum esse censeo. Nec desunt multa, quæ illum anno circiter CCLXX. claruisse, & Cypriano, si non æqualem, supparem saltem fuisse suadent. Observationes nonnullas hâc de re, necdum tamen absolutas, in schedas suas conjecerat, mecúmque pro sua humanitate communicavit V. C. & nunquàm sine honoris præfatione nominandus, H. Dodwellus, quæ me ad hanc rem denuò excutiendam, haud leviter permovebant. Iteratâ itaque Commodiani lectione, paucula notabo, quæ ad firmandam hanc conjecturam, vero prorsus non absimilia videbuntur. Notandum igitur. 1. Commodianum *ducentos* tantùm à Christo annos numerare Instruct. VI. v. 2. Gentiles ita alloquitur,

Et si parvulitas sic sensit, cur annis ducentis?
Fuistis infantes? nunquid & semper eritis?

Fatendum est, ducentos hoc loco annos non strictè esse intelligendos, quasi non fuerint paulò plures. Veteres enim nondum adinventâ accuratâ æræ Christianæ Epochâ, annos à Christo nato ad suam usque ætatem computantes, numero plerùmque rotundo loqui solent, & in fine sæculi proximè elapsi subsistere, resecto, plus minúsve fuerit, quod excurrit tempore. Quandòque & ita se explicant. Arnob. Lib. I. pag. 9. *Trecenti sunt anni fermè, minùs vel plus aliquid, ex quo cœpimus esse Christiani.* Nec aliter olim Ennius, *Septingenti sunt, paulò plùs aut minùs anni.* Verùm hoc nunquàm ab iis factum est, ubi qui supra numerum excurrunt anni, integrum istius sæculi spatium occupant; Multò minùs, ubi alterum etiam comprehendunt. Etiamsi igitur nondùm exacto sæculo tertio, ducentos annos dicere potuit Commodianus, tamen ultra labentem currentis sæculi partem, nullâ ratione extendi queant. Invicto planè argumento, nullóque sophismate eludendo, Auctorem nostrum intra tertii sæculi limites esse coercendum. 2. Scripsit Commodianus vel pace vixdum plenè redditâ, vel persecutione mox expectandâ. Hinc *pacem subdolam* vocat, Instruct. LXVI. & persecutionem instare dicit; *agonia sume propinqua.* Instruct. LIII. vers. 10. Fideles monet ut Martyribus assistant, seu, ut ipsius verbo utar, *admartyrizent.* Instruct. LVIII. v. 19. ubi etiam describit *pugnam cum tristitiâ, & palmam* quę *victoriæ* donatur. Instruct. LXII. agit de iis qui martyrium affectare præse ferebant. Instruct. LXIX. v. 1. *Pastor si confessus* fuerit, id est, interpretante Rigaltio, si de nomine interrogatus, clarè & constanter responderit, sum Christianus; si thus acerræ profanorum imponere jussus, fortiter abnuendo clamaverit, non facio, *geminavit agonem.* Et ne plura congeram, Cæsarem *tyrannum* vocat. Instruct. XXIII. v. 14. Hæc aliàque plura sæculo tertio optimè congruunt, quandò cessante persecutione Decianâ pacem sub Gallieno redditam, infirmam quidem & instabilem, Persecutio sub Aureliano mox interrupit; Sylvestri verò temporibus convenire nequeunt. Constantino enim rerum in Occidente potito, quieta ac tranquilla erant omnia: Nullus à Gentilibus persecutionis metus. Vivebant sub ejus patrocinio tuti, legibus muniti, privilegiis ornati, divitiis & dignitatibus aucti, Magistratus ubique, Imperatoris exemplo, propitios & benevolos experti.

Digitized by Google

SÆC. III. ab An. CC. perti. 3. Tota scribendi ratio ævi Cyprianici ingenium, mores, & disciplinam imitatur. Iisdem pene cum Tertulliano & Cypriano loquendi modis non raro utitur, ut ubique observat Rigaltius. Novati schisma carpere videtur, Instruct. XLII. Reprehendit eos, Instruct. LXI. qui dum fratres *adversante mundo*, sub armis laborarent, ipsi *sarti opibus, nec pugnarent, nec pugnanti se sisterent*; & cum viderent fratrem causa schismatis abstentum, optant nihilominus in castris pacem, indulgentiam nempe lapsis dandam, antequam pax Ecclesiæ redderetur. Instruct. LVII. disciplinam non esse nimia indulgentia laxandam contendit. Instruct. LII. duo desertorum constituit genera: *Est alius nequam*, qui scilicet sacrificat idolo; *alius in parte recedit*, qui Præsidi offert libellum, concussori pecuniam, ne in Capitolium sacrificaturus pertrahatur. Respicit, inquit Rigaltius *Thurificatos* & *Libellaticos*; & hi quidem posteriores vix alio, quam ævo Cyprianico memorantur. Infinitus essem, si omnia recenserem, quæ de pœnitentibus, de Martyrii zelo, de fuga in persecutione, de schismaticorum studiis, de pompa funerum, de filiis sub persecutione defunctis non lugendis, de Judæis, &c. cum Cypriano communia habet. 4. Nulla, ne quidem levissima in toto hoc libello victoriæ à Constantino de Maxentio nuper reportatæ, nulla signi Crucis in cœlo miraculose apparentis, nulla gloriæ & fœlicitatis Constantini, vel immunitatum Ecclesiæ concessarum mentio, quod tamen ab homine immenso suæ religionis zelo flagrante, merito expectari poterat. Argumentum fateor negativum, sed quod non levem, apud æquos rerum æstimatores, vim atque authoritatem habet.

His itaque expositis, restat ut communem de tempore Sylvestri Papæ sententiam breviter excutiamus. Ejus unica quidem basis & fundamentum est ipsius Commodiani locus, prout in editis habetur. Instruct. XXXIII. v.5. ubi Gentiles ad Ecclesiam invitat,

Intrate stabulis Sylvestri *ad præsepe pastoris.*

Verum hæc non sunt ipsius Commodiani, sed ingenii potius Rigaltiani commentum, & longe aliud respicere videntur. In codice Sirmondiano, ex quo descripsit Rigaltius, verba, ipsomet fatente, ita se habent.

Intrasite tabulis Sylvesiri ad præsepia tauri.

Alloquitur nempe Gentiles, tanquam belluinis animis, moribusque præditos. Hinc versu præcedenti, *corda fera & exasperata.* Instruct. XXXIV. v. 1. *indomita cervix.* v.5. *noli pecus esse ferinum.* v.17. *quasi bestius errans.* Hos igitur, instar taurorum, in Sylvis campisque palantes invitat, ut Ecclesiæ Stabula intrarent, ut ad Christi præsepe accederent; ubi, ut verbis proxime sequentibus loquitur, *Latronibus tuti sub regia tecta manerent.* Non dubito igitur quin, cum Cl. Dodvvello, levi mutatione legendum sit,

Intrate stabula sylvestris ad præsepia Tauri.

Sylvestris plurali numero pro *sylvestreis*, utroque enim modo scribebant Veteres: Hæc hactenus, & forsan plus satis. Fatendum est apographum Sirmondianum, quo usus est Rigaltius, admodum fuisse vitiosum; optandumque esset ut editio nova in lucem mitteretur, ad vestutissimum codicem MS. recognita, quem in Æde S. Albani apud Andegavenses, adhuc asservari testatur in Not. ad Lact. *de Mort. Pers.* Baluzius, cap. 11. pag. m. 25. Commodia-

Cave *Hist. Lit.*

ni Instructiones primus eruit, notisque illustratas SÆC. III. ab An. CC. edidit Rigaltius, *Tulli Leuc.* 1650. 4to. Prodierunt deinceps ad calcem operum S. Cypriani *Paris.* 1666. & *Biblioth.* PP. T. XXVII. pag. 12. Claudam hæc optimis Rigaltii verbis, *Usus & efficacia libelli hujusce fuerit, constans & perpetuus amor Christi; animus ad martyrium fortis; pietas erga pauperes maxima. Hoc præterea scire, vitia, quæ etiamnum Ecclesiam dehonestant, esse vetustissima: Infinitam semper fuisse de rebus Divinis disputantium multitudinem, paucissimos vero Christianos.*

277. MANES, genere Persa, *Cubricus* antea dictus, ex mancipio Hæresiarcha factus, hæresim suam disseminare cœpit circa an. CCLXXVII. Heræ suæ, mulieris prædivitis, hæres institutus, una cum immensis divitiis Scythiani cujusdam Saraceni, viri omnibus Gentilium disciplinis ac mysteriis apprime imbuti, libros accepit; quos ille quatuor numero, primum *Mysteriorum*, alterum *Evangelium*, tertium *Thesaurum*, quartum denique *Capita* inscriptos composuerat, Hæreticis dogmatibus, inprimis circa bina rerum omnium principia, refertos; & servo suo Terebintho sive Buddæ, quem unicum Hæreseos suæ sectatorem habuit, reliquerat. Eundem cum hoc Budda opinor fuisse Addam illum cujus mentionem facit Heraclianus apud Photium Cod. LXXXV. qui evangelium scripsit quod Μόδιον appellavit; nec alius, ut videtur, erat Adimantus, proprio nomine Addas dictus, Manichæi discipulus, de quo Augustinus libro II. *contra adversarium Legis & Prophetarum* prope fin. Tom. VI. Cujus librum ipse peculiari opere confutavit ibid. p.124. Sed hæc obiter. Budda morte horrenda è medio sublato, Scythiani volumina penes Cubrici heram fuerunt, ex quibus iste hæreditario jure acquisitis haustum virus in infinitum fere auxit. Semet enim modo Paracletum & Spiritum S. modo Christi Apostolum, modo ipsum esse Christi Apostolum, modo ipsum esse Christum prædicavit. Unde & Christi ad instar, delectos ex asseclis XII. præ cæteris perditissimos nebulones, Apostolorum vice dogmata sua longe lateque prædicando dissipaturos, constituit. Duo rerum omnium principia esse docuit, æterna pariter, atque inter se æqualia, Deum nempe & Diabolum; ab illo bona omnia, ab hoc mala quæcunque exoriri; illum virtutis ac Testamenti Novi, istum peccati & Instrumenti Veteris Autorem esse, illi nos animam, huic corpus acceptum ferre. Fatum rebus humanis sublato libero arbitrio induxit; Christumque in carne extitisse negavit, phantasma illum fuisse dicens. Cæterum innumeras, easque perquam insulsas fabulas, ac rerum causas commentus est, quas fuse explicuit Epiphanius Hæres. 66. Hujusmodi fere somniis divulgatis ingentem sui famam in Persia manes excitaverat; adeo ut à Rege accerseretur, qui ægrotanti filio mederetur. Id in se capitis sui periculo conficiendum Manes suscepit; verum spe frustratus, & temerariis remediis accelerata regii pueri morte, in vincula conjicitur, temeritatem capite luiturus. Corrupto tamen custode vincula abrupit, & fugam iniit; verum Archelai Episcopi diligentia retractus, pœnam destinatam subiit, detracta ei, adhuc vivo, cute, quam paleis oppletam ad sua usque tempora in Persia asservatam fuisse scribit Epiphanius †.

† Loc. cit.

Plurima Scripta Manes edidit, compilatis ut plurimum Scythiani libris, quos & suo nomine non semel venditavit.

Digitized by Google

SCRIPTA SEQUUNTUR.

De Fide liber, ex quo ampla satis Excerpta habet Epiphan. loc. cit.

Mysteria, liber iste in viginti duas partes distributus est, Alphabetico ordine pro literarum quibus Persę utuntur, numero.

Thesaurus Major.

Thesaurus Minor.

De Astrologia, cui scientiæ plurimum ascripsit Manes. Prolixum exinde fragmentum exhibet Epiphan. Num.14.

Epistola ad Marcellum, virum clarissimum simul ac religiosissimum, quæ integra apud Epiphan. Num.6. unà cum Marcelli Epistola qua ei respondit, breviuscula Num.7. & in disputatione Archelai adversus Manichæum quam edidit Cl. Valesius.

Quamplurima passim Epiphanius Hæres. 66. ex Manis (quem Manichæum plerunque vocat) Scriptis Excerpta adducit, verùm ex quibus ejus voluminibus, id perquàm rarò agnoscit.

277. P.II. MANES famosissimus Hæresiarcha, claruit anno CCLXXVII. Impia Manetis dogmata, aniles nænias, præceptores, discipulos, scripta totumque vitæ ejus curriculum latè persequitur Epiphanius *Hæres.* LXVI. Et nos etiam alibi fecimus satis. Cum verò Manetis historiam mirè turbaverint cum veterum, tum recentiorum plures, neque eam nos alibi satis dilucidè exposuimus, non abs re erit illam paulò accuratius enarrare. Sciendum igitur tres fuisse Sectæ Manichaicæ conditores, sibimet invicem succedentes, Scythianum, Terbinthum sive Buddam, & Cubricum seu Manetem.

* *Scythianus* genere erat Saracenus, e gente Arabum in confinio Palæstinæ educatus, Græcorum lingua ac literis egregiè institutus, qui mercaturæ gratia in Indiam profectus, rem suam strenue agebat merces per mare rubrum Hispelin Thebaidis in Ægypto oppidum advehere solitus. Tandem Alexandriam se contulit, ubi Philosophiæ studio incubuit, Ægyptiorum disciplinam edoctus vitamque Aristotelicam imitatus. Cumque otio & divitiis abundaret homo acris & novaturientis ingenii, dogma aliquod paradoxum producere in animum induxit. Empedoclis igitur sententiam secutus, duo rerum principia coæterna ἰσόζυγα καὶ ἰσόῤῥοπα commentus est, unum bonum, alterum malum, illud Deum ac lucem, hoc materiam ac tenebras appellavit, non pauca etiam ex Pythagoræ disciplina, alia aliunde, mutuatus. Neque hoc solum volvebat animo, solum in vulgus projiciebat, sed & in scripta redegit, compositis quatuor voluminibus; quorum primum *Evangelium* vocavit, non quod aliqua Christi facta contineret, sed tantum nomine tenus ita dictum; alterum *Capita*; tertium *Mysteria*, quartum *Thesauros* nuncupavit. His instructus Hierosolyma petiit cum legis Mosaicæ Senioribus disputaturus; à quibus victus cum nihil proficeret, adhibitis libris magicis, quorum peritiam in India & Ægypto assecutus fuerat, præstigiis illudere conatus est. Quo fine, conscenso domus tecto, vel à Deo percussus cecidit, (νίκῳ θανατώσας ὁ κύριος, inquit Cyrillus) vel mente alienatus se præcipitem dedit. Moriens facultates & libros Terbintho reliquit. Hujus Scythiani tempus exactè statuere haud facile est. Tradit Epiphanius ipsum Hierosolyma profectum περὶ τοὺς χρόνους τῶν Ἀποστόλων. Quod laxiori quidem sensu de sæculo ævum Apostolicum proxime secuto intelligendum est; adeò ut vergente ad exitum sæculo secundo diem fatalem obiisse censeri possit.

*Cyril. Hierosol. Catech. VI. p. 142. Epiph. Hæres. LXVI. n.1.2.3. Socr. l.I. c.22. p. 53. Pet. Sic. Hist. Manic. p.20.

Terbinthus Scythiani discipulus, seu servus fuit forsan uterque, certè comes assiduus, & arcanorum particeps; ipse etiam literarum studiis haud vulgariter eruditus. Postquam aliquandiu in Palæstina hæserat, acceptis secum opibus & scriptis quæ testamento sibi legaverat Scythianus, in Persidem aufugit, apud viduam quandam hospitio acceptus; ubi ut tutius lateret, se *Buddam* appellavit. Frequentes cum Mithræ Sacerdotibus disputationes habuit, à quibus turpissimè convictus & depulsus, præceptoris sui exemplo ad Magię artes & præstigias se convertit, iis efficere studens, ne quis deinceps sibi contradicere auderet. Sed conscensa ad id superiori domus parte, à dæmone percussus, & in sublime jactatus miserè interiit, viduâ, apud quam diverterat, librorum & divitiarum hærede factâ. Affirmat quidem Socrates hos libros ab ipso Terbintho, idque postquam in Persidem pervenit, conscriptos fuisse; ex quo forsan id desumpsit Cl. Tollius *. Verum Scythiano constanter ascribunt veteres. Erat & Buttas sive *Buddas*, cujus meminit Clemens Alexandrinus †, Philosophorum Indiæ præceptor, quem propter insignem virtutem ut Deum honorârunt. Verum hic alius omninò, & multo antiquior videtur.

* Not. in for. Manich. in init.

† Strom. II. p.305.

Cubricus & *Manes*, patre Patricio, matre Carossâ natus, genere erat Persa, quem cum Scythiano perperam confundit Theodoritus *. Theodoritum secutus est Suidas †, qui addit, genere fuisse Brachmanem, & Buddam seu Terbinthum præceptorem habuisse. Quæ unde hauserit Suidas me ignorare fateor. Nusquam sanè Manes in India fuisse deprehenditur, nec Terbintho præceptore uti poterat, qui forsan nondum nato Manete mortem obierat; scriptis tantùm, quę à Scythiano acceperat Terbinthus, potitus est. Hunc septennem adhuc sibi in mancipium emit vidua Terbinthi hæres; Cumque eum libertate donasset, & Persarum disciplinis erudiendum curasset, non multò post obiit e vitâ, moriensque cunctas facultates, & libros quos apud se deposuerat Terbintus, testamento ei reliquit. His acceptis, Cubricus jam cristas erigere cœpit, & ne prior vitæ sors servilis sibi in opprobrium cederet, deposito Cubrici, Manetis nomen sibi assumpsit. Manes quippe Persarum lingua, teste Cyrillo † *sermonem* seu allocutionem significat, impostor enim insignem dialectices peritiam præ se ferebat. Sed aliam vocis originem tradit Epiphanius †, nempe vocabulum linguâ Babylonicâ τὸ σκεῦος, i. e. *vas* exprimere. Et quidem apud Chaldæos & Syros מאן *vas* denotare, norunt qui in linguis Orientalibus vel leviter versantur; quasi scilicet ad instar D. Pauli, se vas Deo electum esse homo arrogans significare voluit. Græci verò quo aptiorem irridendi occasionem arriperent illud à μανία deducere solent, ut dum apud Persas se honorare putaret, παρ᾽ Ἕλλησι μανίας ἑαυτὸν ἐπώνυμον κατήγγελλε, inquit Cyrillus, *apud Græcos ab insania se nomen trahere denunciaret*. Quam infamiæ notam ut vitarent ejus discipuli, prolongato vocabulo *Manichæum* vocarunt, quasi ἀπὸ τοῦ μάννα χέειν dictum, ac si manna fundere videretur. Futilem hanc Etymologiam se à Manichæo quodam accepisse testis est Augustinus *contra Faust.* lib. XIX. c.22. col.353. Dogmata quæ spargebat Manes, partim ex fæculentissimis veterum hæresiarcharum lacunis, partim ex ineptissimis orientalium nugis, partim ex absurdis gentilium philosophorum placitis, partim denique ex ipsius Christiana

* Hæret. fab. lib. I. c.16. p.222.

† In voc. Μάνης.

† ibid. p.145.

† ib. num.1.

SÆC. III. ab An. CC.

stianæ religionis institutis partita sunt. Unde hæresis ejus Ἑλληνίζων χριστιανισμὸς, *Græcanicus Christianismus*, à Socrate * dicitur. In formanda Secta sua, id præ aliis singulare, quòd futilem quandam Domini nostri imitationem sibimet proposuisse visus est. Quod uno alterove exemplo manifestum erit. Elegit Dominus duodecim Apostolos, ut secum essent, & quibus Ecclesiæ suæ fundandæ curam concrederet; Duodecim habuit & Manes, quorum nomina à Petro † Siculo recensentur. Ex Apostolis suis tres primarios assumpsit Dominus, ut sibi essent tanquàm comites secretiores, Petrum nempe, Jacobum & Joannem. Ex suis totidem elegit Manes, Thomam, Addam & Hermam, quos ad dogmata sua prædicanda mitteret, & quibus suas cuique provincias assignavit. De ordine autem quo recensentur, & provinciis, non ita consentiunt Veteres. Apud Cyrillum & Epiphanium Thomas primum occupat locum; apud Archelaum verò in fragmento, quod edidit Valesius, scribit Addam in partes Orientales esse missum, Thomam in Syriam Hermam in Ægyptum. Epiphanius Addam in superiorem regionem: Thomam in Judæam abiisse. Ubi pro τὴν Ἰουδαίαν legendum putat Petavius, τὴν Ἰνδίαν. Et ita quidem habet Theodoritus, Thomam ad Indos missum esse. Cui consentit Nicephorus †. Quod si ita sit, voluit fortasse impostor Christum etiam hâc in parte imitari, dùm Thomam Apostolum ad Evangelium suum prædicandum in Indiam destinaret. Denique ut alia prætercam; habet Christiana doctrina suam Personarum Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Suam habuit & Manichaismus, *Scythianus* enim seipsum Patrem nominavit, *Terbinthus* seu *Buddas*, se Dei Patris Filium esse jactitavit, ex virgine natum, in montibus educatum; *Manes* verò se Spiritum Sanctum seu Paracletum ubique prædicavit; disertè hæc referente Petro Siculo *Hist. Manich.* pag. 22. Antequàm verò in vulgus proruperet Manes, ascitis sibi discipulis, illos Hierosolyma * allegavit, ut sacros Christianorum libros sibi coemerent. Quo facto, librisque diligenter evolutis, eos malâ fide depravavit, & ubicunque poterat, ad opinionis suæ patrocinium violenter detorsit. Quatuor Scythiani volumina recoxit, interpolavit, proque suis venditavit. Unde κλέπτης ἀλλοτρίων κακῶν ἐξιδιοποιούμενος τὰ κακὰ Cyrillo † audit, *fur alienorum malorum, qui sua faciendo sibi ea mala vendicavit.* Nec defuere libri quos ipse proprio Marte conscripsit, de quibus egimus *Part.* I. plura mox addituri. Fragmentum quoddam memorabile, saltem sententiam Manetis ore traditam, refert Formulæ Coteleriana, & Tollianæ auctor; hic pag. 148. ille col. 375. qua profitetur scelestus impostor se Christo magis esse misericordem, & coram hominibus se abnegantes, fidemque pro salute mentientes, blandè se hilaréque esse recepturum.

*Lib. c. 22.

† Ibid. p. 30.

† Lib. VI. c. 32. p. 249.

*Epiph. ibid. num. v.

† Ibid. p. 141.

Antequàm manum de tabulâ, cùm in his jam versemur, operæ pretium erit ad majorem historiæ Manichaicæ illustrationem, & Manetis, & veterum Manichæorum scripta, quæ in formulis à Coterelio, Tollio, & Goaro editis, alibive memorantur, breviter excutere. A formula *Goarianâ* ex codice MS. Barberino descripta, quæ in *Euchologio* p. 885. reperitur, initium ducam, eò magis quod interpres ad quodvis ferè verbum adeò fœdè lapsus sit, ut si ex hoc specimine esset judicandum jurares hominem, in Græcis aliàs præclarè exercitatum, vel Græcè nescivisse, vel rem ipsam minimè intellexisse. In hâc igitur formulâ Manichæus conversus anathema dicit Maneti, ejusque dogmatibus, καὶ πᾶσι τοῖς ἐκτεθεῖσι καὶ συγγραφεῖσι παρ' αὐτοῦ, καὶ πᾶσι τοῖς πειθομένοις αὐτῷ, καὶ τοῖς, ὡς προεῖπον, παρ' αὐτοῖς ἀσεβῶς ἐκτεθεῖσι πέντε βίβλοις, *i. e.* interprete Goaro, *& omnibus ab eo expositis, & cunctis ei morem gerentibus, & iis quæ, ut præfatus sum, exposuit.* Postrema ita rectiùs reddenda sunt, *Et quinque libris ab ipsis, ut præfatus sum, impiè expositis.* Hi quinque libri suo ordine sequuntur. I. Τὸ ζῶν Εὐαγγέλιον, ὅπερ καὶ νεκροποιεῖ, *vivum Evangelium, quod & reverâ mortiferum est.* Ita formulæ Cotelerianæ & Tollianæ auctor, τὸ νεκροποιὸν αὐτῶν Εὐαγγέλιον, ὅπερ ζῶν καλοῦσι, *Mortiferum eorum Evangelium, quod vivum appellant.* Et his longè antiquior Heraclianus Chalcedonensis Episcopus apud Photium *Cod.* LXXV. col. 204. Τὸ τῶν Μανιχαίων ζῶν Εὐαγγέλιον memorat. Inter quatuor Scythiani libros, quos possedit & recoxit Manes, unum fuisse *Evangelium* dictum, non semel suprà observavimus. Condidit & Thomas primarius Manetis discipulus suum Evangelium, quod τὸ κατὰ Θωμᾶν Εὐαγγέλιον à Manichæis dictum est. II. Ὁ Θησαυρὸς τῆς ζωῆς, ὅσπερ ἐστὶ θησαυρὸς θανάτου, *Thesaurus vitæ, qui revera mortis est Thesaurus.* Non aliter auctor Coterelianus & Tollianus, Ὁ θησαυρὸς τοῦ θανάτου, ὃν λέγουσι θησαυρὸν ζωῆς, *Thesaurus mortis quem ipsi thesaurum vitæ vocant.* Eadem habet Petrus Siculus *Hist. Manic.* p. 20. Meminerunt etiam Heraclianus Epiphanius, Cyrillus Hierosolymitanus, alii. Alterum hoc erat Scythiani opus, quod sibi arrogavit Manes, & plures sub se libros complectebatur. Ex libro septimo *Thesauri* fragmentum Latinè profert Augustinus *de nat. boni* cap. 44. Tom. VI. col. 565. alibique citat *de Act. cum Fel.* lib. I. cap. 14. col. 505. Hæc quæ jam recensuimus Formulæ verba cum præcedentibus connectit Goarus, atque hoc modo vertit *vocavit ille vivens Evangelium quod potiùs vitæ thesaurum trucidat, & mortis est thesaurus.* Deus bone! quod hoc monstri est? sensu absurdo, & planè nullo. Sed nos veram auctoris mentem restituimus. III. Καὶ βίβλον ἀναθεματίζω τῶν ἐπιστολῶν ὁμόδα. Quæ sic reddit Goarus, *Anathematizo librum Epistolarum Omodâ.* Quis verò de Epistolis Omodæ, vel de Omadâ ipso audivit unquàm? Legendum procul dubio ὁμάδα, hocque modo reddendum, *Anathematizo etiam librum, nempe Epistolarum farraginem.* Et ita quidem disertè habet P. Siculus p. 30. Τὴν τῶν ἐπιστολῶν ὁμάδα. Inter Manetis libros τὸ τῶν ἐπιστολῶν αὐτοῦ βιβλίον recenset formulæ Cotelerianæ & Tollianæ conditor. Ex hoc Epistolarum corpore procul dubio erat famosa illa Epistola, quam *Fundamentum* vocabant Manichæi, quam toties citat Augustinus *de nat. boni* c. 42. 46. & in *Actis* cum Felice, ubi suprà. Quin & contra eam integrum librum scripsit, qui extat Tom. VI. col. 115. Incipiebat, *Manichæus Apostolus Jesu Christi, providentia Dei Patris:* pariter ac altera illa ad Marcellum, quæ habetur Latinè in fragmentis Archelai, Græcè apud Epiphanium *Hæres.* LXVI. *num.* VI. imò omnes ejus Epistolas idem habuisse exordium testatur Augustinus *contra Faust.* lib. XIII. cap. 4. col. 281. Certè magnâ veneratione hanc Epistolam prosequebantur Manichæi, tanquam universæ fidei suæ promptuarium, adeò ut teste Augustino *lib. cit.* c. 5. quoties coram auditoribus lecta fuerit, capite inclinato dicere solebant, *Amen.* IV. Sequitur apud Goarum, Καὶ τὴν τῶν μυστηρίων, ἥτις ἐστὶ πρὸς τὴν ἐπιτηδευθεῖσαν αὐτοῖς ἀνατροπὴν τοῦ νόμου καὶ τῶν ἁγίων Προφητῶν *Anathematizo & librum mysteriorum ad eversionem Legis & sanctorum Prophetarum ab iis studiosè compositum.* Eodem modo & alterius formulæ Auctor, καὶ τὴν καλουμένην μυστηρίων βίβλον, ἐν ᾗ ἀνατρέπειν πειρῶνται νόμον καὶ προφήτας, *librum item titulo mysteriorum in quo Legem ac Prophetas evertere nituntur.* Et similiter planè P. Siculus p. 20. Erat & hic unus ex

Digitized by Google

Scythiani libris à Manete auctus & interpolatus; immensum opus in XXII. partes ordine alphabetico pro literarum, quibus Syri utuntur, numero distributum, teste Epiphanio *num.* XIII. p.629. Libros hos Palmyreno & Syriaco sermone fuisse scriptos affirmat Tollius p.142. Verùm id non disertè dicit Epiphanius, sed tantùm pro eorum more juxta elementorum, quibus utuntur, numerum, opus suum distinxisse. V. Καὶ τὴν τῶν πάντων πραγματείαν, *anathema libro* omnium negotiatio *vocato.* Fefellit interpretem locus mendosus; legendum, τὴν γιγάντων πραγματείαν; hunc enim fuisse verum hujus libri titulum testis est Timotheus CP. in nonnullis codicibus MSS. (mirè enim variant tùm editi, tùm MSS.) libelli sui *de differentia eorum qui accedunt ad puram fidem*, τὴν γιγάντειον βίβλον vocat Heraclianus apud Photium *Cod.* LXXXV. qui & opus istud refutare aggressus est. His quinque scriptis subnectitur apud Goarum Agapii inter Manetis discipulos non incelebris Ἑπτάλογος. Hujus mentionem faciunt P. Siculus pag. 30. & formulæ toties citatæ. Erat & Agapius Manichæus, idem procul dubio qui varia scripsit, de quibus prolixè Photius *Cod.* CCXXX. col. 401. & nos plura in tractatu *de Scriptoribus Ecclesiasticis incertæ ætatis.* Post formulam Goarianam pergamus ad eas quas Cotelerius & Tollius ediderunt. Hîc primo occurrit liber τὰ Ἀπόκρυφα dictus, quo ut probabile est, reconditiores illorum ritus, præstigiæ, & execranda religionis mysteria continebantur, & quorum doctrina non nisi mystis & nefandis eorum orgiis imbutis tradebatur. Quale fuit τὸ καλούμενον αὐτῶν Βῆμα, cujus meminerunt prædictæ formulæ. Quid verò hoc Βῆμα fuerit, aperit nobis Augustinus*, testis oculatus; fuisse scilicèt solennem diei celebrationem, quo Manes occisus est, quando posito tribunali quinque gradibus instructo, & pretiosis linteis adornato, magno honore à miserâ plebeculâ adorabatur, cujus scenæ non alia mens erat, ut ab iis edoctus est Augustinus, quàm hoc esse rectum Pascha; solùm quippè Manetem verè passum esse, ejusque passionis diem esse celebrandum, Christum verò simulatâ carne indutum, non nisi simulatam passionem pertulisse, ac proindè Pascha ejus nihili esse faciendum. Ut verò sentiam istiusmodi ritus in hoc opere fuisse contentos, facit, quòd post mentionem Βήματος in formulâ nostrâ immediatè sequitur, *damnanda esse omnia quæ impiè ab illis in sacris fiunt atque celebrantur, quæque Manichaicis seu præstigiatoriis ipsorum libris continentur.* Proximè sequuntur τὰ ἀπομνημονεύματα. *Manetis dictorumque memorabilium commentarii*, uti paraphrasticè reddit Cl. Tollius. Et rectè opinor. Deinde βίβλος γεγραμμένη Ἄδα, καὶ Ἀδίμαντος. Adde opus Μόδιον dicebatur, de quo paulò infrà. Adimantus magni erat nominis inter Manetis discipulos, & pro doctore celeberrimo habebatur: ipsius liber Augustinum nactus est antagonistam, cujus tractatus *contra Adimantum* inter opera ejus reperitur *Tom.* VI. col. 174. Ex quo colligere licet in opere suo id unicè sibi proposuisse Adimantum, ut vetus Testamentum, libros præsertim Mosaicos, cum Evangelio committeret. Quo fine, loca quæ sibi videbantur pugnantia collegit, & sibimet invicem opposuit. Singula Augustinus in responsione suâ scrupulosè expendit, magnóque judicio & acumine refellit. Addit formula Tolliana, καὶ τὰ Μωσέως καὶ τῶν ἄλλων προφητῶν, *Moysisque & aliorum Prophetarum*; rectiùs omninò Coteleriana, κατὰ Μωσέως καὶ τῶν ἄλλων προφητῶν, ad ea quæ procedunt referenda, *liber ab Ada, aliisque ab Ademanto conscriptus adversus Mosem prophetasque alios.* Hunc enim unicum fuisse istius libri scopum ex Augustino suprà observavimus. Postremum opus est Aristocriti, ex Manetis discipulis haud postremi, Θεοσοφία dictum, in quo ostendere conabatur Judæorum, Gentilium, Christianorum, & Manichæi unam eandemque doctrinam esse; utque verisimilia dicere videatur, Manetem tanquàm malum hominem traducere non verebatur. His addi possunt quæ apud Timotheum CP. in libello suo reperiuntur. Βίβλος εὐχῶν, *precum liber*, qui orationum & præstigiarum formulas continebat. Undè in formulis nostris pœnitens Manichæus omnes eorum libros, omnes preces, immò præstigias anathematizare jubetur. Τὸ κατὰ Φίλιππον Εὐαγγέλιον, cujus etiam meminit tanquàm à Manichæis conficti Leontius *de Sect. Act.* III. pagin. 432. & in Decreto *Pseudo-Gelasiano Actus nomine Philippi Apostoli* ad Aprocrypha rejiciuntur, Πράξεις Ἀνδρέου τοῦ Ἀποστόλου, *Actus nomine Andreæ Apostoli* in eodem etiam decreto memorantur. Certè Manichæos apocrypha Acta beati Andreæ Apostoli olim habuisse testantur Philastrius † Veterùmque alii. An eadem sint quæ Latinè habemus hodie sub nomine *Presbyterorum Achaiæ*, quærant alii, nulla certè Manichęismi vestigia in iis inveniuntur. Interim supposititia esse, & ab otiosis Monachis conficta satis demonstravimus pagin. 9. ad ann. LIX. *Decima quinta ad Laodicenses Epistola.* Manichæi enim Epistolis XIV. D. Pauli apocrypham *ad Laodicenses* Epistolam, quæ apud Veteres circumferebatur, tanquam decimam quintam addiderunt. Denique παιδικὰ τοῦ κυρίου. An fortè eadem, quorum meminimus p. 1. quæque ex codice Regio Græcè & Latinè edidit Cotelerius *Not. ad* PP. *Apost.* pag. 274? idem, ut videtur, Opusculum; quippè nugis & fabulis refertissimum, ut Manichæorum omnia. Præter verò suo loco recensita extat Gr. Fragmentum ex Manetis Persæ *Epistola* ad Condarum Agarenum in Collectione Testimoniorum sub Damasceni nomine cap. 9. in Cod. Claromont. ap. Labb. *Conspect.* Oper. Damasc. pag. 53. Aliud item ex ejus *Epistola* ad Zebennam ibid. cap.36. Qui hæresin hanc scriptis suis refutarunt hos accenset Epiphanius, Archelaum, Origenem, Eusebium Cæsariensem, Eusebium Emisenum, Serapionem Thmuensem, Athanasium Alexandrinum, Georgium Laodicenum, Apollinarium, & Titum. Hallucinari verò hoc loco Epiphanium*, dùm Manichęismi oppugnatoribus Origenem accenset, vel luce clariùs liquet, cùm plusquam XX. annis ante natam Manetis hæresim diem suum obierat Origenes, *viz.* anno CCLIV. Neque tamen solus errorem hunc erravit Epiphanius. In catenâ Græcâ *in Joan.* cap. II. ver.1. p.64. adducitur Origenis locus, ubi Manichæos arguendos esse docet, quòd Mariam Christi matrem esse negarent. Verùm vel locus iste, vel extrema saltem ejus clausula Origenis nomini falsò supponitur. Certè Theodoritus, Epiphanio longè accuratior, eosdem penè Manichęismi oppugnatores recensens, Origenem penitùs prætermisit. Interim ad Epiphanii excusationem urgeri potest, se id non confidenter, sed *ex auditu* tantùm retulisse, Ὀρειγένης δὲ, ὡς ἀκήκοα. Verùm & illud non levem incogitantiæ & incuriæ notam inurit. Mirum plane videri debeat, dogmata absurda & insulsa, quæ non tantùm Sacris Literis, sed & communi hominum sententiæ, prima fronte adversari videbantur, usque adeo invaluisse, & quod mireris adhuc, venenum non modò per Orientem, sed & per Occidentem longé lateque serpsisse. Ab hâc impietatis Scholâ plurimi ad Ecclesiam catholicam reversi sunt; in quorum conversione, ut fraus omnis & vafrities tolleretur,

conceptæ

* Cont. Epist. Manich. cap. 8. col. 120.

† Hæres. LXXXVII. p.40.

* Hær. LXVI. num. XXI.

Digitized by Google

conceptæ sunt solennes Formulæ, ab iis usurpandæ, qui hanc Hæresin ejurarent. Extat hujusmodi Formula, opusculum benè longum, hunc habens titulum Ὅπως χρὴ ἀναθεματίζειν ἐγγράφως τὴν αἵρεσιν αὐτῶν τοὺς ἀπὸ Μανιχαίων προσιόντας τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ Καθολικῇ καὶ Ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ. *Quomodo hæresin suam scriptis oporteat anathematizare eos, qui è Manichæis accedunt ad sanctam Dei Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Hos Anathematismos, utpote qui ad totius historiæ Manichaicæ cognitionem; & dogmata disertiùs explicanda apprimè conferant, è codice MS. Bibliothecæ Regiæ extulit, notisque in Patres Apostolicos Græcè & Latinè inseruit doctissimus Joann. Cotelerius pag. in 368. Similem, planè, immò eandem potiùs formulam *recipiendi eos, qui à Manichæorum & Paulicianorum hæresi, ad puram & veram nostram fidem Christianam convertuntur,* ex codice Vindobonensi Græcè Latinè nuper edidit, Notisque illustravit Jacobus Tollius in *Antiquitat. sacris* p. 126. Duabus constat partibus. Prima, eaque satis ampla, sed initio mutila, continet anathematismos, quibus Manes, ejusque parentes, præcursores, discipuli, sequaces, omnèsque eorum libri, dogmata, prestigiæ, mysteria, ritus & mores damnantur, dirisque devoventur. Sed hanc partem, eamque integram ante annos XXIV. ex cod. Regio Gr. L. evulgaverat eruditissimus Cotelerius *Not. ad PP. Apost.* pag. 368. ut non opus erat Tollio laureolam sibi in mustacio quæritare: nisi forsan ipsum latuerit editio Coteleriana ut certè Lambecium latuisse videtur. Eandem, sed longè contractiorem, ex codice Barberino edidit Jac. Goar. *Euchol.* pag. 885. Altera pars complectitur officium integrum, paucis in fine desideratis, quod in receptione conversorum Manichæorum recitari solebat. Rubricam cum paucis precatiunculis ex alio codice MS. anteà extulerat Goarus *ibid.* p. 890.

277. P. II. ADDAS, gente, ut videtur, *Syrus*, unus ex tribus primariis Manetis discipulis, quem ad prædicandum impium illud Evangelium in Syriam misit fœdissimus Impostor, claruit anno CCLXXVII. *Baddam* vocat Cyrillus, * *Budam* Petrus † Siculus, *Aldam* Theodoritus, * *Addam* Epiphanius †, & Nicephorus *; & rectiùs quidem; quippe testis omni exceptione major ipse Archilaus, qui Acta disputationis cum Manete literis mandavit, in fragmento quod superest, Addam constanter vocat, subditque discipulum habuisse Tyrbonem, quem Manes cum Epistolâ suâ ad Marcellum, virum in Mesopotamiâ clarissimum, legatum misit, quique mox ad fidem catholicam rediit. Non sum nescius inter Manetis discipulos ab auctore Coteleriano & Tolliano & *Buddam* & *Adam*; à Petro Siculo Buddam & Adantum numerari. Sed utut sit, certum est, Addam, de quo agimus, ex tribus præcipuis Manetis discipulis unum fuisse, neque alium, quàm cujus toties meminerunt Veteres. Scripsit librum, quem Μόδιον appellavit. Meminit quidem βίβλου τῆς γεγραμμένης Ἀδδᾶ auctor Tollianus p. 142. Adversùs hunc librum stylum strinxêre Titus Bostrensis in Arabiâ Episcopus, & Diodorus Tarsensis in Ciliciâ antistes, teste Heracleano Episcopo Chalcedonensi apud Photium *Cod.* LXXXV. col. 204. Diversus ab Adda nostro erat *Adimantus* ille, cujus toties apud Augustinum occurrit mentio, quemque ipse peculiari opere refutavit. In catalogo enim discipulorum Manetis, tum apud Petrum Siculum tum apud fo mulę Cotelerianæ & Tollianæ auctorem distinctè recensentur, etsi in aliâ sententiâ me olim fuisse fateor, & mecum ipsemet Augustinus, En ipsius verba *. *Nam illud aliud quod in eodem codice scribi cœperat, Adimanti opus est; illius discipuli Manichæi, qui proprio nomine* Addas *dictus est.*

*Catech. VI. p. 150. † Hist. Manic. p. 30. * Hæret. fab. lib. I. c. 26. p. 214. † Hær. LXVI. num. v. vii. * l. VI. c. 32. * Contra advers. Leg. & Prophet. l. II. in fine.

ARCHELAUS, Cascharorum urbis in Mesopotamiâ Episcopus. Claruit circa annum CCLXXVIII. Vir præfervidi ac calidioris animi. Cùm Manes vinculis elapsus, uti suprà dictum est, in Mesopotamiam profugeret, ibique impia Zizania disseminare anniteretur, sese ei objecit Archelaus, & collecto Gentilium Auditorio judicesque Philosophos inter ipsos sistens, ne si Christiani essent, in partes suas nimis propendere viderentur, solennem cum Manete disputationem habuit, in qua hominem fortiter prostravit; quem exinde ad obscurum quendam pagum fugientem & istius loci Presbyterum Diodorum (Tryphonem vocat Epiphanius) ad certamen fidei renovandum provocantem, citato cursu prosequitur & iterum os hiscere auso occludit. Fugam verò rursus arripientem comprehendunt regii satellites, & ad carcerem reducunt. Hujus *disputationis historiam* libro Syriacè à se conscripto contexuit Archelaus; & ad Diodorum Manetis audaciâ conturbatum, ipsumque eâ de re consulentem prolixam satis *Epistolam* conscripsit, quâ illum argumentis contra Manetem proferendis muniret. Duos libros ad Diodorum misisse Archelaum scribit Epiphanius, in eo lapsus esse visus. Tam *Acta* quàm *Epistola* in Græcum posteà sermonem conversa Hieronymi ævo inclaruerunt. Plurima ex iis citat Cyrillus Hierosolymitanus Cathechesi sextâ; meminit & Socrates Hist. Eccles. L. I. c. 22, ubi totam quam habet de Manete ejusque libris historiam exinde hausisse se fatetur. Amplum verò disputationis fragmentum, unà cum integrâ ad Diodorum Epistolâ ex MS. Codice Bibliothecæ Ambrosianæ, qui fuerat olim Monasterii Bobiensis, edidit Hen. Valesius ad calcem Annot. in Socrat. & Sozom. Lat. ex antiquâ admodùm versione. Totum ferè istud disputationis Archelai fragmentum habetur Græcè ap. Epiphan. Hæres. 66. à num. 25. ad 32. ex utriusque textûs comparatione, nonnullos locos in Græco, plures in Latina versione, se correxisse testatur Bigotius *; qui fragmentum istud Valesio communicavit. Photius Cod. LXXXV. testatur Hegemonium quendam disputationem Archelai adversùs Manetem perscripsisse. An verò Archelaus Hegemonii etiam nomen habuerit, vel an diversum à nostro opus fuerit, nodum solvant alii. 278.

* Præfat. in Pallad.

DIODORUS, ab Epiphanio *Tryphon* dictus; vir ἀγαθὸς καὶ θαυμαστὸς τῇ θεοσεβείᾳ. Presbyter Pagi Diodoridis in Cascharorum parœciâ siti, Archelai Episcopi familiaris. Manetem confugientem hospitio primùm excepit vir mitissimus, mox tamen de versutiâ ejus ac Hæresi certior factus, & Archelai Epistolâ instructus, disputationem cum Hæresiarcha instituit, & petulantem ejus contumaciam egregiè retudit. Extant hujusce disputationis *Acta* breviuscula ad calcem *Epistolæ Archelai* à Valesio editæ. 278.

PIERIUS, Alexandrinus, quem Eusebius * inter singulares atque eximios viros refert, qui proximè ad sua tempora accesserunt. Claruit circa an. 283. Scholæ Alexandrinæ sub Heracla Episcopo Magister, ejusdemque Ecclesiæ Presbyter, spontaneâ paupertate, & Philosophicis disciplinis illustris, in sacrarum literarum contemplatione atque expositione, & in Ecclesiasticis concionibus apprimè exercitatus; quibus adeò celebris evasit, ut propter accuratam vivendi rationem, multiplicem tum Græcarum tum sacrarum disciplinarum 283.

* L. 7. c. 32.

Digitized by Google

SÆC. III. ab An. CC. disciplinarum scientiam, magnam in concionando diligentiam, & summam quam in dicendo adhibuit eloquentiam, *Origenes junior* diceretur. Passus esse videtur sub persecutione, quam anno CCCIII. Diocletianus excitavit. Scio Hieronymum † affirmare illum persecutioni superstitem per omne vitæ suæ tempus Romæ fuisse versatum. Addit Martyrologium Romanum * & in pace quievisse. Sed magis assentior Photio * referenti eum cum fratre suo Isidoro certaminis socio martyrii coronam reportasse; iis etiam templum domosque à piis hominibus constructa fuisse: quod confirmare videtur Epiphanius †, dum Ecclesias quæ Alexandriæ erant, recensens, unam Pierio nuncupatam fuisse dicit. Scripsit *libros* XII. in quibus erant prolixissimus *Tractatus in Pascha & Hoseam Prophetam*, in die Vigiliarum † Dominicæ Passionis extemporali, & diserto sermone habitus, ut nos docet Hieronymus Proleg. in Oseæ, Tom. VI. & *Commentarius in Evangelium Lucæ*. In his scriptis quædam minùs sana notat Photius *, præcipuè eum de Sp. S. ἐπισφαλῶς λίαν καὶ δυσσεβῶς, *periculosè nimis atque parum piè* disseruisse, subobscurè etiam ex Origenis sententia animarum præexistentiam docuisse. Et sanè ejus ævi Scriptores multa ex Origenis fontibus suos rivulos derivasse minimè mirum videri debeat. Scripsisse *commentarium* in *primam ad Corinthios Epistolam*, author est Hieronymus †. qui & fragmentum ejusdem breviusculum adducit. De stylo ejus hæc idem Photius. Ἔστι δὲ τὴν φράσιν σαφής τε καὶ λαμπρὸς ὥσπερ ῥέων τῷ λόγῳ, μηδὲν τε ἐπιμελὲς ἐνδεικνύμενος, ἀλλ' ὡς ἐξ αὐτοσχεδίου ὁμαλῶς τε καὶ λείως καὶ ἠρέμα φερόμενος, τοῖς δὲ ἐνθυμήμασιν, εἴπερ τις ἄλλος, γονιμώτατος. *Stylus illi clarus ac perspicuus, & quasi sponte fluens, nihil exquisitum præ se fert, sed velut ex tempore fusus, placidè ac leniter, sensimque decurrit. Enthymematis autem, si quis alius, maximè abundat.* N.E.

† De Script. c. 76.
* IV. Novem.
* Cod. 118. 119.
† Hæres. 69
* Cod. 129.
† Ep. 2. ad Pamach. pro libris suis adv. Jovin.

283. P. II. PIERIUS, De Pierio hæc habet Eusebius †; τῷ περὶ τὰ θεῖα θεωρίας καὶ ἐξηγήσεσι, καὶ τῷ περὶ τοὺς κοινοὺς τῆς ἐκκλησίας διαλέξεσιν ὑπερφυῶς ἐξησκημένος, *in sacrarum literarum contemplatione atque expositione, & in ecclesiasticis concionibus apprimè exercitatus fuit*: paulò apertius Photius *, ἦν καὶ Παμφίλου διδάσκαλος ὁ Πιέριος τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ καὶ αὐτὸς προεστηκὼς διδασκαλείου, *Pamphili præceptor Pierius fuit, ipse quoque Scholæ Alexandrinæ magister*. Et cod. sequenti, καὶ τοῦ κατ' Ἀλεξάνδρειαν ἡγήσασθαι παιδευτηρίου. *Scholæ Alexandrinæ Præfectum fuisse ferunt*; apertissimè Philippus Sideta in Fragmento, qui septimum ei in Scholæ Catecheticæ successione locum tribuit. Quo tempore hoc munus subierit, haud adeò certò liquet. Refert Hieronymus * Pierium sub Caro & Diocletiano Principibus, episcopum agente Theonâ, populos florentissimè docuisse. Quæ, an ad munus catecheticum, an potiùs ad ordinarias concionandi ad populum vices, referenda sint, dubitari potest. Ego, de posteriori intelligenda malim: præsertim cùm Eusebius ipsum sub Theonâ Episcopo, Presbyterii honore decoratum, Alexandriæ claruisse scribit. Philippus cum Dionysio Alexandrino in Scholâ Catecheticâ successisse tradit. Obiit verò Dionysius anno 265. ut adeò eodem anno hoc munus in se suscepisse Pierium necesse est. Pierii in Scholâ proximos successores recenset Philippus, Theognostum, Serapionem, & Petrum Martyrem, qui episcopus Alexandrinus factus anno CCC. obiit, necdum finitâ in Oriente Persecutione anno CCCXII. Unde conjicere proclive est, Pierium circa Theonæ episcopatus initium, Catechistæ munus deposuisse, ut tribus ejus Successoribus spatium satis idoneum relinquatur. Ac proinde Cl. Dodwellus Scholæ Catecheticæ, hoc tempore, successionem hunc in modum disponendam censuit: nempe Dionysium Episcopatum simul, & munus catecheticum administrasse, nec nisi cum morte deposuisse; defuncto Dionysio, successisse Pierium; Pierium circa annum CCLXXXII. sub Cari initio, successorem accepisse Theognostum; qua ratione octodecim annorum spatium tribus ejus successoribus relinquetur. Verùm & hic nova oritur difficultas, Eusebius enim Achillam qui Petro martyri in sede Alexandrina successit, (quam tamen haud ultrà annum unum aut alterum tenuit) Scholæ Alexandrinæ magistris, idque hoc ipso tempore, accenset; Cujus tamen nuspiam meminit Philippus. *Sub Theona*, inquit Eusebius *, *Achillas eodem, quo Pierius, tempore, Presbyterii honore decoratus, Alexandriæ claruit.* τῆς ἱερᾶς πίστεως τὸ διδασκαλεῖον ἐγκεχειρισμένος, *cui etiam Christianæ fidei institutio commissa erat.* Quæ verba si de munere catechetico intelligenda sint, ut omnino intelligi debent, en novum habemus Pierii successorem; ac proindè tres reliqui intrà paulò arctiores præfecturæ suæ terminos includendi sunt. Hujus Scholæ successio adhuc erit magis turbata, si verum fuerit, Arium Hæresiarcham in ejus præfectura locum suum habuisse. Achillam enim Alexandriæ episcopum, Arii fucis & fraudibus deceptum, ipsum Presbyterum ordinasse, & Scholæ Alexandrinæ præfecisse, disertè testatur Patricius Ararsius in libro quem *Oceanum* inscripsit; cujus luculentum Fragmentum conservavit Synodici Autor *Heres.* XXXII. pag. 14. Quis verò fuerit hic Patricius, & quâ ætate vixerit, juxta cum ignarissimis me ignorare fateor. Quisquis sit, dolendum planè est, tam præclarum opus periisse. Sed ad Pierium redeo. Si Philippi hac de re ordini & successioni stare velimus, Pierius noster ab anno CCLXXXIII. quo in Historia Literaria, Part. I. ipsum collocavimus, ad annum CCLXV. revocandus erit. Interim Valesius † affirmat Pierium ad Constantii tempora vixisse.

† L. 7. c. 32. p. 289.
* Cod. 118.
† Catal. c. 76
* Loc. citat.
† Vales. Not. in Euseb. Eccl. H. p. 143.

VICTORINUS, si non origine Græcus, in Græciæ saltem confinio natus videtur, ex oratore Episcopus, ut non uno loco nos docet Cassiodorus *. Floruit circa ann. 290. Petavionensis erat in Pannonia superiore ad Dravum fluvium, non ut vulgò creditur, Pictaviensis in Aquitania, Episcopus (id quod peculiari dissertatione fusè satis ostendit Johan. Launoius) Martyriumque sub persecutione Diocletiani anno CCCIII. subiisse dicitur. Græcum sermonem multò meliùs quàm Latinum calluit; unde judice Hieronymo * *Opera ejus grandia sensibus, viliora videntur compositione verborum.* Græcorum enim, in quibus plurimùm versabatur, idioma Latinè scribentis stylum nimis, ut solet, vitiavit. Alibi de eo idem Hieronymus †, *Victorino martyri licet desit eruditio, non tamen deest eruditionis voluntas.* Quod de sæcularium disciplinarum eruditione intelligendum esse, ex ipsius Epistolæ argumento rectè notat Launoius. Scripsit, præter alia, *Librum adversùs omnes Hæreses, Commentarios in Genesin, in Exodum, in Leviticum, in Esaiam, in Ezechielem, in Habacuc, in Ecclesiasten, in Cantica Canticorum, in S. Matthæum*, denique *in Apocalypsin Johannis*, quæ tamen omnia temporis injuriâ interierunt. Extat quidem sub ejus nomine in Bibliotheca PP. Tom. III. *Commentarius in Apocalypsin*; sed aut ejus non esse, aut mirè interpolatum & mutatum necesse est. In suo etenim Commentario Victorinum Chiliastarum errori favisse disertè tradit Hieronymus *, quem tamen hujus Commentarii 290.

* De div. Lect. c. 5. 7.
* De Script. c. 74.
† Epist. ad Mag. Orat. p. 328. To. II.
* Script. c. 8.

Digitized by Google

mentarii author strenuè impugnat. Et certè Victorinum nostrum non tam integram *Apocalypsin* commentario illustrasse, quàm difficiliora quædam ejus loca tractasse luculenter satis innuit Cassiodorus †: Tribuuntur etiam ei carmina duo, quæ habentur in sacrorum Poëtarum collectione *Fabricianâ, de Jesu Christo Deo & Homine* unum, alteri titulus est *Lignum Vitæ*; sed conjectura planè incerta, & ut mihi videtur, falsa. Extat quidem penès me Victorini *Tractatus* hactenus ineditus *de Fabricâ Mundi*, quem ex vetusto codice Bibliothecæ Lambethanæ descripsit vir Cl. Henricus Mauritius S. T. P. Domino Archiepiscopo à sacris domesticis, mihique benignè communicavit. Et secunda jam vice ad fidem MS. codicis recognovit Vir doctissimus candidissimusque Joannes Batteley, Doctor Theologus ejusdem Archiepiscopi Sacellanus. Quis fuit hic Victorinus, in Codice MS. non dicitur. Nostrum verò esse tum stylus, tum res ipsa apertè clamant; præsertim cum in eo Chiliastarum error manifestè defendatur, quem Victorinum nostrum fovisse tradit Hieronymus *. Videtur esse hic libellus ἀποσπασμάτιον quoddam ex *Commentariis vel in Genesin, vel in Apocalypsin* decerptum; quod proinde tum propter venerandam antiquitatem, tum propter celeberrimi martyris famam, hic subjungam. Sic ergo habet Codex Lambethanus, vitiosè quidem in nonnullis, quæ sensum alicubi minùs clarum reddunt. Conjecturas quasdam, quas prædicti Doctores subministrarunt, in marginem conjecimus.

† De div. Lect. c. 9.

* Lot. cit.

Incipit Tractatus Victorini de Fabricâ Mundi.

Cogitanti mihi, unà cum animo meo conferenti de fabricâ mundi istius, in quo clausi teneremur; etiam velocitas *fabricæ ipsius hæc est sicut in libro Mosis continetur, quem de conditione ipsius scripsit, qui Genesis appellatur, Totam molem istam Deus sex Diebus ex nihilo in ornamento majestatis suæ expressit; septimo benedictione consecravit. Idcirco igitur quoniam septenario numero dierum & cœlestia & terrestria omnia reguntur: Principii loco de hâc septimâ* * *ad omnium septimarium regionum metibor; & prout potuero virtutis diem in eam consummationem conabor exprimere. In principio fecit Deus lucem, eamque duodenario numero horarum die noctuque divisit: idcirco, viz, ut laboribus hominum requies locum, noctem dies superduceret, rursus dies supervinceret; hâc se alternâ vice labor quietis refoveretur, quies exercitatione rursus diei temperaretur. Quarto die fecit duo luminaria in cœlo majus & minus, ut alterum præesset diei, alterum nocti, solis & lunæ, cæteraque sydera posuit in cœlo, ut lucerent super terram, & discernerent tempora, & annos, & menses, & dies,* * & horis prestationes. *Nunc ratio veritatis ostenditur, quare dies 4. tetras nuncupatur: quare usque ad horam nonam jejunamus usque ad vesperam, aut* † *superpositio usque in alterum diem fiat. Mundus itaque iste ex quatuor elementis constat, igne, aquâ, cœlo, terra. Hæc igitur 4. elementa temporum tetradem faciunt; sol quoque & luna per anni spatium 4. tempora efficiunt, Veris, Æstatis, Autumni, Hiemis: & hæc tempora tetradem faciunt. Et ut ex* † *aëre longius enarrem ecce 4. animalia ante thronum Dei, 4. Evangelia, 4. flumina in Paradiso fluentia, 4. generationes populorum, ab Adam usque ad Noe, à Noe usque ad Abraham, ab Abraham usque ad Moysem, à Moyse usque ad Christum Dominum Filium Dei: & 4. animalia, hominis, vituli, leonis, Aquilæ. & 4. flumina, Fyson, Geon, Tygris & Euphrates. Homo Christus Jesus Autor eorum, quæ*

* Hoc. loco, ut & alibi, Codex MS. valde vitiosus.

* f. Horas per stationes.

† Ὑπέρθεσις.

† f. Ea re.

suprà memoravimus, tetrade ab impiis comprehensus est. Itaque ob captivitatem ejus tetradem, ob majestatem operum suorum, & tempora humanitatis salubria, frugibus læta, tempestatibus tranquilla decurrant. Ideo † *aut superpositionem facimus. Die quinto terra & aqua fœtus suos ediderunt: ac sic* Deus hominem. *Die sexto creata sunt quæ deerant: de humo instruxit Dominum omnium rerum, quæ super terram & super aquam creavit.* Priùs tamen Angelos atque Archangelos creavit, quàm hominem finxit, spiritalia terrenis anteponens: *Priùs enim lux quàm cœlum & terram* *: *hic sextus dies parasceve appellatur, præparatio scilicet regni. Adam enim, quem ad imaginem & similitudinem suam consummavit* †. *Idcircò autem priùs operâ sua consummavit, quam Angelos creavit, & hominem fabricavit, ne fortè adjutores se fuisse falsâ dictione asseverent: hic quoque die ob Passionem Domini Jesu Christi, aut stationem Deo, aut jejunium facimus. Die septimo requievit ab omnibus operibus suis, & benedixit eum & sanctificavit;* † *hac die solemus supponere; idcircò ut die Dominico cum gratiarum actione ad Panem exeamus; & Parasceve superpositio fiat, ne quòd cum Judæis Sabbatum observare videamur, quod ipse Dominus Sabbathi Christus per Prophetas suos odisse animam suam dicit;* † *quæ Sabbata corpore suo resolvit: Priùs autem cum ipse Moysi præciperet, ne Circumcisio diem octavum præteriret, quæ die Sabbato plerumque incurrit, sicut in Evangelio scriptum legimus. Moyses projiciens duritiem populi illius, idcircò die Sabbati* Legebamus *, & seipsum *crucifixit*, † prælio quæ ab Allophylis Sabbato ut caperentur, & velut severitatem legis ad evitandam disciplinam formarentur. *Et ideò David in Psalmo sexto* * *pro die octavo, Domino rogat, ne in ira, neque in furore suo arguat eum aut judicet; hic est enim reverà futuri illius judicii dies octavus, qui extra ordinem septimanæ dispositionis excessurus est. Jesus quoque Nave successor Moysi & ipse Sabbatum resolvit; die enim Sabbathi præcipit filiis Israël ut muros civitatis Jericho tubicinibus circuirent, & bellum Allophylis indicarent. Matthias autem Princeps Judæ Sabbatum resolvit; nam Præfectum* † *antiqui Regis Syriæ Sabbato occidit; & allophylos suæ persecutione subjecit. Et apud Matthæum scriptum legimus, Esaias quoque & cæteri collegæ ejus Sabbatum resolverunt;* † *& verum illud & justum Sabbatum septimo milliario annorum* observaretur. *Quamobrem septem diebus istis Dominus singula annorum millia adsignavit. Sic enim cautum est; In oculis tuis, Domine, mille anni ut dies una; ergo in oculis Dei singula millia annorum constituta sunt, septem enim* † habeo oculos Domini. *Quapropter, ut memoravi, verum illud Sabbatum & septem millia anni, in quo Christus cum electis suis regnaturus est. Septem quoque cœli sunt, illis diebus conveniunt: sic enim cautum est, Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Hi septem spiritus nomina sunt eorum* * spiritus, *qui supra Christum Dei requieverunt; ut apud Esaiam Prophetam cautum est: & requiescit super eum spiritus sapientiæ & intellectûs, Sp. consilii, & virtutis, Sp. scientiæ & pietatis, & replevit illum spiritu timoris Dei. Summum ergo cœlum Sapientiæ, 2. Intellectus, 3. Consilii, 4. Virtutis, 5. Scientiæ, 6. Pietatis, 7. Timoris Dei. Ex hoc ergo tonitrua mugiunt,* † flumina *extenduntur, ignes conglobant, trabes ardentes apparent, sydera radiant, comæ horribilis curabitur. Nonnunquam accedit etiam Sol & Luna invicem visitantur, atque illa ultra formidabilia lumine radiantia in acie aspectu ejus efficiunt authoritatem totius creaturæ. Justus verbo cognomen est ei; sic enim dicit Pater ejus, Eructatum est cor meum verbum bonum. Johann. Evangelista sic dicit; In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc*

† f. Autem.

* Supple *creavit.*
† Deest, *die sexto creatus est.*

† Hanc diem solennius superponere convenit.

† f. Atque.

* Deest. f. *quod.*
† f. Prælioque.
* Titulus Ps. VI. est ὑπὲρ τῆς ὀγδόης.

† Antiochi.

† f. Ut.

† f. Habet oculos Dominus.

* l. Spirituum.

† f. Fulmina.

Digitized by Google

erat in principio apud Deum: Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil. Ergo primus factus creaturæ est, secundus * hominis *humani generis, ut ait Apostolus. Hoc igitur Verbum, cùm lucem fecit, Sapientia vocatur; cùm cœlum, Intellectus; cùm terram & mare, Consilium; cùm Solem & Lunam, cæteraque clara, Virtus; cùm terram & mare excitat, Scientia; cùm hominem finxit, Pietas; cùm hominem benedicit & sanctificat, timor Dei nomen habet. Ecce 7.* * *cornula agni, 7 oculos Dei, 7 oculi stagnei, 7 oculi, 7 spiritus, 7 faces ardentes ante thronum* Dei, *7 candelabra aurea, 7 oviculæ, 7 mulieres apud Esaiam, 7 Ecclesiæ apud* † Paulum, *7 Dracones, 7 Angeli, 7 tubas, 7 signacula libri, 7 septimanæ, quibus Pentecoste concluditur, 7 septimanæ apud Danielem; apud Noe septem omnia munda in arcâ, 7 vindictæ de Cain, 7 anni remittendi debiti, lucerna cum septem Orificiis, 7 columnæ sapientiæ in domum Solomonis. Nunc igitur de inenarrabili Gloriâ Dei, & Providentiâ videas memorari, tamen ut mens parva poterit, conabor ostendere, ut Adam illum per septimanam reformaverit, atque universæ suæ creaturæ subveniret, Nativitate Filii sui Jesu Christi Domini nostri factum est; quis itaque lege Dei doctus, qui plenus Spiritu Sancto, non respiciat corde eâ die Gabriel Angelus Mariæ Virgini evangelizat, quâ die Draco Evam seduxit, eâ die Spiritum Sanctum Mariam V. mundâsse, quâ lucem fecit; eâ die in carne esse conversum, quâ terram & aquam fecit; eâ die in lacte esse conversum, quâ stellas fecit; eâ die in sanguine, quâ terra & aqua fœtus suos ediderunt; eâ die in carne esse conversum, quâ die hominem de humo instruxit, eâdem die esse passum, in quâ Adam cecidit; ea die resurrexit à mortuis, quâ lucem fecit, humanitatem quoque suam septenario numero consummat, Nativitatis, Infantiæ, Pueritiæ, Adolescentiæ, Juventutis, perfectæ Ætatis occasum. Judæis quoque humanitatem suam etiam his modis ostendit; cùm esurit, sitit, cibum, potumque dedit; cùm ambulat,* † eas *esse scit; cùm super cervicalem dormivit; cùm autem freta aut* procella *pedibus ingreditur, ventis imperat, agros curat, claudos reformat, cæcos eloquentia instituit, videre Dominum se esse,* ejusdem duodenario numero dicere, *ut suprà memoravi; per duodenas horas bifariè divisus est lucis & noctis; per has namque horas, menses, & anni, & tempora, & sæcula computantur* * *constituta sunt. Itaque sine dubio autem diei Angeli 12. noctis Angeli 12. pro numero scilicet horarum, hi sunt namque 24. testes dierum & noctium, qui sedent ante thronum Dei coronas aureas in capitibus suis habentes; quos in Apocalypsi Johannis Apostoli & Evangelistæ seniores vocat, idcirco quia seniores sunt & aliis Angelis & hominibus.*

* f. Dominus
* f. sunt agni Apocal. v. 6.
† f. Apocal.
† f. spicas.
* Deest &c.

290. METHODIUS, *Eubulius* dictus, primùm Olympi Lyciæ, sive Patarorum (eandem enim Episcopalem disertè facit Suidas *, vel si diversæ fuerint civitates, poterat vigente persecutione uno eodemque tempore curam Episcopalem gerere) deinde Tyri Episcopus. Claruit exeunte sæculo tertio circa an. 290. Non deerant, teste Hieronymo †, qui illum in Chalcide Græciæ sub Decio & Valeriano Martyrem factum fuisse affirmârunt: & ita quidem post Hieronymi tempora Suidas, prætermissis aliquot Hieronymi, seu potiùs Sophronii interpretis verbis, tradit. At certum est, eum diu post Decii & Valeriani tempora vixisse, Porphyrii æqualem, si non superstitem: adeóque obiit sub novissima persecutione, circa an. CCCIII. martyrii coronâ redimitus. Erat, inquit Epiphanius *, ἀνὴρ λόγιος, καὶ σφόδρα περὶ τῆς ἀληθείας ἀγωνισάμενος. *Vir apprimè doctus, acerrimusque veritatis patronus.* Scripsit multa nitido, compositoque sermone, quæ sequuntur.

* In voce. Μηθόδ.
† De Script. c. 83.
* Hæres. 64.

OPERA.

De *Resurrectione liber contra Origenem*, ex quo fragmenta benè longa extant apud Epiphanium loco citato: ampliora adhuc excerpta habet Photius Cod. 234. & nonnulla Damascenus Orat. III. de imag. & apud alios passim. Integrum opus ad formam Dialogi peragebatur, & in duas, forsan in plures partes ad interloquentium numerum divisum erat. Certè Damascenus, loco laudato, secundam Methodii de Resurrectione orationem citat, & Eustratius CP. libro *de vitâ functorum statu*, Methodii orationem ad Aglaaphontem allegat, quæ ut ex Epiphanio liquet, nil aliud quàm hujusce operis pars erat.

Περὶ τῶν Γενητῶν, *seu de creatis.* Excerpta habentur apud Photium Cod 235.

Περὶ Αὐτεξουσίου καὶ πόθεν τὰ κακά, *de Libero Arbitrio* liber, qui penè integer extat in Editione Combefisianâ ex tribus excerptis amplioribus Photiano Cod. CCXXXVI. Meursiano & Sirmondiano congestus. Opus integrum Gr. & Lat. prælo paratum penès se habuisse testatur L. Allat. Diat. de Method. p. 340.

Symposium decem Virginum, & περὶ τῆς Ἁγνείας, seu *De castitate.* Habitum est per modum Dialogi inter X. pias sanctasque mulieres, de rebus hisce eleganter atque eruditè invicem colloquentes. Amplissimas exinde Eclogas exhibet Photius, Cod. 237. alias Eustathius ab Allatio editus. Tandem opus integrum cum Versione & Notis subjuncta etiam Diatriba *de Methodiorum scriptis* edidit, & Alexandro VII. inscripsit Leo Allatius, Romæ 1556. 8°. Nescivit id, aut potiùs se scire dissimulavit, eo ipso tempore licet Romæ agens, Petrus Possinus S. J. qui Codicem Græcum à Lucâ Holstenio acceptum nactus, Latinè vertit, & eidem Alexandro VII. dedicavit, & Lutetiam transmisit; ubi ad alterum Bibliothecæ Mazarinæ Codicem recognitus, & notis quibusdam, seu potiùs variantibus Lectionibus illustratus, typis Regiis Græc. & Lat. prodiit 1657. Fol. Denique in Auctuario Biblioth. PP. Combefis. *Paris.* 1672. habetur. De isto libro olim notavit Photius, magnam partem adulteratam esse, eique adjectas esse Arianas, & vanas opiniones, aliasque malè sentientium fabulas, quæ tamen in hodiernis exemplaribus parcè admodùm, imò vix, ac ne vix quidem reperiuntur.

Oratio de Symeone & Annâ, seu in *Festum occursûs & Purificationis B. Mariæ*, quam Pet. Plantinus *Antverp.* 1598. in lucem emisit. Pluribus tamen, iisque non contemnendis argumentis contendunt Gretserus, Canisius, & cum his nuper Cas. Oudinus *, hanc non esse Methodii, nostri, sed junioris cujusdam, qui sæculo nono sedi Constantinopolitanæ præfuit. Verùm Leo Allatius Græcorum hoc sæculo longè doctissimus, ex phrasi, elocutione, reliquisque dicendi formulis, ipsiusque Methodii testimonio, Methodio nostro vindicat, & objectiones quasdam in contrarium militantes solvere conatur, Diatrib. *de Methodiorum Scriptis* p. 341. Ego certè Methodio Confessori potiùs tribuendam censeo.

* Supplem. de script. in Method.

Sermo de Martyribus, cujus fragmentum habet Theodoritus, Dial. I. p. 37.

Oratio εἰς τὰ Βαΐα, sive in *Ramos Palmarum*, quæ tamen an Methodii nostri sit, an D. Chrysostomi non satis liquet. Extat Gr. Lat.

Libri aliquot *adversùs Porphyrium*, qui paucis quibusdam frustulis exceptis apud Damascenum & Nicetam asservatis, interierunt.

Commentarii in Genesim.

Commen-

SÆC. III. ab An. CC. *Commentarii in Cantica Canticorum.* Utrumque Opus desideratur.

De Pythonissâ adversus Origenem: ex quo libro nil reliquum est. Interim nescio quid sibi velit Leo Allatius, qui Diatrib. Method. 329. ait, Origenis Tractatum de Engastrimytho non aliam esse quàm hanc Methodii tractationem de Pythonissa, cujus historia legitur I. Regum cap. XXVIII. Quæ aliud agenti viro erudito excidisse arbitror.

* L. 6. c. 13. Dialogus Ξένων dictus, à Socrate * memoratus, in quo Methodius quasi Palinodiam canens, Origenem quem libris suis antea diu multumque insectatus fuerat, summâ admiratione prosecutus est, interiit. Socratis quidem hâc in re fidem pluribus elevare nititur Leo Allatius prædicta Diatrib. p. 331. nullo interim veterum testimonio, nullo idoneo argumento suffultus.

Omnia Methodii opera & fragmenta, quæ tum haberi poterant, in unum collegit, & unà cum Amphilochio, & Andrea Cretensi, Gr. Lat. Edidit Fr. Combefis. *Paris.* 1644. Fol. notis suis illustrata.

SUPPOSITITIA.

Περὶ τῶ ὑπὸ συς-άσεως κόσμυ συμβάντων, καὶ τῶ μελλόντων συμβαίνειν εἰς τὸ ἑξῆς, *Revelationes*, in quibus multa de Turcis, multa de Antichristo & extremo Judicio prædicta habentur; adeoque Methodio Homologetæ Patriarchæ, vel forsan alteri Methodio Patriarchę, qui claruit circa annum MCCXL. ascribendæ videntur. Quod enim eas tanquam genuinas Methodio Paterensi adserat Græci Synaxarii Auctor, hujusmodi testimonia apud æquos rerum judices nullius autoritatis sunt. Extant hæ Revelationes Græcè simul ac Latinè inter Orthodoxogr. *Basil.* Tom. I. & in Biblioth. PP. Tom. III. Lat.

294. PAMPHILUS, gente Phœnicius, Beryti genere non ignobili natus. Claruit anno 294. Relictâ patriâ Alexandriam se contulisse videtur: erat enim Pierii Alexandrini discipulus; deinde Cæsaream Palæstinę, in quâ Ecclesia presbyterii gradum sortitus est. Tanto erga divinas literas studio exarsit, ut Bibliothecam Cæsareæ extruxerit, in eâque celebriorum Ecclesiæ Scriptorum libros, quos undecunque collegerat, tanquam nobilissimo armario reponebat, præcipuè verò Origenis opera, quorum maximam partem suâ manu descripsit. Testatur Hieronymus * se XXV. Exegeseωn in XII. Prophetas volumina ab Origene elaborata, Pamphili verò manu exarata inibi reperisse, quæ tanto gaudio amplexus est, ut Crœsi opes se reperisse gloriaretur. Inter cæteras quibus enituit virtutes summa erat Charitas & Munificentia. Si quos enim viderit ad victum necessariis indigere, præbebat largè quæ poterat: nec id solùm, sed & multos Sanctæ Scripturæ Codices sumptu suo præparabat, quos tam viris, quàm fœminis lectioni deditis promptissimè largitus est. Anno 307. forsan exeunte, post acerbissima tormenta, & latera ungulis persulcata ab Urbano Præside in carcerem conjicitur. Exacto biennio, cùm Firmilianus in Urbani locum successisset, Pamphilum unà cum servo Porphyrio, aliisque anno CCCIX. ultimo supplicio affecit; quorum cadavera jussu Præsidis per quatriduum exposita, ut à carnivoris bestiis laniarentur, cùm nec fera, nec volucris, nec canis ad ea accederent; tandem funebri cultu ornata & curata consuetæ sepulturæ tradita sunt.

* De Script. c. 75.

Edidit Pamphilus, Eusebii necessarii sui & amici summi ope adjutus, ex ipso Origenis Hexaplorum αὐτογράφῳ, quod in Cæsariensi Bibliothecâ delituit, descriptam τῶ LXX. *versionem Græcam*, prout ab Origene emendata & suppleta olim fuerat. Librariorum enim asteriscos appositos insuper habentium incuriâ & temeritate factum fuerat, ut innumeris indies mendis & corruptelis Editio ista τῶ LXX. Origeniana inquinaretur. Hisce sordibus repurgatam, summâque diligentiâ adornatam Editionem suam in Ecclesiarum Palæstinarum usum [unde *Palæstina* dicta est] seorsim evulgavit Pamphilus, summo applausu in Hierosolymitanâ, aliisque Orientis Ecclesiis exceptam & decantatam. Luculentum hujus Operis monumentum in Marchali Codice, qui penès Claromontanos Patres Soc. Jesu est, hodienum asservari testatur Cl. Huetius †, in quo post Jeremiæ librum adnotatum est, descriptum eum esse ex Origenis *Hexaplis*, & emendatum ex *Tetraplis* manu ipsius exaratis, idque operâ Pamphili & Eusebii.

† Origenia. l. 3. c. 2. §. 4.

Scripsit adhuc Pamphilus carcere inclusus, præsente etiam & subveniente eodem Eusebio, *Apologetici pro Origene libros* V. quibus deinde post Pamphili mortem sextum addidit Eusebius; hancque *Apologiam* ad eos qui pro Christi nomine ad metalla damnati exercebantur, consolationi miserunt. Ex his primus liber Origenis dogmatibus, vel defendendis vel excusandis impendebatur; reliqui circa vitam, mores & eruditionem Origenis versabantur. Primum igitur potissimùm elegit Rufinus, quem Latino sermone explicaret; qui proinde ex ejus versione inter Origenis & Hieronymi Opera hodienum extat. Ex reliquis verò non nisi pauca quædam Excerpta habentur apud Photium Cod. 118. Non desunt equidem qui Pamphilum aliquid scripsisse negent, freti verbis Eusebii ab Hieronymo † ex libris ejus de Vita Pamphili adductis, quibus eum nihil scripsisse, nec proprii quicquam condidisse sermonis præter Epistolas nonnullas ad Amicos datas subinnuit. Verùm cùm Eusebii verba de Scriptis proprio marte compositis intelligi queant, & ipse porrò Eusebius * ac Photius † scriptum à Pamphilo *Apologeticum* esse testentur, quod & ipse Hieronymus alibi * agnoscit, non est, cur in hâc re multùm moremur.

† Apol. adv. vers. Rufin.

* L. 6. c. 32. † Cod. 118. * De Script. c. 75.

LUCIANUS, nobili Prosapiâ ortus, Patriam habuit Samosata, urbem Syriæ non incelebrem, ejusdem & Urbis & Nominis cum famoso illo Christianę Religionis Derisore, qui Trajani tempore vixit. Noster hic Paulo Samosateno erat ætate suppar præcipuè verò claruit circa ann. CCXC. Vir tum vitę continentiâ, tum sacrarum literarum scientia conspicuus †. In prima ætate Macarium quendam Edessenum S. Scripturæ libros interpretantem studiosissimè audivit; à quo pulcherrima quæque brevi edoctus ad vitam asceticam & solitariam declinavit. Tandem Ecclesiæ Antiochenæ Presbyter factus, scholam illic instituit: è qua plurimi non infimæ notæ Discipuli, inque iis Eusebius Nicomediensis, Maris Chalcedonensis, Theognis Nicænus, aliique Sectæ Arianæ postmodùm fautores prodierunt; qui à Magistri sui nomine se *Lucianistas*, vel *Con-Lucianistas*, ut ex Arii ad Eusebium Nicomediensem Epistolâ * liquet, appellavere. Manifestò sanè patet, Alexandrum † Alexandriæ Episcopum Lucianum nostrum tanquam Pauli Samosateni erroribus faventem accusasse, atque illum eâ de causâ à trium Episcoporum suorum sibi invicem succedentium communione pluribus annis recessisse, & collectas seorsim celebrasse. A nefandæ Hæreseωs crimine Baronius * Lucianum purgare conatur, at nullis Veterum testimoniis nixus. Facilè concedimus eum Schismate tandem emersisse, quod & prædictus Alexander indicare videtur; an verò errores penitus deposuerit vel retractaverit, non satis constat. Non possum tamen quin 294.

† Suid. in voc. Λουκιαν. & Act. Lucian. ap. Sur. Jan. 7.

* Ibid. c. 4. † Ap. Theo. Hist. Eccles. l. 1. c. 4.

* Ad Ann. CCCXI. CCCXVIII. not. in Martyrolog. Jan. 7.

Digitized by Google

SÆC. III. ab An. CC. in illius gratiam, quæ de eo habet Suidas * huc traham, nempe divinorum Dogmatum puritatem apud hunc præ omnibus illius ætatis viris pulcherrimè, summoque studio conservatam fuisse, ejusque de rebus divinis sententiam ex epistolis, quas scripsit, sanè præstantissimis cuivis apertissimè liquere. Anno CCCXI. Maximino Imper. qui Persecutionem adversùs Christianos recèns renovârat, tunc Nicomediæ agente, illuc perductus est Lucianus; ubi Apologeticâ Oratione pro fide suâ coram ipso Imperatore habitâ in carcerem conjicitur: & memorabile sanè est quod de eo refert Philostorgius: * quòd cùm in carcere constitutus neque Ecclesiam neque altare haberet; cùmque ob vincula & plagas ne loco quidem suo se movere poterat; supinius jacens supra proprium pectus *tremendum Eucharistiæ* sacrificium peregit, & tùm ipse participavit, tum aliis eum instar chori sacri undique cingentibus participandum dedit. Capite truncatus est Nicomediæ eodem anno CCCXI. ejusque corpus, ut videtur, in mare projectum; quod Delphinus postea ad littus deportavit, circa fauces Sinûs Nicomediæ inibi sepultum: in cujus honorem & memoriam Helena Constantini M. Mater Urbem eo in loco condidit; quam Helenopolim cognominavit.

* Loc. cit.

* Hist. Eccl. l. 2. c. 13. Euseb. l. 8. c. 13. l. 9. c. 6.

Hebraicè doctus, varias *Veteris Instrumenti Versiones* Græcas inter se contulit; crebrasque, quæ ex Librariorum incuriâ irrepserant, labes vetustiorum & probatæ fidei Codicum ope sustulit, & ad primævam puritatem isto modo restitutam τὴν LXX. interpretationem accuratè magis adhuc ex Hebraïcis exemplaribus emendavit. Editio Bibliorum ista, *Lucianea* demum dicta, Nicomediæ sub Constantino M. apud Judæos in pariete armarii calce circumlita, ubi custodiæ gratiâ posita fuerat, inventa est, propriâ ipsius manu exarata; ut Synopseos S. Scripturæ Autor * memoriæ prodidit. De eâ etiam testatur Hieronymus †, apud omnes Ecclesias Orientales ab Antiochiâ Constantinopolim usque obtinuisse. Sed cum reliquis dudum evanuit.

* Ap. Athan. Tom. 2.

† Apolog. adv. Rufin. Tom. 2. p. 225.

Scripsit item Lucianus *De Fide* libellos, atque in iis forsan brevem illam fidei Expositionem, quæ habetur ap. Athanas. de Synod. Arim. & Seleuc. p. 693. & Socrat. l. 2. c. 10. quamque Synodi Antiochenæ Patres anno CCCXLI. protulerunt, seque ipsius Luciani manu scriptam reperisse affirmarunt: De hâc quidem formulâ dubitat Sozomenus *, num verè Luciani sit; fatetur tamen in reliquis cum fide Nicænâ consentire, tantùm τὸ ὁμοούσιον in eâ deesse; quod supposito eam à Luciano conditam fuisse, mirai dum non est: cùm illud vocabulum post ejus demum tempora crebro usu usurpari cœpit.

* L. 3. c. 5.

SÆC. III. ab An. CC.

Epistolas etiam aliquot exaravit Lucianus; è quarum unâ ad Antiochenos è carcere Nicomediensi datâ extat extrema clausula apud Chronici Alexandrini Autorem. Orationem Apologeticam cujus meminit Eusebius *, ab eo potiùs coram Imperatore vivâ voce pronunciatam, quam scripto editam existimo.

* Loc. cit.

PHILEAS, ex Thmui, amplâ in Ægypto ad Ostium Mendesium Urbe, originem duxisse videtur; floruit hujus sæculi fine circa annum CCXCVI. Nobili genere ortus, opibus, divitiisque locupletatus, in Philosophiæ studiis & Græcorum disciplinis admodum clarus. Cunctis in Patriâ honoribus ac muneribus summâ cum laude perfunctus, tandem Urbis suæ Episcopatum gessit. Fervente sub Maximino Persecutione anno CCCXI. capite truncatur. Uxoratum fuisse etiam mortis tempore clarè indicat Eusebius *, dum de ipso & Philoromo Martyrii socio narrat, quòd cùm amici & cognati, atque etiam ipsi Magistratus & Judex eos cohortarentur, ut sui ipsorum misereri, & uxoribus ac liberis suis consulere vellent; his tamen omnibus adduci non potuerint, ut vitæ conservandæ causâ divinas leges de confessione & negatione nominis Christi latas contemnerent. Scripsit *Epistolam ad Thmuitas* suos de Martyriis quæ Alexandriæ per id tempus contigerant, & cruciatibus quos Martyres virili & invicto animo pertulerunt. Nobile hujus Epistolæ Fragmentum habet Eusebius †, eandemque proculdubiò designat Hieronymus *, dum ait Phileam elegantissimum libellum de Martyrum laude composuisse.

296.

* L. 8. c. 9.

† L. 8. c. 10.
* De Script. c. 78.

HESYCHIUS, Episcopus Urbis alicujus in Ægypto, claruit sub hujusce sæculi finem. Martyrium subiit sub Maximino anno CCCXI. Eandem quam & Lucianus, operam corrigendis & emendandis Græcæ τῶν LXX. *Versionis* exemplaribus navavit. Novam horum Editionem ab eo adornatam amplexæ sunt, & usurparunt Ægypti & regionum vicinarum Ecclesiæ, teste Hieronymo *.

296. Euseb. l. 8. c. 13.

* Apolog. adv. Rufin. Tom. 2. p. 225.

Scriptores Gentiles, qui hoc Sæculo Christianismum oppugnârunt.

DOMITIUS ULPIANUS, natione Syrus, ex Phœnice oriundus, Papiniani discipulus, juris peritissimus. Claruit anno Christi CCXX. sub Alexandro demum Severo Sacrorum Scriniorum Magister, Præfectus Annonæ, denique Prætorio Præfectus, à Prætorianis occisus. Christi fidem non modò Judaicam Superstitionem vocat, Verùm libro septimo de Offic. Proconf. nefaria Principum rescripta collegit [teste Lactantio *] ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui se cultores Dei confiterentur.

* De Justit. l. 5. c. 11.

PORPHYRIUS, vernaculo nomine *Malchus* dictus, ortu Tyrius; vitæ instituto Philosophus. Claruit anno Christi CCLXX. Obiit, ut videtur, ineunte sequente sæculo, vel paulò post. Nescio planè an fidem meretur quod de eo refert Nicephorus *, qui tamen Eusebium hac in re testem citat, Porphyrium primò quidem fuisse Christianum; verùm cùm à Christianis quibusdam Cæsareæ verberatus esset, nec injuriam illam benè concoquere posset, atrâ bile percitum Christianismum ejurasse, atque ad Christum Christianorumque Scripturas impiis conviciis proscindendas animum appulisse. Nicephoro præivisse videtur D. * Augustinus qui Porphyrium vanæ Scientiæ tumore inflatum à Christi saluberrima humilitate resiliisse scribit. An verò de abdicatâ Christi professione, an potiùs quòd cùm sacra volumina legisset, saluberrimam Christi fidem amplecti recusaret, intelligendus sit Augustinus, mihi haud satis manifestò liquet. Inter varia quæ condidit, volumina, edidit in Siciliâ tunc agens, *contra Christianos* libros XV. in quibus id præcipuè pensi habuit, ut S. Scripturę autoritatem, cui quasi fundamento innixa est Christiana religio, convelleret. Hinc primo libro de contrarietate &

* L. 10. c. 36.

* De Civit. Dei l. 10. c.

Digitized by Google

te & contradictionibus in Scripturâ deprehensis egit, tertio libro explicationem Scripturę inter Christianos tunc temporis receptam, ac imprimis allegoricam sugillavit, quarto Historiam Mosaicam & Judæorum Antiquitates impugnavit: duodecimo & decimo tertio contra Danielis Prophetiam disseruit, aliis Evangeliorum fidem evertere conatus est. Unde *rabidus adversus Christum canis* audit Hieronymo * τίω καθ' ἡμῶν συγχύσιν ὑπερβολῇ μίσους φροβιβλιμένο, inquit Eusebius †. Ista Porphyrii scripta Theodosius * lege latâ igne aboleri jussit: ex quibus tamen plurima eaque amplissima Excerpta asservantur apud Eusebium Histor. Eccl. l. 6. cap. 19. (ex libro Porphyrii 3°.) pręparat. Evangelic. l. 1. cap. 9. (ex l. 4.) & aliud apud Hieronymum Pręfat. in I. lib. Comment. in Epist. ad Galat. Tom. IX. p. 159. Porphyrium nostrum eundem cum Publilio Optatiano Porphyrio, Panegyrici ad Constantinum nugaci planè ac inepto poëmate comprehensi auctore, facit Cardinalis Baronius; quem proinde ridet Josephus Scaliger, Animadvers. ad Euseb. Chron. p. 250. verum ex tunc recèns editis veterrimis hisce monumentis, ipse Baronius errorem suum haud gravatim correxit ad an. CCCXXV. extat Poëmation istud præmissâ Porphyrii ad Constantinum epistolâ M. Velseri notis & Christiani Daumii Spicilegio Critico illustratum, inter Velseri opera reliquis ejus in novissimâ editione præfixum.

* De Script. Eccles. in Pręfat.
† De Præp. Evang. l. 10. c. 9.
* Ext. C. de Sum. Trin. l. 3.

SÆC. III.

Concilia hoc Sæculo habita.

215. P. I I. CARTHAGINENSE I. circa annum CCXV. sub Agrippino Episcopo Carthaginensi, ab Africę & Numidiæ Episcopis, de rebaptizandis Hęreticis habitum. Ad cujus sententiam provocat Cyprianus *Epist.* 71. ad Quintum, *Edit. Oxon.* pag. 196. Vide quæ de hoc Concilio ejusque tempore, diximus in Agrippino ad ann. CCXV.

230. P. II. ALEXANDRINUM circa ann. CCXXX. sub Demetrio Alexandriæ Episcopo, in causâ Origenis collectum. Origenem Athenas profecturum, Literis commendatitiis ornaverat Demetrius; cùm verò per Palæstinam transiret, à Theoctisto, sive Theocteno Cęsariensi, & Alexandro Hierosolymitano Presbyter ordinatus est. Factum improbavit Demetrius, hominem sibi subditum, ab alienæ Provincię Episcopis ordinari. Hinc amor ei in odium vertitur, laudes in vituperium; & coactâ mox Episcoporum & Presbyterorum Synodo, decretum est, Alexandriâ quidem pellendum Originem, neque in eâ versari, aut docere permittendum, Sacerdotii tamen dignitate nequaquàm submovendum. Verùm his non contentus Demetrius, habitâ paulò post alterâ Episcoporum Ægyptiorum Synodo, ipsum quoque sacerdotii honore exuendum decrevit. Et cùm nihil haberet, cujus ipsum accusaret, facinus illud quod adolescens olim patraverat, castrationem nempe, gravissimè ei objecit. Nihilominus sententię Synodali totus penè orbis consensit. Refert hæc Pamphilus martyr *Apol. pro Orig.* ap. Phot. cod. CXVIII. p. 297. confer quæ habent Euseb. lib. VI. n. 8. & 23. Hieron. l. II. in *Rufin.* c. 5. & *De Script.* c. 54. 62.

240. P. II. LAMBESITANUM, in Lambesitanâ Africę coloniâ, circa annum CCXL. à XCIX. Episcopis, adversus Privatum Hæreticum, celebratum. In quo Hæreticus iste ob multa & gravia delicta damnatus est, teste Cypriano *Epist.* LIX. ad Cornel. p. 132.

243. P. II. BOSTRENUM, Bostrę in Arabiâ, circa annum CCXLIII. habitum; In quo Berylli Bostrorum Episcopi sententia damnatur, asserentis Christum, antequam inter homines versaretur, non substitisse in proprię Personæ differentiâ, sed Paternam duntaxat Divinitatem in se residentem habere. Magnas in hac Synodo partes agebat Origenes, qui adversùs Beryllum disputavit, & ab errore reduxit. Extiterunt Eusebii tempore Synodi hujusce Acta & Monumenta, ut ipse nos docet lib. VI. cap. 33. pag. 231. Ex hâc unâ, duas facit synodos indoctus & incuriosus Synodici à Pappo editi compilator.

Cave Hist. Lit.

EPHESINUM, sive alicubi in Asiâ, circa annum CCXLV. in causâ Noeti habitum. Noetus Ephesi oriundus, ad insaniam usque delirus, non modò novas de Deo & Christo opiniones in vulgus projecit, sed stupendâ elatus arrogantiâ, sese Mosen, fratrem verò suum, Aaronem esse dixit, quocirca ab illius regionis Presbyterio semel iterùmque accersitus, ac de eisdem rebus interrogatus, cùm ampliùs negare non potuit, unà cum discipulis suis damnatus, & ab Ecclesiâ pulsus est. Plura, lector, de his te docebit Epiphanius *Hæres.* LVII. p. 479. 245. P. II.

CARTHAGINENSE II. Cypriani I. copioso Episcoporum numero, in causâ Lapsorum, & adversus Felicissimum schismaticum, anno CCLI. mense Maio habitum. De hâc Synodo vide quæ habet Cyprianus Epist. XLIII, XLV, LV, LIX. *Edit. Oxon.* 251. P. II.

ROMANUM I. Eodem anno, mense Octob. & in eâdem causâ, à Cornelio Pontifice coactum. Convenerunt Episcopi LX. qui Synodi Carthaginensis Decreta de Lapsis recipiendis, suffragio suo comprobarunt. *Ipse Cornelius*, inquit Cyprianus, *cum plurimis Coëpiscopis habito Concilio, in eandem nobiscum sententiam, pari gravitate, & salubri moderatione, consensit. Epist.* LV. ad Anton. p. 103. 251. P. II.

ANTIOCHENUM I. anno CCLII. mense Martio à Fabiano Episcopo convocatum; sed eo interea mortuo, sub Demetriano Successore habitum. In qua Novatianus depositus est. Confer Euseb. l. 6. c. 46. p. 248. 252. P. II.

CARTHAGINENSE III. Cypriani II. Idibus Maiis anno CCLII. congregatum. In quo pacem Lapsis, urgente necessitate, mox dandam esse decreverunt. Vid. Cyprian. Epist. LIX. ad Cornel. p. 132. 252. P. II.

CARTHAGINENSE IV. Cypriani III. anno CCLIII. circa mensem Septembrem, à LXVI. Episcopis celebratum. In quo præcipuè de Baptismo Parvulorum agebatur, Synodique nomine epistolam hâc de re ad Fidum numero LXIV. Cyprianus scripsit. 253. P. II.

Digitized by Google

SÆC. III. ab An. CC.

CARTHAGINENSE V. Cypriani IV. anno CCLIV. paulò post Pascha, pro more, habitum. Ad hanc Synodum venerunt Felix & Sabinus, Episcopi Hispani, qui in locum Martialis & Basilidis, libellis idololatriæ commaculatorum, nuper subrogati fuerant. Lectis in Synodo quas tulerunt Litteris, Patres Basilidem & Martialem justè depositos, Felicem & Sabinum ritè fuisse ordinatos, unanimi consensu declarârunt. Extat epistola synodalis ad Clerum & Plebes in Hispaniâ consistentes ap. Cyprian. Epist. LXVII. p. 170. & Conc. T. I. p. 747. De rebus Basilidis & Martialis integrâ dissertatione agit Cardinalis D'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. I. Vid. ejus *Notit. Conc. Hisp.* p. 34. 254. P. II.

255. P. II. CARTHAGINENSE VI. Cypriani V. Fervente jam de Hæreticorum Baptismo controversiâ, Cyprianus plurimorum Episcoporum & Presbyterorum Synodum convocavit: Qui decreverunt neminem baptizari extra Ecclesiam posse, ideóque de errore & pravitate venientibus, per omnia Divinæ gratiæ sacramenta, unitatem & fidei veritatem dari deberi. Extat Epistola synodica ad Numidiæ Episcopos ap. Cyprian. Epist. LXX. p. 189. & Epist. LXXI. ad Quintum; qui Cyprianum hâc ipsâ de re consuluerat; & Conc. T. I. pag. 761. Collocatur hæc Synodus à Baronio & Cointeo ad ann. CCLVI. Verùm anno superiori habitam fuisse pluribus contendit Cestriensis noster, eruditissimus Annalium Cyprianicorum conditor; cujus ductum in disponendis hisce Conciliis Cyprianicis utplurimùm secuti sumus.

256. P. II. ICONIENSE sub Firmiliano Cæsareæ Cappadocum Episcopo habitum. In quo Hæreticos, non nisi novo adhibito Baptismo, admittendos esse sancitum est. Rejiciunt hanc Synodum Baronius, Binius, &c. in anno CCLVIII. in anno CCLVI. novissimi Conciliorum editores. Quam quidem sententiam & nos olim amplexi sumus. Verùm re meliùs perpensâ, ante plures annos habitam esse, tùm ex testimonio Dionysii Alexandrini, apud Euseb. lib. VII. cap. 7. p. 253. tùm ex ipsius Firmiliani ad Cyprianum Epistolâ clarissimè liquet: quare potiùs assentior Henrico Valesio *Not. ad Euseb.* pag. 143. conjicienti sub extrema tempora Alexandri Severi, qui obiit ineunte anno CCXXXV. collectam esse. Quo quidem tempore Firmilianus ad Cæsariensis Ecclesiæ Sacerdotium recens promotus fuerat. Alia etiam Synodus eodem tempore, & in eandem sententiam apud *Synnada*, & fortè alibi his in locis Annal. Baron. ad ann. CCLV. Num. XIII, XIV.

256. P. II. CARTHAGINENSE VII. Cypriani VI. qui anno CCLVI. *LXXI.* Episcoporum Synodum ex Provincia Africæ, & Numidiâ convocavit, qui sententiam anteà latam de Hæreticis rebaptizandis Decreto suo confirmarunt. Habetur Epistola synodalis ad Stephanum Episcopum Romanum, apud Cyprian. Epist. LXXII. pag. 196. & Conc. Tom. I. p. 740.

256. P. II. CARTHAGINENSE VIII. Cypriani VII. Cùm Stephanus Papa prioris Synodi Decretis non acquiesceret, sed turbas excitaret, & verba minantia undique vibraret, Cyprianus longè majus & frequentius Concilium, eodem anno, Calendis Septembribus indixit. Præsentes erant præter Presbyteros, Diaconos, maximámque plebis partem, Episcopi *LXXXVII.* qui omnes pro Hæreticis rebaptizandis sententiam suam sigillatim dixerunt. Extant hujus Concilii Acta apud Cyprian. p. 229. & Conc. Tom. I. pag. 786. Gr. Lat. cum Commentariis Zonaræ, *ibid.* p. 797. SÆC. III. ab An. CC.

ROMANUM II. à Dionysio Papa, in causâ Dionysii Alexandrini, Hæresis Sabellianę accusati, sed ab eâ in hâc Synodo absoluti, habitum; idque ut vult Baronius, anno CCLXIII. Quod tamen dubium esse in novissimâ Conciliorum editione fatetur Labbeus. De hâc Synodo vide Athanasii librum *de sententiâ Dionysii*, p. 435. *& de Synod. Arim. & Sel.* p. 707. 263. P. II.

ANTIOCHENUM II. anno CCLXV. vel ut alii, sequenti, Episcopis ex Cappadociâ, Ponto, Palæstinâ, Arabiâ, maximo sanè numero convocatis, Præsidente Firmiliano, Cęsariæ Cappadocum Episcopo, adversùs Paulum Samosatenum, Antiochiæ Antistitem, hęresis accusatum; coactum. Sed post multas disputationes & quæstiones in unoquoque consessu agitatas, cùm vafer Hæreticus secretum animi sui virus dissimularet, & in quamvis formam se verteret, delusis bonis Patribus, evasit. Vide Euseb. lib. VII. cap. 28. pag. 278. 265. P. II.

ANTIOCHENUM III. innumerabilium ferè Episcoporum, ex omnibus Orientis Provinciis undique collectorum, contra Paulum Samosatenum, anno CCLXX. iterùm coactum. In quo versipellis Samosatenus falsis coloribus nudatus, erroris sui manifestissimè convictus est, & ab omni, quæ sub cœlo est, Ecclesiâ Catholicâ, eliminatus. Priusquàm verò ad sententiam in Paulum ferendam procederent Patres, Epistolam ad illum scripserunt, quâ fidem, quam ab initio acceperant, à beatis Apostolis traditam, in Ecclesiâ Catholicâ hucusque servatam, in Lege, Prophetis, & Evangelio prędicatam, de Christi Deitate & ęternâ præexistentiâ dilucidè exponunt, & innumeris S. Scripturæ testimoniis solidè confirmant, & an eadem secum sentiat doceatque, sciscitantur. Subscripserunt Episcopi sex, reliquorum, ut videtur, nomine. Hanc Epistolam priori Synodo, sed falsò, tribuit Baronius, huic secundæ certissimè ascribendam. Primus eam eruit Fr. Turrianus, & habetur Græc. Lat. tùm alibi, tùm Conc. Tom. I. col. 843. Pręcipuas disputandi in hâc Synodo partes adversùs Paulum, agebat Malchion, Rhetor & Presbyter Antiochenus, excipientibus cuncta notariis, quæ vidit & legit Eusebius. Extitisse hunc Dialogum Freculphi adhuc Lexoviensis ævo, ex ipsius Freculphi autoritate affirmat Matt. Larroquanus, Advers. Sacr. lib. 1. pag. 7. Verùm hallucinatur vir eruditus, non animadvertens eo loco * Freculphum integram Hieronymi hâc de re periodum, suppresso licèt nomine, nè verbo quidem additò, suam facere. Interim extant Latinè hujus Disputationis Fragmenta quędam apud Leont. Byzant. *advers. Nestor.* lib. III. Biblioth. PP. Tom. IX. Synodicæ, hujus Antiocheni Concilii Epistolæ ad Dionysium Romanum, ad Maximum Alexandrinum, reliquósque Ecclesiæ Catholicę Episcopos, longè majorem partem nobis conservavit Eusebius, lib. VII. cap. 30. pag. 279. & Concil. Tom. I. pag. 844. Alia quędam Fragmenta Latinè habentur apud Leont. Byzant. loc. citat. 270. P. II.

* Chron. T. II. l. III. c. 11. 524.

Finis Tertii Sæculi.

SÆCULUM

SÆCULUM ARIANUM.

CONSPECTUS SÆCULI.

ORITUR cum hoc Sæculo dira, siqua unquam alias, Persecutio, nempe anno CCCIII. Februarii XXIII. Inchoata est decima sub Diocletiano, Maximiano, &c. Persecutio, quæ in annum usque undecimum protrahitur. Hinc Ecclesiarum eversio, reditus Sacri in fiscum redacti, bonorum spolia, multiplex & miseranda Christianorum strages, supplicia undique conquisita, omnique crudelitatis genere excogitata, faces incensæ pedibus singulisque membris admotæ, donec decoctâ omni cute vis ignis ad intima viscera penetrâsset; corpora cremata, & in pulverem comminuta, & in flumina ac mare jacta. Insulæ, Carceres, metalla, notante Lactantio cap. 22. leves erant pœnæ: ignis, crux, feræ, quotidiana erant & facilia, in causa capitis, animadversio gladii, admodum paucis, quasi beneficii loco deferebatur, qui ob merita vetera impetraverant bonam mortem. Totam hujusce persecutionis seriem fusè non minùs, ac eleganter, Lactantius; qui omnia ejus arcana, ortum, progressum dilucidè aperit; è quo multa hâc de re haurire licet, quę apud alios frustra quærantur. Tandem anno CCCXII. Imperatore Constantino Christi fidem amplectente, novam induit faciem Ecclesia Christiana, ubique ornata, dotata, legibus munita, decrescente in dies Ethnicorum Superstitione. Oritur hęresis Ariana, quæ Christo Deitatem detrahit, & in Creaturarum classem redigit, filium patri esse ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον negans, mox à Concilio Nicęno, Oecumenicorum primo, anno CCCXXV. damnata. Regnante Constantio, vires recolligit, ejusque pręsidio fulta in Catholicos ubique grassatur, & in novas Semiarianorum, Photinianorum, Aetianorum, Eunomianorum, Macedonianorum, &c. Sectas diffunditur, quas Synodus II. Generalis CP. habita anno CCCLXXXI. anathemati subjicit, & Theodosius M. authoritate suâ & legibus, quas tulit, comprimit. Magnas in Africâ turbas dant Donatistæ, à potestate tum Sæculari, tum Ecclesiasticâ sæpius repressi. Juliano ad imperium evecto recrudescit Gentilismus, excitatâ in Christianos gravissima persecutione. Verùm hæc nubecula citò transiit, occiso Juliano anno CCCLXIII. Jovianus mox in Imperatorem levatus, doctrinam Catholicam fovebat, Episcopos exules sedibus restituit; sed eo post octo ferè menses, è rebus humanis exempto, Valens, Valentiniani frater, Orientalis Imperii Gubernaculis admovetur, qui hęresi Arianę palàm favebat, ejusque asseclas dignitatibus auxit, honoribus ornavit; depressis ubique & vexatis Catholicis usque ad annum CCCLXXIX. quo Theodosius M. in imperii consortium à Gratiano ascitus, Catholicis pacem, quietem, præsidium dedit; hæreses quascunque compescuit, & per XVI. annos imperium feliciter administravit. SÆC. IV. ab An. CCC.

SCRIPTORES.

SÆC. IV. ab An. CCC. 301. L. 9. c. 6.

PETRUS, si non ortu, saltem institutione & officio Alexandrinus, Scriptorum omnium hujus ævi agmen ducit, & quidem meritò. Erat enim, teste Eusebio*, θεῖον ἐπισκόπων χρῆμα, *divinum Episcoporum decus*, Christianæ Religionis Doctor eximius; cùm ob totius vitæ sanctimoniam, tum ob sacrarum literarum studium ac peritiam venerabilis. Ad pietatem juxta & sacras literas à Theonâ Episcopo formatus est, cui deinde ipso ann. sæculari Christi 300. in sede Alexandrinâ successit. Elapso ferè in Episcopali munere triennio, exorta est Persecutio à Diocletiano ann. CCCIII. excitata: ex quo per reliquum vitę tempus ob ingruentem tempestatem arctiore disciplinâ sese exercuit Petrus, communique Ecclesiarum utilitati pro virili prospexit. Sub hâc Persecutione diu cum in carcere detentum fuisse necesse est; si modò vera sint, quę de dissidio illum inter & Meletium Lycopolitanum in Thebaide Episcopum ex incertis, ut opinor, si non fictis, Meletianorum Actis Epiphanius † refert. Mihi quidem in re incertâ divinanti probabile videtur, Petrum sub Diocletiano vel Galerio Maximiano in custodiam traditum, postmodùm vinculis absolutum, demum sub Maximino passum esse. Certè luculenter tradit Eusebius*, qui hâc ipsa tempestate in Ægypto versabatur, ibi etiam in carcerem detrusus, Petrum nullum ob crimen comprehensum, præter omnium expectationem subitò & absque ullâ probabili causâ solo Maximini jussu capite truncatum esse. Hoc ei contigit anno persecutionis nono, Episcopatûs sui duodecimo, Christi CCCXI. SÆC. IV. ab An. CCC † Hæres. 68. * Loc. cit.

Scripsit eorum causâ, qui in prædictâ Persecutione lapsi essent, *Librum de Pœnitentiâ*; ex quo supersunt hodie Canones XV. variis Pœnitentium casibus accommodati; qui habentur Gr. Lat. Con-

Digitized by Google

SÆC. IV. abAn.CCC cil. Tom. 1. cum Balſamonis verò & Zonaræ Scholiis Synodici ſeu Pandect. Canonum Tom. II. Alium item *Librum de Divinitate*, ex quo loca quædam adferuntur Concilii Epheſini Act.I. p. 508. Act. VII. pag. 836. Concil. Tom. III. Concilii Chalcedonenſis Act. I. p. 286. Concil. Tom. IV. ſed poſtremo huic excerpto Græca deſunt.

Aſcribitur ei *Diatriba de Paſchate* quæ ſæpius extat MSS. quamque in Uranologio ſuo edidit Petavius, verum an ejus ſit, non immeritò dubitatur.

301. P. II. PETRUS Epiſcopus Alexandrinus conſtitutus eſt anno CCC. Obiit coronâ Martyrii redimitus anno CCCXI. Præter *Canones Pœnitentiales*, & librum *de Divinitate*, ſcripſiſſe etiam Petrum Tractatum *Paſchalem*, alibi breviter monuimus. Teſtantur id, quæ habemus hodie hujus Operis fragmenta. Quin forte ipſum Opus adhuc ſupereſt. Extitiſſe certè, tum in Bibliothecâ Scorialenſi, tum in Bibliothecâ Collegii Soc. Jeſu Cæſarauguſtæ in Hiſpaniâ, Petri Alexandrini Sermonem περὶ τοῦ Πάσχα καὶ τῶν τούτου ζητημάτων fidem, nobis facit nobiliſſimus Dufreſnius Præfat. ad *Chr. Paſchal.* n. VII. Dion. Petavius in *Uranologio* ſuo, *Par.* 1630. *p.* 396. Diatribam quandam Paſchalem Græcè edidit, hoc ei præmiſſo titulo, Πέτρου ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας καὶ μάρτυρος ὅτι ἀπλανῶς ἔδοξαν οἱ Ἑβραῖοι τῇ ιδ΄ τοῦ α΄ μηνὸς τῆς Σελήνης ἕως τῆς ἁλώσεως τῶν Ἱεροσολύμων. Verùm Petri non eſſe, liquet vel pueris, qui nondum ære lavantur, cùm disertè in eo citetur Athanaſius, ut alia mittam; Petróque clarè abjudicavit Petavius. Anonymi cujuſdam eſt ſequioris ævi, [ejuſdem fortè qui Chronicon Paſchale contexuit] qui Tabulas ſuas Paſchales juxta Cyclum annorum DXXXII. digeſſit, ut ex poſteriore Fragmenti parte liquet: In priori, demonſtrandum in ſe recepit, Dominum noſtrum in cœnâ noviſſimâ legale Paſcha non celebraſſe; quod allatis aliquot antiquorum Patrum teſtimoniis confirmare nititur, in his primo ſtat loco Petrus Alexandrinus, cujus proinde nomen toti tractatui ditum eſt, eâdem ratione, ac Chronicon Paſchale *Alexandrinum* dictum eſt, eo quòd breviuſculum Petri Alexandrini fragmentum in capite Codicis MS. invenitur. In Anonymo Petaviano tria Petri noſtri fragmenta reperiuntur, ex opere ejus Paſchali, ut videtur, deprompta: producuntur ſimiliter Hippolyti Portuenſis, Apollinaris Hierapolitani, &c. ex libris de Paſchate teſtimonia, quæ quidem omnia Chronici Paſchalis editioni noviſſimæ præfationis vice à Cl. Dufreſnio præmiſſa ſunt.

301. ANASTASIA, Fœmina Romana, genere, conjugio, opibus, maximè verò Chriſtianæ fidei, quam à matre Flavia hauſerat, profeſſione nobiliſſima; uxor Publii viri clariſſimi, ſed erga Chriſtianam Religionem, eoque nomine adversùs Uxorem etiam, malè animati; quem Diocletianus ad Perſas Legatum miſit. Anaſtaſia Martyrium anno CCCIII. obiiſſe dicitur. Extant duæ *Epiſtolæ*, ſi modò genuinæ ſint, ab ea ad Chryſogonum ſanctiſſimum Confeſſorem non longè ante Martyrium è carcere ſcriptæ, unà cum Chryſogoni *Reſponſis*, apud Suidam in voce Χρυσόγονος.

302. HIERACAS, genere Ægyptius ex oppido Leontone, acutiſſimo ingenio præditus, omnique meliori literaturâ, univerſis Græcorum & Ægyptiorum diſciplinis, ac imprimis medicinæ ſcientiâ imbutus; quibus admirabilem planè vitæ ſanctimoniam adjunxit: ita ut plurimos ex Ægyptiis Monachis in errores ſuos pertraheret. Docuit enim Reſurrectionem ſolius eſſe animæ, & merè ſpiritualem; Pueros ante rationis uſum mortuos æternâ ſalute excidere; Melchiſedecum eſſe Spiritum Sanctum; Nuptias denique Chriſtianis illicitas eſſe, Veteris quippe Teſtamenti proprias: unde neminem in cœtum ſuum admiſit, niſi Virgines, Monachos, Continentes, & Viduas. Claruit circa ann. CCCII. Obiit nonagenarius. Scripſit *Commentarios in Scripturam*, *lucubrationes in Hexaemeron*, & alia quædam ex ſacris deprompta literis, quibus & *Pſalmos* multos à ſe compoſitos adjecit. Extant Fragm. quædam ap. Epiph. Hær. 67. SÆC. IV. abAn.CCC.

ARNOBIUS, gente Afer, claruit an. CCCIII. 303. Apud Siccam Veneream, mediterraneam Africæ urbem, Rhetoricam docuit, religione Gentilis quam ſtrenuè propugnavit: tandem ut fidem Chriſti amplecteretur, ſomniis admonitus, Baptiſmum ab Epiſcopo impetrare non potuit, donec edito *adversùs Gentiles* libro ſanè elegantiſſimo, veluti certiſſimo pignore fidei ſuæ ſinceritatem teſtatus ſit. Vid. Hiero. Chron. ad a. CCCXXVII. Converſionis ſuæ tempus ipſe deſignat, cùm ait, trecentos eſſe annos fermè minùs vel plùs aliquid ex quo cœpimus eſſe Chriſtiani. Rectè dicit, *plùs vel minùs aliquid*: Scripti enim ſunt hi libri anno CCCIII. vel non diu poſt, exortâ jam perſecutione. De obitu ejus nihil conſtat. Stylum ejus tanquam inæqualem & nimium, librumque ejus abſque operis ſui partitione confuſum carpit Hieronym. †; rigidè ſatis & immeritò meo quidem judicio. Habet enim ſtylus Arnobianus ſuam eloquentiam, & dictionem planè florentiſſimam: nec operi deeſt methodus concinna & benè ordinata, ut cuivis attentè legenti apertè conſtabit. Dogmata quædam habet forſan minùs Catholica; quæ homini è Gentilium tenebris recens erumpenti, & nondum Chriſtianæ fidei elementis ſatis inſtructo condonanda ſunt.

† Epiſt. ad Paulinam p. 104.

Extant *Adversùs Gentes* libri VII. typis impreſſi *Romæ* 1543. *Baſil.* 1546. *Pariſ.* 1580. *Antverp.* 1582. cum notis Canteri. *Genevæ* [per Herald.] 1597. *Pariſ.* 1605. *Hamburg.* [per Elmenhorſtium] 1610. *Duaci* [per Stevvechium] 1634. *Lugd. Bat.* 1651. 4°. cum integris Variorum Commentariis, demum *Pariſ.* 1666. ad Calcem Cypriani cum Ph. Priorii & ſelectis aliorum notis.

Circumferuntur etiam ſub ejus nomine *Commentarii breves in Pſalmos* CL. quos eſſe Arnobii junioris opus eruditis dudum ſuboluit.

L. CÆLIUS LACTANTIUS FIRMIANUS, claruit præcipuè anno CCCIII. & 303. deinceps. Patriam habuit Italiam, forſan Firmio, quod agri Piceni oppidum eſt ad oram maris Hadriatici, oriundus; indeque Firmiani nomen traxiſſe videtur: quod tamen ſolâ conjecturâ nititur. Arnobium Siccæ tunc in Africa docentem magiſtrum ſortitus eſt: ſub quo adoleſcentulus adhuc conſcripto *Sympoſio* elegantiſſimum præcocis ingenii ſpecimen dedit. Inde Nicomediam quam Diocletianus impensè nimis ornare, urbique Romæ coæquare ſtudebat, accitus eſt; ut juventuti eloquentiæ ludum aperiret. Verùm diſcipulorum penuriâ, in Græcâ præſertim civitate, adactus ad ſcribendum ſe contulit; & inter alia, exortâ jam Perſecutione, Chriſtianæ Religionis cauſam adversùs quoſvis importunos, ac imprimis contra Hieroclem Bithyniæ Præſidem [qui author & conſiliarius excitandæ Perſecutionis fuerat; duoſque libellos quos Φιλαλήθεις, inſcripſit, πρὸς τοὺς Χριστιανοὺς compoſuerat] graviſſimis rationum momentis, omnibuſque eloquentiæ nervis vindicavit. Demum Conſtantino ſummâ rerum potito, in Galliam evocatur, ut Criſpum Cæſarem Conſtantini filium primogenitum Latinis literis erudiret. Obiit extremâ ſenectute, ſed quo anno non liquet. Adeò in hac vitâ pauper, ut [quod ex Euſebio * tradit Hieronymus

* Chron. ad an. CCCXVIII.

SÆC. IV. ab An.CCC. ronymus †] plerumque etiam necessariis indiguerit. In Gentilium Theologiâ plurimum valuit; in Christianæ fidei principiis μυςικωτέροις parùm exercitatus: unde Hieronymus. *Lactantius quasi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ, utinam tam nostra confirmare potuisset, quàm facilè aliena destruxit.* Nævos qui in scriptis ejus notantur, de divinitate, de æternâ filii existentiâ, de animarum præexistentiâ, & futuro post hanc vitam statu, de fine sæculi, & mille annorum imperio, de adventu Eliæ multos ad Dei cultum converfuro, aliisque capitibus, de quibus obscurè, incautè, quandoque etiam periculosè locutus sit, excusabunt apud candidos rerum æstimatores sæculi quo vixit, circa istas res imperitia; dogmata ipsa paulò abstractiora, necdum à Theologis dilucidè explicata, nec Synodorum decretis definita, & in quibus ὁμοψήφυς habuit complures præcedentium sæculorum Patres; diligens ejus profanarum literarum studium, & continua ferè adversus Gentiles certamina, quæ totum occupabant hominem, animumque à penitiore doctrinæ Christianæ examine revocabant. Stylus illi tersus, nitidus, facilis, fonte quodam eloquentiæ nativo sponte fluens. Scriptor sanè est mirè elegans & disertus, Christianorum omnium sine controversiâ facundissimus; unde *Cicero Christianus* vulgò audit, nec desunt qui eum Ciceronem non æquâsse modò, sed & præcelluisse volunt. Id citra invidiam dici potest, illum ab ipso Ciceronis ævo, dictionis nitore & puritate vix ullum habuisse parem, neminem superiorem.

† Ep. ad Paulinam p. 104.

SCRIPTA.

Institutionum Libri VII. quorum primus *de falsâ Religione* agit, *Gentilem* Theologiam impugnat, & divini Numinis unitatem asserit. Secundus originem *erroris* circa res divinas humani, & fœdissimi in idololatriam lapsûs causas investigat. Tertius circa *falsam sapientiam* versatur, & vanitatem Philosophiæ Gentilis ostendit. Quartus *veram sapientiam*, Christianæ nempe religionis dogmata proponit. Quintus *de justitiâ* tractat, eamque penès Christianos solos haberi demonstrat: Gentilibus eos pœnis & tormentis divexantibus nefariæ crudelitatis accusatis. Sextus de *vero cultu* & tam interno mentis, quàm externo, quod in actionibus situm est, officio differit; & errores Philosophorum circa istam materiam arguit. Septimus *vitam beatam* argumentum habet, animarum immortalitatem probat, futurum vitæ statum, & extremum judicium depingit, & à rebus corporeis & caducis ad æterna, & divina objecta mentem revocat. Scripti sunt hi libri sub Diocletiani Persecutione: quod ipse Lactantius * apertè satis testatur, non quod multi volunt, sub Licinianâ: Inscriptiones enim ad Constantinum M. quæ in librorum 1. 2. 4. & 5. fronte comparent, nec antiquiores editiones, nec melioris notæ Codices MSS. agnoscunt; ideoque ab alienâ manu fluxisse censendæ sunt.

* L. 5. c. 2. 4.

Institutionum Epitome, sed mutila, trium solummodò posteriorum librorum compendium exhibens.

De Irâ Dei.

De Opificio Dei.

De Mortibus Persecutorum. Hunc libellum cujus post Hieronymum vix quisquam veterum meminit, primus in lucem protraxit Stephan. Baluzius, & cum amplissimis notis edidit, Miscell. Tom. II. p. 1. deinde brevibus Scholiis ornatus seorsim prodiit *Oxon.* 1680. 12°. *Aboæ* 1684. 8°.

Fragmentum parvum de *Extremo Judicio*, libri de Mortibus Persecutorum calci adnexum, & unà cum eo à Baluzio primùm editum.

SCRIPTA, QUÆ NON EXTANT.

Symposium.

Grammaticus.

Ὀδοιπορικὸν, *Carmen Heroicum* de itinere suo ab Africâ ad Nicomediam.

Ad Asclepiadem libri II.

Ad Probum Epistolarum libri IV.

Ad Severum Epistolarum libri II.

Ad Demetrianum Epistolarum libri II. Hieronymus Comment. in Galat. IV. octavum ad Demetrianum Epistolarum librum citat, memoriæ, ut videtur, lapsu; integrum enim Epistolarum Lactantianarum volumen non nisi octo libros continebat, ex quibus Epistolæ ad Demetrianum Septimum & Octavum constituebant, ac proinde in Catalogo ipse Hieronymus eodem ordine, ac numero, recenset quo suprà à nobis enumerantur.

SPURIA.

Carmen de Phœnice, à Gentili quodam scriptum.

Carmen de Paschate Venantii Fortunati est.

Carmen de Passione Domini, in quo de adoratione crucis agitur, ut alia taceam.

Prodierunt Opera Lactantii *Romæ* 1465. 1470. 1474. *Venet.* 1472. 1478. 1483. 1490. 1497. 1502. 1509. [fol.] 1515. *Paris.* 1513. [4°.] *Florent.* 1513. *Venet.* 1521. 1535. *Basil.* 1521. [4°.] 1523. 1532. 1563. [fol.] *Antverp.* 1539. 1555. 1568. *Lugd.* 1532. 1553. 1556. 1567. [16°.] *Colon.* 1544. *Paris.* 1563. 1589. *Antverp.* 1570. [8°.] 1579. 1587. *Genevæ* [editio accuratissima per Tornesium] 1613. [16°.] *Lugdun.* 1616. [16°.] *Romæ* 1650. [fol.] *Lugd. Bat.* 1652. 1660. [8°.] *Oxon.* 1684. *Cantabrig.* 1685. [8°.] Cæteris editionibus præstat *Lugduno-Batava*, quam anno 1660. Servatius Gallæus cum doctissimis Variorum notis edidit, quibus suas planè eruditissimas addidit.

L. CÆL. LACTANTIUS FIRM. claruit ann. CCCIII. Inter omnia quæ post se reliquit opuscula, eminet *Libellus de mortibus Persecutorum*, mole quidem exiguus, pretio inæstimabilis. Hunc magno omnium plausu exceptum, varii eruditis annotationibus elucidarunt, variasque editiones mox expertus est. Amplissimam, & planè elegantissimam editionem novissimus omnium adornavit Paulus Bauldri *Ultraject.* 1692. 8°. In qua præter suas, aliorumque hinc indè, Sparkii, Grævii, Galei, &c. ad imum paginæ notas, omnes omnium annotationes uberiores collegit & exhibuit; nempè Stephan. Baluzii, Gis. Cuperi, Joan. Columbi, Hen. Dodwelli Dissertationem de ripâ Strigâ, Nic. Toinardi, cum Theod. Ruinarti Præfatione generali in Acta Martyrum, & Persecutionum Chronologiâ, ex Dodwello, Pagio, Baluzio, aliisque collectâ. Utque ornatior prodiret editio, præter figuras, & inscriptiones varias, præmissa est numismatum Imperatorum & Augustarum tabula. 303. P. II.

DOROTHEUS, [alius omnino à Dorotheo Presbytero Antiocheno, quem Diocletianus baphii apud Tyrum Procuratorem constituit, de quo Eusebius l. 7. cap. 32. Alius à Dorotheo Diocletiani Cubiculario & Martyre; de quo idem lib. 8. cap. 16.] Tyriorum Urbis, ut volunt, Episcopus: Presbyterum quidem cum Martyrologio Romano faciunt recentiores; quod non aliunde profluxisse videtur, quàm quod hunc cum Dorotheo Antiocheno malè confundunt: cui errori non leve robur addidit, præfationis, quam mox dabimus, inter- 303.

pres Latinus, qui nostrum Presbyterum vocat, πρεσβύτην nempe per *Presbyterum* reddens. Claruisse dicitur Dorotheus noster anno CCCIII. multa sub Diocletiani persecutione passus, tandemque in exilium missus: sedatâ tempestate ad Ecclesiam suam rediit, ad Juliani usque tempora superstes, sub quo ad Odysseam civitatem aufugit, ubi à Juliani præfectis comprehensus, post varia tormenta vitam Martyrio finivit, ætatis anno CVII. Verùm incerta esse hæc omnia, & planè conficta, mox patebit, nullius Scriptoris, Sæculo sexto antiquioris, testimonio fulta. De eo enim, excepto unico Anonymo, è quo sua desumpserint Martyrologii Romani & Menologii Græci conditores, paucique alii, altum planè est silentium. Plures Ecclesiasticos Commentarios Dorotheus noster scripsisse dicitur; circumfertur hodie sub ejus nomine *Synopsis de vita & morte Prophetarum, Apostolorum & discipulorum Domini*, quæ Latinè habetur, Bibliothec. PP. Tom. III. & ad calcem Salviani *Romæ* 1564. f. Spuriam esse, & ad fabulas putidissimas relegandam, nemo non videt. De hac Synopsi ejusque Auctore, aquam mihi diu hæsisse fateor; donec totius penè fabulæ Scenam aperuit Anonymi cujusdam fragmentum Græcum, quod ex duobus Cod. MSS. Baroccianis, uno nempe N. 206. alteroque Anastasii Nicæni quæstionibus in Sacram Scripturam subjuncto N. 142. manu sua descriptum, mihi pro sua humanitate communicavit Hen. Dodvvellus. Multas quidem continet aniles fabulas nullo antiquitatis suffragio nixas, nullo ordine dispositas; haud pauca tamen neutiquam contemnenda, quæ non modo ad Synopsin hanc Dorotheanam, sed & alia historiæ Ecclesiasticæ capita illustranda apprimè conferunt; integrum igitur fragmentum Latinâ versione ornatum hic subjiciam, deinde observationibus nonnullis illustrabo. Ut ad Codices MSS. ex quibus desumptum est recenserem, nec per valetudinem nec per otium licuit. Vereor ne amicus, cujus operâ in describendo apographo Dodvveliano usus sum, nimis hinc inde festinarit. Variantes quasdam lectiones quas à Cl. Dodvvello accepi, vel uncis inclusi, vel in marginem conjeci.

SÆC. IV. ab An. CCC.

Σύγγραμμα ἐκκλησιαστικὸν περὶ τῶν ο μαθητῶν τοῦ κυρίου Δωροθέου Ἐπισκόπου Τύρου, ἀρχαίου ἀνδρὸς πνευματοφόρου, καὶ μάρτυρος γεγονότος ἐν τοῖς καιροῖς Λικινίου καὶ Κωνσταντίνου τῶν βασιλέων.

Tractatus Ecclesiasticus de LXX. Domini discipulis, conscriptus à Dorotheo Tyri Episcopo, antiquo admodum viro & divinitùs inspirato, qui Martyr fuit temporibus Licinii & Constantini Imperatorum.

Οὗτος ὁ προλεχθεὶς ἀοίδιμος ἀνὴρ καὶ συγγράμματα καταλέλοιπεν Ῥωμαϊκά τε καὶ Ἑλληνικά, ἐπειδήπερ καὶ ἑκατέρων τῶν γλωσσῶν ἔμπειρος ὑπῆρκεν, γέγονεν δὲ καὶ πολυΐστωρ δι' εὐφυΐαν. μετὰ τὴν τελευτὴν Διοκλητιανοῦ καὶ Λικινίου κατέλαβεν καὶ αὐτὸς τὴν ἰδίαν παροικίαν, καὶ ἴθυνεν τὴν ἐν Τύρῳ Ἐκκλησίαν μέχρις Ἰουλιανοῦ τοῦ Τυράννου, καὶ ἐπειδήπερ οὐκ αὐτοφανῶς ἀλλὰ κρυπτῶς διὰ τῶν Ἀρχόντων Ἰουλιανὸς ἀνῄρει τοὺς Χριστιανοὺς, πάλιν ὁ Δωρόθεος κατέλαβεν τὴν Ὀδύσσου πόλιν ἔνθα καὶ συσχεθεὶς ὑπὸ τῶν Ἰουλιανοῦ Ἀρχόντων, καὶ πολλοὺς αἰκισμοὺς ὑπομείνας, ἐν βαθυτάτῳ γήρᾳ διὰ τὴν εἰς Χριστὸν ὁμολογίαν ταῖς βασάνοις ἐναπέθανεν, ἑκατὸν καὶ ἑπτὰ ἐτῶν ἤδη τυγχάνων. Οὗτος τοίνυν ὁ μέγας πρεσβύτης καὶ συγγράμματα ἡμῖν ἐκκλησιαστικὰ καταλέλοιπεν, ἐν οἷς καὶ τὰ περὶ τῶν ο μαθητῶν τοῦ σωτῆρος ἱστόρησεν, καὶ ἔνθα ὁ καθεῖς τῶν Προφητῶν καὶ τῶν Ἀποστόλων τὸν βίον ἐτέλεσεν.

Ἐν πρώτοις μὲν τοὺς ο ἐκείνους εἶναι λέγει, ὧν οἱ πλείους καὶ ἐπίσκοποι ἐν διαφόροις παροικίαις ἐγένοντο, ὧν ὁ θεῖος Ἀπόστολος ἐν ἀσπασμοῖς αὐτοῦ μέμνηται, μετὰ γὰρ τὴν τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν πάντας αὐτοὺς ἐπιστρέψαι σημαίνει, καὶ ἐν τοῖς Ἀποστόλοις γεγενῆσθαι, ὧν καὶ τὰς ἐπωνυμίας οὕτως ἐπισημαίνεται λέγων.

Celebris hic vir varias tum Latinas tum Græcas post se lucubrationes reliquit, nam utriusque linguę peritus, & multarum rerum gnarus propter ingenii dexteritatem fuit: post mortem autem Diocletiani & Licinii exilio liberatus, & ipse paroeciam suam recepit; Ecclesiam enim Tyri ad Julianum usque Tyrannum rexit. Quoniam verò Julianus non manifestè per se, sed occultè per principes suos, Christianos occidebat, iterum Dorotheus ad Odysseam civitatem venit, ubi à Juliani Principibus prehensus, multaque verbera passus, in grandæva senectute propter Christi confessionem inter ipsa tormenta, cum annorum esset CVII. mortuus est. Igitur in Commentariis Ecclesiasticis, quos magnus hic senex post se reliquit, LXX. Servatoris nostri discipulorum historiam contexit, & ubi unusquisque Prophetarum & Apostolorum vitam finierit.

Huius Præfationis Versio Latina edita Synopsi præfixa est.

In primis itaque illos fuisse LXX. discipulos refert, quorum plerique Episcopatum variis in locis gesserunt; eorundem divinus Apostolus in salutationibus suis meminit. Post Servatoris enim nostri à mortuis resurrectionem omnes illos rediisse, & inter Apostolos versatos esse indicat, quorum & cognomina utcunque refert dicens.

Sequitur in MS. Discipulorum Synopsis, prout in editis habetur. Ad finem LXX. Discipulorum leguntur hæc.

Ταῦτα ὁ [a τρισμακάριος] καὶ πανόλβιος Δωρόθεος ἐν Ῥώμῃ γεγονὸς διὰ Ῥωμαϊκῆς διαλέκτου [b ἐν ὑπομνήμασι] καταλέλοιπεν. ἐξ ὧν [c ἡμεῖς] [d ἐρανισμένοι,] καὶ πρὸς Ἑλλάδα [e γλῶσσαν] μεθερμηνεύσαντες [φωνὴν] ἐμφανῆ τοῖς πᾶσιν πεποιήκαμεν τὸ τῶν [f ο] μαθητῶν ἐκλογὴν πιστὴν καὶ ἀληθῆ αὐτὴν καταλαβόμενοι. Καὶ γὰρ ὁ Ἀπόστολος γράφων περὶ αὐτῶν ἔλεγεν [g οἵ τε] καὶ πρὸ ἡμῶν γεγόνασι ἐν Κυρίῳ, καὶ οὐκοῦν ἄπιστόν τι λογίσηται, μετὰ τὴν ἀνάστασιν τοῦ Χριστοῦ ἐπιστρέψαι τοὺς ο καὶ πιστεῦσαι εἰς αὐτὸν, θεωρήσαντας τὴν ἀνάστασιν αὐτοῦ τὴν ἐκ

Ista sanctissimus & beatissimus Dorotheus, Romę positus, Latino sermone consignata in Commentariis suis reliquit. Ex his nos ista hausimus, & in Græcum sermonem vertentes, cunctis in notitiam dedimus LXX. discipulorum indiculum, quem certum atque verum acceperamus. Apostolus enim inter scribendum, illorum mentionem fecit his verbis, *quique ante nos in Domino fuerunt*; neutiquam igitur incredibile haberi debet LXX. discipulos post resurrectionem Christi, reversos esse,

a Τρισμακάριος. b Desunt in MS. c. In MS. Secundo. καὶ ἡμεῖς. d In MS. secundo, ἀρρυσάμενοι. e In MS. primo. φωνὴν. f In MS. secundo, ιβ. καὶ. g In MS. secundo. οἱ.

νικρῶν, ὃ μεῖζον πάντων τῶν θαυμάτων ὑπῆρξεν, καὶ ἐστίν.

[Τοῦ αὐτοῦ Δωροθέου Ἐπισκόπου καὶ μάρτυρος περὶ τοῦ Βυζαντίου, καὶ τῶν ἐπισκόπων αὐτοῦ.] Οὗτος οὖν ὁ μέγας ἀρχιερεὺς Δωρόθεος διηγήσατο ἐγγράφως, ὅτιπερ ὁ σεπτὸς οἶκος τῆς ἁγίας καὶ καλλινίκου μάρτυρος Εὐφημίας ἐν τῷ πετρίῳ ὑπὸ Τίτου τινὸς ἐκτίσθη ὑπὸ πρώτης, ὅστις Τίτος γεγονὼς Ἐπίσκοπος τοῦ Βυζαντίου, καὶ τελειωθεὶς ἐν αὐτῇ ἀπετέθη πλησίον τῶν παλαιῶν τείχων. Ἐξότε ὁ Ἀνδρέας ὁ Ἀπόστολος καὶ τοῖς τόποις ἐπέστη, καὶ πολλὰ πλήθη Χριστιανῶν παρ' αὐτῷ συντρέχειν παρεσκεύασεν ὡς μήτε τοσούτους ἐν ἄλλοις τόποις εὑρίσκεσθαι. Ἅπαντες γὰρ οἱ τοῦ Βυζαντίου διδάσκαλοι καὶ ὑπομονητικοὶ γινόμενοι διὰ ταπεινοφροσύνην τὰς μὲν τυραννικὰς ἀπέφυγον ἀπειλάς, τοῖς δὲ ἐξ Ἐθνῶν, ἢ ἐξ Ἰουδαϊσμοῦ τὸν ἔνθεον ἀπέσπαρον λογισμὸν, εἰ καὶ μάλιστα τοῦ Τίτου θαυματουργίας ἐπιτελοῦντος, οἵας καὶ ὁ Σωτὴρ ἐπετέλεσεν. Ἔτι καὶ τῆς τυραννίδος Λικινίου καὶ Διοκλητιανοῦ κρατούσης ἐν τῇ ὑποθέσει ταύτῃ ἀναιρεῖται καὶ Κάρος ὁ βασιλεὺς καὶ οἱ τούτου δύο υἱοὶ Καρῖνος καὶ Νουμεριανός. Λοιπὸν ἐν ἀδείᾳ οἱ τύραννοι γινόμενοι ἀναιδεστέρως πρὸς τὰς τιμωρίας τῶν Χριστιανῶν ηὐτομόλουν, εἰς χιλιάδας τῷ καθ' ἡμέραν ἐκ τούτων ἀναιροῦντες, μεθ' ὧν Ἀδριανὸς ὁ τοῦ Πρόβου υἱὸς θανεῖν ἔσπευσεν. γινόμενος γὰρ ἐν τῇ Νικομηδέων πόλει, μετὰ τὴν Κάρου ἀναίρεσιν, καὶ ἰδὼν τὰ πλήθη τῶν Χριστιανῶν ὑπὸ Λικινίου ἀναιδῶς, ἀναιρούμενα προσελθὼν πρὸς βῆμα ἔλεγεν τῷ Λικινίῳ, διατί οὕτως ἀναιδῶς τὸ στράτευμα τῶν Ῥωμαίων ἀναιρεῖται, καὶ ἰδοὺ τὰ πλεῖστα τῶν Ῥωμαίων βάρβαροι κατέχουσιν; ὁ δὲ Λικίνιος πρὸς αὐτὸ, μὴ καὶ σὺ Χριστιανὸς εἶ; ὁ δὲ Ἀδριανὸς πρὸς αὐτὸν καὶ μὲν εὔχομαι ἐν τῇ ὁμολογίᾳ ταύτῃ τελειωθῆναι, ἢ τὸ ἀρνήσασθαι τὸν Χριστόν. Λικίνιος δὲ πολλὰς μὲν βασάνους, πολλὰς δὲ καὶ θωπεύσεις καὶ ἐπαγγελίας πρὸς αὐτὸν προσήγαγεν, ὡς δὴ ἑώρα αὐτὸν, τῇ τοῦ Χριστιανοῦ ὁμολογίᾳ ἐνιστάμενον θυμομαχήσας κατ' αὐτοῦ ἐκέλευσεν τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ὑποτμηθῆναι. τοῦδε ἐν τῇ ὁμολογίᾳ ταύτῃ τελειωθέντος ὁ Μητροφάνης γνοὺς ἄρτι τῆς ἐπισκοπῆς ἐναρξάμενος ἅμα τοῖς συνοῦσιν αὐτῷ καταλαμβάνει τὴν Νικομήδειαν, καὶ ὑποκλέψας τοῦ καλλινίκου μάρτυρος Ἀδριανοῦ τὸ λείψανον ἀπεκόμισεν αὐτὸ, καὶ ἀπέθετο ἐν τῇ πρώτῃ αὐτοῖς ὑπαρξάσῃ ἐκκλησίᾳ διακειμένῃ πλησίον τοῦ Βυζαντίου, ἐπιλεγομένῃ τόπου Ἀργυροπόλεως, ἔνθα καὶ Τίτος πρῶτος ἡγησάμενος ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως ἀπέθετο τὸ λείψανον Ἀδριανοῦ τοῦ ἐπὶ Μαξιμιανοῦ μαρτυρήσαντος, καὶ Ναταλίαν τὴν τούτου γυναῖκα καὶ ἑτέρους τοὺς σὺν αὐτῷ μαρτυρήσαντας, ὅπου τὸ λείψανον ἐπέκειτο Στάχυος τοῦ ἑνὸς τῶν ὁ μαθητῶν ὡς ὑπὸ Ἀνδρέου τοῦ Ἀποστόλου ἐν τῷ αὐτόθι τόπῳ πρῶτος ἐπίσκοπος τοῦ Βυζαντίου κατέστη. Ὁ γὰρ Ἀνδρέας τὰ τοῦ τόπου διαπεραιούμενος, ἤθελεν τοῖς ἐν τῷ Βυζαντίῳ τὸν Χριστὸν καταγγεῖλαι, ἀλλ' ἐπειδήπερ Ζεύξιππος ὁ τοῦ τόπου τότε ἡγεμονεύων, αἱμοβόρος τις ὢν, πάντας τοὺς προσβάλλοντας ξένους τῷ Βυζαντίῳ πρότερον διερωτώμενος τὰ περὶ Χριστοῦ εἶθ' οὕτως εἰσιέναι συνεχώρει, καὶ ἐάν τις ὁμολόγησεν τὸν Χριστὸν εἰδέναι, τοῦτον εὐθὺς καὶ παρ' αὐτὰ δεσμωθέντα πόδας τε καὶ χεῖρας θαλαττοῦσθαι προσέταττεν, διὰ τὴν τοιαύτην οὖν ὠμότητα παραπλεύσας ὁ Ἀνδρέας τὸ Βυζάντιον, κατῴκησεν ἐπὶ διετῆ χρόνον πλησίον τοῦ Βυζαντίου ἐν τῷ Θρακίῳ μέρει ὡς ἀπὸ σταδίου ἑνὸς τῆς Ἀργυροπόλεως· ἐκεῖ ἐπισυναγωγὴν τῶν ἐνθέσμων καὶ φιλαλήθων ἀνδρῶν ποιούμενος. ὡς οὖν περὶ τοὺς δισχιλίους ἐπισυνάξας, θυσιαστήριον τῷ Χριστῷ ἱδρύσας ἐν τῇ Ἀργυροπόλει, καὶ τὸν Στάχυον Ἐπίσκοπον καταστήσας εἰς Σινώπην τοῦ Πόντου μεθίσταται. Τοῦ δὲ Στάχυος διαγενομένου τοῖς αὐτοῦ ἑξ καὶ δέκατον ἔτος ἐν τῇ ἐπισκοπῇ, Ὀνήσιμος μετὰ τοῦτον γίνεται, περὶ οὗ Παῦλος ὁ Ἀπόστολος τῷ Φιλήμονι ἔγραψεν. Καὶ τούτου δὲ τέσσαρες καὶ δέκατον ἔτος διανύσαντος, ἐν τῇ λειτουργίᾳ Πολύκαρπος μετὰ τοῦτον τρία ἔτη ἐπίσκοπος τοῦ Βυζαντίου καθίσταται. Διαγενομένου δὲ καὶ τούτου δέκα πρὸς τοῖς ὀκτὼ

se, & in illum credidisse, conspectâ ipsius à morte resurrectione, quæ miraculorum omnium primas tenet.

[Ejusdem Dorothei Episcopi & Martyris de Byzantio urbe, ejusque Episcopis Commentarius.] Magnus itaque iste præsul Dorotheus scriptis retulit venerandam sanctæ ac gloriosæ Martyris Euphemiæ ædem à Tito quodam primùm in petræo constructam esse: qui quidem Titus sedi Byzantinæ præfuit, & post obitum in æde dictâ propè veteres muros depositus fuit. *Post Christi resurrectionem* Andreas Apostolus locis hisce pedem intulit, multaque Christianorum millia ad partes suas pertraxit; adeò ut aliis in locis tanta discipulorum multitudo neutiquam inveniretur. Omnes enim Byzantini præceptores ac constantes facti, tyrannicas quidem minas ob humilitatem sortis effugerunt, divinum autem verbum Ethnicis & Judæis propagarunt: Tito quippe miracula edente, qualia & ipse Salvator noster perficere solebat. Porrò Licinii ac Diocletiani tyrannide vires adhuc obtinente, in isto rerum statu interficitur Carus Imperator unà cum binis ipsius filiis Carino & Numeriano. His è medio sublatis, timorem deposuerunt tyranni, & audaciùs deinceps ad Christianorum cædem se se contulerunt, milliaque illorum aliquot quotidiè trucidarunt. Inter hos Adrianus Probi filius morte affici datâ operâ quæsivit. Nicomediæ enim post Cari necem præsens factus, visâ Christianorum à Licinio sine ullo pudore interfectorum multitudine, tribunal accedens Licinium sic affatus est. Quamobrem tantâ vesaniâ exercitus Romanus à te plectitur, dum plurimas interim Romanorum provincias Barbari insideant? Cui Licinius: Tunc etiam Christianus? Respondit Adrianus: immò verò, malim enim ob istam confessionem mori, quàm Christum negare. Licinius multa tormenta, plurimas quinetiam blanditias ac promissa illi in medium proposuit; ut verò illum fidei Christianæ confessioni constanter adhærentem vidit, irâ exardescens caput illi amputari jussit. Postquam ille martyrium in istâ confessione consummasset, Metrophanes, qui Episcopatum recens susceperat, rei conscius, assumptis sibi qui præstò erant amicis, Nicomediam pervenit, & gloriosi martyris Adriani reliquias subfuratus, reportavit illas & in primariâ Byzantinorum Christianorum deposuit Ecclesia propè urbem posita & à loco in quo sita est Argyropolis, nomen sortita. In eadem etiam Titus, primus qui sedi Constantinopolitanæ præfuit Episcopus, deposuit reliquias Adriani, qui sub Maximiano Martyrium obiit, & Nataliam uxorem ejus, aliosque Martyrii ejus comites. Ibidem adhuc depositæ sunt reliquiæ Stachyos, è LXX. discipulis unius, qui ab Andrea Apostolo eodem in loco primus Byzantii Episcopus constitutus fuerat. Andreas enim ad locum trajiciens Byzantinis Christum prædicare in animo habuit. Quum verò Zeuxippus, urbis eo tempore præfectus, vir truculenti ingenii, peregrinos omnes Byzantium appellentes, nonnisi post examen de religione Christiana factum in urbem ingredi permitteret; quòd si autem se Christum nosse aliquis confiteretur, illum confestim manus pedesque vinctum in mare projici juberet; sævitiam illius devitans Andreas Byzantium præternavigavit, & in Thraciæ partibus haud ita longè à Bizantio, unico verò ab Argyropoli urbe stadio, sedes per biennium posuit; ibique loci piorum ac veritatis studiosorum hominum cœtum collegit. Cum discipulos itaque bis mille circiter conflasset, altare Christo in Argyropoli posuisset, & Stachyn Episcopum ordinasset, ad Sinopen Ponti urbem discessit. Stachys decimosexto Episcopatûs sui anno è vivis discessit. Illi succedit Onesimus; de quo Paulus Apostolus ad Philemonem scripsit. Quatuordecim ille annos sedi præfuit. Post illum Polycarpus Episcopatum Byzantinum per triennium obiit. Post octodecim à morte istius annos, Plutarchus sacerdotium accepit, & per sedecim annos

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC.

nos gessit. Sedecion illi successor fuit, qui novem annos præsedit. Huic Diogenes, qui postquam quindecim annos in Episcopatu exegisset, mortem obiit. Post illum Eleutherius septem annos præfuit; dein Fœlix quinque annos, mox Polycarpus, qui ad duodecimum usque annum pervenit. In æde igitur prædictâ istorum corpora in cista lapidea fuerunt deposita; ibidem etiam Nataliæ & Adriani, qui martyrium posthac obiit, corpora sunt deposita. In alio autem sarcophago è regione posito tredecim Martyrum reliquiæ sunt inclusæ: in plumbeo verò sarcophago seorsim depositus est Adrianus Nataliæ maritus; uti & ad hunc usque diem omnium oculis explorandi jacent in subterraneâ speluncâ, ubi Andreas Apostolus altare posuit. Jam verò non exigua discipulorum multitudine ad Christi fidem conversa, & desæviente post Zeuxippi obitum Byzantinæ urbis tyrannide, plurium locorum copiam nacti Ecclesiæ Argyropolitanæ præfecti, cùm nimiæ multitudinis turbam, & Græcorum Judæorumque conflictum evitare vellent, aliam in patenti campo propè Argyropolin construxerunt Ecclesiam, quam postea Constantinus Magnus Imperator ampliorem fecit, & in crucis figuram formavit, cum suipsius corpus in eo deponendum vellet. Postquam verò res Byzantinæ incrementum acceperint, Constantino Aulici ejus persuaserunt minimè decorum esse ut Imperatorum corpora extra urbem deportarentur. Idcirco alius quidem locus Imperatorum sepulturæ positus fuit: ista verò ædes ad culmen perducta fortissimis ac piissimis legis Mosaicæ martyribus, septem pueris & Eleazaro Pontifici summo, dicata est: Pristinam tamen etiam locis appellationem Ecclesiâ retinente, Olivetum enim a priscis temporibus locus iste appellatus fuerat; quam quidem publicis precibus dicatam ædem Athenodorus, Polycarpi in Episcopatu successor, primus ędificare cœpit: atque ibi loci sedem quadriennio gubernavit. Post quem undecimus Byzantii Episcopus ejus vice constitutus est Euzoius, qui sacerdotio lampadem tradidit. Postquam iste undecim annos ac menses sex exegisset, Alypius Ecclesiæ præsedit annis tredecim cum dimidio. Illi Pertinax successit, & Episcopatum novendecim annis tenuit. Iste verò Pertinax, vir consulari ac prætoria dignitate inter Romanos perfunctus, deploratâ valetudine laborans, dum in Thraciæ partibus ageret, plurima in Byzantio miracula à Christianis fieri audivit. Ad Alypium itaque Episcopum in Oliveti Ecclesiâ degentem adveniens, illiusque precibus & impositione manuum à morbo liberatus, idololatricum errorem simul ac præfecturam suam abrenunciavit, & in Christi fidem baptizatus, Alypio constanter adhæsit, Presbyteratûs dignitate auctus; singulisque diebus lachrymas pœnitentiam testatus effundere non desiit; tandem post Alypii mortem Episcopus ordinatus. Cùm verò opulentus valdè esset Pertinax, aliam apud Argyropolitanos Ecclesiam construxit propè littus marinum in loco Sycis appellato, Pacisque illi nomen indidit, quem quidem locum Christiani multis variisque ædificiis constructis ad justam urbis magnitudinem ampliarunt; ideoque Constantinus Imperator piissimus locum postea muris ornavit. Post Pertinacem verò Olympianus in Ecclesiâ, Pace appellatâ Episcopus est ordinatus, atque undecim annos sedi præfuit. Illi successor datus est Marcus, qui tredecim annos, dein Cyrillianus, qui sedecim; post illum Castinus, qui septem annos sedit. Castinus igitur primo Episcopatus sui anno aliam ædificavit

ἔτεσιν, Πλούταρχος μετέρχεται τὴν ἱεροσύνην, καὶ αὐτοῦ δὲ διανύσαντος ἔτη ις. Σεδεκίων διάδοχος αὐτοῦ καθίσαται ἐπὶ ἐνναετῆ χρόνον, μεθ' ὃν Διογένης ἐν ἔτει ιε. τῇ Ἱερατείᾳ προσμείνας τελευτᾷ. Μετὰ δὲ τοῦτον Ἐλευθέριος ἐπὶ ἑπταετῆ χρόνον, μεθ' ὃν Φίλιξ ἐπὶ πέμπτου ἔτους, καὶ μετὰ τοῦτον Πολύκαρπος ἕως ἐτῶν ιβ. ἔνθα τοίνυν τὰ τούτων σώματα ἀπετέθη λιθίνῳ σήκῳ, ἐκεῖ καὶ τὸ τῆς Ναταλίας σῶμα ἀπετέθη, καὶ Ἀδριανοῦ τοῦ μετέπειτα μαρτυρήσαντος. Ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ λάρνακι ἐξ εὐθείας τότε ποιηθέντι τῶν ιγ. μαρτύρων τὰ λείψανα ἀπεβλήθη: ἐν δὲ μολιβδίνῳ λάρνακι καθ' ἑαυτὸν ἀπετέθη Ἀδριανὸς ὁ Ναταλίας ἀνὴρ, ὡς καὶ μέχρι τῆς δεῦρο ἐμφανῶς πρόκεινται ἐν τῷ ὑπογαίῳ σπηλαίῳ, ἔνθα ὁ Ἀπόστολος Ἀνδρέας τὸ θυσιαστήριον ἔδρασεν, ἤδη δὲ πλήθους ἱκανοῦ συναθροισθέντος τῶν εἰς Χριστὸν πεπιστευκότων, παυσαμένης δὲ καὶ τῆς τυραννίδος τοῦ Βυζαντίου μετὰ τὴν Ζευξίππου τελευτὴν, ἐγκρατεῖς τε τόπων πλειόνων γινόμενοι οἱ τῆς ἐν Ἀργυροπόλει ἐκκλησίας προεστῶτες, τὴν τῶν πολλῶν ὄχλησιν καὶ τὴν τῶν Ἑλλήνων καὶ Ἑβραίων προσβολὴν ἐκφυγεῖν βουλόμενοι, ἐν τοῖς μεσογείοις πλήσιον τῆς Ἀργυροπόλεως Ἐκκλησίαν ἄλλην ἀνεγείρασιν, ἣν Κωνσταντῖνος ὁ μέγας βασιλεὺς μετέπειτα μειζοτέραν πεποίηκεν σταυροειδῆ αὐτὴν διαγραψάμενος, βουλόμενος καὶ τὸ αὐτοῦ σῶμα ἐκεῖ ἐγκαταποθῆναι. Ἀλλ' ἐπειδὴ λοιπὸν τὰ τοῦ Βυζαντίου ηὐξήθη, συνεβούλευσαν οἱ συνόντες τῷ Κωνσταντίνῳ μὴ δεῖν ἔξω τῆς πόλεως τὰ τῶν βασιλέων σώματα ἀποκομίζεσθαι. Τούτου οὖν χάριν ἕτερος μὲν τόπος εἰς ταφὴν τῶν Βασιλέων ἐγένετο, ὁ δὲ γεγονὼς οἶκος ἀφιερώθη τοῖς ἐν τῷ νόμῳ καρτερικοῖς καὶ θεόφροσιν ἑπτὰ παισὶν, καὶ Ἐλεαζάρῳ τῷ Ἀρχιερεῖ. Τὴν ἀρχαίαν ἐπωνυμίαν τοῦ τόπου ὁ οἶκος κληρωσάμενος, Ἐλαιὼν γὰρ ἐξ ἀρχαίων τῶν χρόνων ὁ τόπος ἐπικέκληται. ὅνπερ εὐκτήριον οἶκον Ἀθηνόδωρος ὁ μετὰ Πολύκαρπον Ἐπίσκοπος γεγονὼς πρῶτος ἐνήρξατο, ἐκεῖ τὴν ἐπισκοπὴν ἐν ἔτεσιν τέσσαρσιν, μεθ' ὃν τοῖς αὐτοῦ ἑνδέκατος ἐπίσκοπος τοῦ Βυζαντίου καθίσταται Εὐζώϊος, ὃς καὶ αὐτὸς ἐν ἔτεσιν ἓξ τοῖς αὐτὸν ἱερατεύσας λαμπάδιον τὴν Ἱερωσύνην καταλέλοιπεν. Καὶ αὐτοῦ δὲ ἕνδεκα ἔτη καὶ μῆνας ἓξ πληρώσαντος, Ἀλύπιος ἡγεῖται τῆς Ἱερωσύνης ἐπὶ ἔτη ιγ. ἥμισυ. Πάλιν δὲ μετὰ τοῦτον Περτίναξ ἐγένετο ἔτη ιθ. κρατήσας τῆς Ἱερωσύνης. Οὗτος δὲ ὁ Περτίναξ ὕπατικὸς τῶν ἐν Ῥώμῃ καὶ στρατελάτης γεγονὼς πάθει τῷ ἀφύκτῳ περιπεπτωκὼς, διάγων ἐν τοῖς Θρακίοις μέρεσιν ἔμαθεν πλείστας δυνάμεις γίνεσθαι ἐν τῷ Βυζαντίῳ ὑπὸ τῶν Χριστιανῶν. Παραγινόμενος δὲ πρὸς Ἀλύπιον τὸν Ἐπίσκοπον ἐν τῇ ἐπὶ Ἐλαίας λεγομένῃ Ἐκκλησίᾳ, καὶ διὰ τῆς αὐτοῦ ἐντεύξεως, καὶ τῆς τῶν χειρῶν αὐτοῦ ἐπιθέσεως | † μιαθεῖσαν τῶν ἀλγηδόνων, ἀπαρνεῖται τὴν τῶν εἰδώλων πλάνην, καὶ τὴν τῆς στρατείας ὑπεροχὴν, καὶ βαπτισθεὶς τῇ εἰς Χριστὸν ἐλπίδι ἦν προσκαρτερῶν τῷ Ἀλυπίῳ τῆς τοῦ πρεσβυτέρου ἀξίας μετειληφὼς, ἐν δάκρυσι κατανύξεως ἑκάστην ἡμέραν διατελῶν, καὶ μετὰ τὴν Ἀλυπίου τελευτὴν εἰς Ἐπίσκοπον αὐτὸν ἐχειροτόνησαν. Πλούσιος τε σφόδρα ὑπάρχων ὁ Περτίναξ, πάλιν αὐτὸς ἐκκλησίαν ἀνίστησιν παρ' αὐτοῖς, τὸ θαλασσίδιον ἐν τῷ ἐπιλεγομένῳ Σύκαις, Εἰρήνην τὸν οἶκον προσαγορεύσας, ὅνπερ τόπον οἱ Χριστιανοὶ ὡς μίαν τῶν πόλεων ἀπετέλεσαν οἴκους διαφόρους καὶ πλείστους ἀναστήσαντες, διόπερ καὶ μετέπειτα Κωνσταντῖνος ὁ εὐσεβέστατος τείχεσιν τὸν τόπον ἐτίμησεν. Μετὰ δὲ τὸν Περτίνακα καὶ Ὀλυμπιανὸς ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ τῇ ἐπιλεγομένῃ Εἰρήνῃ καθίσταται Ἐπίσκοπος, αὐτὸς ἱερατεύσας ἐπὶ ια. ἔτος. Μετὰ τοῦτο διάδοχος γίνεται Μάρκος, ἐπὶ ιγ. ἔτος. Μετὰ τοῦτον Κυριλλιανὸς ἐν ἔτεσιν δέκα ἓξ μετὰ τοῦτον Καστῖνος ἕως ἐτῶν ἑπτά. Ὁ οὖν Κωνσταντῖνος ἐν τῷ πρώτῳ αὐτοῦ ἔτει ἐκκλησίαν ἄλλην ἀνίστησιν ἔσωθεν τοῦ Βυζαντίου κατὰ τὸ βόρειον μέρος, ἔνθα καὶ οἱ ἡγεμονεύσαντες τοῦ Βυζαντίου κατέκειντο, Εὐφημίας τῆς μάρτυρος τὸν οἶκον προσαγορεύσας, [* κατ' αὐτὸν] καιρὸν μαρτυρησάσης αὐτῆς. Ἐκεῖ τοίνυν τὸν ἐπίλοιπον χρόνον τῆς ἱερατείας Τίτον διάδοχον καταλιμπάνει, ὃς ἔτη λε. καὶ μῆνας ἓξ πληρώσας, Δομέτιον τὸν ἀδελφὸν Πρόβου τοῦ βασιλέως, διάδοχον καθί-

† Forte μυθεὶς. αἰ.

* In MS. κατὰ τόν.

Ecclesiam intra Byzantium in Boreali ejus regione, ubi loci etiam Præsules Byzantini sunt depositi, à quo cognomen dedit Euphemiæ Martyris, quæ sub illud tempus martyrium obierat. Ibi igitur Castinus reliquum Episcopatûs sui tempus exegit, ac Titum post se reliquit successorem, qui postquàm annos triginta quinque & menses sex præsedisset,

ςυον.

στησιν. Καὶ τούτου δὲ κδ. ἔτη πρὸς μῆσιν ἓξ τελέσαντος, Πρόβος ὁ Δομετίου υἱὸς διαδέχεται τὴν ἱερωσύνην ἕως πληρώσεως ἐτῶν ιβ. Μεθ' ὃν Μητροφάνης ὁ ἀδελφὸς Πρόβου καὶ Δομετίου υἱὸς Ἐπίσκοπος τοῦ Βυζαντίου καθίσταται, δέκα ἔτη προσμείνας τῇ ἱερατείᾳ. Ἐφ' οὗπερ καὶ Κωνσταντῖνος ὁ ἀεὶ σέβαστος, ἕνεκεν τῆς πρὸς Λικίνιον παρατάξεως καταλαβὼν τὸ Βυζάντιον, καὶ ἀρεσθεὶς τῇ τοῦ ἀνδρὸς σεμνότητι, καὶ τὴν τῶν τόπων εὐκοσμίαν νοήσας, τέως ταῖς εὐχαῖς τοῦ Μητροφάνους ἐγκρατὴς τοῦ κατὰ Λικίνιον πολέμου ἐγένετο, καὶ εὐθὺς τὰ τῆς Ῥώμης βασίλεια εἰς τὸ Βυζάντιον μετατίθησιν· τείχεσιν τε αὐτὴν ὀχυρώσας καὶ ὀρόφαις, παροχάς τε δαψιλεῖς τοῖς πολίταις χαρισάμενος κατὰ τὴν αὐτοῦ ἐπωνυμίαν Κωνσταντινούπολιν ταύτην μετωνόμασεν.

Ταῦτα ὁ πανάριστος Δωρόθεος ἐν Ῥωμαϊκοῖς συγγράμμασιν καταλέλοιπεν· ἀντεβλήθησαν τε καὶ παρ' ἡμῶν ἐν ὑπατείᾳ Φιλοξένου καὶ Πρόβου, ὁπηνίκα Ἰωάννης ὁ Ἐπίσκοπος Ῥώμης ἦλθεν ἐν Κωνσταντίνου πόλει. Προτραπεὶς γὰρ ὑπὸ τοῦ τῆς πόλεως Ἀρχιεπισκόπου συλλειτουργῆσαι αὐτῷ ἐν τοῖς γενεθλίοις τοῦ Χριστοῦ, ἀπηγόρευσιν τοῦτο ποιῆσαι, ἐὰν μὴ πρῶτος τοῦ τῆς πόλεως Ἐπισκόπου ἱερατεύσῃ. Ὅσα δὲ τῆς Ῥώμης πρὸ Κωνσταντινουπόλεως Ἐπίσκοπον δεξαμένης. Κινήσεως οὖν ἐκ τούτου γενομένης, ἐκ τῶν συγγραμμάτων τοῦ μεγάλου Δωροθέου τὴν σύστασιν [ἐποιοῦντο; δεικνύντες προγενεστέραν τῆς Ῥώμης τὴν τῆς Κωνσταντινουπόλεως εἶναι ἐπισκοπὴν, καὶ τὴν χειροτονίαν τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Ἀνδρέου] Ἰωάννης δὲ ὁ Ῥωμαίων Ἐπίσκοπος τὸ μὲν σύγγραμμα Δωροθέου ἀληθὲς εἶναι διεβεβαιοῦτο. προτιμᾶσθαι δὲ τοῦ τῆς πόλεως Ἐπισκόπου ἔλεγεν διὰ τὸ τοῦ κορυφαιοτάτου τῶν Ἀποστόλων τὸν τόπον ἐπέχειν, καὶ τούτου ἕνεκεν τὰ πρωτεῖα αὐτῷ παρεχωρήθη, οὐ μὴν διὰ τὸ προϋπάρχειν τὴν τῆς Ῥώμης ἐπισκοπὴν τῆς Κωνσταντινουπόλεως. Ὑποκάτων δὲ ἐν τοῖς τελευταίοις τοῦ συγγράμματος αὐτοῦ ὁ Ἱερὸς Δωρόθεος μνήμην ποιεῖται, καὶ τῶν δώδεκα Ἀποστόλων ἐκβαίνων, ἔνθα ὁ καθεὶς αὐτῶν ἐκήρυξεν εἰπών.

α. Πέτρον μὲν τὸν Ἀπόστολον ἐν Γαλλίαις καὶ ἐν τοῖς μεσογαίοις Πόντου, καὶ πᾶσαν τὴν Καππαδοκίαν καὶ Βιθυνίαν κηρύξαι τὸ εὐαγγέλιον μετὰ τὸ ἀναζεῦξαι αὐτὸν Ἀντιοχείας, ὕστερόν δὲ καὶ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ πάσῃ καὶ Ῥώμῃ.

β. Ἀνδρέας, ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, πᾶσαν τὴν παρὰ Βιθυνίας τε καὶ πᾶν τῆς Θράκης τε καὶ Σκύθας διῆλθεν εὐαγγελιζόμενος τὸν Κύριον. Μετέπειτα δὲ ἐπορεύθη ἐν Σεβαστοπόλει τῇ μεγάλῃ, ὅπου ἡ παρεμβολὴ Ἀψαρὸς, καὶ Ἄφασος ποταμὸς, ἔνθα οἱ ἐσώτεροι Αἰθίοπες κατοικοῦσιν. Ἐτάφη ἐν Πάτραις τῆς Ἀχαΐας σταυρωθεὶς ὑπὸ Αἰγεάτου.

γ. Ἰάκωβος δὲ ὁ τοῦ Ζεβεδαίου τὰς ιβ. φυλὰς τοῦ Ἰσραὴλ, μεθ' ὧν εὐαγγελιζόμενος τὸν Χριστὸν ἀναιρεῖται μαχαίρᾳ ὑπὸ Ἡρώδου τοῦ Τετράρχου ἐν Καισαρείᾳ τῆς Παλαιστίνης.

δ. Ἰωάννης ὁ τούτου ἀδελφὸς, ὃς καὶ τὸ εὐαγγέλιον γεγράφηκεν, ἐν τῇ Ἐφέσῳ κηρύξας τὸν Χριστὸν, ὑπὸ Τραϊανοῦ τοῦ βασιλέως εἰς Πάτμον τὴν νῆσον διὰ τὸν λόγον τοῦ Χριστοῦ ἐξορίζεται, ἐκ ταύτης μετάρσιος γεγονὼς, διὸ καὶ λόγος κεκράτηκεν σὺν τῷ Ἐνὼχ καὶ τῷ Ἡλίᾳ ἔτι ἐν σαρκὶ αὐτὸν ὑπάρχειν.

ε. Φίλιππος δὲ ὁ Ἀπόστολος ἐν Φρυγίᾳ κηρύξας τὸ εὐαγγέλιον, θάπτεται ἐν Ἱεραπόλει μετὰ τῶν θυγατέρων αὐτοῦ, ὧν Λουκᾶς ὁ εὐαγγελιστὴς ἐν ταῖς πράξεσι τῶν Ἀποστόλων ἀπεμνημόνευσεν.

ϛ. Βαρθολομαῖος ὁ Ἀπόστολος Ἰνδοῖς τοῖς καλουμένοις εὐδαίμοσιν κηρύξας τὸν Χριστὸν, καὶ δεδωκὼς αὐτοῖς τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον, ἐκοιμήθη ἐν Κορβανοπόλει τῆς μεγάλης Ἀρμενίας.

ζ. Θωμᾶς δὲ ὁ Ἀπόστολος Πάρθοις, καὶ Μήδοις, καὶ Πέρσαις, καὶ Γερμανοῖς, καὶ Βάκτροις, καὶ Μάγοις κηρύξας

Dometium, Probi Imperatoris fratrem, sibi successorem constituit. Exactis ab ipso in Episcopatu gerendo annis viginti quatuor cum dimidio, Probus Dometii filius sacerdotium suscepit, & susceptum integris duodecim annis administravit. Post illum Metrophanes, Probi frater & Dometii filius, Byzantii Episcopus ordinatur, sedemque per decennium rexit. Sub istius Episcopatu Constantinus, semper Augustus, quo melius contra Licinium pugnam instrueret, Byzantium occupavit, & viri gravitate oblectatus, optimumque locorum situm contemplatus, postquàm Metrophanis precibus Licinium bello devicisset, protinus Romani Imperii sedem ad Byzantium transtulit, urbem muris tectisque communivit, & liberales admodum largitiones civibus donavit, illamque à proprio ipsius nomine Constantinopolim appellari voluit.

Ista optimus Dorotheus Latino sermone conscripta reliquit. Græcè à nobis conversa sunt sub consulatu Philoxeni & Probi, cùm Joannes Romæ Episcopus Constantinopolim venit. Rogatus enim ab Archiepiscopo Constantinopolitano, ut secum in natalitiis Christi sacra solennia celebraret, istud facere renuit, nisi ante Episcopum Constantinopolitanum sacra sibi facere liceret. Quippe quia Roma ante Constantinopolim Episcopum accepisset. Quæstione igitur hâc de re motâ ex M. Dorothei scriptis argumenta hauserunt nostri, probantes sedem Constantinopolitanam & sancti Apostoli Andreæ ordinationem [seu successionem] Romanâ antiquiorem fuisse. Joannes quidem Romæ Episcopus Dorothei scriptum verum esse agnovit. Episcopo autem Constantinopolitano præponi voluit, eò quòd Apostolorum Principis locum teneret, & ob hanc demum rationem loci prioritas illi concessa est, non quòd sedes Romana antiquior esset Constantinopolitana. Dein à diverticulo quasi rediens S. Dorotheus in Commentarii sui calce mentionem fecit XII. Apostolorum, ubi unusquisque illorum prædicavit, enarrans.

1. Petrum quidem Apostolum post discessum ab Antiochiâ in Galatia, locisque Ponti Mediterraneis, & in omni Cappadociâ & Bithyniâ Evangelium prædicasse, ad extremum verò, in tota Italia & Roma.

2. Andreas, frater ejus, Bithyniam, totamque Thraciam & Scythiam peragravit, Evangelium Domini prædicans. Postea verò Sebastopolin magnam profectus est, ubi Apsari situm est castrum, & Phasis fluvius, apud quem interiores Æthiopes habitant. Sepultus demum est in Patris Achaiæ urbe, ab Ægeata crucifixus.

3. Jacobus verò Zebedæi filius duodecim Israëlis Tribus peragravit, apud quos Christum prædicans, ab Herode Tetrarcha in Cæsarea Palæstinæ gladio decollatus est.

4. Joannes istius frater, qui & Evangelium conscripsit, postquam in Epheso Christum prædicasset, à Trajano Imperatore in Patmon insulam ob Christianæ fidei confessionem relegatus est: à terra demum in cœlum sublatus. Ideò enim sententia apud multos obtinuit, eum unà cum Enocho & Elia etiamnum in vivis esse.

5. Philippus Apostolus, prædicato in Phrygia Evangelio, in Hierapoli sepultus est cum filiabus suis, quarum meminit Lucas Evangelista in actis Apostolorum.

6. Bartholomæus Apostolus, postquam Indis, Fœlicibus appellatis, Christum prædicasset, illisque Evangelium Matthæi tradidisset, in Corbanopoli Armeniæ majoris civitate obdormivit.

7. Thomas autem Apostolus, postquàm Parthis, & Medis, & Persis, & Germanis, & Bactris, Evangelium

Digitized by Google

gelium Christi prædicasset, in Indiæ urbe Calamita dicta, martyrio affectus obiit.

8. Matthæus Evangelista, postquam Evangelium suum Hebraica lingua conscriptum tradidisset Ecclesiæ Hierosolymitanæ, Christumque prędicasset, in Hierapoli Syriæ urbe martyrio coronatus est.

9. Judas autem Jacobi frater, postquam Christum per universam Mesopotamiam prędicasset, in Edessa martyrium obiit, ibique sepultus jacet.

10. Simon verò, qui & Judas cognominatus fuit, postquam in Eleutheropoli & à Gazâ usque ad Ægyptum, Christum prædicasset, in Ostracinâ Ægypti urbe sepultus est, sub Trajano Imperatore cruci affixus.

11. Matthias autem, qui loco Judæ undecim Apostolis annumeratus fuit, prædicato in Æthiopiâ primâ Evangelio, martyrii palmam & sepulchrum ibi loci tulit.

12. Simon Zelotes, postquam universam Mauritaniam & Afrorum regionem peragrasset Christum ubique prædicans, demum in Britanniâ ab incolis crucifixus, martyrio consummatus, ibique sepultus fuit.

Ista nobis Dorotheus ex Græcis & Hebraïcis monumentis collegit, & Latinis Commentariis consignavit; quæ quidem nos tanquam utilia & verisimilia consarcinantes, innotescere fecimus, quęnam sint sedis Constantinopolitanæ origines, & ex quali genere Metrophanes prognatus sit. Hæc etiam invenimus in historicis scriptis prædicti divini viri Dorothei, quòd Simon Cyrenęus pro Christi nomine crucifixus est, quòdque Jeremias sacerdos simul ac Propheta existens, cùm divino afflatu Hierosolymorum captivitatem post Josiæ Judææ regis obitum futuram prævidisset, loco pristino submotum Mosaicum Tabernaculum, & Arcam Testamenti, sanctaque omnia, quę in eâ fuerant, vasa, & totam ejus supellectilem, quę Moses fabricari fecerat, deposuerit, in speluncâ quam in monte Nebo, ubi & ipse Moses olim sepultus fuerat, invenit; precemque simul Deo obtulit, petens ut ad sæculi usque consummationem illa nunquam retegerentur. Ab illo tempore locus iste omnium notitiam fugit, etiam illorum sacerdotum, qui unà cum Jeremiâ vasa sacra inibi deposuerunt. Pręter ista priùs memorata, illud etiam ibidem conscriptum invenimus, quòd lacu Gennesaret sub Consulatu Galbæ & Syllæ glacie constricto, Herodiadis filia glaciem semet oblectandi gratiâ conscenderit; disruptâ verò glacie, corpus illius aquæ immersum est, caput autem à glaciẹ amputatum suprà manebat. Herodias autem filiæ caput genubus suis imponens inter uberes lachrymas confessa est sese ob postulatum Joannis Baptistę caput istud infortunii passam esse: Herodes Rex quinetiam, Judęorum eo tempore Tetrarcha, pediculari morbo correptus interiit. Herodi hęres fuit Pilatus, quippe cum quatuor Herodis filii, ipsaque Herodias, ex quâ illos susceperat in ipsius conspectu eodem morbo confecti animam efflârint.

Procopius igitur quidam presbyteratus dignitate insignitus, tam vitę sanctitate quàm sacrarum literarum scientiâ conspicuus, omnique literaturæ genere ac scientię semper innutritus, cùm historicas sanctissimi & beatissimi episcopi ac martyris Dorothei lucubrationes reperisset, omnia ista nobis conscripta reliquit. Gratia igitur diligentiæ ejus, & immortali memoriæ reddatur nunc & in Sæcula Sæculorum.

Amen.

τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, τελευτᾷ ἐν πόλει τῆς Ἰνδίας Καλαμίτῃ λεγομένῃ.

η. Ματθαῖος δὲ ὁ εὐαγγελιστής, τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὸ εὐαγγέλιον παραδοὺς τῇ ἐν Ἱεροσολύμοις Ἐκκλησίᾳ κηρύξας τὸν Χριστὸν, τελευτᾷ ἐν Ἱεραπόλει τῆς Συρίας.

θ. Ἰούδας δὲ Ἰακώβου ἐν πάσῃ τῇ Μεσοποταμίᾳ κηρύξας τὸν Χριστὸν, τελευτᾷ ἐν Ἐδέσσῃ, καὶ ἐκεῖ θάπτεται.

ι. Σιμὼν δὲ ὁ ἐπικληθεὶς καὶ Ἰούδας ἐν Ἐλευθεροπόλει, καὶ ἀπὸ Γάζης ἕως Αἰγύπτου κηρύξας τὸν Χριστὸν, θάπτεται ἐν τῇ Ὀστρακίνῃ πόλει τῆς Αἰγύπτου, σταυρωθεὶς ἐπὶ Τραϊανοῦ τοῦ Βασιλέως.

ια. Ματθίας δὲ ὁ συγκαταριθμηθεὶς τοῖς ἕνδεκα Ἀποστόλοις ἀντὶ Ἰούδα, ἐν τῇ πρώτῃ Αἰθιοπίᾳ κηρύξας τὸν Χριστὸν, τελευτᾷ καὶ θάπτεται ἐκεῖ.

ιβ. Σιμὼν δὲ ὁ Ζηλώτης πᾶσαν τὴν Μαυριτανίαν, καὶ τὴν Ἄφρων χώραν διελθὼν καὶ κηρύξας τὸν Χριστὸν, ὕστερον δὲ ἐν Βρεττανίᾳ σταυρωθεὶς ὑπ' αὐτῶν, καὶ τελειωθεὶς θάπτεται ἐκεῖ.

Ταῦτα ἡμῖν ὁ Δωρόθεος ἐξ Ἑλληνικῶν καὶ Ἑβραϊκῶν συνήγαγεν καὶ παρέδωκεν Ῥωμαϊκοῖς ὑπομνήμασιν, ἅπερ ἡμεῖς ὡς χρηστὰ καὶ εὐπαράδεκτα συναγαγόντες ἐμφανῆ πεποιήκαμεν. Ὅπως τε ἡ ἔναρξις τῆς Ἐπισκοπῆς Κωνσταντινουπόλεως γέγονεν, ἐξ οἵου τε γένους ὁ Μητροφάνης κατήγετο. Εὕρομεν δὲ ταῦτα ἐν τοῖς ἱστορικοῖς συγγράμμασι τοῦ προλεχθέντος θείου ἀνδρὸς Δωροθέου, ὅτι Σιμὼν ὁ Κυρηναῖος ἐσταυρώθη ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ. Καὶ ὅτιπερ Ἱερεμίας ἱερεὺς ὢν καὶ Προφήτης θείῳ πνεύματι προθεωρήσας καὶ τῆς Ἱερουσαλὴμ αἰχμαλωσίαν μετὰ τὴν τελευτὴν Ἰωσίου τοῦ Βασιλέως Ἰουδαίας ἄρας τὴν σκηνὴν τὴν Μωσαϊκὴν καὶ τὴν κιβωτὸν τῆς διαθήκης, καὶ πάντα τὰ ἅγια τὰ ἐν αὐτῇ καὶ πάντα τὰ σκεύη ἃ Μώσης κατεσκεύασεν ἐλθὼν εἰς ὄρος Ναβαῦ, ἔνθα ὁ Μώσης αὐτὸς ἐτάφη, εὗρεν σπήλαιον κἀκεῖ πάντα ἀπέθετο, καὶ ηὔξατο εὐχὴν ὥστε μὴ φανερωθῆναι αὐτὸν ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. καὶ ἐκ τότε ὁ τόπος ἀγνώριστος ἐγένετο καὶ αὐτοῖς ἱερεῦσιν ἅμα τῷ Ἱερεμίᾳ ἀποθεμένοις αὐτά. Σὺν οἷς καὶ ταῦτα εὑρήκαμεν ἐπὶ ὑπατίας Γάλβα καὶ Σύλλου, ἐπὶ τούτῳ ὑπάτῳ ὑπὸ κρύους παγωθείσης τῆς λίμνης Γεννησαρὲτ ἡ θυγάτηρ τῆς Ἡρωδιάδος κατὰ τέρψιν ἐπὶ τοῦ πάγους ἐπέβαινεν τοῦ δὲ πάγους διαθρυβέντος τὸ σῶμα αὐτῆς κατεπόθη ὑπὸ τοῦ ὕδατος· ἡ δὲ κεφαλὴ αὐτῆς ἐκκοπεῖσα ὑπὸ τοῦ πάγους ἄνωθεν ἔμεινεν. Ἡ δὲ Ἡρωδιὰς ἐπὶ τῶν γονάτων αὐτῆς ἀποθεμένη τὴν κεφαλὴν τῆς θυγατρὸς κλαίουσα ὁμολογεῖ ὅτι διὰ τοῦ αἰτήσασθαι αὐτὴν τὴν κεφαλὴν Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ τοῦτο ὑπέμεινεν. Καὶ Ἡρώδης δὲ κατὰ ταύτην βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων Τετραρχήσας ἀπέθανεν σκωληκόβρωτος γενόμενος ἐκληρονόμησεν δὲ τοῦ Ἡρώδην ὁ Πιλάτος καθότι κατ' ὀφθαλμοὺς Ἡρώδου καὶ οἱ τέσσαρες υἱοὶ αὐτοῦ καὶ αὐτὴ Ἡρωδιὰς ἐξ ἧς εἶχεν αὐτοὺς σκωληκόβρωτοι γινόμενοι ἐξέψυξαν.

Προκόπιος τοίνυν τὶς τοῦ Πρεσβυτερίου ἠξιωμένος βίῳ τε καὶ λόγῳ εὐσεβείας διαπρέψας καὶ πάσῃ τῇ περὶ τὰς γραφὰς ἐμμελείᾳ τε καὶ ἐμπειρείᾳ ἀεὶ ἐνασκηθεὶς, καὶ ἐντετυχηκὼς ταῖς Ἱστορικαῖς συγγραφαῖς τοῦ ἁγιωτάτου καὶ μακαριωτάτου ἐπισκόπου καὶ μάρτυρος Δωροθέου, ταῦτα πάντα ἡμῖν ἐγγράφως παραλέλοιπεν. Χάρις τοίνυν αὐτοῦ τοῖς πόνοις καὶ τῇ ἀθανάτῳ μνήμῃ νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων:

Ἀμήν.

Observa-

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC.

Observationes quædam ad præcedens Fragmentum.

1. EX hoc Fragmento perspicere licet, hunc Dorothei, uti præ se fert, exscriptorem, scripsisse Probo & Philoxeno Consulibus, hoc est, ann. Ch. DXXV. ducentis post ipsum Dorotheum annis. Dorotheum enim sub Juliano Martyrium subiisse, in præfatione disertè tradit autor noster; adeòque cum in operis fronte dicitur, ipsum sub Licinio & Constantino Martyrem factum fuisse, dicendum est, vel extremam tituli clausulam à recentiori manu profectam esse, vel saltem vocem, Μάρτυρος, laxiori sensu pro Confessore capiendum esse, quo sensu veritatis Confessores, dum adhuc in vivis erant, in antiquorum Patrum Scriptis sæpenumerò *Martyres* dicuntur; etiam antequam Martyrii palmam reportarint.

2. Admodum probabile est hunc Anonymum fuisse ipsius Synopsis Dorotheanæ conditorem. Quis enim alicujus Dorothei Tyriorum Episcopi; Diocletiani vel Juliani tempore, mentionem fecerit? imò vel ante ann. CCCCLVII. quando deposito Photio Tyri Episcopo, Dorotheus quidam in locum ejus subrogatus est? Quis unquam Dorotheum sub Juliano Martyrem, sub Diocletiano Confessorem dixerit? *Sub Diocletiano multa passus*, inquit Martyrologium Romanum Jun. V. exilio mulctatus; ait Anonymus noster. Sed an hoc latuisset Eusebium, qui Martyrum & Confessorum gesta undique conquisivit, ipse sub hâc persecutione Confessor, & quod magis adhuc, ipse hoc circiter tempore Tyri degit? Quis unquam ex Scriptoribus Ecclesiasticis, qui primis his seculis floruerunt, Synopsis hujus Dorotheanæ meminerit, imò vel ex iis, qui Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogos nobis ex professo tradiderunt? Quis nisi bardus, & cui vix sanum sinciput, Dorotheum, hominem Græcum, & Tyri inter Phœnices Antistitem, commentarios suos latino sermone conscribentem nobis sisteret? Restat igitur, vel Anonymum nostrum hæc confinxisse, vel saltem à Procopio presbytero suo conficta in lucem evulgâsse. Unde pro more omnium penè Impostorum, hæc diu incognita latuisse fingit, nec nisi duobus penè integris post Dorothei mortem sæculis orbi innotuisse. Quod nulla probabilitate credi potest, præsertim cum hi commentarii, nil nisi historiæ Apostolicæ & Ecclesiasticæ summam, utilissimam planè, modo genuinam, in se continerent.

3. Totius imposturæ originem ex ipso Fragmento eruere licet: quæ non alia videtur, quàm πολυθρύλλητος illa inter sedem Romanam, & CP. de πρωτοκαθεδρίᾳ, contentio. Quod ut clariùs eluscescat, res paulò altiùs repetenda est. Translatâ à Constantino M. Constantinop. Imperii sede, mox Regiæ urbis Præsul cristas suas erigere, & dignitatis Ecclesiasticæ pomœria extendere cœpit. Ann. CCCLXXXI. secundæ Synodi Oecumenicæ, Constantinopoli habitæ, Patres, Canone III. Episcopo Constantinopolis, *eo quod ipsa sit nova Roma*, τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, *post Romanum Episcopum* decreverunt. Hinc novas deinceps vires quotidiè sibi assumpserunt sedis CP. antistites; facto magis quidem, quàm jure, usque ad ann. CCCCLI. quo à generali Concilio Chalcedonensi statutum est, Can. IX. Quod si quis cum provinciæ Metropolitano controversiam haberet, ipsi Diœcesis exarchum, vel imperii urbis Constantinopolis thronum adire liceret. Nec hoc modo, sed & Can. XXVIII. statuerunt, "ut quoniam antiquæ Romæ throno quod urbs illa imperaret, jure Patr s privilegia tribuerunt, eadem consideratione moti CL. "Episcopi sanctissimo novæ Romæ throno τὰ ἴσα "πρεσβεῖα tribuerunt; rectè judicantes urbem quæ "& Imperio & Senatu honorata sit, & æqualibus "cum antiquâ Româ privilegiis fruatur, etiam in "rebus Ecclesiasticis non secùs ac illam extolli ac "magnifieri, secundam quippe post illam existen"tem. Hoc, renitentibus licet vehementiùs Romani Pontificis Legatis, ratum dederunt Patres Chalcedonenses; diœcesibus *Pontica*, *Asiana* & *Thracia* sedi CP. subjectis: Ratum dederunt gloriosissimi Judices, qui Synodo præfuerunt, declarantes πρὸ πάντων μὲν τὰ πρωτεῖα καὶ τὴν ἐξαίρετον τιμὴν secundum Canones Romano Archiepiscopo conservanda, oportere autem novæ Romæ Archiepiscopum τῶν αὐτῶν πρεσβείων τῆς τιμῆς ἀπολαύειν, καὶ αὐτὸν ἐξ αὐθεντίας ἐξουσίαν ἔχειν, Metropolitas in Asiana, Pontica & Thraciâ diœcesibus ordinandi. Et in Epistolâ Synodica ad Leonem Papam, affirmant SS. Patres, se nihil aliud hac in re fecisse, quam τὸ ἐκ πολλοῦ κρατῆσαν ἔθος, eam consuetudinem, quæ ex longo jam tempore obtinuit, Synodali decreto confirmasse. Ægrè hæc tulit Leo Pontifex; furebat, frendebat, & omnia penè loca querelis ac clamoribus replevit; venerandos Synodi Nicænæ Canones conculcari, jura Metropolitica violari, ac proinde decreta Chalcedonensia pro nihilo habenda. Ægrè hæc etiam tulerunt Leonis Successores, adeo ut Felix Acacium CP. anathemate percussérit; Acacius mox par pari retulit, Papæ nomine ex Ecclesiæ CP. diptychis excusso, teste Basilio Cilice in Hist. Eccles. ap. Niceph. l. 16. cap. 17. Tandem sub Justino Seniore, pax quædam inter utriusque sedis episcopos resarcita est; lite tamen non usquequaque sedata: cum enim anno DXXV. Joannes Papa à Theodorico Gothorum Rege Constantinopolim missus esset, cum episcopo Constantinopolitano sacra facere renuebat, nisi ipse prior celebraret; nec, teste * Nicephoro, Regiæ urbis antistiti assidere voluit, sed ut Apostolicæ sedis prærogativam tueretur, supra Episcopum CP. etiam in Ecclesia Patriarchali in throno collocabatur. Hac occasione recruduit controversia, Johanne sedis suæ Apostolicam dignitatem & antiquitatem obtendente. Constantinopolitanus è contra, Ecclesiæ suæ prioritatem strenuè asserebat, eamque à S. Andrea Apostolo fundatam, antequam ipse Petrus Romam veniret; quæstione igitur hâc de re motâ, teste ipsomet Anonymo nostro, prolata sunt hæc monumenta Dorotheana; unde argumenta hauserunt Constantinopolitani, ad probandam Ecclesiæ suæ vetustatem, eam Romanâ antiquiorem esse contendentes: Quin hâc occasione primùm conficti sint sub Dorothei nomine hi Commentarii, nemo opinor prudens denegabit, & forsan ideo Latinè scriptos esse prætendebat impostor, ut Joannem Romanum fortius argumentum stringeret. Hùc denique spectant quæ de Martyribus Byzantinis, reliquiarum illùc translatione, Ædibus sacris etiam primis hisce nascentis Christianismi temporibus, inibi magnificè extructis, aliisque quæ ad sedis Byzantinæ dignitatem evehendam faciebant Auctor noster splendidè fabulatur.

* l. 17 c. 9. vid. Marcel. in Chron. Philox. & Probo Coss. p. 61.

4. Hinc liquet ex quibus tabulis catalogos suos Præsulum Byzantinorum ab Andrea Apostolo usque ad Metrophanem Constantini M. æqualem, deprompserint Nicephorus Patriarcha CP. in Chronographia, & Nicephorus Calist. l. 8. c. 6. nempe ex Autore nostro, quocum ad amussim conveniunt, uno aut altero errore in annorum numeris, excepto; quin & Nicephorus Callistus integram autoris

autoris nostri periodum benè longam ad verbum transcripsit. Eandem fere episcoporum successionem exhibet series illa Patriarchalis quæ extat Juris Græco-Romani l. 4. p. 296. ab his in paucis recedit Philippi Cyprii Protonotarii CP. Catalogus Patriarcharum CP. sive *Chronicon*, ceu vocatur, *Ecclesiæ Græcæ* à Nic. Blancardo non ita pridem Græce & Lat. editum.

5. Hinc denique videre est, ex quo fonte fluxerint decantatæ illæ fabulæ de Herode, Herodiade, ejusque filia super glaciem saltante, *&c.* quæ apud neminem autore nostro antiquiorem reperire licet. Infinitus essem si omnia percurrerem, quæ ad hoc fragmentum notari possent. Certum est, quæcunque Scriptores Recentiores, de rebus hoc tractatu memoratis tradiderint, & sub specioso venerandæ vetustatis nobis obtruserint, non ad aliam originem, quàm Anonymum nostrum esse referenda. καὶ ταῦτα μὲν περὶ τούτου.

313. RHETICIUS, civitatis Augustoduni, Heduorum olim in Galliâ Metropoleως, Episcopus, claruit anno CCCIII. quo anno Romam profectus est, unus è tribus Galliæ Episcopis, quos Constantinus M. ad causam Cæciliani Carthaginensis adversùs Donatum dijudicandam unà cum Miltiade Romano, aliisque Italiæ Episcopis judices constituerat. Sequente anno Synodo Arelatensi interfuit; ubi eadem causa pleniore conventu tractatur, & in Donatum iterum sententia fertur. Scripsit adversùs *Novatianum grande volumen*, & *Commentarios in Cantica Canticorum.* N E.

313. ALEXANDER, Episcopus Alexandrinus, ὁ γενναῖος τῶν ἐκκλησιαστικῶν δογμάτων πρόμαχος (quo elogio illum ornat Theodoritus †) *Ecclesiæ doctrinæ vindex acerrimus.* Achillæ circa annum CCCXII. vel CCCXIII. in sede Alexandrinâ successit. Sub eo Arius detestandam Hæresin suam disseminare cœpit, & virus quod hactenus sub pectore coxerat, palàm evomuit, occasionem nactus (si rem rectè narret Socrates *) ex subtili nimis Episcopi sui sermone, qui dum de SS. Trinitatis mysterio paulò ambitiosiùs disputaret, Arius illum Sabellii dogma inducere ratus, in contrariam opinionem contentionis studio deflexit; asserens esse tempus, quando Filius non existeret, qui proinde creatura esset. Et sanè Constantinus M. reprehendit hoc nomine tum Alexandrum, quòd inutiles quæstiones Presbyteris suis proposuisset, tum Arium, quod in respondendo id quod vel nunquam cogitare, vel certè cogitatum silentio premere debuerat, impudenter protulisset. At verò ulteriorem odii in Alexandrum causam in Arii animo latuisse testis est Theodoritus *; qui refert Arium, cum Alexandrum sibi prælatum in summo Ecclesiasticæ dignitatis gradu collocari ægrè ferret, nec aliunde molestiam illi creare posset, invidiæ stimulis agitatum doctrinæ ipsius palàm contradicere cœpisse. Utcunque se res habuit, Arius rem suam gnaviter egit; quem cùm Alexander nullis monitis consiliisve ad saniorem mentem revocare potuisset, coactâ Alexandriæ Synodo, impia ejus dogmata damnavit, hominemque ex Presbyterorum ordine ejecit; eandemque sententiam, deinceps collecto pleniore, centum ferè Episcoporum, Concilio confirmavit; literisque suis effecit, ut impietas Ariana Ecclesiæ Catholicæ innotesceret. Tertia tamen adhuc Synodus hâc de re Alexandriæ habita est procurante Hosio Cordubensi, quem Constantinus ad has lites componendas cum literis Alexandro, Arioque junctim inscriptis illuc miserat. Sed frustra omnia. Ideò convocatum est ex omni Orbe Christiano magnum illud & celeberrimum Concilium Niceæ anno CCCXXV. cujus Alexander pars magna fuit, καὶ κύριος καὶ κοινωνὸς τῶν γενομένων τυγχάνων, gestorum & autor & particeps, qui suâ præsentiâ maximam toti Synodo attulit voluptatem; & in provectâ ætate plurimum laboris sustinuit, ut pax Alexandrinis restitueretur: ut de eo ipsi Patres Nicæni * loquuntur. Damnatis erroribus & proscripto Ario, Alexander quinto post Synodum habitam mense obiit, exeunte anno CCCXXV. vel mense primo insequentis anni. *Ex Epistolis*, quas de Ario, ejusque dogmatibus scripsit, plures numero *septuaginta* †, non nisi duæ supersunt hodie: prolixa una post ejectum Ecclesiâ Arium scripta, quâ Hæretici versutiam detegit, ac dogmata fusè refellit, *ad Homonymum suum Alexandrum* Antistitem Byzantinum, quę extat apud Theodoritum l. 1. cap. 4. altera *Encyclica* ad Ecclesiæ Catholicæ Episcopos per singulas urbes constitutos, eodem tempore scripta, quâ Arii blasphemias enarrat, deque eo pariter ac asseclis anathemate à se percussis Episcopos omnes certiores facit; ne ab iis ad communionem admittantur Hæretici. Habetur ista apud Socratem l. 1. cap. 6. & Gelasium Cyzic. Histor. Concil. Nicæn. l. 2. c. 3.

† Hist. Ecclesf. l. 1. c. 2.

* Hist. Ecclesf. l. 1. c. 5.

* Loc. cit. & Hær. Fab. l. 7. c. 1.

* Ep. Synod. apud Theo. l. 1. c. 9. & Socrat. l. 1. c. 9.

† Vid. Socrat. lib. 1. c. 6.

315. ARIUS, toto orbe, & per omnia retrò, sæcula famosissimus Hæresiarcha, gente erat Lybs, sive ut habet Photius, ortu Alexandrinus, Ammonii filius, cœpitque (ut volunt) ab anno CCCXV. tanquam hæresiarcha innotescere, quod tamen paulò seriùs mihi contigisse videtur, paucis ante Synodum Nicænam annis. Probabile est illum ex Luciani Antiocheni Scholâ prodiisse: disertè enim Eusebium Nicomediensem *Conlucianistam* appellat; quo titulo Luciani Martyris Discipuli gloriari videbantur, seque mutuò indigitâsse. Orto Meletiano schismate, primùm partes Meletii tuebatur; quo deinde deserto ad Petrum Alexandriæ Episcopum se contulit, ab eo in Diaconorum numerum adscitus, & ob turbulentum ingenium iterum ejectus. Post mortem Petri pœnitentiam simulavit; & ab Achillâ Episcopo veniam precatus, ab eo ad Presbyteri dignitatem promotus est: unamque ex Ecclesiis Alexandrinis, quæ Baucalis dicebatur, curę suę commissam habuit. Quinimo (si scriptori ignoto, Patricio Atarsio, in libro *Oceano* dicto ab Auctore * Synodici citato fides habenda sit) Scholæ Catecheticæ regimen ipsi demandatum est. Ab Alexandro etiam Achillæ successore aliquamdiu gratiam inivit; donec commodam nactus occasionem, Catholicam veritatem in primariis quibusdam fidei articulis strenuè oppugnavit; apertè docens Trinitatem quidem esse, sed gloriâ & majestate non parem, verùm alteram personam alterâ esse gloriosiorem; Deum enim filium suum initium creaturarum fecisse, eumque in filium sibi adoptâsse, qui tamen paternę substantiæ nihil habeat, οὐδὲ γάρ ἐστιν ἴσος, ἀλλ' οὐδὲ ὁμοούσιος αὐτῷ.--ξένος τοῦ υἱοῦ κατ' οὐσίαν ὁ πατὴρ ὅτι ἄναρχος ὑπάρχει. *Alienus quantum ad substantiam attinet, pater à filio; quippe qui principio caret.* Filius enim nec patri par est nec consubstantialis, ac proinde οὐδὲ ἀΐδιος, ἢ συναΐδιος, ἢ συναγένητος τῷ πατρί, οὐδὲ ἅμα τῷ πατρὶ ἔχει εἶναι, *neque æternus est, aut coæternus, aut coingenitus cum patre, neque simul cum patre essentiam nactus est.* Alibique, οὐκ ἀεὶ ἦν ὁ υἱὸς, οὐ γὰρ ἦν πρὶν γεννηθῇ, οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ πατρὸς, ἀλλ' ἐξ οὐκ ὄντων ὑπέστη, καὶ αὐτὸς οὐκ ἔστιν ἴδιος τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας· κτίσμα γάρ ἐστι καὶ ποίημα, καὶ οὐκ ἔστιν ἀληθινὸς θεὸς ὁ χριστὸς, ἀλλὰ μετοχῇ καὶ αὐτὸς ἐθεοποιήθη. *Non semper erat filius; neque enim erat prinsquam fieret; nec ex patre erat, sed ex non entibus emersit: neque patris substantiam sibi propriam habuit; creatura enim & factura fuit: ideòque nec verus Deus est Christus*

sed

* Synod. à Pappo edit. p. 14.

Ex Arii Thaliâ ap. Athanas. de Synod. Arim. & Seleuc. p. 681. &c.

Ex Thaliâ apud Athanas. Orat. 2. adversf. Arian. p. 141.

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. *sed participatione Deus factus.* Hæc quò mens ejus clariùs constaret, ipsissimis Arii verbis expressimus. Et quanquam tanta verborum monstra, & propositionum portenta fucatis & speciosis explicationibus homo versatilis ingenii pro re natâ emollire, seu potiùs tegere soleret; summa tamen errorum semper huc rediit: Filium & tempore & naturâ & dignitate patre esse inferiorem, de non extantibus factum, & planè creaturam, licèt in excellentiore creaturarum ordine collocatum. Ob hæc sæpiùs ab Episcopo suo admonitus, sæpiùs correptus, sæpiùs etiam Synodicè damnatus, impiis tamen opinionibus renunciare noluit; quas & publicè & privatim, & concionibus & literis undequaque missis longè latéque propagavit; adeò ut complures assectas non modò domi, sed & in exteris regionibus magni nominis Episcopos sibi faventes habuerit; qui cum illo communionem inierunt, eumque interventu suo Episcopi sui gratiæ & paci restituere conabantur. Sed cùm nec Arius errores deponere, nec Alexander fidem Catholicam prodere voluerit: congregata est Synodus Nicæna, in quâ CCCXVIII. Episcoporum suffragio impia Arii doctrina damnatur; librisque ejus Constantini Imperat. jussu combustis, ipse Arius in Illyricum relegatur; unde post triennium oblato pœnitentiæ libello, seque fidem Nicænam amplecti professus, Imperatoris literis revocatur; cui consutis dolis, eousque fucum fecit, ut Alexandro Antistiti C P. illum sine morâ in communionem admittere disertè mandaverit. Quò dum progressus est Arius, factionis suæ satellitibus stipatus, & in forum Constantini jam venisset, ob urgentem alvi necessitatem latrinas petiit; ubi Judæ instar crepuit medius; & collapsus, unà cum intestinis projectis infœlicem animam exhalavit, anno circiter CCCXXXVI. Ita quidem fatalem exitum, & nomine suo in æternum execrando non indignum, sortitum est sacerrimum & invisum caput. Scio quidem CL. Virum Hen. Valesium * affirmare Arium ante aliquot jam annos obiisse, adeoque illum qui anno CCCXXXV. in Synodo Hierosolymitana unà cum Euzoio ad Ecclesiæ pacem admissus erat, non fuisse nostrum, sed alterum Arium Hæresiarchæ asséclam. Verùm hæc omnia penè gratis dicta sunt, non nisi levibus duntaxat conjecturis, nullo Veterum testimonio disertè nixa; & in Historiâ Ecclesiasticâ hospes planè sit oportet, qui nesciat Veteres unanimi consensu hæc omnia ad nostrum Arium unicè referre. Errant è contra Rufinus †, Zonaras *, aliique †, qui Arium sub Constantio vixisse, eoque regnante obiisse volunt. Vir erat planè acutus & eruditus, moribusque ad fallendum compositis, specie & formâ magis (quod de eo habet Rufinus †) quàm virtute religiosus. Qualis erat τύπος ejus σωματικὸς, vid. ap. Epiphan. Hæres. 69. & Const. Epist. ad Ar. ap. Gelas. l. 3. c. 1.

* Observ. Eccles. l. 2. c. 2. p. 183. Annot. ad Soz. p. 113.

† L. 1. c. 11. in fin.

* Annal. Tom. III. p. 20.

† Vit. Athanas. ap. Phot. Cod. 258.

† Hist. Eccles. l. 1. c. 1.

* L. 2. c. 2.

Cantica conscripsit (teste Philostorgio *) varii generis, nempe Nautica, Molendinaria, ac Viatoria, aliaque ejusmodi, certis modulationibus aptata, prout unicuique Cantico convenire existimabat; ut imperitiorum animos suavitate cantûs ad impietatem suam sensim abduceret. Sed præ cæteris decantatissimus est liber ille, *Thalia* dictus, toties Athanasio citatus, ad morem Sotadis, turpissimi Cretensis Jambographi, conscriptus, (unde ὁ κίβδηλος καὶ Σωτάδειος Ἄρειος Athanasio audit) in quo de gravissimis, summéque venerandis fidei mysteriis levissimis futilissimisque numeris disseruit. Dubitari tamen potest, an opus integrum versibus constaret, an potiùs Cantica hinc inde interspersa fuerint, quò vulgi moribus & ingenio fieret accommodatius. Excerpta quædam ex eo habentur apud Athanasium de Synod. Nicæn. contra Hæres. Ar. decret. p. 413. Contra Arianos, Orat. 2. p. 137, 140, 141. &c. De Synod. Arim. & Seleuc. pag. 680. Ex plurimis, quas scripsit, Epistolis, extat *una ad Eusebium Nicomediensem* apud Epiphanium Hæres. 69. & Theodorit. l. 1. c. 5. *alteram* suo, suorumque nomine *ad Alexandrum Alexandrinum Antistitem* datam habet Athanasius lib. de Synod. Arim. & Seleuc. p. 682. & Epiphan. loc. cit.

ALEXANDER Episcopus Alexandrinus, Achillæ successor, claruit anno CCCXIII. Obiit CCCXXVI. Biblioth. Vindob. *cod. Theol.* II. n. 47. extat Alexandri nostri Epistola brevis ad *Presbyteros & Diaconos Alexandriæ & Mareotidis,* quâ Arium ejúsque socios depositos esse indicat. Hanc ex Bibliothecæ Regiæ codice MS. Græcè & Latinè edidit Cotelerius in Not. ad Patres Apost. col. 317. Ut mirari liceat Cl. Lambecium hanc Epistolam editam esse nesciisse. Porrò scripsit Alexander Epistolam *contra Arianos* ad Aiglonem Cynopolis Episcopum, ex quâ bina fragmenta adducit S. Maximus, *Opusc. Theol. & Polem.* Tom. II. p. 152. 155. 313. P. II.

EUSEBIUS, qui ab arctissimâ, quæ illi cum Pamphilo martyre intercessit amicitiâ, *Pamphili* cognomen sortitus est, Patriam habuit Palæstinam, urbem natalem fortassis Cæsaream; in hac enim Ecclesia se & institutum, & salubri lavacro tinctum, non minùs quam Ecclesiastica munera sustinuisse, ipsemet initio Epistolæ * ad Cæsarienses obscure mihi indicare videtur. Natus est vergente versùs exitum sæculo tertio, circa annum, si divinare liceat, CCLXX. Exhausta pene omni sæculari literatura homo impensè doctus, antiquitatum Ecclesiasticarum studio summoperè incubuit, quo fine doctorum ante se monumenta diligenter conquisivit, priorum sæculorum scrinia rimatus est, civilium judiciorum Acta perlustravit, omnes bibliothecarum forulos excussit, præsertim nobilissimam illam bibliothecam, quam Pamphilus Cæsareæ extruxerat, nocturna diurnaque versavit manu. Et sanè non contemnendum videtur, quod Hieronymus, seu quicunque sub ejus nomine latet, in *Epistola ad Chromatium & Heliodorum* refert, Constantinum Cæsaream ingressum Eusebio dixisse, ut beneficia aliqua suæ Ecclesiæ peteret, Eusebium verò respondisse, Ecclesiam suam opibus satis ditatam nihil indigere, at se unicè in votis habere, ut sollicita perscrutatione monumenta publica discuterentur, quo certiùs constaret, quid in universo orbe Romano erga Sanctos Dei per Judices gestum sit; nempe ut qui Martyres, à quo judicio, in qua Provincia vel civitate, qua die, quave Perseverantia, passionis suæ obtinuerint palmam, de ipsis Archivis sublata monumenta ad eum regio jussu dirigerentur. Quod factum est indeque illum idoneum Relatorem factum, Ecclesiasticam historiam, & omnium penè Martyrum trophæa texuisse. 315.

* Ap. Socrat. l. 1. c. 8.

Et sanè hæc à verisimilitudine non abludere facile concedit Antipater Bostrensis *, Eusebii adversarius; Ἐγὼ δὲ, ὅτι μὲν πολυίστωρ ὁ ἀνὴρ, καὶ οὐδέν τι τῶν παλαιοτέρων συγγραμμάτων τὴν ἐκείνου διέλαθε γνῶσιν, σύμφημι καὶ ὁμολογῶ. Βασιλικῇ γὰρ συνεργίᾳ χρώμενος ῥᾳδίως τὰ πανταχοῦ πρός ἑαυτὸν συνάγειν ἠδύνατο. *Ego vero, quod multum quidem in historiis vir fuerit, & nihil ex veteribus Scriptis illius latuerit notitiam, consentio & confiteor. Imperiali quippe cooperatione usus, facile quæ ubique sparsa erant, colligere poterat.*

* Serm. I. adv. Euseb. Apol. pro Orig. in Concil. Nic. II. Act. V.

Anno CCCVII. Pamphilum in carcerem conjectum solitis amoris officiis prosequebatur, cum eo assiduè versatus, junctisque operis rem literariam strenuè promovere satagebant. Biennio

SÆC. IV. ab An. CCC.

post, Pamphilo per Martyrium consummato, Tyrum secessit, apud Paulinum Episcopum, amicum suum integerrimum procul dubio latitans, ubi varia & crudelissima Martyrum certamina se coram spectasse testatur †. Inde Ægyptum petiit, ibique Persequentium sævitiam magis adhuc calentem reperit, ipsomet etiam in vincula conjecto. Hinc postea nata adversariis ejus calumniandi materies, ipsum nempe carceri inclusum Idolis immolasse. Objecerunt id ei anno CCCXXXV. Synodo Tyriæ inter alios præsidenti * confessores Ægyptii, & in his præcipue Potamo Episcopus Heracliensis. Verum si accusasse sufficiat, Quis erit innocens? Odio & livore ducti tela in illum undique arripiebant: neque ullum hâc in re testem proferunt, præter levem quendam rumusculum, seu rumoris potiùs suspicionem, quod nec ipse diffitetur Potamo, nullâ aliâ ex causâ ortam, quàm quod Eusebius ex carcere salvus & illæsus evaserat. Quid? quod si immolâsset, ex rigida istius temporis disciplina, omni clericali gradu excidisset, certè ad superiorem ordinem neutiquam promovendus. Id quod in Asterio Sophista, ordinem clericalem præcipue Episcopatum ambiente disertè notant † Athanasius & * Socrates. Verùm ad Eusebium redeo. Cessante persecutione in Palæstinam rediit, ubi post mortem Agapii Cæsariensium Episcopus constituitur. Fateor in subscriptionibus Latinis Synodo Ancyranæ anno CCCXV. habitæ subnexis, recenseri Agricolaum Cæsareæ Palæstinæ Episcopum. Verùm subscriptiones illæ ut jam in Conciliorum Tomis extant, ex Isidori Mercatoris officina prodierunt. Antiquior versio quam edidit Chr. Justellus, solummodo habet *Agricolaus Cæsareæ*; quem Synodicon Græcum à Pappo * editum de hac ipsa Synodo agens, non Cæsareæ *Palestinæ*, sed *Cappadociæ* Episcopum fuisse, apertè nos docet.

† Lib. 8. c. 7.

* Ap. Epiphan. Hæres. 68. n. 7. vid. Athan. Apol. 2. p. 567.

† De Synod. Arim. & Seleuc. p. 684.

* Lib. 2. c. 36. p. 72.

* Pag. 13.

Non diu post, pulcherrimæ Ecclesiæ, quam Paulinus Tyri ædificaverat, encænia habita sunt, circa annum, ut opinor, CCCVI. quo tempore Constantinus imperii sui Decennalia celebravit. Moris enim tum erat, Christianos, ut antehac Gentiles, Basilicas suas in Imperatorum Decennalibus, aliisve id genus solenniis dedicare, ut erudite observat CL. *Ant. Pagi* Dissert. Hypat. Part. 2. c. 3. Num. XII. XIII. Huic dedicationi adfuerunt omnes Ecclesiarum vicinarum Episcopi, quibus elegantissimam orationem Eusebius habuit, quam exhibet Histor. Eccles. lib. x. c. 4. Non sum nescius, à quibusdam in dubium vocari, an hæc oratio Eusebium auctorem habuerit. Immeritò. Ipsa oratio ingenium ejus & multiplicem eruditionem spirat. Pars Panegyrica cum iis, quæ in præcedentibus capitulis tractaverat, eodem sensu, & iisdem penè sententiis, optime convenit; suadet intima cum Paulino familiaritas ut credamus, à nullo potiùs quàm ab Eusebio haberi potuisse, qui hunc decimum Historiæ suæ librum Paulino inscripsit, ac proinde orationem hanc hoc in loco inseri par erat. Deinde si alterius esset, cur tam prolixum Sermonem huic loco insereret? Cur suppresso auctoris nomine? qui Scriptores, quos allegat, semper nominatim citare solet. Dices, Eusebium nullam sui ipsius mentionem facere. Fateor, qua erat modestia, nomen dissimulavit, καί τις (inquit) ἐν μέσῳ παρελθὼν τῶν μετρίως ἐπιεικῶν, λόγου σύνταξιν πεποιημένος, *vir aliquis mediocris meriti qui hujusmodi orationem composuerat, in medium progressus est.* Et ita fere Scriptores loqui solent, quoties de se verba faciunt. Nec est quod cum CL. Hanckio * quis dicat, orationem istam ab Eusebio adhuc Presbytero dici potuisse. Cui enim ignotum, non tunc communi in more positum fuisse, ut præsentibus Episcopis Presbyteri concionarentur, præsertim in tam solenni conventu, & tam splendida occasione? Sed de his satis.

* De Script. Byzant. Part. 1. c. Num. 56.

In Concilio Nicæno, anno CCCXXV. id ei honoris delatum est, ut Imperatorem Synodum ingredientem sermone panegyrico exciperet, & primum ab ejus dextrâ locum obtineret. Theodoritus * quidem Eustathio Antiocheno id tribuit, Alexandro Alexandrino Nicetas Choniates †, sed pro Eusebio nostro faciunt tum Sozomenus *, tum capitis Eusebiani titulus * admodùm antiquus, denique ipse Eusebius †, qui in Constantini vicennalibus, quibus habitum est hoc Concilium, Imperatori, servorum Synodo circumsepto, se Panegyrim dixisse refert. Ventilata diutiùs ultro citroq; Arii causa Eusebius fidei Catholicæ Symbolum Patribus obtulit, ab omnibus quidem probatum, qui tamen aliam formulam, seu potiùs eandem, paululùm auctam & immutatam, utpote in præcipuo controversiæ momento non satis luculentam, promulgarunt; præsertim edito τοῦ ὁμοουσίου vocabulo, quo filium ejusdem esse cum Patre essentiæ, gloriæ, & æternitatis disertiùs adversùs Arium declararent. Hæsit aliquandiu ad hoc vocabulum Eusebius, donec re bene perpensâ, Patrumque sensu post accuratum examen pleniùs percepto, assensum lubens præbuit, missisque ad Cæsarienses suos literis, de tota hac re certiores fecit.

* Lib. 1. c. [...]

† Thes. Orth. fid. l. 5. c. 7. p. 445.

* Lib. 1. c. 9.

* De vir. C. l. 3. c. 11.

† Id. ib. l. 1. in Procem.

Circa annum CCCXXX. vacante per Eustathii depositionem sede Antiochenâ, in ejus locum, communi consensu, intercedente etiam apud Imperatorem cum populo, tum Synodo Antiochenâ, Eusebius eligitur. Verùm ille oblatum Episcopatum, ut ut Cæsariensi ampliorem & sublimiorem, generosè respuit, probe sciens, Episcoporum ex unâ ad alteram Ecclesiam translationes Canonibus Ecclesiasticis, præcipuè nupertimæ Synodi Nicænæ Can. XV°. prohiberi. Qua de causa Constantinus miris eum laudibus extulit, inter cætera testatus *, omnes illum apud se Episcopum habere ambivisse, eumque beatum se in hoc ipso existimare debuisse, quod totius propemodùm orbis testimonio, dignus universæ Ecclesiæ Episcopatu judicatus sit. Certe huic pientissimo Principi unicè charus fuit, qui absentem sæpe per literas salutavit, præsentem nullis non honoribus cumulavit. Tandem annorum & famæ satur, diem clausit extremum circa ann. CCCXL. paulo ante Constantini junioris obitum, ut notat Socrates *.

* Epist. ad Euseb. de vit. Const. lib. 3. c. 11.

* Lib. 2. c. 4. & 5.

De summa ejus & longè diffusissima doctrina, ut pluribus agam, opus non est, cujus erudito nomini & olim & hodie venerabundus assurgit totus penè orbis literarius: Pietate adeo venerabilis, ut apud plurimas Occidentis Ecclesias in Sanctorum numero haberetur, & *Sancti confessoris, & Episcopi beatæ recordationis, & egregiæ vitæ beatissimi sacerdotis* nomen meruerit. At proh dolor! gravatur viri optimi memoria non apud recentiores modò, verùm apud veterum plerosque hæreticæ pravitatis culpâ, quibus passim Arianus audit, & (si ita loqui fas sit) Arianissimus, *princeps & signifer Arianæ factionis*, ut non uno loco de eo Hieronymus *. Temerè quidem, & iniquiori, quam par erat, censura. Fatendum est, illum in Platonicorum scriptis, librisque Origenis multùm diuque versatum, exinde nova quædam hausisse, & phrases minùs commodas, quandoque & periculosas, in Christianam theologiam induxisse. Quod tamen illi cum multis præteritorum sæculorum doctoribus commune fuit, securiùs, & audacter nimis de iis loquutis, de quibus nondum suum Ecclesia tulerat judicium. Nequaquam verò hæresis Aria-

* Ad Pammach. p. 189. Apol. adv. Ruf. p. 199. Apol. 11. p. 219.

næ

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC.

næ κυρίας δόξας fuisse imbutum, apertè satis testantur loca plurima in scriptis ejus hodienùm extantia, quæ ipsa Arianismi fundamenta radicitùs evellunt, qualia sunt, ubi Christum vocat * αὐτόθεον, *per se Deum*, τὸ παμβασιλέα καὶ πανηγήμονα, καὶ αὐτὸν Θεὸν, *omnium regem, ac principem, ac per se Deum*, Θεοῦ δὲ τοῦ ἐπὶ πάντων ζῶντα καὶ ἐναργῆ ὑπάρχοντα λόγον, κατ' οὐσίαν τε ὑφεστῶτα †, *summi Dei vivum atque efficacem sermonem ac personaliter subsistentem, quippe qui* Θεοῦ δύναμις, καὶ Θεοῦ σοφία, προεισι μὲν τῆς πατρικῆς θεότητός τε καὶ βασιλείας, *cum Dei virtus sit, atque sapientia, ex patris divinitate, & regno procedit*; esse eum ἕνα μὲν οὐσίαν, ὡς ἂν ἐξ ἑνὸς ὄντα πατρὸς *essentia quidem unum, utpote ex uno editum Patre*: τὸν τοῦ Θεοῦ μονογενῆ λόγον τῷ αὐτοῦ πατρὶ συμβασιλεύειν ἐξ ἀνάρχων αἰώνων εἰς ἀπείρους καὶ ἀτελευτήτους αἰῶνας *, *unigenitum Dei verbum à sæculis principio carentibus, ad infinita usque & interminata sæcula unà cum Patre regnare*. Quoties Marcellum ejusque sequaces velut immanis blasphemiæ reos damnat, quod ausi sint, διελεῖν τὸν Θεὸν, καὶ ἕτερον θεὸν τὸν λόγον ὀνομάσαι οὐσίᾳ, τε καὶ δυνάμει διεστῶτα τοῦ πατρὸς †, *dividere quidem Dei verbum, & verbum Deum alterum nominare, substantia & potentia differentem? Neque quicquam* † *secundum eos, haberet, cum paterna divinitate commune, sed per omnia componitur cum Creaturarum turba*, καθ' ὃ ἐκ οὐκ ὄντων ὑπέστη. *quoad de nihilo procreabatur*. Mille sunt hujusmodi ubique obvia, è quibus plura alibi produximus *. Nec parum ad rem facit, quòd in Synodo Nicæna Ariana dogmata expressè damnavit, ejusque Symbolo non temere & inconsultò (ut ipse nos docet) sed longo demum & accurato instituto examine sincerè & ex animo subscripsit. Adeo ab omni plane Christiana charitate abhorrent, qui eum vafrè & dolosè subscripsisse volunt. Legant Epistolam ejus ad Cæsarienses, & videant, quo animo id affirmare possint. Interim non negamus, scriptis ejus, tum ante, tum post Synodum Nicænam editis, inesse quædam duriùs & periculosius dicta, & quæ æquum & candidum lectorem expetunt. Qua in re solitum candorem & ingenuitatem in doctiss. Petavio jure desidero, qui plurima Eusebii nostri loca durius interpretari, & in sequiorem sensum detorquere solet. Stylus Eusebio nostro rudis quidem & duriusculus, idque judice * Photio, τὴν δὲ φράσιν οὐκ ἐστὶν οὐδαμοῦ οὔτε ἡδὺς οὔτε λαμπρότητι χαίρων, *Phrasi neque jucundus uspiam, neque perspicuus*. Id diutinæ ejus in Ægypto commorationi tribuendum censet Theodorus Metochita, in Miscellaneis ab Henrico Valesio citatis: hinc τραχύτερον τὸ λέγειν χρώμενος *dictione utitur scabra & aspera*. Scripsit vir undecunque doctissimus opera quam plurima, quorum Catalogum hoc loco texemus.

* Hist. Eccl. l. 10. c. 4.
† De laud. Const. c. 12. p. 639, 649.
* Ibid. c. 2. in init.
† Contr. Marcell. p. 29.
† Ecclesl. Theol. 1. c. 10.
* Vit. PP. Primit. Tom. II. in vit. Euseb. Num. 22.
* Cod. 13.

SCRIPTA.

Chronicon, παντοδαπὴ ἱστορία, dictum; opus bipartitum: in prima parte hodie valde mutila, omnium ferè gentium, Chaldæorum, Assyriorum, Medorum, Persarum, Lydorum, Hebræorum, Ægyptiorum, &c. origines, & res maximè memorabiles ab orbe condito prosequutus est. Et hujus longe majorem partem ex Africani chronographia desumpsit, cujus scrinia egregie compilavit. In altera, quæ *Canon chronicus* dicitur, priorem quasi in compendium redegit, totam temporum seriem in Decades dirimit, ductaque ab Abrahamo Epocha, cujusque gentis memorabilia ad suum quemque annum retulit. Utraque pars in Constantini vicennalibus terminatur, h. e. in anno Chron. CCCXXV. quo, paulo ante Synodum Nicænam opus, ut mihi quidem videtur, absolutum est. Latinitate donatum est ab Hieronymo, qui suam tamen versionem additamentis maxime in Romana historia hinc inde interpolavit. Græca desiderantur, quorum defectum ut suppleret Jos. Scaliger, quæcunque reperiri poterant, ex Syncello, Cedreno, & Chronico Alexandrino undique corrasit, quæ tamen omnia, an pro Eusebianis habenda sint, justa est dubitandi ratio. Opus quale quale jam est, cum Hieronymi versione, suisque animadversionibus in lucem emisit dictus Scaliger, *Lugd. Bat.* 1606. *Amstelodami* notis tertia parte auctioribus recusum anno 1658. f. Monendus est Lector, quod ex Theodoro Lectore habet Suidas *, Diodorum Tarsensem Episcopum, qui sub Juliano & Valente floruit, chronicon concinnasse, in quo Eusebii Pamphili in digerendis temporibus errorem castigavit.

* In V. Διόδωρος.

Præparationis Evangelicæ libri xv. ad Theodotum Laodiceæ Episcopum. Scripti post Concilium Nicænum, (quicquid in contrarium scribat Valesius) certissime post conditum chronicon, utpote in quibus Canones chronici disertè citantur. Opus profecto nobilissimum, & auro contra non charum, in quo, etsi nihil aliud esset, tot aurea veterum fragmenta nobis conservantur. Editum gr. l. cum notis Fr. Vigeri, *Parif.* 1628. fol.

De Demonstratione Evangelica: ex xx. libris hodie extant non nisi x. in quibus causam Christianam præcipue adversus Judæos agit. Scripti sunt eodem circiter tempore, quo priores, gr. l. editi *Parif.* 1628. fol. E. etiam, ut & de præparat. Evangel. libri, Græcè ap. *Rob. Stephanum* 1544, 1545. quæ nitidissima est editio.

Historiæ Ecclesiasticæ libri x. Ecclesiæ Christianæ statum ab ipsius incunabulis usque ad Licinii Senioris necem, per ann. 324. decursum continentes. Finivit hanc historiam Eusebius in pace Synodum Nicænam immediate præcedente, scripsit vero non nisi post aliquot annos: in ea enim meminit non modo Chronici, sed & librorum de Demonstratione Evangel. Hos etenim designari per οἰκεῖα ὑπομνήματα, peculiares commentarios, in quibus oracula Prophetarum de Domino nostro Jesu Christo edita se collegisse, firmissimisque demonstrationibus adstruxisse ait, nemo non videt: Nec obstat, quod nullam Concilii Nicæni mentionem faciat, cum ipse testetur eorum, quæ sibi in condenda hac historia proposuerit, id ultimum fuisse, ut ostenderet, quàm propitium ac benignum servatoris nostri præsidium Ecclesiæ suæ demum effulserit, nec fœlicem rerum exitum, deletis jam externis hostibus, internis Episcoporum rixis deformare voluit. His adde quod notat V. CL. Ant. Pagi *, solitos nempe istorum temporum scriptores opera sua aut terminare, aut publicare in Imperatorum vicennalibus, & istiusmodi festis. Quod multis exemplis, & in his hac ipsa historia, & chronico Eusebiano probat. Inscripsit historiam suam Eusebius Paulino Tyriorum Episcopo, amicorum familiarissimo, quem Valesius, è sede Tyriensi ad Antiochenam translatum esse vult: & ejus quidem auctoritate motus in ea opinione aliquando fui. Verùm re meliùs perpensâ, etsi libens concedo Paulinum Synodo Nicænæ aliquot annis superfuisse, Ecclesiæ tamen Antiochenæ præsedisse nego. Neque ulli Veterum, unico excepto Philostorgio, id affirmant; nec ipsius Eusebii locus, quem ex lib. 1. contra Marcell. c. 4. pro se adducit Valesius, ritè intellectus id suadet, ex quo nil aliud exculpi possit, quàm Paulinum Episcopatum Tyri tanta cum laude administrasse, ut Antiochensis Ecclesia in eo tanquam proprio bono (fuerat enim ejusdem Ecclesiæ Presbyter) gloriari solita sit. Interim haud bene sibi constat doctiss. Valesius, qui uno loco * historiam Eusebianam ante concilium Nicænum

* Prolegom ad Dissert. Hypat. Num. XXXIII, XXXIV, XXXV.
* Præf. de vit. & script. Euseb.

SÆC. IV. ab An. CCC.

Nicænum scriptam esse affirmat, post paucas verò paginas, eam non nisi aliquot annis post Synodum Nicænam absolutam scribit. Quam viri clarissimi ἀσυςασίαν meritò miramur. Sed id illi facile condonamus, qui tantos insumpsit labores, ut Historiam hanc omnibus numeris absolutam, nec non accuratissima versione, doctissimisque annotationibus ornatam, & illustratam nobis daret: quam proinde edidit *Paris.* 1659. & denuo 1671. Parisiensem editionem expresserunt, sed infeliciter satis, Francofurtenses ann. 1672. fol. Prodierat elegantissima & accuratissima editio græca ex officina Rob. Stephani, *Paris.* 1544. fol. Gr. Lat. Genevæ 1612. fol.

De Martyribus Palestinæ liber singularis, Hist. Eccles. lib. 8. subjectus.

Contra Hieroclem liber; quem ab Eusebio in Ægypto adhuc versante scriptum censet Hen. Valesius, quod tamen incertum. Scripserat Hierocles, Judex Nicomediensis, ineunte Diocletiani persecutione, ad Christianos libros duos φιλαλήθεις dictos, quibus inter alia comparationem Christum inter & Apollonium Tyaneum instituit, spurcissimumque Magum Domino nostro paria vel etiam majora fecisse contendit, teste Lactantio †, qui Hieroclem hunc ipsum librum recitantem coram audivit. Hanc comparationem, missis cæteris, refutandam Eusebius in se recepit; quod & præstitit, breviter percurrendo totos octo libros, quos de vita Apollonii conscripsit Philostratus, addita in fine Appendicula de Fato. Qua occasione Joh. Jonsius † graviter erroris arguit, quotquot hunc librum Eusebio nostro tribuunt, hoc nempe argumento ductus, quod Hieroclis libri de fato, quos habet Photius Cod. CCXIV, authorem habuerint Olympiodori æqualem, qui sub Theodosio juniore floruit. Esto: interim erravit ipse toto plane cœlo vir cætera doctus, qui neque vidit Eusebium in ista appendice non septem illos de fato libros Photio memoratos refutasse, sed solummodo Apollonii dogma de fato breviter perstrinxisse; neque animadvertit Hieroclem adversus quem Eusebius disputavit, fuisse Bithyniæ sub Diocletiano Præsidem, postea Ægypti Præfectum, non Philosophum illum, de quo Photius, Nicomediensi integro pene sæculo juniorem. Extat hic Eusebii libellus cum libris de Præparat. Evangel. editus *Paris.* 1628. f. & ad calcem Philostrati de vit. Apollonii Tyanei.

† Instit. lib. 5. c. 2, 3, 4.

† De Script. Hist. Philos. lib. 3. c. 18. p. 304.

Contra Marcellum (Sabellianismi in conciliabulo Constantinopoli ann. CCCXXXVI. habito damnatum) libri II. ipsius Synodi jussu conscripti.

De Ecclesiastica Theologia lib. III. in quibus argumentum adversus Marcellum latiùs pertractat. Hi quinque libri cum versione & notis doctissimi viri Rich. Montacutii, Episcopi apud nos Cicestriensis, libris de Præparat. Evang. edit. *Paris.* 1628. subjuncti sunt.

Epistola ad Cæsarienses de fide Nicæna. Extat. ap. Socrat. lib. I. c. 8. Theod. lib. I. c. 12.

De locis Hebraicis, seu descriptio urbium & locorum S. Scripturæ, ordine Alphabetico disposita, Paulino Tyriorum Episcopo inscripta. Transtulit hunc librum olim Hieronymus & auxit, utpote qui in locis illis diu vixit. Et licet maximam partem interpretis officio functus sit, quædam tamen immutavit, quædam perperàm dicta correxit, & non pauca de suo addidit. Ipsum Eusebii librum ex Regia Bibliotheca Parisiensi primus Græcè extulit, cum antiqua Hieronymi, & nova à se adornata translatione, notisque non contemnendis edidit Jac. Bonfrerius *Paris.* 1631. & 1659. cui commentarios in Josuam addidit. f.

Oratio de laudibus Constantini habita an. CCCXXXV. in ejusdem Imperatoris Tricennalibus E. ad calcem Hist. Eccles. In Codice MS. Collegii Trinit. Cant. Hæc Oratio in duas dispertitur partes. Prima decem priora capita complectitur, secunda à Cap. XI. initium ducit.

De vita Constantini lib. IV. quos novissimè conscripsit, in iis non accuratam vitæ Constantinianæ historiam tradere in animo habuit, sed tantum pulchriora facinora, & Posterorum memoriâ digniora seligere, præcipue quæ ad pietatem & Dei cultum spectare videbantur; quod more oratorio potiùs quàm historico præstitit. Hinc (notante Photio *) μικρόν τι πρὸς τὸ λαμπρότερον ἐκβέβλαςαι αὐτῷ ὁ λόγος, καὶ λέξεις εἰς τὸ ἀνθηρότερον ἐνιαχοῦ συνειλήφθησαν, *nonnihil ad splendorem magis trahitur Oratio, quàm in cæteris scriptis, vocesque ad floridum alicubi genus tendunt.* Frustra sunt, qui hos libros Eusebio nostro adjudicant, nec tanti sunt objectiones, ut in iis refutandis immoremur. Interim videant qui volunt, libri 2. c. 45. 46. l. 3. c. 61. lib. 4. c. 33, 34, 35. & alibi passim. Hos libros H. Valesius recensuit, versione & notis illustravit, & pro more Hist. Eccles. attexuit.

* Cod.

Expositio in Canticum Canticorum. Extat Græcè unà cum Polychronio & Psello *L. Bat.* 1617. 4°. à Meursio edita, quæ quidem non unico Eusebio debetur; sed partim ex ipsius, partim ex Athanasii, Didymi, Nysseni, Philonis Carpathii, aliorumque scriptis consarcinata est.

Vita Prophetarum, seu περὶ τῆς τοῦ βιβλίου τῶν προφητῶν ὀνομασίας, Eusebio nostro in vetusto exemplari adscribuntur. Eas cum Commentariis Procopii in Esaiam Gr. Lat. edidit Joan. Curterius *Paris.* an. 1580. f.

Canones Sacrorum Evangeliorum X. unà cum præfixâ ad Carpianum Epistolâ Ammonii Harmoniæ Evangelicæ apponi soliti, habentur ex Hieronymi versione inter Orthodoxogr. Hieronymi Opera & in Bibliothecâ PP. De iis vide plura in *Ammonio.*

Apologia pro Origene liber primus (reliqui enim quinque interierunt) à Rufino Latinè versus extat inter Hieronymi Opera.

Sermo in illud, Sero Sabbatorum, item *de Angelis ad monumentum visis*, Gr. Lat. cum notis apud Combef. Auct. Nov. Tom. I. p. 779. sed excerpta videntur potiùs, quam tractatus integri.

Ἀνέκδοτα.

Eclogarum propheticarum de Christo lib. IV. Extant in Bibliotheca Viennensi, teste CL. Lambecio, comment. de Bibl. Vindob. T. I. Addit 3. Easdem esse opinor cum Eclogis quibusdam in Prophetas minores, quas in Biblioth. Scorialensi extare testatur Alex. Barvoetius. Vid Labb. nov. Bibl. MSS. supplem. III. pag. 185. Partem esse Operis Eusebiani de Demonstratione Evangelicâ opinatur CL. Lambecius. Libros enim XX. de eo argumento scripsit Eusebius, teste Hieronymo †, ex quibus hodie nonnisi X. in lucem prodierunt, uti suprà notatum est.

† De Script. c. 81.

Commentarii in Isaiam, quos non uno in loco extare nos docet Labbæus. Ibid. p. 22, 79, 184.

De Triduo Sepulturæ Domini. Labbæus Ibid. pag. 184.

In illud, *Valde manè orto, &c. & de angelis ad Sepulcrum Domini.* E. in Bibl. Reg. Gall. teste eodem Labb. Ibid. p. 273.

Scripta, quæ non extant.

DE *Præparatione Ecclesiastica* libri aliquot.

De Demonstratione Ecclesiastica Vid. Phot. Cod. XI. XII.

Contra Porphyrium lib. XXV.

Ad Ste-

Digitized by Google

Ad Stephanum de Evangeliorum dissonantia.
Πεϱὶ Θεοφανίας lib. v.

* De Natur. l. 2.

In Psalmos CL. Commentarii. Ex his fragmenta quædam extant in catena PP. in Psalmos. Gr. Lat. aliud à Gelasio * exhibetur.

Commentarius in I. Epistolam ad Corinthios, cujus Hieronymus mentionem facit Epist. ad Pammach.

Ecloga in totam S. Scripturam, teste Theodorito Hist. l. 1. c. 16.

Πεϱὶ τοπικῶν ὀνομάτων liber primus.

Apologia pro Origene lib. vi. quinque priores una cum Pamphilo carcere inclusus elaboravit, sextum ipse addidit.

De vita Pamphili lib. III. Hujus operis ipse meminit de Martyribus Palæstinæ c. xi.

Confutationis & Apologiæ lib. II. de quibus Phot. Cod. XIII. quo loco addit, Eusebium duos alios libellos scripsisse, assertionibus quibusdam differentes, sensu verò & dicendi genere cum prioribus convenientes. Hisce puto designari Apologeticum, quo se ab Arianismi crimine purgavit: talis enim Apologetici ad omnes ubique Orthodoxos Episcopos missi meminit Gelasius Cyzicenus Historiæ Concil. Nicæn. lib. 2. c. 1.

Antiquorum Martyriorum collectio, undecim libris ab eo contexta, si Actorum S. Sylvestri Scriptori à Combefis. edito fides sit habenda. Vastum opus, quod hodienum in regia bibliotheca S. Laurentii in Escuriali græcè extare dicitur, referente Fr. Bivario comment. in Dextr. Chron. ad ann. CCCVIII. & utinam certè nobis liceret esse tam beatis. At vereor, ne fama mendax pro thesauro carbones, pro genuino Eusebii opere, fabulosas Metaphrastis quisquilias venditarit.

Acta Martyrii S. Luciani quæ apud Surium ad diem 7. Januarii habentur, ex hoc opere à Metaphraste descripta esse opinatur CL. Usserius Biblioth. Theol. MS. p. 159.

Descriptio Basilicæ Hierosolymitanæ.

De Festo Paschali liber.

Epistola ad Constantiam Constantini M. sororem, Licinii viduam, de imagine Christi. Hujus fragmentum extat Concil. Nicæni secundi Actione VI.

Epistola ad Alexandrum Episcopum Alexand. de Ario. Fragmentum etiam ext. loco citato.

* Ap. Athan. de Synod. Arim. p. 683.

Epistola ad Euphrationem Episcopum, à Presbyteris Alexandrinis * memoratur. Extat Fragment. ubi supr. Act. 5. p. 365. In hoc Fragmento Eusebius dicitur affirmasse, ὅτι ὁ Χϱιστὸς οὐκ ἐστὶν ἀληθινὸς Θεός, *Christum non esse verum Deum.* Quæ verba cum nullâ adhibitâ explicatione nudè tantum citentur, & sententiæ Eusebianæ tot aliis locis disertè traditæ ex diametro repugnent; proclive est conjicere Eusebium, datâ aliquâ occasione, ad locum illum respexisse Joann. XVII. 3. *Ut te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*; indeque ejus adversarios calumniandi ansam arripuisse. Et ita quidem se rem habuisse ipse nobis testis est Eusebius *; cum enim ipsum accusasset Marcellus quod scripsisset unum esse verum solum Deum, quasi juniores quosdam Deos, qui non ita verè & propriè Dii sint, commentus esset, rejicit calumniam Eusebius, neque aliam se viro maledicentissimo occasionem subministrasse dicit, quàm quod prædicta Domini verba allegasset †. Iterumque ei objecit idem Marcellus, quòd Christum nudum esse hominem affirmasset, non alia de causa, quam quod in Epistola quadam sententiam illam Apostolicam usurpaverat, *Unus Deus est, Unus Mediator Dei atque hominum, Homo Jesus Christus.* Verum hęc obiter.

* Contr. Marcell. lib. 1. p. 27.

† ibid. p. 29.

Ἀϱχαιολογία, seu ἀϱχαιολογικὴ ἱστοϱία. Hujus duo extant fragmenta apud Anastasium Sinaitam, Quæst. XLI. & LXV. An forsan idem sit opus cum chronico seu παντοδαπῇ ἱστοϱίᾳ, penès Lectorem judicium esto. Libri ejus ad Marinum sæpius citantur ab eodem Anastasio.

D. Basilius * memorat ejus τὰ ἐν ἀποϱήμασι πεϱὶ τῆς τῶν ἀϱχαίων πολυγαμίας: quod tamen fortassis non tam de aliquo integro opere, quàm de præcedentis operis parte aliqua intelligendum est.

* De Spir. S. c. 29.

SCRIPTA DUBIA.

De fide adv. Sabell. lib. 2. *De Resurrectione. De Resurrectione & Ascensione Domini. De incorporali & invisibili Deo. De incorporali. De incorporali anima. De Spiritali cogitatu hominis. Quod Deus Pater incorporalis est. De eodem.* De eo, quod dicit Dominus, *Non veni pacem, &c.* De mandato Domini, *Quod dico vobis in aure. De operibus bonis & malis. De operibus bonis* ex Epist. 2da. ad Corinth.

Hasce Homilias sub Eusebii nostri nomine Jac. Sirmondus Latinè tantùm in Lucem emisit, *Paris.* 1643. 8° nulla alia ratione fultus (ut ipse in præfatione fatetur) quàm quod in duobus Codicibus MSS. Eusebii Cæsariensis nomen præferebant, unde pro genuinis Eusebianis passim citat Hen. Valesius. Ego potius Emiseno eas adjudicarem.

Ex Eusebii Scriptis etiamnum apud Chaldæos extare refert Hebediesu libros *de Ortu divino, de dissonantiâ Evangeliorum, de figurâ mundi, Historiam Martyrum Occidentalium ac eorum Panegyrica, sermonem de defectu pluviæ, & Apologiam pro Origene.*

EUSEBIUS PAMPHILI, Cæsariensis Episcopus, claruit anno CCCXV. obiit anno CCCXL. Paucis hoc celeberrimo antiquitatis Ecclesiasticæ promocondo defungemur; cùm de eo ejúsque scriptis, suo loco satis supérque diximus. 315. P. II.

Eclogarum propheticarum *de Christo* libri IV. hactenùs inediti supersunt. Codex MS. ἀκέφαλος est, & præter titulum & indicem, prologus, caput primum & secundi pars desiderantur, Eusebii tamen esse manifestis indiciis deprehenditur; præsertim hoc inter alia, quod libro primo, ubi *de benedictione Patriarchæ Juda* agit, persecutionem ultimam, tanquàm sui temporis, & omnium quæ sub Romanis Imperatoribus hactenùs fuerant, longè gravissimam, graphicè depingit, monetque, ut Divinis sacrisque Literis firmiter credamus, ut neque animo turbemur, neque fidem nostram concuti sinamus ὑπὸ τῶν κατὰ καιϱοὺς διωγμῶν, καὶ μάλιστα τοῦ ἘΝΕΣΤΩΤΟΣ, ὑπὲϱ τοὺς πώποτε σφοδϱότατα ΚΑΘ' ἩΜΩ͂Ν πνεύσαντος, καὶ τοιαῦτα ἐπιδειξαμένου μετὰ τὲ τῶν ἐκκλησιῶν, καὶ παντὸς τοῦ λαοῦ, ὁποῖα οὔτε ἀπὸ γϱαφῆς, οὔτε μὲν ἐκ παϱαδόσεως Ἀϱχαίων τὶς ἐμνημόνευσεν. Pergit in sequentibus eadem dicere, quæ vix ulli præterquàm Eusebio competere possunt, qui sub hâc ipsâ tempestate vixit, & in carcerem conjectus est, Episcopus Cæsariensis anno CCCXV. factus. Quo tempore Licinius persecutionem vixdùm sopitam iterùm instauravit, nec nisi eo occiso, paulò ante Synodi Nicænæ conventum plenè extincta est. Operis hujus liber primus divisus est in capita *XXV.* quibus recensentur & explicantur testimonia prophetica de Christo; quæ extant in Historicis Veteris Testamenti libris. Incipit caput *III.* Πϱῶτος ἀναγέγϱαπται γενόμενος χϱηματισμὸς τῷ Ἀβϱαάμ. Lib. II. continet capita *XLV.* quibus recensentur & explicantur testimonia prophetica de Christo quæ extant in Psalmis, præmisso capitum indice. Hoc habet initium πεϱιγϱάψαντες τὰς ἀπὸ τῶν ἱστοϱικῶν γϱαφῶν πεϱὶ τοῦ Σωτῆϱος ἡμῶν μαϱτυ-

ϱίας,

SÆC. IV. ab An.CCC. *ίας*, &c. Complectitur liber III. capita *XLV.* quibus recensentur & explicantur reliqua Veteris Testamenti testimonia prophetica de Christo, quæ extant in *Proverbiis Salomonis*, *Ecclesiaste*, *& Cantico Canticorum*; in libro *Jobi* & apud Prophetas *Hoseam*, *Amosum*, &c. Principium, Μετὰ δὴ τὰς ἀπὸ τῶν ψαλμῶν ἐκλογὰς, &c. In Indice præmisso hæc habentur, περὶ τοῦ Θεοῦ λόγου, ὡς περὶ σοφίας, οὐσιωδῶς ὑφεστώσης καὶ πρὸ τῶν αἰώνων ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κτισθείσης, ἑτέρας τε παρ' αὐτὸν οὔσης, καὶ σὺν αὐτῷ τῶν ὅλων ἐπιμελομένης. Hinc *Arianismi* crimen Autori impingitur. Verùm hæc, etsi duriusculè dicta, si tamen cùm aliis Eusebii locis conferantur, de *æternâ Christi generatione*, seu *productione à Patre*, sensu haud multùm incommodo explicari possunt. Capite ultimo, quo *de septem Danielis Hebdomadibus agitur*, prolixus Africani locus ex *Chronographia* lib. V. citatur. Divisus est liber IV. in capita XXXV. quibus recensentur & explicantur testimonia prophetica de Christo quæ extant apud *Isaiam*. Incipit, τὰς ἀπὸ τοῦ Ἠσαΐου προφητικὰς ἐκλογὰς, &c. In fine promittit autor se aliud quoque opus adversùs *hæreses atheas* editurum esse. Eclogas has propheticas ipse Eusebius alibi designare videtur; nempè *Hist. Eccl.* lib. I. cap. 2. his verbis: Ἀλλ' ἐν Οἰκείοις ὑπομνήμασι τὰς περὶ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ προφητικὰς ἐκλογὰς συναγαγόντες, ἀποδεικτικώτερόν τε τὰ περὶ αὐτοῦ δηλούμενα, ἐν ἙΤΕΡΟΙΣ συστήσαντες, τοῖς εἰρημένοις ἐπὶ τοῦ παρόντος ἀρκεσθησόμεθα. Quæ sic reddit Valesius, *Sed cum Prophetarum Oracula de Domino nostro Jesu Christo edit, in peculiaribus jam Commentariis collegerimus, & quæcnque de illo traduntur, firmissimis demonstrationibus alibi adstruxerimus, his quæ dicta sunt, in præsentiâ erimus contenti.* Et in notis hunc Eusebii locum ad solos *demonstrationis Evangelicæ* libros referendum esse contendit. Verùm ut acutè atque eruditè notat Cl. Lambecius, *Comment.* lib. VII. pag. 640. Eusebius hoc loco, duo diversa ejusdem argumenti Commentaria sua accuratè à se invicem distinguit; & primò quidem collocat τὰ οἰκεῖα ὑπομνήματα, *Commentaria peculiaria*, quibus collectionem propheticorum oraculorum de Christo prævię comprehendit. Et hæc nihil aliud sunt quàm *Ecloge nostræ prophetica*, quæ adhuc ἀνέκδοτοι servantur. Deinde recenset τὰ ἕτερα ὑπομνήματα, *alia Commentaria*, in quibus jam memoratas *eclogas propheticas de Christo* ἀποδεικτικώτερον, sive ampliori probatione demonstrativâ adstruxit & illustravit: Quod in opere *Demonstrationis Evangelicæ* uberrimè perfecit. Ac proindè locum Eusebianum hunc in modum, vertendum censuit; *At enim verò cùm in peculiaribus Commentariis, ea quæ ad Servatorem nostrum Jesum Christum pertinent prophetica excerpta collegerimus, & fusiori demonstratione ea quæ de eo præsignificata sunt, in aliis Commentariis adstruxerimus, his quæ jam dicta sunt, in præsentiâ erimus contenti.* Asservantur hi libri Græcè MSS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* ex dispositione *Lambec.* LV. *Nessel.* XXIX nu. 1. à fol. 1. ad f. 61. De hoc opere satis prolixè agit Lambecius *Comment.* lib. I. p. 139, 140. &c. qui se hoc Opus in supplemento Bibliothecæ SS. Patrum, quod molitus est, optimâ fide in lucem editurum pollicitus est. Sed hæc, aliaque viri doctissimi consilia præclarè instituta, mors præmatura intercepit. Ibid. Cod. CLIII. num. 3. fol. 260. habetur Fragmentum de *cognatione B. Virginis Deiparæ, & S. Elizabetæ*, quod etiam extat apud Cl. Galeum, Cod. CLIX habetur ejus *interpretatio* Diapsalmatis *in Psalterio*, ut & ὑπόθεσις εἰς τοὺς ψαλμοὺς, sive *argumenta generalia & specialia in omnes & singulos Psalmos*, aliáque nonnulla *in Veteris & Novi Testamenti Cantica sacra. Hypotheses Psalmorum* ex. MS. Alexandrino Græcè edidit vir admodum reverendus, & de Republicâ Ecclesiasticâ optimè meritus, Br. VValtonus noster *Biblioth. Polyglott.* Tom. VI. pag. 137. extant eadem apud Cl. Galeum, Cod. ibid. CLXXVII. Præfatiuncula in *Canticum Mosis*, Exod. cap. V. Cod. CXCIX. num. 1. Fragmenta Responsionum ex opere ad *Marinum*. Canones decem *de Consonantia IV. Evangeliorum*, unà cum præfixâ *ad Carpianum* Epistolâ, extant non modò Latinè inter Hieronymi opera, & alibi sæpiùs, sed & Græcè in eleganti Novi Testamenti editione, quàm in lucem emisit R. Stephanus, *Paris.* 1550. f. Habentur Græcè MSS. aliquoties cum codicibus Evangeliorum in Bibliothecâ Vindobonensi præcipuè Cod. CLIV. *Lambecio* XXIX, ubi tùm Epistola, tùm Canones, aureis literis exarati sunt; & undè Epistola laciniâ quâdam augeri potest, quæ in editis desideratur: extat eadem Epistola apud Cl. Galeum, cum IV. Evangeliis Gr. MSS. extant etiam apud eundem Galeum hæc Eusebii scripta Græcè, *De Locis Hebraicis. De Die Dominico. De Memoriis Apostolorum. De Parab. Seminatoris. In Christi Nativitatem.* In Bibliothecâ Bodleianâ *Cod. Baroc.* CXLVIII. fol. 200. pag. 2. extant sub Eusebii nomine *Homiliæ IX.* in *memoriam Sanctorum*, quæ incipiunt; Μετὰ πολλὰς ἡμέρας. Verùm non esse Eusebii ex ipso statim Procemio patere monet, qui catalogum confecit. *Chronologia* cujusdam *Eusebiana*, sed spuriæ meminit Cl. Hodius Præfat. ad Malalæ Chronographiam. Extat item sub Eusebii nomine, *Series* quædam *Chronologica Imperatorum* sub calcem Historiæ Nicephori Patriarchæ, quam edidit Petavius. Sed nihil aliud videtur, quam brevissima quædam epitome ex Eusebii Chronico collecta, & ad sequiora tempora perducta. SÆC. IV. ab An.CCC.

FL. CONSTANTINUS, cognomento Magnus, è gente Claudiâ, Constantii Chlori Imp. ex Helena conjuge filius unicus, Britanniam nostram ortu suo nobilitasse dicitur: ita enim suadere videtur (ut de recentioribus jam non agamus) Panegyristæ * locus oratione ad ipsum habita. *Liberavit ille Britannias servitute, tu etiam nobiles illuc oriundo fecisti.* Quanquam, ut quod verum est, fateamur; non desint Scriptores haud contemnendi, qui Naisso Dardaniæ Illyricæ oppido ortum tradunt. Natus est tertio Calend. Martii ann. CCLXXII. Anno CCCVI. octavo Calend. Augusti, Patre Eboraci mortuo, in Imperatorem levatus: & sint licèt, qui nativitatis ejus gloriam Genti nostræ invideant, sumptæ tamen hîc purpuræ, imperiique honorem negare non possunt. *O fortunatâ, & nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti!* inquit ipsomet audiente Eumenius Rhetor †. Anno CCCXII. exercitum in Maxentium ducenti duæ visiones cælitùs factæ sunt, crucis una è cœlo post meridiem rutilantis, altera ipsius Christi crucem dextrâ tenentis, noctu dormienti apparentis, victoriæ mox reportandæ, quodque longè majus est, conversionis æternæque salutis per Christum crucifixum consequendæ fidelis prænuncii. Unde devicto ad Pontem Milvium Maxentio, ipse caput Christo submisit, fidem Christianam amplexus. Hinc evulgata in gratiam Christianorum edicta; Pax. Ecclesiæ reddita; Ecclesiæ extructæ, donariis & reditibus auctæ; (de donariis Magnæ Ecclesiæ CP. concessis, & vestimentis Imperialibus super sacram mensam positis, nec ab Imperatore nisi publice, & in magno Domini nostri festo usurpandis, mira plane nec trita narrat * Constantinus Porphyrogenneta, seque ex antiquâ Historia ἐν ἀπορρήτοις λόγοις γεγραμμένα hausisse tradit) honores Episcopis Clericisque delati. Anno CCCXVI. decennalia celebravit, CCCXXV. vicennalia. Imperii Romani

* Paneg. Maxim. & Const. dict. p. 3.

† Paneg. Constant. p. 94.

* De Administ. Imp. c. 13. p. 24.

Digitized by Google

mani Monarca factus; & jam deletis hostibus, & pace Orbi Romano datâ, ad res Ecclesiæ procurandas, convocatis undique Episcopis impensiori studio animum adjecit, οἷα τις κοινὸς ἐπίσκοπος ἐκ Θεοῦ καθεσταμένος, inquit Eusebius *, *veluti communis omnium Episcopus à Deo constitutus*. Eodem anno missis undequaque literis, Episcopos ad Concilium Nicænum convocavit; quorum consessus præsentiâ suâ ornavit, disputationes patientissimè audivit; propositas quæstiones sedulò expendit; dubia ingenii acumine solvit, lites & dissidia prudentiâ compescuit, certantes inter se suasu & consilio ad concordiam revocavit; denique saluberrima decreta auctoritate suâ munivit; palàm denuncians Synodi sententiam non aliter ac τοῦ Θεοῦ γνώμην τὴν οὐρανίαν καὶ θείαν ὡς ἀληθῶς ἐντολὴν, libenter esse suscipiendam Et certè, quamvis subdolis Eusebii Nicomediensis, aliorumque artibus postea deceptus ea quandoque fecerit, quæ Arianis favere viderentur; decretorum tamen Nicænorum quoad vixit, tenacissimus erat. Obiit pientissimus hic, & (quo eum elogio ornant sequiores Græci) ἰσαπόστολος, Imperator, impetrato priùs ab adstantibus Episcopis baptismo, manu ut videtur, Eusebii Nicomediensis, utpote loci illius Episcopi (licet id nec Eusebius, nec Socrates, Sozomenus vel Theodoritus referant) Achyrone in Nicomediæ suburbano ipsis Pentecostes solenniis, undecimo Calend. Junii, anno Chr. CCCXXXVII. ætatis suæ 66. Imperii verò 30. cum decem mensibus, Constantinopoli in vestibulo Basilicæ SS. Apostolorum, quam ipse construxerat, sepultus. Inter virtutes animique ornamenta, quibus longè supra purpuram effulgebat, Eruditio, Elegantia, Comitas, teste Aurelio Victore * homine Gentili, illum ad usque astra votis omnium subvexêre. Nec aliter de eo Sext. Aurel. Victor †, seu quisquis tandem fuerit Epitomes autor; quòd nutrire artes bonas, præcipue studia literarum, legere ipse, scribere, meditari solebat. Summus certè fuit doctorum Patronus, ipse non vulgariter eruditus. Hinc declamationes seu conciones, quas de gravissimis etiam argumentis crebras habuit; quibus meditandis totas interdum noctes vigil traduxit. De his videndus Eusebius de Vit. Constant.l.4.cap.29. Quin & extremo vitæ die ipsi jam impendente, funebrem quandam orationem in consueto Auditorio recitavit; cujus summa capita refert Eusebius l. 4 cap.55. *Epistolas* & *Orationes* componebat plurimas, quas è Latino sermone Interpretes ad id muneris designati in Græcum transtulerunt. Ex his (ut constitutiones de personis & rebus Ecclesiasticis, quæ Codicis Theodosiani libro ultimo continentur, jam taceam) extant hodie.

* De Vit. Constant. l. 3. c. 44.

Epi ad Alexan. ap. Socrat. l. 1. c. 9.

* De Cæsar c. 40.

† Epitome c. 60.

Oratio ad Patres in Synodo Nicænâ, ap. Euseb. Vit. Constantin. l. 3. c 12 Aliam ab hâc & multò prolixiorem exhibet Gelasius Cyzic. Hist. Concil. Nicæn. l. 2. cap. 7. quam tamen potiùs ex Historici ingenio fictam, quàm revesâ à Constantino habitam meritò quis suspicari possit.

Oratio ad Sanctorum Cœtum; de quâ vide sis Eusebium ubi supra, cap.32. Extat cum notis Henrici Valesii ad finem librorum de Vitâ Constantini quibus subjici solet.

Epistolæ plures. Scripsisse Constantinum Epistolas pene innumerabiles, sibique in animo fuisse eas separato volumine colligere, Autor est Eusebius ib. c. 24 quod aut nunquam præstitit, aut Collectio ista jamdudum periit. Nos ut damnum illud aliquo saltem modo resarciamus, Epistolarum quæ superstites sunt, indicem, quibusque in locis dispersæ habeantur, hìc subjiciemus.

Epistola ad Melchiadem Episcopum Romanum de Synodo Romæ habendâ in causâ Cæciliani. Extat ap. Euseb. Hist. Eccles. l. 10. c. 5. & Concil. Tom. 1. Col. 1405.

Ad Ælaphium seu Ælianum Africæ Vicarium de Synodo Arelatensi, quam primus extulit Petrus Pithæus. Extat etiam Concil. Tom. 1. Col. 1421.

Ad Chrestum Syracusanorum Episcopum, ap. Euseb. loc. cit. & Concil. Tom. 1. ib.

Ad Episcopos, qui Synodo Arelatensi interfuerunt; in Appendice ad Optat. Edit. *Parif.* & Concil. Tom. 1. Col. 1420.

Ad Probianum Africæ Proconsulem de Ingentio ad se transmittendo, ap. Augustin. Ep. 68. & contra Cresc. l. 3. & Concil. Tom 1. Col. 1439.

Ad *Celsum* Africæ Vicarium de suo in Africam adventu ob Schisma Donatistarum, in Append. Optatianâ, & Concil. Tom. 1. Col. 1440.

Ad Episcopos Africæ & plebem Catholicam de Schismate Donatistarum, in locis supra dictis.

Ad Cæcilianum Carthaginis Episcopum de Eleemosynâ distribuendâ, apud Eusebium l. 10. c. 67.

Ad Anulinum de Immunitate Clericorum. Ibidem.

Ad Eunalium Africæ Vicarium de Sententiâ adversus Donatistas latâ. Habetur inter Acta Colloquii Carthag. c. 516.

Ad Nicomedienses de pace Ecclesiæ à se summo studio procuratâ. In Appendice Optatianâ.

Ad Athanasium Epistolæ II. altera *in gratiam Arii*, altera *de inimicorum suorum insidiis*. Habentur apud Athanasium Apol. 2 p. 604. 609.

Ad Joannem Meletianorum ducem, de unione cum Athanasio fœliciter factâ. ibidem p. 611.

Ad Episcopos Synodi Tyriæ, quâ eos Constantinopolin evocat. Ibid. p. 622.

Edicta II. *de Pace ac Libertate Christianis concedendâ*, apud Eusebium l. 10. c 5.

Epistola ad Optatianum Porphyrium, Panegyrici poëmatis conditorem, extat inter Marci Velseri opera Poëmatio præmissa.

Ad Zuzium, Gallicum, & cæteros in Africa Episcopos missa cum scripto Episcoporum Numidarum. ibid.

Ad Provinciales de falso cultu Polytheismi, quæ & Epistolæ formam, & legis vim habet. Extat apud Euseb. de Vit. Constant l. 2. à c 48. ad c. 60.

Ad Alexandrum & Arium, ap. Euseb. ibid. à c. 64. ad 73. Socrat. l. 1. c. 7. Gelas. l. 1 c. 4.

Ad Alexandrinos de rebus gestis in Nicæna Synodo, apud Socrat. lib. 1. c. 9. Gelas. l. 2. c. 36.

Ad Episcopos & Plebem de Ario & Arianis, dictis locis.

Ad Ecclesias de Synodo Nicæna, ap. Euseb. ibid. l. 3. à cap. 17. ad 20. ap. Socratem & Gelasium locis citatis.

Ad Nicomedienses de Eusebio & Theognide, fragmentum habetur ap. Theodorit. l. 1. c. 20 integra extat ap. Gelas. l. 3. c. 2.

Ad Arium & Arianos, apud Gelasium l. 3. c. 1.

Ad Theodotum Episcopum (ut opinor) *Laodicensem*. ap. Gelas. l. 3. c. 3.

Ad Eusebium Cæsariensem IV. prima de Ecclesiarum ædificatione, ap. Euseb. de Vit. Constant. l. 2. c. 46. Socrat. l. 1. c. 9. Theod. l. 1. c. 17. secunda de sede Antiochenâ, apud Euseb. ibid. l. 3. c. 61. tertia de Sermone in Paschate habito, ibid. l. 4. cap. 35. quarta de conficiendis sacris Codicibus, ibid. l. 4. c. 36. Socrat. l. 1. c. 9. Theod l. 1. c. 16.

Ad Macarium Episcopum Hierosolymitanum II. prima de Martyrio Servatori Hierosolymis ædificando, ap. Euseb. ibid. l. 3. c. 30. 31. 32. Socrat. l. 1. c. 9. Theod. l. 1. c. 17. Secunda de Mamre, ap. Euseb. ibid. l. 3. c. 52. 53.

Ad Arium de reditu suo, ap. Socrat. l. 1. c. 25.

Ad

SÆC. IV. ab An. CCC.

Ad Antiochenos de Eusebio, ap. Euseb. l.3.c.60.

Ad Synodum Antiochenam de eodem, ibid. cap. 62.

Epistola, seu *Edictum adversus Hæreticos*, ibid. cap. 64. 65.

Ad Synodum Tyriam, ibid. l.4.c.42. Socrat. l.1. cap. 34. Theod. l.1.c.39.

Ad Saporem Persarum regem pro Christianis, ap. Theod. l. 1. c. 25.

Ad Alexandrinos in gratiam Athanasii, cujus solummodò fragmentum habetur ap. Theod. l.1.c.27. Integra habetur apud Athanas. Apolog. 2.

His addi possunt *Edicta* quamplurima ad rem Ecclesiasticam spectantia, quæ in Codice Theodosiano, & alibi asservantur.

316. HOSIUS, gente Hispanus, Cordubæ, Senecæ & Lucani natalibus inclytæ, in provinciâ Bœticâ Episcopus, sub persecutione Maximiani confessione nobilis. Interfuit Synodo Illiberi habitæ anno CCCV. seu ex Ferdinand. Mendozæ * calculo CCC. vel CCCI. Apud Constantinum M. summa in gratiâ multos annos floruit, eique erat à sacris Consiliis; ab eo ad Synodum Arelatensem anno CCCXIV. evocatus, ab eodem anno CCCXXIV. Alexandriam ad sedandam controversiam Arianam cum literis missus. Sequente anno principem Nicæno Concilio locum tenuit, ejusque decretis primus subscripsit; quod ex Athanasii Synodico notat Socrates †. Hunc honorem sustinuisse illum tanquam Romani Pontificis legatum, inane est Baronii aliorumque somnium. Negat id ex ipsis Pontificiis F. Bivarius *, qui Hosium tantùm nomine suæ Provinciæ subscripsisse, præsidisque officio functum ob præclaræ ipsius doctrinæ & confessionis merita contendit; duosque alios doctos pariter ac graves scriptores ex Hispanis sibi hâc in parte ὁμοψήφους adducit. Anno 347. Synodo Sardicensi præsidebat, ejusque præcipuè cura ac prudentia XX. Canones conditi sunt. Tanto certè apud omnes in honore fuit, tantâ pollebat autoritate, ut Ariani illum per fas & nefas in partes suas pertrahendum esse meritò judicarent. Variè ab iis tentatus est sed frustra. Demum anno 356. exilio Sirmiensi multatus, anno proximo exilii & ærumnarum pertæsus, adhibitis etiam fidiculis & tormentis fractus, homo jam centenarius, *nimiumque sepulchri sui amans*, ut Hilarii * de eo verbis utar, manus dedit; & Arianæ formulæ blasphemæ quidem, (si modò ista fuerit, quam refert Hilarius) quin &, si non fallat titulus, ab ipso compositæ subscripsit. Ut ut sit, constat liquidò Hosium cum Arianis communicâsse; quem etiam tradit Philostorgius †, non modò τὸ ὁμοούσιον, sed & Athanasium damnâsse; reclamante tamen & disertè id negante ipsomet Athanasio §. Mitto quæ de ejus in Hispaniam reditu, furore seu insanâ crudelitate erga Catholicos, denique infœlici exitu habent Marcellinus & Faustinus è schismate Luciferiano tempore Theodosii Imper. Presbyterii, atque ex iis Appendix ad Ildefonsum de Scriptoribus Ecclesiasticis. Testis omni exceptione major est Athanasius *, Hosium moriturum Arianorum in se vim protestatum esse, eorum Hæresin condemnasse, & à quoquam probari aut recipi vetuisse. Obiisse videtur Abrahamicus ille senex, ὁ ἀληθῶς Ὅσιος, uti de eo Athanasius †, ann 361. centenario major, postquam sedem suam Episc. ferè 70. annos tenuisset. Etenim sexagesimum à confessione sub Maximiano annum jam agebat, cum vis ei ab Arianis Syrmii inferretur; nec tempore Synodi Illiberitanæ illum recens tunc Episcopum factum esse rectè observat Ferdinand. Mendoza *, quod in subscriptionibus hujus Synodi nomen non postremo, sed medio (i. e.) undecimo loco reperitur. Ex Epistolis ejus unica hodiè superest, scripta ad *Constantium Imperatorem* ap. Athanas. Epist. ad solitarios; illustre quidem fidei, pietatis, & fortitudinis monumentum. Ejus quoque opera condita est Nicænæ fidei formula, fatentibus ipsis Arianis ap. Athanas. loc. cit. Epistolam ejus de laude Virginitatis ad Sororem suam pulchro ac diserto comptam eloquio memorat Isidorus Hispalensis, de Scriptor. Eccles. c. 1. sed vereor ne dudum perierit.

*Comment. in Conc. Il-lib. lib. 1. c. 2.

† L. 1. c. 13.

* Comment. in Dextri Chron. ad an. 324.

*De Synod. col. 360.

† L. 4. c. 3.

§. Ep. ad Solitar. p. 361.

* Loc. cit.

† Ibidem.

* Ubi supra. c. 11.

316. P. II. JOANNES, Presbyter Nicomediensis claruit anno CCCXVI. Interfuit (si solâ ejus fide nitendum sit) Certamini & Passioni S. *Basilii* Amasææ in Ponto Episcopi, qui sub Licinio Imperat. anno CCCXVI. illustre martyrium consummavit, ejúsque *martyrii Historiam* in Acta retulit. Extant, sed à Metaphraste, ut videtur, interpolata, tùm alibi, tùm apud Bollandianos. *April.* XXVI. Vide Baron. ad ann. CCCXVI. n. 14. & seqq.

324. EUSEBIUS, *Nicomediensis* dictus, Julianum Imperat. qui puer adhuc sub eo educatus erat, genere, ut opinor, materno longiùs contingebat. Vid. Ammian. Marcell. l. 22. inter Luciani Martyris discipulos fuit, inde *Collucianista* titulo ab Ario insignitus. Primùm Beryti in Syriâ Episcopus, inde Nicomediam, imperii Orientalis tunc temporis sedem, veluti Romæ æmulam, nuper à Diocletiano mirè exornatam, vir supra modum ambitiosus transferri se curavit. Arium vulgatâ suâ Hæresi ab Episcopo proprio damnatum & ejectum in clientelam suam recepit; amicitiam cum eo & communionem coluit, ejusque causam missis ubique literis gnaviter egit. Idem prorsus cum Ario docuit, filium nempe non modò κτιστὸν εἶναι καὶ θεμελιωτὸν καὶ γεννητὸν τῇ οὐσίᾳ, sed & alterum ab ingenito verè esse, & non ex ejus substantiâ factum, nec ullo modo participem naturæ illius, nec è substantiâ ejus existentem, verùm naturâ & virtute prorsus diversum, ad perfectam licet similitudinem naturæ virtutisque opificis sui conditum. Eadem porro dogmata docere non contentus, totius factionis dux ac signifer evasit, omniumque malorum, quæ in Athanasium machinabantur Ariani, ἐργοδιώκτης unicus. Inde Arii Sectatores vulgò *Eusebiani*, & οἱ περὶ Εὐσέβιον dicti. In Nicæno Concilio ab Ario stetit, donec sententiam ejus plenis patrum suffragiis damnatam videns, ipse fidem Synodicam amplexus est; quo non obstante, tertio post Synodum mense cùm novas turbas moliretur, Nicænæ fidei contraria palam prædicaret, Arianæ factionis homines hospitio exceperit, seque illorum malitiæ socium ac participem adjunxerit, Imperatoris jussu in exilium mittitur: indignante etiam Constantino, quòd durante nupero civili bello non solùm exploratores contra se emiserat, & propemodùm armatum ministerium Licinio præbuisset, sed & tyrannicæ crudelitatis consectaneus, multorum Catholicæ Ecclesiæ Episcoporum cædis autor extitisset, uti Constantinus * Epistola ad Nicomedienses apertè testatur. Post exactum in exilio triennium, oblato pœnitentiæ libello, & Nicænæ fidei se plenè consentire professus, ab exilio revocatur, sedique suæ restituitur. Mortuo demum Constantino, Ariani Constantium filium multò sibi faventiorem experti sunt: sub cujus ferè regni primordiis, anno CCCXXXVIII. Paulo sede Constantinopolitanâ per vim depulso, Eusebius semper sui similis, relictâ Nicomediâ, regiæ urbis throno se protinùs ingessit. Obiit tempore Synodi Antiochenæ, anno circiter 342. Ex *Epistolis*, quas plures scripsit, unicam *de Ario*, ejusque do-

Ep. ap. Theod. l. 1. c. 6.

*Ap. Theod. l. 1. c. 20.

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC.

dogmatibus conservavit nobis Theodoritus l. 1. c. 6. Aliam memorat Ambrosius † in Concilio Niceno lectam, in quâ hujusmodi argumento usus est Eusebius. *Si verum*, inquit, *Dei Filium & increatum dicimus*, ὁμοούσιον *cum Patre incipimus confiteri. Hinc vocabulum istud Symbolo suo inserendi occasionem Patres Niceni arripuerunt, quia id adversariis formidini esse vidissent, ut tanquam evaginato ab ipsis Hæreticis gladio nefandæ Hæreseos caput amputarent.* Neque alius forsan ab hac Epistolâ fuit *libellus* iste, quem coram Synodo Eusebium protulisse narrat Eustathius Antiochenus *, ejusque blasphemiæ certissimum argumentum vocat; qui palàm recitatus cunctis audientibus, ob doctrinæ pravitatem, immensum dolorem attulit, adeoque in omnium conspectu discerptus est. Non enim fuisse Eusebii Cæsariensis *Symbolum*, quod vult doctissimus Valesius †, vel inde liquet, quòd Formula Eusebiana, quæ in Epistolâ ejus ad Cæsarienses etiamnum extat, ne levissimam quidem blasphemiæ aut impietatis umbram contineat; quin potiùs & ab Imperatore, & à totâ Synodo probata fuerit; ut ipsemet in eâdem Epistolâ clarissimè testatur.

† De Fide l. 3. c. 7.
* Ap. Theod. l. 1. c. 8.
† Annot. in Theod. p. 10.

325. EUSTATHIUS, Side urbe Pamphyliæ maritimâ ortus est, quem Nicetas Choniates *, nescio quâ auctoritate ductus, è Philippis Macedoniæ urbe originem traxisse tradit. Claruit anno 325. Primùm Berœæ in Syriâ, deinde Antiochiæ Episcopus ab ipsis Patribus in Niceno Concilio constitutus, referente eodem Nicetâ; quod quidem in prioribus hujus Synodi sessionibus factum esse oportet. Primus omnium, inquit Theodoritus *, Constantino Synodi nomine Panegyricum dixit, Eusebio Cæsariensi id munus tribuentibus aliis. Alexandro autem Alexandrino id adscribente Nicetâ §. MS. quidam Theodoriti Codex Allatianus, cui consentit Historiæ tripartitæ Auctor, habet tam Eusebium quàm Eustathium Imperatorem præliminari oratione salutâsse. Fidem Catholicam omni conatu Eustathius propugnavit, acerrimus Arianorum hostis, quem idcircò sedem Antiochenam diu tenere non passi sunt Revocatus ab exilio Eusebius Nicomediensis, & Theognis Nicænus coactâ apud Antiochiam Synodo Eustathium ante omnia deponendum censuerunt; ac primùm accusante illum Cyro Berœensi Episcopo, tanquam Sabelliani dogmatis fautorem criminantur, quod ex Georgio Laodiceno refert Socrates *; qui tamen Georgium, veluti parùm sibimet hâc in re constantem coarguit: deinde fœdæ libidinis crimen ei objiciunt, & hoc pacto scenam instruunt. Conductam infamem mulierculam cum infante uberibus admoto in Synodum introducunt impudenter vociferantem, & adhibito in fabulæ fidem jurejurando affirmantem, se ex Eustathii concubitu infantem istum peperisse. Judices sine morâ in virum sanctissimum sententiam dicunt; & re quantocyùs ad Imperatorem delatâ, ejus jussu Trajanopolim Thraciarum urbem relegatur Eustathius. Tertiam his adde ex Athanasio * calumniam, nempe Eustathium in Imperatoris matrem fuisse contumeliosum, Helenam intellige, quæ hoc tempore in Oriente versabatur. Referunt id Baronius †, Petavius §, aliique ad annum 340. Athanasii * Hieronymique † testimonio præcipuè nixi, qui Eustathium sub Constantio in exilium missum fuisse scribunt. At verò contigisse hæc sub Constantino non diu post Eusebii Nicomediensis reditum nempe circa annum 329. vel 330. testes sunt Socrates §, Sozomenus *, Theodoritus †, & Philostorgius §, Idque multis firmatur argumentis. 1° Eusebii Cæsariensis ad sedem Antiochenam electionem in Eustathii depulsi

* Thes. Orthod. Fid. l. 5. c. 9.
† L. 5. c. 6.
† L. 5. c. 7.
§ Ibid. c. 7. Vid. Vales. Annot. id Theod. p. 9.
* L. 1. c. 24.
Vid. Theod. l. 1. c. 21.
* Epist. ad Solit. p. 619.
† Ad an. 324. N. 144. an. 340. nu. 21.
§ Dogm. Theol. To. 2. l. 4. c. 4.
* Loc cit.
† De Script. c. 85.
§ L. 1. c. 24.
* L. 2. c. 19.
† L. 1. c. 21.
§ L. 2. c. 7.

locum hoc tempore factam fuisse, ipsius Constantini literæ & capitis Eusebiani titulus clarissimè demonstrant 2°. Flaccillus, tertius, aliis quartus Antiochiæ post Eustathium Episcopus Synodo Tyri anno 335. vivente adhuc Constantino, habitæ, interfuit, ut ex Episcoporum Ægypti ad Dionysium Comitem, & ipsius Comitis ad Eusebianos literis hujus Synodi tempore scriptis luculenter constat. 3°. Meletius, quem anno 360. in Episcopatu Antiocheno successisse constat, ad hanc sedem 30. post Eustathii depositionem annis translatus est, ut ex Theodorito * colligi potest. 4°. Disertè testatur Socrates † Eustathium πρὸς ὀλίγον, exiguo temporis spatio Antiochenam Ecclesiam rexisse, quod falsum omnino foret, si in eâdem à Concilio Niceno ad Constantii tempora, multò magis ad annum 340. permansisset. Ex his manifestissimum fit, mendam in Athanasio & Hieronymo cubare, ac Constantii nomen pro Constantino irrepsisse, quod & Sophronius Hieronymi interpres, & antiquiores Hieronymi editiones agnoscunt: & proinde errare ipsum Baronium *, qui temerè pronunciat, Socratem, Sozomenum, Theodoritum, aliosque hos secutos de Eustathio omnino errare videri, dum ipsum à Constantino Augusto in exilium amandatum esse dicunt. Quocirca Baronium merito reprehendunt Clar. Valesius †, & Jacobus Gothofredus *, ejusque argumenta diluunt. Sed his missis ad Eustathium redeamus, cujus innocentia & nefariæ inimicorum insidiæ clarissimè tandem detectæ sunt. Etenim misera illa muliercula in gravissimum morbum lapsa, palam fassa est, se ad fabulam agendam mercede fuisse conductam, & solummodò in nomine Eustathii prævaricatam; Eustathium quippe quendam fabrum ærarium infantis patrem fuisse. Obiit exul sanctissimus Confessor Trajanopoli in Thracia, ubi & conditus est. Alius ut sit à nostro, oportet, Eustathius Antiochenus à Joviano revocatus, à Valente iterum in Bizuam Thraciæ oppidum relegatus; de quo Socrates *, Sozomenus †, alii. Præclaro quidem encomio Eustathium nostrum effert Athanasius *, Ἀνὴρ ὁμολογητὴς καὶ τὴν πίστιν εὐσεβὴς, πολὺς ὢν ζηλῶν ὑπὲρ τῆς ἀληθείας. *Vir confessione clarus, religione pius, qui magno zelo pro veritate dimicavit, & Arianam Hæresim odio prosecutus est.* Commendat illum Sozomenus †, tum ob alia, tum quod esset ἐπὶ εὐγλωττίᾳ δικαίως θαυμαζόμενος *eloquentiæ causâ merito admirandus; quemadmodum*, inquit, *ex libris ejus qui hodiè extant, licet cognoscere*, ἀρχαιότητι φράσεως καὶ σωφροσύνῃ νοημάτων, ὀνομάτων κάλλει καὶ χάριτι ἐπαγγελίας εὐδοκιμῶν, qui tum *ob priscum eloquentiæ genus, & ob gravitatem sententiarum, tum ob verborum elegantiam, & in rebus explicandis venustatem magnopere probantur.* Ex his supersunt.

* L. 2. c. 31.
† L. 6. c. 13.
* Not. ad Martyrol. Jul. 16.
† Annot. ad Euseb. de Vit. Constant l. 3. c. 59.
* Dissert. in Philost. l. 2. c. 7.
* L. 4. c. 13. 14.
† L. 6. c. 13.
* Ep. ad Solit. p. 629.
† L. 2. c. 19.

Oratio brevis ad Constantinum Imp. in Nicænâ Synodo. Extat, si modò genuina sit, apud Gregorium Presbyterum Oratione de Patribus Nicænis, quam Latinè exhibet Surius Julii X. Num 6. Gr. Lat. Auctuar. Combefis. Tom. II. p. 547.

Commentarius in Hexaemeron; primus Græcè & Latinè edidit, notasque uberiores & collectanea addidit Leo Allatius, *Lugd.* 1629. 4°. Non levem huic operi litem movent eruditi, & meritò quidem: Etsi enim in quibusdam locis argumentum, quod in se susceperat, satis commodè pertractet Auctor, majori tamen sui parte claudicat opus; ineptis fabulis de Beatâ Virgine, ejusque Parentibus (ut alia jam taceam) ex Jacobi Proto-evangelio deprompris, ab Eustathii doctrinâ, judicio, gravitate alienis, refertissimum. Nec ego puto quenquam sani judicii affirmare, vel Jacobi Evangelium Eustathii ætatem sapere, vel Eustathium virum quidem gravem atque eruditum istud suo calculo

Vid. Euseb. de Vit. Constant. l. 3. c. 69. 70. &c. Ap. Athan. Apol. 2. p. 618.

Digitized by Google

 culo approbâsse. Suspicari forsan licet totam illam de Beatâ Virgine, aliisque quæ sequuntur fabulam, à recentiori manu accessisse. Certè integra ista periodus à paginâ 68. ubi de Jacobi Patriarchæ filiis agit, usque ad paginam 75. ubi eandem materiam denuò resumit, satis ἀπροσδιόνυσ☉ videtur, & in locum non suum importunè intrusa: demptâ enim hâc parte reliqua optimè cohærent. Vidit hoc Impostor, ac proinde fabulosam narratiunculam hâc cautione claudit, se hæc tantùm ὡς ἐν παρόδῳ dixisse. Aut hoc dicendum est, aut integrum opus Eustathio abjudicandum; & utrumque forsan à vero non longè abludit. Certè Eustathium nostrum hujusmodi opus elucubrasse, nullus neque veterum, neque recentiorum nobis prodidit. Neque de auctore suo confidenter ut solet aliàs, loquitur qui primus edidit ipse Leo Allatius, nullo alio testimonio, nisi Codicum MSS. titulis nixus. Quam verò fallaces, quàm incerti sæpius sint librorum MSS. tituli nemo nescit. Quisquis sit, vixit, saltem vixisse videri voluit, trigesimo Constantini anno, id est, an. Christi CCCXXXV. saltem sequenti. Neque tamen hoc modo sibi constat accurata supputandi ratio, cum ait pag. 55. à Christo (demus id de anno Dominicæ Passionis intelligi) trigesimum annum Constantini, numerari annos CCXLIX. Esto verò scriptor Eustathio coævus, at de interpolatione fabulisque eadem manet difficultas. Solvant nodum eruditi.

Dissertatio de Engastrimytho adversus Origenem, quâ acriter in Origenem, ejusque sententiam invehitur. Et quidem Eustathium inter primarios Origenis obtrectatores recenset Socrates *. Hanc Dissertationem Gr. Lat. edidit idem Allatius unà cum eruditissimo ejusdem argumenti Syntagmate loco & anno supra dictis. Habetur etiam *Criticorum sacrorum Londini* impressorum Tomo octavo. Scripsit item, quæ interciderunt, saltem lucem adhuc non viderunt præter infinitas Epistolas,

*L. 6. c. 13.

Librum de Anima, cujus fragmenta quædam exhibet Theodoritus, Dial. 1. 2. 3.

Sermonem sive *Homiliam in illud* Proverb. VIII. *Dominus creavit me initium*, &c. Fragmentum extat ap. Theod. Hist. Eccles. l. 1. c. 8. & plurima alia ap. eundem Dialog. 1, 2, 3. bina apud Facundum, lib. 11. c. 5. aliud apud Anastasium in Collect.

Interpretationem Psalmorum. Fragmenta aliquot in Psalmos XV. & XCII. extant ap. eundem Dialog. 1, 3. Citat etiam Theodoritus Dialog. 2, 3. Eustathium nostrum εἰς τὰς ἐπιγραφὰς τῆς στηλογραφίας & εἰς τὰς ἐπιγραφὰς τῶν ἀναβαθμῶν, , quæ pars fuisse videntur Commentariorum in Psalmos.

325. JACOBUS, ob summam rerum divinarum humanarumque scientiam *Sapiens* dictus, patriâ Mesopotamiensis, cui Antiochia, Amygdonia (Nisibin Syri appellant) urbs in confinio Imperii Romanorum & Persarum sita, ortum dedit. Ab ineunte ferè ætate vitam egit duram ac solitariam, in sylvis & montibus & speluncis degens, continuò jejuniis, asperrimisque severioris disciplinæ officiis se exercens. Sub Persecutione Maximini Confessione claruit; ad Patriæ Urbis Episcopatum tandem evectus. Anno CCCXXV. Concilio Nicæno interfuit, doctrinæ Orthodoxæ vindex primarius, τῶν ὀρθῶν ὑπερμαχήσων δογμάτων, διά τις ἀριστεὺς καὶ πρόμαχος ἁπάσης φάλαγγος, inquit Theodoritus *, *ut fortissimus bellator & totius agminis princeps pro veris dogmatibus dissertaturus.* Addit eo in loco Theodoritus illum junctis cum Alexandro ad Deum precibus, infaustum exitum Ario imprecatum; enormi tamen errore hæc ad Alexandrum Alexandriæ Episcopum & Synodi Nicænæ tempus referens. Sub initium Principatus Constantii circa an. CCCXXXVIII. Sapor Persarum Rex Nisibin Romanis tunc subditam arctâ obsidione cinxit; cujus omnes machinæ & tela sancti viri precibus irrita evasere: & cùm præterlabentis urbem fluvii, cujus cursum ingestis aggeribus Sapor inhibuerat, violento impetu murus corruisset, ab incolis Jacobi precibus animatis unâ nocte reædificatus est. Tandem in turri quâdam constitutus Deum oravit Jacobus, ut ciniphum & culicum turma in hostes emitteretur. Dictum factum. Equi enim, elephanti, cæteraque Persarum jumenta, cùm animalculorum aculeos ferre non possent, ordinibus conturbatis, & excussis sessoribus in fugam se dederunt. Ita Rex infœlicissimus recedere coactus ignominiam pro victoriâ reportavit. Hæc pluribus Theodoritus, qui non uno loco testatur * Jacobum Apostolicis miraculorum donis claruisse, mortuos suscitâsse, futura prædixisse, aliaque stupenda fecisse, quorum plura exempla profert Historiæ φιλοθέου capite primo. Vitam clausit regnante Constantio, in urbe natali sepultus; cujus sacri corporis reliquias, teste Gennadio †, Julianus Imp. Nisibin ingressus civitate efferri jussit. Sozomenus * verò solummodò, ait Julianum illàc transeuntem, Nisibenis minatum esse, se nec opem illis laturum, nec legationem admissurum, nec in ipsorum urbem ut pote sceleratam, pedem priùs illaturum esse, quàm eos ad Gentilium religionem se transtulisse didicisset. Ego Theodorito † utpote viciniori potiùs credendum sentio, qui tradit, Nisibi à Joviano Juliani successore Persis traditâ, incolas penè omnes urbe excessisse, & Episcopi sui τοῦ προμάχου corpus secum detulisse. Nullum illi inter Scriptores Ecclesiasticos locum tribuit Hieronymus; quòd Opera ejus Hieronymi ætate, uti rectè observat Gennadius †, nondum è Syro sermone conversa fuerint.

* Ubi supra & Hist. Eccl. [illegible]

† De Script. Eccl. c. 1.

* L. 5. c. 3.

† Hist. Relig. c. 1.

† Loc. cit.

Scripsit, eodem teste, Opus ingens XXVI. libris constans, nempe *De Fide adversus omnes Hæreses, de Charitate generali, De Dilectione erga proximum speciali, De Jejunio, de Oratione, De Resurrectione, De Vitâ post mortem, De Humilitate, De Patientiâ, De Pœnitentiâ, De Satisfactione, De Virginitate. De Sensu Animæ, De Circumcisione, de Acino benedicto*, pro quo in Isaia legitur, *non est exterminandus Botrus, De Christo, quod Filius Dei sit & consubstantialis Patri, De Castitate adversus Gentes, De Constructione Tabernaculi, De Gentium Conversione, De Regno Persarum, De Persecutione Christianorum*, item *Chronicon* in quo Divinarum Scripturarum authoritate eorum ora compressit, qui audaci suspicione de Adventu Domini nostri inaniter philosophantur. De his verò plura dicere supersedeo, quia ampliùs non extant. Habetur in Bibliothecâ Lugduno-Batavâ inter libros MSS. quos ex Oriente advexit Jacobus Golius n. 87. fol. Jacobi Edesseni *Hexaemeron ad Constantinum*, seu *Historia Creationis & Creatarum rerum* Syriacè: an verò Jacobi nostri Opus sit judicent alii: certè temporis ratio optimè congruit. Næ verò illi lepidè nugantur, qui Jacobum nostrum *Canonum* LXXXIV. *Arabicorum* Nicæni Concilii compilatorem faciunt. Canones istos post Justiniani Imper. ævum confictos esse pluribus confirmat Cl. Pearsonus Vindic. Ignat. par. 1. p. 187.

*Hist. Relig. c. 1. Oper. To. 3. p. 768.

ATHANASIUS, Alexandriæ, urbium post Romam omnium celeberrimæ parentibus honestis pietate & virtute conspicuis natus est. Mitto quæ de eo adhuc puero Episcopi personam induente, baptismumque per sacrum quendam ludum celebrante vulgò narrant. Fabulam certè esse & nunc & olim suspicatus sum. Primus hanc historiam extulit Rufinus, Scriptor nimis credulus, quique hæc 326

ex

SÆC. IV. ab An.CCC.

ex solo auditu refert, ipse à re gestâ integro penè sæculo remotus: nec leve præjudicium videri debet rem adeò memorabilem omnes hujus ævi Scriptores latuisse, neminemque ante Rufinum de eo vel verbulum inaudivisse: neque alia desunt quæ idem suadeant argumenta; modò his immorari vellem. Sed cum Athanasio pergamus. Bonis literis institutus in Alexandri Episcopi contubernium ascitus est; qui illum Notarium, deinceps habuit, & Diaconorum Primicerium postea constituit. In Synodo Nicæna Alexandro Arium fortiter oppugnanti mirâ dexteritate suppetias tulit; & disputatione habitâ Hæretici versutias expugnavit: unde per totam vitam Arianos sibi quam infensissimos expertus est. Elapsis quinque post Synodum mensibus, mortuo Alexandro anno cccxxvi. communi Catholicorum suffragio Ecclesiæ Alexandrinæ præficitur, ætatis suæ anno, ut videtur, vicesimo octavo. Munus sibi commissum quo minùs in pace diu obiret inquies & obfirmata Eusebianorum malitia obstitit. Tentatis frustra variis calumniarum technis, tandem anno cccxxxiv. Cæsaream ab Episcoporum nonnullorum sibi infensorum Synodo eò loci coacta evocatur fictæ Arsenii Meletiani cujusdam Episcopi necis rationem redditurus. Verùm adesse noluit Athanasius, Episcoporum inimicitias veritus. Subiratus igitur Constantinus Imperator aliam Synodum anno sequente Tyri habendam indixit: ubi causam Athanasii apertè magis & γυμνῇ κεφαλῇ ventilare cœperunt Eusebiani; fictisque illum injuriæ, tyrannidis, stupri, homicidii Magicæ artis gratiâ commissi, confracti Calicis Mystici, Sacrorum Codicum igni datorum, subversæ mensæ Dominicæ, quin & illegitimæ ordinationis criminibus onerantes Sede suâ deposuerunt. Verùm Athanasius relictâ prius Tyro Constantinopolim profectus, Imperatorem de fœdissimâ Episcoporum injustitiâ certiorem fecerat. Anno igitur CCCXXXVI. Constantinopolim acciti Eusebianorum Antesignani novi cujusdam criminis Athanasium apud Imperatorem postularunt, suggerentes comminatum eum esse, prohibiturum se, ne annona ex Alexandriâ Constantinopolim quotannis vehi solita mitteretur. Quâ accusatione motus Constantinus mox eum Treverim Galliæ Belgicæ urbem relegavit. Post annum integrum & sex circiter menses sublato è vivis Constantino, Constantini junioris literis dat.xv. Cal. Julias anno CCCXXXVII. sedi suæ restituitur. Quem tamen anno CCCXLI. Synodus Antiochena renovatis calumniis secundâ jam vice deposuit, suffecto in ejus locum Gregorio Cappadoce, obscuro & nullius nominis viro. Verùm antequam ovile lupus invaderet; fuga se Athanasius Romam se contulerat: eò à Julio Episcopo evocatus; ubi à Synodo anno CCCXLII. habita criminibus sibi intentatis absolutus est. Hac in Urbe, aliisque Occidentis partibus, per aliquot annos hæsit; donec anno CCCXLVII. decreto Synodi Sardicensis iterum absolutum & in integrum restitutum Constantius Imp. interpellante fratre Constante, Ecclesiæ Alexandrinæ reddidit. Verùm iterum nubes post pluviam. Anno CCCLIII. Synodi Arelatanæ, anno CCCLV. Mediolanensis decretis iterum condemnatus, ac sede suâ deturbari jussus, anno sequente à grassante in Catholicos Alexandrinos Arianorum factione Ecclesia sua expellitur; ac pro eo Georgius Cappadox, Gregorii, qui diem dudum obierat, Gentilis, bipedum nequissimus, militari satellitio stipatus substituitur. Enormem hoc loco Dorothei Metropolitæ Monembasiæ, qui vulgari seu barbaro idiomate Synopsin Historiarum Græcè edidit, errorem notare liceat, ubi de Constantio sic loquitur*. Τῷ δὲ ιε. Χρόνῳ τῆς αὐτῆς βασιλείας ἐξόρισε τὸν μέγαν Ἀθανάσιον εἰς τὴν Ἐγλιτέραν, καὶ ἐχειροτονήθη Φίλιξ ὑπ' αὐτῷ. *Decimo quinto imperii sui anno magnum Athanasium in Angliam relegavit; ejusque in locum Fœlix ordinatur.* Ubi nullum dubium esse potest pro Athanasio Liberium intelligi debere, non in Angliam seu Britanniam, sed Berœam Thraciæ relegatum. Fugatus Athanasius in desertissimam Thebaidis solitudinem se recepit; in qua usque ad mortem Constantii salvus delituit, orationibus, jejuniis, aliisque pietatis officiis, Epistolis & Apologiis concinnandis securè vacans. Imperante Juliano, ab exilio revocatus Synodum habuit de vera significatione vocum οὐσίας & ὑποστάσεως statuenda, deque lapsis Episcopis ad sedes suas recipiendis. Mox exul factus anno CCCLXII. conspirantium in se Gentilium & Arianorum insidias non sine summo capitis discrimine evasit: de quibus festivè dixit; *Secedamus paulisper, ô Amici; nubecula est, quæ cito evanescet.* Anno CCCLXIII. Jovianum Imp. Antiochiæ convenit, eique libellum de fide obtulit. Sub initia Imperii Valentis ad supplicium exiliumve à Præfecto Augustali quæsitus sese occultavit: at evanescente hac quoque nubecula quietus deinceps & securus vixit. Tandem laboribus, ærumnis, molestiis fractus succubuit: & sanctissimam animam cœlo reddidit, anno Christi CCCLXXI. Episcopatûs sui XLVI. Ita enim Socrates * disertè tradit: licèt id Baronius †, eumque secuti ex Neotericis plurimi, in annum sequentem rejiciant: quin & Proterius in Epistola * ad Leonem Papam Athanasium mense Martio anno CCCLXXIII. superstitem fuisse scribit. Vir erat omni virtutum genere cumulatissimus in tuenda Catholica veritate constantis & invicti animi, ærumnis, periculis, difficultatibus cedere nescii; τοῖς μὲν μαχομένοις Adamas, τοῖς δὲ στασιάζουσι Magnes: in cæteris disciplinis non infœliciter versatus, in Theologicis accuratissimus, Controversiarum sui sæculi, si quis alius, callentissimus, doctrinæ Orthodoxæ Judex simul ac vindex acerrimus; ad Conciones Ecclesiasticas, & quæ sacri sunt muneris, maximè idoneus, & ut scitè Sozomenus *: ἕως ἐκ νέου αὐτοδίδακτος, Summatim de eo ac planè eleganter ὁ τῶν Σασίμων †, ὅρος μὲν ἐπισκοπῆς ὁ ἐκείνου βίος καὶ τρόπος, νόμος δ' ὀρθοδοξίας τὰ ἐκείνου δόγματα. *Vita ipsius, morumque ratio Episcopatûs norma erat; dogmataque ejus pro fidei Orthodoxæ lege habebantur.* De stylo ejus ita Photius *, κομψῶς τε καὶ λαμπρῶς καὶ ἔτι σαφῶς συντεθειμέναι, (Epistolæ Athanasii) καὶ τὸ πιθανὸν κατὰ τοῦ χαρίεντος ἀνθοῦσαι, *Eleganter simul & splendidè, claréque compositæ sunt, persuadendi insuper vi ac venustate floridæ.* Σαφὴς μὲν ἔστιν πανταχοῦ τῶν λόγων αὐτοῦ. *Dilucidè dicit in omnibus suis scriptis.* Denique τὴν μὲν οὖν φράσιν σαφής τ' ἐστὶν (in libris suis contra Arium) ὡς καὶ ἐν πᾶσιν, καὶ ἀπέριττος καὶ ἀφελής, δριμὺς καὶ βαθὺς, καὶ λίαν τοῖς ἐπιχειρήμασιν ἐρρωμένος, καὶ τὸ γόνιμον δ' αὐτοῦ ἐν τούτοις ἠλίκον, ὅσον καὶ θαυμάσιον. *Dictio in his perspicua, ut & in cæteris ejus omnibus sobria item & candida, vehemensque ac profunda, & argumenta validè torquens; ejus verò ubertas in his ac fœcunditas admodum sanè fuit mirabilis.* Cæterùm quanto olim in pretio Athanasii scripta habita fuerint, Cosmæ Abbatis piissimi præceptum Joanni Moscho * datum testatur. *Cum inveneris aliquid, inquit, ex opusculis sancti Athanasii, nec habueris chartas ad scribendum, in vestimentis tuis scribe illud.*

* Συνοψ. Διαφορ. ἱστορ. p. 016.
Cave Hist. Lit.

* L. 4. c. 20.
† Ad annum CCCLXXII.
* Edit. à Buchero Com. in Victor. Can. Pasch. c. 2. p. 84.
Naz. Encom. Athan. Orat. 21. p. 392.
* L. 2. c. 17.
† Ibid. p. 397.
* Cod. 32. 139. 140.
* Prat. Spirit. c. 40.

SCRIPTA SEQUUNTUR.

OPERA QUÆ EXTANT GENUINA.

Oratio contra Gentes.

Oratio de Incarnatione Verbi, quem librum

secundum contra Gentes, cujus, Hieronymus † meminit, esse constat.

† De Script. c. 87.

Duabus Athanasii Orationibus, *viz. contra Gentes*, *& de Incarnatione Verbi*, litem movet D. Asixius; authoremque ad secundi sæculi finem vixisse putat: 1. Quod Marcionis dogma confutat: 2. Quod Antinoum Hadriani Imperatoris amasium, quasi novitium numen proscindit: 3. Quod ἀποθεώσεις adhuc vigere significat. Has viri clarissimi objectiones in medium proferre placuit, eruditis ulteriùs excutiendas. Interim notare liceat, 1. Authorem Marcionis nuspiam disertè meminisse: dogma quidem de origine mali, duplicique principio refutat; id verò plurimorum erat inter gentes Philosophorum, non minùs quàm Valentini, Marcionis, Manetis, &c. inter Hæreticos. Et etiamsi concedatur, dogma Marcioniticum confutasse, non inde sequetur, ipsum Marcionis ætate vixisse, 2. Quòd dicit Antinoum, τὸν νῦν inter numina relatum esse, forsan non alio sensu intelligi debet, quàm quod suo adhuc tempore pro Deo habitus sit. 3. De Romanorum consecrationibus hæc habet: Καὶ μὴ τι θαυμάσῃς μηδὲ μακρὰν πίστεως εἶναι τὸ λεγόμενον νομίσῃς, ὅπου γε οὐ πάλαι πολλῷ πρότερον, ἢ τάχα καὶ μέχρι νῦν Ῥωμαίων σύγκλητος τοὺς πώποτε &c. i. e. Interprete P. Nannio, *Ne mihi hic dubius hæsites, neve longè à fide rem abesse credas, quod dico; non ita pridem, & fortaße etiam nunc, Romanus Senatus suos ab origine Imperatores, aut omnes, aut saltem eos, quos ipsis libitum est, cœlo arisq; dedicant, legibusque & Senatus-consultis Deos esse jubent.* Hæc de temporibus Athanasianis, vel Athanasium immediatè præcedentibus, quando longè major Senatus Romani pars Gentilium sacris mordicus adhuc adhærebant, commodè dici poterant, ægrè autem de secundo sæculo, quando ἀποθεώσεις Romanæ, pleno Ceremoniarum apparatu peragebantur. Ut ut sit, certum est, Orationem *contra Gentes*, præterquam quòd constanti fide eam Athanasio tribuunt Codices MSS. à Synodo Constantinopolitana adversùs cultum Imaginum anno DCCLIV. congregata, sub Athanasii nomine citari; quibus hac in re ne hilum quidem reponunt Nicænæ II. Synodi Patres, Act. VI. pag. 481. Oratio verò *de Incarnatione*, quam ejusdem esse authoris nemini dubium esse potest, tanquam Athanasii citatur à Theodorito *Dial.* III. pag. 161. 162. ubi plurima ex eo loca profert, ut Hadrianum Papam, Photium, aliosque mittam.

Contra Arianos Disputationes seu *Orationes* V. Πεντάβιβλον contra Arianos vocat Photius, easque τρόπαιον κατὰ πάσης μὲν τῆς αἱρέσεως, ἐξαιρέτως δὲ τῆς Ἀρειανῆς, Trophæum adversùs omnes, potissimùm verò Arianam, Hæreses esse dicit Cod. 140. (quem locum paulò integriorem, quàm in editis extat, exhibet Pet. Flecmannus in Append. ad Op. Athanas. p. 6.) earumque stilum, methodum, ubertatem, argumentationes, omnia denique mirè commendat; ex his etiam seu ex fonte Gregorium Theologum, Sanctumque Basilium limpidos sacrorum librorum contra Arii errores rivulos derivasse scribit. Cæterùm & in Codd. MSS. & apud Priscos Scriptores mirum, quàm variet, & inter se misceatur harum Orationum ordo. Ut alia exempla taceam, quartum ex iis citat Cyrillus Alex.* sub nomine τοῦ περὶ τῆς ἁγίας τριάδος λόγου τετάρτου, & iterùm τοῦ περὶ τοῦ ὁμοουσίου τριάδος λόγου τρίτου. Tertiam Synodus Chalcedonensis † simpliciter vocat Orationem contra Hæreses. Quinta (quam nonnulli Cod. MSS. ἕκτον κατὰ Ἀρειανῶν λόγον vocant, quinto loco reposita Oratione contra Arium & Apollinarium inscripta quæ infrà habetur) quædam habet p. 322. quæ scriptam esse post certamina Nestoriana suadere nonnullis videntur.

* Ep. ad Monach. Ægyp. in Actis Ep. ef. Syno. † Act. 16.

In dictum illud, Omnia tradita sunt mihi à Patre, &c.

Ad Adelphium Episcopum contra Arianos Epistola; ut memoriâ lapsus sit Theodoritus *, qui loca duo ex Epistolâ ad Epictetum citat, quæ nonnisi in hâc ad Adelphium extant. Adelphius iste Onupheos Episcopus fuisse videtur, ab Arianis in exilium missus in Psinabla Thebaidis; unde Confessorem cum non obscurè vocat Athanasius.

* Dial. p. 31.

Epistola ad *Maximum Philosophum de Divinitate Christi*. Idem forsan hic Maximus, qui Gregorio Nazianzeno de sede CP. litem movebat, & ad quem duæ extant Basilii Epistolę XL. XLI. quod librarios etiam inducere potuit, ut pro φιλόσοφον in quibusdam Cod. MSS. ἐπίσκοπον reponerent.

Epistola ad Serapionem Thmuios in Ægypto Episcopum, *adversùs eos qui dicunt Filium creaturam esse*; in quâ compendio refert quæ fusiùs contra Arianos disputaverat.

Ad eundem, adversùs eos qui dicunt Spiritum S. esse creaturam.

Expositio Fidei.

Responsum ad Liberii Epistolam, cum Epistolâ Liberii (ista ἀκέφαλος est.)

Epistola ad Jovianum de fide, Synodi Alexandrinæ nomine scripta. Extat etiam apud Theod. l. 4. cap. 3.

Epistola de Synodi Nicana contra Heresin Arianam decretis.

Epistola de sententiâ Dionysii Alexandrini adversus Arianos.

Ad Fratres Orthodoxa Epistola Catholica.

Refutatio Hypocriseos Meletii, Eusebii & Pauli Samosateni περὶ τοῦ ὁμοουσίου. Dubia admodum nonnullis videtur.

Epistola ad Antiochenos: ex additamentis calci appositis videtur esse fragmentum alicujus libri, forsan Synodici cujusdam.

Epistola ad Epictetum Episcopum Corinthium adversùs Hæreticos, habetur etiam ap. Epiphan. Hæres. 77.

Epistola de Incarnatione Verbi Dei adversus Paulum Samosatenum.

Oratio de humanâ naturâ susceptâ ab unigenito verbo contra Arianos (quidam Codd. addunt) & Apollinarium, τόμον πρὸς Ἀρειανοὺς vocat Theodoritus *, librum de Incarnatione Gelasius †, librum de Trinitate & Incarnatione Synodus Sexta *, & Damascenus †.

* Dial. 3. † De duabus nat. c. 2. * Act. 4. 9. 10. † De Trisag.

De Incarnatione Domini contra Apollinarium.

Oratio de salutari adventu Christi contra eundem. Orat. de Incarnatione vocat Damascenus *, Orat. secundam contra Apollinarium Synodus Sexta †.

* De Ortho. Fid. l. 3. † Act. 8.

Oratio contra gregales Sabellii de æternâ substantiâ Filii, & Spiritus S. cum Deo.

Oratio quòd unus sit Christus: hanc aliis probatam in dubium vocant Viri Cl. Montacutius * & Petavius †, duplici præcipuè argumento; 1°. Quòd stylus sit multò comptior & ornatior quàm Athanasius esse solet. Sed hæc ratio mihi nulla est, Athanasium enim quandoque scripsisse κομψῶς τι καὶ λαμπρῶς ex Photio suprà observavimus. 2°. Quòd tres hypostases in Trinitate confiteatur, cùm Athanasius unicam agnoscere soleat. Esto. At aliter scribere potuit Athanasius post quæstionem de vocibus οὐσίας & ὑποστάσεως in Synodo Alexandrina sub Juliano habitâ determinatam; in quâ decretum est non esse damnandos trium ὑποστάσεων assertores, modò personas intelligerent: nec è contra, qui unam esse hypostasin (per hanc, οὐσίαν sive essentiam intelligentes) affirmabant. Et certè scriptam esse hanc Orationem post Marcellum ab Athana-

* Not. in Euseb. adv. Marcellin. init. † De Trinit. l. 1. c. 13.

Digitized by Google

sio pro Hæretico agnitum (i. e.) post annum CCCLVII. ex ipsâ oratione liquet; in quâ Marcellus disertè damnatur. Denique ab Authore Catenæ in Lucam sub Athanasii nomine citatur.

Epistola ad Serapionem de morte Arii: integram ferè eam etiam exhibet Theodoritus l. I. c. 14.

Apologia ad Imperatorem Constantium. Scripta est circa ann. CCCLVII.

Apologia de Fugâ suâ.

Apologia secunda de eâdem re.

Epistola ad omnes ubique solitariam vitam agentes in secessu eremitico, ut & præcedentes Apologiæ, scripta. Tota haberi videtur primis duabus paginis, & cum voce ἀκμὴν siniri, & dedicatoria esse librorum contra Arianos: Reliquum verò Operis à voce Αυτοὶ alterius alicujus Operis ἀκεφάλου fragmentum esse. Certè infra pag. 652. dicuntur quædam præmissa, quæ in hac epistola neutiquam reperiuntur. Sic Flecmannus*.

* Not. in Athanas. p. 716

Protestatio Populi Alexandrini anno CCCLVI. facta.

Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ, mortuo jam Constantio scripta.

Epistola ad Africanos Episcopos adversus Arianos.

Epistola ad omnes ubique Orthodoxos: hanc in S. Athanasii memoriam 2a. die Maii publicè legi solitam monet Scholion, quod in Codice quodam MS. habetur.

Epistola ad Joannem & Antiochum.

Epistola ad Palladium.

Epistola ad Dracontium.

Ad Marcellinum de interpretatione (seu titulis) *Psalmorum.*

De Sabbatis & Circumcisione.

In illud, Quicunque dixerit verbum contra Filium, &c.

In illud, Profecti in Pagum, &c.

De Virginitate. Istius quidem argumenti librum conscripsisse Athanasium constat*. Verùm an is, qui nunc extat, genuinus sit, jure merito dubitari queat.

* Vid. Theod. Hist. l. 2. c. 4.

Homilia de Semente.

Oratio contra omnes Hæreses; de hoc sermone an genuinus sit, quidam, nullâ tamen reddita ratione, dubitarunt.

Oratio in Assumptionem sive Ascensionem Domini.

Oratio de Melchisedeco. Flecmannus de eâ dubitat, quod in fine ejus mentio fiat Patrum Nicænorum quasi τῶν κατὰ καιροὺς γεγονότων: quod tamen Athanasius circa postrema vitæ suæ tempora dicere potuit.

Ad Serapionem de Spiritu Sancto Epistolæ II. quæ nonnisi compendium exhibent Epistolæ ad eundem posterioris suprà memoratæ.

Contra Arianos λόγος σύντομος, qui ferè nihil aliud est, quàm ἀποσπασμάτιον Orationis primæ contra Arianos.

Libellus Precum, seu Colloquia varia Arianorum cum Joviano Imp. Antiochiæ habita; quæ forsan non sunt Athanasii, sed ex Actis publicis videntur descripta.

De Incarnatione Verbi Dei.

Responsum ad Epistolam Joviani Imp. cum Imperatoris Epistolâ.

Epistola ad Ammon Monachum.

Epistola tricesima nona Festalis fragmentum.

Epistola ad Rufinianum.

Ad Luciferum Calaritanum Epistolæ II. Lat.

Epistola brevis ad Fratres solitariâ vitâ studentes, Lat.

Fragmenta Commentariorum in Job & Psalmos, ex Nicetæ Heracleotæ Catenis in Job & Psalmos desumpta: quæ tamen non immeritò forsan spuria censeri possent.

Vita D. Antonii; hujus meminerunt Nazianzenus Orat. 21. p. 376. Hieronymus de Scriptor. c. 87. Socrat. lib. I. cap. 21. quæ verò extat hodie aut Athanasii non est, aut multùm interpolata. Fatendum sanè est plurima ex Athanasii libro de vitâ Antonii loca à Palladio, Socrate, Damasceno & aliis citata inibi reperiri; plurima tamen ibidem haberi nugatoria planè ac tantò viro indigna, negari nequit. In Editionibus Athanasii annum 1626. præcedentibus Latinè solum exstitit; demùm anno 1626. *Paris.* Græcè & Latinè prodiit, cùm à D. Hæschelio Græcè prius seorsim evulgata esset *Augustæ Vindel.* 1611.

SPURIA.

Synopsis S. Scripturæ; ab hodiernis Criticis unanimi ferè consensu Athanasio adjudicata: quòd si tamen Athanasii non sit, satis vetusti Scriptoris opus est.

Testimonia è Scripturâ de communi essentiâ Patris, Filii, & Sp. S. Stylus Athanasii non esse arguit; quid quod & Origenem ab Athanasio semper laudatum pessimè exagitat, & Origenistarum Hæreseωs meminit? quin & loca quædam Quæstionum ad Antiochum adducit.

Sermo in Passionem & Crucem Domini; juramentum omnino vetat, quod tamen in genuinis Athanasii Scriptis sæpe usurpatur.

Disputatio contra Arium in Synodo Nicænâ, Figmentum Monachi cujusdam delirantis, sequioris ævi esse videtur, uti ex multis in ipsâ disputatione deprehensis indiciis patet. Nescio verò, quid sibi vult Casimirus Oudinus†, cùm Vigilio Tapsensi eam ascribat.

† Supplem. p. 31.

Sermo in Evangelium de Sanctissimâ Deiparâ Virgine, & Annunciationis, ac Incarnationis mysteriis: post Hæreseωs Monotheleticæ exortum scriptus, quippe quam sæpissime exagitat.

Symbolum Athanasii; genuinum Athanasii opus non esse satis indicat, quòd nec ipse Athanasius, nec sequentium sæculorum Scriptor aliquis ante Theodulphum Aurelianensem libro *de Spiritu S.* p. 72. ejus meminerit, nec in Ecclesiis ante annum millesimum obtinuerit, neque ubique inclarescere cœperit, donec à Gregorii IX. Legatis circa ann. 1233. in disputatione Constantinopoli habita sub Athanasii nomine testimonii loco prolatum fuerit. Sed de his plura alii, & nos alibi †. Non malè forsan à Vigilio Tapsensi constructum, in Græcum sermonem demùm versum, & in Ecclesiarum Archivis diu latitasse, credi potest. Certè, quod Vigilium attinet, conjecturam firmat quod Theodulphus Aurelianensis *Symbolum* citet ex istis Athanasii libris, qui Vigilii Tapsensis esse jam certo dignoscuntur: quique in antiquo & probè noto Codice Floriacensi cùm Vigilii libris adversus Nestorium & Eutychem conjunguntur.

† Vit. Athanas. Sect. 6. Num. 10.

Tractatus de Definitionibus, in quo Gregorius Nyssenus citatus reperitur, Maximum forsan autorem habet, inter cujus Opera à Combefisio edita locum sortitur.

Dialogi VII. *contra Arianos, Apollinaristas & Macedonianos*, in editione Heidelbergensi bifariam dividuntur, & ex iis quinque priores de S. Trinitate Dialogi inscribuntur, duo posteriores titulum habent Dialogi inter Orthodoxum & Macedonianum. Dialogi omnes ab aliis Maximo Monacho, ab aliis Etherio Tyanensi ascribuntur. Athanasii non esse certò certius est. Scripti enim sunt post

Cave Hist. Lit.

SÆC. IV. ab An. CCC exortam Hæresin Eutychianam. Vide plura in Theodorito.

Epistola cujusdam Præfationis loco scripta, in qua motuum Ecclesiasticorum tragœdia, cum XVII. sequentibus Capitulis. Etherii sunt; Photius* licet manifestè lapsus Theodoreto ascribat. *Cod. 46.

Quæstiones ex V. & N. Testamento CXXXVI. *ad Antiochum, & Responsiones totidem*, in quibus ipsius Athanasius & Dionysius Areopagita citantur. Ex variis Patrum scriptis à studioso quopiam post ævum Monotheleticum collectæ videntur. Sequioris ævi fœtum esse vel exinde patet, quòd in iis Occidentales omnes Francorum nomine designentur.

Dicta & Interpretationes Parabolarum Evangelii quæstionibus CXXXIII. totidemque Responsionibus comprehensa. Opus sequioris ævi.

Quæstiones aliæ XX. *cum Responsionibus totidem*; post enata inter Latinam & Græcam Ecclesias dissidia scriptæ videntur.

Disputationes cum Ario Laodiceæ habitæ, Lat. has esse Vigilii Tapsensis Episcopi omnibus jam notum est.

De Trinitate libri XII. Lat. in Editione Heidelbergensi nonnisi septem priores habentur, titulo *De unitâ Deitate Trinitatis libri* VII. *ad Theophilum*. Eundem Vigilium Auctorem habent.

Ad Monachos exhortatio. Lat.

Epistola ad Marcum Papam cum rescripto Marci, eundem cum Decretalibus autorem habent.

De Passione Imaginis D.N.J.C. crucifixæ in Beryto Relatio ab iconodulis conficta paulò ante Synodum Nicænam II. in cujus actione quartâ citatur. Extat Græcè in Bibliothecâ Cæsarea. Exemplar ejus MSS. ab editis haud parùm diversum, & multò auctius. Principium istius repræsentat Lambecius Comment. l. 1. pag. 126. ut & versionem antiquam Anonymam (ab Anastasiana diversam) integram pag. 128. Ex hactenus recensitis, *Quæstiones ad Antiochum, Definitiones Theologicas, Disputationem cum Ario Laodiceæ habitam, Exhortationem ad Monachos* De *Passione Imaginis Domini, Epistolam ad Marcum Papam de unicâ Deitate Trinitatis* lib. VII. *Synopsin sacræ Scripturæ*, apertè rejicit Bellarminus, & cum eo Labbæus aliique.

Declaratio Levitici.

Homiliæ VII. ab Holstenio Latinè editæ.

Expositiones II. *de Incarnatione Verbi*, extant Lat. in Biblioth. PP. Tom. II.

Oratio in Occursum Domini.

Orationes II. *in S. Pascha*.

Oratio in Assumptionem Domini. Habentur hæ quatuor Græc. Latin. unà cum notis ap. Combef. Auctuar. Tom. I. pag. 479. Certè sunt in oratione prima, quæ Hæresin Nestorianam & Eutychianam manifestò respiciunt. Duę posteriores Basilii Seleuciensis esse videntur: Nestorio tamen tribuit Garnerius.

S. Syncleticæ vita, Lat. ap. Bolland. ad Januar. 5. Græcè ap. Coteler. Vet. Monument. Eccles. Gr. Tom. I. p. 201. In MSS. nonnullis Polycarpo cuidam Monacho ascribitur.

Liber de Observationibus Monachorum.

Exhortatio ad Sponsam Christi. Utrumque opusculum Latinè editum est ab Holstenio, *Paris*. 1663. 4°. in append. ad Cod. Regular.

Syntagma doctrinæ ad Clericos & Laicos. ex Cl. V. Isaaci Vossii Bibliotheca primùm editum Gr. Lat. *Paris*. 1685. 8°. cum Andreæ Arnoldi notis. Spurium verò esse plurima sunt quæ suadeant, imprimis præcepta quæ inibi deprehenduntur Monachis data, de bonis renunciandis, de decimis exsolvendis, conjugium Clericis prohibitum, & Monasticæ Regulæ mentio; ut de alto circa ejusmodi librum veterum silentio nihil dicam. Athanasii igitur cujusdam junioris opus sit necesse est, quod nec ipse Cl. Vossius mihi hâc de re coram agenti dissimulavit. Cum verò Codex MS. quingentorum vel sexcentorum annorum ætatem ferat, opusculum est neutiquam contemnendum etsi Athanasio nostro non ascribatur. Exorta tamen est hac de re controversia inter Cl. Arnoldum & Theologum quendam Rothomagensem, uti ex Novellis Reipublicæ Literariæ mens. Jul. p. 744. & Act. erudit. Lipsiens. ann. 1685. p. 511. nuper didicimus. SÆC. IV. ab An. CCC.

Commentarius in Epistolas Paulinas, qui sub Athanasii nomine, *Romæ* 1477. & *Tubingæ* 1515. inter opera ejus Latinè prodiit, Theophylacto debetur.

Opera, quę non extant.

Commentarii in Ecclesiasten, & Cantica Canticorum: horum meminit Photius, Cod. 139.

Commentarii In Cantica Canticorum.

Contra Valentem & Ursaciumliber.

Epistola ἑορταστικὴ.

Epistolæ aliæ plures.

Περὶ πίστεως λόγον τὸν μείζονα sæpiùs memorat Theodoretus in Dialogis, & ex eo fragmenta quædam exhibet.

Τῶν παραμυθικῶν πρὸς τὰς παρθένους λόγων. Idem meminit Hist, l. 2. c 4. ex inde laciniam breviusculam exhibet.

Liber Synodicus, in quo nomina Patrum Nicænorum exposita fuerunt, teste Socrate, l. 1. c. 9.

In illud, Nunc anima mea turbata est, excerptum ejusce tractatûs bene longum habetur Act. 14. Synodi Sextæ.

Hypomnemata in Psalmos à Photio † memorata; si non idem sit opus cum eo ad Marcellinum *de Interpretatione Psalmorum* Germanus tamen Patriarcha CP. verba quædam Athanasii in Psalmum LXXX. adducit [in Epist. ad Thomam Episc. Claudiopol. Act. IV. Synodi Nicæn. secundæ) quæ in isto ad Marcellinum nullibi reperiuntur. † Cod.

Epistola ad Eupsychium mentionem facit Theodoretus †, & fragmentum exinde citat Synodus Nicæna 2a. Act. 6. † Dialog. 2.

Παναρμόνιος εἰς τοὺς κοιμηθέντας λόγος, cujus laciniam exhibet Damascenus Orat. de Defunctis.

Porro *Thecæ, seu Voluminis in Ioannem* ab Athanasio conscripti meminit Thom. Aquinas *, & *Tractatûs ejusdem de peccato in Spiritum S.* Synodus Laterana I. An verò talia scripserit Athanasius, necne, incertum est. * Lib. contr. error. Græc.

Extant Athanasii opera Græco Latinè *Heidelberg*. 1601. Tom. II. Fol. cum Appendice Flecmanniana, quâ Fragmenta plurima & Lectiones variantes continentur, *Paris*. 1627. 2. Vol. Fol. quæ pulchrior quidem est, & nitidior editio; in hoc verò palmam ei præripit Commeliana, quòd indices tum in cæteris, tum præsertim in re historicâ longè copiosiores & accuratiores habeat. Parisiensem editionem nuper secuta est *Coloniensis*, 1686. Fol. addito insuper Syntagmate ab Arnoldo edito.

ATHANASIUS Episcopus Alexandrinus constitutus est anno CCCXXVI. obiit anno CCCLXXI. extat Gr. MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* juxta *Lambec*. CCXLVIII. *Nessel*. CCCVII. num. 3. fol. 38. usque ad fol. 48. Athanasii Archiepiscopi Alexandrini *Disputatio cum Zacchæo Judæorum Nomodidascalo*, quæ hoc modo incipit, Ζακχαῖος εἶπεν Πλανᾶσθε οἱ Χριστιανοὶ πρῶτον, ὅτε νομίζετε καὶ ἑτέρους Θεοὺς εἶναι, &c. An genuina sit, hi soli rectè judicare possint quibus codicem MS. inspicere datum sit. Certè quę sequitur ibidem num. 5. Judæorum Disputatio cum S. Athanasio & Cyrillo *de Adoratione Crucis & Sacrarum* 326. P. II.

SÆC. IV. abAn.CCC. *crarum Imaginum*, fraudem, vel primâ statim fronte, olere manifestum est. Ibid. Cod. II. num.18. ejusdem in *Passionem Salvatoris* oratio habetur MS. Incipit, Τῶν μὲν ἀνθρώπων ἡ ἁμαρτία πολλὴ τὶς ἦν, &c. Desinit hoc modo, Οὕτως ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιηθήσονται. Mirari subit eruditos hujus Bibliothecæ curatores quid sit hic sermo ignorasse, affirmante ipsomet Lambecio *Comment.* lib. III. pag. 80. illum Latinè solùm editum esse, ac proindè operæ pretium fore, ut totius ille contextus Græcus ex Codice MS. Cæsareo aliquandò proferatur in publicum; cum luce meridianâ clarius sit, non aliud illum esse, quàm mediam prolixæ orationis in *Passionem & Crucem Domini* partem, quæ tùm in *Commelinianâ*, tùm *Parisiensi* Editione Græcè & Latinè exhibetur, ut cuivis inspicienti mox ad oculum patebit. In eâdem Bibliothecâ *Cod. Theol.* LX. num.1. à fol.1. usque ad 51. habetur sub Athanasii nomine *Synopsis accuratissima* in *Vetus Testamentum*, sive *Epitome Historiæ Sacræ Veteris Testamenti.* Cujus principium, Χρὴ τὸν ἀληθῆ χριστιανὸν ἐπίστασθαι τί Θεός, καὶ ὁσαχῶς ὁ Θεός, καὶ κατὰ τί εἴρηται Θεός. Θεὸς ὁ πατὴρ, ὁ ἄναρχος, ἀπερίγραπτος, &c. Diversum omninò est opus à *Synopsi illâ Sacræ Scripturæ*, quæ inter Athanasii opera haberi solet. Supposititium nihilominùs esse censet Lambecius, ibid. pag.102. Apud Cl. Galeum servantur hæc Athanasii Opuscula Græcè scripta. *In Psalterium* Fragm. Expositionis. Epistola *ad Ammonem cum Schol.* Epistola *de Festis.* Epistola *ad Rufinianum.* Ἐρωταποκρίσεις, & alia. *In Christi Passionem.* In Πορευθέντες εἰς ἅπαντα κόσμον. Περὶ διδασκαλίας. Fragm. ex interpr. in *Mat.* De *Pseudoprophetis.* In Ὁ ἐμβλέψας εἰς γυναῖκα. In Ἅγιον Πάσχα. *In magnam* παρασκευήν. *In Christi Nativitatem.* Alia Homilia *de eâdem Nativ.* Περὶ Σωτηρίας. Περὶ Συγκλητικῆς. *Ad Antiochum.* Quæstiones. *Capitula* Athanasii *in Psalmos* ab editis diversa, ex Codice antiquissimo descripta, penes se habere monet Cl. Arnoldus Præfat, ad *Syntagma* Athanasii, ubi illorum initium ac finem exhibet.

COMMODIANUS. Vid. an.270.

329. DONATUS, natione Afer, post Majorinum factionis Donatisticæ Carthaginensis Episcopus, sectæ suæ nomen dedit. Quamvis enim alter Donatus, de Casis nigris Episcopus, primus Schismatis dux atque autor fuerat; ab illo tamen, utpote insigniori denominari maluerunt Schismatici. Innotescere cœpit circa annum CCCXXIX: in hunc enim annum ab Hieronymo * reponitur, à Prospero † in annum superiorem. Januario scilicet & Justo Coss. forsan quia hoc circiter tempore factus Episcopus fuerit. Singularis arrogantiæ homo, & fastu non ferendo tumidus, qui elatis superciliis ipsos etiam Præfectos civiles ignominiosè tractavit; Paulum & Macarium ab Imperatore Constante cum Ecclesiarum ornamentis & eleemosynis ad sublevandos pauperes in Africam missos conviciis excepit, ac dona respuit, furibundus clamans: *Quid Imperatori cum Ecclesia?* Quin & missis per provinciam literis suos monuit, ne quod allatum erat acciperent. De factione suâ gloriari solebat, dicens; *Quid apud vos agitur de parte mea?* Et quasi Principatum Carthaginis, solus teneret, raró appellatus est Episcopus, sed Donatus Carthaginis dicebatur. Responsa sibi de cœlo facta jactavit; quin eousque dementiæ pervenit, ut per se, veluti per numen quoddam, jurare homines passus sit. Pulsus est Carthagine anno CCCLVI. si tempus rectè signet Hieronymus, reclamante Baronio *, & contendente Donatistas Episcopos à Constante relegatos, & non nisi per Julianum restitutos esse. Scripsit Donatus, teste Hieronymo †, multa ad Hæresim suam pertinentia opuscula, & in his librum *de Spiritu Sancto*, in quo dogmati Ariano consentanea docuit NE.

* Chron. ad an.329.
† Chron.p.40.

Vid. Optat. de Schism. Donat. l. 3. Augustin. in Joan.tract.5.

* Ad an.40. num.40.
† De Script. c.93.

330. CHALCIDIUS, V. C. Ecclesiæ Carthaginensis, uti volunt, Archidiaconus. Claruit forsan circa annum CCCXXX. certè Hosio ætate par, si modo Hosius Cordubiensis erat, quo suadente, Chalcidius Platonis Timæum Latinè interpretatus est, & erudito Commentario explicavit. De hâc re pridem me monuit Sellerus meus; & cum in hanc quidem sententiam viros quosdam non indoctos propendere video, locum ei inter Scriptores Ecclesiasticos non denegavimus. Me certè ἐπέχειν fateor, neque enim satis constat, Philosophus solùm Platonicus fueritne, an etiam Christianus. Viri clarissimi titulus, qui in fronte reperitur, Diacono haud satis convenit; in Epistolâ ad Osium; ipsum nusquam Episcopum vocat; quin nec virum fuisse Ecclesiasticum, nedum Christianum, vel verbulo innuit. Mosaicam de creatione Theologiam non unâ vice citat, citat Salomonem, interpretes Græcos τοὺς ό, Aquilam, Symmachum, quin & Origenem; semel meminit stellæ Christum recens natum præmonstrantis, cujus in Historiâ Evangelicâ fit mentio; de quibus nihilominùs, haud satis pro Christiani Scriptoris more loquitur, p.372. De Mose hæc habet, *Hebræorum sapientissimus Moyses, non humanâ facundiâ, sed divinâ,* UT FERUNT, *inspiratione vegetatus, in eo libro qui de Genitura mundi censetur,* &c. De Mose an ita scriberet homo Christianus? an Diaconus Carthaginensis? verum nihil statuo; doctiorum hâc de re judicia audire mallem. Interim Chalcidius autor est gravis, prudens, multâ profundâque scientiâ imbutus, omnium ferè Philosophorum dogmata accuratè tenuit, omnia pro argumenti dignitate, rerumque pondere egregiè tractat. Quòd *circumforaneum blateronem* ipsum vocat Jul. Cæsar Vaninus *Amphit. Provid. æternæ,* Exercit. 30. p.197. quis morabitur hominis judicium, qui ob Atheismum strenuè & ex professo assertum, ad rogum damnatus sit? Prodiit Chalcidii *in Timæum Commentarius*, cum doctissimis Jo. Meursii notis, *Lugduni Batavorum*, 1617. 4°. quæ præstantissima est editio.

330. JUVENCUS, Poëta hujus temporis non ignobilis, patriam habuit Hispaniam, optimorum Poëtarum solum feracissimum, vetustâ nobilique prosapiâ cretus, dignitate Presbyter. Claruit sub Constantino M. testante ipso sub finem libri ultimi, anno CCCXXX. secundùm Hieronymum *, superiori juxta Joan. Vasæum in Chronico Hispaniæ. Inter reliquas disciplinas Poëticæ facultatis studium non indiligenter excoluit; in quo cùm progressus haud contemnendos fecisset, ad Sionis verticem Musas deduxit, & divinæ legis majestatem, totamque Domini nostri dum in humanis ageret, vitam Metri legibus ligare ausus est; historiam Evangelicam maximè secundùm S. Matthæi ductum, quatuor libris versu Heroico complexus: sermone quidem simplici, nec satis uberi venâ, animo tamen candido, &, qui sacra tractantem decet, pio castoque; Evangelistam stricto pede secutus; de quo verè Petrus Crinitus *: *Quâ in re*, inquit, *majori diligentiâ usus est, in servandâ rerum historiâ, quàm in demonstrandâ ingenii sui elegantiâ.* Composuit etiam nonnulla eodem Metro, sed quæ jam nusquam sunt, ad Sacramentorum ordinem pertinentia, teste Hieronymo †, è quo, ceu fonte unico, tota ferè hujus scriptoris notitia petenda est. Extat Juvenci Historia Evangelica in Bibliothec. PP. Tom. IV. p.55. & in Colle-

* Chron. an.330.
* De Poet. Lat.l.5.c.89.
† De Script. c.84.

Digitized by Google

ctione Bigneanâ. *Parif.* 1624. p. 629. & inter Poëtas Chriſtianos cum not. Fabric. *Baſil.* 1564. 4°. Seorſim *Baſil.* 1541. 8°. in corpore omnium Poëtarum veterum Lat. *Lugd.* 1603. Tom. II. & alibi ſæpiùs.

330. AMMON, ſive *Ammonius*, gente Ægyptius, Monachorum Nitrienſium pater. Claruit ſub Conſtantino circa an. CCCXXX. Anno ætatis 22. uxorem ducere à Gentilibus ſuis perſuaſus manus dedit, ſponſalia egit, coronam induit, & in thalamum ſponſam ducens, eam, ut renunciatâ vitâ ſæculari monaſticam ſectaretur, multis hortatus eſt, & hortando effecit. Uterque igitur, conſervatâ virginitate, ſub eodem tecto per annos octodecim pietati & precibus intenti degebant. Quibus ex actis Ammon, relictâ uxore, in Nitrienſem ſolitudinem ſe recepit; ubi ſeveriorem adhuc vivendi rationem inſtituens 22. annos peregit, ac 62. ætatis annum agens, è vivis exceſſit. Mortui animam ab Angelis in cœlum evectam vidiſſe narrat Antonius. Multa de ejus pietate, moribus & miraculis narrant Palladius *, Socrates †, & Sozomenus *, quos adeat iſtiuſmodi rerum curioſus Lector. Extant inter S. Ephremi opera Tom. II. Ammonii noſtri nomini inſcripta *Capita Parænetica* XIX. Verùm ea Ammonii eſſe præter Codicis MS. unde ea hauſit Voſſius, autoritatem, argumentum aliud non ſuppetit. Plures ejus *Epiſtolas* apud Chaldæos extare memorat Hebedieſu.

* Hiſt. Lauſiac. c. 7.
† L. 4. c. 23.
* L. 1. c. 14.

330. ANTONIUS, Monachorum pater & princeps, natione Ægyptius, in Coma, qui vicus eſt juxta Heracleam minorem, claro atque ſplendido genere ortus eſt anno 252. Decimo octavo ætatis anno parentibus orbatus, paternos quidem agros vicanis ſuis donavit; reliquis autem bonis divenditis, pretioque egenis diſtributo, in Ægypti ſolitudines ſeceſſit. Primus eremi incola, qui ſeveriſſimis exercitationibus, & duriſſimo vitæ genere Monaſticam Philoſophiam impenſè coluit, & ad ſummam penè perfectionem perduxit. Cibus illi panis tantùm cum ſale, potus aqua, neque hæc niſi ſole occidente ſumpta: ſæpe biduò & ampliùs jejunus, ſæpe integras propè noctes orationibus intentus evigilavit. Somno breviſſimo contentus, nudo in ſolo cubans plerunque dormiebat. Viginti annis ab omni hominum conſpectu remotus, ſolummodò cum Deo rebuſque divinis commercium habuit. Exortâ Maximiani perſecutione, Alexandriam profectus, Martyribus ſe immiſcuit, & pro iis quotidiè non ſine capitis periculo Judices interpellavit. Certè non obſtante auſtero vivendi more fuit admodùm manſuetus & humanus, prudens item ac fortis, in converſatione ſuavis & jucundus, contentionis patientiſſimus, & in defendendis iis, qui injuriâ affecti ſunt, diligentiſſimus, quorum etiam causâ ſæpius ad urbes veniebat, & apud præſides & primores viros interceſſit. Magnum Athanaſium penè ab Arianis oppreſſum crebrò inviſit, ejuſque gratiâ ad Conſtantinum Imp. non una vice ſcripſit. Schiſmaticorum vel Hæreticorum communioni nunquam ſe miſcere voluit: Arianos ejus autoritate ſe tuentes publico ſermone damnavit, & de monte ſuo fugavit, dicens horum ſermones ſerpentibus eſſe multò deteriores, eorumque Hæreſin Antichriſti præcurſorem. De frequenti ejus adversùs Dæmonas conflictu, & miraculis ab eo editis, plus ſatis docebit vita ejus à D. Athanaſio conſcripta, prout extat hodiè, haud parùm interpolata. Moribundus melotem & pallium tritum Athanaſio teſtamento legavit; obiitque anno 357. & centeſimo & quinto ætatis anno. Literarum penè rudis erat, quas longè infra ſe habuit; bonam mentem utpote literis antiquiorem, operumque divinorum contemplatricem commendans: ideoque cum à Philoſopho quodam interrogaretur, Quomodo vivere potuit librorum ſolatio deſtitutus? Reſpondit, * Τὸ ἐμὸν βιβλίον, ὦ Φιλόσοφε, ἡ φύσις τῶν γεγονότων ἐστὶ, καὶ πάρεστιν ὅτε βούλομαι τοὺς λόγους ἀναγινώσκειν τοὺς τοῦ Θεοῦ. *Meus liber, O Philoſophe, eſt natura rerum, quæ quidem præſtò eſt, quoties Dei verba legere voluero.* Frequentes ad Conſtantinum ſcripſiſſe illum literas, teſtis eſt Sozomenus †. Scripſit quin etiam ad diverſa in Ægypto Monaſteria *Apoſtolici ſenſûs ſermoniſque Epiſtolas* VII. ex Ægyptiaco in Græcum ſermonem tranſlatas, quarum illam ad Arſenoitas præ cæteris commendat Hieronymus *. Extant ex Valerii Saraſii verſione unà cum Dionyſii Carthuſiani Commentariis in Dionyſium Areopagitam excuſis, *Colon.* 1536. & in Biblioth. Patr. Tom. IV. p. 85. ubi habentur ſub ejus etiam nomine *Sermonum libri duo*; quos tamen auctoris eſſe longè recentioris, Baſilii, Chryſoſtomi, aliorumque in iis nomina deprehenſa ſatis liquidò oſtendunt. Porrò S. Antonii *Regula Monachis præſcripta*, unà cum multis aliis Regulis primorum Eremi incolarum habetur in *Collectione Regularum S. Benedicti*; quam Holſtenius edidit, *Pariſ.* 1663. 4°. Part. I. p. 3. an genuina verò ſit, admodum incertum eſt. Melioris eſt notæ, quæ apud Athanaſium in vitâ ejus extat, prolixa ſatis *ad Monachos Exhortatio.*

* Evagrius. Socrat. l. 4. c. 23.
† L. 2. c. 31.
* De Script. c. 88.

Abrahamus Ecchellenſis, an. 1646. *Pariſ.* 8. Sequentia S. Antonii Opuſcula ex Arabico Latinè facta edidit. Sunt autem *Regulæ ſive Canones ad Monachos numero* LXXX.

Sermones ad Monachos XX.

Admonitiones & Documenta varia ad Monachos.

Sententiarum quarundam Expoſitio, & *ad Interrogationes varias Reſponſiones.* His adjunxit duplicem *S. Antonii vitam* ex Arabico verſam, nec non *Semitas Sapientiæ*, ſive *ad Scientias comparandas Methodum*, ex MS. Arabico à ſe Latini juris factam. Denique in Præfatione monet, ſe ante quadriennium viginti S. Antonii *Epiſtolas* Cardinali Barbarino nuncupatas, in lucem emiſiſſe.

ASTERIUS, patriâ Cappadox, profeſſione Sophiſta, religione Gentilis, quâ unà cum arte Rhetoricâ derelictâ Χριστιανίζειν ἐπηγγέλλετο, inquit Socrates *, *Chriſtianam Religionem profiteri cœpit.* Chriſtianus factus, Luciani Anthiocheni Scholam frequentavit; cujus proinde diſcipulis eum accenſet Philoſtorgius *. Sub perſecutione Maximiani, fide Chriſti abnegatâ, Diis Gentilium immolavit: poſtea tamen Magiſtro illius pœnitentiam promovente, lapſum ſuum emendavit. Luciani, qui Pauli Samoſateni aſſecla fuerat, doctrinâ imbutus, Arianis ſe adjunxit, ipſi Ario familiaris, cujus cauſæ deeſſe noluit: Epiſcoporum Euſebianorum gratiam omni obſequio aucupatus eſt, cum iis aſſiduè verſabatur, ad illorum Synodos frequens ventitabat, literis eorum commendatus per Syriæ urbes aliaſque Eccleſias obambulavit, & captatâ, quod ſibi minimè licuit, inter Clericos ſede, libros, quos pro fide Arianâ compoſuerat, publicè recitavit; id ſolum animo volvens, id unicum in votis habens, vanum ambitionis & gloriæ mancipium, ut eorum opera ad Epiſcopatum eveheretur: quem tamen minimè aſſecutus, ne quidem ad Clericatûs ordinem admiſſus, vetante hujus temporis diſciplinâ, ne in Idololatriam lapſus in Clerum cooptaretur; quin & iſto crimine commaculati ſacerdotali dignitate excidebant, & actâ licet pœnitentiâ, non niſi pro Laicis habebantur. 330.

* L. 1. c. 36.
* L. 2. c. 14.

Cla-

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. Claruit Asterius post Synodum Nicænam, præcipue circa ann. CCCXXX. quo circiter tempore edidit famosum illud *Syntagma* seu *Syntagmateon*, cujus toties meminit Athanasius, in quo palàm asseruit præter Christum aliam esse in Deo sapientiam, ipsius Christi & mundi Conditricem; Filium esse ἕνα τῶν πάντων, πρῶτον δὲ τῶν γενητῶν, *unum ex rerum universitate rerum licet conditarum primum*, quem ἐνεργητικῇ φιλοτιμίᾳ καὶ δυνάμεως fecit Pater, *Si voluntas Dei*, inquit *continuo ductu penetrat per omnia opera*; δῆλόν ὅτι καὶ ὁ υἱὸς ποίημα ὢν, βουλήσει γέγονε καὶ πεποίηται, *certè Filius cum opus fuerit, voluntate Patris genitus, factus est*. Nec alio sensu Christum virtutem esse Dei voluit, quàm quo locusta & bruchus apud Mosem Dei virtus dicuntur, cum sexcentis ejusmodi blasphemiarum portentis, quæ ὁ πανοῦργος καὶ πολυκέφαλος σοφιστὴς, ὁ καὶ τῆς αἱρέσεως συνήγορος, uti illum vocat Athanasius, *veteratorius ille ac multiceps Sophista, Hæresis patrocinator* in Christum evomuit. Ex hoc opere quædam κατὰ λέξιν citat D. Athanasius Epist. de Synod. Arimin. & Seleuc. pag. 684. Orat. contra Arian. III. pag. 217. Orat. IV. pag. 252. Quædam Acacius apud Epiphanium Hæres. 72. quædam denique Marcellus ap. Euseb. l. I. contra Marcell. c. 4. Præterea auctor est Hieronymus † scripsisse ipsum, regnante Constantio, *Commentarios in Epistolam ad Romanos, in Evangelia & in Psalmos*, multaque alia à suæ factionis hominibus legi solita; sed hæc jam non extant. Scripsit item *contra Marcellum librum*, quo eum Sabellianæ Hæreseos arguebat, teste eodem.

† De Script. c. 94.
De Script. c. 86.

330. MARCELLUS, Ancyræ, quæ Galatiæ Metropolis est, Episcopus, Concilio Ancyrano anno CCCXV. habito præfuit; si quæ fides libello Synodico, quem Pappus edidit, cui ferè hac in parte subscriptiones hujus Synodi suffragantur: utcunque, certum est sanctæ Synodo Nicænæ illum interfuisse ann. CCCXXV. in quâ pro fide Catholicâ adversùs Arianos strenuè disputavit. Postea verò, dum impia Asterii Sophistæ scripta vehementiùs refelleret, in contrariam Sabellii, ac perinde Pauli Samosateni, Hæresin incautus impegit, docens Filium esse λόγον προφορικὸν, verbum prolatitium, nec aliam esse à Patre personam, ἓν δὲ καὶ ταὐτὸν εἶναι τῷ Θεῷ, *unum atque idem cum Deo esse*; quemadmodum & humanum verbum unum atque idem est cum homine, non potestate, aut hypostasi, nec aliter omnino separabile, quàm solius operationis effectu: verbum quidem ἐν τῷ Θεῷ ἡσυχάζειν, *in Deo conquievisse*, uti solet in nobis, ubi conticuerimus, usu venire; nec Dei Filium, immò ne imaginem quidem Dei invisibilis extitisse, antequam à patre exiret, id est, carnem assumeret, ut per ipsum omnia fierent, ab eo demum tempore regni sui initium habuisse, post ultimum judicium finem habiturum, ipsumque verbum è corpore separatum Deo demum coaduniendum, ἵν' οὕτως ᾖ ἐν τῷ Θεῷ ὁ λόγος, ὥσπερ καὶ πρότερον ἦν πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, *ut ad eum modum sit in Deo verbum, quo prius olim fuerat, quàm mundus crearetur*, id est, ut rectè explicat Eusebius, Ὡς ἓν καὶ ταὐτὸν τῷ Θεῷ γίνεσθαι, κατὰ καὶ πρότερον ἦν, *ut quemadmodum olim fuerat, ita iterum cum Deo unus idemque existat*. Ob has pluresque ejusce farinæ impietates Episcopi in conventu Hierosolymis in Encæniis habito anno CCCXXXV. ab eo absente licèt exegerunt, ut libri à se conscripti rationem redderet, & sententiam mutaret. Ille itaque pudore suffusus librum suum se combusturum promisit, (teste Socrate *) verùm promissis non stetit. Quocirca Episcopi Synodo paulò post Constantinopoli coactâ, dogmata ejus damnârunt, eumque Episcopatu exuerunt; scriptis ad Ecclesias Galatiæ literis, ut conquisita diligenter Marcellini libri exemplaria abolerent: ejus refutandi provinciam Eusebio Cæsariensi, quem in libro suo Marcellus acriter perstrinxerat, demandarunt; quod perinde ab eo quinque libris peractum est. In exilium missus Marcellus ad Julium Romanam sedem tunc tenentem aufugit, ibique annum integrum & tres menses permansit; sed non comparentibus adversariis, quos ad dicendam causam Julius evocârat, oblato de fide sermone Apologetico, ad communionem admissus est. Anno CCCXLVII. sententiâ Synodi Sardicensis absolutus est: conquestus, ut ex Epistola Synodali liquet, verba sua ab Eusebianis non rectè fuisse intellecta: eaque quæ illi calumniabantur, se tantummodò inquirendi animo proposuisse. Qua quidem in re mala fide egit Marcellus, & bonis Patribus fucum fecit. Non enim problematicè, sed seriò & ex animo hæc ipsum docuisse libri sui Excerpta quæ apud Eusebium habentur, luce clariùs evincunt; in quibus audacter satis de omnibus pronunciat, excepta unica ista quæstione, De Immortalitate carnis Christi, (ad quam fortè Synodo Sardicensi digitum intendit) de qua ait, ὅτι δογματίζειν μὲν ἡμεῖς περὶ ὧν μὴ ἀκριβῶς ἐκ τῶν θείων μεμαθήκαμεν γραφῶν, οὐκ ἀσφαλὲς εἶναι νομίζομεν; *Dogmaticè determinare illa, quæ non exactè didicerimus ex S. Scripturis, nos nequaquam tutum judicamus*. Sanè perspicuum est, cum diu inter Catholicos delituisse, & Sabelliani dogmatis accusatum, hoc se telo defendisse, quòd communione Julii & Athanasii munitus esset. Tandem verò larvâ detractâ Hæretici notam ab omnibus Catholicis ei inustam tulit. Interrogatus aliquando ab Epiphanio Athanasius, quid de Marcello sentiret, illum neque defendit, neque graviter in eum invectus est; levi solùm risu ostendit, non multum ab impietate abesse Marcelli dogmata; seque illum habere ut virum, cui se Apologetico purgare necesse erat. Unde fluctuans Epiphanius hominem nec prorsus absolvere, nec penitùs damnare voluit. B. Hilarius † verò, & Sulpicius Severus * disertè tradunt Athanasium cùm Marcellum parùm sanæ fidei esse clarè comperisset, communionem ei denegasse; idque antequam Photinus in Hæresin erupit, qui an. CCCXLIX. in Synodo Sirmiensi primò damnatus est. Verùm errare eos in temporis ratione exinde patet; quòd Athanasius tum in Apologiâ prima † tum in Epistola ad Solitarios *, quæ nonnisi anno CCCLVII. vel sequente scriptæ sunt, de Marcello tanquam Episcopo Catholico honorificè loqui videtur: at in re ipsâ non errare testis etiam est Scriptor coætaneus D. Basilius †, qui sæpiùs Marcellum veluti Hæreticum luculenter damnat; ne Theodoritum, Chrysostomum, aliosque jam memorem. Cæterùm quæ in Marcelli gratiam dici possunt, videat Lector ap. R. Montacutium not. in Euseb. advers. Marcell. in init. Obiit Marcellus admodùm grandævus, biennio antequam opus suum adversùs Hæreses conscriberet Epiphanius (id est,) Christi CCCLXXII. Multa *diversarum Hypotheseωn* scripsit volumina, inquit Hieronymus †, nec tamen enumerat. In his præcipuè eminebat *Opus adversùs Asterium, de subjectione Domini Christi*; uti libri titulum, saltem primarium argumentum signat Hilarius; ex quo plurima, eaque ampla satis Excerpta habentur apud Eusebium libris adversùs Marcellum, & de Eccles. Theolog. ex quibus hæreticum hominis ingenium perspicuè deprehenditur. Extat item Epistola ejus Apologetica ad Julium Romanum ap. Epiphan. Hæres. 72.

Euseb. contra Marcell. l. I. c. I. l. 2. c. 2. De Eccles. Theolog. l. I. c. 17. & alibi passim.
* L. 2. c. 36.
SÆC. IV. ab An. CCC.
Ap. Euseb. contr. Marcell. l. 2. p. 53
Hieron. de Script. c. 86.
Hæres. 72.
† In frag. col 413.
* Sacr. Hist. l. 2. p. 149.
† P. 547.
* P. 670.
† Epist. 52. 74. 78.
† Loc. cit.

330. P. II. ELUSIUS, ex philosopho Diaconus, claruit anno CCCXXX. scripsit de rebus Constantini M. saltem quæ ad urbis Constantinopolitanæ conditum

Digitized by Google

† De Orig. C.P. p. 9.

tum & dedicationem spectabant. Ita enim Codinus †, de novo nomine huic urbi à Constantino imposito, deque encœniis eo tempore celebratis agens, Elusium nostrum iis Historicis accenset, qui quæ tunc facta sunt oculis lustrarunt, & scriptis accuratè mandarunt. Reliqui sunt Eutychianus Grammaticus Proto à secretis, Eutropius Sophista, qui Juliano Apostatæ in Perside simul adfuit, Constantinus ab Epistolis, Troilus Rhetor, & Hesychius Notarius, quos propterea prætermitto, quia omnes ferè Gentiles fuisse, non Christianos, probabile est. Quod verò Codinus duodecimo Imperii Constantini anno hæc facta fuisse tradit, in eo longè falli necesse est. Constantinopolis enim vix ante annum CCCXXV. Constantini XX. eumque ad exitum jam vergentem, ædificari cœpit, dedicata non nisi anno CCCXXX. Constantini XXV. Quid quòd ipse Codinus verbis paulò suprà positis, ait, jacta fuisse fundamenta anno mundi 5837. (5834. legendum contendit Cl. Pagius) die Septembris XXVI. id est, anno Chr. CCCXXVI.

334. THEODORUS, patriâ Thrax, Heracleâ, quæ Thraciarum ad Pontum urbs est. *Perinthus* olim vocata, ut videtur, ortus; inde *Heracleotes* dictus, tandem ad Civitatis patriæ Episcopatum promotus. Meminit ejus adhuc Presbyteri Athanasius *, primus vero ut Episcopi Heracleensis Theodoritus †, accensens illum iis, qui circa ann. CCCXXXIV. Constantino persuaserunt, ut Concilium Cæsareæ in Palæstinâ ad causam Athanasii dijudicandam convocaret. Sequenti anno unus erat è quinque Delegatis, qui nomine Synodi Tyriæ in Mareotin Ægypti regionem missi sunt, ut veritatem eorum quæ Athanasio objecta fuerant, investigarent, & in acta referrent. Anno CCCLII. ipse cum Narcisso, Cilice, Mari Chalcedonensi, & Marco Arethusio Expositionem fidei superiori anno in Synodo Antiochenâ factam ad Constantem Augustum in Galliam detulit: Id enim ipse Imperator datis ad Fratrem literis postularat; ut ad se Episcopi mitterentur, qui de Athanasii & Pauli depositione rationem redderent. In Sardicensi demum Synodo sæpiùs citatus, nec comparens Episcopatu exuitur. Magni quippe nominis apud suos, & inter primipilos Sectæ Arianæ habebatur. Quocirca cùm Philostorgius illum reponit inter eos, qui τὸ ἰμοούσιαν asseruerunt; ὁμοιούσιον potiùs legendum videtur. In hâc enim opinione erat Theodorus, in hâc Socii ejus, (quos ibidem ei conjungit Philostorgius) Georgius Laodicenus, Eustathius Sebastenus, Basileus Anxyranus &c. quos omnes Homoiousiastas, seu Semi-Arianos fuisse certò constat. Obiisse videtur Theodorus circa ann. CCCLVIII. Hypatianum successorem nactus. Erat testimonio Theodoriti †, διαφερόντως ἐλλόγιμος, vir singularis doctrinæ, quique edidit, Hieronymo teste *, elegantis apertique sermonis, & magis Historicæ intelligentiæ, *Commentarios in Matthæum, in Joannem, in Apostolum* (id est) *S. Pauli Epistolas, & in Psalterium.* Memorat *Expositionem in Evangelia* Theodoritus †, & *Commentarios in Epistolam ad Galatas* ab eodem scriptos non obscurè innuit Hieronymus *. Ex his extat nonnisi *Commentarius perpetuus in Psalmos*, Gr. Lat. præmissus Catenæ veterum PP. in Psalmos, quam Græc. Lat. edidit B. Corderius *Antverp.* 1643. III. Vol. fol. Adde Fragmenta quædam ap. Corderii *Catenam in Matthæum*, & Auctorem Catenæ in Lucam, *Antverp.* 1630. fol. Alius à nostro erat Theodorus, sive potiùs Dorotheus (semel quidem Theodorum nuncupat Philostorgius) Heracleæ Episcopus Arianus, qui circa ann. CCCLXX. ex sedis suæ prærogativâ Demophilum Constantinopolis Episcopum ordinavit, postea Antiochiam translatus, sub Theodosio Magno inde ejectus. Hunc cum nostro malè confundit Jac. Gothofredus †, ob id Cl. Valesio * jure reprehensus.

* Orat. I. contr. Aria. p. 116.

† L. I. c. 28.

Vid. Athanas. de Synod. Arim. & Seleuc. p. 169. Socr. L. 2. c. 18.

L. 8. c. 17.

† L. 2. c. 3.

* De Script. c. 90.

† Loc. cit.

* Ep. ad August. Oper. Tom. II.

† Dissert. in Philost. l. 8. c. 17. l. 9. c. 14. 19.

* Annot. in Philost. l. 9. c. 13.

JULIUS, patriâ Romanus, Rustici filius, Marco Pontifici in sede Romanâ successit VIII. Id. Februarii anno CCCXXXVII. Orthodoxæ fidei adversùs Arianos ὑπερασπιςὴς & vindex fortissimus. Athanasium, aliosque pro fide exulantes hospitio excepit, sententiâ absolvit, communionem indulsit; ipsorum causa Synodum Romæ convocavit. Elpidium & Philoxenum legatos in Orientem misit, & factionis Eusebianæ Episcopos ad causam Synodicè cognoscendam citavit. An. CCCXLVII. Pseudo-Synodus Sardicensis illum ut ducem & principem malorum, qui primus januam communionis sceleratis & damnatis aperuit, cæterisque ad solvenda jura divina aditum fecit, damnavit & exauctoravit. Quin & si Libri Pontificalis Autori * credendum esset, post multas tribulationes decem menses in exilio fuit Julius; inde post Constantii mortem cum gloria reversus. Insulsum planè & nugatorium commentum, nullo antiquitatis tibicine fulciendum. Quippe ipse Julius multis ante Constantii mortem annis vitam finivit. Obiit enim pridiè Id. Aprilis anno CCCLII. Via Aurelia in Cœmeterio Callipodii sepultus. 337.

Epist. ap. Hilar. Frag. col. 446.

* In vit. Jul. Concil. Tom. II.

Extant ejus *Epistolæ duæ, una ad Orientales* Græcè & Latinè ap. Athanas. Apolog. de fugâ, pag. 775. & inde Concil. Tom. II. *Altera ad Alexandrinos in gratiam Athanasii*, in cujus Apologiâ 2ª. habetur p. 598. & ap. Socrat. l. 2. cap. 23. Fragmenta quædam *Epistolarum* seu *Decretorum* inveniuntur hinc inde apud Gratianum & Ivonem Carnotensem, collecta Concil. Tom. II. ubi etiam habentur falsò ei tributæ Epistolæ duæ, *ad Orientales increpatoria, & Rescriptum contra eosdem.* Circumferebatur quoque olim sub ejus nomine *Epistola ad Dionysium Corinthium de Incarnatione Domini*; quam ejus reverà esse existimavit Gennadius *. At non Julii, sed Apollinaris Hæretici Epistolam fuisse pluribus evincit Leontius Byzantinus †; qui & *aliam* memorat Actis Synodi Ephesinæ * insertam, velut à Julio scriptam sub ejusdemque nomine à Facundo Vincentio Lirinensi, Ephræmio apud Phot. & Anastasio citatam, cum tamen Timothæi Apollinaris discipuli Epistola fuerit.

De Script. c. 2.

† Lib. de Sect. act. 8. p. 526.

* Act. I.

JULIUS FIRMICUS MATERNUS, Vir Clarissimus, ita enim nomen & titulum exhibent libri MSS. Nulla hujus Scriptoris, quod sciam, facta est à Veteribus mentio. Si Conjecturæ locus detur, quantùm ego opinione auguror, ex Gentili factus est Christianus. inde ait *, se nunc sacrarum literarum institutione formatum perditos homines religioso sermone convenire: inde ardens illi Gentiles ad fidem Christi perducendi desiderium. Eundem hunc facit Baronius † cum Julio Episcopo Mediolanensi; quem Maternum Onuphrius nominat, quique Synodo intererat, quam Julius Romanus anno CCCXXXVII. Romæ coëgisse dicitur. Sed incerta omnia, & Julius & Synodus: quæ & si concedantur, non tamen sequitur Julium & Mediolanensem eundem esse cum nostro, etsi nomina & tempora probè conveniant: idéoque rem ipse Baronius in medio relinquit. Claruit Noster circa ann. CCCXL. sub Constantio & Constante Augg. His enim librum suum nuncupavit, quem *de Errore Profanarum Religionum* scripsit: in quo eruditè, gnaviter, & ingenti planè zelo causam Christianam agit adversus Gentiles, quos ad fidem Christi amplectendam vehementer cohorta-

* De error. Prof. Relig. p. 7.

† Ad ann. CCCXXXVII. Num. 74.

Digitized by Google

cohortatur, ipsisque Imperatoribus stimulos admovet ad extirpanda prorsus Gentilium sacra. *Amputanda sunt hæc*, inquit, * *Sacratissimi Imperatores, penitus atque delenda, & severissimis edictorum vestrorum legibus corrigenda; ne diutius Romanum Orbem præsumptionis istius error funestus commaculet, ne pestifera consuetudinis convalescat improbitas.* Meminit sub finem libelli victoriæ de Persis non ita pridem reportatæ. *Missi sunt*, inquit, *superbi sub jugum populi; & Persica vota collapsa sunt.* Sed cùm omnia ferè Constantii contra Persas prælia parùm prosperè ei evenerunt, etiam illud apud Singaram, anno CCCXLV. (quando haud dubiam victoriam ferocia militum amisit, ut loquitur Eutropius *) de tempore quo conditus sit hic liber, nihil certi statui potest: nisi quòd intra annum CCCXL. post mortem Constantini Junioris, & annum CCCL. quo interfectus est Constans, scriptus sit. Prodiit *Argentinæ* 1562. 8°. *Heidelberg.* 1599. 8°. *Parif.* 1575. 1589. 1610. *Lugd. Bat.* 1652. 4°. cum notis Wowveri Minucio Fœlici adjunctus 1662. *Parif.* 1666. ad calcem Cypriani, absque notis Biblioth. PP. Tom. IV. Extant item Julii Materni Firmici *Astronomicorum*, seu *de Mathesi libri* VIII. *Venet.* 1499. *Basil.* 1591. & alibi sæpiùs impressi. Baronius † hos juniori, quem sibi fingit, Julio attribuit; nec probabile existimat eundem virum, qui tam disertum ac pium adversùs Gentilium superstitionem tractatum edidit, postea de Mathesi omni ex parte impium scribere potuisse. At quid si hos libros scripserit Julius adhuc Gentilis? Baronius quidem vult eos scriptos fuisse anno demum CCCLV. idque ex Præfationibus constare ait: at Ph. Labbæus compositos fuisse inter annum CCCXXXIV. & anno CCCXXXVII. idque se in Chronico suo plenissimè demonstrâsse dicit. Verùm hac de re penès eruditum Lectorem judicium esto.

*Ibid. p. 11.

*L. 10. p. 131.

† Ad Ann. CCCLV. Num. 1.

Dissert. de Script. Eccl. Tom. I. p. 861.

337. P. II. CRISPINUS, ortu Lampscenus, S. Parthenii discipulus, claruit circa annum CCCXXXVII. Misit in literas vitam & conversationem *Parthenii*, Urbis Lampsaci in Asiâ ad Hellespontum Episcopi, qui imperante Constantino Magno floruit. Extat apud Surium & Bollandum, *Febr.* VII. sed Latinè tantum. Habetur Græcè MS. Biblioth. Vindob. Cod. *Hist.* XI. n. 14. fol. 62. p. 1.

340. ACACIUS, eò quòd luscus erat, Μονόφθαλμος dictus, Eusebii Cæsariensis Discipulus, non tantùm proprio Marte, sed & ex Magistri sui famâ summam & eloquentiæ & eruditionis laudem consecutus est. Anno CCCXL. mortuo Eusebio in Episcopatu Cæsariensi successit. Homo in fide varius, & ingenio vafer; qui sententiam suam pro re natâ variare probè novit: ἕτερος μὲν τὴν δόξαν, ἕτερος δὲ τὴν γλῶτταν, ut verè de eo Philostorgius *, neque cum cum Arianis Filium κτίσμα ἐκ τῶν κτισμάτων affirmabat, neque cum Semi-Arianis ὁμοιούσιον, sed simpliciter ὅμοιον vel ὅμοιον κατὰ τὴν βούλησιν μόνον, *solâ voluntate* Patri similem esse voluit. Anno CCCXLI. Concilio, quod Antiochiæ in Encæniis habebatur, interfuit; in Sardicensi anno CCCXLVII. unà cùm aliis depositus; quam quidem sententiam ipse cum Sociennis suis eodem tempore in Pseudo Synodo Sardicensi in Catholicos Episcopos retorquebat. Anno CCCLIX. cum Synodus Seleuciensis duas in partes dirimeretur, Semi-Arianorum, qui Nicænum Concilium exceptâ unicâ voce τοῦ ὁμοουσίου approbârunt, quibus dux erat Georgius Laodicenus, & Anti Nicænorum qui Nicænam fidem penitus abrogandam, aliamque conscribendam esse contendebant: huic parti caput erat Acacius, qui, oblato in Synodo fidei libello, non modò τὸ ἀνόμοιον, sed etiam ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον penitus rejecit. Prævalentibus autem Semi-Arianis ipse cum suis depositus est: Verùm, arrepto mox ad Constantinopolin itinere, & tum proceribus, tum ipso Constantio, apud quem nihil non poterat, in partes suas pertractis, conciliabulum coegit; in quo etiam τὸ ἑτερούσιον profitentibus suppetias tulit; Basilium Ancyranum, aliosque sibi adversantes deponi curavit: quin & si Philostorgio * fides, Cæsaream properans, viduatis Ecclesiis Episcopos constituit, qui τὸ ὁμοούσιον colebant. Nec id à verò abludere satis ostendit versatile inconstantis viri ingenium; qui regnante insuper Joviano libellum à se aliisque compositum, & chirographo suo signatum Imperatori obtulit, in quo Nicænam fidem, & consubstantialitatis doctrinam disertè confirmavit. E vitâ migravit circa annum 366. Vir erat, teste Sozomeno †, ἱκανὸς τὲ νοεῖν, καὶ φράζειν ἀστεῖος, *copiosus in sententiis, & in dicendo elegans* adeo ut plurimos libros haudquaquam contemnendos reliquerit. De scriptis ejus hæc Hieronymus *. Elaboravit *in Ecclesiasten volumina* XVII. & συμμίκτων ζητημάτων VI. & multos præterea diversosque *Tractatus* composuit, & in his librum Ἀντιλογιῶν dictum *adversùs Marcellum*, ex quo benè longum fragmentum habet Epiphan. Hæres. 72. item de Vitâ præceptoris sui Eusebii cujus meminit Socrates †, sed qui cum cæteris jam pridem periit.

* L. 4. c. ult.

Vid. Epiph. Hæres. 73. Socrat. l. 2. c. 40.

* L. 5. c. 1.

† L. 3. c. 2.

* De Script. c. 98.

† L. 2. c. 4.

FORTUNATIANUS, Africâ oriundus, Aquileiæ in Italiâ Episcopus. Claruit circa ann. 340. Multos annos pro fide Catholicâ adversùs Arianos constanti animo & sincero pectore, præcipuè in Synodo Sardicensi, decertavit; donec anno CCCLIV. cùm Constantius Arelatæ ageret, ipse cum reliquis Occidentis Episcopis vim non vulgatem, gravesque contumelias passus, & strophis Arianorum seductus, in partes eorum transiit; ex quo non modò Athanasium damnavit, verùm & rem Arianam totis viribus promovebat; quodque magis adhuc detestabile est, anno 357. Liberii Romani Episcopi pro fide eo tempore exulantis constantiam fregit, suisque consiliis & monitis effecit, ut damnationi Athanasianæ & Arianorum formulis subscriberet. Elucubravit *in Evangelia* titulis ordinatis, inquit Hieronymus, * brevi & rustico sermone *Commentarios*, qui hodie NE. 340.

* De Script. c. 97.

TRIPHYLLIUS, vir in omni doctrinâ liberali politissimus, ob studium legum Romanarum in urbe Berytiorum, quæ Juris Civilis schola fuit celeberrima, commoratus est. Postea in sacris magnum Spyridonem Trimychuntis in Cypro Episcopum præceptorem habuit; denique Ledrorum in Cypro Episcopus constitutus. Claruit circa ann. CCCXL. & in Synodo Sardicensi locum habuit anno CCCXLVII. ut ex istius Synodi subscriptionibus liquet. Erat omnium suæ ætatis eloquentissimus, cui studio impensâ nimis curâ incubuit acriter eo nomine à magistro Spyridone correptus; cùm in solenni enim Episcoporum Cypriorum conventu rogatus esset Tryphyllius, ut ad populum concionem haberet, & dictum istud Salvatoris in medium proferre, Ἆρον σοῦ τὸ κράββατον καὶ περιπάτει; vice τοῦ κραββάτου, quasi vocabuli minùs elegantis, Σκίμποδα substituit: unde graviter commotus Spyridon, *Num tu*, inquit, *præstantior es eo qui Grabbatum dixit, ut te pudeat eius verbis uti?* Quo dicto, spectante populo ex sacerdotali solio exiliit; hominem propter eloquentiam insolentiùs sese efferentem hâc ratione ad modestiam erudiens. Multa composuit. Ejus in *Cantica Canticorum Commentarios* se legisse testatur Hieronymus*. Scripsit etiam *de vitâ & miraculis Præceptor.* 340.

Vid. Sozom. lib. 1. c. 11.

* De Script. c. 92.

SÆC. IV. ab An. CCC. ceptoris sui Spyridonis Jambica, quæ quærenda sunt, ὡς λίαν ὠφέλιμα, inquit Suidas. NE.

* In voc. Τεϕύλλ.

340. GEORGIUS, patriâ Alexandrinus, Philosophicis disciplinis innutritus, primùm Alexandriæ Præsbyter, à B. Alexandro ob nepotatum gradu motus; ad Arianos penitus deflexit ab iis mortuo Theodoto in sede Laodicena suffectus. Hæreticorum omnium πονηρότατος; uti eum vocat Athanasius *. Exinde Synodis adversùs Athanasium Tyriæ an. CCCXXXV. Antiochenæ an. CCCXLI. interfuit; postea ad Concilium Sardicense anno CCCXLVII. accitus, & ob metum non comparens, communi omnium Patrum consensu damnatus est. Anno CCCLVIII. Episcopos Ancyræ ad dedicationem Basilicæ à Basilio Ancyrano constructæ congregatos missa Epistola (quæ apud Sozom. l. 4. c. 13. extat) incitavit; ut synodicè convenientes Eudoxium Episcopum CP. & Aetium, novas turbas tunc temporis molientes, damnarent. Anno sequente in Synodo Seleuciensi ab Homoiusianorum partibus stetit; licèt postea vir varii & inconstantis ingenii ad Anomæos deflexerit; quod forsan in causa fuit Philostorgio *, ut Georgium inter primarios τοῦ ὁμοούσιου (legendum videtur ὁμοιουσίου) propugnatores recenseret. Scripsit *librum de Vitâ Eusebii Emiseni*, cujus excerptum habetur ap. Socrat. l. 2. c. 9. confer etiam l. 1. c. 24. aliumque contra Manichæos; cujus meminerunt Theodoritus *; & Photius †. NE.

* Apolog. 2.

* L. 8. c. 17.

* Hæret. Fab. l. 1. c. 28.

† Cod. 85.

340. HELIODORUS, Presbyter, claruit circa an. 340. Scripsit contra Manichæos, ut videtur, librum *De natura rerum exordialium*, in quo unicum esse mundi ac rerum omnium conditorem, unicum rerum principium; nec quicquam Deo coævum, quod malum crearet, dari demonstravit. NE.

Gennad. de Script. c. 6.

340? PACHOMIUS, Thebaide in Ægypto natus, parentes Gentilium superstitionum cultores habuit. Vicesimo ætatis anno (si fidem habeamus Vitæ ejus, quam descripsit Simeon Metaphrastes ex antiquioribus Actis, quæ & ipsa ex Dionysii exigui versione hodie extant ap. Sur. Maii 14.) cùm inter cæteros tyrones ad militiam sub Constantino M. obeundam duceretur, milites quibuscum navigabat rerum omnium inopiâ laborantes apud oppidum quoddam Thebaidis incredibili incolarum humanitate sublevatos conspicatus, tantam hospitum benevolentiam miratus est; cumque eos Christianos esse intelligeret, in fidem eorum, moresque inquirere cœpit; ut paucis complectar, Christianam Religionem amplexus est, & salutari lavacro tinctus, in Tabbenesin Thebaidis vicum secessit, ibique Monachorum omnium Tabbenesium auctor atque institutor evasit: Ex hoc enim fonte septem circiter Monachorum millia prodierunt; immo unicum Pachomii Monasterium mille & quadringentos continebat. Claruit sub Constantino ejusque filiis, præcipuè circa annum 340. Magni ab Athanasio habitus, qui illum invisisse dicitur, ejusque vivendi rationem, dum Romæ ageret, Marcellam nobilem matronam, teste Hieronymo *, edocuit. Obiit pridie Idus Maii anno 350. vel ut alii 360. Scripsit ad Collegas præposituræ suæ *Epistolas* V. in quibus, inquit Gennadius †, (qui eas sigillatim enumerat) Alphabetum mysticis tectum Sacramentis, velut humanæ consuetudinis excedens intelligentiam, clausit. Superest apud Palladium Hist. Lausiac. cap. 38. *Regula Monachorum*, quam æneæ tabulæ inscriptam Angelus Pachomio tradidisse dicitur. Extat quidem eadem *Regula* multò uberior, Ægyptiacè, ut volunt, primùm scripta, deinde Græce translata, denique petente Silvano Monacho ab Hieronymo Latinè reddita, ad calcem operum Cassiani, & in Biblioth. PP. Tom. IV. p. 86. Vereor autem ne ea gratis dicta sint. Mirum sanè est Hieronymum, si hanc transtulisset, Pachomium inter Scriptores Ecclesiasticos non retulisse. Crediderim potiùs brevem illam *Regulam*, quam Palladius exhibet, à Pachomii successoribus auctam & locupletatam; saltem dicendum erit Palladianam esse alterius compendium. Sub Pachomii item nomine *Monita* quædam *spiritualia*, brevicula quidem illa, sed verè aurea, Latine edidit Gerardus Vossius in Appendice ad opera Gregorii Thaumaturgi; *Mogunt.* 1606. 4°. Habentur etiam in Bibliot. PP. Tom. IV.

* Epist. ad Princip. pag. 119.

† De Script. c. 7.

341. EUSEBIUS, patriâ Mesopotamiensis, apud Edessam notissimam Osdroenæ urbem nobilissimâ familiâ ortus est; à prima ætate sacris literis eruditus; deinde ab optimis in civitate patria præceptoribus in omnibus Gentilium disciplinis institutus: tandem sub Eusebio Cæsariensi & Patrophilo Scythopolitano studiorum Theologicorum tyrocinia posuit. Sacerdotii detrectandi causâ migravit Alexandriam, quo se Philosophiæ studio magis adhuc excoleret. Alexandriâ rediens Antiochiæ cum Flaccillo Episcopo familiariter versatus est. Claruit præcipuè post annum 341. quando sedem Alexandrinam, ex quâ Synodus Antiochena Athanasium ejecerat, oblatam respuit, Emisenam in Phœnicia accepit; sed cùm in ordinatione ejus Emiseni seditionem excitassent, eum quasi Mathematicarum & Magicarum artium studiosum accusantes, Laodiceam se contulit, ibique cùm Georgio Episcopo, quem sibi amicum in paucis habuit, vixit. Postea verò Emisam rediit. Mortuus est & sepultus Antiochiæ circa ann. 360. Gratus inprimis fuit Imperatori Constantio, ab eo quotiescunque Persis bellum intulit, secum in itinere deductus. Quin & si Georgio Laodiceno fidem habeamus, non pauca fecit miracula. Vocatus est in crimen, quasi idem cum Sabellio sentiret, premente ipsum illorum invidiâ, qui aliorum virtutibus uti solent, ut rectè notat Sozomenus. Hieronymo * audit Arianæ signifer factionis, consueta illi macula, quam alibi Eusebio Cæsariensi non semel inurit. Probabile est Eusebium nostrum in semi-Arianorum sententiam fuisse paulò propensiorem. Erat, inquit Hieronymus, † elegantis & Rhetorici ingenii, qui innumerabiles multo cum plausu populi exceptos confecit libros, magisque Historiam secutus, ab his qui declamare volebant, studiosissimè legebatur. Ex his veluti præcipuos enumerat, *Adversùs Judæos*, Ad *Novatianos*, In *Epistolam* ad *Galatas Hypotheseon* libros X. & in *Evangelia Homilias* breves, sed plurimas. Excerptum ex nonnullis ejus scriptis benè longum habet Theodoritus Dialog. III. p. 172. in quo Eusebii sententia circa Filium Dei minus orthodoxa manifestò deprehenditur. Extant quidem sub ejus nomine in Evangelia totius anni *Homiliæ breves, & Homiliæ aliæ plusquam quinquaginta* varii argumenti: verùm Eusebio nostro communi suffragio abjudicantur, & ex iis hæ Eucherio Lugdunensi, illæ Brunoni Astensi, aliisque recentioribus jure attribuuntur, saltem ex eorum scriptis consarcinatæ sunt. Varias variorum de his Homiliis sententias; quisquis scire desiderat, adeat is Edmund. Albertinum, de Sacrament. Eucharist. lib. 2. p. 877. sententiam verò suam his profert verbis: Ego, inquit, existimaverim Homilias has, rhapsodias esse variorum Autho-

vid. Socrat. l. 2. c. 9. Sozom. l. 3. c. 6.

* Chron. an. 348.

† De Script. c. 91.

SÆC. IV. ab An. CCC. thorum, at nonnullas esse posse Eucherii nonnullas Fausti, nonnullas Cæsarii & Maximi, sive Regiensis, sive Taurinensis, nonnullas etiam aliorum nobis ignotorum. Nam styli diversitas plurimorum esse evidenter indicat. Extant *Paris.* 1575. *Antverp.* 1602. 8°. An hujus Eusebii potiùs sint *Homiliæ* XIII. quas latinè sub Eusebii Pamphili nomine edidit Jac. Sirmondus, *Paris.* 1643. 8°. eruditis disquirendum relinquimus. Certè nullum aliud opinionis suæ fundamentum habuit Simondus nisi Codicis MS. titulum, in quem Eusebii Pamphili, scriptoribus Latinis magis noti, nomen irrepere potuit. Quàm infirma verò sit Codicum MSS. autoritas, vel hinc patet; quòd Homiliæ breves (quas nulli non spurias esse agnoscunt) in Codicibus quibusdam Eusebii Cæsariensis nomen sibi præfixum habuerint.

Ex Eusebii nostri lucubrationibus etiamnum apud Chaldæos extare scribit Hebediesu Librum *contra Judæos, Quæstiones legis veteris*, & *Orationem de D. Stephano.*

341. Pr. II. EUSEBIUS, ortu Edessenus, Episcopus Emisenus, claruit anno CCCXLI. De quo alibi satis. Extat Græcè MS. *Oratio ejus contra Judæos*, hoc principio; Δίκαιον ἡμῖν σήμερον ἀγαπητοὶ τοῦ χθὲς εἰρημένου λόγου ἐπισκέψασθαι καὶ ἰδεῖν τὴν τοῦ διαβόλου, καὶ τοῦ ᾅδου συμβολὴν πρὸς τοὺς Ἰουδαίους κατὰ τοῦ Κυρίου. Ἀκούσας γὰρ ὁ διάβολος τοῦ Κυρίου εἰπόντος, &c. Hujus libelli meminit Hebed-jesu, Catal. lib. Chald. pag. 22. Habetur Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* ex dispositione *Lambecii* CLXXVI. *Nesselii* CCLXXIV. num. 4. fol. 82. *Homiliæ* sive *Orationes tres.* 1. *De S. Joannis Baptistæ, post decollationem suam, descensu ad Inferos, & prædicatione adventûs Christi.* Principium, Ἀναγκαῖον ἡμῖν ἐστὶ πάλιν σήμερον ἐρευνᾶσαι καὶ γνῶναι, ποταπὸς ὁ εὐαγγελισμὸς τοῦ προδρόμου ἐν τῷ ᾅδῃ &c. 2. *De proditione Judæ*; Principium, Δεῦρο λοιπὸν οἱ ἐμοῦ ἀγαπητοὶ καὶ περὶ τῆς παραδόσεως τοῦ Ἰούδα, &c. 3. *In Diabolum & Infernum,* post proditionem Christi per Judam, Δίκαιον ἡμῖν σήμερον ἀγαπητοὶ τὰ ἀκόλουθα τοῦ χθὲς εἰρημένου λόγου ἐπισκέψασθαι, &c. Extant ibid. Cod. *Theol.* CCCVII. num. 4. fol. 49. An genuinæ sint hæ Eusebii nostri *Homiliæ* tùm demùm rectiùs judicabimus, cùm publici juris fient. Interim vide Lambec. *Comment.* lib. IV. p. 184. 231.

344. THEODORUS, nobili genere ortus, Presbyteri dignitatem assecutus est: Pachomii socius, & œconomus, & in Monasterii regimine successor. Claruit anno CCCXLIV. Plura de eo in vitâ Pachomii referuntur, quam harum rerum curiosus adeat, nec enim tanti sunt, ut hisce Lectorem diutiùs distineamus. Scripsit ad *Monasteria Epistolas exhortatorias* tres, sacrarum scripturarum sermone digestas, quæ NE. Theodori cujusdam Monachi *homiliæ* XI. penès Holstenium Græcè exstiterunt. An nostri, an potiùs junioris cujusdam Theodori fuerint, haud satis patet.

344. ORIESIS, Monachus itidem Tabbennensis, Pachomii & Theodori collega, de quo Gennadius*, *Vir*, inquit, *in S. Scripturis ad perfectum instructus. Composuit librum divino conditum sale, totiusque Monasticæ disciplinæ instrumentis constructum, & ut simpliciter dicam, in quo totum penè V. ac N. Testamentum compendiosis dissertationibus juxta Monachorum duntaxat necessitatem invenitur expositum; quem tamen vice testamenti prope diem obitus sui fratribus obtulit.* Opus istud interiit. Extant autem hujus Oriesis *Regulæ de institutis Monasticis* Bibliothec. PP. Tom. IV. p. 92. ad calcem Prosperi *de Vitâ contemplativâ, Colon.* 1536. 8°. & in *Collectione Regularum Holstenianâ.* Junioris cujusdam

* De Script. c. 9.

Oriesis, sive Oresii est *libellus de sex Cogitationibus* ap. Canis. Tom. V. part. 2. pag. 951. Alius item à nostro Orientius sive Orentius, cujus *Commonitorium*, à Delrio cum notis suis editum est *Antuerp.* 1600. & in Bibliothec. PP. Tom. VIII. p. 871. Qui quidem hic loci ob nominum similitudinem interseruntur, licet ad rem nostram parùm conferant. SÆC. IV. ab An. CCC.

VITELLIUS, natione Afer, sectâ Donatista, cujus præter unicum Gennadium* ex Veteribus neminem meminisse arbitror. Floruit sub Constante, qui regnare cœpit an. 337. desiit 350. adeoque Vitellium circa an. 344. claruisse credere par est. Scripsit *De eo, quòd odio sint mundo Servi Dei*; in quo opere Catholicos persecutorum nomine traduxit; item *Adversus Gentes & Adversus Catholicos* veluti *S. Scripturarum traditores.* Multa etiam ad Regulam Ecclesiasticam pertinentia. NE. 344.

* De Script. c. 4.

MACROBIUS, origine, ut videtur, Afer, dignitate Presbyter, primò quidem Catholicus, postea ad Donatistas defecit. Hujus sæpiùs meminit Optatus †, eumque inter Episcopos Donatistarum recenset, qui Romæ vixerunt. Sciendum enim est Donatistas, quò majorem sectæ suæ gloriam quærerent, Episcopos de parte sua misisse, qui in urbe Roma sedem haberent. Verùm cum paucis quos habebant asseclis urbe expulsi, in circumviciniis montibus conventicula celebrare coacti sunt; inde *Montenses, Rupitani*, & *Campitæ* dicti. Claruisse opinor Macrobium, saltem Ecclesiæ Catholicæ adhuc Presbyterum, circa an. CCCXLIV. non modò quia Vitellio Afro eum proximè conjungit Gennadius, sed & quia successio Episcoporum Donatistarum, qui Romæ sederunt, apud Optatum* id suadere videtur, ubi quarto loco collocatur Macrobius. Scripsit adhuc Catholicus ad *Confessores & Virgines* librum unum, moralis quidem, sed valdè necessariæ doctrinæ, & ad muniendam castitatem aptissimæ. Scripsit etiam Donatista factus Epistolam *ad Plebem Carthaginensem de Passione Maximiani & Isaaci Donatistarum*, cujus amplum fragmentum extat apud Mabillon. Analect. Tom. IX. *Paris.* 1685. p. 119. 344.

† L. 2.

* L. 2. c. 5.

PHOTINUS, ortus est ex Gallatiâ minori, quem tamen ex Epiphanio* nonnulli è Sirmio Pannoniæ inferioris oppido originem duxisse volunt: & ita quidem Janus Cornarius Epiphanii interpres, aliter verò ipse Epiphanius, οὗτος δὲ ὡρμᾶτο ἀπὸ Σιρμίου, quæ sic reddi debent, *Hic è Sirmio prorupit*, sive progressus est bellum scilicet veritati indicturus. Discipulus erat Marcelli Antistitis Ancyrani, & sub eo Diaconus; à quo Hæretici ingenii semina hausit. Aliquamdiu Catholicus exstitit, & magno omnium consensu in Ecclesiæ Sirmiensis Episcop. ascitus est. Incertum est, quo tempore sedem istam obtinuerit, quove anno zizania sua proseminare cœperit. Si tamen Epiphanio* fides, factum id vivente adhuc Constantino: quâ quidem in re falli sanctissimum patrem, non opus est ut pluribus ostendamus, cùm contrarium doceant omnes penè Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores, & res ipsa clamat. Tectè quidem primo & clanculùm rem suam egit Photinus, damnata Sabelli & Pauli Samosateni dogmata in animo volvens; postea verò Hæresim suam ante omnium oculos palam exposuit, docens Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον, & ex Mariâ initium habuisse, ex quo in ipsam supervenit Spiritus Sanctus; inde *Homuncionista* Vigilio Tapsensi dictus, ejusque sequaces *Homuncionistæ* Augustino. Publicè hæc docere cœpit sub Constan-

* Hæres. 71.

* Loc. cit.

Digitized by Google

SÆC. IV. abAn.CCC. stantini imperio, Arianis omnia jam pro lubitu agentibus. Demùm hæc prælo traditurus incidi in viri clarissimi, Matthæi Larroquani dissertationem de *Photino*, (quâ causam adversùs Petavium doctè atque erudite agit) qui Hæreseos Photinianæ Epocham ad an. CCCXLI. refert. Certè detectum fuisse Photinum ante annum 344. indicio est μακρόστιχος illa formula condita in Synodo Antiochenâ eo anno habita; in quâ errores Photini expressè damnantur: quod etiam factum est in Synodo Sardicensi anno CCCXLVII. in Mediolanensi anno CCCLVIII. habitâ. Anno CCCL. in Concilio Catholicorum Sirmiensi depositus est; sed à Plebe per vim retentus: denique in secunda Sirmiensi anno CCCLI. quando Episcopos ad disputationem provocavit. Factum id die constituto, præsente Imperatore, & non paucis ex ordine Senatorio, Notariis cuncta excipientibus. Disputandi contra Photinum partes in se suscepit Basilius Ancyranus; certatum utrinque magnâ contentione: victus autem Photinus, & exilio mulctatus. Postea tamen Ecclesiam suam recuperasse videtur, inde iterum à Valentiniano principe depulsus, & in exilium missus; unde iterum reversus obiit in Galatiâ anno CCCLXXVII. Hæresis ejus haud diuturna fuit, quippe Epiphanii jam tempore dissipata, neque Theodoriti * ætate illius vel exiguæ restabant reliquiæ, ne nomine quidem cognito. Dolendum sanè infœlici hoc sæculo infaustos homines pestilentissimam Hæresim ab Orco revocasse. Doctus erat Photinus tum Græcè tum Latinè, ingenii viribus, doctrinæ copiâ, & naturali quadam facundiâ ad persuadendum aptissima pollebat plurimùm; unde multos ad opinionem suam pertrahebat, quod in eo notant Epiphanius *, Sozomenus †, & Vincentius Lirinensis §. Scripsit utroque sermone plura volumina *adversus omnes Hæreses*; quibus suâ solùm exceptâ reliquas omnes falsas esse ostendere conabatur; item *Contra Gentes*; & *ad Valentinianum*, ut videtur, *Imperatorem*. NE.

Vid. Epipha. loc. cit. Socrat. l. 2. c. 30. Sozom. l. 4. c. 6.

* Hær. Fab. l. 2. c. 11.

* Loc. cit. † Ibidem. § Commonit. p. 331.

347. BASILIUS, ortu Ancyranus, primùm Arcis Mechææ, cujus rei unus, quod sciam, meminit Hieronymus *, Episcopus, deinde Marcelli, cui Synodus Constantinopolitana anno CCCXXXVI. Episcopatum abrogavit, in sede Ancyrana successor. Parca ejus mentio ante an. CCCXLVII. quo Patres Sardicenses illum unà cum aliis deposuerunt. Verùm ille imperiali favore & familiaritate fretus semet sustinuit. Erat enim Constantio unice charus; qui Semi-Arianis plurimùm favebat. His se adjunxerat Basilius, ejusque partis primatum tenuit. An. CCCLI. nobilem in Concilio Sirmiensi coram Imperatore cum Photino disputationem habuit, in qua victoria penès ipsum stetit. An CCCLVIII. Synodo Ancyranæ interfuit; in qua deposito Eudoxio Constantinopolitano, ipse cum Eustathio Sebasteno & Eleusio Cyziceno ad Imperatorem Synodi nomine legatus est, decreti Synodici ratihabitionem impetraturus. Anno CCCLIX. in Concilio Seleuciensi adversùs Acacium ejusque asseclas prævaluit, quos à Synodo damnari curavit. At ineunte proximo anno vices ei rependit Acacius, eumque in Synodo CP. deposuit, mox Imperatoris jussu in Illyricum relegatum. Capita accusationis varia fuere; & in iis quòd tyrannidem in alios exercuisset; quòd hos verberibus, illos vinculis, alios exilio mulctasset; quod in multos calumnias struxerat; quòd plurimas Ecclesias perturbaverat; quòd perjurii convictus fuerat, & turpis vitæ homuncionem ad Baptismum & Diaconatus officium promovisset; quod ad sacram mensam illicitas confœderationes facere solitus esset: de quibus, aliisque ei objectis videndus est Socrates *, & præsertim Sozomenus †. Regnante Joviano, ipse cum cæteris Semi-Arianis libellum precum Imperatori obtulit. Verùm in subscriptionibus libelli de Fide Joviano oblati Athanasius Ancyræ Episcopus dicitur; certissimo argumento Basilium hoc tempore sedi suæ restitutum non esse. Non obstantibus Acacianorum calumniis hominem laudat Theodoritus * ob eximiam vitæ sanctimoniam; Sozomenus † etiam veluti facundiæ & eruditionis causâ celeberrimum. Scripsit plura, præcipuè contra *Marcellum* & *Librum de Virginitate*. NE.

* De Script. c. 89.

* L. 2. c. 42.

SERAPION, genere Ægyptius, vitæ instituto Ἀσκητὴς, inter arctioris disciplinæ cultores diu deserta Thebaidis habitavit, multorum ibi Monachorum Præfectus, tandem à D. Athanasio civitatis Thmuitarum, non incelebris apud Mendesium urbis Episcopus factus. B. Antonio oppidò charus, Athanasio arctissimo amicitiæ vinculo conjunctus. Ille enim Serapione familiarissimè utebatur, fidei ejus arcana sua concredidit, judicio scripta vel augenda vel corrigenda submisit, crebrisque literis de rebus gravissimis consuluit, quod tres ad eum datæ Epistolæ seu potius Libelli hodie testantur. Anno CCCXLVII. inter Patres Sardicenses Athanasium sententiâ suâ absolvit: & cùm anno CCCLV. novis apud Constantium calumniis premeretur Athanasius, lectique sunt Episcopi quinque qui ad Imperatorem in Occidente agentem mitterentur; ut animum adversùs Athanasium exardescentem placarent, & inimicorum calumniis responderent; ex horum numero princeps fuit Thmuitanus noster, & ipse sub Constantio Confessione inclytus. Obiit circa annum CCCLVIII. Ἀνὴρ εἰς ἐπὶ μάλιστα τὸν βίον θεσπέσιος, καὶ λέγειν δεινὸς, inquit Sozomenus: *Vir admirabili vita sanctimoniâ, & dicendi copiâ præditus*. Tantâ eloquentiâ clarus, ut ob elegantiam ingenii *Scholastici* cognomen meruerit. Aureum ejus dictum ex Evagrio memorat Socrates †. Ὁ νοῦς μὲν πεπωκὼς τὴν πνευματικὴν γνῶσιν τελείως καθαίρεται, ἀγάπη δὲ τὰ φλεγμαίνοντα μόρια τοῦ θυμοῦ θεραπεύει, πονηρὰς δὲ ἐπιθυμίας ἐπιρρεούσας ἵστησιν ἐγκράτεια. *Mens quidem spiritualis scientiæ haustu plenè purgatur; partes item animæ irâ effervescentes charitate sanantur: pravæ verò cupiditates quæ in animum influunt, abstinentiâ coërcentur*. Scripsit *ad diversos Epistolas utiles*, *Tractatum de Psalmorum titulis*, & egregium * *Librum adversùs Manichæos*. Ex his solummodo extat *Liber contra Manichæos*, quem ex F. Turriani versione primus edidit Hen. Canisius Lection. Antiq. Tom. V. p. I. exinde translatum in Bibliothec. PP. Tom. IV. p. 160.

Vid. Ep. ... (margin partly lost)

Sozom. l. ... c. 9.

Hieron. de Script. c. 99.

† L. 4. c. 23.

* Photii Biblioth. LXXXV.

348. P. II. LEONTIUS, natione Phryx, primùm Presbyter, deindè ab anno CCCXLVIII. Episcopus Antiochenus Presbyter adhuc, mulieris cujusdam, *Eustolii* nomine, contubernio impensè delectabatur. Quo, ut liberiùs frueretur, omnemque criminis suspicionem à se amoliretur, virilia sibimet ipsi præscidit; quem proinde τὸν ἀπόκοπον *castratum*, ubiquè vocat Athanasius, * Nec tamen hoc modo vel suspicionem evasit vel pœnam, Presbyteratûs gradu, hanc ob causam, depositus. Imperante Constantio, Arianis omnia pro libitu disponentibus, † anno CCCXLVIII. deposito Stephano, Antiochiæ Episcopus constitutus est. Obiit circa annum CCCLVIII. Erat, inquit Theodoritus *, τὴν γνώμην κρυψίνους, *ingenio subdolus*, quique intùs latentem hæreticæ pravitatis labem, optime occultare novit; quem proindè saxis in mari latentibus comparat Theodoritus; alibique † τὸ κακόηθες αὐτοῦ καὶ πανοῦργον, *fraudulentiam ejus & versutiam* notat. Arianis fuit addictissimus, & tamen Ortho-

* Athan. Apol. de fug. p. 539. Epist. ad Solit. p. 640. † Soc. lib. II. c. 26. p. 117. Theod. l. II. c. 10. 24. p. 86. Philost. l. III. c. 15. 17. * H. E. l. II. c. 10. p. 86. † Ibid. c. 24. p. 1. p. 6.

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. thodoxis aliquando favere videri voluit. Inter alios, discipulum habuit Ætium Hæresiarcham, cui notante Philostorgio * *Prophetas*, maximè *Ezechielem* explicavit. In tam sublimi loco positus, & sæculo tam contentioso, omniúmque controversiarum feracissimo; fieri non potuit quin multa scriberet. Ex quibus nil hodie superest præter Fragmentum *Orationis* in *Passionem S. Babylæ* decessoris sui, quod nobis exhibet Chronici Paschalis sive Alexandrini auctor ad ann. M. 5751. *Chr.* CCLIII. *Indict.* I. p. 270. *Edit. Noviss.* In quo Fragmento, hoc præcipuè notatu dignum, quòd utrumque *Philippum*, Patrem nempè Imperatorem, Filiúmque ejus Cæsarem, disertè Christianum vocat.

* L. III. cap. 15. 17.

350. MAGNES, Scriptor valdè obscurus, vixit [si ætatem ejus rectè collocent Turrianus & Scribonius] circa an. CCCL. Scripsit *adversus Theostenem* Evangelia calumniantem *libros* V. Græcè. Extant alicubi MSS. quippè quos vidit, atque exinde quædam citat Turrianus in Apolog. pro Epist. Pontificum. Nonnulla etiam habet Coccius, à Turriano mutuatus, licèt id dissimulet, "Verum "ad populum phaleras [inquit † Cl. Albertinus.] "Quis enim veterum, imò etiam recentiorum per "novem aut decem sæcula Magnetis hujus, vel "quoad nomen tantùm meminerit? Fictitius prorsùs Autor est; aut saltem novus aliquis ac nuperus Græculus, cujus Scriptorum certitudo to"tost penès Turrianum exigui judicii virum, fi"deique valde suspectæ. Et audent Adversarii abs"que ullâ verecundiâ ejusmodi quisquilias pro ve"terum monumentis in medium adducere. Proh Dei atque hominum fidem! Certè de hujuscemodi scriptis præstat ἀπέχειν donec ipsi autores in publicum prodeant ut judicium de iis ferre liceat.

† De Sacr. Euchar. li. 2. p. 420.

350. CYRILLUS, sub Macario Hierosolymorum Episcopo Diaconus, à Maximo Presbyter ordinatus, Catechistæ etiam munere functus; sermones suos Catecheticos in eâdem Ecclesiâ habuit circa an. CCCXLVII. septuaginta post exortum Manetem annis [cœpit is Hæresin suam divulgare an. Imperatoris Probi secundo, Christi CCLXXVII.] ut ipse nos docet †. Post Maximi mortem circa ann. CCCL. in Cathedrâ Hierosolymitanâ successit, ab Acacio Cæsariensi jure Metropolitico ordinatus; immò ut Hieronymo *, aliisque †, placet, Arianorum ope, etiam ipse Arianus, hanc dignitatem adeptus. Verùm longè aliter Theodoritus §, qui de ejus promotione ad hanc sedem loquens vocat illum doctrinæ Apostolicæ acerrimum propugnatorem. Quin & longè ante Theodoritum Patres † secundi Concilii Oecumenici, in quo præsens erat ipse Cyrillus, centum Hieronymis hâc in re testes fide digniores, disertè affirmant Reverendissimum hunc ac Religiosissimum, uti eum vocant, Cyrillum canonicè ab Episcopis Provinciæ olim fuisse ordinatum; & plurima variis in locis contra Arianos certamina subiisse. Sanè Scriptores Ecclesiastici in texendo Episcoporum hujus ævi Hierosolymitanorum Catalogo mirum quàm discrepent, ut ex hoc Schematismo ad oculum patebit.

† Catech. 6. p. 141.
* Chron. an. CCCXLIX.
† Rufin. l. 1. c. 23. Socrat. l. 5. c. 8. Sozom. l. 7. c. 7.
§. L. 2. c. 26.
† Epist. Synod. ad Damasc. apud Theod. l. 5. c. 9.

Juxta Hieronymum †:
- Cyrillus
- Eutychius
- Cyrillus 2do.
- Irenæus
- Cyrillus 3tio.
- Hilarius
- Cyrillus 4to.

Juxta Epiphanium *:
- §. Cyrillus.
- Erennis.
- Cyrillus alius.
- Hilarionus.

Juxta Socratem †:
- Cyrillus.
- Heraclius.
- Hilarius.
- Cyrillus iterum.

Juxta Sozomen. †:
- Cyrillus.
- Herennius.
- Heraclius.
- Hilarius.
- Cyrillus iterum.

Juxta Niceph. * Pat. C. P.:
- Cyrillus.
- Arsenius.
- Heraclius.
- Hilarius.

† In Chron. ad an. Chr. CCCXLIX.
* Hæres. 66. p. 275.
§. Lib. 2. c. 45. p. 160.
† Lib. 4. c. 30. p. 589.
† Lib. 4. c. 30. p. 589. ita & Niceph. Call. l. 11. c. 2. p. 112.
* Chronogr. apud Scal. p. 308.

Variis hisce indiculis enucleandis immorari jam non vacat. Id solummodò observandum quod habet Epiphanius, alium quendam à nostro diversum Cyrillum circa eadem circiter tempora Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuisse: quod aliorum Historicorum erroribus ansam; & calumniis materiam præbere potuit. Anno CCCLI. admirabili crucis signo Hierosolymis in cœlo splendidè refulgente, Cyrillus Constantium per literas (quas vocat πρώτας ἐξ Ἱεροσολύμων γραμμάτων ἀπαρχάς) certiorem fecit. Multa deinde illi lis cum Acacio Cæsariensi de jure Metropolitano, quod Cyrillus Ecclesiæ suæ veluti Sedi Apostolicæ asserere voluit, reclamante quidem consuetudine & ipsius Nicænæ Synodi Canone septimo. Sæpiùs idcirco in judicium vocatus non comparuit; inde ab Acacio & Synodo Palæstinâ depositus, prætento quidem alio crimine, quod grassante fame in pauperum usus thesauros Ecclesiæ vendiderat, & in his sacram stolam aureis filis contextam, à Constantino M. huic Ecclesiæ donatam, quam postea muliercula quædam Scenica induisse comperta est. Ab iniquâ Acacii sententiâ Cyrillus ad majus judicium provocavit, adstipulante ipso Imperatore Constantio; solus ac primus omnium, qui contra Ecclesiastici Canonis consuetudinem talem appellationem interposuit, si fides Socrati †; quem tamen hâc in re falli nôrunt Historiæ Ecclesiasticæ studiosi. Hierosolymis pulsus Tarsi cum Sylvano Episcopo vixit, in ejusque Ecclesiâ frequentes ad populum Sermones habuit, qui Cyrilli concionibus admodùm delectabatur hecquicquam per literas reclamante Acacio Anno CCCLIX. in Synodo Seleuciensi Acacio superior fuit; sed in Conciliabulo paulò post Constantinopoli habito, incrustatis prioribus calumniis, novisque additis Acacius illum iterum deposuit. Sub Juliano sedi redditus Judæos Imperiali gratia ad Templum Hierosolymitanum è ruderibus extruendum animatos, magnoque molimine id agentes ludibrio habuit; & memoria recolens tum Danielis vaticinium, tum Servatoris oraculum dixit futurum brevi, ut in eo templo lapis super lapidem non maneret: quòd quidem ita evenit, ut prolixè alibi * ostendimus. Tandem sub Theodosio fugatis adversariis sedem de hinc inconcussam tenuit. Anno CCCLXXXI. inter ἡγέμονας seu ἐξάρχους Secundæ Synodi generalis numeratur, à venerando Concilio in integrum restitutus, & honorificentissimo elogio ornatus. Expleta mortalitate placidè in Domino obdormivit, anno CCCLXXXVI. Nequaquam eum Arianorum sententiæ accessisse fidem faciunt scripta ejus, quæ supersunt hodie; in quibus Arianæ Hæreseως dogmata velut à recta fide Apostasiam & Venientis Anti-

† L. 2. c. 40. — 3. c. 20.

Cave Hist. Lit.

* In Vit. Cyrilli.

Vid. Catech. 11. p. 234. Catech. 15. p. 369.

SÆC. IV. ab An. CCC.

christi Præcursorem damnat: & in *Epistolâ ad Constantium* Imper. (quam scripsit jam Episcopus, & eo circiter tempore, quo maximè obsequii ergà Arianos accusatus est) se τὴν ἁγίαν καὶ ὁμοούσιον τριάδα, venerari profitetur. Unde mirari libet perversum planè Riveti † ingenium, qui ex hac ipsa Epistola concludit aut eam non esse Cyrilli, aut Cyrillum fuisse Hæreticum Arianum.

† Crit. Sacr. l. 3. c. 11.

Scripta, quæ extant.

Epistola ad Constantium Imp. cujus meminit Sozomenus *

* L. 4. c. 5.

Catecheses XVIII. *ad Competentes*, quibus præcipua fidei Christianæ capita explicat.

Catecheses Mystagogicæ V. ad recens baptizatos; in quibus de binis Ecclesiæ Sacramentis agit.

Frustra agunt, qui an genuinæ sint hæ Catecheses, litem movent; Hieronymo *, Theodorito †, Damasceno § ne de aliis jam dicam, Cyrillo nostro eas vindicantibus. Haud merentur responsum, quæ objiciunt Rivetus, aliique, Speciminis causa, objicit Rivetus *, ex variis Scripturarum locis quasi Centones esse consutas, & in rebus non ita necessariis ad nauseam usque prolixas. Esto, quod tamen usquequaque verum non est, Catecheses istæ erant σχεδιασθεῖσαι, ut ipse fert titulus, sive extemporaneæ, nullo studio concoctæ, nullâ arte limatæ, captui Auditorum ex professo accommodatæ, in juventute habitæ, quando deerant adhuc matura ætas & subactum judicium. Objicit iterum Cyrillum de ligno crucis affirmare μέχρι σήμερον παρ' ἡμῖν φαίνεσθαι, *ad hodiernum usque diem illud apud nos apparere*, idque nonnisi xx. aut paulò ampliùs post ipsam Crucis inventionem annis, cum illud μέχρι σήμερον non solet usurpari in rebus novis, sed quæ à multis annis longâ temporum serie in eodem statu visæ sunt. At primò phrasis illa apud Cyrillum non ita longum temporis spatium designare solet. Sic Catech. 17. *Cernimus*, inquit, *Sæculi Principes regi & instrui ab Ecclesiasticis* μέχρι σήμερον, *ad hodiernum usque diem*; cùm ab ipsâ Constantini M. conversione non ultra xxxv. anni effluxerant: ideòque per hanc phrasin nihil aliud intelligit, quàm hoc tempore κατὰ τὴν παρουσίαν, ut verbis immediatè præcedentibus loquitur. Secundò Cyrillus eo loco ne verbum quidem habet de inventione Crucis, sed id solùm dicit, Lignum Crucis etiam hodiè extare, & unà cum plurimis aliis quæ ibi adducit, testem esse, nobile scilicet Dominicæ mortis & resurrectionis monumentum: alibique eâdem phrasi in eodem planè argumento non semel utitur. Mitto cæteras Riveti exceptiunculas, vix cassâ nuce dignas.

* De Script. c. 112. † Dial. 2. p. 106. § De Imag. Orat. 3. p. 783. * Ubi supra, c. 10. * Ubi supra c. 10. P. 441. Vid. Catech. 13. p. 322. Cateh. 14. p. 349.

Prodierunt Opera ejus Lat. *Paris.* 1589. *Catecheses* Gr. *Paris.* 1564. 8o. Gr. Lat. *Colon.* 1564. Opera omnia Gr. Lat. edidit Joannes Prevotius *Paris.* 1608. 4o. deinde Dion. Petavius ibid. 1622. fol. ut & ibid. fol. cum Synesio 1631.

SPURIA.

Oratio de Occursu Domini. Extat Gr. Lat. *Colon.* 1568. *Paris.* Auctuar. Biblioth. PP. 1624. Tom. II. p. 849. & Auctuar. 1648. Tom. I. p. 621.

Epistola ad Augustinum de Miraculis Hieronymi. Lat. inter Opera Augustini & Hieronymi habetur.

352. Vid. II. Epist. Liber. (ad Const.) & Ammian. Marcell. l. 15.

LIBERIUS, patriâ Romanus, Augusti filius, post excessum Julii in Romanum Pontificem XI. Cal. Junii an. CCCLII. electus est. Scriptis mox literis Orientales Episcopi ipsum in partes suas pertrahere magnopere sategerunt. Verùm ille coactâ Romæ Synodo Orientalibus rescripsit se iis consentire non posse: diuque sanè Athanasii causam damnare constanter recusavit ille. Anno CCCLV. Mediolanum accersitus Constantio viriliter restitit; qui cùm post longum cum eo colloquium habitum nec prece nec pretio, nullis rationibus nec ullis promissis minisve hominis animum flectere potuit, ad Beroeam Thraciæ urbem deportari jussit, subrogato ei Fœlice Archidiacono, quem Acacius Cæsariensis Romanæ Urbis Episcopum ordinari curavit; hominem quidem in fide Catholicum, sed qui Arianis communionem non denegavit. Exulaverit Liberius duobus & ampliùs annis; & jam miseriarum & periculorum quæ sustinuit, tædio superatus, vim etiam & verbera passus, nimiaque Demophili & Fortunatiani importunitate victus, dolendo humanæ fragilitatis exemplo tandem cedit, Athanasium damnat, & Homoiusionistarum formulæ quam nuper condiderant, subscribit Sirmii anno CCCLVIII. idque se fecisse datis ad Orientales, aliisque ad Ursacium & Valentem literis testatus est. Romam, reversus, quasi Victor intravit urbem magno cum Populi Romani gaudio receptus, Fœlice à Senatu, vel à plebe, Urbe expulso. Vixit post reditum annos novem, diemque clausit supremum VIII. Cal. Octobr. an. CCCLXVI. sepultus Viâ Salariâ in Cœmiterio Priscillæ. Pœnituisse illum subscriptionis Sirmianæ non eam inficias; modò verum sit, quod pro confesso sumit Baronius *, nullo antiquitatis testimonio fultus, Liberium clarissimam illam *Fidei Confessionem*, quæ hodie extat, post lapsum Sirmiensem ad Athanasium misisse.

SÆC. IV. ab An. CCC. Athan. ad Solit. p. 847. Hilar. in Fragm. col. 426. Sozom. l. 4. c. 14. Vid. Præfat. Marcell. & Faustin. ad libell. prec. & Hieron. Chron. ad an eccl. * An. CCCLVII. N. 73.

Ex Liberii scriptis supersunt *Dialogus cum Constantino* Mediolani habitus, ex ipsis Consistorii actis, ut videtur depromptus, ap. Theod. l. 2. c. 16. & *Epistolæ* XII. ex Hilarii Fragmentis, Luciferi Calaritani libris, & aliunde desumptæ, Concil. Tom. 11. col. 743. Ex his ultima fragmentum est *Epistolæ seu professionis fidei*, quod & ap. Athanas. Tom. I. p. 396. habetur. Octava autem quæ ex Hilarii Fragmentis desumpta sic incipit, *Studens paci & concordiæ Ecclesiarum*, &c. aut adulterina prorsus est, aut, quod ego potiùs arbitror, ex sede sua revulsa in locum alterius magis Catholicæ apud Hilarium isthoc in loco irrepsit: quod mihi ex nota huic Epistolæ ab Hilario apposita certissimè constat. Sic enim inquit, *Quid in his literis non sanctitatis? quid non ex Dei metu eveniens est?* Hæc verò dixisse Hilarium de Epistola quæ ibi extat, nemo cui sanum sinciput, existimare potest. Porrò habetur Epistola Liberii *Synodalis ad Macedonianorum Episcopos* Gr. Lat. ap. Socrat. l. 4. c. 12. & in Concil. Tom. 11. p. 760. Lat. duæ spuriæ nomini ejus affictæ benè longæ, *una ad omnes generaliter Episcopos, altera ad Athanasium & Episcopos Ægyptios.*

HILARIUS, origine Gallus, patriâ Pictaviensis, [urbs ea est Aquitaniæ secundæ celeberrima,] parentibus honestis & non infimi apud suos nominis natus est, bonisque artibus enutritus. Ex Pagana superstitione ad Christianam religionem transiisse videtur, & provectiori paulò ætate, publicis votis expetitus, Pictavorum Episcopus esse constitutus, circa annum ex Baronii calculo CCCLV. nulla tamen cogente ratione, quin annis aliquot ante id tempus ad sedem Pictaviensem evehi potuerit. Conjugatum fuisse, & cum uxore etiam post susceptum Episcopatum cohabitasse non inficiantur cordatiores Pontificii. Pastor in omnes sui muneris partes vigilantissimus, erga fidem Catholicam fervidè animatus; Factionem Arianam etiam in Occidente dominantem multùm 354.

Digitized by Google

SÆC. IV. abAn.CCC.

tùm compeſcuit, oblato eo fine ad Conſtantium libello. Præcipuè in Synodo Biterrenſi anno CCCLVI. Arianis ſe ſtrenuè oppoſuit, inde ab Imperatore, Saturnini Arelatenſis Epiſcopi dolis circumvento, actus in exilium in Phrygiam relegatur. Durante hoc exilii quadriennio, aliis jam curis & laboribus ſolutus, ſcriptis elucubrandis animum adjecit. Hinc natum illi nobile illud *Opus de Trinitate* XII. libris conſtans; *Liber de Synodis*; & *Orationes quædam ad Conſtantium*; ut de *Epiſtolis*, quas plures ſcripſit, nihil dicam. Anno CCCLIX. interfuit Concilio Seleucienſi, in quo Eccleſias Gallicanas ab infami Sabellianiſmi crimine coram vindicavit. Quæ verò de impiis & horrendis Anomæorum dogmatibus præſens audivit; vide apud ipſum *Libro contra Conſtantium*, qui incipit: *Tempus eſt loquendi*, &c. col. 292. Legatos Synodi Conſtantinopolim ſecutus, extremo fidei animadverſo periculo, tribus libellis publicè datis ab Imperatore popoſcit, ut coram Arianis diſceptare liceret; quod Hæretici maximoperè abnuerunt. Poſtremò quaſi diſcordiæ ſeminator, & perturbator Orientis [Sulpicii Severi * verbis utor] redire ad Gallias jubetur, abſque exilii tamen indulgentiâ. Lentis igitur itineribus Galliam petiit; nec niſi ineunte imperium Juliano domum rediit; ſummo cum gaudio à Pictavienſibus ſuis exceptus. Domum reverſus graſſantem ubique Hæreſim Arianam habitis frequentibus intra Gallias Synodis authoritate ſuâ & doctrinâ penè exterminavit. Illud apud omnes conſtitit, inquit Sulpicius unius Hilarii beneficio Gallias noſtras piaculo Hæreſis liberatas. Circa annum CCCLXVIII. vel CCCLXIX. Mediolanum ſe contulit; ut Auxentium hujus urbis Epiſcopum, Arianorum primipilum, coram Imperatore Valentiniano detegeret & refutaret. Sed poſt multam diſputationem operam ſe luſiſſe vidit; Auxentio, ſe in omnes formas vertente, & verſutiis ſuis, fucatiſque fidei profeſſionibus Imperatorem lactante. Redeuns Hilarius eodem anno animam Deo piè reddidit. Vir non modò in Latinorum verùm & Græcorum ſcriptis diu verſatus; ex quibus, præſertim Origene plurima hauſit, Heliodoro Presbytero ἐξηγητῇ familiariter uſus, qui tamen ei nonnunquam impoſuit. Hinc, ut & ex gentis ſuæ more, ſtylus illi turgidus & ſublimis; dictio grandis nimiùm & operoſa, Gallicano cothurno inquit Hieronymus †, attollitur; longis interdum periodis involvitur alibique * eum *eloquentiæ Rhodanum* appellat, fluminum omnium in Galliâ rapidiſſimum. Rem, ut rectè notat Eraſmus †, mutuatus à Græcis, addidit Gallicam grandiloquentiam: frequenter autem aſſurgit ad floridam quandam & theatricam ſublimitatem, præſertim cum incidunt loca, quæ facilè ſplendeſcunt tractata. Et veriſſimum ſanè videtur, quod de hàc re obſervat Magnus ille eloquentiæ Cenſor, vix ullos Provinciales fœliciter reddidiſſe Romani ſermonis ſimplicitatem, præter aliquot qui Romæ à pueris ſunt educati. Vocum quarundam Hilario peculiarium præter publicam loquendi conſuetudinem ſpecimina aliquot idem exhibet loco citato. Inter nævos ejus & opiniones ſingulares primi ferè commatis ſunt, quæ habet de Carne Chriſti impatibili doloriſque exſorte, de Divinitate ab Humanitate Chriſti morientis recedente, de corporeitate animæ, de mundo ſimul & ſemel creato, & ſex annorum millia duraturo; de juramento Chriſtianis penitùs interdicto, aliiſque nonnullis; de quibus adiſis Eraſmum Præfatione citatâ, Joannem Gillotium Commentatione S. Hilarii Operibus præfixâ, Scultetum Medull. Theolog. Patr. ſub finem.

Cave Hiſt. Lit.

Vid. Hilar. de Syn. col. 319. lib. ad Conſtant. Col. 306. Hieron. de Script. c. 100.

* L. 2. p. 163.

† Epiſt. ad Paulin. p. 104.

* Præfat. in l. 2. Comm. in Galat.

† Præfat. in Op. S. Hilarii.

SÆC. IV. abAn.CCC.

SCRIPTA GENUINA.

De Trinitate libri XII. De hoc Opere ita Hieronymus *. *Hilarius meorum Confeſſor temporum & Epiſcopus duodecim Quintiliani libros & ſtilo imitatus eſt & numero.* Hieronymo ſuccedat Eraſmus. *Videtur*, inquit †, *totâ vi adniſus; ut in hoc opere declararet, atque exerceret, quicquid ingenio, quicquid eloquentiâ, quicquid Sacrarum literarum cognitione poſſet.*

Ad Conſtantium liber, qui ſic incipit. *Benefica natura tua*, &c.

Ad eundem liber, init. *Non ſum neſcius*, &c.

In Conſtantium jam vitâ defunctum liber, qui quidem, ut & pracedentes duo, videtur imperfectus. Benedictini librum ad Conſtantium jam v. f. *contendunt ſcriptum eſſe Conſtantio adhuc ſuperſtite ann.* 360. *neque tam imperfectum, quàm ab aliena manu auctum.*

Adverſus Arianos & Auxentium liber: cui ſubjungitur Auxentii ad Imperatorem Epiſtola.

De Synodis adverſus Arianos liber ad Galliarum & Britanniæ Epiſcopos ſcriptus, è Græcis ut plurimùm Synodicis, ſed ſervatâ ſibi libertate de ſuo aliquid, ubi opus erat, admiſcendi, verſus.

Fragmenta ex Opere Hiſtorico de Synodis Ariminenſi & Seleucienſi, rebuſque poſt Synodos geſtis uſque ad annum CCCLXVI. libris duobus comprehenſa. Hæc primus edidit & Præfatione ornavit Nicolaus Faber *Pariſ.* 1598.

Commentarii in Evangelium S. Matthæi, quos alii Canonem appellare ſolent.

Commentarii in Pſalmos, maximam partem ex Commentariis Origenis, noxiis hinc inde detruncatis, excerpti. Hoſce Commentarios pariter ac *Librum de Synodis* ſe Hilario apud Treviros manu ſuâ deſcripſiſſe prodit Hieronymus *.

* Epiſt. ad Magn. Tom. II. p. 328.

† Loc. cit.

*Ep. ad Flor. Tom. I. p. 153.

SUPPOSITITIA.

Epiſtola ad Auguſtinum.

Alia ad eundem. Videntur iſtæ Hilarii cujuſdam junioris eſſe, idque Bellarmino, Labbæo, &c.

Carmen in Geneſim. Ejuſdem eſt ab eo Leoni Papæ inſcriptum.

Epiſtola ad Abram filiam cum Hymno annexo.

Liber de Patris & Filii Unitate. Cento eſt ex *libris de Trinitate* 2do. & 9o. aſſutus.

Liber de Eſſentiâ Patris & Filii. Cento ex libris *de Trinitate* 7mo. & 8o. conſarcinatus, cum Appendice de variis Chriſti cognominibus.

DESIDERANTUR.

Tractatus in Job, de Græco Origenis ad ſenſum tranſlatus. Hujus fragmentum extat apud Auguſtinum contra Julianum lib. 2do.

Commentarius in Cantica Canticorum.

Hiſtoria Ariminenſis & Seleucienſis Synodorum adverſus Valentem & Urſacium: cujus ampliora fragmenta hodie habemus.

Ad *Saluſtium Præfectum adverſus Dioſcurum Medicum, quo brevi libello,* inquit Hieronymus *, *quid in literis poſſet, oſtendit.*

Liber Hymnorum.

Liber Myſteriorum.

Epiſtolæ plures.

De Numero Septenario Liber ad Fortunatum, ab Hieronymo memoratus Apolog. ad Pammach.

* Ep. ad Magn.

Prodierunt Opera Hilarii, *Pariſ.* 1510. *Baſil.* 1516. [per Eraſmum] ibid. 1535. 1570. Auctiora deinde

 [Fragmen-

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An.CCC (Fragmentis accedentibus) edita sunt. *Parif.* 1605. 1631. 1652. fol.

354. Vid. Liber. Ep. 4. 5. EUSEBIUS, natione Sardus, primùm Romanæ Ecclesiæ Lector, deinde Vercellarum apud Insubres Episcopus. Claruit circa ann. CCCLIV. quo annos rogatus est per literas Liberii Antistitis Romani, ut unà cum Legatis suis ad Constantium Imper. tunc intra Gallias agentem proficisceretur. Quod quidem fecit, suisque apud Imperatorem precibus egit, ut sequenti anno Concilium Mediolani conveniret: ad quod ipse, Liberii licèt vices gerens, ægrè admissus est: Arianis per vim & fraudem omnia turbantibus; quorum consiliis & machinationibus adversùs Athanasium, fidemque Nicænam Eusebius noster pertinaciter adversatus est. Summa huc redit. Constantius Catholicis Episcopis subinfensior seipsum Athanasii accusatorem sistit, eosque hominem damnare jubet: quibus hoc non esse Ecclesiastici Canonis objicientibus, respondit, ὥσπερ ἐγὼ βϑλομαι, τϑτο κανὼν νομιζέσϑω *Quod ego volo pro Canone sit: ita enim me loquentem Syriæ Episcopi sustinere solent.* Denique ob hoc ipsum acriter minabundus, & gladium intentans, quosdam ex iis abduci jussit; & inter eos Eusebium Scythopolim Syriæ Decapolitanæ urbem, Bethsan antea dictam, relegavit. Eusebium exulem Josephus ex Judæo Christianus, à Constantino M. Comitis titulo olim ornatus hospitio perhumaniter excepit; ubi se illum invisisse testatur Epiphanius *. Inde in Cappadociam missus est; immò si Socrati †, aliisque fides, in superiore Thebaide exulavit. Unde sub Juliano habitâ cum Athanasio Alexandriæ Synodo, Antiochiam pergit; & cùm schisma occasione Luciferi Calaritani illic exortum componere non posset, abscessit; & peragratis Orientis Provinciis in Italiam rediit; obiitque anno CCCLXXI. non tantùm Confessoris titulo, sed & Martyris etiam honorandus, ab Arianis quippe lapidibus obrutus; modò genuina sit inscriptio in sepulchro ejus inventa, in quâ Acrostichis versibus habebatur, EUSEBIUS EPISCOPUS ET MARTYR, & vera referant Scriptores nonnulli; quos tamen omnes recentiores esse ipse Baronius † agnoscit.

Vid. Athan. Epist. ad Solit. p. 643. 666.

* Hæres. 30. † L. 3. c. 5. 9. Sozom. l. 5. c. 12. Rufin. l. 1. c. 27. 28.

† Ad ann. CCCLXXI. vid. Not. in Martyrol. Augusti. 1.

Vertit è Græco *Commentarios Eusebii Cæsariensis in Psalmos*; qui NE. Nec plura commemorat Hieronymus *. Extant verò Epistolę nonnullæ ex Ecclesiæ Vercellensis Archivis depromptæ, ad *Constantium* Imperatorem *una*, Ad *Patrophilum Episcopum Arianum altera*, *tertia* è carcere ad *Vercellenses suos*. Vide Baron. ann. 355. num. 7. an. 356. num. 92. Surium ad August. 1. *Quarta* etiam ad *Gregorium* Episcopum Hispanum habetur apud Hilar. in Fragm. col. 433.

* De Script. c. 96.

354. Vid. Epist. Florent. & Lucif. in Op. Lucif. & ap. Baron. ann. 356. LUCIFER, Calaritanus, sive Caralitanus in Sardiniâ Episcopus. Claruit eodem, quo Eusebius Vercellensis, tempore; eorundem laborum, certaminum, itinerum, & exiliorum comes ferè individuus; cum eo ad Constantium in Gallias profectus, cum eo Liberii Pontificis in Synodo Mediolanensi vices gerebat anno 354. junctisque cum eo studiis Arianos viriliter oppugnavit; cum eo denique in Palęstinam relegatus, Eleutheropoli præcipuè substitit. Hic loci duos pro Athanasio in Constantium libros edidit, in quibus Imperatorem parùm verecundè, & ne quid gravius dicam, longè infra summi Principis majestatem asperè atque inclementer tractavit. Hos mox ipsi Constantio legendos transmisit; qui Florentio magistro Officiorum in mandatis dedit, ut codice remisso per literas à Lucifero exquireret, num pro suo agnoscere vellet. Rescripsit Lucifer, seque & auctorem esse, & ad mortem usque defendere paratum professus est. Rogatus etiam ab Athanasio, lucubrationes suas ad ipsum tunc in eremo latitantem dono misit. Hominem ille mirificè laudat, scripta deprædicat, eaque Græcè transferenda curavit. Exulavit Lucifer non tantùm in Palæstinâ, verùm & in aliis Orientis locis; tandem cum Eusebio suo in superiora Thebaidis deportatus. Exinde Imperante Juliano, Diacono suo ad Synodum Alexandrinam misso, ipse rectâ Antiochiam contendit; ubi Catholicos inter se dissentientes deprehendens, Paulinum Antiochiæ Episcopum ordinavit; intempestivè quidem, & reclamante magnâ Catholicorum parte, qui cum Paulino convenire renuebant, in majus & apertius adhuc Schisma erumpentes. Factum improbavit Eusebius Vercellensis, qui, relictâ Alexandriâ, Antiochiam venerat; quod ubi rescivit Lucifer, iracundiâ & stomacho exardescens, ut erat præfervidi atque vehementis ingenii, amicum fidum & integerrimum acriter atque animosè excepit, ab ejusque communione sese abjunxit. Ad hæc paulò commotior, quòd præter ipsius sententiam Synodus Alexandrina pœnitentes Episcopos, qui Arianis communicâssent, ad pacem recipiendos esse statuisset; in Sardiniam demum reversus, non modò communicatione Arianâ pollutos condemnavit, verùm etiam se ab eorum communione secrevit, qui eos sub satisfactione vel pœnitentiâ recepissent. Hinc natum Luciferianum schisma, quod tamen ultra hujus sæculi terminum durâsse non videtur. Obiit Lucifer eodem, quo Eusebius Vercellensis, anno viz. 371. Miris eum veluti virum Apostolicum laudibus efferunt Marcellinus & Faustinus, ipsi sectâ Luciferiani, ob contemptum sæculi, studium sacrarum literarum, vitæ puritatem, constantiam fidei, gratiam divinam. Quatuor ejus exilia, & divinas virtutes per eum factas jactitant, decemque annos exulâsse scribunt. Stylus illi non minùs quàm ingenium, durus & incultus; quem ideo prædicti Presbyteri agnoscunt ignarum quidem artificiosæ eloquentiæ, attamen quod super omnem eloquentiam est, prophetico, & evangelico, atque apostolico more scripsisse, & gratiam S. Spiritûs ϑαυμάτων ποιητικὴν habuisse illum gloriantur.

SÆC. IV. ab An. CCC.

Vid. Ep. Athan. ad Lucif. loc. cit. Socrat. l. 3. c. 5. 6. 9. Sozom. l. 5. c. 12. 13.

Libell. prec. p. 10. 36.

Ubi supr. p. 38.

Extant ab eo scripta.

AD *Constantium Imperatorem libri* II.
De Regibus Apostaticis.
De non conveniendo cum Hæreticis.
De non parcendo delinquentibus in Deum.
Quòd moriendum sit pro Filio Dei.
Epistola brevis ad Florentium.

Hæc omnia collegit, & cum Epistolis aliquot Athanasii, Liberii & Florentii, edidit Joannes Tillius Meldensis Episcopus, *Parif.* 1568. 8°. exinde inserta Bibliothecę Patrum, Tom. IV. p. 181.

Dolendum sanè est novam Luciferi Calaritani editionem quam meditatus est Vir Cl. J. B. Cotelerius, ipsomet teste, Notis ad Patres Apostolicos, p. 177. magnâ antiquitatis Ecclesiasticæ jacturâ, cum viri eruditissimi morte periisse.

HILARIUS, Sardiniam insulam patriam habuit, Ecclesiæ Romanæ, in quâ Baptismum susceperat, Diaconus factus anno 354. unà cum Eutropio Presbytero [*Pancratium* vocat Hieronymus *] aliisque Liberii ad Constantium literas detulit. Advenientem non modò sannis & dicteriis exceperunt Ariani, verùm etiam detractis vestibus terga flagellis ciciderunt, inter verbera insultantes; *Quare Liberio non restitisti, sed ejus literas attulisti?* mitissimo Diacono inter flagellorum 354.

* De Script. c. 95.

Vid. Athan. Epist. ad Solit. p. 647.

SÆC. IV. ab An. CCC.

rum crepitus Deum laudante. Anno sequente, cùm Athanasium damnare noller, in exilium pulsus est: Postea Luciferiano schismati se adjunxit, quin & Hæreticorum Baptismum nullum prorsus esse contendebat, ac proinde ab Hæresi redeuntes rebaptizari voluit: unde per sarcasmum ab Hieronymo † *Deucalion Orbis* appellatur.

† Dial. adv. Luciferian. p. 146.

Scripsit [uti eruditis jamdiu persuasum est,] *Quæstiones in Vetus & Novum Testamentum*, quæ inter Augustini opera leguntur Tom. IV. col. 697. *Commentarios in Epistolas S. Pauli*, qui inter Ambrosii opera habentur, Tom. V. pag. 170. Prius opus scriptum est Romæ circa an. 370. quod ex Quæst. XLIV. patet; posterius sub Damaso Papa ante ann. 384. uti ex Comm. in 1. Epist. ad Timoth. c. 3. videre est. De posteriore verò notandum venit, *Commentarium in Epistolam ad Hebræos* ejusdem autoris non esse; & ex Chrysostomi Commentario in istam Epistolam excerptum esse.

356. P. II. MARCUS, *Diadochus* sive *successor* dictus Episcopus Ægyptius, is nempe qui fuit Zigrenæ urbis propè Libyam, saltem alter ille Marcus Philarum urbis ad Nilum paulò supra Cataractas minores, [utriusque enim meminit Athanasius Epistolâ *ad Antiochenses*] Athanasio familiaris, claruit anno CCCLVI. Quo tempore Georgio Cappadoce sedem Alexandrinam per vim sibi arripiente, & loca omnia sanguine, cædibus & deportationibus adimplente; ipse unà cum aliis in exilium actus est; teste Athanasio *Apol.* de *fug.* pag. 548. & *Epist. ad Solit.* p. 664. Extat Græcè Oratio ejus *contra Arianos*, quæ hoc modo incipit, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. Ἀρχῆς κρείττονα τὸν λόγον ὁ Θεόλογος λέγει καὶ ὁ τῆς Ἀρείου μελετῶντες μανίαν λέγουσι ἦν πότε ὅτε οὐκ ἦν, &c. edita nuper Basileæ à Cl. Wetstenio unà cum Origenis libello de *Oratione Dom.* Asservatur MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* juxta ordinem *Lambecianum* LVII. *Nessel.* II. num. 36. fol. 241. Confer. Lambecium *Comment.* lib. 3. p. 83. ubi Ortelii errorem in *Thesauro Geographico* de hoc Athanasii loco corrigit; seque *hanc Marci Orationem* aliquando editurum esse promisit.

357. POTAMIUS, Gente Hispan. Odyssiponæ civitatis Episcopus, primò quidem Catholicus, postea fundi Fiscalis illecebris captus, ad Arianos transiit, & anno 357. Ariminensi Formulæ subscripsit, immò confessionem eam ipse condidit. Nec his contentus, quin odio adversùs Hosium flagrans, [qui ipsius olim apud Hispanos impiam Hæresim detexerat] non priùs destitit, quàm partim minis, partim ui hominem senio fractum vitæque nimiùm amantem in easdem secum partes pertraxerit, consilio quidem vafro, sed impio & exitu sibimet ipsi planè infausto: si quidem vera nobis referant Faustinus & Marcellinus libello supplice, quem Theodosio Imper. obtulerunt. Cùm in Hispaniam enim reversus Potamius ad fundum Fiscalem, violatæ fidei præmium properaret; gravissimo in linguâ tormento correptus, in viâ moritur; adeò ut prædium suum ne è longinquo quidem ei videre contigerit. Extat *Epistola ad Athanasium*, quam primus edidit Lucas Dacherius Spicilegiorum, Tomo 2do.

Libell. prec. edit. Oxon. p. 13. 17.

359. PHÆBADIUS, sive Phægadius, ortu Gallus, provincia, ut videtur, Aquitanus; unde nostrum vocat Sulpicius Severus, * Agenni Aquitaniæ secundæ oppidi Episcopus. Claruit an. 359. quo unà cum reliquis Occidentalis imperii Episcopis Ariminensi interfuit Concilio; ubi pro veritate Nicænâ acerrimâ contentione decertavit, omnesque Arianorum impetus, etiam postquam cæteri, uno

* L. 2. p. 161.

Cave *Hist. Lit.*

SÆC. IV. ab An. CCC.

servatione Tungrensi excepto, Tauri præfecti fraudibus, minis & terriculis cessérant, forti & infracto animo sustinuit; professus se ad exilium, omneque supplicium subeundum paratum esse, conceptam verò ab Arianis fidem nunquam recepturum. Res tandem eò devenit, ut propositæ formulæ, quæ vellet, addere ei integrum esset, quod & fecit: verùm explicationem istam insertâ clausulâ, quam Phæbadius non ritè intellexit, Valens Mursorum Episcopus, vaferrimè elusit. Ann. 384. referente Pseudo-Dextro †, Concilio Cæsar-Augustano adversùs Priscillianistas celebrato præfuit. Certè extant hujus Synodi, sed an. 380. habitæ, Canones octo; quibus Phitadius primo loco subscripsisse deprehenditur. Ad extremam & decrepitam usque senectutem pervenit; in vivis enim adhuc erat an. 392. Hieronymo Catalogum claudente.

† Concil. Tom. 2.

Extat ejus *Liber contra Arianos*, [in quo Sirmiensem Formulam ann. 358. ad Gallos missam sub examen revocat, & κατὰ πόδας refellit] editus primò à Beza ann. 1570. deinde à Petro Pithæo, *Paris.* 1586. exinde Bibliothecæ Patrum Tomo IV. p. 300. insertus. Scripsisse & alia Opuscula testis est Hieronymus *, sed à se necdum lecta. Phil. quidem Labbeus † ait, Sophronium in Metaphrasi Græcâ insinuare se opuscula illa vidisse; quæ miror viro doctissimo excidisse. En Hieronymi verba; *Dicuntur & ejus alia esse opuscula, quæ nec dum legi.* Hæc sti ictè satis hunc in modum vertit Sophronius; Λέγονται αὐτοῦ καὶ ἕτερα εἶναι συγγράμματα, οἷς οὔπω ἐνέτυχον. Nec hàc de re verbum ampliùs addit.

* De Script. c. 108. † Dissert. de Scrip. Tom. 2. p. 220.

AETIUS, Antiochiam, Cœlosyriæ urbem patriam habuit, militis cujusdam, qui sub præsidiali officio meruerat, & paulò post mortuus est, filius. 359.
Adolescens adhuc mulieris cujusdam Ampelidis nomine artem ærariam circumforaneus exercuit, quam etiam patrem ejus olim tractâsse Theodorus Mopsuestenus author est. Aurifabrum verò fuisse Aetium certiùs constat, sed mortuâ demum matre, homo præstanti indole ad philosophicas disciplinas animum applicuit. Ac primùm quidem Paulinum Antiochenum audivit, postea Anazarbi Athanasium, deinde Tarsi Antonium Presbyterum, post hæc Leontium Presbyterum Antiochenum, tandem Alexandriæ Sopolim medicum celeberrimum, sub quo medicinæ operam dedit, & cùm in hâc arte excelleret, gratuitam indigentibus operam præstabat: ipse interim opificio suo aurifabrili noctu incumbens vitam sustentabat. Antiochiam reversus, à Leontio Episcopo Diaconus ordinatur, qui dogmata sua in Ecclesiâ publicè docendi ei potestatem fecit, quod & pro virili præstitit Aetius. Capita Hæreseως potissima fuerunt; Filium esse κτιστὸν, καὶ ἐξ οὐκ ὄντων, & per omnia ἀνόμοιον τῷ πατρὶ, ac proinde ἑτερούσιον, *substantiâ planè diversum:* unde *Athei* cognomen ei meritò adhæsit. Reliqua ex Epiphanio, Theodorito, & Niceta Choniate petantur. Famosus esse cœpit maximè circa annum 359. & sequentem, quando apud Constantium accusatus, quòd conscius & particeps fuisset conjurationis Galli, Pepuzam Phrygiæ in exilium missus est. Sub Juliano Episcopatum accepit; cujusnam verò urbis, non prodit Philostorgius. Ab exilio revocatum perhumaniter tractavit Julianus, eique agrum in Lesbo circa Mitylenem urbem, suæ erga illum benevolentiæ tesseram, donavit; cujus etiam ad Aetium jam Episcopum etiamnum extat Epistola. Sub Valente ad Prædium Lesbiense secessit, ubi Procopio tyrannidem exercente in discrimen capitis venit: inde Constantinopolim fugiens, paulò post è vitâ discessit circa ann. 366. Eunomio oculos ei comprimente, & quæ ad funus pertinent procurante. Erat, referente Nicetâ, temerarius & scurrilis,

Vid. Philostorg. l. 3. c. 15. 17. l. 5. c. 1. 2. l. 6. c. 7. l. 7. c. 6. l. 8. c. 4. l. 9. c. 6. Nicet. Thes. Orth. l. 5. c. 30. 31. Epiphan. Hæres. 73.

Epist. 81.

Digitized by Google

scurrilis, atque mimicis thymelicisque sermonibus, gestibus & cultibus indecoris oblectabatur. Nam veste ad nates usque sublatâ femora ferire, alteroque pede sublato, & ventre percusso pedere solebat; in conviviis autem inter ludicra blasphemis verbis SS. Trinitatem lacessebat. Extat ab eo scriptus *De Fide libellus* XLVII. Capitulis constans, apud Epiphanium Hæres. 76. qui librum ejus κατὰ πόδας plenè & solidè refutavit. Composuit etiam, teste Socrate †, Epistolas tum ad Imperatorem Constantium, tum ad quosdam alios, in quibus longas texuit disputationes, & argumenta sophistica proposuit. Habetur fragmentum Epistolæ ejus forsan ad Eunomium, unà cum Eunomii Scholiis ap. Athanas. Dialog. 2. de Trinitate, Tom. II. p. 166. 162. In hoc fragmento meminit opusculi à se elaborati de Deo γεννητῷ & de ἀγεννήτῳ Deo, quod adversarii ejus, demptis & insertis nonnullis, depravatum ediderunt. Verùm hoc fragmentum nihil aliud est quàm proœmium libelli, qui apud Epiphanium exhibetur.

† Lib. 2. c. 35.

360.
P. II.
Socr. l. II. c. 37. 43. l. IV. c. 14. Philost. l. IV. c. 2. l. IX. c. 8. Suid. in voc. ΕΥΔΟΞ.

EUDOXIUS, patriâ Armenus, *Arabisso* Armeniæ minoris oppido oriundus, Patrem habuit Cæsarium sub Maximiani persecutione martyrio illustrem. Claruit præcipuè anno CCCLX. primùm Germaniciæ, quæ Provinciæ Euphratensis urbs erat in confinio Ciliciæ, Syriæ, & Cappadociæ sita, Episcopus; deinde mortuo Leontio anno CCCLVI. Ecclesiam Antiochenam paulò post invasit, Eunuchorum Palatinorum ope adjutus, in Synodo Seleuciensi ab Acacianis depositus. Anno CCCLIX. exeunte, vel ineunte potiùs sequenti *Januar.* XXVII. in Synodo *LXXII.* Episcoporum deposito Macedonio, sedem Constantinopolitanam Constantii Imper. gratià assecutus est. Obiit anno CCCLXX. dum Nicææ, ut episcopum illic ordinaret, versaretur. Quod verò habet Socrates, ipsum Ecclesiam Constantinopolitanam XIX. annis rexisse, mendum in textum irrepsisse necesse est, & pro δέκα ἔννεα; δεκαένα legendum esse, ut rectè animadvertit Cl. Valesius. Certè Eudoxium undecim tantùm annis Regiæ urbis episcopatum tenuisse, disertè tradunt Sozomenus & Nicephorus. Fidei dogmata quod attinet; levis erat & inconstans, primò Arianus, deinde lectis Asterii Sophistæ epistolis, Semi-Arianorum, sive Homoiousianorum sententiam amplexus est. His relictis ad Anomæos transiit, & Ætio se adjungens, τὸ ἑτερούσιον dogma strenuè propugnavit, etiamsi datâ occasione, sæpè ipsis Ætianis se inimicum præstitit. Ingenium habuit naturâ solers & versutum, vir non ineruditus, dicendi genere usus à panegyricâ venustate alieno, obscuritate ac superfluitate verborum ac vocabulorum impurorum usu, tumido, ad ingratum ac ridiculum & confusum characterem pertinente. Quod de illo pariter ac Eunomio, ex Philostorgio notat Photius. Scripsit inter alia, *Orationem de Incarnatione Dei Verbi*, ex quâ ampla satis excerpta hodiè supersunt, & hoc modo incipiunt; Ὅτι οἱ Ἀρειανοὶ σαρκωθῆναι λέγουσι τὸν Θεὸν Λόγον, ἀλλ' οὐκ ἐνανθρωπῆσαι οὐδὲ ψυχὴν ἀνθρωπίνην ἀνειληφῆναι φασὶ καὶ ὅτι οὐ δύο φύσεις, &c. habentur MSS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* juxta *Lambec.* LXXVII. *Nessel.* XL. num. 77. fol. 133. pag. 2. 2. Fateor in Cod. MS. Eudoxii nomen simpliciter absque additione poni. Verùm argumenti, de quo agit, ratio alium à nostro intelligi vetat. Ejusdem libri *de Incarnatione* fragmentum habetur Græcè apud Damascen. in Collectione quâdam Testimoniorum in Cod. MS. Claromontano, cap. 9. ubi Eudoxius, Episcopus C P. Arianus disertè dicitur. Vide Labbei *Conspect.* Oper. Damasc. pag. 50. Cod. Vindob. CLIX. in *Commentario in varia Vet. & Nov. Testamenti Cantica sacra* ex plurium Veterum Patrum operibus collecto, semel iterúmque citatur Eudoxius Philosophus, quem eundem cum superiori judicant Lambecius & Nesselius.

SÆC. IV. ab An. CCC.

EUNOMIUS, natione Cappodox, Dacorâ territorii Cæsariensis vico ad Argæum montem ortus, parentibus quidem qui Majorum Magni illius Basilii Liberti fuerant; Aetii discipulus & notarius, à quo Hæresim suam hausit; verùm eruditione & famâ magistrum multis gradibus superavit. Ab Eudoxio Antiocheno Diaconus factus, mox dum legatus à suis ad Constantium mitteretur, à Basilianis in itinere captus Midaium Phrygiæ relegatur. Anno 360. ab Eudoxio & Mari Cyzicenus Episcopus ordinatur, inde mox à civibus pulsus. Scio Socratem * & Sozomenum † ad Valentis tempora hæc referre; sed Philostorgio utpote in rebus Eunomianis oculatissimo magis credendum; cui etiam hâc in parte suffragatur Theodoritus *. Sub Juliano & Joviano Constantinopoli egit; sub Valente in hortum Chalcedonensem secessit, donec delatus apud Imperatorem, quòd Procopium tyrannum in agro suo occultâsset, exul in Mauritaniam missus est. Dum apud Mursam Illyrici in itinere consisteret, ab Imperatore revocatur. Theodosius Magnus ipsum ex Chalcedone abreptum Halmyridem locum Mœsiæ ad Danubium situm relegari jussit. Inde à Barbaris fugatus, Cæsaream Cappadociæ adductus est. Civibus verò invisus, quod adversus Basilium eorum Episcopum libros olim conscripserat, apud Dacoram viculum natalem in agris suis degere permissus est, ubi grandævus moritur, circa annum 394. In vivis enim adhuc erat, cùm Hieronymus Catalogum suum de Scriptoribus clauderet. Eunomii corpus Tyana transferendum & illic à Monachis servandum curavit Eutropius Patricius, ne à Discipulis ejus Constantinopolim translatum commune cum magistro sepulchrum sortiretur; quin & ejusdem libros publicis edictis aboleri jussit. Summis eum laudibus evehit Philostorgius, ipse sectâ Eunomianus, cujus integra penè Historia Ecclesiastica haud aliud quàm Eunomii encomium censeri debet. Ejus tamen dicendi genus à Panegyricâ venustate alienum fuisse, obscurum, superfluum, tumidum, & ad ingratum, ac ridiculum, & confusum characterem referendum esse notat Philostorgii abbreviator Photius *. Photio concinit Socrates †, qui Eunomium observat fuisse πολυχοῦν τὴν λέξιν, eademque verba assiduè repetiisse; item τρόπον σοφιστικὸν ab Aetio acceptum in eo notat, quodque inanibus quibusdam voculis nimium deditus fallaces argumentationes imprudens contexuit, quum reverà S. Scripturarum parùm omninò peritus fuerit, nec earum intelligentiam assequi potuerit.

360.
Vid. Philostorg. l. 3. c. 20. l. 4. c. 8. 9. Nicet. c. 31. l. 5. c. 3. l. 6. c. 3. 4. l. 9. c. 4. 5. 6. l. 10. c. 6. l. 11. c. 5.

* L. 4. c. 7.
† L. 6. c. 8.
* L. 2. c. 27. 29.
* Cod. 138.
† L. 4. c. 7.

SCRIPTA.

Commentariorum in Epistolam ad Romanos Libri VII. NE.

Epistolæ plures, quas διαφέρειν τῶν ἄλλων ἐπὶ μᾶλλον, reliquis ejus operibus multum præstitisse ait Philostorgius. NE.

Ἔκθεσις τῆς πίστεως, seu *Fidei libellus* anno CCCLXXXIII. Theodosio Imper. oblatus. Hunc primus ex Codice Florentino in lucem protraxit, additaque versione edidit Hen. Valesius in Annotat. ad Socrat. l. 5. c. 10.

Apologeticus, in quo adversùs SS. Trinitatis dogma, præcipuè æternam & consubstantialem Domini nostri Deitatem argutè disputat vafer Hæresiarcha. Huic libro respondit D. Basilius qui plura fragmenta conservavit, alia Gregorius Nyssenus & Epipha-

Digitized by Google

Epiphanius. Integrum verò opusculum Græcè extat, tum apud alios, tum penes CL. virum Thomam Tenison Doctorem Theologum, mihique in paucis amicum. Prologum & Epilogum unà cum subjuncta Eunomii confessione, quæ in usum meum ex Codice Tenisoniano descripsit, & Latinè vertit D. Whartonus, quæque quintam ferè totius Operis partem conficiunt, hic subjiciam, cætera utpote prolixiora compendio traditurus.

Εὐνομίου τοῦ δυσσεβοῦς Ἀπολογητικὸς πρὸς ὃν ἔγραψε τοὺς ἀντιρρητικοὺς ὁ μέγας Βασίλειος.

Prologus.

Τὸ μὲν συκοφαντεῖν καὶ διαβάλλειν τινὰς ἐξακολάστου γλώττης καὶ γνώμης ἀγνώμονος μοχθηρῶν καὶ φιλαπεχθημόνων ἔργον εἰδότες, τὸ δὲ τοὺς ἐκ διαβολῆς εἶναι δόξαντας πονηροὺς πάσῃ προθυμίᾳ πειρᾶσθαι τὸ ψεῦδος τοῖς ἐλέγχοις ἀποτρέπειν ἀνδρῶν σωφρόνων, καὶ μετὰ τῆς ἰδίας εὐβουλίας τὴν τῶν πολλῶν ἀσφάλειαν περὶ πολλοῦ ποιουμένων, ηὐχόμεθα μὲν λόγῳ τὴν γνῶσιν ἀμφοῖν ἔχοντες, μήτε τῆς προτέρας ποτὲ γενέσθαι μοίρας καὶ τῆς ὑστέρας τὴν πεῖραν διαφυγεῖν· ἐπειδὴ δὲ μὴ κατὰ σπουδὴν συνέβη ἐκβῆναι τὸ τέλος. ποικίλως καὶ πολυτρόπως διά τε λόγων καὶ πράξεων παρὰ πολλοῖς κατασκευασθείσης ἡμῖν ψευδοῦς δυσφημίας, ἀλγεινῆς μὲν ἡμῖν, βλαβερᾶς δὲ τοῖς πιστεύουσι, ὑπό τινων πονηρῶν καὶ μηδὲν ὀκνούντων λέγειν ἢ πράττειν ἀνδρῶν, καὶ τῶν ἀκεραιοτέρων ταῖς τῶν διαφόρων κατηγορίαις τὴν ἀλήθειαν μετρούντων, οὐ κρίσει τὰς καθ' ἡμῶν διαβολὰς προσιεμένων, ἡμῖν τ' αὐτοῖς λυσιτελεῖν ᾠήθημεν πρὸς ἀπολογίαν καὶ τοῖς ἀβασανίστως λεγομένοις πρὸς ἀσφάλειαν, ἔγγραφον εἰς ὑμᾶς ἐκθέσθαι τῆς ἑαυτῶν δόξης τὴν ὁμολογίαν. Εἴπως διὰ ταύτης τήν τε προλαβοῦσαν ἀποτρεψαίμεθα βλασφημίαν, καὶ πρὸς τὸ λοιπὸν τοὺς μὲν πονηροὺς ἀτολμοτέρους, τοὺς δὲ λίαν εὐχερεῖς ἀσφαλεστέρους παρασκευάσαιμεν, τοῖς μὲν τὸ ψευδῆ λέγειν ἐπιδεὶς, τοῖς δὲ τὸ πιστεύειν ἀσφαλὲς ὑποδείξαντες, συναποδεικνυμένης τῇ παρ' ἡμῶν ἀληθείᾳ τῆς κατ' ἀμφοῖν κολάσεως· ἡ γὰρ πρὸς τὸ ψεῦδος κοινωνία κοινὴν ἀμφοτέροις κατεργάζεται τὴν τιμωρίαν. Αἰτοῦμεν δὲ πρὸ πάντων ὑμᾶς τούς τε νῦν ἀκουσομένους, καὶ τοὺς εἰς ὕστερον ἐντευξομένους μὴ τῷ πλήθει διακρίνειν ἐθέλειν τῆς ἀληθείας τὸ ψεῦδος τῇ πλείονι μοίρᾳ τὸ κρεῖττον συνάπτοντας, μήτε μὴν ἀξιώμασιν ἢ τινῶν ἀλαζονείᾳ προσέχοντας ἀμαυροῦσθαι τὴν διάνοιαν, ἢ τῇ τάξει τῶν προλαβόντων τὸ πλεῖον νέμοντας, ἀποφράττειν τὰς ἀκοὰς τοῖς ὑστέροις, τὴν δὲ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ διδασκαλίαν παντὸς μὲν ἀνδρῶν ἀριθμοῦ, πάσης δὲ φιλοτιμίας ἢ φιλονεικίας συνηθείας τ' αὖ καὶ συγγενείας, καὶ συλλήβδην εἰπεῖν πάντων ὅσα τοῖς τῆς ψυχῆς κριτηρίοις ἐπισκοτεῖν εἴωθεν, προτιμήσαντας· μεγίστη γὰρ μοῖρα πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας διάγνωσιν ἡ πρὸς αὐτὴν οἰκείωσις. Πρὸς δὴ τούτοις μηδ' ἡμῖν χαλεπαίνειν, εἰ τύφου μὲν ἀμελήσαντες καὶ φόβου, τῆς δὲ παραυτίκα χάριτος καὶ ἀσφαλείας τὴν ὑπὲρ τῶν μελλόντων ἄδειαν προτιμήσαντες, καὶ πάσης ἐπιγείου κακοπαθείας θανάτου τε προσκαίρου φοβερωτέραν τὴν κατὰ τῶν ἀσεβῶν ὡρισμένην ἀπειλὴν εἶναι κρίνοντες, παντὸς ἐπικαλύμματος γυμνὴν ἐκτιθέμεθα τὴν ἀλήθειαν. Οὔτε γὰρ, κατὰ τὸν ἀπόστολον εἰπεῖν, ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν ἀποκαλύπτεσθαι δόξαν, οὐδ' ὁ σύμπας κόσμος πρὸς ἀπόλαυσιν, καὶ δεσποτείαν ἰσόρροπον ἀντάλλαγμα τῆς ἰδίας ἑκάστου ψυχῆς, πολὺ καθ' ἑκατέρου ἀπόλαυσίν τε καὶ κόλασιν ὑπερβαλλόντων τὰ παρόντα τῶν προσδοκουμένων. Ἀλλ' ἵνα γε μὴ τούτοις ἐπὶ πλεῖον ἐνδιατρίβοντες παρὰ τὸ μέτρον μηκύνωμεν τὸν λόγον, ἐπ' αὐτὴν ἤδη τρεψώμεθα τῆς πίστεως τὴν ὁμολογίαν, ἐξ ἧς εὐμαρὴς καὶ ῥᾳδία γένοιτ' ἂν τοῖς βουλομένοις τῆς ἡμετέρας γνώμης κατανόησις. Ἀναγκαῖον δὲ ἴσως τοὺς περὶ τούτων λόγους ποιουμένους, καὶ δόξης οἰκείας εὐθύνας ὑπέχοντας, μὴ

Interprete H. W.

Quandoquidem probè conscii sumus calumnias & convicia alicui inferre effrœnis esse linguæ & impotentis animi, quin & pravorum ac rixosorum esse; calumnias verò ac mendacia quæ ignominiam nobis inferrent argumentis avertere summo studio conari prudentis esse viri, ejusque qui suæ pariter famæ ac multorum in judicando rectitudini consuleret, jucundum quidem nobis fuisset, solâ speculatione utramque veritatem tenentes, neque in priorem incidisse sortem, neque posteriorem unquam expertos esse. Cùm verò res minimè ex voto cesserit, multisque ac diversis modis tam verbis quàm factis falsa nobis à multis congesta fuerit calumnia luctuosa quidem nobis, nec minùs credentibus nociva, idque à pessimis quibusdam, quique nihil aut dicere, aut facere erubescerent, homunculis; cùm etiam sinceriores viri rei veritatem ex multorum criminationibus metirentur, non autem rectâ ratione calumnias nobis illatas perpenderent, & defensioni nostræ conducere, & rebus temerariè dictis lucem allaturum esse duximus scripto consignatam evulgare dogmatis nostri confessionem. Siquidem ratione istâ & præteritam averruncari possimus calumniam, & in posterum malos quidem minùs audaces, nimis credulos verò magis certos in judicando redderemus, illis quidem falsa dicendi timorem incutientes, his autem certum aliquid quod tutò credi possit subindicantes; demonstratis pariter causæ nostræ justitiâ, & utrorumque quam meruerunt, pœnâ. Mendacio enim accedere atque assentire communem tam dicentibus quàm credentibus pœnam attrahit. Ante omnia verò obtestamur & vos impræsentiarum audituros, omnesque in posterum lecturos; ut ne verum ac falsum ex calculorum multitudine dijudicare velitis, majori parti palmam concedentes; neque dignitatem vel jactationes quorumcunque curantes mentem vobis obscurari sinatis, neque demum primo vos docentibus loco cœcum præbentes assensum, sequentibus præceptoribus aures occludatis; Servatoris autem nostri Jesu Christi doctrinam omni hominum multitudini, omni ambitioni, vel contentioni, partium etiam favori, quin & cognationi, & [ut verbo dicam] omnibus quæcunque mentis aciem offuscare solent, præponatis. Maximè enim ad veritatem inveniendam confert, si quis depositis præjudiciis assimiletur illi. Cæterùm ne mihi succenseatis velim, si postpositâ inanis gloriæ & pœnæ curâ, spe verò bonorum futurorum certâ præsenti favori ac securitati præpositâ, minasque contra impios denunciatas, pœnâ omni terrenâ ac temporali morte magis timendas esse ratus, veritatem omni involucro spoliatam in medium proposuerim. Neque enim, ut Apostoli verbis utar, dignæ sunt præsentis temporis afflictiones, quæ gloriæ olim revelandæ comparentur, neque totus mundus si unius possessioni ac dominio subderetur animæ singulorum jacturæ æquiponderare possit; cùm quæ à nobis expectantur, seu præmia seu pœnas spectes, præsentia longè superent. Ne verò his diutiùs immorari sermonem, supra quàm par est, producamus; ad ipsam jam convertamur fidei nostræ confessionem; ex quâ facilis ac citissima fidei nostræ cogni-

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An.CCC. τῆς τῶν πολλῶν ἀμελῶς ἑαυτοὺς ἐκδιδόναι γνώμαις, τὴν δὲ κρατοῦσαν ἄνωθεν ἐκ τῶν πατέρων εὐσεβῆ παράδοσιν ὥσπερ τινὰ γνώμονα καὶ κανόνα προεκτιθεμένους ἀκριβεῖ τούτῳ συγχωρεῖν χρῆσθαι κριτηρίῳ πρὸς τὴν τῶν λεγομένων ἐπίκρισιν.

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ εἰς ἕνα μονογενῆ, υἱὸν Θεοῦ, Θεὸν λόγον τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, δι᾽ οὗ τὰ πάντα, καὶ εἰς ἓν πνεῦμα ἅγιον τὸ παράκλητον, ἐν ᾧ πάσης χάριτος διανομὴ κατὰ τὴν συμμετρείαν πρὸς τὸ συμφέρον ἑκάστῳ δίδοται τῶν ἁγίων. Ἡ μὲν οὖν ἁπλουστέρα καὶ κοινὴ πάντων, ὅσοις τὸ δοκεῖν ἢ τὸ εἶναι Χριστιανοῖς ἐπιμελὲς ὡς ἐν ἐπιδρομῇ κεφαλαιωδέστερον εἰπεῖν αὕτη· λειπομένων ἔτι τῶν δευτέρων, ὧν διὰ τὸ τέως ἀμφισβήτηται. &c.

tio ab omnibus volentibus comparari queat. In primis verò necesse est, ut qui de rebus hujusmodi verba faciunt propriique dogmatis rationem reddunt, non receptæ apud vulgum sententiæ semet oscitanter tradant; acceptam verò successionis ordine à patribus traditionem sacram tanquam judicem ac regulam sibimet adhibentes, illo demum ad dijudicandam rerum dictarum veritatem utantur criterio. SÆC. IV. ab An.CCC.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, à quo omnia; & in unum unigenitum Filium Dei, Deum Verbum Dominum nostrum Jesum Christum per quem omnia; & in unum Spiritum Sanctum Paracletum, in quo omnis gratiæ distributio unicuique sanctorum pro ratione necessitatis suæ datur. Ista igitur (ut summatim & compendio dicam) simplicior est confessio & communis omnibus quicunque Christiani esse vel haberi volunt. Supersunt tamen adhuc alia quædam ordinis secundi, de quibus hucusque dubitatum est, *&c.*

Dein Confessionem istam breviculam fusè explicans, Filii consubstantialitatem, coæternitatem, & æqualitatem acriter impugnat, rationibus plerunque philosophicis ex Dei ideâ & naturâ ductis usus. Istud verò argumenti præ aliis jactitat, quòd ex primâ Dei ideâ Deum ἀγέννητον esse pateat. Christus autem non est ἀγέννητος: Ergo nec Deus. Ἄν τε γὰρ ἀγέννητος, οὐχ υἱός· ἄν τε υἱός, οὐκ ἀγέννητος. Catholicam opinionem uti impiam, audacem, insulsam, absurdam ubique vellicat. Post medium Arianos ὁμοιουσίους aggreditur ac contra similitudinem essentiæ in Patre ac Filio fusè disputat. Tandem ad Spiritum S. delatus, eum naturâ non minùs quàm ordine Patre ac Filio inferiorem docet. Circa finem dogmata sua argumentis superioribus stabilita in Epitomen redigit, quæ sic incipit; Φαμὲν ἕνα καὶ μόνον ἀληθινὸν εἶναι τὸν τῶν πάντων Θεὸν, ἀγέννητον, ἄναρχον ἀσύγκριτον, &c. ubi notandum illum Spiritûs S. creationem (istâ enim voce utitur) Filio non minùs quàm Patri acceptam referre. Τοῦ μὲν γὰρ (Patre) ἐλάττων ἐστὶν (Filius) ὡς ποίημα, τοῦ δὲ (Spiritus S.) κρείττων, ὡς ποιητής.

EPILOGVS.

Τούτων δὴ πάντων εὐχερῶς μὲν καὶ πλατύτερον ἐν ἑτέροις ἡμῖν ἀποδεδειγμένων, ἐν βραχεῖ δὲ νῦν πρὸς ὑμᾶς ὁμολογουμένων, ἀχόμεθα τούς τε παρόντας ὑμᾶς, καὶ πάντας τοὺς τῶν αὐτῶν ἡμῖν μυστηρίων κοινωνοῦντας, μὴ ψόγον ἀνθρώπων δεδοικότας, μήτε σοφίσμασιν ἀπατωμένους ἢ κολακείαις ὑπαγομένους κατὰ τὴν ἀληθῆ καὶ δικαίαν κρίσιν ἐπιψηφίσασθαι τοῖς εἰρημένοις κρατούσης δηλαδὴ παρὰ πᾶσι τῆς βελτίονος μοίρας, τόν τε λογισμὸν τῶν ἐνοχλούντων προστησαμένους πάντα θήρατρα καὶ δίκτυα διαφυγεῖν, ἃ τῷ διαβόλῳ κατ᾽ ἀνθρώπων μεμηχάνηται, πολλοὺς φυγεῖν ἢ δελεάζειν μεμελετηκότι τοὺς μὴ πρὸ τῶν ἡδέων τὸ συμφέρον αἱρουμένους, Ἢ τὰ παρόντα τῶν μελλόντων ἀσφαλέστερα λογιζομένους, εἰ δ᾽ ἄρα καὶ παρά τισι νικήσει τὰ χείρω ἀποστρέψαι δὲ ὁ Θεὸς τῶν λόγων τὴν πεῖραν, πρὸς μὲν τὸ ψεῦδος τῶν πολλῶν συμπνεόντων, πρὸς δὲ τὴν ἀλήθειαν διϊσταμένων τῶν τ᾽ ἀρεσκόντων τῷ Θεῷ καὶ κοινῇ συμφερόντων τὴν πρὸς τὸ παρὸν ἀσφάλειαν καὶ δόξαν περὶ πλείονος ποιουμένων. Τοὺς γοῦν ἑπομένους ἀσάλευτον καὶ παγίαν διαφυλάξαι τῷ παραδεδωκότι τὴν πίστιν, περιμένοντας τὸ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ κριτήριον, οὗ τῦφος μὲν καὶ δόξα καὶ ψεῦδος πρόρριζος ἠφάνισται. Γυμνοὶ δὲ πάσης ἀρχῆς ἢ θεραπείας, κολακείας οἱ κρινόμενοι· πολυχειρία δὲ καὶ πλοῦτος ἀσθενὴς πρὸς δυσώπησιν, κἂν λίαν παρ᾽ ἀνθρώποις εὐδόκιμος. ἀνδρῶν γὰρ ἐνδόξων πλῆθος ἑνὸς πένητος εὐσεβοῦς οὐκ ἀντάξιον εἰς παραίτησιν παρ᾽ ἀληθείᾳ δοκιμαζήσῃ συναγωνιζομένης μὲν εὐσεβείας κατὰ δικαίαν ἀμοιβὴν τῶν νῦν δι᾽ αὐτὴν καὶ τὸ θανεῖν κέρδος ἡγουμένων, ἀποδιδόντος δὲ τὰ τῶν ἀγώνων ἆθλα τοῦ πάλαι καὶ νῦν ἀθλοθετοῦντος Χριστοῦ, τοῖς μὲν ὑπὲρ ἀληθείας πονήσασι τὴν ἀληθινὴν ἐλευθερίαν, καὶ βασιλείαν οὐρανῶν. Τοῖς δὲ διὰ κακόνοιαν ταύτην ἀτιμήσασι τιμωρίας ἀπαραιτήτους Ταῦτ᾽ εἰρήσθω μὲν ἀμφότερα πρὸς ὑμᾶς, ἐκβαίη δὲ πρὸς τὴν βελτίω μοῖραν τὸ τέλος.

Istis verò omnibus clarè ac latiùs alibi à nobis demonstratis, nunc verò vobis breviter propositis, & vos præsentes & omnes nobis eorundem sacrorum societate conjunctos, exoratos velim neque vituperium hominum timentes, nec fallaciis seductos, aut adulationibus deflexos, secundùm verum justumque judicium calculum hisce dictis apponere; præponderante scilicet apud omnes meliori causa; rationemque præjudiciis præponentes, cunctas effugere insidias & retia, quæ humano generi fabricatur diabolus, multos fugare vel inescare cupiens, qui utile jucundo non anteponunt, vel præsentia futuris certiora esse putant. Siquidem pejora, quod avertat Deus, nonnullis potiora videantur, multis in mendacii partes conspirantibus, & veritati repugnantibus quicunque præsentem securitatem ac gloriam rebus Deo gratis & verè utilibus majoris æstimant. Mei igitur sequaces firmam & immotam Christo illam olim tradenti fidem conservare velim, Servatoris nostri Christi expectantes judicium, à quo pompa inanis, & gloria, & mendacium funditus removetur; nudique astant judicandi omni imperio, & famulitio, & adulatione privati; astutia verò & divitiæ ad judicem flectendum necquicquam valent, utcunque apud homines multum possint. Quòd si veritas enim locum habet, ne multitudo quidem illustrium virorum uni pauperi pio in judicando æquari debet. Cæterùm religio secundùm justam retributionem ab illorum stat partibus qui mortem pro illâ nunc oppetere lucrum æstimant; Christus autem certaminum præmia olim & nunc distribuit, pro veritate quidem laborantibus veram libertatem & regnum cœlorum, illam verò præ stultitiâ floccifacientibus pœnas ineluctabiles. Et ista quidem vobis utrinque dicantur, in meliorem verò partem cadat exitus.

Eunomii

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC.

Eunomii Confessio Fidei, Apologiæ suæ calci subjecta.

Unus est Deus ingenitus & principio carens, qui neque aliquid ante seipsum existens habet, [nihil enim ante ingenitum existere potest] neque ipsi coexistens [unicus enim & solus Deus ingenitus est] neque in seipso existens [simplex enim & incompositus est Deus;] cum verò unus, & solus, & idem, semper existat; omnium rerum est Deus & creator & conditor, primùm quidem & præcipuè unigeniti *Filii*, propriè verò omnium per ipsum conditorum. Filium enim solum, ante omnia omnemque creaturam, potentiâ suâ atque operatione genuit, & creavit, & fecit; nil quidem substantiæ propriæ genito communicans [immortalis enim & impartibilis, & indivisibilis est Deus; immortale autem quid substantiam propriam alteri nequaquam communicat] neque aliam sui similem producens. Solus enim ipse est ingenitus; secundum ingenitam autem illius substantiam alium generari est impossibile. Neque igitur substantiâ suâ *in generando Filium* usus est, sed voluntate solâ; neque secundùm sui ipsius substantiam, sed qualem voluit, generavit. *Quo facto*, per ipsum primum quidem omnium ac majus omnibus, Spiritum Sanctum fecit, propriâ quidem potentiâ & jussu, operatione tamen & potestate Filii. Post Spiritum Sanctum reliqua omnia, tam in cœlis quàm in terris, visibilia & invisibilia, corporea & incorporea, per Filium creavit. Unus enim est Deus, à quo sunt omnia [ut Apostoli verbis utar] & unus Dominus Jesus Christus, per quem sunt omnia. Unus igitur est Deus ingenitus, increatus, non factus; unusque Dominus Jesus Christus Dei Filius, genitum ingeniti, non tamen tanquam unum ex genitis, creatura increati, non tamen tanquam una ex creaturis, factum non facti, non tamen tanquam unum ex factis. Sicut habet S. Scriptura, Dominus creavit me principium viarum suarum, ante seculum fundavit me, ante omnes colles genuit me. Unus est pariter Spiritus Sanctus, primum & maximum ex omnibus unigeniti *Filii* operibus, jussu quidem Patris, operatione autem & potestate Filii productus.

Εἷς ἐστὶ Θεὸς ἀγέννητος καὶ ἄναρχος, οὔτε πρὸ ἑαυτοῦ ἔχων τινὰ ὄντα, οὐδὲν γὰρ πρὸ τοῦ ἀγεννήτου εἶναι δύναται ὄντα, οὔτε σὺν αὐτῷ, εἷς γὰρ καὶ μόνος Θεὸς ὁ ἀγέννητος, οὔτε ἐν αὐτῷ, ἁπλοῦς γὰρ καὶ ἀσύνθετος. Εἷς δ' ὢν, καὶ μόνος ἄν, καὶ ἀεὶ ὁ αὐτὸς ὢν πάντων ἐστὶ Θεὸς καὶ κτίστης, καὶ δημιουργὸς πρώτως μὲν καὶ ἐξαιρέτως τοῦ μονογενοῦς, ἰδίως δὲ τῶν δι' αὐτοῦ γενομένων· τὸν μὲν γὰρ υἱὸν πρὸ πάντων καὶ πρὸ πάσης κτίσεως μόνον τῇ ἑαυτοῦ δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ ἐγέννησέ τε καὶ ἔκτισε, καὶ ἐποίησεν, οὐδὲν τῆς ἑαυτοῦ ὑποστάσεως μεταδοὺς τῷ γεννηθέντι. ἄφθαρτος γὰρ καὶ ἀδιαίρετος, καὶ ἀμέριστος ὁ Θεὸς, ὁ δ' ἄφθαρτος τῆς ἑαυτοῦ οὐσίας οὐ μεταδίδωσιν, οὔτε καθ' ἑαυτοῦ ἄλλον ὑποστησάμενος. Μόνος γὰρ αὐτὸς ἀγέννητος, κατὰ δὲ τὴν ἀγέννητον οὐσίαν γεννηθῆναι ἀδύνατον. Οὔτε οὖν τῇ ἑαυτοῦ οὐσίᾳ ἀπεχρήσατο ἀλλὰ τῇ βουλήσει μόνῃ, οὔτε κατὰ τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν, ἀλλ' οἷον ἐβουλήθη ἐγέννησε. Καὶ διὰ τούτου πρῶτον μὲν πάντων καὶ μεῖζον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐποίησεν, ἐξουσίᾳ μὲν ἰδίᾳ καὶ προστάγματι, ἐνεργείᾳ δὲ καὶ δυνάμει τοῦ υἱοῦ, μετὰ δὲ τοῦτο τὰ λοιπὰ πάντα τὰ ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς ὁρατά τε καὶ ἀόρατα, καὶ ἀσώματα, διὰ τοῦ υἱοῦ ἐποίησεν. Εἷς γὰρ Θεὸς, ἐξ οὗ τὰ πάντα κατὰ τὸν ἀπόστολον, καὶ εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, δι' οὗ τὰ πάντα, εἷς οὖν Θεὸς ἀγέννητος, ἄκτιστος, ἀποίητος, καὶ εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, γέννημα τοῦ ἀγεννήτου, οὐχ ὡς ἓν τῶν γεννημάτων, κτίσμα τοῦ ἀκτίστου, οὐχ ὡς ἓν τῶν κτισμάτων, ποίημα τοῦ ποιητοῦ [lege ἀποιήτου] οὐχ ὡς ἓν τῶν ποιημάτων. Καθὼς εἴρηται ὑπὸ τῆς ἁγίας γραφῆς, Κύριος ἔκτισέ με, ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, πρὸ τοῦ αἰῶνος ἐθεμελίωσέ με, πρὸ δὲ πάντων βουνῶν γεννᾷ με. Καὶ ἓν πνεῦμα ἅγιον, πρῶτον καὶ μεῖζον πάντων τῶν τοῦ μονογενοῦς ἔργων, προστάγματι μὲν τοῦ πατρὸς: ἐνεργείᾳ δὲ καὶ δυνάμει τοῦ υἱοῦ γενόμενον.

Defensio Apologiæ suæ adversùs Basilium libros III. complexa; cui elaborandę multas annorum Olympiadas ædiculæ inclusus insumpsit, vivente tamen Basilio prudens suppressit, post mortem ejus demum editam. Hujus libri pariter ac Apologiæ Fragmenta hinc inde apud Epiphanium, Basilium & Nyssenum libris contra Eunomium reperiri poterunt.

360. MELETIUS, gente Armenus, civitate Melitinensis, primò in locum Eustathii Sebasteæ Armenorum Antistitis à Synodo Gangrensi depositi subrogatus est. Verùm tumultuante plebe, mox Berœam secessit; ibique privatus degit. Quod verò illûc eum translatum scribit Socrates *, in eo hallucinatus videtur. Anno CCCLIX. in Synodo Seleuciensi formulæ Acacianæ subscripsit; sequenti cùm thronum Constantinopolitanum occupaverat Eudoxius, vacante eo modo sede Antiochenâ, Berœâ accitus, communi tum Catholicorum, tum Arianorum suffragio Episcopus electus est: quod ut firmius fieret, conditum est decretum cunctorumque subscriptionibus munitum; quod tanquam commune pactum Episcopo Samosatensi servandum tradiderunt, ipsomet etiam Constantio datis ad Meletium literis consentiente. Certè utraque pars hominem veluti suæ opinionis participem sibi vindicavit. Philostorgius * equidem scribere non dubitavit Meletium quo se ad Imperatoris arbitrium accommodaret, τὸ ἑτεροούσιον simulâsse, & Occidentalium Tomo [i. e.] Ariminensi formulę subscripsisse. Antiochiam intranti omnes Episcopi cæterique Cleri ordines unà cum plebe confertâ obviam ei occurrerunt. Urbem ingressum hortatus est Imperator, ut de vexatissimo illo Solomonis loco, Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, εἰς ἔργα αὐτοῦ, in Ecclesiâ verba faceret à notariis excipienda, idem & aliis Episcopis munus obituris. Cùm concionandi partes implessent Georgius Laodicenus, & Acacius Cæsareensis; tertio demum loco surrexit Meletius, & quænam esset rectæ Theologiæ regula, demonstravit. Quod cùm ingenti plebis applausu exceptum esset, cunctique orarent, ut doctrinæ ejusce compendium ipsis traderet, ostensis tribus digitis, ac deinde duobus compressis unoque ut erat, relicto, memorabilem hanc protulit sententiam, Τρία τὰ νοούμενα, ὡς ἑνὶ δὲ διαλεγόμεθα. *Tria sunt quæ intelligantur, sed tanquam unum alloquimur.* Ob hęc exardescente Imperatore in Patriam Urbem mox relegatur, Arianis ipsi perjurii crimen objicientibus; nec deerant, qui Sabelliani Dogmatis accusarent. Sub Juliano sedi suæ redditur; & flagrante adhuc Schismate Antiocheno, cum plebe sui sequace in Pellæâ (i. e.) Vetere

* L. 2. c. 44.

* L. 5. c. 1.

Vid. Theodorit. l. 2. c. 31.

Digitized by Google

Vetere Urbe divina mysteria celebravit. Joviano Antiochiæ agenti Fidei libellum unà cum aliis Episcopis primus obtulit. Sub Valente iterum relegatur, postea à Gratiano restitutus. Anno CCCLXXXI. Constantinopolim ad Concilium generale celebrandum profectum honorificè excepit Theodosius Imp. ac primo statim intuitu agnovit, utpote quem cùm primò Imperii Romani gubernacula suscepisset, Imperiali chlamyde ipsum induentem, & coronam regiam capiti imponentem in somniis vidisset; ejusque oculos, caput, & dextram, quę se coranaverat, deosculatus est. Sedente adhuc Synodo, venerandus senex diem suum obiit: Gregorio Nysseno funebrem in laudem illius orationem coram Synodo habente. Cadaver Antiochiam deportatum est; jubente Imperatore, ut non obstante Romanorum more intra urbes, dum in viâ esset, reciperetur; adeoque Psalmorum cantibus per singula loca alternatim exceptum, honorificè Antiochiam usque deductum est, & juxta loculum Babylæ Martyris depositum.

Extat insignis ille, quem Antiochiæ habuit, *Sermo*, apud Epiphanium Hæres. 63. Num. 29, 30, 31, 32, 33, 34.

360. AQUILIUS SEVERUS, Scriptor obscurus & penè ignotus, cujus notitiam uni Hieronymo * debemus; gente erat Hispanus, ex genere illius Severi, ad quem duos Epistolarum libros olim Lactantius dedit. Vixit anno CCCLX. & imperante Valentiano fatis concessit. Scripsit tam prosâ quàm versibus Ὁδοιπορικόν, cui Καταστροφῆς sive Πεῖρας titulum fecit; in quo totius vitæ suæ statum depinxit. N E.

* De Script. c. 111.

360. AUDENTIUS, Autor haud minùs obscurus, & ipse etiam gente Hispanus; cujus solus, quod sciam, meminit Gennadius *, dignitate erat Episcopus alicujus in Hispaniâ urbis, fide Catholicus. Vixisse videtur circa ann. CCCLX. Scripsit *adversùs Manichæos, Sabellianos & Arianos*, maximè verò *contra Photianos, librum* quem *De Fide adversùs omnes Hæreticos* inscripsit; in quo ostendit Filium Patri coæternum fuisse, nec tunc demum existere cœpisse, cum de B. Mariâ Virgine conceptus ac natus est. N E.

* De Script. c. 14.

360. ZENO, Episcopus Veronensis, quem alii Martyrem faciunt, & circa ann. CCCLX. passum esse volunt: sed nullâ ratione, nullâ authoritate fulti. Probabile est claruisse eum circa an. CCCLX. aliquot ante D. Ambrosium annis, & fuisse Syagrii Veronensis Episcopi decessorem. Meminit illius ipse Ambrosius Epistolâ LXIV. Et in hac quidem sententia esse videntur recentiorum doctissimi; quorum argumenta hac de re collegit Phil. Labbæus *. Extant sub ejus nomine *Sermones* XC. de plurimis S. Scripturæ locis & rerum divinarum argumentis, partim ex S. Basilio, partim ex Hilario, aliisque desumpti. Nec de iis unquam vel levissima mentio habita est, antequam eos primus ediderit Guarinus Orator Veronensis. Nuperrimè verò, monente D. Allixio, didici Zenonis Veronensis Episcopi sermonem laudari à Ratherio Veronensi, decimi sęculi Scriptore ap. Dacher. *Spicileg.* Tom. II. an verò ex illorum numero sit, qui sub ejus nomine hodiè circumferuntur, quærant alii. Prodierunt *Venetiis* 1508. deinde *Veronæ* 1586. 4°. demum in Bibliothec. Patr. Tom. III.

* Dissert. de Scrip. Tom. II. p. 509.

362. APOLLINARIUS Senior, Alexandriâ oriundus, arte Grammaticus, quam docuit primùm Beryti in Phœnicia, deinde Laodiceæ in Syria, ejusdem Ecclesiæ Presbyter factus; ductaque ibi uxore, filium ex ea suscepit sibi cognominem, Hæreseos Apollinarianæ conditorem, de quo suo loco. Arctissimam cum Epiphanio, nobili Sophista, sed homine Gentili, amicitiam coluit; cujus Auditorium etiam dum profana poëmata recitaret, frequentavit. Ob id à Theodoto Episcopo Laodiceno admonitus, cùm non abstineret; publicè convictus, & unà cum filio ejusdem criminis reo Ecclesiâ ejectus est: verùm pœnitentiam agentes Theodotus eos denuò suscepit. Claruit circa an. CCCLXII. quo regnante Juliano & Christianis Gentilium libros interdicente, ipse ne Græcanicæ locutionis forma Christianis nova & inaudita relinqueretur, plures ad Veterum imitationem libros composuit; Artem Grammaticam χριστιανικῷ τύπῳ, inquit Socrates *, digessit. Libros Mosis; Homerum imitatus, Heroico carmine interpretatus est: immò si rem rectè narrat Sozomenus *, totam Hebræorum antiquitatem usque ad regnum Saulis eodem versûs genere conscripsit; & universum opus in quatuor & viginti partes distribuens singulis libris ex Græci Alphabeti literis ordine recensitis cognomentum indidit. Alios præterea Veteris Instrumenti libros historicos partim dactylico carmine expressit, partim ad formam Tragœdiæ personis adhibitis elaboravit. Desumptis enim è S. Scripturâ argumentis, scripsit Comœdias instar Fabularum Menandri; Euripidis quoque Tragœdias, & Pindari lyram imitatus est: adeò ut brevi tempore, inquit Sozomenus, lucubrationes composuerit & numero & prętantiâ æquales iis, quæ apud Græcos in eo genere celebres extitêre; seu genium, seu dictionem, seu formam, seu dispositionem operis spectes. Verùm hæc omnia dudum perierunt. Hujus an filii sit *Metaphrasis Psalmorum*, quæ extat hodie tum in Appendice ad Bibliothec. Patr. *Paris.* 1624. tum seorsim edita Gr. *Paris.* 1580. 8°. Gr. Lat. *Heidelbergæ* 1596. nondum satis certò liquet. Juniori Appollinario vulgò tribui solet; quam tamen Patri rectiùs meo judicio ascribit Gerardus Vossius *, qui tamen alibi † eum cum Juniore confundere videtur. Certè duos hosce Apollinares nec Veteres nec Recentiores satis accuratè distinguunt, ut in his labi proclivius sit. Huic item Appollinari ascriberem ego Tragœdiam quæ *Christus Patiens* dicitur; & sub Gregorii Nazianzeni nomine inter ejus Opera excudi solet.

Sozom. l. 6. c. 25. Socrat. l. 2. c. 46.

* L. 3. c. 16.

* L. 2. c. 18.

* De Histor. Græc. l. 2. c. 18.

† De Poët. Gręc. c. 9.

DIONYSIUS, qui *Areopagitæ* nomen splendidè mentitur, hoc circiter tempore scripsisse videtur. 362.
Spuria prorsus esse quæ sub ejus nomine circumferuntur Opera, multi multis jamdudum demonstrârunt, & novissimè post alios plurimis invictisque argumentis doctissimus Dallæus libro de Scriptis Dionysii Areopagitæ, *Genevæ* 1666. Adeò ut mirari liceat in hâc luce meridiana post tot argumenta ipso sole clariora, post tam manifesta falsitatis indicia reperiri etiam hodie aliquos, Natalem Alexandrum, Emanuelem Schelstratenum, &c. qui scripta hæc velut Dionysii Atheniensis genuina propugnare satagant. Quâ de causâ liceat mihi eruditissimi Casauboni censuram apponere [quæ in exemplari Operum Dionysii in Serenissimi Regis nostri Bibliothecâ asservato manu ejus scripta legitur;] *Auctor*, inquit, *est sanè lectu dignissimus, & qui Pontificiorum causam apertè in multis jugulat. Hunc autem fuisse Apostolorum æqualem stupor est credere; furor est velle aliis persuadere. Asinos esse oportet, qui hoc sibi sinent persuaderi.* De ætate qua vixerit Impostor, omnes non idem sentiunt. Dallęus & cum eo alii illum ad Sexti Sæculi initium circa an. CCCCCXX. rejiciunt. CL. Pearsonus †, qui Dallæi hâc de re sententiam pluribus

† Vindic. par. 1. c. 10. in fine.

Digitized by Google

ribus refellit, ad postrema Eusebii Cæsariensis tempora illum refert. Huic ego proximè accedo, & circa hoc tempus vixisse autumo. Nec minor de ipso Autore quàm de ætate apud Eruditos controversia. Inter omnes omnium hâc de re opiniones primas tenet, quæ etiam ante S. Maximi ætatem obtinuit, horum librorum Authorem fuisse Apollinarium Antistitem Laodicenum: & in hâc quidem sententiâ me diu fuisse fateor. Verùm re meliùs perpensâ, Eruditis disquirendum relinquo, annon Apollinario Patri potiùs quàm Filio Areopagitica sint tribuenda. Certè Filium ut in aliis fidei capitibus Hæreticum, ita inter Millennii propugnatores recensent Veteres: qui tamen Error, ut notavit olim S. Maximus *, in his libris liquidò damnatur. Pater verò in fide sanus erat; nec de illo aliter loquuntur Veteres, nisi quòd Socrates * semel eum eadem cum Filio Hæresi involvere videtur. Erat, inquit idem Socrates, ἑλληνικῶν λόγων διδάσκαλος, Sozomeno † πρὸς παντοδαπῶν εἰδήσιν καὶ λόγων ἰδέαν παρεσκευασμένος, & Gentilium scholas scriptaque adeò impensè coluit, ut hoc nomine ex Ecclesiâ ejiceretur; & cùm Alexandriæ natus esset, & in Schola Platonica, ut videtur, educatus, Platonicæ Philosophiæ dogmata penitùs imbibit. Hinc sublimis illa & supercœlestis Theologia de Deo, Nominibus & Perfectionibus divinis, de cœlesti Hierarchia, Angelis, &c. quæ in Areopagiticis utramque faciunt paginam. Nec sanè ovum ovo similius; quàm perplexa & ænigmatica quæ in his libris traditur doctrina similis est mysticæ isti Theologiæ, quàm circa hæc præsertim tempora Recentioris Scholæ Platonici Porphyrius, Plotinus, Jamblicus, & postea Proclus, aliique discipulis suis tradiderunt. Hinc tantam inter hunc Dionysium & Scholæ Platonicæ Proceres præcipuè Proclum, tam in notionibus quàm in ipsis etiam dictionibus affinitatem notavit † Suidas ut suspicatus sit [quod in eo qui genuinum esse Areopagitam credidit minimè mirandum est] vetustiores Philosophos Athenienses Dionysii Opera suffuratos sibi vendicasse, suppresso ejus nomine, ut ipsi autores eorum esse viderentur. Deinde Poëticum hominis ingenium ad affectatum, inflatum & turgidum illud dicendi genus, inanem & futilem grandiloquentiam apprimè conducebat: & hanc dicendi facultatem pro arte quâ pollebat Grammaticâ optimè variare novit. Denique quid mirum: si Christianam Theologiam ad Platonicæ ideam formaret, qui artem Grammaticam ad Christianæ religionis formam composuit; qui Hebræorum antiquitatem usque ad regnum Saulis versu Heroico, Homerum imitatus, conscripsit; & reliquam Veteris Testamenti Historiam ad formam Comœdiarum, instar Fabularum Menandri, Tragœdiarum, instar Euripidis, personis adhibitis elaboravit? Nec deerant ex Apollinarii præsertim Junioris Scholâ, qui scripta sub alienis nominibus fingere, nempe Gregorii Thaumaturgi, Athanasii & Julii Romani, & in publicum venditare soliti sunt: de quo pluribus agit Leontius libro de Sectis, Act. 8. p. 527. Et hoc quidem omnium Sæculorum multis in more fuit; nec celebrius nomen affingi poterat, quàm Dionysii Areopagitæ, D. Pauli discipuli, primi Athenarum Episcopi, & qui per plures annos Alexandriæ studiis inclaruerat. De hâc quam nunc proponimus conjecturâ liberum sit aliorum judicium: de hâc enim re nihil statuo. Postquam hæc diu apud me delituissent, neque tamen mihimet in meâ conjecturâ admodùm satisfacerem, consului per literas CL. Dodvvellum, quem in hâc noveram esse Sententia, nempe Areopagitica ad Gregorii M. tempora esse referenda, ab ipso, ut videtur, certè à Scriptore quodam Latino primùm conficta. Objeci diserta de S. Dionysio testimonia, Gregorio integro penè sæculo vetustiora; Rescripsit vir eruditus, ulteriori disquisitione hanc rem indigere; dubium esse, an non Dionysius, quem in Collatione Constantinopoli circa an. DXXXII. habita, pro μιᾷ φύσει citabant Severiani hæretici, alius fuit ab eo cujus Opera habemus hodie. Nec contentioso hoc sæculo defuisse Catholicos, [forsan ipsummet Gregorium qui diu Constantinopoli vixerat] qui Dionysium Catholicum confingerent quem pro μιᾷ ὑποστάσει, aliisque quibusdam controversiis tunc temporis agitatis, Orientalibus opponerent: inde opera hæc in Romanæ Ecclesiæ scriniis reposita, & à Gregorio Papa primùm disertè producta. Addit idem Vir CL. lib. de Sacerdot. Laicor. c. 8. §. 3. p. 389. non parum lucis huic rei accedere ex Epistola Anastasii Bibliothecarii, Maximi & Johannis Scythopolitani Scholiis præfixa. Suspicionem exinde augeri, quod Areopagita Romanorum potiùs quàm Græcorum mores [notante id olim ipso Maximo] enarrârit; quod quidem ab homine Græco, Gente nimirum pariter ac linguâ, fieri, ægrè admodum probabile est. Monuit proinde ut hanc rem diligentiùs excuterem; paruissem lubens pro tenui facultate meâ, sed cum diuturniorem moram haud ferrent operæ typographicæ, neque librorum evolvendorum tædium ampliùs devorare possent dolentes oculi, hæc solummodò lectorem monuisse satis impræsentiarum duximus. Interim non possum non animadvertere, Ephræmium Antiochenum qui Patriarcha factus est DXXVI. & scripsit forsan ante collationem cum Severianis habitam; certè hoc circiter tempore Dionysium Areopagitam pro μιᾷ in Christo ὑποστάσει & naturarum unione, alio prorsus sensu, quàm quo illum proferebant Severiani, testem adhibuisse. Quicquid sit; extant sub hujus Pseudo-Dionysii nomine.

*Schol. in S. Dionys. lib. de Eccles. Hierarch. c. 7.

* L. 2. c. 46.

† L. 5. c. 18.

† In voce Dionys. p. 745.

Vide quæ infra ex Clar. Usserio annotabimus.

De Cœlesti Hierarchiâ.
De Divinis Nominibus.
De Ecclesiasticâ Hierarchiâ.
De Mysticâ Theologiâ.
Epistolæ ad Caium IV.
Epistola ad Dorotheum.
Epistola ad Sosipatrum.
Epistola ad Polycarpum.
Epistola ad Demophilum.
Epistola ad Titum.
Epistola ad Joannem Evangelistam.
Epistola ad Apollophanem. Habetur Latinè solùm ex Hilduini versione.

OPERA DEPERDITA.

Theologia Symbolica, cujus meminit ipse Pseudo-Dionysius lib. de Cœlest. Hierarch. cap. 15. §. 6. & alibi.

De Animâ Tractatus, lib. de Divin. Nom. cap. 4. §. 2. memoratus.

Hypotyposes sive Informationes Theologicæ, vid. de Divin. Nom. cap. 1. & 2.

De Hymnis divinis, vid. lib. de Cœlest. Hierarch. cap. 7.

De justo & Divino Judicio, vid de Divin. Nom. cap. 4.

De iis quæ intelligentiâ & sensu percipiuntur, vid. lib. de Eccl. Hier. cap. 1. & 2.

Prodierunt Dionysii Opera Lat. unà cum Dionysii Carthusiani Commentariis *Colon.* 1536. ex versione Joannis Scoti, Joannis Sarraceni [claruit is circa an. 1170.] & Thomæ Vercellensis. Græcè *Basil.* 1539. *Venet.* 1558. *Paris.* 1562. 8o. cum Ma-

Digitized by Google

Maximi & Pachymeri Scholiis, Latinè [per Perionium] ib. 1566. cum Scholiis F. Dahy. ib. 1569. 8°. Græcè & Lat. *Parif.* 1615. fol. *Antverp.* 1634. II. vol. in fol. Vitæ Dionyfianæ Scriptoribus & pluribus Halloixii, Delrii, Lanffelii, & Corderii differtationibus aucta; denique *Parif.* 1644. II. vol. fol. Acceffit huic Editioni Clariffimi & nobiliffimi viri Joannis Chaumont Defenfio Areopagitæ.

Quò verò Pfeudo-Dionyfii fcriptis lux major affundatur: vifum eft nonnulla ex Cl. Ufferii *Bibliothecâ Theol.* MS. p. 559. excerpta fubjicere. Sic igitur ille, poftquam fententiam de Apollinari autore pluribus propugnâffet, infit.

“Quùm primùm in lucem prodierunt Dionyfio Areop. Scripta attributa: [quorum inter primos meminit Joannes Philoponus,] quòd multâ laborarent obfcuritate; Scholiis illa fub fexti Sæculi initia, illuftranda cenfuit Joannes Scythopolita: in quorum procemio agnofcit tamen, quòd τολμῶσί τινες [fic enim loquitur] λοιδορεῖν εἰς αἱρέσεις τὸν θεῖον Διονύσιον. Pofteaque de loco, ubi confervata fuerunt hæc fcripta, addit. Διάκονός δέ τις Ῥωμαῖος, Πέτρος ὄνομα, διηγήσατό μοι, πάντα τὰ τοῦ θείου Διονυσίου σώζεσθαι κατὰ τὴν ἐν Ῥώμῃ τῶν ἱερῶν βιβλιοθήκην ἀνατεθειμένα. Et ad hærefes quidem quod attinet, in Collatione anno DXXXII. inter Catholicos & Severianos habitâ, cùm Hæretici Dionyfii Areopagitæ fcripta pro fe allegaffent; à Catholicis de falfitate autoris exceptionem interpofitam fuiffe conftat: quòd illa neque Cyrillus, neque Athanafius agnoviffet: & fatis dubiè de iifdem poftea locutus eft Gregorius M. *, ita inquiens. *Fertur Dionyfius Areopagita, antiquus videlicet & venerabilis Pater, dicere; quòd ex minorum angelorum agminibus foràs ad explendum minifterium vel vifibiliter vel invifibiliter mittunt.* De Romanâ verò Bibliothecâ non negligenda eft etiam illa Anaftafii Bibliothecarii cum Græcorum fententiâ confentiens conjectura in epiftolâ ad Carolum Calvum anno DCCCLX. exaratâ. Unde ego veram effe Græcorum opinionem conjicio, perhibentium libros ejus à prioribus Hæreticis occultatos; donec longo poft tempore ex opufculis ejus folus Codex, qui nunc habetur, eft Romæ repertus; cæterifque, adhuc ineditis, nondum inventis, in Græciam afportatus. Circa an. DCXXX. Maximus Monachus fua in Dionyfium Scholia edidit; in quibus contra eos difputat, qui Areopagitæ fcripta illa adjudicabant, & Apollinario tribuebant. Circa an. DCXLIX. Martinus I. in Synodo Romanâ contra Hæreticos habitâ Dionyfium Areopagitam citat. Inter alios libros à Paulo Papâ circa an DCCLXVII. ad regem Pipinum miffos, fuiffe Dionyfii Areopagitæ libros Græcè fcriptos conftat ex 25â. Pauli epiftolâ à Gretfero editâ. Anno DCLXXX. Agatho P. in Epiftolâ * ad Imp. CP. citat locum Dionyfii ex libro divinorum nominum. Anno DCCXCIV. Hadrianus I. in libro de Imag. ad Carolum M. Latinè citat teftimonia ex Dionyfii Epiftolâ ad Joannem Evang. & libro de cœlefti Hierarchiâ. Anno DCCCXXIV. Dionyfii authenticos libros Græcâ linguâ confcriptos Oeconomus Ecclefiæ CP. & cæteri Legati Michaelis Imp. ad Ludovicum Pium in ipfa vigilia folennitatis S. Dionyfii præfentarunt: ut habet Hilduinus, qui tum adfuit, in præfat. Areopagitic. & Sigebertus in Chron. ad an. DCCCXXIV. Inde in Epiftola ad Hilduinum [Dionyfiaci Cœnobii apud Parifienfes tunc Abbatem] ei mandat Ludovicus Imp. ut Acta Dionyfii tum ex aliis fcriptis, tum ex libris [inquit] ab eo patrio fermone confcriptis, & auctoritatis noftræ juffione, ac tuo fagaci ftudio, interpretumque fudore in noftram linguam explicatis configraret, & Hilduinus in Refponfione ad eandem. *De notitiâ* [inquit] *librorum quos patrio fermone confcripfit, & quibus petentibus illos compofuit, lectio nobis per Dei gratiam, & veftram ordinationem, cujus difpenfatione interpretatos fcrinia noftra eos petentibus referant, fatis facit.* Unde colligitur, fi non ab Hilduino ipfo [quo ad annum DCCCXXIV. Baronius inclinat] faltem ab aliis, Ludovici Pii juffu, Dionyfii libros Latinè fuiffe verfos. Unde haufta tranflatio Epiftolæ ad Appollophanem, (quæ in noftris Græcis non extat) ad Joannem Apoftolum, & majoris partis Epiftolæ ad Demophilum, quæ ipfius Hilduini Areopagiticis inferta legitur. Ad an. 1180. Joannes Sarracenus [Joannis noftri Sarisbarienfis familiaris] fuam Dionyfii verfionem edidit; Robertus Grofthead Lincolnienfis Epifcopus circa an. 1250. Thomas verò, Vercellenfis Abbas Commentarios fuos in Dionyfium fcripfit circa an. 1242. Hactenus Ufferius.”

* Hom. 34. in Evang.

* In 4a. actione VI. Synodi.

Qui plura de Dionyfii fcriptis fcire avet; adeat CL. Pearfonum Vindic. Ignat. par. I. cap. 10. de iis fusè agentem, qui præter Philoponum alios plures quinti ac fexti fæculi Scriptores, qui Dionyfii fcripta laudarunt indicat, viz. Leontium [anno DXC.] Joannem Nefteutam (anno DLXXXV.) Ephræmium Patriarcham Antiochenum [anno DXXVI.] Andream Cæfarienfem [anno D.] Juvenalem Hierofolymitanum [anno CCCCXXXI.] ac denique [uti ipfe contendit] Gregorium Nazianzenum.

362. TITUS, Boftrorum civitatis in Arabia Epifcopus, floruit circa an. CCCLXI. Sequente anno Julianus imperio potitus, cùm Chriftianam religionem penitùs extinguere conaretur; hac inter alia methodo ufus eft. Ecclefiarum Antiftites Clericofq; quavis civitate ejici curavit; quò plebs Paftoribus deftituta faciliùs in oblivionem religionis fuæ prolaberetur: non aliam tamen caufam publicè prætexens, quàm quòd Clerici diffentiones in populo excitarent. Hoc fine Boftrenos hortatus eft, ut Titum Epifcopum fuum denunciante præcone ejicerent. Titus miffo fuo & Clericorum fuorum nomine ad Principem libello; teftatus eft Chriftianos in ea urbe Gentilibus numero haud inferiores effe; quiefcere tamen illos, & nihil feditionis meditari. Captata hac opinione, & Titum plebi invifum reddere cupiens, Boftrenos refcripto [quod inter Juliani Epiftolas hodie extat] monuit Imperator Titum effe ipforum calumniatorem, eofque traducere, quòd non fponte fuâ fed folo ipfius hortatu feditionibus abftinerent: Plebem proinde incitans, ut illum tanqum hoftem publicum è civitate fua expellerent. Mortuo Juliano Titus interfuit Synodo Antiochenæ fub Joviano anno CCCLXIII. habitæ, & Libellum fidei Imperatori oblatum fubfcriptione fua minivit. Obiit fub Valente circa an. CCCLXXI.

Vid. Sozom. l. 5. c. 15.

Epift. 52.

Extant Latinè, interprete Turriano, *Libri* III. *contra Manichæos*; quorum Hieronymus * meminit, & quos Hen. Canifius in Lection. Antiq. Tom. V. primus publicavit, exinde Bibliothec. Patr. Tom. IV. infertos. Fragmentum ex libro primo repræfentat Photius Cod. 232. Extat etiam Gr. Lat. fub Titi Boftrenfis nomine.

* De Script. c. 102.

Oratio five Homilia in *Ramos Palmarum* apud Combef. Auctuar. Nov. Tom. I. p. 635. Cujufnam Titi Boftrenfis fit, non conftat. Noftri certè non eft. Habetur adhuc fub Titi noftri nomine Tom. II. Biblioth. Patr. [quam Gr. & Lat. edidit Fronto Ducæus] *Expofitio in Evangelium Lucæ*, fed Auctorem-

Digitized by Google

rem nostro recentiorem esse necesse est: cùm ab eo Gregorius Nazianzenus, Nyssenus, Chrysostomus, Isidorus Pelusiota, & Cyrillus Alexandrinus sæpenumerò laudentur. In his Commentariis citat Auctor Expositionem suam in Matthæum, quæ an edita sit, me planè latet. Interim monendus est Lector, in Catena Græcorum Patrum in Lucam, quam in lucem emisit Balthazar Corderius, extare plura Titi Bostrensis Fragmenta partim ex Commentario in Lucam, partim ex aliis ejus Operibus, quæ non extant. Horum Fragmentorum indiculum exhibet idem Corderius in indice Patrum, quem Catenæ suæ præmisit.

362. P. II. TITUS Bostrorum, in Arabiâ Episcopus, claruit anno CCCLXII. Extat Græc. Lat. sub ejusdem nomine *Commentarius in S. Lucam.* Verùm prout jam habemus, non unius Titi opus est, sed ex ejus, aliisque SS. Patrum commentariis consarcinatum. Patet id ex *Inscriptione* Codicis MS. in Bibliothecâ Regis Galliæ, num. 2330. quæ ita habet, Τῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Τίτυ ἐπισκόπυ Βόςρων, καὶ ἄλλων ἁγίων Πατέρων ἑρμηνεία εἰς τὸ κατὰ Λυκᾶν ἅγιον εὐαγγέλιον. Ut mirari desinas Gregorium Nazianzenum, Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum, aliòsque Tito nostro juniores in hoc opere citari. Vide quæ habet Rich. Simonius, *Hist. Crit.* de *Comment.* Novi Testamenti, cap. 30.

362. Vid. Augustin. Confess. l. 8. c. 2. FABIUS MARIUS VICTORINUS, V. C. natione Afer, professione Rhetor, religione ad senectutem usque Gentilis. Imperante Constantio per multos annos Romæ Rhetoricam docuit: è cujus Schola plurimi non modò docti, sed & nobiles & Senatorii ordinis viri prodierunt. Tantâ eloquentiæ laude clarus, ut statuam in Foro Romano sibi poni meruerit. Tandem extremâ senectute Christi fidem profiteri cœpit, sed timidè primùm & sub velo. Urgente enim eum Simpliciano, cui secretum crediderat, ut palam id faceret, nec se illum inter Christianos recensurum dicente, nisi in Ecclesia Christi ipsum viderit; irrisit Victorinus; *Ergo,* inquit, *parietes faciunt Christianos.* Suppuduit demum vanitatis, & Simpliciano dixit; *Eamus in ecclesiam, Christianus fieri volo.* Imbutus denique Christianæ fidei elementis per baptismum regeneratur, mirante Româ, gaudente Ecclesiâ; superbi videbant & irascebantur, dentibus suis stridebant & tabescebant: ut Augustini * hac de re verbis utar. Cùmque Presbyteri verecundiæ ipsius consulentes ejus arbitrio permisissent, ut solennem fidei confessionem quæ de loco eminentiori fieri solebat, secretiùs redderet; renuit & in conspectu totius Ecclesiæ pronunciare voluit, plaudente toto adstantium choro & Victorini nomen resonante. Anno CCCLXII. cùm lege latâ Julianus vetuit, ne Christiani Oratoriam Gentiliumque literas docerent; cathedræ suæ lætus renunciavit, loquacem scholam, inquit Augustinus, deserere malens, quàm verbum tuum (Domine). Obiisse videtur circa an. CCCLXX. aut paucos saltem annos supervixisse.

* Ibid. c. 5.

Multos Platonicorum libros Gentilis adhuc in Latinam Linguam transtulit: sed Versiones dudum interciderunt. Præter *Commentarios* in *Ciceronis Rhetoricam*, *Versionem Isagoges Porphyrianæ, De quinque vocibus,* de *Enunciatione literarum*, & *ratione carminum Libros tres* sæpiùs editos, extant Bibliothec. Patr. Tom. IV. p. 253. 294. ab eo jam Christiano scripti.

De Sanctissimâ Trinitate adversùs Arianos libri IV. de quibus Hieronymus † *Scripsit adversus Arium more dialectico libros valdè obscuros, qui nisi ab eruditis non intelliguntur.*

† De Script. c. 101.

Cave *Hist. Lit.*

Ad *Justinum Manichæum* contra duo principia Manichæorum.

De *Principio diei, Cœperit ne à vespera an à matutino.* Hosce duos libellos primus protraxit in lucem Jacobus Sirmondus inter Opuscula Dogmatica Veterum *Paris.* 1630. 8°.

De *Generatione Verbi divini adversus Candidum Arianum.*

De Homousio recipiendo Hymni tres.

Carmen *de septem Maccabæis.*

Commentarii *in aliquot* D. *Pauli Epistolas,* qui adhuc MSS. delitescunt in Bibliotheca Monasterii Herevallensis in Gallia (vid. Sirmond. Præfat. in Opuscul. Dogmat. Vet.) De iis ita Hieronymus *; *Occupatus ille eruditione secularium literarum Scripturas omnino sanctas ignoravit: & nemo possit quamvis eloquens de eo bene disputare quod nesciat.*

* proœm. in Ep. ad Galat. Tom. IX. p. 158.

Stylus Victorino parùm fœlix, præsertim in Dogmaticis perplexus & ingratus, & qui vix ullâ adeò decantatæ eloquentiæ vestigia retinet. In Commentariis verò stylum planiorem & apertiorem esse testatur, qui legit, Doctissimus Sirmondus. Denique Opuscula ejus attentum & oculatum Lectorem postulant. Cùm in Gentilium enim literarum studio longè majorem vitæ partem transegit, nec nisi provectâ jam ætate Christianismum amplexus sit, non videtur ubique fidei dogmata satis accuratè percepisse, saltem non satis fœliciter expressisse.

RUFINIANUS, Ecclesiæ cujusdam in Ægypto Episcopus, Athanasii amicus integerrimus, claruit anno CCCLXIII. Scripsit ad Athanasium, de iis qui sub nuperâ Juliani persecutione, lapsi essent, vel cum Hæreticis communicâssent; quidque de his in Synodis sancitum fuerat. Respondet Athanasius, & Concilii Alexandrini, superiori anno, hâc de re, inter alia, habiti, sententiam exponit, & in his Literis Rufinianum mirificè commendat, πάντων σοὶ ποθεινότατων vocat *Epistolam sibi agnitam & lectam in corde;* utque ad se frequenter scribat, adhortatur; utpotè quod sibi maximè gratissimum futurum esset. Extat *Epistola* Athanasii responsoria Græc. Lat. T. II. p. 46. & cum Commentariis Balsamonis & Zonaræ inter Epistolas Canonicas, tùm apud Balsamonem, tùm *Pandect. can.* T. II. p. 44. Et MS. apud Tho. Galeum. 363. P. II.

CANDIDUS, sectâ Arianus [nec de illo quicquam amplius mihi hactenus compertum) clar. circa an. CCCLXIV. Scripsit *ad Marium Victorinum de Generatione divinâ librum,* qui extat unà cum Victorini confutatione, Zeigleri Commentariis in Genesin subjunctus, *Basil.* 1548. fol. Habetur etiam *Fragmentum Epistolæ* ejus ad Victorinum unà cum Victorini Responsione ap. Mabill. Analect. Tom. IV. p. 155. 364.

ULPHILAS, sive Urphilas, ortu Gothus, majoribus Christianis prognatus, qui regnante Gallieno à Barbaris capti ex Sadagolthina Cappadociæ vico originem traxerunt. Post mortem Theophili, qui Concilio Niceno præsens subscripsit, Gothorum factus Episcopus primò quidem inter Catholicos militavit; deinde in Arianorum castra transfugit. De ætate ejus parùm inter Historicos convenit. Philostorgius * sub Constantino M. disertè ponit, eumque apud Imperatorem προσβευόμενον, magnoque in honore habitum esse scribit: quem tamen Socrates †, Sozomenus *, & Theodoritus * rectius meo quidem judicio ad Valentis tempora constanter referunt, quibus maximè 365.

* L. 2. c. 5. † L. 4. c. 33. * L. 6. c. 37. * L. 4. c. 37.

Digitized by Google

 ximè claruit anno circiter CCCLXV. Et certè suspicari subit Philostorgium Ulphilam, quem utpote hominem Arianum mirè deprædicat, idcirco ad Constantini ætatem & amicitiam retulisse; ut Arianismi inter barbaros propagati vetustatem eò speciosiùs ostentaret. Verisimillima videntur, quæ narrat Sozomenus, Ulphilam ad Constantium legatum missum Conciliabulo quidem Constantinopolitano anno CCCLX. imprudenter interfuisse, in Catholicorum tamen communione perseverasse; secunda demum ad Valentem legatione fungentem Acacii & Eudoxii fraudibus seductum Arianam Hæresin amplexum esse, quam per gentem suam propagavit. Ex Gothis non paucos non modò ad mansuetiorem cultum, sed & ad Christianam religionem traduxit: tantæ apud eos authoritatis, ut verba ejus, teste Theodorito, pro firmissimis legibus haberentur. Primus Literarum Gothicarum inventor exstitit, & universos S. Scripturæ libros in patrium sermonem transtulit: de quo memoratu non indignum notat Philostorgius, in Versione ista Ulphilam Libros Regum (quo in numero Samuelis etiam & Chronicorum Libri continentur) omisisse; eò quòd hi libri res bello gestas contineant, Gens autem Gothorum φιλοπόλεμος fræno potiùs opus habuerint, quàm calcare, quo ad bellicos impetus incitarentur. Hoc Ulphilæ Opus dudum periisse videtur, nisi forsan pars ejus sit, *Gothica illa IV. Evangeliorum versio*, quam cum Glossario & notis Junius & Mareschallus Gothicè & Anglo-Saxonicè ediderunt *Dordrac.* 1665. 4°. de quo sententiam suam ferant harum literarum periti. Certè *Versio* ista antiquissima esse videtur.

366. DAMASUS, Antonii cujusdam filius, gente Hispanus, patriâ ex Mantuâ Carpetanus, quem tamen alii Tarraconensem, alii ex Lusitanis Igeditanum fuisse volunt: Ecclesiæ Romanæ sub Liberio Diaconus, deinde Presbyter, denique Episcopus anno CCCLXVI. constitutus, aliâ interim factione Ursinum sive Ursicinum Diaconum Romæ Episcopum ordinante. Magnâ utrinque contentione, & multo sanguine res acta est; adeò ut uno die (notante Ammiano †) CXXXVII. cives occisi sint. Quinetiam diu in Ursicini partem immani crudelitate Damasus sæviebat, si vera narrant Faustinus & Marcellinus in Præfatione, quam Libello Precum præmiserunt. Victo demum, fugatoque Ursicino, Damasus sedem quietam tenuit. Circa an. CCCLXIX. habitâ Romæ XC. Episcoporum Synodo Auxentium Mediolanensem & Concilii Ariminensis acta damnavit, fidemque Nicænam confirmavit. Anno CCCLXXIII. aliam Romæ Synodum habuit; cui interfuit Petrus Alexandrinus Episcopus; in quâ Apollinarem ejusque discipulum Timotheum ob Hæresin nuper vulgatam deposuit; eorumque sequaces & dogmata anathemate percussit. Anno CCCLXXXI. Concilii Constantinopolitani Patres ad Synodum Romæ congregandam invitavit; qui tamen anno sequente missis ad eum literis sese excusarunt. Obiit prope octogenarius exeunte anno CCCLXXXIV. apud Viam Ardeatinam in Basilicâ, quam ipse condiderat, sepultus. Elegans in versibus componendis ingenium illum habuisse testatur Hieronymus †, qui conjunctissimâ ejus consuetudine utebatur; ab eo vicissim singulari benevolentiâ & familiaritate cultus.

† L. 27.

† De Scrip. c. 103.

SCRIPTA EJUS GENUINA.

E*pistola Synodica ad Episcopos Illyrici* de Concilio Ariminensi; habetur Gr. Lat. ap. Theod. l. 2. c. 22.

Epistola Synodica ad Episcopos Orientis contra *Apollinarium*, extat Gr. Lat. ap. Theod. l. 5 c. 10.

Confessio fidei Catholicæ ad Paulinum Episcopum Antiochenum Thessalonicæ agentem; eam exhibet Gr. Lat. Theod. l. 5. c. 11.

Epistola ad Paulinum Antiochenum de Vitali. Lat.

Epitaphia, Inscriptiones, Elogia, aliaque Carmina numero XL.

Fragmenta quædam apud Gratianum.

Christiana Poëmata quæ apud Claudianum leguntur, Damasi esse non improbabili sanè conjecturâ conjicit Antonius Delrius sub finem Conjectur. ad Claudiani Opera.

DESIDERANTUR.

Liber de Virginitate & prosâ & versu conscriptus.

SUPPOSITITIA.

L*iber Pontificalis seu de Vitis Romanorum Pontificum*, Anastasio Bibliothecario vulgò tributus; ejus verò non esse testantur Codices MSS. Anastasio vetustiores; citant illum sub nomine gestorum Pontificalium Anastasio antiquiores Walafridus Strabo, Rabanus Maurus, Beda, Legati Agathonis Papæ, qui Pontificatum iniit circa an. DCLXXVIII. Priorem hujus operis partem Damaso nostro tribuendam esse communis est sententia, quod quidem falsissimum esse, infinitis argumentis, si opus esset, ostendi posset. Repugnat stylus totiusque operis contextura, Damaso planè indigna; repugnat altum Hieronymi, qui post Damasi jam mortem Opera ejus recenset, hâc de re silentium; ut alia mittam; certè librum Pontificalem qui hodie extat, ex variis Pontificum Romanorum Catalogis pro varia temporum sorte & interpolatorum ingenio ortum & incrementa sua accepisse certo certius est. De his catalogis agunt Bucherius, Labbæus, Heinschenius, Papebrochius, Schelstratius, & novissimè omnium accuratissiméque Pearsonus & Dodwellus. Quæ nobis hac de re verisimillima videntur, in pauca contrahenus: prima hujuscemodi operis fundamenta posuit Anonymus qui scripsit sub Alexandro Severo: periit ipsum opusculum solo titulo superstite, ut ex indice præfationis ad librum de Divis. & Generat. Gentium post Canisium à Labbeo editum nov. Biblioth. MSS. Tom. I. p. 309. liquet; ubi hæc habentur verba, *Nomina Episcoporum Romæ, & quis quot annis præfuit.* Hunc indiculum expressit, & ad sua usque tempora perduxit Catalogi autor qui in Liberio desinit, & sola Pontificum nomina, successionem & tempora cum Imperatoribus & Coss. concurrentia notat: hunc commentariis suis primus inseruit Cuspinianus; paulò integriorem Commentario suo in Victor. p. 269. Ægidius Bucherius; utinam verò sincerior ad nos pervenisset; hunc additamentis aliquot auxit Catalogi conditor qui sub Justiniano vixit, primùm ab Heinschenio, deinde à Papebrochio editus; hunc catalogum postea interpolarunt alii, & non modò Pontificum Romanorum nomina atque tempora, verùm etiam patres eorum, gentem, sepulturæ loca, ordinationes & decreta, sedisque vacantis dies addiderunt, atque ita tandem in hanc quam habemus formam excrevit liber Pontificalis. Denique probabile est Anastasium, additis nonnullis, totum opus recensuisse, cujus proinde nomen vulgò præfert; & hæc breviter de hujus Libri origine & incrementis semel monuisse sat erit.

Ad Hieronymum Epistola III.

Epi-

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC.

Epistola ad Stephanum & Episcopos Mauritaniæ.

Epistola ad Prosperum & Episcopos Numidiæ.

Epistola ad Episcopos Italiæ.

Epistola ad Aurelium Carthaginensem.

Epistolæ habentur Concil. Tom. 11. *Carmina* Bibliothec. Patr. Tom. v. omnia Damasi Opera, ejusque Vitam, à Martio Milesio Sarrazanio collecta & notis aucta edidit Fred. Ubaldinus, *Romæ* 1638. 4°. recusa exinde *Paris.* 1672. 8°. Poëmata ejus omnia typis antea, ut habet titulus, nusquam simul evulgata, emaculavit & notis additis edidit Andr. Rivinus *Lipsiæ* 1652. uti nos docet Joh. Olearius Abac. Patr. p. 128.

366. EUZOIUS, Arianæ factionis sectator, attamen alius ab Euzoio Antistite Antiocheno, cujus in Historiâ Ecclesiasticâ hujus temporis toties fit mentio. Adolescens adhuc Gregorium Nazianzenum in Schola Cæsariensi apud Palæstinos Condiscipulum habuit; ubi apud Thespesium Rhetorem eloquentiæ studiis uterque incubuerunt. Post Acacium anno CCCLXVI. fatis functum Ecclesiæ Cæsariensis Episcopus constituitur. De hac quidem sede non levis contentio viguit; Cyrillo Hierosolymitano primò Philumenum, deinde Gelasium nepotem suum, Eutychio Eleutheropolitano verò Cyrillum quendam senem ordinante: Verùm cessantibus his ob mutuam litem, sedem Euzoius imperturbatè tenuit. Vir planè doctus ac diligens, qui Bibliothecam quam ex Origenis præcipuè libris Pamphilus Martyr collegerat & apud Cæsaream reposuerat, temporis lapsu & hominum incuria corruptam plurimo labore restituit & instauravit. Sub imperio Theodosii nutantibus Arianorum rebus ac planè concidentibus ipse Ecclesia sua pulsus est circa an. CCCLXXX. De Scriptis ejus hæc sola monet Hieronymus *, quibus quod addam non habeo; *Feruntur ejus varii multiplicesque Tractatus, quos nôsse perfacile est.* N E.

Vid. Epiphan. Hæres. 73.

* De Script. c. 113.

368. EPIPHANIUS, gente Palæstinus, apud Bezanducan vicum in territorio Eleutheropolitano situm natus est, Parentibus, ut videtur, ortus Judæis. Mitto quæ de Parentibus, educatione, conversione, totoque vitæ cursu habent ejus Discipuli, Vitæ Epiphanianæ Scriptores, Johannes & Polybius; utpote incerta, ne dicam magnam partem fabulosa. Juvenis adhuc in Ægyptum profectus est; ubi in Gnosticorum insidias præsertim mulierculārum quarundam consortium incidit, à quibus arcana execrandæ istius Sectæ didicit. Verùm earum illecebras salvus evasit; cùmque Ascetarum Ægyptiorum mores & instituta diligenter perlustrasset, vicesimo ætatis anno patriam repetiit; & sub magni Hilarionis Monachorum Palæstinorum patris disciplina aliquamdiu vixit. Postea Monasterium *Vetus Ad* dictum propè vicum natalem condidit, cui ipse præfuit. Circa an. CCCLXVIII. ad Salaminæ in Cypro urbis, postea *Constantiæ* dictæ, totius Insulæ Metropolis, Episcopatum promovetur: ubi in media hominum multitudine & in urbe magna ac maritimâ positus, sermone, Scriptis & summâ morum simplicitate maximam nominis celebritatem adeptus est. Anno CCCLXXXII. Romam ad causam Paulini de sede Antiochena dijudicandam imperialibus literis evocatur: qua in urbe Sanctissima Paula Toxotii vidua illum hospitio benignè excepit. Post aliquot annos magnæ ac diuturnæ lites illum inter & Joannem Episcopum Hierosolymitanum exortæ sunt: quæ eousque exarserunt, ut Epiphanium in Ecclesia Hierosolymitana adversùs Origenis dogmata concionantem Joannes unà cum Choro suo rictu, risu, naribusque contractis exceperit: quin & misso Archidiacono silentium indixerit. Cùmque alia vice sermonem ibi habiturus esset Epiphanius, ipse surrexit, & pro concione venerandum Senem tanquam Anthropomorphitam, ipso præsente atque audiente Epiphanio, coram plebe traduxit. Quoque longiùs duravit, eò acriùs erupit flamma; hinc Epiphanio Ariana & Origeniana dogmata Joanni objiciente, illinc Joanne Epiphanium accusante quòd velum ex Ecclesiâ Anablathæ abstulisset, quòd sedis Hierosolymitanæ jura violâsset, & Paulinianum Hieronymi fratrem in Monasterio *Ad* Presbyterum ordinâsset. Hinc plures ultra citraque Epistolæ & Apologiæ; hinc frequentes amicorum interventus, quò lis ista componeretur: sed frustra omnia. Exulceratus Joannis animus nullis remediis leniri poterat; donec cognitâ pleniùs post plures annos causâ, & per Hieronymi ad Pammachium literas publicè expositâ, ipse pudor hominem compescuit. Sed nondum Epiphanio laborum & contentionum finis. Theophilus enim Episcopus Alexandrinus, qui Monachos quosdam Nitrienses, utpote Origeni faventiores, Ægypto expulerat, (quos Constantinopolim fugientes Chrysostomus hospitio & favore dignatus est) Epiphanium in suas pertraxit partes; qui mox coacto Episcoporum Cypriorum Concilio Origenem ejusque libros damnavit, missis tum ad alios, tum ad Chrysostomum de hâc re literis. Brevi post Theophili consiliis inductus ipse Constantinopolim petiit; sed nec cum Chrysostomo congredi, nec communicare voluit, nisi priùs Origene damnato, & ejectis Monachis Nitriensibus: sed cùm parùm proficeret, & à Chrysostomo tum ob alia, tum quod in jura ejus Episcopalia involâsset, acriter reprehensus, nec ab ipsâ Eudoxiâ Augustâ benignè nimis habitus esset, Constantinopoli decessit. Discedentem hâc formulâ Chrysostomo valedixisse ferunt; *Spero te non moriturum esse Episcopum*: Joannem vicissim sic illi respondisse; *Spero te non perventurum esse in patriam.* Annuit utriusque votis iratum Numen. Chrysostomus mox sede depositus, in exilio mortuus est, Epiphanius verò conscenso navigio medio cursu diem supremum obiit anno CCCCII. saltem ineunte proximo, extremâ quidem senectute, utpote ætatis anno prope centesimo, Episcopatûs tricesimo sexto. Quin si Polybio discipulo & itineris comiti credendum sit, ipse Epiphanius Constantinopoli cedens Arcadio Imp. dixit se annos CXV. menses III. natum esse. Vir erat pietate, reliquisque virtutibus Christianis ornatissimus, Hebraicè, Syriacè, Ægyptiacè, Græcè & Latinè doctus; unde Hieronymo * Πεντάγλωττος audit, Antiquitatum præsertim Ecclesiasticarum callentissimus; in narratiunculis tamen nullo habito examine admittendis nimis credulus, in temporibus distinguendis parùm accuratus; cujus rei solâ Arianæ Hæreseως historia nobis fidem facit: in concertationibus etiam adversùs impias Hæreses susceptis, judice Photio †, ut plurimùm infirmus, τὴν δὲ φράσιν ταπεινός τε καὶ οἷα εἰκὸς ἀττικῆς παιδείας ἀμελέτητον τυγχάνειν, *dictio ejus humilis ac planè talis, qualem ejus esse, oportuit, qui Atticæ elegantiæ rationem nullam teneret.* Nec aliter Hieronymus †, *Scripta ejus ab eruditis propter res, à simplicioribus propter verba quoque lectitantur.*

Extat hæc Vita Gr. Lat. ap. Epiphan. Tom. II. edit. Petav.

Hieronym. ad Pammach. p. 166.

Socrat. l. 6. c. 10. Sozom. l. 8. c. 14 Epist. plures Hieron. Epiphan. & Theoph. inter Hieron. opera Tom. II. p. 309.

* Apol. 1. adv. Rufin. p. 222. Apol. 2. p. 233.

† Cod. 122.

† De Script. c. 114.

SCRIPTA.

ANcoratus, *sive de Fide sermo*, anno circiter 373. scriptus, rogantibus Presbyteris Suedræ Pamphyliæ urbis, & Palladio Præside, ut do-

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An CCC. ctrinam de S. Trinitate ac inprimis Sp. S. Catholicam ipsis explicatam daret, & inter ipsos grassantem Hæresim Macedonianam Scripto compesceret.

Panarium, sive *adversus Hæreses* LXXX. tribus comprehensum voluminibus, tomis septem: inchoatum anno Christi 374. Valentis & Valentiniani undecimo, rogatu Acacii & Pauli Archimandritarum; quorum *Epistola* eâ de re ad Epiphanium missâ etiamnum extat *Panario* præfixa, unà cum *Epistolâ* Epiphanii *responsoriâ*. Opus, inquit Photius *, omnibus ante eum scriptis adversùs Hæreses lucubrationibus uberius atque utilius; quippe cui ex Justini Martyris, Irenæi, Hippolyti, aliorumque Veterum Scriptis incrementi haud parum accessit nil enim ab iis excogitatum intactum reliquit Epiphanius, quæque ipse proprio Marte elaborârat, addidit. Hæreseon istarum catalogum à Barbarismo incipiens, & per omnes ordines percurrens contexuit usque ad Massalianorum Hæresin sub Constantio exortam, quam ultimo omnium loco depingit & refutat.

* Loc. cit.

Anacephalæosis, seu Panarii Epitome.

De Ponderibus & Mensuris liber.

Epistola ad Joannem Hierosolymitanum, Lat. Hieronymi Versione.

Epistola brevis ad Hieronymum, Lat. Duæ istæ Epistolæ inter Hieronymi opera habentur, Tom.II.

SUPPOSITITIA.

Physiologus.

De vita & interitu Prophetarum.

De duodecim gemmis in veste Aaronis, cujus libelli nonnisi Epitome erat, quam Gesnerus edidit Tiguri 1565. 8°. in nuperis tamen etiam Epiphanii editionibus repræsentatam. Sunt qui libellum istum genuinum esse Epiphanii fœtum contendunt; nec desunt quidem rationes. Illum enim citat Hieronymus *, Facundus †, quorum iste integram Epiphanii *ad Diodorum Tarsensem Epistolam* (quæ istiusmodi libro olim Præfationis vice præfixa, inter Epiphanii Opera neutiquam reperitur) exhibet.

* Epist. 228. ad Fabiolam † L. 4. c. 3.

Orationes VIII. viz. In *Festum Palmarum*, *In Christi sepulturam*, *In Christi Resurrectionem*, *In Christi Assumptionem*, *De laudibus B. Mariæ Virginis*, *In Festo Palmarum*, *De Numerorum Mysteriis*, *De Christi Resurrectione*; Epiphanii cujusdam junioris videntur. Plures enim Epiphanii in Cypro Episcopale munus obierunt.

Extant Græcè MSS. sub Epiphanii nomine in Bibliothecâ Cæsareâ *Explicatio in illud*, *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*; *in illud*, *De die illâ & horâ nemo scit. Recensio* XXII. *Operum Hexaemeri*, &c. teste Lambecio Comment. lib. 3. p. 163, 164, 196.

DESIDERANTUR.

De Lapidibus.

S. Hilarionis Encomium, cujus meminit Hieronymus lib. de Vit. Hilarionis, Tom. I.

Epistolæ plures.

Oratio de Sp. S. cujus meminit Andreas Cæsariensis †: annon verò eadem sit cum eâ Ancoratûs parte, quæ Hæresi 74. inserta legitur; ulteriùs disquirendum est.

† Comm. In Apoc. non longè ab init.

Prodierunt Epiphanii opera Gr. *Basil.* 1544. fol. Lat. *Basil.* 1533, 1540, 1560, 1578. *Paris.* 1612. *Colon.* 1617. fol. Gr. Lat. cum doctissimis Petavii animadversionibus, *Paris.* 1622 2 Vol. fol. additâ Appendice Petavianâ, *Colon.* 1682. 2. Vol. fol.

EPIPHANIUS, Constantiensis in Cypro Episcopus, claruit anno CCCLXVIII. Extat opusculum ejus de LXXII. *Prophetis*, & *de Prophetissis*, sed quo præter nuda nomina haud aliud continetur. Ex Bibliothecâ Regiâ Græcè & Latinè edidit Cl. Cotelerius *Not.* ad Lib. IV. *Const. Apost.* p. 229. In ejusdem Bibliothecæ Cod. CXLII. habetur Græcè MS. *Expositio Epiphanii* in *Nahum Prophetam*: An verò nostri sit nisi inspecto Codice MS. dicere non possumus. Codice item 1026. Libellus sub Epiphanii Episcopi Cypri nomine περὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, ποῦ ἕκαστος ἐκήρυξε, &c. *de sanctis Apostolis, ubi quisque prædicavit, quomodò & ubi mortui sint, quibusque in locis sancta eorum corpora sepeliuntur.* Ex hoc opusculo quædam hinc indè adducit Coteler us, *Not.* ad PP. *Apost.* p. 262. 297. 358. Spurium verò esse nemo, opinor, denegabit. Librum ejus de *Ortu Divino* recenset Hebed-jesu *Catal. libror. Chaldæor.* cap. 42. quo fortasse de *Generatione*, vel *Incarnatione Christi* agit. In Bibliothecâ Bodleianâ Cod. *Baroc.* CLXXIV. fol. 170 pag. 2. habetur ejus *Encomium B. Virginis* Incipit, Τὰς ἐκλαμψούσας τῆς θεοτόκου; & Cod. CLXXXV. fol 8. Ejusdem opus de *XXII. operibus Dei, quæ fecit in primis sex diebus.* Cujus initium Τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τοὺς οὐρανοὺς. An operum ejus editorum pars sint, videant qui Codices MSS. cum editis conferre possunt. Fragmentum Epiphanii *in Evangelium Joannis* edidit Combefisius *Auct. Noviss.* p. 300 Inter Apophthegmata Patrum quæ evulgavit Cotelerius, *Monument.* Part. 1. p. 426. habentur Epiphanii nostri XVII. Extant in Biblioth. Cl. Galei hæc Epiphanii Opera: *viz.* Λόγος σύντομος τῶν αἱρέσεων. *In Psalmos* quædam. Περὶ διαιρέσεως Ψαλμῶν. *In Christi Sepulturam*: habet etiam V. Nob. & doctus Georgius Wheeler. Multis locis Epiphanium emaculavit Joan. Croius; Multa correxit Joan. Pearsonus Episcop. Cestr. quæ tamen vereor ut unquam lucem sint visura.

SÆC. IV. ab An. CCC. 368. P. II.

OPTATUS, natione Afer, urbis Milevitanæ in Numidiâ Episcopus, acerrimus Donatistarum oppugnator. Claruit circa annum 368. Damaso Ecclesiæ Romanæ clavum tenente. Quòd verò in Catalogo Pontificum Romanorum, quem exhibet libro secundo, agmen claudat Siricius; prorsus assensior Baronio * suspicanti Siricii nomen à Librario, quæ Siricii tempore librum exscripserit, additum fuisse. Optatum enim sub Valente scripsisse disertè tradit Hieronymus †; Siricius verò nonnisi regnante Theodosio anno 384. vel sequenti, ut Baronius, aliique volunt, Romanam Cathedram adeptus est. Quid quòd ipse Optatus duobus in locis de persecutione Diocletiani, quæ incœpit anno CCCIII. loquens, sexaginta & quod excurrit annos effluxisse dicit, ubi hanc phrasin, *& quod excurrit*, majorem currentis Decadis partem significare rectè notat Baronius.

368.

* Ad an. 368.

† De Script. c. 110.

L. 1. p. 15 l. 3. p. 98.

Scripsit contra *Parmenianum sectæ Donatisticæ apud Carthaginem Episcopum*, *de Schismate Donatistarum libros* VII. quibus totius schismatis originem & progressum aperit; schismaticorum mores tumidos, protervos & truculentos depingit, fraudes & mendacia refellit, & Ecclesiæ Catholicæ causam adversùs effrontes eorum calumnias non minori modestiæ & mansuetudinis, quàm doctrinæ & acuminis, laude tuetur. Nonnisi *sex libros* ab Optato *contra Donatistas* scriptos memorat Hieronymus; quin & ipse Optatus libro primo propositi sui rationem reddens, se rem sex libris absoluturum esse promittit. Quid quòd liber septimus à præcedentibus stylo quàm maximè discrepet, & contraria nonnunquam dogmata in medium producat? Adeò ut antiqui quidem, ab Optato tamen diversi

SÆC. IV. ab An. CCC.

versi, auctoris opus esse septimum librum non immeritò quis suspicari possit. Si verò ejus fortasse censendus sit, aliquandiu post sex priores libros ab eo elucubratum esse necesse est. Inter varias horum librorum editiones eminent, *Parisiensis* anni 1563. Francisci Balduini observationibus & historia Donatistarum illustrata; *Parisiensis* 1631. cum Gabrielis Albaspinæi Commentariis; *Londinensis* ejusdem anni cum notis & emendationibus, sanè quàm doctissimis, Merici Casauboni in 8°. At omnes alias superat tum typorum elegantia, tum notarum ferè omnium editarum mole, Parisiensis illa quam Philip. Priorius adornavit, & in lucem emisit, *Paris.* 1679. fol. Albaspinæi, Mer. Casauboni, Barthii & Anonymi cujusdam non indocti notis paginæ cujusvis calci subditis, quibus etiam suas Annotationes præmisit, *gesta collationis Carthaginensis* à P. Massono primùm edita, Balduini hujusce rei historiam, ejusdem, ut & Albaspinæi uberiores in Optatum Annotationes in appendicem rejecit, Facundi Hermianensis opera adjunxit; Albaspinæi denique de veteribus Ecclesiæ ritibus libros II. aliaque opuscula addidit.

370. PACIANUS, origine Hispanus, vir non ignobili genere, Barcelonæ sive Barcenonis, illustris Hispaniarum urbis ad Pyrenæorum juga sitæ, Episcopus. Claruit circa ann. 370. Uxoratum fuisse certissimo argumento est filius ejus Flavius Dexter, Prætorio-præfectus, Hieronymi familiaris, quem ex legitima uxore Pacianum nondum Episcopum suscepisse inde colligit Fr. Bivarius *, quòd ob castitatem & eloquentiam ab Hieronymo † collaudetur; quod de Mœcho, inquit, quantumcunque pœnitente, dici non possit. Quasi verò omne matrimonium, Clericorum præsertim, quantumvis honestum, pro adulterio habendum sit: cum tamen Apostolus honorabile esse inter quosvis conjugium & torum immaculatum luculenter pronunciaverit. Mortuus est Pacianus admodùm senex sub Theodosio Principe ante ann. 390. Scripsit varia opuscula, inter alia illud, cui Κέρβος titulum dedit, teste Hieronymo †. De hac voce aquam mihi diu hæsisse fateor; tandem exemit scrupulum CL. Colomesius, qui quidem notat vocem Græcam ex Sophronii versione in textum irrepsisse; & legendum esse, ut ex Hieronymi Codice MS. Bibliothecæ Lambethanæ constat, *Cervus*, quòd ludicri cujusdam genus erat, apud veteres in Gallia Gentiles, forsan & apud Hispanos; quem morem ut reprehenderet Pacianus, librum scripsit, cui titulus erat *Cervus* vel *Cervulus*, quem ipse etiam in *exhortatione suâ ad pœnitentiam* laudat, injuriâ temporum desideratum. Meminit & hujus Opusculi Freculphus *Chron. Part II.l.4.c.29.p.* 105. his verbis *Pacianus Barcelonæ Episcopus scripsit varia Opuscula, de quibus est* Cettus *&* contra Novatianos. Scripsit adhuc Pacianus, quæ extant, *Contra Novatianos Epistolas* III. (quas *librum contra Novatianos* vocat Hieronymus) *Paræneticum ad pœnitentiam, & libellum de Baptismo ad Catechumenos*, à Tilio edita *Paris.*1538.4°. curâ Pauli Manutii *Romæ* 1564. fol. & in Biblioth. Patr. Tom.IV. p.305, 315.

* Vit. Fl. Dextri Chron. præfixa.
† De Script. c.106.
† Loc. cit.

370. GREGORIUS, natione Hispanus, provinciâ Bœticus, Illiberis ejusdem provinciæ ad montes Pyrenæos oppidi Episcopus. Claruit circa annum CCCLXX. Hunc eundem cum Gregorio præfecto prætorii Galliarum, cujus meminere Sulpitius *, & Innocentius Papa †, faciunt Pseudo-Dexter * ejusque Commentator Bivarius, eumque nonnisi anno 390. Episcopalem Cathedram ascendisse volunt. At multò magis audiendus D. Hieronymus †, qui illum Episcopum Hispaniarum vocat, & Lucife-

* L.2.p.169.
† Ep.23. ad Synod. Tolet.
* Chron. an.388.
† Chron. ad an.371.

ro Calaritano coætaneum facit, ac nunquam sese Arianæ pravitati immiscuisse scribit. Erat sanè Arianorum hostis implacabilis, quibuscum ad Ecclesiam licèt reversis communicare noluit. Quid eâ de causâ ab Hosio aliisque passus esse dicitur, videri potest apud Faustinum & Marcellinum in *libello precum*. Certè Theodosius Imperator misso ad Cynegium Prætorio præfectum rescripto, (quod ad calcem libelli precum extat) in mandatis dedit, ut laudabilem hunc sacræ legis antistitem, cæterosque consimiles Sacerdotes ab improborum hominum atque Hæreticorum injuriis defenderet & tueretur. Anno 392. in extremâ jam senectute positus est, quem tamen Chronici Dextriani consarcinator ad annum usque 423. producit: unde Fr. Bivarius affirmare coactus est ipsum penè centenarium obiisse. Composuit, inquit Hieronymus, diversos mediocri sermone *Tractatus*, & in his, *de Fide elegantem libellum*. Extat sanè sub Gregorii nostri nomine in Bibliothecâ Patrum, *Liber de Fide contra Arianos*, Flaccillæ Imperatrici (nonnulli Codices habent Gallæ Placidiæ) inscriptus, qui tamen Faustini Presbyteri esse deprehenditur. In Codice verò Canonum Romano à Paschasio Quesnello edito reperiuntur *tres Fidei formulæ*; sive *Libelli*, quorum primum Marcellino, secundum Faustino Presbyteris attribuit †, tertium autem Gregorio Nazianzeno malè inscriptum, Gregorio Bœtico adjudicat Quesnellus, eundemque esse censet cum libro ejus *de Fide*, cujus meminit Hieronymus.

Hieron. de Scrip. c.105
† Vide Dissert.14.num. 5.6. &c. p. 716.

PAPHNUTIUS, ortu, ut videtur, Ægyptius, magni nominis Anachoreta, claruit circa annum CCCLXX. Ἀνὴρ μέγας καὶ ἐνάρετος, inquit Palladius, qui de eo ejusque miraculis prolixè agit *Hist. Lausiac.* Capp. 62, 63, 64, 65. quem adeant quibus hæc curæ sunt. Obiit Paphnutius in regione circa *Heracleotas Thebaidis* paulò antequàm illuc veniret Palladius. Scripsit *Vitam & Conversationem S. Onyphrii Anachoretæ celeberrimi, aliorumque quorundam Patrum eodem tempore Ægypti eremum solitariè incolentium, quibuscum ipse familiariter versatus fuerat.* Ediderunt hanc vitam Surius *Junii* XII. Rosvveydus de vit. Patr. lib. I. pag. 99. Extat Græcè MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Hist.* LXIII num.1.fol.1. Eam tamen à Sym. Metaphraste interpolatam esse, suspicari licet. 370. P. II.

EPHRÆM, natione Syrus, domo, ut quidam volunt, Edessenus, rectiùs, ut alii, Nisibenus. Floruit anno 370. Ab ineunte ætate in Monasticâ Philosophiâ se exercuit, & proprio Marte etiam in penitioris Philosophiæ studiis adeò profecit, ut difficillima quæque Theoremata facilè perciperet. Relictâ solitudine, Edessam se contulit, ut non sibi tantùm, sed & aliis prodesse posset: cujus proinde disciplinæ plurimi magnique apud Syros nominis, viri sese tradiderunt. Ecclesiæ Edessenæ Diaconus factus ad altiora ascendere noluit: & cum communi decreto ad Episcopatum eligeretur, & missi essent, qui ipsum comprehenderent, statim in forum procurrit, & indecorè agens, se mente captum simulavit; unde aufugiens eò usque delituit, donec alius ordinatus esset. Cæsaream Cappadociæ non aliâ de causa profectus est, quàm ut Basilium Magnum videret, & cum eo versaretur; qui hominem admiratus, eruditionis & pietatis causâ maximoperè eum suspexit. Hæreticos Ecclesiæ Catholicæ doctrinam corrumpentes vehementer detestatus est, eorumque fraudes & versutias mirâ dexteritate & acumine sæpe redarguit: civitati Edessenæ gravissimâ fame laboranti, & voce & exemplo suppetias tulit, 370.

SÆC. IV. ab An. CCC. divites increpando, & egenorum in se curam suscipiendo. Plura de eo curioso Lectori suppeditabit *Encomium*, quod in ipsum scripsit Gregorius Nyssenus, ut alios jam taceam. Obiit vir sanctissimus & *Propheta Syrorum* cognominatus (teste Hebediesu * *in Catalogo*, quem de libris Chaldæorum edidit circa annum 378. Moriturus gravi interdicto vetuit, ne se funebri encomio laudarent, pretioso vestimento sepelirent, neve peculiarem corpori suo tumulum constituerent. Haud ullum præter vernaculum (*i. e.*) Syrum sermonem calluit, in quo omnium sui temporis eloquentissimus habebatur. Quin & sermones ejus hanc peculiarem habebant gratiam, notante tum Sozomeno *, tum Hieronymo †, ut in Græcam linguam translati acumen sublimis ingenii, orationis splendorem, & sententiarum densitatem retinerent; nec à domestica & nativâ venustate multùm recederent. In iis jure se admirari dicit Photius *, τὸ πεῖθον, τὸ ἡδύνον, καὶ ὅλως εἰς ὅσον βρύει τὸ ἦθος, *quàm altè in hominum animos penetret persuadendi vis, quantum fluat jucunditatis, quam denique affectuum copiâ referti sint.*

Extat inter Op. Nisseni Tom. II.

* Cap. 60. p. 25.

* L. 3. c. 16.
† De Script. c. 115.

* Cod. 196.

Scripsit Ephræm infinita; *Orationes* supra mille, teste Photio †, τὰς τριακοσίας μυριάδας ἐπῶν, inquit Sozomenus; & in his multos *Hymnos* & *Carmina* ab eo elaborata, quæ Syri, quos verborum elegantiâ, & modulationis concinnitate delinitos viderat, in Encomiis sanctorum recitarent. Scripta ipso adhuc superstite penè omnia Græcè versa sunt; tanto in honore olim habita, ut tradente Hieronymo, post lectionem Scripturarum publicè in quibusdam Ecclesiis recitarentur. Leves planè sunt & futiles utplurimùm exceptiunculæ, quæ scriptis ejus intentari solent. Si quæ occurrant, quæ sancto Patre minùs digna, aut quæ aliis locis non benè convenire videntur, nostræ potiùs Syriacè loquendi modorum inscitiæ, vel versionibus ex versione malè factis, quàm Ephræmi inelegantiæ & inscitiæ imputari possent; quin si reverà errores essent, summo hominis zelo, simplicitati, ac pietati condonari debeant. Plurima Ephræmi Opera collegit Gerardus Vossius Præpositus Tungrensis, Latinè transtulit, & in tres Tomos digessit, editos primùm Romæ anno 1593. deinde *Colon.* 1603. denique *Antverp.* 1619. fol. Utinam nobis liceret esse tam beatis, ut si non Syriacis, (quæ magno numero in Bibliothecâ Bodleianâ, Lugduno Batavâ alibique reperiuntur) saltem Græcis tandem frueremur, atque ita ad fontes paulò propiùs accedendi, & de versionibus quas habemus, certiùs judicandi copia daretur.

† Loc. cit.

Scripta quæ extant in Editione Vossianâ.

TOMO PRIMO.

De Sacerdotio.
Ad quem dictum hoc pertineat, Melius est nubere quàm uri.
De Heli Sacerdote.
De Intemperantia & Incontinentia, *Tract.* II.
De Festis diebus & dignitate divinorum Mysteriorum.
De Charitate, *Tractatus* III.
Encomium in Psalmos.
De Oratione.
De Jejunio.
De Amore pauperum.
Quomodo intelligendum illud, Duo erunt in agro, &c.
De his quæ nostra hæc vita in se continet.
De Mansionibus, sive locis beatis, Tractat. II.
De non suscipiendis rebus his momentaneis.
Ode in quotidie peccantes & quotidie pœnitentes.
De Virtutibus & Vitiis.
De Timore Dei, *Tract.* II.
De Longanimitate Tract. II.
De Patientiâ, de Patientiâ & Compunctione, de Pat. &c. *Tract.* IV.
De Impatientia.
De Lenitate.
De Iracundia.
De Mansuetudine.
De Malitia.
De Veritate.
De Mendacio.
De Odedientia.
De Inobedientia & Murmuratione.
De Invidia & Æmulatione, Tract. II.
De Maledicentia, Tract. II.
De Temperantia & Continentia, Tract. II.
De recta vivendi ratione, Capita XCI.
De Vitâ spirituali, Capita XCVI.
De non scandalizando proximo, & de recta vita ratione.
Quomodo Anima ab hoste tentata, Deum lachrymis interpellare debeat.
De Timore Animi.
Reprehensio sui ipsius ac Confessio.
Parænetici ad Pietatem II.
De Divina Gratia.
De Fide.
De Terra-motibus.
De Gentilium Erroribus, Tractatus II.
Ad Eversionem Superbiæ.
Adversùs vitiosè viventes & honores affectantes.
De Morbo Linguæ, aliisque Vitiis.
Non esse ridendum, sed lugendum potiùs.
Ludicris rebus abstinendum esse.
De malâ conversatione vitandâ.
Adversùs improbas Mulieres.
De Virginitate seu Continentiâ, Tract. II.
De Castitate.
De Passionibus Animi.
De Compunctione, Sermones IV.
De Pœnitentiâ, de Pœnit. & Conversione, de Pœnit. &c. Tract. IV.
De Beatitudinibus, Tract III.
Quæstiones (Quomodo blasphematur Deus &c.) *& Responsiones plurimæ.*
Quæstiones aliæ (De Extremo Judicio, &c.) *& Responsiones plurimæ.*
De variis cruciatuum generibus ac locis in inferno.
De Resurrectione, Tract. II.
De Recordatione Mortis.
De Morte Oratio, S. Basilio Codicum MSS. fide adjudicanda est.
De Antichristo.
De Apparitione Crucis tempore Judicii.
De Extremo Judicio, Tract. II. & *alius* S. Basilii.
De Secundo Domini Adventu.
Threni de divina Retributione.
Threni de die Judicii.
Threni ad animam negligentem.
Orationes sive Preces ad Deum plurimæ.

TOMO SECUNDO.

Sententiæ ex Operibus Ephræmi selectæ; quæ in Collatione SS. Patrum reperiuntur.
Narratio ad Monachos de suâ Conversione.
Canticum spiritale in laudem Doctrinæ ex Chaldaico traductum.
Epistola ad Ioannem Monachum de Patientiâ.

Hy-

Digitized by Google

Hypomnisticon, sive Admonitoria Oratio ad Fratrem.

Adhortationes IV. ad novitium Monachum de Virtute.

De Virtute, Capita X.

Sermones II. in illud, Attende tibi ipsi.

Paraneses ad Monachos L.

De Humilitate comparanda, Capita C.

De Monachis ac Turture.

De Perfectione Monachi.

De Panopliâ Spiritali ad Monachos.

De Agone Spiritali.

Sermo Asceticus & Exhortatorius ad Fratres.

De Secundo Adventu Domini, & de Pœnitentiâ.

Capita Paranetica XIX. S. Ammonii Abbatis sunt.

Apophthegmata SS. Patrum, Abbatum Antonii, Ephram Syri, Pastoris, Arsenii, &c. *plurima.*

TOMO TERTIO.

Sermo Asceticus de Timore Dei ad imitationem Proverbiorum.

Sermo Asceticus de Vita Religiosa & Monasticâ.

De Pœnitentia.

Sermo de Compunctione Animi.

Confessio & sui ipsius Reprehensio.

De Universali Resurrectione.

Humilis ad Deum Oratio.

In Noë & de Continentia.

In Abraham & *Isaac.*

In Loth.

De laudibus Joseph Patriarchæ.

In Danielem Prophetam & SS. tres Pueros.

In Ionam Prophetam.

In Heliam Prophetam.

In Margaritam pretiosam.

De Natura Dei curiosè non scrutanda.

Sermo in Transfigurationem Domini.

Sermo de Passione Domini.

Planctus B. Virginis super Passione Domini.

Sermo de Cruce Domini.

Sermo de laudibus B. Virginis.

Oratio ad B. Virginem. Ephræmi procul dubio non est, sequiorum sæculorum deliramentum.

Sermo in Mulierem peccatricem.

Sermo in Peccatricem & Pharisæum. Chrysostomo ascribitur.

Encomium in Sanctum Basilium. Editum est Gr. Lat. cum notis à Cotelerio Monument. Eccl. Gr. Tom. III. p. 54.

Encomium in SS. XL. Martyres.

Encomium in omnes SS. Christi Martyres.

Sermo de eadem re.

Vita S. Abramii & Mariæ neptis ejus.

De S. *Juliano Anachoreta.*

De SS. Patribus suo tempore defunctis, Sermones II.

Sermo in eos qui in Christo obdormierunt, & de Vanitate vitæ.

Testamentum.

Sermo contra impios Hæreticos & de Consummatione mundi. Chrysostomo vulgò tribuitur.

Hactenus *Editio Vossiana*, cujus Tomus primus prodiit *Romæ* an. 1589. secundus 1593. tertius 1597. Integra recusa est *Colon.* 1603. *Antver.* 1619.

Porrò *Canticum* Ephræmi *de Maria & Magis* è Syriaco ab Ecchellensi Latinè redditum prodiit *Roma* 1645.

Cæterùm *Homilias* sive *Sermones* Ephræmi XLIX. à se visos lectosque memorat Photius*, quorum titulos enarrat. Quinam ex iis in Editione Vossianâ habeantur, ob titulorum homonymiam, & Græci textûs inopiam haud ita certò judicari potest. Plurimas tamen inibi extare certò liquet. Meminit & *Orationis ad Metebinos Monachos habitæ de Virtutibus & Vitiis quamplurimis*; de quâ an inter Vossiana extat, parùm certi conjectari possumus, licèt in Tomo primo haud ita longè à principio reperiri videatur. Quin & non immeritò forsan censeri posset plurima in editione Vossianâ Opuscula Ephræmum authorem non habere: quot verò aut quænam ea sint ob rationes suprà allatas haud ita facile est judicare. Extat Græcè MS. unà cum aliis precibus & hymnis penès Cl. virum Joann. Batteley Archidiaconum Cantuariensem prolixa Ephræmi nostri Oratio hoc titulo, Τοῦ ὁσίου πατρὸς Ἐφραὶμ τοῦ Σύρου εὐχὴ λεγομένη εἰς ἐξομολόγησιν ὅταν βούλει, μάλιστα ἐν ταῖς Κυριακαῖς. P. 252

*Cod. 196.

Hebediesu adhæc Chaldæo-Syrus, superioris Sæculi Scriptor, inter Gentiles suos linguâ Syriacâ etiamnum extare scribit S. Ephræmi *Commentarios in Genesim, Exodum, Leviticum, Josue, Judices, Samuelem, libros Regum,* Davidis, *Isaiæ,* XII. *Prophetarum Minorum, Jeremiæ, Ezechielis & Danielis; libros & Epistolas de Fide Ecclesiæ. Orationes Metricas; Adhortationes; Cantica; Officia defunctorum omnia; Appositiones Alphabeti; Disputationes cum Judæis;* nec non *adversus Manichæum, Bardesanem, Marcionem,* & *Ophitas;* denique *Dissolutionem impietatis Juliani.*

EPHREM Syrus, Diaconus Edessenus, claruit anno CCCLXX. obiit anno circiter CCCLXXVIII. Cùm omnis aqua, quò propiùs ad fontem accedamus, purior multò suaviorque existat, optaveram suprà, ut Ephremi Opera Syriacè, Græcè saltem, ederentur. Probavit hoc votum ratione Syriacorum, non autem Græcorum, Ern. Tentzelius, *Exercit. Sel.* 7. num. 13. p. 290. Sed cùm vix sperandum sit, tot πολυγράφου Scriptoris Opera Syriaco sermone in lucem publicam esse emittenda, votum iterum repeto, bonâ cum Tentzelii veniâ, ut Græcis saltem fruamur, quæ magnâ sanè copiâ MSS. habentur. Ut verò sciat Tentzelius non mei solius esse hoc votum, en Virum eruditissimum Jo. Cotelerium mecum hâc in parte facientem *Not. in Monument.* T. III. p. 535. *Utinam,* inquit, *extarent Ephremi Diaconi Edesseni Græca, seu Græcæ antiquæ versiones, prout magno numero latent in Bibliothecis; cum pauca illius edita aut citata reperiantur. Haberent sanè Viri docti, unde plurimùm antiquitatem Ecclesiasticam, partim in verbis, partim in rebus, illustrarent.* Missis, quæ in Bibliothecarum publicarum Archivis delitescunt, quæ ex Catalogis MSS. jam evulgari cœptis peti possunt, habentur apud Galeum nostrum quamplurimi Ephremi Sermones, Homiliæ, & Tractatus Græcè MSS. in duobus vetustis Codicibus. Prior continet LXVI. varia Opuscula, sive Homilias. Codex hic valdè antiquus est, & membranaceus; alter Codex est chartaceus CCXL. annorum, quo XVI. Homiliæ continentur. Sunt & apud eundem Virum clarissimum Ephremi Παραίνεσις ἀσκητικὴ κατ' ἀλφάβητον, *Oratio in Crucem; Oratio in Christi Sepulturam,* Varia denique ex eodem collectanea. Georgius etiam Wheelerus Baronettus, vir pietate, doctrinâ, generis claritudine, & Sacerdotii dignitate venerandus, inter plurimos Græcos Scriptores manu exaratos, habet Ephremum De *Consummatione Sæculi,* & quædam alia. Negari non potest ex his opusculis, varia à Vossio Latinè esse edita, alia à Photio enumerata. Interim & illud quoque certum est; plura adhuc ab iisdem non visa, in his suprà adductis codicibus latere. De *Canticis Syriacis* quæ Harmonio Bardesanis Syri filio oppo-

370. P. II.

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An.CCC. oppoſuit Ephremus noſter, diximus ſuprà in Harmonio.

370. BASILIUS, *Magnus* dictus, ex illuſtri & vetuſto genere, Parentibus ſanctiſſimis Baſilio & Emmeliâ natus: Majores habuit, qui ſub Maximiano Confeſſionis gloriâ claruerunt. Baſilii patrem Poſſevinus †, Labbæus §, aliique * Epiſcopum fuiſſe tradunt; abſque leviſſimâ, quod ſciam, Veterum authoritate. Nazianzenus † quidem illum κοινὸν παίδευτὴν τῆς ἀρετῆς vocat, *communem virtutis Magiſtrum*, quem eo tempore Pontus proponebat: verùm id hùc non ſpectat. Ipſe Baſilius ortu Cappadox, ſed ut preſſiùs loquar, Ponticus, civitate, ſi conjecturis agendum ſit, Neocæſarienſis, quod enim aliqui de Helenoponto dicunt, nullo authore fulcitur. Paternâ inſtitutione domi peractâ, Antiochiæ ſub Libanio literis operam navavit, Cæſareæ item in Palæſtinâ, deinde Conſtantinopoli, poſtremò Athenis, magnâ ibi cum nominis ſui famâ exceptus, Himerii ac Prohæreſii auditor: præ omnibus verò Collegis Gregorium Nazianzenum in deliciis habuit, totius vitæ non minùs quàm ſtudiorum ſocium conjunctiſſimum. Decurſo apud Athenas literarum ſtadio in Patriam regreditur, factus primùm in Eccleſiâ Cæſarienſi Lector, deinde Diaconus à Meletio Antiocheno ordinatus, mox ad Presbyteratûs ordinem evectus; ſed cùm in ſeverioris vitæ diſciplinam animus propenderet, ſeceſſum quæſivit, & in Eremo Ponticâ, Gregorii ſui conſuetudine gaudens, Monaſticum inſtitutum tum exemplo tum conditis regulis impensè promovebat. Ex Eremo demum revocatus Eccleſiæ Cæſarienſis curam ſub Euſebio Antiſtite, cum eo jam in gratiam reductus, Vicariam ſuſcepit: eique circa ann. CCCLXX. ad altiorem & beatiorem ſedem tranſlato in Epiſcopali munere ſucceſſit. Pro veritate firmiſſimus, graves toto vitæ curſu cum cujuſvis Sectæ Hæreticis lites exercuit; Euſtathio Sebaſteno totique Arianorum gregi in Catholicos irrumpenti generosè ſe objecit: Modeſtum Cappadociæ Præfectum, ipſo Valente tunc apud Cæſaream agente, ei nil niſi cruces & verbera, & mille mortis genera interminantem patienter audivit; opprobria & injurias æquo animo tulit, contemptu vindicavit. Præfuit Eccleſiæ Cæſarienſi annis octo, morienſque ann. 378. poſtremis his verbis habitis, *In manus tuas (Domine) Commendo ſpiritum meum*, animam lætus exhalavit, paterno ſepulchro reconditus. Curabatur funus tanto viro dignum, totius Civitatis concurſu, quin etiam Judæorum, Gentilium, advenarumque lachrymis celebratum, tantâ ſanè frequentiâ, tam confertâ turbâ, ut multi vi nimiâ compreſſi eo ipſo momento expirarent; *Beati* hoc nomine à Nazianzeno dicti, ὡς ἐκείνῳ συνέκδημοι, καὶ θύματα ἐπιτάφια, *quòd diſceſſûs illius ſocii, & quaſi funebres victimæ fuiſſent*. Laudatus eſt, ſed interjecto aliquo tempore, à Gregorio Theologo, qui viri optimi, & amici integerrimi memoriam diſertiſſimâ oratione æternitati conſecravit. *Nam & hic ſupremus fœlicitati ejus cumulus acceſſit, Laudator eloquentiſſimus*, ut Plinii Junioris * verba huc traham. Miſſa facio elogia, quæ in Baſilium congeſſerunt Veteres. Plenæ ſunt omnium paginæ: totus veneratur Antiquitatis chorus; plaudit tota Eruditorum cavea. Quin vel illis ſilentibus, ſummam Hominis pietatem, profundam ſcientiam, conſummatiſſimam eloquentiam plurima quæ etiamnum extant, Scripta teſtantur. De ſtylo ejus ſententiam dicat Photius * ὁ κειτοκώτατος Ἄριστος (inquit) ἐν πᾶσι τοῖς αὐτοῦ λόγοις ὁ μέγας Βασίλειος, λέξει τε καθαρᾷ καὶ εὐσήμῳ καὶ κυρίᾳ καὶ ὅλως πολιτικῇ καὶ πανηγυρικῇ δεινὸς, εἴτις ἄλλος, χρήσασθαι, νοημάτων τε τάξει καὶ καθαρότητι πρῶτος, ἀλλ' οὐδενὸς δεύτερος πιθανότητος τε καὶ γλυκύτητος· καὶ γὲ λαμπρότητος ἐραστὴς, καὶ ῥέων τῷ λόγῳ, καὶ ὥσπερ ἐξ αὐτοσχεδίου πηγάζων τὸ ῥεῖθρον. *Præſtantiſſimus eſt in libris omnibus; pura etiam dictione, ſignificante, propria & omnino civili ac panegyrica, ſi quis alius, uti novit: ſenſuumque ordine ac puritate primus & nemini ſecundus apparet; jam perſuadendi quoque vim ac jucunditatem cum perſpicuitate amat: atque ita ejus fluit oratio, quaſi ultro tanquam è fonte rivulus ſcaturiret.* Subdit neminem, qui hunc ſibi rectè propoſuerit, ullum alium, ne quidem ipſum Platonem & Demonſthenem deſideraturum eſſe. Photium ſecutus eſt, ut ſede ſuâ, ita & judicio Philotheus Patriarcha CP. * qui hoc Baſilii peculiare eſſe obſervat, de ſingulis tanto vigore diſſerere, ὥσπερ τινὰ ψυχὴν τοῖς ἀψύχοις λόγοις ἐμπνέειν, *ut animam quandam ſermonibus inanimatis inſpirare videatur*. Denique ipſe Libanius *, Rhetorum hoc ſeculo extra controverſiam Princeps, & à Religione noſtra alienus, in Eruditorum coronâ poſitus, acceptis à Baſilio literis, νενικήμεθα, exclamavit. Rogatus dicti rationem, reſpondit, ἐν κάλλει μὲν ἐπιστολῶν νενίκημαι, *in elegantium Epiſtolarum certamine victus quidem ſum; at Baſilius eſt qui vicit, is autem amicus noſter eſt; & eam ob rationem gaudeo*. Lectis palàm literis, eadem ab omnibus ſententia lata eſt.

† Apparat. in Baſil.
§ De Script. in addend. ad Tom. I. p. 717.
* Vid. Magd. Cent. 4. c. 10.
† Orat. 20. p. 324.
Vid. Nazian. Orat. 20. p. 348.
* L. 2. Ep. 1.
* Cod. 141.
* Orat. in S. Baſil. i Bibliotb. Patr. Gr. Lat. Tom II.
* Epiſt. ad Baſil. in er Baſil. 145.

SCRIPTA.

HOmiliæ IX. *in Hexaemeron*; quæ maximam, teſte Suida, * admirationem merentur, nec ullis Scriptis, niſi divinitùs inſpiratis, cedere debere affirmat frater ejus Gregorius §. Homiliæ iſtæ accuratiſſimè & elegantiſſimè olim (teſte Caſſiodoro †, ab Euſtathio Latinè verſæ ſunt, & Syncleticæ Diaconiſſæ nuncupatæ.

Verſio iſta habetur in Bibliothenca Patrum *Pariſ.* 1644. Tom. I. pag. 1467. & in editione Baſilii *Pariſienſi* 1603. Opus iſtud interpretati ſunt etiam Dionyſius Exiguus, & Joan. Argyropilus Byzantinus. *Verſiones* eorum habentur in quibuſdam Baſilii editionibus, ſed Dionyſius non tam Hexaemeron Baſilii, quàm Nyſſeni Homilias ii. *de Hominis Opificio* (quæ pro Baſilii Homiliis X. & XI. in Hexaemeron à quibuſdam habebantur) *Latinè tranſtulit.*

In Pſalmos quoſdam Homiliæ XVII. à quibus longè diverſa ſunt *Scholia in Pſalmos*, quæ in Latinis Baſilii editionibus reperiuntur, maximam partem ex Chryſoſtomo & Theodorito deſumpta. *Prologum* Homiliis iſtis præfixum Auguſtinus vel alius quivis ſub ejus nomine Latinè vertit, & *Tractatibus ſuis in Pſalmos* appoſuit.

Homiliæ XXXI. varii argumenti.

De Baptiſmo Libri II.

De vera Virginitate ad Letoium Melitenſem.

Commentarii in XVI. *priora Eſaiæ capita*; de quibus à nonnullis immeritò dubitatur.

Adverſus Eunomium Libri V. *egregii libri*, inquit Hieronymus *, ἐξαίρετοι λόγοι, ut ex eo Suidas. Verùm duo poſteriores libri tum ob nonnullam ſtyli diſcrepantiam, tum quòd in antiquiſſimis MSS. deſint, neque Veterum teſtimoniis fulciantur, non immeritò in dubium vocari poſſunt.

Ad Amphilochium de Spiritu Sancto. Huic libro primus litem movit Eraſmus, & ex eo alii; ejus ſaltem partem poſtremam ſuſpectam & adulteratam eſſe clamitantes. Eâ tamen notâ abſolvit, & Baſilio vindicat Vir moderati ingenii & in antiquorum Scriptis verſatiſſimus, If. Caſaubonus *; qui diſertè ait Eraſmum ejuſque in hâc opinione ſequaces planiſſimè falli; omneſque ad unum veteris Eccleſiæ Doctores, Græcos pariter & Latinos, hâc in re conſentire.

Præfatio in Aſcetica. [*Aſterica* vitiosè habent Codd.

* In voce. Βασίλει@.
§ In Hexa. p. 5.
† Divi. Lect. c. 1. p. 445.
* De Script. c. 116.
* Exercit. XVI. c. 43. confer. c. 35.

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC.

Codd. nonnulli Latini.) Habetur etiam inter Chrysostomi Opera.

Sermo de Abdicatione rerum.

Sermo de cultu sive Exercitatione Monastica.

De Vera ac Pia Fide.

Procemium Ethicorum de Judicio Dei.

Capitula Ethica seu Moralia LXXX.

De Institutione Monachorum Sermones II.

Regulæ fusius disputatæ LV. Quæstiones à Monachis propositas unà cum Basilii Responsionibus complexæ.

Regulæ breviores CCCXIII. quas in Latinum sermonem (aliquantulum tamen contractas) vertit Rufinus) addito ad Urseium Abbatem *Prologo. Versio* ista habetur in *Collectione Regularum* ab Holstenio edita, par. I. p. 95. &c.

Constitutiones Monasticæ. Hi quatuor tractatus ejusdem sunt argumenti, & sub generali *Asceticorum* nomine ab Hieronymo * & Sozomeno † memorantur; quamvis Sozomeni tempore erant, qui hunc libellum Eustathio Sebasteno ascriberent: Sed absque summâ injuriâ Basilio abjudicari non potest. Scripsisse illum *Regulas Monasticas*, dum adhuc in Eremo versaretur, testatur Nazianzenus *, seque in iis condendis unà cum Basilio laborâsse indicat. † Fatendum sanè est in *Ascetica* ista plurima à Basilii genio aliena irrepsisse: quænam verò ea sint, vel quos autores habeant, haud ità certò judicari potest. Ex iis nonnulla Eustathio deberi veri non absimile est. Totum opus ætate Photii †, qui illud magnopere laudat, duobus constabat libris; quorum primus continebat breves illos *Sermones de Judicio Dei, de Fide*, &c. qui Ethicis præponi solent; Secundus *Ethica* seu *Moralia*, item *Regulas Asceticas fusiores* 55. per modum Interrogationum & Responsionum explicatas: deinde breviores alias numero CCCXIII. prout hodie etiam extant descriptæ ex vetustissimo exemplari ex Ponto allato collatoque cum altero, quod Cæsareæ in ipsius Basilii Prochotrophio asservabatur: quod ex Scholiis quibusdam, quæ his Regulis apponi solent, manifestum est.

* De Script. c. 116.
† L. 3. c. 14.
* Orat. 20. p. 358.
† Ep. 9. ad Basil. p. 774.
† Cod. 191.

Epistola ad Chilonem Anachoretam de vitâ eremitica, cui annexa est *Admonitio brevis ad Anachoretas juniores.*

Ad Monachum lapsum Epistolæ II.

Ad Virginem lapsam Epistola.

Ad Amphilochium Epistolæ Canonicæ III.

Epistolæ aliæ CCCCXXVIII. in quibus quædam habentur à Nazianzeno & Libanio ad Basilium scriptæ. Has tanquam Epistolarum scribendarum normam commendat Photius *, utpote quæ ἐπιστολιμαῖον χαρακτῆρα optimè exprimunt.

* Cod. 143.

Liturgia, cujus autorem Basilium fuisse nulla justa est dubitandi ratio. Constituit enim teste Nazianzeno †, εὐχῶν διατάξεις, καὶ εὐκοσμίας τοῦ βήματος: ipseque *in Epistola* * *ad Clerum Neocæsariensem* describit *Precum Formulam*, quæ in Monasteriis suis observari solebat, omnibus, ut ait, Dei Ecclesiis consona. Hæc quidem *Liturgia*, prout extat hodie, plurimùm est interpolata, variis additamentis pro sæculi, quo facta est, genio & conditione aucta: adeòque ejus exemplaria quò vetustiora, eò breviora & castiora reperiuntur; ut ex Anaphorâ, quàm ex linguâ Syriacâ traduxit Andreas Masius, liquidò constat. Extat *Liturgia* ista Græc. Lat. in Auctuar. Biblioth. Patr. *Parif.* 1624. & alibi sæpissimè. Anaphora etiam Masiana in Biblioth. Patr. haberi solet.

† Orat. 20. p. 340.
* Ep. 63.

Alia Liturgia ex Arabico conversa à Victorio Scialag Accurensi Maronita è monte Libano, & edita *Augustæ-Vindel.* 1604. 4°. exinde Bibliothec. Patr. inserta. *Orationem insignem* ex Basilii *Liturgia* citat Petrus Diaconus, quæ in tribus hisce Liturgiis neutiquam reperitur.

Conciones Morales XXIV. ex Basilii Scriptis per Simeonem Logothetam selectæ.

De Jejunio Sermones II.

Orationes II, *altera de Jejunio, altera in Proverbiorum caput.* 6. quas Græc. Lat. edidit Coteler. Monum. Ecclef. Græc. Tom. I.

De Morte Sermo, & *de Extremo Judicio* alius; à Ger. Vossio inter Ephræmi Opera editi, primus inter Conciones Morales à Simone collectas habetur.

SUPPOSITITIA.

Animadversiones in Canonicos & Canonicas Peccantes; quæ cùm incerti Authoris sint, & inter Basilii Scripta repertæ, ei à nonnullis, nullâ tamen ratione nixis, adscribuntur.

Pœna in Monachos delinquentes; de quibus idem ac de præcedentibus dictum esto.

Homilia decima & undecima in Hexaemeron, quas à Gregorio Nysseno additas fuisse Socrates *, atque ipse Nyssenus † fidem faciunt.

* L. 4. c. 26.
† Hexaem. in fin.

De Grammatica exercitatione libellus, qui est Joannis Moschopuli.

De Consolatione in adversis Epistola Lat. quæ Victoris Cartennensis est.

De Laudibus Eremi, seu *Vita solitaria* Lat. Fragmentum est ex opere Petri Damiani.

Admonitio ad filium spiritualem Lat. Habetur etiam aliquantulum emendatior in appendice ad Cod. Regularum Holstenii. *Parif.* 1663. 4°.

Precatio quâ S. Basilius uti solebat, antequàm Sacris operaretur.

Epistolæ duæ ad Apollinarium, à Cotelerio Gr. Lat. editæ, Monument. Ecclef. Græc. Tom. II. dubiæ admodum fidei: immò, si conferantur cum *Epistolis* 59. 79. 82. certò certiùs spuriæ. Nec melioris quidem notæ est *Epistola ad Theodosium Imp.* ab eodem evulgata.

Fragmentum *Epistolæ ad Julianum Imp.* habetur Conc. Nicæni Secundi Act. 2. 4. & exinde inter Basilii epistolas Num. CCV. Supposititium esse, & stylus & materia satis arguit: quin & cordatiores Pontificii non inviti agnoscunt.

Prodierunt Basilii Opera Græc. *Venet.* 1535. *Basil.* 1532. (in quibus altera fere pars Basilii Operum desideratur) 1551. cujus prima pars (notante Cl. Usserio Biblioth. Theol. pag. 303.) expressa est ex editione *Basil.* 1532. Sequitur pars secunda à pag. 373. in edit. *Venet.* anno 1535. in quâ continentur 1°. Ἀσκητικὰ; (sic enim ibi communiter inscribuntur, quę habentur à pag. 373. ad 646. 2°. *Libri* V. *contra Eunomium* à pag. 646. ad finem voluminis.) Lat. ibidem 1520. 1540. *Antverp.* 1568. *Parif.* 1571. Gr. Lat. cum notis Frontonis Ducæi, & appendice, *Parif.* 1618. II. Vol. in fol. Deinde ibidem (sed non eodem servato ordine) 1638. III. Vol. fol. editio priore quidem minùs pulchra ac castigata. Ad commodiorem Operum S. Basilii intelligentiam non parum conferet Fr. Combefisii *Basilius Restitutus*; in quo ex optimis MSS. textum castigavit, auxit, illustravit, & versiones recensuit. Edidit hoc opus *Parif.* 1679. II. Vol. 8°.

GREGORIUS, gente Ponticus, Basilii Magni frater natu minor; primis juventutis annis Rhetoricæ studio totus incubuit; à quo datis ad illum literis, Gregorius Nazianzenus ad sacrarum literarum cognitionem revocavit; effecitque, ut ἄδοξον εὐδοξίαν, ut Theologi * verbis utar, contemptui haberet, quâ nimiùm ante delectari videbatur. Exeunte, ut videtur anno CCCLXX. Nyssæ in Confinio Cappadociæ urbis Episcopus constitutus est, fidei Nicenę propugnator acerrimus. Eo nomine, ab unico 370.

* Epist. 43. p. 804.

Digitized by Google

SÆC. IV. abAn.CCC. unico, eoque vili admodum, homuncione accusatus, Valentis Imp. jussu mox in exilium mittitur. Octo circiter annos exul variis in locis erravit, dura ubivis & gravissima ab Arianis passus. Anno CCCLXXVIII. sedi restitutus, à Synodo Antiochenâ, cui interfuit unà cum aliis quibusdam Episcopis ad visitandas Arabiæ Ecclesias legatus est, Theodosio Imperatore currûs publici usum ei concedente. Arabiam pergens, Hierosolymam invisit, & loca Sancta piâ mente contemplatus est: verùm vitiis, ac dissidiis Hierosolymitanorum offensus pedem subitò retraxit; quin & *Epistolam* adversùs Hierosolymam pietatis ergo adeuntes paulò post exaravit. Anno CCCLXXXI. cùm ad Synodum Constantinopolitanam iret, libros à se contra Eunomium scriptos secum detulit; quos audientibus Gregorio Nazianzeno & Hieronymo recitavit. Concilii istius magna pars fuit; adeò ut non tantùm à Patribus eligeretur, qui Meletium Antiochenum sedente Synodo defunctum funebri oratione laudaret; verum etiam Symboli Synodici compositionem curæ suæ commissam habuit; (teste Nicephoro *) ut quæ in Symbolo Nicæno deerant, ipse suppleret, ac perfectiorem fidei Confessionem conderet. Eodem circiter tempore judex Catholicæ professionis Ponticæ Diœceseως Episcopis datus est, unà cum Helladio Cæsareæ Episcopo, Basilii successore. De obitu ejus nihil liquet: id modò certissimè constat usque ad Synodi Constantinopoli anno CCCXCIV. habitæ, cui præsens aderat, tempora vitam prorogâsse. Conjugatum fuisse, & uxorem Theosebiam nomine, ejus etiam τοῦ ἱερέως σύζυγον, habuisse, testes sunt omni exceptione majores, Gregorius Nazianzenus *, (qui illam impensè laudat) ipse Nyssenus †, & Nicephorus §. Vir erat, qui egregiâ morum sanctitate, ac omnigenâ eruditionis laude inter primos facilè enituit; eloquentiâ adhuc & dicendi ubertate nulli secundus. Erat enim, censente Photio *, τὴν μὲν φράσιν εἴτις ἄλλος ῥητόρων, λαμπρὸς, καὶ ἡδονὴς ὠσὶν ἀποστάζων--- πλεονάζει δὲ τοῖς ἐνθυμήμασι καὶ τοῖς παραδείγμασι. *Stylus illi, si cui Rhetorum illustris, & jucunditatem auribus instillans: -- abundat etiam enthymematis atque exemplis.*

* Hist. Eccl. l. 12. c. 13.

* Epist. 95.
† Lib. de Virgin. c. 3.
§ L. 11. c. 19.

* Cod. 6.

SCRIPTA.

H*Exaemeron*, seu *de Opere sex dierum.*

De *Hominis Opificio Liber*. Habetur seorsim cum notis Leunclavii *Basil.* 1567. Græc. Lat. Librum istum Latinè olim vertit Dionysius Exiguus; cujus *versio* extat *Colon.* 1551. *Basil.* 1562. *Colon.* 1573. Sed utrobique truncata *Epistolâ Interpretis ad Eugippium Presbyterum nuncupatoriâ, & versione Præfationis Gregorii Nysseni*: quas exhibet Johan. Mabillon. Analect. Tom. II. p. 1. In impressis Operis istius exemplaribus Græcis lemma capitis undecimi sic se habet, ὅτι ἀθεώρητος ἡ τοῦ ἀνθρώπου φύσις. Tam absurdæ sententiæ medelam attulit Cl. Lambecius *, qui in sex Codicibus MSS. Bibliothecæ Cæsareæ constanter legi monet, ὅτι ἀθεώρητος ἡ τοῦ νοῦ φύσις.

* Comment. de Biblioth. Vindob. l. 1. par. 2. p. 99.

De Vitâ Mosis, seu *de Vitâ Perfectâ.*

In Psalmorum Inscriptiones Tractatus II.

In Psalmum Sextum de Octavâ, viz. *in Festum Circumcisionis.*

In Ecclesiasten Conciones VIII.

In Cantica Canticorum Explanatio, Homiliis XV. constans.

De Oratione Dominicâ Homiliæ V.

De Vitâ beata comparanda, sive *de Beatitudinibus Orationes* VIII.

In illud Apostoli 1. Cor. XV. *Quando sibi subjecerit omnia*, &c.

De imagine & similitudine Dei in homine Libellus.

SÆC. IV. abAn.CCC.

Epistola de Ventriloqua seu Pythonissa.

Oratio in suam Ordinationem.

Contra Apollinarem.

Contra Fatum.

Tractatus de communibus Notionibus adversùs Græcos.

De Anima.

Epistola Canonica ad S. Letoium Metilenes Episcopum.

Oratio in eos qui differunt Baptismum.

De Fugienda Fornicatione in I. Cor. VI. 18.

De Pauperibus amandis Orationes II.

In Pentecosten Oratio. Lat.

Contra Usurarios.

Contra Eumonium Libri XIII. ex quibus primus à Jac. Gretsero primùm editus est in Appendice Nysseni *Paris.* 1618. Notandum est in nonnullis exemplaribus, integris licèt, nonnisi XII. libros inveniri, propterea quòd in aliis liber quintus bifariam dividatur.

Tres Deos dici non oportere, ad Ablabium.

Ad Eustathium de S. Trinitate, & quòd Spiritus S. sit Deus.

Ad Petrum fratrem de Differentia Essentiæ & Hypostaseως. Hi duo tractatus inter Basilii Epistolas Num. 80. & 43. leguntur; eique potiùs ascribendi sunt.

Ad Simplicium Tribunum de Fide.

Catechetica magna Oratio.

De Virginitate vera & incorrupta.

Contra Manichæos Syllogysmi X.

De Anima & Resurrectione Dialogus, circa ann. CCCLXXVIII. ex occasione mortis Macrinæ sororis scriptus.

Adversùs Apollinarem, ad Theophilum Alexandrinum.

Quid nomen, professiove Christiana sibi velit; ad Harmonium.

De Perfectione Christiani ad Olympium Monachum.

De Proposito secundùm Deum. Descriptio summaria.

Adversùs eos, qui castigationes ægrè ferunt.

De Infantibus præmaturè abreptis ad Hierium.

Oratio in diem Natalem Christi.

Oratio in S. Stephanum Protomartyrem, auctoritate Photii Cod. 271. *adscribenda est* hæc Oratio *Asterio Amaseno*, inter *cujus* Homilias *à* Combefisio *edita* est.

Oratio de Sancto Christi Baptismate.

In Sanctum Pascha & in Festum Resurrectionis Orationes V.

Oratio de Ascensione Domini.

Oratio de Occursu Domini & Simeone, quam à Metaphraste interpolatam esse multi suspicantur.

Oratio de Deitate Filii & Spiritus Sancti, & de Abrahamo.

Oratio in laudem Basilii fratris.

In XL. Martyres Orationes III.

Oratio consolatoria in funere Pulcheriæ.

De Placilla Augusta Oratio funebris.

Vita S. Gregorii Thaumaturgi.

De laudibus Sancti viri ac martyris Theodori.

De Magno Meletio Antiocheno Oratio funebris.

Vita atque Encomium S. Patris Ephram Syri.

Non esse dolendum ob eorum obitum, qui in fide dormierunt.

Epistola ad Flavianum.

Oratio seu *Epistola de iis, qui adeunt Hierosolymam,* à Pontificiis nonnullis frustra vellicata. Eam edidit seorsim Græc. Lat. P. Molinæus. *Hanoviæ* 1607. & ad calcem dissertationis de *peregrinationibus religiosis*, additâ etiam pro hâc Epistolâ, Apologiâ, Joan. Henricus Heideggerus *Tigur.* 1670. 8.

Epistola

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. *Epistola ad Eustathiam, Ambrosiam & Basilissam,* ab Is. Casaubono cum notis seorsim edita Gr. Lat. *Hanoviæ* 1607.

Epistola ad Petrum fratrem, libris *contra Eunomium* præfixa.

Vita S. Macrinæ Sororis.

Expositiones sive *Commentarii in Cantica Canticorum.* Extant Gr. Lat. tum in Auctuario Bibliothecæ Patr. *Parisf.* 1624. Tom. II. p. 681. tum seorsim sæpiùs.

In illud, Faciamus hominem ad imaginem nostram, Oratio I.

In hominis creationem Oratio II. Duæ istæ Orationes à nonnullis malè inscriptæ sunt Basilio; cujus Hexaemeri decimum undecimumque librum constituunt.

SPURIA.

IN *Mulierem Peccatricem, & eos qui duriùs alios judicant, & de Pœnitentia.*

Oratio in Principium Ieiuniorum. Duas istas Orationes Asterii Amaseni esse patet ex Photio Cod. 271.

De Trinitate adversùs Iudæos ex Veteri Testamento delecta Testimonia (in quibus inter alios Chrysostomus citatur) cum explicatione, Latinè tantùm.

De Natura Humana Libri VIII. qui Nemesii sunt.

DEPERDITA.

EXpositiones in Proverbia; quarum meminit ipse Nyssenus Concione I. in Ecclesiast.

Contra Ablavium de Patris, Filii & Sp. S. Divinitate; nisi quis forsan ex argumenti affinitate suspicetur idem esse opus cum *Libello ad Ablabium*, qui extat.

Commentarii in Epistolam D. Pauli ad Philippenses; quorum meminit Cyrillus lib. ad Euoptium contra Theod. & fragmentum ex iis profert.

Euthymius *Panopl.* par. 2. tit. 2. locum ex Nysseni libro de eo, *Quòd tres dicere Deos non oporteat*, adducit qui in eo qui hodiè extat, ejusce tituli libro non comparet.

Extant ejus Opera Latinè variis locis & temporibus edita, *Basil.* 1562. auctiora ibid. 1570. *Parisf.* 1573. & curâ Frontonis Ducæi ibid. 1605. Tom. II. Gr. Lat. studio Fred. Morelli, *Parisf.* 1615. 2. Vol. cum notis Frontonis Ducæi. Appendicem addidit ea quæ in Editione istâ vel Græcè & Latinè, vel Græcè tantùm deerant, supplentem Jac. Gretserus ibid. 1618. fol. denique integra prodierunt ibid 1638. Vol. 3. in fol. quæ quidem Editio parùm castigata est, ac longè infra priorem subsidit.

370. P. II. Vid. suprà pag. 152. 153. BASILIUS M. Cæsareæ Cappadocum Episcopus, claruit anno CCCLXX. De eo ejusque Scriptis, satis superque suo loco diximus, paucula hâc vice subjicere contenti. Inter *varia Sacra* à Steph. Le Moine edita, pag. 147. locum habet *Basilii Magni* Ἔκθεσις πίστεως ἐν συντόμῳ, Quæ non ipsius Basilii videtur, sed ex illius Scriptis per modum interrogationis & responsionis, post Nestoriana & Eutychiana tempora, collecta. Tom. I. inter *varii argumenti Homilias XXXI.* vicesima quinta est εἰς τὴν ἁγίαν τοῦ Χριστοῦ γέννησιν, quæ *Lovanii* anno 1537. Græcè primùm prodiit, mihi quidem non uno nomine suspecta, & vel Basilii fœtum non esse, vel quibusdam in locis egregiè interpolatum. Non tam quòd voce θεοτόκῳ utitur, post exortam demùm Nestorii hæresin Patribus admodùm familiari [etsi non negaverim Athanasium, lib. IV. *adversùs Arianos*, hanc vocem usurpasse] quàm partim quòd affirmaverit, *doctrina pietatis non officere, siquis existimaverit, Mariam post partum, tùm demùm nuptialia opera viro suo non negasse.* Quod constanti Ecclesiæ Catholicæ Sententiæ repugnat. Unde *Antidico-Mariani, & Helvidiani* communi omnium sæculorum suffragio damnati, inter Hæreticos relati sunt. Partim quòd putidam fabellam, ex traditione, *uti inquit*, ad nos derivatam, certè ex fabuloso S. Jacobi Proto-Evangelio haustam, profert, de *Zacharià Pontifice, qui quòd B. Mariam Dominum parientem citra virginitatis corruptionem prædicaret, à Judæis inter Templum & Altare interfectus est.* Ipse certè Hieronymus *, acerrimus alirer Mariæ Virginitatis defensor, hanc traditionem, ad Apocryphorum somnia relegat; subditque, *hoc, quia de scripturis non habet autoritatem, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur.* Alias forsan dubitandi rationes ipsa Homilia attento Lectori suppeditabit; quas jam missas facio. *Precationem quandam Basilii* ex Cod. MS. *Bodleiano* Græcè unà cum versione Anglicâ in *Catechismo suo Practico* olim extulit Vir longè doctissimus H. Hammondus noster. *Homiliam Arabicam* sub Basilii nostri nomine in *commemorationem B. Virginis Mariæ* in Bibliothecâ suâ, libris Orientalibus refertissimâ, habuit Gilb. Gaulminus, cujus exemplar in Insulâ Rhodo exaratum erat. Quædam ex hâc Homiliâ de *S. Petro Principe Apostolorum, summoque Ecclesiæ Catholicæ Sacerdote, ab ipso Christo constituto, aliisque*, profert Abr. Ecchellensis, *Eutych. Vindic.* Part. II. pag. 226. 246. Sed genuinam esse spondere non audet ipsemêt Ecchellensis. Ibid. p. 486. citat itidem *librum Arabicum Demonstrationis*, S. Basilio, ejùsque duobus fratribus Gregorio & Petro tributum, & ex eo nonnulla in defensionem *Transubstantiationis*, adducit. *Opus*, vocat, *eruditissimum.* Tractat de *Unitate Dei, ejusque Essentiâ, de Ecclesiæ traditionibus, Mysteriis, Ministeriis Ecclesiasticis, aliisque permultis id genus.* Asservatur Romæ in Bibliothecâ S. Petri Montis Aurei. Verùm Scripta Græcorum Patrum, quæ soli proferunt Orientales, meritò suspicamur. Neque temerè iis fidem adhibendam esse censemus; ne dicam Ecchellensem omnium penè Mortalium fuisse immodicum Traditionum, & quisquiliarum ex oriente allatarum amatorem, cultorem & defensorem egregium. Extant apud Cl. Galeum ista Basilii Magni Scripta Græcè manu exarata. *Responsiones Basilii ad Eubulum. Epistola brevis ad Optatum quendam.* Excerptum ex *Epistolâ Basilii M. ad Neapolitanos cum Scholiis.* Basilii M. multa, in Catenam in *Isaiam* relata. *Excerpta* ex Basilio M. *in Psalmos.*

* Com. in Mat. c. XXIII. T. IX. p. 72.

GREGORIUS, à Nazianzo obscuro secundæ Cappadociæ oppido, *Nazianzenus* dictus; Basilio fuit non modò σύγχρονος, verùm socius & amicus summus, tam arctâ consuetudine illi conjunctus, ut ipso fatente, ψυχὴ μία δυοῖν δέουσα σωμάτων διάστασιν, *bina corpora una ligaret anima.* Natus est Arianzi in prædio paterno propè Nazianzum, circa Nicæni Concilii tempora; Deo ita disponente, ut eo tempore in lucem ederetur qui gravissimus Arianorum malleus futurus esset. Patrem habuit Gregorium, virum optimum, at Hypsistariorum erroribus miserè seductum, (Secta ea erat ex Judaismo & Gentilismo conflata, quæ tamen summum illum & ὕψιστον Θεὸν, unde Sectæ nomen, unicè colebat) matrem Nonnam, fœminam lectissimam & pietate conspicuam, quâ mediante, conjux ab erroribus ad Christianam religionem revocatus; qui salutari lavacro tinctus, ad Nazianzenæ urbis Episcopatum promovetur, quem 45. annis 370.

nis tenuit, & penè centenarius obiit. Gregorius noster; præclarus adolescens disciplinarum studiis incubuit primò Cæsareæ Cappadocum, deinde apud Cæsaream Palæstinæ Thespesii Rhetoris scholam frequentavit. Posthæc Alexandriam profectus, inde periculosâ admodùm navigatione Athenas petiit, ubi studiis fœliciter perfunctus, jamjam discessurus, rogante juventute Academicâ, & consertis quasi manibus retinente, docendi provinciam aliquantisper subiit: sed depositâ statim cathedrâ, rediit in patriam, mox Presbyter à patre ordinatus. Imperante Juliano in pangendis versibus penè totus erat, quos quovis ferè metri genere & de omni gravissimo argumento composuit, ut illaudabile illud, & ipso fatente Ammiano *, *inclemens Edictum, perenni silentio obruendum*, quo è Christianorum præceptorum manibus excussi erant Gentilium libri, eluderet, damnumque resarciret. Turbarum exinde pertæsus, & ad rigidiorem vitam magis à naturâ factus, ad Basilium suum in Ponti solitudines, τὰς τῶν μακάρων νήσους, ut eas scitè vocat †, secessit. Posthæc Basilius circa ann. CCCLXX. Ecclesiarum Cappadociæ dignitatem Archiepiscopalem adeptus, Nazianzenum Sasimorum, vilis Cappadociæ secundæ oppidi, Episcopum constituit; stomachante Gregorio, & indissolubile amicitiæ vinculum tantùm non rumpente, quin nec sedem suam semel invisere dignatus est iste, locum quidem ignobilem, insalubrem, & inamœnum, procellis, urbicisque tumultibus plenum. Tandem obnixè rogatus, ut ad sublevandam patris extremo jam senio laborantis infirmitatem Ecclesiæ Nazianzenæ curam susciperet, consensit, eâ lege, ut patre ex hâc vitâ egresso, Ecclesiæ istius gubernacula diutiùs retinere non cogeretur. Unde patet Hieronymi *, ejus quidem discipuli, aliorumque error, qui Nazianzenum Episcopum fuisse Gregorium toties volunt; ipsomet † disertè negante, seque nunquam Nazianzeni Episcopum factum, sed solummodò patris vices eo adhuc vivente obiisse affirmante. Circa an. 378. à Synodo Antiochiæ habitâ, invitus quidem Constantinopolim missus est, ut causam Catholicam ab Arianis oppressam erigeret & sustentaret. Fecit id strenuè & fœliciter; aucto indies Catholicorum numero, quos fideliter colligebat in Nicobuli affinis sui ædibus, quæ mox in templum erectæ sunt, indito ei *Anastasiæ* nomine, eò quòd fides languescens antea, & moribunda illic revixisse visa fuerit. Hinc à Theodosio M. in Imperialis urbis cathedrâ collocatur, in eâdem à Concilio Oecumenico anno 381. illic coacto confirmatus: verùm ortâ mox in Synodo non levi hâc de re contentione, ipse sedi suæ sponte renunciavit, & domum repetens, privatus deinceps & quietus vixit, ac partim pietatis exercitiis, partim poëticis lucubrationibus senectutis incommoda sublevavit. Vitam hanc caducam cum meliori permutavit anno 389. ætatis suæ circiter 65. Unde falsum esse Suidam * necesse est, qui illum nonagenario majorem obiisse scribit. Vir erat in quovis disciplinarum genere præstantissimus, in Theologiâ summus. Hoc enim in eo ὥσπερ τὸ ἴδιον à veteribus notari nos docet Philotheus †. Hinc etiam *Theologus κατ' ἐξοχὴν* dictus est Gregorius; *utpote qui solus sit* (Ruffini * verbis utor) *de cujus fide ne dissidentes quidem, ut fieri solet, partes & studia disputare potuerint; sed id obtinuerit apud Dominum & Ecclesias Dei meriti, ut quicunque ausus fuerit doctrinæ ejus in aliquo refragari, ex hoc ipso quia ipse sit magis Hæreticus, arguatur. Manifestum namque judicium est, non esse rectæ fidei hominem, qui in fide Gregorio non concordat.* Sermone usus est Gregorius grandi, sublimi, & ubique majestatis pleno, dicendi charactere Polemonem secutus, observante id Hieronymo, certè Isocratem Polemone antiquiorem; unde ejus τὸ ἰσοκρατικὸν sæpius notat Græcus Scholiastes. Audiamus Philostorgii * hominis Ariani judicium, qui hunc cum Basilio & Apollinario conferens, ait, Apollinarii sermonem commentationibus esse aptiorem, Basilii in genere panegyrico splendidissimum, τῷ δὲ Γρηγορίῳ, καὶ παρ' ἀμφοτέροις ἐξεταζομένῳ μείζω βάσιν εἰς συγγραφὴν εἶχεν ὁ λόγος, καὶ ἦν εἰπεῖν Ἀπολλιναρίου ἁδρότερος, Βασιλείου δὲ σταθερώτερος. *At Gregorii cum utroque comparati oratio sublimiorem in scriptione locum obtinuit; etenim Apollinario erat uberior in dicendo, Basilio verò gravior.* Certè facultati oratoriæ, quâ maximè pollebat, nimis quàm par erat, præsertim in sermonibus Encomiasticis, eum indulsisse constat: unde sequentium sæculorum erroribus circa invocationem Sanctorum viam inter primos stravisse videtur. Quod ex ejus Scriptis nihil omnino excerpserit Photius, meritò nobis mirum videri debeat: præstitit id forsan in aliquâ suæ Bibliothecæ parte, quæ hodiè non extat. De Scriptis duo præcipuè sunt Lectori observanda; primò pauca admodum esse, eaque tam erudito capite non prorsus indigna, quæ nomini ejus affinguntur; deinde aut pauca, aut fortè nulla, ex iis desiderari.

*L. 21. & 25.

† Ad Basil. Ep. 7.

* De Script. c. 117.

† Epist. 42. Vid. orat. 8. p. 148.

* In voce. Γρηγόρ.

† Orat. in S. Basil. Biblioth. Patr. Gr. Lat. Tom. 11.

* Prolog. in libros Gregorii a se versos.

* Ap. Suid. in voc. Basil. & Apoll.

SCRIPTA.

Apologeticus de fugâ suâ, post reditum ex Eremo conscriptus.

Oratio postquam factus est Presbyter.

In Iulianum Imp. invectivæ duæ.

Oratio post reditum ex fugâ.

Oratio ad Gregorium Nyssenum.

Apologeticus cùm Sasimorum Episcopus factus est.

Oratio cùm cura Ecclesiæ Nazianzenæ ei commissa est.

Oratio de suis sermonibus ad Iulianum exæquatorem.

Oratio funebris in laudem Cæsarii fratris.

Oratio funebris in laudem Gorgoniæ sororis.

De Pace Orationes III.

Oratio in plagam grandinis.

Oratio de Pauperum amore.

Ad Cives Nazianzenos gravi timore perculsos, & Præfectum iratum Oratio.

Oratio in laudem Cypriani Martyris.

Oratio funebris in laudem patris sui.

Oratio funebris in laudem Basilii Magni.

Oratio in laudem Athanasii Magni.

Oratio in laudem Maccabæorum.

Oratio in laudem Heronis Philosophi, reverà Maximi Cynici.

Oratio in Ægyptiorum adventum.

Oratio ad Arianos & de se ipso.

Oratio de moderatione in disputationibus servandâ.

Ad eos qui ipsum Cathedram CP. affectare dicebant.

Oratio post reditum in urbem.

Oratio de dogmate & constitutione Episcoporum.

Oratio habita in electione Eulalii Doriensium Episcopi.

Oratio in illud, Cùm consummâsset Jesus hos sermones, &c.

Oratio in præsentiâ CL. Episcoporum (viz. in Synodo CP.) *quâ ut sedis CP. curâ sese abdicare liceret, impetravit.*

De Theologiâ Orationes V. *contra Eunomianos & Macedonianos.*

Oratio panegyrica in Christi nativitatem.

Ora-

SÆC. IV. ab An. CCC. *Oratio panegyrica in S. Lumina, viz. in Festum Baptismi Christi.*

Oratio in Sanctum Baptisma.

Oratio in Pascha & in Tarditatem.

Oratio secunda in Pascha.

Oratio in novam Dominicam & Mamanta Martyrem.

Oratio in S. Pentecosten.

Oratio seu Epistola ad Nectarium CP. Episcopum.

Oratio in laudem Martyrum & adversus Arianos, Lat. [& in Appendice Tomi primi Edit. 1630. Græcè etiam] Orationem hanc primus edidit Latinè solùm Joan. Leunclavius 1571. Lat. etiam ex versione suâ Billius, 1583. tandem Græcè solùm Montacutius, 1610. qui fragmentum orationis cujusdam eam esse existimavit. Verùm Nic. Faber & Morellus ἀποσπασμάτιον potius ex Oratione quâdam Chrysostomi esse arbitrantur.

Oratio sive Tractatus de Fide, in quo Fides Nicænâ fusè explicatur, & contra Hæreticos omnes probatur. Latinè tantùm extat, interprete Rufino, qui & Orationem Nazianzeni primam unà cum septem aliis [12. 15. 17. 28. 33. 38. & 39.] Latinitate donavit, præfixa primæ præfatione, quæ in Editionibus Gr. Lat. Tractatui huic præponitur. Cæterùm tam Orationes quàm Tractatus iste *de Fide* ab eo versæ prodierunt Lipsiæ 1522.

Oratio de Fide Nicænâ, sive *Paraphrasis* ejus breviuscula, Lat. eodem interprete. Istam pariter ac præcedentem Orationem, aut Gregorium autorem aut Rufinum interpretem habere perfractè negat Chiffletius, qui utramque Vigilio Tapsensi operosè vindicat. Latino equidem Scriptori utramque deberi in confesso est. Verùm Vigilii non esse exinde probatur, quòd priorem Tractatum Augustinus * sub Gregorii cujusdam nomine citet, quem Gregorii esse suprà notavimus.

* Epist. 3.

Ad Cledonium Presbyterum Orationes, seu *Epistolæ duæ adversùs Apollinarium.*

Epistolæ CCXLII. in quibus duæ Gregorii patris, tres verò Basilii habentur. Decem ultimæ prodierunt primùm in Editione *Paris.* 1630. His addi potest *Epistola ad Nectarium* CP. quam in Notis ad Patres Apostolicos primus eruit Cl. Cotelerius, quæque proinde inter Gregorii Opera non reperitur.

Testamentum, à Brissonio primò editum *Formularum* libro 7mo. Scriptum erat paulò ante renunciatam Sedem CP. an genuinum sit dubitat Rivetus †, nulla tamen ratione nixus.

† Crit. Sac. l. 3. c. 22.

De Vitâ suâ, Carmine Jambico.

Poëmatica LXIV. *varii argumenti*, Carmine Heroico.

Alia LXXVIII. *varii argumenti*, & diverso metrorum genere.

De Episcopis & hominum ingratitudine querela, Lat. tantùm.

Ad Virgines Exhortatio, Carmine Jambico.

DUBIA.

ORatio, seu *Epistola ad Evagrium Monachum de Divinitate*, quæ inter Orationes numero est quadragesima quinta.

Significatio in Ezekielem, inter Orationes quadragesima.

SPURIA.

MEtaphrasis, seu *Translatio in Ecclesiasticen*, inter Orationes quinquagesima tertia, quam *Cave Hist. Lit.* Gregorii Thaumaturgi Opus esse constat.

Christus patiens, Tragœdia, quam ab Apollinario Seniore scriptam esse verisimile est.

Prodierunt Opera Nazianzeni, 1550. Gr. *Basil.* Lat. [Cum Notis & Scholiis Variorum] in tribus Tomis *Basil.* 1571. *Paris.* [Tomis duobus] 1583. Gr. Lat. *Paris.* 1609. & 1630. 2. Vol. in fol. cum Nicetæ Serronii, Pselli, Nonni, & Eliæ Cretensis Commentariis; quos ex Græco vertit Jacobus Billius, & suas, ubi opus erat, Annotationes & Scholia addidit. Posteriorem editionem Fred. Morellus aliquot Epistolis, suis item Notis auxit. *Duas in Julianum Invectivas* cum Scholiis Græcis, & Nonni *Collectione Historiarum* seorsim edidit Richardus Montacutius *Etoniæ* 1610. Gr. in 4o. quibus suas etiam Notas & varias Lectiones adjecit. Denique his addere licet, quod me monuit Doctiss. Colomesius, in Gregorii Nazianzeni Orationes ἐξηγήσεις scripsisse Basilium quendam, qui κοινωνὸν καὶ ὀνόματος καὶ θρόνου Basilii M. se dicit, *Explanationes* istas crasso satis volumine MSS. apud Cl. Is. Vossium se vidisse testatur. Extant etiam in Bibliothecâ Imperatoris, Regis Galliæ, & Augustæ Vindelicorum. Fragmenta duo ex Hæschelii Epistola affert Seberus ad Pollucem p. 99. & 105.

GREGORIUS NAZIANZENUS, Episcopus posteà Constantinopolitanus, claruit anno CCCLXX. Scripsit *Epistolam* ad *Nectarium*, suum in sede Constantinopolitanâ Successorem; quam nunc primùm Græcè & Latinè edidit Joan. Cotelerius *Not. in Barnab.* p. 28. Extat (ut hoc obiter moneam) teste eodem Cotelerio, ibid. p. 151. in Bibliothecâ Regis Galliæ Gregor. Nazianzeni Codex MS. optimæ notæ, ac venerandæ antiquitatis, octingentorum ferè annorum, scriptus magnâ arte, temporibus Leonis Imp. filii Basilii Macedonis, & Eudociæ Augustæ; quorum Icones principio exhibet, ut & Alexandri, fratris Leonis. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* MS. juxta *Lambec.* Cl. num. 1. fol. 1. usque ad fol. 115. continentur varia S. Gregorii Nazianzeni *Carmina*, numero CXXVI. partim jam edita, partim nondùm edita, de quibus omninò consulendus Cl. Lambecius *Comment.* lib. IV. pag. 1. Ex hoc ipso codice carmina hæc inedita nuperrimè extulit Jacobus Tollius. In inscriptione Ἄσματα κύκνεια *Carmina Cygnea* dicuntur, fortassè quia postrema erant, quæ Vir magnus post se reliquit ingenii & pietatis Monumenta. Numero sunt XX. Primum continet gravissimam querelam de seipso, & adversùs Episcopos, paulò post depositam Sedis Constantinopolitanæ dignitatem, editam. Complectitur Versus DCCCXXXVI. quibus varias calamitates & injurias, quas ab aliis, præcipuè sui ordinis Viris, passus est, eleganter, sed acriter, nec sine stomacho depingit, iisque quæ posteà in Jambis *de vitâ suâ* fusiùs & disertiùs expressit, prælusisse videtur. Secundo carmine eandem penè materiam prosequitur, seque adversùs obtrectatores suos strenuè tuetur; quo Versus CIV. continentur. Reliqua longè breviora sunt, & piissima ubique spirant suspiria. Hæc omnia eruit, & additâ versione Leunclavianâ, subjectisque notis suis edidit Cl. Tollius inter *insignia Itinerarii Italici*, quæ haud ita pridem in lucem emisit. In Bibliothecâ Bodleianâ inter *Codices Baroccianos* hæc ejus ἀνέκδοτα asservari dicuntur, nempè *Cod.* XLVIII. pag. 40. *Carmen ineditum* ad *animam suam*; Incipit, Ψυχὴ βλέψον ἄνω χθονίων βλέψον πάντων. Cod. LVI. pag. 105. *Carmina* III. in *Cæsarium fratrem*, & aliud in *Nobilem degenerem.* Cod. CXXVI. *Tetrasticha aliquot*, pleraque inedita. Cod. CXXXIII. pag. 158. *Poëmatia* IV. ἀνέκδοτα. De quibus viderint qui Codices MSS. cum edi-

370? P. II.

Digitized by Google

tis conferre possint. Extant apud Cl. Galeum Gregorii Naz. *Orationes* multæ cum *Scholiis* Nicetæ Serrensis, & tres sine *Schol.* Carmina *de Libris SS. legendis. Carmina varia* de diversis argumentis Στίχοι κατ' Ἀλφάβητον. *Epitaphium in Cæsarium fratrem.* Στίχοι Ἀρχιλόχειοι. *Quæstiones & Responsiones de Deo, Trinitate*, &c. *Carmina* alia Heroica. Multa denique Opera Nazianzeni servantur in Col. Sionis Lond. & apud Virum Nob. Geo. Wheeler.

370. PETRUS, Basilii, & Gregorii frater natu minimus, sub sororis suæ Macrinæ curâ ac tutelâ educatus; quæ juvenem ad virtutem & meliores artes natum, ad vitam asceticam & severioris pietatis exercitia diligenter formavit. Erga omnes comis erat ac benignus, erga pauperes beneficentissimus. A Basilio primùm Presbyter factus, deinde Sebasteæ Cappadocum Episcopus ordinatus, quo verò anno non satis liquet. Basilio superstes Gregorium fratrem rogavit, ut illius famam ab Eunomio Hæretico vellicatam Scriptis editis defenderet. Quo anno obierit, incertum est. Extat *Epistola unica ad Gregorium* fratrem *libris Nysseni adversùs Eunomium* præmissa. Notet Lector, quod observatu non indignum est, tres fuisse fratres uno eodemque tempore, & in eâdem regione Episcopos, singulos pietate & doctrinâ celebres.

370. *P.II.* PETRUS BASILII & NAZIANZENI frater, Episcopus Sebastenus, claruit circa annum CCCLXX. *Breviusculam ejus Epistolam ad Gregorium fratrem*, alibi memoravimus. Extat Opus MS. sed Arabicè scriptum *Alborhan*, sive *Demonstratio*, dictum. Ex cujus parte primâ nonnulla in gratiam Transubstantiationis profert Abr. Ecchelensis *Not. ad Catal. Hebedjesu*, p. 51. Quanti pretii, vel an omnino sit genuinum hoc opus, quod plusquàm suspicari fas est, dicant nobis qui harum Literarum peritiores sunt. Vide quæ de hoc ipso opere, in S. Basilio notavimus.

CÆSARIUS, Gregorii Nazianzeni frater natu minor, prægnantis ingenii, & optimæ spei adolescens; ad Alexandriam tanquam celeberrimam bonarum artium mercaturam amandatus, Philosophiæ, præcipuè verò Medicinæ, operam dedit. Inde Constantinopolim profectus, tantam brevi gloriam adeptus est, ut publici honores, nobile matrimonium, & senatoria dignitas ei oblata fuerint; communique decreto ab Imperatore per Legatos petitum sit, ut urbs Imperialis Cæsario & Medico & Cive ornaretur. Verùm & oblatam conditionem fatris importunitate victus tunc respuit. Sub Juliano παραβάτῃ, indignante tum patre tum fratre, domus Augustæ Archiater, & Comes rerum privatarum, Quæstor etiam Bithyniæ & Thesaurarius factus est: tentatus quidem à Juliano & promissis & argumentis, sed in fidei professione immobilis perstitit, ac paulò pòst palatio se subduxit. Post biennium verò rediit, iisdemque muneribus sub Valente functus, obiit anno 368. Moriturus testamentum condidit, breve quidem illud, at verè pium, Τὰ ἐμὰ πάντα βούλομαι γίνεσθαι τῶν πτωχῶν, *Quæ mea sunt, omnia pauperibus dari volo.* Scripsisse illum varia & speciatim *contra Gentes*, auctor est Suidas *; quæ quidem unde hauserit, non constat.

[Margin: Vid. Basil. Ep. 84. & Nazianz. Orat. 10.]

[Margin: * In voce Καισάρ.]

Extant sub ejus nomine *Dialogi* IV. sive *Quæstionum quarundam gravissimarum Explicationes.* De his agit Photius Cod. 210. qui 220. capitibus Opus istud constitisse memorat; quæ tamen hodiè non ultra CXCV. *Quæstiones* exsolvunt. Verùm hosce *Dialogos* non esse Cæsarii nostri Opus, multa suadent. Primò enim Gregorius frater in Oratione, quam in funere Cæsarii habuit, ubi minima quæque ad Cæsarii laudem facientia recenset, horum Dialogorum, immò vel illius scripti à Cæsario editi, nec verbulo quidem meminit. Unde liquet, quàm fragilis sit Cl. Oudini * ex obscuro quodam Photii loco † conjectura, nempe harum quæstionum autorem videri potius esse Gregorium Nazianzenum, qui hâc ratione voluerit nomen fratris sui posteritati commendare. Præterquam enim quòd noluisse censendus sit Vir Sanctissimus hâc insigni fraude Christiano Orbi fucum facere; si tale quid in animo volvisset loco tam opportuno fraterni Operis mentionem non tacuisset. 2°. Cæsarius erat ætate Juvenis, professione Medicus, dignitate Quæstor, in civilibus negotiis, & honoribus penè totus occupatus. Dialogi verò penitiorem rei Theologiæ peritiam ostendunt: agunt enim maximâ ex parte de SS. Trinitate, aliisque reconditioribus Christianæ fidei mysteriis; adeòque exhibent veteranum & subacti judicii Theologum, cui judice Photio *, πρὸς τὴν τῶν δογμάτων ἀκρίβειαν ὀλίγων δεῖ. 3°. Horum Dialogorum Author in ipsa inscriptione totos viginti annos Constantinopoli permansisse, ibique docuisse dicitur: Cæsarius autem non nisi ad paucos annos Constantinopoli substitit; nec ibi Medicinam, multò minùs Theologiam publicè docuisse legitur. Quosdam Photii ætate opus istud Gregorio Theologo ascripsisse ex eo † liquet. Verùm quàm sine ullâ id ratione fecerint, videsis Jac. Billii argumentum in Nazianzeni Orationem decimam. Forsan non est unius ejusdemque hominis Opus; saltem ex variis Scriptoribus, Nysseno, Maximo, (qui nominatim in eo citantur) aliisque videtur consarcinatum. Quisquis est, dictione utitur satis clarâ, censente Photio, nisi quòd ad Poëticas voces crebrò juveniliter flectat.

[Margin: * Supplem. de Script. Eccles. p. 40.]

[Margin: † Cod. 210. in fine.]

[Margin: * Cod. 210.]

[Margin: † Ubi supra.]

Editi sunt isti *Dialogi* sæpiùs in Editionibus Latinis Gregorii Nazianzeni, & in Bibliothecis Patrum. Primus Græcè ac Latinè edidit Fronto Ducæus Auctuar. 1624. Tom. I. deinde Helias Ehingerus *Augustæ Vindel.* 1626. 4°.

APOLLINARIUS *Junior*, Patriâ Laodicenus, Apollinarii (Presbyteri de quo supra) filius, Epiphanii Sophistæ discipulus; Rhetoricam docuit: primùm Ecclesiæ Laodicenæ Lector, tandem Episcopus. Claruit ab incepto Juliani Imperio, præcipuè verò circa ann. CCCLXX. Aliquamdiu Catholicus de recto Ecclesiæ tramite hâc occasione deflexisse dicitur. Commotus in illum Georgius Laodicenus Episcopus, Arianæ factionis homo, quòd Magnum Athanasium summâ familiaritate coleret, nec ab ejus congressu abstinere vellet; ipsum à communione exclusit; quin & priora delicta, ob quæ à Theodoro ejectus fuerat, exprobravit: neque illum sæpenumerò licèt id petentem in communionem recipere dignatus est. Hanc injuriam stomachatus Apollinarius peculiarem sibi sectam constituit; quæ per aliquot sæcula Ecclesiam non leviter turbavit. Quo potissimùm anno Hæresin suam disseminare cœperit, parùm liquet: id tantùm constat, Dogmata sua planè nova & inaudita nequaquam fuisse; quippe ex quibus primarium à Synodo Alexandrinâ anno 362. habitâ damnatum fuerit. Nondum enim eo tempore Hæresim disseminasse videtur Apollinarius, sed ab aliis postea acceptos errores accuratiùs elimasse & recoxisse. Hæreseos ejus, quam in vulgus sparsit, summa hæc erat: Christum humanam naturam de cœlo secum detulisse, æternam & substantiæ ipsius coalitam habuisse quidem animam (quod tamen 370.

SÆC. IV. abAn.CCC. tamen primò negaverat) νοῦν δὲ μὴ ἔχειν; sed unigeniti deitatem mentis locum supplere. Denique Christum mortalem esse, & in propria Divinitate passum, & in triduana illa corporis morte divinitatem quoque ei commortuam fuisse, Patris demum beneficio ex morte revocatam. Vid Greg. Nazianz. Epist. ad Nectarium, & duas ad Cledonium Epistolas, sive Orat. 51. 52. ubi Apollinarii dogmata plenissimè refellit. Ob hæc damnatus est Apollinarius tum alibi tum in Synodo Romana anno, ut vult Baronius, 373. quam tamen Valesius * circa ann. 377. vel 378. habitam esse contendit. Sed Ecclesiæ sententiam insuper habuit homo audax, & dogmatum suorum tenacissimus: neque sanè Apollinarium errores suos unquam deposuisse constat. Obiit regnante Theodosio; sed quo anno, non liquet.

*Annot. in Sozom. p. 143.

Scripsit Vir extra controversiam doctissimus innumerabilia volumina, ex quibus hæc ferè à veteribus memorantur. *Evangelia & Apostolorum scripta ad exemplum Platonis in Dialogorum formam redacta*; quod Imperante Juliano factum est. *Adversus Porphyrium libri* XXX. qui inter cœtera ejus Opera, inquit Hieronymus *, vel maximè probantur: & in iis sanè, judice Philostorgio †, tum Eusebium Cæsariensem, tum Methodium Tyrium, qui in eadem arena desudarant, longo intervallo superavit. Idem, ut opinor, erat *Opus*, [cujus meminit Sozomenus *] ὑπὲρ ἀληθείας seu *de Veritate*, quod adversus Julianum & Gentilium Philosophos composuit; in quo absque ullo sacrorum librorum testimonio ostendit eos vario errore deceptos, secus quàm oportet, de Deo sensisse. *Contra Eunomii Apologiam liber, Commentarii breves in Isaiam*; teste Hieronymo. *Hymni & Cantica Sacra ad laudem divini numinis spectantia*; quæ tum viri tum mulieres quovis tempore & quavis occasione psallere solebant: *Liber Compendiarius*, seu τὸ κατὰ κεφάλαιον βιβλίον, ex quo pleraque fragmenta exhibet Theodoritus Dialog. 1, 2, 3. De *Incarnatione libellus*. *Libellus de Fide*: ex his etiam quædam ibi profert Theodoritus: qui & alia quædam ab eo scripta, sed omisso titulo, allegat. Librorum ejus Fragmenta aliquot in *Catenis Veterum* in Job, in Psalmos, in Matthæum, Lucam, &c. reperiri possunt. Extant etiam Gr. Lat. *Epistola duæ ad Basilium* apud Coteler. Monument. Eccles. Gr. Tom. II. verùm an genuinæ sint, dubitari potest. Aubertus Miræus Notis in Hieronymi Catalogum meminit *Libelli* cujusdam *de Ætatibus Hominum* sub Apollinarii nomine *Leodici* anno 1575. editi: de quo quod dicam non habeo, utpote quem nondum vidi.

Socrat. l. 3. c. 16.
*De Script. c. 104.
†l. 8. c. 12.
*l. 5. c. 18.
Præfat. in Comm. in Esaiam.
Sozom. l. 6. c. 25.

370. AMPHILOCHIUS, si quid divinando assequi possumus, gente erat Cappadox. Mortuo demum Patre Monasticam vitam amplexus est, & in Eremi Ponticæ solitudines secessit; ubi Basilium & Gregorium Socios habuit. Circa ann. CCCLXX. vel forsan paulò seriùs, Iconii Lycaoniæ Metropolis Episcopus constituitur. De modo quo ab Angelis consecratus est, aliisque ab eo gestis, miras nobis narrat fabulas Simeon Metaphrastes, vel quisquis est * ejus Author; quem adeant, quorum labra similes amant lactucas. Anno CCCLXXXI. cùm Theodosius Aug. lege latâ Episcopos quosdam celebriores intra singulos Orientalium Diœceseων terminos statuisset, ut Ecclesiæ iis solummodò traderentur, qui cum illis communicarent, & fidem Nicænam confiterentur: Asianæ Diœceseos cura Amphilochio nostro [teste Sozomeno *] commissa est; cui lex Theodosiana † Optimum Antiochiæ Pisidiæ Episcopum adjungit. Biennio post cùm in Synodo, ut Arianorum conventicula vetarentur, ab Imperatore frustra periisset; arte quadam id impetravit. Palatium enim ingressus Theodosium solito honore prosecutus est, Arcadium verò Patri adstantem insalutatum præteriit. Filii contemptum indignè ferente Imperatore; *Vides, Imperator*, inquit Amphilochius; *te filii tui contumeliam ferre non posse; crede igitur Deum quoque eos aversari atque odio habere, qui filium ipsius unigenitum blasphemant.* Dictum miratus Imperator legem ab Episcopo postulatam extemplò dedit. Eodem circiter tempore contra Massalianos (pessimos Hæreticos, qui assiduis precibus turpissimas impudicitias obvelarunt) strenuè decertavit. Eos Synodus Sidensis, cui Amphilochius præsedit, sentetia sua damnavit: quin & Amphilochius edito libro confutavit. In vivis adhuc erat anno CCCXCIV. cùm Bagadii & Agapii caussa in Synodo CP. agebatur; & anno sequenti obiisse videtur. Summis eum laudibus propter indefessum discendi studium & industriam, singularemque planè humilitatem, & alias dotes eximias evehit D. Basilius; cui tam carus erat ut in rebus quibuscunque gravissimis eum consulere soleret: libros quosdam nomini ejus inscripsit & tam frequentes ad illum dedit literas, ut ipso fatente Basilio, vicem Ephemeridum supplere, & quotidianum vitæ cursum exponere possent. Vir erat & sæculari eruditione, & S. Scripturarum scientiâ in primis eximius; adeò ut eum Gentilibus suis Basilio & Gregorio conferre non dubitet Hieronymus *. Scripsit plura; verùm an ea quæ nunc extant, sint genuina, haud satis liquet; de quibus eò difficilius est certi aliquid pronunciare, quòd nulla indubitatæ fidei Scripta supersint, ex quibus de aliis judicare liceat.

*ExstatG.L. inter Opera Amphiloc.
*L. 7. c. 9.
†de Fid. Cathol. l. 3.
SÆC. IV. abAn.CCC.
* Ep. ad Magnum.

Scripta, quæ extant.

Oratio in Christi Natalitia.
Oratio in Christi Circumcisionem & in Basilium.
Oratio in Occursum Domini.
Oratio in S. Deiparam & Simeonem, proculdubio Spuria. Nestorium enim τὸν δυσώνυμον memorat. Unde Autorem ejus Amphilochium esse Sidæ Episcopum, qui Concilio Ephesino anno CCCCXXXI. interfuit, nonnullis suboluit: quod & de aliis quibusdam hìc enumeratis Opusculis dictum esto. Quod ad istam tamen attinet *Orationem*; rectiùs faciunt, qui Nicephori Patriarchæ CP. authoritate freti eam Theodoto Ancyrano ascribunt.
Oratio in Lazarum quatriduanum.
Oratio in Mulierem Peccatricem.
Oratio in diem Sabbati Sancti.
Homilia de Pœnitentiâ: & quòd non sit desperandum. Spuria si quæ alia, utpote quæ Iconoclastas nominatim refellat, & putidissimis fabulis scateat.
Ad Seleucum Jambi, Gregorio Naz. à Billio adjudicati, nec invita quidem veritate.
Vita S. Basilii. Nugivenduli cujusdam opus.
Excerpta varia, ex Amphilochio, ex variis Autoribus desumpta.
Hæc omnia collegit, additisque notis Græco-Latinè edidit Fr. Combefis. *Paris.* 1644. fol.
Extat etiam *Epistola Synodica* Gr. Lat. ap. Coteler. Monument. Tom.II.pag.99.unicum forsan, quod hodie superest, Amphilochii Opus genuinum.
Comparatio SS. Basilii & Ephræm Syri.
Vita S. Ephræm Syri. Utrumque opus habetur inter Ephræmi Opera à Vossio edita, Tom. I.
Cohortatio ad virtutes, Oratio de lachrymis & Regno Dei, aliaque in *Arbores infrugiferas* penès Holstenium Gr. MS. extiterunt.

DEPERDITA.

Liber *contra Massalianos*, cujus meminit Theodoritus Hæret. Fab. l. 4. c. 11.

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC.

Epiſtola ad Seleucum, ex quâ multa Fragmenta hinc inde collecta repræſentat Editio Combefiſiana.

Oratio in illud, Pater major me eſt, cujus fragmentum exhibet Theodoritus Dial. 1. aliudque, Dial. 2.

Oratio in illud, Non poteſt Filius ex ſe facere quicquam, cujus Fragmenta habet Theod. Dial. 1. bina Dial. 2. & unicum Dial. 3.

Oratio in illud Amen dico vobis, Qui audit me, &c. cujus Fragmentum profert Id. Dial. 3.

Oratio in illud, Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me, &c. cujus Fragmentum ſubminiſtrat. Id. Dial. 3. Idem ibidem quædam citat ex Oratione Amphilochii contra Arianos, quæ eadem forſan fuit cum Oratione *in illud, Pater major me eſt*.

Oratio de Filio verbo, cujus Fragmentum nobis conſervavit Theod. Dial. 3.

Tractatus in illud, Dominus creavit me, &c. ex quo quædam habet Damaſcenus in Elementis.

Epiſtola ad Suadrenſes de S. Trinitate, ex quâ bina Excerpta adducit Id. ibid.

Commentarii in Iſaiam, quorum meminit Id. ibidem.

Epiſtola dogmatica ad Panchariùm Diaconum Sidenſem, cujus laciniam ex MSS. quodam hauſtam dedit Combefiſius.

Περὶ τῶν ψευδεπιγράφων τῶν παρὰ τοῖς αἱρετικοῖς *liber*, cujus verba quædam adducit Synodus ſeptima Act. 5. c. 5.

Liber de Generatione Domini ſecundùm carnem, cujus Fragmenta quædam habentur ap. Concil. Epheſ. par. 1. c. 4. p. 117. & Act. 1. p. 518.

Porro Combefiſius inter excerpta Amphilochii, Fragmenta aliquot ex Codd. MSS. repræſentat orationum Amphilochii *in illud, Jeſus proficiebat ſapientiâ & ætate*, &c. *In illud, Solvite templum hoc. In illud, De meo accipiet & annunciabit vobis*. Et ex ſermone primo *in illud, De die illâ & horâ*.

Fragmenta denique Amphilochii plurima, librorum ex quibus hauſta ſunt titulis non notatis, extant apud Damaſcenum, *Catenam in Lucam, Catenam in Joannem*, & alibi: quæ ferè omnia unà cum cæteris prædictis fragmentis in unum collegit ſæpè laudatus Combefiſius.

Liber de Spiritu Sancto, quòd Deus, & quòd adorandus, quòdque omnipotens ſit. Librum iſtum ſibi legiſſe Amphilochium teſtatur Hieronymus *. *Librum ejus contra Arianum, & Eunomium, & Macedonium* haberi MS. Pariſ. in Bibliothec. Regiâ fidem nobis facit Ph. Labbeus Biblioth. nov. MS. p. 82.

*De Script. c. 133.

370. P. II. AMPHILOCHIUS ex Monacho Iconii Epiſcopus, claruit anno CCCLXX. Amphilochii operibus à Combefiſio editis, ejuſdem utpotè furfuris, accenſeri meretur *Tractatus de non deſperando*, quem Gr. Lat. evulgavit P. Poſſinus *Theſaur. Aſcet.* pag. 255. qui, opuſculum hoc Amphilochii noſtri eſſe contendit, idque manifeſtè conſtare dicit. Verùm, ægrè à me impetrare poſſum ut illud credam. Multa continet fabuloſa, puerilia, ridicula, ſæclo Amphilochiano, ſummique viri ingenio ac gravitate indigna. Voces adhibet ſequioribus demum Eccleſiæ ſæculis natas & uſurpatas. Quis enim Amphilochii ævo, ψάλλειν τὰς ὥρας, pro *officio Canonico recitando* uſus eſt? Quis Ἱερεῖς κοσμικοὶ, pro *Sacerdotibus ſæcularibus*, prout *à Monachis* diſtinguuntur? Apage nugas, gerris Siculis nugatiores! Verùm ut opuſculi ſui autoritatem tueatur Poſſinus, provocat ad Amphilochii Homiliam *de Pœnitentiâ, quòd non ſit deſperandum*, quæ inter opera ejus habetur, pag. 91. In quâ, binæ in hoc opuſculo recitatæ narrationes, idque totidem verbis reperiuntur; dignum plane patellâ operculum. Ut enim omnia quæ ſub Amphilochii nomine extant, incertæ admodùm fidei ſunt; ſic hæc Homilia, primâ ſtatim fronte, impoſturam ſuam manifeſtè prodit. Scriptam eſſe poſt exortas de cultu Imaginum controverſias, Sole clarius eſt: Ubi venerabilium Imaginum oppugnatores, inter inſigniores Hæreticos reputantur: Meminit non ſemel Imaginis Chriſti in Templis collocatæ: Introducitur Chriſtus B. Petro Principi ſuo & Coryphæo mandata tradens; Denique Hiſtorias ſuas, ſeu veriùs, Fabulas ex libro *de Vitis Sanctorum* ſe deprompſiſſe, diſertè tradit. Hæccine ævi Amphilochiani? Videant æqui & prudentes rerum æſtimatores, quâ fronte ejuſmodi quiſquiliæ ſub ſanctiſſimorum & antiquiſſimorum Patrum nominibus nobis obtrudantur. Certè utrumque opuſculum ex unâ eâdémque officinâ prodiiſſe videtur. Niſi dicere malimus, poſterioris auctorem ex Homiliâ iſtâ, paucis aliundè aſcitis, opuſculum ſuum conſarcinâſſe. Habentur apud Cl. Galeum iſta Amphilochio adſcripta. *Diegeſis de Sylveſtro PP. De Miraculis S. Baſilii. Jambi de SS. libris legendis*. Extat apud Virum Nob. Georgium Wheelerum Amphilochius in *Mariam Magdal.*

DIDYMUS, genere Alexandrinus, inſtituto Monachus, ſcholæ Catecheſeων Alexandrinæ Præfectus, Hieronymi & Rufini præceptor. Claruit præcipuè circa ann. CCCLXX. ab ipſo Conſtantii tempore non incelebris. Puer admodùm cùm jam prima literarum elementa didiciſſet, morbo affectus videndi facultatem penitùs amiſit: quo non obſtante, in omni literarum genere adeò profecit; ut non modò Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, Arithmeticam, Muſicam, reliquaſque Philoſophorum diſciplinas perdidicerit, ſed & difficillima quæque Mathematicæ Theoremata perceperit; S. Scripturam ejuſque ſenſus reconditiores accuratè inveſtigavit, errores quoſdam Origenis fovebat; verùm nihilominùs adverſùs omnes Hæreticos, præſertim Arianos validiſſimè diſputavit. Magnâ apud omnes in admiratione habitus, adeò ut cùm Magnus Antonius Alexandriam veniret, perſpectâ hominis doctrinâ, hæc ei dixiſſe feratur: *Nihil te moveat, ô Didyme, jactura corporalium oculorum; ejuſmodi enim oculis orbatus es, quibus & muſcæ & culices videre poſſunt: Gaude potiùs, quòd illos habeas, quibus Angeli vident, quibus Deus cernitur, & lux ejus comprehenditur*. In vivis adhuc erat anno 392. quo octogeſimum tertium ætatis annum exceſſerat.

Socrat. l. 4. c. 25. Sozom. l. 3. c. 15. Theod. l. 4. c. 29.

SCRIPTA.

Liber de Spiritu Sancto, interprete Hieronymo; inter Opera S. Hieronymi habetur.

Breves quædam Enarrationes in Epiſtolas Canonicas, Lat. prodierant primùm unà cum libro *de Spiritu S.* Colon. 1531. 8°. deinde à Caniſio editæ. Utrumque opus habetur in Bibliothec. Patr. Tom. IV. pag. 320. 338.

Liber adverſùs Manichæos, quem Latinè à Turriano converſum vulgavit Hen. Caniſius Antiq. Lect. Tom. V. pag. 17. Græco Latinè Combefiſ. auctuar. 1672.

DEPERDITA.

Commentarii in Job, ex quibus fragmenta plurima, eaque ampliſſima, exhibet *Catena in Job*, quam *Londini* edidit Patricius Junius.

Commentarii in Pſalmos, ex quibus fragmenta habes in Catenâ Corderianâ.

Commentarii in Proverbia, ex quibus locum quendam citat Catenæ in Lucam Author. Hos *Commentarios* in Linguam Latinam ab Epiphanio amico ſuo

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. suo integerrimo] translatos memorat Cassiodorus de divin. Lection. c. 5.

Commentariorum in Esaiam à cap. 40. ad finem, Tom. XVIII.

Commentariorum in Hoseam libri III. Hieronymo nuncupati.

Commentariorum in Zachariam libri V. Hieronymi rogatu scripti.

Commentarii in Evangelium Matthæi.

Commentarii in Evangelium Joannis, quorum fragmenta exhibet Catena in Joannem.

De Trinitate libri III. quorum meminit Socrates †. († Loc. cit.)

De Dogmatibus & contra Arianos libri II. qui cum unico illo de Sp. S. libro idem forsan cum præcedente opus confecerunt; nisi quis librum de Dogmatibus ab iis contra Arianos diversum quid arbitretur.

Commentarii in libros Origenis περὶ ἀρχῶν, quibus illos rectè scriptos esse asseruit, frustrà verò contendere illos, qui Origenem accusare, & libros ejus calumniari conabantur. Horum mentionem facit tum Socrates, tum Hieronymus, utroque adversùs Rufinum libro.

Scripsit & infinita alia teste Hieronymo *, quorum tituli interierunt. (* De Script. c. 109.)

Egregiam denique Didymi sententiam refert Socrates l. 4. c. 23.

371. PETRUS, Ecclesiæ Alexandriæ sub Athanasio Archipresbyter, itinerum & peregrinationum ejus comes individuus; quocum varia subiit pericula. Tandem defuncto Athanasio, ab ipso ante obitum designatus, Episcopus Alexandrinus à Catholicâ parte factus est anno 371. populo plaudente, & suffragantibus Episcopis vicinis in Pontificali solio collocatus; mox verò ab Arianis sede suâ vi deturbatus, & in vincula conjectus; quibus paulò post elapsus, conscensâ nave Romam se contulit, ubi benignè à Damaso exceptus, ejusque literis munitus, sedem postea suam recuperavit, ac paulò post diem obiit. Quanti ab omnibus haberetur, exinde constat, quòd anno 380. Theodosius Imp. eum unà cum Damaso Papâ orthodoxæ veritatis normam lege latâ † constitueret, cum Apostolicæ pietatis virum appellans. († De Fid. Cathol. l. 2.) Scripsit in carcere detentus *Epistolam Encyclicam* de vi sibi ad Episcopatum recens evecto ab Arianis illatâ, & flagitiosâ Lucii sedem Alexandrinam sibi per fas & nefas arripientis ambitione. Extat ferè integra, principio duntaxat & fine truncata, apud Theodoritum l. 4. c. 22. Porro alterius cujusdam *Epistolæ ad Episcopos Ægyptios fidei causâ exules* fragmenta duo nobis conservavit Facundus, l. 4. c. 2. & l. 11. c. 2.

371. LUCIUS, unde oriundus, incertum; primò Episcopus Samosatenus ab Arianis, fugato Valentis Imp. jussu Eusebio, vi ac armis constitutus, ubi odio omnium exceptus, plurimisque facinoribus infamis erat; postea ab Euzoio Antiocheno, & Magno S. Largitionum comite anno 371. Alexandriam deducitur, & in locum Petri Alexandrini ab iis in carcerem conjecti sufficitur. Episcopus factus, Arianorum, Gentiliumque stipante satellitio mirè in Catholicos desæviit; ex quibus hos fugavit, illos in vincula dedit, omnes summis injuriis divexabat. Pars eorum ungulis ferreis & loris bubulis, pars ardentibus facibus perusti cruciabantur. De enormi hâc tyrannide pleniùs Lectorem edocebit Petrus Alex. in Epistolâ suâ apud Theod. l. 4. cap. 22. Monachos Ægyptios Catholicæ fidei tenaces gravissimâ persecutione aliquamdiu afflixit; primoribus eorum, & in his Macario, Isidoro, aliisque sanctissimis viris, in insulam quandam incolarum feritate timendam deportatis. Verùm miraculi Macarii deterritus, proposito eo demum destitit. Sub Valentis imperii finem ineunte anno 378. vel paulò ante, Petro Alexandriam reverso, ab infensâ plebe Episcopali sede ejectus; conscenso navigio Constantinopolim statim perrexit, Catholicos [uti credi par est] apud Imperatorem criminaturus. Verùm Valente paulò post à Gothis occiso, voto suo excidit. Quid illi exinde contigerit non liquet. Vir inquieti admodùm & truculenti ingenii quique Gregorio Nazianzeno * audit, δεύτερος τις Αἰγύπτου πληγὴ καὶ μάστιξ, ὁ τῆς ἀληθείας προδότης, ὁ τῶν λύκων ποιμὴν, ὁ διὰ τῆς αὐλῆς ὑπερβαίνων λῃστὴς, ὁ δεύτερος Ἄρειος, &c. *Secunda quædam Ægypti plaga, ille veritatis proditor, ille luporum pastor, ille per caulam transcendens latro, secundus ille Arius*, &c. Scripsit *Sermonem in Pascha*, cujus fragmentum quoddam habetur Græc. Lat. in Concilio Lateran. Concil. Tom. VI. p. 313. Quænam alia scripserit, non constat. (SÆC. IV. ab An. CCC. Socrat. l. 4. c. 37. — * Orat. 23. p. 417.)

371. ESAIAS, ortu, ut videtur, Alexandrinus, patre tamen Hispano, mercatore, natus, claruit circa ann. CCCLXXI. Post mortem patris, divisis cum fratre Paæsio facultatibus in Ægypti eremum secessit: ubi constructo monasterio, adscitisque nonnullis sibi vitæ asceticæ sociis, pietati, sacrarum literarum studio, & hospitibus excipiendis se totum dedit. Plura de eo docet Palladius, quem adeat, qui plura velit. Viderint eruditi, an hujus sint, qui extant sub Esaiæ nomine *Sermones* XXIX. *ad Fratres in eremo degentes*, Lat. in Bibliothecâ Patr. *Coloniæ* editâ, Tom. 11. & in editione nuperâ Tom. XII. pag. 384. Certè quâ ætate vixerit Homiliarum Autor, haud satis constat. (Pallad. Hist. Lausiac. c. 15. 16.)

371. PROBA FALCONIA, patriâ Romana, nobilissimâ familiâ prognata, viri consularis filia, Anicii Probi Prætorio Præfecti, viri undequaque clarissimi [non Adelphi Proculi, ut hab[...] Hispalensis *] uxor. Claruit anno 371. quo maritus unà cum Gratiano Imp. consulatum gessit. (* De Script. c. 5.) Filios ex Probo suscepit Olybrium, Probinum, Probum, & Julianum: ex quibus duo priores consulatum anno 395. simul obtinuerunt; Probus etiam eandem dignitatem adeptus est, & Juliana Claudio Hermogeniano Olybrio (qui consulatum gessit anno 379.) nupta, Demetriadem virginem filiam habuit ab Hieronymo toties ac tantopere laudatam. Ipsa verò Proba non minùs virtute quàm generis nobilitate illustris miras ab Hieronymo, Augustino, Chrysostomo, Prudentio, Claudiano, & Cassiodoro laudes meruit. Cæteris missis omnium instar sit Hieronymus †, qui laudes ejus sic deprædicat. († Epist. 8.) Proba illa omnium dignitatum & cunctæ nobilitatis in orbe Romano nomen illustrius, cujus Sanctitas & in universos effusa bonitas etiam apud Barbaros venerabilis fuit. Ob egregiam pietatem laudat Augustinus, cum ipsâ id postulante ad eam scripsit Tractatum *de Videndo Deum*. S. Chrysostomi legatos & amicos Romam sive missos, sive fugientes benignè hospitio excipere solebat. Quâ de causâ anno. 406. scriptâ Epistolâ gratias ei egit Chrysostomus *; (* Epist. 168.) quando & Legatos suos Joannem Presbyterum & Paulum Diaconum tutelæ ipsius commendat. Anno 410. captâ ab Alarico Româ (quam à Probâ proditione traditam fuisse nonnulli fabulantur) ipsa vidua jamdudum facta, & bonorum jacturam passa in Africam unà cum Julianâ filiâ ac nepte Demetriade confugit; ubi ab Heracliano comite miseris fortunarum reliquiis spoliata, vix aliquantisper tutò habitandi locum invenit. Ibi loci cum Augustino amicitiam contraxit; à quo scripta ad illam extat præter Tractatum prædictum Epi-

Cave Hist. Lit.

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. *stola* num. 179. Quo anno mortua sit incertum est; id certum eam ante obitum possessiones omnes Ecclesiæ delegâsse.

Extat ab eâ ante mariti obitum [ut ex fine opusculi constat] scriptus *Cento Virgilianus de Rebus Divinis* Biblioth. Patr. Tom. V. *Lugduni* 1516. *Francofurt.* 1541. *Parif.* 1578. *Colon.* 1661. 8°.

Scripsit etiam *Epitaphium Marito*, quod sepulchro ejus marmoreo incisum, Romæ effossum est sæculo præcedente, & à Baronio exhibitum Annal. Tom. IV. ad ann. 395.

372. P. II. AMMONIUS, natione Ægyptius, Monachus Alexandrinus, claruit, siquid in his video, circa annum CCCLXXII. Monasticam disciplinam in Canopo, haud procul ab Alexandriâ, diu excoluit, donec sæviente ubique persecutorum malitiâ, Petroque Episcopo latebras subindè quæritante, ac fugâ salutem redimente, relictâ Ægypto, in Palæstinam se contulit, ubi lustratis locis sanctis, Montem Sinam petiit, ibiq; miseram Monachorum stragem, à Saracenis factam, suis oculis aspexit, & quæ eodem tempore in Monachos Raithunos, juxta mare rubrum positos, fecerunt Blemmyes, ex aliorum relatione accepit. Tandem patriam repetens, Lares propè Memphim fixit, & quæ de Monachis Sinaitis à Saracenis peremptis viderat, quæque de Raithunis audierat, sermone Ægyptiaco in Commentarios retulit. Hunc Ammonium sub Diocletiani persecutione vixisse, Petri Episcopi Alexandrini Martyris familiarem, contendit Combefisius, non alium, nempè quàm Presbyterum illum, qui, teste Eusebio *, unà cum aliis, eodem ferè tempore Martyrio perfunctus est. Cui quidem hâc in parte nullo modo assentiri possum; nulla apud Ammonium Petri Martyris, nulla persecutionis Diocletiani mentio, nulla Saracenorum hoc tempore apud Veteres occurrit eruptio. Quin & in ipso opere sunt quæ reclamant. Pag. 99. Mentio fit Mosis cujusdam, qui à tenerâ jam ætate Monachi institutum amplexus, annos tres supra septuaginta ἐν τῷ μονήρη βίῳ in Monte Raithu traduxerat. Quod cùm initio hujus sæculi stare non potest, cùm ipsius vitæ Monasticæ institutio longè minorem ætatem præ se fert. Constat igitur Ammonium de quo agimus, alium non esse quàm cujus meminit Socrates †, ubi celebriores in Ægypti solitudine Monachos recenset, quem ἄνδρα θαυμάσιον vocat, & unà cum Athanasio Romam venisse refert, posteàque dextram sibi aurem amputâsse, ne ad Episcopatum traheretur. Petro Antiochiæ Episcopo, qui Athanasio successit, σύγχρονος erat. Quo tempore, infestantibus omnia Ægypti loca Arianis, & Monachos præcipuè persequentibus, Petro Episcopo in vincula conjecto, & elapso tandem Romam fugiente, hâc occasione usus Ammonius, in Palæstinam secessit. Quin & hoc ipso tempore, Saracenos, Phœnices ac Palæstinæ urbes, omniàque versùs orientem loca vastâsse, referunt Socrates † & Sozomenus *. Quod quidem eo ipso tempore contigisse dissertè tradit Ruffinus †, [ex quo sua hauserunt Socrates & Sozomenus] quo Lucius, qui Petri sedem invaserat, gravissimam adversùs illum, omnésque Catholicos & Monachos in Ægypto, persecutionem movit. Historicum Ammonii nostri Commentarium, apud Senem quendam anochoretum, propè Naucratem repertum, Joannes quidam Presbyter ex linguâ Ægyptiacâ in Græcam transtulit. Hunc notis illustratum, Græc. Lat. edidit Fr. Combefisius inter *acta Martyrum antiqua*, *Parif.* 1660. 8*vo*.*p*. 88.

* Lib. VIII. c. 13. p. 308.
† Lib. IV. c. 2. p. 38.
† Lib. IV. c. 36. p. 253.
* Lib. VI. c. 38. p. 699.
† Hist. Eccl. Lib. II. c. 6. p. 246.

373. MACARIUS senior, gente Ægyptius, ex Thebaide provinciâ oriundus, Monachus Scetensis, Magni Antonii discipulus. Claruit circa an. 373. In juventute adhuc constitutus virtutibus ac Philosophico & austero vivendi genere ita enituit, ut Παιδαριο-γέρων, à Monachis vocaretur. Annos natus quadraginta ad Presbyteri gradum evectus est; & exactis in solitudine annis sexaginta obiit nonagenarius anno [ut volunt] 391. Moribus erat reverendus pariter ac severus erga illos qui ipsum adibant. Miraculis & Prophetiâ clarus, tot sanavit ægros, tot obsessos à Dæmonibus liberavit, ut teste Socrate, miracula ab eo patrata peculiare opus exigerent. De iis fusè agit Palladius Hist. Lausiac. cap. 19.

Socrat. ... c. 23.
Sozom. ... c. 14.
Theod. ... c. 21.

Scripsit *Homilias Spirituales* L. *de integritate quæ decet Christianos*, quæ ab aliquo forsan sequioris sæculi interpolatæ extant Gr. *Parif.* 1559. 8°. deinde curâ Zach. Palthenii *Francofurt.* 1594. 8°. denique cum operibus Gregorii Thaumaturgi, *Parif.* 1622. fol. Plura ejus ad *Monachos Responsa* exhibent Socrates & Palladius locis citatis.

MACARIUS, cognomine Magnus, Ægyptius, sive Scetensis, claruit circa ann. CCCLXXIII. Præter Scripta, quæ ei vulgò tribui solent, habentur Græcè MSS. in Bibliothecâ Vindobonensi sub ejus nomine opuscula varia, nempè *Capita Ascetica* CLXX. Metaphrasi illustrata à Simeone Logotheta Cod. *Theol.* CIV. *Parænesis Ascetica*, Cod. CXL. num. 3. *Capita Ascetica* C. Cod. CLXXIX. num. 8. *De custodia Cordis*, *Capita* XXX. Cod. CXCII. num. 15. Capita CLXX. *De Perfectione Spirituali*, Cod. CXCII. num. 16. Verùm hæc omnia nihil ferè aliud continent quàm VII. *illa Opuscula Ascetica*, quæ in *Thesauro suo* edidit P. Possinus, *Parif.* 1684. quæque tertio cuidam Macario tribuenda esse contendit, certè vel nostro, vel Macario Alexandrino vendicanda, uti mox ostendemus.

373. P. ...

MACARIUS, *Junior* & Πολιτικὸς dictus, domo Alexandrinus, ubi ætate prima bellaria vendendo quæstum exercebat. Antonii discipulus. Alterius Macarii σύγχρονος, cique superstes. Urbe simul ac arte renunciatâ, in eremum Nitriensem secedens, vitam Monasticam amplexus est. Anno ætatis quadragesimo baptismum suscepit, dein Presbyter factus & Archimandrita Nitriensis. Obiit centenarius circa ann. 404. Arctiorem vitæ Monasticæ disciplinam tanto studio excoluit, ut ex nimia cutis ariditate pili barbæ ei non succreverint. Interim in hoc uno ab altero Macario discrepabat, quod hilari fronte ad ipsum advenientes exceperit, & lepido sermone oblectârit, urbanitate quâdam juniores ad disciplinam Monasticam alliciens. Mira de ejus virtutibus, abstinentiâ, miraculis patratis, & Dæmonibus ab eo fugatis narrat Palladius [qui eo familiariter utebatur] Hist. Lausiac. cap. 20.

373. Socrat. l. 4. c. 23. Sozom. l. 3. c. 14. Theod. l. 4. c. 21.

Habetur Latinè ei inscripta *Regula Monastica* XXX. capitulis comprehensa, quam primus edidit Petrus Roverius Jesuita in Historiâ Monasterii Reomænsis, p. 14. Verùm an reverà Macarii nostri sit, mihi nondum constat. Extat penès me Macarii Alexandrini (ita enim habet titulus) *Sermo de exitu statuque Animarum post hanc vitam*, ex Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis MS. Codice descriptus. Plures quidem ineptas & aniles fabulas continet, & recentioris cujusdam Græculi commentum mihi videtur, qui quæ hac de re somniavit ad Dialogi formam Macarium inter & Angelos redegit. Quoniam verò ἀνέκδοτος sit, & saltem novitate sua se lectori commendabit, versione Latina ornatum hîc subjiciam.

Τῶ

Digitized by Google

SÆC. IV. abAn.CCC.

SÆC. IV. abAn.CCC.

Τοῦ ἁγίου Μακαρίου τοῦ Ἀλεξανδρέως λόγος περὶ ἐξόδου ψυχῆς δικαίων καὶ ἁμαρτωλῶν τὸ πῶς χωρίζονται ἐκ τοῦ σώματος καὶ πῶς εἰσιν.

S. Macarii Alexandrini Sermo de exitu animæ justorum & peccatorum: quomodo separantur à corpore, & in quo statu manent.

Interprete H. W.

Ποτὲ διοδευόντων ἡμῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ, εἶδον δύο ἀγγέλους συνακολουθοῦντας τῷ ἁγίῳ Μακαρίῳ, ἕνα ἐκ δεξιῶν, καὶ ἕνα ἐξ εὐωνύμων· καὶ ἐν τῷ συμπορεύεσθαι ἡμᾶς, εὑρέθη θνησιμαῖον κείμενον καὶ ὄζον· καὶ αἰσθανόμενος ὁ ἅγιος Μακάριος τῆς δυσωδίας, συνέκλεισε μετὰ τῆς ἰδίας χειρὸς τοὺς ἑαυτοῦ μυκτῆρας, ἕως οὗ παρῆλθεν· Ἐποίησαν δὲ καὶ οἱ ἄγγελοι οὕτως· καὶ ἰδὼν ὁ γέρων, εἶπεν αὐτοῖς; καὶ ὑμεῖς οὕτως ὀσφραίνεσθε τὴν δυσωδίαν τοῦ κόσμου. Οἱ δὲ εἶπον, οὐχί· ἀλλὰ σὲ ἰδόντες ἐποιήσαμεν καὶ ἡμεῖς οὕτως· ἡμεῖς γὰρ τῆς δυσωδίας τοῦ κόσμου οὐκ αἰσθανόμεθα, ἀλλὰ καὶ ὀζομένας τῶν ψυχῶν τῶν ἁμαρτωλῶν ὀσφραινόμεθα μόνον, ὃν τρόπον σὺ τὴν δυσωδίαν τοῦ θνησιμαίου τούτου ἀποστρέφῃ· καὶ ὁ γέρων λέγει αὐτοῖς, γνωρίσατέ μοι, παρακαλῶ, τοῦτο, τῆς δυσώδους ψυχῆς τῶν ἁμαρτωλῶν, ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ αἰσθάνεσθαι, ἢ μετὰ θάνατον καὶ πῶς τὰς ψυχὰς τῶν ἁμαρτωλῶν, πῶς δὲ τῶν κυρίῳ πεπιστευκότων, τῶν ἀσεβῶν, τῶν μὴ πεπιστευκότων [* διηρεῖτε;] εἴπατέ μοι, εἰ εὗρον χάριν ἐνώπιον ὑμῶν. Καὶ οἱ ἄγγελοι εἶπον, ἄκουσον, ἐκλεκτὲ τοῦ Θεοῦ Μακάριε· Ἡ ἁμαρτωλὸς ψυχὴ καὶ ἔτι οὖσα ἐν τῷ σώματι τὴν τῶν κακῶν πράξεων ὀζοδίαν ἀποδίδωσι, μετὰ δὲ θάνατον πολὺ πλέον. Τῶν γὰρ πράξεων φανερῶς ἐπικειμένων αὐτῇ σκοτοῦσι καὶ μελανίαν δίκην αὐτῇ περισήπουσι. ἡ γὰρ ψυχὴ καθ' ἑαυτὴν φωτεινὴ καὶ καθαρά ἐστιν, ὡς τοῦ ἀθανάτου φωτὸς ἐμφύσημα. Ἀλλὰ ἐν τῷ σώματι γινομένη, καὶ μὴ καλῶς αὐτὸ κυβερνῶσα, μολύνεται κατὰ μέρος ἐκ τῆς ἁμαρτίας, ἡ μὲν πλέον, ἡ δὲ ἔλαττον· τὸ δὲ πῶς αἱ ψυχαὶ ἐκ τῶν σωμάτων λαμβάνονται πιστῶν καὶ ἀπίστων ἄκουσον, καὶ πάντων ἐπίγεια ἢ κοινὰ, ἐλαχίστων τῶν ἐπουρανίων νόμιζε εἶναι, Μακάριε. ὥσπερ γὰρ ἐκ τοῦ ἐπιγείου βασιλέως ἀποστελλόμενοι στρατιῶται ἐπὶ τῷ παραστῆσαί τινα, ἐλθόντες συνέχουσιν αὐτὸν καὶ μὴ θέλοντα· ὁ δὲ καταπτήσσει μετὰ τῷ φόβῳ τρέμει δὲ καὶ τὴν παρουσίαν τῶν ἀσυμπαθῶς πρὸς τὴν ὁδοιπορίαν ἑλκόντων οὕτω καὶ ὅταν ἀποσταλῶσιν ἄγγελοι παραλαβεῖν τὴν ψυχὴν εἴτε δικαίου, εἴτε ἁμαρτωλοῦ, καταπτήσσει τῷ φόβῳ; καὶ τρέμει τὴν παρουσίαν τῶν φοβερῶν καὶ ἀποτόμων ἀγγέλων. Καθορᾷ γὰρ τότε ἡ ψυχὴ ἄπορον καὶ ἀσθενῆ καὶ ἀνωφελῆ πάντοθεν τὴν τοῦ πλούτου καὶ συγγενῶν καὶ φίλων παρουσίαν, τὰ δάκρυα καὶ τοὺς θρήνους τῶν παρεστώτων αἰσθάνεται, καὶ λαλῆσαι ἢ ἀφιέναι φωνὴν οὐ δύναται, μηδέποτε πειραθεῖσα τοιαύτῃ κλήσει; δέδοικε δὲ καὶ τὸ ἄπειρον τῆς ὁδοῦ, καὶ τὴν ἐνάλλαγον τῆς διαγωγῆς. Συνέχεται δὲ καὶ τῇ τῶν ὁρωμένων ἀρχόντων ἀσυμπαθείᾳ· προσπάσχει δὲ καὶ πρὸς πάντας, καὶ τῇ τοῦ σώματος συμβιώσει καὶ θρηνεῖ τὴν τούτου ὑπόζευξιν, ὡς τούτου ἐν συνηθείᾳ χωριζομένη· μίαν καὶ μόνην παραμυθίαν μὴ δυναμένη ἔχειν ἐκ τοῦ οἰκείου συνειδότος, εἰ μὴ ἐκ τῶν καλῶν ἔργων πρᾶξιν ἑαυτῇ σύνοιδεν. Ἡ τοιαύτη ψυχὴ καὶ πρὸ τῆς ἀποφάσεως τοῦ κριτοῦ ἀπὸ τοῦ συνειδότος ἀδιαλείπτως κρίνεται· Καὶ ὁ ἀββᾶς Μακάριος λέγει πάλιν· τί οὖν; κύριοί μου, δέομαι ὑμῶν, καὶ τοῦτο ἑρμηνεύσατε, ἐπειδὴ ἐκ τῶν πατέρων παραδέδοται ἐν τῇ Γ. ἡμέρᾳ καὶ τῇ Θ. καὶ τῇ Μ. προσφέρεσθαι τῷ Θεῷ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ προσφορὰν ὑπὲρ τοῦ τελευτήσαντος, τί τὸ ὄφελος ἐκ τούτου τῇ μεταστάσει ψυχῇ γίνεται. Καὶ ὁ ἄγγελος ἔφη. οὐδὲν ἀκαίρως οὐδὲ ἀνωφελῶς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ αὐτοῦ συνεχώρησεν ὁ Θεὸς γίνεσθαι, ἀλλὰ τὰ ἐπουράνια καὶ τὰ ἐπίγεια αὐτοῦ μυστήρια ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ αὐτοῦ συνεχώρησεν ὁ Θεὸς γίγνεσθαι καὶ ἐκέλευσε τελεῖσθαι. ἐν γὰρ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ γιγνομένης προσφορᾶς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, παραμυθίαν τῆς θλίψεως, ἧς ἀποχωρισθεῖσα τοῦ σώματος, δέχεται ἡ ψυχὴ μὲν θανοῦσα παρὰ τοῦ συνέχοντος αὐτὴν ἀγγέλου, ὅτι εὐλόγησις καὶ προσφορὰ ὑπὲρ αὐτῆς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ προσκεκόμι-

* Vox hæc in MS. ægrè legi potest.

Fortè legendum πάντως ἐπίγεια ἢ κοινὰ ἐλάττονα vel ἐλαχιστότερα.

Lege ἐν τῇ μεταστάσει

Lege ἀκαίρως.

Nobis quondam in eremo iter facientibus, vidi duos Angelos S. Macarium stipantes, alterum à dextrâ, à sinistrâ alterum: cumque unà progrederemur, repertum est cadaver jacens & fœtidum. Fœtorem persentiscens S. Macarius nares sibi manu obstruxit donec transivisset. Similiter fecerunt & Angeli. Id videns senex, dixit illis, An & vos etiam mundi fœtorem suboletis? Responderunt illi, nequaquam; te verò nares occludentem videntes, fecimus & nos similiter; nos enim fœtorem mundanum minimè sentimus, solum autem animarum peccatricum fœtorem subolfacimus; pari modo ac tu cadaveris istius fœtorem aversaris. Dicit illis senex; Notum mihi facite, quæso, utrum in hac vitâ vel post mortem fœtidam peccatorum animam sentiatis? Et quomodo inter peccatorum animas, illas quæ in Dominum crediderunt, ab impiis non credentibus dignoscatis? Id mihi dicite, si gratiam apud vos consecutus fuerim. Dixerunt Angeli; Ausculta, electe Dei Macarie. Peccatrix anima dum adhuc in corpore manet, malarum actionum fœtorem emittit quendam, post mortem verò majorem multò. Actiones enim suæ animam manifestè prementes, tenebras illi nigramque inducunt dicam. Anima enim ex naturâ suâ lucida & pura est, immortalis quippe lucis spiramen: in corpore autem posita, si illud bene non gubernet, à peccato quodammodo polluitur, ista quidem magis, illa verò minùs. Quomodo autem animæ è corporibus, tam fidelium quàm infidelium liberantur, audi; & terrestria seu vulgaria cœlestibus omnino minora esse putes, Macari? Quemadmodum enim à terreno Rege missi satellites ad apprehendendum aliquem, supervenientes vel invitum constringunt. Iste verò timore tremit, ipsamque militum ad iter vi trahentium præsentiam exhorrescit: pari modo cum mittuntur Angeli animam seu justi seu injusti accepturi, timore tremit ista, ipsamque terribilium & inclementium Angelorum præsentiam exhorrescit. Tunc facilè enim sentit anima inanem esse debilem ac inutilem omnino divitiarum, cognatorum, atque amicorum copiam astantium lachrymas ac nænias videt; ipsa verò ne verbum mutire potest, cum nunquam antea ejusdem modi evocationem experta fuerit: quin & infinitam viæ longitudinem, diversamque vitæ instituendæ rationem metuit. Contristatur etiam præsentium, quorum est in potestate, Angelorum inclementiâ. Omnibus quinetiam compatitur, ipsique corporis infortunio. Hujusce separationem dolet; ab eo quippe, cui jamdiu consuevit, disjuncta: cùm unicam ac solam consolationem, quæ ex propriâ exoritur conscientiâ, habere non possit, nisi bonas actiones coluisse sibi conscia fuerit. Talis anima, etiam antequam sistatur judici, à conscientiâ suâ indesinenter judicatur. Dicit iterum Abbas Macarius; Itane verò, Domini mei, id mihi etiam explicatum detis oro. Quandoquidem ex patribus traditum est, tertiâ, & nonâ & quadragesimâ die oblationem pro mortuo in Ecclesiâ Deo reddi, quid utilitatis exinde animæ in exitu redundat? Dixit Angelus; Nil inopportunè neque inutiliter in Ecclesiâ suâ fieri concessit Deus, cœlestia verò & terrena ipsius mysteria in Ecclesiâ suâ fieri concessit Deus, & celebrari jussit. Tertio enim die factâ in Ecclesiâ oblatione, levamen doloris, quem à corpore separata subiit, ab Angelo ipsam apprehendente accipit anima defuncta, quoniam gratiarum actio & oblatio pro ipsa in Ecclesia Dei apparata est; & exinde bonam spem concipit anima; Per duos enim

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC.

enim dies permittitur animæ, ab Angelis sui satellitibus stipatæ, in terra, ubicunque velit, obambulare. Quæ corporis igitur amori mancipata est anima, aliquando domum, in quâ separata est, circumvagatur, nonnunquam sepulchrum, in quo reconditum est corpus; & ad hunc modum biduum exigit, portus ad instar cadaver suum quærens. Pia verò anima ad locos in quibus justitiam operari consuevit, abit. Tertio autem die omnes Christianorum animas ad cœlos adduci jubet, qui die tertio è mortuis resurrexit; Christus omnium Deus, ut resurrectionem ipsius imitatæ, Deum omnium creaturarum adorent. Benè igitur morem istum retinet Ecclesia, ut oblationem & orationem die tertio pro animâ faciat. Post adoratum igitur Deum, ab illo mandatur, ut diversa amœnaque Sanctorum habitacula, & Paradisi pulchritudo, animæ ostendantur. Ista omnia perdiscit anima sex integris diebus, Deum omnium conditorem admirans & collaudans. Illa omnia videns anima derepente mutatur, & doloris sui, quem in corpore posita patiebatur, obliviscitur. Sin verò peccatis obnoxia sit, cum Sanctorum voluptates videt, contristari seipsamque condemnare incipit, hujusmodi ferè verbis usa; hei mihi! quantâ in illo mundo laboravi stultitiâ, in cupiditatibus vitæ occupata. Maximam vitæ partem oscitanter decoxi, neque Deo, uti par erat, servivi, ut & ipsa gratiam gloriamque istam consequerer. Væ mihi miseræ, adhuc animo meo insident curæ & intempestiva sollicitudo, quibus illo in mundo distinebar. Quid mihi jam prosunt vineta, quæ plantavi, & oliveta? qualem verò mihi utilitatem conferet, quem possedi, ager? Quid demum hîc mihi proderit auri pondus? Aut quale mihi commodum hoc in loco dabunt divitiæ? Hei mihi! frustra laboravi; Hei mihi! quòd stultè vixerim. Hei mihi exigui temporis gloriam amavi, æternam paupertatem obtinui. Hei mihi! quid passa sum? Væ mihi! quomodo obtenebrata sum? Non novi sanè; væ mihi! Nullus mihi auxilium ferre potest, ut & ego etiam misera Domini gloriam consequar. Postquam totum justorum gaudium sex diebus anima inspectaverit, rursus ab Angelis ad adorandum Deum adducitur. Benè igitur Ecclesia die nonâ liturgias pro defuncto offert & oblationem celebrat. Post secundam autem adorationem rursus ab omnium rerum Domino mandatur, ut in infernum deducatur anima, & pœnarum loca ibi posita, diversaque inferorum claustra, & diversæ illi ostendantur impiorum pœnæ, quibus assidentes peccatorum animæ assiduò lugent, ac dentes strident. Per hasce pœnarum diversitates circumfertur anima dies triginta, contremiscens ne & ipsa forsitan in illo loco incarcerari condemnetur. Die quadragesimo sursum iterum ad adorandum Deum reducitur; & tunc secundùm opera illius locum illi, ubi in æternum asservetur, indicit judex. Benè igitur in Ecclesiâ celebratur in defunctorum & Baptizatorum memoriam. De animabus verò quæ sacrum baptisma nunquam receperunt, res sese pari modo non habet; sed in eo casu Angeli inclementes animas non baptizatas è corpore accipiunt, verberantes illas & dicentes; Adesdum impia anima; quis Dominus tuus omniumque Deus, quem scire noluisti, in mundo secura degens? Nunc verò eum agnosce æternis addicta pœnis. Dein ad primum usque cœlum illam adducentes, eam sistunt, illique è longinquo ostendunt Angelorum omniumque cœlestium potestatum gloriam, dicentes; Istorum omnium Dominus est Jesus Christus Dei vivi filius, quem agnoscere & adorare noluisti. Apage abhinc verò ad tui similes impios eorumque principem Diabolum abducta in æternum ignem apparatum Diabolo atque angelis ejus, quos in vivis adhuc posita tanquam Deos adorasti. Postquam ita dixissent Angeli, servum Dei Macarium amplexi, è conspectu nostro evanuerunt. Nos verò gloriam reddamus Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, nunc & in sæcula sæculorum, Amen.

σαι, καὶ εὔελπις γίνεται ἐν τούτῳ. Τὰς γὰρ δύο ἡμέρας συγχωρεῖται ἡ ψυχὴ ἅμα τοῖς συνοῦσιν αὐτῇ ἀγγέλοις πορεύεσθαι, ἔνθα βούλεται, ἐπὶ τῆς γῆς· ἡ οὖν φιλοσώματος ψυχὴ ἀπέρχεται ποτὲ τὸν οἶκον, ἔνθα ἀπεζεύχθη, ποτὲ δὲ περὶ τὸ μνῆμα, ὅπου κατετέθη τὸ σῶμα, καὶ οὕτως ἐκτελεῖ τὰς δύο ἡμέρας ζητοῦσα ὥσπερ ὄρνιον τὴν νοσσιὰν αὐτῆς· ἡ δὲ ἐνάρετος ψυχὴ ἀπέρχεται εἰς τόπους, ὅπου εἶχε συνήθειαν ἐργάζεσθαι τὴν δικαιοσύνην· τῇ δὲ τρίτῃ ἡμέρᾳ (ἀνυτοῦσθαι) κελεύει πάσῃ ψυχῇ Χριστιανῶν εἰς οὐρανοὺς ἐκ νεκρῶν ἀναστὰς τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ Χριστὸς ὁ πάντων Θεὸς κατὰ μίμησιν τῆς αὐτοῦ ἀναστάσεως εἰς προσκύνησιν τοῦ Θεοῦ τῶν ἁπάντων. Καλῶς οὖν κατέχει ἡ ἐκκλησία τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ προσφορὰν καὶ εὐχὴν ποιεῖσθαι ὑπὲρ τῆς ψυχῆς· μετὰ οὖν τὸ προσκυνήσει τὸν Θεὸν, γίνεται κέλευσις παρ' αὐτοῦ, ὥστε ἐπιδειχθῆναι αὐτῇ τὰς διαφόρους καὶ τερπνὰς σκηνὰς τῶν ἁγίων: καὶ τὴν τοῦ παραδείσου ὡραιότητα· καὶ ταῦτα πάντα καταμανθάνει ἡ ψυχὴ ἓξ ἡμέραις θαυμάζουσα καὶ δοξάζουσα τὸν εὐτρεπιστὴν τούτων Θεόν· καὶ ταῦτα πάντα θεωροῦσα ἡ ψυχὴ μεταβάλλεται καὶ ἐπιλανθάνεται τῆς θλίψεως, ἧσπερ εἶχεν ἐν τῷ σώματι οὖσα. Ἐὰν δὲ ἐστὶν ἁμαρτίαις ὑπεύθυνος, θεωροῦσα τὰς ἀπολαύσεις τῶν ἁγίων ἄρχεται λυπεῖσθαι καὶ καταγινώσκειν ἑαυτὴν, λέγουσα. Οἴ μοι, πῶς ἐματαιώθην ἐν τῷ κόσμῳ ἐκείνῳ, ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τοῦ βίου ἀσχοληθεῖσα, τὸ πλεῖστον τοῦ βίου ἐδαπάνησα ἐν ἀμελίᾳ, καὶ οὐκ ἐδούλευσα τῷ Θεῷ κατὰ τὸ πρέπον, ὅπως κἀγὼ ἠξιώθην τῆς χάριτος καὶ τῆς δόξης ταύτης. Οἴ μοι τῇ ἀθλίᾳ, ἔτι μοι συμβάλλονται αἱ φροντίδες καὶ ὁ ἄκαιρος περισπασμὸς ὃν εἶχον ἐν τῷ κόσμῳ· ποῦ δὲ μοι χρησιμεύουσι οἱ ἀμπελῶνες, οὓς ἐφύτευσα καὶ οἱ ἐλαιῶνες· ποίαν δέ μοι ὠφελείαν παρέξεται, ὃν ἐκτησάμην ἀγρόν; τί δέ μοι ὠφελεῖ τὸ [ἐθνοῦ] ἐκεῖ χρύσιον; ποῖον δέ μοι ὄφελος παρέχει ὁ πλοῦτος ἐκεῖσε; τί δέ μοι ὤνησε πᾶν τερπνὸν τοῦ βίου καὶ τοῦ κόσμου ἐκείνου: οἴ μοι εἰς μάτην ἐκοπίασα· οἴ μοι, ὅτι ἀφρόνως ἐβίωσα· οἴ μοι, τὴν ἐν ὀλίγῳ καιρῷ δόξαν ἠγάπησα, τὴν αἰώνιαν πλουχίαν ἐκτησάμην· οἴ μοι, τί πέπονθα; οὐαί μοι, πῶς ἐσκοτίσθην; οὐκ οἶδα, οὐαί μοι· οὐδεὶς δυνήσεται νῦν βοηθῆσαί μοι, ὅπως κἀγὼ ἡ ἀθλία τύχω τῆς δόξης τοῦ κυρίου. Μετὰ δὲ τὸ θεωρῆσαι πᾶσαν τὴν χαρὰν τῶν δικαίων ἐν ταῖς ἓξ ἡμέραις, πάλιν ἀναφέρεται ὑπὸ τῶν ἀγγέλων εἰς προσκύνησιν τοῦ Θεοῦ. Καλῶς οὖν προσφέρει ἐν τῇ θ. ἡμέρᾳ λειτουργίας καὶ προσφορὰν ἐκτελοῦσα ὑπὲρ τοῦ τελευτήσαντος. μετὰ δὲ τὴν δευτέραν προσκύνησιν πάλιν γίνεται κέλευσις παρὰ τοῦ πάντων δεσπότου καταγαγεῖν αὐτὴν ἐν τῷ ᾅδῃ καὶ δεῖξαι αὐτῇ τὰ ἐκεῖσε κολαστήρια. καὶ διάφορα ταμεῖα τοῦ ᾅδου, καὶ τὰς τῶν ἀσεβῶν διαφόρους κολάσεις, εἰς ἃς παρακαθεζόμεναι αἱ ψυχαὶ τῶν ἁμαρτωλῶν διηνεκῶς θρηνοῦσι καὶ βρύχουσι τοὺς ὀδόντας. καὶ ἐν ταῖς τοιαύταις διαφοραῖς τῶν κολάσεων περιφέρεται ἡ ψυχὴ * ἡμέρα λ. τρέμουσα, μήπως ἄρα καὶ αὐτὴ ἐν τῷ τοιούτῳ τόπῳ κατακριθῇ φυλάττεσθαι, καὶ τῇ μ. ἡμέρᾳ ἀναφέρεται πάλιν προσκυνῆσαι τῷ κυρίῳ, καὶ τότε λοιπὸν πρὸς τὰ ἔργα αὐτῆς κελεύει ὁ κριτὴς τὸν τόπον τῆς παραφυλακῆς. Καλῶς ἐκτελεῖται ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ταῖς μνείαις τῶν μεθισταμένων καὶ πεφωτισμένων. ἐπὶ δὲ τῶν ψυχῶν τῶν μὴ ἐχουσῶν βάπτισμα τὸ ἅγιον, οὐχ οὕτως ἀλλὰ [* ἀπονδίς] ἄγγελοι ἀπότομοι λαμβάνουσι τὰς ἀφωτίστους ψυχὰς ἀπὸ τοῦ σώματος, τύπτοντες καὶ λέγοντες, Δεῦρο ἀσεβὴς ψυχή. τίς ὁ δεσπότης σου καὶ πάντων κύριος, ὃν οὐκ ἠθέλησας γνῶναι; ἐν ἀνέσει διάγουσα ἐν τῷ κόσμῳ, νῦν γνῶθι τιμωρουμένη αἰωνίως, καὶ μέχρι τοῦ πρώτου οὐρανοῦ ἀνάγοντες ἱστᾶσι καὶ δεικνῦσιν αὐτῇ ἐκ μήκοθεν τὴν δόξαν τῶν ἀγγέλων καὶ πάντων τῶν οὐρανίων δυνάμεων, λέγοντες τούτων ἁπάντων Κύριος ἐστὶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὃν οὐκ ἠθέλησας γνῶναι καὶ προσκυνῆσαι· ἀλλ' ἀπαχθεῖσα πρὸς τοὺς ὁμοίους ἀσεβεῖς καὶ τὸν τούτων ἄρχοντα τὸν διάβολον, εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον τὸ ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, οὓς ἐν τῷ βίῳ σου ὡς Θεοὺς προσεκύνησας. Ταῦτα εἰπόντες οἱ ἄγγελοι καὶ ἀσπασάμενοι τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ Μακάριον, ἀφανεῖς ἐγένοντο ἀφ' ἡμῶν. Ἡμεῖς δὲ δόξαν ἀναπέμψωμεν τῷ πατρὶ, καὶ τῷ υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν.

SÆC. IV. ab An. CCC.

Forsan ὅρμον.

Vox hæc in MSS. vix legi potest: forsan ἀνελθεῖν legenda est.

Lege προσκυνῆσαι.

Lege ἄκαιρος.

Lege ἀγρός.

Vox corrupta.

* Lege ἡμέρας.

* Vox f. corrupta.

SÆC. IV. ab An. CCC. 373. P. II.

MACARIUS Alexandrinus *Politicus* dictus, quòd non modò in solitudine inter Monachos versaretur, sed & *ἐν τῇ πόλει, in urbe*, i. e. Alexandriâ natus, magnam vitæ partem in publicâ hominum luce transegit. Fuisse Scholæ Catecheseôn Alexandrinæ Præfectum, testatur Philippus Sidetes. Quòd verè eum Petro Martyri in hoc munere successisse scribit, vereor ut illud cum temporis ratione stare possit. Demus enim, Petrum, Scholam, unà cum Episcopatu, ad vitæ usque finem tenuisse, [quod tamen non constat, neque satis probabile videtur, cùm certum sit Petrum maximam Episcopatûs sui partem sub persecutione, & in carcere egisse], ut ut sit, obiit is Martyrio coronatus anno CCCII. Quo tempore Macarium nostrum verè fuisse juniorem, ac penè puerum necesse est. Quem Historiæ Ecclesiasticæ conditores magni Antonii discipulum faciunt, & Constantii temporibus claruisse volunt, immò quocum, exeunte hoc sæculo, per triennium in solitudine vixit Palladius *. Aut igitur juvenis admodùm munus hoc Scholasticum iniit, aut post Petri Martyrium Schola vacaverit, aut, quod potiùs suspicari licet, alius quis Scholæ Magister intervenerit à Philippo præteritus. Nullos enim alios à Petri morte, præter Macarium & Didymum, per integrum penè hoc seculum hujus Scholæ præceptores exhibet. Erat & alter Macarius Ægyptius, *Senior* dictus, de quo nos alibi. Quin & tertium, Antonii etiam discipulum & comitem, Amathæ Socium, nobis exsculpsit Petrus Possinus †, cui etiam L. *Homilias* à *Pico* primùm editas & VII. Opuscula à se in lucem emissa, adjudicanda censet. Et in hac quidem sententiâ me olim fuisse fateor. Verùm re meliùs perpensâ, ægrè à me impetrare possum, ut credam, præter Ægyptium & Alexandrinum, tertium etiam fingendum esse Macarium, Antonii discipulum, Amathæ collegam, Operum *Macarianorum* auctorem. Certè non alios Macarios Antonii discipulos nobis exhibent Socrates, Sozomenus, Theodoritus, Nicephorus, &, qui hoc ipso tempore, his ipsis locis vixit, deque iis prolixè agit, ipse Palladius. Ut Macarium suum probet Possinus, Athanasium in *vitâ Antonii*, & Hieronymum in *vitâ Pauli*, testes citat. Athanasius verò de *Macario* ne verbum quidem habet. Hieronymus Macarii & Amathæ, Antonii discipulorum meminit, & Amatham quidem Magistrum suum sepeliisse docet; de Macario nihil habet. Quæro igitur à Possino, cur ex nostris unus, Antonii discipulus, Amathæ Collega, opusculorum pater censeri non possit? Non Ægyptius, inquit, cùm sexaginta annos in Scythicâ solitudine transegisse dicitur. Quid verò? An Stylitæ ad instar totis sexaginta annis in cellâ suâ immobilis perstitit? Quid solitariis illis familiarius quàm *ἀσκήσεως* suæ sedes subindè mutare? Ut adeò loca quædam Antonio vicina, inhabitare facilè potuit Macarius, eique datâ occasione, præsertim vergente ad finem vitâ, præsto esse, & defuncti corpus unà cum Amathâ sepelire. Nec enim plus de hâc re testatur Cronius Presbyter apud Palladium, cap. 25. Neque dicit Sozomenus Macarium in solâ *Sceti*, sed & *ἐν ταῖς ἐρήμοις* LX. suos annos exegisse. Multò minùs in Alexandrino nostro negari potest, quem diversas habuisse cellas disertè testatur Palladius, unam quidem in *Sceti*, quæ est interior in solitudine, unam in Libyâ in Celleis, & unam in Monte Nitriæ, ut Antonio adesse, eique ministrare facilè poterat: Nec validiora sunt argumenta, quibus prædicta opuscula horum neutri ascribenda esse probare nititur Possinus. Non Ægyptio, quia refert Gennadius * ipsum unam tantum ad Juniores Professionis suæ scripsisse Epistolam. Quid si verò Gennadius de solis Macarii Epistolis loquitur? Quid si alia scripserit Macarius, quæ Gennadii diligentiam fugerint, cùm non pauca scripta sint, quæ frustrà apud Gennadium quæri possunt? Non denique Alexandrino nostro, quia scilicet inter multa quæ de eo habent Sozomenus, Socrates, & Nicephorus, nihil prorsus referant; unde scripsisse quidquam eum, quod in lucem ac famam exierit possit intelligi: Imbelle prorsùs, & planè ficulneum argumentum. Quis enim nescit non id sibi voluisse Socratem & Sozomenum, de Scriptoribus Ecclesiasticis ex professo agere? Viros quidem eruditione claros enumerare solent, scripta rarò aut nunquàm recensere. Adeò ut nihil obstet, ne quicquam renitente Possino, quò minùs prædicta opuscula Macariorum nostrorum alterutri, & forsan Alexandrino nostro, non immeritò tribuenda sint. Extat Græcè MS. sub Macarii nostri Alexandrini nomine Fragmentum ex *Quæstionibus ad magnum Eusebium Episcopum Alexandrinum* Biblioth. Vindob. Cod. *Theol.* LXXXIV. quo Anonymi cujusdam *Loci communes Ascetici de charactere veri Christianismi* ex variis SS. Patrum operibus collecti continentur. Quis verò fuerit hic *Magnus Eusebius*, hoc circiter tempore Episcopus Alexandrinus, ad quem hæ Quæstiones scriptæ sunt, fateor me nec divinando assequi posse. Obiit Macarius anno CCCCIV.

* Hist. Lausiac. c. 20. p. 924.

† Proleg. in Thes. Ascet.

[redacted] De Script. [redacted]ccl. c. 10.

MACARIUS, genere Ægyptius, Magni Antonii etiam discipulus, cui morienti astitit, claruit eodem, quo priores, tempore: ab iis verò prorsus diversum esse probat Petrus Possinus in Prolegom. ad Thesaur. Ascet. cui succinit Oudinus Supplem. pag. 29. & in hac quidem sententia nos acquiescimus. 373.

Scripsit *Opuscula* VII. viz. *De Custodiâ cordis, De Perfectione in Spiritu, De Oratione, De Patientiâ & Discretione, De Elevatione mentis, De Charitate, De Libertate mentis.* Ista nuper edidit Gr. Latin. in Thesauro suo Ascetico Petrus Possinus Soc. Jesu *Tholosæ* 1684. 4o. qui & Homilias quinquaginta [de quibus suprà] huic Macario ascribere non veretur.

AMBROSIUS, origine Romanus, ortu Gallus, nobili & splendida familia natus est anno CCCXXXIII. Patrem habuit Ambrosium, tunc temporis Galliarum Prætorio præfectum; quem Arelate, Galliæ Narbonensis Metropoli, domicilium habuisse probabile est. In cunis adhuc vagientis & aperto ore in area Prætorii dormientis pueri subitò insedit ori examen apum; quæ cùm ingrediendi, egrediendique vices frequentassent, in sublime tandem evolarunt. Quo viso Pater juxta deambulans, *Si vixerit*, inquit, *infantulus iste, aliquid magni erit.* Puer adhuc cùm Romæ ageret, & matrem viduam unà cum sorore, ejusque comite Episcopi manum osculantem videret, ipse iis dextram obtulit, lepidè dicens, *Sibi id ab iis fieri oportere*; Siquidem Episcopum se futurum esse memorabat. Omni sæcularium literarum genere perpolitus, causas in Auditorio Præfecturæ Prætorii tantâ eloquentiâ, tanto successu egit, ut Probus Prætorii Præfectus eum sibi Consiliarium asciverit: mox etiam insignia Consularia ei detulerit, commissis ipsius regimini Liguriâ & Æmiliâ Provinciis, eique proficiscenti mandata dedit his verbis, *Vade, age, non ut Judex, sed ut Episcopus.* Provinciam ingressus, Mediolani lares fixit, donec ann. CCCLXXIV. mortuo Auxentio ejusdem urbis Episcopo, & de novi Episcopi electione acriter contendentibus hinc Catholicis, inde Arianis; cùm res jam in nervum eruptura esset, adest. Ambrosius, ut authoritate suâ paci publicæ consuleret: cùm subitò vox 374.

Paulin. in Vit. Ambrosii.

quasi

SÆC. IV. ab An. CCC. quasi infantis in populo audita est, *Ambrosium Episcopum*. Voci acclamârunt, calculisque suis approbârunt Episcopi & populus adstantes. Resilit Ambrosius & detrectato munere fugâ sibi consulit, tandem precibus fatigatus & à populo penè coactus manus dedit. Primò igitur baptizatus [erat enim adhuc Catechumenus] sacro muneri initiatur, Valentiniano Augusto qui gestis omnibus intererat, in hæc verba erumpente, *Gratias tibi ago, Deus omnipotens, & Servator noster, quòd huic viro, cui ego corpora commiseram, tu animas regendas commiseris, & electionem meam justam fuisse declaraveris.* Episcopus factus bona divendidit, & in pauperum usum erogavit; & commissâ fratri Satyro rei familiaris curâ, studiis Theologicis se totum dedit; in quibus Simplicianum Presbyterum Romanum Ephorum sibi adhibuit. Circa ann. CCCLXXVII. Barbaris gentibus in Imperium Romanum irrumpentibus, in Illyricum fugit; quâ occasione, ut videtur, usus, Romam etiam petiit: ubi virgine sororis comite manum ejus pro pio hujus ævi more osculante. *Ecce, subridens*, inquit, *ut dicebam tibi, sacerdotis manum oscularis.* Anno CCCLXXX. frendentibus frustra Arianis Anemmium Sirmi Episcopum constituit. Anno sequenti Synodo Aquileiensi præfuit, in qua adversùs Palladium Arianorum antesignanum disputandi partes in se suscepit & fœliciter peregit. Anno CCCLXXXIII. Maximus Britannus Imperii fasces arripuit; & commisso ad Lugdunum prælio Gratianum Aug. dolo interfecit. Missus igitur à Valentiniano Imp. ad Tyrannum Ambrosius authoritate sua & eloquentia effecit, ut Maximus in Transalpinis provinciis sese contineret. Intestinis hisce Imperii motibus animati Gentiles ad cultum suum redintegrandum vires animosque sumpserunt, causam agente Q. Aur. Symmacho Romæ Præfecto, eloquentiæ laude celeberrimo. Hinc nobile illud ipsum inter & Ambrosium de Ara Victoriæ restituenda certamen; in quo longè superior evasit Ambrosius, ita ut Symmachus non modò causâ exciderit, sed & paulò post urbe pulsus *, & rhedæ vili impositus, extra centesimum ab Urbe lapidem manere jussus sit. Silentibus Paganis insurgunt Ariani, Justinæ Augustæ, filiique Valentiniani August. patrocinio freti: unde anno CCCLXXXVI. ab Ambrosio, militari etiam manu usi, poscebant, ut Basilicæ iis traderentur. Iis viriliter se opposuit Vir Sanctissimus, & consternatos civium animos tum præsentiâ suâ tum precibus confirmavit; Hæreticosque voto excidere fecit. Tot, tantisque ab Imperatore injuriis lacessitus, secundam tamen ad Maximum Italiæ minitantem legationem obire non gravatus est; ubi cum Tyranno prolixo satis colloquio intrepidè egit; verùm re infectâ rediit. Tertio posthæc anno facta est barbara nimis & truculenta Thessalonicensium cædes Theodosii jussu perpetrata; quem proinde acerrimè reprehendit Ambrosius; nec ad Ecclesiam illum priùs admittere voluit, quàm longam & publicam pœnitentiam peregisset. Anno CCCXCII. Valentiniano Arbogastis insidiis sublato, & Eugenio tyrannidem arripiente, Ambrosius relicto Mediolano Bononiam se recepit, inde ad Faventiam profectus, tandem Florentiam; unde victo mox Eugenio domum rediit. Exacto quadriennio fati sui conscius mortem sibi ante Pascha anni CCCXCVII. obventuram prædixit. Prædictionem ratam habuit Deus. Annos enim natus LXIV. in morbum incidit; & lecto affixus vitam sibi à Deo precibus impetrare, obnixè licèt à Proceribus Urbis rogatus, renuit, respondens, *Non inter vos vixi, ut pudeat me vivere: nec timeo mori, quoniam bonum Dominum habemus.* Obiit pridiè Nonas Apriles anni CCCXCVII. magnâ funeris pompâ in Basilicâ Ambrosianâ sepultus. Vir summâ pietate; omnique virtutis genere venerabilis: invicti animi Præsul, qui Judæis, Gentilibus & cujuscunque generis Hæreticis animosè restitit; literarum Græcarum æquè ac Latinarum peritissimus; unde è Scriptis Patrum Græcorum, Origenis putà, Didymi, &c. hortulos suos largiter irrigavit: in hoc laudandus, quòd suppressis loliis flores decerpserit. Stylo usus est conciso, arguto, tessellato; & qui Senecæ facundiam, molliori tamen venâ, imitatur.

Theod. l. 4. c. 7.

* Prosper. de Promiss. p. 3. c. 38.

Opera quæ extant, genuina.

HExaemeron seu *de Opere sex dierum libri* VI. maximam longè partem ex Basilii opere ejusdem argumenti descripti.

De Dignitate humanæ conditionis libellus.
De Paradiso Liber.
De Cain & Abel libri II.
De Noe & Arcâ Liber. Ex Ambrosii libro *de Noe & Arcâ* locum quendam profert Augustinus contra duas Pelag. epist. l. 4. c. 11. qui in isto non reperitur.
De Abraham Patriarcha Libri II.
De Isaac & Animâ Liber.
De bono mortis Liber.
De Jacob & beatâ vitâ Libri II.
De Esau sive de fugâ sæculi Liber.
De Joseph Patriarchâ Liber.
De benedictionibus Patriarcharum Liber.
De Arbore interdictâ.
Annotationes in Exodi cap. 8. 16. 24. 30. 32.
Annotationes in Levitici cap. 10. 12. 26.
Annotationes in Numerorum cap. 23. 33. Annot. in cap. 33. *Tractatus de Mansionibus* 42. *filiorum Israël* vulgò dicitur.
Annotationes in Deuteronomii caput 22.
Apologia pro David prior.
Apologia pro David posterior.
De Elia & jejunio.
De Nabathe Jesraelita.
In caput 6. *libri* 4. *Regum Sermones* II.
De Tobia, seu adversus Fœneratores.
De Job.
Sermo in caput Septimum Job.
De interpellatione David Libri III. *& Apologia seu Enarrationes in Psalmos* 1. 21. 35, 36, 37, 38, 39, 40, 41, 42, 43, 45, 47, 48. 50. 61. 67.
Tractatus in Psalmum 104.
Sermo in Psalmum 109.
Sermo in Psalmum 117.
Sermo in Psalmum 118.
Enarrationes XXII. in Psalmum 118.
De Salomone Liber, seu in caput 30. *Proverbiorum.*
Enarrationis in caput 30. *Proverbiorum* Fragmentum.
In caput 31. *Proverbiorum, seu de muliere forti.*
In caput 4. *Ecclesiastis, seu ad Clericos Exhortatio.*
In caput 3. *Ecclesiastici.*
In caput. 1. *&* 52. *Esaiæ Sermones* II.
In Hieremiæ caput 16. *Enarratio.*
In Danielis caput 13. *Sermones* II.
In capita 3. *&* 4. *Jonæ Ennarrationes* II.
In Micheam observationes II.
In capita 1. *&* 2. *Aggæi observatio.*
In Malachiæ caput I. Sermo.
Commentariorum in Lucam Libri X. anno CCCLXXVI. scripti.
De Officiis libri III. eodem anno scripti.
Tractatus in Symbolum Apostolorum.
De Fide ad Gratianum Imp. Libri V.
De Spiritu Sancto ad eundem Libri III. quos Ambrosium

Digitized by Google

brosium ex Græcis Didymi bonis Latinos fecisse non bonos scribit Hieronymus *, [tacito tamen Ambrosii nomine] nihil ibi dialecticum, nihil virile atque districtum, quod Lectorem in assensum trahat, inveniri arguens.

* Præfat. in lib. Didymi de Sp. S.

Oratio funebris de obitu Valentiniani Imp.
Oratio funebris de excessu fratris sui Satyri.
De eodem ac fide resurrectionis Oratio.
Oratio funebris de morte Theodosii Imp.
De Incarnationis Dominicæ Sacramento.
De mysterio Paschæ.
De Paschalis celebritatis ratione.
De fide resurrectionis liber ἀκέφαλ☉.

Liber *de initiandis*, ut alter *de Sacerdotali dignitate*, an Ambrosii sint, meritò dubitari potest, utpote in quibus nil succi & spiritûs Ambrosiani inesse videtur. Certè de posteriori, ait Theoph. Raynaudus, Erot. X. de bonis & malis libr. p. 124. eum Anselmum potiùs redolere quàm Ambrosium.

De Sacramentis libri VI. qui non tantùm à Theologis Reformatæ, sed & Pontificiæ Religionis quamplurimis Ambrosio abjudicantur; scripsisse quidem Ambrosium *libros de Sacramentis* certissimum est, qui verò hodie extant aut ejus non sunt, aut adeò insigniter interpolati ut novam planè faciem induerint. Desiderantur in his quæ ex illis citant Augustinus & Bertramus; aliam exhibent S. Scripturæ versionem, quàm quâ in genuinis operibus usus est Ambrosius; repugnat styli diversitas patre mellifluo indigna; repugnant haud pauca à sæculo Ambrosiano aliena. Vidit hæc omnia ac ingenuè agnovit eminentiss. Card. Bona de reb. Liturg. lib. 1. cap. 7. §. 4. ubi hoc opusculum non nisi ab Octavi & Noni Sæculi Scriptoribus tanquam legitimum Ambrosii fœtum laudari fatetur.

De Sacerdotali dignitate.
De Pœnitentiâ contra Novatianos Libri II.
De Virginibus Libri III. *sorori Marcellinæ inscripti*, Ambrosianarum lucubrationum primitiæ, anno CCCLXXVI. scripti.

De Virginis institutione ad Eusebium Liber.
De Hortatione ad Virginitatem.
Epistolarum Libri VIII.

Hymnus, Te Deum, cœlitùs, ut fertur, delapsus, & inter baptizandum Augustinum ab Ambrosio & Augustino alternis versiculis recitatus. Videtur verò ab Ambrosio eo tempore compositus, quo Ariani omnia susque deque miscentes Ecclesiam militari manu obsederunt, ut fatiscentes Catholicorum animos refocillaret. Vide quæ de hâc re habet Ambrosius Orat. in Auxent. p. 128.

Sermones II. *de Natali Domini*; quos primus edidit unà cum aliis quibusdam Chr. Daumius *Cygneæ* 1670. Verùm hi II. Sermones inter Conciones XCII. spurias reperiuntur.

Disputatio cum Palladio Ariano, quæ apud Vigilium Tapsensem habetur; cujus merum figmentum eam esse, absque justâ tamen ratione, contendit Chiffletius. Disputationis hujus l. 2. cap. 6. exhibet Expositionem sive Symbolum Fidei Ambrosianæ.

Commentarii in Cantica Canticorum.

Recapitulationes. Duos hosce tractatus unà cum Symbolo prædicto nuper edidit in Supplemento Patrum Jac. Hommey *Parif.* 1684. 8°.

DUBIA.

De Virginis formâ vivendi ad Virginem devotam.

De Virginis lapsu ad Virginem lapsam, Nicææ Aquileiensis Episcopi esse videtur; de quo vide Gennadium *de Script.* c. 22. Libri *de Viduis*, ipse meminit Ambrosius Comment. *in Luc.* cap. 21. p. 147. est ergo inter ejus genuina reponendus.

Hymni aliquot, ex quibus nonnulli Ambrosii videntur, ut ille *Deus creator omnium*, & ille *Æterne rerum conditor*, quorum meminit Augustinus; alii verò Ambrosii certo certiùs non sunt, ut ille *Vexilla regis prodeunt*, qui Fortunati est.

De Viduis Liber.

SPURIA.

Conciones XCII. viz. Conciones *de Tempore*; *Conciones de Sanctis*, & *Conciones breves*. Maximi Taurinensis esse conjicit Joh. Costerius; certè eorum plurimi inter Maximi Sermones leguntur. Sermo ultimus, de Baptismo Augustini, inepti cujusdam nugivenduli est. Vide quæ habet Bellarminus de Scriptor. in Ambros. p. 129.

Sermo de Purificatione B. Virginis.

Precationes ad Missam duæ.

De Vocatione omnium gentium Libri II. Ambrosio malè tributi, ut in quibus Pelagianorum & Semipelagianorum mentio fit, ut de styli dissimilitudine jam non dicam. Prosperi cujusdam esse omnibus jam notum est. De iis vide plura in Prospero.

De Filii Divinitate & Consubstantialitate adversùs Arianos Liber, quem Vigilio Tapsensi vindicat Chiffletius.

Commentarii in Epistolas D. Pauli. Scripsit quidem in Apostolum Ambrosius; sed opus istud interiit. Hoc de quo agimus, Hilarii Diaconi est, in quo notandum tamen est *Commentarium in X. priora Epistolæ ad Hebræos Capita*, Hilarii non esse [nec enim Hilarius aut ullus alius Latinorum ejusdem ætatis aliquid in Epistolam eam scripsit] sed à falsario quodam assutum esse, partim ex Chrysostomo, partim ex Hieronymo, contextum.

Commentarii in Apocalypsim B. Joannis, quibus plurimæ passim inspersæ leguntur Gregorii M. sententiæ: in quamplurimis MSS. Codd. Berengaudo inscribuntur. Quisnam fuerit iste Berengaudus, an Berengarius [uti vult Balæus] an alius quispiam, non satis liquet.

De vitiorum virtutumque conflictu.

Expositio fidei secundum Symbolum Nicanum, ex libro primo *De Fide* ad Gratianum excerpta.

De Spiritu S. Libellus, seu potius libelli Fragmentum. Ambrosii quidem non est, opus tamen perantiquum.

De Concordiâ Matthæi & Lucæ in Genealogiâ Christi.

De Pœnitentiâ Liber, cum Exhortatione ad peragendam pœnitentiam, & Epistolâ *cur Deus permiserit Monachum quendam à dæmone vexari.* Victoris Scriptoris Africani est, Victorem Cartennensem esse rectè nonnulli, Tununensem alii volunt.

De Origine & moribus Brachmanorum. Extat tum in recentioribus Ambrosii Editionibus, tum Palladio de Gentibus Indiæ adjunctus, *Londini* 1665. 4°.

Expositio in Cantica Canticorum, ex Ambrosii libris excerpta.

Epistola ad Demetriadem, quæ inter Ambrosianas est 84. Prospero rectè ascribitur.

Epistolæ aliquot Gentilium Philosophorum ex Ambrosii versione.

Extitit olim *liber Physiologus* ab Hæreticis conscriptus, & B. Ambrosii nomine signatus, in Decreto Pseudo-Gelasiano tanquam apocryphus damnatus. Extat MS. hodie in Bibliothecâ Lambethanâ liber *Physiologus* dictus carmine conscriptus, an cum Pseudo-Ambrosiano idem sit disquirant alii.

Cum

Digitized by Google

SÆC. IV. abAn. CCC. Cum in recensendis S. Ambrosii Operibus *Missæ Ambrosianæ* nullam habuimus rationem, præstat de eâ hîc paucis agere. Ecclesiam Mediolanensem, quod & aliis tunc in more positum erat, suas olim solennes precum formulas habuisse, ritus suos peculiares, nemo qui in antiquis Ecclesiæ monumentis hospes non planè sit, dubitare potest. Quin nec desunt, qui nobis persuadere velint, Missale Ambrosianum à S. Barnabâ, primo [ut volunt] Mediolanensium Archiepiscopo, ejusdemque Ecclesiæ fundatore fuisse adornatum, à S. Mirocleto auctum, tandem à S. Ambrosio in hodiernam formam redactum, ab eoque nomen traxisse. Sed nugas venditant, qui talia nobis somnia narrant, nec vel levissimum ex veteribus testimonium proferre possunt. Primus, quod sciam, qui disertè meminit, est Walafridus Strabo circa ann. 842. qui lib. *de Reb. Eccles.* cap. 22. refert, Ambrosium Mediolanensem Episcopum tam Missæ, quàm cæterorum dispositionem Officiorum suæ Ecclesiæ & aliis Liguribus ordinâsse. Quæ & usque hodiè [inquit] in Mediolanensi tenentur Ecclesiâ. Si verò ipsum Ambrosium auctorem non statuerimus [quod omninò incertum est, nulloque veteri nititur testimonio] probabile est Compilatorem, quisquis tandem fuerit, plurima ex ipsius Ambrosii Scriptis desumpsisse, quæ à sequentium sæculorum Archiepiscopis [ut in hisce fieri solet] mirè aucta & interpolata sunt. Missa Ambrosiana, prout hodiè habetur, tùm rituum ordine, tùm ritibus ipsis, precumque dispositione tùm à Romanâ, tùm ab aliis admodùm discrepat; in Psalmis & Lectionibus ex S. Scripturâ petitis antiquâ versione Italicâ, non quæ hodiè obtinet vulgatâ, utitur; longitudine superat Romanam, hac in re Græcis potiùs consona, quia Mediolanenses priscis Græcorum vestigiis firmiùs inhæserunt, quod ad Liturg. S. Petri notat Lindanus, & ex eo Bar. Gavantus *Thes. S. Rit.* Tom. 1. Par. II. Tit. xv. p. 188. Liturgiæ Ambrosianæ ordinem nobis depingunt Jos. Vicecomes, & ipse Ambrosiani Collegii Doctor, *de Rit. Missæ* lib. 2. Card. Bona *de Reb. Liturg.* l. 1. c. 10. p. 89. Joan. Mabillonius tùm *de Liturg. Gallic.* l. 1. cap. 2. Num. vii. tùm *Itin. Ital.* p. 15. ne alios commemorem. Missale hoc Ambrosianum edidit Pamelius *Liturg. Eccles. Lat.* Tom. 1. pag. 293. Duas alias Editiones recenset Mabillonius, *viz.* ann. 1560. & 1669. sed tum à Pamelianâ, tùm à se invicem haud parùm discrepantes, quibusnam verò in locis prodierint, non indicat.

DEPERDITA.

Commentarii in Esaiam.

Commentarii adversus nonnullos Platonicos, sive *De Sacramento regenerationis & Philosophiâ Liber*; cujus fragmenta quædam habet Augustinus contra Julian. l. 2.

Elucidationes & Homiliæ in librum Sapientiæ.

Expositio in omnes D. Pauli Epistolas.

Sermo de Judicio Salomonis.

Catechismus Epistolaris ad Fritigildem Marcomannorum Reginam.

De puerilis ætatis institutione ad Pansophiam.

Prodierunt Ambrosii Opera *Basil.* 1492. 1527. 1538. 1567. 2. vol. fol. cura Joann. Costerii [quæ accurata est editio] *Romæ* 1580. 1585. [cui editioni præfigitur Ambrosii Vita à Baronio scripta] in hac verò editione quamplures nævos notat Nic. Faber Opusc. pag. 315. *Paris.* 1529. 1540. 1549. 1586. 1603. [cui editioni accesserunt anteà inedita *Epistolæ & Sermones plurimi*, viz. Episcoporum Concilii Aquileiensis *Epistola ad Impp.* Augg. *Acta Concilii Aquileiensis contra Palladium & Secundianum Arianos.* Eorundem ad Gratianum, Valentinianum, Theodosium Impp. *de habitis in Concilio Aquileiensi & de rebus Ecclesiarum Orientalium Epistola.* Eorundem ad eosdem *de habitis in eodem Concilio & de factione Ursicini Antipapæ Epistola. Hymni plurimi, Expositio Symboli Nicæni contra Arium & Photinum. De Origine & moribus Brachmanorum.*] 1614. 1632. 1642. 1665. Accuratam editionem nuper adornârunt Benedictini Parisienses, quam etsi sedulò quæsitam nondum tamen videre contigit. *Sebastiani Acta* apud Bolland. 20. Jan. hæc Ambrosio nostro ex Monacho Suessionensi Anonymo vindicat idem Bollandus, certè Ambrosius nonnulla de Sebastiano habet in Psal. 118. Hæc Sebastiani Acta tanti se facere profitetur Colomesius ut paucissima iis æquanda esse existimet.

374. P. II. AMBROSIUS, genere Romanus, ortu Gallus, Mediolanensis Episcopus, claruit anno CCCLXXIV. Primus, ni fallar, genuinus Ambrosii fœtus, qui artis typographicæ beneficio lucem viderit, erant *Epistolæ* anno 1480. editæ, f. Primam operum editionem adornavit *Maffellus Venia* Augustinianus, sed absque Loci, Anni, vel Typographi mentione. Illam secuta est *Mediolanensis* anno 1494. f. Cæteras, si non omnes, certè præstantiores, suo loco recensuimus. Fatendum est neminem in toto Sanctorum Patrum choro inveniri, qui in operum suorum editionibus infœliciorem sortem expertus est, quàm D. Ambrosius. Ipsa editio Romana anno 1585. tantoperè licèt jactata, confusa est, truncata, vitiis & erroribus miserè inquinata. De quo Viri eruditi dudùm conquesti sunt. Operæ pretium igitur se facturos existimârunt Monachi *Benedictini* congregationis S. *Mauri*, si novam Operum Ambrosianorum editionem summâ curâ adornandam in se susciperent. Quod & præclarè præstiterunt Tomis II. 1. *Paris.* 1686. 2. *ibid.* 1690. f. Egregiam hanc editionem commendant chartæ puritas, & typorum pulchritudo; librorum ordo ritè dispositus; materiæ & temporis ratio accuratè habita; libri genuini à spuriis critico acumine discreti; complures Codices MSS. inter se, & cum aliis editionibus fideliter collati, neque sine horum autoritate quicquam in textum admissum; præclara editorum fides, integritas, & diligentia; Tractatuum in capita divisio, capitúmque summaria collecta; præmissa cuivis Tractatui Admonitio, quâ de libri veritate, occasione, argumento, tempore, aliisque judicant; præter Notas quæ ad calcem paginæ adhiberi solent; ut de variis, utilissimisque Indicibus nil dicam. Divisa est editio in Tomos II. quorum primus *lucubrationes ejus in S. Scripturam*; posterior reliqua ejus Opera complectitur.

TOM. I. hæc continentur.

In Hexaemeron libri VI. scripti anno CCCLXXXIX.

De Paradiso liber I. paulò post susceptum Episcopatum scriptus.

De Abel & Cain libri II.

De Noe & Arcâ, liber imperfectus.

De Abraham Patriarchâ libri II.

De Isaac & Animâ liber I.

De Bono Mortis liber I. anno CCCLXXXVII.

De Fugâ sæculi liber I. paulò post scriptus.

De Jacob & beatâ vitâ libri II.

De Joseph Patriarchâ liber I.

De Benedictionibus Patriarcharum liber I. anno CCCLXXXVII.

De Eliâ & Jejunio liber I.

De Nabuthe & Pauperibus [quem titulum habent Codices MSS.] *liber* I. circa annum CCCXCV.

De Tobiâ, seu *adversus Fœneratores*, *liber* I. anno CCCLXXXVI.

De Inter-

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC.

De Interpellatione Job & Davidis libri IV.

Apologia prophetæ David, anno CCCLXXXV.

De alterâ Davidis Apologiâ num genuina sit, dubitant clarissimi Editores.

Enarrationes in Psalmos XII. nempe, *I. XXXV, XXXVI, XXXVII, XXXVIII, XXXIX, XL, XLIII, XLV, XLVII, XLVIII, LXI.*

Expositio in Psalmum CXVIII. juxta Hebræos CXIX.

Commentariorum in Evangelium secundùm Lucam libri X. anno CCCLXXXVI.

Subjicitur huic Tomo Gulielmi Abbatis Sancti Theodorici qui floruit anno MXLII. *Commentarius in Cantica Canticorum* ex Ambrosii Operibus collectus.

TOM. II.

De *Officiis*, vel (ut habent Codices MSS.) *de Officiis Ministrorum libri* III. forsan circa annum CCCXCI. scripti.

De Virginibus, ad Marcellinam sororem. *libri* III. anno CCCLXXXVII.

De Viduis liber I. ab *Ambrosio in Lucam* citatus.

De Virginitate libellus, pro ultimâ parte, *libri* III. *de Virginibus* hactenus habitus.

De Virginis institutione ad Eusebium liber I. seu (ut habent Codices MSS.) *Sermo de Virginitate perpetuâ S. Mariæ.*

Exhortatio Virginitatis, Sermo Florentiæ habitus circa annum CCCXCIII.

De Mysteriis, sive *de iis qui Mysteriis initiantur liber* I. anno CCCLXXXVII. quem contra Bullingerum, Cocum, &c. Ambrosio adserunt Editores.

De Sacramentis libri VI. Prolixè de hoc opere agunt clarissimi Editores. Argumenta in utramque partem accuratè expendunt. Nec tamen an Ambrosii sint certò definiunt, relicto cuivis suo judicio.

De Pœnitentiâ libri II. adversùs Novatianos circa ann. CCCLXXXIV.

De Fide, vel, ut Codices nonnulli; *De Fide & Trinitate, ad Gratianum Aug. libri* V. inchoati anno CCCLXXVII. absoluti anno CCCLXXIX.

De Spiritu Sancto libri III. ex Didymi ut plurimùm, Basilii, aliorúmque Græcorum Scriptis, stylo humili & impolito decerpti, anno circiter CCCLXXXI.

Sermo de Incarnationis Dominicæ Sacramento circa ann. CCCLXXXII. quo præcipuè *Arianos* & *Apollinaristas* perstringit. Ad calcem additur Ambrosii Fragmentum *de Incarnatione*; quod profert Theodoritus *Dialogo* II.

Epistolæ XCII. in duas classes divisæ. Prima eas continet, quarum annus certò, vel magnâ probabilitate deprehendi queat, quæque proinde suas temporis notas affixas habent. Posterior, quæ incipit *ab Epistolâ* LXXVIII. eas quæ incerti planè temporis sunt, adeóque juxta argumenti ordinem disponuntur; primum locum tenentibus, quibus loca aliqua Sacræ Scripturæ explicantur. In hunc *Epistolarum* censum *Acta Concilii Aquileiensis, Libellus contra Relationem Symmachi, Sermones de Basilicis & de Reliquiis Gervasii & Protasii, Epistolæ Gratiani & Syricii Papæ* referuntur.

De Excessu Fratris Satyri libri II. quorum 2. *liber de Resurrectione* vulgò dicitur.

Consolatio de Obitu Valentiniani ann. CCCXCII. habita.

Oratio de Obitu Theodosii Imp. habita, præsente Honorio, anno CCCXCV.

Hymni XII. quos Ambrosio adjudicari posse censent clarissimi editores; Veterum autoritati hâc in parte nixi. Ab hoc censu relegant Hymnum *TE DEUM LAUDAMUS*, qui Ambrosii esse nullo idoneo testimonio probari potest, & fabulam pro origine habere videtur.

SÆC. IV. ab An. CCC.

IN APPENDICE.

Vita Ambrosii, eaque triplex. 1. à Paulino Diacono scripta. 2. Anonymi cujusdam, forsan Metaphrastis Græcè & Latinè nunc primùm edita. 3. à Benedictinis nostris, ex ipsius Ambrosii operibus ut plurimùm collecta, & juxta ordinem chronologicum magnâ curâ digesta. *Has vitas* sequuntur *Pseudepigrapha*, quæ Ambrosiano nomini supponi solent, hoc ordine.

Tractatus de XLII. *Mansionibus filiorum Israel.*

Commentarius in Epistolas Paulinas, quem non tàm proprium Scriptoris alicujus opus, quàm ex variis Veterum Commentariis consarcinatum esse suspicantur Editores.

Tractatus in Symbolum Apostolorum, seu, ut habent Codices MSS. *De Trinitate & Resurrectione.*

Tractatus de Filii Dei Divinitate & Consubstantialitate, seu *de Fide Orthodoxâ contra Arianos*, quem Gregorii Bœtici opus esse nonnulli opinantur.

Libellus de Dignitate Sacerdotali, Gerberti Philosophi, qui posteà Papa Sylvester dictus est, opus.

Tractatus ad Virginem devotam, Monachi cujusdam fœtus.

Sermones aliquot supposititii, tales nempè, qui non alibi, quàm inter Ambrosii Opera habentur, exclusis reliquis. Subjunctis etiam III. vel IV. *Epistolis spuriis*, in quibus locum habet *Epistola* antehac XXXV. *de Inventione corporum Gervasii & Protasii*, quæ præter styli diversitatem, rem aliter refert, quàm genuinus Ambrosii hâc de re Sermo.

Precationes II. *ad Missam præparatoriæ.*

Expositio in Apocalypsin. Quæ Berengaudi est.

De Pœnitentiâ liber, Victori Tununensi tributus.

Libellus de Spiritu Sancto.

Tractatus de concordiâ Matthæi & Lucæ in Genealogiâ Christi. Cujus autor, alio modo quàm Ambrosius de hâc re agit.

Sermo de Dignitate conditionis humanæ, ut & *Exorcismus*, quem Codex Vaticanus Ambrosio adscribit.

Denique animadvertendum est, Benedictinos nostros, plurima opuscula, quæ Ambrosio vulgò adscribi solent, novâ hâc suâ ac eleganti editione penitùs exclusisse. Qualia sunt *libri de vocatione Gentium: Tractatus de Origine & Moribus Brachmannorum: Acta S. Sebastiani Martyris: Liber de vitiorum atque virtutum conflictu: Expositio fidei Symboli Nicæni: Exhortatio ad Pœnitentiam: Sermo de Purificatione Mariæ: Confessio Fidei*, unà cum aliis opusculis quæ in Supplemento Patrum sub *Ambrosii* nomine edidit *Jac. Hommeius*; & forsan alia nonnulla quæ non tanti sunt, ut in iis recensendis immoremur.

HEGESIPPUS, qui, qualisve fuerit, Eruditis inter se non benè convenit. Liceat nobis de eo ejusque libris tria in medium proferre. 1°. Historiam *de Excidio Urbis Hierosolymitanæ*, quæ ejus nomine circumfertur, videri solummodò laxiorem Josephi versionem; quippe pauca apud illum habentur, quæ in Josephi libris partim *De Antiquitatibus Hebraicis*, partim *De Bello Judaico* non reperiuntur. 2°. Hegesippi nomen ex Josippi, idque à Josephi nomine formatum esse: quam in rem appositè notat P. Colomesius in membranis pervetustis CL. IS. Vossii eraso Iosippi nomine Hegesippi substi- 374.

substitutum comparare. Et in Bibliothecæ Ambrosianæ Codice MS. libro V. hic titulus præfigitur, JOSEPPI LIBER QUINTUS. 3°. Horum librorum Authorem sive potiùs Interpretem fuisse D. Ambrosium, saltem D. Ambrosii σύγχρονον, Ambrosii esse præter Codicum nonnullorum fidem (& in his eximiæ vetustatis Codicis MS. quem Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana vidit Rev. Pater Mabillonius Itin. Ital. p. 14. ubi mutilo libro primo secundus hanc notam habet, INCIPIT SECUNDUS. *Ambrosius Episcopus è Græco transtulit in Latinum)* arguunt ingens styli Ambrosiani & Hegesippiani paritas, eædem phrases ab utroque frequentatæ, eædem verborum argutiæ utrique in deliciis habitæ: quod sexcentis ferè locis utrinque productis fusissimè comprobat Joh. Gronovius Observat. in Script. Eccles. Ut ut sit, id constat Authorem fuisse Ambrosii æqualem, & vergente hoc sæculo claruisse. Stante enim adhuc & florente apud Occidentem Imperio Romano vixisse, ipso sæpiùs id innuente constat. Nec minùs certum est eum post Constantini tempora scripsisse; quippe qui Constantinopolis & Novæ Romæ mentionem sæpiùs faciat. Quin & Scotiæ & Saxoniæ Provinciarum nomina apud eum deprehensa ad declinantis sæculi hujusce finem illum non obscurè revocent. Cæterùm monendus est Lector Anacephalæosin Historiæ hujusce fini subjunctam eundem, quem Historia, Autorem non agnoscere, sed putidi cujusdam ac insulsi consarcinatoris opus esse.

Extat ista *Historia* libris quinque comprehensa, *Paris.* 1511. *Colon.* 1521. fol. cum Scholiis Gualtheri *Colon.* 1575. 8°. & in Laurentii de la Barre Historiâ Christianâ p. 399.

375. MARTINUS, Sabaria Pannoniarum oriundus fuit anno CCCXIX. Patre Gentili ac militari viro natus, Ticini in Italia educatus. Anno CCCXXIX. Catechumenus factus, anno CCCXXXIV. militiæ Sacramento addictus, triennio post sacro lavacro tinctus, anno CCCLVI. à Juliano Cæsare in Galliis militante missionem impetravit. Anno CCCLXXV. Turonensis Episcopus ordinatus est: tanti apud omnes habitus, ut [illegible]timus etiam Tyrannus eum convivam habere [illegible] honori duceret. Obiit anno Christi 400. ætatis suæ LXXXI. Extat ejus *Professio Fidei*; quæ in omni ferè Bibliothecæ Patrum editione habetur.

378. DIODORUS, generis splendore nobilis, Presbyter & Archimandrita Antiochenus, multos sub regimine μονάζοντας pietate & melioribus disciplinis instituit. Meletio Antiochiæ Antistite sub Valente in exilium misso, & Catholici gregis cœtu urbe & Ecclesiis publicis excluso Diodorus ad proximi fluminis ripas in campo, quo milites exerceri consueverant, conventu religioso ad Synaxin celebrandam frequenter habito oves pascebat; & grassantibus Arianorum insidiis ac tyrannidi animosè restitit. Anno CCCLXXVIII. Meletius ab exilio reversus Tarsi Episcopum eum constituit. Anno CCCLXXXI. Concilio Oecumenico Constantinopolitano interfuit Diodorus; à quo sibi unà cum Pelagio Laodiceno commissam Ecclesiarum Orientalium curam & regimen suscepit, servata tamen honoris Prærogativa quam Meletio tribu-

Socrat. l. 5. c. 8. tam voluerunt Patres. Quamdiu Episcopale munus gesserit, nobis adhuc incompertum, nisi quòd anno CCCXCIV. successerat in ipsius sedem Phalerius, uti ex Actis Synodi CP. sub Nectario eodem anno habitæ constat. Vir sanè undequaque doctissimus, qui in indagando S. Scripturarum sensu, repudiatis allegoriis, simplicem duntaxat atque obviam verborum intelligentiam sectatus est: nævos tamen atque errores quosdam circa fidem fovebat; qui libris ejus hinc inde immixti, Nestorii (quem discipulum habuit) causa ac Hæresi nimium postea favere deprehensi sunt. De stilo ejus ejusmodi censuram agit Photius*, ἐςὶ δὲ τὴν φράσιν καθαρός τε καὶ εὐκρινὴς, τοῖς δὲ ἐνθυμήμασι καὶ τῇ τῶν ἐπιχειρημάτων διαπλάσει eximius. * Cod. 223.

Ex Diodori Opusculis præ aliis insigne fuit τὸ πρὸς τοὺς Συνουσιαστάς, *sive adversùs Apollinaristas*: ex quo excerpta selegit Proclus CP. quæ & ipse in epistola ad Armenos, & Cyrillus tribus libris, jam deperditis, data opera refutarunt. Præter ea, quæ Proclus dicto loco habet, Fragmenta alia à se versa suppeditabit Marius Mercator edit. Garnet. par. 2. pag. 317. 318. quædam Leontius l. 3. contra Eutych. plurima Facundus Hermianensis, alia tacito Diodori nomine Acta Synodi V. Collat. 5. Sæpe etiam alii Scriptores Veteres opus istud sub Theodori Mops. nomine malè citant.

Scripsit etiam Interpretationes in totum vetus Testamentum, De discrimine Contemplationis & Allegoriæ; Chronicon, in quo errata Eusebii Chronologica notata sunt. *In Evangelia* IV. *In acta Apostolorum. In Epistolam S. Joannis. Quod unus Deus sit in Trinitate. Contra Melchisedecitas. Contra Judæos.* De *Resurrectione Mortuorum. De Animâ Contra diversas de Animâ sectas. Ad Gratianum Capita Varia de Sp. S. argumenta*, incautis ac Hæresim redolentibus dogmatibus referta. Tractatum istius argumenti breviter depingit Photius cod. 102. *Contra Astronomos, Astrologos, & Fatum* libros VIII. quorum amplissima excerpta nobis conservavit Photius, Cod. 223. *De Spherâ & Septem Zonis, & contrario astrorum Progressu. De Hipparchi Spherâ. De Providentiâ. Contra Platonem.* De Deo *& diis. De Naturâ, & Materiâ, & Justo.* De Deo *& falsâ Græcorum materiâ. Quòd invisibiles Natura ex Elementis non sint facta. Quæstiones & Responsiones ad Euphronium. Contra Aristotelem. De corpore cœlesti. De calore Solis. Contra eos qui cœlum animal esse dicunt Quomodo semper opifex permaneat, non vero opificia. Quomodo velle & nolle sint in Deo æterno contra Porphyrium. De Animalibus & Sacrificiis.* Ex hisce plurimi qui libros *contra Fatum* sequuntur, eorum totidem partes sumptis à materiâ, de quâ in iis agebatur, titulis fuisse non malè forsan censeri possunt. Hactenùs verò Suidas* & Photius†. Libros II. adversùs Hæreticos ab eodem scriptos memorat Basilius*. His etiam accenseri possunt, quæ Syriacè adhuc extare ait Hebedjesu†, nempe *Liber Politicorum, Liber destructionis Astrologorum. Adversùs Eunomianos. Adversùs Contentiosum. Adversùs Iudæos. Adversùs Manichæos. Adversùs Apollinarium. Expositio in partem Matthæi.* Subdit Hebedjesu Diodorum composuisse *libros* numero *sexaginta*, quos Ariani combusserunt.

* In voc. Διόδ.; † Cod. 102. 223. * Epist. 167. † Catal. lib. Chald. c. 16. p. 20.

HELLADIUS, anno 378. Basilio Magno in sede Cæsariensi successit; anno 381. Concilio Constantinopolitano interfuit; ac post dimissam Synodum Catholicæ communionis judex, unà cum Gregorio Nyssę, & Otreio Melitinæ Episcopis, Ponticæ provinciæ ab Imperatore Theodosio datus est. Conjugatum fuisse ex Sozomeno* patet, qui Gerontium Nicomediæ Episcopum eum ordinasse scribit; hanc illi gratiam referentem, ob splendidam in palatio militiam filio ipsius suffragio Gerontii comparatam. Quo anno in vivis esse desiit, incertum est. Scripsit vitam S. Basilii, antecessoris sui, quæ citatur à Damasceno de Imag. Orat. 1. prope finem. An verò ea, cujus fragmentum ibi habet Damascenus, *Basilii Vita* Helladium autorem habuerit, utcunque id velit Damascenus, justa est dubitandi ratio. NE. 378.

* L. 8. c. 6.

HIERO-

Digitized by Google

 378. HIERONYMUS, natione Dalmata, Stridonem oppidum in Pannoniæ & Dalmatiæ confinio olim situm natalem habuit. Patre Eusebio, homine Christiano, natus est anno 329. si modò rectè ponant calculos, qui illum nonagesimo primo ætatis anno obiisse scribunt. Melioribus disciplinis ab ipso puero eruditus, optimos in quovis genere præceptores nactus est, in Grammaticis Donatum magni nominis Romæ (quò puer adhuc missus est Hieronymus) Grammaticum, in Rhetoricis Victorinum eloquentiæ ibidem professorem, uti postea in Hebraicis Bar-hanina, aliosque Judæos ægrè & non levi pretio conductos; in sacris verò literis Gregorium Theologum, Apollinarium Leodicenum, Paulinum Antiochenum, & Semicæcus jam factus Didymum Alexandrinum; Deus bone, quales & quantos viros! Adultâ jam ætate baptizatus, Româ relictâ, in exteras regiones peregrinari cœpit. Gallias omnes undique perlustravit, comite Bonoso condiscipulo, omnesque Bibliothecas diligenter perquisivit; Treveris aliquamdiu substitit, ubi ingentem Hilarii de Synodis librum ab illo rogatus suaptè manu descripsit. Hinc Aquileiam petiit, ubi cum Rufino Presbytero Aquileiensi amicitiam contraxit; inde per Dalmatiam, Thraciam, variasque Asiæ provincias Evagrio viro prædivite Antiocheno, & Heliodoro condiscipulo comitibus Antiochiam perrexit; ubi in morbum gravissimum incidit, sed Evagrii hospitio usus convaluit. Exinde Monasticum vitæ institutum amplexus, ac multis secessûs locis tentatis & mox desertis, tandem anno ætatis tricesimo in solitudine horridâ Syros & Agarenos inter per quadriennium consedit, ubi rebus necessariis Evagrii sumptu suppeditatis, pietatis ac literarum studiis impenso animi ardore incubuit, linguas Orientales addidicit, & ad scribendum se accinxit. Anno 378. à Paulino Antiocheno ad Presbyterii gradum evectus est, à quo tempore præsertim inclaruit. Paulò ante Concilium Oecumenicum Constantinopolim proficiscitur; ubi Gregorium Theologum studiosè audivit, & præceptore usus est. Anno 382. Paulinus & Epiphanius literis imperialibus Romam acciti Hieronymum ex Oriente vitæ comitem secum abduxerunt. Romæ commoratus, apud Paulam pietate ac nominis splendore illustrem matronam per triennium divertit, maximam apud omnes famam ac nominis existimationem assecutus; ita ut à Damaso Papa eligeretur, qui sibi ab Epistolis conscribendis esset, & à tota plebe pariter ac clero dignus acclamaretur, qui summi sacerdotii munere fungeretur. Post mortem Damasi anno 385. variis Origenistarum (qui cum in partes suas pertrahere frustra annisi erant) calumniis exagitatus, Româ discedere necesse habuit. Comite igitur Pauliniano fratre navim conscendit, & Cyprum delatus ab Epiphanio suscipitur. Inde Antiochiam pergit, & à Paulino deductus mediâ hyeme Hierosolymam intravit, ubi multa se vidisse miracula, quæque priùs nonnisi famâ cognoverat, propriis oculis usurpasse profitetur. Anno sequenti in Ægyptum contendit, Monasteria Nitriensia lustravit; & Alexandriæ aliquamdiu hærens, Dydimum audivit: verùm nimio; quod inter Monachos locum habere deprehendit, Origenismi studio offensus Palæstinam rediit, ac in vitæ Monasticæ & senectutis agendæ, sedem cura Bethlehemitica sibi elegit, ubi studia diligenter urgebat, Scripta innumera confecit, plurimos nobilium pueros curæ suæ commissos pietate & bonis literis instituit, illustri pietatis omnibus numeris consummatæ exemplum piis locorum sanctorum incolis præbuit, & clarissimis tam dignitate quàm doctrinâ viris ad eum undequaque confluentibus, & oraculi quasi vice consu-

Cave Hist. Lit.

lentibus, responsa dedit. Hic loci ingentes cum Rufino amico olim admodum familiari, & Johanne Episcopo Hierosolymitano, Origenismi causam tuentibus, lites per plures annos exercuit; & Pelagii ejusque asseclarum Hæresim Scriptis suis contudit. Anno 410. plurimos ab urbe Româ à Gothis expugnata profugos, Hierosolymam & loca sancta tendentes Monasterio suo benignè excepit, summaque, quâ potuit, ope sublevavit. Tandem anno 420. famæ ac dierum satur, & senectute gravis in secessu Bethlehemitico rebus humanis exemptus est, ætatis suæ 91. Ut quæ de tanto viro dicenda sint, in pauca contraham; sufficit elogium, quod ipsi olim dicavit Prosper *, ætate suppar.

* Lib. de ingrat. non longè ab init.

Tunc etiam Bethlei præclari nominis hospes,
Hebræo simul & Graio, Latioque venustus
Eloquio, morum exemplar, mundique magister,
Hieronymus libris valdè excellentibus hostem
Dissecuit, noscique dedit, quo turbine veram
Vellent exortæ lucem obscurare tenebræ.

Ego Philosophus, Rhetor, Grammaticus, Dialecticus, Hebræus, Græcus, Latinus, Trilinguis; ut de se adversùs Rufinum loquitur †. His adde quòd consummatissimus erat Theologus, & judice Erasmo *, omnium Christianorum sine controversia longè tum doctissimus, tum facundissimus, & Theologorum princeps. Cæterum quod sanctissimi viri pace dictum sit, præfervidi erat & impotentis animi, qui affectibus suis nimis indulgebat; semel lacessitus, adversarios asperrimè tractavit, & ab invectiva ac satyrica scribendi vena vix ac ne vix temperavit. Testes sunt nobis satis luculenti inimicitiæ, quas cum Rufino olim sibi necessario, Joanne Hierosolymitano, Joviniano, Vigilantio, aliisque habuit. In hos arrepta levi quavis occasione, & remotâ omni pene gravitate, tota conviciorum plaustra evomit, nullâ personæ, dignitatis, eruditionis ratione habitâ. Et quid mirum? cum in ipsum D. Paulum Apostolum duram nimis & planè insolentem censuram exercere soleat. Quoties ipsum ad criticas Grammaticorum regulas anxiè expendit, *Solœcismos*, & *vitiosam elocutionem*, & quod *Sermone utatur triviali** objicit, (ut Apologiam pro semetipso hac de re scribere necesse habuit; *Nos*, inquit, *quotiescumque Solœcismos, aut tale quid annotamus, non Apostolum pulsamus, ut malevoli criminantur*, &c.) † quod *profundos sensus aliena lingua exprimere non valeret, nec curabat magnopere de verbis, cum sensum haberet in tuto*: adeoque * *non juxta humilitatem, ut plerique æstimant, sed verè dixisse Paulum, se sermone imperitum esse*. Denique † *stultum cum stultis Galatis factum, simplicioribus solummodò usum argumentis, & quæ stulti possent intelligere, & pene de trivio; adeò ut ni præmisisset, secundùm hominem dico, sapientibus displicere potuisset*. Mitto plura in hominem θεόπνευστον, & Apostolorum longè eruditissimum, durius dicta, ne viri doctissimi & de Ecclesia optimè meriti manes nimis sollicitare videar. In hoc etiam reprehendendus, quòd dum virginitatem immodicis prorsus laudibus efferat, de nuptiis minùs honestè, ac verecundè sentire videatur. Certè digamos tanquam scortis solummodò meliores facit, cum immundis Arcæ Noæ animalibus & serpentibus confert, mulieremque secundas nuptias repetentem, cani ad vomitum, suique lotæ ad volutabrum revertenti, comparare non erubescit. *Sed quisque suos patimur manes*. De ejus eloquentia unus Erasmus * sententiam dicat. *In illo*, inquit, *quæ phrasis! quod dicendi artificium! quo non Christianos modò omnes longo post se intervallo reliquit, verùm etiam cum ipso Cicerone certare videtur? Ego certè, nisi me sanctissimi viri fallit amor, cùm Hieronymianam orationem cum* Cicero-

† Adverf. Rufin. Apolog. 2. p. 233.
* Epist. lib. 5. Ep. 19.
* Com. in Ephes. c. 3. Tom 9. p. 215. 218.
In Galat. c. 3. p. 170.
† In Gal. c 6. p. 198.
* In Tit. cap. 1. p. 263.
† In Galat. c. 3. p. 176.
Vid. Epist. ad Geron. lib. adverf. Jovin. & alibi passim.
* Loc. cit.

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An.CCC.

Ciceronianâ confero, videor mihi nescio quid in ipso eloquentiæ principe desiderare. Tanta in hoc nostro varietas, tantum sententiarum pondus, tanta Enthymematum volubilitas. Quod artificium in eloquentium literis indicare, ut difficillimum est, ita longè utilissimum.

OPERA GENUINA.

AD Heliodorum Exhortatio de laude vitæ solitariæ, circa ann. 359. scripta.

De vitâ Clericorum ad Nepotianum, anno 393. scripta.

Epitaphium Nepotiani ad Heliodorum avunculum, anno 396. scriptum.

Institutio Monachi ad Rusticum Gallum.

Ad Florentium Monachum Epistolæ familiares II.

Institutio filiæ infantulæ ad Lætam.

De custodiâ virginitatis ad Demetriadem.

De servandâ viduitate ad Salvinam.

De eâdem re ad Furiam Epistola, anno 394. scripta.

De Monogamiâ ad Gerontiam.

Institutio infantulæ ad Gaudentium.

Institutio Monachi ad Paulinum.

De laudibus Asellæ ad Marcellam.

Marcellæ viduæ Epitaphium ad Principiam.

Invitatio ad secessum Bethlehemiticum ad Marcellam.

De xeniolis missis ad Eustochium.

De eâdem re ad Marcellam.

Laus integræ senectutis ad Paulum Concordiensem.

De custodiâ virginitatis ad Eustochium.

De conversione Blesillæ ad Marcellam.

De exitu Leæ ad Marcellam.

Epitaphium Blesillæ ad Paulam.

Consolatio super obitum uxoris ad Pammachium, anno 398. scripta.

Epitaphium Paulæ ad Eustochium filiam.

Exhortatio ad perfectam vitam ad Lucinum Bæticum.

Epitaphium Lucini Bætici ad Theodoram uxorem.

Epitaphium Fabiolæ ad Oceanum.

Ad Theophilum familiaris.

Consolatio cœcitatis ad Abigaum Presbyterum.

De eâdem re ad Castrutium.

Consolatio in rebus adversis ad Julianum.

De relinquendo sæculo ad Exuperantium.

Reconciliatoria ad Castorinam materteram.

Ad Julianum Diaconum familiaris.

Ad Theodosium & Anachoretas Syriæ familiaris.

Ad virgines Hermonenses familiaris.

Ad Rufinum gratulatoria, & de laude Bonosi.

Ad Nitiam amicum familiaris.

Ad Chromatium laus Bonosi.

Ad Chrysogonum familiaris.

De humilitate ad Antonium.

De non divellendo matrimonio absque mutuo consensu ad Rusticum.

De vitando suspecto contubernio.

Contra Sabinianum virginis sollicitatorem.

De miraculo Mulieris sæpiùs ictæ ad Innocentium.

Notandum D. Hieronymi *Epistolas* sæpius seorsim editas fuisse, prodierunt 2. Vol. *Romæ* 1468. fol. & à Jo. Andrea Episc. Alereensi recognitæ ibid. 1470. fol. ut sequiores Editiones mittam.

Vita Pauli Eremitæ.

Vita Hilarionis Monachi.

Vita Malchi captivi Monachi.

Catalogus Scriptorum illustrium ad Dextrum anno 392. scriptus. Prodiit seorsim unà cum aliis ejusdem argumenti Scriptoribus, ac notis Suffridi Petri instructus, *Colon.* 1580. 8°. cum notis Rosvveydi, *Lugduni* 1617. denique cum notis Miræi, *Antverp.* 1639. In quibusdam Catalogi hujusce editionibus habentur capita de Andreâ, Jacobo majore, Philippo, Bartholomæo, Thomâ, Simone Cananæo, Matthiâ, Timotheo, Tito, & Crescente, quæ Hieronymi non sunt, sed à studioso quodam aliunde adjecta sunt.

SÆC. IV. ab An.CCC.

De perpetuâ virginitate Mariæ adversùs Helvidium, circa an. 383. scriptus.

De virginitate adversus Jovinianum libri II. anno 392. scripti.

Adversus eundem ad Pammachium Apologia.

Adversus defensorem Joviniani ad Domnionem.

Exhortatio ad studium S. Scripturæ ad Pammachium.

Velitatio in errores Vigilantii ad Riparium Presbyterum.

Adversus Vigilantium de vigiliis ad sepulchra Martyrum.

Adversus errores Montani ad Marcellam.

Ad Riparium de Hæresibus expugnandis.

Ad Damasum adversus Arianorum hypostases Epistolæ II.

Adversus Luciferianos Dialogus, circa an. 383. scriptus.

Ad Avitum quid cavendum in libris περὶ ἀρχῶν *Origenis.*

Adversus Joannem Hierosolymitanum ad Pammachium.

Adversus eundem ad Theophilum.

Adversus Origenistas ad Pammachium & Oceanum.

Expostulatio cum Rufino de figuratis laudibus.

Adversus Rufinum Apologia ad Pammachium & Marcellinum, anno 400. scripta.

Adversus eundem liber secundus, anno 402. scriptus.

Responsio ad duas Invectivas Ruffini.

Adversus Pelagium ad Ctesiphontem Epistola, anno circiter 413. scripta.

Adversus Pelagianos Dialogi III. anno circiter 415. scripti.

Ad Marcellam familiaris.

Adversus Vigilantium liber, anno 496. scriptus.

Ad Theophilum Alexandrinum Epistolæ III.

Quatenus legendus Origenes ad Tranquillinum.

Adversus Arianos de fide suâ ad Marcum.

De oppressione Origenistarum per Theophilum ad Pammachium & Marcellam.

De Pelagianis oppressis ad Augustinum & Alipium, anno 419. scripta.

Ad Augustinum Epistolæ VII.

Quinam scripserunt de origine animæ ad Marcellinum, anno 411. scripta.

De Matrimonio post baptismum imputato ad Oceanum.

Quatenus adhibendæ literæ Gentilium ad Magnum Oratorem.

De gradibus Presbyteri & Diaconi ad Evagrium.

Ad Asellam adversus calumnias Æmulorum, anno 385. scripta.

Adversus Onasum obtrectatorem librorum suorum.

De optimo genere interpretandi ad Pammachium, anno 394. scripta.

Ad Marcellam adversus calumniatores emendatæ S. Scripturæ.

De Studio Divinæ Scripturæ ad Paulinum.

Præfatio in Pentateuchum ad Desiderium.

Præfationes in Josue, libros Regum, Paralipomena, in idem opus, in Esdram & Neemiam, in Tobiam, in Judith, in Hester, in Job, in eundem è LXX. versum, in Proverbia, in Ecclesiasten, in Esaiam ex Hebræo versum, in Hieremiam, in Ezechielem, in Danielem,

SÆC. IV. ab An. CCC. *Danielem, in* XII. *Prophetas, in Joelem, in quatuor Evangelia castigata.*

De tribus quæstionibus ad Damasum.
De Melchisedeco ad Evagrium.
De XLII. Mansionibus ad Fabiolam.
De vestibus Sacerdotalibus ad eandem.
De Terra promissionis ad Dardanum.
De Ephod bad ad Marcellam.
De judicio pueri Salomonis ad Ruffinum.
Des Salomone & Achaz prematuræ patribus ad Vitalem.
De Tharsis in V. Testamento ad Marcellam.
De ordine ac titulis Psalmorum ad Sophronium.
Emendatio Psalterii in certis locis ad Suniam & Fretelam.
De decem mysticis nominibus Dei ad Marcellam.
Quid sint Alleluia, Amen, & Maranatha, ad eandem.
Quid sit Sela, hoc est Diapsalma, ad eandem.
Explanatio Psalmi LXXXIX. *ad Cyprianum.*
Explanatio Psalmi XLIV. *ad Principiam.*
Expositio Psalmi CXXVI. *ad Marcellam.*
Expositio primæ visionis Esaiæ ad Damasum, circa an. 380. scripta.
De Seraphim & calculo ardenti ad eundem.
Quid sonet Hebræis Osanna, ad eundum.
De prodigo Filio ad eundem. Tres isti Tractatus circa an. 383. scripti videntur.
De tribus quæstionibus ad Amandum.
De quatuor quæstionibus ad Marcellam.
De blasphemiâ in Spiritum Sanctum ad eandem.
Ad XII. quæstiones Hedibiæ.
Ad XI. quæstiones Algasiæ.
In Canticum Canticorum Homiliæ II. ex Origene versa, anno, uti conjicit Baronius, 382.
In illud Pauli, Omnes quidem dormiemus, &c. ad *Minerium & Alexandrum tractatus* anno 406. scriptus.
De duabus quæstiunculis ad Paulinum.
Ad Desiderium familiaris.
Interpretatio Alphabeti Hebraici ad Paulam Urbicam.
Quæstiones sive Traditiones Hebraicæ in Genesin, quas à studioso quodam abbreviatas esse suspicatur Erasmus.
Commentariorum in Esaiam libri XVIII. *ad Eustochium* circa an 410. scripti.
Commentariorum in Hieremiam libri VI. *ad Eusebium,* circa an. 414. scripti.
Commentariorum in Ezechielem libri XVI. *ad Eustochium,* paulò post an. 410. scripti.
Commentarii in Danielem ad Pammachium & Marcellam.
In Osee Commentariorum libri III. *ad Pammachium.*
In Joel, Amos, & Abdiam Commentarii ad eundem.
In Jonam Commentarius ad Chromatium.
In Micheam Commentariorum libri II. *ad Paulam & Eustochium.*
In Nahum Commentarius ad easdem.
In Sophoniam & Aggeum Commentarii ad easdem.
In Habacuc Commentariorum libri II. *ad Chromatium.*
In Zachariam Commentariorum libri III.
In Malachiam Commentarius. Commentarii in XII. *Prophetas,* circa an. 406. scripti sunt.
In Ecclesiasten Commentarius ad Paulam & Eustochium.
In Evangelium Matthæi Commentariorum ad Eusebium libri IV.
In Epistolam ad Galatas Comment. libri III. *ad Paulam & Eustochium.*
In Epistolam ad Ephesios Comm. libri III. ad easdem.
In Epistolam ad Titum Commentarius ad easdem.
In Epistolam ad Philemon in Commentar[illegible]*s.*
De Spiritu Sancto Liber Didymi, int[illegible]p[illegible]te Hieronymo, cum præfatione ad Pau[illegible]ianum fratrem.

SÆC. IV. ab An. CCC.

Psalterium ex Hebraico ab ipso Hieronymo Latinitate donatum. Plurimum laborem Hieronymus S. Scripturæ partim de novo vertendæ, partim emendandæ impendit. Juvenis adhuc totum vetus Testamentum Latinum cum Græcis Hexaplorum Codicibus collatum emendavit, additis ubicunque aliquid mutaret, notis & asteriscis. Quosdam etiam libros & in his Psalmos è Græco accuratè convertit. Verùm ista versio dudum periit; quin & Psalterium postea Latinum à Damaso rogatus ex Lucianea τῶ editione bis correxit, quod ab eo correctum à Romana Ecclesia statim usurpari cœpit, & in Bibliis vulgatis hodienum extat; uti & Testamentum Novum pari modo ab eo ex Græcis fontibus repurgatum. Quinetiam Græcam τῶ LXX. versionem ex melioris notæ exemplaribus correctam atque emendatam in studiosorum usum edidit. Ætate provectior in secessu Bethlehemitico omnes Veteris Testamenti libros à Judæis pro Canonicis habitos ex Hebraica veritate in Latinum sermonem convertit, quibus etiam addidit libros Judith & Tobiæ ex Chaldæa lingua versos. Ex hac versione hodie extant Liber Psalmorum (qui inter opera ejus legitur) & Prophetæ. Prophetarum enim versio Hieronymiana in vulgatis Bibliis levem admodum mutationem passa habetur, integra verò ac pura extat inter Commentarios ejus in Prophetas. Quod ad cæteros V. Testamenti libros ab eo versos attinet, quicquid ex iis extat in vulgatis Bibliis conservatur, cum antiqua versione Latina ex Græco facta permixtum ac confusum; adeò ut quænam sint Hieronymum, quænam antiquæ versionis vix ac ne vix dignosci queat. Denique mihi notare liceat Hieronymum, ut reliquorum Novi Testamenti librorum, ita & Epistolarum Canonicarum novam versionem adornasse; His Prologum præfecit ad Eustochium Virginem; qui etsi in omnibus pene Codd. MSS. reperiatur, in impressis tamen rarò habetur; etiam in editionibus Erasmianis desideratus. Præmisit eum expositioni suæ in Epistolas Canonicas Nicolaus de Lyra Tom. ult. fol. 209. In hoc Prologo duo præcipuè nos docet Hieronymus. Primò, in Codicibus Latinis suo tempore B. Petri Epistolas inter septem Canonicas primum locum tenuisse: *ut, quia Petrus primus erat in ordine Apostolorum, primæ sint etiam ejus Epistolæ in ordine cæterarum.* Ipse verò Græcos Codices secutus, eas proprio ordini restituit. Secundò decantatissimum illum S. Joannis in prima Epistola de Trinitate locum ab infidelibus translatoribus (Arianos præcipuè intelligit) deletum esse Patris, Verbi, & Spiritus S. testimonio penitùs omisso. Unde nil mirum videri debeat, si in tot Codicibus MS. hodiè desideretur.

Loca Hebraica ex Eusebio translata, laxiori tamen versione plurimis de suo additis ac mutatis.

Nomina Hebraica Veteris ac Novi Testamenti secundum ordinem literarum ex Philone & Origene versa quibusdam immutatis, quibusdam additis.

Homiliæ in Hieremiam XIV. *& in Ezechielem* totidem; quæ ex Origene versæ inter Opera hujusce habentur unà cum Hieronymi Præfatione.

In Lucam Homiliæ XXXIX. ex eodem versæ inter Origenis Opera.

Canones Evangeliorum ex Eusebio versi, præfatione addita.

Chronici Eusebiani Versio Latina, hoc Chroni-

Cave Hist. Lit.

SÆC. IV. ab An.CCC con insuper ab anno CCCXXXVII. usque ad an. CCCLXXX. continuavit. Vid. suprà in Eusebio.

DUBIA.

Epistola ad Augustinum, quæ sic incipit, *Cùm in Urbe.*

Alia ad eundem, quæ sic incipit, *Anno præterito.*

Epistola ad Apronium.

Epistola ad Theophilum III.

Præfationes in Baruch, & Maccabæorum libros.

Traditiones Hebraicæ in Libros Regum & Paralipomenωn, quæ ex genuinis Hieronymi Commentariis plurima decerpta habent.

Loca ex Actis Apostolorum. Opus eruditum.

Symbola fidei ad Damasum & Cyrillum, prius Pelagii esse contendunt Bellarminus & Launoius.

In Esaiam Homiliæ IX. ex Origene versæ, inter cujus Opera habentur. Cæterùm multæ aliæ Origenianorum Opusculorum versiones Hieronymo partim Ruffini fraude, partim Librariorum inscitiâ malè inscriptæ sunt.

Præfationes in Psalterium II. & in Proverbia totidem.

SPURIA.

Epistola ad Celantiam, quæ Paulini Nolani videtur.

Præfationes in Marcum, Lucam, Joannem & Job.

In Hieremiæ Threnos Libri III. quos alii Bedæ, alii Rabano tribuunt.

Commentarii in Job & Proverbia Salomonis, qui Bedæ vulgò tribuuntur, Philippi autem Presbyteri potiùs esse videntur, ex Hieronymi tamen lucubrationibus plurima decerpta habent; nam (ut alia mittam) Faustus (qui circa ann. CCCXXX. scripsit) lib. de Creat. testimonium ex Hieronymo citat, quod in fine Explanat. c. 25. Job ad verbum habetur.

Quæstiones in Habaccuc, quas tanquam Hieronymo penitùs indignas in editione suâ omisit Marianus Victorius.

In Evangelium Marci Commentarius.

De Virginitate ad Demetriadem. Pelagii est licèt illi abjudicent, atque anno CCCCXIII. scriptam censeant Benedictini Parisienses in nuperâ suâ Augustini Operum editione.

Ad Gerontii filias de contemnenda hæreditate Epistola, (Pelagiani cujusdam) quæque istam sequuntur Epistolæ IX.

De septem gradibus Ecclesiæ ad Rusticum Episcopum.

De laude Virginitatis ad Mauritii filiam.

De his quæ Deo in S. Scripturis attribuuntur.

De Cereo Paschali ad Præsidium Diaconum, cujus Author Hieronymi saltem ut æqualis erat.

De vera Circumcisione ad Therasiam Epistola, quæque eam sequuntur *Epistolæ seu Tractatus* XV.

De *Observatione Vigiliarum.* Niceti Trevirensis esse videtur.

Ad Pammachium & Oceanum Epistola exhortatoria, quæque istam sequuntur Epistolæ III.

Commentarii in Epistolas S. Pauli ad Heliodorum, quos Pelagii esse deprehensum est.

Epistola ad Tyrasium de morte filiæ Consolatoria.

Ad Oceanum de ferendis opprobriis.

Ad eundem de Vita Clericorum.

Ad Damasum Epistola brevis, quæ incipit, *Beatissimo Papæ.*

De Scriptoribus aliquot Ecclesiasticis ad Desiderium.

Ad Paulam & Eustochium de virtute Psalmorum

Ad Damasum de Oblationibus altaris. SÆC. IV. ab An.CCC

Regula Monachorum capitibus XLI. constans.

De Nativitate B. Mariæ tractatus, unà cum Epistolâ ad Chromatium & Heliodorum Nuncupatoriâ.

Sacra Sententiæ Theodoti, Hieronymi versionem ementitæ, à Mariano Victorio primùm editæ.

De Vitis Sanctorum Patrum Liber, sub Hieronymi nomine *Antverp*, 1615. 1628. & alibi sæpiùs excusus, partim ex Hieronymo, partim ex multis aliis Autoribus consarcinatus.

Indiculus de Hæresibus, *Parisiis* editus anno 1617. à Claudio Menardo.

Martyrologium.

Comes sive Lectionarius, extat apud Pamelium Liturgicorum Tomo II. Præfationem hujusce libri extulit Dacherius Spicileg. Tom. XIII. & ante Dacherium Fl. Illyricus unà cum aliis *Magdeburg*, 1549. 8°. Hunc *Comitem* multo quàm editus sit à Pamelio, ampliorem se habuisse testatus est Cornelius Scultingius, ejusmodi Exemplar edidit Baluzius ad calcem Capitulorum Regum Franc. Citatur sub Hieronymi nomine, tituloque Comitis & Lectionarii à Micrologo c. 25. Bernone Augiensi c. 1. Hugone de S. Victore de Off. Eccl. l. 2. c. 11. Plura de hoc libro habet Cardinalis Bona Rer. Liturg. l. 2. c. 6. §. 2. qui illum Hieronymo sed levi quidem argumento nixus, asserere conatur.

ἈΝΕΚΔΟΤΟΝ.

Commentarii in Psalmos prolixiores ac eruditissimi, qui in multis Bibliothecis MSS. extant, teste Turriano Apolog. pro Epist. Pontif. l. 2. cap. 6.

DEPERDITA.

De tribus Quæstionibus Legis Veteris Homiliæ III.

In Psalmos, à X. ad XVI. *Tractatus* VII. ex Origene versi, uti forsan & Homiliæ. Utriusque Operis ipse meminit, lib. De Script. in Eccl.

Commentarii in Job, Psalmos, &c.

Commentarius in Abdiam prior, quem circa ann. CCCLX. scripsit.

Origenis libri περὶ ἀρχῶν ab eo fideliter versi.

Epistola ad Paulam omnium Origenis Operum indiculum complexa, cujus fragmentum exhibet Ruffinus Invect. 2.

Theophili liber Paschalis ab eo versus.

In Evangelia quatuor Commentarius unico Volumine comprehensus.

Commentarius in Apocalypsin.

De Hæresibus Liber, de quo Augustinus lib. de Hæres. in fine, nisi forsan idem sit opusculum, quod edidit Menardus hoc titulo, S. Hieronymi Stridonensis Indiculus de Hæresibus Judæorum. *Vid. suprà.*

De *Resurrectione Carnis.* Vid. eundem Epist. 261.

Epistola ad Antium, quâ obscurissimas elucidavit quæstiones.

Epistola ad Chromatium & Heliodorum, *Vitas Patrum, ac Passiones Martyrum* complexa; cujus meminit Cassiodorus *.

* Lect. divin. c. 32.

ALIENA (quæ inter Hieronymi Opera habentur.)

Commentarii in omnes Psalmos, à plurimis, iisque incertis Autoribus conscripti: in quibus tamen plurima verè Hieronymiana inesse dubitari nequit. Enarrationi enim Psalmi XCIII. (ut alia argumenta taceam) totidem verbis inseritur fragmentum

Digitized by Google

SÆC. IV. abAn.CCC.

mentum Hieronymianæ Expositionis ab Augustino in Epist. ad Fortunat. citatum: quin & in expositione Psalmi L. referuntur verba Hieronymi allegata à Gregorio M. in explanat. quarti Psalmi Pœnitent. Genuinum esse Hieronymi Opus quamplurimis argumentis probare enixè contendit Marianus Victorius; qui argumenta è contra allata diluere satagit; verùm in solvendis iis argumentis res adeò infœliciter ei cessit, ut operam lusisse videatur.

Epistola Paulæ & Eustochii ad Marcellam, eam in secessum Bethlehemiticum invitans, ab Hieronymo, ut videtur, dictata.

Epistola Pammachii & Oceani ad Hieronymum.

Evangelia Lucæ & Joannis ex vetustis exemplaribus emendata ab incerto Autore.

Epistola Valerii ad Ruffinum de non ducenda uxore.

Regula Monachorum ex Hieronymi Scriptis per Lupum Olivetanum consarcinata, & à Martino Papâ post annum MCCCCXVII. approbata.

Dialogus Hieronymi & Augustini de Origine animarum, ex ipsorum Scriptis collectus, ab incerto, insulso tamen, Autore.

Homilia de Corpore & Sanguine Christi, & alia super Evangelium Matthæi, incerti Autoris.

Reperiuntur ibidem nonnulla *Augustini, Damasi, Theophili, Anastasii, Epiphanii & Ruffini*; de quibus in suis locis plura videas.

Prodierunt Hieronymi Opera, curâ Erasmi *Basil.* 1516. 1526. 1553. (quæ nitida planè est & accurata editio) 1565. *Romæ* 1566. 1572. (quam ab erroribus Erasmi purgatam esse monet Bellarminus*, an idem sequentibus Pontificiorum editionibus contigerit, viderint Eruditi) 1580. *Antverpiæ* (curâ Marii Victorini) 1578. *Coloniæ* 1616. *Paris.* 1533. 1546. 1579. 1602. 1623. (cui variæ Observationes & emendationes accesserunt) denique *Francofurti* 1684. in XII. Tomis unà cum omnibus omnium Notis, Scholiis, censuris, indicibus, aliisque ad Hieronymi Opera spectantibus Collectaneis quibuscunque, quę tribus ultimis Tomis comprehenduntur.

*De Script. p. 40.

379. TIMOTHEUS, Petri Episcopi Alexandrini frater, cui in sede successit circa ann. CCCLXXIX. Anno CCCLXXXI. inchoatâ jam Synodo unà cum Episcopis suis Constantinopolim profectus est, ubi Gregorium Nazianzenum in sede CP. non exspectato consensu suo à Patribus confirmatum indignatus, eum totis viribus oppugnavit, Maximi partes tutandas in se suscipiens, effecitque, ut clamorum ac molestiarum pertæsus, sede suâ sese abdicaret Gregorius.

Obiit anno CCCLXXXV. Scripsit inter alia *Librum de Vitis* Monachorum, cujus mentionem facit Sozomenus*, quemque injuria temporum nobis eripuit. Extant hodie ab eo scripta Græc. Lat. *Responsa Canonica* ad interrogationes ei propositas de Episcopis & Clericis, cum Balsamonis commentariis *Paris.* 1618. & in Pandect. Canon. Tom.II. *Oxon.* 1672. Habetur etiam sub ejusdem nomine *Narratio de Miraculis S. Menæ* matyris Ægyptii Lat. apud Surium ad X. Novemb. Scripsisse quidem Timotheum SS. Patrum & Monachorum quorundam Vitas testis (ut diximus) est Sozomenus*: & ejusdem plerasque esse vitas, quæ in Vitis Patrum hodie circumferuntur, conjicit Cl. Vossius†. Denique ejusdem *Epistolam ad Diodorum Tarsensem* citat Facundus l. 4. c. 2.

*L. 6. c. 29. p. 680.

*Loc. cit.

†De Hist. Gr. l. 2. c. 19.

379. P. II. TIMOTHEUS, Episcopus Alexandrinus, in eâ sede successit, anno circiter CCCLXXIX. Scripta ejus alibi recensuimus; Extat Græcè MS. Sermo, sive Narratio *de Miraculis S. Martyris Menæ*. Pr. Ἐγένετο καὶ τὴν τελευτὴν τοῦ ἀσεβεστάτου. Vide L. Allatium *Diatr. de Simeon.* p. 86. Latinè habetur apud Surium *Novemb.* X. Scripsit item Tractatum *de Hæresi Manichæorum*, in quo inter alia de Manichæorum Scriptis XIII. agit, in quibus duodecimum locum habuit Epistola ad Laodicenses. Extat hoc Opusculum Græcè MS. penes Galeum nostrum. Quæri non immeritò potest annon plures Timothei Canones apud Orientales hodie asserventur. Certè F. Naironus *Euopl. Part.* II. p. 252 quædam Syriacè adducit ex *responsione ad Quæst.* XIV. quæ in Græcis hodiè non occurrunt, & p. 153. citat *respons. ad Quæst.* XVIII. adeò ut vel diversæ sint à responsis canonicis, quæ habemus hodiè, vel numero & copiâ auctiores, vel quòd magis suspicari libet, eadem responsa à Syro quodam paraphrasticè exposita, & forsan aucta.

SÆC. IV ab An.CCC

GELASIUS Senior, Cyrilli Hierosolymorum Antistitis nepos, ab avunculo suo in sede Cęsariensi Palæstinæ anno CCCLXXX. constitutus. Anno sequenti Concilio secundo Oecumenico interfuit, & scripsit adhuc exeunte hoc Sæculo. Vir, teste Theodorito*, λόγῳ καὶ βίῳ κοσμούμενος, *doctrina simul ac sanctitate vitæ conspicuus, accurati etiam limatique sermonis*, inquit Hieronymus†. *Duos Ruffini Historiæ Ecclesiasticæ libros in Græcum sermonem* transtulit; ut nos docet Photius §: quod verò ex Gelasii Præfatione subdit, Cyrillum ei ad hæc ipsa scribenda autorem fuisse, quodque aliunde habet, Cyrillum ipsum junctis cum Gelasio operis versionem istam cudisse, impossibile esse exinde constat, quòd post exactum ferè à Cyrilli morte decennium Ruffinus Historiam suam Ecclesiasticam conscripserit. Porrò extat apud Theod. Dial. 3. p. 167. fragmentum *Homiliæ* Gelasii nostri in Epiphania. 380.

*L. 5. c. 8.

†De Script. c. 130.

§. Cod. 89.

GELASIUS, Cæsareæ Palæstinæ Episcopus creatus est, anno CCCLXXX. Scripsit *Expositionem τοῦ μαθήματος*, ex quâ fragmenta quædam proferuntur in Collectione Græcâ MS. *Testimoniorum* sub nomine Joann. Damasceni in Cod. Claromontano cap. 4. pag. 15. teste Labbeo *Conspect.* Oper. Damasc. p. 49. Item *Practicam στοιχειώσιν* secundùm Ecclesiam, ex cujus libro 2. fragmentum adducitur ibid. cap. 15. P. II. 380.

EVAGRIUS, Presbyteri filius, ex Iberorum urbe quæ ad Euxinum Pontum sita est, oriundus, inde Hieronymo *Hyperborita* dictus, à S. Basilio Ecclesiæ Cæsariensis Lector ordinatus, post ejus mortem à Gregorio Nysseno Diaconus factus, claruit ab anno CCCLXXX. A Gregorio Nazianzeno S. literarum scientiam hausit, ab eo ad Ecclesiæ Constantinopolitanę Archidiaconatum provectus. Cumque vultu esset eleganti, & exquisito vestium cultu uteretur; à magnate quodam suspectus quasi uxorem ejus nimis familiarem haberet, vitæ discrimen adiit. Cæterum ab Angelo in somnio admonitus, tactisque Evangeliis se urbe extemplò egressurum esse juramento adactus sibi visus, relictâ post annum CCCLXXXV. Constantinopoli Hierosolymam petiit, à Melaniâ Romanâ domo exceptus; cujus hortatu cùm vitam exinde Monasticam agere statuisset, in Ægyptum profectus est; & in Nitriensi quodam Monasterio per quindecim annos delituit, utriusque Macarii in vitâ asceticâ discipulus. Quò loci dum maneret, Episcopatûs onus, quod nullo non lapide moto ei imponere sategit Theophilus Alexandrinus, dolo quodam se subducens penitus recusavit. Origenistarum partes strenuè propugnavit, quo nomine Hieronymo sæpè vapulat. Grandævus obiit; quo anno non liquet. Vir erat notante Sozomeno*, imprimis doctus, tum intelligendi facultate tum dicendi copiâ præditus, in di- 380.

Sozom. l. 6. c. 30. Pallad. Hist. Lausiac. c. 86.

*Loc. cit.

 stin-

Digitized by Google

stinguendis cogitationibus, quæ aut ad virtutem aut ad vitium tenderent sagacissimus: moribus moderatis, & ab omni arrogantiâ ita alienus, ut nec jure meritò laudatus præconiis intumesceret, nec immeritò vituperatus contumelias iniquo animo ferret. Miraculorum & portentorum fama Præceptorum utrivis nequaquam cessit, ingenti insuper vitæ abstinentiâ admodùm clarus. De stylo ejus ita Nicephor. Θαυμάσια δὲ πάντα (Opera ejus) καὶ νοήμασι καὶ φράσει μικρῷ τὸ ἐπαγωγὸν ἐπαυχένια, καὶ διέγνω ὃ ἀνήρ, ὁ τούτοις ἐν τυχὼν ἐστίν. *Scripta ejus admiranda sunt, & sententiis & elocutione ad persuadendum prorsus accommodata: & qui ea legit qualis is vir fuerit cognoscet.*

SCRIPTA.

Vid. Hiero. ad cresc. advers. Pelag. p. 252. Nicephor. l. 11. c. 42.

Scripsit *Orationes sive Preces (Gnostica Problemata* DC. *Epistolam ad Melaniam, Librum & Sententias* περὶ ἀπαθείας seu de *Impassibilitate*, *Librum centum Sententiarum in Anachoretarum usum,)* qui an idem sit cum *Sententiolas paucas valdè obscuras*, quas in Latinum sermonem vertit Gennadius*. Στιχηρῶν (pro quo ἱερῶν habet Palladius) *sive Elementarium libros* II. *alterum ad Monachos in Cœnobiis degentes, ad Virgines Deo sacratas alterum.* Habentur ista Στιχηρὰ Lat. in Bibliotheca Patr. Tom. XXVII. ubi licèt incertæ ætatis Scriptori ascribantur, nostri tamen esse ipso sole clarius constat. *Monachicum*, seu περὶ τ̃ Πρακτικῆς, Capitulis C. constans: ex hoc libro fragmentum recitat Socrates l. 3. cap. 7. aliud verò longè amplius l. 4. c. 23. *Integrum Tractatum* Gr. Lat. cum notis edidit Cl. Cotelerius Monument. Eccles. Græc. Tom. III. pag. 70. præmissâ etiam Gr. Lat. Epistolâ ad Anatolium, quæ *Practico* ac *Gnostico* Præfationis vicem obit. Scripsit enim Evagrius *Gnosticum seu de iis qui cognitionis munere donati sunt*, in L. capita distributum; quem à se Latinè versum esse testatur Gennadius: ex eo fragmentum extat apud Socrat. l. 4. c. 23. Denique Ἀντιρρητικὸν ex S. Scripturis collectum contra Dæmonas tentatores, & juxta numerum octo vitiosarum cogitationum in octo partes divisum, Anatolio nuncupatum; quod à se Latio donatum esse fatetur Gennadius. Extat Lat. titulo *De octo vitiosis cogitationibus*, Bibliothecæ Patr. Tom. XXVII. Primus Græcè ac Latinè extulit Doctissimus Emericus Bigotius, & cum Palladio de Vitâ Chrysostomi edidit *Paris.* 1680. 4. qui tamen dubitat, an hic, quem nos habemus, liber idem sit cum eo ejusdem argumenti à Socrate* memorato: cùm in eo nihil de S. Scripturis collectum legatur. Non invitus tamen concedit, fieri potuisse; ut tractatus iste ἀποσπασμάτιον sit operis à Socrate descripti, detractis nempe testimoniis desumptis, & retentis Evagrii verbis, quæ pravas hominum cogitationes graphicè depingebat. Porrò *Liber de rerum Monachalium rationibus, earumque juxta quietem appositione*; qualem scripsisse Evagrium ex Vitis Patrum constat, Gr. Lat. cum notis editus est à Cotelerio Monument. Eccl. Græc. Tom. III. p. 103. Idem Cotelerius Evagrii *Fragmentum seu Scholium in nomen Dei Tetragrammatum PIPI.* Gr. Lat. cum notis dedit ibid. p. 116. Cæterùm plurima Evagrii Opera in Latinum sermonem convertit Ruffinus: verùm istæ versiones dudum interierunt.

* De Script. c. 11.

* L. 4. c. 23.

380. Nazianz. de Vitâ suâ p. 12. Orat. 23. Greg. Presb. de Vit. Nazianz. p. 20.

MAXIMUS, genere Ægyptius, Patriâ Alexandrinus, Parentes habuit non infimæ sortis, eosque ut fama est, Martyres; quin & ipse post Athanasii mortem se ob fidem Oasim relegatum esse gloriari solebat. Vitæ instituto se Philosophum Cynicum professus est; nec deerant pallium, baculus & promissa barba, mores protervi & inverecundi, proque istius sectæ genio projecta temeritas ac mordacitas: nec leve sibi nomen apud exteros comparaverat; unde ad illum Basilii Epistolæ hodie supersunt. Claruit præcipuè anno CCCLXXX. Relictâ Alexandriâ Constantinopolim pervenit: advenientem Gregorius Nazianzenus non modò Oratione Encomiasticâ, sed & hospitio excepit; mensæ adhibuit; fidei elementis plenius imbuit; sacro lavacro tinxit; tandem in Cleri ordinem cooptavit. Verùm beneficiorum & amicitiæ oblitus Maximus, accitis ex Ægypto tribus Episcopis absente Nazianzeno, se Constantinopolis Episcopum ordinari curavit. At populo, ipsis etiam Arianis, factum indignatis & in Ecclesiam irrumpentibus, fugati Episcopi reliquam scenæ partem in Choraulæ cujusdam ædibus peragere coacti sunt. Quin & ipse Maximus furente plebe totaque conviciorum plaustra in perfidum hominem effundente, ex Urbe profugit; ac primò Synodo Aquileiensi, deinde Theodosio Imp. causam suam cognoscendam commendavit. Verùm frustra omnia molitus, à Synodo etiam Constantinopolitanâ damnatus Alexandriam repetiit: ubi concitatâ adversus Episcopum factione à Præfecto Augustali urbe ejicitur. Quid de eo exinde factum sit, non constat. Scripsit, teste Hieronymo †, insignem *de Fide adversus Arianos Librum*; quem Mediolani Gratiano, Imperatori obtulit. NE.

† De Script. c. 127.

NEMESIUS, ex Philosopho Christiano Episcopus, ut volunt, Emisenus, claruit circa an. CCCLXXX. Alii illum sæculo quinto ascribunt. Verùm incerta omnia: de eo enim planè silent Veteres. Extat quidem inter Nazianzeni Carmina *Epistola* quædam Nemesio cuidam juris perito dicata; sed an noster is sit Nemesius, planè incompertum est. Quisquis certè fuerit, Origenis dogma de animarum præexistentiâ propugnat, & Hæreticos Manichæum, Eunomium & Appollinarium nominatim refellit: adeò ut circa hoc tempus scripsisse non mala exinde conjectura duci possit. Extat Gr. Lat. Liber *de Naturâ Hominis* in Auctuario Biblioth. Patr. *Paris.* 1624. Tom. II. p. 466. seorsim *Antverp.* 1565. denuò recognitus & notis illustratus *Oxon.* 1671. 8°. 380.

PHILASTRIUS, vel potiùs *Philaster*, gente forsan Italus; Presbyter factus, teste Gaudentio, *Pauli Apostoli sedulus imitator, totum ferè orbis Romani ambitum circumiit, ut Gentiles & Hæreticos erroribus liberatos ad veram Christi notitiam perduceret. Strenuus Catholicæ veritatis adversus Arianos propugnator, eorum hæresim rationibus ac argumentis ubique prostravit. Romam demum profectus, Hæreticorum plurimos ad Orthodoxam veritatem reductos Christo lucratus est. Brixiensis Episcopus factus Auxentio Mediolanensi Arianorum duci in Catholicos grassanti animosè restitit, invictus fidei Nicænæ athleta; eo nomine ab Auxentio variis injuriis exagitatus, ac flagris etiam subditus. Claruit circa an. CCCLXXX. Ambrosio ad sedem Mediolanensem provecto perquàm familiaris fuit; apud quem Mediolani eum versantem se vidisse testatur Augustinus*. Anno CCCLXXXI. Synodo Aquileiensi interfuit. Obiit superstite adhuc Ambrosio, anno, ut volunt, CCCLXXXVII. verùm id parùm liquet. 380.

* Encom. Philastrii ap. Sur. ad 18. Julii.

* Lib. de Hæres. in init.

Scripsit *Librum de Hæresibus*; in quo Catholicæ veritatis amorem ubique spirat, judicium verò minùs accuratum sæpiùs prodit, dum Hæresibus accenseat ea dogmata, quæ eo nomine notari minimè mereantur. Extat in Biblioth. Patr. Tom. VII. p. 701. seorsim verò unà cum Idacio Claro *Basil.* 1528.

Digitized by Google

SÆC. IV. 1528. *Helmstad.* (curâ Fuchstenii) 1611. 8°. cui
ab An.CCC. etiam Supplementum incerti autoris accessit.

381. NECTARIUS, Tarso Ciliciæ oriundus;
Sozom. l. 7. Vir Senatorii ordinis dignitate in Urbe Constan-
c.8. 22. tinopoli perfunctus. Vacante jam sede CP. anno CCCLXXXI. cùm in Patriam reditum adornaret, & Diodorum Tarsensem Episcopum conveniret, ecquid ille Tarsi factum vellet, sciscitaturus; Diodorus canitiem viri, vultumque sacerdotio dignum, & morum gravitatem reveritus eum sedi præficiendum censuit: ac proinde effecit, ut inter eligendorum nomina Imperatori offerenda, ejus quoque nomen, omnium quidem postremum in chartâ scriberetur. Perlecto indiculo, in Nectario substitit Imperator, eumque elegit: nec ab hâc sententiâ divelli poterat. Imperatoris judicio universi protinùs cesserunt, ac suffragiis suis comprobarunt. Mox igitur baptizatus Nectarius communi omnium Episcoporum calculo Constantinopolis Episcopus renunciatur. Anno CCCLXXXIII. Theodosio Imperatore ab omnium Sectarum principibus Dogmatum suorum rationem exposcente, summa prudentia effecit, ut approbata Homousianistarum fide, Hæretici & causâ sua & collectas agendi libertate exciderent. Obiit anno CCCXCVII. Extat Latinè sub ejus nomine *Homilia de S. Theodoro,* inter Chrysostomi Homilias quasdam excusa, *Paris.* 1554. 8°. Verùm an genuina sit, meritò dubitari posset. Habetur etiam *Sententia* ejus *Synodalis de Episcopatu Bostrensi.* Gr.Lat.Jur.Gr.Rom.l.4.

381. FLAVIANUS, Nobili genere natus, Patriâ
Theod. l. 2. (ni fallor) Antiochenus, Monasticum vivendi in-
c.24. l.4. stitutum secutus est: Monachus adhuc contra Aria-
25. nos strenuè militavit, Leontio Antiochiæ Episcopo intrepidè obstitit; & Diodori ope atque Consilio adjutus, exulante Meletio gregis Antiocheni curam egit, primusque Psallentium chorum duas in partes divisit, & Davidicos Hymnos alternatim canere docuit. Hunc quidem canendi morem So-
* L. 6. c. 8. crates* nullâ, quod sciam, autoritate fultus ab ipso Ignatio tertio Antiochiæ Episcopo deducit, qui aliquando in somno viderat Angelos hymnis alternatim decantatis SS. Trinitatem celebrantes. Postea Presbyterii dignitatem adeptus est; & mortuo tandem Meletio anno CCCLXXXI. Antiochiæ Episcopus constituitur communi Concilii Constantinopolitani suffragio electus, Diodoro Tarsi, & Acacio Berœæ Episcopis manus imponentibus, universa Ecclesia communi consensu & quasi uno ore eum honorante; ut ipsi Patres datis ad Damasum literis hac de re loquuntur. Nihilominus
Ap. Theod. dissimulandum non est, id vitio ipsi datum esse,
l.5. c.9. eò quod juramento olim sese obstrinxisset, se superstite adhuc Paulino, novi Episcopi Meletio subrogandi electioni non consensurum. Hoc facto Schisma Antiochenum acrius recruduit, non plebe modò, sed & totius ferè orbis Episcopis in diversas partes abeuntibus. Occidentales enim & Ægyptii cum Arabicis & Cypriis Paulino adhærebant: Syri verò Palæstini, Phœnicii, Armeni, Cappadoces, Pontici, & longè maxima Orientalium pars Flaviani causam fovebant. Post mortem demum Paulini, ejusque successoris Evagrii, pro egregia, quâ pollebat, prudentia Ecclesiæ Antiochenæ extincto schismate pristinam concordiam restituit: atque ita populus à longo tempore divisus in unum coaluit. Quin & mediante Theophilo Alexandrino Damasus cæterique, qui à Flaviani communione abhorrebant, pacificas ad illum dederunt literas. Anno CCCLXXXVII. vel sequenti, exorta est furibunda illa Antiochensium seditio, quâ Imperatoris & Augustæ statuas dejecerunt, omnique contumeliarum genere lacessiverunt. Mis- SÆC. IV.
sus idcirco publico civitatis nomine Constantino- ab An.CCC.
polim Flavianus, demisso vultu, animoque, supplici prece, morum gravitate, suavique eloquentiâ effervescentem Imperatoris animum lenivit. Quo facto lætus domum rediit, magna populi acclamatione & effuso totius civitatis gaudio exceptus. Obiit circa an. CCCIII. Scripsit *Epistolas aliquot*, ex quibus *unam ad Osrbenos Episcopos, alteram ad Armenum quendam Episcopum* memorat Photius*; item *Homilias quasdam.* Ex Ho- * Cod. 52.
miliis enim *de Joanne Baptistâ,* & in illud, *Spiritus Domini super me*, fragmenta exhibet Theodoritus Dial.1. p.43. qui & ex ejusdem *Homiliâ in Theophaniâ, & Tractatus in Evangelium Lucæ* lacinias adducit Dial.2. p.105.

PRISCILIANUS*, Ortu Hispanus, familiâ Sulpit. Sacr.
nobilis, prædives opibus, à Marco quodam Ægyptio Hist. l. 2.
Gnosticorum & Manichæorum sectatore seductus novam Hæresim ex utrorumque dogmatibus, additis proprii fundi nonnullis cœpit circa an. CCCLXXXI. A Gnosticis enim promiscuas libidines & connubiorum solutionem, à Manichæis binorum rerum omnium principiorum fidem, & Astrologiæ, fatalisque necessitatis ineptias accepta sectæ suæ invexit: cujus arcana & flagitiosam nequitiam quò melius celaret; mendacium atque ipsum perjurium licitum esse docuit: De Trinitate eadem, quæ Sabellius fovit; pleraque alia Hæresium portenta dogmatibus suis immiscuit, Magicis adhuc artibus addictissimus. Ipse interim humilitatis speciem & habitu prætendens, nudipedalem incessum docens, & jejunia Dominicâ etiam die celebranda prædicans, multos nobilium pluresque populares fictâ morum gravitate, & blandiendi arte in societatem allicuit; mulieres autem catervatim confluentes, & rerum novarum cupiditate ac libidinum licentiâ sibi astrictas habuit. Discipulos hosce in montium latebras & diverticula abducere solitus, nefarias collectas egit; quas ut aliorum oculis & notitiæ subtraheret, sectariis suis communionem cum Ecclesiâ Catholicâ sacris elementis in manus acceptis & secum asportatis simulandam indulsit. Ex Episcopis Hispanis Instantium & Salvianum in partes suas pertraxit, qui à Synodo Cæsaraugustanâ exeunte ann. CCCLXXXI. damnati, ut causam confirmarent, Priscillianum hactenus laicum Abilæ Episcopum constituunt. Verùm impetrato ab Idacio & Itacio Episcopis edicto Gratiani Imp. ut Hæretici urbibus pellerentur, Salvianus & Priscilianus comitante sectatorum turmâ non exiguâ Romam proficisci necesse habuerunt, apud Damasum objecta purgaturi. A Damaso verò ne in conspectum quidem admissi sunt; ubi æquè aversantem sibi Ambrosium repererunt. Versis igitur consiliis Macedonii Officiorum Magistri auro corrupti ope edictum ab Imperatore eliciunt, quo restitui Ecclesiis jubebantur. Hoc freti Instantius & Priscillianus (nam obierat Salvianus) Hispanias repetunt; ac corrupto Proconsule Ithacium illis adversantem in exilium ejiciunt. Anno CCCLXXXV. ab Ithacio apud Maximum Tyrannum arreptis tunc fascibus imperium Occidentale invadentem accusatus, ex Hispaniâ coram Synodo Burdigalæ habitâ causam acturus abducitur. Verùm ab Episcopis ad Principem provocante Priscilliano, causa ejus Evodio Præfecto cognoscenda à Maximo committitur. Re auditâ strenuè accusantibus Ithacio & Idacio, gestisque ad Palatium delatis, Priscillianus à Maximo capitis damnatur in urbe Treveris anno CCCLXXXV. vel sequenti, ut alii verò anno CCCLXXXVIII. vel CCCLXXXIX. Corpus ejus in Hispaniam relatum maximâ

Digitized by Google

ximâ veneratione à suis tumulatum est, qui tanto honore memoriam ejus colebant, ut per Priscillianum jurare summa religio putaretur. Vir erat, inquit Sulpitius Severus, acer, inquies, facundus, multâ lectione eruditus, disserendi ac disputandi promptissimus. Fœlix profectò, si non pravo studio corrupisset optimum ingenium; prorsùs multa in eo animi & corporis bona cerneres, sed idem vanissimus, & plus justo inflatior rerum profanarum scientiâ. Scripsit, teste Hieronymo †, multa *opuscula*, ex quibus ad illum aliqua, ad nos nulla pervenerunt.

† De Script. c. 121.

382. HELVIDIUS, Auxentii Mediolanensis Episcopi discipulus, Joviniani præcursor. Claruit Romæ circa ann. 382. Dignitate Presbyter fuisse videtur. Homo rusticanus, inquit Hieronymus *, & vix primis literis imbutus, ex novis dogmatibus nomen sibi comparare satagens, scripto *libello* contendit B. Mariam post nativitatem Domini, quem virgo peperit, Josepho sponsô suo junctam ex ejus consortio filios suscepisse, qui fratres Domini appellati sunt. Fragmenta quædam libri hujus hinc inde profert Hieronymus lib. adversus Helvidium.

Gennad. de Script. c. 32.
* Lib. adv. Helvid.

383. P. II. LETOIUS Melitenes, in Armeniâ Episcopus, claruit anno CCCLXXXIII. Damnatâ nuper in Synodo Sidensi Messalianorum, sive Euchitarum Hæresi, quæsivit Letoius quid de istis factum fuerat. Ad quem proindè missum est Synodicum de illis Decretum atque Sententia. Unde ipse mox varias adversus illos Epistolas scripsit, teste Theodorito *Hæret. Fab.* lib. IV. cap. 11. pag. 243. Ubi ipsum τ πανευφημον Λετόιον vocat. Confer etiam Photium Cod. LII. col. 40.

383. P. II. ARSENIUS Patricius Romanus, dignitate illustris, Græcis Latinisque literis eruditus, claruit anno CCCLXXXIII. A Theodosio magno in Aulam accitus est, ut filiorum suorum, Arcadii & Honorii, in literis instituendis curam gereret, quorum *Pater* dictus est. Anno ætatis 40. Aulam reliquit, & vitæ Monasticæ gratiâ in Thebaidis deserta Scetim se contulit; Exactis ibi annis 40. Troën, superioris Babylonis versùs Memphim locum, petiit. Post annos 10. & tres alios in Canopo Alexandriæ exactos, Troën rediit, ubi & mortuus est, annos XCV. natus. Extat ejus *Doctrina* & *Adhortatio* ad Monachos; breve quidem opusculum, sed Spiritu verè monastico & spirituali plenum, à Combefisio editum Græc. Lat. *Auct. Novis.* Paris. 1672. p. 301. Inter apophthegmata Sanctorum senum, quæ publici juris fecit Cotelerius *Monument.* Tom. I. locum habent Arsenii nostri apophthegmata XLIV. à variis Ascetis, qui cum eo familiariter versati sunt, collecta, p. 353.

384. FAUSTINUS, Schismatis Luciferiani Presbyter. Claruit anno 384. eodemque, ut videtur, anno *Libellum Precum* Impp. Valentiniano, Theodosio & Arcadio AAA. obtulit; qui Luciferi Calaritani, schismatisque ab eo suscitati sectariorum causam tuetur, adversariorum calumnias diluit, Episcopos Arianis communicantes adulteratæ veritatis Orthodoxæ insimulat, eorumque tam pudendos mores quàm infaustas mortes depingit. Libello Precum *Confessio Fidei* à Faustino adornata præmittitur, ejusque calci *Rescriptum Theodosii* Imp. in Faustini favorem conditum subjungitur. Scripsit item *de Trinitate*, *sive de fide contra Arianos librum*, septem capitulis (seu, ut alii vocant, libris) constantem, Flaccillæ Imperatrici nuncupatum. Extant hæc *Opuscula* sub Faustini nomine primùm à Sirmondo edita *Paris.* 1650. 8°. deinde in Biblio. Patr. Tom. v. pag. 637. 651. denique notis illustrata *Oxoniæ* 1678. 8°.

MARCELLINUS, Ejusdem temporis & schismatis Presbyter, unà cum Faustino *Libellum Precum*, de quo suprà, Theodosio Imp. obtulit. Unde factum est, ut sub ejus nomine, omisso Faustino, libellus iste à Baronio, aliisque citetur. Porrò ex tribus Fidei formulis in Codice Canonum Romano à Paschasio Quesnello editis secunda Marcellino à Quesnello ascribitur. 384.

THEOPHILUS, patriâ forsan Alexandrinus, post mortem Timothei anno 385. Alexandriæ Episcopus, Gentilium cultui strenuè adversatus est; non solùm enim delubra idolorum funditùs evertit, verùm etiam præstigias sacerdotum, qui vulgus decipiebant, omnibus palam spectandas proposuit. Quâ de re vide quæ habet Theodoritus lib. 5. cap. 22. Nec tantùm adversus Gentiles, sed & Monachos Nitrienses Anthropomorphitarum Hæresim foventes fortiter dimicavit. Origenis librorum patrocinio subnixus, quos tamen haud longo abhinc tempore à Monachis tumultuantibus coactus se damnare simulavit. Mox verò ut Dioscuro ejusque fratribus *Longis* dictis paria quidem secum de incorporeâ Dei formâ sentientibus, sed lites gravissimas agitantibus invidiam apud Monachos conflaret; Anthropomorphitam se repentè professus est, & Origenis libros ab omnibus damnari jussit. Id cùm detrectarent *Longi Fratres* eorumque sectatores, istâ ansâ arreptâ, eos Ægypto ejecit, ac pessimis modis exagitavit. Anno 400. habitâ Alexandriæ Synodo, Origenem ejusque libros damnari curavit; & ut ab Epiphanio Synodo in Cypro insulâ habitâ damnarentur, authoritate suâ effecit. Cùmque ejectos à se Monachos Constantinopoli benignè receptos esse ægrè ferret, an. 403. CP. profectus coactâ Synodo Chrysostomum deposuit. Verùm cùm plebem Chrysostomo faventiorem, sibi infensiorem experiretur, clam urbe elapsus, Alexandriam rediit. Obiit anno 412. Scripsit, inquit Gennadius *, *adversus Origenem unum & grande Volumen*, in quo omnia penè ejus dicta & ipsum pariter damnavit. Bina hujus operis fragmenta exhibet Theodoritus Dial. 2. p. 101. Ex eodem, ut videtur, opere petitum est fragmentum illud benè longum, τῷ προσφωνητικῷ πρὸς τὰς φρονοῦντας τὰ Ὠριγένους, quod habetur Concilii Ephesini par. 1. c. 4. Item *Librum de Cyclo Paschali* Theodosio Imp. dicatum, cujus fragmentum profert Theod. Dial. 3. p. 167. Scripsit item *Epistolam ad Prophyrium Episcopum Antiochenum*, cujus fragmenta duo videre est Concil. Tom. v. p. 472. Conscripsit adhuc *librum de sacris Mysteriis*, *sive de sacris Supellectilibus Ecclesiæ Dei*, *& Synodicam adversus Origenem Epistolam.* Utrumque opus ab Hieronymo Latinè versum est; & à nobis desideratum. Interierunt etiam *De Fide libri* III. nomini ejus olim inscripti, malè verò, si Gennadii judicio standum sit. Extant hodiè *Epistolæ Paschales* III. ab Hieronymo Latinè redditæ, unà cum *Prologo ad Theodosium* Imp. *De Paschate anni* 380. (qui habetur etiam Gr. Lat. non integer tamen, ad calcem Petavii de Doctrin. Temp. Tom. II.) in Biblioth. Patr. Tom. v. *Epistolarum Paschalium quintæ*, & *sextæ* fragmenta extant Concil. Ephes. Act. 1. p. 512. Habetur ejusdem *Epistola ad Epiphanium* inter Hieronymi opera; ubi & *tres ad Hieronymum Epistolæ* breves reperiuntur Theophilo nostro inscriptæ, verùm ab eruditis inter spuria relegatæ. *Edicta Canonica* X. & *Responsa* III. habentur Gr. Lat. unà cum Balsamonis Commentariis Pandect. Canon. Tom. II. *Epistola brevis* 385.

* De Script. c. 33.

Digitized by Google

vis ad Chrysostomum ap. Pallad. Dial. c.7. Dissertatio denique, *cujus rei homo similis sit*, Gr. Lat. edita *Parif.* 1608. 8°. à Morello, qui eam edidit, Theophilo nostro adjudicata.

385. P. II. THEOPHILUS, Episcopus Alexandrinus, claruit anno CCCLXXXV. Extat Græcè MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* LVIII. num.16. fol.135. sub Theophili Archiepiscopi Alexandrini nomine, *Oratio de causâ ejus casei & ovorum tempore jejunii*, quæ incipit hoc modo; Οἱ Αἱρετικοὶ, καὶ μᾶλλον οἱ Ἀρμένιοι, τῇ παρασκευῇ, καὶ τῇ τετράδι τῆς τυρινῆς, ὁμοίως, &c. Verùm ut liberè quod sentio, dicam, hanc orationem, vel Theophilo nostro suppositam esse suspicor. Extat ejus λόγος εἰς τὸ μυστικὸν δεῖπνον, καὶ εἰς τὸν νιπτῆρα, τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ Πέμπτῃ. Pr. Τί τερπνότερον ἢ τί ἡδύτερον τοῖς φιλοθέοις. &c. teste L. Allatio *Diatr. de Script. Simeon.* pag. 111. Grande Theophili fragmentum *de Paschate*, Græc. MS. habuit olim Reverendiss. Usserius, & fortè inter ejus schedas, quæ in Collegio Dublinensi asservantur, reperitur. Extant MS. apud Cl. Galeum, Thophili *Edictum*. *Hypomnesticum* cum Scholiis. Ejusdem περὶ τῶν καθαρῶν, & *Epistolæ* cum Scholiis. Eadem, opinor, quæ inter *Canonicas* SS. Patrum *Epistolas* cum antiquorum Scholiis edita habentur. Sermonem, *cujus rei homo similis sit*, quem sub Theophili nostri nomine Gr. Lat. edidit Morellus *Parif.* 1608. 8°. in plurimis Codd. MSS. Christophorocuidam Alexandrino tribui, monet Cotelerius, *Not. ad Monument.* Tom. II. p.669.

385. SIRICIUS, ortu Romanus; patre Tiburtio natus, primùm Romanæ Ecclesiæ Presbyter, dein mortuo Damaso ab ineunte anno 385. Romanus Episcopus. Jovinianum novos errores procudentem coacto Presbyterorum suorum cœtu damnavit; missisque hâc de re literis Ecclesiam Mediolanensem certiorem fecit. Censuram istam sententiâ Synodicâ confirmarunt Episcopi Mediolani anno 390. congregati, qui & Siricio rescribentes immensis eum laudibus evehunt, tanquam boni pastoris excubias agentem, qui diligenter commissam sibi januam servaret, ac piâ sollicitudine Christi ovile custodiret, dignus quem oves Domini audiant & sequantur. Obiit vicesimo sexto die Novembris anno 398. Extant *Epistolæ* V. Conciliorum Tom.11. p.1017. Ex his quarta, *ad Episcopos Africa*, à Paschasio Quesnello *, spuria esse argumentis fortissimis demonstratur.

* Dissert. 5. in Leonem M.

385. IDACIUS CLARUS, Diversus ab Ithacio Episcopo Sossubensi, urbis cujusdam in Hispaniâ (forsan Emeritæ) Episcopus. Claruit anno 385. Junctis cum Ithacio operis maximo fervore Priscillianistas oppugnavit, edictum de pellendis in exilium Hæreticis à Gratiano Imp. impetravit, & Ithacio eos apud Maximum accusanti astitit; eo demùm nomine Ecclesiæ communione submotus, & in exilium missus, ubi diem supremum obiit, imperante adhuc Theodosio majore. Scripsit *Apologeticum*, qui dudùm periit, in quo execranda Priscilliani dogmata, maleficas artes, & detestandas libidines detexit. Extat liber *contra Varimadum Arianum Diaconum*, (quem Vigilio Tapsensi non injuriâ vindicat Chiffletius) & *difficillimorum quorumque S. Scripturæ locorum explicatio*, unà cum aliis *contra Hæreses opusculis*, *Basil.* 1528. & Biblioth. Patr. Tom. V. p. 726.

385. MATRONIANUS, sive ut à Sulpitio vocatur, *Latronianus*, gente Hispanus, Priscilliano Maximi jussu capitis damnatus, Treveris gladio percussus est. *Vir valdè eruditus, & in metrico opere veteribus comparandus*, inquit Hieronymus †. Varia edidit opuscula, diverso metrorum genere; quæ hodie non supersunt.

† De Script. c. 122.

385. TIBERIANUS, gente Hispanus, provinciâ Bœticus, factionis Priscillianeæ sectarius. Claruit anno 385. eodem quo cæsus est Priscillianus tempore ipse Maximi sententiâ ademptis bonis in Sylinam insulam relegatus est; ubi tandem exilii tædio victus propositum mutavit, & devotam Christo virginem matrimonio copulavit, ut nos docet Hieronymus *. Scripsit *Apologeticum* tumenti compositoque sermone; ut se à Priscillianeæ Hæreseωs suspicione liberaret. NE.

* De Script. 123.

385. P. II. POLEMON, Apollinarii Hæresiarchæ discipulus, & in hâc Sectâ Successor, claruit, si conjicere fas sit, circa annum CCCLXXXV. Scripsit Sermonem *Antirrheticum adversus sanctos Patres* ex quo fragmentum producit S. Maximus in *Tomo dogmatico* Opusc. *Theol. & Polem.* Tom. II. p. 90. Ibidem etiam sextam ejus Epistolam ad Timotheum adjutorem & impietatis socium citat, & fragmenta affert. Eadem fragmenta totidem ferè verbis proferuntur in Concilio Lateranensi sub Martino Papâ, Act. V. Conc. Tom. VI. col. 316.

386. JOANNES, quâ gente, aut quo genere prognatus, non constat, in juventute vitam Monasticam sectatus est, dein Presbyter factus, persecutione à Valente Catholicis intentatâ, Occidentalium Episcoporum ob fidem exulum communionem aversatus, in partes Arianas propendere visus est; immò (si Hieronymo eum sæpiùs sugillanti fides sit habenda) Arianorum, Macedonianorum, Photini & Manichæorum erroribus accessit; Catholicus demum spe dignitatis adipiscendæ factus, & Episcopatus pollicitatione ab Hæresi redemptus. Verùm efferato Hieronymi animo pars forsan criminis istius non exigua accepta referri debet; quippe qui subinde molliora spirans Joannem ejusmodi notâ eximere videatur, *Donamus tibi*, inquit *, *ut non sis Arianus, immò plus, ut nunquam fueris.* Anno 386. tricesimum ætatis annum, teste Hieronymo †, haud multum supergressus, Cyrillo in sede Hierosolymitanâ successor datus est. Origenis causæ tunc temporis in orbe Christiano acriter ventilatæ impensè favit, non tam dogmatum illius quàm famæ studiosus, unde ampla satis ei crevit dissidiorum & rixarum seges. De initiis litis illum inter & Epiphanium suscitatæ suprà dictum est in Epiphanio, quæ eousque demum evasit, ut Epiphanium habitæ cum Joanne communionis pœniteret; cumque Deo sacra faceret, dicere solebat; *Domine, præsta Joanni, ut rectè credat.* Factum id indignatus Joannes mirum quam infremuit, literisque quaquaversum datis Epiphanium violatæ charitatis insimulavit; eum insuper gravissimè criminatus, quòd Paulinianum Hieronymi fratrem in Diœcesi Palæstinâ ad Presbyterii dignitatem evexisset. Objecta sibi crimina miti *Epistola* anno 392. scriptâ, diluit Epiphanius; se non tam ob impositas in alienâ ditione Pauliniano manus quàm ob exprobratam olim Joanni Origenismum ab eo querelis & conviciis apetitum docens; Joannem adhuc, ut ab Origenianæ doctrinæ, quam octo capitibus summatim complectitur, veneno caveret, multis cohortatus. His verò monitis aures occludente, acriusque adhuc exardescente Johanne, ei communionem renunciare, & hæreseωs notam impingere Epiphanius non dubitavit. Hieronymum in Epiphanii partes & Joannis inimicitias pertraxerunt & Pauliani fratris causa & Origenismi odium, Junctis enim cum Epiphanio suffragiis Joannem assiduis precibus hor-

Hieron. Ep. 61. 62.

* Ep. 61.

† Ep. 62.

SÆC. IV. ab An. CCC. bus hortari & criminationibus terrere non desiit, ut eum ad anathema Origeni dicendum impelleret. Unde eò iracundiæ processit Johannes, ut ab Ecclesiæ communione Hieronymum segregaret, quin & exilium ei indiceret, licet irrito conatu. Sedem enim Bethlehemeticam retinuit Hieronymus; nec tamen infensum Joanni animum statim deposuit. Irritatos utrinque animos compescere satagerunt Archelaus comes & Theophilus Alexandrinus; incassùm verò; pacem quamdiu viveret Epiphanius, aversante Joanne, & Monachos Palæstinos Epiphanii suasu sibi communionem S.Synaxeos inire detrectantes tanquam hostes publicos odiis & injuriis incessente. Verùm coaluisse tandem videtur vulnus, & exulceratus Joannis partim pudore, partim argumentis victi animus nonnihil deferbuit. Sedatâ quodammodò post multos annos lite Originianâ, Joannes circa ann. 415. apud Occidentales malè audire cœpit, quasi Pelagio nimium faveret. Eo enim anno coacto Presbyterorum suorum Synedrio, aures hæretico parùm iniquas, Orosio verò Pelagium accusanti minùs æquas præbuit, re quasi in medio relictâ: mox verò Synodo Diospolitanæ interfuit, ubi veteratoriis artibus Pelagius erroribus sibi affictos abjurare præ se ferens Ioanni reliquisque Episcopis fucum fecit, & ab Hæresews notâ absolutus in Ecclesiæ communionem admissus est. In hoc tamen saltem excusari meretur Ioannes, quòd in Pelagii causâ dijudicandâ non tam fidei Catholicæ studium, quàm prudentia, desiderari videatur. Obiit anno Christi 416. Pontificatus sui 30. Vir erat, sive ingenii, sive animi dotes spectes nequaquam contemnendus, nisi quod arrogans nimis & fastuosus animi susceptas semel causas, & in his Origenis famam præfractâ & obstinatâ pervicaciâ tueretur. Nec enim errores Origenis fovisse censendus est; de famâ tantùm ejus sollicitus, quem proinde Anathemati subjicere toties ab Hieronymo & Epiphanio flagitatus recusavit. Quod nec ipse diffitetur Hieronymus in Epistolâ ad Pammachium, ubi sæpiùs agnitâ orthodoxâ Ioannis fide id tantùm ingerit, *Aut nega hoc dixisse Origenem, aut si locutus est talia eum damna qui dixerit.* Quod ingenium spectat, vir certè erat minimè indoctus; immò si fautoribus ejus credendum esset, disertior Demosthene, acutior Chrysippo, sapientior Platone. Ἄνδρα ἀξιάγαστον vocat Theodoritus *, eumque miris laudibus ornant Anastasius Papa †, Augustinus †, & Chrysostomus*.

Vid. Oros. Apol. de Arbitr. libert. Augusti. Ep. 106. & de peccat.Orig l. 2. c. 11.

Ap. Hieron. Ep. 61. * L. 5. c. 35. † Ep. ad Joan. inter op. Hieron. † Contra Petill. l. 2. c. 51. * Ep. 88. † De Script. c. 30.

Scripsit, teste Gennadio †, *librum* (jamdiù deperditum) *adversus obtrectatores*, in quo ostendit se Origenis ingenium, non fidem secutum. Nec plura ingenii ejus monumenta memorarunt Veteres. Extant tamen sine multa nomini illius affícta scripta, quę sequuntur.

Liber de institutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in novâ perseverantium (viz. *Carmelitarum*) *ad Caprasium Monachum.* Interpretem præ se fert Aymericum Patriarcham Antiochenum. Verùm Latini cujusdam autoris esse, idque sequioris ævi, omnibus, (excepto cœtu Carmelitico) in confesso est. Habetur etiam in Bibliot. Patr. Tom.V.

Commentarius in stratagemata B. Job. in tres libros divisus.

Commentarius in Evangelium S. Matthæi, qui sub nomine *Operis imperfecti in Matthæum* inter Chrysostomi opera haberi solet, ubi de eo plura videas. Certè Ioannis nostri esse purum putum est Carmelitarum somnium.

Fragmenta perpetui Commentarii in Evangelium S. Marci, in Catena Aquinatis in Marcum Chrysostomo ascripta.

Præclara aliquot *Fragmenta* similis cujusdam operis.

Commentarii in Evangelium S. Lucæ; in Catenis Aquinatis & Corderii in Lucam Chrysostomo adjudicati.

Homilia in Josephum, *& de Castitate.*
Homilia VI. *in Job.*
Fragmentum Homiliæ prooemialis in Psalmos.
Homilia in aliquot Psalmos.
De tribus pueris & fornace Babylonicâ.
De Susannâ.
De *decollatione* S. *Joannis Baptistæ.*
De *vitandis scandalis.*
De *divite & paupere*, *& eleemosynâ faciendâ.*
Homilia in Marcum XIV.
Homilia in Lucam V.
Homilia in Joannem III.
In laudem S. Crucis, & de transgressione Adami.
De Eucharistiâ in encæniis.
In Ascensionem Domini.
De *Pentecoste.*
De *Spiritu Sancto Homilia* II.
De *Christi divinitate.*
De *Fide & Lege naturæ.*
In Præcursorem Domini.
De *Ecclesiâ*, *sive Turture.*
In SS. Petrum & Paulum.
In S. *Thomam.*
In SS. XII. *Apostolos.*
In S. Stephanum.
De *Pœnitentiâ Homiliæ* III.
De *David.*
De *Persecutione Novatianorum.*
De *vanitate hujus sæculi.*
De *cæco & Zacchæo.*
De *Pseudo-prophetis & Hæreticis.*
In terræ-motum, & in divitem, & in Lazarum, & de Servitute.

Sermo de S. & consubstantiali Trinitate. Opuscula ista ab *Homiliâ in Josephum* inclusivè, si non omnia, saltem ferè omnia inter Chrysostomi opera habentur.

Opera prædicta hinc inde collegit Petrus Wastellus Carmelitarum Ordinis Provincialis Belgicus, additisque tribus vindiciarum libris Latinè edidit Tomis duobus, *Bruxell.* 1643. fol. Verùm non obstantibus, quas operosè agit Editor, vindiciis, ista omnia eruditis fabulam sapiunt, & Ioannis nostri nomini falsò supponuntur.

HIERONYMUS, natione Dalmata, Presbyter & Monachus, claruit sub Theodosio Magno circa annum CCCLXXXVI. certè Theodosio adhuc imperante, id est, ante annum CCCXCV. ut ipsemet testatur, condidit *Historiam de Vitis Sanctorum in Ægypto.* Extat Græcè MS. in Bibliothecâ Colbertinâ, *Cod.* 1213. Hanc, ferè verbo tenus, exscripsit, & in *Historiam suam Lausiacam* transfudit Palladius. Frequenter eam in *Glossario Græco* citat nobilissimus Du Fresne. Hunc librum proculdubio designat Hebedjesu *libr. Chald.* cap. 54. ubi refert Palladium & Hieronymum conscripsisse *librum Paradisi, & colloquium seniorum cum Regibus,* contentum tribus Tomis. Nostri etiam, ut videtur, est Hieronymi illius, Græci Theologi, *Dialogus*, Judæum inter & Christianum, *de Trinitate*, quem edidit Morellus *Parif.* 1612. 8vo. Auctorem θεολογικώτατον neque admodùm recentem fuisse, dicit, ipsumque Opusculum pium, & Attico sermone scriptum esse. Confer Combef. Not. ad Anonym. *Demonstr. Chronogr.* pag. 66. 386. P. II.

GAUDENTIUS, cujus aùt nulla, aut rara admodùm apud Veteres memoria; dum Provincias Orienta- 387.

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. Orientales religionis ergò peragraret, & circa ann. 387. Cæsareæ Cappadociæ hæreret, mortuo interea temporis Philastrio Brixiæ Episcopo, ei ab Ambrosio aliisque provinciæ Cisalpinæ Episcopis successor absens designatur; neve electio alicujus fraude incassùm cederet, singulorum juramento confirmatur. Cumque hæc audisset Gaudentius & in Occidentem reditum detrectaret, missa est ab Episcopis ad ipsum legatio, & ad Orientis etiam Antistites, quâ rogarunt, ut renitentem reverti Gaudentium Ecclesiasticis censuris compellerent. Factum id, coactusque redire Gaudentius SS. XL. Martyrum reliquias à sacris virginibus S. Basilii neptibus Cæsareæ agentibus acceptas secum detulit, & Ecclesiæ Brixianæ regimen suscepit. Anno 405. Synodi Romanæ & Honorii Imp. nomine legationem unà cum aliis quibusdam Episcopis obiisse videtur, ut Arcadium Imp. Chrysostomo subinfensum pacatiorem redderet. Quo anno è vivis ereptus sit, parum liquet. Rejiciunt id alii in annum 410. Cl. vero Labbeus * in ann. 427.

Gaudent. Serm. in suâ ordinat.

* Dissert. de Script. par. 1. p. 338.

SCRIPTA.

Sermones sive Tractatus XV. de variis argumentis ad Benevolum.

De Villico iniquitatis Responsiones ad Germanium.

In illud, Pater major me est, Responsio ad Paulum Diaconum. Extant Opuscula ista in Biblioth. Patr. Tom. V. p. 704. 942.

Vita sive Encomium Philastrii Antecessoris. Habetur apud Surium ad diem 18. Julii.

Cæterùm monendus est Lector alium ac diversum penitùs à nostro eodem ferè tempore claruisse Gaudentium Episcop. Tamugadensem sectæ Donatisticæ, qui Dulcitio Tribuno Imperatoris apud Africam legato duas Epistolas Apologeticas obtulit, ab Augustino totidem libris refutatas; quibus responsionem opposuit Gaudentius, ab Augustino itidem libro tertio eversam. Quin & in eâdem Italiæ provinciâ eodem, quo Brixianus, tempore summum sacerdotium gessit alius quidam Gaudentius Episcopus Novariensis, vir quidem non incelebris, cum Brixiano tamen temerè non confundendus.

388 EVAGRIUS, Presbyter, Antiochenus, vir acris ac ferventis ingenii, anno 388. vel sequenti à Paulini recens defuncti sectatoribus Flaviani perjurium detestatis Antiochiæ Episcopus factus, brevi tempore consecrationi suæ superstes obiit, ac morte suâ schisma Antiochenum extinxit. Hieronymo admodùm familiaris erat, cui diversarum hypotheseωn tractatus à se compositos legit. *Vitam quoque B. Antonii* ab Athanasio scriptam è Græco sermone in Latinum transtulit. Extat quidem sub ejus nomine *Versio vitæ Antonii* ex Græco Athanasii inter opera Athanasii Tom. 11. pag. 544. ap. Sur. Jan. XVII. Rosvveid. in vit. Patr. Tom. 1. Verùm an genuina sit, non una est dubitandi ratio.

Sozom. l. 7. c. 15. Hieron. de Script. c. 125.

388. FL. L. DEXTER, gente Hispanus, Paciani Barcelonensis Episcopi filius, Orientalis Imperii Præfectus Prætorio. Claruit anno 388. Anno 392. S. Hieronymi Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum sibi nuncupatum accepit. Obiit decrepitus anno, ut volunt, 444. *Omnimodam Historiam* ad Hieronymum texuit, quæ interiit. Circumfertur quidem hodie sub ejus nomine *Omnimodæ Historiæ Chronicon* à Christo nato ad annum ccccxxx. deductum; primum equidem, ut habet titulus, Hieronymo dicatum, sed eo ad superos translato multis

Hieron. de Script. Eccl. 132.

Cave Hist. Lit.

locis locupletatum, & Paulo Orosio Tarraconensi iterum nuncupatum. Primus hoc Chronicon in lucem protraxit, amplissimis Commentariis illustravit, Appendice ac binis Apologiis munivit Fr. Bivarius Cisterciensis *Lugduni* 1627. fol. Verùm non obstantibus, quas agit, vindiciis, merum esse figmentum nomini Dextriano suppositum, nasutiores omnes facilè percipiunt. SÆC. IV. ab An. CCC.

VIGILIUS, Episcopus, Tridentinus, claruit anno cccxc. qui cum reliquias Idololatriæ penitus extirpare conaretur, teste Martyrologio Romano *, à feris & barbaris hominibus lapidum imbre percussus pro Christi nomine martyrium implevit sub Consulatu Stiliconis, viz. anno cccc. saltem ccccv. Scripsit inquit Gennadius *, ad Simplicianum quendam *in laudem Martyrum Libellum*, & *Epistolam continentem gesta sui temporis apud Barbaros Martyrum*. Extat quidem hodie *Libellus* sive *Epistola de Martyrio Sisinnii & Sociorum* ap. Sur. ad XXIX. Maii, Lippomannum, aliosque. Interim notandum est plures hujus & sequentis sæculi Vigilios fuisse, ac nostrum cum Vigilio præsertim Tapsensi, qui adversùs Eutychem scripsit, confundi solere. 390.

* Jun. 26.

* De Script. c. 37.

TICHONIUS, natione Afer, in Partes Donatistarum paulò propensior, quos tamen scriptis suis acerrimè exagitavit. Claruit circa ann. cccxc. Vir in divinis literis eruditus, & in Sæcularibus non ignarus, rerum adhuc Ecclesiasticarum studiosus. Scripsit *de Bello intestino libros tres*; *Expositiones diversarum causarum*, in quibus ob Donatistarum defensionem antiquarum meminit Synodorum; *Commentarium in Apocalypsim Joannis*, cui plurima, inquit Cassiodorus *, venenosi sui dogmatis fæculenta permiscuit. Omnia enim ad spiritualem sensum trahens, Angelorum tamen naturam corpoream esse docuit, & de millennio ac resurrectione quædam, quæ tunc temporis minùs sana habebantur, sensit. Extat Homiliis XVIII. comprehensus inter Augustini Opera Tom. IX. ei falsò ascriptus. Scripsit præterea *Regulas VII. ad investigandam & inveniendam intelligentiam S. Scripturarum*, quas recenset & examini subjicit S. Augustinus loco citato. Extant hæ *Regulæ* in Orthodox. pag. 1352. & in quâvis Biblioth. Patr. editione, correctissimæ verò in editione anni 1618. Tom. V. & novissimæ *Lugdunensis* Tomo VI. p. 49. Cætera Tichonii Opera desiderantur. 390.

Gennad. de Script. c. 18. Augustin. de Doct. Christ. l. 3. c. 30.

* Lect. divin c. 7.

SOPHRONIUS, Vir, teste Hieronymo *, apprimè eruditus, & quo ipse Hieronymus familiariter utebatur, claruit circa ann. cccxc. Nec de eo quicquam amplius Veteres tradiderunt. Scripsit adhuc Puer *de laudibus Bethlehem*, & postea insignem *de subversione Serapis librum*, item *de virginitate ad Eustachium*, & *Hilarionis Monachi vitam*, plurima denique Hieronymi Opuscula, & in his *Psalterium* & *Prophetas* ex Hebræo Latinè ab Hieronymo conversos, in Græcum sermonem illum eleganter transtulisse autor est ipse Hieronymus. Ex hisce, ut videtur, versionibus hodie extat *Catalogi Hieronymiani Scriptorum Ecclesiasticorum versio Græca*; quæ cum prædicto Catalogo inter Opera Hieronymi reperiri solet. Scio equidem hanc versionem à multis in dubium vocari, immò à Clar. Viro Is. Vossio præfractè negari: quin & ni malè memini, mecum hac de re aliquando coram agens iste dixit se existimare Erasmum linguæ Græcæ exercendæ gratiâ versionem istam sub Sophronii nomine procudisse. Quod & olim in notis ad *Ignatii Epistolam ad Smyrnæos* non longè ab initio innuerat, ut ait sibi constare translationem 390.

* De Script. c. 134.

Q istam

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. istam Sophronii nomen mentiri, innumeris locis non esse Græcam, ubique falsam, ubique ineptam, ubique imposturam sapere. Verùm pace tanti viri hanc versionem non contemnendæ vetustatis esse exinde constat; quòd qui ea, quæ de Scriptoribus Ecclesiasticis habet, ex Hieronymi Catalogo desumere solet Suidas, hâc versione usus sit, iisdem penè verbis ac sententiis ut plurimùm servatis; uti Scriptorem utrumque conferenti liquidò patebit. Qui primus in lucem edidit Erasmus se exemplar emendatum ac vetustum nactum esse professus est; ex quo permulta etiam in ipso *Hieronymi Catalogo* restituit. *Sermonem de Assumptione B. Virginis ad Paulam & Eustochium* (qui inter Opera Hieronymi Tom. IV. habetur) hujus Sophronii esse censet Erasmus.

390. RUFINUS TORANIUS, gente Italus, Patriâ (ut mihi quidem videtur) Aquileiensis, in hâc enim Ecclesiâ & fidei lavacrum & Presbyteratus ordinem suscepit. Ante annum CCCLX. summam cum Hieronymo Aquileiæ commorante amicitiam contraxit; & monasticam ingressus vitam, circa ann. CCCLXXI. unà cum Melaniâ seniore in Orientem profectus est; eodemque, ut credi par est, anno, certissimè ante mortem Athanasii, Melaniâ comite Ægyptum petiit: ubi cum Monachis Nitriensibus & Didymo Alexandrino aliquamdiu versatus, multaque ab Arianis passus post octo menses (quamvis ipse per sexennium in Ægypto se degisse falsò jactitet) Palæstinam profectus est: ibique Melaniæ opibus sublevatus constructo monasterio & ascitis sub Melaniæ curâ instituendis 52. virginibus, annos XXV. vel ut habet Palladius *, XXVII. transegit, viris sanctis Hierosolymam religionis ergo peregrinantibus hospitio excipiendis intentus. Claruit præcipuè circa ann. CCCXC. Quo circiter tempore dissidio Epiphanium & Joannem Hierosolymitanum inter exorto, ipse Joannis partibus accessit: & Origenismum, cujus amorem à Didymo, ut videtur, hausit, strenuè propugnavit; unde soluto amicitiæ vinculo ingentes cum Hieronymo lites exercuit: & tametsi Theophili Alexandrini operâ inita sit inter eos aliquantisper concordia, anno nihilominus CCCXCVII. Rufino unà cum Melaniâ Romam reverso, & libros Origenis περὶ ἀρχῶν malâ fide à se versos edente ulcus recruduit. Verùm imposturę à Marcellâ reus actus, & versionis Periarchon, quam ab ipso factam negaverat, convictus tantam ab omnibus invidiam ac odium iniit, ut tanquam Hæreticus notatus Aquileiam se subducere necesse haberet. Anno CCCC. libros tres contra Hieronymum per triennium proximè elapsum elaboratos vulgavit. Anno sequenti ab Anastasio Papâ Romam ad causam dicendam evocatus tergiversatur, ac missâ Apologiâ sese excusat: quem idcirco mox damnat Anastasius, & hæreseos ei notam inurit. Anno CCCCII. acceptis Hieronymi Responsionibus ad *Invectivas* biennio ante à se editas adeò excanduit, ut missa Epistola mortem ei (ni desisteret) à brachio sæculari inferendam comminatus sit. Anno CCCCX. Aquileiâ ab Alarico vastatâ in Siciliam profugit, ubi eodem vel sequenti anno obiisse videtur. *Christianæ Philosophiæ vir, haud contemnenda Ecclesiasticorum Doctorum portio*, inquit Cassianus * ἰσχυρέστατος καὶ σιβαστός, ὁ γνωστικώτερος καὶ ἐπιεικέστερον ἐν ἀνδράσιν οὐκ ηὑρίσκετο, uti habet Palladius §. *Nobilissimus & fortissimus, quo non est inventus inter homines nec doctior nec mitior*. Paulino Nolano †, *Verè sanctus & piè doctus, Scholasticis ac salutaribus literis Græcè & Latinè dives*. Longè verò aliter hominem depingit Hieronymus; & ex eo alii, tanquam Origenistam, Pelagianum, falsarium, Operum alienorum corruptorem, Hæresiarcham, & quid non? Hinc & varia nomina ignominiæ ergo ei affictа ab Hieronymo passim reperire est; apud quem crebrò audit *Grunnius, Alecto, Lucius, Lavinius, Asinius Pollio, Calphurnius Lanarius, & Scorpius*. Summum quidem fuisse Origenis admiratorem, & cum Pelagii sectatoribus libero arbitrio nimium tribuisse, nemo prudens facilè negabit. Verùm annon ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς Hieronymum nimis transversum egerit; an meruerit Rufinus omnia, quæ pleno ore in ipsum evomuntur, convitia, perpendent æqui rerum æstimatores. Interim illud negari non potest Rufinum in vertendis è Græco sermone aliorum scriptis pessimâ fide ut plurimum egisse, mutando, truncando, addendo; ut nova potiùs quàm aliena videri possent; nec divinando quis assequi valeret quænam Rufini, quænam ipsius Autoris partes fuerint.

*Hist. Lausiac. c. 118.

* De Incarnat. l. 7. c. 27.

§. Loc. cit.

† Ep. 9. ad Sever. p. 115.

SCRIPTA.

DE *Benedictionibus Judæ & reliquorum XI. Patriarcharum Libri II. ad Paulinum Nolanum.*

Commentariorum in Hoseam libri III. cum Præfatione in XII. Minores Prophetas.

Commentaria in Prophetas Joel & Amos.

Expositio Symboli ad Laurentium Episcopum, à multis Hieronymo & Cypriano temerè ascripta inter eorum Opera habetur.

Historia Ecclesiastica Libri II. ad Chromatium Aquileiensem Episcopum ab Arianæ hæreseos primordiis ad Theodosii M. mortem pertingentes, scripti verò circa Alarici in Italiam primùm irrumpentis tempora. In Historiâ isthac concinnandâ, temporisque ratione digerendâ credulum admodum fuisse Rufinum constat, in fabulas & incertos plebeculæ rumores nimis propensum, quos è trivio & tonstrinâ petitos literis mandare temerè solebat. Unde Socrates cùm ad ejus fidem primum & secundum Historiæ Ecclesiasticæ libros formasset; meliores postea nactus autores, libros istos ex integro ordiri necesse habuit, quemadmodum ipse* nos docet.

* Præfat. ad l. 2.

Commentaria in Davidis Psalmos LXXV. quæ à recentioribus quibusdam interpolata videntur, adsutis nonnullis ex Augustino, Gregorio, aliisque. Extant *hæc Commentaria* nonnihil ab aliis diversa in Bibliothecâ S. Germani Paris. n. 73. indicante Ph. Labbeo Biblioth. nov. MS. p. 23.

Opera modò numerata prodierunt *Lugduni* 1570. *Paris.* 1580. f. prodierunt etiam Rufini opera *Romæ* 1470. f.

Apologia Pamphili pro Origene circa annum CCCXCVII, *à Rufino versa.*

Apologia pro Origene sive de Depravatione librorum Origenis.

Alia pro eodem ejusdem argumenti Apologia ex ipsius Epistolis.

Epistola sive Apologia ad Anastasium de fide sua.

Invectiva adversus Hieronymum posterior (prior enim intercidit) in duas divisa partes, uti rectè notat Huetius, quarum prima criminationes sibi ab Hieronymo impactas refellit, secunda ipsum Hieronymum proscindit.

Opuscula ista quinque postremùm enumerata inter Hieronymi Opera haberi solent.

Professio fidei in Cœnobio Bethlehemetico facta, constans Anathematismis XII. erroribus Origenianis & Pelagianis oppositis; quæ Rufino Aquileiensi inscripta inter Marii Mercatoris Opera in Cod. MSS. à Garnerio reperta est, & inter eadem edita par. 1. pag. 114. Verùm in eam potiùs sententiam, argumentis sanè non infirmis ductus, inclinat Garnerius

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC.

Garnerius, *Professionem* istam deberi Rufino, non Aquileiensi, sed Syro, Hieronymi discipulo, qui ab eo, anno CCCXCIX. ex Palæstinâ in Occidentem missus est ad Venerium Mediolanensem & Anastasium Romanum adversus Origenistas concitandum: qui circa annum CCCXCIV. Professionem istam Monachis Bethlehemiticis obtulisse videtur, ut ab iis communionem sibi impetraret. Monachi enim illi, hortantibus Epiphanio & Hieronymo, se à Joannis Hierosolymitani, omniumque Origenismi suspectorum, communione absciderant.

Libellus fidei prolixissimus, quo contra Arianos, Eunomianos, Macedonianos, Apollinaristas, Novatianos, Origenistas, & præsertim contra Peccatum originale, acerrimè disputatur; ab eodem Rufino, quisquis demum ille fuerit, Græcè scriptus, & à Juliano Eclanensi, ut videtur, Latinè versus. Hunc incerto auctoris interpretisque nomine, quadraginta abhinc ferè annis in lucem protractum edidit Jac. Sirmondus, & exinde Rufino Syro vindicatum, ac notis & dissertationibus illustratum Joann. Garnerius in Append. ad par. I. Operum Marii Merc. pag 286.

Josephi Opera ab eo versa sæpius excusa extant. De hâc versione audiamus Doctiss. Casauboni* censuram. *Multis, inquit, locis ad insaniam usque inepta est, non aliam persæpe ob causam, nisi quòd corruptissimos nactus codices & judicio critico destitutus, quicquid invenit, exprimere est conatus. Tanta autem fuit Rufini in hoc præclaro incepto infelicitas; ut libris illi uti contigerit etiam hodiernis nostris interdum depravationibus*: quod multis exemplis ibidem demonstrat. Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana asservatur, teste qui vidit Joanne Mabillonio, *Itin. Italici* pag. 12. Codex MS. ex chartâ Ægyptiaca, venerandæ Antiquitatis, ante annos plusquam mille & centum, haud multò post Rufini ætatem scriptus, qui aliquot Josephi Antiquitatum libros ex Rufini versione continet Utinam, quod in animo habuit, cum edita Rufini versione contulisset vir eruditissimus, ad promovendas res literarias natus.

* Ad Annal. Baron. Exercit. I. nu. 99.

Eusebii Cæsariensis Historia Ecclesiastica Libri IX. Sublestâ fide versionem istam adornavit Rufinus, multis contractis, multis additis, dimidium libri octavi omisit, decimum vix attigit. Versionem edidit paulò post an. CCCC. Extat cum Rufini Continuatione & Historiâ Tripartitâ *Basil.* 1528. 1570. & alibi sæpius.

S. Clementis Romani Recognitionum Libri X. addita Præfatione.

Epistola ad Jacobum fratrem Domini. Utraque versio extat inter Clementis Opera. & Basil. c. 1536. f. & in Cotelerii *Bibliotheca Apostolica.*

Anatolii Liber de Paschate. Versio edita est à Bucherio unà cum Victorini Paschali Canone. *Antverp.* 1634. f.

Origenis libri περὶ ἀρχῶν, *Homilia in Genesin* XVII. *in Exodum* XII. *in Leviticum* XVI. *in Numeros* XXVIII. (quarum Præfationem primus edidit H. Valesius Annot. in Euseb p. 129.) *in Josue* XXVI. *in Judices* IX. *in Primum Regum* L. *in Psalmos* IX. *in Cant. Cantic.* IV. *in Epistolam ad Romanos Tom.* X. à Rufino versa additis ferè ubique præfationibus. De istis verò vide plura in Origene.

SS. Basilii Cæsariensis & Gregorii Nazianzeni Opera quædam Rufino interprete habentur in antiquis Operum illorum editionibus Latinis.

Vita Patrum, quæ Collectionis Rosvveydianæ *Lugduni* 1617. *Antverp.* 1628. secundum & tertium librum constituunt, Rufini nostri auctoris sive interpretis esse creduntur. *Liber secundus* constat Palladii *Historiâ Lausiacâ*, *tertius* ferè Heraclidis *Paradiso*.

Cave Hist. Lit.

Xysti sive Sexti Pythagorei Philosophi Enchiridion seu Sententiæ à Rufino versa, & ab eo malâ fide sub Sixti Papæ nomine editæ extant *Lovan.* 1618. 8°. *Basil.* 1520. *Colon.* 1522. 4°. & alibi.

SÆC. IV. ab An. CCC.

DEPERDITA.

Sententiæ Pamphili Martyris adversus Mathematicos, quas à Rufino versas esse memorat Gennadius*, nisi in Pamphili nomine hallucinatus sit.

* De Script. c. 17.

Epistolæ multæ ad timorem Dei hortatoriæ, inter quas eminebant illæ quas *ad Probam* dedit, ab eodem memoratæ.

Epistola ad Hieronymum comminatoria; cujus meminit Hieronymus †, forsan & aliæ plures.

† Apolog. 2.

Invectiva adversus Hieronymum prior, de quâ multa Hieronymus.

Evagrii Pontici Opuscula plurima ab eo *versa*.

390. P. II.

AURELIUS, ex Ecclesiæ Carthaginensis Diacono, post mortem Genethlii, creatus est Carthaginensis Episcopus anno CCCXC. Anno CCCCXXVI. saltem sequenti, obiisse dicitur. Vir primi inter Catholicos nominis, doctus, gravis, prudens fidei & pietatis cultor sincerus Statuam Cœlestis (*Deæ*) in amplo & splendido Templo positam, totóque pene orbe celeberrimam, quam Aurelius Pontifex Gentilis olim dedicaverat, alter jam Aurelius Pontifex Christianus destruxit, conversóque in Basilicam Christianam Templo, in loco *Cœlestis* Simulachri Cathedram suam collocavit, & exindè populum docere cœpit, ut ipse, qui aderat, tradit Prosper, vel quisquis sub hoc nomine latet, de Prędict. Part. III. cap. 38. fol. 60. p. 2 De Dea *Cœlesti* Carthagine adoratâ multa congessit Baronius ad ann. CCCXCII. pag. 92. cujus scrinia non compilabo. Idem esse numen, quod sub Mithræ nomine colebant Persæ, sub Astartes Phœnices, sub Ceteris Junonis, Dianæ, Lunæ & Reginæ cœli gentes aliæ, fidem faciunt Lucianus, Herodianus, Apuleius, alii. *Quam Cœlestem Afri, Mithram Persæ, plerique Venerem colunt, pro diversitate nominis, non pro numinis varietate*, inquit hâc ipsâ in re S. Ambrosius *. Inter Marmora Africana non multis abhinc annis ex agro Tuneto Florentiam allata, & ab Octavio Falconerio † edita, quartum hanc habet inscriptionem.

* Contr. Sym. Tom. III Epist. XXXI. p. 120.

† Auct. in. script. Athle**t**es p. 169. num. IV.

CAELESTI. AUG. SAC.
Q. MA.. TIUS PRIMUS
AD AMPLIATIONEM
TEMPLI ET GRADUS
DONAVIT)-(CXXV.
VOT. SOL. LIB. ANI.

In basi lapidis Romæ, cui super imposita erat Cœlestis statua, reperitur inscriptio INVICTÆ CAELESTI. Habetur apud Baronium loc. citat. & Gruterum p. 59. *num.* IV. Carpit Gruterum Eman. Schelstratius *, mus Leonem, quòd hanc inscriptionem inter Veneris Epitheta collocavit, cùm constat, *inquit*, Cœlestem fuisse Carthaginensium numen præcipuum. Quid verò? annon Venus sub Cœlestis nomine adorabatur? annon Afris etiam hoc nomine culta? Utrumq; disertè testantur Veteres, loquuntur lapides. *In antiquis Siciliæ Tabulis*, quas edidit G. Gualterus †, extat inscriptio in ruinis Segestæ eruta, quâ Diodorus constituit Minyram sororem suam ΙΕΡΑΤΕΥΣΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΑΙ ΟΥΡΑΝΙΑΙ Sæpini apud Gruterum loc. citat. VENERI CAELESTI AUGUSTAE. SACR. Asculi in marmore apud Reinesium * VENERI CAELESTI. Testis accedat Ælianus †, Ἐν ταύτῃ σέβουσι Ἀφροδίτην, Οὐρανίαν αὐτὴν καλοῦντες, *Chusis* (vicus erat Ægypti) *Venerem* religio-

* Eccl. Afric. Dissert. I. c. I. pos.

† Pag. 49. nu. CCCXXI.

* Inscript. class. I. num. CCLXXXVII. p. 242.

† De animal. lib. X. c. 27. p. 604.

Digitized by Google

religiosè colunt, quam Cœlestem appellant. Æliano longè antiquior Plato*, ubi de geminâ Venere, ἡ μὲν γέ πυ, πρεσβυτέρα, καὶ ἀμήτωρ Οὐρανοῦ θυγάτηρ, ἣν δὴ καὶ Οὐρανίαν ἐπονομάζομεν. *Nonnè una quadam antiquior est, & sine matre Venus, Cœlo nata, quam* Cœlestem *Venerem nuncupamus?* Ἀφροδίτης Οὐρανίας ejúsque templorum plusquàm semel iterúmque meminit Pausanias †. meminit & Lucianus *. Veneris Cœlestis, amplis alis ornatæ, quasi cœlum & astra petituræ, iconem ex gemmâ in sculpturis antiquis exhibet Leonardus Augustinus Part. I. *Tab.* CXV. Et Pausanias † Venerem Cœlestem ita dictam censet ἐπὶ ἔρωτι καθαρῷ, καὶ ἀπηλλαγμένῳ πόθου σωμάτων, *ab amore puro, & à corporum cupiditate longè remoto.* Dices quid hæc ad Afros? quid ad Carthaginem, ubi Cœlestis primariam habuit sedem? Audi. Venerem sub nomine *Cœlestis* summoperè venerabantur Afri, præcipuè Carthaginenses. Herodianus lib. V. pag. 213. ubi de Veneris Uraniæ simulacro agens, Σεβόντων αὐτὸ ὑπερφυῶς Καρχηδονίων τε καὶ τῶν κατὰ τὴν Λιβύην ἀνθρώπων. φασὶ δὲ αὐτὸ Διδῶ τὴν φοίνισσαν ἱδρύσασθαι, ὅτε δὴ τὴν ἀρχαίαν Καρχηδόνα πόλιν ἔκτισε, βύρσαν κατατεμοῦσαν. Λίβυες μὲν οὖν αὐτὴν Οὐρανίαν καλοῦσι, φοίνικες δὲ Ἀστροάρχην ὀνομάζουσι, σελήνην εἶναι θέλοντες. *Quòd scilicet Carthaginensibus, omnique Africæ incredibilem in modum venerabile positum fuisse à Phœnice Didone creditur, quo tempore antiquam Carthaginem dissecto corio ædificavit. Hanc Afri Cœlestem vocant, Phœnices Astroarchem, Lunam esse affirmantes.* Vox *Astroarche* ab *Astarte* detorta videtur, quæ apud Sidonios Veneris erat simulachrum, quæ & ἑωσφόρος dicebatur, Lunam etiam denotans, quod & Lucianus † affirmat. Hinc in nummo Juliæ Paulæ, Elagabali conjugis, apud Cl. Vaillantium *, in aversâ parte, Astarte capite radiato currui sacro insidet, his verbis circumscriptis, COL. AUR. PIA. METR. SID. Astarten verò Venerem fuisse uno ore consentiunt Veteres. Philo Byblius † Sanconiathonis interpres, de Phœnicum Theologiâ, τὴν δὲ Ἀστάρτην φοίνικες τὴν Ἀφροδίτην εἶναι λέγουσι, *Cæterùm hanc ipsam Astartem Phœnices Venerem esse dicunt.* Nec aliter Suidas *, Ἀστάρτη ἡ παρ' Ἕλλησιν Ἀφροδίτη λεγομένη, *Astarte apud Græcos Aphrodite dicitur.* Cicero † quatuor Veneres distinguens, *quarta*, inquit, *Syria, Tiróque concepta; quæ Astarte vocatur.* A Phœnicibus verò suum Deæ Cœlestis cultum Carthaginenses mutuâsse, suprà ex Herodiano notavimus. Fidenter Seldenus * noster, vir summus. *Cæterum quin fuerit Astarte ipsissima Pœnorum Cœlestis Dea, vix aut ne vix quidem est ut dubites.* Sed hæc obiter, & fortè plùs satis occasione statuæ, quam Cœlesti dedicavit Aurelius Pontifex, cujus meminit supracitata inscriptio apud Baronium & Gruterum; undè etiam liquet Aurelium *Onesimum* fuisse cognominatum. Jam, impetratâ lectoris veniâ, ad Aurelium redeamus Anno ccccxi. in Collatione Carthaginensi, unà cum sex aliis Episcopis delectus est ut pro Catholicis contra Donatistas disputaret. Quod & strenuè præstitit. Variis Conciliis Africanis, hoc & sequenti sæculo habitis, interfuit, simul ac præfuit, ejusque plures *Oratiunculæ* ad Patres Africanos in *Codice Ecclesiæ Africanæ*, aliisque Conciliorum Africanorum collectionibus reperiuntur. Anno ccccxix. scripsit Epistolam Encyclicam *de damnatione Pelagii & Cœlestii*, ad omnes Episcopos per Byzacenam & Arzugitanam Provinciam constitutos, quam unà cum Honorii Imp. ad Aurelium, hâc de re, Literis, ex Collectione Cresconianâ depromptam, Annalibus suis inseruit Baronius ad Ann. ccccxix. p. 455. Exindè Conc. Tom. II. col. 1609. Extat etiam inter Pseudo-Isidori merces, Aurelii nostri Epistola ad Damasum Papam, sed quam commentitiam esse contendit ipsemet Baronius ann. ccclxxiv. pag. 365. certè plusquàm integro quindecennio scriptam, antequam ipse Aurelius Episcopus factus sit.

* Sympos. p. 1179.
† Lib. I. in Attic. p. 27. 33.
* Lib. II. in Corinth. p. 128.
† Lib. VI. in Eliac. p. 392.
* Dial. Meretr. inter Matr. & Mu. T. II. 721.
† Lib. IX. in Bœot. p. 316.
† De Deis Syr. p. 827.
* Numism. Colon. Par. II. p. 97.
† Apud Euseb. præp. Evang. lib. I. c. 1. p. 38.
* In voc. Ἀστάρτ.
† De nat. Deor. lib. III. c. 23. p. 435.
* De Diis Syr. Part. II. c. 2. p. 247.

SECUNDINUS, natione, ni fallor, Afer, sectâ Manichæus, claruit circa annum cccxc. certè post Augustini ad Ecclesiam reditum, & absolutos de libero arbitrio libros III. Magna illi cum Augustino intercesserat familiaritas, dùm uterque in hæresi Manichaicâ versaretur. Sed Augustino ad fidem catholicam redeunte, ipsum acri satis Epistolâ adoritur Secundinus; quâ laudatâ ejus eloquentiâ desertum Manichaismum ei exprobrat; objicit carnalem timorem alicujus incommoditatis, quam à Manichæis metuebat, cupiditatem honoris, quem apud Catholicos consequeretur, Punicæ gentis perfidiam, doctrinæ Manichaicæ ignorantiam, quodque ab eâ diaboli calliditate seductus recesserat. In animum revocat quem sibi patronum olim habebit, cùm ante justum tribunal Judicii sistetur, cùm Persa, quem incusaverat (Manetem intelligit) non aderit; *quo excepto, inquit, quis te flentem consolabitur? quis Punicum salvabit?* Suadet igitur & exhortatur, ut in viam veritatis, quam metu deseruerat, è vestigio rediret. Et in his omnia eloquentiæ suæ vela expandit. In libello responsorio Augustinus objectas sibi calumnias diluit, dogmata Manichaica, quæ tectè insinuaverat Secundinus, diruit, omniúmque quas affert rationum momenta diligenter expendit. Extat hæc Epistola cum Augustini responsione *Tom.* VI. col. 525. 390 P. II.

AMBROSIUS, Cujus unus, quod sciam, è veteribus meminit Hieronymus, Patriâ Alexandrinus, Didymi auditor, claruit anno cccxci. Scripsit *adversus Apollinarium volumen multorum versuum de Dogmatibus*, & *Commentarios in Job.* N E. 392 Hieron. de Script. c. 126

AMBROSIUS, Gente Scytha, Tomorum quin & totius Scythiæ, Episcopus claruit anno cccxcii. Vir in monasticâ Philosophiâ innutritus, vitam admodùm rigidam & severam egit, victu modico contentus, & habitu vili indutus. Origeni æquiorem animum gessisse argumento sunt, quæ Epiphanio eum (Constantinopoli tunc agentem anno circiter cccci.) ad Origenem damnandum urgenti rependerit, suprà in Origene repræsentata ex Socrate. Multa ab eo facta sunt, multa etiam illius precibus impetrata miracula; quorum specimina aliquot profert Sozomenus *. Tantâ idcirco veneratione habitus est, ut ab Hunnis *Deus Romanorum* vocaretur. Scripsit in morem *dialogorum* & veteris eloquentiæ breves commaticosque *tractatus*, & alia quædam: ex quibus brevicula aliquot fragmenta exhibet Damascenus in Parallel. 392. Hieron. de Script. c. 131

* L. 7. c. 26.

PONTIUS PAULINUS, Origine Romanus, genere Patricio & Consulari Burdigalæ in Galliâ, saltem in vico Paterno non procul inde sito, natus est anno ccclIII. Præceptorem habuit Decium Ausonium, sub quo in Poëticis & Rhetoricis studiis mirum quantùm profecit. Ausonio deinde à Valentiniano Imp. in Aulam evocato, ut Gratiani filii studiis præesset, Paulinus Burdigalâ relictâ Romam se contulit, ibique causas forenses tantâ fœlicitate tractavit, ut anno ccclxxv. Consulatûs honorem juvenis adhuc consecutus sit. Senatoriâ adhuc dignitate illustris, totique civitati perquàm charus. Anno sequenti ad exteras regiones visendas se accingens omnes ferè Occidentis Provincias peragravit; summis ubique viris, Martino, Ambrosio, aliisque familiaris factus. Hisce peregrinationibus quindecim ferè annorum spatium impendit. Anno demum cccxci. à Delphino Episcopo Burdigalensi sacro fonte lavatus, ac bona divendita pauperibus elargitus, in Hispaniam secundâ 393.

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An.CCC.

secundâ jam vice professus est; & Barcinone plerumque degens arctiorem vitæ disciplinam excoluit; ab Ausonio licèt aliisque ad sæcularem vitam frustra revocatus. Anno CCCXCIII. exeunte, ipsâ Christi Natali ab Eulampio Præsule Barcinonensi, penè cogente plebe ad Presbyterii gradum evehitur: ex quo tempore inter viros Ecclesiasticos inclarescere cœpit. Factus postea Nolæ in Campaniâ Episcopus, sed quo anno hactenus mihi aliisque incompertum, anno CCCCX. Nolâ à Gothis captâ vastatâque, cùm se à Barbaris ob thesauros, uti illi suspicari possent, absconditos excruciatum iri vereretur; hæc ad Deum verba fudit: *Domine, non excrucier propter aurum & argentum: ubi enim omnia sunt, tu scis.* Obiit sanctissimus Præsul X. Cal. Junias anno CCCCXXXI. ætatis suæ 78. Uxorem habuit Therasiam, fœminam lectissimam individuam vitæ tam Ecclesiasticæ quàm sæcularis comitem, ex qua unicam suscepit sobolem vix octiduo superstitem. Qui plura de eo scire avent, adeant *Vitam* ejus à Fr. Sacchino conscriptam, & novissimis Operum Paulini editionibus insertam. Vir in Deum Pius, in pauperes beneficus, erga omnes comis & candidus, tam singulari verò ac stupendâ flagravit charitate, ut (si vera nobis referat Gregorius) Campaniâ à Gothis vastatâ sua captivis redimendis erogaret, cùmque nil amplius impendendum superesset, seipsum pro redimendo viduæ cujusdam filio, quem in Africam Vandali captivum abduxerant, eo profectus in servitutem vicariam daret, Regisque Vandalorum genero sese in mancipium traderet, ab eo horto excolendo præfectus. Tandem verò quisnam esset agnitus, in Italiam honorificè remissus est; dono ei datis cunctis suę civitatis captivis, navibusque plurimis frumento onustis. Exemplum ejus pietatis studiosis B. Martinus * sæpiùs ingerebat utpote qui solus penè istis temporibus Evangelica præcepta complesset; beatumque esse prædicavit id sæculum tantæ fidei virtutisque documento. Doctrinam quod attinet, clarissimorum istius ævi virorum elogiis nobilitatur. In Poësi quantum potuit, dicat Præceptor Ausonius *, sic ad illum scribens.

Augustin. de Civit. Dei l. 1. c. 10.

Greg. l. 3. dial. c. 3.

* Ap. Sulp. de vit. Martin. c. 26.

* Epist. 20. ad Paulin.

Cedimus ingenio, quantum præcedimus ævo:
Assurgit Musa nostra Camœna tuæ.

Eloquentiam ejus miris laudibus effert Hieronymus *, *Si Sacras*, inquit, *literas te docere contingeret, & quasi per manus mysteria tradere Scripturarum, nasceretur nobis aliquid, quod docta Græcia non haberet.* Et mox: *Si quasi extrema manus operi tuo induceretur; nihil pulchrius, nihil doctius, nihil dulcius, nihilque Latinius tuis haberemus voluminibus.*

* Ep. 13. ad Paulin.

OPERA, QUÆ EXTANT.

Epistolæ numero L. viz.
Ad Severum Sulpicium XIV.
Ad Delphinum *Burdegalensem* V.
Ad Amandum Burdegalensem VI.
Ad Sanctum & Amandum I.
Ad Victricium Rothomagensem II.
Ad Aprum I.
Ad Aprum & Armandum II.
Ad Florentium Cadurcensem I.
Ad Alethium I.
Epistola sive potius Declamatio *popularis de Gazophylacio.*
Ad Desiderium I.
Ad Macarium I.
Ad Pammachium I.
Ad Jovium cum Poëmate ad eundem. I.

Ad quendam militem I.
Ad Sebastianum Eremitam I.
Ad S. Augustinum IV. habentur etiam inter Augustinianas.
Ad Alipium Tagastensem I. inter Augustinianas 35.
Ad Romanianum I. inter Augustinianas 36.
Ad Rufinum II. quas Paulini non esse suspicatur Rolvveydus.
Ad Marcellam I. inter Hieronymi Opera.
Ad Celantiam I. inter Hieronymianas.
Poëmata numero XXXII. viz.
Ad Gestidium II.
Matutinæ Precationes II.
De *Joanne Baptista* I.
Psalmi 1. 2. & 136.
Ad Ausonium Epistolæ IV.
Ad Cytherium I.
Epithalamium in Iulianum & Jam.
De *obitu Celsi pueri Panegyricus.*
S. Fœlicis Natales X. integri.
Fragmenta Natalium 11. 13. 14. 15. & incerti cujusdam.
De *Nicetæ Episcopi reditu in Daciam.*
Fragmentum Poëmatis de Regibus ex Suetonio collectis.
Ad conjugem suam exhortatio, quæ Prospero rectiùs adjudicatur. Hactenus Poëmata.
Epistola ad Eucherium & Gallum in Laro insulâ degentes, à Chiffletio primùm edita in Appendice ad Paulinum, *Divione* 1662.
Martyrium S. Genesi Arelatensis. Extat apud Surium ad diem XXV. Augusti.

SPURIA.

Carmen Eucharisticum, de vita sua, quod alterius Paulini nostro συγχρόνου & Ausonii nepotis esse notat Labbeus *. Habetur in Bibliothecâ Patrum *Paris.* 1575.

*Dissert. de Script. Tom. 2. p. 165.

De *Vita S. Martini libri* VI. carmine Heroico scripti ad Perpetuum Turonensem Antistitem, quos Baulini Petricorii esse constat. Extant in Bibliothecis Patrum, & in Auctuario Bigneano *Paris.* 1624. p. 851.
Epistola ad Faustum Rhegiensem de variis quæstionibus, quam Paulini alterius, Auctoris *tractatus de Quadragesimâ*, esse conjicit Labbeus. Extat in Biblioth. Patr.

DEPERDITA.

Panegyricus, sive Apologeticus pro Theodosio Imp. anno 395. *Endelechii hortatu scriptus.*
Ad sororem Epistolæ multæ de contemptu mundi.
Sacramentarium & Hymnarium.
De *Pœnitentiâ liber*, item *de laude generali omnium Martyrum.*
Suetonii libri de Regibus in compendium redacti, metro scripti.
Poëmata & Epistolæ plures.

Extant Paulini opera in Orthodoxogr. Tom. II. p. 75. & in Biblioth. Patr. Tom. VI. p. 163. seorsim verò *Paris.* 1516. *Coloniæ* 1560. *Antverp.* 1622. 8°. una cum vitâ Paulini à Fr. Sacchino conscripta, & Frontonis Ducæi ac Heriberti Rosvveydi notis: denique *Paris.* 1685. 4°. in duos Tomos digesta, ad MSS. Codices recognita, & variorum notis illustrata, studio Jo. Baptistæ le Brun.

Paulini σύγχρονος (utpote cujus, tanquam amici sui meminit Epist. IX. ad Severum) erat *Sanctus Severus Endelechius*, religione Christianus, arte Orator & Poëta. Hujus breve carmen *de mortibus boum* edidit Pet. Pitheus in Epigrammatum veterum

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An.CCC. terum Cinno. Verum cùm nihil, quod sciam, scripsit Ecclesiastici commatis, peculiarem ei inter scriptores nostros locum non tribuimus.

395. P. II. Socr. Lib. V. c. 10. 11. Lib. VI. c. 1. 21. 22. Sozom. Lib. VII. c. 12. Lib. VIII. c. 1. SISINNIUS, Primùm Agelii Novatianorum apud Constantinopolim, Episcopi, Lector, dein Presbyter, tandem anno CCCXCV. mortuo Marciano, partis suæ Episcopus factus est, ab Agelio ante obitum suum Episcopus & designatus, & ordinatus. Juvenis adhuc, à Maximo Philosopho, unà cum Juliano Imperatore in Philosophia institutus fuerat, vir imprimis disertus, & magno rerum usu præditus, sacrarum Literarum callentissimus, Græcorum quoque philosophiam egregiè tenuit; Dialecticæ præcipuè adeò peritus, ut Eunomius Hæresiarcha, qui dialecticis argutiis præsertim excelluit, præstantiam ejus in arte disserendi formidans, cum eo congredi sæpenumerò refugerit. In vitâ castus & integer, etsi in victu & vestitu paulò delicatior, moribus jucundus, in congressibus suavis, lepido ingenio, quique & jocari cum venustate, & jocos patienter excipere optimè novit. Cujus generis multa facetè & festivè dicta referunt Socrates & Sozomenus. Scripsisse Sisinnium plures libros disertè tradit Socrates, in iisque condendis nimium verborum elegantiæ studuisse, atque poëticas interdum dictiones inseruisse ait; Ut majorem in dicendo gloriam, quàm scribendo, adeptus est. Composuit librum *de Pœnitentiâ*, adversùs Joannem Chrysostomum, occasione celebris illius dicti, quod, cùm Pœnitentia, à Synodo, semel duntaxat, iis qui post Baptismum peccâssent, concessa fuisset, pronunciare non dubitavit; *licèt millies pœnitentiam egeris, accede.* Ob quam sententiam Sisinnius in eo libro Joannem graviter exagitavit. Scripsit item, quo tempore suæ partis Episcopi ad consecrationem suam peragendam Constantinopoli in Synodum coacti essent, Epistolam Synodicam ad Berinianum, Amphilochium, cæterosque Pamphyliæ Episcopos, contra Messalianos, cujus inscriptionem exhibet Photius & ex eâ quædam laudat Cod. LII col. 4.

395. P. II. HELICONIUS, Sophista Byzantinus, Chronographus Christianus, claruit (si modò vixerit, quo tempore Opus suum terminavit) circa annum CCCXCV. Condidit χρονικὴν ἐπιτομὴν sive *Annalium Compendium*, ab Adamo, usque ad Theodosium Magnum libris X. comprehensum. Hæc nos docet Suidas in voc. Ἑλικών. Extare hoc Compendium Historicum MS. in Italia, se accepisse testis est Simlerus in *Biblioth.* p. 270. Quo verò auctore id refert, non dicit.

396. Possid. de vit. August. Augustin. in Confess. AURELIUS AUGUSTINUS, Natione Afer, Tagastam Numidiæ urbem natalem habuit, natus anno 355. parentibus honestis nec infimi nominis, quippe qui de numero curialium erant, patre Patricio, matre Monicâ, utrisque Christianis, matre verò supra communem sortem ob pietatem celeberrima. Bonis literis adeò gnaviter incubuit, ut adolescens adhuc in patria urbe Grammaticam, mox Carthagine Rhetoricam docuerit, & in foro inter Causidicos aliquamdiu versatus sit; ubi Manichæorum errorum virus non hausit modo, sed penitùs imbibit. Verùm rixarum in Gymnasio Carthaginensi pertæsus, anno 383. desertâ Africa, reluctante matre, Romam proficiscitur, ubi plures curæ suæ commissos discipulos bonis literis instituit. Nec tamen hîc loci omnia ex voto cesserunt; sequenti igitur anno misso ab Imperatore ad Symmachum urbis præfectum mandato, ut civitati Mediolanensi Rhetoricæ magister provideretur, ab eo Mediolanum missus est. Advenientem agnovit, & mirâ comitate tractavit Ambrosius, cujus sermonibus ad populum habitis, dùm auscultaret Augustinus, paulatim ab erroribus revocari cœpit; SÆC. IV. ab An.CCC. rejecto igitur Manichæismo ad Academicos transiit, Interea Monica de filii salute summopere sollicita Mediolanum venit; & jam verum esse experta est, quod Episcopus quidam, (cujus aures quotidianis precibus & gemitibus obtuderat, ut in filio ad meliorem frugem reducendo laboraret) substomachans dixerat; *Vade*, inquit, *à me, ita vivas; fieri enim non potest, ut filius istarum lachrymarum pereat.* Tandem itaque dum in hortulo suo ardentibus votis solus ad Deum preces funderet Augustinus, quasi pueri cujusdam cantantis audita vox est, *Tolle, lege, tolle, lege.* Arrepto igitur codice in locum Apostoli oculos conjecit: *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, &c.* Obstupuit audientis animus, & pietatem Christianam statim amplecti secum statuit; exactoque inter Catechumenos biennio, anno 388. ab Ambrosio baptizatur. Sequenti anno mortuâ jàm matre in Africam remeavit, & in fundo paterno per triennium fermè delituit. Anno 391. Hipponem profectum, ut Agentem in rebus quendam ad perfectiorem vitæ Christianæ gradum impelleret, Hipponenses injectis manibus reluctantem licèt & lachrymantem ad Valerium Episcopum trahunt, & ab eo Presbyterum ordinari curant. Presbyter factus instituto inter Ecclesiam Monasterio pietati & exercendæ & docendæ incubuit; quin & repugnante licèt Ecclesiæ Africanæ consuetudine, coram seipso concionandi vices ei demandavit Valerius. Manichæos, Donatistas, Circumcelliones, Pelagianos, aliosque Hæreticos tam Scriptis, quàm voce debellavit. In Synodo Hipponensi anno 393. jubentibus Episcopis de fide & Symbolo Presbyter adhuc disputavit; adeoque apud omnes inclaruit, ut necesse esset Valerio eum, quem sibi successorem designârat, clanculùm occultare, ne ad alterius civitatis Episcopatum raperetur. Quapropter literis egit Valerius apud Primates Africæ Episcopos, ut sibi adhuc viventi Coëpiscopus constitueretur; quod & factum est anno 396. à Megalio Calamensi Numidiæ Primate, reclamante Augustino ac assensum demum vix ac ne vix adhibente, utpote quod Canonibus Ecclesiasticis repugnaret. Episcopus factus Ecclesiæ instituendæ & religionis causæ tutandæ acriùs incubuit, ingentesque ac perpetuas cum circumstrepentibus ubique Hæreticis lites & controversias agitavit; quorum etiam insidiis vitæ discrimen non semel adiit. Donatistas collatione in Synodo Carthaginensi institutâ, & in Cæsariensi renovatâ confutavit: Fœlicem Manichæum post secundum vel tertium colloquium Hippone habitum ad Catholicam veritatem reduxit; cum Pascentio comite & Maximino Episcopo Arianorum coryphæis, illo Carthagine, isto Hippone disputationem ineuns fidem Catholicam egregiè propugnavit, & Hæreticorum deliria refellit: adversus Pelagianos denique disputationibus habitis & scriptis editis per annos fermè decem laboravit. Quo verò rebus Ecclesiæ meliùs prospiceret, Synodis frequens interfuit, earumque pars magna fuit; intererat enim Synodis Carthaginensi quartæ anno 398. & ut videtur, quintæ eodem anno habitæ; Africanæ tertiæ anno 401. Carthaginensi anno 403. Africanæ quartæ anno 407. Collationi Carthaginensi contra Donatistas anno 411. Cirtensi contra eosdem anno 412. Milevitanæ secundæ contra Pelagianos anno 418. Carthaginensi sextæ in causa appellationum anno 419. habitæ, Carthaginensi septimæ de eâdem causâ eodem anno celebratæ; ut alia Concilia taceam, cujus subscriptiones non extant. Vandalis demum Africam cæde & incendio

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An.CCC. dio ubique vastantibus, & Hipponem obsidione jam prementibus, Deum precatus est, ut aut urbem hostibus, aut seipsum vitâ subduceret. Tertio igitur obsidionis mense febri correptus decubuit, ac post dies aliquot in pace obdormivit die XXVIII. Anno Christi 430. ætatis suæ 76. Episcopatûs gesti 35. Egregios viri sanctissimi mores per totum vitæ curriculum pulchrè depingit Possidius. Erat utique pius, modestus, pudicus, mitis, mansuetus, urbanus, placidus, in concionando frequens, in disputando acer, in scribendo indefessus, in tractandis negotiis tam civilibus quàm Ecclesiasticis sedulus & assiduus, pauperum studiosus, quibus vel ex reditibus Ecclesiæ, vel ex oblationibus fidelium prospiciebat; veste usus est nec splendidâ nec sordidâ, mensâ parcâ quidem & frugali, benè instructâ tamen & nitidâ, cui peregrinos juxta ac familiares adhibuit; hâc tamen lege omnibus propositâ, quam & mensæ suæ inscribendam curavit.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam noverit esse sibi.

Ingenii fœlicitas, judice Erasmo *, prorsus erat incomparabilis; sive acumen spectes, vel obscurissima facilè penetrans, sive capacis memoriæ fidem, sive vim quandam mentis indefatigabilem. Idem alibi † sic scribit; *Solus Augustinus præstat omnes scriptoris Christiani dotes, in docendo sedulus, in redarguendo nervosus, in exhortando fervidus, in consolando blandus, ubique pius, & verè Christianam spirans mansuetudinem.* De omnigenâ ejus eruditione pluribus agere idem esset, ac lucem soli offundere: hospes sit oportet tum in ejus, tum in aliorum scriptis, qui nesciat Augustinum in toto meliorum literarum circulo eminere; in quæstionibus verò Theologicis primas tenere. De stilo hæc Erasmus *, *Habet Augustinus suum quoddam dicendi genus, argutum & periodis in longum productis multa convolvens; quod lectorem & familiarem, & acutum, & attentum, & benè memorem requirit, denique tædii laborisque patientem; quales non ita multos reperias.* Unde alibi *, *Scriptor & obscuræ subtilitatis, & parum amœnæ prolixitatis,* illi audit.

* Præf. ad Opera Augustin.

† Ep. ad Alphons. Fonsec. Archiep. Tolet l. 19. Ep. 35.

* Præf. ad Op. Augustin.

* Ep. ad German. Brix. l. 20. Ep. 2.

Opera, quæ extant, genuina.

REtractationum *Libri* II. paucis ante mortem annis conscripti, statim ante mortem recogniti.
Confessionum Libri XIII.
De Grammaticâ liber.
Principia Dialectica.
Categoriæ decem ex Aristotele decerptæ.
Principia Rhetorices. Tractatus isti quatuor postremò recensiti à Benedictinis Parisiensibus in nuperâ sua Augustini Operum editione sanè elegantissimâ in Appendicem rejecti spuriis accensentur; tum quòd à stilo Augustini alieni, & eruditione ejus indigni sint; tum quòd Dialogorum formâ scripti non sint, neque ad incorporalia animum promoveant; qualia fuisse genuina Augustini hisce de rebus Opuscula constat ex Retract. lib. 1. c. 6.
De Musicâ Libri VI.
Contra Academicos Libri III.
De Ordine Libri II.
De beatâ vitâ Liber.
Soliloquiorum Libri II.
De Magistro Liber.
De immortalitate animæ liber.
De quantitate animæ liber.
De libero arbitrio Libri III. quos Romæ laicus inchoavit, Africæ Presbyter absolvit.
De verâ Religione liber.
De moribus Ecclesiæ Catholicæ & Manichæorum Libri II.
De Genesi contra Manichæos Libri II.
Regula è tribus ultima, quæ fœminis data est non viris, licèt pronomina & adjectiva è fœminino in masculinum genus mutata sint. De eâ dubitat Erasmus, Augustino tamen non indignam esse agnoscit.
Epistolarum CCXLII. *liber*, sine ullo rerum aut temporum ordine temerè digestus. Ex his Epistolis plurimas tractatuum nomine insigniunt Augustinus in *Retractationibus*, & Possidius in *Indiculo*; spuriæ verò sunt undecim (142. 181. 182. 184. 185. 187. 189. 192. 194. 196. 198.) aliorum denique sunt quinquaginta. In editione nuperâ Benedictinâ Epistolæ pro ratione temporis quo scriptæ sunt, disponuntur. In his antea ineditæ exhibentur Epistolæ tres, una ad *Alypium*, *ad Paulinum* duæ; quibus accedit quarta ad *Mar. Mercatorem*, integra jam primùm edita. *Altercationem cum Pascentio*, quæ hactenus Epistolæ 178. locum obtinuit, Augustini non esse argumentis invictis probant Benedictini, & Vigilio Tapsensi ratione sanè non invitâ, ascribunt.
Epistolæ penè LX. in Supplemento *Parisiensi*, & ex iis XX. in editione *Lovaniensi* accesserunt.
De doctrinâ Christianâ Libri IV.
Locutionis S. Scripturæ Libri VII.
De Fide & Symbolo liber.
Enchiridion ad Laurentium de Fide, Spe, & Charitate, ann. 421. scriptum.
De Trinitate Libri XV.
De Genesi ad literam liber imperfectus.
De Genesi ad literam Libri XII.
De Agone Christiano Liber.
De Opere Monachorum Liber.
De spiritu & literâ ad Marcellinum liber, anno 412. scriptus.
De Divinatione Dæmonum Liber.
Speculum ex utroque Testamento, à *Possidio in indiculo & vita* Augustini memoratum; tametsi sciolus forte aliquis post mortem Augustini textum Scripturæ mutavit, proque eo quem usurpavit Augustinus, vulgaris versionis textum substituit.
De Mendacio ad Consentium liber.
Contra Mendacium ad eundem liber.
De Fide & Operibus liber.
Quæstionum in Heptateuchum libri VII.
Quæstionum Evangelicarum libri II.
Quæstionum Evangelicarum super Matthæum liber.
De Consensu Evangelistarum libri IV.
Quæstionum LXXXIII. *liber.*
De diversis Quæstionibus ad Simplicianum libri II. ante annum 399. scripti.
De octo Dulcitii quæstionibus liber, anno 422. scriptus.
De cura pro mortuis gerenda, ad Paulinum.
De catechizandis rudibus liber.
De Continentia liber, genuinum esse negat Erasmus.
De Patientia liber. Hosce duos libros Augustini esse negant Erasmus aliique, an meritò, viderint eruditi.
De *bono, sive Perfectione viduitatis liber*, de quo dubitant multi; Juliani esse conjicit Erasmus.
De Sermone Domini in monte libri II.
Expositionis in Epistolam ad Romanos inchoata liber.
Expositionis quarundam propositionum ex eadem Epistola liber, ante an. 396. scriptus.
Expositio Epistolæ ad Galatas.
Annotationum in Job. liber; de quo vide quæ habet ipse Augustinus Retract. libro 2. capite 13.
De *Civitate Dei contra Gentes ad Marcellinum*, libri XXII. quibus ultimam manum adhibuit Augustinus anno 429. Prodierunt seorsim *Romæ* 1468.

fol. *Venet.* 1470. fol. *Mogunt.* 1473. fol. & cum Commentariis VValesii & Nic. Trivethi, *Friburg.* 1494. Editiones recentiores cuivis in promptu sunt.

De Hæresibus ad Quodvultdeum liber non longè ante mortem scriptus, cum duabus Epistolis ad eundem. Appendix de Hæresibus Nestoriana, Eutychiana & Timotheana à Gennadio addita est.

De quinque Hæresibus oratio. Chrysologo ascribunt nonnulli, sed immeritò.

Concio ad Catechumenos contra Judæos, Paganos, & Arianos.

Oratio adversus Judæos.

De utilitate credendi ad Honoratum contra Manichæos liber.

Contra Epistolam Manichæi, quam vocant, Fundamenti, liber.

De duabus animabus contra Manichæos liber, ante annum 396. scriptus.

Contra Fortunatum Manichæorum Presbyterum liber.

Contra Adimantum Manichæi discipulum liber.

Contra Faustum Manichæum libri XXXIII.

De actis cum Fœlice Manichæo libri II.

Contra Secundinum Manichæum liber.

De naturâ boni contra Manichæos liber.

Contra adversarium Legis & Prophetarum libri II.

Contra Priscillianistas & Origenistas ad Orosium.

Contra Sermonem Arianorum liber.

Contra Maximinum Arianorum Episcopum libri III.

Contra Fœlicianum Arianum de unitate Trinitatis ad Optatum liber, qui ab Erasmo in dubium jure vocatur. Vigilii enim Tapsensis Opus esse jam constat.

De bono conjugali adversus Jovinianum liber.

De sancta virginitate liber.

De adulterinis conjugiis ad Pollentium libri II.

De Epicureis & Stoicis tractatus.

Tractatus in illud Mosi à Deo dictum, Ego sum qui sum: binos hosce tractatus sermones potiùs esse monet Bellarminus; utrumque Augustino adjudicat Erasmus.

Contra partem Donati Psalmus.

Contra Epistolam Parmeniani Donatistarum Episcopi libri III.

Contra literas Petiliani Donatistæ libri III.

Contra Cresconium Grammaticum libri IV.

Contra Epistolas Gaudentii D*onatistarum Episcopi libri* III.

De Baptismo contra Donatistas *libri* VII.

De unico Baptismo contra Petilianum liber.

De unitate Ecclesiæ contra Petiliani Epistolam liber.

Breviculus Collationum cum Donatistis.

Contra Donatistas post Collationem liber.

De gestis cum Emerito Donatistarum Episcopo Sermo.

De gestis cum eodem Emerito liber.

Contra Fulgentium Donatistam liber, de quo dubitant plurimi: quin & plurima argumenta proferunt Censores Lovanienses, quibus, opus istud supposititium esse contendunt.

De Peccatorum meritis, & remissione, & de Baptismo parvulorum.

Ad Marcellinum contra Pelagianos libri III. anno 412. scripti.

De naturâ & gratiâ contra Pelagianos liber anno 415. scriptus.

De gratiâ Christi & peccato originali contra Pelagium & Cœlestium libri II. anno 419. scripti.

De nuptiis & concupiscentiâ ad Valerium Comitem libri II. quorum primus anno 418. secundus 420. scripti sunt.

Contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium libri IV. anno 419. scripti.

Contra Julianum Pelagianum libri VI. anno 421. scripti.

De Animâ & ejus origine libri. IV. anno 420. scripti.

De Prædestinatione Sanctorum & bono perseverantiæ libri II. anno 427. scripti.

De Gratiâ & libero Arbitrio ad Valentinum liber, anno 424. scriptus.

De correptione & gratiâ ad eundem liber, anno 425. scriptus.

Responsio refellens articulos aliquot falsò ipsi impositos. Habetur etiam inter Opera Prosperi, cujus forsan est.

De perfectione justitiæ contra Cœlestium liber, anno 414. scriptus.

Enarrationes in Psalmos David CL. prior è Prologis præmissis non est Augustini; secunda S. Basilii est è Græco versa. Opus istud variis temporibus & locis compositum fuit; Psalmos enim S. Augustinus, prout loca, tempora, res & personæ suggerebant, modò publicè sermocinando, modò dictando exposuit, Psalmum vero CXIX. ultimo loco rogantibus id amicis elucidavit. Prodiit seorsim curâ Jacobi Willemart, Eremitæ Augustiniani, *Antverp.* 1680. fol.

In Evangelium Joannis Expositio, seu Tractatus CXXIV. quibus præfixa Præfatio incerti est autoris.

In Epistolam primam S. Joannis Expositio seu Tractatus X.

De disciplinâ Christianâ vel de domo disciplinæ liber.

De decem Chordis liber.

De Cantico novo, & de reditu ad cœlestem patriam, ac vitæ periculis.

De Pastoribus in Ezechielis caput XXXIV. *liber.*

De Ovibus in eundem locum liber; sive Homilia.

De Symbolo, sive Regulâ fidei ad Catechumenos libri, seu potius Sermones IV. ex quibus primum genuinum esse, reliquos tres spurios censent Benedictini Parisienses.

De convenientia decem Præceptorum & decem Plagarum liber.

De utilitate jejunii tractatus.

Psalterium quod matri suæ composuit.

De verbis Domini, sive de verbis Evangelii Sermones LXIV. Ex his Sermo 14. *Eradii* Presbyteri est, 19. *Maximi Taurinensis,* 28. *S. Ambrosii.*

De verbis Apostoli Sermones XXXV. ex iis Sermo 25. Maximi est inter Ambrosianos nonus.

Homiliarum L. liber; ex his quarta ex Ambrosii Scriptis decerpitur. Collectiones istæ Sermonum Augustini tres, superiùs memoratæ, antiquæ sunt, ante annos quippe 800. factæ, Augustino tamen nequaquam æquales. Collectiones Sermonum *de Tempore & de Sanctis* sequentes adornatæ sunt, (summâ quidem id incuriâ factum) à curatoribus editionis Amerbachianæ *Basil.* 1495.

Sermones de tempore CCLVI. ex quibus nonnulli alios præ se ferunt Autores: Sermones verò 87. 215. 251. 255. à Perkinsio, Riveto, aliisque spurii habentur Sermonem 191. Augustino adjudicat Labbeus. Eorum verò nonus Bernardi est; 11. Maximo tribuitur; 15. Severiano uti & Fulgentio ascribitur; 33. S. Leonis est; 37. Maximi; 48. ex Hilario, Ambrosio & Augustino hinc inde desumitur; 63. S. Leonis est; 68. & 77. S. Ambrosii; 117. ejusdem; 118. Maximini; 120. Eusebio tribuitur

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. tribuitur; 125. idem ferè est ac *Symbolum* Damaso inscriptum inter Opera Hieronymi; 128. Maximum; 130. Chrysostomum autorem habet; 136. 138. 156. 176. inter Eusebianos habentur; 137. S. Gregorii est; 171. ex ejusdem Scriptis desumitur, 226. 228. 229. 242. ex Ambrosii Scriptis.

De Sanctis Sermones LI. ex quibus Sermones 1. & 18. Fulgentio ascribunt nonnulli: Sermo 22. è Petro Ravennatensi decerpitur; 26. inter Ambrosianos reperitur; 27. Maximi est; 30. & 31. spurii sunt, posterior inter Ambrosianos habetur, uti & sermo 33. *Sermo* 35. Fulberti est; 36. Eusebii Episcopi; 37 Alcuini Presbyteri, ex variis tamen consarcinatus; 47. etiam S. Leoni tribuitur.

Sermones alii XVII. ex quibus sex *de Tempore*, X. *de Sanctis*, in editione *Parisiensi* 1631. primùm editi.

Sermones IV. viz. *de Jacob & Esau, in Festo S. Vicentii, in Proverbiorum caput* 13. *in Parabolam seminantis, & in Matthæi caput* 16.

Tractatus in Orationem Dominicam.

De diversis Sermones XLIII.

Fragmenta Sermonum D. Augustini XXVII. ex Eugippii Abbatis thesauro, & Bedæ Commentariis decerpta. Omnia ista Opuscula à Sermonibus IV. inclusivè in editione *Basiliensi* 1569. primùm prodierunt. Et hactenus quidem Editiones Frobenianæ. Quæ sequuntur opera genuina variis temporibus lucem aspexerunt, in supplemento *Parisiensi*, quod Hieronymus Vignerius adornavit, 1654. in unum collecta.

Sermones XL. de variis argumentis, à Sirmondo primùm anno 1630. cum notis editi.

Sermones de diversis CXXIII. à *Lovaniensibus* editi, annumeratis Sermonibus 43. *Basil.* 1569. primùm editis. Ex his plurimos supposititios esse ipsi fatentur Lovanienses.

Homiliæ XI. à *Parisiensibus* editæ anno 1614. ex MSS. Carthusianis, atque aliæ XIII. ex MSS. Pithianis.

Brevis Expositio Symboli.

In Calendas Januarias.

De Calendis Januariis.

Ante altare ad infantes de Sacramento.

Sermones VI. *Romæ primùm editi* anno 1644. à Joanne Baptistâ Maro.

Tractatus de septem vitiis, & septem donis Spiritûs S.

De gestis Pelagii contra adversarios gratiæ D. N. J. C. *ad Aurelium Episcopum Carthaginensem* liber, anno 417. scriptus. Prodiit primùm *Augustæ. Vind.* 1615. 8°.

Speculum in S. Scripturam.

Contra Julianum Hæreticum Pelagianum operis perfecti, sive Responsionis postrema libri VI. quibus conficiendis immortuus est Augustinus, ac proinde *opus imperfectum* à Possidio vocantur hi libri in *Indiculo.*

Epistola ad Macrobium.

Sermones XLVI. antea inediti. Cæterùm in præcedentibus Sermonibus notari debet non rarò evenire, ut idem Sermo in diversis Sermonum Collectionibus bis vel forsan sæpiùs numeretur: quamplurimi verò ex aliis Augustini scriptis excerpuntur. Sermones ex hisce aliquot spurios nos in transitu notavimus. Verùm cùm accuratius longè id præstiterint Benedictini Parisienses in editione suâ nuperâ; nos censuram Sermonum ab iis latam compendio exhibere è re fore arbitramur. Sermones itaque omnes (quibus Tomus IV. absolvitur) in quatuor classes redegerunt, *de Scripturis, de Tempore, de Sanctis* & *de Diversis*; quibus accessit quintus Ordo *Sermonum Dubiorum*; cùm nonnisi apertè supposititii in Appendicem rejecti sint. Classes istæ quinque Sermones complectuntur CCCXCIV. præter Fragmenta. In Appendicem rejiciuntur, tanquam certò certiùs spurii, Sermones CCCXVII. ex Collectionibus suprà memoratis hinc inde selecti, nimirum ex vulgari Collectione Sermonum de Verbis Domini Sermon. 3us. 14us. 19. 20. 22. 28. 34. 47. 52. 54. 56. 57. 58. de verbis Apostoli Serm. 21us. 25. 26. 34. 35. Homiliarum L. Serm. 2us 3. 4. 6. 7. 8. 9. 10. 12. 15. 16. 21. 22. 26. 30. 31. 33 35. 39. 45. 46. 47. 48. De Tempore Serm. 1us. 2us. 3. & omnes reliqui præter 5m. 12. 16. 19. 20. 23. 25. 27. 28. 30. 31. 32. 34. 39. 42. 45 49. 50. 52. 72. 74. 94. 96. 107. 109. 110 113. 119. 135. 139. 140. 141. 143. 144. 145. 146. 147 148. 149. 151. 155. 160. 164. 165. 170. 174. 186. 187. 196. 205. 212. 214. 220. 234. 235. 236. 237. 245. 246. 254. 256. Sermones de Sanctis omnes spurii sunt præter 4m. 12. 17. 23. 24. 42. 45. 48. 50. 51. Inter Sermones XVII. *Paris.* 1531. additos, spurii sunt 1us. 2. (qui pars est Sermonis 51. in hâc Collectione novâ Benedictinorum) 7. (pars Sermonis 88.) 15. (pars Sermonis 150.) Inter Sermones de Diversis spurii sunt 7us (pars Sermonis 361.) 35. 36. (pars Sermonis 279.) 38. 65. 96. 97. 98. 99 118. (pars Sermonis 325.) Ex Sermonibus ad Fratres in Eremo nonnisi sex in hoc Tomo exhibentur, reliqui in Tomo sequente. Ex his sex spurii sunt, tres, qui in vulgari Sermonum istorum Collectione locum obtinent 56. 70. & 72. Ex Sermonibus ab Hieron. Vignerio editis, in parte I. Supplementi spurii sunt 3us. 4. 5. 13. 14. 15. 17. 18. In parte II. Supplementi spurii sunt Ius. 2. 8 10. 11 12. 13. 14. 20. 23. 25. 26 27. 29. 34 36. 37. 38. 39. Atque hactenus quidem Benedictini.

De oratione & Eleemosynâ Tractatus.

Testimonia adversus Pelagianos Hæreticos, quæ fusioris potiùs alicujus Operis Excerpta videntur.

Alia quædam *Opuscula*, in editione suâ adjunxerunt Lovanienses, quæ quia ab omnibus tanquam spuria rejecta sunt, haud tanti sunt, ut sigillatim enumerata hîc locum mereantur.

DUBIA.

Meditationes Libri II. Bernardo recentiorem esse volunt Benedictini Parisienses.

Soliloquiorum animæ ad Deum liber. Hugone Victorino, cujus scrinia affatim expilat, & recentiorem esse indicant Benedictini, ejusdemque forsan Autoris esse, cujus & Opus subsequens.

Manuale. Anselmi esse videtur, inter cujus Opera locum sortitur. Autori tamen *Tractatus de Spiritu & Animâ*, uti & *librum de diligendo Deo*, potiùs ascribendum censent Benedictini Parisienses.

Quæstiunculæ de Trinitate XXXIII.

Testimonia adversus Pelagianos Hæreticos, in Supplemento *Paris.*

Tractatus brevis de Trinitate; extat Gr. Lat. à Maximo Planude versus in Biblioth. Patr. Excerpta de arbitrii libertate, quæ habentur ibidem.

De fide rerum invisibilium. De Opusculis istis una ferè eademque sententia ferri potest; ea ex Augustini Scriptis consarcinata esse: nisi quòd Tractatum ultimo loco memoratum genuinum esse summâ asserant fiduciâ Benedictini Parisienses.

De vera & falsa pœnitentia ad Christi devotam. Totus ferè transcriptus est sub Augustini nomine *in Decreta & Sententias*; verùm spurium esse opus nulla ferè est dubitandi ratio.

De quarta Feria sive cultura agri dominici.

De Ca-

SÆC. IV. ab An. CCC.

De Cataclysmo.
De Tempore Barbarico.

Sermones seu Tractatus istos tres admodum dubios esse, eundemque omnes autorem habere, quem & tres posteriores de Symbolo fortè aliquem è discipulis Augustini, volunt Benedictini Paris.

De utilitate Pœnitentiæ. Homilia est 27. inter L. à nonnullis Eradio Augustini successori ascribitur. In nonnullis etiam editionibus habetur Libellus *de Pœnitentiæ Medicina*, qui idem ferè ad verbum est cum Homiliâ inter L. ultimâ, & eidem Eradio ascribi solet.

De quatuor virtutibus charitatis.

De laudibus charitatis.

De honestate mulierum.

De urbis excidio.

De Pugnâ animæ. Posterior pars est sermonis 43. *de Verbis Domini.*

SPURIA.

Regula II. Clericis data.

Liber *de vita Eremitica ad sororem*, qui SS. Benedictum & Gregorium citat. Ælredo Abbati Rievallensi debetur judice Holstenio, cujus sententiam amplectuntur & confirmant Benedictini Parisienses.

Epistola ad Cyrillum de laudibus Hieronymi.

De Ecclesiasticis Dogmatibus. Gennadii Massiliensis est.

De Fide ad Petrum Diaconum. Fulgentii Ruspensis est.

De Mirabilibus S.Scripturæ Libri III. Autor Cyclorum meminit, & ut ex calculis ab eo allatis patet, scripsit anno DCLVII. Autor erat Augustinus quidam Monachus Cantuariensis, seu potiùs Cambrensis, id est, Hibernus. Ita nos docent Benedictini Parisienses.

De Spiritu & Anima, Autor citat Boethium; Hugoni à S. Victore tribuit Trithemius. Revera autem Monacho cuidam Cisterciensi is debetur. Alchero ei nomen fuisse indicant Benedictini Parisienses.

De Benedictionibus filiorum Jacob; decerpitur ex S. Hieronymi Quæstionibus Hebraicis in Genesim; & Alcuinum autorem habet.

Sententiæ CCCLXXXVIII. ex Sancti Augustini Operibus à Prospero Aquitanico collectæ.

Quæstionum XXI. Liber.

Quæstionum LXV. dialogus percontante Orosio, respondente Augustino, ex variis Augustini locis maximam partem congestus.

Quæstiones Veteris & Novi Testamenti, in tres partes divisæ: quæ à *Lovaniensibus* enim edita est, pars quarta Quæstiones LXV. ex utroque pariter Testamento complexa, spuria est, nec aliud quid, quàm primæ & secundæ partis interpolata repetitio, adeòque in editionibus *Basil ensibus* meritò desiderata. Opus ipsum Pelagianismi vulgò insimulatur, & Hilario Diacono adjudicari solet. Pelagianismi crimen fusè diluit Cl. Garnerius in Append. ad par. I. Operum Marii Merc. Dissert. I. c. 8. §. 1. 2. 3. 4. & opinionem de Hilario Autore jamdiu receptam pluribus confirmat ib. §. 5.

De Incarnatione Verbi. Autor ipsum Augustinum allegat.

De Trinitate & Unitate Dei liber, demptis quibusdam idem est cum libro contra Sermonem Arianorum.

De Essentia Divinitatis liber; ex Eucherio Lugdunensi ut videtur, excerptus.

De substantia dilectionis & amoris. Hugonis Victorini esse censet Erasmus; cui succedunt Benedictini Paris.

SÆC. IV. ab An. CCC.

Exhortatio de salutaribus documentis ad quendam Comitem. Paulini Aquileiensis est.

De Amicitia. Non nisi epitome est trium librorum Ælredi Rievallensis de eodem argumento editorum, ab otioso quodam facta.

De altercatione Ecclesiæ Dialogus, Erasmus elegantem vocat; & Aulici vel Jurisconsulti alicujus Opus esse censet. Autor se Jo. Scoti coætaneum fuisse testatur.

De Fide seu Unitate Trinitatis contra Manichæos liber Evodii Episcopi Uzalensis est.

De Prædestinatione & Gratia, Fulgentium autorem habet.

De Prædestinatione Dei.

Contra Pelagianos Hypognosticon libri VI. De his libris hisce prolixam atque eruditam *Dissertationem* edidit Cl. Garnerius in Append. ad Par. I. Operum Marii Merc. Dissert. VI. cap. 6. cujus summa hùc ferè redit. Librum sextum à reliquo Opere sejungendum videri, utpote nec ejusdem Autoris, nec commatis; ac revera in plerisque Codicibus MSS. abesse: priores quinque libros inter ann. CCCCXVIII. & CCCCXX. contra Julianum Eclanensem scriptos esse, & quidem ab aliquo ex primariis fidei Catholicæ defensoribus: Augustino certissimè adjudicandos esse, denique Sixto Presbytero Romano, qui Cœlestino Papæ in sede Pontificali successit, ascribendos videri, pluribus argumentis sententiam suam confirmat Garnerius, quem consulat Lector. Aliam init viam Seraphinus Piccinardus Ord. Prædicat. qui in Dissertatione Prædestinato Sirmondi à se edito *Patavii* 1686. 4°. præmissa, post expensa ac rejecta Garnerii argumenta Marium Mercatorem Operis istius autorem esse contendit.

In Apocalypsin Expositio seu Homiliæ XVIII. Tichonii opus vulgò habetur: Quod si tamen rectè judicent Benedictini Parisienses, Tichonii non est, sed Annotationes quædam ex Victorini, Primasii, Bedæ, forsan & ipsius Tichonii verbis consarcinatæ, & in Homiliarum formam redactæ.

De triplici habitaculo liber, S. Fulgentio etiam ascriptus, ab aliis S. Patricio.

Scala Paradisi, quæ inter Bernardi Opera habetur, ubi de eâ plura invenies.

De duodecim abusionum gradibus, Patricio in nonnullis Codd. MSS. ascribitur. Antiquior certè est Jonâ Aurelianensi, à quo citatur.

De contritione cordis liber, qui quidem ex Anselmi Operibus consarcinatus est.

De cognitione veræ vitæ; Anselmo nonnulli adjudicant. Rectiùs verò Honorio Augustodunensi ascribunt Benedictini Parisienses.

De Speculo, in quo citatur Boetius.

De Vitâ Christianâ liber; Fastidii Britanni est; cui datâ operâ istum vindicavit Lucas Holstenius qui & singularem illius editionem dedit *Romæ* 1663.

De Assumptione B. Mariæ.

De contemptu mundi.

De vanitate Sæculi.

De obedientiâ & humilitate.

De bono disciplinæ, Valeriani Cemeliensis est.

De visitatione infirmorum libri II.

De consolatione mortuorum Sermones II.

De sobrietate & virginitate.

Speculum Peccatoris.

De conflictu vitiorum & virtutum, Isidori Hispalensis esse Labbeus conjicit. Ambrosio Autperto adjudicant Benedictini Parisienses.

De rectitudine Catholicæ conversationis. Eligii Noviomensis est.

De creatione primi hominis.

De

Digitized by Google

SÆC. IV. abAn.CCC. *De arbore scientiæ boni & mali.*

De Antichristo, meminit imperii à Græcis ad Francos translati. Rabano Mauro adjudicant nonnulli. In Codice MS. qui in Reverendiss. Archiepiscopi Cantuariens. Bibliothecâ habetur. Liber iste hunc titulum præfert: *Epistola cujusdam Sapientis de Codd. excerpta ad Reginam * Gerbertam Henrici Saxonum nobilissimi Regis filiam, de Anti Christo Mago malefico, atque omni improbitate digno*-- *Præfationem* habet, & *Coronidem*, & alia quædam quæ in impressis Codd. non extant.

*Legendum est, ni fallor, Gerbergam, quæ Henrici Aucupis filia erat.

Super Magnificat, Canticum B. Mariæ.

De Singularitate Clericorum, habetur etiam inter Cypriani Opera.

Ad Fratres in Eremo commorantes Sermones LXXVI. insulsi alicujus impostoris Opus. In his tamen Sermones 52. & 53. de Disquisitione Clericorum suorum Augustinum reverà authorem habent, ac inter Epistolas locum habere debent, ipso fatente ac censente Erasmo.

De Vita, conversatione & morte S. Monicæ Narratio.

Oratio de Passione Domini nostri Jesu Christi.

De Epistolis, & Sermonibus Spuriis dictum est suo loco.

ALIENA, quæ inter Augustini Opera habentur.

Epistola Quodvultdei ad Augustinum.

Epistola Secundini ad Augustinum.

Sermo Arianorum.

Epistola Volusiani I. *Marcellini* I. *Longiniani* I. *Severi* I. *Maximi Madaurensis* I. *Macedonii* II. *Dioscori* I. *Nebridii* II. *Audacis* I. *Publicolæ* I. *Pascentii* I. *Bonifacii* VIII. Spuriæ. *Nectarii* I. & *Consentii* I. *ad Augustinum.*

Carmen Licentii ad Augustinum.

Epistola Synodorum Carthaginensis & Milevitanæ ad Innocentium Romanum.

Acta electionis Eradii ab Augustino in Coepiscopum & successorem designati.

Acta disputationis cum Pascentio.

Acta Concilii Arausicani II. anno DXXIX. habiti.

Translatio corporis Protomartyris Stephani ab *Hierosolymis in urbem CP.* incerti Autoris.

Reperiuntur ibidem plurima Hieronymi, Paulini, Prosperi, &c. Opuscula; de quibus plura videas suis locis.

DEPERDITA.

De pulchro & apto ad Ichoriam Romanæ urbis Oratorem.

Contra Paganos Libri III. *& Exhortatio ad eosdem.*

De Sacrificiis Spiritualibus contra Manichæos.

De die Domini secundum Sophoniam Prophetam contra eosdem.

Tractatus diversi contra Arianos.

Contra Epistolam Donati heretici.

Contra Anonymum Donatistam.

De Maximinianistis contra Donatistas.

Ad Primianum Commonitorium.

De traditione in Persecutionibus & falso baptismate contra Donatistas Libri III.

De Baptismo contra eosdem liber.

Ad Mercatorem Episcopum contra eosdem.

De Charitate Tractatus diversi.

De Eucharistiâ Tractatus.

De Sacrificio vespertino Tractatus.

Epistolæ, Tractatus & Sermones plures, quorum mentio habetur apud Possidii *indiculum*, Bedam ipsum Augustinum & alibi; nec enim omnia numerare aut vacat aut refert.

SÆC. IV. ab An. CCC.

Inter varias Operum Augustini Editiones præstant *Basil.* 1529. 1543. 1566. 1569. *Venet.* 1571. 1584. IX. Vol. in 8°. *Antv.* (per Theologos Lovanienses) 1577. *Colon.* 1616. *Paris.* 1515. 1586. 1635. His accessit Supplementum *Paris.* 1654. 2. Tom. in fol. paratur à Benedictinis Parisiensibus elegantissima planè Editio, cujus sex vel septem jam Tomi prodierunt.

AUREL. AUGUSTINUS, gente Afer, factus Hipponensis Episcopus anno CCCXCVI. Obiit, anno CCCCXXX. De Augustino ejúsque Scriptis, Operúmque editionibus, in prima hujus Historiæ Literariæ parte satis supérque actum est. Editiones quod attinet, plures recensent clarissimi *Actorum* quæ *Lipsiæ* prodeunt Editores anno 1683. Mense *Januar.* pag. 1. Ex eo tempore absoluta est novissima, eaque omnium optima *Parisiensis* editio, quam Monachi *Benedictini* Congregationis S. *Mauri*, homines ad juvandas has Literas magno Reipublicæ Ecclesiasticæ bono nati, duce & Ἐργοδιώκτῃ Cl. Mabillonio, haud ita pridem adornârunt. Operæ pretium igitur me facturum existimavi, si in Lectoris gratiam præstantissimam hanc editionem eâ quâ fieri potest, brevitate recenseam, & in antecessum pauca de eâ in genere notanda præmittam. 396. P. II.

I. Hanc editionem, omnes quæ hactenùs prodierunt chartæ puritate, summóque typorum nitore, atque elegantiâ, longissimè superare, ut pulchritudine & venustate sua legentium oculos pariter, atque animos, allicit simul & oblectat.

II. Ex vetustioribus & melioribus editionibus, & optimæ notæ codicibus MSS. multo studio & ingenti sumptu, undique conquisitis, & tùm inter se, tùm cum libris editis, diligenter & fideliter collatis, expressa est hæc editio. Hinc lacunæ suppletæ, dubia sublata, genuini librorum tituli eruti, verus ordo restitutus, quandóque & integra opuscula in lucem protracta. Undè & cujusvis Tomi vel initio vel fini, Codicum tùm manuscriptorum, tùm editorum, quibus in recognoscendo eo Tomo usi sunt, ut plurimùm etiam variantium lectionum *Syllabus* subjicitur.

III. Libri genuini à *spuriis & supposititiis*, judicio critico, magnâque curâ & diligentiâ discernuntur; rejectis in Tomi cujusvis appendicem *supposititiis*, quæ ad Tomi istius materiam pertinere videbantur. In quibus sedem suam habent aliquot opuscula quæ ab aliis pro genuinis hactenus habita sunt. Argumenta verò quibus genuina Augustini opera, ab ei afflictis, recognoscere solent, partim à librorum MSS. autoritate, partim multis solidis, ac firmis rationibus, ex ejus stylo admodum singulari, atque id agnoscendum facili, è doctrinâ, dicendi formulis, usitatis considerationibus, exordiis, clausulis, & recapitulationibus ipsi propriis, singularibus factis, adjunctis personarum, temporum, locorum, circumstantiis, quæ nemini nisi eidem aptè conveniunt, ductis, petita sunt: ut in *Præfatione Tomi* V ipsimet nos docent.

IV. Unicuique ferè Tractatui præmissum est argumentum, admonitio, vel censura, quâ sequentis opusculi ratio redditur, & vel genuinum vel supposititium esse ostenditur, subjectis ad imam cujusvis paginæ partem, notis breviusculis, quibus vel variantes lectiones notantur, vel loca difficiliora illustrantur. Accedunt cuique Tomo Indices utilissimi opusculorum, rerum, locorum S. Scripturæ, &c.

V. In

Digitized by Google

V. In disponendis S. Augustini operibus *Tractatus exegetici in S. Scripturam*, qui in prioribus editionibus in diversis Tomis hinc inde dispersi fuerant, hîc in Tomum III. collecti sunt. Quod & de *Operibus ejus moralibus* in Tomo VI. congestis, factum est.

VI. D. Augustini *Epistolæ*, quæ Operum ejus pars potior sunt, ordine chronologico juxta temporis, quo scriptæ sunt, rationem exhibentur, in IV. *classes* distributæ. I. Classis eas continet, quas Augustinus nondùm Episcopus scripsit, ab anno *Christi* CCCLXXXVI. ad CCCXCV. II. Quas Augustinus jam Episcopus ante *Collationem Carthaginensem cum Donatistis* habitam, & detectam in Africâ *Pelagii hæresin*, scripsit, ab anno CCCXCVI. ad annum CCCCX. III. Quas Augustinus à tempore prædictæ *Collationis*, & *Hæresis Pelagianæ*, ad obitum usque suum scripsit; nempè ab anno CCCCXI. ad CCCCXXX. IV. Quarum tempus minùs compertum habetur, quas tamen omnes, ab Augustino jam Episcopo, scriptas esse certum est. Augustini Epistolis anteà vulgatis paucæ hactenus ineditę in hâc editione accesserunt. Nempè Augustini adhuc Presbyteri ad *Alypium Episcopum Thagastensem Epistola*; Breviores II. *ad Paulinum Nolanum*; Prolixa *ad Marium Mercatorem*, *Augustini familiarem*, His addi debet *Epistolæ ad Maximum* fragmentum, in *Primasii super Apocalypsim Commentariis* repertum; quod in fine Tomi tertii, Part. II. exhibetur.

VII. Integra hujus editionis moles in Tomos X. ordine admodum commodo, divisa est. Qui Augustini Opera quantum fieri poterat *homogenea*, singuli complectuntur, seque invicem optimè subsequuntur. Prodire cœpit Opus anno 1679. subsequentibus demum annis absolutum. Ad hos itaque Tomos recensendos jam progredimur.

TOMUS PRIMUS.

EA continet Opuscula, quæ Augustinus juvenis, & nondùm Presbyter contexuit, præmissis *Retractationum* & *Confessionum libris*, qui præviæ cujusdam *Introductionis* vices supplere possint. Succedunt igitur hoc ordine.

Retractationum libri II. scripti anno CCCCXXVI. & seq.

Confessionum libri XIII. anno circiter CCCC.

Contra Academicos libri III. exeunte anno CCCLXXXVI.

De beatâ Vitâ liber I. exeunte anno CCCLXXXVI.

De *Ordine libri* II. eodem anno.

Soliloquiorum libri II. anno CCCLXXXVII.

De Immortalitate animæ liber I. eodem anno.

De Quantitate animæ liber I. anno CCCLXXXVIII.

De Musicâ libri VI. anno CCCLXXXVII. CCCLXXXIX.

De Magistro liber I. circa ann. CCCLXXXIX.

De Libero Arbitrio libri III. anno CCCLXXXVIII. absoluti CCCLXXXIX.

De *Moribus Ecclesiæ Catholicæ, & de Moribus Manichæorum libri* II. anno CCCLXXXVIII.

De verâ Religione liber I. circa annum CCCXC.

Regula ad Servos Dei.

SUPPOSITITIA in APPENDICE.

DE *Grammaticâ liber.*

Principia Dialecticæ.

Categoriæ decem.

Principia Rhetoricæ.

Regulæ Clericis traditæ Fragmentum.

Regula secunda.

De Vitâ Eremeticâ ad Sororem.

TOMUS SECUNDUS.

COmplectitur *Epistolas* numero *CCLXX.* juxta ordinem chronologicum, in IV. *Classes* dispertitas, ut suprà observatum. Classis I. *XXX.* continet. II. *XCIII.* III. *CVIII.* IV. *XXXIX.* Præmissi sunt Indices aliquot, ad has Epistolas pertinentes; præcipuè ordo novus cum anteà vulgato comparatus, & anteà vulgatus, ad novum reductus.

IN APPENDICE.

AD *Bonifacium & è contrà Epistolæ breviores* XVI.

Ad Demetriadem Pelagii Epistola.

Ad Cyrillum, & *è contrà de laudibus Hieronymi.*

Altercatio cum Pascentio.

TOMUS TERTIUS.

IN duas partes divisus, Augustini in *sacras Literas Lucubrationes*, anteà in varios Tomos distractas, in unum collectas exhibet hoc ordine.

IN PARTE I.

DE *Doctrinâ Christianâ libri* IV. inchoati circa annum CCCXCVII. absoluti CCCCXXVI.

De Genesi ad Literam liber imperfectus.

De Genesi ad Literam libri XII. inchoati circa annum CCCCI. absol. CCCCXV.

Locutionum libri VII. circa annum CCCCXIX.

Quæstionum in Heptateuchum libri VII. eodem anno.

Annotationum in Job liber I. circa annum CCCC.

Speculum CCCCXXVII.

SUPPOSITITIA in APPENDICE hujus Partis.

DE *Mirabilibus S. Scripturæ libri* III. Angli cujusdam, vel Hiberni, ut videtur, opus.

De Benedictionibus Patriarchæ Jacob, Opusculum, ex Hieronymo, Gregorio, aliisque, forsan ab Alcuino decerptum.

Quæstiones Veteris & Novi Testamenti.

In Apocalypsin Joannis Expositio, Tichonio vulgò tributa, reverà ex Victorini, Tichonii, Primasii, Bedæ, aliorumque Commentariis consarcinata.

IN PARTE II.

DE *consensu Evangelistarum libri* IV. circa annum CCCC.

De Sermone Domini in Monte libri II. circa annum CCCCXCIII.

Quæstionum Evangeliorum libri II. eodem circiter anno.

Quæstionum XVII. *in Matthæum liber* I.

In Joannem Tractatus CXXIV. circa annum CCCCXVI.

In Epistolam Joannis ad Parthos Tractatus X. circa annum CCCCXVI.

Expositio quarundam Propositionum ex Epistolâ ad Romanos circa annum CCCXCIV.

Ex Episto-

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. *Ex Epistolâ ad Romanos inchoata Expositio* eodem circiter anno.

Expositionis Epistolæ ad Galatas liber I. eodem anno.

TOMUS QUARTUS.

Continet *Enarrationes in Psalmos.* Quo in opere se non admodùm commendat sanctissimus Pater, utpote quòd non inficiantibus clarissimis Editoribus, levissimis allusionibus, inutilibus allegoriis, mysticis, iisque frigidis observationibus, ubivis scatet, & in quo concinnando versionem ex *LXX. Interpretibus* factam, constanter sequitur.

TOMUS QUINTUS.

Comprehendit *Sermones ad Populum* CCCXIV. in Classes V. distributos. I. *Sermones de Scripturis Veteris & Novi Testamenti.* II. *Sermones de Tempore.* III. *Sermones de Sanctis.* IV. *Sermones de diversis.* V. *Sermones dubios,* qui scilicet, non certi habendi videntur pro Augustinianis. Et in hâc classe qui visi sunt minùs referre Augustinum; typis minutioribus exhibentur. Sequuntur *Sermonum quorundam Fragmenta,* quæ in *collectaneis Eugyptii, Bedæ, Flori,* ac *Joannis Diaconi* reperiuntur. Præmittitur volumini horum omnium sermonum index, secundùm ordinem veterem, comparatum cum novo.

IN APPENDICE.

Sermones *suppositîtii* CCCXVII. in V. etiam Classes digesti. I. Continet *Sermones in loca Veteris & Novi Testamenti.* II. *Sermones de Tempore.* III. *Sermones de Sanctis.* IV. *Sermones de diversis.* V. *Sermones ad Fratres in eremo.* Sermonibus his *spuriis*, omnes *Cæsarii Arelatensis sermones* inserti sunt.

TOMUS SEXTUS.

Opuscula Moralia exhibet, inque hoc ordine.

Ex diversis Quæstionibus LXXXIII. *liber* I. anno CCCLXXXVIII.

De diversis Quæstionibus ad Simplicianum libri II. circa annum CCCXCVII.

De VIII. *Dulcitii Quæstionibus liber* I. anno CCCCXXII. aut CCCCXXV.

De Fide & Symbolo liber I. anno CCCXCIII.

De Fide & Operibus liber I. anno CCCCXIII.

Encheiridion ad Laurentium, seu *de Fide, Spe, & Charitate liber* I. anno circiter CCCCXXI.

De Agone Christiano liber I. circa annum CCCCXCVI.

De catechizandis rudibus liber I. circa annum CCCC.

De Continentiâ liber I. circa annum CCCXCV.

De bono Conjugali liber I. circa annum CCCCI.

De sanctâ Virginitate liber I. eodem circiter anno.

De Bono Viduitatis ad Julianum, circa annum CCCCXIV.

De Conjugiis adulterinis ad Pollentium libri II. circa ann. CCCCXIX.

De Mendacio liber I. Circa annum CCCXCV.

Contra Mendacium ad Consentium liber I. circa annum CCCCXX.

De Opere Monachorum liber I. circa ann. CCCC.

De Divinatione Dæmonum liber I. inter ann. CCCCVI. CCCCXI.

De Curâ gerendâ pro mortuis, ad Paulinum liber I. circa annum CCCCXXI.

Cave Hist. Lit.

De Patientiâ liber I. ante annum CCCCXVIII. SÆC. IV. ab An. CCC.

De Symbolo ad Catechumenos.

De Symbolo Sermones alii III. qui eruditis Editoribus, Augustini ingenium, eruditionem, & dicendi genus præferre, non videntur.

Sermo de disciplinâ Christianâ.

De Cantico Novo ad catechumenos.

Sermones de quartâ Feriâ.

De Cataclysmo, & de tempore Barbarico, Editoribus dubii, vel potiùs subdititii videntur.

Sermo de Utilitate Jejunii.

Sermo de Urbis Excidio.

SUPPOSITITIA in APPENDICE.

Liber *Sententiaram* XXI. ex Augustino, aliisque ineptè compilatus.

Dialogus LXV. *Quæstionum, inter Orosium & Augustinum;* sed quæ nec Augustino conveniunt, ex Augustino aliisque hinc inde defloratæ.

De Fide ad Petrum sive *de Regula veræ Fidei.* Fulgentii Ruspensis est.

De Spiritu, & Animâ liber I. Alcheri Monachi Clarevallensis videtur.

De Amicitiâ liber I. Aelredi Rhievallensis in Angliâ Abbatis.

De Substantiâ dilectionis liber I. Hugonis Victorini.

De diligendo Deo liber I.

Soliloquiorum Animæ ad Deum liber I.

Meditationum liber I. ex Anselmo, aliisque consarcinatus.

De Contritione Cordis liber I. ex eodem Anselmo collectus.

Manuale, liber I. ex Augustino, Anselmo, &c. excerptus.

Speculum sive *Manuale*, Alcuini esse videtur.

Speculum Peccatoris, ex Odone Cluniacensi, & Hugone Victorino præcipuè, consarcinatum.

De triplici Habitaculo liber I.

Scala Paradisi, Guigonem Cartusiensem auctorem habet.

De Cognitione vitæ veræ liber I. Honorii Augustodunensis est.

De Vitâ Christiana liber I. Fastidii Britanni Opus.

Liber Exhortationis, seu *de salutaribus documentis.* Paulinum Foro-Juliensem parentem agnoscit.

De duodecim Abusionum gradibus liber I. Ebrardo cuidam à nonnullis tribuitur.

Tractatus de septem Vitiis & septem Donis Spiritus sancti liber. Qui cum sit Hugonis Victorini, ejusque inter Opera reperiatur, hoc loco omissus est, notatis solummodò variis Lectionibus.

De Conflictu Vitiorum & Virtutum liber I. Ambrosii Autparti esse creditur.

De Sobrietate & Castitate liber I.

De vera & falsâ Pœnitentiâ liber I.

De Anti-Christo liber I. Alcuino tributus.

Psalterium, quod Augustinus matri suæ composuisse fertur.

Cantici MAGNIFICAT *Expositio*, ex Hugone Victorino decerpta.

De Assumptione B. Mariæ Virginis liber I.

De Visitatione Infirmorum libri II.

De Consolatione Mortuorum Sermones II. ex Joanne Chrysostomo forsan decerpti.

De Rectitudine Catholicæ Conversationis Tractatus, ex Cæsarii Arelatensis Sermonibus, ut plurimùm contextus.

Sermo de Symbolo, ex Ruffino, Cæsario, Gregorio, &c. collectus.

Sermo in Pervigilio Paschæ de Esu Agni, inter Suppositia Hieronymi repertus.

Sermo in Psalmum XLI. *ad Neophytos*, Hierony-

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. mo quoque falsò tributus. Hunc sequuntur *Sermones aliquot alii ad Populum*, breviores quidem, & auctoribus vel incertis, vel longè recentioribus.

Sermones LXXVI. ad *Fratres in Eremo*. Quos Exclamatoris cujusdam Gallo-Flandri, olim suspicatus est Martinus Lipsius.

TOMUS SEPTIMUS.

EGregium opus, *ad Marcellinum de Civitate Dei contra Paganos* in libros XXII. digestum. Hos contexere incepit anno CCCCXIII. absolvit demùm anno CCCCXXVI. nobile siquid aliud *Antiquitatis Ecclesiasticæ* Monumentum. In quo omnibus nervis, magno ingenii acumine, ingenti eruditionis tùm Ethnicæ, tùm Ecclesiasticæ apparatu Rei Christianæ causam adversùs Gentilium objectiones agit. In pulcherrimâ hâc editione adornandâ clarissimi Editores notis breviusculis contenti, immensos L. Vivis, & L. Coquæi *commentarios*, operis certè inutile pondus, rejecerunt. In *Appendice* Opuscula aliquot *de Miraculis S. Stephani*, de quibus agit Augustinus lib. XXII. cap. 8. exhibentur; nempe *Aviti ad Palconium Epistola de reliquiis S. Stephani, & de Luciani Epistolâ* à se è Græco in Latinum versâ.

Luciani Epistola ad universam Ecclesiam de revelatione corporis Stephani martyris, cujus duo exemplaria vetusta exhibentur.

Anastasii ad Landuletum Capuanum Epistola de subsequente Scripturâ.

Scriptura de aliâ detectione ac translatione S. Stephani in Urbem Byzantium, quam Anastasius Latinitate donavit.

Severi Epistola ad omnem Ecclesiam.

De Virtutibus in Minoricensi Insulâ factis per Reliquias S. Stephani.

Evodii Uzalensis (uti fertur) *de Miraculis S. Stephani libri* II.

TOMUS OCTAVUS.

LIbros continet quos adversùs Hæreticos scripsit, & Operum *Polemicorum* primus dici debeat. Etsi enim opus *de Civitate Dei*, ad hanc classem revocent Editores, propriè tamen loquendo, ea Scripta *Polemica* vocamus, quibus adversùs Hæreticos disputatur. Proindè in hoc Tomo continentur.

Liber de Hæresibus ad Quodvultdeum, cum Appendice *de Hæresi Nostorianâ, Eutychianâ, Timotheanâ*, scriptus anno CCCCXXVIII.

Tractatus contra Judæos.

Tractatus de Utilitate credendi, CCCXCI.

De duabus animabus liber I.

Acta contra Fortunatum Manichæum, anno CCCXCII.

Contra Adimantum liber I. anno CCCXCIV.

Contra Epistolam Fundamenti liber I.

Contra Faustum Manichæum disputationes, seu *libri* XXXIII. circa annum CCCC.

De Actis cum Felice Manichæo libri II. anno CCCCIV.

De Naturâ Boni adversùs Manichæos liber I.

Contra Epistolam Secundini Manichæi liber I.

Contra Adversarium Legis & Prophetarum libri II. anno CCCCXX.

Contra Priscillianistas & Origenistas liber I. circa annum CCCCXV.

Contra Sermones Arianorum liber I. circa annum CCCCXVIII.

Collatio cum Maximino Arianorum Episcopo. Et *Tractatus contra eundem*, *libri* III. anno CCCCXXVIII.

De Trinitate libri XV. inchoati anno CCCC. absoluti anno CCCCXVI.

SUPPOSITITIA in APPENDICE.

A*Dversùs quinque Hæreses, seu contra quinque hostium genera Tractatus.*

Contra Judæos, Paganos, & Arianos Sermo de Symbolo.

De Altercatione Ecclesiæ & Synagogæ, liber I. Jurisconsulti cujusdam Opus.

De Fide contra Manichæos liber I. Evodio Uzalensi adjudicant Codices MSS.

Commonitorium de modo admittendi Manichæos.

Contra Fulgentium Arianum de Unitate Trinitatis liber I. Vigilii Tapsensis est.

Quæstiones de Trinitate & Genesi, Alcuino adscriptæ.

De Incarnatione Verbi, ad Ianuarium libri II. ex Origenis versione Ruffinianâ desumpti.

De Trinitate & Unitate, liber I.

De Essentiâ Divinitatis liber I. ex Eucherio, aliisque compilatus.

De Unitate Trinitatis, ad Optatum, Dialogus, sive liber I.

De Dogmatibus Ecclesiasticis liber I. quem Gennadii Massiliensis esse nemo nescit.

TOMUS NONUS.

COmplectitur Opuscula *Polemica* contra Donatistas; quæ hoc ordine sequuntur.

Psalmus contra Donatistas.

Contra Epistolam Parmeniani libri III. circa annum CCCC.

De Baptismo contra Donatistas libri VII.

Contra Literas Petiliani libri III. anno circa circiter CCCC. *vel* CCCCII.

Ad Catholicos Epistola contra Donatistas, vulgò de unitate Ecclesiæ lib. I.

Contra Cresconium Grammaticum partis Donati lib. IV circa ann. CCCCVI.

De Unico Baptismo, contra Petelianum ad Constantium liber I. forsan circa annum CCCCXI.

Breviculus collationum contra Donatistas lib. III. anno CCCCXII.

Ad Donatistas, post collationem Carthaginensem liber I. anno CCCCXIII.

Sermo ad Cæsariensis Ecclesiæ plebem, Emerito præsente habitus.

Sermo super gestis cum Emerito Donatistâ *liber* I. anno CCCCXIII. vel ut alii CCCCXVIII.

Contra Gaudentium Donatistam libri II. anno CCCCXX.

Subjicitur huic Tomo *Index Operum Augustini contra Donatistas*, quæ in reliquis Tomis reperiuntur.

SUPPOSITITIA in APPENDICE.

C*Ontra Fulgentium Donatistam, incerti autoris liber.*

Sermo de Rusticiano Subdiacono à Donatistis *rebaptizato.* Habetur quidem sub finem operum genuinorum, sed ad spuria relegandus. In hanc Appendicem congesta sunt Opuscula plura, & excerpta ex Optato, Eusebio, Augustino, Conciliis Africanis, & Imperatorum legibus desumpta, quæ ad *Historiam Donatistarum* illustrandam apprimè faciunt.

TOMUS DECIMUS.

SCripta Augustini *contra Pelagianos* exhibet. In quo contineri dicuntur [nondum enim ipsemet vidi].

De

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC *De Meritis & Remissione peccatorum, & de parvulorum Baptismo, ad Marcellinum libri* III. anno CCCCXII.

De Spiritu & Literâ, ad Marcellinum liber I. anno CCCCXIII.

De Naturâ & Gratiâ, ad Timasium & Iacobum contra Pelagium liber I. anno CCCCX.

Ad Episcopos Utropium & Paulum Epistola seu liber de Perfectione justitiæ hominis.

De Gestis Pelagii, ad Aurelium Episcopum liber I. anno CCCCXVI. vel sequ.

De Gratiâ Christi, & de peccato Originali libri II. anno CCCCXVIII.

Epistola ad Valerium Comitem.

De Nuptiis & concupiscentiâ, ad Valerium Comitem, libri II. exeunte anno CCCCXVIII.

De Anima & ejus origine, libri IV.

Epistola ad Claudium Episcopum.

Contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium Papam libri IV. circa annum CCCCXXIV.

Contra Iulianum libri sex.

De Gratiâ & Libero arbitrio, ad Valentinum & Monachos liber I. anno CCCCXXVII.

De Correptione & Gratia ad eosdem liber I.

De Prædestinatione Sanctorum ad Prosperum & Hilarium liber I. anno CCCCXXIX.

De dono Perseverantiæ, ad eosdem liber I. eodem anno.

Alterius operis contra Iulianum libri VI. opus imperfectum, circa annum CCCCXXVIII.

SUPPOSITITIA in APPENDICE.

H*Ypomnesticon contra Pelagianos & Cælestinos, vulgò Hypognosticon libri* VI. *Marii Mercatoris Opus esse Benedictini suspicantur.*

De Prædistinatione & Gratiâ liber I. Fulgentio, à Sirmondo ascriptus, inter cujus Opera reperitur.

De Prædestinatione Dei libellus, ignoti autoris.

Ad hanc præterea appendicem pertinent, *B. Prosperi, pro defensione* D. *Augustini, libri* IV. aliaque nonnulla quæ ad hanc causam enucleandam spectare videntur. Proinde ad calcem hujus Appendicis subjicitur *Vita S. Augustini*, autore Possidio Calamensi Episcopo, ipsius discipulo, unà cum ejusdem indiculo *Librorum, Tractatuum, & Epistolarum*, S. Augustini.

Atque ita nobilissimam hanc editionem breviter absolvimus. Fama est accessurum Tomum XI. in quem Augustini vita, elogia, & indices, siqui restant, generaliores, rejicientur. Verùm, ut opinor, nondùm prodiit.

396. EUTHALIUS, incertæ Ecclesiæ Diaconus, vel, si Turriano fides Procem. in Constitut. Apost. Episcopus Sulcensis. Vixit, judice Turriano, ætate Athanasii Alexandrini: quâ quidem in re hallucinatus est Turrianus. Ex ipsius enim Euthalii Prologo in Epistolas liquet, (quod me nuper monuit D. Whartonus) ipsum scripsisse Arcadio quartùm, & Honorio tertiùm Coss. id est ann. Christi CCCXCVI. Scripsit *in Evangelium Lucæ, & in Acta Apostolorum Commentarios*, qui alicubi in Bibliothecis latent. *Prologus de Vita D. Pauli* cum *Epistola Præfatoria* (quæ in Oecumenii Commentariis desideratur) à Cl. Boeclero editus est ad calcem N. T. *Argentorat.* ann. 1645. 12°. & in alterâ editione *Curcellaana.*

397. Gennad. de Script. c. 36. August. Re- SIMPLICIANUS, Patriâ forsan Romanus, dignitate saltem Ecclesiæ Romanæ Presbyter; circa annum CCCLXXIV. vel sequentem Mediolanum missus, ut Ambrosii jam Mediolanensis Episcopi studiis Theologicis præesset, cum eo reliquam ferè vitæ partem transegit; cùmque ab adstantibus in Ambrosii moribundi cubiculo de successore pressâ voce ageretur, factâ inter alios Simpliciani mentione, Ambrosius, longè licèt positus ter exclamavit, *Senex sed bonus.* Mortuo proinde Ambrosio anno CCCXCVII. in sede Mediolanensi successit. Obiit anno CCCXIX. vel sequenti. Augustinum Presbyterum adhuc ad S. Scripturam expositionibus elucidandam multis ac assiduò hortatus est; ita ut quod Origenis olim Ambrosius, Simplicianus Augustini ἐργοδιώκτης videretur. Scripsit *Epistolam Propositionum ad Augustinum, in quâ interrogando*, inquit Gennadius, *quasi disciturus, docet docturum.* SÆC. IV ab An. CCC tractat. l. & c. 1. De Præd. Sanct. l. 1. c. 4.

Q. JUL. HILARIO, de quo altum apud Veteres silentium. Vixisse & scripsisse putatur circa ann. CCCXCVII. Extat Lat. *Chronicon seu Libellus de Duratione Mundi* Biblioth. Patr. Tom. VI. pag. 37. Scripsit etiam *librum de Die Paschatis*, qui interiit. Chiliastam fuisse ex fine chronici sui patet. 397.

Q. JUL. HILARIO, claruit, juxta vulgarem sententiam, circa annum CCCXCVII. Condidisse dicitur *Libellum Chronologicum de Mundi Duratione*, seu ut in MS. Vindobonensi dicitur, *de cursu temporum.* Primus illum evulgavit P. Pithæus, deindè Bibliothecæ PP. curatores. Quocircà eum penitùs omisit H. Canisius in *editione suâ Collectaneorum Chronologicorum*, quæ Gallus quidam (qui Fridegarius Scholasticus fuisse putatur) circà tempora Caroli M. digessit. In his quintum locum tenuit (sex enim erant opuscula) Hilario noster. In Codice Vindobonensi olim Ambrosiano, titulus ita se habet, *Incipit*, LIBER QUINTI JULI ELARIANI DE CURSU TEMPORUM. Explicit LIBER QUINT. JULI HELARIANI. Suspicatur Chr. Sandius* non indiligens veterum librorum indagator, vocem *Quinti* potiùs numerum denotare, quem in codicibus MS. *collectaneorum*, hic libellus occupavit; quin & nullum talem autorem, nullum Q. Julium Hilarionem fuisse, sed *librum Quint. Iul. Elariani*, sive *Helarioni* corruptè dici pro *liber quintus*, vel *liber Q. Julii Africani.* Certè Sandii conjecturæ favere videtur, quòd nemo, neque Veterum, neque Recentiorum Hilarionis nostri meminerit. Vide quæ in Africano olim diximus, quæque infrà in Fridegario notavimus. 397. P. II.

* Not. in Voss. de Hist. Lat. p. 10. & 289.

ANASTASIUS, natione Romanus, Maximi Presbyteri filius, creatus est Romanæ Ecclesiæ Pontifex anno CCCXCVIII. Obiit anno CCCCI. die XIV. Decembris, juxta Baronium verò aliosque die XXVII. April. CCCCII. Extat *Epistola ad Ioannem Hierosolymorum Episcopum*, qui Anastasium de Rufino librisque Origenis ab eo versis consuluerat, eodem, quo obiit anno scripta, inter Hieronymi Opera Tom. IV. & Conciliorum Tom. II. emendatior autem inter Marii Mercatoris Opera edit. Garner. par. I. p. 109. *Tria Fragmenta Epistolæ ad Ursinum de Incarnatione Christi* exhibet Appendix ad Liberati Breviar. Habentur etiam dicto Conciliorum Tomo ejusdem Anastasii *Epistolæ duæ*; quas supposititias esse nemo non videt, de quibus vide quæ habet Dan. Papebrochius Conat. Chronic. Histor. ad Catal. Pontif. 60. 398.

JOANNES CHRYSOSTOMUS ab insigni, quâ pollebat, facundia dictus; natus est nobili apud suos Prosapiâ Antiochiæ ad Orontem fluvium circa ann. CCCLIV. Patre Secundo inter viros militares maximè illustri, matre Anthusâ piâ planè & lectissimâ fœminâ. Peractis primis pueritiæ rudimentis, 398.

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. cum mira prægnantis indolis specimina edidisset, præstantissimis in quavis facultate præceptoribus traditus est. In Rhetorica audivit Libanium, in Philosophia Andragathium, in S. literis Carterium & Diodorum postea Tarsi Episcopum, Archimandritas Antiochenos; à quibus literalem S. Scripturas exponendi rationem didicit. Plures condiscipulos & amicos habuit, neminem verò quo familiariùs utebatur, (quocum etiam Sermones de sacerdotio habuit) quàm Basilium; quem Socrates* aliique M. Basilium Cæsariensem fuisse volunt, Photius † & ex eo plures Basilium Seleuciæ Episcopum; ego verò tertium ab utroque diversum esse arbitror. In Theologicis Meletium etiam Antiochenum diligenter audivit, in cujus familiâ per triennium hæsit; & ab eo S. Literarum rudimenta accepit (Carterium enim & Diodorum postea audivit) ab eo salutari adhuc lavacro tinctus; & Ecclesiæ Antiochenæ Lector ordinatus. Juvenis adhuc Chrysostomus cùm Monasticæ vitæ instutum in anima haberet, non obstantibus matris, quæ alia ei antea persuaserat, consiliis, ad vicinos montes se contulit; & cum sene quodam Eremitâ, per quadriennium degit; inde in secretiorem eremi solitudinem profectus speluncæ integro biennio se inclusit; donec vigiliis, inediis, aliisque arctioris disciplinæ exercitiis maceratus, deficientibus penè naturę viribus Antiochiam redire coactus est; & à Meletio Episcopo ineunte anno CCCLXXXI. Diaconus constitutus ad scribendum se accinxit; librosque *adversus Judæos, Gentiles, Anomæos, de Sacerdotio, de Providentiâ ad Stagirium Monachum*, aliosque aliquot edidit. Exacto in Diaconatu quinquennio, à Flaviano, (nam falsus est Socrates*, qui ab Evagrio factum refert), anno CCCLXXXVI. Ecclesię Antiochenę Presbyter factus est; quo tempore primam concionem habuit, quę extat Tom. IV. p. 953. Anno CCCLXXXVIII. flagrante ob dejectas Imperatoris statuas seditione Antiochenâ, & Urbe totâ tumultu, strepitu, querelis ac gemitibus plena, quotidianas ferè concionandi vices in se suscepit; & celebres illas XXI. *Homilias εἰς τὰς Ἀνδριάντας ad populum Antiochenum* habuit. Duodecim ferè annos Presbyter transegerat, cùm anno CCCXCVII. mortuo Nectario ab Arcadio Imp. Regię Urbis Episcopus invitus designatus est. Astuto certè consilio uti necesse habuit Asterius Comes Orientis, (cui in mandatis Imperator dederat, ut Johannem CP. accerseret) quò hominem suis carissimum Populo Antiocheno eriperet. Anno igitur CCCXCVIII. Febr. XXVI. reclamante licèt Theophilo Alexandrino in sede CP. collocatur. Episcopus factus dum anno proximo morum & disciplinę Ecclesiasticę reformationem ingenti planè zelo, & summo animi ardore perurgeret; primò quidem Clerum, deinde Laicos, & in his pręcipuè Eutropium Patricium, & Gainam Scytham totius militię Pręfectum, fide Arianum, sibi quàm infensos habuit. Anno CCCC. Ephesum proficiscitur; & convocatâ Synodo Heraclidem Archidiaconum suum isti Sedi pręfecit, mortuo nuper Antonino, quem variorum criminum (quorum capita exhibet Palladius*) coram Chrysostomo reum peregerat Basilius Valentinopolitanus. Domum reversus Arianos insolentiùs solitò se gerentes compressit, & in Gothis ad fidem Catholicam, aliisque gentibus ad Christianam religionem convertendis summo animi studio laboravit. Paulò post Antiochus Ptolemaidis, & Severianus Gabalorum in Cœlosyriâ Episcopi, Chrysostomo hactenus amici, inito unà cum aliis contra eundem fœdere Theophilum Alexandrinum Chrysostomo infensissimum (partim ob præreptam Isidoro Diacono suo sedem CP. partim ob exceptos benignè Monachos Nitrienses à seipso fugatos) in partes suas pertraxerunt. His accessit Eudoxia Aug. quam nimia Chrysostomi παῤῥησία & in redarguendo libertas malè habuit. Istius consilio Theophilus regiis literis Constantinopolim accitus eò tandem devenit; cùmque, ut moris erat, apud Chrysostomum Episcopum divertere nollet; in regiis ædibus Placidianis hospitium ipsi paratum est. Collecto mox undequaque Episcoporum XLV. Conventiculo Chalcedone in Prædio Rufiniano *ad Quercum* dicto, oblatus est accusationum libellus XXIX. capita (quæ apud Photium* habentur) complexus; cui postea alium XVII. articulos continentem subrogavit Isaacius. Quartâ jam vice citatus Chrysostomus, ut frivolas ac levissimas istas criminationes dilueret, comparere recusavit, posthabitâ judicum autoritate pariter ac desideratâ æquitate. Hinc statim sententiâ Synodali damnatus sede suâ depositus est, & Edicto Cæsareo in Bythyniam relegatus, anno CCCCIII. vel, ut Cl. Savilius contendit, mense Novembri anni præcedentis. Verùm tumultuante plebe solenni pompâ statim revocatur. Hactenus verò nonnisi dolorum initia: exeunte enim eodem anno iterum insurgunt inimici, habitâque alterâ Synodo iterum damnatum Chrysostomum deponunt, eo præsertim nomine, quòd à Synodo depositus, repugnantibus licet Concilii Antiocheni Canonibus IV. & XII, sedem occupâsset. Nec ipse modò, verùm & omnes ejus fautores ac sectatores *Joannitæ* dicti, qui seorsim collectas agebant, vi & armis, ferro & flammis divexati sunt; plurimis interim Episcopis tum coram, tum per literas Chrysostomi causam apud Arcadium frustrà agentibus. Anno igitur CCCCIV. militari satellitio stipatus septuaginta dierum itinere continuato Cucusum Armeniæ urbem, locum pręaliis sterilem, inamœnum, inhospitalem, deportatur; comiter tamen ubique & perhonorificè exceptus. Quin & Cappadocię confinia transeunti longo agmine Episcopi, Monachi & Virgines obviam prodibant, magnoque cum lachrymarum imbre hęc fundebant verba; Συνέφερεν, ἵνα ὁ ἥλιος συνέστειλε τὰς ἀκτῖνας αὐτοῦ, ἢ ἵνα τὸ στόμα Ἰωάννου σιωπήσει. *Satius esset Solem radios suos subtrahere, quàm Ioannis os conticere.* Nec ipsa etiam Cucusus amicos & hospites ei denegavit. Verùm continuis morbis & quotidianis ferè Isaurorum incursionibus vexatus exilii sedem sępiùs mutare coactus est. Exacto demum triennali exilio, inimici, qui omnia apud Arcadium poterant, illum Pityunta desertissimam Ponti regionem transferendum curarunt. Quò abducendus Comana Pontica pervenerat, quum curis, molestiis, injuriis, ac assiduis durioris exilii tędiis fractus, & de appropinquante jam morte in somnio noctu admonitus, crastino die depositis jam mortalitatis exuviis sanctissimam ipsius animam cœlo remisit die Septembr. XIV. anno CCCCVII. ętatis supra mensem octavum completo LII. exilii an. iii. mense iii. Episcopatûs anno IX. mense VI. die XVI. Sepultus est in martyrio S. Basilisci propè Comana, eidem cui & ipse Martyr, tumulo inclusus; unde post XXX. annos ossa ejus solenni pompâ Constantinopolim translata sunt, & in SS. Apostolorum Basilica recondita; nomine etiam in Diptycha, unde exciderat, honorificè relato. De tanto viro pręstaret nihil, quàm pauca dicere. Summam ejus pietatem, zelum, modestiam, abstinentiam, erga pauperes curam, in concionando assiduitatem, indefessam in munere Episcopali obeundo vigilantiam & sollicitudinem, totamq; vivendi rationem fusè non minùs quàm accuratè descripsit Palladius, quę adeat curiosus lector. En breve de indole & moribus elogium ipsi à Sozomeno* redditum: Λόγος ἀπὸ τῶν ἔργων κοσμούμενος πίστεως ἄξιος ἱκέτης φαίνεται — Τῷ δὲ [Joanni] κατ' ἀμφότερα

Margin notes: SÆC. IV. ab An. CCC. — * L. 6. c. 3. — † Cod. 148. — * Loc. cit. — * Vit. Chrysost. c. 13. p. 125. — * Cod. 59. — Chrysost. Ep. 125. — * L. 8. c. 2.

Digitized by Google

ἀμφότερα εὐδοκιμεῖν προσῆν. ἀγωγῇ μὲν γὰρ βίου σώφρονι καὶ πολιτείᾳ ἀκριβεῖ ἐχρῆτο, φράσει δὲ λόγου σαφεῖ μετὰ λαμπρότητος. *Etenim oratio quæ operibus exornatur, meritò videtur fide digna. —Porro Ioannes utraque laude ex æquo floruit. Nam ejus quidem vivendi ratio & conversatio gravis fuit ac severa; dictio verò perspicua simul ac splendida.* Immensos, quos in Philosophiâ fecit, progressus, exquisitam rerum Divinarum peritiam, peculiarem in S. literis dexteritatem, incomparabilem scribendi exarandique facultatem ac facilitatem quis non deprædicat? quis non admiratur? Denique de singulari ejus & verè aureo dicendi genere, audiamus, si placet, paucorum ex Veteribus testimonia. *Si Plutarcho fides sit habenda* [inquit Isidorus Pelusiota *] *qui perspecuitatem ac facilitatem germanum Atticismum esse censet,* πλεονεκτεῖ τοὺς ἄλλους ἅπαντας ὁ ἀοίδιμος Ἰωάννης, καὶ κατὰ τὴν φωνὴν Ἀττικίσας, καὶ σαφηνείᾳ, ὡς οὐκ οἶδ' εἴτις ἕτερος, χρησάμενος, *præclarus ac celebris Ioannes omnes superat, ut qui & Atticum se verbis præbuerit, & perspicuitatem, qualem haud scio an alius quisquam, adhibuerit.* Photius Cod. CLXXII. Ἡ δὲ φράσις αὐτῷ μετὰ τῆς συνήθους σαφηνείας καὶ καθαρότητος καὶ τὸ λαμπρὸν καὶ εὔρουν ἐνδείκνυται, τὸ πολύχουν τῶν νοημάτων καὶ τὴν τῶν παραδειγμάτων προσφυεστάτην εὐποιΐαν συνυποφαίνουσα. *Dictio illius de more perspicua & pura, splendida insuper, ac fluens apparet, multam interim cum sensuum varietatem, tum gratissimorum exemplorum copiam exhibens,* Plura habet hâc de re eodem loco. *Suidas* *. Καὶ τὴν γλῶσσαν αὐτοῦ καταῤῥεῖν, ὑπὲρ τοὺς Νειλώους καταῤῥάκτας ὕδωρ· οὐδένα γὰρ ἀπ' αἰῶνος τοιαύτην λόγων εὐπορίαν ηὐπόρησεν, εὕροι ἄν, ἣν μόνος αὐτὸς ἐπλούτησε. καὶ μόνος ἀκιβδήλως τὸ χρυσοῦν τε καὶ θεῖον ἐκληρονόμησεν ὄνομα. *Linguam etiam habuit, quæ suo fluxu Nili Catarractas superabat. Nullus profectò mortalium ab omni ævo, tanta dicendi copia abundavit, quanta solus ille ditatus erat, & solus absque fuco illud aureum & divinum* (CHRYSOSTOMI) *nomen hæreditario quasi jure consecutus est.* Philotheus † Patriarcha CP. Ἰωάννης δὲ ὁ τὴν γλῶτταν χρυσοῦς θαυμαστός τις ἂν ἔδοξε, καὶ ὑπερφυὴς καὶ τῷ ὄντι τρισμέγιστος. νῦν δὲ ποταμοὶ μὲν θεολογίας ἐκ τοῦ Χριστοῦ στόματος, καὶ τῆς αὐτοῦ θεολόγου γλώττης ἀνέβλυσαν, καὶ πᾶσαν ἐπότισαν τὴν γῆν, ὅσην ὁ σωτήριος περιέλαβε λόγος. τὸν δὲ τῶν λόγων αὐτοῦ ποταμὸν καὶ ἥδιστον πέλαγος, τὸ δὲ τῶν ὑψηλῶν τε καὶ ὑπερφυῶν νοημάτων ἀπέραντον ἄβυσσον, τὴν δὲ ὑπὲρ ἀνθρώπων εὐποιΐαν, τὸ δὲ ὕψος ἅμα καὶ τὴν σαφήνειαν, τὴν δὲ ἀπόῤῥητον ἡδονὴν ἐν εἰρήνῃ, καὶ τὴν γλυκύτητα, τὴν δὲ ῥητορικὴν πιθανότητα, καὶ τὸ μετὰ τῆς ἀληθείας τῶν λόγων ἰσχυρόν τε καὶ βίαιον παῖδας ὑποδεῖξαι τοὺς ἐν τοῖς λόγοις εὐδοκιμήσαντας Ἕλληνας, δι' ὧν τήν τε παλαιὰν ὁμοῦ, καὶ τὴν νέαν πᾶσαν γραφὴν ἐξηγήσατο. *Ioannes autem lingua aureus, gloriosum sibi nomen comparavit. Nunc ex ore Christi, & lingua ejus Theologica, flumina Theologica erumpentia, quantum terrarum salutaris Christi disciplina complexa est, irrigarunt. Sermonum porro ejus potabile, suavissimumque pelagus, & sublimium atque lectissimorum sensuum infinitam abyssum & humano captu superiorem abundantiam, altitudinem pariter, & perspicuitatem, jucunditatem & dulcedinem illam inexplicabilem, rhetoricamque persuadendi efficaciam, & cum veritate orationis nervos & impetus quibus Græcos alioqui eloquentiâ celebres præ se pueros fuisse ostendit, quibusque totam veterem & novam Scripturam explanavit.* Plura hujus commatis habet idem Philotheus. Verùm de his plus satis.

Scripsit teste Suidâ *, penè infinita; quorum inquit numerum recensere οὐκ ἀνθρώπου, Θεοῦ δὲ μᾶλλον τὰ πάντα γινώσκοντος. Et sanè *totam S. Scripturam* ab initio asque ad finem *Commentariis* illum explicasse testes sunt tum Suidas tum Cassiodorus †. Lucubrationes ejus ineffabili quâdam suavitate diffluentes supra mille se legisse prodit Nicephorus †, quippe qui amore ejus jam inde ab adolescentiâ flagravit, atque in illius perinde ac Dei ipsius effatis se acquievisse testatur, & non modo illi quicquid sibi eruditionis inerat, acceptum tulit, verùm multos etiam amicos induxit, ut relictis omnibus Chrysostomum sibi familiarem facerent.

* Lib. 2. Epist. XLII.
* In voce Ἰωάννης
† Orat. in SSS. Bas. Greg. & Chrys. Auct. B.PP. T.II. p.129.
* In voce Ἰωάνν.
† Divin. Lect. Præfat. p. 421.
† L. 13. C. 2.

OPERA, quæ extant, omnia.

IN his recensendis ordinem Editionis *Parisiensis Morellianæ* sequemur, notatis passim opusculis, quæ à Savilio aut dubia, aut spuria habentur, istis literâ D. his literâ S. præfixâ, appositis etiam ad marginem tractatui unicuique Tomo, ac Tomi paginâ editionis Savilianæ, ubi iste reperitur; asterisco verò insignitis, quæcunque in editione Savilianâ desiderantur.

TOM. I.

	Edit. Tom.	Savil. Pag.
AD Populum Antiochenum de Statuis Homiliæ XXI. Antiochiæ anno CCCLXXXVIII habitæ: seorsim etiam eas edidit Græcè Joannes Harmarus *Londini* 1590. 8°. Gr. Lat. [cum nonnullis aliis orationibus] Fronto Ducæus *Paris.* 1609. fol. In quamplurimis editionibus Latinis Homiliis hisce τῶν ἀνδριάντων 21. subnexæ sunt 59. aliæ eodem titulo insignitæ; quas tamen [exceptâ unicâ Ioannis Nesteutæ, quæ in fine Tomi hujus habetur] constat nihil aliud esse quam ἀπανθίσματα quædam & centones ex aliis Chrysostomi Operibus, præsertim ex Ethicis locis consarcinatos; quemadmodum in notis suis rectè monet Fronto Ducæus, & in Homiliarum Catalogo, quem editioni suæ 1609. præfixit, indicatis locis, ex quibus singula centonum istorum fragmenta desumpta sunt, luculenter demonstrat.	VI.	447.
De simultate, sive irâ Homilia, Antiochiæ habita paulò post Homilias τῶν ἀνδριάντων	VI.	611.
In eos, qui novilunia observant, Sermo Antiochiæ habitus.	V.	355
De Christi Baptismo.	V.	523
De Diabolo tentatore Homilia Antiochiæ habita.	VI.	690
De Incomprehensibili Dei naturâ adversùs Anomæos Homiliæ VI. inter annos 381. & 386. conscriptæ, præter ultimam, quæ scripta est Constantinopoli.	VI.	389.
De S. Philogonio.	V.	505.
De Consubstantiali.	VI.	425
De petitione filiorum Zebedæi.	V.	206
Adversùs Judæos Libri VI. quos, teste Socrate *, in lectorum adhuc ordine constitutus conscripsit. Rectiùs verò Anonimus Βιογράφος orationes hasce à Presbytero habitas esse refert. Primam in orationum contra Judæos numerum referendam non esse contendit Savilius.	VI.	366 312

* L. 6. c. 3.

Digitized by Google

	Edit. Tom.	Savil. Pag.	
De SS. Juventino & Maximo.	V.	533.	
De S. Pelagiâ virgine.	V.	482	
In S. Ignatium Episcopum Antiochenum oratio.	V.	498	
De S. Romane Martyre Orationes II.	V.	488 } 842 }	D
De Nativitate Maccabæorum Orationes III. Antiochiæ habitæ. Tertia nonnisi ἀποσπασμάτιον videtur integræ Homiliæ. Certè citatur à Damasceno lib. 3. de Imag. Chrysostomi locus in Maccabæos, qui in libris editis non extat.	V.	633	
De S. Meletio Antiocheno Sermo, anno 286. habitus.	V.	537	
De S. Luciano Martyre.	V.	529	
De S. Juliano Martyre Antiochiæ habitus.	V.	621	
De SS. Berenice & Prosdoce.	V.	473	
De S. Eustathio Antiocheno.	V.	628	
De Pœnitentia Homiliæ VI. primum Antiochiæ, postremum Constantinopoli habitas esse censet Savilius.	VI.	824 798 769 830 792 763	
De S. Babylâ Martyre Oratio, Antiochiæ habita.	V.	438	
Contra Gentiles, seu de vitâ Babylæ liber.	V.	442	
Catechesis ad illuminandos.	VI.	851	
De Fato & Providentiâ Orationes VI. Ἀποσπάσματα potius quàm integræ Homiliæ Frontoni-Ducæo videntur: verùm id negat Savilius. Sexta ne verbum quidem habet de Providentiâ, & de Ingluvie inscribenda est.	VI.	863	
De Precatione Homiliæ II.	VI.	754	
In SS. Petrum Apostolum & Eliam Prophetam; de hâc oratione subdubitat Savilius: Constantinopoli tamen habitam esse putat.	VIII.	18	
Encomium Martyrum Ægyptiorum.	V.	519	
De S. Phocâ Martyre.	V.	826	D
De S. Theclâ virgine & Protomartyre.	V.	835	D
De S. Barlaam Martyre.	V.	493	
De SS. Martyribus totius orbis.	V.	614	
De B. Abraham.	V.	653	D
De Anathemate Oratio, quam Halesius propositis argumentis utrinque plurimis tandem concludit eò se inclinare, ut putet Chrysostomi non esse.	VI.	439	
De Pœnitentiâ, Continentiâ, & Virginitate Oratio, sive potiùs *Epistola Parænetica ad Virginem quandam Deo devotam.* Joannis Nesteutæ est.	VII.	641	S

TOM II.

	Edit. Tom.	Savil. Pag.	
In Genesin Homiliæ LXVII.	I.	1	
In variæ Geneseos loca Sermones IX. ex quibus primus Antiochiæ habitus est.	V.	1	
De Annâ matre Samuelis Sermones V.	V.	50 }	
De Davide & Saule Homiliæ III. ex his secunda ἀπάνθισμα Orationis cujusdam altetius Savilio videtur.	VIII. VIII. V.	8 } 10 } 83 }	
Contra Ignaviam.	VI.	844	
Sermo in Joseph de Continentiâ, Lat. Oecolampadio interprete.	VII.	939	
Homilia in regressu Joannis de Asiâ, Lat. anno 400 habita.	VII.	944	
Homilia, Quum Saturninus, & Aurelianus acti essent in exilium, & Gainas egressus est de civitate, Lat. Erasmo interprete, qui spuriam esse censet.	VII.	936	
De recipiendo Severiano, Lat. circa an 401. habit. Spuria videtur Frontoni Ducæo.	VII.	947	
Homilia post reditum à priori exilio. Lat.	VII.	943	
De Canticis Davidicis, Lat. Nil aliud est, nisi Epilogus Homiliæ 28. in Epistolam ad Romanos.	*		
Ad Neophytos Homilia, Lat. Aniano interprete, genuina videtur; ex ea enim laciniam benè longam citat Augustinus lib. 1. contra Julian. Pelag. c. 2. quæ inibi reperitur. Quædam etiam ex hâc ipsâ Latinâ versione habet Adrianus Papa in *Epist. Pontif.* à Gretsero editis p. 326. Spuriam tamen esse contendit Flaminius Nobilius.	*		
Sermo Severiani de Pace.	VII.	948	

TOM. III.

	Edit. Tom.	Savil. Pag.	
Collectio Expositionum in unde-sexaginta Psalmos Davidicos. Psalmos, dum Presbyter adhuc Antiochiæ hæreret, Chrysostomus exposuit. Expositionem valde laudat Suidas.	I	521	
Homilia in Psalmum III.	I. VIII.	521 } 1 }	D
In Esaiam Prophetam Enarratio à Joanne adhuc Presbytero scripta.	I.	1016	
In locum Psalmi XLIV. *Astitit regina,* &c. ex occasione Eutropii Ecclesiâ abrepti Sermo Constantinopoli habitus.	V.	100	

Digitized by Google

	Edit. Tom.	Savil. Pag.	
In locum Psalmi XLVIII. *Ne timueris, cùm dives, &c.*	V.	113	
In eundem locum, & de eleemosyna Sermo, Constantinopoli habitus.	V.	123	
In locum Psalmi CXLV. *Lauda anima mea, &c.*	V.	540	
In locum Esaiæ, Vidi Dominum sedentem, Homilia V. Antiochiæ habitæ.	V.	127	
In Seraphim.	V.	155	
De verbis Esaiæ, Ego Dominus feci lumen.	V.	160	
In locum Hieremiæ, non est in homine via.	V.	168	
De Prophetiarum & V. Testamenti obscuritate Homiliæ II.	VI.	649	
In Psalmum XIII. *Homilia.*	*		
In Psalmum L. *Homiliæ.* II.	I.	692	D
In Psalmum LI. *Homilia.*	I.	911	D
In Psalmum XCV. *Homilia.*	I.	916	D
In Psalmum C. *Homilia.*	I.	925	S
TOM. IV.			
De Sacerdotio Libri VI. quos dum adhuc in Eremo hæreret, maximam partem elaboratos, postea Diaconus factus ad umbilicum perduxit. His primum locum τῷ τε ὕψει καὶ τῇ φράσει καὶ τῇ λειότητι καὶ τῷ κάλλει τῶν ὀνομάτων jure merito Suidas * tribuit.	VI	1	
De Compunctione cordis ad Demetrium.	VI.	138	
Ad Stelechium de eodem argumento. Scripti sunt hi libri à Chrysostomo adhuc Lectore, saltem Diacono.	VI.	151	
De Providentia Dei ad Stagirium Monachum Libri III. inter annos 381. & 386. scripti.	VI.	84	
Quod regulares fœminæ viris cohabitare non debeant.	VI.	230	D
In eos, qui sorores adoptivas habent. Uterque tractatus à Chrysostomo, judice Savilio, scriptus est statim post susceptum Episcopatum, à Diacono tamen scriptos esse testatur Socrates *.	VI.	214	
De Virginitate, Chrysostomi adhuc Presbyteri Opus.	VI.	244	
Adversus vitæ Monasticæ vituperatores libri III. Libri secundus & tertius in editione Savilianâ inscribuntur, *Ad Patrem infidelem, & ad Patrem fidelem.*	VI.	161	
Comparatio Regis & Monachi.	VII.	230	
Ad viduam juniorem Libri II. quos à Chrysostomo antequam factus esset Diaconus, scriptos affirmat Simeon Metaphrastes.	VI.	296	
In Eutropium Eunuchum Sermo, anno 399. habitus, cùm Eutropius plebem tumultuantem fugiens apud altare sacrum sibi asylum quæsiverat.	VIII.	67	
Quod nemo læditur nisi à seipso; liber paulò ante obitum scriptus, & Olympiadi, mulieri nobilissimæ, ac ob Chrysostomi causam gravissima quæquæ passæ, nuncupatus.	VII.	3*6	
Liturgia. Eadem hujus, quæ & Basilii Liturgiæ, ratio; composita videtur in usum Constantinopolitanę Ecclesię, sed variis sæculis variè pro cujusque genio interpolata, communi tamen usu apud Græcos etiam hodie habetur. Ex editionibus plurimis nullas ferè invenias (nisi quæ forsan ex alterâ expressa est) quæ non immensùm discrepent. Omnium optima, quæ brevissima ac simplicissima primùm edita est Græcè à Demetrio Duca *Romæ,* inde Gr. Lat. *Venet.* 1528. mox [Erasmi versionem ementita] prodiit Gr. Lat. *Paris.* 1537. 8°. Lat. [ex Leonis Tusci versione *Constantinopoli* circa ann. 1180. factâ] à Joanne Hofmeistero edita 1540. & à Claudio Sanctes *Antverp.* 1560. 8°. [ex Ambrosii Pelargi versione] *Wormatiæ* 1541. 4°. ex vulgari versione *Pragæ* 1544. ex Gent. Herveti versione *Venet.* 1548. Græcè iterum edita à Morellio *Paris.* 1560. Optimam denique editionem Gr. Lat, adornavit, & notis ac variantibus lectionibus auctam in Euchologio Græcorum exhibuit V. Cl. Jac. Goar. *Paris.* 1647. f.	VI.	983	D
De Pœnitentia.	VI.	784	
Ad Theodorum lapsum Paræneses II. eo fine scriptæ, ut Theodorum, qui sæcularem vivendi rationem amplexus erat, & de uxore ducendâ consilium inierat, ad vitam asceticam revocarent. Theodorus iste Mopsuestiæ postea Episcopus fuit. Notandum autem verum *Parænesewn* istarum ordinem inverti.	VI.	55	
Ad Innocentium Papam Epistolæ II.	VII.	154	
Ad Episcopos in carcere inclusos Epistola.	VII.	138	
Ad Olympiadem Epistolæ XVII. in exilio scriptæ.	VII	51	
Ad diversos Epistolæ CCXXV. maximam partem tempore triennalis exilii exaratæ. Ex his Epistolam ad Cyriacum exulantem num: 125. spuriam esse pluribus contendunt Boisius & Halesius. Quinque penultimæ Constantii Presbyteri sunt (licet istarum prima in edit. Morell. pro Κωνςαντίȣ malè habeat Κωνςαντίῳ) Eas ob styli similitudinem à Chrysostomo dictatas esse censet Fronto Ducæus: à quo tamen hâc in re dissident eruditorum pars potior, ac illius, cujus nomen preferunt, Constantii proprium esse fœtum perhibent. Totidem in Savilianâ, quot in Morellianâ editione Epistolæ habentur, diverso tamen ordine dispositæ. Præmissis enim 17. ad Olympiadem, & subnexis Constantii 5. reliquas 223. secundùm ordinem alphabeticum personarum ad quas missæ sunt, medio loco edendas curavit Cl. Savilius.	VII	104	
Sermo habitus cùm Presbyter esset designatus.	VI. VIII.	443 100	
Sermo antequam iret in exilium.	VII. VIII.	941 259	
Sermo post reditum ab exilio priore, ex tempore recitatus anno CCCCIII. Habetur etiam apud Georgium Alex. in Vitâ Chrysostomi.	VIII.	262	

* In voce Ἰωάν.

* L. 6. c. 3.

Digitized by Google

TOM. V.

	Edit. Tom.	Savil. Pag.
In Parabolam decem millium debitoris.	V.	196
De Lazaro Sermones VI. Primus Antiochiæ habitus est, ultimum genuinum Chrysostomi fœtum non esse pluribus contendit Halesius, edit. *Savil.* Tom. VIII. col. 728.	V. VI. V.	220 670 271
In Paralyticum 38. *annorum.*	V.	264
In illud, Pater, si possibile est.	V.	213
In illud, Intrate per angustam, &c. *Homilia* II.	V.	175
In inscriptionem Actorum Sermo, Antiochiæ habitus.	V.	274
De ferendis reprehensionibus, & in Acta.	V.	282
In varia loca Epistolæ ad Romanos Homilia V.	V.	292
In varia loca Epistolæ I. ad Corinthios Homiliæ IV.	V.	330
De Elemosyna in I. Cor. XVI. 1.	VI.	816
In illud II. Cor. IV. *Habentes eundem spiritum Homiliæ* III.	V.	368
In illud II. Cor. XI. *Utinam sustineretis.*	V.	391
In illud Philip. I. Sive occasione, sive veritate.	V.	410
Laus Maximi, & quales ducendæ Uxores.	VIII.	80
In illud I. Thessal. IV. *De dormientibus nolo vos,* &c. Sermo Antiochiæ habitus.	V.	418
In illud I. Tim. V. *Vidua eligatur non minus,* Sermo Antiochiæ habitus.	V.	425
De proditione Judæ & Paschate.	V.	547
In Christi natalem.	V.	511
In cœmiterii appellationem & Crucem.	V.	563
De cruce & confessione Latronis.	V.	567
De Resurrectione mortuorum.	VI.	703
De Resurrectione Christi.	V.	581
De Ascensione Christi Homilia, Antiochiæ habita.	V.	595
De S. Pentecoste Homiliæ II.	V.	602
De Pœnitentia & Eucharistia.	VI.	790
De laudibus S. Pauli Orationes VII.	VIII.	33
De Mansuetudine.	VI.	750
In illud Act. IX. *Paulus Spirans.*	VIII.	60
In inscriptionem altaris Act. XVII.	VI.	722
In illud 1. *Cor.* 1. *Paulus vocatus.*	VIII.	102
Utilem esse Lectionem Scripturæ.	VIII.	111
De Precibus Christi in miraculis.	VI.	714
In eos, qui Paschate jejunant.	VI.	37
In eos, qui cum Judæis jejunant.	VI.	385
In Eliam & viduam.	VIII.	26
De futuræ vitæ deliciis.	VIII.	71
Non esse desperandum.	VIII.	75
Peccata fratrum non esse evulganda.	VI.	695
Non esse ad gratiam concionandum.	VIII.	93
De Sanctis Martyribus Homilia, Antiochiæ habita.	V.	618
Dæmones non gubernare mundum. Constantinopoli habitam esse opinatur Savilius.	VI.	680
In illud Galat. II. *In faciem ei restiti,* Sermo Antiochiæ habitus; ex eo Hieronymum & Augustinum materiam litigandi accepisse arbitratur Savilius.	V.	398
Demonstratio quod Christus sit Deus.	VI.	622
Ad eos, qui scandalizati sunt, Oratio ultimo omnium loco, (quantum conjecturis assequi possumus) à Chrysostomo scripta, certè post librum *Quod nemo læditur nisi à se ipso,* quippe cujus mentio inibi fiat.	VII.	1
	*	
In Paralyticum per tectum dimissum.	*	
Cur in Pentecoste legantur Acta.	*	
De mutatione nominum in Scripturâ.	*	
De Sanctis Martyribus Homilia Antiochiæ habita.	*	
De S. Basso martyre.	*	
De S. Droside martyre.		
De Pœnitentiâ & mœstitiâ Achab.	VI.	779

TOM. VI.

U*Num & eundem esse Legislatorem utriusque Testamenti* Sermo, quem spurium licèt (uti & alia omnia hujus Tomi Opuscula) esse censeat Fronto-Ducæus; genuinum tamen esse Chrysostomi fœtum pluribus contendit Cl. Pearsonus Vindic. Ignat. par. 1. cap. 9. p. 132.	VI.	640	D
In illud Gen. I. Vidit Deus.	V.	642	D
In illud Gen. I. Faciamus hominem.	V.	64	D
In illud. Gen. XXIV. 10. *Pone manum tuam.*	VII.	565	D
De serpente æneo. Severiani est.	V.	659	D

De justo

Digitized by Google

	Edit. Savil. Tom.	Pag.	
De justo & beato Job. Sermones IV.	V.	949.	D.
In illud Psalm. XXXVIII. *Verum tamen frustra conturbatur.*	VII.	558.	S.
In Psalm. LXXXIII. *Et turtur nidum.*	VII.	264.	S
In Eliam Prophetam.	V.	672.	D
De Joseph. & castitate.	V.	656.	D
De Susannâ.	V.	703.	D
De tribus Pueris.	V.	698.	D
De Sigillis librorum, Esa. XLVI. 3. Severiani est.	V.	689.	D
De Fide & Lege Naturæ.	VI.	837.	D
De sancta & individuâ Trinitate.	VI.	955	D
De sancto & adorando Spiritu.	VI.	729	
De sancta Pentecostes Homilia, habita temporibus Arcadii Imp.	V.	976	D
In illud Joan. I. *In principio erat Verbum.*	V.	747	D
De occursu & Simeone.	V.	872	D
In sancta Theophania Domini.	VII.	350	S
De Nuptiis Joan. II. *& contra Judæos, Gentiles ac Hæreticos.*	VII.	284	S
De Christo Pastore & ove, Joan. X.	V.	980	D
In decollationem Baptistæ, & de Herodiade Homilia II. quas Chrysostomo abjudicat Photius * propter styli discrepantiam & humilitatem.	VII.	545	S
In venerabilem Crucem, & de transgressione Adami.	VII.	502	S
In dimissionem Cananeæ Homilia, ex ejus parte posteriore excerpta est Homilia 7ma inter eas *In Diversos* Origeni falsò inscriptas. Genuinam esse, licet languidiusculè scriptam (uti sunt plurimę Chrysostomi Constantinopolitanę) probat Savilius.	V. VII.	188 531	 S
In præcursorem Domini Joannem.	V.	992	D
In SS. Apostolos Petrum & Paulum.	V.	995	D
In SS. XII. Apostolos.	V.	486	D
In S. Thomam Apostolum Homilia. Citatur sub Chrysostomi nomine à Synodo Lateranensi anno DCL. habitâ, & à Sextâ Synodo Oecumenicâ. Chrysostomi tamen non esse stylus satis arguit.			
In S. Stephanum Protomartyrem.	V.	864	D
In illud II. Cor. XII. *Sufficit tibi gratia mea.*	V.	799	D
In Annunciationem S. Deiparæ. Habetur etiam inter Opera Gregorii Neocęs.	VII.	537	S
In sancta Theophania, & S. Joannem.	VII.	533	S
In Parabolam de filio Prodigo.	VII.	539	S
In illud Matth. XIII. *Collegerunt Judæi Concilium.*	VII.	552	S
In decem Virgines Matth. XXV.	VII.	554	S
In Meretricem & Pharisæum, Luc. VII.	VII.	490	S
In sancta & magna Parasceve.	V.	906	D
In Samaritanam Joan. IV. Epilogus decerpitur ex Hom. 31. in Evangelium Joannis.	*.		
De Cæco à nativitate, Joan. IX.	V.	761	D
In triduanam Christi Resurrectionem.	V.	592	
In Christi Ascensionem Sermones IV. à Gerardo Vossio primùm editi in *Appendice ad Gregorium Thaumaturgum*, *Mogunt.* 1603.	*. V. VII. V.	 973 426 970	 D S D
Bonum Christi discipulum benignum esse.	VI.	903	D
De Pseudo-Prophetis & falsis Doctoribus Homilia, quæ habetur etiam inter Ephræmi Opera à Ger. Vossio edita. Joannis Nesteutæ esse censent Vossius & Pearsonus.	VII.	211	S
De Circo Oratio.	VI.	974	D
In Salvatoris nostri nativitatem Homilia, quæ genuinum Chrysostomi opus videtur, sub istius quippe nomine à Cyrillo Alexandrino citata lib. ad Reginas Concil. Tom. III. col. 118.	V.	846	D
In illud Luc. II. *Exiit edictum.*	V.	715	D
In Oraculum Zachariæ redditum Luc. I.	VII.	340	S
In Conceptionem Joannis.	V.	831	D
In illud Matth. VI. *Cavete, ne eleemosynam.*	VII.	486	S
De fugienda simulata specie.	VII.	297	S
De Muliere fluxum sanguinis passa.	V.	816	D
De Patrefamilias & Operariis, Matth. XX.	V.	708	D
In Parabolam de ficu arefacta, Matth. XXI.	VII.	252	S
De Pharisæo & Convivio Luc. XI.	VII.	280	S
De Lazaro & Divite Luc. XVI.	V.	728	D
De Publicano & Pharisæo Luc. XVIII.	VII.	233	S
De Cæco & Zachæo Luc. XVIII.	V.	731	D
Religiosum facetiis uti non debere.	VI.	963	D
De S. Joanne Theologo.	*.		
De adoratione S. Crucis.	V.	877	D
De confessione S. Crucis.	VII.	864	
De negatione Petri, Matth. XXVI. Decerpitur ex Homiliâ 3a. *in illud, Habentes eundem spiritum.*	V.	275	S
De Jejunio & Eleemosyna.	VI.	883	
In sacrum Pascha.	V.	587	

In se-

	Edit. Savil. Tom.	Pag.
In secundum Domini adventum. Decerpitur ferè tota ex Homiliis in Epistolam ad Romanos.	V.	782.
Florilegia XXXI. ex Homiliis Chrysostomi decerpta per Theodorum Magistrum. In Editione Savilianâ Florilegia habentur XLVIII. additis nempe 9°. 5°. 11. 21. 28. 32. 33. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. Verùm ex his quamplurima ex iis quę supersunt, Homiliis excerpuntur, atque adeò alibi habentur. Ex gr. Florilegium 33. idem est cum Homiliâ modò memoratâ de Confessione S. Crucis.	VII.	665.

D

TOM. VII.

Commentariorum in Matthæum Homiliæ XCI. in editione Saviliana XC. Notandum enim est diversas in binis editionibus Homiliarum & Opusculorum divisiones aliquando, inveniri; unde fit, ut non rarò in numeris eorum differentia quędam deprehendatur. Exemplo sit Opus pręsens, quod in hâc editione 90. in illâ 91. Homiliis constat: cùm tamen unum idemque opus utrobique perfectum habeatur. Quinetiam ne quis forsan inde error oriatur, monendum duximus Lectorem, ingens sępenumero reperiri discrimen in titulis Opusculorum utriusque Editionis. Ex. gr. Homilię quę in Editione Savilianâ titulum habent *In Oziam*, in Morellianâ dicuntur Homilię *in illud Isaiæ, Vidi Dominum*: quę in istâ est in *Annam* quarta, in illâ quintum sortitur locum. Quod semel monuisse sufficiat.	II.	1.

TOM. VIII.

Operis imperfecti in Matthæum Homiliæ LIV. seu potiùs *Commentarius in Homilias perperam distributus*] Lat. Chrysostomi non esse ab omnibus jam agnoscitur. Videtur potiùs Latini cujusdam Scriptoris, ejusque Arianizantis Opus: saltem, à quibusdam ex grege Arii, Montani, Manichęi &c. non leviter interpolatum. Opus quidem non ineruditum, & Chrysostomi ævo certo certiùs scriptum; sed quod Autorem Gręcum vix agnoscit: ac proinde neutiquam mirum videri debet Gręca hodie non reperiri. Mirum tamen prorsus est, quid Possevino in mentem venerit; cùm disertè scriberet Operis hujus Homilias LIV. Gręcè Latinéque non semel prodiisse, Apparat. in Jo. Chrysost. p. 855.	*.	
Commentariorum in Evangelium Ioannis Homiliæ LXXXVII. quas uti & priores in Matthæum Antiochię adhuc Presbyter scripsit teste Nicephoro. Notandum verò ex iis Homilias 62, 63, & 64. (vel ut Latini Codices distinguunt, 61. 62, 63,) easdem esse cum quinque postremis Homiliis inter Opera Basilii Seleuciensis, edita Gręcè à Commelino 1596. & sub illius nomine à Theodoro Peltano versas haberi in Bibliothecâ Patrum.	II.	555.

TOM. IX.

In *Acta Apostolorum Homiliæ* LV. In his plurima confusò admodùm atque abrupto ordine disposita deprehenduntur: unde binas ἐκδόσεις jam inde ab antiquis temporibus liber iste Homiliarum sortitus esse Savilio videtur, quibus in unum postea compaginatis ac commixtis confusionis haud parùm accessit.	IV.	607.
In Epistolam Pauli ad Romanos Homilię XXXII.	III.	1.

TOM. X.

In *D. Pauli Epistolam I. ad Corinthios Homiliæ* XLIV.	III.	243.
In Epistolam II. ad Corinthios Homiliæ XXX.	III.	541.
In Epistolam ad Galatas Commentarius perpetuus	III.	709.
In Epistolam ad Ephesios Homiliæ XXIV.	III.	763.

TOM. XI.

In *Epistolam ad Philippenses Homiliæ* XV.	IV.	1.
In Epistolam ad Colossenses Homiliæ XII.	IV.	89.
In Primam ad Thessalonicenses Homiliæ XI.	IV.	161.
In Secundam ad Thessalonicenses Homiliæ V.	IV.	221.
In I. ad Timotheum Homiliæ XVIII.	IV.	249.
In II. ad Timotheum Homiliæ X.	IV.	329.
In Epistolam ad Titum Homiliæ VI.	IV.	381.
In Epistolam ad Philemonem Homiliæ III.	IV.	411.
In Epistolam ad Hebræos Homiliæ XXXIV. sive Ἑρμηνεία continua ἐκτεθεῖσα (uti præ se fert titulus) ἀπὸ σημείων μετὰ τὴν κοίμησιν αὐτοῦ (Chrysostomi) παρὰ Κωνσταντίνου πρεσβυτέρου Ἀντιοχείας.	IV.	427.

Opuscula Tomis IX, X, & XI. comprehensa à Chrysostomo post susceptum Episcopatum scripta esse autor est Nicephorus. Homilię in Epistolas D. Pauli prodierunt antea Gręce (sed mirum quàm corruptę) *Veronæ* 1532. fol. Latinè verò à Wolfgango Musculo versæ *Basil.* 1536. fol. deinde Gr. Lat. à Commelino editę *Heidelberg.* 1596. Chrysostomi *Synopsis Vet. Testamenti* extat Gręcè MS. in Bibliotheca CL. Is. Vossii. Verùm an genuina sit, pro certo affirmare non possum, utpote quam nondum percurri.

Cęterùm de Operibus D. Chrysostomi dubiis vel

Digitized by Google

vel suppositītiis paucula Lector monendus est.

I. Sixtus Senensis, Antonius Possevinus, aliique vulgares Critici Scriptorum D. Chrysostomi dubiorum & spuriorum catalogum satis amplum dederunt; quem per otium Lector consulere potest: in quo præter *Opus imperfectum in Matthæum*, &c. habentur *Expositio in Evangelium D. Marci*, *Homilia* LIX. *ad Populum Antiochenum*, aliaque partim ex variis Chrysostomi sermonibus consarcinata; partim aliunde accepta; quæ à Chrysostomi Operibus jam penitùs abjudicantur.

II. Fronto Ducæus opera supposititia (quæ tamen ab Authoribus Chrysostomo coævis, vel ab ejus saltem ætate non longè remotis, scripta esse existimat] præter paucos quosdam *Sermones in Psalmos* ad calcem Tomi III. omnia in Tomum VI. conjecit; prout à nobis suprà recensentur.

III. Editioni suæ omnium optimæ & castigatissimæ indicem Operum Chrysostominianorum præmisit Vir Doctiss. Henricus Savilius, tum eorum, quæ pro veris ac germanis, tum quæ pro ambiguis & falsis habuit; rejectis in calcem Tomi octavi conjecturæ suæ rationibus, aliisque Criticis Observationibus ac Notis tam ipsius quàm Virorum Doctissimorum, ac in adornandâ Editione Etonensi συνεργῶν, Boisii, Halesii, ac Dounæi. Ex Operibus supra recensitis, quæcumque literâ præfixâ carent, genuina à Savilio, ejusque συνεργάταις perhibentur, nisi fortè adjecta notula contrarium innuat; quæ verò litera D. sibi præfixam habent, in dubiorum, quæ S. in spuriorum classem ab eo relegantur. Restat autem, ut recenseamus ordine Opuscula Chrysostomi, quæ in Editione Morellianâ frustra quæsita in Savilianâ exhibentur; quæ sequuntur, in suas quæque classes prò Savilii censurâ digesta.

GENUINA.

TOM. V.

IN proditionem Judæ & Pascha Homilia, nec eadem prorsus cum illa ejusdem argumenti, quæ habetur Tom. V. edit. Morell. nec diversa prorsus: licèt tam multa habeant communia, ut propemodùm eadem oratio esse videantur.

In Crucem Christi & Latronem Homilia, de quâ paria dicantur, ac de priore.

In Publicanum & Pharisæum, Ἀπάνθισμα est ex Oratione 5tâ. contra Anomæos excerptum.

In illud, Ne confidat nimis, qui stat. Pars est Homiliæ 26æ. in Matthæum.

TOM VI.

DE perfectâ charitate. Ἀπάνθισμα videtur.

De Pœnitentiâ Oratio.

De Eleemosynâ Oratio.

In eos qui obdormierunt, Oratio Sabbato Pentecostes habita; omnia ferè habet communia cum *Homiliâ de perfectâ charitate.*

De Jejunio Orationes II.

Animæ medicinam anteponendam esse corporis medicinæ. Ἀπάνθισμα est.

Sacerdotibus divitias exprobrandas non esse Ἀπάνθισμα est.

DUBIA.

TOM. V.

DE Theatris non frequentandis Sermo alter.

Quomodo Adam acceperit animam, &c.

Protheoria in Psalmos.

In illud Dominus regnavit, &c. Severiani esse censet Halesius.

In Orationem Dominicam.

In prodigum filium, &c.

In Mulieres, quæ unguenta attulerunt, &c.

In illud, Quomodo novit literas, &c.

In Cananæam, & in Pharao, &c.

In illud, Non quod volo, hoc facio, &c.

In illud, Sponte peccantibus nobis post acceptam cognitionem veritatis, &c. Ἀπάνθισμα est.

Sermo in Principium indictionis.

In pretiosam Crucem Homilia, quæ Josephi Thessalonicensis Archiepiscopi est.

In exaltationem pretiosæ Crucis.

In S. Apostolum Thomam.

In Nativitatem Christi, & quòd unicuique climati, &c.

In S. Stephanum Protomartyrem.

In mediam Hebdomadam jejuniorum.

In Festum Palmarum.

In S. Virginem Deiparam.

In S. Deiparam.

In proditionem Salvatoris, &c.

In pretiosam & vivificam Crucem, &c.

In Latronem, & proditionem Salvatoris.

In salutiferam sepulturam, & triduanam resurrectionem Ἀπάνθισμα est.

Oratio Catechetica in S. Pascha.

In Pascha Orationes VII.

In Pentecosten Orationes II.

In Synaxin Archangelorum.

TOM. VI.

ORatio exhortatoria ad Pœnitentiam, &c.

De Pœnitentiâ & eleemosynâ.

D. Pœnitentia.

De Eleemosynâ.

De jejunio Orationes VII.

De Patientia & mortuis non amarè deflendis.

De Patientiâ.

De salute animæ. Ἀπάνθισμα videtur.

Ad Catechumenos.

Deploratio eorum, qui Christi virgines corrumpunt.

Contra Hæreticos.

Precationes duæ.

TOM. VII.

IN Resurrectionem Domini.

In Dominicam novam, & in Apostolum Thomam.

In S. Stephanum Orationes III. ultima certissimè spuria est.

In S. Pentecosten.

SUPPOSITITIA.

TOM. I.

EXpositio in Psalmos. C, CI, CII, CIII, CIV, CV, CVI, CVII.

Expositio in Psalmi CXVIII. *stationes tres.* Expositiones novem istorum Psalmorum modò memoratas ex Theodoriti Commentariis maximam partem decerptas esse monet Fronto Ducæus.

TOM. VII.

EPistola ad Monachos utilitatis & sobrietatis plena.

In expulsionem Adam, & de malis mulieribus.

In annunciationem S. Deiparæ.

In illud Psalmi XCII. *Sustulerunt flumina vocem.*

In illud

Digitized by Google

SÆC. IV. abAn.CCC In illud Psalmi LXXV. Vovete & reddite Domino.

In illud Matthæi XVIII. Quæcunque ligaveritis.

In illud Judæorum dictum Ioan. VII. Dæmonium habes.

De Pœnitentia.

De Fide.

De Spe.

De Charitate Homiliæ II.

Quòd charitas secundùm Deum sit opus divinum.

In illud Matth. IV. 6. Si filius Dei es, projice teipsum. Nestorii esse ex Marii Mercatoris authoritate constat.

In proditionem Judæ, & passionem Christi.

In Nativitatem Domini Sermones II.

In Rachel & infantes.

In Herodem & Infantes.

In Martham, Mariam, Lazarum, & Eliam Prophetam.

In illud, Egressi Pharisæi consilium cœperunt.

In Meretricem & Pharisæum, Orationes II.

In Ascensionem Domini.

In Metarmorphosin Domini Oratio, sub Procli etiam Constantinopolitani nomine edita habetur.

In Festum Palmarum.

In Metamorphosin Domini Orationes II.

In S. Joannem Theologum.

In S. Joannem Theologum, Apostolum & Evangelistam.

In illud, Eripe me Domine ab homine malo.

De Siccitate.

In Jordanem fluvium.

In illud, Cùm ascenderit Dominus in Templum.

In Mesopentecosten.

Io Samaritanam Joan. IV.

In illud, Pater si possibile est.

In Parabolam, Homo quidam descendit, & incidit in latrones, Orat. II.

In Nativitatem S. Joannis Baptistæ.

In Abraham & Isaac.

In Nativitatem Domini Oratio. Severiani est.

In Zachæum & Publicanum.

In Centurionem Luc. VII.

In illud, Exiit seminans seminare.

In secundum adventum Domini.

In Paralyticum Joan. V.

In illud Lucæ, de Didrachma.

Quod oporteat gratiam habentem communicare non habenti.

In Parabolam Oeconomi injusti Oratio. Asterii est.

De Jejunio Sermones III.

In illud, in tribulatione dilatasti mihi, &c.

De patientia, & consummatione sæculi. Habetur [etiam integrior] inter S. Ephræmi Opera à Vossio edita.

In filium Viduæ, Luc. VII.

In Samaritanam, & de interpretatione Messiæ.

In Serpentem æneum, &c.

In Sacrificia Cain, &c.

In Passionem Domini.

In publicanum & Pharisæum, Luc. XVIII.

In principio sacrorum Jejuniorum Orationes II.

In Ascensionem Domini.

De Iejunio Orationes II.

De Oratione Sermo, cui multa Chrysostomi admiscentur.

In illud, Ignem veni mittere in terram.

Admonitiones spirituales.

In illud, Cavete, ne eleemosynam vestram, &c.

In adorationem Crucis.

In Resurrectionem Christi, & mulieres unguenta afferentes.

In Annuntiationem Deiparæ, & contra Arium. SÆC. IV. abAn.CCC

De Eleemosyna.

In Lazarum redivivum Orationes III.

In S. Ioannem Præcursorem.

In illud, Venite, & exultemus.

Ἐκλογαὶ per Theodorum Magistrum collectæ XVII.

ALIENA.

Severiani Gabalorum Episcopi de Creatione mundi Orotianes VI.

Gregorii Thaumaturgi Oratio in S. Theophania.

Pantaleonis Presbyteri Monæ Byzantiorum Oratio in exaltationem Crucis.

TOM. VIII.

Theodori Mopsuesteni [Lapsi] Responsio ad Chrysostomi Paræneses ad eum missas. Spuria est.

Synodi ad Quercum contra Chrysostomum habita Acta.

Vitæ Chrysostominianæ Scriptores.

Hactenus Editio Saviliana: quæ sequuntur Opuscula variis abhinc locis & temporibus prodierunt.

De inani gloria, & educandis à Parentibus liberis.

In S. Christi Nativitatem.

In S. Lumina.

In recens baptizatos, & de Paschate.

In S. Basfi Episcopi & Martyris memoriam.

Post terræ motum. Sex istas Homilias Gr. Lat. edidit sub Chrysostomi nomine Fr. Combefis. Paris 1656.

Homilia de morali politia, in præcursoris decollationem, atque mulierem peccatricem, edita est ab eodem Combefis. 1645.

Homilias IV. in Psalmos Gr. Lat. edidit Jo. Bapt. Cotelerius, Socius Sorbonicus Paris. 1661. quas genuinas esse agnoscit.

In Danielem Prophetam interpretatio Gr. Lat. ab eodem ibid. edita. Eam vel non esse Chrysostomi vel fusioris saltem Commentarii Eclogam & Epitomen esse meritò censet Cotelerius.

Homilia in illud Matth. XXI. 23. In quâ potestate hæc facis? Antiochiæ habita. Græc. Lat. cum notis edidit idem Cotelerius Monument. Eccl. Gr. Tom. III. p. 121.

Oratio in Diodorum Tarsensem, à CL. Bigotio ad calcem Palladii primùm edita, unà cum antiqua versione [mutilâ tamen] quæ habetur apud Facundum Hermianensem Episcopum, lib. 4.

Epistola ad Cæsarium Monachum adversus Apollinarii hæresim tempore secundi ipsius exilii scripta. Antiquam hujus Epistolæ per multa retrò sæcula desideratæ versionem Latinam è Codice Florentino olim descripsit Petrus Martyr Florentinus, ac delatam secum in Angliam in Cranmeri Archiepiscopi Cantuariensis Bibliothecâ reposuit: unde nobile illud, si quod unquam aliud adversùs Transsubstantiationis dogma testimonium protulit, in Defens. Eucharist. advers. Gardinerum Wintoniensem par. 1. pag. 390. 502. edit. Tigur. 1559. & Loc. Commun. Class. 4. cap. 10, pag. 603. Verùm post Cranmeri martyrium direptâ Archiepiscopali Bibliothecâ Epistola nusquam postea comparuit. Hinc factum est, ut inter alios Cardinalis Perronius merum esse figmentum, ac nusquam extitisse hanc Epistolam audacter asserere non dubitarit. Tandem paucis abhinc annis V. CL. Emericus Bigotius versionem istam ex Codice Florentino in Bibliotheca Dominicanorum D. Marci asservato à se descriptam Palla-

Digitized by Google

Palladii Dialogo de vitâ Chrysostomi subnexuit. Verùm impressione ad umbilicum perductâ, Epistolam à reliquis divulsam supprimendam curârunt Censores aliquot Sorbonici; de quâ insigni fraude meritò conquestus est ex Reformatorum gente Parisiensis Theologus*. Interea nos non contemnendum hujus Epistolæ fragmentum Græcum ex Bibliothecæ Arundellianæ antiquo codice MS. descriptum in *Chartophylace* nostro pag. *69.* edidimus. Eodem circiter tempore Stephanus Le Moyne de antiquitate Ecclesiasticâ præclarè meritus, integram versionem Latinam plurimis quidem mendis scatentem inter *Varia sua Sacra* exhibuit. Nec laude suâ fraudandus est clarissimus Ecclesiæ Anglicanæ Theologus, qui ipsum quaternionem à Doctoribus Sorbonicis è Codice Bigotiano abscissum nactus, eum *Expositionis suæ adversus Meldensem Episcopum Vindiciis* patrio sermone editis Londini *1686.* unà cum *Præfatione Bigotiana*, & fragmentis Græcis, quotquot reperire poterant, quæque ad editionem suam ornandam collegerat Bigotius, fideliter subjecit.

* Ex postulat. lib. 12. Anastasii in Hexaëm. præmiss. à Lond. 1682. 4to.

Porrò extant in editionibus Operum Chrysostomi Latinis, quæ in Græcis non habentur, *Opuscula* & *Homiliæ* quamplurimæ; de quibus fusè agunt Sixtus Senensis, & Ant. Possevinus, ad quos nos ea summatim recensere contenti, lectorem remittimus.

In editione Basiliensi 1558. *habentur Latinè.*

TOM. I. *IN Genesin Homiliæ* X.

*In Exodi cap.*XVII.*de Moyse.*

In Judicum XI. *de Jephte.*

In libros Regum Homiliæ VII.

In Job Homiliæ II.

In Psalmos Homiliarum, seu potiùs Expositionum volumen ex variis diversorum Scriptorum, inprimis verò Chrysostomi & Theodoriti sermonibus contextum, & à Gentiano Herveto Latinitate donatum. Omissum in editione ista Basiliensi, habetur in edit. *Paris.* 1556. atque aliis. Pars longè maxima genuinus est Chrysostomi fœtus,& habetur Tom.III. edit. *Morell.*Tom.1. *Savil.*

In Psalmos Homiliæ alia XXI.

In illud Sapientiæ IX. Justorum animæ in manu Dei sunt.

In Esaiam Homiliæ IV.

De Hieremia Propheta.

De tribus Pueris.

De S. Susannâ.

De Jona Propheta.

In illud Zachariæ VI. Ecce vir oriens.

TOM. II. *Opus imperfectum*, seu *Commentariorum in Evangelium S. Matthæi Homiliæ LIV.* Habentur in edit. *Morell.* ac in omnibus Latinis: seorsim verò prodierunt *Colon.*1487. 4°. & *Antverp.*1537. 8°. Ista autem posterior editio iniquas manus passa est, ab Arianorum (uti præ se fert titulus) fæcibus purgata. *Paris.*1543. 1547. præcipuè verò 1557. 8°. quam etiam sordibus omnibus purgatam esse jactitat editor. Verùm prætextu purgationis ab Arianis fæcibus faciendæ, penitùs detruncatur locus ille πολυθρύλλητον à nobis crebrò adversùs Pontificios allatus de S. Scripturæ lectione Laicis non interdicendâ in Homiliâ 49. ab illis verbis inclusivè. (*Et quare jubet in hoc tempore omnes Christianos conferre se ad Sriptutas?*) in edit. *Morell.* pag. 174, 175. usque ad illa item inclusivè (*Et per hoc incident in abominationem desolationis, quæ stat in sanctis Ecclesiæ locis,*) ut alias fraudes taceam, & locum de Eucharistiâ luculentum penitus omissum. Locum quidem de Scriptura ab omnibus legenda operi huic à Protestantibus nonnullis præter Codicum MSS. fidem immissum esse, conquerentes quosdam me olim legisse memini. Verum næ is risu excipiendus, qui ejusmodi somnia propinat; de editione interim *Coloniensi* 1487. longè ante cœptam Reformationem adornata securus, in qua locus iste totidem verbis legitur?

In varia S. Matthæi loca Homiliæ XXVII.

In Evangelium S. Marci Homiliæ XIV. Monachi alicujus satis infaceti opus.

In varia S. Lucæ loca Homiliæ VI. quarum prima de Nativitate S. Joannis Baptistæ, sive de Solstitiis, antiqui certè autoris opus est.

TOM. III. *In varia S. Joannis loca Homiliæ* VI.

In I. *ad Corinthios Epistolam Homiliæ* II.

De laudibus S. Pauli Homilia octava.

De Proditore, & mysteriis Cœnæ Dominicæ Sermones VI.

De Cruce & Latrone Homiliæ II.

De Resurrectione Homiliæ IX.

TOM. V. *Sermones Miscellanei* V.

Homiliæ (*præter XXI. genuinas*) *aliæ* LIV. τῶν ἀνεκδότων, de quibus suprà.

Homiliæ Miscellaneæ XXXV.

In Editionibus Paris. 1570, 1581, 1588. accesserunt, seorsim priùs impressæ.

Orationes IV. viz. *de Juramento*, *Adversus eos qui in deliciis agunt*, *Adversus iram*, & *de Oratione*.

Ex opusculis præmissis pauca quædam Græcè extant, quamplurima ex aliis Chrysostomi operibus hinc inde decerpuntur; pars verò longè maxima spuria est.

Orationes *in S. Pelagiam, in catenas S. Petri, in S. Andream, & in Natali S. Joannis Baptistæ*, ex Metaphraste habentur Lat. apud Surium & Lipomannum, verùm spuriæ.

Enarratio brevis, sive libellus Quæstionum in S. Matthæum Latinè à Chrystophoro Serrarigo versus ac editus est *Venet.* 1554. inde in editiones *Paris.* & *Antverp.* 1614. desumptus.

Enarratio brevis, in S. Lucam à Theod. Peltano versa & edita est anno 1580. Utraque Enarratio spuria est,& utraque habetur Græcè MS. in Bibliothecâ Collegii Corporis Christi, Oxon.

Quinquaginta Chrysostomi Homilias Quadragesimales Arabicè versas penès se extitisse testatur Usserius in Biblioth. Theol. MS. ubi indiculum earum exhibet. Verùm ex iis pars longè maxima Græcè extat.

OPERA DEPERDITA.

COmmentarii in S. Scripturæ libros plurimi. Totam enim Scripturam à Chrysostomo Commentariis explicatam esse fidem faciunt Suidas & Cassiodorus. Et certè plura Chrysostomi σχεδιάσματα τῶν ἐξηγήσεων τῆς θείας γραφῆς, in palatio Thomaitæ servata, incendio periisse sub Constantino & Irene refert Zonaras, Tom. III. fol. 96.

Contra Συνεισάκτους *Orationes* IV. Sex enim ejus argumenti orationes à Chrysostomo scriptas esse produnt Vitæ ejus Scriptores.

Expositio in Job, cujus amplissima fragmenta extant in Catenâ in Job à Patricio Junio editâ.

Expositio Zachariæ Prophetæ, citatur ab Ephræmio apud Photii Biblioth. Cod. 229. nisi potiùs de loci alicujus particularis explicatione Ephræmius intelligendus sit.

Orationes aliquot contra Julianum. Primam citat Damascenus lib. 3. de Imag.

Expositio perpetua Psalmi XLI. Fragmentum habet Theodoritus Dialog. 2.

Orationes in XL. Martyres, in decollationem S. Joannis Baptistæ, in illud Luc. 1. 78. *Christum esse Orientem, in illud* 1. Cor. V. 17. *Si qua ergo,* &c. *in illud*

Luc. XVI. 24. *Mitte Lazarum ; & adhortatoriam ad Pœnitentiam*, memorat, atque ex iis excerpta nobis exhibet Photius Cod. 274. 277. Idem meminit *Orationum brevium* XXII. Chrysostomi nomen præferentium *in mortem Domini, & aliarum* XXII. *in ascensionem Domini*, itemque XVII. *in Pentecosten*, Cod. 25. Ex his nonnullæ extant. Notandum verò est plurima spuria *Chrysostomi opuscula* à Photio incautè recenseri.

Epistola ad Acacium Monachum; cujus fragmenta habentur apud Theorianum p. 75. & Euthymium Panopl. Tit. 15.

Tractatus, Sermones, & Epistolæ plures; quæ à Scriptoribus Ecclesiasticis, præsertim Græcis recentioribus, citata ad nos non pervenerunt. Nobis omnia colligere nec vacat, nec refert.

Præter ea, quæ ad Scripta Chrysostomi enucleanda hactenus observavimus; cum plurima incredibili planè diligentiâ undequaque collegerit, notaveritque ὁ πάνυ Usserius in Biblioth. Theol. MS. placet in lectoris gratiam pauca inde seligere, & in certa capita distribuere.

De antiquis Chrysostomi Interpretibus.

ANianus, qui circa annum 415. vel, ut alii, 506. claruit (de eo vide plura suo loco) *Homilias octo priores Chrysostomi in Matthæum*, & *septem de laudibus Pauli*, & *unicam ad Neophytos*, Latinè vertit, præfixâ prioribus *præfatione ad Horontium*, sive *Oruntium* Episcopum: nam illius esse ostendit Epistola ejus ad Evangelum Presbyterum, quæ in Tomis Operum Bedæ legitur, & Homiliis de S. Paulo præfigi solet. Extant *versiones* istæ in plerisque, præsertim antiquioribus Chrysostomi Operum editionibus.

Mutianus Scholasticus isti proximè successit circa annum salutis 550. cujus *versio* XXXIV. *Homiliarum in Epistolam ad Hebræos*, *Coloniæ* anno 1530. à Jac. Gymnico est excusa. Hanc enim interpretationem suo tempore, & suo rogatu factam testatur his verbis Marcus Aurelius Cassiodorus *: *Ad Hebræos Epistolam, quam S. Joannes CP. Episcopus* 34. *Homiliis Attico sermone tractavit*, *Mutianum, virum disertissimum, transferre fecimus in Latinum*. Doctum admodùm ac diligentem interpretem vocat Savilius. Est verò notandum, *Commentarios in Epistolam ad Hebræos*, qui falsò tribuuntur Ambrosio, (cujus etiam nomine ab Algero, Magistro Sententiarum, aliisque citantur) ex hisce Chrysostomi Homiliis à Mutiano conversis excerptas esse.

* Divin. Lect. cap. 8.

Burgundio Pisanus proximus his (longo, sed proximus, intervallo) extitit; à quo XC. *Homiliæ* Chrysostomi *in Matthæum* anno 1147. (ut est in Bostono Buriensi) perfectè & completè translatæ sunt. Ejus translationis historiam ex ipsius Burgundionis Prologo visum est adjicere. "Cùm B. Joannis Chrysostomi super Evangelium S. Matthæi duæ Expositiones imperfectæ ab eo conditæ proferuntur (viz. *opus*, quod extat *imperfectum*, & perfecti operis illa pars, quæ ab Aniano est translata) &c. (ut in Bostono Buriensi, usque ad illa verba) *prædictum opus integrè de Græco in Latinum fideliter transtuli sermonem*. *Versio* ista nusquam adhuc excusa est. Translatæ sunt etiam ab eodem LXXXVIII. Chrysostomi *Homiliæ in Evangelium Joannis*: quâ de re ita scribit in Appendice ad Chronicon Sigeberti, anno 1181. qui eodem vixit tempore, Robertus Montensis. *Alexander* III. *Concilium Romæ tenuit*, &c. (vide ipsum authorem.) Hæc ille. Sed ecce tibi excerpta ex ipso Burgundionis Prologo nondum (quod quidem sciam) in lucem edito. *Omnibus in Christo fidelibus Burgundio, judex & civis Pisanus, in Domino salutem. Cùm Constantinopolim pro negotiis publicis patriæ meæ à civibus meis ad Imperatorem Manuelem missus essem*, &c. *Explanationem Evangelii S. Joannis* &c. (ut in Bostono Buriensi, usque ad illud) *Partitur autem hic S. Joannes Chrysostomus hunc librum in* 88. *Homilias, quas in unaquaque Septimana duabus diebus Sabbato scilicet & Dominica, populo in Ecclesia coadunato confecit, in unaquaque ferè Homilia in initio Prologum, & in fine (ex textu uniuscujusque Homiliæ materia sumpta) morale componens.*

De Editionibus variis Operum S. Chrysostomi.

OMnium prima editio prodiit *Venetiis* 1503. 2. vol. fol. mox recusa *Basil.* 1504. Quinque deinde Tomis distincta prodierunt Opera Chrysostomi *Basil.* apud Andream Cratandrum 1522. subsecuta est *Parisiensis* 1524. quam excepit longè locupletior Frobeniana *Basil.* 1530. Tom. v. In his editionibus quæcunque Latinè (præsertim ab antiquis interpretibus) versa reperiri poterant, Chrysostomi nomen præferentia, nullâ ordinis, nullâ autoris ratione habitâ immissa sunt. Meliori deinceps ordine disposita Chrysostomi opera prodierunt *Paris.* 1543. 1546. Joannis Eucherii Vernoliensis operâ, cùm ad collationem Latinorum Codicum, tùm ad Græcorum exemplarium fidem innumeris penè locis nativæ integritati restituta. Auctiora deinde & pari methodo recognita *Basil.* 1547, 1558. curâ Sigismundi Gelenii. Eâdem methodo recognita curâ Philippi Montani *Paris.* 1556. & auctiora 1576. Prodierunt etiam (sed manca, multisque prætermissis, mutila) quinque Tomis distincta *Venetiis* 1574. recognita verò & auctiora quàm antehac (præmissis etiam Vitæ Chrysostomianæ Scriptoribus) *Paris.* 1581, 1588. Omnium verò absolutissimæ editiones sunt, quæ prodierunt *Antverp.* 1614. & curâ Frontonis Ducæi *Paris.* 1613. Hactenus de Editionibus Latinis.

Græcè prodierunt Chrysostomi Opera octo Tomis distincta curâ atque sumptibus viri undequaque clarissimi D. Henrici Savilii, unà cum ejusdem Bossii Frontonis Ducæi *Paris.* 1609. (& annis sequentibus) XI. vol. fol. & ibidem 1636. totidem vol. Extat etiam alia, quæ præstare solet, editio ex sex prioribus Tomis Morellianis, & quatuor Commelianis in Novum Testamentum Commentarios complectentibus, annoque 1603. Heidelbergæ editis, constans.

Porrò plurima Chrysostomi Opuscula & Sermones variis locis & temporibus seorsim prodierunt Græcè vel Græco-Latinè, quorum editiones ita recenset Usserius.

Chrysostomi *Explicatio* IV. *Evangeliorum*, viz. *Homiliæ in Matthæum* XXXIII. &c. Prodierunt Gr. Lat. ex officinâ Commelinianâ 1591. 4°. *Commentarii in omnes* D. Pauli *Epistolas*, ibid. 1596. 2. vol. fol. *Orationes de Providentia*, *de Avaritia*, *de Ingluvie*, *de Anima*, *de Pulchritudine & Uxore*. *De Divitiis & Paupertate*, *de Ecclesia ejusque Mysteriis non contemnendis*, *de Humilitate animæ*, *de adversa Valetudine*, Gr. Lat. Martino Cromero, & Vito Amerbachio interpretibus excusæ sunt ab Oporino *Basil.* 1552. *Orationes* X. Græcè à Card. Sirleto *Romæ* primùm editæ anno 1581. & postea Græc. Lat. Joan. Jacobo Beurero interprete, *Basil.* 1585. *Orationes* IX. *Romæ* ab Hieron. Brunello editæ 8°. Ex præcedente editione huc inseritur *laus eorum*, *qui frequentes veniunt ad Ecclesiam*. Accedunt etiam *duæ Orationes*, *Romæ* primùm ex Vaticanis Codd. impressæ, inde in Germaniâ excusæ anno 1595. 8°. quarum *altera est in Petrum & Paulum*, *altera in duodecim Apostolos*. Item *Orationes duæ de Precatione*, priùs editæ *Basil.* 1525. & *Antverp.* 1579. *Aliæ* Homiliæ XI. Græc. à Davide Hæschelio editæ

editæ anno 1587. 8°. Homiliæ II. Græc. Lat. à Petro Pantino editæ (viz. *in Natalem Domini, & in Præcursorem*) *Antverp.* 1601. 8°. (è quibus prior priùs edita est à Davide Hæschelio *Augustæ* 1594. 8°. *In S. Pascha Homilia* Græc. Lat. à Petro Pantino edita, *Antverp.* 1598. 8°. *De occursu Domini nostri,* item *de Deiparâ & Simeone* Græc. Lat. Laur. Sifanio interprete *Colon.* 1568. *Argumentum in Hieremiam & Threnos, cum fragmento de Susannâ* Græc. ab Hæschelio editum est *Augustæ* 1602. 4°. *De Sacerdotio libri* VI. Græc. Lat. ab eodem editi *Augustæ* 1599. 8°. *Contra Judæos Homiliæ* VI. Græc. Lat. ab eodem editæ ibidem 1602. 8°. *Liturgia* Græc. *Parif.* 1560. & Græc. Lat. *Parif.* 1537. *De Divite & Lazaro Homiliæ* IV. item *in illud, Nolo vos ignorare fratres,* &c. ex MSS. à Joanne Harmaro editæ Græc. *Oxonii* 1586. *De Providentiâ Dei Oratiunculæ* VI. Græc. *Basil.* 1526. *de Babylâ Martyre Oratio Græca* cum *Epistolis* ibidem 1527. *Homilia quòd neminem anathematis dirisve insectationibus insequi oporteat,* Gr. Lat. Gul. Plancio interprete excusa *Parif.* *de Virginitate liber* Joanne Livineio interprete *Antverp.* 1575. 4°. Orationes VI. Græc. Lat. quarum duæ posteriores nunc primùm editæ, studio & Opera Frontonis Ducæi *Ingolstad.* 1595. 8°.

De Scriptoribus Vitæ Chrysostomi.

PAlladii & *Theodori Dialogus de Vitâ Joannis Chrysostomi,* primùm editus in lucem *Venetiis* 1533. Ambrosio Monacho Camaldulensi interprete. Latinè posita est in *Appendice* Tom. II. Frontonis Ducæi pag. 1. ubi vide notas pag. 54. 55. & fragmentum Græcum hujus Operis p. 56. De eo vide plura apud Savilium in tractatu inedito, quem paulò post subnexuri sumus. (Integrum Opus Gr. Lat. edidit V. CL. Emericus Bigotius *Parif.* 1680. 4to. De quo vide plura loco suo.)

Georgii Archiepiscopi Alexandrini Vita Chrysostomi (Tom. VIII. edit. *Savil.* pag. 157. cum notis Savilii col. 941, 943.) Latinè edita est à Godefrido Tilmanno anno 1557. quæ & initio primi Tomi Op. Chrysost. edit. *Parif.* 1581. & 1588. excusa legitur. *Epitome* illius habetur in Bibliothecâ Photii Cod. 96. Vide Notas Hæschelii in locum, & marginales Andr. Schotti, qui in 2a. notulâ de ætate hujus auctoris disserit; quod pluribus in suis notis prosequitur D. Savilius (col. 941, 942.) Hujus verò Operis *Epilogo* intexuntur *duæ Orationes* Chrysostomi ὑμνεῖαι; *una antequam iret in exilium prius*; *altera post reditum à priore exilio,* quæ nusquam alibi reperitur; licet ejus ut ὑμνείας meminerit Sozomenus l. 8. cap. 18. quemadmodum in notis monet D. Savilius, (quas consule col. 959, 960.) Cùm autem duo Georgio huic à Photio impingantur crimina, Hellenismi non observati, & Ἀνιςορησίας; de priori multa monet in notis, de posteriori in Tractatu inedito D. Savilius, quem vide. Ad ea verò quæ in notis (col. 951. lin. 12.) habentur de Augustalio, addantur ista. Τῦ Ἀυγουςαλίυ meminit etiam Palladius in Historiâ Lausiacâ, ubi agit de Melaniâ; & Autor Chronicorum Alexandrinorum (sic enim excerpta illa Barbaro-Latina à Scaligero cum Chronico Eusebiano edita appellat Cujacius) sub finem *Collectaneorum* suorum, ubi ad Lupicini & Jovini consulatum (qui in annum Christi CCCLXVII. incidit) ita annotat. Eo anno introivit Tatianus in Alexandriâ primus Augustalius VI. Cal. Februarias. Item Anastasius Sinaita in Ὁδηγῷ p. 168. & 202.

Leonis Imperatoris (cognomento *Sapientis* qui anno Christi 886. cœpit imperare) *Panegyricus in Chrysostomum* (Tom. VIII. edit. Savil. pag. 267. cum notis D. Savilii col. 959, 960.) habetur etiam in Simeone Metaphraste ad diem XIII. Novembris; indeque Latinè (Gentiano Herveto interprete) Tomo V. Vit. Sanct. Aloysii Lipomanni fol. 114. & Tom. I. Surii (Jan. 27.) p. 685. Unde supplenda lacuna paginæ unius aut folii in editione Savilianâ pag. 274. lin. 27. Est autem tantum *Georgii Breviarium* non bono judicio collectum, & penè barbarè scriptum; neque enim aliud *Georgio* addidit Leo, præter affectatam alicubi styli obscuritatem.

Anonymi vita Chrysostomi habetur T. VIII. edit. Savil. p. 293. cum Notis D. Savilii col. 963. Posterior fuit Constantino Porphyrogenneta Imp. (h. e. ann. 950) ut patet ex præfixo Auctorum indice, p. 293. Ei cum Metaphraste (qui eo posterior videtur, neque enim in indice isto commemoratur) sensus ferè semper, verba etiam plerumque sunt communia: sed Metaphraste uberior est, & copiosior, Georgio etiam multo γραμματικώτερος. De ejus ἀνιςορησίαις vide D. Savilium in fine admonitionis ineditæ de Scriptoribus rerum Chrysostomi.

Simeonis Metaphrastæ vita Chrysostomi (T. VIII. edit. Savil. p. 373. cum notis D. Savilii col. 967, 968.) Latinè habetur (Gentiano Herveto interprete) cum reliquis vitis Metaphrastæ Tomo V. Aloysii Lipomanni Novem. 13. fol. 79. & Tom. I. Surii (Jan. 27.) p. 634. Pag. 337. lin. 35. multa addita notat D. Savilius è Codice MS. Reginæ Matris (Catharinæ Mediceæ) quæ Latinus interpres non agnoscit: item à pag. 386. lin. 16. usque ad finem tantam fuisse dissimilitudinem Regii Codicis Lutetiæ descripti (quem in suâ editione expressit Savilius, & secutus est Latinus interpres) ac Codicis Reginæ (qui magis conveniebat cum Anonymo, quem ferè exprimere solet Metaphrastes) ut an unius ejusdemque esset authoris uterque, meritò aliquis dubitaret. Scriptum hoc Simeonis citatur à Nicephoro Hist. Eccles. l. 13. c. 2. & Gennadio Scholario Defens. Synod. Florentin. c. 5. §. 19.

Hactenus Usserius; qui quæ de Scriptoribus rerum Chrysostomi habet, sese ex Savilio ferè exscripsisse testatur. Cùm verò de iis, adeoque de totâ Chrysostomi Historiâ longè fusiùs & accuratiùs egerit ipse Savilius in Tractatu inedito, qui inter Schedas Usserianas reperitur, ac cujus suprà aliquoties fit mentio: non ingratum erudito lectori fore speramus, si Tractatum integrum, licet paulò prolixiorem, hoc loco subjiciamus.

V. CL. HENRICI SAVILII ADMONITIO de Scriptoribus rerum Chrysostomi, & præsertim Georgio cæterisque Βιογράφοις recentioribus cautè legendis.

AD Scriptores rerum Chrysostomi quædam adnotaturo constituenda mihi ante omnia videtur ratio temporum, quâ ritè constabilitâ, cætera fient dilucidiora, & multa in hâc Historiâ dubia dissolvere, multos Historicorum errores Chronicos non erit difficile castigare; quæ tamen, ut mea omnia, Lectorum judicio vel recipienda, vel repudianda relinquo. Ac primùm de die, & Consule, quo

Digitized by Google

quo natus est Joannes noster, nemo veterum Græcorum quicquam prodidit, nemo recentiorum. Adeo sunt magnorum virorum, perinde ac fluviorum, ortus obscuri, progressus & exitus conspicui. Secundum, Joannis patrem, paucis post nativitatem filii diebus, ac mensibus obiisse, ex matris ad Joannem verbis liquet, lib. I. de Sacerdotio. Τὰς ὠδῖνας τὰς ἐπὶ σοὶ διεδέξατο ὁ θάνατος τοῦ πατρός. Jam cum mater ipsius annos viduitatis explesset viginti, apparet eum adhuc Antiochiæ in scholâ Libanii versatum ex ipsius Chrysostomi verbis Orat. I. ad Viduam juniorem: Καὶ γὰρ ἐγώ ποτε νέος ἔτι ὢν τὸν σοφιστὴν τὸν ἐμὸν, Libanium scilicet (πάντων δὲ ἀνδρῶν δεισιδαιμονέστερος ἐκεῖνος ἦν) οἶδα ὅτι πολλῷ τὴν μητέρα τὴν ἐμὴν θαυμάζοντα. Τῶν γὰρ παρακαθημένων αὐτῷ πυνθανόμενος, οἷα εἴωθε, τίς εἴην ἐγώ, καί τινος εἰπόντος, ὅτι χήρας γυναικὸς, ἐμάνθανε παρ' ἐμοῦ τήν τε ἡλικίαν τῆς μητρὸς, καὶ τῆς χηρείας τὸν χρόνον ὡς δὲ εἶπον, ὅτι ἐτῶν τεσσαράκοντα γεγονυῖα εἴκοσι ἔχει λοιπὸν, ἐξ οὗ τὸν πατέρα ἀπέβαλε τὸν ἐμὸν ἐξεπλάγη καὶ ἀνεβόησε μέγα καὶ πρὸς τοὺς παρόντας ἰδὼν, Βαβαὶ, ἔφη, οἷαι παρὰ Χριστιανοῖς γυναῖκές εἰσι. Quod si numerus iste viginti annorum ἀκριβὴς est, non rotundus, quod fortasse verius, ut demus statim post Joannis ortum patrem decessisse, annos natum minimùm viginti in auditorio Libanii Joannem hesisse necesse est. Palladius annum octavum decimum agentem oratoriæ operam dedisse testatur. Cedrenus disertè scribit anno ætatis decimo octavo destituisse Libanium, Georgius & Leo hoc ipso anno Athenis (quò, ut, ferunt, post Antiochenam institutionem studiorum causâ migraverat) rediisse produnt: alii anno ætatis sedecimo, longiùs adhuc à vero aberrantes. Expleto igitur anno vicesimo (neque enim plures ponere patitur nos sequentium calculus temporum, nec pauciores verba Chrysostomi) desertis studiis juvenilibus eloquentiæ & philosophiæ, λεξυδρίοις Sophistæ (Libanii) πολὺ χαίρειν ἐάσας (ait Gregorius) adhærere cœpit B. Meletio, Episcopo Antiocheno, nec ab ejus unquam latere discedere; à quo sacris dogmatibus diligenter instructus, & Baptismo post triennium FERME φοτιζόμενος, Lector ordinatus est: Sic Palladius, Cedrenus, alii. Hic ergo annos habens tres & viginti. Circa hoc tempus matrem obiisse probabile est; ipsumque vitæ se deinceps monasticæ, quam maternis precibus victus distulerat veriùs quàm abjecerat, tradidisse. Quadriennium vixisse in Monasterio Antiochiæ vicino omnes Scriptores testantur, tam veteres, quàm recentiores, sacrorumque librorum lectioni, καὶ τοῖς ἀσκητικοῖς apud Carterium & Diodorum, τότε τῷ μοναστηρίῳ προϊσταμένους, operam dedisse. Hæc Socrates. Ex quibus Diodorus postea Tarsensis Episcopus, multa scripsit, ψιλῷ τῷ γράμματι τῶν θείων προσέχων γραφῶν, τὰς θεωρίας αὐτῶν (viz. allegorias & anagogas, quibus, supra quam par erat, delectatus fuerat Origenes) ἐκτρεπόμενος. Quam interpretationis rationem à Magistro mutuatus videtur hic noster, quem nonnisi præfatâ veniâ ferè ad allegorias descendere videmus. Cedrenus solius meminit Carterii. Palladius Syrum quendam senem commemorat continentiæ in primis studiosum, cui se socium in monasterio dedit Joannes. Utrùm ex duobus illis unus fuerit iste Syrus, an potiùs Hesychius, Σύρος τῷ γένει à Georgio nominatus, non possum statuere. Ex totâ certè Georgii narratione, Monasterio si non præfuisse, certè ad omnem pietatem præivisse fratribus, iisque regulas ἀσκητικὰς condidisse, potiùs quàm sub alterius disciplinâ vixisse videatur. Relicto post quadriennium hoc monasterio, desiderio delitescendi remotiorem Eremum petiit; illicque Speluncæ inclusus biennium FERME peregit. Atque de hoc sexennio, ut dixi, inter autores convenit. Inde ad urbem reversus, Diaconus à S. Meletio (quod inter omnes constat) jam proficiscente, ut puto, Constantinopolim ad secundam Synodum celebrandam, anno Domini CCCLXXXI. ineunte, ordinatus, quinquennium venerandis ministravit altaribus. Nam quòd post Meletii mortem, (quæ ipso tempore secundæ Synodi accidit) Socrates ait, ἀναχωρήσας ὁ Ἰωάννης τῶν Μελετιανῶν (τῆς πόλεως inquit Georgius) ἐπὶ τρεῖς ὅλους ἐνιαυτοὺς ἡσύχως διῆγε, παραγίνεται ἐν τῷ μοναστηρίῳ ἐν ᾧ πρώην ἦν, inquit Georgius; triennium hoc, ut importunè contra rationem temporum (ut in sequentibus monstrabitur) Palladio etiam non suffragante, interjectum, ex numero annorum Chrysostomi eximendum censeo. Post Diaconatum ergo, Presbyter deinde (quod inter omnes convenit) post annos quinque à Flaviano (non, ut vult Socrates, Evagrio Paulini successore) quod postea ostendemus, ordinatus est. Sic habemus à nativitate Joannis usque ad deserta studia juvenilia annos, secundum Chrysostomum ipsum, viginti, vel, secundùm alios, octodecim: apud Meletium annos FERME tres; inde in Eremo annos FERME sex: in Diaconi gradu annos quinque, & (exempto illo Socratis & recentiorum triennio) in Presbyteri gradu annos duodecim. Quòd si pleni fuerint hi anni, non cavi aut labentes, (quod potius reor, in annis præsertim ante Diaconatum, pro more omnium ferè autorum numeros sæpè augentium, & quia vocabulum FERME bis à Palladio repetitum est) à nativitate ad Episcopatum anni colligentur XLVI. Quòd si duos annos cum Palladio & recentioribus demamus ex studiis juvenilibus; & annum unum pro illo bis repetito FERME; anni tantùm erunt XLIII. Reliqua deinceps prona, epochæque certæ, non annorum tantùm, sed & mensium, propemodùm & dierum. Inter omnes convenit, tam veteres, quàm recentiores, Joannem ab Arcadio Augusto Antiochiâ, ubi Presbyter fuit, accitum in sellâ episcopali Constantinopoli locatum Coss. Honorio IV. & Eutychiano, hoc est, anno Christi, ut nos numeramus, CCCXCVIII. Februarii XXVII. sede urbeque pulsum (de posteriore exilio loquor, nam de priore postea videbimus) Honorio VI. & Aristæneto Coss. (qui annus est Domini CCCCIV.) vicesimo die Junii, sive, ut alii loquuntur, quinque diebus post completam Pentecosten. Et quidem decimo tertio post die, hoc est, tertio Julii, data est Joannis nostri ad Olympiadem epistola nona; & postridie die ejus diei, scil. IV. Julii vel Panemi mensis, altera ad Constantium. In hoc exilio vixit Cucusi annum unum, Arabissi biennium, reliquis mensibus in itinere Pityuntem versùs consumptis, quò tamen non pervenit, morte præventus Comanis, Honorio VII. & Theodosio iterum Coss. hoc est, anno Christi CCCCVII. quod inter omnes constat. De mense controversia est. Socrates die XIV. Novembris obiisse scribit: Georgius, & post eum recentiores omnes, & Calendarium, ut videtur, Romanum die XIV. Septembris, ipso Exaltationis S. Crucis die. Quin & apud Socratem Septembris legendum esse constat ex veteri Latinâ interpretatione in Cassiodori Historiâ Tripartita l. 10. cap. 18. Ita anni sunt ab initio Episcopatûs ad mortem novem, menses sex vel octo, dies sedecim; & à nativitate ad mortem secundum majorem computationem suprà collectam anni LV. & menses aliquot: secundùm minorem computationem anni LII. & aliquot præterea menses. Zonaras, Cedrenus, & alii ferè omnes, annos eum vixisse scribunt non plures quinquaginta duobus: Autor incertus p. 4. edit. Lat. *Paris.* 1588. addit menses octo: cui propemodum assentior. Ita secundùm majorem computationem incidit annus Nativitatis Joannis in Consulatum Constantii V. & Galli Cæsaris, anno Domini CCCLII. secundum minorem, in Consulatum Arbetionis & Lolliani, anno

Digitized by Google

anno CCCLV. mense, ut videtur, Januario, vel Martio. Jam reliquias Chrysostomi jussu Imperatoris Theodosii junioris, & suasu Procli, tum Episcopi CP. Comanis in urbem regiam deportatas, & in Basilicam SS. Apostolorum illatas ex Theodor. l. 5. cap. 36. & Socr. l. 7. cap. 45. constat, Theodosio XVI. Consule, hoc est, anno Christi ccccxxxviii. Januarii XXVII. die: id est, post exilium posterius annis 33. mensibus 8. post mortem annis 30. mensibus 3. vel 5. Cosmas Vestitor, Μετὰ τριάκοντα καὶ τρεῖς χρόνους Socrates l. 7 c. 45. notabili inconstantiâ τριακοστῷ πέμπτῳ ἔτει μετὰ τὴν καθαίρεσιν & septimo post versu, τριακοστῷ πέμπτῳ ἔτει μετὰ τὴν τελευτὴν cum inter hæc duo triennium intercesserit, & aliquot menses. Atque hæc ferè sunt, in quibus tempora, & temporum propè momenta ex historiis notare licet. Reliqua, ὡς ἐν πλάτει, vel argumentis, vel etiam conjecturis colligenda. Ac primùm, Eutropius iram fugiens Augg. ad Ecclesiam fugit, se Consule, & Theodoro, hoc est, anno Christi cccxcix. homo non solùm Christianus, sed etiam Orthodoxus: ut qui libros Eunomii Hæresiarchæ, qui Arium ipsum impietate superavit, publicè jussit cremari, cadaverque ejus extractum projici. Niceph. l. 13. cap. 1. Asiaticorum Episcoporum negotium cœptum est tractari ἐπὶ τρισκαιδεκάτης ἐπινεμήσεως, hoc est, Indictione (non distributione, ut malè Interpres Palladii, & alii) tertiâ decimâ, i. e. anno Domini CCCC. duravitque biennium, teste Palladio, hoc est, usque ad finem anni CCCCI. vel etiam initium CCCCII. De tempore prioris exilii non est adeò proclive definire: quare argumentis, ut dixi, & conjecturis, quoad poterimus, elicienda veritas. Post 12. horas à primâ expulsione (quam meridie factam tradit Socrates, & alii, πρὸς ἑσπέραν βαθεῖαν Chrysostomi ipsius Epistola ad Innocentium) jussu Imperatorum revocatus Joannes, (sic Palladius) paucosque post dies, invitus licèt, multùmque renitens, in throno locatus, concionem habuit apud populum eam, quæ extat in fine Georgii, Ὅτε τὴν Σάρραν ἀπὸ τοῦ Ἀβραάμ, Theophillo adhuc ad urbem manente, neque hiscere contra audente. (Sozom. l. 8. cap. 18.) Cumque ob judicium Heraclidæ Episcopo Ephesino absenti per Theophili factionem intentatum velitationes fierent in urbe crebrę inter Constantinopolitanos & Ægyptios, ὡς πολλοὺς τραυματίας γίνεσθαι, τινὰς δὲ καὶ ἀπόλλεσθαι; quæreretque Theophilum civitas in mare præcipitare, sibi metuens Theophilus fugit in Ægyptum, ἤδη τοῦ χειμῶνος ἀρχομένου, inquit Sozomenus, & Nicephorus l. 13. cap. 17. adeòque diem ipsius reditûs ab exilio Joannis Anonymus cap. 100. Metaphrastes c. 36. & Menologia Græca ponunt 13. Novembris: quem diem usque ad sua tempora pro festo celebrari Constantinopoli scribit idem Anonymus, & Metaphrastes, & indicant Græca Menologia. Cùm itaque ex horum consentientibus testimoniis mense Novembri redierit ab exilio, de anno deinceps quærendum; utrùm scilicet Novembri anno CCCCIII. Theodosio, & Rumorido Coss. ann. Novembri CCCCII. Arcadio V. & Honorio V. redierit. Dico, clarèque pronuncio in Novembrem anno ccccIII. reditum ejus ab exilio cadere non potuisse; quamvis Card. Baronius, & alii, eo anno locent, Georgius cap. 53. τέλων ὅλως (inquit) ἄλλων τε ἄλλως διαπραττομένων (scilicet in secundo Concilio contra Joannem) παρῴχευσαν μῆνες ἐννέα (ἅμα inquit Leo Imp. cap. 26. Palladius utrumque ponit) τῆς δὲ ἑορτῆς τῶν γενεθλίων τοῦ Σωτῆρος ἐπελθούσης, &c. Ex quibus verbis apparet anno ccccIII. cœptum fuisse secum contra Joannem Conciliabulum mense Aprili: ut necesse sit prius exilium in Novembrem anno ccccII. incidere; cùm in Novembri anno ccccIII. cadere non potuerit. Quòd si cui Georgii levis videatur auctoritas, credat saltem Palladio testi ἀξιοπιστοτέρῳ de eadem re penè eadem loquenti. Quid, inquies, actum interea? Respondeo, Joannem post prius exilium per aliquod tempus quievisse, in magnâque fuisse apud Eudoxiam gratiâ, quippe magnis ab ipso decoratam laudibus in Oratione suprà memoratâ ad finem Georgii. Testis idem Palladius, cujus verba sunt: Post duos iterum menses à plagâ inflictâ (fugâ scilicet Theophili & Ægyptiorum Episcoporum) modicè respirantes (inimici Joannis) secundò adversus Joannem fremunt: hoc est, quasi mense Januario anno cccc II. per occasionem statuæ argenteæ Imperatricis χλαμύδα ἐνδεδυμένης, suprà porphyreticam columnam positæ. Cujus rei meminerunt hoc anno Theodosio & Rumorido Coss. præter Sociatem l. 6. cap. 8. Prosper Aquitanus, & Marcellinus Comes in Chronicis. Ad hanc statuam, ipsis fortasse Kalendis Januarii (qui dies est solennis anni Romani incipientis) dedicatam cùm δημώδεις fierent ludi & choreæ; iratus Joannes linguam contra eos, qui ludis his interessent, acuit. Quâ occasione freti Joannis inimici, qui adhuc in urbe, præter Ægyptios, aderant, instigante Augustâ, clandestina moliuntur contra ipsum consilia; reque Theophilo absenti per nuncios & literas communicatâ, incipiente, ut puto, Aprili Concilium secundum contra Joannem cogunt: quod variis de causis usque ad Natalitia proximè sequentia extractum, & deinde ad Quadragesimam anno ccccIV. & ad Pascha, post quinque dies à completâ Pentecoste Joanni nostro causa secundi exilii fuit, anno integro, septem mensibus, & septem diebus post reditum ab exilio priore. Atque hæc mea est de tempore prioris exilii sententia. Neque obstat, quòd Theodoretus l. 5. cap 34. ait, ὀλίγων διελθόντων μηνῶν (scilicet à reditu) συνηθροίσθησαν αὖθις καὶ δίκας εἰσέπραττον τῆς μετὰ τὴν καθαίρεσιν λειτουργίας. Nam post quinque menses, & paulo minus, coëgerunt Concilium, quod duravit postea menses 14. Neque mirum ea, quæ sesquianno gesta sunt, tribus penè verbis à Theodoreto narrari; qui strictim & timidè totum hoc attingit negotium, iis permotus rationibus, quæ in principio dicti capitis 34. afferuntur. Anonymus à reditu ad Pascha ante secundum exilium intercessisse scribit ὅλον ἐνιαυτὸν, Metaphrastes ἔτος ἐντελές: qui annus integer, mensium necesse est fuerit 17. cùm uterque die 13. Novembris rediisse scribat.

Expedito annorum Chrysostomi ἐπιλογισμῷ, sequitur, ut de subrogatione Arsacii, & successione Attici, Eudoxiæque Augustæ morte pauca adjiciamus. In Joannis iterum expulsi locum subrogatur Arsacius, ὀλίγων διελθουσῶν ἡμερῶν, inquit Socrates l. 6. cap. 19. Annales Græci (editi nuper à Josepho Scaligero unà cum Eusebio) Arsacium esse factum Episcopum referunt ἐν τοῖς ἀποστόλοις templo scilicet Sophię cremato μηνὶ Δυσίῳ, πρὸ ϛ. καλανδῶν Ἰουλίων hoc est, XXVI Junii, Sexto post Joannis expulsionem die. Obiisse Arsacium anno sequenti circa XI. Novembris. Coss. Stilicone iterum, & Anthemio, hoc est, anno Domini ccccv. autor est Socrates l. 6. cap. 20. Vixit igitur Arsacius in Episcopatu annum unum, menses 4. dies 16. Palladius, & alii non plures attribuunt 14. mensibus: Nicephorus Patriarcha biennium. Post Arsacii mortem (quæ, ut dixi, accidit XI. Novembris ccccv.) φιλοσπουδάστου, inquit Socrates, πολλοῖς γινομένης τῆς ἐπισκοπῆς καὶ πολλοῦ διαδραμόντος χρόνου, succedit Atticus, Τετραμηνιαίου παρωχηκότος χρόνου, inquit Georgius. hoc factum: ut in mensem Martium anno ccccVI. Coss. Arcadio VI. & Probo, necesse sit Attici creationem incidere. Restat maxima omnium quęstio de morte Eudoxię Augustæ: in cujus notando tempore recentiores ab omnibus in universum, qui scilicet mortis ejus di-

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An.CCC. fertè meminerunt, veteribus discedunt. Socrates l. 6 cap. 19. ingentem grandinem, εἰς τόπον λίθων, (μεγέθους καρύων, inquit Annalium Græcorum Autor) circa XXX. Septembris cecidisse, eodem, quo Joannes pulsus est, anno, in Consulatu Honorii VI. & Aristæneti scribit, hoc est, anno Domini CCCCIV. & quarto post die obiisse Eudoxiam. Annales Græci pridie Nonas Octobris obiisse, & IV. Idus Octobris in Basilicâ SS. Apostolorum sepultam, iisdem Coss. Honorio & Aristæneto memorant. Marcellinus Comes, iisdem Coss. inquit, Eudoxia uxor Arcadii obiit: Prosper Aquitanicus, iisdem itidem Coss. Eudoxia, inquit, uxor Arcadii diem clausit. Contra hanc veterum Scriptorum Phalangem quid faciet infirma recentiorum manus; qui omnes uno ore Joanni nostro eam superstitem fuisse tres menses, hoc est, circa medium Decembris, anno CCCCVII. vel circa medium Februar. anno CCCCVIII. decessisse testantur? Quam etiam opinionem ego ut magis probabilem amplector. Causæ sunt, primùm quòd illas ἀπανθρωπίας & immanitates contra Episcopos legatos ab Occidente, contrà Joannem nostrum ad mortem usque ipsam, contra omnes Episcopos, Clericos, & alios partium Joannis, non ab alio profectas fonte putem, quàm ab implacabili impotentissimæ fœminæ furore (cùm alioquin Arcadius ipse simplicis fuerit & mitis ingenii, & tantorum ferè malorum ignarus) neque credibile sit tantum habuisse ponderis apud milites, custodes portuum, & cæteros Imperii ministros, Episcopos, reliquosque Joannis inimicos, nisi Eudoxiæ, fœminæ supra sexum ferocis, & marito dominantis, opibus fultos, authoritate munitos. Sed quod me vel maximè movet, ut pro recentioribus, quod invitissimus facio, contra veteres pronunciem, illud est: quòd Joannes noster, quem (si Veteres sequamur) totum triennium oportuit fuisse superstitem Eudoxiæ; in tot epistolis ad Pontificem, ad Episcopos, ad alios amicos, per triennium scriptis nusquam meminerit mortis Eudoxiæ, (quam morbo diuturno & cruciabili, addo etiam fœdo, periisse tradunt) de tantâ, & tam insigni Dei vindictâ non taciturus; quinimò ad spem certam reditus, aut melioris fortunæ eo ipso arrigendus. Palladius quoque illorum temporum æqualis, cùm pœnas θεηλάτους de inimicis Joannis statim sumptas sigillatim recenseat, de Eudoxia silet; quam ferunt morbo fœdo, & post magnos cruciatus obiisse.

Constitutâ itaque, quantum à nobis fieri potuit, temporum ratione; ad ipsos accedamus Autores; quorum facilè princeps Palladius, seu quisquis est illius Dialogi Autor, qui ejus fertur nomine: (nam de Auctore parum liquere monuimus in notis ad Βιογράφος) ex quo duo proponam dubia; quæ aliis fortasse ἄλυτα videantur, mihi sunt prorsus ἄλυτα, nisi Græcus Codex ἀπὸ τοῦ τεθὲν Θεῶ è tenebris eruendus tanquàm Deus è machina, hosce nobis dignos certè vindice nodos expedierit. Primum est de Palladio dialogistâ in illo Dialogo, ab Ambrosio Camaldulensi verso, & in libris nostris Palladio, nescio cui, Diacono inscripto: utrum alius sit à Palladio Helenopoleos Episcopo, Lausiacorum scriptore, Joannis nostri synchrono, discipulo, & peregrinationis comite; an idem: de quâ re non immeritò video ab illustrissimo Cardinali Baronio (ann. CCCLXXXVIII. num. 110. dubitari. Eundem esse hæc suadent; primùm Titulus ipse Palladius, Chrysostomi discipulus, Episcopus Helenopolitanus, & Theodorus, &c. colloquuntur. Dein ne quis titulis & rubricis fidem detrahat, eadem verba statim sequuntur in Operis proœmio. Secundò Palladius dialogista se in illâ Asiaticâ peregrinatione ne punctum quidem temporis Joannem deseruisse profitetur, sed ipsi perpetuò adhæsisse comitem; quod de Palladio Lausiaco verum esse omnes sciunt. Tertiò, Palladius dialogista canitiem suam prædicat: ne quis Palladio seniori alium in eadem sede ὁμώνυμον substitutum dicat natu minorem. Et sanè Lausiacum illum aliquot annos post Romam captam vixisse necesse est: quia in Lausiacis meminit obitûs Melaniæ, qui post illam ἅλωσιν contigit. Contrarium evincunt argumenta, me judice, insolubilia, non aliunde quàm ex ipsis Dialogi verbis petita. Primùm, ab Oriente se venisse, Pontifice Zosimo, & tunc primùm Romam vidisse testatur dialogista Palladius: cùm certissimum sit ex ipsis hujus dialogi verbis Palladium Episcopum Helenopoleos Romam venisse 8. vel 10. annos antequam Zosimus Pontificatum iniret, vivente non solum Innocentio, sed ipso etiam Joanne. Secundò, tam Theodorus, quàm Palladius ipse loquuntur de illo Helenopoleos Episcopo in tertiâ personâ. De hâc quæstione, quid ingeniosissimo adolescenti, familiari meo, Joanni Halesio venerit in mentem, hìc non pigebit adscribere. Aut enim vera sunt, quæ adfert, saltem verisimilia; aut verisimiliora non puto, quenquam facile allaturum. SÆC. IV. ab An.CCC.

E Dialogo Theodori Diaconi (ejus enim esse, quod Palladii fertur nomine, mihi est persuasissimum) duos constat fuisse Palladios, Synchronos, utrosque Episcopos, utrosque Joannis socios individuos. Prior est Episcopus Helenopoleos, qui cum Theodoro in prædicto dialogo colloquitur, quique Chrysostomi discipulus fuit, qui Romam primùm venit, sedente Papâ Zosimo. Posterior est Palladius Blemmyarum sive Æthiopum Episcopus; quem narrat Palladius in Dialogo in reditu à Româ ad Constantinopolim vi militari Athyris detentum & Syenem relegatum. Dialogo ergo isti obscuritatem peperit maximam nominum confusio. Nam primùm, quod narrat Theodorus, Palladium Episcopum Helenopolitanum post Cyriacum & Eulysium Romam venisse sub Innocentio, errorem puto esse librarii: errorem inquam, licèt antiquum (nam sic Georgius Alexandrinus legit, ut habent Latini Codices) errorem tamen perspicuum. Fuit enim is revera Palladius Blemmyarum Episcopus. Palladius enim, qui Romam venit sine litteris, is est, qui mox litteris Episcoporum Occidentalium fretus cum Eulysio & Cyriaco revertitur, & Athyris vi militari detinetur. Atqui quærenti Theodoro, quid factum fuerit inibi detentis, Palladius inter alios, quos enumerat, narrat Palladium Blemmyarum Episcopum Syenem ablegatum; nullâ omnino de alio aliquo Palladio factâ mentione. Necesse est itaque, Palladium eum, qui Romam sub Innocentio venerit, quique reversurus Athyris detinetur, & mox Syenem relegatur, unum atque eundem esse Palladium, Blemmyarum scil. Episcopum. Jam verò quod Palladius videatur loqui de Palladio Helenopoleos Episcopo, ut absente, in tertia persona; eodem, quo prius, errore factum fuisse non est τῶν ἀδυνάτων: ita ut quæ ibi de Palladio Helenopolitano cum aliis duobus Smyrnam misso, ut de re Asiaticâ cognosceret, narrantur; potiùs ad illum alterum, Episcopum Blemmyarum, spectent: nominum scil. varietate librario non satis caventi imponente aut ad nomen Palladii notâ scioli alicujus margini adscriptâ in contextum postea irrumpente. Quòd si hoc cuiquam videatur durius culum; non video, quid sit absurdi, si dicamus, Palladium Helenopolitanum sua narrantem gesta, de se in tertiâ personâ loqui. Nam sic faciunt aliquando ii, qui suas res aut scribunt, aut loquuntur.

Secundum

Digitized by Google

Secundum ἀπόφθεγμα est, quomodo fieri potuerit, ut intra triduum post acceptas Theophili literas, quibus indicabat Joannem à se fuisse depositum, quæ necessario ex Concilio ad Quercum scriptæ sunt, (nam posteriori Concilio Theophilus non interfuit, sed Alexandriæ remansit; neque ullum in eo Concilio accusationis caput propositum fuit; sed nudus Canon Concilii Antiocheni prolatus) quomodo inquam, post triduum ab acceptis Theophili literis potuerit P. Innocentius Joannis literas (quarum initium, Καὶ πρὸ τῶν γραμμάτων) post secundum Concilium scriptas, immò post Joannis ipsius expulsionem (ut ex ipsis verbis apparet Joannis, ἐξώτερον τῆς ἐκκλησίας ἐξεβλήθην & sequentibus) accipere; cùm inter duo exilia menses intercesserint, ut suprà demonstravimus, novendecim. Quid ergo? Aqua mihi hîc planè hæret; nisi malo nodo malum cuneum adhibeamus; ut dicamus hanc epistolam Joannis, Καὶ πρὸ τῶν γραμμάτων, pro alia quadam priùs missa per errorem fuisse hoc loco intextam; qua in re astipulatorem habebimus Nicephorum, qui solus ex omnibus rectissime hanc epistolam post exilium posterius missam ait, l. 13. c. 19. aut Theophili literas, quamvis in priori exilio scriptas, non fuisse missas, nisi post posterius, hoc est, mensibus 19. postea, ut ex superiore epilogismo patet: cui opinioni favere videntur verba, quæ epistolam Innocentii (Ἀδελφὲ Θεόφιλε) (quam puto paulò post prius exilium fuisse scriptam, & lecta primùm accusationis capita) proxime sequuntur. Modicum temporis, inquit, fluxerat, (nisi modicum id ad sesqui anni spatium extendamus) cùm Theotechnus Presbyter Constantinopol. Romam venit cum literis 25. Episcoporum ex communione Joannis; quibus significabatur, eum Cucusum fuisse relegatum. Atque hæc ferè sunt, quæ ad Dialogum illum visum est adnotare.

In Socrate quatuor eadem paginâ, aut quinque, sunt errata historica in narrandis Chrysostomi rebus: Nam cætera non attingo; atque ut ab ultimis ordiar; quod Joannem ab Evagrio Paulini successore, Eustathianarum partium Antiochiæ Episcopo, Presbyterum scribit esse ordinatum; à Palladio omnibusque aliis, veteribus, & recentioribus, refellitur; qui id uno ore omnes Flaviano tribuunt, aliarum, hoc est, Meletianarum partium Episcopo. Quas partes in eo schismate & ab initio secutus est Joannes, ut è superioribus patet; & in iisdem usque ad finem constantissimè permansit. Non enim, nisi post mortem Porphyrii, qui Flaviano successit, prudentiâ & dexteritate Alexandri, Episcopi, tunc Antiocheni, sopita est illa discordia inter Eustathianos & Meletianos, teste Theodoreto, lib. 5. c. 35. Sed ad refellendum hunc errorem Socratis non est necesse extrinsecus probationes mutuari: cùm sexcentis in locis ex ipsius Chrysostomi verbis luce clarius sit, à Flaviano eum fuisse ordinatum Presbyterum, sub eoque deinceps usque ad Episcopatûs tempora vixisse. Proximum est, non quidem id minùs falsum, sed quod aliquos saltem è recentioribus invenerit laudatores, (nam apud Palladium nullum hujusce rei vestigium) de toto illo triennio, quo post Meletii mortem, ἡσύχως διῆγεν, inquit Socrates, παρεμένετο ἐν τῷ μοναστηρίῳ, ἔνθα ἦν προτέλων, inquit Georgius: unde assumptus est postea ad Presbyteratum. Quod stare nullo modo potest, nisi contra omnes historias, non 12. sed 14. annos & ampliùs Joannis Presbyteratui assignemus. Nam primùm à morte Meletii, quæ (ut suprà diximus) accidit anno CCCLXXXI. tempore secundæ Synodi, usque ad Episcopatum Joannis anno CCCXCVIII. anni sunt pleni 16. è quibus rectè nos, ut puto, Joannis Diaconatui 4. & Presbyteratui 12. assignavimus. Ex his si demas 12. quibus vixit Presbyter, non triennium, ut volunt illi, sed quadriennium supererit, antequam ad Presbyteratum assumeretur Joannes. Deinde hanc opinionem sequentibus necesse erit dicere, cum morte Meletii finitum esse quinquennium Diaconatûs. Atqui ita fiet Ioannes mortis tempore pene septuagenarius, τῶν μακροβίων scilicet; non, ut est omnium recepta opinio, τῶν ὠκυμόρων. Itaque hoc triennium cum Palladio planè eximam ex annorum Chrysostomi ἐπιλογισμῷ; tum aliis ductus rationibus, tum ne nimium excresceret annorum Ioannis numerus. Tertium est, quòd Ioannem à Zenone Episcopo Maiumæ in Palestina, Hierosolymis reverso (nam Hierosolymorum Episcopum nemo dixit; etsi Vir magnus secus acceperit) Anagnosten sive Lectorem scribit esse creatum; cùm id à Meletio factum ex Palladio suprà ostenderimus; neque Canones sinunt in alienâ Provinciâ ordinationes facere. Quartum est ille de Basilio Magno, & Ioanne Chrysostomo insignis ἀναχρονισμὸς, à Photio, Anonymo, Symeone Metaphraste, Card. Baronio satis refutatus. Quintò, quod Lectorem factum fuisse post relictam vitam monasticam asserere videtur contra expressa verba Palladii. Nam quòd ab eodem, Anagnoste, conscriptos illos contra Iudæos Sermones asserit, refutavimus in notis: & quòd libros de Sacerdotio ad Stagyrium, de Acatalepto, & περὶ Συνεισάκτων ab eodem, Diacono, compositos affirmat. Siluitne ergo divinum illud ingenium, & os aureum, totum in solitudine sexennium? Et quidem, si conjecturis locus esset, libros de Sacerdotio ad Stagyrium putarem ab eo, Anagnoste, & Monacho, scriptos. Sic enim Symeon Metaphrastes. Orationes verò contra Iudæos certum est ex ipsis Chrysostomi verbis habitas esse anno secundo vel tertio Diaconatûs; quo etiam anno dicta est illa egregia in Babylam Oratio. Atque hîc, quamvis extra rem, nonnulla ex Historiis attexam de scriptis ejus post Diaconatum. Nicephorus, qui se inde ab adolescentiâ ejus amore flagrasse, atque in illius perinde, ac Dei ipsius vocibus acquievisse scribit, à Ioanne Presbytero, conscriptas tradit Expositiones in Evangelia, in Psalmos, Ἀνδριάντας, de Virginitate; (Anonymus addit expositionem in Esaiam) ab eodem, Episcopo, Expositiones in B. Apostolum, (de qua re suprà) in Acta, & Panegyricos; quorum tamen bona pars, ut suis locis ostendimus, scripta est Antiochiæ; & ne longe ab eam ille in Meletium post annos quinque à morte Meletii habitus est, hoc est primo anno Presbyteratûs. Sed redeamus ad Socratem; cujus illud ultimum non injuriâ reprehendas; quòd expressis verbis sine ulla dubitatione incendium Templi & Curiæ Ioannitis (sic enim, qui Ioannis nostri partium erant, audiebant) tribuit: cùm minis, bonorum ascriptionibus, diris cruciatibus, & exquisitissimis tormentis in viros, in fœminas sævitum esset; adeò ut quidam quæstionibus immorerentur, quidam paulò post expirarent: neque tamen ullum ejus facinoris compertum sit apud Ioannitas vestigium.

Iam, si placet, ad Georgium Alexandrinum accedamus; cui Photius, magni judicii vir, & acerrimus veterum Scriptorum censor, duo impingit crimina, Hellenismi non observati, & Ἀνιστορησίας. De priori multa monuimus passim in notis; & res est cuivis obvia: de posteriori quam Historiæ Georgianæ partem notare voluerit, cùm nihil disertè exprimatur, difficile est statuere. Nos tamen ne hâc in parte studiosis lectoribus defuisse videamur, conjecturas nostras adducemus in medium,

 ratio-

Digitized by Google

rationibus, ut puto, non ſpernendis firmatas. Ac primò, Scriptores rerum Chryſoſtomi in duas diſtribuo claſſes. In priore veteres pono, Palladium, Theodoretum, Socratem, & Sozomenum, qui aut Joannis ævo, aut proximo pòſt ſcripſerunt, & è diverſis fontibus hauſerunt. Neque enim probabile eſt, eorum quenquam alterius Hiſtoriam vidiſſe. His accenſeo antiquitatis gratiâ noſtros, Proſperum Aquitanicum, & Marcellinum Comitem. In alterâ, ſcilicet recentiorum, lance unicum pono Georgium. Nam quum ex ipſius ore loquantur cæteri omnes, Leo Imperator, Anonymus, Metaphraſtes, Zonaras, Glycas, Nicephorus, Cedrenus, alii; non niſi pro uno teſte numerandi ſunt. In quibus igitur Georgius à veteribus diſcedit, aut veteribus nova de ſuo aſſuit, ea ferè omnia vel in falſis relinquo, vel in ſuſpectis.

Ac primùm hâc ſcopâ mihi purganda veniunt miracula illa ſanationum, viſionum, & omnia, de quibus apud Veteres obſtinatum ſilentium; cùm Georgius iis commemorandis, nec modum faciat, neque finem. Certè in hoc peccant, non Georgius tantùm, ſed & alii Georgium ſecuti: qui cùm nudam & ſolitariam veritatem non putarent ſatis eſſe magnificam; aut illud Thucididis vererentur, ne τὸ μὴ μυθῶδες ἀτερπέστερον φαίνεται immenſam congeſſerunt miraculorum vim; & quò fingendis miraculis locus eſſet liberior, ipſam hiſtoriæ conteſtatam veritatem, nec rarò, nec leviter immutarunt. Proinde quæ apud Georgium ſunt de Anthemio, de Heſychii viſione, de nobili Antiocheno, de Hemicranio laborante, de Archelao leproſo, Chriſtianâ αἱμοῤῥοούσῃ, Eucleo monophtalmo, Leone proſtrato, de albâ columbâ capiti Joannis, cùm Presbyter ordinaretur, inſidente, de Eucliæ filio, de uxore Præfecti Antiochiæ, de Dæmoniaco liberato die conſecrationis, de Angelo diſtricto gladio prohibente Centuriones & milites Eudoxiæ ab ingreſſu palatii Epiſcopalis, de eo cui manus miraculo & arefacta & ſanata eſt, de Paralytico in Armeniâ ſanitati reſtituto, de Adelphii viſione, & ſi quæ alia ejuſdem generis; cùm veterum illorum uno verbo omnium, & ex recentioribus, Damaſceni, Zonaræ, Nicephori, Cedreni, authoritate deſtituantur, in ἀμφιβαλλομένοις relinquo. Et quidem pleraque eorum, ſi quis propius introſpiciat, κακοζηλίᾳ quâdam ad ſimilitudinem miraculorum in S. Scripturâ conficta videantur. Totum illud drama Anthemii Philoſophi, Demoſthenis præfecti, & Joannis, doctis judicandum permitto; annon ad exemplum illius in ſacris literis de Elyma, Sergio Paulo, & B. Apoſtolo, ab otioſo cerebro expreſſum videatur. Idem de Archelao ad imaginem Naaman Syri, de Antiocheno hemicranio laborante, & Chriſtianâ αἱμοῤῥοούσῃ ad mulierem αἱμοῤῥοοῦσαν in Evangelio, de Dæmoniaco ad Dæmoniacum liberatum Marci nono; & quod ſine indignatione non lego, de columbâ inſidente capiti Joannis in ordinatione, ad imaginem unigeniti Filii Dei in Baptiſmo. Nam illi Procli viſioni, quæ D. Paulum Joanni jam Epiſcopo expoſitionem in Epiſtolas ipſius meditanti per foramen vidit in aurem dictantem quæ ſcriberet, fidem derogat, quòd pleraque ejus & lectiſſima in Apoſtolum in ocio illo Antiocheno ſcripta fuiſſe conſtet, deteriora & εἰς τὸ ταπεινότερον ἀπενηνεγμένα Conſtantinopoli, vix Chryſoſtomo, nedum divino S. Pauli Spiritu digna. Vide column. 225. 226. notarum. In translatione reliquiarum Joannis, Imperatorem Theodoſium oculos ac frontem reliquiarum urnæ affricuiſſe fidem facit Theodoretus, teſtis ἀξιόπιστος: ſed de ὀφιοδήκτῳ, & podalgo, eodemque chiralgo in præſentiâ omnium ibi ſanatis, aſſumentum eſt Georgii, ne Coſmæ quidem veſtitori, homini omnium δεισιδαιμονεστάτῳ memoratum. Sed ad priora revertor. Joannem primum à Meletio baptizatum tradit, & deinde parentes ipſius; cùm Joannes ipſe (ut ex Palladio conſtat) non ante annum ætatis viceſimum baptizatus fuerit, (prout mos ferebat illius ætatis, præſertim in illis qui non eſſent Chriſtianis nati parentibus) mortuo ante totidem annos patre Secundo, ſicut ſuprà oſtenſum eſt. Matre quidem fuiſſe Chriſtianâ, ſaltem ipſo annum agente viceſimum, ex ipſius Chryſoſtomi verbis apparet in oratione ad Viduam juniorem. De patre nihil temerè affirmaverim; aut ſi ambo fuerint Chriſtiani ab initio, quod fortaſſe verius eſt, filium uſque ad eam ætatem baptiſmum diſtuliſſe, non erit ei mirum, qui Nazianzeni, utroque parente Chriſtiano nati patre etiam Epiſcopo, vitam perlegerit. Proximo loco peregrinationem illam Atticam ſtudiorum ergo pono. Hujus peregrinationis mentio apud veteres, Palladium, Socratem, nulla, ne ullum quidem veſtigium, qui tamen curioſè ſatis ſtudia ejus juvenilia litteris mandarunt. Secundò nullum reperio tempus vacuum in annorum Chryſoſtomi ἐπιλογισμῷ, quod huic peregrinationi poſſim deſtinare. Tertio, matrem indulgentiſſimam, quæ pati non potuit, ut in vicinos Antiochiæ montes ſecederet, dico minimè perpeſſuram, ut Athenas, tanto locorum ſpatio terrâ marique disjunctas, migraret, præſertim cùm vitam Monaſticam auſpicatis crimen Apoſtaſiæ non fuerit illis temporibus, deſerto Monaſterio, in urbem redire; quod ipſe ultro fecit Chryſoſtomus, ulterioris illius ſolitudinis ob invaletudinem pertæſus. Atque ut dicam, quod ſentio, totum hoc ad exemplum Baſilii magni, & Gregorii Nazianzeni confictum arbitror; quos ambos Athenis ſtuduiſſe notum eſt; ne ſcilicet Joannes noſter reliquis Eccleſiæ Orientalis magnis luminibus inferior videretur. Georgius, capite 16. Joannem è Monaſterio poſt triennalem illam ſeceſſionem à Flaviano magnâ pompâ arreptum, Presbyterum ordinatum ſcribit. Primò illa triennalis ſeceſſio nullum in vita Chryſoſtomi locum habet; tum ob ea, quę ſuprà monſtravimus, tum quod iis ipſis annis conſtet Chryſoſtomum in Eccleſiâ Orationes habuiſſe eas, quæ extant contra Judæos, & in Babylam martyrem, ut ſuprà videre licet. Deindè, quantos plauſus, quantos clamores cieret os illud aureum, ſi ex Monaſterio tanto penitus ambitu, tanto datus foret, & non ex medio Diaconorum grege, ad hoc miniſterium ſumptus? Quod verum eſſe mecum fatebitur, quiſquis cum judicio legerit Orationem illam, Ἄρα ἀληθῆ τὰ συμβάντα, Tom. 6. p. 443. Jam quod ſcribit Georgius cap. 32. non ſex ſolùm, ſed & alios ſex depoſitos à Joanne in Aſiâ Epiſcopos; Palladius apertè negat, & à numero 16. vel 17. quod adverſarii Joannis objecerunt, propiùs abeſt. Hiſtoria Callitropes (cap. 34.) multas habet circumſtantias, quarum nihil ſimile memini vidiſſe in vetere Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ, neque ſcio, an omnes defendi poſſint. Hanc Hiſtoriam confundit Cedrenus cum illâ de viduâ Theognoſti (cap. 41.) quæ adeò ſimilis eſt illi de Naboth & Jezabel, ut altera ex alterâ expreſſa videatur. Recipitur tamen hæc Hiſtoria de viduâ Theognoſti à Damaſceno, uti & ab omnibus ferè recentioribus Biographis. Nam apud veteres nulla hujus hiſtoriæ mentio eſt; nec reſcriptum eſt, quod ſciam, ullum in toto jure Romano tale, quale ab Eudoxiâ in hoc negotio citatur. Ad hæc inter ἀνιστορησίας Georgii pono, quòd Joannem ab exilio priore revocatum juſſu Arcadii ſcribit, cum populi clamoribus, tum Honorii fratris literis, cum intra duodecim horas ab

Digitized by Google

ab expulsione jussu Imperatorum revocatus fuerit; neque quicquam potuerit interea Honorius, qui Ravennæ ferè, aut Mediolani agebat, de ejus expulsione rescìscere. Nam quod Epistolam Chrysostomi, καὶ πρὸ τῶν γραμμάτων, scriptam esse prodit post prius exilium; error quidem manifestissimus est, sed cum Palladio communis. Illud peculiare suum, & crassum satis; quòd cum cap.61. Episcopos ex communione Joannis per Theotechnum literas exaratè scribit ad Innocentium Papam, quibus significabatur Joannem Cucusum relegatum: idem tamen, capite 64. quasi sui oblitus, Innocentium hoc à mercatoribus, ut puto, aliisve qui διὰ τινὰς χρείας forte Romam venerant, primùm rescivisse narrat. Οὔπω γὰρ ἦν ἀκηκοὼς, inquit, περὶ τῆς ἐξορίας αὐτοῦ ἐξορίας. Quòd [cap.58.] Epidii servulum cum sicâ submissum ad interficiendum Chrysostomum Cucusi narrat; id factum sine omni dubio Constantinopoli est. Quòd Adelphium Arabissi vocet Episcopum, cum eo tempore Episcopus Abrabissi, teste eodem Joanne Epist. 121. fuerit Otreius. Quòd Joannem in ejusdem, ut puto, Adelphii ædibus Cucusi susceptum scribit, quòd humanitatis officium (nam alia humanitatis officia Episcopus Cucusi, id est, ut puto, Adelphius ipse præstitit, ut liquet Epist. 13. ad Olympiad.) non alii quàm Dioscoro tribuit ipse Joannes Epist. 12. ad Olympiadem, cujus nulla apud Georgium mentio. Quòd Proclum in translatione reliquiarum Episcopum vocet Cyzici, qui relictâ Cyzico Archiepiscopus tum fuerat Constantinopolitanus, apertæ sunt, ut mihi videtur, παρασημασίαι.

Superest de Epistolis ex Occidente & Oriente ultrò, citròque missis magna cum primis & ardua quæstio; de quâ sententiam meam ingenuè & liberè more majorum aperiam, nullo partium studio ductus, nullâ cujusquam gratia vel odio. Hasce igitur Epistolas in tria distribuo genera: vel enim missæ sunt post prius exilium, vel post exilium posterius, vel post mortem Joannis. In primo & secundo genere nullam Georgio litem moveo, præter eam, quæ ipsi cum Palladio communis est; de qua suprà ad Palladium. De tertio genere disquirendum, de quo sic Georgius cap. 68. Mortuo jam B. Joanne, duo inquit Romam venerunt Presbyteri, & Diaconus unus, qui cum eo fuerant in exilio, & apud Innocentium Papam querimoniam deponunt de vexationibus Joanni illatis: qui rei atrocitate commotus statim ad Honorium accurrit. Quid multa? ambo dant literas ad Arcadium, Innocentius illas, Φωνὴ αἵματος ἀδελφοῦ μου Ἰωάννου βοᾷ, &c. in quibus Arcadium & Eudoxiam excommunicat; Honorius illas, Οὐκ οἶδα ποία ἀντικειμένη ἐνέργεια. His literis Arcadius (ut est apud Georgium, capite 69.) post pœnas de omnibus inimicis Joannis sumptas, Eudoxiam uxorem intra cubiculum cum pedisequis clausam, tenuit, virgis etiam cæsam, ut Anonymus ait, malè multavit; Acacio, Severiano, & Theophili ἀνεψιοῖς, mirum ni B. Cyrillo inter cæteros, vinctis, Romamque ad Innocentium missis, scribit ad Innocentium illam Epistolam, cujus initium Πάντες ἄνθρωποι ἴσασιν, &c. humillimè petens, ut sibi & Eudoxiæ venia impertiatur, amboque in communionem recipiantur. Scripsit etiam Eudoxia ad Innocentium, & Arcadius ad Honorium fratrem. Innocentius, acceptis literis Arcadii & Eudoxiæ, scribit Proclo Cyziceno Episcopo, ut Constantinopolim veniat, & Imperatores in communionem recipiat: Arcadioque rescribit Epistolâ illâ; Ἀναδεξάμενοι ὑμῶν τὴν κατὰ Θεὸν σπουδὴν. & Proclo etiam præcepit, ut curam suscipiat Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Ἄχρις ἂν ἀνακεφαλαιωθῇ τὸ κατ' Ἀττικὸν πρᾶγμα.

Confidenter dico, totum hoc negotium parùm rectè temporibus divisum, atque adeò planè ἀσύστατον esse. Nam primùm, si mortua est Eudoxia triennio ante mortem Joannis, quod omnes veteres ante Georgium historici uno consensu affirmant; neminem fore puto tam perfrictæ frontis, qui ausit negare supposititias esse omnes has Epistolas. Verùm ut demus id verum esse, quod ex recentioribus nonnulli afferunt, tres menses superstitem fuisse Joanni; ne sic quidem temporum ratio constabit. Addo etiam Arcadii mortem, quæ ut ex Fastis publicis apparet, & testimonio Socratis l.7. c. 1. contigit primo Maii Coss. Philippo & Basso, anno 408. hoc est, quinque mensibus, (vel, ut alii, septem,) & sedecim diebus post mortem Joannis, nullum hisce ineptiis locum relinquere. Quid ita? Primò, duobus illis Presbyteris, & uni Diacono per tempus aliquod manendum fuit Comanis; dum justa tanto patri solverentur, dum solennis ille omnium ordinum fortuitus conventus dimitteretur, dum necessaria tanto itineri pararentur. Nego itaque potuisse eos Constantinopolim venire ante mortem Eudoxiæ. Nam eò primùm profecti sunt, διὰ νέας Ῥώμης ἐπὶ τὴν παλαιὰν, inquit Anonymus & Nicephorus, & situs regionum suadet. Nam Cucuso Constantinopolim iter est 70. dierum (Chrysostomus Epistolis ad Simeonem, & Brisonem) neque dici poterit propiùs abesse Cucuso Comana, cùm satis constet Joannem semper ad ulteriora deportatum fuisse exilia. Jam Constantinopoli proficiscendum fuit Romam; querimonia apud Pontificem deponenda: conveniendus Innocentio Honorius, qui Româ ferè aberat, exarandæ & mittendæ Constantinopolim binæ illæ literæ, Φωνὴ αἵματος, & Οὐκ οἶδα; tot priùs Constantinopoli conficienda Arcadio, mittendæ Arcadii litteræ, (Πάντες ἄνθρωποι) & Eudoxiæ Romam; literæ novæ Romam exarandæ Proclo, & mittendæ Cyzicum; aliæ insuper Arcadio (Ἀναδεξάμενοι, &c.) Proclum denique venisse Cyzico oportuit, & Imperatores ad communionem recipere vivos & valentes: quibus negotiis expediendis non quinque aut septem menses, nedum tres, sed vix integrum quidem sufficeret biennium. Atque ut intelligamus, quàm tarda sint Occidentis auxilia; primæ post exilium posterius Joannis literæ Honorii, τρίτον ἤδη apud Palladium & Georgium, non sunt perlatæ Constantinopolim, nisi post biennium; siquidem Atticus (ut est apud Palladium) tunc fuerit Episcopus, cum legati appellerent Athyra. Immò illi ipsi Episcopi, Gaudentius & Æmilius Romanæ sedis τοποτηρηταὶ, nonnisi sex mensibus illud iter semel confecerunt, teste Leone, vel ut alii, quatuor; quod hîc minimum bis factum oportuit, præter tempus illud, quod itineri Comanis Constantinopolim, & Cyzico Constantinopolim tribuendum est. Nam quod ait Anonymus, δέκα τῇ ἡμέρᾳ τὴν Κωνσταντινούπολιν προσεωρμίσθησαν, (puta, Romanæ sedis τοποτηρηταὶ Gaudentius, Æmilius, &c.) puto erratum esse in numero, neque ullo modo admittendum, ut qui quatuor menses in reditu consumpserint intra 10. dies eò appulerint. Quare ut nihil aliud sit, ipsa tamen temporum ratio hoc mendacium apertè refellit. Hùc accedit, quòd non alios habeant assertores Epistolæ illæ, quàm recentiores, neque eos omnes (nam apud Photium, Leonem, Zonaram, Metaphrastem, altum de iis silentium) neque eodem apud eos modo, sed in magnâ varietate & inconstantiâ. Nam alio modo habent Georgius, Glycas, & Nicephorus; alio Anonymus, & Jus Græco-Romanum, ut ex comparatione manifestum erit. Nam apud veteres, quibus res esse debuit notissima, Palladium, qui Romę diu vixit (ubi vel à se, vel à Theodoro Romanę Ecclesię Diacono, hęc omnia facillimè poterat rescìscere) Sozomenum, qui literas omnes diligenter scrutatus videtur, cęterosque, fidenter dico nullum esse istarum

istarum literarum vestigium, nullam umbram. Neque res erat parva, aut contemnenda, quę debuit, vel potuit omitti, Imperatores Orientis à Pontifice Romano excommunicatos, absolutos, &c. cum rei multò minoris, Theodosii præsentis à præsente Ambrosio Ecclesiâ suâ prohibiti plenæ sint omnes historiæ. Accedit insuper ad harum Epistolarum fidem elevandam, quòd Græcè tantum scriptæ videantur, (& certè character ipse Græculum aliquem semidoctum non obscurè sapit) cum Innocentius Epistolas suas etiam in Orientem missas soleret nonnisi Latinè exarare, ut constat è Sozomeni libro octavo. Iam & illud, ut puto, falsum, de adempto Attico Episcopatu, & commissa Proclo administratione, cum & annos viginti tenuisse Episcopatum constet Atticum, eumque per manus Sisinnio, Nestorio, Maximiano tradidisse, ut nonnisi sexto post Joannem loco Proclus in eâ sede successerit. Ego, quid in hac re mihi probabile videbatur, liberè dixi: judicent docti.

Inter ἀνιστορησίας Gregorii etiam illud numero; quod mortem Innocentii priorem facere videatur morte Theophili, quod apertè falsum est. Mortuus est enim Theophilus, teste Socrate, l.7.cap.7.Coss. Honorio IX. & Theodosio V. hoc est, anno Domini 412. die 25. Octobris. Innocentius, ut ex Fastis Pontificiis patet, nonnisi 416. vel 415. Quod si cui mirum videatur cum Theophilus quinque annos Joanni supervixerit, Innocentius octo; quid sit, quòd consilium omne abjecerit Innocentius de cogendâ Synodo Thessalonicæ, cui interesse Theophilum tantâ severitate & rigore edixerat ante mortem (si fas est credere) Arcadius Epistolâ apud Georgium, cujus initium, Πάντα τὰ κλίματα τῆς οἰκουμένης ἐτάραξας, neque ullum de eo postea verbum fecerit; fortasse id factum est, quia Arcadius paulò post Joannem decesserat, cujus operâ & jussu, uti ea ferebant tempora, cogeretur; vel quòd ea sint consecuta reipublicæ tempora, præsertim in Occidente, Româ captâ, Italiâ direptâ, vastatis provinciis, quæ vel constantissimi viri mentem possent à minori cura ad majorem metum traducere.

Hucusque de Georgio: In reliquis ero brevior; quia pleraque omnia ferè habent cum Georgio communia; neque operæ pretium fuerit iisdem ineptiis refutandis bis immorari. Leo Breviarium nobis dedit Georgii, nisi quòd in illis Epistolis Georgium sequatur, saltem non abbreviet, ut neque Photius in Epitome Gregoriana, Cod. 96. potuit certè sine damno omitti (neque enim aliquid Georgio addidit, præter affectatam alicubi stili obscuritatem) nisi quòd ad reliquam Ioannis gloriam inde magna videretur facta accessio, quòd tantum Imperatorem laudum suarum præconem invenerit. Anonymus unum aut alterum habet errorem peculiarem & suum. Primum est latum satis & crassum mendacium, quod Libanium faciat ad Iulianum jam Augustum dicentem; neminem illorum magnorum Philosophorum Ioanne superiorem esse, ne magnum quidem illum & divinum Platonem, nec in eloquentia Demosthenem; quod ut verum postea fuisse demus, ad Iulianum certè dici non potuit, qui mortuus est Joanne vix ac ne vix quidem octavum ætatis annum ingresso; ut exclamare libeat,

> —— *& quid non Græcia mendax*
> *Audet in historiâ* ——

præsertim ista recentior? Huic simile, ac penè germanum est, Gregorium Nazianzenum, scilicet dum adhuc esset Patriarcha CP. cum Theodosio Magno sermones serere de Joannis Orationibus statuarum; cum notissimum sit, Gregorium abdicato Episcopatu, & relicta Constantinopoli, in Cappadociam concessisse, ipso secundæ Synodi tempore, anno Domini 381. vix dum Diacono Joanne, & annos minimùm septem ante tempus eversarum statuarum. Ad miracula quod spectat licet eorum diligentem collectionem fecisse Georgius posset videri; satis tamen amplum reliquit Anonymo spicilegium. Visio Gregorio Theologo facta de Joanne cap. 37. de S. Paulo Joannis Expositiones σωματοειδῶς, confirmante cap. 59. quòd Joannes Proclo successionem in sede CP. prædicit cap. 60. Joannis frequentes ὀπτασίαι inter Synaxin celebrandam cap. 72, 73, 74. apparitio Andreæ, Stachyos, & B. Virginis cap. 79. prædictio facta Niceæ de Mauricio Imperatore cap. 107. visiones Marci & Cyrilli cap. 128. 129. tremor sepulchri Eudoxiæ, cap. 132. & nescio quæ facta miracula ἐν τῇ τῶν λειψάνων ἀνακομιδῇ, quæ à Vestitore mutuatus est: hæc omnia, inquam, ejusdem ordinis locique sunt cum illis aliis Georgianis. Quòd si illud Ephori apud Strabonem de Oraculo Delphico scripturi: ineptum esse de Oraculo omnium verissimo acturum, incertis rumoribus & narrationibus minùs probabilibus indulgere; si, inquam, hoc iis venisset in mentem, qui res Dei & Ecclesiæ posteritati erant transmissuri; non nunc corruptam monumentorum fidem immensa fingendi libidine meritò quereremur. Sed desino inutilis querelæ, & ad Metaphrastem transeo, ad quem quicquam notare non est opus. Nihil enim habet, quod non aut apud Georgium reperies, aut apud Anonymum, quem ferè exprimit. Anonymo enim cum Metaphraste sensus ferè semper, verba etiam plerumque sunt communia. Atque hæc ex multis adnotare visum est ad autores rerum Chrysostomi, quæ doctorum, ut dixi, judicio, ut mea quoque omnia, permitto.

Hucusque nobilissimus Savilius: His mihi pauca adjicere liceat. Scriptorum, qui res Chrysostomi literis mandarunt indiculum, à Græco quodam confectum, Tom. 8. p. 293. nobis exhibet ipse Savilius. In his locum habent Proclus, Antistes CP. Cyrillus Alexandrinus, cujus scrinia Georgius postea compilasse dicitur, Sophronius Hierosolymorum Patriarcha, Nicetas Scevophylax, Nicetas Paphlago. Verùm an horum Sermones hodie supersint nondum didici. Præter quatuor quos edidit Savilius testatur ibid. p. 944. se quinque alios, Chrysostomi seu Βιογράφους, seu Panegyristas Græcè penes se habuisse, nempe Joannem Damascenum, Cosmam Vestitorem, Joannem Euchaitam, Philotheum Patriarcham, & Matthæum Camariotam, quos tamen omnes ut luce indignos, ascriptis tantum librorum titulis, premendos censuit. Subdit etiam extare in Bibliothecis Romanis Constantini Imperatoris. *Leonis Sapientis filii Sermonem in Chrysostomum*, ἡνίκα τὸ τοῦ σοφοῦ Χρυσοστόμου, &c. Sed hic fortasse, non minùs quàm reliqui, luce vix dignus judicatur.

JOANNES CHRYSOSTOMUS, ex Presbytero Antiocheno, factus est Archiepiscopus Constantinopolitanus ann. CCCXCVIII. Post tantam diligentiam quam in eruendis, edendisque S. Chrysostomi Operibus, adhibuit vir illustrissimus H. Savilius noster, qui omnium penè Bibliothecarum Archiva excussit, arcana retexit, quid mirum si pauca, & fortè nulla genuina opuscula hodie ἀνέκδοτα supersint? Ex eo tempore pauca edidit Cotelerius, pauca alii, sed quæ vix eruditorum censuram ferre possunt. In *Thesauro Ascetico* quem Petrus Possinus *Jesuita* Græcè & Latinè evulgavit *Paris.* 1684. familiam ducit Chrysostomi *Epistola ad Monachos*, quâ potiora severioris vitæ documenta,

398. P. II.

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An.CCC. ta, præcipuè de studio, modoque orandi Ascetis tradit. Deprompta est, unà cum aliis, ex Fr. Turriani *codice MS. de re Asceticâ*, quem annorum plusquàm D. esse, judicat Possinus. Verùm in hoc opusculo desideratur suavis illa, & nativa dicendi vena, nobile illud acumen, vividusque spiritus quæ in Chrysostomi Scriptis se ubique produnt. Languidiùs est, & sequioris potiùs sæculi opus. Quam tamen censuram Eruditorum judicio lubens submitto. Extant apud Cl. Galeum sequentia Chrysostomi opuscula, sive Homiliæ. Λόγος περὶ τῶν θείων καὶ ἀχράντων μυστηρίων. Περὶ τῦ μὴ καλυσέειν τὰς ἱερεῖς. *In illud,* ὑδὲν ποτε ἀφ᾽ ἑαυτῦ ποιεῖ ὁ υἱός. Ἐις τὸν Μελχισεδέκ. *In illum, ei μὴ ἀφῆτε* τις. *In Davidem. In Paulum.* Περὶ μετανοίας, καὶ εἰς διάφορα ῥήματα Ψαλτικῆς, καὶ σωτηρίας. *In illud*, Joannes audiens in carcere. ὅτι δεῖ τ̃ πιςὸν τὸν βίον ἔχειν ὀρθὸν, &c. *In Zacchæum & de Eleemosynâ. In Psalmum* LXXI. *In illud*, viri cujusdam divitis. *In Psalmum* XXXVII. *De cruce.* XII. *Homiliæ de* variis argum. *In decollationem S. Joannis. In festum* ὑπαπάντης. *In Geronticum S. Macarii.* Περὶ ἐφόδου *Sermo* παραβ. *De oratione*, Jejunio, Eleem. *De Pœnitentia & compunctione, & quod Deus,* &c. Extant apud Georg. Wheeler Baronettum ista. *In Resurrectionem. In Thomam dissidentem. In Paralyticum. In Mesopentecosten. In Samaritidem. In Assumptionem. In Pentecosten.* De Patientiâ *& gr. actione. In omnes Sanctos. In occursum.* De Jejunio. *In Annunciationem. In Divitem & Lazarum. In Prodigum.* De Publicano. *In festum* Palmarum. *In Ficum aridam. In Judam proditorem*, & multæ ex his homiliæ bis habentur. Opus imperfectum *in Matthæum*, ex Vetustiorum Commentariis compilatum, quod Chrysostomi nomine passim circumferri solet, Scriptoris cujusdam Latini esse, suo loco monuimus, & jam ferè consentiunt omnes. De Dogmatibus Ecclesiasticis, & Hæreticorum quæ tunc vigebant controversiis, pugnantia sæpè loquitur, ut vel insigniter interpolatum esse, vel autorem sibi haud benè constare necesse sit. Mihi quidem verisimile videtur, autorem fuisse hominem Catholicum; quæ verò *Arianismum* sapiunt & τῦ ὁμοουσίυ dogmati bellum indicunt, nihil aliud esse, quàm Scriptoris cujusdam Ariani, *glossemata & animadversiones*, ad refutandum ipsius autoris textum, quæ primò quidem margini, prout occurrebant, appositæ, posteà Librariorum fraude, vel incuriâ, in textum intromissæ sunt. Possem id plurimis exemplis demonstrare, dabo. *Homil.* XXXIII. pag. 119. ubi de his verbis agit, *Dicit Dominus vineæ procuratori suo. Qui procuratori? Sine dubio Filius dicit Spiritui Sancto. Et si volueris concedo tibi, ut Pater Filio dicat.* Mox sequitur hæc nota; *non quæro utrùm Filius sit Patris Procurator, aut Spiritus Sancti Filii; sed hoc dico, quia procurator domus & paterfamilias nec ejusdem Substantiæ possunt esse, nec una persona esse, nec æqualis dignitas: si ergo alter paterfamilias, alter procurator patrisfamilias, quomodo locum habet Ternitas tua? Si autem ejusdem substantiæ iste est, & est minor, injuriam facit substantiæ; si verò non æqualis dignitas ubi est una substantia?* Quæ manifestò mihi respicere videntur Ariani cujusdam notam, autorem dum legeret arguentis, & hæc pro re natâ objicientis. Sublatâ hâc periodo commodè fluunt reliqua; ne dicam hæc verba in quibusdam codicibus MSS. non reperiri. Quod, & in aliis quibusdam locis ejusdem commatis notari potest. Quicquid sit, Auctor Theodosii M. ætate vixisse videtur. De Photino, Eunomio, Macedonio, &c. tanquam sui ævi hæreticis, ubique loquitur; nec semel disertè dicit *Homil.* XLIX. p. 173. *se omnes hæreses, & mala spiritualia quæ Ecclesiam infestabant, à tempore Constantini, usque ad tempus Theodosii, exposuisse*; ulteriùs procul dubiò progressurus, ni hoc tempore vixisset. Aliter, haud difficulter conjicerem, ipsum ad sequiora Sæcula, etiam ad Caroli Magni ætatem esse revocandum, & forsan non alium à Fœlice Urgelitano, vel Elepando Toletano fuisse, quibus Arianæ hæresis labes objecta est. Sed de hâc conjecturâ non contendam. An verò fuerit natione Gallus, & speciatim homo Aquitanus, (quod me nuper monuit Bernardus noster) aliis discutiendum relinquo. Etsi *Species bladi*, XL. p. 144. *Forani lapides* Homil. XL. p. 144. *Dignitosa anima* Homil. XLII. p. 151. & id genus alia, ab hâc doctissimi viri conjecturâ, abludere non videntur. Psalterium *Romanum* non *Gallicum* ubique sequitur; quin & Vetus Testamentum, non ex interpretatione *Hieronymi*, sed juxta *Italicam versionem*, semper citat. Scriptis apocryphis non rarò utitur; qualia sunt, *Scriptura Seth, Apocryphum Hezekiæ, Petri Itinerarium* à Clemente scriptum, *Apostolicarum Constitutionum liber octavus*, ne de aliis dicam. Verùm de his plus satis. Extat Græcè MS. in Bibliothecâ Vossianâ, sub Chrysostomi nomine, *Synopsis Veteris Testamenti*; sed non esse genuinum Chrysostomi fœtum, ipse mihi olim confessus est Cl. Vossius. Obiter id mihi notare liceat, haberi Biblioth. Vindob. vetustissimo *Cod. Theol.* CLVII. Anonymi cujusdam *expositionem in Pauli Epistolas* ex S. *Joannis Chrysostomi Hypothesibus* & *Homiliis* in easdem Epistolas, compendiosè excerptam. In quo Codice, id præter alia memoratu dignum, *Epistolas Paulinas* dividi in Ἀναγνώσεις sive *lectiones*, in Κεφάλαια, sive *capita*, & in Στίχυς, sive *versus*. Exempli gratiâ, in fine Epistolæ *ad Romanos* hæc leguntur, Ἀναγνώσεις ε. Κεφάλαια ις. Μαρτυρίαι μθ. Στίχοι ωκ. hoc est, *Lectiones* v. *Capita* XVI. *Testimonia Veteris Testamenti* XLIX. *Versus* DCCCXX.

SÆC. IV. ab An.CCC.

De *Liturgiâ* Chrysostomi breviter pro instituto nostro diximus P. I. pag. 179. Cum verò non paucæ laciniæ veteris illius liturgiæ, quâ Chrysostomi tempore usa est Ecclesia Orientalis, in indubitatis ipsius operibus reperiantur, quarum nulla in hodiernâ liturgiâ deprehenduntur vestigia, haud abs re forsan erit paucula hâc de re annotare. Notis Savilianis * ad hanc liturgiam hæc breviter præmissa sunt, *De Liturgiâ integram Theologis disceptationem relinquo, hæc tantum admonuisse contentus, miram esse in scriptis codicibus incostantiam. Quid enim habent ferè simile versio Erasmi & editio Morelliana? deinde multa passim in operibus Chrysostomi ex Liturgiâ, quâ tum utebatur Ecclesia Orientalis, recitari, quæ hic non reperiantur, multa hic reperiri, quæ vix illorum temporum esse videantur.* Nec verò his contentus Savilius, Joanni Halesio, in ordinandâ Editione Chrysostomiana συνεργάτῃ doctissimo, hæc ulteriùs excutiendi provinciam demandavit. Præstitit, quod mandatum erat, vir, si quis alius, Græcarum literarum scientissimus, scriptâ ἐπιςολῇ, quâ judicium suum de hac Liturgia eruditè atque eleganter exponit, quam propria manu scriptam, inter laceras ejus schedas MSS. nuperrimè repertam, mecumque amicè communicatam, hoc loco subjiciam, certus τοῖς φιλαρχαίοις rem gratissimam me facturum.

* T. VIII. p. 828.

"De Liturgiis quæ sub antiquorum Auctorum "nomine solent circumferri, doctos ferè omnes video in unam iisse sententiam: relictas quidem esse "ab Antiquis precationis & συνάξεως celebrandæ "Formulas, iis verò multa à posterioribus fuisse admista, prout visæ sunt Ecclesiæ temporumve rationes postulare. Quod ut verum esse facilè non abnuerim, ita in istiusmodi scriptis cavendum imprimis "versandum censeo. Nam quæ illis constat à posteritate recentiùs intermista fuisse, reliquis autoritatem

Digitized by Google

“tatem minuere est necesse; nisi iis stabiliendis aliunde ab indubitatæ fidei antiquitate accedant firmamenta. Quod ad scriptum hoc, quod præ manibus est, spectat, ut illud Apocryphis & dubiis accenseremus, hæ fecere rationes. Primò, exemplarium inconstantia. Quid enim habent ferè simile Versio Erasmi & Editio Morelliana? Secundò, Plurima hîc reperiuntur, quæ quomodo illorum temporum esse possent, meritissimò potest dubitari, quædam verò vel primo intuitu constat à Chrysostomo proficisci non potuisse. Quæ sunt prioris ordinis, non attingam, è posteriore serie unum asseram aut alterum. Nam quod in titulo omnium primò legitur, sacerdotem sacra factorum esse debere πεφρονγυμένως ἐξωμολογημένον, si de confessione, apud sacerdotem faciendâ intelligatur, ut plane evincunt verba statim sequentia μετὰ τὸ ποιῆσαι τὴν συνήθη τῷ προεστῶτι μετάνοιαν, Joannis nostri esse non potest. Norunt enim omnes qui in Sozomeno sunt versati, sublatam à Nectario illam confessionis rationem, & à Joanne nostro nequaquàm restitutam. Deinde ad finem liturgiæ pag. 1004. propè calcem, habet titulus, Τότε λέγει τὸ ἀπολυτίκιον τοῦ Χρυσοστόμου: Ex quo apparet in hâc liturgiâ illam Chrysostomi citari. Nam ἀπολυτίκιον est Oratio, quâ sacerdos post finita sacra solet populum dimittere. Monet ergo titulus illam Chrysostomi orationem à sacerdote proferendam, quâ Pater is solebat conventum dimittere. Excipit hunc titulum precula in laudem Chrysostomi concepta, ubi τοῦ Χρυσοστόμου nomen, ut & alias in hoc scripto, habetur, quod de Joanne dici cœptum non est aliquot post ipsum Sæculis. Nam Georgius Alexandrinus ducentis, & quod exce-dit, annis, ab ejus ætate remotus, cùm omnes quibus ipsum compellet, titulos ambitiosè scrutetur, hujus tamen nominis nusquam meminit, non omissurus si vel suâ ætate invaluisset. Quæ statim sequuntur ejusdem sunt farinæ. Nam in eo quod ait rubrica, *proximè μετὰ τὸ κοντάκιον*, monet, recitandum aliquod scriptum Joannis, nisi κοντάκιον aliud quid significet, quàm *Scriptum, libellum, tomum*, quâ solâ significatione legisse me memini. Deinde succedit alia orationcula priori ἀδελφὴ, iterùm in Joannis nostri laudem concepta. Atque inter alia multa hæc sunt perspicuè quæ, Joanne nostro conscio, in liturgiam venire nusquam potuere. Sed enim hæc ab Erasmo absunt omnia Atque ut quod censeo, liberè loquar, illa Erasmi liturgia, cujus Græcum exemplar librariis nostris omnes scrutantibus Bibliothecas nusquam comparuit, videri potest esse Chrysostomi, multò magis quàm Morelliana. Sed quæ tertio loco sumus additurì, etiam & illam Erasmi suspectam reddent. Multa enim habuit Liturgia illa quâ usus est noster, quæ non modò in hac, sed nec uspiam in Græcis quæ feruntur, liturgiis antiquioribus habentur. Triplex erat hominum genus, qui cùm à sacris mysteriis arcerentur, in liturgia tamen partes habebant suas; κατηχούμενοι, ἐνεργούμενοι, & οἱ ἐν μετανοίᾳ. Pro Catechumenis habentur orationes quædam, p. 992. Sed quibus Chrysostomus usus est, vix quicquam habent commune. Colligam in unum quæ Chrysostomus latiùs dispersit in Ethico Homiliæ secundæ in II. ad Corinth. ut quæ hîc sunt, cum iis quæ noster habet, posset lector faciliùs comparare.

In citandis paginis Edit. Savil. sequitur Auctor. Versionem nosmet adjecimus.

Pro Catechumenis intentè oremus, rectè stemus, oremus. Ut misericordissimus ac miserator Deus orationes exaudiat. Ut cordium ipsorum aures aperiat, ut audiant quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Et instillet ipsis verbum veritatis. Ut timorem suum in ipsis seminet, & confirmet fidem suam in animis ipsorum. Ut justitiæ Evangelium ipsis revelet. Ut det illis mentem Divinam, castam cogitationem, vitam cum virtute conjunctam, perpetuò quæ ipsius sunt cogitare, quæ ipsius sunt sapere, quæ ipsius sunt meditari, in ipsius lege die ac nocte morari. Intentiùs adhuc pro ipsis rogemus, ut eripiat eos ab omni malo & absurdo negotio, ab omni peccato diabolico; & omni obsidione adversarii. Ut dignetur eos in tempore opportuno lavacro regenerationis, & remissione peccatorum, indumento incorruptionis; ut benedicat introitus & exitus eorum, omnem vitam ipsorum, domos eorum & habitationes, filios eorum, ut eos augeat & benedicat, atque ad mensuram ætatis perductos, sapientiâ instruat, ut omnia quæ ipsis proposita erant ad utilitatem dirigat. *Tum Catechumenos surgere jubet Sacerdos, deinde dicit.* Angelum pacis petite, ô Catechumeni. Pacifica vobis omnia, quæ proponentur, pacificum hunc diem, atque omnes vitæ vestræ dies postulate. Christianos vestros fines. Vos ipsos Deo viventi ac Christo ipsius commendate.

Ὑπὲρ τῶν κατηχουμένων ἐκτενῶς δεηθῶμεν, στῶμεν καλῶς, δεηθῶμεν. Ἵνα ὁ πανελεήμων, καὶ οἰκτίρμων Θεὸς ἐπακούσῃ τῶν δεήσεων αὐτῶν. Ἵνα διανοίξῃ τὰ ὦτα τῶν καρδιῶν αὐτῶν. Ὥστε ἀκοῦσαι ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη. Καὶ κατηχήσῃ αὐτοὺς τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Ἵνα κατασπείρῃ τὸν φόβον αὐτοῦ ἐν αὐτοῖς, καὶ βεβαιώσῃ τὴν πίστιν αὐτοῦ ἐν ταῖς διανοίαις αὐτῶν. Ἵνα ἀποκαλύψῃ αὐτοῖς εὐαγγέλιον τῆς δικαιοσύνης. Ἵνα αὐτοῖς δοίη νοῦν ἔνθεον, σώφρονα λογισμὸν, καὶ ἐνάρετον πολιτείαν, διαπαντὸς τὰ αὐτοῦ νοεῖν, τὰ αὐτοῦ φρονεῖν τὰ αὐτοῦ μελετᾶν, ἐν τῷ νόμῳ αὐτοῦ καταγίνεσθαι ἡμέρας καὶ νυκτός. Ἔτι ἐκτενέστερον ὑπὲρ αὐτῶν παρακαλέσωμεν, ἵνα ἐξέληται αὐτοὺς ἀπὸ παντὸς πονηροῦ καὶ ἀτόπου πράγματος, ἀπὸ παντὸς ἁμαρτήματος διαβολικοῦ, καὶ πάσης περιστάσεως τοῦ ἀντικειμένου. Ἵνα καταξιώσῃ αὐτοὺς ἐν καιρῷ συνθέτῳ τοῦ τοῦ λουτροῦ παλιγγενεσίας τῆς ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν, τοῦ ἐνδύματος τῆς ἀφθαρσίας, ἵνα εὐλογήσῃ τὰς εἰσόδους αὐτῶν καὶ τὰς ἐξόδους πάντα, τὸν βίον αὐτῶν, τοὺς οἴκους αὐτῶν, καὶ τὰς οἰκετίας, τὰ τέκνα αὐτῶν ἵνα αὐξήσας εὐλογήσῃ, καὶ εἰς μέτρον ἡλικίας ἀγαγὼν σοφίσῃ, ἵνα κατευθύνῃ αὐτοῖς πάντα τὰ προκείμενα εἰς τὸ συμφέρον. Tùm Catechumenos surgere jubet Sacerdos, deinde dicit, Τὸν ἄγγελον τῆς εἰρήνης αἰτήσατε οἱ κατηχούμενοι. Εἰρηνικὰ ὑμῖν πάντα τὰ προκείμενα, εἰρηνικὴν τὴν παροῦσαν ἡμέραν, καὶ πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ὑμῶν αἰτήσασθε. Χριστιανὰ ὑμῶν τὰ τέλη. Ἑαυτοὺς τῷ ζῶντι Θεῷ καὶ τῷ Χριστῷ αὐτοῦ παραθέσθαι. Dein capita inclinare jubentur, clamantque omnes *Amen.*

“Ἐνεργουμένων seu Dæmoniacorum mentionem in hâc habemus Liturgiâ. At Chrysostomus Orat. III. περὶ ἀκαταλήπτου, pag. 409. lin. 4. & Orat. 5. pag. 415. lin. 41. docet à Diacono eos inter precandum coram populo sisti solitos, jussosque capita tantùm inclinare, καὶ τῶν σχήματι τοῦ σώματος ποιεῖσθαι τὰς ἱκετηρίας, *atque illo corporis-gestu supplicare.* Cujus consuetudinis in hâc Liturgiâ nullum est vestigium. Οἱ ἐν μετανοίᾳ ii erant, qui gravioris admissi criminis conscii, lachrymis se & pœnitentiæ dederunt. Eos etiam παῤῥησίαν à Sacerdote prohibitos docet Chrysostomus, quod sacrorum non debent fieri participes, quin etiam communem formulam sæpè profert; quâ eos sacris interesse vetuit Sacerdos. Hanc si in hâc Liturgiâ quæsiveris, frustrà eris. Chrysostomus in Oratione πρὸς τοὺς Ἰουδαΐζοντας,

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. « Ἰουδαΐζοντας, pag. 371. lin. 21. Οὐχ ὁρᾶτε, inquit, « ἐπὶ τῶν μυστηρίων τί βοᾷ συνεχῶς ὁ διάκονος, ἐπιγι- « νώσκετε ἀλλήλους. Atque certè in illâ quæ Jacobi fer- « tur, Liturgiâ, habetur hæc particula ἐπίγνωτε ἀλ- « λήλους, at verò in hâc noſtrâ πῦ κεῖται; Quod ſi « cùm primum ad opus hoc acceſſi, prævidiſſem hoc « mihi datum iri negotium, facilè magnam illorum « temporum Liturgiæ partem, ex unius Chryſoſto- « mi operibus expediiſſem. Nunc verò ea tantùm « produxi, in quibus memoria fraudi non fuit. Quam- « obrem fuerit hæc Liturgia illa, quâ olim apud « populares ſuos uſus eſt Chryſoſtomus; cùm tamen « adempta eſſe ei multa, multa addita conſtet, ne- « ceſſe eſt illud ſcripto huic accidere, quod olim Navi « Theſei ferunt contigiſſe, quàm cùm vellet ſtudioſa « poſteritas conſervare, parteſque carie & putredine « fatiſcentes, aliis ſubindè reſarcirent, ita tandem eſt « immutata, ut jure merito quæreretur, fueritne « Navis illa quâ Theſeus Cretam petiit.

Hactenùs Cl. Haleſius, in ſanctis Patribus dili- genter verſatus, in lectione Chryſoſtomi verſatiſſi- mus: qui utinam quæ in animo habuit de reſarcien- dis Liturgiarum reliquiis, quæ hinc inde apud Chryſoſtomum diſperſæ jacent, revera præſtitiſſet. Utinam ſaltem in ejus ſuccedat locum, qui fractas, laceraſque veterum Liturgiarum tabulas, undique colligeret, & cum Liturgiis quæ ſuperſunt hodiè ac- curatè conferat.

399. P. II. AMMON, gente Ægyptius, è regione The- baidis, ortu, ſaltem Epiſcopatu (erat enim iſtius urbis Epiſcopus) Adrianopolitanus; ipſum enim & nomen, & locus, hîc ortum eſſe clamant. Etſi enim plures erant *Adrianopoles*, quas homo famæ & gloriæ cupidus, in ſui honorem condidit Adrianus Imperator; cùm tamen omnium hoc tempore fa- moſiſſima erat *Antinoe*, ab Adriano Imp. in hono- rem Antinoi, amaſii ſui, in Thebaide condita, ab eoque etiam *Adrianopolis* vocata (teſte Stephano *) Ammonem noſtrum, non alibi natum eſſe, cre- di par eſt. Quo tempore vixerit haud ſatis certum eſt. Cyrillo Alexandrino, à quo citatur †, ſeniorem fuiſſe ſatis conſtat; Epiphanio verò qui opus ſuum *de Hæreſibus*, annò CCCLXXIV. elucubravit, po- ſterior videtur; qui ipſum, non minus quàm Me- thodium in diſſertatione *adversùs Origenem de Re- ſurrectione*, procul dubio laudaſſet, ſaltem memi- niſſet. Medio igitur tempore claruiſſe videtur; nimirum exeunte hoc ſæculo, circa annum CCCXCIX. fervente tunc temporis, & in Ægypto præcipuè *de Origene ejuſque dogmatibus*, controverſiâ. Et qui- dem poſt annum CCCXCII. ſcripſiſſe, vel hinc fir- mari poteſt conjectura; quòd Hieronymus in re- cenſendis ſui temporis Scriptoribus Eccleſiaſticis diligentiſſimus, quique hoc ipſo anno catalogum ſuum claudebat, ipſius nullibi meminerit. Nec ſatis mirari licet, virum non incelebrem, non mo- dò ab Hieronymo, ſed nec à Socrate, vel Sozome- no, nec, qui illis accuratior & diligentior eſſe ſo- let, Theodorito (ut alios Scriptores Eccleſiaſti- cos Cyrillo excepto, taceam) uſpiam, quod ſciam, memorari. Plures erant *Ammones* qui hoc ſæculo floruerunt. Nemo verò huc, majori probabilitate pertinere videtur, quàm Ammon iſte, cujuſdam urbis (quidni Adrianopolis?) in Thebaide Epiſco- pus, ad quem extat Theophili Alexandrini *Commo- nitorium*, ſeu *Epiſtola Canonica de iis qui cum Aria- nis communicaverint, deque Biſto Presbytero Lyco- politano*, quæ unà cum Balſamonis *Commentario* ha- betur *Pandect. Canon.* Tom. II. p. 170. certè & lo- cus, & tempus, & ſumma cum Theophilo, acerrimo Origenis, & Origeniſtarum adverſario, familiari- tas optimè congruunt. Edita eſt à Bollandianis *Maii.* Tom. III. pag. 63. Ammonis Epiſcopi Ela-

* De Urb. in voc. Ἀδρ. p. 87.

† Lib. de rect. fid. ad Relig. Regin. T. V. Part. II. p. 50.

archiæ *Epiſtola ad Theophilum Patriarcham Alexan- drinum de vitâ & converſatione SS. Pachomii & Theo- dori.* Ubinam verò ſita fuerat hæc *Elaarchia* an in Thebaide, vel alicubi in Ægypto, vel an locum in- dicent Editores *Bollandiani*, nondùm didici. Vi- derint quibus opus Bollandianum ad manum eſt. Quiſquis tandem ſit, ſcripſit *Libros aliquot adverſus Origenem de Reſurrectione*, teſte S. Maximo, *Schol. in Dionyſ. de Cœleſt. Hierarch.* c. 7. p. 88. Cujus ope- ris nè mica quidem hodie ſupereſſe videtur. Frag- mentum περὶ τοῦ Θεοῦ λόγου citat Cyrillus loco lauda- to; An ex *libro de Reſurrectione*, non conſtat. Idem Maximus *Schol. in lib. de Eccleſ. Hierarch.* c. 7. p. 422. Olympium quendam Adrianopolis in Lycia Epiſcopum, iis accenſet, qui Origenis dogma- ta *de Reſurrectione Scriptis ſuis oppugnârunt*, his verbis, Ἀνάγνωθι Μεθοδίου τοῦ ἁγίου μάρτυρος, καὶ Ὀλυμπίου Ἀδριανουπόλεως, ἐπισκόπου τῆς Λυκίας, τὰ κατ' αὐτοῦ ὑπ' αὐτῶν περὶ ἀναστάσεως γραφέντα, καὶ Ἀντιπάτρου τοῦ Βόστρων ἐπισκόπου, *Lege S. Methodii Martyris, & Olympii Adrianopolitani, Epiſcopi Lyciæ, nec non An- tipatri Boſtrorum Epiſcopi libros, quos in eum de Re- ſurrectione conſcripſerunt.* Hunc Olympium, eundem cum Ammone noſtro, facit vir doctiſſimus H. Ho- dius, *libro de Reſurrectione*, Anglicè nuper edito. Non aliâ opinor ratione, quàm uterque Adrianopolis Epiſcopus, uterque adverſus Origenem ſcripſiſſe di- citur. Sed plures erant Adrianopoles, in Thra- ciâ, Ætoliâ, Piſidiâ, Bithyniâ, Thebaide, in Sy- riâ (Thadmarah), & forſan alibi. Diverſa planè ſunt utriuſque Scriptoris nomina; diverſa & loca. Ammonem enim in Ægypto Epiſcopum fuiſſe, ne- mo temerè dubitabit. Olympium Scriptorem no- vi neminem, nullam in Lyciâ Adrianopolim. Ut non ſemel ſuſpicatus ſim, in S. Maximi verbis men- dum eſſe, locúmque integrum ad Methodium eſſe referendum, hoc ferè modo; *Lege S. Methodii Mar- tyris, & Olympii Adrianopolis Lyciæ Epiſcopi libros quos, &c.* & pro τὰ ὑπ' αὐτῶν (Methodii ſcilicet & Olympii) τὰ ὑπ' αὐτοῦ legendum eſſe. Etſi vulga- ta lectio retineri poteſt, dummodò & ad Methodium & Antipatrum Boſtrenſem referatur: quo ſenſu in- terpretem intellexiſſe conſtat. Ut hanc conjectu- ram ab omni prorsùs veriſimilitudine non abhor- rere demonſtremus, Notandum 1. Olympum cele- berrimam fuiſſe Lyciæ Urbem, ex ſex majoribus hujus Provinciæ civitatibus, unam. 2. Methodium, Olympi Lyciæ fuiſſe Epiſcopum, quod Hierony- mus * & Suidas † disertè teſtantur. 3. Methodium ſimplici Martyris titulo hìc inſigniri, nullâ, vel ſedis, vel dignitatis Epiſcopalis, mentione factâ, aliter quàm à Veteribus citari ſolet, aliter quàm in eodem textu Maximus alios citavit. Regeret hùc fortè quiſpiam, ſed quid fiet de voce Ἀδριανου- πόλεως? Quid ſi dicamus, in textum irrepſiſſe? Vel quòd rectius putem, Olympum etiam Adria- nopolim dictum? Certè non paucæ erant urbes, *Adrianopoles*, dictæ; quæ etiam vetus nomen ſuum ſimul retinuerunt, quales Stratonicæa Macedo- niæ, Murſa Pannoniæ, Neocæſarea Ponticæ, Anti- noe Thebaidis, ut de aliis non dicam. Quin ſi con- cedamus Adrianopolim propriam & diſtinctam fuiſſe Lyciæ urbem, potuit & hoc modo Methodius noſter Adrianopolis eſſe Epiſcopus. Nondum enim exactâ Epiſcopatuum diviſione ubique factâ, qua- lis ſequentibus temporibus obtinuit, & præſertim vigente jam perſecutione, Methodius plurium ci- vitatum curam Epiſcopalem ſimul habere potuit; Et ita quidem revera habuit, cum ipſum & Olym- pi Lyciæ, & Patarorum Epiſcopum fuiſſe diſertè refert Suidas, (quod tamen miror negaſſe virum eruditiſſimum mox nominandum) inde Veteribus vulgò Methodius *Patarenſis* dictus. Adjungam V. C. L. Allatii * teſtimonium. *Cum iiſdem ipſis teſtibus Olympi*

SÆC. IV. ab An. CCC.

* De Script. cap. 83.

† In Μεθόδ.

* Diatr. de Method. Script. p. 304.

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC *Lyciæ fuerit Episcopus, quæ inter maximas Lyciæ urbes commemoratur, potuit esse eodem ipso tempore & Paterorum, & aliarum in Lyciâ urbium Episcopus.* Si conjectura nostra erudito Lectori minùs placuerit, aliam loci hujus S. Maximi lectionem substituendam proponit idem Allatius † ; Μεθοδίυ τῦ ἁγίυ μάρτυρ☉, ἐπισκόπυ Λυκίας, κ᾽ Ὀλυμπίυ Ἀδελανυπόλιως. An verò talis fuerit Olympius, meritò dubitat, idque sibi anxiè quærendum esse dicit.

† Ibid. p. 328.

399. P.II. PETILIANUS, Cirtensis sive Constantinianensis in Numidiâ Episcopus, Donatistarum Dux atque Antesignanus, claruit ann. CCCXCIX. In Collatione Carthaginensi anno CCCCXI. delectus est ut partis suæ causam disputando sustineret: homo audax & sui plenus, in disserendo promptior quàm eruditior. Scripsit librum de *unico Baptismo, nonnisi verborum strepitu inflatum, & calumniosis criminationibus asperatus,* ut Augustinus loquitur; quem proindè Augustinus singulari tractatu, *de unico Baptismo contra Petilianum*; solidè refutavit. Epistolam etiam scripsit Encyclicam ad omnes partis suæ Presbyteros & Diaconos per diœcesin constitutos, quâ Augustinum & Catholicos strenuè oppugnat, causamque suam conviciis potius quàm argumentis agit. Huic se mox opposuit Augustinus, tribus libris, sed non eodem tempore *contra Literas Petiliani Donatistæ*, scriptis. Libro primo doctrinam Petilian. de Baptismo in genere examinat. Libro secundo Petiliani Epistolam κατὰ πόδας sequitur, ac penè integram dissertationi suæ interserit, & ad examen tre vocat. Libro tertio reliqua ipsius Petiliani Scripta perversa percurrit & refellit. Hoc Augustini contra Petilianum opus, ad annum CCCC. vel CCCCII. referunt Benedictini Parisienses.

ANONYMUS *Vitæ S. Martiniani* conditor σύγχρον☉, exeunte hoc sæculo, circa annum CCCXCIX. claruisse videtur. Scripsit *Vitam S. Martyniani*, qui in monte quodam propè Cæsaream in Palæstinâ, sub Theodosio Magno, ejusque filiis, vitam egit eremiticam. Exhibent *hanc Vitam* Latinè Surius & Bollandiani *Februar.* XIII. Extat Græcè in Biblioth. Cæsareâ inter *Historicos Ecclesiast.* Cod. III. num. 21. fol. 109. teste *Nesselio Catal.* Part. V. p. 9. SÆC. IV. ab An. CCC 399. P.II.

400. P.II. FAUSTUS, gente Afer, civitate Melevitanus, Manichæorum in Africa Episcopus, claruit anno CCCC. vir eloquio suavis, ingenio callidus; loquax potiùs quàm eloquens, sciolus magis quàm solidè doctus. Augustino dubiis nonnullis, dum eo in errore versaretur, laboranti, hunc tanquàm Oraculum quoddam commendârunt Manichæi, quem Carthaginem venientem sæpè convenit Augustinus, & frequentes cum eo sermones serebat. At præter vultum congruum & decorum eloquium nihil ferè in eo reperit. Erat enim in rerum naturalium scientiâ parùm versatus, in religionis cognitione rudis & imperitus, quem tamen fama pervulgata præferebat, esse honestarum doctrinarum peritissimum, & apprimè disciplinis liberalibus eruditum. Scripsit volumen adversus rectam Christianam fidem & Catholicam veritatem. Hoc rogantibus fratribus refutandum in se suscepit Augustinus, quod & magnâ curâ, nec minore judicio & eruditione præstitit, editis contra Faustum Manichæum libris XXXIII. In quibus Faustum κατὰ πόδας sequitur, integrumque ejus librum in suum opus transcripsit. Extant hi libri unà cum Fausti opere membratim discerpto Tom. VI. col. 213. De Fausto plura habet Augustinus lib. I. & præcipuè *Confess.* lib. V. cap. 3. 5. 6. 7.

Scriptores Gentiles Religionis Christianæ hoc Sæculo oppugnatores.

302. HIEROCLES, Philosophus, an solum homo politicus, non liquet. Claruit, ineunte hoc sæculo, circa ann. CCCII. Persecutionis sub Diocletiano ferventis auctor & ἐργοδιώκτης maximus. Bithyniæ primum ex Vicario Præses, deinde Alexandriæ Præfectus. Utrobique in Christianos mirè desæviit. Cum eo Nicomediæ tunc agens congressus est Lactantius * ; etsi enim nomen ejus suppresserit †, alibi tamen disertè nominat, atque Auctorem ac Consiliarium ad faciendam persecutionem fuisse dicit. Priore loco hæc de illo verba habet. *Alius eandem materiam mordacius scripsit; qui erat tum è numero Judicum; & qui auctor imprimis faciendæ persecutionis fuit: quo scelere non contentus, etiam scriptis eos, quos afflixerat, insecutus est. Composuit enim libellos duos, non contra Christianos, ne inimicè insectari videretur; sed ad Christianos; ut humanè ac benignè consulere putaretur: in quibus ita falsitatem Scripturæ Sacræ arguere conatus est, tanquam sibi esset tota contraria; nam quædam capita quæ repugnare sibi videbantur, exposuit; adeo multa, adeo intima enumerans, ut aliquando ex eadem disciplina fuisse videatur.* Hos libros λόγυς φιλαλήθεις nuncupavit; opus admodum virulentum, quo inter alia Apollonium Tyaneum, magum famosissimum, Christo Domino comparavit, & vel paria, vel etiam majora fecisse contendit. Extat Fragmentum unicum apud Euseb. lib. advers. Hierocl. non longè ab initio. Alius à nostro, & ætate junior Hierocles ille qui scripsit *de fato* apud Photium; ut in Eusebio Cæsariensi supra monuimus.

* Instit. lib. 5. c. 2.
† De mort. Persec. c. 16. p. 30.

HIEROCLES, Philosophus, Bithiniæ Vicarius, posteà Præses, tandem Alexandriæ Præfectus, claruit anno CCCII. Non modo auctorem & consiliarium faciendæ in Christianos persecutionis Diocletiano fuisse, sed & scripsisse opus *ad eosdem*, multo sale & acumine conspersum, testis est Lactantius, qui hoc ipso tempore Nicomediæ vixit, *Instit.* lib. V. cap. 2. pag. 462. Auctoris quidem nomen supprimit; alibi tamen profert, *de Mort. Persec.* c. 16. pag. 124. Eundem quidem esse extra omne dubium ponit Eusebius, in libro quem contra Hieroclem scripsit. Integrum Hieroclis Opus duobus constabat libris, quos λόγυς φιλαλήθεις πρὸς χριστιανὺς vocavit, *non contra Christianos, ne inimicè insectari videretur, sed ad Christianos, ut humanè & benignè consulere putaretur*, ut Lactantii hâc de re verba sunt. In nefario hoc opere plurima effutivit de Scripturarum contrarietate, de Pauli Petrique dissidio, de Apostolorum fraudibus & imperitiâ, & quod omni majus blasphemiâ est, de Christi Domini nostri latrociniis; cujus miracula, longè infra ea, quæ ab Apollonio Tyanæo, Magorum omnium famosissimo, patrata erant, fuisse, ostendere conatus est. Posterioris hujus Operis partem de comparatione Apollonii cum Christo, refutandam in se suscepit Eusebius libro contra Hieroclem; quod & satis jejunè præstitit, cùm potiùs Philostrati libros *de Vita Apollonii* in eo opusculo breviter percurrit & refellit. Quædam Hieroclis fragmenta, nondùm edita, penes se habet Cl. Galæus. Meminit cujusdam Hieroclis Libanius in Epistolis ἀνεκδότοις, qui 302. P.II.

& è

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. & è numero Magistratuum fuisse videtur. Hic verò idem vix esse potuit, cum noster ipso hujus sæculi initio, magni nominis, dignitatis, & ætatis, imperante adhuc Diocletiano fuerit. Meminit & Hieroclis Suidas in voc. τεμνυσι φάρμακον. Sed is à nostro diversus planè mihi videtur. Nec alius forte quàm qui *Hippiatrica* conscripsit. De Hierocle ejusque Scriptis, aliisque qui hoc nomine insigniti fuerint, prolixè atque eruditè agit, judicio & ἀκριβεία quâ solet omnia, Pearsonus noster, in prolegomenis quæ Hieroclis Opusculis in unum collectis, præmisit, *Lond.* 1654. 8°.

ANONYMUS, Philosophus Nicomediensis, eodem loco & tempore celebris, quem vitiis suis satis infamem eleganter depingit Lactantius loco citato. Hic eodem quo Hierocles tempore, viz. sub Diocletiani persecutione, jacenti atque adjectæ veritati, nescio utrum superbiùs, an importuniùs insultavit; atque contra religionem nomenque Christianum *tres libros* evomuit; professus ante omnia, inquit Lactantius, Philosophi officium esse *erroribus hominum subvenire, atque illos ad veram viam revocare*, id est, ad cultus Deorum; adeoque se hoc munus suscepisse, Philosophiâ dignum, ut non videntibus lumen sapientiæ præferret; utque pertinaci obstinatione depositâ, corporis cruciamenta devitarent; post multa quæ de hoc opere Auctorisque consilio habet Lactantius, subdit, *Verum hic pro suâ inanitate contemptus est, qui & gratiam quam speravit, non est adeptus, & gloria quam captavit, in culpam & reprehensionem conversa est.* Hujusce Philosophiæ Antistitis nomen quidem tacuit Lactantius: Porphyrium fuisse contendit * Baronius. Verum quæ de Philosopho nostro tradit Lactantius, Porphyrii nec moribus, nec ætati, nec librorum numero admodum conveniunt. Pereat itaque cum ipso opere Autoris nomen, æternis tenebris non immeritò damnatum.

* Ad ann. CII. n. 51. 57.

360. LIBANIUS, Patriâ Antiochenus, professione sophista, clar. ann. Christ. CCCLX. & ad extrema Theodosii M. tempora perduravit, ab eo ad Prætorio-Præfecti dignitatem evectus, Constantinopoli, Nicomediæ, denique Antiochiæ Rhetoricam docuit. Multa de se habet libro quem de vitâ suâ conscripsit, ubi de se rebusque suis usque ad nauseam agit; in Christianos sæpius stylum stringit, præsertim tribus Orationibus. Prima *, quæ Μονῳδία εἰς Ἰελιανὸν dicitur, Constantinum M. tectè carpit, (ipsum enim intelligi notat Scholiastes) quod Gentilibus bellum vehemens & indesinens intulerat, ignem sacrum planè extinxerat, quod hostiarum suavitatem inhibuerat, arasque calcibus everti permiserat, sacra verò & delubra partim clausit, partim defodit, & prophana renunciavit, atque meretriculis habitandum concessit. Secunda Ἐπιτάφιος ἐπὶ Ἰελιανῷ dicta, admodum est prolixa, quâ non modo Constantium Imp. perstringit, & Christianam religionem clàm sugillat, sed & Juliani necem in Christianos, (quos τὰς ζῶντας ἐ κατὰ τὰς νόμους vocat) apertè rejicit, subditque, eos hunc in finem jamdudum insidias paraffe. Orationem adhuc Libanii nondum vulgatam ὑπὲρ τῆς τιμωρίας Ἰελιανε, in quâ eos ad supplicium conquiri postulat qui Juliani necis Autores fuerant, in Bibliothecâ Oxoniensi MS. extare, fidem nobis facit sui temporis ornamentum Gerardus Langbainus Not. ad Longin. pag. 53. Tertia denique, quæ edita habetur, Oratio est *de Templis Gentilium* Theodosio M. oblata, in quâ non modò Religionis Paganæ solennitatum, Ædiumque sacratum ex professò causam agit, sed & Christianos, præsertim Episcopos & Monachos, in diruendis Gentilium templis præcipuè operam navantes, levato velo, & γυμνῇ τῇ κεφαλῇ vehementiùs accusat. Priores duæ Orationes inter Luciani Opera habentur Tom. II. posteriorem notis illustratam Græc. Lat. edidit Jacobus Gothofredus.

* P. 252.

LIBANIUS, Sophista Antiochenus, Phasganii filius, Diophanti discipulus, claruit anno CCCLX. & ad Theodosii Magni tempora pervenit, teste Suidâ. Quin grandævus admodùm decesserit, si modò verum sit quod tradit Synesius * ei ætate suppar, (Libanium enim Sophistam intelligi in Scholiis suis nos docet Nicephorus Gregoras) nempe ipsum jam nonagenarium; in fictis argumentis declamitandis operam & studium posuisse. Præter Orationes ejus & Declamationes Græcè Latinè editas *Paris.* 1606. II. Vol. *fol.* & Orationes V. quas Græcè Latinè cum notis edidit Gothofredus *Genev.* 1631. 1634. 4°. habentur Græcè MSS. apud Galeum nostrum plures Libanii Epistolæ necnon Orationes quæ sequuntur. I. *Oratio* ὑπὲρ τῆς τιμωρείας. Pr. Ουκ ἀρκεῖ τοῦτο, &c. II. *Oratio* πρὸς τὰς βαρὺν αὐτὸν καλίσαντας. Pr. Ὡς ἦ βαρὺς ὡς ἦ ἀπεχθής. &c. III. *Oratio ad Antiochenos.* Pr. Ἃ μὲν ὑπὲρ πόλεως. *Orationis funebris* in necem Juliani pars magna, quæ in editis desideratur. In hâc Libanius ait Julianum noctes hyemales consumpsisse in confutandis iis libris (sacras Christianorum Scripturas intelligit) qui τὸν ἐκ Παλεςίνης ἄνθρωπον, Θεόν τε, καὶ Θεοῦ παῖδα ποιοῦσι. *qui hominem istum ex Palestina ortum, Deum, Deique filium faciunt.* Et in hoc conatu Julianum, ipsum Porphyrium (quem Τύριον γέροντα vocat) superâsse. Verùm si ex pede Herculem, ex istius operis fragmentis quæ hodiè apud Cyrillum Alexandrinum reperiuntur judicare liceat; operam atque oleum perdidit Julianus, & malignum potiùs in Christianos animum, quàm vel ingenii acumen, vel invictum aliquod argumentorum robur ostendisse, censendus erit.

SÆC. IV. ab An. CCC. — 360. P. II. — * De Insomn. p. 157.

JULIANUS, Domo Constantinopolitanus, Constantii fratris Constantini M. filius natu minor, ordine tertius, natus an. CCCXXXI. Septennis adhuc Mardonium Eunuchum Præceptorem sortitus est; quem Paganismi suspectum immeritò reddit * Baronius. Postea Nicomediæ Maximum Philosophum audivit; quin & cum Libanio Sophistâ clam congressus est: quò verò omnem Constantii suspicionem eluderet, etsi Gentilium superstitionibus impensè & ex animo faveret, Christianam tamen professionem, ipsomet fatente Libanio, splendidè simulavit: quin & in Ecclesia Nicomediensi lectorum Albo inscribi voluit. Postea totam ferè Græciam peragravit; sacrisque Gentilium mysteriis initiatus est. Anno CCCLV. Cæsareâ dignitate ornatus, in Galliam à Constantio mittitur, ubi exacto quinquennio Augustus à Militibus renunciatus, dum adversus Constantium castra movet, mortuo in itinere Constantio solus imperium tenuit. Imperator factus nil prius habuit, quàm ut extirpatâ penitus religione Christianâ, Gentilismum ab Orco revocaret; quo fine inter alia non modo Christianæ legis Antistites dissidentes inter se commisit, non modo hæreses quascunque fovebat, sed & Christianorum liberis interdixit, ne gentilium scholas frequentarent, ut Poeticæ, Rhetoricæ vel Philosophiæ studiis erudirentur, οἰκείοις γὰρ πτεροῖς, inquit, κατὰ τὴν παροιμίαν, βαλλόμεθα. *Nostris enim pennis, ut est in vetere proverbio, configimur.* Quod quidem *inclemens, & perenni silentio obruendum* esse fatetur * Amm. Marcellinus, homo gentilis, qui sub hoc ipso Juliano militavit. Nec his contentus Julianus, missis ubique literis Christianos ludibrio habuit: dicteriis

* Ad annum CCCXXXVIII. n. 57.

Vid. Sozom. l. 5. c. 18. Theod. l. 3. c. 8.

* Lib. 22. p. 1626.

ac scommatibus excepit; honoribus & dignitatibus exuit, legibus coercuit, suppliciis contrivit, scriptis laceravit; quin & dum adhuc in expeditione Parthicâ hæreret, tribus, quos scripsit, libris, Christianam fidem acerrimè impugnavit, καὶ τῶν ἁγίων εὐαγγελίων, καὶ κατὰ τῆς εὐαγοῦς τῶν Χριστιανῶν θρησκείας, inquit Cyrillus Alexandrinus, qui hos ipsos libros validè refutavit; operique suo, omissis duntaxat in Christum ejusque religionem invectivis, maximam librorum Julianæorum partem intexuit. Operum ejus Tom. IV. Reliqua Juliani opera cum Dion. Petavii notis edita sunt Gr. Lat. *Paris.* 1630. 4°. Extat Latinè *Iuliani Epistola ad Photinum hæreticum,* non tamen integra, *adversus Diodorum Tarsensem,* quem *Nazaræi Magum* appellat; in quâ Christum Dominum *novum illum & confictæ Deitatis Deum Galilæum*; ejusque cultum *agrestem Religionem* vocat impius ὁ παραβάτης ap. Facundum Hermianensem lib. 6. c.2. edit. noviss. p. 59.

361. HIMERIUS, ex Bithiniâ ortus, Aminii Rhetoris filius, Sophista Clar. ann. CCCLXI. obiit grandævus, oculis captus, morbo Comitiali correptus. Edidit declamationes varias, quibus (teste Photio) latenter mordentes imitatus Canes, Christianos allatravit.

379. P.II. D. MAGNUS AUSONIUS, natione Gallus, domo Burdigalensis, Julii Ausonii Medici filius, primùm in civitate patriâ Grammaticus & Rhetor, deinde in Aulam accitus, à Valentiniano Imp. Gratiani Augusti Præceptor constitutus est. Ab eo jam ad Imperium evecto, factus est Consul, ejusque Insignia gessit, anno CCCLXXIX. Vir Græcè Latinèque peritissimus, in Poësi summus, cui non deerat ingenium lepidum, acutum, eruditio varia ex Veterum fontibus hausta. Haud benè conveniunt eruditi, Christianis, an Gentilibus sit annumerandus. Christianum fuisse volunt, Elias Vinetus, Crinitus, Gyraldus, Bellarminus, qui illum hoc nomine Scriptoribus Ecclesiasticis accenset. Gentilem J. G. Vossius *de Poët. Lat.* pag. 55. Ol. Borrichius *Dissert. Acad. de Poët.* p. 7?. Certè si *versus Paschales*, & *Oratio* quæ inscribitur *Matutina*, genuina sint, fuisse primæ notæ Christianum extra omne dubium res erit. Sed suspicari licet, faventibus etiam quibusdam MSS. ea potius Paulino, Ausonii discipulo, esse tribuenda. In operibus indubitatis more Gentilium Poëtarum ubique loquitur, Paganæ religionis ritus & antiquitates accuratè depingit, formulas retinet, --- *faveant pia numina divûm*; & istiusmodi plura. Petulans & lasciva discendi vena, à Christiano pectore plurimùm abhorret, ut *monstri instar* apud se esse ingenuè fatetur Cl. Rittershusius, *hominem Christianum, & ut apparet, non nomine tantum, sed & pectore, & moribus, adeò sæpè lasciva atque improba scribere potuisse, ut nisi nomen Ausonii esset adscriptum, Bilbilitanum* Poëtam *te legere putes.* Acriori censura Julius Scaliger *Poët. lib.* VI. cap. 5. *Scripsit nonnulla adeò fœda, atque detestanda, ut neque Scriptore, neque Auditore digna, non in spongiam incumbere merita sint, sed solis flammis expiari posse videantur.* Ut de arctâ ejus atque intimâ cum Symmacho Præfecto, Christiani nominis hoste infensissimo, amicitiâ, nil dicam. Fateor in ejus genuinis occurrere mihi locum unum, alterumve, qui primâ saltem facie, Christianam fidem sapere videtur. Ita *Epist.* XXIV. *ad Paulin.* vers. 112. ubi de Paulini in patriam reditu à se calidis votis exoptato agens, Deum Patrem, Filiumque agnoscere videtur.

----certa est fiducia nobis
Si genitor natusque Dei pia verba volentum
Accipiat, nostro, reddi te posse, precatui.

Quæ forsan ad hominem, & in Paulini gratiam dicta sunt. Ita in carmine, quod *Gryphus* inscribitur, ubi de numero ternario agit, ad sacram Trinitatem digitum intendere videtur, vers. LXXXVIII.

----Tris numerus super omnia; Tris Deus unus.

Verùm in isthoc Poëmate, omnia penè obscura, & ænigmatica sunt. Quid multa? Quisquis Epistolas, quæ ipsum inter & Paulinum intercedunt diligenter contulerit, eum à Christianâ religione alienum esse, facilè videbit. Hinc in Paulinum, qui, ut vitam arctiorem, & homine Christiano dignam amplecteretur, ad Montes Pyrenæos confugerat, acriter invehitur, ac si insaniæ morbo laboraret; perinde ac de sui temporis Monachis Rutilius, Epist. XXV. in fine.

Tristis, egens, deserta colat, tacitusque pererret
Alpini convexa jugi; ceù dicitur olim
Mentis inops, cœtus hominum, & vestigia vitans,
Avia perlustrasse vagus loca, Bellerophontes.

Ausonii Opera melioris notæ ediderunt Jos. Scaliger, Elias Vinetus, & novissimè cum variorum notis Jac. Tollius, *Amstel.* 1671. 8°.

AMMIANUS MARCELINUS, ortu Græcus, domo, ut videtur, Antiochenus vitæ instituto miles, clar. circ. ann. CCCLXXX. etiam diu antea non incelebris. Scripsit *Historiam Romanam*, cujus extant hodie libri XVIII. in quibus Christianos non unâ vice carpit, licet de ipsa, quam profitebantur, religione magis candidè loquatur. Præstantissima Ammiani editio est *Parisiensis* illa, quam Lindenbrogii & Henrici Valesii notis auctioribus ornatam post fratris mortem evulgavit Hadrianus Valesius *Paris.* 1681. fol. Dissertationem de vita & scriptis Ammiani promisit Claudius Chifletius, in qua spem nobis facit deperditos Marcellini libros alicubi hodie delitescere. 380.

EUNAPIUS, apud Sardes natus, Chrysanthii, dein Proæresii, discipulus, Sophista, Medicus Historicus non incelebris, clar. circ. ann. CCCLXXX. Christiano nomini, quàm infestus sit, satis testatur *liber de vitis Philosophorum ac Sophistarum*, præsertim quæ in hanc rem habet in Vit. *Ædesii*, *Maximi*, & forsan alibi. Extat lib. Gr. Lat. *Genev.* 1616. 8°. alibique non semel. 380.

Q. AUR. SYMMACHUS, Româ oriundus, ejusdemque urbis Senator, & Præfectus, clar. præcipuè an. CCCLXXXIV. Consulatum gessit an. CCCXCI. Infensum Christianæ religioni animum ubique prodit, in primis in *Relatione pro Arâ victoriæ*, quam Imp. Valentiniano obtulit, in quâ Gentilium causam strenuè & ex professo agit, adversarium nactus D. Ambrosium Mediolani Episcopum, qui Symmachi Opus eleganter & strenuè refellit: Nec causâ suâ modo excidit Symmachus, sed & paulò post tanquam reus Majestatis, vili Rhedæ impositus centesimum ab urbe lapidem in exilium missus est; mox licet à Theodosio in gratiam receptus. Extat hæc Symmachi *Relatio*, tum inter Ambrosii Opera, tum inter Symmachi Epistolas; quæ cum Fr. Jureti & Joan. Lectii notis prodierunt *Genevæ* 1598. 8*vo*. additisque decem miscellaneorum libris *Paris.* 1604. 8*vo*. additisque decem miscellaneorum libris *Paris.* 1604. 4*to*. cum notis Paræi, *Neap. Nemet.* 1628. 8.

CL. CLAU-

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An.CCC. P. II. 395. CL. CLAUDIANUS, ortu Ægyptius, Tribunus & Notarius, claruit anno CCCXCV. *Conſulatu Olybrii & Probini*, quem eleganti carmine celebravit. Cui ob egregia in Rem Literariam merita, petente Senatu, Arcadius & Honorius Statuam in Foro D. Trajani poſuerunt. In *Inſcriptione* inter cæteras ingentes artes, *Poëtarum prægloriſiſſimus* vocatur; & carmina ab eodem ſcripta, ad memoriam ſempiternam ſufficere dicuntur; addito hoc epigrammate Græco.

> Ἐιν ἐνὶ Βιργιλίοιο νόον καὶ μοῦσαν Ὁμήρου
> Κλαυδιανὸν Ῥώμη καὶ Βασιλεῖς ἔθεσαν.

Chriſtianum fuiſſe affirmat Chriſtoph. Landinus ineptè. A Chriſti nomine alienum eſſe diſertè tradit ei tempore æqualis S. Auguſtinus *De Civ. Dei* l. V. cap. 26. *Edit. Par.* pag 142. immò *paganum pervicaciſſimum* vocat P. Oroſius l. VII cap. 35. fol. 332. pag. 2. Unde jure quis inferre poſſit, ipſum ſcriptis editis fidem Chriſtianam oppugnâſſe, etiamſi in iis quæ ſuperſunt, nulla veſtigia deprehenduntur. *Carmen Paſchale*, *Laus Chriſti*, *Miracula Chriſti*, quæ operibus ejus ſubjungi ſolent, juniori cuidam, & forſan Claudiano Mamerto, adjudicanda ſunt.

399. P. II. MAXIMUS gente Afer, civitate Madaurenſis (Africæ propriæ oppidum erat, inter Numidiam & Getuliam) profeſſione Grammaticus, S. Auguſtino familiaris, claruit exeunte hoc ſeculo, circa annum CCCXCIX. Homo gentilis & religionis ſuæ zelo flagrans, ſcripſit *Epiſtolam ad Auguſtinum*, quâ deorum ſuorum cultum vindicat, aitque, *ſe unum eſſe Deum ſummum, ſine initio, ſine prole naturæ confiteri, ejuſque virtutes per mundanum opus diffuſas multis vocabulis invocare. Ita fit*, inquit, *ut dum ejus quaſi quadam membra carptim variis ſupplicationibus proſequimur, totum colere profectò videamur.* Deinde in Chriſtianos invehitur; partim quòd Deum quem quaſi proprium ſibi vendicarent in locis abditis ſe videre affirmarent; partim quòd relictis Templis, & neglectis Majorum ſuorum manibus, hominum mortuorum buſta ſtultò frequentarent. Hinc Martyres quoſdam Punicis vocabulis inſignitos, ludibrio exponit, *Mygdonem* ſeu *Migginem*, *Sanaem*, *Lucitam*, & præ omnibus *Archimartyrem*, *Namphanionem*. Per *Namphanionem* quis hic denotetur, haud facilis eſt conjectura, nec à quoquam id tentatum memini. Si in re obſcurâ conjectare fas erit, non alium quàm Chriſtum Dominum noſtrum deſignari putem: partim quòd *Archimartyr* appellatur, qui modo ſcilicet eminentiori præ aliis Martyribus, pro religione à ſe inſtitutâ paſſus eſt, partim quòd cum alii huic vel illi numini præferantur, *hunc*, inquit, *proh nefas! diis immortalibus prætulerint Chriſtiani*; partim denique quòd interprete Auguſtino in Litteris reſponſoriis, *Namphanio* linguâ Punicâ, nihil aliud ſignificet quàm *boni pedis* hominem; i. e. *cujus adventus afferat aliquid fælicitatis; ſicut ſolemus dicere, ſecundo pede introiiſſe, cujus introitum proſperitas aliqua ſecuta ſit.* Quod Domino noſtro apprimè convenit, qui optato pede in mundum venit, & obambulavit εὐεργετῶν. De quo Propheticum illud imprimis dictum eſt, *quam pulchri ſuper montes ſunt pedes prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem?* Neſcius non ſum in *Martyrologio Romano* Julii IV. celebrari memoriam S. *Namphanionis Martyris*, & *Sociorum*, *quos ille roboravit ad pugnam, & ad coronam provexit*, *quique Madauri in Africâ paſſi ſunt.* Verùm hæc omnia, ex his ipſis Epiſtolis deſumpta eſſe quis non videt? quin & in notis ſuis diſertè fatetur illuſtriſſimus Baronius. Concludit Maximus, ſolenni formulâ, *dii te ſervent*, *per quos & eorum*, *atque cunctorum mortalium communem Patrem, univerſi mortales, quot terra ſuſtinet, mille modis concordi diſcordiâ veneramur & colimus.* His reſpondens Auguſtinus *Epiſtola ſequenti*, hominem acerrimè perſtringit, oſtenditque ſi ludicra agere vellet, ſe par pari referre poſſe; hominem verò graviter monet, ut in hoc argumento ſeriò verſetur; paratum ſe fore, de his pro argumenti dignitate diſceptaturum. Claudit Epiſtolam his verbis, *ne te hoc lateat, & in ſacrilega convicia imprudentem trahat, ſcias à Chriſtianis Catholicis, quorum in veſtro oppido etiam Eccleſia conſtituta eſt, nullum coli mortuorum, nihil denique ut numen adorari, quod ſit factum & conditum à Deo, ſed unum ipſum Deum qui fecit & condidit omnia.* De tempore quo ſcriptæ ſint hæ Epiſtolæ non conſtat. Referunt eas noviſſimi editores ad annum CCCXC. Cùm ſequenti, Idolorum cultus Imperatorum lege prohibitus ſit. Sed nullum inde duci poteſt argumentum, cùm non hoc modò, ſed & quovis ferè anno ſequenti *Conſtitutiones Imperiales* hâc de re latæ ſint; ut in *Codice Theodoſiano* videre eſt, nempe ann. CCCXCII. CCCXCV. CCCXCVI. anno CCCXCIX. quatuor, quarum duæ ad Africam propriè ſpectant, iterumque anno CCCCVIII. ne ulteriùs pergam. Habentur hæ Epiſtolæ *Edit. Noviſſ.* XVI XVII. in vulgaribus editionibus num XLIII. XLIV.

SÆC. IV.

Concilia hoc Sæculo habita.

SÆC. IV. ab An.CCC. 305. P. II. ELIBERITANUM, Eliberi, quæ Hiſpaniæ Bœticæ urbs eſt, ad reſtaurandam collapſam Eccleſiæ diſciplinam, moreſque Chriſtianorum reformandos, fervente jam perſecutione anno CCCV. ex vulgari calculo *Idibus Maiis* congregatum. Aderant Epiſcopi XIX. (alii codices habent XLIII.) & in his Oſius Cordubenſis, Presbyteri XXVI. (alii XXXVI.) adſtantibus Diaconis, omnique plebe. Condiderunt Canones LXXXI. ſeverioris diſciplinæ, & antiquæ virtutis ac pietatis indices, qui cum notis Binii, ex Garſia Loaisâ maximam partem deſumptis, Gab. Albaſpinæi, & ampliſſimis doctiſſimiſque Ferd. de Mendoza Commentariis habentur Conc. Tom. I. pag. 967. His addi poſſunt XIII. Diſſertationes Illuſtriſſimi Cardin. D'Aguirre, quas noviſſimæ ſuæ *Conciliorum Hiſp.* Collectioni inſeruit, quibus hiſtoriam hujus Concilii, locum, annum, & plures ejus Canones mirè illuſtrat. Vid. ejus *Notit.* p. 41. Verùm præter primam, quâ de tempore & anno hujus Synodi agit, quam circa menſem *Majum* anno CCCIII. celebratam fuiſſe contendit, reliquas Diſſertationes penitùs omiſit, Ferdinandi de Mendoſa, Gonzales, &c. ſuoſque etiam

Digitized by Google

etiam ubi opus erat, commentarios exhibuisse contentus, ut ex ipso Opere jam edito videre est. Præterea de tempore hujus Concilii litem haud ita pridem movit Cl. Baluzius, * qui illud post Ancyranum, & Neocæsariense, aliquantò ante Nicænum, celebratum esse arbitratur, eâ imprimis ratione ductus, quod Concilii Sardicensis Canone XIV. de laico per tres Dominicas in civitate commorante, nec conventum celebrante, dicit Osius, *Memini autem superiore Concilio fratres nostros constituisse ut aliquis laicus, &c.* quæ de Concilio Eliberitano intelligenda esse, contendit Baluzius, Osiumque ad illius Canonem XXI. respexisse, quo tale quid statuitur. Sed 1. Potuit hujusmodi Canon in Synodo aliquâ paulò ante Sardicensem habitâ, statui, & certè ex vi vocum istarum *Superiore Concilio*, apertè satis innuitur. Quo quidem tempore alia planè erat tum Ecclesiæ, tum Reip. facies, quam Synodi Eliberitanæ Decreta nobis repræsentant; nec melius cum ea congruunt, quam altæ Hyemis tempestates, cum æstivalis cœli, solisque, calore, splendore, serenitate, conveniunt. 2. In textu Græco verba aliter se habent † Μέμνεσθε δὲ καὶ ἐν τῷ προάγοντι χρόνῳ τοὺς πατέρας ἡμῶν κεκρικέναι, *Recordemini autem Patres nostros in tempore præterito judicasse.* Quæ Synodi Eliberitanæ tempori aptè satis congruunt. Textum verò Græcum si non authenticum & Originalem, ex eo saltem in Græcorum usum immediatè fuisse expressum, omnibusque quas habemus hodiè, Dionysii exigui, & Isidori Mercatoris versionibus antiquiorem, nemo opinor temerè negabit.

* Collect. Nov. p. 23.

† Can. XI.

305. P. II. CIRTENSE (Cirta Numidiæ erat Metropolis, postea *Constantina* dicta) Diocletiano & Maximiano purpuram deponentibus, IV. Nonas Maii, vel, ut alii, III. Nonas Martias anno CCCV. ab undecim Episcopis (quorum septem Traditores fuerant) Præsidente Secundo Tigisitano Primæ Cathedræ Episcopo in domo Urbani Donati (Christianorum Basilicis nondum restitutis) habitum. De anno sibi haud satis constat Augustinus. Quippe lib. III. *contr. Cresc. c.* 27. coactum fuisse ait Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Coss. seu anno CCCIII. Verùm hoc tempore in Africâ maximè fervebat persecutio. Ut mendum in Actis apud Augustinum cubare necesse sit. Ac proinde in *Brevic. Collat.* III. c. 17. rectius rejecit in annum post Consulatum Diocletiani IX Maximiani VIII. id est, ann. CCCV. In hoc Concilio primò de Traditoribus sub nuperâ persecutione inquisitum est, & quisque prout poterat, facti sui excusationem affert, omnesque tandem mutuis suffragiis absoluti sunt. Deinde Silvanus subdiaconus Cirtensis, qui & ipse Traditor fuerat, in Pauli nuper defuncti locum Cirtensis Episcopus ordinatus est. Quæ supersunt Acta extant ap. August. *contr. Cresson. Grammat.* lib. III. cap. 27. col. 258. Hujus Concilii meminit Optatus, ad ejus Acta provocat, & quædam ex iis summatim exhibet lib. I. p. 16. Hujus Synodi auctoritatem rejecerunt postea Donatistæ, ejus Acta ficta esse contendentes, quibus os mox obturarunt Catholici, ut ex Breviculo Collationis Carthaginensis abunde liquet.

306. P. II. CARTHAGINENSE I. Circa annum CCCVI. (vel ut alii rectius opinor CCCXI.) à LXX. Donatistarum Episcopis celebratum. In hoc, Cæcilianum Carthaginensem Antistitem, tanquàm *Traditorem*, damnârunt, eique Majorinum quendam substituerunt. Vid. *Optatum lib.* I. *& August. Epist.* CLXII, CLXIII. & *Brevic. Coll. cap.* XVI. De Schismate Donatistarum & Conciliis ea occasione habitis agunt scriptores penè in-niti; post alios omnes hanc Historiæ Ecclesiasticæ partem diligenter non minùs quàm accuratè exco-luit vir planè eruditus Th. Ittigius *Dissert.* II. *Heptad. Dissertationum Ecclesiast.* quam nuperrimè in lucem emisit *Lipsiæ* 1696. 4°.

ALEXANDRINUM I. Circa annum CCCVIII. sub Petro Alexandriæ Episcopo, in causâ Meletii celebratum: quo, Meletius Episcopus Lycopolitanus, multorum quidem criminum reus, imprimis quod idolis sacrificasset, ἐν κοινῇ Συνόδῳ τῶν ἐπισκόπων, *in communi Episcoporum Concilio* depositus est, homine mox in apertum schisma erumpente; ut disertè tradit, qui rem gestam nescire non potuit, ipsemet Athanasius *Apol.* II. p. 603. *Disput.* 2. *contr. Arian.* pag. 136. Consona habet Patricius Ararsius scriptor quidem penitus ignotus, *lib.* quem *Oceanum* cognominavit. Ex quo Fragmentum adducit *Libelli Synodici* auctor p. 14.

CARTHAGINENSE II. à CCLXX. partis Donatisticæ Episcopis circa annum CCCVIII. juxta Baronium, habitum. In quo post LXXV. dierum disputationem, communi consensu decretum est, ut *Traditores*, immensi quidem criminis rei, etiamsi baptizari nollent, ad Communionem nihilominus reciperentur. De hâc Synodo vide quæ habet August *ad Vincent. Epist* XLVIII. De tempore hujus Synodi à Baronio dissentiunt Valesius * & Pagius †, contendentes, habitam fuisse post inchoatum demum schisma Donatistarum, imò Donati Carthaginensis Episcopi & Deuterii temporibus, aliquot post Nicænum Concilium annis. 308. P. II.

* De Schis. Donat. c. 3. ad calc. Euseb. p. 292.

† Crit. Hist. Chron. ad an. 308. Num. III. IV.

CARTHAGINENSE III. anno CCCXI. à Secundo Tigisitano, & LXX. partis Donatisticæ Episcopis, in causâ Cæciliani congregatum; quo, procurante id maximè Lucillâ, potentissimâ & ditissimâ muliere, Cæcilianum Carthaginensem Episcopum, ejusque ordinatores damnarunt & deposuerunt, substituto in ejus locum Majorino, qui Cæciliani, adhuc Archidiaconi Lector fuerat. Plura habent Optatus l. I pag. 20. Augustinus *ad Episcopos Donatist. Epist.* CLXII. 311. P. II.

ROMANUM I. anno CCCXIII. in causâ Cæciliani, Præside Melchiade Papâ, Constantini M. literis convocatum. Convenerunt Episcopi XIX. *6. Non. Octobr.* in Laterano in Domum Faustæ; à quibus Cæcilianus absolvitur, damnantur Donatistæ. Tribus Sessionibus Synodus absoluta est. *Sessione* I. Donatistæ, oblato libello, Cæcilianum multorum criminum accusârunt, Cæciliano è contra Donatum accusante. *Sess.* II. alium *adversùs Cæcilianum* libellum obtulerunt. *Session.* III. auditis omnibus, quæ dici poterant, & pleniùs examinatis, Donatus tanquam Schismatis reus damnatur, Cæcilianus à Donatistarum accusationibus, judicio Synodali absolvitur. Acta hujus Concilii extant ap. Optatum lib. I. pag. 25. & Conc. Tom. I. p. 1403. ubi etiam Anulini Proconsulis, & Constantini M. de hâc re Literæ habentur. Vide August. *Epist.* CLII. & *Brev. Coll.* cap. 3. 313. P. II.

ARELATENSE I. Constantini Magni jussu, eadem de re, anno CCCXIV. celebratum. Interfuerunt Episcopi CC. Quorundam nomina, sed mendosè admodùm, hodie subscripta reperiuntur; à quibus Cæciliani causa iterum absolvitur, & innocentia vindicatur; Canones XXII. ad Eccle- 314. P. II.

siæ

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. siæ mores & disciplinam spectantes, conduntur. Extant, Simondi, Binii, Ducæi, Albaspinæi, notis illustrati, unà cum *Epistola Synodali*, variisque Constantini Magni literis, tùm ante tùm post Synodum scriptis, Conc. T. I. p. 1421. Ad calcem, *Gesta purgationis Cæciliani & Fælicis*, ex Appendice *Optatianâ* subjiciuntur. Arelatensi huic Synodo intererant etiam ex Britanniâ nostrâ Episcopi tres, Eborius Episcopus Eboracensis, Restitutus Londinensis, Adelphius de civitate Coloniâ Londinensium, unà cum Sacerdote Presbytero, & Arminio diacono, quorum subscriptiones hodie deprehenduntur. Vide quæ habet Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. pag. 39. ubi & hujus Concilii canones reperire licet.

315. P. II. ANCYRANUM I. Ancyræ in Galatiâ ab XVIII. Episcopis, ex Asiâ minore, vicinisque Provinciis congregatis, anno CCCXV. ex vulgari calculo coactum. Ut disciplina Ecclesiastica resarciretur, & lapsi ad pœnitentiam rectiùs admitterentur, Canones XXIV. condiderunt, qui habentur Græc. Lat. Conc. Tom. I. p. 1455.

315. P. II. NEOCÆSARIENSE (apud Neocæsariam ad *Lycum* fl. quam alii in Ponto Polemoniaco, alii in Cappadociâ collocant) eodem ferè tempore, & eâdem de causa, à variis Episcopis, quorum XIX. nomina hodiè subscripta reperiuntur, habitum. Extant Canones XV. Gr. Lat. Conc. T. I. p. 1479.

315. P. II. ALEXANDRINUM II. Sub Alexandro Alexandriæ Antistite, omnibusque Episcopis sedi Alexandrinæ subditis, adversùs Arium hæresin suam recens evomentem, circa annum CCCXV juxta Baronium, habitum. Extat Alexandri hâc de re *Epistola* apud Theod. l. I. cap. 4. pag. 9. confer Epiphan. *Hæres.* LXVIII. LXIX.

316. P. II. CÆSARIENSE in Ponto, anno circiter CCCXVI. à XXIII. Episcopis, præsidente Vitalio, collectum. In quo, actum est de iis qui in *persecutione* sacrificassent, aut abjurassent, aut idolothyta gustassent; constitutis *canonicis correctionibus* πρὸς τὴν διαφορὰν τῆς παραβάσεως *juxta gradum & differentiam peccati in quod quisque lapsus esset*. Nititur hæc Synodus solius auctoris *Synodici* à Pappo editi, fide, *Synod.* p. 14. Verùm cùm Auctor iste negligentiam suam ubique prodat, neque aliquem pro se testem citare soleat, plures Synodos ab eo memoratas consultò prætermisimus.

324. P. II. ALEXANDRINUM III. ab Alexandro, omnibusque Ægypti Episcopis, unà cum Osio Cordubensi, eò à Constantino M. cum litteris misso, in causa Arii circa an. CCCXXIV. non (quod vult Baronius) anno CCCXIX. habitum. In hâc etiam Synodo, Collythus Presbyter Alexandrinus, qui Episcopale munus sibi arrogaverat, dignitate suâ deturbatur. Vid. Athan. *Apol.* p. 614. 616.

325. P. II. NICÆNUM OECUMENICUM I. mandato Constantini M. Episcopis ex omni orbe Romano, ad ventilandam Arii causam convocatis, XI. *Calendas Junias*, sive rectiùs forsan XIII. *Cal. Julias*, anno CCCXXV. magnâ aulâ Palatii Imperialis, in Bithynia coactum. Præter ingentem, & penè incredibilem Presbyterorum, Diaconorum, Acolythorum multitudinem, adfuerunt Episcopi plures undiquaque congregati, gravitate, doctrinâ, pietate, canitie venerandi. Sed de Episcoporum numero, magna est etiam inter Veteres sententiarum discrepantia. Eusebius * Cæsariensis qui non minimas in hâc Synodo partes gesserit, supra CCL. fuisse dicit, eosque ex omnibus Europæ, Asiæ, Africæque provinciis congregatos; ut non immeritò celeberrimum hinc conventum, cum cœtu illo conferat, cujus meminit *Historia Apostolica*, in quo erant Parthi, Medi, Elamitæ, Mesopotamitæ, &c. in hoc quidem longè superiorem, quòd in cœtu Hierosolymitano *laici*, in hoc non nisi *Dei ministri* convenerunt. Eustathius † Antiochenus, qui & ipse huic Concilio interfuit, & pars magna fuit, circiter CCLXX. fuisse ait; verùm ob ingentem conventûs illius multitudinem, se numerum certò referre non potuisse, neque in eo se valdè curiosum fuisse fatetur. Athanasius * plus minùs CCC. recenset. Sozomenus † circiter CCCXX. Batricides sive Eutychius, qui Arabicè Historiam suam condidit, & Ismael Ibn. Ali (quem citat Seldenus * noster) Scriptor Muhamedanus, non minùs quàm MMXLVIII. convenisse tradunt; & ex iis Constantinum M. CCCXVIII. selegisse volunt. Quod parùm probabile videtur. Dorotheus Monembasiensis Metropolita, qui Historiam sacram & civilem vulgari Græcorum idiomate conscripsit, integrùm Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Monachorum numerum, non nisi CCCXVIII. fuisse refert †; nec plures convenisse quia totidem à Christo nato anni ad hujus Synodi tempus effluxerint; quam pro suâ numerandi ratione anno CCCXVIII. habitam fuisse tradit. Ejus verba, quia in paucorum manibus versatur liber, hùc referre non pigebit, Καὶ οἱ μὲν Ἀρχιερεῖς ἦσαν διακόσιοι τριάντα δύο, οἱ δὲ ἱερεῖς καὶ Διάκονοι καὶ καλόγηροι ἦσαν ὀγδοήκοντα ἕξη ὅλοι τριακόσιοι δεκαοκτώ. Καὶ διὰ τί τόσοι μόνον ἐδιαλέχθησαν; Ὅτι ἀπὸ τὸν καιρὸν τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας τοῦ Χριστοῦ, ἕως τὸν καιρὸν τῆς συνόδου ἐκείνης τι ἡ χρόνοι ἦσαν. *Et Episcopi quidem, sive Summi Sacerdotes erant* CCXXXII. *Sacerdotes, seu Presbyteri, Diaconi, & Monachi*, LXXXVI *cuncti simul* CCCXVIII. *Et quare totidem solummodò electi sunt? Quia à Christi incarnati tempore, usque ad tempus hujus Synodi anni erant* CCCXVIII. Quæ unde hauserit Dorotheus incertum est: forsan non aliunde, quàm ex *vetusta illa Actorum Synodalium collectione*, quam citat Cl. Seldenus, hujusque compilatorem circa Concilii Chalcedonensis tempora vixisse conjicit, qui eadem ferè habet. In numero CCCXVIII. tandem consenserunt omnes. Quem quidem alibi * disertis verbis confirmat ipse, qui interfuit, Athanasius. Nec Mysterio caruisse numerum cùm Synodo sua Occidentali notat Liberius † Papa, *cum eodem militum numero stipatus B. Abraham, tot hostium millia per fidem profligavit*. Verum de his plus satis. Ad hunc conventum venisse quosdam Philosophos, sive Dialecticos, de rebus Theologicis subtiliter disputaturos, iisque simplicem quendam ex ordine laicorum, os oppressisse, referunt Socrates, Sozomenus, & Ruffinus; quorum proinde solennes, prolixasque cum SS. Patribus Disputationes in *Historia sua Concilii Nicæni* integro penè libro nobis exhibet Gelasius Cyzicenus; non aliunde quàm ex proprio cerebello, ut videtur confictas. Conveniente Synodo post habitas per aliquot dies disceptationes quasdam prolusorias, tandem pleno Concilio sistitur Arius; nefandæ hæresis circa Filii Dei Divinitatem accusatur: Dogmata ex libris ejus extracta examinantur, discutiuntur, & solenni execratione damnantur; Libri ejus publicè exusti, ipsomet Ario anathemate percusso, & in exilium misso: Conditur *Symbolum*, communis Fidei *tessera*, quâ Filius Patri esse ὁμοούσιος *genitus non factus, verus Deus de vero Deo*, declaratur: Tollitur Schisma Meletianum, servatâ ipsi Meletio Episcopatûs dignitate, omni

* De vit. Const. l. c. 7. 8. 9. p. 486.

† Ap. Theod. l. 1. c. 8. p. 28.

* Epist. ad Solit. p. 660.

† L. 1. c. 17. p. 430.

* Not. in Eutyc. p. 71.

† Σύνοψις διαφ. ἱστορ. p. σλη.

* Epist. ad African. p. 718.

† Epist. ap. Socr. l. IV. c. 12. p. 225.

Digitized by Google

SÆC. IV. abAn.CCC. omni verò potestate & jurisdictione abrogatâ; ab eo consecrati sanctiori ordinatione admittendi: Sublata est vetus de *Die Paschatis* controversia, communique Decreto sancitum, ubique illud, non nisi Die Dominico, *Judæorum Festum* proximè sequente, deinceps esse celebrandum: Denique constituti sunt Canones ad regimen & œconomiam Ecclesiasticam spectantes numero XX. nugas enim agunt, qui cum Pisano, Turriano, Ecchellensi, LXXX. vel LXXXIV. ex Arabico versos nobis exhibent. In his Canonibus eminet præ aliis *Canon* VI. qui nobilem uberrimamque disputandi segetem, de *Primatu Romani Pontificis*, *de Ecclesiis suburbicariis*, de *Patriarcharum origine*, *instituto*, & *jurisdictione* eruditis præbuit. De quibus ὅλῳ τῷ θυλάκῳ agunt hujus sæculi Scriptores, & nos suo loco pro modulo nostro fusiùs disseruimus. Certè Patriarcharum jura hoc canone fundari, vel contineri, contendunt viri quidem doctissimi, & in Ecclesiæ Antiquitatibus diligenter versati. Verùm nasutioribus, & in re Ecclesiastica exercitatis, consensum ægrè unquam extorquebunt. Quid, quòd si Patriarchæ hoc tempore extitissent, quî fieri potuit, ut venerandæ hujus Synodi Patres, qui Can. IV. & VI. Metropolitanorum jura disertè statuerunt, de Patriarchis ne levissimam quidem mentionem facerent, eorumve jurisdictionem definirent? Quin nec ipsum Patriarcharum nomen sensu proprio, nisi post unum alterumve sæculum in Ecclesiâ Christianâ natum est? Ad hujus etiam Concilii historiam spectant, Constantini Magni cùm Acesio, Novatianorum Episcopo, de dogmatis Novatiani severitate colloquium, & Paphnutii Episcopi Ægyptii & Confessoris celeberrimi increpatio & condemnatio illius Legis, quam Episcopi nonnulli in hoc Concilio inducere nitebantur, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, ab uxorum, quas, cùm laici essent, Matrimonii jure sibi sociaverant, concubitu abstinerent; vehementer contendente Paphnutio, grave hoc jugum Clericis & Sacerdotibus non esse imponendum; honorabiles quippe esse nuptias, & torum immaculatum, caverentque ne ex nimiâ severitate damnum potius inferrent Ecclesiæ Cujus hâc de re sermonibus universus Sacerdotum cœtus assensus est. De his uberiùs agunt, Socrates lib. I. capp. 10. 11. p. 38. Sozom. lib. I. capp. 22. 23. p. 436.

Et ita quidem post menses duos, & sex dies, die nempè *Augusti* XXV. celeberrimæ huic Synodo finis imponitur. Quam mox excipiebant Constantini M. Vicennalia. Etsi enim juxta accuratam temporis rationem Vicennalia ejus in diem VIII. Cal. *Augusti* incidebant, sedente tamen Synodo Constantinus ea in diem VIII. *Septembris* diem nempè similis denominationis cum eo, quo imperium inierat, transtulit, quod non rarò alibi factum est, ut rectè observat Cl. Pagius, *Crit. Hist. Chron. in Annal. Bar.* ad ann. CCCXXV. numer. 3. pag. 85. Extant Græc. Lat. hujus Concilii *Symbolum* & *Canones*, unà cum variis Antiquorum versionibus, Conc. Tom. II. pag. 27. *Canones* cum notis Balsamonis, Zonaræ, & Alexii Aristeni, *Pandect. Can.* Tom. I. pag. 58. & in eos annotationes Beveregii, ibid. Tom. II. p. 42. *Epistola Synodica ad Ecclesiam Alexandrinam*, apud Socr. lib. I. cap. 9. pag. 27. Theod. lib. I. cap. 6. p. 30. Gelas. Cyz. lib. II. cap. 33. p. 349. apud quos etiam varias Constantini M. de Synodo Epistolas reperire licet. Subjiciuntur pag. 103. Gelazii Cyziceni *Historiæ Concilii Nicæni lib.* III. *Canones ex Arabico versi* LXXX. cum novâ Abr. Ecchellensis versione; adjectâ etiam ejus de horum auctoritate *dissertatione*.

330. P. II. ANTIOCHENUM I. anno CCCXXX. contra Eustathium Antiochenum, Fidei Nicænæ acerrimum defensorem, congregatum. Principes erant Eusebius Nicomediensis, & Theognius Nicænus, qui Eusebium Cæsariensem, Patrophilum Scythopolitanum, aliosque plures secum adduxerunt; ut totus Episcoporum numerus (siqua Philostorgio fides, lib. II. cap. 7.) erat CCL. In hoc Concilio accusatus est Eustathius à Cyro Berœensi Episcopo, quod Sabelliano dogmati faveret, referente Georgio Laodiceno *apud Socr.* lib. I. cap. 24. p. 59 Id ei objectum esse nequaquam agnoscit Socrates, aliasque causas fuisse dicit, easque (si quosdam audiamus) minùs honestas. Intelligit (opinor) fœdæ libidinis crimen, & infamem mulierculam infantem in ulnis gestantem, in Synodum introductam, facinus illud ei objicientem; de quo latè Theodoritus; lib. I. cap. 21. p. 52. Meminit etiam Philostorgius *loco citato.* Ut ut sit; Virum sanctissimum, fide, pietate, & canitie venerandum deposuerunt, & ut in Illyricum relegaretur ab Imperatore impetrarunt. De rebus etiam in hâc Synodo gestis confer quæ habet *Sozomenus* lib. II. c. 19. p. 469.

CÆSARIENSE in Palæstinâ, anno CCCXXXIV. 334. P. II. jussu Constantini M. à partis Eusebianæ Episcopis, præsidente Eusebio loci illius Episcopo, congregatum. Verùm Athanasius, cujus causâ coacta est hæc Synodus, in eâ utique judicandi, cùm judices parùm æquos se experturum esse suspicaretur, venire noluit, eo nomine contumaciæ apud Imperatorem mox delatus, adeòque post moram benè longam, nihil in hâc Synodo gestum est. Vide *Sozom.* lib II. cap. 25. pag. 479. *Theod.* lib. I. cap. 28. pag. 61. Mirum certè videri debeat Athanasium in rebus suis recensendis alioqui satis accuratum, hujus Synodi nuspiam meminisse. Interim notandum est, hanc Synodum etsi hoc tempore habitam, diu anteà indictam fuisse. Cùm disertè tradat Sozomenus, Athanasium ad hanc Synodum vocatum triginta circiter mensium spatio profectionem suam distulisse.

TYRIUM anno CCCXXXV. Constantini 335. P. II. Mandato Tyri habitum. Postquam superiori anno Arianorum Conciliabulum Cæsareæ Palæstinæ frustrà habitum fuerat, Athanasio ibidem comparere recusante, convenerunt Tyri Episcopi *LX.* quos Dionysius Ex-Consularis, huc, ad ordinem inter Episcopos conservandum, missus, ex variis Orientis locis congregavit, *Ario* quidem faventiores, certè in *Athanasium* quàm par erat iniquiores, non alios utique quàm quos Eusebiani, Imperatori commendaverant: fatente id Constantino in literis ad hanc Synodum datis, quibus eos ad pacem Ecclesiæ reddendam, omni quo poterant modo, gravissimè adhortabatur. Aderat & Athanasius, & unà cum illo *XLVII.* ex Ægypto Episcopi, non quidem vocati, sed qui Metropolitam suum ultrò comitati sunt. Variorum gravissimorumque criminum falsò accusatur Athanasius, quæ ad duo præcipuè capita revocari possunt. Vel enim τὰ ἠθικὰ, vel τὰ ἐκκλησιαςικὰ respiciebant. Sub priori classe tria ipsi objecta sunt, *Crudelitas*, *Adulterium*, & *Homicidium*. *Crudelitatis* * accusatur, quod Ischyram Presbyterum apud Higynum Præfectum falsò calumniatus, in vinculis sæpè numero detinuisset; quòd Gallinicum Pelusii Episcopum ab eo depositum, militarem custodiam, tormenta, & judicia subire fecisset, quòdque plures partis Meletianæ Episcopos verberibus affecisset. Verùm hæc aut apertè falsa, aut nullâ sufficienti probatione fulta, nudam tantùm in Actis Synodi mentionem habent, nullâ de iis quæstione ulteriùs habitâ. Mox *Adulterii* accusatus †, quòd virginem quandam

*Soz. lib. III. c. 25. p. 479.

† Soc. ibid. p. 480. Theod. lib. I. c. 30. p. 61. Ruffin. Hist. Eccl. lib. I. c. 17. p. 25.

Digitized by Google

SÆC.IV. ab An.CCC. dam vi constuprasset, producta in scenam infami muliercula, impudenter vociferante, se quidem virginitatem Deo vovisse, Athanasium verò quem hospitio exceperat, vim sibi intulisse, & invitam violasse. Verùm Timotheus Presbyter, Athanasium se esse fingens, Egône, *inquit* mulier in ædes tuas ingressus, vim tibi intuli? Tùm illa Timotheum digito demonstrans immò Tu, *inquit*, mihi virginitatem eripuisti, tu me castitate spoliasti, temporis simul & loci mentione addita, Judicibus simul & Accusatoribus summo pudore confusis. Denique objectum est & *Homicidii* crimen, quod Arsenium quendam, factionis Meletianæ Episcopum clam occidisset, abscisaque ejus manu, in Magicæ artis incantamentis uteбatur, producta in medium arca lignea, in qua reposita erat hominis cujusdam mortui manus, sale condita, quam ipsissimam Arsenii manum esse affirmabant. At verò Athanasius, qui improba adversariorum luotum concilia optimè noverat, Arsenium, multis Episcopis cognitum, in Synodum introduxit; & reducto ad alterum latus ejus pallio, primo quidem dextram, mox interposita mora, sinistram quoque ostendit. En, inquit, Arsenius ambas, ut videtis, manus habere deprehenditur, tertia verò undenam excisa sit, ostendant nobis accusatores. Et ita res in fumum abiit, toto cœtu, vel in iram, vel in risum, soluto. Posterius accusationum caput duo præcipuè continebat. I. *Quod illicitè fuisset ordinatus* *, *nec nisi quorundam Episcoporum perjurio ad Episcopatum pervenisset.* Sed cùm omnes illius ordinationis circumstantiæ, in clarâ ac publicâ hominum luce peractæ fuerant, nulla de iis quæstio amplius moveri poterat. Plus negotii facessebat altera quæ secuta est accusatio, Macarium nempè Athanasii Presbyterum, ipsomet mandante, in Ecclesiam ubi Sacerdotio fungebatur Ischyras, venisse, & in Sacrarium irruentem, Mensam quidem subvertisse, Mysticum verò Poculum confregisse, sacrosque Codices concremâsse. Magna de his lis, multa disputatio, nec pauca allata, quæ omnia falsissima esse sole clariùs demonstrabant; quin ipsum Ischyram ad Sacerdotium nunquam fuisse promotum, sed imposito sibimet Presbyteri nomine, Sacerdotis munus obiisse. Postea etiam ipse Ischyras, oblato satisfactionis libello propria manu subscripto, coram Athanasio, ejusque Presbyteris, hanc calumniam revocavit; seque instantibus Eusebianis, & Episcopatum ei promittentibus, hæc omnia ex proprio ingenio confinxisse, testatus est. Decretum tandem ut Delegati, iique Athanasii hostes infensissimi, à Synodo in Mareoten mitterentur, qui abducto secum Ischyrâ, in ipso loco rem omnem sub examen revocarent; ubi abhibitâ licet vi, omnibusque nequitiæ & improbitatis consiliis, nihil adversùs Athanasium extorqueri potuit, ipsis adversariis Acta quæ confecerant celantibus, & omni penè Mareotidis clero, scriptis tùm ad *Philagrium* Ægypti Præfectum, tum *ad Synodum* literis, Athanasium à totâ hâc calumniâ luculentissimè purgante. His non obstantibus, Athanasius Synodali judicio, quo jure, quâve injuriâ, damnatus & depositus est; qui, quid à tot iniquis Judicibus expectari poterat, prævidens, clam se Synodo subduxerat, Constantinopolim, ut Imperatorem coram conveniret, petiturus. Quæ in hâc Synodo acta sunt, ex Athanasii *Apol.* II. *Socr.* lib. I. c.28.29.&c. *Sozom.* lib.II.cap. 25. *Theod.* lib. I. cap.29.30. *Conc.* Tom. II. pag.437. colligi possunt. Demùm jubente Imperatore Synodus relicta Tyro Hierosolymam se contulit, ubi peractâ solenni locorum sacrorum *dedicatione*, Arius Fidem Orthodoxam se profiteri simulans, unà cum sociis in Communionem recipitur.

* Soz. ubi supra.

SÆC.IV. ab An.CCC.

CONSTANTINOPOLITANUM I. à paucis partis Eusebianæ Episcopis, anno CCCXXXVI. mense circiter *Februario*, habitum. In hoc Conciliabulo congestis novis in Athanasium calumniis, ab Imperatore Episcoporum dolis circumvento, Trevirim in Galliis relegatur; Marcellus Ancyræ Episcopus, ob dogmata malè sana damnatus, sede suâ deturbatur; libris ejus ab Eusebio Cæsariensi, jubente Synodo, refutandis. Vide *Socr.* lib. I. cap. 35.36. *Soz.* lib. II. cap. 33. Synodum hanc ultra sex menses continuatam fuisse conjicit Cl. Pagius *Crit. Hist.Chron.* ad an. CCCXXXVI. num. 6. 336.

CONSTANTINOPOLITANUM II. anno CCCXXXVIII. ab Eusebio Nicomediensi, aliisque Arianæ partis Episcopis, contra Paulum Antistitem CP. habitum. Eusebius Nicomediensis, vir supra modum ambitiosus, Regiæ Urbis sedi inhiabat. Collecto igitur Episcoporum suæ partis Concilio, hominem tanquam seditionis auctorem deposuit, ejusque sedem arripuit. Depositus Paulus varia exilii loca subindè expertus est; tandem Cucusum in Armeniâ relegatus, ibique à Philippo Præfecto, Arianorum carnifice, strangulatus. Vide *Socr.* lib. II. c. 8. p. 84. *Theodorit.* lib. II. c. 5. p. 72. 338.

ALEXANDRINUM IV. ab Athanasio, jam ab exilio reverso, unà cum Episcopis suis numero ferè C. anno CCCXXXIX habitum. In quo causa Athanasii sub examen revocatur, ejusque innocentia, adversùs tùm veteres, tùm novas adversariorum calumnias, plenissimè vindicatur. Extat *Epistola Synodica* prolixa apud Athan. *Apol.* II. p. 562. & Conc. Tom.II. p.533. 339.

GANGRENSE, occasione Eustathii (Sebasteni; an alterius non liquet) hæretici, *Gangris* in Paphlagoniâ, præsidente Dio (siqua *libello Synodico* fides) habitum circa annum (ut videtur) CCCXL. vel paulò antea. Fatendum enim est hujus Concilii tempus nullâ certâ Veterum authoritate niti. Socrates quidem de eo agit post Synodum CP. anno CCCLX. habitam, lib. I. cap.43. pag.156 Sozomenus verò, cui hâc in parte potiùs adhærendum censeo, lib. IV. cap. 24. pag. 581. paulò ante Synodum Antiochenam (illam nempe in Encœniis ann. CCCLI. celebratam) collocat, & Eustathium paulò antè ab Eusebio Episcopo CP. (qui sedem hanc ab anno CCCXXXVIII. ad ann. CCCXLII. tenuit) depositum fuisse affirmat. Vide quæ habet Valesius not. ad Socrat. p. 37. Extant Græc. Lat. *Epistola Synodalis ad Armeniæ Episcopos, & de Regulis & Consuetudinibus quibusdam Ecclesiasticis Canones* XXI. eorumque *antiqua versiones* Conc. Tom.II. p.413. Cum Scholiis Balsamonis & Zonaræ *Pandect. Can.* Tom. I. pag.415. notisque Beveregi Tom. II. p.183. Nuperis etiam notis illustravit singulari dissertatione Sam. Schelgvigius *Gedan.* 1690. 4to. Vide Socratem & Sozomenum locis citatis; qui Eustathium hunc Sebasteæ in Armeniâ Episcopum, illumque à Synodo nostra damnatum & depositum esse disertè tradunt. 340.

ANTIOCHENUM II. occasione *Encæniorum* magnæ Ecclesiæ, Constantii Imp. jussu ibidem celebratorum, anno CCCXLI. coactum. Aderant sub ductu Eusebii Nicomediensis, Episcopi, teste *Athanasio* X C. *Sozomeno* XCVII. ex Cœlo-Syriâ, Phœniciâ, Palæstinâ, Arabiâ, vicinisque regionibus collecti, quidam revera Catholici, reliqui specie Orthodoxi, verùm in causam Athanasianam parùm æqui. Et primò quidem Athanasium ab exilio reversum, nullo Synodali Decreto absolutum, depo- 341.

fuerunt,

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. fuerunt ; ejusque in locum Gregorium quendam Cappadocem subrogârunt. Condiderunt deinde *Fidei Formulam* verbis generalioribus conceptam. Quam quidem ante Concilium initum à solis Eusebianis compositam fuisse, contendit, nulla tamen idonea ratione redditâ, Schelstratius. Hac, verò utpotè jejunâ nimis, rejectâ aliam substituerunt, quam *Luciani Martyris* manu olim scriptam esse, præ se ferebant. Tertiam dedit Theophronius Episcopus Tyanensis, cui promptè omnes subscribebant. Recessû facto, cùm post menses aliquot iterùm coiret Synodus, quartam adhuc composuerunt. In omnibus his Fidei Formulis cætera (videtur) sanis, τοῦ ὁμοουσίου vocabulum nusquam reperire licet, ut potè à quo penitus abhorrebant. Habentur quatuor hæ Formulæ Gr. Lat. apud Athan. *lib. de Synodis*, p.687. & Conc. Tom. II p.590. Duæ priores apud *Socr.* l. II. cap. 10. p. 86. Condiderunt etiam *Canones* XXV. ad Ecclesiæ politiam apprimè utiles, qui unà cum antiquis versionibus extant Gr. Lat. Conc. Tom. II. p. 559. Inserti sunt etiam in Canones *Codici Canonum Ecclesiæ universæ*, ab Ecclesiâ Catholicâ omni tempore recepti, ac approbati. Integrum hoc Antiochenum Concilium amplissimis *Commentariis*, variisque *dissertationibus* illustratum edidit Emman. Schelstratius *Antverp.* 1681. 4°.

342. ROMANUM II. à Julio Pontifice, unà cum plusquam L. Episcopis, in *Ecclesiâ Vitonis Presbyteri*, congregatis, in causâ Athanasii, qui eò se receperat, anno CCCXLII. habitum. Miserat haud ita pridem Julius in Orientem Legatos, qui *partis Eusebianæ* Episcopos ad Synodum in Italia congregandam, accirent, de criminibus quæ ipsi Athanasio intentarant, rationem Synodo reddituros. Verùm Legatis post moram longiusculam, re infectâ, redeuntibus, coactâ hâc Synodo, Athanasius ab omnibus calumniis luculentissimè vindicatus, sententiâ Synodali, unà cum Marcello Ancyrano (qui sententiâ suâ subdolè explicata, Concilii Patribus fucum fecit) Communioni restituitur. Extat *Epistola Synodica ad Episcopos orientales*, à Julio scripta, Gr Lat. ap. Athan. *Apol. de fug.* p.575. & Conc. Tom. II. p. 493. Qui *Symbolum*, quòd sub nomine *Athanasii* circumfertur, ab eo jam Romæ agente compositum esse somniant, cùm Baronio, Binio, &c. delirare pergant.

345. ANTIOCHENUM III. anno CCCXLV. ab Orientalibus celebratum. Post non unam Synodum haud ita pridem Antiochiæ habitam, sive ejusdem Synodi varios consessus, Orientales iterum hoc anno Antiochiæ convenerunt, Quando πίστιν διὰ πολλῶν γραφεῖσαν (inquit Athanasius *lib. de Synod. Arim.* p.690.) *fidem multis verbis conscriptam*, composuerunt. Quæ μακρόστιχος inde dicta est, eaque Cl. Valesii judicio, doctissima & elegantissima. In quâ doctrinam de Sacrosanctâ Trinitate & Dei Filio, omissâ solâ τοῦ ὁμοουσίου mentione, sensu satis catholico exponunt ; *Filium* nempe, *non ex aliâ, præter Patrem priùs existente hypostasi, sed ex solo Deo*, idque ἀχρόνως, *verè genitum esse*, Θεὸν κατὰ φύσιν τέλειον, καὶ ἀληθῆ, καὶ προαιώνιον, ἐνυπόστατον λόγον ὄντα τοῦ πατρὸς, καὶ Θεὸν ἐκ Θεοῦ, *à Patre*, ἀνεφίκτως καὶ πᾶσιν ἀκαταλήπτως *genitum fuisse*. His oppositos *Pauli Samosateni*, *Sabellii*, *Marcelli*, *Photini*, aliorumque errores, & eorum asseclas anathemate percellunt. Addunt denique, *se hæc fusius exposuisse*, οὐ κατὰ τὴν περιττὴν φιλοτιμίαν, *non inani, ac superfluâ ambitione impulsos*, sed ut sinistram de se opinionem diluant, utque Occidentales Orientalium de Christo doctrinam rectiùs cognoscerent. Missa est hæc Formula per Eudoxium Germaniciensem, Macedonium Mopsuestenum, aliosque, ad Italiæ Episcopos, qui fortè tunc temporis in Synodo Mediolanensi erant. Verùm vel quòd Græci Sermonis ignari, eam minimè intelligerent, vel quòd sub speciosis verbis venenum latere suspicarentur, illam recipere noluerunt, Nicænam Fidem sufficere, nec quicquam ampliùs curiosè inquirendum esse, asseverantes. Extat prolixa hæc *Fidei Confessio* apud *Athan. Loc. citat.* & *Socr.* l. II. c.19. p.97. *Conc.* T.II. p.608.

MEDIOLANENSE I. ex plurimis Occidentis Episcopis, anno CCCXLVI. in causâ Athanasii collectum. Prolixam Fidei formulam, à Legatis Orientalium, huic Synodo oblatam, rejecerunt Patres, Nicænam Fidem (ut suprà dictum) sufficere, nec quicquam amplius curiosè inquirendum esse, asseverantes. In hâc etiam Synodo damnatur Photini hæresis ; Ursacius & Valens, porrecto Fidei suæ libello, in communionem recipiuntur. Vide *Socr.* l. II. cap. 20. pag. 101. *Hilar. in Fragm.* coll. 411. Liber. *Epist. ad Const.* ibidem pag. 456. Semel hoc loco monendus erit lector graves de Synodis Mediolanensibus & Sirmiensibus inter eruditos intercedere lites, præcipuè inter Petavium & Sirmondum, quorum Diatribæ extant, quas adeant curiosi. Id modò addam, Petrum de Marca, (qui & ipse Diatribam de hac controversia edidit, quæ inter ejus Opuscula pag. 155. reperitur) contendere, & rectius mea quidem sententia, præter hanc, alteram fuisse Synodum Mediolani exeunte anno sequenti habitam, biennio nempe antequam Synodus Romana sub Julio cogeretur. Et in hac non in illâ anno CCCXLVI. Photinum à Catholicis Episcopis fuisse damnatum, Valentem & Ursacium in Communionem receptos. 346.

AGRIPPINENSE anno CCCXLVI. habitum; In quo Euphratas Coloniæ Agrippinæ Episcopus ob negatam Christi Deitatem damnatus; atque exauctoratus est. Extant hujus Synodi Acta, ex *Historiâ Servati Tungrensis*, & *Herigero Abbate Lambiensi* desumpta, Conc. Tom. II. p. 615. Vide Sirmondi *notas posthumas* ad hanc Synodum ibidem *in Append.* p. 1803. Verùm non una habetur conjectura, Synodum hanc ejusque Acta dubia saltem esse, si non penitus supposititia ; præsertim cùm Euphratas, qui hic tanquàm Hæreticus damnatur, sequenti anno in Concilio Sardicensi inter Catholicos Episcopos locum obtinet, uti rectè notat *Cl. Du Pin*, * qui plura ad subvertendam hujus Synodi fidem argumenta adducit. Confer quæ habet Ant. Pagius ad hunc ann. *Crit. Hist. Chron.* Num. VI. pag. 146. 346.

* Biblioth. Nov. Tom. II. p.570.

SARDICENSE, Sardicæ in Illyrico, à centum circiter Occidentis Episcopis, Præside Osio Cordubensi, anno CCCXLVII. collectum, LXXVI. ex Oriente Episcopis cum cæteris coire recusantibus. Convenisse ad hanc Synodum ex Occidentis quidem partibus Episcopos circiter CCC. disertè affirmant Socrates †, Sozomenus, aliique omnes qui eorum rationes secuti sunt. Et ipsum Athanasium ex *Apologiâ* II. pro se testem adducunt. In his numerantur Britanniarum Episcopi. Unde pro certo habent viri * quidam in antiquitate Ecclesiasticâ versatissimi, Britannos nostros una cum aliis Episcopis huic Concilio intersuisse. Et ita quidem habet Athanasii Versio Latina: verùm id non dicit ipse Athanasius † ; neque aliud scribit, quam facto in Athanasii gratiam Synodi Decreto. Episcopos plusquam CCC. ex variis quas ibi recenset Provinciis, illud calculo suo postea comprobasset. Sed ad rem redeo. In hâc Synodo absolvuntur Athanasius, Marcellus Ancyranus, Asclepas 347.

† Lib. II. c. 20. p. 101. Soz. lib. III. c.12. p.514. Vit. Pauli ap. Phot. cod. CCLVII. col. 1424. Vit. Athan. col. 1421. aliique plures.

* Usser. de prim. Eccl. Brit. c. 8. p. 196. Seld. not. in Eutych. p. 123 Burt. Comm. in Antonin. p. 86.

† Apol. II. p. 560. 596. 597.

SÆC. IV. ab An. CCC. Asclepas Gazensis, & sedibus suis restituuntur. Damnantur & deponuntur Orientalium Antesignani Basilius Ancyranus, Quintianus Gazensis, Theodorus Heracliensis, &c. Conduntur Ecclesiastici regiminis *Canones* XX. Extant *Epistola Synodalis ad Iulium Romanum* Lat. apud Hilar. *in Fragm.* col. 406. Conc. T. II. p. 660. Ad *Ecclesiam Alexandrinam* Græc. Lat. ap. *Athan. Apol.* II. p. 588. Conc. ibidem p. 663. Ad *omnes Ecclesiæ Catholicæ Episcopos*, ap. Athan. ibidem p. 591. Conc. ibidem p. 669. *Latinè*, ex ipso ut videtur originali ap. Hilar. *in Fragm.* col. 7. *Canones*, eorumque versiones veteres Græc. Lat. Conc. ibidem pag. 628. Canones hosce ut potè in causâ particulari conditos, in gratiam nempe Romani Pontificis, ut certiori jure, de causâ Athanasii ab Arianis oppressi pro re natâ judicaret, pro *universalis Ecclesiæ regulis* nunquam habuit Ecclesia Catholica; quos proinde, non *suo*, sed *Concilii Nicæni* nomine citasse Zozimum Papam in lite, quæ ipsi cum Episcopis Africanis intercedebat, notius est, quàm ut probari debeat. Interim Orientales Episcopi, qui Sardicam convenerant, separatis conventibus, res suas agebant. Mox relictâ Sardicâ Philippopolim in Thraciâ se contulerunt. Ubi habito Conciliabulo, *Synodi Sardicensis* nomen sibi arrogarunt, damnarunt & deposuerunt Athanasium, Marcellum, Asclepam, Osium Cordubensem, ipsius Synodi Præsidem, Maximinum Trevirensem, aliosque, præcipuè verò Julium Romanum; *principem* (quem vocant) *& ducem malorum, qui primus januam communionis sceleratis atque damnatis aperuit, ceterisque aditum fecit ad solvenda jura Divina, &c.* Extat Lat. Epistola Synodalis ad *Donatum Carthaginensem*; & ad ejus calcem, *Fidei confessio* ap. Hilar. *Fragm.* col. 434. &c. Conc. T. II. p. 699. Anno sequenti juxta libelli Synodici auctorem Concilium *Cordubæ* habuit Osius, in quo condemnati sunt, quos Concilium Sardicense abdicaverat, & recepti quos absolverat. Verùm parùm apud me valet, nisi aliunde confirmetur, istius Synodici fides. Vide interim quod de hac Synodo disseruit d'Aguirre *Conc. Hisp.* T. II. & *Notit.* p. 44.

348. P. II. CARTHAGINENSE IV. à Græco Carthaginensi, plurimisque Africæ Episcopis, occasione turbarum, quas *circumcelliones Donatistæ* excitaverant, circa annum CCCXLVIII. habitum. Extant circa varias Ecclesiæ consuetudines *Canones* XIV. Conc. Tom. II. p. 713. & ex vetustis *codd. Vaticanis* ab Holstenio emendati ibidem in *Append.* pag. 1821. Utramque Editionem Scholiis suis illustratam exhibet Emm. Schelstratius *Eccl. Afr. dissert.* III. cap. 3. p. 129. *Can.* XIII, XIV. mentio fit Canonum in variis Conciliis Africanis antehàc conditorum; quorum hodiè nulla remanent vestigia.

349. P. II. ROMANUM III. anno CCCXLIX. sub Julio Pontifice congregatum. Quo, biennio post Synodum Mediolanensem Photini hæresis iterùm damnata est, & Ursacius & Valens veniam deprecantes, & oblato satisfactionis libello, se Athanasii communionem amplecti, causamque Orientalium & Arianorum penitùs ejurare profitentes, ad Ecclesiæ Catholicæ Communionem admissi sunt. Refert hujus Synodi gesta, libellumque supplicem Hilarius *Frag.* p. 411. Consona tradit ipse Athanasius *Epist. ad Solit.* pag. 639. 649. * Confer quæ de hâc Synodo congessit P. de Marca *Diatr. de Tempore Synodi Sirm.* pag. 161. & quas dedit emendationes & observationes Baluzius *Collect. Nov.* p. 27.

* Vid. Apol. II. p. 602.

349. P. II. SIRMIENSE I. à pluribus Occidentis Episcopis adversùs Photinum Hæreticum, hujus urbis Episcopum, in Synodo tùm Mediolanensi, tùm Sardicensi, anteà damnatum, anno CCCXLIX. habitum. Ubi Photinus tanquàm hæreticus iterùm deponitur. Verùm reclamante plebe, Sede suâ jam deturbari non potuit. Synodi hujus mentionem facit Hilar. *in Fragm.* col. 411. B. Primus, ni fallar, hanc Synodum eruit Cl. Petavius, & sententiam suam eruditissima Dissertatione propugnavit. Sed nullam hoc anno Synodum Sirmiensem agnoscit Baronius, nullam Sirmondus, qui duabus Diatribis Sententiam Petavianam refutare aggressus est, quæ ad calcem Opusc. de Marca reperiri possunt. Nullam denique P. de Marca, qui res quæ in has Synodo gestæ fuisse dicuntur, ad Romanam illam, cujus jam meminimus, diferre refert.

HIEROSOLYMITANUM, à Maximo Hierosolymorum Antistite, & XV. Episcopis, præsente etiam Athanasio Alexandriam jam redeunte, anno CCCL. habitum. In quo Episcopi, qui sententiæ in Athanasium olim subscripserant, delictum suum confessi, sententiâ Synodali in Athanasii communionem recipiuntur. Extat *Epistola Synodica ad Ægypti, & Lybiæ Episcopos & Clerum*, Gr. Lat. apud *Athan. Apol.* II. pag. 601. & Conc. Tom. II. p. 725. 350. P. II.

SIRMIENSE II. à quibusdam tùm ex Oriente, tùm ex Occidente Episcopis, præcipuè Semi-Arianis Constantii mandato convocatis, anno CCCLI. habitum. Ab his, Photinus Sabellii, & Pauli Samosatensis dogmatum reus, deponitur & ejicitur; & licet Photino adversarios ad disputationem provocante, certatum est utrinque maxima verborum & rationum contentione, Basilio Ancyrano disputandi partes adversùs Photinum sustinente, victus tamen Photinus & condemnatus est. Extat *Fidei Expositio* in hâc Synodo conscripta, quam à Marco Arethusio dictatam esse falsò affirmat Socrates, *Lat. apud Hilar. de Synod.* col. 338. *Græc. Lat.* apud Socr. lib. II. c. 30. p. 122. Athan. de *Synod. Arim.* p. 693. Tempus hujus Concilii ad annum post consulatum *Sergii & Nigriniani*, id est, ad annum CCCLI. rectè refert Socrates. Quod verò Osii lapsum in eo contigisse, & Georgium Alexandrinum adfuisse scribit, hallucinatum fuisse manifestè liquet, hæc quippe in Synodum Sirmiensem ann. CCCLVII. omninò rejicienda sunt. 351. P. II.

ARELATENSE II. quod plures tùm ex Oriente, tùm ex Occidente Episcopi Arelate, ubi tunc agebat Constantinus Imperat. anno CCCLIII. habuerunt, præsente etiam Vincentio Capuano primario Liberii Pontificis Legato. Sed cùm de Fide disceptare detrectarent Ariani, Athanasii damnationem unicè urgentes, reliqui minis & terroribus victi subscripserunt, ipsomet Vincentio manus dante, totis viribus repugnante Paulino Trevirensi, ac propterea in exilium misso. Vid. Hilar. *lib. ad Const.* col. 305. & in *Fragm.* col. 400. Sulp. Sev. lib. II. pag. 153. 353. P. II.

MEDIOLANENSE II. ad quod anno CCCLV. convenere pauci quidem ex Oriente Episcopi, ex Occidente verò, si numerum rectè notent Socrates & Sozomenus, nec mendum in eo cubet, plusquam CCC. Magnâ contentione id agebatur, ut Athanasius communi Suffragio condemnaretur, præsente etiam Constantio, minas quin & gladium Episcopis intentante. Verùm constanter reclamarunt Catholici, ac proinde in exilium acti, Eusebius Vercellensis Scythopolim, Lucifer 355. P. II.

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. Lucifer Calaritanus in Palæstinam, Dionysius Mediolanensis in Cappadociam. Vid. Hilar. *lib. ad Const.* col. 305. & in *Fragm.* col. 400. Athan. *ad Solit.* pag. 666. Socr. lib. II. cap. 36. pag. 130. Soz. lib. IV. cap. 9. pag. 546. Extat *Epistola Synodica ad Eusebium Vercellensem* Conc. Tom. II. pag. 773. *Vitam S. Eusebii Vercellensis Episcopi* edidit, sed mendosè Ferd. Ughellus *Ital. Sacr.* Tom. IV. col. 1030. quâ Synodi hujus Mediolanensis Acta uberiùs continentur. Hanc Vitæ Eusebianæ partem ad codicem *Colbertinum* recognitam, *nova sua Collectioni* inseruit Baluzius pag. 29.

356. P. II. BITERRENSE, à Saturnino Arelatensi & vicinis Episcopis Imperatoris Mandato convocatis, Biterris in Diœcesi Arelatensi anno CCCLVI. habitum. In hâc Synodo de damnatione Athanasianâ iterùm actum. Sed vehementer repugnarunt Catholici, & in his præcipuè Hilarius Pictaviensis mox Imperiali Rescripto in Phrygiam relegatus. Vide Hilar. *ad Constant.* col. 306. *de Synod.* col. 319. Hieron. *de Script.* cap. 100. Sever. Sulp. lib. II. p. 153.

356. P. II. ANTIOCHENUM IV. anno CCCLVI. ab Arianis congregatum. Aderant Narcissus Cilix, Theodorus Thrax, Eugenius Nicænus, Patrophilus Scythopolites, Menophantus Ephesius, aliique numero circiter *XXX.* qui Athanasium, quòd in Synodo non priùs innocens declaratus, contra leges Ecclesiæ Alexandriam rediisset, iterùm damnarunt, neque cum illo communicandum esse decreverunt, ejusque loco Georgium Alexandriæ Episcopum ordinarunt, déque his ad omnes ubique constitutos Episcopos literas dederunt. Agit de hâc Synodo Sozomenus lib. IV. cap. 8. pag. 546. verùm tempore non suo, ut *in Notis* rectè observavit Valesius, quippè Constante adhuc superstite, celebratam esse dicit. Certum enim est, Georgium post Consulatum Arbæthionis & Lolliani, hoc est, anno CCCLVI. Sedem Alexandrinam invasisse.

357. P. II. SIRMIENSE III. ab Arianis anno CCCLVII. præsente Constantio, habitum. In hâc Synodo Novam *Fidei Confessionem* procuderunt, *Latinè* quidem scriptam, dein *Græcè* versam, qua tum ὁμοούσιε, tum ὁμοιούσιε, vocabula, partim quòd in Divinis Scripturis non continentur, partim quòd supra omnem humanum intellectum sunt, non ampliùs esse usurpanda decreverunt. Extat *Lat.* apud Hilar. *de Synod.* col. 323. *Græc. Lat.* apud Athan. *de Synod.* p. 695. Socr. lib. II. cap. 30. p. 124. Ad hanc Synodum à Constantio accitus Osius Cordubensis, jam per annum exul, *centenario major, & nimium Sepulchri sui amans,* (ut Hilarii de eo verbis utar) adhibitis etiam non minis modò, sed & tormentis, cessit tandem, formulæ subscripsit, & cum Arianis communicavit. Damnationi verò Athanasianæ illum subscripsisse, quod pro certo habet Philostorgius *, disertè negat ipsemet Athanasius *Epist. ad Solit.* p. 651.

* Lib. IV. c. 3. p. 493.

357. P. II. ANTIOCHENUM V. anno CCCLVII. ex mente Valesii, paulò post Syrmiensem Synodum, in qua Osius impiam illam professionem fidei suæ ediderat, congregatum. Mortuo Leontio, Eudoxius suffragantibus Palatii Eunuchis, qui τῦ ἀνομοίυ dogma amplectebantur, Sedem Antiochenam arripuit, & voti compos factus, exindè illius opinionis patrocinium palàm suscepit, conventúque Episcoporum suæ partis (in quibus erant Acacius Cæsareæ Palæstinæ, & Uranius Tyri Episcopi) Antiochiæ celebrato, & τῦ ὁμοιυσίυ, & τῦ ὁμοουσίυ vocabulum rejecit, caussatus Occidentales quoque Episcopos idem decrevisse. Osius quippe unà cum quibusdam illarum partium Episcopis vi coactus apud Sirmium consenserat, neque *consubstantialis,* neque *similis substantiæ* vocabula deinceps esse usurpanda; quippe quæ nec in sacris Literis usquam reperirentur, & curiosa Divinæ Substantiæ investigatio humanæ mentis captum longè superaret. Acceptis igitur ab Occidentalibus hac de re litteris, Epistolam Synodicam rescripsit Eudoxius, gratias agens Valenti, Ursacio, atque Germinio, eorumque Ministerio ascribens, quòd Occidentales rectè sentirent. Recenset hæc omnia Sozomenus lib. IV. cap. 12. pag. 553.

358. P. II. SIRMIENSE IV. partim ex Orientalium Legatis, partim ex Episcopis qui in comitatu erant anno CCCLVIII. congregatum. Ubi aliam Fidei formulam composuerunt, partim ex veteri illa Sirmii adversus Photinum facta, partim ex Antiochena anno CCCXLI. condita, conflatam. Huic Liberius Pontifex post exactum triennii exilium suscripsit, & cum Arianis communionem coluit, Sedi suæ inde restitutus. Extant Liberii hac de re *Epistolæ* III. apud Hilar. in *Fragm.* col. 426. Vide Athan. *ad Solit.* p. 631. Soz. lib. IV. c. 15. p 557.

358. P. II. ANCYRANUM II. anno CCCLVIII. ab Episcopis Semi-Arianis, præsidente Basilio Ancyrano, paulò ante Pascha congregatum. Occasione dedicandæ Basilicæ à se constructæ multos vicinarum Urbium Episcopos Basilius pro more Ancyram convocavit; Ubi habitâ Synodo Aetianos & Eudoxianos damnarunt, & τῦ ὁμοιυσίυ dogma strenuè propugnarunt. Extat Græcè Latinè Epistola Synodalis admodùm prolixa, XII. Episcoporum subscriptionibus roborata ad Phœniciæ reliquosque suæ partis Episcopos; qua Semi-Arianorum fidem explicant pariter & confirmant apud Epiphan. *Hæres.* LXXIII. pag. 846. Inserti sunt huic Epistolæ varii anathematismi, omnibus qui formulas Antiochenam & Sirmiensem, *i. e.* confessionem Semi-Arianam non recipiebant, oppositi. Habentur etiam nec iidem planè nec diversi, utpotè nec numero, nec ordine convenientes, Latinè unà cum suis animadversionibus apud Hilar. *lib. de Synod. advers. Arian.* p. 324. Sedente Synodo, lectæ sunt Georgii Laodiceni ad Episcopos qui illuc convenerant literæ, quibus eos adhortatus est, ut unitis viribus adversus Aetium, omnesque τῦ ἀνομοίυ assertores contenderent, curarentque ut Eudoxius, & Aetium ipsum Antiochiâ expellat, & discipulos illius in Clericorum album relatos expungat. Scriptis igitur ad Imperatorem literis missi sunt à Synodo Legati Basilius Ancyranus, Eustathius Sebastenus, Eleusius Cyzicenus, & Leontius ex Imperatoris cubiculario Presbyter, postulaturi ab eo, ut quod communi consensu toties in Conciliis definitum fuerat, Filium nempè Patri similem esse secundùm Substantiam, firmum ac stabile permaneret. Romam advenientes, rem apud Imperatorem mox confecerunt. Unde revocatis literis, quas Asphalio Presbytero, Ecclesiæ Antiochenæ Legato, in gratiam Eudoxii & Aetii dederat Constantius Imp. earum loco alias ad Antiochenos scripsit, quibus Eudoxium, & qui cum illo erant expelli jussit. Extant literæ tùm Georgii Laodiceni ad Episcopos Ancyræ congregatos, tum Constantii Imp. ad Antiochenos apud Sozom. lib. IV. c. 13. 14. p. 554.

359. P. II. SIRMIENSE V. anno CCCLIX. iterùm convenientibus Episcopis, præsente etiam Imperatore, habitum; coactam enim fuisse hoc loco & tempore Synodum, clarissimè liquet ex novâ adhuc Fidei Formulâ ibidem conditâ, à Marco Arethuso Græcè dictatâ, non (quod habet Socrates) ex

SÆC. IV. ab An. CCC. ex Latino Sermone, in Græcum conversâ. Cui Imperatoris & Consulum nomina, mensis, dieique nota, præfiguntur. In formulâ, prætermissâ penitus οὐσίας voce, Filium Patri per omnia similem esse affirmarunt. Extat apud Athan. *de Synod.* p. 674. qui ejus Conditores lepidè satis ludibrio exponit ibid. & 671. & apud Socr. lib. II. c. 37. p. 132.

359. P. II. ARIMINENSE, quo Constantii Literis convocati convenerunt *ex omni orbe Romano* (ut Valentiniani jun. lex nos docet) præcipuè ex Occidente, Episcopi plusquam *CCCC.* anno CCCLIX. Ex primo quidem Fidem Nicænam Decreto suo confirmârunt, Ariana dogmata disertè damnârunt, Ursacium, Valentem, & alios quosdam deposuerunt; ad postremum verò partim Ursacii & Valentis dolis circumventi, partim custodiæ suę in urbe tanquam carcere pertæsi, partim Tauri Præfecti precibus, fraudibus, minis, & conquisitis undique vexationibus victi, in generalem quandam Fidei formulam, ab Arianis conscriptam, omisso penitus *Substantiæ* vocabulo, volentes nolentes senserunt. Grata fuere hęc, si cui alii, Constantio Imper. qui nullum non movebat lapidem, ut causę Arianæ suppetias ferret. Quin & hujus Concilii decreta Valentinianus jun. suasu Justinę matris, fœminæ Ἀρειομανίσσης, latâ anno CCCLXXXVI. lege confirmavit, & *æternum mansura* esse dicit, & Catholicos fidei jam expositę consensisse, *Cod. Theod. Tit. de Fide Cath.* lib. IV. Verum meliora posteà doctus, anno CCCXXXVIII. hanc constitutionem revocavit, ibid. Tit. *de Hæret.* leg. XV. si modo legem istam rectè interpretetur doctissimus Gothofredus. Extat Gr. Lat. *Sententia Synodalis* apud Athan. *de Synod.* p. 678. *Definitio Catholica* de Fide Nicænâ Lat. apud Hilar. *in Fragm.* col. 458. *Damnatio blasphemiarum Arii* Lat. ibid. p. 459. *Epistola Synodalis ad Constantium* Gr. Lat. apud Athan. *de Synod.* p. 676. Alia ad eundem *Responsoria* apud Socrat. lib. II. cap. 37. p. 139. Hæc omnia, unà cum aliquot Constantii ad Synodum literis habentur Conc. Tom. II. p. 793. Vide quæ habent Soc. lib. 2. c. 37. p. 131. & Sozom. lib. IV. c. 17. 18. 19. p. 563. Sev. Sulp. lib. II. p. 156. &c. Denique Actorum hujus Synodi Fragmenta quædam, veneranda sanè, ex publicis Ecclesiarum scriniis, servatis ipsius Concilii verbis, deprompta, nobis conservavit Hieronymus *Dial. advers. Lucifer.* Tom. II. pag. 14. In quibus & versutos Valentis Murcensis in quamcunque formam se vertentis dolos, & miram catholicorum Episcoporum simplicitatem perspicere licet. *Sonabant verba pietatem,* inquit Hieronymus, *& inter tanta illa præconia* (seu ut vetus Editio juxta quosdam Codd. manuscriptos habet) *mella præconii nemo venenum insertum putabat. De Usia verò nomine abjiciendo, verisimilis ratio præbebatur. Quia in Scripturis aiebant non invenitur, & multos simpliciores novitate suâ scandalizat. Placuit auferri. Non erat cura Episcopis de vocabulo, dùm sensus esset in tuto.* Addam, in hâc Synodo non de Fide modò actum esse, sed & de Causis Episcoporum, de Ecclesiarum & Clericorum Privilegiis, editâ à Patribus dispositione, *ut juga quæ videntur ad Ecclesiam pertinere, à publica functione cessarent, inquietudine desistente,* i. e. ut etiam à solitis & ordinariis functionibus & tributis immunes essent. Quod ex Constitutione Constantii ad Taurum Præt. Præf. qui huic ipsi Concilio præfuit, anno CCCLX. datâ abundè liquet, *Cod. Theod.* Tit. *de Episc.* leg. XV. ubi etiam subdit, se hanc Synodi dispositionem sanctione suâ statim repulisse.

359. P. II. NICENSE sive NICÆNUM, in Thraciâ habitum, quando Concilii Ariminensis ad Constantium Legati apud Nicen Thraciæ urbem itinere suo aliquantisper substiterunt. Quibus in partes suas subdolè pertractis, Ursacius & Valens Arianorum Primipuli, habito ibidem ann. CCCLIX. VI. Id. *Octobr.* Conciliabulo, primò sententiam Synodi Arelatensis in se latam reciderunt, dein Formulam Ariminensem Græcè versam sub splendido *Nicænæ Fidei* titulo, promulgarunt, Concilii illius œcumenici nomen sibi assumentes, quò simplicioribus fucum astutiùs facerent. Verùm fraude mox detectâ, omnium ludibrio expositi sunt. Extant Latinè hujusce Synodi Acta, sed ex parte tantùm apud Hilar. *in Fragm.* col. 452. ubi *XIV.* Legatorum nomina recensentur. Vide Socr. lib. II. cap. 37. pag. 568. Formula fidei quam promulgarunt habetur apud Theodorit. lib. II. cap. 21. pag. 101. Addit, alios metu compulsos, alios fraude inductos ei subscripsisse; quotquot verò consentire recusârunt, in ultimos orbis fines relegatos esse.

SELEUCIENSE, Seleuciæ in Isauria aspera eodem quo Ariminense tempore anno CCCLIX. V. Cal. *Octob.* coactum; cui *CLX.* circiter Episcopi ex variis Orientis Provinciis congregati interfuerunt. In duas partes dirempta est Synodus Unam duce Acacio Cæsariense, cui *XXXIII.* alii adhæserunt, qui abrogatâ Formulâ Nicænâ aliam substituere voluerunt; alteram sub Georgio Laodiceno, aliisque, qui omisso solùm τῷ ὁμοουσίῳ, Fidem Nicænam conservandam esse contendebant. Hi numero longè superiores, rejectis Acacianorum libello & Formulâ, Fidem Antiochiæ an. CCCLXI. scriptam, protulerunt, & subscriptione suâ ratam habuerunt, partisque Acacianæ principes deposuerunt. Extant hujus Concilii Acta ex Collectione Sabini per compendium excerpta apud Socr. lib. II. cap. 39. 40. pag. 146. Et in his Acacianorum libellus & fidei formula Synodo oblata, quæ apud Epiph. *Hæres. LXXIII.* num. XXV. pag. 872. Subscriptis XLIII. Episcoporum nominibus itidem habentur. Confer. Soz. lib. IV. cap. 23. p. 577. Sulp. Sev. lib. II. pag. 158. imprimis verò Hilarium, qui huic Synodo præsens adfuit, *lib. contr. Constant. vit. defunct.* col. 292. Locum, ex vetustissimo codice Colbertino longè emendatiorem exhibet Baluzius *Nov. Collect.* col. 67. 359. P. II.

CONSTANTINOPOLITANUM III. ineunte anno CCCLX. convenientibus in Urbe Regiâ L. Episcopis habitum. Et duæ etiam in hâc Synodo partes, Semi-Arianorum una, qui Filium Patri ὁμοιούσιον; Aetianorum altera, qui Filium ἑτεροούσιον esse contendebant. Vicit Semi-Arianorum pars. Inde Aetius mox exilio mulctatus: Damnatum ejus dogma: Denique Fidei Formula, quæ Consulum nomina affixa habuit, quæque in Synodo Ariminensi lecta fuerat, paucis additis confirmata. Extat *Epistola Synodalis* ad Georgium Alexandriæ Episcopum de damnatione Aetii, ejus Diaconi, Græc. Lat. apud Theod. lib. II. cap. 28. p. 114. & Conc. Tom. II. pag. 805. Confer Soz. lib. IV. cap. 24. pag. 579. Edita est in hoc Concilio Formula Ariminensis nova Appendice aucta, nempe ut neque *Substantia*, neque *Hypostasis* de Deo diceretur. Extat apud Socrat. lib. II. cap. 41. pag. 13. qui etiam novem Arianorum formulas hactenùs editas recenset. In quibus hæc Constantinopolitana ultimum locum occupat. Interfuit huic Synodo Ulfilas Gothorum Episcopus, ejusque Fidei confessioni subscripsit, qui ante illud tempus Nicænam Fidem amplexus fuerat. 360. P. II.

ANTIOCHENUM VI. Antiochiæ, in quâ tunc agebat Imperator exeunte ann. CCCLX. ab Arianis congregatum; Ubi mutatâ in pejus sen- 360. P. II.

tentiâ

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. tentiâ, Filium Patri παντελῶς ἀνόμοιον καὶ ἐξ τῶ ἐκ ὄντων factum esse decreverunt; inde *Anomœi*, & *Exucontii* dicti. Meletium etiam Antiochiæ Episcopum eo quod cum Clericis ab Eudoxio depositis communicasset, reverâ quod Catholicam profiteretur Fidem, sede suâ dejiciunt, Euzoio in ejus locum substituto. Vide Athan. *de Synod.* pag. 698. Theod. lib. II. cap. 31. pag. 119. Soz. lib. IV. cap. 29. pag. 588. Anno sequenti, Constantii jussu convenit iterum Antiochiæ Synodus, in quâ Eudoxii causa, quem, quòd absque communi consensu Eunomium Cyzici Episcopum constituisset, accusaverat Acacius, Synodali judicio examinata est. Vide Philost. lib. VI. cap. 4. pag. 501. Cl. Pagius in priore Synodo Meletium à Sede Sebastena ad Antiochenam translatum esse contendit, in posteriori in exilium actum; *Crit. Hist. Chron. in Annal. Bar.* ad annum CCCLX. n. 5. pag. 174.

362. P. II. ALEXANDRINUM V. ann. CCCLXII. Athanasio, jam ex exilio reverso, plurimisque Episcopis ex Egypto, Libiâ, Arabiâ, & Italiâ congregatis, habitum. In hâc Synodo sancitum est, Spiritum S. Patri & Filio esse consubstantialem, Christum reverà naturam nostram ex carne, & animâ rationali constantem in se recepisse, voces οὐσίαν & ὑπόστασιν, quæ piorum mentes toties turbaverant, esse accuratè distinguendas, & Nicæni Symboli terminos potiùs usurpandos: Denique cum iis qui sub Constantii regno, cum Arianis incautè communicaverant, mitiùs agendum esse, & peractâ pœnitentiâ sedibus suis esse restituendos. Extat Græc. Lat. Epistola Synodalis ab Athanasio, saltem suo nomine, perscripta ad Antiochenos apud Athan. Tom. I. pag. 447. & Conc. Tom. II. pag. 809. Confer. Socr. lib. III. cap. 7. pag. 174. Soz. lib. V. cap. 12. pag. 612. Rufin. lib. I. cap. 28. 29. p. 236. His addi possunt, quæ habet Autor Vitæ S. Eusebii Vercellensis apud Ughel. *Ital. Sacr.* Tom. IV. col. 1044.

362. P. II. PARISIENSE anno CCCLXII. post Hilarii reditum habitum. In quo Formula Fidei Arimini condita ab ipsis Episcopis qui ei subscripserant, damnatur, & Saturninus Episcopus Arelatensis deponitur. Extat Epistola Synodica apud Hilar. in *Fragm.* pag. 421. & Conc. Tom. II. p. 821. Vide Sirmondi Notas posthumas ibid. in Append. p. 1805.

362. P. II. THEVESTINUM anno circiter CCCLXII. à Donatistis in Africâ habitum. Factâ ubique Hæreticis per Rescriptum Juliani Imperatoris potestate, redierunt Donatistæ, Catholicorum Basilicas invaserunt, & omnia penè loca cæde & sanguine impleverunt. De quo in hâc Synodo apud Thevestinam civitatem habitâ, questus est Primosus Episcopus Catholicus, teste Optato *contr. Parmen.* lib. II. Nulla hujus Concilii memoria in vulgatis Conciliorum Tomis habetur. Confer Augustini Epist. CLXVI. *contra Donat.* quæque de hâc Synodo notavit Emm. Schelstratius *Eccles. Dissert.* III. cap. 5. pag. 162.

363. P. II. ALEXANDRINUM VI. anno CCCLXIII. ab Anathasio & Episcopis suis habitum. In quo Fidem Catholicam Joviano Imp. accuratè exponunt. Extat Græc. Lat. Epistola Synodica de Fide ad Jovianum apud Athan. Tom. I. pag. 398. Theod. lib. IV. cap. 3. pag. 152. Conc. Tom. II. pag. 823. Singularis est Cl. Valesii conjectura, Epistolam hanc ab Athanasio non Alexandriæ, sed Antiochiæ scriptam esse, quod neutiquàm mihi probabile videtur; etsi illam in Synodo Alexandrinâ dictatam, ab Athanasio & Coepiscopis Legatis Joviano Antiochiæ oblatam esse facilè concesserim; quod ipsius Epistolæ titulus satis indicat. SÆC. IV. ab An. CCC.

ANTIOCHENUM VIII. anno CCCLXIII. coactum. In quo Acaciani, qui (ut rectè notat Socrates) ad nutum & sententiam eorum qui rerum potiebantur, flectere se semper soliti essent, versis velis τὸ ὁμοούσιον amplexi, Fidem Nicænam confirmarunt, & libellum *de Fide* à se compositum Imperatori obtulerunt. Cui XVII. nomina affixa sunt. Extat apud Socr. lib. III. c. 25. p. 203. Soz. lib. VI. c. 4. p. 641. Conc. Tom. II. p. 827. 363. P. II.

LAMPSACENUM apud Lampsacum urbem, in angusto Hellesponti sinu positam, anno CCCLXV. anno præcedenti, ut ex Sozomeno contendit Pagius *, à Semi-Arianis præcipuè celebratum. Postquam per bimestre spatium inter se consultassent, decreverunt tandem, ut τοῦ ὁμοιουσίου dogma ubique retineretur, ut Fides Antiochiæ in Encœniis olim exposita, confirmaretur, & Eudoxianorum in Synodo Constantinopolitana Acta irrita redderentur, ut Episcopi item ab iis depositi, sedes suas postliminio recuperarent. Cúmque Catholicos se strenuè simularent, Legatos ad Occidentis Episcopos cum literis Synodicis miserunt, qui tamen nonnisi post annum unum, aut alterum, munus demandatum absolverunt. Vide de hac Synodo Socr. lib. IV. cap. 4. pag 213. Soz. lib VI. cap. 7 p. 646 qui tamen in eo hallucinatur, quòd Episcopos in hâc Synodo congregatos, Catholicos fuisse censet. Notandum est occasione hujus Concilii, plures à Semi-Arianis Asiæ, Pamphiliæ, Isauriæ, & Lysiæ Episcopis, Synodos collectas esse. In quibus τοῦ ὁμοιουσίου dogma stabilire conati sunt, quorum Epistolæ Synodicæ ad Liberium Papam per Legatos Lampsacenos missæ sunt. 365. P. II.

* Crit. Hist. Chron. ad an. CCCLXIV. n. V. ann. CCCLXV. n. IV.

SINGEDUNENSE in Mysia, anno CCCLXVI. ex Arianis collectum, ducibus Ursacio & Valente, qui Semi-Arianos in partes suas pertrahere summoperè conabantur, ac proinde ad Germinium, Semi-Arianorum in his locis Antesignanum, hac de re scripserunt. Extat Epistola Synodalis apud Hilar. *in Fragm.* col. 421. Conc. Tom. II. p. 840. 366. P. II.

ROMANUM IV. anno CCCLXVII. à Damaso Papa & XXVIII. Episcopis, & Presbyteris XXV. coactum. Quo Liberius post mortem damnatus est. Refert hæc Auctor vitæ S. Eusebii Presbyteri Romani, à Baluzio editus *Miscellan.* Tom. II. pag. 142. Quin & (si qua *libri Pontificalis* Auctori in vita Damasi fides) vel in hac ipsa Synodo, majori Episcoporum numero aucta vel altera, eodem circiter tempore, præsentibus XLIV. Episcopis habita, Damasus adulterii invidiosè accusatus, legitimè purgatus est; Synodo Concordium & Calixtum Diaconos, qui ipsum accusaverant, damnante & de Ecclesia projiciente. Hęc Liber *Pontif.* Conc. Tom. II. pag. 859. 367. P. II.

ILLYRICIANUM, Valentiniani mandato, in Illyrico, non anno CCCLXV. (quod voluit Baronius) sed anno CCCLXVII. celebratum. Cùm enim in Epistolæ Imperialis hac de re titulo, Gratianus Augustus nuncupetur, ante annum CCCLXVII. quo Gratianus Augustus renunciatus est, id fieri non potuit. Quinimò non ante annum CCCLXXII. indictum esse contendit Pagius *Crit. Hist. Chron.* ad ann. CCCLXV. num. VIII. Aderant Episcopi, qui à Synodo Lampsacena in Occidentem legati fuerant. Unanimi consensu decretum est, ut Fides Nicæna ab omnibus servaretur. Extat Epistola Synodalis de Fide ad Orientales, unà cum Imperatoris 367. P. II.

hac

Digitized by Google

 hac de re literis, apud Theod. lib. IV. cap. 8. pag. 158. Conc. Tom. II. p. 831.

367. P.II. LAODICENUM ad *Lycum* Fl. à Phrygiæ Pacatianæ vicinarumque Provinciarum Episcopis celebratum. Certum hujus Concilii tempus statui nequit. Non infœlici conjectura usus Beveregius noster suspicatur illud proximè post Illyricianum habitum fuisse, non quidem quod ille voluit anno CCCLXV. sed (ut suprà notavimus) anno CCCLXVII. In eo præcipuè id agebatur, ut collapsa Ecclesiæ disciplina resarciretur. Extant Græc. Lat. de variis Disciplinæ Ecclesiasticæ capitibus Canones LX. unà cùm antiquis versionibus Conc. Tom. I. pag. 1495. & cùm commentariis Balsamonis, Zonaræ, Aristeni, notisque Beveregii *Pandect.* Can. Tom. I. p. 553. & II. p. 193.

367. P.II. SICILIENSE occasione Eustathii, & reliquorum Synodi Lampsacenæ Legatorum, jam ex Occidente redeuntium, à Siciliæ Episcopis, anno CCCLXVII. coactum. Legatis enim *Consubstantialis* Fidem coram illis confessis, Concilii Nicæni Fides ab utrisque comprobatur. Vid. Socr. lib. IV. c. 12. p. 224. Soz. lib. VI. cap. 12. p. 652.

368. P.II. TYANENSE, Thyanis ad Radices Tauri montis in Cappadociâ, anno CCCLXVIII. habitum. Recitatis in hâc Synodo, quas pertulerunt Legati Lampsaceni, Liberii, & Occidentalium literis, τῦ ὁμοουσίυ doctrinam retinendam esse communi Decreto sanciverunt. Vide Soz. lib. VI. c. 12. p. 652.

368. P.II. ANTIOCHENSE in Cariâ, Asiæ Provinciâ, à XXXIV. circiter Asiæ Episcopis, ann. CCCLXVIII. (ut videtur) collectum. Rejecto *Consubstantialis* vocabulo, Fidem Antiochiæ & Seleuciæ promulgatam ratam esse voluerunt. Vide Soz. lib. VI. cap. 12. pag. 652.

370. P.II. ROMANUM V. à Damaso Pontifice, & XC. Episcopis circa annum CCCLXX. habitum. Decretum est in hac Synodo, ut Fides Nicæna firma ac stabilis permaneret, & deposito Auxentio Mediolanensi, τῦ ἑτερυσίυ in Occidente assertorum primipulo, ipsum, ejusque sequaces alienos esse à communione sua sanciverunt. Extat Epistola Synodalis ad Illyrici Episcopos Græc. Lat. apud Soz. lib. VI. c. 23. p. 667. & cum veteri versione apud Theod. lib. II. c. 22. p. 102. Conc. Tom. II. p. 889.

372. P.II. NICOPOLITANUM apud Nicopolim, minoris Armeniæ in confinio Cappadociæ urbem, à Theodoto ejusdem civitatis Episcopo circa annum CCCLXXII. congregatum. In quo probabile est de Ecclesiarum Armeniæ minoris statu præcipuè actum esse. Ad hanc Synodum Basilium invitavit Theodotus, qui proindè adfuit, ipse etenim & Theodotus, acceptis à Terentio Comite literis, Regio jussu constituti sunt, ut minorem Armeniam visitarent, quæ confusa erant corrigerent, pacem inter dissidentes componerent, & Ecclesiis pastoribus viduatis providerent. Accidit dùm Nicopoli hæreret Basilius, ut Eustathium Sebastenum, hæretici ingenii hominem, conveniret, quo cum disputatione per diem unum alterumve habitâ hominem ad fidem catholicam revocavit, quod scripta fidei confessione propria manu signata, & Basilio tradita testatus est Eustathius, ab eo mox in communionem receptus. Continuò hoc ad Theodoti aures delatum est, qui suspicatus Basilium cum hæretico communicasse, omne prorsùs cum illo commercium abrupit, non ampliùs ipsum ad Synodum vocare dignatus, ut solus munus demandatum obire Basilius necesse habuerit. Quid verò in eo præstiterit, quidve illum inter & Theodotum intervenerit, ipse prolixè refert *Epist.* CLXXXVII. ad Terentium Comitem pag. 200. Confer item *Epist.* LXXVIII. pag. 137. CXCVI. pag. 212. Hanc Armeniæ visitationem βασιλικῷ προςάγματι disertè tribuit Basilius. Quid verò? an Valenti impietatis Arianæ fautori strenuo, quique in Orthodoxos penè ad rabiem debacchatus est, Catholici usque adeò curæ erant, ut de fausto Ecclesiarum Catholicarum statu sollicitus esset? Nodum hunc non alia conjectura solvere possum, quàm quòd Terentius Armeniæ Dux, reique militaris comes, vir admodum catholicus, fideique zelo flagrans, pro ea qua valebat apud Imperatorem gratiâ, mandatum illud impetravit.

374. P.II. VALENTINUM apud Allobroges, seu Pedemontanos, in Gallia Narbonensi, ad Rhodanum fluvium ann. CCCLXXIV. IV. Idus Julias à XXX. circiter Episcopis, ad reformandos Ecclesiæ Gallicanæ mores, coactum. Duplex erat hoc tempore Valentia; in Hispania Tarraconensi una, regni Valentini Metropolis; in Gallia Narbonensi altera, in qua habita est hæc Synodus. Extant Epistola Synodica ad Galliarum Episcopos, Canones IV. quibus de mœchis & digamis præcipuè agitur, & Epistola ad clerum & plebem Foro Juliensem Conc. Tom. II. pag. 904. Notas Sirmondi posthumas habes ibid. in Append. pag. 1807. Anno sequenti alicubi in Gallia habitam esse alteram Synodum contendit Gothofredus, & ad hanc pertinere Gratiani Constitutionem de Ecclesiasticis; quæ habetur Cod. Theod. Tit. *de Episc.* LXXIII. ubi vide quæ hac de re prolixè notavit.

378. P.II. ROMANUM VI. à Damaso Papa, & Episcodis XCIII. in causa Apollinarismi, & hæresis Arianæ celebratum. Cui etiam Petrus Alexandriæ Episcopus interfuit. Baronius quidem illud in annum CCCLXXIII. reponit. Verùm ad annum CCCLXXVIII. potiùs referendum esse contendit Cl. Valesius *not. ad Sozom.* pag. 143. Damnatur in hac Synodo Apollinaris hæresis, & ab Ecclesia Catholica aliena esse declaratur. Vide Soz. lib. VI. cap. 25. pag. 671. Extat pars Epistolæ Synodalis, sive expositionis Fidei, ad Orientales transmissæ, cui & Orientales CLIII. subscripserunt, quam in *Collectione* sua *Romanâ* edidit L. Holstenius Part. I. p. 165. & Conc. Tom. II. p. 892.

378. P.II. ANTIOCHENUM IX. anno CCCLXXVIII. (in ann. CCCLXXX. rejicit Pagius in *Critica*) à CXLVI. Orientis Episcopis, habitum. Sublatum est in hac Synodo diuturnum illud Ecclesiæ Antiochenæ schisma, hac lege, ut cùm duo jam fuerint Antiochiæ Episcopi, uno è vivis sublato, superstes integram Ecclesiam retineret, nec nisi unicus in posterum Episcopus eligeretur. Deindè variæ legationes ad visitandas Orientis Ecclesias, easque in Fide catholica confirmandas, ad sedandas quas in Oriente excitaverant hæretici turbas, decretæ, Vide Greg. Nysseni, qui & ipse interfuit, *Epist. de vitâ Macrinæ*. p. 187. & *Epist. de euunt. Hierosf.* Tom. II. pag. 1086. Soz. lib. VII. cap. 3. pag. 706. In hac etiam Synodo facta est Fidei Catholicæ expositio, additis anathematismis, adversùs Apollinaris, aliorumque hæreses. Denique recepta est, & approbata Synodica Damasi Papæ de tribus in una Deitate Personis Epistola, ad Synodum Antiochenam scripta, & CLIII. Episcoporum Orientalium subscriptionibus confirmata; quam extulit L. Holstenius *Collect. Rom.* pag. 165. ut suprà notavimus. Ab hujus etiam Concilii Patribus, notante Valesio, scripta videtur

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. videtur Synodica illa ad Italiæ, Galliæque Episcopos, quæ inter *Epistolas* Basilii locum *LXIX.* habet Tom. III. pag. 108. Hoc circiter tempore, certè vivente adhuc Basilio, habita est in loco incerto, sub Amphilochio Iconiensi Synodus, qua doctrina de Spiritu Sancto juxta Fidem Nicænam asseritur & confirmatur. Extat Græc. Lat. sub Amphilochii nomine Epistola Synodica, quam ex *Codice Regio* primus edidit Cotelerius *Monument. Græc.* Tom. III. pag. 99. eamque responsoriam esse conjicit Synodicæ Episcoporum alterius Provinciæ, qui circa Macedonii hæresin de Spiritu Sancto fluctuabant & dissentiebant.

380. *P. II.* CÆSARAUGUSTANUM apud Hispanos, in Provincia Tarraconensi ad *Iberum* flu. anno CCCLXXX. vel ut alii, anno sequenti, IV. nonas Octobris, contra Priscillianistas, à *XII.* Episcopis celebratum. Vide Sev. Sulp. lib. II. pag. 166. Extant Disciplinæ Ecclesiasticæ *Canones* VIII. Priscillianistarum moribus præcipuè oppositi, Conc. Tom. II. pag. 1009. Ex hoc Sulpitii loco aliud Concilium Cæsaraugustanum adversus Priscillianistas nobis exculpsit d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. II. & ad ann. circiter CCCLXXXIII. refert. Vid. ejus *Notit.* pag. 46.

381. *P. II.* CONSTANTINOPOLITANUM IV. Oecumenicum II. anno CCCLXXXI. Mense Maio, Theodosii Magni literis congregatum. Aderant ex Catholicis, Episcopi CL. ex Macedonianis XXXVI. qui cùm sententiam de τοῦ ὁμοιουσίου deponere nollent, urbe discesserunt. Duo hujus Concilii conventus fuerunt. Prior quidem anno CCCLXXXI. habitus; quo abrogato, quem sibi arrogaverat, Maximi Cynici Episcopatu, Sedes CP. Gregorio Nazianzeno, quem Theodosius in eâ nuper collocaverat, adjudicatur. Ægrè id ferebant Episcoporum nonnulli, præsertim juniores, qui æstu præfervidi magnas exinde ciebant turbas, aliis alia objicientibus; præcipuè postquam advenisset Timotheus Alexandrinus, & Episcopi Ægyptii, qui exardescente jam flammâ oleum incendio addiderunt; subinfensi utique, partim quòd ipsorum adventum Patres non expectassent; partim quòd Maximum, à tribus Episcopis Ægyptiis, quos ad id Constantinopolim miserat Petrus Timothei prædecessor, ordinatum, temerè exclusissent. Crescente in dies tumultu, Gregorius harum dissensionum pertæsus, ut pax & concordia inter Episcopos resarciretur, sede suâ se spontè abdicavit, electo mox in ejus locum Nectario. Contigisse hæc hoc quidem tempore ex lege * *Theodosianâ*, anno CCCLXXXI. III. Cal. *Aug.* latâ, clarissimè liquet, quâ Nectarii, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopi mentio fit.

* Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. I. l. III.

Sedente adhuc Synodo, ad meliora transiit Meletius, venerandus Ecclesiæ Antiochenæ Præsul, quem inter alios, Gregorius Nyssenus funebri oratione cohonestavit; dato ei in successorem (etiamsi non sine multâ contentione) Flaviano. Accidisse illud ante Gregorii renunciationem, ex eo constat, quòd multorum in Nazianzenum odium inde natum est, quia Flaviani electionem, superstite adhuc Paulino, minùs probaret, ac proinde Occidentalium causæ nimiùm favere videbatur. Denique confirmatâ Fide Nicænâ, damnatisque hæresibus, Eunomianâ, Eudoxianâ, Semi-Arianâ sive Pneumatomachorum, Sabellianâ, Marcellianâ, Photinianâ, Apollinarianâ, exeunte circiter mense Julio, Patres ad sua quisque redierunt. Ad Synodi exemplum, & Canonis primi in eo conditi confirmationem, finito mox Concilio eodem. ipso mense XIV. Cal. *August.* Constitutionem emisit Theodosius ad Clicherium Comitem Orientis, quâ Eunomianis, Arianis, & Aetianis fabricandarum Ecclesiarum jus & potestatem omnem penitùs ademit. Extat *Cod. Theod.* Tit. *de Hæret.* l. VIII. SÆC. IV. ab An. CCC.

Posterior conventus anno sequenti est: quando ex iisdem Episcopis plurimi, Constantinopolim ad curanda quædam negotia Ecclesiastica, Regiis literis iterùm vocati sunt. Theodosium quippe per literas obnixè rogaverant Occidentales, ut Orientales Episcopos ad Synodum generalem Romæ habendam destinaret, quò Fides Consubstantialis communi suffragio clariùs ac disertiùs confirmaretur: Scriptâ etiam ad Patres Constantinopolitanos Epistolâ, quâ eos ad hanc Synodum invitârunt. Missis igitur Legatis, datisque ad Synodum Romanam, sub Damaso congregatam, literis, se quidem aliter paratos, ob gravissimas rationes ab hoc itinere suscipiendo excusarunt; Ecclesiarum Orientalium hoc tempore statum, res à se in superiori conventu gestas, Fidémque suam Catholicam, & Orthodoxam de SS. Trinitate, & Domini nostri Incarnatione, luculenter exponunt. Extat hæc Epistola Synodalis apud Theod. lib. V. cap. 9. pag. 208. Conc. Tom. II pag. 959. An Synodicus hic consessus, alter ejusdem Synodi conventus habendus sit, an diversa à superiori Synodus, parùm refert. Certum est, ex iisdem Episcopis, etsi paulò minori numero, constitisse, de rebus penè iisdem egisse, & sub Concilii II. Generalis nomine apud Scriptores Ecclesiasticos constanter venire.

Ex Actis venerandi hujusce Concilii Oecumenici, præter Epistolam Synodicam jam memoratam, non supersunt hodiè nisi *Symbolum & Canones.* Fidei Symbolum à Gregorio Nysseno (uti fertur †,) compositum, nihil ferè aliud est, quàm Symbolum Nicænum paucis additis explicatum, præcipuè articulo de Deitate & Processione Spiritûs Sancti, Macedonianis opposito, & adversùs Marcelli Ancyrani dogma hâc claususâ *CUIUS REGNI NON ERIT FINIS.* Vix aliter à Nicæno differt; unde & Nicænum vulgò audit.

† Niceph. lib. XII. c. 13. in fin.

Canones, præfixâ ad Theodosium præfatione, habentur numero VII. ab Ecclesiâ Catholicâ semper recepti, & in Codicem Canonum Ecclesiæ universæ relati. Eorum numerus apud Veteres haud ita certus est. Sunt qui tres tantùm, alii quatuor, vel quinque, quandoque & sex recensent, sæpè duos in unum compingentes, ortâ forsan inde diversitate, quòd ob Canonem III. Sedi Pontificiæ maximè ingratum, Occidentalibus haud ita clarè innotuere. Quo ordine, quove conventu sanciti sint, haud satis constat. Admodùm probabile est, quatuor priores in primo, tres ultimos posteriori conventu, fuisse conditos. In his Canonibus cùm plura sint notatu digna, paucula quædam delibabimus.

Can. II. cùm Orientalis Imperii Provinciæ in quinque Diœceses, plures sub se Provincias complectentes distribuerentur, nempè Orientem, Ægyptum, Asianam, Ponticam, Thraciam; præsenti Canone decretum est, intra hos limites omnia negotia Ecclesiastica esse administranda. Cùm enim sub Valentis Imperio omnia turbassent Ariani, nec Catholicis ubique fas esset ordinationes suas more solito peragere; sæpè evenit, ut Episcopi ex unâ Diœcesi in aliam, non levi politiæ Ecclesiasticæ confusione, transirent. Quod in Maximi Cynici à tribus Ægypti Episcopis à Petro Alexandrino missis, & in Gregorii Nazianzeni à Meletio Antiocheno ad Sedem Constantinopolitanam ordinatione nuper factum est. Sanciverunt igitur Patres, nemini in posterum licere ultra Diœcesin suam ad Ordinationem, vel aliam aliquam Administrationem

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. nem transire, sed intra suæ Diœceseωs limites se continere; ut Alexandriæ Episcopus Ægyptum solum regat, nec in Orientis Diœcesin sese ingerat, pariterque in cæteris; Servatis interim cujusque Provinciæ Synodo suis juribus & privilegiis. Et hactenus quidem Canon, nec ultrà progreditur. Verùm occasione hujus Canonis, Synodo mox solutâ, Legem * edidit Theodosius, qua sedatâ jam persecutione Arianâ, primario quosdam Episcopos tanquàm Catholicæ communionis Judices, intra singulas has Diœceses constituit; nempè in Thraciâ Nectarium CP. in Ægypto Timotheum Alexandrinum, in Oriente Pelagium Laodicenum, & Diodorum Tarsensem, in Asianâ Timotheum Iconiensem, & Optimum Antiochiæ Pisidiæ, in Ponticâ Helladium Cæsariensem, Otrœium Melitenum, & Gregorium Nyssenum; ut qui intrà singulas hasce Diœceses Fidem Nicænam amplecterentur, & cum his Episcopis communionem haberent, iis utique Ecclesiæ ubique traderentur. Hanc constitutionem *Theodosianam* satis superque mihi constat, Socratem cum Decreto Synodico temerè confudisse †, quæ Legis erant, Canoni tribuentem. Eosdem quippè Episcopos in quâvis Diœcesi recenset, iisque summam Ecclesiarum gubernationem à Concilio commissam esse tradit: additque divisione hâc Provinciarum factâ, Synodum Patriarchas constituisse. *De Patriarchis* propriè dictis hic loqui Socratem, vetat nondùm natum hoc sensu Patriarcharum nomen, nedum res ipsa plenè constituta. Etsi negari non potest, Canonem hunc CP. Dignitati Patriarchali erigendæ viam stravisse. Adeòque cum Cl. Valesio * potiùs existimandum est, Socratem per *Patriarchas*, non veros & ordinarios Patriarchas intelligere, sed extraordinarios Legatos, qui Theodosii Lege ad rectam fidem stabiliendam, per singulas Provincias, fuerant destinati. Mentemque suam paulò post explicare videtur, dùm Helladium Cæsariensem, Gregorium Nyssenum, & Otrœium Melitenum, Ponticæ Diœceseos τὴν πατριαρχίαν, *Patriarchatum* sortitos esse ait. Quod quidem de vero Patriarchatu intelligi nequit. Rectiùs itaque post Socratem Sozomenus *, qui hæc ad legem Theodosii retulit.

Can III. Τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς post Romanum Episcopum, Antistiti Constantinopoleωs, *eò quòd sit nova Roma*, decernuntur: id est ut eadem honoris prærogativa, eâdem suprà reliquos Episcopos præeminentiâ, proximo post Romanum Pontificem loco, frueretur. Et cùm honoris primatus Episcopo Romano semper concessus sit, quòd in urbe Imperiali Sedes haberet; ita æquum erat, ut cùm Constantinopolis *NOVA ROMA* & *IMPERII CAPUT* facta sit, Regiæ hujus Urbis Episcopus proximum post Romanum honoris & dignitatis gradum obtineret. Adeòque in Constitutione Theodosiana suprà memorata, mox post conditum Canonem lata, inter omnes Orientalis Imperii antistites Nectarius Episcopus Constantinopolitanus primum locum obtinet, & Timotheo Alexandrino præponitur. Et in lege Theodosii jun. an. CCCCXXI. *Cod. Theod.* lib. XVI. Tit. 2. l. 45. privilegia quædam in Illyricum reservantur cognitioni *reverendissimi SS. Legis Antistitis Urbis Constantinopolitanæ, quæ Romæ Veteris prærogativâ lætatur.* Fateor nullam hoc Canone autoritatem, nullam jurisdictionem Sedi CP. tribui. Nihilominus hujus Canonis autoritate muniti Præsules Constantinopolitani, caput efferre, & jurisdictionem quandam in circumvicinas Provincias exercendam, paulatim sibi arripere cœperunt, ut Eudoxii, Joan. Chrysostomi, aliorumque exemplis palàm fit. Donec tandem sequenti Sæculo, Concilii Chalcedonensis Patres † Sedi CP. τὰ ἴσα πρεσβεῖα, *æqualia cum antiquæ Romæ Throno privilegia*, idque vi hujus Canonis, tribuenda esse decreverunt; neque ob aliam rationem, quàm quòd Nova, non minus ac Vetus Roma Imperio & Senatu honorata sit, eisdémque privilegiis gaudeat. Nec honorem modò, sed & jurisdictionem addiderunt, Ponticam, Asianam, & Thraciam, & quæ in tolo Barbarico sunt Diœceses, Sedi CP. subjicientes. Ex hoc fonte orta sunt omnium, quæ Episcopos inter Romanum & Constantinopolitanum, intercedebant simultatum, odiorum, dissidiorum semina. Unde utriusque Concilii Canones ægrè recipit Romana Ecclesia. Verum hac de re egimus aliàs, *Not. in Fragment. Dorothei Hist. Lit.* Part. I. Sæc. IV pag. 88. *Vit. Greg. Nazian.* Sæc. V. num. IX. pag. 318. & singulari dissertatione *de Regimine veteris Ecclesiæ per Episcopos, Metropolitas, & Patriarchas, & de iniquis Pontif. Romanorum usurpationibus*; patrio sermone olim editâ, anno MDCLXXIII. 8°.

Can. V. *Tomi Occidentalium* mentio fit, & Fidei quæ exinde Antiochiæ exposita fuerat de una Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti Deitate. Quis fuerit hic Occidentalium Tomus, variæ sunt Eruditorum sententiæ, quas penè omnes recenset Beveregius noster Not. ad hunc Canonem, qui suam subinde exponit, nempe non aliud esse, quàm Synodicam Damasi, & Occidentalium ad Synodum CP. hoc anno missam, quam suprà memoravimus. Ego lubens quidem hanc sententiam amplecterer, præsertim cum in responsoriâ, Patres Constantinopolitani non modò sententiam suam de tribus in SS. Trinitate Personis explicent, sed & meminerint *Tomi* in Synodo Antiochena conditi, & alterius in hac ipsa Constantinopolitana œcumenica, anno superiori editi, qui fortassè nihil aliud erat, quàm Symbolum Constantinopolitanum, quo Formula Nicæna disertiùs explicatur. Verùm cùm incertum sit, quid in literis suis ad Constantinopolitanos perscripserint Occidentales, numve Fidei de hâc re Antiochiæ expositæ meminerint, Cl. Valesio * potiùs assentiendum esse arbitror, qui per *Tomum* Occidentalium intelligit Synodicam Damasi, & Occidentalium Epistolam, ad Synodum Antiochenam anno CCCLXXVIII. missam, & in eâ lectam & approbatam, & *CXLVI.* Episcoporum Orientalium subscriptionibus munitam; quam habes apud L. Holsten, *Collect. Rom.* p. 166. Conc. Tom. II. pag. 892. Nec sanè video quorsum in hoc Canone Patres Constantinopolitani de *Tomo Occidentalium* loquentes, proximè subjicerent, se etiam eos suscipere qui Antiochiæ unam Patris, Filii, & Spiritûs Sancti Deitatem confitentur, nisi libellum illum Occidentalium, quo hæc Fides in Synodo Antiochena exposita & suscepta fuerat, designarent. Extant Græc. Lat. Concilii nostri CP. Canones, eorumque veteres Versiones Conc. Tom. II. p. 945. & cum Commentariis Balsamonis, Zonaræ, & Aristeni *Pandect. Can.* Tom. I. p. 85. additis Beveregii Notis, Tom. II. p. 89.

AQUILEIENSE, anno CCCLXXXI. Nonis *Septembribus*, adversùs Palladium Arianorum Antesignanum; à *XXXII.* Episcopis, Italis, Gallis, Pannonicis, præsentibus Gallorum & Afrorum Legatis, habitum. Præcipuas in hâc Synodo disputandi vices sustinuit Ambrosius. Tandem damnantur Palladius, Secundianus, & Attalus Presbyter, eorumque dogmata anathemati subdita. Extant hujus Synodi Acta cum duabus Synodicis Epistolis, ad Galliæ Episcopos unâ ad Imperatores alterâ, Concil. Tom. II. pag. 978. & inter Vigilii Tapsensis Opera à Chifletio edita pag. 485. qui quidem 381. P. II.

Margin notes:

* Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. I.

† Lib. V. c. 8. p. 60.

* Not. ad Socrat. lib. V. c. 8. p. 60.

* Lib. VII. c. 9. p. 715.

† Can. XXVIII.

* Not. in Theod. L. V. c. 3. p. 41. c. 9. p. 44.

Cave Hist. Lit.

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An.CCC. quidem Acta hæc spuria esse, & à Vigilio Tapsensi conficta, pluribus, sed infirmis, & levissimis conjecturis ductus contendit. In hâc aliâve hujus temporis Synodo Aquileiensi, plura Acta sunt de Ursicino Romano, Timotheo Alexandrino, Nectario Constantinopolitano, aliisque, & Epistolæ aliquot Synodales, quę Concil. Tom.II. pag. 998. exhibentur.

382. P.II. ROMANUM VII. à Damaso, & quamplurimis Episcopis, præsente etiam Paulino Antiocheno, anno CCCLXXXII. habitum. Quid in hâc Synodo gestum sit, non liquet; Acta enim interierunt, nisi quòd suspicari licèt, de Paulini causâ & Concilio Constantinopolitano actum esse. Vide Theod. lib. V. c. 8. p. 207. Scripta est ab hac Synodo ad Orientales, hoc ipso anno Constantinopoli congregatos; Epistola, quam refert Theodoritus, de quâ in posteriore Synodi CP. conventu, actum est.

383. P.II. SIDENSE in Pamphyliâ, Asiæ Minoris Provincia, à *XXXVI.* Episcopis, præside Amphilochio Iconii Episcopo, adversùs Messalianos, anno CCCLXXXIII. juxta Baronium, habitum. Damnavit Synodus *Messalianorum* seu *Euchitarum* hæresin; & Epistolam hac de re Synodicam dedit ad Flavianum, Antiochiæ Episcopum; qui & ipse adversùs eosdem hæreticos Synodum indixit. Vide *Phot.* Cod. LII. col. 37. Confer quæ habet Theodoritus lib. IV. c. 11. p. 163.

383. P.II. CONSTANTINOPOLITANUM V. anno CCCLXXXIII. mense *Julio* habitum. Non obstante nupero Synodi CP. adversùs Hæreses Decreto, cùm ibique adhuc Hæretici tumultus agerent, Theodosius, quo pax & concordia (siquo modo id fieri posset) Ecclesiis redderetur, hanc Synodum indixit. Ad quam præter Catholicos, omnium penè Sectarum quæ hoc tempore vigebant, Principes convocari jussit, ratus, ex mutuo Episcoporum inter se colloquio, futurum, ut una apud omnes, eademque sententia obtineret. Et primò quidem disputatione res erat transigenda, Hæreticis id summis votis expetentibus, ad hoc quippe certamen Dialecticorum argutiis satis instructis. Cùm verò inter se nequaquam convenirent, veterumque patrum expositionibus Dogmata sua probare recusarent, jussit Imperator ut singulæ Sectæ, Fidei suæ Formulam, scripto comprehensam, sibi offerrent. Famosissimi *Eunomii* Fidei expositionem, Theodosio hac occasione oblatam, Græcè & Latinè edidit H. Valesius *Not. in Socr.* lib. V. cap. 19. pag. 61. Perlectis uniuscujusque dogmatis libellis, Imperator eam solam Fidei Formulam probavit, quæ Trinitatem *consubstantialem* asserebat, reliquas verò tanquàm huic adversantes damnavit, & discerpsit, lege etiam latâ, ne Hæretici ampliùs collectas agerent, de Fide docerent, Episcopos aliosvè ordinarent. Immò Concilio jam ad finem perducto, duplicem adversus Hæreticos constitutionem ad Posthumianum PP. Orientis emisit Theodosius Priorem VIII. Cal. *Aug.* qua omnem iis coëundi potestatem abrogat, & *nihil vel publicè vel privatim, quod Catholicæ Sanctitati officere possit, exerceant.* Posteriorem III. Non. *Septembr.* qua vetat nè in agris etiam & villis cœtus suos celebrarent, domos, in quibus conventus suos habuerint, fisco adjudicandas, ordinationes hæreticorum prohibendas, qui alio commigrant docendi, vel mysteriorum suorum exercendorum causa, ad proprias urbes esse remittendos, inflicta damnationis pœna Officialibus judicum, urbiumque Magistratibus, qui hujusmodi cœtus non prohiberent. Habentur hæ duæ Leges *Cod. Theod.* Tit. *de Hæret.* l. XI. & XII. ubi vide quæ notavit Cl. Gothofredus. In priori lege *Eunomiani, Ariani, Macedoniani-Pneumatomachi, Manichæi, Encratitæ, Apotactitæ, Saccophori,* & *Hydroparastatæ* nominatim recensentur. Prolixè de hoc Concilio agunt Socr. lib. V. c. 10. p. 267. Sozom. lib. VII. c. 12. p. 718. SÆC. IV. ab An.CCC.

Hujus etiam Synodi tempore accidit memorabile illud Amphilochii Iconiensis factum erga Arcadium Theodosii primogenitum, relatum à Theodorito lib. V. cap. 16. pag. 218. Ad hanc Synodum, Synodicam illam Damasi Epistolam ad Patres CP. datam, eorumque ad Synodum Romanam responsoriam refert Cl. du Pin *, quæ tamen superiori anno & sub secundo Concilii CP. conventu contigisse, vel sole clarius ex ipsâ Constantinopolitanorum Epistolâ liquet. Certè (quod viri eruditi pace dictum sit) res in tribus hisce Synodalibus conventibus, Constantinopoli successivè habitis, gestas, mirè permiscere & confundere videtur.

* Biblioth. Nov. T. II. p. 603. Lat. Edit.

BURDIGALENSE in Biturigibus Viviscorum ann. CCCLXXXV. adversùs Priscillianistas, habitum; In quo damnati & depositi sunt Priscillianus, Instantius, eorumque asseclæ, Priscilliano ad Maximum Imp. provocante. Vide plura apud *Sev. Sulp.* lib. II. p. 170. 385. P.II.

ROMANUM VIII. à Siricio & *LXXX.* Episcopis VIII. Idus *Januarii*, anno CCCLXXXVI. collectum. Plura in hâc Synodo ad ritus & consuetudines Ecclesiasticas spectantia constituta sunt. Extat Epistola Synodalis ad *Africæ Episcopos* inter *Epist. Siricii*, num. IV. Conc. Tom. II. p. 1028. 386. P.II.

TREVIRENSE (Belgicæ primæ ad *Mosellam Fl.* Metropolis erat) ann. CCCLXXXVI. præsente Martino Turonensi, habitum; In quo Ithacius ob animum sævum & sanguinolentum à Catholicis depositus absolvitur, & Felix Trevirorum Episcopus ordinatur. Pluribus hæc refert Sev. Sulp. *Dial.* III. c. 15. p. 328. 386. P.II.

CAPUANUM, ad *Vulturnum* fl. in Campaniâ, circa annum [ut videtur] CCCLXXXIX. coactum. In quo, de Ecclesiæ Antiochenæ dissidio, & de causâ Bonosi, illibatam B. Mariæ post partum virginitatem negantis, agebatur. Vide Ambrosii *Epist.* LXXVIII, LXXIX. & Baron. ad annum CCCLXXIX. num. LXVII, LXXII. &c. In hâc etiam Synodo, ut ex Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ Can. XLVIII. liquet, *Re-baptizationes, Re-ordinationes, Episcoporumque Translationes* damnatæ sunt Eodem circiter tempore apud Nemausum Episcoporum Synodum habitam esse refert Sev. Sulp. *Dial.* II. cap. 15. pag 310. Quid verò in eâ gestum sit, non dicit. 389. P.II.

MEDIOLANENSE III. ab Ambrosio, vicinisque Episcopis anno CCCXC. collectum. In hoc Joviniani errores à Syricio, ejusque Presbyterio nuperâ censurâ notati, de Virginitate, Ciborum differentiâ, de Mariâ Deiparâ, eam scilicet post partum Virginem esse desiisse, de Christo veram carnem non assumente, aliaque dogmata damnantur; de quibus Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, alii. Extat Epistola Synodalis *ad Siricium Papam*, unà cum Siricii hâc de re *literis*, Conc. Tom. II. p. 1036. Ad ipsum Jovinianum quod attinet, in hâc Synodo damnatus, in Episcopi Romani Diœcesin profugit, & non procul ab urbe conventus turbulentos agebat, adeò ut ann. CCCCXII. Honorius lata lege ipsum Plumbatis cæsum in Boam Dalmatiæ insulam relegari jussit, sociis ejus & participibus 390. P.II.

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCC. bus in alias pariter insulas inter se divisas damnatis, severiorem sententiam eis comminatus, qui veritos & damnatos suos cœtus repetierint. Extat hæc Honorii Constitutio *Cod. Theod.* Tit. *de Haret.* Leg. LIII.

390. P. II. CARTHAGINENSE V. vulgò II. sub Genethlio, Aurelii decessore, (Aurelii enim nomen in Acta vulgata malè irrepsit) ad instaurandos Ecclesiæ Africanæ mores, ann. CCCXC. coactum. Extant post confessionem Catholicæ Fidei factam, Disciplinæ Ecclesiasticæ *Canones*, sive capitula *XIII*, cum Notis Binii & Albaspinæi Conc. Tom. II. pag. 1158. demùm ab Holstenio ex vetusto exemplari Vaticano, integritati suæ restituta ibidem in Append. p. 1827. Utraque Editio, & vulgata, & Holsteniana, inter se collata, habetur apud Schelstrat. *Eccles. Afr. Dissert.* III. c. 4. pag. 145. qui Canones brevibus Scholiis illustravit.

391. P. II. ANGARIENSE, seu SANGARIENSE, juxta Helenopolim in Bithyniâ, circa annum CCCXCI. à Novatianis habitum. In quo Sabbatius Presbyter, ex Judæo Christianus, ob dogma de Paschate more Judæorum celebrando, damnatur. Vide *Socr.* lib. V. cap. 21. pag. 281.

393. P. II. HIPPONENSE, anno CCCXCIII. à quamplurimis Africæ Episcopis, ad corrigendam Disciplinam, habitum. In hoc Concilio, Augustinus adhuc Presbyter de *Fide & Symbolo* strenuè disputavit, teste Possidio in *Vit. Aug.* cap. 7. p. 864. Huic Synodo ascripti sunt *Canones* XL. In Concilio Carthaginensi III. repetiti, variéque aucti. Horum duplex habetur editio; altera integra, quam ex variis codicibus MSS. primus extulit Pasch. Quesnellius *Append. ad Leon. M. Dissert.* XII. cap. 2. Utramque etiam exhibet Emm. Schelstratius *Eccles. Afr. Dissert* III. cap. 6. pag. 171. qui plurimis argumentis Canones hos supposititios esse contendit, quæ apud ipsum videri possunt. Interim, ne nihil in hâc Synodo statutum videatur, sex genuinos hujus Concilii Canones ex Fulgentio Ferrando, aliisque Canonum Collectoribus eruit.

394. P. II. CAVERNENSE ad *Cavernas Susis*, non procul à Carthagine, anno CCCXCIV. à *XLIII.* Donatistarum Episcopis coactum. In schisma jam prolapsi erant Donatistæ; his Primianum Carthaginensem Episcopum, aliis Maximianum ordinantibus. Maximianistæ igitur collecto ad *Cavernas Susis* partis suæ Concilio, Primianum judicio Synodali damnârunt, secundâ vice in Concilio Cabersussitano mox damnandum. Agit hâc de re Augustinus in Psalm. *XXXVI.* & *contra Crescon.* lib. IV. capp. 6. 7. Tom. VII. col. 295.

394. P. II. CABERSUSSITANUM apud Cabersussam, Provinciæ Byzacenæ, ut volunt nonnulli in Africâ urbem ann. CCCXCIV. à *LIII.* Maximianistarum Episcopis contra Primianum celebratum. Majorem quidem Episcoporum numerum indigitare videtur Augustinus, dum lib. IV. *contra Crescon.* cap 6 ait, à centum vel ampliùs Episcopis perfectè, pleniùsque damnatum esse Primianum; ut vel numerus in Epistolâ Synodali vitiosus, vel Synodicæ jam conditæ, plures posteà Episcopi subscriptiones suas addiderunt: Utut sit, Primianus Carthaginensis Episcopus, variis Ecclesiis, viventibus adhuc propriis Episcopis, alios subrogaverat, homines incestos ad communionem admiserat, Fortunatum Presbyterum, quòd ægrotantibus baptismo succurrisset in cloacam mitti fecerat, multitudinem miserat quæ Christianorum domos everteret, Episcopos simul & Clericos obsideret, posteà ab ejus Satellitibus lapidatus, seniores in Basilicâ occiderat, eò quòd indignè ferrent *Claudianistas* ad communionem admitti. Ob hæc aliaque crimina, cùm à Synodo citatus comparere noluit, iterùm damnatus & depositus est; damnatis etiam omnibus, qui deinceps communionem ejus amplecterentur. Extat de his omnibus Epistola Synodalis *ad universos Africæ Episcopos*, cui *LIII.* Episcoporum Subscriptiones subjiciuntur apud August. *Enarrat. in Psalm.* XXXVI. Tom. VIII. col. 294. Eam, cum sex vetustis Codicibus Collectioni inseruit Baluzius col. 93. Scholiisque suis illustravit Schelstratius *Eccles. Afr. Dissert* III. c. 5. pag. 163. qui præterea contendit hanc Synodicam non Concilio huic Cabersussitano, sed Synodo Cavernensi paulò suprà memoratæ tribuendam esse. Quem proindè refellit vir doctissimus Ant. Pagius in Addendis ad *Crit. Hist. Chron.* p. 318.

CONSTANTINOPOLITANUM VI. anno CCCXCIV III. Cal. *Octobris*, habitum. Aderant præter Nectarium Theophilus Alexandrinus, Flavianus Antiochenus, Gregorius Nyssenus, Amphilochius Iconiensis, & plures alii. In eo causa Bagadii & Agapii de Episcopatu Bostrensi contendentium, præcipuè agebatur. Synodus Bagadii depositionem, utpotè à duobus tantùm Episcopis factam, improbavit, decrevitque Episcopum non nisi à tribus ad minimum Episcopis, deponi posse, quin & ubi fieri potest, omnes Provinciæ Episcopos in hanc rem esse congregandos. Extant Græc. Lat. Acta hujus Concilii, seu Fragmentum potiùs *inter Opera Balsamonis*, pag. 761. In *Jure Græco-Romano* p. 247. & Conc. Tom. II. p. 1151. 394. P. II.

ADRUMETINUM in Africâ, anno CCCXCIV. celebratum. Ad quod Aurelius Carthaginensis legationem misit. Quid in eo gestum sit, non satis liquidò constat. Consule Baronium anno CCCXCIV. num. xxxvII. 394. P. II.

BAGAIENSE in Numidiâ, à *CCCX.* Donatistarum Episcopis, sub Primiano Carthaginensi anno CCCXCIV. habitùm. In quo Maximianum adversariæ factionis Episcopum Carthaginensem, ejusque asseclas, damnârunt. Extat Sententia Synodalis, apud Augustin. *contra Crescon.* lib. III. cap. 53. Tom. VII. col. 273. & lib. IV. cap. 10. & alibi sæpiùs. Integram edidit Cl. Baluzius, notatis in margine Augustini locis ubi hâc de re agitur *Nov. Collect.* col. 97. Confer Schelstrat. *Eccles. Afric. Dissert.* III. c. 5. p. 169. 394. P. II.

CARTHAGINENSE VI. vulgò III. anno CCCXVII. Calendis *Septembr.* in Secretario Basilicæ restitutæ, sub Aurelio habitum. Extant, quæ ad Disciplinam & Regimen Ecclesiæ præcipuè spectant, Capitula L. Conc. Tom. II. pag. 1195. non quidem omnia in hâc Synodo, sed quædam in aliis Conciliis Carthaginensibus, constituta, in hâc demùm confirmata, Albaspinei etiam notis illustrata. Horum Canonum præcipuos Scholiis suis elucidavit Emm. Schelstratius *Eccles. Afric. Dissert.* III. cap. 7. pag. 193. Non pauca etiam ad hujus Concilii, horùmque Canonum illustrationem congessit vir doctissimus Ant. Pagius *Critic. Hist. Chron.* ad ann. CCCXCVII. nu. xII. xIII. & seqq. Duplicem Synodum Carthagine hoc anno habitam nobis sistit Dionysius Exiguus: priorem vi. Calend. *Jul.* celebratam, quâ inter alia constitutum erat, *Ut nullus Episcoporum naviget sine formula Primatis*; & hanc, de quâ agimus Calend. *Septembr.* Verùm de hâc re admodum probabilis mihi videtur Cl. de Marca senten- 397. P. II.

Digitized by Google

sententia; unum idemque fuisse Concilium, in duos quasi conventus distributum. Episcopi quidam diem Concilio definitam prævenerant; cum his VI. Calend. *Jun.* quædam tractavit Aurelius. Posteà Legati ex omnibus Africæ provinciis advenerunt, & jam in plenario Concilio quæ in priori conventu tractata fuerant, relecta sunt, & communi suffragio definita, aliaque addita. Unde factum est, ut Dionysius Exiguus, quique illum sequantur, quędam priori, quam faciunt, Synodo tribuant, quæ in hâc mense *Septembr.* habitâ transacta sint. Vide quæ notavit P. de Marcâ *Dissert.* VIII. inter *Opusc.* pag. 261.

398. P.II. CARTHAGINENSE VII. vulgò IV. anno CCCXCVIII. IV. Idus *Novembr.* frequenti satis Episcoporum numero, Preside Aurelio, habitum. In id pręcipuè animum intendebant boni Patres, ut Disciplina Ecclesiastica fœdè collapsa in integrum restitueretur. Quem in finem, *Capitula* CIV. quędam jam condita, reliqua olim tradita, & nunc collecta, statuerunt. Extant cum Notis Binii, Albaspinæi, & variis lectionibus Fr. Ducæi Concil. Tom.II. pag. 1196. Canonem hujus Concilii *CV* ex vetere Codice MS. *Urgellensi*, exhibet Baluzius *Nov. Collect.* col. 99. Vide quę ad hanc Synodum notavit Emm. Schelstratius *Eccles. Afric. Dissert.* III. cap. 8. pag. 210. Fatendum sanè est, hos Canones, neque in Codice Canonum Ecclesiæ Africanę, neque in Collectione, quę *Concilium Africanum* vulgò dicitur, neque in aliis quibusdam Canonum Collectionibus, locum habere. Quod unde factum sit, rationem nobis reddant alii, mihi enim ipsi hâc in re satisfacere haud possum.

398. P.II. CARTHAGINENSE VIII. Vulgò, V. anno CCCXCVIII. VI. Calend. *Junii*, à *LXXIII.* Episcopis habitum. Ut Moribus, & Disciplinæ meliùs adhuc consuleretur, sancita sunt *Capitula* XV. quæ Conc. Tom.II. p.1215 habentur.

Lector quivis facilè videt hanc Synodum ante pręcedentem collocandam esse, illam quippè IV. Idus *Novembr.* hanc VI. Calend. *Junii* habitam. Attamen ita ponunt Conciliorum Editores. Verùm necesse est ut vel turbatus sit ordo, vel Concilium hoc V. in alium annum reponendum erit. Certè de tempore hujus Synodi inter eruditos haud benè convenit. Ad hunc ipsum annum refert Baronius, ad annum CCCCI. Justellus & Cardinalis Perronius; ad annum CCCC. Schelstratius, qui Canones III. XI. XV. Scholiis suis illustravit *Eccles. Afr. Dissert.* III. cap.9. pag. 223. Satis erit Lectorem semel monuisse, in Conciliis Africanis hujus & sequentis Sæculi miram esse confusionem, turbato sæpiùs temporis ordine, & permixtis Canonibus, qui in hâc illâve Synodo conditi, alteri non raro tribuuntur. Quod candidum non minus, quàm attentum & diligentem lectorem exigit.

399. P.II. CARTHAGINENSE IX. anno CCCXCIX. V. Calend. *Maias* in Secretario Basilicæ restitutæ, congregatum. In hâc Synodo decreta est ad Honorium Imp. Legatio, ut auctoritate suâ Ecclesiæ Africanæ necessitatibus subveniret, Epigonio & Vincentio Episcopis ad hoc munus destinatis. Multa erant quæ per hanc Legationem ab Imperatore petenda esse statuerunt Patres Africani. Primò, ut confugientes ad Ecclesiam, vi inde nè abstrahantur, utque Clerici de Judicii sui cognitione in Publico Testimonium dicere non cogantur. Vid. *Cod. Afr.* Can. *LIX.* Huic petitioni respondet Honorii Lex *de Foro Ecclesiastico*, XIII. Calend. *Septembr.* hoc anno edita, ut quoties de Religione agatur, Episcopi judicare debent, *Cod. Theod.* Tit. *de Relig.* l.1. Secundò, Ut Reliquiæ Idolorum per omnem Africam aboleantur, & Templa ubique destruantur, *Cod. Afric.* Can. *LVIII.* Respondet Honorius Lege, III. Calend. *Septemb.* hoc anno latâ, Simulachra quidem & Sacrificia prohibenda, ipsa verò Ædificia, rebus his illicitis vacua, non esse evertenda, *Cod. Theod.* Tit. *de Pagan.* l. XVIII. Tertiò, Ut Paganorum Convivia, & quæ in his exerceri solebant, impositâ pœnâ, prohibeantur, utque Spectacula Theatrorum, cæterorúmque ludorum die Dominicâ vel cæteris Sanctorum Festivitatibus minimè celebrentur, *Cod. Afric.* Can. *LX. LXI.* Ad has petitiones pertinet Honorii Lex, XIII. Calend. *Septembr.* hoc anno Profanos nempe Ritus esse submovendos, Festos verò Conventus Civium, & communem omnium lætitiam, Ludos nempe & Convivia, esse permittenda, modò absque Sacrificio, ullâve superstitione damnabili exhibeantur, *Cod. Theod.* Tit. *de Pagan.* l. XVII. Quartò, Ut Clerici ab Episcopis suis damnati, à quolibet non protegantur; ut Manumissiones in Ecclesiâ celebrentur; ut Histriones, qui Fidem Christianam amplexi sint, ad eandem ludicram artem iterùm exercendam non cogantur, *Cod. Afr.* Can. LXII. LXIII. LXIV. Extat quidem Honorii Lex, VII. Calend. *Jul.* hoc anno, ad Sapidianum Africæ Vicarium data, quâ Ecclesiarum & Clericorum privilegia & immunitates confirmantur, constitutâ quinque librarum auri pœna iis, quicunque ea temerè violaverint, *Cod. Theod.* Tit. *de Episc.* lib. XXXIV. ubi dubium movet, levibus quidem, ut mihi videtur, de causis Gothofredus, utrum hæc Honorii Constitutio ad Patrum Africanorum petitionem referenda sit. Prætereà Legatis Africanis hoc etiam in mandatis datum est, ut Equitium Episcopum, qui olim Episcopali judicio meritò damnatus fuerat, si fortè illis in partibus repererint, Ecclesiæ causam adversùs ipsum agerent, *Cod. Afr.* Can. LXV. Quid verò hâc in parte præstitum sit, non liquet. Nullam, saltem valde obscuram hujus Synodi mentionem faciunt Conciliorum Editores. Interim confer Conc. Tom.II. p. 1081. Concil. Afric. I. ibidem pag. 1221. Baron. ad ann. CCCXCIX. prope fin. præcipuè Jac. Gothofredi Comment. ad Leg. XVII. *Cod. Theod.* Tit. *de Paganis.*

ALEXANDRINUM VII. anno CCCXCIX. 399. P.II.
vel ut Pagius CCCCI. sub Theophilo habitum. In quo Origenes ejusque Discipuli, & Sectatores damnati sunt. Epistolæ Synodicæ hujus Concilii Fragmenta quædam non contemnenda habet Justinianus Imp. *Tract. advers. Orig. Error.* Concil. Tom.V. pag. 660. Multis hac de re agunt Hieronymus, Palladius in *Vita Chrysostomi*, Socrates, Sozomenus, & nos alibi plura.

CONSTANTINOPOLITANUM 399. P.II.
VII. ann. CCCXCIX. à Chrysostomo, & XXII. Asiæ Episcopis habitum. In hoc, Antoninus Ephesi Episcopus, VII. gravissimorum criminum accusatus cum Synodali judicio damnandus esset, mors illum ad supremum Judicium evocavit. Exeunte hoc, vel ineunte sequenti anno, Chrysostomus Ephesum profectus, Synodum LXX. Episcoporum habuit, ubi Heraclidem ad hanc sedem promovebat, & sex Asiæ Episcopos deposuit. Pluribus de his agunt Palladius in *Vit. Chrysost.* cap. 13. pag. 125. Socr. lib. VI. c. 10. Soz. lib. VIII. c. 6. & nos in *Vitâ Chrysost.* alibi fusiùs.

CYPRIUM, anno CCCXCIX. juxta Pagium 399. P.II.
in *Critica* ann. CCCCI. sub Epiphanio Cypriorum Metro-

Metro-

Digitized by Google

SÆC. IV. ab An. CCCC.

Metropolitâ, ab omnibus istius Insulæ Episcopis, celebratum. Theophilus Alexandrinus, damnandis Origenis dogmatibus hoc tempore unicè intentus, magno sibi emolumento fore putavit, si Epiphanium, Constantiæ in Cypro Episcopum, virum ob virtutis, & doctrinæ reverentiam, omnium sui temporis clarissimum, (à quo tamen anteà dissenserat) participem & consortem consiliorum suorum haberet. Scriptis itaque ad illum literis, hominem, summâ morum simplicitate præditum, in suas partes facilè pertraxit, qui, collecto Episcoporum totius Insulæ Concilio, Origenis libros omninò legi prohibuit. Misit etiam tùm ad alios, tùm præcipuè ad Joannem Chrysostomum literas, quibus ea quæ in Synodo decreta fuerant, ipsi significavit, frustrà hortatus, ut & ipse à legendis Origenis libris abstineret, & convocatâ Synodo Episcoporum suorum, idem secum decerneret. Hæc nobis referunt Socr. lib. VI. cap. 10. pag. 315. Sozom. lib. VIII. cap. 14. pag. 775. Extat Theophili hâc de re *ad Epiphanium* Epistola ab Hieronymo Latinè versa apud Hieron. Tom. II. pag. 309. ad vetustum MS. *Colbertinum*, recognita & emendata, apud Baluz. *Nov. Collect.* col. 101.

SÆC. IV. ab An. CCCC.

TOLETANUM I. vulgò dictum, in Carpetanis ad *Tagum* fluvium à XIX. Episcopis, Præsidente Patrono, ad mores, præcipuè in Clero, reformandos anno CCCC. VII. Idus *Septembr.* habitum. Extant circa disciplinam Ecclesiasticam, sacrarum Personarum continentiam & pœnitentiam publicam ac solemnem *Capitula* XXI. cum Fragmentis, aliisque huc facientibus Conc. Tom. II. p. 1222. 400. *P. II.*

TAURINENSE in Sub-Alpinis, (*Taurinum* quippe caput est Principatus Pedemontani) rogantibus Galliæ Episcopis, congregatum X. Cal. *Octob.* anno, ut videtur, CCCC. si non paulò post; certè post mortem Martini Turonensis, quem anno CCCC. mortem obiisse, non contemnendis argumentis evincit P. Fr. Chifletius *Dissert. de S. Martini Temporum ratione.* In hoc Concilio præcipuè actum de Primatu *Arelatensis*, & *Viennensis* Ecclesiæ, & Sedes Metropolitana in secundâ Provinciâ Narbonensi *Massiliensi* adjudicata est. Extant Canones *VIII.* Conc. Tom. II. p. 1155. & Sirmondi Notæ posthumæ, ibid. in *Append.* p. 1810 400. *P. II.*

FINIS QVARTI SÆCVLI.

SÆCULUM NESTORIANUM.

CONSPECTUS SÆCULI.

SÆC. V. ab An. CCCC.

IMPERANTE apud Orientales Arcadio, homine ignavo, otio & luxuriæ dedito, apud quem omnia poterant proceres Aulici, miserè perturbatæ sunt res Ecclesiasticæ. Huic à Kal. Maii An. CCCCVIII. succedit Theodosius junior, πᾶσαν ἐπησκήσας ἀρετὴν διὰ Θεοῦ, inquit Sozomenus Præfat. ad Hist. Ecclesiast. certè pietate & humanitate pauci ex ordine Principum palmam ei præripuerunt. Magnus eruditorum Patronus, ipse literis haud leviter instructus; noctu etiam libris incubuit, ad quorum lectionem inserviit illi candelabrum, quod arte mechanicâ fabricatum, nullo extrinsecus ministrante, oleum lucernæ infundebat. Sed hujus auspiciis & Præsidio mirè floruit non Ecclesia modò, sed & tota res literaria, quam strenuè promovere sategit, tum suis tum renovatis præcedentium Imperatorum legibus, quas videre est Cod. Theod. lib. 14. Tit. IX. *De studiis liberalibus urbis Romæ, & Constantinopolis.* Ubi de studiosis Romam studiorum gratiâ sese conferentibus, deque eorum Privilegiis, de Antiquariis, & Bibliothecæ CP. Custodibus, de Professoribus publicis Constantinopolitanis, aliisque huc spectantibus, agitur. Et ut illud etiam his attexam, An. CCCCXXXVIII. jubente ac curante Theodosio, conditus & promulgatus est *Codex Theodosianus*, in quem omnium Christianorum Imperatorum Constitutiones à Constantino M. ad hæc usque tempora conjectæ sunt. Hunc Codicem post alios omnes recensuit Jac. Gothofredus, & uberrimis Commentariis illustravit, qui majorem diligentiam an eruditionem præ se ferant, haud facilè dicas; sed hæc obiter. Florente ac favente Theodosii Imperio, Ecclesiæ nihilominus pacem turbant, I. DONATISTÆ, qui integro jam sæculo ab ipso Diocletiani tempore Ecclesiam Catholicam gravi Schismate laceraverant. Adversus hos fraudibus ac cædibus ubique grassantes, decreta est An. CCCCIV. à Synodo Carthaginensi ad Honorium Aug. legatio, secundâ jam vice repetita An. CCCCVII. cum iis etiam Carthagine collationem instituunt Catholici Episcopi An. CCCCXI. cujus gesta hodie extant, & tum seorsim, tum in Conciliorum tomis habentur. II. PELAGIUS, ejusque asseclæ, motis controversiis *de originali peccato, libero arbitrio*, &c. à variis Synodis, Diospolitanâ, Africanis, Gallicanis, ut de Patribus, Augustino, Hieronymo, Prospero, aliisque nil dicam, sæpiuscule victi & fugati. III. NESTORIUS duas in Christo Personas, ac proinde Mariam non esse Θεοτόκον, docens, à Concilio Oecumenico tertio An. CCCCXXXI. Ephesi habito, damnatus. Hinc multæ inter Cyrillum Alexandrinum & Theodoritum lites. IV. EUTICHES, unicam in Christo naturam post Incarnationem agnoscens, quem proinde damnavit Concilium Chalcedonense An. CCCCLI. utcunque illum Synodus Ephesina λῃστρικὴ An. CCCCXLVIII. armata manu, & coactis subscriptionibus absolverat. Subsecuta mox magna certamina & dissidia, quibus ut medicam adhiberet manum, Ἑνωτικὸν condidit Zeno Augustus, cui subscripserunt Acacius CP. & simulatè quidem

Petr.

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. Petr. Moggus, Petrus Fullo, additamenti ad Trisagium (σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς) auctor, aliique; reclamantibus interim Romanæ sedis Episcopis, Simplicio, Felice, &c. qua de re vide sis *Gesta de nomine Acacii*, aliaque Concil. T. IV. à p. 1079. Sedes CP. à Synodo Chalcedonensi admodum honoratur, cujus Can. XXVIII. τὰ ἴσα πρεσβεῖα *æqualia* ei cum veteris Romæ Episcopo *Privilegia* decernuntur. Priore, ut videtur, hujus sæculi parte instituti sunt Monachi *Acœmetæ* ita dicti, quod in tres Classes divisi, sibique invicem succedentes, divina officia nullo interposito intervallo nocte dieque celebrarent. In horum usum plurima Constantinopoli Monasteria constructa sunt, præcipuè celeberrimum illud quod à *Studio*, qui Consul fuerat An. CCCCLIV. *Studii* nomen traxit, nec fortasse in aliis Orientis urbibus deerant. Hujus instituti Authorem alii Marcellum Apamiensem, alii Alexandrum Archimandritam, Marcelli prædecessorem, qui floruit An. CCCCXX. & in cœnobio, quod juxta S. Menæ monasterium erat, cum suis habitavit, fuisse volunt. Hi Acœmetæ, saltem ex iis plures, Hæresi Nestorianæ favebant, eo nomine à Scriptoribus Ecclesiasticis non semel acriter correpti.

SCRIPTORES.

401. ASTERIUS, Amaseæ (quæ Ponti est civitas) Episcopus, Scythæ cujusdam quem civis Antiochenus emerat, & liberalibus studiis informaverat, Discipulus, claruit circa An. 401. à Juliani Imp. temporibus, ipsomet teste * non longè remotus. Plura de eo non habent Veteres. Multa scripsit ὁ φιλάρετος Asterius, uti Photio † audit, ex quibus hodie supersunt.

* Hom adv. Avar.
† Cod. 271.

Homiliæ V. *viz. in Divitem & Lazarum, De Oeconomo iniquitatis, Adversus Avaritiam, In Festum Calendarum, & In illud, An liceat dimittere Uxorem quacunque ex causa. G. L.* à Rubenio editæ *Antverp.* 1615. 4°. & in *Auctuario* 1624. Tom. 2. pag. 563. ac in *Auctuario* 1648. Tom. 1. p. 1. in quo additæ habentur sequentes Homiliæ.

In Prophetam Danielem & in Susannam.
In Cæcum à Nativitate.
In Principes Apostolorum, Petrum & Paulum.
In S. Martyrem Phocam.
Laudatio in SS. Martyres.
Enarratio Martyrii S. Euphemiæ, excerpta ex Act. 6. secundi Nicæni Concilii.

Laudatio in S. Protomartyrem Stephanum, quam nomine Procli ediderat Vinc. Riccardus, cùm & Stylus & Photii Authoritas vindicent Asterio. Hactenus Homiliæ à Combefisio collectæ: verùm an omnes ejusdem sint Asterii, meritò dubitatur: Addidit Combefisius excerpta octo aliarum Homiliarum è Photii Cod. 271. desumpta, viz. Sermonum; *De Pœnitentia, in illa verba, Homo quidam descendit de Hierusalem ad Jericho. In illud, Duo Homines ascenderunt in Templum. De Zacchæo, De Filio Prodigo, De servo Centurionis à Domino sanato, De Jejunio, De Jairo, ac muliere profluvio sanguinis laborante.*

Homiliæ VII. *in Psalmos* 5. 6. & 7. Græc Lat. cum Notis apud Coteler. Monument. Eccles. Gr. T. 2. p. 1.

Denique extant *Fragmenta* Asterii plurima in Catena in Psalmos, aliaque in Catena in Lucam; quorum pleraque nuspiam alibi reperiuntur.

401. MARCUS, Ἀσκητὴς sive *Exercitator*, κατ' ἐξοχὴν dictus, genere forsan Ægyptius, inter Monachos Nitrienses solitariam vitam egit, claruit circa Annum 401. Vir insigniter mitis, ac summè temperans, qui juvenis adhuc totum Vetus ac Novum Testamentum memoriter tenuit; ætate verò provectior tantâ sanctitatis famâ inclaruit, ut inter Monachos Nitrienses rumor increbresceret, sacra mysteria ei non à Sacerdote, sed ab Angelo quodam semper in manus esse tradita. Vixit ad decrepitam usque ætatem, obiitque centenario major. Multa post se reliquit Scripta, de quibus sunt qui Marco nostro litem moveant, annon ea Marco cuidam juniori, qui sub Leone Imp. circa an. 900. floruit potiùs ascribenda sint, subdubitantes. Verùm id conjecturæ ne levissimam quidem habet veritatis umbram: cùm Photius * scripta ista non memoret solùm, sed & eorum capita summatim referat. De stylo Marci sic ille: Σαφὴς μὲν ἐστὶν, ὅσον ἐπὶ τῇ κοινότητι τῆς λέξεων, καὶ τῷ κεφαλαιωδῶς ἐξηνέχθαι ἡ φράσις, εἰ καὶ μὴ πρὸς τὴν Ἀττικὴν ἐξηκρίβωται τὰ ὅλα γλῶσσαν, εἰ δέ που τὸ ἀσαφὲς ἐνορᾶται, τῷ διὰ πράξεως αὐτὰ πεφυκέναι μᾶλλον κατανοεῖσθαι, ἀναχωρεῖ τῆς διὰ λόγων ἑρμηνείας, οὐχὶ τὸ δυσκόλως εἰρῆσθαι. *Perspicua ejus est dictio, quatenus verbis utitur communibus, & summa capita percurrat Oratio: etsi quod ad Atticum Sermonem non satis accuratè linguam componat. Sicubi verò in his obscuritas aliqua cernitur, ideo nimirum ab eâ, quæ per verba fit, clarâ explicatione recedit; quòd hæc ejusmodi sint, ut per actionem ipsam potissimùm percipi debeant, non quòd difficulter eadem exprimi oratione possint.* Quod non de Marci solius scriptis notat Photius, sed & in omnibus fermè iis, qui Ascetica tractarunt, ejusmodi obscuritatis vitium reperiri docet, τῆς ἐκ τῶν ἔργων αὐτῶν ἐπιγνώσεως οὔ τι μάλα στεργούσης τὰς διὰ τῶν ῥημάτων ἐπιδηλώσεις.

Sozom. l. 6. Pallad. Hist. c. 29. Lausi c. 20. 21. Niceph. l. 14. c. 54.

* Cod. 200.

SCRIPTA, QUÆ EXTANT.

De Paradiso & Lege Spirituali: Procemium totidem verbis habetur in Macarii Hom. 37.
De his qui putant se ex operibus justificari.
De Pœnitentia.
De Baptismo.
Præcepta salutaria ad Nicolaum.
Capitula Temperantiæ, sive de Jejunio.
Disputatio cum Causidico.
Consultatio intellectus cum sua ipsius anima. Octo ista Opuscula memorat, alio tamen ordine enarrat Photius, quibus & nonum addit (à nobis desideratum) *contra Melchisedecitas*, quo in sui ipsius Parentem hæreseos hujus labe contaminatum invectus est.

Ex Marci nostri Operibus ad ætatem suam pervenisse prodit Nicephorus libros VIII. universalium affectionum numerum æquantes, & alios XXXII. *de re ascetica*. In his octo, quæ nobis supersunt, opuscula comprehendi, satis est verisimile; adeò ut 32. etiamnum desiderentur.

Porrò, inter octo, quæ extant, tractatus, habetur Epistola Nicolai cujusdam non contemnenda; quâ gratias

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. gratias Marco agit, ob Præcepta ejus salutaria sibi nuncupata.

Extant Opuscula suprà recensita à Joanne Pico Parisiensi Latinè reddita *Paris.* 1563. inde in Biblioth. Patr. desumpta. Græc. Lat. verò in Auctuario *Paris.* 1624. Tom. 1. p. 871.

401. P. II. MARCUS, ἀσκητὴς dictus, inter Monachos Nitrienses celeberrimus, claruit circa annum CCCCI. Scripsit plurima, quorum multa temporis injuriâ perierunt. Supersunt non pauca. Extant apud Cl. Galeum sequentia Marci opuscula Græcè MSS. 1. *De Jejunio.* 2. *Capita* περὶ ἀγρυπνήτου, &c. 3. Κεφάλαια ἠθικά. 4. Περὶ εὐχῆς. 5. *Capita Gnostica.* 6. Περὶ πράξεως καὶ θεωρίας πνευματικῆς. 7. *Oratio* εἰς τὸν Μελχισεδὲκ, 8. Ἀντίζυγα *vitiorum & virtutum*, 9. *Paranesis Ascetica Alphab.* 10. *Oratio in S. Crucem.* Quóusque hæc coincidant cum opusculis illis, quæ in *Auctuario* suo Tom. 1. edidit Fronto Ducæus, cùm ipsos Codices MSS. nondùm inspexerim, dicere nequeo.

401. ANIANUS, Monachus Ægyptius, diversus ab eo qui nonnulla Chrysostomi scripta Latinè vertit, uti infrà ostendemus, claruit circa Ann. 401. *Chronologiam* scripsit, in quâ Eusebium secutus, non rarò tamen eum erroris coarguit, ut ex Georgio Syncello constat. N.E.

401. PANODORUS, Ægyptius itidem Monachus, Aniani ὁμόχρονος, teste Syncello, claruit sub Arcadio Imp. Scripsit Chronographiam, ὡς ἄπειρος, inquit Syncellus, χρονικῆς ἀκριβείας, ipse Eusebium similiter secutus, haud dispari etiam modo castigat. Interiit ejus Chronographia; fragmenta tamen plurima nobis conservavit Syncellus, atque ex eo exhibet Scaliger in Animadversionibus Eusebianis.

401. VICTOR, Antiochenus, Chrysostomi æqualis, claruisse videtur, ineunte hoc sæculo, & deinceps. Scripsit *Commentarium in Evangelium D. Marci*, qui Latinè extat ex versione Theod. Peltani in Bibliothec. Patr. Tom. 4. p. 370.

401. P. II. VICTOR Presbyter Antiochenus, Chrysostomo ætate par, claruit anno circiter CCCC. Præter Commentarium in Evangelium S. Marci, cujus & alibi meminimus, hæc Victoris opuscula penes se MSS. habet vir eruditissimus Sebastianus Feschius J. V. Professor Basileensis, ut ex ipsius ad Cl. Galeum literis constat, nempe *Scholia in Epistolam S. Iacobi; in S. Petri primam & secundam; in S. Ioannis* I. II. III. *in S. Judæ Epistolam.* Græcè verò an Latinè tantùm, non didici.

401. MACARIUS, Patriâ, ut verisimile est, Romanus, Professione Monachus, Rufino Aquileiensi admodum familiaris, (eundem enim esse cui Apologiam suam pro Origene dicavit Ruffinus, quemque in Apolog. 2. contra Ruffinum notat Hieronymus, jure conjicit Miræus) Claruit circa An. 401. Scripsit in Urbe Româ *adversus Mathematicos librum*, in quo labore Orientalium quæsivit solatia Scripturarum: uti habet Gennadius de Script. cap. 28. N.E.

401. PAULUS, Episcopus, cujus unicus meminit Gennadius *, claruisse videtur circa An. 401. Scripsit *de Pœnitentiâ libellum*, in quo legem Pœnitentibus dedit, ita dolendum esse de peccatis, ne supra modum tristitiæ, immensitate desperationis mergantur. N.E.

* De scripr. c. 31.

401. EUSEBIUS, cujus notitiam, eamque perobscuram, eidem Gennadio debemus †. Nec Patriam enim, nec vitæ institutum, nec ætatem scire licet. Ex loco tamen quem in Catalogo suo ei tribuit Gennadius, ineunte hoc sæculo illum floruisse conjectari fas est. Scripsit *de Crucis Domini Mysterio, & Apostolorum, ac præcipuè Petri, constantiâ, virtute Crucis indeptâ.* N.E.

† De script. c. 34.

SEVERUS SULPITIUS, Natione Gallus, Patriâ Aquitanus, genere nobilis, Phæbadii Agennensis Episcopi Discipulus, claruit Anno 401. In adolescentiâ eloquentiæ sæculari operam dedisse, & in foro famam non incelebrem nactum, uxorem è Consulari familiâ duxisse satis indicat Paulinus Epistolâ ad eum primâ. Vitæ instituto, ut nonnullis placet, erat Monachus, certè Presbyter Primuliacensis. Qui Episcopum fuisse volunt, eum cum Sulpitio Severo, vicesimo septimo Bituricum Episcopo (qui obiit exeunte sæculo sexto) temerè confundunt. Martino, Paulino, Hieronymo, admodùm erat familiaris. In senectute vergente, à Pelagianis deceptus postea erroris sui pœnitentiam egit; ac perpetuo silentio linguæ temeritatem expiavit. Stylus Severo clarus, facilisque; & longè supra sæculi sui genium tersus & politus: unde Ecclesiasticorum purissimus scriptor Scaligero audit. In Dialogis suis Millenariorum errorem prodit; quod observavit olim Hieronymus * eumque primariis Millennii propugnatoribus accenset. 401.

* Comm. in Ez. k. c. 36.

SCRIPTA.

Historia Sacra libri II. *à Mundi exordio ad Annum* 400. *deducti*, circa quod tempus scripti videntur.

De S. Martini vitâ liber, cum Præfatione ad Desiderium.

Epistola Prima ad Eusebium Presbyterum contra amulos virtutum B. Martini.

Epistola secunda ad Aurelium Diaconum, de obitu & apparitione B. Martini.

Epistola tertia ad Bassulam socrum suam, de obitu B. Martini.

Dialogi III. *interlocutoribus Gallo & Posthumiano*, se mediante & judice: quorum primus agit de *virtutibus Monachorum* Orientalium, secundus & tertius de *virtutibus B. Martini.* Hosce ob errorem Millennii ibi deprehensum damnavit olim Gelasius Papa, seu quisquis Decreti illius Autor, sub titulo *Opusculorum Posthumiani & Galli.*

Ad Claudiam Sororem Epistolæ II. quas ex MS. Codice Collegii S. Trinitatis Cantab. descriptas V. Cl. Joannes Battely, ejusdem Collegii Socius, ad Cl. Baluzium misit: à quo editæ sunt Miscellaneorum Tom. 1. p. 329.

Epistolæ V. à *Dacherio* primùm editæ, Spicileg. Tom. V. p. 532. plures certè *Epistolas ad amorem Dei, & contemptum Mundi hortatorias* ad Sororem suam illum scripsisse testatur Gennadius *, ac ad alios alias; quæ non extant.

* De Script. c. 19.

Ex V. Severi Sulpitii Epistolis à Dacherio editis, ultima non est Severi nostri, sed alterius Severi, natione Afri, ut liquet ex Epistola IV. p. 535.

Carmen Bucolicum, seu *de moribus Boum Poëmation*, habetur sub Severi nomine inter Christianos Poëtas à Bignæo editos in Appendice ad Biblioth. Patr. *Paris.* 1624. p. 579.

Prodierunt Sulpitii Severi Opera, *Colon.* 1600. 8°. cum Drusii commentario *Franekeræ*, 1607. 8°. *Lugd. Bat.* 1635. 12°. (cum notis G Hornii) 1647 4°. 1654. 8°. & alibi sæpiùs. Habentur & in Orthodoxogr. & in Biblioth. Patr. Tom. VI. p. 324.

Ubertimos in Sulpitii Severi Historiam Sacram Com-

Digitized by Google

SÆC. V. ab Commentarios edidit Chriſtianus Schotanus, *Franekeræ* 1664. fol. quorum prodromum, notas nempe in Heptaemeron in lucem emiſerat, *Franekeræ* 1658. 4to.

401. PHILO, unde ortus, incertum eſt, gradu Diaconus. Ineunte hoc ſęculo, ab Arcadii & Honorii Impp. Sorore, (quę conclamatâ ferè valetudine Romæ ægrota decubuit) unà cum aliis nonnullis Cyprum miſſus eſt, ut S. Epiphanium Romam accerſerent, qui precibus ſuis ac manuum impoſitione priſtinam illi ſanitatem à Deo impetraret. Ad Cyprum delatus ab Epiphanio Carpathi, inſulæ maris Mediterranei, ab Aſiatico littore non longè diſtantis, uti vulgò creditur, rectiùs verò mea quidem ſententiâ Carpaſiæ Urbis in Cypro non ignobilis, Epiſcopus, ob inſignem pietatis famam, ordinatus eſt, circa Ann. 401. Quin etiam Epiphanius Romam diſcedens Eccleſię ſuę Conſtantienſis curam ei commiſit, ut ſi Clericis opus eſſet, ipſe ordinaret. Hæc Polybius*. Scripſiſſe *Commentarium in Cantica Canticorum* fidem facit Suidas †. Extat quidem ſub ejus nomine Latinè *Commentarius in Cantica*, Biblioth. Patr. Tom. V. ſed aut ejus non eſt, aut admodum interpolatus. Interim verus Philonis Commentarius, unà cum interpretatione veteri habetur MS. apud Cl. Bigotium (uti nos docet Caſimirus Oudin.) ab eo propediem evulgandus.

* In Vitâ Epiphan. c. 49.
† In voce Φίλων.

401. ANTIOCHUS, Natione Syrus, Ptolemaidis in Phœniciâ Epiſcopus, claruit circa ann. 401. Eloquentiæ famâ clarus, Conſtantinopolim profectus eſt, ubi frequentibus concionibus ad Plebem habitis, perſpicua dictione compoſitis, & ſonorâ voce pronunciatis tantum ſibi applauſum meruit, ut à nonnullis Chryſoſtomus diceretur: tantam etiam pecuniam, ut auro onuſtus ad civitatem ſuam rediret paulò ante exorta Chryſoſtomi infortunia. Poſtea tamen liti Chryſoſtomo à Severiano, Acacio, aliiſque intentatæ ſe immiſcuit: ac inter acerrimos Chryſoſtomi inimicos à Palladio * numeratur. Obiit ante annum 408. regnante adhuc Arcadio Imp. Scripſit, præter *Sermones* plurimos, *adverſus avaritiam unum & longum volumen, & in curationem cæci à Salvatore illuminati Homiliam.* Scripta ejus non extant: Sententiolam quandam ex eo profert Theodorit. Dial. II. *Fragmentum* verò ejuſdem longiuſculum de Chriſto lanceâ transfoſſo, Autor Catenæ in Joannem p. 443. aliud Acta Concilii Epheſini, part. I. c. 4.

Socrat. l. 6. c. 11. Sozom. l. 8. c. 10. Gennad. c. 20.

* Dialog. p. 49.

401. SEVERIANUS, Natione Syrus Gabalorum in Syriâ Epiſcopus, claruit circa ann. 401. Vir in Scripturis admodùm eruditus, & eloquentiæ cauſa celeberrimus. Famæ igitur ac divitiarum ab Antiocho Conſtantinopoli comparatarum æmulus. Poſtquam ſe in dicendo diu exercitaſſet, & orationes plurimas elucubraſſet, Conſtantinopolim venit, ubi Chryſoſtomum benevolum nactus, ac ſæpè in Eccleſia concionatus, magnam ſui admirationem excitavit, tantumque honoris & auctoritatis adeptus eſt, ut Imperatori, & Auguſtæ familiaris fieret. Chryſoſtomo verò præ aliis charus fuit, qui Epheſum proficiſcens, Eccleſiæ ſuæ curam illi delegavit. Fidem ſibi commiſſam malè præſtitit Severianus, ac auditorum ſtudium, Joanni ablatum, totum ſui juris facere anniſus eſt. Æmulatione igitur motus Joannes Conſtantinopolim properè rediit, falſiſque Serapionis Diaconi Severianum Hæreſeos accuſantis criminationibus inſtigatus, illum urbe ejecit: qui tamen ab Eudoxia Auguſta mox revocatus, Joanni, nullum non lapidem in id movente Imperatrice, ſpecie ſaltem reconciliatus eſt. Ulcus verò ſtatim recrudüit: Initâ enim cum Theophilo, Antiocheno, aliiſque conjuratione, Joannis depoſitionem totis viribus molitus eſt; quod & effecit. Tumultuante autem plebe, & in Joannis inimicos inſurgente, fugâ conſulere ſibi neceſſe habuit. Exeunte igitur anno 402. ad Antiochiam properans, Porphyrium ejus loci Epiſcopum accepta pecunia ordinavit; à Plebe Antiochena ſcelus id indignata urbe mox fugatus. Quid de eo exinde factum ſit, parùm liquet.

Socrat. l. 6. c. 11. Sozom. l. 8. c. 10. 18. Pallad. Dialog. paſſim.

SÆC. V. ab Ann. CCCC.

SCRIPTA, QUÆ EXTANT.

De *Creatione Mundi Orationes* VI. extant in editione Chryſoſtomi Saviliana Tom. VII. prope finem, & in Auctuario Combefiſ. *Paris.* 1672. Hinc deſumuntur Fragmenta illa plurima, quæ in Catena Græcorum Patrum in Geneſin à Franciſco Zephyro Latinè verſa & edita *Colon.* 1572. exhibentur, pag. 2. 3. 4. 16. 17. 18. 24. 37. 41. 46. licet iſta poſtrema videantur potiùs petita è Severo quàm Severiano.

In Nativitatem Chriſti Oratio, inter Chryſoſtomi Opera edit *Savil.* Tom. VII. Citatur à Theodorito * ſub Severiani nomine.

De Sigillis librorum Oratio.

De Serpente æneo Moſis Oratio. Utraque habetur inter Chryſoſtomi Opera. Verùm Severiani eſſe patet ex Theodorito †, & Damaſceno*, qui utramque ſub Severiani nomine allegant.

Sermo de pace in Eccleſiâ CP. habitus, cùm à B. Chryſoſtomo ſuſceptus eſt. Extat Lat. inter Opera Chryſoſtomi.

De Morte Innocentum Oratio, quæ inter alias Patrum Homilias ab Alcuino collectas Latinè legitur, & inter Chryſologi Sermones num. 152.

De Cruce Homilia, à Fr. Combefiſ. cum aliis quibuſdam Chryſoſtomi edita, *Pariſ.* 1656.

* Dialog. 1.
† Dialog. 1. 3.
* De Imag. Orat. 1.

SCRIPTA QUÆ NON EXTANT.

Sermonum volumen. Sermonem ejus 58um citat Oecumenius Comment. in I. ad Corinth.

Expoſitio in Epiſtolam ad Galatas, quam ſe legiſſe ait Gennadius *: Fragmentum ejus exhibet Oecumenius in Comment. in hanc Epiſtolam.

De Baptiſmo, & Epiphaniæ ſolemnitate libellus.

Expoſitiones in Epiſtolam ad Romanos, primam ad Corinthios, & ſecundam ad Theſſalonicenſes, Sever. cujuſdam citantur in Oecumenii Catena in dictas Epiſtolas. Verùm an eo nomine deſignetur Severus an Severianus, incertum eſt.

In Catena Fr. Zephyri *in Pentateuchum* (edit. *Colon.* 1572.) citatur Sever. in *Geneſin* pag. 59. in *Exodum* pag. 143. in *Numeros* pag. 183. 188. 204. 207. in *Deuteronomium*, pag. 212. 215. par hîc ac in præcedente Articulo manet ſcrupulus.

Expoſitio in Job, cujus fragmenta plurima conſervavit Catena in Job à Paulo Comitolo Latinè converſa.

Anaſtaſius Sinaita Ὁδηγῷ cap. 16. citat fragmentum Severiani Gabalenſis in *illud* Coloſſ. I. *Quoniam in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.*

Contra Novatum liber, cujus fragmentum extat apud Gelaſium lib. de duabus Chriſti naturis.

De Cruce Orationes plures: quarta citatur à Damaſceno Orat. III. de Imag.

Porrò fragmenta nonnulla Severiani videre eſt apud Gelaſium lib. de duab. in Chriſto natur. Concil. Epheſin. part. I. Turrian. de Euchariſt. l. I. c. 19. quæ unde deſumpta ſint, incertum eſt.

* De Script. c. 21.

PALLADIUS, Gente Galata, natus anno 368. Vi-

Digitized by Google

SÆC.V.ab An. CCCC. 368. Viginti annos natus in exteras regiones peregrinari cœpit; Ad Alexandriam delatus Isidori Presbyteri curæ se commisit, vitæ Monasticæ Disciplinâ instituendum. Isidorus id officii delegavit Dorotheo Ascetæ celeberrimo Thebano; sub cujus regimine triennium exegit Palladius. Anno 391. in Nitriam montem secessit; ibique apud Archimandritas, Arsacium, Putabastum, &c. integrum annum asceticis exercitiis, & Monachis illustrioribus invisendis dedit: & Evagrium Ponticum Præceptorem nactus est; à quo Origenismi amorem hausit, eo nomine ab Epiphanio & Hieronymo acriter non uno in loco correptus. Tandem tentationibus quibusdam lascivis divexatus, clam Evagrio magistro in Scetes solitudinem se subduxit; & apud S. Pachonem aliquamdiu delituit. Mox in Thebaidis deserta profectus est, Joannem Abbatem invisurus, qui Episcopatum & afflictiones multas ei olim adfuturas prædixit. Hujusmodi ferè itinera crebro conficiens Evagrius, totam Ægypti Regionem peragravit; donec splenis & stomachi morbis laborans, Alexandriam à sodalibus mitteretur. Ab Alexandria valetudinis reintegrandæ ergo Palæstinam profectus est; ubi plurimos exegit annos, exempli gratia apud Innocentium Abbatem, Oliveti Presbyterum integrum triennium, anno 400. vel 401. à Palæstinâ Bithyniam veniens, Episcopus cujusdam Urbis ordinatus est. Hæc de seipso Historiæ Lausiacæ Autor. Quæ sequuntur, haud ita certum est, an eidem Palladio sint tribuen a. Anno 400. circiter Palladius, Helenopolitanus Episcopus, unà cum duobus aliis Episcopis missus est à Chrysostomo Ephesum ad Antonini Episcopi causam cognoscendam. Anno 404. Chrysostomo (cujus ille partibus constanter adhæsit) in exilium pulso, magistratuum furorem fugiens Romam contendit; & Innocentio Papæ, ac Episcopis Occidentalibus Arcadii Imp. & Joannis inimicorum injusta odia coram exposuit. Mox eum latinis Episcopis Honorii Imp. literas ad Arcadium deferentibus remissus; in exilium longinquum ab Arcadio ablegatus est, in oppido Syene, in viciniâ Blemmyum sito, custodiendus: quò militari satellitio abductus est, gravissimis in viâ injuriis divexatus, ablato famulo, & excussis tabellis. Relictâ tandem Sede Helenopolitanâ, Asponæ Episcopum factum esse tradit Socrates *. Denique Historiæ Lausiacæ Autor opus id conscripsit circa ann. 421. annos natus LIII. Vitæ autem Chrysostomi Scriptor Dialogum suum statim post Chrysostomi mortem literis mandavit. Jam verò ad scripta, quæ sub Palladii nomine circumferuntur, perveniamus.

* L. 7. c. 26.

SCRIPTA, QUÆ EXTANT.

Historia Lausiaca, seu de SS. Patrum vitis ad Lausum cubiculi Præfectum; inde *Lausiaca* dicta. De eâ vide plura in Heraclide. Post varias editiones Latinas ex antiquâ Ruffini versione Græcè primus extulit cum notis Joannes Meursius, *Lugd. Bat.* 1616. 4°. Græco-Lat. cum notis Fronto Ducæus in *Auctuario* 1624. Tom II. pag. 893. Supplementum, cujus ope Græci Textûs lacunæ impleri possint, exhibet Cl. Cotelerius Monument. Eccles. Græc. Tom. II. p. 341. qui Fragmenta etiam XI. satis ampla in editis exemplaribus desiderata, quibus aut augeatur Historia, aut suppleatur Græcus Textus, Gr. Lat. cum notis dedit Monument. Tom. III. p. 117. 158. Historiæ hujus Codicem MSS. editis duplo auctiorem in instructissimâ suâ Bibliothecâ habet Cl. Vossius, quem in lucem aliquando proditurum sperare licet.

Dialogus de Vitâ S. Ioannis Chrysostomi inter Palladium Episcopum Helenopolitanum, & Theodorum Ecclesiæ Romanæ Diaconum. De Dialogi hujus Autore multa inter Eruditos lis est. Palladium fuisse Historiæ Lausiacæ autorem communis est Scriptorum sententia; quod tamen alii in dubium vocant, alii planè negant. Palmarium negantium argumentum est, quòd in Dialogo Palladius se tunc primùm Romam vidisse fateatur; Palladium verò Helenopolitanum ibi aliquot ante annis commoratum fuisse disertè affirmet. Cui tamen responderi potest, Dialogi autorem datâ operâ nomen ac personam suam (quod aliundè etiam patet) dissimulantem, locum priorem operi suo eo fine intexuisse, ut eò meliùs lateret. Aut hoc dicendum erit, aut necesse est, ut cum Cl. Bigotio statuamus alium fuisse Palladium, qui priori Asponam translato in Sede Helenopolitana successerit; istumque demum esse, qui cum Theodoro Dialogum Romæ habuerit. Interim notatu non indignum est Historiæ Lausiacæ scriptorem Olympiadi, Chrysostomi Diaconissæ, perquam familiarem ac Chrysostomi calamitatum participem fuisse; & ob ejusdem causam Romam demum profectum esse: uti ipse testatur †. Quid quòd non modò Georgius Alexandrinus, & ex eo Photius Dialogi conditorem Palladium vocat, non modò Dialogi Codicis Græci titulus, & indiculus Savilianus hunc Episcopum fuisse Helenopolitanum testantur (ut rectè notat idem Bigotius, sed & Theodorus Trimithuntis in Cypro Episcopus Historiæ Lausiacæ & Dialogi Scriptorem unum eundemque Palladium disertè facit. Verum omnia doctiorum judicio lubens submitto. Primus hunc Dialogum Latinè transtulit Ambrosius Camaldulensis: cujus versio Eugenio IV. nuncupata seorsim prodiit *Venet.* 1533. 8°. postea cum Chrysostomi Operibus *Parisiis*, alibique sæpiùs recusa Græcè à Frontone Ducæo & Savilio diu quæsitum, Florentiæ tandem invenit Emericus Bigotius, & ex vetusto Bibliothecæ Mediceæ codice eodem, ut videtur, quo usus est olim Monachus Camaldulensis descriptum cum versione novâ à se adornatâ in lucem emisit, *Paris.* 1680. 4°. Ex eo jam liquidò constat Ambrosium interpretem non modo Præfationem breviusculam contra codicis MS. fidem versioni suæ assuisse, sed & in Dialogi decursu quædam passim de suo adjecisse.

† Hist. Laus. c. 144. 43. 121.

De gentibus Indiæ, & Bracmanibus liber: quem è tenebris eruit & cum versione suâ edidit nobilis Anglus Edoardus Bissæus, *Londini* 1665. 4°. Ægrè mihi persuadeo, hunc libellum Palladium nostrum autorem habere. Ex ipso Opere nil certi peti potest; nisi quòd à Christiano, & florente adhuc Romano Imperio, scriptus fuerit. Meminit quidem Mosis cujusdam, Adulenorum Episcopi, itineris sui ad Indiæ ingressum comitis: quem suspicari forsan quis possit eundem esse cum Mose, Saracenorum Episcopo; qui ab anno 370. claruit: & de quo multa habent Socrates * & Sozomenus †. Adule enim in confinio Ægypti & Æthiopiæ sita est: ubi loci tunc temporis habitasse Saracenos testatur Sozomenus loc. cit. Verùm de hâc re nihil statuo: judicent eruditi.

* L. 4. c. 36. † L. 6. c. 38.

Tractatum Anonymum Scriptoris cujusdam Latini *de Bracmannis*, hactenus ineditum, ad calcem dicti libelli dedit idem Bissæus.

PALLADIUS, Galata, Episcopus Helenopolitanus, claruit anno CCCCI. De eo illud solummodò hoc tempore monere visum est. Extare apud Galeum nostrum Palladium *de gentibus Indiæ & Bragmanibus* hoc titulo Τȣ̃ αὐτοῦ Παλλαδίȣ περὶ τῶν τῆς Ἰνδίας ἐθνῶν καὶ τῶν Βραχμάνων. Hic titulus indicat Opus hoc in Codice unde descriptus fuerat hic libellus 401. *P. II.*

bellus, secutum fuisse aliud ejusdem Palladii Opus. His adde, in Epistolâ Bragmanum & Indorum ad Alexandrum hæc haberi verba p. 15. ἀδικεῖ γὰρ ὁ ψευδόμενος ὃν πείθει, ἀδικεῖ δὲ καὶ ὁ πειθόμενος ψευδομένῳ προσέχων πρὶν ἢ τ' ἀληθὲς μάθῃ. Quæ totidem fere apicibus in Dialogo Palladii *de Vitâ Chrysostomi* reperiuntur, cap. 4. pag. 37. Unde facilis oritur conjectura; unum & eundem fuisse utriusque Operis conditorem. Quod perpendant eruditi. Hinc in Cod. Colberteo 973. Post Palladii Historiam Lausiacam proximè sequitur Historia Bragmanum, teste Dufresnio in Indice Auct. Gr. p. 31.

401. HERACLIDES, Gente Cyprius, Monasticum vivendi genus in Scetensi Solitudine sectatus est, Evagrio Pontico Præceptore usus. Tandem Constantinopolim delatus, anno 398. saltem ineunte sequenti, Diaconus à Chrysostomo ordinatus est. Archidiaconum vocat Nicephorus †. anno 402. ineunte sedi Ephesinæ à Chrysostomo præfectus est, & in Synodo LXX. Episcoporum ordinatus. Anno sequente, in Theophili Synodo ad Quercum habitâ Origenismi accusatur unà cum Palladio Episcopo Helenopolitano, exhibitis adversus utrumque capitulis. Absentem judicari Heraclidem voluerunt Theophilus, ejusque asseclæ; eum insuper injuriæ & crudelitatis reum facientes. Verùm reverso mox ab exilio Joanne, & Theophilo à civibus CP. fugato, evanuit ista tempestas. Tandem tamen Joanne secundâ vice in exilium misso, parem & ipse Heraclides fortunam subiit; anno enim 404 sede suâ depositus, in carcerem Nicomediæ conjectus est: ubi quadriennium tunc exegerat, cum Palladius Dialogum suum scripsit. Quid illi exinde evenerit, non constat. Vir erat, teste Palladio, sæcularibus Disciplinis optimè institutus, & Divinarum Scripturarum admodum peritus.

Socrat. l. 6. c. 10. Sozom. l. 8. c. 6. Pallad. in Dial.

† L. 13. c. 9.

Scripsit librum, *Paradisum dictum, seu de Vitis SS. Patrum.* Iste titulus in nonnullis Codicibus Historiæ Lausiacæ præfigitur: ac nominatim prima Historiæ hujusce editio à Fabro Stapulensi, *Paris.* 1504. adornata, Palladii nomen non præfert, sed titulum habet, Heraclidis Paradisus. Adde, quòd præfatio gemina Historiæ Lausiacæ præfigatur: quarum primam Heraclidis esse nullus ferè dubitat. Suspicatur igitur CL. Vossius * (cujus sententiam & nos amplectimur) Historiam Lausiacam ex duobus conflatam esse libris, Palladii uno, altero Heraclidis. Unde factum est, ut in Codicibus MSS. modò hujus, modò illius nomen præferat.

* De Hist. Gr. l. 2. c. 19.

Joannes Meursius in Præfatione ad Historiam Lausiacam à se editam, apud se extitisse docet Heracladis librum alium, ita inscriptum, Διήγησις περὶ τῶν κατ' Αἴγυπτον διαλαμψάντων ἁγίων πατέρων, quem ex Bibliothecâ Palatinâ ille exscripserat. Forsan aut ἀποσπασμάτιον, aut *Compendium quoddam Historiæ Lausiacæ* Opus istud fuerit: saltem separatus, & nondum cum Palladii Opere permixtus Heraclidis liber: immò, quod postea comperi, ipsus est Heraclidis *Paradisus*: qui, teste Cotelerio †, bis in Bibliotheca Regis Galliæ, ac toties in Colbertina, Græcè MS. sub aliis nominibus habetur, in primo Cod. ἡ κατ' Αἴγυπτον τῶν Μοναχῶν Ἱστορία dictus, in secundo ἡ κατ' Αἴγυπτον Ἱστορία, ἣν καὶ παράδεισον ἄλλον ὁ συγγραφεὺς ὀνομάζει, in tertio Παράδεισος, in quarto Ἱστορία εἰς τοὺς βίους τῶν ἁγίων πατέρων τῶν Αἰγυπτίων, συγγραφεῖσα παρὰ Ἱερωνύμου μοναχοῦ καὶ πρεσβυτέρου τοῦ ἀπὸ Δαλματίας. Codicum istorum inspectio nostram ac Vossii conjecturam non confirmat solùm, sed & demonstrat. Longè maxima enim libri pars Historiæ Lausiacæ permixta legitur. Reliquam unà cum præfatione totius Operis Græc. Lat. cum notis edidit CL. Cotelerius Monument. Eccl. Gr. Tom. III. p. 171.

† Not. in Tom. 3. Monumen. p. 566.

401. CHROMATIUS, Patriâ, ut volunt nonnulli, Romanus, Episcopus Aquileiensis, claruit anno 401. Circa id enim tempus, ab Anastasio Papa Ruffini (qui Aquileiæ tunc egit) à se damnati admonitus, convocata Episcoporum suorum Synodo, Origenis libros & ipse damnavit: Ruffinum verò adeo non damnavit, ut ad Ecclesiæ communionem recipere non vereretur. Quin etiam nimia Hieronymi iracundia subinfensus, eum per literas admonuit, ut Ruffinum mordacibus scriptis impetere cessaret, & tantopere vexatæ inter illos controversiæ tandem silentio finem imponeret. Chrysostomi causam in Occidente strenuè tutabatur: quo nomine amplum ab eo elogium, & multas grates consecutus est: quæ videre est in Epist. Chrysost. CLV. Obiisse videtur circa ann. 410. Extant ab eo scripta, *Homiliæ & Tractatus aliquot de octo beatitudinibus, & in reliquum cap. V. ac partem VI. S. Matthæi*, edita *Basil.* 1528. cum Symmachi Apologetico, *Lovan.* 1646. in Micro presbytico, *Basil.* 1551. in Biblioth. Patr. Tom. V. pag. 976. & in Orthodoxogr. pag. 1191. Inter plures alias, quas scripsit, Epistolas, una erat ad Honorium Imp. de causâ Chrysostomi. Hanc unà cum suis literis se ad Arcadium Imp. misisse testatur ipse Honorius, apud Palladium cap. 3. pag. 30. De commonitoria ad Hieronymum Epistola suprà diximus. Utraque interiit. Extat inter Hieronymi Opera *Epistola ad Hieronymum* sub Chromatii & Heliodori nomine de *Nativitate B. Mariæ; & altera ad eundem* sub eorundem nomine. Utramque verò supposititiam esse omnes agnoscunt.

402. INNOCENTIUS, Natione Italus, Patriâ Albanus, ineunte anno 402. Episcopus Romanus factus est. Episcopatu suscepto, ingentes cum Orientalibus Episcopis lites de S. Joannis Chrysostomi causa agitare cœpit: cujus ille partes strenuè tutatus fuerat: vivum authoritate suâ & consolatoriis Epistolis, quantùm potuit, confirmavit: mortuum verò eximio honore ac reverentia, prosecutus est: Quin etiam [si sequioribus vitæ Chrysostomi scriptoribus credendum sit] audita Chrysostomi morte, Arcadium Imp. & Eudoxiam Aug. unà cum Attico CP. aliisque Chrysostomi inimicis, anathemate percussit. Verùm istam fabulam funditùs diruit CL. Savilius in Tractatu à nobis ad superioris sæculi calcem edito. Utut sit: Innocentius certè Chrysostomi defuncti causam minimè deseruit; sed cum Orientalibus Episcopis communionem inire præfractè renuit: donec Chrysostomi nomen in Diptycha sacra postliminio restitueretur. Anno 409. ab Honorio Imp. ad Alaricum Gothorum Regem Romæ exercitum admoturum legatus est: ut ab obsidione ista instituenda Barbaros averteret. Successu quidem caruit legatio; res tamen optimè cessit Innocentio: qui eo modo Urbe subductus Ravennæ substitit, & miseram suæ sedis ruinam è longinquo conspexit. Reliquum vitæ cursum Novatianis & Pelagianis impugnandis impendit; quod quidem fortiter effecit. Urbe fugatis prioribus; crebris Epistolis, Synodis ac Decretis damnatis postremis. Permisisse Innocentium, ut imminente jam Romæ Alarico Gentiles priscos Ritus & Sacrificia clam peragerent, conficta est à Zosimo * calumnia. Zosimo, Scriptori Ethnico, opponi possunt Socrates † & Sozomenus *, qui Romæ obsidionem, & Ethnicorum molitiones narrantes, rem planè tacent, id nequaquam facturi, si crimen ejusmodi admisisset Innocentius,

* Lib. 5.
† Lib. 9. c. 7.
* L. 7. c. 9.

Digitized by Google

centius, quem Sectæ Novatianæ odium ipſis inviſum reddiderat. Obiit (non anno 417. die v. Cal. Auguſti, quod vulgò creditur) ſed exeunte anno præcedente, die xxi. Decembr. ut contendit Papebrochius.

SCRIPTA.

Epiſtolæ xxxiv. ex quibus 23. priores Magdeburgenſes, Tilemannus, Oſiander, Fulco, aliique ſpurias eſſe contendunt, deſumptis argumentis à ſtyli barbarie, ab ineptis Scripturæ accommodationibus, ab erroribus fidei multis, ab erratis Chronologicis, & à memoratis ritibus Eccleſiaſticis, qui nondum in Eccleſia obtinuerant. Tandem & tribus ſequentibus Epiſtolis cenſuram appoſuit Eraſmus. Certè plures ejus Epiſtolas ex notis Chronologicis ſuppoſitionis multùm ſuſpectas eſſe ipſe Papebrochius*ingenuè fatetur.

* Catal. Rom. Pontif. p. 61.

Epiſtolæ xxviii. & xxix. viz ad S. Joannem, & ad Clerum CP. Græcè & Latinè habentur, ex Nicephoro deſumptæ: tertia etiam, num. 30. ad Arcadium Imp. ex Georgio Alex. ſpuria, de quâ plura vide apud Savilium tractatu citato.

402. POLYBIUS, Epiphanii Diſcipulus, & individuus itinerum comes ejuſque ut credi par eſt, Diaconus. Illum enim Romam ab Honorio accitum, ut gravi morbo laborantem ſororem ſanaret, comitatus eſt; atque anno 402. Conſtantinopolim profectò adhæſit: eidem inter navigandum morienti adfuit, & extrema mandata excepit. Polybio enim obiturus Epiphanius juſſit, ut quamprimùm appelleret Cyprum, conſcenſâ nave ſuperiorem Thebaidem peteret. Paruit iſte, ac poſtquam Epiphanii corpus in Eccleſiam Conſtantienſem intuliſſet, & ſeptiduum propè reliquias commoratus eſſet; ante ſupremum Epiphanio munus perſolutum Thebaidem contendit; ibique integrum annum degit: quo exacto, ab Heracleone, Ægypti Præſide, Anno 403. ſaltem ineunte proximo, Rhinocurorum Epiſcopus factus eſt. Plura de eo non liquent. Scripſit *Epiphanii geſta, poſteriorem vitæ partem, atque obitum complexa: & Epiſtolam ad Sabinum Epiphanii ſucceſſorem*, quâ Epiphanii exequias ab eo ſibi deſcriptas mitti rogat. Deſcriptio iſta Latinè extat ad calcem Polybii.

Priorem Epiphanii vitæ partem ſcripſit Joannes; & ipſe etiam Epiphanii Diſcipulus ac comes. Extat utriuſque Opus, plurimis fabulis refertum, Lat. ap. Surium Maii xii. Gr. Lat. inter Opera Epiphanii Editionis Petavianæ Tom. II.

402. MARCUS, primò quidem librarius, pulchrè ſcribendi (uti de ſe ipſo teſtatur) callentiſſimus; poſtea Porphyrio, Gazenſi demum Epiſcopo, Hieroſolymis religionis ergò commoranti, in famulitium aſcitus eſt. Vixit anno 402. Primò quidem à Porphyrio Theſſalonicam miſſus, ut bona ſua divenderet, in pauperum uſum mox eroganda: deinde ab eodem, Epiſcopo jam facto, Gentilibus Eccleſiam Gazenſem infeſtantibus, ad Arcadium Imp. anno 398. legatus, literas etiam ad Chryſoſtomum ſcriptas perlaturus; quibus ut negotium iſtud ipſe promoveret, ab eo poſtulavit Porphyrius. Anno 402. Porphyrium eandem ob cauſam Conſtantinopolin profectum comitatus eſt: ei ad ſupremum uſque vitæ diem famulatus, Diaconus ab eo factus. Extat ab eo ſcripta *Vita Porphyrii*, Metaphraſtis autem interpolationibus aucta Lat. ap. Surium Februar. xxvi.

421. P. II. MARCUS Diaconus Gazenſis, Porphyrii Epiſcopi diſcipulus, quem ſuprà ad annum CCCCII. retulimus, claruit anno CCCCXXI. quo Porphyrius diem extremum obiiſſe videtur. Edita eſt *Porphyrii vita* à Marco conſcripta, Latinè quidem *apud Surium*, emendata, notiſque illuſtrata, *apud Bolland. Februar.* xxvi. Habetur Græcè Biblioth. Vindob. inter *Hiſt. Eccleſ.* Cod. III. numer. 36. fol. 234.

404. P. II. CONSTANTINUS ſive CONSTANTIUS (eundem enim eſſe admodùm ſit veriſimile) Epiſcopo Antiocheno primùm ab Epiſtolis, factus deinde Lector & Diaconus, poſtea Presbyter Antiochenus, claruit anno CCCCIV. Cùm ſummâ apud Antiochenos gratiâ floreret, poſt mortem Flaviani, ut ei in Epiſcopatu ſuccederet, omnium votis expetitus eſt. Sed præveniens illum Porphyrius, homo peſſimus, & qui Sedi Antiochenæ inhiabat, impetratis ab Imperatore Arcadio literis, curavit, ut in Oaſin tanquam populi perturbator relegaretur. Qui ſtatim, ubi hoc reſcivit, amicorum ope, in Cyprum aufugiens, ſalvus evaſit. Pluribus hæc refert Palladius *de Vit. Chryſoſt.* pag. 144. 145. qui diſertè ipſum *Conſtantium* vocat. Sed quamſæpiuſculè variant nomina in Codicibus MSS. præſertim cum levi unius literulæ additione ſit, nemo neſcit. Extant ad noſtrum binæ Chryſoſtomi Epiſtolæ, ex itinere dum Cucuſum abduceretur, ſcriptæ, quibus mirificè ipſum commendat, nempe Epiſt. CCXXI. CCXXV. In editis quidem utrobique habetur *Conſtantii* nomen. Verùm in pluribus Codicibus, fatente Savilio, legitur Κωνςαντίνῳ, non Κωνςαντίῳ. Vir erat, ſiquis alius, perſpicax, acer ad intelligendum, ſevioris vitæ cultor, mitis, miſericors, longanimis, liberalis, cunctiſque virtutibus expolitus. Poſt mortem Chryſoſtomi, explanationem ejus in Epiſtolam ad Hebræos, XXXIV. Homiliis comprehenſam, à ſe collectam, digeſtam, & ordinatam edidit. Liquet id ex notâ, quæ Codicibus, tam impreſſis, quàm MSS. præfigi ſolet. Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου Ἀρχιεπισκόπου Κωνςαντινουπόλεως τοῦ Χρυσοςόμου ἑρμηνεία εἰς τὴν πρὸς Ἑβραίους ἐπιςολὴν, ἐκτεθεῖσα ἀπὸ σημείων, μετὰ τὴν κοίμησιν αὐτοῦ, παρὰ Κωνςαντίνου πρεσβυτέρου Αντιοχείας. Ubi hæc verba, ἐκτεθεῖσα ἀπὸ σημείων, vel cum Fr. Ducæo reddenda ſunt, *ex annotationibus & commentariis ipſius*, vel rectius forſan, *ex enarrationibus*, quas per notas & ſigna, pro eâ quæ tunc vigebat ταχυγραφίας arte, ex ipſius Chryſoſtomi ore exceperat Conſtantinus, *edita*. Et ita quidem intelligenda monet illuſtriſſimus Savilius*; ἀπὸ σημείων, inquit, *hoc eſt, ut opinor, notis quibuſdam & ſcribendi compendiis: quibus verba concionantis Chryſoſtomi ſubſecutus eſt, hoſce, poſt ipſius mortem, edidit ſermones*, & cùm Editor noſter Presbyter fuit Antiochenus, non malè forſan conjici poteſt, Homilias haſce à Joanne adhuc Presbytero, Antiochiæ habitas fuiſſe. An aliis ſcriptis de republicâ Chriſtianâ meruerit Conſtantinus noſter, non comperi. Interim non diſſimulabo, haberi inter Chryſoſtomianas, Epiſtolas duas, Cucuſo in Armeniâ ſcriptas, nempe CCXXXVII. CCXXXVIII. hôc titulo, Κωνςαντίῳ πρεσβυτέρῳ [legendum ſuaderem Κωνςαντίνου πρεσβυτέρου] πρὸς τὴν μητέρα, & τοῦ αὐτοῦ πρὸς τὴν ἀδελφὴν αὐτοῦ. Hæc ſic accipit Fr. Ducæus, ac ſi Chryſoſtomus has Epiſtolas Conſtantio dictaverit, ſive ejuſdem nomine miſerit. Sed repugnat ipſe Epiſtolarum tenor, & ipſius Conſtantii eſſe clariſſimè demonſtrat. Et alius quidem à noſtro videtur hic Conſtantius, qui relictâ matre, domoque ſuâ, Cucuſum, ad Chryſoſtomum feſtinavit, ut exilii & ærumnarum ejus comes, particepſque eſſet. Noſter verò, ſive Conſtantinus, ſive Conſtantius, poſt Porphyrii ad Sedem Antiochenam ordinationem, in Cyprum profugere neceſſe habuit.

* Præfat. not. ad. Hebr. T. VIII. p. 553.

SÆC.V.ab An. CCCC. 405. AURELIUS PRUDENTIUS CLEMENS, V. C. Gente Hispanus, domo Tarraconensis, aliis Cæsaraugustanus, natus est anno 348. Juvenis adhuc eloquentiæ forensi operam dedit, ac causas satis iniquè egit, vitiis fræna laxavit: miles etiam Palatinus factus, castra secutus est. Vitâ tandem in melius commutatâ, bonis literis, præcipuè versibus pangendis incubuit. Claruit anno 405. quo Præfationem Καθημερινῶν scripsit. Plurima Poëmata vario metrorum genere, stylo satis eleganti, venusto, licet in iis sint quæ linguæ Romanæ castitas vix ferat, condidit: quæ hodie extant.

Psychomachia, sive pugna vitiorum & virtutum.

Cathemerinon, sive *Hymni omnibus diurnis actionibus convenientes* περὶ ϛεφανῶν.

Apotheosis, sive *de Divinitate*.

Hamartigenia, sive *de Origine Peccatorum. Peroratio*, sive *Oratio ad Deum* libelli istius calci apposita, spuria videtur. Contradicit enim Odæ 7. Καθημερ. dicendo. *Non posco beatâ in regione domum*, &c. Dictum impium, & Prudentio indignum.

Contra Symmachum ac veterem Deorum Gentilium cultum libri II. Hos libros Commentariis eruditis explicatos seorsim evulgavit Isaacus Grangeus, Vindocinensis, *Paris.* 1614. 8°.

Διττοχαῖον sive *Enchiridium Vet. & Nov. Testamenti*, quod sub amœni cujusdam, obscuri admodum Poëtæ, nomine edidit Fabricius, *Basil.* 1564. 4°. & eidem ascriptum habetur, unà cum Acrostichide quadam ad Leontium, Burdegalensem Episcopum, in Appendice Bigneanâ, *Paris.* 1624. p. 702. Verùm præter Gennadium*, qui Prudentio disertè ascribit, multis id eidem asserit Giselinus in notis suis ad Prudentium.

* De Script. c. 19.

Prudentii Opera prodierunt primùm cura Aldi Manutii, *Venet.* 1501. deinde inter Poëtas Christianos *Lugduni* 1603. *Antverp.* 1564. cum notis Pulmanini & Giselini in Appendice Bigneana pag. 461. & in Bibliotheca Patr. Tom. V. pag. 990. Omnium verò Commentariis ornata, cura Joan. Weitzii, *Hanov.* 1613. 8°. quæ priores editiones longè superat. Denique cum notis doctissimis Nic. Heinsii *Amstel.* 1667.

405. PELAGIUS, Natione aliis Gallo-Brito, aliis Scotus sive Hibernus, revera Britannus, ex citeriore Britannia, quam hodie Cambriam, sive Walliam dicimus: Patrio nomine *Morgan*, seu *Marigena* dictus; unde & Pelagii nomen ei adhæsit. Monachum fuisse facilè concedimus; Collegii verò Bannochorensis fuisse Abbatem, & duo millia Monachorum sub regimine suo habuisse, & exinde postea à suis in exilium pulsum; denique Academiæ Cantabrigiensis fuisse alumnum; nuda videntur Ranulphi Cestrensis, Joannis Tinmuthensis, Nicolai Cantilupi, Caji, Balei, aliorumque somnia. Exeunte sæculo quarto, saltem ineunte quinto, Romam, ut videtur, se contulit: ubi Melaniæ & Rufinæ familiaris factus, & ab iis propinata Origenis dogmata pleno ore hauriens, atque in pejus augens, hæresin novam condidit, quam circa, vel potiùs paulò ante anno 405. in vulgus disseminare cœpit; eâ tamen usus fraude, ut Catholicam præ se ferret speciem; quamque reipsâ docuit, verbis negavit, hæresin. Et certè hæresi disseminatâ circa hoc tempus famosum fuisse, vel exinde patet, quòd Chrysostomus † Arabissi in Armenia exul agens, datâ ad Olympiadem Epistolâ, Pelagii lapsum vehementer deploret. Anno 408. vel sequenti, Gothis Italiam devastantibus, Româ egressus cum Cœlestio Discipulo, in Siciliam se recepit: ubi biennio vel triennio commoratus, anno 411. in Africam transmeavit, ac Hipponem appulit. Anno sequenti, in Collatione Catholicos inter ac Donatistas Carthagine habitâ illum præsentem se vidisse testatur Augustinus †. Exinde citatim properans, Ægyptum profectus est, Monasteria ibi sita invisurus. Ex Ægypto Palæstinam petiit; ubi anno 415. veteratoriis artibus apud Joannem Episcopum Hierosolymitanum, frustrà eum accusante Orosio, gratiam inivit; & Synodi Diospolitanæ Patribus fucum fecit. Objecta enim sibi ab Oroso hæreseos capita partim negando, partim emolliendo, Synodi censuram evasit, & Catholicâ communione dignus est pronunciatus. Anno sequenti à Conciliis Carthaginensi & Milevitano, uti & ab Innocentio Papa hæreseos damnatus est. Eandem ei anno 418. notam insusserunt Zosimus Papa, & Concilii Africani Patres. Quinetiam extat Honorii Imp. rescriptum ad Præfectum urbis eodem anno datum, quo Pelagium, Cœlestium, eorumque sectarios Româ expelli jubet. Eodem circiter tempore Theodotus Episcopus Antiochenus, habitâ in Oriente Synodo, Pelagium diu tergiversatum ac varias nectentem tricas, Episcoporum judicio Hierosolymis accitum sistit, ac hæreseos manifestè convictum damnari curat. Quid illi exinde factum sit; ubi loci degerit; quando, vel quo mortis genere extinctus sit, minimè constat. Vir erat miro ingenii acumine, & meliorum literarum scientiâ præditus; vitæ insuper sanctimoniâ & illibatâ morum integritate conspicuus. His præcipuè Machinis doctrinæ scilicet famâ, & pietatis specie, tot tantosque dogmatum suorum Discipulos sibi contraxit: neve quid fraudibus suis deesset, errores suos, quoties eo nomine reus ageretur, nunquam non dissimulavit: saltem se non propriam, sed aliorum, sententiam in medium proferre præ se tulit. Hæresin illius quod attinet, summa huc ferè redit: Peccatum originale funditùs sustulit, docens Adami Peccatum soboli ejus non imputari: unumquemque è contra in eâdem, quâ Adam creatus est, voluntatis perfectione nasci: mortem temporalem nos subire non ob Adami lapsum, sed ex naturæ necessitate: Baptismum denique originalis peccati remedium non esse. De gratiâ nec idem semper sensit, nec dixit. Primitùs omnia naturæ tribuebat. Postea à Catholicis convictus, mutato nomine, Sententiam tamen non mutavit. Per gratiam enim potentiam naturæ à Deo creatæ, scilicet rationalem voluntatem, intellexit. Gratiam Christi nihil aliud esse voluit, quàm doctrinam ejus & exemplum: omniaque virtutis officia, ipsa etiam pœnitentiæ & ad Deum conversionis primordia, à nobis sine particulari auxilio divino impleri posse; adeò ut si gratia divina admittenda sit, inter utilia solummodò, non autem necessaria numerandam esse. Liberum arbitrium eò usque ampliavit, ut hominem sine peccato vivere posse, totique Dei legi ad amussim satisfacere censeret. Homines, plerosque saltem, non gratiæ divinæ beneficio, sed propter operum suorum merita justificari, & ad vitam æternam prædestinari contendit. Juramentum denique omninò illicitum esse docuit; & divitibus æternæ salutis spem ademit. Scripta ejus sequuntur.

† Ep. 16. ad Olymp.

SÆC.V.ab An. CCCC.

† De gest. Palæst. c. 22.

Mar. Mercator. Commonit. c. 3.

SCRIPTA, QUÆ EXTANT.

Expositionum in Epistolas Paulinas libri XIV. ante captam à Gothis Romam scripti, quorum meminerunt Augustinus non uno in loco, Marius Mercator*, Autor Prædestinati †, & Cassiodorus*. Eosdem esse, qui sub Hieronymi nomine feruntur, & inter illius Opera extant, sentiunt Vossius, & ex Eruditis quam plurimi. Aliam amplexus est sententiam, quam in Biblioth. Theol. MS. pluribus persequitur,

* Commonit. c. 2. Præfat. sub notat.
† Hæres. 88.
* Divin. Lect. c. 8.

Digitized by Google

SÆC.V. ab An. CCCC. quitur CL. Usserius. Verba ejus subnectere forsan non erit inutile. Sic igitur ille p. 574. „ Breviorum in Paulinas Epistolas Annotationum tres „ diversi Codices Cassiodori temporibus ferebantur; tres item nostris. De prioribus vide Cassiodor. Divin. Lect. cap. 8. Similiter & nostris „ temporibus (præter Haymonem, & recentiores) tres antiquioris notæ feruntur Codices, „ nominibus Hieronymi, Primasii, & Sedulii. „ Qui Hieronymi nomine hodie circumfertur, „ Codex Pelagii hæretici à nonnullis esse creditur; & ab aliis idem cum eo, qui Gelasii olim „ nomine ferebatur, & à Cassiodoro primo loco „ commemoratur. Ego potiùs illum à Cassiodoro „ commemoratum Pelagii fuisse existimaverim; „ (ipsius enim nomen passim non prætulisse ex „ illa Augustini citatione cap. 16. de gest. contra „ Pelag. colligitur; in quâ illud DICUNTUR observandum) hunc verò quem nos habemus, ex „ Pelagii, Hieronymi, & Primasii explicationibus à posteriore aliquo compaginatum esse, adeò nullo cum judicio, ut contraria dogmata (Pelagiana ex hæretico, & orthodoxa ex Hieronymo & Primasio hausta) passim à se commista „ fuisse non animadverterit. Hinc in Epist. ad „ Rom. cap. XI. Fidem bonitate Dei conferri legimus: atque alibi sæpissimè (nullibi certè apud „ quenquam Veterum sæpiùs) liberâ Dei gratiâ & „ solâ fide nos justificari. Quæ cùm à Pelagianâ „ doctrinâ maximè abhorreant, argumento sunt „ eos falli, qui integrum Opus Pelagio tribuendum existimant. Id quod etiam tria loca ex Pelagii Commentariis adducta ab Augustino lib. „ 3. de Peccat. merit. & remiss. cap. 2. 3. 5. planè „ evincunt; quorum nihil in nostris codicibus habetur. Quæ enim Vossius * hîc loca producit, „ huc non facere ipsa locorum ab Augustino ex „ Pelagio, non secundùm sententiam, sed secundùm ipsa verba, citatorum collatio manifestum „ facit. Quibus adde, Pelagii Præfationes & Argumenta in Epistolas ab hisce, quos habemus, „ Commentariis planè abesse. Ex Pelagio nihilominus plura hîc esse intermixta, tum Pelagiana, „ quæ passim occurrunt, dogmata, (illud que imprimis in Rom. VII. Insaniunt, qui de Adam per „ traducem asserunt ad nos venire peccatum) „ tum citationes superiùs ex Augustino, & de „ merit. & remiss. pec. l. 3. cap. 12. de gest. contra „ Pelag. cap. 16. & libro Canonum Cottoniano „ productæ, demonstrant. Potissimam verò partem ex B. Hieronymi Annotationibus brevissimis (à Cassiodoro commemoratis) esse compactam, & nomen illius antiquissimis Gothicis „ exemplaribus præfixum ostendere videtur; & „ Præfatio ad Heliodorum, de quâ tamen acris „ illa habetur Erasmi censura, Præfationem addiderat, nescio quis, ad Heliodorum Hieronymi „ nomine, vehementer insulsam & infantem. Walafridus etiam Strabus in Glossâ Ordinariâ Hieronymi nomine passim citat, quæ hîc habentur: „ & semel, ut videtur, ipse Sedulius. Ita enim apud illum in I. Cor. VII. legimus: aliter, ut Hieronymus exponit. Si quis, hoc est, quisquis homo, super virginem, hoc est, carnem propriam „ suam, quid vult ipse homo, id est, Virginitatem „ an Conjugium; quia liberum arbitrium habet. „ In quam sententiam in Commentariis hisce ita „ legimus ad hunc locum. Non parentes dicit virginum filiarum, (neque enim potestatis illorum „ esse potest propositum alienæ continentiæ) sed „ unumquemque habere propriæ carnis arbitrium „ eam incorruptam servare. Hactenus Usserius. Aliam prorsus ab Usserio Sententiam fovet Garnerius, qui Commentarios hosce unico Pelagio

*Hist. Pelag. p. 13.

deberi, & à Cassiodoro sordibus hæreticis olim repurgatos, omni Pelagianismi labe, prout nunc extant, immunes esse contendit, Append. ad Dissert. VI. ad par. I. Operum Marii Merc. p. 367.

Epistola ad Demetriadem de Virginitate, quæ incipit, *Si summo ingenio*, Anno 413. scripta. Habetur inter Opera Hieronymi & Augustini, utrique falsò adscripta, illi etiam ante Bedæ ævum, qui annotatiunculis quibusdam fraudem detexit.

Libellus Fidei ad Innocentium Papam, unà cum literis missus Anno 417. & Zosimo successore Innocentii receptus eodem Anno, & cum literis in Africam directus. Literæ quidem interierunt: Libellus extat tum post Zosimi Papæ ad Africanos Episcopos Epistolam Concil. Tom. II. p. 1563. tum inter Opera Hieronymi Tom. IV. p. 98. sub titulo Explanationis Symboli ad Damasum. Hieronymo olim ascriptum fuisse vel hinc patet; quòd à Carolo M. & Concilii Francofurtensis Patribus sub Hieronymi nomine, dempto Epilogo, tota intexatur Capitulari de non adorand. Imag. l. 3. c. 1. Epistolæ Argumentum & Fragmenta videre est apud Augustin. lib. de Gratiâ Christi cap. 30. 34. 35. &c. item lib. De Pecc. Orig. cap. 17. 18. 19.

SCRIPTA, QUÆ NON EXTANT,

DE *fide Trinitatis libri* III. ante hæresim suam disseminatam scripti: Pelagium de Trinitate rectè sensisse patet ex Libello fidei ejus.

Liber εὐλογιῶν, *sive honestorum Sermonum de actuali conversatione*; sive *liber Testimoniorum*, in quo ad Cypriani exemplum e SS. Scripturis Sententiarum capitula collegit. Quæ capitula Pelagio ex hoc libro sint objecta, docet tum Hieronymus Dialog. adv. Pelag. tum Augustinus de gest. Palæstin. cap. 2, 3, 4, 5, 6. Fragmentum hujus libri habet Orosius in Apologet. de Arbitrii libert. p. 716.

Epistolæ ad Viduam duæ: una *consolatoria*, altera *exhortatoria*: bina Fragmenta exhibet Hieronymus lib. 3. contra Pelag. totidem Mercator in Commonit. unicum Augustinus lib. de gest. Palæst. c. 6.

De Libero Arbitrio libri IV. circa An. 416. scripti, Hieronymi Epistolæ ad Ctesiphontem, & Dialogis contra Pelagianos tribus, oppositi. Horum fragmenta passim profert D. Augustinus lib. *de Gratiâ Christi*, cap. 4, 7, 10, 18, 28, 29, 39, 43, lib. *De Pecc. Orig.* cap. 13.

De Naturâ liber, cujus meminit Augustinus *Retractat.* cap. 42. data verò Opera refutavit libro *de Naturâ & Gratiâ*, ubi plurima Operis Pelagiani fragmenta reperire est. Ea in unum collecta dedit Garnerius Append. ad par. I. Operum Mercatoris, p. 343.

Epistola ad Paulinum, & *alia ad Constantium.* Utramque memorat Augustinus lib. *de Gratiâ Christi.* Epistolæ ad Augustinum duæ. Defensio fidei suæ ad eundem, Epistola ad Presbyterum quendam amicum de rebus Diospolitanis. Singulas hasce quatuor Epistolas memorat idem Augustinus lib. de Gest. Palæstin. cap. 26, 30, 32. Plures certè Pelagius conscripsit Epistolas quæ interierunt.

Alia quædam Pelagii Opuscula recenset Baleus *, à Veteribus ne semel quidem memorata, adeòque meritò in dubium vocanda.

*Cent. I. c. 38.

VIGILANTIUS, Natione (non Gallus, ut habet Gennadius *, sed) Hispanus, Patriâ Calagurritanus, demum Ecclesiæ Barcelonensis Presbyter; claruit adhuc Anno. 406. Relictâ Patriâ, Italiam petiit, S. Paulinum, quocum Barcelonæ agente amicitiam olim inierat, invisurus; inde 406.

*De Sc. ig. c. 35.

SÆC.V. ab An. CCCC

Hierosolymam profectus est, Hieronymo per Paulinum literis commendatus. Anno igitur CCCXCIV. unà cum Hieronymo præsens adfuit terræ motui, quo concussa est Hierosolyma. A Palæstinâ recedens, subinfensior jam factus Hieronymo, in Ægyptum descendit, atque alias regiones peragravit, Hieronymum ubique Origenismi insimulans. Tandem in Galliam delatus dogmata sua propalare cœpit, & Barcelonam, ut videtur, redux, in pace obiit. Damnatum tamen ab Ecclesiâ Romanâ fuisse narrat Hieronymus. Hæreses criminaque ei objecta quod spectat, hujusmodi ferè erant: Martyrum reliquias cultu aut veneratione nimiâ afficiendas non esse; & miracula apud ea fieri solita dæmonum præstigias credi posse: non magis cœlibatum quàm conjugium Clericorum Deo gratum esse; nec velle præcepta Christi, ut quis facultatibus divenditis simul & semel omnia sua pauperibus elargiatur: lucernarum denique in Ecclesiis accensarum ritum, & vigilias crebrò observari tunc solitas improbandas esse. Has ob causas acrem cum eo litem exercuit Hieronymus; qui eum joco *Dormitantium* vocat, & hæreticorum pessimum pronunciat. Utcunque verò exardescat Hieronymus, certum est, ipsomet etiam fatente, Vigilantium post exortam etiam controversiam ab Episcopo suo communione Catholicâ non indignum esse habitum. Scripsit, inquit Gennadius, zelo quidem religionis aliqua; & in his exposuit pravo ingenio *secundam Danielis visionem*.

† Epist. 75. Idem forsan Opus innuit Hieronymus †, sic Vigilantium insectatus: *Inter cæteras quippe blasphemias, quas ore sacrilego protulisti, ausus es dicere, Montem, de quo abscissus est in Daniele lapis sine manibus, esse Diabolum, & lapidem Christum, &c.* Quicquid autem scripserit, nihil hodie superest.

406. ATTICUS, Sebasteæ in Armeniâ natus ab ineunte ætate in Monastico vivendi genere, à Macedonianis institutus, postea virilem ingressus ætatem ad Ecclesiam Catholicam se transtulit. Ecclesiæ Constantinopolitanæ factus Presbyter, ex iis erat, qui Chrysostomo insidias struxerunt: demum mortuo Arsacio, post mensem quartum, mense Martio Anni 406. Constantinopolis Episcopus ordinatur, vivente adhuc Chrysostomo. Ob iniquam Chrysostomi damnationem, ejusque sedem occupatam, quòdque ipsius jam mortui nomen in Diptycha restituere recusaret, Episcoporum Occidentalium communione exclusus est; nec priùs admissus, quàm cùm post plures annos Viri sanctissimi nomen in sacras tabulas retulisset. Obiit Anno 427. Vir, præter magnam, quæ in illo fuit, eruditionem, pietate, & prudentiâ celeberrimus, in rebus agendis summæ dexteritatis, ad struendas atque evitandas insidias solertissimus: moribus blandus, mitis, placidus, & ad pauperes sublevandos paratissimus: in legendis Veterum scriptis multum operis & temporis posuit; in concionibus frequens, quæ tamen ejusmodi non fuerunt, ut ab auditoribus vel plausu exciperentur, vel scriptis mandarentur.

Socrat. l. 7. c. 2. Sozom. l. 8. c. 27.

Extat *Epistola benè longa ad Cyrillum Alexandrinum* de Chrysostomi nomine Diptychis à se restituto, apud Nicephor. Hist. Eccles. lib. 14. cap. 26. *altera etiam breviuscula ad Calliopium Ecclesiæ Nicenæ Presbyterum* scripta, cùm pecuniam in Nicenorum pauperum suppetias transmitteret, apud Socrat. l. 7. c. 25.

Habetur etiam Fragmentum alicujus, ut videtur Homiliæ *in Natalem Domini*, tertiâ vice repetitum in Concilio Ephesino, Concil. Tom. III. p. 119. 517. 849.

Aliud ex Epistola *ad Eupsychium* habet Theodoritus Dialog. II. p. 110.

SÆC.V. ab An. CCCC

CÆLESTIUS, malè à nonnullis *Cælestinus* appellatus, gente, ut volunt †, Scotus, id est, Hibernus, & Solomonis Cornubiæ Ducis consanguineus. Verùm utrumque incertum est. Id magis certum, quod ex Marii Mercatoris * autoritate constat, eum nobilem natu fuisse, ac raro naturæ vitio à matris utero Eunuchum: & in Scholasticorum Auditorialium classe Romæ constitutum causas non ineleganter egisse. Claruit ab Anno 407. Ab ineunte statim sæculo Pelagium Romæ docentem audivit, & ab eo acceptas pessimæ hæreseos fæces toto pectore imbibit. Anno CCCCVIII. vel CCCCIX. Pelagium in Siciliam, ac deinde Anno CCCCXI, in Africam, comitatus est: & ab eo in Orientem festinante hîc loci relictus, dogmatis Pelagiani virus strenuè propagavit; ac plurimorum Clericorum gratiam doctrinæ & pietatis famâ sibi conciliavit: adeò ut Presbyteratûs dignitatem postulare non vereretur. Verùm Anno CCCCXII. à Paulino B. Ambrosii Diacono apud Aurelium Episcopum Carthaginensem hæreseos accusatus est: coactâque Synodo, cùm Pelagiana dogmata damnare recusaret, communione privatur. Iste confestim ad Episcopum Romanum appellans, relictâ Africâ, Ephesum contendit: ubi veteratoriis artibus Presbyteratûs dignitatem adeptus est; & exinde, tanquam ex arce, hæresim Pelagianam per Asiam, Rhodum, ac vicinas insulas, longè latéque disseminavit, tanto animi studio, tanto successu usus, ut ab illo Pelagiani etiam *Cœlestiani* appellati sint; atque ipse deinceps quasi Sectæ Princeps eandem in Synodis omnibus cum Pelagio sententiam subiret. Anno CCCCXVI. exeunte, Constantinopolim profectus est, exinde, detectâ pravitate, ab Attico Patriarcha mox detrusus. Romam igitur Anno CCCCXVII. rectâ petens, Zosimi Papæ gratiam captavit, & obtinuit: adeò ut Papa datis ad Episcopos Africanos literis eum maximopere collaudaret, & latam ab iis Anno CCCCXII. sententiam in maturius examen revocari mandaret. Anno autem sequente ab Afris rei veritatem edoctus, habitâ Romæ Synodo damnavit Cœlestium; quem edicto etiam eodem circiter tempore conscripto, Urbe totoque Imperio Occidentali expelli jussit Honorius Imp. cùmque Præfectorum Urbis negligentia abusus Cœlestius, in Roma moras adhuc necteret, Anno CCCCXX, alio rescripto decretum renovavit. Fugatus igitur Cœlestius in Oriente deinceps delituit, modò apud Theodorum Mopsuestenum commoratus, modò apud Sisinnium & Nestorium; Episcopos CP. causam Pelagianam pro virili satagens. Et illum quidem frustrà tentavit; hunc verò licèt errores ejus palàm in Ecclesia damnantem, faventiorem sibi expertus est, & ab eo literas ad Pontificem deprecatorias meruit. Anno CCCCXXIX. oblato ad Theodosium Imp. à Mario Mercatore contra eum Commonitorio, jussu Imperatoris Urbe CP. extrusus est; & sequente anno à Cœlestino Papa in Synodo Romana damnatus. Anno CCCCXXXI. oblato ab eodem Mercatore in Synodo Ephesina Commonitorio, perlectisque Româ missis à Cœlestino contra Pelagianos Actis, CCLXXV. Episcoporum sententiâ, unà cum Juliano, cæterisque sectæ complicibus Anathemate percussus est. Nulla deinceps illius apud Veteres habetur mentio: sive mœrore animi statim contabuerit, sive in perpetuum secessum se subduxerit.

407. † Usser. de Primord. Britan. p. 208. 786. & procem. Hier. Com. in Hier. l. 1. 3. * Commonit. 2.

SCRIPTA

Digitized by Google

SCRIPTA.

Confeſſio Fidei Zoſimo Papæ oblata, quæ cum Pelagii Libello Fidei eaſdem ut plurimùm ſententias, eadem quinetiam ferè verba, habet communia. Integra extat inter S. Auguſtini Opera, variis diſperſa locis. Pars major eadem eſt cum Sermone cxc. *de Tempore*, reſecto procemio: reliquæ partes habentur lib. *de Pecc. Orig.* cap. 5. 6. 23. Diviſa membra in unum collegit ac Confeſſionem integram edidit Garnerius in *Appendice* ad part. 1. Operum M. Mercatoris p. 313.

Eadem planè videtur hæc Confeſſio fidei Zoſimo oblata cum Libello ad Zoſimum Papam cujus meminit Auguſtinus.

Epiſtola ad Clericos Romanos ſuæ partis, Anno CCCCXVIII. ſcripta, quam Anonymam in Africa circumlatam Juliani eſſe malè conjecit Auguſtinus, qui ex ea quàm plurima adducit fragmenta lib 1. *ad Bonifac.* Ea in unum collecta exhibet Garnerius, ibid. p. 318.

Ad Parentes Epiſtola, ſive libelli III. ad *virtutem hortatorii*, ab eo, adhuc adoleſcente, *de Monaſterio*, ſive *vitâ Monaſticâ* ſcripti; quos magnopere laudat Gennadius *.

* De Script. c. 44.

Definitionum liber, cujus meminit Auguſtinus init. libri de Perfectione juſtitiæ contra Cœleſtium; eum tamen non Cœleſtii, ſed ex diſcipulis illius cujuſdam fuiſſe arbitratus eſt; integer habetur in dicto Auguſtini libro.

Libellus in Carthaginenſi Concilio oblatus; quo tametſi peccatum originale negaret; rectè tamen confeſſus eſt per Baptiſmum Chriſti etiam parvulorum fieri redemptionem. Iſtum memorant Concilii Carthaginenſis Patres Epiſtolâ ad Innocentium.

Liber contra Peccatum Originale ante Ann. CCCCVIII. ſcriptus; cujus meminit auctor *Prædeſtinat.* lib. 1. Hæreſ. 88.

Epiſtola ad Sectarios ſuos Romæ agentes contra Clerum Romanum: extant laciniæ aliquot apud Auguſtin. l. 1. *ad Bonifacium.*

Porrò Auguſtinus, lib. *de geſt. Palæſtin.* cap. 13. 14. 17. 18. citat ex libro quodam Cœleſtii capitula, 1, 3, 5 6, 7, 10, 12. 13. ad quæ Pelagius in Dioſpolitana Synodo reſpondere coactus eſt.

Denique Lovanienſes ei tribuunt Epiſtolas duas, quæ inter Hieronymi Opera reperiuntur, unam *de Scientiâ divinæ legis*, alteram *de duobus filiis, frugi & luxurioſo*, quæ incipit, *Omnium quidem de Scripturis quæſtionum.* Conſtat quidem à Pelagiano quodam Epiſtolas haſce ſcriptas eſſe: verùm cur Cœleſtio præ aliis tribuantur, nulla Lovanienſibus præſtò eſt ratio. Sunt & qui Pelagii Epiſtolam *ad Demetriadem* ex codicum nonnullorum fide Cœleſtio aſcribunt.

407. THEODORUS, genere Syrus, ortu forſan Antiochenus, natalibus illuſtris: in Rhetoricis Libanio Sophiſtâ, in Theologicis Diodoro Tarſenſi & Carterio, magiſtris uſus eſt: quo tempore Joannem Chryſoſtomum ſodalem & condiſcipulum habuit; cujus ſuaſu primò quidem Monaſticum & Philoſophicum vivendi genus amplexus eſt; poſtea verò, cùm nondum viceſimum ætatis annum attigerat, Hermiones cujuſdam amore ductus, ad vitam ſæcularem rediit. Scripta tamen duplici Paræneſi Chryſoſtomus eum ad priorem vivendi rationem revocavit. Factus deinde eſt Eccleſiæ Antiochenæ Presbyter, (eundem enim fuiſſe Theodorum Mopſueſtenum, & Theodorum Antiochenum, cujus toties apud Gennadium, Photium, & in Catenis mentio, extra omne dubium ponit Photius) ac poſtea Mopſueſtiæ in Ciliciâ Epiſcopus; & aliquamdiu Neſtorium & Theodoritum auditores habuit. Claruit Anno 407. quin ſi mortis ejus tempus rectè aſſequar, jam in Anno CCCXCII. Epiſcopatum tenuit. Obiiſſe enim videtur Anno 428. poſtquam Eccleſiam Mopſueſtenam per XXXVI. annos gubernâſſet. Varia de illo feruntur judicia, laudatur ab his, culpatur ab illis. Ἀνὴρ inquit Sozomenus * καὶ τῶν ἱερῶν βίβλων, καὶ τῆς ἄλλης παιδείας, ῥητόρων τε καὶ φιλοσόφων ἱκανὸς ἐπιστήμων. *Vir tum in ſacris literis, tum in reliquis diſciplinis Rhetorum & Philoſophorum non mediocriter eruditus.* Theodorito †, πάσης μὲν ἐκκλησίας διδάσκαλος, κατὰ πάσης δὲ φάλαγγος αἱρετικῆς ἀριστεύσας. *Totius Eccleſiæ doctor, & qui adverſus omnes Hæreticorum catervas ſtrenuè decertavit.* Subdit ipſum toto vitæ tempore contra phalangem Arii atque Eunomii aſſiduè dimicâſſe; & Apollinaris turmam latronum more inſidiantem profligâſſe, ovibus autem Chriſti optimum pabulum præbuiſſe. Mortuo autem Theodoro, doctrina & ſcripta ejus ob malè ſana, quæ fovere videbantur, dogmata, non modò ab Acephalis reprehenſa ſunt; verùm & ipſe unà cum libris à Quinti Concilii Patribus damnatus eſt; quæ res graviſſimarum in Eccleſiâ turbarum cauſa atque ſeges exſtitit. Multis undique conquiſitis argumentis eum defendere ſategit Vigilius, quæ in conſtituto iſtius videre eſt. Facundus etiam Hermianenſis An. DXLVII. fervente adhuc controverſiâ, pro defenſione *trium Capitulorum* libros XII. aliumque poſtea contra Mucianum ſcripſit: in his Theodorum tanquam hominem Catholicum omni quo potuit ſtudio defendit, coacervatis pluribus S. Patrum teſtimoniis exiſtimationem ejus ſartam tectam tuetur, quædam ipſius dicta excuſat, alia emollit, & commodo ſenſu explicat, quædam ab adverſariis truncata, interpolata, vel in alienum planè ſenſum detorta eſſe oſtendit. Denique iniquum eſſe, ut qui pro Epiſcopo Catholico habitus ſit, & in Eccleſiæ pace diem obierit, pluſquam integro poſt mortem ſæculo, velut Hæreticus anathemati ſubjiceretur. Poſtremò illud obſervatu non indignum eſt, quod tradit Gregorius Magnus *, Sozomeni (pro quo *Theodoreti* legendum eſſe nomen rectè monet Valeſius) Hiſtoriam Eccleſiaſticam ab Eccleſiâ Romanâ ideò non recipi, quòd Theodorum Mopſueſtiæ nimiùm laudaverit, atque uſque ad diem obitûs ſui magnum Eccleſiæ Doctorem fuiſſe perhibuerit.

Hesych. Hierosol. apud Acta Concil. V. Collat. 5.

* L. 8. c. 7.

† L. 5. c. 40.

* L. 6. Ep. 31.

SCRIPTA.

Symbolum ſive Expoſitio Fidei: Extat Græcolatinè in Actione ſexta Concilii Epheſini, Concil. Tom. III. p. 678. Latinè inter Marii Mercatoris Opera ex ejuſdem verſione ante Annum CCCCXL. factâ. Reliqua illius Opera interierunt: plurimorum tamen tituli & fragmenta ſuperſunt. Videtur ſcripſiſſe *Commentarios* in omnes S. Scripturæ libros; ex his quotquot à Veteribus vel Recentioribus memoratos invenire potuimus, hìc ſequuntur.

Commentarii in Pentateuchum; quorum fragmenta plurima habentur in Catena Græca in Pentateuchum à Fr. Zephyro Latinè verſa. Commentarii *in Geneſin* tomum primum VII. libros complexum memorat Photius *: In quo Hiſtoricum ubique ac literalem ſenſum, miſſis Allegoriis, ſectatum eſſe Theodorum, ac Neſtorianæ Hæreſeos ſemina paſſim immiſcuiſſe notat. Fragmenta quindecim inde, ut videtur, deſumpta, extant ſub titulo libri *de Creaturâ*, collatione quartâ Synodi Quintæ.

* Cod. 38.

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. *Commentarii in Pſalmos*, quorum fragmenta paſſim occurrunt in Græca Catena in Pſalmos, quam Latinè edidit Daniel Barbarus. Ex iis etiam quatuor excerpta reperiuntur Latinè in Vigilii Conſtituto Concil. Tom. v. duo in Collatione quarta, ac totidem in quintâ Concilii Quinti, tria ad Pſalm. 44. habet Facundus Hermianenſis, lib. 9. c. 1.

Commentarii in Samuelem, Iobum, Eccleſiaſtem, & quatuor Majores Phrophetas; quos apud Gentiles ſuos (uti & plures alios Theodori Commentarios) extare prodit Hebedieſu. Sanè multa Theodori volumina in Chaldeam linguam verſa eſſe teſtatur Liberatus *.

* Breviar. c. 10.

Commentarii in XII. *Minores Prophetas.* Tria fragmenta habentur Latinè in Collatione quarta Synodi Quintæ. Fragmentum Commentarii *in Sophoniam* citat Coccius; unde hauſerit, incertum. Extare tamen dicuntur integri in Bibliotheca Imperatoria Viennæ.

Commentarius in S. Matthæi Evangelium. Fragmenta quatuor Latinè extant in Vigilii Conſtituto; quinque in Collat. quarta Synodi Quintæ: unicum exhibet Facund. Hermianenſ. lib. 3. c. 4. alia lib 9. c. 2.

Commentarius in Evangelium S. Lucæ. Fragmentum unicum habetur in Catena in Lucam: alterum in Conſtituto Vigilii: tertium in Collat. quarta Synodi Quintæ Conſtantinopolitanæ.

Commentarius in S. Ioannis Evangelium. Fragmenta plurima aſſervantur in Catena Græca in Joannem; tria in Conſtituto Vigilii; ac quinque in Collatione quarta Synodi CP. unum apud Facund. Hermianenſ. lib. 9. c. 3.

Commentarius in Acta Apoſtolorum. Duo Fragmenta habet Vigilius in Conſtituto; unicum Patres Synodi Quintæ in Collatione quarta.

Commentarii in XIV. *D. Pauli Epiſtolas*, quas omnes à Theodoro fusè explicatas eſſe Autor eſt Theodoritus *. Vigilius in Conſtituto fragmenta profert ex Commentariis in Epiſtolas *ad Romanos*, (unicum habet Facundus Hermianenſis, lib. 3. c. 6.) primam *ad Corinthios*, primam *ad Timotheum*, *ad Hebræos*. Alia in Epiſtolam *ad Hebræos* citantur in Collat. IV. Synodi CP.

* Præfat. in Comm. in Ep. S. Pauli.

De Incarnatione Domini libri XV. ante An. 390. ſcripti, de quibus vide Gennadium †. Fragmenta duodecim reperiuntur in Collatione IV. Synodi CP. Excerpta etiam nonnulla Latinè à ſe verſa habet Marius Mercator, *edit. Garner.* Par. 2. p. 259. qui, quia in libris iſtis vera Incarnationis ratio non exponitur, ſed evertitur, alium iis titulum dedit, viz. *adversùs Dominum, & ejus Incarnationem.* Alia exhibet Leontius liz. *adv. Eutych.* Plura Facundus Herm. paſſim, viz. ex libri v. capit. 52. lib. IX. cap. 3. ex libri VI. capit. 54. ibid. cap. 3. ex lib IX. ibid. cap. 5. ex lib. X. capit 70. ibid. cap. 3. ex lib. XII. ibid. ex lib. XIII. libro 3. cap. 1. ex lib. XV. lib. 19. cap. 3.

† De ſcript. c. 12.

Contra Eunomium pro S. Baſilio libri XXV. vel (ut alibi habet Photius) XXVIII. quibus, inquit Photius, Eunomium non tantùm externarum diſciplinarum, ſed & Chriſtianæ Theologiæ imperitum eſſe pluribus oſtendit. Non alii forſan ab his fuerunt libri *contra Apollinarium*; ex quibus ſedecim fragmenta habentur in Collatione quarta Synodi Quintæ, præfatio verò apud Facundum Herm. l. 10 c. 1. ex libro undecimo *contra Eunomium* fragmentum habet, lib. 9. c. 3.

Cod. 4. 117.

Contra aſſerentes, peccare homines natura, non voluntate, libri V. adverſus Occidentales hac labe infectos, teſte Photio *. Occidentalium dogmata, quæ oppugnavit Theodorus, exhibet Photius loco dicto: ubi & opiniones Theodori maleſanas, ac Pelagianis communes, ibi proditas recenſet. Libros hoſce contra originalis peccati dogma, & propugnatorem ejus S. Auguſtinum ſcriptos eſſe fidem facit Marius Mercator, qui excerpta illorum plurima Latinè à ſe verſa nobis conſervavit, edit Garner. Par. 1. p. 97. &c. Longè verò probabilius eſt, Theodorum his libris Hieronymum quàm Auguſtinum oppugnâſſe. Certè Photius de his ipſis Theodori libris agens Cod. CLXXVII. ea tradit, quæ uni fere Hieronymo convenire poſſunt. Ait igitur primò Theodorum adverſarium ſuum nomine τȣ̃ *Aram* indigitâſſe. Quis verò ſub hujus vocabuli involucro lateat, nodus eſt haud ita facilè ſolvendus. Ab infauſta τȣ̃ ἀρᾶ ſignificatione dictum, ſed frigida planè conjectura exiſtimat Andr. Schottus Photii interpres. Exſcriptoris nimiùm feſtinantis errorem eſſe, ἀρὰμ pro ἱερὸν. nominis ſc. Hieronymiani abbreviatura reponentis, ſatis ingenioſè conjicit D. Allixius. Sed cùm de variantibus hac in parte Codicum MSS. lectionibus nihil monuit diligentiſſimus Hoeſchelius, cúmque apud me penè certum ſit, Theodorum hoc loco adverſarium ſuum ficto nomine traducere voluiſſe, mihi longè veriſimiliùs videtur, homunculum quendam in aliquo Syriæ angulo latitantem hoc vocabulo denotari. *Aram* enim proprie *Syriam* ſignificat, quod Hieronymo non ineptè congruit, qui longè majorem vitæ partem in Syria tranſegit, iiſque in locis omnia penè adverſus Pelagianos ſcripta elucubravit. Id quod apertè ſatis innuit Theodorus, dum ait, ipſum ex Occidente quidem eſſe oriundum, in Orientis regionibus tantummodò verſatum, & exinde libros de recèns ab ſe excogitata hæreſi compoſitos ad populares ſuos in patriam tranſmiſiſſe, quibus multos in ſuam pertraxerit ſententiam, integraſque adeò Eccleſias abſurdis illis opinionibus imbuerit. Quæ verò de ſuo quem vocat hæretico, addit Theodorus, rem apertiſſimè conficere videntur; ipſum nempe quintum Evangelium confinxiſſe, in Euſebii Palæſtini Bibliothecis repertum (quod de Evangelio ſecundum Hebræos, Hebraicè in Bibliotheca Cæſarienſi aſſervato, & ab Hieronymo in Græcum Latinumque ſermonem tranſlato, ut ipſe nobis Auctor eſt *de Script. Eccleſ.* c. 2. 3. intelligendum eſſe, nemo non videt) quòd LXX. aliorumque Græcorum Interpretum verſiones rejecerit, nova à ſe elaborata earum loco ſubſtituta: denique quòd Hebræorum quorundam abjectæ ſortis diſcipulus fuerat, neque linguæ Hebraicæ à puero aſſueviſſet. Quæ quidem omnia Hieronymo apprimè congruunt, Auguſtino non item. Legas diligenter, erudite Lector, quæ iſthoc in loco habet Photius, & mecum fateberis, præter Hieronymum haud alium ibi deſignari poſſe.

* Cod. 177.

De Perſarum Magiâ, libri III. *Maſtubio, Armeno & Chorepiſcopo, inſcripti.* Libro primo nefandum Perſarum dogma quod Zaſrades induxit, expoſuit & refellit; duobus poſterioribus de fidei piâ Doctrinâ ab ipſo mundi exordio tractavit. Autor hujus Operis, inquit Photius *, Theodorus Mopſueſtenus eſſe videtur: quod verò ſubdit: illum Neſtorii Hæreſim, maximè libro tertio, ἐπικρατύναντα προσαναφωνεῖν, intelligendum eſſe videtur de iiſdem dogmatibus, quæ vivente adhuc Theodoro Neſtorius clam fovebat, eo autem mortuo palàm divulgavit.

* Cod. 81.

Expoſitio Symboli Niceni: Fragmentum habetur in Conſtituto Vigilii; atque aliud in Collatione quartâ Synodi Quintæ.

Ad Baptizandos liber; cujus octo fragmenta exhibet Collatio quarta Synodi Quintæ, quædam etiam Latinè à ſe verſa Mercator, inter fragmenta ex libris Theodori *de Incarnatione.* Fragmentum breviuſculum habet Facundus Hermianenſis, l. 9. cap. 3.

Ser-

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. *Sermones plurimi*: Ex ſecundo *de Miraculis* fragmentum extat Græcè in Concilio Lateranenſi Concil. Tom. VI. p. 318. atque aliud ibidem ex Sermone *de incarnatione*. Bina verò fragmenta Sermonis cujuſdam Antiochiæ habiti habentur in Collatione quintâ Synodi Quintæ.

Epiſtolæ plures: ex quibus ſibi conſtitiſſe ait
*Cod. 177. Photius * Theodorum Antiochenum [cujus nomen præferunt pleraque ex ſuprà recenſitis Operibus] eundem eſſe ac Theodorum Mopſueſtenum: ex Epiſtola ejus ſecunda *ad Artemenium* Presbyterum Alexandrinum fragmentum profert Facundus Hermianenſis, lib. 3. cap. 5.

Porrò, in Vigilii Conſtituto reperiuntur *Fragmenta* XL. nondum recenſita, ex Theodori Scriptis [quorum tituli non adduntur] deſumpta: & in Collatione quintâ Synodi Quintæ, XII. alia Theodori *fragmenta* ex Cyrilli contra illum Scriptis mutuata locum habent. Codex *Myſticus* dictus, ex cujus libro XIII. fragmentum habet Facundus Hermianenſis, lib. 3. c. 3. quo Theodorus Paulum Samoſatenum diſertè damnat, eumque *Angelum Diaboli* vocat.

Denique inter Theodori Abucaræ Opuſcula, *Diſputationes aliquot* habentur; quas Codices nonnulli Theodoro Hagiopolitano [vid. Antiocheno] tribuunt.

*Cod. 4. Stylum ejus ſic depingit Photius *. Ἔςι δὲ τὴν μὲν φράσιν οὐ πάνυ λαμπρὸς, ταῖς δὲ διανοίαις καὶ τοῖς ἐπιχειρήμασι λίαν πυκνὸς, καὶ ταῖς γραφικαῖς ἄειςα πλουτῶν μαρτυρίαις. *Eſt illi phraſis non uſquequaque perſpicua; ſenſibus tamen, & argumentis nimium quantum denſus; S. Scripturæ teſtimoniis egregiè abundat*; Et
†Cod. 38. alibi †. Οὐδὲ λαμπρὸς οὐδὲ λίαν σαφής. φεύγων δὲ τὸ δυνατὸν αὐτῷ τρόπον τὰς ἀλληγορίας, κατὰ τὴν ἱςορίαν τὴν ἑρμηνείαν ποιούμενος. Ταυτολογεῖ δὲ τὰ πλεῖςα, καὶ ἀχαρίς πως, καὶ ἀηδὴς εἶναι δοκεῖ. *Stylus illi neque illuſtris, neque valdè perſpicuus. Fugiens verò, quantùm in ipſo eſt, allegorias, & hiſtoriarum duntaxat expoſitionem tractans, putidè nimis eadem identidem repetit; & in-*
‡Cod. 177. *gratus atque faſtidioſus legenti accidit.* Alibi † denique Ἔοικε δὲ φιλοπονώτερον περὶ τὴν ἱερὰν ἡμῶν καὶ ἱερὰν γραφὴν διατεθῆναι εἰ ϗ ἐν πολλοῖς παρασυρῆναι τῆς ἀληθείας. *Apparet autem ſtudioſius verſatum fuiſſe in S. Scriptura: etſi in pleriſque à veritate aberret.* Et ſanè Theodorum non tantùm Neſtorio, ſed & Pelagio in plurimis manifeſtò præluſiſſe negari non poteſt:
† præfat. ad Commonit. unde Marius Mercator † non injuriâ affirmat, quæſtionem contra Catholicam Fidem, præcipuè à Theodoro Mopſueſteno in Cilicia motam fuiſſe. Quænam verò dogmata cum Pelagianis communia habuit, ex ipſius, quæ hodie ſuperſunt, fragmētis ſatis accuratè exponit, qui ſub *Rigberii* nomine notas in Acta Marii Mercatoris dedit, *Bruxelli* 1673. 12°.

407. P. II. THEODORUS, natione Syrus, Epiſcopus Mopſueſtenus, claruit anno CCCCVII. De famoſiſſimo hoc Theodoro, viro in Scriptoribus Eccleſiaſticis, Actiſque Conciliorum nominatiſſimo, id ſolum monendum reſtat, extare Græcè MS. integrum ejus *Commentarium in* XII. *Prophetas Minores*, qui incipit hoc modo, Ἑρμηνεία Ὠσηὲ τοῦ προφήτου Ἐις ἔλεγχον τῶν ἰσραηλιτῶν ἐπιβάλλειν τῆς προφητικαῖς ἐπιχειρόντων φωναῖς, &c. Definit in Malachiam his verbis: ὡς ἂν μὴ μένοντες ἐπὶ τῆς ἀσηβείας φοβερᾶς αὐτοῦ τῆς παρουσίας πειραθῶσιν ἐπὶ ἀφανισμῷ παντελεῖ τῶν μοχθηρῶν γινομένης. Aſſervatur MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* LV. & CCXXIII. folia majora complectitur. Etiamſi verò in MS. *Theodori Antiocheni* nomen habeatur, *Mopſueſtenum* tamen deſignari, extra omne dubiū ponit Photius qui Cod. XXXVIII. col. 24. *Theodori Antiocheni* expoſitionem in Geneſim recenſens, hunc fuiſſe Theodorum *Mopſueſtiæ* Epiſcopum diſertè dicit. Fragmentum ex *Epiſtola* ad Dominum reperitur in collectione Teſtimoniorum ſub nomine Damaſceni. vid. Labb. Conſpect. Oper. Damaſc. p. 50. num. 111. Extat etiam apud Cl. Galeum Argumentum longum *in Pſalmum* XLV. in quo breviter percurrit Hiſtoriam Judæorum à tempore captivitatis uſque ad Antiochum, & Oniæ fugam in Ægyptum. Sæpe citatur in Catenâ MS. in Pſalmos; & facilè apparet, Theodorum valde diligentem fuiſſe in conferendis veteribus verſionibus & exemplaribus, utilemque valdè fuiſſe ejus operam.

POLYCHRONIUS, Natione Syrus, Theodori Mopſueſteni frater, Zebinæ in Provinciâ Cyrenſi Aſcetæ celeberrimi Diſcipulus, & imitator: 410. Theod. l. 5. c. 40.
deinde Apameæ Epiſcopus. Claruit anno 410. In vivis adhuc fuiſſe videtur anno CCCCXXVII. quo Hiſtoriam ſuam Eccleſiaſticam clauſit Theodoritus: τῇ τοῦ λόγου χάριτι, καὶ τῇ τοῦ βίου λαμπρότητι κοσμούμενος inquit idem Theodoritus; qui alibi * illum ob egregias virtutes, & ſingularem vivendi morem, plurimaque quæ perpetravit, miracula, ſummis effert laudibus. Scripſit *Expoſitionem in Canticum Canticorum* à Meurſio Græcè editam unà cum Euſebii & Pſelli Expoſitionibus, *Lugdun. Bat.* 1617. 4°. *Commentarium in Job*, cujus Argumentum præfixit, ac longè majorem partem inſeruit Nicetas Catenæ ſuæ in Job, quæ curâ Patricii Junii prodiit Græc. Lat. *Londini* 1637. fol. *Commentarium in Ezechielem*, cujus fragmenta nonnulla exhibet Damaſcenus libris adverſus iconomachos: Alia, ſed Latinè Villalpandus Comment. in Ezechielem. Argumentum verò Græcè edidit David Hæſchelius *Auguſtæ Vindel.* 1602. 4°. unà cum aliis quibuſdam, & habetur inter Criticos ſacros Tom. II. *Londini* 1660. Fragmenta denique ex ejuſdem Commentario *in Danielem* extant Græcè ad calcem Commentariorum Broughtoni in eundem. *Hiſt. Relig. c. 24.

PAULINUS, Bitterrenſis in Galliâ Epiſcopus, claruit anno 410. Extat ab eo aſcripta, inquit Miræus †, *Epiſtola de ſignis terrificis*: ubi verò, non indicat. Ejuſdem eſſe Martyrium S. Geneſii, quod ſub Paulini Nolani nomine circumfertur, innuere videtur Roſweydus in notis. 410. † Auct. de Script. c. 63.

NONNUS, Gente Ægyptius, urbe Panopolitanus, vixit circa annum 410. Filium habuit Soſenam quendam, qui bona patris ſui ad alios tranſtulit, teſte Syneſio †. Scripſit Græcè Poëmata plura: ex quibus hodiè extant. 410. † Epiſt. 43.

Paraphraſis Evangelii S. Ioannis: prodiit Græcè [curâ Aldi Manutii] *Romæ* 1508. *Francofurti* 1541. Gr. Lat. *Pariſ.* 1578. 8° cum notis Nanſii *Lugd. Bat.* 1598. 8°, deinde Græcè à Dan. Heinſio cum Exercitationibus ſuis *Lugd. Bat.* 1627. 8°. Gr. Lat. in Appendice Bigneanâ *Pariſ.* 1624. fol.

Collectio & explicatio Hiſtoriarum, quarum meminit Gregorius Nazianzenus in duobus *Steleteuticis* adverſus Julianum. Edidit Græcè ex Bibliothecâ Viennenſi deſcriptam unà cum Nazianzeni Invectivis Richardus Montacutius, *Etonæ* 1610. 4°. Latinè Jac. Billius inter Opera Nazianzeni Tom. II.

Διονυσιακῶν libri XLVIII. ab eo, adhuc Gentili, ut videtur, ſcripti, extant Græcè cum lectionibus Falkenburgi & Canteri *Antverp.* 1569. 4°. Gr. Lat. *Hanoviæ* 1605. 8°. inter Poëtas Heroicos Græcos *Genevæ* 1606. fol. part. II. pag. 307. denique cum notis Cunæi & Scaligeri *Hanover.* 1610. De ſcriptis Nonni hæc Olaus Borrichius *. *Laudandus Pii Autoris conatus: etiamſi non ſemper reſpondeat eventus.* * Diſſert. Acad. de Poëtis p. 18.

Dicto

Digitized by Google

SÆC.V. ab An. CCCC. *Dictio ejus in Dionysiacis subinde διθυραμβώδης est: quod non mirum, cùm Baccho ibi litet. Sed utinam non etiam quandoque in metaphrasi in Joannem, nonnunquam obscuritate nimiâ fatiget lectorem.*

410. SYNESIUS, Natione Ægyptius, genere Pentapolitanus, urbe Cyrenæus, cultu primùm Gentilis, schola Philosophus Platonicus: circa an. CCCC. Patriæ civitatis nomine legatus ad Arcadium Augustum missus est; cui auream coronam obtulit, & eodem simul tempore Orationem de regno omni auro cariorem habuit. Circa ann. 410. cùm Ptolemaidis urbis cives eum à Theophilo Alexandrino Episcopum sibi dari peterent: munus ille quidem refugit, ac sibi nondum in mentem descendisse resurrectionis corporeæ fidem minimè dissimulavit: quinetiam tam charam sibi haberi uxorem fassus est; ut ab eâ nec sejungi, nec cum eâ clanculùm consuescere necesse habere, vellet: se potiùs ex animo optare prædicans, ut quàmplurimi, optimique sibi nascerentur liberi: nec aliâ lege se Episcopale munus subiturum esse palàm professus est; nisi & uxor & scrupuli sibi intacti relinquerentur. Consensit tandem his conditionibus Theophilus; & ad summi Sacerdotii dignitatem hominem evexit, habito respectu, inquit Photius †, tum ad aliam viri probitatem, vitæque anteactæ integritatem; tum quòd non posset non, qui sic homo vitam instituisset, resurrectionis lumine illustrari. Nec ea spes fefellit: facillimè enim, simul ac Episcopus creatus est, resurrectionis etiam Doctrinam credidit. De Stylo hæc habet Photius. τὴν μὲν φράσιν ὑψηλὸς, καὶ ὄγκον ἔχων, ἀποκλίνων δὲ καὶ πρὸς τὸ πολιτικώτερον [forsan ποιητικώτερον.] *Stylus illi sublimis quidem & grandis, sed qui ad popularem (seu Poëticam) simul dictionem aliquantum inclinat*; & de Epistolis ejus, χάριτος καὶ ἡδονῆς ἀποστάζουσι, μετὰ τοῖς νοήμασιν ἰσχύος καὶ πυκνότητος, *venustate ac dulcedine fluunt, cum sententiarum robore ac densitate.*

† Cod. 26.

OPERA.

De Regno ad Arcadium Im. Oratio.
Dio, vel de vita illius instituto.
Calvitii Encomium.
De Providentiâ libri II. *quos Ægyptios vocat.*
De Insomniis liber, unà cum Nicephori Gregoræ Commentario.
Epistolæ CLV. prodierunt seorsim Gr. *Venet.* 1499. *Basil.* 1558. 8°. & cum notis, *Paris.* 1605. 8°. Epistolas Synesii CLX. suo ævo exstitisse refert Nicephorus †.
Homilia in pervigilio natalis Domini.
Catastasis in maximam Barbarorum excursionem, in quâ Pentapolitana calamitas describitur.
Catastasis in laudem Anysii.
Sermo de dono Astrolabii ad Pœonium.
Hymni X. prodierunt etiam seorsim Gr. Lat. *Turnoni* 1603. 8°.
Homilia in Psalmum LXXIV. quæ in postremâ editione accessit.

† Hist. Eccles. l. 4. c. 55.

Prodierunt Opera Synesii Latinè *Basil.* 1560. Græcè, *Paris.* 1553. Græco-Latinè à Petavio edita, *Paris.* 1612. ac (notis amplioribus auctiora) ibidem 1633. fol.

410. *F. II.* SYNESIUS, ex Philosopho Platonico Ptolemaidis in Ægypto Episcopus, claruit an. CCCCX. Non desunt qui Synesii librum *de insomniis*, ab eo adhuc in Gentilitate posito scriptum fuisse volunt. Sanè negari non potest (Cl. Galei ad me verbis utor) quin mirificè Chaldæorum teletas & Oracula, Ægyptiorum Mysteria secretioresque artes extollat, nonnullasque amborum opiniones præcipuas amplectatur. Nihilominùs ego in eâ sum sententiâ, ut existimem jam tum ad castra Christianorum transiisse Synesium, cùm ista commentaretur. Nam quòd Oracula Chaldaica, sive malis, Zoroastris, non tantùm latenter toti isti operi tanquam costas intexuerit, verùm etiam αὐτολεξεὶ & apertè laudaverit, non multùm me movet. Hymnos Synesii nemo inficiabitur esse opus Christiani Mystæ; atqui istorum Hymnorum prora & puppis ex istis Oraculis conficiuntur; eadem sane vocabula ex iisdem oraculis deprompta, tùm in hymnis, tùm in libro de insomniis occurrunt. Voluit opinor Synesius transferre ad thesauros hominis Christiani quantum poterat de gemmis Chaldæorum & Ægyptiorum; quod ipsum in præfatiunculâ ad librum *de insomniis* ænigmaticè insinuat.

ISIDORUS, Gente Ægyptius, ortu forsan Alexandrinus, S. Chrysostomi discipulus, claruit circa ann. 412. Vitam egit Monasticam juxta Pelusium, ex septem Nili ostiis maximum, inde *Pelusiota* dictus: quin &, si Nicephoro fides, Monachorum in Monte Pelusio degentium Præfectus erat. Hoc in loco, teste Evagrio, * corpus suum laboribus usque adeò maceravit, animumque arcanis ac sublimioribus doctrinis saginavit, ut Angelorum planè vitam in terris duceret, & spirans quædam imago perpetuò esset tam vitæ Monasticæ, quàm divinæ contemplationis. In vivis adhuc erat anno CCCCXXXI. quod ex Epistolâ CCCXI. libri I. constat. Chrysostomi memoriam impensè coluit; unde factum est, ut Theophilum semper oppugnaret: ac Cyrillum etiam diu insectaretur: donec æquior tandem Chrysostomi memoriæ factus Cyrillus, in Isidori partes concederet. Scripsit plurima, multiplici utilitate referta. Scripsit, inquit Suidas, tria millia; secundùm Nicephorum † verò decem millia Epistolarum: in quibus ut plurimùm propositâ quæstione aliquem S. Scripturæ locum interpretari solet. Ex his typis excusæ extant MMXIII. in quinque libros divisæ: Narrat autem Sixtus Senensis *, se Venetiis in Bibliothecâ D. Marci volumen MS. vidisse, complectens Isidori nostri MCXLVIII. Epistolas: quarum prima sic incipit, Ἐπειδὴ κυκλικὸν ἐστὶ χρόνε. Cùm verò in hactenus editis nulla sic incipiat: veri non est absimile, hanc & sequentes Epistolas ibidem adhuc luce nondum visâ delitescere. Quod verò Suidas* tradit Isidorum nostrum scripsisse Epistolas tres, quæ Sacram Scripturam interpretantur, Suidæ locum ex emendatis codicibus hoc modo corrigit Sirmondus Not. ad Facund. Hermian. p. 79. γέγραφεν ἐπιστολὰς ἑρμηνευούσας τὴν θείαν γραφὴν Γ. καὶ ἑτέρας Ζ. καὶ ἄλλα τινά.

SÆC.V. ab An. CCCC. — 412. — * L.1.c.15. — † L.14.c.53. — * Biblioth. l. 4. — * V. Isidor.

Scripsit porrò Isidorus à nobis desiderata, *Adversùs Gentiles librum*, cujus ipse meminit lib. 2. ep. 137. 228. *Adversus Fatum orationem*, quam memorat l. 3. ep. 253. *Ad, vel adversus Cyrillum*, de quo Opere agunt Evagrius l. 1. c. 15. & Nicephorus, l. 15. cap. 53. & alia forsan quædam.

Epistolarum libros tres priores (Epistolas MCCXIII. complexos) Græcè & Latinè edidit, quibus sacrarum suarum observationum libros subjunxit Jac. Billius, *Paris.* 1585. Côradus Rittershusius dictos hosce libros recudit, quibus & quartũ [Epistolis CCXXX. constantem] addidit unà cum notis suis in singulos libros uberioribus, *Heidelberg.* 1605. fol. librum denique quintum (Epistolas DLXX. continentem) Notis, Scholiis & Argumentis illustratum ex Bibliothecâ Vaticanâ seorsim Gr. Lat. edidit Andreas Schottus, *Francofurti* 1629. fol. Adeò ut unitæ Rittershusii & Schotti editiones absolutam Isidori Epistolarum editionem faciant.

Omnes

Digitized by Google

SÆC.V.ab An. CCCC. Omnes verò libri quinque coadunati prodierunt Gr. Lat. *Parif.* 1638. fol.

Alius planè à nostro erat Isidorus, cujus sæpius meminit Suidas, in vocibus Ἀφίλεια, Μήτοι, & Σαράπιων, nempe Philosophus Gentilis; cujus vitam scripsit Damascius, quam apud Photium * videre est.

* Cod. 242.

412. CYRILLUS, Patriâ Alexandrinus, ex Constantinopoli oriundum facit Trithemius †, Theophili Alexandrini ex fratre nepos, Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyter. Nugas agunt, qui illum Carmelitis accensent, Trithemius, Baronius, Alegrius, & alii. Mortuo demum Theophilo anno 412. in sede Alexandrinâ successit: & non longè post initum Episcopatum, diu tamen, multùmque tergiversatus, Chrysostomi nomen in Diptycha reposuit. Anno CCCCXV. Judæos in Christianos grassantes Alexandriâ ejecit. Hæreticis undique erumpentibus fortiter se opposuit, præcipuè Nestorio: quem anno CCCCXIX. hæresis suæ virus evomentem primò quidem per literas blandè admonuit: mox Cœlestino Papâ hâc de re per literas certiore facto, coactâ Synodo Alexandrinâ, veritatem Nestorii blasphemiis oppositam XII. Capitibus sive *Anathematismis* complexus est: ac legatis ad Nestorium Episcopis quatuor, ab eo postulavit; ut si Catholicam Communionem & Sedem suam sibi conservata vellet, iis subscriberet. Verùm cùm id recusaret Nestorius, neque ullis monitis, argumentisve cederet: petiit à Theodosio Imp. Cyrillus; ut ejus mandato Synodus Oecumenica Ephesi congregaretur: quod & factum est, indictâ Synodo in diem S. Pentecostes anni CCCCXXXI. Quo tempore adest Cyrillus, & cum eo ducenti ferè Episcopi: cúmque Joannes Antiochenus, aliique Orientales Antistites moras de die in diem necterent; post dies quindecim, nempe x. Calend. Julii inchoata est Synodus. In hoc Concilio convenerunt Episcopi CCLXX. Præsidem autem egit Cyrillus, utpote primus Orientalium Patriarcha. Vices gessisse Cœlestini Pontificis non nego: verùm id tum in more positum erat, ut Episcopus quivis vices suas suffragium ferendi alteri demandare posset. Præsedit igitur, non tanquam Pontificis Legatus, sed proprio jure, quasi Orientalium Patriarcharum princeps. Ter in Concilium vocatus Nestorius, cùm sese in judicio sistere nollet, ab Episcopis qui aderant, causâ ejus examinatâ, tanquam impiè sentiens sententiâ Synodali damnatur, & sede dejicitur. Interea Joannes Theodoritus, aliique Orientales Episcopi Ephesum appulerunt, & habito seorsim Conciliabulo Cyrillum ac Memnonem Ephesinum deponunt, & Irenæum Imperatoris Legatum in partes trahentes, carceri includi curant. Verùm à Synodi Patribus cognitâ mox causâ, sedi suæ uterque restitutus est. Post finitum Concilium, & causam ab Imperatore utrinque disceptatam, victo planè ac prostrato Nestorio, Alexandriam rediit. Anno sequente ipse pariter ac Orientales Episcopi de pace ineunda ab Imperatore per literas interpellati sunt. Orientalium igitur nomine legatus ad Cyrillum Paulus Emesenus expositionem fidei satis Catholicam Alexandriam attulit; aliamque vicissim à Cyrillo ab Orientalibus subscribendam retulit. Vulnus id aliquantulùm obduxit, non persanavit tamen. Lites enim subinde enatæ eum inter & Orientales, imprimis verò Theodoritum, usque ad mortem ejus agitari non desierunt. Obiit anno CCCCXLIV. Vir sanè pietate juxtà ac eruditione, zeloque pro fide Catholica invicto nobilis. Multa illum quidem criminatur Theodoritus, & ab eo unicam in Christo naturam positam fuisse clamat. Fatendum quidem est, eum sæpius affirmare μίαν εἶναι φύσιν λόγου: sed æquè clarum est, *in omnibus his locis ipsum vocem* φύσις *loco* ὑποστάσεως usurpare: uti sole clariùs demonstrari posset, si modò hisce immorari vellem. Vitio insuper Cyrillo vertitur, quòd Hypatiam, celeberrimam illam Philosopham Alexandrinam, odio & livore ductus, membratim à plebe discerpi effecisset. Verùm qui hanc in Cyrillum calumniam stringit, Damascius, parum hac in re fidei meretur, utpote Christianæ religionis hostis acerrimus. Id quidem ab Alexandrinis, levissimo hominum genere, factum esse negari nequit: Cyrillo autem satagente id evenisse, spectata illius probitas credere nequaquam sinit. De stylo ejus hæc habet Photius *. Ὁ δὲ λόγος αὐτοῦ πεποιημένος, καὶ εἰς ἰδιάζουσαν ἰδέαν ἐκβεβιασμένος, καὶ οἷον λελυμένη καὶ τὸ μέτρον ὑπερορῶσα ποίησις. *Sermo illi confictus & ad propriam dicendi formam contortus* [sanè pluries alibi οἰκεῖόν τι in Cyrilli stylo notat Photius] *ac veluti solutum, numerosque negligens metrum.*

† De Ordine Carmelit. l. 2. p. 36.

* Cod. 49.

OPERA QUÆ EXTANT.

GLaphyra [viz. scita & elegantia Commentaria] *in Pentateuchum*: Græco Lat. seorsim edidit Andr. Schottus *Antverp.* 1618. Prodierunt antea Lat. *Parif.* 1605.

De adoratione & cultu in spiritu & veritate libri XVII.

Commentariorum in Esajam libri V.

Commentarius in XII. *Minores Prophetas*, prodiit seorsim Gr. Lat. *Ingolstad.* 1605.

Commentariorum in S. Joannem libri XII. ex quibus quintus & sextus primùm prodierunt in editione Operum Cyrilli *Parif.* 1638. unà cum fragmentis quibusdam septimi & octavi libri (II. enim etiamnum desiderantur) ex Harlaii Macloviensis Episcopi Catena in Joannem desumptis. Extant quidem antea Latinè libri quatuor istorum loco, Cyrilli nomen præ se ferentes à Jodoco Clictoveo editi, sed quos malè feriatus iste nebulo ex proprio fundo efformarat. Etiamsi enim nomen suum apposuerit, multi tamen, re non animadversa in fraudem sunt inducti, ut rectè notat Labbeus in Cyrillo.

Thesaurus, sive de Sanctâ & consubstantiali Trinitate.

De Sanctâ & consubstantiali Trinitate Dialogi VII. His subjungitur quasi *Compendium* Dialogi septimi, qui *de Sp. S. inscribitur*, vel potius argumentorum in isto adductorum Epitome; quæ tamen dicto dialogo vix ac ne vix mole cedit.

De Incarnatione Unigeniti Dialogus, alterque, *quod unus sit Christus*, probans: qui præcedentibus dialogis annumerati, octavi & noni locum occupant. Dialogus iste, teste Liberato *, tribus, qui interierunt, Cyrilli adversus Diodorum & Theodorum libris appositus, quarti vicem obiit.

* Breviar. c. 10.

Scholia de Unigeniti Incarnatione, quorum Græci textus pars longè major desideratur. Integra verò extant, à Mercatore Latinè versa, inter Opera istius edit. Garner. Part. II. p. 219.

De eadem tractatus alter breviusculus.

De rectâ fide liber ad Theodosium Imp. qui à capite tertio incipit. Caput quartum eandem materiam tractans dicatur Imperatricibus. Caput quintum iisdem dicatum, idem argumentum persequitur. Hæc tria capita totidem distinctos libros προσφωνητικοὺς [is enim titulus singulis apponitur] conficere videntur.

Homiliæ Paschales XXX. *Antverp.* 1618.

Homiliæ de rebus variis XIV. quarum ultima de Verbo Dei homine facto, Græcum textum desiderat.

Episto-

Digitized by Google

SÆC.V.ab An. CCCC. *Epistolæ* LXI. in quibus locum habent, duæ Nestorii, unica Cœlestini Papæ, alia Acacii Beroensis, tres Joannis Antiocheni, una Alypii Presbyteri, una Maximiani CP. Epistola Joannis Antiocheni ad Xystum Papam, &c. Libellus à Paulo Emeseno Cyrillo oblatus, Epistola una Xysti ad Cyrillum, & alia ad Joannem, una Joannis & Synodi Antiochenæ [quæ Græcè non extat] altera Attici ad Cyrillum. Epistola LV. ad Rabbulam Edessenum Latinè tantùm habetur. In Epistolis verò binis *ad Succensum* Diocæsareæ in Isauriâ Episcopum, (quæ libro *de Incarnatione unigeniti* vulgo subnecti solent) notandum monet Usserius *in Biblioth* MS. Epistolæ posterioris dimidiam fere partem inde resecandam esse. Nam 1°. Eulogius apud Photium, & Maximus apud Euthymium*, ex fine secundæ ad Succensum Epistolæ laciniam adducunt, quæ in medio istius reperitur. 2°. Pars Epistolæ dimidiata posterior totidem verbis habetur in Epistolâ Cyrilli XXIX. ad Acacium Melitinensem 3°. Narratio, quæ in fine habetur, de Athanasii Epistolâ ad Epictetum ab Hæreticis depravata, Epistolæ ad Acacium rectè intexi potuit, non verò huic ad Succensum: cùm in priore Epistolâ prolixè satis eandem narrationem commemoràsset Cyrillus.

* Panopl. par. 2. tit. 15.

Epistola ad Clericos suos Constantinopoli constitutos, quæ incipit, Ἀνέγνων τὸ ὑπομνηστικὸν, longè auctior atque emendatior habetur ex Marii Mercatoris versione inter istius Opera à Garnerio edita, Par 11. p. 49.

Adversus Nestorium, libri V. Editi sunt, Gr. Lat. *Romæ* 1608.

Explanatio duodecim Capitum.

Apologeticus pro XII. *Capitibus adversus Orientales Episcopos.*

Apologia pro iisdem adversus Theodoritum. Utramque Apologiam Latinè vertit Marius Mercator, inter cujus proinde Opera utramque Latinè reperire queas.

Apologeticus ad Theodosium Imp. sub. finem Anni CCCCXXXI. *scriptus.*

Contra Julianum libri X. *circa An.* CCCCXXXIII. *scripti.*

Adversùs Anthropomorphitas liber.

De S. Trinitate liber.

Homilias XIX. *in Jeremiam sub Cyrilli nomine*, [excepta ultima, quæ Clementis Alexandrini *de Divite Salvando* est] Gr. Lat. edidit Balthazar Corderius, *Antv.* 1648. 8°. quas Origenis esse deprehensum est. Idem antea sub Cyrilli nomine Latinè ediderat *Apologos Morales*; Opus à Latino quodam scriptum, & olim *Parisiis* publicatum, titulo *Speculi Sapientiæ*.

DEPERDITA.

* Breviar. c. 10.

Scripsit etiam Cyrillus, teste Liberato*, *adversùs Diodori & Theodori Excerpta* à Proclo CP. collecta, libros III. quorum primo quæ Diodorum; 2°, & 3°. quæ Theodorum spectarent, confutavit: tacito tamen utriusque nomine. Extant fragmenta in Actis Synodi V. Collat. V.

* De Script. cap. 57.

Memorat præterea Gennadius* à Cyrillo scriptos, qui interierunt, *libros de Sinagogæ defectu*, & *de fide adversùs Hæreticos*: nisi forsan posterius istud Opus Scriptum aliquod adversùs Nestorium designet. Fragmentum porro ex *Cyrilli Oratione adversùs eos qui dicunt, non offerendum esse pro iis, qui in fide obdormierunt*, citat Eustratius Constantinopolitanus de statu animarum post hanc vitam [à Leone Allatio lib. *de Purgatorio* editus] p. 571.

Prodierunt Opera Cyrilli Latinè, per Georgium Trapezuntium, *Basil.* 1546. Tomis IV. per Gentianum Hervetum, *Paris* 1573. 1605. Tomis II. Græco Latinè curâ Joannis Auberti, *Paris.* 1638. Tomis VII. SÆC.V.ab An. CCCC.

Commonitorium de Nestorio primus in lucem extulit Steph. Baluzius, idque edidit Gr. Lat. in novâ Collect. Concil. p. 377.

Liturgia Cyrillo inscripta ex Arabico sermone in Latinum conversa à Victorio Scialagh prodiit *Augustæ Vindelicorum*, 1604 4°.

ANIANUS, Patria Campanus, Diaconus Celedensis, Pelagii amanuensis & acerrimus Pelagianæ Hæreseos propugnator, claruit Anno 415. quo Synodo Diospolitanæ interfuit, & Pelagii causam maximâ diligentiâ atque animi studio egit. Scripsit libros aliquot contra Hieronymi Epistolam ad Ctesiphontem; uti ipse testatur Hieronymus*, qui & Refutationem eorum sibi in animo fuisse prodit. Eundem hunc esse cum Aniano Chrysostomi Homiliarum aliquot interprete pluribus contendit Garnerius†. Argumenta ab eo prolata hùc ferè redeunt: idem utrique fuisse nomen, dignitatem, sectam, (Pelagianæ enim Hæreseos viro infectum fuisse Chrysostomi interpretem, ex Epistolis ejus ad Orontium & Evangelium manifestò liquet) quin & ætatem: calente enim adhuc controversiâ Pelagianâ claruisse Interpretem luculentis satis indiciis fidem faciunt dictæ Epistolæ. Opuscula Chrysostomi ab eo Latinè versa suprà enumerata sunt in *Chrysostomo*, Epistola *ad Orontium* Homiliis VIII. in Matthæum, altera ad *Evangelium* VII. Chrysostomi Homiliis *de Laudibus S. Pauli* præfixa est. 415.

* Ep. ad Augustin. 24. inter Augustiniana.
† Dissert. 1. ad Mar. Mercator. cap. 7. & Append. ad not. in Julian. Libell. p. 271.

TIMOTHEUS, Episcopus, cujusnam urbis non constat. Claruit circa Ann. 415. Scripsit *librum de Nativitate Domini secundùm carnem*, quam in die Epiphaniæ contigisse arbitratus est. N E. 415.

Gennad. de Scrip. c. 58.

LUCIANUS, Ecclesiæ Caphargamalitanæ in territorio Hierosolymitano Presbyter, claruit Anno 415. quo Reliquiarum S. Stephani Protomartyris revelationem à Gamaliele sibi in somniis factam habuit, eamque mox Joanni Hierosolymitano communicavit; à quo S. Protomartyris ossa in Ecclesiam Hierosolymitanam translata sunt. Totam hujusce rei historiam Lucianus Græco Sermone complexus est; quam statim Avitus Presbyter Hispanus, in his partibus eo tempore versatus, Latinè convertit; & præfixâ ad Balconium, Braccarensem Episcopum, Epistolâ unâ, cum paucis quibusdam, quas à Luciano acceperat, S. Stephani Reliquias per Paulum Orosium, tunc à Synodo Diospolitanâ redeuntem, in Hispaniam transmisit. Extat hic *libellus* seu *Epistola* ex Aviti versione inter Augustini Opera, & apud Surium August. III. & ad quatuor Codd. MS. Bibliothecæ Vaticanæ recognita & emendata apud Baronium ad An. 415. Duo hujus libelli fragmenta non contemnenda Græcè exhibet Eustratius Constantinopolitanus libro *de vitâ functorum statu*, cap. 23. quædam etiam allegat Photius, Cod. CLXXI. Meminit tum Luciani, tum Aviti, hujusque Epistolæ Gennadius, cap. 46. 47. 415.

PAULUS OROSIUS, gente Hispanus, Presbyter Tarraconensis, claruit Anno 416. Anno CCCCXIII. ab Eutropio & Paulo in Hispania Episcopis legatus est in Africam ad S. Augustinum, eum de Priscillianistarum & Origenis erroribus in Hispaniâ pullulantibus certiorem facturus. Apud Augustinum aliquamdiu commoratus, eo hortante *Historiam suam* inchoavit, cui post quadriennium demum supremam manum imposuit; & ab eodem Anno CCCCXV. ad S. Hieronymum in Pa- 416.

Digitized by Google

SÆC.V. ab An. CCCC. Palæstinam mittitur; ut sententiam istius de animarum origine exquireret. In Palæstinam profectus, eodem Anno Conventui Hierosolymitano, & Concilio Diospolitano interfuit; ubi Pelagii errores Episcoporum Palæstinorum oculis detracto velo exponere satagit: ipse interim blasphemiæ apud Joannem Hierosolymitanum accusatus, quasi ne cum adjutorio quidem divino legem Dei quenquam implere posse dixisset. Id crimen ut dilueret Orosius, Apologeticum Episcopis Palæstinis nuncupavit. Anno sequente reliquias aliquot S. Stephani nactus, & Aviti Epistolam curæ suæ commissam habens, in Africam reversus est; ubi postquam Pelagii vafritiem Afris enarrâsset, & reliquias amicis impertisset, in Hispaniam rediisse videtur. De obitu ejus nil certi liquet, quicquid dicant rerum Hispanicarum Scriptores. Scripta sequuntur.

Historiarum adversus Paganos libri VII. quibus Gentilium calumniam Romæ direptionem ab Alarico factam Christianæ Religioni acceptam referentium amolitur: ac majores multò calamitates olim, dum religio Ethnica vigeret, contigisse demonstrat. Opus istud à plerisque *Hormesta Orosii* appellatur, quâ de causâ, divinare facilius est, quàm certi aliquid statuere. Prodiit *Colon.* 1526. f. 1536. 1561. 1572. 1582. 1615. 8°. *Paris.* 1574. 1589. & habetur in Historiâ Patrum Laurentii de la Barre; ac in Bibliot. Patr. Tom. VI. p. 377.

Apologeticus contra Pelagianos de arbitrii libertate, cui nescio quâ librariorum incuriâ inserta est pars libri S. Augustini de Natura & Gratia non exigua, ab illis verbis, (*Hanc esse intentionem legis arguentis*) ad ista (*Sicut Apostolus ait, Nunquid dicet figmentum*, &c.) Prodiit *Lovanii* 1558. & ad calcem Historiarum, *Colon.* 1572. *Paris.* 1639. denique in Bibliotheca Patr. Tom. VI. p. 448.

Commonitorium sive Consultatio ad S. Augustinum de errore Priscillianistarum & Origenistarum, ei ab Orosio oblatum, cùm primùm in Africam transfretaret. Extat inter Opera S. Augustini, cujus libro adversùs Priscillianistas præfigi solet.

417. ZOSIMUS, Natione Græcus, Apamei vel Abrami filius. Anno 417. die 6. Januarii, Romanæ Ecclesiæ Pontifex factus est. Oblato ei fidei libello, quem ad Innocentium decessorem destinârant Pelagius, Cœlestiusque binas ad Episcopos Africanos literas dedit, quibus Pelagium & Cœlestium, etsi à Synodo Africanâ damnatos, Catholicos esse pronunciavit, ipsos Africanos criminatus, quòd Lazaro & Heroti, eorum delatoribus, aures nimis faciles commodâssent. Quâ quidem in re bono viro fucum fecisse versipelles hæreticos ipse non diffitetur Augustinus *; Quando illa ingenia nefando errore perversa aliquanto leniùs, quàm severior postulabat Ecclesiæ doctrina, tractata sunt: quo in loco pluribus hâc de re agit; Postea verò ab Augustino, Afrisque meliora edoctus sententiam mutavit; dataque circulari Epistolâ Pelagium, ejusque asseclas condemnavit. Interea temporis Apiarium, Siccensem in Africâ Presbyterum, ab Urbano, Episcopo suo, ob flagitia excommunicatum, in communionem recepit; missisque in Africam legatis, non modò postulavit, ut Apiarius restitueretur, & nisi istud fieret, Urbanus deponeretur; verùm etiam ut Episcopi Romani supra omnes autoritas agnosceretur, ut ad eam undique appellare fas esset, ut legati denique ab eo in Africam missi de causis ibi natis judicarent: omniaque hæc jura tanquam Concilii Niceni Canonibus sancita sibi vendicavit. Stupebant ad hæc attoniti Patres Africani; nullam se istiusmodi potestatem agnoscere, nullum dari talem Canonem Nicenum contendentes. Verùm dum hæc controversia examini subjicitur, intermoritur Zosimus 17. Septembr. anno CCCCXVIII. Extant ab eo scriptæ *Epistolæ* XIII. Concil. Tom. 2. p. 1556. Ex his duæ sunt ad Africanos de causâ Pelagii; quas levibus quidem conjecturis in dubium vocare vellent Romanenses quidam: cùm in iis nihil Zosimus, *præcox Hildebrandus* (ut eum jure Casaubonus † appellat) verbis utor Clar. Vossii *, *ab ingenio & moribus suis alienum fecisse videtur*. Ac proinde in novissimâ Conciliorum editione, ne minima quidem νοθεύσεως nota iis apponitur. Eas Zosimo fusè vindicat Garnerius in Append. ad par. 1. Operum Mar. Mercatoris, Dissert. 2. cap. 9. Desideratur *Epistola Encyclica*, quâ Pelagianos damnavit: ex eâ fragmenta quædam exhibet Augustinus Ep. CLVII. ad Optat. Prosper. *contra Collat.* cap. 10. Collector *testimoniorum Sedis Apostolicæ de gratiâ & libero arbitrio* cap. 5. 6. quæ Cœlestini I. epistolæ ad Gallos subjiciuntur Concil. Tom. 2. p. 1613.

* Adv. Bonifac. l. 3. c. 3.

† Exercit. 15. p. 420.

* Hist. Pelag. l. 1. c. 28.

418. BONIFACIUS, Patriâ Romanus, Secundi Presbyteri filius, die 28. Decembris ann. 418. in Basilicâ Julii Episcopus Romanus constituitur; eodem tempore Eulalio Archidiacono in Basilica Constantiana ab altera factione ordinato. Exorto hinc non levi schismate, uterque Imperiali edicto Urbe ejicitur. Verùm Eulalio contra mandatum Imperatoris Urbem ingresso, ac pro Romano Episcopo se gerente, revocatur Bonifacius, exauthoratur Eulalius; & tanquam qui justè non fuerat ordinatus à CCLII. Episcoporum Synodo, deponitur, referente nobis libri Pontificalis autore. Ad Bonifacium, jam Episcopum factum, per legatos Romam redeuntes scribunt Antistites Africani, se in causa Appellationum Zosimi Commonitorium eousque observaturos, donec de veris Concilii Niceni Canonibus certiores facti essent. Missi enim ab iis erant in Orientem legati, qui unà cum Cyrilli Alexandrini & Attici CP. literis τὰ ἀληθέςατα καὶ πιςότατα ἴσα Nicenorum Canonum secum retulerunt. Verùm ante eorum reditum diem extremum clauserat Bonifacius die IV. Septembris anno CCCCXXII. Extant *Epistolæ* 3. & *fragmenta* aliquot quæ in istis non reperiuntur Concil. Tom. II. pagina 1582. & *aliæ* V. partim ad Rufum Thessalonicensem, partim ad Episcopos per Macedonium, &c. constitutos, Concil. Tom. IV. p. 1702. Has ex Codice Bibliothecæ Barberinæ, quo Concilium Romanum tertium sub Bonifacio II. continebatur, Lucas Holstenius primus publicavit.

418. PHILIPPUS, Gente Pamphylius, Patriâ Sidensis, ubi Troilo Sophistæ se genere conjunctum esse gloriari solebat, claruit anno 418. & deinceps. Diaconus adhuc, Chrysostomum audivit, eoque familiarissimè utebatur; in Presbyteratus ordine constitutus, post mortem Attici anno CCCCXXVII. cum Sisinnio de Sede CP. contendebat. Sed prælato ei Sisinnio, hominem idcirco acerrimè in scriptis perstrinxit. Condidit *Historiam, ab ipso usque mundi initio*, quam vocavit, *Christianam*, triginta sex libris: singulos libros in plures divisit Tomos: adeò ut simul omnes numero essent propemodùm mille; præfixo cuivis tomo argumento, ipsum tomum magnitudine exæquante. Immensum quidem Opus, & variâ eruditione refertum; sed quod plurima inutilia, & ab Historiâ, præsertim Christianâ, aliena continebat; res etiam nullo ordine pertractatas: πολύχους τῆς λέξεων, inquit Photius *, οὐκ ἀςεῖος δὲ, οὐδ᾽ ἐπίχαρις, *Multum admodùm verborum, sine ullâ*

* Cod. 35.

SÆC.V. ab An. CCCC. *ullâ tamen urbanitate aut gratiâ profundit: quin & satietatem adfert, aut potiùs molestiam: ἐπιδεικτικὸς μᾶλλον, ἢ ὠφέλιμος, adeò ut plus ostentationis habuert, quàm utilitatis.* Quin & Photio antiquior Socrates, ipsiusque Philippi σύγχρονος, Asiaticum
L. 7. c. 27. dicendi genus eum affectâsse prodit. Scripsit etiam *adversùs Julianum Imp.* ejusque libros confutavit: aliaque plura. Verùm scripta ejus, quot qualiave fuerint temporis injuria nobis eripuit. Fragmentum ex Historia ejus Christiana à Nicephoro, ut videtur, Callisto excerptum, MS. penes se servat Clariss. Dodwellus.

418. *P. II.* PHILIPPUS, patriâ Sidetes, post Chrysostomum, Rhodonem Alexandrinum præceptorem habuit. Qui cùm Scholæ catecheticæ apud Alexandrinos præfectus fuerat, Theodosii Magni temporibus, exeunte (ut videtur) illius Imperio, Scholam illam in *Siden* Pamphyliæ urbem, Philippi Patriam, transtulit. Scripsit Philippus circa annum CCCCXXVI. vel paulò post, *Historiam* quam vocavit *Christianam*, Opus in *libros* XXXVI. divisum, etsi Photius XXV. tantùm numeret. Singuli libri XXIV. *Sectiones* continebant; τόμους vocat Socrates, λόγους Photius, præmisso cuivis sectioni prolixissimo argumento. De hoc
* Lib. VII. cap. 27. Opere hujusmodi olim censuram tulit Socrates* Philippi coætaneus, Πολλὰς συνεισφέρει ὕλας εἰς αὐτὴν δεικνύναι βουλόμενος, μὴ ἀπείρως ἔχειν ἑαυτὸν φιλοσόφων παιδευμάτων, &c. *variam eruditionem in id opus congessit, dum videri vult Philosophicarum disciplinarum haudquaquam expers. Proinde Geometricorum & Astronomicorum Theorematum, Arithmeticorum quoque ac Musicorum passim mentionem facit. Describit item Insulas & Montes, atque Arbores, & alia quædam parvi momenti; unde opus laxum reddidit ac solutum, ac proinde doctis pariter atque indoctis, ut mihi quidem videtur, inutile illud effecit.* Subdit præterea rerum gestarum tempora ab eo confundi. Postquàm enim Theodosii Imp. res gestas commemoravit, statim recurrit ad tempora Episcopi Athanasii. Idque ab illo sæpenumerò fieri solet. Extat hujus Historiæ Fragmentum *de Schola Catechetica, quæ Alexandriæ erat, successione*, à Nicephoro Callisti, [inter cujus quippe *collectanea*, in eodem codice reperitur] amanuensi suo, ut videtur, dictatum: Quod ex *codice Barocciano* desumpsit, notisque ornatum & illustratum *dissertationibus suis ad Irenæum* subnexuit Henricus Dodwellus *Oxon.* 1689. Ex quo quidem Philippum temporis ordinisque rationem non multùm curâsse, quivis facilè deprehendet, quod in eo rectè notavit Socrates. Extat etiam *Viennæ* in Imperatoris Bibliothecâ Cod. *Theol.* juxta ordinem *Lambecianum* CCXLVIII. *Nessellianum* CCCVII. num viii. fol. 80. pag. 1. usque ad fol. 92. aliud amplissimum hujus Historiæ Fragmentum, ubi de *Christi Nativitate* & de *Magis* agit Philippus, continens Acta *Disputationis de Christo in Perside inter Christianos Gentiles & Judæos habitæ*, cui ipse Philippus interfuit. Fragmentum talem præfert inscriptionem, ab aliâ, ut videtur, manu profectam, Τὰ γενόμενα ἐν Περσίδι μεταξὺ Χριστιανῶν Ἑλλήνων τε καὶ Ἰουδαίων. ΦΙΛΙΠΠΟΣ πρεσβύτερος καὶ σύγκελλος γενόμενος Ἰωάννου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως τοῦ Χρυσοστόμου ἀνέθετο ἱστορήσας περὶ τοῦ Χριστοῦ καὶ τῶν μάγων, &c. quod utinam publico non invideant nobilissimæ istius Bibliothecæ Curatores. Ibid. *Cod. Med.* II. num. XVII. fol. 107. iterùmque Cod. III. habetur Græcè sub *Philippi* cujusdam nomine, *Tinctura æris Persici*, ut & *Tinctura ferri Indici*, quas ex Philippi nostri vastissimo Opere desumptas esse suspicatur Lambecius. Vide ejus *comment.* lib. V. p. 137.

SEVERUS, Balearis insulæ, quam hodie Minoricam, seu Minorcam vocant, in Mari Medi- SÆC.V. ab An. CCCC.
terraneo prope Hispaniam, Episcopus, claruit 418.
an. 418. quo contigit Mirabilis illa Judæorum Minoricensium ad fidem Christianam conversio, cujus Historiam ipse latè persequitur. Extat *Encyclica ejus Epistola*, prolixa admodum, *de Judæorum in hac Insula conversione, & de miraculis ibidem ad S. Stephani reliquias factis*, à Baronio ex Archivis Vaticanis eruta, apud quem habetur anno 418. p. 429. Crasso satis errore Miræus † scri- † Auct. c. 72.
bit gesta hæc esse, datamque Epistolam Asclepiodoto & Mariniano Consulibus, h. e. ann. Christi CCCCXXIII. quum ex ipsa Epistola luculenter constat contigisse hæc anno post consulatum Honorii XI. & Constantii II. i. e. ann. CCCCXVIII. ad quem proinde rectè hæc refert Baronius. Extant * quidem duæ Theodosii junioris leges *de Syna-* * C.Th. l. 16. Tit. VIII. l. 25. & 26.
gogis & Donariis Judæorum, datæ Asclepiodoto & Mariniano COSS. seu ann. CCCCXIII. quarum priorem Baronius ad illustrandam Epistolam, calci ejus attexuit, quod fortasse virum aliàs non indiligentem in errorem seduxit. Miræi errorem sequutus est, totumque ejus paragraphum „ ne verbulo quidem mutato, nedum citato auctore, exscripsit Casimirus Oudin „ qui supplementum ad Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiast. nuper evulgavit. Verum id huic homini novum non est.

HESYCHIUS, Salonitanæ urbis in Dalmatiâ 418.
Episcopus, claruit anno 418. Multa ei cum S. Augustino familiaritas intercessit, cui, ut Prophetias & Prædictiones in S. Scripturâ repertas de die ultimo explicaret, autor fuit; & ab eo binas eâ de re *Epistolas* satis prolixas elicuit. Obiit ante an. CCCCXXIX. utpote cujus jam defuncti cum laude meminit S. Augustinus de Civit. Dei l. 20. c. 5. Extat *Epistola ad Augustinum* inter Augustinianas, num. LXXIX. An alia scripserit, non constat.

MARIUS MERCATOR, quâ Occiden- 418.
tis regione ortus, haud certò constat. Campanum, vel Apulum fuisse conjicit Garnerius. Quandoquidem verò conjecturis agendum est, ego potiùs ex ingenio, stylo, scribendique modo Afrum fuisse existimarem, & hâc in re Cl. Virum Gabrielem Gerberonium, Benedictinum, qui sub *Rigberii* nomine notas in Marii Mercatoris Acta edidit, mecum consentientem habeo. Iste enim subinde notat, Marium nostrum non modò S. Augustini studiosissimum fuisse; sed & res atque Acta Ecclesiæ Africanæ apprimè tenuisse. Claruit ab anno 418. quo Augustinum de quibusdam quæstionibus Pelagianorum consuluit. Clericum fuisse nequaquam liquet: constat potiùs an. CCCCXLVI. necdum aut Episcopum, aut Presbyterum fuisse: adeò ut si sacris Ordinibus initiatus fuerit, extremâ id ætate factum esse necesse sit. Inter Auditoriales Scholasticos Romæ aliquando militâsse, pluribus argumentis, haud ita certis quidem, non contemnendis tamen, confirmat Garnerius
* Anno CCCCXXIX. Commonitorium Theodosio * Prolegom. ad Mar. Mercat. Opera.
Imp. adversùs Cœlestianos obtulit. A. CCCCXXXI. librum *Subnotationum* adversùs Julianum, & Contradictiones adversùs Anathematismos Nestorii composuit. Anno CCCCXLIX. vel sequente adversùs Theodoritum scripsit. Ad An. CCCCLI. aut non pervenit, aut nihil post id tempus scripsit. Fidei Catholicæ adversùs Pelagianos & Nestorianos fortissimus erat vindex, Græcè simul ac Latinè doctus. Haud ita multa proprio Marte composuit. Quæ enim ab eo scripta supersunt Opera, non nisi farrago ferè quædam sunt Excerptorum aliunde, præsertim ex Hæreticorum scriptis desump-

SÆC.V. ab An. CCCC. sumptorum. Certè longè plura sunt, quæ ex Græcis Latina fecit, quàm quæ proprio labore elucubrata nobis dedit: licèt ipse versionibus suis præfationes plerumque adjungat ad rei Ecclesiasticæ scientiam sanè utilissimas. Scripta sequuntur, prout in accuratissimâ editione Garnerianâ disposita sunt, ordine enumerata.

SCRIPTA.

PArs prima, ea continens Opuscula, quæ Pelagianam hæresin spectant. *Commonitorium super nomen Cœlestii*, anno CCCCXXIX. Græco sermone conscriptum, & Theodosio Imperat. aliisque magni nominis viris oblatum, & à Mario postea Latino sermone donatum. Primus id edidit Labbeus Conc. Tom. II. p. 1512.

✠ *Liber subnotationum in dicta quadam Juliani ad Pientium Presbyterum.* Prior Opusculi hujusce pars (in duas enim distribuitur) inscribitur, *Commonitorium Lectori adversùs hæresin Pelagii & Cœlestii, vel etiam scripta Juliani.*

Epistola Nestorii ad Cœlestium Pelagianum à Mario Latinè versa.

Sermones sive Tractatus IV. *Nestorii contra hæresin Pelagii seu Cœlestii* Latinè versi, additâ Præfatione.

✠ *Symbolum Theodori Mopsuesteni Latinè versum*, cui præfigitur *Commonitorium sive Prologus* Marii: subnectitur verò Refutatio ejus à Mario conscripta.

Excerpta ex V. *libris Theodori adversùs S. Augustinum, à Mario collecta & Latinè versa.*

Pars secunda, ea continens Opuscula, quæ causam Nestorianam spectant.

✠ *Præfatio in varios Nestorii Sermones Latinè à se versos.*

✠ *Nestorii Sermones* XIII. *de Incarnatione D. N. J. C. Latinè versi.*

✠ *Epistola de discrimine inter hæresin Nestorii, & dogmata* Pauli *Samosateni*, *Ebionis, Photini & Marcelli.*

✠ *Obtestatio Eusebii adversùs Nestorii errores Latinè versa.*

Homilia Procli adversùs Nestorium, interprete, ut videtur, Mario.

Epistola IV. *S. Cyrilli, &* ii. *Nestorii, à Mario versa.*

Excerpta LXXXV. *ex Nestorii scriptis, à Cyrillo, & à Mario versa.*

Nestorii Anathematismi XII. totidem Cyrillianis oppositi, à Mario Latinè versi, additâ singulis *Refutatione sive Contradictione.*

Responsio Cyrilli adversùs Objectiones Orientalium ab Andreâ Samosateno scriptas, à Mario versa.

Responsio ejusdem ad Reprehensiones Theodoreti, ab eodem versa.

Scholia ejusdem de Incarnatione Verbi Unigeniti (auctiora multò quàm in Græcâ Cyrilli editione) *à Mario versa.*

Excerpta ex libro Theodori Mops. de Incarnatione Christi, à Mario collecta & versa.

Excerpta ex Theodoriti Pentalogio, Epistola ejusdem iii. *Fragmenta ex Epistolâ ejusdem ad Himerium Episcopum Nicomediæ, & ex Sermone Antiochiæ post Cyrilli mortem habito, à Mario Latinè versa.*

Fragmentum ex Eutherii Tyanensis Sermone adversùs Cyrillum, Latinè versum.

Epilogus Marii Mercatoris.

Notet Lector, *Opuscula cruce præfixâ insignata à* Rigberio doctissimis *notis illustrata*, edita fuisse Bruxellis, 1673. 12° & à nobis sub Actorum Marii Mercatoris nomine in hoc Opere sæpiùs citari.

Tractatum Nestoriani cujusdam, qui incipit [*Contumelias quidem in me Hæreticorum arbitror*) à Mario

Latinè versum editionis suæ calci apposuit Rigberius; quem in editione Garnerianâ nondum invenire potui. SÆC.V. ab An. CCCC.

Prodierunt Marii Mercatoris Opera fusissimis ac eruditissimis Joannis Garnerii Commentariis ornata *Paris.* 1673. fol. dein in Bibliothecâ Patr. Tom. XXVII. p. 129. ac postremùm à Steph. Balusio cum notis edita. *Paris.* 1684. 8°.

Actionem VI. Concilii Ephesini à Mario Latinè versam, primus dedit Baluzius in Novâ Conciliorum Collectione, *Paris.* 1683. fol.

NICÆAS, Romatianæ [hoc est, ut Baronius * rectè interpretatur, Aquileiæ] sub Chromatio Episcopo Subdiaconus, ejusque mortui in sede Aquileiensi successor: claruit anno 420. & deinceps. Juvenis adhuc, Hieronymo admodùm familiaris fuit; eumque in exteras regiones peregrinantem diù comitatus est; uti testatur ipse Hieronymus Epistolâ ad illum, adhuc hypodiaconum, scriptâ, quæ extat Tomo I. Civitati suæ ab Hunnis excisæ superfuit, & de Canonibus quibusdam Ecclesiasticis ex occasione invasionis Hunnicæ violatis Leonem Papam consuluit: cujus extat Responsum, anno 458. datum, inter Epistolas ejus nu. LXXIX. Composuit, inquit Gennadius * simplici & nitido sermone, *Libellos* VI. *instructionis ad Neophytos*; quorum primo Neophytos instituit, secundo Gentilitatis errores oppugnavit, tertio de fide unicæ Majestatis egit, quarto adversùs Genethlogiam, quinto de Symbolo, sexto de Agno Paschali disceptavit. Scripsit & libellum ad lapsam Virginem eam ad pœnitentiam agendam hortatus. Hic verò libellus non alius esse videtur, quàm *Epistola ad Virginem lapsam*, quæ inter Ambrosii Opera reperitur, ut suprà monuimus. N. E.

420. * Not. in Martyrol. ad XXII. Junii. * De Script. c. 22.

NICÆAS Romatianæ sive Aquileiæ Episcopus claruit anno CCCCXX. Libellus quem scripsit ad *Virginem lapsam*, cujus meminit Gennadius *de Script. Eccl.* c. 22. non alius esse videtur quàm Opusculum illud hoc nomine quod Ambrosio, Hieronymo, quandoque & Augustino tribui solet; inter quorum Opera non semel reperitur. Et in hâc sententiâ consentientem habeo Cl. Cotelerium *not. in l. II. Const. Apost.* p. 186.

420. P. II.

JULIANUS, gente Italus, patriâ Apulus, Memoris, Episcopi Capuani, & Julianæ, primariæ fœminæ [utrumque parentem impensè laudant Augustinus *, & Marius Mercator †,] filius vulgò habitus. Tantis enim parentibus à nutrice suppositum esse, & vernulæ cujusdam revera prolem, non obscurâ olim famâ receptum esse innuit Marius Mercator. Natus est ante annum 386. In Theologicis primum Pelagium vel Romæ vel Siciliæ, deinde Theodorum Mopsuestenum magistros habuit. Sub Patre suo Diaconum egit; & adhuc adolescens, post susceptum tamen Lectoratûs munus, lectissimam fœminam, Jam nomine, Æmilii Episcopi Beneventani filiam, Uxorem duxit: in quorum nuptias epithalamium scripsit Paulinus Nolanus; quod etiamnum extat †. Tandem [quod ab Innocentio Papâ factum esse tradit Marius Mercator *] Episcopus constitutus est Urbis Eclanensis apud Hirpinos inter Campaniam & Apuliam sitæ, quæ vox apud Scriptores mirè corrupta reperitur. Quandoque enim Celanensis, vel Edanensis, vel Actenellensis, vel Atelensis sive Attellenensis dicitur. Ob Pelagiana, quæ circa ann. CCCCXVII. strenuè propugnare cœpit dogmata, sede suâ exutus est. Anno [ut videtur] CCCCXX. mox in Orientem profectus, & Constantinopoli anno CCCCXXI. pulsus, in Ciliciâ apud Theodorum Mopsuestenum diu deli-

420. * Contr. Jul. l. 1. c. 4. Operis imperfecti. l. 1. c. 6. † Acta p. 15. Edit. Bruxell. † Poem. nu. 14. * Commonit. prior.

Digitized by Google

SÆC.V. ab An. CCCC. deliquit; ac libris pro hæresi suâ tuendâ elucubrandis se totum dedit. An. CCCCXIII. habita Episcoporum Cillicum Synodo hæreseos damnatus est, ipso quoque Theodoro in damnationem specie saltem, consentiente. Anno CCCCXXIV. mortuo Bonifacio Papâ, ex Oriente in Occidentem vanâ spe Episcopatu recuperandi lactatus, rediisse videtur. Italiâ ejectus, anno CCCCXXVI. Constantinopolim iterum profectus est, & Nestorii anno CCCCXXVIII. in sedem Constantinopolitanam evecti interventu, se rem suam promoturum sperans, Theodosium Imp. de restituendo sibi Episcopatu crebris precibus interpellavit. Quâ de re Nestorius Cælestinum certiorem fecit binis Epistolis, quæ Latinè extant Concil. Tom. III. Ann. CCCCXXIX. oblato à † Mercatore adversùs errores ejus ad Theodosium Imp. Commonitorio, Urbe rursùs depulsus est & à Cœlestino sequente in Synodo Romanâ damnatus, uti & in Concilio Oecumenico Ephesino anno CCCCXXXI. quando etiam Theodoritus, aliique Conciliabuli Ephesini legati datâ ad Rufum Thessalonicensem Epistolâ Juliani cujusdam, Episcopi Eridicæ, mentionem faciunt: hunc eundem cum nostro facit, & campaniâ e,ectum sedem obtinuisse conjicit Cl. Vossius*: unde non desunt, qui Eridicam istam Ericusam sive Ericodem, vulgò *Alicur*, Siculi maris insulam, ad quam Julianus profugerit, esse suspicantur. Verùm Julianum istum Eridicæ Episcopum, cum nostro eundem esse ægrè mihi persuadeo. Sententiam nostram confirmat Holstenius; qui errorem vulgati codicis dictæ Epistolæ emendat, & loco, τῆς Ἐριδικῆς ἐκκλησίας, legit, τῆς Σαρδικῆς ἐκκλησίας. Anno CCCCXXXIX. errores inolitos deposuisse præ se ferens apud Xystum Papam de recuperandâ sede Ec anensi multis egit; verùm operam lusit; obiitque, ut volunt aliqui, anno sequenti. Sin Garnerii calculum sequi mal mus, vitam ac annum usque CCCCLIV. saltem præcedentem protraxit. Omnem verò fidem excedit, quod habet CL. Vignerius præfat. ad supplem. S.August. Julianum ad sequentis sæculi initia, nempe ad Fulgentii tempora pervenisse. Subditque Julianum cum apud Pelagianos ex Episcopo ludimagistrum aliquandiu egisset, tandem in ignobili Siciliæ vico diem obiisse; mortuoque tumulum fuisse positum, cum hac inscriptione, quæ nono sæculo adhuc legebatur. HEIC IN PACE QUIESCIT JULIANUS EPISCOPUS CATHOLICUS. Vir audax, & acris ingenii, Græcè & Latinè doctus, in S. Scripturis valdè eruditus: eloquentiâ & facundiâ mirè pollebat; adeò ut *Romanus Demosthenes* vulgò haberetur. Hæresim, quam fovebat ambiguis vocibus & sententiis optimè obvelare novit: unde à Mario Mercatore † *Pyrrhus* & *Loxias* appellatur. Pietate etiam non incelebris habebatur, charitate inprimis erga Pauperes eximiâ conspicuus, ut tempore famis & angustiæ erogatis suis omnibus pauperes sublevaret; quâ virtutis specie plurimos in errorem suum abreptos detinuit Linguâ tamen maledicâ perquam infamis; adeò ut innumera convi ciorum probra contra Augustinum passim in scriptis suis evomuisse à Mario Mercatore accusetur; quod & ipse multis in locis dolet Augustinus. Unde & in Decreto *Pseudo-Gelasiano* apertè damnatur.

† Opp. ejus Part. I.

* Hist. Pelag. l. 1. c. 6.

† Act. p. 20. Gennad. de Script. c. 45.

SCRIPTA.

Epistolæ ad Zosimum Papam II. quas refutat S. Augustinus libris IV. ad Bonifacium; ubi fragmenta earum passim reperire est, uti & apud Mercator. lib. de subnot. c. 7. 8. 9. Ex his altera, quæ quidem prolixa satis est, & *Libellus* etiam *Fidei* inscribitur, scripta est ann. CCCCXVIII. nomine XVIII. Episcoporum Siculorum Pelagii atque Cœlestii damnationi subscribere detrectantium. In hoc Opusculo primo agit *De summa Trinitate*, *de incarnatione Verbi*, reliquisque Symboli articulis; tum de suo dogmate, & quæstionibus Pelagianis, viz. *De gratiâ Dei*, *Libero arbitrio*, &c. mox hæreticorum dogmata, & in iis clàm Catholicorum damnat; denique varias reddit rationes, quare suæ partis Episcopi Pelagii & Cœlestii damnationi subscribere recusarint, & tacitè correpto Romano Pontifice, ad plenariam Synodum provocat. Hunc *Fidei Libellum* primus extulit, Juliano vindicavit, notis, tribusque prolixis dissertationibus illustratum edidit Joann. Garnerius *Paris.* 1668. 8°. iterumque inter Opera Marii Mercatoris Patr. I. p. 320. Etsi verò duas ad Zosimum Epistolas se scripsisse ipsemet fateatur Julianus, tertiam tamen suo nomine Romam fuisse directam ait, quam talem ejus esse strenuè negavit, ap. August. *Oper. imperf.* l. 1. c. 17.

SÆC.V. ab An. CCCC.

Epistola ad Rufum Thessalonicensem Episcopum, nomine XVIII. Episcoporum Pelagianorum scripta. Vid. Aug. *Oper. imperf.* lib. II. cap. 178. Plurima Epistolæ istius fragmenta apud S. Augustinum libris adversùs Bonifacium supersunt. Ea in unum collecta exhibet Garnerius *Append.* ad Part. I. M. Mercat. pag. 334.

In Cantica Canticorum Libri II. quorum primus, quasi præfationis vice fungens, *de amore* inscriptus est. Eum Beda passim citat & confutat libro primo *in Cantica*.

De bono Constantiæ liber; cujus fragmenta aliquot habet Beda in Cantica.

Libri IV. ad Turbantium Episcopum contra Augustini primum de Nuptiis, paulò ante annum CCCCXIX. scripti: quo nempe anno Augustinus librum secundum de Nuptiis iis reposuit; atque anno CCCCXXI. libris sex editis fusiùs refutavit. Fragmenta plurima utrobique reperiuntur: Ampliora verò apud Marium Mercatorem in libro *Subnotationum*.

Vid. Op. imperf. l. 1. c. 16.

Libri VIII. ad Florum (malè habet Gennadius VII.) *contra Augustini secundum de Nuptiis.* Errant enim, qui octo hosce libros sex prædictis Augustini libris oppositos arbitrantur. Licèt enim Opus istud Juliani illud Augustini integro ferè octennio sequeretur; sex tamen illos Augustini libros aut nescivit, aut se scire dissimulavit Julianus. Scripti sunt in Ciliciâ, anno 422. cùm apud Theodorum Mopsuestenum diu delituit, sed nonnisi anno demum 426. divulgati. Eos libris octo paulò ante mortem editis refutavit Augustinus; ubi fragmenta è Juliani libris passim adducuntur. Excerpta ex iisdem quamplurima adducit Marius Mercator in libro *Subnotationum*.

Vid. Mercat. Refut. Symb. Theod. in præf.

FASTIDIUS, *Priscus* dictus Natione Britannus, Britanniarum, teste Gennadio*, Episcopus: unde Recentiores, qui genuinam vetustatem novis commentis incrustare amant, Londinensem Metropolitanum fuisse volunt. Claruit Anno 420. Scripsit *ad Fatalem*, piam & lectissimam viduam, *de vitâ Christianâ, & viduitate colendâ, libellum aureum*. Extat sine Autoris nomine, inter Opera Augustini Tom. IX. pag. 888. quem &, apposito Fastidii nomine, ad fidem Codicis MS. recognitum Lucas Hostenius edidit, *Romæ* 1663. Ex hoc libro duos fecit Gennadius [qui solus, quod sciam, è Veteribus Fastidii meminit] *de Vitâ Christianâ* unum, *de Viduitate servandâ* alterum: quatuor Baleus †, nempe *De Vitâ Christianâ* lib. I. *De Doctrinâ Spiritûs* lib. I. *De Viduitate servandâ* lib. I. *Admonitionum piarum* lib. I. Pejus adhuc Joannes Pitseus*, qui Balei errori suum addit: & quod Gennadius de prædicto Opusculo habet, nempe

420.
* De Script. c. 56.
† Cent. I. c. 41.
* Ætat. 5. p. 86.

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. nempe quòd *erat sana, & Deo digna doctrina*, ipse in libri titulum transformavit, nempe *de Doctrinâ Deo digna & spirituali* lib. I. Rectius multò Joannes Trithemius *, qui de Fastidii libro hæc tantùm habet, Gennadium interpretari contentus, *Volumen quoddam sanâ doctrinâ conscriptum*. Quod verò Dempsterus Hist. Scot. lib. VI. num. 536. affirmat, Fastidium nostrum *Scotorum Chronicon* scripsisse, id homini nugivendulo & in gentis suæ rebus penè semper ineptienti condonandum est.

* De Script. fol. 37. fac. 2.

420. LEPORIUS, ex Monacho Massiliensi, seu ut alii, Aquensi, Presbyter, claruit circa annum 420. Primò quidem Pelagii castra secutus est: deinde ab Episcopis Gallicanis admonitus, & ab Augustino postquam in Africam trajecisset, pleniùs edoctus, ad saniorem mentem revocatus, anno circiter 425. scripsit *Libellum Emendationis, sive Satisfactionis, ad Episcopos Galliæ*; in quo errores suos correxit, & de emendatione ipsius ab iis curatâ gratias egit: sententiam etiam de Incarnatione Christi pravam, quam temerè olim imbiberat, revocavit, unicam in duabus naturis personam confessus. Primus hunc libellum ex Codice Herivallensi in lucem protraxit Jac. Sirmondus, & cum aliis Veterum *Opusculis Dogmaticis* edidit, *Paris.* 1630. 8o. Habetur etiam in Biblioth. Patr. Tom. VII. p. 14. & Concil. Tom. II. p. 1678. & emendatior à Garnerio editus in *Append.* ad par. I. Operum Marii Merc. Dissert. II cap. 2c. p. 225. Monendus est Lector, hunc libellum quandoque à Veteribus sub nomine Sancti *Augustini* citari: forsan quia eo monente scriptus sit, & ab eo approbatus: unde illum Augustino, tanquam genuino Autori asserere conatur [codicis Grimanici fide, & Synodi Chalcedonensis Act. II. nixus, ubi locus ex hoc libello desumptus inter B. Augustini testimonia reponitur; & ad opinionem suam roborandam conjecturas quasdam non magni quidem momenti adducit] Paschasius Quesnellus in notis ad S. Leonis epist. CXXXIV. p. 906. Hujus Leporii, ejusque Libelli ex Veteribus meminerunt Gennadius de Script. c. 59. Cassianus de Incarnat. l. I. c. 5. Joannes II. Papa Epist. ad Avien. Facundus Hermian. l. I. c. 4.

420. PAULINUS, S. Ambrosii Mediolanensis Diaconus & Notarius, postea ad Presbyterii dignitatem evectus: Ecclesiæ Mediolanensis procuratorem & defensorem vocat *Prædestinatus* † Sirmondi: Claruit anno 420. quin & ab anno 412. innotescere cœpit, quo Carthagine agens Cœlestium hæreseos apud Aurelium Episcopum reum egit; eundemque in Concilio Carthaginensi strenuè debellavit. Extat *Vita B. Ambrosii*, hortante S. Augustino, composita; parcè quidem nimis & jejunè scripta, quæ Ambrosii Operibus præfigi solet. *Libellus etiam Zosimo Papæ gratias agens ob damnatos Pelagium & Cœlestium*: Concil. Tom. II. p. 1578. Quòd verò Isidorus Hispalensis * Paulino nostro librum de *Benedictionibus Patriarcharum tribuit*; omnibus ubique notum est illum Rufino Aquileiensi adjudicandum esse.

† Hæres. LXXXVIII. p. 81.

* De Script. c. 4.

420. EUODIUS, natione, ut videtur, Afer, Uzalensis in Africâ Episcopus, S. Augustini necessarius, claruit anno 420. Ab Orosio reliquias aliquot S. Stephani è Palæstinâ in Africam deportante, portiunculam nactus, Basilicam in S. Martyris memoriam erexit; & postquam plurima ibi miracula patrata deprehendisset; eorum Historiam literis (uti credi potest) mandari curavit. Extant sanè in editione Operum S. Augustini *Antverpiensi* 1577. atque aliis nonnullis libri duo ad Evodium nostrum *de Miraculis S. Stephani*: qui cùm Autoris nomen præ se non ferant, Evodio vulgò ascribuntur: atque eo jubente videntur compositi. Scripsit *ad Augustinum Epistolas plures*, ex quibus IV. extant inter Augustinianas (nu. XCVIII, CCXLVI, CCXLVII, CCLIX.) ut nil dicam de quintâ ad *Innocentium Papam*, quam unà cum aliis quatuor Episcopis exaravit. Scripsisse etiam perhibetur *librum de Fide, seu de unitate Trinitatis contra Manichæos*, qui habetur inter S. Augustini Opera Tom. VI. Alius à nostro fuit Evodius ille, Africanus Episcopus, qui an. 404. unà cum Theasio Episcopo à Synodo Carthaginensi ad Honorium Imp. legatus est; ut Donatistarum injurias & audaciam detegeret: quique anno 408. unà cum eodem Theasio à Donatistis occisus est.

SÆC. V. ab An. CCCC.

VIGILIUS, Diaconus, claruit circa annum 420. Scripsit, teste Gennadio *, breviato & aperto sermone *Monachorum Regulam*, totius Monasticæ professionis disciplinam continentem. Extat ista *Regula* à Luca Holstenio edita in *Codice Regularum*, p. 89. *Paris.* 1663. 4°. 420.

* de Script. c. 51.

ISIDORUS, gente (ut verisimile est) Hispanus, Episcopus Cordubensis, claruisse videtur anno 420. Obiisse dicitur anno 430. Scripsisse illum *Allegoriarum sive Commentariorum in omnes libros Regum libros* IV. & Paulo Orosio Tarraconensi dedicasse, præter Sigebertum Gemblacensem, & Trithemium affirmat Pseudo-Dexter in Chronico ad ann. CCCCXXIII. Extant quidem *Allegoriæ* inter Isidori Hispalensis Opera, quas nostri esse probabile est, eò quòd ad Orosium, istius σύγχρονον, scriptæ sint. Certè hujusmodi Commentarii Allegorici neque à Braulione, neque ab Ildefonso inter Isidori Hispalensis Opera recensentur. *Lucam* etiam *Commentariis* explicasse Isidorum prodit Pseudo-Dexter non uno in loco. Fusè agit de singulis Isidoris, Hispanicis Scriptoribus, Fr. Bivarius notis ad Dextri Chronicon, Anno CCCCXXIII. 420.

SEVERUS, Afer, Episcopus Milevitanus, Augustini familiaris, cujus scripta studiosè lectitabat. Claruit anno 420. Obiit vivente adhuc Augustino. Moriens Episcopum sibi successorem designavit apud Clericos solos; non expectato plebis consensu. Eo verò mortuo, cùm tumultus excitandi suspicio injiceretur, petente Clero accurrit Milevim Augustinus; cujus interventu pax sancita est; & ordinatus Episcopus, quem Severus designaverat: ut ex Augustini in designatione Eradii successoris Actis liquet; quæ inter Epistolas Augustini num. cx. reperiuntur. Scripsit Severus (ut verisimile est) *Epistolas* plures. Extat hodie *unica*, quæ inter Augustinianas locum XXXVIII. habet. 420.

JOSEPHUS (hoc enim nomine à Seldeno, Junio Dufresnio & Cotelerio laudatur) ortúne Judæus incertum, Scriptor certè Christianus, claruit, si in re omnium obscurissimâ hariolari fas sit, circa annum CCCCXX. De autore, ejúsque ætate admodùm laboro, nec quò me vertam satis video. Sæpe olim suspicatus sum, hunc non alium fuisse quàm Josephum illum *Tiberiadensem*, qui ex Judæorum Apostolo seu Assessore Patriarchali factus est Christianus, & à Constantino M. ad Comitis dignitatem evectus. De cujus conversione, & egregiis erga Ecclesiam meritis, mira planè, eaque satis prolixè narrat Epiphanius 420. *P. II.*

SÆC.V. ab An. CCCC. * Adverſ. Ebion. Hæreſ. XXX. num. IV, V, VI, VII, VIII, &c.

nius *, qui hominem optimè novit, ejuſque ædibus hoſpitio exceptus eo familiariter uſus eſt. Refert quidem auctor noſter ſe [juxta Græcorum ſupputationem] ſub Sexto Millennio vixiſſe; Meminit enim τῆς παρούσης ἐν ἑξάδι χιλιάδων καταστάσεως, quod ævo quidem Conſtantiniano ſatis convenit. Verùm obſtant alia, quæ ipſum ab hoc ſæculo removent. Quo certiorem ἐπίκρισιν hâc de re faciamus, gradatim & pedetentim procedendum erit. 1. Itaque conſtat, auctorem noſtrum poſt exortam *Macedoniorum* hæreſin vixiſſe; quam utique penultimo loco ponit. Macedonius factus eſt Epiſcopus CP. Circa annum CCCXLII. Obiit anno circiter CCCLX. Et etiamſi vivus adhuc dogmata ſua propalare cœpit; poſt mortem tamen ejus præcipuè invaleſcebant, anno CCCLXXXI. Concilii II. Oecumenici Decreto damnata. Quo tempore, Joſephum Tiberiadenſem in vivis adhuc ſupereſſe vix credi poteſt; quippè qui anno CCCLV. quo Euſebius Vercellenſis Scythopolim in exilium miſſus eſt, quoque ad ipſum in Joſephi ædibus habitantem inviſendum acceſſit Epiphanius, affectâ & decrepitâ erat ætate, LXX. plùs minùs annos natus. 2. Meminit *hæreſis Anthropomorphitarum*, in eâque deſinit; quæ orta eſt non niſi exeunte hoc ſæculo, circa ann. CCCXCIX. fervente tunc temporis apud monachos Nitrienſes controverſiâ *Anthropomorphiticâ*. De quo agunt Socrates lib. VI. cap. 7. p. 309. Sozomenus lib. VIII. cap. XI. p. 771. Unde mox *librum adversùs Anthropomorphitas* ex profeſſo ſcripſit Cyrillus Alexandrinus. 3. Admodùm probabile eſt & penè certum, illum ante exortam *Neſtorii Hæreſin* floruiſſe, cujus neque in *Catalogo*, neque alibi meminit. Neſtorius ad Sedem CP. anno CCCCXXVIII. promotus eſt, & vel eodem, vel anno ſequenti, hæreſin ſuam promulgavit, de quâ nè verbulum habet auctor noſter, non omiſſurus utique *Neſtorianos* & *Eutychianos*, ſi ſeriùs vixiſſet. Reſtat igitur ut dicamus circa annum CCCCXX. vel ſaltem intermedio aliquo, inter hujus Sæculi initium & Neſtorium, tempore claruiſſe. Hæc de ejus ætate dicenda habui; meliora meliores. Quiſquis ſit, contexuit Commentarium, quem ὑπομνηστικὸν ſeu *Commonitorium* inſcripſit. In quo id præcipuè agit, ut dubia breviter ſolvat, quæ rudiores Chriſtiani minúſque in ſacra hiſtoriâ exercitati proponere poterant. Opus integrum in *V.* Libros, & Capita *CLXVI* diviſum eſt. Etſi in ipſo Opere libri *tertii* nulla habeantur veſtigia. Titulus Operis, ut & primi capitis Literis miniatis deſcriptus eſt. Ὑπομνηστικὸν βιβλίον. Α. Ἰωσήππου. Ὅσαι γεγόνασιν ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ, ἕως τῆς τοῦ Σωτῆρος παρουσίας γενεαί. Ipſum caput (prout in uſum ... eum illud deſcripſit V. C. Rob. Cannonus) hoc habet initium. Α Ἀδάμ. Β. Σήθ. Γ. Ἐνῶς. Δ. Καινᾶν. Ε. Μαλελεήλ. ς. Ἰάρεδ. Ζ. Ἐνὼχ, Οὗτος μετετέθη καίπερ ἐπὶ ζῶν καὶ φυλαττόμενος. Η. Μαθουσάλα. Θ. Λάμεχ. Ι. Νῶε. Οὗτος ἐκ τοῦ κατακλυσμοῦ διασώζεται ἐν λάρνακι μεθ' οἴκου παντός. Τρεῖς δὲ αὐτῷ γεγόνασι παῖδες. Σημ. Χάμ. Ἰάφεθ. ἡ δὲ γενεαλογία εἰς τὸ ἑβραίων ἐρχομένη γένος ἀπὸ τοῦ Σὴμ συνίσταται. ΙΑ. Σήμ. ΙΒ. Ἀρφαξάδ. ΙΓ. Σάλα. ΙΔ. Ἔβερ. ΙΕ. Φαλέκ. ἐπὶ τούτου ἐμερίσθη ἡ γῆ. πληροῦται γὰρ ἐπ' αὐτὸν ἀπὸ Ἀδὰμ ἔτη] ὡς εἶναι τὸ ἥμισυ τοῦ χρόνου τῆς παρούσης ἐν ἑξάδι χιλιάδων καταστάσεως. Ad poſtrema hæc autoris noſtri verba clariùs elucidanda, forſan non abs re erit pauca obiter annotare. Annorum numerus, qui in codice MS. deſideratur, aliundè non incommodè ſuppleri poteſt. ... igitur Heſychius *Orat. in Chriſti Natalem*. Ἐν γὰρ τῷ μβ ἔτει τῆς βασιλείας Αὐγούστου, μηνὶ Δεκεμβρίῳ κε, ἡμέρᾳ ς. ὥρᾳ ἑβδόμη τῆς ἡμέρας, ἐγεννήθη ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου Μαρίας ἔτους κατὰ Ἀντιοχεῖς ἀπὸ κτίσεως κόσμου ἕως τῆς Χριστοῦ γεννήσεως καὶ σταυρώσεως ς'. συνάγεται γὰρ ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως Φαλὲκ υἱοῦ Ἔβερ, ἔτη γ' καὶ ἀπὸ Φαλὲκ ἕως μβ. ἔτους τῆς βασιλείας Αὐγούστου ἔτη αξζ. (leg. βϡξζ καὶ λοιπὸν συνανεστράφη ὁ σωτὴρ τοῖς ἀνθρώποις ἔτε λγ ὡς γίνεσθαι ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως τῆς Χριστοῦ γεννήσεως καὶ σταυρώσεως ἔτη ς. πλήρη. Ὁ γὰρ Φαλὲκ κατὰ τὴν προφητείαν Μωσέως, τὸ ἥμισυ λέγεται τοῦ χρόνου τῆς Χριστοῦ ἐπιφανείας. *Nam in XLII. anno Imperii Auguſti, menſis Decembris* XXV. *die 6. hora 7. diei, natus eſt dominus noſter Jeſus Chriſtus ſecundùm carnem, ex Mariâ Virgine, anno ſecundùm Antiochenos, à creatione mundi uſque ad Natalem Chriſti, & Crucifixionem* 6000. *colliguntur enim ab Adam, uſque ad Phalec filium Heber, anni* 3000. *& à Phalec uſque ad* XLII. *annum regni Auguſti, anni* 2967. *Et deindè converſatus eſt Servator cum hominibus annos* XXXIII. *adeò ut ſint ab Adam, uſque ad Natalem Chriſti, anni* 6000. *pleni. Phalec enim ex Prophetiâ Moſis dicitur dimidium temporis Chriſti apparitionis*. Paulò aliter Joannes Malela, (etſi in ſummâ rei cum Heſychio convenit] ex cujus calculo numerantur ab *Adam* ad *Phalecum* uſque MMDXXXIII. à Phaleco verò ad Auguſti annum XLII. anni MMDCCCCLXVII. in ſummâ MMMMMD. quibus XXXIII. vitæ Chriſti anni adjiciendi ſunt. Ὁ γὰρ Φαλὲκ κατὰ τὴν προφητικὴν φωνὴν Μωσέως τὸ ἥμισυ λέγεται τοῦ χρόνου τῆς μελλούσης τοῦ Χριστοῦ παρουσίας. *Phalecus enim ſecundum Moſis Prophetiam dimidium dicitur temporis Chriſti futuri adventûs*. His longè antiquior Julius Africanus, medium tempus inter Adamum & Chriſtum in ætatem Phalegi rejicit, adeò ut ejus obitus ipſo meditullio ſexies mille annorum obtigit. Secundùm enim Africani Calculum. Diluvium contigit anno Mundi MMCCLX. Phalecus natus CCCCI. denatus CCCXXXIX. quæ ſummam conficiunt annorum MMM. Nihil magis Veteribus tritum, quàm ſex mille annos Mundi duraturi juxta ſex dies Creationis numerandos eſſe; ex mente, ut volunt, B. Petri *Epiſt.* II. cap. iii. ver. 8. *Unum hoc vos non lateat, chariſſimi, quia unus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus*. Quemadmodùm enim Deus hominem die ſexto formavit, qui mox in peccatum lapſus eſt; ita conſentaneum omninò videbatur, ut ſexto etiam die millenario in terris appareret Dominus noſter, *Paſſione & Reſurrectione* ſuâ genus humanum ſalvaturus. Utcunque igitur inter Scriptores haud convenit, *inquiunt Malela & Heſychius*, de numero annorum adventûs Domini, aliis plures pauciores aliis numerantibus, Ἐν δὲ τῷ ἑξακισχιλιαστῷ ἔτει συμφωνοῦσιν ἅπαντες φανῆναι τὸν κύριον, *in hoc nihilominus conveniunt omnes, ſexto Mundi millenario Dominum apparuiſſe*. Mitto quæ Clemens, Theophilus, & Timotheus, οἱ σοφοὶ Χρονογράφοι *inquit Malela*; οἱ Θεοφιλέστατοι, ut de iis Heſychius, Chronici Alexandrini auctor, aliique tùm veteres, tùm recentiores tradiderunt. Hæc ad illuſtrandum auctoris noſtri locum dicta ſufficiant. Pergamus jam cum Joſepho noſtro. Et quo pleniorem guſtum Lectori erudito adhuc præbeamus, alia capitum quorundam lemmata ſubjungemus.

SÆC.V. ab An. CCCC.

Cap. LXV. Βίβλος Β Τίνα ἐστὶ τὰ ἐπὶ τῆς μιᾶς Θεότητος παραλαμβανόμενα.

Cap. LXVI. Τίνα δὲ τὰ ἐπὶ δυαδικῆς ὑποστάσεως.

Cap. LXVII. Τίνα τὰ ἐν τριαδικῶς παραλαμβανόμενα.

ΒΙ´ΒΛΟΣ Δ Cap. LXIX. Τίνα ἐστὶν ἃ πεποίηκεν Μωυσῆς θαυμάσια καὶ δι' αὐτοῦ κατέργασαι.

Cap. CII. Βίβλος Ε. Τίνες εἰσὶν οἱ τοῦ Δαβὶδ δυνατοί.

Cap. CXXV. Κεφάλαιον Ἰωσήππου ἕτερον. Γυνή τις τοῦ λιμοῦ, &c. & nihil aliud continet præter Fl. Joſephi *de Bello Judaico libri* VI. caput 21. ſervatis penè ipſius verbis, compendio excerptum.

Cap.

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC.

Cap. XXXVI. Ἱππολύτου Θηβαίου ἐκ τοῦ Χρονικοῦ αὐτοῦ συνταγματίου. Neque aliud est, quàm pars illius Fragmenti Hippollyti Thebani quod Canisius in *Antiquis suis Lectionibus* dudùm edidit. Hinc primâ statim fronte colligere quis possit, auctorem nostrum post Hyppolyti demùm Thebani tempora vixisse. Sed non dubitari potest, hoc caput ab interpolatore aliquo, ipsomet scribâ fortasse qui Opus descripsit, ob materiæ affinitatem additum fuisse. Cum enim vidisset auctorem in duobus capitibus immediatè præcedentibus de Apostolis egisse, déque iis præsertim qui Jacobi, Joannis, & Zachariæ nomine in Historiâ Evangelicâ occurrunt; non incongruum fortè existimavit, ut hoc Hippolyti ἀποσπασμάτιον ob argumenti similitudinem subnecteretur. Et hospes sit oportet in Antiquorum scriptis, qui nescire potest similia additamenta hujusmodi *collectaneis* non rarò interseri solere.

Cap. CLXVI. & ultimum; Αἱ δυνάμεις τῶν λίθων τῶν ἐν τῇ τοῦ Ἀρχιερέως ζώνῃ ἐντεθειμένων. Desinit in hæc verba, ἀμέθυστος, μέθης ἀλεξιτήριον. ἄνθραξ. ἀχάτης, λιγύριος. ὀνύχιος.

In recensendis veteris Testamenti libris, XXII. tantùm enumerat. *Cathalogum* etiam LXII. *hæreseων* intertexit; quarum ultimum locum occupant *Anthropomorphitæ*. Quin & in iis classem suam habent [ut hæc obiter notem] sive Ὠριγένιοι *lascivi*, quos ab *Origenistis*, sive Origenis Sectatoribus disertè distinguit, de quibus fusè agit, eorúmque abominandas turpitudines luculenter exponit Epiphan. *Hæres.* LXIII. Ad calcem Operis subjuncta est hæc exscriptoris nota;

Τέρμα συντυχηπίδων ἐνταῦθα Ἰωσήππου;
Τὰς ὑποθέσεις τῶν πέντε βίβλων ἔχων·
Πέρας δὲ δωκα τῷ τελευταίῳ στίχῳ;
Τῷ συντελεστῇ τῶν καλῶν Θεῷ χάρις;
Τῷ συμπέρασμα δόντι μοι λόγους γράφειν·
Εἰς αἶνον εὐχάριστον αὐτοῦ τοῦ Λόγου;

In hoc Opere citat Heraclidem Pythagoricum, Josephum bis, Clementem bis, Hegesippum, Porphyrium, Hippolytum. Josephum aliquando sequitur, non laudat tamen; versionem Septuaginta *Gen.* IV. 8. adducit, sed & aliam Ἐκδοσιν semel, & Aquilam. Multa sumpsit ex Hippolyto & Africano; ab eo plurima Epiphanius; citat Novum testamentum, & Actus Apostolorum. De Isaiâ παράδοσιν commemorat. Variat scriptionem nominum propriorum, ut Ἰαήλ & Ἰαζήλ. Historias paulò aliter narrat, &. Templum resque Templi aliter describit quàm Josephus. Quædam de Mosis nomine Melchiâ è Josepho ponit, quæ nunc in eo non inveniuntur. Usus est Codd. Græcis Bibliorum vitiosis. Quot verò vel quoscunque tandem Auctores citat, tamen ex Josepho non minima operis pars desumpta est. Unde jure quis suspicari possit, ipsum auctorem anonymum fuisse; cum verò *Josephi* nomen in fronte libri compareret, iterùmque cap. CXXV. nec pauca ex Operibus ejus excerpta fuerint, indè nomen *Josephi* illi adhæsisse; & ut ab antiquo illo Judæo distingueretur, à recentioribus *Josephum Christianum* dictum esse. Quam tamen conjecturam eruditis lectoribus excutiendam relinquo. Codex MS. in Bibliothecâ Publicâ Cantabrigiensi asservatur, unà cum multis aliis à Matthæo Parkero Academiæ Cantabrigiensi olim dono datus. Plusquàm D. annorum ætatem præ se fert, in membranis scriptus, continétque paginas CLXXXIV. in 4to. quâvis paginâ in duas columnas divisâ. Ex his membranis Apographum descriptum habet Cl. Galeus, qui de hoc Opere non pauca me monuit. Præter *Hypomnesticum*, in eodem volumine continentur *duo libri Chronicorum*, *Leonis Imperatoris Carmina* II. & *Testamenta XII. Patriarcharum*, omnia eâdem manu descripta. Neque ulli dubium esse potest, quin hic ipsissimus sit codex, quem ex Græciâ accepit, & quo in transferendo *Patriarcharum Testamenta* usus est olim Robertus Grosthead *Lincolniensium* Episcopus; adeò accurratè omnia cum antiquissimo versionis *Grostheadiana* exemplari ad verbum conveniunt. "Refert quidem Matthæus "Paris * Joannem Basinstokium Archidiaconum "Leicestriensem Roberto Grostheado nunciâsse, "se cùm aliquando Athenis studuit, vidisse quæ-"dam apud Græcos Latinis incognita; interque "ea XII. Patriarcharum, filiorum Jacob, Testa-"menta, à Judæis, per invidiam propter manife-"stas de Christo Prophetias suppressa, ac proindè "Robertum misisse in Græciam, cúmque ea ha-"buisset, de Græco in Latinum sermonem tran-"stulisse, coadjuvante magistro Nicolao Græco "clerico Abbatis S. Albani. Addam denique extare hujus *Hypomnestici* fragmentum in Bibliothecâ Regiâ Parisiensi, nempe caput CLVIII. *de Libris qui in Sacrâ Scripturâ tanquam extantes commemorantur, nec tamen reperiuntur*, unde illud extulit Cl. Cotelerius*. Quod quidem in codice Cantabrigiensi CXX. caput est, Sunt autem, in universum, capita ρξζ'.

* Ad annum MCCLII. p. 835. Vide ad annum. p. 597.

* Not. in Can. Apost. p. 339. 340.

EUDOCIA, *Athenais*, dum adhuc Gentilis erat, dicta, Leontii, Sophistæ & Philosophi Atheniensis, filia: à quo in omni bonarum literarum genere instituta est: adeò ut egregiè erudita evaderet. Anno CCCCXXI. vicesimum ætatis annum agens, cùm eam in uxorem ducturus esset Theodosius Imperator Christianam fidem amplexa, ab Attico CP. Episcopo, salutari lavacro tincta est. Anno CCCCXXXII. à Theodosio Augusta renunciatur. An. CCCCXIV. levi quâdam de causâ in violatæ fidei conjugalis, & adamati nimis Paulini suspicionem adducta, Imperatoris in indignationem immeritò incidit: eamque ob causam Hierosolyma secessit; ubi Ecclesiis ædificandis, ornandisque, ac pauperibus sublevandis per multos annos tota incubuit. In mariti demum gratiam remissa Constantinopolin rediit; & cum eo usque ad mortem degit: quo mortuo Palæstinam repetiit, ac vitæ reliquum pio otio dicavit, ibi anno CCCCLIX. defuncta. Moribunda juramento se astrinxit, ab omni violatæ pudicitiæ crimine penitùs immunem esse. Scripsit Græcè Poëmata plura, quorum stylum ita depingit Photius *; ὅπερ [Poëma] ὅτι καὶ γυναικὸς, καὶ βασιλείᾳ τρυφώσης καὶ ἄλλως καλὸν ἄξιον θαυμάσαι. Σαφὴς μὲν γὰρ ὁ πόνος ὡς ἐν ἡρώῳ μέτρῳ, εἴπερ τις ἄλλος· *Tùm quia mulieris, & quidem in imperio deliciis affluentis, tum quia præclarum adeò est, admiratione sanè dignum judicatur. Etenim illustris est hic labor, ut in heroico carmine, si quis unquam alius.* 421.

* Cod. 183.

SCRIPTA.

CEntones *Homerici*, à Pelagio quodam Patricio inchoati [unde & isti sæpe tribuuntur] ab Eudociâ verò absoluti & digesti; ut disertè tradit Zonaras *, & ex ipsius Operis inscriptione manifestum facit. Extant Latinè in quâvis ferè Bibliothecæ Patrum editione, Græcè & Latinè in Collectione *Poëtarum Christianorum* Bigneanâ *Paris.* 1624. p. 95. Immane quantum errat Aubertus Miræus †, qui hos Centones Eudociæ Augustæ, Constantini XII. cognomento *Ducæ*, qui obiit anno 1067. uxori tribuit.

* Annal. Tom. 3. p. 37.

† Auctuar. c. 307.

Metaphrasis Octateuchi Heroico carmine condita, libris octo.

Digitized by Google

Metaphrasis Prophetiarum Zachariæ & Danielis: In his Metaphrasibus textum religiosè, ac κατὰ πόδας expressisse Eudociam nil addendo; nil mutando, testatur Photius: adeò ut pro legitimis librorum sacrorum versionibus haberi possent.

Historia B. Cypriani Martyris & Justinæ virginis, libris tribus heroico carmine conscriptis comprehensa. Alius à Cypriano Carthaginensi fuit iste Cyprianus, ac Romæ sub Diocletiano simul cum Justinâ passus dicitur. Totam utriusque historiam ex Poëmate isto excerptam compendio exhibet Photius Cod. CLXXXIV. Mirum inter hanc Eudociæ Historiam, & *Pœnitentiam Cypriani* (quæ in Editione Cyprianica Oxoniensi locum habet) consensum deprehendet, qui compendium Photianum cum altero Opusculo contulerit, diligens Lector.

Poëma Heroicum in victoriam à Theodosio marito ex Persis reportatam; cujus meminit Socrates l. 7. c. 21.

422. MAXIMUS, unde oriundus, incertum, Augustæ Taurinorum in Galliâ Subalpinâ, quam hodie regionem Pedemontanam vocant, Episcopus. Claruit anno 422. Idem, ut videtur, Maximus, qui Synodo Arausicanæ (in quâ Canones aliquot disciplinam Ecclesiasticam spectantes conditi sunt) anno 441. interfuit: intererat etiam anno 451. Synodo Mediolanensi; cùm Episcopi Provinciales coacti sunt, ut quæ Leo Papa ad Flavianum adversùs Eutychem scripserat, sententiâ suâ roborarent. Denique Concilio Romano in Natali Hilarii Papæ anno 465. celebrato, (in quo de Episcopis Successores suos designantibus, aliisque Episcoporum causis agebatur) huic Concilio primo loco post Romanum Pontificem subscripsit Maximus noster, idque, ex mente Baronii, ob prærogativam ætatis in Episcopatu agentis. Anno sequenti obiisse dicitur. Quod verò plures Gennadii editiones habent, *Moritur Honorio, & Theodosio juniore, regnantibus*: Miræus in suâ Gennadii editione, pro *moritur*, reponendum duxit, *floruit*; quod & ante Miræum monuerat Baronius; mendam scilicet in codicem irrepsisse.

SCRIPTA.

HOMILIÆ HYEMALES.

De adventu Domini *Homiliæ* II.

In vigiliis natalis Domini Homilia, quæ & inter Ambrosianas reperitur, num. XIII.

In natali Domini Homiliæ VI. ex his 1a. est XVa. inter Ambrosianas, IVa. est XIa. inter Augustini Homilias de Tempore.

In Circumcisione Domini Homilia.

In Epiphania Domini Homiliæ VIII. quarum VIIa. est XXXVIIa *inter Augustini de Tempore.*

De jejunio Quadragesimæ Homiliæ IV.

In Dominica in Ramis Homilia quæ est 3a. inter Ambrosianas.

De accusatione Domini apud Pilatum Homiliæ 2. quarum 1a. est XLIa. inter Ambrosianas, & CXVIIIa. inter Augustini *de Tempore*, 2a. est La. inter Ambrosianas.

De Judâ traditore Homilia, Va. est inter Ambrosianas, & CXXVIIIa. inter Augustini *de Tempore.*

De Passione, Cruce, & sepulturâ Domini Homiliæ IV. quarum 1a. est LVa. IIa. est LVIa. IIIa. est LVIIa. & IVa. est LVIIIa. inter Ambrosianas.

De S. Latrone, Petro Apostolo, & Ancillâ ostiariâ Homiliæ IV. quæ inter Ambrosianas reperiuntur numero XLIV. XLV. XLVI. XLVII.

HOMILIÆ ÆSTIVALES.

In solennitate Paschali Homiliæ V. quarum 1a. est LIa. 3a. est XIXa. 4a. est LIIIa. 2a. est LIIa. 5a. est LIVa. inter Ambrosianas.

In Litaniis ac Ninivitarum jejuniis Homilia, quæ habentur inter Ambrosianas num. XL.

In solennitate Pentecostes Homiliæ 3. quæ habentur inter Ambrosianas, num. LX. LXI. LXII.

HOMILIÆ DE SANCTIS.

In natali D. Stephani Homiliæ, Va. est inter Augustini Homilias *De Sanctis.*

In natali D. *Agnetis Homilia.*

In nativitate D. Joannis Baptistæ Homiliæ 3.

In natali SS. Petri & Pauli Apostolorum Homiliæ V. quarum ultima est XXVIIa. inter Augustini *de Sanctis*, & LXVIa. inter Ambrosianas.

In natali D. *Laurentii martyris Homiliæ* 3.

In natali D. Eusebii, Vercellensis Episcopi, Homiliæ 2. quarum posterior est LXIXa. inter Ambrosianas.

In natali D. Cypriani Homiliæ 2. quæ inter Ambrosianas sunt, num. LXXII. LXXIII.

In feriis D. Michaelis, Homilia, quæ inter Ambrosianas est Xa.

In natali SS. Tauricorum Martyrum Homilia, inter Ambrosianas habetur num. LXXVIIa.

In communi Martyrum Homilia.

HOMILIÆ DE DIVERSIS.

De Expositione Symboli Homilia.

De non metuendis carnalibus hostibus, & gratiis post cibum agendis, Homiliæ 2. inter Ambrosianas num. XLII. XLIII.

De avaritiâ vitandâ Homiliæ 2.

De eleemosynis largiendis Homiliæ 2.

De hospitalitate Homilia.

De defectu Lunæ Homilia.

Super illud Esaiæ, Caupones tui miscent aquam vino; Homilia.

Porrò *Sermo inter* Augustinianos de *Verbis Domini* XIX. (qui & inter Ambrosianos VII.) *& de vitâ Nazarii & Celsi* inter Ambrosianos XCII. Maximi esse censentur; licèt inter ipsius Opera non habeantur.

Prodierunt S. Maximi Homiliæ, *Coloniæ*, 1535. *Romæ* 1564. cum Leonis M. &c. Opp. *Parisi.* 1614. 1623. *Lugduni* 1633. cum Homiliis Chrysologi *Coloniæ* 1678. 4°. denique in Bibliothecâ Patr. Tom. 6. pag. 1.

Homiliæ XII. viz. de *Barbaris non timendis ei, qui Deum timet, & de S. Helisæo*, III. *De Ninivitis*; *De Kalendis Januariis*; *De defectu Lunæ*; *Ante Natale Domini*; *De Natale Domini Salvatoris*; *Post Natalem Domini Salvatoris*; *De Hæreticis peccata vendentibus*; *Quod non debent Clerici negotiari*; *De Corpore Domini.* Has ex vetustis codicibus eruit, & Maximo nostro vindicatas, nobis nuper exhibuit Rev. P. Mabillonius *Musæi Ital.* Tom. I. part. 2. pag. 1. ubi etiam de aliis Maximi Homiliis quæ sub Ambrosii & Augustini nomine circumferuntur fusè, ut solet, & accuratè agit.

THEODORITUS, natione Syrus, domo Antiochenus, natus est inclinante sæculo quarto, quo verò anno haud satis certum: quamvis Garnerius id ad annum CCCLXXXVI. referat. Parentes Pietate habuit & opibus conspicuos. Mater, piissima 423.

Digitized by Google

ma planè fœmina, cùm tredecim annos in conjugio ſterili jam tranſegiſſet, hortante marito Macedonium, ſanctiſſimum Aſcetam, rogavit, ut filium ſibi à Deo ſuis precibus impetraret: quod & exacto demum triennio fecit, hâc tamen lege, ut fœtum Deo conſecraret: adeò ut à Deo datus, & à parentibus Deo redditus, *Theodoriti* exinde nomen meritò traxiſſe videatur. Nondum ſeptimum vitæ annum exegerat, cùm ad S. Euprepii Monaſterium, non longè ab Antiochiâ diſſitum, amandatur, tam bonis literis, quàm moribus, inſtituendus: quo in loco arctiſſimam cum Neſtorio Conſtantinopolitano, & Joanne Antiocheno, poſtea Epiſcopis amicitiam injit. Nactus eſt præceptores Theodorum Mopſueſtenum, & Joannem Chryſoſtomum, à quibus tum ſummam eloquentiam, tum optimam ſacras literas explicandi rationem, didicit: Juvenis adhuc à Porphyrio, Epiſcopo Antiocheno, Lector ordinatur; ab Alexandro, Porphyrii ſucceſſore, Diaconus: necdum tamen inſtitutum monaſticum deſeruit. Anno 423. juxta Baronium, juxta verò Garnerium [qui certioribus Chronologiæ rationibus innititur] 420. à Theodoto, Alexandri Antiocheni ſucceſſore, Cyri, provinciæ Euphrateſiæ urbis in Syriâ non incelebris, Epiſcopus, Iſidori recèns defuncti loco, conſtitutus eſt. Regionem quidem Cyrenſem infauſtis hæreſium loliis miſerè obſitam deprehendit; Arianos, Macedonianos, Apollinariſtas, præſertim verò Marcionitas, ubique graſſantes: ad quos, tanquam peſſimam Eccleſiæ peſtem, profligandos ſe ſtatim accinxit; idque non ſine crebro capitis periculo præſtitit; tanto interim cum ſucceſſu, ut decem Marcionitarum millia à ſe baptiſmo tincta eſſe ipſe glorietur*: in quo opere συνεργὺς habuit Anachoretas plurimos, Marin, Jacobum, alios, qui Cyrenſem agrum vitæ aſceticæ ſedem ſibi olim delegerant anno circiter CCCCXXIX. Neſtorius maleſana quædam dogmata, in Chriſtum Dominum, ejuſque Beatam Matrem, injuria propinare cœpit: cui, re in Synodo Alexandrinâ priùs agitatâ, Cyrillus XII. Capitula in fidei examen propoſuit. Theodoritus à Neſtorio, ſibi olim perquam familiari & condiſcipulo, rogatus ſtylum in Cyrillum ſtrinxit; ejuſque Capitula ſive Anathematiſmos, Apollinariſmum ex iis extundere conatus, libello ſatis acerbo ac virulento refutavit: ipſe interim diſputationis impetu abreptus, ſaltem verbis incautis, ac nimis periculoſis, aſſerere non dubitavit, B. Mariam non peperiſſe Verbum carnem factum, naturas in Chriſto καθ' ὑπόςασιν non uniri, nec unicam eſſe ὑπόςασιν; denique Deum Verbum dici non poſſe mortuum: neve quid intentatum relinqueret, literas iſtâ de re ubivis ad Monachos dedit, & graviora Cyrillo objiciens, ejus Capita, tanquam hæreſeων antiquarum Lernam traduxit. Anno CCCCXXXI. ad Concilium Epheſinum accerſitus, ſeorſim cum Joanne Antiocheno, aliiſque Orientis Epiſcopis in conſeſſum clandeſtinum abiit, & poſt duos ferè menſes, adjunctos ſibi habens ſex ſuæ factionis Epiſcopos, legatus à Conciliabulo, Orientalium nomine Conſtantinopolim miſſus eſt: juſſus verò ab Imperatore Chalcedone ſubſiſtere, & Eccleſiâ ab Epiſcopo urbis excluſus, in Aulâ Maximâ crebras ad populum conciones habuit; immenſo paſſim Auditorum plauſu exceptas. Ad Imperatorem admiſſus, magnâ ſanè παῤῥησίᾳ cum eo egit: verùm operam & oleum perdidit. Imperator enim probatâ tandem Cyrilli causâ, damnatoque Neſtorio, Orientales legatos in ſuam quemque provinciam dimiſit. Domum igitur redeuns Theodoritus, quinque libros adversùs Synodum Epheſinam edidit, quos *Diabolo inſtigante* conſcriptos ait Marius Mercator*. Paulò poſt, mediante Imperatore, concordia Cyrillum inter & Joannem Antiochenum, Theodoritum, aliosque Orientales facta eſt: ſed ulcus malè ſanatum poſtea recruduit. An. CCCCXLIV. Cyrillum fatis functum duriùs adhuc tractavit: quin & adeò ſe continere non poterat, ut animi gaudium palam exprimeret. Quibus omnibus commotior tandem factus Imperator, anno CCCCXLV. domi ſuæ ſe continere juſſit, nec regionis Cyrenſis terminis excedere permiſit. Anno CCCCXLIX. coacta eſt Epheſi altera Synodus (cui Latrocinalis nomen adhæſit) in quâ præſidente Dioſcuro & omnia jura ſusque deque habente, ſuffragiaque Epiſcoporum vi & armis extorquente, Theodoritus, quem ipſe Imperator Concilio abeſſe diſertè mandaverat, depoſitus eſt; antea quidem à Dioſcuro Alexandriæ anathemate percuſſus. Quò jam ſe verteret Theodoritus? Synodum appellaret? ab eâ damnatus eſt. Ad Imperatorem confugeret? eum ſibi infenſiſſimum nuper erat expertus, tum ob alia, tum hoc etiam nomine, quòd Irenæum Comitem, aulâ expulſum, digamum licèt, Tyri Epiſcopum ordinâſſet. Romam igitur, miſſis duobus Chorepiſcopis Abramio & Hypatio, unà cum Alipio Abbate, in cauſæ ſuæ patrocinium vocavit. Leo igitur Papa, re cognitâ, fideque ejus approbatâ, Theodoritum abſolvit; & quantum in ſe erat, ſedi reddidit. Anno CCCCL. mortuo Theodoſio Imper. à Marciano ſucceſſore Theodoritus ab exilio revocatus (è Provinciâ enim Cyrenſi pulſus in Apamenum Monaſterium ſeceſſerat) ſedi ſuæ reſtituitur. Anno ſequenti habitum eſt Chalcedone Concilium Quartum Generale; in quo Theodoritus ab Imperatore nominatim accerſitus locum ſuum, reclamantibus tamen Ægyptiis, occupavit; fidem quidem Catholicam diſertè profeſſus, Neſtorium verò damnare diu tergiverſatus. Seſſione demum octava causa ejus pleniùs cognita eſt; & poſt anathema Neſtorio incuſſum, ſolenni omnium acclamatione ipſe pleno tandem jure reſtituitur; & Eutycheten ſuffragio ſuo Synodali damnavit. A Chalcedone domum reverſus, totum ſe libris ſcribendis & otio honeſto dedit; commiſſo utplurimùm Hypatii curæ munere Epiſcopali. De Theodoriti *Expoſitione in Epiſtolam ad Galatas* id imprimis notandum, in Cap. 2. integram Periodum, quâ de diſſidio inter Petrum & Paulum agebatur, nempè à commate v. uſque ad xv. deſiderari. Deeſſe quidem monuit Sirmondus, qui textum Græcum ex Bibliothecæ Regiæ Codice MS. edidit. Quum verò Codex Regius ex Codice quodam Medicæo in Italiâ deſcriptus ſit, haud levis oritur ſuſpicio locum iſtum à Majeſtatis Pontificiæ adulatoribus malâ fide decurtatum eſſe. Nec hâc de re vel γρῦ quidem habet Garnerius *Diſſert. de libris Theodoriti*, qui tamen aliàs copioſus & ſatis diligens eſſe ſolet. Obiit anno CCCCLVII. ſaltem ſequenti, ſeptuagenario major: (quamvis ſint, qui vitam illius in plures adhuc annos protrahant) eidem cum Jacobo Thaumaturgo, amico integerrimo, qui paulò poſt obiit, urnæ incluſus. Poſt mortem variam fortunam expertus eſt. Imperante Juſtino à Clericis Eccleſiæ Cyrenſis quibuſdam imago ejus ſolenni pompâ in templum infertur, throno Epiſcopali reponitur, & ſacra Synaxis in honorem ejus celebratur. Ab Anaſtaſio quidem Imp. ejuſque aſſeclis paulò ante damnatus fuerat: quod etiam acriùs & luculentiùs à Concilio Quinto ſub Juſtiniano Conſtantinopoli habito factum eſt. Meliori quidem fato, ac molliori cenſurâ dignus erat Theodoritus. Summam animi puritatem, & arctioris vitæ diſciplinam, quam à pueritia ſub optimis veræ & primævæ ἀσκήσεως magiſtris didicerat, per totum vitæ curriculum integram atque illibatam tenuit; ingenti in Deum zelo, in Eccleſiam Catholicam ſtudio flagravit: in paupe-

* Ep. 145. confer. Epiſt. 181.

* In Excerp. Opp. ejus Part. 2.

SÆC. V. ab An. CCCC. pauperibus levandis penè supra modum benignus & liberalis, bona quæ à parentibus acceperat amplissima in eorum usum divendita elargitus, nec eorum necessitatibus postea unquam defuit: in ædificiis publicis exstruendis ornandisque immensam pecuniæ vim erogavit. Animo erat excelso, elatoque, sententiæ, quam semel imbiberat, tenacissimus; injuriarum & contradictionum haud satis patiens. Si quos in errores lapsus sit, non tam voluntati & pravo judicio, quàm præfervidæ indoli, disputationum intemperiis, & ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς tribuendi sunt. Nobile à naturâ nactus est ingenium; quod pari curâ & studio excoluit: omnifariâ eruditione clarus, & extra controversiam sui sæculi longè doctissimus. De stylo ejus audiatur Photius *, Σαφὴς δὲ ἐστὶν ἐν ἅπασι τὴν φράσιν, ὡς εὐκρινὴς καὶ καθαρὸς, καὶ οὐκ ἀμοιρῶν τοῦ ἡδέος, κατάλληλως τε τοῖς νοήμασιν εὐθυνούμενος. *Stylus ei in omnibus perspicuus [est enim distinctus & purus] neque jucunditatis expers, proportione vero sensibus exuberat.* Ἐστὶ δὲ τὴν φράσιν, εἴτις ἄλλος, ἑρμηνείαις πρέπων, τῷ τε καθαρῷ καὶ εὐσήμῳ τῶν ῥημάτων ἀνακαλύπτων τὰ συνεσκιασμένα, καὶ τῷ ἡδύνοντι ἅτε δὴ διαγλυκαίνοντι, προθυμοτέρους πρὸς τὴν ἀνάγνωσιν παρασκευάζων, *Dictio ejus commentationi (si cujusquam alius) aptissima. Nam & puris signantibusque verbis abdita quaque & obscura revelat, & jucunditate quadam quasi delinimento, suavique lepore ad sui lectionem invitat.* In sequentibus verò pluribus styli ejus laudes persequitur Photius, ductis argumentis à methodi facilitate, vocum delectu & elegantiâ, quæ Attica dici mereatur, ab interpretandi & explicandi S. Scripturas sagacitate & diligentiâ eximiâ, ab infucatâ dicendi simplicitate, & omnifariâ rerum utilitate; à digressionum denique & ambagum fugâ, aliisque dotibus, quæ scriptorem omnibus numeris absolutum reddere queant.

* Cod. 46.

OPERA QUÆ EXTANT.

Quæstiones in Octateuchum, post ann. CCCCLIII. scriptæ.

Quæstiones in Heptateuchum, editæ sunt Græcè, *Paris.* 1558.

Quæstiones in libros Regum.

Quæstiones in libros Paralipomenon. Singula ista Opera post an. CCCCLIII. scripta sunt; & supremus Theodoreti labor fuisse videntur.

Commentarius in omnes Psalmos. Opus istud ann. CCCCXXXIII. inceptum est, & ante ann. CCCCXLV. absolutum: in eo Chrysostomum plurimùm imitatus est Theodoritus, sententiis sæpe expressis, verbis etiam nonnunquam exscriptis.

Commentarius in Canticum Canticorum. Plurima suadere videntur argumenta Commentarium istum non esse Theodoriti, viz. quòd Chrysostomum tanquam adhuc viventem laudet; quòd Theodoro Mopsuesteno convicietur: quòd autor se rusticanis, militaribus & Civilibus pariter ac ecclesiasticis negotiis turbatum esse dicat: ut alia non minora taceam. Constat tamen Theodoritum *Canticum Canticorum* exposuisse; & hunc ipsum Commentarium sub Theodoriti nomine à Gregorio M. citari. Scripsit Theodoritus in Cantica circa ann. CCCCXXV.

Commentarii in Esaiam Epitome, sive *Excerpta* nonnulla à Catenis Græcis collecta: ex quibus plurima Theodoro Mopsuesteno tribuenda esse meritò quis suspicari possit.

Commentarius in Hieremiam.

Commentarius in Baruch.

Commentarius in Threnos Hieremiæ.

Commentarius in Danielem, anno CCCCXXVI. scriptus.

Commentarius in XII. *Prophetas.* Iste pariter ac præcedentes in Prophetas Commentarii scripti sunt inter annos CCCCXXVI. & CCCCXXIX. SÆC. V. ab An. CCCC.

Commentarii in XIV. *D. Pauli Epistolas*, circa an. CCCCXXXII. scripti.

Historia Ecclesiastica libri V. ab ann. CCCXXII. ad an. CCCCXXVII. deducti. Scripti sunt ineunte anno CCCCL. Stylum, quem in his libris adhibet Theodoritus, sic depingit Photius †. Πάντων τῶν εἰρημένων [viz. Euseb. Socrat. Sozomen. Evag.] κατάλληλον φράσιν τῇ ἱστορίᾳ μᾶλλον οὗτος ἐπέθηκε. σαφὴς τε γάρ καὶ ὑψηλὸς καὶ ἀπέριττος, πλὴν ὅτι ἐνίοτε ταῖς μεταφοραῖς παραβόλως καὶ ὥσπερ ἀπειροκάλως ἐχρήσατο; *Omnium, quos proximè nominavi, convenientem magis historiæ Stylum adhibet. Clarus enim, & grandis est, miniméque redundans: nisi quòd translationibus interdum audacius, penè ineptè utitur.* Prodiit Græcè, *Basil.* 1535. ex officinâ verò Roberti Stephani inter alios rerum Ecclesiasticarum Scriptores, *Paris.* 1544. fol. Græc. Lat. *Genevæ* 1612. denique emendatissimè Henrici Valesii notis & versione adornata, *Paris.* 1673. fol. quam Colonienses nuper expresserunt.

† Cod. 31.

Historia Religiosa, sive *Philotheus*, Ascetarum sanctissimorum XXX. elogia continens, anno CCCCXLIV. scripta.

Epistolæ CXLVI. post Episcopatum susceptum Scriptæ.

Eranistes, *seu Polymorphus*, *libros* IV. complexus, quorum tres priores Dialogi formam habent; quartus inscribitur *Demonstratio per Syllogismos.* Primo docet Deum Verbum esse immutabilem: secundo asserit inconfusam unionem naturarum Christi: tertio Deum esse impatibilem demonstrat; quarto quæ in prioribus fusiùs & oratorio more disputaverat, in Syllogismos contrahit, ut argumentorum vis apertior sit & efficacior. Scriptum est Opus istud ann. CCCCXLVI. & non longè post geminâ Theodosii Imp. sanctione, alterâ anno CCCCXLVII. alterâ anno CCCCXLIX. datâ, flammis addictum. Prodiit Græcè seorsim, *Romæ* 1547. Græc. Lat. cum notis Beumleri, *Tigur.* 1593. 8°. Græcè *Lipsiæ* 1568.

Hæreticarum Fabularum libri V. an. CCCCLIII. scripti. Libri IV. caput 12. quod *de Nestorio* inscribitur, spurium est; ab aliquo Theodoriti nominis assutum circa tempus Synodi Quintæ. Opus seorsim prodiit Græcè *Romæ* 1545.

De Providentiâ Orationes X. Antiochiæ habitæ circa ann. CCCCXXX. seorsim prodierunt Græcè, *Romæ* 1545. *Tigur.* 1546. 8°. *Paris.* 1530. 8°.

De *Charitate Oratio*, quæ Historiæ Religiosæ subjici plerumque solet. Anno CCCCLIX. scripta. Edita primùm est *Romæ* 1588. Græc. Lat. à Gerardo Vossio cum notis & variantibus lectionibus.

De curandis affectionibus Græcorum libri XII. anno CCCCXXVII. scripti *contra Julianum Imp.* Prodierunt Gr. Lat. cum notis doctissimis Sylburgii, *Heidelbergæ* 1592. fol. Quamplurimas Fulvii Ursini istorum librorum emendationes, & lectiones variantes ex Bibliothecæ Vaticanæ Codice nuper evulgavit Joannes Garnerius in *Auctuario*, pag. 393.

Epistola ad Joannem, *Episcopum Germaniciæ*, scripta sub finem anni CCCCXLIX.

Reprehensio XII. *Anathematismorum*, *seu Capitum Cyrilli*, anno CCCCXXIX. scripta, unà cum præmissâ ad Joannem Antiochenum Epistolâ.

Contra Nestorium liber ad Sporatium: spurius est, & maximâ ex parte idem est cum cap. 11. lib. 4. *Hæret. Fab.*

Hactenus Editio Sirmondiana: quæ sequuntur Opuscula in *Auctuario* Garneriano accesserunt.

Prolegomena & excerpta plurima Commentariorum in Psalmos è Catenis ut plurimum desumpta.

Excerptum

Digitized by Google

Excerptum breve Commentarii in Lucam, è Catenâ quâdam hauſtum.

Sermo in natalem S. Joannis Baptiſtæ.

Homilia Chalcedone anno CCCCXXXI. habita, Latinè tantùm. Habetur inter Acta Concilii Epheſini.

Pentalogii de aſſumptione hominis excerpta nonnulla Græcè & Latinè. Latina verſio tota ferè Marii Mercatoris eſt.

Epiſtolæ XXXIV. quarum XIX. ſunt aliorum quorundam Epiſcoporum Orientalium Theodoriti συγχόνων. Reliquæ XV. Theodoriti ſunt. Verùm ex his nonnullæ non niſi Latinè, aut mutilæ extant, ex Conciliorum Actis vel Mario Mercatore deſumptæ; aliæ à Sirmondo, haud integræ tamen, editæ ſunt; quædam denique nunc primùm in lucem prodierunt.

Dialogi VII. paulò ante Synodum Epheſinam ſcripti, quorum duo priores *Anomæos* oppugnant, tres ſequentes *Macedonianos*, duo ultimi *Apollinariſtas*. De his Dialogis peculiari Diatribâ agit Garnerius; quâ probat unum eundemque omnium fuiſſe Autorem, eumque diu incertum; ipſos verò Dialogos nec S. Athanaſio, neque Maximo Monacho (inter quorum Opera haberi ſolent) tribuendos eſſe, ſed ſoli Theodorito noſtro aſcribendos: idque ita eſſe, argumentis planè veriſimilibus evincit.

OPERA DEPERDITA.

Hiſt. Eccl. l. 14. c. 54. Epiſtolæ quamplurimæ: ſupra quingentas enim Theodoriti Epiſtolas penès ſe fuiſſe teſtatur Nicephorus.*

Pentalogium, ſive libri V. *de Incarnatione Verbi, adverſùs Cyrillum & Patres Concilii Epheſini.* Fragmenta ejus ſuprà memorata ſunt, quæ habentur etiam inter Marii Mercatoris Opera edit. Garner. par. 2. p. 267.

Opus Myſticum, ſeu de Myſteriorum fidei Expoſitione libri XII.

De Theologiâ & Incarnatione libri aliquot; quos eoſdem eſſe cenſet Garnerius cum Dialogis tribus *adverſùs Macedonianos*, & duobus *adverſùs Apollinariſtas*; qui ſub Athanaſii nomine circumferuntur. Fragmentum libri 2. de Incarnatione Græcè exhibet idem Garnerius in Auctuario, idemque mediâ plùs parte truncatum Latinè Marius Mercator.

Opus adverſùs Marcionem.

Opus adverſùs Judæos, quod idem forſan cenſeri poſſet cum Commentariis in Danielem.

Opus adverſùs Originem apud Gentiles ſuos extare prodit Hebedieſu. Verùm tale quid ſcripſiſſe Theodoritum parùm probabile eſt.

Reſponſiones ad Quæſita Magorum Perſarum.

In laudem S. Joannis Chryſoſtomi libri ſive Sermones V. quorum excerpta dat Photius Cod. CCLXXIII.

Bina Allocutiones Chalcedone contra Cyrillum dictæ anno CCCCXXXI. Fragmenta totidem extant Latinè in Actis Synodi Quintæ.

Sermo Antiochiæ coram Domino habitus anno CCCCXLIV. Cyrilli morti inſultans. Extat fragmentum unicum Latinè inter Acta Synodi Quintæ & ex aliâ verſione apud Marium Mercatorem.

Bina Theodoriti fragmenta ſatis prolixa, alterum *adverſùs Sabellium, de Trinitate alterum*, Latinè exhibet Steph. Baluzius, Miſcellan. Tom. IV. ex quibus potiſſimùm libris deſumpta, incertum.

De Script. c. 89. Gennadii ævo circumferebantur ſub Theodoriti nomine quinque alii *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* libri, ab anno CCCCXXVII. uſque ad DXVII. pertingentes: quos etiam ſub ejuſdem nomine bis citat Theodorus Lector in Collectaneis, ac toties Damaſcenus lib. 3. de Imag. Veriſimillimum videtur, quod Baronius ſuſpicatur, duos fuiſſe Theodoritos, ſeniorem unum, alterum juniorem; iſtum autem Cyrenſis Hiſtoriam Eccleſiaſticam quinque libris continuâſſe. Opinatur Garnerius juniorem iſtum non alium eſſe, quàm Alindorum Epiſcopum in Cariâ, qui anno 536. Concilio CP. ſub Menna interfuit. Tempus, nomen & eruditio congruunt.

Porrò errore lapſus Photius Cod. XLVI. Theodorito aſcribit libros XXVII. adverſùs *varias Hæreticorum Propoſitiones*, imprimis verò *adverſùs Eutychianos*, quorum argumenta ſummatim exhibet. Ex iis XXI. poſteriores Eutherii Tyanenſis Epiſcopi eſſe Marii Mercatoris autoritate conſtat. Sex priores Theodoriti eſſe ſatis notum eſt. Iidem enim ſunt cum Pentalogio, uno ex iis libro in duos malè diviſo.

Denique *Sermo ſive liber Aſceticus*, quæſtionibus & reſponſis conſtans, (qui ſub Maximi Confeſſoris nomine ſæpè editus habetur, cujus & reverâ eſſe videtur) Theodorito in pleriſque Codicibus aſcribitur.

Præter editiones Operum Theodoriti Latinas, Pauli Manutii, *Romæ* 1556. *Colon.* 1567. 1573. *Pariſ.* 1608. *Colon.* 1617. prodierunt Græcè & Latinè Jacobi Sirmondi ſtudio digeſta, *Pariſ.* 1642. IV. vol. fol. His Tomum quintum partim ex Codicibus MSS. partim ex iis quæ aliorum nominibus inſcripta circumferebantur, collectum addidit Joannes Garnerius, Jeſuitarum poſt Sirmondum & Frontonem Ducæum doctiſſimus, candidiſſimuſque, qui Diſſertationes quinque prolixas admodum, nec minùs eruditas adjecit; quarum tres propriè ad Theodoritum ſpectant, nempe de *Vitâ* & *Hiſtoriâ*, de *Libris*, & de *Fide* Theodoriti. Hunc præcipuè in diſponenda temporum ratione ſecuti ſumus; quod non inviti fatemur. Prodiit hic Tomus Garnerianus, eo jam mortuo *Pariſ.* 1684. fol.

CÆLESTINUS, patriâ Campanus, Priſci filius, die XVI. Septembris, anno 423. ad Eccleſiæ Romanæ Pontificatum evectus. Ut controverſia ante aliquot annos mota tandem finiretur, reverſis ex Oriente legatis, Canonum Nicenorum exemplaria ſecum afferentibus, Synodi Africanæ Patres ad Cæleſtinum jam Epiſcopum dederunt literas *, quibus Eccleſiarum ſuarum jura adverſùs appellationes ad Sedem Romanam, *impia Presbyterorum & Clericorum* (uti vocant) *refugia*, firmiſſimis argumentis, & invicto planè animo tuentur; ac *fumoſum ſæculi typhum*, quem Romanæ Urbis Præſules in Eccleſiam Chriſti inducere conabantur, acerbè perſtringunt anno 428. Neſtorio, qui adhuc ſe Catholicum ſimulavit, Cæleſtinus Sedis CP. dignitatem gratulatus eſt. Bono quidem Cæleſtino fucum fecit ſubdolus Neſtorius, quin & ſpecioſis literis, aliiſque ſcriptis hæreſis ſuæ virus ei propinare non eſt veritus: ratus, è re ſuâ non parùm fore, ſi tantæ urbis Præſulem ad partes ſuas pertrahere poſſet. Verùm de totâ re certior factus à Cyrillo Cæleſtinus anno 430. habitâ Romæ Synodo Neſtorii dogmata damnavit; miſſiſque literis ipſum è Romanæ Eccleſiæ communione ejiciendum eſſe denunciavit, ni intra decem dies errorem palàm emendaret. Anno 431. Legatos ad Concilium Epheſinum miſit, ut Neſtorii condemnationem ſtrenuè promoverent. Sequenti anno Patribus Epheſinis res adverſùs Neſtorium geſtas gratulatus eſt: eodemque tempore ad Maximianum, qui in Neſtorii locum ſubrogatus fuerat, communicatorias dedit literas. Obiit die 1. Auguſti anno 432. *Extant Epiſtolæ* XIV. Concil. Tom. II. p. 1611. quarum quinque habentur Græcè inter Acta Concilii Epheſini. Nicephorus * quidem tres alias ejuſdem memorat *Epiſtolas ad Cyrillum, Joannem Antiochenum, &*

423.

*Concil. Tom. 2. p. 1674.

*l. 14. c. 39.

SÆC.V. ab An. CCCC. num, & *Rufum Theſſalonicenſem* datas, quibus tranſlationem Procli à ſede Cyzicenâ ad Conſtantinopolitanam approbaſſe dicitur. Verùm cum biennio poſt Cæleſtini mortem tranſlatio iſta facta fuerit, ſpurias eſſe has Epiſtolas luculenter conſtat. Nec melioris forſan notæ cenſendus eſt Cæleſtini *Liber de Secretis*, cujus bina fragmenta adducit Nicephorus loco citato. Confictus à quibuſdam videtur Romanæ ſedis ſtudioſis, quo tempore controverſiæ Græcam inter & Romanam Eccleſias agitatæ ſunt.

Commonitorium breve Cæleſtini Epiſcopis & Presbyteris ad Concilium Epheſinum euntibus datum edidit Chriſt. Lupus ad Calcem Epiſtolarum Epheſinarum p. 470. & ex alio Codice Baluzius in Collectione nova Conciliorum *Pariſ.* 1683. fol. Notandum denique Cæleſtini Epiſtolæ i. ad Gallos ſubnecti *Auctoritates Sedis Apoſtolicæ Epiſcoporum de Gratia Dei, & libero voluntatis arbitrio.* Et ita quidem ſubnexuit olim Dioniſius Exiguus. Cœleſtino tribuunt Fulgentius, Creſconius, Florus magiſter, Joannes Scotus, Hincmarus Rhemenſis, Ivo, &c.V.Cl. Paſch. Queſnellius * qui omnia penè ad augendam Leonis Papæ gloriam pertrahere ſolet, Cæleſtino abjudicat, Leoni I. vindicat, nullius, ipſomet fatente, Codicis MS. autoritate, nullo editionum anteriorum exemplo, nullâ cujuſquam autoris ſeu recentioris, ſeu antiquioris ſuffragante conjecturâ. Verùm de hac re plura forſan in Leone Magno. Interim dummodo res ſolis conjecturis agatur, quid ſi flagrante controverſiâ Pelagianâ, privatus quiſpiam hæc teſtimonia collegerit, & Cæleſtino obtulerit, unde in ejus ſcriniis reperta, ipſius Epiſtolis ſubnectebantur? Judicent eruditi.

* Diſſert.M. ad opp. Leon.p.394.

423. P. II. THEODOTUS, Antiochiæ Epiſcopus claruit ann. CCCCXXIII. obiit anno CCCCXXVII. Vir ſingulari manſuetudine, & exactâ vivendi ratione conſpicuus, adeo ut τῆς σωφροσύνης ὁ μαργαρίτης Theodorito * dicitur. Scripſit ad Heraclidem Opus κατὰ Συνουσιαστῶν, i. e. adverſus Apollinarii ſectatores, quos *Synuſiaſtas* vocabant. Hos à fidelibus rogatus reliquo Eccleſia corpori aggregavit, etſi multi eorum priſtini erroris haud obſcuram notam retinuerint. Fragmentum hujuſce Operis habetur Græcè MS. in *Collectione* quadam Teſtimoniorum Damaſceno aſcripta cap. 5. quæ in Codice Claramontano reperitur. Vide Labb. *Conſpect.* Oper. Damaſc. p. 50.

* Hiſt. Eccl. l. v. 38. p. 244.

424. JOANNES CASSIANUS, genere Scytha, ex Tauricâ Cherſoneſo oriundus, Athenis natus eſt; quamvis Photius eum patriâ Romanum fuiſſe prodat. Puer adhuc vitæ Monaſticæ ſtudiis in rure Bethlehemitico innutritus eſt: Poſtea Monachos Nitrienſes inviſit; exinde Conſtantinopolin ingreſſus, à S. Joanne Chryſoſtomo Diaconus ordinatur, & in Eccleſiâ CP. altari deſerviit. Anno 404. in exilium miſſo S. Joanne, legatus à Clero CP. Joannis partium ſtudioſo ad Innocentium Papam miſſus eſt unà cum Germano Presbytero; ut Joannis cauſam ageret, & immani inimicorum ejus nequitiæ remedium ab Occidentalibus Epiſcopis impetraret. Romæ Presbyteri dignitate ab Innocentio auctus, poſt expugnatam à Gothis anno 410. Romam, Maſſiliam ſe contulit; ubi duo Monaſteria condidit, virorum unum, mulierum alterum. Scribere orſus eſt ab anno 424. obiit verò anno 448. ætatis ſuæ 97. Primum inter Semipelagianos ſive Maſſilianos (quibus lampadem prætuliſſe videtur) locum tenuit; Pelagianorum tamen hoſtis accerrimus. Plurimùm eum ob SS. Scripturarum ſcientiam, & diſputandi acumen laudat Proſper; ob facundiam Caſſiodorus. Dogmata quæ à fide Orthodoxâ diſſentanea docuit, quæque Semipelagiana κυρίως ſunt dicta, hujuſmodi ferè fuerunt. Admittendum eſſe quidem peccatum originale; & gratiæ divinæ neceſſitatem non modò auxiliatricis, & incepta ſemel opera promoventis, ſed omnia opera bona prævenientis: in pleriſque tamen hominibus præcedere initium fidei, ac bonæ voluntatis & converſionis deſiderium, ſolis naturæ viribus excitata; quæ divinum auxilium prævenirent, & ad id recipiendum mentem præpararent: hoſce quidem primos naturæ conatus gratiam Dei propriè non promereri, occaſionem tamen ſubminiſtrare, quâ moveatur Deus, ut gratiam ſuam donet, tantillum boni orſum tam luculento præmio rependens. Alios adhuc ſibi proprios errores propugnavit Caſſianus, ex nimio ferè Pelagianos oppugnandi ſtudio exortos. Exempli gratia Collat. XXIIIa. aſſerit omnes juſtorum juſtitias eſſe peccata XVIIa. licitum eſſe quandoque mendacium perhibet. IVa. bonum eſſe dicit, quòd caro concupiſcit adverſus ſpiritum; malum verò fore, ſi voluntas tota ſpiritui adhæreret, penituſque carnem vinceret. Alios ejuſdem farinæ errores taceo, qui in ſcriptis illius paſſim occurrunt; & à Proſpero exagitantur. Non immeritò igitur monet Caſſiodorus * cautè legendum eſſe Caſſianum: cujus adeò ſcripta à Victore Martyritano Epiſcopo Africo repurgata eſſe prodit.

SÆC.V. ab An. CCCC.

* Divin. Lect. c. 29.

S C R I P T A.

OPus duodecim libris conſtans; ex quibus quatuor priores *de Inſtitutis Cœnobiorum* agunt, octo poſteriores de *octo capitalibus Vitiis*; *ad Caſtorem Aptenſem Epiſcopum.* Χρήσιμα δὲ (inquit Photius *) εἴπερ τι ἄλλο, τὰ λόγια ταῦτα τοῖς αἱρουμένοις τὸν ἀσκητικὸν ἀναδέχεσθαι ἀγῶνα καὶ ἐπὶ τοσοῦτον αὐτοῖς καὶ θεῖον περίεστιν, ὥστε, &c. *Utiliſſima verò, ſi qua alia, hæc iis ſunt pronunciata, qui religioſam inire vitam cupiunt. Et verò tanta iis vis ineſt, ac quaſi divinitas; ut*, &c. Ubi Operis illius, tanquam omnibus numeris conſummatiſſimi laudes fusè perſequitur Photius.

* Cod. 197.

Collationes Patrum numero XXIV. quarum decem priores Leontio Epiſcopo Forojulienſi, & Helladio S. Caſtoris Abbati nuncupantur: ſeptem quæ ſequuntur ad Honoratum (nondum Epiſcopum Arelatenſem) & Eucherium miſſæ; ſeptem poſtremæ Joviniano, Minervio, aliiſque Monachis inſcriptæ ſunt.

De Chriſti Incarnatione adverſus Neſtorium libri VII. hortante Leone (tunc Diacono Romano) circa ann. 430. ſcripti: in quibus ingentem erga S. Joannem Chryſoſtomum affectum teſtatur; in Neſtorium acriter invehitur, & vehementi pariter ac eleganti Apoſtrophe ad cives CP. factâ Opus claudit.

Prodierunt Opera Caſſiani *Baſil.* 1575. *Antverp.* 1578. cum notis Henrici Cucquii. *Romæ* (curâ Petri Ciacconii) 1580. 1611. 8°. cum notis Alardi Gazæi, *Duaci* 1616. 2. vol. 8°. commentariis ejuſdem & aliorum prolixioribus ornata, *Atrebat.* 1628. fol. Habentur denique in Bibliotheca Patr. Tom. VII. p. 17. 69. 102.

PHILOSTORGIUS, natione Cappadox, 425.
natus eſt circa ann. 368. Parentes habuit, ipſomet teſte, Carterium, & Eulampiam, Anicii Presbyteri, filiam. Viceſimo ætatis anno Conſtantinopolim profectus eſt, bonis literis imbuendus: & ſane artibus liberalibus apprimè fuiſſe excultum liquidò conſtat: unde plurima in Hiſtoriam ſuam refert, quæ non vulgarem Philoſophiæ, hiſtoriæque naturalis,

Lib. 9. c. 9.

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. ralis, Geographiæ, Astronomiæ, Poëtices, & Medicinæ notitiam redolent. Sectâ erat non tam Arianus, quàm Eunomianus & Anomæus; filiumque ἑτερούσιον, ac patre minorem esse contendit; quòd ex sexcentis Historiæ locis patet: unde & *Athei* cognomen traxit. Scripsit circa ann. 425. Stylum ejus sic describit Photius *. Ἔστι δὲ τὴν φράσιν κομψὸς, καὶ ποιητικαῖς, ἀλλ' οὐ κατακόρως οὐδ' ἀχαρίτοις λέξεσι κεχρημένος· καὶ ἡ τροπὴ δ' αὐτῷ τῷ ἐμφατικῷ τὴν χάριν μετὰ τοῦ ἡδέως ἐφέλκεται· πλὴν ἐνίοτε παραβόλως αὐταῖς καὶ πλεῖστον ἀπεστραμμέναις χρώμενος. εἰς ψυχρολογίαν καὶ ἀκαιρολογίαν ἐκπίπτει. Περιβέβληται δ' αὐτῷ ποικίλως ὁ λόγος, καὶ ἐν κόρῳ. ὡς εἰς τὸ ἀσαφὲς καὶ οὐκ ἀεὶ χαρίεν τὸν ἀκροατὴν ὑποσύρεσθαι· ἐν πολλοῖς δὲ καὶ οἰκείως γνωμολογεῖ. *Stylus illi comptior, & Poëticis sine tædio, miniméque ingratis vocibus utitur. Tropi quoque ac verba significantia gratiam illi cum jucunditate conciliant: nisi quòd interdum temerè ipsis, vel nimium detortis utendo, in frigidum & importunum sermonem incidit. Ornatur ab eo variè oratio, vel ad satietatem; ita ut in obscuritatem, nec eam semper gratam, occultè trahatur auditor: in multisque non incommodas loquitur sententias.*

* Cod. 40.

Historia Ecclesiastica (quæ non Historia, ἀλλ' ἐγκώμιον μὲν τῶν αἱρετικῶν, ut loquitur Photius * dici debeat) ab Arii exortu ad Honorii Imp. mortem pertingentis libros XII. condidit, eo ordine dispositos, ut cujusvis libri initiales literæ, si conjungantur, Philostorgii scriptoris nomen conficerent: quod notavit olim Photius, qui librorum istorum ampliores solito *Eclogas* exscripsit. Has ex Bibliotheca Bongarsiana erutas primus edidit cum versione sua Jac. Gothofredus, *Genevæ* 1643. 4°. qui in Prolegomenis de hac historia fusè, ut solet, agit, uberrimasque annotationes adjecit, doctissimo Valesio non semper probatas: qui tamen meminisse debuit eorum, quæ pro molliori censura de editione sua ferenda adducit Gothofredus in calce Prolegomenωn. Easdem Philostorgii Eclogas, emendatiores paulò, annotationibus suis illustratas, unà cum Theodorito, Evagrio, &c. edidit idem Valesius *Paris.* 1673. fol. qui & alia quædam Philostorgii *fragmenta*, quæ in Eclogis Photianis non comparent, ex Suida, & aliis collecta, calci Supplementi vice subnexuit.

* Cod. 40.

Porro se *contra Porphyrium pro Christianis* quædam scripsisse, sive ut ipsius verbis utar, ἀγῶνας καταθέσθαι, testatur ipsemet Philostorgius lib. 10. cap. 10.

425. SABINUS, Heracleæ, quæ Thraciæ urbs erat, Episcopus, sectâ Macedonianus. Clar. ann. 425. Edidit συναγωγὴν τῶν συνόδων, sive *Collectionem gestorum Synodalium* à Concilio Nicæno ad sua usque tempora: in quam, suppressis aliis, omnia quæ ad sectæ suæ gloriam facere posse videbantur, conjecit. In hoc libro, notante Socrate *, Concilii Nicæni Antistites, quasi rudes, omnique scientiâ destitutos, irrisit: nonnulla quidem de industria prætermisit, quædam pervertit, atque immutavit; cuncta denique ad institutum suum, sensumque pertraxit. Alibi † etiam scribit Socrates, Sabinum ne nomen quidem ipsum Macedonii, hæresis suæ principis, usquam commemorasse: id agens scilicet, ut tragica illius facinora penitùs occultaret. Ex isto libro habet Socrates, quæ de Concilio Seleuciensi profert *l.* 2. *c.* 39. & l. 3. c. 10. ac libellum illum fidei, quem Episcopi Orientales Joviano Imp. Antiochiæ obtulerunt; qui extat apud Socrat. l. 3. cap. 22.

* L. 1. c. 8.

† L. 2. c. 15.

426. LUPUS, gente Gallus, ortu nobilis, Tulli Leucorum natus, Epirochii filius, Vincentii Lirinensis frater, S. Germani Autissiodorensis ex sorore nepos. Anno CCCCXIX. Pimeniolam Hilarii Arelatensis sororem uxorem duxit. An. 426 gymnasium Lirinense cum Vincentio fratre ingressus S. Honorato Abbati bonis literis ac moribus sese excolendum commisit. An. 427. Episcopus Trecensis factus est; & biennio post Germano avunculo in Britanniam ad profligandam hæresin Pelagianam misso, ab Episcopis Gallicanis comes datus. Britanniam igitur profectus conjunctâ cum Germano operâ Pelagianos instituto apud S. Albani fanum colloquio confutavit, ac Britannis à Pictis & Saxonibus miserè divexatis victoriam memorabilem precibus impetravit. Anno sequente in Galliam reversus. Errant qui Lupum S. Germano secundâ vice in Britanniam profectò anno CCCCXLVIII. comitem adjungunt. Obiit annò CCCCLXXIX. postquam Episcopatum per LII. annos tenuisset, uti disertè testantur Beda, Usuardus, & antiquus Vitæ ejus scriptor apud Surium. Certè Sidonius Apollinaris l. 9. Epist. 11. eum decem quinquennia in Episcopatu tunc temporis exegisse prodit. Vir erat undequaque maximus. Eum *Patrem Patrum, Episcopum Episcoporum, alterum sui sæculi Jacobum, omnium toto, quà patet, orbe Pontificum procul dubio primum, normam morum, & columnam virtutum vocat.* Sidonius Apollinaris *. Extat *Epistola*, sui ac Euphronii Augustodunensis nomine *ad Talatium Andegavensem Episcopum de Clericis Bigamis*, &c. Concil. Tom. IV. p. 1048. Alia *item Epistola ad Sidonium Apollinarem* habetur apud Dacherium Spicileg. Tom. V.

* L. 6. Ep. 11

JOANNES, ab ineunte ætate rerum sacrarum studiis in S. Euprepii Monasterio prope Antiochiam sito innutritus, Nestorium & Theodoritum condiscipulos habuit. Anno 427. mortuo Theodoto, sedi Antiochenæ præfectus est. Anno 429. Nestorii amore abreptus Cyrilli Capitula acriter oppugnare cœpit, Theodorito & Andreæ Samosateno in mandatis dans, ut editis libellis Apollinarismi ea accusarent; ipse interim crebris Synodicis ubique missis eadem condemnavit; diu tamen præ se ferens, sibi persuasum esse, ea Cyrilli non esse. Anno CCCCXXXI. convocatâ ab Imperatore Synodo Ephesinâ, ipse omni studio efficere molitus est, ut intactis Nestorii dogmatibus, nulla alia fidei Confessio præter Nicænam subscribenda proponeretur; utque Cyrilli Capita isti contraria judicarentur. Præmissis igitur ad Concilium suo nomine legatis Alexandris duobus, Apameensi & Hieropolitano, moras nectebat: tandem verò Ephesum quinto post Synodum inchoatam die veniens, ac Nestorium à Patribus damnatum deprehendens, eodem die Conciliabulo in hospitio suo habito Cyrillum & Memnonem deposuit. In jus igitur vocatus à Patribus, ut tantæ audaciæ rationem redderet, cùm sistere se recusaret, ab Ecclesiæ communione submotus est. Post finitum Concilium ad Imperatorem properans, inter alia efferati adversus Cyrillum animi indicia, juravit se cum eo nunquam communicaturum, etiamsi erroris pœnitentiam agens Capitula sua anathematizaret: & sermone ad populum Chalcedone habito plebem in avitâ fide persistere hortatus est. Antiochiam redux, Nestorium tutari constanter diu perstitit: opiniones tamen ejus minimè amplexus videtur; illum autem damnare recusavit, quòd incautè solummodò locutum, vera interim sensisse crederet. Postmodùm verò ab Imperatore interpellatus, & explanatione Capitulorum à Cyrillo editâ placatior factus, conditiones pacis à Cyrillo propositas, misso Alexandriam Paulo Emeseno amplexus est, & Nestorium damnavit: ac ut utrumque ab omni- 427.

 bus ditioni ſuæ ſubditis Epiſcopis fieret, ſategit; quod tandem poſt multum temporis & laboris inſumptum effecit, alios ſuadendo, alios advocatâ manu civili Eccleſiis ſuis ejiciendo. Obiit anno CCCCXLI. Extant ab eo ſcriptæ *Epiſtolæ* VI. Græco-Latinè Concil. Tom. III. pag. 388. 444. 602. 706. 1088. 1092. *aliæ* XV. Latinè inter Epiſtolas ad Concilium Epheſinum pertinentes à Chriſtiano Lupo editas, *Lovan.* 1682. 4°. Ut quamplurimas quæ utrobique extant Epiſtolas mittam, quæ inter alia Epiſcoporum nomina Joannis noſtri nomen præfixum habent.

428. Socrat. l. 7. c. 29. &c. NESTORIUS, natione Syrus, Germaniciâ, Syriæ Euphrateſienſis urbe ortus, in Monaſterio S. Euprepii educatus, Diodorum poſtea Tarſenſem præceptorem habuit: deinde Eccleſiæ Antiochenæ Presbyter factus. Mortuo Siſinnio Conſtantinopolis Epiſcopo, cùm Imperatori viſum ſit neminem ex Eccleſiâ iſtâ ad Epiſcopatum promovere; Neſtorius, expeditâ facundiâ & temperantiâ celebris, Antiochiâ evocatur, & IV. Idus Aprilis anno CCCCXXVIII. in Epiſcopali ſede collocatur: quo ipſo die coram univerſo populo Imperatorem pro concione alloquens, *Da mihi*, inquit, *Imperator, terram hæreticis purgatam; & ego tibi cœlum retribuam; mecum hæreticos debella; ego Perſas tecum debellabo.* Verbis non defuit conatus: quinto enim poſt ordinationem die Arianos Eccleſiis expulit; Quartodecimanos per Aſiam, Lydiam, & Cariam multis affecit malis; Macedonianos per Antonium Germenſem Epiſcopum in Helleſponto acerbè exagitavit; Manichæos habitâ Conſtantinopoli anno CCCCXXX. Synodo damnavit: ipſe Mox Hereſiarcha nulli ſecundus. Anaſtaſium enim Presbyterum ſuum, pro concione hæc verba proferentem, Θεοτόκον τὴν Μαρίαν καλείτω μηδείς. Μαρία γὰρ ἄνθρωπος ἦν, ὑπὸ ἀνθρώπου δὲ Θεὸν τεχθῆναι ἀδύνατον. *Nemo Mariam vocet Deiparam: Maria enim homo fuit: ex homine autem Deus naſci non poteſt*: hæc, inquam, effutientem Anaſtaſium non modò quaſi pia loquentem tutatus eſt, verùm ipſe de hâc controverſiâ ſubinde in Eccleſiâ diſſeruit, quæſtiones ea de re pervicaciter proponens, & vocem *Deiparæ* perpetuò rejiciens. Ut verbo dicam, ſumma hæreſeos illius hùc rediit. Naturas in Chriſto, divinam & humanam, non ὑποστάσει, ſed ſola habitudine uniri; ac in Mediatore θεανθρώπῳ duas admitti perſonas, & Beatam proinde Virginem non perſonæ divinæ, ſed humanæ tantùm (quam ſolam Chriſtum appellavit Neſtorius) matrem dici poſſe χριστοτόκον adeò non θεοτόκον vocandam. Inſana iſtiuſmodi dogmata abdicare recuſantem Neſtorium poſt crebas admonitiones damnârunt, & Eccleſiâ ab Epiſcopatu ſubmovendum clamârunt Cyrillus & Cœleſtinus. Nec cauſæ ſuæ defuit Neſtorius, quà literis apud alios Epiſcopos, quà verſutiis apud Imperatorem & populum rem ſuam impigrè agens. Indictâ verò anno CCCCXXXI. Synodo Epheſinâ ad celebrandum Concilium Epheſum inter primos feſtinavit: ubi dum propter Orientalium abſentiam Synodus adhuc in ſedecim dies differretur, habitis quotidie cum pleriſque Epiſcopis, ac imprimis Cyrillo, velitationibus animi ſui virus evomere non dubitavit, in hæc blaſphema prorumpens verba, *Ego eum, qui bimeſtris ac trimeſtris exſtitit, Deum appellare non poſſum, atque idcirco mundus ſum à ſanguine veſtro, nec in poſterum ampliùs ad vos accedam.* Inchoatâ Synodo, cùm ter in judicium vocatus Neſtorius adeſſe nollet, examinatâ ejus causâ, lata eſt in illum damnationis ſententia; quæ ab Imperatore non longè poſt confirmata eſt. Hominem primò Petras Arabiæ urbem relegari juſſit Imperator; verùm precibus ipſius atque amicorum mox exoratus, mitigatâ ſententiâ, permiſit, ut ad Monaſterium S. Euprepii, in ſuburbanis Antiochiæ ſitum, ſecederet. Ibi quadriennio commoratus, tandem Imperatoris edicto, Oaſim, Libyæ urbem, Ibin etiam dictam, relegatus eſt: quo in loco à Blemmiis urbem vaſtantibus captus, mox dimiſſus eſt; & Panopolin, Thebaidis oppidum, ſe contulit: ex Panopoli Elephantinam ejuſdem provinciæ oppidum à militibus abducitur: dum in itinere autem adhuc eſſet, à Præſide revocatus, Panopolin redire jubebatur. Inde etiam Præſidis mandato in alium quendam locum Panopoli vicinum deportatus eſt; recenti demum Imperatoris edicto in quartum exilii locum ablegatus. De morte ejus hæc habet Evagrius*, ipſum circa fines Thebaidis errantem, tandem τῇ γῇ προσρηγνύμενον, *terræ alliſum*, tanquam alterum Arium, dignum vitæ exitum ſortitum eſſe. Idem verò in fine capitis Scriptorem quendam antiquiorem citat; qui Neſtorium linguâ vermibus eroſâ interiiſſe narravit. Obiit, ut nonnulli volunt, anno 436. verùm in Oaſi vixiſſe anno CCCCXXXIX. quo Hiſtoriam ſuam clauſit, diſertè teſtatur Socrates †. Vir erat nequaquam doctus, ſi Socrati * fides ſit habenda; qui hæreſin ejus imperitiæ acceptam refert. Cum enim, *inquit*, naturali facundiâ eſſet præditus; eruditus quidem videbatur, reverà tamen erat indoctus. Libros etiam veterum interpretum haudquaquam legere dignabatur. Arrogantiâ enim elatus ob dicendi facultatem, non ſatis acuratè vetuſtioribus legendis operam dabat: ſed ſeipſum reliquis omnibus præſtare arbitrabatur. Plura ejuſdem argumenti ibidem habet Socrates; quem, qui plura velit, conſulat Lector. Extant Græco-Latinæ *Epiſtolæ* II. Concil. Tom. III. pagina 316. 321. [quarum poſterior, quæ quidem ſatis prolixa eſt, à Mario Mercatore verſa inter Opera ejus reperitur, edit. Garner. par. 2. pagina 57.] Latinè aliæ 2. (ex vetuſta admodùm verſione) ibidem pagina 349. *Epitola ad Cœleſtium hæreticum*; atque alia ad *Cœleſtinum Papam* à Mario Mercatore Latinè verſæ, inter cujus Opera habentur. Sermo integer, atque excepta præclara trium aliorum Sermonum, adverſus Pelagianos, ab eodem verſa, ibidem habentur, edit. Garner. par. 1. Ex his Sermones duo poſteriores perperam dividuntur, unicum enim eundemque conſtituunt Sermonem, qui Græcè olim integer editus eſt à Savilio inter S. Chryſoſtomi Opera Tom. VII. titulo, in illud Math. IV. 6. *Si Filius Dei es, projice teipſum*: & exinde Gr. Lat. à Garnerio inter Mercatoris Opera par. 1. p. 85. *Anathematiſmi* XII. Cyrilli anathematiſmis oppoſiti, Lat. Concil. Tom. III. p. 424. *Fragmenta* XX. *ex quaternionibus* ſive *libro Sermonum* ejus deſumpta, & à Petro Notariorum primicerio, Concilio Epheſino oblata, Gr. Lat. pag. 520. Alia *Fragmenta* XXII. à Cyrillo collecta, & à Mercatore verſa, inter cujus Opera proinde habentur à Garnerio edita par. II. pag. 103. atque alia quædam apud Marium Mercatorem. *Fragmenta bina ex Sermonibus*, ſecundo & quarto, περὶ τῆς μυήσεως *ſeu de Baptiſmo*, Concil. Tom. VI. pagina 317. item aliud ex Epiſtolâ ad Alexandrum Hierapolitanum ibid p. 319. *Fragmenta* plurima *ex ejuſdem Dialogo* ſeu *Narratione de ſuâ in Oaſim deportatione, & ex duabus Epiſtolis ad Thebaidis Præſidem* ſcriptis apud Evagrium l. 1. c. 7. *Sermo* Neſtorii *de Incarnatione Dominica* ad plebem habitus, & fragmenta quamplurima ex alio ejuſdem Tractatu quodam apud Marii Mercatoris Acta propè finem; quæ cum fragmentis *Quaternionum* ſuprà memoratis multa habent

* L. 1. c. 7.
† L. 7. c. 34.
* L. 7. c. 32.

Digitized by Google

habent communia. In editione verò Operum Mercatoris Garneriana par. 2. præter Sermonem *de Incarnatione* prædictum habentur alii XII. Nestorii Sermones; ejusdem ferè argumenti, à Mercatore Latinè versi: ex quibus 1. 2. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Græcè etiam ferè integri à Garnerio ibidem exhibentur, ex corrasis undique fragmentis eorum Græcis, quæ partim in Cyrilli scriptis, partim in Conciliorum Tomis, citata reperiuntur, contexti. Denique *Epistolæ* IV. (quarum primæ adnectitur *Sermo* in Ecclesia CP. *Idem cum Sermone* 13°. *de Incarnatione* inter Mercatoris Opera; nisi quòd diversa versione induatur) Lat. viz. nu. III. VIII. XV. XXV. inter Epist. Concil. Ephes. à Christiano Lupo editas, *Lovan.* 1682. 4°. Notet Lector, Epistolas has, quas sæpe citamus, *Ephesinas*, etiam Tom. V°. Theodoreti à Garnerio edito, nec non in nova Baluzii Conciliorum Collectione idque aliquantulùm emendatiores contineri: Ex quibus ad Historiam hujusce temporis illustrandam haud pauca hausi. Cæterùm infinitos tractatus diversorum argumentorum composuisse Nestorium fidem facit Gennadius *. Ex iis pars longè maxima vel temporis injuriâ, vel vindicibus Imperatorum flammis absumpta est. Plurimas tamen sub Chrysostomi, Amphilochii, Asterii, Basilii Seleuciensis, atque aliorum nominibus divulgatas *Homilias* Nestorio deberi suspicatur Cl. Garnerius; ac nominatim binas de *Resurrectione & Ascensione Christi* Homilias, quas sub Athanasii nomine Gr. Lat. edidit Fr. Combefisius Auctuar. Biblioth. Patr. 1648. Tom. 1. p. 479.

* De Script. c. 52.

428. MELETIUS, Mopsuestenus in secundâ Ciliciâ Episcopus, Theodoro successit an. 428. Decessoris memoriam impensè coluit, & Nestoriani nominis admodùm studiosus fuit. Hinc communionem cum Cyrillo ac Joanne (postquam Cyrillo reconciliatus esset) pertinaciter aversatus est; adeóque excanduit in Joannem, ut literas pacificas ab eo missas in latoris faciem conjecerit. Ab Imperatore igitur sede suâ depulsus, in territorio Mopsuesteno conventicula celebrare, & sacerdotale munus obire non destitit. Quo nomine à Joanne apud Imperatorem accusatus, Melitinam in Armeniâ secundâ relegatus est, ab Acacio Episcopo custodiendus: à quo injurias multas passus, tandem obiit, Nestorianarum partium ad mortem usque tenax. Extant Latinè *Epistolæ* XI. inter Epistolas Ephesinas à Lupo editas, nu. LXXXII. CXIX. CXXIV. CXLI CXLV. CLV. CLVIII. CLXIII. CLXXI. CLXXIV. CLXXVII.

430. POSSIDIUS, sive *Possidonius*, Natione Afer, S. Augustini discipulus & familiaris, Calamæ, urbis prope Hipponam sitæ, Episcopus. Intererat Collationi Carthaginensi an. CCCCXI. & Concilio Milevitano anno CCCCXVI. Claruit præcipuè circa ann. 430. quo anno Augustino morienti adfuit; ejusque vitam literis mandavit, cui Operi adnexuit *Indiculum Scriptorum S. Augustini*. Utrumque Opusculum omnibus ferè Augustini Operum editionibus præfigi solet: Indiculus verò primùm editus est *Lovanii* 1564. inter Sermones Augustini antea non editos.

430. EUTROPIUS, Presbyter, Augustini discipulus, claruit anno 430. *Scripsit*, inquit Gennadius *, *ad duas sorores, ancillas Christi, quæ ob devotionem, pudicitiæ & religionis amorem exhæredatæ sunt à parentibus, Epistolas in modum librorum consolatorias, eleganti & aperto Sermone, duas, non solùm ratione, sed etiam testimoniis Scripturarum munitas.* NE. Alius omninò à nostro erat Eutropius Breviarii Historiæ Romanæ autor, qui sub Juliano Imp. militavit; & religione Gentilis fuisse videtur. Unde mirum videri debeat Ptolemæum Lucensem, Volaterranum, Philippum Bergomatem, Gesnerum, Possevinum, aliosque hunc cum nostro Eutropio confudisse.

* De Script. c. 49.

PAULUS, Presbyter, natione Pannonius, claruit anno 430. Scripsit ad Constantiam virginem *mediocri sermone, sed divino* (inquit Gennadius *) *Sale conditos, libros duos de virginitate servandâ & contemptu mundi, ac vitæ institutione, vel morum correctione*. NE. 430.

* De Script. c. 75.

OLYMPIUS, gente Hispanus, dignitate Episcopus, claruit circa an. 430. Scripsit *librum fidei adversus eos, qui naturam, & non arbitrium in culpam vocant*; ostendens non creatione, sed inobedientiâ insertum naturæ malum. Sic Gennadius de Script. c. 23. NE. 430.

EVAGRIUS, alius ab Euagrio Pontico, nec plura de eo scire licet, nisi quòd circa an. 430. claruisse videatur, & *Altercationem Simonis Judæi & Theophili Christiani* Gennadii * ævo magnoperè decantatam, nunc verò deperditam scripserit. 430.

* De Script. c. 50.

THEODOTUS, Gennadio * *Theodorus* malè dictus, Ancyranus in Galatiâ Episcopus. Anno 431. Concilio Ephesino interfuit, ubi Nestorium strenuè oppugnavit; & Cyrilli partes diligenter fovit. Extant Gr. Lat. *Homiliæ 2. in Christi natalem* in Concilio habitæ, Concil. Tom. III. p. 988. 1008. & *Homilia contra Nestorium* in die S. Joannis Evangelistæ Ephesi habita, ibid. p. 1024. *Oratio in S. Deiparam & Simeonem*, inter Amphilochii Opera à Combefisio edita *Paris.* 1644. quam Theodori nostri esse Nicephorus Patriarcha CP. in Antirrheticis suis fidem facit. *Expositio Symboli Nicæni, seu Nestorii confutatio*, primùm à Cardinale Barbarino edita *Romæ* 1669. 8°. deinde à Combefisio inter alia quædam *Paris.* 1675. 12°. Idem iste liber censeri possit, ac *libellus redargutionis & confutationis, dialecticâ arte ordinatus*; quem Theodotum, Ephesi adhuc positum, contra Nestorium scripsisse memorat Gennadius. Affirmant quidem secundæ Synodi Nicenæ Patres Theodotum *sex contra Nestorium libros ad* Lausum edidisse; quin & *Homilias* ejus *in Lumina, in Eliam & viduam, in SS. Petrum & Joannem, in claudum qui sedebat ad speciosam portam, in eos qui talenta exceperunt, in duos cæcos*, memorant. Scripsit etiam tres *Libros de Spiritu Sancto*, quorum in calce Expositionis Symboli Nicæni ipse meminit. Extat Concilii Nicæni secundi actione VI. testimonium ex quodam Theodoti libro desumptum adversus sacras & venerabiles imagines, quas vanam esse excogitationem, ἐκ διαβολικῆς μεθοδείας εὕρημα, dixit Theodotus. Falsum esse hoc testimonium, & Theodoto suppositum levibus sanè conjecturis contendunt Patres Nicæni: etsi cum Cl. Dalleo * concedere possimus posteriorem testimonii partem non ipsius Theodoti, sed Patrum Constantinopolitanorum esse verba. 430.

* De Script. c. 55.

* De Imag. l. 2. c. 5.

ISAAC, cujus solus meminit Gennadius *, ex Judæo Christianus, quod ex Codicis Pitheani fide liquet, claruit circa an. 430. Alii illum superiori sæculo ascribunt: ætas enim illi parùm certa. *Extat Libellus de S. Trinitate & Incarnatione Domini*, obscurissimæ disputationis & involuti Sermonis, uti de eo verè Gennadius. Primus illum extulit Jac. Sirmondus, & inter *Opuscula Vete-* 430.

* De Script. c. 26.

Digitized by Google

SÆC.V. ab An. CCCC. 430. rum dogmatica edidit Pariſ. 1630. 8°.

HILARIUS, gente Gallus, natus eſt circa ann. CCCCI. Hortante Honorato, primo Lirinenſium Abbate, vitæ Monaſticæ ſtudiis incubuit; & Lirinum profectus illius diſciplinæ ſeſe efformandum dedit. Anno CCCCXXVI. Honoratum, Arelates Epiſcopum factum, honoris ergo eo comitatus eſt: mox tamen vitæ ſolitariæ amore ductus Lirinum repetiit. Undè falli Miræum conſtat, qui Hilarium poſt annos aliquot in Epiſcopatu tranſactos priſtinæ vitæ deſiderio tactum, Lirinum rediiſſe ſcribit. Ex Arelate enim Hilarius ad Lirinum reverſus eſt, vivo adhuc & ſuperſtite Arelatenſi Epiſcopo Honorato, ut ad Sidonium Apollinarem olim notavit, & pluribus demonſtravit Joannes Savaro *. Anno 429. vel ut alii 430. mortuo Honorato in ſede Arelatenſi ſucceſſit. Anno CCCCXXXIX. Synodo Regenſi, deinde anno CCCCXLI. Arauſicanæ præfuit. Cùmque anno CCCCXLV. ſedis ſuæ in Provincias Viennenſem & Narbonenſem jura ſtrenuè aſſereret (fuerat enim Arelate olim Præfecti Prætorio Galliarum ſedes & quamplurimis Imperatorum privilegiis aucta) ac nuper in Provinciâ Viennenſi Epiſcopum Celidonium depoſuerat, alio in ejecti locum ſubſtituto: delatâ hâc de re ad Leonem Papam querelâ; excanduit in Hilarium Leo, & impetrato Valentiniani Imp. reſcripto, ut intra limites Provinciæ ſuæ ſe contineret, effecit. Nec facilè placari potuit Leonis animus; etſi Hilarius Romam pedeſtri itinere contenderet, cauſam ſuam apud Pontificem acturus. Arelaten, infectâ causâ, reverſus, Ravennium, Nectarium & Conſtantium Presbyteros eâdem de causâ ad Leonem legavit, interpellato etiam Præfecti Urbis auxilio. Verùm incaſſum res cecidit. Priſtinam aſperitatem Leo, conſtantiam Hilarius retinuit. Obiit anno CCCCXLIX. uti ex duabus Leonis Epiſtolis eo anno ad Galliæ Epiſcopos datis luculentiſſimè conſtat. Sanctiſſimi hujus viri memoria apud omnes penè Romanæ Eccleſiæ Scriptores malè audit, quin & qui ſub liberiore cœlo vixerunt, de Marca, Morinus, Fileſacus, alii, ipſum vocent "hominem præfractæ contumaciæ, effrænatæ "temeritatis & inſolentiæ, qui omnia pro libidine "animi ageret, & Vicariatum ſuum à Pontifice "conceſſum in tyrannidem converteret, quod "Diotrephi ſimilis ipſum Pontificem recipere de"trectaret, quod Apoſtolica legatione & in pri"matu in tantam arrogantiam faſtumque proru"piſſet ut ſummum Pontificatum, & ut ita dicam, "Papatum in Galliis ſibi jam deſignaret. Gravia quidem crimina, & nullo non piaculo luenda. Nil mirum igitur ſi deerant, qui cauſam ejus dicerent. Tandem ſurrexit vir eruditiſſimus, Paſchaſius Queſnellus * qui prolixiſſima Diſſertatione, tribus partibus conſtante, Hilarii cauſam liberè doctéque agit, ab his aliiſque calumniis, probriſque vindicat, atque omnia quæ hùc ſpectant, ὅλῳ τῷ θυλάκῳ congeſſit. Quid nec ipſe Baronius † Leonem ex ἁμαρτίᾳ τῆς ἀνθολκῆς, falſiſque accuſationibus & ſubreptionibus in Sanctum Hilarium acerrimè invectum eſſe, diffitetur.

* Carm. 16. p. 161.

* Diſſert. 5. Apolog. ad Leon. opp. p. 431. Tom. 2.

† Ann. 464. num. VIII.

SCRIPTA.

Vita S. Honorati deceſſoris ſui, teſte Gennadio *, & Iſidoro. Extat à Genebrardo edita Pariſ. 1578. 8°. & apud Surium & Bollandum die XVI. Januarii.

* De Script. c. 69.

Carmen Heroicum de Geneſews Hiſtoriâ ad Leonem Papam, quod inter Hilarii Pictavienſis Opera reperiri ſolet.

Epiſtola brevis ad Eucherium Lugdunenſem Epiſcopum. Hæc tria Opuſcula ad Codices excuſos, & MS. Arelatenſis fidem recognita edidit Paſch. Queſnellus ad Calcem Leonis Magni Tom. I. p. 731. quibus etiam S. Hilarii vitam ab Honorato Maſſilienſi ejus diſcipulo ſcriptam præmiſit. SÆC.V. ab An. CCCC.

Epiſtola ad Auguſtinum II. inter Auguſtini Opera. Alius à noſtro Hilarius, ac Laicus potiùs videtur, qui de Maſſilienſium hæreſi Auguſtinum certiorem fecit, datâ ad illum epiſtolâ bene prolixâ, quæ Auguſtini libris *de Prædeſtinatione Sanctorum & Bono Perſeverantiæ* præfigi ſolet.

De Miraculis S. Geneſii Narratio: de qua prædictus Queſnellus: Narratio de Miraculis S. Geneſii, quæ apud Surium (Aug. XXV.) Hilarii nomine decorata legitur, abhorret ab ejus facundia, ſtylumque potiùs redolet Honorati Maſſilienſis, quem & teſtatur Gennadius plura ad vitas SS. Patrum pertinentia ſcripſiſſe.

Omnia Hilarii, quæ extant, *Opuſcula* in unum collecta habentur in Bibliothecâ Patr. Tom. VII. p. 1228.

Alia præterea Hilarii Opera memorat Vitæ illius autor, qui apud Surium extat die V. Aprilis, puta, *Homilias in ſingulas anni feſtivitates, Expoſitionem Symboli, Epiſtolas quamplurimas, & Carmen de fonte quodam ardente*; quæ ad nos non pervenerunt.

ACACIUS, ortu ut videtur, Syrus, in monaſticâ diſciplinâ ab ineunte ætate exercitatus in Gandari, vici prope Antiochiam ſiti, Monaſterio ſub Aſterii regimine emendatiſſimè vixit. Dum Presbyter adhuc eſſet, rem Catholicam adverſus Arianos, (à quibus multa paſſus eſt) ſtrenuè promovit; ab Euſebio idcirco Samoſatenſi circa an. 378. ad Epiſcopatum Berœæ provectus: hoc verò loco collocatur, quod quæcunque ab eo ſcripta ſuperſunt, Epheſini Concilii tempore exarata ſint. Poſt ann. 381. Acacius, ὁ (tunc etiam) πανταχοῦ τῆς γῆς καὶ θαλάττης ᾀδόμενος, (inquit Theodoritus *) à Flaviano Romam miſſus eſt; ut Occidentalium Epiſcoporum communionem Flaviano impetraret, & Schiſma Antiochenum tandem aliquando exſtingueret: quod fœliciter effecit. Ineunte ſæculo quinto conſpirantibus adverſùs Chryſoſtomum Antiocho, Severiano, aliiſque acceſſit; & in Synodo ad Quercum habitâ eum deponendum cenſuit. Ortâ demum Cyrillum inter & Neſtorium controverſiâ (quo tempore ob ſpectabilem viri canitiem & virtutem pater & magiſter omnium Epiſcoporum paſſim audire cæpit) datis ad Cyrillum literis litem iſtam nudam eſſe de nomine quæſtionem contendit: & Neſtorium excuſare conatus eſt. Concilio Epheſino non interfuit; Sed Synodale ſuffragium ſuum adverſus Cyrillum ferendum Paulo Emeſeno delegavit; & Orientales Epiſcopos per literas admonuit, ut Cyrillum Apollinariſmi reum agerent. Mox, finitâ Synodo, literis apud Imperatorem egit, ut non ſolùm Neſtorii, ſed etiam Cyrilli & Memnonis damnationem confirmaret; cujus conſilio primò quidem obtemperavit Theodoſius [uti ex Actis & Epiſtolis Epheſinis conſtat] datoque ad Joannem Comitem mandato, ſingulos deponi juſſit: verùm meliora demum edoctus æquiora edixit. An 432. Synodo à Joh. Antiocheno Berœæ habitæ interfuit, pacemque Orientales inter ac Cyrillum ineundam omnibus modis ſuaſit: quam & literis ad Cyrillum & Cœleſtinum ſcriptis pro virili promovere non cunctatus eſt. Obiit admodum grandævus circa a. 436. Ex pluribus, quas ſcripſit, *Epiſtolis* extant tres; *bina ad Alexandrum Hierapolitanum*, Primatem ſuum, inter Epi-ſtolas 430.

* L. 5. c. 23.

SÆC. V. ab An. CCCC. ſtolas Epheſinas, nu. 129. 143. unica autem *ad Cyrillum* Gr. Concil. Tom. III. p. 382.

430. ALYPIUS, *Presbyter*, uti ſe vocat *Apoſtolorum*, i. e. (ni fallor) Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, claruit anno CCCCXXX. Extat ab eo ſcripta *Epiſtola ad Cyrillum, ut adverſus Neſtorii hæreſin viriliter pergat, exhortatoria*, Concil. Tom. III. p. 785.

431. CHARISIUS, Presbyter & Oeconomus Philadelphenſium Eccleſiæ, claruit anno 431. Non longè ante Concilium Epheſinum cum Presbyteri duo Conſtantinopolitani, Anaſtaſius & Photius, Neſtorii dogma ſectati unà cum Epiſcopo quodam ejuſdem farinæ Jacobo Philadelphiam veniſſent, ac clericos, laicoſque aliquot à Quartodecimanorum hæreſi recèns converſos, Expoſitioni fidei ſatis prolixæ à Neſtorii blaſphemiis non immuni ſubſcribere callidè induxiſſent: Chariſius iis animosè reſtitit; quem propterea tanquam hæreticum à communione & ſacrorum miniſterio prohibuerunt. Anno igitur CCCCXXXI. Epheſum profectus Chariſius Anaſtaſium, Photium, & Jacobum exhibitis accuſationis libello, & Confeſſionis fidei ab iis Quartodecimanis impoſitæ; & ſubſcriptionum iſtorum exemplaribus apud Patres Concilii accuſavit: ut ſeipſum verò hæreſeos crimine purgaret, brevem *fidei Confeſſionem*, Nicænæ ſatis conſonam, obtulit. Extant ſingula Gr. Lat. Concil. Tom. III. p. 673.

431. ACACIUS, Melitenes in Armeniâ ſecundâ urbis Epiſcopus, claruit ann. 431. Acerrimus Neſtorii oppugnator, & Cyrilli defenſor: licet iſtius cauſæ non parùm nocuerit, dum apud Imperatorem Deitatem eſſe paſſibilem contenderet: quo nomine commotior factus Theodoſius Cyrillum, ejuſque fautores diu averſatus eſt. Concilio Epheſino interfuit; ubi colloquium cum Neſtorio paulò ante Synodum inchoatam privatum inſtituit; quo detectos illius errores, Concilii Patribus mox expoſuit. Domum redux Synodi autoritatem conſtantiſſimè quoad vixit tutatus eſt: & pacem Orientales inter & Cyrillum ſanciri, ac ſancitam conſervari pro virili ſategit. Extat Gr. Lat. *Homilia in Synodo Epheſinâ habita, quâ fidem Cath. contra Neſtor. ſtrenuè* aſſerit; Concil. Tom. III. p. 983. Latinè *Epiſtola ad Cyrillum* inter Epiſtolas Epheſinas à Lupo editas num. CLXXII.

431. MEMNON, Epheſi Epiſcopus, claruit anno 431. In Concilio Epheſino Catholicæ fidei fortiſſimè, ſi quis alius, patrocinatus eſt; ac Joannem, Theodoritum, eorumque aſſeclas, Eccleſiâ ſuâ excluſit, ſacræ ſynaxi adeſſe eos nequaquam permittens. In Concilio parem cum Cyrillo fortunam ſubiit, à Joannis Conciliabulo depoſitus, à Concilio reſtitutus, ab Imperatore primò damnatus, mox in gratiam receptus. Extat Græc. Lat. *Epiſtola ad Clerum CP.* quâ mala, quæ ipſe, Patreſque Epheſini à factione Neſtorianâ Epheſi quotidie patiebantur, enarrat; Concil. Tom. III. pag. 762.

431. DOROTHEUS, Martianopolitanus Epiſcopus, ſecundæ Mœſiæ Metropolita, claruit anno 431. Pertinaciſſimus erat Neſtorii, non partium tantùm, ſed & hæreſeos ſectator; adeò ut non longè ante Synodum Epheſinam in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ verba faciens non erubuerit pronunciare, *Si quis Mariam eſſe Deiparam dixerit, anathema ſit.* Concilio Epheſino interfuit, & in Conciliabulo Neſtorianorum locum tenuit. A Synodo igitur Catholicâ depoſitus, & per Synodum Maximiniani Conſtantinopolitanam mox civitate ac throno ſuo expelli juſſus eſt: cúmque Saturninum ſucceſſorem ei deſignatum populari tumultu, eo inſtigante, fugârant Martianopolitani, Imperatoris edicto ejectus eſt, & Cæſaream Cappadociæ relegatus. Extant Lat. *Epiſtolæ* IV. inter Epiſtolas Lupi Epheſinas, nu. XLVI. LXXVIII. CXV. CXXXVII.

Vid. Ep. Cyrill. ad Acac. Ber.

431. ALEXANDER, Hierapoleos Epiſcopus, Euphrateſiæ Provinciæ Primas, claruit anno 431. A Joanne Antiocheno ad Synodum Epheſinam Orientalium nomine præmiſſus eſt, ut Neſtorii cauſæ patrocinaretur, quod quidem ſedulò, incaſſùm tamen, fecit; & in Joannis Conciliabulo Cyrilli damnationi mox ſubſcripſit. Integerrimus erat Neſtorii amicus; Cyrilli verò hoſtis infenſiſſimus, nec cum eo pacis ineundæ conditiones admittere unquam voluit, manifeſtum eſſe Apollinariſtam clamans, Capitula ejus peſſimam fœtere hæreſin eique communionem omnimodò denegandam eſſe: quin & pertinax adeò adverſus Cyrillum odium fovit, ut Joannis, Theodoriti, aliorumque Orientalium ob pacem cum Cyrillo initam communioni renunciaret. Sede igitur ſuâ detrudi veritus, Romani Pontificis opem efflagitavit; verùm ab eo rejectus eſt; cúmque in Cyrillum debacchari, & Deiparæ vocem exagitare non deſineret; Imperatoris demum edicto ſede ſuâ expulſus, & Famothin Ægyptiacam in exilium miſſus. Extant Lat. *Epiſtolæ* XXIII. inter Epiſtolas Lupi Epheſinas, nu. 57. 58. 64. 65. 69. 93. 94. 96. 100. 102. 104. 105. 127. 136. 147. 149. 154. 156. 165. 167. 169. 178. 182. Scripſit etiam teſte Suidâ, *Sermonem* νοημάτων γέμοντα, *novem capita complectentem*, in quo docuit, *Quid novi Chriſtus in mundum intulerit.* Alius à noſtro erat Alexander Apameæ Epiſcopus, unà cum eo ad Synodum Epheſinam à Joanne Antiocheno legatus; cujus ad noſtrum extat *Epiſtola* Lat. ibid. num. CXXXII. In voce Alexand. p. 164.

431. MAXIMINUS, Anazarbi Epiſcopus, ſecundæ Ciliciæ Metropolita, claruit anno 431. Summus Neſtorii Sectator, & accerrimus Cyrillo hoſtis, quem in Conciliabulo Epheſino ſuffragio ſuo damnavit; & convocatâ poſtea Anazarbi Synodo, ſede ſuâ & communione Catholicâ ſubmovendum iterum decrevit, & Capitula illius anathemate percuſſit. Tandem verò cum Patriarcha ſuo Joanne (quem Cyrillo reconciliatum diu averſatus fuerat) & Cyrillo in gratiam rediit, ac Eccleſiam turbare deſiit. Extant Lat. *Epiſtolæ* III. inter Epiſtolas Lupi Epheſinas, num. LXVII. CIX. CXII. præter *Synodicas binas*, quibus primo loco ſubſcripſit, num. CXIII. CLIX.

431. HELLADIUS, primò quidem Monachus, ac ſanctitate vitæ eximiâ, teſte Theodorito *, admirandus. Theodoſii Abbatis diſcipulus, quo mortuo Monaſterii ab eo prope Antiochiam fundati regimen ſuſcepit, & per ſexaginta annos geſſit: Tarſi demum Epiſcopus factus. Claruit anno 431. Summam cum Neſtorio amicitiam coluit; & in Conciliabulo Epheſino Cyrilli damnationi ſubſcripſit: cúmque in Neſtorii depoſitionem, & Maximiani ſubrogationem conſentire præfractè denegaret, à Synodo Maximiani CPà. ſede ſuâ ejici juſſus eſt, & à Cyrillo pace nominatim excluſus. Iſte è contra Maximiani apparitores Tarſum profectos, ut mandata Synodi peragerent, per plebem fugari fecit; ac Synodo Tarſi habitâ eadem, quæ Maximus in Synodo Anazarbenſi, decrevit; Neſtoriumque per literas conſolatus eſt,

* Philoth. cap. 10.

Cave Lit. Hiſt. Z 3

eſt, ſe partes illius ſemper propugnaturum ſpondens. Tandem verò timore percitus Xyſtum Papam appellavit; quo mediante, ſententia contra ipſum, & tres alios Metropolitanos, in Synodo CPnâ lata, abrogata eſt; & ipſe Eccleſiæ paci reſtitutus. Coactâ itaque Epiſcoporum Ciliciæ Synodo Neſtorium anathematizavit; ac tandem in Eccleſia ſua piâ morte obiit. Extant Lat. *Epiſtolæ* VI. inter Epiſtolas Lupi Epheſinas, numer. LXVIII. CXI. CXIV. CXLIV. CLIV. CXCIII.

431. EUTHERIUS, Metropolita Tyanenſis, claruit anno 431. pertinax Cyrilli hoſtis, cujus damnationem in Conciliabulo Epheſino ſuffragio ſuo ratam fecit: unicus verò Neſtorii amicus, cujus tamen hæreſin nequaquam ſecutus videtur, ſed ejus tantùm partes foviſſe, quòd hæreſeos falsò inſimulatum crederet. In Synodo Maximiani CPnâ depoſitus, à Cyrillo & Ægyptiis Epiſcopis omni pacis ineundæ ſpe excluſus eſt. Poſtquam itaque diu multumque in Neſtorii cauſâ & contra Cyrillum decertâſſet, Eccleſiâ ſuâ dejectus, Scythopolin relegatus eſt; inde etiam fugatus, tandem Tyri obiit. Extant Lat. *Epiſtolæ* v. inter Epiſtolas Lupi Epheſinas, num. LXXIII. LXXIV. CXVI. CXVII. CCI. Græco-Latinè. *Sermones* XVII. *in varias hæreſes, unà cum Epiſtolâ præmiſsâ, motuum Eccleſiaſticorum Tragœdiam deſcribente*, quæ à nonnullis Athanaſio aſcribuntur (inter cujus proinde Opera haberi ſolent) ab aliis Maximo Monacho, à Photio * denique Theodorito aſcripti. Hos verò Marii Mercatoris authoritate nixus Eutherio rectè vindicat Doctiſſ. Garnerius, uberiorem hâc de re diſſertationem pollicitus, quam morte præreptus non præſtitit. Habentur inter Opera S.Athanaſii Tom. IIº. p. 245. (edit. Commelin.) & ad calcem *Auctuarii* Theodoriti à Garnerio editi *Pariſ.* 1684.

* Cod. 46.

431. MAXIMIANUS, vitæ inſtituto Monachus, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyter, ſermone quidem rudis & imperitus, vitæ tamen ſanctitate clarus, anno 431. poſt quatuor menſes à depoſito Neſtorio Eccleſiæ CP. Epiſcopus factus eſt: ac ſtatim binis Conſtantinopoli Synodis habitis primarios partium Neſtorianarum patronos depoſuit; & nomen ſuum Neſtorii loco diptychis inſcribi juſſit: quod & multis in locis militari manu uſus fieri curavit. Obiit anno 434. poſtquam ſediſſet annis 2. menſibus v. Extat Gr. Lat. *Epiſtola* ad Cyrillum unica, quâ illum ob mala, quæ fidei causâ perpeſſus erat, laude ſimul ac conſolatione proſequitur: Concil. Tom. III. pag. 1061.

431. PAULUS, Epiſcopus Emeſenus, anno 431. Concilio Epheſino interfuit; in quo Neſtorii cauſæ patrocinatus eſt; & in Conciliabulo Cyrilli damnationi ſubſcripſit. Anno ſequenti à Joanne Antiocheno, Acacio Berœenſi, aliiſque Orientalibus Epiſcopis pacis cupidis, Alexandriam legatus eſt, pacem cum Cyrillo initurus. Joannes illum Cyrillo ſic commendat, ---*qui ſemper inter Eccleſiaſticos extitit clarus, & ſciens rebus competere & verbis, & habens ad Dominum reverentiam, quâ utens præclarè ſæpius in commune profuit.* Multa Alexandriæ ſummâ vafritie molitus Paulus, pacem à Cyrillo priùs impetrare non potuit, quàm libellum fide obtuliſſet, Mariam eſſe θεοτόκον confeſſus, & Neſtorium anathematizaret, ac utrumque articulum, verba faciens, in Eccleſiâ Alexandrinâ vivâ voce confirmaret. His factis, Joannis, aliorumque à quibus miſſus eſt, nomine, pacem cum Cyrillo pepigit; atque in Aſiam rediit. Extant Græc. Lat. *Libellus de fide*, & *Homiliæ* II. *Alexandriæ habitæ*, Concil. Tom.III. pag. 1089. 1096. Latinè Epiſtola ad Anatolium Militiæ præfectum inter Epiſtolas Lupi Epheſinas, num. 107.

RHEGINUS, Conſtantiæ Cypri urbis Epiſcopus, anno 431. Concilio Epheſino interfuit, ac Neſtorii damnationem ſuffragio ſuo confirmavit. Actione Synodi ſeptimâ Præſulum Antiochenorum Eccleſiæ Cypriorum jura invadentium ambitionem criminatus, Eccleſiæ ſuæ αὐτοκεφαλίαν Patrum decreto confirmari petiit, & obtinuit. Extat Gr. Lat. *Homilia* in Synodo Epheſinâ poſt Neſtorii depoſitionem habita, Concil. Tom. III. p. 577. 431.

JUVENALIS, Epiſcopus primò Epheſinus, deinde Hieroſolymitanus, claruit anno 431. Concilio Epheſino interfuit, & pro Cyrillo contra Neſtorium ſtetit; ut illius ope ambitionem ſuam contra Joannem Antiochenum tueretur. Patriachatûs enim jura ſibi injuſtè vendicarat; nec eo contentus Arabiam & duas Phœnicias ab Eccleſiæ Antiochenæ regimine ſubtractas ſuæ ditioni ſubjicere molitus eſt. Unde factum eſt etiam, ut in Latrocinio Epheſino anno 449. & Concilio Chalcedonenſi anno 451. pro Eutyche & Dioſcuro contra Flavianum CP. pugnaret: & in Concilio quidem Chalcedonenſi Patriarchatûs jura ſibi obtinuit: Phœnicias verò & Arabiam dimittere coactus eſt. Extat Latinè *Epiſtola Synodica ad Presbyteros*, Archimandritas, reliquoſque Palæſtinæ Monachos; quâ ſuo, & ſuorum Epiſcoporum, nomine Concilii Chalcedonenſis decreta confirmat: Concil. Tom. IV. p. 889. 431.

ANDREAS, Samoſatenſium Epiſcopus, claruit anno 431. Anno 429. circiter, Joannis Antiocheni mandato Cyrilli Capitula edito ſcripto oppugnavit; remiſſiùs id quidem, ac quaſi invitus, primò effecit; poſtea verò acri Cyrilli adverſus Theodoritum, qui in eadem, quâ & ipſe, arenâ deſudarat, reſponſione ſuboffenſus, virulento admodum libello eadem inſectatus eſt. Concilio Epheſino intereſſe noluit, morbum cauſatus: Neſtorii tamen cauſam quantâ potuit autoritate propugnavit: nec ante aliquot annos hauſtas in Cyrillum inimicitias depoſuit. Tandem verò circa ann. 436. Joannis Antiocheni autoritate motus pacem cum Cyrillo iniit; & ut ab Alexandro, Metropolitano ſuo, idem fieret, plurimum, irritum licèt, laborem inſumpſit: nec tamen ipſe unquam adduci potuit, ut Cyrilli capitula probaret, aut Deum paſſum eſſe confiteretur. Mortuus eſt ante tempus Latrocinii Epheſini; cui illum adfuiſſe malè ſcribit Theophanes: ſiquidem Ruſticus Andreæ noſtri ſucceſſor inter Latrocinii Epiſcopos in Concilii Chalcedonenſis Actis numeratur. Extant Lat. *Epiſtolæ* VIII. inter Epiſtolas Lupi Epheſinas, num. XLIII. LIX. LXII. XC. XCVIII. CI. CIII. CVI. Fragmentum ſecundi contra Cyrilli Anathematiſmos libri exhibet Anaſtaſius in Ὁδηγῷ, cap. 22. quamplurima verò *fragmenta primi* apud Cyrilli Apologeticum pro XII. Anathematiſmis *adverſus Orientalium objectiones*, ſive Andreæ librum: iſtum enim probarat Synodus Orientalium ante ann. 431. Antiochiæ habita, atque omnium ſubſcriptionibus munitum Alexandriam per Poſſidonium Diaconum communi omnium nomine tranſmiſerat. 431.

RABBULAS, Epiſcopus Edeſſenus, oculis quidem captus, animo tamen nequaquam deſtitutus. Claruit anno 431. In Concilio Epheſino Cyrillum ac Memnonem ob Capitula deponendos cenſuit; omneſque Ægyptios Epiſcopos tanquam hæreticos averſatus eſt. Poſtea verò mutatâ ſententiâ Cyrilli cauſam tanto animi ardore fovit, ut coactâ Edeſſæ Synodo omnia Theodori ſcripta, Theodoriti 431.

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. doriti verò & Andreæ Samosateni quæcunque contra Cyrilli Capitula exarata sunt, anathemate percusserit, ac comburenda decreverit; eadem sententiâ obstringens quotquot aut dictos libros legerent, aut Cyrilli Capitulis deinceps recalcitrarent: Joannis etiam omniumque Orientalium communioni renunciaret. Hominis intemperias habitâ Antiochiæ anno 436. Synodo Joannes compescere conatus est, communione Ecclesiasticâ ac sede suâ eum submoveri jubens. Verùm frustra fuit: utramque retinuit, quoad vixit, Rabbulas; & in pace aliquanto post tempore diem suum obiit. Extat Lat. *Epistola* principio & fine mutila inter Epistolas Lupi Ephesinas, num. CC. eadem ferè integra habetur Lat. Concil. T. V. p. 269. Porrò Theodorus Lector * eum ab Andrea Samosateno quasi contra Theodoriti Capitula scripsisset, accusatum esse memorat: nisi forsan verior sit Valesii conjectura, pro Ἀνδρέας reponendum esse Ἀνδρέαν, & pro Θεοδωρίτου legendum Κυρίλλου; siquidem Andream contra Cyrilli Capitula scripsisse satis constat. Utut sit, non pauca in rixoso isto sæculo, cujus pars tanta fuit, scripsisse Rabbulam vix dubitari queat.

* Collectan. l. 2. p. 565.

431. CAPREOLUS, gente, ut verisimile est, Afer, post Quodvultdeum, qui Aurelio successit, Carthaginiensis Episcopus, claruit anno 431. Scripserat superiori anno ad Augustinum Theodosius Imp. ut Synodum Ephesi indictam præsentiâ suâ cohonestaret: Verùm Augustino jam mortuo, literæ ad Capreolum perlatæ sunt, qui quod potuit, fecit. Misso enim Ephesum Bessulâ Diacono suo literas ad Synodum dedit; quibus summam erga fidem Catholicam curam, zelumque, testatus, legationem minùs solennem excusat; eò quòd Ecclesiæ Africanæ Episcopi hoc tempore in Synodum convenire non poterant; partim ob breve temporis intervallum, partim quòd omnes viarum aditus à Vandalis undique obsessi erant. Lecta in Synodo Capreoli Epistola, petente etiam Cyrillo Alexandrino, ut Actis Synodalibus insereretur. Vult enim, inquit, antiqua fidei dogmata confirmari; nova verò, & absurdè excogitata, & impiè divulgata reprobari ac proscribi. Mox omnes Episcopi simul exclamaverunt, *Hæ omnium voces: hac omnes asserimus: hoc omnium est votum.* Extat hæc *Epistola* Latinè apud Baronium ad ann. 431 Græcè simul & Latinè Concil. Tom. III. pag. 533. Scripsit etiam ad Vitalem & Constantium, Hispanos, Libellum sive *Epistolam de unâ Christi, veri Dei & Hominis, personâ contra recens damnatam hæresin Nestorii*, novam infandamque, uti vocat, perniciem, in vestibulo cum suo autore atque assertore compressam, & radio Apostolicæ lucis extinctam. Hanc Epistolam (dimidiâ sui parte mutilam) Annalibus suis inseruit Baronius ad ann. 431. integram ex Codice Heræ vallensi edidit, Vitalisque & Constantii ad Capreolum epistolam præmisit, Jac. Sirmondus inter *Opuscula Veterum Paris.* 1630. 8°. Habetur & in Biblioth. Patr. Tom. VII. pag. 5. in hâc Epistolâ legationis Ephesum à se missæ meminit ipse Capreolus; uti notat Casimirus Oudin, qui quæ de hoc Scriptore habet, ex Miræo, (uti ipse fermè Miræus ex Sirmondo) suppresso Autoris nomine ad verbum descripsit, de suo ne γρῦ quidem addito: sed infinitus essem, si omnia notare vellem, quæ ex aliis exscribere solet nuperus hic compilator, vir alioqui satis candidus.

431. URANIUS, Presbyter, Paulini Nolani Discipulus, cui in extremis agenti ministravit anno 431. Scripsit, hortante Pacato, *narrationem de obitu S. Paulini*, quæ habetur apud Surium Junii XXII. & in nuperis omnibus Paulini editionibus.

PATRICIUS, nomine, quo ad sacrum fontem donatus est, *Succat* dictus, ortu Britannus, in oppido Nemthur, hodie *Kirkpatrick* dicto, inter fretum Dunbrittonæ & urbem Glascuensem sito, natus est anno circiter 371. Parentes habuit Calphurnium Diaconum, & Concessam. Missis pueritiæ & juventutis annis, de quibus non pauca fabulantur Vitæ ejus Scriptores, anno 432. à Germano Antissiodorensi Romam missus est; ibique ab ipso, ut volunt, Cœlestino Hibernorum Apostolus & Archiepiscopus constitutus. In patriam redux ad Hiberniam convertendam se accinxit; ac omnes ferè insulæ Regulos ad fidem Christi conversos sacro baptismate lustravit. Anno 447. in Britanniam transfretavit; & conquisitis sibi undique cooperariis in Hiberniam rediit. Religionem Christianam longè latèque propagavit: Ecclesias condidit: sedes Episcopales instituit: Synodos celebravit: miracula patravit. Dierum, laborum ac gloriæ satur, tandem obiit, anno 493. die XVII. Martii; ætatis suæ CXXII. Ecclesias CCCLXV. condidisse, totidemque Episcopos, cum tribus Presbyterorum millibus, ordinasse, LX. mortuos suscitasse, & XII. hominum millia baptizasse dicitur. Verùm de S. Patricio, ejusque rebus gestis post Probum, & Josselinum fusè agit Rev. Armachanus de Britann. Eccles. Primord. cap. 17. SÆC. V. ab An. CCCC. 432.

SCRIPTA.

CONfessio in Epistola ad Hibernos explicata, quâ totius vitæ suæ ac prædicationis rationem reddit.

Epistola ad Coroticum, Regulum Cambro-Britannicum; quâ crudelitatem Reguli istius, qui multos ex Hibernis à se conversos occiderat, insequitur. Bina hæc Opuscula rudi admodum, ac semi-barbaro Stylo conscripta sunt, antiqua tamen. Versionem enim Italicam ubivis exhibent.

Synodus S. Patricii Capitula seu Canones XXXI. *complectens*, à Spelmanno inter Concilia Britannica antehac evulgata.

Canones IX. *antea inediti.*

Synodus Episcoporum Patricii Auxilii, & Æcernini, Canones XXXIV. *comprehendens*, habetur in Conciliis Britannicis.

Canones alii aliquot.

Proverbia nonnulla.

De tribus habitaculis liber, reperitur inter Opera S. Augustini, Patricio autem ascribunt Codices nonnulli; utrique abjudicat Waræus.

Carta S. *Patricii, seu epistola de antiquitate Avellonica*, ex Gulielmi Malmsburiensis libro MS. de antiquitate Ecclesiæ Glastoniensis desumpta, spuria est si quæ alia.

De Abusionibus Sæculi liber habetur inter Opera Cypriani & Augustini supposititia, in eo reperiuntur Sententiæ nonnullæ, quæ sub Patricii nomine citantur in antiquo Codice MS. Collegii S. Benedicti, Cantab. & à Cathvvulpho in Epistola ad Carolum M. apud Duchesne Script. Francic. Tom. II. pag. 666. 667. Patricii tamen non esse ob Styli discrepantiam & versionem Hieronymianam usurpatam censet Waræus, nisi quòd à Patricio Hibernicè conscriptum, à recentiore manu Latinè versum esse suspicetur.

Hæc omnia collegit ac partim recensuit, partim tunc primum cum notis edidit Vir. Cl. D. Jacobus Waræus *Lond.* 1656. 8°.

Sermonem sub Patricii nomine confinxit Ricardus Stanihurstus, quem in Vita S. Patricii lib. II. Antverpiæ edidit ann. 1587. eundem recusum dedit Mesingamus ad finem *Florilegii* sui Hibernici *Paris.*

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. *ris.* 1624. locum vero illi inter Patricii Opuscula concedere noluit Waræus.

Epistola de legatione sive missione ad Hibernos, edita primum à Gerardo Vossio deinde in Bibliothecâ Patrum *Colon.* 1618. Spuriam esse arguit annus æræ Christianæ, qui in Epistolæ fronte statim occurrit: uti rectè notat Miræus. Nec enim isto sæculo æra Christi in annis supputandis usurpari cœpit.

Alia plura commemorant Baleus, Pitseus, Waræus: quæ an alicubi extent, immò an unquàm extiterint, dubitare licet.

432. SIXTUS III. Patriâ Romanus, Sixti filius, Ecclesiæ Romanæ Presbyter; in quo gradu dum adhuc consisteret Pelagianismi falsò accusatus est: quâ calumniâ excitatus Pelagianos acriùs incessere cœpit; adeò ut in Concilio Romano anno 418. in Cœlestii causâ habito, primus omnium anathema iis incutiendum censeret: editoque libro hæresin eorum confutaret. Anno 432. die VII. Augusti sedis Romanæ Episcopus ordinatur. Concilii Ephesini autoritatem sedulò tutatus est; pacis interim Orientales inter & Ægyptios conciliandæ non immemor; quam modis omnibus ineundam curavit ac tandem fœliciter obtinuit. Quin & datis ad Nestorium in Eupreprii Monasterio exulantem literis, eum ad Catholicæ veritatis confessionem reducere conatus est: verùm frustra fuit. Nestorius pristinum errorem fovere non desiit: Sixtus ex commercio literario cum Hæresiarchâ instituto labem sibi contraxit, animi à Nestorianismo non abhorrentis eo nomine insimulatus: adeò ut scriptâ ad Cyrillum epistolâ crimen id amoliri necesse haberet. Sub exitum Pontificatûs Julianum, aliosque Pelagianorum duces communionem Catholicam subdolè ambientes ecclesia fortiter exclusit. Obiit anno 440. die XXIV. vel XXV. Julii. Extant Latinè *Epistolæ* II. *ad Cyrillum una*, ad *Joannem Antiochenum altera*, Concil. Tom. III. pag. 1175. Posteriorem citat istius ævi scriptor, Vincentius Lirinensis Commonit. pag. 368. Græco-Latinè *Epistolæ* II. *ad Cyrillum* apud Coteler. *Monument. Eccles. Græc.* Tom. I. & Baluz. in *nov. Collect. Concil.* p. 657. Habetur etiam Lat. sub ejusdem nomine *Epistola ad Orientales Episcopos*, Concil. Tom. III. pag. 1263. quæ utpote nullius fidei ab omnibus rejicitur. Denique Sixto falsò inscribuntur *lib.* III. viz. *de Divitiis*, *de Castitate*, *de malis Doctoribus*, *operibus fidei*, *& futuro judicio*; qui prodierunt *Romæ* 1573. 8°. *Antverp.* 1575. 16°. deinde non una in Bibliothecæ Patrum editione. Supposititia esse hæc Opuscula, & Pelagianis erroribus inquinata uno ore omnes jam consentiunt, unico excepto Garnerio *, qui pluribus contendit, Sixtum Pelagiano errore ante annum 418. revera imbutum fuisse, ac Opuscula ista conscripsisse; post annum verò 418. Augustini, aliorumque monitis excitatum excusso errore saniora censuisse; utque famam simul ac culpam redimeret, *Hypognosticôn* libros, qui inter supposititia Augustini Opera habentur, composuisse.

* Append. ad par. I. Operum Marii Merc. Dissert. VI. c. 6.

433. ADRIANUS, *Isagoges* autor, claruit (si ætatem ejus rectè signat Cl. Usserius) circa ann. 433. Mihi enim res admodùm incerta est. Cassiodoro certè erat antiquior, ab eo cap. 10. Divin. Lect. memoratus. Extat ejus *Introductio in S. Scripturam* brevibus scholiis ab Hæschelio illustrata, unà cum aliis ejusmodi scriptis Græcè edita *Augustæ-Vindel.* 1602. 4°. & Critic. Sacr. *Long.* Tom. VIII. De hoc libro Photius *, Ἀδριανοῦ εἰσαγωγὴ τῆς γραφῆς χρήσιμος τοῖς εἰσαγομένοις ἡ βίβλος. *Adriani Introductio in S. Scripturam utilis liber iis, qui eam primò aggrediuntur.*

* Cod. 2.

SÆC. V. ab An. CCCC. 431.

PETRUS CHRYSOLOGUS, natione Italus, nobilitate clarus, apud Forum Cornelii natus, à Cornelio loci istius Episcopo tam bonis moribus quàm literis institutus, ac ab eodem demum sacro altari admotus. Anno 433. Ravennæ Episcopus factus est; & ante annum 451. obiit. Hallucinantur enim, qui vitam illius ad sequentis sæculi initium protrahunt, siquidem extat Leonis Papæ epistola* ad Leonem Episcopum Ravennatem Martiano & Adelphio Consulibus, (id est, anno 451.) data. Vir erat, præter alias animi dotes, facundiâ admodum insignis, unde *Chrysologi* nomen traxit. * Num. 37.

SCRIPTA.

HOmiliæ *sive Sermones* CLXXVI. prodierunt *Colon.* 1541. 1618. *Paris.* 1614. unà cum Leonis & Maximi Operibus *Paris.* 1623. & *Lugduni* 1633. in Bibliotheca Patr. Tom. VII. *Bonon.* 1643. 4°. *Colon.* 1678. 4°.

Epistola ad Eutychum Archimandritem, quâ ad fidem Catholicam eum reducere allaborat. Extat Gr. Lat. à Gerardo Vossio ad calcem Operum Gregorii Thaumaturgi *Mogunt.* 1603. p. 205. & Concil. Tom. IV. p. 35.

MAXIMUS, gente Gallus, Monasterii Lirinensis Monachus, ac demum Abbas, S. Honorato anno 426. substitutus. Anno 433. Episcopus Regensis sive Regiensis in Galliâ Narbonensi factus est: & anno 439. Concilio Regensi, 461. Arausicano interfuit. Plura de eo non liquent. Extant ab eo scriptæ *Homiliæ* aliquot, quæ inter Eusebii Emesini sive Eucherii Lugdunensis Homilias locum habent: ex his enim quartam Maximi esse constat; cujus porrò titulus tres præcedentes ejusdem autoris esse indicat: uti rectè notat Vir Doctiss. Joannes Savaro notis in Sidon. Apollinar. Lib. 4. Op. 3. pag. 232. 433.

PROCLUS, ab ineunte ætate bonarum literarum, præsertim Rhetoricæ, studiis imbutus, 434.
Chrysostomo, adolescens adhuc, sedulò adhæsit, Socrat. l. 7. c. 28. 41. 45.
tanquam amanuensis; eique cùm factus esset Lector, in conscribendis libris inserviit, cum Attico, deinde Episcopo CP. assiduè versabatur; ejusdemque notarius erat; ab eo ad Diaconatûs gradum evectus. Anno circiter 427. à Sisinnio Cyzicenorum Antistes constitutus est; quò dum profectionem parat; prævertentes eum Cyziceni Dalmatium quendam Monachum sibi Episcopum cooptârunt. Mansit igitur Proclus Constantinopoli, ubi in Ecclesiis concionando maximam gloriam adeptus est. Anno 434. mortuo Maximiano, à Theodosio Imp. ad regiæ Urbis Episcopatum promovetur. Anno 435. datâ ad Armenos epistolâ Nestoriis, & Theodori Mopsuesteni, errores damnavit, intacto tamen Theodori nomine; ne Armenos, quibus cara erat istius memoria, nimis offenderet. Anno 438. Joannitas ad Ecclesiæ unitatem revocavit; Chrysostomi corpus Comanis sepultum, annuente Imperatore, Constantinopolim deportavit; idque solenni pompâ per urbem traductum ingenti cum Honore in Ecclesiâ Apostolorum deposuit. Obiit ann. 446. Ἦν δ᾽ ἀνὴρ ἀγαθὸς τὸ ἦθος, inquit Socrates *, εἰ καί τις ἄλλος. *Vir erat optimis moribus, si quisquam alius, præditus:* patientia verò ac ἀνεξικακία maximè insignis; utpote qui Hæreticos mansuetudine ac clementia, non advocatâ in auxilium imperiali potestate, ad Ecclesiæ sinum revocandos censuit.

* L. 7. c. 41.

SCRIPTA.

Digitized by Google

SCRIPTA.

In laudem Sanctæ Dei Genitricis Homiliæ III.
De Incarnatione Domini Homiliæ II.
In natalem D. N. J. C. Homilia.
In sancta Theophania Homilia.
In Transfigurationem Domini Homilia.
In Ramis Palmarum Homilia.
In sanctam Feriam quintam Homilia.
De Passione Domini Homilia.
De Resurrectione Domini Homilia.
In S. Pascha Homiliæ II.
In idem, & S. Joannem Evangelistam Homilia.
In S. Pentecosten Homilia.
In laudem Sancti Stephani Protomartyris Homiliæ II. quarum alteram Asterii esse ex Photii autoritate constat.
In laudem S. Pauli Apostoli Homilia.
In laudem S. Andreæ Apostoli Homilia.
In laudem S. Joannis Chrysostomi Homilia, quæ Latinè tantùm extat.

Tractatus de Traditionibus Missæ divinæ. Extat etiam Græcè in Collectione Liturgiarum *Paris.* 1560. p. 1.

Epistola ad Armenos de Fide. Habetur etiam Gr. Lat. Concil. Tom. III. p. 1217. in Auctuario Ducæano *Paris.* 1624. Tom. I. Lat. ex versione Dionysii Exigui in Bibliothecâ Patr. Tom. I. p. 309. Græcè unà cum eadem versione in Antidoto adversùs Hæreses *Basil.* 1528. *Paris.* 1538. in Hæresologiâ *Basil.* 1556. in Micro-presbytico 1550. & in Orthodoxographis.

Epistola ad Joannem Antiochenum de Theodoro & Ibâ.

Alia ad eundem II.

Epistola ad Maximum Diaconum.

Epistola ad Domum Antiochenum pro causâ Athanasii Perrhenorum Episcopi. Epistolam istam Latinè vertit Dionysius Exiguus. Versio extat tam in Leidensi, quàm Romanâ Procli Operum editione.

Prodierunt Procli Opera Græc. Lat. ex Bibliotheca Elmenhorstiana *Lugd. Bat.* 1617. 12°. (Verùm ista editio haud dimidiam Procli Operum partem continet) Longè auctiora dein, cum notis Vincentii Riccardi, *Romæ* 1630. 4°. prout supra à nobis recensentur. Omnes Procli *Homilias* numero XX. (dempta scilicet spuria in *S. Stephanum*) in unum collegit, & Græc. Latin. cum notis edidit Franciscus Combefis. Auctuar. *Paris.* 1648. Tom. I. p. 301.

Porrò scripsit Proclus *Homilias plurimas*, quæ non extant; fragmentum unius ex occasione profligatorum à Romanis Barbarorum habitæ exhibet Nicephorus Hist. Eccles. l. 14. c. 38.

434. EUCHERIUS natione Gallus, natalibus illustris, vitam Monasticam egit in insula quadam prope Lirinum sita; ubi, ut videtur, degit, donec anno 434. Episcopus Lugdunensis factus est. Anno 444. Concilio Arausicano interfuit. Obiit circa an. 454. Valentiniano & Martiano regnantibus. Uxoratum fuisse constat. Ex conjugio enim suscepit Solanium & Veranium, Episcopatus postea dignitatem adeptos. Alius à nostro fuit Eucherius, Lugdunensis Episcopus qui sæculo sequente floruit; & Concilio Arausicano secundo an. CCCCCXXIX. interfuit: uti pluribus probat Theophilus Raynaudus in *Indiculo SS. Lugdun.* p. 227. &c.

SCRIPTA.

Epistola Parænetica de contemptu mundi & sæcularis Philosophiæ, ad Valerianum cognatum suum, ex secessu prope Lirinum scripta anno 432. Miris laudibus Epistolam istam prosequitur Erasmus. *Si quid meo*, inquit, *suffragio tribuis, nihil video profectum à nostræ Religionis hominibus, qui eloquentiæ quoque gloriâ floruerint, quod cum hujus phrasi sit conferendum Ut nusquam non egregium præstat artificem: sive spectes ordinem, sive*, &c. Seorsim prodiit cum scholiis Erasmi *Basil.* 1510. 1531. cum notis Rosveydi *Antverp.* 1520.

Epistola *de laude Eremi*, seu *de vitâ solitariâ*, ad Hilarium Arelatensem ex secessu suo scripta. Seorsim edidit Genebrardus *Paris.* 1578. & unà cum Epistola *ad Valerianum* Rosveydus *Antverp.* 1620.

De formula spiritualis intelligentiæ liber ad Veranum filium.

Instructionum ad Salonium filium libri II. quorum alter de difficilioribus S. Scripturæ quæstionibus agit, alter interpretationem Hebræorum nominum in eadem occurrentium exhibet.

Homiliæ aliquot inter eas quæ sub Eusebii Emeseni nomine circumferuntur, editæ *Antverpiæ* 1602. & alibi sæpiùs. Sunt, qui omnes Emesini Homilias Eucherio attribuunt: verùm ex iis alias Brunoni Astensi, alias Maximo Regensi, alias aliis deberi satis constat. Sermones interim eloquentissimos nonnullos edidisse Eucherium fidem facit Claudianus Mamertus *. * Lib. de stat. animæ cap. 9.

Historia Passionis S. Mauritii & sociorum Martyrum Legionis Thebææ; quamplurimi Eucherio juniori ascribunt & rectè quidem. Autor enim sub finem Historiæ narrat institutum esse, ut Hymni diu noctuque in laudem istorum Martyrum in Ecclesiâ Agannensi decantarentur, jubente sancto & præclaro Christi martyre B. Sigismundo Rege, institutumque illud usque hodie conservari. Cæterùm Sigismundus ille martyrium anno 524. obiit. Habetur apud Surium ad diem XXII Septembris. Seorsim verò cum notis edidit Petrus Stevartius *Ingolstadii* 1617.

Commentarii in Genesin, & libros Regum; qui neutri Eucherio ascribi possunt; quippe in quibus citantur Gregorius Magnus & Cassiodorus.

Porrò Cassiani Opuscula quædam, exsectis erroribus, & abbreviato sermone, in unum compegisse Eucherium prodit Gennadius *. Unde non desunt, qui librum quartum *de Vitis Patrum* (ex Severi Sulpicii, & Cassiani Scriptis concinnatum, uti librum inspicientibus facilè patebit) Eucherium nostrum autorem habere contendant. * De Script. c. 63.

Prodierunt Eucherii Opera *Basil.* 1531. *Romæ* 1564. & in Bibliothecâ Patr. Tom. VI.

CLAUDIUS MARIUS VICTOR, sive *Victorinus*, Rhêtor Massiliensis & Poëta, claruit anno 434. Obiit ante annum 450. Vir, inquit Sidonius *, ut egregius, tum undecunque doctissimus; qui cùm cætera potenter, tum potentissimè condidit versus. Scripsit Poëmata quædam, quæ sequuntur. 434. * Epist. l. 5. Ep. ult.

Libri tres Carminum seu Commentariorum in Genesin à principio libri usque ad obitum Abrahami pertingentes, ad Ætherium filium. In his libris inquit Gennadius *, Christiano quidem & pio sensu, sed utpote sæculari literaturâ occupatus homo, & nullius magisterio in Divinis Scripturis exercitatus, levioris ponderis sententiam figuravit. * De Script. c. 60.

Epistola ad Salomonem Abbatem de perversis suæ ætatis moribus, Heroico carmine scripta.

Victoris Poëmata habentur in Collectione Poëtarum Fabricianâ, in Appendice Bigneanâ p. 580. & Bibliothecâ Patr. Tom. VIII. p. 417. seorsim verò *Paris.* 1560. 8°.

CÆLIUS SEDULIUS, natione Scotus, (si Trithemio, Dempstero, & Baleo fides sit habenda) 434.

Digitized by Google

SÆC.V. ab An. CCCC. da) circa ann. 434. claruisse dicitur. Dum laicus adhuc esset, in Italiâ Philosophiam didicit. Postea Presbyter factus est, teste Isidoro; quin & Antistitem vocant Liberius & Belisarius Poëtæ, (in Acrostichiis in Sedulium, quæ in Appendice Bigneanâ habentur p. 680.) Episcopum Sigebertus, Episcopum in Hispaniâ Oretanum Pseudo-Dexter. Quisquis demum fuerit, hoc ævo floruit: utpote cujus Poëmata collegit atque edidit Turcius Rufus Asterius, qui Consulatum gessit anno 494. quemque laudarunt Arator, Cassiodorus, & Venantius Fortunatus. In Achaia libros suos scripsisse tempore Theodosii junioris & Valentiniani Impp. fidem facit, quæ duobus vetustissimis Codicibus MSS. Thorneiano, & Pithæano, & Usserio & Labbeo memoratis ascriptæ annotatiunculæ. De Sedulii
* Differt. 2. de Poët.Lat. stylo hæc Olaus Borrichius*, *Dictio ejus facilis, ingeniosa, numerosa, perspicua, sic satis munda, si excipias prosodica quædam delicta, & inprimis Christianæ Pietatis commendatrix.*

OPERA.

Carmen Paschale, sive de Christi miraculis libri v. unà cum *Epistola ad Macedonium Presbyterum* nuncupatoriâ, quæ in plerisque editionibus desideratur. In ea mentio fit Syncleticæ Diaconissæ; cui Sancti Basilii Hexaemeron Latinè à se versum dicavit Eustathius. In editionibus nonnullis præfixi sunt versus quidam nuncupatorii ad Theodosium seniorem; qui ex alio vetustioris alicujus Poëtæ opere assuti videntur. Certè Sedulium autorem non habent.

Veteris & Novi Testamenti Collatio, carmine elegiaco scripta. Eam post Sedulii mortem edidit Turcius Rufus Asterius; cui proinde nonnunquam malè inscripta legitur.

Pœan Alphabeticus de Christo, Jambico carmine conscriptus, ac Christi res gestas succinctè complexus.

Paschalis Operis libri V. solutâ oratione descripti, unà cum *Epistolâ, alterâ ad Macedonium Presbyterum*; qui Sedulio autor fuerat, ut Carmen Paschale Prosaicè exprimeret. Opus istud è Codice Pithæano evulgavit Franc. Juretus, *Paris.* 1585.

Collectaneum, sive *Explanatio in omnes Epistolas* S. Pauli, ex SS. Patrum scriptis consarcinata; quæ Sedulio Scoto Hiberniensi constanter inscribitur. Seduli Poëtæ non esse satis indicant, quæ ex Gregorio Magno (Moralium in Job l. 19. cap. 21.) exscripta inibi leguntur. Sanè Sedulius quidam, Episcopus Britanniæ de genere Scotorum, unà cum Fergusto Episcopo Scotiæ Picto, Concilio Romano anno DCCXXI. habito subscripsit. Iste Collectanei autor non malè credi possit: licèt id Labbeus Sedulio cuidam Scoto, qui (teste Hepidanno Monacho in Annalibus à Duchesnio editis) anno 818. clarus habebatur, ascribendum censeat: cui & *Grammatica* quædam *Opuscula*, quæ in *Bibliothecâ Thuanâ* sub Sedulii nomine extabant, adjudicat.

Prodierunt Sedulii Opera ab Aldo Manutio excusa anno 1502. deinde *Basil.* 1528. 1534. & cum notis Antonii Nebrissensis ibid. 1541. in Sylloge *Fabricianâ* 1564. denique in Bibliotheca Patr. Tom. VI. p. 458. & in Appendice *Bigneanâ* p. 658. 911. quæ accurata editio habetur.

434. VINCENTIUS, gente Gallus, Tulli Leucorum (primæ Belgicæ oppidi) natus, splendidâ nobilique familiâ ortus, patrem Epirochium, fratrem Lupum Episcopum Trecassinum habuit. Primis juventutis annis militiam sæcularem secutus est; quâ desertâ, ad Lerinum se conferens vitam egit monasticam, ad Presbyterii dignitatem mox evectus. Claruit anno 434. triennio scilicet post Synodum Ephesinam, quo scripsit Commonitorium suum, uti ipse testatur*. Obiit ante annum 450. Theodosio adhuc & Valentiniano regnantibus. Sunt, qui Vincentium Semipelagianis annumerant; sunt, qui ab illa labe immunem censent. Primæ sententiæ authoribus fortissimum suppeditant argumentum Objectiones adversus doctrinam & scripta Augustini, quas à Vincentio nostro scriptas fuisse admodum est verisimile: verùm ea de re mox dicemus. Accedunt Semipelagianismi notæ duæ, à B. Prospero olim positæ, quas in Commonitorio deprehendit Vossius*: altera, Cœlestini ac Xysti Pontificum Epistolarum ostentatio; altera, occulta novitatis criminatio posterioribus Sancti Augustini scriptis impacta. Quin & Cœnobii Lirinensis incolas Semipelagianis eo tempore favisse arguunt quæ de Honorato scribit Prosper; quæque de Fausto (qui Cænobio præfuit quo anno scripsit Vincentius) omnes norunt. Scripsit Vincentius, suppresso suo, ac assumpto *Peregrini* nomine, nitido satis & aperto sermone (uti rectè Gennadius*) *adversus Hæreticos Commonitorium duplex*: posterius furto sibi ablatum perdidit; unde recapitulationem quandam, quæ istius vices suppleret, priori subnexuit. Prodiit Opusculum istud *Basil.* 1528. *Colon.* 1569. cum commentariis Costerii. *Paris.* 1569. 8°. 1586. à Pithæo cum aliis quibusdam editum. *Colon.* (cum notis Costerii) 1613. 12°. cum commentariis Joannis Filesaci *Paris.* 1619. 4°. denique cum notis Baluzii Salviano subjunctum *Paris.* 1669. 8°. in Bibliotheca Patr. Tom. VII. pag. 249. & Cantabrigiæ, 1687. 12°.

SÆC.V. ab An. CCCC.

* Cap. 42.

* Hist. Pelag. l. 1. c. 9.

* De Script. c. 64.

Scripsit adhuc Vincentius *Objectiones adversus Augustini scripta & doctrinam de prædestinatione & libero arbitrio*; quas capitulis XVI. summatim comprehensas exhibet Prosper in libro, quo eas refellit. Vincentio nostro deberi objectiones istas satis indicant, tum quæ de Semipelagianismi studio jamdudum attuli, tum mira temporis convenientia. Objectiones enim illas refutavit Prosper, sedente adhuc Xysto Papâ viz. inter annos 432. & 440. Non me latet quidem Baronium, aliosque eas tribuere Vincentio cuidam juniori; qui Gennadii familiaris fuit, & in Psalmos commentatus est. Verùm id ratio temporis non patitur. Vincentius enim iste vix ex ephebis excessisse potuerat; cum objectiones Vincentianæ in omnium manibus jamdudum versatæ essent. Plura argumenta habet Vossius*, quem consulat Lector.

Gennad. de Script. c. 80.

*. Loc. cit.

IBAS, natione Syrus, ab anno circiter 436. Episcopus Edessenus. Plures jam annos in Episcopatu exegerat, cum Nestorianismi apud Domnum Antiochenum, & Flavianum CP. à Samuele, Cyro, Mara, & Eulogio Ecclesiæ Edessenæ Presbyteris duplici nomine est accusatus. Primò quòd Cyrillo anathema dixisset, & hæreseos notam inussisset; secundò quòd anno 445. ejusmodi blasphemias palam effutire non erubuisset. Οὐ φθονῶ τῷ Χριστῷ γενομένῳ Θεῷ· ἐφ' ὅσον γὰρ αὐτὸς ἐγένετο, κἀγὼ ἐγενόμην. *Non invideo Christo facto Deo: in quantum enim ipse factus est, & ego factus sum.* Causam Uranio Himeriæ, Photio Tyri, & Eustatio Beryti Episcopis adjuncto Damascio Præfecto judicandam Imperator commisit: qui binis ea de re Synodi, alterâ Tyri, alterâ Beryti, anno 448. habitis, Ibam affictis illi criminibus immunem pronunciarunt. Iste enim secundum accusationis caput strenuè negavit: primum quidem à se ante pacem Orientales inter & Cyrillum initam factum

436. Vid. Concil. Chalced. Act. x. & Ephes. à Lupo edit. passim.

SÆC. V. ab An. CCCC. factum confessus; ab eo verò tempore concordiam cum Cyrillo intemeratam coluisse sese affirmavit. Anno 449. iterum accusatus in Latrocinio Ephesino à Dioscuro Alexandrino depositus est; ac sede suâ depulsus, & teste Facundo * Hermianensi in quadraginta mansiones per diversas provincias distractus viginti & amplius carceres mutavit, præcipuè verò ad Monasterium Apamenum secessit; in quo unà cum Theodorito delituit, donec anno 451. à Concilio Chalcedonensi pristinæ dignitati restitutus fuerit. Multis demum post mortem annis à Concilii Quinti Patribus anno 536. damnatus est tanquam Nestoriani nominis & dogmatis cultor, renitente quidem Vigilio Papa, qui plura pro causâ illius protulit argumenta, quorum vindicias agit Baronius. Scripsit Ibas famosam *Epistolam ad Marin Persam*; cujus pars longè major, quâ de Cyrillo & Actis Ephesinis, de pace Ecclesiæ redditâ, & de laudibus Theodori Mopsuesteni agitur, Gr. Lat. Concil. Tom. IV. p. 661. extat.

*L. 6. c. 1.

436. P. II. PAULUS, gente Persa, Nestorii Episcopi Constantinopolitani, hæresiarchæ, ut volunt, discipulus & Diaconus, ac proinde circa annum 436. claruisse censeri potest. Scripsit librum περὶ Κρίσεως, seu *de judicio*, quo Nestorii causam strenuè egit Fragmentum adversus unam in Christo personam affert S. Maximus in *Tomo Dogmatico* contra Monothelitas inter *Opusc. Theolog.* & *Polem.* Tom. II. p. 91. Habetur idem fragmentum Concil. Lateranens. Act. V. Conc. Tom. VI. col. 320. ubi ut & in Tomo S. Maximi Nestorio proximè adjungitur, aliter ad hoc tempus ipsum vix retulissem. In Synodo enim Lateranensi solummodo Νεςοειανὸς, in Tomo Maximi Ψευδοδιάκονος τῆς Νεςοείου μιαρωτάτης αἱρέσεως dicitur. Scripsit item περὶ τοῦ ὄντος ἀγαθοῦ sive *de vero bono*, saltem amplum hujus argumenti fragmentum habetur inter *excerpta Miscellanea* ex diversis Scriptoribus collecta *Collecta Biblioth. Vindob.* Cod. Hist. CXXVIII. fol. 104.

437. SYAGRIUS, quem solus memorat Gennadius*. Patria, ætas, vitæ institutum, penitùs nos latent. Ad annum tamen 437. non incommodè referri potest. Scripsit libellum de *Fide adversus Hæreticos* nonnullos, qui personas S. Trinitatis nominibus relationem mutuam indicantibus exprimi noluerunt. Circumferebantur etiam sub illius nomine, Gennadii ævo, libri VII. *de fide & Regulis fidei*; quos omnes illius haud esse ob styli dissonantiam censuit Gennadius. N E,

* De Script. c. 65.

437. ANTONINUS, *Honoratus* à Gennadio * dictus; (eundem enim esse nullus dubito) Constantiensis in Africâ Episcopus, claruit anno 437. quo (ut ex Prosperi Chronico discimus) persecutionem in Catholicos movebat Gensericus Vandalorum Rex. Inter alios Barbari Regis sævitiam tunc expertos Arcadius, genere Hispanus, Genserico antea satis carus, quòd Arianam impietatem amplecti nollet, in exilium actus est; quin & tandem Martyrii palmam reportavit. Ad hunc Arcadium jam exulantem scripsit Antoninus noster *Consolatoriam & exhortatoriam ad labores pro Christo ferendos Epistolam*, & exemplis præsentibus, inquit Gennadius, & scripturarum relationibus roboratam. Pia planè est, & elegans epistola; quæque, ut rectè notat Baronius*, antiquum illum Apostolicum characterem redolet. Extat tum apud Baronium ad ann. 437. tum in Bibliothecâ Patr. Tom. VIII. p. 665.

* De Script. c. 95.

* Ad an. 437.

439. VALERIANUS, natione, ut verisimile est, Gallus, Cemeliensis, sive Cemelensis trans Varum apud Alpes Maritimas Episcopus, claruit anno 439. quo Reiensi Synodo in Galliâ Narbonensi interfuit. Anno circiter 451. inter alios Galliæ Episcopos Epistolæ Synodicæ ad Leonem Papam missæ subscripsit. Anno 455. in Concilio Arelatensi III. unà cum Theodoro Episcopo, Faustum Abbatem Lirinensem usurpari in Cœnobio Lirinensi muneris Episcopalis reum egit; ac in ordinem redactum priscis limitibus circumscribi fecit. Dogmatis Semipelagiani ab obscuro quodam nebulone accusatum Valerianum nostrum editâ prolixâ Apologiâ vindicavit Theophilus Raynaudus, qui culpam istam in Valerianum quendam, ventriloquum & gulosum mancipium, ab Eusebio quodam in Epistolâ ad Cyrillum Alexandr. à Baronio editâ ad ann. 417. memoratum rejiciendam jure contendit. Extant à Valeriano scriptæ *Homiliæ* XX. varii argumenti, unà cum Epistolâ *ad Monachos parænetica*; quas primus in lucem edidit Jac. Sirmondus *Paris.* 1612. 8°. Prodierunt deinde cum Operibus Leonis, Chrysologi, &c. *Lugdun.* 1633. fol. à Theophilo Raynaudo editæ, unà cum Apologiâ ipsius pro Valeriano: denique in Bibliothecâ Patr. Tom. VIII. pag. 498.

SÆC. V. ab An. CCCC.

SOCRATES, Patriâ Constantinopolitanus; sub Theodosii junioris principatûs initio, ut videtur, natus; in Grammaticis Helladium & Ammonium, qui Alexandriâ profugi, Constantinopoli scholas aperuerant, præceptores habuit; in Rhetoricâ verò, judice quidem Valesio, Troilum Sophistam. Virilem ætatem ingressus, in foro causas egit; unde *Scholasticus* dictus est. Novatianæ sectæ addictum fuisse Scriptores ferè omnes clamant; quâ tamen culpâ ipsum immunem præstat Cl. Valesius: & certè quamvis Novatianis paulò faventior sit; ipsum tamen hujusce sectæ asseclam fuisse inde confici non potest. Quid quòd Novatianos hæreticis ipse non uno in loco accenseat? Claruit ann. 440. quo ad Historiam Ecclesiæ scribendam se accinxit, eamque à Constantini M. Imperii primordiis usque ad ann. 439. deduxit. In hoc Opere condendo, ut rectè animadvertit Valesius, & judicio & diligentiâ usus est singulari. Judicium demonstrant egregiæ observationes hinc inde intertextæ: diligentiam accuratæ ut plurimùm temporum notationes, ac conquisita undique optima Historiæ Ecclesiasticæ monumenta, Episcoporum literæ, Synodorum Acta, Scriptorum istius ævi Ecclesiasticorum libri; ex quibus Opus suum concinnavit: & cùm ex Rufini fide Historiam primò inchoâsset; meliores nactus autores, errores suos emendavit, & duos priores libros de novo ab ipso limine recudit. De eo paucis agit Photius *, de stylo ejus hæc tantùm habet, ἡ δὲ φράσις οὐδὲν ἔχει ἀξιόλογον, ἀλλὰ οὐδὲ ἐν τοῖς δόγμασιν οὐ λίαν ἐςὶν ἀκριβὴς, *stylus illi non admodùm splendidus*; *sed nec in dogmatibus valdè accuratus est*; affectum erga Novatianos intelligit. Quod verò stylum attinet, se οὐ φράσεως ὄγκου φροντίζειν, *de inani verborum Pompâ parùm fuisse sollicitum* ipsemet Socrates * ingenuè fatetur. Extat *Historia Socratis Ecclesiastica* VII. libros complexa, unà cum reliquis Historiæ Ecclesiasticæ autoribus Græcè à Roberto Stephano editis *Parif.* 1544. fol. Gr. Lat. *Genevæ* 1612. cum novâ versione & annotionibus doctissimis Henrici Valesii *Parif.* 1668. exinde *Mogunt* 1677. fol. 439.

Lib. 6. c. 19. 20. 23.

* Cod. 28.

* L. 1. c. 1.

HERMIAS SOZOMENUS, ortu, ut videtur, Palæstinus, parentibus non infimæ sortis natus; certè ex Betheliâ, Palæstinæ juxta Gazam vico genus suum duxit: ex Salamane quodam, sibi consanguineo, (cujus ipse meminit l. 6. cap. 32.) uti censet Valesius, non Salamine Cypri urbe, ut Nicephorus, *Salaminii* nomen traxisse videtur. In Palæstinâ 440.

SÆC. V. ab An. CCCC. læstinâ educatus, Beryti Phœniciæ urbis jurisprudentiæ operam dedit: postea Constantinopolim profectus in causis agendis versatus est: Historiæ tamen Ecclesiasticæ elucubrandæ præ aliis animum adjunxit. Primò quidem scripsit Compendium Historiæ Ecclesiasticæ ab Ascensione Christi ad annum 323. res maximè conspicuas duobus libris complexus, qui interierunt: deinde exorsus ab anno 324. Historiam annorum 115. Ecclesiasticam majori molimine & diligentiâ contexuit, circa ann. 440. rem libris IX. Theodosio Imp. nuncupatis absolvens. Ἔστι δὲ (inquit Photius *) Σωκράτους ἐν τῇ φράσει βελτίων, διαφωνεῖ δὲ αὐτῷ καὶ κατά τινας ἱστορίας. *Socrate est in stylo præstantior: à quo etiam in narrationibus quibusdam dissentit.* Cui censuræ, inquit Valesius, nos libenter accedimus; sed quantùm dictionis elegantiâ vincit Sozomenus, tantùm Socrates judicio vincit: nam Socrates quidem tum de viris, tum de rebus ac negotiis Ecclesiasticis optimè judicat. Nihil est in illo, nisi grave ac serium, nihil quod tanquam superfluum possis expungere. Contra verò in Sozomeno quædam occurrunt levia ac puerilia, quod pluribus exemplis demonstrari poterat. Post Socratem scripsisse exinde colligitur; quòd narrationibus illius quædam interdum addat, quædam emendet, in multis dissentiat. Prodiit *Historia* illius Græcè à Roberto Stephano excusa *Paris.* 1544. fol. Græc. Lat. *Genevæ* 1612. cum versione & notis Valesii *Paris.* 1668. exinde *Mogunt.* 1677. fol. verùm longè infra Parisiensem subsidet ista editio.

* Cod. 30.

440. EUSTATHIUS, quem *virum disertissimum* vocat Cassiodorus *, cujus etiam meminit Sigebertus †, claruit circa an. 440. Sedulii Poëtæ æqualis. Transtulit è Sermone Græco S. Basilii Homilias IX. in Hexaemeron in Latinum, tantâ venustate, ut ingenium doctissimi viri, *inquit* Cassiodorus, facundiæ suæ viribus æquiparâsse videatur. *Versionem istam sorori suæ Syncleticæ* dedicavit. Extat in editione Operum S. Basilii *Parisiensi* 1603. *Antverpiensi* 16 6. & alibi, excusa. Plura de Eustathio, ejusque sorore Syncleticâ te docebit Miræus in notis ad Sigebertum, & Miræi pro more in integrum exscriptor, quem tamen rarò nominare solet, Casimirus Oudin, *Supplementi* p. 87.

* Divin. Lect. c. 1.
† De Script. c. 21.

440. NILUS, Patriâ Constantinopolitanus, nobilitate generis atque opibus illustris; adeò ut Urbis CP. Præfecturâ donaretur. Connubio sociatus binam ex uxore prolem suscepit, marem & fœminam, si Menologio Græcorum fides, si tamen ipse potiùs audiendus sit Nilus, utrumque marem. Claruit anno 440. postquam sæcularem vitam per aliquot annos egisset; ut pietatem, cujus rudimenta à Chrysostomo præceptore olim hauserat, acriùs urgeret, ægrè uxori persuasit ut partitis inter se liberis, sibi in Ægypti solitudines secedere, & monasticam deinceps vitam degere liceret. Assumpto igitur secum Theodulo filio, Ægyptum petiit, & exoptatum vitæ genus instituit. Verùm dum suavissimâ Monachorum Nitriensium consuetudine fruitur, repentè irruentes Barbari filium ejus Theodulum cum multis aliis captivum abduxerunt; quem dum sollicitè perquireret, ipse à Barbaris captus est; mox tamen ab iisdem liberatus, filium in Eluzâ reperit apud Urbis Episcopum; à quo ipse invitus licet Presbyter ordinatus est. Obiit, regnante adhuc Martiano. Multis demum post mortem annis corpus ejus à Justino juniore Constantinopolim translatum est, & in SS. Petri & Pauli Basilicâ repositum. Multa conscripsit *Opuscula*, τὴν τε καὶ τὸ ἔργα τελειότητα, inquit Photius *, καὶ τὴν ἐν λόγοις μαρτυρόμενα δύναμιν, *quæ non Operum tantùm perfectionem insignem, sed in dicendo quoque facultatem ejus testantur.* Quæ ad nostram notitiam pervenerunt, hîc locum habent.

Nilus in Narrat. 2.

* Cod. 201.

Expositio in Cantica Canticorum, quæ Gregorii Nysseni, Maximi, & Psellis Commentariis in eundem librum admista habetur Gr. Lat. in Auctuario Duceano *Paris.* 1624. Tom. II.

Narrationes VII. *de cæde Monachorum in monte Sina, & captivitate Theoduli filii.* Extant Gr. Lat. cum versione & notis Petri Possini *Paris.* 1639. 4°.

Oratio in Albianum, Monachum Nitriensem, Gr. Lat. Narrationibus subjuncta.

Capita Paranetica CCXXIX. Habentur Gr. Lat. in Orthodoxographis Tom. I. & in Auctuario 1624. Tom. II. Prodierunt etiam Gr. Lat. cum Commentariis Michaëlis Neandri *Lipsiæ* 1577. & cum notis Petri Schoning. *Franekeræ* 1608. 8°.

De octo vitiosis cogitationibus Liber, quem Gr. Lat. edidit Bigotius ad calcem Palladii, unà cum antiquâ versione ante mille annos factâ. Textum Græcum prius ediderat Combefis. in Auctuario Novissimo 1672. & Josephus Maria Suaresius in Collectione Operum S. Nili *Romæ* 1673.

Alius de eodem argumento Tractatus, quem Latinè à se versum inter Damasceni Opera dedit Jac. Billius, Gr. Lat. verò cum notis exhibet Jo. Bap. Cotelerius *Monument. Eccl. Græc.* Tom. III. p. 185.

De Oratione Capita CLIII. quibus precandi forma exponitur: totidem memorat Photius Cod. CCI. ac habet Editio Suaresiana unà cum Prologo. Editio enim Latina à Fr. Turriano evulgata *Florent.* 1578. 8°. quæque in Bibliothecâ Patr. habetur, Capita exhibet nonnisi CXLVII. vel CL.

Epistolæ CCCLV. à Possino Græc. Lat. editæ *Paris.* 1657. 4°. quas plurimis aliis Epistolis auctas Græc. Lat. recudi fecit, addita de Nilo dissertatione Leo Allatius *Romæ* 1668. fol.

De Vitâ Asceticâ Tractatus.

Ad Agathium Monachum de virtute colendâ, & vitio fugiendo.

Ad Magnam Ancyræ Diaconissam de voluntariâ paupertate.

Tractatus Moralium seu spiritualium Admonitionum.

Epicteti Enchiridion à S. Nilo contractum & interpolatum.

De Monachorum præstantiâ in urbibus & solitudinibus.

Ad Eulogium Monachum Tractatus Asceticus.

Ad eundem de vitiis, quæ virtutibus sunt opposita.

De diversis malignis cogitationibus Liber.

Capita XXXIII. *per gradus disposita.*

Spirituales Sententiæ per Alphabetum dispositæ, unà cum aliis quibusdam.

Institutio Ascetica ad Monachos.

Sententiæ abducentes Monachum à corruptibilibus.

Sermo in illud Evangelii, Qui nunc habet sacculum, tollat.

Singula ista *Opuscula*, modò enumerata ab Epistolis exclusivè, Gr. Lat. edidit Josephus Maria Suaresius *Romæ* 1673.

Sermones aliquot, qui interierunt. Ampla satis Excerpta duorum in *Pascha*, & trium in *Ascensionem Domini* nobis conservavit Photius Cod. CCLXXVI.

Epistolæ, ut videtur, plurimæ desiderantur. *Epistolæ ad Heliodorum Silentiarium*, ac alterius ad Olympiodorum Præfectum fragmenta adducuntur in Actione IV. Synodi VII.

Librum denique adversus Gentiles à Nilo scriptum esse prodit Nicephorus *; qui tunc non extat.

* Hist. Eccl. l. 14. c. 54.

NILUS

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. 440. P. II.

NILUS, S. Joannis Chrysostomi discipulus, ex Præfecto Constantinopolitano monachus, claruit anno CCCCXL. *Tetrasticha ejus parænetica versibus Heroicis & Elegiacis* extant Græc. MSS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCLXXXIX. num. xxviii. fol. 77. Incipiunt hoc modo,

Ἀνθεμόεις παράδεισος ὁ τῶν ἁγίων χορός ἐστὶ
Ὀδμὴν ἡδείης πείρατα πιμπλάμενος
Πᾶς ὢν ὃς παθέεσιν, &c.

Adjuncta habent Anonymi cujusdam *antiqua Scholia Græca*, partim interlinearia, partim marginalia. Notet Lector, edita S. *Nili Opera* à nobis alibi recensita, cum codicibus MSS. qui in *Bibliothecâ Cæsareâ* satis frequentes habentur, non sine fructu conferri posse. Extant MSS. apud Cl. Galeum, hæc quæ sequuntur Nili Opuscula. Ἀλφάβητος *ad Monachos* Princ. Ἀγαθὸν τὸ ξ. Περὶ φιλοσ. Ἀσκητῶν. Περὶ ἀκτημοσύνης. Πρὸς Ἀγάθιον μονάζοντα. Περὶ τῶν Η. λογισμῶν. Περὶ προσευχῆς. Ejusdem Κεφ. γνωστικά. Ejusdem alia capita metro ἡρωελεγίῳ. Nili Epistolæ περὶ Εἰκόνων. Ejusdem expositio in *Cantica Cantic.* Ejusdem de *octo Vitiis*. Qui verò de Nili scriptis tùm editis tùm ἀνεκδότοις, rectiùs judicare velit, adeat is accuratam L. Allatii Diatrib. de Nilis & eorum scriptis, quam Nili Epistolis à se Gr. Lat. editis Romæ 1668. fol. subjecit.

440. DRACONTIUS, gente Hispanus, dignitate Presbyter, claruit circa an. 440. imperante Theodosio juniore, ad quem *Elegiam* scripsit: adeò ut non sine ratione se mirari dicat Philippus Labbeus*, virum eruditum Ger. Joannem Vossium † inter Poëtas incertæ ætatis, eosque qui post tempora Caroli M. floruerint, Dracontium numerâsse. Poëtica inprimis studia excoluit Dracontius; duo tantùm ingenii illius fœtus nobis supersunt, viz.

*Tom. I. p.267.
† De Poet. Lat. c.9. p.87.

Carmen Heroicum in Hexaemeron. Librum istum exscribentium culpâ olim vitiatum Eugenius II. Toletanus Episcopus, jussu Chindisvindi Gothorum in Hispaniâ Regis, emendavit atque ita in pulchritudinis formam coëgit, teste Ildefonso *, ut pulchrior de artificio corrigentis, quàm de manu processisse videatur autoris: quin & septimi diei explicationem ipse addidit Eugenius.

* Cap.14.

Elegia ad Theodosium Imp. à Sirmondo primùm edita *Paris.* 1619.

Prodiit *Liber in Hexaemeron* primùm *Parisiis* superiore sæculo, deinde in Collectione Poëtarum *Fabricianâ*, & cum notis & Glossario Joannis Weitsii; denique in Appendice *Bigneanâ* p.837.

Utrumque Opusculum prodiit *Paris.* 1619. 8°. curâ Jac. Sirmondi, & in Bibliothecâ Patr. Tom. IX. p.724. 729.

440. BACHIARIUS, *Maccæus* dictus; Miræo Hibernus, Baleo & Pitseo Britannus; S. Patricii, ut volunt, discipulus, in Cœnobio Bannochorensi educatus, disciplinis præsertim Mathematicis incubuit. Certiora sunt, quæ de eo habet Gennadius*. *Vir*, inquit, *Christianæ Philosophiæ nudus & expeditus, Deo vacare disponens, peregrinationem pro conservandâ vitæ integritate elegit.* Claruit anno 440. Scripsit, eodem Gennadio teste, *Libellum de fide Apologeticum* ad Romanæ Urbis Pontificem (Leonem, uti suspicari licet) quo peregrinationem à se solâ religionis causâ susceptam fuisse adversùs calumniatores probavit. Interiit liber iste. Extat autem ejusdem Epistola *de recipiendis lapsis ad Ianuarium*, inter Orthodoxographa p.485. & in Bibliothecâ Patr. Tom. VI. p. 1174. De aliis, quæ scripsisse dicitur, consulantur Baleus & Pitseus.

* De Script. c.24.

SÆC. V. ab An. CCCC. 440. Gennad. de Script. c.25.

SABBATIUS, Ecclesiæ Gallicanæ Episcopus, sed cujusnam civitatis non liquet. Claruit anno 440. Rogatus à piâ quâdam virgine, Secundâ nomine, scripsit librum *de Fide adversùs Marcionem & Valentinum*, & *adversùs Eunomium ac Aetium*; *contra illos veritatem carnis à Christo assumptæ, contra hos autem consubstantialitatem filii demonstrans.* NE.

HELIODORUS, Ecclesiæ Antiochenæ Presbyter, claruit circa an. 440. Scripsit de *Virginitate libellum*, à Gennadio laudatum cap. 29. de Script. NE. 440.

URSINUS, gente Afer, vitæ instituto Monachus. Claruit circa an. 440. Scripsit, teste Gennadio *, *adversùs eos qui rebaptizandos Hæreticos decernunt*, *docens rebaptizandos non esse, qui vel in nomine vel simpliciter Christi, vel in nomine Patris, Filii, & Sp. S. quamvis pravo sensu, baptizentur; iis autem post simplicem Trinitatis confessionem sufficere ad salutem manuum Episcopalium impositionem.* Hunc Ursini *libellum* eundem cum Anonymi tractatu à Rigaltio inter Cypriani Opera edito ex Codicis Vaticani fide facit Philippus Labbeus, & ex eo Casimirus Oudin: quibus ego rationibus non contemnendis ductus, assensum tribuere non possum, ideoque alibi Anonymo Opus reliqui. Ut forsan non tam ab ignorantiâ (quod vult Casimirus Oudin) profectum sit, quod doctissimus, & ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, Oxoniensium Antistes in editione suâ Cyprianicâ hoc Opus Anonymum reliquit; quàm quòd Autorem Cypriano ætate fuisse suparem cum CL. Rigaltio, aliisque credidit. Certè unicum pro Ursino argumentum est Codicis Vaticani titulus, quem Tractatui Anonymo cuivis, qui Gennadium legerat, adjicere in promptu erat.

440. * De Script. c.27.

LEO I. Cognomento Magnus, Patriâ Romanus, (Tuscum appellat libri Pontificalis Autor, reclamantibus licèt quibusdam Codicibus MSS.) Patre Quintiano natus. Ecclesiæ Romanæ adhuc Acolythus circa annum CCCCXVIII. in Africam cum literis ad Aurelium Episcopum Cartaginensem missus est, si modò idem fuerit Leo, cujus meminit Augustinus epistola CIV. Sub Cœlestino Papa Diaconum egit, & circa annum CCCCXXX. Joannem Cassianum Ecclesiæ CP. Diaconum, qui inter Orientales diu versatus hæreticorum mores & ingenium optimè noverat, ut adversùs Nestorium tunc recèns exortum scriberet, incitavit. Præstitit id Cassianus, editis libris VII. *de Incarnatione Domini*, quos, ut ex fine epistolæ Operi præfixæ liquet, Leoni nostro nuncupavit. Anno CCCCXXXIX. orto inter Romani exercitûs in Galliis duces, Aetium & Albinum, dissidio, ad concordiam resarciendam mittitur Leo, quod & feliciter perfecit. Dum in hac legatione adhuc hæreret, diem obiit Sixtus Papa, in cujus locum communi Sententia electus est, absens licèt, Leo noster XXVIII. Julii an. CCCCXL. Septemb. VIII. in Solium Pontificale elevatus: tempore quidem parum læto, quo ob ingruentes Barbarorum incursiones, & circumstrepentes undique Nestorianorum, Pelagianorum, Arianorum hæreses, tristissima erat tum Ecclesiæ, tum reipublicæ facies. His non obstantibus Leo in munere suo exequendo, virili animo pergebat. Anno CCCCXLIII. quamplures Manichæi à Vandalis ex Africa fugati Romæ latebras quærebant; & quò tutiùs laterent, Catholicorum mysteriis se immiscuerunt. Hoc verò indicio tanquam lorices, se prodebant, quod 440.

 sumptis

Cave Hist. Lit.

SÆC. V. ab An. CCCC. ſumpto pane poculum Euchariſticum reſpuebant. Monuit id plebem mox Leo, quaque nota execrabiles hæretici eſſent diſcernendi. En ipſius verba: *Cum ad tegendum infidelitatem ſuam noſtris audent intereſſe myſteriis, ita in Sacramentorum communione ſe temperant, ut interdum, ne penitus latere non poſſint, ore indigne Chriſti corpus accipiant, Sanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinant. Quod ideò veſtræ notum facimus ſanctitati, ut vobis hujuſmodi homines, & his manifeſtentur indiciis, & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio à Sanctorum ſocietate ſacerdotali autoritate pellantur.* Hoc igitur tempore in Eccleſia Romanâ, fideles Euchariſtiam ſub utraque ſpecie ſumere ſolebant, & qui aliter facerent infami hæreſeos ſigno palàm notabantur. Si alia jam ſint Eccleſiæ Romanæ placita, mores alii, viderint quorum intereſt. Anno CCCCXLV. ob reſciſſa à Leone Eccleſiæ Arelatenſis jura metropolitica, lis illum inter & Hilarium exorta eſt, jura ſua ad obitum uſque tutante Hilario, qua de re in Hilario egimus. Anno CCCCXLVIII. Eutyches nondum in Occidente cognitus, per literas Leonis gratiam aucupavit. Scripſit Leo, & tum apud Imperatorem, tum apud Flavianum pro homine interceſſit; à quibus certior de tota re factus Hæreticum damnavit, & prolixam epiſtolam ad Flavianum dedit, qua adverſus Eutychem ejuſque errores fusè atque eruditè diſſeruit. Anno ſequenti Legatos ad Synodum Epheſinam, quæ *Latrocinalis* dicta eſt, miſit; quamprimum verò reſcivit, omnia ibi à Dioſcoro per vim & fraudem in Eutychis gratiam fieri, coacta mox Romæ Synodo, Acta Epheſina reſcidit, & Dioſcorum, Eutychemque condemnavit. Ipſe viciſſim à Dioſcoro adjunctis ſibi decem metropolitis Eccleſiæ communione motus. Turbis hiſce indies in majorem flammam erumpentibus, decreta eſt Synodus Oecumenica, quæ ut intra Italiam haberetur, fruſtra tum apud Imperatorem, tum apud Pulcheriam Auguſtam laboravit Leo. Indicta eſt igitur Chalcedone an. CCCCLI. & VIII. Idus Octobris haberi cœpit. Illùc veniunt à Pontifice Legati Paſchaſinus & Lucentius Epiſcopi, & Bonifacius Presbyter, qui Actione V. enixè contendebant, ut Leonis Epiſtola ad Flavianum ante biennium ſcripta, ipſius Synodi circa fidem definitioni infereretur. Reſponderunt Patres, ſe ad Epiſtolam ſubſcriptione ſuâ firmandam paratos eſſe, ut vero decreto Synodico intexeretur, nunquam admiſſuros. Et cùm acrius adhuc inſtarent Legati, ipſo etiam Imperatore id urgente, dixerunt Epiſcopi οἱ ἀντιλέγοντες εἰς Ῥώμην ἀπέλθωσιν, *qui contradicunt ipſi Romam ambulent.* Tandem cùm ad condendos Canones perventum eſſet, Decreto Synodico ſtatutum eſt, ut ſedis Conſtantinopolitanæ Antiſtes τὰ ἴσα πρεσβεῖα, æqualia cùm Senioris Romæ epiſcopo privilegia ſortiretur. Vehementius reclamarunt Legati Pontificii, violari hoc modo Nicænos Canones, ſe nihil admittere quod Eccleſiæ Romanæ dignitati adverſaretur, nec Sedem Apoſtolicam humiliari debere, idque ſe à Leone in mandatis habuiſſe. Nihilominus poſt diligentiſſimum cauſæ examen, communi Epiſcoporum Suffragio, aſſentientibus etiam Imperatoris judicibus, decretum ſancitur & confirmatur. Re ad Pontificem delatâ totus in iram ſolvitur, & jam verè rugit Leo, ſed præcipuè fremit in Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum. Objicit ei injuriam, arrogantiam, ambitionem, conculcata Synodi Nicænæ Statuta, jurium alienorum invaſionem, denique quid non? nec cum eo ferè unquam poſthac in gratiam rediit, fidem quidem Chalcedonenſem ratam habuit, ipſum verò decretum penitus rejecit, *In irritum mittimus & per autoritatem B. Petri Apoſtoli generali prorſus definitione caſſamus*, ut ipſius* verbis hâc de re utar. Hæc quidem breviter; totam enim hujuſce rei hiſtoriam latius alibi † expoſui. Anno CCCCLII. Attila Hunnorum Rege arma in Italiam movente, miſſus eſt à Valentiniano Aug. ad illum Legatus Leo Pontifex, qui facundia & precibus ferocem hominis animum adeò emollivit, ut deſertâ Italiâ exercitum trans Danubium duxerit. Ann. CCCCLIII. Juliano Epiſcopo Coenſi vices ſuas in Comitatu commiſit Leo; nova res ut ad hunc annum rectè notat Queſnellus, nec anterioribus Pontificibus uſurpata. Unde deinceps iis in more poſitum, ut Apocriſiarios in Aula Baſilica haberent, qui res ſuas in Comitatu procurarent. Anno CCCCLV. direpta eſt à Vandalis, duce Genſerico, Urbs Roma, Leonis tamen interventu à cæde & incendio ſervata, deinceps ad componendas Orientis & Eccleſiæ Alexandrinæ turbas præcipuè adjecit animum; dumque in his penè totus eſſet, depoſuit mortalitatis exuvias III. Kal. Novemb. an. CCCCLXI. Verum de anno ejus emortuali, fusè præ aliis agunt Queſnellus, & Papebrochius, quos conſulat horum curioſus. Egregium Præſulem meritò commendant pietas, eruditio, facundia, prudentia, paſtoralis vigilantia, ingens adverſùs hæreticos zelus, conſtans & perpetua circa fidem Catholicam ſolicitudo; non æquè faſtus, animus elatior, immenſum augendæ dignitatis Pontificiæ Studium, erat quippe potentiæ Papalis amplificator ſtrenuus, privilegiorum, quæ ſedi ſuę arrogavit, vindex animoſus; quod in contentionibus ejus adverſùs Decretum Chalcedonenſe luce clarius patebat.

In Quadrageſ. Ser. 4. p. 217.

* Epiſt. 79. ad Pulcher. cap. 3. p. 598.

† Diſſert. de Regim. Vet. Eccleſ. cap. VI. §. 3. 4. 5.

SCRIPTA.

IN *Anniverſario Aſſumptionis ſuæ Sermones* IV. Horum primus non in anniverſario, ſed in ipſo Conſecrationis die à Leone habitum eſſe non uno indicio ex ipſo Sermone demonſtrari poteſt. Vide quæ de hac re habet Daniel Papebrochius Not. ad Catal. Roman. Pontif. pag. 64.

De Collectis & Eleemoſynis VI.
De Ieiunio decimi menſis IX.
De Nativitate Domini X.
De Epiphania Domini VIII.
De Quadrageſima XII.
De Paſſione Domini XIX.
De Reſurrectione Domini II.
De Aſcenſione Domini II.
De Pentecoſte III.
De *Ieiunio Pentecoſtes* IV.
In Natali Apoſtolorum Petri & Pauli II. Secundum verò ſuppoſititium eſſe, & ex Sermonibus II. & III. in die anniverſario aſſumptionis in Pontificatum contextum monet Queſnellus, qui proinde eum in Appendicem rejecit.
In Octava eorundem Apoſtolorum I.
In Natali Maccabæorum I.
In Feſto S. Laurentii Martyris I.
De *Jejunio ſeptimi menſis* IX.
Tractatus contra Eutychis hæreſim habitus in Baſilica S. Anaſtaſiæ I.
Homilia de transfiguratione Domini I.
Homilia de gradibus Aſcenſionis ad Beatitudinem I.
In Cathedra S. Petri I.
Oratio in Conſecratione Epiſcopi.
Oratio in Ordinatione Presbyteri.
Allocutio Archidiaconi ad Epiſcopum pro reconciliatione pœnitentium.
Epiſtolæ CXLI. quarum XXX. noviſſimæ editioni primùm acceſſerunt. In prioribus editionibus LXXXVIII.

Digitized by Google

SÆC.V. ab An. CCCC. LXXXVIII. de Privilegio Chorepiscoporum ad Germaniæ & Galliæ episcopos, & XCVI. ad Episcopos Tertiæ sive Turonensis provinciæ Leonis non esse; hanc verò Leoni Bituricensi Episcopo deberi; illam ex Concilio secundo Hispalensi, & aliunde consarcinatam esse, Sirmondus aliique jamdudum monuerunt. Inter has etiam epistolas locum habent, haud paucę aliorum epistolæ, viz. Flaviani, Ravennii, Rustici, Eusebii, Paschasini, &c. quæ Leonis epistolis neutiquam annumerantur. Leonis epistolæ in quavis ferè Conciliorum editione reperiuntur: sed pro temporis locique ratione editorisque diligentiâ plures vel pauciores, magis minùsve castigatæ, de quo vide quæ in Præfatione notat CL. Quesnellus.

DEPERDITA.

DEsiderantur quamplurimæ Leonis *Epistolæ*, aliaque quædam Opuscula, quorum omnium Elenchum benè longum exhibet Quesnellus Tom. II. p.914. Fragmenta quædam profert Tom. I. p.725.

SPURIA.

IN *Natali S. Vincentii Martyris Sermo*. Hunc ab Hispano quodam, forsan Leandro Hispalensi, scriptum censet Quesnellus. Augustino olim tributus inter ejus Sermones de Sanctis n.13. habetur.

In Nativitate Domini Sermo.

In Ascensione Domini.

In Nativitate SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Tractatus adversus errores Eutychis & aliorum. Hæc quinque Opuscula in editione Quesnelliana in appendiculam rejiciuntur.

LEONI AFFICTA.

DE *Vocatione Omnium Gentium libri* II. à nonnullis S. Ambrosio, ab aliis Eucherio Lugdunensi, ab aliis Hilario cuidam vel Arelatensi, vel Syracusano Prosperi socio, vel Prospero Aurelianensi ascripti, communi verò eruditorum Sententiâ Prospero Aquitanico tributi, faventibus omnibus ab DCCC. annis Codicibus MSS. totiusque Galliæ suffragio, quod non diffitetur ipse Paschasius Quesnellus, qui nihilominus peculiari dissertatione eos Leoni asserere conatur; idque longo conjecturarum potiùs quàm argumentorum agmine, quæ huc ferè redeunt, adversùs Prosperum militare diversos de eadem re loquendi modos, Styli disparitatem, operis methodum, temporis rationem; pro Leone stare phrasin & dicendi characterem, ætatem, patriam, Scripturæ usum familiarem, peculiarem locorum quorundam S. Scripturæ citationem, denique doctrinæ similitudinem: pluribus hæc diducit vir eruditus, quæ cum pro cujusvis ingenio variare solent, & plus minùsque in aliis reperiri possunt, haud satis firmum sententiæ huic fundamentum substernere videntur.

Epistola ad Demetriadem de humilitate Christianâ, Prospero vulgò adjudicata. Leoni vindicat idem Quesnellus, iisdem penè argumentis, nempe ex Styli, Doctrinæ, Conceptuumque Similitudine, ex allegata Hieronymi & vulgata versione, ut alia levioris momenti taceam, ac proinde idem de hâc quod de superiore Dissertatione judicium ferendum est.

Capitula, sive Præteritorum Sedis Apostolicæ Episcoporum Autoritates, De Gratia & libero Voluntatis arbitrio, quæ Cœlestini Epistolæ ad Gallos subnecti solent. Leonis causam pro his capitulis agit Quesnellus prolixa Dissertatione in duas partes divisa; in primâ hæc capitula Prospero abjudicat, Leoni asserit, adductis iisdem penè quibus suprà causam egerat conjecturis: in secunda de dogmatum, quæ in postrema Capitulorum parte continentur, necessitate & momento agit. Hæc tria Opuscula in fronte Operum S. Leonis collocat, nulla licet cogente ratione, nullo Veterum testimonio, nulla vetusti Codicis fide suffultus. Certè si Leonem virum suo tempore celeberrimum autorem habuissent, an id latuisset Cassianum, Prosperum, Eucherium Lugdunensem, Vincentium Lirinensem, alios? imò an ipsius in Sede Romana Successores, qui de Leone ne per somnium quidem cogitasse videntur? Ad hæc, an ipse siluisset Leo, qui tot epistolis in quibus de controversiis Pelagianis agit, amplam de his opusculis mentionem injiciendi occasionem habuit? Interim quæ ad sententiam suam confirmandam protulit vir eruditus, haud vulgarem ingenii, & diligentiæ laudem merentur. SÆC.V ab An.CCCC.

Cave Hist. Lit.

Prodierunt integra Leonis Opera, ut alias editiones minùs accuratas mittam, *Paris.* 1614. 1618. f. *Lugduni* 1633. 1651. 1671. alibique sæpius subjunctis Chrysologi & Fulgentii operibus. Demum omnia Leonis Opera collegit, recensuit, & quædam de novo eruit, edidítque Pasch. Quesnellus *Paris.* 1675. II. vol. 4°. qui præter alia editionem suam planè elegantem antiquo Canonum Ecclesiæ Romanæ Codice, Dionysiano vetustiori Dissertationibus XVI. notisque perquàm eruditis ornavit, & illustravit.

SALVIANUS, gente non quidem Afer, ut quidam volunt, sed Gallus, ipsomet Galliam solum patrium appellante. Coloniæ Agrippinę natum esse ex epistolâ ejus primâ non malè colligit Baluzius; quamvis etiam Treviris diu vixit. Claruit ab anno 440. & deinceps magis magisque inclarescere cœpit. Palladiam, Hypatii (qui adhuc Gentilis erat) & Quietæ filiam, uxorem duxit; & ipsam religione Gentilem, quam tamen postea ad fidem Christianam perduxit. Ex eâ unicam prolem, nomine Auspiciolam, suscepit. Relicta tandem patriâ, in provinciam Viennensem profectus est; mox Presbyter Massiliensis factus. Quòd verò in pluribus Salviani editionibus Episcopus vocatur; error planè est gravissimus: cùm Gennadius *, eum disertè Presbyterum appellet. Cui objectioni ut occurreret Conradus Rittershusius †, vir quidem doctissimus, dici posse putat, nondum tunc temporis, cùm illa scriberet Gennadius, Salvianum pervenisse ad Episcopatum: non animadvertens Salvianum anno 495. quo Gennadius scripsit, jam ætate gravem & morti vicinum fuisse. Imbelli tamen isto argumento nequaquam fretus, σοφὸν aliud φάρμακον adhibet, priori longè infirmius: fuisse sc. in Ecclesiâ Christianâ tempus, cum iidem appellarentur Presbyteri, qui & Episcopi. Error autem de Episcopatu illius hinc ortus est, opinante Baluzio; quòd in quibusdam Gennadii editionibus dicatur Homilias Episcopus factus multas composuisse; cum legendum sit ad Episcopos vel Episcopis factas. Nam vir eloquens & doctus Homilias scribebat, quę ab Episcopis deinde recitabantur in Ecclesiâ. Obiit grandævus, exeunte, ut videtur, sæculo.

440. De Gubernat. l. 7. p. 139.

* De Script. c.67.

† Com. in Salvian. p.1.

SCRIPTA, QUÆ EXTANT.

DE *providentiâ & gubernatione* Dei, *deque justo ac præsenti ejus judicio, libri* VII. *ad Salonium Episcopum, discipulum olim suum.*

Epistolæ IX. Quarum ultima ad Solonium Præ-

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. fatoria est in libros *de Avaritia*.

Adversus avaritiam, præsertim Clericorum & Sacerdotum libri IV. *ad Salonium Episcopum*; *quos sub ficto Timothei nomine in lucem emisit Salvianus.*

Τῶν ἀντικειμένων *libri* III. in quibus *loca* V. *ac N. Testamenti in speciem pugnantia conciliantur.* Sub Salviani quidem nomine, ab * Alphonso de Castro citantur. In quem errorem incidit vir aliàs non indoctus, eò quòd hi libri ad Calcem Salviani editi sunt, *Basileæ* 1530. & alibi. Verùm Salviani non esse certò liquet. Juliano Episcopo Toletano debere receptior est eruditorum sententia.

* Adver. Hæref. lib. 14. f. 276.

DEPERDITA.

Gennad. de Script. c. 67. DE *Virginitatis bono ad Marcellum Presbyterum libri.* III.

Expositio extremæ partis Ecclesiastici ad Claudium Episcopum Viennensem.

In Hexaemeron sive à principio Genesis usque ad conditionem hominis, in morem Græcorum versu compositus liber unus.

Homiliæ multæ coram Episcopis vel in usum Episcoporum factæ.

Homiliæ in Sacramenta nonnullæ.

Prodierunt Opera Salviani, cum Scholiis Alexandri Brassicani *Basil.* 1530. fol. deinde cura Petri Galesinii *Romæ* 1564. cum notis Brassicani *Paris.* 1575. 8°. auctiora deinde & magis emendata studio Petri Pithæi *Paris.* 1580. Conradi Rittershusii commentariis illustrata *Altorf.* 1611. 2. vol. 8°. postea aliorum etiam commentariis aucta *Norimbergæ* 1623. Rothomagi (cum Scholiis Brassicani) 1627. 12°. Anno 1640. recusa est Parisiis editio Pithæana. Tandem Stephanus Baluzius ad Codices MSS. recognita, & notis illustrata edidit *Paris.* 1663. 8°. secundis verò curis auctiora *Paris.* 1669. 8°.

440. CONSTANTIUS, gente Gallus, nobilitate sublimis, Presbyter Lugdunensis (Episcopum malè vocat Isidorus Hispalensis *) inde Sidonio religione venerabilis, claruit anno 440. & deinceps. Extructâ à Patiente Episcopo Lugdunensi ecclesiâ istius urbis, ipse *Hexametris versibus* latera altari Basilicæ vicina celebravit. Inter annos 475, & 480. cùm civitas Arvernorum ab Evarice Gothorum Rege longâ obsidione premeretur, Constantius, superatis omnibus difficultatibus, itineris longitudine, dierum brevitate, pabulorum penuriâ, aliisque impedimentis, viâ satis inviâ & abruptâ à Lugduno Arvernum usque profectus est; ubi cives tumultuantes ad concordiam revocavit; aliosque Gothorum ingruentium metu fugientes in urbem reduxit. Hæc ferè ex Sidonio Apollinari excerpsimus, qui ubique Constantium mirè deprædicat, veluti virum singularis ingenii, salutaris consilii, certè in tractatibus publicis cæteros eloquentes, seu diversa sive paria decernat, præstantioris facundiæ dotibus antecellentem: ut
L. 9. cap. 16. ipsius verbis utar. Unde Epistolas suas in unum opus collectas examini ejus non modò recensendas, sed defæcandas, ut ait, limandasque commisit; sciens illum immodicum esse fautorem non studiorum modò, sed & studiosorum. Scripsit *de Vitâ S. Germani Antissiodorensis Episcopi librum ad Patientem Lugdunensem & Censorium Antissiodorensem Episcopos.* Extat apud Surium ad diem Julii XXXI.
L. 1. Ep. 1.

* De Script. c. 4.

440. PETRONIUS, gente Italus, illustri familiâ ortus, Sexti Anicii Petronii Probi, Prætorio præfecti, qui Consulatum anno 406. cum Arcadio Imp. gessit filius. Ipsum etiam pariter ac patrem, prætorii præfecturam gessisse ex Gennadii & Eucherii verbis conjicit Baronius. Eucherius certè in libro de contemptu mundi, anno 432. scripto, Petronii in Italiâ tunc Antistitis meminit; qui ex plenissimâ mundanæ potestatis sede in sacerdotii nomen ascendit. Utut sit, Petronium nostrum Bononiæ Episcopum fuisse, & sanctitate vitæ eminuisse, Gennadii * fide constat. Claruit circa an. 440. Obiit ante annum. 450. Theodosio adhuc regnante. Scripsit *librum de Ordinatione Episcopi*, quem à nonnullis Patri ejus ascriptum esse monet Gennadius. Gennadii etiam ævo *Vitas Patrum Monachorum Ægypti* scripsisse vulgò habetur. Quo titulo an ille, qui sub eo nomine hodie circumfertur, liber, an peculiare potiùs opus aliquod designetur, haud satis constat.

* De Script. c. 41.

440. PHILIPPUS, Presbyter, Hieronymi discipulus, claruit præcipuè circa an. 440. Obiit Martiano & Avito regnantibus, i. e. anno 455. vel ad minimùm proximi initio. Avitus enim, qui anno 455. Julii X. factus est Imperator, circa sequentis mensem Maium purpuram deposuit: cum imperium decem menses tenuisset. Præter *familiares Epistolas*, valde *salsas*, & maximè ad paupertatis & dolorum tolerantiam exhortatorias; quæ jam olim interierunt; scripsisse Philippum nostrum *Commentarium in Job*, testis est Gennadius *; Et quidem Philippi nomine *Commentariorum in Job. ad Nectarium Episcopum libri* III. prodierunt *Basileæ* anno 1527. tum in 4°. tum in fol. quos reverâ Philippi esse fidem facit locus, quem Beda, libro de Ratione unciarum, ex Philippi Expositione in Job, citat; qui in hisce Comentariis hodie reperitur; ut dudum notavit Sixtus Senensis*. Affirmat etiam Casimirus Oudin se in antiquissimo Codice Bibliothecæ Igniacensis in tractu Rhemensi hos Commentarios MSS. vidisse, qui autoritatem Gennadii præfixam habuerunt. Hi Commentarii etiam inter Opera Bedæ & Hieronymi haberi solent.

* De Script. c. 62.

* L. 4. p. 293.

440. ISAAC, gente Syrus, ex Monacho Presbyter Ecclesiæ Antiochenæ, claruit anno 440. Obiit circa an. 456. Multa conscripsit Syro sermone, præcipuè *adversùs Nestorianos & Eutychianos.* Ruinam etiam Antiochiæ longo *carmine* planxit. Hæc ab eo scripta memorat Gennadius *, ex quibus hodie nil superest. Extat quidem Latinè, à Gennadio non recensitus, sub Isaaci nomine *Liber de Contemptu mundi*, Biblioth. Patr. Tom. XI. qui tamen juniori Isaaco, qui exeunte Sæculo sexto floruit, à quibusdam non immeritò tribuitur. Cùm enim neque Gennadius, neque Trithemius, qui scripta Isaaci nostri enumerant, hujus libri meminerint, ut rectè observat Miræus, non minùs probabile videri queat librum istum esse Isaaci junioris.

* De Script. c. 66.

440. ASCLEPIUS, gente Afer, claruit anno 440. & in vivis adhuc erat anno 495. De eo ex Veteribus unus hæc habet Gennadius *. *In Bajensi territorio vici non grandis Episcopus, scripsit adversùm Arianos: & modò adversùm Donatistas scribere dicitur. In docendo autem ex tempore grandi opinione celebratur.* NE.

* De Script. c. 73.

440. P. II. ARCHELAUS Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, claruit, si rem obscuram rectè conjectando assequi possum, circa annum CCCCXL. Certum penè est, ipsum post an. CCCLXXXIII. quo Sidensis Synodus Messalianos damnavit, floruisse, & ante Concilium *latrocinale* Ephesinum anno CCCCXLIX. quo tempore Thalassius erat Cæsariensis Episcopus, quem excepit Alypius, de cujus ætate diximus in *Lampetio*, ad ann. CCCCLX. Verisimile igitur est Archelaum, non diu post Concilium I. Ephesinum, circa annum CCCCXL. vixisse;

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. vixisse; præsertim cùm Photius scriptores qui Messalianos oppugnabant recensens, illum concilio Ephesino proximè adjungit. Scripsit contra hæresin Messalianorum, quorum capita XXIV. Anathematismis refutavit, ut ex libro Synodico refert Photius Cod. LII. col. 40.

440. P. II. HERACLIDAS, Nyssæ, quæ Armeniæ minoris urbs erat, Episcopus, claruit eodem circiter tempore, circa annum CCCCXL. quippè quem Archelao accenset Photius, & Alypio Cæsariensi qui claruit circa annum CCCCLVIII. tempore fuisse anteriorem disertè dicit. Composuit adversùs Messalianos Epistolas duas, in quarum alterâ testimonium quoddam pro antiquitate Sacrarum Imaginum allatum erat, notante Photio, qui & ipse cultûs Imaginum acerrimus defensor erat. Cod. LII. col. 41.

443. PASCHASINUS, Lilybetanus in Siciliâ Episcopus, S. Cyrillo, Leoni Papæ, aliisque magni nominis viris familiaris. Claruit præcipuè circa an. 443. Multa ob Catholicæ fidei confessionem sub Genserici persecutione passus videtur. Ipse exilium, multaque mala sibi irrogata esse in epistolâ suâ conqueritur. Utrum verò idem fuerit cum Paschasio, quem à Genserico anno 437. aulâ deturbatum fuisse, & post cruciatus multos Martyrium tandem fortiter obiisse memorat Prosper in Chronico: Lectori accuratiùs dispiciendum relinquo. Anno 451. à Leone Papâ ad Concilium Chalcedonense unà cum Lucentio Episcopo Asculano, & Bonifacio Presbytero, legatus est, ut illius nomine Synodo interesset. Primas in legatione vices substinuit Paschasinus; atque adeò Leonis nomine primus omnium Episcoporum Synodi decretis subscripsit. *Scripsit Epistolam de Paschatis observatione ad Leonem Papam*; quæ inter Leonis Epistolas extat; emendatior autem apud Bucherium de Doctr. Temp. p. 75. Scripsit etiam *Epistolam ad eundem*, sui & conlegatorum nomine, *de damnatione Dioscuri*, quæ in Conciliorum Tomis habetur. Eidem *Acta Concilii Chalcedonensis* ascribit Trithemius, qua auctoritate motus, parùm liquet; nisi quòd Concilio interfuerit, & præsederit Paschasinus.

444. TIRO PROSPER, gente Aquitanus, homo, ut videtur, laicus, Leonis Papæ notarius. Claruit anno 444. Regensis quidem in Aquitaniâ, vel ut alii, Rhegiensis in Italiâ, Episcopus fuisse vulgò creditur: cui quidem sententiæ ægrè assensum præbere possim. Ex Veteribus enim nullum ante Honorium Augustodunensem, vel infimum in Clero locum, multò minùs dignitatem Episcopalem ei assignâsse rectè notat CL. Labbæus.* Augustini nomen & doctrinam studiosè inprimis coluit; & eum anno 426. datis literis de Massalianis erroribus in Galliâ pullulantibus certiorem fecit; utque scriptis de perseverantiâ & prædestinatione libellis eos oppugnaret, obtinuit. Ejusdem post obitum memoriam contra Massalianorum calumnias summo animi affectu & diligentiâ tutatus est; adeò ut anno 431. suscepto, unà cum Hilario studiorum socio, Romam itinere, Augustiniani nominis insectatores calumniæ & hæreseos apud Cœlestinum Papam accusaret; & Pontificis epistolam ad Galliæ Episcopos impetraret, quâ munitus Massalianorum insidiis fortiùs obsisteret. In Galliam redux, Pelagianos impigrè oppugnare tam scriptis quàm exemplo perstitit; & anno 433. nobile inprimis Opus adversùs Cassianum, quem *Collatorem* vocat, edidit. Post annum 440. Romam à Leone Papâ evocatus videtur, ut illi esset ab Epistolis, & contra Pelagianos Italiam turbantes decertaret. Anno 443. à Leone ad id munus exequendum in Campaniam missus est; ut Juliani dolis & audaciæ obviam iret. Anno 455. in vivis adhuc erat: eò usque enim Chronicon suum perduxit. Quin & illius meminit ad annum 460. Marcellinus Comes in Chronico. Vir certè erat magnæ eruditionis, nec minoris pro fide Catholicâ zeli: adeò ut Pelagianæ hereseos ruinam illi præ aliis acceptam referat Photius*. Uxoratum fuisse arguunt versus ad Uxorem suam, qui à Bedâ in fine libelli de re Metricâ adducuntur.

* Tom. 2. p. 247.

* Cod. 54.

OPERA QUÆ EXTANT.

De *promissionibus & prædictionibus* Dei *liber*, in tres partes divisus, cum adjunctis libellis, qui inscribuntur *Dimidium temporis*, ubi de Antichristo multa, & de gloriâ regnoque Sanctorum: Prosperi Aquitani non esse Opus istud contendit Usserius in Bibliothecâ Theol. MS. hoc præcipuè argumento usus. Prosper Africam nunquam vidit, saltem vivente Augustino. Operis autem istius Autor scribit se Aurelium Episcopum (qui non longè post S. Augustinum obiit) Carthagine vidisse. Quin & in persecutione Vandalicâ se multa passum, & ex Africâ depulsum, tandem in Italiam delatum esse prodit; quæ Prospero nostro nequaquam conveniunt. His adde ingentem styli dissimilitudinem; quæ quidem tanta est, ut vel sola opus Prospero abjudicare possit. Calculum suum nuper addidit CL. Quesnellus, Differt. de Vit. S. Leonis ad an. 444. num. 4. *Prosperi enim*, inquit, *non est illud Opus, sed ignoti anonymique cujusquam Africani, cujus stylus dicendique Character quàm longè à Prosperiano distet, quivis æquus rerum æstimator facilè judicet. Hujus quippe oratio, humilis, jejuna, & simplex; Prosperi loquendi genus abundans, dives, viribus & nervis valens, locuples sententiis. Frustra quis dixerit exaratum hoc Opus à Prospero juvene, cum sit hominis ætate provecti, ut & ipse autor de se testatur, & ex multis locis constat.* His adde, Gennadium dum Opera Prosperi recenset, hujus libri non meminisse. Utut sit, ab aliquo Prosperi coævo scriptus est liber iste, & à Cassiodoro * olim Prospero attributus videtur.

* Divin. Lect. c. I.

De Vitâ Contemplativâ libri III. Prosperi ævo aliquantulùm recentiores primâ fronte videntur. Juliano Pomerio deberi Isidori Hispalensis † autoritate constat. Prodierunt seorsim anno 1487. & *Colon.* 1536. 8°. Prologum II. in hos libros edidit Dacher. Spicileg. Tom. XIII.

† De Script. c. 12.

Ad Ruffinum Epistola de gratiâ & libero arbitrio.

Responsiones ad capitula objectionum Gallorum doctrinam S. Augustini calumniis insectantium.

Responsiones ad Capitula XVI. *objectionum Vincentianarum.*

Responsiones ad Excerpta, quæ de Genuensi civitate sunt missa. Sive Dubiorum IX. *ex Augustini libris de Prædestinatione Sanctorum & Bono Perseverantiæ objectorum solutiones.*

Contra Collatorem liber, seu de gratiâ Dei *& libero arbitrio pro S. Augustino contra Cassiani Collationem* XIII. Prodiit seorsim *Lugduni Bat.* 1606. & *Atrebat.* 1628.

Sententiarum ex Operibus S. Augustini excerptarum Liber, sententias CCCLXXXVIII. complexus. Prodiit seorsim *Helmstad.* 1613.

Commentarius in LI. *Psalmos posteriores.*

De vocatione Gentium Libri II. qui Ambrosio malè olim inscripti, inter Opera illius haberi solent. Hodiè Prospero vulgò ascribuntur: & suffragatur quidem Codicum MSS. fides; verùm obstat discrimen

SÆC.V ab An. CCCC. men dogmatum nonnullorum ab iis quæ Proſper ſummo animi ardore propugnavit. Eligenda igitur præ cæteris videtur CL. Voſſii* ſententia; qui Proſpero Aurelianenſi Epiſcopo, cujus meminit Sidonius l.8. Epiſt.15. quique Conciliis Vaſenſi II. & Carpentoractenſi annis 529. & 27. interfuit, eos adjudicat.

*Hiſt. Pelag. l.1.c.20.

Epiſtola ad ſacram Virginem Demetriadem, quæ cum libris de Vocatione Gentium inter Ambroſii Opera locum malè obtinet. Scripta verò eſt à Proſpero poſt datam Pelagii ad Demetriadem epiſtolam; quam datâ operâ inibi refellit.

Epiſtola ad D. Auguſtinum de reliquiis Pelagianæ hæreſeos, quæ Auguſtini libris de Prædeſtinatione Sanctorum & Bono Perſeverantiæ præfigi ſolet.

De Ingratis, ſive περὶ τῶν ἀχαρίστων, *adversùs Pelagianos Carmen Heroicum*, vivente adhuc S. Auguſtino ſcriptum.

Epitaphium Neſtorianæ & Pelagianæ hæreſeωn, in quo utriuſque hæreſis affinitas deſcribitur.

Epigrammatum XCVIII. *liber* ex ſententiis S. Auguſtini.

Epigrammata II. in Obtrectatorem S. Auguſtini.

Ad Uxorem metrum Anacreonticum cum elegiaco.

De *Providentiâ divinâ Carmen Heroicum*, quod tantùm abeſt, ut Proſperi ſit; ut à Pelagiano quodam compoſitum fuerit.

Canones Concilii Arauſicani II. qui à Proſpero dictati, & Leonis Papæ nomine ad Concilii Patres miſſi dicuntur. Verùm tota res fabulam ſapit nugaciſſimam. Siquidem Concilium iſtud anno 529. habitum eſt, multis poſt Proſperi ac Leonis mortem annis.

Cæterùm *Epiſtolas* quamplurimas, quæ inter Leonis Opera leguntur, & inprimis celebrem illam *adversùs Eutycheten* à Proſpero dictatas fuiſſe prodit Gennadius*. Idem præterea alibi†, pariter ac Iſidorus* *Canonem quendam Paſchalem* eidem aſcribit; qui interiit. Sanè Proſperum ſupputationem Feſti Paſchalis apprimè calluiſſe ex Chronico illius conſtat.

* De Script. cap. 84.
† cap.88.
* Orig. l. 6. c.17.

Confeſſio Fidei, à Sirmondo primùm edita ex Codice Vaticano poſt Eugenii Toletani Opuſcula *Pariſ.* 1619. Habetur & in Biblioth. Patr.

Chronicon, cujus quatuor editiones inter ſe diverſiſſimæ hodie circumferuntur, nempe.

Vulgaris, quæ Chronicis Euſebiano & Hieronymiano in editione Scaligeriana ſubjungitur, & ab anno 379 (quo deſiit Hieronymus) incipiens, ad annum 445. progreditur.

Ducheſniana, quæ priori Chronici editioni decem annorum Hiſtoriam adjungit, & ad annum uſque 455. quo capta eſt à Genſerico Roma, pertingit. Hanc primus vulgavit ex Codicibus MSS. Sirmondi, & Chifletii Ducheſnius Tomo I. Hiſtoricorum coætaneorum Franciæ.

Pithœana ſeu *Imperatoria*, quæ anno 379. exorſa, non per Conſules, ſed per annotatos in margine Imperatorum annos procedit, & in annum 455. definit. Editionem iſtam in lucem emiſit Petrus Pithæus *Pariſ.* 1588. quam exemplaris MSS. ope emendatam iterum recudi fecit Philippus Labbeus Bibliothecæ Novæ MSS. (*Pariſ.* 1657.) Tom. I. pagin. 56.

Labbeana, quæ integrum demum Proſperi Chronicon, quale à Gennadio deſcribitur exhibet. A Mundi enim principio exorſa ad annum uſque 455. pertingit. Poſt annum 379. inſeritur Auctuarium de variis hæreſibus. Quæ verò pars ab anno 379. ad 455. res geſtas narrat, Conſularis vulgò dicta, emendatior atque auctior eſt, quàm quæ ante vulgata fuit. Hanc editionem diu deſideratam primus dedit Philippus Labbeus Bibliothecæ Novæ MSS. Tomo I. p. 16. SÆC.V. ab An. CCCC.

In Editionibus hiſce quatuor, mirùm quàm variet pars Chronici Conſularis dicta, quæ ab anno 379. ad 445. vel 455. pertingit, in his duplò ferè auctior quàm in illis; in nonnullis diluta admodùm ac jejuna, in aliis accurata ſatis. Verùm id differentiæ, quod quidem enorme eſt, librariorum & interpolatorum audaciæ & imperitiæ aſcribi debet.

Prodierunt B. Proſperi Opera (præter Chronicon, & Confeſſionem fidei quæ in nullis editionibus locum habent) *Lugduni* 1539. fol. *Colon.* 1565. 4°. *Lovanii* 1566. 4°. *Duaci* 1577. 8°. *Colon.* 1609. 8°. 1613. *Lugduni* 1639. & in Bibliotheca Patrum Tom. VIII. p. 1.

IRENÆUS, gente, ut videtur, Syrus, dignitate S. Imperii Comes, anno 431. à Theodoſio Imp. Epheſum miſſus eſt, ut vice ſua Synodo Oecumenicæ intereſſet. Epheſum profectus Neſtorii partibus apertè favit, Epiſcopos autem Orthodoxos variis injuriis divexavit. Finitâ Synodo ab Orientalibus Epiſcopis exoratus Conſtantinopolin properè ſe contulit, ut mendaciis & dolis fucum Imperatori faceret, & Cyrillo ac veritati aditum præcluderet. Anno 435. Neſtorio è ſuo S. Euprepii ſeceſſu turbas iterùm cienti Antiochiæ præſens factus palam iterùm patrocinatus eſt. Quo nomine ſubiratus Imperator eum in ordinem redegit & aulâ ejecit: quin & in exilium Petras uſque Arabiæ oppidum deportari, honorifico tamen ſatis comitatu ſtipatum, juſſit. Verùm eò nunquam profectus fuiſſe videtur Irenæus, ſive fuga ſive precibus elapſus. Dignitate priſtina collapſus, in Syriam ſeceſſit, ubi Epiſcoporum Phœniciæ decreto ann. 444. à Theodorito, digamus licèt, Tyri Epiſcopus ordinatus eſt. Sedem tamen non diu tenuit. Rem enim ægrè ferens Imperator eum poſt biennium edicto deponi juſſit; niſi Mariam Deiparam eſſe confiteretur, & Neſtorium anathematizaret. Quę cùm pertinaciter recuſaret Irenæus, anno demum 448. vel potiùs ſequente, per vim Epiſcopatu ſuo deturbatus eſt. Sede ejectus ad ſcribendam Tragœdiam ſe contulit; ut eo ſaltem modo ademptæ ſibi dignitatis utriuſque pœnas exigeret. Quamdiu Epiſcopatui ſuperfuerit, non liquet. Scripſit *Commentarium de rebus in Synodo Epheſinâ, ac in Oriente toto* per viginti plus minùs annos ab eâ proximè elapſos ex occaſione controverſiæ Neſtorianæ geſtis. Opus iſtud in plures diviſum erat libros; (quorum unus ex. gr. inſcribebatur *de Hiſtoriâ*, nec tam perfecta erat Hiſtoria, quàm farrago Actorum Synodalium, Epiſtolarum, Reſcriptorum Imperialium, aliorumque ejuſcemodi ſcriptorum cauſam Epheſinam ſpectantium: quibus ipſe pro re natâ Hiſtoricas paſſim notas adjunxit, Cyrillum & Orthodoxos ſugillans, Neſtorium verò ejuſque ſectarios collaudans. Interiit quidem Opus iſtud: partem tamen illius non contemnendam è Græco in Latinum ſermonem verſam nobis conſervavit, quiſquis ille fuerit, autor certè ſatis antiquus, Compilator Epiſtolarum Epheſinarum, quas in lucem emiſit Chriſtianus Lupus *Lovanii* 1682. 4°. Tota enim illa *Epiſtolarum & Actorum Synodalium Sylloge*, quanta quanta eſt, ex majori Irenæi Opere, deſumpta olim videtur. In his Lupi Epiſtolis, præter quamplurima ſcholia & notas illi ab Interprete Latino diſertè aſcripta, extat Irenæi Epiſtola unica ad Epiſcopos Orientales ann. 431. ſcripta, nu. 21. quæ Græcè etiam habetur Concil. Tom. III. p. 717. 444.

IDATIUS, ſeu Hydatius, gente Hiſpanus, Patriâ 445.

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC.

tria Gallæcus, domo Lemicensis, Sigeberto Lemicensis, aliis rectiùs Aquæflaviensis, Episcopus, claruit an. 445. quo circiter tempore illius tanquam Episcopi Gallæci meminit Leo Papa Epistolâ 91. & ipse Manichæos quosdam in Gallæcia latitantes se Turibio Episcopo Asturicensi sociatum detexisse refert. Ante annum tamen 431. Episcopatum gessit, cùm ad Aetium utriusque militiæ Ducem à Popularibus suis legatus in Galliam iter suscepit. Anno 461. à Suevis Gallæciam vastantibus in Aquæflaviensi Ecclesiâ captus abductus est, ac post trimestrem captivitatem domum remissus. Obiit anno 468. vel sequente admodum grandævus. Scripsit *Chronicon* ab anno 379. (quo desiit Hieronymus) ad annum 428. Valentiniani tertium, uti ipse in Præfatione testatur, idque postea ad ann. 467. produxit. Excerpta tantùm nonnulla illius ediderunt Scaliger ad calcem Chronici Eusebiani, & Canisius in Antiquis Lectionibus. Integrum verò dedit Jac. Sirmondus *Paris.* 1619. 8°. & ex eo editio Chronici Eusebiani *Amstelodamensis* 1658. Contexuit etiam Fastos Consulares à Bruto ac Collatino primis Consulibus exorsus, & ad annum usque 468. catalogum pertexens. Imperfectos edidit, ab anno Christi scilicet 270. ad ann. 423. pertingentes, Sirmondus *Paris.* 1619. integros verò Phil. Labbeus Biblioth. Nov. MSS. Tom. I. pag. 3. Utrumque Opus in Bibliothecâ Patrum habetur Tom. VII. pag. 1231. De *Chronico* notandum restat, nonnullos post Idatii mortem id ad annum 500. vel 490. continuâsse; unde subortus Bostono error, qui ad illum; Sigeberto in Chronico, qui ad istum annum Chronicon ab Idatio perductum esse scribunt. Et sanè Idatii Chronicon, quod apud Canisium Antiq. Lect. Tom. II. habetur, quodque ab Andrea Schotto Tom. IV. Hispaniæ Illustratæ editum est, ultra Leonis Imp. tempora progreditur. Dictionem Idatii barbaram esse notat Scaliger, atque errores in Historiâ Romanâ continere non paucos; de Gothis tamen & Suevis nonnulla habere, quæ alibi non reperiuntur.

447. FLAVIANUS, magnæ Ecclesiæ CP. Presbyter, & sacrorum vasorum donariorumque custos. Post Procli mortem anno 447. exeunte Octobri, (quod tamen alii cum Baronio ad annum superiorem referunt) Antistes Constantinopolitanus factus est: cui proinde datâ ad ipsum epistolâ Theodoritus* regiæ Urbis Episcopatum gratulatur. Sedem autem non diu tenuerat, cùm Eutyche hæresin suam apertiùs propalante ipse coacta Constantinopoli quadraginta Episcoporum Provincialium ἐνδημούσῃ Synodo hominem obstinatum damnavit. Verùm Eutyches Chrysaphii, primarii inter Imperiales Cubicularios Eunuchi, qui omnia in Palatio poterat, & Flavianum summo odio prosequebatur, potentiâ & favore fretus ad Synodum magis generalem, quàm versutiis ejus illusus Imperator Ephesi habendam indixerat, appellavit. Anno igitur 449. præsidente in Synodo Dioscuro, atque omnia per vim agente, rescissis Actis Constantinopolitanis Eutyches absolutus est, Flavianus autem damnatus, depositus, & à Barsuma, aliisque factionis Monachis malè tractatus: quin & si Zonaram* ac Nicephorum† audiamus, à Dioscoro, Chrysaphio, aliisque pietatis ac veritatis hostibus, pugnis & calcibus pectus & ora adeò graviter cæsus, ut tertio post die vitam finierit. Subdit Nicephorus Dioscorum calcibus in demortui Flaviani ventrem insiliisse. Alii tamen Flavianum à Latrocinali Synodo in exilium pulsum Hypæpas Lydiæ urbem pervenisse, ibique die XVIII. Februarii anni sequentis calamitatibus & miseriis fractum obiisse tradunt. Quâ de re videsis CL. Garnerium accuratè, ut solet, disputantem, Dissert. de libris Theodoriti pag. 208. Extant à Flaviano scriptæ *Epistolæ* II. ad *Leonem Papam* Concil. Tom. IV p. 13. quarum prima Latinè, secunda Græc. Lat. ibidem extat: illam verò Græc. Lat. edidit Cotelerius Monument. Tom. I. pag. 50. & Baluzius Nov. Collect. Concil p. 1373. *Libellus Fidei Theodosio Imp. id petenti oblatus* Gr. Lat. Concil. loco citato.

* Ep. 11.

* Annal. Tom. 3. p. 36.
† L. 14. c. 47.

TURIBIUS, gente Hispanus, Asturicensis in Hispaniâ Tarraconensi Episcopus, claruit anno 447. quo Concilio Hispanico generali adversùs Priscillianistas intererat, ejusque pars magna fuit. Scripsit *Epistolam* ad Idacium & Ceponium Hispanos Episcopos, in quâ de non recipiendis Apocryphis Scripturis, deque damnatione sectæ Priscillianistarum cum omnibus erroribus ab eâ disseminatis, agit. Hanc ex codice MS. Toletano descriptam, se in ingenti suâ Conciliorum Hispaniæ collectione editurum, & dissertationem de rebus S. Turibii subnexurum, pollicitus est Josephus d'Aguirre jam Cardinalis. Vide ejus *Notit. Concil. Hisp.* pag. 58. Et quod promisit, præstitit in ingenti suâ Conciliorum *Collectione*, ubi Epistolam Turibianam, eleganti stylo scriptam, notis doctissimis illustravit *Concil. Hisp.* Tom II. pag. 218. & genuinam ejus auctoritatem adversùs Stephan. Baluzium (qui litem huic Epistolæ intentârat *Collect. Nov.* in Præf. & p. 949.) à Codicis MS. sexcentorum circiter annorum antiquitate, membranarum vetustate, charactere Gothico, aliisque indiciis egregiè vindicat. Hanc Epistolam anteà extulerat Ambrosius de Morales *Hist. Hisp.* lib. II. cap 26. Inseruit item eam Annalibus suis Baronius ad annum 447 p 43. Alios etiam libros ad Leonem I. Papam scripsisse Turibium, quibus fœdissimam Priscillianistarum hæresim, tunc temporis in Hispania repullulantem, fucatis coloribus denudavit, luculenterque depinxit, testis est Montanus Episcopus Toletanus anno 527. Epistolâ ad Antistites & Presbyteros territorii Palentini sub finem, tum ap. d'Aguirre *ibid.* pag 270. tum *Concil.* Tom IV. col. 1737. Quinam verò fuerint hi libri, perspicuè nos docet ipsemet Leo Epist. responsoriâ ad Turibium nostrum in initio (habetur inter Leonis Epistolas *nu.* XV. Edit. Quesnel. Editionum vulgarium XCIII.) nempè *Epistola* ad Leonem, *Commonitorium* XVI. Capitula complexum, quibus impia & blasphema Priscillianistarum dogmata liquidò exposuit, quibusque totidem Capitula antidoti vice in suâ Responsoriâ reposuit Leo, denique *Libellus* quo, ut videtur, hos Hæreticos ampliùs depinxit & refutavit. Verùm hæc Turibii Opuscula dudùm perierunt. 447. P. II.

SYMEON, *Stylites* dictus, &, ut à Juniore Symeone vitæ ejus æmulo distinguatur, *Senior*; gente Syrus, ex vico Susan oriundus, claruit præcipuè circa ann. 448. Ineunte ætate ovibus pascendis operam dedit, postea in somnio divinitùs admonitus ad Heliodorum quendam, Eremitam vitæ sanctitate celeberrimum, se contulit; apud quem decem annos (novem habet Evagrius) jejuniis, aliisque severioris vitæ institutis intentus exegit. Inde Telanissi sub montis vertice angustâ quâdam æde per triennium inclusus, adeò jejuniis se maceravit ut nonnisi intervallo 40. dierum cibum degustasse feratur. Domunculâ egressus in ipso montis vertice, catenâ ferreâ ingente viginti cubitos longâ rupi sese alligavit. Quod quidem vitæ genus integro septennio egisse censendus est; nisi potius Evagrii* calculos sequi malimus, qui missa catenæ narratione, decem annos in domuncula eum delituisse tradit. Tandem à Meletio quodam Episcopo exoratus catenam deposuit, & colum- 448. Theod Philoth. c. 26.

* L. 1. c. 13.

Digitized by Google

nam excelsam in loco quodam Mandra dicto prope Antiochiam sitam petiit; ac in inferiori columnæ parte annos septem, in vertice triginta exegit, inde *Stylita* dictus. Hic loci stupendas planè ac humanam sortem longo intervallo superantes vitæ asperitates exercuit; quin & si Græci audiendi, innumera confecit miracula; donec tandem post 56. annos in vitâ asceticâ peractos, Imperante Leone, diem supremum obiit, inter annos, ut videtur, 460. & 467. Scripsit *Epistolas* multas, *unicam ad Theodosium Imp ut Ecclesias Judæis Antiochenis concessas adimeret, hortatoriam,* cujus meminit Evagrius l. 1. c. 12. *alteram pro Synodo Chalcedonensi ad Leonem Imp.* memoratam ab eodem l. 2. cap. 10. *tertiam pro eadem Synodo* ad Basilium Episcopum Antiochenum, quam integram exhibet Evagrius loc. cit. & ex eo Nicephorus l. 15. c. 19. *quartam ad Eudociam Imperatricem in eâdem causâ,* cujus fragmenta refert Nicephorus l. 15. cap. 13. quintò professionem fidei Catholicæ ad Leonem Imp. cujus meminit Eulogius Alexandrinus apud Photium Cod. 230. quæ tamen eadem jure censeri posset cum Epistolâ 2a. modò recensitâ. Porro extat Lat. sub Symeonis nostri nomine *Sermo de semper mente complectendo suum cuique discessum,* Bibliothecæ Patr. Tom. VII. Vitam Symeonis Stylitæ scripsit Antonius, discipulus & servus ejus, qui in columnâ degenti res necessarias subministravit. Extat Vita Lat. in Historiâ Patrum Tom. I. editionis Plantinianę.

448. POLEMIUS, sive P. ANNÆUS SYLVIUS, unde oriundus, quodve vitæ genus sectatus nondum didici; Romę vixisse videtur, claruitque anno CCCCXLVIII. Scripsit enim sub Theodosio Juniore, & Valentiniano Augustis, extincto jam Joanne Tyranno, & ut ipsemet adhuc clariùs testatur Flavio Zenone & Posthumiano COSS. id est anno Christi CCCCXLVIII. & sequentis initio, cùm Asterius Consulatum iniret. Condidit *Laterculum* quovis anni mense Christianorum & Gentilium Festa complectentem, quem Domino Beatissimo Eucherio Episcopo nuncupavit. Integrum ferè penès se habuisse testatur CL. Bollandus, Præfat. General. ad Act. Sanctorum Tom. I. c. 4. §. 3. p. 43. qui Mensem Januarium speciminis causâ evulgavit, reliqua se cum animadversionibus editurum pollicitus: an fidem liberaverit, vel ejus nomine præstiterint in laboriosâ illa Actorum Collectione συνεργοὶ, non comperi.

448. EUTYCHES, Presbyter & Archimandrita Constantinopolitanus, in Concilio Ephesino strenuè contra Nestorium decertavit; ac famam sibi non vulgarem peperit: anno circiter 448. cùm senex admodùm esset, hæresin nefandam in vulgus propalare cœpit. Unicam enim in Christo naturam admisit; ita ut ante Divinæ ac humanæ naturarum unionem duas in Christo fuisse naturas concederet, post unionem autem unam factam esse contenderet. Hinc & Christi carnem nostræ consubstantialem esse negavit, ex Mariâ quidem nobis consubstantiali genitum fassus, carnem autem ex eâ nobis consubstantialem suscepisse negans. Hujusmodi ferâ dogmata in Symbolum quoddam conjecta per Monasteria divulgavit, ut ab omnibus Monachis subscriberentur, mandans. Quo nomine ab Eusebio Dorylæensi Episcopo clàm admonitus, cùm resipiscere detrectaret, ab eodem hæreseos apud Flavianum Episcopum accusatus est. Exeunte igitur anno 448. Flavianus Synodum Constantinopolim convocat, Eutychem ter citari curat. Monasterio ille se includit, morbum simulat: mox tamen domo se proripiens, Imperatorem adit, & satellitium militare sibi impetrat. Eo stipatus Synodum ingreditur, accusationem sibi intentatam se armorum terrore discussurum ratus. Voto tamen excidit. Cùm fidem enim Catholicam ac duas in Christo naturas, sæpiùs à Flaviano, interpellatus confiteri nollet; ab officio sacerdotali, communione Ecclesiæ, & primatu Monasterii submotus est. Damnatus à Synodo tanquam Hæreticus, Acta Concilii inimicorum fraude falsata conqueritur, & Chrysaphii sibi amicissimi autoritate usus, ut coacta Synodo & adhibitis in consessum Aulicis quibusdam, causa iterum in examen revocetur, ab Imperatore mandari petit atque obtinet. Dictum factum. Synodus statim iterum convocata, relecta prioris Synodi acta, res utrinque disceptata, Eutyches iterum damnatus. Nondum autem quiescit audax nebulo, sed Dioscurum in partes trahens, ut ad causam suam cognoscendam generalior Synodus anno sequente Dioscuro præside Ephesi habenda ab Imperatore indiceretur, Chrysaphio adjuvante, impetrat. Eò profectus, ac fidem Nicænam illibatam tueri præ se ferens, pessimis Dioscuri artibus ac inaudita in Episcopos tyrannide, in integrum restitutus est; ac Flavianum & Eusebium vice versâ deponi curavit. Anno autem 451. cùm Ecclesiæ libertas & Episcopis παῤῥησία à Martiano Imp. denuò redderetur; causa ejus in Concilio Oecumenico Chalcedonensi 630. Episcoporum ritè judicata est: ac dolosa fidei Confessio, quam in Latrocinio Ephesino obtulerat, relecta, Symbolo Nicæno, uti præ se tulit, consona. Cùm verò in eâ articulum istum (Qui descendit, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Mariâ Virgine) prætermissum deprehendissent Patres Chalcedonenses, ac blasphemias Eutychis innumeris testimoniis consignatas accepissent, unanimi omnium voce anathemate percussus est. Quid ei exinde contigerit parùm liquet; nisi quod Leo Papa binis Epistolis à Pulcheriâ Augustâ & Martiano Imp. enixè petierit, ut è Monasterio CP. ubi cum periculo fidelium agebat, depulsus, in exilium mitteretur. Quo verò eventu aut successu id fecerit Leo, non constat. Extat Gr. Lat. Libellus sive *Confessio fidei Synodo Ephesinæ λῃστρικῇ oblatus,* Concil. Tom. IV. pag. 134. *Supplicationes duæ ad Theodosium Aug,* ibidem pag. 241. 250. Lat. *Epistola ad Leonem Papam, cum Fragmento Confessionis,* inter Epistolas Lupi Ephesinas num. 222. 223. Ep. 45. 70.

EUSEBIUS, unde oriundus, incertum; Laicus dum adhuc esset, dignitate autem Agens in rebus, ac Augustæ Scholasticus, eruditionis famâ illustris erat. Quo tempore anno circiter 430. Nestorio in Ecclesiâ CP. concionanti, & blasphemias suas effutienti, palàm se opposuit: & mox Contestationem contra Clericos C P. Nestorii sequaces proposuit; quâ Pauli Samosateni hæresin à Nestorio resuscitatam esse demonstravit. Tandem in Clerum cooptatus, Ecclesiæ Dorylęensis in Phrygiâ Salutari Episcopus factus est. Claruit præcipuè ab anno 448. quo Libellum accusationis adversùs Eutychem, quem amicè sæpiùs antea erroris admonuerat, Synodo Constantinopolitanæ exhibuit. Eodem anno finitâ Synodo à Flaviano ad Leonem Papam (si modò aliqua Veterum auctoritas accederet) legatus jure censeri possit. Romæ enim apud Leonem Papam aliquando fuisse fidem facit actione 16. Concilii Chalcedonensis. Utut sit anno 449. Synodum Ephesinam profectus, à Dioscuro summa injuriâ exclusus est, mox damnatus & depositus, demum verberibus malè mulctatus. Anno 451. in Concilio Chalcedonensi, oblato accusationis libello, Dioscurum injuriæ, Eutychem hæreseos postulavit, 448. Evag. l. 1. cap. 9.

& Sy-

Digitized by Google

& Synodi pars magna fuit. Præter multa quæ tum in Constantinopolitanâ tum in Chalcedonensi Synodo pro re natâ egregiè disseruit, extat Lat. *Contestatio adversus Nestorium* in Marii Mercatoris Opera, par.2. p.18. ab eo Latinè versa. Gr. Lat. *Libellus adversus Eutycheten Synodo CP. oblatus.* Concil. Tom.IV. pag.151. *Libellus adversus Dioscurum Synodo Chalcedonensi oblatus* ibid. p.380. *Epistola ad Marcianum Imp.* Concil. Tom.IV. p.95.

448. BASILIUS, Seleuciæ in Isauria Metropolita, claruit anno 448. Eundem hunc cum Basilio Chrysostomi amico & contubernali, ad quem scripti sunt de Sacerdotio libri sex, facit Photius*, (& post eum Codex Suidæ MS. cujus ex Bibliothecâ Antverpianâ meminit Dausquius) ac exinde recentiorum haud pauci. Quod quidem ob longissimum temporis intervallum admodum improbabile videtur: Si enim ita se res haberet, Basilium nostrum tempore Synodi Chalcedonensis septuaginta jam plusquam annis sedem suam tenuisse necesse est: neque eundem fuisse disertè dicit Photius, sed tantum ex conjecturâ loquitur. Anno 448. Synodo CP. interfuit: ubi de Christi naturis orthodoxam admodum sententiam tulit, & Eutychis damnationi non invitus subscripsit. Anno autem sequente in Latrocinio Ephesino sive Dioscuro vi compulsus, sive insitâ animi levitate motus, priorem sententiam palàm revocavit, Flavianum suffragio suo damnavit, & duas in Christo naturas confessos anathematizavit. Quo nomine cùm Synodo Chalcedonensi anno 451. interesset, à Concilii Patribus Sessione primâ unà cum primarii Latrocinii ducibus munere Episcopali submotus est, vim sibi à Dioscuro Ephesi illatam frustra causatus. Sessione tamen quartâ, cùm Catholicè sensisse & nunc & olim compertus fuerit, in Concilium admissus ac dignitati pristinæ restitutus fuit. His gestis quamdiu superfuit, non liquet, nisi quòd anno 458. è Synodo suâ Isauriæ habitâ ad Leonem Imp. rescripserit. De stylo ejus hæc habet Photius*. In scriptis ejus τὸ μὲν τροπικὸν καὶ γοργὸν καὶ τὸ πάρισον, εἴπερ, ποτέ τινι καὶ ἄλλῳ ἐστὶν ἰδεῖν αὐτῷ δημιουργούμενον. τὸ δὲ σαφὲς δὲ καὶ ἡδὺ διαπρέπει. Τὸ καὶ λίαν προσκορὲς τῆς τροπῆς, καὶ τῶν γοργείων σχημάτων, μᾶλλον δὲ τὸ συνεχὲς καὶ ἄκρατον καὶ ἀδιάπαυστον εἰς ἀηδίαν καὶ διαβολὴν τὴν ἀκροατῶν διεγείρει, καὶ ψόγον κινεῖ τοῦ συγγραφέως οὐκ ἔχοντος, ὡς ἔοικε, τέχνῃ τὴν φύσιν ῥυθμίσαι καὶ κανόνι τὸ ἄμετρον διατάξαι. *Magnus est, si quis unquam alius fuit, figuratæ atque incitatæ orationis, pariumque artifex. Perspicuitatem nihilominùs ac suavitatem retinet. Verùm quia nimius in tropis & schematis incitatis, satietatem parit, sive potiùs quia tam assiduus in his est ac totus, nihil ut aliud sine modo occurrat: auditori fastidium & calumniandi ansam præbet; atque ad scriptoris ipsius vituperationem incitat, quasi neque naturam arte moderari, neque regulâ quod inordinatum erat, digerere possit.*

* Cod. 168.

* Loc. cit.

SCRIPTA.

Orationes XLIII. viz. XVII. *in Vetus*, ac XXVI. *in Novum Testamentum.* Prodierunt Græcè *Heidelbergæ* 1596. 8° Latinas fecit, notisque doctissimis illustratas edidit Gr. Lat Claudius Dausquius Jesuita *Heidelbergæ* 1604. 8°. & calci adjunxit *Orationem in Transfigurationem Domini* tam Græcè quàm Latinè, antea non editam.

Demonstratio contra Judæos de adventu Christi, Latinè à Turriano edita *Ingolstad.* 1616 4°. Græcè etiam habetur in editione *Heidelbergensi* 1596. Sed *Demonstrationem contra Judæos* non esse Basilii Seleuciensis, satis apertè docet stylus, nec usquam in MSS. cum aliis Basilii Operibus occurrit, ut ex Bigotii monitu, me docuit CL. Allixius.

De vitâ & miraculis S. Theclæ Virginis & Martyris libri II. Hos ut Basilii nostri esse credam, nunquam à me impetrare potui. Dissuadent stylus & fabulæ isto ævo incognitæ, & à Basilii gravitate prorsus alienæ. Basilium quidem Theclæ martyris præclarè gesta scripsisse refert Photius, verùm ea carmine prosecutus est. Unde justa exoritur suspicio, Græcum quendam recentioris ævi monachum ex Basilii Historiâ metricâ additis aliunde fabulis hos libros consarcinâsse, si non potiùs proprio labore confinxisse. Gr. Lat. edidit Petrus Plantinus *Antverp.* 1608.

Omnia hæc Basilii Opera prodierunt Gr. Lat. *Paris.* 1622. fol. cum Dausquii notis, Gregorii Thaumaturgi Operibus subnexa.

Laudatio S. Stephani Protomartyris, à Fr. Combefisio Gr. Lat. edita unà cum aliquot Chrysostomi Homiliis *Paris.* 1656. 8°.

Orationem in S. Deiparam & in Domini incarnationem Gr. Lat. edidit ac lacunas antea in ea deprehensas supplevit idem Combefis. in Auctuario 1648. Tom.1. p.569.

BASSIANUS, Ecclesiæ Ephesinæ Presbyter, à Memnone Episcopo Ephesino Evazorum Episcopus invitus ordinatus est. Post Basilii autem, qui Memnoni successit, mortem, Antistes Ephesinus factus est, circa annum, ut videtur 443. quadriennio ante Procli CP. mortem. Tot enim annis sedem suam securus tenuit, à Proclo confirmatus. Flavianus autem sedem CP. nactus, Bassiano Episcopatum abrogavit, ac Stephanum quendam ei substituit. Hac de *re libellum Marciano* Imp. anno 451. Bassianus obtulit, ab eo ad Synodum Chalcedonensem remissus: Patres igitur Concilii, auditâ utrinque causâ, utrique sedem Ephesinam abjudicarunt, ac alium quendam iis subrogarunt. Extat *Libellus Imperatori oblatus* Gr. Lat. Concil. Tom IV. pag.685. 448.

EUSTATHIUS, Berytensis Episcopus, claruit an. CCCCXLVIII quo Synodum in causa Ibæ Episcopi Edesseni Beryti habuit, cognitione hujusce rei ad ipsum & Photium Tyrium à Theodosio Imperatore relatâ, Concilio etiam Chalcedonensi interfuit. Scripsit ad Timotheum Ælurum Alexandriæ Episcopum *Apologiam* pro S. Leonis Papæ Epistola, cujus fragmentum nobis conservavit Collectio quædam Testimoniorum cap.15. quæ Gr. MS habetur sub Damasceni nomine in Cod. Collegii Claramontani, ut fidem nobis facit Ph. Labbeus *Conspect.* Operum Damasc. p.50. 448. P. II.

ANATOLIUS, Dioscuri Alexandrini apud Constantinopolin Apocrisiarius, ab eo in Latrocinio Ephesino Flaviano Patriarchæ CP. deposito, nondum autem defuncto, suffectus anno 449. Episcopus CP. factus: quo tutius sedem suam retineret, ac Theodosii Imp. & Leonis Papæ favorem captaret, anno 450. collecta Constantinopoli Synodo Eutychis ac Nestorii errores damnavit, & Leonis epistolam ad Flavianum subscriptione sua comprobavit. Anno 451. Synodo Chalcedonensi interfuit: ubi sessione ultima ἴσα cum Roma vetere πρεσβεῖα sedi ejus à Patribus decreta sunt. Qua de causa ingentes irarum moles concepit Leo, atque eum quamdiu vixit, quanta potuit arte, oppugnare non destit. Obiit Anatolius anno 458. postquam sedem CP. octo annos ac totidem menses tenuisset. Extat Lat. *Epistola* anno 457. *ad Leonem Imp.* scripta, *de Concilio Chalcedonensi, & rebus à Timotheo Æluro Alexandriæ improbè gestis*, Concil. Tom.IV. p.905. 449.

PETRUS,

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. 450. Gennad. de Script. c. 74. PETRUS, gente Syrus, Eccleſiæ Edeſſenæ Presbyter, eloquentia inſignis, claruit anno 450. Scripſit *variarum cauſarum tractatus*, & more S. Ephræmi *Pſalmos metro* compoſuit.

450. DIADOCHUS, Photices, quæ veteris Epiri urbs erat, Epiſcopus, claruit anno 450. Pluribus eum laudat Victor Vitenſis*, ac ſe diſcipulum illius eſſe gloriatur. Scripſit *Capita C. de Perfectione ſpirituali, ac definitiones x. de totidem virtutibus*, quæ Capitibus Præfationis vice funguntur. De iis ſic Photius*. Οὗτος ὁ λόγος εἰς τὸ ἄριστον τοῖς ἀσκουμένοις συγκείμενος, καὶ τοῖς ἐν αὐταῖς ἐγγεγυμνασμένοις ταῖς τελειοποιοῖς πράξεσιν, οὐδ' ἀσαφές τι ἐμπαρεχόμενος. *Hic liber iis vel maximè commodus, qui ſe ad perfectionem exercent; immò & qui in ipſis actionibus perficientibus jam exercitati ſunt. nihil interim paulò obſcurius adferens.* Et iterum: ὅ τι γὰρ λόγος αὐτῷ εἰς τὸ ἀμώμητον συγκεῖται, καὶ ὁ νοῦς τὴν ἀπὸ τῶν πράξεων σοφίαν προβάλλεται. *Nam & dictio ita compoſita eſt, ut reprehendi nequeat; & ſenſus ex actionibus natam ſapientiam præfert.* Extant *Capitula* & *Definitiones* iſtæ Lat. ſeorſim *Antverp.* typis Plantinianis & in Bibliotheca Patr. Tom. 5. p. 884. Græcè verò *Florentiæ* 1578. monente Caſimiro Oudin. Editionem iſtam mihi hactenus videre non contigit. Certè extant Græcè MSS. in Bibliotheca Cæſarea teſte Lambecio*. Quin & *Homilia Diadochi de Aſſumptione Christi* penès Holſtenium Græcè delituit.

* Præfat. ad libr. de perſecut. Afric.

* Cod. 201.

Supplem. p. 91.

* Comment. l. 4. p. 151.

451. ATHANASIUS, genere Alexandrinus, Iſidoræ Cyrilli Alexandrini ſororis filius, Eccleſiæ Alexandrinæ Presbyter; à Dioſcuro Epiſcopo recèns facto facultatibus ſpoliatus eſt, gradu & dignitate dejectus, Alexandria totaque Ægypto pulſus, variis tormentis ſubjectus, ſæpiùſque carceri mancipatus; ideòque inops, egenus, palabundus erravit uſque ad annum 451. quo cauſam ſuam ad Concilii Chalcedonenſis Patres detulit. Extat Gr. Lat. *Libellus adversùs Dioſcurum Synodo Chalcedonenſi oblatus*; quo mala, quæ à Dioſcuro paſſus eſt, luculenter exponit, Concil. Tom. IV. p. 405.

451. ISCHYRION, Eccleſiæ Alexandrinæ Diaconus, magni à Cyrillo habitus, à quo ad res Eccleſiaſticas curandas crebrò ad Imperatorem, alioſque Epiſcopos legatus eſt. Mortuo Cyrillo, à Dioſcuro facto Diaconatûs munere ſubmovetur, & poſſeſſionibus, quas igni tradidit Dioſcurus, ſpoliatus; & per Harpacrationem Diaconum abreptus, tabidorum Xenodochio incluſus eſt, ſicariis non ſemel immiſſis, qui hominem occiderent. Iniquiſſimis his vinculis haud priùs abſolutus eſt, quàm Dioſcuri mandatis obtemperaſſet. Anno 451. Synodo Chalcedonenſi obtulit adversùs *Dioſcurum Libellum accuſationis*; qui habetur Gr. Lat. Concil. Tom. IV. p. 400.

451. THEODORUS, è Schola Magiſtrianorum Alexandrina, ab anno circiter 431. Cyrillo Alexandrino Agens in rebus, ab eo anno 436. Diaconatûs gradu cohoneſtatus. Poſt Cyrilli mortem à Dioſcuro, cui ob ſummam cum Cyrillo familiaritatem inviſus erat, Clericatu privatus eſt; majoribus adhuc ei pœnis intentatis, ni Alexandriâ ocyùs excederet. Anno 451. Concilio Chalcedonenſi *Libellum* obtulit *adversùs Dioſcurum*; qui extat Gr. Lat. Concil. Tom. IV. p. 396. Reliquis accedat Sophronii hominis Laici, *adversùs Dioſcurum Libellus eidem Synodo* pari de cauſa exhibitus, Concil. Tom. IV. p. 411.

451. PHOTIUS, Tyriorum urbis Metropolita, anno 448. cum Euſtathio Beryti Epiſcopo, Ibæ Edeſſeno judex ab Imperatore datus eſt. Anno SÆC. V. ab An. CCCC. eodem vel ſequente litem cum eodem Euſtathio de jure ſuo Metropolitano agitavit. Cùm Beryti enim ſedes Tyri metropoli antiquis Canonibus ſubjiceretur, Euſtathius debitum Photio obſequium denegavit; ſeque Metropolitam Imperatoris reſcripto ac Anatolii CP. mandato fieri curavit; ac ſex Phœniciæ civitates Tyro ſubtractas ſedis ſuæ ditioni ſubjici obtinuit. Ut priſtinam igitur autoritatem recuperaret, anno 451. Photius *Libellum ſupplicationis Martiano Imp.* obtulit; à quo ad Synodum Chalcedonenſem remiſſus, cauſa vicit, & Euſtathium intra ſolitos limites coerceri fecit. Extat *Libellus* iſte Gr. Lat. Concil. Tom. IV. pag. 541.

PROTERIUS, anno 451. depoſito à Synodo Chalcedonenſi Dioſcuro, communi Patrum ſuffragio in ſede Alexandrina ſuffectus. 451. Quamprimùm is delatum ſibi Epiſcopatum capeſſiviſſet, ingens atque intolerabilis in civitate exortus eſt tumultus, aliis Dioſcurum requirentibus, aliis Proterium conſtanter defendentibus. Hanc ſeditionem ex Hiſtoria Priſci Rhetoris, qui rebus geſtis interfuit, accuratè deſcribit Evagrius l. 2. c. 5. Quin & adeò intemperies iſta plebis Alexandrinæ non deferbuit, ut Proterio, quamdiu vixit, militari ſatellitio opus eſſet. Anno circiter 453. habita Alexandriæ Synodo, Eutychianos errori renunciantes ad communionem admiſit; pertinaces autem, & in his Timotheum Ælurum tunc Presbyterum, gradu dejecit, & exilio mulctari fecit. Anno 457. mortuo Martiano Imp. cives Alexandrini iram adversùs Proterium jamdiu conceptam acriùs ac violentiùs renovârunt; ac Timotheum Ælurum Evagr. l. 2. c. 8. à duobus ſuæ factionis Epiſcopis Alexandriæ Antiſtitem ordinatum Eccleſiæ armatâ manu intulerunt. Nec hoc contenti Proterium, qui ad venerandum baptiſterium, veluti ad aſylum confugerat, ipſo Paſchatis die, nec loci ſanctitatem, nec tempus ipſum, nec ſacerdotii dignitatem reveriti, gladio in ejus viſcera adacto, unà cum ſex aliis, crudeliter interemerunt. Occiſi cadaver per urbem raptarunt, contumeliis & ludibriis inſectati ſunt, membratim diſſecuerunt, carnes deguſtarunt, reliquias igni tradiderunt, rogi cineres in ventum ſparſerunt. Scripſit ann. 455. *Epiſtolam ad Leonem Papam, quâ Theophili deceſſoris calculum defendens Paſchatis feſtum eo anno* in VIII. Cal. *Maias differendum eſſe* contendit. Extat Lat. apud Bucherium de Doctrina temporum p. 82. & in editione Operum Leonis Queſnelliana. Scripſit & *aliam ad Leonem Epiſtolam Profeſſionem fidei ſuæ continentem*, quæ interiit. Meminit autem illius Leo Papa in epiſtola ad Julianum Coenſem.

LEO, Bituricenſis in Galliâ Epiſcopus, anno 453. 453. Concilio Andegavenſi, anno 461. Turonenſi interfuit. Anno 454. unà cum Victorio & Euſtathio Epiſcopis ſcripſit *Epiſtolam ad Epiſcopos*, non Thraciæ (uti malè habet titulus) ſed *Tertiæ Lugdunenſis*; quæ Turonica erat Provincia, quod rectè notat Sirmondus: quâ declarat excommunicatos Clericos illos, qui, prætermiſſo eccleſiaſtico judicio, ſæcularem adierint poteſtatem. Habetur inter Leonis (cui diu tributa eſt) Epiſtolas num. 96. & Concil. Tom. III. p. 1420.

SALONIUS, gente Gallus, Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi filius, 453. ab eo vixdum decem annos natus in Lirinenſem inſulam miſſus, ac ſub Honorati, Hilarii, Salviani, Vincentii, aliorumque magnorum virorum curâ ac diſciplinâ inſtitutus. Claruit anno 453. Eccleſiarum cum pariter ac

Vera-

Digitized by Google

SÆC.V. ab An. CCCC. Veranum fratrem, vivente adhuc Patre, Magiſtros fuiſſe fidem facit Salvianus*. Epiſcopum fuiſſe ſatis conſtat: Alii enim ipſum diſertè vocant Salvianus & Gennadius †; cujuſnam verò urbis, incertum: Alii enim Genevenſem, alii Genuenſem, alii Viennenſem fuiſſe volunt. Mihi tamen potiùs eo nomine Epiſcopus dicendus videtur; quòd Patri in Epiſcopatu Lugdunenſi coadjutor datus ſit. Hinc & patris vice in Concilio Arauſicano I. anno 441. ſubſcripſiſſe cenſeri poteſt. Quando obierit non liquet. Scripſit *Expoſitionem in Parabolas Salomonis, aliamque myſticam in Eccleſiaſten, Dialogi formâ conſcriptas*, ſeipſo & Verano fratre interlocutoribus. Extat utraque in Orthodoxogr. p.1010. & Biblioth. Patr. Tom.8. pag.401. Scripſit & *Epiſtolam unà cum Ceretio & Verano Epiſcopis ad Leonem Papam*, quæ habetur inter Leonis Epiſtolas poſt epiſt.51.

* Ep.ad Eucherium.

† cap 63.

454. RUSTICUS, Urbis alicujus in Galliâ Epiſcopus, ſive Narbonenſis, quod nonnulli, ſive Bituricenſis, quod alii volunt: res enim admodum incerta eſt. Epiſcopi certè munere fungebatur anno 449. quo inter 47. Provinciæ Narbonenſis Epiſcopos epiſtolæ Synodicæ ad Leonem Papam miſſæ ſubſcripſit; & in epiſtolâ Leonis reſponſoria eodem anno datâ inter primos ſalutatur. Claruit præcipuè circa ann.454. quo circiter tempore, ut videtur, ſcripſit ad *Eucherium Lugdunenſem Epiſtolam*, quæ habetur edita à Sirmondo inter notas in Sidon. Apollinar. lib.2.

455. CHRYSIPPUS, genere Cappadox, cum Coſmâ & Gabrielio fratribus in Syriâ bonis diſciplinis imbutus. Poſtea cum iiſdem perfectiori morum ac literarum ſcientiâ ſemet inſtituendum Euthymio Abbati Palæſtino commiſit. Claruit circa ann. 455. Monaſterii Lauteæ primùm Oeconomus, deinde S. Reſurrectionis ædi Præfectus, mox Presbyter Hieroſolymitanus, & S. Crucis cuſtos factus; cui muneri per decennium inſerviit. Plura de eo qui volunt, adeant Euthymii Vitam à Cyrillo Scythopolitano conſcriptam ap. Sur. Januar.xx. Multa ingenii ſui monumenta reliquit, ſtylo florido & pro more Sophiſtarum conciſo compoſita: ex quibus unica ad nos pervenit *Homilia de S. Deiparâ*, quæ Gr. Lat. extat in Auctuario Duceano Tom.II. pag. 424, Scripſit autem inter alia, quæ interierunt, *Encomium Theodori Martyris*, ex quo duo fragmenta ſatis prolixa exhibet Euſtratius CP. libro de ſtatu vita functorum c.22.

455. P.II. CHRYSIPPUS, Presbyter Hieroſolymitanus, & S. Reſurrectionis ædis Præfectus & Chartophylax, claruit circa annum 455. Scripſit *Encomium in S. Joannem præcurſorem & Baptiſtam*. Pr. Ἦχος σάλπιγγος λόγου πνευματική. Extat Græcè MS. apud Cl. Galeum, tot codicum MSS. melioris notæ Chartophylacem digniſſimum. Confer etiam L. Allat. *Diatr. de Symeon.* p.95. Supereſt etiam Chryſippi noſtri *Oratio in S. Archiſtrategum Michaelem*. Pr. Μιχαὴλ ὁ τῶν ἀγγέλων Ἀρχιστράτηγος τοῦ λόγου μοι τοῦ παρόντος ὑπόθεσις. Vide eundem Allat. ibid. p.100.

456. P.II. JACOBUS Eccleſiæ Heliopolitanæ in Phœniciâ Diaconus, claruit circa annum 456. Dum Hieroſolymis erat, & loca ſancta luſtraret, S.Pelagiam ſemel iterúmque inviſit; quæ eo tempore vitam cum immortalitate commutavit. Miſit in literas Vitam hujus Pelagiæ, quæ ex Meretrice pœnitens facta, & à Nonno Epiſcopo Edeſſeno, qui à Concilio Chalcedonenſi ſede ſuâ exutus, Antiochiæ tunc temporis vivebat, ad meliorem frugem converſa eſt. Hunc Nonnum Epiſcopum *Heliopolitanum* vocat Jacobus noſter, quem tamen Nicephorus, aliique diſertè Edeſſenum faciunt, fortè Epiſcopatu Edeſſeno exutus, Heliopolitano poſteà donatus eſt. Hanc Pelagiæ Vitam Euſtochius neſcio quis Latinè tranſtulit; cujus verſionem, poſt Roſvveydum in *Vit. Patr.* Lib.I. edidit Surius *Octob.* VIII. SÆC. V.ab An. CCCC.

TIMOTHEUS, cognomento Ælurus, vitæ inſtituto Monachus, dein Presbyter Alexandrinus, ann.453. à Proterio Alexandrino ob Eutychianiſmi ſtudium gradu dejectus. Anno 457. aſcitis ſibi Euſebio Peleuſii & Petro Majumæ Epiſcopis Alexandriæ Epiſcopum ſeſe ordinari, ac Proterium è medio tolli curavit. Ann.460. (uti habet Baronius) rectius forſan anno 457. ante Anatolii mortem à Leone Imp. ſede per vim & nefas occupatâ depoſitus, & in exilium Gangram Paphlagoniæ urbem, ac deinde Cherſoneſum relegatus eſt, Timotheo Solofaciolo ei in Epiſcopatu ſubrogato. In exilio octodecim annos exegit (quod diſertè teſtatur Evagrius) ac ſub finem anni 475. vel initium ſequentis, à Baſiliſco tyranno revocatus Alexandriam rediit, & ejecto Solofaciolo dignitatem priſtinam recuperavit. Eodem anno Conſtantinopolin profectus, ac urbem maximâ cum pompâ ingreſſus, Baſiliſco perſuaſit, ut miſſis ubique literis Encyclicis Concilium Chalcedonenſe damnaret. Anno 477. Zeno recuperato Imperio Timotheum Alexandriâ expellere in animo habuit; ſed à quibuſdam admonitus hominem jam grandævum, & mox naturæ lege periturum, ſententiam mutavit; ipſo Timotheo diem ultimum mox claudente. Sic Evagrius. Sin Liberatum* audire malimus; Timotheo devicto ſemel Baſiliſco Zenonis Imp. iras & vindictam veritus hauſto veneno ſibi mortem conſcivit. Diverſam ab utroque viam inſtituit Gennadius †, qui illum anno 495. exulem in vivis egiſſe refert. Scripſit *ad Leonem Imp. Apologiam ordinationis ſuæ* perquàm elegantem & ſuaſoriam, quam à ſe in Latinum ſermonem converſam fuiſſe prodit Gennadius; & in eâ Patres Chalcedonenſes, Leonem Papam, atque omnes ferè Occidentales Epiſcopos à Timotheo Neſtorianiſmi accuſatos eſſe teſtatur. Locum olim habuit *Apologia* iſta in Collectione Epiſtolarum Encyclicarum, cujus meminit Evagrius l.2. c.10. verùm hodie deſideratur. 457.

Evagr. l.2. c.8. 9. &c.

* Breviar. cap.16.

† cap.72.

MOSCHIMUS, gente Meſopotamenus, Eccleſiæ Antiochenæ Presbyter: claruiſſe videtur circa ann. 457. Scripſit *adverſus Eutychem egregium libellum*, & alia quædam; quæ non extant. 457. Gennad. de Script. c.71.

VICTORIUS, ſive, ut alii, *Victorinus*, gente Aquitanus, domo Lemovicenſis, calculis Mathematicis perquàm exercitatus, claruit anno 457. quo anno ad Hilarium Romanæ Eccleſiæ Archidiaconum ſcripſit *Canonem Paſchalem* duabus quaſi partibus conſtantem: prima ſupputandi Paſchatis methodum accuratam tradit; ſecunda ſupputationem annorum 430. Paſchalem ab anno ſcilicet Chriſti 28. ad ann.457. in tabulas redactam adjunctis anno cuique Conſulibus exhibet. *Canonem* iſtum tanti habuit Eccleſia Occidentalis, ut in Synodo Aurelianenſi IV. anno 541 ſanctum Paſcha ex illius calculis ab omnibus ſacerdotibus deinceps celebrandum decerneretur. Primus hunc *Canonem* in lucem protraxit, & ampliſſimis Commentariis illuſtratum edidit Ægidius Bucherius, Soc. Jeſu, *Antverp.* 1634. fol. Notet benè Lector annorum CXI. calculos Paſchales à quodam ſæculi ſexti Scriptore Canoni Victoriano additos fuiſſe; & in editione Bucherianâ expreſſos haberi. 457.

AGAPETUS, Rhodi Inſulæ Metropolita, claruit anno 457.

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. anno 457. Cùm ab eo per literas exquireret Leo Augustus; quid ipse, suæque Provinciæ Episcopi de sancto & universali Chalcedonensi Concilio sentirent? *Epistolam ad Imperatorem* rescripsit, quâ Concilii causam adversùs Timotheum Ælurum strenuè egit. Extat Lat. hæc Epistola Concilii Chalced. par. 3. c.45. p.940.

457. JULIANUS, Episcopus Coensis, claruit circa ann. 457. licèt ante plures, ut videtur, annos dignitatem Episcopalem adeptus. Multa ei cum Leone Papa familiaritas intercessit; ut ex Leonis Epistolis constat, in quibus Julianus ob pietatem, eruditionem, & invictum pro fide Catholicâ zelum plurimùm laudatur. Extat ab eo scripta ann.457. *Epistola ad Leonem Imp. adversùs Timotheum Ælurum, & pro Synodi Chalcedonensis confirmatione*, Lat. Concil. Tom.IV. p.942.

457. LUCIANUS, Byzæ Metropolita, claruit anno 457. quo *Epistolam ad Leonem Imp.* de eodem argumento scripsit. Extat Lat. Concil. Tom. IV. p. 908.

457. THEOTIMUS, Scythiæ regionis Episcopus, claruit ann.457. Extat Lat. *Epistola ad Leonem Imp. de Timotheo Æluro & Synodo Chalcedonensi*, Concil. Tom.IV. p.911.

457. VALENTINUS, Philipopoleos Metropolita claruit anno 457. Scripsit suo, & suorum Episcoporum nomine *Epistolam Ejusdem* argumenti *ad Leonem Aug.* quæ extat Lat. Concil. Tom.IV. p.909. Notet Lector eruditus plurimas hujuscemodi Epistolas à Synodis Provincialibus Leoni Imp.oblatas fuisse, quæ ibidem reperiuntur Latinè.

458. GENNADIUS, primùm Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyter ann. 458. Anatolio in Regiæ urbis sede successit: Collapsam Ecclesiæ suæ disciplinam omni mox studio redintegrare cœpit. Anno 459. habitâ Constantinopoli Episcoporum LXXIII. Synodo, inter alia Canonem adversùs Simoniacas ordinationes condidit; eâque de re circulares dedit literas: nec quenquam ad sacros Ordines admittere voluit, qui Psalterium memoriter non teneret. Creato Marciano, qui à Novatianis ad Catholicos transierat Oeconomo, statuit, ut fidelium oblationes, quas hucusque Magna Ecclesia sibi arripere solebat, Ecclesiæ cujusque Clerici apud se retinerent. Pictoris cujusdam, qui Christum Jovis specie depingere ausus fuerat, manum exarescentem, precibus suis, referente Theodoro Lectore, sanam reddidit. Dum nocte quadam precibus in Ecclesiâ intentus spectrum vidisset, objurgatum ab eo dæmonium exclamavit, ipso quidem superstite se quieturum, postea verò Ecclesiam funditùs vastaturum. Turbatus Gennadius cùm ardentissimas ad Deum pro pace Ecclesiæ preces fudisset, paulò post è vita excessit.Quod contigit anno 471. Erat, inquit Gennadius alter*, vir linguâ nitidus, & ingenio acer. Danielem Prophetam integro Commentario exposuit: plures etiam Homilias edidit, quæ interciderunt. Extat Græc. Lat. suo ac Synodi suæ nomine *Epistola Encyclica adversùs Simoniam, tam in ordinantibus, quàm in ordinatis*, Concil. Tom. IV.p 1025.& Pandect. Canon. Tom.II.p.181.Notandum verò in Oxoniensi, aliisquè quibusdam editionibus majorem hujus Epistolæ partem ad Balsamonis scholia malè amandari; cùm tota Epistola à capite usque ad calcem uno eodemque spiritu fluat: quod ex parte etiam Baronius olim vidit; apud quem hæc Epistola habetur Latinè ad ann. 459. Scripsit item contra *Cyrilli Anathematismos*: ex quo tractatu Fragmentum exhibet Facundus Hermanensis l.2. c.4.

Vid. Theod. Lect.l.1.pag. 554.

*De Script. c.90.

SÆC. V. ab An. CCCC.

PASTOR, Episcopus, forsan Hispanus, claruit, circa ann.458. Scripsit *libellum in modum Symboli* parvum, totam penè fidem Christianam sententiis complexum: in quo, prætermissis aliorum Hæresiarcharum nominibus, Priscillianistas nominatim damnavit. NE. 453. Gennad. de Script. c.76.

MUSÆUS, Massiliensis Ecclesiæ Presbyter, vir SS. Scripturarum scientiâ, & linguæ facundiâ admodum insignis, claruit anno 458. Obiit circa ann. 461. Hortante Venerio Episcopo Massiliensi excerpsit *de SS. Scripturis Lectiones totius anni festivis diebus aptas*; *Responsoria etiam Psalmorum capitula, temporibus & lectionibus congruentia.* Hortante quinetiam Eustathio Venerii successore, composuit *Sacramentorum egregium volumen* in sua membra pro ratione officiorum, temporum & lectionum distributum. Scripsit & *Homilias multas*, quæ unà cum reliquis Operibus interierunt; nisi quod *Lectiones* totius anni ab eo collectas apud Bernardum Guidonem haberi moneat Aubertus Miræus. 458. Gennad. de Script. c.79.

AMMONIUS, gente Ægyptius, Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyter & Oeconomus, claruit anno 458. Subscripsit *Epistolæ*, quam Ægyptiacæ Diœcesis Episcopi & clerici, *pro defensione Concilii Chalcedonensis* ad Leonem Imp. miserunt, ut *in Codice Encyclico* videre est Concil. Tom IV. pag.897. Scripsit Ammonius Opus contra *Eutychetis & Dioscori hæresin.* Extat MS. Græcè Fragmentum *contra Monophysitas*, sive *de differentiâ inter naturam & hypostasin* Biblioth. Vindob. Cod. *Theol.* juxta *Lambec.* XLVII num. XXVII. Ex ejus etiam ἑρμηνεία τῶν πραξέων, sive *expositione in Acta Apostolorum* habetur Fragmentum, ibid Cod. CCLI. fol. 21. Citatur etiam sub nomine Ammonii Junioris, in Nicetæ *Catena in Psalmos*; & alibi non semel. 458. P.II.

ANTIPATER, Bostrensis in Arabiâ Episcopus, claruit circa ann. 460. Scripsit Ἀντίῤῥησιν, seu *Refutationem Apologiæ Eusebii Cæsariensis pro Origene.* Fragmenta quædam ex libro Operis istius primo proferunt Concilii Nicæni II. Patres actione 5a. Concil. Tom. VII. p.358. Extat Græcè ineditus *Sermo in S. Joannem Baptistam, Zachariæ silentium, & salutationem B. Virginis*; qui inter alia Simeoni Metaphrasti afficta delitescit, teste Leone Allatio Diatrib. de Script. Simeon. p.89. 460.

ANTIPATER Bostrensis in Arabiâ Episcopus, claruit circa annum 460. Ejus *Oratio in Zachariæ σιγὴν & nativitatem Prodromi Joannis, & salutationem Deiparæ*, item *Oratio* ejusdem εἰς τὰ ἅγια θεοφάνεια extant Græcè MSS. apud Galeum nostrum. 460. P.II.

CYRUS, (Syrum malè vocant impressi Codices Gennadii) arte medicus, dein ex Philosopho Monachus, claruit ann.460. Vir dicendi peritus, inquit Gennadius: scripsit *adversùs Nestorium* fortiter atque eleganter; nimio tamen disputationis æstu abreptus in Eutychianum dogma delapsus est, & Chalcedonensis Concilii decreta repudiavit. NE. Alius, ut videtur, à nostro fuit Cyrus ille, natione Ægyptius, domo Panopolitanus, qui Poeticæ artis facultate insignis, eoque nomine Eudociæ Imperatrici inprimis charus, sub Theodosio juniore Prætorii præfecturâ fungebatur; Urbis demum præfectus factus, Consularis, etiam & Patricius. Eudociâ Hierosolymam sedente ann. 445. ademptâ potestate, teste Suida*, ἐπίσκοπος τῶν ἱερῶν ἐν Κοτυαείῳ. 460. Gennad. de Script. c.81.

*In Voce Κῦρος.

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. τυαϊὰς τῆς Φρυγίας factus est, & ad Leonis Imp. tempora pervenit, immo Smyrnô Episcopus à Theodosio Imper. abrogatis illi fascibus, factus est, teste Auctore Chronici Alexandr. pag. 356. qui lepidam de crassa ejus rerum divinarum ignorantiâ historiam narrat.

460. Gennad. de Script. c. 77. VICTOR, gente Afer, Cartennæ Mauritaniæ urbis Episcopus, claruit circa ann. 460. Scripsit *ad Gensericum Vandalorum regem librum adversus Arianos prolixum, qui interiit, librum de Pœnitentia Publicani*, in quo regulas vivendi ex S. Scripturis desumptas pœnitentibus præscripsit. Extat iste liber inter Ambrosii Opera ei malè inscriptus, *Librum denique ad Basilium scripsit super morte filii consolatorium*, qui Basilio malè tributus inter Opera ejus haberi solet. *Homilias* adhuc multas memorat Gennadius, quæ desiderantur.

460. Gennad. de Script. c. 78. VOCONIUS, natione Afer, Castellani Mauritaniæ oppidi Episcopus, claruit anno 460. Scripsit *adversus Judæos, Arianos, & alios Hæreticos*. Composuit etiam *Sacramentorum egregium volumen*. N. E.

460. P. II. ANTONIUS Monachus, S. Simeonis Stylitæ senioris discipulus, claruit anno 460. Commisit literis *vitam & conversationem* sui magistri *S. Symeonis Stilitæ*, quocum diu familiariter versatus fuerat; idem dubio procul omni τῆς τῶν αὐτόπτων γινομένων cujus meminit Evagrius *, *qui hominem viderat, & rebus ab illo gestis interfuerat*, qui divina ejus miracula conscripsit. Nec semel in hoc Opere de se agit. Incipit hæc vita. Ξένον καὶ παράδοξον μυστήριον ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις ἡμῶν. Edita est Latinè lib. I. *de Vitis Patrum* Græcè MS. in antiquissimo codice penès se habuisse testatur L. Allatius *diatr. de Script. Symeon.* pag. 8. 101. Antonium nostrum Historicis Latinis perperam accenset Vossius lib. II. cap. 17. pag. 231.

* L. I. c. 13. p. 270.

460. P. II. LAMPETIUS, sectâ Messalianus, sive Euchita, Presbyter ab Alypio Cæsareæ apud Cappadocas Archiepiscopo ordinatus, vixit circa annum 460. & forsan diu postea. Ut ejus ætas clariùs cognoscatur, ætas Alypii erit indaganda. Thalassio igitur, qui Concilio Chalcedonensi anno 451. interfuit, post paucos annos in sede Cæsareensi successit Alypius. Liquet id ex litteris quas anno 453. Leo Imp. ad illum destinavit, sententiam ejus de Concilio Chalcedonensi, deque turbis Alexandriæ ab Eutychianis nuper excitatis, exquisiturus. Convocatis itaque Provinciæ suæ Episcopis, Epistolam Synodicam ad Leonem dedit, quæ reperitur in *Codice Encyclico* Concil. Chalced. Part. III. cap. 50. Conc. Tom. IV. col. 952. Vide & col 891. Ab hoc Alypio Sacerdotii dignitatem furtim & per fraudem surripuit Lampetius, homo nequam, pravisque moribus, βέβηλος ὢν καὶ ἀπατεών ut ex libro Synodico notat Photius. Oblato proinde libello, gravissimorum criminum, à Gerontio Presbytero Monachorum in Glitide præfecto, apud Alypium accusatus est; quòd lascivè cum puellis se gessisset, jactâssetque Hierosolymis cum Diaconissâ se peccasse; quòd eos qui statis horis preces psallerent irrisisset, illos tanquam Legi adhuc inservientes conviciis insectatus. Objecta sunt illi & alia id genus nefaria, quæ à Massalianis & fiunt & dicuntur. Accepto libello accusationis capita continente, Alypius rem ad Hormizam Comanes Episcopum excutiendam retulit. Lampetius, Hormizâ judice, causam agente Gerontio, partim testibus convictus, partim suâ ipse confessione reus, omnium calculis Sacerdotii dignitate submovetur, suffragium suum ferente Alypio, qui miserum illum (deceptus ipse) Presbyterum ordinarat, Lampetium nihilominus, editâ Apologiâ, defendit Alpheus Rhinocoruroram Episcopus, quasi nihil eorum de quibus accusaretur aut dixisset aut fecisset: Scripsit ipse Lampetius librum quem *Testamentum* nominavit, cui impietatis suæ dogmata quædam inspersit, teste Photio Cod. LII. col. 41.

HILARUS natione Sardus, Crispiniani filius, Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus, anno 449. à Leone Papâ ad Latrocinium Ephesinum legatus est unà cum Juliano Episcopo, & Renato Presbytero; ubi cùm omnia per fas & nefas gesta, juraque divina pariter ac humana à Dioscuro conculcata deprehenderet; fugâ dilapsus est clàm legationis sociis, Leonem de re totâ moniturus. Ann. 461. die XII. Novembris Episcopus Romanus ordinatus est, eodemque anno missis ubique literis encyclicis Nestorium & Eutychem damnavit, ac Concilia Ephesinum, & Chalcedonense comprobavit. Obiit ann. 467. die XXI. Februarii. Extant ab eo adhuc Diacono scriptæ *Epistolæ* 2. quarum *prima ad Pulcheriam Augustam* habetur Concil. Tom. IV. p. 51. altera *ad Victorium Aquitanum Canoni hujus Paschali* præfigitur: ab Episcopo scriptæ extant *Epistolæ* X. Conc. Tom. IV. p. 1035. aliæ quædam apud Christ. Lupum ad calcem Epist. Ephesin. p. 471. 461.

ARNOBIUS, Junior vulgò dictus, ut ab Arnobio Afro distinguatur, gente, ut videtur, Gallus, claruit circa ann 460 ut ex inscriptione Commentarii in Psalmos Leontio Arelatensi & Rustico Narbonensi Episcopis nuncupati colligitur: Leone certè aliquantulùm posterior, quem passim laudat. Extant sub illius nomine, 461.

Commentarius in Psalmos Davidis cl. Arnobio Afro malè ascriptus. Prodiit seorsim *Basil.* 1522 deinde ab Erasmo editus *Colon.* 1532. 8°. denique a Laurentio de la Barre emendatus *Paris.* 1639. Extat & in Bibliotheca Patr. Tom. VIII. p. 203.

Annotationes ad quædam loca Evangelistarum, quæ habentur editæ *Basil.* 1543. 8°. & à Schotto recognitæ *Paris.* 1639.

Altercatio seu Conflictus cum Serapione Ægyptio de Deo trino & uno; de duabus in Christo substantiis & unica Persona; & de gratia ac liberi arbitrii concordia, in duos libros divisa. Opusculum istud nescio qua autoritate ductus inter Vigilii Tapsensis Opera reponit Casimirus Oudin. Certè præter Codicum MSS. fidem illud sub Arnobii nomine ante annos octingentos citavit Alcuinus. Primus edidit Franciscus Fevardentius ad calcem Irenæi *Colon.* 1596. Habetur in sequentibus omnibus Irenæi editionibus, & in Biblioth. Patr. Tom. VIII. pag. 236.

LEONTIUS, gente Gallus Episcopus Arelatensis, claruit anno 461. quo exeunte, ineunte sequente, epistolam ab Hilaro Papa sibi inscriptam accepit. Plures ad eum deinceps Epistolas scripsit Hilarus de rebus Arelatensem Provinciam spectantibus; in quarum altera eum ob munus Metropolitanum minùs sedulò administratum, & Hermetem sedis Narbonensis invasorem in ordinem non redactum, acriter corripit. Concilio Arelatensi anno 475. præfuit. Extat unica ab eo scripta *ad Hilarum Epistola* apud Dacherium Spicileg. Tom. V. 461.

PERPETUUS, gente Gallus, genere Senatorio, patre prædiviti ortus, anno 461 vel præcedente Eutochio, cui sanguine erat propinquus, in sede Turonensi successit. Eodem anno Concilio Turo- 461.

SÆC. V. ab Turonensi I. anno 465. Concilio Venetico interfuit. An. CCCC. Anno 482. extructâ super S. Martini sepulchrum Basilicâ admodùm splendidâ & magnificâ, Episcopos Provinciales ad Encænia illius celebranda coëgit. Obiit anno 490. vel 491. Extat *Testamentum* & *Epitaphium* ejus apud Dacherium Spicileg. Tom. V. In Ecclesiæ Turonensis usum jejunia & vigilias, qualiter per totius anni circulum observarentur, instituit. *Ordinem* ab eo institutum ex publicis Ecclesiæ Turonensis tabulis exscriptum exhibet Gregorius Turonensis, Hist. de Gestis Franc. lib. 10. cap. 30.

461. PAULINUS, gente Gallus, domo Pericorius sive Petricordius, id est, Vesunnicus, si Sirmondi conjecturæ fides. Claruit an. 461. *Opus* enim suum de *Vita S. Martini* nuncupavit Perpetuo Episcopo Turonensi; qui Concilio Turonensi primo præsedit an. 461. non 480. uti malè habet Labbeus, & exscriptor ejus Oudinus. Scripsit Paulinus *carmine heroico de Vita S. Martini lib.* VI. quibus haud aliud egit, quàm ut quæ Sulpicius Severus venustâ & eleganti prosâ expressit: ipse, pauculis omissis, rudi atque impolito versu redderet. *Opus* istud Paulino Nolano Episcopo tribuerunt non solùm sequioris ævi Scriptores ferè cuncti; sed & è Veteribus Gregorius Turonensis * disertim, & Venantius Fortunatus † haud obscurè. Hinc factum est, ut sub Paulini Nolani nomine sæpiùs prodiret, à Jureto primùm editum *Paris.* 1585. dein in Bibliothecis Patr. Parisiensibus ac *Coloniensi*, in Appendice Bigneanâ p. 852. aliisque veterum Poëtarum Christianorum Collectionibus. Paulino demum Petricordiensi restitutum prodiit in Bibliotheca Patr. novissima Tom. VI. pag. 297. & seorsim à Christiano Daumio unà cum Fr. Jureti Commentariis, Casp. Barthii animadversionibus, Jo. Fr. Gronovii notis, suoque Notarum Spicilegio editum *Lipsiæ 1686.* 8°. Porrò extat Paulini nostri *Carmen breviusculum, de Visitatione Nepotuli sui, Vitæ Sancti Martini subjungi solitum*, & alia quædam Opusculorum deperditorum *fragmenta*, quæ ibidem reperiuntur. Cæterùm Paulinum quendam Petricoriensi nostro æqualem memorat Gennadius *; qui composuit *Tractatus* aliquot *de initio Quadragesimæ, de Die Dominico Paschæ, De Obedientiâ, de Pœnitentiâ*, & *de Neophytis*. Ex Opusculis istis, cujuscunque demum Paulini fuerint, nil hodie superest.

*L. 1. de Mirac. S. Martini.

† De Mirac. S. Mart. l. 1.

* De Script. Eccl. c. 68.

462. CLAUDIANUS MAMERTUS, gente Gallus, Presbyter Viennensis, & Mamerti fratris Ecclesiæ istius Archiepiscopi adjutor seu Chorepiscopus, inde *Antistes in ordine secundo* Sidonio, *Episcopus* Gennadio * dictus, claruit circa annum 462. Mortis tempus nullo certo indicio hactenus indagare potui. Funeri ejus quamvis interesse non potuit Sidonius †, amici tamen integerrimi memoriæ hoc elegans planè Epitaphium dicavit.

Gennad. de Script. c. 83.

* De Script. c. 67.

† L. 4. ep. 11.

Germani decus & dolor Mamerti,
Mirantum unica gemma Episcoporum,
Hoc dat cespite membra Claudianus.
Triplex bibliotheca quo magistro,
Romana, Attica, Christiana fulsit:
Quam totâ Monachus virente in ævo
Secretâ bibit institutione.
Orator, Dialecticus, Poëta,
Tractator, Geometra, Musicusque;
Doctus solvere vincula quæstionum,
Et verbi gladio secare sectas,
Si quæ Catholicam fidem lacessunt.

Reliqua ex ipso Autore petantur, qui Claudianum hoc ampliùs elogio ornat. *Vir fuit providus, prudens, doctus, eloquens, acer, & hominum ævi, loci, populi sui ingeniosissimus: quique indesinenter salvâ religione philosopharetur.* Longum esset laudes quibus eum passim prosequitur Sidonius, exscribere.

SÆC. V. ab An. CCCC.

SCRIPTA SEQUUNTUR.

De Statu Animæ Libri III. *ad Sidonium Apollinarem.* Opus istud prolixè laudans Sidonius *, hæc inter alia habet. *Jam si ad sanctos Patres pro comparatione veniatur, instruit ut Hieronymus, destruit ut Lactantius, astruit ut Augustinus, attollitur ut Hilarius, summittitur ut Ioannes, ut Basilius corripit, ut Gregorius consolatur, ut Orosius affluit, ut Ruffinus stringitur, ut Eusebius narrat, ut Eucherius sollicitat, ut Paulinus provocat, ut Ambrosius perseverat.* Extat seorsim cum notis Barthii *Cygneæ* 1655. in Orthodoxogr. pag. 1247. & in Biblioth. Patr. Tom. VI. pag. 1050.

* L. 4. ep. 3.

Epistola (præter binas ad eundem, alteram libris de Statu animæ præfixam; alteram, quæ Epilogus potiùs videtur, subnexam) *ad Sidonium Apollinarem*, inter cujus Epistolas locum habet Lib. IV. Ep. 2.

Carmen contra varios errores, seu vanos Poëtas, quod in Bibliotheca Patrum reperiri solet.

Hymnus de Passione Domini, qui incipit, Pange lingua gloriosi, vulgò Venantio Fortunato tributus. Verùm Claudiani nostri esse, præter Codicis vetusti Gennadii, quo usus est Miræus, autoritatem, arguit elegantia illius eximia, Venantii ruditati parùm consona, ac descriptio Poëmatis cujusdam à Claudiano compositi, quæ apud Sidonium loc. cit. invenitur, ac Hymno isti ad amussim convenit. Sic enim Sidonius Claudianum allocutus; *Jam verò de Hymno tuo si percunctere, quid sentiam, commaticus est, copiosus, dulcis, elatus, & quoslibet Lyricos Dithyrambos amœnitate Poëticâ & Historicâ veritate supereminet. Idque tuum in illo peculiare, quod servatis metrorum pedibus, pedum syllabis, syllabarumque naturis, intra spatii sui terminum verba ditia versus pauper includit; nec arctati carminis brevitas longitudinem phaleratì sermonis eliminat: ita tibi facile factu est minutis trochæis, minutioribusque pyrrichiis, non solùm molossicas, anapæsticasque ternarias, sed epitritorum etiam, pæonumque quaternas supervenire juncturas.* Extat in Breviariis & Antiphonariis Ecclesiæ Romanæ, Dominicâ in Passione Domini.

Hymnos, Psalmos ac Lectiones quibusque anni festis diebus congruas in usum Ecclesiæ Viennensis ordine digessisse Claudianum, apertè satis innuit Sidonius in Epitaphio illius.

SIMPLICIUS; patriâ Tiburtinus, Castini filius, à die VI. Martii anni 467. Pontifex Romanus. Longam ac diuturnam Acacio CP. Timotheo Æluro, Petro Mongo, & Petro Fullone litem exercuit; hos Eutychianæ hæreseos, & invasarum injuriâ sedium Alexandrinæ & Antiochenæ, illum affectatæ potestatis nimiæ, & latentis erga hæreticos favoris insimulans. Et illos quidem, ut pote bipedum nequissimos, justè exagitavit, ac tandem sedibus injuriâ occupatis exturbari effecit; hunc verò, virum Catholicæ fidei cumprimis tenacem, eo reverâ nomine insectatus est; quòd dignitatem sedi CP. à Concilio Chalcedonensi delatam constanter defenderet ac retineret. Obiit ann. 483. die x. Februarii. Extant ab eo *scripta Ecclesiæ* XIX. Concil. Tom. IV. p. 1068. 467.

SERVUS DEI, Episcopus, cujusnam urbis non liquet: plurimi enim ei cognomines Episcopi in Italiâ & Africâ isto ævo floruerunt. Claruit cir- 467.

Gennad. de Script. c. 87.

ca

SÆC. V. ab An. CCCC. circa ann. 467. Scripsit adversùs eos, qui Christum in terris ante resurrectionem suam degentem carneis oculis Patrem non vidisse asseruerunt: & ex Scripturis ostendere conatus est, Christum ex quo tempore ex B. Virgine natus est, ex vi hypostaticæ unionis Deum Patrem & Spiritum S. carnis suæ oculis semper vidisse. N. E.

468. Gennad. de Script. c. 82. SAMUEL, gente Syrus, Ecclesiæ Edessenæ Presbyter, claruit anno 468. Constantinopolim demum migravit, atque ibi in vivis erat ann. 495. quo Gennadius Catalogum suum clausit. Multa *adversus Hæreticos, Nestorianos præsertim, Eutychianos, ac Timotheanos, Syro Sermone* scripsit, quæ interierunt.

470. GREGENTIUS, gente Arabs, Tephræ seu Tephar, quæ regia Homeritarum in Arabiâ Fœlice urbs erat, Archiepiscopus. Claruit, ut videtur circa ann. 470. Dialogum certè cum Judæis instituit, florente ac vigente adhuc in Asiâ Imperio Romano, post exortam tamen Hæresin Nestorianam. Diffitendum tamen non est Disputationi ejus inesse nonnulla, quæ sequiora sæcula fabulis addicta redolent, præsertim de Christo in nubibus apparente, ac 5500000. à Gregentio conversis & baptizatis. Utut sit, *Acta disputationis istius cum Herbano Iudæorum doctissimo habita*, adstantibus Homeritarum Rege & innumeris Judæis, ac per quatriduum continuatæ, extant Græc. Lat. à Nicolao Gulonio cum scholiis breviculis edita *Paris.* 1586. *8vo.* & exinde in Auctuario Ducæano *Paris.* 1624. Tom. I.

470. RURICIUS, distinctionis ergo à nepote suo, Episcopo itidem Lemovicensi, *Senior* dictus; vicesimus quartus, ut volunt, à S. Martiale Lemovicensium Episcopus, claruit ann. 470. Uxorem habuisse Iberiam ex Epithalamio, quod iis dicavit Sidonius, apertè liquet. Minimam apud me fidem meretur, quod refert Bernardus Guido *, eum in communi Lemovicæ cœmiterio, supra Vigennam fluvium in honorem S. Augustini Monasterium fundasse, & in eo Canonicos Regulares instituisse. In hoc Monasterio ipse cum Successoribus sepultus dicitur, Anno 506. ad Concilium Agathense vocatus, & ob absentiam à Cæsario Arelatensi objurgatus, datis ad Cæsarium literis, ætatem gravem & infirmitatem corporis absentiæ obtendit. Haud ita multò post grandævus obiisse videtur. Eruditionem ejus & summam facundiam magnoperè deprædicat Sidonius *, subditque quod magis adhuc in laudem cedit, sermone pulchro vitam fuisse pulchriorem. Extant *Epistolarum libri* 2. quos primus eruit Henricus Canisius Antiq. Lect. Tom. V. p. 428. exinde relatos in Bibliothecam Patrum Tom. VIII. pag. 557.

* De Gestis Episc. Lemov. c. 3. de ord. Grandemont. §. 2.

* L. 8. ep. 10.

470. P. II. ANONYMUS Auctor *Vitæ S. Auxentii*, Auxentio ætate par, claruit imperante Leone *Thrace*, circa annum 470. In literas misit *Vitam & miracula S. Auxentii, Presbyteri & Archimandritæ in Bithyniâ*, anno circiter 470. defuncti. Habetur Latinè apud Sur. & Bolland. *Februar.* XIV. Græcè MS. in Biblioth. Vindob. inter *Historicos Ecclesiast.* Cod. III. num. XXII. fol. 121. p. 2, col. 1. teste Nesselio *Catal.* P. V. p. 9.

471. Hincmar. Vit. Remig. ap. Sur. XIII. Jan. Flodoard. Hist. Remens. l. 1. REMIGIUS, gente Gallus, nobilitate generis illustris, in Pago Laudunensi parentibus Æmilio & Cilinniâ, vetulis jam & ætate provectis, natus est, conceptione ejus à Montano Monacho divinitùs prædictâ. Scholæ traditus, melioribus literis imbuendus, brevi omnes condiscipulos ingenio, moribus, & doctrinâ superavit. Anno 471. (uti Cave Hist. Lit. habent Hincmarus, Flodoardus, & Sigebertus †) vel 459. (uti rectiùs Le Cointe *) annos natus 22. defuncto Bennadio in sede Rhemensi substitutus est. Ann. 496. Clodovæum Francorum Regem unà cum primariis Regni Proceribus ad fidem conversum baptizavit, *Francorum* idcircò *Apostolus* appellatus. Amplissimas, quas à Clodovæo sacri officii præmium meruit, possessiones ipse pauperibus & Ecclesiis, quas affatim ditavit, elargitus est. Anno 511. ut Concilium Aurelianense I. indiceretur, à Clodovæo Rege obtinuit; ubi plurima Ecclesiæ Gallicanæ perquàm utilia lege latâ sancita sunt. Anno 517. Concilio Rhemensi præfuit; ubi Ariano cuidam Episcopo acerrimè contra Orthodoxos disputanti præsentiâ suâ silentium incussit, & attonitum miraculo hæreticum ad Catholicam fidem revocavit. Obiit anno ætatis 96. Episcopatûs 74. id inter omnes constat: annus æræ Christianæ incertus est. Quod si Hincmari, Flodoardi, & Sigeberti calculos sequamur, Remigii mors in annum 545. referenda est. Verùm id nequaquam constare potest; Ann. enim 535. Flavius successor ejus Synodi Arvernensis Decretis subscripsisse deprehenditur. Eligendus igitur potiùs videtur Caroli Le Cointe calculus (ab ipso pluribus confirmatus) qui Remigii mortem in annum 533. rejicit. Obiit Idibus Januariis de appropinquante morte cœlitùs præmonitus, & in Ecclesia suâ solenni admodùm pompâ reconditus. Nobile ejus elogium habet Flodoardus l. 1. c. 11. quem adeat eruditus Lector. De stylo ejus, scribendique genere vide quæ habet Epistolâ ad ipsum datâ, Sydonius l. 9. ep. 7.

† L. 1. c. 11. 17.

* Annal. Eccl. Franc. Tom. I. p. 117.

SCRIPTA.

Epistolæ V. quæ habentur Concil. Tom. IV. pag. 1268. 1401. 1608. *Testamentum*, cujus binæ extant editiones, altera prolixior, ac plurimis recentioris ævi interpolationibus aucta, apud Flodoardum Hist. Remens. l. 1. cap. 18. altera brevior ac sincerior apud Phil. Labbeum Biblioth. Nov. MSS. Tom. I. p. 806. Carolum Le Cointe, Annal. Franc. Tom. I. ad ann. 533. num. 50. pag. 407. & Gul. Marlotum Hist. Metrop. Remens. Tom. I. l. 2. c. 11.

Explanationes Epistolarum S. Pauli, sub Remigii nostri nomine à Joanne Bapt. Villalpando editæ *Romæ* 1598. & *Moguntiæ* 1614. In his citantur S. Benedictus, Cassiodorus, Gregorius Papa, & Beda. Quod cùm Opus Remigio Remensi abjudicare primâ fronte videatur; objectioni isti pluribus argumentis obviam ire satagit Villalpandus. Verum fortioribus longè argumentis Villalpandi responsiones diluit Cl. Le Cointe ubi suprà num. 49. Sub Haymonis Halberstatensis nomine antea prodierat *Paris.* 1556. *8vo.* & à Fulberto Carnotensi Episcopo Haymoni disertè ascribitur. Remigio tamen Autissiodorensi argumentis minimè contemnendis vendicat Doctiss. Aubertinus lib. de Eucharist. pag. 886. 926. 937. &c.

Declamationes sive Orationes ejus laudat Sidonius Apollinaris l. 9. ep. 7. Verùm istæ desiderantur.

ACACIUS, Orphanotrophii Constantinopolitani Præfectus, dein ab ann. 471. Episcopus CP. An. 476. cùm Basiliscus tyrannus edictum contra Synodum Chalcedonensem promulgarat, & à quamplurimis Episcopis, Asiaticis præsertim plusquàm quingentis subscribi fecerat; Acacius invictâ animæ constantiâ fidem Catholicam propugnavit, & authoritate sua apud plebem CP. & Monachos effecit, ut tumultum gravissimum veritus Basiliscus edictum prius missis antencyclicis literis revocaret, & Concilium Chalcedonense confirmaret. Quin & 471. Evagr. l. 3. c. 4.

Digitized by Google

SÆC.V. ab An.CCCC. Epiſcopi Aſiæ, qui Baſiliſco in fidem graſſanti manus dederant, audaci Acacii zelo territi, oblato ei pœnitentiæ libello, neceſſit item à Baſiliſco ipſis impoſitam cauſarentur, & Chalcedonenſem fidem à ſe teneri profiterentur. Poſt diuturnam cum Simplicio Papa de autoritate ſedis ſuæ velitationem ann. 483. à Joann. Talaia apud eundem accuſatus eſt, quòd Petro Mongo faveret, ſibi verò aditum ad ſedem ſuam præcluderet. Pœnam Acacio infligendam meditatus Simplicius, poſtquàm literis ad Imperatorem crebrò miſſis operam luſiſſet, curis iſtis intermortuus eſt. Cauſam ſuſcepit, atque acriùs urgebat Fœlix Simplicii ſucceſſor, qui aſſiduis Jo. Talaiæ querelis incitatus, miſſâ ann. 483. Conſtantinopolim legatione, quæ incaſſum cecidit anno ſeq. habitâ Romæ Synodo Acacium damnavit, & anathemate percuſſit: ſententiam tamen aliquantulùm divulgare diſtulit, donec recentibus Acacii, qui Calendionem ſede Antiochenâ eodem anno exturbavit, factis commotus, habitâ exeunte anno alterâ Romæ Synodo, ſententiam anathematis iterum vibravit. Pontificis autem fulmen adeò inſuper habuit Acacius, ut Papæ nomen è ſacris tabulis eximeret, quod ex Baſilio Cilice refert Nice-

*L.16. c.17. phorus *. Sedem nihilominus quamdiu vixit, quietam tenuit Acacius, ac in pace obiit anno 488. Nomen illius è ſacris Diptychis enixè id poſtulante Hormiſda Pontifice Juſtinus Imp. ſuſtulit anno 519. Extant ab eo ſcriptæ *Epiſtolæ* II. *altera* Gr.Lat. *ad Petrum Fullonem* de Triſagio Concil Tom.IV. p.1108. altera Lat. *ad Simplicium de Eccleſia Alexandrina ſtatu* ibid. p.1080.

472. C. SOLLIUS APOLLINARIS SIDONIUS, gente Gallus, domo Lugdunenſis, illuſtri genere, patre Apollinare, avo cognomine, utroque præfecto Prætorio Galliarum, ortus; natus eſt, ut videtur, anno 431. Euſebium in Philoſophiâ, Oenum in Poëſi, Magiſtros habuit. Scholâ egreſſus militiæ nomen dedit. Papianillam, Fl Aviti, Conſulis ac demum Imperatoris filiam, uxorem duxit, ex qua tres ſuſcepit liberos. Anno 457. à Majoriano Imp. qui Avitum Sidonii ſocerum imperio ſpoliârat, in obſidione Lugdunenſi captus, non ſervatus modò ſed & honore maximo affectus eſt. Ineunte anno ſequente Majoriano Imp. Panegyricum dixit, paulò pòſt petente id Senatu ſtatuâ laureatâ in foro Trajani poſitâ à Majoriano donatus, Comitis etiam dignitate inſignitus. Anno 467. Arvernorum legatus Romam ab Anthemio Imperatore accitus eſt, ubi poſtquàm Anthemii laudes Panegyrico celebrâſſet, Urbis præfecturam adeptus, in qua egregiè verſatus, ſtatuâ iterum donatus eſt, patriciâ poſteà ac ſenatoriâ dignitate auctus. Demum ann. 472 invitus ferè ad Arvernorum Epiſcopatum à tribunali raptus eſt. Patrimonio igitur & honoribus Apollinari filio relictis, miſſiſque ſtudiis ſæcularibus, ſacris literis deinceps excolendis totum ſe dedit, tanti à Provincialibus & Coepiſcopis habitus, ut de rebus majoris momenti, etiam in re Theologicâ, paſſim conſuleretur: & ſub initia ſtatim Epiſcopatûs ortâ de ſede Bituricenſi lite, Præſulis electio unico ejus arbitrio committeretur. Nec Arvernis Epiſcopus ſolùm, ſed & dux fuit; eorumque libertatem contra Gothos multis annis fortiter tuebatur. Circa annum 480. captâ poſt diuturnam obſidionem à Gothis Arvernâ in Livianum caſtrum cum Ecdicio ſororio ſuo ſeceſſit; poſtea tamen ab Evarige Gothorum Rege Eccleſiæ ſuæ redditus. Paulò ante obitum, referente Gregorio Turonen-

*Hiſt. Franc. l. 2. c. 23. ſi *, à Presbyteris duobus ſeditioſis Eccleſiâ ſuâ ſpoliatus eſt, & ad ſummam inopiam redactus. Sedem tamen, poſtquam Presbyterorum alter, divinitùs percuſſus, mortem Arii obierat, recuperavit. Obiiſſe dicitur ann. 482. XII. Cal. Septembr. quamvis ipſe Epiſtola XII. lib. 9. ſe in Epiſcopatu tres Olympiadas excurriſſe diſertè ſcribat. Hæc nos breviter de Sidonio: plura ſi quis velit conſulat is Joannem Savaronem, & Jacobum Sirmondum, qui Sidonii noſtri res geſtas ſtudioſè & accuratè collegerunt. SÆC.V. ab An.CCCC.

SCRIPTA, QUÆ EXTANT.

Epiſtolarum Libri IX. ab ipſo Sidonio ante obitum digeſti, quorum priores ſeptem *Conſtantio Presbytero*, octavus *Petronio*, nonus *Firmino*, nuncupati ſunt.

Epiſtola IX. libri 7. Concionum Sidonii quandam ſubnexam reperire eſt.

Carmina XXIV. præter alia multa Epiſtolis intermixta.

DEPERDITA.

Hiſtoria Attilæ Regis & obſidionis Aurelianenſis, ſuadente Leone Evarigis Regis conſiliario, ſuſcepta & inchoata, ſtatim verò præ laboris tædio intermiſſa. L. 8. ep. 15.

Apollonii Tyanæi Vita è Græco in Latinum verſa. L. 8. ep. 3.

Tractatus adverſus quendam dies bonos malè ferentem. L. 5. ep. 17.

Conteſtatiunculæ Migecio Epiſcopo nuncupatæ. L. 7. ep. 3.

Satyra in Pæonium Marcellianæ conjurationis ducem. L. 1. ep. 11.

Liber de Miſſis.

Liber Cauſarum.

Panegyrici 2. alter ad Majorianum, alter ad Anthemium Impp.

Epiſtolæ plures.

Prodierunt Sidonii Opera, cum Joannis Bapt. Pii Commentariis *Baſil.* 1542. 8°. Eliæ Victi curis recognita *Lugduni* 1552. 8°. cum Commentariis Joannis Savaronis *Pariſ.* 1599. 4°. *Hanov.* 1617. 8°. cum notis Sirmondi *Pariſ.* 1614. 8°. cum ejuſdem verò notis auctioribus *Pariſ.* 1652. 8°. Habentur & in Biblioth. Patr. Tom. VI. p. 1075.

FAUSTUS, natione Gallus, ex Britannis Aremoricis oriundus, primò Monachus, deinde poſt Maximum Abbas Lirinenſis: quo munere functus eſt uſque ad annum 472. cùm Maximo Epiſcopo Regenſi, cui antea in Cœnobii præfecturâ ſucceſſerat, in Epiſcopatu ſucceſſit. Obiit circa annum 480. vel 485. Semipelagianorum dogmata de gratiâ & libero arbitrio foviſſe omnibus notum eſt. Illum cum Fauſto S. Benedicti diſcipulo, de quo Sigebertus de Viris Illuſtr. cap. 30. malè confundunt Bignæus, aliique; cùm tamen iſte anno 610. floruerit. Plurimam cum Sidonio amicitiam Fauſtus coluit, ab eo viciſſim maximo honore & veneratione affectus; quod ex Sidonii Epiſtolis conſtat. 472.

SCRIPTA.

De Gratiâ Dei & Libero Arbitrio Libri II. Epiſtola ad Lucidum Presbyterum, qui ſententiam Monachorum Adrumetinorum, ſive hæreſin Prædeſtinatianam ſectatus eſt, ita gratiæ omnia tribuens, ut arbitrii libertatem tolleret. Ut ab hoc errore Lucidum revocaret, Fauſtus ad ipſum miſſam Epiſtolam iſtam conſcripſit; quam primò Synodus Arelatenſis undecim, deinde Lugdunenſis viginti ſeptem Epiſcoporum ſubſcriptionibus ſuis confirmarunt. Iſtarum etiam Synodorum Patres Fauſtum ad ſcribendos de gratiâ & libero arbitrio libros impulerunt: licèt ipſe mandati

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. dati limites prætergressus Semipelagiana dogmata Operi suo inseruerit.

Libellus de Creaturis, quòd in illis nihil sit incorporeum. Eum tribus de statu animæ libris refutavit Claudianus Mamertus; quibus ferè præfigi solet.

Sermo ad Monachos.

Epistola ad diversos.

Professio fidei ad Leontium Episcopum Arelatensem.

Sermones aliquot inter eos, qui sub Eusebii Emeseni nomine feruntur; præsertim is *de S. Maximi laudibus.*

Contra Nestorii errorem libellus, seu Epistola ad Gratum Diaconum.

Epistola de Pœnitentiâ & timore Dei ad Fœlicem Patricium.

Responsio ad objecta quædam de ratione Fidei Catholicæ.

De variis quæstionibus ad Paulinum.

Porrò librum de Spiritu Sancto, aliumque contra Arianos & Macedonianos, à Fausto scriptos memorat Gennadius *, qui interierunt, vide quæ in Paschasio Diacono dicemus.

* De Script. cap. 85.

Extant Opuscula Fausti omnia in unum collecta in Bibliothecâ Patrum novissimâ Tom. 8. p. 523.

Cæterùm (quod notandum restat) Lucidus Presbyter Fausti argumentis victus manus dedit, & Professionem fidei satis Orthodoxam Synodo Arelatensi obtulit, quæ extat apud Baronium ad an. 490. & Concil. Tom. IV. p. 1044. cum notis Sirmondi.

472. P. II. THEOCTISTUS, unde ortus, incertum, S. Euthymii Archimandritæ Palæstini socius familiarissimus, (trado hæc ex conjecturâ Lambecianâ) claruit circa ann. CCCCLXXII. Extant Græc. MSS. Biblioth. Vindob. *Cod. Hist.* juxta *Lambecium* XII. juxta *Nessel.* LXVI. *Canones, sive Cantica sacra in Sanctos totius mensis Aprilis*, opus vastum, quodque folia CCI. continet. Sub finem, Auctor notâ hâc miniatâ se prodit.

Θεοῦ τὸ δῶρον, καὶ ΘΕΟΚΤΙΣΤΟΥ πόνος
Κ᾽ἀνταῦθα δόξα τῇ σεβαστῇ Τριάδι.

Dei hoc donum, Theoctisti labor
Hîc quoque gloria venerandæ Trinitati.

Ejusdem; ut videtur, sunt *Sententiæ parenetica* ordine Alphabetico, quæ incipiunt hoc modo, Ἀνιαρὸν μὲν, &c. habentur ibid. *Cod. Philosoph.* LXXXI. num. II. fol. 196. & *Anthologii Stobæani* editionibus, tùm *Venetæ*, tùm *Tigurinæ* subjunctæ sunt. Confer quæ habet Lambecius *Comment.* lib. VII. p. 143. & lib. VIII. p. 48. 49. qui tamen dubium relinquit utrùm nota suprascripta auctorem, collectorem, an descriptorem denotet.

474. P. II. NESTORIANUS, Chronographus Græcus, claruit circa annum CCCCLXXIV. Scripsit Vitas Romanorum Imperatorum, Opusque suum usque ad *Leonis Junioris* exitum perduxit. Semel iterúmque à Joanne Malalâ citatur, qui eum τὸν σοφώτατον χρονογράφον ubique appellat. Quod & à *Chronici Paschalis* conditore, qui Malalæ Scrinia strenuè compilasse videtur, factum est. Hunc, eundem cum Nestorio *Paphlagonios* in Ægypto Episcopo, [cujus meminit Liberatus Diaconus *Breviar.* c. 14. p. 97. quique tùm Actioni I. Concilii *Chalcedonensis*, tùm primus inter Ægyptiacæ Diœceseos Episcopos, *Literis ad Leonem Imp.* pro Synodo Chalcedonensi missis subscripsit,] facit Cl. Garnerius *Præf. ad Liberat.* nu. XI. quàm rectè, viderint alii; mihi certè parùm verisimile videtur. Nullum adducit testem; & levissimæ planè sunt, nulliúsque ponderis, quas affert conjecturæ. Quòd verò ipsum in Ægypto scripsisse inde conjicit, quia à nemine, præterquàm Alexandrinis, ejus mentio fit, longè fallitur Vir eruditus, cùm à Joan. Malalâ Antiocheno (ut diximus suprà) non semel citetur, in hoc tamen excusandus, quòd Malalam necdum editum videre non potuit.

476. GELASIUS, CYZICENUS à Patriâ dictus, Presbyteri Ecclesiæ Cysicenæ filius, demum Cæsareæ in Palæstina Episcopus, claruit sub Basilisco annò 476. quo circiter tempore Historiam suam se scripsisse indicat. Juvenis adhuc dum in domo paterna vitam degeret, incidit in librum quendam antiquissimum in membranis planè integris descriptum, qui Dalmatii Archiepiscopi Cyziceni fuerat, quique ad Patrem suum tandem pervenerat. Plurima ex eo Concilium Nicænum spectantia in usum suum annotavit; & venerandi Codicis authoritate Eutychianos sub Basilisci imperio Synodi Nicænæ decreta, tanquam ipsis faventia jactitantes, confutavit. Historiam postea ac res gestas Synodi Nicænæ, partim ex dicto Codice, partim ex Eusebii Cæsariensis, Ruffini, aliorumque qui Concilio intererant, scriptis concinnavit, Opus in tres libros partitus. Primo libro præludia quasi Synodi complexus est; res gestas Constantini usque ad devictum Licinium enarrans, libro secundo de gestis post sublatum Licinium agit, atque Acta Concilii Nicæni, præsertim disputationes Philosophorum ac Arianorum cum Patribus Nicænis institutas exhibet. Sed ut verum fatear, prolixæ istæ Disputationes ex ipsius Gelasii, saltem antiquissimi Codicis ab eo usurpati Authoris cerebro mihi profluxisse videntur. Nec enim aliud forsan veritatis argumentum habent præter futilem istam historiam, quam refert Ruffinus l. 10. c. 3. Tertio (qui jam deest) libro reliqua Constantini Imp. pro fide studia descripsit, uti ipse in secundi libri fine testatur; quin & historiam, Photio teste *, usque ad Constantini obitum perduxit; quem baptismo paulò ante mortem ab Orthodoxo quodam sacerdote tinctum fuisse narravit. Hinc justa nimis oritur suspicandi ratio, eos qui Historiam istam primi ediderunt, librum tertium suppressisse, ejusque loco tres solummodò Constantini Epistolas dedisse; eò quòd decantatæ apud Pontificios historiæ de Constantino Romæ à Sylvestro Papâ baptizato fidem derogat. De Historia Gelasii sic Photius *. Γελασίου βιβλίον οὐ μᾶλλον ὑπάρχον πρακτικὸν ἢ ἱστορικόν, εὐτελὴς δὲ καὶ ταπεινὸς τὴν φράσιν, πλήν γε λεπτομερῶς διέξεισι τὰ ἐν τῇ συνόδῳ. *Non tam actio, quàm historia est. Sermo vilis & humilis; nisi quòd minima quæque in Synodo gesta narrat.* Atque alibi †: ἡ δὲ φράσις εἰς τὸ ταπεινὸν καὶ χυδαῖον τοῦ λόγου κατενηνεγμένη. *Ipsa dictio ad humilem vilemque stylum plus æquo vergere animadvertitur.*

Vid. Gelas. in Præfat.

* Cod. 88.

* Cod. 15.

† Cod. 88.

Totum hujus Historiæ librum secundum in suam Concilii Nicæni Historiam è Codice Vaticano transtulit Alphonsus Pisanus. Historiam ipsam, qualis nunc extat, Græcè, unà cum versione Latinâ & notis edidit Robertus Balforeus Scotus *Paris.* 1599. 8°. Exinde habetur Concil. Tom. II. pag. 103.

Eidem Gelasio *libros* Gelasii Papæ *de duabus in Christo naturis*, pluribus argumentis vindicare satagit Baronius *. Verùm oleum & operam perdit. De eâ enim re sententia ab eruditis jamdudum lata est.

* Ad an. 496.

Observandum denique, Gelasium in *Historia* suæ Proœmio se Constantini Imp. & Constantii Patris res gestas peculiari Commentario traditu-

Cave Hist. Lit. Bb 3 rum

SÆC. V. ab An. CCCC. rum polliceri. An tale quid reipsâ præſtiterit, nequaquam conſtat.

477. JOANNES, Eccleſiæ Antiochenæ ex Grammatico Presbyter, claruit anno 477. In vivis adhuc erat anno 495. Scripſit *adversus Eutychianos* unitatem perſonæ & diſtinctionem naturarum in Chriſto ſtrenuè aſſerens, incautas ſimul aliquot Cyrilli Alexandrini oppugnans ſententias, quæ Eutychianis favere videbantur. N. E. (Gennad. de Script. c. 93)

477. PETRUS, *Mongus* dictus, Eccleſiæ Alexandrinæ Diaconus anno 453. ob Eutychianiſmi ſtudium à Proterio Alexandrino damnatus & depoſitus. Timotheum Ælurum aſſiduò ſectatus eum Alexandriam bis reverſum toties comitatus eſt, bis fugatum toties ſecutus: eique anno 477. defuncto in ſede Alexandrinâ ab illius ſectariis clanculum ſuffectus, Timotheo Solofaciolo, legitimo Epiſcopo adhuc in vivis agente. Mox tamen Imperatoris edicto dejectus, ſede uſurpatâ per quadriennium caruit. Anno demum 481. mortuo Solofaciolo, ac ſubſtituto à Catholicis Joanne Talaida, ipſe Acacii amicitiam ſibi concilians à Zenone Imp. annò ſequente impetravit, ut, miſſo Joanne, ſedi Alexandrinæ præficeretur. Epiſcopatum adeptus, Concilium Chalcedonenſe publicè anathematizavit; quamvis id datis ad Acacium paulò poſt literis homo verſipellis ingenii præfractè negaverit: quin & legatis Acacii ad rei veritatem exquirendam miſſis, teſtibus perjuris ſuppoſitis, illuſerit. Haud ita facilè tamen Euphemio Acacii poſt Flavitam ſucceſſori fucum fecit: à quo coactâ anno 489. Conſtantinopoli Synodo damnatus eſt. Obiit anno 490. Extat apud Evagrium l. 3. c. 17. *Epiſtola ad Acacium CP.* de quâ ſuprà verba fecimus.

477. JOANNES, *Talaja* ſive *Talaida* dictus, Monachus Tabenneſiotes, Eccleſiæ Alexandrinæ Presbyter & Oconomus ſub Timotheo Solofaciolo; cui perſuaſit, ut Dioſcuri nomen in Diptycha reponeret. Ab eodem anno 477. ad Zenonem Imp. miſſus, ut Eccleſiæ Alexandrinæ pacem conciliaret, juramento ab Imperatore adactus ſe obſtrinxit ſe ſedem Alexandrinam nunquam ambiturum. Anno igitur 481. poſt Timothei mortem Epiſcopus Alexandrinus à Catholicis, quibuſdam etiam pretio corruptis, ordinatus, Imperatoris edicto ſede ſuâ depulſus eſt; atque anno 483. Romam fugiens à Simplicio & Fœlice Pontificibus cauſæ ſuæ patrocinium poſtulavit. Et iſti quidem tam literis, quàm diris, paſſim miſſis, nil intentatum reliquerunt, Joannem ſedulò tutantes. Verùm omnia incaſſùm. Amiſſam ſedem iſte nunquam recuperavit; ac à Fœlice Papâ ſedi Nolanæ in Campaniâ tandem præfectus, poſt annum 492. in pace obiit. Scripſit, teſte Photio *, *Apologiam ad Gelaſium Papam*, quâ non ſolùm Pelagianam hæreſin, ſed & Pelagium ipſum, Cœleſtium, & Julianum, apertè damnavit. Verùm hanc temporis injuria nobis eripuit. (Liberat. Breviar. c. 18. * Cod. 54.)

480. EUGENIUS, gente Afer, anno 480. à Catholicis, quibus Hunnericus Vandalorum Rex Zenonis Imp. & Placidiæ precibus exoratus, eligendi Epiſcopi veniam conceſſerat, Epiſcopus Carthaginenſis conſtitutus, poſtquam ſedes Arianorum ſævitia per 24. annos vacaverat. Anno 484. collectâ apud Carthaginem ab Hunnerico Epiſcoporum Arianorum turbâ, qui diſputationem cum Catholicis committerent, Eugenius luculentam fidei Profeſſionem Regi obtulit, tantâ rationis vi munitam, ut Hæreticos ad ſilentium pariter ac rabiem adigeret. Paulò poſt ab Hunnerico Tamallunenſem civitatem in confinio Tripolitanæ ſitam relegatur, & Antonio loci Epiſcopo, Hæretico ferociſſimo, excruciandus committitur. Poſtea, ſi Gregorio Turonenſi * fides, Albigenſem Galliarum urbem aſportatus eſt: ubi anno circiter 495. vel paulò poſt vitam finiiſſe videtur. De eo enim quaſi adhuc vivente loquitur Gennadius in Catalogo Scriptorum *, quem iſto anno contexuit. Extat *Libellus*, ſeu prolixa *Fidei Confeſſio* nomine Epiſcoporum Africanorum Hunnerico Regi oblata, apud Victorem Vitenſem (cujus integrum librum tertium conſtituit) de perſecutione Vandalicâ l. 3. pag. 33. Ejus enim eſſe, licèt id non dicat Victor, extra omnem controverſiam ponit Gennadius loco citato. Habetur Concil. Tom. IV. pag. 1128. & in Bibliothecâ Patr. Tom. VIII. pag. 683. Scripſit præterea, teſte eodem Gennadio, quæ interierunt, *Epiſtolas ad plebem ſuæ curæ commiſſam* paulò ante exilium miſſas: *Altercationes* quas cum Arianorum præſulib. per internuncios habuit *Hunnerico Regi nuncupatas*: Preces denique pro quiete Catholicorum Apologiarum ad inſtar, eidem oblatas. (* Hiſt. l. 2. * Cap. ...)

THEODULUS, Honorio Auguſtodunenſi * *Theodorus*, Presbyter in Cœlo-Syria, Sixto Senenſi Epiſcopus, claruit circa an. 480. Obiit anno 492. triennio antequam Gennadius † Catalogum clauſit. Scripſit contra antiquos Hæreticos *librum de Conſonantiâ Divinæ Scripturæ*; in quo oſtendit unum eundemque Deum utriuſque Scripturæ, utriuſque diſpenſationis autorem eſſe. Sed hoc Opus dudum periit. Circumfertur quidem Latinè ſub ejus nomine Brevis Enarratio in Epiſtolam ad Romanos in Orthodoxogr. p. 1124. & Biblioth. Patr. Tom. VIII. Falsò autem Theoduli nomen præfert. Eſt enim *Catena* quædam non ſolùm ex Baſilio, Chryſoſtomo, Severiano, & c. ſed & ex Photio & Oecumenio, Theodoro longè recentioribus, contexta. Alius planè à noſtro videtur Theodulus ille, incertæ ætatis Scriptor cujus meminit Sigebertus Gemblacenſis *, natione Italus, Græcè & Latinè doctus: qui cùm Athenis ſtuderet, Gentiles cum Chriſtianis diſputantes audivit; eorumque colligens rationes, in Opus, quod *Eclogam* vocavit, contulit, in tres partes diviſum, primam Ψεῦδος, ſecundam Ἀλήθειαν, tertiam Φρόνησιν dictam. Hunc cum noſtro temerè confundit Sixtus Senenſis. * Eundem, quem Sixtus, errorem non modò erravit Poſſevinus; ſed & mirâ planè oſcitantiâ ex uno Scriptore tres diverſos fecit: quorum duos priores Theodoros vocat. († c. 91. * Cap. 136. * Bibl. ... l. 4. p. 306.)

480. P. II. NICEPHORUS, magnæ Eccleſiæ CP. à S. Sophiâ dictæ Presbyter, claruit circa annum CCCCLXXX. vel paulò poſt. Scripſit prolixè *Vitam & Converſationem S. Andreæ*, διὰ Χριστὸν σαλοῦ vulgò dicti, *i. e. qui propter Chriſtum, ſe ſtultum ſimulavit*, quique ſub Zenone Iſauro, ejuſque deceſſore floruit, quæ ſic incipit, Βίος καὶ πολιτεία τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἀνδρέου τοῦ διὰ Χριστὸν σαλοῦ, συγγραφεὶς παρὰ Νικηφόρου, &c. Extat Græcè MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Hiſtor.* CXXIII. num. 1. fol. 1. uſque ad fol. 95.

483. JOANNES ÆGEATES, Presbyter, ſectâ Neſtorianus, Διακρινόμενος, id eſt, *Segregatus*, dictus, quo nomine Dioſcuri & Eutychetis ſectatores ſe vocare ſoliti erant. Claruit ex mente quidem Doctiſſ. Voſſii * ſub Zenone, circa an. 483. Vereor tamen, ne aliquot annis poſterior ſit; cùm à Petri Fullonis depoſitione hiſtoriam ſuam quinque adhuc libris produxerit. Scripſit Hiſtoriæ Eccle- (* De Hiſt. Græc. l. 2. c. 21.)

Digitized by Google

clesiasticæ libros X. quorum quinque priores à Theodosii Imperio, & ab ipsâ Nestorii hæresi inchoati, usque ad Petri Fullonis depositionem anno 479. Quinque libros posteriores se non legisse fatetur
† Cod.41. Photius †. In hâc Historiâ manifesta hæreseos suæ indicia prodidit, Synodum λῃστρικὴν Ephesinam divinam vocavit, Dioscurum, ejusque asseclas egregiè collaudavit: Concilium Chalcedonense perstrinxit, & calumniis insectatus est. Extat Fragmentum Operis istius actione 5ta. Synodi Nicænæ II. Concil. Tom. VII. pag.369. Quædam etiam ex posteriore parte habet Theodorus Lector Collect. lib. 2. pag. 563. Scripsit item Joannes *peculiare adversùs Synodum Chalcedonensem Opus* probris &
* Cod.41.55. calumniis refertum. De stylo ejus sic Photius *: ἔστι δὲ τὴν φράσιν σαφὴς καὶ ἀνθηρὸς, καλλιεπείᾳ καὶ τῷ ἡδεῖ μετὰ τῆς σαφηνείας καὶ λαμπρότητος κεχρημένος. *Stylus illi clarus & floridus; verborum splendore ac suavitate, cùm perspicuitate & claritate usus.*

483. FOELIX, natione Romanus Fœlicis Presbyteri filius, anno 483. die XIII. Februarii Roma-
Theod.Lect. l.2.p.566. næ sedis Pontificatum adeptus est. Episcopus factus, Zenonis Imp. Henoticon anno superiore editum statim apertè rejecit. Acacium CP. Petri Mongi communioni renunciare renuentem, missis undique literis exagitavit; quin & tandem anno 484. anathemate percussit. Eodem anno Petrum Fullonem, sedis Antiochenæ invasorem, & Deum crucifixum esse docentem, habitâ Romæ 42. Episcoporum Synodo damnavit. Ad clariorem hujusce rei intelligentiam notandum est, Petrum, arte Fullonem, Cœnobii Acæmetensis monachum, ob Eutychianismi studium exinde pulsum, mox S. Bassæ apud Chalcedonem Presbyterum, anno 471. Zenonis favore subnixum, magnas Antiochiæ turbas excitâsse, ac Theopaschitarum sectæ semet adjungentem, Deum crucifixum esse docuisse, additâ solenni Trisagii formulæ hâc clausulâ (*Qui crucifixus es, pro nobis.*) Tumultuum pertæsus Martyrius, Antistes Antiochenus, anno 472. sedi suæ renunciavit, quam mox Petrus Fullo tyrannicè invasit. Iste verò Leonis Imp. edicto statim ejicitur, & in Oasim relegatur: substituto Juliano. Anno 476. à Basilisco sedi Antiochenæ restituitur, Juliano mœrore animi confecto. Anno sequente à Joanne, quem Episcopum Apameæ ordinarat, deturbatur, & à Synodo clandestinâ damnatus est. Anno 478. à legitimo Episcoporum Orientalium Concilio Antiochiæ, ab Acacio Constantinopoli à Simplicio Romæ damnatus, à Zenone etiam Pityunta deportari jussus. Anno 484. ab Imperatore Acacio id curante sedi suæ restituitur, eodem, licèt tempore à Fœlice damnatus; eamque usque ad annum 486. quo obiit, tenuit. Sed ut ad Fœlicem redeamus; mortuus iste est die XXX. Januarii anno 492. Extant *Epistolæ* XV. (quarum *duæ ad Petrum Fullonem, unica ad Zenonem Imp.* Græco-latinè habentur) Concil. Tom. IV. p.1049.

484. QUINTIANUS, Episcopus Asculanus, claruit anno 484. Scripsit *Epistolam ad Petrum Fullonem adversùs clausulam*, ab eo Trisagio additam, quam hæreticam & blasphemam esse acriter contendit, & subnexis XII. Anathematismis damnat. Extat Epistola ista Gr. Lat. Concil. Tom. IV. pag. 1097.

484. ANTHEON, Arsinoes Episcopus, claruit anno 484. quo circiter tempore ejusdem argumenti *Epistolam ad Petrum Fullonem* scripsit, quæ habetur Concil. Tom. IV. p. 1112.

484. FAUSTUS, Apolloniadis Episcopus claruit an. 484. Scripsit eâdem de causâ *ad Petrum Fullonem epistolam*; quæ reperitur Gr. Lat. Concil. Tom. IV. pag. 1113.

PAMPHILUS, Abydorum Episcopus, claruit anno 484. Scripsit de eodem argumento *epistolam ad Fullonem*, quæ invenitur Gr. Lat. Concil. Tom. IV. p. 1117. 484.

ASCLEPIADES, Trallium Episcopus, claruit anno 484. Simili ferè *epistolâ* Trisagion Fullonis oppugnavit, & X. *Anathematismis* percussit. Tam *epistolam* quàm *Anathematismos* Gr. Lat. exhibet Concil. Tomus IV. pag. 1120. 484.

JUSTINUS, urbis cujusdam in Siciliâ Episcopus, claruit anno 484. Scripsit *epistolam ad Petrum Fullonem* prioribus consimilem, quam videre est Gr. Lat. Concil. Tom. IV. pag. 1103. 484.

Scripsit ejusdem argumenti *epistolam ad Petrum Fullonem* Flaccianus sive Flavianus Episcopus Rhodopensis. Fragmentum ejus non contemnendum Latinè ex Codice Vaticano edidit Baronius in Annal. ad an. 483. & exinde desumptum repræsentat Concil. Tomus IV. pag. 1105.

Me nequaquam latet Cl. Valesium † has ad Petrum Fullonem epistolas septem non modò in dubium vocare, sed & pro supposititiis habere; quod non uno argumento ostendere conatur. Sed ut quod res est, dicam, leviores mihi videntur ejus rationes, tantique viri nomine haud satis dignæ. † Dissert. in Petr. Full. c. 4. p. 177. ad finem vol. 3. Hist. Eccl. Ait primò, nullum ex istis Episcopis in Historiâ illorum temporum nominatim reperiri. Quid inde? Sexcenti occurrunt in Conciliorum Tomis Episcopi semel memorati; quorum nec levissima apud istius ævi Scriptores habetur mentio. Concil. Tomo IV. LXI. Episcoporum, Synodorumve ad Leonem Aug. pro confirmatione Synodi Chalcedonensis Epistolæ habentur: è quibus longè plurimorum Episcoporum nomina frustra alibi quæras. Ait secundò, modicarum urbium Episcopos quales isti erant, nullâ autoritate præditos, Antiochenum Patriarcham scriptis ad eum literis coarguere sine summâ audaciâ non potuisse. Sed planè hospes sit oportet in Historiâ Ecclesiasticâ, qui nesciat istiusmodi exempla non ubivis prostare. Cui notæ non sunt Irenæi ad Victorem Romanum de die Paschali literæ Cypriani & Firmiliani ad Stephanum Papam de baptismo Hæreticorum Epistolæ, ut de aliis jam non dicam? Quantò verò magis id licebat, ubi res fidei agebatur & contra Episcopum, alienæ sedis invasorem, ac hæreseos in sequentibus tam Occidentalium, quàm Orientalium Synodis notatum. Ait tertiò, omnes has Epistolas uno eodemque Stylo, barbaro satis ac crasso, manifesto falsitatis indicio, conscriptas esse. Accuratissimus autem Critices Magister sit oportet, qui ex quâdam styli similitudine omnes ab unicâ manu profectas asseverare ausit. Huc accedit, quod & ipse animadvertit quidem, ei tamen nil reponit, Valesius, has Epistolas non ex Græco in Latinum, sed vice versâ translatas esse. Denique nescire me fateor, quâ spe, quo argumento aliquis induci potuit, ut ejusmodi Epistolis sub aliorum nomine suppositis Orbi Christiano fucum faceret. Lectorem tamen celatum nollem, me Flacciani epistolæ fragmenti patrocinium nequaquam suscepturum esse.

VIGILIUS, gente Afer, Tapsensis sive Tapsitanus in Provinciâ Byzacenâ Episcopus, claruit anno 484. quo Hunnerici Regis præcepto Carthaginem evocatus, ut rationem fidei suæ redderet, Eugenii Carthaginensis Professioni fidei subscrip- 484.

SÆC.V. ab An.CCCC ſit, & cum eo pro fide Catholicâ conſtanter militavit. Sævientibus in Catholicos Vandalis Arianis Patriam ſuam deſeruiſſe videtur. Conſtantinopolin profectum eſſe, atque ibi libros contra Eutychem condidiſſe, prodit Theodulphus Aurelianenſis, & Æneas Pariſienſis. Vigilium ſanè inter Græcos demum verſatum eſſe ex primo Operis iſtius libro non obſcurè colligitur. Perperam cum Vigilio Tridentino confuſus; Scriptorum iſtius ac ſuperioris ævi notitiam diu fugit. Certè ſcripta ejus inter aliorum Opera delituerunt, ſub aliorum fortaſſe nomine ab ipſo Vigilio primùm edita ac ſuppoſita, hac ſaltem ratione, uti accuratè conjicit Chiffletius, ut Arianorum odium atque invidiam fugeret, tantiſque nominibus prætenſis ſibi ſuffugium, ſcriptis autoritatem pareret. Tandem Opera ejus undique quæſita, & Autori ſuo vindicata, collegit Franciſcus Chiffletius ſuprà laudatus, & ſequenti ordine diſpoſuit.

Adverſus Neſtorium & Eutychem Libri V. *pro defenſione Synodi Chalcedonenſis*, qui ſub Vigilii Tridentini nomine aliquoties prodierunt, *Tiguri* 1539. deinde à Caſſandro editi *Colon.* 1575. 8°. & inter Opera Caſſandri p. 514. emendatiores & auctiores à Joſia Simlero editi *Baſileæ* 1571. atque alibi.

Altercatio ſub nomine Athanaſii adverſus Arium, ſive Dialogi II. in Concilio Nicæno inter Athanaſium & Arium habiti Probo judice.

Dialogi ſive Altercationes III. ab Athanaſio contra Arium, Sabellium & Photinum coram Probo judice habitæ. Idem cum priore Opus cenſendum eſt, hoc tantùm diſcrimine diſtinctum: quòd prius in Africa à Vigilio, dum Vandalos adhuc timeret, & ab iis agnoſci nollet, ſcriptum fuerit; ac ab Africa egreſſo demum recognitum præfatione mutilatum, locis pleriſque elimatum, & integro libro tertio Probi judicis ſententiam complexo auctum. Utrumque in unum opus compaginatum ſub Vigilii Tridentini nomine edidit Georg. Caſſander unà cum libris adverſus Eutycheten *Colon.* 1575. & inter Opera ſua pag. 460. Dialogi priores duo inter Athanaſii Opera locum malè obtinere ſolent.

De Trinitate, ſive de unitâ Trinitate Deitatis contra Marivadum Arianum libri XII. Neapoli in Campania ſcripti, & Athanaſio ſuppoſiti; ſub cujus etiam nomine ſeptem priores libri in editione Athanaſii Heidelbergenſi prodierunt; integri verò duodecim in editione Pariſienſi, in undecim tamen malè diviſi, duobus poſterioribus libris in unum conflatis.

Liber de Unitate Trinitatis ad Optatum, ſive Dialogus inter S. Auguſtinum & Fœlicianum Arianum à Vigilio confictus, inter Auguſtini Opera haberi ſolet.

De Trinitate adverſus Varimadum, ſeu literarum Metatheſi Marivadum, ſectæ Arianæ Diaconum, & Hunnerico Regi admodùm gratioſum, libri 3. ſub Idacii Clari nomine à Vigilio olim evulgati, & ſub ejuſdem nomine typis ſæpiùs impreſſi.

Liber contra Palladium Arianum Epiſcopum, duabus conſtans partibus; quarum prior pro Concilii Aquileienſis ann. 381. habiti Actis exhibita eſt in Collectionibus Conciliorum, quæ poſt annum 1550. prodierunt; altera binas habet editiones, utramque, ut videtur, à Vigilio, evulgatam. Prima eadem eſt cum Ambroſii libro *de Fide ſeu de conſubſtantialitate Filii cum Patre*; ſecunda, quæ auctior eſt, eadem eſt cum Gregorii Nazianzeni *Oratione* 59. Operi ſubjiciuntur duæ Concilii Aquileienſis Epiſtolæ, altera *ad Epiſcopos Galliæ*, altera *ad Gratianum & Valentinianum Impp.* quæ Concilii Actis annumerandæ ſunt. Quod ad priorem attinet, confictam eſſe à Vigilio hanc diſputationem ſub Actorum Synodi Aquileienſis nomine, longo conſecturarum, potiùs quàm argumentorum, agmine SÆC.V. à An.CCCC. contendit Chiffletius: quod quidem mihi nequaquam veriſimile videtur: neque tantæ ſunt, quas affert, ratiunculæ; ut in iis refellendis immoremur. Certè genuinis hiſce Concilii Aquileienſis Actis nemo movebit litem, quin eadem ratione, & iiſdem ferè argumentis aliarum Synodorum Acta in dubium vocare poſſit.

Solutiones Objectionum Arianorum, quas primò Dialogo ſub nomine Athanaſii contra Arianos à Vigilio, antequam ſecundam Dialogorum iſtorum editionem moliretur, adjectas eſſe conjicit Chiffletius.

Opera iſta ſuprà enumerata in unum collegit, ac notis & diſſertationibus illuſtrata edidit Petrus Franciſcus Chiffletius *Divione* 1664. 4°. Exinde habentur Bibliothecæ Patr. Tom. 8. p. 722.

Altercatio ſive Dialogus S. Auguſtini cum Paſcentio Ariano coram judice Laurentio, à Vigilio conficta, & à Patribus Benedictinis noviſſimæ Operum S. Auguſtini editionis curatoribus primùm in lucem eruta, & epiſtolarum ejus Appendici ſubnexa.

Symbolum Fidei ſub Athanaſii nomine circumlatum, & inter illius Opera vulgatum. Id Vigilio, nos non invitâ, uti credimus, veritate, aſcribendum cenſemus. Vide plura in Athanaſio.

Cæterùm à Vigilio quodam, Africano Epiſcopo, luculentum *de mille annorum, qui in Apocalypſi prædicuntur, intelligentiâ Tractatum* confectum eſſe prodit Caſſiodorus *. Utrùm is Vigilius noſter fuerit, planè incertum eſt. Id certum, opus, qualecunque fuerit, interiiſſe. * Divin. Lect. l. 1. c. 9.

Denique mirari licet, quid ſibi velit Caſimirus Oudin, qui non uno in loco Arnobii junioris cum Serapione conflictum Vigilio noſtro tribuat, nullâ, quod ſciam, ratione ductus, nullius autoritate fultus. De hac enim re ne γρῦ quidem habet, qui omnia Vigilii Opera corraſit, ſæpe dictus Chiffletius; quamvis illum in partes vocare vellet videatur.

VICTOR, gente Afer, Vitenſis in Provincia Byzacena Epiſcopus, anno 484. Eugenii Carthaginenſis Profeſſioni fidei Catholicæ ſubſcripſit; & eodem aut ſequente ſaltem anno ab Hunnerico Rege in exilium ablegatus eſt. Conſtantinopolim igitur profectus, anno 487. ſcripſit *Hiſtoriam Perſecutionis Africanæ ſive Vandalicæ ſub Genſerico & Hunnerico Vandalorum Regibus*, cui ſubnexuit Appendicis vice Acta VII. Monachorum Martyrum Caſpenſis territorii. Quo anno obierit non liquet. Extat Hiſtoria prædicta modò in tres, modò in quatuor, alibi in quinque, nonnunquam in ſex libros diviſa, *Colon.* 1535. deinde curâ Beati Rhenani *Pariſ.* 1541. cum notis Balduini Optato Milevitano ſubjecta *Pariſ.* 1569. 8°. cum notis & diſſertationibus Chiffletii Vigilii Tapſenſis Operibus præmiſſa *Divione* 1664. 4°. in Orthodoxogr. pag. 799. & Bibliothecâ Patr. Tom. VIII. pag. 675. 484.

SABAS, ex *Mutalaſcâ* vico apud Cappadocas ſatis obſcuro, nobilioris conditionis Parentibus Joanne & Sophiâ ortus, claruit anno CCCCLXXXIV. natus eſt anno CCCCXXXIX. Puer adhuc inſtitutum monaſticum in patriâ ſuâ amplexus, XVIII. annos natus in Palæſtinam venit. Manſit in Cœnobio annis XVII. Anno CCCCLXXXIV. ætatis XLV. Presbyterii ordinem, & magnæ Lauræ Præfecturam in ſe ſuſcepit. Obiit anno poſt Conſulatum *Lampadii & Oreſtis* ſecundo, Juſtiniani VI. ætatis ſuæ XCII. non ut habet Cyrillus XCIV. Anno Chriſti DXXXII. Hiſtoriam ejus contexuit Cyrillus Scythopolitanus, qui res ab eo geſtas, mores 484. P. II.

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. mores, totamque vivendi rationem plenissimè persequitur. Scripsit Sabas in usum Monasterii sui *Typicum*, sive *ordinem recitandi Officium Ecclesiasticum per totum annum*, capita LIX. complectentem, qui in omnibus Monasteriis Hierosolymitanis mox obtinuit. Barbarorum incursionibus depravatum, & penè deperditum, Joannes Damascenus magno studio postea restituit & renovavit. Editum est hoc Sabæ *Typicum* inter alios Græcorum libros Ecclesiasticos; cui subjecta sunt Marci Hieromonachi de *dubiis Typicis* capita C. Habetur MS. tùm alibi sæpiùs, tùm Biblioth. Vindob. Cod. *Theol.* CCLXXXV. num. i. ii. fol. 1. p. 1. Fusè de eo agit L. Allatius *Differt.* I. *de lib. Eccles. Græc.* p. 5. &c.

487. ÆNEAS GAZÆUS, professione Sophista, ex Philosopho Platonico Christianus, claruit circa ann. 487. Confessores enim Africanos, quibus anno 484. linguas execuerat Hunnericus Vandalorum Rex, Constantinopoli loquentes se audisse ipse testatur. Scripsit Dialogum, *Theophrastum* dictum, *de Animarum immortalitate, & corporis resurrectione*; qui ab Ambrosio Camaldulensi Latinè versus extat *Basil.* 1516. Prodiit deinde Gr. Lat. inter alia *Basil.* 1560. cum Wolphii versione, postmodum cum versione & notis Casparis Barthii *Lipsiæ* 1658. 4*to*. denique in Auctario 1624. Tom. II. pag. 373.

487. CEREALIS, gente Afer, Episcopus Castulensis, idem forsan cùm Cereali Castelloripensi in Mauritaniâ Cæsariensi Episcopo, qui Eugenii libello inter alios Africæ Episcopos Catholicos subscripsit: claruit anno 487. *Disputationem de Fide S. Trinitatis* à Maximiano Ammonitarum Episcopo Ariano provocatus Carthagine instituit, & Hæretici sophismata productis affatim S. Scripturæ testimoniis egregiè profligavit. Extat *Libellus Concertationis dictæ de Fide* contra Maximianum inscriptus, in Hæresiologiâ *Basiliensi* ann. 1556. & in Biblioth. Patr. Tom. VIII. p. 671.

Gennad. de Script. c. 96. Appendix ad Isidor. c. 10.

490. HONORATUS, gente Gallus, Episcopus Massiliensis, claruit anno 490. Vir eloquens, ac sermonis copiâ pariter & facundiâ celeberrimus, uti eum depingit Gennadius *. Edidit *Homilias* quamplurimas, tam ex tempore habitas, quàm ocio compositas; quibus & Lectores ad pietatem hortatus est, & hæreticorum deliria confutavit. Composuit & Sanctorum Patrum multorum Vitas; & in his Hilarii, Arelatensis Episcopi, præceptoris res gestas literis mandavit. Ex his nil hodie superest præter *Vitam Hilarii Arelatensis*, quæ habetur apud Surium ad diem v. Maii.

* De Script. c. 99.

490. ALCIMUS ECDICIUS AVITUS, natione Gallus, domo Viennensis, Isicii, Viri Senatorii, ac demum Archiepiscopi Viennensis, filius, Aviti Imp. nepos, Apollinaris Valentiæ Episcopi frater, circa annum 490. patri in sede Viennensi successit. Anno 496. datis ad Clodoveum Regem literis susceptum ei baptismum gratulatus est. Ineunte sæculo sexto Gundobaldum Burgundionum Regem, qui Viennam nuper expugnarat, ab Arianâ hæresi ad Catholicam fidem revocavit; eumque subditos suos id celare cupientem Orthodoxam palam confiteri coegit. Idem Sigismundum Regem, Gundobaldi filium, postea ab eâdem hæresi ad Ecclesiam Catholicam reduxit. Hæreticos certè in Galliâ versantes voce & exemplo; foris positos scriptis, utrosque mirâ animi constantiâ, nec irrito prorsùs successu, oppugnavit. Concilio Epaonensi anno 517. præfuit. Obiit anno 523. die v. Februarii. Vir erat, teste Adone, eloquentiâ & sanctitate conspicuus. De acumine ejus in pangendis versibus hæc Cl. Borrichius *, *Poëta erat elegantissimus; ut miremur ævo tam rudi* [*intravit enim quoque sæculum sextum*] *venam adeò doctam & expeditam.* Virtutes ejus eximias describit Epitaphium illius sanè pro sæculi istius genio non contemnendum, quod apud Baronium habetur ad ad ann. 516. Nos speciminis gratiâ versus illius aliquot subnectemus.

Greg. Turon. Hist. Franc. l. 2. c. 34. Ado Vien. Chro. ad an. 492.

SÆC. V. ab An. CCCC. * Differt. 2. de Poët. Lat. p. 79.

Exue sollicitas de tristi pectore curas:
Nam quem plena fides, celsa quem gloria me nit,
Quem pietas, quem larga manus, quem fama perennat,
Nil socium cum morte tenet. Quin prospice sancti
Gesta viri. Primum, &c.

OPERA, QUÆ EXTANT.

De mundi origine, de peccati origine, de sententiâ Dei, de diluvio, deque transitu maris rubri libri V. versu Hexametro conscripti, Apollinari, Sidonii filio, & in sede Arvernensi successori, nuncupati.

De laude Virginitatis libellus. Heroico carmine compositus ad Fuscinam sororem. Poemata ista extant in Collectione Poetarum Fabricianâ, & in Appendice Bigneanâ *Parif.* 1624. p. 596. seorsim verò *Basileæ* 1546. cum Commentariis Mentari Moltheri, & *Lugduni* 1536. 12°.

Epistolæ ad diversos, aliorumque ad ipsum; numero LXXXVII.

Homilia de Rogationibus, quæ cum Epistolis ejusdem aliquot habetur in editione Poëmatum Lugdunensi 1536.

Homiliarum VIII. Fragmenta.

Opusculorum in quibus B. Pauli Epistolæ citantur, Fragmenta.

Omnia Aviti Opera suprà enumerata vel tum primùm edita vel emendata curâ J c. Sirmondi prodierunt *Parif.* 1643. & exinde in Biblioth. Patr. Tom. IX. p. 560.

Epistolæ IV. & Fragmenta aliquot, à Baluzio edita Miscellan. Tom. I. p. 355.

Collatio ejus, aliorumque adversus Arianos. Extat apud Dacherium Spicileg. Tom. V.

OPERA DEPERDITA.

Homiliarum liber, de Mundi principio.

Epistolæ quamplurimæ. Novem enim Epistolarum libros ævo suo superfuisse testatur Gregorius Turonensis.

Dialogus contra hæresin Arianam ad Gundebaldum Regem.

Contra Nestorii & Eutychis errores Libri II. quos Gundebaldi Regis suasu composuit.

Contra Fausti errores de gratiâ & libero arbitrio liber.

ZACHARIAS, professione Rhetor, claruit circa ann. 491. Condidit *Historiam Ecclesiasticam* ab Exordio Marciani Imperatoris, usque ad Principatum Anastasii, *i. e.* ab anno 450. ad annum usque 491. In quâ condendâ, non sincerè atque moderatè, ut Historicum decet, se gessit, sed tanquam gratiâ atque odio corruptus, ἐμπαθῶς τὴν ὅλην πραγματείαν συγγράψας, uti ipsum non semel perstringit Evagrius libro III. c. 7. p. 340. & libro II. cap. 2. pag 286. Eutychianum facit Baronius ad ann. 476. Quod tamen cum descriptione quam habet Eutychianorum apud *Evagr.* lib. III. cap. 6. pag. 339. minimè convenit, uti rectè notat Valesius in illum Evagrii locum. Certè non pauca in gratiam Nestorii refert, notante eodem Evagrio lib. II. cap. 2. pag. 286. apud 491. P. II.

quem

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. quem varia hujus Hiſtoriæ Fragmenta proferuntur lib. III. cap. 5. pag. 338. Citat etiam alibi ſæpiùs, nempe lib. II. cap. 8. lib. III. cpp. 6. 7. 18. Extitit ſuperiori ſæculo, hæc Zachariæ noſtri Hiſtoria MS. Conſtantinopoli, tùm in Bibliotheca Conſtantini Varini, tùm Joannis Suzi, ſi nos non fallat Catalogus *Verderianus*, cui quidem hâc in parte fides temerè non habenda eſt. Id modò conſtat, inter Catalogos librorum Græcorum qui in Bibliothecâ Cæſareâ aſſervantur, Conſtantini Varini, & Joannis Suzi Catalogos recenſeri, teſte Neſſelio Catal. Vindob. Part. V. p. 151.

492. GELASIUS, natione Afer, Valerii filius*, anno 492. die VII. Februarii ad Epiſcopatum Urbis Romanæ evectus eſt. Pontificatum nactus, communicatorias ſtatim ab Euphemio CP. literas (quodque nec ipſe unquam negavit Gelaſius) inprimis orthodoxas accepit; communicatorias tamen ei viciſſim reddere recuſavit, niſi Acacii nomen Diptychis Euphemius expungeret. Id conſtanter renuit Euphemius, & Acacii cauſam impigrè tutatus eſt, eum à Fœlice Papâ injuſtè damnatum eſſe contendens. Deceſſoris igitur ſui ſententiam, & Acacii damnationem, plurimis, iiſque prolixiſſimis Epiſtolis ad Euphemium, Anaſtaſium Imper. aliosque datis defendit; ac quandiu vixit, communionem Euphemio & Orientalibus Epiſcopis Euphemio communicantibus denegavit. Manichæos in urbe Roma deliteſcentes, & Catholicorum larvam ſibi prætendentes, ita ut ſacræ etiam ſynaxi intereſſe, & ſacro-ſanctum Euchariſtię panem in os accipere non vererentur, calicem verò ſedulò ac datâ operâ fugerent, ſummâ diligentiâ inveſtigavit; & ut hæreticis larvam auferret, morem in Eccleſiâ ab ipſis illius primordiis receptum, ne quis in Collectis ſacris niſi ſub utraque ſpecie communicaret, decreto confirmavit. Detectos ea lege Manichæos damnavit, & civitate expelli fecit. Nec minùs fortiter Pelagianos & Eutychianos data quavis occaſione ſive ſcriptis ſive autoritate oppugnavit, hæreticorum hoſtis acerrimus. Obiit anno 496. die VIII. Septembris.

Scripſit plurima, quæ ſequuntur.

EPiſtolæ XVI. *quarum ultima ad Ruſticum Lugdunenſem* à Dacherio primùm edita eſt Spicileg. Tom. V. p. 581.

Epiſtolarum aliarum X. *Fragmenta.*

Tomus ſive liber de Anathematis vinculo.

Adversùs Andromachum Senatorem, caterosque Romanos, qui *Lupercalia* ſecundùm morem priſtinum colenda conſtituebant.

Dicta adversùs Pelagianam hæreſin.

Decretum in Concilio Romano LXX. Epiſcoporum ann. 494. de *Libris Canonicis, Eccleſiaſticis, & Apocryphis.* Decantatiſſimum hoc Gelaſii decretum in omnium ore & manibus habetur. Ejus verò eſſe, eamque quam præ ſe fert, ætatem & autoritatem habere, ægrè mihi perſuadeo, his ductus argumentis. 1°. Vetuſtiores Codices id nullo certo autori tribuunt. Hinc notante Cl. Baluzio * in antiquis Codd. iiſque melioris notæ, nunc Damaſo, nunc Gelaſio, quandoque Hormiſdæ Papæ aſcribitur: certiſſimo indicio, genuinum hujus Decreti Autorem olim ignotum fuiſſe. 2°. Citantur in hoc Decreto libri, anno 494. aut nondum ſcripti, aut penitùs ignoti. Ex. gr. Laudatur Sedulii Opus Paſchale à Turcio Ruffo Aſterio jam Exconſule è Sedulii Scriniis primùm extractum & in vulgus editum. Ipſe verò Aſterius hoc ipſo anno 494. Conſulatum geſſit. Damnatur Tractatus de Revelatione capitis S. Joannis Baptiſtæ, poſt ævum Marcellini Comitis, qui in eo diſertè citatur, demum ſcriptus: Quid quòd Decreti Autor Concilium generale quintum forſan & ſextum, confirmare non obſcurè videatur. Haud alio enim ſenſu verba iſta (Sed & ſi qua ſunt Concilia, &c.) concipi poſſe; nullus qui ea attentè legerit, facilè negabit. 3°. Multa continet abſurda ἀσύστατα, & à Gelaſio, Synodique Romanæ doctrinâ & judicio planè aliena. Quis credat Gelaſium, virum inter primos eruditum, LXX. Epiſcoporum Concilio ſtipatum, Clementis Alex. quem totus venerabatur Orbis, Opera in Apocryphorum cenſum relegaſſe, & Africani, Arnobii, Lactantii, Commodiani ſcripta in eandem Claſſem retuliſſe? Quis credat, cui ſanum ſinciput, Papam, Patreſque Synodales, in eodem decreto Euſebii Hiſtoriam Eccleſiaſticam inter probatos autores recipere, & cum damnatis rejicere? Mitto, Gelaſium verum de Euſebio in Opere ſuo de duabus Naturis præclarè loqui. 4°. Damnat Decretum Canones Apoſtolicos; quos tamen Dionyſius Exiguus, qui Gelaſii memoriam impensè coluit, paulò poſt Latinè vertit, nullâ ejuſmodi cenſurâ additâ; quoſque Eccleſia Romana accepit, ac tanquam certiſſimâ diſciplinæ Eccleſiaſticæ normâ uſa eſt (ut ex Caſſiodoro *, & Joannis II. ad Cæſarium Arelatenſem epiſtolâ patet) id nequaquam factura, ſi paulò ante à Gelaſio damnati eſſent: & quod fortius adhuc ſtringit; ipſe Gelaſius Canones Apoſtolicos admiſiſſe ac in Epiſtolis Decretalibus uſus videtur: quod pluribus exemplis probat doctiſſ. Pearſonus †. 5°. Autor Decreti ſe S. Hieronymum in omnibus ſequi profitetur. Illa, inquit, ſentimus, quæ B. Hieronymum ſentire cognoſcimus; & non ſolùm de Ruffino, ſed etiam de univerſis, quos vir ſæpius memoratus zelo Dei, & fidei religione reprehendit. Jam verò Hieronymo in definiendo S. Scripturæ librorum Canone è diametro repugnat. Tertulliani, Paſtoris, Clementis Alex. Novati, Arnobii, Apollinarii, aliorumque Opera Apocryphis annumerat, & à Catholicis legi vetat: quæ Hieronymus è contra magnopere laudat; lectu digna & utilia eſſe prædicat. Denique Decreti iſtius nemo ante annum 840. meminit; non qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis ex profeſſo egerunt, non Gennadius, Ildefonſus, Iſidorus Hiſpalenſis, neque etiam Sigebertus Gemblacenſis, aut Honorius Auguſtodunenſis: non qui Controverſias quovis ævo natas tractarunt, in quibus deeſſe non poterat idonea Decreti hujus proferendi anſa. Dionyſius Exiguus, ipſi Gelaſio ætate ſuppar, haud diu poſt illius obitum Decreta Romanorum Pontificum collegit; & in his Gelaſii Decreta hoc ipſo anno data exhibet: iſtud tamen penitus prætermittit. Immò ne leviſſima quidem apud Scriptores Eccleſiaſticos Synodi anno 494. Romanæ memoria ſupereſt. Primi Decreti hujus mentionem fecerunt Lupus Ferrarienſis, Hincmarus Rhemenſis, & Nicolaus I. qui ſæculo nono jam adulto floruerunt. His ritè perpenſis, optimo jure concludo fictum aut ſuppoſititium eſſe hoc Gelaſii Decretum, ac ejuſdem eſſe cum Epiſtolis primorum Pontificum Decretalibus farinæ, ex eâdemque Iſidori Mercatoris officinâ prodiiſſe.

Exemplar Geſtorum de abſolutione Miſeni Epiſcopi in Concilio Romano LV. Epiſcoporum ann. 495. habito.

Opuſcula omnia ſuprà enumerata exhibet Concil. Tom. IV. p. 1157. &c.

Liber contra Eutychem & Neſtorium de duabus in Chriſto naturis, à Gennadio * olim memoratus, à S. Fulgentio lib. de 5. Quæſtionibus apud Ferrandum Diac. cap. 18. & à Joanne II. Papâ in Epiſtola ad Avienum ſub Gelaſii noſtri nomine diſertè citatus, ei etiam ab Anaſtaſio Bibliothecario † aſcriptus.

* Not. ad Gratian. p. 444.

SÆC. V. ab An. CCCC.

* Divin. Lect. c. 23.

† Vindic. Ignat. par. I. c. 4.

* De Script. c. 94.

† Lib. Pontif. vit. Gelaſ. Conc. Tom. IV. p. 1054.

Digitized by Google

SÆC. V, ab An. CCCC. ptus. In eo validissimum adversus panis & vini Eucharistici in corpus & sanguinem Domini nostri conversionem substantialem testimonium reddit Gelasius. Quamobrem Scriptores Pontificii, Baronius, Bellarminus, Gregorius de Valentia, Suarez, aliique Opus istud Gelasio Papæ omni studio abjudicare conantur: his Gelasio Cyziceno, illis Gelasio Cæsariensi tribuentibus. Verùm frustra omnes. Magna enim est veritas, & prævaluit. Tandem vi veritatis adactus, manus dedit ipse Labbæus *. Rationes non contemnendas apud ipsum videre est. In quinque olim libros divisum videtur istud Gelasii Opus: totidem enim memorat Liber Pontificalis. Μονόβιβλον tamen vocat Photius †, sive non integrum in Græcum sermonem conversum fuerit; sive in diversa apud Græcos volumina non distinctum. Extat iste Liber in Antidoto adversùs Hæreses *Basil.* 1528. fol. & cum aliis Veterum scriptis de duabus naturis & unâ personâ in Christo *Tiguri* 1571. fol. denique in Biblioth. Patr. Tom. VIII. pag. 699.

* Differt. de Script. Eccl. Tom. I. pag. 342.

† Cod. 102.

Codex Sacramentarius. Scripsisse Gelasium Orationum & Sacramentorum formulas testes nobis sunt luculenti, Anastasius in Vita ejus, Joan. Diaconus in Vita * Gregorii M. vetustus liber octingentorum ferè annorum de Officio Missæ primùm à Cassandro † deinde à Morino * citatus, ab isto *Tolosenus* dictus: ut Hugonem de S. Victore, Rupertum Tuitiensem, aliosque taceam. Collegit utique Gelasius, prout credere par est, solennes precum & sacramentorum Formulas, quæ in Ecclesia Romana suo adhuc tempore in usu erant; ac novo ordine digestas, pluribusque de suo additis, in unum codicem compegit: quem postea mutatis & adjectis à se nonnullis Gregorius M. in compendium redegit. Gelasianus codex tribus constat libris; nempe de Anni circulo, de Sanctorum Natalitiis, & de Dominicis diebus, variisque causis. Venerandam hujus Ordinis vetustatem manifestò arguit, quòd in Symbolo non habeatur vox *Filioque*, septimo demum sæculo primùm nata, & nonnisi nono Romæ recepta: quod plures desint missæ septimo & octavo sæculis usurpari solitæ; denique quòd pauciora, quàm in aliis Liturgiis, Sanctorum, eorumque solummodò Martyrum natalitia celebrentur. Diu delituit hic Codex, paucis notus: donec anno 1562. direptâ & distractâ Bibliothecâ Floriacensi, exemplar nongentorum circiter annorum, quadratis & uncialibus literis scriptum, tandem in manus incidit Pauli Petavii Senatoris Parisiensis; cujus beneficio eo usus est Joannes Morinus, qui omnium Codicum quos ipsi vidisse contigit, antiquissimum fuisse testatur. A Petavii filio redemptus in Bibliothecam Christinæ Suecorum Reginæ transiit; à quâ illum recepit & in lucem emisit Josephus Maria Thomasius *Romæ* 1680. 4°. Pauca quædam, præsertim libro tertio, reperiri, quæ Gregorii M. ætatem sapiant, quid mirum? cùm hujusmodi libri ad usum Ecclesiarum scripti novas accessiones pati soleant, prout ipsa consuetudinis ratio tulerit: nec exinde quid aliud elici potest, quàm exemplar exiguo post Gregorium tempore fuisse exaratum, ut in Præfatione rectè notat doctissimus Editor; qui huic etiam Liturgiæ Missalia tria antiquissima, viz. Gothicum, Francorum, & Gallicanum vetus, comites dedit; quæ tria proximè memorata post triennium unà cum eruditissimis de Liturgiâ Gallicanâ dissertationibus Joannes Mabillonius *Parif.* 1685. 4°. recudi fecit.

* L. 2. c. 17.

† Liturgic. c. 21. p. 45.

* Append. ad lib. de Pœnit. p. 54.

Perierunt à Gelasio scripti, teste Gennadio *, Hymni in Similitudinem Ambrosii Episcopi: & ei olim ascripti, teste Cassiodoro †, Commentarii in D. Pauli XIII. Epistolas, à Pelagianis fæcibus non immunes, ut pote ab Hæreticis vel suppositi, vel corrupti.

* Loc. cit.

† De Institut. divin. Script. c. 8.

SÆC. V. ab An. CCCC.

TURCIUS RUFUS ASTERIUS, dignitate Patricius, anno 494. unà cum Fl. Præsidio Consulatum gessit. Alius planè à Flavio Asturio qui cum Protogene anno 449. Consulatum obiit; quocum malè confundi solet noster. Exconsul jam factus Sedulii Poëmata aliquot è defuncti scriniis extraxit, à tineis & blattis vindicavit, ac in vulgus edidit: uti ex Epigrammate ipsius ad Macedonium Sedulii Operi Paschali in vetustissimis quibusdam Cod. MSS. testibus Usserio * & Sirmondo †, præmisso constat. Inter ea, quæ Asterius edidit, Sedulii Carmina, locum habet *Collatio Veteris & Novi Testamenti*, carmine Elegiaco scripta, cujus initium est, *Cantemus socii.* Hinc errore factum credi potest, ut Asterio ipsi in nonnullis Codicibus inscribatur; & sub illius nomine aliquoties prodierit, viz. in Appendice Bigneanâ pag. 701. & Bibliothecâ Patr. Tom. IX. pag. 464. & alibi. Non desunt tamen, qui Asterio Poëma istud, tanquam Opus genuinum, vindicent. 494.

* De Eccles. Brit. Primord. p. 775.

† Not. ad Epist. Ennodii.

GENNADIUS, gente Gallus, Presbyter Massiliensis, non, ut malè Jac. Gaddius *, & Gaddio longè antiquiores Sigebertus † & Platina *, Presbyter ac deinde Antistes Massiliensis. Claruit anno 495. quo Catalogum suum clausit, & librum de Fide ad Gelasium Papam misit. De studio illius erga fidem Catholicam discrepant tam Veterum quàm Recentiorum judicia. Viris sanctissimis eum annumerat Hadrianus Papa *, inter Pelagianos reponit Ecclesia Lugdunensis † ante annos octingentos. Prædestinationis eum quidem inimicum fuisse certò constat, eoque etiam nomine de S. Augustino & Prospero minùs bene sensisse videtur †, cùm ab iis dogma prædestinatianum propugnari malè censeret. Pelagianismi tamen notâ eximunt libri ab eo contra Pelagium scripti: nec gratiæ prævenientis necessitatem ab eo sublatam esse (quæ propria erat Semipelagianismi nota) manifestò liquet: adeò ut Scriptoribus Catholicis jure accenseri queat. 495.

* De Script. non Eccles. Tom. I. pag. 222.

† De Script. Eccles. c. 30.

* In Vitâ Symmachi.

* Epist. ad Car. M.

† Lib. adv. Joannem Scotum.

† Vid. Catalog. c. 38. 84.

SCRIPTA, QUÆ EXTANT.

DE *Scriptoribus Ecclesiasticis liber*, sive *Virorum Illustrium Catalogus*, ab eo tempore, quo desiit Hieronymus, ad ann. 495. perductus. Prodiit editus unà cum Hieronymi, &c. Catalogis, *Basil.* 1628. 4°. inter Hieronymi Opera Tom. I. cum notis Suffridi Petri *Colon.* 1580. *Helmstad.* 1612. 4°. denique cum Scholiis Auberti Miræi Biblioth. Ecclesiast. part. I. *Antverp.* 1639. fol. Extat longè integrior in Codice MS. Bibliothecæ Corbeiensis, cujus specimen dedit Mabillonius Analect. Tom. II. p. 42. Quin & immensum discrepant impressi Codices.

De Fide, seu de Dogmatibus Ecclesiasticis liber ad Gelasium Papam missus; qui Augustino malè ascriptus, inter illius Opera haberi solet. Operis istius Capita xxx. viz. à cap. 22. ad 51. inclusivè post Gennadii mortem ab alienâ manu ex Epistolâ Cœlestini Papæ ad Gallos decretali, & Conciliorum Milevitani, Africani, & Arausicani II. Canonibus consarcinata & intexta videntur. Nec enim Gennadius ad Concilii Arausicani anno 529. habiti tempus pervenit: certè tractatus iste annos 34. scriptus ab eo fuit. Prodiit seorsim cum notis doctissimis Elmenhorstii *Hamburgi* 1614. 4°.

Vita S. Hieronymi à Gennadio quodam scripta, habetur apud Mabillon. Analect. Tom. IV. pag. 183.

quam

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. quam noſtri Gennadii eſſe exiſtimat idem Mabillonius.

DEPERDITA.

Adverſus omnes Hæreſes libri VIII.

Adverſus Neſtorium libri VI.

Adverſus Pelagium III. Perierunt Opera iſta. Superſunt ſolummodò Deſcriptiones breves Hæreſium Prædeſtinatianæ, Neſtorianæ, Timotheanæ, & Eutychianæ; quæ Indiculis Hæreſium Auguſtiniano & Hieronymiano ſubnecti ſolent.

Tractatus de mille annis, & de Apocalypſi B. Ioannis.

Verſiones Scriptorum Græcorum aliquot, puta Timothei Æluri Epiſtolæ ad Leonem Imp. Evagrii Pontici Sententiarum, & libri de octo principalibus vitiis, &c. uti ſuis in locis anteà monuimus.

496. MALCHUS, Patriâ Philadelphienſis, profeſſione Sophiſta Byzantinus, claruit anno 496. Scripſit *Hiſtoriam Romanorum* ab imperio Conſtantini Magni uſque ad Anaſtaſium Imp. teſte Suida *. Hiſtoriæ iſtius ſeptem ſolummodò libros vidit Photius, quibus res geſtas Zenonis Imp. ab auſpicato imperio ad mortem Nepotis Imp. complexus erat Malchus. De Hiſtoria ejus ſic Photius *. Ἐστὶ δὲ ὁ συγγραφεὺς, εἴτις ἄλλος, κατὰ συγγραφὴν ἱστορίας ἄριστος, καθαρὸς, ἀπέριττος, εὐκρινής, ----- καὶ ὅλος κανὼν ἐστὶν ἱστορικοῦ λόγου. *Scriptor eſt hic, ſi quis alius, in hiſtoriâ ſcribendâ præſtantiſſimus; ut pote purus, minimè redundans, non confuſus, ----- Ita quantus quantus eſt, norma hiſtorici ſermonis eſt.* Extant Hiſtoriæ iſtius Fragmenta bina ampliſſima inter Eclogas Legationum ab Hæſchelio Græcè edita *Auguſtæ Vindel.* 1603. 4to. deinde Latinè Carolo Cantoclaro interprete cum notis *Pariſ.* 1609 8°. denique Gr. Lat. cum ejuſdem & Valeſii notis *Pariſ.* 1648. fol.

* In voce. Μάλχος.

* Cod. 78.

496. ANASTASIUS II. natione Romanus Petri filius, anno 496 Septembr. xv. Pontifex Romanus creatus eſt. Sequenti anno Germanum Epiſcopum Capuanum, & Creſconium Tudertinum, quibuſcum Feſtus Urbis Romæ Senator ob civilia negotia profectus eſt, ad Anaſtaſium Imp. legatos miſit, ut cum eo de Acacii nomine è Diptychis abolendo, & Eccleſiâ Alexandrinâ ad Eccleſiam & fidem Catholicam reducenda agerent. Verùm ſurdo canebant fabulam. Eccleſiæ quidem Alexandrinæ Apocriſiarii oblato Feſto, cæteriſque legatis, libello (qui extat Concil. Tom. IV. p. 1283.) fidem ſuam aperuerunt, ſeque ad concordiam cum Eccleſiâ Romanâ redintegrandos paratos eſſe declarârunt. Acacii autem cauſam Imperator conſtanter defendit, quin &, teſte Theodoro Lectore, * ipſe Feſtus Imperatori pollicitus eſt, ſe Romano Epiſcopo perſuaſurum, ut Zenonis Henotico ſubſcriberet. Et Anaſtaſium quidem, ut id faceret, nequaquam induxit; Romam enim reverſus, mortuum deprehendit; ut Laurentium tamen ab alterâ Cleri factione Pontificem electum in partes ſuas traheret, operam dedit. Certè ex libri Pontificalis autore, cui hâc in parte ſuccinit Platina, conſtat, multos Romanæ Eccleſiæ Presbyteros, Clericoſque ſe ab Anaſtaſii Papæ communione ſubtraxiſſe, quòd cum Photino Diacono Theſſalonicenſi, qui à partibus Acacii ſtetit, communicâſſet, & Acacii nomen Diptychis Romanis reſtituere occultè molitus eſſet. Addunt Anaſtaſium nutu divino percuſſum eſſe: ſubdit etiam Platina, fuiſſe qui dicerent, eum dum neceſſitati naturæ obtemperaret, in latrinam inteſtina effudiſſe. Utut ſit, obiit Anaſtaſius die VIII. Septembris anno

* Collect. l. 2. p. 560. ubi vid. Valeſii notas.

498. Extant *Epiſtolæ* II. ad *Anaſtaſium Aug.* una, *altera ad Clodovæum Francorum Regem*, quâ recentem ejus converſionem gratulatur, Concil. Tom. IV. pag. 1278. & Fragmenta quædam apud Baluz. Nov. Collect. Concil. pag. 1457. Scripſit etiam, ſi quæ Platinæ fides, *libros de Trinitate*, *de Libero Arbitrio*, *de Regulis fidei*, *adverſus hæreſin Pelagianam*, & *Sermones* quamplurimos: quæ interierunt. Verùm unde iſta hauſerit Platina, non conſtat. SÆC. V. ab An. CCCC.

EUSTATHIUS, gente Syrus, domo Epiphanienſis, claruit ſub Anaſtaſio Imp. circa ann. 496. Scripſit *Chronicorum Compendium* ab Ænea uſque ad Anaſtaſium Auguſtum libris IX. & alia quædam. Deſcripſit etiam, inquit Nicephorus, (in Chronico, uti credi par eſt) *Amidæ expugnationem*, quæ anno 503. contigit. De eo agunt Nicephorus Hiſt. Eccleſ. l. 14. c. 57. & Suidas in voce Ἐπιφάνιος. 496.

BASILIUS, gente Cilix, dignitate Presbyter Eccleſiæ Antiochenæ circa ann. 497. præſidente ſedi Romanæ Anaſtaſio; demum, ut videtur, Irenopolis in Ciliciâ Epiſcopus. Eundem enim fuiſſe cum illo, cujus meminit Suidas *, nullus dubito, adeò aptè conveniunt omnia, nomen, tempus, patria. Obiit poſt annum 518. Scripſit *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros tres*; quorum primus ab anno 450. exorſus in Simplicii morte anno 483. deſiit: ſecundus initium inde ſumens Hiſtoriæ filum ad annum 518 & Anaſtaſii mortem perduxit: tertius Juſtini Imp. res geſtas complexus eſt. Scripſit etiam *contra Ioannem Scythopolitanum*, quem in Manichææ hæreſeos ſuſpicionem adducere conatus eſt, *libros* XVI. dialogi formâ maxima ex parte compoſitos ad Leontium quendam, quo hortante Opus aggreſſus eſt. Excerpta ejus brevicula exhibet Photius Cod. 107. ex quibus patet Baſilium in prægrandi iſthoc Opere cauſam Neſtorianæ hæreſeos ex profeſſo egiſſe. Notat tamen Photius eum ſibi Neſtorium minimè vindicaſſe; ſed Diodorum potiùs ac Theodorum, tanquam dogmatis ſui autores, paſſim laudaſſe. Scripſit denique Baſilius Irenopolitanus *contra Archelaum* Coloneæ Presbyterum, teſte Suidâ loc. cit. qui eum τὴν φρένα καὶ τὴν ἄσκησιν τῷ ὁμωνύμῳ Βασιλείῳ Καισαρείας ἐοικότα fuiſſe dicit. Alia quædam Opera ejus hæreſi referta memorat Photius Cod. 95.

497. Phot. Cod. 42. 107.

* In voce Βασ.

CANDIDUS, Patriâ Iſaurus, ex ea parte, quæ Trachea dicebatur Provinciæ præſidum tabellio, claruit circa ann. 496. ſi modò ætatem ejus rectè colligit Cl. Voſſius *. Scripſit *Hiſtoriarum libros* III ab electione Leonis Imp. anno 457. uſque ad exitum Zenonis anno 491. In his libris ſe non modò Chriſtianum, ſed & Orthodoxum fuiſſe oſtendit. Synodum enim Chalcedonenſem laudibus ornavit, ejuſque obtrectatores meritò perſtrinxit. De ſtylo ejus ſic Photius †. Τὴν δὲ φράσιν οὐκ ἔχει πρέπουσαν λόγῳ ἱστορικῷ. Ταῖς τε γὰρ ποιητικαῖς λέξησι ἀπειροκάλως τὸ κέχρηται καὶ μειρακιωδῶς. Καὶ ἡ συνθήκη αὐτῷ εἰς τὸ τραχύτερον καὶ δύσηχον ἐκδιαθυραμβοῦται. *Stylum habet hiſtoriæ non ſatis accommodatum. Nam & Poëtarum phraſibus ſine delectu, ac juveniliter abutitur, & compoſitio ejus durior & abſona, Dithyramborum ritu, quæ alias iterum in diſſolutum atque inconcinnum dilabitur.* Extant *Hiſtoriæ* iſtius Excerpta apud Photium Cod. 79. & exinde cum notis Philippi Labbæi inter Excerpta de Legationibus *Pariſ.* 1684. fol. 497.

* De Hiſt. Lat. l. 2. c. 21.

† Cod. 79.

RUSTICUS ELPIDIUS, ſive Helpidius, vir nobilis, dignitate Ex-Quæſtor, & Ex-illuſtris, Theodorici Gothorum Regis Medicus, claruit circa an. 498. Scripſit *Epigrammata* XXIV. *in totidem* 498.

Digitized by Google

tidem *V. ac N. Testamenti Historias*, ac *Carmen Hexametrum* de Beneficiis Jesu Christi: quæ extant cum notis in Collectione Fabricianâ pag. 754. in Appendice Bigneanâ p.706. & in Bibliothecâ Patr. Tom. IX. pag. 462. Scripsit etiam *Carmen in consolationem doloris sui*; cujus ipse mentionem facit. Verum id interiit.

498. Gennad. de Script. c.98. Isidor. de Script. c.12. JULIANUS POMERIUS, gente Maurus, in Galliam profectus in civitate Arelatensi scholam Rhetoricam aperuit, ac demum Presbyter ordinatus est. Claruit circa ann. 498. Eum sanctitate vitæ & scriptis quotidie editis eminuisse fidem facit Gennadius, quo tempore Catalogum suum iste clausit. Scripsit *libros* 8. *de Anima*: quorum argumenta sigillatim enumerant Gennadius & Isidorus, & in libro secundo de corporeitate animæ disputasse notant. Quantùm verò ex Argumentis hisce conjectari licet (Opus enim nunc non superest) isti libri, ex Nemesii libris 8. de Animâ ferè excerpti sunt. Scripsit etiam tractatum de contemptu mundi ac rerum transiturarum ad principium, & alium de vitiis & virtutibus, libellum adhuc de Virginibus instituendis, quæ interierunt. Unicum ejus superest Opus de *Vitâ Contemplativâ, sive de futuræ vitæ contemplatione, vel de actuali conversatione*, in tres libros divisum; quod Prospero vulgò perperam inscriptum, inter Opera istius haberi solet: ac sub illius nomine seorsim prodiit anno 1487. & *Colon.* 1536. 8°. Prologum Operis istius secundum primus edidit Dacherius Spicileg. Tom. XIII.

498. SYMMACHUS, natione Sardus, Fortunati filius, ab an 948. die XIII. Septembris, Episcopus Romanus, in Basilicâ Constantinianâ ordinatus, Laurentio Diacono eodem die ab altera parte in Basilica S. Mariæ consecrato; unde divisus Clerus, divisus & Senatus. Res ab utraque parte ad Theodoricum Regem Ravennæ agentem delata. Sententiam is tulit, ut qui primò ordinatus fuisset, vel cui pars maxima adhæreret, ille sedem Apostolicam teneret. Re igitur ex decreto Regio definita, Episcopatus penès Symmachum mansit. Anno 499. Synodum habuit; in quâ de tollendo ambitu in Comitiis Pontificiis Canones edidit. Anno 502. coacta Romæ Synodo, *Palmari* dictâ inter alia communi Episcoporum consensu Anastasium Imperator. Acacianæ causæ constanter patrocinantem, anathemati subjecit. Gravi, ut par erat, irâ percitus Imperator libellum evulgavit, quo Pontificem ob latam in se sententiam acriter proscidit; cuique edita Apologia haud minore ferocia respondit Symmachus. Eadem in Synodo agitata est controversia de sede Romanâ illum inter ac Laurentium, quæ paulò ante recruduerat, & ad Theodoricum Regem iterum delata, ab eo Petro Altinati Episcopo delegata erat; iste verò Laurentio plùs æquo favens, Symmachum Ecclesiæ possessionibus exuerat; ac causa demum à Theodorico Rege Synodi arbitrio commissa. In ista igitur Synodo Symmachus pleno jure restitutus est: Petrus verò Altinas, & Clerici Romani Laurentii sequaces, dignitate sua moti. Obiit die VI. Aprilis anno 514. Extant ab eo scriptæ *Epistolæ* XII. Concil. Tom. IV. p.1291.

ANDREAS, Cæsareæ Cappadocum Episcopus vixisse videtur circa exitum sæculi istius, ac claruisse anno 500. Incerta enim prorsus illius ætas, nec ulla ejus apud Veteres mentio. Id tantùm certum, eum post Basilium ad Cyrillum Alexandrinum, & ante Aretham Cæsariensem scripsisse. Scripsit *ad Macarium quendam Commentarios in Apocalypsin*, quos Latinè vertit Theodorus Peltanus. Extant Gr. Lat. ad finem Chrysostomi Commentatiorum in S. Joannem in editione Morelliana Tom. VIII. 500.

ANDREAS, Cæsareæ Cappadocum Episcopus, claruisse videtur circa annum D. Præter *Commentarium in Apocalypsin*, qui editus est, *Therapeuticam spiritualem* scripsit; ex cujus libro secundo, Fragmenta quædam habentur in *Eclogis asceticis Ioannis Patriarchæ Antiochenæ*, fol. 38. pag. 2. ab his verbis, Πῶς αἱ ψυχαὶ μετὰ τὴν ἐκδημίαν τοῦ σώματος ἀπέρχονται, &c. Vide Nessel. *Catal. Vindob.* Part. I. Cod. CCLXXVI. n.1. p.381. 500. P. II.

Scriptores Gentiles, Fidem Christi hoc Sæculo damnantes.

417. P. II. CLAUDIUS RUTILIUS NUMATIANUS, natione Gallus qui patrem Tusciæ Consularem habuit. Relictâ Galliâ, Romam se contulit, ubi maximos sub Honorio Aug. honores & dignitates adeptus est. Factus est enim vir Consularis, Præfectus urbis, Tribunus Militum, Prætorio-Præfectus. Claruit anno CCCCXVII. Neque tamen dignitatum quibus functus est splendor, comitantium turba, Fori negotia, Militiæ strepitus impediebant, quo minùs sibi etiam & Musis vacaret. Poëta tersus, venustus, qui ubere ingenii venâ, atque elegantiâ, penè cum optimis melioris ævi Poëtis certare potest. Scripsit ad Venerium Rufum in Præfecturâ Urbanâ successorem *Itinerarii libros* II. in principio, præsertim verò in fine, mutilos quibus iter suum ex Româ in Galliam, reditúmque ex Galliâ Romam, eleganter depingit. Religione erat Gentilis, ac proindè in *Judæos* pariter ac in *Christianos* acriter invehitur; & cùm sub Christianis Imperatoribus, ipsam Religionem Christianam aperto Marte aggredi non sit ausus, in Monachos arctioris pietatis & disciplinæ tunc temporis cultores, animi sui virus evomit, Judæos, ac in iis tectè Christianos virulenter lacessit *vers.* 383.

Nempè loci querelus, curam Judæus agebat
Humanis animal dissociale cibis.
Vexatos frutices, pulsatas imputat algas,
Damnáque libata grandia clamat aqua.
Reddimus obscænæ convicia debita Genti,
Quæ genitale caput propudiosa metit,
Radix stultitiæ, cui frigida Sabbata cordi;
Sed cor frigidius religione suâ est.
Septima quæque dies turpi damnata veterno,
Tanquàm lassati mollis imago Dei.
Cætera mendacis deliramenta catastæ,
Nec pueros omnes credere posse reor.
Atque utinam nunquàm Judæa subacta fuisset
Pompeii bellis, imperióque Titi.
Latiùs excisæ pestis contagia serpunt,
Victoréisque suos Natio victa premit.

Monachos verò Christianos, mordaci sale, & dicteriis amarulentis, acerrimè perfricuit. En ipsius verba, ubi de *Capraria* maris Tyrrheni insulâ agit, Monachis olim frequentatâ *vers.* 439.

Processu Pelagi jam se Capraria tollit,
Squallet lucifugis Insula plena viris.

SÆC.V. ab An. CCCC.

Ipſi ſe Monachos Graio cognomine dicunt,
Quòd ſoli nullo vivere teſte volunt.
Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur,
Quiſquam eſt ſponte miſer, nè miſer eſſe queat?
Quænam perverſi rabies tam ſtulta cerebri,
Dùm mala formides non bona poſſe pati?
Sive ſuas repetunt ex fato ergaſtula pœnas,
Triſtia ſeu nigro viſcera felle tument.
Sic nimiæ bilis morbum aſſignavit Homerus
Bellerophonteis Sollicitudinibus.
Nam juveni offenſo ſævi poſt tela doloris
Dicitur humanum diſplicuiſſe genus.

Rutilii Itinerarium *Neapoli* primus edidit Petrus Summontius; dein J.B. Pius *Bonon.* 1520. paulò emendatiùs, Commentariis ſuis *de Repub. Romanâ* inſeruit Onuphrius Panvinius, *Venet.* 1558. 8°. Joſias Simlerus *Baſil.* 1575. Poſtea *Romæ* Joſephus Caſtaleo. Denique cum notis Simleri, Caſtaleonis, Pithæi, Sitzmanni, Barthii, Grævii, ſuóque Spicilegio Theodorus Janſonius *Amſtel.* 1687. 12°.

425. OLYMPIODORUS, Thebis Ægyptiacis oriundus, Poëta, & Hiſtoricus, & ad Hunnorum Regem legatus, claruit circa annum 425. Scripſit *Hiſtoriarum Libros* XXII. *ad Theodoſium Minorem Imp.* quibus res geſtas Romani Imperii, in Occidente præſertim ab anno 407. ad ann. 425. complexus eſt: ac Operi ſuo *Sylvæ* nomen dedit: cùm non tam Hiſtoriam abſolutam, quàm ſimplicem rerum Commentarium, haberi vellet. De eo enim ſic Photius, *. Σαφὴς μὲν τὴν φράσιν, ἄτονος δὲ καὶ ἐκλελυμένος, καὶ πρὸς τὴν πεπατημένην κατενηνεγμένος χυδαιολογίαν ὥστε μηδ' ἄξιος εἰς συγγραφὴν ἀναγράφεσθαι ὁ λόγος· ὃ καὶ αὐτὸς ἴσως συνιδὼν οὐ συγγραφὴν &c. *Dictio illi clara; remiſſa tamen ac diſſoluta, & in protritam devoluta verborum affluentiam. Oratio itaque indigna, ut Hiſtoriæ adnumeretur; cujus ipſe fortaſſe conſcius non Hiſtoriam*, &c. In hâc Hiſtoriâ non modò ſuperſtitionum Gentilium ritus commendavit, ſed & in Chriſtianos clàm invectus eſt, præcipuè in Olympium Officiorum Magiſtrum (quem ob pietatem verè Chriſtianam miris effert laudibus Auguſtinus *) eumque ut ἀνοσιούργον falsò non minùs quàm invidiosè traducit. Extant ampliſſima Excerpta apud Photium Cod. LXXX.

* Cod. 8. D.

* Epiſt. 124. & 129.

ZOSIMUS, Comes, & Ex-advocatus Fiſci, claruit circa an. 425. quippe qui Hiſtoriæ ſuæ libro v. Olympiodorum citat. Scripſit *Hiſtoriarum libros* VI. quibus res Romanas ab Auguſto exorſus ad Diocletiani tempora unico libro ſtrictim perſequitur, deinceps verò rerum Hiſtoriam in quinque reliquis latiùs pertractat uſque ad Romam iterum ab Alarico captam, & Attalum ab eo Imperii faſcibus ornatum ac mox ſpoliatum anno 410. Eunapii Hiſtoriam præcipuè in compendium redigens. In his libris quoties de rebus Chriſtianorum agit, religionem eorum acriter perſtringit; eoque nomine in omnes penè Principes Chriſtianos, præcipuè in Conſtantinum M. & Theodoſium ſeniorem, ſtrenuè debacchatur. Non ſum neſcius Joannem Leunclavium, virum quidem eruditiſſimum, prolixam Apologiam in Zoſimi gratiam edidiſſe; quâ eum ab injuriis, fictiſque in Chriſtianos calumniis, à livoris & malitiæ labe, quâ flagrabat maximè, omni, quo potuit ingenii acumine vindicat. Verùm dum hominem Gentilem, & Chriſtiani nominis hoſtem infenſiſſimum, purgat, laterem lavat, & Æthiopem dealbare conatur; & ut malevoli, ac, ſi unquam alius, virulenti Scriptoris cauſam ageret, non modò in Euſebium, Chryſoſtomum, Innocentium, Theodoritum, Photium aliosque Chriſtianæ religionis Antiſtites, ſed & in Conſtantinum M. ejuſque filios, in Jovianum, Valentinianum, Theodoſium, totamque ſequentium Imperatorum Proſapiam, ſe parùm æquum, quin & in nonnullos acerbum planè & inverecundum, manifeſto prodit. Cæterùm adversùs Zoſimi malitiam Conſtantinum, atque alios Chriſtianos deditâ operâ olim tuebatur Evagrius lib. 3. cap. 40. 41. & fuſiori Apologiâ Nicephorus Calliſtus l. 16. capp. 41. 42. 43. 44. De ſtylo ejus ſic Photius *, Σύντομος δέ, καὶ τὴν φράσιν εὐκρινής τε καὶ καθαρός, οὐδὲ τοῦ ἡδέος ἀπῳκισμένος — καὶ ταῖς τροπαῖς, εἰ μὴ σπάνιον, οὐ κεχρημένος. *Brevis eſt, dictione perſpicuus ac purus, nec ſuavitatis expers: figuriſque nonniſi raro utitur.* Duos priores Hiſtoriæ iſtius Libros Gr. Lat. edidit & Herodiano ſubjunxit Henricus Stephanus 1581. 4°. *Lugduni* recuſos 1611. 8°. Integros verò ſex libros cum verſione, & Apologiæ præfixâ, Joannes Leunclavius inter Romanæ Hiſtoriæ Scriptores minores *Francofurt.* 1590. fol. ſeorſim denique prodierunt *Oxon.* 1680. 8°.

SÆC.V. ab An.CCCC. 425.

* Cod. 98.

SÆC. V.

Concilia hoc Sæculo habita.

401. *P.II.* CARTHAGINENSE I. AFRICANUM II. vulgò dictum, anno CCCCI. XIV. Cal. *Julias* celebratum; quo, expoſitis Eccleſiæ Africanæ Neceſſitatibus, præcipuè Clericorum inopiâ, ad impetrandum ab Italiæ Epiſcopis auxilium, decreta eſt ad Anaſtaſium Romanum, & Venerium Mediolanenſem Legatio. De parvulis etiam ab *Hæreticis* baptizatis, *de Idolorum reliquiis*, aliiſque actum. Extant Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Capitula XXXII. [quæ quidem non ſunt omnia hujus Synodi, ſed Concilii Carthag. III. anno CCCXCVII. in hac demum Synodo repetita & confirmata] Græc. Lat. in Cod. *Can. Eccleſ. Afr.* à Can. XXXIV. uſque ad LXV. incluſivè Conc. Tom. II. p. 1067. Lat. in *Collect. Can.* ibid. à Can. I. ad XXXII. p. 1643.

401. *P.II.* CARTHAGINENSE II. AFRICANUM vulgò III. anno CCCCI. Idibus *Septembr.* generali quodam omnium Africæ Provinciarum conventu, in Secretario Baſilicæ Reſtitutæ habitum. Lectis Anaſtaſii Papæ literis de Donatis, & unione cum iis faciendâ agitur. Extant Capitula XX. Græc. Lat. in *Cod. Can. Eccleſ. Afr.* à Can. LXVI. uſque ad Can. LXXXV. Conc. Tom. II. p. 1089. Lat. in *Collect. Can.* à Can. XXXII. ad LII. ibid. p. 1651. Ex his Canonibus, *quatuor tantùm priores* hujus Synodi ſunt, reliqui ex aliis [& præcipuè XI.) ex Concilii Carthaginenſis V. Decretis deſumpti ſunt.

402. *P.II.* MILEVITANUM I. (urbs erat Epiſcopalis in Numidiâ, ad Ampſagam Fl. ſita) anno CCCCII. VI. Cal. *Septembr.* habitum, in quo, poſt firmata præteritarum Synodorum quarundam decreta, variorum Africæ Epiſcoporum cauſæ Syno-

dali

Digitized by Google

dali judicio subjiciuntur. Extant hujus Synodi Acta sive Constituta Græc. Lat. *Cod. Can. Eccles. Afr.* à num. LXXXV. ad XC. inclusivè Conc. Tom. II. p. 1799. Lat. in *Collect. Can.* ibid. p. 1654.

403. *P. II.* CHALCEDONENSE I. sive Synodus ad *Quercum*, Chalcedone in Rufini suburbio, in causâ Chrysostomi, à XLV. Episcopis, Præside Theophilo Alexandrino, anno CCCCIII. celebrata. Lecta sunt in hâc Synodo XXIX. accusationum in Chrysostomum capita, quibus alia XVII. posteà addita sunt. Damnatur ac deponitur Chrysostomus, ac proinde Imperatoris mandato in exilium missus. Extant hujus Synodi Acta Græc. Lat. *apud Phot. Cod.* LIX. col. 53. in *Jur. Græc. Rom.* Tom. I. lib. IX. p. 554. Conc. Tom. II. p. 1323. Mox tumultuante plebe, Chrysostomus revocatur, & in Synodo legitimâ restituitur. Verùm coacto ab adversariis ejus, alio Conciliabulo, secundâ jam vice damnatur, Cucusum in Armeniâ relegatus. De his omnibus Vid. Socr. lib. VI. capp. 16. 17. &c. p. 323. Soz. lib. VIII. capp. 17. 18. &c. pag. 780. Pallad. de *Vit. Chrysost.* cap. 9. p. 70. &c. & qui ex omnibus horum Conciliorum gesta diligenter collegit, Steph. Baluzium *Nov. Collect.* col. 103. &c.

403. *P. II.* CARTHAGINENSE III. anno CCCCIII. VIII. Cal. *Septembr.* pro *reconciliandis Donatistis*, in Basilicâ Regionis secundæ celebratum. Habentur hujus Synodi Acta Græc. Lat. *Cod. Can. Eccles. Afr.* num. XC. Conc. Tom. II. p. 1103. *Lat. Collect. Can.* ibidem. 1656.

404. *P. II.* CARTHAGINENSE IV. anno CCCCIV. VI. Cal. *Julias* habitum. Rejectâ à Donatistis omni concordiæ spe, quin & armis in Catholicos sumptis, decreta est ad Honorium Aug. hàc de re legatio. Extat Græc. Lat. *Commonitorium Synodicum* ad Imperatorem missum, *Cod. Can. Eccles. Afr.* num. XCIII. Conc. Tom. II. p. 1107. Lat. *Collect. Can.* ibidem 1658. Hinc Honorii Imp. Edictum anno sequenti prid. Id *Febr.* editum, quo Donatistæ, & unà cum iis Manichæi (qui etiam Africam hoc tempore præcipuè infestabant) repressi sunt, sancitumque his verbis, *Unica sit Catholica Veneratio*; *una Salus sit*; *Trinitatis par, sibi congruens, Sanctitas expetatur.* Cod. Theod. Tit. *de Hæret.* l. XXXVIII.

405. *P. II.* CARTHAGINENSE V. anno CCCCV. X. Cal. *Septembr.* habitum; quo Imperatorem de Donatistis ad Ecclesiam Catholicam reversis certiorem fecerunt. Vid. *Cod. Can. Eccles. Afr.* num. XCIV. Conc. Tom. II p. 1111. *Collect. Can.* ibid. p. 1660. Hinc & altera Honorii in Donatistas lex Diotimo Procons. VI. Id. *Decembr.* hoc anno data, ut ubicunque vel convicti, vel confitentes fuerint, debitam legis pœnam absque dilatione persolvant. *Cod. Theod.* Tit. *de Hæret.* l. XXXIX.

405. *P. II.* TOLETANUM anno CCCCV. de ordinationibus perperam factis, coactum. Extat, ad hanc Synodum, hàc de re, Innocentii I. *Epistola* num. XXIII Conc. Tom. II. p. 1277. Integrior ex Editione, & cum Notis *Sirmondi* ibid. pag. 1279. Ad annum CCCCVII. referendum esse hoc Concilium contendit Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. II. vide ejus *Notit.* p. 55.

407. *P. II.* CARTHAGINENSE VI. vulgò AFRICANUM IV. anno CCCCVII. Idibus *Julii*, habitum; quo Legati ad Imperatorem, pro defensione adversùs *Donatistas* & *Paganos*, missi sunt. Extant Acta & Capitula Græc. Lat. *Cod. Can. Eccl. Afr.* num. XCV. Conc. Tom. II. p. 1113. Lat. *Collect. Can.* ibid. p. 1660.

Cave Hist. Lit.

Honorii Imp. constitutio adversùs *Donatistas*, *Manichæos*, & *Priscillianistas* hoc anno VIII. Cal. *Mart.* & altera XVII. Cal. *Decembr.* data *Cod. Theod.* Tit. *de Hæret.* l. XL. XLI.

CARTHAGINENSE VII. & VIII. vulgò AFRICANUM V. & VI. anno CCCCVIII. prius quidem *Jun.* XIV. posterius *Octobr.* XII. habitum. Insurgentibus in Catholicos tùm Donatistis, tùm Paganis Stiliconis successu animatis, à duabus his Synodis Legatio ad Imperatorem decernitur. Vid. *Cod. Can. Eccles. Afr.* num. CVI. ibidem p. 1119. Neque bonis Patribus, vel causæ religionis defuit Honorius Imp. editâ XVII. Cal. *Decembr.* lege, qua omnes priores Constitutiones in Donatistas, Manichæos, Priscillianistas & Gentiles, renovantur, confirmantur, & plenissimam executionem habere jubentur *Cod. Theod.* Tit. *de Hæret.* l. XLIII. confer & legem proximam, & quæ ibi notavit Gothofredus. 408. *P. II.*

CARTHAGINENSE IX. vulgò AFRICANUM VII. anno CCCCIX. coactum; quo de cognitione Episcoporum agebatur. Videsis *Cod. Can. Eccl. Afr.* num. CVII. Conc. Tom. II. p. 1119. 409. *P. II.*

CARTHAGINENSE X. vulgò AFRICANUM VIII. ann. CCCCX. celebratum: In quo, Legati ad Imperatorem, adversùs *Donatistas* acturi, missi sunt. Vide *Cod. Can. Eccl. Afr.* num. CVII. pag. 1121. Ut horum precibus satisfaceret Imperator hoc ipso anno VIII. Cal. *Sept.* legem tulit, Heracliano Comiti Africæ inscriptam, qua hæreticis, & in his præcipuè Donatistis, omnem rituum suorum exercendorum publicéque coeundi facultatem adimit, pœna proscriptionis & sanguinis proposita. *Cod. Theod.* Tit. *de Hæret.* l. LI. 410. *P. II.*

PTOLEMAIDENSE in Libyâ, anno CCCCXI. Præside Synesio Ptolemaidis Episcopo, adversùs Andronicum Præfectum, congregatum. In quo Andronicus, ob nefanda facinora, quibus in subditos ubique grassabatur, anathematis sententiæ subjicitur. In quem proinde acerrima oratione invectus est Synesius, quâ hominem nequissimum vivis planè coloribus depingit, *Epist. LVII. LVIII.* pag. 191. ubi etiam excommunicationis formula exhibetur. Verùm Andronico culpam suam deprecante, & meliora in posterum de se pollicito, Synodus excommunicationis sententiam non statim publicandam esse censuit, solo dissentiente Synesio, qui crudelem & ferocem hominis indolem optimè noverat. Et quidem ita factum est. Andronicus enim ad ingenium suum, tanquam canis ad vomitum, mox rediit. Unde & sententiam in eum latam tandem Synesius promulgavit; ut ex *Epistolâ LXXII.* p. 218. quâ hàc de re agit, colligi potest. 411. *P. II.*

Eodem anno habita est celeberrima illa *Collatio Carthaginensis*, Catholicos inter & Donatistas, coram Marcellino V. C. Tribuno, & Notario, quæ triplici congressu absolvitur. 411. *P. II.*

Collat. I. Calendis *Juniis* in Secretario Thermarum Gargillianarum habitâ, lecta sunt Episcoporum & Marcellini Præfecti Edicta de Episcoporum convocatione, deque modo & formâ conveniendi, & Episcoporum utriusque partis ad suos mandata. De his, multâ contentione utrinque res agitur. Marcellini consilio acquieverunt Catholici, ut exclusis cæteris, septem Episcopi ex utrâque parte eligerentur, qui causam suam disputando agerent, aliique, qui rebus gestis per notarios ritè excipiendis prospicerent; contendentibus

Cc 2 inter

SÆC.V. ab An. CCCC. interim Donatistis, ut omnes Episcopi Collationi interessent.

Collat. II. III. Nonas *Junias* petierunt Donatistæ, ut sibi fas esset gesta superioris Collationis examinare, utque tempus ad id faciendum concederetur; quod & tandem datum est.

Collat. III. IV. Idus *Junias* postquam de qualitate litigantium, & accusantium disceptatum est, Augustinus ad summam rei descendit: Nempe Ecclesiam Catholicam eam esse, quæ testimoniis Scripturarum promissa, toto orbe diffusa est, omnibus nota, in monte, sicut scriptum est, constituta, ad quam veniunt omnes gentes; & ad hanc Ecclesiam se pertinere, se esse perspicuè demonstraturum. Cùm hâc controversiâ premi se viderent Donatistæ, ad Acta in causâ Cæciliani & Donati confugerunt, & hanc causam publicè iterùm examinandam, in medium proferre voluerunt. Hâc occasione, ostendit Augustinus, Ecclesiam in hâc vitâ ex bonis pariter ac malis consistere: Neque aliter etiam in suâ Ecclesiâ esse, negare non poterant Donatistæ; quin etiamsi concederetur Cæcilianum hominem fuisse malum, qualem nempe illi ipsi eum describerent, nullum exinde Ecclesiæ Catholicæ præjudicium nasci. Tandem auditis omnibus, ritéque perpensis, Marcellinus Præses in gratiam Catholicorum sententiam dixit. Post Marcellini mortem, qui non diu post, tanquam Heracliani Tyranni partibus faveret, occisus est, Gesta hæc irrita jam esse contendebant Donatistæ, neque ullam amplius vim & auctoritatem retinere. Unde coactus est Honorius Imp. lege ad Julianum Africæ Proconf. ann. CCCCXIV. data Marcellini famam vindicare, Gestisque Collationis, quæ in publica monumenta translata fuerant, suum robur, & perpetuam firmitatem adserere. *Neque enim (inquit) morte Cognitoris perire debet publica fides.* Extat hæc lex *Cod. Theod.* Tit. *de Hæret.* l. LV.

Gesta triplicis hujus Collationis, unà cum Augustini, Possidii, Orosii excerptis, primus in lucem edidit Papyrius Massonus *Parif.* ann. 1589. 8°. Postea à Pithæo, cum MS. collata & recognita, inserta deinde Conc. Tom. II pag. 1335. Sed cùm mendosè priùs, tùm à Massono, tùm à Pithæo, aliisque, fuerint edita, *Steph. Baluzius*, venerandæ vetustatis codicem, unde prima profluxerit editio, nactus, omnes editiones cum hoc veteri exemplari contulit, priorum editionum menda sustulit, quæ deerant supplevit, Augustini qui huc pertinent sermones, & Honorii Imp. Constitutiones addidit, Opusque integrum à se recensitum; notísque suis illustratum, iterum edidit *Nov. Collect.* pag. 117.

411. P. II. BRACARENSE apud Bracaram, sive Augustam Bracarum inter Durium Miniumque fluvios, anno ut volunt CCCCXI. Præside Pancratiano Bracarensi Episcopo, habitum. In quo Episcopi Fidem Catholicam, adversùs Arianos & Gentiles, per singulos articulos profitentur. Extant Acta (si modò genuina, de quo haud levis est dubitandi causa) Conc. Tom. II. pag. 1507. Confer Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. II. & *Notit.* pag. 55.

412. P. II. CARTHAGINENSE XII. ann. CCCCXII. saltem exeunte superiore, contra Pelagianos habitum: quo Cœlestius Pelagii discipulus, ob negatam de peccato Originali Ecclesiæ Catholicæ doctrinam convictus & damnatus est. Extant hujus Synodi Fragmenta quædam apud August. *de Grat. & Pec. Orig.* lib. II. cap. 2. 3. 4. Tom. VII. col. 789. Conc. Tom. II. pag. 1510. Vide etiam August. *Epist.* XC. SÆC. V. An. CCCC.

CIRTENSE, in Numidiâ, anno CCCCXII. mense Junio, in causâ Donatistarum habitum; ubi de communi modo actum est quo Donatistarum calumniis & mendaciis, præcipuè de nuperâ *Collatione Carthaginensi*, ubique sparsis occurreretur. Extat Epistola Synodalis ab Augustino scripta inter ejus Epistolas num. CLII. & Conc. Tom. II. pag. 1519. 412. P. II.

HIEROSOLYMITANUM anno CCCCXV. in causâ Pelagii, Præside Joanne Hierosolymorum Episcopo, unà cum Presbyteris suis celebratum. Cui Orosius, ab Augustino ad Hieronymum missus, interfuit. In hac collatione, ab Orosio accusatus est qui tùm aderat Pelagius, quòd inter alia asseruerat hominem sine peccato posse vivere. Negavit id Pelagius. Verùm Joannes, vel quòd latinè perorantem non satis intelligeret, vel quòd Pelagii fraudibus delusus esset, de ipsa causa judicare noluit. Id solummodò inter ipsos conventum, ut de hac re litteræ ad Innocentium Papam mitterentur. Extant hujus Conventûs Acta, & in iis vafri Pelagii fraudes apud Oros. *Apol. pro lib. Arbitr.* Conc. Tom. II. p. 1525. 415. P. II.

DIOSPOLITANUM, apud Diospolim Palestinæ urbem, *Lyddam* olim dictam, in causa itidem Pelagii, eodem anno CCCCXV. à *XIV.* Episcopis habitum. Obtulit huic Synodo libellum Orosius, quo Pelagii dogmata ex scriptis ejus excerpta continebantur. Præsens erat ipsemet Pelagius, qui vel errores sibi objectos negando, vel Fidem Catholicam vafrè simulando, bonis Patribus fucum fecit, ab iis proinde absolutus. Extant Acta hujus Synodi compendio excerpta, apud August. *de Pec. Orig.* lib. II. cap. 11. Tom. VII. col. 752. longè verò fusiùs & integriùs apud eundem *libro de Gestis Pelagii, sive de Gestis Palæstinis*, Augustæ Vindel. anno 1615. primùm; deinde in sequentibus Augustini *editionibus*, edito; & apud *Crescon.* in sua *Canonum Collectione*: Exinde Conc. Tom. II. p. 1529. Baluz. *Nov. Collect.* col. 361. Vide Augustin. *Epist.* CVI. *ad Paulin. Nolan.* Retract. *lib.* II. cap. 47. *Contr. Jul.* lib. I. cap. 5. Confer etiam quæ habet Photius ex Actis Occidentalium Episcoporum adversùs Nestorianorum & Pelagianorum dogmata *Cod.* LIV. col. 45. 415. P. II.

CARTHAGINENSE XIII. contra Pelagianos II. à *LXVII.* Episcopis ann. CCCCXVI. coactum. In eo Pelagius & Cœlestius, non obstante quòd à Patribus Diospolitanis, quibuscum fraudulenter egissent, in communionem recepti fuerant, ob Hæresin damnati sunt. Extat Epistola Synodalis inter *Aug. Epist.* XC. & Conc. Tom. II. p. 1533. & Rescriptum Innocentii ad hanc Synodum ibid. pag. 1283. & apud Aug. *Epist.* XCI. 416. P. II.

MILEVITANUM II. à LX. aut pluribus Episcopis, contra Pelagium & Cœlestium, anno CCCCXVI. VI. Cal. *Septembr.* paulò post Carthaginense, celebratum; quo errores Pelagiani iterùm damnantur. Extant *Canones* XXVII. Conc. Tom. II. p. 1537. Sed non omnes hujus Synodi sunt, imò vix ulli, ad universale magis Carthaginense Concilium anno CCCCXVIII. potiùs referendi. Habetur nihilominùs Epistola Synodalis ad Innocentium Papam, de cohibendis Pelagianis, inter August. *Epist.* XCVII. & Conc. Tom. II. pag. 1544. cùm Innocentii *Rescripto* ibid. pag. 1287. & apud Aug. *Epist.* XCIII. Epistola etiam familiaris quinque 416. P. II.

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. que Episcoporum, *Aurelii*, *Augustini*, &c. ad eundem Papam, Conc. ibid. p. 1546.

417. P. II. THUSDRITANUM, in Africa circa annum CCCCXVII. habitum; In quo Siricii Papæ Epistola recitata est. Obscura est hujus Synodi apud Veteres mentio. Meminit ejus ex Præfatione Concilii Telensis Baluzius *Nov. Collect.* col. 365. Extant *Canones* II. de Episcopis in Synodis adesse recusantibus, in hoc conventu, ut videtur, conditi, *in Ferrandi Collect.* c. 76. 77.

418. P. II. CARTHAGINENSE XIV. anno CCCCXVIII. Cal. *Maiis* à CCXVII. Episcopis celebratum. In quo Pelagii & Cœlestii dogmata jam iterum confossa sunt, missis hac de re ad Zozimum Papam Decretis suis, literísque, quibus illum, ob temerè nimis quàm par erat fidem Cœlestio adhibitam, increparunt. Extant Canones XVIII. in *Collectione Canonum Afr.* num. LXXVI. usque ad XCIV. inclusivè, Conc. Tom. II. p. 1663.

418. P. II. TELEPTENSE, rectiùs *Telense*, in Provinciâ Byzacenâ, anno CCCCXVIII. VI. Cal. *Martias* congregatum: Quid in hac Synodo gestum sit nos ferè latet, nisi quòd Siricii Papæ ad Episcopos Africanos literæ in ea recitatæ sint, & pauci quidem Canones, sub hujus Synodi nomine, in *Ferrandi Collectione* habentur; nempè cap. *III, IV, VI, XVI, LXV, LXVIII, CXXX, CXXXVIII, CLXXIV, CCXVIII.* Vide Conc. Tom. II. p. 1577. Monendus est Lector, Viros quosdam eruditos, non levibus conjecturis ductos, huic Synodo ejusque Canonibus litem nuper movisse. Quâ de re vide quæ congessit Cl. Schelstratius *Eccles. Afr. dissert.* III. cap. 12. p. 254. Sed præcipuè P. Quesnellus Dissert. XV. ad Oper. S. Leon. Tom. II. p. 731. ubi & Canones, & Epistolam Siricii νοθείας arguit, & pluribus demonstrare conatur.

418. P. II. CARTHAGINENSE XV. vulgò VI. ab omnium Africæ Provinciarum Episcopis, præsidente Aurelio Carthaginensi, anno CCCCXVIII. hâc occasione habitum. Apiarius Siccensis in Mauritaniâ Presbyter, ob illegitimam ordinationem, aliáque crimina graviora, ab Urbano Episcopo, cujus sententiam Synodus Provincialis confirmavit, gradu suo dejectus, Romam ad Sedem Apostolicam provocaturus confugerat, à Zozimo Papa mox restitutus, missis etiam in Africam Legatis, qui illum in locum suum reponendum curarent, & jus appellandi Sedem Pontificiam, & appellationes undique factas recipiendi; idque Concilii Nicæni (uti præ se ferebant) autoritate constitutum, omni quo poterant modo, sartum tectum tuerentur. In hoc igitur Concilio, Patres Africani singula Legationis Pontificiæ capita, numero quatuor, in Zozimi Commonitorio contenta, (quod ægrè tandem Legati proferebant,) præcipuè quæ ad Apiarii causam pertinebant, ad examen revocârunt. Et quoniam Canonum Nicænorum autoritatem pro se allegaret Zozimus, duosque *pro Appellationibus* Canones sub hoc nomine protulisset; Patres Africani, hos reverà *Concilii Sardinensis* Canones esse nescientes, se eos eoúsque observaturos promiserunt, donec genuina Concilii Nicæni Acta examinari poterant, Zozimo de his per litteras certiori facto, qui paulò pòst diem suum obiit. Primi hujus Synodalis conventûs Acta interierunt, quæ non nisi ex subsequentibus colliguntur.

Recedente post autumnum Synodo, sequenti anno VIII. Calendas *Junias*, Episcopi Africani numero *CCXVII.* Carthagine in Secretario Basilicæ Fausti iterum convenerunt; sedentibus primo quidem loco Aurelio Papâ, unà cum Valentino primæ Sedis Numidiæ Episcopo; post hos, Faustino Episcopo Potentino Pontificis Legato; denique Philippo & Asello Presbyteris Romanæ Ecclesiæ itidem Legatis, post omnes Episcopos, ultimum locum occupantibus. Recitatis quæ in superiori conventu gesta fuerant, lectoque iterum Zozimi Commonitorio, cùm duo prolati Canones in istis, quæ penès se habebant, Nicæni Concilii exemplaribus neutiquàm invenirentur, missi sunt in Orientem Legati, qui genuina Concilii Nicæni exemplaria exinde reportarent. Interim lecti sunt in Synodo, Concilii Nicæni, quos apud se habebant Canones *XX.* quibus *XXXII.* alios, ex diversis Africæ Conciliis collectos subjunxerunt. In hâc etiam Sessione, petente id per literas Apiario, sancitum est ut de Siccensi Ecclesiâ penitùs removeretur, alibi ubicunque vellet & posset, Presbyterii munere fungeretur. III. Cal. *Iunias* iterùm coeuntes, sex alios Canones prioribus addiderunt, & omnia quæ gesta sunt subscriptione suâ roborârunt, primò quidem Aurelius & Valentinus, dein Faustinus Legatus, ultimo denique loco Philippus & Asellus Presbyteri Legati, postridiè per Legatos Romanos literis de his omnibus ad Bonifacium missis. SÆC. V. ab An. CCCC.

Anno circiter exeunte, reversi ex Oriente Legati, unà cum literis Attici CP. & Cyrilli Alexandrini, vera & authentica Canonum Nicænorum exemplaria secum detulerunt. In quibus Canonum à Zozimo prolatorum, nec vola nec vestigium reperiri potuit, quæ proindè per ipsos Legatos qui ex Oriente redierant, ad Bonifacium Papam VI. Calendas *Decembris* hoc ipso anno missa sunt. Et jam tota lis penitùs dirempta videbatur. Verùm mortuo mox Bonifacio, & Apiario hanc camarinam iterùm movente, Cœlestinus, qui Bonifacio successit, in ejus gratiam ad Africanos scripsit: Unde Patres Africani, vel eorum saltem Legati, presente etiam Faustino Pontificis Legato, tertiâ jam vice convenerunt; & quàmvis Apiarius, vi propriç conscientiç convictus, culpam suam, & facinora sponte confessus sit, acres tamen, & increpatorias ad Cœlestinum dederunt literas, quibus, post factam de Apiario relationem, admonent illum, ne deinceps hinc Romam venientes facilè admittat, vel à se excommunicatos ad Communionem recipiat, ut potè Ecclesiasticis, præcipuè Nicenis, constitutionibus contrarium, quç prudentissimè justissiméque providerunt, quæcunque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda; nec unicuique Provinciç defore gratiam Spiritûs Sancti ad id necessariam, nec (præter alia impedimenta) testes idoneos transmarinum judicium commodè sequi posse: ut verò aliqui tanquàm ab ejus latere mittantur, se nullâ Patrum Synodo constitutum invenisse, multò minùs Canonibus Nicænis, qui à Zozimo prædecessore missi fuerant: Clericos itaque suos istiusmodi mandatorum executores, quibuscunque petentibus, in posterum, nè mittat, *nè fumosum typhum sæculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem humilitatis, & simplicitatis diem Deum videre cupientibus præfert, inducere videatur.*

Extant hujus Synodi Acta, Epistolæ, & Canones suprà memorati, *Cod. Can. Ecclesiæ Africanæ* in initio, & ad finem *Concil. Carth.* VI. Conc. Tom. II. col. 1589. & ibid. col. 1603, 1670. Plurima etiam præcedentium Synodorum statuta, jam iterùm lecta, & confirmata sunt. Notet hoc loco prudens Lector, multa fuisse Decreta, in variis Africanis Conciliis condita, quæ compilator quidam haud satis doctus in unum corpus ex CV. capitibus conflatum compegit, quòdque sub nomine

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. Concilii Africani, seu collectionis variorum Canonum habetur Conc. Tom. II. pag. 1658. Et ita tandem celeberrimum hoc Concilium Carthaginense, seu V, VI, vel VII. demùm vocandum sit, tribus circiter conventibus absolutum, expedivimus. Nihil moror M. Ant. Capellum ordinis Franciscani Monachum, qui editâ *Paris.* 1622. Dissertatione *de Appellationibus Ecclesiæ Africanæ ad Romanam Sedem*, nodum, quem solvere non potuit, secare studet; dum cap. IV. pag. 118. omnia hujus Synodi Acta, & Epistolas unâ liturâ delet, falsa, & ab Impostore aliquo conficta esse contendit, infœlici planè ausu, & futilibus conjecturis, risu potiùs, quàm refutatione dignis, quæ nè levissimum quidem scrupulum eruditis movere possint. Ac proindè neminem deinceps habuit, nedùm ullos Conciliorum Editores, qui sententiam tàm absurdam vel verbulo defendere ausi sunt.

419. P.II. RAVENNATENSE, anno CCCCXIX. jubente Honorio Imperatore habitum: quo controversia inter Bonifacium & Eulalium, de electione ad Sedem Romanam, excussa est. Verùm, dissentiente Synodo, lis indecisa remansit; ut aliam hac de re Synodum post Pascha cogendam esse Honorius statuit; quod tamen non præstitit. Extat Honorii *Commonitorium* ad Episcopos congregatos, aliâque scripta ad hanc rem spectantia, ex veteri codice Vaticano deprompta, apud Baron. ad ann. CCCCXIX.

423. P.II. CARTHAGINENSE XVI. inter annum CCCCXX, & CCCCXXIII. habitum; neque enim certum ejus tempus definiri queat. In hoc Concilio duorum Episcoporum, de primæ sedis honore contendentium, causa præcipuè agebatur. Vide quæ de Actis hujus Synodi ex *Holstenii schedis* deprompta sunt, Conc. Tom.II. p.1605.

423. P.II. CILICIENSE, an. CCCCXXIII. à Ciliciæ Episcopis habitum. In quo Theodorus Mopsuestenus, postquàm ex Provinciâ discesserat, ob scripta & dogmata malesana, anathemate damnatus est. Memoriam hujus Synodi nobis conservavit Marius Mercator, Præfat. ad Symbolum Theodori Mopsuesteni, *Operum* Part.I. p.219. ubi vide quæ notavit clarissimus Garnerius.

426. P.II. CARTHAGINENSE XVII. circa ann. CCCCXXVI. præsidente Aurelio Carthaginensi, habitum. Occasionem huic Synodo dedit Leporius Presbyter & Monachus Massiliensis, qui Pelagianæ, quâ laborabat hæresi, Nestorianam adjunxerat. Quam ob causam Massiliâ ejectus in Africam profugit, ibique ab Aurelio & Augustino meliora edoctus ab hæresi recessit, libellumque *emendationis*, sive *satisfactionis* conscripsit, quo, factâ pristini erroris detestatione, Fidem Catholicam, de Mysterio Incarnationis Christi profitetur, quem Synodo Carthaginensi obtulit, cui etiam Aurelius, & Augustinus, aliique subscripserunt; atque his subscriptionibus munitum Carthagine in Gallias misit. Hunc primus in lucem protulit Jac. Sirmondus inter *Opusc. vet. dogmat.* Paris.1630.p.1. Exinde habetur Conc.Tom.II. p.1678. ubi vide quæ Sirmondus & Labbeus observarunt.

426. P.II. HIPPONENSE, anno CCCCXXVI. VI. Cal. *Octobr.* ab Augustino & duobus aliis Episcopis, præsentibus VII. Presbyteris, astante Clero & frequenti populo, habitum: In quo Heraclius Presbyter, ut Augustino in Sede Hipponensi succederet, electus est; utque interim eum aliquâ curarum parte sublevaret. Extant celebris hujus conventus gesta, excipientibus omnia Notariis, apud Augustin. *Epist.* CX. Tom.II. col.514. SÆC.V. ab An. CCCC.

CONSTANTINOPOLITANUM I. ann. CCCCXXVI. jussu Theodosii Imp. à Sisinnio Constantinopolitano, Theodoto Antiocheno plurimisque aliis Episcopis, congregatum: quo Sisinnius ad Sedem CP. nuper electus ordinatur, & Massaliani Hæretici damnati sunt; exclamante Neone Episcopo, siquis post anathematismum, ullo tempore deprehensus fuerit re aut verbo in suspicionem malę hujus sectæ incidisse, nusquàm posteà locum tenere debere, nè si millies quidem pœnitentibus constitutas pœnas luiturum se polliceatur. Extat Fragmentum Epistolæ Synodicæ ad Berinianum, Amphilochium, cæterosque Pamphiliç Episcopos apud Phot. Cod.LII. col.40. Lecta est etiam eadem Synodica, & universali consensu approbata, in Concilio Ephesino, Actione VII. 426. P.II.

ROMANUM I. anno CCCCXXX. à Cœlestino Papâ, in causâ Nestorii,habitum. In quo cum hęresi suâ damnatur Nestorius, & nisi resipiscat anathemati subjicitur. Extant hâc de re Epistolæ Nestorii & Cœlestini in Act.3.Synod.Ephes.Conc.Tom. III. p. 345. 349. 351.353. Ut Cœlestinum de hæresi nuper exortâ certiorem faceret Cyrillus Alexandrinus; Possidonium Diaconum suum Romam misit, commentariis instructum, quibus Nestorii impietas confutabatur. Extat Gr. Lat. Cyrilli *Commonitorium* Possidonio datum, cùm Romam propter Nestorii negotium mitteretur, quo Nestorii dogmata accuratè exponit, ex Sirmondi schedis depromptum, à Baluzio editum, *Nov. Collect.* col. 377. Fragmentum hujus Synodi, pars nempe Orationis Cœlestini, habetur apud Arnob. *conflict. cum Serapion.* l. II. ad *calc. Irenæi*, p.548. 430. P.II.

ALEXANDRINUM, à Cyrillo in causâ itidem Nestorii anno CCCCXXX. habitum. Acceptis Cœlestini literis, & coactâ Synodo, Legati quatuor cum literis, & XII. Anathematismis Constantinopolim, præcipuè ad Nestorium missi sunt, præscripto ei decem dierum spatio quo hæresin suam ejuraret. Extant Epistolæ Synodicæ cum Anathematismis,Conc.Tom.III.p.396.420. 430. P.II.

ROMANUM II. anno CCCCXXXI. sub Cœlestino Pontifice congregatum; quo impietate Nestorianâ iterùm damnatâ, decretum est Legatos ad Synodum Ephesinam mittendos esse, delectis ad hoc munus Arcadio & Projecto Episcopis, & Philippo Presbytero Romano, qui Cœlestini & Occidentalium Episcoporum vices obirent. Cœlestini *Commonitorium* Episcopis & Presbyteris ad Orientem ituris datum, ex codicibus Vaticano & Colbertino haud ita pridem deprompsit Baluzius *Nov. Collect.* col. 381. 431. P.II.

EPHESINUM I. Oecumenicum III. Theodosii Imp. jussu, à CC. circiter Episcopis anno CCCCXXXI. proximè post Festum Pentecostes, in Ecclesiâ B. Mariæ, celebratum. Præsidebat huic Synodo Cyrillus Alexandrinus, idque jure suo; cùm enim ex communi Ecclesiæ Orientalis politiâ, primus post Episcopum CP. præeminentię gradus Antistiti Alexandrino concedendus erat, & Nestorius Constantinopolitanus pro summo Ecclesiæ tribunali tanquam Hęresiarcha sistendus esset, proximum præsidendi jus ad Cyrillum devenit. Non iverim inficias, Cœlestinum Papam Cyrillo vices suas in hâc Synodo demandasse. Verùm id pro more in Conciliis usitato, omnibus Episcopis familiare fuit; quin & ipse Cœlestinus paulò post proprios Lega- 431. P.II.

Digitized by Google

Legatos ad hanc Synodum miſit. Cauſa Concilii erat Neſtorius Antiſtes CP. qui cùm hæreſin ſuam (*viz.* duas in Chriſto naturas, Divinam & Humanam, non ὑποςατικῶς, ſed ſolummodò σχετικῶς uniri, & conſequenter in Mediatore Θεανθρώπῳ binas admitti perſonas, adeóque B. Virginem non Θεοτόκον ſed Χειςοτόκον dicendam eſſe) apertiùs propalaret, nec ullis Sanctorum Epiſcoporum monitis cederet, quin & ad cauſam in Synodo dicendam ter vocatus comparere recuſaret, unanimi Patrum ſententiâ damnatur & deponitur.

Extant Gr. Lat. hujus Concilii Acta Conc. Tom. III. quæ tribus conſtant partibus. Primâ continentur ea quæ Synodum antecesserunt; nempe *Homilia* Procli Cyziceni *de Incarnatione Domini* Conſtantinopoli præſente Neſtorio habita; Cyrilli Alexandrini *de rectâ in Chriſtum fide liber ad religioſiſſimas Reginas*; *Oratio ad Reginas altera de rectâ fide:* Variæ Cyrilli, Cœleſtini, Neſtorii, Joann. Antiocheni, Theodoſii Aug. aliorúmque de hâc cauſâ *Epiſtolæ*. Ex quibus omnibus facilè perſpicitur, quis fuerit verus cauſæ Neſtorianæ hoc tempore ſtatus, quibúſque modis Neſtorium tractaverint Cyrillus, Cœleſtinus, Joannes Antiochenus, alii, ut ipſum à nefariâ, quam propalaverat, doctrinâ ad ſaniorem mentem reducerent, nec niſi poſt omnes fraternæ charitatis methodos fruſtrà tentatas, ab ejus communione ſe ſeparaſſe. Pars ſecunda ea continet quæ in Concilio acta ſunt, quæ VII. Seſſionibus abſolvuntur.

Act. I. quæ x. Calend. *Julii* celebrata eſt, expoſitâ per Petrum Presbyterum Alexandrinum Notariorum Primicerium, Concilii jam congregari occaſione, & Neſtorio ter fruſtrà vocato, lecta eſt Imperatoris de congregandâ Synodo Epiſtola; tum Symbolum Nicænum, & Cyrilli ad Neſtorium literæ, earumque cum fide Nicæna concordantia, ſingulis Epiſcoporum ſententiis comprobata, recitata etiam Neſtorii ad Cyrillum Epiſtola pari modo damnatur. Sequuntur etiam Cœleſtini Papæ, Synodíque Alexandrinæ ad Neſtorium literæ, prolatis in medium plurimis SS. Patrum teſtimoniis, quę rectam fidem confirmabant, & Neſtorii doctrinam feriebant. Dogmatibus tandem Neſtorii tum ex propriis ſcriptis excerptis, tum adhibitis quorundam Epiſcoporum teſtimoniis, impia verba ex ore ejus referentium, depoſitionis & damnationis ſententia in illum fertur, ſingulorum Patrum ſubſcriptionibus roborata. Nec citiùs hæc in Neſtorium ſententia in vulgus emanavit, quin fauſtis acclamationibus, & univerſo populi applauſu excepta eſt; cujuſvis ordinis hominibus Epiſcopos, ſolemni pompâ, omnibuſque publicæ lætitiæ ſignis, per plateas deducentibus. Poſtremò ſcriptæ tùm à Synodo ad Theodoſium Imp. & ad clerum, populúmque CP. tum à Cyrillo ad clerum CP. ad clerum populumque Alexandrinum, & ad Monachos Epiſtolæ; Regini Conſtantienſis, duæque Cyrilli de hâc re Homiliæ Epheſi habitæ. Neque intereà cauſæ omninò defuit, cum decem quos ſecum habuit Epiſcopis, Neſtorius. Quin relationem, de rebus in Synodo geſtis, ad Imperatorem ſcripſit. Dum hæc aguntur, quinto poſt inchoatum Concilium die, Epheſum venit cum ſuis Orientalibus Joannes Antiochenus, qui offenſus quòd præſentiam ejus Patres non diutiùs expectaſſent, collecto ex ſuis Orientalibus, decemque Neſtorii Epiſcopis, XLIII. Epiſcoporum Conciliabulo, depoſitionis ſententiam, in Cyrillum & Memnonem Epheſinum, tanquam omnium malorum architectos, intorquet, cæteris niſi reſipiſcant, & Anathematiſmos etiam Cyrilli damnent, & rejiciant, Anathemati ſubjectis; quid verò à ſe hac in parte geſtum fuerit, Synodo Epheſinæ, Imperatori, Reginis, Clero, Senatui, Plebîque Conſtantinopolitanæ, Synodi nomine, per literas exponit. Nec ſanè inter poſtremas nequitiæ artes, quibus bono Imperatori fucum fecerant Orientales, ponendum eſt, quòd aſſumpto ſibi venerandæ Synodi Epheſinæ nomine, ipſum de Cyrillo & Memnone, Synodali Sententiâ depoſitis certiorem reddiderint; quam ille proinde magnæ Synodi Epheſinæ ſententiam eſſe exiſtimans, firmam, ratámque habuit. Hujuſce Pſeudo-Synodi Commentarii ad *Act.* I. calcem referuntur.

Act. II. vi. Idus *Julii*, celebratâ appulſis jam Romani Pontificis Legatis, Cœleſtini Papæ ad Synodum, ad Theodoſium Auguſtum, & ad Cyrillum Alexandrinum literæ in Synodo recitatæ ſunt, & in Actorum commentarios relatæ.

Act. III. Acta Synodalia de Neſtorii depoſitione, pręſentibus Legatis Romanis, per compendium lecta ſunt; quibus & ſubſcripſerunt; & relatio de his rebus tùm ad Imperatorem, tùm ad clerum, populumque CP. miſſa eſt. In utraque verò, de Epiſcopo urbis CP. in locum Neſtorii ordinando agunt.

Act. IV. Oblato à Cyrillo & Memnone libello, quę contra eos à Joanne ejuſque ſociis geſta fuerant reſcindit Synodus, atque irrita planè eſſe decernit, Joanne, ut ad cauſam dicendam ſe Synodo ſiſteret, ter fruſtra vocato.

Act. V. Poſt tertiam citationem à Synodo factam, cùm Joannes comparere præfractè recuſaret, ejus in Cyrillum, & Memnonem ſententia abrogatur, ipſeque, cum Epiſcopis ſibi adhærentibus damnatur & deponitur, ſingulis Epiſcopis judicium Synodale manu ſuâ munientibus: perſcriptis deindè tùm ad Imperatorem, tùm ad Cœleſtinum Pontificem literis, quibus rerum à ſe in Synodo geſtarum rationem reddunt. His factis, Cyrillus Orationem in Joannem Antiochenum publicè habuit.

Act. VI. Lecta eſt & approbata Nicęni Concilii Formula, & teſtimonia SS. Patrum, quæ in damnatione Neſtorii prolata fuerant, ſecundâ jam vice recitata. Charifii etiam Relatio de *Quarto decimanis* lecta & examinata; qui factâ Fidei ſuæ expoſitione, propriâ ſubſcriptione ſignatâ, omnes ſuos, præcipuè Novatianorum, & Quartodecimanorum, errores ſe ejurare profeſſi ſunt, facto mox Synodali Decreto, nemini licere aliam pręter Nicenę Fidei Formulam conſcribere, vel componere. Quo facto, Cyrillus homiliam de *Fortitudine Chriſtianâ* publicè habuit, priuſquàm à Comite comprehenſus militibus, aſſervandus traderetur.

Rebus hunc in modum in Synodo geſtis, pergit intereà cum conciliabulo ſuo Joannes Antiochenus, ſpecioſo quidem prętextu Fidem Nicænam confirmandi, Cyrillique capita XII. tanquam ei oppoſita condemnandi, ipſique Apollinariſmi, Arianiſmi, Eunomianiſmi, & quam non? hęreſin impingens; impetratis etiam per Candidianum Comitem ab Imperatore ad Synodum literis, quibus eos admonuit, quę in Synodo nuper facta fuerant, utpotè ſtudio partium geſta, de integro eſſe retractanda, nec cuiquam Epiſcopo fas eſſe vel ad ſe venire, vel urbe excedere, donec ipſe delegatos quoſdam ad rem pleniùs examinandam eo deſtinaret. Hinc criſtas erigere Orientales, & plena criminationum & calumniarum plauſtra in Patres Epheſinos, Memnonem præcipuè & Cyrillum, conjicere, non unâ relatione tùm ad Imperatorem, tùm ad Præfectos miſſâ; graviſſimas querelas de malis, quę ſe perpeſſos eſſe clamitarunt, ubique ſpargentes. Comes Irenæus, cui has relationes perferendas tradiderant, cauſam eorum in Aula, omni quâ poterat diligentiâ, nullo tamen effectu, promovebat. Miſſus

 demùm

SÆC. V. ab An. CCCC. demùm Joannes Sacrarum largitionum Comes, cùm Theodosii ad Synodum Ephesinam literis, quibus eos ad pacem & concordiam adhortabatur. Joannes Ephesum veniens, utriúsque partis Episcopos ad se accersivit, concordiam inter illos resarcire summoperè conatus; sed frustra. Vulnus insanabile videbatur, nec vel ullâ arte leniri posse. Quin nec ipsæ Imperatoris literæ, præ tumultuantium Episcoporum strepitu legi poterant; ut Joanni necesse visum sit, non modò Nestorium, sed & Cyrillum, & Memnonem militari custodiæ tradere. Episcopos etiam plusquàm semel iterumque ad pacem ineundam, sed irrito conatu, convocavit. Quo facto, Orientales Legatos suos, Joannem nempe Antiochenum, Theodoritum Cyrensem, & sex alios commonitoriis instructos Constantinopolim mittunt, qui Chalcedone subsistentes Regiam urbem ingredi prohibiti sunt, Theodorito interim & Joanne publicè concionantibus, ut languescentes suorum animos fortiùs erigerent, & sustentarent. Nec nisi post tres supplices Libellos Theodosio oblatos, ipsum adeundi concessa est facultas; idque Chalcedone in Rufinianis, quò Imperator ex utrâque parte Episcopos convocaverat. Certum est Orientales haud paucos in Aulâ Proceres sibi plus solito faventiores habuisse; præsertim Candidianum, Irenæum, & Joannem, magnificentissimos Comites, qui res eorum pro virili satagebant: Nec raròò literas & relationes, à Patribus Ephesinis ad Imperatorem missas, clam interceperunt; Ut nil mirum, si Orientales de suo apud Imperatorem congressu, quasi victoriam ab adversariis reportarant, ubique triumphum apud suos agerent.

Interim neque causam destituerunt Patres Ephesini, missis octo ex suorum numero, & in his Philippo Cœlestini Romani Pontificis Legato, iisque literis Mandatariis probè munitis, qui ad Imperatoris præsentiam ægrè licèt primò admissi sunt, omni Clero populóque Constantinopolitano, Monachis, Anachoretis, Archimandritis longo agmine id efflagitantibus, & postquàm Ephesinorum ad Imperatorem literæ illis, in Basilica S. Mocii, lectæ fuissent, unâ voce anathema Nestorio denunciantibus. Scriptæ sunt etiam Epistolæ & Relationes à Synodo, Cyrillo, Memnone, Legatis, eorumque fautoribus, quibus versutos Orientalium dolos egregiè refutarunt. Tandem res eò devenit, ut detectis Orientalium fraudibus, Imperator Cyrillum & Memnonem carcere liberari, & misso in exilium Nestorio, quæ Synodus hactenùs gesserat rata haberi jussit. Hæc Conciliabuli Orientalium Acta in commentarios relata, necnon Catholicorum Epistolæ & Relationes Actioni VI. Synodi Ephesinæ subjiciuntur.

Act. VII. Prid. Cal. *Septembr.* mortuo non ita pridem Troilo Constantiæ Cypriorum Metropolitâ, cùm jus ordinandi successorem sibi arripere voluit Episcopus Antiochenus, ac proinde Ecclesias Cypri Sedi Antiochenæ subjicere, oblatus est à Rhegino, aliisque aliquot Cypri Episcopis Synodo supplex libellus, ut Cypriorum Ecclesia suâ autocephaliâ, quam ab omnibus retrò Sæculis, etiam ab ipsis Apostolorum temporibus, semper inviolatam conservaverat, constanter deinceps frueretur. Lectæque sunt ad hanc rem pertinentes Dionysii Ducis Epistolæ II. factúmque tandem Synodi Decretum, Cypriorum Ecclesiis jus suum Episcopos per seipsos ordinandi κατὰ τοὺς κανόνας τῶν ὁσίων πατέρων, καὶ τὴν ἀρχαίαν συνήθειαν, intactum & inviolatum reservandum esse, omnibusque Ecclesiis in quacunque Provinciâ, pura & inviolata, quæ jam inde ab initio habuerunt, sua jura esse servanda.

His factis, Synodus, Episcopos Orientales, qui cum Joanne Antiocheno in Conciliabulo Ephesino convenerant, omni Sacerdotali functione, omnique Ecclesiastica communione, privandos esse statuit. Conditique sunt Canones VI. ad causam Nestorianam præcipuè spectantes, qui habentur ibid. pag. 803. & cùm Commentariis Balsamonis, Zonaræ, & Aristeni *Pandect. Can.* Tom. I. pag. 99. & in eos notæ Beveregii Tom. II. pag. 103. Post hæc supplicante Eustathio Pamphiliæ haud ita pridem Metropolitâ, qui propter turbas, curásque graviores; & quòd in rebus agendis exiguum admodùm usum haberet Episcopatu se abdicaverat, alio in ejus locum suffecto, sancitum est Episcopale nomen, honorem, & communionem, abrogatâ ipsi ordinandi potestate & functione Ministeriali, in nullâ Ecclesiâ ex propriâ auctoritate exercendâ, servanda esse. Petentibus post hæc Valeriano & Amphilochio Pamphiliæ Episcopis, definivit Synodus Messalianos seu Euchetas esse conveniendos, & nisi hæresin suam anathematizent, si clerici sint, à gradu & communione esse dejiciendos, sin laici, anathemati subjiciendos. Denique oblato supplici Libello ab Euprepio Byzes & Arcadiopolis, & Cyrillo Cœlensi Episcopis, ut, quandoquidem in more positum sit quibusdam Europæ Episcopatibus, plures sub se civitates habere, (ne vacuas has civitates invaderent Nestorianæ partis Episcopi) prisci mores, & antiqua consuetudo hac in re custodiantur. Statuit proinde sancta Synodus, nihil in his Europæ civitatibus innovandum esse, sed juxta veterem consuetudinem, ab Episcopis, à quibus & olim, imposterum esse gubernandas. SÆC. V. ab An. CCCC.

III. Actorum parte continentur quæ Synodo adhuc sedente, vel eâ jam solutâ, gesta sunt. Et in varia Cyrilli Opuscula; nempe, *uberior explicatio* XII. *Anathematismorum*; *Apologeticus pro eisdem adversus Orientales*; *Defensio eorundem adversus Theodoritum: Scholion de Unigeniti Incarnatione. Aliud in Incarnatione verbi*; *Homiliæ aliquot*; *Dissertatio in sanctum Symbolum*; *Epistolæ plures ad causam Nestorianam pertinentes*; scilicet *ad Evoptium*, *ad Theodosium, ad Maximianum* II. *ad Juvenalem Hierosol. ad Ioannem Antiochenum* II. *ad Eulogium Presbyterum suum CP. agentem*; *ad Donatum Neapolitanum*; *ad Valerianum*: *Acacii Melitensis Homiliæ*; *Theodoti Ancyrani Homiliæ* III. *Synodi Constantinopolitanæ* II. *Maximiani Epistola ad Cyrillum*; *Cœlestini Papæ Epistolæ* IV. *ad Synodum, Theodosium, Maximianum, ad Clerum Constantinopolitanum*; *Ioannis Antiocheni Epistolæ* II. *Libellus à Paulo Emiseno, Cyrillo oblatus*; *Pauli Emiseni Homiliæ* II. Alexandriæ habitæ, *Sixti Papæ Epistolæ* II. *Theodosii Imp. & Præfectorum literæ, & Edicta varia contra Nestorium, deque ejus causâ, & libris non legendis.* Subjecta sunt, *Procli Archiep. CP. ad Armenos de Fide Epistola, & Edictum Imperatoris de iis qui ad Ecclesiam confugiunt.* Ex his omnibus manifestum est (ut alia penè infinita mittam) Nestorium à Synodo depositum, Edicto Regio in exilium actum esse, Maximiano in ejus locum subrogato, Cyrillum Alexandriam reversum, summo civium suorum gaudio fuisse exceptum; Orientales ab Imperatore damnatos ad sua se recepisse, tandémque mediante Imperatore & tantùm non jubente, Catholicam de Christi Domini Incarnatione Fidem à Synodo Ephesinâ nuper confirmatam agnovisse, & damnato Nestorio, cum Cyrillo in gratiam rediisse, misso ad Alexandriam Paulo Emiseno, qui Joannis & Orientalium nomine anathema Nestorio dixit; rectam de Maria Θεοτόκῳ doctrinam publicè prædicavit, & oblato Joannis Antiocheni libello confirmavit, illúmque fraternam cum Cyrillo communionem, & sinceram

ram amicitiam colere, plaudente omni populo profeſſus eſt.

Actorum hujus Concilii verſionem antiquam, quâ ab ipſis Epheſinæ Synodi temporibus uſa eſt Occidentalis Eccleſia, in lucem protraxit olim Ant. Contius, ſed quę deinceps in Conciliorum editionibus nullum locum habuit. Hanc igitur admodum mutilam & mendoſam, ad tres vetuſtos codices recognovit, ſubjectis notis variantes lectiones explicavit, Fragmenta, & Epiſtolas aliquot ad hanc Synodum pertinentes, Græcè & Latinè ſubnexuit vir ad has literas juvandas natus, Steph. Baluzius *Nov. Collect.* col. 383.

Ut huic Concilio finem tandem imponamus, ad pleniorem ejus intelligentiam apprimè conferent variorum Patrum Epiſtolæ, ad Concilium Epheſinum pertinentes, quarum collectionem Latinam, ab homine Juſtinianei ſæculi, & *Trium capitulorum* defenſore factam, & ex codice Monaſterii *Acæmetenſis*, ut videtur, depromptam, ex codicibus MSS. *Caſinenſi & Vaticano* deſcriptam, ſcholiiſque ſuis & obſervationibus illuſtratam edidit Chriſtian. Lupus *Bruxel.* 1682. 4°. Hanc, anno ſequente, in *novâ Conciliorum collectione*, ſed omiſſis Lupi Scholiis, recudit Steph. Baluzius, addito ei *Synodici adverſus tragœdiam Irenæi* titulo, ſubjunctiſque notis breviuſculis: Tertiò demùm Joan. Garnerius anno 1684. *in Auctuario Theodoriti, Diſſert.* V. *de Theodoriti & Orientalium causâ* pag. 549.

433. P.II. ROMANUM III. anno CCCCXXXIII. menſe Decembri, à *LVI.* Epiſcopis habitum: In quo Sixtus Papa, qui apud Valentinianum Auguſtum criminatus fuerat, judicio Synodali purgatur & abſolvitur. Extant hujus Synodi Acta ex triplici editione Conc. T. III. p. 1265. Ad calcem habentur Acta de *Synodali accuſatione, & expurgatione Polychronii Hieroſolymorum Epiſcopi Romæ ſub Sixto habitâ*, ſed quę pro genuinis ipſe Binius venditare non audet.

435. P. II. ARMENUM, anno CCCCXXXV. ab Armeniæ Epiſcopis habitum; qui libros Neſtorianorum utpote impietatis plenos condemnârunt relatione, hâc de re, ad Proclum Conſtantinopolitanum factâ. Vide *Epiſt. Procl.* ad *Armen. in fin.* & *Liberat. Brev.* cap. 10. p. 45. Notandum eſt Theodoſium hoc ipſo anno III. Non. Aug. Edictum emiſiſſe, quo mandat Neſtorii ſectatores *Simonianos* ubique & quavis occaſione vocandos eſſe, neminique fas eſſe nefandi iſtius hæreſiarchæ libros adverſùs Orthodoxam fidem & Concilii Epheſini decreta ſcriptos habere, legere, aut deſcribere, quos diligenti ſtudio requiri, ac publicè comburi decernit. Extat Cod. Theod. Tit. *de Hæret.* l. LXVI. plenius verò Gr. Lat. Concil. Epheſ. Part. III. cap. 45. p. 1209.

439. P.II. REGENSE anno CCCCXXXIX. *Auguſt.* XV. à *XII.* Epiſcopis habitum. In quo, abrogatâ Armentarii Ebredunenſis Epiſcopi ordinatione, utpotè à duobus tantùm Epiſcopis factâ, Canones VIII. ſtatuti ſunt, qui habentur Conc. Tom. III. p. 1284. Vid. Sirmondi notas poſthumas in Append. ibid. pag. 1491. Duos alios hujus Synodi Canones, nempè *de his, qui Eccleſiis vel earum cultoribus*, i. e. *Sacerdotibus ſeditioſi extiterint, utque bis in anno Concilium agitetur*, ex codice MS. *Urgellenſi* deprompſit Baluzius *Nov. Collect.* col. 917.

440. P.II. EPHESINUM II. anno circiter CCCCXL. præſidente Baſilio Epiſcopo Epheſino habitum. Memnon Epheſinus Baſſianum, ad Sedem Epheſinam aſpirantem, Evazorum Epiſcopum ordinârat. Huic ordinationi nequaquàm acquievit Baſſianus, neque Evazorum civitatem unquam vidit. Baſilius, qui Memnoni ſucceſſit, de causâ Baſſiani certior factus, habitâ Epiſcoporum ſuæ Provinciæ Synodo, alium in Evazorum civitate Epiſcopum ordinavit, ſervatâ Baſſiano communione, & Epiſcopatûs honore & dignitate. Hæc nos docet ipſemet Baſſianus in *libello ſupplice ad Martianum imp.* Concil. Chalcedon. *Act.* XI. col. 687.

ARAUSICANUM, in Galliâ Narbonenſi, anno CCCCXLI. VI. Id. *Novembr.* à *XVII.* Epiſcopis coactum: quo plurima ad jura & diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentia ſancita ſunt. Extant Canones XXX. Sirmondi, Albaſpinæi, & Binii notis illuſtrati Conc. Tom. III. pag. 1446. Ad calcem, Appendicula ex Gratiano, aliiſque additur. Sirmondi notas poſthumas ad hanc Synodum vid. in *Append.* ibid. pag. 1493. 441. P.II.

VASENSE, in Galliâ Narbonenſi, anno CCCCXLII. Idibus *Novembr.* habitum. Extant de diſciplinâ Eccleſiaſticâ Canones X. quos Sirmondus, Binius, Albaſpinæus notis ſuis illuſtrârunt, Conc. Tom. III. pag. 1456. Sirmondi notæ poſthumæ uberiores habentur in *Append.* ibid. pag. 1499. 442. P.II.

ANTIOCHENUM I. circa annum CCCCXLIII. à Domno Archiepiſcopo & *XXVII.* Orientis Epiſcopis, in Porticu æſtivalis Secretarii, celebratum. In ſtatuendo hujus Concilii tempore, fateor me non uſque adeò mihimet ſatisfacere: cùm enim in Actorum initio quædam deſiderentur, annus certò definiri nequit. Verùm ſub Domno Antiocheno, & viventibus adhuc Proclo CP. & Cyrillo Alexandrino, habitum eſſe manifeſtò liquet. Sedem Antiochenam ſortitus eſt Domnus an. CCCCXXXVI. depoſitus in Conciliabulo Epheſino ann. CCCCXLIX. Obiît Proclus anno CCCCXLVI. Cyrillus anno CCCCXLIV. ut ſeriùs anno CCCCXLIII. haberi non potuit. Scripſerat ad Domnum tùm Proclus, tùm Cyrillus, in gratiam Athanaſii Perrhenorum Epiſcopi, qui fucum ipſis fecerat, ut Sedi Perrhenſi, quam clericorum ſuorum accuſationibus oneratus repudiaverat, reſtitueretur. Collectâ itaque Orientalium Synodo, Domnus hominem in judicium vocavit. Cùm verò adeſſe noluit (quod & bis antea recuſaverat, à propriis licèt Metropolitanis, Panolbio Hierapolitano, ejuſque ſucceſſore Joanne citatus) ut criminibus à clericis ſibi objectis reſponderet, unanimi Epiſcoporum ſententiâ depoſitus eſt. Extant hujus Synodi Acta *Concil. Chalcedon.* Act. XIV. p. 427. ubi plura de hâc causâ dicturi ſumus. 443. P.II.

ROMANUM IV. ann. CCCCXLIV. à Leone Papâ, ejuſque Epiſcopis & Presbyteris, adverſùs Manichæos habitum; quo eorum dogmata & nefanda facinora damnantur. Videſis Leonis Epiſt. II. *ad Epiſcopos Italiæ*, & Serm. V. *de Jejun.* cap. 4. p 131. & Conc. Tom. III. p. 1461. ubi alia quædam incerti loci Concilia habentur. 444. P.II.

HIERAPOLITANUM in Phrygiâ Pacatianâ, circa annum CCCCXLIV. à Stephano Metropolitâ ſuæque Provinciæ Epiſcopis, habitum. Athanaſius Perrhenorum Epiſcopus in Concilio Antiocheno haud ita pridem depoſitus fuerat; in cujus locum Sabinianus, in Concilio Provinciali ſub Stephano habito, ordinatus eſt; quem poſteà depoſuit Dioſcorus, reſtituto Athanaſio. Anno 444. P.II.

CCCCLI.

Digitized by Google

SÆC. V. ab An. CCCC. CCCCLI. in Synodo Chalcedonensi, renovatâ Sabinianum inter & Athanasium lite, Sabinianus sententiâ Synodali in Sede Perrhenorum, saltem pro præsenti, confirmatur. Fusiùs hæc omnia Concilii Chalcedonensis *Actione* XIV. continentur.

446. *P.II.* ASTURICENSE, in Gallæciâ anno CCCCXLVI. collectum; in quo Manichæi quidam latentes deteguntur & damnantur. Meminit hujus Synodi Idacius in *Chronico*, pag. 24. Etsi verò Idacius Synodi disertam mentionem non facit; memorat tamen *Gesta Episcopalia adversus Manichæos*, seu Priscillianistas in Asturicensi urbe Gallæciæ hoc anno. Undè *Concilium Asturicense* meritò vocat Cl. Baluzius *Nov. Collect.* col. 949. Confer Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* T. II. p. 206.

446. *P.II.* VEROLAMIENSE ad Verolamium, celeberrimam Romanorum apud *Cattieuchlanos* in Britanniâ nostrâ urbem, S. Albani Britannorum Proto-Martyris martyrio nobilem, anno CCCCXLVI. à magno Præsulum & Presbyterorum numero, adversùs Pelagianam Hæresin, congregatum: cui etiam Germanus Altissiodorensis, & Lupus Tricasinus è Galliâ Episcopi, interfuerunt. Damnantur, unanimi suffragio, Pelagius, ejusque discipulus Agricola, qui Fidem Britonum fœdâ peste maculaverant. Vide *Bed. Hist. Eccles.* lib. I. cap. 17. p. 60. & *Matth. Westmonast.* ad ann. CCCCXLVI. fol. 114. Confer Spelman. *Conc. Brit.* Tom. I. pag. 47.

447. *P.II.* ANTIOCHENUM II. ann. circiter CCCCXLVII. (utique post Flavianum Throno CP. admotum) à Domno Archiepiscopo, & IX. Episcopis, in causâ Ibæ Edesseni habitum. Variorum criminum accusaverant Ibam Episcopum suum clerici aliquot Edesseni; quos proinde excommunicationis sententiæ subjecerat. Oblatis libellis, appellârunt Clerici ad Domnum Archiepiscopum, qui Ibam ad Synodum proximè post Pascha habendam vocavit. Interim clericos ob appropinquantem Festivitatem ab anathematis vinculo liberari voluit. Habitâ mox Synodo, duo tantùm ex clericis accusatoribus comparuerunt. Causâ ritè expensâ, Synodus Ibam ab objectis criminibus absolvendum censuit. Extat Actorum hujus Synodi Fragmentum *Conc. Chalced.* Act. X. p. 742. Plura, lector, de hâc causâ, Synodi Tyriæ & Beritensis anno sequenti, & Chalcedonensis anno CCCCLI. habitæ Acta te edocebunt.

447. *P.II.* HISPANICUM Generale, anno CCCCXLVII. quo verò loci non constat, in causâ Priscillianistarum indictum: Extat *Regula Fidei* in fine Concilii Toletani I. Conc. Tom. II. p. 1227. De hâc Synodo, & loco ubi habita fuerit, multis disputant Binius, Quesnellius, d'Aguirre, qui tamen nihil certi hâc in parte statuere audent. Adilis Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. II. p. 202.

448. *P. II.* CONSTANTINOPOLITANUM II. an. CCCCXLVIII. VI. Idus *Novembr.* Præside Flaviano Archiepiscopo, & *LVI.* circiter Episcopis & Archimandritis, in Secretario Episcopii celebratum, quo Eutyches hæresis, damnatus est. Extant Græc. Lat. Synodi hujus Acta, septem sessionibus absoluta, in Actis Concilii Chalcedonensis, *Act.* I. Conc. Tom. IV. p. 145.

Act. I. Libellum supplicem Synodo obtulit Eusebius Dorylæi Episcopus, quo Eutychem hæresis accusavit, petens ut ad respondendum iis quæ ipsi objiceret, in Synodum vocaretur: Quod & factum est, missis à Synodo qui Eusebii libellum ei perlegerent.

Act. II. Petente Eusebio Dorylæensi, lectæ sunt Cyrilli Alexandrini ad Nestorium, & ad Joannem Antiochenum literæ: & Doctrina Catholica *de Incarnatione & duabus in Christo Naturis* exinde fulgens Synodali suffragio sigillatim comprobatur. SÆC. V. ab An. CCCC.

Act. III. Retulerunt ad Synodum qui ad Eutychem missi fuerant, se ipsum convenisse, sed ad Synodum venire penitùs recusasse: confiteri, se *Nicænæ & Ephesinæ* Fidei consentire, "Christum perfectum Deum & perfectum hominem natum esse; post incarnationem verò, unicam in Christo naturam se adorare, nec carnem nobis consubstantialem ipsum habere." Missi mox Presbyteri duo, qui Epistolâ Synodicâ instructi, ipsum alterâ jam vice ad Synodum vocarent. Respondit, *Faciant quicquid velint, sibi in animo statutum esse de Monasterio suo non egredi.* Tertiò demùm missis tribus aliis, scriptâque Epistolâ citatus est.

Act. IV. Ingressi sunt Synodum Monachi quidam ab Eutyche missi, qui illum ægritudine laborare, & medico indigere testati sunt, alia ab eo referre parati, sed quæ Synodus, nisi ipsomet præsente, audire noluit.

Act. V. Tertia jam vice citatus Eutyches, promisit se post Septimanam adfuturum, sanctisque Patribus satisfacturum esse. Reversi sunt interim Clerici, à Synodo ad monasteria nuper missi, qui retulerunt Eutychem *Tomum quendam de Fide* ad Monasteria per nuncios suos direxisse, Monachis persuadentes ut ei subscriberent.

Act. VI. Facta est Relatio Disputationis *de duabus in Christo Naturis*, quæ in secunda citatione inter *Eutychem*, & *Mamam* ac *Theophilum* Presbyteros à Synodo missos, habita est.

Act. VII. Accedit ad Synodum Eutyches, magnâ Militum & Monachorum multitudine stipatus, & præsente ex parte Imperatoris Florentio Patricio, fidem suam paucis exponit, sed obscurè, & sub verborum involucris. Cùmque mentem suam de Christi Incarnatione, duabusque Naturis, claré & sine ambagibus exprimere & confiteri noluit, Sententia Synodali pro Hæretico habitus, omni munere Sacerdotali, Monasterii sui regimine, & fidelium communione privatus est. Quam sententiam singuli qui aderant Patres subscriptione suâ confirmarunt.

TYRIUM, in causa Ibæ Episcopi Edesseni, Hæresis *Nestorianæ* accusati, anno CCCCXLVIII. V. Cal. *Mart.* habitum. Extant Acta in Conc. *Chalced.* Act. IX. Conc. Tom. IV. p. 266. Eodem etiam anno, & eadem de re, habita est Synodus *Berytensis*, cujus Acta habentur ibid. p. 634. Summa Actorum utriusque Synodi huc redit. Accusatus fuerat Ibas Episcopus Edessenus ab aliquot Ecclesiæ suæ clericis, partim quòd in Nestorii hæresin propensus de Fide minùs rectè sentiret, & non modò Cyrillum hæreticum vocasset, sed & in ipsum Christum verba quædam blasphema protulisset; partim quòd res & reditus Ecclesiæ Edessenæ vel in proprios cognatos erogasset, vel in luxuriam effudisset. Re igitur ab Imperatore ad Photium, Eustathium, aliosque relatâ, habitus est Tyri Conventus; ubi instituto hujusce negotii examine, cùm Ibas se Fidei Catholicæ penitùs consentire declaraverat, résque Ecclesiæ suæ deinceps per Oeconomum ex clero suo eligendum administraturum esse; mediantibus Photio & Eustathio, concordia inter eos sancita est, clericorum subscriptionibus confirmata. Nihilominus, his non acquiescentes clerici, mandatum ab Imperatore impetrarunt, ut iisdem judicibus constitutis, causa sub examen iterùm veniret; adeòque præsente, ut anteà Damascio Tribuno & Notario Prætorianorum, eodem anno Cal. *Septembr.* habitus est Beryti 448. *P. II.*

Digitized by Google

 Beryti in novo Episcopio conventus alter, cui aderant & accusatores & testes, qui XVIII. Capitula Ibæ objiciebant. Post multas hinc inde disceptationes, confessus est Ibas, ante factam cum Orientalibus pacem, se cum reliquis Orientis Episcopis Cyrillum pro hæretico habuisse, postea communionem cum illo amicè coluisse; impias verò in Christum voces, quas ipsi objiciebant, quasi clericis suis dixisset, *Non invideo Christo, facto Deo, in quantum enim ipse factus est, & ego factus sum*, se usquam emisisse constanter & sanctissimè pernegavit; seque decies millies potiùs se secari passurum, quàm istiusmodi verba unquam edidisse. Quin & ab hoc crimine ipsum disertè liberarunt clericorum Ecclesiæ suæ testimonia, qui oblato huic Synodo libello, se tale quid ab eo usquam audivisse sub tremendo anathemate negarunt, libellumque suum plusquam *LX.* Presbyterorum & Diaconorum subscriptionibus (numerosum quippe clerum habuit Ecclesia Edessena) muniverunt. Nihilominus anno sequenti, machinante id Eutychete, in Conciliabulo Ephesino, absens licèt, à Dioscoro depositus est, & custodiæ mancipatus, plusquàm viginti carceres expertus, ut ipse de se non semel testatur, Nonno etiam in locum ejus ordinato. De Iba ejusque causâ plura diximus *Hist. Liter.* Part.I. Sæc.V. pag 240. Quid de eo in Concilio Chalcedonensi factum sit, suo loco videbimus.

449. P. II. CONSTANTINOPOLITANUM III. ann. CCCCXLIX. V. Id. *April.* à *XXX.* circiter Episcopis, in causa Eutychetis, in majore Porticu S. Ecclesiæ celebratum, ubi, dolis undique conquisitis, pro Eutychete actum est. Extant Acta in Concil. *Chalced. Act.* I. Conc. Tom. IV. p. 236.

Conveniente Synodo, & intromissis Monachis quibusdam Eutychetis Procuratoribus, ipsomet sese absentante, lectus est Precum libellus quem Imperatori obtulerat Eutyches, petens ut nuperæ Synodi Constantinopolitanæ Acta examini subjicerentur, utpote in quibus nonnulla falsata esse ipsemet deprehenderit. Quod & factum est. Singuli quinetiam nuncii, qui à Synodo ad Eutychem missi fuerant, penitiùs examinati, Procuratoribus omnia sùsque déque versantibus, si quid extunderent quo probarent Acta plus minúsve quàm oportuit continere, & dicta quædam Eutychetis iis non fuisse insertâ. Verùm factâ longâ & distinctâ inquisitione, compertum est Acta omnia integra esse. V. Calend. *Maii* renovata est Actio, præsentibus non paucis sacri Palatii Proceribus, ubi lectus est alter Precum libellus ab Eutychete Imperatori oblatus, ut quæ de damnatione sua ex Flaviano audiverat Magnus Silentiarius, coram omnibus repeterentur. Testatus est deinde Magnus Silentiarius, chartulam quandam Eutychetis damnationem continentem, sibi ante habitam Synodum, à Flaviano, aliisque ostensam fuisse; cujus, ut & Macedonii Tribuni & Referendarii, Professio gestis inseritur.

449. P. II. EPHESINUM III. *Latrocinale* dictum, anno CCCCXLIX. IV. Id. *Augusti*: à *CXXVIII.* Episcopis, præsidente, vel tyrannicam potiùs vim exercente, Dioscoro Alexandrino, in Basilica B. Mariæ congregatum; quo, absoluto Eutychete, & hæresi ejus confirmata, Flavianus, aliique Episcopi Catholici damnantur. Omnia denique à Dioscoro, militari satellitio stipato, per vim, vel fraudem acta. Extant hujus conciliabuli Acta, prout à Notariis Dioscori confecta sunt, Concil. *Chalced.* Act. I. Conc. Tom. IV. p. 115. Et primò quidem lectæ sunt variæ Imperatoris literæ; nempe *ad Episcopos ad Synodum convocandos*, Theodorito Cyrensi nominatim excluso; ad *Dioscorum Alexandrinum* II. ad *Barsumam* famosissimum Archimandritam, ut & ipse Synodo adesset: ad *Elpidium* sacri consistorii Comitem; & ad *Proclum* Asiæ Proconsulem ut & ipsi Synodo præsto essent: denique & ad ipsos Episcopos in Synodo jam congregatos. Post hæc introductus in Synodum Eutyches, qui generalem quandam fidei suæ confessionem juxta Nicænam formulam edidit; prætermissis articulis qui dogmata sua propriè feriebant, annexo confessioni suæ libello quo de injuriis à Synodo CP. sub Flaviano sibi illatis gravissimè conquestus est. Jubente proinde Synodo, Acta utriusque Synodi CP. sub Flaviano habitæ recitata sunt: quibus finitis, Eutyches ut Orthodoxus recipitur, Synodali judicio absolutus, & dignitati suæ restitutus. Obtulerunt etiam libellum Monachi sub Eutychetis regimine constituti, petentes ut sacra mysteria sibimet reddantur, utque Flavianus, qui Eutychem deposuerat, ipse à Synodo deponatur. Lecta Ephesini Concilii Oecumenici Actio VI. quâ Fides Nicæna exposita & confirmata est, cautumque ne Fides deinceps exponeretur. Denique Flavianus CP. & Eusebius Dorylæensis, sub prætextu quòd contra Nicænæ & Ephesinæ Synodi definitiones egissent, depositi sunt. Cui sententiæ Episcopi plures vehementer reclamârunt, donec intromissâ Monachorum vociferantium multitudine, militúmque gladiis, fustibus, & vinculis instructorum agmine, timore perculsi, in illorum depositionem consentire, atque in purâ etiam chartâ subscribere compulsi sunt: quod & paulò pòst, in Synodo Chalcedonensi, non sine lachrymis confitentur.

BRITANNICUM anno CCCCXLIX. magno clericorum & laicorum numero, præsente etiam S. Germano Antissiodorensi, celebratum: quo hæresis Pelagiana iteratâ vice damnatur. Vid. Bed. *Hist. Eccl.* l. I. cap. 21. pag. 72. *Matth. West.* ann. CCCCXLIX. fol. 116. & Conc. Tom. III. pag. 1474. 449. P. II.

ROMANUM V. anno CCCCXLIX. sub Leone M. coactum; quo acta Ephesini Conciliabuli reprobata sunt. Vid. Leonis *Epist.* XXII. XXIV. XXVII. XXVIII. Liberat. *Brev.* cap. 12. Theodori *Libell.* Concil. Chalced. Act. III. Conc. Tom. IV. pag. 51. 449. P. II.

CONSTANTINOPOLITANUM IV. anno CCCCL. celebratum. In quo, præsentibus Romani Pontificis Legatis, Anatolius CP. aliique Episcopi Confessionem Catholicam ediderunt, fidémque adversùs Hæresin Eutychianam ratam habuerunt. Extant Latinè hujus Synodi Fragmenta nonnulla Conc. Tom. III. p. 1475. 450. P. II.

HIBERNICUM circa annum CCCCL. vel ut alii, DLVI Præside S. Patricio, celebratum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ Canones XXXIV. apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. pag. 51. & Conc. T. III. p. 1477. ubi etiam alia, ut & apud Spelmannum, S. Patricii Synodus, sed incerti temporis, habetur; cujus extant ibid. Canones XXXI. 450. P. II.

MEDIOLANENSE anno CCCCLI. ab Eusebio Episcopo habitum; quo doctrinam de Verbi incarnatione à Leone ad Flavianum scriptam confirmârunt. Extat Epistola Synodalis ad Leonem Papam ad calcem *Leonis Epistolæ* LII. Conc. Tom. III. p. 1354. 451. P. II.

CHALCEDONENSE II. Oecumenicum IV. Mar- 451. P. II.

Marciani Imp. literis, in Eccleſiâ S. Euphemiæ Martyris, anno CCCCLI. convocatum. Aderant Antiſtites, ut ex Veterum autoritate conſtat, DC. etſi minori quidem numero ſubſcripti reperiantur. Verùm ſubſcriptiones Conciliorum haud uſque adeò certæ ſunt. Aderat & ampliſſimus Senatus, & Palatii Proceres, Judices & Moderatores ab Imperatore conſtituti. Synodus hâc præcipuè de causâ indicta eſt. Eutyches Presbyter & Archimandrita CP. dum in Concilio Epheſino adverſus Neſtorium maſculè decertaret, ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς in contrarium planè errorem delapſus eſt, aſſerens duas in Chriſto naturas ante unionem fuiſſe; poſt incarnationem tantummodò unicam, Chriſtíque carnem nobis non eſſe conſubſtantialem. Ab his maleſanis dogmatibus cum recedere nollet, etiamſi à præcedentibus quibuſdam Synodis convictus & damnatus, in hac Oecumenica VIII. Idus *Octobr.* inchoata hæreſis ejus communi voce damnatur, Fideſque Catholica Sanctorum Patrum confirmatur. Extant Græc. Lat. hujus Concilii Acta Concil. Tom. IV. in tres partes diſtributa.

I. Continet Epiſtolas de iis quæ Synodum præceſſerunt. Et in his numero & gravitate primas tenent Leonis Papæ Epiſtolæ variæ, (& in iis aliquot Synodicæ) nempè, ad *Eutychem*; ad *Flavianum* Conſtantinopolitanum tres, ad *Theodoſium Aug.* IV. ad *Julianum* Coenſem; ad *Fauſtum*; ad *Archimandritas Conſtantinopolitanos*; ad *Fauſtum* iterum; ad *Pulcheriam Aug.* II. ad *Pſeudo-Synodum Epheſinam*; ad *Populum & Clerum CP.* Flaviani CP. ad *Leonem*, unà cum *fidei expoſitione*, duæ; Petri Chryſologi Epiſcopi Ravennatenſis ad *Eutychem*; Hilarii Diaconi Romani ad *Pulcheriam*; Valentiniani Auguſti ad *Theodoſium*; Gallæ Placidiæ ad *Theodoſium & Pulcheriam* II. Eudoxiæ Auguſtæ ad *Theodoſium*. Agunt hæ Epiſtolæ vel de cauſa Eutychiana in genere, vel de rebus in conciliabulo Epheſino geſtis, vel de Synodo generali intra Italiam celebranda. Verum Theodoſius à Conciliabuli Epheſini ſententia recedere, cauſamve Eutychetis retractari noluit. Sed eo demum mortuo, Marcianus, qui in Imperio ſucceſſit, Synodum hac de re congregandam cenſuit, primò quidem Nicææ indictam, deindè Chalcedonem tranſlatam. Quò verò remotis obſtaculis res in Synodo fœlicius procederent, Anatolius *CP.* Eutychetis impietatem publicè deteſtatus, Leonis *Epiſtolæ* ſubſcripſit; Corpus Flaviani, à Pſeudo-Synodi Epheſinæ ſicariis occiſi, Conſtantinopolim delatum, in Baſilica Apoſtolorum honorificè ſepelitur; eique adhærentes Epiſcopi ab exilio revocantur. De his agunt Valentiniani & Marciani ad *Leonem Papam*; Marciani, ut & Pulcheriæ Aug. ad *eundem*: Marciani ad *Epiſcopos ad Synodum convocandos*; ad *Anatolium CP.* Pulcheriæ ad *Conſularem Bithyniæ Strategum*; Leonis Papæ ad *Synodum*; Marciani ad *Epiſcopos* II. de Synodo à Nicæâ ad Chalcedonem transferendâ literæ.

Parte ſecundâ continentur ea quæ in Synodo geſta ſunt, XVI. Actionibus abſoluta.

Act. I. Dioſcorus accuſatur, & ſede Synodali deturbatus, tanquam reus in medio ſiſtitur. Theodoritus à non mediocri Epiſcoporum numero, magnâ quidem contentione, oppugnatur. Acta Conciliabuli Epheſini, & utriuſque Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Flaviano habitæ lecta, & frequentibus factis interlocutionibus examinata ſunt. Concluſúmque, veniâ cæteris indultâ, dignos eſſe Dioſcorum Alexandrinum, Juvenalem Hieroſolymitanum, Thalaſſium Cæſareæ Cappadociæ, Euſebium Ancyranum, Euſtathium Beritenſem, & Baſilium Seleucienſem Conciliabuli Epheſini principes, qui depoſitionis ſententiæ ſubjicerentur.

Act. II. Leguntur Concilii Nicæni & CP. I. Symbola; Cyrilli duæ, & celeberrima illa Leonis Papæ ad Flavianum *de Incarnatione* Epiſtola, quâ non modò Eutychetis errores impugnat, ſed & Catholicam Fidem de utraque Chriſti naturâ, earúmque unione & inconfuſis proprietatibus exponit, ſubjunctis pluribus SS. Patrum teſtimoniis rectam Fidem hâc in parte confirmantibus. Hanc quidem Epiſtolam omnes Concilii Patres unanimi conſenſu approbarunt. Interim Orientales adverſùs Dioſcorum vehementer exclamarunt, ut damnatus in exilium mitteretur, Ægyptiis & Illyricianis è contra inſtantibus ut mitiùs cum eo ageretur.

Act. III. Oblato libello, Euſebius Dorylæi Epiſcopus Dioſcorum injuriarum in ſe, & in Flavianum poſtulavit; utque ad reſpondendum objectis ſibi criminibus vocaretur, petiit. Ac proinde ter miſſis Epiſcopis, qui illum ad Synodum vocarent, more ſolemni citatus eſt. Poſt ſecundam citationem, libellos ſupplices obtulerunt Athanaſius presbyter, Theodorus & Iſchyrion Diaconi Alexandrini, & Sophronius laicus, quibus Dioſcorum, de variis injuriis, fraudibus, vexationibus ſibimet ſuíſque illatis, graviter accuſabant. Verùm ille, ter licèt ad Synodum vocatus, adhuc comparere detrectavit, nunc arctam cuſtodiam & Magiſtrianorum in ſe poteſtatem, nunc Judicum à Synodo abſentiam, aliquandò ingraveſcentem ſuam ægritudinem, mox Juvenalem, Thalaſſium, &c. geſtorum ejuſdem Synodi ſecum participes eodem accuſationis libello non contineri, cauſatus. Unde depoſitionis ſententia communibus ſuffragiis in eum fertur, quam & ſubſcriptione ſuâ ſinguli roborarunt, & charta comprehenſam ad illum, clericóſque Alexandrinos Chalcedone conſtitutos miſerunt, & in eadem civitate publicè promulgarunt: ſcriptis tùm ad Marcianum Imp. tùm ad Pulcheriam Aug. hâc de re Epiſtolis.

Act. IV. In tres veluti ſeſſiones diviſa eſt. I. XVI. Cal. *Novembr* habitâ, de Fide præcipuè actum eſt: Et admiſſis ad ſedes ſuas in Synodo, Juvenali Hieroſolymitano, Thalaſſio Cæſareenſi, Euſebio Ancyrano, Euſtathio Beritenſi, & Baſilio Seleucienſi, qui unà cum Dioſcoro conventui Epheſino præfuiſſent, lectiſque Nicæno & Conſtantinopolitano Symbolis, cum his penitus conſentire Epiſtolam Leonis Papæ ad Flavianum, adversùs Eutychem Epiſcopi ſigillatim judicarunt. Poſt hęc lectus eſt Epiſcoporum Ægyptiorum XIII. ad Imperatorem de Fide ſuâ libellus. Et cùm inſtarent Patres ut Eutychem diſertè damnarent, & Leonis Epiſtolæ ſubſcriberent, poſt longam diſceptationem Eutycheti quidem anathema dixerunt, Leonis verò Epiſtolæ ſubſcribere renuerunt, cauſati ſe ex Veteri more, ſine ſummo vitæ apud ſuos diſcrimine, nihil hâc in parte abſque Metropolitani ſui conſenſu agere poſſe. Et inſtante adhuc Synodo, in terram projecti miſericordiam à Patribus petierunt. Conſenſum eſt tandem negotium iſtud differendum eſſe, modò Civitate Regiâ ne exeant, priuſquam Alexandriæ Archiepiſcopus ordinetur. His finitis, lectus eſt Caroſi, Dorothei, aliorúmque Archimandritarum ex parte Eutychetis ad Imperatorem ſupplex libellus, ut uſque ad Synodi judicium tuti & ſecuri maneant. Lectus eſt alter eorum ad Synodum libellus, ut Dioſcorus, & qui cum eo erant Epiſcopi, ſedes ſuas in Synodo reciperent, & niſi hoc fieret, ſe veſtes ſuas excuſſuros, & omnem cum Synodo communionem renunciaturos audacter denunciarunt. His oppoſitus eſt alter libellus, quem

quem Faustus aliique Archimandritæ Marciano Imp. obtulerunt, ut protervi hi Monachi, qui inverecundè à Fide rectâ recesserunt, in ordinem redigantur. Utque hac de re seriò cogitarent, duorum, triúmve dierum induciæ iis concessæ sunt. Sess. II. XIII. Cal. *Novembr.* celebratâ iterum tractatur Carosi & Dorothei causa, ab Imperatore ad Concilium relata. Et post recitatos hac in parte Ecclesiasticos Canones, concessum est eis triginta dierum spatium, ut vel Synodi Decretis acquiescant, vel se omni gradu, dignitate, & communione juxta Canones, privatos esse sentiant, potestate sæculari, ni id aliter fieret, coercendos. Sessione III. Eâdem, ut videtur, die habitâ, agitata est causa inter Photium Tyriorum, & Eustathium Beryti Episcopum. Theodosius Imp. Beryti civitatem in Metropolim nuper erexerat, unde Eustathius jus Metropoliticum sibi arrogarat, & sex civitates Provinciæ primæ Phœnices sedi suæ vindicarat. Et quia in his Episcopos aliquot constituerat Photius, eos Eustathius in ordinem Presbyterorum redegit; Et coactâ Synodo ἐνδημούσῃ Constantinopoli sub Anatolio, Photium excommunicari curavit. Causa ritè perpensâ, statuit Synodus jura Metropolitica Tyriorum Antistiti servanda esse, nec Eustathium è sacro Pragmatico amplius aliquid sibi vindicare debere, quàm reliqui ejusdem Provinciæ Episcopi, ac proinde Episcopos à Photio ordinatos, omni Episcopali dignitate & honore munitos esse.

Act. V. XI. Cal. *Novembr.* recitata est *Fidei Definitio*, juxta formulam Nicænam & Constantinopolitanam facta, præcipuè dogmatibus Eutychianis opposita. Et cùm instarent Legati Romani, ut Definitioni Synodali Leonis Epistola insereretur, constanter reclamarunt Episcopi, dicentes Definitionem conditam abundè sibi satis esse; *siqui aliter sentiant, ipsi Romam ambulent.*

Actioni VI. VIII. Cal. *Novembr.* celebratæ, unà cùm Pulcheria Augusta, interfuit Marcianus Imp. qui habitâ ad Synodum Oratione de unitate Fidei, & pace conservandâ, Fidei Definitionem superiori Actione conditam perlegi jussit, quam & suffragio comprobavit, & Metropolitani aliquot qui anteà id non fecerant subscriptione suâ roborarunt. Utque turbas & tumultus à Monachis clericisque excitandos meliùs deinceps præveniret Imperator, tria capitula de Monasteriis condendis, & ordinandis, de Monachis & Clericis propriis muneribus incumbendis, Synodo sancienda tradidit. Utque sacro huic Concilio, & S. Euphemiæ Martyri honorem exhiberet, Ecclesiam Chalcedonensem, salvâ Metropolitæ Nicomediensi suâ dignitate & jurisdictione, totâ plaudente Synodo, in Metropolim erexit.

Act. VII. VII. Cal. *Novembr.* lis quæ inter Maximum Antiochiæ, & Juvenalem Hierosolymorum Episcopos de Diœceseων suarum limitibus exorta fuerat, mutuo consensu dirempta est; nempe ut Antiochenus duas Phœnicias & Arabiam, Hierosolymitanus tres Palæstinas sub sua potestate habeat. Quod & totius Synodi judicio & decreto firmatum est.

Act. VIII. Eâdem die celebratâ, Theodoriti Cyrensis causa agitata est; qui cùm fidem suam coram Synodo exponere vellet, & è contra vehementer instarent Episcopi, ut absque ambagibus Nestorium ejúsque dogmata anathematizaret, tandem Nestorio omnibusque cum eo idem sentientibus anathema dixit, mox judicio Synodali in locum & Ecclesiam suam repositus, & Catholicus judicatus. Pariter, & jubente id Synodo, à Sophronio Constantiensi, Joanne Germaniensi, & Amphilochio Sidensi, Nestorio & Eutycheti anathema dictum.

Act. IX. Causam suam ad Concilium defert Ibas Episcopus Edessenus, unde Acta Synodi Tyriæ sub Photio anno CCCCXLVIII. circa Ibam habitæ recensentur.

Act. X. Causa Ibæ Edesseni ulteriùs examinatur, & lectis Synodi Beritensis ann. CCCCXLVIII. sub Photio & Eustathio habitæ Actis, celeberrimâ Ibæ ad Marim Persam Epistolâ, & anathemate Nestorio, Eutycheti, omnibúsque eadem sentientibus dicto, Catholicus ab omnibus judicatur, & deposito Nonno; servato tantùm ei Episcopali honore, Ecclesiæ suæ restituitur. Ad calcem, in Actis Latinis depositio Domni Antiocheni rata habetur; concessis ei, ex Ecclesiæ Antiochenæ reditibus, unde se sustentaret alimentis.

Act. XI. XII. IV. & III. Cal. *Novembris* causa Bassiani & Stephani, de Episcopatu Ephesino contendentium, plenissimè tractatur. Sedem Ephesinam, post Basilii mortem, per vim & fraudem sibi usurpaverat Bassianus. Exacto verò quadriennio, Bassianum detrudi, seque in ejus locum ordinari curavit Stephanus, illúmque aliquot jam annos tenuit. Decrevit Synodus neutrum juxta Canones fuisse ritè ordinatum, & proinde sedem hanc utrique abrogandam, aliúmque ab illius Provinciæ Episcopis in eorum locum esse substituendum; utrique interim dignitatem & honorem Episcopalem servandum, & ex reditibus Ecclesiæ Ephesinæ, annis singulis, solidos aureos ducentos, unde sese sustentarent, esse concedendos.

Act. XIII. III. Cal. *Novembr.* Conquestus est per libellum supplicem Eunomius Nicomediensis, jura sua Metropolitica ab Anastasio Nicæno invasa esse, qui Episcopatum Basilinopolitanum Sedi suæ adserere voluit, Controversiâ integrè examinatâ, litem juxta sextum Concilii Nicæni Canonem diremit Synodus; nempe Nicænum, servato ei Metropolitani honorario titulo, Nicomediensi, tanquam Metropolitano suo subjici debere; semper servatis Antistiti CP. privilegiis, quæ in Asianâ Diœcesi Canones ei tribuerunt.

Act. XIV. Prid. Cal. *Novembr.* causa Sabiniani, & Athanasii Perrhenorum Episcopi in medium allata est. Sedem Perrhenorum sponte repudiaverat Athanasius, à clericis suis accusatus, & coram Metropolitâ suo, Synodoque Provinciali comparere renuens. Posteà Ecclesiam suam recuperare voluit, impetratis per subscriptionem à Cyrillo Alexandrino, & Proclo CP. ad Domnum Antiochenum eo fine literis. Coactâ Antiochiæ Synodo à Domno, aliisque Orientis Episcopis damnatus & depositus est, suffecto ei Sabiniano; posteà in Conciliabulo Ephesino, à Dioscoro sedi suæ restitutus. Relectis igitur Synodi Antiochenæ Actis, definivit Synodus, Sabinianum pro præsente in hac sede confirmandum; Athanasium amovendum: causam verò ad ulteriorem Archiepiscopi Antiocheni, Synodique sub eo intra octo menses habendæ cognitionem, referendam esse. Et si deprehensum fuerit vera esse quæ Athanasio objecta sunt, non solùm eum ab Episcopatu alienum esse, sed & Legibus publicis subjiciendum. Sin verò non convincatur, Episcopatum suum recipere debere, & Sabinianum substitutum, & Episcopalem dignitatem retinentem, ex Ecclesiæ Perrhensis facultatibus alendum esse.

Act. XV. & XVI. eduntur Canones XXX. ad Jura & Disciplinam Ecclesiasticam pertinentes, ad Episcoporum verò ambitionem & avaritiam coercendam, ad Clericorum, præcipuè Monachorum, audaciam, ferociam, πολυπραγμοσύνην retundendam, apprimè utiles. Habentur Græcè & Latinè tùm Concil. Tom.IV. pag.755. tùm Scholiis Balsamonis, Zonaræ, & Aristeni illustrati *Pandect. Canon.*

Digitized by Google

Tom. I. pag. 111. additis Beveregii notis Tom. II. p. 107. Horum Canonum vicesimo octavo, assignatis Sedi CP. suis Provinciis, ejus Episcopo τὰ ἴσα πρεσβεῖα, cum Romano Pontifice decernuntur, eò quòd Constantinopolis esset *nova Roma*, καὶ πόλις βασιλεύουσα, Imperio & Senatu honorata, & æqualibus cum antiquissima Regina Roma privilegiis fruatur; frementibus quidem Romani Pontificis Legatis, & Synodo hac vice interesse recusantibus. Nihilominùs decretum Synodale *Act.* XVI. & ultima relectum est, & communi Patrum consensu sigillatim approbatum, & tùm à Judicibus, tùm ab Imperatore confirmatum. De hoc Canone vide quæ diximus ad Can. III. Concilii Constantinopolitani I. ad annum CCCLXXXI.

Ut Chalcedonensis hujus Canonis sanctionem everteret Paschasinus Leonis Papæ Legatus, illum sexto Nicænæ Synodi Canoni adversari dixit. Unde relectus ex utroque codice, tùm Romano quem obtulit Paschasinus, tum Constantinopolitano, Canon Nicænus. In Romano codice ita se habuit, Ἡ Ἐκκλησία Ῥώμης πάντοτε ἔσχε τὰ πρωτεῖα. Ἔχει τοιγαροῦν καὶ ἡ Αἴγυπτος. Ubi videre licet Romanos Lemma, quod huic Canoni præfixerant, in ipsum textum intrusisse, omissis primis Canonis verbis, Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω quasi ipsius Canonis pars fuerit, *Romanam Ecclesiam semper Primatum habuisse.* Tandem indignantibus licèt Romanæ Ecclesiæ Legatis, & protestationem suam adversùs hunc Canonem Actis inseri petentibus, magnificentissimi Judices dictorum & decretorum, hac de re, summam clarè & distinctè proposuerunt, universali Patrum judicio & suffragio comprobatam.

III. Actorum pars continet nonnulla ad Concilium spectantia, & alia quæ eo jam finito gesta sunt. Et ad hanc classem spectant, *Prosphoneticus* Synodalis ad Marcianum Imp. in Urbe CP. dictus, quo fidem Catholicam juxta formulas Nicænam & Constantinopolitanam, & Leonis Papæ *Epistolam ad Flavianum adversus omnes hæreses* exponunt, subjunctisque variis Sanctorum Patrum testimoniis confirmant; *Epistola* Synodalis ad Leonem Papam, quâ ipsum de rebus tùm antè, tùm in Synodo gestis, & præcipuè de potestate & dignitate Sedi CP. à se tributâ, certiorem faciunt; Marciani Imperatoris *Edicta*; scilicet Edictum quo disputationes de Fide coram vulgo prohibentur; *aliud* quo Synodi Chalcedonensis gesta confirmantur; Ejusdem *Epistolæ variæ*, nempe ad *Monachos Alexandrinos* de Eutychetis condemnatione, & Theodosii cujusdam Episcopatum Hierosolymitanum vi sibi arrogantis facinoribus ac præstigiis; ad *Archimandritas & Monachos Palæstinos* adversùs Concilium Chalcedonense furentes, ob turbas & Seditiones Hierosolymis motas, quin & cædes, aliáque facinora, duce Theodosio nefandissimo Hæresiarchâ, perpetrata, *objurgatoria*; ad *Palladium & reliquos Præfectos* de abrogatione Legis, à Theodosio juniore adversùs Flavianum promulgatæ, præfixâ ipsius Theodosii Lege; ad *eosdem* de confirmatione Decretorum Synodi Chalcedonensis adversus Eutychetem, ejúsque Monachos; ad *Palladium Prætorio-Præfectum* contra Eutychianistas hæresis Apollinarianæ sectatores, deque pœnis iis infligendis; Pulcheriæ Augustæ *literæ* II. ad *Bassam Monacharum* in Hierosolymis Præfectam una, altera ad *Archimandritas & Monachos* ibidem consistentes, pro rectâ & Orthodoxâ fide à Synodo Chalcedonensi nuperrimè confirmata; Leonis Papæ Romani *Epistolæ* III. ad *Anatolium* CP. ad *Marcianum Imperatorem*, & ad *Pulcheriam Augustam*; quibus id penè unicè agit bonus Papa, ut novam Sedis CP. dignitatem & præeminentiam Canone Chalcedonensi nuper sancitam, damnet & diruat. In hoc totus est; in hoc omnia eloquentiæ suæ expandit vela, carpit, arguit, monet, hortatur, minatur, omni quo potest modo rem suam agens; infirmis quidem argumentis, non contemnendâ eloquentiâ. Frustrà omnia; dignitatem, quam nuper adepti fuerant Constantinopolitani, nunquàm deinceps dimittere voluerunt. Quin & anno sequenti literas ad Leonem hâc de re dedit Marcianus Imp. rogans καὶ τούτῳ τῷ μέρει συναινέσαι, *ut hâc etiam parte cæteris concinat*, & quæ sancta Synodus decreverat, ipse εἰς τὸ διηνεκὲς διαφυλαχθῆναι προστάξῃ, *in perpetuum observanda jubeat.* Sed cùm Synodi decreta publicare adhuc distulerit Leo, alteris litteris proximo anno datis ab eo iterum petiit Marcianus, ut Acta Synodi suo suffragio confirmaret. Priores literæ Latinè habentur inter Leonis Epistolas, utrásque ex Codice Barocciano Gr. Lat. evulgavit Andr. Arnoldus ad calcem *Syntagmatis Athanasiani*, Paris. 1685. pag. 34. Extat vetus Actorum *Versio* Latina, ipsius Concilii gestis haud multùm posterior. Quis illam primus concinnavit, an Julianus Coensis Episcopus Leonis Romani in Oriente Legatus, idque ipsius Leonis rogatu, (quod vult Quesnellus); an juxta Baluzium Dionysius Exiguus, incertum est. Id modò certum paulò post finitam Synodum confectam esse; quam proinde paulò ante Quintæ Synodi tempora, ad codices Græcos recensuit Rusticus Diaconus, qui omnes variationes, discrepantias, distinctiones accuratè annotavit. Cùm verò vel temporis injuriâ, vel Librariorum incuriâ, vel Typographorum negligentiâ, hæ Rustici notæ vel penitùs omissæ fuerint vel Codices MSS. haud parum depravati, emendandi operam in se suscepit Cl. Baluzius, veterum Actorum exemplaria undique conquisivit, conquisita immenso ac penè incredibili labore cum antiquis & novis editionibus scrupulosè contulit, omnésque variantes lectiones in ordinem redactas, præmissâ doctissimâ præfatione, novæ suæ collectioni inseruit col. 953. subjunctâ Appendice, quâ variæ Epistolæ ad primam Actorum partem pertinentes, cùm anteà Latinè solummodò extarent, jam Græcè & Latinè, ex Cotelerii Monumentorum Tom. I. desumptæ, continentur. Cùm verò ex vetustissimo codice Vaticano, beneficio Cardinalis Casinatæ, Acta quædam Synodi Chalcedonensis, præcipuè quæ Actionis quintæ gesta continebat, nactus esset, ea etiam subjunxit, ibid. col. 1581.

Post Synodi Chalcedonensis Acta, sequuntur plurimorum Metropolitarum Epistolæ Synodicæ de Concilio Chalcedonensi, quæ *codicis Encyclii* nomine vulgò veniunt, quemque Cassiodori curâ primus è Græco in Latinum sermonem convertit Epiphanius Scholasticus, teste ipsomet Cassiodoro *Divin. Lect.* cap. XI. p. 458. Epistolas has Synodicas, circa annum CCCCLVIII. saltem sequenti, Leo Imp. in unum codicem compingi, & τὰ Ἐγκύκλια vocari jussit. Duæ hujus codicis versiones Latinè olim fuisse videntur; una, quâ usi sunt Facundus Hermianensis, Istriæque Episcopi, ab eâ quæ hodiè superest haud parùm diversa; Epiphanii Scholastici, quam & nunc habemus, altera, quæ *XL.* circiter Epistolas complectitur, omnes, unâ alterâve exceptâ, Synodicas: Ut præter vulgò recensitas, totidem aliæ Synodi Provinciales hoc tempore habitæ fuerint, & in Conciliorum censum referri poterant. Primus hunc codicem edidit L. Surius anno 1562. Ex quo tempore, in omnibus penè Conciliorum editionibus locum habuit. Post multas, ut fieri solet, mutationes & depravationes, Steph. Baluzius omnes Editiones hactenùs in lucem emissas, ad duo vetusta MSS. Exemplaria DCCC. annorum recognovit, & variantes lectiones, magnâ curâ & summâ diligentiâ, ubique annotavit; quas nobis exhibet *Nov. Collect.* col. 1411. additis, Appendicis

SÆC.V. ab An. CCCC. pendicis vice, Græcè & Latinè duabus Epistolis, unâ Episcoporum Ægypti ad Leonem Imp. alterâ Leonis Augusti ad Anatolium CP. cæterósque Metropolitas ubique constitutos, quæ anteà Latinè tantùm habebantur. Ex hoc *codice Encyclio* abundè liquet, quàm infesti fuerint Ecclesiæ paci, fideique puritati, Timotheus Ælurus Episcopus Alexandrinus, ejúsque gregales, ut vix ullus Orientis angulus tutus esset. Certè quantas turbas, quales tragœdias, occasione Concilii hujus Chalcedonensis excitarunt penè infinitæ Hæresis Nestorianæ & Eutychianæ propagines, nôrunt quotquot in quinto, sexto, septimóque Ecclesiæ sæculis hospites non sunt, & plena sunt omnia Historiæ Ecclesiasticæ Monumenta.

Antequàm historiam hujus Concilii claudam, unicum adhuc observandum restat; primam in hac Synodo *Codicis Canonum Ecclesiæ universæ* fieri mentionem; nempè *Act.* IV. ubi ex codice religi jubent Patres *Regulam*, quæ est Concilii Antiocheni *Canon.* V. *Act.* XI. Ex eodem codice, relecta est *Regula* XCV. XCVI. Denique *Act.* XIII. *alia Regula* quæ est Concilii Nicæni *Canon.* IV.

De hoc antiquo Codice, data hac occasione, paucis agere non abs re erit, immò Historiæ Conciliorum, quam molimur, apprimè congruum. Post receptos in Cœlum Apostolos, virósque θεοπνεύστους, qui jure quodam extraordinario Ecclesiæ regendæ incubuerant, necesse erat, ut de publicis Ecclesiæ negotiis, pro re nata, in commune consuleretur. Hinc natæ Synodi, & frequentes Episcoporum conventus, quò Fidei dogmata, proùt ab Apostolis acceperant, pura & incorrupta conservarentur, hæreses in herba comprimerentur, schismata & scandala tollerentur, pax & concordia stabilis permaneret, rupta resarciretur. Hinc nati Canones, & Constitutiones Ecclesiasticæ, ad firmandam disciplinam, ad promovendam Ecclesiæ politiam, ad mores hominum reformandos, ad ritus & consuetudines statuendas imprimis necessariæ. Neque minùs necesse erat, ut quæ juris publici in Synodis suis hinc inde sanciverant Patres, in unum corpus colligerentur, quo, tanquam lege communi, Ecclesia uteretur. Hinc natus *Codex Canonum Ecclesiæ universæ*, in omnibus majoribus Conciliis in medio Consessus poni solitus, propositis ex unâ parte Sanctis Dei Evangeliis, ex alterâ codice Canonico, qui proximam post Sacrosancta Biblia, vim & autoritatem obtinebat. Quod verò intrepidè affirmat Cl. Mastrichtius *, ipsos hujus Codicis Canones, in Diptycha Ecclesiastica, & quidem speciatim ad hanc rem comparata, fuisse conjectos, idque fide Justiniani Imperatoris confirmat leg. VII. cap. *de summ. Trinit.* Sect. 5. vereor ne longè hallucinetur vir eruditus. Moris quippe tunc erat, non ipsa Conciliorum generalium Decreta, sed nomina tantùm, ut & Episcoporum & Patriarcharum, vivorum pariter ac mortuorum, in Dyptycha referre, & inter sacrorum solennia coram omni populo recitare, quo se majorem iis honorem exhibere, & tanquàm cum Catholicis & Orthodoxis communionem colere testarentur. Neque aliud dicit loco citato Justinianus. Præterquam enim quòd de Codice Canonum ne verbulum habet; id solummodò affirmat, se nequaquàm sustinere περιαιρεθῆναι τὴν τῶν ἁγίων δ. Συνόδων ὁσίαν μνήμην ἐκ τῶν τῆς ἐκκλησίας διπτύχων, *piam sanctorum quatuor Conciliorum memoriam ex Ecclesiæ Diptychis aboleri*; se nempe provisurum, ne quod summis votis contendebant Synodi Chalcedonensis oppugnatores, eorum nomina pro more solenni recitata, ex publicis Ecclesiæ Tabulis ejicerentur. Sed ad rem redeo.

* Hist. Iur. Eccl. num. XLIX. p. 28.

Quo primùm tempore conflatus sit *hic codex*, an statim post Concilium Nicænum, an post Oecumenicum II. non constat: certè exeunte Sæculo quarto, vel ineunte proximo. Sæpè enim in Concilio nostro Chalcedonensi allegatus est. Neque de eo tanquàm recèns compilato loquuntur Patres; imò contrarium potiùs innuere videntur. Citant enim hujus vel illius Synodi Canones, non juxta proprium numerum, sed secundùm ordinem & dispositionem, quam in *Ecclesiæ universæ codice* habuerunt. Ita *Act.* XI. Leontius Magnesiæ Episcopus ex codice relegit *Regulam* XCV. & XCVI. quæ tamen Concilii Antiocheni Canones XVI. & XVII. sunt. Adeò ut hoc tempore codex noster Canones CLXXVIII. complexus esse videatur: nempè Concilii *Nicæni* XX. *Ancyrani* XXV. *Neocæsariensis* XIV. *Laodiceni* LIX. *Gangrensis* XX. *Antiocheni* XXV. *Constantinopolitani* VII. *Ephesini* VIII. quibus paulò post accesserunt *Chalcedonensis* XXIX. omnes numero CCVII. Nec plures olim continebat, nec hodie continet vetustus & germanus Canonum Ecclesiæ universæ codex. Fateor Concilii *Quini-Sexti* Patres an. DCXCI. alium Canonum codicem efformâsse, quique *Ecclesiæ Orientalis codex* haberi potest. Antiquæ nempe collectioni, Canones Apostolorum LXXXV. Synodi Sardicensis XX. Ecclesiæ Africanæ codicem, & varias SS. Patrum, Dionysii & Petri Alexandriæ Episcoporum, Gregorii Neocæsariensis, Athanasii, Basilii, &c. Epistolas & responsa Canonica addiderunt. Ad exemplum antiqui codicis, cujuslibet ferè gentis Ecclesia suum etiam codicem Canonum habuit: suum habuit Romana, suum Africana, Gallicana, Britannica, Hispanica, forsan & Germanica. *Codicem Canonum Ecclesiæ Romanæ*, quo usa est ante Dionysii Exigui tempora, ex MSS. Cod. Oxoniensi & Thuaneo extulit P. Quesnellus Oper. S. Leonis Tom. II. p. 3. de quo, ejusque variis ætatibus & incrementis accuratè atque eruditè agit Dissert. XII. pag. 638. Quin & privati Scriptores Canones in compendia redegerunt & ad certas classes & capita revocârunt. Tales inter Græcos erant Joannes Antiochenus Scholasticus, Alexius Aristenus, Constantinus Harmenopulus, Photius, Arsenius Monachus, Matthæus Blastares, Simeon Logotheta, alii. Inter Latinos, præter Dionysium Exiguum, Fulgentius Ferrandus, Martinus Bracarensis, Cresconius Afer, Ansegisus Abbas, Benedictus Levita, Burchardus, Anselmus Lucensis, Ivo Carnotensis, Gratianus, ne ad ulteriora descendam. De quibus consulantur Valentinus Forsterus, Gerardus Von Mastricht, aliique plures, qui de his ex professo agunt.

ARELATENSE I. apud Arelaten urbem ad Rhodanum fl. circa annum CCCCLII. habitum. Extant Canones LVI. de diversis Legibus & Consuetudinibus Ecclesiasticis, ex antecedentium Conciliorum Decretis ut plurimùm desumpti, cum notis Sirmondi, Binii, Albaspinæi. Conc. Tom. IV. p. 1010. Notæ Sirmondi posthumæ ampliores habentur ibid. in Append. p. 1811. 452. P. II.

ANDEGAVENSE in Galliâ Lugdunensi, ad reformandam collapsam Ecclesiæ disciplinam, in ordinatione Talasii Episcopi, anno CCCCLIII. IV. Nonas *Octob.* celebratum. Extant Canones XII. Conc. Tom. IV. p. 1020. Posthumas Sirmondi notas uberiores vid. ibid. in Append. p. 1817. 453. P. II.

ARELATENSE II. vulgò III. in causâ Fausti Abbatis Lerinensis & Episcoporum, circa annum CCCCLV. collectum. Extant Epistola generalis & Synodi Acta Conc. Tom. IV. pag. 1023. Sirmondi notæ posthumæ in Append. ibid. p. 1818. 455. P. II.

Cave Hist. Lit.

Digitized by Google

459. P. II. CONSTANTINOPOLITANUM V. anno CCCCLIX. ab LXXXI. Episcopis sub Gennadio Patriarchâ adversùs Simoniacos celebratum. Extat hâc de re, Gr. Lat. *Epistola Synodica circularis* Conc. Tom. IV. p. 1025 Episcoporum subscriptiones ampliori numero quàm in editis habentur, ex vetustissimo codice MS. Bibliothecæ Vindob. Græcè & Latinè exhibet Lambecius *Comment.* l. VIII. pag. 421.

461. P. II. TURONICUM (Metropolis erat Provinciæ tertiæ Lugdunensis ad Ligerim fl.) anno CCCCLXI. XIV. Cal. *Decembr.* à X. Episcopis coactum. Extant Canones XIII. ad resarciendam Ecclesiæ disciplinam, quam Barbarorum incursiones in Galliâ labefactârant, Conc. Tom. IV. p. 1049.

465. P. II. VENETICUM in Aremoricâ, sive Britanniâ minori, ad *Maris vada* circa annum CCCCLXV. ut videtur, eadem de causâ celebratum. Extant Epistola Synodalis & Canones XVI. Conc. Tom. IV. p. 1054.

465. P. II. CAMBRICUM, apud Ordovices, circa annum CCCCLXV. in electione Aurelii Ambrosii Regis, habitum. Meminit Matth. Westmonast. eodem anno p. 122. ubi & Merlini Prophetiam de *albo* & *rubeo Diaconibus*, qui invicem pugnare visi sunt, prolixè refert. Sed fortè hoc Concilium politicum potiùs fuit, quàm Ecclesiasticum.

465. P. II. ROMANUM VI. à *XLVIII.* Episcopis, sub Hilaro Papâ, de ordinationibus Episcoporum, an. CCCCLXV. xv. Cal. *Decemb.* coactum. Extant *Canones* V. Episcoporum Tarraconensium *Epistola* II. Conc. Tom. IV. pag. 1060. Epistola *Synodalis* inter Hilari Epistolas ibid. p. 1035. Ad has Tarraconensium Epistolas, multa de supremâ & infallibili Romani Pontificis auctoritate, adversùs nuperos Galliæ præsules declarationem suam Mart. XIX. 1682. edentes, notavit Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. I. Vid. *Notit.* ejus p. 60.

471. P. II. ARELATENSE III. à Leontio Episcopo, ad condemnandum Prædestinationis errorem, circa annum CCCCLXXV. præsentibus *XI.* Episcopis, celebratum. Extant *Epistola* Fausti Reiensis ad Lucidum Presbyterum, & Lucidi *libellus* ad Synodi Patres Conc T. IV. p. 1041. Eodem tempore, & eâdem de causâ, habita est Synodus Lugdunensis, cujus in Epistolâ ad *Leontium* unus meminit Faustus Reiensis.

484. P. II. ROMANUM VII. sub Fœlice, anno CCCCLXXXIV. à *LXXVII.* Episcopis celebratum; In quo damnatis Vitale & Miceno Pontificis Legatis, quòd cum Acacio CP. & Petro Moggo communicâssent, ipse Petrus Alexandrinus, & Fullo Antiochenus anathemati subjiciuntur. Extat *Epistola* Synodalis ad *Orientales* Conc. Tom. IV. p. 1124.

484. P. II. CARTHAGINENSE XVIII. anno CCCCLXXXIV. Calend. *Februar.* habitum; quod potiùs conventus erat generalis Catholicorum Africæ Episcoporum, quos Hunnericus Rex Carthaginem, ad rationem Fidei reddendam, convocavit. Extant hujus conventûs Gesta apud Vict. Vitens. *de Persecut. Vandal.* l. II. pag. 31. & Conc. Tom. IV. p. 1127.

487. P. II. ROMANUM VIII. anno CCCCLXXXVII. III. Id. *Mart.* à Felice Papâ cum *XXXVIII.* Episcopis celebratum. In quo de recipiendis Pœnitentibus, qui sub nuperâ Persecutione Africanâ lapsi vel baptizati fuerant, actum est. Extat *Epistola Synodalis*, quâ sex Capitula continentur, Conc. Tom. IV. p. 1149. & inter *Epist.* Felicis III. ibid. p. 1075.

492. P. II. CONSTANTINOPOLITANUM VI. ann. CCCCXCII ab Euphemio Patriarchâ habitum: quo, Euphemius Patriarcha factus, ut Anastasii Imp. calliditatem præveniret, Synodi Chalcedonensis Decreta confirmavit, teste Victore Tunonensi ad hunc annum. Addit *Synodici* Auctor pag. 63. Euphemium Acta Synodi Papæ transmisisse, eumque Occidentales ut Orthodoxum quidem recepisse, non tamen ut Episcopum, propterea quòd Acacii à Felice anathemate notati nomen è sacris Tabulis non delevisset.

ROMANUM IX. à LXX. Episcopis, sub Gelasio Papâ, anno CCCCXCIV. uti volunt, celebratum. In quo libri Sacri, & scripta Ecclesiastica authentica & genuina, ab apocryphis & supposititiis discernuntur. Extat *Decretum* tum alibi sæpiùs, tùm Conc. Tom. IV. p. 1260. Verùm confictum esse & Concilium & Decretum, & ex Isidori Mercatoris Officinâ primùm prodiisse, nullus dubito. Invictis hoc Decretum argumentis confodit eruditissimus Pearsonus noster *Vindic. Ignat.* cap. 3. p. 44. Et nos etjam non pauca ad hanc rem notavimus in *Gelasio*, *Hist. Liter.* Part. I. Sæc. V. p. 264. 494. P. II.

ROMANUM X. à Gelasio & LV. Episcopis, ann. CCCCXCV. III. Idus *Maii* habitum: quo Micenus Legatus, ob communionem cum Orientalibus olim damnatus, peractâ pœnitentiâ absolvitur, & ad communionem admissus est. Extant Synodi Acta cum variantibus Fr. Ducæi Lectionibus Conc. Tom. IV. p. 1269. 495. P. II.

CONSTANTINOPOLITANUM VII. an. CCCCXCVI. à factione Eutychiana congregatum: quo, referente Victore Tunonensi, hoc anno *Henoticum* Zenonis confirmatur, & Euphemius Patriarcha propter Synodi Chalcedonensis defensionem deponitur, *Euchaida* ultra Armeniam in exilium missus; reposito in solium Patriarchale Macedonio, qui habitâ anno sequenti Synodo, & eos qui Chalcedonensis Synodi Decreta suscipiunt, & eos qui Nestorii & Eutychetis dogmata defendunt pariter condemnavit. Paulò aliter rem narrat *Synodici* auctor cap. 107. Macedonium Decreta quidem Chalcedonensia scripto confirmasse, *Henoticum* verò Zenonis metu Anastasii silentio præteriisse. 496. P. II.

ROMANUM XI. à *LXXII.* Episcopis, anno CCCCXCIX. Calendis *Martiis* habitum. Exorto gravi Schismate in ordinatione Symmachi Papæ, & jam sedato, de tollendo ambitu in Comitiis Pontificiis Synodus congregata est. Extant hanc in rem *Capitula* V. Conc. Tom. IV. p. 1312. Initium Actorum emendatiùs exhibet, quàm in vulgatis Editionibus haberi solet, ex codice Colbertino Baluzius *Nov. Collect.* col. 1459. ubi etiam subscriptiones suo ordine exhibentur. Eodem anno habita est *Collatio* Aviti Viennensis & Episcoporum Catholicorum, cum factionis Arianæ Coryphæis, coram Gundebaldo Burgundionum Rege. Extant hujus Collationis Gesta apud Dacher. *Spicileg.* Tom. V. p. 110. & Conc. Tom. IV. p. 1318. 499. P. II.

CONSTANTINOPOLITANUM VIII. anno CCCCXCIX. præsidentibus Flaviano Antiocheno, & Philoxeno Hierapolitano, jussu Anastasii Imp. congregatum; quo, suadente Imperatore, Diodorus Tarsensis, Theodorus Mopsuestenus cum suis scriptis, Theodoritus, Ibas, Andreas, aliíque qui in Christo duas prædicabant naturas, duásque formas, quique non confiterentur unum de Trinitate crucifixum, unà cum Leone Romano, & ejus *Tomo*, atque Chalcedonensi Synodo, anathemate damnati sunt. Hæc habet Victor Tunonens. *ad Consulat. Gibbi V. C.* 499. P. II.

Finis Quinti Sæculi.

SÆCU-

SÆCULUM EUTYCHIANUM.

CONSPECTUS SÆCULI.

CRUDELISSIMAM in Orthodoxos Synodi Chalcedonensis propugnatores persecutionem movet Anastasius Imperator, eo nomine mox à Symmacho Papa Anathemati subjectus. Eutychiani circa medium superioris seculi orti, communi *Acephalorum* nomine hactenus noti, in diversas jam partes & sententias abeunt. Hinc nata *Severianorum*, *Theodosianorum*, *Iacobitarum*, *Theopaschitarum*, *Tritheitarum*, *Aphthartodocitarum*, *Corrupticolarum*, *Agnoetarum* vocabula, partim ab auctoribus, partim ab ipsis dogmatibus desumpta. Omnes quidem in plerisque à se invicem dissidebant, qui tamen in generali Eutychis dogmate tuendo propagandoque unâ voce inter se consenserunt, unde Sæculum hoc EUTYCHIANUM appellavimus. Reviviscunt etiam Ariani; qui sub Imperio Gothorum in Italia, Hispania, Africa, dominantur. Unde rupta Ecclesiæ pax & miserè labefactata fides Christiana. Demum ann. DXXII. Hildericus Hunnerici filius Vandalorum Rex, cui Thrasimundus Catholicorum hostis immortalis, etiam in mortis confinio positus, regnum tradiderat, Episcopos Afros ab exilio revocatos sedibus suis restituit. Circa ann. DXX. pax inter Orientales & sedem Romanam circa causam Acacii, mediante Justino Aug. redintegrata est; Acacii expuncto, Papæ nomine diptychis reddito. Ann. DXXV. Joannes Pontifex à Theodorico Gothorum Rege Constantinopolim missus est, ut Arianis in Oriente Ecclesias impetraret, honorificè quidem à Justino exceptus, verùm re infectâ domum rediit, mox à Theodorico in vincula conjectus. Circa ann. DXLVI. acerrimè de *tribus capitulis* dimicari cœptum est, viz. *De damnatione Theodori Mopsuesteni, Scriptorum Theodoriti adv. Cyrillum, & Epistolæ Ibæ ad Marim Persam.* Excogitata hæc subdolâ Theodori Cæsariæ Cappadocum Episcopi fraude, qui ut Origenistarum errores in Palestina tunc temporis repullulantes, ab instanti damnationis sententia liberaret, novam hanc de tribus Concilii Chalcedonensis capitulis litem sedulò movebat. Summa totius rei hæc erat. Accusarunt Theodorus ejusque συνεργοὶ Theodorum Mopsuestenum, quòd Dogmatibus suis Hæresi Nestorianæ viam aperuisset; Ibam verò Episcopum Edessenum, quod in Epistolâ quâdam ad Marim Persam, in Synodo Chalcedonensi relectâ & approbatâ Theodori cum laude meminisset; denique Theodoritum, quod scripta quædam Cyrilli Alexandrini adversùs Nestorium acerrimè oppugnâsset; non obstante quod ipse Theodoritus fidem suam Leoni Pontifici Romano probâsset, & post solennem sui purgationem, post anathema Nestorio publicè dictum, à Concilio Chalcedonensi tum ad Sedem suam, tum in communionem receptus esset: hæc tria nihilominus damnanda esse contendebant; nec alia lege Acephalos ad Synodi Chalcedonensis approbationem, Ecclesiæque communionem esse reducendos, facilè prævidentes hæc non sine aliquali Synodi Chalcedonensis damnatione, damnari posse. His dolis captus Imperator, primò ipse damnat tria Capitula unà cum Origenistis, dein Concilium Generale quintum Constantinopoli habitum ann. DLIII. strenuè renitente cum suis Occidentalibus Vigilio Papa, tunc Constantinopoli agente, ipse licèt priùs damnaverat, miræ levitatis, & inconstantis ingenii homo. Tandem versis velis Concilii sententiam approbat, scriptâ ad Eutychium Constantinopolitanum hac de re Epistolâ, quam Græc. Lat. primus extulit P. de Marca; prolixiori verò constituto ad Imperatorem misso, à Baluzio nuper è tenebris eruto. Circa ann. DXX. vel ut alii DXXIX. ordinem suum sub certis legibus & regulis instituit S. Benedictus, Monachorum in Occidente Patriarcha; è cujus instituto, ceu ex equo Trojano, reliquæ Ordinum Religiosorum turmæ prodierunt. Ann. DLXXX. Bojarii, prædicante Ruperto Wormatiæ Episcopo, ad Christi fidem conversi sunt. Sub exitum Sæculi Christiana Religio in Britannia feliciter promovetur, Columba inter Pictos, mox Augustino Monacho inter Anglo-Saxones ad id operam navante.

SÆC. VI. ab An. D.

Digitized by Google

SCRIPTORES.

SÆC. VI. ab An. D. 501.

PASCHASIUS, Ecclesiæ Romanæ Diaconus, claruit ineunte hoc sæculo, ann. 501. Flagrante Romano schismate ann. 498. Laurentii adversùs Symmachum partes strenuè tutabatur; ejusque causam ad obitum usque pertinaciter propugnavit. Obiit ann. 512. Hâc occasione lepidam planè fabulam de Paschasii animâ Purgatorii flammis exustâ refert nobis Gregorius, seu quisquis Dialogorum author. (L. 4. c. 40.) Extat Paschasii *Epistola ad Eugippium*, S. Severini Vitæ præfixa, apud Surium Jan. VIII. & Baronium ad an. 496. Habentur etiam *Libri II. de Spiritu Sancto, contra Macedonium, Colon.* 1539. 8°. *Helmstad.* 1613. & in Bibliotheca Patr. Tom. VIII. pag. 806. Hos Paschasii esse pernegat, & Fausto Rhegiensi tribuendos contendit Casimirus Oudin. Sanè rationes ejus non prorsùs contemnendæ videntur, quæ apud ipsum videri possunt, Supplement. pag. 107. Cùm tamen *lectissimi hi & luculenti libri* (ut Gregorii * verbis utar) Gregorii Paschasio Diacono eos disertè tribuentis testimonio nitantur, (& certè Dialogorum maximam hâc in causa autoritatem esse ipse agnoscit Oudinus) ut de Sigeberto Gemblacensi † nihil jam dicam, Paschasio nostro haud temerè sunt abjudicandi. Nec obstant Codicum quorundam MSS. tituli, qui Librariorum incuriâ appositi incautos Lectores haud rarò fallunt: præsertim cùm Faustum scripsisse librum de Spiritu Sancto tradiderit Gennadius *. Et ipse Trithemius, quem pro se testem laudat Oudinus, hos ipsos libros, quorum meminit Gregorius, Paschasio nostro luculenter ascribit; quamvis aliud agens, prima hujus Operis verba unico isti, quem hâc de re scripsit Faustus, libro incautus affinxerit.

* Loc. cit.
† Cap. 17.
* Cap. 85.

501. ANONYMUS Barbaro-Latinus, Chronicorum Excerptor à Josepho Scaligero in Continuatione Chronici Eusebiani editus ex Claudii Puteani Senatoris Parisiensis Bibliothecâ, claruit ineunte hoc sæculo circa ann. 501. si modò vera sint quæ de eo habet Usserius à me jamjam proferenda. Sin Chronicon ejus solummodò respiciamus, ad initium potiùs sæculi referendus esset: illud enim, quantum mihi editionem Amstelodamensem consulenti apparet, ultra Arcadii Imperium non pertexit. De eo autem sic Usserius in Biblioth. Theolog. "MS. Chronici istius à Scaligero editi Archetypum majusculis literis (quod argumentum est vetustatis non infimæ, ut notat Scaliger) erat conscriptum. Ejusmodi enim literis exarata exemplaria ante mille annos existimantur scripta. Quo argumento moti, & eo præcipuè, quod Romanorum Imper. Author pertexens Catalogum ultra Anastasium Zenonis successorem (qui ab anno 491. ad 518. Imperium administravit) non progrediatur, scriptorem hunc in fine quinti sæculi reposuimus. Alioqui tam fœdi in eo occurrunt Solœcismi, tanta in eo & Græci & Latini sermonis imperitia, ut posterioribus temporibus vixisse videri posset. Sunt autem Excerpta hæc ex Juliani Africani Pentabiblo, ex priore parte Eusebii Canonum Chronicorum omnimodæ historiæ, & aliorum primæ notæ Chronolog. veterum scriptis collecta, & in Latinum sermonem conversa. Sed idiota ille, qui collectorem & interpretem egit, ut erat homo barbarus, Hellenismi & Latinitatis imperitissimus, quæ intelligere desperavit, omisit; quæ intelligere se putavit, ineptissimè reddidit. Commenta etiam sua in scripta aliena passim infersit; quemadmodum notavit Jos. Scaliger, qui rectè tamen monet, Excerpta ista utilissima esse, & bonæ frugis refertissima, multaque continere, quæ ne alibi quidem legimus; puta, κληρουχίαν terræ inter posteros Noë ampliùs, quàm in prioris libri Eusebiani Græcis, enarratam; nomina septem sacerdotum Apollinis Karnii, & Augustalium Ægypti, ac Consulum Romanorum paria haud pauca." Hæc Usserius. Extat illud *Chronicon* in extremâ calce Chronici Eusebiani in utraque Scaligeri editione.

SÆC. VI. ab An. D.

502. CÆSARIUS, gente Gallus, in Provinciâ Cabilonensi honestis parentibus anno 469. natus; juvenis adhuc severioris disciplinæ studio abreptus è paterna domo ad Monasterium Lirinense clam parentibus se subduxit, & Porchario Abbati ob præclaram indolem charus factus Cellarii munere aliquamdiu defunctus est. Postea ob labefactatam valetudinem Monasterio excedere coactus, Arelaten se contulit; ubi ab Eonio Episcopo domo exceptus, maximam cum eo familiaritatem iniit. Convalescentem enim Eonius Cœnobio Monachorum in insula Arelates suburbana sito præfecit, ac post triennium moriens successorem sibi designavit. Anno igitur 502. Cæsarius communi totius Cleri suffragio ad Episcopatum Arelatensem evectus est. Non me latet quidem vulgatos Gennadiani Catalogi * anno 395. scripti codices de Cæsario quasi sedem Arelatensem tunc gubernante, & quamplurimorum librorum à Fœlice Papa comprobatorum autore, loqui. Verum ratio temporum prorsus repugnat, nec Indiculus Gennadianus, utpote pessimas in fine interpolationes passus, tantæ est autoritatis, ut hac in re fidem impetret. Anno 506. Concilio Agathensi interfuit, & paulò post apud Alaricum Visigothorum Regem proditionis falsò accusatus, Burdegalam relegatus est: mox tamen, innocentiâ compertâ maximo cum honore revocatus. Anno 508. ejusdem criminis apud Theodoricum Gothorum Regem, qui interempto Alarico, summâ rerum in Gallia Narbonensi tunc potiebatur, insimulatus, Ravennam evocatus est, ut aut crimen dilueret, aut pœnas daret. Innocentiam igitur suam facilè testatam dedit Cæsarius; & cum ingenti regis omniumque Gothorum, veneratione dimissus, Romam, Symmachum Papam visurus, perrexit. Anno 524. Concilio Arelatensi IV. præfuit. Anno circiter 529. orta de doctrina ejus suspicione Synodum Episcoporum Valentiæ haberi curavit; cui ob infirmitatem corporis cùm interesse non potuit, missis legatis Cypriano Tholonensi Episcopo, aliisque, hominem sine præveniente Dei gratiâ salutem consequi non posse validissimè demonstravit. Obiit anno 542. die VI. Cal. Septembris, anno ætatis 73. ac in Basilica S. Mariæ, quam vivus ædificarat, sepultus est.

* Cap. 86.

OPERA, QUÆ EXTANT.

HOmiliæ varii argumenti XLVI. ex quibus nonnullas Cæsario suppositas esse non diffitetur Labbeus, in quadragesimâ secundâ Gregorius M. & Isidorus Hispalensis citantur, vicesimâ primâ

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. primâ Sermonis S. Augustini, vicesimâ nonâ Admonitionis S. Ephræm de Oratione titulum præfert, 19ª. ex doctrinâ Macarii desumpta dicitur: & fortasse aliæ sunt, quæ aut Cæsarium nostrum autorem non habent, aut aliunde interpolatæ sunt.

Exhortatio ad custodiendam charitatem.

Epistola ad quosdam adolescentes vitam Monasticam agentes.

Tractatus de decem Virginibus.

Regula sanctimonialium in gratiam sororis suæ S. Cæsariæ conscriptæ, quæ cum observationibus Fr. Minardi à Steph. Morquoto edita est, *Pictav.* 1621.

Regula Monachorum, quæ Tetradio, sive Tetridio, S. Cæsarii nepoti, inscripta extat, in Biblioth. Patr. De eâ plura in Tetradio dicturi sumus.

Testamentum, quod apud Baronium ad ann. 508. & Le Cointe ad an. 542. n. 43. habetur.

Scripsit Cæsarius etiam *librum de Gratiâ & libero arbitrio adversus Faustum*, qui interiit. Mentionem illius facit Catalogus Gennadianus: quod verò addit, illum à Cæsario ad Fœlicem Papam missum fuisse, & à Fœlice comprobatum; id temporum ratio non patitur.

Homiliæ Cæsarii numero XL. editæ sunt à Gilberto Cognato *Basil.* 1558. 4°. & in Orthodoxogr. pag. 1861.

Homilias XIV. antehàc ineditas ex Bibliothecæ Regiæ Codice MS. eruit, notisque illustratas evulgavit Steph. Baluzius *Paris.* 1669. 8*vo*.

Omnia verò illius Opuscula prodierunt in Bibliothecâ Patr. Tom. VIII. pag. 819. 860. & Tom. XXVII. p 324.

502. P.II. DOROTHEUS, Monachus Alexandrinus, claruit sub Imperio Anastasii anno DII. Scripsit ingens Opus pro defensione Synodi Chalcedonensis, quod *Tragœdiam*, seu præsentis rerum statûs *Prophetiam*, nominavit. Hunc librum Magna fratris Anastasii sponsa Catholicæ fidei fœmina, Anastasio Imperatori obtulit, sperans hoc opere ipsum à perfidiâ suâ (erat enim hæresis Eutychianæ fautor summus) dimoveri posse. Anastasius perlecto libro, cùm illum dogmati suo contrarium animadverteret, & ipso Operis titulo offenderetur, librum flocci fecit & Dorotheum in Oasin relegavit. Hæc nos docet Theophanes *Chronograph.* ad ann. DII. pag. 131.

507. LAURENTIUS, *Mellifluus* ab eloquentiâ dictus, Novariensis apud Insubres Episcopus, claruisse videtur circa annum 507. Scripsit, ut nos docet Sigebertus * *de duobus Temporibus*, viz. ab Adam usque ad Christum, & à Christo usque ad finem sæculi, *librum*, qui interiit. Extant *de pœnitentiâ & eleemosynâ Homiliæ* II. in Bibliotheca Patr. Tom. IX. p. 465. & *Homilia de Muliere Cananæâ* apud Mabillon. Analect. Tom. II. p. 18.

* De Script. c. 120.

507. ANIANUS, Vir spectabilis sub Athalarico Gothorum Rege, claruit circa ann. 507. Scripsisse hunc jubente Athalarico *Codicis Theodosiani Breviarium* refert Sigebertus Gemblacensis *. Verùm Anianum hujus Codicis neque Breviatorem, neque vel Interpretem fuisse, sed recognitorem tantummodò & subscriptorem ex ipsius *subscriptione*, quæ hodie extat liquidò constat. Vide Cl. Gothofredi Annotat. ad Cod. Theodos. c. 5. Eidem à Sigeberto aliisque, tribuitur *Latina versio quindecim Homiliarum Chrysostomi*, quam tamen Aniani Diaconi Celedensis esse fusè probare nititur Garnerius, uti suo in loco monuimus. De qua quidem controversia sententiam suam ferant Eruditi.

* Cap. 70.

507. FULGENTIUS, gente Afer, domo Leptinus, illustri familia ortus, avum habuit Gordianum Senatorem Carthaginensem, patrem Claudium, Matrem Marrianam, circa ann. 468. natus. In ætate tenella patre orbatus, curâ maternâ utriusque linguæ Professoribus tam Græcis quàm Latinis literis erudiendus committitur. In utrisque mirùm profecit Fulgentius, adeò ut puer adhuc totum Homerum memoriter teneret, & Græcè purissimè simul ac facillimè loqueretur. Ob præclaram igitur indolem atque animi dotes, vix dum ephebis egressus, Procurator Urbis patriæ constitutus est. Verùm ille vitæ secularis molestiarum pertæsus, Monasticum institutum meditatus est, ac Faustum Episcopum, qui ob fidei Catholicæ professionem à sede sua relegatus Monasterium sibi construxerat, adeuns, voto se obstrinxit. Anno 490. recrudescente & in Fausti caput detonante persecutione Ariana, Fulgentius vicinum Monasterium petiit; ubi agnitis statim virtutibus eximiis Fœlici Abbati collega sive co-abbas datus est. Mox crebris Maurorum incursionibus divexatus, in Siccense territorium proficiscitur; ubi à Fœlice quodam Presbytero Ariano arreptus gravissima tormenta subiit, fustibus cæsus, flagellis laniatus. Ad Monasterium igitur reversus Monachorum Ægyptiorum invisendorum desiderio tangitur, ac conscensâ apud Carthaginem navi viam iniit. Verùm in itinere Syracusam delatus ab Eulalio Episcopo animi proposito dimotus est, & apud eum consedit. Hyeme Syracusæ peractâ, anno proximo, Christi verò 500. circiter, Romam profectus est; ac statim ad Monasterium pristinum redire certus, per Sardiniam Africam navigavit; ac Monasterii sui sedes movens in Provincia Byzacena loco meliore fundavit. Mox tamen regiminis sibi commissi pertæsus, Monasterio suo clam excessit, aliudque prope littus Venerense situm petens, aliorum imperio se subjecit: à Fœlice verò co-abbate & Fausto Episcopo, intentato, ni rediret, anathematis fulmine, ad pristinum munus invitus confestim revocatur, & ad Presbyteratûs gradum evehitur. Anno 507. à Plebe Catholica ad Vintorum Episcopatum capessendum quæsitus; dignitatem fugâ susceptâ devitavit; inopinatò tamen paulò pòst repertus Ruspes Episcopus ordinatus est. Id in annum 504. conjicit Baronius. Post exiguam in Episcopatu peractam moram, jussu Trasimundi Regis Vandalorum Carthaginem abducitur, & in Sardiniam relegatur; ubi in urbe Caralitanâ inter 60. exilii sui comites Episcopos vitam Monasticam ac verè sanctam egit; tanti ab omnibus ob doctrinam habitus, ut Epistolarum communi nomine scribendarum munus ipsi soli demandaretur. Eodem, ut videtur, anno à Trasimundo Rege è Sardiniâ Carthaginem accitus est, ut de fide Catholica disputationem institueret; ubi futiles Arianorum objectiones strenuè dissipavit, & Orthodoxam veritatem scriptis ad Regem tribus libris, alioque de Sp. S. egregiè confirmavit. Sardiniam igitur iterum ablegatus, pristina vitæ Monasticæ instituta recoluit. Monasterio extra civitatem fundato, & collectis fratribus plusquàm quadraginta. Anno circiter 523. defuncto Trasimundo, ab Hilderico Rege ab exilio revocatus est; & ingenti cum honore Carthagine exceptus; ad sedem suam Ruspensem remissus est; cui ad mortem usque præfuit. Multis intereà temporis Episcoporum Afrorum Synodis interfuit, Byzacenæ, Vincensi, Suphetanæ, aliisque, ac in iis ob virtutis prærogativam primas ferè semper tenuit. Obiit anno 533. ipsis Calendis Januarii, ætatis suæ 65. Ante quadriennium mortem ejus ponit Baronius, quem in Episcopatûs initiis designandis diversam iniisse viam antea notavimus. Vir erat & eximiâ doctrinâ & insigni pietate inter ætatis suæ Episcopos facilè

SÆC. VI. ab An. D. Ferraud. Diac. in Vitâ Fulgen.

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. cilè princeps. Doctrinam ejus sic laudat Isidorus *. *In confessione fidei clarus, in Scripturis divinis copiosè eruditus, in loquendo dulcis, in docendo ac disserendo subtilis.*

* De Script. c. 14.

OPERA, QUÆ EXTANT.

AD Monimum Libri tres, 1. De Duplici Prædestinatione, alterâ bonorum ad gloriam, alterâ malorum ad Pœnam. 2. De sacrificii oblatione, Spiritûs S. missione, & supererogatione S. Pauli. 3. De expositione illius dicti, Et verbum erat apud Deum.

Adversùs Arianos liber, ad decem eorum, mirâ barbarie & obscuritate deformes objectiones, totidem responsiones continens.

Ad Trasimundum Regem Libri III. anno 507. scripti. 1. *De misterio Mediatoris Christi duas naturas in unâ personâ retinentis.* 2. *De immensitate divinitatis Filii Dei.* 3. De Sacramento Dominicæ *passionis.*

Sermones varii argumenti X.

Ad Donatum *liber de Fide Orthodoxâ, & diversis erroribus Hæreticorum*, in exilio, ut videtur, scriptus.

Ad Petrum Diaconum *de Fide Liber*; qui Augustino etiam malè inscriptus inter Opera ejus haberi solet.

Epistolæ ad diversos varii argumenti XII. quarum ultima Episcoporum Africanorum omnium in Sardiniâ exulum nomine à Fulgentio exarata est.

De Trinitate ad Fœlicem Notarium liber.

Sermo de illo Micheæ dicto, Indicabo tibi, O homo, quid sit bonum.

Contra Fastidiosi Ariani sermonem ad Victorem liber: cui præmittitur Fastidiosi Sermo, & Victoris Epistola ad Fulgentium refutationem Fastidiosi enixè petens.

De *veritate prædestinationis & gratiæ* Dei *libri* III. post annum 523. scripti, quorum tertium integrum primus cum Ferrandi Diaconi Operibus Chiffletius edidit *Divione* 1649.

De *Remissione peccatorum ad Euthymium libri* II. in exilio scripti.

De *Incarnatione & gratiâ* D. N. J. C. ad *Petrum Diaconum liber*, nomine Episcoporum Africanorum exulum scriptus. Opuscula omnia à libro de Trinitate ad Fœlicem inclusivè enumerata, unà cum quinque posterioribus Epistolis primus in lucem edidit Jac. Sirmond. *Paris.* 1612.

De *Prædestinatione & gratiâ liber*, qui Augustino etiam inscriptus, inter Opera ejus haberi solet. Nonnulli eum non minùs Fulgentio quàm Augustino indignum censent: Theophilus Raynaudus è contra prolixâ Dissertatione Fulgentio vindicat.

Homiliæ novæ LXXX. unà cum Præfatione Fulgentii, quarum nonnullæ inter Homilias S. Augustini reperiuntur. Primus eas edidit Theophilus Raynaudus *Lugduni* 1633. Spurias esse censent nuperi Fulgentii Operum Editores Parisienses, adeóque in Appendicem rejecerunt.

De *Incarnatione Christi, & de vilium ac noxiorum animalium procreatione, Liber ad Scarilam*; à Gulielmo Camerario Scoto inter alia Veterum Patrum monumenta primùm editus, *Paris.* 1634.

Pro fide Catholicâ adversùs Pintam Arianum, Liber, à Chiffletio primùm editus *Divione* 1649. Verùm Fulgentii non esse satis arguit crassa, quæ inibi deprehenditur, Græcæ Linguæ ignorantia. Istiusmodi quidem librum scripsit Fulgentius; cui, ut videtur deperdito, spurius iste suppositus est.

Sermo de Circumcisione Domini.

Sermo de Purificatione Virginis Mariæ, qui Fulgentii ævo recentior videtur. Uterque è Bibliotheca Vaticanâ descriptus in editione nuperâ *Parisiensi* primùm prodiit. SÆC. VI. ab An. D.

OPERA DEPERDITA.

DE Gratiâ Dei & Libero Arbitrio adversùs Faustum Regiensem Libri X.

De *veritate Prædestinationis & gratiæ contra Fabianum Libri* XIX. Ex his decerpta Fragmenta VII. exhibet Theodulphus Aurelianensis in Collectaneis suis de processione Sp. S. ad Ludovicum Imp. & ex eo Raynaudus in calce editionis suæ. Alia aliquot eorumdem Fragmenta ex vetusto Codice dedit Jac. Sirmondus inter Opera Alcimi Aviti, *Paris.* 1643. Fragmenta denique ex iisdem XXXIX. ex pervetusto Codice descripta edidit inter alia quædam Veterum Opuscula Fr. Chiffletius *Divione* 1656.

De *Processione Spiritûs S. Liber, sive Commonitorium ad Abragilam presbyterum.* Fragmenta illius bina videre est apud Hincmarum libro III. adv. Objecta Græcorum ad Odonem Bellovac.

Responsio ad Objectiones Arianorum à Trasimundo Rege propositas, sive, ut Isidorus vocat, *Liber Altercationis cum Trasimundo.*

De *Jejunio & Oratione ad Probam Virginem Libri* II.

Epistolæ ad Carthaginenses egregia, atque aliæ plures.

Homiliæ plurimæ.

Pro fide Catholicâ adversùs Pintam Episcopum Arianum Liber, Carthagine anno 507. scriptus.

Fulgentio denique nostro tribuit Sigebertus * *Mythologiarum Libros* III. (qui Placiadis Fulgentii Grammatici sunt, ac sub illius nomine sæpiùs prodierunt) *Librum de abstrusis sermonibus*, atque alias ineptias, quas, cui talia in deliciis sunt, apud Sigebertum & Miræum † videat.

* Cap. 28.

† In Manuscriptis ad Auctuar.

Prodierunt D. Fulgentii Opera, *Mogunt.* 1615. *Noribergæ* 1519. *Coloniæ* 1526. deinde à Joanne Ulimmerio cum Joannis Molani prolegomenis edita, *Antverp.* 1574. Prodierant anteà *Basil.* 1566. & ab Henrico Justo edita ibid. 1587. dein à Jacobo Sirmondo *Paris.* 1612. à Theophilo Raynaudo unà cum Operibus S. Leonis, &c. *Lugduni* 1633. 1652. denique emendata, aucta, & ad MSS. Codices recognita, *Paris.* 1684. 4°. Habentur etiam in Biblioth. Patr. Tom. IX. p. 16.

JULIANUS, Halicarnassi urbis Cariæ Episcopus, sectâ Eutychianus, claruit ann. 510. Instigante Anastasio Imp. Schismaticis Monachis se adjunxit, qui Macedonium Constantinopolis Episcopum conviciis & clamoribus incessebant. Justino rerum potito, & se ἐκ τῶν συνοδευτῶν (nempè qui Synodum Chalcedonensem approbarunt) profitente, anno 419. sede suâ pulsus unà cum Severo Antiocheno Episcopo Alexandriam aufugit; ubi mota inter eos quæstione de corporis Christi corruptibilitate, adversùs gregalem suum Severum acriter disputavit, & editis in eum libris refutavit; novæque *Aphthartodocitarum* sive *Phantasiastarum* sectæ initium dedit. Scripsit inter alia *Commentarium in Iob.* Præfationis partem, & plura hinc inde fragmenta exhibet Catenæ Græce in Jobum Autor, *Londini* 1637. Alius à nostro forsan non est, quem sub Julii nomine semel citat Autor Catenæ Græcæ in Joannem cap. XVII.

510. Theod Lect. l. 2 p. 562. Liberat. Breviar c. 19. Leont. de Sect. Act. 5. 470.

EPIPHANIUS SCHOLASTICUS, gente Italus, Græcæ & Latinæ Linguarum peritiâ insignis, claruit circa annum 510. Historias Socratis, Sozomeni, & Theodoriti Ecclesiasticas hortante Cassiodoro Latinè vertit; & ex iis unicum Historiæ

510. Cassiodor. Præf. in Hist. Trip. Divin. Lect. c. 17. 8. 11.

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D.

riæ corpus contexens in XII. libros distribuit: quibus in compendium posteà à se redactis, Historiæ Tripartitæ nomen indidit Cassiodorus. Latino etiam sermone donavit Didymi Commentarios in Proverbia Salomonis & in septem Canonicas Epistolas, & S. Epiphanii Cyprii in Cantica forsan & alia plura. Verùm versiones istæ interierunt. Extat autem *Versio*, quam Cassiodori jussu adornavit, *Codicis encyclici*, seu Syntagmatis Epistolarum Synodalium ad Leonem Imp. pro defensione Concilii Chalcedonensis, Concil. Tom. IV. p. 891. Emendatiorem edidit Baluzius in Novâ suâ Conciliorum Collectione *Parif.* 1683.

510. ANICIUS MANLIUS TORQUATUS SEVERINUS BOETHIUS, sive Boetius, gente Romanus, illustrissimâ totius Romæ familiâ ortus, patrem habuit Anicium Manlium Flavium Boethium. Puer adhuc bonis literis instituendus Athenas missus est; ubi per octodecim annos degens omnium artium, omnium disciplinarum non modò elementa, sed & reconditiora mysteria penitus imbibit: adeò ut omnium sui ævi literatorum facilè princeps audiret. Romam reversus, maximis urbis & Imperii honoribus statim cumulatus est, Patricius factus, & in Senatum cooptatus. Anno 487. Consulatum solus gessit: licèt Onuphrius Panvinius & cum eo alii istius anni Consulatum Patri ejus assignent. Uxorem habuit; cui Helpis nomen, quæ & ipsa literis, inprimis Poesi excelluisse dicitur. Helpide defunctâ, Rusticanam, Q. Aurelii Symmachi (qui Consulatum obiit anno 485.) filiam, uxorem duxit; ex quâ duos filios suscepit, Patricium & Hipatium, utrumque Consularem dignitatem adeptos. Anno 500. Theodoricum Regem Romam ingressum Panegyricâ Oratione Senatûs nomine excepit. Mox à Theodorico secretioribus consiliis admotus est, & Magister Palatii atque Officiorum constitutus. Ann. 510. (quo inprimis claruit) Consulatum iterum solus gessit. Anno 522. Consul tertiùm factus est: cùm tamen filiorum ejus alteri istum annum adjudicent nonnulli. Anno 523. cùm Theodorici in pejora indies ruentis tyrannidem acriter corripere non vereretur, Regis inimicitias expertus est, & mox à Trigilla, Congiasto & Cypriano, mortalium nequissimis, proditionis tentatæ, & conspirationis cum Justino Imp. in Gothorum perniciem initæ accusatur: & quidem Boethium clam literas ad Græcos misisse, atque urbem & Senatum ex impiis Theodorici manibus eripere, & Græcorum defensioni subdere conatum, apertè tradit antiquus admodùm Prologus literis Saxonicis scriptus, libris de Consolatione Philosophiæ præmissus, quem ex veterrimo Codice Bibliothecæ Ambrosianæ apud Mediolanenses effert Cl. Mabillonius Itin. Ital. pag. 221. Causam ad Senatum detulit Theodoricus. Judicio adfuerunt accusatores, pretio conductis testibus stipati, fictasque sub Boethii nomine ad Justinum tabulas ostentantes. Testimoniis in speciem productis, ad suffragia itum est. Senatores terrore perculsi Boethium exilio mulctandum censent. Ticinum igitur abducitur Boethius, & arcto carceri mancipatur. Inter diuturni carceris tædia & squalores nec defecit animus, nec indefessum literarum studium. Præter Philosophica enim aliquot Opuscula, libros de Consolatione Philosophiæ, & Trinitate, huic otio debemus. Anno sequenti, vel, ut alii, aliquantò seriùs, crescentibus unà cum tyrannide Theodorici suspicionibus, immisso carnifice in carcere decollatus est. Nugatur planè infra viri prudentis gravitatem, purpuræque suæ dignitatem Card.* Baronius, quum ex Boethii vita eruditè, ut ait, à Julio Marciano conscripta, tanquam rem summoperè admirandam seriò refert, Boethium, postquam Regius spiculator lethale vulnus intulisset, utraque manu divulsum caput sustinuisse, interrogatumque à quonam se percussum existimaret, ab impiis respondisse, atque ita cùm in vicinum templum venisset, & flexis genubus ante Altare Sacra percepisset, post paululum expirasse. Qui enim peritia literarum, inquit Cardinalis, Dionysio magno illo Areopagitæ Atheniensi jure fuit absque invidia comparandus, & illud à Deo accepit, ut & genere mortis, insuper & insignis operatione miraculi eidem fuerit exæquandus, id operante Dei summâ potentiâ, qui est dives in omnibus qui invocant eum. Verum ἄλις δρυός. De eximiâ Boethii doctrinâ sententiam ferat Cassiodorus. *Tu multa*, inquit*, *doctrinâ saginatus, sic palliatorum choris miscuisti togam, ut Græcorum dogmata doctrinam feceris esse Romanam deducens ad Romuleos senatores, quicquid Cecropidæ mundo fecerant singulare. Translationibus enim tuis Pithagoras musicus, Ptolomæus astronomus, leguntur Itali: Nicomachus arithmeticus, &c. --- Et quascunque disciplinas vel artes fæcunda Græcia per singulos viros edidit, te uno auctore, patrio sermone Roma suscepit. Quos tanta verborum luculentia reddidisti claros, tantâ linguæ proprietate conspicuos, ut potuissent & illi opus tuum præferre, si utrumque didicissent.* Ex recentioribus duos solummodò subjungam, Julium Scaligerum, & Cl. Vossium. *Boethii Severini ingenium,* inquit Scaliger*, *eruditio, ars, sapientia, facilè provocat omnes autores; sive illi Græci sint, sive Latini. Sæculi barbariæ ejus Oratio soluta deterior invenitur: at quæ libuit ludere in poësi, divina sanè sunt. Nihil illis cultius, nihil gravius: neque densitas sententiarum venerem, neque acumen abstulit candorem. Equidem censeo paucos cum illo comparari posse.* Hæc Scaliger. Sic autem Vossius †. *Boethius, Vir Latinè & Græcè doctissimus, in omni disciplinarum genere excellens; quoque Roma à Varronis temporibus non habuerit undecunque doctiorem. Omninò nihil in poësi venustius habuit, vel illud ævum, vel etiam, quod proximè antecessit.*

* An. 526. p. 114.

* Variar. l. 1. ep. 45.

* Hypercrit. l. 6. p. 815.

† De Poet. Lat. c. 5.

OPERA.

In Porphyrium à Victorino translatum Libri II.

In Porphyrium à se Latinè versum Libri V.

In Categorias Aristotelis Libri IV. *In librum Aristotelis de Interpretatione, minorum Commentariorum Libri* II. *Majorum Commentariorum Libri* VI.

Analyticorum Aristotelis, Boethio interprete, Libri IV.

Introductio ad Catholicos Syllogismos. De Syllogismo Categorico Libri II. *De Syllogismo Hypothetico Libri* II. *De Divisione Liber. De Definitione Liber. Topicorum Aristotelis, Boethio interprete, Libri* VIII. *Elenchorum Sophisticorum, eodem interprete, Libri* II. *In Topica Ciceronis Libri* VI. *De Differentiis Topicis Libri.* IV.

De Consolatione Philosophiæ Libri V. solutâ pariter ac strictâ oratione compositi. De Libris hisce hæc habet vetustissimus ille Prologus, cujus suprà ex Mabillonio mentionem fecimus; *Postquàm a Rege reus Majestatis convictus est, jussus est retrudi in carcerem; in quo repositus hos libros per Satyram edidit; imitatus videlicet, Martianum Felicem Capellam, qui primus libros de Nuptiis Philologiæ & Mercurii eadem specie poematis conscripserat. Sed iste longè nobiliore materiâ & facundiâ præcellit, quippe nec Tullio impar sit, nec Virgilio in metro inferior floruit.* Prodierunt seorsim, cum annotationibus Badii Ascensii *Lugduni* 1502. 4°. additis etiam Thomæ Aquinatis commentariis ibidem 1514. 4°. cum Commentariis Joannis Murmellii *Basil.* 1536. 8°. cum Commenta-

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D.

riis Joannis Bernartii *Antverp.* 1607. 8°. cum notis Bertii *Lugduni Bat.* 1633. cum notis Renati Vallini ibidem 1656. 8°.

Adversus Eutychen & Nestorium de duabus naturis & unâ Personâ Christi liber, ad Ioannem Ecclesiæ Romanæ Diaconum.

Quòd Trinitas sit unus Deus, & non tres Dii, ad Symmachum socerum.

De unitate & uno liber. Prodiit seorsim *Lovan.* 1633. 8°.

Utrum Pater, Filius, & Spiritus S. de Divinitate substantialiter prædicentur, liber ad Ioannem Diaconum.

An omne quod est, bonum sit.

De Arithmetica Libri II.

De Musicâ Libri V.

De Geometriâ Libri II.

De Disciplinâ scholarium liber, Boethii nomine, quod præ se fert, maximè indignus. A Dionysio Rikelio Carthusiano, qui anno 1471. obiit, scriptum esse prodit Labbæus.

Fidei Confessio, seu brevis Institutio Religionis Christianæ; quę à Renato Vallino cum libris de Consolatione Philosophiæ primùm edita est *Lugduni Bat.* 1656.

Prodierunt Opera Boethii, *Venet.* 1491. *Basil.* 1546. cum variorum Commentariis ibid. 1570.

510. P. II. ANONYMUS Monachus Condatescensis; B. Eugendi discipulus, claruit circa annum DX. Scripsit *Vitam Præceptoris sui S. Eugendi Iurensis*, in Provinciâ Maximâ Sequanorum Abbatis, cui etiam morienti astitit. Habetur apud Surium & Bollandum, *Ianuar.* & apud Mabillonium *Sæc. Benedict.* I. pag. 570. Commisit etiam literis Monachus noster *Vitam S. Romani Abbatis sui*, quam primus extulit Bollandus *Febr.* XXVIII. item *S. Lupicini*, ab eodem Bollando in diem XXI. *Martii* relatam.

TIMOTHEUS, incertæ ætatis Scriptor, Magnæ Ecclesiæ CP. Presbyter, vasorum Templi S. Deiparæ in Chalcopratiis custos, Philopono, Conone, & Theodosio, quos memorat, junior, Monothelitis tamen, quorum nullam mentionem facit, videtur superior. Claruit itaque forsan circa annum 610. Scripsit *ad Ioannem Presbyterum CP. Epistolam seu libellum insignem* περὶ διαφορᾶς τῶν προσερχομένων τῇ ἁγιωτάτῃ ἡμῶν πίστει, seu *de variis Hæreticis, eorumque dogmatibus diversis, ac diversis eorundem in Ecclesiam recipiendi formulis.* Latinè extat in prioribus Bibliothecæ Patr. editionibus, Græcè inter Joann. Meursii *Varia Divina*, *Lugd. Bat.* 1619. 4°. Græc. Lat. apud Combefis. Auctuar. Nov. Tom. II. Codicem denique ab editis haud parum diversum nactus Cotelerius non indignum duxit, quem Græc. Lat. cum Notis evulgaret Monument. Eccles. Græc. Tom. III. pag. 377. Nil mirum enim, tantopere variare exemplaria MSS. istius libelli, qui in Ecclesiarum Ritualia receptus, prout uniuscujusque consuetudo ferebat, immutatus, auctus, aut diminitus fuit.

511. P. II. TIMOTHEUS (quem suprà tanquàm incertæ ætatis scriptorem ad annum DCX. retulimus) per ludibrium & Sarcasmum Λιτροβέλης & Κόλων dictus dictus est: Διὰ τινα ἔργα τῶν ὀνομάτων ἁρμόδια inquit Theodorus Lector. Quid significet Λιτροβέλης, cum Cl. Du-Fresnio, me ignorare fateor. Κόλων sive Κήλων *Cinædum*, sive *hominem procacem & libidinosum* denotat. Primò Presbyter erat & Scevophilax Magnæ Ecclesiæ CP. deinde anno DXI. Macedonio Patriarchâ Constantinopolitano, quòd Synodum Chalcedonensem animosè defenderet, ab Imp. Anastasio sede suâ pulso, & *Euchaida* in exilium acto, die sequenti Timotheus in ejus locum subrogatur. In Macedonium prædecessorem suum tanto ferebatur odio, ut in quamcúnque Ecclesiam ingressus fuerat, Divina Officia ille inchoare noluerit, nisi priùs Macedonii imagines illinc detractæ fuissent. Symbolum Nicænum in singulis collectis recitari præcepit, in odium utique Macedonii, quasi illud is non susciperet, eo quòd anteà semel tantùm in anno, die scilicet *Magnæ Parasceves* seu *Dominicæ Passionis*, recitari solebat. Supplicationes publicas, quæ die Parasceves fiunt in Ecclesiâ Deiparæ quæ est in *Chalcoprateis*, ipse primus excogitavit. Plura de eo habet Theod. Lect. lib. II. p. 563. Meminerunt hujus Timothei ejusque literarum Synodicarum, Monachi Palæstini in *Epistola ad Alcisonem* apud Evagr. lib. III. c. 33. p. 363. SÆC. VI. ab An. D.

Hominem ab erroribus revocare conatus est Hormisdas Papa, scriptis ad illum hunc in finem literis anno DXVII. quo anno vel sequente è vivis excessisse videtur. Scripsit dum Presbyter adhuc erat (ejus enim opus esse nullus dubito) ad Joannem Presbyterum & Scevophylacem S. Deiparæ in *Chalcoprateis* librum *de differentia eorum qui accedunt ad purissimam nostram Fidem.* De variis hujus libri editionibus, suprà actum est. Habetur Exemplar MS. editis multò auctius & integrius Biblioth. Vindob. Cod. *Theol.* CCCVI. ad quod novam editionem recognosci non abs re foret.

EUGYPPIUS, an Norico oriundus, incertum: certè ibi aliquantisper commoratus, Lucullanensis in Italiâ propè Neapolim Abbas, claruit anno 511. Scripsit *ad Paschasium Diaconum Vitam S. Severini, Noricorum Apostoli.* Edidit eam Surius ad diem VIII. Januarii, sed mutilam. Marcus autem Velserus, sinceriorem nactus Codicem, integram, scholiisque suis illustratam evulgavit: in cujus proinde Operibus habetur, p. 629. Epistolam Eugyppii ad Paschasium primus extulit Henr. Canisius Antiq. Lect. Tom. VI. p. 453. inde in secundam Surii editionem translata Vitæ S. Severini hodie præfigitur. Scripsit etiam Eugyppius, teste Isidoro Hispalensi *, *Regulam Monachis in Monasterio S. Severini degentibus*, quam iisdem moriens testamenti vice reliquit, nunc deperditam. Eugyppium nostrum cum altero cognòmine Abbate, de quo nos infrà, Trithemius, aliique, temerè confundunt, ut rectè dudum observavit Nobiliss. Velserus. 511.

* De Script. c. 13.

MAGNUS FÆLIX ENNODIUS, Patriâ Italus, stirpe Gallus, domo Ligur, illustri ac Proconsulari familiâ ortus, natus est circa annum 473. Decimum sextum enim ætatis annum tunc, cùm Theodoricus Italiam ingressus est, egisse ipse * testatur: adeò ut spissum errorem erraverit Labbæus, qui Episcopatum Ticinensem cum anno 490. obtinuisse scribit. Sub Theodorici adventum amitæ, quæ ipsum aluerat, solatio orbatus jacturam, ductâ in uxorem nobilissimâ ac prædivite virgine, resarcivit. In sacram militiam à S. Epiphanio Ticinensi Episcopo ascriptus, & ad Diaconatûs munus provectus, comes ei vitæ ac itinerum individuus deinceps hæsit. Incœpta tamen ab ineunte ætate Poëtices ac Oratoriæ studia nequaquam deseruit: tantâ verò diligentiâ excoluit, ut maximum exinde sibi nomen compararet, & in utraque arte primas tenere jure videretur. Mortuo Epiphanio inter Ecclesiæ Romanæ Diaconos cooptatus videtur. Anno certe 503. oblato in Synodo Romanâ libello Apologetico, Symmachi Papæ & Synodi Palmaris anno superiore habitæ causam contra utriusque obtrectatores egregiè defen- 511.

* In dict. de rebus suis.

Digitized by Google

defendit; tanto à Patribus Synodi favore exceptus, ut Libellus ejus in Acta Synodica locum obtinere communi decreto juberetur. Anno 511. vel paulò pòst Episcopus Ticinensis ordinatus est. Anno 514. vel sequente, atque iterum anno 517. ab Hormisdâ Papâ fidei Orthodoxæ defendendæ gratiâ ad Anastasium Imp. legatus est. Utraque legatio subdolâ & vesanâ Anastasii pervicaciâ incassum cecidit: in utraque tamen spectata Ennodii virtus enituit. Cùm nullis enim sive minis sive pollicitationibus ad Imperatoris nutum flecti poterat; cariosо navigio impositus, exulis ad instar, summo cum ludibrio non tam dimissus, quàm ablegatus in Italiam est. Domum reversus, paucis annis superfuit, vitâ defunctus anno 521. die XVII Cal. Augusti.

OPERA.

Epistolarum ad diversos libri IX.
Panegyricus Theodorico Regi Ostrogothorum dictus.
Libellus Apologeticus pro Synodo Palmari, qui habetur etiam in Concil. Tom. IV. p. 1340.
Vita B. Epiphanii Episcopi Ticinensis.
Vita B. Antonii Monachi Lirinensis.
Eucharisticon de vitâ suâ ad Elpidium.
Paranesis Didascalica ad Ambrosium & Beatum.
Praceptum de Cellulanis Episcoporum.
Petitorium, quo absolutus est Gerontius.
Benedictio Cerei Paschalis I.
Benedictio Cerei Paschalis II.
Dictiones Sacra VI.
Dictiones Scholastica VII.
Controversiæ X.
Dictiones Ethica V.
Poëmata, seu Carminum liber I.
Epigrammata, seu Carminum liber II.

Prodierunt Ennodii Opera, ex recensione Andreæ Schotti, *Tornaci* 1610. 8°. cum notis Jacobi Sirmondi *Paris.* 1611. 8°. in Bibliotheca Patr. Tom. IX. p. 312. Penè omnia ejusdem Opera Basileenses olim inter Orthodoxographa ediderunt ann. 1569.

513. Evag. l. 3. c. 33. 34. 44. l. 4. c. 4. 1[illegible].

SEVERUS, Pisidiâ oriundus, domo Sozopolitanus, primùm quidem Causidicæ navavit operam: quâ relictâ cùm sacrum Baptismum suscepisset, vitam Monasticam inter Gazam & Majumam in Palæstinâ egit: sed cum hæresi Eutychianæ nimiùm faveret, monasterio expulsus, Constantinopoli Monachorum suæ sectæ Apocrisiarium egit: ubi Anastasii Imp. gratiam captavit. Ab anno 513. mense Novembri in locum Flaviani Antiochiæ Antistitis sede suâ pulsi subrogatus est. Sedem Patriarchalem adeptus, Concilio Chalcedonensi anathema statim incussit, & in impietatis partem missis ubique literis Synodicis alios Episcopos quâ minis, quâ precibus, pertraxit. Cosmas verò Epiphaniæ, & Severianus Arethusæ, Episcopi non modò ab ejus communione sese absciderunt, sed & libellum depositionis ad ipsum miserunt. Anno 519. à Justino Aug. sede Antiochenâ dejectus, Alexandriam se recepit, ubi sectæ corrupticolarum contra Aphthartodocitas se ducem præbuit. Hinc Constantinopolim petiit, ubi Anthimo Patriarchæ, sectæ Eutychianæ asseclæ persuasit, ut throno suo renunciaret. Tandem Justiniani Imp. edicto unà cum Anthimo aliisque anathemate percellitur, gravissimis suppliciis in eos statutis, qui illorum dogmata prædicarent.

Scripsit *Epistolas* penè infinitas, *Synodicas*, *Enthronisticas*, *Familiares*. Harum aliquot memoria superest, viz. *Epistola ad Sothericum*, *ad cives Antiochenos*, ad Theodosium Alexandrinum, ad Justinianum & Theodoram Augg. Istarum meminit Evagrius. Quæ sequuntur, in Conciliis citantur, fragmentis exinde adductis: nempe Epistola ad Eleusium; ad Sergium Grammaticum, ad Oecumenium, prima, & Libellus adversùs Joannem Episcopum Cæsareæ Palæstinæ, Concil. Tom. VI. p. 315. Epistola ad Oecumenium Comitem secunda, ad Paulum hæreticum, ad Anthimum, & ad Theodosium, Concil. Tom. VI. pag. 834. 835. Ex Epistolâ ad Joannem Tribunum fragmentum exhibet Catena in Cantica Veteris Testamenti à Caraffa versa.

Homilias etiam & *Tractatus* edidit quamplurimos. Sermonis prosphonetici in Daphne in Martyrio S. Euphemiæ habiti fragmentum habes Concil. Tom. VI. pag. 316. libri contra Grammaticum fragmenta apud Catenam in Cantica Vet. Test. ab Ant. Caraffa Latinè versam p. 253.

Commentarios denique in S. Scripturam scripsit plurimos. Commentarii ejus in Joannem, Lucam, & Job, in Catenis Græcis quâvis ferè paginâ citantur. In Catenâ Caraffæ supradictâ adducuntur fragmenta ex Commentariis illius in Canticum Mosis pag. 245. in Canticum Annæ p. 249. in Canticum Abacuc pag. 258. in orationem Esaiæ p. 268. in Orationem Zachariæ Luc. II. pag. 291. In Catenâ in Psalmos à Dan. Barbaro versâ citatur semel tantùm, viz. in psalmum 1. p. 534. cum his confer, quæ in Severiano Gabalensi suprà admonuimus.

SEVERUS, *Acephalorum* seu *Monophysitarum* dux, patriam habuit Sozopolim Pisidiæ urbem. Juvenis in gentilium cultu educatus est, Superstitioni, Magicisque artibus deditus * In Academiâ Berytensi † causidicæ operam dedit, quo tempore veneficus Idolorum cultui serviebat. Hanc calumniam sibi objectam ut repelleret, relicto Jurisprudentiæ studio, sacrum Baptismum suscepit, & in Monasterio inter Gazam & Majumam posito Monasticum vivendi institutum amplexus est. Hic loci * Romanum & Mamam Abbates in dogmatibus Eutychianis magistros habuit; & cùm de his subtilius disputaret, ex Monasterio unà cum asseclis suis ejectus est. Mox tanquàm pro se suisque legationem obiturus, Constantinopolim perrexit; & in gratiam ac familiaritatem Imperatoris Anastasii summi Eutychianorum fautoris sese insinuavit. Anno DXIII. Flaviano Patriarchâ Antiocheno ob Fidei Catholicæ defensionem sede suâ pulso, Severus hunc sibi Thronum arripuit; & in *Enthronisticis* tùm literis, tùm sermonibus, statim se Zenonis *Henoticum* suscipere, & Synodum Chalcedonensem anathematizare disertè professus est. Unde Cosmas Epiphaniensis, & Severianus Arethusiensis Episcopi ab ejus communione semet abrumpentes, *Libellum Depositionis* ad eum miserunt. Et jam Patriarchali dignitate auctus, Imperiali potentiâ fretus, & ingenti Judæorum agmine stipatus, in Catholicos ubique, præsertim in Monachos Palæstinos desævIit †, quorum CCCL. immani strage occidit, occisis sepulturam denegavit, eorúmque cadavera membratim discerpta, canibus & avibus laceranda exposuit: Ut de excommunicationibus, carceribus, flagris, vinculis, rapinis, altaribus dirutis, sacris vasculis confractis, direptis nil dicam. Mortuo Anastasio succedit Justinus Imp. Catholicæ Fidei defensor strenuus, qui Vitalianum Magistrum militum misit * ut hominem comprehenderet, dato etiam mandato Irenæo Comiti Orientis, ut linguam ejus blasphemam abscinderet. Quæ cùm † resciret Severus, relictâ Antiochiâ, clam noctu descendit Seleuciam, & cons-

513. P. II.

* Libel. Monach. Conc. sub Men. Act. V. col. 120.
† Evag. l. III. c. 33. p. 363.
* Liberat. Brev. cap. 19. p. 134.
† Libel. ubi suprà p. 120. Suppl. Cleric. Antioch. ibid. 160. Nicephor. l. XVI. c. 34. p. 707.
* Evag. l. IV. c. 4.
† Liberat. ubi suprà

SÆC. VI. ab An. D.

* Ὁδηγ. c. 6. p. 90.

* De Sect. Act. v. p. 470.

† Ib. p. 136.

conscensâ navi Alexandriam confugit, τὸν φωλεὸν τῶν ὄφεων, τῶν ἐχθρῶν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας inquit Anastasius *; *Serpentium, hoc est, Catholicæ Ecclesiæ hostium commune latibulum.* Sedebat hîc εἰς τὸ ἔννατον, ut habet Leontius *, in *nonâ* forsan *urbis regione*; *ad Labronem* inquit Liberatus †. *Labronum* vel *Labronium* legendum esse suspicatur Garnerius; & cùm Græci Λαβρώνιον dicunt quod *vorax* est, conjicit in Λαβρωνίῳ & ἐννάτῳ subaudiendum στόμα, Severumque non in aliquâ Alexandrinæ urbis parte, sed ad *nonum Nili ostium voraginosum* sedisse. Quàm solidè hæc judicent alii, mihi quidem conjectura insolens, & parùm probabilis videtur. Certè Anastasius, qui paulò post Severum Alexandriæ versatus est, refert eum ἐν τῷ ὀκτωκαιδεκάτῳ Ἀλεξανδρείας vixisse, *i. e.* interprete Gretsero, *in decimo octavo Alexandriæ vico.* Et forsan nunc in hâc, nunc in aliâ urbis parte habitavit. Quicquid sit: die quadam Severum interrogavit Gaianus Timothei Archiepiscopi Alexandrini Archidiaconus, quomodò confitendum sit Christi corpus, corruptibile esse, an incorruptibile? respondente Severo *fuisse corruptibile ante triduanam à mortuis Resurrectionem*, secessionem statim ab ipso fecit Gaianus; ratus siquis corpus Christi corruptibile asserat, necessariò omnino duas in Christo naturas confitendas esse. Paulò aliter hæc referunt Liberatus & Leontius, verùm in summa rei conveniunt. Crescente indies tumultu, Severus, vel metu adactus, vel causam suam suorumque in urbe Regiâ acturus, Constantinopolim profectus est. Ubi Anthimo Patriarchæ persuasit, ut Eutychiania dogmata sæculari gloriæ & Pontificali Cathedræ anteponeret, Sedemque suam relinqueret, inani proculdubio spe ductus semet potiturum esse. Et hic omnia sursùm & deorsùm miscuit, prava conventicula, & illegitima baptismata, palam & cum omni impudenti audaciâ, publicè & privatim introducere præsumens, ut in *Libello supplice* Monachi Orientales pluribus testantur. Anno DXXXVI. tùm in Concilio sub Mennâ, tùm in Synodo Hierosolymitanâ, semel iterumque damnatus est. Quid de eo deinceps sit non liquet. Vir erat ingenio feroci & truculento, & ad turbas excitandas nato, eruditus, & ad disputandum promptus ac subtilis, in opinionibus suis non semper sibi constans. Primò Zenonis *Henoticum* amplexus est, Synodum verò Chalcedonensem damnare recusavit; deinde hæresis Eutychianæ fæces imbibit & venditavit, nunc duas in Christo naturas usque ad Nestorium à SS. Patribus prædicatas esse, post Nestorium verò Christum in unam naturam conflatum esse asserens Unde ipsum τὸν σεληνιαζόμενον scitè vocat Anastasius †; quippe qui Christum lunæ vicissitudini & variationi subjiciat, jam luce plenum, jam destitutum, modò duabus naturis; modò unicâ constantem. Quin nisi nos fallat Anastasius *, docuit cum Origene animas nostras ante corpora præexistere. Discipuli ejus in quinque Sectas partiti sunt; quas enumerat Nicephorus lib. XVIII. cap. 49. pag. 876.

† Cap. 7. p. 106.

* Cap. 5. p. 90.

Præter Severi Opera de quibus alibi, hæc etiam ab eo scripta sunt. I. *Liber* φιλαληθὴς dictus, Joanni Cæsariensi Grammatico (vel ut alii Episcopo), ut videtur oppositus. In hoc opere ad refutanda SS. Patrum testimonia, quæ pro duabus naturis in unicâ Christi personâ indivisibiliter unitis allegari solebant, se accinxit. Quotquot depravare potuit, ea verè Patrum esse confessus est; quæ corrumpere nequivit, tanquam falsa & adulterina rejecit. Super aliis censuram & derisionem edidit affirmans Joannem Cæsareensem, *Apologiâ* quam pro Fide & Synodo Chalcedonensi composuerat, triginta super ducentas sententias SS. Patrum pervertisse. *Hoc opus* quantivis pretii æstimabant *Monophysitæ*, ubique per Ægyptum & Orientem sparsi, & divino S. Joannis Evangelio præposuerunt, nec, nisi inspecto priùs hoc codice, allatum alicujus Patris testimonium admittebant. Prolixè de hoc libro agit Anastasius, Ὁδηγ. cap. 6. Pro hoc Opere *Apologiam* etiam scripsisse videtur, ex quâ citatur fragmentum Gr. in Collectione Testimoniorum sub nomine Damasceni cap. 20. vid. Labb. *Conspect.* Oper. Damasc. p. 54. ubi etiam ex ipso φιλαλήθους opere quædam fragmenta habentur cap. 7. 36. Et octavus de duabus Naturis liber citatur cap. 2. II. Ad Nephalium & Simplicium *Tractatus*, sive *Epistola* in dogmatis sui defensionem scripta: Ex quâ duo Fragmata producit Anastasius Ὁδηγ. cap. 6. pag. 100. cap. 200. 322. Alia Fragmenta habet Anastasius, ex hoc an superiori opere incertum: nempe cap. 7. p. 110. 112. cap. 18. p. 308. III. *Responsa ad Quæstiones sacras* ab Eupraxio Cubiculario sibi propositas; quorum excerpta in Commentario Marginali Gr. MSS. habentur in Biblioth. Vindob. Cod. *Theol.* IV. *Evangeliorum* incredibili elegantiâ, magnâque ex parte aureis litteris scripto, variisque picturis mirè exornato, juxta ordinem *Lambec.* XXIX. *Nessel.* CLIV. Hujus vel alterius non absimilis operis est, *Responsio* illa Severi Antiocheni ad hanc quæstionem, *Quomodo intelligenda sit triduana Sepultura & Resurrectio Christi.* Extat apud Anastas. Sinait. *Quæst.* CLII. p. 612. IV. Severo item nostro adjudicandum censeo librum *de ritibus Baptismi & S. Synaxeωs apud Syros Christianos receptis*, quem Syriacè & Latinè edidit Guido Fabricius Boderianus *Antw.* 1572. 4°. Certè non desunt in hoc opere quæ auctorem sectâ fuisse *Eutychianum*, Petri Gnaphei Sectatorem arguunt, non pauca vel manifestè hæretica, vel apocrypha, ut in *indice Chronologico ad Bibliot. PP.* dudùm notavit Jo. Maria Brasichalanus Sacri Palatii Apostolici Magister. Non sum nescius, Fabricium hunc librum sub nomine Severi Patriarchæ Alexandrini edidisse. Verùm in codice ipso Syriaco non aliter quàm *Mar Severus Patriarcha* nuncupatur. Quid quod Codex MS. in Bibliothecâ Cl. Hardii Parisiensis nomen *Severi Patriarchæ Antiocheni* disertè præfert, teste, qui inspexit, Richardo Simonio not. ad *Gabriel. Philadelph.* Opusc. p. 290. Nec alia forsan Fabricio errandi occasio, quàm quòd Severus noster diu Alexandriæ vixerit, ibique pro Sectæ suæ Patriarchâ se gesserit. Ætatem quod attinet, ad Sæculum VII. communiter referunt Bibliothecæ Patrum curatores; disertiùs alii ad annum DCXLVI. Verùm Genebrardus *, quo solo auctore hâc in re nituntur, id non affirmat, sed Patriarchas Alexandrinos post hæc tempora recensens, ait, *Sanctum Severum hoc Rituale Ægyptiis Christianis dedisse.* Quod videtur, inquit, contigisse mox post *Mahometicam tempestatem* in captivorum solatium. Petrum verò Alexandriæ Patriarcham ab anno DCXL. usque ad annum DCL. sedisse; quis verò posteà hanc sedem tenuerit, ob Saracenorum tyrannidem planè incompertum esse, tradit. V. Scripsit adversùs Lampetium Sectæ Euchitarum Presbyterum, qui librum, quem *Testamentum* vocavit, in hæresis suæ defensionem composuerat. Hunc Severus noster Presbyter tunc existens edito libro refutavit, teste Photio, Cod. LII. col. 41. Hujus Operis nulla hodiè supersunt vestigia. De *Severo* unum adhuc monendum restat: Post sententiam damnationis in ipsum à Synodo sub Mennâ anno DXXXVI. latam, Justinianum Imperat. Edictum † promulgasse, "quo cavebat, nè "Dicta & Scripta Severi penès aliquem Christianum manerent, igne à possidentibus comburenda; neque alicui fas esse ea describere, secùs qui fecerit manum ei esse amputandam. Plura deni-

SÆC. VI. ab An. D.

* Chronogr. l. 3. p. 487.

* Extat Conc. sub Menn. Act. V. p. 268. & inter Novel. Justin. num.

que

SÆC. VI. An. D. [illegible] vide [illegible] agr. lib. [illegible] c. 11. p. 558. & Germani Patr. Dogmaticum MS. penès Cl. Galeum.

que Severi nostri Fragmenta haberi in Catenis Veterum, tàm editis quàm MSS. suo loco monui. Certè in Catenâ MS. *in Acta Apostolorum*, & partem *Epistolarum Catholicarum* DC. annorum ætatem præ se ferente, quæque in Bibliothecâ Regis Galliæ asservatur, Severus inter alia sæpiùs citatur, & plusquam viginti vicibus Episcopus seu Archiepiscopus Antiochenus cognominatur; ut nostrum esse nullus dubitat vir κριτικώτατος Rich. Simonius *Hist. Critic. præcipuorum Comment. in Nov. Testam.* cap. 31. Notandum denique quòd refert Nicephorus lib. XVII. cap. 8. *Epistolas Severi, ad Imperatorem Iustinianum, & conjugem ipsius Theodoram*, suo adhuc ævo extitisse. Extant apud Cl. Galeum ampla fragmenta Severi Episc. Antiocheni ex sermonibus ejus variis *in Isaiam*. In sermone Cl. de Christo sic loquitur, Ὃν ἡ ἐνανθρώπησις οὐκ ἔτρεψεν ὔτε ἠλλοίωσεν, ὔτε ἠμείωσεν, &c. Dictio ejus splendida est, modus interpretandi anagogicus. Adferuntur ibidem pauca ex Epistolâ ejus *ad Cæsareum*. Constat non pauca Severi nostri opera integra adhuc in Orientalium scriniis delitescere. Qualia sunt *Homiliæ*, ex quarum II. cap. 9. locum Syriacè profert Naironus *Euopl. Part.* 1. pag. 27. *Expositio super Psalmos* tàm solutâ quàm strictâ Oratione, teste Gregorio Barebræo *in Ethic.* cap. 4. apud *eund.* pag. 52. *Liturgia*, quæ à Jacobitis celebratur, quamque Andreas Masius Latinè reddidisse dicitur, & forsan alia plura. In magno enim honore apud Syros Severus est hodie, semperque erat, adeò ut teste Morino *Præf.* ad Ordin. Jacobit. *os omnium doctorum* vulgò appelletur.

514. MAGNUS AURELIUS CASSIODORUS, (quodque nonnulli suffragante, ut videtur, veritate addunt) SENATOR dictus, gente Italus, Patriâ Lucanius sive Bruttius, stirpe Romanus, illustri ac Senatoriâ familiâ oriundus, natus est post annum 463. Post decursa fœliciter literarum stadia, ac maximam sibi nominis famam eloquentiâ, prudentiâ, & summâ morum gravitate comparatam, sub initia Theodorici Regis imperii Siciliæ præfectus est; & rebelles ac jugi impatientes Siculorum animos non minùs consiliis quàm armis præclarè usus compescuit. Virtute igitur ejus perspectâ à Theodorico, circa an. 490. secretioribus consiliis adhibitus, conscribendis epistolis præpositus, in regiminis administrandi societatem quasi cooptatus, & immensis honoribus cumulatus est. Primùm enim Comes rerum privatarum, deinde sacrarum Largitionum factus; mox utriusque Siciliæ, Bruttiorum & Lucaniæ Corrector constitutus: Palatinæ etiam Quæsturæ munere perfunctus, Magister Officiorum renunciatur; dein Præfecturâ Prætorii donatus. Patriciatûs etiam dignitatem antè annum 500. adeptus est; demum anno 514. ad Consulatûs honorem, quem solus eo anno gessit, evectus. Tantis ac tam præclaris officiis apud Theodoricum defunctus; in illius, quamdiu vixit, aulâ primas tenuit; post istius mortem ab Athalarico Rege & matre Amalasuntha supremis regni consiliis, non tam admotus quàm præfectus, ab iis insuper anno 534. Præfecturâ Prætorii iterum honestatus. Anno 537. à Vitige Rege exauthoratus, vitæ sæculari renunciavit; & otium meditatus, Monasterium Vivariense sive Castellense dictum prope civitatem Scyllitanam in extrema Calabriæ parte posuit & incoluit. Hic loci degens, pietati colendæ se dedit, mechanicis artificiis & rebus Philosophicis animum oblectavit, Veterum libros undique conquisitos congessit, alios ipse composuit. Circa annum 556. libros de Divinis Lectionibus scripsit; certè post habitum Concilium Quintum, quod parum appro-

Cave Hist. Lit.

bavit. Post eos librum de Orthographiâ edidit; in cujus procemio se nonagesimum tertium ætatis annum agere testatur. Annò 562. Paschalem computum conscripsit: cui operi quot annis superfuerit, non liquet. Nescio enim quâ authoritate ducti sint*, qui mortem ejus in annum 575. rejiciunt. SÆC. VI. ab An. D.

SCRIPTA GENUINA.

V*ariarum Epistolarum libri* XII. quorum decem priores epistolas Theodorici & Athalarici Regum nomine, duo posteriores proprio conscriptas complectuntur. Prodierunt seorsim *Augustæ Vindel.* 1533. & cum notis Brossei & Fornerii *Lugduni* 1565. 8°.

Historia Ecclesiastica Tripartita ex tribus Græcis auctoribus, Sozomeno, Socrate, & Theodorito, ab Epiphanio Scholastico Latinè versis, à Cassiodoro collectæ & in compendium redactæ, libri XII. Prodierunt seorsim *Basil.* 1528. 1568. *Francofurt.* 1588.

Chronicon ad Theodoricum regem ab Adamo usque ad annum 519: quod summâ incuriâ contextum esse, ac puram putam esse rerum farraginem jure notat Vossius*. Prodiit seorsim cum commentariis Joannis Cuspiniani, *Basil.* 1552. *Heidelberg.* 1588. *Lugd. Bat.* 1632. 8°. * De Hist. Lat. l. 2. c. 19.

Computus Paschalis, seu de Paschate, Indictione, Epactâ &c. *adinveniendis Tractatus.*

De rebus gestis Gothorum libri XII. quorum ipse meminit in Præfatione Variarum, quosque Jornandes in Epitomen redegit. Extat Jornandis Epitome. Fusius Cassiodori Opus interiit.

Expositio seu Commentarius in Psalmos Davidis, ex Augustino ferè desumptus. Prodiit seorsim *Basil.* 1491. *Paris.* 1519.

Institutionis ad Divinas Lectiones libri II. Prodierunt seorsim *Paris.* 1575. *Antverp.* 1566. 8°.

De Orthographia liber, ex veteribus Grammaticis XII. consarcinatus. Prodiit seorsim *Hanov.* 1605. *Antverp.* 1579. 8°.

De septem Disciplinis, viz. Grammaticâ, Rhetoricâ, &c. liber.

De Animâ liber. Prodiit seorsim *Paris.* 1500.

De Oratione, & octo Partibus Orationis liber.

SPURIA.

E*xpositio in Cantica Canticorum*, in quâ citatur Gregorius Papa. Prodiit seorsim *Friburgi* 1538.

De Schematibus & Tropis, necnon quibusdam locis Rhetoricis S. Scripturæ, quæ passim in Commentariis Cassiodori in Psalmos reperiuntur; *liber*; qui Bedæ potiùs adscribi debet.

De Amicitiâ verâ liber unus; qui ab omnibus Cassiodoro jam abjudicatus, Petro Blesensi verò authori vindicatur; inter cujus etiam Opera excusus est *Paris.* 1519.

SS. Paphnutii, Spiridonis, & aliorum, Vita, quæ in Aloysii Lippomanni Collectione habentur, Cassiodoro nostro à nonnullis attribuuntur.

DEPERDITA.

A*D Reges & Reginas Panegyrici nonnulli*, quorum ipse meminit in Præfatione Variarum.

Expositio Epistolæ ad Romanos; de qua vide plura in Pelagio.

Tractatus Grammatici aliquot de Schematibus, Etymologiis, & in Donatum.

E e Liber

Liber titulorum de S. Scripturâ, collectus, *Memorialis* dictus.

Breves Explanationes in Acta, & Epistolas Apostolorum, ac Apocalypsin. Omnia ista Opera à primo exclusivè ipse à se scripta memorat præfatione libri de Ortographia.

Prodierunt Cassiodori Opera, cum notis Gul. Fornerii *Paris.* 1588. atque iterum ibid. 1600. 2. vol. 8°. cum notis Petri Brossei *Genevæ* 1601. 4°. 1609. 8°. & 1650. 4°. denique omnia Cassiodori Opera collegit, recensuit, emendavit, notis ac dissertationibus illustravit, & in duos Tomos digesta edidit Joannes Garretus, Monachus Benedictinus *Rothomagi* 1679. fol. Habentur etiam (demptis Historia Tripartita, & Commentariis in Psalmos & Cantica) Biblioth. Patr. Tom. XI. p. 1094.

514. HORMISDAS, Patriâ Campanus, civitate Frusinas, Justi filius, Ecclesiæ Romanæ Diaconus; & ab anno 514. die XIII. Aprilis Episcopus. Pontificatum adeptus, de resarciendâ Ecclesiam Occidentalem inter & Orientalem concordiâ consilium statim init; variisque Epistolis apud Anastasium Imp. & Orientales Episcopos rem pro virili agit; ipse vicissim ab Anastasio & Orientalibus variis artibus impetitus. Utrobique tamen res eventu caruit. Utrique pristinam sive constantiam, sive contumaciam immotam conservârunt. Anastasius & Orientales nullâ mutatione factâ, nullâ cautione adhibitâ, communionem iniri voluerunt. Hormisdas è contra Concilii Chalcedonensis decreta, & Leonis Papæ ad Fl. CP. Epistolam, Imperatoris edicto, ac Episcoporum subscriptione comprobari; Acacii etiam, Euphemii, Macedonii, aliorumque istorum causæ addictorum nomina Diptychis expungi voluit. Tam duras & iniquas leges ægrè tulerunt Orientales. Pacis tamen conciliandæ vanâ spe lactatus Hormisdas anno 515. atque iterum anno 517. Ennodium Ticinensem Episcopum unà cum aliis quibusdam ad Anastasium Imp. legavit. Verùm operam lusit. Rejectæ pacis conditiones, legati summâ cum contumeliâ dimissi. Anastasio demum rebus humanis exempto, & Justino, qui Orthodoxam fidem fovebat, ad imperium evecto, legationem ad Orientales tertiam adornavit Hormisdas. Anno igitur 519. misso Germano Episcopo Capuano Synodi Chalcedonensis confirmationem ab Imperatore Catholico haud ægrè impetravit, ut Acacii verò aliorumque nomina Diptychis eximerentur, haud ita facilè obtinuit. Obtinuit tamen. Id paci dedit Imperator; ut diuturnum schisma tandem aliquando consopiretur. Obiit Hormisdas die XXX. Aprilis anno 523. Extant *Epistolæ* LXXX. & Decreta quædam Concil. Tom. IV. Ex his 1ª. ad Remigium Rhemensem, qua vices suas ei in Gallia peragendas delegat, manifestò spuria est; quippe in qua Hormisdas baptizatum nuper à Remigio Clodovæum Regem (quem Ludovicum vocat) gratulatur. Baptizatus autem est Clodovæus anno 496. atque obiit anno 509. saltem 511. antequam Hormisdas Pontificatum nancisceretur. 23ª. ad Archimandritas & Presbyteros Syriæ secundæ, & 80ª. ad Epiphanium Episcopum CP. habentur etiam Gr. Lat. Concil. Tom. V. pag. 144. Inter Decreta locum habet celeberrimum illud Gelasii de Libris Canonicis, & Apocryphis Decretum, quod in quibusdam Codicibus MSS. Hormisdæ inscribitur, & sub illius nomine è Codice antiquo Jurensi emendatum à Fr. Chiffletio editum est ad calcem Vigilii Tapsensis, *Divione* 1664.

514. ÆGIDIUS, gente Gallus, Abbas Monasterii cujusdam in Gallia Narbonensi, claruit ann. 514. quo libellum pro privilegiis *Ecclesiæ Arelatensis* Symmacho *Papæ* obtulit. Extat *Libellus* iste unà cum Symmachi ad Cæsarium Arelatensem responso Concil. Tom. IV. pag. 1310. Sed forsan tanti non sunt, ut in hoc Opere locum habere mereantur.

ORENTIUS, gente Hispanus, domo Tarraconensis, Episcopus Eliberitanus, claruit anno 516. 516. quo Synodo Tarraconensi adfuit, & subscripsit. Scripsit *Commonitorium fidelium metro Heroico*, ut *mulceat legentem suavi Breviloquio*, uti habet Sigebertus *. Extat *Commonitorium* istud, à Martino Delrio cum notis editum *Antverp.* 1600. & cum notis itidem *Salmanticæ* 1644. 4°. ac in Bibliotheca Patr. Tom. VIII. pag. 875. * Catalogi cap. 34.

JOANNES, natione Cappadox, ab anno 517. 517. Patriarcha Constantinopolitanus factus. Anno 518. mortuo Anastasio, & evecto ad imperium Justino, à plebe Catholica in Ecclesia Magna tumultuante, haud invitus tamen, coactus est, ut Severum Antiochenum anathematizaret, Synodi Chalcedonensis Patres commemoratione solenni factâ Diptychis insereret, & Euphemii ac Macedonii nomina iisdem restitueret. Mox mense Julio habitâ Constantinopoli XL. Episcoporum Synodo, quæ populus violentis precibus extorserat, legitimis decretis sancivit. Anno 519. suadente & penè imperante Justino Aug. ad unionem cum Ecclesia Romana resarciendam sese accinxit: & conditiones ab Hormisda oblatas amplexus, Concilii Chalcedonensis obtrectatores anathematizavit, Acacii, Euphemii, & Macedonii nomina Diptychis exemit, Leonis Papæ, & Hormisdæ reposuit. Hac de causa Hormisdas eodem anno gratulatorias ad eum dedit literas, & ad procurandam Alexandrinæ & Antiochenæ Ecclesiarum pacem hortatus est. *Extant Epistolæ* III. *ad Hormisdam* Lat. Concil. Tom. IV. pag. 1486. 1491. 1521. aliæ II. breviusculæ, *altera ad Ioannem Hierosolymitanum*, ad *Epiphanium Tyri Episcopum altera*, Gr. Lat. Concil. Tom. V. p. 185.

THEODORUS, unde oriundus, non satis liquet. 518. Sunt, quæ Paphlagonem fuisse arguere videntur, quæ tamen non tanti sunt, ut assensum impetrent. Erat Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Lector: claruitque circa annum 518. Quis verò risum tenere potest, qui hæc apud Aubertum Miræum * legit? *Vixit Theodorus Anagnostes sub annum* 1320. Additque *scripsisse Collectanea Historiæ Ecclesiasticæ, excerpta ex ore Nicephori Callisti.* Somniet, immò stertat, oportet, famæ suæ ac veritatis securus, qui hæc scribere potuit. Collegit Theodorus noster ex Socrate, Sozomeno & Theodorito Historiam Tripartitam duobus libris comprehensam à vicesimo Constantini anno usque ad Imperium Juliani pertingentem. Extat hæc Historia etiam Græcè MS. in Bibliothecâ Venetâ D. Marci. Exemplar etiam habuit Leo Allatius, ex quo variantes suas Lectiones Historiarum Socratis, Sozomeni, & Theodoriti desumpsit Henr. Valesius. Huic Operi postea Theodorus duos alios *Historiæ Ecclesiasticæ libros* addidit, proprio marte conscriptos, à tempore, quo desiit Socrates, ad principatum usque Justini senioris, viz. ad annum 518. unde & quartum Historiæ ejus Ecclesiasticæ librum citat Damascenus †. Ex postremis hisce libris amplissima Collectanea excerpsit Nicephorus Callistus, quæ sola nobis hodie supersunt. Extant Græcè unà cum cæteris Historicis Græcis Ecclesiasticis, à Roberto Stephano edita *Paris.* 1544. Gr. Lat. *Genevæ* 1612. cum versione & notis Henrici Valesii *Paris.* 1673.

* Auctuarii cap. 427.

† Lib. 3. de Imag.

PRO-

SÆC. VI. ab An. D. 520. Phot. Cod. 160. PROCOPIUS, GAZÆUS ab urbe, quam incoluit, dictus, professione Sophista, claruit circa ann. 520. Justino imperante, & deinceps Choricii Gazæi Sophistæ, qui Justiniano regnante floruit, & quem affectâ jam ætate scholæ suæ successorem vidit, magister. De eo sic Photius *. Τέτε λόγοι πολλοί τε καὶ παντοδαποὶ φέρονται, ἄξιον ζήλε καὶ μιμήσεως χρῆμα --- ἡ φράσις δ' αὐτῷ εἰς τὸ ἄκρον ἤσκηται, εἰ καὶ ἐξηγητικῆς διατυπώσεως ἔχει τι καὶ κομψότερον. *Hujus libri multi, variaque doctrinæ, circumferuntur, lectu atque imitatione digni. ---- Dictio ab eo est optimè quidem exculta, sed comptior aliquantò, quàm commentarii rudiorem formam decet.*

* Cod. 160. 206.

SCRIPTA.

Commentaria seu (ut Photii *, qui ea valdè laudat, verbis utar) ἐξηγητικαὶ σχολαὶ *in Octateuchum sive potius Heptateuchum*, ex Orthodoxorum Patrum scriptis & Commentariis summo judicio excerpta, summâ elegantiâ contexta Latinè solummodò extant, excusa *Tiguri* 1555. Conrado Clusero interprete.

* Cod. 206.

Scholia in libros quatuor Regum, & duos Paralypomenon. Extant Græc. Lat. â Joanne Meursio edita *Lugd. Bat.* 1620. 4°.

Variorum in Esaïam Prophetam Commentariorum Epitome, à Photio * laudata, & à Joanne Curterio Gr. Lat. edita *Paris.* 1580.

* Cod. 207.

Comment. in Proverbia citat Turrianus Epist. Pontif. Defens. l. 4. cap. 6. 7. *in Proverbia & Cantica* Jo. Curterius, in Præfat. in Esaiam, sed forsan adhuc MSS. delitescunt.

Epistola aliquot Procopii Sophistæ ad Philippum fratrem, Hieronymum, Macarium, Sozomenum, Pancratium, Castorem, Zachariam, Eliam Episcopum, &c. valdè elegantes ab Aldo in volumine Græcarum Epistolarum impressæ sunt. Utrum Gazæo verò an Cæsariensi Procopio adscribendæ sint, haud ita certò dijudicari potest: cùm utrique Sophistæ nomen convenerit. Gazæi tamen potiùs esse non una ratio persuadet.

Στίχων Ὁμηρικῶν Μεταφράσεις εἰς ποικίλας λόγων ἰδέας ἐκμεμορφωμέναι, quas memorat & dilaudat Photius Cod. 160. quasque nos interiisse dolemus.

520. P. II. PROCOPIUS GAZÆUS, claruit circa annum DXX. Inter ejus ἀνέκδοτα locum habet *Commentarius* in XII. *Prophetas minores*, qui apud Jesuitas Parisienses in Bibliotheca, ni fallor, Collegii Claromontani MS. delitescit. Hunc, ut accepi, Latinè vertit, preloque paratum post se reliquit Joan. Garnerius, nobile illud Societatis Jesuiticæ ornamentum. Ut in lucem proferatur, boni omnes mecum vehementer exoptabunt. Commentarium Procopii in *Octoteuchum* Latinè olim edidit Conradus Clauserus. Sed malâ fide egit vir aliàs doctus & diligens, multa suppressit, plura non intellexit, fœdè sæpenumerò & turpiter lapsus, Codicem igitur Græcum nactus Gotfridus Olearius, celeberrimi Concionatoris Lipsiensis filius, vir præclari ingenii, & singularis planè suprà ætatem eruditionis, integrum descripsit, novam versionem adornavit, notasque addidit, omnia publici juris propediem facturus.

520. EPIPHANIUS, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyter, & Joannis Patriarchæ Syncellus. Anno 519. unà cum Licinio Comite, & Hormisdæ Papæ legatis Thessalonicam missus est: ut habitâ Episcoporum Synodo, de Dorothei Episcopi Thessalonicensis, qui Episcopos Suffraganeos communionem ipsius fugientes sedibus suis exturbârat, causâ Patriarchæ sui nomine judicium ferr. r. Anno 520. Joanne defuncto ad thronum Constantinopolitanum evectus est; habitâque confestim Episcoporum Synodo pacem Hormisdam inter decessorem suum initam autoritate suâ ratam fecit; & Concilium Chalcedonense confirmavit. Obiit anno 535. Extant ab eo scriptæ *Epistola V. ad Hormisdam Papam* Latinè Concil. Tom. IV. pag. 1535. 1537. 1545. 1555. SÆC. VI. ab An. D.

PETRUS, gente Græcus, saltem Asiaticus, dignitate Diaconus; anno 520. Scytharum Monachorum legatis Romam ex Oriente profectis se adjunxit; & Monachorum causam maximo animi studio adjuvit: cui ut majorem autoritatem ex magnorum virorum suffragiis conciliaret, eodem anno, Romæ agens, *librum de Incarnatione & Gratiâ D. N. Jesu Christi ad Fulgentium cæterosque Catholicos* in Sardiniâ exulantes Episcopos sui ac sociorum nomine conscripsit; quo Orthodoxam Scytharum Monachorum fidem in medium protulit, & prolatam argumentis confirmavit; Episcoporumque Africanorum sententiam de Controversiis istis expiscatus est. Extat *Liber* iste inter Fulgentii Opera, Responsorio Fulgentii libro præfigi solitus, & in Orthodoxogr. p. 1241. ac Bibliothecâ Patr. Tom. IX. Vide plura in Maxentio. 520.

ANONYMUS Auctor *Christianorum libri* à Photio memoratus Cod. 36. claruit circa ann. 520. Sex enim priores libros Pamphilo cuidam, qui sub Justino Imp. floruit, nuncupavit. Opus istud nil aliud erat quàm *Octoteuchi Expositio in* XII. *libros distributa*, & ineptiis nugacissimis ac dogmatibus absurdis referta. Speciminis gratiâ; Nec cœlum nec terra orbiculari formâ constare, istam verò alterâ parte longiorem extremis partibus cum cœli terminis copulari, illud terræ fornicis vice fungi; Astra ab assistentibus Angelis moveri: Christum è terris ascendentem inter cœlum & firmamentum consedisse, ibique duntaxat cœlorum esse regnum. Interiit Opus istud: excerpta tantùm quædam breviuscula conservavit Photius loc. cit. Idem Auctor *Cantica Canticorum* Commentario illustravit, cujus ne minima superest lacinia. 520.

POSSESSOR, Episcopus in Africâ, cujusnam verò urbis incertum, ab Arianis ejectus, Constantinopolim profectus est, & contra Hæreticos constanter dimicando Catholicam fidem plurimùm confirmavit, claruit anno 520. Extat Epistola ejus ad Hormisdam Papam Constantinopoli scripta, quâ Pontificem consulit de Fausti Regiensis dogmatibus circa gratiam & liberum arbitrium: Habetur unà cum Hormisdæ responso Concil. Tom. IV. pag. 1529. quamvis non desint ex Jansenii asseclis haud infimæ sortis viri, qui Epistolam illam Responsoriam Hormisdæ abjudicare non vereantur. 520.

JOANNES MAXENTIUS, gente, ut volunt, Scytha, quin & Monachus & Presbyter Antiochenus: non desunt, qui hunc eundem cum Joanne Antiocheno, de quo Gennadius cap. 93. fuisse contendunt. Erat etiam teste Sophronio Hierosolymitano apud Photium *. Joannes quidem Antistes Scythopolitanus, qui doctè & piè de Synodo Chalcedonensi scripsit; quale Opus nostrum Joannem confecisse satis constat. An verò nostrum designaverit Sophronius, certò affirmare non ausim. Noster tamen Scythopolitanus & alibi à Photio †, & hodie vulgò appellatur. Claruit an. 520. Quo anno, saltem superiore exorsâ inter Monachos quosdam Scythas (è quorum numero erat Maxentius, eorum- 520.

* Cod. 231.
† Cod. 95.

Digitized by Google

eorumque ut videtur Archimandrita) & Victorem quendam Diaconum controversiâ de isto loquendi genere, *Unus ex Trinitate pro nobis crucifixus est*, quod pium & Orthodoxum esse censebant Monachi, Victor è contra; & propalatâ in Oriente famâ de Fausti Episcopi Gallicani libris Pelagianismum non obscurè docentibus: Monachi ex suis quatuor delectos, & in his, si Baronio fides, Maxentium, Constantinopolin ad Germanum Capuanum aliosque legatos Pontificios ibi tunc agentes ab Antiochia mittunt; ut Fausti libros damnari, sententiam verò suam de uno ex Trinitate crucifixo à legatis confirmari efficerent. Utrumque recusârunt legati Pontificii; quin potiùs Scytharum sententiam apertè damnârunt. Romam igitur pergentes Monachorum legati, ad Hormisdam Papam se conferunt. Verùm ille à legatis suis, & Possessore Africano per literas edoctus, legatorum suorum sententiam ratam facit: datâque ad Possessorem Epistolâ Monachorum sententiam tanquàm hæreticam, & nefandum semen diaboli damnat, eorumque legatos urbe expellit. Isti quò minùs sibi deessent duodecim anathematismos divulgant Nestorianæ hæresi oppositos, cui Hormisdæ sententia latam certè nimis straverat viam. Quinetiam Joannes Maxentius scriptâ Apologiâ Scytharum sententiam tuetur, & Hormisdæ ad Possessorem Epistolam acriter refutat, autorem illius sive Hormisda (de eo enim subdubitare videri voluit) sive alius quis fuerit, hæreticum esse, & inimicum Catholicæ veritatis apertè clamans. Hanc quidem ob causam Maxentius à Scriptoribus Pontificiis malè tractatur: quem nihilominùs adversùs Baronii, Binii, aliorumque calumnias fusè & eruditè vindicat CL. Forbesius Instruction. Histor. Theol. l.3. c. 21. De stylo ejus sic Photius *. Ἔστι δὲ τὸν λόγον σαφής τε καὶ καθαρὸς, καὶ λέξεσι λόγῳ συγγραφικῷ πρεπούσαις χρώμενος, καὶ κατὰ τῆς αἱρέσεως οὐκ ἀσθενῶς ἐπαγωνιζόμενος, οὐδὲ ταῖς γραφικαῖς ἀποχρώμενος μαρτυρίαις, &c. *Oratio, ejus clara est, ac pura, verbisque utitur historico stylo accommodatis. Contra hæresin præterea neque languidè pugnat, neque S. Scripturæ abutitur testimoniis; &c.*

* Cod. 95.

OPERA, QUÆ EXTANT.

Epistola ad Legatos Pontificis Romani Constantinopoli agentes.

Catholica de Christo professio in confessione fidei suæ.

Capitula sive Anathematismi XII. *contra Nestorianos.*

Alia professio fidei brevior.

Ratio adunationis Verbi Dei ad propriam carnem.

Responsum Apologeticum ad Hormisdæ Epistolam.

Libellus contra Acephalos.

Dialogorum contra Nestorianos libri II. ad Theophilum.

Opuscula ista omnia Latinè extant in Bibliotheca Patrum Tom.IX. p.533.

Scholia in Dionysii Areopagitæ Opera, de quibus hæc habet CL. Usserius in Biblioth. Theol. MS. "Joannes Scythopolitanus scripsit in Dionysium "Areopagitam scholia, pariter ac Maximus. Verùm "in libris Dionysii ab anno 1562. inclusivè editis "simul confusa sunt Joannis & Maximi Scholia: "quæ non in antiquioribus solùm, quæ Cyparissioti "tempore ferebantur, editionibus fuerunt distin"cta, sed etiam in utroque quo usus est ipse Mo"rellius, Codice: in quorum altero ad marginem "apposita sunt (Joannis Scythopolitani) sine no"mine Scholia: in altero verò seorsim (post ab"solutum textum integrum Dionysii) Maximi no"mine insignita Scholia, eò breviora, quòd ab "amplioribus Joannis, cum quibus ea conjunxit "Morellius, separata fuerant. Porrò vulgata illa "Scythopolitani Scholia, eadem illa ipsa sunt, quæ "Dionysio Alexandrino ab aliis sunt attributa: "quod ex sententiâ à Cyparissioto ex Dionysii "scholiis citatâ patet; quæ in Scholiis istis toti"dem verbis reperitur. Istam verò sententiam Scy"thopolitani, non Maximi esse, liquet ex Latinâ "versione Scholiorum Scythopolitani à Roberto "Episcopo Lincolniensi factâ, & in Bibliothecâ "Collegii Corporis Christi apud Oxonienses MS. "asservatâ, in quâ reperitur. Hactenus Usserius. Utrùm verò Scholiorum istorum autor fuerit Maxentius noster, an Joannes Episcopus Scythopolitanus, cujus suprà mentionem fecimus, si modò is diversus à Maxentio fuerit, an Joannes quidam Scythopolitanus utroque junior, nos nequaquam decernimus: judicent Eruditi.

OPERA DEPERDITA.

Adversùs Ecclesiæ desertores, sive contra Eutychen, Dioscorum, ejusdemque sectæ asseclas, Libri XII. Juliano quodam Archiepiscopo rogante conscripti, & à Photio laudati Cod. 95. Habetur fragmentum satis amplum ex Libro VIII. desumptum Concil. Tom. VI. p. 830.

Epistola sui, ac Venerii Diaconi nomine ad Fulgentium, cæterosque in Sardinia exules Episcopos Africanos scripta, qua sententiam eorum de Prædestinatione & Gratia exquisivit: ac cui Episcopi Africani Epistolâ Synodicâ (quæ inter Fulgentii Opera extat) Fulgentius verò tribus editis libris, responderunt.

TRIFOLIUS, dignitate Presbyter, cujusnam verò loci, quis nobis divinabit? Claruit anno 520. Quæsiverat ab eo Faustus, Senator Romanus & Prætorio Præfectus, si quid in scriptis Patrum de doctrina Sytharum Monachorum reperiri posset. Fausto respondit per Epistolam Trifolius; qua ex quatuor Conciliorum Generalium decretis contra Joannem Scytham, ejusque Monachos, qui Romam nuper advenerant, agit. Hanc Epistolam, in fine quidem mutilam, ex Schedis Sirmondianis eruit Labbeus, & in lucem emisit Concil. Tom. IV. p. 1590. 520.

JOANNES, natione Tuscus, Constantii filius, anno 523. die VII. Maii Hormisdæ in Sede Romana successit. Anno 525. à Theodorico Rege Ravennam accitus ad Justinum Imp. invitus legatus est, ut Ariani Ecclesias, quas auferre iis in animo habuit Justinus, precibus suis conservaret. Constantinopoli agens Epiphanio Patriarchæ (Euphemio malè habet Nicephorus *) in Ecclesia Magna ad latus assidere recusavit; sublimiorem sibi thronum supra Epiphanii sedem erigi postulans, de quo vide quæ in observationibus ad fragmentum Dorotheanum suprà notavimus. Re apud Imperatorem infectâ Romam reversus, à Theodorico Ravennam abductus, & in custodiam datus est. Obiit in carcere anno 526. die XVIII Maii. Extant *Epistolæ* II. Concil. Tom. IV. pag. 1603 sed quas, quicquid sibi somniat Binius, supposititias esse fatentur novissimi Conciliorum editores. 523.

* L.7. c.9.

EPHRÆMIUS, genere Syrus, postquàm alias sæculares dignitates obiisset, à Justino Imp. Comes Orientis renunciatus est. Anno 525. Antiochia incen- 526.

SÆC. VI. ab An. D.

cendiis & gravissimo terræ-motu penè diruta, & Euphrasio Episcopo inter ædium ruinas obruto, cùm Ephræmius summâ diligentiâ ac pietate miseræ plebis necessitates sublevaret, à civibus Antiochenis Euphrasii successor expetitus est. Anno igitur sequente Patriarcha Antiochenus ordinatur, ac commissum sibi munus egregia pietate, & invictâ adversùs hæreticos constantiâ administravit. Anno 546. à Justiniano Imp. rogatus, aliquamdiu tamen reluctatus, tria Capitula damnavit, *postquam ei denunciatum est, quod excludendus esset, nisi faceret, sui potiùs honoris, quàm veritatis dilector inventus*, inquit, qui ipse tunc Constantinopoli aderat, * Facundus Hermianensis; nec subscriptioni suæ diu supervixit, eodem enim anno obiisse videtur.

* Lib. 4. c. 4.

Scripsit multa, quæ sequuntur.

Pro *Ecclesiasticis dogmatibus, & Synodo Chalcedonensi libri* III. Priores duos fusè describit, & amplissima ex iis excerpta exhibet Photius Codd. 228. 229. De tertio penitùs silet. Librorum autem priorum,

Primus continebat, 1°. *Epistolam ad Zenobium Scholasticum Emesenum* Acephalorum hæresi infectum prolixum, de Synodi Chalcedonensis autoritate, Leonis Papæ Epistola ad Flavianum CP. Trisagii clausula à Fullone addita & in Ecclesiis Orientalibus deinceps usurpata, ac de duabus in Christo naturis. 2°. *Ad Iustinianum Imp. Epistolas* III. 3°. *Epistolam ad Anthimum Episcopum CP.* 4°. *Epistolam ad Domitianum.* 5°. *Epistolam ad Syncleticum Tarsensem contra Acephalorum dogmata.* 6°. *Epistolam ad Anthimum Episcopum adhuc Trapezuntinum.* 7°. *Epistolam ad Brasen Persam de variis Theologicis dogmatibus.* 8°. *Epistolam ad Monachos quosdam schismaticos.* 9°. *Epistolam ad Callinici desertores.* 10°. *Acta Synodi ab Ephræmio in causâ Syncletici Tarsensis Episcopi habita.* 11°. *Epistolam ad Magnum Episcopum Beroeæ de duabus in Christo naturis.* 12° *Epistolam ad Eunoium Monachum de corruptione & incorruptione.* 13°. *Panegyricas Orationes* VI. *in totidem festos dies in Ecclesiâ celebratos.* 14°. *Orationes* 2. *Catecheticas ad Neophytos.*

Secundus continebat, 1°. *Apologiam pro Cyrilli Epistolâ* ad Succensum, quam calumniis suis obtendere solebant hæretici. 2°. *Responsionem ad Anatolii Scholastici Quæstiones, de Christo in carne etiamnum cognito*; quomodo Adam, si compositum quid creatus sit, immortalis esse potuit; de Joanne Evangelista etiamnum superstite; quomodo, si immortalis Adam est cognitus, quid utile erat, ignoravit, & quid velit id dictum, *Adam factus est sicut unus è nobis.* 3° *Librum ad Ioannem & Domnum Cilices Monachos de Concilio Chalcedonensi*, duabus in Christo naturis, & Cyrilli sententia. 4°. *Ad Orientis Monachos Theopaschitarum hæresi infectos.*

526. FOELIX, natione Samnita, Castorii filius, Joanne Papa in carcere mortuo, à Theodorico Rege Successor ejus nominatus est, ac proinde anno 526. die XII. Julii in sede Pontificali collocatus. Virum fuisse in Clero Romano probatissimum agnoscunt omnes: id solum ipsi vitio vertitur, quòd à Theodorico electus sit: qua occasione quàm lugubres, quàm tragicas in Theodericum exclamationes effundat Baronius, vide sis Annales ejus ad ann. 526. Obiit Fœlix die XXV. Septembris anno 530. Extant *Epistolæ* III Concil. Tom. IV. p. 1650. quarum duas priores supposititias esse fatetur ipse Labbeus, & post eum Papebrochius; ac res ipsa clamat.

Cave Hist. Lit.

JOANNES, professione Rhetor, domo Antiochenus, claruit anno DXXVI. Scripsit *Historiam rerum gestarum sub imperio Theodosii Iunioris, Marciani, Leonis, Zenonis*, &c. Opusque suum clausit in ruinâ Antiochiæ; quæ facta est Justini Senioris anno IX. Incendia, & terræ motus toto ferè anno per vices recurrentes, quæ eo tempore Antiochiæ contigerunt παράδοξα καὶ λόγου κρείττω inquit Evagrius, * τραγικῶς *lugubri stylo* exposuit. Citat ipsum non semel Evagrius lib. I. cap. 10. lib. II. cap. 12. lib. III. cap. 10. 28. & alibi non uno loco. Verùm opus illud dudùm periisse arbitror.

SÆC. VI. ab An. D. 526. P. II.

* Lib. IV. c. 5. p. 383.

SIMEON, *Stylites* ab habitaculo, *Iunior* ab ætate, quâ vixit, *Thaumastorita* denique (i e. ὁ ἐν τῷ θαυμαστῷ ὄρει) à vitæ instituto dictus, gente Syrus, à teneris unguiculis Monasticam vitam coluit. Puerum adhuc miraculis enituisse ferunt: Puerum certè adhuc, quippe antequam dentes commutasset, aut pardum à feli dignosceret, in columnam suam prope Antiochiam sitam anno 527. recepit, ac vitæ socium sibi delegit Eremita quidam senex sanctissimus. Ab eo tempore Simeon partim in illâ, partim in alterâ in montis vicini vertice positâ columnâ vitam degit, orationibus, vigiliis, & severissimis ἀσκήσεως eremiticæ institutis vacans. Acerrimus Eutychianorum & Nestorianorum hostis, quos angue & cane pejus odit. Mira de eo narrant Scriptores, πάσης χάριτος ἠξιωμένον fuisse scribit Evagrius ei optimè notus; qui dœmonas fugasse, morbos sanasse, intimas hominum cogitationes rimatum esse, futura prædixisse, ocularis ut plurimùm, uti præ se fert, testis prodit. Eadem post Evagrium miracula enarrat Nicephorus lib. 18. c. 14. Longè verò plura comminiscitur, qui Simeonis Vitam fusissimè scripsit, Arcadius Cypri Archiepiscopus in Concilio Nicæno II*. & à Damasceno † citatus. Obiit Simeon anno 595. postquàm in columnâ annos 68. exegisset. Scripsit Epistolas plures. Quintam ad Justinum Imperatorem citant atque integram Græc. Lat. exhibent Concilii Nicæni II. Patres actione 5. Concil Tom. VII. pag. 349. Spuriam tamen esse olim suspicati sunt, & pluribus probare nituntur Carolus M. & Patres Francofurtenses *. Olim etiam Simeoni vindicavit Hadrianus Papa, ac post eum nuper Leo Allatius †. Epistolam Simeonis ad Justinianum Imp. contra Eutychianos & Nestorianos memorat Sophronius Hierosolymitanus apud Photium *. Fragmentum ejusdem de Imaginibus dabit Damascenus Orat. 3. de Imag. pag. 789. Varios denique illius Tractatus hactenus ineditos in Bibliothecâ Vaticanâ & alibi asservatos memorat Leo Allatius Diatrib. de Simeonum scriptis pag. 21. 22. viz. 1°. *Troparia in S. Demetrium Martyrem.* 2°. *Orationem sive precem ad Filium pro repellendis obturbantibus cogitationibus.* 3°. *Orationem ad Christum recitandam cùm insurgunt cogitationes fornicationis.* 4°. *Orationem ad S. Deiparam contra pravas cogitationes*; quam recentioris ævi esse fœtum ipse titulus clamat.

527. Evagr. l. 6. c. 23.

Ibid. & l. 5. c. 21.

* Act. 4.
† Orat. 3. de imag.

* De non adorand. imag. l. 4. c. 5.
† Diatrib. de Simeonum Scipt. p. 20.
* Cod. 231.

FL. JUSTINIANUS, gente Illyricus, Sabbatii & Biglinizæ filius, Tauresii, hodie Achridantis in Dardania natus est anno 483. Avunculum habuit Justinum Augustum, à quo in Castello Bederiano summa cura educatus est, & in filium adoptatus. Nondum Imperator Theodoram ortu Cypriam uxorem duxit, fœminam insolentem & Eutychianæ hæresi perditè addictam. Anno 519. à Justino Imp. Magister Militum factus est; & in Orientem cum exercitu missus, rem contra Persas bene gesserit. 527.

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. sit. Anno 521. Consulatum obiit; mox Patricius, deinde Nobilissimus, ac tandem anno 527. Calendis Aprilibus Augustus renunciatus, cum avunculo regnare cœpit; quo defuncto Calendis Augusti ejusdem anni Imperium deinceps solus tenuit. Anno 528. edictum promulgavit, quo Nestorianos & Eutychianos, tanquam Hæreticos pœnis civilibus mulctandos decrevit, eodem post quinquennium renovato. Anno 541. Origenem ipse edicto damnavit, & habitâ mox sub Menna Synodo Constantinopoli illum cum sectatoribus anathemate percutiendum curavit. Anno 545. editâ constitutione tria Capitula damnavit: quod & exeunte sequente anno Synodus CP. itidem fecit. Anno 553. Concilium Oecumenicum Constantinopoli habendum indixit: in quo à Patribus, ut tria Capitula damnarentur postulavit & obtinuit. Anno 563. fatiscentibus cum corpore animi viribus, ab Hæreticis quibusdam delusus, edictum condidit, quo Christi corpus pari modo ante ac post resurrectionem corruptionis & naturalium affectionum expers fuisse docuit; utque sententiæ suæ omnes Episcopi subscriberent, mandavit. Episcopos Orientales ad Anastasii Antiocheni sententiam provocantes gravissimè afflixit; ipsum verò Anastasium, & Eutychium Patriarcham CP. constanter reluctantes sedibus suis exturbavit, & in exilium deportari jussit. Hujusmodi deliriis intentus, rebus humanis exemptus est anno 565. die 14 Novembris, dierum, gloriæ, & triumphorum satur. Non deerant olim, nec desunt hodie, qui in sacratissimum principem, non minùs doctrinâ, pietate, quàm potentiâ & rerum gestarum gloriâ clarum, tota calumniarum & conviciorum plaustra exonerant. Nemo verò unquam iniquiori censurâ, & inverecundiâ longè infra summi principis sortem, in augustissimos Justiniani manes debacchatus est, quàm Card. Baronius, omnes in hoc eloquentiæ nervos intendens, ut ex Imperatore non hominem sed diabolum nobis exhiberet. Ut fidem faciam, quædam lectori ob oculos ponam. *Fuit*, inquit, *homo penitus illiteratus; adeò ut nec alphabetum aliquando didicisset. Sacrilegus Imperator, qui non levem persecutionem excitavit, furore percitus, mente dimotus, corruptus maligno spiritu, agitatus à Satanâ, quique omnem in Ecclesiâ dissolvit ordinem, fecitque ex Regno cœlorum ergastulum inferorum.* Infinitus essem, si omnia percurrerem. Non mihi in animo est, post Guinetum, Giphanium, Trivorium, Rivium nostratem, aliosque, egregii principis vindicias agere. De eximiis Justiniani virtutibus unicum aut alterum Veterum testimonium proferam. De doctrina ejus & pietate hæc Procopius *, in Justinianum adhuc æquus. Solitum eum tum libros de rebus divinis agentes pervolutare, tum de iisdem colloquia cum Episcopis & Presbyteris in multam noctem pertrahere: in more ei semper fuisse multis ante Pascha dierum hebdomadibus corpus vigiliis & inediis plusquàm asceticis macerare, semel in biduo cibum capere, vino, pane aliisque cibariis penitùs abstinuisse, herbis tantùm sale & aceto conditis, atque aquâ contentum. De egregio autem illius erga fidem Catholicam studio audiamus Agathonem Papam ex Episcoporum CXXV. Synodo testimonium ferentem. *Et præ omnibus*, inquit, *æmulator veræ Apostolicæ fidei piæ memoriæ Justinianus Aug. cujus fidei rectitudo, quantum pro sincera confessione Deo placuit, tantum rempublicam Christianam exaltavit: & usque ab omnibus gentibus ejus religiosa memoria veneratione digna censetur: cujus fidei rectitudo per augustissima ejus edicta in toto orbe diffusa laudatur.*

Evagr. l. 4. c. 39.

Annal. ad an. 551. num. 3. 4. 528. num. 2. 553. num. 21.

* De Bell. Goth. l. 3. de ædif. Just. l. 1.

SÆC. VI. ab An. D.

OPERA.

Præter *Corpus Iuris Civilis*, (viz. *Institutionum libros* IV. *Pandectarum sive Digestorum* libros L. & *Codicis* (cui plurima de Religione admixta sunt) libros XII.) quod Triboniano, atque aliis adjutoribus usus, anno 528. condere incœpit, anno 535. ad exitum perduxit: & *Novellas* post annum 535. editas, quarum plurimæ fori sunt Ecclesiastici, seorsim typis excusas Græcè per Haloandrum *Parif.* 1553. 8°. per Schringerum ib. 1558. Gr. Lat. *Antverp.* 1575. Scripsit Justinianus plurima ad rem Ecclesiasticam spectantia: ex quibus hodie extant.

Constitutio contra Anthimum, Severum, Petrum, & Zoaram, anno 536. facta; quæ quidem ex Novellis desumpta, habetur Gr. Lat. Concil. Tom. V. p. 264.

Epistola ad Patres Concilii V. *Generalis*, anno 553. scripta: extat Lat. Concil. Tom V. pag. 419.

Tractatus sive Edictum adversùs Origenem, & errores ejus, ad Mennam Patriarcham CP. anno 541. missus: extat Concil. Tom. V. p. 635.

Epistola ad Synodum CP. anno 541. à Menna habitam adversùs Origenem & sectatores ejus: habetur Gr. Lat. Concil. Tom. V. p. 679.

Confessio rectæ fidei, (*sive Edictum contra tria Capitula*) anno 545. scripta: extat Gr. Lat. Concil. Tom. V. p. 684.

Epistola ad Patres Synodi CP. anno 546. *habita adversùs tria Capitula*: extat Gr. Lat. Concil. Tom. V. p. 724.

In scriptis hisce concinnandis si modò Theologorum suorum Consilio atque industriâ usus est Justinianus; nec novum id, nec mirum cuiquam videri debeat: nec minùs idcirco hæc proprio Marte scripsisse dicendus erit.

AGAPETUS, Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus, claruit anno 527. quo ad Justinianum purpura recèns ornatum scripsit *Admonitiones* quomodo se in imperio gerere deberet, verè aureas, & summo principe dignas, *Capita parænetica* LXXII. continentes Extant Gr. Lat. *Venet.* 1509. 8°. *Basil.* 1518. 8°. per Matthæum Martinium *Herbornæ* 1605. 8°. cum notis Stephani Schoningii *Franekeræ* 1608. 8°. *Francofurt.* 1659. 4°. *Lipsiæ* 1669. 8°. in Orthodoxogr. p. 180. in Auctario Bibliothecæ Patr. Duceano Tom. II. p. 362. 527.

PROCOPIUS, gente Palæstinus, domo Cæsariensis, professione Rhetor & Sophista, demum Senator Constantinopolitanus; anno 527. Belisario militiæ duci facto à Justiniano Imp. comes, notarius, ac consiliarius datus est. Anno 533. Belisarium Vandalos debellaturum in Africam secutus est; & ab eo ex itinere Syracusas missus imperatis fœliciter satisfecit. A Belisario ad res post victoriam componendas in Africa relictus, propter militum seditionem anno 536. ad illum in Sicilia agentem rediit; eumque eodem anno contra Gothos arma moventem in Italiam comitatus est; ac classis & rei annonariæ curam sibi commissam habuit. Ante annum 542. cum Belisario Constantinopolim reversus, ibi demum reliquum vitæ tempus consedisse videtur. In vivis adhuc erat ann. 562. quo Historiam Arcanam nondum clauserat. Plura ejus Operibus insunt, quæ animum fidei Christianæ minùs æquum, & Gentilismo longè faventiorem ostendere videntur; adeò ut non desint, qui illum superstitione Gentilium imbutum fuisse pertinaciter contendunt. Vide inter alios Joannem Eichelium Præfat. in Procopii Anecdota num. 527.

Procop. de Bell. Pers. l. 1. c. 12. 13. l. 1. c. 22. De Vand. l. 1. c. 12. 14. 15. l. 2. c. 14. De Goth. l. 2. c. 23. & alibi passim.

Digitized by Google

num. 17. ad 22. ubi pluribus ex ipsius Procopii scriptis id agit. E contra non pauca suadent Procopium à cultu Christiano, specie saltem, neutiquam abhorruisse: praecipuè quae de Ædificiis Justiniani l. 5. c. 7. de Bello Persico lib. 1. c. 25. l. 2. cap. 12. de Bello Vandalico lib. 1. c. 21. alibique habet. Certè quantùm ex ipsius scriptis perspicere liquet, veri non absimile mihi videtur, Procopium neque prorsus Gentilem fuisse, neque prorsus Christianum; cum Gentilibus Christianam non veram & unicam esse religionem credidisse; cum Christianis Gentilium ritus & superstitiones ludibrio habuisse: cum utrisque summum numen coeli terraeque conditorem agnovisse. Utut res sit, erat saltem professione & nomine tenus, Christianus; utque Justiniani gratiam eò faciliùs captaret, quicquid in pectore clàm fovebat, palam Christianum cultum prae se tulit: cui proinde inter Scriptores Ecclesiasticos locum suum hìc dedimus. Scripsit φιλοπονώτατα κομψῶς τε καὶ λογίως, inquit Evagrius *, varios Historiarum libros, qui sequuntur.

* L. 4. c. 12.

De Bello Persico libri II. rerum inter Romanos & Persas ab anno 407. ad an. 549. gestarum historiam complexi.

De Bello Vandalico libri II. rerum inter Romanos & Vandalos in Africâ ab anno 395. ad an. 545. gestarum historiam exhibentes.

De Bello Gothico libri IV. res bellicas ab Imperatoribus CP. contra Gothos in Italiâ ab anno 487. ad ann. 554. enarrantes. Hosce unà cum libris *de Bello Vandalico* ex Manuscriptis auctiores, ac Latinè à se versos dedit Hugo Grotius *Amstelod.* 1655. 8°.

Prodierunt octo isti libri Lat. *Basil.* 1531. 1566. fol. Gr. à Davide Haeschelio editi *Augustae-Vindel.* 1607. fol.

Ἀνέκδοτα, sive *Historia Arcana, Justiniani, Theodorae, Augg. Belisarii, & Antoninae flagitia* describens, anno 549. incoepta, anno 562. ad umbilicum ducta. In eâ Procopius summâ non tam audaciâ dicam, quàm mentiendi & calumniandi prurigine turpissima & inaudita hactenus scelera Justiniano Imp. aliisque affingit: adeò ut nullo alio fine eam scripsisse videatur, quàm ut optimi Principis aulam, tanquam Diabolorum Lernam, orbi invisam redderet. Tanta quinetiam in eâ ubique scatet fortiter conviciandi libido, tanta mendaciorum inverecundia, à solita Procopii gravitate alienissima, ut supposititium esse opus & Procopio falsò inscriptum viri doctissimi opinati sint. In excusis exemplaribus paginae nonnullae hortendas Theodorae Aug. impudicitias & libidines narrantes omissae sunt. *Integra* verò *Historia* in Bibliotheca Vaticana reperitur. Prodiit Gr. Lat. cum prolixis Alemanni notis *Lugduni* 1624. fol. *Colon.* 1669. fol. cum animadversionibus Eichelii *Helmstad.* 1654. 4to.

De Ædificiis Justiniani Imp. libri VI. Prodierunt Gr. ab Haeschelio editi unà cum octo prioribus *Historiarum libris Augustae - Vindel.* 1607. fol. Latinè cum iisdem *Basil.* 1576.

Prodierunt auctiora omnia Procopii Opera Gr. Lat. cum versione, variis lectionibus & emendationibus Maltreti *Paris.* 1662. fol.

527. NICETIUS, gente Gallus, primùm Monachus, ac deinde Abbas, maximè sanctitatis famâ inclaruit: adeò ut Theodoricum Mediomatricum Regem, & filium ejus Theodebertum vitiorum liberè coarguere non vereretur. Quapropter summâ viri veneratione tactus Theodoricus anno 527. eum Aprunculo Trevirensi Archiepiscopo defuncto successorem dari curavit. Anno 535. Concilio Arvernensi I. anno 549. Aurelianensi V. & Arvernensi II. anno 551. Parisiensi II. Nicetius interfuit; inflexo animi rigore in conservanda disciplina Ecclesiastica semper usus, Clotharium Regem ob incestas nuptias saepius excommunicavit. A Clothario eapropter in exilium missus, demum anno 565. à Sigeberto Clotharii filio post patris mortem sedi suae restitutus est. Obiit anno 568. Nonis Decembris, vel ut alii volunt, Calendis Octobris.

SCRIPTA.

De Vigiliis Servorum Dei Tractatus.

De Bono Psalmodiae Tractatus. Uterque diu Nicetae Dacorum Episcopo tributus est. Eos verò Nicetio nostro vindicavit Dacherius atque edidit Spicileg. Tom. III.

Epistola ad Justinianum Imp. qua eum in haeresim (uti opinabatur) lapsum ab errore revocare conatur.

Epistola ad Chlosuindam Reginam Longobardorum; qua eam hortatur, ut maritum ad fidem Catholicam adducat. Utraque post annum 560. scripta est, & habetur Concil. Tom. V. p. 832.

DACIUS, Mediolanensis Ecclesiae Archiepiscopus, claruit anno 527. Imperante adhuc Justino seniore, dum fidei causâ Constantinopolim pergeret, quid ab eo Corinthi adversùs Daemonem hospitium quoddam desertum incolentem factum sit, narrabit tibi Gregorius M. Dialog. lib. 3. c. 4. Extat ad illum *Epistola Cassiodori* de annona in plebem famelicam distribuenda circa an. 537. data. Obiit anno circiter 555. Tribuitur ei *Rerum Mediolanensium Chronicon* hactenus ineditum in Bibliotheca Mediolanensi servatum. Ut Chronici hujusce fidem & autoritatem eò certiùs exploraret CL. Mabillonius, mediante Claudio Castellano, quaesita quaedam Mediolanum misit. Responsum tulit ab Antonio Maria Pustula Ecclesiae Metropolitanae Bibliothecario, Chronicon esse annorum sexcentorum, in Pergamenâ quidem, non tamen eâdem manu, descriptum: praeferre nomen Dacii Archiepiscopi Mediolanensis, verum titulum esse recentiorem: narrare Mediolanensis Ecclesiae res ab octavo saeculo usque ad tempus Alexandri II. Papae, & desinere in anno 1067. & exinde luculenter satis constare, Dacii nostri non esse: veros autem authores Landulphum seniorem, qui primam, Arnulphum, qui secundam, Landulphum denique juniorem, qui tertiam partem scripsit, habuisse. 527.

Variar. l. 12. ep. 27.

Analect. Vet. Tom. 1. p. 3. &c.

JUSTINIANUS, gente Hispanus, Ecclesiae Valentinae Episcopus, ex quatuor fratribus & Episcopis, eâdem matre progenitis, unus, claruit circa an. 529. Scripsit *librum Responsionum ad quendam Rusticum de interrogatis quaestionibus quinque*, viz. *de Spiritu S. de Christi naturâ contra Bonosiacos* (*sive Photianos* * à Bonoso Sardicae Episcopo, ac Photini sectatore, qui circa an. 370. vixit, nomen istud mutuatos) *de baptismo non iterando, de distinctione baptismi Ioannis & Christi, de Filii pariter ac Patris invisibilitate.* NE. 529.

Isidor. de Script. c. 20.

*Gennad. de Script. c. 14.

JUSTUS, Justiniani frater, Urgellensis sive Orgellitanus in Catalauniâ Episcopus, claruit an. 529. An. 531. Concilio Toletano II. interfuit. Obiit circa ann. 540. Scripsit *Commentarium in Cantica Canticorum*; quem primus in lucem edidit Menradus Moltherus *Hagenoae* 1529. exinde relatum in Orthodoxogr. p. 1038. & Biblioth. Patr. Tom IX. p. 731. eundem praemissis duabus Justi *Epistolis, unâ ad Sergium Papam* (quam spuriam esse titulus cla- 529.

Isidor. Hisp. de Script. c. 21.

Digitized by Google

mat) alterâ ad *Iustum Diaconum* (quo hortante Commentarium confecerat) recudi fecit Georgius Rostius *Halæ Sax.* 1617. Alias duas Justi *Epistolas* evulgavit Dacherius Spicileg. Tom. III. Porrò reliqui duo fratres, Nebridius (Episcopus Egarensis sive Agragensis, qui Concilio Toletano II. subscripsit) & Elpidius scripserunt nonnulla; quæ Isidori Hispalensis, multò magis nostram notitiam fugerunt.

530. BONIFACIUS II. Patriâ Romanus, Sigisbaldi filius, anno 530. die XXIX. Septembris, in Basilica Julii Pontifex Romanus ordinatus est, Dioscuro Diacono eodem tempore in Basilica Constantiniana ab altera cleri Romani parte ordinato. Verùm Dioscuro paulò post è vivis sublato, Bonifacius sedem quietè tenuit, ac Dioscurum post mortem anathematizavit. Anno 531. ut Gothorum Regum ambitioni in designandis Pontificibus viam præcluderet, habitâ Romæ Synodo, Vigilium Diaconum sibi successorem constituit; & decretum ea de re Synodicum totius Cleri subscriptione confirmari fecit. Mox tamen ab Athalarico Rege acriter eo nomine correptus, ac terrore perculsus, reum se majestatis confessus est; & constitutum Synodicum in præsentiâ omnium sacerdotum, Cleri, & Senatûs, incendio consumpsit. Obiit anno 532. die XXIV. Octobris. Extant *Epistolæ* II. *prima ad Eulalium Alexandrinum Episcopum*, quam spuriam esse omnes agnoscunt, *secunda ad Cæsarium Arelatensem*, quæ Consules malè notatos habet. Habentur Concil. Tom. IV. p. 1684.

530. BENEDICTUS, gente Italus, provinciâ Umber, domo Nursinus, Euprepii & Abundantiæ filius, ex vetustissimâ & nobilissima Aniciorum familiâ natus est anno 480. Exactâ pueritiâ Romam à parentibus, bonis literis erudiendus, mittitur. Verùm loci istius mox pertæsus, in Eremum Sublacensem secessit, anno 494. ætatis suæ 14. ac vitam Asceticam inire cœpit. Hîc loci per plures annos degens XII. Monasteria fundavit, ac in singulis totidem Monachos collocavit. Tandem anno 528. relicto Sublaco ad montem Cassinum se contulit, ubi exciso prius luco Apollinis, Monasterium sibi condidit. Anno 531. à Bonifacio II. Romam ad Synodum evocatus est, eò majorem Synodo autoritatem præsentiâ suâ conciliaturus: quod ex Bibliothecæ Vaticanæ Codice refert Antonius Scipio Monachus Cassinensis *. Morti proximus in Oratorium S. Joannis Baptistæ se deferri curavit: ubi sacris intentus, stans atque erectus animam cœlo reddidit anno 542. vel 543. Qui virtutes & stupenda S. Benedicti miracula scire velit; adeat Gregorii M. Dialogorum lib. 2. qui totus iis ad nauseam usque enumerandis insumitur.

* Elog. Abbat. Cassinens. p. 25.

SCRIPTA.

Regula Monachorum; quæ cum Commentariis Joannis de Turrecremata, & Smaragdi Abbatis, & aliis quibusdam aliorum Opusculis prodiit *Colon.* 1575. fol. Eandem edidit Lucas Holstenius in *Codice Regularum*, quem vol. 3. *Paris.* 1663. emisit. Habetur etiam in Bibliothecâ Patr. Tom. IX. p. 640. Longum esset enumerare singulas Regulæ istius editiones; cùm Arnoldus Wion * (qui superiore sæculo scripsit) plusquam centies suo ævo excusam fuisse referat.

* Lign. Vitæ lib. 1. p. 7.

De Ordine Monasterii, qualiter fratres studiosè & religiosè conversari, ac Domino militare debeant, *liber* ab Arnoldo Wion unà cum Regulâ editus *Venet.* 1593. 16°. Suppositititum esse hoc Opusculum plura sunt in ipso libro quæ satis arguunt, fatente J. B. Maro Not. ad Petrum Diac. p. 4.

Epistola ad Remigium Archiepiscopum Rhemensem, quæ ad finem Chronici Cassinensis extat pag. 198. (edit *Venet.* 1513.) & alibi sæpius tum excusa, tùm MS. In Codicibus MSS. continetur *epistola Monachorum Rhemensium ad Fratres in Monte Cassino constitutos*; quâ, de epistolæ hujus occasione prolixè agunt, nobili nempe puellâ Dæmonio obsessâ, à S. Benedicto ad Remigium missâ, ut ejus precibus liberaretur; sed tum Benedicti tum Rhemensium literæ recentioris ævi somnia manifestò sapiunt. Quin & res tota ab ipso Baronio ad ann. DVII. tanquam impostura rejicitur, etsi non desint, qui eam seriò & strenuè propugnant.

Epistola ad S. Maurum, cùm ad Gallias tenderet, quæ in S. Mauri Vita habetur.

Sermo in discessu S. Mauri; qui in Martyrologio Benedictino ad diem XIV. Januarii reperitur.

Sermo in Passione S. Placidi & Sociorum; qui in Epistola Siculorum ad S. Benedictum in fine Chronici Cassinensis fol. 199. invenitur.

Sententiæ ejusdem nonnullæ citantur in libello CXIV. Sententiarum Patrum, *Colon.* 1531. 8°. excuso.

Omnia S. Benedicti Opuscula in unum collecta habentur in Bibliotheca Patr. Tom. IX. pag. 640. &c.

JOBIUS, Monachus Orientalis, ὁ θεοσεβὴς, καὶ 530.
φροντίσιν ἱεραῖς ἀνειμένος ὁ ἀνὴρ, teste Photio *. * Cod. 222.
Hunc ego sexto huic sæculo adscripserim, tum quòd scripsit contra Severum non unâ vice Justiniano imperante damnatum, tum quòd vixit, postquàm Pseudo-Dionysius palàm orbi innotuerat, & pro germano Areopagita haberi cœperat. Adeòque circa ann. 530. claruisse videtur. Scripsit *librum adversùs Severum hæreticum*, cujus nulla hodie supersunt vestigia. Item περὶ οἰκονομικῆς πραγματείας, *seu de Incarnatione Domini*, libros IX. Ex quovis istorum ferè libro præclara, eaque longè amplissima Excerpta desumpsit Photius; quæ apud eum extant Cod. 222. In tractandis controversiis, notante Photio, non ignobilis aut remissus: non ita feliciter tamen objectionum nodos dissolvit. In utroque opere suo τῆς μέντοιγε εὐσεβείας, ὅσαγε ἐμὲ εἰδέναι, ἐραστής τ' ἐστὶν ἀξιέπαινος, καὶ τὸ φιλόπονον οὐκ ἀδόκιμος, καὶ τῆς τῶν ἱερῶν γραφῶν μελέτης οὐκ ἄπειρος. *Et rectæ religionis est, quod quidem observaverim, amans, laudeque dignus, & diligentiæ non contemnendæ, atque in SS. Scripturarum commentatione insigniter exercitatus.*

TETRADIUS, seu Teridius, gente Gallus, S. 530.
Cæsarii Arelatensis nepos, dignitate Presbyter. Claruit anno 530. Scripsit ab ore S. Cæsarii exceptam, & ad multa Galliarum Monasteria transmisit, *Monachorum Regulam*; quæ S. Cæsario vulgò inscribitur, & in Bibliothecâ Patr. Codice Regularum Holsteniano, atque alibi habetur.

COGITOSUS, natione Hibernus, S. Brigidæ, ut videtur, nepos, vixisse putatur circa an. 530.
530. vel paulò post. Scripsit *vitam S. Brigidæ*, quæ habetur apud Canisium Antiqu. Lect. Tom. V. part. 2. pag. 625. & apud Surium & Bollandum, Febr. 1.

MONTANUS, gente Hispanus, post Celsum 531.
Toletanæ Urbis Archiepiscopus, claruit ann. 531. quo Concilio Toletano præfuit; ac in eo decretum Synodicum fieri curavit, ut nullus deinceps presbyter chrisma conficeret, aut Episcopus in alienâ diœcesi Ecclesias consecraret. Episcopatum

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. De Script. 3. tum tenuit annis IX. Eum ob doctrinam, & vitæ sanctitatem plurimùm laudat Ildefonsus Toletanus*, quem consulat, cui plura de eo scire lubet. Extant *Epistolæ II. prima ad fratres territorii Palentini, altera ad Theoribium Episcopum Palentinum*, Concil. Tom. IV p. 1735. Alius ab isto videtur Turibius Episcopus, quem ad Leonem Papam libros contra Priscillianistarum hæresin scripsisse memorat Montanus noster in epistolâ priore.

532. JOANNES II. cognomento *Mercurius*, patriâ Romanus, Projecti filius, Ecclesiæ Romanæ titulo S. Clementis Presbyter, ad Pontificatum evectus anno 532. die XIX. Decembris. A Justiniano Imp. missis literis, & legatis Hypatio Ephesino, ac Demetrio Cæsareensi, anno 533. rogatus, ut Phrasin istam, *Unus de Trinitate passus est*, suffragio suo confirmaret, & Acæmetas Monachos, qui Hormisdæ Papæ decreto contra phrasim istam ante tredecim plùs minùs annis lato ad Nestoriana dogmata stabilienda usi sunt, erepto iis ejusmodi argumento, damnaret; utrumque effecit: datâque ad Justinianum Epistolâ phrasim istam iisdem verbis, quibus eam olim tuebatur Maxentius, damnabat Hormisdas, à Justiniano propositam, Catholicam esse, ac rectè usurpari posse decrevit, anathemate in contraria docentes vibrato. Obiit anno 535. die XXI. Aprilis. Extant *Epistolæ* VI. Concil. Tom. IV. pag. 1741. quarum *prima*, quæ est *ad Valerium Episcopum*, veluti adulterina, à Labbeo, aliisque rejicitur.

533. DIONYSIUS EXIGUUS, natione Scytha, Professione Monachus, & Abbas Romanus, Cassiodori familiaris, ejusque in dialecticâ addiscendâ condiscipulus. Claruit anno 533. Obiit ante annum 556. quo Cassiodorus librum *De Divinis Lectionibus* scripsit: ac in eo Dionysium jamjam, uti ait, defunctum impensè laudat. *Generat hodieque*, inquit*, *Ecclesia Catholica viros illustres, probabilium dogmatum decore fulgentes. Fuit enim nostris temporibus & Dionysius Monachus, — in utraque linguâ valdè doctissimus, reddens actionibus suis, quam in libris Domini legerat, æquitatem: qui scripturas divinas tantâ curiositate discusserat, atque intellexerat; ut ------ Fuit in illo cum sapientiâ magnâ simplicitas, cum doctrinâ humilitas, cum facundiâ loquendi parcitas. ------ Totus Catholicus, totus paternis regulis perseveranter adjunctus: & quicquid possunt legentes per diversos quærere, in illius scientiâ cognoscebatur posse fulgere.*

* Cap. 23.

OPERA.

Collectio sive Codex Canonum Ecclesiasticorum, à Dionysio, rogante Stephano Episcopo Salonitano, Latinè versus & compaginatus, constans Canonibus Apostolicis prioribus L. & Canonibus Conciliorum Nicæni, Constantinopolitani, Chalcedonensis, Sardicensis, & Africanorum quorundam. Extat in omnibus Conciliorum Collectionibus, & à Justello editus *Paris.* 1628. 8°. & in Bibliothecâ Iuris Canon. Tom. I. p. 97.

Collectio Decretorum *Pontificum Romanorum à Siricio ad Anastasium* II. quotquot reperiri poterant, unà cum *epistolâ* nuncupatoriâ *ad Iulianum Presbyterum Romanum*, qui Synodis Romæ an. 488. & 499. habitis subscripsit. Extat in unaquaque Conciliorum editione, & à Iustello unà cum Codice Canonum edita *Paris.* 1628. 8°. & in Bibliothecâ Iuris Canon. Tom. I. p. 181.

Epistola Synodica S. Cyrilli & Concilii Alexandrini, adversùs Nestorium, Latinè versa. Extat tum alibi, tum à Iustello edita cum prioribus Opusculis.

Epistola Paschalis Proterii ad Leonem, Latinè versa, unà cum *Epistolis duabus* ipsius Exigui *Paschalibus ad Petronium & Bonifacium*; habetur in Appendice Petaviani Operis de Doctrin. Temp.

Vita S. Pachomii Abbatis, Latinè versa; & inter Vitas Patrum ab Heriberto Rosveydo edita *Antverp.* 1615. 1628. fol.

Oratio Procli de laudibus Deiparæ, (quam tamen non ab Exiguo, sed à Mario Mercatore, versam esse contendit Garnerius: ac proinde versionem inter istius Opera adjuncto textu Græco edidit part. 2. pag. 19.) *Epistola ejusdem de Fide ad Armenos, & altera ad Domnum pro Athanasio Perrhenorum Episcopo*, Latinè versæ, habentur in editione Procli Operum à Vinc. Riccardo adornatâ *Romæ* 1630. 4°.

Gregorii Nysseni de Opificio hominis liber in duas divisus Homilias, Latinè *versus*. Extat versio *Basil.* 1562. *Colon.* 1573. sed sine Epistolâ Dionysii nuncupatoriâ ad Eugyppium Presbyterum, & versione Præfationis Nysseni; quas primus in lucem edidit Mabillonius Analect. Tom. II. p. I.

Historia inventionis Capitis S. Ioannis Baptistæ, à Marcello Abbate Græcè conscripta, & ab Exiguo *Latinè versa*; edita est à CL. Du Fresne ad calcem Historici Tractatûs de Capite S. Ioannis Bapt. *Paris.* 1665. 4°.

Cyclus Paschalis annorum XCVII. ab anno 527. initium ducens: cujus fragmentum habes in Mariani Scoti Chronico ad ann. 527. In hoc Cyclo annos à Christi Incarnatione numeravit Dionysius: atque istam æram primus omnium annis supputandis adhibuit.

FULGENTIUS FERRANDUS, gente Afer, S. Fulgentii Ruspensis discipulus sub cujus auspiciis in Sardiniâ exulantis monasticam ingressus est & egit vitam. In Africam tandem reversus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus factus est. Claruit anno 533. & deinceps. Eo enim anno ab Anatolio Romanæ Ecclesiæ Diacono, & Severo Scholastico Constantinopolitano per literas interrogatus, *an unus ex Trinitate passus esse rectè dici possit*; datâ ad utrumque epistolâ veram ac catholicam esse dicendi formulam sententiam tulit. Anno 546. à Pelagio & Anatolio Diaconis Romanis de tribus Capitulis damnandis consultus, mortuorum dudum Scriptorum memoriam anathemate percuti nec pium esse, nec Ecclesiæ utile, respondit: ac Episcopis Africanis à Justiniano Imp. ut Capitula damnarent, per literas rogatis, autor fuit, ut sententiam eâ de re inhiberent, & Imperatori istiusmodi obsequium denegarent. Obiit ante annum 551. 533.

SCRIPTA.

Breviatio Canonum Ecclesiasticorum, quos habitâ materiarum ratione in certas classes, & propria capita redegit. Duplicem Baronii hac de re errorem Henricus Justellus, & Gerardus Mastrichtius* notârunt: primò quòd Ferrandi & Cresconii Breviarium confundit, & Ferrando trecenta tribuat capitula (quot sunt Cresconii) cùm solùm 232. scripserit. Secundò quòd Cresconium faciat Ferrando æqualem, qui fermè duobus post eum sæculis vixit. Ordinem Ferrandi multò spectabiliorem esse & accuratiorem, quàm Cresconii, observârunt Iustellus, ejusque συνεργὸς Voellius, qui multa præterea ad hanc Breviationem spectantia congesserunt. Eam primus edidit cum Cresconii Breviario Petr. Pithæus *Paris.* 1588. Prodiit etiam cum Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ à Diony-

* Hist. Iuris. Eccl. p. 167.

sio

Digitized by Google

 sio Exiguo concinnato *Parif.* 1609. 8°. & cum eodem à Justello edita *Parif.* 1628. 8°. ac in Bibliotheca Juris Canon. Tom. I. pag. 448. ubi Index Breviationis istius antiquus admodum adnectitur.

Epistola ad S. Fulgentium de duabus quæstionibus super salute Æthiopis moribundi.

Epistola ad eundem de quinque quæstionibus.

Epistola ad Eugyppium Abbatem de Trinitate, & de duabus Christi naturis.

Vita S. Fulgentii Ruspensis Episcopi, quæ unà cum tribus proximè memoratis Epistolis inter Fulgentii Opera haberi solet.

Epistola ad Severum Scholasticum CP. quòd unus de Trinitate passus dici possit.

Epistola ad Anatolium R. E. Diaconum, ejusdem argumenti.

Paræneticus ad Reginum Comitem, de 7. regulis innocentiæ.

Epistola ad Pelagium & Anatolium R. E. Diaconos, pro tribus Capitulis.

Prodierunt omnia Ferrandi Opera curâ Fr. Chiffletii *Divione* 1649. & exinde in Biblioth. Patr. Tom. IX. p. 4. 172. 181. 480. 494. 502.

534. MARCELLINUS, V. C. Comes Illyricianus, Justiniani Imp. adhuc Patricii Cancellarius, claruit anno 534. quo *Chronicon* suum finivit, exorsus illud ab anno 379. (quo desiit Hieronymus) & ad quartum usque Justiniani Imp. Consulatum deducens. Quæ enim deinceps sequuntur ad finem usque Justiniani, ut rectè notat Sirmondus, ab alia manu profecta sunt; adeóque in editione Sconhovianâ omnium primâ desiderantur: quamvis postea à Panvinio primùm, deinde ab aliis, nullo habito discrimine, pro Marcellinianis edita. Præter Antonii Sconhovii editionem prodiit *Chronicon* istud *Parif.* 1546. 8°. 1575. *Heidelberg.* 1588. & ad calcem Chronici Eusebiani *Lugd. Bat.* 1606. ac *Amstelod.* 1658. denique Jacobus Sirmondus ex vetustissimo codice Tiliano tum ipsum *Chronicon* multò emendatiùs, tum Scriptoris antiqui *Appendicem* longè auctiorem dedit *Parif.* 1619. 8°. exinde relatum in Bibliot. Patr. Tom. IX. p. 517. Scripsit præterea Marcellinus, teste Cassiodoro *, *libros* IV. *de temporum qualitatibus & positionibus locorum*, ac totidem alios *de urbibus Constantinopoli & Hierosolymis*. Utrumque Opus jamdiu interiit.

* Divin. Lect. c. 17. 25.

535. ANTHIMUS, primò Trapezuntii in Ponto Episcopus, deinde anno 535. Theodoræ Imp. gratiâ ad Patriarchatum Constantinopolitanum evectus, sub fictâ pietatis & Orthodoxiæ larvâ latere voluit; se sanctas quatuor Synodos venerari, easque in Diptychis habere, seque per omnia Apostolicam sedem sequi professus. Interim tamen virus Eutychianum sub pectore coxit: ideòque anno sequente oblato ab Archimandritis Orientalibus accusationis libello, ab Agapeto Papa cùm duas in Christo naturas, à Severo seductus, confiteri recusaret, sede CP. ac mox etiam Trapezuntinâ depositus est: quam sententiam Synodus eodem anno sub Menna Constantinopoli habita ratam fecit, à Justiniano Imp. Vigilio Papa, multisque Synodis, sæpiùs posteà damnatus. Extant Fragmenta aliquot *Sermonis Prosphonetici ad Justinianum Imp.* Concil. Tom. VI. pag. 831. 906. 907. *Epistolarum ejus ad Theodosium Alexandrinum meminit Evagrius* l. 4. c. 11.

535. THEODOSIUS, Patriâ Alexandrinus, professione Rhetor, posteà in Clerum Alexandrinum cooptatus, Severi post ereptam sedem Antiochenam Alexandriæ degentis discipulus; ac post eum sectæ Corrupticolarum Alexandrinorum (qui ab eo Theodosiani vocati sunt) princeps. Anno 535. defuncto Timotheo Episcopo, à Clero Alexandrino Patriarcha Alexandrinus electus, ac ritè constitutus est. Verùm eodem tempore ab Aphthartodocitis sive Phantasiastis, (è quorum numero erant Monachorum & plebis pars longè maxima) Gaianus Archidiaconus, sectæ istius dux, in Episcopatum evectus est: qui Theodosium sede vi deturbavit & diebus 103. tenuit: quùm à Narsete Comite jussu Justiniani Imp. post acre certamen cum plebe Alexandrinâ commissum & ipse expulsus Theodosio locum dedit. Anno sequente Theodosius Eutychianismi apud Imperatorem accusatus, postquàm sedem Alexandrinam sedecim mensibus tenuerat, Constantinopolim evocatus est; & Concilii Chalcedonensis decretis subscribere præfractè renuens, depositus est, & ad sextum extra Constantinopolim lapidem relegatus. In Thracia igitur degens, alteri Corrupticolarum sectæ paulò pòst se ducem præbuit. In duas enim factiones dissiluerunt Corrupticolæ, circa humanam Christi cognitionem digladiati. Christum vi naturæ humanæ diem judicii scire negantibus *Agnoetarum* nomen inditum est: contrariam sententiam tuebatur Theodosius, & cum sectariis suis collectas seorsim egit. In vivis adhuc erat, cùm *Breviarium* suum scripsit Liberatus. Extant Fragmenta aliquot *Libelli ad Theodoram Aug.* Concil. Tom. IV. p. 320. 835. Scripsit etiam *Epistolas ad Anthimum & Severum* quarum mentio habetur apud Evagrium l. IV. c. 11.

AGAPETUS, natione Romanus, Gordiani Presbyteri filius, anno 535. die XXIX. Aprilis Ecclesiæ Romanæ regimen suscepit: ac statim in Ecclesiâ mediâ Acta designationis Vigilii in Pontificatum in Synodo Romanâ sub Bonifacio habita rescidit, & Dioscorum à Bonifacio post mortem condemnatum absolvit. Anno sequente à Theodato Gothorum Rege ad Constantinopolim legationem suscipere coactus est: ut Justiniani Imp. arma ab Italia precibus averteret. Verùm id nequaquam impetravit. Res tamen majoris momenti gessit. Anthimum enim hæresi Eutychianæ addictum à sede CP. deposuit, & Mennam loco ejus subrogatum ordinavit. Obiit Constantinopoli die XVII. Aprilis, anno 536. Extant *Epistolæ* VII. Concil. Tom. IV. p. 1789. Harum quintam, quæ est ad Anthimum CP. spuriam esse satis patet tum ex ipsâ Epistolâ, tum ex notâ Consulum appositâ. Et sanè integra ferè Epistola ex Leonis I. Epistola 97. desumpta est. Extat etiam *Epistola ad Petrum Patriarcham Hierosolymitanum de Anthimi depositione* Gr. Lat. Concilii CP. sub Menna Act. 1. Concil. Tom. V. pag. 47. 535.

MENNAS, genere Alexandrinus, ex Præposito Xenodochii majoris, quod *Sampsonis* vocabatur, post depositum Anthimum anno 536. à Clero civitatis Patriarcha Constantinopolitanus electus est, & ab Agapeto Papa ordinatus. Habitâ statim Synodo Anthimum, Severum, aliosque eorum sectarios, damnavit. Anno 541. à Justiniano Imp. rogatus ac tantùm non coactus, habitâ Constantinopoli Synodo Origenem damnavit; ut & Tria Capitula anno 546. à Vigilio Papa eapropter Constantinopolim anno sequente adveniente, communione submotus, post trimestre tamen spatium initâ concordiâ in integrum restitutus. Obiit anno 552. Præter ea quæ in Synodo CP. in causa Anthimi pro re nata disseruit, extat Gr. Lat. *Epistola ad Petrum Hierosolymorum Patriarcham de depositione Anthimi*, inter 536.

Digitized by Google

ter Acta Synodi Hierosolymitanæ Concil. Tom. V. pag. 277.

536. SYLVERIUS, Hormisdæ Papæ filius, Ecclesiæ Romanæ subdiaconus, ac tandem anno 536. die vi. Junii Theodati Regis potentiâ Pontifex factus. Exeunte anno eodem (non sequente, quod malè habet Anastasius,) Theodoræ Aug jussu, & scelerata Vigilii ambitione, à Belisario Duce, ficto perduellionis crimine ei intentato, sede illâ deturbatur, & Pataram Lyciæ urbem relegatur: ubi habitâ Episcoporum aliquot amicorum Synodo Vigilium diris devovet. Demum à Justiniano Imp. in Italiam remissus. ut causa ejus in Synodo ritè judicaretur, nimiâ Belisarii facilitate, Vigilii custodiæ traditus est: qui eum in Palmariam insulam deportatum fame & inediâ diu maceravit, ac tandem anno 540. die xx. Junii immissis duobus sicariis è medio sustulit. Extant sub illius nomine *Epistolæ* II. *altera ad Vigilium, ad Amatorem altera.* Spurias autem esse tum ex notis Chronologicis, tum ex styli barbarie, judicant Labbeus, Papebrochius, & quod magis mirandum, ipse Binius.

536. ZACHARIAS, SCHOLASTICUS à professione dictus, primò Alexandriæ bonis literis incubuit, ubi Ammonium Philosophum condiscipulum habuit; deinde Beryti Jurisprudentiæ studio operam dedit; tandem Ecclesiæ Mitylenensis Metropolita factus. Claruit anno 536. quo interfuit Synodo CP. sub Menna habitâ; à qua unà cum aliis ad Anthimum nuper depositum legatus est; ut hominem moras nectentem in Synodum protraheret, oblato pœnitentiæ libello satisfacturum. Quo anno obierit, non constat. Scripsit, dum Beryti adhuc versaretur, *Dissertationem sive Dialogum contra Philosophos, qui mundi æternitatem asserunt.* Extat Græc. Lat. cum Turriani & Barthii notis *Lipsiæ* 1654. 4°. in Auctuario Ducæano Tom.I. p. 331. & cum Origenis *Philocalia Paris.* 1619. 4°. Scripsit etiam *Disputationem de duobus principiis adversus Manichæos.* Extat Latinè ex versione Turriani (Græca enim nondum edita sunt) apud Canisium Antiq. Lect. Tom.V. p.143. Utrumque Opusculum habetur Latinè in Bibliotheca Patr. Tom.IX.

536. P. II. HESYCHIUS ILLUSTRIS, patriâ Milesius claruit anno DXXXVI. Patrem habuit Hesychium professione Causidicum, matrem Sophiam. Vixit sub Imperatoribus Anastasio, Justino, & Justiniano, unde & à Constantino * Porphyrogennetâ historicis adjungitur, Procopio, Agathiæ & Menandro, qui historias suas ad imperium usque Justiniani conscripserunt. *Illustris*, non à cognomine, sed à summâ quam gerebat dignitate dictus est. Hoc quippe titulo ornari solebant Præfecti-Prætorio, Præfecti Urbis, &c. quâ verò dignitate sub hoc titulo gaudebat Hesychius, non liquet. Diu mecum deliberavi, illumne inter Scriptores Ecclesiasticos reponerem; præcipuè quòd dubitare videtur Suidas † utrùm fuerit Christianus. Verùm in ejus quæ etiam hodie supersunt scriptis non desunt argumenta, quæ ipsum Christianum fuisse satis evidenter innuunt. In voce *Sibylla* † ait, Chaldæam de Christo vaticinatam esse; cujus si versus aliquot imperfecti & metri legibus patum convenientes inveniantur; non ipsius id culpâ, sed notariorum vitio accidisse, qui vim ac flumen verborum calamo assequi nequiverunt. De Triboniano, insigni imperante Justiniano jurisconsulto, agens *, addit, ἦν δὲ ὁ Τεϐωνιανὸς Ἕλλην καὶ ἄθε☉, *Erat verò Tribonianus paganus & atheus.* Ità ne verò de gentili loqueretur ipse homo gentilis? Hypatiæ philosophæ Alexandrinæ cædem ubi memorat †, ab Alexandrinis quidem factam refert, Cyrilli verò ejusque Cleri hâc in re partes peni tùs silentio supprimit. Aliter planè Damascius ejusdem temporis Scriptor gentilis, qui in vitâ Isidori MS. (cujus verba Latinè profert Valesius *, Græce apud Suidam † reperiuntur) Cyrillum Episcopum Alexandrinum funestæ hujus laniena auctorem disertè facit. Commendat * Numenium, qui Platonem perstrinxit, quòd plagio subripuerit è Mosaicis libris, quæ de Deo & mundo prodidit; quodque dixerit, *quid aliud est Plato quàm Moses Atticissans?* alibi † meminit ædis martyris Menæ, & Constantini M. munificentiam in condendâ & ornandâ urbe Constantinopoli impensè laudat *, quodque non b lneis modò, sed & ἱεροῖς οἴκοις, sacris nempè Christianorum Ecclesiis illustriorem fecit, ut alia huc spectantia mittam. Nec obstat quod ait Suidas; cùm ejus dubitatio nudâ, eâque satis inani conjecturâ nitatur; suspicari nempè quempiam posse non fuisse Christianum, eò quòd in libello *de Viris Claris* nullam Doctoris alicujus Ecclesiastici mentionem fecerit. At verò cui non satis constat unicum Hesychii in hoc Opusculo consilium fuisse, de solis Philosophis, & τοῖς ἔξωθεν σοφοῖς agere? ad exemplum Diogenis Laertii, cujus scrinia compilavit, & in Epitomen redegit. Confirmat sententiam nostram ingeniosa Cl. Meursii de Suidæ loco conjectura. Suidæ verba sunt Ἔγραψεν ὀνοματολόγον, ἢ πίνακα τῶν ἐν παιδείᾳ ὀνομαστῶν. Οὗ ἐπιτομή ἐστι τοῦτο τὸ βιβλίον. *Scripsit nominum enarrationem, sive tabulam ac judicem Virorum ob eruditionem celebratorum, cujus compendium est hic liber.* Lacunam esse in hoc loco primâ statim facie apparet. Quæ enim posterioris clausulæ cum priore cohærentia? Hoc igitur modo supplendam censet Meursius. Ἔγραψεν ὀνοματολόγον ἢ πίνακα τῶν ἐν παιδείᾳ ὀνομαστῶν, Διογένην τὸν Λαέρτιον μιμησάμενος, οὗ ἐπιτομὴ &c. Scripsit Hesychius Historiam Chronicam annorum MCXC. quam *Romanam & omnigenam* appellavit, à Belo Assyriorum Rege usque ad Anastasii Imperatoris exitum. Distributum erat Opus in sex Διαστήματα, seu *intervalla* (τμήματα vocat Photius) quorum quatuor priora complectebantur res ante bellum Trojanum gestas, & à Trojæ expugnatione ad Julium Cæsarem. Duo posteriora à Julii Cæsaris Imperio usque ad Anastasii mortem. Et in hâc posteriori Annalium Parte quis dubitare possit, auctorem multa de Christianæ religionis ortu & incrementis, deque rebus sequentium sæculorum Ecclesiasticis permiscuisse? Ex horum librorum quinto habetur fragmentum in Glossis Basilicorum cit. apud Meursium in *not.* pag. 111. alterum, ni fallor, ex eodem libro conservavit Constantinus Porphyrogenneta †, ubi Hesychius perridiculam de origine & etymologiâ vocis *Indictionis* rationem affert. Meminerunt hujus Operis Photius Cod. LXIX. col. 101. & Suidas *loc. citat.* Contexuit & alterum Opus Historicum quod prioris quasi continuatio videbatur, à morte nempè Anastasii, Justini Imp. res gestas continens, & priores Justiniani annos. Et in eo pertexendo ulteriùs progressurus erat, cùm Joannis filii mors animum ejus ab istiusmodi commentariis scribendis revocavit. Hujus unus meminit Photius. Extant hodie bina ejus Opuscula; Libellus *de Viris doctrinâ claris*, quem cum suis & H.Stephani notis Græc. Lat. edidit Hadr Junius *Paris.* 1593. 8°. Græc. Latinè sed separatim, additis etiam suis notis Joan. Meursius *Lugdun. Bat.* 1613. 8°. Alter *de rebus patriis Constantinopoleos*, hunc notis etiam suis illustratum ex Bibliothecâ Palatinâ Græc. Lat. extulit Meursius, & priori Opusculo subnexuit. De Hesychii stylo ita Photius. Ἔστι δὲ συντομος καὶ καλλιεπής, λέξεσι τε γὰρ ἀνθηρᾷ καὶ εὐσήμῳ κέχρηται: καὶ ἡ συνθήκη τοῦ

λόγου

* De Them. lib. 1. cap. 1. p. 12.

† In voc. Ἡσυχ.

† De Vir. Cl at. p. 36.

* pag. 38.

† pag. 39.

* Not. in Soc p 86.

† In Ὑπατί.

* pag. 29.

† De rebus Patr. CP. p. 46.

* Ibid. p. 55.

† De Them. lib. II. cap. 8. p. 96.

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. τόγε κατὰ λόγον αὐτῷ ἡρμοσμένη, κυκλολογίᾳ μὲν μάλιστα χαίρων. *Concisus est atque disertus. Nam & dictione usus floridâ ac significante, & ipsa Orationis structura pari est ratione elaborata, dùm verborum maximè gaudet proprietate.* Subdit verò, *sicubi dictionem significantem etiam cum maximâ Emphasi sectatur, ita suâ translatione auditorem oblectat, ut fortè clariùs rem ob oculos ponat, quàm si nullâ figurâ usus fuisset.* Neque à stylo modò commendandus Hesychius, sed quòd teste Photio, se veritatis imprimis studiosum professus est. Erat & *Hesychius*, ejusdem fortè temporis Scriptor, Lexici, quod usu quotidiano terimus, Compilator. Christianum fuisse ex infinitis indiciis constat, quæ Schrevelius in præfatione, & V. Cl. Joan. Alb. Faber *Exercit. de Lexicis Græcis* Sect. VIII. sed accuratè præ aliis Joan. Pricæus in *Indice Auctorum* collegerunt. Eundem verò cum nostro fuisse nec affirmare audeo, nec tamen penitùs negare.

538. P. II. EUTYCHIANUS, S. Ecclesiæ *Adanensis* in Ciliciâ Clericus, claruit sub Justiniano Imp. anno DXXXVIII. Scripsit *Historiam pœnitentiæ & conversionis S. Theophili* Ecclesiæ Adanensis in Ciliciâ *Tracheâ* sive secundâ Oeconomi, qui, cùm ab Episcopo suo injustè abdicatus esset, ut pristinam dignitatem recuperaret, abnegationem Christi ipsiúsque Matris propriâ manu subscriptam, ceráque obsignatam Cacodæmoni tradidit. Peractâ verò pœnitentiâ, & misericordiâ B. Virginis sæpissimè & instantissimè imploratâ, nefandam suam syngrapham à Cacodæmone iterùm recepit. In hujus Theophili ædibus se natum, ejúsque perpetuum famulum & comitem fuisse, quæque ipse viderat & audiverat scripsisse, sub finem testatur Eutychianus Extulerunt hanc Historiam Latinè Surius & Bollandiani *Februar.* IV. pag 480. Extat Græcè MS. Biblioth. Vindob. Cod. *Hist. XI.* num. IX. fol. 37. p. 1. Ut hujus historiæ fidem sustentaret Lambecius *Comment.* lib. VIII. pag. 76. plurimos illustres Scriptores, sed paulò recentiores, adducit, qui mirandæ hujus conversionis meminerunt; nempe Petrum Damianum, Bernardum, Bonaventuram, Albertum Magnum, Fulbertum Carnotensem, &c. Viderint æqui Judices. Certè apud me haud parùm laborat hujus Historiæ fides.

540. NONNOSUS, Abraamii Presbyteri filius, à Justiniano Aug. ad Caisum Saracenorum præfectum, deinde ad Elasbaam Auxumitarum Regem, itemque ad Homeritas legatus missus est. Multis gentium, ferarumque periculis superatis, re fœliciter confectâ, salvus patriæ suæ redditus est. Claruit ann. 540. saltem Justiniano imperante, qui obiit anno 565. Scripsit *Historiam Legationum, quas obiit.* Habentur Excerpta apud Photium Cod. 3.

540. ARETHAS, Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopus, claruit, uti vult Coccius, & post eum alii (qui tamen incertis prorsus nituntur conjecturis) circa ann. 540. Longè verò recentior, si modò verum sit, quod vult Casimirus Oudin, eundem scilicet fuisse nostrum cum Aretha Presbytero Cæsareensi, qui circa ann. 290. scripsit *Translationem Euthymii Patriarchæ CP. apud Lipomannum* Tom. III. repertam. Verùm id gratis affirmat Oudinus: nec enim præsto ei est argumentum, quo sententiam suam confirmet: præsertim cùm Translationis Euthymii authori, Presbyteri, nostro autem Archiepiscopi titulus semper apponatur. Utut sit, Scripsit Arethas *Explicationem Apocalypseos* ex Andreæ Cæsariensis Commentario defloratam. Extat Græcè *Veronæ* 1532. 1568. fol. Gr. Lat. ad calcem Oecumenii *Paris.* 1631. Habetur etiam Latinè sub ejusdem nomine; *Oratio de SS. Martyribus Samona, Caria, & Abibo*, apud Surium Novembr. XV.

FACUNDUS, gente Afer, Hermianensis in Africa Episcopus. Trium Capitulorum Defensor strenuus & acerrimus, & ut Cassiodori * verbis utar, *Hæreticorum penetrabili subtilitate destructor*, claruit anno 540. Constantinopoli ut plurimùm degit, ubi Africanæ Ecclesiæ res apud Imperatorem procuravit. Annò 546. à Mennæ Tria Capitula damnantis communione se se subduxit, ac à plerisque Episcopis rogatus operosam *Capitulorum Defensionem* molitus est. Anno sequente Concilio LXX. Episcoporum Constantinopoli à Vigilio Papa collecto interfuit: ubi Capitulorum causam summâ animi constantiâ egit, & Vigilio fortiter obstitit. Paulò pòst Opus suum, anno superiore inceptum ad umbilicum perductum Justiniano Imp. obtulit. Quo anno obierit, incertum est: id certum eum suscepto olim Capitulorum Patrocinio ad mortem usque constantissimè perfunctum esse, ac Vigilii communioni semel renunciatæ nunquam posteà accessisse; denique Constantinopoli discedentem in exilium missum esse; scripsit ad Justinianum Augustum, dum Constantinopoli hæsit ann. DXLVII. eo ipso tempore quo illuc appulit Vigilius Papa, *pro Defensione trium Capitulorum libros* XII. in his præ aliis causam agit Theodori Mopsuesteni quam ab omni hæreticæ pravitatis labe absolvit, in Acephalos & quos vocat Semi-Eutychianos acriter invehitur, unum ex Trinitate pro nobis passum, sensu tamen Catholico contendit: denique, ut hoc obiter notem, lib. IX. cap. V. insigne habet de Sacra Eucharistia testimonium, locum integrum hìc proferam. *Sacramentum adoptionis suscipere dignatus est Christus, & quando circumcisus est, & quando baptizatus est; & potest Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari. Sicut Sacramentum corporis & sanguinis ejus, quod est in pane & poculo consecrato, corpus ejus & sanguinem dicimus, non quòd propriè Corpus ejus sit panis, & poculum sanguis, sed quod in se mysterium corporis ejus, sanguinisque contineant. Hinc & ipse Dominus benedictum panem & calicem, quem discipulis tradidit, corpus & sanguinem suum vocavit. Quò circa sicut Christi fideles sacramentum corporis & sanguinis ejus accipientes, corpus & sanguinem Christi rectè dicuntur accipere: Sic & ipse Christus, Sacramentum adoptionis filiorum cum suscepisset, potuit rectè dici adoptionem filiorum suscepisse:* hunc locum sensu quidem satis frigido, & ab autoris mente planè alieno, non satis pro solito candore, in notis explicat Jac. Sirmondus; nempe panem consecratum panem non esse, panem tamen appellari, quia panis fuit, & panis speciem retinet, & quia sub specie panis & vini corpus Christi & sanguis in Sacramento continentur. Verùm huic interpretationi haud fidendum ratus, mox subdit, "Quòd si durius hic fortasse, vel obscurius quippiam elocutus videatur, dignus est venia, & qui à benigno interprete vicem officii recipiat, quod ipse aliis studiosè, quorum dicta notabantur, non semel exhibuit. Scripsit item *contra Mutianum Scholasticum* Africanos Episcopos ob denegatam Vigilio communionem insectatum; reipsâ potiùs *contra Vigilium* librum unicum. Utrumque Opus, notis illustratum, primus edidit Jac. Sirmondus *Paris.* 1629. 8°. deinde curâ Philippi Priorii prodiit cum Sirmondi notis Optato Milevitano subjectum *Paris.* 1675. fol. Huic editioni accessit etiam Facundi *Epistola Catholicæ fidei pro defensione Trium Capitulorum*, quam antea ediderat Lucas Dacherius *Spicileg.* Tom. IV p. 106. Habentur Facundi Opera & in Bibliotheca Patr. Tom X. p. 1. 109.

* In Psalm. 138.

APRI-

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. 540. **APRIGIUS**, Ecclesiæ Pacensis in Hispaniâ Episcopus, vir linguâ disertus, & scientiâ eruditus, claruit circa ann. 540. Scripsit, inquit Isidorus*, *Explicationem Apocalypseos B. Joannis*, subtili sensu atque illustri sermone, melius penè quàm veteres Ecclesiastici viri exposuisse videntur. Interiit Opus istud: Loaisa tamen in notis suis ad Isidori Catalogum testatur se in Hispaniâ vidisse *Opus ingens manuscriptum in Apocalypsin*, Gothicis literis exaratum, ex Victorini, Isidori, ex Aprigii libris uti præ se tulit Præfatio, consarcinatum. Scripsit Aprigius, teste Isidoro, & alia quędam: quorum nec nomina supersunt.

* De Script. c. 17.

540. **VIGILIUS**, Patriâ Romanus, Joannis Scythæ, qui consulatum anno 498. gessit filius, Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus, à Bonifacio Papa anno 531. in Synodo Romana successor sibi designatus, mox tamen ab eodem ista spe exclusus. Anno 535. ab Agapeto Apocrisiarius Constantinopolim missus est, atque anno sequente, mortuo Agapeto, nefaria ambitione Pontificatum à Theodora Aug. mercatus est; se quamprimùm sedem Romanam nactus esset, Anthimum sedi CP. redditurum, cum Theodosio & Severo communionem initurum, ac Synodum Chalcedonensem damnaturum interposito juramento, ac dato chirographo pollicitus, acceptis insuper à Theodorâ in perfidiæ præmium auri septenariis centum. Certè * Facundus Hermianensis ipsi Chirographa, primo ambitionis impulsu, cùm fieri arderet Episcopus, postea venalitate patri alteri facta, liquido objicit. Augustæ igitur mandatis munitus, Romam properat, Belisarium in partes trahit, Silverium afficto ei proditionis crimine in exilium ejici curat: promissis per literas Imperatrici datas satisfacit; Concilium Chalcedonense damnat, unicam in Christo naturam confitetur: Epistolam tamen suam evulgari vetat. Silverium postea in Italiam reductum à Belisario datis ducentis auri pondo obtinet, in Palmariam insulam relegat, fame & inediâ macerat, ac tandem anno 540. immissis sicariis occidit. Anno circiter 544. Justiniano Imp. obsecutus Origenem damnavit. Verùm dum anno 546. ab eodem rogatus Tria Capitula damnare præfractè recusaret, nec datam dudum Augustæ fidem de damnanda Synodo Chalcedonensi palam liberaret; infensam sibi Theodoram reddidit. Cujus blanditiis motus Justinianus Concilium Constantinopoli habendum indicit. Vigilium Româ evocat. Tergiversatur Vigilius: Vel invitum mitti Belisario in mandatis dat Imperator. Mense igitur Novembri iter inire cogitur, Romanorum civium (quos homicidiis & tyrannide sibi inimicissimos reddiderat) diris & contumeliis oneratus. Mense Decembri Siciliam appellit, ordinationes aliquot celebrat, datis ad Imperatorem literis, ut Synodus in Siciliâ, non autem Constantinopoli' habeatur, supplex petit. Rejectis ab Imperatore precibus, Constantinopolim pergit, ineunte anno sequente ingreditur, Origenem à Menna damnatum reperit, Mennam communione submovet. Occasionem simultatis istius arripit Theodora, ut de restituendo Anthimo Vigilium interpellet. Reluctatur Vigilius, & ut omnem Augustæ spem adimeret, post menses aliquot cum Mennâ communionem init. Quin & mense Martio Synodum Episcoporum contrahit, & Trium Capitulorum causam in examen ducit. Fervente acriter inter Patres Contentione, placet, ut unusquisque sententiam suam scripto tradat. Factum id. Famosum illud Judicatum conscribit Vigilius, ac Imperatori offert, quo Tria Capitula anathemate percutit. Rei gestæ famâ divulgatâ fremit Occidentalis Orbis; Clerus ac plebs Romana Vigilii communioni renunciant, (si qua Papebrochii conjecturis fides adhibenda sit) nomen ejus Diptychis expungunt, & Pelagium Diaconum Pontificem constituunt. Afri, indictâ Synodo, eum Synodaliter à Catholicâ communione, reservato tamen pœnitentiæ loco excludunt. Tantis Occidentalium motibus territus Vigilius, sententiam suam revocat. Furit Justinianus, & Pontificem contumeliis lacessit. Ille in Basilicam S. Euphemiæ fugit, & columnam altaris amplexatur. Retrahitur inde Imperatoris jussu, & immisso in collum fune per civitatem circumducitur; ac in carcerem conjectus, maximas ærumnas patitur. Iste omnia mirâ animi constantiâ subit, & ut vices rependat, Theodorum Cæsariensem, qui tunc omnia apud Imperatorem poterat, aliosque Episcopos, unà cum Clero Romano, sacris interdicit. Anno 552. coit dissidium, liberatur Vigilius, Theodorus & Mennas oblato libello veniam orant, Causa trium Capitulorum Synodo Oecumenicæ dijudicanda integra permittitur. Concilium igitur Constantinopoli habendum indicit Justinianus; quod anno demum 553. die v. Maii inchoatur. Cui ut interesset Vigilius, nullis Patrum precibus, nullis Imperatoris monitis, adduci potuit. Tandem sexto post incœptam Synodum mense die VII. Decembris mutatâ sententiâ, & revocato quoad hanc partem priori Constituto, ad Eutychium Constantinopolitanum dedit literas, & prolixius Constitutum mox edidit; quibus Tria Capitula anathematizavit, Synodique decreta confirmavit. Hoc facto placatus Justinianus hominem cum suis Constantinopoli dimisit; qui Syracusas in Sicilia se contulit: ubi calculi doloribus attritus, obiit die VII. Maii, anno 555. Extant ab eo scriptæ *Epistolæ* XVIII. Concil. Tom. V pag. 311. *Constitutum admodum prolixum adversus Tria Capitula* anno 553. editum, ibid. pag. 337. *Epistola Decretalis ad Eutychium CP. pro confirmatione Quintæ Synodi* Græc. Lat. (à Petro de Marca primùm edita unà cum eruditissimâ dissertatione anno 1644.) ibid. p. 596. *Constitutum* denique priori adhuc prolixius *adversus Tria Capitula* anno 554. datum, & ex Bibliothecâ Colbertinâ nuperrimè editum in Novâ Collect. Concil. Tom. I. pag. 1551. &c. *Epistola* II. *ad Justinianum & Theodorum*, à Monothelitis olim corruptæ, eoque nomine à Synodo VI. repudiatæ, habentur ibid. unà cum *Epistola ad Profuturum Episcopum Bracarensem*.

*Lib. contra Mucian. p. 575.

Id disertè testantur Liberatus, Victor Tununensis, & Facundus Hermianensis.

' *Cave Hist. Lit.*

GORDIANUS, natione Romanus, S. Benedicti discipulus, dein S. Placidi comes, ejusque sub regimine apud Messanam in Sicilia Monachus, Capto anno 539. unà cum aliis Placido à Mammuca Abdallæ Saracenorum Regis Duce, & in vincula dato in carcere ministravit: ejusque ac sociorum martyrio coronatorum corpora sepulturæ tradidit. Anno sequente Constantinopolim aufugit: ubi diu vixit, & Iustiniani Imp. jussu Placidi & sociorum certamina Grecè literis mandavit. Tandem, relictâ Constantinopoli in Siciliam rediit: & paulò post diem obiit. Extat Latinè *Vita ista & Passio S. Placidi Martyris*, sed interpolata, apud Mabillon. Sæcul. Benedict. I. pag. 45. & apud Surium Octobr. V. 540.

GREGENTIUS, genere Arabs, Taphar, quæ Homeritarum erat Metropolis, Archiepiscopus, claruit anno circiter DXL. quem alibi ętatis 540. P. II.

 ejus

Digitized by Google

ejus haud satis certus ad ann. 470. collocavi. Vir gravis, prudens & eruditus, Abramio Regi à sacris & secretioribus Consiliis, quippe cujus nutu omnia gerebantur. Præter *disputationem* cum Herbano Judæo, de qua alibi, scripsit sub nomine Abramii Regis Homeritarum Νομοθεσίαν, in titulos XXIII. divisam. I. agit περὶ φόνου, *de homicidio, & de impuro sive Sodomitico concubitu cum masculis.* II. Περὶ γοητείας, καὶ &c. *de incantatione, de falso testimonio & de furto.* III. Περὶ πορνείας, *de Fornicatione.* IV. Περὶ μοιχείας, *de Adulterio*: & eodem modo reliqua. Integrum Opus hactenùs ἀνέκδοτον extat Græcè Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCCVI. *num.* XXXIII. fol. 171. Homeritæ erant, non ἔθνος Αἰθιόπων, ut ex Marciani Periplo affirmat Stephanus, sed Arabiæ fœlicis populi juxta mare rubrum ad freti Arabici fauces siti, ut Ptolomæus *, Philostorgius †, uterque Procopius *, aliique testantur. Ad hos splendidam legationem per Theophilum Episcopum misit Constantius Imperator, quâ eos ad Christi fidem traduxit, de quo prolixè loco citato Philostorgius. Hebræi hanc regionem frequenti numero incolebant, & ante paucos annos Dunaan ortu & religione Judæus arreptâ tyrannide se Regem fecit, gravissimisque persecutionibus Christianos afflixit, & ex omni ferè parte extinxit. Verùm eo ab Elesbaan, Auxumitarum trans mare rubrum in Æthiopia principe, victo & occiso, in Regem Homeritarum eligitur Abramius, vir admodum pius, qui Christianam religionem instauravit, & Ecclesias ubique extruxit, ut ex Actis Aretæ Martyris apud Surium *Octobr.* XXIV. *num.* XXIX. XXX. &c. clarissimè liquet. Abramio successit Serdidus filius; sub cujus Regni initiis Gregentius *Decembr.* XIX. anno DLII. magno suorum luctu & desiderio vitam cum morte commutavit, in Cœmeterio magnæ suæ Ecclesiæ honorificè sepultus. Vide Append. *ad Disput. cum Herbano*, & Nicephorum l. XVII. c. 32. p. 787. qui tamen Abramii non meminit.

*Lib. VI. c. 7. † L. III. c. 4. * De Bell. Pers. lib. I. Gazens. Comment. in I. Reg.

540. *P. II.* ISAAC, natione Syrus Urbis Ninives Episcopus, claruit circa annum DXL. Vitæ austerioris amore ductus Episcopatui spontè renunciavit, & in eremum discedens Anachoreta & Abbas factus est. Posteà in Italiam venisse, & circa Spoletum vixisse, dicitur, (idem proculdubio, de quo agit Gregorius Magnus *Dial.* lib. III. cap. 14. pag. 111. ubi mores ejus & miracula depingit,) mihi certè in nullo magis memorabilis, quàm quòd Monachos suos ipsum humiliter hortantes, ut in ipsum Monasterii possessiones quæ oblatæ erant acciperent, simplici hoc responso refellit; *Monachus qui in terra possessiones quærit, Monachus non est.* Scripsit *Sermones asceticos* LXXXVII. quos Patricius & Abramius Abbates, in S. Sabæ Laurâ prope Hierosolymam repererunt. Extant Græcè MSS. Biblioth. Vindob. Cod. *Theol.* CLXXIII num. 1. fol. 1. iterùmque Cod. CIV. num. VII. fol. 128. & per partes alibi sæpiùs. Horum Sermonum Pars forsan est Isaaci Syri liber *de regimine Novitiorum*, qui habetur inter Codices *Baroccianos* num. V. pag. 173. Incipit, Αὕτη ἐστὶν ἡ σώφρων. Vide *Catal. MSS. Biblioth. Bodleian.* p. 1. Variæ ejus *Orationes* sive *Homiliæ* habentur Græcè MSS. ibid. *Class.* III. nu. 107. *Catal.* pag. 41. Ibid. num. 116. Isaac Syri Anachoretæ *Homiliæ asceticæ* XCIX. Græcè redditæ ab Abramio & Isaacio Monachis S. Sabæ, *Catal.* p. 44. Ex his sermonibus, LIII. sed mutilos, confusos, & continuâ Oratione sub titulo *Libri de contemptu mundi* Latinè ediderunt Magnæ Bibliothecæ PP. curatores Tom. XI. *edit. Noviss.* In Biblioth. Vindob. ubi supra Cod. CCCXXIV. num. VII. fol. 172. habetur ex Isaaci Syri Epistola Fragmentum *de Baptismate*; quod incipit. Ἰδὲ γὰρ εἰς τὸ βάπτισμα δωρεὰν συγχωρεῖ, &c. Nostri esse vix dubitari potest. De hoc Isaaco Syro pluribus agit Cl. Lambecius *Comment.* Lib. V. p. 73. ubi etiam multorum errorem notat, qui Isaacum nostrum Presbyterum Antiochenum vocant, cùm tamen ab Isaaco Syro Antiochiæ Presbytero, cujus meminit Gennadius, longè diversus fuerit.

ARATOR, natione Ligur, munere Advocatus, postea ab Athalarico Rege Domesticorum & Privatorum Comes factus circa ann. 534. Claruit anno 544. quin & diu antea insignis, quippe qui ante annum 527. pro Dalmatis ad Theodoricum Regem legatione functus sit, ac fœliciter confecerit. Relictâ tandem aulâ, sacris Ordinibus initiatus est, ac inter Subdiaconos Ecclesiæ Romanæ cooptatus; Vigilio Papæ apprimè carus, cui ineunte ann. 544. Poema suum nuncupavit. Miris laudibus eloquentiam & facundiam ejus deprædicat Athalaricus in Rescripto, quo Comitivæ dignitatem ei largitur. *Genitoris tui*, inquit, *facundia & moribus adjuvaris; cujus te eloquium instruere potuit, etiamsi libris veterum non vacasses. Erat enim, ut scimus, egregiè literis eruditus---O beatum magistrum, fœlicissimumque discipulum, qui affectuosè didicit, quod aliis doctorum terror extorsit. Romanum denique eloquium non suis regionibus invenisti; & ibi te Tulliana lectio disertum reddidit, ubi quondam Gallica lingua resonavit. Ubi sunt, qui literas Latinas Romæ, non etiam alibi, asserunt esse discendas----Soluta est quippe vis illa sententiæ: mittit & Liguria Tullios suos.* Verùm non modò eloquentiâ, sed & Poeticâ facultate plurimùm excelluit. In cujus *carmine epico de Actibus Apostolicis*, inquit CL. Borrichius *, pietatem meritò veneramur, & promptum eloquium. Sed à fæcibus temporum quædam in venam ejus irrepsisse non ambiguum est. In his tamen omnia casta. Scripsit carmine Heroico *Historiam Apostolicam, ex Luca expressam* & duobus libris comprehensam. Prodiit ista *Historia* cum commentariis Arii Mendosæ *Salmanticæ* 1516. & in Auctario Bigneano *Paris.* 1624. pag. 681. ac in Bibliothecâ Patr. Tom. X. p. 125. Scripsit & carmine Elegiaco *Epistolam ad Parthenium*, quo hortante carminibus pangendis se primum dederat, & ad quem *Historiam Apostolicam* inter Gallos divulgandam miserat. Eam primus edidit Sirmondus in notis ad Ennodium propè finem. Exinde habetur in Bibliothecâ Patr. Tom. X. p. 141. 544.

Apud Cassiod. Variar. l. 8. ep. 12. * Dissert. 2. de Poet. Lat. p. 81.

VICTOR, Episcopus Capuanus, vir Græcè & Latinè doctus, claruit circa ann. 545. Scripsit Opuscula aliquot, quæ sequuntur. 545.

Ammonii Harmonia Evangelica Latinè versa, præmissa Præfatione, & subnexis Canonibus Eusebianis in ordinem meliorem redactis. Eam Tatiano malè ascripsit Victor. Extat in omni ferè Bibliothecæ Patrum editione, & in Orthodoxogr. pag. 780.

Cycli Paschales, quibus Victorii Canonem Paschalem impugnavit, & Pascha anni 455. non XV. Cal. Maii, uti computavit Victorius, sed VII. Cal. Maii celebrandum fuisse demonstravit. Habentur fragmenta aliquot apud Bedam lib. de Temp. capit. 49. & de Æquinoct. vernali Tom. 2.

Sigebert. de Script. c. 20.

Catena in Quatuor Evangelia, ex Veterum scriptis consarcinata, quæ penès Feuardentium manuscripta fuit: qui ex eâ quædam Polycarpi Fragmenta à Victore Latinè versa in lucem edidit: de quibus nos suprà in Polycarpo.

DOMITIANUS, Ancyræ quæ Galatiæ primæ Metropolis erat Episcopus, claruit circa annum DXLV. sectâ fuit Acephalus, & inter causæ Origenianæ assertores vir primarius, Theodoro 545. *P. II.*

Cæsareæ

SÆC. VI. ab An. D. Cæsareæ Cappadocum Episcopo admodùm familiaris, cum quo res suorum in Aulâ egregiè promovebat. Obiit ante Synodum quintam; siquidem in eâ τοποτηρητῶν suum habuit Dorotheus * Ancyræ Episcopus. Scripsit Libellum ad Vigilium Papam *de controversiâ*, ut videtur *Origenianâ*; ex quo Fragmentum adducit istius temporis Scriptor Facundus Hermianensis *lib.* I. *c.* 2. & *lib.* IV. c. ult. p. 62. Ipse liber dudùm periit.

* Ut ex Collat. I. liquet.

546. CYPRIANUS, gente Gallus, S. Cæsarii Arelatensis discipulus, claruit circa ann. 546. Scripsit, rogante Cæsariâ S. Cæsarii sorore, *Vitam & res gestas Cæsarii* usque ad annum 530. libro unico: cui ipsomet hortante, Messianus Presbyter, & Stephanus Diaconus, Cæsarii itidem discipuli, librum secundum *de miraculis, virtutibus* atque *obitu* ejusdem addiderunt. Editus est Stephani liber in primâ Surii editione. Utrumque evulgavit Vincentius Barralis in Chronologiâ Lirinensi *Lugduni* 1613. 4°. Exinde uterque habetur in novissimâ Surii editione August. XXVII. & Mabillon. Sæcul. Benedict. I. p. 659.

546. VERECUNDUS, seu Vergundus, Juncensis in Byzacenâ Africæ Provinciâ Episcopus, claruit anno 546. Ob trium Capitulorum defensionem exul factus obiit Chalcedone ann. 552. Scripsit teste Autore Appendicis * ad Isidorum, *carmine dactylico duos breves libellos, primum de Resurrectione & Judicio, alterum de pœnitentiâ*, in quo lamentabili carmine propria delicta deploravit. Posteriorem istum se in MS. Codice legisse prodit Garsias Loisa. Vid. Miræum in hunc locum.

* Cap. 6.

548. P. II. BARSANUPHIUS, genere Ægyptius, severioris vitæ Anachoreta, claruit imperante Justiniano circa annum DXLVIII. In Monasterio quodam juxta Gazam in Palæstinâ cellæ suæ se inclusit; ut per quinquaginta & ampliùs annos, nec à quoquam visus est, nec terrenum quicquam degustâsse dicitur. Quæ cùm falsa esse crederet Eustochius Hierosolymorum Antistes, & cellulam in quâ vir Dei sese incluserat perfodi jussisset; ignis inde exiliens universos propemodùm qui aderant combussit, si modò vera nobis referat Evagrius hujus Sæculi Scriptor l. IV. c. 33. p. 408. Scripsit Barsanuphius *Quæstiones & Responsiones asceticas varias*, quæ, earum saltèm pars maxima, habentur Græcè MSS. Biblioth. Vindob. Cod. *Theol.* CIV. num. i. fol. 1. p. 2. hoc titulo Ἐκ τῶν ἐρωτήσεων τȣ͂ ὁσίȣ πατρὸς ἡμῶν Βαρσανȣφίȣ Ἐρώτησις. Πῶς ἔςαι καθίσαι ἐν τῷ κελλίῳ; Ἀπόκρισις, Τὸ καθίσαι ἐν τῷ κελλίῳ, &c. Scripsit item *Paranesin*, sive *Admonitionem ad proprium discipulum*. Incipit Γέρων τὶς ἐδιέτριβεν ἐκεῖθεν τȣ͂ κλείσματ☉, &c. Habetur Gr. MS. ibidem *Cod.* CCXXXIII. num. xi. fol. 148. pag. 2. Vide *Nessel. Catal.* Part. I. pag. 184. 331. Habentur etiam Barsanuphii, ejusque discipuli Joannis *Didascalia super variis quæstionibus monachorum in regione Gazæ*, sive *Epistolarum asceticarum libri* VI. in Bibliothecâ Regiâ *Parisiensi* Codd. DCCCCXXXII. MDCX. MDCCLX. idem procul dubiò cum prioribus Opus, ut & doctrina illa Ψυχωφελὴς, quam Barsanuphius, ejusque discipulus Joannes, propter fratres ipsos consulentes, per quæstiones & responsiones ediderunt; quæ extat Gr. MS. *Biblioth. Bodleian.* Class. III. num. xii. p. 62. Vide *Catal. MSS.* p. 39.

550. MUTIANUS SCHOLASTICUS, vir disertissimus à Cassiodoro * dictus, claruit circa an. 550. Rogante Cassiodoro Homilias XXXIV. S. Chrysostomi in Epistolam ad Hebræos Latino sermone donavit. Versio ista extat *Col.* 1530, excusa. Vide *Cave Hist. Lit.* plura in Chrysostomo. Scripsit adhuc Mutianus *adversùs Occidentales Episcopos*, qui post damnata à Vigilio Tria Capitula communioni ejus se subduxerunt: cui Operi peculiarem librum opposuit Facundus Hermianensis.

* Divin. Lect. cap. 8.

SÆC. VI. ab An. D.

BELLATOR, dignitate Presbyter, Cassiodori amicus, claruit anno 550. *Multos in S. Scripturam Commentarios* scripsit. Librum enim Estheræ libris VI. Tobiæ libris V. Judithæ libris VII. Sapientiæ libris VIII. ac Maccabæorum libris X. explicavit. Duas præterea *Origenis in Esdram Homilias*, & forsan alia quædam, Latinè vertit. Ex tot scriptis nil hodie superest, nisi Huetii conjecturæ fides sit adhibenda, qui versionem aliquot Origenis Opusculorum Bellatori ascribit; de quibus vide plura in Origene. 550.

RUSTICUS, ortu, ut videtur, Romanus, 550. Vigilio Papæ affinitate junctus, ab eo Ecclesiæ Romanæ Diaconus factus est. Vigilium Constantinopolim proficiscentem comitatus, cùm ann. 547. Vigilius, habitâ Constantinopoli suorum Synodo, *Libellum adversùs Tria Capitula* Mennæ Patriarchæ dedisset ipse unà cum Sebastiano Vigilii itidem Diacono ab Episcopi sui communione resiliens anno sequenti *librum adversùs Acephalos ad Sebastianum* scripsit: in cujus fine acriter contra Vilium disputavit: & cum nullis Vigilii monitis ad obsequium revocari poterat, an. demum 550. Vigilii sententiâ à Diaconatûs munere depositus est. Quid exinde ipsi contigerit, mihi non constat. Extat ejus *Disputatio adversùs Acephalos*, sine mutila, in Antidoto contra Hæreses *Basil.* 1528. pagin. 246. in Hæresiologiâ ibid. 1550. Simleri notis illustrata cum aliis Patrum scriptis contra Eutychem & Nestorium *Tiguri* 1571. p. 141. & in Bibliothecâ Patr. Tom. X. p. 349.

PRIMASIUS, gente Afer, Adrumeti urbis quæ *Justinianopolis* etiam dicta est, in Provinciâ Byzacenâ Episcopus, unus ex iis, qui ad res Ecclesiæ Africanæ procurandas Constantinopolim circa an. 550. missi sunt: ubi anno sequente Episcoporum conventui interfuit, quo Vigilius excommunicationis sententiam in Theodorum Cæsariensem, Acephalorum ducem, intorquebat. Anno 553. sæpius licet advocatus Synodo Oecumenicæ interesse noluit; sed unà cum aliis subscripsit Vigilii Constituto pro tribus Capitibus, quod tempore Synodi Papa Imperatori obtulit. 550.

SCRIPTA.

Commentaria in Epistolas S. Pauli, ex Hieronymi, Ambrosii, Augustini, aliorumque Veterum scriptis maximam partem delibata. Multa exinde in Commentaria sua transtulit Haymo: unde nonnulli hallucinati Primasii Commentaria Haymoni deberi censuerunt. Prodierunt seorsim *Paris.* 1543. 8°.

Commentaria mystica expositionis in Apocalypsin ad Castorium, quinque libris distincta. Prodierunt seorsim *Basil.* 1544. 8°.

Utraque Primasii *Commentaria* habentur à Gagnæo edita *Lugduni* 1543. & in Bibliothecâ Patrum Tom. X.

De Heresibus libri 3. *ad Fortunatum Episcopum*, in quibus explicuit, quod olim Augustinus in libro Hæreseon imperfectum reliquerat: in primo libro ostendens, quid Hæreticum faciat, in 2°. & 3°. quid Hæreticum demonstret. Interiit jamdudum Opus istud. Isidor. de Script. c. 5.

Extant hodie sub *Prædestinati* nomine editi, *de-*

SÆC. VI. ab An. D. *Hæresibus*, præcipuè Prædestinatorum hæresi, libri tres. In prima parte agit Autor quisquis sit, de Hæresibus quibuscunque numero XC. à Simone usque Mago ad Hæresin Prædestinatianam, earumque autores, placita, mores breviter recenset. Secundam partem constituit liber de prædestinatione sub Augustini nomine olim confictus, in tertia parte libri hujusce Augustiniani refutationem instituit. Quis fuerit verus horum librorum parens, eruditis inter se haud satis convenit; Hincmaro Remensi sub Hygini nomine citantur; errore satis manifesto, nec forsan aliunde orto, quàm quod in indice Autorum Operi præfixo Hygini nomen repererat. Sirmondus ob styli sententiarumque affinitatem Arnobio juniori adjudicandos esse suspicatus est: Nuper Piccinardus Theologus Brixiensis Vincentium quendam nescio quem Autorem statuit, illum nempe cujus XVI. objectionibus totidem responsiones opposuit Prosper Aquitanus. Quis verò sit iste Vincentius, an Presbyter ille natione Gallus, qui in Psalmos commentatus est, de quo Gennadius c. 80. an Vincentius Victor adversùs quem de origine animæ scripsit Augustinus, haud satis novit; Lirinensem enim prorsus rejicit: librum sub Augustini nomine confictum Euodio Uzzalensi tribuit, quem suspicatur libello suo hunc titulum præfixisse, *Expositio Doctrinæ Augustini*, indeque pro ipsius Augustini fœtu habitum esse: verùm quæ de totâ hac re habet Piccinardus, adeò incertis & levibus nituntur conjecturis, ut paucos fortasse in sententiam pertracturus sit. Longè potiori jure tribuendi videntur Primasio nostro, idque fide vetusti Codicis MS. ante annos octingentos exarati, quem in Bibliotheca Augiensi vidit Cl. * Mabillonius, in quo comparuit hic titulus, dilutiori quidem atramento scriptus, sed antiqua manu, OPUS SANCTI PRIMASII DISCIPULI AUGUSTINI DE HÆRESIBUS NUMERO XC. Certè Autor non uno in loco se Afrum esse innuere videtur; sed ut quod suspicor liberè proferam, quisquis hanc notulam Codici Augiensi apposuit forsan hallucinatus sit, & cùm apud Isidorum legerat, Primasium tres de Hæresibus libros scripsisse, hosque tres Anonymos repererat, mox Primasii nomen indidit. Adde quod cùm Autor noster nullam fere Hæresin Nestorianâ recentiorem memoravit, Primasius tot exinde natas & damnatas hæreses haud omissurus erat. Sed totam hanc rem eruditis discutiendam relinquimus. Primus hos libros ex Hincmari Remensis Codice extulit Jac. Sirmondus *Paris.* 1643. 8°. anno sequenti acrem satis totius Operis censuram Gallicè edidit Joan. Avvræus Theologus Sorbonicus, quâ Autorem hominem fuisse Pelagianum contendit, eique errores, hæreses, mendacia, fabulas, fœdamque ignorantiam objicit, mox Opus in Hollandia recusum *Amstelodami*, ni fallor, 1645. 8°. cui Avvręi censuram Latinè versam subjecit editor Anno 1677. in Bibliotheca Patrum Lugdunensi Tom. XXVII. locum invenit. Demum Seraphinus Piccinardus ex Ord. Prædic. in Academiâ Patavinâ Theologus, additis variis de Autore, Opere, totâque controversiâ dissertationibus denuo in lucem protulit *Patav.* 1686. 4°.

* Iin. German. p. 83. Analect. Tom. 4.

550. JUNILIUS, Episcopus Africanus, vixit circa ann. 550. Scripsit ad Primasium per modum Quæstionum & Responsionum *de partibus Divinæ Legis libros* 2. qui typis excusi prodierunt à Joanne Gastio editi *Basil.* 1545. 8°. *Francofurti ad Oderam* 1603. 8°. & in Bibliotheca Patr. Tom. X. pag. 339. Circumferuntur sub ejusdem nomine *Commentarii in tria priora capita Geneseos*, excusa *Colon.* 1535. 8°. *Basil.* 1538. in Orthodoxogr. pag. 925. & inter Bedæ Opera, cujus reverâ eos esse omnibus jam notum est. SÆC. VI. ab An. D.

JACOBUS, *Baradeus*, cognomento etiam *Zanzalus*, gente Syrus, Sectâ Eutychianus, claruit, si quid video, circa annum DL. Severo Antiocheno, qui in vivis adhuc erat anno DXXXVI. posteriorem fuisse testis est Nicephorus lib. XVIII. cap. 52. pag. 881. & res ipsa loquitur, Severi quippè discipulus fuisse dicitur. Et tamen ante Anastasium Sinaitam, qui Jacobitarum non semel meminit, floruisse necesse est. Vir fuit obscurus & ignobilis, ideòque διὰ τὴν ἄκραν εὐτέλειαν inquit Nicephorus, *propter summam tenuitatem* cognominatus. Dictus est etiam *Baradeus*; cujus agnominis ex mente Orientalium duplicem rationem reddit Naironus *Evopl.* Part. I. pag. 41. vel à voce Arabicâ *Bardaa*, quæ clitellam significat, & pannosum atque lacerosum ejus vestitum denotat, vel ab urbe *Bardaa* in quâ natus sit, cujusque meminit Geographiæ Nubiensis auctor *Part.* VI. *Clim.* 5. Jacobitarum in Oriente factus est pater & antesignanus, qui ab eo nomen suum traxerunt, & quorum dogmata per Syriam & Armeniam longè latèque propagavit. Scripsit *Catechesin*, quæ quasi totius fidei Jacobiticæ norma est & fundamentum. Extat Arabicè MS. in Bibliothecâ Collegii Maronitarum in urbe Româ, ex qua nonnulla profert Ecchellensis *Eutych. Vindic.* Part. II. cap. 26. p. 280. 283. plura Naironus lib. citat. p. 28. 29. 35. 42. & Dissert. *de Maronitis* num. XV. p. 21. num. XXVI. pag. 38. 39. &c. Catechismo subnecti solet Sermo *de laudibus fidei Iacobitarum*, ex quo locum de processione Spiritûs Sancti Arabicè citat Naironus *Evopl.* pagin. 57. Hunc Jacobum Scriptores nonnulli Orientales eundem cum Jacobo Edesseno faciunt. Verùm Jacobus ille Edessenus, qui κατ᾽ ἐξοχὴν à Syris *Doctor* appellatur, nostro integro ferè sæculo junior erat, cujus *Hymni* passim in Syrorum Breviariis leguntur. Opus etiam *Mor-Jacobi Edesseni de Baptismo* in Bibliothecâ publicâ Tubingensi se MS. vidisse testatur Hottingerus *Biblioth. Orient.* cap. 3. p. 292. Tertius erat Jacobus Episcopus Sarugensis (Sarug urbs est Mesopotamiæ propè Harran sive Carras) fide orthodoxus, Edesseno ætate par, cujus *Hymni* antiqui aliaque Opera eleganti stylo composita in Monasterio S. Mariæ de Cannubin in monte Libano hodiè asservantur. De his plura F. Naironus p. 48, 49, 50, 199. *Liturgia* ejus, sive *Oratio Eucharistica* extat apud Æthiopes, teste Cl. Ludolfo *Comment. Æthiop.* lib. III. cap. 4. *num.* XXXI. p. 340. 550. P.II.

JORNANDES, sive Jordanus, gente Gothus, Alanovvamuthis filius, primùm quidem Gothorum Notarius; deinde sive ad Christianam sive ad severius vitæ institutum, conversus demum Episcopus Ravennas, seu potiùs Ravennæ agens, Gothorum Episcopus factus est. Claruit anno 552. quo librum de Rebus Geticis scripsit. Plura de eo non liquent. Extant bina ab eo conscripta Opuscula, viz. 552. Iornand. de Rebus Get. cap. 51.

De rebus Geticis liber, sive *Historia Gothorum* ab ipsis gentis incunabulis ad Vitigin Regem à Belisario devictum, quâ summatim complectitur Jornandes, quæ libris XII. ejusdem argumenti fusè pertractârat Cassiodorus. Prodiit sępiùs excusus, emendatior autem ex P. Pithæi exemplari MS. à Fornerio editus inter Opera Cassiodori *Paris.* 1588. cum notis Lindenbrogii *Hamburg.* 1611. & cum aliis consimilis argumenti Scriptoribus à Bon. Vulcanio editis *Lugd. Bat.* 1618. denique apud Grotium in Historia Gothorum *Amstelod.* 1655. 8°.

De Regnorum & temporum successione, sive *de origine mundi*, & *actibus Romanorum*; *cæterarumque gen-*

SÆC. VI. An. D. *gentium*, *liber*: in quo integram ferè Flori Historiam tacito ejus nomine exscriptam esse notat Vossius*. Prodiit *Francofurt.* 1588. *Lugd. Bat.* 1595. 8°. *Hamburg.* 1611. Utrumque Opus cum notis Jani Gruteri editum est *Hanov.* 1611.

* De Hist. Lat. l. 2. c. 20.

553. EUTYCHIUS, vitæ instituto Monachus, in Monasterio Amaseæ urbis vitam egit; unde tanquam Episcopi Amasenorum Apocrisiarius Constantinopolim missus est; & cùm paulò ante quintam Synodum orta esset controversia, utrùm liceret mortuos anathemati subjicere, ipse in Scripturis apprimè exercitatus, ex facto Josiæ Regis illicò nodum solvit. Viri solertiam admiratus Imperator, eum paulò post, Mennâ ex vivis sublato, ineunte anno 553. ad Pontificalem Urbis Regiæ sedem promovit. Eodem anno Synodo CP. Oecumenicæ præsedit. Anno 564. cùm Justiniani Imp. edicto de incorruptibilitate corporis Christi ante resurrectionem consentire nollet, sede suâ expulsus est, & in Hosiæ Monasterium inclusus, ac substituto ei Joanne Scholastico, post octo dies à Conciliabulo quodam depositus, inde in insulam quandam Princepo dictam, ac mox ad Monasterium suum Amasenum, deportatus. Anno 578. à Tiberio Cæsare (cui Imperium ipse olim prædixerat) sedi suæ restitutus est. Obiit anno 585. ætatis suæ 73. Extat unica *Epistola* statim post susceptum Episcopatum *ad Vigilium Papam* missa, quâ ut Trium Capitulorum causa in Synodo ipso non invito discutiatur, postulat, & ad concordiam hortatur, Gr. Lat. inter Acta Synodi Quintæ Concil. Tom. V. pag. 425. Scripsit Eutychius & *Tractatum* Περὶ τῶν ἐν τόπῳ κατὰ δεύτερον λόγον οὐσιωδῶς γινομένων λογικῶν καὶ νοηρῶν, cujus fragmentum adducit Eustratius CP. de Vitâ functorum statu c. 14. Item *librum de Resurrectione Mortuorum*, in quo corpus nostrum in illa Resurrectionis gloria, impalpabile, ventis aëreque subtilius esse futurum, docuit. Hunc post longam disputationem Eutychium inter & Gregorium I. Apocrisiarium tunc Constantinopoli agentem habitam, flammis adjudicavit Tiberius Imperator *, teste ipsomet Gregorio, sed repentina Eutychii mors Edicti executionem antevertit; etsi non desint qui librum reverà combustum esse scribant.

* Evagr. l. 4. c. 38.

* Moral. l. 14. cap. 29.

553. EUGYPPIUS, dignitate Presbyter, & Abbas Africanus, vir, inquit Cassiodorus, *, non usque adeò sæcularibus literis eruditus, sed Scripturarum divinarum lectione plenissimus, claruit anno 553. Hortatu Renducis Neapolitani Episcopi, quæstiones, sententias ac diversas res ex S. Augustini scriptis defloravit; & in unum corpus collecta in 338. capitulis collocavit. Operi huic *Thesauri* nomen indidit, & Probæ virgini sacræ nuncupavit. Extat *Thesaurus* iste *Basil.* 1542. fol. *Venet.* 1543.

* Divin. Lect. cap. 23.

553. FERREOLUS, gente Gallus, Patriâ Narbonensis, nobilitate generis conspicuus; Patrem habuit Ansbertum Senatorem, matrem Blitildem Clotharii Regis filiam, natus anno 521. Septennis adhuc puer Narbonâ relictâ Uceciam profectus, & Ruricii propatrui sui curæ se bonis literis imbuendum commisit. Anno 553. Firmino patruo in Episcopatu Ucecìensi suffectus est: ubi B. Pauli memoriæ magnificum templum posuit, & Monasterium à nomine suo *Ferriolacense* dictum fundavit. Cùm verò Judæis animas eorum lucrandi studio familiariter uteretur, in suspicionem rerum novarum cudendarum apud Childebertum Regem adductus, anno 555. Parisios relegatus est, ubi triennium in exilio degit, maximo tamen honore apud Regem habitus. Anno 558. redire permissus Uceciam se contulit; & ut omnem suspicionis ansam amoliretur, Judæos omnes, quos ad fidem Christianam adducere non potuit, civitate suâ expulit. Obiit ann. 581. Episcopatûs 28. Composuit *Regulam Monachorum* in usum Monasterii sui, quæ integra habetur in Codice Regularum ab Holstenio edito *Paris.* 1663. Scripsit etiam, teste Gregorio Turonensi *, Sidonium imitatus, *libros* aliquot *Epistolarum*, qui interierunt. An Ferreolo nostro debeantur Sententiæ, quæ sub Ferreoli Presbyteri nomine habentur in libello de Officio rectoris Ecclesiæ *Colon.* 1531. 8°. me planè latet.

Vid. Autor. Vit. ejus ap. Le Cointe ad. an. 521. 528. 553. 555. 558. 581.

* Hist. l. 8. c. 7.

LIBERATUS, Ecclesiæ Carthaginensis Archidiaconus, Trium Capitulorum defensor acerrimus, anno 534. vel ineunte sequente, à Synodo Africanorum Episcoporum CCXVII. Carthaginensi ad consulendum de dubiis quibusdam, Joannem Papam, Romam unà cum Caio & Petro Presbyteris missus est: licèt ad Urbem ante mortem Joannis non perveniret: ipse * tamen se vivente adhuc Joanne Romæ egisse testatur: adeò ut bis Romam ante annum 536. profectus videatur. Claruit imprimis anno 553. quo circiter tempore, ante habitam tamen Synodum Quintam, Breviarium suum clausit. Plurimas pro causâ Trium Capitulorum peregrinationes suscepit: & partim ex virorum gravissimorum narratione, partim ex Historiis, gestis Synodalibus, & Episcoporum epistolis lautam satis rerum gestarum notitiæ supellectilem nactus; Controversiarum Nestorianæ & Eutychianæ Historiam contexuit, quâ res per L. ferè annos gestas ad hanc controversiam præcipuè spectantes, & quæ vix aliunde haberi queant, complexus est, Stylo quidem humili & pedestri, quique ob Autorum tum Græcorum tum Latinorum, quos sequitur, varietatem, inæqualis penè ubique incedit. Extat *Breviarium* istud, sic enim *Historiam* suam appellari voluit, Concil. Tom. V. p. 740. & cum notis & dissertationibus Garnerii *Paris.* 1675. 8°. In editione primâ Conciliorum à P. Crabbe adornata reperitur Appendix ad Breviarium Liberati Tom. 2. à p. 121. ad 128. quę in nuperis Conciliorum Tomis frustra quæritur. 553.

* Breviar. cap. 20.

VICTOR, gente Afer, Tununensis (aliis Cemmensis & Cummenensis corruptè dictus) in Africâ Episcopus, claruit anno 555. Trium Capitulorum Patronus constantissimus, ob quorum causam propugnandam plurimas ac gravissimas ærumnas pertulit Ex Africâ enim à Justianino Imp. unà cum aliis quibusdam Episcopis Constantinopolim accitus, cùm Tria Capitula damnare nollet, variis exiliis afflictus est. Post custodias namque & plagas, quas Sala & Valericis perpessus est, necnon in Monasterio Mandræ, in Egum Mauritaniæ insulam semel atque iterum relegatus, Alexandriam exinde deportatus est, & in carcerem Castelli Diocletiani conjectus. Eo mox eductus carcere anno 557. post disputationes in Prætorio continuas dierum 15. ad aliam custodiam Monasterii Tabennesiotarum apud Canopum mittitur. Ann. 564. ex Ægypto iterum Constantinopolim evocatus, cùm coram Justiniano Imp. & Eutychio CP. Tria Capitula adhuc defendere nequaquam vereretur, in Monasterio quodam Urbis Regię in custodiam rursus datus est: ubi post annum 565. diem supremum obiit. Scripsit *Chronicon rerum gestarum* ab Orbe condito usque ad annum 565. quo Justinus junior imperium auspicatus est Hujus Chronici prima pars interiit: superest posterior, quæ ab anno 444. (quo desiit Prosper) exorsa ad annum 566. progreditur. Habetur à Canisio edita *Ingolstad.* 1600.

555. Victor in fine Chronici.

 4°. emendatior autem in utrâque Chronici Eusebiani editione Scaligerianâ.

555. GERMANUS, gente Gallus, Eleutherii filius, in territorio Augustodunensi natus, ab Agrippino Augustodunensi Episcopo Diaconus anno 533. deinde Presbyter anno 536. ordinatus: à Nectario Agrippini successore Abbas S. Symphoriani constitutus, ac demum anno 555. Episcopus Parisiensis creatus. Anno 557. Concilio Parisiensi 3. subscripsit; anno 560. ordinationi Siagrii Augustodunensis Episcopi interfuit. Obiit octogenarius anno 576. Scripsit anno 573. *Epistolam ad Brunechildem reginam*, ut Sigebertum Regem à consilio belli, quod Chilperico fratri illaturus erat, revocaret, postulans. Extat hæc Epistola Concil. Tom. V. pagina 923.

555. PELAGIUS, patriâ Romanus, Joannis Vicariani filius, Ecclesiæ Romanæ Diaconus, Agapeti, Silverii, ac Vigilii Pontificum Apocrisiarius Constantinopoli apud Imperatorem agens, ab Agapeto primùm missus anno 535. maximam à Justiniano totâque aulâ Cæsareâ gratiam statim iniit. Anno 539. circiter unà cum Ephræmio Antiocheno, & Petro Hierosolymitano Patriarchis à Justiniano Imp. judex datus est Paulo Alexandriæ Patriarchæ, qui ob Diaconi cædem Gazam paulò antea relegatus fuerat. Gazam igitur per Antiochiam & Hierosolymam iter faciens Pelagius Paulum sede suâ movit. Constantinopolim reversus in viâ offendit Monachos quosdam Palæstinos Justinianum adeuntes, ut Origenistarum tumultuantium audaciam impetrato edicto compescerent. Ab his exoratus, operam suam in aulâ collocandam libenter pollicitus est: quod quidem tam fœliciter effecit, ut anno 541. edictum Origenistas damnans ab Imperatore obtinuerit. Anno circiter 545. Romam rediit, sive à Vigilio revocatus, sive à Justiniano remissus, ut grandi pecuniæ onere secum allato, Romę periclitanti, quod fecit, subveniret. Anno 547. à civibus Romanis ad Totilam Gothorum Regem legatus est, ut Barbari Regis arma ab Urbe precibus suis averteret. Voto quidem hâc in re excidit Pelagius, mox tamen Urbe à Totilâ expugnatâ, plurimorum civium vitas & libertatem sibi donari impetravit: & eodem anno à Totilâ Constantinopolim legatus est, ut pacem Gothos inter & Romanos sanciret. Anno 553. Vigilii Papæ Constituto priori subscripsit, uti & posteriori, quo Synodus Quinta confirmata est. Anno demum 555. (556. juxta Catalogum Anastasianum) mense Aprili Pontifex Romanus ordinatus est, postquàm se intentato sibi illatæ Vigilio mortis crimine purgâsset. Papa factus Synodum Quintam confirmavit, & cum Episcopis Occidentalibus, qui ob damnata à sede Romanâ Tria Capitula in schisma desciverant, ad mortem usque strenuè decertavit. Obiit anno 559. (561. juxta Anastasium mense Martio. Extant *Epistolæ* XVI. Concil. Tom. V. pag. 788. Harum primam spuriam esse ipsi agnoscunt editores: ultimæ, quæ est ad Childebertum Regem, subnectitur Fidei Confessio, quam extremâ parte auctiorem edidit Cl. Garnerius in Dissert. de Synodo V. Gen. Auctuar. Theodoriti pag. 539. Præter istas Epistolas, habentur *Epistolæ* aliæ, seu potiùs Epistolarum Fragmenta XII. à Luca Holstenio primùm è tenebris eruta, Concil. Tom. V. pag. 805.

555. CYRILLUS, gente Palæstinus, civitate Scythopolitanus, in urbe Patriâ decimo sexto ætatis anno Monasticam vitam profiteri cœpit. Posteà loca sancta visendi studio ductus, Hierosolymam petiit; & matris mandato Joannis Silentiarii regimini se commisit à quo demum ad celeberrimum Lauræ Monasterium missus, & à Leontio Abbate, qui Monasterii præfecturam anno 542. susceperit, inter Monachos cooptatus fuit. Claruit anno 557. quo S. Joannis *Silentiarii Vitam* scripsit. Quando obierit, non liquet. Scripsit *Vitam S. Euthymii Abbatis*, qui obiit anno 472. Extat hæc Vita, sed à Metaphraste interpolata, Gr. Lat. apud Coteler. Monument. Eccles. Gr. Tom. 2. p. 220. Latinè apud Surium Januar. XX. Extat etiam ab eo scripta *Vita S. Joannis Silentiarii*, Gr. Lat. ab Henschenio & Papebrochio edita ad diem Maii XIII. Latinè apud Surium Maii XIII. Scripsit denique *Vitam S. Sabæ*, quæ adhuc inter Simeonis Metaphrastæ Vitas Græcè delitescit, Latinè verò, ab eo interpolata, apud Surium Decembris V. habetur. Antiquam Vitæ istius à Metaphraste nondum corruptæ, versionem Latinam dedit Bollandus ad XX. Januar. Integrum tandem ac sincerum textum Græcum nactus Cl. Cotelerius, additâ versione ac notis, edidit Monument. Tom. 3. p. 220.

PAULUS CYRUS FLORUS, Cyri filius, nobilitate generis illustris, *Silentiarius* à munere, quod gessit, dictus, claruit circa an. 555. Facultate Poëticâ eminuit, & *Templum S. Sophiæ* nuper à Justiniano conditum prolixo carmine descripsit. Primus id in lucem Græcè & Latinè extulit, & uberrimis annotationibus illustravit Carolus Du Fresnius *Paris.* 1670. fol. ad calcem Historiæ Cinnami. Scripsit etiam, inquit Agathias *, alia quamplurima poëmata, memoratu digna & laude. Videntur autem mihi, quę de Templo scripsit, tantò majore & labore & scientiâ referta, quantò & argumentum ipsum est admirabilius. Agathiæ succinit Cl. Du Fresnius, qui descriptionem ædis Sophianæ tantâ accuratione aggressum esse Paulum censet, ut universam illius structuram, singulasque partes, quisquis hanc legerit, statim quodammodo oculis perinde ac animo comprehendat. 555.

* De rebus Justiniani, lib. 5.

AGNELLUS, nobili loco natus, & conditione opulentus; mortuâ uxore ab Ecclesio Ravennatum Archiepiscopo, qui obiit anno 542. Diaconus factus, Templo D. Agathæ præfectus est. Demum post mortem Maximiani anno 555. Ravennatum Archiepiscopus constituitur. Mediante Narsete Justiniani duce, omnia Gothorum bona in Ravennatensis Ecclesiæ usum obtinuit, Templa ab Arianis extructa, eorumque sacris inquinata, purgavit, & ad verum Dei cultum traduxit. Obiit Calendis Sextilibus anno 556. ætatis suæ 94. Non pauca de eo habet Hieronymus Rubeus Hist. Ravennat. lib. 3. p. 169. Scripsit *Epistolam ad Arminium de Ratione Fidei*, quæ habetur in Antidoto contra Hæres. *Basil.* 1528. in Hæresiologiâ Basileensi, & in Bibliothecâ Patr. Tom. VIII. p. 666. 555.

GORDIANUS, gente forsan Siculus, S. Benedicti discipulus, claruit circa annum DLV. Sancti Placidi Martyris socius & famulus, quem unà cum Martyrii sociis, à Mamucha Agareno Barbarorum classis Præfecto occisum, sepulturæ mandavit, & mox Constantinopolim petens, jubente Justiniano Imp. *Vitam ac Passionem B. Placidi & XXX. sociorum* Græcis literis prolixè descripsit. Tandem in Siciliam rediens, apud Syracusas Vitam cum morte commutavit. Extat ejus commentarius in vetustissimo codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ à Surio Latinè editus *Octobr.* V. 555. P. II.

EUSTRATIUS Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyter. De ejus ætate silent ferè omnes 560.

Digitized by Google

 omnes tum veteres, tum recentiores: de quâ ne verbum quidem habet, qui hunc Scriptorem primus edidit, Doctiss. Allatius. Ad veram igitur ejus ætatem indagandam animadverto, 1°. Photio fuisse antiquiorem, qui ipsum citat, nec de eo tanquam nupero scriptore loquitur. 2. Claruit, postquàm Opera Pseudo-Dionysii Areopagitæ, quem non rarò laudat, in publicum prodierant; quæ nonnisi ineunte hoc sæculo palàm innotescere cœperunt. 3°. Claruisse videtur sub Eutychio Patriarchâ CP. Sic enim de eo loquitur: Ὁ μέγας Εὐτύχιος ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινοπόλεως, ἡ μοι πάντα τιμία καὶ ἱερὰ κεφαλή. *Magnus Eutychius Archiepiscopus CP. venerandum mihi in omnibus sacrumque caput.* Claruit igitur circa annum 560. saltem non diu postea: ac proinde fallitur Casimirus Oudin, qui ex brevi Labbei Chronologiâ illum penè integro sæculo recentiorem facit. *Scripsit librum de Vita functorum statu*, ut eos refutaret, qui dicunt humanas animas statim ac propriis corporibus solutæ sunt, non operari. Legit hunc olim Photius, & ex eo quædam excerpsit. Primus autem è tenebris erutum, & versione Latinâ ornatum, sine quidem mutilum, evulgavit Leo Allatius, libroque suo de Occidentalium atque Orientalium perpetuâ in dogmate Purgatorii consensione inseruit *Romæ* 1655. 8°. à pag. 319. ad 581. Errant verò Miræus, ejusque exscriptor Oudinus, qui Eustratium nostrum Tractatus tres de Vitâ functorum animis scripsisse ex Photio affirmant; quùm nihil aliud dicat Photius, quàm Eustratium in hoc Opere tria potissimùm sibi in animo habuisse; de quibus ibidem Lectorem monet. De stylo ejus hæc Photius: φράσει μὲν συγκέχρηται οὐκ ἐπαινετῇ, λογισμοῖς δ' οὐ λίαν ψεκτοῖς, σαφὴς δ' ὁ λόγος. *Oratione quidem usus est minimè laudabili, sed argumentis non admodum culpandis: dictio tamen ipsa perspicua est.* Quòd verò Eustratio nostro Commentarios in posteriora Analytica Aristotelis Venetiis Græcè editos anno 1534. & in Aristotelis Ethica Græcè ibid. 1536. ascribat Oudinus, vel ex solo librorum titulo discere poterat eos esse Eustratii Niceæ Metropolitæ, nec ad nostrum pertinere. Ut non taceam, quod conjicit Gesnerus, in nonnullis hujusmodi librorum titulis pro Eustratio Eustathii nomen reponendum esse.

Cod. 171. (margin, beside "ætatem indagandam")

Cod. 171. (margin, beside "Ondinus")

578. P. II. EUSTRATIUS, magnæ Ecclesiæ CP. sub Eutychio Patriarchâ Presbyter, claruit præcipuè anno DLXXVIII, etsi vitam paulò diutiùs protraxit, Eutychio quippe Patriarchæ suo superstes. De ejus ætate, déque Opere *de vitâ functorum statu* egimus suprà. Scripsit prætereà *vitam Eutychii Patriarchæ*, qui anno DLIII. ex Monacho Amaseno factus est Patriarcha CP. ann. DLXIV. sede suâ pulsus, depositus, & in exilium missus, restitutus anno DLXXVIII. obiit anno DLXXXV. Vitæ hujus autoritatem Cracanthorpus nostras, Vir in vetustis Ecclesiæ monumentis satis diligentèr versatus, dùm in *Vigilio suo dormitante* Justinianum ab omni calumniarum umbrâ vindicare nititur. Sed leviora sunt quæ objicit, quæque solidè refellit amicus noster singularis H. Hodius, libro vernaculo edito *de Sedibus Episc. per injustam deprivationem vacant.* cap. 10. pag. 116. &c. Extat hæc vita sub nomine *Eutychii* Latinè apud Surium Mense *Aprili*, Græcè etiam edita à Joan. Papebrochio in Act. SS. Mens. *April.* ad calcem Tom. I. Nec aliud est quàm Oratio funebris, quam in laudem Eutychii, quem miro amore prosequebatur, in magnâ Ecclesiâ paulò post defunctum Eutychium habuit Eustratius noster.

560. SIMPLICIUS S. Benedicti Discipulus, & mortuo Constantino tertius Cœnobii Casinensis Abbas constitutus est ann. DLX. pietatis omniumque Virtutum exemplar luculentissimum, obiit an. DLXXVI. Magistri sui Regulam omnibus Religiosorum domiciliis passim legendam custodiendamque tradidit, quin & ipse Poëticâ facultate nitens, majorem ejus promulgationem versibus explicavit, edidit hæc Carmina Lucas Holstenius unà cum diversis Monachorum Regulis *Paris.* 1663.

COLUMBA, gente Hibernus, claruit anno DLX. quo Monasterium Dearmach in Mediterraneâ Hiberniæ parte condidit. Anno verò DLXV. ut discrimen, quod capiti suo à Dermicio Rege imminebat, declinaret, in Britanniam trajecit, & Pictis Septentrionalibus verbum Dei prædicavit: & in Jonâ insulâ, *Hu* & *Y-Columb-kill* dictâ, Monasterium instituit, cui ipse Abbas præfuit. Obiit V. Idus Junii anno DXCVII. ætatis 77. in Ecclesiâ suâ Huensi sepultus. Scripta ejus hunc in modum recenset Cl. Waræus * nempe *Regulam Monasticam*, quæ extat, & vulgò *Columb-kill* dicitur: *Hymnum in laudem S. Kierani Abbatis*; *tres alios Hymnos*, quorum primus incipit *Altus Prosator*. Alius à nostro erat Columbanus, & ipse Hibernus, qui exeunte hoc sæculo claruit: de quo agemus infrà. 560. Bed. Hist. Eccl. l. 3. c. 4.

* De Script. Hibern. l. 1. p. 15.

560. VENANTIUS HONORIUS CLEMENTIANUS FORTUNATUS, gente Italus, in vico Duplabili dicto, non longè ab urbe Tarvisinâ, natus; Ravennæ verò bonarum literarum studiis innutritus. Ante annum DLX. B. Martini ope à gravissimis oculorum doloribus liberatus, ut grati animi indicium proderet, Italiâ relictâ Galliam profectus est; ut S. Martini reliquias in urbe Turonensi depositas inviseret. A Turonibus in Pictavos transiit, atque ibi domicilium posuit, omnibus ob raras ingenii dotes, & eximiam Rhetoricæ ac Poëtices scientiam meritò suspectus & celebratus. Anno DLXV. Sigeberti Regis, & Brunechildis nuptiis *carmine elegiaco* fausta omnia apprecatus est. In urbe demum Pictaviensi Presbyteratûs honorem meruit, ac tandem in eâdem Episcopatûs culmen ascendit, quo tamen anno, incertum prorsùs: nisi quòd Labbeus id post annum DXCIV. quo obiit Gregorius Turonensis, contigisse censeat, hâc, ut opinor, ratione ductus; quòd Gregorius, Fortunato imprimis familiaris, cùm toties eùm laudat nullibi Episcopum appellet. In vivis adhuc erat anno DC. Multa conscripsit, partim *Poëtica*, partim Historica. Vim illius poëticam sic dilaudat Barthius. * *Maximi ingenii vates---Ad eum, veluti ad Calliopium quendam, magistrum & coryphæum Musicorum modulaminum, respexit omnium sequentium Poëtarum chorus.---Mirandum acumen ingenii in hoc authore fuit: etiam doctrinâ omnibus ferè coætaneis excellentior.*

* Adversar. l. 46. c. 3.

OPERA.

Poëmatum libri XI. *præmissa ad Gregorium Turonensem Epistola dedicatoria.*

De Vita S. Martini libri IV. carmine Heroico ad eundem Gregorium editi *Parisiis* 4°. 1511.

Hodœporicon ad Justinum juniorem Imp. & Sophiam Augustam.

De Excidio Thuringiæ ex persona B. Radegundis.

Carmen ad Artachin. Poëmata alia nonnulla Fortunato vulgò ascribuntur, quæ inter Tertulliani, Cypriani, &c. Opera habentur; ubi plura de iis vide.

Poëmata Fortunati prodierunt in Corpore omnium Poëtarum veterum *Lugduni* 1603. 4°. Tom II. in Appendice Bigneanâ *Paris.* 1624. p. 752. & in Biblio-

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. bibliothecâ Patr. Tom X p.520. seorsim verò à Christophoro Brovvero edita *Mogunt.* 1603. 1616.4°.

Expositiones breves Orationis Dominicæ, & Symboli Apostolorum, & Epistolæ aliquot ad Mumulenum, & alios, habentur in Bibliothecâ Patr.p.520.& in Orthodoxogr. p. 1221.

Extant præterea à Fortunato scriptę plurium *Sanctorum Vitæ:* nempe *S. Hilarii Pictaviensis* libris duobus (Hilarii Operibus præfigi solita) apud Surium Januar. XIII. *S. Albini Andegavensis Episcopi* ibid. Martii I. S. *Germani Parisiensis Episcopi* ib. Maii XXVIII. *S. Radegundis Reginæ* ib. August. XIII. *S. Marcelli Parisiensis Episcopi* ib. Novemb. 1. *S. Amantii Ruthenensis Episcopi* ib. Novembr. IV. *S. Remigii Rhemensis Archiepiscopi* ibid. Octobr. I. *Mauritii Andegavensis Episcopi* ibid. Septembr. XIII. *S. Medardi Noviomensis Episcopi* ib. Jun. VIII. An posteriores duæ Vitæ Fortunatum autorem habeant, justa est dubitandi ratio: licet ejusmodi Vitas scripsisse eum dubitari nequeat. Verùm hæ genuinis, quæ interierunt, suppositæ videntur. Vitam S. Medardi prosâ scriptam edidit Dacherius Spicileg. Tom. VIII.

560. P. II. VENANTIUS FORTUNATUS, Episcopus Pictaviensis claruit anno DLX. De ejus Operibus actum est. In his etiam locum meretur *Vita S. Paterni Episcopi Abrincatensis*, qui obiit anno DLXV. quippè quam & Cod. MS. inscriptio, & styli gravitas Fortunato nostro vindicant. Martiano Abbati, qui id muneris ei imposuerat, dedicavit. Hanc ex *schedis Herouvallianis* erutam nobis dedit Joan. Mabillonius ad calcem *Sæc. Benedict.* II. pag. 1100.

560. MARTINUS, gente Pannonius, juvenis adhuc ad visitanda loca sancta, Hierosolymam petiit. Inde solvens Gallæciam Hispaniæ citerioris provinciam appulit: ubi plurimis è Suevorum gente ad Catholicam fidem conversis, varia condidit Monasteria; & ipse Dumiensi à se fundato præfuit usque ad annum circiter DLX. quo in Ecclesiæ Bracarensis Episcopatum evectus est. Anno 563. Concilio Bracarensi II. interfuit: anno DLXXII. Bracarensi III. præsedit. Obiit juxta Baronium ann. DLXXXIII. Cùm verò ex Gregorio Turonensi * constet eum sedem 30. plùs minùs annis tenuisse, necesse est, ut aut citiùs Episcopus factus fuerit, aut vitam ulteriùs produxerit. An. autem DLXXXIX. Pantardus successor ejus Concilio Toletano III. subscripsit: adeò ut aut Gregorius annorum numerum rotundè & laxo sensu supputâsse censendus sit, aut Episcopatus Martini paulò ante annum DLX. reponendus. Vir erat sanè perquàm eruditus, quique adeò se literis imbuerat, teste Gregorio Turonensi ejus συγχρόνῳ, ut nulli secundus suis temporibus haberetur. Laudes ejus Venantio Fortunato lib. V. utramque faciunt paginam.

* Hist. l. 5. c. 37.

OPERA.

COllectio Canonum præcipuè ex Græcarum partim etiam Occidentalium Synodorum Canonibus contexta, in duas distributa partes. *Prima de personis & rebus Ecclesiasticis* agit; *secunda de iis, quæ Laicos spectant.* Integrum Opus Canones LXXXV. continet. In hâc Collectione notatu non indignum est, Canones Apostolicos à Martino non citari. Prodiit ista Collectio in omni Conciliorum editione, in nupera verò Tom. V.p.503.& in Bibliothecâ Juris Canonici Justellianâ *Parif.* 1662. Tom. I. in Append. p. 7.

Sententiæ Patrum Ægyptiorum, quas à Græco quodam homine collectas Latinas fecit Martinus noster. Habentur Lat. apud Rosvveydum de Vitis Patr. *Antverp.* 1628. SÆC. VI. ab An. D.

Formula honestæ Vitæ, seu, ut habet Isidorus Hispalensis *, *de differentiis quatuor virtutum liber ad Mironem Suevorum Regem.* Senecæ falsò tributus. Extat in Bibliothecâ Patr. Tom. X. pag. 382. ut alias editiones jam mittam. Præfationem ad Mironem edidit Dacherius Spicileg. Tom. X.

* De Scrip. c. 22.

MARTINUS ex Abbate Dumiensi Bracarensis in Hispaniâ Episcopus, claruit anno DLX. 560. P. II.
Præter alia suprà memorata, extant ejus Opuscula sequentia; nempe *Liber de superbia & humilitate*; *Liber de ira* ad Wittimirum Episcopum; *Liber de Paschate*; *Epistola* ad Bonifacium Episcopum de trinâ mersione; *Epistola* adversùs superstitiones. Hæc omnia ex Cod. MS. Ecclesiæ *Toletanæ* descripsit, seque, unà cùm Martini *formula vitæ honestæ*, ejusdémque *sententiis Patrum Ægyptiorum*; ex eodem codice correctis & emendatis, in collectione suâ Conciliorum editurum esse promisit Card. d'Aguirre, teste ipsomet *Notit. Concil. Hisp.* pag. 92.

ANASTASIUS, *Sinaita* à Monasticâ, quam in monte Sinai egit, vitâ dictus, anno DLXI. ad Patriarchatûs Antiocheni dignitatem promotus: 561.
doctrinam orthodoxam strenuè ac constanter propugnabat, Justiniani autem Imp. deliria de incorruptibilitate corporis Christi fortissimè impugnavit. Quamobrem Justinianus ipsum in exilium mittere in animo habuit: quod quidem morte subitaneâ præreptus nequaquam præstare potuit. Tantus certè tunc in Anastasio enituit religionis illibatæ zelus pariter ac fama, ut Episcopi omnes Orientales à Justiniano decreto suo hæretico subscribere jussi, se Anastasii sententiam exspectare, ejusque vestigiis inhæsuros concordi voce responderent: ipse verò Anastasius nullis minis, nullis precibus adduci potuit, ut fidem tantillùm proderet. Anno DLXX. Justinus Imp. Anastasio objiciens, quòd sacram pecuniam in profanos usus profudisset; quòd sibi conviciatus esset, denique quòd Ioannem Scholasticum ob Eutychii CP. sedem iniquè arreptam reprehenderet; ipsum de throno Antiocheno dejecit, nonnisi post 23. demum annos mortuo Gregorio, qui in locum ejus substitutus fuerat, anno DXCII. sedi suæ restitutum. Obiit anno DXCIX. Vir erat, inquit Evagrius * τὰ μὲν θεῖα ὡς μάλιστα λόγιος, ἀκριβὴς δὲ τοὺς τρόπους καὶ τὴν δίαιταν, ὡς καὶ τοῖς λίαν ψιλοῖς ἐπισκήπτειν, καὶ μηδαμοῦ τῶν ἀγαθοὺς καὶ βεβαίους παρεξιέναι, μήτιγε τῶν κυρίων, καὶ εἰς αὐτὸ τὸ θεῖον ἀναφερομένων, *tum in divinis literis admodùm eruditus, tum in moribus & in vivendi ratione accuratissimus, adeò ut res etiam levissimas observaret nec à constantia & firmitate unquam deflecteret, nedum in magni momenti rebus & in quæ ad Deum spectarent.* Eximiam porro comitatem summa morum gravitate temperabat, ἐν μὲν τοῖς σπουδαίοις ἕτοιμος ἦν τὰ ὦτα, καὶ τὴν γλῶσσαν εὔρους, εὐθυβόλως τὰς πύστεις διαλύων· ἐν δὲ τοῖς παρέργοις τὰ μὲν ὦτα τέλεον ἀποκέκλειστο. Τὴν δὲ γλῶσσαν χαλινὸς ἐπεῖχεν, ὡς καὶ τὸν λόγον λόγῳ ῥυθμίζεσθαι, καὶ τὴν σιωπὴν κρείττονα λόγου καθεστάναι. *Et in seriis quidem colloquiis, aures ei patentes & lingua profluens erat. & quæstiones propositas prudenter & arguitè dissolvebat, in Sermonibus autem ineptis ac superfluis, aures quidem penitus occlusas habuit, linguam vero quasi fræno quodam comprimebat, ita orationem ratio metiretur, & silentium omni oratione præstantius esset.*

* L. 4. c. 40.

OPERA.

ODηγὸς sive *Dux viæ adversùs Acephalos.* Videtur istud Opus tum ex variis ipsius Anastasii

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. stasii, tum ex nonnullis Veterum Opusculis consarcinatum; ut cuivis constabit, qui quatuor priora præsertim capita attentè perlegerit: nec id modò, sed & à recentiore quâdam manu haud leviter interpolatum est. Capite enim 10. pag. 198. meminit Eulogii Alexandrini jam mortui, qui nonnisi anno DCVIII. diem obiit. Cap. 5. init. Sex Concilia Oecumenica memorat: sed forsan menda cubat in numero, cùm in eodem capite quinque solummodò enumeret. Opus certè nullâ diligentiâ, nullo ordine conscriptum esse ipse Anastasius in Procemio agnoscit: ubi veniam à Lectoribus petit ob varias correctiones passim adhibitas, & propter ταυτολογίας sæpiùs commissas; cùm ægritudinum frequentiâ non ferebat, ut in iis pro animi sui sententiâ versaretur. Edidit hunc librum Græc. Lat. Jac. Gretserus *Ingolstad.* 1606. 4°.

Quæstiones & Responsiones de variis argumentis in S. Scripturam numero CLIV. Infinitum esset omnium de hoc Opere sententias, objectiones, responsiones recensere. Paucis igitur me expediam. Vel Anastasii nostri Opus non est, vel insigniter interpolatum. Quæstione enim 16. meminit Phocæ tyranni Imperium sibi arripientis, alibi etiam in eo citantur Maximus Monachus (Vid. quæst. 1. 3. 4. 5. 6. 8. 9. 18. 154.) Nicephorus Patriarcha CP. (vid. quæst. 2. 57.) Olympiodorus, Synodus Sexta seu Trullana (quæst. 64.) Joannes Moschus (quæst. 60.) aliique Anastasio nostro juniores. Porrò Quæstione 117. loca sancta Palæstinæ Orthodoxos Christianos per 700. annos tenuisse affirmat Autor. Sive igitur anni isti à Constantini Imperio (quod magis videtur, sive ab ipso Christo initium ducant; id parùm refert. Anastasius certè Antiochenus ejusmodi calculo uti non potuit. Quidquid sit, videntur mihi hæ Quæstiones esse Cento primùm ab Anastasio inchoatus, deinde ab aliis variis locis ac temporibus auctus & absolutus. Hinc fit, ut in Codd. MSS. mirè varietur quæstionum numerus: nec ipse Gentianus Hervetus, qui eas primus edidit plures quàm XCIII. dederit, & istas quidem Anastasio Nicæno ascriptas. Integrum verò Opus Græc. Lat. in lucem emisit Jac. Gretserus *Ingolstad.* 1617. 4°.

Anagogicarum Contemplationum in Hexaemeron libri XI. Latinè editi *Paris.* 1609. Librum duodecimum, sive exemplarium Manuscriptorum raritate, sive Pontificiorum fraude hactenus suppressum Græc. Lat. edendum curavit Cl. Alix *Londini* 1682. 4°.

Orationes dogmaticæ V. viz. *De S. Trinitate. De Incircumscripto. De Incarnatione divina.* (*Liber de Oeconomia Christi* extat Græcè MS. in Bibliothecâ Arundelianâ in Collegium Greshamiense jam translatâ.) *De Passione & Impassibilitate Christi. De ejusdem Resurrectione.* Prodierunt Lat. God. Tilmanno Interprete *Paris.* 1556. 8°. & in Biblioth. Patr. *Paris.* 1575. 1589. Turriano Interprete *Ingolstad.* 1616. 4°. Opera omnia Anastasii hactenus enumerata habentur Lat. in Bibliothecâ Patr. Tom. IX. in fine.

Compendiaria fidei Institutio, quam cum quinque Dialogis de Trinitate sub S. Athanasii nomine Gr. Lat. edidit Theodorus Beza Vezeliacensis 1570. 8°. Eadem sub Cyrilli nomine in nonnullis Bibliothecæ Patrum editionibus reperitur.

In Annunciationem B. Mariæ Homiliæ II. quas Græcè edidit inter *Varia Divina* Joannes Meursius *Lugd. Bat.* 1619. 4°.

De S. Synaxi, & de non judicando, Homilia. Græc. Lat. cum ὁδηγῷ 1606. 4°.

In Psalmum sextum Homilia. Duæ istæ Homiliæ prodierunt Gr. Lat. *Ingolstad.* 1603. 4°.

In eundem Homilia altera.

In Transfigurationem D. N. J. C. *Homilia.* Sex istæ Homiliæ habentur Gr. Lat. à Fr. Combefisio editæ in Auctar. Nov. 1648. Tom. I. p. 850. SÆC. VII. ab An. D.

Tractatus de sanctis tribus Quadragesimis, unde eas observari accepimus; quòdque qui eas transgrediuntur, legem violent. Extat Græc. Lat. cum notis inter Cotelerii Monumenta Eccles. Græc. Tom. III. pag. 425.

Opera Ἀνέκδοτα.

Quæstiones II. *Si fortè rerum potirentur Judæi, Infideles, & Hæretici, an pro iis orandum in Ecclesia? An Judæi antè adventum Christi mortui, sint anathematizandi.*

Archiepiscopum non subesse judicibus laicis, sed majori Archiepiscopo.

Narratio eorum quæ in Synodo ab Orientalibus Episcopis gesta sunt in Perside.

Quæstiones & Responsiones II. 1. In illud Proverb. *Sapientia ædificavit sibi domum.* 2. *De septem lychnis Zachariæ Prophetæ.*

De fide Redemptionis ad Ecclesiam quæ est in Babylone.

In Spiritum blasphemiæ.

De vera adoratione.

An quotidie communicandum corpori Christi. Opuscula ista in Bibliothecâ Regiâ Parisiensi extare Manuscripta testatur Labbeus Nov. Biblioth. MSS. Par. II. p. 82.

Sermo in fratres suos morte prægressos.

Sermo de diversis modis salutis & pœnitentiæ. Sermones hosce duos in Bibliothecâ Vaticanâ MSS. extare refert Possevinus. Verùm ex Ἀνεκδότοις istis quænam genuina, quænam spuria habenda sint, is solus tutò judicare potest, cui Codices Manuscriptos inspiciendi adest copia.

OPERA DEPERDITA.

Oratio ad Antiochenos συντακτήριος, cùm Justiniani mandatum de exilio suo accepisset, ὃν ἐςὶ δικαίως ἀγασθῆ, inquit Evagrius *, τῆ τε καλλιεπείας, τῆ τε βάρει τῶν νοημάτων, τῆ τε εὐποιίας τῶν ἱερῶν ῥήσεων, καὶ τὸ πρόσφορον τῆ ἱςορίας. * L. 4. c. 41

Oratio ad eosdem habita, cùm Episcopale munus auspicaretur.

Oratio ad eosdem, cùm ab exilio reverteretur. Utramque laudat Nicephorus Hist. Eccles. lib. IV. cap. 44.

Dissertatio de Sabbato ad Simeonem Episcopum Bostræ, cujus fragmenta quædam inveniuntur in Concil. Nicæn. II. Act. IV. Concil. Tom. VII. p. 248.

Epistola ad Scholasticum quendam, quâ respondit quæstioni, cujus initium erat, Ἐι τῷ μόνον ἐπερωτήσαντι σοφίαν σοφία λογισθήσεται. Excerpta aliquot habentur ibid.

Liber ad Justinianum Imp. adversus dogma ab eo propositum de incorruptibilitate corporis Christi, ab Evagrio memoratus loc. cit.

Adversus Joannis Philoponi librum Διαιτητὴν *dictum Opusculum*, cujus Excerptum à Turriano Latinè versum dedit Gretserus in Præfatione ad Ὁδηγὸν à se editum.

ANASTASIUS ex Monacho *Sinaita* factus est Patriarcha Antiochenus anno DLXI Ob invictam in tuenda fide Catholica constantiam, non pauca sub Justiniano passus est, plura sub Justino ejus Successore, ab eo in exilium missus; quo tempore, multas tum in Oriente, tum Alexandriæ, cum Severianis & Gainitis disputationes habuit, ut in ὁδηγῷ suo non uno loco ipse non docet. Mortuo demùm Gregorio qui Sedem Antiochenam usurpa- 561. P. II.

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. usurpaverat, post XXIII. annorum exilium Throno Patriarchali restituitur, anno, ut volunt, DXCII. Heraclii Imp. anno XI. Reversus, *Martii* xxv. Feriâ quartâ sanctæ Hebdomadis Orationem *de Pace* ad Antiochenos habuit. Hanc se legisse satis innuit Nicephorus lib. IV. cap. 44. sed Anastasio juniori perperam tribuit. Nos eam inter deperdita *Anastasiana* olim reposuimus: Sed extat Græcè MS. in Bibliot. Vindob. inter Codd. *Philolog.* juxta Catalogum *Nessellianum* Cod. LXXIV. num. xvi. fol. 203. usque ad fol. 206. & hoc habet initium, Εἰρήνην καὶ πάλιν Εἰρήνην, καὶ τρίτον Εἰρήνην, τιμὴ τῆς Τριάδος Εἰρήνην, τῶν πάντων ἥδιον, καὶ τερπνότατον ὄνομα, καὶ τοῖς εὐφρονοῦσι ἐπάρεστον αὕτη μοι σύνθημα πρὸς ἡμᾶς, &c. digna proculdubio quæ in communem lucem producatur. Ibid. Cod. *Theol.* CCCV. fol. 193. habetur ejusdem Oratio *de variis animæ salvandæ, & pœnitentiæ agendæ modis*, quæ ita incip t Εἴρηται μὲν ἤδη πρὸ βραχέων, ὅτι γινώσκων ὁ Θεὸς τὸ ἀσθενὲς καὶ εὐόλισθον καὶ ταλαίπωρον τῶν ἀνθρώπων, ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος πολλοὺς ἡμῖν καὶ διαφόρους σωτηρίας ἐχαρίσατο τρόπους, &c. &c. Cod. *Theod.* CCXXXIII. num. vii. à fol. 92. usque ad fol. 101, *Oratio de Fratribus in Christo mortuis*, Incipit, τί τοῦτο σήμερον ἀγαπητοὶ σπουδαίως ὁμῶ, &c. Has duas Orationes proximè recensitas, in Bibliothecâ etiam Vaticanâ asservari, testis est Possevinus. Ibid. Cod. *Theol.* LX. num. iv. fol. 281. & Cod. CLXXXIV. num. xx. fol. 118. item Cod. *Hist.* LVI. num. xli. fol. 184. *Demonstratio magnam & angelicam esse summi Sacerdotis dignitatem, nec Sacerdotem judicari posse à laico, sed tantùm ab alio majore sacerdote, quemadmodum & Canon s affirmant.* Principium, Ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ ἱστορίᾳ Φίλωνος τοῦ φιλοσόφου, εὗρον τι τοιοῦτον, ὅτι περ ἐν τῷ καιρῷ τοῦ διωγμοῦ ἐπίσκοπος τὶς, &c. Quis fuerit hic Philo Philosophus, qui Historiam Ecclesiasticam condidit, vel quo temporè vixerit, me planè nescire fateor. Plura de eo inter Scriptores incertæ ætatis suo loco dicemus. Habetur etiam hæc Ἀπόδειξις *Anastasiana* in Bibliothecâ Regiâ Parisiensi, teste Labbeo *Biblioth. Nov. MSS.* Part. II. pag 82. Quod verò inter Anastasii Opuscula eodem codice contenta, recenset *Quæstiones & & Responsiones* II. I In illud Proverb. *Sapientia ædificavit. sibi domum.* II. *An continuò communicandum corpori Christi*; viderint qui codicem MS. inspicere possunt, annon prior eadem planè sit cum Quæst. *XLII.* Editionis *Gretserianæ*, posterior cum Quæstione *VII.* Quæstionum & Responsionum Opus à Gretsero editum, beneficio Cod. Vindob. *Theol.* CLXXXIV. num. xxii. non exiguo supplemento augeri potest; in quo nempe Quæstiones quædam Græcè habentur, quę jam Latinè tantùm extant; & actorum quorundam nomina, ex quorum operibus quæstiones & responsiones desumptæ sunt, quæ in *Gretserianâ* editione frustrà quæruntur. Codex etiam *Theol.* XL. num. lxxiii. quo Ὁδηγὸς *Anastasii* continetur, à *Gretseriano* multùm differt; tàm respectu ordinis, quàm ratione variantium lectionum, & nonnullorum additamentorum. Quin & imago Christi crucifixi, quam à se delinearam Operis sui cap. 12. inseruit *Anastasius*, quamque omnes, qui Opus suum descripturi sunt, per filium Dei objurat ne omittant, à *Gretserianâ* longè discrepat, cujus proinde ectypum æri eleganter incisum, ex antiquo illo codice Cęsareo exhibet Lambecius *Comment.* lib. III. pag. 164. ubi illud observatu non indignum est. quod Servator noster cernitur cruci affixus non tribus, sed quatuor clavis. Denique *Oratio in Transfigurationem Christi*; quam in fine mutilam edidit Combefisius, ex Cod. Cęsareo inter *Hist.* XLV. num. 15. suppleri potest; eaque additamenta exhibet Lambecius *Comment.* lib. VIII. p. 117. Inter Codices Baroccianos in Biblioth. Bodleianâ Cod. CXCVII. fol. 263. habetur Sermo Anastasii Patriarchæ Antiocheni περὶ τοῦ κατ' εἰκόνα, SÆC. VI. i. e. ut arbitror, *de illo quod homo ad imaginem Dei* ab An. D. *conditus sit.* incipit, Ἀλλά γε δεῖ ἐπὶ τὸ, &c. An nostri sit non liquet.

JOANNES SCHOLASTICUS, CLIMACUS 564. à libro quem scripsit, & *Sinaita* à monte quem incoluit, dictus, claruit circa ann. DLXIV. Vitam Monasticam coluit, & inter primores istius ævi Ascetas doctrinâ & pietate enituit. Demum Abbas Monachorum in monte Sinâ diversantium factus, forsan & Cœnobii, quod ad montis radices posuit Justinianus Imp. ad extremam senectutem pervenit, (sique Græcorum Menęo fides) penè centenarius obiit die xxx. Martii.

SCRIPTA.

Scala Paradisi, ad Joannem Abbatem Monasterii Raithu xxx. Capitulis, quibus tanquam gradibus seu scalis ad perfectionis religiosæ apicem ascenditur, constans. Prodiit Lat. ex Ambrosii Camaldulensis vesione *Venet.* 1531. 1569. *Colon.* 1583. cum enarrationibus Dionysii Carthusiani *Colon.* 1540. Latinè etiam ibid. 1601. 8°. Denique eam, unà cum Scholiis Græco-Latinis Eliæ Metropolitanæ Cretensis, Gręc. Lat. edidit Matthæus Raderus *Paris.* 1633. fol.

Liber ad Pastorem, ex Ambrosii Camaldulensis versione Latinâ sæpius excusus, Græc. Lat. autem unà cum Eliæ Cretensis Scholiis ab eodem Radero datus ad Calcem Scalæ Paradisi. Utrumque Opus in Gręco-barbaram seu vulgarem linguam versum à Maximo Margunio Citherorum Episcopo prodiit *Venet.* 1590.

JOANNES SCHOLASTICUS, ge- 564. nere Syrus, ex Sirimi Cynegicę regionis in territorio Antiocheno vico ortus, primò Presbyter Antiochenus, ejusque Ecclesiæ Apocrisiarii vice negotia Constantinopoli tractavit. Anno 564. deposito Eutychio, Urbis Regiæ Patriarcha factus est anno 578. paulò ante Eutychii reditum diem supremum obiit.

SCRIPTA.

Collectio Canonum, in L. *titulos* habitâ solius materiæ ratione digesta. Huic Collectioni Canones Apostolorum lxxxv. inseruntur. Eam, dum Presbyter adhuc esset Antiochenus, confecit Joannes. Sunt tamen, qui Theodorito ascribunt, ne levissimâ rationis umbrâ fulti.

Nomocanon, qui præter Collectionis Canonum epitomen quandam leges civiles canonibus concorcordes adnotat. Hunc nomocanonem à Joanne jam Patriarchâ compositum fuisse veri non absimile est.

Capita Ecclesiastica.

Opuscula ista habentur Gr. Lat. ab Henrico Justello & Gulielmo Voellio primùm edita in Bibliothecâ Juris Canonici (*Paris.* 1662.) Tom. II. pag. 499. 603. 660.

Scripsit pręterea Joannes *Orationem Catecheticam* de sancta & consubstantiali Trinitate, à Photio * memoratam, quam peculiari Opere re- * Cod. 75. futavit Joannes Philoponus. Oratio ista dudum interiit.

THEODORUS, Iconii Episcopus, claruit 564. imperante Justiniano, fortè circa annum DLXIV. P. II. de anno enim non ita certò pronunciare ausim: Rogatus ab Episcopo quodam cujus nomen reticet, quem quidem alii Zozimum, alii Zenonem fuisse

Digitized by Google

 fuisse fabulantur, ut vera ac Germana Cyrici & Julittæ Martyrum, qui Iconii orti sunt, Acta pervestigaret, id in se recepit Theodorus, & perlectis quæ tunc prostabant Actis, ea falsa, nugacia, & à Manichæis planè conficta deprehendit, ac proindè tanquam ranarum, & graculorum ἀπηχήματα rejecit; aliò igitur se vertit, & diligenti inquisitione factâ ab indigenis, viris patriciis, primaque inter Isauros generis claritate fulgentibus, & Julittæ affinitate junctis, per Marcianum virum religiosum, ac Justiniani Imp. Notariorum tribunum & cancellarium, ejusque assessorem Zenonem, quæ hâc de re disci poterant didicit, & Epistolam proinde historicam ad Episcopum scripsit, quâ Martyrium Julittæ Matris & Cryci pueruli triennis luculenter exponit, qui sub persecutione Diocletiani XVII. Cal. *August.* Tarsi in Ciliciâ passi sunt. Hanc eruit & Græcè-Latinè edidit Fr. Combefisius inter acta Martyrum antiqua *Paris.* 1660. 8°. pag. 231. Epistola brevis est, ac genuina videtur, neque aliquid à gravitate & pietate Christianâ alienum continet. Acta quorum meminit Theodorus tanquàm à Manichæis confecta, eadem proculdubiò fuerunt quæ in Decreto Pseudo-Gelasiano ut apocrypha damnantur. Interim notari meretur memorari à L. Allatio de Simeon. p. 91. Theodori Episcopi Martyrium SS. Martyrum Ciryci & Julittæ & Theodori nostri historiâ, ut ex initio liquet, planè diversum. Pr. Ἐπεί περ τῷ καλῷ σπέρματι εἴωθεν ἐπισπείρειν ὁ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἐχθρὸς τὰ ζιζάνια. Nec tamen idem cum Actis, quæ Latinè ex Metaphraste exhibet Surius *Iun.* XVI.

570. GREGORIUS, primùm Monachus, deinde Abbas Byzantinus, postea Justino Imperante Monasterio montis Sinai præfectus, ac tandem deposito ab Imperatore Anastasio anno 570. ad Patriarchatum Antiochenum evectus. Anno 589. incestûs, aliorumque criminum à civibus quibusdam Antiochenis falsò accusatus, Constantinopolim ad causam in Synodo dicendam accitus est, & auditâ re absolutus. Paulò post reditum exercitum Romanum in Oriente tumultuantem, habitâ ad milites quibus admodùm gratiosus fuit, oratione, compescuit & in ordinem redegit. Obiit anno 592. Vir τὴν γνώμην καὶ ἀρετὴν ψυχῆς ἐν πᾶσι κράτιστος, καὶ ἐς ὅτι ὁρμήσειεν, ἐξεργαστικώτατος, inquit Evagrius * qui laudes ejus fusè persequitur. Extat *Oratio ad milites seditiosos habita* apud Evagr. l. 6. cap. 12. & immutatis verbis, conservato autem plerunque sensu, apud Nicephor. l. 18. c. 15. Habetur etiam sub ejusdem nomine *Homilia in Mulieres ferentes unguenta.* Græc. Lat. apud Combefis. Auctar. Nov. *Paris.* 1648. Tom. I. Denique in deperditis Evagrii Epistolarum, Relationum, Orationum, &c. voluminibus duobus omnia ferè Opuscula Gregorii nostri nomine conscripta esse ipse prodit Evagrius, l. 6. c. 24.

* L. 5. c. 6.

573. GEORGIUS FLORENTIUS GREGORIUS, Patriâ Arvernus, nobili genere ortus, patre Florentio, matre Armentariâ S. Gregorii Lingonensis Episcopi nepti, natus est anno 544. à Gallo Episcopo Arvernensi bonis literis institutus, anno 566. in Turones secessit; anno 569. Diaconus ordinatus, ac demum anno 573. X. Cal. Septembr. Archiepiscopus Turonensis, ab Euphronio Episcopo ante obitum successor sibi designatus. Anno sequenti Oratorium in urbe Turonensi dicavit; in quo Sanctorum multorum reliquias reposuit. Anno 577. Concilio Parisiensi interfuit, & Prætextatum Rhotomagensem Episcopum à Chilperico Rege accusatum fortiter defendit. Anno DLXXX. apud Chilpericum falsò delatus, quòd Fredegundam Reginam cum Bertheramno Episcopo Burdegalensi commisceri solitam esse dixerat, ad Synodum Brennacensem citatus est, & postquam juramento se purgasset, absolutus. In eâdem Synodo Chilpericum Regem ad Sabellianismum vergentem rationum vi ad sanam mentem reduxit. Eodem quinetiam anno ab Agilane homine Ariano, Leuvigildi Gothorum in Hispaniâ Regis ad Chilpericum legato, provocatus disputationem iniit, & Hæretici petulantiam egregiè retudit. Haud dissimile certamen cum Oppila ejusdem Regis legato Turones transeunte anno DLXXXIV. die Paschatis instituit. Anno DLXXXV. Theodorum Episcopum Massiliensem à Guntheramno Rege necis Chilperico illatæ sugillatum in Aureliâ urbe constanter defendit. Anno DLXXXVIII. à Chilberto Rege Guntheramnum Metas missus est; ut de variis negotiis tam civilibus quàm Ecclesiasticis apud eum ageret. Anno DXC. cum quodam è Presbyteris suis, qui resurrectionem negavit, disputationem habuit, & homunculum errore pessimo liberavit. Anno DXCIV. Romam profectus est, ut Gregorium Papam, & Apostolorum limina inviseret. Domum reversus, obiit anno DXCV. XV. Cal. Decembr. ætatis suæ 52. Episcopatûs 22. Vir erat pro sæculo, quo vixit, non ineruditus: sed in quo judicium & acumen non immeritò desideres. Simplicitatem ejus notavit olim Hilduinus Abbas. *Parcendum est*, inquit *, *simplicitati viri religiosi; qui multa aliter, quam se veritas habeat, æstimans, non calliditatis astu, sed benignitatis ac simplicitatis voto, literis commendavit.*

* Epist. ad Ludov. Imp.

OPERA, QUÆ EXTANT.

Historia sive Annalium Francorum libri X. ab initio mundi ad conditam usque Francorum Monarchiam res gestas brevissimè percurrentes, deinde ad annum Christi DXCI. copiosè enarrantes. Operi huic immortuus Gregorius id in fine imperfectum reliquit. Vulgata ejus exemplaria insigniter depravata non modò sæpiùs conqueritur, sed & infinitis exemplis probat, qui post Du-Chesnium & Hadrianum Valesium hosce libros ad quinque melioris notæ Codices MSS. diligenter contulit Carolus Cointius Annal. Fran. Tom. I. ad ann. 417. 544. 545. 567. 572. 576. 580. & alibi non rarò. Prodiit Historia ista *Paris.* 1552. *Basil.* 1568. 8°. *Paris.* 1610. 8°. ut verò quàm emendatissima prodiret, insudavit Andreas Du Chesne, qui eam Scriptorum Francorum Tomo I. *Paris.* 1636. inseruit.

Miraculorum libri VII. viz.

De Virtutibus & Miraculis S. Martini libri IV. ante annum 590. incepti, anno demum 595. absoluti.

De Gloriâ Martyrum libri ii. circa annum 590. scripti.

De Gloriâ Confessorum liber anno 595. scriptus. Prodierunt libri isti VII. *Colon.* 1583. 8°.

Liber de Vitis Patrum, seu de Vitis quorundam Fœliciosorum, anno circiter 590. inchoatus, 595. absolutus. Extat unà cum Historiâ *Paris.* 1522.

Libellus de vita & morte septem Dormientium ad Sulpitium Bituricensem Archiepiscopum. Prodiit *Paris.* 1501. 1640.

Epitome de rebus gestis Francorum, ante scriptam Historiam diffusiorem concinnata, teste Sigeberto *. Habetur in Corpore veteris Historiæ Francorum *Hanov.* 1613.

* De Script. c. 49.

Prodierunt omnia Gregorii Opera in Bibliothecâ Patrum Tom. XI. p. 707. 831. 896, 932, 959.

DEPER-

DEPERDITA.

Commentarius in Psalmos, cujus bina Fragmenta exhibet Mabillon. Analect. Tom. I. pag. 7.

De Cursibus Ecclesiasticis liber.

576. P.II. COSMAS professione Monachus, Ἰνδικοπλεύστης dictus, (quo nomine vocari solebant qui in Indiam, mercaturæ exercendæ, vel fidei prædicandæ causâ, navigabant) claruit sub Justini *junioris* imperio, circa annum DLXXVI. Scripsit *expositionem Historicam & Anagogicam in Psalmos* ex variis Veterum scriptis contextam, præmissâ *Protheoriâ & Disquisitione de Psalmorum constitutione, aliisque necessariis huc pertinentibus.* Extat Græcè MS. ni fallar, in Codice *Colbertino* 1476. Vide Dufresn. *Glossar. Græc.* in voc. Ἰνδικοπλεύστης. Fragmentum habet Corderius *Caten. Græc. in PS.* XVI. vers. 14. Edita est etiam *ejus Topographia Christiana*, ejus saltem pars non contemnenda, à Nic. Thevenotio Bibliothecario Regio *Paris.* 1663. Extat Bibliothecâ Vindob. Cod *Theol.* juxta *Lambecium* IX. num. ii. à fol. 28. usque ad fol. 34. *Cosmæ nostri Dissertatio* hactenùs inedita, quâ falsò probare annititur, Cœlum non esse sphæricum, sive rotundum, sed eam opinionem adversari naturæ rerum, & ipsis sacris literis, nec ullos esse *Antipodas*, qui in contrariâ parte terræ adversis vestigiis stent contra nostra vestigia. Titulus & principium ita se habent; Πρὸς τοὺς χριστιανίζειν βουλομένους, καὶ σφαιρικὸν εἶναι λέγοντας τὸν οὐρανόν. Κοσμᾶ τοῦ Ἰνδικοπλεύστου. Πρῶτοι μὲν οὖν βασανίσαντες μετ᾽ αὐτῶν περὶ τοῦ σφαιρικοῦ σχήματος, ὡς οὐ δυνατὸν τοῦτο εἶναι, οὔτε μὲν τῇ φύσει τῶν πραγμάτων συμβαῖνον, &c. Confer Lambec. *Comment.* l.III. pagin. 21. Extat præfatio Cosmæ Indicopleustæ *in Evangelium secundùm S. Lucam*, unde conjicere licet, eum commentarios in S. Lucam scripsisse. Prin. Οὗτος ὁ Λουκᾶς ὁ τρίτος τῶν Εὐαγγελιστῶν ὃς θεωρήσας πολλοὺς ἐπιχειρήσαντας ἀναγράψασθαι εὐαγγέλια καὶ ἐκ καρδίας πολλὰ πλαττομένους. Hæc in quodam Tetraevangelio MS. reperit Cl. Galeus. Id unicum adhuc monendum restat, L. Allatium Cosmam nostrum Chronici Alexandrini Auctorem facere Consens. de purgat. pagin. 942. Qua verò ratione ductus id affirmat, planè nescio. Imò Chronici istius compilator circa inclinantem Imperii Heracliani partem anno circiter DCXXX. vixit.

579. PELAGIUS II. natione Romanus, Winigildi filius, Pontifex Romanus ordinatus est anno 579. die XXVI. Novembris. Provinciam sortitus est sanè durissimam, intùs Ecclesiam depascente schismate, extùs devastante barbarorum manu. Totam enim Italiam diripiebant, atque adeò ipsam Romam arctâ obsidione cingebant Longobardi; maximaque Occidentalium Episcoporum pars ob damnata à Pontificibus Tria Capitula ab Ecclesiæ Romanæ communione se dissociârant. Ut illos compesceret, Gregorium Diaconum anno 583. ad Tiberium Imp. suppetias oratum legavit: ut hos reduceret, argumentis primùm & scriptis, deinde vi & armis, egit. Postquam enim Eliam & Severum Aquileiæ, aliosque Istriæ Episcopos crebris literis frustra tentâsset; ad gladium civilem se contulit, & Smaragdum Ravennæ Exarchum in partes trahens, anno circiter 586. Severum primoresque Istriæ Episcopos armatâ manu comprehendi, & ad communionem ineundam adigi fecit. Anno 589. cùm Joannes CP. habitâ ineunte anno Constantinopoli Synodo Patriarchæ Oecumenici titulum sibi arreptum decreto Synodico confirmari curâsset; infremuit Pelagius, missisque literis Synodi acta autoritate suâ cassanda decrevit; & Joanni, ni fastuosum titulum dimitteret, anathema comminatus est. Tabe inguinariâ confectus obiit anno 590. die IV. Februarii. Extant sub illius nomine *Epistolæ* X. & *Decreta* VI. (ex Gratiano desumpta) Concil. Tom. V. p. 931. Ex Epistolis 1^am^. quæ est ad Benignum Archiep. 2^am^. quæ ad Episcopos Italiæ, 8^am^. quæ ad Patres Synodi CP. sub Joanne habitæ, & 9^am^. quæ ad Episcopos Germaniæ & Galliæ, supposititias esse agnoscunt ipsi Conciliorum Editores.

THEOPHANES, Patriâ Byzantius, claruisse videtur circa an. 580. si modò eâ, quâ Historiam finivit, ætate vixerit; nisi potiùs eundem cum Theophane Confessore (qui floruit anno 780.) fuisse statuamus: quod parùm probabile videtur. Scripsit *res bello gestas Romanos inter & Persas* ab anno 567. ad 573. Historiam istius temporis decem libris complexus. Quin & res gestas sub Justiniano & post annum etiam 573. aliis quibusdam Historiæ libris enarravit, quos Photius non vidit, memoravit tamen. Ex decem verò supradictis libris Excerpta quædam nobis conservavit Photius Cod. LXIV. quæ habentur etiam cum Labbei notis inter Excerpta Legationum *Paris.* 1647. fol. 580.

JOANNES *Maro* dictus, gente Syrus, Maronitarum dux atque antesignanus, & ut volunt nonnulli, patris suæ Patriarcha Antiochenus, claruit circa annum DLXXX. ad vergentem quippe Sæculi sexti partem ab Abr. Ecchellensi relatus. Maronis nomen traxisse à Monasterio S. Maronis ad Orontem fluvium prope Antiochiam, à vetustiore quodam Marone Presbytero & Monacho condito, cujus apud Theodoritum in Hist. Relig. Chrysostomum, & in Actis Concilii CP. sub Mennâ frequens fit mentio; totamque gentem Maroniticam exinde denominatam esse, denique Joannem nostrum hominem Catholicum fuisse, & pro fide Catholicâ adversùs Nestorianos, Eutychianos, &c. fortitèr stetisse, contendunt recentiores Maronitæ, & ex Syrorum monumentis probare conatur Abr. Ecchellensis ipse Maronita Epist. ad Joan. Morin. inter *Epp. Orient.* Lond. 1682. *Ep.* LXXXV. pag. 450. Verùm reclamant alii, & in his Joann. Morinus Præfat. ad *Ordin. Syror.* pag. 312. qui Maronem nostrum Monothelitam fuisse, ait, neque ea quæ scripsit Catholicum esse demonstrare, cùm certum sit hæreses posteriùs natas cum anterioribus depugnare, & contra eas cum Catholicis fortiter stare. Certè Gulielmus Tyrius *, qui penè inter Maronitas vixit, Maronem hæresiarcham disertè vocat, ejusque asseclas ab eo Maronitas dictos D. annos in pertinaciâ suâ perstitisse tradit, tandemque apud Aimericum tertium Latinorum Patriarcham Antiochenum errores suos deposuisse. Scripsit Joannes sermone Syro Commentarium *in Liturgiam S. Jacobi*, ex quo aliqua Latinè profert Ecchellensis not. in *Catal. Hebediesu*, num. ii. & iv. Doctissimas etiam elucubrationes contra Nestorianos, Monophysitas, aliosque hæreticos, quarum vetustissimum exemplar Syriacè & Arabicè scriptum apud se habuisse testatur idem Ecchellensis Epist. prædict. ad Morin. earùmque titulum Arabicè & Latinè exhibet ibid. pag. 454. Ex prædicto Commentario non pauca citat Syriacè & Lat. idem Ecchellensis in *Eutych. Vindic.* Part. I. cap. 6. pag. 93. cap. 10. pag. 129. cap. 11. pag. 170. Part. II. cap. 30. pag. 490. Addit, Maronem & propriam Liturgiam composuisse, quæ & hodiè Orientalibus in usu est, seque eadem Commentaria brevi in lucem emissurum. Longè plura ex hoc Maronis Commentario Syriacè & Lat. profert Naironus Maro-

580. P.II.

* De Bell. S. l. XXII. c. 8. p. 1022.

Digitized by Google

Maronita *Evopl.* p.118. 149.161.175.229.260.319. 328.331.361.373.377,382. & Differt. *de Maronitis* pag.42.43. In hâc Dissertatione penè unicè id agit, ut ostenderet Maronem ex Monacho Abbatem fide Orthodoxâ fuisse imbutum, magno in honore ab Heraclio Imp. nondum Monothelitâ habitum, & adversùs Monophysitas & Monothelitas tùm voce, tùm scriptis validè decertâsse; ipsos verò Maronitas semper fuisse Catholicos, fideique Catholicæ vindices acerrimos, quorum proindè adversùs Eutychium Alexandrinum, Gulielmum Tyrium, & Morinum vindicias ex professo agit. Vide p. 10, 11. &c. pag. 21, 22, &c pag. 67, 68, &c. pag 87, 88, &c. Cùm verò hanc Naironi assertionem non levitèr oppugnaret Rich. Simonius lib. *de fide & moribus Orientalium* cap. 14. Causam hanc defendendam in se denuò recipit Naironus *Evoplia* Part. I. p. 62, usque ad pag. 81. quin & fusiorem Responsionem ad R. Simonium se editurum promisit p. 79. Ad ætatem Maronis nostri quod attinet, sub Mauritio Imp. claruisse disertè testatur Eutychius Batricides *Annal.* Tom. II. in Mauricio.

580. P.II. ANONYMUS, Cœnobii Reomaensis, à *Reomao* rivulo tractûs Ternodorensis in Burgundiâ dicti, Monachus, claruit circa annum DLXXX. Cùm enim Joannes, de quo agit, obiit circa an. DXXXIX. quæque de eo habet, se num. x. ab Agrippino Diacono Agrestii (qui Joannem adhuc in vivis agentem viderat) filio hausisse tradit, hoc circiter tempore claruisse necesse est. Scripsit *vitam S. Joannis Abbatis Reomaensis*, quæ ex MS. Cod. *S. Germani Pratensis* habetur apud Mabillon. *Sac. Benedict.* I. p. 633.

580. P.II. THEODORUS primùm Monachus, deinde Abbas (si in re obscurâ conjectare liceat) Palæstinus, Σοφώτατ☉ φιλόσοφ☉, τὴν τε θείαν καὶ ἐξωτικὴν φιλοσοφήσας γραφὴν, *Doctissimus Philosophus; Divinis paritèr, externisque literis eruditus*, claruit circa annum DLXXX. Leontii Byzantini primùm Advocati, deinde Monachi, magister erat. Ex cujus ore omnia pene sua *de Sectis & Hæresibus* hausit Leontius. Habentur Biblioth. Vindob. Cod. *Theol.* CLXXXIII. num. iii. Scholia ex Theodori nostri ore excepta de *diversis contra S. Trinitatem hæresibus*, quę sic incipiunt; Ἅιρεσις τῦ Ἀρείυ, ὁ Ἄρει☉ τρεῖς ὑποςάσεις ἔλεγε καὶ τρεῖς φύσεις, &c. Hæc an eadem sint cum iis quæ in Leontii editis habentur, videant quibus codicem MS. inspicere fas sit. Scripsit porrò Theodorus Explicationem τῶν θείων καὶ ἀποςολικῶν κανόνων. Ex quâ Excerpta Græcè MSS. extant eodem Cod. *Vindob.* num. vi. fol. 143.

581. MARIUS, sedis Aventicensis apud Helvetios (quæ postea Lausannam translata est) Episcopus, claruit circa annum 581. Synodo Matisconensi II. anno 585. habitæ interfuit. Viginti annos & menses octo in Episcopatu exegit; obiitque anno ætatis suę 64. notante Casimiro Oudin; qui suppresso, ut solet, autoris nomine, omnia quę de hoc autore habet, ex Mirço exscripsit. Contexuit Marius *Chronicon* ab anno 455. quo desiit Prosper, usque ad annum 581. Extat apud Andræam Duchesne Scriptorum Francicorum Tom. I. p. 210.

581. EULOGIUS, Ecclesiæ Antiochenæ Presbyter primarius, atque ædis S. Deiparæ præses, demum ab anno 581. Patriarcha Alexandrinus, Hæreticorum hostis acerrimus, ac Catholicæ fidei vindex fortissimus. Obiit anno 608. Scripsit multa, viz.

Homiliam in Ramos palmarum, S. Cyrillo Alexandrino etiam tributam, extat Gr. Lat. cum noCave *Hist. Lit.*tis apud Combefis. Auctar. Nov. Tom. I. p. 652.

Contra Novatum Hæresiarcham de administratione Ecclesiasticâ libros VI. quorum Excerpta dat Photius Cod. CLXXXII. & CCVIII.

Adversùs Timotheum & Severum Hæreticos libros II. in defensionem Epistolæ Leonis Papæ ad Flavianum CP. Amplissima eorum Excerpta exhibet Photius Cod. CCXXV.

Adversùs Theodosium & Severum conviciis & calumniis S. Leonem insectantes librum, cujus Excerpta habes apud Photium Cod. CCXXVI.

Adversùs pacem inter Theodosianos & Gainitas initam, ut eò acriùs Catholicos oppugnarent. Invectivam Orationem seu Λόγον Στηλιτευτικὸν in tres partes divisum. Fragmenta satis ampla extant apud Photium Cod. CCXXVII.

Epistolam ad Eutychium Patriarcham CP. certitudinem pietatis & fidei Orthodoxæ continentem, quam Presbyter adhuc scripsit, & Opusculo proximè memorato inseruit.

De stylo Eulogii ejusmodi censuram profert Photius *. Ἐςὶ τὴν φράσιν ὁ ἀνὴρ, ὅσα μὲν εἰς λέξιν ἥκει, *Cod. 182. τῦ μετρίυ πως ἐπ' ἔλαττον ἀκριβωμέν☉, ὅσα δ' εἰς συντάξεις, ἐγγὺς πολλάκις τῶν σολοικιζόντων ἀφιγμέν☉. τῶν δὲ θείων ἐκ ἀμελέτητ☉ γραφῶν, ἀλλὰ καὶ εὐςόχως αὐταῖς κεχρημέν☉, πιθανὸς δὲ, ὡς ἐν τοιαύτῃ φράσει, διδασκαλικός τε, ἐδ' ἄχαρις. *Hominis dictio, ad verba quod attinet, ferè mediocriter est accurata, constructione verò non longè à solœcismo plerunque distat. Divinarum tamen Scripturarum non est imperitus, quarum testimonia fœliciter & appositè adhibet. Persuadet item, quantum stylus ejus patitur, docetque ac placet.*

GILDAS cognomento *Sapiens*, & ut à Gildâ Albanio distinguatur, *Badonicus*, dictus, gente Britannus, natus anno 520. ob prælium Badonicum claro (inde ei nomen;) Ilcuti Morganensis discipulus, Monachus Bannochorensis, ubi haustis priùs bonarum literarum elementis plebis docendæ gratiâ S. Scripturæ studio se totum dedit. Ab Americo dein Rege Hiberniæ (addit vitæ illius Autor ex Floriacensi Bibliothecâ à Joanne Bosco editus, qui nostrum cum Gilda Albanio temerè confundere solet, & à S. Brigidâ) missis legatis rogatus, Hiberniam transmeavit, & (si Auctori dicto fides sit habenda) labascentem eò loci fidem Christianam conversis Paganis, convictis Hæreticis & fundatis passim Monasteriis in integrum restituit, ac pietati bonisque moribus restaurandis tam voce quàm exemplo prævivit. Ab Hiberniâ demum redux Cadoci Ventolugii viri nobilitate generis ac morum sanctitate illustris Monasterium Lancarvanæ ab eo fundatum, invisit, multosque doctrinâ claros ut idem facerent, exemplo suo excitavit. Scripsit anno 581. teste Radulpho de Diceto *, ne quid jam dicam de Polydoro, Baleo, &c. qui Bannochori illum nonagenarium obiisse ferunt: quamvis alii, & in his Rev. Usserius † libellum ejus ad annum 564. referant, ipsumque anno 570. obiisse volunt. Scripsit Epistolam de Excidio Britanniæ, & Ordinis Ecclesiastici Castigationem, de quibus hæc ferè habet Joannes Priseus in Histor. Britann. Defens. cap. ult. Non immeritò dubitari posse an Gildam autorem habeant, necne, partim quòd Britannica vocabula malè reddat, partim quòd Reges Britannorum, ceu uno ac eodem tempore regnantes simulque superstites alloquitur; cùm tamen istos sibi invicem successisse ex historiâ liquidò constet: partim verò ob crassam quam ubique prodit rerum Britannicarum ignorantiam. Nec enim credendum esse illius esse Gildæ Opus, qui res Britannicas justo volumine illustrâsse, singulos etiam de legibus Molmutinis, de lau-

*In indic. de Vir. illustr. Chron. suo præmiss. p. 432.

† De Britan. Eccl. pri. mord. p. 477. 905.

581.

Digitized by Google

SÆC. VI ab An. D. laudibus Aurelii Ambrosii, de vitis nonnullorum Divorum Britanniæ libros scripsisse à Veteribus passim prædicatur: in isto enim, quem typis excusum habemus, libro, vix quantulamcumque istarum rerum partem præstari, ac præterea quamplurima desiderari, quæ à nonnullis Historicis antiquioribus è Gildâ citantur. His adde affectatam hujusce libelli eloquentiam, ac inanem sæpe garrulitatem à Gildâ viro certè gravissimo quàmmaximè alienam; tota quinetiam convitiorum plaustra in Britannicam gentem ubique exonerata pessimam scriptoris malevolentiam prodere; dissimulari tamen nequaquam posse nonnulla ex hoc libro sub Gildæ nomine, tum à Bedâ, tum à Gaufredo, aliisque citari; atque Gildæ nomen hunc libellum jam olim circumtulisse: His tamen non incommodè opponi posse infestum quem omnes uno ore Historici comprobant, Gildæ animum, ob perpetratam, ab Arthuro Rege fratris Hoeli sive Huelini cædem, ac propositum mirum quidem, non inane tamen, Britannos vitiis infames, quos præceptis non poterat, rerum saltem malè gestarum pudore ad virtutem revocare: quæ motas primò loco difficultates si non tollunt, certè haud parùm levant. Et sanè (inquit Usserius Biblioth. Theol. MS. pag. 113. Beda Britannorum scelera, historicum illorum Gildam flebili sermone descripsisse confirmat; ex cujus etiam Opere integras aliquando paginas historiæ suæ inseruit. Unde & Priseus ipse circa finem libri citati rationem reddens cur à Bedâ præteritus fuit Arthurus; Ex hoc Gildâ (inquit) id erroris hauserat, quando nihil ex Britannicis rebus ipse legisse videretur, præter ea quæ ab hoc acceperit. Liber etiam hic Gildæ citatur ab Alcuino Epist. 1. ad Ædilhardum Cantuariensem Archiepiscopum (tom. 1. Antiq. Lect. ab Henr. Canisio edit. p. 5.) vel ad Wiorenses, ut à Wilhelmo Malmsburiensi allegatur l. 1. de Gestis Reg. Angl. cap. 3. Gildas igitur à Polydoro editus fragmentum indubiè est Gildæ veteris (inquit Lelandus) sed ut ille addit, mancum, luxatum, & mutilum; usque adeò, ut si jam vitę restitueretur, vix fœtum agnosceret Parens. Hæc Lelandus in Assertione Arturi fol. 32. post 42. à Polydori editione annos incidit Jo. Josselinus in duos veteres Gildæ codices, quorum alter literarum notis valdè peregrinis & ab usu nostro jamdiu alienis (quippe ampliùs sexcentis hinc annis scriptis) ad Bibliothecam Augustinensem Cantuariæ olim pertinuit; alter quidem multò recentior & scripturâ non æquè deligenti (qui tamen minimùm ab illo altero discrepabat) fuit olim Glastoniensis Cœnobii Hos ut contulit cum Gildâ à Polydoro edito, reperit planè multa, quæ deerant in impresso Gildâ, tum eorum quę sunt authoris propria, tum maximè sacrorum testimoniorum, quæ ab ipso etiam authore ad correctionem suæ gentis hic adducuntur. Quasdam etiam sententiarum particulas de suo inseruisse Polydorum comperit; & sacra Scripturarum testimonia, quæ retinuit, non omnia iisdem verbis, quibus reperit, reposuisse, sed ex his quædam locâsse desumpta è vulgata Scripturarum versione, cùm Gildam vetustiore editione usum esse appareat. Itaque Josselinus authoritate veterum exemplarium adjutus, Gildam mendis sublatis ita castigatum exhibuit anno 1568. ut non solùm verba, sed & integras planè sententias, atque adeò integra folia suis locis restitueri. Ipse quidem Polydorus in Præfatione suæ editionis agnoscit se nonnulla resecuisse, addidisse autem nihil. Hactenus CL. Usserius. Extant à Gilda scripta, *Epistola de Excidio Britanniæ, & Castigatio Ordinis Ecclesiastici* inter Orthodoxos, pag. 487. in Biblioth. Patr. Tom. 8. p. 707. 715, & inter Scriptores Britanniæ minores *Heidelbergæ* 1587. fol. Seorsim verò ediderunt Polydorus Virgilius *Londini* 1525. 8°. & *Basil.* 1541. 8°. & Jo. Josselinus, Matthæo Archiepiscopo Cantuariensi ab Epistolis, ibid. 1568. 12°. Novam hujus epistolę editionem ex optimæ notæ Codice MS. hactenùs editis longè sinceriore meditatur Cl. Thomas Galeus, Scholæ Paulinæ Gymnasiarcha doctissimus, quam unà cum aliis antiquis Historiæ Britannicæ scriptoribus è Theatro Scheldoniano prodituram propediem expectamus. In Codicibus MSS. liber, (non quod vulgò volunt ipse Gildas,) *Querulus* dicitur. Codex quidem MS. Cantabrigiensis hunc habet titulum. *Incipit Præfatio libri Queruli Sancti Gildæ sapientis de excidio Britanniæ; de Calamitatibus & Prævaricationibus ejus Civium, ac Britonum exulatione; & Conquestus ipsius contra Reges, Principes & Sacerdotes.* Scripsit adhuc Gildas *Epistolas plures*; quarum Fragmenta plurima in vetusto Canonum libro MS. Bibliothecæ Cottonianæ exhibentur; *Concionum mordentium librum*, aliumque *de Immortalitate Animæ*, quos memorat Baleus. Cæterùm Gildę nostro adscribunt Henricus Huntindoniensis, Baleus, Priseus, ac Codices MSS. nonnulli Historiam de Gestis Britonum, quam Nennii esse deprehensum est, de qua vide plura infra in Nennio. Alium à nostro fuisse censet Lelandus Gildam Poëtam, qui Poëticum Merlini Sylvestris libellum in carmen redegit; & libros aliquot *Epigrammatum* conscripsit, judice Giraldo, non inelegantes. Versiculos ejus plurimos primo Britannicæ Historiæ libro intexuit Galfridus Cambrensis, vel ignoto vel suppresso Authoris nomine. Non malè forsan idem censeri posset cum Gilda Albanio, qui scriptis plurimis, atque inter ea Poëmatis inclaruit, ineunte hoc sæculo, de quo agit Baleus Centur. 1. cap. 50.

GILDAS Britannus, Iltuti discipulus, Monachus Bannochorensis, claruit ann. DLXXXI. Hunc Episcopatum annis aliquot summâ inter Britones cum laude tenuisse affirmat D. Blondellus *. Quæ quidem unde hauserit vir eruditus, planè nescio: Neque enim ante eum quispiam id tradiderit. *Epistolæ & Historiæ* Gildæ novæ editionis, ex sinceriori codice à Cl. Galeo adornandæ spem suprà fecimus. Præstitit id jam vir doctissimus, & Gildam ex vetusto admodùm codice Cantabrigiensi recudit, fœdam & absurdam interpolationem in marginem rejecit, variantes lectiones bonâ fide exhibuit. Extant hęc Opuscula, qualia ab eo edita *Rer. Anglic. Script.* Tom. III. p. 1. Willelm. Malmesburiensis *libro de Antiquitate Ecclesiæ Glastoniensis*, à Galeo inter Scriptores Britannicos haud ita pridem edito. Tom. III. p. 206. hoc de Gildâ habet; *Gildas neque insulsus, neque infacetus Historicus, cui Britanni debent siquid notitiæ inter cæteras gentes habent, multùm annorum ibi* (Glastoniæ) *exegit, loci sanctitudine captus. Ibique Anno Domini* DXII. *de medio factus, in vetustâ Ecclesiâ, ante Altare, est sepultus.* Ubi in annum emortualem mendum irrepsisse plusquàm verisimile est, cùm Gildam non ante annum DXX, natum esse Scriptores nostri constantèr tradant. 581. P. II.

* Apol. pro Hieron. Sect. II. p. 72.

EVANTUS, seu Evantius primùm Abbas, deinde juxta Christophorum Brovverum, aliosque (neque enim pro certo ego temerè illud affirmaverim) Viennensis in Galliâ Episcopus, claruit circa ann. 581. Certè præterquàm quòd Ado hoc circiter tempore Evantii Viennensis Episcopi mentionem faciat, Evantius iste Concilio Matisconensi I. anno 581. Lugdunensi III. ano 583. Valentino II. anno 584. & Matisconensi II. anno 585. interfuit. 581.

Extat

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. Extat sub Evantii Abbatis nomine Epistola contra eos qui sanguinem animalium immundum esse judicant, & carnem mundam esse dicunt, apud Canis. Antiqu. Lect. Tom. V. par.2. pagin.553. Biblioth. Patr. Tom. XI. pagina 1093.

583. LEANDER, gente Hispanus, domo Carthaginensis, Severiani (cujus sororem Sanctiam in uxorem duxit Theodoricus Ostrogothorum Rex) ac Turturæ filius, Isidori Hispalensis frater natu major, post diuturnam vitę Monasticæ professionem Hispalensis Ecclesię Archiepiscopus factus est. Claruit anno 583. quo ab Hermenigildo Principe, quem ob fidei Catholicæ studium armatâ manu persecutus est Leuvigildus Pater Gothorum in Hispania Rex, ad Tiberium Imp. Constantinopolim legatus est, ut suppetias obtineret; quod quidem fœliciter effecit, magnamque ibi cum Gregorio Diacono Pelagii Papæ Apocrisiario amicitiam iniit. In Hispaniam reversus an. 584. à Leuvigildo Rege exilio mulctatus est: qui tamen anno sequenti jam morti vicinus facti pœnitentiâ ductus est & Recaredum filium Leandri curæ commendavit. Leander tantum discipulum nactus sedulò excoluit, & ab Arianâ Hæresi primò eum, deinde illius ope Gothorum magnates, ac tandem totam ferè Gothorum gentem ad Catholicam fidem convertit: adeò ut *Gothorum Apostolus* dici meruerit; habitâque ann. 589. Synodo Toletanâ III. cujus magna pars fuit, conversos à se Gothos in Ecclesiæ sinum admisit, orthodoxamque fidem omnium subscriptione confirmari fecit. Obiit an. 595. Vir erat, teste Isidoro fratre *, suavis eloquio, ingenio præstantissimus, vitâ non minùs quàm doctrinâ clarissimus. Scripsit ad Florentiam sororem *Regulam de Institutione virginum & contemptu mundi*; quam primus edidit Lucas Holstenius in Collectione Regularum *Paris.* 1663. par.3.p.89. exinde translatam in Bibliothec. Patr. Tom. XII. pag.999. Extat ejusdem Homilia in laudem Ecclesiæ ob conversionem Gothorum Toleti post finitam Synodum habita, Concil. Tom. V. pag. 1018. Scripsit prætereà, ab Isidoro memorata, sed jam deperdita, *Adversùs Hæreticorum dogmata libros* 2. *Adversùs instituta Arianorum Opusculum. Epistolas multas ad Gregorium Papam, de baptismo unam, alteram ad fratrem de morte non timenda*, ad cæteros quoque Coepiscopos plurimas familiares *Epistolas*. "In Ecclesiasticis denique Officiis, inquit Isidorus, non "parvo elaboravit studio. In toto enim Psalterio duplici editione *orationes* conscripsit. In sacrificii quoque laudibus atque Psalmis multa dulcisonè composuit. Ex hoc loco nonnulli non malè concludunt, Leandrum nostrum *Missæ Mozarabicæ* auctorem fuisse. In Gothorum enim usum Liturgiam composuisse Leandrum credi par est, quæ in Ecclesia deinceps Hispanica per plura sæcula usurpata, *Missa Mozarabum* seu potiùs *Mixtarabum* appellari demum cœpit; postquam Christiani Arabibus Hispaniam ab initio octavi sęculi incolentibus immixti Mozarabum nomen accepissent. Missam istam à Leandro primùm concinnatam, Isidorus frater auxit. Procedente tempore variorum Episcoporum additionibus mutata in Ecclesiis quibusdam civitatis Toletanæ hodienum usurpatur. Eam è Gothorum ruderibus suscitatam, novisque characteribus vestitam edidit Fr. Ximenes Cardinalis Toleti 1504. Habetur etiam, sed non integra, in Bibliotheca Patr. Tom. XXVII.

* Cap. 28.

584. Isidor. de Script. c. 29. LICINIANUS, Carthaginis Spartariæ in Hispaniâ Episcopus, claruit anno 584. quo ob fidei Catholicę studium à Leuvigildo Rege in exilium pulsus, Constantinopolim profectus est: ubi demum veneno ab æmulis extinctus occubuisse dicitur. Scripsit *Epistolas* nonnullas, & in his de Sacramento Baptismatis unam, & ad Eutropium Abbatem, posteà Valentiæ Episcopum, plurimas. Extat unica ad Gregorium Papam in libris Moralium. Alias tamen ejusdem Epistolas MSS. habuit Garsias Loaisa. Vide Miræum not. ad Isidor. cap. 29.

LICINIANUS Carthaginis Spartariæ in Hispaniâ Episcopus, claruit ann. DLXXXIV. Extant Epistolæ aliquot hactenùs ineditę; nempe 1. *Epistola* ad S. Gregorium Papam. 2. *Ad Epiphanium Diaconum* suo & Severi Episcopi, ut videtur Malacitani nomine; in quâ ostenditur Angelos esse totius corporis expertes. 3. *Ad Vincentium* Ebusitanę insulæ Episcopum, contra quosdam qui credebant Epistolas dę cœlo cecidisse. Descriptæ sunt hæ Epistolæ ex codice MS. Toletano, quas prelo paravit Card. d'Aguirre, uti in *notitiâ* suâ ipse nos docet pag. 100. Et fidem quidem suam hâc in parte liberavit Eminentiss. Cardinalis, editis his tribus Epistolis *Conc. Hisp.* Tom. II. pag. 427. Scripsit Licinianus & alia quædam, teste Isidoro Hispalensi *de Script. Eccles.* cap. 29. pag. 89. & in iis præcipuè *Epistolam de Sacramento Baptismatis*, ad Eutropium Abbatem posteà Valentiæ Episcopum, qui ab eo petierat, quarè *baptizatis infantibus chrismatis unctio tribueretur?* sed hæc Epistola periisse videtur. Subdit Isidorus, Licinianum Constantinopoli occubuisse, veneno, ut ferunt, extinctum ab æmulis. De Liciniani Opusculis, & Pseudo-Maximi in Chronico circa illa fingendi licentiâ, non pauca notavit Cl. Antonius Bibl. *Hisp. Vet.* lib. IV. cap. 2. p. 211. &c. Epistolam ad Gregorium Papam *de libro Regularum* eruit, ediditque Dacherius *Spicileg.* Tom. II. p. 368. 584. P. H.

SEVERUS, Malacitanus in Hispania Episcopus, claruit anno 584 quo ob fidem Catholicam à Leuvigildo Rege exilio mulctatus est. Scripsit librum adversùs Vincentium Cæsaraugustanum Episcopum, qui à Catholicis in Arianorum castra transierat. Composuit & alium de Virginitate ad sororem libellum, cui *Annuli* nomen dedit. Utrumque opus interiit. 584. Isidor. de Script. c. 30.

JOANNES, origine Gothus, Scalabi in Lusitaniâ natus. Adolescens adhuc Constantinopolim petiit, ac per plures annos bonarum literarum & utriusque linguæ studio operam navavit. Anno 584. in Hispaniam reversus, cùm Arianæ hæresi consentire nollet, à Leuvigildo Barcinonam est relegatus, ubi integro decennio multas ab Arianis insidias & persecutiones passus est. Posteà Monasterium Biclarense ad Pyrenæi montis radices condidit, atque ei præfuit. Demum Episcopus Gerundensis factus ineunte sæculo septimo vivere desiit. Scripsit *Chronicon* ab ann. 565. quo Victor Tununensis desiit, ad an. 590. & in Monasterii sui usum *Regulam*, atque alia multa teste Isidoro. Ex his extat solummodò Chronicon ab Hen. Canisio primùm editum unà cum Victoris Chronico *Ingolstad.* 1600. deinde à Scaligero in Chronico Eusebiano *Lugd. Bat.* 1606. & alibi. 584. Isidor. de Script. c. 31.

JOANNES, natione Cappadox, à stupendâ, cui se assuefecit, abstinentiâ Νηστευτὴς seu *Jejunator* dictus; primò quidem vitam egit privatam, & non inhonesto opificio dedit operam, posteà ob præstantes, quibus enituit, virtutes, ἀνὴρ ἀρετῆς οἰκητήριον, (ut de eo Sophronius *) ad altiora promotus: unde mortuo Eutychio CP. anno 585. in sede Patriarchali subrogatus est. Ann. 589. habitâ Constantinopoli in causâ Gregorii Antiocheni Synodo, 585.

* Ap. Phot. Cod. 231.

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. nodo, cui omnes Patriarchæ Orientales vel per se vel per legatos intererant, Joannes *Oecumenici* Patriarchæ titulum sibi assumpsit, frendente quidem & penè furente Pelagio Pontifice Romano, qui missis mox ad Orientales Episcopos literis, hujus Conventiculi (sic enim Synodum appellari voluit) Acta vana ac cassata esse declaravit, Joannemque nisi ambitionem suam citò correxerit, & ab hoc tam profano vocabulo abstineret, mox anathemati esse subjiciendum; atque Apocrisiario suo Joannis communionem fugere in mandatis dedit. Et demus, licet, cum novissimis Conciliorum editoribus supposititiam esse illam, quę in Conciliorum Tomis extat, Pelagii Epistolam; Pelagium tamen hujusmodi dedisse literas quibus Synodi Acta cassavit, & Joannem acerrimè coarguit, quòd superbum & pestiferum Oecumenici vocabulum sibi usurpasset, testis nobis est extra controversiam luculentus Gregorius Magnus *. Nec minori vehementiâ adversùs Joannem declamavit Gregorius M. mox ipse Pontifex factus, quavis ferè Epistolâ in nefandum, superbum, & Antichristianum hoc vocabulum penè ad ravim usque debacchatus. Quo non obstante Joannes usurpatum semel titulum constanter retinuit; & ut ex Gregorii ad Sabinianum epistolâ constat, in Actis de Joanne Presbytero Romam transmissis, se penè quovis versu Oecumenicum Patriarcham nominavit. Obiit circa ann. 596. & à Græcis Sanctorum numero inscriptus est.

* L. 4. ep. 36. & alibi passim.

L. 4. ep. 39.

Scripsit nonnulla, quæ sequuntur.

De *Pœnitentia, Continentia, & Virginitate Homilia* satis prolixa, seu potiùs, *Epistola Paraenetica ad Virginem quandam Deo devotam.* Extat Gr. Lat. inter Opera Chrysostomi Tom. V. edit. Morell. Tom. VII. edit. Savil.

De Pseudo-Prophetis & falsis Doctoribus Homilia, quæ Chrysostomo vulgò ascripta inter Opera ejus habetur Tom. V. edit. Morell. Tom. VII. edit. Savil. Joannis tamen nostri esse censent Vossius & Pearsonius.

Libellus Pœnitentialis, sive Ordo erga eos qui peccata confitentur observandus, Gr. Lat. à Morino editus in Appendice ad lib. de Pœnitentia pag. 77.

Tractatus sive Sermo de Confessione & Pœnitentia, Gr. Lat. ibid. pag. 91. de quo nonnihil dubitare videtur Morinus, an Joannis nostri revera sit, an potiùs ex ipsius Pœnitentiali expressus. Codicis verò MS. titulus *Joannis Jejunatoris* nomen tulit: nec in eo justa deprehendi potuit falsi suspicio.

Collegit etiam ibidem Morinus varia ex Joannis nostri Pœnitentiali excerpta, quæ apud Veteres reperiuntur, ibid. pag. 98. Canon ejus de diversis perturbationibus, quæ possunt incidere, qui quidem Pœnitentialis pars esse videtur, habetur Gr. MS. in Biblioth. Augustana, Plut. 2. Cod. 30. teste Ant. Reisero in Indice Biblioth. August. pag. 29.

De Sacramento baptismatis liber ad Leandrum Episcopum Hispalensem, in quo Patrum sententias de trinâ mersione collegit. Interiit Opusculum: superest memoria tantùm apud Isidorum de Script. cap. 26.

589. COLUMBANUS, gente Hibernus, patriâ Lageniensis, Congalli Beanchorensis Cœnobii in Orientali Hibernia (non Bannochorensis in Britannia, quod vult Baleus *) Abbatis discipulus, postquàm in Britanniam trajiciens ibi aliquandiu commoratus esset ann. 589. in Burgundiam se contulit, ubi Cœnobium Luxoviense posuit & gubernavit. Ei postquam anno fermè viginti præfuisset, à Theodorico Austrasiorum Rege, eò quòd stupra ejus solito liberiùs reprehenderet, in exilium actus est. Peragratâ igitur universâ Galliâ in Italiam se recepit; ubi ab Agilulpho Longobardorum Rege locum opportunum nactus Monasterium Bobiense propè Neapolim construxit; cujus regimine postquàm annum unicum perfunctus esset, diem supremum obiit IX. Cal. Decembr. anno 615.

* Cent. 14. c. 12.

SÆC. VI. ab An. D.

SCRIPTA EJUS SEQUUNTUR.

R*Egula Monachalis* Monasteriis à se institutis præscripta, & in Concilio Matisconensi an. 627. approbata. Prodiit ab Hen. Canisio primùm edita Antiqu. Lect. Tom. I. in Append. pagin. 3. mox Melchiore Goldasto *Insulis* 1604. 4°. deinde à Thomâ Messinghamo in Florileg. Sanctorum Hiberniæ *Paris.* 1624. f. pag. 403. Præfatione Columbani auctam dedit Car. Stengelius in Corona Lucida, *Augustæ Vindel.* 1621. 8°.

Pœnitentiale seu Regula Cœnobialis, quæ habetur unà cum Opusculo præcedente in Collectione Regularum Holstenii *Paris.* 1663. Par. 2. pagin. 88. 98.

Poëmata & Epistola aliquot, quæ apud Canis. Antiqu. Lect. Tom. I. & V. aut apud Sirmond. Var. Opusc. *Paris.* 1619. aut apud Messingham. Florileg. aut denique apud Usser. Epist. Hibernic. Syllog. p. 7. extant.

Sermones seu Institutiones Spirituales XVII. quarum ultima Fausto Regiensi debetur. Homilias quidem Columbani XIII. in Monasterio Bobiensi exstitisse memorat Messinghamus in Florileg. non tamen eas edidit, [uti malè habet Waræus *) ex iis enim quintam solummodò evulgavit.

* De Script. Hibern. l. 1. p. 18.

Omnia S. Columbani Opera supra enumerata in unum collegit Patricius Flemingus Hibernus Minorita, atque edi curavit *Lovanii* 1667. Exinde habentur in Bibliothecâ Patr. Tom. XII. p. 1.

Scripsit præterea S. Columbanus adhuc adolescens *librum Psalmorum* elimato sermone, à Sigeberto * memoratum ac laudatum. Alia adhuc Waræus ex Vitâ illius à Jonâ discipulo conscriptâ enumerat, *Commentarium in Psalterium, Librum contra Arianos*, quasque in Galliâ adhuc extare ab oculato teste accepit Waræus, *binas ad Bonifacium Papam Epistolas*, & *Apologiam modestam Concilii Matisconensis Patribus oblatam*, cùm ob præposteram Paschatis observationem in judicium vocatus esset. Morem enim Paschatis observandi Quartodecimanum, quem in Britannia hauserat in exteris etiam regionibus constanter retinuit Columbanus. Vir certè erat antiquâ virtute, & primævâ planè simplicitate; quantâ libertate, quam ingenti generosoque zelo, etiam Religionis Christianæ proceres tractaverit, testatur vel unica ejus ad Bonifacium IV. Papam Epistola, qua adversùs trium Capitulorum susceptionem disputat, Pontificemque hac de re sepositâ omni προσωποληψία aggreditur. Hujusmodi certè παῤῥησίαν ægrè ferrent hodierni Curiæ Romanæ mores.

* De Script. c. 60.

LEONTIUS, seu ortu seu munere, BYZANTINUS, primùm Advocatus, deinde relictis sæcularibus negotiis, in Cœnobio Lauræ in Palæstina Monachus. Claruit anno 590. & deinceps. Doctiss. Vossio * idem videtur cum Leontio Cyprio, de quo nos infrà execunte hoc sæculo: nempe ut patriâ fuerit Byzantius, ac primùm professione Advocatus, posteàque Episcopus Cyprius. Sanè tempora non repugnant. Claruit Leontius Cyprius sub Mauricio, & ad annum usque 610. vitam protraxit: ac noster non modò Eulogii Alexandrini, sed 590.

* De Hist. Græc. l. 4. c. 8.

&

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. & Joannis Philoponi mentionem facit. Verùm hac in re nihil statuo.

SCRIPTA.

DE *Sectis liber in x. actiones distributus.* Extat Gr. Lat. unà cum aliis Opusculis à Leunclavio editus *Basil.* 1578. 8°. & in Auctario Biblioth. Patr. *Parif.* 1624. Tom. I. pagina 493. Cod. MS. extat penès CL. Vossium editis longè auctior.

Adversùs Eutychianos & Nestorianos libri 3.

Adversus fraudes Apollinaristarum 2.

Solutiones argumentorum Severi.

Dubitationes hypotheticæ & definitiones contra eos, qui negant in Christo duas naturas.

Opera ista proximè enumerata habentur solummodò Latinè ex Turriani versione apud Canis. Antiq. Lect. Tom. IV. p. 1. & in Bibliotheca Patr. Tom. IX. p. 707.

Oratio in mediam Pentecosten, & in cæcum à nativitate, edita est Gr. Lat. cum notis à Combefisio Auctar. Nov. Tom. I. pag. 719. Nostri forsan est, etsi Leontio presbytero Constantinopolitano inscribatur.

Extare Porrò in Bibliotheca Cæsarea Viennensi Leontii *librum de duplici Naturâ in Christo contra hæresin Monophysitarum*, *& Disputationem contra Philosophum Arianum*, nos docet Cl. Labbeus *: à quo, ut hoc etiam obiter moneam, integrum idque bene longum, quod de hoc Scriptore habet, caput desumpsit, ut alia sæpe solet, Casimirus Oudin, nec citato Auctore, nec verbulo ferè addito. Verùm si hoc non sit libros exscribere potiùs quàm scribere, & plagio planè intolerando alienis plumis se totum ornare, judicet totus eruditorum chorus.

* De Script. Tom. 2. p. 24.

Scripsisse etiam Leontium duo *Locorum Communium volumina*, alterum τῶν θείων, alterum τῶν ἀνθρωπίνων, prodit Fr. Turrianus *; qui ex his posterius ad manus suas pervenisse testatur.

* De Hierarch. Ordinat. l. 1. c. 12.

590. *P. II.* LEONTIUS BYZANTINUS Advocatus, deinde Prebyter, tandem Sanctæ Sabæ prope Hierosolymam Monachus, claruit anno DXC. Extant MSS. variæ ejus Orationes, sive Homiliæ: nempe I. *in Jobum*, habita Feriâ secundâ Sanctæ & Magnæ Hebdomadis. Principium, Ἄγε δὴ καὶ σήμερον φιλογυνησιώτερον, &c. Biblioth. Vindob. Cod. *Theol.* V. num. vi. fol. 205. p. 2. II. *In Iobum*, Feriâ quartâ Magnæ & Sanctæ Hebdomadis Principium, Εὔκαιρον ἐν τῷ παρόντι ἀήτλητον τοῦ Θεοῦ στρατιώτην Ἰὼβ λέγειν. &c. ibid. num. x. fol. 222. p. 2. III. *In Proditionem Christi, & in Uxorem Jobi*, Feriâ quintâ Magnæ Hebdomadis, hoc initio, Ὥσπερ κανόνος παρατεθέντος τὸ στρεβλὸν τῶν ξύλων ἐλέγχεται, &c. ibid. num. xi. fol. 226. pag. 2. IV. *In Passionem Christi, & in Iobum*, in Parasceve Magnæ Hebdomadis. Incipit, Μεγάλα τῆς προσευχῆς τὰ χαρίσματα, &c. ibid. num. xiii. fol. 232. pag, 2. Extant etiam in Bibliothecâ Bodlejanâ Cod, Baroc. CXCIX. In omnibus his Sermonibus Leontius Presbyter CP. inscribitur, atque idem cum Advocato, libri *de Sectis* compilatore, videtur.

590. Io. Diac. de vit. Greg. l. opp. præf. & ap. Sur. Matt. xii. & Baron. ab ann. 581.

GREGORIUS I. *Magnus* à rebus gestis dictus, ortu Romanus, Fœlicis III. Papæ abnepos, Gordiani & Silviæ filius; elementis grammaticis, dialecticis & rhetoricis in juventute apprimè imbutus, in forensi militia magnâ sui nominis famâ mereri cœpit. Virilem ingressus ætatem inter Senatores Urbis cooptatus est. Anno 581. Urbanam Præfecturam gessit. Tot honoribus cumulatus, tantam nihilominùs vitæ sanctitatem coluit, ut Monachorum sui ævi clarissimis nequaquam cederet; ipse vitam Monasticam totus anhelans, adeò ut dum se rebus sæcularibus nondum extricare posset, sex in Sicilia, ac septimum intra Urbis muros Monasteria suis facultatibus conderet. Monasterio suo Urbano Valentium ex Monasterio S. Equitii in provincia Valeria accitum præfecit, atque ipse tandem Monasterium ingressus Valentii regimini se subjecit. Exoptato autem otio diu frui non licuit. Anno enim 583. ex Monasterio abstractum, Diaconum ordinavit Pelagius Papa, & ad Tiberium Imp. Apocrisiarium legavit. Anno 586. Constantinopoli adhuc agens disputationem cum Eutychio Patriarcha CP. iniit; (qui in Origenis errorem lapsus, corpus carne palpabili indutum resurrecturum negaverat) & resurrectionis veritatem egregiè propugnavit. Eodem anno mortuo Tiberio Imp. Gregorius postquam res Romanæ Ecclesiæ summâ fide ac diligentiâ Constantinopoli per triennium procurasset, plurimaque volumina ibiloci aut absolvisset, aut inchoasset, Romam reversus alio Apocrisiario pro more ad Mauricium Imperatorem recèns factum misso locum dedit. Ocium nactus, in Monasterium suum iterum secessit; quæque Constantinopoli auspicatus erat scripta, ad umbilicum jam perduxit: alia quinetiam hortante Pelagio contra Episcopos Occidentales ab Ecclesiæ Romanæ communione sejunctos condidit. Anno 590. post mortem Pelagii conspirantibus bonorum omnium votis ad Pontificatum Romanum evectus est, & postquam ipse multas variasque nexuisset moras, ac fugam frustra molitus esset, tandem die 3. Septembris ordinatus. Eodem anno cùm pestis gravissima in Urbe sæviret, celebrem illam Septiformem Litaniam divini numinis placandi ergo instituit. Pontifex factus, frequentibus Synodis celebratis & literis ubique missis, professionem fidei edere, labefactatas Ecclesiæ res restaurare, Clericos ac Monachos ad avitam disciplinæ normam revocare, reluctantes, & in his Laurentium Archidiaconum, in ordinem redigere, schisma in Occidente natum extinguere, contumaces Episcopos, & in his Demetrium Neapolitanum Episcopum, invocato gladio sæculari sedibus suis deturbare, fidem Catholicam tueri, & Hæreticos debellare, summâ animi constantiâ, invicto religionis zelo aggressus est. Imprimis verò curæ habuit ambitiosum Joannis CP. Oecumenici titulum sibi arrogantis, fastum contundere; superbum, hæreticum, blasphemum, Antichristianum, Diabolicum esse titulum ab eo arreptum clamans. Anno 593. edictum Mauricii Imp. de militibus in Monasteria non admittendis ægerrimè tulit; ne officio tamen suo & obsequio deesset, invitus admodùm promulgavit. Anno 594 literis apud Mauritium Imp. Constantinum Aug. & Patriarchas Orientales strenuè egit de Joanne CP. in ordinem redigendo: cui interim communicare Sabiniano Apocrisiario suo interdixit: habitâque eodem anno Romæ Synodo damnatum à Joanne ob Marcionitarum hæresim Joannem Presbyterum Chalcedonensem absolvit: ac de re Ecclesiastica Canones nonnullos sancivit. Anno 596. ex Angelica Anglorum captivorum forma omen trahens, Anglorum genti ad fidem Christianam convertendæ animum adjecit, missis in Angliam Augustino Monasterii sui Romani præfecto, Mellito; aliisque Monachis; quos in viâ despondentes literis confirmavit: incœptumque semel opus laudabile qua monitis qua authoritate sua subinde promovere non destitit; missis anno 601. Justo, Paulino, Laurentio, aliisque, qui Augustino subsidium ferrent, & fidem Christianam longè latèque per Angliam propagarent. Anno 603. datis ad Phocam tyrannum literis imperium illi pessimis flagitiis arre-

SÆC. VI. ab An. D.

arreptum gratulatus est: quin & si verum fateri fas sit, adeo turpiter in hac re lapsus est Gregorius, ut scelestissimo patricidæ excogitatissimis adulandi artibus blandiri, & in piissimi Principis Mauricii manes acerrimè debacchari non erubesceret. Obiit anno 604. die XII. Martii. Vir erat pietate insignis, nec ævi illius ratione habitâ doctrinâ incelebris: immò si Isidorum Hispalensem audire velimus, *tanto per gratiam S. Spiritûs scientiæ lumine præditus, ut non modò illi præsentium temporum quisquam doctorum, sed nec in præteritis quidem illi par fuerit unquam.* Sic quidem Isidorus: cujus tamen hâc in re verba cum grano salis accipienda esse meminerit Lector. Pietatis certè & eruditionis laus ei neutiquam est deneganda, in hoc verò jure merito culpandus, quod, teste Joanne Sarisburiensi, De Nug. Curial. l. 2. c. 26. & l. 8. c. 19. non modò Mathesin ab Aula recedere jussit, sed quò major esset S. Scripturæ autoritas, & in ea evolvenda diligentia studiosior, intempestivo nimis ac planè flagranti Zelo nobilissimæ Bibliothecæ Palatinæ, in cujus Archivis recondebantur tot veneranda vetustatis monumenta, ignem admoverit, quo incendio perierunt.

Scripta Palatinus quæcunque tenebat Apollo.

In quibus, inquit Sarisburiensis, *erant præcipua, quæ cœlestium mentem & superiorum Oracula videbantur hominibus revelare.*

OPERA.

EXpositionis *in librum* I. *Regum, qui & Samuelis dicitur, libri* VI.

Expositionis in Iob, sive Moralium libri XXXV. Opus anno 583. inchoatum, anno 590. absolutum. Prodiit seorsim primis rei typographicæ incunabulis *Romæ* 1475. *Par.* 1495. fol.

Expositio in VII. *Psalmos Pœnitentiales.* Sunt qui censent, in eâ reperiri plurima, quæ ad Henrici IV. Imp. tempora spectant; adeóque eam potius Gregorio VII. Pontifici adjudicandam esse.

Expositio in Cantica Canticorum. Basil. 1496. 4°. *Par.* 1498.

Homiliarum in Ezechielem libri 2. anno circiter 595. scripti.

De diversis lectionibus Evangelii Homiliæ XL. ad Secundinum Taurominitanum Episcopum, anno 592. absolutæ.

Liber Pastoralis curæ ad Joannem Ravennæ Episcopum, ineunte Pontificatu scriptus, & ab Anastasio posteà Antiocheno circa ann. 602. in Græcum Sermonem versus. Versio ista interiit. Ipse liber seorsim prodiit *Argent.* 1496. *Par.* 1498. 4°.

Dialogorum de vitâ & miraculis Patrum Italicorum, & de æternitate animarum, libri 4. anno circiter 593. scripti. Litem his Dialogis intentant Reformatorum haud pauci. Strenuè reclamantibus Romanæ Ecclesiæ Scriptoribus. Varia utrinque proferuntur argumenta; pro negantibus facit primò ingens styli discrepantia, à Gregoriano compto satis, & æquali nec ineleganti immane abludentis; & sanè fatendum est plurimas dictiones in his Dialogis usurpatas hominis esse in linguâ Latinâ mediocriter versati, ne quid gravius dicam. Secundò, aniles & ineptæ quæ ubivis occurrunt fabulæ Gregorio M. quin & quovis prudenti viro penitùs indignæ; quarum proinde autorem graviter perstringit * Melchior Canus homo Pontificius, eruditione & pietate celebris. Tertiò, reperiuntur in his Dialogis, quæ doctrinæ Gregorianæ in Operibus ejus indubitatis traditæ liquidò adversantur, quorum omnium non unum exemplum profert Rob. Cocus nostras, Censur. Script. Vet. pag. 209. Hinc orta suspicio, hos Dialogos Gregorio II. Papæ, qui Pontificatum iniit anno DCCXIV. tribuendos esse, indeque ipsum *Dialogi* nomen traxisse. Ex alterâ parte, 1°. certissimè constat, Gregorium nostrum hujusmodi opus in animo habuisse, eamque in rem relationes undique conquisivisse, ut ex epistola ejus ad Maximianum Siracusanum lib. 2. cap. 89. patet. 2°. Joannes Diaconus qui claruit anno DCCLXXV. & quatuor libros de vita B. Gregorii scripsit, disertè testatur Gregorium M. hos quatuor Dialogorum libros composuisse, & Zachariam Papam post annos fermè CLXXV. in Græcam linguam convertisse, ubi errorem in numero corrigit * Baronius, dicens non nisi annos fuisse CXLVIII. Accedit ipsius † Photii testimonium, hos Dialogos Gregorio nostro adjudicantis, quique ante CLXV. annos scriptos fuisse asserit, quàm à Zachariâ Papâ Græcè verterentur. Perpensis ex utrâque parte argumentis restat, ut hi Dialogi saltem sint dubiæ fidei, à Gregorio M. ut videtur, scripti, à recentioribus aucti & interpolati. Ejus ergo esse haud iverim inficias. Interim in hoc Opere concinnando nimiùm credulitati suæ indulsisse, & in fabulas plùs quàm par erat, propensiorem fuisse, nemo qui æquo animo ac præjudiciis libero id legerit, facilè negabit.

* Loc. Commun. lib. 11. c. 6. p. 658.

De Vit. Greg. lib. 4. c. 75.

* An. 593. n. 46.

† Cod. 252.

Prodierunt seorsim sæpiùs, puta *Ven.* 1475. *Paris.* 1499. *Venet.* 1561. *Colon.* 1610. & alibi. Eos olim Græcè vertit Zacharias Papa. Versio prodiit *Romæ* 1591. sed mutila, desideratis ex libro tertio sex capitibus cum dimidio. Ea ex Codicibus MSS. restituit, ac in lucem edidit Canisius Antiq. Lect. Tom. 3. Integra proinde exhibetur versio in editione Gregorii Operum *Paris.* 1640.

Epistolarum libri XII. quibus immiscentur supposititiæ haud paucæ. Privilegium sanè Monasterii S. Medardi epistolę 77. Libri 2. subnexum, & epistolam 32. libri XII. ad Fœlicem Episcopum Messanæ, spuria esse fatentur ipsi Conciliorum editores. Epistola 42. libri 2. deest in septem Codicibus MSS. qui hîc in Anglia reperiuntur: quorum unus ipsius Gregorii ætati ferè suppar est. Loca quædam depravata in epistola 38. libri IV. epistolis 54. 64. libri VII. ex Codicibus MSS. notat Cl. Jamesius nostras libro vernaculo de corruptione Patrum par. 2. Quanta verò licentia in describendis præsertim Gregorii libris grassati sunt olim Monachi, & in excudendis recentiores Pontificii, pleniùs ostendit idem Jamesius in Vindiciis Gregorianis *Genevæ* editis 1625. 4°. Habentur Epistolæ Gregorii & in Concil. Tom. V. p. 1208.

Antiphonarius sive Gradualis liber ordinatus per circulum anni.

Liber Sacramentorum de circulo anni. Bina ista Opuscula prodierunt simul inter Pamelii Liturgica Tom. 2. *Colon.* 1571. 4°. posteriùs seorsim *Paris.* 1642. 4°. cum notis Menardi.

Hymni aliquot.

Concordia quorundam Testimoniorum S. Scripturæ, in edit. *Paris.* 1571. primùm evulgata.

Prodierunt S. Gregorii Opera *Paris.* 1523. *Romæ* 1588. 1593. 2. vol. *Basil.* 1564. 2. vol. *Paris.* 1571. *Antverp.* 1572. 1615. *Paris.* 1605. 1640. fol. *Romæ* 1613. 5. vol. 8°.

Benedictionale, sive *Syntagma solennium Benedictionum* à S. Gregorio in rebus sacris usitatarum, ineditum, antea ratus Lambecius, ex Codice Bibliothecæ Viennensis integrum evulgavit Comment. l. 2. c. 5. p. 300. Verùm errorem suum posteà correxit, id à Menardo editum deprehendens *Paris.* 1642. in Gregorii M. libro Sacramentorum, non appendicis tamen aut peculiaris Operis loco, sed

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. sed respectu temporis & argumenti singularum Benedictionum sparsim insertum & permixtum.

590. LEONTIUS, Neapoleos in Cypro insulâ Episcopus, claruit circa ann. 590. In vivis adhuc erat post ann. 616. Scripsit *Apologiam pro Christianis adversus Iudæos*; cujus prolixa pars habetur Concil. Nicæn. II. Act. 4. Conc. Tom. VII. pagina 236. Extant etiam ab eodem scripta, *Homiliæ II. altera in Simeonem quando Dominum ulnis suscepit, altera in Festum media* Pentecostes Gr. Lat. apud Combefis. Auctar. Nov. pagin. 681. 702. Vita Joannis Eleemosynarii, sed à Metaphraste interpolata, Lat. apud Surium & Bollandum Januar. XXIII. Vita Simeonis Sali sive Stulti, ab eodem Metaphraste interpolata, Lat. apud Surium Julii I. Scripsit etiam Encomia multa, & festivos Sermones; & in his præcipuè *Orationem in Transfigurationem Salvatoris nostri*, & alia quædam, uti nos docent Synodi Nicænæ II. Patres Act. 4.

600. P. II. LEONTIUS, Neapoleos, sive ut ipse vocat, Hagiopoleos, in Cypro Episcopus, claruit anno DC. Obiit circa ann. DCXX. vel ut alii DCXXX. Varia ejus Opuscula ex Synodi Nicænæ II. Act. IV. suprà enumeravimus. Addunt autem Nicæni Patres, ipsum & alia quædam scripsisse, & Mauricii Imp. temporibus floruisse. In his sine dubio erant *Loci Communes Theologici*, ex Scriptis SS. Patrum utplurimùm contexti, in duo volumina digesti; quorum priori, τῶν θείων titulum fecit, alteri, τῶν ἀνθρωπίνων. Posterius ad manus suas pervenisse, testis nobis est Francisc. Turrianus, in Opere, quod scripsit *de Hierarchicis ordinationibus Ministrorum Ecclesiæ Catholicæ adversùs schismaticas vocationes*, Edit. *Diling.* 1569. nempe lib. I. c. 12. Quos etiam Locos communes citat Sirmondus Not. *ad Facund* lib. II. c. 4. p. 28. Scripsit item Historiam Vitæ *S. Simeonis* Abbatis, cognomine *Stulti*, quam Latinè extulit Surius *Iulii* I. Extat Græcè MS. Biblioth. Vindob. Cod. *Hist.* juxta Lambec. XIII. num. 1. fol. 1.

590. P. II. ANONYMUS *Vitæ S. Consortiæ auctor*, claruit circa annum DXC. In literas retulit *Vitam S. Consortiæ virginis*, & *Conversionem B. Eucherii Lugdunensis Episcopi, & Gallæ Uxoris ejus.* " Ubi num. "II. se hæc à SS. Fratribus Uranio Presbytero, & "Celso Subdiacono, qui Consortiæ dùm viveret "adhæserunt, necnon & Aureliano Presbytero, qui "usque nunc, *inquit*, ad sepulchrum ejus Deo servit, referentibus audivisse testatur. Eruit *hanc Vitam* ex MSS. codicibus Cl. Mabillonius *Sæc. Benedict.* I. p. 248.

590. P. II. AUCTOR ANONYMUS Vitæ S. Sequani circa ann. DXC. claruisse videtur; utpotè ipsi Sequano ætate par, quem miracula edentem se vidisse refert. Scripsit vitam *S.* Sequani Abbatis in Burgundia, quam edidit Petrus Roverius in Historia *Reomaënsi*; paulò emendatiorem ex codicibus MSS. Joann. Mabillonius *Sæc. Benedict.* I. pag. 263.

590. P. II. ANONYMUS Vitæ S. Eparchii auctor, claruit Eparchii æqualis eodem tempore circa annum DXC. Mandavit literis vitam S. Eparchii Abbatis Inculismensis, quam ex perantiquo Codice MS. edidit, sed stylum passim immutavit Laur. Surius *Jul.* I. Magis genuinam Cl. Mabillonius *Sæc. Benedict.* I. p. 267.

591. P. II. JOANNES, Epiphaniâ quæ Syriæ urbs erat oriundus, non ut Vossius, domo Antiochenus; unde ipsum ἐμόν τε πολίτην καὶ συγγενῆ vocat Evagrius * ipse Epiphaniensis, ejusdemque temporis Scriptor. Claruit Joannes ann. DXCI. Scripsit Historiam rerum gestarum ab extremis Justiniani temporibus, usque ad Mauricii tempora; nempe ad Junioris Cosrhois Persæ fugam ad Romanos & ejusdem restitutionem per Narsetem Mauricii ducem, quod contigit anno DXCI. Perperam hunc confundit cum Joanne Rhetore, de quo suprà Vossius †; uti perspicuè ostendit Cl. Valesius annot. ad Evagrium pag. 61.

* Lib. V. c. 24. p. 442.

† De Hist. Græc. l. IV. c. 20. p. 198.

593. DYNAMIUS, Patricius Galliarum, redituum Romanæ Ecclesiæ intra Gallias procurator, ut ex Gregorii M. Epistolâ * ad ipsum datâ constat. Claruit anno 593. Biennio post munere suo cedenti suffectus est Candidus Presbyter. Scripsit Dynamius *Vitam S. Maximi Regiensis Episcopi* ad Urbicum Fausti (qui Maximi vices in Episcopatu excepit) successorem, quæ habetur, stylo tamen Authoris à Surio emendato, apud Surium Novembr. XXVII. Extat etiam ab eodem scripta *Vita S. Martii Abbatis Bobacensis*, sed à Monacho quodam abbreviata, apud Mabillon. Sæc. Benedict. I. pag. 105. Meminit istius Vitæ Sigebertus *, apud quem pro Mario Maximum legendum esse censet Casimirus Oudin †, de Mario Bobacensi, seu ut vocat Bodanensi, hactenus se nihil legisse professus: & quî aliter fieri potuit, cùm Miræus, quem hìc, ut alibi, verbatim exscribit, ipsi hâc in parte facem non prætulerit?

* L. 3 Ep. 33.

* De Script. c. 114.

† Suppl. p. 143.

594. EVAGRIUS SCHOLASTICUS gente Syrus, ex urbe Epiphania ortus, natus est anno 536. vel 537. Quadriennis adhuc Grammaticorum scholas frequentare cœpit; & à parentibus Apameam ductus est, ut pretiosum crucis lignum à Thomâ Episcopo solemni pompa ostensum spectaret. Relictis Grammaticorum scholis, Rhetoricas adiit; cùmque scientiâ istâ plenè imbutus fuisset, inter Advocatos cooptatus est; & in foro Antiocheno causas agere incœpit: unde Scholastici nomen traxit. Maximam cum Gregorio Patriarcha Antiocheno gratiam iniit, cui in causis dijudicandis assedit; in Epistolis & Concionibus scribendis inserviit. Quin & inter primarios Antiochenæ Urbis cives locum tenuisse videtur, quippe cui tota civitas anno 592. cùm secunda jam vice nuptias iniret, feriis actis, & solennibus ludis fausta apprecata est. A Tiberio Aug. Quæsturæ, à Mauricio Præfecturæ honorariæ dignitatem meruit. Anno 589. Gregorium Antiochenum variis criminibus oneratum, & ad dicendam causam Constantinopolim evocatum comitatus est, ut Assessoris & Consiliarii munere ei fungeretur. Anno 594. quo imprimis claruit, Historiam suam clausit. Quot annis ei superfuerit, non liquet. De stylo ejus sic Photius * Ἔστι δὲ τὴν φράσιν οὐκ ἄχαρις, εἰ καὶ πως περιττεύεσθαι ἐνίοτε δοκεῖ· ἐν τῇ δὲ τῶν δογμάτων ὀρθότητι ἀκριβὴς τῶν ἄλλων μᾶλλον ἱστορικῶν. *Stylus huic non ingratus, tametsi interdum redundare quodammodo videatur: certè in doctrinæ veritate cæteris Historicis accuratior est.* Quæ quidem laus etsi ei non sit deneganda, in pluribus tamen factis recensendis nimis fuisse credulum & in fabulas proniorem, ex iis quæ data quavis occasione cruce, reliquiis, fictisque miraculis, (quæ majori in pretio jam haberi cœperant) refert, cuivis præjudiciis non occæcato liquidò patebit.

Vid. ipsum Evagr. l. 4. c. 26. 29. l. 1. c. 18. 20. l. 3. c. 28. l. 6. cap. 7. & Vales. in præf.

* Cod. 29.

SCRIPTA.

Historiæ Ecclesiasticæ libri VI. à Synodo Ephesina sive anno 431. initium ducentes, & in

duodecimo Mauricii Imp. anno Christi 594. interminati. Prodiit Historia ista Gr. à Roberto Stephano edita *Parif.* 1544. fol. Gr. Lat. Genevæ *1612.* & cum nova versione ac notis eruditissimis Hen. Valesii *Parif.* 1673. fol.

Epistolarum, *relationum*, *decretorum*, *orationum*, *& disputationum*, quorum pleraque Gregorii Antiocheni nomine conscripti sunt, *Libri* II. qui interierunt.

Oratio Panegyrica ad Mauricium Aug. ob natalem Theodosii pueri nobilissimi, quæ dudum periit. Utrumque Opus memorat Evagrius in fine Historiæ suæ.

595. ISIDORUS, *Junior*, ut ab Isidoro Cordubensi distinguatur, dictus, gente Hispanus, Severiani Carthaginis in Hispania Præfecti, & Turturæ filius. Duos Episcopos fratres habuit, Fulgentium Carthaginensem & Leandrum Hispalensem, cui ipse in sede Archiepiscopali anno 595. succeffit. Ann. *610.* Gunthemari Regis edicto de Prærogativâ sedis Toletanæ subscripsit. Anno *619.* Concilio Hispalensi II. præfuit; in quo plurimos Canones rem Ecclesiasticam spectantes sanciri fecit; habitáque cum Syro quodam Episcopo, Acephalorum heresi infecto, disputatione, hominem erroris prolatis affatim ex S. Scripturâ testimoniis redarguit & ad fidem Catholicam reduxit. Anno *633.* Concilio Toletano IV. Nationali præsedit, ubi Canonibus quamplurimis latis lapsum Ecclesiæ Hispaniæ statum restauravit. Anno *636.* morti proximus, se in S. Vincentii templum deportari fecit; ubi die *3.* Aprilis accepto viatico sacro placidè in Domino obdormivit. Isidorum summoperè laudant Concilii Toletani VIII. Patres. *Nostri*, inquiunt, *sæculi doctor egregius*, *Ecclesiæ Catholicæ novissimum decus*, *præcedentibus ætate postremus*, *doctrinæ comparatione non infimus*, *& quod majus est*, *in sæculorum fine doctissimus*, *atque cum reverentia nominandus Isidorus*.

Vid. Sess. XII.

OPERA, QUÆ EXTANT.

C*Hronicon* ab initio mundi ad quintum annum Suinthilani Regis, Christi *626*.

Historia Gothorum, *Vandalorum*, *& Suevorum*. Prodiit *Hamburgi* 1611. & cum notis Bon. Vulcanii *Lugdun. Bat.* 1597. 8°. plusquàm alterâ verò parte auctior ex MS. Codice Bibliothecæ IS. Vossii ab Hug. Grotio edita est in Historia Gothorum Amstelodami *1655.* p. 707. ab Elzeviriis Typographis Grotianæ Collectioni post mortem ejus adjecta, deinde ex alio Codice à Phil. Labbeo Bibliothec. Nov. MSS. Tom. I. p 61.

Originum sive Etymologiarum libri XX. Operi huic immortuus est Isidorus. Braulio igitur Episcopus Cæsaraugustanus, quo rogante susceptum est, imperfectum complevit, & in libros digessit. Prodiit seorsim *Venet.* 1483. fol. *Parif.* 1509. cum scholiis Bon. Vulcanii *Basil.* 1577. fol. De hâc editione Lectorem monet Arnoldus Wion *, cavendam esse, utpote Hæreticorum more veneno pravitatis hæreticæ resp rsam. Per istiusmodi admonitionem quid sibi velint Pontificii, æquus ac prudens Lector facilè intelliget.

Lign. Vir. l. 2. c. 4. p. 244.

De Scriptoribus Ecclesiasticis post Hieronymum & Gennadium liber. Scriptores XXXIII. complexus. Prodiit cum notis Suffridi Petri *Colon.* 1580. 8°. cum notis Miræi in Bibliothecâ Eccles. *Antverp.* *1639.* fol. cum notis Schotti inter Scriptores Hispaniæ Illustratæ Tom. I. *Francofurt.* 1603.

De Vitâ & morte Sanctorum utriusque Testamenti, sive *de ortu & obitu Patrum*. Extat unà cum aliis Isidori Opusculis *Hagenoæ* 1529. 4°. in Orthodoxogr. p. 587.

De Divinis sive Ecclesiasticis Officiis libri II. ad Fulgentium fratrem circa ann. 610. scripti. Prodierunt *Parif.* 1564. 8°. Orthodoxogr. pag. 1736. unà cum cæteris ejusdem argumenti Scriptoribus *Romæ* 1591. fol. ac *Parif.* 1610. fol. pagina 182. Suppositititum esse Opus istud censet Baronius. Verùm à Braulione & Ildefonso inter Opera ejus recensetur; & à Bedâ, Fulberto Carnotensi, & Freculpho Lexoviensi citatur.

De Differentiis sive proprietate verborum libri II.

Alius Differentiarum seu de proprietate Sermonum liber. Prodiit. Madriti 1599.

Synonymorum sive Soliloquiorum libri II.

De Contemptu Mundi Libellus.

Norma vivendi, quæ nil nisi Cento est ex libris Soliloquiorum & de Contemptu mundi consutus.

Exhortatio ad Pœnitentiam, *cum Consolatione ad animam de salute desperantem*.

Lamentum Pœnitentiæ pro indulgentia peccatorum, versibus Trochaicis compositum.

Oratio de flendis semper peccatis ad correctionem vitæ.

Oratio brevis contra insidias Diaboli.

Epistola ad Massonem de lapsu & reparatione Sacerdotis.

De natura rerum sive de Mundo liber Philosophicus ad Sisebutum Regem.

Liber Prooemiorum ad libros utriusque Testamenti.

Commentaria in libros Historicos Veteris Testamenti; quæ Quæstionum librum, sive Secretorum Expositiones Sacramentorum vocat Ildefonsus *, & ab Isidoro ex diversis Auctoribus collecta esse prodit. Ex his Commentaria in IV. libros Regum Isidoro Cordubensi deberi plurimi arbitrantur. Vide quæ supra in eo notavimus.

* De Script. c. 9.

Allegoriarum quarundam S. Scripturæ liber, compendium quasi Allegoriarum in Octateuchum ex variis Scriptoribus contextum complectens.

Contra nequitiam Judæorum libri II. ad Florentinam sororem. 1. *De Nativitate*, *Passione*, &c. *Domini*. 2. *De Vocatione gentium*. Prodierunt *Hagenoæ* 1529. 4°. *Venet.* 1584.

Sententiarum sive de summo Bono libri III. ex Gregorii Papæ Moralibus ferè excerpti. Eos notis illustratos edidit Garcias Loaysa *Taurini* 1593. 4°.

Regula Monachorum in Capita XXIV. *distributa*. Extat in Codice Regularum Holsteniano *Parif.* 1663. 4°. Par. II. p. 116.

Ad Ludifredum Episcopum Cordubensem Epistola de sacerdotum in Ecclesiâ Officio.

Epistolæ aliquot, quarum ea quæ est *ad Redemptum*, meritò à Labbeo suppofititia censetur.

De Conflictu Vitiorum & Virtutum liber, qui SS. Ambrosio & Augustino etiam ascriptus inter Opera eorum haberi solet. Isidori verò esse & aliunde, & ex Sigiberti * auctoritate constat.

† De Script. c. 55.

Expositio in Canticum Canticorum.

Liber Glossarum Latinarum, *ex libris Originum*, *ut videtur*, *collectus*. Prodiit cum notis Bon. Vulcanii *Lugd. Bat.* 1600.

De Ordine Creaturarum liber ad Braulionem Cæsaraugustanum, à Lucâ Dacherio primùm editus Spicileg. Tom. I.

De Collectione Conciliorum & Decretalium Isidoro nostro falsò inscriptâ, non est, quòd Lectorem moneamus eam esse Isidori Mercatoris. Interim certè constat Isidorum nostrum *Conciliorum & Decretalium Collectionem* contexuisse; cui præter ea, quæ

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. quæ in Dionysii Collectione habentur, plurima Africæ Concilia, Gallicanasque & Hispanicas Synodos inseruit: Epistolas quoque Pontificum Romanorum, qui post Damasum sedem tenuerunt, intexuit. Extat ista Collectio MS. in Bibliothecâ Ecclesiæ Urgellensis in Provinciâ Tarraconensi, teste Baluzio Præfat. in Reginonem Prumiensem.

OPERA DEPERDITA.

DE *Numeris sive Arithmeticâ Liber.*

De nominibus Legis & Evangeliorum liber, nisi forsan idem sit cum libro Proœmiorum.

De Mysteriis Salvatoris liber.

Prodierunt Opera S. Isidori, studio Margarini Bignæi *Paris.* 1580. fol. auctiora cum variorum notis cura Joannis Griali edita per Jacobum Breulium, *Paris.* 1601. denique *Colon.* 1617.

596. PHOTINUS, Presbyter Constantinopolitanus, Ecclesiæ Magnæ defensor, claruit ann. 596. Scripsit *Vitam Joannis Iejunatoris Patriarchæ CP.* Fragmentum ejus prolixum exhibet Conc. Nicæn. II. Act. IV. Conc. Tom. VII. p. 272. ubi dramaticam quandam, eamque putidissimam, fabulam videre est; cujus ipse Photinus pars magna fuit.

596. AUGUSTINUS ortu Romanus, instituto erat Monachus Gregorii M. Discipulus, ac Cœnobii cujusdam ab eo in urbe Roma extructi Præfectus: cùm Gregorius Papa Gentis Anglo-Saxonicæ Conversionem in votis haberet, in animo volveret, ann. DXCVI. Augustinum adjunctis ei circiter XL. sociis hoc fine in Augustinum misit, ejusque jam in itinere positi fluctuantis animum consilio confirmavit, literis munivit. Appulit in Insulam Taneram Augustinus, & impetratâ ab Æthelberto Cantii Rege veniâ, ad Evangelium prædicandum se accinxit, plurimos ad fidem pertraxit, ipsomet etiam Æthelberto cum tota familia, Christi religionem mox amplectente. Anno DXCVIII. in Galliam se contulit, & ab Ætherio Episcopo Arelatensi in Anglorum Gentis Archiepiscopum consecratur, statimque sedem Archiepiscopalem, quam Londinum tanquam insulæ Metropolis sibi vendicavit, in honorem Æthelberti Dorobherniam seu Cantuariam transtulit. Quò verò Saxonum conversio feliciùs promoveretur, Britanniæ Episcopos ad hanc messem invitavit, instituto cum iis in confiniis Walliæ colloquio; verùm morum ejus superbia offensi Britanni, & præcipuè quòd ab iis exigeret, ut relictis suis in Romanos transirent ritus, nihil horum se facturos, neque illum pro Archiepiscopo habituros esse respondebant: quibus Augustinus minitans prædixisse fertur. Si pacem cum Fratribus accipere nollent, bellum ab hostibus fore accepturos; & si nationi Anglorum nollent viam Vitæ prædicare, per horum manus ultionem mortis passuros esse: Nec fefellit eventus; quippe Æthelbertus Edilfridum Northumbrorum Regulum concitavit, qui coacto exercitu immanem DCC. Monachorum Bannochorensium stragem fecit, quod quidem Augustino suadente & instigante factum, vero quàm simillimum est. Objiciunt quidam Augustinum priusquàm hæc fieret cædes, ipsomet Bedâ teste, jam multo ante tempore ad cœlestia Regna sublatum esse. Verùm non desunt melioris notæ ex nostris historici haud pauci, & in his ipse Beda, qui vitam ejus ultra cædem Bannochorensem ad ann. usque DCVIII. quin & ad ann. DCXIV. protrahant, quod & aliis rationibus firmari poterat: unde non levis oritur suspicio locum illum de Augustini obitu Bedæ Historiæ olim fuisse adjectum; præsertim cùm in Alfredi Regis versione Saxonicâ, non nisi sesquisseculo post Bedæ mortem factâ desit. Sed esto mortuus nondum peractâ strage. Quis nescit illum dare consilium potuisse, quod non nisi post ejus demum mortem ad exitum perductum sit? Erat Augustinus staturâ procerâ & erectâ, animo elatiori, moribus asperis, religiosus potiùs quàm doctus, & superstitionis magis quàm veræ pietatis studiosus. Extant ab eo scriptæ *ad Gregorium Papam Interrogationes* XI. unà cum *Gregorii responsis*, ad calcem Epist. D. Gregorii, & cum versione Saxonicâ ap. Bed. Hist. Eccles. lib. I. c. 27. Scripsit etiam librum satis prolixum de *Conversatione Novitiorum*; Incipit, *Voluntas tripliciter intelligitur*; desinit his verbis, *Hæc de hominibus moribusque, per Similitudines suo insertas loco diximus, quò diutiùs memoria teneantur. Sicut enim Nucleus diutiùs servatur cum testâ, sic aliquid per simile dictum, diutiùs memoria tenetur; quia memoriæ recurrit recentius.* Habetur hic liber MS. inter alia Miscellanea in Bibliothecâ publicâ Cantabrig. Class. 4. fig. 5. 8°. Monente, qui ipse Codicem tractavit & inspexit, D. whartono: & mirum planè videri debeat non modò hactenus ineditum esse, sed nec Veteres quòd sciam nec Recentiores ejus meminisse: Refert quidem Baleus, Augustinum statim post ejus in Britanniam adventum ad ipsum Gregorium per suos nuncios Laurentium & Petrum scripsisse, *de suo successu prospero lib.* I. *Ecclesiarum suarum statuta lib.* I. quæ forsan nec ipse vidit Baleus, & an unquam extiterint dubitari potest, nisi posterius Opusculum idem cum libro de Conversatione Novitiorum fuisse suspicari licet.

Vid. Bed. Hist. Eccleſiast. lib. II. cap. 2.

AUGUSTINUS Romanus, primus Cantuariensium Archiepiscopus, claruit anno DXCVI. 596. P. II. Pauca ab eo scripta hodiè supersunt, immò, si Interrogationes ad Gregorium missas excipias, forsan nulla. Scriptis quidem ejus accensuimus librum satis prolixum *de conversatione Novitiorum*, qui in Bibliothecâ Publicâ Cantabrigiensi MS. asservatur. Verùm qui primus monuit, oculoque minùs attento librum perlustraverat eruditissimus H. Whartonus, posteà deprehendit Augustini nostri illud Opus non esse; nec notam fronti appositam [*Liber S. Augustini Cant.*] aliud sibi voluisse, quàm codicem istum ad Bibliothecam Monasterii S. Augustini Cantuariensis olim pertinuisse: istiusmodi enim notæ in Codicum MSS. fronte non raiò reperiuntur. Hæc Lectorem nescire nolui, adeòque integram illam periodum ex Historia nostra abesse jubemus.

STEPHANUS, Episcopus Hierapolitanus, claruit circa annum DXCVIII. 598. P. II. Scripsit librum *de Vitâ S. Golanduchæ* Martyris, quæ ex Magorum Persicorum genere, Asmodocho Patre, & Myzuchâ Matre, prognata, ad Christianos transiit, à Magis proindè multis verberibus & tormentis graviter excruciata, diuturnum & laboriosum martyrium pertulit, teste Evagrio, qui hoc ipso vivebat tempore, lib. VI. cap. 20. pag. 459. cui μάρτυρ ζῶσα dicitur, quòd post martyrium superstes, relictâ Perside in Romanorum fines aufugit, Hierosolyma petiit, tandémque Hierapoli, relicto sæculo, ad immortalem Vitam concessit, Stephano Episcopo funus ejus splendidè & honorificè curante. Refert hæc aliáque, ex ipsius Stephani, ut videtur, Commentario Nicephorus lib. XVIII. c. 25. p. 840. Ejusdem martyris meminit etiam Theophylactus Simoccata Hist. lib. V. c. 12.

ANASTASIUS, *Sinaita* à monte quem Monachus adhuc incoluit, *Junior*, ut à decessore 599. distinguatur dictus, Anastasio seniori successit in Patriarchatu Antiocheno anno 599. Postquàm sedem

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. dem decennio ferè tenuiſſet anno 608. ſaltem proximo ineunte, orto immani Chriſtianos inter & Judæos tumultu, à Judæis, qui pugnâ ſuperiores fuerant, throno deturbatus eſt, & fune pedibus illigato per Urbem tractus, abſciſſis etiam & in os ingeſtis αἰδοίοις, ac tandem igni traditus, Martyrii palmam retulit. Exſtat Græc. Lat. ſub illius nomine *Compendiaria fidei Inſtitutio* in Bibliothecâ Patr. Tom. XI. quam tamen alii Anaſtaſio Seniori tribuunt. Revera neutri debetur, cùm S. Maximi fœtus ſit. Vide plura in Anaſtaſio Seniore. Cæterùm Anaſtaſium noſtrum autorem habuit *Verſio Græca Gregorii M. libri de Cura Paſtorali*; quam laudat ipſe Gregorius lib. 20. ep. 22. Verùm illa ad nos non pervenit.

599. Iſidor. de Script. c. 32. EUTROPIUS, gente Hiſpanus, primùm Abbas Monaſterii Servitani, deinde Eccleſiæ Valentinæ Epiſcopus, claruit anno 599. Scripſit ad *Licinianum Carthaginis Epiſcopum* valdè utilem, nunc verò deperditam, *Epiſtolam*, quâ *de Chriſmatis unctione baptizatis infantibus conceſſâ Licinianum conſuluit*. Scripſit & *ad Petrum Epiſcopum Ittabicenſem de Diſtinctione Monachorum* ſalubrem & Monachis valdè neceſſariam *Epiſtolam*; quæ à Luca Holſtenio edita eſt in Codice Regularum *Pariſ.* 1663. Append. pag. 82.

599. Iſidor. de Script. c. 33. MAXIMUS, natione Hiſpanus, Cæſarauguſtæ Epiſcopus, claruit anno 599. quo Concilio Barcinonenſi ſubſcripſit. Ann. 610. Concilio Toletano, anno 614. Egarenſi interfuit. Scripſit brevi ſtylo *Hiſtoriam rerum à Gothis in Hiſpaniâ geſtarum* atque alia multa; quæ non extant.

Placet ad finem hujus Sæculi Scriptores aliquot incertæ prorſus ætatis, Photio tamen antiquiores deponere; donec veram, ſaltem probabilem, eorum ætatem aliunde expiſcari liceat.

ANDRONICIANUS, Philoſophiæ admodùm ſtudioſus. Scripſit *adverſus Eunomianos libellos duos*, in quibus promiſit grandia, mediocria præſtitit. Vid. Phot. Cod. XLV. NE.

LUCIUS CHARINUS, Hæreticorum peſſimus ſimul atque ineptiſſimus, Opus condidit hoc titulo, *Apoſtolorum Periodi*, Acta Petri, Joannis, Andreæ, Thomæ & Pauli complexum. Stylo uſus eſt inæquali & invenuſto, dogmatibus verò ſanè portentoſis. In iſto enim libro inficetiſſima Ebionitarum, Marcionitarum, Valentinianorum, aliorumque peſſimæ notæ Hæreticorum deliria in unum conflata Lectori propinabat; & rebus ineptiſſimis, puerilibus, inopinatis, malignéque confictis ac falſis, immò ſtultis & inter ſe pugnantibus, impiis denique & deteſtandis, paſſim ſcatebat. Vide Photium Cod. CXIV. NE.

HERACLIANUS, Epiſcopus Chalcedonenſis, vir piiſſimus ſimul ac doctiſſimus. Scripſit *ad Achilium* quendam ſermone perſpicuo & eleganti, *contra Manichæos libros* XX. in quibus impietatem eorum validiſſimè debellavit; libros Manichæorum decantatiſſimos, Evangelium, Giganteum librum & Theſauros, confutavit; omnium que qui ante ſe in eâdem Palæſtrâ deſudârant, argumenta fortiùs urgebat, firmiter ſtabilivit, prætermiſſa piè ſupplevit. Vide Photium Cod. LXXXV. NE. SÆC. VI. ab An. D.

LEONTIUS, Arabiſſi Epiſcopus. Scripſit *Sermonem de Creatione, & Lazaro redivivo*, cujus excerpta bené longa exhibet Photius Cod. CCLXXII.

HESYCHIUS, Presbyter Conſtantinopolitanus, ſcripſit in *æneum Serpentem Moſis libros* IV. quos memorat & breviter deſcribit Photius Cod. LI.

SOPHRONIUS, ſcripſit eleganti & nervoſo ſermone *librum pro Baſilio adverſus Eunomium*; quo Theodorum Mopſueſtenum, qui in eadem deſudavit arena, eum poſt ſe reliquiſſe judicat Photius Cod. V.

METRODORUS, *Calculum Paſchalium Feſtorum ex novem decennalibus cyclis viginti octo invicem multiplicatis* confecit. Quartodecimanorum conſuetudinem in figendis terminis Paſchalibus ſecutus eſt; & à Diocletiano exorſus calculum in DXXXIII. annos promovit. Unde forſan non malè conjici poſſit, Metrodorum iſtum circa finem Sæculi tertii claruiſſe. Verùm id parum certum. Vide Phot. Cod. CXV.

ANONYMUS Auctor, qui *de ſacro Paſchatis feſto* Volumina aliquot conſcripſit luculento ſermone. Ex iis tertium octo libris conſtans & Theodoro cuidam nuncupatum, perlegit Photius. Plurima de Hexaemero admiſta ſunt ad Theologiam ſpectantia; & in eo Metrodorus paſſim reprehenſus eſt. Vide plura apud Photium Cod. CXVI.

ANONYMUS, Auctor libri cui titulus erat, *Diſputatio adverſus Judæos* unàque ſentientes Hæreticos, & Quartodecimanos; qui primo Hebræorum menſe ſanctum Paſchæ feſtum non celebrant. Lacinias quaſdam breviculas Operis iſtius habet Photius Cod. CXV.

ANONYMI aliquot Scriptores, qui *Vitas aut Martyria Sanctorum quorundam* literis mandârunt, viz. *Martyrium Septem Puerorum Dormientium*, *qui Perſecutionem Decianam* fugientes ſpeluncam prope Epheſum ingreſſi ſunt anno 250. & in ſomnum conjecti, experrecti ſunt demum anno 445. Excerpta fabulæ iſtius habes apud Photium Cod. 253. *Martyrium Timothei Apoſtoli*, cujus fragmenta exhibet Photius Cod. 254. *Martyrium magni Martyris Demetrii*, qui ſub Maximiano paſſus eſt apud Photium Cod. 255. *Vita SS. Patrum Methrophanis & Alexandri*, in quibus *Vita Conſtantini M.* fusè enarrata eſt. Excerpta admodum prolixa dabit Photius Cod. 256. *Vita Pauli Epiſcopi CP. Confeſſoris*: fragmenta ejus benè longa extant apud Photium Cod. 257. denique *Vita S. Athanaſii*, cujus excerpta valdè prolixa ſuppeditat Photius Cod. 258.

Scriptores Gentiles Chriſtianam Religionem hoc Sæculo perſtringentes.

PROCLUS, *Diadochus*, quia ex Platonica erat ſucceſſione, dictus, genere nobilis, natus in urbe Byzantio, parentes habuit Patricium & Marcellam, domo Lycios. Xanthum Lyciæ urbem à parentibus ductus, Grammaticis diſciplinis imbutus eſt. Inde Alexandriam miſſus, Leonem Rhetorem, Orionem Grammaticum, Olympiodorum Philoſophum, & Heronem Mathematicum audivit. Relictâ Alexandriâ Athenas profectus eſt, ubi in re Philoſophica Plutarchum juniorem, ac poſt illius mortem

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. morrem Syrianum, Præceptores nactus est. Tandem Scholæ Platonicæ apud Athenienses, ineunte hoc Sæculo, Rector factus, ibi loci consenuit, & 75. annos natus, è vivis excessit. Inter multa ac præclara quæ de Philosophia & Gentilium Theologia edidit, volumina, scripsit ἐπιχειρήματα XVIII. *contra Christianos*: secundus à Porphyrio inquit Suidas *, qui impuram suam & contumeliosam linguam adversùs Christianos exacuit. Adversùs hunc calamum fœliciter strinxit Joannes Philoponus.

* In voce Πρόκλος.

540. DAMASCIUS, Patriâ Damascenus, sectâ Stoicus, aliis Peripateticus, claruit circa an. 540. In Rhetoricis Theonem, in Dialecticis Isidorum, in Geometricis & Arithmeticis Marinum, Procli in scholâ Atheniensi successorem, in Philosophicis Zenodotum SÆC. VI. ab An. D. Marini successorem, in Platonicis & Mathematicis Ammonium Hermiæ filium, audivit. Ipse tandem post Theonem scholæ Rhetoricæ præfuit annos novem; & post Isidorum scholam Philosophicam Atheniensem rexit. Quod ad religionem attinet, erat εἰς ἄκρον δυσσεβής, inquit Photius * summè impius, & novis atque anilibus fabellis animum simul ac sermonem refertum gerens. Quare & sanctam fidem nostram, tametsi timidè, tectâque malevolentiâ, non rarò tamen in vita Isidori Præceptoris sui allatrat. Scripsit enim Damascius, præter alia quædam Opera, *Vitam Isidori Philosophi*, quam strictim delibat Photius Cod. 181. amplissima verò ejus excerpta exhibet Cod. 242.

* Cod. 181.

SÆC. VI.

Concilia hoc Sæculo habita.

501. P.II. ROMANUM I. anno DI. x. Cal. *Novembr.* in causâ Symmachi Papæ congregatum, qui apud Theodoricum Regem falsò accusatus, à Synodo hanc in rem coactâ purgatur. Extant Synodi Acta, unà cum Theodorici aliorúmque, hâc de re, Epistolis *Conc.* Tom. IV. p. 1323. Varias Actorum lectiones ex diversis codicibus MSS. dabit Baluzius, *Nov. Collect.* col. 1463.

502. P.II. ROMANUM II. PALMARE dictum, ab LXXXI. Episcopis, anno DII. VIII. Id. *Novembr.* habitum, quo Symmachi electio à Schismaticis sæpiùs impetita iterùm confirmatur, & Lex quam tulerat Basilius Prætorio Præfectus, tanquàm Ecclesiasticæ libertati nimiùm repugnans, abrogatur. Extant hujus Synodi Capitula VIII. *Conc.* Tom. IV. pag. 1333. Hanc Synodum edito libello Apologetico defendit Ennodius Ticinensis, qui habetur tùm inter Ennodii Opera, tùm ubi suprà pag. 1340.

503. P.II. ROMAMUM III. anno DIII. eâdem de causâ habitum, quo Acta prioris Synodi confirmantur, & Ennodii libellus in Synodo recitatus communibus suffragiis comprobatur. Extant Acta Conc. Tom. IV. p. 1364.

504. P.II. ROMANUM IV. à Symmacho & CIII. Episcopis anno DIV. Calend. *Octobr.* celebratum; quo bonorum Ecclesiasticorum invasores, etiamsi facultate etiam à Rege impetratâ, anathemati subjiciuntur. Extant Acta Conc. Tom. IV. pag. 1371.

506. P.II. AGATHENSE in Provinciâ Narbonensi à XXXV. Episcopis anno DVI. III. Idus *Septembr.* vel ut alii, v. Cal. *Septembr.* ad Disciplinam Ecclesiasticam pristino vigori restituendam, habitum. Extant hanc in rem Canones XLVIII. quibus XXV. alii posteà accesserunt. Conc. Tom. IV. p. 1381.

507. P.II. BYZACENUM I. in Provinciâ Africæ Consulari, à quamplurimis Africæ Episcopis anno DVII. celebratum; quo, non obstante Thrasamundi Regis Edicto, decretum est omnibus Ecclesiis Pastoribus destitutis novos Episcopos esse subrogandos. Vide Ferrand. Diac. *Vit. Fulgent.* c. XVI.

511. P.II. AURELIANENSE I. ad Ligerim Fl. præsentibus Episcopis XXXII. anno DXI. VI. Idus *Julias* à Clodovæo Rege convocatum. In quo plurima ad Mores, Ritus, & Consuetudines Ecclesiæ utilia constituta sunt. Extant Canones XXXI. Conc. Tom. IV. p. 1403. & cum Notis suis & Observationibus apud Car. le Cointe, *Annal. Eccl. Franc.* Tom. I pag. 279.

BRITANNICUM anno, ut volunt, sed Scriptores utplurimùm recentiores, DXII. habitum. In quo Dubricius Urbis Legeonum Archiepiscopus constituitur, Theliao in sede Landavensi successore facto, Capgrav. *in Vit. S. Patric.* Bal. *Cent.* I. c. 58. p. 55. Spelm. *Conc, Brit.* Tom. I. p. 60. 512. P.II.

SIDONIENSE in Palæstina ab LXXX. Episcopis Eutychianis ad damnandam Synodum Chalcedonensem, Anastasii Imp. summi heresis Eutychianæ fautoris jussu, anno DXII. habitum. Videsis Marcellin. *in Chron.* ad hunc annum p. 53. qui *infamem & irridendam Synodum* vocat, & Flavianum Antiochiæ, & Joannem Palæstensium Episcopos, quod cœtum hunc sacrilegum refellerant, in Castellum, quod *Petra* dicitur, exules missos fuisse, ibique Flavianum in Domino requievisse refert. Confer Evagr. lib. III. cap 32. Citatur etiam hæc Synodus Conc. Nic. II. Act. I. 512. P.II.

ILLYRICIANUM I. anno DXV. à XL. Illyrici & Græciæ Episcopis celebratum. Quo, occasione Thessalonicensis Episcopi ob metum Imperatoris cum Timotheo CP. communicantis, Episcopi in unum convenientes per professionem in scriptis factam, ab eo, proprio licèt Metropolitano, discedunt, missisque Romam tabulis, se cum Papa communicaturos esse in scriptis professi sunt. Vide Theophan. *Chronograph.* ad Anastasii ann. XXV. p. 139. 515. P.II.

AGAUNENSE in Burgundiâ ann. DXV. vel ut nonnulli, ann. sequenti prid. Cal. Maii, à LX. Episcopis, totidémque comitibus habitum. Quo Monasterium Agaunense à Sigismundo Rege pœnitentiam jam agente fundatum, amplis reditibus & privilegiis ornatur; Et nova psallendi institutio, modus scilicet Chori perennis, à Synodo comprobatur. Extant hujus Synodi Acta (si modò germana & genuina; sunt enim haud leves suspicandi causæ,) *Conc.* Tom. IV. p. 1557. Vid. etiam quæ hâc de re habentur in *append.* ibid. p. 1827. & præcipuè apud le Cointe, ad an. 536. p. 534. 515. P.II.

TARRA-

Digitized by Google

SÆC. D. ab An. VI.

516. P.II. TARRACONENSE in Citeriori Hispaniâ propè mare, à X. Episcopis anno DXVI. VIII. Id. *Novembr.* habitum. Extant de Disciplinâ Ecclesiasticâ Capitula XIII. Conc. Tom. IV. pag. 1562. Cap. ultimo statuitur, ut Episcopus diœcesanus quosdam etiam ex laicis ad Synodum Provincialem convocaret. Quo verò sensu id intelligendum sit, pluribus disquirit Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. II. *Dissert.* XL. vid. *Notit.* ejus p. 63.

517. P.II. GERUNDENSE in Catalonia, anno DXVII. VI. Idus *Junias* à VII. Episcopis habitum. Extant quæ ad Disciplinam Ecclesiasticam & Litaniarum celebrationem præcipuè spectant, Capitula X. Conc. Tom. IV. p. 1567. Meminit hoc circiter tempore, sed tacito & loco & anno, Synodi cujusdam Gallicanæ, quâ hęreticus Arianus coram Remigio divinitùs obmutescens, ad Fidem Catholicam conversus est, meminit, inquam, Hincmarus *in Vita Remigii* num. LVII. apud Sur. *Januar.* XIII. & exinde Flodoardus *Hist. Remens.* l. I. p. 16.

517. P.II. EPAONENSE in Galliâ Narbonensi, in Provinciâ Viennensi à XXV. Episcopis anno DXVII. Calend. *Octobr.* celebratum. Extant ad restituendam Disciplinam Ecclesiasticam Canones XL. præfixâ Aviti Viennensis Tractoriâ, Sirmondi, Binii, Albaspinæi notis illustrati Conc. Tom. IV. p. 1573.

517. P.II. LUGDUNENSE I. anno DXVII. ab XI. Episcopis, adversùs Stephanum quendam, incestûs crimine pollutum, habitum. Extant Canones VI. Conc. Tom. IV. p. 1584.

518. P.II. CONSTANTINOPOLITANUM I. à XL. Episcopis, anno DXVIII. *Julii* XX. celebratum. Quo Concilii Chalcedonensis, Leonis Papæ, Euphemii & Macedonii Episcoporum Constantinopolitanorum nomina sacris Diptychis restituta sunt; Severus, aliique ejusdem Concilii adversarii damnati. Extant, Græc. Lat. *Epistola Synodalis* ad Joann. CP. in Conc. *sub Men.* Act. V. Conc. Tom. V. p. 162. Clericorum & Monachorum Ecclesiæ Antiochenæ adversùs Severum, ad hanc Synodum *supplicatio* ibidem pag. 157. Monachorum *libellus* Synodo oblatus ibidem pag. 171. Joan. CP. aliorúmque aliquot *Epistolæ* de hâc Synodo ibid. p. 186. Ex quibus liquidò constat, quanto Fidei zelo, quàm obstinatâ animi constantiâ, pro reddendâ suâ Synodo Chalcedonensi dignitate; pro Severi, Petri, & Zoaræ, damnatione, apud Joannem Patriarcham laborarunt Monachi, totúsque Regię urbis populus. Quod & factum est.

518. P.II. TYRIUM anno DXVIII. *Septembr.* XVI. habitum: Quo Acta legitima Concilii CP. confirmantur. Extat Gr. Lat. *Epistola Synodalis* ad Concilium CP. ubi suprà p. 193.

518. P.II. ROMANUM V. anno DXVIII. sub Hormisda Pontifice habitum. Quo, sancitâ cum Ecclesiâ CP. concordiâ, de Acacii, Euphemii, & Macedonii nominibus è Diptychis expungendis agitur. Ad pleniorem hujus Synodi intelligentiam facient *Epistola* Hormisdæ XXV. XXVI. ad XXXIV. inclusivè; & *Indiculus* sive *Commonitorium* Legatis Pontificiis in Orientem profecturis datum, Conc. Tom. VI. pag. 1476.

520. P.II. CONSTANTINOPOLITANUM II. ab Epiphanio Patriarchâ, anno DXX. collectum. Extat Lat. *Epistola Synodica* ad Hormisdam Papam, inter ejusdem Epistolas Conc. Tom. IV. pag. 1524.

SARDINIENSE ab Episcopis Africanis in Sardiniâ sub persecutione Thrasamundi Vandalorum Regis exulantibus, anno circiter DXXI. in controversia de Gratiâ Dei, & Humano Arbitrio celebratum. Extat *Epistola Synodica* responsoria ad Joann. Maxentium, ejúsque Monachos Orientales Conc. Tom. pag. 1591. & à Fulgentio Ruspensi planè scripta videtur. Ad hanc Epistolam, Dissertationem historicam & dogmaticam habet Card. d'Aguirre Conc. Hisp. Tom. II. vid. *Notit.* ejus p. 67. SÆC. VI. ab An. D. 521. P.II.

ILERDENSE in Hispaniâ Tarraconensi ad Sicorim fluvium, ab VIII. Episcopis, Anno DXXIV. VIII. Idus *Augusti* habitum. Extant de Disciplinâ Ecclesiasticâ Canones XVI. cum Fragmentis aliis Conc. Tom. IV. p. 1610. 524. P.II.

VALENTINUM I. apud Hispanos à VI. Episcopis, Anno DXXIV. ut vulgò volunt, II. Non. *Decembr.* coactum. Verum cùm habitum sit Æra Hispanica DLXXXIV. rectiùs ad annum Christi DXLVI. erit referendum. Extant quæ ad regulas spectant Ecclesiasticas Capitula VI. Conc. Tom. IV. p. 1617. 524. P.II.

ARELATENSE I. à XVI. circiter Episcopis, anno DXXIV. VIII. Id. *Julias* celebratum. In quo de Disciplinâ in ordinandis Clericis servandâ præcipuè cavetur. Extant Canones IV. cum plurimis ex Gratiano Fragmentis Conc. Tom. IV. p. 1622. 524. P.II.

JUNCENSE in Provincia Byzacena anno DXXIV. mense *Decembri* habitum in causa Vincentii Girbitani, qui plebes Tamallumensis Ecclesiæ invaserat. Extat *Epistola Synodalis* Conc. Tom. IV. p. 1627. 524. P.II.

CARTHAGINENSE I. sub Bonifacio Episcopo, & plurimarum Africæ Provinciarum Episcopis numero LIX. anno DXXV. Nonis *Februariis* collectum. Quo Fides Patrum Catholica confirmatur, & Monasteriis sua Privilegia asseruntur. Extant hujus Concilii Acta ex vetustissimo Bibliothecæ, olim Palatinæ, Codice in lucem prolata Conc. Tom. IV. pag. 1628. 525. P.II.

CARPENTORACTENSE in Galliâ Narbonensi, à XVI. Episcopis, ann. DXXVII. VIII. Idus *Novembr.* habitum. Extat Canon unicus, quantum ex bonis Parochiali Ecclesiâ ablatis Episcopo sumere liceat; & *Epistola Synodalis* de Episcopo ordinationes illegitimas faciente Conc. Tom. IV. p. 1663. 527. P.II.

ARAUSICANUM à XIII. Episcopis; anno DXXIX. V. Nonas *Julias* celebratum. Condita sunt de Gratiâ & Libero Arbitrio Capitula XXV. Notis Sirmondi, Labbei, Binii, illustrata Conc. Tom. IV. pag. 1666. De hujus Concilii tempore accuratè agit Vossius *Hist. Pelag.* l. II. c. 53. 529. P.II.

VASENSE anno DXXIX. Nonis *Novembr.* ab XI. Episcopis habitum. Extant Regularum Ecclesiasticarum Canones V. Conc. Tom. IV. p. 1679. 529. P.II.

VALENTINUM, in Galliâ Viennensi ad Rhodanum Fl. anno circiter DXXX. in causâ Cæsarii Arelatensis congregatum. Annus quidem non usque adeò constat; hoc tamen tempore fuisse maximè fit probabile, fervente jam in Galliis controversiâ de hęresi Pelagianâ, quæ superiori anno in Concilio Arausicano II. damnata fuerat. Acta hujus 530. P.II.

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. jus Synodi breviter relata habentur apud Cyprianum, Cæsarii Diaconum, in *Vitâ S. Cæsarii* num. xxx. ubi disertè tradit, Cæsario dogmatis Pelagiani suspicione apud quosdam laborante, Antistites ultrà Isaram consistentes, Valentiæ in Synodum hac de re convenisse; cui cùm Cæsarius per adversam valetudinem interesse non potuit, per legatos suos, tùm Episcopos, tùm Presbyteros & Diaconos se purgavit, sententiamque Catholicam de gratiâ Dei & libero arbitrio declaravit, quam S. Scripturæ, sanctorúmque Patrum testimoniis validissimè confirmavit. Paucis hæc monueram suprà in *Cæsario* pag. 318. Graviter hoc nomine me arguit Scriptor quidam Gallus, qui dissertationem historicam non ineruditam *de Thebæâ Legione* Anglicè nu-
*Cap.5.p.27. per in lucem emisit *, missoque Cypriano, me potiùs amandat ad evolvenda Concilia Valentina; nempè primum ann. CCCLXXIV. alterum ann DCLXXXIV. tertium an. DCCCLV. habitum, in quibus, inquit, nihil hujusmodi de S. Cæsario, & Hæresi Pelagianâ reperitur. Nihil planè; quippè primum nondum nato Cæsario, duo posteriora post ejus demum tempora habita sunt. Unde Cyprianum manifestò hallucinari, méque ejus auctoritate temerè nimis niti, confidenter asserit. Summa argumentationis ejus in hoc sita est, incertum est Concilium Valentinum quia Cypriani auctoritate nititur? immò planè nullum, quia nulla ejus in Conciliis editis habetur mentio. Verùm I. nulla ne fuerit Synodus Valentina præter tres ab ipso enumeratas? Quis, nisi hospes in Operibus Veterum, nescit, plura Concilia à Scriptoribus Ecclesiasticis memorari, quorum in editis Conciliorum Tomis nec vola datur, nec vestigium? Immò haud pauca exempla ex hâc ipsâ notitiâ peti possunt. Sed huc confugere non est necesse; Recludat oculos, & inspiciat Labbeanam Conciliorum editionem, quam aliàs sæpè citat, ibique videbit Concilium nostrum Valentinum pariter ac alia suum locum habere, Tom.IV.col. 1678. II. Sufficit ad firmandam hujus Synodi auctoritatem unius Cypriani testimonium, cujus fides integra hactenùs apud omnes atque illibata stetit. Vir gravis & eruditus, qui neque preceptoris sui res gestas ignorare potuit, nec in iis enarrandis fucum nobis facere voluisse, censeri de-
† Ibid. p. 26. beat. Quid quod ipsemet Censor † noster non diffitetur vitam hanc politam esse, magnóque judicio scriptam, nec discipuli S. Cæsarii nomine indignam? Ne tamen nihil omninò dicere videatur, ad miserum illud κρησφύγετον se recipit, quid si *inquit*, impostor aliquis Cypriani nomen hìc induerit? sed demonstratione hâc in parte opus erat, non levibus suspiciunculis, nudisque conjecturis. Verùm refellendis istiusmodi exceptiunculis jam immorari nolo, paucula hęc, dum hæ ipsæ schedæ prelo subduntur, notâsse contentus. Interim errat etiam toto Cœlo Criticus noster, dùm Cyprianum Cæsarii Diaconum, eundem facit cum Cypriano Episcopo Tholonensi, qui Concilio II. Arausicano subscripsit, quemque Cæsarius ad Synodum nostram Valentinam legatum misit, quos tamen diversos fuisse manifestum est; quod ex ipsâ Cæsarii *vitâ* liquidò constat, & pluribus eum docere poterat Car. Cointius ad ann. DXLII. *num.* xxx. Tom.I. pag. 620.

531. P.II. ROMANUM VI. anno DXXXI. à Bonifacio habitum. Quo Vigilium Diaconum sibi successorem delegit; sed coactâ mox aliâ Synodo, Constitutum suum hâc de re, utpote contra Canones factum, abrogavit. Vide Anastas. in *Vitâ Bonifacii*; Conc. Tom. IV. pag. 1682. & ibid. pag. 1690.

531. P.II. CONSTANTINOPOLITANUM III. ann. DXXXI. sub Epiphanio Patriarcha collectum. Stephanus Episcopus Larissenus, & Thessaliæ Metropolita, à Provinciæ suæ Episcopis nuper ordinatus fuerat. Cùm verò in eâ ordinatione non expectata sit autoritas & consensus Patriarchæ CP. qui in hanc Provinciam jus Pontificium sibi vindicavit, ab æmulis hâc de causâ Stephanus apud Epiphanium Patriarcham accusatus est. Qui mox coactâ Synodo ἐνδημούσῃ hominem ab omni Ecclesiastico Ministerio separavit, & Commonitorium de hac re in Thessaliam direxit. Unde Stephanus quò se vertat nescius, continuò ad Sedis Romanæ judicium provocat. Hæc per compendium; quæ ex binis ipsius Stephani, aliisque Thessalorum libellis Synodo Romanæ sub Bonifacio II. exeunte hoc anno habitæ oblatis, Conc. Tom. IV. pag. 1691. fusiùs diduci poterant.

Cave Hist. Lit.

ROMANUM VII. sub Bonifacio II. Papâ, & IV. Episcopis, tunc fortè in urbe commorantibus, & XXIX. Presbyteris anno DXXXI. VII. Idus *Decembr.* in Consistorio B. Andreæ Apostoli celebratum. Binas Sessiones habuit hæc Synodus. In primâ lecti sunt duo Stephani Larissensis in Thessaliâ Metropolitæ libelli ad Bonifacium Papam & Concilium Romanum per Theodosium Episcopum Echiniensem transmissi; quibus de se, ob illicitam ordinationem, ab Epiphanio CP. suspenso conquestus, & ad Sedis Romanæ judicium se confugere professus, longam calamitatis suæ historiam texit. Sessione II. recitatus est Elpidii, Stephani, & Timothei Thessaliæ Episcoporum in eandem rem, & per eundem Theodosium oblatus Bonifacio libellus; affirmante prætereà Theodosio, specialem Ecclesiarum Illyrici gubernationem ad Sedem Romanam pertinere. Quem in finem prolatæ sunt plurium Pontificum Romanorum Epistolæ, & Rescripta Imperialia. Quid in hâc causâ vel de Stephano Larissensi, vel de juribus Romanæ Sedis in Ecclesias Illyrici definiverit Synodus, non liquet, cùm Acta in fine mutila sint. Extant Acta ex Bibliothecâ Barberinâ, à L. Holstenio primùm prolata, notisque suis illustrata, unà cum plurimis Epistolis quæ huc facere videntur *Collect. Rom.* Part. I. pag. 1. Exinde Conc. Tom. IV. p. 1691. 531. P.II.

TOLETANUM I. anno DXXXI. XVI. Cal. *Julias*, ab VIII. Episcopis habitum. Extant Disciplinæ Ecclesiasticæ Capitula V. unà cum Montani Toletani Epistolis II. Conc. Tom. IV. p. 1734. ad annum DXXVII. & rectiùs meâ quidem sententiâ, hanc Synodum rejicit Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. II. cum Ærâ Hispanicâ DLXV. sub quâ habita est, anno Christi DXXVII. optimè respondeat. Vide *Notit.* ejus ad hunc annum. 531. P.II.

ROMANUM VIII. sub Joanne Papâ II. anno DXXXII. habitum. Quo contra Monachos *Acœmetas* definitum est, Catholicè dici posse, unum de Trinitate passum esse; & quo sensu Hormisdas Papa eam sententiam rejecerit. De quibus consulas Baron. ad ann. DXIX. DXXXIII. DXXXIV. & Conc. Tom. IV. p. 1762. Anno sequenti habita est Constantinopoli *Collatio* Episcoporum Catholicorum cum Severianis de rectâ Fide, & Concilio Chalcedonensi, cujus Acta habentur Conc. Tom. IV. p. 1763. 532. P.II.

AURELIANENSE II. à XXVI. Episcopis & Prebyteris aliquot, anno DXXXIII. IX. Cal. *Julias* jussu Childeberti Regis celebratum. Spectat hæc Synodus ad mores & Disciplinam Ecclesiæ; de quibus extant Canones XXI. cum notis Sirmondi & Binii. Conc. Tom. IV. p. 1779. Exhibet hos Canones 533. P.II.

SÆC. VI. ab An. D. cum notulis hinc inde interspersis Car. le Cointe *Annal.* Tom. I. p. 400.

533. P. II. CARTHAGINENSE II. anno circiter DXXXIII. à Reparato & CCXVII. Episcopis habitum. Quo Ecclesiæ Africanæ libertas & disciplina longâ servitute collapsa redintegratur. Extat *Epistola Synodalis* ad Joannem Papam, quâ de dubiis quibusdam, præcipuè de recipiendis Arianorum Sacerdotibus ad Fidem Catholicam revertentibus, de parvulis apud eos baptizatis, aliisque, sententiam ejus exquirunt, Conc. Tom. IV. pag. 1755. Rescriptum Agapeti Joannis Successoris habetur ibidem pag. 1791. Extat etiam hujus Synodi Canon unicus *de libertate Monasteriorum* ibidem pag. 1785.

535. P. II. ARVERNENSE I. apud Aquitanos anno DXXXV. VI. Idus *Novembr.* à XV. Episcopis coactum, ut bona Ecclesiæ sarta tecta conservarentur. Extant de variis Ecclesiæ Rebus & Consuetudinibus Canones XVI. cum notis Sirmondi & Binii; & *Epistola Synodalis* ad Theodebertum Regem *de Clericorum possessionibus non invadendis* Conc. Tom. IV. pag. 1803. & apud Le Cointe *Annal.* Tom. I. p. 439.

536. P. II. CONSTANTINOPOLITANUM IV. anno DXXXVI. VI. Nonas *Majas*, adversùs Anthimum, Severum, aliosque Acephalorum principes, novas quotidiè turbas excitantes, & plusquàm L. Episcopis, sub Mennâ Patriarchâ, ἐν τῷ Μεσαύλῳ τῷ δυτικῷ, *in Meditullio Aulæ occiduo* Ædis B. Mariæ, propè magnam Ecclesiam celebratum. Extant Gr. Lat. hujus Concilii Acta Conc. Tom. V. p. 1. in V. Sessiones sive Actiones partita.

Act. I. libelli II. quos Monachi Justiniano Imp. & Agapeto Papæ pro depositione Anthimi (qui desertâ sede suâ Trapezuntinâ Patriarchalem Regiæ urbis dignitatem usurpaverat) & damnatione Severi, Zoaræ aliorumque obtulerant; *libellus* Orientalium Episcoporum adversùs Anthimum, aliosque hæreticos Agapeto oblatus; *Epistola* Agapeti Encyclica de Anthimi depositione & Mennæ subrogatione recitantur. Missi etiam Episcopi tres cum Prebyteris, & Diaconis aliquot, qui Anthimum de rebus in Synodo gestis certiorem facerent, ipsúmque ad Synodum citarent.

Act. II pridiè Nonas *Maias*, & III. VI. Idus *Maias*, Anthimus cùm nusquàm reperiri poterat, missi sunt alii Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, qui secundâ vice ipsum inquirerent; sed frustrà, tertiò itaque missi sunt alii, qui idem munus demandatum persequerentur.

Act. IV. XII. Cal. *Jun.* Anthimus latebras adhuc quærens, cùm nullo modo etiam tertiò requisitus inveniri poterat, proclamatione etiam Synodali per dies aliquot publicè propositâ, damnationis & depositionis sententia in eum fertur.

Act. V. pridiè Nonas *Junias*, varii Episcoporum & Monachorum ad Justinianum Imp. libelli, Epistolæ plures & Relationes Synodales contra Severum, & Petrum Apamæensem, aliosque Acephalos exhibentur; nempe ad Justinianum *libelli* II. prior à Paulo Apamensi, & secundæ Syriæ Episcopis, rectam Fidei suæ confessionem, & querelas adversùs Severum, Petrum, & Zoaram continens; posterior Monachorum & Archimandritarum ex Palæstinis & secundâ Syriâ adversùs eosdem hæreticos ad Mennam ejúsque Synodum; Eorundem Monachorum *libellus* alter, quo eosdem suis coloribus depictos, cædibus, flagitiis, impietatibus infames exhibent, & judicio Synodali damnari petunt: Hormisdæ Papæ *Epistolæ* II. ad Monachos Orientales una, ad Epiphanium Episcopum CP. altera, qua ipsum admonet & instruit quomodò se erga hæreticos gerere debeat; *supplicatio* Clericorum & Monachorum Antiochenorum contra Severum ad Synodum CP. anno DXVIII. *Relatio* Synodalis Concilii CP. anno DXVIII. ad Joannem Patriarcham de reformatione eorum quæ ab Acephalis adversùs Synodum Chelcedonensem acta fuerant; Monachorum ad eandem Synodum *libellus* de damnatione Acephalorum, & ut quatuor Synodi Oecumenicæ Nicæna / Constantinopolitana / Ephesina / Chalcedonensis / Diptychis restituantur, unà cùm *Relatione* acclamationum & eorum quæ à populo & Monachis apud Joannem Patriarcham gesta sunt; annexis Joannis Patriarchæ ad Joannem Hierosolymitanum, & Epiphanium Tyriorum Episcopum, de eisdem rebus Epistolis, eorumque Responsoriis, & Episcoporum secundæ Syriæ ad Joannem Patriarcham literis, quibus Synodi CP. Acta approbarunt: Duplex *Actio* formata coram Eutychiano Comite & Provinciæ Præside contra Petrum Apamæensem Episcopum, inter Acephalos virum primarium, qua tota istius negotii ratio pleniùs exponitur; quibus accedit Monachorum Apamæensium ad secundæ Syriæ Episcopos de ejusdem Petri sceleribus *libellus*, & Epiphanii Patriarchæ CP. Synodique sub eo habitæ in eundem Petrum, Severum, & Zoaram damnationis sententia. Quibus omnibus relictis, Mennas Patriarcha in eosdem Hæresiarchas, omnesque iis adhærentes anathematis sententiam protulit; quam mox lege latâ, additis etiam pœnis sæcularibus, Justinianus Imperator auxit & confirmavit.

536. P. II. HIEROSOLYMITANUM I. anno DXXXVI. XIII. Cal. *Octobr.* à XLV. Episcopis, præsidente Petro Patriarchâ, habitum. Et primò recitantur quæ per Elissæum Diaconum & Notarium allata sunt, nempe Justiniani Imp. *Lex* adversùs Anthimum, Severum, &c. sub finem Concilii CP. nuper lata; deinde Mennæ Patriarchæ ad Petrum Hierosolymitanum & hanc Synodum *Litera*; denique Concilii CP. sub Mennâ nuper habiti gesta. Quibus lectis, Petrus Synodi nomine primò in Anthimum, deinde in Severum, Petrum, & Zoaram hæreticos, damnationis sententiam tulit. Extant Græc. Lat. Synodi hujus Acta Concil. Tom. V. p. 275.

536. P. II. THEVINENSE in Majori Armeniâ anno DXXXVI. habitum. Erat hoc tempore Armeniæ Catholicus Nierses Pancrievantanus domo Ascdarachensis, qui ab Aptyso quodam Syro Jacobita, ejúsque sociis (qui ad impetrandam à Patriarchâ Armeno ordinationem illuc pervenerant) in Acephalorum hæresim pertractus est. Accessit quod Chosroes Rex Persarum hoc tempore Armeniam in suam potestatem redigere cœperat, adeòque hanc rem strenuè promovebat, ratus se hoc pacto Armenorum animos ab Imperio Græcorum faciliùs esse abalienaturum. Ejus igitur jussu decem Episcoporum Synodum Thevini congregavit Nierses Patriarcha, quorum suffragio Concilio Chalcedonensi anathema dictum est; decretumque, unicam in Christo Domino naturam agnoscendam esse; festa Dominicæ nativitatis, ejusque baptimi, uno eodemque die (nempè *Januarii* VI.) celebranda; additionem illam (*Qui crucifixus es pro nobis*) à Petro Fullone primùm adinventam, Trisagio restituendam, Armenos à Græcis segregandos: neque ampliùs iis licere Herosolyma proficisci. Magna hæc erant turbarum & discordiarum semina, ut mox Georgiani & Siunienses ab Armenorum communione

Digitized by Google

munione recesserunt. Agunt de hâc Synodo Auctor *Hist. Patriarch. Armeniæ* cap. 10. apud Cl. Galanum *Conciliat. Eccles. Armen.* Part. I. pag. 85. Gregorius Sisensis Patriarcha *Epist.* ad Haytonem Armeniæ Regem *ibidem* pag. 86. præ aliis ipse Galanus *Part.* II. *Tom.* I. pag. 120. De anno hujus Concilii exactè statuendo planè desperassem, nisi viam aperuisset Photius in *Epistolâ* ad Zachariam Armeniæ Catholicum (quam MS. penes se habent Armeni) ubi ait inter Concilium Chalcedonense & Thevinense intercessisse annos LXXXIV. *i. e.* ab anno Marciani II. usque ad Justiniani X. *h. e.* Domini DXXXVI. ut mirari liceat Cl. Galanum accuratum hujus Synodi tempus videre non potuisse.

538. P.II. AURELIANENSE III. anno DXXXVIII. Nonis *Maii*, à XXXVI. Episcopis habitum: Ad reformandam Ecclesiæ Disciplinam conditi sunt Canones XXXIII. qui cum notis Sirmondi & Binii habentur Conc. Tom. V. p. 294. Notis etiam suis illustratos dedit Car. le Cointe *Annal.* Tom. I. p. 554.

540. P.II. BARCINONENSE I. in Cataloniâ, circa annum DXL. à VII. Episcopis sub Sergio Metropolitano habitum. De Disciplinâ Ecclesiasticâ extant Canones X. cum notis Albaspinæi Conc. Tom. V. p. 378. Canone ultimo Synodi Chalcedonensis constituta de Monachis observari præcipiuntur.

541. P.II. CONSTANTINOPOLITANUM V. sub Mennâ Patriarchâ, circa annum DXLI. in causâ Origenistarum mandato Justiniani Congregatum. Supplicem Justiniano libellum nuper obtulerant Monachi Hierosolymitani, Eulogius, Conon, Cyriacus, & Pancratius, conquesti de dogmatibus Origenianis per Orientem plenâ messe repullulantibus, excerptis ex Origenis libris quibusdam capitulis, quæ publicâ autoritate damnari postulârunt. Annuit Imperator, evulgato prolixo adversùs Origenis errores Edicto. Evulgatum ad Vigilium Papam, reliquosque Orientis Patriarchas misit, teste Liberato *Breviar.* c. 23. p. 162. Nec hoc fecisse contentus, Episcopos qui in urbe reperti sunt, in Synodum cogi jussit; quâ lectis Justianiani ad hanc Synodum literis, quibus dogmata Origenis breviter perstringit, excerpta à Monachis Palæstinis capitula proposita, excussa, & damnata sunt. Extat Justiniani ad Synodum *Epistola* apud Cedren. in *Annal.* ad ann. Justinian. XXV. exindè Conc. Tom. V. p. 680. & Actorum Fragmenta nonnulla apud Evagr. *Hist. Eccles.* lib. IV. c. 38. pag. 414. qui tamen ea pariter ac Cedrenus & Theophanes cum V. Sinodi gestis mirè permiscet & confundit, errore forsan non aliundè orto, quàm quòd Acta hujus, ut & prioris an anno DXXXVI. & posterioris post paucos annos sub Mennâ habitæ, in unum cum V. Synodo codicem compingi solebant; quod paulò post quintam Synodum factum videtur, cùm ipse Evagrius non plusquàm XL. annis post Synodum quintam scripserit. Certè distinctam esse hanc à Quintâ Synodo non pauca suadent. In hâc, sola causa Origeniana; in illâ, trium Capitulorum causa unicè agitata est, nec Origenis, vel Origenistarum nisi Capitulo XI. vel levissima mentio; multò minùs causæ istius plenaria cognitio. Immò differentiam non obscurè agnoscit ipse Evagrius, eo præsertim loco, quo testatur Justinianum Synodum quæ congregata erat de controversiâ Origenianâ consuluisse, subjecto Epistolæ suæ exemplari ejusdem libelli, (libellum intelligit à Monachis Hierosolymitanis oblatum) Ἀτὰρ καὶ τὰ πρὸς Βιγίλιον περὶ τούτων ἐπεσταλμένα, *Et iis quæ ad Vigilium his de rebus scripserat.* Quæ satis indicant Vigilium nondùm Constantinopolim venisse, qui tamen tempore Quintæ Synodi, & anteà quoque, in Regiâ urbe versabatur. Scio Garnerium hæc verba aliter legere τὰ πρὸς Βιγιλίῳ περὶ τούτων, quasi literas Vigilii de eisdem rebus perscriptas intellexisset Evagrius. Sed nullum refert codicem manuscriptum, nec aliud conjecturæ suæ fundamentum præter malefidam Christophorsoni versionem; ut hanc audacem correctionem à tam candido & erudito capite profectam mirari liceat. Nec alia desunt argumenta, quæ hoc Concilium à quinto toto cælo distare ostendunt. Quæ vide apud Valesium *not. in Evagr.* pag. 111. (qui tamen hanc Synodum in an. DXXXVIII. rejicit) & Garner. dissert. *de* V. *Synodo* (præsertim prout ad calcem Liberati habetur) c. 2 & 6. De tempore verò hujus Synodi accuratè agit ibidem c. 12 Cùm enim pendet tempus ex Monachorum Hierosolymitanorum Constantinopolim adventu, neque eos nisi post Zoilum ad Sedem Alexandrinam ordinatum venisse disertè tradit Liberatus cap. 23. Zoilum non ante annum DXL. in hâc Sede successisse prolixè docet.

In hoc denique sub Menna Concilio conditi mihi videntur *Canones* sive *Anathematismi* illi XV. adversùs Origenis & Origenistarum dogmata novem istis adversùs Origenistas Anathematissimis, quos Edicto suo contra Origenem nuper inseruerat Justinianus Imp. & re, & verbis apprimè consoni. Hos ex vetusto codice Bibliothecæ Vindobonensis Græcè exhibuit vir de Republica Literaria optimè meritus Petrus Lambecius; Græcè & Latinè Steph. Baluzius *Nov. Collect.* col. 1548. Quòd verò in titulo *Constantinopolitanæ* V. *Synodi Canones* dicantur, id aliundè profectum opinor, quàm quòd hujus Synodi Acta cum V. Concilii gestis in unum codicem Synodalem compacta, *quintæ* etiam *Sinodi* nomine venire solebant, ut modò ostendimus. Certè Photius de V. Synodi Actis agens, ait, quædam etiam ante eam de Zonara; Anthimo CP. aliaque præterea gesta fuisse, quæ tamen sub hac ipsa Synodo comprehendebantur. Cod. XVIII. col. 13.

BYZACENUM II. anno DXLI. habitum. Quo Legatio ad Justinianum Aug. missa est. Vid. Justin. Rescript. prope fin. & Baron. ad ann. DXLI. num. X. 541. P.II.

AURELIANENSE IV. anno DXLI. à L. Episcopis vel per se, vel per vicarios, præsentibus, celebratum. Quo plurima de Ritibus & Negotiis Ecclesiasticis sancita sunt. Extant Canones XXXVIII cum notis Syrmondi & Binii Conc. Tom. V. pag. 380. cum notis Cointii, *Annal.* Tom. I. p. 595. 541. P.II.

CONSTANTINOPOLITANUM VI. anno DXLVII. à Vigilio Papa tunc Constantinopoli agente & XXX. Episcopis habitum. Quo auditis quæ ex utraque parte de *Trium Capitulorum* controversia dicebantur, decretum est, sententiam de Trium Capitulorum damnatione, usque ad Oecumenicum Concilium suspendendam esse. 547. P.II.

Ut tota hæc causa rectiùs intelligatur, paulò altiùs repetenda est. Theodorus Cappadox Cæsareæ Episcopus, Origenistarum hoc tempore primipilus, & acerrimus defensor, summaque in Aula potentiâ fretus, cùm causam Origenianam tùm Imperiali Edicto, tùm sententiâ Synodali ante paucos annos oppressam videret, ut Imperatoris animum ab hoc consilio avocaret, persuasit ei ut Trium Capitulorum damnationem in se susciperet, &

Cave Hist. Lit.

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. damnatis Theodoto Mopsuesteno, Theodorito, & Iba Edesseno, faciliùs se Acephalos omnes ad suam Communionem reducturum. Ingenuè id fassus est Domitianus arcanorum particeps apud *Facund.* lib. I. cap. 2. pag. 5. lib. IV. cap. 4. pag. 62. Idémque testantur Liberatus cap. 24. pag. 167. Evagrius lib. IV. cap. 38. pag. 412. Perfido homini consensit credulus Imperator, edito mox adversùs *Tria capitula* Edicto. Et si in re obscura hariolari liceat, congregatâ Constantinopoli hac de re Synodo ἐνδημούσῃ, anno ut videtur DXLVI. habita, Mennas Patriarcha, cæterique in urbe Regia Episcopi, inviti quidem primum, Imperatoris adversùs Tria Capitula Edictum firmum ratumque habuerunt. Stomachatus est hæc audiens Vigilius Papa, qui in itinere Constantinopolitano hoc tempore hærebat, anathema illis ni resipiscerent, interminatus. Constantinopolim veniens, anno sequenti Concilium suorum habuit, & paulò mitior factus, hanc controversiam ad Concilii Generalis definitionem referendam esse statuit. Pluribus hæc tradunt, qui hoc ipso tempore vixerunt, Facundus Hermianensis lib. I. cap. 2. lib. IV. capp. 3. 4. & lib. *contra Mutianum Scholasticum* pag. 202. 203. Liberat. *Breviar.* c. 24. p. 167.

549. P. II. AURELIANENSE V. anno DXLIX. v. Calend. *Novembr.* à L. Episcopis & XXI. Episcoporum vicariis celebratum. Extant Canones XXIV. quorum primò damnatis Nestorii & Eutychetis dogmatibus, reliqui ad Ecclesiæ disciplinam spectant, adjectis Sirmondi & Binii notis Conc. Tom. V. pag. 390. Quædam etiam ad hos Canones non indigna notavit Car. Cointius *Annal.* Tom. I. p. 745.

549. P. II. ARVERNENSE II. paulò post Aurelianense, eodem ut videtur anno, à X. Episcopis celebratum. Quo XVI. priores Canones Aurelianenses iterùm promulgati sunt. Extant Canones XVI. cum eorundem Breviariis Conc. Tom. V. pag. 401. Confer quæ habet le Cointe *Annal.* Tom. I. p. 754.

550. P. II. TULLENSE in Lotharingiâ ad Mosellam fluvium anno circiter DL. Cal. *Juniis*, ad sedandos quorundam seditiosorum motus, qui à Nicetio Trevirensi ob incestas nuptias excommunicati fuerant, habitum. Hujus Synodi nil superest, præter unicam Mappinii Remensis ad Nicetium Epistolam, quâ se excusat, quòd ad Synodum venire non potuit. Vide Conc. Tom. V. pag. 404. & le Cointe ad hunc annum Tom. I. p. 773.

550. P. II. MOPSUESTENUM, anno DL. à Joanne Anazarbi, sive Justinianopolis, secundæ Ciliciæ Metropolitâ, & VIII. suæ Provinciç Episcopis jussu Justiniani Imperat. ante xv. Calend. *Julias* in Secretario Episcopii congregatum, prçsentibus prçter Presbyteros & Diaconos, Marthanio Comite Domesticorum, aliisque viris clarissimis. Et primò recitatæ sunt duæ Imperatoris literæ, ad Joannem Metropolitanum una, ad Cosmam Mopsuestiæ Episcopum altera, jubentes ut fieret inquisitio an Theodori Mopsuesteni, qui ante centum annos defunctus fuerat, nomen sacris illius Ecclesiç Tabulis inscriptum, & in sanctis Mysteriis recitatum sit. Inde lecta mox & inspecta Ecclesiæ Mopsuestenæ Diptycha; in quibus Theodori nostri nomen neutiquàm repertum. Deinde propositis in medio sanctis Dei Evangeliis, & prçstito super hæc juramento; testimonia dixerunt plures, tùm Ecclesiæ Mopsuestenæ Presbyteri & Diaconi ætate provectiores, tùm clarioris & honestioris conditionis viri, hujus civitatis incolæ; qui sigillatim testati sunt, Theodori istius nomen è sacris Diptychis nunquam fuisse recitatum, & à Senioribus se accepisse, loco ejus, nomen Cyrilli Alexandrini repositum fuisse, idque usque hodiè recitari. Confectis, super his, Actis, manuque Episcoporum munitis, literas tum ad Imperatorem tùm ad Leonem Papam dederunt, quos prout jusserat Imperator, de rebus à se gestis certiores fecerunt. Extant Acta Concilii Constantinopolitani II. Collat. V. p. 491. Longè aliter hæc refert Libelli *Synodici* Auctor pag. 69. Episcopos nempe zelo succensos ad Synodum celebrandam Mopsuestiam sponte venisse, testésque ab iis interrogatos utrùm Theodori nomen in sacras Tabulas esset relatum, respondisse, ita, neque istud negâsse, & hæc ad Vigilium Papam transmisisse. Unde quanta fuerit hominis fides & diligentia perspicere licet. Duas fuisse Synodos Mopsuestenas, unam Vigilii, alteram Justiniani mandato habitam, quarum hujus meminerit Concilium V. illius, Libellus Synodicus, inanis est Garnerii * conjectura, neque ullo fundamento nixa. * Dissert. de Synod. V. c. 5. §. 5.

550. P. II. ILLYRICIANUM II. anno DL. in causa Trium Capitulorum congregatum. Quo, ut auctor est Victor Tununensis in *Chron.* anno post Basilii Consulatum IX. literæ Synodicæ in defensionem Trium Capitulorum ad Justinianum Augustum scriptæ sunt, & Benenatus Primæ Justinianæ Civitatis Episcopus, qui eadem Capitula acriùs carpserat, condemnatur.

551. P. II. AFRICANUM I. anno DLI. in eadem causâ habitum. Quo, teste eodem Victore anno sequenti, "Africani Antistites Vigilium Romanum Episcopum, quòd *Tria Capitula* damnâsset, "Synodaliter à Catholica Communione, reservato ei pœnitentiæ loco, excludunt, & pro defensione memoratorum Trium Capitulorum, literas "satis idoneas Justiniano Principi, per Olympium "Magistrianum mittunt. En Ecclesiæ Africanæ judicium, summum Ecclesiæ Catholicæ caput (ut loqui amant Pontificii) ob pravam de Tribus Capitulis opinionem Synodali sententia damnantis, & à Catholica Communione abjicientis!

551. P. II. PARISIENSE I. anno circiter DLI. juxta Car. Cointii sententiam (cui magis hâc in parte fidendum existimo, quàm Conciliorum editoribus, illud ad annum DLV. referentibus) à XXVII. Episcopis coactum. Quo Saffaracus Episcopus Parisiensis gravissimi criminis convictus deponitur, & Eusebius in ejus locum subrogatur. Extat *Decretum* Synodale Conc. Tom. V. p. 811. Vide quæ ad hanc Synodum notavit Car. le Cointe *Annal.* Tom. I. p. 778.

553. P. II. CONSTANTINOPOLITANUM II. Oecumenicum V. Justiniani Imperat. mandato congregatum, à CLXV. Episcopis, præsidente Eutychio Patriarchâ in Secretario Patriarchali anno DLIII. iv. rectiùs III. Nonas *Majas*, ad discutiendam *Trium Capitulorum* causam toties nuper tantoque studio exagitatam, celebratum. Inde confirmata IV. præcedentium Conciliorum Fides Catholica, damnati Origenes, ejusque errores, præcipuè verò, & ante omnia, *Tria Capitula*, nempe de damnatione Theodori Mopsuesteni, Scriptorum Theodoriti adversùs Cyrillum, & Epistolâ Ibæ ad Marim Persam; vehementer interim renitente & in quascunque formas se vertente Vigilio Papâ, qui tùm Constantinopoli agebat, quin & Concilio interesse recusante, anteà quidem ea damnante, deinde sententiam revocante, posteà judicium usque ad Concilium Generale suspendente, quúmque

Digitized by Google

 que jam sederet Concilium Oecumenicum, Decreto hâc de re Synodico subscribere repugnante; illo jam finito duplici edito Constituto, Decreta Synodi confirmante, & Tria Capitula diserto anathemate feriente. Unde mira hominis levitas, inconstantia, perfidia elucent, quæ nomini ejus maculam inurunt, non omni Tyberis aquâ eluendam; quicquid de prudentiâ ejus singulari, æquo & maturo dispensationis temperamento, somniant Baronius, de Marcâ, alii.

Ut πολυθρύλλητος hæc controversia meliùs intelligatur, de ea paucis hoc loco agendum e it. Duo erant præcipuè hoc tempore Hæreticorum genera, qui sibimet licèt invicem oppositi, arreptâ ex Tribus Capitulis occasione, Concilii Chalcedonensis honorem & dignitatem deterere nitebantur, Nestoriani & Eutychiani. Nestoriani cùm se Concilii Ephesini auctoritate premi undique viderent, neque ampliùs sibi fas esse impietatem suam γυμνῇ κεφαλῇ profiteri, per cuniculos rem agebant, seque Concilii Chalcedonensis obtentu protegere studuerunt, Theodorum Mopsuestenum, Theodoritum Cyrensem, & Ibam Edessenum magnis laudibus ubique prædicantes; Theodorum quidem, quòd libris editis causæ Nestorianæ favere videbatur; Theodoritum, quòd Synodum Ephesinam, & Cyrilli Capitula strenuè oppugnasset; Ibam denique, quòd Epistola ad Marim Persam, Cyrillum perstrinxisset, Theodorum laudasset, & quædam dogmatibus Nestorianis consona tradidisset. Et hæc eò speciosiùs, quòd hos tres, eorumque Scripta, Synodus Chalcedonensis vel recepisset, vel non improbasset; adeòque celeberrimum illud Concilium in causæ suæ patrocinium, obtorto licèt collo, pertrahere satagebant. E contrà Acephali, qui hæresis Eutychianæ pars erant, Concilium Chalcedonense ob causam Trium Capitulorum rejiciebant, quòd Theodoritum in communionem recipiendo, Ibam ejusque Epistolam approbando, causam Nestorii fovere videbatur. Ut igitur damnarentur hæc Tria Capitula, summo studio laborarunt Catholicorum plurimi, renuebant alii, veriti nè hoc modo Chalcedonensem Synodum damnare viderentur. Hinc multa in Oriente lis, quæ primò Justiniani Imp. Edicto, deinde quæsitis sigillatim Patriarcharum & Præsulum Orientalium sententiis, tandem Concilii nostri Oecumenici Decretis sopita, & compressa est. In Occidente diutiùs viguit, vehementer reclamantibus Africæ & Italiæ Episcopis, præsertim duce Vigilio Papâ, qui tandem cessit, & manus dedit. Nihilominus Istriæ, Venetiæ, & Liguriæ Episcopi per unum alterumve Sæculum, à Sedis Apostolicæ communione hoc nomine abstinuerunt, seque Trium Capitulorum damnationi viriliter opposuerunt. Verùm his missis, ad Concilium nostrum revertamur.

Extant Latinè, desideratis plerumque Græcis, hujus Concilii Acta Conc. Tom. V. pag. 416. in VIII. Collationes divisa.

Collat I. III. Nonas *Majas*, lectæ sunt *Epistolæ* tres; nempe Justiniani Imp. ad Synodum, quâ hæreses quascunque à quatuor Oecumenicis Conciliis damnatas recenset, Trium Capitulorum originem & progressum exponit, argumentisque, quibus eorum hyperaspistæ uti solent, occurrere conatur; illorum denique examinationem Synodo commendat; Eutychii CP. ad Vigilium Papam, quâ Fidem Catholicam juxta Quatuor Concilia Oecumenica confitetur, utque Trium Capitulorum cognitioni præesse velit Vigilius, petit; Vigilii ad Eutychium *Responsoria*, quâ eadem se amplecti, & suscipere profitetur. His lectis, missi sunt Concilii nomine tres Patriarchæ, Constantinopolitanus, Alexandrinus, & Antiochenus, & XVII. Episcopi ad Vigilium Papam, ut ipsum ad Tria Capitula in Synodo ventilanda invitarent; qui responsum suum in diem crastinum distulit.

Collat. II. VIII. Id. *Majas*, qui ad Vigilium à Synodo missi fuerant, hoc ab eo responsum tulerunt, se paucis solummodò Occidentis Episcopis comitatum Synodo interesse non posse, verùm sententiam suam *de Tribus Capitulis* scriptis comprehensam Imperatori traditurum. Deinde missi sunt, tùm ab Imperatore illustres quidam Palatii Proceres, tùm à Synodo iidem penè Episcopi, qui illum secundâ vice invitarent. Respondit ut anteâ, se privatim hâc de re acturum, mentemque suam Imperatori oblaturum. Posteà alii à Synodo ad Episcopos Occidentales in urbe Regiâ constitutos directi sunt, ut Synodo interesse, & secum de hâc controversiâ tractare velint. Responderunt quidam, se non nisi præsente Papâ, alii non sine Archiepiscoporum suorum consensu se adesse posse.

Collat. III. VII. Idus *Majas*, generalem quandam Fidei suæ professionem juxta quatuor Conciliorum generalium definitiones edunt, quâ se omnia ab iis constituta suscipere, omnia ab iis damnata condemnare profitentur; controversiâ Trium Capitulorum in primam sessionem rejectâ.

Collat. IV. IV. Id. *Majas*, ad discutienda tria Capitula se jam accingunt Patres. Et primò quidem ex Theodori Mopsuesteni libris plurima excerpta lecta sunt. Ex quibus manifestum est ipsum à communi SS. Patrum Regulâ & Traditione recedere, & alio planè modo de Incarnatione, & duabus Christi naturis locutum esse. Inde dogmata ejus totâ exclamante Synodo mox reprobata, damnata, & anathemati subjecta.

Collat. V. III. *Maias*, proferuntur plurima ex libris eorum excerpta qui Theodorum Mopsuestenum oppugnarunt, Cyrilli, Procli, Rabbulæ Edesseni, aliorùmque, allegatis etiam Patrum quorundam scriptis, quibus ad sustinendam Theodori existimationem abusi sunt ejus fautores. Et in his variæ erant Gregorii Nazianzeni ad Theodorum Epistolæ, quas tamen non ad Theodorum Mopsuestenum, sed ad Theodorum Tyanensem scriptas esse, toti Synodo palàm fit. His factis, progressum est ad ventilandam celeberrimam illam quæstionem, an Hæretici post mortem condemnari possint? quod rectè fieri posse, allatis pluribus SS. Patrum dictis & factis demonstratur. Lectis item hunc in finem Synodi Mopsuestenæ ante triennium habitæ Actis, ex quibus apparuit, Theodori Mopsuesteni nomen ex illius Ecclesiæ Diptychis nunquàm fuisse recitatum. Prolata denique ex Theodoriti Operibus nonnulla, ex quibus ipsum Nestorii dogmatibus fuisse faventiorem, & in Cyrillum iniquiorem conficere voluerunt.

Collat. VI. XIV. Cal. *Junias* à Theodorito ad excutiendam Ibæ Edesseni causam pergit Synodus; lecta mox ejus ad Marim Persam Epistola, quâ, tùm Nestorio vitio vertit, quod Mariam Virginem θεοτόκον esse negaret, tùm Cyrillo, quòd dogma Apollinarii sequens, unam Naturam esse Deitatis & humanitatis Domini nostri Jesu Christi affirmaret; quin & Theodorum Mopsuestenum, tùm ob summam vitæ sanctimoniam, tùm ob diligentem Orthodoxæ Fidei, & voce & scriptis, prædicationem, magnis effert laudibus. Certum est Ibam communi Orientalium in Cyrillum odio ante initam concordiam laborasse; quod non semel candidè confessus est. Quod verò Theodorum impensè adeò laudaverit, hinc illæ lacrymæ, hinc renovata ipsi olim objecta crimina, etsi toties ab eo in Synodis, Tyriâ, Berytensi, Chalcedonensi abluta; hinc tot excogitatæ machinæ, quibus probarent illum

lum, anathema licet Nestorio disertè dicentem, & à Patribus Chalcedonensibus absolutum & pro Catholico habitum, nihilominùs ob hanc Epistolam, & summum ergà Theodorum studium, Nestorianismi reum esse. Tandem post lectam magnam Conciliorum Ephesini & Chalcedonensis partem, hanc Ibæ Epistolam tanquam hæreticam & blasphemam rejecerunt, & anathemate damnarunt. Interim fatendum est, Theodorum Cappadocem, trésque ei adjunctos Episcopos, in exponendâ Ibę causâ multa studio suppressisse, quæ ad ipsum, ejusque Epistolam vindicandam non parum conferunt.

Collat. VII. VII. Cal. *Junias*, rectiùs III. transmisit ad Synodum Imperator chartas quasdam ad Trium Capitulorum cognitionem pertinentes, quæ & lectæ sunt; nempe tres Vigilii Papæ Epistolæ quibus Tria Capitula damnaverat. Prima etat ad Rusticum & Sebastianum Diaconos suos, quâ eos ob falsos de se sparsos rumores, & Constituti sui exemplaria se inscio & repugnante publicata, & hinc inde missa severissimè increpat, & objecto non levis ingratitudinis, superbiæ, perfidiæ & inobedientiæ vitio, eos unà cum aliis sibi adhærentibus à Ministerio suo deponit. Alteræ duæ ad Valentinianum Tomitanum in Scythiâ Episcopum, & ad Aurelium Arelatensem. Item ex Actis Antiochenis nonnulla per compendium relata, de honore quem Nestoriani quidam Theodoriti Imagini curtui impositæ in civitate Cyro habuerunt.

Collat. VIII. IV. Non. *Junias*, edita est prolixa Synodalis Definitio, quâ, compendio recensitis quæ per totum Concilii decursum gesta sint, Tria Capitula damnant; Theodori Mopsuesteni scripta, Theodoriti adversùs Cyrillum Capitula, & Ibæ ad Marim Epistolam anathemate percellentes; & additis denique XIV. Capitulis, sive Anathematismis, Nestorianis & Eutychianis erroribus præcipuè oppositis; quibus non modò Tria Capitula, sed & quascunque hæreses, ab Ecclesiâ Catholicâ & sanctis quatuor Conciliis condemnatas reprobant & rejiciunt; Hæresiarchis, quos recensent, Ario, Eunomio, Macedonio, Appollinario, &c. Origenem annumerantes. Antiquam horum Actorum versionem Latinam primus edidit L. Surius anno MDLXVII. Hanc variis Editionibus vitiatam, cum duobus vetustissimis codicibus MSS. contulit Cl. Baluzius, varias lectiones inde excerpsit, lacunas non contemnendas supplevit, quin & integram Collationem septimam, eámque satis prolixam, editis longè ampliorem, ex codice MS. Parisiensi deprompsit, & hæc omnia unà cum eruditissimâ præfatione *novæ* suæ *Collectioni* inseruit col. 1475. Ad calcem horum Actorum, à Conciliorum Editoribus subjiciuntur Græc. Latin. Fragmenta, & alia quædam ad hanc Synodum spectantia; nempe ex Synodi VI. Act. IV. Ex Concilio *Florent.* Sess. V. Ex Evagrio Scholastico l. VI. cap. 38. Ex Cedreno ad ann. XXV. Justiniani Imper. è Man. Calecâ *de Spirit. Sanct.* l. II. Et quæ primas tenet Vigilii CP. *Epistola decretalis* ad Eutychianos post sex menses à Synodo finitâ, de confirmatione V. Synodi, quam eruditissimâ dissertatione ornatam Græc. Latin. primus edidit P. de Marca *Par.* anno circiter 1643. recusam, deinde *ibidem* cum aliis dissertationibus anno 1669. 8°. exinde huc translatam. Longè verò prolixius *Edictum adversùs Tria Capitula* anno DLIV. Latinè à Vigilio editum in lucem protulit Cl. Baluzius *Nov. Coll. Conc.* pag. 1551. quo cujusque Capituli momenta operosè expendit, Ibam Edessenum Catholicum esse agnoscit atque ita à Synodo Chalcedonensi fuisse judicatum. Epistolam verò ejus ad Marim Persam, levibus quibusdam conjecturis incredibili labore concinnatis, Ibæ reverà non esse, sed ab ejus adversariis confictam prolixè contendit. De Theodori Mopsuesteni scriptis, primò notat Nestorianos, cùm Magistri sui dogmata palàm propalare ampliùs non auderent, sub Theodori nomine latuisse, qui in pace Ecclesiæ mortuus fuerat; deinde varia ex ejus scriptis loca percurrit, quæ perversa & blasphema esse pronunciat. Theodoriti verò adversùs Cyrilli Capitula, & Synodum Ephesinam, pro Nestorii & Theodori defensione contra rectam Fidem scripta, sine ullâ ambage rejicit & reprobat. Pro coronide Tria hæc Capitula anathemati subjicit, omnesque ea vel recipientes, vel defendentes, pari anathemate condemnat: quæcunque verò vel suo nomine, vel ab aliis quibuslibet, pro horum Capitulorum defensione edita fuerint, præsentis Constituti auctoritate evacuat, atque irrita facit. In condendo hoc Constituto ubique elucet summa rerum agendarum cognitio, mira ingenii vis & acumen, immensus labor & diligentia, magna verborum copia, multa circumstantiarum varietas undique conquisita. Quomodò verò hæc cum priori ejus in hâc zelo, tantique Pontificis gravitate & constantiâ conciliari possint, viderint quorum interest. Nos ad institutum nostrum redeamus. Sequitur Pelagii Papę II. ad Episcopos Istriæ qui damnationi Trium Capitulorum non consentiebant *Epistola*, sive Tractatus satis amplus, quo de Concilii Chalcedonensis auctoritate, & Trium Capitulorum damnatione copiosè agit. Post hæc Gr. Lat. Justiniani Imper. *adversùs Origenis errores Tractatus* ann. DXLI. editus, quo Origenem, ejusque dogmata de SS. Trinitate, animarum naturâ & statu, præcipuè de animarum præexistentiâ, & peccatorum pœnis acriùs exagitat, & tùm argumentis, tum allatis SS. Patrum testimoniis refellit; Ejusdem *Litera* ad Synodum CP. anno DXLVI. de Origene & Sectatoribus ejus ex Cedreno desumptæ; ejusdem *Confessio rectæ Fidei*, quâ Tria Capitula latè exponit & revincit, subnexâ ejusdem ad Sinodum CP. de Theodoro Mopsuesteno & reliquis *Epistolâ*, quæ Latinè etiam habetur *Collat.* I. pag. 419. Infestissimus est huic Synodo illustrissimus Annalium parens, qui, ut Vigilium suum speciosiùs vindicaret, arreptâ quavis occasione in eam accerrimè invehitur, iniquis ubique premit calumniis, Acta ejus depravata, vitiata, truncata, & mutilata esse contendit, omnimodis quidem conjecturis, quas solers ingenium, multa lectio, diligens studium excogitare poterant. Sed operam atque oleum perdit Cardinalis. Desiderari Gręca nemo non videt. Sed Acta quæ supersunt Latina imperfecta esse, quis nobis demonstrabit? Non plus continent vetustissimi codices manuscripti, non plùs ex eis citant istorum ferè temporum scriptores, Liberatus Diaconus, Pelagius I, II. & Gregorius Magnus, Pontifices, &c. Sed desunt quę in causæ Origenianæ damnationem gesta sunt: at unde constat causam hanc in hâc Synodo plenè fuisse pertrectatam? Quod enim ex Evagrio & Cedreno colligitur incertum planè est, & ad aliam potiùs Synodum referendum. Origenes ejusque dogmata, tum Justiniani Imp. Edicto, tum in Synodo CP. sub Mennâ, paucis abhinc annis damnata fuerant: unde satis habuerunt Patres Capitulo XI. ea iterum breviter anathemati subjicere.

HIEROSOLYMITANUM II. anno DLIII à Palæstinæ Episcopis habitum. Quo missis ad Imperatorem Synodi V. Actis, Decreta Synodi confirmantur. Ex hâc Synodo quædam citat Cyrillus 553. P. II.

Digitized by Google

SÆC. VI. ab An. D. rillus Scythopol. *Vit. S. Sabæ* num. xc. p. 375. apud Coteler. *Monument.* Tom. III. quæ exinde habent Conc.Nic.II.Patres Act.I.Conc.Tom.VII.p.84.

553. P.II. AQUILEIENSE anno DLIII. à Trium Capitulorum defensoribus habitum. Quo, quintam Synodum non esse recipiendam decreverunt. De hac Synodo vide Bed. lib. *de sex ætat.*

554. P.II. ARELATENSE II. anno DLIV. III. Cal. *Julias* à *XIX.* Episcopis partim per se, partim per vicarios celebratum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *Canones* VIII. cum notis Sirmondi Conc. Tom. V.p.780. & apud Le Cointe Tom. I. pag.799.

557. P.II. PARISIENSE II. circa annum DLVII. à *XV.* Episcopis celebratum. Ut Ecclesiæ necessitatibus post bellum civile consuleretur, conditi sunt *Canones* X. Sirmondi & Binii notis illustrati Conc. Tom. V. p. 814. Habentur etiam apud le Cointe ad hunc annum Tom. I. p. 825. qui non pauca de Episcopis, qui interfuerunt annotavit.

560. P.II. LANDAVENSE in Britanniâ circa annum DLX. ab Oudocæo Episcopo, convocatum. Quo, Mouricus Rex Glamorganiæ ob perfidam Cynætu interfectionem excommunicatur, mox in aliâ Synodo ibidem coactâ absolutus. Habita est etiam tertia ibidem Synodus sub eodem Oudocæo, quâ Guidnerth fratrem in causâ regni interficiens, excommunicatus est. Extant harum Synodorum Acta apud Spel. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 62. & Conc. Tom. V. p. 828.

563. P.II. BRACARENSE I. In Hispaniâ Tarraconensi inter Durium, Miniumque fluvios anno DLXIII. rectiùs ut videtur ann. DLXI. nempe æra Hispanicâ DXCIX. Cal. *Maiis* ab VIII. Episcopis habitum. Quo, hæreses in Occidente, præcipuè Priscillianistarum, damnatæ sunt. Condita sunt adversùs hæresin Priscillianam Capitula XVII. & de disciplinâ Ecclesiasticâ XXII. Extant Acta & Capitula Conc. Tom. V. p. 836. & apud Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. II. pag. 292.

563. P.II. SANTONENSE I. ad Carantonum fluvium, ad ann. DLXIII. saltem præcedentem, habitum. In quo, amoto Emerico, qui contra Canones fuerat ordinatus, Heraclius Santonensis Episcopus creatus est. Gesta hujus Synodi refert Greg. Turon. l. IV. c. 16. p 171. Vide quæ notat Le Cointe ad ann. DLXII. num. VIII. &c. Tom. II. p. 7.

567. P.II. LUGDUNENSE II. anno DLXVII. ab *VIII.* Episcopis & *VI.* Vicariis Episcopalibus, Guntramni Regis jussu, collectum. Extant de pace & libertate Ecclesiasticâ *Canones* VI. Conc. Tom. V. pag. 847. & Le Cointe *Annal.* Tom. II. p. 86. Vide Greg. Turon. l. V. c. 20. p. 239.

567. P.II. TURONENSE anno DLXVII. XV. Cal. *Decembr.* à *IX.* Episcopis in causâ Disciplinæ Ecclesiasticæ reformandæ celebratum. Extant *Canones* XXVII. & *Epistola* aliquot post Synodum scriptæ, cum notis Sirmondi & Binii Conc. Tom.V.p. 831. Extant etiam *Canones* cum eruditis Caroli Cointii notis Tom. II. p. 67.

567. P.II. LUCENSE I. in Gallæciâ anno DLXVII. rectiùs forsan DLXIX. à Theodomiro Rege congregatum. In quo post confirmatam Fidem Catholicam, Hispaniæ Sedium Metropolitanarum limites statuerunt. Extant Acta cum notis G. Loaisæ, qui plures Hispaniæ & Galliæ Episcopatuum notitias exhibet. Habentur Conc. Tom. V. p. 874. & apud d'Aguirre Tom. II. p. 299. SÆC. VI. ab An. D.

BRACARENSE II. anno DLXXII. Cal. *Junii* sub Mirone Suevorum Rege à *XII.* Episcopis, præsidente Martino Dumiensi Archiepiscopo Bracarensi habitum. Extant de Disciplinâ Ecclesiasticâ *Capitula* X. Conc. Tom. V. pag. 894. Hæc aliaque plura ad hoc Concilium spectantia exhibet illustrissimus Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. II. p. 316. 572. P.II.

LUCENSE II. anno DLXXII. paulò post Bracarense habitum. Quid in hâc Synodo gestum sit, non constat. Missa est ad eam Martini Bracarensis *Collectio Canonum* & Capitulorum quæ Latina fecerat; quæque habentur. Conc. Tom. V. pag. 902. 572. P.II.

PARISIENSE III. anno DLXXIII. III. Id. *Septembr. XXXIII.* Episcopis habitum. In quo, deposito Promoto, Sedes Carnotensis, Pappolo adjudicatur. Extant Pappoli *libellus*, & *Epistola* Synodalis Conc. Tom. V. p. 918. Vide quæ de hâc Synodo habet le Cointe Tom. II. p. 135. 573. P.II.

PARISIENSE IV. anno DLXXVII. à *XLV.* Episcopis coactum. In quo Prætextati Rothomagensis Episcopi, à Chilperico Rege accusati, causa discussa est. Plura de hujus Synodi Actis tradit Greg. Turon. lib. V. cap. 18. pag. 227. Vide etiam Conc. Tom. V. pag. 925. Fusè hujus Synodi Acta persequitur Car. Cointius Tom. II. p. 172. 577. P.II.

AUTISSIODORENSE circa annum DLXXVIII. (ad annum DLXXXVI. referendum censet Carolus Cointius, alii ad annum DXC. & errore adhuc magis enormi ad annum DCXIV. alii) ab Aunachario Episcopo, unà cum pluribus Diœcesis suæ Abbatibus & Presbyteris, celebratum. Extant Disciplinæ Ecclesiasticæ *Canones* XLV. cum notis Sirmondi & Binii Conc. Tom. V. p.956. Notis etiam Car. Cointii illustrati ad annum DLXXXVI. Tom. II. p. 368. 578. P.II.

CABILONENSE anno DLXXIX. habitum. In quo Salonius Ebredunensis, & Sagittarius Vapincensis, læsæ majestatis accusati, depositi, & in custodiam dati sunt. Vide Greg. Turon. lib. V. c. 27. p. 246. 579. P.II.

SANTONENSE II. anno circiter DLXXIX. habitum. In quo Nantinus Comes Engolismensis excommunicatus in gratiam recipitur. Vide Greg. Tur. lib. V. c. 36. p. 256. 579. P.II.

BRENNACENSE ad Vidulam fluvium in Campaniâ ann. DLXXXI. coactum. In quo Leudastes Comes, qui Gregorium Turonensem apud Chilpericum falsò accusarat, excommunicatur. Pluribus hæc refert ipse Gregorius l. V. c. 49. p. 277. Confer. Conc. Tom. V pag. 965. Et quæ notavit Le Cointe ad ann. DLXXX. Tom.II.p. 206. 581. P.II.

MATISCONENSE I. ad Ararim Fl. in Burgundiâ anno DLXXXI. Cal. *Novembr.* præsentibus *XXI.* Episcopis, Guntramni Regis jussu congregatum. Conditi sunt ad mores Ecclesiæ reformandos, & refrenandos Judæos, *Canones* XIX. qui cum notis Sirmondi & Binii habentur Conc. Tom. V. p. 966. De tempore hujus Synodi consulendus est Car. Le Cointe *Annal.* Tom. II. p. 237. 581. P.II.

Digitized by Google

 qui illam ad annum DLXXXIII. refert. Canones exhibet, & nonnulla in eos erudite annotavit.

583. P.II. LUGDUNENSE III. anno DLXXXIII. Mense Maio, ab *XVIII.* Episcopis, & *XII.* vicariis celebratum. Extant qui ad Disciplinam Ecclesiasticam spectant *Canones* VI. Conc. Tom. V. pag. 973. & Le Cointe Tom. II. p. 236.

584. P.II. VALENTINUM II. anno DLXXXIV. x. Cal. *Iul.* à *XVII.* Episcopis habitum. In quo, Monasteriis quibusdam privilegia sua & dotationes confirmantur. Extant Acta Conc. Tom. V. p. 976. Vide le Cointe *Annal.* Tom. II. p. 279.

585. P.II. MATISCONENSE II. anno CLXXXV. à *XLIII.* Episcopis, & *XV.* aliorum vicariis, ad collapsos Christianorum mores reformandos celebratum. Conditi sunt hunc in finem *Canones* XX. qui Sirmondi & Binii notis illustrati habentur Conc. Tom. V. p. 979. notis etiam Caroli Cointii ad hunc ann. Tom. II. p. 285. Ad calcem adjicitur Guntramni Regis *Praceptio* ad Episcopos & Judices Regni sui edita de die Dominico observando, aliisque. Vide etiam quæ habet Gregor. Tur. l. VIII. cap. 30. Anno DLXXXVII. habitus est Conventus ap. Andelaum de Pace inter Guntramnum & Childebertum, Episcoporum Procerumque Concilio firmatâ. Extat Exemplar *pactionis* Con. Tom. V. pag. 993.

587. P.II. CONSTANTINOPOLITANUM VIII. ann. DLXXXVII. habitum. In quo Gregorius Episcopus Antiochenus, incestûs criminis accusatus, à calumniâ absolvitur. Videsis Evagr. lib. VI. c. 7. p. 450.

587. P.II. ARVERNENSE III. anno DLXXXVII. rectiùs fortè superiori habitum: (alii ad annum DLXXXVIII. referunt.) In quo Parochiæ Cadurcinæ Sedi Ruthenensi adjudicatæ sunt. Vide Greg. Tur. lib. VI. c. 38. p. 335.

589. P.II. TOLETANUM II. vulgò III. anno DLXXXIX. VIII. Idus *Majas*, à *LXXVIII.* Episcopis ex omni Hispaniæ parte convocatis celebratum. In quo Gothi in Hispaniâ, abjuratâ hæresi Arianâ, Fidem Orthodoxam profitentur. Extant hujus Synodi Acta, *Confessio*, *Canones* de Fide Catholicâ XXIII. & Disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* XXIII. cum notis Loaisæ & Binii Conc. Tom. V. p. 997. & apud d'Aguirre *Conc. Hispan.* Tom. II. pag. 338. ad Can. XI. & XII. hujus Concilii multa præclarè disserit Purpuratorum eruditissimus idem ille Cardin. d'Aguirre *Dissert.* hujus Tomi VII. VIII. IX. Prima in duos Excursus; Secunda in quinque, Tertia in tres dispertitur. In prima disserit, quonam sensu peccatoribus post pœnitentiam lapsis in hoc Concilio negetur novus accessus ad pœnitentiam, sive reconciliationem. Putatque Canonem non de secretâ & sacramentali pœnitentiâ, sed de solenni exponendum esse. Secunda agit de instauratione priscorum Canonum circa pœnitentes, tùm lapsos post Baptismum, tum relapsos post pœnitentiam, præsertim in Hispania. Ubi ostendit quænam fuerit illa vetus disciplina, & quodnam tum pœnitentium, tum Confessionariorum officium. Tertia dissertatio agit de pœnis relapsorum instauratis in hoc Concilio, & de vario genere aut modo pœnitentiæ. Ubi omnia ex antiquis Canonibus, tanctisque Patribus fusè non minùs quàm eruditè illustrat & confirmat. Notet Lector habitum fuisse in Galliâ unum aut alterum Conventum, seu Synodum circa annum DLXXXIX. Sed quæ nullius ferè momenti sunt. De quibus vide Greg. Turon. lib. IX. c. 37. p. 508. c. 41. p. 518.

NARBONENSE ad Atacem Fl. anno DLXXXIX. Cal. *Novembr.* ab *VIII.* Episcopis celebratum. Ut disciplina Ecclesiastica vim suam meliùs haberet, conditi sunt *Canones* XV. qui cum Notis Sirmondi & Binii extant Conc. Tom. V. pag. 1027. & apud Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. II. pag. 385. 589. P.II.

ROMANUM IX. anno DLXXXIX. habitum. In quo *ordo Præfationum*, quem inter missarum solemnia decantanda Romana Ecclesia hactenus habuit, Germanis & Gallis traditus est. Vide Pelag. II. Epist. IX. Conc. Tom. V. p. 953. Quam tamen spuriam esse, & ex Isidori Mercatoris officina prodiisse ipsimet judicant novissimi Conciliorum Editores. 589. P.II.

HISPALENSE sive SPALENSE in Hispaniâ ad Bætim Fl. circa annum DXC. ab *VIII.* Episcopis, Præside Leandro Archiepiscopo habitum. Extant de disciplinâ Ecclesiasticâ *Capitula* III. Conc. Tom. V. pag. 1588. & apud d'Aguirre Tom. II. p. 390. ubi etiam multa subjiciuntur. Eodem anno habita est Synodus in confinio Trium Civitatum adversùs Tetradiam, Eulalii Comitis uxorem. De quâ Greg. Tur. lib. X. cap. 8. p. 542. Alia eodem tempore Pictavi in causâ Crodieldis. De quâ ibidem cap. 16. pag. 561. Tertia Metensis ad Mosellæ & Saliæ confluentes. In quâ Ægidius Remensis ob crimen læsæ Majestatis deponitur ibid. c. 19. p. 570. Quarta denique Nemptodorensis, in quâ Clotarius Rex adhuc puer baptizatus est. De quâ *ibidem* c. 28. p. 583. 590. P.II.

CÆSARAUGUSTANUM anno DXCII. Cal. *Novembr.* à X. Episcopis & *II.* Vicariis habitum. Extant de Sacerdotibus vel Episcopis ab Arianâ hæresi redeuntibus *Canones* III. Conc. Tom. V. p. 1600. & apud Aguirre Tom. II. pag. 414. 592. P.II.

AFRICANUM. II. à Numidiæ Episcopis circà annum DXCII. habitum Quo, cum nonnulla Ecclesiæ Romanæ consuetudini contraria sancita essent, irrita ea, quantum in se erat, fecit Gregorius Papa. Vide Epist. ejus ad Gennad. Exarch. lib. III. *Epist.* VII. 592. P.II.

ROMANUM. X. anno DXCV. habitum. In quo, Joannes Presbyter Chalcedonensis hæresis accusatus absolvitur. Vid. Greg. M. lib. IV. Epist. XLIV. Conc. Tom. V. p. 1198. 595. P.II.

TOLETANUM III. anno DXCVII. XVI. Cal. *Jun.* à XIII. Episcopis habitum. Extant de castitate & moribus Episcoporum *Canones* II. Conc. Tom. V. pag. 1603. d'Aguirre Tom. II pag. 416. 597. P.II.

OSCENSE, apud Ilbergetes in Arragoniâ, anno DXCVIII. coactum. Extant de munere Episcopali, & clericorum vitâ castâ & pudicâ *Canones* II. Conc. Tom. V. p. 1604. & apud Aguirre p 417. 598. P.II.

BARCINONENSE II. anno DXCIX. Cal. *Novembr.* à *XII.* Episcopis, Præside Asiatico Metropolitano Tarraconensi, celebratum. Extant adversùs Simoniacas promotiones *Canones* IV. Conc. Tom. V. p. 1605. Huic Synodo Card. d'Aguirre subnexuit Joannis Biclarens. Chronicon Notis & Observationibus suis illustratum, aliáque non pauca *Conc. Hisp.* Tom. II. pag. 421. 599. P.II.

Finis Sexti Sæculi.

SÆCULUM

Digitized by Google

SÆCULUM MONOTHELETICUM.

CONSPECTUS SÆCULI.

SÆC. VII. ab An. DC.

EPISCOPI OECUMENICI titulum à Phocâ tyranno, bipedum nequissimo, eò in Pontificem propensiore, quò infensiore in Cyriacum Patriarcham CP. animo, impetrat Papa Bonifacius III. circa ann. DCVI. non obstante quod nuper hunc titulum velut *nomen novum, blasphemum, singulare, inanis gloriæ tumorem, novam superbiam, superbiæ & confusionis malum, diabolicæ usurpationis tentationem, superstitiosum, temerarium, & nefandum elationis vocabulum; primi Apostatæ inventionem, & Antichristi præcursorem*, in Sedis Constantinopolitanæ Episcopis disertè & palam damnaverat Bonifacii Prædecessor, Gregorius Magnus. Ann. DCXXII. à quo incipit Mahumedanorum *Hegira* sive Æra, oritur Mohammed, fortunatus non minùs, quàm versipellis, Arabum impostor, certè hæreseων & dissidiorum inter Christianos grave flagellum: qui adjunctis sibi Sergio Monacho Nestoriano, Phineâ Judæo, & Abdallâ Arabe, Alcoranum condidit, quem tanquam cœlo sibi delapsum ubique venditavit. Hinc novus Propheta, hinc summus Princeps evasit, de cujus Ortu, Pseudo-prophetiâ, Dogmatibus, Hegirâ, prœliis, successoribus, morte, deque toto Orientalium cultu & Religione, prolixè præ aliis agit Cl. Hottingerus in *Historia Orientali*. Hæresis MONOTHELITARUM, unicam in Christo voluntatem asserentium, nova Eutychianorum Soboles, circa ann. DCXXX. orta, operâ Sergii Constantinopolitani, & Cyri Alexandrini Orientem pervadit, sparso etiam per Occidentem veneno, ipso Honorio Papâ hac labe maculato. An. DCXXXIX. ἔκθεσιν suam promulgavit Heraclius Imperator, quâ dogma Monotheleticum confirmavit, à Sergio, Cyro aliisq; strenuè propugnatam, Romæ verò, & ab Occidentalibus damnatam. Crescente hinc indies dissidiorum segete, ann. DCXLVIII. Constantinus Augustus *Typum* seu edictum edidit, quo utrique parti de hâc controversiâ silentium indixit. Tandem ann. DCLXXX. & sequenti habitum est Constantinopoli Concilium generale VI. in quo ventilata est hæc quæstio, damnata hæresis, ejus fautoribus Paulo, Sergio, Cyro, &c. unà cum Honorio Papa anathemate percussis. Post paucos annos Synodus Oecumenica in Imperialis Palatii Trullo convocatur, à qua Canones CII. conditi sunt, & cùm sit duarum præcedentium veluti appendix & supplementum, πενθέκτη, seu *Quini-sexta* vulgò audit, ejus tamen Canones Ecclesia Romana ægrè admittit. Fides Christiana hoc seculo per varia Anglo-Saxonum Regna longiùs latiùsque propagatur, quin & ex hâc gente, ceu fonte perenni, plures amnes in exteras etiam nationes derivati. Hinc Suidberti, VVigberti, VVilfridi, VVillebrordi, aliorumque Anglorum laboribus, Frisones, Germani, aliique Septentrionales populi ad fidem Christi convertuntur.

SCRIPTORES.

SÆC. VII ab An. DC. 601.

JOANNES, PHILOPONUS à studiorum assiduitate dictus, genere Alexandrinus, arte Grammaticus, in Platonis juxta ac Aristotelis Philosophiâ versatissimus: & ut Philosophi Hæreticorum ut plurimùm fuerunt Patriarchæ, quod rectè olim notavit Tertullianus; ita Joannes noster ex Philosophorum Scholâ prodeuns, in fidem mox impegit, cùm ad quæstiones Theologicas tractandas addixit animum. Claruit initio hujus sæculi circa annum DCI. etiam superiori sæculo jam clarus. Tempore enim Joannis Scholastici, qui ab anno DLXIV. ad DLXXVIII. Pontificalem Regiæ Urbis thronum tenuit, hæresim suam evulgarat: quod testantur Acta Disputationis inter Cononem & Eugenium Tritheitas, ac Paulum & Stephanum Diacrinomenos de Philopono anathematizando coràm Joanne Patriarchâ habitæ à Photio memorata Cod. 24. Vitam ultra annum DCVIII protraxit. Opus enim suum in Hexaemeron Sergio Patriarchâ CP. hortante suscepit, eique absolutum nuncupavit. Dogmata quamplurima à fidei veritate absona propalavit. Cùm in animo enim ejus Aristotelicâ Philosophiâ imbuto fixum maneret idem esse hypostasin ac naturam: hinc primùm unicam in Christo naturam esse asseruit; & Concilium Chalcedonense rejecit: deinde cùm Catholici ei objicerent tres esse in Trinitate hypostases, unicam tamen naturam; ut objectione istâ semet extricaret, tres in Trinitate naturas sive substantias existere docere non veritus est: tres tamen Deos vel Deitates esse constanter semper negavit. Hinc *Tritheitarum* sectæ autor & Antesignanus & olim & hodie habetur. Quin & Philosophicæ prurigini frænum nullibi admovens, defunctorum corpora tam quoad materiam quàm formam interitura esse, aliaque à Deo in resurrectio- SÆC. VII. ab An. DC.

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. ne eorum loco formata judicio divino ſiſtenda eſſe docuit: unde à nonnullis reſurrectionem negaſſe dicitur. Alios adhuc errores in vulgus ſparſit, qui aut è Scriptis ejus, aut è Scriptoribus coætaneis peti poſſunt. De ſtylo ejus ſic Photius *. ἔςι δὲ τὴν φράσιν ὅμοιος ἑαυτῷ, σαφής τε γὰρ καὶ οὐδὲν μετέχων τόνου ἢ σεμνότητος alibi † τὴν μὲν γὰρ ἀκεινοῦς καὶ καθαρὸς οὐκ ἀποκλίνει οὐ μέντοιγε τῇ λογάδι καὶ ἀττικιζούσῃ φράσει καλλωπίζεται) τοῖς ἐπιχειρήμασι δ' οὐ μόνον ἀσεβὴς ἀλλὰ καὶ λίαν σαθρὸς καὶ ἀνισχυρός; καὶ μηδ' ἐπιπολαίῳ φαντασίᾳ τῆς ἀληθείας τὰ οἰκεῖα δυνηθεὶς ἐπιχρῶσαι κατὰ τῆς εὐσεβείας σοφίσματα. *Dictionis genere ſui ſimilis eſt, perſpicuus ſcilicet, nihilque intenſum habens, aut grave. Verum argumentationis formâ non impius modò, ſed & putidus atque imbecillis eſt; ut ne umbratili quidem veritatis ſpecie propria potuerit colorare adversùs pios ſophiſmata.*

* Cod. 75.

† Cod. 215.

OPERA QUÆ EXTANT.

IN *Hexaemeron liber, ſive Commentarius in caput I. Geneſeos, Sergio Patriarchæ CP. dicatus.*

Diſputatio de Paſchate. Bina iſta Oſpuſcula Gr. Lat. edidit Balthaſar Corderius *Viennæ* 1630 4°.

De æternitate Mundi contra Proclum liber. Prodiit Græcè *Venet.* 1525.

De Dialecticis Græcorum liber, typis Gr. Lat. excuſus *Baſil.* 1532. *Pariſ.* 1521. *Venet.* 1525.

Commentarius in Ariſtotelis Analytica. Extat Gr. *Venet.* 1534.

Comm. in librum de Generatione & Corruptione. Gr. *Venet.* 1527.

Comm. in libros de Animâ. Prodiit Græcè *Venet.* 1535.

Comm. in libros V. de generatione Animalium. Gr. *Venet.* 1526.

Comm. in librum primum Meteororum, Extat Gr. *Venet.* 1551.

Comm. in IV. priores libros Phyſicorum. Græcè *Venet.* 1555.

Quæ quidem Commentaria huc non ſpectant. Vide quæ habet Jac. Gaddius de Script. non Eccl. Tom. I. p. 203.

OPERA DEPERDITA.

DE *Reſurrectione Opus*, à Photio memoratum Cod. XXI.

Adversùs Synodum Chalcedonenſem liber, quem ſtrictim attingit Photius Cod. LV.

Liber adversùs ea, quæ de S. Trinitate tradidit Joannes Scholaſticus Archiepiſcopus CP. in Oratione ſuâ Catecheticâ. Eum breviter depingit Photius Cod. LXXV.

Contra Iamblichi Opus de Simulachris liber, cujus ſcopum ſummatim exhibet Photius Cod. CCXV.

Adversùs Procli Opus contra Chriſtianos liber, in quo Procli argumentis maximâ lectorum omnium admiratione occurrens, ea præclariſſimè refutavit; eumque vel in ipſis Græcis diſciplinis, propter quas magnificè de ſe ſentiebat, atque efferebatur, indoctum ac amentem eſſe demonſtravit. Sic Suidas in voce Πρόκλος.

Contra Severum liber, cujus meminit Suidas in voce Ἰωάννης ὁ γραμμ.

Liber de Unione, Διαιτητὴς ſive *Arbiter* dictus, Sergio CP. rogante ſcriptus, de quo fusè agit Nicephorus Hiſt. Eccl. l. 18. c. 47. ubi & lacinias ejus quaſdam adducit.

601. P. II. JOANNES PHILOPONUS Grammaticus & Philoſophus Alexandrinus, claruit circa annum DCI. Cæteris ejus ſcriptis de quibus alibi, duo quæ ſequuntur MSS. addi poſſunt. Contra Acephalos Capita XVII. hoc initio, κεφάλαιον α'. Εἰ ὁ λέγων τὸν Θεὸν μόνον τὸν Χριστὸν μανιχαΐζει, &c. Extat Biblioth. Vindob. Cod. *Theol.* juxta Neſſel. CCXVI. num. XII. fol. 99. Idem eſſe hoc Opus cum libro ejus contra Severum, cujus meminit Suidas, fortè non ſine magnâ veriſimilitudine conjici poteſt. Ejuſdem diſſertatiuncula *de diviſione* trium animæ facultatum reſpectu quatuor primariarum virtutum. Πῶς ἐν ταῖς τρισὶν εἰσιν αἱ τέσσαρες. Incipit, φασί τινες τί δήποτε τριῶν δυνάμεων οὐσῶν τῆς ψυχῆς τέσσαρας τὰς καθ' ἀρετήν, &c. Extat *ibid.* num. XIII. fol. 103. p. 2. Opus ejus Διαιτητὴς dictum inter deſiderata numeratur, ut alibi notavimus. Inſigne hujus Operis fragmentum ἀνέκδοτον ex lib. IV. c. 7. MS. penes ſe habere haud ita pridem me monuit Cl. Gotfridus Olearius Lipſienſis, miratique ſe ait hoc Philoponi Opus à Cl. du Pinio prætermitti, neque id aliunde ortum, quàm quòd Photii locum Cod. L. hac de re peſſimè acceperit, quæque de Philoponi Opere dicit Photius, ipſe Niciæ monachi libro malè tribuit. Vide etiam quæ de hac ipſa re nuper notarunt eruditiſſimi Actorum Lipſienſium Editores *Supplem.* Tom. II. §. X. p. 477.

JOANNES MALELA, Patriâ Antiochenus, claruit ineunte hoc ſeculo circa annum DCI. Ejus meminit, & ex eo quædam profert Joannes Tzetſes Chiliad. 5. Hiſt. 29. 30. Unus etiam ex XIV. Hiſtoricis erat, ex quibus Collectanea ſua de Virtutibus & Vitiis compilavit Conſtantinus Porphyrogenneta. Condidit *Chronicon* ab Orbe condito ad ſua uſque tempora, fabulis immanè quantùm deditus, in quo & judicium & fidem meritò deſideramus. Excerpta Conſtantiniana reliquis adjungere noluit Cl. Valeſius, uti in Præfatione ipſe nos docet, eò quòd præter tres quatuorve fabulas de Minoe, Antiopâ, ac Bellerophonte, eaſque illepido ſermone textas, nihil bonæ frugis continerent. Vidimus *Chronicon* integrum, in Archivis Bibliothecæ Bodlejanæ hodie ſervatum: quod Latinè tranſtulit, & notis illuſtratum, prælo dudum Gr. Lat. excudendum paravit Edmundus Chilmead Ædis Chriſti Sacellanus, qui obiit anno 1653. Verùm typis exprimere huc uſque diſtulerunt præli Sheldoniani Curatores; quòd luce publicâ haud ſatis dignum judicarint. Utinam nihilominus, quale quale id demum ſit, Eruditorum orbi non inviderent. Interim ex hoc Chronico nonnulla adducit Seldenus de Synedr. l. 1. c. 8. alia ὁ πάνυ Uſſerius tum notis ad Ignatii Epiſtolam ad Philadelphenos, tum in Appendice Ignatianâ p. 9. Quin & ex eo deſumpta eſſe, quæ de Tiberiano habet Suidas *, nullus dubito. 601.

* In V. Τραϊαν.

JOANNES cognomento MALELA, ortu Antiochenus, claruit circa annum DCI. Scripſit *Hiſtoriam chronicam* libris XVIII. ab orbe condito uſque ad Juſtiniani Senioris exitum; & quia in codice MS. deerat liber primus & ſecundi pars, ut defectum ſuppleret interpres, ex Georgii Hamartoli Monachi Chronico ἀνεκδότῳ excerpta quædam chronologica præfixit. Latinè vertit præloque ante annos pluſquam XL. paravit Edmundus Chilmeadus Oxonienſis. Verùm eo mortuo, Opus diu neglectum jacuit, multorum votis expetitum, donec tandem manus obſtetricantes admovit vir doctiſſimus, mihique in paucis amicus, Humphredus Hodius S.T.P. qui Opus recenſuit, breves ad paginæ calcem notas ſubjecit, & ampliſſima prolegomena, multo eruditionis & diffuſæ lectionis apparatu adornata, præmiſit, quibus de Auctore, vitæ ejus conditione, ætate operæ, interprete luculenter agit. Prodiit hæc Chronographia, ſubjun- 601. P. II.

Digitized by Google

junctâ Cl. Bentlei ad Jo. Milium dissertatione Epistolicâ Græc. Lat. *Oxon.* 1691. 8°. Ætatem quod attinet, semper in eâ fui sententiâ, Malalam sive Malelam non diu post Justiniani obitum, saltem ineunte hoc sæculo, floruisse. Quem tamen ad sequiora sæcula detrudit Editor, & nono demùm sæculo vixisse, longo sive argumentorum sive conjecturarum agmine contendit. Mei non est neque operis, neque otii, singula anxiè excutere; verùm pace viri humanissimi, & incolumi semper amicitiâ, ad astruendam quam hactenus amplexus sum sententiam, pauca quàm potero brevissimè, in medium proferam. Advertat igitur Lector, primò, in MS. codice Barocciano, unde desumptum est Chilmeadi apographum, paucas tantummodò schedas in fine deesse. Unde jure colligere quis possit auctorem non diu ultra Justiniani obitum, Historiam suam produxisse. Gratis quidem & precariò dicitur, fieri potuisse, ut hujus Operis pars altera fuerit, quæ nescio quo casu periit. Hujusmodi enim conjecturæ nullis testimoniis, nullâ probabili ratione nixæ, eâdem facilitate rejici, quâ offerri possunt. Secundò, In describendis Justiniani temporibus Malala noster tam copiosè & cumulatè singula persequitur, & quascunque rerum circumstantias tam diligenter & particulatim exponit, ut jurares auctorem hoc circiter tempore vel scripsisse, vel vixisse. In celebrandis reliquorum Imperatorum gestis parcus admodùm est, & levi pertractat digito, in Justiniani rebus illustrandis longè uberiùs & copiosiùs agit, & cujusvis Indictionis, Anni sæpissimè, & Mensis Acta recenset præsertim (quod notari velim) circa postrema Justiniani tempora; fortiori exinde conjecturâ eum vel his rebus interfuisse. Neque enim eâ solùm de causâ hoc factum est, quòd diuturnum Justiniani Regnum (qui Imperium per annos XXXVIII. tenuit) tantam scribendi materiam præbuit. Imperârunt quippe alii diutiùs, resque posterorum memoriâ dignas gesserunt; in quibus nihilominùs nusquàm tantam posuit diligentiam. Imperavit Augustus, quo regnante ingentes rerum vicissitudines passus est Romanus orbis, annos LVI. Constantinus M. cujus tempore factæ sunt novę rerum mutationes, nova Ecclesiæ, nova Reipublicę facies, paulò breviùs, annos saltem XXXI, Theodosius Junior annos XLII. Et tamen integram horum omnium historiam duplò superat unius Justiniani Imperium. Fateor Malalam nusquàm à se visa commemorare, nusquàm de se, domove suâ mentionem injicere. Neque mirum. Quot enim insignes Historici res suo tempore gestas literis mandârunt, apud quos de se, suâve familiâ nec vola nec vestigium. Quòd ad Acta Civitatis publica semel provocet, non inde sequitur, rem narratam videre non potuisse. Quis enim rerum apud nos durante tyrannide gestarum historiam contexturus, etsi ipse interfuit, vel interesse potuit, quandoque tamen ex Reipublicæ Archivis fidem potiùs suam astruere non maluit? Tertiò, Haud parùm apud me roboris habet, quòd auctor noster dùm in reliquis Historiæ suæ partibus Scriptores ante sua tempora claros, veluti testes idoneos citare solet, per integrum Justiniani Imperium vix unum laudet, & exceptâ Chronologorum quorundam in computandis annis ob orbe condito mentione obiter factâ, (quod ad hanc rem nihil facit) nullum. Cujus haud alia ratio satis commoda reddi queat, quàm quòd res vel ipse viderit, vel ex recenti momoriâ acceptas posteris tradiderit. Quæ de Legati ex Indiâ reversi (sive Nonnosus is fuerit sive alius) narratione habet, non necessariò ad scriptam Historiam, sed ad Orationem vivâ voce coram Imperatore habitam commodè referri possunt. Cùm vox ἐξηγήσατο ex æquo utrumque respicit; nec aliud in genere quàm rem gestam *referre*, vel *exponere* notet. Quartò, Chronographia Malaliana à Joanne Damasceno qui circa annum DCCXXX. claruit, disertissimè citatur Orat. III. *de Imagin.* p. m. 776. Orationem verò hanc genuinum esse Damasceni fœtum uno ore agnoscunt omnes tùm è Reformatis, tùm Pontificiis Critici Ecclesiastici. Nec immeritò; cùm & stylus, & res ipsa, hominis istius omnium Mortalium δεισιδαιμονεστάτε, & in cultum imaginum penè insanientis, doctrinam & ingenium ad vivum exprimit. Sed Malala Scriptores aliquot ab ætate Justiniani longè remotos non semel laudat; nempe Clementem & Theophilum chronographos, hunc anno DCCLXXXV. illum saltem post annum DCLXXXV. clarum. At unde constat Clementem post annum DCLXXXV. scripsisse? Scilicet, quia Anonymus *Demonstrationum Chronographicarum* auctor, quem in *Originum Constantinopolitanarum manipulo* edidit Combefisius, de statuâ quâdam Theodosii M. agens refert Clementem dicere, *similes, variaque forma marmoreas Statuas Constantini Constantii filii, esse.* Hunc Constantinum de Constantino Pogonato Constantis filio, qui an. DCLXXXV. diem obiit. intelligendum esse in notis contendit Combefisius. Mihi longè verisimiliùs videtur, ad Constantinum M. Constantii filium id potiùs esse referendum. Quis enim nescire potest Constantinum M. novam quam condiderat Romam, variis marmoreis Statuis sibimet ipsi positis, variis in urbis locis exornasse? Nec tacet id Malala, qui plures recenset, quas suo tempore perdurasse, magnôque in honore habitas fuisse, refert. Quid quod apud Demonstratorem nostrum Combefisianum Canstantini M. statuæ utramque faciant paginam? Quas tot locis recenset, toties cum aliorum statuis confert, ut hoc penè unicum in animo habuisse videatur. Immò ne toto, quod sciam, Opere, præter Constantinum M. ejusque filium alicujus Constantini Imperatoris vel semel meminit. Sed Constantinum, *Constantii filium* vocat Chronographus Combefisianus. Et ita quidem Magnum illum Constantinum vocant Scriptores alii; Ita Theophanes ad annum CCLXXXVIII. pag. 6. Κωνςαντῖνος ὁ ὑιὸς τȣ̃ Κωνςαντίȣ, iterumque ad annum CCXC. pag. 7. ita ipse Malala lib. XIII p. 1. Ὁ ὑιὸς Κωνςαντίȣ τȣ̃ Κλωρȣ̃ Κωνςαντῖνος ὁ μέγας Nec obstat quòd Constantinum suum, *Constantii filium* vocare non solet laudatus Chronographus. Sufficit, quòd quandoque Constantii filium, quandoque simpliciter Constantinum, vel Constantinum Magnum appellet. Neque enim aliter Malala, qui semel tantùm Constantii filium, sępiùs *Constantinum Imperatorem*, vel *Magnum* vocat. Quod & à Theophane aliisque factum est. Theophilum quod attinet, meminit Abulpharaius Theophili cujusdam Chronographi, qui exeunte Sæculo VIII. floruit. At quis fidem faciet hunc cum nostro eundem esse? Plures erant Joannes Historici, (eosdem recensente Cl. Editore) cur non & plures Theophili Chronographi esse potuerint? Certè Malala non modò ipsum cum antiquioribus conferre solet; sed & semel Tatiano adjungit. Addam quod non parum notari meretur, Malalam nostrum, qui in prioribus Operis sui partibus Theophilum sæpiusculè laudare solet, post Neronis tempora, *i. e.* post D. Marci Anianum sibi successorem Alexandriæ substituentis obitum, in re historicâ nunquam citare. Quod vix fieri potuit, si paulò ante VIII. Sæculum absolutum vixerat, & historiam suam ad Irenes Imperatricis tempora perduxisset. Ut non spernenda mihi videtur Rev. & doctissimi Jo. Felli conjectura, statuentis Theophilum Chronographum non

SÆC. VII. ab An. DC.

non alium fuisse quàm Theophilum Antiochenum, qui in rebus chronologicis apprimè versatus, librum *de Temporibus* (quo nomine laudat illum Lactantius *) id est, Opus *ad Autolycum* scripserit. Nec obstat, quòd quæ ex Theophilo profert Malala, in ejus Operibus hodie non reperiantur. Potuit alia scribere Theophilus, quorum notitia ad nos non pervenerit, vel iis inesse poterunt, quæ perierunt. Sed Clementem citat Anonymus Combefisianus; certè obscurus, ignobilis, nullius nominis, & sequioris ævi Scriptor. Et quid si concedatur fuisse Clementem Chronographum, qui Sæculo IV. vel V. scripserit? Certè nunquam probari potest ex Anonymo Combefisiano Clementem de quo loquitur, diu post Constantini M. tempora floruisse. Et erat quidem Clemens Historicus, cujus meminit Suidas in voc. Κλήμ. qui Romanorum Regum & Imperatorum historiam scripsit, aliaque Opera, quæ Hieronymo cuidam dedicavit. Jam verò si is fuerit (ut fuisse sanè verisimillimum est) Hieronymus ille Presbyter Dalmata, qui Græcè scripsit historiam SS. Patrum Ægypti, quique in Joanne Abbate se sub Theodosio Magno vixisse testatur, de quo egimus ad ann. CCCLXXXVI. habemus Clementis nostri ætatem, cui proindè quod habet Demonstrator Combefisianus optimè congruit. Sed fabulosus est Malala, & nugarum plenus. Esto, an statim ad sequiora sæcula relegandus? In fabulas maximè propensi sunt Evagrius Scholasticus, Theodorus Lector, Joannes Alexandrinus vitę Chrysostomianæ Scriptor, ut alios taceam, omnes circa hæc tempora Scriptores Ecclesiastici, an ideò sedibus suis mox movendi? Neque prætereundum hoc loco est, Cl. Editorem alibi † ubi de fabulosis miraculis, quæ in vitâ Eutychii CP. ab Eustratio Presbytero conscripta occurrunt, sermonem habet, disertè affirmare, omnibus id tàm hujus quàm sequentium sæculorum Biographis, aliter probæ notæ Scriptoribus solenne esse, ut ex Cyrillo Scythopolitano, *inquit*, aliisque liquet; ipsos denique Historicos Evagrium, Theodoritum, &c. istiusmodi relationibus refertos esse. Quin toties laudatum Procopium somnia & deliramenta tradidisse, & impudentes & planè portentosas, quæque sub humanam fidem vix cadere possunt, in Justinianum, Theodoram Augustam, omnèmque Aulam fabulas ex proprio cerebello confinxisse, nôrunt quotquot vel primis labris Ἀνέκδοτα salutârint. Certè si hæc valeret argumentandi ratio, de nobilissimis & vetustissimis Græciæ Scriptoribus Herodoto, Diodoro Siculo, aliisque actum erit. Sed stylus ejus ab omni elegantiâ abhorret. Et quis nescit Linguam Græcam hoc tempore à puritate suâ longè recessisse, inque eam barbara & hirsuta vocabula irrepsisse, & Historiarum Scriptores pro loco, indole, educatione, curâ, & studio, plùs minùsve elegantiæ habuisse? Mitto errores chronologicos, res ab eo vel omissas, vel diversimodè ab aliis relatas; & siqua hujusmodi, quæ ipsi cum aliis, ejusdem temporis Historicis communia sunt. Testis sit iterùm vel unus Procopius, ipse licèt Historicorum hujus temporis facilè princeps, qui non modò refert quæ omnium συγχρόνων testimoniis destituuntur, non modò sui temporis Historicis pugnantia tradit, sed & sæpissimè sibimet ipsi contradicit, ut infinitis exemplis luculenter ostendit Cl. Eichelius *Prolegom.* in Procopii Ἀνεκδ. nu. XXVIII. XXX. XXXI. XXXII. XXXVIII. Plura de Malala dici poterant, sed hæc sufficiunt. Quicquid verò de ætate ejus sit, laudanda est Cl. Editoris diligentia, prædicanda eruditio; à quo alia ingenii & industriæ suæ monumenta expectamus. In quibus edendis, ut fidem tandem liberet suam, calidis votis omnes apprecamur.

* Lib. I. c. 23. p. 132.

† Lib. Angl. de Sedib. Episc. per injust. deprivat. vacant. c. 10. p. 120.

SÆC. VII. ab An. DC. 601.

HESYCHIUS, sive Isychius, Patriarcha Hierosolymitanus, vixisse putatur circa an. DCI. utpote ad quem extat Gregorii M. Epistola lib. 9. ep. 40. Plures certè erant Hesychii tum apud Græcos tum apud Latinos; de quibus, scriptisque iis attributis varias variorum sententias accuratè recenset Labbeus *, & qui Labbeo prævivit, Edm. Albertinus †; quos adeant curiosi. Eorum enim observationes exscribere nec otium nobis est, nec animus. Summa conjecturæ (quæ quidem mihi verisimillima videtur; fruantur alii judicio suo) huc redit. Hesychium dum Ecclesiæ Hierosolymitanæ Presbyter adhuc esset, multa scripsisse, alia postquàm Patriarchalem istius Ecclesiæ thronum ascendisset; eorum denique nonnulla Hesychium quendam, forsan Salonitanum illum juniorem, qui circa vel paulò post Gregorii M. tempora vixisse dicitur, multis de suo additis in Latinam linguam transtulisse. Delio sanè natatore hæc res indiget; neque aliud in re tam obscurâ, quàm divinare, nobis fas est. Jam ad Opera quæ sub Hesychii nomine circumferuntur, accedamus.

* Dissert. de Script. Tom. I. p. 632. & in Addend. p. 820.

† De sacr. Euch. l. 2. p. 846.

Explanationis in Leviticum libri VII. qui Latinè prodierunt *Basil.* 1527. & *Paris.* 1581. 8°. De istius Operis autore, quot homines tot sententiæ. Isychio Salonitano Presbytero ascribunt Codices nonnulli MSS. Autor verò Glossæ ordinarię in Leviticum ac Bostonus Buriensis (notante Usserio Biblioth. Theol. MS. p. 229.) Isychio Hierosolymorum Episcopo tribuunt. Unus autem (inquit ibidem Usserius) tantum erat illius nominis Hierosolymorum Episcopus, qui post Amos 8. annis sedem illam tenuit (ut in Chronico suo habet Nicephorus) ab anno 601. quo eum Episcopatum nuper adeptum scribit Gregorius Papa. Ante quod etiam tempus horum Commentariorum autorem non floruisse illo præterea argumento colligit Bellarminus, quòd versionem Hieronymi exponat tanquam communem & receptam in Ecclesiâ; cùm satis constet eam non fuisse ita communiter receptam nisi longo tempore post ipsius Hieronymi obitum. Et quidem editio quæ hìc exponitur, ita temperata est, ut cum LXX. conveniat, & à vulgatâ Latinâ non discrepet; quod tamen temperamentum an ab autore sit, an potiùs à Latino ejus interprete, videndum est. Alia enim quæ Hesychio Presbytero Hierosolymitano tribuuntur scripta, Græco sermone habentur edita. Qui verò *Commentaria in Leviticum* assumit, Latini hominis personam passim assumit, ut quando lib. 1°. ita scribit: *Quod nos hostiam dicimus Græcè dicitur* κάρπωμα, & in cap. 4. *Hoc LXX. in Græco sic edunt, ut* χίμαρον & χιμαίραν *dicunt offerri debere, quod Latini ex eâdem editione interpretati sunt hœdum ex capris masculum, & capram de hœdis fœmellam.* Et l. 2°. *Fecit Moyses ut Dominus imperaverat, congregatâque omni turbâ ante fores, ait, Quod Græcâ linguâ in* LXX. *expressiùs translatum est,* id est, ἐκκλησιάσας τὴν συναγωγὴν. Hæc Usserius. Sanè ut quod sentio, summatim dicam. Videtur Operis istius author esse Hesychius Hierosolymitanus; certè tempus ac locus optimè congruunt. In eo enim dato opere sæpè refutantur Nestorius & Eutyches, idque ab Amalario, Rabano Mauro, aliisque istius ævi Scriptoribus citatum videre est. Quinetiam Hierosolymis scriptum esse plurima inibi deprehensa loca luculenter arguunt. Latinus tamen interpres, quem Hesychium esse Salonitanum libenter crederem, plurima immutavit, atque addidit, & inter alia *vulgatam versionem* Commentariis hisce adaptâsse videtur.

Στιχηρὸν sive Κεφάλαια *in XII. Prophetas Minores, & Esaiam*, Græcè edidit unà cum Adriani Isagoge David Hæschelius *Augustæ* 1602. 4°. & cum eadem habetur Critic. Sacr. Tom. VIII. p. 26.

Ἀντι-

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. Ἀντιῤῥητικὰ & Εὐκτικὰ, ſive *Sententiarum Centuriæ* II. *ad Theodulum de Temperantiâ & Virtute*, quæ docent quâ ratione reluctandum ſit affectibus & vitiis, ac orandum. Græcè editæ ſunt unà cum Marci Eremitæ Opuſculis, *Pariſ.* 1563. 8o. & eodem ann. ibidem Latinè Joanne Pico interprete. Ac in Auctario *Pariſ.* 1624. Tom. I. p. 985. *Centuriæ* iſtæ plurimas ſententias ex Marci Aſceticis verbatim deſcriptas habent, & notante Photio *, *librum vitarum Sanctorum S. Antonio coætaneorum* claudebant.
* Cod. 198.

Sermones II. *de Beatâ Virgine.* Habentur Gr. Lat. in Auctario 1624. Tom. II. p. 417.

Oratio demonſtrativa in S. Andream Apoſtolum. Extat Lat. in Bibliothecâ Patr. Tom. XII. p. 190. Hujus *excerptum* eſſe arbitratur Labbeus, quod habet Photius Cod. 296. ubi Thomam pro Andreâ à librariis malè poni cuivis locum inſpicienti facilè patebit.

De Reſurrectione Chriſti Homilia, quam Gregorio Nyſſeno aſcribunt Codices nonnulli.

Quâ horâ crucifixus eſt Dominus. Binas iſtas *Homilias* edidit Fr. Combefiſius in *Auctario* 1648. Tom. I.

Cæterùm præter Στιχηρὸν & *Homilias* poſteriores haſce duas, reliqua Heſychii Opera extant Latinè in Bibliothecâ Patr. Tom. XII.

Ἡσυχίου πρεσβυτέρου ἐπίγραμμα ἱστορίας εἰς ψαλτήριον, ſeu *Introductio in Pſalmos* ſatis prolixa.

Ejuſdem *Commentarius in Pſalmos* à Pſalm. 77. ad 107. incluſivè, & in Pſalm. 118. Habentur hæc Opera Græcè MS. fol. in Bibliothecâ publicâ Cantabrig. Claſſ. 3. Fig. 3. Notandum verò eundem *Commentarium*, ibidem etiam ſub Chryſoſtomi nomine haberi. Auguſtinus Lindſellus, poſtea Epiſcopus Petriburgenſis, adnexâ notulâ ſcribit, diverſum eſſe ab illo Chryſoſtomi in eoſdem Pſalmos Commentario qui typis excuſus prodiit. Meracus verò Caſaubonus certiſſimè eſſe Heſychii affirmat.

OPERA, quæ non extant.

Hiſtoria Eccleſiaſtica, cujus Fragmentum de Theodoro Mopſueſteno, ejuſque Hæreſi exhibetur in Synodi Quintæ CP. Collatione 5a.

Homilia in Jacobum fratrem Domini, & in Davidem Θεοπάτορα altera; quarum excerpta exhibet Photius Cod. 275.

In Canticum Habaccuc, & Jonæ. Fragmenta habentur in Caraffæ Catenâ in omnia utriuſque Teſtamenti Cantica.

Conſonantia Evangelica, cujus Fragmentum Gr. Lat. dedit Combefiſius Auctar. Nov. Tom. I. pag. 773. & alterum inferiùs. *Epiſtomen* illius quandam, ſeu *Quæſtiones* LX. & *Solutiones* totidem ex ipſo Opere olim excerptas Græc. Lat. cum Notis evulgavit Cotelerius Monument. Eccleſ. Gr. Tom. III. p. 1.

Commentarii in Epiſtolam ad Hebræos, & in Ezekielem, quorum teſtimoniis ſubinde utitur D. Thomas.

601. P. II. HESYCHIUS, ſive ISYCHIUS, ſive ISACIUS, primùm Presbyter, deinde Patriarcha Hieroſolymitanus claruit anno DCI. Sententiam noſtram de Heſychio, ejúſque ætate & Scriptis ſuprà protulimus. Cujus necdum pœnitet. Obiit anno DCIX. De eo enim hæc tradit Chronici Alexandrini auctor † Hoc anno (Phocæ penultimo] σφάζεται ὁ πάπας Ἀλεξανδρέων παύει ϡ καὶ Ἰσακίος ἀπὸ Ἱεροσολύμων καὶ γίνεται ἀντ' αὐτοῦ Ζαχαρίας. Præter Opera ſuprà memorata, extat ſub ejus nomine *Vita S. Longini* Centurionis à Bollandianis edita *Mart.* XV. *Oratio in Lazarum quatriduanum.* Habetur Græcè MS. Bibliot. Vindob. Cod. *Hiſt.* Eccl. LXII. num. XX, fol. 123. quæ hoc modo incipit, Δεῖπνον ἡμῖν πολυτελὲς Λάζαρος σήμερον παρατίθησιν. Δεῖπνον, ἐν ᾧ πάντα θαυμαστὰ, πολυανθῆ, καὶ λαμπρὰ θείας, &c. Fragmenta in varia Veteris & Novi Teſtamenti *Cantica ſacra* ibidem Cod. *Theol.* CLIX. Scripſit item Homiliam ſive Sermonem in *Chriſti nativitatem*, ex quo nobile Fragmentum de annis Mundi, déque anno Natalis Dominici, inter Anaſtaſii Nicæni quæſtiones Latinè edidit Gentianus Hervetus, & habetur *Biblioth. Patr.* Tom. XII. Græcè verò & Latinè Car. du Freſnius in Appendice ad *Chron. Paſchale*; & paulò pòſt, Editionis tamen Freſnianæ ignarus, ex codice Barocciano CCVI. clariſſimus Hodius noſter *Prolegom.* ad Malalæ Chron. num. XXIV. Qui hæc aliáve Opuſcula non noſtro, ſed juniori cuidam Heſychio tribuenda eſſe, ſaltem tribui poſſe, contendunt, tùm demùm aſſenſum ab æquis rerum æſtimatoribus impetrabunt, cum Veterum auctoritate, vel codicum manuſcriptorum fide id demonſtrare poſſint. Erat quidem Heſychius Presbyter Hieroſolymitanus, literarum doctrinâ clarus, qui ſub Theodoſio Juniore vixit, de quo Theophanes ad ann. CCCCVII. p. 71. verùm ille noſtro longè antiquior erat.
† Pag. 874. Edit. Rader.

DOROTHEUS, Archimandrita Palæſtinus, Joannis Monachi celeberrimi, *Prophetæ* dicti, diſcipulus & miniſter, qui ex afflictâ valetudine per plures annos in lecto decumbenti inſerviit. Fateor me veram ejus ætatem ignorare; conjecturâ tamen non prorſus improbabili ductus, exiſtimo ipſum ineunte hoc ſæculo claruiſſe. Cùm enim Barſinuphii, qui circa ann. 550. teſte Evagrio †, floruit, Joannes ille fuerit diſcipulus; Joannis autem in extrema ætate jam poſiti Dorotheus noſter miniſter fuerit, non alio loco commodiùs reponi poterit. Plurima de ſe hinc inde habet Dorotheus, quæ tanti non ſunt, ut huc transferantur. Id tantùm dicam, eum poſt Joannis mortem è Seridi Abbatis Monaſterio excedentem, Cœnobium ſeorſim ſibi ſuiſque poſuiſſe ac gubernaſſe. Scripſit *Doctrinas, De vitâ rectè & piè inſtituendâ*, ſive *Diſſertationes Ethicas & Aſceticas* XXIV. & *Epiſtolas* quaſdam breviculas ejuſdem argumenti. Extant *Doctrinæ* iſtæ [quarum ultima Græco textu caret] ſubnexis ad finem *Epiſtolis*, Græc. Lat. in Orthodoxogr. p. 195. & Auctario Duceano Tom. I. p. 743. 601.
† L. 4. c. 33.

PATERIUS, Gregorii M. diſcipulus, Romanæ Eccleſiæ Notarius & Secundicerius. Claruit anno 601. & deinceps, tandem, ſi Arnoldo Wion * fides, ob ſummam eruditionis famam Epiſcopus Brixienſis creatus. Scripſit *tres libros Explanationum in obſcuriora utriuſque Teſtamenti loca*, ex Gregorii M. Operibus excerptos; ſeu ut habet Sigebertus †; colligens omnia S. Scripturæ teſtimonia, per quæ Gregorius obſcura ſuæ Expoſitionis dilucidavit; Tres libros edidit, duos *de Teſtimoniis Vet. Teſtamenti*, unum *de Teſtimoniis Nov. Teſtamenti*; ipſumque codicem appellavit *librum Teſtimoniorum*. Prodiit Opus iſtud Paterii *Romæ* 1553. fol. & inter Opera S. Gregorii ibidem 1591. & ſequentibus editionibus. Verùm in impreſſis omnibus, & nonnullis Manuſcriptis ejus Codicibus deeſt liber ſecundus, quem cum reliquis duobus integrum ſe vidiſſe MS. in Bibliotheca Cœleſtinorum Pariſienſium prodit Caſ. Oudinus Supplement. pag. 156. 601.
* Lign. vit. l. II. c. 38.
† De Script. c. 43.

EUSEBIUS, Epiſcopus Theſſalonicenſis; claruit anno 601. Ab Andrea quodam Monacho, gente Græco, Aphthartodocitarum Hæreſi perditè addicto [eodem forſan cum eo qui Romæ ad Baſi- 601.

SÆC. VII. ab An. DC. licam Sancti Pauli inclusus degit, & ob conficta sub Gregorii M. nomine scripta quædam in Concilio Romano anno 601. damnatus est; quemque in Epi-
*L. 9. ep. 69. stola ad Eusebium nostrum Gregorius M. *exagitat) ab eo, inquam, per literas lacessitus, scriptâ *Responsione*, Andreæ nugas refutavit, ac dogmata Aphthartodicitωn funditùs evertit. Cùm verò Andreas edito alio Opere sententiam suam majore molimine confirmatum iret; Eusebius decem conscriptis *libris* rem fusiùs, atque accuratiùs pertractavit, & Catholicam veritatem egregiè stabilivit. Extant *Excerpta* utriusque Operis apud Photium, Cod. CLXII.

601. CONON, primò Joannis Philoponi discipulus, cujus partes strenuè tutatus est in disputatione, quam unà cum Eugenio habuit contra Paulum & Stephanum Eutychianos coram Joanne Patriarcha CP. Claruit circa ann. 601. Demum Philopono infensus factus, quòd tres, quas in Trinitate posuit, naturas sive substantias per omnia æquales esse ac in nullà re variantes confiteri nollet, diversam ab eo sectam instituit, cui nomen suum imposuit, & Episcopi vice præfuit: quin & Philoponi scripta anathemate percussit, & adversùs illius *de Carnis Resurrectione* deliramenta, *Orationem invectivam* scripsit. Idem fecit & Eugenius, & ipse Philoponi sectator olim ignobilis, qui in disputatione supradictâ inclaruit. Utriusque Opera perierunt. Præter *Orationes* enim *invectivas*, *Acta disputationis contra Paulum & Stephanum* literis mandata sunt, & à Photio prælecta. Vid. Cod. XXIII. XXIV.

601. THEODOSIUS, Monachus, claruit, ut videtur, circa ann. 601. Scripsit *Confutationem* satis accuratam *Testimoniorum* quæ *adversùs corporum Resurrectionem* à Joanne Philopono, seu ex Sanct. Scripturis, seu ex Patrum sanctorum scriptis, adducta sunt. Liber iste à Photio Cod. XXII. memoratus, jam interiit. Dogmata ejusdem Philoponi malesana de SS. Trinitate, Gregorius, ὁ μέγας ἐν θεολογίᾳ (inquit Nicephorus*) in libro ad Evagrium
*L. 18. c. 48. Monachum *de Divinitate* luculentissimè refutavit. NE.

601. THEMISTIUS, *Calonymus* cognomento
† L. 48. c. 5. sibi adscito dictus, (quem Nicephorus Callistus † pessimè confundit cum Themistio Philosopho, qui sub Valente floruit) Severianorum, Theopaschitarum, & Agnoetarum sectarius. Claruit anno 601.
† Cod. 108. Vir non indoctus, inquit Photius †, qui perspicuitatem sermonis cum argumentorum robore optimè novit conjungere. Scripsit Orationem invectivam adversùs Philoponi deliria de Resurrectione: pro Agnoetarum verò sectâ composuit libellum, cui titulum dedit, *Apologia pro Theophobio* quo in libro ipsum Severum perstringere non dubitavit. Isti libello volumen opposuit Theodorus, cui ut vices rependeret Themistius, peculiare *Opus in Theodorum* conscripsit. NE. Scripsit & alia quædam Themistius, quorum memoria & fragmenta aliquot supersunt in Actis Conciliorum Lateranensis & CP. III. viz. *Libros* nonnullos *ad Theodoram Imperatricem, Sermones aliquot adversùs Colluthum pro Tomo Theodosii. Epistolam pro Salamitanis. Sermonem ad Charisium Monachum. Librum ad Constantinum Episcopum Laodicenum. Libros de satisfactione, pro Agnoetis, ad Marcellum Presbyterum & Stephanum Diaconum*, Concil. Tom. VI. p. 216. 320. denique *contradictorios libros adversùs Theodosii Tomum*, ex quorum secundo fragmentum habes Concil. Tom. VI. pag. 381.

THEODORUS, Monachus Alexandrinus, Severianorum, Theopaschitarum, ac Theodosianorum hæresim sectatus. Claruit anno 601. Scripsit *Confutationem brevem* repetitæ Themistii contra Patres temerariæ maximéque absurdæ contentionis, sive libri illius Apologetici pro Agnoetarum sectâ. *Confutationi* huic cùm *Responsionem* objecerat Themistius, Theodorus tribus aliis in eodem argumento libris editis *Operis sui vindicias* egit. NE. SÆC. VII. ab An. DC. 601. Phot. Cod. 108.

NICIAS, Monachus, claruit eodem circiter, ut videtur, tempore, viz. anno 601. Scripsit *contra Philoponi Capita* VII. quorum ipse Philoponum meminerat in Διαιτητῇ suo. Scriptis etiam Severum aggressus est, & Gentiles libris duobus refutavit. Vid. Photium Cod. L. 601.

FAUSTUS, gente Italus, septennis adhuc puer S. Benedicto bonis moribus instituendus à parentibus commissus est, sub cujus regimine in Monasterio Casinensi educatus est, & ab eo S. Mauro in Gallias misso comes datus. Maurum igitur in Gallias secutus in Monasterio ab illo ad Ligeris ripam constructo 42. annos exegit; ac biennio post illius mortem, in Italiam redux, Casinum repetiit, ubi rogantibus Monachis, præcipuè jubente Theodoro Abbate, *Vitam & res gestas Sancti Mauri* conscripsit, ac Bonifacio III anno 606. nuncupavit. Extat hæc *Vita*, sed ab Odone Abbate Glannafoliensi interpolata, apud Surium & Bollandum Januar. XV. & apud Mabillon. Sæc. Benedict. I. pag. 274. Scripsit item *Vitam S. Severini Abbatis*, quæ habetur apud Mabillon. ibid. pag. 568. 601.

MARCUS, Ordinis Benedictini Monachus, S. Benedicti discipulus & familiaris; claruit anno 606. *Vitam S. Benedicti* à Gregorio M. prosâ descriptam, ipse nonnullis de suo additis carmine planè eleganti, & supra sæculi sui genium venusto enarravit, adeò ut teste Petro * Diacono, de adventu sanctissimi Benedicti ad Casinum, de situ loci constructioneque Cœnobii elegantissimos versus composuit. Edita est hæc *Vita* à Prospero Martinengo *Romæ* (unà cum aliis Poëtis) 1590. *Collectionis* suæ Tom. III. *Gnomæ* verò *Hagenoæ* impressæ 1531. & alia quædam Opusculâ *Paris.* 1563. edita, quæ Marco nostro tribuit Gotfridus Olearius*, & [qui fortasse Olearium in errorem duxit] J. B. Marus Not. ad Petrum Diac. pag. 8. Marco Eremitæ qui ineunte sæculo quinto floruit, certo certiùs ascribenda sunt. 606. *De Vir. Ill. lust. Casi. c. 3. *Abac. Patr. p. 301.

BONIFACIUS IV. patriâ Valerianus, è gente Marsorum, Joannis medici filius, ex Presbytero Ecclesiæ Rom. Pontifex electus post initium Novembr. anno 606. & anno sequente die 26. Augusti ordinatus. *Pantheon* Romanum à Phocâ Imp. impetratum in Ecclesiam commutavit; (quæ S. Mariæ *ad Martyres*, vulgò *rotunda*, hodie dicitur) sicut decessor ejus Bonifacius III. *Oecumenici* titulum ab eodem tyranno impetraverat. Ann. 610. Mellitus Londini Episcopus constructo extra urbis mœnia Monasterio, Romam profectus est, Pontificem de vita & regulis Monachorum, aliisque Ecclesiæ Anglicanæ negotiis consulturus; ubi habita est hac de re Synodus, in quâ ipse Mellitus sedit, & quæ decreta erant sua quoque authoritate, inquit Beda †, subscribens confirmavit, *Canonesque* unà cum Bonifacii *literis* secum in Britanniam detulit. Obiit Bonifacius die 8. Maii. anno 615. Extat *Epistola ad Ethelbertum Anglorum Regem*, & *Decretum in Synodo Romanâ* latum *de Monachis officium* 606. † Hist. Eccles. l. 2. c. 4.

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. *officium Sacerdotale ministrantibus*, Concil. Tom. V. pag. 1618.

608. SERGIUS, ab ann. 608. Patriarcha Constantinopolitanus. Anno 629. ab Heraclio Imper. animi dubio consultus unicam esse in Christo voluntatem & operationem, habitâ Synodo decrevit & rescripsit, virus in mente jamdiu latens tunc primùm prodens. Anno 633. cum Honorio Papa per literas egit, ut omnium Patriarcharum decreto confirmaretur Synodus Alexandrina, quæ fidei Orthodoxæ dispendio pacem infidam Catholicos inter & Eutychianos conciliarat, unicam esse in Christo voluntatem docens. An. DCXXXIX. editâ *fidei Ecthesi*, habitâque Constantinopoli Synodo, hæresin Monotheleticam confirmavit; & eodem diem supremum obiit. Extant ab eo scriptæ *Epistolæ* III. *altera ad Cyrum Patriarcham Alexandrinum* Gr. Lat. Conc. T. VI. pag. 176. *altera ad Cyrum Phasidis Episcopum*, Gr. Lat. inter Concil. CP. III. Acta Act. 12. Concil. Tom. VI. pag. 915. *tertia ad Honorium Papam*, Gr. Lat. ibid. p. 918. *Acta Synodi*, quam pro confirmandâ *Ecthesi* Imperatoris hæreticâ anno 639. habuit, extant Gr. Lat. Conc. Lateran. Act. III. Conc. Tom. VI. p. 201.

610. EUSTASIUS, sive Eustathius, S. Columbani discipulus, cui in Monasterii Luxoviensis apud Burgundiones regimine anno 610. successit. Anno 627. Synodum Matisconensem haberi curavit; in quâ *Regulam* à Sanct. Columbano Monachis datam, ab Agrestio autem ex Theodorici Francorum Regis Notario facto Monacho Luxoviensi temerè vellicatam strenuè defendit, homini importuno ejusque asseclis os compescuit, & à Synodi Patribus præclarum pietatis & doctrinæ elogium meruit. Scripsit *Itinerarium S. Columbani*, quo usus videtur Jonas in contexendâ *Columbani Vitâ*, quodque forsan alicubi adhuc ineditum delitescit.

610. P. II. BULGARANUS, stirpe Gothus, genere Hispanus, dignitate Comes, claruit anno DCX. quo, sub Gundemaro Gothorum Rege, Galliæ Narbonensis Præfectus erat. Extant ineditæ illius Epistolæ sex, partim ad Regem, partim ad illustres illius temporis Episcopos scriptæ, quibus plurima temporis istius gesta, non aliundè nota, cognoscuntur & illustrantur. Asservantur MSS. in Ecclesiæ Ovetensis Codice membranaceo ante 500. annos exarato, in alio Ecclesiæ Complutensis antiquiore, referente, qui testis erat oculatus, Ambrosio de Morales *Hist.* l. XII. c. 11. Confer. Cl. Antonium *Biblioth. Hisp. Vet.* Tom. I. l. 5. cap. 5. nu. 218. pag. 274. Has Epistolas, ex codice Ovetensi descriptas, preloque paratas, penès se habet illustrissimus Cardinalis d'Aguirre, qui eas suo tempore publici juris faciet. Confer ejus *Notit. Conc.* p. 104, 105.

611. THEOPHYLACTUS, *Simocatta* dictus, genere Ægyptius, patriâ verò Locrensis, ex Sophista, seu Scholastico præfectus & Antigrapheus [id est, forsan Cancellarius] claruit anno 611. Vixit post annum 628. quo occisum ab Heraclio Chosroen Persarum Regem memorat Hist. lib. VIII. cap. 12. Scripsit *Mauricii Imp. res gestas libris* VIII. quos ante annum 610. maxima ex parte composuit. Statim enim post obitum Phocæ Historiam suam ex loco superiori legens, cùm ad Mauricii cædem ventum esset, lachrymas populo adstanti excussit. Operi tamen suo ann. 629. coronidem Cod. 65. non imposuit. De stylo ejus hæc Photius *, Ἡ μέντοι φράσις αὐτῷ ἔχει μέν τι χάριεν· πλεονάζει δὲ ἡ τῶν τροπικῶν λέξεων καὶ τῆς ἀλληγορικῆς ἐννοίας ἀκαίρως χρῆσις εἰς ψυχρολογίαν τινὰ καὶ νεανικὴν ἀπειροκαλίαν ἀποτελευτᾷ· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἡ τῆς γνωμολογίας οὐκ ἐν καιρῷ παρενθήκη φιλοτιμίας ἐστὶ περιέργου καὶ περιττῆς· τὰ δ' ἄλλα οὐ τι εἰς μῶμον ἥκοι. *Dictio illius aliquid veneris habet, nisi quòd figuratis vocibus & allegoricis sensibus putidè nimis ac frequenter ad satietatem usus; in frigiditatem quandam ac juveniles ineptias dilabatur. Veruntamen & sententiarum illa interjectio minus opportuna diligentiam arguit curiosam & supervacaneam, cætera bonus, in reprehensionem non incurrit.*

* Cod. 65. Cave Hist. Lit.

SCRIPTA.

Historiæ rerum à Mauricio gestarum libri VIII. ab anno 582. ad ann. 602. pertingentes, à Photio in Epitomen redacti Cod. LXV. Prodierunt integri Græc. Lat. unà cum Photii epitome cum Pontani versione & Notis, *Ingolstad.* 1604. 4°. cum iisdem & Fabroti Glossario Græco-barbaro *Paris.* 1648, fol. *Excerpta legationum* non est quod morer; quippe quæ ex Historia ista desumuntur.

Epistolæ LXXXV. breviculæ varii argumenti Græcè ab Aldo editæ *Venet.* 1499. Gr. Lat. à Cujacio editæ inter Epistolas Græcanicas *Aureliæ Allobrogum* 1606. fol.

Problemata Physica. Prodierunt Græcè à Vulcanio edita, unà cum Epistolis, *Lugdun. Bat.* 1596. 8°. deinde Gr. Lat. cum iisdem, interprete Jac. Kimedoncio, *Heidelberg.* 1598. 8°. auctiora curante Schotto *Antverp.* 1599. 8°. denique à Rivino evulgata *Lipsiæ* 1653.

SISEBUTUS, Origine Gothus, ortu Hispanus, fide Catholicus, Gothorum in Hispaniâ Rex, Regnum auspicatus est A. C. 612. tenuitque annos VIII. cum dimidio, moriens an. 621. Armorum gloriæ, eruditionis & eloquentiæ decus addidit, quo nomine illum non uno elogio ornat ipsius æqualis Isidorus Hispalensis. *Erat*, inquit * Rodericus Toletanus, *vir sapiens, & nimium literaturæ deditus, eloquio nitidus, literarum sapientia doctus, in judiciis strenuus, præstantissimus pietate, mente benignus*, &c. Extant MSS. ejus Epistolæ aliquot, partim ad Episcopos, partim ad alios hujus sæculi dignitate conspicuos datæ; quas, unà cum nonnullis Cæsarei Patritii ad Sisebutum Epistolis, editioni parat Car. d'Aguirre, ipsomet indicante, *Notit. Conc.* p. 109. Scripsit item Sisebutus *Vitam & Martyrium S. Desiderii*, Viennensis in Galliâ Episcopi, quem ab exilio revocatum lapidibus obrui fecit Theodericus Rex, Maii XXIII. anno 612. Etiamsi enim hanc vitam alterius Sisebuti Opus esse existimare videtur Jo. Mariana; rectiùs tamen Sisebuto Regi ascribi debet, cui in Autographo Toletano disertè tribuitur, monente eodem Cardinale [qui eam unà cum Epistolis edere in animo habet] notâ ad Antonii *Biblioth. Vet. Hisp.* L. V. c. 5. p. 275. 612. P. II.

* De reb. Hisp. l. II. c. 17. p. 49.

ANTIOCHUS, Monachus Palæstinus, in celeberrimo S. Sabæ Monasterio, *Laurâ* dicto, vitam egit, claruit anno DCXIV. quo Hierosolyma à Persis capta, pretiosum Crucis lignum asportatum, Monachi Lauretani aut cæsi aut fugati sunt: & in his Antiochus mala subiit plurima. Superfuit ann. DCXXIX. In Homiliâ enim ultimâ præfatam ab Athanasio Hæretico sedem Antiochenam indignatur. Scripsit, rogante Eustathio quodam, *Pandecten divinæ Scripturæ*, seu *Compendium totius religionis Christianæ & SS. Scripturarum doctrinæ*, *Homiliis* CXXX. *comprehensum*: quibus præmittitur 614.

Digitized by Google

Præfatio & Epistola nuncupatoria ad Eustathium, subjungitur verò *Exomologesis ad Deum*. *Homilias* istas Latinè à se versas primus in lucem edidit Godefridus Tilmannus in Bibliot. Patr. *Paris.* 1575. Græcum textum dedit unà cum Tilmanni versione Fronto Ducæus Auctar. *Paris.* 1624. Tom. I. p. 1021. Porrò Antiochi *liber de Vitiosis Cogitationibus* extat Latinè Petro Pantino interprete in Bibliothecâ Patr. *Colon.* 1618. & alibi.

614. P.II. ANTIOCHUS Monachus Palæstinus, claruit anno DCXIV. Cæteris ejus Scriptis alibi recensitis, adjungi potest narratio *Vitæ S. Euphrosyni*, qui Lauræ S. Sabæ coquus Cœnobialis fuerat. Incipit, Οὗτος ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν Εὐφρόσυνος, &c. Extat MS. in Bibliot. Vindob. inter *Theologicos* Cod. CCCXXXIII. juxta dispositionem Nesselianam num. IV. fol. 28. p. 2. Vide quæ notavit Cl. Lambecius *Comment.* lib. III. pag. 138. ubi S. Antiochum hujus vitæ auctorem esse judicat; cujus proinde Pandectæ præfixa est. De hoc Euphrosyno silent penitùs Martyrologi Latini.

614. P.II. GEORGIUS, *Eleucius* antea dictus, ex oppido Adigermaro, uti ipsemet testatur, oriundus; claruit ann. DCXIV. Puer adhuc Theodoro Siceorum in regione Galatarum Archimandritæ traditus est, sub cujus curâ & tutelâ disciplinâ Monasticâ se per XII. annos exercuit, eíque jam defuncto in Monasterii sui præpositurâ successit. Scripsit *Vitam* S. Theodori Archimandritæ, & Episcopi deinde Anastasianopolitani, qui mortalitatem explevit tertio Heraclii Imperatoris anno, Christi DCXIII. Extat Latinè apud Surium & istiusmodi Collectores die *April.* XXII. sed Symeonis Metaphrastæ quisquiliis haud parùm conspurcata.

615. Ildefons. de Script. c. 6. JOANNES, gente Hispanus, primùm Monasterii cujusdam Abbas, deinde Ecclesiæ Cæsaraugustanæ post Maximum Præsul factus circa ann. DCXV. Obiit anno circiter DCXXVII. In Ecclesiasticis Officiis quædam eleganter & sono & oratione composuit; & *de investigandis Paschalis festi calculis libellum* exaravit. NE.

620. BONIFACIUS V. gente Campanus, civitate Neapolitanus, Joannis filius, primò titulo S. Xysti Archipresbyter, deinde anno DCXX. XXVII. Aprilis [juxta Catalogum Anastasianum] Ecclesiæ Romanæ culmen ascendit. Anno DCXXIV. VIII. Cal. Maii, mortuo Mellito Justus Roffensis Episcopus in sede Cantuariensi successit. Huic *Pallium* dono misit Bonifacius unà cum literis, quibus Episcopos ordinandi potestatem ipsi concessit: sed quamnam authoritatem hîc sibi fingit bonus Pontifex? quam neque Eadbaldus Rex, neque ipse Justus ab eo petivissent; quamque antiquos Ecclesiæ Canones cuivis Episcopo in Provinciâ suâ olim concessisse luce meridianâ clarius est. Obiit Bonifacius die XI. Martii anno DCXXVI. Extat *Epistola ad Justum de Pallii usu, alia ad Edvvinum Northumbrorum Regem*, quâ eum ad fidem Christianam exhortatur, *tertia ad Edilburgam Edvvini conjugem*, quâ fidem ei gratulatur, monetque ut marito suo idem præstet beneficium. Habentur hæ Epistolæ tum apud Baronium ad ann. DCXVIII. DCXXV. tum Conc. Tom. V. p. 1658.

620. * Cod. 278. MODESTUS, Patriarcha Hierosolymitanus, uti disertè à Photio * vocatur, claruit anno DCXX. Post Zachariam Patriarcham à Persis in captivitatem anno DCXVI. abductum, sedem Hierosolymitanam rexit, dirutas Ecclesias restauravit, dilapsos fugâ Monachos revocavit, & instituit; omnia denique Ecclesiæ Palæstinæ negotia summâ diligentiâ curavit usque ad annum DCXXVIII. quo contigit Zachariæ reditus. Scripsit *Homilias* III. viz. *in mulieres unguenta ferentes, & in Occursum Domini & Simeonis* [quarum Excerpta dat Photius Cod. CCLXXV.] denique *Encomium in Obdormitionem Deiparæ Virginis*; quod benè longum, sed parùm utile, fuisse notat Photius.

CYRUS, Primò Phasidis sive Lazorum Episcopus ab anno circiter DCXX. deinde ab Heraclio Imp. cujus favorem apud Lazos ann. DCXXIII. hiemantis captarat, sedi Alexandrinæ præfectus anno DCXXX. Anno priore cùm Heraclium, quid de duabus in Christo naturis sentiendum esset, incertum, Sergium CP. consuluisse accepisset; & ipse dubitare præ se ferens, quo Sergium à Catholica veritate faciliùs dimovere posset, sibi utpote in re prorsus obscura facem ab illo præferri postulaverat. Anno DCXXXIII. pacem Severianos inter & Catholicos resarciendam causatus, Synodum Alexandriæ habuit, in qua omnes unicam in Christo Dei virilem operationem non confitentes anathemati subjecit. Anno DCXXXIX. Heraclii Imp. *Ecthesin* subscriptione suâ roboravit; anno sequenti obiit. Extant Græc. Lat. ab eo scripta, [1.] *Libellus Satisfactionis* in Synodo Alexandrina ann. DCXXXIII. Theodosianis sive Severianis in Ecclesiæ sinum recipiendis subscribi jussus, Capitulis IX. constans, quorum septimum, hæresim Monotheleticam non obscurè confirmavit: Conc. Tom. VI. p. 954. [2.] *Epistola* III. *ad Sergium Patriarcham* CP. Conc. Tom. VI. p. 207. 950. 952. 620.

GEORGIUS, Joanni Eleemosynario in sede Alexandrina successit circa annum DCXX. Obiit anno DCXXX. vel paulò seriùs. Scripsit *Vitam Sancti Joannis Chrysostomi*; quam ex Cyrilli Alexandrini ejusdem argumenti libro eum desumpsisse affirmat Gerardus Vossius *, authoritate fretus, ut opinor Anonymi Scriptoris *Vitæ Chrysostomi*, quem Græcè edidit Savilius ad calcem Chrysostomi Operum. Cujusnam verò fidei, authoritatis, quin & ævi fuerit Anonymus iste, mihi planè est incompertum: nisi quòd post an. DCCCL. floruerit: nec à Cyrillo Chrysostomi res gestas literis mandatas esse aliunde constat. Interim certissimè constat ex Palladii *Dialogo* de Vitâ Chrysostomi Georgium sua ut plurimum, fabulis plerumque intertextis, descripsisse: quod & Photius † dudum notavit. Cæterùm de Georgio, ejusque Historiâ, accuratè agit Nobiliss. Savilius tractatu de Scriptoribus rerum Chrysostomi suprà edito, quem nos primi in lucem protulimus. De stylo tamen ejus audiatur Photius, ἐςὶ μέντοι τὴν φράσιν ἀφελὴς, καὶ εἰς πολλὴν χυδαιότητα κατενηνεγμένος· μηδὲ τοῦτο δὴ, παρὰ τοῖς γραμματικοῖς κατὰ χεῖρας, τὴν τῶν ὀνομάτων καὶ ῥημάτων σύνταξιν ἠκριβωμένος. *Dictio certè simplex in humilem admodum stylum delabitur; neque saltem quòd vel literatioribus in promptu, nominum, verborumque accuratam adhibet constructionem. Vitam* istam primus edidit Latinè Godefridus Tilmannus *Paris.* 1557. & exinde Surius Jan. XXVII. Græcè verò cum notis Cl. Savilii prodiit inter Opera Tom. VIII. Amplissima Excerpta habet Photius Cod. XCVI. 620. * De Hist. Gr. l. 2. c. 20. † Cod. 96.

JOANNES, Monachus Antiochenus, claruit circa ann. DCXX. Scripsit *Historiam Chronologicam à Mundi initio ad sua usque tempora*: quæ inedita in Bibliothecarum forulis adhuc delitescit. Amplissima tamen ejus Excerpta *Collectaneis* suis *de Virtutibus & Vitiis* inseruit Constantinus Porphyrogenneta: quæ notis illustrata ex Codice Peiresciano Gr. Lat. edidit Hen. Valesius *Paris.* 1634. 4°. 620.

NEN-

SÆC. VII. ab An. DC. 620. NENNIUS, gente Britannus, Elvodugi Probi, atque Beulani Presbyteri discipulus, Bannochorensis Cœnobii primùm Monachus, deinde Abbas. Claruit, juxta Baleum, Vossium, aliosque, circa ann. DCXX. Hunc eundem fuisse cum celebri illo Abbate Dinotho, qui disputatione cum Augustino habitâ anno DCXIII. inclaruit, & lanienam Bannochorensem ægrè evasit, censent Baleus, aliique, an rectè docti judicent. Sanè temporum ratio ac rerum circumstantiæ apprimè congruunt. Nennius enim doctrinam Evangelicam non modò per Cambrorum fines, sed & propinquas Scotorum insulas longè latéque prædicando propagasse fertur; quòd post cæsos Monachos, dirutumque Bannochorense Monasterium fecisse jure merito credi posset. Inter Scotos versatus Finanum Episcopum Lindisfarnensem melioribus literis erudiendum curæ suæ commissum habuit. Extat *liber* ab eo scriptus *De gestis Britonum*, sive *Breviarium* seu *Historia Britannorum*, MS. in Bibliotheca Regia VVestmonasteriensi, & in Bibliotheca Academiæ Cantabrigiensis, ac in Cottonianâ, alibique non uno in loco, in nonnullis Codicibus Gildæ Hibernico ascriptus: de quo cùm multa undique scitu non indigna collegerit Usserius in Bibliot. Theol. MS. nos quædam inde delibabimus. "De Codice quodam perantiquo à se reperto hujusmodi habet "Priseus. Videtur libellus iste primùm à Nennio "compositus, at postea à literatioribus aliquot, "qui in eum inciderant mirè depravatus. Statim "enim post principium legitur. Ab Adam verò usque ad passionem Domini nostri Jesu Christi anni sunt 5228. à passione autem Christi peracti sunt "anni—Hìc apparet lacuna, ubi veteri Scripturâ "expunctâ, novis characteribus hic numerus supp"letur 796. nempe ipso Literatore temporis supputationem ad suam tempestatem traducente, "cùm priùs ad Authoris duntaxat ævum applicata fuisset. Deinde in contextu Historiæ ubi libelli Autor incolas hujus Insulæ qui suo tempore fuerant, commemorat, hæc habuit. "Et in eâ "habitant 4. Gentes, Scoti, Picti, Saxones ac Bri"tones. Novus hic scilicet Aristarchus pro [habitant] priùs habitabant scripsit: (quod noviter "adjectum esse præter veteris exemplaris contextum ex recentiori tum characterum tum atramenti specie liquidò constat) nullâ habitâ ratione temporis, quo superiora scripta sunt, sed suæ "duntaxat tempestatis. Ad eùmque modum quamplurima ejus libelli loca dum corrigere vellet, "vitiavit & corrupit. Quamvis autem aliqua ei à "posterioribus aliquot sciolis adjecta videantur, "quæ Gildæ tempestati minimè congruunt, ex "Gildæ tamen Commentariis hunc desumptum "esse facilè crediderim. Non enim novum est veterum Chronicis recentiora ut emergunt, rerum "eventa addere, inscriptione tamen primi Autoris "minimè abolitâ. Plura interpolati voluminis "exempla ibidem profert Priseus, additque ea quæ "Gulielmus Malmsburiensis se in gestis Britonum "de Vortigerno legisse ait, & quæ de Vortimero "habet, Arthurumque in obsidione Badonici montis fretum imagine Dominicæ Matris stupenda "gessisse scribit, hinc desumpsisse credendum esse. "Nam ea hoc in libello memorantur, neque ea ex Gildâ quem Polydorus evulgandum curavit, sumere potuit, quippe qui nec Vortigeri quidem "speciatim mentionem faciat, nedum Vortimeri "aut Arthuri. Deinde ex Gaufredo Monomutensi "ea desumere non potuit; nam Historiam Britannicam nondum evulgaverat, quùm Malmsburiensis suam ederet. Henricus etiam Huntingdonensis integras habet clausulas ex hoc libello ad verbum desumptas in sua Britanniæ descriptio"ne; cùm nondum videret *Gaufredi Historiam*. "Sunt & alii, inter quos Joannes Anglicus, qui "quædam ex hoc libello citant sub Gildæ nomi"ne. Lelandus Nennium nescio quem hujus li"belli autorem putat. *Sic Priseus*. Sanè Lelandus "in Assertione Arthuri ex oratione ejus colligi "posse prodit Nennium autorem esse; & in *Commentariis in Cygneam Cantionem* quædam inde ci"tat sub Nennii nomine: Camdenus verò Pseudo"Gildam vocat. Errant tamen, si qui putant hoc "esse Opus nebulonis illius, qui paucis ante annis "(ut refert Polydorus Virgilius Præfat. ad Gil"dam) ex Gaufredi scriptis *Breviarium* compo"suerat, illudque *Gildæ Sapientis* falsò *Compendium* "inscripserat, seu Gildæ illius fictitii quem blattis "& tineis ad Isidis vadum in Bibliothecâ Mertonensi prædæ expositum dicit Lelandus in Assertione Arthuri. Hoc enim de Opere Pseudo-Gil"dæ Albanii (de quo in Centuriis Baleus) acci"pio, non de nostri hujus recentioris. Nennium "enim, cui hoc à Lelando Opus tribuitur, ab eo "supra commendatum videre est, ejusdemque no"mine sententiam citat ipse pariter ac Camde"nus; quam ex libello hoc Gildæ repetit Priseus "Hist. Brit. Defens. pag. 50. Hæc Usserius. Plura adhuc scripsit Nennius sive *Gildas Hibernicus* (eundem enim binis nominibus insigniri veri non est absimile) ex quibus se in Hiberniâ, inde fugientem reliquisse testatur Baleus in calce 13. Centur. *De Origine Britannorum Chronicon* vetustissimum, [MS. id haberi in Collegio S. Benedicti Cantabrig. scribit Pitseus] *Eulogium Britanniæ*, ac *librum de Mirabilibus Britanniæ*. Habetur hoc *Eulogium* MS. in vetusto Codice in Coll. S. Benedict. vol. 338. 4°. sed progreditur ad annum usque DCCCXL. Unde liquet vel Nennium nostrum duobus integris sæculis recentiorem fuisse, vel saltem Eulogium à recentiori manu continuatum esse. Extat etiam MS. in Bibliothecâ Collegii S. Trinit. Cantabr. cum hoc titulo *Eulogium Monachi Benedictini*, cum adjecto libro *de Mirabilibus* &c. In Centuriâ verò 1. cap. 74. alios Nennii libros memorat Balæus, viz. *De Urbibus Britannorum, Apologiam quandam, Cosmographiam historiæ mundi, & Additiones Gildæ*; qui an alicubi adhuc lateant, non liquet. Notandum verò est vetustiorem quendam fuisse Nennium Luddi Regis fratrem, de quo mira fabulantur, quique ex Bardorum cantionibus & Flaminum scriptis rerum Britannicarum Historiam Patrio sermone composuisse dicitur. Historiam ejus Nennius Bannochorensis Latinè vertit, ac ad sua tempora narrationis filum deduxit.

Cave Hist. Lit.

NENNIUS, natione Britannus, Elvodugi Probi, & Beulani Presbyteri Discipulus, Cœnobii Bannochorensis Abbas, claruit ann. DCXX. 620. P. II.
Multos docuit, multa à Saxonibus passus. Scripsit Historiam, cui titulum dedit *Eulogium Britanniæ*. Ex hoc Opere sex diversos libros faciunt Baleus*, ejusque perpetuus exscriptor Pitseus †, qui & septimum addidit. Nennii librum Gildæ olim ascriptum esse, omnibus jam notum est. Nennii *Eulogium* primus edidit, ex variis variè corruptis exemplaribus (quod ipse ingenuè fatetur) quàm fieri potuit emendatum, Tho. Galæus *Rer. Anglic. Script.* Tom. III. pag. 91.

* De Script. Brit. Cent. I. p. 1.
† De Script. p. 106.

SULPITIUS, *Pius* dictus, gente Gallus, in agro Bituricensi natus, anno DCXII. sacerdos ordinatus, paulò pòst Abbas Castrensis factus, demum anno DCXXIV. mortuo Austregisilo sedi Bituricensi præfectus est. Anno sequenti Concilio Rhemensi interfuit. Extant. *Epistolæ* III. apud Canisium 624.

Digitized by Google

 sium Antiqu. Lect. Tom. V. inter Epistolas ad Desiderium Cadurcensem.

625. VERUS, Rutinensis in Galliâ Episcopus, claruit anno DCXXV. quo Concilio Rhemensi adfuit. Extant ab eo scriptæ *Epistola* II. apud Canisium Tom. V. ubi suprà.

626. HONORIUS, natione Campanus, Petronii Viri Consularis filius, anno DCXXVI. die 28. Septembris Pontifex Romanus ordinatus est. Anno DCXXXIII. cùm Cyrus Alexandrinus unicæ in Christo voluntatis confessionem decreto Synodico confirmâsset; ac Sophronius Hierosolymorum Patriarcha Alexandriæ præsens Cyrum erroris palàm argueret, & à communione ejus absecderet: Sergius CP. Honorium de re totâ per literas certiorem fecit. Honorius dato responso, Cyri factum probavit, Sophronii improbavit: unicam esse in Christo voluntatem & operationem confessus est, & prolatis è SS. Scripturis & authoritate Patrum argumentis probare annisus est. Eadem dogmata scriptis etiam aliis epistolis plus una vice authoritate sua, quantum potuit, stabilivit. Laterem lavant, operam oleumque planè perdunt, quotquot Honorium ob hæresin Monotheleticam à Synodo Generali VI. disertè anathematizatum, à non uno Pontifice Romano pro Monothelita habitum, hac labe eximere allaborant. Eorum omnium argumentis, seu frivolis potiùs atque inanibus effugiis, plenissimè satisfecit Vir Cl. Britanniæ nostræ Borealis decus eximium, Joannes Forbesius Instruct. Histor. Theolog. lib. 5. ubi toto ferè libro hac de re accuratè agit. Vid. quæ infrà *in Libro Diurno* dicemus. Obiit Honorius die 13. Septembris ann. DCXXXVIII. Extant ab eo scriptæ *Epistola* VIII. Concil. Tom. V. p. 1681. & *Epigramma de Apostolis ob Christi ad cœlos ascensum obstupescentibus*, in Bibliotheca Patr. Tom. 12. pag. 214.

627. BRAULIO, Joannis Episcopi Cæsaraugustani frater, cui in sede Episcopali successit anno DCXXVII. Anno DCXXXIII. Concilio Toletano IV. DCXXXVI. Toletano V. DCXXXVIII. Toletano VI. interfuit. Anno DCXLVI. obiit. Scripsit *Vitam S. Æmiliani Monachi*, quæ extat apud Mabillon. Sæcul. Benedict. I. pag. 205. *Epistolas* II. ad Isidorum Hispalensem, quæ inter Isidori Opera haberi solent. *Elogium Isidori* breve, quod apud Surium reperitur die 3. Aprilis, & Isidori Operibus plerunque præfigitur.

629. SOPHRONIUS, ortu Damascenus, Sophista primùm, deinde Monachus, Joannis Eleemosynarii familiaris, demum anno DCXXIX. Patriarcha Hierosolymitanus. Indefessus Orthodoxæ veritatis vindex: qui præsens Alexandriæ factus anno DCXXXIII. Cyrum sub obtentu pacis ineundæ hæresim in Ecclesiam invexisse strenuè exclamavit, & communionem ei renunciavit. Quin & literis apud Sergium CP. egit, ut Capitulum Septimum *Libelli Satisfactionis* à Cyro Severianis præscripti cassaretur: ad Honorium verò Papam Stephanum legatum pro eadem re curanda misit. Anno DCXXXVI. captâ ab Haumare Saracenorum duce Hierosolymâ, liberam religionis professionem Christianis concedendam pactus est; & eodem anno vitam finivit.

SCRIPTA, QUÆ SUPERSUNT.

Epistola Encyclica, statim post susceptum Episcopatum scripta *ad Honorium*, *Sergium*, forsan & reliquos Patriarchas. Prolixa illa quidem, si quæ alia, epistola, adeò ut justi voluminis molem exæquare posset. Extat Gr. Lat. Concil. CP. III. Act. XI. Concil. Tom. VI. p. 851.

Orationes II. *in Crucem*, quæ habentur apud Gretserum de Cruce Tom. II. prior Gr. Lat. pagina 1173. posterior Latinè tantùm pagina 1401.

In Christi natalitia Homilia.

SS. Archangelorum, Angelorum, cæterarumque Virtutum Encomium. Duæ istæ Homiliæ extant Lat. in Biblioth. Patr. Tom. XII.

De laboribus, certaminibus & peregrinationibus S. Pauli Fragmentum, quod sub Sophronii nostri nomine Latinè edidit Bignæus in sua Biblioth. Pat. exinde in alias Bibliothecæ Patrum editiones desumptum.

Vita Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ, quæ à Paulo Diacono Latinè versa, habetur apud Surium April. II.

Encomium SS. Cyri & Joannis, cujus fragmenta duo repeiuntur Concil. Tom. VII. pag. 249.

Tractatus de Incarnatione unius ex Trinitate. Habetur Græcè MS. in Bibliothecâ Regiâ Parisiensi Cod. 2198. Vide Labb. *Nov. Biblioth. MS.* p. 90.

Cæterum Joannis Moschi Limonarium sive Pratum Spirituale & à Damasceno Orat. I. de Imag. & à Concilii Nicæni II. Patribus Act. 4. sub Sophronii nomine citatur. Unde probabili sanè, quæ & aliunde confirmari potest, conjecturâ usus Cl. Vossius * opinatur Sophronium junctâ cum Moscho operâ *Limonario* contexendo insudâsse; quin & primas in eo Opere partes tulisse, licèt gloriam illius amico suo præ amore & modestia cesserit.

* De Hist. Græc. l. 2. c. 23.

SOPHRONIUS, Patriarcha Hierosolymitanus, claruit anno DCXXIX. Fragmentum hujus Sophronii ex *Encomio* Joannis Theologi & Evangelistæ de Sororibus, sive cognatis Domini Græcè & Latinè exhibet Cotelerius *not.* in lib. III. *Const. Apost.* pag. 200. Scripsit etiam *Hypomnemata* sive Commentarios historicos, ex quibus Fragmentum de laboribus, certaminibus, & peregrinationibus SS. Apostolorum Latinè exhibent Bibliothecæ Patrum curatores. Fragmentum *de Baptismate Apostolorum* ex Codice Vindobonensi Græcè & Latinè P. Lambecius *Comment.* lib. III. pag. 52. in quo imprimis notandum venit, eo referente, Dominum nostrum Jesum Christum solum S. Petrum propriis manibus baptizâsse, Petrum deinde Andream, &c. Verùm in hoc, nisi majori quàm suâ autoritate fultus, fidem à nasutioribus haud facilè impetrabit. Simile ferè Fragmentum sub nomine Euodii Antiocheni Apostolorum successoris habetur apud Nicephorum lib. II. c. 3. de quo suo loco actum est. Ibid. Cod. LIX. nu. XIII. fol. 120. p. 2. habentur Græcè Excerpta quædam ex ejusdem Sophronii encomio in S. Joannem Evangelistam. Vide Lambec. p. 100. 629. P. II.

DESIDERIUS, gente Gallus, in Albige oppido extremæ Aquitaniæ natus, Silvii & Herchenefridæ filius. Anno circiter DCXIV. in Clotarii II. Regis aulâ Thesaurarii munere fungebatur. Anno DCXXIX. Rustico fratri à civibus tumultuantibus interempto in Episcopatu Cadurcensi suffectus est. Obiit anno DCLII. Episcopatûs anno XXIII. Extant *Epistolarum Libri* II. quorum prior Desiderii *ad amicos*, posterior aliorum *ad Desiderium*, epistolas complectuntur, apud Canis. Antiqu. Lect. Tom. V. pag. 526. & in Bibliothecâ Patr. Tom. VIII. pag. 579. 629.

JONAS, gente Hibernus, uti ipse in Præfatione ad Vitam S. Columbani testatur, Italum tamen fuisse, haud procul à Placentiâ ortum, locus in 630.

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. in *Vita Attalæ* deprehensus haud obscurè docet. Adeò ut aut diversus sit Autor hujus ab Autore istius *Vitæ*; aut verba in *Præfatione Vitæ S. Columb.* alio (quod forsan non incommodè fieri possit) sensu accipienda. Monasterii tum Bobiensis, tum Luxoviensis alumnus, demum Abbas Luxoviensis, claruit anno circiter DCXXX. & deinceps. Superfuit anno DCLXV. Scripsit *Vitam S. Columbani*, quæ habetur apud Surium Novemb. XXI. & Mabillon. Sæc. Benedict. II. pag. 5. *Vitam Eustasii Abbatis Luxoviensis* apud Surium XXIX. Martii, Mabillon. ibid. pag. 115. *Vitam Attalæ Abbatis Bobiensis* apud Surium X. Martii. *Vitam Bertulphi Abbatis*, Attalæ successoris apud Surium XIX. Augusti, Mabillon. ibid. p. 160. *Vitam Sancti Joannis Reomaensis Monasterii Fundatoris* & primi Abbatis, quæ à Roverio cum notis edita est *Paris.* 1637. *in Historia Abbatum Reomaensium.*

630. P.II. JONAS Hibernus, Monachus Bobiensis, claruit anno DCXXX. Præter Opera quæ suprà memorantur, scripsit *vitam S. Faræ*, seu *Burgundofaræ* Abbatissæ Eboracensis primæ, circa annum DCLV. demortuæ; in quâ de virtutibus ac rebus mirabilibus in Eboracensi Monasterio tempore Burgundofaræ factis præcipuè agit. Extat post. Surium ad MS. Cod. Compendiensem recognita & restituta apud Mabillon. *Sec. Benedict.* II. p. 439.

630. GALLUS, gente Hibernus, in ætate tenella S. Columbani curæ à Parentibus commissus, sub eo Monasticam instituit vitam: unà cum eo in Britanniam & exinde in Galliam transfretavit, in Cœnobio Luxoviensi vitæ & laborum comes adfuit. Anno circiter DCX. Columbanum iter in Italiam parantem secutus, jussu illius in Rhætiâ substitit, ut populares Evangelii luce perfunderet: quod & conditâ sibi seorsim cellâ strenuè effecit. Ad Episcopatum Constantiensem Præsulum vicinorum suffragiis designatus, Joannem discipulum ei præfici curavit. Circa an. DCXV. Monasterium celeberrimum à nomine suo dictum in Helvetiâ fundavit. Claruit præsertim an. DCXXX. atque annos 95. natus, febre correptus obiit ann. DCXXXV. inquit VVaræus *, DCXL. juxta Balæum, †, Baronium, aliosque. Extat *Sermo Constantiæ in Templo S. Stephani in Consecratione Joannis Episcopi Constantiensis habitus*, apud Canis. Antiqu. Lect. Tom. V. p. 896. *Epistola ad Desiderium Cadurcensem Episcopum*, apud Usser. Epist. Hibernic. Syllog. pag. 23. & cum aliis quibusdam ejusdem Epistolis apud Canisium Tom. V. pag. 526. Scripsit porrò S. Gallus ad Joannem Constantiensem *Ecclesiæ gubernandæ formam*, & *Monita salutaria* ad VVulmarum Presbyterum, quæ forsan habentur inter Galli nostri Opuscula à Casparе Barthio cum Commentariis suis edita *Francofurti* 1623. 8°. Librum enim nondum vidi, posteà verò edoctus sum Barthium non Galli Opuscula, sed solummodò Sermonem ejus Constantiæ habitum edidisse. *Francof.* 1623.

* De Script. Hibern. l. 1. c. 3. p. 20.
† Cent. 14. p. 190.

630. JOANNES, MOSCHUS sive *Eviratus*, aliis *Everates*, cognomento dictus, claruit anno DCXXX. Vitam egit Monasticam, primùm in Monasterio S. Theodosii, deinde in deserto propè Jordanem, & in novâ S. Sabæ Laurâ. Posteà Monachorum illustrium visendorum ergò in exteras regiones peregrinari cœpit, & Antiochiæ oras, Alexandriam proximamque eremum, & ad Oasin usque delatus, Romam tandem, & ad Occidentales regiones profectus est. Cúmque clarissimorum sæculi istius Monachorum res præclarè gestas partim à se spectatas, partim ab aliis auditu acceptas, undique conquisiverat, *Opus historicum* condidit, quod Sophronio Sophistæ, posteà verò Patriarchæ Hierosolymitano, individuo ferè itinerum suorum comiti, & in Opere concinnando adjutori, nuncupavit. Extat Liber iste *Pratum Spirituale, Hortulus novus*, *Limonarium*, & *Viridarium* dictus, ab Ambrosio Camaldulensi Latinè versus inter *Vitas Patrum* (quarum librum X. constituit) à Rosveydo editus *Lugduni* 1617. pag. 647. & alibi. Græcum textum, frequentibus tamen lacunis mutilatum, Ambrosii versioni Latinæ adjunxit Fronto Ducæus Auctar. 1624. Tom. II. p. 1057. Lacunas istas ex integriori Codice supplevit Cotelerius Monument. Eccles. Gr. Tom. II. pag. 341. Stylum Moschi εἰς τὸ ταπεινότερον ἢ ἀμαθέστερον ἀποκλίνειν, *rudem ac simplicem esse* olim notavit Photius *.

* Cod. 199.

630. P.II. ANONYMUS *Chronici Alexandrini*, sive ut jam vocatur *Paschalis*, compilator claruit anno DCXXX. De hoc Opere ejusque Auctore agemus in *Georgio Piside* ad annum DCXL. Sunt & pauca hac etiam vice addenda. Incipit Chronicon ab orbe condito, & per varia mundi sæcula decurrens ad Heraclii Imp. tempora perducitur, notatis temporum rationibus, præcipuè juxta Festa Paschatis in Ecclesiâ tùm Judaicâ tùm Christianâ recurrentia, eo forsan fine, quòd controversiæ, quæ de Paschalis Festivitatis die celebrando olim vigebant, Heraclii tempore recruduerunt. Binos auctores agnoscere videtur; unum, qui priorem Operis partem contexuit, & ab initio mundi ad ann. Christi CCCLIV. Constantii Imp. XVII. deduxit: alterum, qui hunc excepit, & ad Heraclii annum XX. continuavit; ut ex vetustissimo Holstenii codice MS. ejusque in illum Notis ostendit Cl. du Fresnius. Certè non ultra XX. Imperii Heracliani annum procedere variis indiciis deprehenditur. Titulus codicis MS. id disertè tradit; res gestas hujus temporis fusiùs describit auctor; tempora accuratiùs notat; Epistolas publicas inserit, quin & Heraclium τὸν ἡμῶν βασιλέα vocat. Ut nulli dubium esse potest posterioris partis auctorem hoc tempore vixisse. In condendo hoc Opere, quisquis erat, nec magno judicio usus est, nec diligentiâ; habuit nihilominùs ante oculos non pauca melioris vetustatis tàm sacræ quàm profanæ monumenta, quæ dudùm perierunt. Primus hoc Chronicon integrum extulit Matthæus Raderus S. I. *Monach.* 1615. 4°. Sed cùm omnia impressionis illius exemplaria pridem distracta fuerint, cúmque ipse textus non uno in loco mutilus fuerit, aut corruptus, nec versio Raderiana fida satis & castigata, novæ editionis adornandæ curam in se recepit nobile illud Galliarum lumen, & Græcarum Litterarum stator penè unicus, Carolus du Fresnius; textum collatis quotquot reperiri poterant codicibus editis & MSS. emendavit, lacunas supplevit, novam versionem concinnavit, notas criticas & historicas addidit, amplissimam Præfationem præmisit, quâ de Auctore, Opere, variísque Chronicorum, Cyclorumque Paschalium Scriptoribus, tùm Græcis, tùm Latinis affatim agit, & rejecto Chronici Alexandrini titulo, *Paschalis* indidit. Certè levi de causâ *Alexandrinum* anteà vocabatur: non aliundè, ut videtur, quàm quòd Petri Alexandrini nomen in fronte gessit. Ex cujus libro *de Paschate* quatuor non contemnenda Fragmenta in ipso statim Præfationis limine reperiuntur. Nec magis Ecclesiæ Alexandrinæ res persequitur quàm Antiochenę, vel Constantinopolitanę. Ut proinde utriusque nomen, ęquali jure sibi vindicare poterat. Πασχάλιον itaque vocandum censuit du Frenius, *i.e.* Chronicon seu Canonem *de celebrando Paschate*, eò quòd Paschatis Judaici,

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. & Christiani, & præcipuarum Festivitatum, quas Δεσποτικὰς, seu *Dominicales* vocamus, quæque à Paschatis die pendeant, indicem exhibet. Denique uberrimam appendicem attexuit Cl. Editor, selecta nempe antiquitatis Opuscula & Fragmenta, tùm edita, tùm MSS. quæ vel ad Chronici, vel ad rerum Paschalium illustrationem apprimè faciunt. In his locum habet Pseudo-Dorothei Tyri Episcopi *σύνταγμα ἐκκλησιαστικὸν de LXX. Domini Discipulis*, ex duobus codicibus Regiis erutum; quod & nos ipsi eodem ferè tempore, Notis & Observationibus illustratum, ex codice Barocciano Græcè & Latinè in lucem emisimus. Accedit huic editioni à Chartæ puritate & amplitudine, summâque typorum elegantiâ decus eximium. Prodiit pulcherrimum hoc Opus ex Typographiâ Regiâ *Paris.* 1689. *folio*. Vide in Georgio Piside ad annum 640.

630. P. II. AUCTOR Vitæ S. *Austregisili* claruit circa an. DCXXX. vel non diu posteà, memorat quippe nonnullos eo tempore viventes, quos Dæmonibus laborantes Austregisilus liberasset, & sanitati suæ restituisset. Scriptis mandavit *vitam S. Austregisili* Episcopi Bituricensis, qui vitam finivit anno DCXXIV. Hunc edidit Ph. Labbeus in *Patriarchio* Bituricensi *Biblioth. Nov. MSS.* Tom. II. Exinde ad Codices MSS. restitutam Jo. Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. p. 95. qui & ex eodem Labbeo alium de ejusdem Sancti miraculis librum subnexuit, ab Anonymo autore scriptum, qui Sæculo VIII. vixisse videtur.

631. P. II. EUBULUS, Lygrorum Episcopus (Urbs erat, ni fallar, alicubi in Syria) claruit imperante Heraclio circa annum DCXXXI. Dum anno imperii sui XX. Heraclius Hierapoli moraretur, convenit eum Athanasius Syrus, Severianorum Pseudo-episcopus, Jacobitarum Patriarcha, δεινὸς ἀνὴρ & πανοῦργος, *vir vafer & perniciosus*, qui motis cum Imperatore de fide sermonibus, libellum in fidei suæ causa ei obtulit. Huic librum opposuit Eubulus noster, ex quo fragmentum Græcè habetur in *Collectione* quadam Testimoniorum cap. 22. quæ sub nomine Damasceni MS. reperitur in Codice Claromontano, indicante Labbeo in *Conspect. Oper. Damascen.* pag. 50. Confer quæ habet Theophanes *Chronograph.* ad ann. Heraclii 20. p. 274.

633. Ildefons. de Script. c. 11. CONANTIUS, post Murilam Palentinus in Hispania Episcopus, claruit ann. DCXXXIII. quo Concilio Toletano IV. subscripsit. Anno DCXXXVI. Concilio Toletano V. DCXXXVIII. Toletano VI. interfuit. Obiit postquàm sedem Pontificalem tenuisset annis XXX. Scripsit *Orationum libellum de omnium proprietate Psalmorum, & melodias* sive *hymnos* multos edidit. NE.

633. Ildefons. de Script. c. 8. JUSTUS, sub Helladio vitâ Monasticâ institutus, ei primùm in Monasterii Agaliensis præfecturâ, deinde in Toletanæ sedis regimine, successit, claruit anno DCXXXIII. quo Concilio Toletano IV. adfuit. Sedem Pontificalem annis tribus tenuit, & diebus XIX. ante Sisenandum Regem obiit anno DCXXXV. Scripsit *ad Richilanem abbatem Agaliensem Epistolam* in qua susceptum semel gregem nunquam relinquendum esse luculenter & nervosè demonstravit. NE.

635. ANDREAS, Damasco oriundus, primò Monachus Hierosolymitanus, deinde ex Diacono & Orphanotropho Constantinopolitano Archiepiscopus Cretensis, claruit circa annum DCXXXV. ac diu postea. Certè de illius ætate inter eruditos non benè convenit. Alii eum ad annum DL. vel DLXX. perperam referunt. Alii, & in his Casimirus Oudin, nescio tamen quâ authoritate ducti, ad annum DCCXX. deprimunt. Verùm ut annum ei DCXXXV. assignemus, facit Græcorum Triodii authoritas, in quo Sophronio Patriarchæ Hierosolymitano σύγχρονος fuisse dicitur. Vitam tamen ultra ann. DCLXXX. eum protraxisse, patet ex Jambis Eucharisticis ad Agathonem Diaconum Concilii VI. scribam, pro sibi ad exscribendum commodatis Actis Synodalibus. SÆC. VII. ab An. DC.

OPERA, QUÆ EXTANT.

Homiliæ XVII. viz. *In Mariæ natalem, In Annunciationem, In Circumcisionem, In Transfigurationem, In Lazarum quatriduanum, In Ramos Palmarum, In Crucis Exaltationem* II. [quæ habentur & apud Greserum de Cruce Tom. II. p. 1171] *In Mariæ dormitionem III. in S. Titum. in S. Georgium, in S. Nicolaum. In S. Patapium II. De vitâ humanâ & defunctis.*

Triodia, sive Idiomela seu *Canones* IX. viz. *in Conceptionem S. Annæ, in Mariæ nativitatem; Magnus Canon* Sophronio nuncupatus; *in Lazarum; in IV. ferias majoris Hebdomadis; in mediam Pentecosten.*

Idiomela quædam brevicula *in varios dies Festos* hinc inde collecta.

Omnia Opuscula suprà enumerata in lucem eruit, & cum Notis atque Onomastico peculiari, Gr. Lat. edi curavit Fr. Combefisius, *Paris.* 1644. fol.

In S. Deiparæ nativitatem Homiliæ II. quarum posteriorem ediderat Schottus sub nomine Germani Patriarchæ CP. nonnulli verò codices Joanni Damasceno ascribunt.

In decollationem Sancti Joannis Baptistæ Homilia.

Idiomelon in Festum Annuntiationis. Opuscula ista quatuor Gr. Lat. edidit idem Combefisius Auctar. Nov. *Paris.* 1648. Tom. I. pag. 1289. 1327.

Jambi Eucharistici ad Agathonem Diaconum pro commodatis sibi Synodi VI. actis ab eodem Gr. Lat. editi ib. Tom. II. p. 235.

Computus Paschalis, à Petavio Gr. Lat. evulgatus Tom. III. de doctr. Temp. p. 393.

Cæterùm quisquis ista Sancti Andreæ Opera diligenter perlegerit, ultrò mecum fatebitur, quædam ex iis esse suspectæ fidei, utpote in quibus recentioris ævi vestigia facilè deprehendet.

GEORGIUS PISIDES, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus & Chartophylax, claruit circa an. 640. Scripsit plurima, ex quibus quædam supersunt, plura interierunt. 640.

Cosmopoiea, seu *Carmen Jambicum in Hexaemeron*, Sergio CP. dicatum, quod versibus 3000. olim constitisse prodit Suidas, licèt in eo, quod nunc habemus, poëmate, vix duo millia reperias. In eo sub tecto Procli nomine Joannes Philoponus arguitur, adeò ut idem jure credi possit cum eo poëmate, quod à Georgio μέτροις ἀρίστοις ὥσπερ εἰθίσθη γράφειν, contra Philoponum exaratum esse prodit Nicephorus*. *Lib. 18. c. 48.

De vanitate vitæ humanæ carmen Jambicum in fine mutilum. Utrumque poëma, unà cum fragmentis reliquis è Suidâ & aliunde collectis, prodiit Gr. Lat. *Paris.* 1585. 8°. & in Appendice Bigneana, *Paris.* 1624. folio, pagina 387.

Historia rerum ab Heraclio gestarum, & belli Persici.

Avarica, sive *Avarum Historia.*

Encomium Anastasii Martyris. Opera ista oratione solutâ conscripta à Georgio fuisse monet Suidas †: ad nos verò non pervenerunt. † In voce Γεώρ.

Ante-

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. Antequam Lectorem dimittamus, monendus erit Georgio nostro à plerisque tribui *Fastos Siculos*, sive *Chronicon Alexandrinum*, quo mundi tempora per omne ævum usque ad decimum Heraclii consulatum, i. e. usque ad an. Christi 628. disponuntur, *Alexandrinum* ideò dictum, quòd in frontispicio MS. Codicis Petrus Alexandrinus notâ appositâ illud commendârat. Chronicon istud in vetustâ quâdam Siciliæ Bibliothecâ primus reperit Hieronymus Surita, à quo illud accepit Antonius Augustinus, qui primò in Italiam, ubi Sigonius & Onuphrius eo usi sunt, deinde in Hispaniam Codicem secum advexit. Ex Antonii exemplari Apographum descripsit Andreas Darmarius Cretensis Græculus, qui circa ann. 1573. Codicem suum unà cum quibusdam aliis MSS. aureis propè trecentis Isaaco Casaubono vendidit. Casaubonus eum justis conditionibus in Frederici Sylburgii manus consignavit, ut *Epistola ad Scaligerum* ipse nos docet. (Epist. 437. confer. Ep. 252. & 440.) Denique à Sylburgio aureis solaribus 36. redemptum David Hæschelius Bibliothecæ Augustanæ intulit. Ex eo excerptum *Consulum Romanorum indiculum*, *sub Fastorum Siculorum nomine* primus Græcè edidit Sylburgius, & Romanæ Historiæ Scriptoribus Græcis præmisit, Onuphrii Fastis Capitolinis è regione appositis *Francofurt.* 1590. Eclogas luculentas, quas in usum proprium excerpserat Casaubonus, Scaliger *Chronico* suo *Eusebiano* inseruit. Tandem integrum Chronicon è Bibliothecâ Augustanâ descriptum Gr. Lat. edidit Matthæus Raderus Soc. Jesu *Monachii* 1615.4°. Verum authoris nomen nec in ipso Codice, nec aliunde comparet: unde latus aperitur conjectandi campus; & quamvis cum Reverendissimo Usserio aliisque, Georgio nostro id tribuam, non tamen prorsus spernenda videtur Casimiri Oudini conjectura, Georgio Alexandrino, qui *Chrysostomi Vitam* scripsit, illud ascribentis. Ut ita sentiret, hoc præcipuè argumento ductus, quòd res Alexandrinas maximè persequatur, & ad hæc usque tempora excurrens, à Petro Georgii successore commendetur. Quisquis tandem sit, autor certè est non contemnendus, qui non modò continuam Consulum seriem exhibet, sed & plures melioris purpuræ pannos Operi suo intexuit, venerandæ vetustatis monumenta, quæ frustra alibi quærantur.

640. P. II. GEORGIUS Rhetor & Chartophylax Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, deinde Metropolita sive Archiepiscopus Nicomediensis, claruit circa annum DCXL. Georgium nostrum malè *Nicodium* vocat in Appendice *Apparatûs Sacri* Possevinus, exscriptoris fortè vitio, qui *Nicodium* nobis pro *Nicomediensi* obtrudit, ut in Diatribâ *de Georgiis* rectè animadvertit Leo Allatius. Extat Græcè MS. *Homilia in Sanctam & Magnam Parasceven, & in Christi Crucifixionem*, sive in illud Evangelii S. Joannis; *stabant apud crucem Jesu Mater ipsius, & Soror Matris ipsius*; ut & *in sepulturam Christi, habita in sanctâ Parasceve*, quæ sic incipit, Πρὸς ὑψηλοτάτην ἡμῖν ἀνέδραμεν ὁ λόγος θεωρίαν, &c. Biblioth. Vindob. Cod. *Theol.* CXXI. nu. v. fol. 247. iterùmque Cod. CCLVII. Hanc orationem in prædictâ Diatribâ Michaeli Psello tribuendam esse censuit Allatius, cujus conjecturam amplexus est Cl. Lambecius *Comment.* l. I. p. 135. Verùm repertâ posteà hâc Georgii Oratione, à Pselliana longè diversam esse vidit, uti ipse fatetur lib. IV. pag. 21. *Oratio in conceptionem Joannis Baptistæ, atque in Zachariam & Elizabetam ejus parentes* Græcè MS. ibidem Cod. *Hist.* LVII. num. v. fol. 20. p. 2. In Bibliotheca Scorialensi habetur MS. Γεωργίου Χαρτοφύλακος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Χρονικόν. An nostri sit quærit Allatius *de Georgiis* p. 313. mihi certè non videtur: Interim cùm plura extent Opuscula partim sub Georgii Carthophylacis, partim sub Georgii Nicomediensis nomine, dubitari potest an unus idemque sit Georgius? Sed dubium solvit Codex perantiquus, ubi Orationis in Præsentatione Deiparæ titulus ita habet Γεωργίου Χαρτοφύλακος, τοῦ ὕστερον γενομένου Μητροπολίτου Νικομηδείας.

ELIGIUS, gente Gallus, in vico Catalacensi prope urbem Lemovicum, patre Eucherio, matre Terrigiâ natus, in urbe Lemovicâ artem aurifabrinam aliquandiu exercuit. Anno 635. legatus à Dagoberto Rege in Britanniam minorem missus inducias cum Clippiaco Duce pepigit. Plurima dum Laicus adhuc esset, Cœnobia ac Basilicas condidit, ac tandem Episcopus Noviomensis ordinatus est anno 640. [non uti vulgò supputari solet ann. 646.] quod demonstrat Carolus le Cointe Annal. Franc. Tom. II. ad ann. 640. num. 20. &c. Episcopus factus Ecclesiis extruendis, & imbuendis fide Christianâ Flandris, Frisiis, & Suevis, operam dedit. Anno 644. Concilio Cabilonensi III. interfuit. Anno 650. Monasterium virorum Tornaci, puellarum Noviomi condidit, Ecclesiam Cortracensem S. Martini memoriæ dicavit. Obiit Calendis Decembribus anno 659. juxta le Cointe; 665, ex vulgari calculo, secundùm alios verò 663. 640.

SCRIPTA.

Sermo, sive *Tractatus de rectitudine Catholicæ conversationis*, Augustino vulgò ascriptus, inter cujus Opera habetur Tom. IX. pag. 1143. Eum plurimis animadversionibus illustrat Le Cointe ad an. 659.

Epistola ad Desiderium Cadurcensem inter aliorum ad eundem Epistolas apud Canisium Tom. V.

Homiliæ XVI. *varii argumenti*, Bibliothecæ Patr. Tom. XII. pag. 300. Eas non immeritò in dubium vocant Eruditi, præcipuè Albertinus, qui * ostendit octavam & decimamquintam non modò ex antiquioribus, putà Hilario, Augustino, &c. sed etiam ex octavi & noni sæculi Scriptoribus esse consarcinatas; cui quidem hâc in parte non contradicit Labbeus. Et certè si non Homiliæ omnes, pleræque saltem Eligio nostro sunt adjudicandæ.

* Lib. 3. de Euch. p. 906.

CUMMIANUS, seu *Cumminus*, cognomento *Fota*, seu *Fada*, i. e. *Longus* Fiacnæ Jar-muman seu Occidentalis Momoniæ Regis filius, natus est anno 592. Demum monasticam vitam professus, Abbas, & ut alii, Episcopus in Hibernia factus est. Claruit anno 640. obiit 661. vel sequente. Extat *Epistola Paschalis* de controversiâ Paschatis observandi ad Segienum Abbatem Hyensem, in Epistolarum Hibernicarum Sylloge Usserianâ pag. 24. *Liber de Pœnitentiarum mensurâ*, qui habetur in Bibliothecâ Patr. Tom. XII. p. 41. 640.

JOANNES IV. gente Dalmata, Venantii Scholastici filius, Ecclesiæ Romanæ Diaconus, & demum anno 640. ante diem II. Augusti Pontifex Romanus electus, post mortem Heraclii ordinatus die III. Decembris. Habitâ eodem anno Romæ Synodo, Heraclii Ecthesin, & Hæresim Monotheleticam damnavit: Honorii verò Papæ ejusdem Hæreseos insimulati memoriam, editâ *ad Constantinum Imp. Apologiâ* tutatus est. Anno sequente missis per Dalmatiam atque Istriam legatis, plurimos à Sclavis in captivitatem abductos Christianos magnâ pecuniæ vi erogatâ in libertatem asseruit. Obiit anno 642. die XX. Septembris. 640.

Ex-

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. Extant ab eo scripta, *Epistola ad Scotos Episcopos de Paschate more Romano celebrando; & Hæresi Pelagianâ extirpandâ*, ab eo adhuc electo missa, Concil. Tom. V. p. 1757. *Apologia pro Honorio Papa ad Constantinum Imp. ibid.* 1758. *Epistola ad Isaacum Syracusanum Episcopum*, ut Monachis suarum Ecclesiarum sacerdotes instituere liceat, ibidem pag. 1772.

640. THALASSIUS, Monasterii cujusdam in Libyæ desertis Abbas, à nonnullis anno 640. non sine maxima verisimilitudinis specie ascribitur, quippe quem B. Maximus Epistolâ compellat, ab aliis ad annum 465. refertur. Meminit Suidas * Thalassii cujusdam, qui Theophilo Episcopo Ecclesiarum celeberrimo admodum familiaris fuit, & miraculum ejus quoddam literis consignavit. Verùm an is Thalassius noster fuerit, parùm liquet. Scripsit Thalassius ad Paulum Presbyterum *de sincerâ Charitate, vitâ continentiâ, & mentis regimine, Sententiarum Hecatontadas* IV. quæ prodierunt Lat. ex Oecolampadii *Augustæ-Vindel.* 1520. & cum aliis veterum Theologorum Opusculis ibid. 1551. p. 106. in Orthodoxogr. pag. 897. & in Bibliotheca Patr. Tom. XII. pag. 337. Græcè verò simul ac Latinè habentur in Auctario Duceano Tom. II. pag. 1179.

* In voce Θεόφιλος.

640. AUDOENUS, sive *Dado*, gente Gallus, patriâ Suessionensis, Dagoberti Regis Referendarius, posteà relicto sæculo Clericatum ambiit. Anno 640. eodem quo Eligius Noviomensis die, Archiepiscopus Rhotomagensis ordinatus est. Anno 644. Concilio Cabilonensi III. subscripsit. Anno 672. *vitam Sancti Eligii* scripsit. Anno 676. Romam Religionis ergo profectus est, anno sequente reversus. Anno 683. postquam pacem inter Orientales & Occidentales Francos composuisset, apud Clipiacum villam febri correptus, nonagenarius ad Dominum migravit, Episcopatûs anno 44. Scripsit ad Robertum Parisiorum Episcopum, *vitam S. Eligii Noviomensis libris duobus*; tertium ille priorum *compendium* continentem addidit. Priores duo habentur apud Surium Decembr. II. Lucas verò Dacherius meliorem nactus Codicem tres libros integros edidit Spicileg. Tom. V. Extat ejusdem *Epistola ad Desiderium Cadurcensem* inter Epistolas cognomines apud Canisium Tom. V. p. 542. Scripsit & *vitam S. Remigii*, monente Miræo *, qui & manuscriptam eam apud Helvetios in Bibliothecâ Sancti Galli extare fidem facit. Scripsisse eundem *libellum de Animâ Dagoberti Regis*, produnt Centuriatores Magdeburgenses, Cent. VII. cap. 10. par. 274.

* Not. ad Sigebert. c. 58.

640. THEODORUS, urbis Pharan in Arabiâ Petræâ prope Ægypti confinium, Episcopus, Eutychianorum & Monothelitarum hæresibus perditissimè addictus. Claruit ann. 640. Scripsit *librum ad Sergium Arsenoitarum Episcopum de Operationibus Christi*, cujus fragmenta V. extant Gr. Lat. Concil. Lateran. Act. 3. Concil. Tom. VI. pag. 164. *Librum de interpretatione testimoniorum è Patribus adductorum circa Operationes Christi*, cujus fragmenta VI. habentur Gr. Lat. ibid. p. 165. *Epistolam ad Paulum hæreticum*, qua anathematizavit Synodum Chalcedonensem & Tomum Leonis Papæ. Fragmentum ejus reperitur Concilii VI. actione X. Concil. Tom. VI. p. 839.

642. THEODORUS, natione Græcus, Theodori cujusdam Episcopi Hierosolymis, ut videtur, oriundi filius, Ecclesiæ Romanæ Pontifex ordinatus die 3. Novembris anno 642. Anno sequenti Pauli Patriarchæ CP. Synodicæ respondit, Ecthesin Heraclianam à medio tollendam, Pyrrhique causam in Synodo examinandam, arguens illum, quòd Pyrrhi adhuc superstitis & nondum damnati sedem occuparat. Eadem etiam de causa cum civibus CP. & Episcopis qui Paulum ordinaverant, egit. Anno 645. Pyrrhum ex Africa, ubi cum Maximo martyre disputatione initâ, veritatem agnoverat, Romam advenientem, & in Synodo Romanâ *Libellum Pœnitentiæ & Confessionis Orthodoxæ* offerentem, in communionem recepit; quin & cum Constante Imp. de illo in sedem CP. restituendo egit. Anno 648. habitâ Romæ Synodo, Paulum Patriarcham CP. biennio etiam ante se damnatum & Pyrrhum in errores pristinos relapsum, anathemate percussit. Obiit die xx. Aprilis, anno 649. Extant *Epistola Synodica* ad Paulum CP. *Exemplar propositionis Constantinopolim transmissæ de Ecthesi anathematizandâ*; *Epistola ad Episcopos*, qui Paulum consecrarant, inter Anastasii Collectanea à Sirmondo edita *Paris.* 1620. p. 47. exinde Concil. Tom. V. p. 1777. SÆC. VII. ab An. DC.

642. PAULUS, Monothelitarum sectarius, ann. 642. Pyrrho ob exulceratum Imperatoris animum in Africam secedenti in Patriarchatu Constantinopolitano substitutus est. Anno 648. fraude edictum à Constante Imp. elicuit, quo silentium de controversiâ Monotheleticâ omnibus, tam unam quàm duas in Christo voluntates asserentibus, indictum est. Quo nomine à Theodoro Papâ eodem anno in Synodo Romanâ damnatus est, à Martino Papâ anno 649. in Concilio Lateranensi anathemate iterum percussus. Ipse, ut vices rependeret, subdolis suis apud Imperatorem commentis effecit, ut Martinus Constantinopolim anno 651. accitus, gravissimis malis affligeretur. Obiit Paulus eodem anno, facti Pœnitentiâ ante mortem tactus. Extat *Epistola ad Theodorum Papam* anno 648. scripta de recipiendo Edicto Imperatorio Gr. Lat. Concil. Lateran. actione 4. Concil. Tom. VI. pag. 221. & fragmentum *Epistolæ ad Theodorum Pharanitam* Concilii VI. actione 10. Concil. Tom. VI. pag. 839.

645. MAXIMUS, patriâ Constantinopolitanus, antiqua nobilitate ortus, natus est anno 580. Postquàm omni disciplinarum genere egregiè excultus esset, ab Heraclio Imp. in Aulam ascitus est, regiis Commentariis conscribendis operam dedit, Proto à secretis factus. Heraclio in hæresim Monotheleticam demum lapso, ipse rem indignatus, ut tradit vitæ ejus auctor (de quo tamen vide quæ habet Fr. Combesis. in notis) vel potiùs immenso solitudinis amore ductus, Aulam deseruit, & in Monasterium Chrysopolim dictum propè Constantinopolim secessit, cujus præfecturam suscipere paulò pòst à Monachis coactus est. Cùm verò hæresim Monotheleticam in Oriente passim triumphare cerneret, & veritatem Catholicam indies pessum ire ingemisceret: præcipuè verò Persarum per omnia ferè Orientis loca grassantium metu * territus, in partes Occidentales se subducere in animum induxit. Ante annum igitur 640. in Africam profectus, Episcopis Africanis, ut contra Monothelitas strenuè decertarent, author fuit, iis & voce & exemplo præeuns. Anno 645. habitâ cum Pyrrho Expatriarcha CP. in Africa præsentibus Episcopis & Gregorio Prætorii præfecto disputatione, hominem erroris convicit, ac duas in Christo voluntates dari solidè demonstravit. Eodem anno Romam contendit, Monothelitas ubique oppugnaturus. Anno 649. Martinum Papam, quo familiariter usus est, ad Concilium Lateranense

Vita S. Max. Gr. Lat. Opp. præfix. p. 2.

* Epist. 2. ad Joa. Presbyt. Tom. 2. pag. 250.

Digitized by Google

nense celebrandum impulit, & ipse Concilio interfuit. Cùm hæreticæ igitur, qua laborabat Constans Imp. labi adeò gnaviter resisteret Maximus, anno 655. Româ militari manu Constantinopolim abductus est unà cum Anastasio discipulo, & in carcerem conjectus. Post dies aliquot in palatium ductus est, ut fictis quibusdam proditionis & calumniæ in Imperatorem, injuriæ in Pyrrhum, & Origenismi criminibus reus ageretur; quæ cùm ille luculentissimè diluisset, edicto Cæsareo anno 648. lato de silentio in controversia Monotheletica utrinque observando subscribere jussus est. Id renuens Bizyam Thraciæ oppidulum relegatur, ubi anno sequente habita est Calend. Septembris inter illum & Theodosium Cæsareæ Bithyniæ Episcopum disputatio. Verùm cum istiusmodi artificio ne hilum quidem rem suam promoverent Maximi adversarii; missus est Paulus consul, qui eum ad Monasterium juxta Rhegium adduceret; ubi de eadem causa iterum disputatum est. Cùm nullis autem dolis, nullis minis flecti poterat vir sanctissimus, Imperatoris mandato Perberim statim deportatur, ibi continuis vexationibus affligendus. Inde anno 662. VI. Id. Jun. in Lazicorum regionem ablegatus est, & in castrum Schemre in confinio Alanorum detrusus, ubi cùm sibi mortem intra paucos dies obventuram prædixisset, die XIII. Augusti animam tot malis exagitatam cœlo reddidit. De stylo ejus hæc habet Photius *: Ἐστὶ δὲ τὴν φράσιν χοινοτενὴς τε ταῖς περιόδοις, καὶ χαίρων ὑπερβατοῖς ἐνακμάζων τε ταῖς περιβολαῖς; καὶ κυριολογεῖν οὐκ ἐσπουδασμένος; ἐξ ὧν αὐτῷ τῇ συγγραφῇ καὶ τὸ ἀσαφὲς καὶ τὸ δυσεπίκτητον διατρέχει: τῷ τραχεῖ δὲ τοῦ ὄγκου ὅσα περὶ συνθήκην καὶ ἀναπαύσεις τὸν λόγον ὑποβάλλον, οὐδ᾽ ἡδὺς εἶναι σπουδάζει τῇ ἀκοῇ καὶ μεταφορᾷ αὐτοῦ τῶν λέξεων οὐκ εἰς τὸ χαρίεν καὶ γεγοντευμένον πεπλώθισται, ἀλλ᾽ οὕτως ἁπλῶς καὶ ἀπεριμερίμνως παραλαμβάνεται. *Oratio ejus comprehensionibus continenter producitur, gaudetque hyperbatis, circumductionibus quoque invalescens, etsi propriè loqui minimè satagit. Unde per sermonem ejus & obscuritas & difficultas passim decurrit. Asperitatem deinde tumidioris dictionis [quantum ad compositionem cessationesque] suâ in oratione sectatus, ne auditu quidem esse jucundus studet. Verborum insuper translatio nequaquam ad gratiam conciliandam, lectoremque pelliciendum composita est, sed simpliciter atque incuriosè assumitur.*

Vid. Acta S. Maximi Gr. Lat. pag. 29. &c. Opp. Tom. I. ubi hæc fusissimè narrantur.

*Cod. 192.

SCRIPTA.

In locos Scripturæ difficiles Quæstiones LXV. *ad Thalassium Monachum*, in hoc Opere penè totus ἀλληγορίζων, prætermisso sensu literali, in mystico ac spirituali ut plurimum hæret. Opus istud fusè describit Photius Cod. CXCI.

Interrogationes & Responsiones diversorum dubiorum LXXIX. In solvendis his quæstionibus non eandem ἀκρίβειαν, ac in prioribus adhibet S. Maximus, unde vel Opus à Maximo inchoatum, ab aliis absolutum, vel saltem haud leviter interpolatum lubens fatetur Cl. Combefisius.

Expositio in Psalmum LIX. in quâ allegorico explicandi modo mordicus adhæret.

Expositio in Orationem Dominicam.

Liber asceticus per interrogationem & responsionem de vita piè instituenda dialogi formâ compositus. Editus est Lat. unà cum aliquot Chrysostomi & Basilii Opusculis à Fl. Nobilio *Romæ* 1578.

De perfecta charitate, & de aliis virtutibus Christianis ad Elpidium Presbyterum Centuriæ IV. Prodierunt Græc. Lat. *Hagenoæ* 1631. 8°. Hujus Editionis curator Vincentius Obsopæus hæc capita Maximo Taurinensi stolidè attribuit: cum Antonii sententiis curâ Conradi Gesneri, *Tiguri* 1546. in *Micropresbytico*, *Basil.* 1555. seorsim *Helmstad.* 1616.

De Theologia, deque filii in carne dispensatione Capita CC. in quo Opere eodem ferè modo ac in quæstionibus ad Thalassium, sed paulò castigatiùs argumentum tractat. Has sententias memorat Photius Cod. 191.

Capita diversa Theologica & Oeconomica, deque virtute, ac vitio quingenta. Primus hæc Capita Gr. Lat. edidit Jo. Picus classium inquisitoriarum in senatu Parisiensi Præses, *Paris.* 1560. 8°.

Ad Theopemptum Scholasticum de judice iniquitatis.

Alia *Capita* CCXIII. ex Vaticano codice deprompta, capitibus *de Charitate* perquam similia.

Ex Opere LXIII. *dubiorum excerpta.* Maximo non indigna, etsi de iis silent Veteres.

Ad Marinum Presbyterum Epistola.

Ad eundem ex tractatu de operationibus & voluntatibus cap. 50. & 51.

Ad Gregorium Presb. de Christi mysterio.

Ad illud, *Si possibile est transeat à me Calix.*

Tomus dogmaticus, ad Marinum Diaconum in Siciliam missus.

Ad Nicandrum Episcopum de duabus in Christo Operationibus.

Epistola ad Siciliæ Episcopos, &c.

Ad Marinum Presb. de Processione Spiritûs Sancti.

Defloratio ex Epistola ad Petrum illustrem de Pyrrho, Sophronio, &c. Lat.

Tractatus de duabus Christi naturis, in Capita X. *distinctus.* Eum Græc. Lat. edidit Fr. Combefis. in Auctario 1648. Tom. II. pag. 443. quem quidem librum potiùs Timotheo Presbytero CP. ascribendum putat.

Definitiones variæ, Græcè prodierunt *Heidelbergæ* 1561. 8°. Græc. Lat. ab Hæschelio cum *Mystagogia* editæ *Augustæ* 1599. 8°.

Tomus Dogmaticus adversus Heraclii Ecthesim.

De duabus unius Christi voluntatibus liber.

Distinctionum, quibus res dirimuntur, definitiones.

Responsiones ad Theodorum, & Pauli quæstiones ad Marinum Presbyterum.

Tomus Dogmaticus ad Marinum Presbyterum.

De Qualitate, proprio, & differentia, ad Theodorum Presbyterum.

De Substantia, seu Essentia & Natura, de Hypostasi & natura.

Non posse dici unam in Christo voluntatem, & de duplici Christi voluntate.

Ex Quæstionibus à Theodoro Monacho illi propositis.

SS. Patrum de duabus Christi Operationibus, definitiones.

Acta disputationis de duabus Christi voluntatibus cum Pyrrho in Africa habitæ, quæ humiliore conscripta esse stylo, & nec Dialecticæ leges, nedum Sermonis sinceritatem, satis servare olim notavit Photius Cod. CXCV. quod quidem Notariorum Acta disputationis excipientium inscitiæ acceptum referri potest. Primus hanc disputationem Græcè extulit adjunctâ Turriani versione Card. Baronius in Appendice Tom. VIII. Annalium Ecclesiasticorum. Exinde habetur Gr. Lat. Conc. Tom. V. p. 1784.

Liber de Anima.

Epistolæ XLVI. quarum priores *Sermones* sive *Tractatus* integri meritò censeri possunt.

Dialogi V. *de S. Trinitate*, qui inter Opera S. Athanasii haberi solent, quosque Theodorito vindicatos in auctario Operum ejus edidit Garnerius, pluri-

morum

Digitized by Google

SÆC.VII. ab An. DC. morum Codicum MSS. & Eruditorum authoritate Maximo adjudicantur.

Mystagogia sive Liturgiæ Expositio, à Davide Hæschælio Gr. Lat. edita, *August. Vindel.* 1599. exinde in Auctario Duceano Tom.II.p.166.

Capita Theologica, sive *Sermones per excerpta ex diversis tum Christianorum, tum Gentilium ac profanorum Scriptis*. Has *sententias* seu *locos communes* unà cum Antonii Melissæ *Sermonibus* Græc. Lat. edidit Conrad. Gesnerus *Tigur.* 1546. f. Prodierunt deinde ad calcem Stobæi *Francof.* 1581. *Aureliæ Allobrogum* 1609.f. De his editionibus in quibus Maximi & Antonii Sermones mixtim habentur, vide quæ in notis observavit Cl. Combefis.

Omnia hæc S. Maximi Opera partim priùs edita, partim de novo ex Variis Bibliothecis Romanis, Italis, Gallis tunc primùm eruta, & undique conquisita, collegit, recensuit, Latinâ versione, notis Scholiisque Græcis illustrata, Græcè & Latinè II. Vol. in lucem emisit Fr. Combefis. *Paris.* 1675. fol. qui etiam editioni suæ *Vitam & Certamen S. Maximi*, à Græco quodam conscriptum, *Acta Collationis cum Principibus in Secretario, Disputationem cum Theodosio Cæsareæ Bithyniæ Episcopo, Invectivam adversus Constantinopolitanos pro S. Maximo, Duplex Ecclesiæ Græcæ pro S. Maximo Officium*, [ut alia quædam taceam] Gr. & Lat. cum notis præmisit.

Computus Ecclesiasticus libris II. comprehensus, sive *enarratio Christiani Paschatis cum brevi temporum supputatione*, à Dionys. Petavio Gr. Lat. evulgata in *Uranologia Paris.*1630.f.

S. Maximi ambigua, seu *Scholia in Gregorii Theologi locos difficiles*. Opus prolixum, quod maxima ex parte Latinè olim vertit Joannes Scotus Erigena. Integrum Opus unà cum ejusdem Scoti de divisione naturæ libris Græc. Lat. prodiit *Oxonii* 1681. fol.

Scholia in Dionysii Areopagitæ Opera, quæ Græcè extant *Paris.* 1562. 8°. Gr. Lat. inter Dionysii Opera *Antverp.* 1615. & *Paris.* 1633. 1644.

Expositio in Cantica Canticorum, quam ex S. Maximi, Gregorii Nysseni, & Nili Commentariis collegit Michael Psellus. Extat Græc. Lat. *in Auctario Duceano*, Tom. II.P.681.

645. SERGIUS, Cypriorum Archiepiscopus, claruit anno 645. Scripsit *Epistolam ad Theodorum Papam* adversùs Monothelitas, quæ extat Gr. Lat. Conc. Tom. VI.p.122.

645. VICTOR, natione Afer, ab anno 646. Episcopus Carthaginensis. Scripsit *ad Theodorum Papam* statim post Episcopatum susceptum *Epistolam, quâ eum de creatione suâ certiorem reddidit, & Orthodoxam de duabus in Christo voluntatibus fidem declaravit.* Extat Græc. Lat. Concil. Tom. VI. pag. 151.

646. THEODORUS, Presbyter in Monasterio lauræ Raithu dicto, S. Maximi Synchronus & familiaris, qui ad eum *Epistolam de voluntatibus & Operationibus in Christo* scripsit. Claruit anno DCXLVI. Scripsit Theodorus Raithu *Commentarium de Incarnatione Christi adversùs hæreses Manetis, Apollinarii, Theodori Mopf. Nestorii, Eutychis, Juliani Halicarnassei, Severi, & aliorum:* quem Latinè à se versum edidit Godefridus Tilmannus sub titulo *Isagoges ad Anastasii Sinaitæ Orationes quinque dogmaticas Paris.* 1556. 8°. *Commentarium* verò *istum* Theodorus Beza Latinè vertit & Græc. Lat. edidit *Genevæ* 1576. 4°. exinde recusum inter Opera Bezæ Theologica Vol. III. pag. 390. Prodiit posteà Græc. Lat. à Rob. Balforeo ad calcem Gelasii Cyziceni editus *Paris.* 1599. 8°. denique in Auctario Duceano Tom. I. pag. 319. Idem cum Theodoro nostro Cl. Pearsono * videtur Theodorus ille Presbyter à Photio Cod. I. memoratus, qui librum singularem ex professo composuit, quo ostendere conatus est, licèt infœliciter sine dubio, ut Doctissimi Viri verbis utar, germanum esse S. Dionysii Areopagitæ Opus, & argumentis in contrarium allatis prout potuit, respondit. Argumenta numero quatuor apud Photium supersunt: solutiones eorum desunt. SÆC. VII. ab An. DC. * Vindic. Ignat. par. I. p. 18.

EUGENIUS, gente Hispanus, Ecclesiæ Toletanæ Presbyter. Mortuo Eugenio priore in Toletanæ sedis Archiepiscopum designatus, Cæsaraugustam fugit; & ad Martyrum sepulchra se conferens, ut vitam monasticam exigere liceret, postulavit. Verùm Regis jussu Toletum reductus Episcopus ordinatus est anno DCXLVI. Anno DCLV. Concilio Toletano IX. anno DCLVI. Toletano X. præfuit, Episcopatum duodecim ferè annis tenuit; atque anno demum DCLVII. defunctus, Ildefonsum successorem habuit. Dracontii libellos *in Hexaemeron* recensuit, auxit, & perpolivit, & addito *de diei septimi Opere Carmine Heroico*, quod Dracontius imperfectum reliquerat supplevit. Scripsit etiam *Epigrammata* quædam, quæ cum Carmine supradicto edita sunt à Jac. Sirmondo *Paris.* 1619. 8°. & habentur in Biblioth. Patr. Tom. XII. pag. 344. Scripsit & *libellum de S. Trinitate*, qui interiit, & alia quædam tam vinctâ quàm solutâ oratione; quæ memorat Ildefonsus de Script. cap. 14. 646.

TAIO sive *Tago*, cognomento *Samuel*, gente Hispanus, Episcopus Cæsaraugustanus, claruit anno DCXLVI. quo jubente Rege Chindasuindo, & approbante Synodo Toletanâ VII. Romam iter suscepit; ut desideratos in Hispaniâ S. Gregorii *Moralium* libros compararet. Postquàm ibi moram inutilem diu fecisset, & à Pontificibus Romanis aliud agentibus ludificatus esset, libros frustra à se antea Romæ quæsitos, in Apostolorum templo factâ dormienti visione, reperisse dicitur. Visionis beneficio erutos è forulis libros à Martino Papâ haud difficulter obtinuit, & in Hispaniam redux secum detulit. Anno 653. Concilio Toletano VIII. 655. Toletano IX. interfuit. Ex B. Gregorii libris collegit *Sententiarum libros* V. servatis ipsius Gregorii verbis, paucis ubi ea desunt, ex S. Augustino suppletis. Extant hodie inter Codices MSS. Thuaneos fol. Vide *Bibliothecæ Thuanæ* Tom.II.pag.424. *Præfationem Operis* istius *ad Quiricum Barcinonensem* unà cum Quirici responso exrulit Mabillonius Analect. Tom.II. pag.68. Habetur etiam ejus *Epistola* ad Eugenium Toletanum apud Baluzium Miscellan. Tom. IV.p.397. 646.

MARTINUS, Patriâ Tuscus, civitate Tudertinus, anno DCXLIX. Pontifex Romanus electus est ante XIV. Maii, ordinatus die XIV. Junii. Eodem anno III. Non. Octobris insigne Concilium CV. Episcoporum, Lateranense dictum, Romæ inchoavit; in quo Constantis Imp. *Typum* anno priore editum, & Monothelitarum duces Sergium Pyrrhum ac Paulum Patriarchas CPP. Cyrum Alexandrinum, & Theodorum Pharanitanum, damnavit: fidem Catholicam de duabus in Christo voluntatibus Canonibus latis munivit, hæresim Monotheleticam anathemate perculit. Anno DCLI. Olympius Exarchus Imperatoris jussu Ravennâ Romam veniens frustra ei insidias tendit. Anno DCLIII. Calliopas, qui Olympio in Exarchatu successerat, exercitu Ravennatensi stipatus, Romam venit, 649.

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. venit, & XIII. Calend. Jul. Martinum armatâ manu prehendit, ac navi impositum post tres menses navigationi insumptos Naxum insulam deportavit: ubi per integrum annum commoratus & malè habitus Pontifex, die XVII. Septembr. anno DCLIV. Constantinopolim perductus est, & in custodiam datus. Post 93. dies ad tribunal judicum ductus ac multis criminibus oneratus, causam agere coactus est: sed cùm neque *Typum* Imperatoris approbare, nec cum Patriarchâ CP. communionem inire vellet; iterum in carcerem amandatur, vinculis onustus, & diris suppliciis undique vexatus. Diebus 85. exactis Chersonam deportatur, quò pervenit Idibus Maii anno DCLV. Obiit exul eodem anno die XVI. Septembris, in Ecclesiâ Beatæ Mariæ, Blachernis dictâ, propè Chersonam depositus. Extant *Epistolæ* XVII. quarum XI. Græco-Latinæ habentur, Conc. Tom. VI. p. 5.

649. MAURUS, Episcopus Ravennatensis, claruit anno DCXLIX. Scripsit *Epistolam ad Martinum Papam contra Monothelitas*, quæ in Concilio Lateranensi lecta approbata est, atque Actis Synodalibus inseri jussa: ubi jam reperitur Gr. Lat. actione I. Conc. Tom. VI. pag. 96. Cæterùm ne quis miretur tot Occidentalium Episcoporum Epistolas Græco-Latinas extare in Actis Concilii Lateranensis, sciat Acta Concilii, atque adeò Epistolas & Libellos iis immistos, in Græcum sermonem postea conversa esse; uti & nunc extant.

650. P. II. AUCTOR *Vitæ S. Maximini*, Monachus erat, ut videtur Miciacensis, quem ex cap. 15. Sæculo VII. claruisse conjicit Mabillonius. Ac proinde nos ad medium hujus sæculi retulimus. Scripsit *Vitam S. Maximini* Miciacensis, apud Aurelianenses, Abbatis, quam ex codicibus MSS. extulit Jo. Mabillon. *Sæc. Benedict.* I, p. 580.

650. P. II. FLORENTINUS, gente, ut videtur, Gallus, Ecclesiæ Tricastinensis in Provinciâ Arelatensi Presbyter, claruit circa annum DCL. Jubente Celsâ Abbatissâ scripsit *Vitam S. Rusticolæ* Abbatissæ Arelatensis, mortuæ circa annum DCXXXII. Hanc Vitam, cujus Fragmenta quædam ediderat Andreas Du Chesnius *Hist. Franc.* Tom. I. integram ex codicibus MSS. protulit Jo. Mabillon. *Sæc. Benedict.* II. p. 139.

650. P. II. ANONYMUS *Vitæ S. Arnulfi* auctor, Monachus, claruit circa annum DCL. In literas retulit *Vitam S. Arnulfi* Mettensis Episcopi, qui anno DCXL. vitam cum morte commutavit. Hanc post Surium ex MS. Cod. Chesniano edidit Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. p. 149. qui etiam Appendicis vice ex Pauli Diaconi libro de Episcopis Mettensis Ecclesiæ nonnulla subnexuit.

650. P. II. JOANNES, gente Syrus, Daræ; quæ Syriæ urbs erat, Metropolita, mihi quidem circa ann. DCL. claruisse videtur. De ejus ætate parùm conveniunt etiam literarum Orientalium peritissimi. Syri recentiores illum S. Ephræm Diaconi, qui obiit anno CCCLXXVIII. discipulum faciunt. Abr. Ecchellensis sæculo quarto, saltem quinto ineunte vixisse vult; F. Naironus sæculo quinto vergente ad sextum: Joan. Morinus * ad sæculum septimum rejicit, imò post ann. DCXCII. scripsisse contendit. In tantâ sententiarum discrepantiâ ego quidem ipsum ad medium hujus sæculi referendum censeo. Non diu anteà floruisse satis arguit profundissimum Patrum quarti, quinti, sextique sæculi de eo silentium; etiam eorum, quorum scripta ejus citasse maximè interérat, utpote quæ causæ quam agebant gravissimum pondus & momentum addere potuissent. Quid quòd ipse Dionysius Areopagita, in quem commentatus est, nondùm ineunte sexto sæculo publicè notus erat? In Collatione Catholicorum cum Severianis Constantinopoli anno DXXX. jussu Justiniani Imperatoris habita, cui plures Syri interfuerunt, cùm Severiani quidam testimonia Dionysii Areopagitæ protulissent, respondit Catholicorum nomine Hypatius Episcopus Ephesinus, hæc Dionysii Areopagitæ esse ostendi non posse, cùm si ita fuerint, Athanasium & Cyrillum latere non potuissent; cúmque nullus ex antiquis eorum fecerit mentionem, quòd illius sint, undè demonstrari potest? Cui objectioni Severiani nè verbulum reposuerunt. Fateor in libris quibusdam Cyrilli Alexandrini contra Theodorum & Diodorum anno CCCCXXXV. scriptis (quos tamen pro genuinis tunc non agnoverunt Catholici) continentur (ut habent vulgares Liberati editiones *Breviar.* c. 10.) antiquorum Patrum incorrupta testimonia, id est, Felicis Papæ Romani, Dionysii Areopagitæ Corinth. Episcopi &c. In citando hoc loco voces *Corinthiorum Episcopi* supprimunt Baronius, Natalis Alexander, & fortassis alii. Quâ mente ipsi viderint. Sed doctissimus Garnerius, in accuratâ suâ Liberati editione, vocem *Areopagita* meritò expunxit, legitque, ut certè legi debet, *Dionysii Corinthiorum Episcopi.* Si igitur vix dùm Græciæ innotuerit Dionysius, fieri quî potuit, ut homo Syrus scholia in ipsum ederet? Denique vix ultrà hujus sæculi medium ætas ejus extendi queat, propter summum sermonis Syriaci, quo utitur, leporem & venustatem, qui paulò pòst Saracenis omnem penè Syriam occupantibus, à nativâ & genuinâ puritate deflectere cœpit, & in Arabicam barbariem degeneravit, ut rectè observat Naironus *Euopl.* pag. 115. Scripsit Joannes noster Syro sermone præter alia, amplissimos *in Dionysii Areopagitæ libros de Hierarchiâ cœlesti & Ecclesiasticâ commentarios*, qui plures sub se libros & tractatus complectuntur. Ex his varia proferunt Ecchellensis *Eutych. Vindic.* pag. 91. 161. 190. Morinus *not. in Syr. Ordin.* pag. 422. 423. 424. 433. Naironus *Euopl.* pag. 114. 120. 140. 147. 215. 220. 229. 317. 371. 375. Denique pag. 398. citat notas ejus *ad Cap. XIII. Apocalyps.* sed quæ Commentariorum pars esse videntur. Horum commentariorum, ut & reliquorum ejus Operum, exemplar antiquissimum in pergameno exaratum penès se habuit Abr. Ecchellensis *, inter cujus libros hodienùm reperitur. Ex notâ codici huic MS. præfixâ constat, Abbatem quendam Syrum in Mesopotamiâ hunc librum unà cum aliis plurimis Bibliothecâ sui Monasterii anno Christi DCCCCXXXIII. emisse, neque eo tempore, ut videtur, recens scriptum, ut forsan penè ad ipsam auctoris ætatem assurgere possit. Apographum habuit Morinus Fr. Bosqueti Lutubensis in Galliâ Episcopi curâ Romæ descriptum, ut non uno loco agnoscit *not. in Syr. Ordin.* p. 423. 433.

* Not. in Syr. Ordin. num. XXII. p. 422.

* Not. ad Catal. Hebed. Jesu p. 46.

650. P. II. AUCTOR *Vitæ S. Gertrudis*, Monachus Nivialensis, claruit anno DCL. in literas misit Vitam S. Gertrudis Abbatissæ Nivialensis in Brabantiâ primæ, cui morienti se adfuisse dicit. Hanc primi ediderunt Bollandiani ad *Mart.* XVII. deinde Mabillonius, *Sæc. Benedict.* II. p. 463.

655. ANASTASIUS, primò Monachus, deinde Abbas, natus anno DCXVIII. S. Maximi discipulus, itinerum, calamitatum, exiliorum per integrum decennium comes individuus, claruit anno DCLV. quo unà cum S. Maximo Imperatoris jussu Româ Constantinopolim asportatus est, ibi in judicium tractus,

SÆC. VII. ab An. DC. tractus, diris modis exagitatus, ac demum Perberim relegatus. Anno DCLXII. Lazica cum B. Maximo deportatus est, ubi castello Scotori dicto Apsiliæ prope Abasgiam, deinde Suanensi inclusus, & tam ex tormentorum & verberum, quæ Byzantii sustinuerat, copiâ, quàm ex afflictionibus & angustiis hoc in loco ipsi illatis, vix adhuc semivivus die XXIV. Julii anno DCLXIV. in Domino obdormivit. Scripsit anno DCLV. ad *Commune Monachorum apud Caralim constitutorum Epistolam*, quæ extat Lat. inter Anastasii Collectanea à Sirmondo edita. *Paris.* 1620. 8°. p. 142. & inter Maximi Opera Tom. I. p. 43.

655. ANASTASIUS, Ecclesiæ Romanæ Presbyter & Apocrisiarius, B. Maximi discipulus, claruit anno DCLV. quo ob Maximi Præceptoris causam, & Orthodoxæ veritatis confessionem Mesembriam Thraciæ urbem in exilium missus est, posteà Trapezuntem relegatus. Anno DCLXII. unà cum B. Maximo in Lazorum regionem deportatur: ubi à Maximo & Anastasio cognomine, exilii sociis divulsus, in castrum Buculum dictum in regione Mesimianâ prope confinia Alanorum conjectus est; post paucos dies in castellum Thacyrię juxta Hiberiam, exinde verò castrum Phustas, mox Schemarin ablegatus, obiit anno DCLXVI. V. Idus Octobris. Scripsit ann. DCLXV. exul è Lazicâ prolixam ad *Theodosium Gangrensem Presbyterum Epistolam*, cui præter ennarrata fusè ac B. Maximi & Anastasii CP. exilia, plurima de duabus Christi Operationibus ex S. Hippolyti scriptis deprompta testimonia intexuit; unde etiam & nos quędam lucem hisce rebus præferentia mutuati sumus. Extat hæc *Epistola* Latinè inter Anastasii Collectanea à Sirmondo edita Paris. 1620. p. 193. & in Bibliothecâ Patrum Tom. XII. pag. 858. Operibus etiam S. Maximi non ita pridem à Combefisio editis præmissa, pag. 67.

656. FRUCTUOSUS, gente Hispanus, ex Regio Gothorum sanguine ortus, Conantii Episcopi Palentini discipulus, plurima condidit Monasteria, & in his Complutense, cui ipse prefuit. Posteà Episcopus Dumiensis factus est, ac demum anno DCLVI. Concilii Toletani X. decreto in locum Potamii Archiepiscopi Bracaranensis recèns depositi subrogatus. Obiit ante ann. DCLXXV. Scripsit *Regulam Monachorum duplicem*, alteram XXIII. alteram xx. Capitibus constantem. *Utrumque* edidit Lucas Holstenius in Codice Regularum *Paris.* 1663. par. II. p. 133.

657. ILDEFONSUS, gente Hispanus, Toleti nobili genere Patre Stephano, matre Luciâ natus: ubi etiamnum commonstrari ædes illius natalibus nobiles prodit Mariana *. Ab Eugenio Archiepiscopo Toletano primis literarum elementis imbutus Hispalim missus est ab Isidoro Episcopo ulteriùs expoliendus. Quo facto spretis omnibus vitæ sæcularis honoribus, quos ei pater propinârat, in Agaliensi Monasterio cucullum induit, tantamque brevi tempore ob pietatem & doctrinam eximiam nominis existimationem nactus est, ut Adeodato Abbate defuncto Cœnobii præfecturam fidei suæ commendatam habuerit. Quo tempore in Prędio Debiensi suâ impensâ Virginum Collegium fundavit; atque anno demum DCLVII Eugenio in sede Toletana successit. Rejicit id Baronius in annum DCLXII. Episcopus factus Pelagii & Helladii excelletum jamdiu Helvidii errorem resuscitare nitentium temeritatem multo labore compressit, perpetuamque B. Mariæ Virginitatem enixè vindicavit. Obiit anno DCLXVII. post completos ab Episcopatu susceptos annos IX. menses ferè 2. Multis scriptis eousque post mortem inclaruit, ut *Chrysostomus*, atque *Ancora fidei* ab iis qui eum citarunt, sæpe appelletur.

* De rebus Hisp. l. VI. c. 10.

SÆC. VII. ab An. DC.

Scripta, quæ extant.

Liber de illibata Virginitate B. Virginis contra Infideles.

Liber contra eos qui disputant de perpetua Virginitate B. Mariæ, & de ejus parturitione. Duos hosce libros à quibusdam Radulfo Flaviacensi ascribi monet Bostonus Buriensis. Rectiùs Dacherius Paschasio Radberto adjudicat.

Homilia contra eos qui mendosè affirmant Mariam Virginem contra legem Dominum peperisse.

Sermones VI. de assumptione B. Mariæ: ex quibus 2^m. & 3^m. Ansberto Abbati Fontanellensi tribuit Bostonus.

Sermo duplex in Nativitate B. Mariæ.

Sermo de ejusdem Purificatione.

Tractatus hosce edidit Fr. Feuardentius *Paris.* 1576. quos excepto unico libro de illibata virginitate B. Virginis, tum ob stylum, tum ob doctrinam quæ in iis continetur, suppositius esse contendit Joannes Poza in Elucidario Deiparæ l. IV. tract. IV. cap 6. His adde, quę habent Fr. Combefis in Bibliotheca Concionat. Tom. VII. & Lucas Dacherius Spicileg. Tom. I. pag. 12. monente Cl. Oudino Supplement. pag. 182. nempe non pauca in his Homiliis partim ex Homiliis D Bernardi, partim ex Commentario in Psalmos Pœnitentiales à quibusdam Gregorio VII. ab aliis Anselmo Lucensi tributo desumpta esse. Porrò isti tractatus habentur & in Biblioth. Patr. Tom. XII.

Liber de Scriptoribus Ecclesiasticis XIV. sive Appendix ad librum Isidori de Viris Illustribus post Hieronymum & Gennadium. Editus est à Miræo in Bibliothecâ Ecclesiasticâ p. 93. *Antverp.* 1639. cum notis, atque alibi sæpiùs.

Epistolæ duæ apud Dacherium Spicileg. Tom. I. p. 308. Integrum *Epistolarum volumen* scripsisse Ildefonsum testantur Trithemius & Possevinus: quod an alicubi adhuc lateat, non constat.

Scripsit pręterea quæ non extant, Ildefonsus (modò Juliano Toletano in Appendice ad librum ejus de Viris illustribus, fides sit habenda) Opuscula sequentia.

Prosopopœiam imbecillitatis propriæ.
De proprietate Personarum Patris, Filii & Sp. S.
Annotationes in sacris.
Annotationes actionis diurnæ.
De cognitione Baptismi.
De progressu spiritualium.
Epistolarum librum.
Librum Missarum, Hymnorum & Sermonum.
Librum Epitaphiorum & Epigrammatum.

Porrò Ildefonsus Isidori *Historiam de Origine Gothorum* ab anno quinto Suinthilanis Regis, in quo desiit Isidorus, usque ad annum XVIII. Recesiunthi Regis produxit. Interiit Opus istud, nisi quid in Lucę Tudensis Historiâ delitеat. Verisimiliter enim admodùm conjicit Doctiss. Vossius Historicum istum, quicquid de eâ temporis, quam persecutus est Ildefonsus, periodo prodit, ex hujusce Chronico paucis mutatis exscripsisse.

VITALIANUS, Patriâ Campanus, civitate Signiensis, Anastasii filius, Romanæ Ecclesiæ Pontifex ordinatus anno DCLVII. die xxx. Julii. Anno DCLXIII. Constantem Imp. Romam advenientem summâ demissione & obsequio excepit. Anno circiter DCLXVIII. Maurum Episcopum Ravennatensem, quòd Romam ad causam dicendam sæpiùs vocatus, 657.

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. vocatus, adesse noluerit, excommunicavit. Brutum fulmen adeò insuper habuit Maurus, ut ipse vice versâ anathema Vitaliano excusserit; ac morti proximus Episcopos Provinciæ suæ juramento obstrinxerit, se Pontifici Romano nunquam cessuros. Obiit Vitalianus die xxx. Decembris anno DCLXXI. Extant *Epistolæ* VI. Conc. Tom. VI. p. 445.

657. SYRICIUS, Episcopus Barcelonensis, claruit anno DCLVII. Extant ab eo scriptæ *Epistolæ* II. quas primus edidit Lucas Dacherius Spicileg. Tom. I.

660. MARCULPHUS, Monachus, ni fallor, Parisiensis, septuagenarius jam scripsit circa ann. DCLX. Collegit *Formularum Ecclesiasticarum libros duos*, quos Landerico Parisiensium Antistiti dedicavit. Hos primus è tenebris eruit, & notis doctissimis illustratos edidit Hieronymus Bignonius *Paris.* 1613. 8°. Auctior verò editio ab eruditissimo Bignonio adornata iterum prodiit ibidem 1666 4°. Habentur etiam inter *Capitularia* à Baluzio edita Tom. II. pag. 369. qui Bignonianis suas etiam Notas adjecit: exinde etiam Biblioth. Patr. Tom. XII. pag. 767.

660. CUMMENEUS, *Albus* dictus, Patriâ Hibernus, alius à Cummiano de quo suprà, Abbas Hyensis factus anno DCLVII. Claruit anno DCLX. Obiit anno DCLXIX. Scripsit *Vitam S. Columbæ primi Abbatis Hyensis in Britannia*, quæ habetur à Mabillonio edita Sæc. Benedict. I. p. 361.

660. P. II. AUCTOR *Vitæ S. Sulpicii* Cœnobii Sulpiciani Monachus, claruit circa annum DCLX. certè cum iis versatus, qui sanctum virum familiariter noverant; ut non uno loco de se testatur. Scripsit de vitâ S. Sulpicii, cognomento *Pii*, Bituricensis Episcopi, qui obiit anno DCXLIV. libellos V. à Bollando primùm editos *Jan* XVII. deinde à Mabillonio *Sæc. Benedict.* II. p. 167.

664. P. II. JONAS Columbani discipulus, Monasterii cujusdam Abbas, claruit anno tertio Clotarii Regis, Christi DCXLIV. Scripsit hortatu Hunnæ Abbatis, Fratrumque Reomaensium, *de Vita & miraculis S. Joannis* Abbatis Reomaensis, libros II. In primo Opus Anonymi alterius tantùm interpolavit; In secundo de miraculis ejus per modum dialogi agit. Hunc solum Actis suis inseruit Mabillonius *Sæc. Benedict.* I. p. 637. qui tamen & alium Anonymum de translationibus & miraculis S. Joannis subnexuit.

668. THEODOSIUS & THEODORUS, Monachi Orientales, B. Maximi, Martini Papæ & Anastasiorum familiares, claruerunt ann. DCLXVIII. quo è Lazicâ, quam SS. Confessorum Maximi, &c. visendorum gratiâ petierant reduces Anastasii Apocrisiarii literarum de morte Maximi & Anastasii alterius exemplum à Gregorio Monacho acceperunt. Scripserunt *Scholion sive Hypomnesticum de Maximi*, &c. præsertim verò *Anastasii Apocrisiarii, exilio & obitu*; quod Latinè inter Anastasii Analecta edidit Jac. Sirmondus *Paris.* 1620. pag. 151. Gr. Lat. verò prodiit in Apparatu Combefisiano ad Opera S. Maximi p. 80.

668. THEODORUS, natione Cilix, domo Tarsensis, S. Pauli popularis, instituto Monachus, Romæ dum ageret anno DCLXVIII. cùm priùs more Romano tonsuram accepisset, à Vitaliano Papâ ad Archiepiscopatum Cantuariensem evectus est, April. I. ab ipso Pontifice consecratus. Dum iter in Angliam institueret, in Galliis diu hæsit, & post octodecim demum menses Cantuariam venit. Prima ipsi cura fuit Ecclesiæ Anglicanæ faciem pulchriorem reddere, secunda meliores literas resuscitare: quod & fœliciter factum est. Eo enim fine Bibliothecam copiosam tam Græcis quàm Latinis libris instructam secum in Angliam advexit: quorum nonnulli, inquit Antiquitatum Britannicarum Autor †, seu Parkerus iste, seu Josselinus, Græco idiomate conscripti apud nos manent, viz. *Opera* Homeri Græco charactere ita eximiè & exquisitè descripta, ut librorum impressorum veritatem superent, volumen grande, charta etiam antiquior, *Homiliæ Chrysostomi* folio pergamenæ, *Psalmi Davidici, Hypomnesticon Iosephi* eâdem lingua, Opera sanè ob eximiam literarum Scripturam nostro sæculo rara, & quæ perpetuæ memoriæ famam obtinere mereantur. Quid mirum igitur, si tam gravi Præsuli, tam erudito capiti, Ecclesia Anglicana fasces submitteret, & relicto veteri Paschatis celebrandi more, in Romanos ritus ferè ubique haud ægrè transiret? Anno DCLXXIII. die XXIV. Septembris Synodum Herefordiæ habuit; in quâ ea quæ à Patribus transmarinis Canonicè sunt antiquitùs decreta, ab Anglis custodienda decernebantur. Decem ejus Capitula apud Bedam videri possunt l. IV. cap. 5. Anno DCLXXX. habita est ab eo secunda Synodus Hethfeldæ in agro Cantiano; in quâ ad declarandam Britannicarum Ecclesiarum fidem contra Eutychis & Monothelitarum hæreses, quinque Oecumenica Concilia suscipiuntur. Vide sis Bedam l. IV. cap. 17. Obiit Theodorus die XIX. Septembris anno DCXC. ætatis suæ 88, ad quem, nec ultra, se perventurum somnio admonitus prædicere solebat. Scripsit Theodorus *Pœnitentiale*, Opus satis amplum, & omnibus penè Pœnitentiæ casibus accommodatum: integri Operis in Bibliotheca Benedictina apud Cantabrienses suo adhuc tempore superstitis, titulos, sive summaria Capita numero LXXVIII. nobis exhibuit Clarissimus Spelmannus Concil. Angl. Tom. I. Quid exinde de eo factum sit, parum liquet; vereor ne alicubi apud nos reperiatur. Quæ enim in Bibliothecâ Benedictinâ hodie restant, quæque Parisiis edita sunt, ex prolixiori Opere tantummodò sunt excerpta. Optat Cat. *. Oudin. ut Spelmannus integrum Pœnitentiale orbi Christiano obtulisset, nullâ interim editionis Parisiensis mentione factâ. An foris tam acutus, domi cæcus esse poterat? nescius scilicet, Theodori *Pœnitentiale* omnibus, quæ reperiri poterant, capitulis, aliisque præclaris Ecclesiasticæ disciplinæ monumentis adauctum, uberrimisque Jacobi Petiti annotationibus ornatum *Parisiis* prodiisse ann. 1677. Tom. II. cap. 4. Fatetur quidem Petitus, se collectioni suæ *Pœnitentialis* nomen indidisse, non quasi integrum referat librum Pœnitentialem, sed quia nihil eorum quæ præcipua sunt omittere videtur: interim de republicâ Christianâ haud parum meritus, qui omnia quæ haberi poterant, laudando studio summaque diligentia undique conquisivit. Quoniam verò Codices MSS. quibus usus sit, ubique crepat Petitus, eorumque possessores uti par erat, deprædicat, audivi non semel Collegii Benedictini Cantab. Socios, *Theodori Pœnitentialis* Codicem vetustissimum, qui in hujus Collegii Bibliotheca asservatur, summâ curâ pulchrè describi curâsse, & descriptum Parisios transmisisse, quod tamen ingrato prorsus silentio suppressit editor. Integram quam edidit Petitus Collectionem, in duos dispescit Tomos: in primo exhibentur Theodori *Pœnitentiale* XIV. Capita complectens; ejusdem *Capitula* LX. *Capitula* X. Synodo Herefordiensi oblata à Theodoro præsidente; alia *Capitula* ex fragmentis à Dacherio editis; *alia* ex

† Antiquit. Brit. p. 53.

* Supplem. p. 185.

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. *ex Canonibus, ex libris Pœnitentialibus, ex Canonum Collectoribus*, ex Codicibus quibusdam MSS. collecta; *Tituli libri Pœnitentialis* à Spelmanno editi; *Pœnitentiale Theodorianum* cum quibusdam Capitulis & Canonibus ex ipso excerptis collatum; *Canones Selecti* ex antiquissima Canonum collectione *Codicis Herouvalliani de Doctrina & Disciplina Ecclesiastica*; *excerpta* ex aliis Codicibus MSS. de quibusdam rebus præcipuis, quæ in *Pœnitentiali & Capitulis* Theodori tractantur. Sequuntur deinde quamplurima preclara Ecclesiasticæ Disciplinæ Monumenta, undique conquisita, in varias classes & articulos distributa. In Tomo II. habetur 1°. *Dissertatio*, quâ Theodori Vigilantiam pastoralem adversùs calumniatores, Balæum nempe & Centuriatores Magdeburgenses, ex Veterum traditione Patrumque testimoniis ab Ignatio Antiocheno ad ipsius Theodori tempora longo agmine deductis defendit, cui observationes suas in hæc Vigilantiæ Pastoralis exempla subnectit: 2°. *Dissertatione*, Theodori doctrinam *de Pœnitentiâ* adversùs Joan. Morinum ab omni novitatis suspicione prolixè vindicat; ultimo demum loco sequuntur notæ, quæ, ut ipsius verbis utar, tot sunt quasi Dissertationes, in quibus mendacia hominum maledicorum coarguuntur, qui sanctissimum atque doctissimum Ecclesiæ Cantuariensis Antistitem, temerè audent appellare novellæ ac superstitiosæ Religionis doctorem. Denique notandum est, Theodorum nostrum qui hunc morem à Græcis suis mutuârat, primum fuisse, qui Occidentalibus libellum pœnitentialem præscripserit, quem alii posteà æmulati sunt, adeóque omnium formularum Pœnitentialium in Ecclesiâ Latinâ fons & origo, jure merito haberi debeat. *Capitula Theodori Ecclesiastica* CXX. habentur etiam apud Dacherium Spicileg. Tom. IX. & in Appendice ad Conc. Tom. VI. p. 1875. Extat etiam *Epistola Theodori ad Æthelredum Merciorum Regem de amicitia inter se & Wilfridum, Episcopum Eboracensem, quem injustè deponi curaverat Theodorus, redintegrata*, apud Willielm. Malmsbur. de Gest. Pontif. lib. III. fol. 151. & Conc. Tom. VI. p. 1383.

670. P. II. ANONYMUS AUCTOR *Vitæ S. Amati*, Monachus Habendensis claruit circa annum DCLXX. Scripsit ad Clydonem Abbatem vitam S. Amati, primi Abbatis Habendensis, fato functi circa annum DCXXVII. Habetur apud Mabillon. *Sæc. Benedict.* II. p. 129. Item *Vitam S. Romarici* Abbatis secundi, *ibid.* pag. 415. Denique *Vitam S. Adelphii* ejusdem Cœnobii Abbatis, qui obiit circa an. DCLXX. Extat *ibid.* p. 602.

670. P. II. AUCTOR *Vitæ S. Bavonis* circa annum DCLXX. non longè post ipsius Bavonis mortem claruisse videtur. Scripsit Vitam S. Bavonis Confessoris Candensis, fato functi anno circiter DCLIII. quam ex Codicibus MSS. extulit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. p. 396. S. Bavonis gesta laudat Ado, Sæculi IX. Scriptor ad Calend. *Octobres*. Addidit Mabillonius ex MS. codice Compendiensi Miracula S. Bavonis, tribus libris à Monacho Anonymo descripta, qui Sæculo X. vixit.

670. P. II. ANONYMUS *Vitæ S. Wandregisili* auctor, Monachus Romanensis, claruit circa annum DCLXX. qui plurima quæ ipse viderat, refert. Vitam condidit S. Wandregisili, Abbatis Fontanellensis primi, qui obiit anno DCLXVII. Hanc à Labbeo in Bibliothecâ Novâ Tom. I. vulgatam, ex vetertimo codice MS. uncialibus literis exarato publici juris iterum fecit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. pag. 524. Sequitur apud Mabillonium alia S. Wandregisili vita à Monacho Fontanellensi, at ìtidem coævo, scripta, aliquot in locis interpolata, à Surio primùm edita. Denique Monachi cujusdam Fontanellensis, qui vixit Sæculo IX. Opus de hujus Sancti miraculis habetur apud eundem Mabillonium p. 547.

ADEODATUS, natione Romanus, Joviniani filius, instituto Monachus, demum ab anno DCLXXII. die XIV. Martii Pontifex Romanus. Obiit die XVIII. Maii anno DCLXXVII. Scripsit *ad universos Galliæ Episcopos Epistolam*, quâ privilegium Monasterio S. Martini concessit. Extat Conc. Tom. VI. p. 523. 672.

BASILIUS, an Thessalonicensis, ut arbitratus est olim Sambucus, an Cæsariensis in Cappadociâ Episcopus, claruit, si in re obscurissimâ divinare liceat, circa annum DCLXXV. Incertissimum est hujus Basilii tempus, ac proindè inter incertæ ætatis Scriptores à Lambecio reponitur. Quò verò veritati, quantum licet, propiùs accedamus, notandum primò Basilium nostrum Eliâ Cretensi, qui claruit anno DCCLXXXVII. antiquiorem esse, quippe à quo in Commentariis suis memoratur, neque de eo tanquam de admodum recenti loquitur. Secundò, Scholia sua Constantino cuidam Imperatori nuncupavit, ut ex ipsâ Epistolâ Dedicatoriâ constat, τῷ φιλοχρίστῳ δεσπότῃ Κωνσταντίνῳ αὐτοκράτορι. Hunc non alium existimo esse quàm Constantinum Pogonatum, qui Patri in Imperio successit anno DCLXVIII. Obiit anno DCLXXXV. adeóque hoc circiter tempore Basilius claruisse censendus est. In codicibus MSS. Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopus non semel dicitur. Quo quidem titulo nostrum cum Basilio M. Cæsareæ Cappadocum Archiepiscopo ab imperitis Librariis perperam confundi, non sine magnâ verisimilitudine conjicit Cl. Lambecius *Comment.* lib. III. p. 205. nisi potiùs dicere malimus, fuisse & alterum Basilium, Cæsareæ Cappadocum circa hæc tempora Metropolitam. Quòd si verò Cæsariensis in Cappadociâ Episcopus fuerit Basilius noster, ante annum DCLXXXI. diem suum obiisse necesse est. Cùm tempore Concilii Oecumenici VI. Philalethes quidam Cæsareæ Cappadocum Archiepiscopus fuit, ut ex istius Concilii Actis liquet. Scripsit, quisquis erat, *Scholia* in S. Gregorii Nazianzeni Orationes XVI. Extant Græcè MSS. Biblioth. Vindob. Cod. *Theol.* XCVIII. Habentur etiam Cod. XCIX. num. I. à fol 1. usque ad fol. 144. ejusdem *Scholia* inedita, editu dignissima, in Nazianzeni Orationes XXIX. à suprà memoratis diversa. *Cod.* C. numer. I. *Scholia* in Nazianzeni Orationes XV. quæ forsan cum præcedentibus eadem sunt. Ibidem *Cod.* XCIX. num. II. fol. 122. & *Cod.* C. num. II. fol. 96. habetur ejusdem Basilii *Epilogus Apologeticus* Scholiorum suorum in S. Gregorii Nazianzeni Orationes, & præcipuè quidem in duas *invectivas* in Imperat. Julianum Apostatam, qui incipit hoc modo, Μηδεὶς τῶν ἐντυγχανόντων ἐπιτιμάτω, εἰ καὶ τίνα τῶν μὴ λίαν ἀσαφῶν σημειώσεως ἔτυχε τῆς παρ' ἡμῖν ὡς δῆθεν ἑρμηνείας δεῖσθαι καὶ σαφηνείας εἰς δήλωσιν τῶν ὑποκειμένων ἐννοιῶν, &c. 675. P. II.

AGATHO, natione Siculus, ex Monacho Papa Romanus ordinatus die XXIX. Maii anno DCLXXIX. Anno DCLXXX. indicto à Constantino Imp. Constantinopoli Concilio Oecumenico, ipse habitâ Romæ Synodo rebus Occidentalis Ecclesiæ in Concilio CP. fœliciter procurandis viam præmuniit, advocato enixis precibus ex Angliâ Theodoro Cantuariensi; quem tamen, quò minùs Pontificis votis obsecundaret, gravis senectus impediit. Misit Agatho ex Romanâ Synodo ad Constanti- 679.

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. stantinopolim legatos Abundantium Paternensem & Joannem Rhegitanum Episcopos, Theodorum & Georgium Presbyteros, Joannem Diaconum, & Constantinum Subdiaconum, qui suas vices in Concilio generali obirent. Obiit die 1. Decembris anno DCLXXXI. Extant ab eo scriptæ *Epistolæ* III. una, eaque admodùm prolixa, *ad Constantinum Imp.* quæ habetur Gr. Lat. Synodi VI. Actione IV. Concil. Tom. VI. pag. 629. altera sui ac Synodi Romanæ nomine *ad Imperatorem & Concilium CP. de legatis ad Synodum missis*, ibid. pag. 678. tertia *ad Ethelredum Merciorum Regem, & alios de collata Abbati Medamstedensi potestate vicaria*, ibid. p.576.

679. ADAMANNUS, seu ADAMNANUS, gente Scoto-Hibernus Monachus & Presbyter, defuncto Failbeo anno DCLXXIX. in regimine cœnobii Hyensis successit. Anno DCCI. ad Aldfridum Northumbrorum Regem legatus à gente suâ missus Romanum Paschatis celebrandi institutum in Angliâ didicit & approbavit; idque à suis domum redeuns observari frustra sategit. Deinde in Hiberniam transeuns, plurimos quin & penè omnes ad Anglicanam consuetudinem Paschatis celebrandi adduxit. Tandem Hyam reversus, cùm iterum Monachis suis Romanæ Ecclesiæ ritum irrito labore commendasset, ante annum exactum è vitâ migravit die XXIII. Octobris Anno DCCIV. ætatis suæ LXXIV. vel ut alii, LXXX. Edidit de *Vita Sanct. Columbæ libros* III. qui extant apud Canisium Tom. V. par.II. pag.562. & apud Surium IX. Junii. *De locis Terræ Sanctæ libros* III. quos ex ore Arculphi Galliarum Episcopi è Palæstinâ reducis excep t. Eos primus edidit Serarius *Ingolstad.* 1619. deinde Joannes Mabillon. Sæc. Benedict II. Par.II. p.502. Scripsisse dicitur Adamannus *librum* etiam *de Paschate legitimo*, & *Canones* quosdam: de quibus vide Waræum de Script. l.1.c.3. p.35.

680. CEOLFRIDUS, gente Anglus, patriâ Bernicius, post Benedictum Biscopium Weremuthensis & Geirvicensis Monasteriorum Abbas, Ven. Bedæ præceptor, claruit anno DCLXXX. Romam, quo verò anno haud satis liquet, profectus est, unde plures secum libros detulit, quibus Bibliothecam, quam in utroque Monasterio extruxit, ornavit; de quibus videsis Bed. vit. Abbat. Wiremuth. lib.II. pag.46. Missis etiam Romam Monachis privilegium à Sergio Papâ Monasterio suo impetravit, quod coactâ Synodo Anglicanâ Elfridi, omniumque Episcoporum subscriptione firmatum est. A Naitone Pictorum Rege missis Legatis rogatus, ut eum de Paschatis celebrandi ratione, & Romanâ Clericorum tonsurâ pleniùs edoceret, scripsit prolixam de argumentis hisce *Epistolam*, quam tanto cum gaudio excepit Naiton, ut de medio Optimatum suorum surgens, genuaque in terram flectens, Deo gratias egerit, quòd tale munusculum de terrâ Anglorum accipere mereretur; & mox edicto præceperit, ut Romani in his rebus ritus per universas Pictorum provincias observarentur. Tandem senio & laboribus penè fractus, magno suorum dolore regimini suo renunciavit, seque ad alterum iter Romam suscipiendum paravit. Verùm Lingonas in Galliâ Narbonensi perveniens, morbo & senectute gravis naturæ cessit, & in Monasterio Tergeminorum VII. Kal. Octobris obiit, ibidem sepultus, ætat. ann. LXXIV. Presbyteratûs XLVII. regiminis Monastici 5°. Industrius per omnia Vir, acutus ingenio, actu impiger, maturus animo, religionis zelo fervens, quod de magistro suo habet Beda loc. cit. pag.47. Extat ejus *ad Naitonem Epistola de Paschate & Tonsurâ* apud

Bedam IV. cap.22. & Conc. Tom.VI. pag.1423. Alia ejus scripta. viz. *Homilias solemnes*; *Epistolas ad Monachos*; *De Peregrinatione suâ librum*; *Testamentum ad Hunibertum* memorant Baleus & Pitseus. SÆC. VII. ab An. DC.

ALDHELMUS, natione Anglus, Kenredi filius, Inæ Visi Saxonum Regis nepos, juvenis adhuc Galliam & Italiam peragravit, tantoque animi ardore sacris pariter ac humanis literis incubuit, ut omnes sui temporis Theologos longè superaverit. Domum reversus, primùm Monachus, deinde Abbas Bladunensis, sive Malmsburiensis factus est anno 671. Claruit præcipuè circa annum 680. Exactis in regimine Monastico annis 34. ann. 705. Schirburnensis Ecclesiæ Antistes consecratur. Obiit anno 709. die XXV. Maii. Dum Abbatis munere adhuc fungeretur, scripsit jubente gentis suæ Synodo adversùs vicinos Britannos, quòd Quartodecimanum Paschatis celebrandi morem mordicùs retinerent. Primus ex Anglorum gente erat juxta Camdenum*, qui Latinè scripsit, primusque componendi carminis Latini rationem populares suos docuit. *Vir*, teste Bedâ †, *undecunque doctissimus*; *nam & sermone nitidus*, *& Scripturarum tam liberalium quàm Ecclesiasticarum erat eruditione mirandus.* Præter *Opus Paschale*, jam deperditum, scripsit, eodem teste, *librum de laude Virginitatis* eximium, quem ad exemplum Sedulii & Versibus Hexametris & prosâ composuit. Extat *liber* iste *Paris.* 1576. apud Canisium Tom. V. par. II. pag.798 & in Bibliothecâ Patr. Tom.XIII. pag 1. Scripsit & alia nonnulla, ex quibus extant, *liber de octo principalibus vitiis*, qui habetur apud Canisium in Biblioth. Patr. dictis locis; *Ænigmatum versus mille*, quæ cum aliis Aldhelmi *Opusculis metricis* edidit Martinus Delrio, *Moguni.* 1601. 8°. *Tractatus* ejus *de Virginitate Prosaicus* habetur in Orthodoxogr. p.1677. Scripsit prcterea de *Vitâ Monachorum*, *de laude Sanctorum*, *de Metrorum generibus*, *super Ænigmatibus*, aliaque plurima, quæ à Baleo & Pitseo recensentur. 680.

* Britann. in Wilt. p. 116.

† L.5. c. 19.

APONIUS, quisquis sit, vir non indoctus, claruit, ex Labbei calculo, circa ann.680. Bedâ certè antiquior, à quo * citatur. Extant ab eo scripti *ad Armenium Presbyterum Commentariorum in Cantica Canticorum libri* VI. qui prodierunt *Friburgæ* 1538. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XIV. p.98. 680.

* Comm. in Cant. l.4. c. 25.

MANSUETUS, Archiepiscopus Mediolanensis; claruit anno 680. quo circiter tempore ex occasione indicti in Oriente à Constantino Imp. Concilii Oecumenici Synodum Mediolani habuit; & ex eâ scriptis ad Imperatorem literis, eum quæ è re fidei Catholicæ visa sunt, admonuit, ac duarum in Christo voluntatum fidem sibi cordi esse declaravit. Eodem anno Synodo Romanæ interfuit, literis Synodicis legatos Constantinopolim missos spectantibus subscripsit. Extat *Epistola* ejus *ad Constantinum Imp. de fide Catholicâ* è Synodo Mediolanensi scripta, inter Acta Concilii VI. par.I.c.3. Concil. Tom.VI. p.601. 680.

THEODORUS, *Campedonensis* à cellulâ, in quâ vitam monasticam primùm egit, dictus, posteà Monachus S.Galli, discipulus S. Magni. Claruit anno 680. Scripsit jussu Tozzonis Episcopi *S. Magni præceptoris sui Vitam*, quæ extat apud Canisium Antiqu. Lect. Tom.V. pag.911. 680.

MACARIUS, Patriarcha Antiochenus, hæreticus Monothelita; claruit anno 680. quo Con- 680.

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. cilio sexto Generali interfuit. Præter brevem *fidei Confessionem*, quam ore tenus in Concilio edidit, prolixiorem *Ecthesin* sive *Confessionem* scripto consignatam Patribus obtulit; sed cùm dogma de unicâ Christi voluntate, & Deivirili operatione damnare recusaret, seque duas naturales voluntates, aut operationes in Christo nunquam agniturum, etiamsi membratim discerperetur, & in mare mitteretur, profiteretur, à Synodo damnatus, & ab Imperatore in exilium missus est. Extat ejus *Expositio* seu *Confessio Fidei* utraque Concil. Tom. VI. pag. 743. Scripsit & *librum ad Lucam Monachum & Presbyterum Africæ*, qui de novâ hæresi Maximianorum scripserat, & *libellum* προσφωνητικὸν ad Imperatorem, & alium quendam librum; quorum fragmenta habentur Concil. Tom. VI. pag. 906.

680. PETRUS Metropolita Nicomediensis; claruit anno 680. In Hæresis Monotheleticæ suspicionem adductus, Concilio sexto se præsentem stitit, tactisque Evangeliis fidem Orthodoxam duarum in Christo voluntatum confessus est, quam & oblato confessionis libello fusiùs confirmavit. Exemplum ejus secuti sunt Theodorus, Solomon, & Antonius Episcopi, unà cum Monachis quibusdam, ejusdem criminis rei facti, & oblatis eâdem formâ libellis criminationem diluerunt. Extat *Libellus* iste *Confessionis* Græc. Lat. Concil. Tom. VI. pag 842.

680. IULIANUS, POMERIUS etiam dictus, gente Hispanus, civitate Toletanus, Eugenii II. Episcopi Toletani discipulus, anno 676. ab Ervigio Rege rogatus, libros *de Christi adventu adversùs Judæos* scripsit. Anno 680. ineunte post Quiricum Ecclesiæ Toletanæ Archiepiscopus ordinatus est. Anno 681. Concilio Toletano XII. 683. Toletano XIII. 684. Toletano XIV. 688. Toletano XV. præfuit. In postremâ hâc Synodo libri sui de *tribus substantiis*, quem in Italiam perlatum minùs Orthodoxum censuerat Benedictus Papa, vindicias operosè egit, Benedictum tanquam stupidum quendam & è trivio petitum doctorem Concilii Patribus deridendum propinans, ac frivolas indocti Pontificis cavillationes insuper habendas esse demonstrans. Obiit pridie Nonas Martii ann. 690. Præclarum virtutum ac doctrinæ ejus encomium texit Fœlix Toletanus in Appendice ad Ildefons. de Script. quem consulat Lector. Nos scripta Iuliani persequemur.

Commentaria in Naum Prophetam.

De demonstratione Sextæ ætatis, sive *Christi adventu, adversùs Judæos libri* III. *ad Ervigium Regem*, qui habentur in Orthodoxographis pag. 1967.

Prognosticorum futuri sæculi, viz. de Origine mortis humanæ, de Receptaculis animarum, de Resurrectione & extremo Judicio, libri III. præmissis *Epistolâ nuncupatoriâ ad Idalium Barcinonensem Episcopum* & *Oratione ad Deum*. Prodierunt à Cochlæo editi *Lipsiæ* 1535.

Ἀντικειμένων sive *Contrariorum in speciem locorum utriusque Testamenti libri* II. Variæ sunt variorum de hujus Operis autore sententiæ. In editione Bibliothecæ Patrum, quam adornavit Andreas Schottus *Colon.* 1618. Iuliano nostro ex authoritate Fœlicis Toletani tribuitur, Tom. XV. pag. 95. Sixtus Senensis illud Richardo Cluniacensi, qui claruit an. 1160. ascribit. Ab Alphons. de Castro * sub nomine Salviani Massiliensis citatur, non aliâ forsan de causâ, quàm quòd à Brassicano ad calcem Salviani editum fuerat Anonymum. Denique Ioannes Baptista Marus † ex testimonio Leonis Ostiensis, & antiquissimi codicis fide id Berthario Abbati Cassinensi vindicat. Cui datum tantas componere lites? Prodierunt hi libri primùm Anonymi *Basil.* 1530. *Colon.* 1533. 8°. deinde unà cum suprà enumeratis Iuliani Opusculis Tom. XII. pag. 590.

* Adv. Hær. l. 14. in verbo timor Dei.

† Not. in Pet. Diac. de Viris Illustr. Cassin. p. 33.

Historia de Wamba Regis Gothorum expeditione, quâ rebellantem Paulum ducem Narbonensem debellavit: ab Andrea du Chesne edita inter Scriptores Francicos Tom. I.

Appendix ad Ildefonsum de Scriptoribus Ecclesiasticis, quæ quidem unius Ildefonsi Vitam continet, & cum Hieronymi, Gennadii & Ildefonsi catalogis Scriptorum edi solet.

Scripsit Julianus plurima, quæ nunc interierunt, Opuscula, à Fœlice Toletano memorata, viz. *Librum Responsionum ad Idalium in defensionem Canonum & Legum, quibus prohibentur Christiana mancipia Dominis infidelibus deservire. Apologeticum fidei ad Benedictum Papam*: *Apologeticum alium de tribus capitulis*, de quibus immeritò dubitarat Benedictus. (*Dissertationem* satis prolixam ejusdem argumenti habes inter Acta Concilii Toletani XV. Concil. Tom. VI. pag. 1296.) *Libellum de remediis blasphemiæ*, cum *Epistolâ ad Adrianum Abbatem. Librum carminum diversorum, Hymnorum, Epitaphiorum, & Epigrammatum: Librum Epistolarum: Librum Sermonum: Opusculum de vindicatione domus Dei, & eorum qui ad eam confugiunt: Librum Sententiarum ex decade Psalmorum S. Augustini collectum: Excerpta de libris S. Augustini contra Julianum: Libellum de divinis Judiciis: Contra eos qui fugientes ad Ecclesias persequuntur: Librum Missarum per totum circulum anni: Librum Orationum pro omnibus anni Festivitatibus.*

AGATHO, magnæ Ecclesiæ CP. primò Lector, posteà Bibliothecarius, Patriarchalis Protonotarius, & Cancellarius secundus; claruit ab anno 680. quo, cùm Lectoris gradum adhuc sustineret, sanctæ & œcumenicæ sextæ Synodo Notarius fuit; omniaque quæ in eâ acta sunt, ordine persecutus, omnes Actorum tomos literis Ecclesiasticis purè & nitidè scripsit, & exemplaria à se descripta in quinque Patriarchalium sedium usum tradidit. In vivis adhuc erat anno 712. quo *Libellum* sive *Epilogum* scripsit, in quo ea refert, quæ Philippicus Bardanes tyrannus adversùs sanctam & œcumenicam sextam Synodum ausus est. Extat hic *Libellus* Gr. Lat. Concil. Tom. VI. pag. 1401. 680.

AUCTOR *vitæ S. Forsei*, claruit circa annum DCLXXX. certè à Bedâ laudatus & exscriptus *Hist. Eccl.* lib. III. c 19. p. 209. Literis commendavit vitam & miracula S. Forsei Latiniacensis in Pago Briegio, ad Matronam fluvium, Abbatis primi, (obiit is anno circiter DCL.) libris II. à Surio & Bollando editis, & collatis codicibus MSS. à Joan. Mabillonio *Sæc. Benedict.* II. p. 229. 680. P. II.

ANONYMUS *vitæ S. Agili* auctor, claruit forsan circa annum DCLXXX. Certè se à Donato Vesontianensi Episcopo, qui non longè post medium hujus Sæculi obiit, quædam se accepisse testatur *num.* VII. Quicquid sit, scripsit vitam S. Agili Abbatis Resbacensis primi, qui anno DCL. ex hac vitâ transiit. Hanc primus edidit P. F. Chifletius in *Historiâ Tornutiensi*; deinde ex codicibus MSS. Jo. Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. pag. 315. qui in Observatione præviâ *num.* V. paucula quædam notat quæ hujus auctoris fidem vellicare videntur: quique libros II. subjunxit ab Anonymis quibusdam scriptos de S. Agili miraculis, quæ Sæculis XI. & XII. patrata sunt. 680. P. II.

ANO-

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. 680. P.II. ANONYMUS *vitæ S. Præjecti* scriptor, claruit circa annum DCLXXX. Conscripsit vitam S. Præjecti Arvernensis Episcopi, & Martyris, à turbâ Paganorum apud Arvernos interfecti an. DCLXXIV. Est & alia S. Præjecti vita, ab Anonymo coævo scripta. Utramque edidit Bollandus ad *Januar.* XXV. Utramque Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. p. 640.

680. P.II. AUCTOR *vitæ S. Leodegarii* S. Symphoriani Monachus Augustodunensis, claruit anno DCLXXX. Jubente Ermenario Augustodunensi Episcopo, cui etiam illam nuncupavit, misit in literas vitam S. Leodegarii Episcopi Augustodunensis & Martyris, anno DCLXXVIII. capite truncati. Extat apud Andream du Chesnium *Hist. Franc.* T. I. & Mabillonium *Sæc. Benedict.* II. p. 679.

680. P.II. BAUDEMUNDUS, natione, ut videtur, Germanus, S. Amandi discipulus, Monachus Elnonensis, claruit anno DCLXXX. Commisit literis vitam Præceptoris sui S. Amandi Episcopi Trajectensis, qui anno DCLXXIX. ad vitam meliorem transiit. Habetur apud Surium, deinde apud Bollandum ad *Februar.* VI. Tom. I. Denique apud Mabillon. *Sæc. Benedict.* II. p. 709. Huic vitæ Milonis Monachi ac Sacerdotis Elnonensis, qui circa annum DCCCL. vixit, *Supplementum*; & Gisleberti Monachi itidem Elnonensis, de S. Amandi miraculis *Appendix*; denique S. Amandi *Testamentum*, & *Historia* inventionis corporis ejus, MCCLXVII. ab oculato teste scripta subjungitur.

680. P.II. VALERIUS, natione Hispanus, ex Asturicensi Territorio oriundus, primùm Monachus, deinde Cœnobii S. Petri de Montibus in Galæciâ Abbas, claruit Anno DCLXXX. Obiit ann. DCXCV. Literis mandavit vitam S. Fructuosi Episcopi Bracarensis, anno DCLXX. denati, quam ex Scriptoribus Hispanis exhibet Ioan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. p 582. Plura scripsisse dicitur, nempe *vitam* B. Eucherię Sanctimonialis; *Historiam* S. Abbatis Dodonei, *Historiam* Revelationis, & Miracula SS. Maximi & Bonelli, & alia quædam in Bibliothecis Ecclesię Ovetensis, & Cœnobii Carracedensis asservata, uti ex Prudentio Sandovalio notat idem Mabillonius in S. Valerii *Elogio Historico* ibid. pag. 1043. Cùm verò Valerii Opera multò enucleatius recenset Nic. Antonius *Biblioth. Hisp. Vet.* (quam, auctore ante duodecim annos vitâ functo, suis sumptibus nuper in lucem edi curavit Card. d'Aguirre, *Rom.* 1696. 2. Tom. *fol.*) l. 5. c. 7. pag. 302. pauca inde delibabimus. Extant igitur Valerii nostri, quæ sequuntur, scripta; 1. Liber *de vanâ sæculi sapientiâ*, in cujus fine multa de seipso prodit. Hunc MSS. penès se habet Card. d'Aguirre. 2. Epistola sive Tractatus *de institutione novæ vitæ*, Isidoro Hispalensi à quibusdam tributus, Martyrologio suo inseruit Joannes Tamaius *Feb.* XXV. 3. *Vita S. Fructuosi*, quam ante Mabillonium ediderunt Sandovalius & Tamaius. Valerii esse, non nisi ex stylo, & quod cum ipsius Operibus conjungi solet, conjici posse fatetur Antonius. 4. *De vitâ & peregrinatione S. Eucheriæ prolixa Epistola.* 5. *Historia brevis Abbatis Dona-Dei.* 6. *De quibusdam miraculis & revelationibus Maximi & Bonelli.* Hæc tria postrema Opulcula penès se ἀνέκδοτα servat Card. d'Aguirre, suo tempore lucem visura. Valerii etiam *poëtica* quædam, & *prologus in Psalmos* MSS. extare dicuntur.

680. P.II. JOANNES, Archiepiscopus Thessalonicensis, claruit anno DCLXXX. quo Sextæ Synodo Oecumenicæ interfuit, ejusque tùm Decretis, tùm Epistolæ Synodicæ ad Agathonem Papam, tanquàm Apostolicæ Sedis Romanæ vicarius & legatus subscripsit. Præter hunc Joannem Thessalonicensem inveni neminem. Concilio Nicæno II. (in cujus Act. V. titulo, Τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν citatur) antiquiorem esse, manifestissimum est; & à Nicephoro CP. in *Antirrheticis*, inter eos commemoratur, qui pro Synodo Chalcedonensi, ac contra Eutychianos strenuè depugnaverunt; *unde*, inquit Combefisius, *ejus ferè liqueat Epocha.* Ipsa Nicephori verba non profert, ut de ejus testimonio judicari possit. Verùm si id sibi velit, Joannem ad istius Concilii tempora esse referendum, longè fallitur Vir eruditus. Potuit pro hâc Synodo decertare, & quidem commodè satis, hoc ipso, de quo agimus, tempore; quippe Monothelitarum secta, quæ Eutychianismi propago quædam & appendicula fuit, hoc tempore fervebat maximè, ad quam damnandam coacta est Sexta Synodus; ut proinde Monothelitæ, qui illam omni quo poterant modo subvertere conabantur, eâdem operâ Chalcedonensem oppugnare necesse habuerunt. Et ita quidem reverâ se rem habuisse testis est, qui hoc circiter tempore vixit, Joannes, initio ferè sequentis Sæculi factus Patriarcha CP. *Epist. Apologet.* ad Constantinum Papam (quam primus eruit Combefisius *Auct. Nov.* Tom. II.) ubi de Monothelitis agens, qui sub Philippici Bardanis patrocinio Sextam Synodum anathemati subjecerunt, ait quosdam etiam jam submutire, τὴν καὶ αὐτὴν τὴν ἁγίαν ἐν Χαλκηδόνι Σύνοδον ἀθετεῖσθαι, ὡς ἐκείνης συνηρτημένης κατὰ τὴν τῶν δογμάτων ἑνότητα, καὶ οἷον εἰπεῖν, αὐτὴν ἐχούσης ῥίζαν τε βεβαίωσιν τῆς εἰρημένης ἁγίας ἕκτης συνόδου, *Ut sancta Chalcedonensis synodus abrogaretur, tanquàm præfatâ sanctâ sextâ Synodo, ab eâ, pro dogmatum utriusque convenientiâ, pendente, illamque velut radicem ac firmamentum habente.* Quid mirum igitur si Joannes noster, dum Eutychianos pariter ac Monothelitas oppugnaret, Concilii Chalcedonensis fidem strenuè tueretur. His adde, auctorem nostrum cultum imaginum propugnasse? quæ quidem controversia Chalcedonensis Synodi tempore nondum innotuit, exeunte hoc, & sequenti Sæculo demum nata. Sed ad ejus Scripta deveniamus. Extat *Oratio in mulieres unguenta ferentes*, quâ accuratè ostendit nullam in sacris Evangelistis circa Dominicæ Resurrectionis historiam esse dissentionem & contrarietatem. Hanc, sed ἀνωνύμως, primus Græcè extulit, & inter Chrysostomi dubia Tom. V. reposuit nobilissimus Savilius; auctiorem ac vero auctori restitutam Gręc. Lat. cum Notis edidit Combefisius *Auct. Nov.* Tom. I p. 791. *Hymnus ad Deum & ad gloriosum martyrem Demetrium cum particulari narratione miraculorum ejus.* Pr. Παντὸς ἔργου τε καὶ λόγου, καὶ διανοίας ἡγείσθω Θεός. Vide L. Allat. *Diatr. de Symeon.* pag. 105. Hujus Hymni fragmentum edidit Combefisius ad *Scriptor. post Theoph.* pag 314. *Oratio in dormitionem S. Deiparæ.* Pr. Τῇ θαυμαστῇ καὶ ὑπερενδόξῳ Παναγίᾳ. Allat. ibid. pag. 110. Hæc forsan Oratio est in *Mariæ Assumptionem* quæ habetur in Bibliothecâ Regiâ Parisiensi, sed fabulis mirè scatens, quam proinde descriptam edere noluit Combefisius. Scripsit etiam *Dialogum* Paganum inter & Christianum, cujus fragmentum habetur *Concil. Nicæn.* II. Act. V. pag 353. in quo de pingendis & colendis Dei, Christi, Angelorum, Sanctorumque imaginibus agit. In hoc etiam fragmento obiter notandum, affirmare ipsum Angelos & animas humanas non prorsùs incorporales & invisibiles esse, sed corpore subtili, aëreo, & igneo præditas. Et in hâc suâ sententiâ se Basilium M. Athanasium, Methodium, multosque sanctorum Patrum ὁμοψήφους habere.

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. 682. LEO II. natione Siculus, Pauli filius, Pontifex Romanus anno 682. ante x. Januarii electus, post menses demum novem ordinatus. Anno 683. perlata à Constantinopoli Synodi sextæ *Acta* confirmavit, & eorum exemplar in Hispaniam transmisit. Obiit anno 684. die 23. Maii. Extant sub ejus nomine *Epistolæ* v. Concil. Tom. VI. pag. 1245. quas commentitias esse contendunt Baronius, Binius, & novissimi Conciliorum editores. Sanè prima, ad Constantinum Aug. Gr. Lat. actione 18. Synodi sextæ reperta, hoc præsertim nomine à Pontificiis suppositicia censetur, quòd Honorium Papam in Monothelitarum hæresi defunctum, adeóque justâ anathematis sententiâ condemnatum esse scribat, ut ipse Baronius non diffitetur. *Sermonem in die Ordinationis habitum* sub ejusdem nomine ex schedis Holstenii edidit Daniel Papebrochius Conatûs Chronologi ad Catalogum Pontif. Roman. pagina 107. qui quidem utrum iste *Sermo* Leoni an Benedicto successori sit ascribendus, parùm constare agnoscit, licèt ipse in eam potius propendeat sententiam, ut Leonis nostri fœtum esse censeat.

684. BENEDICTUS II. natione Romanus, Joannis filius, ad Pontificatum electus die 28. Junii anno 684. ordinatus 14. Maii anno 685. Si Anastasio fides, edictum à Constantino Imperatore obtinuit, ut electus deinceps ad sedem Romanam non expectato Principis mandato evestigio consecraretur. Verùm jus Imperiale in confirmandis Pontificibus ulteriùs adhuc locum habuisse ex *Libri diurni formulis* liquidò constat. Obiit Benedictus die 26. Martii anno 686. Extant *Epistolæ* II. Concil. Tom. VI. p. 1277. quas ipsi Pontificii suppositias esse volunt.

685. P. II. ANONYMUS *vitæ S. Balthildis* auctor, professione, ut videtur, Monachus, claruit circa annum DCLXXXV. Condidit vitam S. Balthildis, ortu Anglæ ex Regali progenie: Quæ captiva in Franciam adducta Clodoveo Regi nupsit, cúmque Monasterium Kalense in Kala, agri Parisiaci ad Matronam fluvium villa Regia, condiderat, ejusdem Sanctimonialis facta est; Obiitque circa annum DCLXXX. Extat apud Bollandum *Jan.* xxx. & Mabillonium *Sæc. Benedict.* II. p. 775.

685. P. II. ANASTASIUS, montis Sinai Monachus, inde SINAITÆ nomen, claruit circa annum DCLXXXV. Scripsit narrationem compendiariam *de Hæresibus* ab initio Religionis Christianæ, déque Conciliis adversùs eas celebratis; quam ad Concilium Oecumenicum VI. Constantinopoli anno DCLXXX. & sequenti sub Imp. Constantino Pogonato contra Monothelitas celebratum, perducit, desinitque sub Imperio Justiniani Rhinotmeti. Incipit, Ἦν μὲν ἐ βραχέξ, Extat MS. in Biblioth. Vindob. juxta Lambec. Cod. *Hist.* Eccl. XLIII. n. xlv. fol. 187. p. 2. juxta Nessel. Cod. VII. De hâc narratione notat Lambecius *Comment.* lib. VIII. pag. 443. contineri eâ quædam singularia & observatu digna, ad Concilia duo, Oecumenicum V. & Oecumenicum VI. pertinentia, quæ alibi vix reperiuntur. Sequitur in eodem codice *fol.* 193. Anonymi cujusdam auctoris *Recensio compendiaria* Conciliorum ab Orthodoxis & ab Hæreticis celebratorum, in duas classes distincta, & circa annum DCLII. quo auctor vixit, desinens. Eam integram exhibuit Cl. Lambecius *Comment.* lib. VIII. p. 444. Subjungitur in eodem codice MS. fol. 194. & alia Anonymi cujusdam *notitia* Sanctorum Conciliorum Generalium & Provincialium usque ad Concilium V. inclusivè. Cujus initium, Ἐγένοντο σύνοδοι πρὸ τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου αὗται, &c. an verò tempore quintæ Synodi circa annum DLIII. vixerit auctor, non liquet. An noster, vel alius fuerit Anastasius Monachus, qui scripsit Διηγήσεις διαφόρους περὶ τῶν ἐν Σινᾷ ἁγίων πατέρων cujus ex Cod. *Colbertino* MMMMDCCXXVI. meminit CL. du Fresn. in *Glossario Græco*, viderint quibus codicem MS. inspicere licet. SÆC. VII. ab An. DC.

ANONYMUS *vitæ S. Salabergæ* auctor, claruit an. DCLXXXV. Jussu Omotarii Episcopi Laudunensis, Anstrudis Abbatissæ, & Salabergæ Sanctimonialis, condidit vitam S. Salabergæ Abbatissæ Laudunensis, mortuæ circa annum DCLV. quam ex Editione Dacherianâ, sed ad codices MSS. castigatâ, repræsentat Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. p. 421. 685. P. II.

SERGIUS, natione Syrus, domo Antiochenus, Tiberii qui Panormi in Siciliâ vixit filius, Ecclesiæ Romanæ Pontifex ordinatus, die 22. Novembris anno 688. Anno sequente Ceadvvallam Occidentalium Saxonum Regem Romam advenientem baptizavit. Anno 692. habita est Constantinopoli Synodus Quini-sexta, cui interfuerunt Pontificis legati, ac Synodi decretis subscripserunt. Eadem ut solenni subscriptione confirmaret, Sergio mandavit Justinianus Imperator, ac reluctantem misso Zacharia Protospathario Constantinopolim deportari jussit. Sergium verò nequaquam abduci passa militia Italica Zachariam fugavit. Obiit Sergius die 14. Augusti ann. 702. Extat *Epistola*, non tamen integra, ad *Ceolfridum Abbatem, de Bedâ Romam transmittendo*, Concil. Tom. VI. pagina 1294. & apud Gulielmum Malmsburiensem de gestis Reg. Angl. l. 1. p. 11. 688.

ARCULPHUS, urbis cujusdam in Galliâ Episcopus; claruit 690. Suscepto religionis causâ in Orientem itinere, ac lustratis locis Sanctis, Damascum quoque, Constantinopolim, Alexandriam, aliaque loca adiit, ac demum in Galliam rediens, vi tempestatis in Occidentalia Britanniæ littora delatus, & ab Adamanno Abbate Hyensi hospitio benignè exceptus est. Ab illius ore exceptam peregrinationis hujusce Historiam, & locorum sanctorum descriptionem literis consignavit Adamannus, rem voluminibus tribus complexus. Extant hi *Libri de situ Terræ Sanctæ* inscripti, à Serario editi, *Ingolstad.* 1619. deinde à Mabillonio Sæc Benedict. III. par. 2. pag. 502. ut in Adamanno suprà monuimus. 690.

CRESCONIUS, civitatis cujusdam in Africâ Episcopus, claruit circa annum 690. Bina condidit Opera ad *Jus Canonicum* spectantia, nempe *Breviarium Canonum*, in quo Conciliorum Canones & Romanorum Pontificum Decreta citatis tantùm locis quibus reperiri possent, ad CCC. capitula revocavit: & *Concordiam*, seu *librum Canonum*, in quo ut prioris Operis brevitatem compensaret, sub iisdem titulis ipsa Canonum & Decretorum verba recitavit: initium autem Concordiæ istius ab alienâ manu additum esse monent novissimi ejus editores. Breviarium primus in lucem edidit Petrus Pithæus, *Paris.* 1588. exinde recusum curâ Altasarani Augustoriti *Pictonum* 1630. curâ Francisci Chiffletii *Divione* 1649. & in Bibliothecâ Juris Canonici Justellianâ, addito indice antiquo, Tom. I. p. 456. *Concordiam* primi ediderunt ex Codice Bibliothecæ Claromontanæ & Thuaneæ, Justellus & Voellius ibidem in Appendice pag. 33. Porro Cresconius *bella & victorias* quas Joannes & Patricius à Leontio Imp. in Africam 690.

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. cam missus de Saracenis reportavit, hexametris versibus descripsit: Verùm Opus istud interiit.

690. P. II. TRAJANUS, dignitate Patricius, (quæ dignitas erat à Constantino M. primùm adinventa, nec nisi viris optimè de Republicâ meritis deferri solita) claruit imperante Justiniano Rhinotmeto, circa annum DCXC. Vir erat, teste Suidâ, χριστιανικώτατος καὶ ὀρθοδοξότατος, Christianâ pietate & Orthodoxæ fidei puritate admodùm conspicuus. Scripsit *Chronicon compendiosum πάνυ θαυμάσιον*; inquit Suidas, *maximè admirabile*. Meminit hujus Chronici Theophanes ad annum CCCLXX. pag. 56. Verùm ne laciniam quidem ejus hodie superesse arbitror.

690. P. II. URSINUS, natione Gallus, Presbyter an Monachus haud satis certum, claruit circa annum DCXC. Petente Audulfo Monasterii S. Maxentii Abbate, scripsit ad Ansoaldum Pictavensem Episcopum Vitam S. Leodegarii Augustodunensis Episcopi, qui ante paucos annos vitam martyrio consummaverat. Extat, sed interpolata, apud Surium, & Andream du Chesnium *Hist. Franc.* Tom. I. Ad Codices MSS. Germanensem & Compendiensem restituit, & Actis suis inseruit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. p. 698. qui & *dissertatiunculam* de translatione & reliquiis S. Leodegarii, ejusque Epistolam consolatoriam ad matrem suam Sigradam, à Labbeo ante publicatam *Biblioth. Nov.* Tom. I. subnexuit.

690. P. II. BOBOLENUS, natione, ut videtur, Germanus, dignitate Presbyter & Monachus, claruit circa annum DCXC. utpote qui ea quæ tradit, ab iis qui viderant, se accepisse testatur. Scripsit Vitam S. Germani Grandivallensis in Diœcesi Basileensi Abbatis primi, qui circa annum DCLXVI. Martyrium subiit, à Bonifacio Duce lanceâ transverberatus. Hanc Vitam, quam Auctor Deicolo Leudimundo, & Ingtefido Patribus dedicavit, primus edidit Bollandus *Februar.* xxi. Tom. III. pag. 263. Exinde Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. p. 511.

690. P. II. ANONYMUS *vitæ S. Aldegundis* auctor, claruit circa annum DCXC. Vitam scripsit S. Aldegundis Melbodiensis in Hannoniâ ad Sabim fluvium Abbatissæ primæ, quæ mortua est circa ann. DCLXXXIV. Hanc ex MS. codice Monasterii S. Bernardi apud Parisios eruit, ediditque Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. p. 806.

693. FOELIX, gente Hispanus, primùm Episcopus Hispalensis, deinde anno 693. Cisberto Archiepiscopo Toletano ob proditionem in Regem Egicam à Synodo Toletanâ XVI. sede suâ ac dignitate deposito, & in perpetuum exilium relegato, in ejus locum suffectus est: & proinde tanquam Regiæ urbis Episcopus, & provinciæ Metropolitanus, Concilio isti præsedit. Obiit anno 702. Scripsit *Vitam* seu *Elogium Juliani Episcopi Toletani*, quod Ildefonsi Scriptorum Catalogo Appendicis vice subjungi solet.

AUCTOR *Vitæ S. Philiberti*, Monachus Gemmeticensis, exeunte Sæculo VII. circa annum DCXCVI. claruisse videtur. Jussu Coschini Abbatis Gemmeticensis scripsit stylo quidem inculto vitam S. Philiberti Abbatis Gemmeticensis & Heriensis primi, fato functi circa annum DCLXXXIV. Extat apud Mabillonium *Sæc. Benedict.* II. p. 816. 696. P. II.

ANGRADUS, Monachus Fontanellensis in Normanniâ, claruit circa annum 699. Scripsit *ad Hilbertum Abbatem* suum, qui obiit anno 700. *Vitam S. Ansberti Archiepiscopi Rhotomagensis*, qui obiit anno 695. Extat hæc Vita apud Surium Febr. IX. 699.

ANONYMUS Auctor, à Photio commemoratus, gente Thebanus, domo Panopolita, incerti quidem temporis scriptor, huic tamen sæculo, ut videtur, adscribendus, quippe qui non diu post Heraclii tempora vixit, & Constantinopoli cum uxore & liberis habitavit. Condidit *Opus πολύβιβλον* libris XV. in quibus testimonia, locaque integra ex Gentilium Scriptis non modò Græcis, verùm etiam Persicis, Thracicis, Ægyptiis, Babylonicis, Chaldaicis, quin & Italicis; in Christianæ religionis gratiam & confirmationem collegit. Summa quædam rerum capita tangit Photius Cod. CLXX. In his enim libris præcipuè tractavit author *de SS. Trinitate, de Verbi Incarnatione, Miraculis, Crucifixione, Sepulturâ, Resurrectione, Ascensione, & Spiritus Sancti donis* in Discipulos effusis; *de secundo Domini Adventu, mortuorum Resurrectione, Judicio, & futurâ vitâ, de Universi fabricâ, Providentiâ, Paradiso, de virtutibus Christianorum propriis*, & hujuscemodi aliis. Argumenta instituto suo convenientia non neglexit, historica ubi opus erat admiscuit, verbi gratiâ, ubinam locorum singuli Apostoli salutarem doctrinam prædicarint, quâque ratione humanis curis ac laboribus sint defuncti. Ingens profectò Opus, nec minùs utile, hoc fine ab autore elaboratum, ut ostenso Christianorum doctrinam in omnibus gentibus prænunciatam fuisse, & ab eloquentissimis quibusque in singulis nationibus prædicatam; inexcusabiles eos omnes inter Gentes esse convinceret, qui sacræ huic doctrinæ non assentirentur. Interim etsi hominis zelum, pietatem, & industriam laudet Photius; judicium tamen in eo & eloquentiam non immeritò desiderare videtur.

SÆC. VII.

Concilia hoc Sæculo habita.

601. P. II. ROMANUM I. anno DCI. sub Gregorio Magno, à quamplurimis Episcopis & Presbyteris habitum. In quo, inter alia, de Monasteriorum privilegiis agitur. Extat *Constitutum Synodale* Conc. Tom. V. p. 1607.

601. P. II. WIGORNIENSE in Confinio Vectiorum & Occidentalium Saxonum, ad locum Augustin's Ac sive Augustin's Oake dictum, circa annum DCI. habitum: in quo Augustinus primus Cantuariensium Antistes Clero suo Romano stipatus cum VII. Britannorum Episcopis aliisque Doctoribus bis congressus est, poscens ab iis ut Romanæ Ecclesiæ obedientiam præstarent, ejusque morem in die Paschatis, & Baptismo celebrando sequerentur. Verùm insolitam hominis superbiam sper-

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. spernentes; postulatis ejus animosè restiterunt Britanni, Dinothi Abbatis Bannochorensis Consilio animati, respondentes; se nec Papam agnoscere, nec Romanos ritus observaturos. Quid exinde secutum sit, Monachorum nempe Bannochorensium cædes, pleno ore referunt Scriptores nostri. Legantur interim hujus Synodi Acta apud Bed. *Hist. Eccl. Angl.* lib. II. cap. 2. pag. 110. & exinde apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. I. pag. 104. qui & Dinothi Abbatis ad Augustinum in hâc Synodo Responsum idiomate Cambro-Britanno cum duplici versione, Latinâ & Anglicâ, ex veteri codice MS. protulit, & Nic. Trivethi de hoc colloquio locum è Chronico priscâ Normannorum dialecto scripto subjicit.

602. P. II. BYZACENUM, apud urbem istius Provinciæ Consularis primariam in Africâ propriâ, ann. 602. in causâ Clementii sive Clementini Provinciæ Byzacenæ Primatis habitum. Hujusce Concilii memoriam conservavit Gregorius M. Epistolâ ad Concilii Byzaceni Episcopos datâ, lib. X. Epist. XXXVI. quâ Clementii, graviorum criminum accusati, causam ipsis dijudicandam committit, ipse hoc tempore continuis Longobardorum incursionibus vexatus. Quænam verò fuerint gravia hæc crimina, quidve in hac causâ egerint Episcopi, non liquet.

603. P. II. CABILONENSE I. anno DCIII. habitum. In quo Desiderius Viennensis, Brunnichilde Reginâ instigante, depositus est, referente Fredegario *Append.* ad Greg. Turon. c. 24. pag. 10. Confer Car. le Cointe ad hunc annum Tom. II. p. 556.

603. P. II. AFRICANUM à Numidiæ Episcopis, in causâ Donadei Diaconi anno circiter DCIII. celebratum. Vide Greg. M. lib. X. *Epist.* VIII. XXXI.

605. P. II. CANTUARIENSE, anno DCV. v. Id. *Januar.* ab Augustino suóque Clero præsente etiam Rege Ethelberto habitum. In quo Monasterium SS. Petri & Pauli ibi recens fundatum confirmatur. De hâc re agit Thomas Sprot Anglus in *Historiâ* suâ MS. apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 126.

606. P. II. ROMANUM II. à *LXXII.* Episcopis, & *XXXIV.* Presbyteris, anno DCVI. in Vaticano celebratum. In quo decretum est, quòd non priùs de eligendo Pontificis Successore ageretur, quàm defunctus triduò sepultus fuerit. Vide Anastas. in *Vit. Bonif.* III. Conc. Tom. V. p. 1615.

610. P. II. ROMANUM III. anno DCX. iii. Calen. *Mart.* sub Bonifacio IV. Papâ, considente ibi Mellito primo Episcopo Londinensi, in causâ Ecclesiæ Anglicanæ habitum. In quo etiam de vitâ & quiete Monachorum actum est. Vide Bed. lib. II. cap. 4. p. 117. Extant *Decretum* & *Epistola* Synodalis ad Ethelbertum Regem, à Luc. Holstenio primùm eruta *Collect. Rom.* Part. I. p. 242. exinde Conc. Tom. V. p. 1618.

610. P. II. TOLETANUM I. anno DCX. à *XV.* Episcopis Provinciæ Carthaginensis de Primatu Ecclesiæ Toletanæ habitum, aliudque eodem ferè tempore & de eadem re à *XXV.* circiter Episcopis coactum: totidem saltem Decreto Gunthramni Regis hâc de re edito subscribunt. Utrinque statutum est sedem Metropolitanam in Ecclesiâ Toletanâ olim collocatam de cætero dignitatem hanc firmam & inconcussam tenere debere. Extant harum Synodorum Acta cum notis Garsiæ Loaisæ Conc. Tom. V. pag. 620. Subjicitur eruditus Garsiæ Tractatus *de Primatu Ecclesiæ Toletanæ* ibid. pag. 1626. Garsiæ Tractatui novam Appendicem ex Lud. Thomassini Tom. I. *de Beneficiis* lib. I. cap. 38. addidit Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. II. p. 453. SÆC. VII. ab An. DC.

EGARENSE in Provinciâ Tarraconensi, anno DCXIV. Id. *Januar.* à *XIV.* Episcopis collectum. In quo præcipuè de castimoniâ Clericorum agebatur. Extant Acta brevicula Conc. Tom. V. pag. 1645. additâ ad calcem Cl. Baluzii *de Episcopatu Egarensi dissertatione.* Eadem apud Aguirre Tom. II. pag. 454. 614. P. II.

PARISIENSE anno DCXV. xv. Cal. *Novembr.* à *LXXIX.* Episcopis celebratum. Extant Ecclesiastici commatis *Canones* XV. & *Edictum*, seu constitutio Clotarii II. in hâc Synodo data cum notis Sirmondi Conc. Tom. V. pag. 1649. notis etiam Caroli Cointii illustrati Annal. Tom. II. pag. 667. Habentur ad calcem, incerti cujusdam loci, sed ejusdem ferè temporis, Synodi *Canones* XV. De hâc incerti temporis Synodo ejusque Canonibus, vide quæ habet Car. le Cointe ad annum DCXV. Tom. II. p. 680. 615. P. II.

CANTIANUM à Laurentio Archiepiscopo aliisque ann. DCXVII. habitum. In quo decretum est, ut propter Saxonum sævitiam & apostasiam, relictâ Britanniâ, patriam quisque suam repeteret. Vide Bed. lib. II. c. 5. p. 119. 617. P. II.

HISPALENSE, anno DCXVII. vel ut alii DCXIX. Id. *Novembr.* sub Isidoro Metropolitano aliisque *VII.* Episcopis congregatum. Extant hujus Synodi Acta cum Capitulis de negotiis Ecclesiasticis, & adversùs Acephalorum hæresin XIII. G. Loaisæ notis illustrata, Conc. Tom. V. pag. 1663. & apud Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. II. p. 462. 617. P. II.

CHARNENSE, apud Charnum, aliàs Theodosiopolim, majoris Armeniæ urbem anno circiter DCXXII. celebratum. Laborabat hoc tempore Ecclesia Armena Acephalorum hæresi, quam unà cum ritibus quibusdam minùs Catholicis Synodus Thevinensis sub initium superioris Sæculi induxerat. Ægrè id ferebat Jeser Necainus Armeniæ Patriarcha, homo fide Catholicus, ac proinde enixè obtestatus est Heraclium Imperatorem (qui tunc his in partibus versabatur, bellum Chosroæ Persarum Regi fœliciter illaturus) ut huic malo remedium ferret. Annuente Imperatore, indicta est Synodus, quò convenerunt frequenti satis numero Armeniæ Episcopi, & Magnatum plurimi, Græcorum etiam & Syrorum nonnulli jussu Regis convocati. Per integrum mensem res transacta est, mutuisque collationibus quæstiones utrinque ventilatæ & discussæ. Tandem Armenis manus dantibus, unanimi consensu sancitum est, Concilium Thevinense esse abrogandum, Synodi Chalcedonensis decreta recipienda, Additamentum, *Qui crucifixus es pro nobis*, à Trisagio removendum; Dominicæ Nativitatis, & Baptismi Festivitates non-ampliùs eodem die, sed, ut anteà, separatim esse celebrandas. Atque ita pax & concordia Græcos inter & Armenos restituta est. Refert hæc Anonymus Auctor *Historiæ Patriarcharum Armeniæ* cap. 13. quam Armenicè & Latinè extulit, & Annotationibus illustravit Clem. Galanus *Conciliat. Eccl. Arm.* Part. I. pag. 185. Meminit & Photius Epistolâ ad Zachariam Armeniæ Patriarcham, quæ MS. apud Armenos hodiè asservatur, teste eodem Galano Part. II. Tom. I. p. 28. 622. P. II.

RHEMENSE, anno circiter DCXXV. à *XLI.* Episcopis celebratum. Extant Disciplinæ Ecclesiasticæ *Canones* XXV. ex duplici editione Conc. 625. P. II.

Tom.

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. Tom. V. pag. 1688. & cum Notis le Cointe Tom. II. pag. 751.

627. P.II. MATISCONENSE, anno DCXXVII. habitum. In quo regula B. Columbani, ab Agrestini Theodorici Regis notarii calumniis, per Eustasium Abbatem defensa est. Plurima de hâc Synodo habet Jonas Monachus in *Vit. Eustas.* quam vide; plurima Carolus le Cointe ad ann. DCXXIII. in quem eam reponit Tom. II. p. 729.

ALEXANDRINUM anno DCXXXIII. à Cyro
633. P.II. Patriarchâ Monothelitâ coactum. In quo, sub specioso unionis prætextu ad hæresin Monotheleticam stabiliendam viam stravit. Extant Acta & *Epistola Synodica,* cum IX. *Capitulis,* Conc. VI. Act. XIII. Conc. Tom. VI. p. 950.

TOLETANUM II. vulgò IV. anno DCXXXIII.
633. P.II. *Decembr.* IX. à *LXII.* Episcopis provinciarum Hispaniç & Galliæ, prçsidente Isidoro Hispalensi, celebratum Constituit plurima, ad fidem & Disciplinam Ecclesiç utilissima. Extant Gesta & *Capitula* LXXV. cum Notis G. Loaisæ Conc. Tom. V. p. 1700. & apud Card. d'Aguirre Tom. II. p. 477.

TOLETANUM III. vulgò V. à *XX.* Episcopis,
636. P.II. Præside Eugenio Toletano, anno DCXXXVI. habitum. Extant de rebus Ecclesiasticis *Capitula* IX. cum notis G. Loaisæ Conc. Tom. V. p. 1735. & *Conc. Hisp.* Tom. II. p. 507.

TOLETANUM IV. vulgò VI. anno DCXXXVIII.
638. P.II. V. vel ut alii VI. Id. *Jan.* à *LII.* vel ut alii, *XLVIII.* Episcopis Hispaniæ & Galliæ habitum. In quo, multa ad Ecclesiæ disciplinam, & Regni incolumitatem constituta sunt. Extant *Capitula* XIX. quæ Notis illustravit G. Loaisa Conc. Tom. V. pag. 1740. & *Conc. Hisp.* Tom. II. p. 512.

CONSTANTINOPOLITANUM
639. P.II. I. anno DCXXXIX. à Sergio Patriarchâ habitum. In quo Heraclii Imp. *Ecthesis de Fide* confirmata est. Extant Græc. Lat. Acta Synodalia, seu Actorum potiùs Fragmenta quædam, in Conc. Later. sub Martino *Secret.* III. Conc. Tom. VI. p. 202.

640. P.II. ROMANUM IV. anno DCXL. celebratum. Quo *Ecthesis* Heraclii, & Monothelitarum hæresis damnantur. Vide quæ de hâc Synodo habent Theophanes & Baronius anno DCXL.

645. P.II. AURELIANENSE anno circiter DCXLV. habitum; in quo hæreticus Monothelita à Salvio Episcopo superatur. Vid. Audoenum in *Vit. S. Eligii* lib. I. cap. 34. & quæ exinde habentur Concil. Tom. V. pag. 1834. Hanc Synodum ad ann. DCXXXIV. refert Car. Cointius Tom. III. pag. 15. Notet etiam Lector, plura circa annum DCXLVI. de controversiâ Monotheleticâ Concilia in Africâ habita fuisse. Quatuor *Epistolæ* Synodales habentur Gr. Lat. in Conc. Later. *Secret.* II. Conc. Tom. VI. p. 128. 133. 137.

TOLETANUM V. vulgò VII. anno DCXLVI.
646. P.II. à XXVIII. Episcopis, & XI. Vicariis, habitum, ut Ecclesiæ disciplinæ, Regnique incolumitati, adversùs transfugas ab exteris regionibus ad excitandas seditiones redeuntes, meliùs prospiceretur. Extant Acta & Disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* VI. cum notis G. Loaisæ Conc. Tom. V. pag. 1836. Alia non pauca addidit Card. d'Aguirre. *Conc. Hisp.* Tom. II. p. 522.

ROMANUM V. ann. DCXLVIII. sub Theodoro SÆC. VII. ab An. DC.
Papa habitum. In quo Pyrrhus, qui ejuratâ Mo- 648.
nothelitarum hæresi ad vomitum suum mox rediit, anathemate percussus est. Meminit hujus P.II.
Synodi Anastas. in *Vit. Theodori* Conc. Tom. V. pag. 1774.

LATERANENSE Romæ in Ecclesiâ Constan- 649.
tinianâ, anno DCXLIX. Mense *Octobri* sub Marti- P.II.
no Papâ à CV. Episcopis, partim ex regionibus suburbicariis, partim ex Urbicâ, & Italicâ Diœcesi, congregatis, celebratum. Ad condemnandam Monothelitarum hæresin, quam Edicto seu typo hanc in rem edito, Constans Imp. in Oriente nuper confirmaverat, ejusque duces & fautores, habita est hçc Synodus. In qua proinde Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus anathemati subjiciuntur. Extant Græc. Lat. Acta hujus Concilii Conc. Tom. VI. p. 75. quæ V. *Secretariis*, sive Actionibus constant.

Act. I. habita est Martini Papç ad Synodum adversùs Hæresin Monotheleticam Oratio, quâ primipulorum Monothelitarum scripta & dogmata recenset, quæ huic Concilio occasionem dederunt. Et lectâ Mauri Ravennatis de eâdem re, ad Synodum Epistolâ, Actis inserta.

Act. II. oblati sunt Synodo adversùs Monothelitas *libelli* II. unus Stephani Dorensis Episcopi & in Concilio Ecclesiastico Hierosolymitano primi; alter Abbatum quorundam, Presbyterorum & Monachorum Palæstinorum, qui ad declinandam Hæreticorum sævitiam Romam confugerant. Lectæ item de eâdem re *Epistolæ* Sergii Cypriorum Episcopi ad Theodorum Papam; Trium Africæ Conciliorum duæ, ad Theodorum una, ad Constantinum Imp. altera; Concilii Africæ Proconsularis ad Paulum Patriarcham CP. Denique Victoris Episcopi Carthaginensis ad Theodorum Papam Synodica.

Act. III. recitata sunt Excerpta ex scriptis Theodori Pharanitç, & Themistii, de una voluntate & Operatione; Cyri Alexandrini *Capitula* IX. Sergii CP. *Ecthesis*, nomine Heraclii Imp. edita; & ad hçc refutanda SS. Patrum testimonia prolata & vindicata.

Act. IV. Pauli Constantinopolitani ad Theodorum Papam *Epistola*, Constantis Imp. *Typus*, & in eorum condemnationem quinque priorum universalium Conciliorum Definitiones & Symbola recitata sunt.

Act. V. plurima ex SS. Patrum libris ad refutandam hanc hçresin afferuntur testimonia; quin & ad conferendam hçreticorum novatorum cum vetustioribus sententiam non pauca ex ipsis præcedentium hæreticorum scriptis producta. Denique ad fidem Catholicam præcipuè adversùs Monothelitas stabiliendam *Canones* XX. adjecto singulis suo anathematismo conditi sunt. Habentur Concil. To. VI. pag. 350. sequitur *Epistola* Encyclica Synodalis, ut & Martini ad Amandum Trajectensem *Epistola*, ut Acta hujus Synodi à se missa à Synodo Gallicanâ confirmari curaret. Acta hujus Concilii Græcè simul & Latinè composita sunt; non aliam opinor, ob causam quàm quòd de controversiâ in Ecclesiis Græcis agitatâ actum est, & ad Græcos ad rectam fidem reducendos, in eâque confirmandos, hæc Synodus præcipuè habita est.

CABILONENSE II. circa annum DCL. Cal. 650.
Novemb. à XXXVIII. Episcopis, & VI. Vicariis ha- P.II.
bitum. In quo plurima ad mores & disciplinam Ecclesiæ conservandam utiliter sancita sunt. Extant hancin rem Canones XX. cum notis Sirmondi, & *Epistolâ* Synodi ad Theodosium Arelatensem Concil.

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. cil. Tom. VI. pag. 387. & cum notis breviculis interspersis apud Car. le Cointe Tom. III. ad an. DCXLIV. ad quem hoc Concilium retulit.

653. P. II. TOLETANUM VI. vulgò VIII. anno DCLIII. XVII. Cal. *Januar.* à LII Episcopis, præsente Reccesvintho Rege, coactum. Non pauca constituit ad fidem & disciplinam Ecclesiæ spectantia. Extant hujus Synodi Acta & *Capitula* XIII. G. Loaisæ notis illustrata Conc. Tom. VI. p. 394. & *Conc. Hisp.* T. II. p. 538. Capitulo XII. *de Judæis* agitur; quorum *Placitum* Reccesvintho Regi oblatum in notis exhibet G. Loaisa.

655. P. II. TOLETANUM VII. vulgò IX. anno DCLV. VIII. Cal. *Decemb.* à XVI. Episcopis sub Eugenio Archiepiscopo celebratum. Extant Disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* XVII. cum notis G. Loaisæ Conc. Tom. VI. p. 451. & *Conc. Hispan.* Tom. II. p. 573.

656. P. II. TOLETANUM VIII. vulgò X. anno DCLVI. Cal. *Decembr.* à XX. Episcopis & V. Vicariis sub præsidio Eugenii Metropolitani collectum. De Disciplinâ Ecclesiasticâ agunt quæ extant *Capitula* VII. G. Loaisæ notis illustrata Conc. Tom. VI. pag. 459. & apud Card d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. II. p. 574. qui Dissertationem *num.* X. multa eruditione refertissimam, XIII. *Excursus* continentem subjecit de disciplina antiquæ Ecclesiæ, speciatim Hispanicæ, in hoc & aliis Conciliis circa lapsos in peccatum carnis post Baptismum, ne ordinentur, nec administrent ordines jam susceptos. In hâc dissertatione varii casus, præcipuè Potamii Bracarensis Episcopi seipsum ob fornicationis crimen sibimet soli notum sponte accusantis, accuratè expenduntur, & ex antiquitate illustrantur.

SENONENSE apud Gallos circa ann. DCLVII.
657. P. II. (Conciliorum editores ponunt circa an. DCLXIX.) habitum. In quo subscriptum fuit *Privilegium* immunitatis Monasterio S. Petri Vivi concessum. Vide Conc. Tom. VI. p. 534. & le Cointe ad an. DCLVII. num. XV Tom. III. p. 449.

658. P. II. NANNETENSE ad Ligerim Fl. in Britanniâ superiori, anno DCLVIII. ad Monasterii Altovillarensis constructionem firmandam habitum. De quo vid. Flodoard. *Hist.* l. II. c. 7. fol. 110. p. 2. & Conc. Tom. VI. p. 456.

663. P. II. AUGUSTODUNENSE in Ducatu Burgundiensi circa annum DCLXIII. sub S. Leodegario Augustodunensi Episcopo congregatum. De tempore haud satis convenit Conciliorum enim Editores ad annum DCLXX. rejiciunt. Ex Canonibus, quos de Disciplinâ Monasticâ condidit hæc Synodus, supersunt non nisi I. V. VI. VIII. X. XV. & duo absque numeris; quibus & alium de Clericis addidit Sirmondus. Habentur Conc. Tom. VI. p. 535. Canon XIV. habetur in Appendice *ibid.* pag. 1887. Canones hosce notis breviusculis illustratos Annalibus suis Ecclesiasticis inseruit Cl. Cointius ad an. DCLXIII. Tom. III. p. 547.

664. P. II. PHARENSE in Monasterio Strenashalch, cui tunc præfuit Hilda Abbatissa, apud villam in littore Eboracensi sitam, hodie Whitbie appellatam, anno DCLXIV. habitum. In quo de ritu Paschatis celebrandi, de tonsurâ Sacerdotum aliisque, acerrimè disputatum est; contendentibus ex parte Anglorum Alchfrido Regis filio, Agilberto Occidentalium Saxonum Episcopo, &c. Ex parte Britannorum Colmanno Lindisfarnensi Episcopo, aliisque. In hâc controversiâ superiores evaserunt Anglo-Saxones. Prolixè hujus Synodi Acta recenset Beda l. III. c. 25. p. 225. & Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. pag. 145. SÆC. VII. ab An. DC.

EMERITENSE apud Lusitanos anno DCLXVI. VIII. Id. *Novemb.* à XII. Episcopis, præsidente Proficuo Metropolitano, habitum. Extant *Symbolum*, & *Regula Ecclesiastica* XXIII. cum notis G. Loaisæ Conc. Tom. VI. p. 497. & *Conc. Hisp.* Tom. II. p. 625. ubi etiam illustriss. Cardinalis Pauli Diaconi Emeritensis librum *de Vitis Patrum Emeritensium* à Thoma de Vargas primùm editum subnexuit. Cap. I. quo de fidei institutione agitur, profertur Symbolum CP. cum particula illa, FILIOQUE. 666. P. II.

ROMANUM VI. anno DCLXVII. habitum. In quo Joannes Lappensis in Cretâ Episcopus absolvitur. Vide hâc de re Vitaliani ad Paulum Cretensem Epistolam Conc. Tom. VI. p. 445. 667. P. II.

HERUDFORDIENSE in agro Hertfordiensi apud Anglo-Saxones, præsidente Theodoro Archiepiscopo, anno DCLXXIII. mense *Septembri*, Indict. I. celebratum. In quo sancitum est, canonica SS. Patrum Decreta ab Anglis esse observanda. Interfuerunt huic Synodo præter Theodorum, Bisi Orientalium Anglorum, Lutherius Occidentalium Saxonum, VVinfridus Merciorum Episcopi, Putta Roffensis, & per Legatos VVilfridus Eboracensis. Extant hujus Synodi Acta & *Capitula* X. apud Bedam *Hist. Eccl.* l. IV. c. 5. pag. 272. exinde ap. Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 152. 673. P. II.

TOLETANUM IX. vulgò XI. anno DCLXXV. VII. id. *Novembr.* à XX. Episcopis, & II. Vicariis, & Abbatibus aliquot, præsidente Quirico Metropolitano, habitum. In quo, post editam Fidei confessionem *Capitula* XVI. de re Ecclesiastica statuuntur: quæ habentur cum notis G. Loaisæ Conc. Tom. VI. p 519. & *Conc. Hisp.* Tom. II. p. 660. 675. P. II.

BRACARENSE I. vulgò IV. cui præfuit Leodecisius Metropolitanus, anno DCLXXV ab VIII. Episcopis habitum. Extant de Fide & Disciplinâ *Capitula* IX. cum notis G. Loaisæ Conc. Tom. VI. pag. 561. & Card. d'Aguirre *Conc. Hispan.* Tom. II. pag 673. 675. P. II.

MEDIOLANENSE anno DCLXXIX. sub Mansueto Episcopo, in causâ Monothelitarum congregatum. Extat *Epistola* Synodalis, unà cum *Expositione fidei* ad Constantinum Imp. Conc. Tom. VI. p. 601. 679. P. II.

HEDTFELDENSE in Angliâ, anno DCLXXX. XV. Cal. *Octobr.* præsidente Theodoro Archiepiscopo Cantuariensi, celebratum. In quo, ad declarandam Britannicarum Ecclesiarum fidem contra Monothelitarum hæresin, SYNODORUM V. UNIVERSALIUM, Lateranensis sub Martino, aliorumque SS. Patrum Constitutiones recipiuntur. Habentur Acta apud Bedam l. IV. c. 17. pag. 300. Ad hanc etiam Synodum spectat *Epistola* Decretalis Agathonis Papæ ad Ethelredum Regem, Theodorum Cantuariensem, &c. quâ Monasterii Medamstenus, posteà Petriburgensis, immunitates & privilegia confirmat; Abbatem Romanæ Sedis Legatum per totam Angliam constituit, & vota pro Romanâ peregrinatione concepta, ad hoc Monasterium præstari posse statuit: quæ in hâc Synodo rata habentur. Extant hæc omnia Saxonicè & Latinè, ex codice MS. Saxonico Petriburgensi eruta, apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 163. 680. P. II.

ROMA-

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. 680. P. II. ROMANUM VII. anno DCLXXX. Mense *Octobri*, vel, ut alii, anno præcedente, in Basilicâ Constantinianâ sub Agathone Papâ, à *L.* Episcopis de statu Ecclesiæ Britannicæ acturis congregatum. In quo decretum est, dissentiones in Ecclesiâ Britannicâ tollendas esse, XII. Episcopos sub Archiepiscopo Cantuariensi constituendos, & alia quædam de ritibus Ecclesiasticis sancita. Extant Actorum hujus Synodi Exemplaria duo; unum ex codice MS. alterum ex Malmesburiensi *de gestis Pontif.* l. III. fol. 149. desumptum, apud Spelm. *Conc. Brit.* T. I. p. 157. & ex eo Conc. Tom. VI. p. 579.

680. P. II. ROMANUM VIII. anno DCLXXX. ab Agathone Papa, & CXXV. Episcopis celebratum. Quo, confirmata fide Catholica, Monothelitarum hæresis damnatur, & Legati Constantinopolim ad Synodum Oecumenicam missi sunt. Extat Græc. Lat. *Epistola* Synodalis ad Constantinum Imp. Concil. VI. Act. IV. Conc. Tom. VI. p. 677.

680. P. II. CONSTANTINOPOLITANUM III. Oecumenicum VI. Religiosissimi Principis Constantini Pogonati jussu in S. Palatii Secretario *Trullo* dicto, anno DCLXXX. congregatum; inchoatum die VII. *Novembris*, die verò XVI. *Septembris* anno sequenti absolutum. Aderant Agathonis Papę Legati IV. Synodi Romanæ III. Patriarchæ Orientales, eorumve Vicarii, omnes; Episcopi *CCLXXXIX*: etsi totidem subscripsisse non deprehendantur, qui Hæresin Monothelitarum, non obstantibus ipsorum in hac Synodo dolis, disertissimè condemnarunt: Præsentibus etiam Constantino Imp. & fratribus Augustis, pluribusque Patriciis & Proceribus Palatinis.

Extant Gr. Lat. hujus Concilii Acta Conc. Tom. VI. p. 593. in XVIII. Actiones distributa; præmissis Imperatoris ad Donum Papam & ad Georgium CP. de Synodo congreganda, & Synodi Mediolanensis ad ipsum Epistolis.

Act. I. Concilii Ephesini Acta recensentur.

Act. II. Synodi Chalcedonensis Acta lecta sunt.

Act. III. Recitantur Acta Synodi V. Oecumenicæ; inventumque est Monothelitas fictam sub nomine Mennæ ad Vigilium *Epistolam*, necnon duos sub nomine Vigilii *libellos*, ad Justinianum Imp. unum, ad Theodoram Augustam alterum, (de quo *Actione* XII. & præcipuè XIV. iterum actum est) his Actis inseruisse. Verùm hoc loco notandum est, non id voluisse Patres, neque hoc loco, neque Act. XII. XIV. fictos prorsùs fuisse hos Vigilii libellos, & quintæ Synodi Actis insertos, sed eo tantùm in loco, ubi de una Christi operatione mentio fit, à Monothelitis falsatos esse. Etenim ab initio, in codicibus Græcis, qui in Ecclesiæ CP. scrinio Patriarchali asservabantur, extitisse, vel ex Georgii Monachi relatione, quæ habetur Act. XIV. abundè liquet. Quid, quod ipse Justinianus Imp. Epistolâ ad quintam Synodum, Vigilium, postquam Constantinopolim advenisset, istiusmodi libellos, quibus Tria Capitula damnavit, tùm ad se tùm ad Theodoram conjugem scripsisse, disertè testatur? De totâ hâc re copiosè agit Cl. Baluzius *Præfat.* ad varias Lectiones Concil. V. *Nov. Collect.* col. 1477.

Act. IV. prolixæ Agathonis Papæ, & Synodi Romanæ ad Constantinum Imp. *Epistola* leguntur. In priori Epistola, Agatho de duabus in Christo naturis, tùm ex S. Scripturâ, tùm ex SS. Patrum testimoniis adversùs Monothelitas fusè atque eruditè disputat. In posteriori, Fidem Catholicam & Orthodoxam de hâc controversiâ Patres Synodici profitentur; omnes nempè Italiæ Episcopi; Subscribit etiam Wilfridus, Episcopus Eboracensis, à totius Britanniæ Concilio ad Romanam hanc Synodum Legatus missus; ut & Felix Arelatensis, nomine Synodi per Galliarum Provincias constitutæ.

Act. V. lecti sunt Macarii Antiocheni Codices II. quibus SS. Patrum testimonia pro unicâ in Christo voluntate & operatione continebantur.

Act. VI. plura Macarii testimonia ex ejus codicillo recitata sunt; decretumque est, ut cùm libris authenticis in Patriarchio asservatis conferantur.

Act. VII. Legati Pontificii testimonia SS. Patrum, duas in Christo naturas & Operationes asserentium, ex codice recitarunt; lectis etiam hæreticorum pro contrariâ sententiâ testimoniis.

Act. VIII. collatis utrinque testimoniis, Georgius CP. aliique ex parte Monothelitarum Episcopi, se fidem Catholicam recognoscere professi sunt; & testimonia à Macario Antiocheno producta, detruncata esse deprehenduntur; ipso Macario prolixam fidei suæ confessionem, cęterâ sanam, coram Synodo edente, duas verò in Christo voluntates, duasque operationes post multam utrinque disputationem agnoscere recusante.

Act. IX. post publicam testimoniorum Macarii examinationem, manifestata eorum falsitate, in ipsum ejusque Monachum Stephanum damnationis sententia fertur.

Act. X. testimonia SS. Patrum, in Agathonis & Synodi Romanæ Epistolis citata, examinantur, & genuina esse probantur. Lecta item est Petri Nicomediensis, aliorumque quorundam Episcoporum, Clericorum, & Monachorum, Fidei Confessio, quâ, præstito priùs juramento, veram ac Catholicam Fidem exponunt, & damnato Monothelitismo, ut genuinam amplectuntur.

Act. XI. lecta est Sophronii Patriarchæ Hierosolymitani ad Sergium CP. *Epistola* Synodica, quâ fidem suam, Catholicam planè atque Orthodoxam, de SS. Trinitate, de Christi Incarnatione, Personâ θεανδρώπῳ, duabusque naturis prolixè exponit; Hæreticorum penè omnium, à Simone Mago ad sua usque tempora, Catalogum texit, quibus, eorumque scriptis & hæresibus anathema dicit.: Lecta item Macarii Antiocheni Opuscula tria Imperatori oblata; ex quibus impia quædam & blasphema Capitula excerpta Actis inseruntur; Macarii item & Stephani libelli à Synodo damnati.

Act. XII. Epistolæ Sergii CP. ad Cyrum Alexandrinum & ad Honorium Papam, & Honorii ad Sergium lectæ sunt.

Act. XIII. leguntur Conciliabuli Alexandrini *Capitula* IX. sive libellus *Satisfactionis* inter Cyrum Alexandrinum, & Theodosianos, & Cyri, Pyrrhi, Sergii, Petri, Honorii, aliorumque Epistolæ & Opuscula, mox Synodi judicio combusta. Sed ante omnia lata est damnationis sententia in Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, & Theodorum Pharanitam, qui, tanquam Monothelitismi duces & fautores, anathemati subjiciuntur. Πρὸς τούτοις δὲ συνεκβληθῆναι ἐκ τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, καὶ συναναθεματισθῆναι συνείδομεν καὶ Ὀνώριον, τὸν γενόμενον Πάπαν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, &c. *Cum his verò projici à Sanctâ Dei Ecclesiâ, simulque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ,* &c. Fremunt hîc loci, & ad rabiem usque debacchantur Scriptores Pontificii; & quibus non pugnant telis? Ligneis, an plumbeis parùm interest, dummodò Cathedræ Pontificiæ honorem, & dignitatem sartam tectâ tueantur. Verùm laterem lavant, dum Honorium ab hâc labe, ab hâc damnationis sententiâ purgare student. Præterquàm enim quòd ipsius Synodi Acta tot locis disertissimè id testantur; testes dare possumus ipsius Agathonis Papæ Lega-

Legatos; Leonis II. qui Agathoni successit Epistolas; Concilia, Quini-Sextum, & Nicænum II. Photium in Libello Synodico, ut alios mittam. Quid, quòd ex solenni professionis Pontificiæ formulâ, ab iis olim in consecratione edi solitâ, vel sole clariùs constat, Honorium unà cum Sergio, Pyrrho, &c. hæreticis, anathematis condemnatione percuti solere? ut ex libro diurno alibi * ostendimus. Ut mirari subit Dan. Papebrochium, hominem candidi pectoris verique amantem, affirmare [*Dissert.* XV. ad *Vit. Pontif.* Num. IX. pag. 105.] Honorium hâc in parte esse excusabilem, nec Catholicum quemquam esse bonum qui dubitat, quin extra culpam eum fuisse crediderint sui successores: Veteremque canit cantilenam, Acta fuisse corrupta, inserto Honorii nomine. Quod tanquam gratis dictum Docti omnes dudùm exploserunt. Novissimus qui in arenam descendit, Honorii causam ex professo acturus, est J. B. Tamagninus, Venetus, editâ Monothelitarum Historiâ *Paris.* 1678. 8°. In IV. posterioribus scrutiniis causam Honorianam deditâ operâ pertractat; Honorium à VI. Synodo damnatum agnoscit, pluribusque probat, & objectiunculas in contrarium solvit, lapsus ejus, nævosque animadvertit, in omnem tamen se vertit formam, quò Honorium ab hæreticâ labe purgaret, eumque in fide Catholicum & Orthodoxum sistat. Affirmat Honorii Epistolas à Monothelitis corruptas esse, vel corrumpi potuisse, & etiamsi non sint, propositiones ejus sensu commodo explicari posse, ipsum nempe, non de unâ cum Monothelitis, sed de novâ quâdam in Christo voluntate loqui. Concludit tandem, quòd etiamsi Honorius errâsset, in fide, non in hæresin lapsum esse formalem; sed solùmmodò materialem; videlicet, nullam in eo interveniſſe in dogmate suo tuendo pertinaciam, quin etsi errasset formaliter, non tamen infecisse sedem Petri, adversùs quam portæ Inferi nunquam prævalebunt; Erravit Honorius ut persona, doctorque privatus, non ut caput Ecclesiæ. Sed miseret me hominum, qui talia κηροφύγιτα quærere coacti sunt.

*Hist. Liter. Part. I. æ VIII. p. 408.

Act. XIV. recitantur & damnantur qui sub nomine Mennæ ad Vigilium & Vigilii ad Justinianum prolati fuerant libelli; sermo item Athanasii Alexandrini ad probandum duas in Christo esse voluntates, ab Episcopis Cypriis in medium productus, lectus est.

Act. XV. Polychronius Presbyter ac Monachus Monothelita, qui miraculo se sententiam suam probaturum venditârat, seque mortuum, chartulâ fidei suæ super illum positâ, suscitaturum, experimento in id, coram totâ Synodo omnique populo, per horas aliquot frustrà facto, tanquàm hæreticus & impostor damnatur, et gradu dejicitur.

Act. XVI. Constantinus Presbyter Monothelita, qui modum unionis inter Catholicos & Monothelitas se invenisse gloriabatur, explosâ ejus sententiâ, damnatus & anathemati subjectus est.

Act. XVII. relecta professio fidei Orthodoxæ à Synodo constituta.

Act. XVIII. Fidei definitio, superiori sessione edita, iterùm promulgatur, & communibus suffragiis confirmatur. Et ita tandem Sermone prosphonetico ad Imperatorem habito, & literis Synodalibus ad Agathonem Papam scriptis, [plerisque tamen Episcopis priùs ad sua regressis] venerandæ huic Synodo finis imponitur. Sequuntur *Constitutiones* Imperiales, & *Epistolæ* aliquot ad hanc Synodum pertinentes; nempe Constantini *Edictum* promulgatorium, in quo de fide in hâc Synodo stabilitâ fusè disserit; Ejus ad Leonem Papam Agathonis successorem de hac Synodo *Epistola*, & ad Synodum Romanam altera. Leonis Papæ ad Constantinum Imp. *litera* quibus assentire se iis, quæ in Synodo gesta fuerant, testatur. Denique Justiniani Aug. Constantini filii *Epistola* in confirmationem Sextæ Synodi, ad Joannem Papam Romanum scripta.

SÆC. VII. ab An. DC.

TOLETANUM X. vulgò XII. ann. DCLXXXI. v. Id. *Januar.* à XXXV. Episcopis, Vicariis III. Abbatibus IV. plurimisque viris illustribus Palatinis habitum, præsidente Juliano Metropolitano. Extant Acta & Disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* XIII. cum Notis G. Loaisæ, & Ervigii Regis Lege pro confirmatione Synodi Conc. Tom. VI. pag. 1221. & *Conc. Hisp.* Tom. II. pag. 681. 681. P. II.

TOLETANUM XI. vulgò XIII. an. DCLXXXIII. prid. Non. *Novembr.* à XLVIII. Episcopis, Vicariis XXVII. Abbatibus & viris Ecclesiastici VIII. & pluribus illustribus Palatinis, præside Juliano Archiepiscopo, celebratum. In quo multa ad mores & disciplinam saluberrima decernuntur. Extant Acta & *Capitula* XIII. quæ Notis suis elucidavit G. Loaisa Conc. Tom. VI. pag. 1253. & *Conc. Hisp.* Tom. II. p. 694. 683. P. II.

TOLETANUM XII. vulgò XIV. an. DCLXXXIV. ab Episcopis XVII. Vicariis X. & Abbatibus VI. sub Juliano Metropolitano habitum. In quo, missis ad Ervigium Regem XI. Synodi Oecumenicæ Actis, multa ad hæresin Monotheleticam spectantia statuta sunt. Extant hanc in rem *Capitula* XII. cum Notis G. Loaisæ Conc. Tom. VI. pag. 1279. & *Conc. Hisp.* Tom. II. p. 717. 684. P. II.

VILLAREGIENSE ann. DCLXXXIV. habitum. In quo Episcopi aliquot depositi sunt, & Leodegarius Augustodunensis capitali sententiâ damnatus. Vide Acta S. Leodegar. apud Sur. *Octobr.* II. & Sigebert. in Chron. ann. DCLXXXV. 684. P. II.

TWIFORDENSE juxta fluvium Alnam apud Anglos, anno DCLXXXV. sub Theodoro Archiepiscopo celebratum. In quo Cuthbertus, invitus licet, Episcopus constituitur; & Egfridi Regis donationes quædam confirmantur. Extant Acta *Monast. Angl.* Tom. I. p. 39. 46. Conc. T. VI. p. 1874. 685. P. II.

MANASCHIERTENSE in Armeniâ, in confinibus Harcanæ provinciæ, circa annum [si rectè conjicio] DCLXXXVII. vel forsan sequentem, congregatum. Patriarchalem Armeniæ Cathedram hoc tempore tenuit Joannes Ozniensis, è provincia Dascerana oriundus, homo à fide Catholica alienus, qui Omaris Saracenorum Ducis jussu, & Caliphæ Babylonis auxilio fretus, Synodum Manaschierti coegit, cui, unà cum Armenis, sex è Syria Episcopi interfuerunt. In hoc Concilio definitum est, Acephalorum dogmata admittenda esse; unam esse in Christo naturam, unam voluntatem, operationem unam; aquam & fermentum in Eucharistia non ampliùs esse usurpanda, vino tantùm, nullâ admistâ aquâ, utendum. Decrevit insuper Patriarcha, in Sabbatis non magis quàm Dominicis Quadragesimæ jejunandum esse, sacram Eucharistiam feriâ quintâ Majoris Hebdomadis populo non esse tribuendam, in jejuniis à piscibus, oleo, & vino abstinendum; denique Armenos & Syros à se invicem deinceps nunquam esse separandos. Hæc omnia nos docet Auctor *Historiæ Patriarcharum Armeniæ* apud Cl. Galanum *Conciliat. Eccles. Armen.* Part. I. cap. 17. pag. 201. In disponendo hujus Concilii tempore Galanus haud benè sibi constare videtur. Loco enim citato, & in indice huic 687. P. II.

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC. huic Parti præmisso, ad Concilii VI. Oecumenici tempora disertè refert; alibi verò, Part. II. Tom I. p. 29. illud ann. DCCXXVII. habitum esse dicit. Utro anno rectius, non statim liquet. Ego ad ipsum quem statui annum potiùs referendum censeo, tùm quòd fervebat maximè tunc temporis de Monothelitis controversia in sextâ Synodo paulò ante damnata, tùm quòd Concilium Quini-Sextum anno DCXCII. habitum antevertisse videtur, cujus plures Canones hisce Armenorum ritibus & placitis directè oppositi sunt, ut ex Can. XXXII. XXXIII. LVI. XCIX. abundè liquet; tum denique quòd hoc tempus Armeniorum supputationi optimè quadret. Si enim Elias Patriarcha thronum ascendit anno Armeniorum CXII. hoc est anno Domini DCLXIII. & post annos XXIV. Eliæ successit Joannes Ozniensis (ut disertè tradit Patriarcharum Armeniæ series Historica) in hunc fermè annum incidemus. His adde, Omarem quendam egregium Saracenorum Ducem sub Caliphatu Abdulmelici hoc ipso anno ab Elmacino memorari *Hist. Saracen.* lib. I. pag. 71.

688. P.II. TOLETANUM XIII. vulgò XV. anno DCLXXXVIII. v. Id. *Maii* à *LXI.* Episcopis, Vicariis *V.* Abbatibus aliquot, & illustribus Palatinis sub præsidio Juliani Archiepiscopi congregatum. Scripserant Epistolam ad Benedict. II. Hispaniæ Episcopi, quâ tres in Christo substantias asserebant; offenso hàc loquendi formulâ Pontifice, habitâ hàc de re Synodo, mentem suam uberiùs explicant & confirmant. In fine, de juramento Ervigio Regi, in filiorum suorum tutelam, præstito agunt. Extant Acta hujus Synodi cum Notis G. Loaisæ Conc. Tom VI. pag. 1294. Et Conc. Hisp. Tom. II. p. 721.

690. P.II. CÆSARAUGUSTANUM vulgò III. ann. DCXC. saltem sequenti Cal. *Novembr.* habitum. Extant Constitutionum Ecclesiasticarum *Capitula* V. Conc. Tom. VI. p. 1331. Et *Conc. Hisp.* Tom. II. p. 732.

691. P.II. CONSTANTINOPOLITANUM IV. Oecumenicum [reverà VII.] Justiniani, cognomento *Rhinotmeti*, mandato, anno DCXCI. saltem DCXCII. convocatum in Secretario Imperiali, quod *Trullus* appellatur, habitum; inde *Trullanum* dictum, *Quini-Sextum* etiam vocatum, eò quòd quintæ sextæque Synodi quasi Appendix & Supplementum fuerit. Conciliis Oecumenicis solenne erat, non modò difficiliora fidei capita explicare, hæreses excutere, controversias definire, sed & Canones ad vitam moresque rectiùs ordinandos, componere. Quod cum quintâ, sextâque Synodo factum non sit; sui id officii esse hujus Concilii Patres censuerunt, Canones de moribus Episcoporum, Clericorum, Laicorum, & de ritibus, & disciplinâ Ecclesiæ sancire; adeòque quæ in duabus præcedentibus Synodis desiderata sunt supplere; ut in Sermone prosphonetico ad Imperatorem ipsimet testantur. Unde & *Sextæ Synodi* nomine non rarò citari solent.

Oecumenicum fuisse hoc Concilium solidè evincunt, 1. Ipsius Synodi auctoritas, hunc sibi titulum, non tantùm in Inscriptione, sed & in Prosphonetico, & in ipsis Canonibus, disertè vendicantis; 2. Indictio legitima, Imp. nempe Justiniani literæ mandatariæ, Episcopos ex omni parte in hunc finem convocantis, ut Synodus Oecumenica haberetur, ut ex *Prosphonetico* palàm est; quin & eodem Imperatore Decreta Synodica confirmante, & pro more promulgante. 3. Justus & plenus Episcoporum numerus; nempe *CCXXVII. Cave Hist. Lit.* juxta Balsamonem & Zonaram, immò juxta libelli Synodici auctorem *CCXL.* certè eorum, qui in sextâ Synodo ante decennium convenerant, numerum tertiâ parte excedentium. 4. Canonum in hac Synodo conditorum natura & ratio. Non modò enim sex Generalia Concilia ante se habita confirmant, hæresesque iis contrarias anathemate percellunt, sed &, quæ universi juris Ecclesiastici sunt, decernunt Regulas & Constitutiones, non huic illive regioni, sed & orbi universo sanciuntes, ritus & consuetudines statuunt, abrogant vel confirmant; idque non solùm in Ecclesiis Orientalibus, sed & in exteris, nominatim in Africanâ, etiam in ipsâ Romanâ [διορθούμενοι ὥσπερ τὸ γινόμενον χάριν τούτων εἰς τὴν τῶν Ῥωμαίων Ἐκκλησίαν, *veluti corrigentes quod eâ de causâ fit in Romanâ Ecclesiâ* inquit Balsamon ad Can. XIII.] quin & in Ecclesiis in Solo Barbarico, hoc est extra fines Romani Imperii constitutis, ut ex Can. XII. XIII. XVIII. XXIX. XXX. XXXVII. XXXIX. LV. manifestò liquet. Quod perridiculum quidem & puerile fuisset; nisi Concilii universalis auctoritate se munitos esse certissimè scirent. 5. Testimonia Veterum, eorum præsertim qui his temporibus proximè accesserunt; nempe Concilii Nicæni II. Patres loco non uno; Tarasius * Patriarcha CP. qui hujus Synodi, ejusque Canonum vindicias ex professo agit; Libelli † Synodici sub Photio Auctor, qui eam θείαν καὶ ἱερὰν Σύνοδον vocat, & ab omni Græcâ, atque Judaicâ, quin & Hæreticâ traditione Ecclesias purgasse dicit; Hadrianus I. Gregorius II. Pontifices Romani; ut alios mittam. Sed nulli huic Concilio inerant ex Occidente Episcopi, nulli Legati; qui Papæ Romani vices gererent. Esto: ideóne pro Oecumenico non habendum? Synodus Constantinopolitana I. sub Theodosio Magno congregata, semper & ubique universalis habita est; cui tamen nulli interfuerunt Occidentales, nulli Pontificis Legati. Verùm quid si in nostrâ Constantinopolitanâ fuerint & Occidentalium, & Papæ locum tenentes? Disertè quidem id tradit Theodorus Balsamon, * Patriarcha Antiochenus, adfuisse tùm Papæ Legatos, tùm Basilium Gortynensium Metropolitam, & quendam Ravennæ Episcopum cujus nomen non exprimit, totius Synodi Romanæ Ecclesiæ vices gessisse; seque ita in παλαιογράφοις Nomocanonum codicibus reperisse dicit. Certè in Subscriptionibus quæ etiam hodiè supersunt, locum suum habet Basilius hoc modo, Βασίλειος Ἐπίσκοπος τῆς &c. *Basilius Episcopus Gortyniorum Metropolis, Christo amabilis Cretæ insulæ, & locum tenens totius Synodi S. Ecclesiæ Romanæ, definiens subscripsi.* Quid multa? Legatos Sedis Apostolicæ in hoc Concilio convenisse, & deceptos subscripsisse, disertissimè testatur ipse Anastasius † Bibliothecarius Romanus, paratissimum aliàs Romanæ Curiæ mancipium. Frivolas alias, & frigidas Baronii exceptiunculas, ex numero Canonum, distantiâ temporis, ipsisque canonibus petitas, sciens prætereo, tanto viro, nisi quòd causæ suæ serviendum esset, planè indignas. Vera quidem causa, cur Synodum hanc ejusque Canones ægrè admittunt Pontificii, in promptu est; quòd tot in eâ constituta sint, hodiernis Ecclesiæ Romanæ moribus, & placitis è diametro repugnantia. Notavit olim Balsamon Italos & Latinos eam pro Oecumenica non agnovisse. ὑπὸ τῶν κανόνων τῆς τοιαύτης Συνόδου καιρίως πληττόμενοι, *quòd ab hujus Synodi Canonibus opportune icti fuerunt.* Neque Romani Editores, qui splendidam his Canonibus Præfationem Græcè & Latinè præmiserunt, id diffitentur Certè *Canone* I. Honorius Papa, unà cum reliquis Monothelitarum ducibus, τῇ τῆς εὐσεβείας ψήφῳ condemnatur. *Can.* II. integros

* Syn. Nic. II. Act. II.

† Synod. p. 81.

* Schol. in Serm. prosphon.

† In Vit. Serg. Conc. Tom. VI. p. 1290.

Digitized by Google

SÆC. VII. ab An. DC.

LXXXV. qui sub Apostolorum nomine veniunt Canones, præter morem Latinorum, stomachante Baronio, admittendos esse sanciunt, & quinam Conciliorum, sanctorumque Patrum Canones, tanquam Ecclesiæ universalis regulæ, recipiendi sint, declarant: quos neque adulterare, neque, præter eos, alios recipere, cuiquam fas esse decernunt, exclusis, ut videtur, Canonibus, qui in Latinorum Synodis conditi fuerant. In his Canonibus à se recensitis, locum dant Canoni, à Cypriano ejusque Synodi olim condito, vehementer ad hæc indignante Baronio, quasi Canon iste controversiam de rebaptizandis hæreticis, Cyprianum inter & Stephanum Papam acerrimè agitatam, respiceret; cùm præsens Canon ne levissimam quidem hujusce rei mentionem facit. *Can. VI.* Presbyterorum, Diaconorum, aliorumque Clericorum conjugia, ante ordinationem suscepta, permittunt. *Can. XIII.* Contrarium Ecclesiæ Romanæ morem disertè reprobant *Can.* XXXVI. Sedi CP. æqualia cum Romanâ privilegia, juxta Synodi Constantinopolitanæ I. & Chalcedonensis Decreta, confirmant. *Can.* LV. Jejunium Sabbati tempore Quadragesimali, in Romana Ecclesia observatum, idque ex Præscripto Canonis Apostolici LXVII. quem Ecclesia Romana non recipit, abrogant. *Can.* LXXX. Christum Dominum sub forma agni pingi expresse prohibent. Hæc speciminis gratiâ: longè plura ex ipsis Canonibus peti possunt. Ne mireris igitur, Lector, hanc Synodum esse Baronio, Binio, &c. *Conciliabulum, Pseudosynodum, Synodum Erraticam, Conventum malignantium, Synagogam Diaboli,* & siqua alia opprobrii & maledicentiæ vocabula excogitari queant. Interim mirari liceat Binium hujus Concilii Patres non semel Monothelitas appellare; cùm certicimum sit, illos Canone I. sextæ Synodi doctrinam de duabus in Christo voluntatibus, & duabus operationibus, disertis verbis confirmare, & contrariam Monothelitarum sententiam, ejusque assertores & propugnatores, Theodorum Pharanitam, Cyrum, Honorium, Sergium, *&c.* apertè damnare, & anathemati subjicere. Denique corrigendus est Baronii, Biniique error, qui hanc Synodum sub Callinico Patriarcha habitam esse, eúmque totius negotii architectum fuisse volunt: cùm vel ex subscriptionibus liquet, Paulum Patriarcham huic Synodo præsedisse, ejusque Canonibus primo loco subscripsisse. Extant Græcè Lat. hujus Concilii *Sermo Prosphoneticus* ad Justinianum Imp. & de negotiis Ecclesiasticis *Canones* CII. Conc. Tom. VI. p. 1123. illustrati Notis Binii, & Fr. Ducæi, ibid. pag. 1317. & cum Commentariis Balsamonis, Zonaræ, & Alexii Aristeni *Pandect. Can.* Tom. I. p. 151. quibus accessêre notæ Beveregii *ibid.* Tom. II. p. 126.

692. P. II. ROTHOMAGENSE ad Sequanam Fl. anno DCXCII. ab Ansberto Episcopo aliisque *XV.* Episcopis, & *IV.* Abbatibus, habitum. In quo multa Ecclesiæ utilia constituta fuisse, nos docet Aigradus in *Vit. S. Ansberti*, quænam verò fuerint non addit, nisi quòd Monasterii Fontanellensis Privilegium confirmatur. Vide Conc. Tom. VI. p. 1240. Ad an. DCLXXXVIII. collocat Carolus Cointius Tom. IV. pag. 191, qui nonnulla ad hanc Synodum annotavit.

693. P. II. TOLETANUM XIV. vulgò XVI. anno DCXCIII. vi. Non. *Majarum*, à *LIX.* Episcopis, *III.* Vicariis, *V.* Abbatibus, multísque Comitibus sub Felice Archiepiscopo recèns electo celebratum. In quo actis quæ de Fide sunt, Disciplinæ & Morum cura habetur. Extant Acta Synodalia, & *Capitula* XIII. cum notis G. Loaisæ Conc. Tom. VI. p. 1327. & *Conc. Hisp.* Tom. II. p. 735.

BECANCELDENSE vel BACCANCELDENSE, (pro quo, si per codices MSS. liceret, legerem BECCANFELD, nec aliud esse conjicerem quàm BECCANHAM, agri Cantiani hodiè oppidum, à quo neque sono, neque significatione multùm distat) apud Cantianos in Angliâ, anno DCXCIV. habitum. Aderant VVithredus Rex Cantiæ, Brithvvaldus Archiepiscopus, Tobias Episcopus Roffensis, Abbates, Abbatissæ, & Procerum plurimi. In hac Synodo Ecclesiæ ab omni tributo, & exactione seculari liberæ factæ sunt, earumque res à laicorum injuriis vindicantur. Decreto Synodico subscribunt, idque ante Presbyteros, Procerésque sæculares, Abbatissæ; exemplo planè novo, & hactenùs quòd sciam inaudito. Extant hujus Synodi Acta in *Chronico Anglo-Saxonico* ad ann. DCXCIV. pag. 48. paulò pleniùs apud *Evidentiarum Ecclesiæ Christi Cant.* collectorem, sive VV. Thorn is fuerit, sive alius, certè Chronico VV. Thorn subjectus *Hist. Ang. Script.* X. col. 2208. Bina eorum Exemplaria ex variis codd. MSS. edidit Spelmannus *Conc. Brit.* Tom. I. p. 189. exinde Conc. Tom. VI. p. 1356. 694. P. II.

TOLETANUM XV. vulgò XVII. anno DCXCIV. Id. *Novembr.* coactum. In quo post firmatam S. Fidei. Regulam, condita sunt de disciplinâ Ecclesiasticâ *Capitula* VIII. quę cum Notis G. Loaisę Conc. Tom. VI. pag. 1361. & *Conc. Hisp.* Tom. II. p. 752. habentur. Calci subjiciuntur Sententiarum, quę in veteribus Exemplaribus Conciliorum non habentur, *Capitula* XXIII. ex variis Conciliorum Decretis excerpta. 694. P. II.

AUTISSIODORENSE ad Icaunam fluv. anno DCXCV. à Tetrico Episcopo habitum. In quo statutum est, qualiter Abbates, vel Archypresbyteri in Ecclesiâ S. Stephani divinum persolverent Officium. Extat *Constitutio* hâc de re facta apud Car. le Cointe *Annal. Eccles.* Tom. IV. p. 316. 695. P. II.

TRAJECTENSE ad veterem Rheni alveum, à VVillebrordo, plurimísque aliis Episcopis anno DCXCVII. congregatum. In quo decretum est, mittendos esse viros sanctos, qui verbum Dei exteris gentibus prędicarent. Refert hujus Synodi Acta Marcellinus in *Vita S. Svvibert.* apud Sur. *Mart.* i. num. xiv. In annum DCCII. reponit hanc Synodum Carolus Cointius Tom. IV. p. 389. ad quam illustrandam nonnullas observationes contulit. 697. P. II.

BERGHAMSTEDENSE apud Anglos à Bertvaldo sive Birthvvaldo Archiepiscopo aliisque anno DCXCVII. habitum. In quo de moribus & disciplinâ Ecclesiasticâ præcipuè cavetur. Extant *Canones,* qui *Judicia VVithredi Regis* appellantur, XXVIII. Saxonicè & Latinè apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 194. Lat. Conc. Tom. VI. pag. 1377. Ad calcem habentur *Capitula* X. *quomodò damna & injuriæ sacris ordinibus illata, sint compensanda.* 697. P. II.

AQUILEIENSE anno DCXCVIII. à Schismaticis quibusdam Episcopis habitum, qui Synodum V. Oecumenicam, ob damnata Tria Capitula, respuendam esse judicârunt. Meminerunt hujus Synodi Beda lib. *de VI. ætat.* Paulus Diac. lib. V. cap. 14. aliique. 698. P. II.

Finis Septimi Sæculi.

Digitized by Google

SÆCULUM EICONOCLASTICUM.

CONSPECTUS SÆCULI.

SÆC. VIII. ab An. DCC.

CHRISTIANOS in Hispania graviter vexant Saraceni, in Italia Longobardi. In Oriente luctuosa admodum rerum facies, inclinatis Imperii viribus omnia penè occupant Saraceni, tribus Patriarchis Barbarorum Tyrannidi subjectis, positâ etiam in loco sancto abominationis desolatione. Intra Ecclesiam confusa omnia, lites, dissidia, Hæreses, schismata, superstitiones, clericorum ambitio, ignorantia, luxus, Episcoporum jurgia & contentiones. Totum penè sæculum exercet famosa de cultu Imaginum controversia. Uno vel altero sæculo præcedentibus, S. Martyrum, illustrium Episcoporum, quandoque & Principum Sæcularium Picturæ & Imagines in templis, templorumque vestibulis collocari cœperant, ornatûs vel Historię causâ, ut earum intuitu ad illorum gesta in memoriam revocanda, virtutesque imitandas hominum animi excitarentur, nullo adhuc interposito, saltem ex communi Ecclesiæ praxi, venerationis signo. Verùm hoc circiter tempore ritus quidam sacri adhibiti sunt; viz. salutatio, genuflexio, cerei accensi, thuris incensio, & istiusmodi alia: de quibus acriter mox digladiari cœptum. Glaciem primus fregit Philippicus Imp. & cum eo Joannes Patriarcha CP. qui rejectis Sexti Concilii Patribus, aliisque qui Monotheletica, hisque affinia dogmata damnarant, imagines eorum ex S. Sophię templo exterminârunt, emisso hâc de re edicto An. DCCXIII. Constantino Papa interea omnia è contrario Romæ faciente, quin & ipsum Philippicum Bardanem hanc ob causam excommunicante. Anno DCCXXIII. Synodus Provincialis Nacorię, præsidente Theophilo Metropolita, cultum imaginum damnavit: idem fecit Leo III. Isaurus decimo Imperii anno; vulgatâ Constantinopoli anno DCCXXVI. de Imaginibus tollendis lege, à Gregorio III. Papa idcircò excommunicatus. Constantinus Copronymus edicto Constantinopoli promulgato anno DCCXLI. imagines sustulit, exacto etiam à subditis suis juramento, ne quisquam imagines adoraret. Denique Synodus VII. Oecumenica Constantinopoli in Æde D. Mariæ θεοτόκου in Blachernis habita est ann. DCCLIV. in quâ ex omnibus Orientalis Imperii partibus congregati sunt CCCXXXVIII. Episcopi, qui habito priùs causæ per sex ferè menses examine, idque ex Sacrâ Scripturâ, ratione, Sanctorumque Patrum testimoniis, tandem unanimi consensu decreverunt imagines προσκυνήσεως causâ non esse construendas, neque eo fine, nec in Ecclesiâ, nec in domo privatâ collocandas; quod quidem rem vanam & διαβολικὴν μεθοδείαν non semel disertè vocant. Hujus Concilii Acta, utinam integra, II. Nicænæ Synodi Actis inseruntur; quæ tamen excerpta potiùs adversariorum quàm Acta dicenda sunt. Tandem anno DCCLXXXVII. conjuge priùs veneno sublato, & Constantino filio adhuc impubere, Irene Imperatrix, impotens planè, ac effrænis fœmina, ne pejora dicam, in Imaginum cultum satis prona, assumpto in Consilium Tarasio, ex laico nuper Patriarcha facto, Synodum Nicææ indixit, in quam convenêrunt, si Diis placet, Præsules CCCL. trium Patriarcharum Orientalium τοποτηρηταὶ, miselli utique Monachi, Patriarcharum nomina ac Personas splendidè ementiti: ipsi enim Patriarchę Saracenorum jugo oppressi, de hac Synodo forsan ne verbulo quidem, tunc temporis inaudiverant. In hoc Concilio abolitis prioris Synodi CP. decretis statutum est, vivificam crucem, Christi, & B. Virginis, Angelorum, Sanctorumque imagines, in Ecclesiis & domibus esse proponendas, venerandas, colendas, cereis, suffitu, aliisque προσκυνήσεως signis honorandas. Interim Divinæ naturæ, vel SS. Trinitatis imagines fabricandas vel adorandas esse præfractè negant, hac saltem in parte adhuc sani, *mox daturi progeniem vitiosiorem*. Transmissis in Occidentem hujus Concilii Actis, Synodum CCC. Episcoporum Francofurti convocat Carolus M. anno DCCXCIV. quâ decretum est, imagines non esse adorandas, quin & *Acta* Nicænæ Synodi damnata sunt, rescissa, & refutata, libris IV. *Carolinis* eum in finem in lucem editis. Quo successu in aliis Occidentis partibus recepta sint Decreta Nicęna, referant alii. De Angliâ nostrâ hęc habet Rogerus Hovedenus, inter Historię nostræ Principes haud postremus Annal. part. 1. fol. 232. Anno 792. *Carolus Rex Francorum misit Synodalem librum ad Britanniam, sibi à Constantinopoli directum; in quo libro (heu proh dolor) multa inconvenientia, & veræ fidei contraria reperiebantur; maximè, quod penè omnium Orientalium Doctorum non minùs quàm trecentorum, vel eo amplius Episcoporum unanimâ assertione confirmatum fuit, imagines adorari debere, quod omninò Ecclesia Dei execratur. Contra quod scripsit Albinus epistolam, ex authoritate Divinarum Scripturarum mirabiliter affirmatam; illamque cum eodem libro ex persona Episcoporum, ac Principum nostrorum Regi Francorum attulit.* In eadem Synodo Francofurtensi Fœlix Urgelitanus, & Elipandus Toletanus, Episcopi Hispani, qui Christum secundùm carnem, solummodò Filium esse Dei adopti-

Digitized by Google

 adoptivum docuerunt; Canonibus ad hanc rem conditis expresse damnantur. Denique mirè crescit hac ætate Romanorum Pontificum fastus & potentia, præcipuè post Occidentis Imperium à Græcis ad Francos translatum, & extinctum Ravennæ Exarchatum, qui ipsorum ambitioni diu frænum injecerat.

SCRIPTORES.

IOANNES, Carpathiorum insulæ Episcopus, cujus mentionem facit Photius Cod. CCII. huic an superiori Sæculo sit ascribendus, mihi planè non liquet. Rogatus ab Indiæ Monachis, scripsit ad illos *Opus Consolatorium* centum Capitibus, teste Photio, absolutum. Extant hodie Latinè ex Jacobi Pontani versione *Hortatoria Capita* sive *Documenta Spiritualia* XCVII. Bibliothec. Patr. Tom. XII.

701. *P.II.* JOANNES Carpathiorum Episcopus, ineunte hoc Sæculo, circa annum DCCI. ætate non usque adeò certâ, claruisse videtur. Edita sunt ejus *capita paracletica ad Indos*, sed ex centum non nisi LXXXII. & Latinè tantùm. Opus integrum extat Græcè MS. Biblioth. Vindob. Cod. *Theol.* CXCII. num. 1. fol. 1. & alibi in eadem Bibliotheca non semel. Asservantur etiam in Bibliotheca Reg. Galliæ Cod. MMCCCCLXVI. ubi teste Du-Fresnio, in capite ultimo habentur complures narrationes de Ægyptiis Anachoretis, eædem ferè quæ in *Gerontico* leguntur. In eodem codice Vindob. fol. 14. sequuntur alia cujusdam Episcopi Carpathii *Capita Theologica & Gnostica* CXV. quorum nulla apud Photium mentio. Incipiunt, Κεφάλαιον ά. Καλὰ ἐξ ἀγαθȣ͂ τὰ πάντα γεγόνασι, &c. Ejusdem Bibliothecæ Cod. *Theol.* CCCXV. num. XVII. fol. 68. habentur ejusdem Joannis *Capitula Ethica* LXXX. Principium Ἔξεςι παντὶ Χριςιανῷ τῷ ὀρθῶς πιςεύοντι, &c. num. xx. fol 83. ejusdem de *Praxi & Theoriâ Spirituali Capitula centum & octo.* Incipiunt, Ἀπαρχὰς ἅλωνος καὶ λήνȣ, &c. An & quousque hæc à cæteris diversa sint, viderint quibus codices MSS. inspicere datum sit. In Bibliothecâ etiam Bodlejanâ Cod. *Baroc.* CXXXIII. fol. 189. habentur ejus *Capita Moralia* LXXIX. Περὶ Ἐυχῆς *Capita* CXI. fol. 162. *Capita* γνωςικὰ seu *intellectualia* XXXII. fol. 163. *De Operatione, & Contemplatione spirituali Capita* CVIII. fol. 165.

701. *P.II.* ANONYMUS *vitæ S. Geremari* Auctor, scriptor antiquissimus, & ex Mabillonii conjecturâ fere æqualis, adeò ut saltem ad hujus Sæculi initium referendus sit, annoque DCCI. claruisse judicandus. Scripsit vitam S. Geremari Abbatis Flaviacensis primi, qui diem extremum clausit circa annum DCLVIII. Eam ex Cod. MSS. & appendice ad Guiberti Opera expressit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. p. 475.

701. BEDA, *Venerabilis* dictus, natione Anglus, natus est anno DCLXXII. in territorio Monasterii Ingyrvensis, in agro Dunelmensi, non longè à Tinæ fluminis ostio. Septennis puer curâ propinquorum datus est educandus Benedicto Monasterii S. Petri ad Weremutham, & Monasterii S. Pauli ad Ingyrvum seu Girvicum Abbati. In his Monasteriis sub Benedicti ac postmodum Ceolfridi Abbatum regimine quinque plùs minùs milliaribus invicem dissitis adoluit, vixit, & consenuit Beda. Anno ætatis 19. Diaconatûs, anno XXX. Presbyteratûs gradum suscepit à Joanne Beverlacensi, Episcopo Hagulstadensi, quo præceptore bonarum literarum olim usus fuerat. Anno DCCI. à Sergio Papâ ad gravissimas religionis causas tractandas & dijudicandas Romam literis evocatus est. Iter tamen Romam eum iniisse nequaquam constat: quin potiùs Monasterii sui limitibus nunquam exiisse patet. Anno circiter DCCII. Presbyter factus, & lautissimâ jam omnifariæ doctrinæ supellectile, ac penitiore utriusque linguæ, optimarumque scientiarum cognitione instructus, ad scribendum se accinxit. Anno DCCXXXI. *Historia Ecclesiastica* coronidem imposuit. An. DCCXXXV. paulò ante festum Paschale leni quâdam περιπνευμονίᾳ laborare cœpit: quâ quidem indies crescente inter legendum, canendum, orandum, vitam usque ad diem XXVI. Maii, quo Dominicæ Ascensionis memoriam eo anno celebrari contigit, protrahebat: tuncque absolutâ jam cui maximoperè incubuit *Evangelii secundùm Joannem in linguam popularem versione*, spiritum sedes beatorum jamdiu anhelantem in manus Domini placidè & piè reddidit. De anno illius emortuali variæ sunt Doctorum sententiæ. Nonnulli enim ponunt eum anno DCCXXIX. alii DCCXXXI. alii DCCXXXII. plurimi DCCXXXVI. Quin non desunt, qui mortem ejus ad annum DCCLXII. quidam etiam qui ad DCCLXVI. referunt. Rectius multò Rogerus Hovedenus, Chronologiæ Saxonicæ Conditor, Bedæ Historiæ Ecclesiasticæ subjunctus, Simeon Dunelmensis, Thomas Stubbius, qui anno DCCXXXV. Bedam obiisse scribunt. His accedit Cuthberti qui Bedæ morti interfuit, eamque literis consignavit, testimonium. Iste enim prodit Bedam VII. Cal. Junii, die Ascensionis Dominicæ obiisse: quod & aliunde etiam constat. Quæ quidem temporis nota anno DCCXXXV. ad amussim convenit, aliorum calculis nequaquam concordat. Sepultus est Beda in Monasterio suo Girvicensi; unde postea ossa ejus Dunelmum translata in eadem thecâ, quâ S. Cuthberti, sunt recondita. De laudibus ejus vel unicus audiatur Malmsburiensis, *Vir* inquit *, *quem mirari faciliùs, quàm dignè prædicare possis; qui in extremo natus Orbis angulo doctrinæ corusco terras omnes perstrinxerit*: & paulò post, *Deficit hic ingenium, succumbit eloquium, nescientis quid plus laudem, librorum numerositatem, an sermonum sobrietatem. Infuderat eum proculdubio non indigo haustu divina sapientia; ut angusto vitæ spatiolo tanta elaboraret volumina.* Et subditis Sergii Pontificis eum Romam accientis literis: *Ita jam*, inquit, *celebris erat famâ, ut in quæstionibus enodandis indigeret eo sublimitas Romana. Nec verò unquàm Gallicanus tumor invenit in Anglo, quod argueret meritò: adeò Latinitas omnis ejus fidei & magisterio palmam dedit.* Utplura quæ de eruditione & sanctitate ejus ibidem accumulat, missa jam faciam.

* De gestis Angl. l. 3. c. 3. fol. 10.

OPERA, QUÆ EXTANT.

De rerum naturâ liber.

De temporum ratione.

De sex ætatibus mundi liber, qui seorsim prodiit *Paris.* 1507. 4°. & Joanne Bronchorstio continuatus

SÆC. VIII. ab An. DCC. nuatus ac scholiis illustratus *Colon.* 1537. Luculentum Operis istius fragmentum extat apud Munsterum lib. 2. Cosmographiæ, quod in editis libris non reperitur.

De temporibus ad intelligendam supputationem temporum S. Scripturæ.

De proverbiis.

Sententiæ ex Cicerone & Aristotele.

De substantia elementorum.

Philosophiæ libri IV.

De Paschate sive Æquinoctio liber, in quo appositum exemplum anni DCCLXXVI. plurimum Eruditis facessivit negotium, Baronium quidem induxit Bedæ ætatem ultra annum istum protrahere, Usserium verò Bedæ libellum abjudicare. Scrupulum fœliciter exemit Mabillonius *, qui in veterrimo exemplari Bibliothecæ Laubiensis exemplum istud non comparere prodit: adeò ut à librariis insertum fuisse post Bedæ mortem videatur.

* Not. ad Analect. Tom. I. p. 11.

Epistola de divinatione mortis & vitæ.

De Arcâ Noë liber.

De Linguis Gentium liber.

Oracula Sibyllina.

Historia Ecclesiastica gentis Anglorum libri V. *à Primo Julii Cæsaris in Britanniam adventu ad annum* DCCXXXI. *pertingentes.* Prodierunt seorsim *Antverp.* 1550. *Heidelberg.* 1587. *Colon.* 1601. 8°. unà cum Alfredi Regis Saxonicâ Paraphrasi, doctisque Abrahami Wheloci notis *Cantabrigiæ* 1644. f. & cum notis Fr. Chiffletii. *Paris.* 1681. 4°.

Vita S. Cuthberti.

Vita SS. Fœlicis, Vedasti, Columbani, Attalæ, Patricii Eustasii, Bertolfi, Arnolphi, Burgundoforæ, quarum nonnullæ Bedæ non sunt & à nobis suprà suis authoribus sunt adjudicatæ; *Vita Patricii* Probo debetur.

Carmen de Justini martyrio.

Martyrologium, quale Opus à Beda compositum fuisse ipse fidem facit in Appendice ad Historiam Eccl. Verùm id quod nunc circumfertur, crebris aliorum interpolationibus deturpatum esse multi dudum notârunt. De hoc *Martyrologio* videndi Molanus, Rosvveydus, præcipuè Bollandus, ejusque συνεργοὶ præfat. ad Januar. c. 4. & Prolog. ad Mensem Mart. Tom. II. §. V. & seqq. ubi genuinum Bedæ Martyrologium [ita nos credere jubent] ex variis Codicibus MSS. se exhibere profitentur. Prodiit interpolatum Bedæ *Martyrologium* etiam seorsim *Antverp.* 1564. 12°.

De situ Hierusalem & locorum Sanctorum, liber, ex Adamanni libris ejusdem argumenti decerptus.

Interpretatio nominum Hebraicorum & Græcorum in S. Scripturis occurrentium.

Excerpta & Collectanea. Opus Bedâ indignum.

In Hexaemeron, seu *de creatione sex dierum liber.*

Explanatio in Pentateuchum, & libros Regum.

In Samuelem Explanationum allegoricarum Libri IV.

Explanationes in Esdram, Tobiam, Job, Proverbia, & Cantica.

De Tabernaculo ac Vasis & Vestibus ejus Libri II.

Commentaria in quatuor Evangelia, & Acta Apostolorum.

De nominibus locorum, qui in Actis Apostolorum leguntur.

Commentaria in Epistolas Catholicas, & Apocalypsin: locum quidem inter Bedæ Opera impressa habet *Expositio in septem Canonicas Epistolas*, verùm Prologo destituta, qui in antiquo admodum Codice MS. Bibliothecæ Coll. Gonvil. & Caii apud Cantab. habetur expositioni præfixus, cur lucem hactenus non viderit, dicant alii, quin & ipse prudens & æquus lector facilè divinabit. Eum igitur ex prædicto Cod. MS. monente, manuque suâ describente D. Whartono hîc subjiciam.

Incipit Prologus super septem Epistolas Canonicas.

Jacobus, Petrus, Joannes, Judas septem epistolas ediderunt, quas Ecclesiastica consuetudo Catholicas, h. e. *universales cognominat. In quibus ideo prima Epistola Jacobi ponitur, quia ipse Jerosolymorum regendam suscepit Ecclesiam. In Catalogo enim Apostolorum priores solent nominari Petrus & Joannes. Verùm fons & origo Evangelicæ prædicationis incipiens * per orbem diffusa est universum. Cujus cathedræ dignitatem etiam Paulus Apostolus in eo nominando venerans ait, Jacobus, Cephas & Joannes, qui videbantur columnæ Ecclesiæ; vel certè quia ipse duodecim tribubus Israëlis, quæ prima crediderunt, suam Epistolam misit, meritò prima poni debuit; meritò Petri secunda, quia ipse electis advenis, qui Græcè dicuntur Proselyti, hoc est, eis scripsit, qui de Gentilitate ad Iudaismum, de Iudaismo ad electionis Evangelicæ gratiam, conversi sunt. Meritò Ioannis Epistolæ tertio loco sunt positæ, quia his scripsit ipse, qui de Gentibus crediderunt, cum nec naturâ, nec professione extitissent. Denique multi Scriptorum Ecclesiasticorum, in quibus est S. Athanasius Alexandrinæ Præsul Ecclesiæ, primam ejus Epistolam scriptam ad Parthos esse testantur. Meritò Iudæ posita est ultima, quia quamvis & ipse magnus est, tribus tamen præcedentibus Apostolis minor est; vel quia prima † scripta est Epistola, deinde Petri, post eas, Ioannis; ideò nunc usque ordinem quo scriptæ sunt retinent. Constat enim quia Beatus Iacobus tricesimo post passionem Domini anno suum consummavit martyrium. Petrus tricesimo octavo, hoc est, ultimo anno Neronis, passus est, & ipse in secunda sua scripsit Epistola;* Certus sum, quia velox sit depositum tabernaculi mei secundùm quòd & Dominus noster Jesus Christus significavit mihi per revelationem. *Unde patet, quia imminente Passione hanc scripsit Epistolam, cùm multò antè Iacobus migravit ad Christum. Neque verò conveniebat ejus Epistolas ab invicem separari, quas iisdem scripsit Ecclesiis. Porrò Ioannes multo post tempore suas Epistolas simul & Evangelium scripsit, qui post occisionem Dominicam reversus de exilio turbatam se absente per hæreticos reperit Ecclesiam, quos in suis Epistolis percutiens sæpe cognominat Antichristos.* Explicit Prologus.

* Deest, ab Hierosolymâ.

† Deest, Jacobi.

Retractationes & Quæstiones in Acta Apostolorum.

Commentaria in omnes Epistolas S. Pauli, ex S. Augustini Operibus ut plurimùm excerpta. De hoc Opere Bedæ litem movet Baronius *, ac Petro Abbati Tripolitano (de quo Cassiodorus Divin. Lect. cap. 8.) ascribendum censet. Litem præclarè diluit Cl. Mabillonius, qui *Commentaria* ista nec Bedæ, nec Petro, sed Floro Magistro, deberi demonstrat dissertatione peculiari Analect. Tom. I. p. 12. Verus interim Bedæ *Commentarius* [S. Pauli enim Epistolas ab eo explicatas esse ipse in indiculo fidem facit, *ejusque Collectaneum in Apostolum ex Operibus Augustini decerptum* grandi satis volumine penès se habuisse testatur Lupus Ferrariensis ad Hincmarum Epist. 76. p 118.] penès Mabillonium manuscriptus delitescit. Vide quæ habet Baluzius Not. ad Lup. Ferrar. p. 405.

* Ad An. 824.

Homiliæ de tempore; Æstivales XXXIII. *Hyemales* XV. *Quadragesimales* XXII. *de Sanctis Æstivales* XXXII. *Hyemales* XVI. *& Sermones ad populum* varii. Prodierunt seorsim *Coloniæ* 1534.

SÆC. VIII. ab An. DCC.

Liber de Muliere forti.
De Officiis liber.
Scintilla sive loci communes.
Fragmenta in libros Sapientiales, & Psalterii versus.
De Templo Solomonis Liber.
Quæstiones in Octateuchum, & IV. libros Regum.
Quæstiones variæ.
Commentaria in Psalmos.
Vocabulorum Psalterii expositio.
De Diapsalmate collectio.
Sermo in id, *Dominus de cœlo prospexit.*
Commentarii in Boethii libros de Trinitate.
De septem verbis Christi.
Meditationes passionis Christi per septem diei horas.
De remediis peccatorum.
Cunabula Grammaticæ artis Donati.
De octo partibus Orationis liber.
De Arte Metricâ liber
De Orthographiâ liber. Prodiit unà cum Opusculo priore *Hanoviæ* 1605.
De Schematibus S. Scripturæ liber.
De Tropis S. Scripturæ liber. Prodiit *Paris.* 1599. 4o. *Venet.* 1522.
De Arithmeticis numeris Liber.
De computo & ratione calculi libri aliquot; quorum quidam prodierunt *Venet.* 1525. 4°. *Paris.* 1614. 8°.
De loquela per gestum digitorum. Prodiit cum prioribus Opusculis.
De Arithmeticis numeris, & Propositionibus libri.
De divisionibus temporum & numerorum libri.
De ratione unciarum libellus. Prodiit unà cum libris *de Computo.*

Opuscula Astronomica aliquot, viz. *De argumentis Lunæ, Ephemeris sive Computus vulgaris. De Embolismorum ratione computus. Decemnovales circuli. De Cyclo Paschali. De Mundi cœlestis terrestrisque constitutione. De Musica theorica. De Musica quadrata seu mensurata. De circulis Sphæræ & Polo. De Planetarum & Signorum cœlestium ratione. De Astrolabio. De Mensura Horologii. Prognostica temporum.*
De Tonitruis libellus.
De Nativitate infantium.
De Minutione sanguinis libellus.
Hymni aliquot.

Prodierunt Opera Bedæ suprà enumerata, *Paris.* 1545. III. Tom. *Basil.* 1563. VIII. Tom *Colon.* 1612.

Acta S. Cuthberti carmine Heroico descripta sub Bedæ nomine edidit Hen. Canisius Antiqu. Lect. Tom. V.

Aristotelis Axiomata exposita. Extant *Paris.* 1604. 8°. *Londin.* 1592. 8°.

Hymnos Bedæ plurimos edidit Cassander cum scholiis. Habentur inter Opera ipsius *Paris.* 1616.

Epistola Apologetica ad *Plegvvinam Monachum*, cùm à Davide quodam Monacho coram VVilfrido Episcopo Eboracensi ipse Beda insimularetur, quasi de ætatibus sæculi non rectè sensisset.

Epistola ad Egbertum Eboracensem antistitem de Christiani Præsulis Officio, paulò ante obitum scripta.

Vitæ quinque Abbatum priorum VVeremuthensium & Girvicensium, libris duobus comprehensæ. Historiæ istius meminit Gul. Malmsburiensis l. 1. cap. 3. Tria ista Opuscula primus edidit, & notis illustravit Jacobus VVaræus Eques Auratus, *Dublin.* 1664. 8°.

Epistola ad Albinum, à Mabillonio edita Analect. Tom. I. pag. 9.

SÆC. VIII. ab An. DCC.

Martyrologium carmine Heroico, sub Bedæ nomine à Dacherio evulgatum Spicileg. Tom. X.

Opera Ἀνέκδοτα.

In principium Genesis usque ad nativitatem Isaac, & Ismaelis reprobationem Libri III. Extant MSS. Lambethæ in Bibliothecâ Archiepiscopali. Eorum pars prior *Expositionem in Hexaemeron* continet, quæ sub Junilii Afri nomine in Orthodoxographis & prioribus Bibliothecæ Patrum editionibus prodiit.

In Canticum Habaccuc Liber. Hujus duo exemplaria MSS. [quorum alterum in fine mutilum] in dictâ Bibliothecâ Lambethanâ asservantur. Hi tres Codices optimæ notæ, & manu satis antiquâ scripti sunt.

De situ & mirabilibus Britanniæ liber. Extat MS. in Bibliotheca Collegii S. Benedicti Cantabrigiæ, Cod. 32. 173. 205.

Vita S. Juliani. MS. in Bibliotheca Bodlejana.

Vita S. Gregorii Magni. MS. in Bibliotheca Collegii Mertonensis.

De vita & virtutibus S. Augustini Anglorum Apostoli, MS. in Bibliotheca Gualteri Copi.

Relatio de S. Laurentio Anglorum Archiepiscopo, MS. ibid.

Homiliarum in S. Lucam libri II. MS. in Bibl. publica Cantabrigiensi cod. 25. Pembrochiana cod. 213.

Commentarius in Ecclesiasten. MS. in Bibl. Baliolensi Oxon. cod. 158.

De Trinitate liber. MS. in Bibl. Lumleiana cod. 53.

Libellus de locis sanctis. MS. in Bibl. G. Copi cod. 169.

De Imagine Mundi Liber. MS. in Bibl. Collegii Gonvilii & Caii Cantab. cod. 169. & Mertonensi Oxon. cod. 42.

Homiliæ in Evangelia. MSS. Oxonii in Bibl. Lincolniensi cod. 18. Baliolensi cod. 130. Mertonensi cod. 227.

De die judicii Liber. MS. in Bibl. S. Benedicti Cant. cod. 284.

DEPERDITA.

Commentarius in Esaiam Prophetam.
Epistolarum Liber.
Tractatus de mansionibus filiorum Israel.
In illud Esaiæ, *Et claudentur ibi in carcere, & post dies multos visitabuntur.*
Epigrammatum liber.
Librum de vita & passione Anastasii malè è Græco translatum, & pejus à quodam imperito emendatum Beda ad sensum correxit.

BEDA, *Venerabilis*, Presbyter & Monachus Girvicensis, claruit anno DCCI. Cùm tantâ doctrinæ & pietatis, famâ omnibus retrò Sæculis per totum orbem literarium claruerit Beda noster; cùmque tot egregii codices MSS. in Bibliothecarum nostrarum forulis delitescant, jure mirari poterant Oudinus, Colomesius, alii, neminem hactenùs in Angliâ reperiri, qui auctiorem & castigatiorem Bedæ editionem, quàm quæ in eruditorum manibus versetur, evulgaverit. Interim, ne nihil omninò, hac in re nostrates egisse videantur, Opera quædam Theologica, nempe *Expositionum in Genesin* ad Accam Episcopum libros III. item *Expositionem in Canticum Habaccuc Prophetæ*, ex codicibus MSS. eruit H. VVhartonus, unà cum Historiâ Bedæ *de vitis Abbatum VViremuthensium*, 701. P. II.

&c.

& Girvvicensium, Epistolis II. *& Egberti dialogo de Ecclesiastica Institutione* (quæ notis suis illustrata ediderat Vir illustris Jacobus VVaræus *Dublin.* 1664. 8°.) & Aldhelmi Episcopi Schireburnensis libro *de laudibus virginitatis* ad venerandæ vetustatis codicem emendato, typis mandavit *Londini* 1693. 4°. *Historiam Ecclesiasticam*, Anglicè vertit, & Elizabethæ Reginæ nuncupavit Thomas Stapletonus è Soc. Jes. ediditque typis elegantibus *Antvv.* 1565. 4°. *Argent.* 1600. *fol. Commentaria in Epistolas S. Pauli*, Bedæ vulgò tributa, prodierunt à Gaufrido Bausardo seorsim edita anno 1499. *fol. Vitam Cuthberti*, longè emendatiorem, in Sæculis Benedictinis dedit Mabillonius. Certè inter exteros nemo de Beda nostro meliùs meruit, quàm Joan. Mabillonius, qui *Sæc.* III. Part. I. pag. 539. amplum & accuratum Elogium historicum ei contexuit, quo, de ortu ejus, tempore, Monastica professione, exercitiis, Scripturarum studio, præceptoribus, ordinatione, doctrina, reverentia erga Patres, vocatione ad Romam, discipulis, sanctimonia, modestia, zelo, fide, & puritate morum, obitu, sepulchro, sanctitate declarata, reliquiis, elogiis, *Venerabilis* nomine, & scriptis fusè & diligentèr agit. Et quoniam ingens & laboriosissimum Opus in paucorum manibus versetur, multaque ibi habeat de Bedæ scriptis, tùm editis, tùm MSS. haud vulgaria, non abs re erit integrum ejus judicium de scriptis Bedæ, paulò licèt prolixius, huc transferre. Ita igitur cap. x. p. 555. Vir eruditus, & de re Ecclesiastica optimè meritus. His per "quendam excursum dictis, veniendum est ad "quasdam animadversiones, quæ mihi inter evol-"vendum Bedæ scripta, tùm manu exarata, oc-"currerunt. Primùm quidem de tempore scriptionum agendum; posteà de Operibus dubiis & suppositititiis, postremò de relictis.

"Beda *librum tertium in Samuelem* aggressus est, "mortuo Ceolfrido Abbate, *i. e.* anno DCCXVI. "ut ex præfatione lib. III. constat. *Explanatiun-"cula in Epistolam Joannis*, prima videtur ex ipsius "lucubrationibus in Scripturam Sacram. Deinde "*Expositio in Apocalypsin*, quam fratri *Eusebio* seu "*Huetberto*, Abbati suo futuro, nuncupavit: nam "binominem fuisse Huetbertum, & *ob amorem stu-"diumque pietatis, Eusebium* cognominatum, patet "ex præfatione lib. III. in Samuelem. Porrò Beda "librum Apocalypseos, in Capitula distinxit. Post "Apocalypsin, commentatus est librum *de Acti-"bus Apostolorum*, hortante Accâ Episcopo Hagul-"stadensi; tùm etiam *Lucæ Evangelium*, & *Quæ-"stiones triginta de libris Regum* explicavit, peten-"te Nothelmo, tunc Presbytero Londinensi, pòst "Cantuariensi Archiepiscopo; quo adjutore, in "scribendâ Ecclesiasticâ Historiâ, usus est. Bedæ "*Quæstiones in utrumque Testamentum*, ex Angliâ "petiit Lupus Abbas Ferrariensis epistolâ LXII. "ad *Altigisum Abbatem Eboracensem.* Post ea om-"nia, edidit *Commentaria in Samuelem*; ex qui-"bus librum tertium, ut jam diximus, aggressus "est anno DCCXVI. at verò *Expositionem in Mar-"cum* evulgavit *post annos plurimos*, quàm *Lucæ "Evangelium* explanaverat. Quæ omnia ex ipsius "Bedæ præfationibus in eosdem libros intelli-"guntur. Præterea, *Expositionem in Epistolas "Pauli*, itidémque *in Epistolas Canonicas*, ex di-"ctis S. Augustini, magno studio contexuit: & "librum *de sex ætatibus* absolvit Leonis Isaurici "anno IX. Christi DCCXXIV. His absolutis, "edidit *Historiam Ecclesiasticam* gentis suæ, quam "cum *Epitome* adjunctâ, perfecit anno DCCXXXI. "Nam in optimo codice MS. qui penès nos est, "prædicta Epitome ultra istum annum non ex-"currit, ut superiùs monuimus. In eâdem Epitome "Beda exhibet indicem lucubrationum suarum, "in quo adnumeratur Epistola *de Æquinoctio Ver-"no juxta Anotolium*, scripta proinde ante annum "DCCXXXI. Unde exemplum in eâ Epistolâ "VVichredę Presbytero directâ, adductum, *de an-"no præsenti* DCCLXXVI. est interpolatio scri-"ptoris amanuensis, ipso anno Epistolam exscri-"bentis, qui Bedę sententiam, supposito exem-"plo, explicare voluit. Denique *Retractationum li-"brum* in Acta Apostolorum post annum DCCXXXI. "scripsit jam senex.

"Pręter Opera Bedæ in suo indice recensita, "pauca sunt quæ ipsi tribuere tutò possimus, ex-"ceptâ *Epistolâ ad Egbertum* Eboracensem Ponti-"ficem, scriptâ *post annos triginta à morte Alfridi, "Regis Northanimbrorum*, hoc est, anno Christi "DCCXXXV. qui Bedæ supremus fuit. *Commenta-"ria in Evangelium Joannis*, siquidem Bedam ha-"bent auctorem, post annum DCCXXXI. ab eo "sunt edita, quæ veluti quoddam Augustinianæ "Expositionis compendium esse videntur, inser-"tis hinc inde sententiis aliorum Patrum; ut ca-"pite quarto agens de Regulo, verba Gregorii "Magni adducit. Certè Jonas Episcopus Aure-"lianensis, Ludovici Pii æqualis, in lib. I. de In-"stitut. Laicali cap. 13. citat plures versus ex Bedâ "in *Homiliâ Evangelii vigesimâ*, qui in prædictis "Commentariis leguntur capite 2. unde suspica-"mur legendam esse apud Jonam in *Homiliâ "Evangelii secundâ.* Et quidem Alcuinus in prę-"fatione commentarii sui in Ioannis Evangelium, "*ex Homiliis beati Bedæ Presbyteri*, multa se ad-"sumpsisse fatetur. His insuper Beda morbo supre-"mo decumbens, patriâ linguâ reddidit Joannis "Evangelium, testante Cuthberto discipulo, in "Epistolâ quam de ipsius obitu exaravit. In *Du-"biorum* classem rejicienda sunt *Expositiones in "Matthæi Evangelium*, *Commentarius in Psalmos*, "*Vitæ Sanctorum*, [*exceptis Actis SS. Felicis, Cuth-"berti, & Anastasii*, quæ Beda agnoscit ut sua]; *Li-"bellus de Officiis*, *Commentarius in Boetii librum "de Trinitate*, *Meditationes Passionis*, *Libri de "Elementis Philosophiæ*, *& Liber de Remediis pecca-"torum*, quem jam inter Supposititia relegavit "Spelmannus Tom. I. Conc. Angl. tametsi in "Collectione Canonum Regino Pœnitentialem "librum *Theodori* seu *Bedæ* citat in lib. I. cap. 297. "Ivo etiam & Gratianus *ex Pœnitentiali Bedæ* re-"ferunt Capitulum *de Sacerdote Eucharistiam vo-"mente.* Non tamen prętercam id, quod in Bedæ "Homiliario Thuaneo vetustissimo legi, manu "recentiori, ante annos quadringentos, adscri-"ptum; *Ego non peto librum Expositionis Bedæ su-"per Evangelia*, *sed peto librum Expositionis Bedæ "super Psalmos Psalterii* Apagè. *Epistolam de Divi-"natione mortis*: quę deliramenta quantùm à men-"te pii hominis absint, probat *Epistola ad Here-"fridum Presbyterum*, libello de Tonitruis, à se "Latinè verso, pręfixa. Is est Herefridus Presby-"ter *de Regno Merciorum*, ad quem extat S. Bo-"nifacii Martyris Epistola X. Auctor libri de Offi-"ciis Divinis scribebat post annum quam Pascha "inciderat in vii. Id. *Apriles*, ut patet ex cap. de "Pascha annotino: quod ab anno DCCXXXI. quo "Beda Indicem Operum suorum confecit, ante "annum DCCLXXI. non accidit.

Scripsit quidem Beda *Homiliarum Evangelii "libros duos*, ut ipse fatetur, seu *in Lectionarium "anniversarium*, ut habet S. Bonifacii Epistola "IX. suprà num xxi. relata; at quęnam ex editis "ad Bedam pertineant, quęnam supposititię sint, "interest distinguere. Sic enim explorabimus ce-"lebriores dies, qui tùm anniversariâ solemnitate "colebantur. In Bibliotheca Thuanea habentur "duo

SÆC. VIII. ab An. DCC.

"duo vetusti codices, in quibus Bedæ Homiliæ reperiuntur. In primo, num. cxliv. annos octingentos exarato, Homiliæ xxxix. continuâ serie exhibentur; in alio num. xxxviii. qui annos sexcentos prafert, distinguuntur in duos libros, præmissis ad utrumque Capitulationibus. [Hoc loco, harum Homiliarum indicem exhibet Mabillonius, & utrumque apographum inter se confert. Quod cùm tanti non sit, hîc omittendum duximus. Pergit deinde.] "Ex his intelligimus Homilias *in Dominicos dies post Trinitatem*; item in Festos *S. Stephani Proto-Martyris*, *S. Scholasticæ*, *S. Mariæ Magdalenæ*, *Transfigurationis Domini*, *Adsumptionis B. Mariæ*, *S. Bartholomæi*, *Nativitatis B. Virginis*, *S. Michaelis*, *S. Lucæ*, *Præsentationis B. Mariæ*, *& alias de communi Martyrum*, &c. aut subdititias esse, aut dubias, aut certè ex sinceris Bedæ Commentariis in Marcum & Lucam expressas. Certè *Homilia de S. Scholasticâ*, S. Bertario Abbati Cassinensi tribuitur in Cassinensi codice MS. & *Sermo in Festo omnium Sanctorum* legi solitus, adscribitur Rabano Mauro in apographis nonnullis, nescio an benè. Illud movet quòd Festum omnium Sanctorum institutum est à Gregorio Papâ III. ut probant veterrimæ Usuardi Exemplaria, & Menardus noster in librum Sacramentorum S. Gregorii pag. 184. Et Sermo iste Bedæ stilum sapit. Denique Sermo, Bedæ adscriptus, in versum Psalmi, *Dominus de Cœlo prospexit super filios hominum*, &c. haudquaquàm ipsius Bedæ est; cùm in eo referatur testimonium petitum ex vita Gregorii Magni, à Joanne Diacono scripta post annos centum & quinquaginta à morte Bedæ Venerabilis.

"Sunt qui Bedæ Expositiones in Pauli Epistolas, ex libris S. Augustini Excerptas, cuidam Floro, Monacho (ut Trithemius putat) Trudoniano, tribuendas existimant. Sic enim præfert egregium apographum Corbejense, duobus voluminibus distinctum, *Expositiones Epistolarum S. Pauli Apostoli ex libris S. Augustini*, *Doctoris eximii, à quodam Floro collecta*. Et in fine, *Compositus est liber iste*, i. e. scriptus, *à Richero Subpriore & Joanne, suo scriptore Monoculo, anno, quo restituta est Ecclesia S. Joannis Corbeiæ, & Turonis est secunda sedes Romanæ urbis* [Alexandro Papâ III. Tyronis Synodum agente] *anno* MCLXIV. *Ludovico Rege Francorum, Theodorico Episcopo Ambianensi, Joanne Corbeiæ Abbate*. Verùm expositiones istæ, quæ duobus illis voluminibus continentur, eædem ipsæ, quæ in Bedæ Operibus extant, sunt verus & genuinus Bedæ fœtus; tùm quia ipse in Syllabo Operum suorum meminit earum expositionum; tùm quia alia reperitur Commentatio Flori nomine prædita, non tantùm ex Augustini, sed & aliorum Patrum Operibus contexta; qualis penès Petrum Franciscum Chiffletium Soc. Jesu, virum eruditissimum, manu descripta habetur, ad eum modum, quo Claudius Scottus, postea Taurinensis Episcopus, aliam in Pauli itidem Epistolas, ex Augustini, aliorumque Patrum sententiis defloravit. Et tamen Ratbertus Monachus, in lib. de Casibus Monasterii S. Galli c. 10. memorat *Collectanea Flori Presbyteri de voluminibus S. Augustini, in Epistolam Pauli ad Romanos*; & paulò post, *Collectanea Flori in Epist. ad Corinth. secundam, & ad Hebræos*. Denique Lupus Abbas Ferrariensis, *Collectaneum Bedæ in Apostolum*, ex Operibus Augustini, laudat in Epistolâ LXXVI.

"In editis Bedæ Operibus, desiderantur (ni fallor) genuina ejus Opera quædam; Nempe "*Explanatio in Canticum Habaccuc*, quæ in apographo nostro num. cclxxv. hoc prafert exordium; *Canticum Prophetæ Habaccuc, quod tibi exponi petisti, dilectissima in Christo Soror, Sacramenta Dominicæ Passionis maximè pronunciat. Unde ex consuetudine sanctæ & universalis Ecclesiæ, sextâ Sabbati, quâ eadem Passio completa est, solet in laudibus matutinis, per singulas Hebdomadas, solenniter repeti*, &c. Item desideratur *Carmen de Divino Judicio ad Accam Episcopum*, editum à Simeone Dunelmensi Monacho, in libro de gestis Regum Angl. qui Bedæ etiam in MS. Cod. Thuaneo adscribitur; *Epistola de sextâ Mundi ætate ad Plegvvinam*, *quæ unâ cum Historiâ Abbatum Monasteriorum VViremuthensis & Girvvicensis, & Epistola ad Egbertum Eboracensem Antistitem*, à VVaræo nuper vulgata est. Sincerum Bedæ *Martyrologium* in Tom. III. Martii Bollandiani recens in lucem prodiit: in quo tamen an *Festum omnium Sanctorum* locum habere debeat, dubium est, cùm Beda quatuor tantùm annis vixerit post creationem Gregorii Papæ tertii; qui hujus Solennitatis auctor est. Istius martyrologii verba de S. Lupo Tricassino Episcopo adducit Herricus, noni Sæculi auctor, in lib. I. de Mirac. S. Germani Episc. Autissiod. c. 15. Quædam etiam refert Amalarius l. II. de Divin. Offic. cap. 24. Qui auctor fallitur in libro IV. cap. 39, & 41. in citando Bedæ libro de Vitâ S. Cuthberti, ea enim verba quæ memorat, in neutrâ Bedæ lucubratione de S. Cuthberto, at in eâ; quam anonymus quidam Monachus Lindisfarnensis tribus libris, in Martio Bollandiano editis adornavit, reperiuntur. In perantiquo & optimo apographo nostro num. DXLVI. in quo Bedæ Opus de Computo habetur, leguntur *versus Domni Bedæ ad componendum Horologium*, hoc initio;

Quos cursus solis jungant sua tempora menses
Carmine nunc Lector paucis adverte docebo.

"Verùm hi versus, non Bedæ, sed VVandalberto Diacono Prumiensi, tribuendi sunt. In eodem Cod. MS. extant etiam plures Scriptiones *de Computo*; in his, *Excerptio vel Expositio Computi Herrici* Monachi, illustrando Bedæ Commentario instituta. Cujus Prologus sic se habet; *Cum quibusdam Fratribus nostris adolescentulis, quædam calculatoriæ artis rudimenta, communi sermone explicare cœpissem; hujusce quoque non contemnendæ [ut multi arbitrantur] doctrinæ aliquid impertirem, quos in arte Grammaticâ, prout Divina auxiliata est munificentia, aliquatenus introduxeram; nescio quo accensi desiderio instare vehementer cœperunt, quatenus ea quæ vivâ voce deprompseram, multorum utilitati profutura, qualitercumque scripta ederem; quibus obnixius renitens, id quod ostenderam superesse libros de hâc eadem re ... præcipuè venerabilis viri Domni Bedæ Presb.* &c. Sub finem Expositionis, auctor scribere se indicat anno DCCCLXXX. *Indict.* VIII. ut proinde alius sit ab Henrico Monacho Autissiodorensi, qui integro Sæculo fuit superior. An verò Helpericus Cœnobii S. Galli Monachus, qui librum de Computo scripsit, testante Trithemio lib. II. de Vir. Illustr. Ord. S. Bened. cap. 77. lege *Carmen de Psalmo* CXXII. in Tomo VI. Antiq. Lect. Canisii pag. 619. Bedæ Venerabili adscriptum, si tanti est.

ACCA, natione Anglus, Bozæ Archiepiscopi Eboracensis, & S. VVilfridi, quocum Romam profectus est, discipulus. Vitam monasticam pro sæculi 705.

Digitized by Google

SÆC. VIII. ab An. DCC. sæculi sui more impensè coli, venerabili Bedæ admodum familiaris. Claruit anno 705. & deinceps, tandem Episcopali infula ornatus. Etsi enim in libris quibusdam impressis Abbas tantum vocetur, erat tamen, ut ex codice MS. Lambethano liquet, Episcopus Hagulstadensis, suamque sedem nobilissimâ Bibliothecâ auxit & ornavit. Bedæ superstes obiit circa annum 740. Plura ab eo scripta commemorant Baleus & Pitseus, nempe *de vitis & passionibus Sanctorum, quorum reliquiæ in Ecclesia sua recondebantur*; *De Ecclesiasticis sui Chori officiis*; *Carmina varia*; *Epistolas ad diversos*. Extat inter Bedæ Opera *Epistola ejus ad Bedam*, quâ ipsum ad illustrandas sacras Scripturas, præcipuè Evangelium S. Lucæ hortatur.

705. JOANNES VII. natione Græcus, Platonis filius, anno 705. die VIII. Februarii Pontifex Romanus ordinatus est. Eodem anno à Justiniano Imp. rogatus, ut Concilii Quini-sexti Canones confirmaret, Synodum Romæ habuit, in quâ de Canonibus quidem nil statuit, quos ad Imperatorem nec albo, nec nigro lapillo notatos remisit. Wilfridum verò Archiepiscopum Eboracensem in Synodo præsentem criminibus ei intentatis absolvit. Obiit anno 707. die XXIV. Septembris. Extat unica *Epistola ad Ethelredam Merciorum, & Alfridum Deirorum Reges, de Wilfridi Eboracensis causa*, Concil. Tom. VI. p. 1390.

708. CONSTANTINUS, natione Syrus, Joannis filius, Papa Romanus die IV. Martii anno 708. consecratus. Anno sequente à Justiniano Imp. Româ evocatus, ut controversiæ de Canonibus Quini-Sextæ Synodi finem imponeret, Constantinopolim profectus est, urbem anno 710. ingressus, ac magno honore à Justiniano exceptus, re nihilominus in medio relicta, anno 711. Romam reversus est. Obiit anno 715. die XVIII. Martii. Extat unica ejus *Epistola ad Brictwaldum Archiepiscopum Cantuariensem*, Concil. Tom. VI. pag. 1397.

710. P. II. AUCTOR *Vitæ S. Anstrudis* claruisse videtur ineunte hoc Sæculo circa annum DCCX. à rebus de quibus agit, ut videtur, non longè remotus. Scripsit vitam S. Anstrudis Abbatissæ Laudunensis, quæ vitam finivit circa annum DCLXXXVIII. Ex Cod. MS. Monasterii Laudunensis eam extulit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. p. 975.

710. P. II. AUCTOR *Vitæ S. Judoci*, claruit circa annum DCCX. utpote qui secundùm narrationum exempla à Monachis Judocensibus accepta se scripsisse tradit. Vitam condidit S. Judoci Presbyteri & Confessoris, denati circa annum DCLXVIII. quam ex elegantissimo codice Gemmeticensi ante annos septingentos exarato nobis exhibet Joan. Mabillonius *Sæc. Bened.* II. p. 565.

710. P. II. AUCTOR Anonymus *Vitæ S. Virgilii*, circa annum DCCX. claruisse videtur. Literis consignavit Vitam S. Virgilii Episcopi Arelatensis, qui mortalitatem explevit anno circiter DCXVI. Quam primus edidit Vincentius Barralis in *Chronologia Lerinensi*; deinde ex Cod. MS. emendatam, Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. p. 55.

SIVIARDUS, natione forsan Gallus, Monasterii Anisolensis apud Cœnomannos Abbas
710. P. II. quintus, claruit ineunte Sæculo VIII. circa ann. DCCX. Posterorum memoriæ tradidit Vitam S. Carilefi Abbatis Anisolensis primi; quam ex MSS. Codd. edidit Mabillonius *Sæc. Benedict.* I. p. 642. Cui subjecit miracula S. Carilefi, ad ipsius Sepulchrum facta Scriptore Anonymo, qui ante S. Carilefi Translationem Normannorum tempestate peractam vixisse videtur. Habetur apud Surium ad diem 1. *Julii* Vita S. Carilefi ex pervetustis Codd. descripta, sed à Mabillonianâ planè diversa. SÆC. VIII. ab An. DCC.

JOANNES, Patriarcha Constantinopolitanus à Philippico Bardane Imp. anno 712. constitutus, ei hæresim Monotheleticam sectanti, sive animi studio seu timore assentatus. Eo fascibus spoliato, & ipse in ordinem redactus anno 715. sede Patriarchali excidit. Extat *Epistola ad Constantinum Papam*, post Bardanis mortem scripta, quâ Monothelismi seu studium, seu favorem in vim sibi à Bardane illatam rejicit Gr. Lat. Concil. Tom. VI. p. 1410. 712.

ANONYMUS Auctor *Vitæ S. Boniti*, claruit anno DCCXII. Scripsit Vitam & Translationem S. Boniti Arvernensis in Galliâ Episcopi, quam Adelphio Abbati Magnilocensi, qui Boniti in Romanâ Peregrinatione comes fuerat, & Etherio dedicavit. Habetur ex variis MSS. Codd. recognita apud Mabillonium *Sæc. Benedict.* III. Part. I. pag. 89. 712. P. II.

GREGORIUS II. natione Romanus, Marcelli filius, Sergii Papæ Subdiaconus & Sacellarius, Bibliothecæ Pontificiæ curam habuit; deinde ad Diaconatûs ordinem promotus, cum Constantino Pontifice Constantinopolim profectus est, ubi in agitanda de Canonibus Concilii Quini-Sexti controversia ingenium ejus summoperè inclaruit. Tandem anno 715. mortuo Constantino die XXVIII. Aprilis, in sede Romana successit. Anno 721. habitâ Romæ Synodo plurimos *de nuptiis illicitis Canones* tulit. Anno 726. Leo Imp. ut grassanti Iconodulorum superstitioni obicem poneret, & pessimorum scandalorum prætextum Mahumetanis & Judæis eriperet, prudenti consilio in Concilio Episcoporum Constantinopoli convocato decrevit, ut imagines ex Ecclesiis tollerentur, saltem in loca sublimiora extra conspectum moverentur. Decretum istud in Italiam missum Gregorii II. Pontificis authoritate confirmari voluit. Gregorius obsequii loco habitâ Romæ Synodo anno 726. exeunte, vel 727. ineunte [id in annum 730. rejicit Baronius] Imperatorem anathemati subjicit, Iconoclastas damnat, cultum imaginum Christi & Apostolorum praxi consentaneum esse decernit. Quin & datis ubique literis Imperatorem tanquam impietatis reum, & Christianorum hostem pessimis conviciis proscindit, imperio indignum esse clamat, vectigalia ei persolvi gravissimo interdicto vetat, Italorum defectioni classicum canit, ac modis omnibus favet, imagines è templis deportari prohibet; Imperatoris statuas fœdissimis ludibriis conculcari efficit. Paulum Patricium & Exarchum à Leone missum, ut comprehensum Pontificem Constantinopolim duceret, anathemate obstringit, Italorum & Barbarorum Italiam occupantium fidem obtestatur, auxilium sollicitat, & in Imperatoris ditiones tanquam in certissimam prædam involat; ac missâ in Galliam legatione splendidâ unà cum vinculis & clavibus S. Petri, Carolum Martellum obtestatur, ut laboranti Ecclesiæ succurrat, & Italiam ab Imperatoris dominio eximeret, & armis tueatur. Ne quid tamen dissimulem, nonnulli legationem istam Gregorio III. non invita veritate ascribunt. De prioribus verò factis inter omnes, quibus tantillus frontis honos superest, constat. Exutam ab eo Impe- 715.

* Ad an. 730. Num. 5.

Imperatori potestatem; adeò non pernegat, ut de eo quasi insigni facto glorietur Card. Baronius. *. *Cum nullis*, inquit, *verbis scriptisve Gregorius Papa Imperatorem à cœptis potuit revocare; tempus jam advenisse ratus, ut securis ad radicem admoveretur arboris infœlicis, Apostolica authoritate, Succidite eam, clamat. Quo tonitru excitati fideles Occidentales mox desciscunt penitùs à Leonis imperio, Apostolico Pontifici inhærentes. Sic dignum pastoris idem Gregorius reliquit exemplum, ut in Ecclesia Christi regnare sinerentur hæretici Principes, si sæpè moniti in errore persistere obstinato animo invenirentur.* Luitprandum Longobardorum Regem Romam cum exercitu venientem precibus adeò fregit, ferocemque hominis animum emollivit, ut teste Anastasio, quæ fuerat indutus arma exueret *viz.* mantum, seu breve palliolum non nisi ad manus perveniens, Armilausam, vestem quandam militarem ab humeris ad genua pertingentem, Balteum, Spatham, atque ensem deauratum, nec non coronam auream, & crucem argenteam; quæ omnia ante altare D. Petri deposuit. Obiit Gregorius die XVII. Januarii anno DCCXXXI. Extant *Epistolæ* XV. & *Capitulare* legatis in Bavariam missis datum Concil. Tom. VI. pag. 1437. Ex *Epistolis* duæ habentur Gr. Lat. inter Acta Concilii Nicæni II. actione 2a. Conc. Tom. VII. pag. 824. & apud Baronium ad an. DCCXXVI. quas tamen Gregorio III. ascribendas censet Labbeus.

Cæterùm *Liturgia* Gregorii nostri, seu *Formula Missæ*, unà cum Georgii Codini versione Græcâ edita est à Morello *Paris.* 1595. exinde desumpta in Auctarium Duceanum Tom II. p. 125.

715. LIBER DIURNUS, quo solennes literarum, aliarumque rerum Ecclesiasticarum Formulæ à Pontificibus Romanis antiquitùs usurpari solitæ continentur. Novem Capita complectitur, quovis Capite plures sub se titulos continente. Quis fuerit, qui primus has Formulas collegit & digessit, hactenus ignoratur. Liber ipse collectus videtur, ut non sine summâ verisimilitudine conjicit Garnerius, sub Gregorio II. circa annum DCCXV. quod præter MS. Codicis nongentorum circiter annorum vetustatem, multa in ipso libro suadere videntur. Opus diu suppressum, diu desideratum, tandem eruit, & notis, ut solet omnia, doctissimis illustravit Joan. Garnerius *Paris.* 1680. 4°. In hisce *Formulis* duo præ cæteris notari merentur. 1°. Octavo adhuc sæculo in more fuisse positum, ut defuncto Pontifice ab his qui sedis Apostolicæ vicem servabant, Exarchus Ravennæ eâ de re certior redderetur; & ut electo convenientibus non Cleri modò, sed Optimatum etiam & populi votis successore relatio ad Imperatorem CP. fieret, electionis approbationem submissè rogans: missis etiam ad Optimates tum Ravennæ tum Constantinopoli positos literis, præcipuè verò ad Exarchum, ut electionem vel nomine Principis confirmaret, vel confirmandam curaret. Nec nisi acceptâ demum hâc confirmatione Pontificem ordinari fas erat. Quę omnia ex ipsis Formulis sole clariora elucescunt. 2°. Pontificem jamjam ordinandum ad corpus B. Petri solennem fidei professionem edere solitum, quâ non modò sex sacra Oecumenica Concilia disertè approbavit; verùm *autores novi hæretici dogmatis, Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum CP. unà cum Honorio qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit* [ipsius Formulæ verbis utor] *anathematis condamnatione* nominatim perculit. Unde manifestò constat futile illud Baronii, Bellarmini & recentiorum Hyperaspistarum κρυψίφυγετον, qui Honorii nomen Actis Sextæ Synodi à Græculo quodam fuisse intrusum absque vel levissimâ verisimilitudinis umbrâ comminiscuntur. Alia Lectori antiquitatis Ecclesiasticæ curioso notatu sanè dignissima ipsa *Libri Diurni* lectio suppeditabit. Vetustum hujus *Libri Diurni* Codicem ex Hilarione Rancato Cisterciensi acceperat olim Leo Allatius, & exscriptum publicare in animo habuit; Verùm impressione prohibita, in lucem edere fas ei non erat: hunc ipsum Codicem inspexit Cl. Mabillonius & exinde plurima excerpsit, quæ supplementi vice ad editionem Garnerianam nobis exhibet *Musæi Ital.* Tom. I. p. 32. Vide etiam quæ habet It. Ital. Sect. 31. p. 77.

FÆLIX, gente Anglus in Provincia Merciorum natus, in Cœnobio Croilandensi ab Ethelbaldo Rege in honorem S. Guthlaci Confessoris recèns fundato vitam Monasticam duxit. Claruit circa ann. DCCXV. inter Synchronos suos Rhetor ac Poeta non ignobilis habitus. Scripsit *Vitam S. Guthlaci Anachoretæ Croilandensis*, quæ habetur apud Surium XI. April. & Mabillon. Sæc. Benedict. III. par. 1. p. 263. 715.

GERMANUS, Justiniani Patricii à Constantino Pogonato interfecti filius, & ipse ab eodem Imperatore virilia exsectus. Primò Cyzici episcopus, deinde anno DCCXV. deposito Joanne ad Patriarchatum Constantinopolitanum evectus. Ann. DCCXXVI. edicto Leonis Imp. & decretis Synodi CP. de tollendis imaginibus præfractè restitit, septem Sæculorum authoritatem & exemplum insulsè obtendens, ac fabulas de imaginibus Deiparæ à D. Lucâ depictis, de Christi Pictura ad Abgarum Regem missa, ejusdemque farinæ quisquilias alias contumaciæ suæ prætexens. Integro quadriennio viri pertinaciam patienter tulit clementissimus Imperator: cùm verò nullis monitis, nullis documentis ad sanam mentem, & obedientiam decretis Cæsareis ac Synodicis præstandam, adduci posset; anno demum DCCXXX. habitâ Synodo sede Patriarchali motus est: ac Platanium in paternam domum secedere permissus, summâ pace ac quiete senectutem suam exegit. Obiisse dicitur die XII. Maii circa an. DCCXL. 715.

OPERA, QUÆ EXTANT.

EPistola III. viz. *ad Joannem Episcopum Synnadensem*, ad *Constantinum Episcopum Nacoliæ*, ad *Thomam Claudiopolis Episcopum*, Gr. Lat. Concil. Nicæn. II. act. 4. Concil. Tom. VII. p. 289.

Tractatus de sex Synodis Oecumenicis, quem primus edidit Stephanus le Moyne Gr. Lat. inter Varia Sacra Tom. I. p. 68. Epilogo auctum, & Germano restitutum; Antea quippe Anonymum ediderant Justelli, & pater & filius.

Ἀνταποδοτικὸς ἢ Ἀνόθευτος, sive *Apologia pro Gregorio Nysseno ejusque scriptis Origenismi perperam insimulatis*, qua præter Nysseni defensionem Origenis etiam errores solidè refutavit. Librum, quem injuria temporis nobis eripuit fusè laudat Photius Cod. CCXXXIII. qui & de stylo Germani hæc habet: ἐστὶ τῷ λόγῳ καθαρός τε καὶ διειδής, καὶ τὰς ἐν ὀνόμασι τροπὰς εὐστόχως ὑποβαλλόμενος, καὶ τὴν μὲν φράσιν ἡδύνων οὐχ ὑφελκόμενος δὲ πρὸς ψυχρότητα· γενναῖος μὲν τοῦ ἐπιβαλεῖν τῇ προθέσει, ὅμοιος δὲ διελθεῖν τὰ ἀγωνίσματα· καὶ τοῦ μὲν ἀναγκαίου μηδὲν ἔξωθεν περιπλέκων οὐδὲν δὲ τῶν ὀφειλόντων ῥηθῆναι παρορῶν, οὔτε τοῖς ἐπιχειρήμασιν; οὔτε τοῖς ἐνθυμήμασιν. *Stylus ei purus ac clarus, verborumque tropos fœliciter usurpans, Phrasi venustâ & eleganti non ad frigiditatem vergens, proposito validè insistens, par etiam in contentionibus suscipiendis, nihilque citra necessitatem immittens, nihilque quod dictu sit necessarium prætermittens, tum constructione, tum enthymematibus.*

Haben-

SÆC. VIII. ab An. DCC. Habentur etiam Gr. Lat. in Auctario Duceano, & apud Combef. Orig. CP. ac Lat. in Biblioth. Patr. sub Germani nomine *Rerum Ecclesiasticarum Theoria*, *Orationes* III. in *Encomium*, *Nativitatem*, & *Dormitionem Deiparæ*, *Oratio in Encania venerandæ Ædis B. Mariæ*, *& in fascias Domini*, Fragmentum *Orationis adversus Hæreses*, aliaque, de quibus agemus in Germano juniore ad annum 1222. cui potius tribuenda videntur.

720. HEDDIUS, cognomento *Stephanus*, gente Anglus, Presbyter & Monachus Cantuariensis, claruit anno DCCXX. Cùm Musicæ & cantionis Ecclesiasticæ admodùm peritus esset, à Wilfrido Archiepiscopo Eboracensi in Nortumbrorum regnum evocatus est, ut provinciales Musicæ ad id tempus ignaros doceret. Vir erat, inquit Baleus *, in actionibus literariis, ut ex ejus apparet oratione, si tempora, rectè consideremus, tersè, nitidè, & eleganter eruditus. Extat *Vita Wilfridi* hortante Accâ Episcopo Hagulstadensi scripta, in Archivis Ecclesiæ Sarisburiensis, & in Bibliothecâ *Cottonianâ* ex quâ desumptam evulgavit Joannes Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. par. I. pag. 671. Scripsit item Heddius *Vitas Eat & Tumberti*, aliaque plura; quæ an extent hodienum, non liquet.

* Cent. I. c. 94.

720. P. II. EDDIUS *Stephanus*, Anglus, Monachus Cantuariensis, claruit anno DCCXX. Vitam S. Wilfridi Eboracensis Episcopi, auctore Eddio, ex Bibliothecæ Cottonianæ codice, literis partim Saxonicis, partim Longobardicis, ante annos septingentos exarato, Tho. Galei beneficio, uti ipse agnoscit, descriptam, vulgavit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. I. p. 671. Verùm cùm è codice Cottoniano capita quædam avulsa essent, posteà beneficio Viri Cl. Edoardi Bernardi Oxoniensis accepit capita duo cum duobus dimidiis, ex codice Sarisburiensi restituta, quæ, unà cum variantibus totius vitæ lectionibus, nobis exhibet *ibid.* Part. II. p. 550. tandem Ecclesiæ Sarisburiensis codicem, eum nempe quo usus est olim Reverendissimus Usserius, nactus, hanc Vitam emaculatam & haud parum auctam edidit ipse Galeus *Hist. Angl. Scriptor.* T. III. *Oxon.* 1691. p. 40.

720. P. II. AUCTOR *Vitæ S. Bertilæ* claruit circa ann. DCCXX. Haud diu enim post S. Virginis obitum (obiit illa anno DCCII.) vixisse ex ipsius verbis colligi potest. Vitam scripsit S. Bertilæ Virginis & Abbatissæ Kalensis primæ, editam ex Codd. MSS. Corbeiensis Monasterii à Joan. Mabillonio *Sæc. Benedict.* III. Part. I. p 21.

720. P. II. AUCTORES *Vitæ S. Austrebertæ*; Anonymi duo, hoc circiter tempore claruisse videntur. Prior circa annum DCCXX. Posterior tempore suppar, forsan circa annum DCCXXX. Scribit enim num.
730. x. se miraculum quoddam B. Virginis ab adolescentulâ, quæ apud eam fuerat educata, accepisse; *quæ huc usque*, inquit, *vivit in corpore.* Extat utriusque Vita S. Austrebertæ, Virginis & Abbatissæ Pauliacensis in Caletis, apud Mabillonium *Sæc. Benedict.* III Part. I. p. 27. Priorem posteriore loco posuit. Posterioris Auctor qui priorem interpolavit, habetur etiam apud Surium ad *Februar.* x. Confer Bollandum eodem die.

720. P. II. ANTENOR, quâ gente, vel stirpe ortus, incertum; dignitate Episcopus, claruisse videtur circa annum DCCXX. Scripsit Vitam S. Silvini apud Morinos in Galliâ Episcopi, quem vivum impensè coluerat. Hanc posteà interpolavit & expolivit Anonymus quidam, qui vixit ante medium Sæc. IX. Periit genuinum Antenoris Opus. Extat interpolatum apud Catellum in *Historiâ Episcoporum Tolosatium*, Bollandum *Februar.* XVII. Tom. III. p. 24. & 257. ubi varia de genere Sylvini, de patriâ, Episcopatu, adventu in Belgium, obitu, & translationibus discutiuntur. Denique apud Mabillonium *Sæc. Benedict.* III. Part. I. p. 295.

SÆC. VIII. ab An. DCC.

723. BONIFACIUS, Winifridus patriâ linguâ dictus, natione Anglus, Cridioduni in agro Devoniensi natus an. DCLXX. Tredecim annorum juvenis in Monasterium Exoniense secessit, ex quo postea in Monasterium Nuiscellense migravit, & Wimberti sive Wigberti Abbatis disciplinæ se commisit, à quo politiori literatura institutus inter primores ævi sui Eruditos locum tenuit. Tricesimo circiter ætatis anno Presbyter ordinatus est, id est, an. DCC. & Wigberto Abbati ad Concilium Nationale à Brictvvaldo Archiepiscopo Cantuariensi habitum profecto comes adhæsit. Paulò post circa an. DCCIV. pio Evangelium inter Ethnicas regiones prædicandi desiderio tactus, ægrè impetrata ab Abbate venia, in Frisiam transfretavit; & in agro Ultrajectensi aliquandiu commoratus, postquàm parùm apud Ratbodum Frisonum Ducem Gentilibus superstitionibus perditè addictum profecisset, in Angliam anno DCCXVI. reversus est; & oblatam sibi à Monachis Cœnobii præfecturam recusavit. Anno circiter DCCXVIII. commendatitiis Danielis Episcopi Wintoniensis literis munitus, intermissum prædicandi munus iterum repetiit; & postquàm Romam profectus reliquias quasdam, & literas missorias à Gregorio Papâ obtinuisset; per Boiariam, Thuringiam aliosque Germaniæ fines Evangelii lucem longè lateque propagavit. Auditâ dein Radbodi nece in Frisiam se contulit; & Willebrordo Frisonum Apostolo per triennium adhæsit, & in sacro suo munere obeundo egregias ei suppetias tulit. Post triennium in Germaniam reversus inter Hassios Christianam fidem disseminavit. Anno DCCXXIII à Gregorio Papa Romam evocatus, pridie Cal. Decembr. Episcopus Germanorum ordinatus est, & deposito Winifridi nomine Bonifacius exin vocari cœpit. In Germaniam redux munus sibi demandatum strenuè excoluit, multa Ethnicorum ad fidem conversorum millia sacro lavacro tinxit, Monasteria & Ecclesias passim fundavit, fundatis præfectos dedit, plures ex Anglia Clericos in laboris & muneris sui partem vocavit, omnia & Apostoli & Episcopi munia sedulò peregit. Anno DCCXXXII. Pallium Archiepiscopale à Gregorio III. meruit. Anno DCCXXXVIII. Romam tertiùm perrexit, Gregorium Papam de Ecclesiæ gravissimis consulturus. Anno DCCXLII. Concilio Germanico, DCCXLIII. Leptinensi præfuit. Frequentia adhuc Concilia celebravit, Ecclesias à se priùs institutas visitavit, hæreses pullulantes compescuit, & exortis subinde corruptelis remedia diligenter excogitavit. Anno DCCLIV. commendata Ecclesiæ Moguntinæ, quam hactenus rexerat, Lullo discipulo suo cura, in Frisiam contendit, ut relapsam in Paganismum gentem ad fidem reduceret. Ac primò quidem res ei fœliciter successit, multis hominum millibus baptizatis, & Eobano Trajecti Episcopo constituto: mox autem ab irruentibus tumultuaria vi Paganis apud Doccomium Frisiæ olim Orientalis vicum interfectus, die v. Junii eodem anno Martyrii Palmam reportavit. Scripsit *Vitam S. Livini*, & *Epistolas* plures, quas primùm in lucem eruit, & cum notis edidit Nic. Serarius Moguntiæ 1605. recusas ibidem 1629. *Epistolæ* quædam hinc inde habentur Concil. Tom. VI. omnes verò in Bibliothecâ Patrum Tom. XIII pagin. 70. *Vita S. Livini*

Vid. Willibaldi vit. S. Bonif. ap. Sur Jun. 5. integrius à Serario cum Epistolis. Bonif. edit. Mogunt. 1605 & Vit. Bonif. ab Othlono Script ap. Sur. ibid. & cum not. ap. Serar. rerum Mogunt. l. 3.

SÆC. VIII. ab An. DCC.

Livini extat etiam apud Mabillon. Sæc. Benedict. II. pagin. 449. ab eo seniori cuidam Bonifacio, qui superiore sæculo floruisse dicitur, ascripta. Statuta quædam S. Bonifacii edidit Lucas Dacherius Spicileg. Tom. IX. pagina 63. Plura alia scripsisse fertur Bonifacius, quæ sigillatim enumerant Baleus *, & Arnoldus Wion † *Librum illius de fidei Unitate* laudat Zacharias Papa lib. II. vitæ, cap. 10.

* Cent. 2. cap. 13. †Lign. Vitæ l. 5. p. 688.

725. P. II. ANONYMUS *Vitæ S. Walarici* Scriptor, circa ann. DCCXXV. claruisse videtur. Scripserat Vitam S. Walarici primi Leuconaensium Abbatis, (obiit is anno DCXXII.) Rambertus, ejusdem Cœnobii Abbas. Hanc utpote prolixiorem, & sermone simplici & impolito exaratam, jussu Hugonis Rothomagensis Archiepiscopi, in compendium reduxit Anonymus noster, & à se ornatam & expolitam Theodino Abbati nuncupavit. Extat apud Mabillon. *Sæc. Benedict.* II. p. 76.

729. JONAS, gente Gallus, Monachus Fontanellensis, claruit anno DCCXXIX. Scripsit jubente Baino Abbate suo *Vitam S. Wulframni Senonensis Episcopi*, qui obiit anno DCCX. Extat hæc Vita apud Surium XX. Martii Mabillon. Sæc. III. part. I.

730. COSMAS HIEROSOLYMITANUS, ut aliqui volunt, *Hagiopolites*, dictus, Italiâ oriundus, vir omni politioris literaturæ genere excultissimus, claruit anno DCCXXX. A Saracenis prædonibus captus, Damascum abductus est: & à Joannis Damasceni Patre in domum receptus, Joanni adhuc juveni Præceptor datus est. Tandem Episcopus Majumæ factus est. Scripsit *Hymnos* XIII. *in Præcipuas anni festivitates*, eâ arte compositos, ut initiales literæ omnium sententiarum, quibus unusquisque Hymnus constabat, in unum Collectæ, sententiam quandam breviusculam Hymno præfixam efformarent. Extant Latinè solummodò isti *Hymni* in Bignæi Appendice ad Biblioth. Patr. *Paris.* 1624. pagin. 716. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XII. pagina 734. Ἀνὴρ εὐφυέστατος inquit Suidas *, καὶ πνέων μουσικὴν ὅλως τὸ ἐναρμόνιον. *Vir ingeniosissimus, & modulationem Musicam totus spirans.* Testes sunt, præter Hymnos suprà memoratos, Ἀσματικοὶ Κανόνες, de quibus subdit Suidas, *eos nullam comparationem admittere, nec admissuros unquam.* In his non infimum meretur locum *Triodium*, seu *Canticum tribus Odis constans*, quod habetur in Officio Græcorum sacro, à Septuagesimâ ad Sabbatum sanctum recitari solito. Primam ejus partem, tres inquam Odas, in figuram sanctæ & vivificæ Trinitatis excogitavit Cosmas noster, in magnâ sanctâque Domini Hebdomade, appellatione ferè cujuslibet diei per acrostichidas cantus concinnans. Reliqua pro cæteris Hebdomadibus Theodotus & Josephus Studitæ addiderunt; ut ex Nicephori Callisti *Synaxario* discimus. Posteà multis à Marco Monacho adjectis, *Tetraodion* appellari cœpit. Quænam verò fuerint Cosmæ nostri, quænam aliorum, in hoc libro partes, ex recentioribus Græciæ Scriptoribus optimè nos docet Leo Allatius Dissert. I. de libris Eccl. Græcorum pag. 69.

* In V. *Ioan. Damasc.*

730. P. II. COSMAS HIEROSOLYMITANUS, claruit anno DCCXXX. Præter reliqua ejus Scripta, de quibus suprà egimus, extat ejus ἔκφρασις, sive *Enarratio metrica* singulorum Psalmorum totius Psalterii Davidici carmine Jambico. Cujus hoc initium, Ἔκφρασις ὡραιοτάτη εἰς τὸν Θεῖον καὶ προφητικώτατον Δαυὶδ Κοσμᾶ ποιητοῦ. Προοίμιον.

> Μετὰ τὸν μέγιστον Μωσῆν καὶ μέγαν ἐν προφήταις
> Καὶ πρώτιστον δημαγωγὸν, &c.

Habetur MS. Biblioth. Vindob. Cod. *Theol.* juxta ordinem Lambecianum CXCVII. Nesselianum LIII. De hoc Opere vide quæ habet Cl. Lambecius *Comment.* lib. III. pag. 103. 227. Vide etiam Cod. LX. num. VI.

JOANNES, DAMASCENUS à Patriâ, *Chrysorrhoas* ab eloquentiâ, & *Mansur* seu *Manseron* ab Arabibus dictus, natus est Damasci patre inter cives suos primario, qui Saracenorum Principi à secretioribus erat consiliis. Ipse Joannes in Paternâ domo à Cosmâ liberalibus disciplinis institutus, præclaram sibi doctrinæ & eloquentiæ famam brevi comparavit. Defuncto patre, à Saracenorum Chalifa in aulam adscitus in intimiori consessu locum paternum obtinuit. Anno circiter DCCXXVIII. fervente controversiâ Iconoclasticâ, ipse imaginum causæ impensè favens, Epistolas contra Leonis Imp. molimina ad amicos quaquaversùm dedit, ab iis palàm evulgandas, ac longè latèque distrahendas. Hinc commotus Leo Imp. confictâ sub Joannis nomine Epistolâ effecisse dicitur, ut Damasci Princeps de Joannis fide malè sentiret, ac dextram ei amputaret. Neve egregio isti Iconodulіæ Confessori desit miraculum, manus ei Deiparæ intercessione in integrum restituta fertur. Verùm, ut rem dicam, tota ista, quanta quanta est, historia fabulam sapit putidissimam, nec alium autorem habet, quàm nugacissimum illum *Vitæ Damasceni* Scriptorem, Joannem inquam Hierosolymitanum. Fabulæ totius futilitatem & ineptias uberrimè demonstrat Cl. Spanhemius, *Hist. Imag. Restit.* Sect. II. numer. 13. Eodem circiter tempore missionem à Chalifa ægrè impetrat Joannes, & Cosmam instituti sui ac itineris comitem nactus, divenditis priùs & inter pauperes distributis facultatibus, Hierosolymam profectus est: ubi Presbyteratûs dignitate insignitur: atque exinde, vitam Monasticam jamdiu meditatus, in S. Sabæ Lauram secessit, ibi reliquum vitæ tempus honesto otio exacturus; anno DCCXXX. ad scribendum se contulit; & *Orationes de Imaginibus* in lucem emisit. Anno DCCXLIX. Anastasium S. Euthymii Cœnobii Abbatem, extinctam Petri Fullonis *de Trisagio* hæresim in lucem revocantem scriptis & voce oppugnavit. Anno circiter DCCL. diem supremum obiit. Doctrinæ & eruditionis famam nemo, cui sanum sinciput, ei denegabit. Eximiam ejus Philosophiæ & Mathematicarum disciplinarum scientiam Joannes Hierosolymitanus maximoperè celebrat. Egregiam verò rei Theologicæ peritiam omnes norunt. In rebus tamen Historicis immanè quantùm erat credulus: unde candidè satis notat Baronius * *in multis ejus scriptis fidem vacillare, & compluribus ipsum scatere mendaciis*; quod quidem non uno exemplo ostendit Casaubonus *Exercit.* XIII. num. 38. p. 305. 730.

* Ad an. 311 num. 75.

OPERA.

DE *Fide Orthodoxâ libri* IV. Prodierunt seorsim, Lat. *Paris.* 1507. 4to. Græc. *Veronæ* 1531. 4to. Græc. Lat. inter alia Damasceni Opera *Basil.* 1543. 1575.

Parallelorum Opus, seu *Ecloga* sive *Collectanea ex S. Scripturâ*, *Sanctisque Patribus* deprompta, & in locos Communes digesta. Latinè solummodò habentur inter Opera Damasceni, à Jacobo Billio pri-

Digitized by Google

primùm edita. Græcus verò textus in variis Galliæ Bibliothecis superest.

Liber de iis, qui in fide obdormierunt, qui ab omnibus ferè propter fabulas ineptissimas Damasceno abjudicatur. Prodiit Gr. unà cum libris *de Fide Orthodoxâ Veronæ* 1531. 4to. Gr. Lat. seorsim *Venetiis* 1541. 8vo. & inter cætera Damasceni Opera in utraque Editione *Basileensi*.

De sacris Imaginibus Orationes III. prodierunt seorsim Gr. *Romæ* 1553. 8vo. Lat. *Antverp.* 1556. Græc. Lat. in Editione *Basileensi* 1575. Lat. in reliquis editionibus.

Oratio, quomodo ad Imaginem Dei creati sumus. Habetur Gr. Lat. in Editione *Basileensi* 1575.

De duabus Christi voluntatibus & actionibus, reliquisque naturalibus proprietatibus liber. Extat Græc. Lat. in Editione *Basil.* 1575.

De naturâ compositâ contra Acephalos hæreticos seu Monophysitas. Extat Græc. Lat. in edit. *Basil.* 1575.

Aliud Damasceni de eodem argumento *Opusculum* ἀκέφαλον Latinè extulit Hen. Canisius Antiq. Lect. Tom. IV.

Contra Nestorianos liber, ab eodem Latinè editus ibidem.

Argumenta contra Nestorianos cum quæstionibus & responsionibus de fide, à Joanne Wegelino Græc. Lat. cum notis evulgata *Augustæ-Vindel.* 1611. 8vo.

Epistola de Trisagio. Habetur Gr. Lat. in editione *Basil.* 1575.

Adversus Manichæos liber, seu *Dialogus inter Orthodoxum & Manichæum de duobus rerum Principiis.* Prodiit Gr. Lat. seorsim *Basil.* 1578 8vo. *Patavii* 1572. 8vo. & in edit. *Basil.* 1575.

De Hæresibus liber, seu *Catalogus Hæresium*, quæ ad illius tempora exstiterunt. Habetur Gr. in editione *Parisiensi* 1619. Pars posterior, à Nestorianis incipiens, quæ sola Damasceno debetur. Pars enim prior nil aliud est, nisi Epiphanii Anacephalæosis. Integrum tamen Opus dedit Græc. Lat. Cotelerius Monument. Eccles. Gr. Tom. I. p. 278.

Disceptatio Christiani & Saraceni, Latinè solummodò hactenùs excusa.

Fragmentum Sententiarum de octo Passionibus, seu *Vitiis capitalibus*; Latinè tantùm excusum. Græcus textus extat in Bibliothecâ Regiâ Parisiensi.

De die judicii Homiliâ, seu *tractatus brevis*, Latinè solùm. Et Latini quidem cujusdam autoris Opus esse censet Labbeus.

Epistola ad Zachariam Doarorum Episcopum de corpore & sanguine D. N. Iesu Christi, unà cum alio prolixiori capitulo de eâdem re, à Petro Pantino Gr. Lat. Edita *Antverp.* 1601. & exinde in Editionem *Paris.* 1619. desumpta.

De Resurrectione & Paradiso libellus. Prodiit Gr. *Paris.* 1641. 16°.

De Transfiguratione Domini Oratio. Extat Gr. Lat. in editionibus *Parisiensibus*.

Oratio de Sabbato sancto, à Petro Pantino Gr. Lat. edita *Antverp.* 1601.

De Nativitate Deiparæ Orationes III. à Jacobo Billio primùm Gr. Lat editæ in editione *Paris.* 1577. Ex iis duæ posteriores in nonnullis Codicibus MSS. Andreæ Cretensi inscribuntur.

De Dormitione sive *Assumptione B. Mariæ Orationes* II. quarum posterior manifestò spuria est. Ibi enim citatur Eutymius, qui sub Alexio Imp. vixit. Extant Latinis tantùm typis excusæ, Græcis verò textus in Bibliothecis Gallicanis superest.

De Christi Nativitate, de ejusdem Epiphaniâ, & de Festo Pentecostes, Iambi Pentastichi, Acrostichi, ab Aldo Manutio primùm Gr. Lat. editi unà cum aliis Poëtis Christianis, *Venetiis* 1501. 4°. & exinde in editionibus Damasceni Operum ferè omnibus.

Oratio ad Christum versibus Anacreonticis composita. Extat Gr. Lat. in editionibus *Paris.*

Varia Cantica numeris soluta, de Ascensione Christi; de Transfiguratione, in Annunciationem Deiparæ. Habentur Gr. Lat. in editione *Basileensi* 1575.

Oratiunculæ quædam ad *Dominum, Deiparam, & Archangelum*, &c. Extant Latinè solummodò.

Ὀκτώηχος, seu ὀκτὼ ἤχοι, seu *Ecclesiastica Græcorum Cantica*, quæ *Octoëchi* inscribuntur authoribus Damasceno, Metrophane Smyrnæo, & aliis Ecclesiæ Orientalis Doctoribus. Extant Latinè in editionibus *Paris.* Græcus textus in Bibliothecis Gallicanis reperitur.

De Dialecticâ liber ad Cosmam Maiumæ Episcopum. Extat Gr. in editione *Basil.* 1575.

De decretis, & placitis primæ Institutiones ad Ioannem Episcopum Laodicenum. Habentur Græc. Lat. in editione *Basil.* 1575.

Physica, seu *Aristotelicæ Philologiæ compendium* quoddam. Extat Latinè solummodò in editionibus *Paris.*

Historia Indica, sive *vita & conversatio* SS. *Barlaami & Iosaphati*, seu *duorum militum Christi*; de quâ duo inprimis sunt quærenda 1°. Utrùm vera an ficta sit Historia; fabulam esse, non veram Historiam, multis ex ipso Opere demonstrari poterat, nec ulli dubium esse potest, qui ipsam Historiam attentè perlegerit. Fuisse forsan quendam Barlaamum & Josaphatum, & generalia quædam Operis fundamenta, vero non dissimile est, reliqua ex autoris ingenio ficta: Et in hanc quidem sententiam missis aliis descendere video Cl. Huetium *; *ea fabula*, inquit, *Romanensis quidem est, sed pia, de amore agit, sed divino; plurimum hic sanguinis effusum est, sed martyrum; ad historiæ normam, & ex fabulæ Romanensis legibus, Opus illud elucubratum est; nihilominùs tamen etsi verisimilitudo ibi satis accuratè observata est, tot tamen figmentorum præfert indicia, ut qui seriâ animi cogitatione Opus legerit, is confictum esse nunquam sit iturus inficias.* 2°. An Damasceni sit? Præterquàm enim quòd Spiritum Sanctum à Filio procedere doceat, in nonnullis Codicibus MSS. Joanni Sinaitæ (viz. ut opinor, Joanni Climaco) inscribitur, quod quidem pluribus apertè satis refellit Jac. Billius *Præfatione ad novam versionem* à se adornatam. Extat Latinè ex vetustâ Monachi cujusdam (non Gregorii Trapezuntii, uti malè præ se fert titulus) versione in editionibus *Basileensibus*, & seorsim *Colon.* 1593. 8°. *Antverp.* 1602. 8vo. ex Jacobi Billii versione in editionibus *Parisiensibus*. Græcè habetur MS. in Bibliothecâ Regiâ Parisiensi.

* De Orig. fab. Rom. p. 60.

Vita Stephani Iunioris, qui ob cultum imaginum mortem oppetiit, extremo ille supplicio à Constantino Copronymo affectus est anno 767. Adeò ut dicendum sit, aut hanc *Vitam* Damasceno suppositam esse, aut Damascenum ante annum 767. non obiisse. Habetur Latinè in editionibus *Paris.* & apud Surium XXVIII. Novemb. Græcè verò MS. in Bibliothecâ Regiâ Parisiensi.

Prodierunt Opera Joannis Damasceni, partim Græcè, partim Latinè, *Basil.* 1539. 1548. 1575. & curâ Jacobi Billii *Paris.* 1577. 1603. 1619. f. In hoc verò Parisienses longè superat editio Basileensis tertia; quòd multò plures Damasceni tractatus Græcè exhibet.

Epistola de SS. Imaginibus sub Damasceni nomine Græc. Lat. edita est à Fr. Combefisio *Orig. CP.* pag. 110. quam tamen revera esse *Episcoporum Orientalium Synodicam*, diu post Damasceni mortem scriptam, luculenter probat Combefisius ibidem.

Digitized by Google

SÆC. VIII. ab An. DCC. *Oratio demonstrativa de Sanctis & venerandis Imaginibus adversus Copronymum Imp.* Extat Gr. Lat. à Combefisio cum notis edita *Auctar.* Nov. Tom. II. pag. 663. Damasceni verò fœtus haud videtur esse.

OPERA 'Ανέκδοτα, quæ supersunt.

HOmilia in Nativitatem Deiparæ, in Annunciationem ejusdem; in Assumptionem ejusdem. Encomium S. Ioannis Chrysostomi; Homilia in Ficum arefactam.

Libellus Orthodoxæ fidei. De Virtute & Vitio. In Nativitatem Domini Sermo historicus. Definitiones plures.

De Divinitate & *incarnatâ œconomiâ D. N. I. C. contra execrandas Iacobitarum Superstitiones. Liber Eliæ Episcopo dictatus*, & ab eo ad Petrum Metropolitam Damascenum missus. *Contra Nestorianos liber. Testimonia SS. Patrum demonstrantia unicum esse Christum ex duabus naturis constantem. Opus Paschale.*

Lexicon Etymologicum. Paracletice in B. *Virginem* secundùm octo Tonos Græcorum distincta. *Oratio in* S. Barnabam. *Homilia de Resurrectione Christi, & de non judicando, nec ulciscendo. Narratio de S. Artemio ex Philostorgio. Canones varii in Sanctorum solennitates. Troparia penè innumera.*

Scholia in Categorias Aristotelis. De Mensibus Macedonum. Collectio variarum Hypotheseων. De divinis Mandatis. De tribus animæ Facultatibus. De Libero Arbitrio. Logicæ compendium. Collectio Testimoniorum ex SS. Patrum scriptis; de Trinitate, duabus in Christo naturis, œconomia divina aliisque Ecclesiasticis dogmatibus, in Capita XLI. distributa, quæ tamen an genuinum Damasceni sit Opus, haud adeò sibi constare agnoscit Labbeus.

Alia fortassè plurima hinc inde delitescentia reperiri possent. De ineditis verò Damasceni, qui plura cognoscere velit, consulat *Conspectum omnium Operum S. Damasceni*, quem in lucem emisit Phil. Labbeus *Paris.* 1652. 4to. quo tempore novam Damasceni editionem in animo habuit, quod & ante ipsum meditatus erat Joannes Aubertus, ad quem proinde plura Damasceni, aliorumque huc spectantia Opera Græcè è MSS. Codicibus eruta, quædam etiam à se Latinè versa transmiserat Leo Allatius, qui hoc etiam nomine Labbeum plagii insimulat, quòd post Auberti mortem schedas suas Româ missas expilaνit. *Operam*, inquit, *& oleum perdidimus, & alienos labores surripiens, segraculus nescio quis circumvestit.* Ut verò omnibus innotesceret, quid ipse in Damascenum contulerit, Catalogum Operum ad Aubertum transmissorum, *Symmictorum* suorum calci subnectendum curavit pagin. 445. Interim nova hæc, & toties promissa, editio in hunc usque diem nusquam prodiit.

730. ORDO ROMANUS, *de Divinis Officiis & Ministeriis per totius anni circulum.* Scriptus videtur hoc Sæculo, adeóque Cl. Usserium secuti circa annum 730. collocamus. Certè nec de Autore, nec de ætate hujus Operis satis constat. Ipse autor penitùs ignoratur, etsi fuisse aliquem non infimæ notæ ex Romanæ Ecclesiæ Clericis veri non absimile est. Quod ætatem spectat, sunt qui eo circiter tempore fuisse in Galliam missum volunt, quo Carolo M. procurante Divina Officia cum Romano cantu in Galliam sunt introducta. Verùm ex ipso Opere deprehendi possunt, quæ autorem Carolo M. antiquiorem fuisse arguunt. Interim improbabile non est librum in Gallias transmissum ab Alcuino auctum fuisse & interpolatum; quin & non pauca observari possunt, quæ tempora ævum Carolinum sequentia manifestò sapiunt. Quòd verò hunc librum fuisse *Codicem Gelasianum* conjiceret Melchior Hittorpius, in eo sanè toto erravit cœlo, ut ex ipso Gelasii codice nuper edito primâ facie liquidò constat. Extat hic *liber* inter *Scriptores de Divinis Officiis* à Melch. Hittorpio editos *Paris.* 1610 p. 1. & in quavis ferè Bibliothecæ Patrum editione: alibi etiam à Cassandro, atque aliis editus.

AUCTOR *Vitæ S. Botulfi*, natione, ut videtur, Anglus, circa annum DCCXXX. vel non diu postea, claruisse videtur. Refert enim *num.* x. se ab his qui S. Botulfi imbuti sunt disciplinâ, quique ejus, dum viveret, usi sunt præsentiâ, miracula ab eo patrata didicisse. Scripsit Vitam S. Botulfi Abbatis Ikanhoensis in Angliâ primi. Situm erat illud Monasterium, à S. Botulfo conditum, apud Anglo-Saxones, ad Withamam fluvium in agro Lincolniensi prope Oppidum Bostonum sive (*Botolf's Town,*) ut Cambdenus noster acutè conjicit. Vitam hanc integram & sinceram ex Membranis Cœnobii Uticensis in Neustriâ, primus edidit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* III. Part. I. p. 4. 730. P. II.

AUCTOR *Vitæ S. Richmiri* claruit circa annum DCCXXX. Vixit quippe sub Arrio, Richmiri anno circiter DCCX. defuncti successore, adhuc in vivis agente, ut *num* XVIII. ipse nos docet. Scripsit Vitam S. Richmiri, apud Cœnomannos Abbatis. Habetur apud Bollandum *Ianuar.* XVII. & Mabillon. *Sæc. Benedict.* III. Part. I. p. 228. 730. P. II.

AUCTOR *Vitæ S. Goaris*, Cœnobii S. Goaris in Diœcesi Trevirensi (ut credi par est) Monachus, circa annum DCCXXX. claruisse videtur. Neque enim ipsius ætas certò statui potest, nisi quòd Opus ejus Wandalberti Diaconi Prumiensis tempore, qui vixit & scripsit anno DCCCXXXIX. vetustum & perantiquum exemplar habebatur. Composuit Vitam S. Goaris Confessoris & Eremitæ circa an. DCXLIX. defuncti; quam ex MS. Cod. Herouvalliano Actis suis Benedictinis inseruit Jo. Mabillonius *Sæc.* II. p. 275. 730. P. II.

GREGORIUS III. natione Syrus, Joannis filius, ex Presbytero Ecclesiæ Romanæ factus Pontifex anno 731. die XXII. Februarii, Gregorii decessoris vestigiis sedulò inhæsit; imaginum causam strenuè tutatus est, Iconoclastas crebris anathematum fulminibus obruit, Italiam à Græcorum Imperatorum regimine abstrahere perrexit, circumpositas Romæ ditiones S. Petri nomine si Diis placet, in Ecclesiæ Dominium vendicare & arripere cœpit. Ineunte statim Pontificatu commonitorias ad Leonem Imp. de imaginibus restituendis literas misit. Verùm Gregorio Presbytero, cui literæ erant commissæ, eas Imperatori in manus dare verito, res eventu caruit. Reversus igitur Romam Gregorius, in Synodo causam agere coactus est, ac depositionis sententia ægrè elapsus, Constantinopolim iterum legatus est, aliis ejus argumenti literis munitus. Verùm Imperatoris jussu in Sicilia comprehensus literis exuitur, in exilium amandatur. Re in urbem delatâ, Gregorius Papa collectâ undique Episcoporum Italorum Synodo, fulminibus sævit, & imaginum inimicos diris devovet, lato eâ de re insigni constituto. Missus ex Synodo Constantinus Defensor, qui commonitorias ad Imperatorem literas deferret, uti & anno sequente Petrus Defensor, eandem quam Gregorius Presbyter, 731.

Digitized by Google

SÆC. VIII. ab An. DCC. byter, fortunam experti sunt. Anno 739. Roma à Luitprando Longobardorum Rege obsessa Gregorius Papa subsidium à Carolo Martello supplex petiit, missis in Galliam legatis, qui literas & claves, vinculaque D. Petri ad flectendum citiùs Caroli animum deferrent. Obiit anno 741. die x. Novembris. Extant *Epistolæ* VII.& *Excerpta* XXXIII. *ex Patrum dictis, Canonumque sententiis, de diversis criminibus & eorum remediis*, Concil. Tom. VI. pag. 1468.

732. EGBERTUS, natione Anglus, Regio Northumbrorum sanguine ortus, Eadberti quippe Regis frater. Defuncto Wilfrido anno 732. Archiepiscopus (non, quod habet Oudinus, Cantuariensis,) sed Eboracensis factus est. Fratris sui potentiâ & opibus fretus Ecclesiam Eboracensem in illustriorem longè statum evexit; & cùm elatioris ingenii vir fuerit, pallium à Pontifice Romano sedi suæ impetravit. Vir erat promovendis studiis natus, & eruditorum omnium Mecænas optimus; unde nobilissimam Bibliothecam, teste Malmsburiensi *, Eboraci constituit, de qua præclarè Alcuinus Epistola ad Carolum M. *Date mihi*, inquit, *exquisitioris eruditionis scholasticæ libellos, quales in patria habui per bonam & devotissimam magistri mei Egberti Archiepiscopi industriam; & si placet, excellentiæ vestræ remittam aliquos ex pueris nostris, qui excipiant quæque necessaria, & revehant in Franciam flores Britanniæ.* Obiit Egbertus anno 767 Episcopatûs 36. Scripsit *Dialogum de Ecclesiastica Institutione*, quem ex Bibliothecâ Cottonianâ primus in lucem protulit, & unà cum Bedæ Opusculis quibusdam edidit Cl. Waræus *Dublin.* 1664. 8°. exinde translatum in Concil Tom.VI. pag. 1604. *Excerpta* CXLIV. ex dictis & Canonibus SS. Patrum ab Egberto concinnata, & ad Ecclesiasticæ politiæ constitutionem conducentia, extant ab Hen. Spelmanno primùm edita Conciliorum Britannicorum Tomo I. *Londini* 1639 exinde Conciliorum Tom VI. pagina 1586. Scripsit adhuc Egbertus *Pœnitentiale* quatuor libris distinctum, quod in plurimis Academiæ tum Cantabrigiensis tum Oxoniensis Bibliothecis Manuscriptum hodie servatur. Ex libro secundo *Canones* XXXV. edidit idem Spelmannus, qui habentur etiam Concil. Tom. VI. pag 1601. Ampliorem *Pœnitentialis* portionem edidit Morinus in Appendice ad Libr. *de Pœnitentia* pagina 11. Integrum Opus utinam aliquando evulgaretur. Et ista, & Gregorii III. Excerpta plurima habent communia cum Bedæ *Libello*, seu *Canonibus de Remediis peccatorum*: Cæterùm notari velim hos Bedæ *Canones* in editione Antonii Augustini *Pœnitentiali Romano* subjunctâ Egberti Archiepiscopi nomen præ se ferre.

* De gestis Pontif. Angl. l. 3. p. 153.

740. FREDEGARIUS SCHOLASTICUS, gente, ut videtur, Gallus; claruit anno 740. Scripsit, jubente Childebrando Comite, Pipini Regis patruo, *Historiam*, seu *Chronicon de gestis Francorum*, ab anno 596. quo desiit Gregorius Turonensis, exorsus, & ad annum 739. progressus. *Historia* ista Gregorio Turonensi Appendicis vice subnecti solet, sub Fredegarii verò nomine primùm edita est à Marquardo Frehero in *corpore veterum Historicorum Francicorum*, (qui & Appendicem Anonymi cujusdam ab Anno 739. ad 768. pertingentem annexuit) & exinde auctior ab Andreâ Quercetano Scriptor. Francic. Tom. I. pag. 740. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XI. pag. 740. Scripsit & *Historiam Miscellam*, seu *Chronicorum libros* V. ad exemplum Chronici Hieronymiani, quibus totam ferè Gregorii Historiam in compendium redegerat. Verùm Opus istud dudum interiit. Sin verò rectè conjicit Cl. Lambecius *, totum extat. Habetur enim MS. in Bibliothecâ Cæsareâ *Chronicon Anonymum* valdè barbarum *ab orbe condito ad Belisarii mortem.* Id Fredegarii esse arbitratur Lambecius, (qui Prologum ejus & Epilogum exhibet) & tres priores Operis memorati libros complecti vult; adeò ut quartus sit illa Chronici editi pars, quæ ex Gregorii Turonensis Historiâ excerpta, ab irruptione Hunnorum in Gallias usque ad Chilperici Regis mortem progreditur: quintus verò nil aliud sit, quàm reliqua Chronici editi pars, quæ Gregorii Historiam usque ad Caroli Martelli mortem continuat.

* Comment. l. 2. c. 8. p. 850.

FREDEGARIUS SCHOLASTICUS, gente Gallus, claruit anno DCCXL. De scriptis ejus suprà diximus. Circa Caroli M. ætatem, vel paulò antè, Gallus quidam ex variis vetustiorum Opusculis, *Collectaneorum Chronologicorum* Opus contexuit, in sex partes digestum. I. Continet Anonymi cujusdam librum *De Divisionibus Generationibus Gentium*, qui sub Alexandro Severo scripsit, & Africani Chronographiæ pars esse putatur. Hanc accuratè edidit Ph. Labbeus *Biblioth. Nov. MSS.* Tom. I. II. Excerpta ex Idacio, aliisque complectitur. III. Alia itidem ex Idacio exhibet. IV. Ex Thoromacho, seu Turonico, *i. e.* Gregorio Turonensi desumitur. V. Q. Julii Hilarionis, ut volunt, de cursu temporum libellum repræsentat. VI. Plura ex Thoromacho seu Gregorio Turonensi excerpta continet. Habentur hæc omnia eodem ordine in pervetusto codice MS. Biblioth. Vindob. literis Gothicis ante DCCC. circiter annos exarato. Horum Collectaneorum compilatorem fuisse Fredegarium nostrum conjicit Cl. Lambecius *Comment.* lib. II. c. 8. pag. 850. Cujus opinor conjecturæ Doctiorum nemo refragabitur, præsertim cùm ipse Fredegarius in præfatione ad Historiam suam disertè ait, se, ad Exemplum Chronici Hieronymiani & eorum qui illud auxere, quinque Chronicorum libros contexuisse. Priorem hujus Operis partem ex codice MS. extulit loco citato Lambecius, & de reliquis collectionis partibus non indiligenter agit. Confer quæ de hisce Collectaneis congessit Chr. Sandius Not. ad Voss. *de Hist. Lat.* p. 279. Ubi editiones Canisianam & Labbeanam, cum iis quæ Lambecius protulit, sedulò & accuratè confert. 740. P. II.

740. CUTHBERTUS, gente Anglus, patriâ, ut videtur, Dunelmensis, Girvvicensis Cœnobii Monachus, venerabilis Bedæ discipulus, sub quo in bonis literis mirè profecit. Claruit anno 740. Præceptori suo extrema jam senectute laboranti à manu fuit, & ab eo dictata calamo excepit, illi etiam morienti astitit, & extrema verba sedulò audivit. Scripsit *librum de vita & obitu Bedæ* Cuthvvino æquali suo dicatum, in quo Bedæ mortem VIII. Cal. Junii die Mercurii, qui Ascensionis diem proximè præcessit, contigisse refert. Habetur Tomo VIII. Operum Bedæ edit. *Basil. Vita Bedæ* sine nomine authoris, nec non *de obitu Bedæ Epistola* Verùm Vitam illam ex Petro Equilino Sanct. Catalog. l. V. cap. 55. acceptam esse apparet; Epistolam autem istam *de obitu Bedæ* (à Surio etiam relatam in Tomo VII. die x. Maii) Cuthberti esse mihi (inquit Usserius *Biblioth. Theol.* pag. 128.) persuadeo. Nam præterquam quòd in plurimis Codd. MSS. ei disertim ascribatur, autor sese Bedæ morti interfuisse testatur, quæque ex Cuthberti libro habet Florentius Wigorniensis in Chronico suo ad ann. 734. in hâc Epistolâ totidem verbis reperiantur. Ubi notandum est, quod in Epistola malè habetur (VII. *Idus Maii*) ex Florentio, ac Matthæo Florilego emendandum esse ac legendum

Digitized by Google

(VII. *Cal. Junii*) quod & temporum ratio exigit, & pluribus probat Cl. Usserius loc. cit. Sub Cuthberti nomine hanc Epistolam dedit Abrahamus Welocus in Vitâ Bedæ Historiæ ejus Eccl. præmissæ Cantabrig. 1644. Porrò scripsit Cuthbertus, teste Balæo *, *Epistolarum familiarium librum*, atque plura, quæ desiderantur. Meminit *Coronidis* ab eo *adjectæ Historiæ Bedæ* Joannes Priseus †, quam & penès se extitisse narrat.

* Script. Angl. Cent. 2. c. 7.
† Hist. Brit. Defens. c. 12. p. 112.

741. ANASTASIUS, Monasterii S. Euthymii in Palæstinâ Abbas, claruit ann. 741. Anno demum 749. cum de *Trisagio* malè sentire inciperet, totum id ad Filium referens, occasionem dedit Joanni Damasceno Epistolam *de Trisagio* ad Jordanem Cœnobiarcham contra errorem ejus scribendi. Scripsit verò ipse Anastasius *Librum contra Judæos*, qui à Canisio Antiq. Lect. Tom. III. primùm editus Latinè ex Turriani versione, exinde habetur Bibliothecæ Patr. Tomo XIII. Græcus textus etiamnum superest MS. Romæ & alibi.

741. ZACHARIAS, natione Syrus, Polychronii filius, professione Monachus, demum Pontifex Romanus anno 741. die XIX. Novembris, pacem cum Luitprando Rege statim iniit, à quo etiam anno sequente Interamnam in finibus Spoletinis profectus, quatuor urbes à Ducatu Romano ante triennium abreptas restitui precibus obtinuit; uti & anno 743. Ticinum contendens pacem Ravennatensibus dari ab eodem impetravit. Anno 742. habitâ Romæ Synodo Concilium Bonifacii Moguntini Germanicum ratum fecit. Anno 745. collecto Romæ Episcoporum Concilio Adelbertum & Clementem; anno 748. Sampsonum Scotum, inficetos quosdam Hæresiarchas, à Bonifacio paulò ante damnatos, anathemati subjecit. Anno 750. Perusiam profectus, Rachin Longobardorum Regem ab urbis istius obsidione precibus & muneribus dimovit. Anno 752. Regnum Franciæ à stirpe Merovingica in Pipinum Caroli Martelli filium authoritate Apostolicâ transtulisse, & Childerico Regi fasces abrogasse dicitur. Verùm rem totam constanter pernegant Scriptores de translatione Imperii cordatiores, quos consulat Lector. Obiit Zacharias die III. Martii anno 752. Extant *Epistolæ* XVIII. Concil. Tom. VI. pag. 1498. *Epistola ad Theodorum Episcopum Ticinensem* apud Dacher Spicileg. Tom. VIII. pag. 120. & Baluz. Append. ad Reginonem pag. 601. Habentur quin etiam ab eo Græcè versi *S. Gregorii Dialogi*, Latino textu adjuncto, in editione Operum Gregorii *Rom.* 1590. ubi desunt VI. capita, supplenda ex Canis. Tom. III. pag. 24. Ac proinde in editione Operum Gregorii *Parisiensi* 1640. *Versio Græca* integra reperitur. Cæterùm & alia quædam S. Gregorii Opuscula Græcè vertisse Zachariam Photius * nobis autor est, quæ non extant.

* Cod. 272.

742. CHRODOGANDUS, sive *Chrodegangus*, sive *Rodegangus*, natione Germanus, in pago Hasbaniensi natus, Sigrammi & Landradæ filius, ex illustri primariæ Francorum nobilitatis genere ortus, in aulâ majoris Caroli enutritus, ejusdemque deinde Referendarius factus. Mortuo Sigebaldo; anno 742. die 1. Octobr. Metensis Ecclesiæ Antistes creatus est. Anno 749. Gorziense Monasterium condidit. 753. unà cum Autchario Duce à Pipino Romam missus est, ut Stephanum Papam in Gallias deduceret. Anno 757. Diœceseos suæ Clericis, quos Cœnobitarum ad instar familiaritatem invicem colere voluit, *Regulam* præscripsit, ut præcepta iis præstò essent, quibus intra vitæ Ecclesiasticæ terminos sese optimè continerent. Anno 764. Romam iterum petiit, ut Sanctorum reliquias à Cœmiteriis in urbem translatas à Pontifice impetraret, ac proinde SS. Gorgonis, Naboris, & Nazarii corpora secum referens in Monasterio suo Gorziensi reposuit. Obiit pridie Cal. Mart. anno 766. *Vir erat*, teste Paulo * Diacono, *undecunque clarissimus, forma decorus, eloquio facundissimus, tam patrio quàm Latino sermone imbutus, servorum Dei nutritor, orphanorum viduarumque non solùm altor, sed & clementissimus tutor.* Auctoritatis quinetiam Pontificiæ propugnator strenuus, qui ut rectè notat Hen. Pantaleon †, cœlibatum Sacerdotum, spontaneam paupertatem, vitam Monasticam, jejunia, festa, missas, & alia ejusmodi supra modum extulit. Extat ejus *Regula Clericis Metensibus præscripta*, primò à Lucâ Dacherio edita Spicileg. Tom. I. verùm admodum interpolata, & ad communem totius Ecclesiæ usum immutata. Puram & genuinam extulit Labbeus Concil. Tom. VII. pag. 1444. Alios adhuc sinceriores Codices nactus Cl. Cointius utramque cum exemplari suo editionem contulit, & cuivis ferè capiti variantes lectiones & observationes suas addidit, Annal. Eccl. Franc. Tom. V. ad ann. 757. Notet etiam Lector aliam etiam *Regulam* ex Chrodogando, aliisque consarcinatam à Labbeo exhiberi, ubi suprà p. 1464.

Le Cointe ad an. 742. num. 51. &c. ex Paulo Diac. de Episc. Metens.
* De Ep. Metens.
† De viris illustr. par. 1. p. 262.

WILLIBALDUS, gente Anglus, patriâ Devoniensis, ex illustribus Anglorum familiis, &, ut volunt nonnulli, Regio genere ortus, S Bonifacii discipulus & nepos, sub cujus regimine bonarum literarum studiis se totum dedit. Puer quinquennis Monasterio Waldheimensi à parentibus datus est ab Egvivvaldo Abbate instituendus. Adultus factus, Loca Sancta visendi studio ductus in exteras regiones peregrinari cœpit; & Romam atque exinde Hierosolymam profectus, post septennium peregrinationi impensum, in Monasterio Cassinensi consedit. Anno 738. Romam iterum contendens, Bonifacio obviam fit, à quo mediante Papâ exoratus ad opem subsidiariam ei in Apostolatu Germanico ferendam se accinxit. Germaniam igitur ingressus Evangelio prædicando strenuè incubuit, & à Bonifacio Episcopus Eistatensis factus, anno 742. Concilio Germanico interfuit. Obiit juxta Baleum anno 781. ætatis 77. Scripsit, rogante Lullo Archiepiscopo Moguntino, *Vitam S. Bonifacii*, quæ habetur apud Canis. Tom. IV. Part. II. p. 341. & cum Bonifacii Epistolis à Serario edita *Mogunt.* 1605. apud Surium etiam die V. Junii, & Mabillon. Sæc. Benedict. III part. II pag. 1. Scripsisse dicitur & *Vitam S. Walpurgæ sororis suæ*, & Epistolas aliquot ad Monachos. Verùm an extant hodie, non liquet. 742.

Vit. S. Wilib. ap. Canis. Ant. Lect. T. IV. p. 695. Pantal. de vir. ill. part. II. p. 263.

JOANNES Monachus & Presbyter, posteà, ut videtur, Eubœæ Episcopus, claruit circa annum DCCXLIV. Extat ejus Oratio Historica εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῶν ἁγίων δικαίων, *Ioachimi & Annæ, & in Nativitatem Beatissimæ Virginis Deiparæ*, quæ hoc modo incipit, Ὁ μέγας Ἀπόστολος Παῦλος, ὁ τῶν μεγάλων μυστηρίων ἐξηγητὴς, &c. Asservatur MS. in Biblioth. Vindob. *Theol.* CCXLVII. num. XVIII. fol. 137. & inter *Historicos Ecclesiastic.* Cod. CXIV. num. 1. fol. 1. Leo Allatius *de Script. Simeon.* pag. 102. alium Joannis nostri *Sermonem*, εἰς τὴν ἁγίαν τοῦ Χριστοῦ γέννησιν recenset, hoc initio ὁπόταν τὸ ἔαρ ἐπέλθῃ τὰ τῶν σωμάτων στοιχεῖα, quem à priori diversum esse nullus dubito. 744. P. II.

MARCUS, Episcopus Hydruntinus, claruit, ut volunt, anno 750. Scripsit Græcè *Hymnum* breviculum Acrostichum *in Magnum Sabbatum*, qui Latinè 750.

Digitized by Google

SÆC. VIII. ab A. DCC. tine versus extat in Appendice Bigneanâ, p. 725. & in Bibliothecâ Patrum.

750. PRIMINIUS, Abbas, quin &, ut videtur, Episcopus seu Chorepiscopus, cujusnam verò loci, mihi incompertum est. Claruit circa annum 750. Scripsit *Libellum de singulis libris Canonicis*, cui etiam multa adversùs pravos sui sæculi mores immiscuit. Extat iste Libellus à Mabillonio editus Analect. Tom. IV. p. 569.

750. P. II. AUCTOR Anonymus *Vitæ S. Hermenlandi*, Monachus, cujus verò loci haud satis certum, claruisse videtur circa annum DCCL. Vitam scripsit S. Hermenlandi Antrensis in Aremonicâ Abbatis primi, qui in insulâ Fluvii Ligeris, *Antro* dictâ, Monasterium condidit ann. DCXCVI. & è vitâ decessit circa ann. DCCXX. Extat, sed interpolata apud Surium *Mart.* XXIV. Integriorem & genuinæ lectioni restitutam ediderunt, Bollandus *Mart.* XXIV. & Mabillonius *Sæc. Benedict.* Part. I. pag. 383.

750. P. II. ANONYMUS *Vitæ S. Eucherii* auctor, claruit, Eucherio penè æqualis, circa annum DCCL. Scripsit Vitam S. Eucherii Aurelianensis Episcopi, quam habes, stylo nonnihil mutato, apud Surium *Februar.* XX. integriorem apud Bollandum eodem die, & Mabillonium *Sæc. Benedict.* III. Part. I. pag. 594.

752. STEPHANUS II. patriâ Romanus, Constantini filius, in Lateranensi palatio educatus, Ecclesiæ Romanæ Diaconus, ac tandem anno 752. die XIX. Martii Pontifex ordinatus. Ineunte Pontificatu obsessâ ab Aistulpho Longobardorum Rege Urbe, cùm precibus & literis de pace conciliandâ, & Exarchatu Ravennatensi S. Petri ditioni reddendo diu frustra egisset, & Constantinum Imp. missis legatis irrito successu suppetias orasset: ipse anno sequente iter in Gallias suscepit, ut à Pipino Rege subsidium impetraret. Misso igitur à Pipino in Longobardos exercitu, Aistulphus ad optatas à Stephano pacis conditiones adactus est: quas cùm cessante Gallicorum armorum metu ann 755. violaverit, & Urbem Romam obsidione iterum cinxerit, Stephanus auxilium à Pipino secunda vice petiit, excommunicationem ei, ni Ecclesiæ Romanæ succurreret, interminatus. Advolante itaque cum exercitu in Italiam Pipino, Aistulphum obsidione relictâ pacem inire, & Ravennatense territorium Romanæ Urbis ditioni restituere coegit. Obiit die XVI. Aprilis anno 757. Extant *Epistolæ* VI. aliaque *Præcepta* & *Responsa*, Conc. Tom. VI. p. 1630.

754. P. II. ANASTASIUS, Monachus Casinensis, sub Stephano III. Pontifice Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, & quod volunt nonnulli, sed inani conjectura ducti, Cardinalis, claruit anno DCCLIV. Scripsit Historiam de Translatione partis Reliquiarum S. Benedicti & Sororis ejus Scholasticæ, quæ in Bibliothecâ Casinensi servatur. Exemplar etiam MS. penès se habuisse testatur Arnoldus Wion. *Lign. Vit.* lib. II. c. 8. p. 177. Hujus quidem Anastasii nullus meminit Petrus Diaconus libro *de Viris illustribus Casinensibus*.

754. P. II. ISIDORUS, gente Hispanus, Pacensis in Lusitaniâ Episcopus, claruit anno DCCLIV. Condidit Chronicon Hispaniæ sub Arabum Imperio, ab anno Christi DCX. usque ad annum DCCLIV. Et Isidori Hispalensis Chronicon continuasse dici potest. Opus est stylo Barbaro, & verè Gothico scriptum; sed & plagis aliundè inflictis magis adhuc fœdatum. Primus eruit Prudentius Sandovalius, sed longè accuratiorem editionem ex codicibus MSS. promisit Card. d'Aguirre *Notit. Concil.* pag. 163. Perperam confundi hunc cum Isidoro Hispalens. à Pelagio Ovetensi, aliisque perspicuè nos docet Cl. Antonius *Biblioth. Hisp. Vet.* lib. VI. cap. 3. ubi etiam de septem *Isidoris* accuratè agit.

MARCELLINUS, natione Anglus, Patriâ Brigantius, Presbyter & Monachus Eboracensis, claruit circa ann. 755. etiam diu ante clarus; quippe unus ex duodecim Anglis erat, quos Egbertus, posteà Archiepiscopus Eboracensis in Frisiam ad Evangelii lucem inter Ethnicam plebem propalandam misit; in quo opere 70. annis insudasse dicitur, & Provinciæ Transisulanæ curam sibi commissam habuit. Obiit fermè centenarius circa ann. 770. Extant sub ejus nomine *Acta* seu *Vita S. Suitberti*, primi Werdensis Episcopi, qui obiit anno 717. apud Sur. Mart. I. sed prout hodie extant, aut Marcellino nostro supposita sunt, aut insigniter interpolata. Scripsit & *Vitam S. Willebrordi*, quem ex Angliâ in Frisiam adolescens adhuc comitatus fuerat. Verùm ea desideratur. 755.

PAULUS I. natione Romanus, Constantini filius, Stephani II frater Germanus, Ecclesiæ Romanæ Diaconus, anno 752. à Stephano fratre ad Aistulphum Regem legatus est, ad Pacem postulandam. Anno 757. die XXII. Maii fratri suo in Sede Romanâ successit. Crebris literis & legationibus Constantinum Imp. & Pipinum Regem fatigavit, hunc ut Ecclesiam Romanam contra Longobardorum injurias tueretur, illum ut imagines restitueret, obrestatus. Obiit anno 767. die XXI. Junii. Extant *Epistolæ* XII. Concil. Tom. VI pag 1672. Ex iis decem, uti rectè observat Papebrochius, omni temporis notâ carent, reliquæ duæ eo ipso quòd illam habeant, redduntur suspectæ; cùm una biennio, altera quadriennio, postquàm Paulus è vivis excesserat, data sit. 757.

AMBROSIUS AUTHPERTUS, gente Gallus, Cœnobii S. Vincentii in Samnio ad fontes Vulturni Monachus, ac demum Abbas, claruit an. DCCLX. tempore Pauli Pontificis, & Desiderii Longobardorum Regis, ut ex ipsius verbis in Calce *Commentar. ad Apocalyps.* & aliunde etiam rectè notat Cl. Labbeus. Non verò erat, cur adeò miraretur Labbeus, quid in mentem venerit Trithemio, Gesnero, Simlero, Possevino, Bellarmino, aliisque, ut eum inter Sæculi noni Scriptores referrent, cùm * Petrus Diaconus & † M. Antonius Scipio, ipsum sub Lothario Imperatore disertè ponant. Sed ut quid de hac re sentiam, liberè dicam. Alius planè à nostro erat *Authpertus* ille Monachus, deinde ab anno DCCCXXXIV. Abbas Casinensis, qui imperante Lothario claruit, obiitque an. DCCCXXXVII. de quo agunt Sigebertus cap. 91. Petrus Diaconus, Ant. Scipio, &c. Composuit hic Authpertus, teste Petro Diacono, *Sermonem in laudem S. Matthiæ Apostoli, de Purificatione S. Dei Genitricis*, aliorumque *Sanctorum homilias* valdè pulchras, quæ aut ampliùs non extant, aut in Bibliotheca Casinensi asservantur. Obiit noster anno DCCLXXVIII. Scripsit *Commentariorum in Apocalypsin Ioannis libros* X. qui typis impressi in lucem prodierunt *Colon.* 1536. exinde relati in Biblioth. Patr. T. XIII. p. 403. Sunt qui *librum de Conflictu vitiorum & virtutum*, inter Ambrosii & Augustini Opera repertum, & *Sermonem in Assumptionem B. Mariæ* (qui 18us. est inter Sermones Augustinianos de Sanctis) ac *Sermonem de Lectione S Evangelii*, (qui ad calcem Operum S. Ambrosii in editionibus *Paris.* 1642. 1655. reperitur, à Baluzio sub Alcuini nomine edita est Miscellan. 760.

* De vir. Illustr. cap. 13.
† Elog. Abb. Cas. p. 53.

Mm 4 Tom.

Digitized by Google

Tom. II. pag. 382.) quin & alias nonnullas *Homilias*, quæ MSS. hinc inde aſſervantur, ac *Vitam SS. Paldonis, Tutonis & Vaſonis*, unà cum *Hiſtoriâ Monaſterii ſui relatione*, à Mabillonio editam Sæc. Bened. III. part. I. p. 423. ei aſcribant. Verùm ea omnia adeò incerta ſunt, ut uberiorem diſquiſitionem nequaquam mereantur. Certè Authperto, vel Ansberto cuidam juniori tribuenda videntur.

760. FLORUS, Monachus S. Trudonis, Leodicenſis diœceſeos, congregationis Gallicanæ, claruit circa ann. DCCLX. Scripſit *Geſta & Paſſiones Sanctorum Martyrum*, ſeu, ut habet Uſuardus *, breve & conciſum antea, Bedæ Martyrologium ſupplevit, auxit, & locupletavit. Teſtatur idem & Ado Præfat. ad Martyrologium ſuum, *Martyrologium*, inquit, *quod Venerabilis Flori ſtudio in labore Domini Bedæ accreverat*. Vide quæ hac de re notant noviſſimi *Actorum SS.* editores Prolog. ad menſem Mart. Tom. II. Extat *Martyrologium iſtud* ſub Bedæ nomine, aliorum tamen pariter ac Flori additamentis locupletatum, inter Bedæ Opera, & alibi ſæpiùs. Reliqua quæ Floro Martyrologo aſcribuntur Opuſcula, Floro Lugdunenſi deberi cenſemus, ubi plura de iis ſubnotabimus.

* Præfat. in Martyrol.

760. P. II. ARIBO, CYRINUS etiam, nec non & HÆRES dictus, gente Germanus, Monachus Benedictinus, dein Cœnobii S. Dionyſii Schlechdorphienſis Abbas, tandem Eccleſiæ Freſingenſis Epiſcopus quartus factus anno DCCLX. Vitam cum morte commutavit anno DCCLXXXIII. In literas redegit Vitam S. Corbiniani, primi Freſingenſis Epiſcopi, quæ habetur apud Surium *Septembr.* VIII. & Mabillon. *Sæc. Benedict.* III. Part. I. pag 500. Erat etiam Aribo, cujus meminit Sigebertus Gemblacenſis *, Moguntiæ Archiepiſcopus, qui ſcripſit in XV. *Pſalmos graduum*, atque ex hâc vitâ diſceſſit anno MXXXI.

* Cap. 140. p. 152.

760. P. II. ANONYMUS *Vitæ S. Pardulfi* auctor, Monachus, ut videtur, Waractenſis. (Cœnobium erat ad fontem amnis Vartampæ ſitum) claruit circa annum DCCLX. vel paulò pòſt. Scripſit Vitam S. Parduifi Waractenſis in Lemovicibus Abbatis, quam habes apud Mabillonium *Sæc. Benedict* III. Part. I. p. 573.

765. P. II. ATHANASIUS, quem nonnulli *Iuniorem* vocant, claruit ex mente eorum circa an. DCCLXV. Multum præ aliis laborat Cl. Lambecius (*comment.* lib. I. pag. 124. ut talem nobis Athanaſium cudat; nullum tamen teſtem pro ſe adducit, nullum ſententiæ ſuæ fundamentum habet præter conjecturam, eamque ſatis inanem; nempe à Conſtantino Conſtantiæ in Cypro Epiſcopo, Synodi Nicænæ II. Act. IV. non ſimpliciter & expreſsè vocari Athanaſium, ſed figuratè, & ſubobſcurè τὸν τῆς Ἀθανασίας ἐπώνυμον, hoc eſt, eum *qui ab immortalitate appellationem ſortitus ſit*. De eo enim, *inquit*, ſic locutus eſt Epiſcopus ille Conſtantinus; nempe ne propter nominis ſimilitudinem auctor iſtius narrationis Athanaſius, cum Athanaſio Epiſcopo Alexandrino confunderetur. Sed nugas agit Vir longè eruditiſſimus. In ipſo ſermone qui in Synodo Nicænâ lectus eſt, ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν Ἀθανάσιος appellatur; immò ipſomet fatente Lambecio, in duobus codicibus MSS. Bibliothecæ Palatinæ, & in tribus Bibliothecæ Cæſareæ, *Athanaſius Archiepiſcopus Alexandrinus* diſertè dicitur. Nec forſan alio animo recentiorem Athanaſium nobis procudere voluerunt Baronius, Bellarminus, Lambecius, alii, quàm ut Patres Nicænos ab inſigni fraude in citandâ tam fabuloſâ narratione ſub Magni illius Athanaſii nomine, eò ſpecioſiùs vindicarent. Quicquid ſit, ſi modò talis unquam extiterit Athanaſius, ei tribuenda ſunt Scripta ſuppoſititia, quæ ſub Athanaſii nomine vulgò venire ſolent; qualia ſunt, *Hiſtoria de Paſſione Imaginis D. N. Ieſu Chriſti, crucifixæ in Beryto*, in Concilio Nicæno II. lecta & recitata; *Quæſtiones ad Antiochum* CXXXVI. *Synopſis S. Scripturæ, Diſputatio contra Arium, in Synodo Nicænâ*; & alia forſan, quæ emunctioris naris Critici Athanaſio abjudicant. Et ad eandem claſſem pertinet *Syntagma doctrinæ ad Clericos & Laicos* ab Arnoldo anno 1685. ex Bibliothecâ Voſſianâ Græcè & Latinè editum; certè Athanaſio cuidam Juniori tribuendum.

GODESCALCUS, natione, ut videtur, Gallo-Belga, Eccleſiæ Leodicenſis Diaconus, claruit circa annum DCCLXVII. Juſſu Agilfridi Epiſcopi ſui ſcripſit Vitam S. Landeberti, ſeu Lamberti, Trajectenſis ad Moſam Epiſcopi, & Martyris, anno DCCVIII. Ut & de ejuſdem Miraculis & Translatione librum alium: *num.* IV. Landeberti geſta maximè inſigniora à Theodoeno, ipſius diſcipulo, & ſocio admodùm familiari, ſe accepiſſe teſtatur. Hæc Opuſcula primus extulit Hen. Caniſius *Lect. Antiq.* Tom. II. pag. 172. Dein Chapeavillus *Rerum Leod.* Tom. I. Denique Jo. Mabillon. *Sæc. Benedict.* III. Part I. p. 66. Præter Godeſcalcum noſtrum, Landeberti Res geſtas literis conſignarunt Stephanus Epiſcopus Leodicenſis circa an. DCCCCIII. Anſelmus Leodicenſis Canonicus anno MXLVII. Ægidius Aureæ Vallis in Diœceſi Trevirenſi Monachus Ciſtercienſis an. MCCLI. Nicolaus Canonicus etiam Leodicenſis anno MCXXIV. Reinerus S. Laurentii propè Leodicum Monachus Benedictinus an. MCXXX. Horum Opuſcula edidit Chapeavillus loco citato, & de iis agit Cl. Mabillonius *Obſervationibus præviis* Vitæ S. Landeberti præmiſſis. 767. P. II.

STEPHANUS III. natione Siculus, Olivi filius, S. Cæciliæ Presbyter anno DCCLXVII. electus, anno DCCLXVIII. die VII. Auguſti Papa Romanus ordinatus, Anno DCCLXIX. accitis ex Galliâ atque omni Italiâ Epiſcopis, Concilium Romæ celebravit, quo Conſtantinum Antipapam, qui poſt Pauli mortem in Sedem Pontificalem vi involârat, atque anno integro tenuerat, damnavit, pugnis & alapis in pleno Patrum conceſſu cecidit. Clericos ab eo ordinatos gradu dejecit, & *decreta* Conſtantinopoli *de Imaginibus tollendis* facta irrita eſſe juſſit. Obiit anno DCCLXXII. die III Februarii. Extant *Epiſtolæ* III. & *Decreta* quædam Concil. Tom. VI. p. 1714. 768.

CAROLUS MAGNUS, Pipini Regis filius, Ingelhemi propè Moguntiam natus eſt anno DCCXLVII. Præceptores habuit Viros ævi illius clariſſimos, in Grammaticis Petrum Piſanum, in reliquis Diſciplinis Alcuinum Anglum, virum undecunque doctiſſimum. Hujus imprimis labore omni politioris literaturæ genere egregie eruditus evaſit, nec minùs pietate illuſtris. Miſſa faciemus, quæ vitam ejus ſæcularem, & res bello geſtas ſpectant; ea quæ Eccleſiam tangunt, ſtrictim notare contenti. Anno igitur DCCLXVIII. mortuo Pipino, diviſum cum Carolomanno fratre Francorum Imperium ſuſcepit: ac defuncto anno DCCLXXI. Carolomanno, Regnum deinceps ſolus tenuit. Anno DCCLXXIV. expugnatâ Papiâ, & capto Deſiderio Longobardorum Rege, Italiæ Rex etiam vocari cœpit: & in dominii teſſeram, Romam profectus, jus Romanos Pontifices eligendi ab Hadriano Papâ obtinuit. Anno DCCLXXV. Conventum Durienſem 768.

Eginhard. in Vit. Carol. M. Avent. Ann. Boior. lib. 4. Crantz. Metrop. Saxon. lib. I. Le Cointe Annal. Tom. V. VI. VII. VIII. ab an. 747.

Digitized by Google

lem habuit, ubi Saxones Galliam invadentes bello prosequi statuit, donec aut victi Christianæ religioni subjicerentur, aut funditùs tollerentur: quod fœliciter anno sequente effectum est, pace devicto populo eâ lege concessâ, ut Christianam fidem amplecterentur. Anno DCCLXXVII. Concilio Paderbornæ celebrato multa Saxonum millia baptizari curavit; & ad bellum contra Saracenos pro Christianâ religione in Hispaniâ gerendum se accinxit. Anno DCCLXXX. ad Albin usque penetrans, Episcopos & Abbates ad erudiendos Saxones cum Sclavis & Frisiis mittendos curavit. Anno DCCLXXXI. Romam iterum petens, territorium Sabinense Ecclesiæ Romanæ largitus est. Anno DCCLXXXV. ad promovendam Saxonum conversionem, provinciam eorum rursus adit, proceres baptizari curat, baptizatos muneribus afficit. Anno DCCLXXXVII. in urbe Româ Pascha celebrat, & Ecclesiam Apostolicam novâ donatione ditat. Anno DCCLXXXIX. ut Ordo Monasticus in Galliâ juxta Regulam S. Benedicti reformetur, strenuè laborat. An. DCCXCI. Romanorum Pontificum Epistolas in Galliam scriptas, vetustate ferè deletas, rescribi curavit. Anno DCCXCII. Synodalem Græcorum Libellum de Imaginibus adorandis sibi ex Oriente transmissum in Britanniam misit ab Alcuino refutandum. Anno DCCXCIV. collecto ex toto Occidente Episcoporum plusquàm trecentorum Concilio, cui ipse interfuit, præsentibus etiam Hadriani Pontificis legatis, Elipandi Toletani, & Fœlicis Orgelitani, qui Christum quòd ad humanitatem spectat, solo adoptionis jure Dei filium esse docuerant, hæresim, quin, & Conciliabuli Nicæni de adorandis imaginibus decreta, rejici & damnari curavit. Eodem anno Saxoniam repetens, plurimos authoritate suâ ac beneficiis ad fidem adducit. Anno DCCXCVI. missas à Leone Papâ D. Petri Claves, & Urbis Romæ Vexillum obsequii Symbola accepit; ac legato in Italiam Angilberto Abbate, populum Romanum in fidem suam Sacramento adegit. Eodem anno Hunnorum conversionem molitur, & Theodonem eorum Dynastam baptismum suscipere documentis & muneribus effecit. Anno DCCXCVII. Alcuino ad recognoscendam & explicandam S. Scripturam, & Paulo Diacono ad colligendum *Homiliarum* pro singulis festivitatibus, usus est. An. DCCC. Romam iter faciens, Synodum ibi convocavit, ac Leonem Papam, ob varia crimina ante biennium civitate ejectum, cognitâ causâ innocentem declarat, ac sedi suæ reddit. Exeunte anno Imperator à Romanis acclamatus est, in Basilicâ S. Petri ipso die Natali Domini à Leone Papâ unctus ac coronatus. Anno DCCCV. *Capitularia* sua *Ecclesiastica* edere incepit. Anno DCCCIX. Synodum Aquisgranensem habuit, in quâ ventilata est quæstio de Processione Spiritûs S. & contra Græcorum sententiam roborata, missis ex Synodo legatis ad Leonem Papam, qui cum illo eâ de re in rem communem consulerent. Anno DCCCXII. pace cum Michaele Imp. CP. initâ Βασιλεὺς à Græcis vocari cœpit: eodemque anno per literas encyclicas ab Archiepiscopis responsionem postulavit ad interrogationes de totâ Baptismi administrandi ratione, de cæremoniis, formulis, ritibus, ac symbolis inter baptizandum usurpatis. Anno DCCCXIII. Conventu Aquisgrani indicto Synodos Episcoporum Rhemis, Moguntiâ, Arelate, Turonibus, & Cabilone, eodem circiter tempore haberi, ac decreta Synodica ad eum referri, præcepit. Factum id: ac habito iterum mense Septembri Aquisgrani Concilio, singularum Synodorum Canones accuratè expendit, & ex iis *Capitulare* contexuit in XXVI. distinctum Capitula. Obiit anno DCCCXIV. v. Cal. Februarii, ætatis suæ 67. Aquisgrani sepultus. Princeps non tam titulo, quàm reverâ, magnus, meliori ævo, & longiori vitâ dignus; dubium pietate an majestate illustrior: in bonis literis non infœlicem progressum fecerat, Græcè Latinéque doctus; adeò facundus, inquit Eginhardus, ut etiam didascali munus subiisse appareret. Artes liberales studiosissimè coluit, eorumque doctores plurimùm veneratus, magnis afficiebat honoribus. In meliorum literarum studium quicquid poterat, sui temporis redemit; adeò ut inter cœnandum disputatiunculas vel lectiones haberet. Legebantur ei ut plurimùm Historiæ, & Regum antiquorum gesta: delectabatur S. Augustini libris, præcipuè iis quos *de Civitate Dei* inscripsit. Singulare verò est, quod de eo refert Eginhardus, tam doctum Principem scribere nescivisse. *Tentabat*, inquit, *& scribere; tabulasque & codicillos ad hoc in lectulo sub cervicalibus circumferre solebat; ut cùm vacuum tempus esset, manum effigiandis literis assuefaceret. Sed parùm prosperè successit labor præposterus, ac serò inchoatus.*

OPERA.

E*Pistolæ* plures, & *Capitula de re Ecclesiastica* hinc inde habentur Conc. Tom. VI. & VII. quæ sigillatim enumerare longum esset.

Libellus ad Alcuinum de sacrificio Missæ, & ratione rituum Ecclesiæ à Wolfgango Lazio unà cum aliis quibusdam ejusdem argumenti Opusculis evulgatus *Antverp.* 1560. 8*vo*.

Epistola Encyclica de baptismo, ejusque ritibus ad Odilbertum Archiepiscopum Mediolanensem, à Mabillonio evulgata Analect. Tom. I. p. 21.

Epistola de gratia septiformis Spiritûs, ab eodem edita Analect. Tom. IV. p. 312.

Præfatio in Homiliarium à Paulo Diacono jussu ejus collectum, ab eodem in lucem emissa Analect. Tom. I. pag. 25. De ipso *Homiliario* vide plura in Paulo.

Codex Epistolaris Carolinus, continens Romanorum Pontificum, aliorumque Epistolas XCIX. ad Carolum Martellum, Pipinum Regem, & Carolum M. scriptas, Caroli M. jussu & curâ anno 791. collectus, prodiit à Gretsero editus *Ingolstad.* 1613 4*to* ex Bibliothecâ Cæsareâ descriptus. Verùm nimiâ licentiâ in locis pro lubitu passim corrigendis & immutandis usum esse exscriptorem conqueritur Lambecius Comment. l. 2. p. 322.

Capitularia, maximam partem *Ecclesiastica*, ab Ansegiso Abbate anno 827. ex Caroli M. & Ludovici Pii Capitulis collecta, & in quatuor libros distributa; quibus postea tres alios libros addidit Benedictus Levita, ex Archivis Ecclesiarum, præsertim Moguntinæ, & antiquis Chartularum scriniis extractos. Priores quatuor libros seorsim edendos curavit Petrus Pithæus *Paris.* 1588. recusos *Moguntiæ* 1602. 4*to*. Integri septem libri prodierunt *Venet.* 1537. 8*vo*. cum Glossario, & Caroli Calvi aliorumque Capitulis ad calcem additis *Paris.* 1603. 8°. auctiores & emendatiores ibidem 1640. 8°. Denique summâ curâ à Baluzio recogniti, ac notis & dissertationibus illustrati inter ejus *Capitularia Paris.* 1677. II. Vol. in fol.

Capitulare prolixum, IV. libros continens, seu *Libri*, uti vulgò vocantur *Carolini*, *de non adorandis Imaginibus*, contra Constantini VII. Imp. CP. & Irenes matris decretum, & Synodum Nicænam II. Pseudo-Septimam Oecumenicam sive Universalem, anno 794. in Concilio Francofordiensi editi. Cujuscunque demum operâ in condendis hisce libris usus sit Carolus M. sive Angelramni, vel Ingelramni, sive Angilberti, sive, quod longè verisimilius videtur, (teste etiam, ni fallor, Rogero Hovedeno)

Digitized by Google

SÆC. VIII. ab An. DCC. no) Alcuini, parùm refert. Id modò constat paulò ante Synodum Francofurtensem compositos esse, & sedente jam Synodo Caroli M. nomine editos; qui in Præfatione disertè testatur, se *zelo Dei & veritatis studio, cum conhibentiâ Regni sui sacerdotum* hoc Opus aggressum esse. Et sanè rem ipsam extra omne dubium ponunt Hadrianus Papa in Responso ad hoc ipsum Opus paulò post dato, Hincmarus Rhemensis, Synodus Parisiensis sub Ludovico Pio, Althelmus Monachus, Ado Viennensis, Walafridus Strabo, Engolismensis Monachus, ut alios longo agmine testes huc non advocem. Ut tamen istorum librorum ictum declinarent, in qualcunque ferè formas se vertunt εἰκονοφιλίας πρόμαχοι: & quamvis cordatiores Pontificii, vi veritatis adacti, manus dent; non desunt, qui γυμνῇ τῇ κεφαλῇ non esse Opus genuinum pertinaciter contendunt, eousque insaniæ progressi, ut vel à Carolostadio, vel à quovis alio homine Lutherano seu Calviniano confictum esse asserere non erubescant, cùm illud ex vetustissimo Codice primus in lucem extraxerit Joannes Tilius, ipse homo Pontificius, & Meldensis in Galliâ Episcopus: cui per omnia respondebat antiquum Bibliothecæ Vaticanæ exemplar, elegantibus & priscis Longobardorum characteribus exaratum: ne dicam dictionem ipsam ac stylum librum suæ satis antiquitati vindicare. Adversùs hos libros telo hoc planè plumbeo pugnat Possevinus, Caroli M. non esse, eò quod contra illos ad Carolum scripserit Hadrianus Papa: ex quo perspicuè intelligitur, inquit, libros istos ab Hæretico aliquo conscriptos, & à Carolo ad Pontificem missos, ut iis responderet. Quod quidem quàm infirmum, immò quàm falsum sit, ex ipsius Hadriani responso abundè liquet. Carolo etiam abjudicat nuperus Annalium Eccl. Conditor Carolus Cointius, sed frigidè nimis causam agit vir cæterà doctissimus. Palmarium, quo usus est argumentum huc redit, Hodiernos libros cum iis quæ apud Hincmarum habentur Excerptis haud benè convenire, quod ex unius Capituli Collatione ostendere conatur: unde nihil aliud extundi potest, quàm duobus aut tribus verbis, vel potiùs verborum syllabis diversis eundem sensum contineri. Miseret me hominum, quibus adversùs lucem meridianam apertis oculis disputandum sit. Consultiùs me judice agerent, si silentio premerent, quod validioribus argumentis refutare nequeunt: Et quis adeò perfrictæ frontis jam sit, ut hos libros rejiciat, quos Natalis Alexander, & ipse Maimburgius genuinos esse diffiteri non ausi sunt? Verùm non Opus est, ut pluribus de hisce libris agam, quos adversùs omnia Pontificiorum tela accuratè defendit Joannes Dallæus *de Imag.* l. IV. c. 3. cui non pauca nuper addidit Fred. Spanhemius *Hist. Imag.* Sect. VII. Editi sunt primùm hi libri à Joanne Tilio Meldorum Episcopo, suppresso quidem suo, sub *Eliphyli Christiani* nomine, *Paris.* 1549. 8*vo.* appositâ nec anni nec loci impressionis notâ, deinde *Colon.* 1555. denique à Goldasto 1608. 8*vo.*

770. P. II. AUCTOR *invectivæ* adversùs Iconomachos claruit circa annum DCCLXX. Ætatem ipse satis prodit, dùm scribere se ait XLV. annis post Quæstionem de imaginibus primò motam, quæ circa annum à Christi passione septingentesimum movêri cœpit, adeòque ad extrema ferè Constantini Copronymi tempora vixit. certè post Synodum sub Constantino ann. DCCLV. contra imagines celebratam, ad quam confutandam se accinxit. Contexuit *Dialogum* στηλιτευτικὸν *Orthodoxorum, ad eos convincendos, qui fidei & doctrinæ sanctorum & orthodoxorum Patrum contraria asserunt.* Edidit hanc *Invectivam* Gr. Lat. Fr. Combefisius in Collectione *Scriptorum post Theophanem Paris.* 1685. pag. 303. SÆC. VIII. ab An. DCC.

HADRIANUS, Patriâ Romanus, nobili genere ortus, Theodori Consulis ac Ducis filius, à Paulo Papa Notarius Regionarius, à Stephano III. Diaconus factus. Post Stephani mortem Pontificalem sedem obtinuit anno 772. die IX. Febr. ordinatus. Ineunte Pontificatu cùm à Desiderio Longobardorum Rege qui Ravennatensem Exarchatum invaserat, & agrum Romanum ferro flammâque devastarat, pacem repetitis legationibus frustrà postulasset, legatos ad Carolum M. in Galliam misit suppetias oratum: quas missis iterum anno sequente legatis impetravit. Anno 774. Carolum Romam advenientem summo obsequio & honore excepit, & quàmplurimas Desiderio ereptas civitates sedi Romanæ ab eo donari obtinuit. Anno 781. Carolum iterum in Urbe Româ excepit, Pipinum filium baptismate lustravit; eumque simul ac Ludovicum fratrem in Regni consortium à Carolo Patre assumptos, in Reges unxit. Anno 785. Tarasio ex Laico in Patriarchatum CP. evecto, Hadrianus, ut datis pro more literis communicatoriis electionem comprobaret, rogatus, renuit, ni Tarasius adversùs Iconoclastas acriter insurgeret, & eorum hæresim Synodicè damnari curaret: datâ quinetiam ad Constantinum & Irenam Impp. Epistolâ prolixâ imaginum causam pro virili, putidissimis tamen argumentis, egit, corrasis undique fabulis & ineptiis, ac detortis turpissimè in rem suam S. Scripturæ & Patrum testimoniis. Anno 786. Collectionem Canonum LXXX. elaboratam dedit Ingilramno Mediomatricensi Episcopo, quibus causam suam adversùs accusatores defenderet. Anno 787. Tassiloni Bavariæ Duci, ni Carolo M. morem gereret, excommunicationis fulmen interminatus est. Anno 794. missis ad Episcopos Hispaniarum literis Elipandi Toletani errores damnavit: & dato ad Carolum Imp. libello Synodi Nicænæ II. & imaginum causam tuebatur. Obiit die XXV. Decembr. anno 795. Extant ab eo scriptæ *Epistolæ* XVIII. Conc. Tom. VI. p. 1762. *Epitome Canonum Carolo M. anno* 774. *Romæ oblata*, ibidem 1800. *Capitula ex Græcis & Latinis Canonibus & Pontificum decretis collecta in usum Ingilramni Mediomatricum Episcopi* ibidem pag. 1828. *Epistola seu Libellus Responsorius ad Carolum M. pro Synodo Nicæna* II. *libris Carolinis oppositus.* Concil. Tom. VII. pag. 915. Alias plures scripsit *Epistolas* injuriâ temporis deperditas, quarum argumenta supersunt in Conciliorum Tomis, Epistolis XVIII. præfixa. 772.

TURPINUS, vel TILPINUS, Gallus, S. Dionysii prope Parisios Monachus, Carolo M. à secretis, dein Archiepiscopus Remensis, claruit anno 773. Obiit anno 811. Extat sub ejus nomine *Historia de Vitâ Caroli M. & Rolandi* apud Reuberum *Script. Germanic.* pag. 67. Verùm hoc Opus Turpino adjudicant Eruditi, Hottomannus, Pap. Massonus, Douza, Vossius, alii; tùm quod ejus nusquàm meminerunt illius Sæculi Scriptores, tùm quòd nimis sit fabulis refertum, denique quòd meminit obitûs Caroli M. cùm ipsum Turpinum ante Carolum decessisse constat. Vide quæ hâc de re habet Cl. Vossius *de Hist. Lat.* lib. II. c. 32. p. 298. 773. P. II.

PAULUS, gente Longobardus, claruit circa annum 774. cujus natales ac res gestas succinctè non minùs quàm eleganter his verbis enarrat Vossius de Histor. Lat. l. II. c. 30. "Paulus Warnefridi 774.

SÆC. VIII. ab A. DCC. " nefridi & Theodelindæ filius, cognomento Winfrid, Longobardus: qui priùs Diaconus fuit Aquilegiensis, & Desiderii, ultimi Longobardorum Regis, Cancellarius. Victo Rege suo, inter nobiles captivos à Carolo, Francorum Rege, abductus fuit: ac propter prudentiam, & eruditionem egregiam, magno aliquandiu in honore fuit; sed suspectior postea, in Diomedeam insulam est relegatus: unde ad Arichin, Beneventanum Principem, generum Desiderii Regis profugit. Eoque defuncto, Monachus est factus Cœnobii Casinensis. Hactenus Vossius. Refert Leo Ostiensis Chron. Casinens. lib. I. c. 15. Paulum dum à Carolo captivus detineretur, nimii erga Desiderium amoris accusatum esse; constanter verò respondit, se Domino suo fidelissimum fuisse, & in eadem fidelitate ad mortem usque perseveraturum: effusus in iram Rex manus ei præcidi jussit, sed in se mox reversus, ait, *Si manus ejus abscindimus, ubi tam elegantem Scriptorem reperiemus?* Suadentibus igitur Proceribus ut ei oculi eruerentur, ne aliquas deinceps contra Regem literas scriberet; &, Ubi, vel quando, ait Rex, tam insignem Historiographum aut Poëtam invenire valebimus? missus est igitur in exilium, & post aliquot annos ad Cœnobium Casinense se recepit, ubi piè & religiosè vitam traduxit, ac diu superstes in senectute bona, non sine summa innocentiæ, humilitatis, omniumque virtutum laude, vitam cum morte commutavit. Proximum est ut libros ab eo scriptos recenseamus.

OPERA.

De *Historia Longobardorum libri* VI. Prodierunt typis excusi *Augustæ Vindel.* 1515. *Basil.* 1532. *Lugd. Bat.* 1595. 8vo. In his editionibus Opus in hæc verba desiit, *Francorum, Avarumque pacem custodiens.* Verùm Fred. Lindenbrogius in Editione *Hamburg.* 1611. fragmentum attexuit luculentum; quod & Freherus inter Historicos Francicos *Hanoviæ* 1613. exhibet. Extant denique ad MSS. Codicum fidem recogniti (desiderato tamen fragmento dicto) ad calcem Historiæ Gothorum à Grotio editæ *Amstelod.* 1655. 8vo. & in Biblioth. Patr. Tom. 13. p. 160.

Historiæ Miscellæ libri XXIV. ex quibus, inquit Vossius *, primi undecim libri iidem sunt ac decem Eutropii: nisi quod aliqua subinde de suo addat Paulus, quod ab eo jussu Adelbergæ Arichis uxoris, Desiderii filiæ factum fuit. Exinde Eutropium continuat Paulus, cujus sunt quinque libri sequentes. Reliqui octo à Landulpho Sagace additi sunt, imprimis ex Theophane, saltem Anastasio Bibliothecario, qui Theophanem Latinè vertit. Prodierunt *Basil.* 1569. & cum variantibus lectionibus Henrici Canisii Noviomagensis curâ *Ingolstad.* 1603. 8vo. cum emendationibus & notis Jani Gruteri *Hanoviæ* 1611.

* Loc. cit.

De Vitâ S. Gregorii Papæ libri IV. à Joanne Mabillon. in lucem editi Sæc. Benedict. I. p. 385.

Vita sive Passio S. Cypriani; cujus Operibus præfigi solet.

Vita SS. Benedicti, Mauri, ac Scholasticæ Virginis, typis excusæ *Romæ* 1590.

Versus de eadem S. Scholasticâ, ab Arnoldo Wion editi in Ligno Vitæ ad X. Februar.

Excerpta quædam de primis Metensium Episcopis, flagitante Angilramno Episcopo scripta, à Marq. Frehero inter Histor. Franc. & Andrea Duchesnio inter Histor. coætan. Tom. II. edita. Habentur & in Bibl. P. Tom. XIII. p. 329.

Vita S. Arnulphi Metensis Episcopi, inter Opera Bedæ & apud Surium ad diem 24. Augusti.

Hymnus in honorem S. Joannis Baptistæ qui incipit, *Ut queant laxis*, in Ecclesiâ Romanâ hodienum decantari solitus.

Epistolarum Fragmenta quædam ap. Baluz. Miscell. Tom. I. p. 362.

Homiliarum, seu *Homiliæ*, Lectiones & Postillæ, unicuique totius anni festo convenientes in duo Volumina distributæ, ex SS. Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Origenis, Leonis, Gregorii, Maximi & Bedæ, aliorumque Operibus desumptæ. Prodiit Homiliarium istud *Spiræ* 1482. fol. *Colon.* 1517. 1539. *Paris.* 1535. 1569. fol. Alia quædam Pauli nostri Opuscula adhuc inedita in Bibliotheca Casinensi hodieque num servantur, de quibus vide quæ habet J. B. Marius Not. ad Petrum Diac. c. 8.

OPERA DEPERDITA.

Expositio Regulæ S. Benedicti.

Versus de miraculis S. Benedicti.

Gesta Episcoporum Papiensium.

Cæterùm alius à nostro fuit Paulus Diaconus Ecclesiæ Neapolitanæ, qui *Vitam S. Mariæ Ægyptiæ* à Sophronio Hierosolymitano Episcopo Græcè scriptam, Latinè vertit. Versio extat cum Præfatione ad Carolum Imp. apud Surium ad diem IX. Aprilis. Eâ in præfatione testatur Paulus se quædam alia vertisse, quæ non extant.

PAULINUS, gente quibusdam Austriacus, artis Grammaticæ magister, ob insignem eruditionem à Carolo Imp. anno 776. variis prædiis & possessionibus donatus est, & exeunte eodem anno ad Patriarchatum Aquileiensem, seu Foro-juliensem evectus. Anno 793. libellum de S. Trinitate *Sacrosyllabum* dictum adversùs hæreticas Elipandi Toletani literas edidit. Anno 794. Elipandum & Fœlicem in Concilio Francofordiensi præsens oppugnavit; habitâque anno sequente Synodo Forojuliensi utrumque damnavit. Anno 797. adjutorem eum sibi dari ad oppugnanda Fœlicis Orgelitani scripta & hæresim Alcuinus à Carolo Imp. postulavit. Factum id: ac Paulinus ab Imperatore monitus; tres libros adversùs Fœlicem anno 798. conscripsit & evulgavit. Anno 803. Joannis Patriarchæ Gradensis à Joanne Venetorum Duce ex celsissimâ turre præcipitati truculentâ nece commotus, Concilium Altinense celebravit, ex quo literas ad Carolum Imp. dedit, tam horrendum scelus digno supplicio coerceri petens. Obiit anno 804. III. Id. Januarii. 776.

SCRIPTA.

Libellus de sanctissimâ Trinitate adversùs Elipandum Toletanum & Fœlicem Orgelitanum, *Sacrosyllabus dictus.* Habetur Conc. Tom. VII. p. 1022.

Libri III. *adversùs Fœlicem Orgelitanum*, unà cum Epistolâ ad Carolum M. & Regulâ fidei metro exaratâ Quos primus in lucem eruit, & cum libello Sacrosyllabo edidit Andreas Duchesnius ad calcem Operum Alcuini, *Paris.* 1617.

Epistola ad Heistulfum qui uxorem adulterii causâ propter unius testimonium occiderat, *increpatoria*, ex Concilio Francofurtensi data. Extat Concil. Tom. VII. p. 1064.

Epistola ad Carolum M. ex Synodo Altinensi data. Habetur ib. p. 1187.

De salutaribus Documentis liber, qui Augustino falsò inscriptus inter Opera illius haberi solet. Paulino nostro ex fide Codicum MSS. vindicatus, sub illius nomine habetur excusus in nuperrimâ

Operum

SÆC. VIII. ab An. DCC. Operum S. Augustini Editione Parisiensi.

Libri VII. *adversus Fœlicem*, qui sub Paulini nomine in Bibliothecis Patr. aliquoties prodierunt, Alcuino debentur.

Fragmenta quædam Paulini in lucem emisit Baluzius Miscellan. Tom. I. p. 362.

Hymni sacri, quos Paulinum composuisse prodit Walafridus Strabo. † interierunt.

† De reb. Eccles. cap. 25.

776. P. II. ANSO gente Belga, Laubiensis in Belgio Abbas, Theodulfo in Monasterii sui regimine successit anno DCCLXXVI. Obiit anno DCCC. Monachus adhuc in tabulas retulit Vitam S. Ursmari Episcopi & Abbatis Laubiensis, quam Theodulfo prædecessori suo nuncupavit. Extat apud Mabillon. *Sæc. Benedict.* III. Part. I. p. 246. qui in hoc auctore locos communes inconcinnè redactos se aliquoties resecâsse ingenuè fatetur. Vitam etiam S. Ermini seu Erminonis Episcopi & Abbatis Laubiensis Ursmari discipuli & successoris scripsit Anso noster, quæ ex MS. Cod. Crispeiensi habetur apud eundem Mabillonium *ibid.* pag. 564. De Rathero Episcopo Veronensi, Fulcuino Abbate Laubiensi, qui obiit anno DCCCCXC. ejusque successore Herigero, qui etiam S. Ursmari Res gestas literis tradiderunt, adisis eundem Mabillonium in *Observationibus præviis* p. 246.

780. Vit. B. Alcuini ex vet. cod. ejusdem vit. à Duchesn. per annos digesta oper. præfix. Le-Cointe Annal. ad an. 793. Tom. vi. FLACCUS ALCUINUS, sive ALBINUS, gente Anglus, ex agro Eboracensi, ut nonnulli volunt, ut alii non procul Londino, oriundus, primùm Bedæ, deinde Egberti Eboracensis discipulus, Ecclesiæ Eboracensis Diaconus, Cœnobii Cantuariensis Abbas. Claruit anno 780. Anno 793. à Carolo M. evocatus, ut sibi Fœlicis Orgelitani Hæresim, & Pseudo-Synodi Nicænæ Canones oppugnanti præstò adesset, ac subsidium ferret, in Galliam transfretavit; & in summam Caroli amicitiam receptus, Scholæ Palatinæ præfectus est. Anno sequente Carolum ad Synodum Francofordiensem comitatus est, & Canone 56. Synodo à Rege commendatus, in Patrum consortium & amicitiam adscitus est: ab eodem Monasteriorum Ferrariensis, S. Jodoci, & S. Lupi, præfecturâ paulò post donatus. Anno 796. ab Imperatore crebris precibus enixè petens, ut sæcularibus nuncium mittere sibi liceret, repulsam tulit; Cœnobiorum tamen San-Martiniani & Cormaricensis regimine auctus est. Anno 798. adversùs Fœlicem Orgelitanum, quem blandis literis sæpiùs antea irrito successu compellârat, calamum strinxit, ac septem libris errores ejus confutavit. Anno 799. à Carolo ad iter Romam secum suscipiendum invitatus, infirmitates & senium causatus se excusatum haberi petiit. Anno 801. Carolo ex Italia redeunti gratulatus, tandem toties repetitis precibus optatum exitum comparavit, & ab aulâ & secularibus negotiis missionem impetravit. Rudi donatus, in Cœnobium suum S. Martini Turonense secessit, ac reliquum vitæ tempus honesto otio, & instituendis in scholâ Turonicâ ab ipso fundatâ rei literariæ candidatis insumpsit, crebris Imperatoris Epistolis ad aulam frustra revocatus. Obiit Turonis anno non 790. ut malè Pitseus, sed 804. XIV. Cal. Jun. ipso Pentecostes die. Vir ubique pius, doctus, gravis, Theologorum suæ ætatis, ut rectè de eo Baleus †, immò omnium Anglorum ab initio post Bedam & Aldhelmum longè eruditissimus, Latinè, Græcè & Hebraicè peritus. Ei quicquid politioris literaturæ isto & sequentibus sæculis Gallia ostentat, totum acceptum referri debet. Ei Academiæ Parisiensis, Turonensis, Fuldensis, Suessionensis, aliæque plures, originem & incrementa debent; quibus ille, si non præsens præfuit, aut fundamenta posuit, saltem doctrinâ præluxit, exemplo prævivit, & beneficiis à Carolo impetratis adauxit.

† Cent. 2. cap. 17.

OPERA, QUÆ EXTANT.

Interrogationes & Responsiones, seu liber Quæstionum in Genesin.

Dicta super illud Geneseos; Faciamus hominem ad imaginem nostram.

Enchiridium, seu Expositio pia brevis in VII. Psalmos Pœnitentiales, in Psalmum CXVIII. *& in Psalmos graduales ad Arnonem* Archiepiscopum Salisburgiensem. Prodiit seorsim *Paris.* 1547. 8°. præfatione tamen mutilum, quam primus edidit Lucas Dacherius Spicileg. Tom. IX.

De Psalmorum usu liber, cum variis precandi formulis ad res quotidianas accommodatis, ad Fredegisum discipulum.

Officia per ferias, seu Psalmi secundùm dies Hebdomadis singulos dispositi, unà cum Orationibus, Hymnis, Confessionibus, & Litaniis.

Epistola de illo Cantici Canticorum loco, Sexaginta sunt Reginæ, &c.

Commentaria in Ecclesiasten. Prodierunt *Basil.* 1531. 8°.

Commentariorum in S. Joannis Evangelium libri VII. Extant Argentinæ 1527.

Epigrammata de recognitione & emendatione totius Divinæ Scripturæ ab Alcuino facta.

De Fide SS. Trinitatis libri III. ad Carolum M. *cum invocatione ad S. Trinitatem & Symbolo Fidei.*

De Trinitate ad Fridegisum Quæstiones XXVIII. seu *Confessio*, sive *Doctrina de Deo.*

De Differentia æterni & sempiterni, immortalis & perpetui, sæculi, ævi, & temporis, *Epistola.*

De Animæ ratione liber ad Eulaliam Virginem.

Contra Fœlicem Orgelitanum Episcopum libri VII. ann. 798. scripti. In Bibliothecis Patrum Paulino Aquileiensi malè tribuuntur.

Epistola ad Elipandum Toletanum Episcopum cohortatoria in Catholicâ fide.

Epistola Elipandi ad Alcuinum, injuriis & calumniis refertissima, anno 799. scripta, stylo admodùm barbaro.

Contra Elipandi Epistolam libelli II. quibus evacuat pravas illius assertiones, anno 800. scripti.

De *Incarnatione Christi*, & de duabus in eo naturis, ac de unitate unius personæ, contra eundem libri II. eodem anno scripti.

Epistola Elipandi ad Fœlicem nuper conversum. Hæresim iste abjuravit in Synodo Aquisgranensi exeunte anno 799. sede tamen suâ depositus, apud Lugdunum in perpetuum exilium relegatus est. Fecit id aliquantò serius, & ipse Elipandus ab Alcuini libris convictus, piè mortuus est anno 808.

Confessio Fidei *Fœlicis Orgelitanæ sedis Episcopi*, ad Clerum & Populum Orgelitanum missa, post ejuratam in Synodo Aquisgranensi hæresim.

Epistola ad Filiam in Christo carissimam.

De Divinis Officiis liber, sive *expositio Romani Ordinis.* Habetur sub Alcuini nomine inter alios Scriptores ejusdem argumenti sæpiùs editus, in editione verò Operum Alcuini Du-Chesnianâ XII. integris capitulis auctus. Alcuini autem non esse, & post annum 1000. scriptum esse certò certiùs constat.

De ratione Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ Epistola.

De Baptismi cæremoniis ad Odvinum Presbyterum *Epistola.*

De iisdem cæremoniis alia Epistola, quam Alcuino

Digitized by Google

SÆC. VIII. ab An. DCC. no rectè abjudicat Sirmondus; Amalarii enim Trevirensis est.

De Confessione peccatorum ad pueros S. Martini Epistola.

Sacramentorum liber. Prodiit *Colon.* 1571.

Homiliæ III. 1. *De Silentio, in quo missum est incarnatum Verbum* 2. *In Navitate B. Mariæ.* 3. *In Festo Omnium Sanctorum.* Spuriæ sunt, ex Pauli Diaconi Homiliario desumptæ. Tertia inter Augustinianos de Sanctis locum 37. obtinet.

Vita Antichristi ad Carolum Magnum.

De Virtutibus & Vitiis ad Widonem Comitem liber.

De septem Artibus liber imperfectus, cujus duo tantùm extant capitula, viz. de Grammatica & Rhetorica, cum transitione ad Dialecticam.

Grammatica. Prodiit seorsim *Hanov.* 1605.

De Rhetorica, & de Virtutibus Dialogus. Prodiit *Paris.* 1599. 4°.

Dialectica, interlocutoribus Carolo M. & Alcuino. Prodiit unà cum Grammatica, *Ingolstad.* 1604. 4°.

Disputatio Regalis & Nobilissimi juvenis Pippini [postea Regis Italiæ] cum Albino Scholastico.

Scriptum de vita S. Martini Turonensis.

De Transitu S. Martini Sermo.

Vita S. Vedasti Episcopi Atrebatensis, anno 795. scripta.

Vita beatissimi Richarii Presbyteri. Extat apud Surium die XXVI. Aprilis.

De Vita S. Willebrordi Trajectensis Episcopi libri II. alter solutâ, alter vinctâ oratione compositi, cùm Homilia in eundem, & Elegiaco carmine. Extant apud Mabillon. Sæc. Benedict. III. par. I. p. 601. & Surium VII. Novembr.

Epistolæ CXV. quarum LXVII. habentur apud Canisium.

Poemata & Versus de pluribus Sanctis.

Alii Versus ex variis locis collecti, qui cum prioribus conficiunt Poëmata CCLXXII. Prodierunt Opera Alcuini supra enumerata curâ Andreæ Quercetani sive Du-Chesne, *Paris.* 1617. fol.

Libri quatuor Carolini de Imaginibus, hos sub Caroli nomine scripsisse tradit Rogerus Hovedenus; de iis fusè egimus in Carolo M. quem autorem præferunt, ac proinde inter Alcuini Opera non reperiuntur.

Confessio Fidei, sive *Deflorationcula* ex Augustini, aliorumque Patrum scriptis collecta, & in quatuor partes divisa, sub Alcuini nomine à Chiffletio edita est *Divione* 1654. 4°. inter alia quædam aliorum Opuscula. Confessionem istam fœtum esse Alcuino suppositum probare conatus est Doctiss. Dallæus in Tractatu posthumo *Rhotomagi* anno 1675. edito. Eam haud minùs fusè Alcuino vindicare nititur Joannes Mabillonius Dissertatione prolixâ, quæ habetur Analect. Tom. I. pag. 178. &c. Ex utrius partibus stet veritas, judicent Eruditi. Notari tamen velim Mabillonium candidè satis fateri, se rem haud adeò confecisse, quàm probabilem reddidisse.

Commentarius brevis in Cantica Canticorum, editus à Patricio Junio cum Commentario Gilberti Foliot *Londini* 1638. 4°.

Breviarium fidei adversùs Arianos, quod inter Opuscula dogmatica Anonymum edidit Sirmondus *Paris.* 1630. MSS. Codices Alcuino adjudicare testatur Chiffletius *.

Homilia de Purificatione B. Mariæ Virginis, quæ Ambrosio perperam inscripta, ad calcem illius Operum haberi solet. Alcuino asseritur à Baluzio Miscellan. Tom. 2. p. 382.

Epistolæ II. *& Sermo ad Carolum M.* ab eodem edita Miscellan. Tom. I. p. 365.

Epistola, & Præfatio in libros VII. ad Fœlicem Orgelitanum [quæ in Codicibus impressis deerat] ab eodem editæ Miscellan. Tom. IV. pag. 413.

Epistolæ III. à Dacherio in lucem protractæ Spicileg. Tom. IX.

Epistolæ XXVI. à Mabillonio evulgatæ Analect. Tom. IV. p. 272.

Carmen de Cuculo, aliaque duo Poëmata, ab eodem publicata Analect. Tom. I. p. 369. Tom. II. pagin. 552. alia quædam à Baluzio Miscell. Tom. IV.

Poëmata II. alterum Heroicum breve, alterum Elegiacum prolixum, utrumque præcipuè de argumento librorum sacrorum utriusque Testamenti, edita sunt à Lambecio Comment. de Biblioth. Vindob. l. 2. cap. 5. p. 403.

Hymnus, & Epigrammata III. in S. Vedastum, ab eodem data, ibid. p. 413.

Homilia in die natali S. Vedasti, à Bollando primùm in lucem emissa inter Acta Sanctorum mense Februar. p. 800.

Denique *Homiliarum* Pauli Diaconi in plerisque codicibus Alcuino malè inscribitur, & sub illius nomine typis excusum aliquoties prodiit: sub ejusdem subinde nomine à nobis in hoc Opere non rarò citatum.

OPERA DEPERDITA.

Commentarius in Proverbia.

Commentarius in IV. *Epistolas S. Pauli*, viz. *ad Ephesios, ad Titum, ad Philemonem, & ad Hebræos.*

De Orthographia liber.

De Musica liber.

780. P. II. FLACCUS ALCUINUS, gente Anglus, civitate Eboracensis, Abbas Cantuariensis, claruit anno DCCLXXX. Opera ejus omnia, hactenùs edita, suprà recensentur. Scripsit prætereà Alcuinus Carmine Heroico librum *de Pontificibus & Sanctis Ecclesiæ Eboracensis.* Hoc Poëma versus 1658. continens, ex codicibus MSS. Remensi, & S. Theoderici propè Remos, à Joan. Mabillonio ad se transmissum, publici juris fecit Tho. Galeus *Rer. Anglic. Script.* Tom. III. p. 703. qui & Epistolas aliquot Alcuini nondùm publicatas penès se habere testatur.

780. P. II. DONATUS, gente, ni fallar, Germanus, & Ecclesiæ Mettensis Diaconus, claruit circa annum DCCLXXX. Scripsit rudi & simplici stylo ad Angelramnum Mettensem Archiepiscopum Caroli Magni Archi-Capellanum, anno DCCC. mortuum, quique id muneris ab eo petierat, Vitam S. Trudonis confessoris, qui Monasterium in vico Sarchinio ad Cisindriam fluvium à se conditum rexit, obiitque circa annum DCXCVIII. Edidit eam ex MS. Cod. Chesniano Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. p. 1069.

785. Vid. Jo. Marian. de reb. Hisp. l. 7. c. 8. p. 408. ETHERIUS, sive HETERIUS, Axumensis in Hispania Episcopus, & BEATUS in Asturia provincia Presbyter, dignitate quidem inferior, doctrinâ verò ac fidei zelo major; claruerunt ann. 783. quo circiter tempore pullulantem in Hispania Elipandi Toletani hæresim acriter oppugnare cœperunt: ab Elipando datis tunc ad Fidelem Abbatem literis, arrogantiæ, superbiæ, quin & hæreseos eo nomine accusati. Verùm ficta ejusmodi criminatio nequaquam obstitit, quo minùs Etherius & Beatus inceptum opus urgerent, qui cùm Elipan-

* Præfat. ad Opera Ferrandi.

Digitized by Google

SÆC. VIII. ab An.DCC. Elipandum nullis monitis ad sanam mentem revocari posse animadverterent, edito justo volumine in duos libros distincto, Elipandi errores confutarunt, & Catholicam fidem tutati sunt. Extant hi *Libri, de Adoptione Christi Filii* Dei inscripti, à Petro Stevartio ex Bibliotheca Toletana primùm editi in Auctario Canisiano *Ingolstad.* 1604. 4°. pagina 17. deinde in Bibliothecæ Patrum Tomum XIII. p. 353. relati.

785. Vit. Taras. per Ignat. Diac.ap.Sur. & Bolland. Febr. xxv. TARASIUS, patriâ Constantinopolitanus, illustri genere ortus, Georgii Præfecti Urbani, & Encratiæ filius, Photii Proavunculus. In aulam adscitus Imperatori à secretis fuit, donec anno 785. vel exeunte 784. perturbato ab Irene Augustâ fœminarum scelestissimâ Paulo Patriarcha viro sanctissimo, in Thronum CP. ex Laico suffectus est, qui pietatem & religionis zelum prætexens, dignitatem istam se adire nolle simulavit, nisi imagines restituerentur, & Synodus Oecumenica ejus rei gratiâ indiceretur. Indicta igitur est Synodus in annum 786. ac scena interim à Tarasio quâ vi, quâ blanditiis, apparata. Inchoatâ igitur anno 786. Cal. Jul. Constantinopoli Synodo, cum Iconoduliæ adversarios Episcopos superiores fore vereretur, tumultum cieri, atque eo prætextu Synodum in annum sequentem rejici, ac Nicæam urbem transferri curavit. Anno sequente rebus ex voto dispositis, VIII. Cal Octobr. Conciliabulo Nicæno initium dedit, cui ipse, præsentibus licèt Hadriani Papæ legatis, præfuit; atque omnia pro suâ ac Irenes Imp. libidine agitans Concilium CP. Generale VII. damnari, & Iconoduliam decretis Synodicis sanciri effecit. Anno 795. Constantino Imp. Mariam Aug. uxorem legitimam repudiare, & Theodoten pellicem ducere in animo habenti animosè aliquamdiu restitit, excommunicationem, ni incœpto scelere desisteret, interminatus. Mox tamen animo turpiter deficiens, nuptias scelestas à Josepho Abbate CP. consecrari, & Mariam tonsam Monasterio includi permisit. Obiit anno 806. die XXV. Februarii. Extant ab eo scripta, *Epistola Encyclica* ad Patriarchas Orientales statim post susceptum Episcopatum missa, Gr. Lat. Concil. Tom. VII. pagina 161. *Epistola* II. ad Hadrianum Papam, Gr. Lat. ibidem pagin. 624. *Epistola* ad Joannem Anachoretam Gr. Lat. ibid. pag. 637. *Apologeticus* ad populum habitus, quo die ad Patriarchatûs dignitatem electus est, Gr. Lat. ibidem pag. 33. *Sermo in B. Virginem*, ὅτι προσηνέχθη ἐν τῷ ναῷ τριετίζουσα, qui incipit, φαιδρὰ καὶ παράδοξος ἡ παροῦσα πανήγυρις. Habetur Græc. MS. in Bibliotheca Regia. Vid. Lab. *Nov. Biblioth.* MS. pag. 80.

785. P.II. ANONYMUS, gente Anglus, Ælberti Archiepiscopi Eboracensis discipulus, non infimi subsellii Poëta; claruit circa ann. DCCLXXXV. Scripsit *Historiam Anglicam* carmine Heroico, quo de urbis Eboraci primordiis, déque primis ejus Ecclesiæ Pontificibus ac Sanctis agit. Integrum Poëmatium extat MS. in codice Monasterii S. Theodorici propè Remos; Ex quo partem benè longam extulit Mabillonius *Sæc. Benedict.* III. part. II. p. 558.

787. EPIPHANIUS, Catanensis in Sicilia Diaconus; claruit anno 787. quo Thomæ Sardorum Archiepiscopi vicem tenens, Synodo Nicænæ II. interfuit. Extat *Sermo Laudatorius* satis prolixus in eadem Synodo habitus, Latinè tantùm Concil. Tom. VII. p. 617.

787. BASILIUS, Ancyræ Episcopus; claruit anno 787. quo in Synodo Nicænâ II. reus factus Iconomachiæ, eò quòd Concilii CP. Oecumenici anno 754. habiti decretis subscripsisset, *Libellum* supplicem seu *Confessionem* obtulit, quo facti veniam postulavit, & anathema Iconomachis dixit, ac cultum imaginibus deberi confessus est. Extat hæc confessio Gr. Lat. inter Acta Conciliabuli Nicæni, Concil. Tom. VII. p. 56. SÆC. VIII. ab An.DCC.

THEODOSIUS, Ammorii Episcopus; claruit anno 787. In Synodo Nicæna, eandem cum Basilio causam egit, Iconomachis favisse accusatus. Oblato igitur haud disparis argumenti libello, facti veniam & ipse imperavit, à Concilii Patribus in integrum restitutus. Extat *Libellus* iste Gr. Lat. Concil. Tom. VII. pagin. 60. 787.

ELIAS, Metropolita Cretensis; claruit anno 787. quo Synodo Nicænæ II. interfuit. Scripsit *Commentaria* in Gregorii Nazianzeni Orationes, quæ Latinè habentur ex Jac. Billii versione ad calcem Operum Nazianzeni *Paris.* 1583. 1609. 1630. Scripsit etiam *Responsa* ad Dionysii Monachi Interrogata VIII. circa difficiles quosdam Conscientiæ [ut vocant] Casus. Extant hæc Responsa Gr. Lat. in Jure Gr. Rom. l. V. pag. 335. Ingens ejusdem & prægrandis *Expositio* in Joannis Climaci Scalam Paradisi extat Græcè MS. in Bibliotheca Cæsarea, teste Lambecio, *Comment.* l. 4. p. 194. 787.

GEORGIUS, Monachus Constantinopolitanus, Tarasii Patriarchæ Syncellus. Scripsit anno 792. Eundem hunc cum Georgio Hamartolo perperàm facit Vossius, & cum illo alii, quem tamen diversum fuisse constat, ut in *Georgio Hamartolo* ostendetur. Scripsit *Chronicon* ab orbe condito usque ad Maximini tempora; quod integrum ferè ex Chronico Eusebii, quem nihilominus data quavis occasione insectatur, desumpsit. Hinc sua Eusebio reddidit Josephus Scaliger; totum enim quod de Chronico Eusebiano Græcè protulit, fermè ex Georgio nostro consarcinavit. Vide quę de Georgio habet Cl. Vossius de Hist. G. lib. 2. cap. 24. Ex eo [hoc solùm excepto quod *Hamartolum* à *Syncello* diversum facit] sua penè verbatim desumpsit Miræus, sua ex Miræo pro more Oudinus. Georgii *Chronicon* Gr. Lat. cum notis edidit Jacobus Goar. *Paris.* 1652. fol. 792.

THEOPHANES, *Isaacius* à Patre, & *Confessor* à malis quæ passus est dictus, Patriâ Constantinopolitanus; Isaacii Ægeopelagitarum Præfecti & Theodotæ filius, natus est anno 758. Patre è vivis sublato Tutorem nactus est Constantinum Copronymum Imp. Juvenis adhuc à Leone Patricio filiam ejus uxorem ducere, advocata in partes authoritate Imperatoria, compulsus est: verùm ille ipso nuptiarum die singulare pactum de continentia invicem observanda cum uxore iniit. A Leone Imp. in aulam evocatus, Stratoris munere ei fungebatur; & ad castrum Cyzicenum missus ædificia propè Sigrianam in minore Mysia publica curavit. Constantinopolim reversus, inter Spatharios cooptatus est. Anno 780. conjuge in Insulæ Principis Monasterium propè CP. amandata, ipse Polychronium Monasterium propè Sigrianam petiit, ac monasticam vitam deinceps coluit. Ex Polychronio in Calonymum insulam discessit, ubi paterno prædio in Monasterium commutato sexennium exegit. Inde regionem Sigrianam repetens, Prædium, quod *Ager* vocabatur, comparavit, ac constructo Monasterio ipse Abbatis vicem obiit. Anno 787. ad Conciliabulum Nicænum evocatus, Iconoduliæ causam strenuè agebat. Post annum 813. à Leone Armenio Imaginum cultum dam- 792. Vit. Theoph.ap.Sur.& Heinschen. Martii 12. Menolog. Græc. eod. die.

Digitized by Google

SÆC. VIII. ab An. DCC damnare jussus, ac constanter abnuens, Constantinopolim, æger licet, & clinicus ab anno 808. factus, vinculis etiam injectis adductus est; cùmque nullis argumentis, ut imaginum cultum desereret, vinci poterat ann. 815. vel ineunte sequente, in carcerem conjectus est, & post biennium ad Samothracem insulam relegatus: ubi post XXIII. dies exactos, ærumnis & miseriis fractus, diem supremum obiit, ab Iconoduliæ asseclis *Confessoris* titulum, & *Sancti* honores post mortem consecutus. Scripsit *Chronographiam*, res in Imperio CP. gestas tam Ecclesiasticas quàm civiles secundùm annorum seriem dispositas complexam, ab anno I. Diocletiani Imp. Christi 285. ad primum Leonis Armenii, Christi 813. In eâ notandum Theophanem Chronologiam Alexandrinam usurpare, quæ in supputandis Æræ Christianæ annis à recepto apud Latinos calculo octennio deficit. Ex eâ etiam Latinè versum in Historiam suam transtulit, quicquid ferè ab anno 285. ad ann. 813. habet Anastasius Bibliothecarius. Condidit hanc Chronographiam Theophanes conciso quidem, sed Stylo admodum rudi & plebeio: repetitiones penitùs inutiles, & rerum gestarum Methateses, narrationes contradictorias, putidosque in digerendis temporibus errores frequenter admittit Cl. Goar. Historicæ parti per annos digestæ præfixæ sunt *Tabulæ Chronologicæ*, per loculos divisæ, i. e. anni, Mundi, Christi, Imperatorum, quinque Patriarcharum, &c. Has mendosissimè conscriptas esse, sæpe annis non suis præfixas, plurimis hiare loculis, & portentosis annorum præsertim Patriarchalium supputationibus scatere, cuivis inspicienti liquidò patet. Unde non ab ipso Theophane, sed ab alia potiùs manu profectas esse suspicantur Heinschenius & Papebrochius in * *Exegesi* in Theophanis Chronographiam, quam Actorum ad Martium Tomo III. præmiserunt. Prodiit integra Theophanis *Chronographia* Gr. Lat. cum Jac. Goari & Fr. Combefisii notis *Paris.* 1655. fol. Extat ejusdem *Canon Epinicius in Dominicam primam Quadragesimæ, Odis* IX. *constans*, in Græcorum Triodio, & apud Baron. Gr. Lat. inter Annal. Ecclef. ad an. 842.

*Cap. I. Sect. 4.

794. THEODULPHUS, gente Italus, apud Gallos Cisalpinos natus, primùm Abbas Floriacensis, Carolo M. charus & familiaris; à quo circa an. 794. vel paulò ante, ad sedem Aurelianensem promotus est. Sub Ludovico Pio, Caroli filio, magnâ in gratiâ apud Aulam floruit, à Ludovico missus, ut Stephanum Papam anno 816. in Galliam advenientem honorificè exciperet. Circa ann. 818. unà cum Anselmo Mediolanensi & Wolfhaldo Cremonensi conjurationis cum Bernardo Italiæ Rege adversùs Ludovicum Bernardi patruum initæ accusatus, sede suâ depositus est, & ad Monasterium Andegavense amandatus. Tandem absolutus crimine, cujus se reum esse constanter pernegavit, obiit circa annum 821.

Vit. Sirmond. Not. Le Cointe ad an. 781. 786. 796. &c.

Scripta, quæ extant.

Capitula ad Presbyteros Parochiæ suæ XLVI. quæ habentur etiam apud Baronium ad an. 835. & Concil. Tom. VII. p. 1237.

De Ordine & ratione rituum Baptismi liber ad Magnum Senonensem.

De Spiritu S. liber, seu veterum Patrum Testimonia de Processione Spiritûs S. tam ex Filio quàm Patre in unum congesta, cum præfixo Carmine Nuncupatorio ad Carolum M.

Carminum ad diversos libri VI.

Hæc Theodulphi Opera eruit, & cum notis suis edidit, cujus studio atque industriæ tot mediæ ætatis Scriptores debemus, Jac. Sirmondus *Paris.* 1646. 8°. & in Bibliothec. PP. Tom. XIV. pag. 1.

Poëmata X. quæ notis suis illustrata edidit Joannes Mabillonius Analect. Tom. I. p. 376.

Biblia Sacra egregiis olim characteribus sibi describi fecerat Theodulphus, quibus ipse Carmina aliquot, & Præfationem præfixit. Extat hodieque Codex iste Præfationem & versus aureis characteribus expressos in fronte gerens. Versus edidit Sirmondus inter alia Carmina lib. 2. Præfationem in notis dedit p. 279.

Fragmenta duo Theodulphi edidit Lucas Dacherius Spicileg. Tom. V.

LEO III. Patriâ Romanus, Asuppii filius, Ecclesiæ Romanæ Presbyter, ac demum Pontifex anno 795. die XXVII. Decembr. ordinatus. Anno 796. Claves S. Petri, & Vexillum Romanæ Urbis, obsequii sui Symbola ad Carolum M. misit. Anno 799. ab invidis Hadriani Papæ nepotibus fœdissimis calumniis, mox & injuriis exagitari cœpit. In media enim civitate, ac totius populi conspectu, arreptus, pugnis & fustibus cæsus, ac in carcerem conjectus est. Mitto putidissimas fabulas, quas de oculis evulsis, & præcisâ linguâ ac de utrisque divinitùs restitutis, effutiunt Anastasius, & Anastasii sequaces nugivenduli. A plebe Romanâ carcere ereptus, ad Carolum in Gallias se contulit, tutelam sibi & patrocinium petiturus. Missi à Carolo Romam legati Leonem in Italiam reducunt, cognitâque causâ criminibus absolvunt, ac sedi suæ restituunt; seditiosos verò Clericos in ordinem redactos exilio mulctant. Judicium istud in annum 800. rejiciunt nonnulli, & à Carolo M. Romæ præsente factum esse volunt. Anno enim 800. Carolus Romam veniens, Synodo habitâ Leonis causam seu intactam adhuc dejudicavit, seu judicatam anteà à legatis confirmavit: & à Leone exeunte anno Populi Romani jussu Coronam Imperatoriam accepit. Anno 804. Leo ad Carolum Imp. in Germaniam iterum excurrit. Anno 809. litem Hispanis Episcopis movit, quòd Symbolo Nicæno vocem FILIOQUE addidissent, eam in Ecclesiis palàm cantari prohibens; utque perenne judicii sui monumentum posteris transmitteret, duas tabulas argenteas in Basilica S. Petri affigi curavit, in quarum alterâ Symbolum Latinè, in alterâ Græcè scriptum legeretur, absque vocis istius FILIOQUE additamento. Obiit die XI. Junii anno 816. Extant *Epistolæ* XIII. Concil. Tom. VII. p. 1111. 795.

ANONYMUS *Annalium Francorum* conditor, claruit circa annum DCCXCVI. Scripsit Annales Francorum ab an. DCCXXVI. usque ad annum DCCXCVI. Hoc ex pervetusto codice S. Martini Matisconensis, extulit Ph. Labbeus *Biblioth. Nov.* Tom. II. p. 733. Quibus breve Chronicon S. Martini Massiacensis in Biturigibus ad Cyclorum Paschalium margines inspersum, ab anno DCCXXXII. ad MXIII. præmisit. 796. P. II.

LEIDRADUS, seu *Leidrachus* Gente Noricus, & ut nonnulli volunt, Caroli M. Bibliothecarius, anno 798. Adoni in Archiepiscopatu Lugdunensi successit. Anno sequente à Carolo M. Urgellam in Hispania legatus est, ut Fœlicem Episcopum ab hæresi revocaret. Quod quidem ei fœliciter successit, Fœlice ad saniorem mentem reducto, qui anno proximo in Synodo Aquisgranensi errorem suum abjuravit. Anno igitur 800. Carolus eum in Hispaniam iterum amandavit, additis coope- 798. Theodulf. Carm. l. 1. p. 135.

Digitized by Google

SÆC. VIII. ab An. DCC. cooperariis quibusdam, ut sanam illic doctrinam Christianis Fœlicis errore abreptis prædicaret. Anno 811. Caroli Imp. Testamento testis adfuit & subscripsit. Anno 813. Episcopatu semel abdicavit, & Agobardo Chorepiscopo lampada tradens, in Monasterium Suessionense secessit, ubi anno sequenti V. Cal. Januar. diem supremum clausit. Scripsit *librum de Sacramento Baptismi* ad Carolum M. qui extat apud Mabillon. Analect. Tom. III. pag. 1. *Epistolam ad eundem de ritibus Baptismi, & abrenunciationibus in eo fieri solitis:* habetur ibid. pag. 28. denique *Epistolas* alias II. quæ ad calcem Operum Agobardi inveniuntur, in Bibliotheca Patr. Tom. XIV. p. 232.

799. Anastas. in Vit. Leonis III. Consul. Le-Coint. ad an. 799. 800. 802. 803. 805. 808. & seq. JESSE, seu Jessæus, seu Tesse, anno 799. Episcopus Ambianensis factus est: & eodem anno à Carolo M. Leoni Papæ in Italiam redeunti datus est comes, ut in Leonis causam inquireret, & in seditiosos Romanos animadverteret. Anno 802. à Carolo Imp. Constantinopolim missus est ad Pacem cum Irene Aug. ineundam. Anno sequente ex Oriente reversus Nicephori Imp. legatos, viæ comites, ad Carolum Moguntiam deduxit. Anno circiter. 808. à Carolo ad res procurandas in Italiam missus, Leonis Papæ inimicitias subiit. Anno 811. Caroli M. Testamento testis adfuit. Anno 812. ad Encyclicas Caroli M. de cæremoniis Baptismi literas Responsum edidit Anno 814. Concilio Noviomensi, 829, Parisiensi, interfuit. Anno 830. Lotharii castra contra Ludovicum Imp. secutus est: in Conventu Noviomagensi eo nomine mox jure depositus. Tertio post anno à Lothario per vim restitutus, anno 834. iterum fugatus est, & Lothario in Italiam fugienti se comitem dedit. Obiit anno 836. Extat *Epistola* satis prolixa ad Diœceseos suæ Presbyteros & plebem de *Expositione rituum Ecclesiæ, in Baptismate* præsertim usurpatorum, quam edidit Joannes Cordesius cum Hincmari Opusculis *Paris.* 1615. 4°. p. 664. exinde in Bibliothecâ Patr. Tom. XIV. p. 67. SÆC. VIII. ab An. DCC.

DACRYANUS, Abbas Ordinis Benedictini, à Margarino Bignæo in Indice Chronologico, quem editioni suæ Bibliothecæ Patrum præmisit, octavo huic Sæculo ascribitur. Extant sub illius nomine Speculum Monachorum, & Spiritalis vitæ Documata, Biblioth. Patr. edit. *Colon.* Tom. VIII. Verùm nullum talem scriptorem dari, neque unquam in rerum naturâ fuisse Abbatem Dacrianum contendit Theoph. Raynaudus *, neque alium horum Opusculorum auctorem esse, quàm Ludovicum Blosium Abbatem Lætiensem, qui notante Possevino † obiit anno 1566. quique se Dacryanum, i. e. gementem & flentem nominavit: ut collapsos eorum, quos informatos ritè volebat, mores, minore cum invidiâ restitueret. Et hinc fortasse factum est, ut in novissimâ Bibliothecæ Patrum editione hic Scriptor non compareat: quem hanc solùm ob causam hîc loci retinemus, ne cùm apud Bignæum aliosque invenerint, in Opere nostro frustra quærant, Studiosi.

* De bon. & mal. lib. par. 1. Erot. 10. p. 137.
† Tom. 2. p. 30.

S Æ C. VIII.

Concilia hoc Sæculo habita.

701. *P. II.* BRITANNICUM sub Alfrido Northumbrorum Rege an. DCCI. in causâ Wilfridi Archiepiscopi Eboracensis, habitum. Multæ circa hanc rem lites; adeò ut intra quatuor menses LXX. Conciliabula coacta fuisse dicuntur. Tandem ad Joannem Papam provocare coactus est Wilfridus, qui pro causâ ejus sententiam tulit. Exhibet Acta hujus Synodi Malmesburiensis *de Gest. Pontif.* lib. III. pag. 151. & exinde Conc. Tom. VI. p. 1362.

704. *P. II.* TOLETANUM, vulgò XVIII. sub Witizâ Rege, anno DCCI. rectiùs DCCIV. habitum. Meminit Rod. Toletanus l. III. c. 14. verùm Acta non extant. Vide Baron. ann. DCCI. nu. xv. & d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. II. p. 763. Notabit lector antiquitatis sacræ studiosus per integrum hoc Sæculum, hâc unicâ Synodo exceptâ, nulla Concilia in Hispaniâ celebrata fuisse. Ut igitur defectum aliquo modo resarciret eruditissimus Card. d'Aguirre, initio Tom. III. quamplurima venerandæ Vetustatis Hispanicæ monumenta, vel hactenus inedita, vel quæ non ubique occurrunt in lucem emisit. In his primas tenent *Index S. Canonum & Conciliorum, quibus Ecclesia, præsertim Hispanica, regebatur ab ineunte sexto sæculo usque ad initium octavi*, & libros VI. complectitur, p. 1. *Catalogus Romanorum Pontificum* à tempore irruptionis Saracenorum in Hispaniam an. DCCXV. usque ad præsentem diem p. 51. *Catalogus Regum Hispaniæ, sub quibus Concil a habita sunt* ab eodem tempore p. 65. *Præsulum Toletan[illegible]*, p. 67. Opuscula aliqua quorundam Patrum à G. Loaisa primò edita; aliaque plura, quæ ipsius voluminis inspectio lectori erudito sistet.

ROMANUM I. sub Joanne VII. & CXXV. Episcopis an. DCCV. habitum. In quo, petente Justiniano Imp. ut sextæ Synodi Canones examinarentur, Imperatoris hâc in re desiderio Pontifex annuere noluit. In hâc item Synodo Wilfridus Eboracensis denuò accusatus absolutus est. Vide Bed. lib. V. cap. 20. p. 443. 705. *P. II.*

MERCIANUM circa annum DCCV. habitum. In quo præceptum est Aldhelmo Abbati Malmesburiensi, ut adversùs Britannorum in Paschate celebrando errorem scriberet. Vide Bed. lib. V. c. 19. p. 436. 705. *P. II.*

NIDDENSE apud Northanumbros anno DCCV. habitum. In quo, monente per literas Joanne Papâ, Wilfridus in sede suâ Eboracensi confirmatur. Vide Malmsf. *de Gest. Pontif.* lib. III. fol. 152. Circa annum DCCVIII. vel ex mente Spelmanni anno superiori, habita est etiam sub Inâ Rege Synodus, in quâ Episcopatus Occidentalium Saxonum in duas Parochias divisus est. Vide Bed. lib. V. cap. 19. p. 436. & H. Huntingd. lib. IV. fol. 193. p. 2. 705. *P. II.*

ALNENSE sub Berthwaldo Cantuariensi, & Wilfrido Eboracensi, omnibusque Angliæ Episcopis anno DCCIX. celebratum. In quo, inter alia, Donationes Monasterio Eveshamiensi collatæ confirmantur. Vide Godwin *de Præsul. Angl.* in Episc. *Wigorn.* p. 501. & Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 213. Hoc circiter tempore [vel ut alii DCCXII.] Synodum quandam Anglicanam habitam esse volunt nonnulli, in quâ, ex prætensâ Egwini Wigorniensis visione Imagines in Templis ponendas & 709. *P. II.*

Digitized by Google

& adorandas esse sancitum est. Verùm incerta omnia, quin & suspecta, & planè supposititia. Vide quæ habet Spelman. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 208. Præcipuè *ibid.* p. 216. Sub Inâ etiam, incerto & tempore & loco habitum est Concilium omnium Episcoporum, Principum, Procerum, &c. In quo, occasione nuptiarum Inæ cum Gualâ, Cadwaladri Britonum Regis filiâ, de mutuis connubiis habendis inter Anglo-Saxones, Britones, & Scotos; tùm ad delendam fornicationem, & immunditiem, tùm ad concordiam publicam promovendam, conventum est. Vide Acta apud Spelm. *ibid.* pag. 219. Hoc loco cùm Inæ Regis mentio fit, notare fas sit, ipsum plurimas suasu & Instituto Episcoporum, Senatorumque suorum, *in magnâ servorum Dei frequentiâ* Leges tulisse, quarum plures Ecclesiastici commatis sunt; nempe de formulâ vivendi Ministrorum Dei, de Infantibus baptizandis, de opere in Die Dominico, de Immunitate Templi, &c. Extant Saxonicè & Latinè apud Lambard. *Archaionom.* p. 1. Edit. Cantab.

712. P.II. CONSTANTINOPOLITANUM I. anno DCCXII. celebratum. Philippico Bardane Imperio per vim & cædem potito, & Joanne, homine Monothelitâ, in Cyri Patriarchæ exauctorati locum subrogato, coacta est Synodus, quæ Synodum V. Oecumenicam contra Monothelitas habitam penitùs damnavit. Extant, Græc. Lat. Agathonis Diaconi *Libellus epilogus*, quo refert quæ adversùs Synodum sextam ausus est Bardanes; & Joannis CP. ad Constantinum Papam *Epistola apologetica* Conc. Tom. VI. p. 1401. Confer etiam quæ hâc de re habent Zonaras, Cedrenus, Theophanes, alii.

721. P.II. ROMANUM II. sub Gregorio II. à *XXXII.* Episcopis annò DCCXXI. Nonis *Aprilis* adversùs illicita conjugia habitum. Extant Acta & *Capitula* hâc de re XVII. Conc. Tom. VI. p. 1454.

724. P.II. ROMANUM III. anno DCCXXIV. in causâ Corbiniani Frisingensis Episcopi habitum. Vide Aribon. in Act. Corbin. apud Sur. *Septembr.* VIII.

726. P.II. ROMANUM IV. anno DCCXXVI. habitum. Quo Iconoclastarum [quam vocant] hæresis damnatur, & cultus Imaginum confirmatur. Vide Hadriani Papæ hâc de re *Epist.* ad Carol. M. Conc. Tom. VII. p. 915.

731. 732. P.II. ROMANUM V. & VI. ann. DCCXXXI. DCCXXXII. habita. In utroque de cultu Imaginum actum est. Vide quæ de utriusque Synodi gestis habet Anastasius in Vit. Gregorii III. Conc. Tom. VI. pagin. 1463. Occasio utriusque Synodi erat Gregorius Presbyter, quem Pontifex cum literis ad Leonem Isaurum miserat, ut à violandis imaginibus abstineret. Verùm Grogorius metu territus literas Imperatori tradere reformidavit, quem idcircò redeuntem Papa gradu dejicere voluit, sed intercedente pro eo Synodo, absolutus est; & secundâ vice missus, à Leone in Siciliâ detentus est, & in exilium actus. Inde habita altera Synodus; in quâ unicuique qui adversùs sacrarum imaginum venerationem aliquid attentaverit, anathema dictum est. Præterea quæ de duplici hâc Synodo tradit libri Pontificalis compilator, extant etiam hodie in Cryptis Basilicæ Vaticanæ bina fragmenta marmorea, quibus utriusque Synodi Acta, sed literis jam penè exesis inscripta sunt. Prius præter aliquot Presbyterorum & Diaconorum nomina nihil nisi initium allocutionis Gregorii Papæ ad Synodum continet. Posterius quæ in secundâ Synodo gesta sunt, miserè mutilata. Utramque inscriptionem, qualis qualis est, exhibet Cl. Ciampinus lib. *de S. Ædificiis Constantini M.* cap. 4. Sect. XV. p. 101. 102.

CLOVESHOVIENSE I. apud Anglo-Cantianos anno DCCXLII. præsidente Æthelbaldo Merciorum Rege, celebratum. In quo Withredi Regis privilegium de libertate Ecclesiarum Cantii producitur, & sub anathemate confirmatur. Extant Synodi Acta apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 250. & Conc. Tom. VI. pag. 1532. 742. P.II.

GERMANICUM I. Ratisponæ, an Augustæ Vindelicorum, Wormatiæ, vel ubicunque alibi, loco sanè incerto, anno DCCXLII. XI. Cal. *Maii* [in XI. Cal. *April.* anni sequentis rejicit Cointius] præsidente Bonifacio Archiepiscopo; celebratum. In quo, ad restituendam collapsam Religionis Christianæ disciplinam conditi sunt. *Canones* XIX. de Episcopis per civitates ordinandis, de Synodis per singulos annos celebrandis, Canonibus restaurandis, fraudatis pecuniis Ecclesiæ restituendis, de Presbyteris adulteris, Clericisque in fornicationem lapsis, aliisque disciplinæ capitibus saluberrimis. Extant apud Othlonum Presbyterum in *Vit. S. Bonifac.* lib. I. cap. 42. apud Serar. *Rer. Mogunt.* l. III. p. 364. & notis eruditis illustrati apud Car. le Cointe ad ann. DCCXLIII. *num.* XXXIV, XXXV, &c. Tom. V. p. 92. qui tamen tria postrema Capitula ab Othlono memorata prætermittit. 742. P.II.

LIPTINENSE propè Cameracum, sub Carlomanno Majore Domûs, à Bonifacio aliisque Episcopis anno DCCXLIII. vel DCCXLIV. Cal. *Martiis* congregatum. In quo Hæretici duo, Adalbertus Gallus, & Clemens Scotus, damnati sunt. Habentur de Disciplinâ Ecclesiasticâ *Canones* IV. cum notis Labbei, Sirmondi & Binii Conc. Tom. IV. pag. 1537. Ad calcem habentur, *Abrenunciatio Diaboli* operumque ejus, & Superstitionum; *Indiculus Superstitionum Paganicarum*; *Allocutiones Sacerdotum variæ*: Excerpta Synodica ex Bonifacii Epistolâ: denique Zachariæ Papæ ad Francos & Gallos *Epistola.* Quæ omnia notulis etiam suis elucidavit Cointius ad ann. DCCXLIV. Tom. V. p. 105. 743. vel 744. P.II.

ROMANUM VII. annò DCCXLIII. à Zachariâ Papâ, & plurimis Episcopis & Presbyteris celebratum. Extant Acta & Disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* XV. Conc. Tom. VI. p. 1546. 743. P.II.

SUESSIONENSE ad Axonam fluvium in Picardiâ anno DCCXLIV. V. Nonas *Martias* à XXIII. Episcopis habitum. Extant de Disciplinâ Ecclesiasticâ *Canones* X. quorum primo sancitur Fidem Nicænam, & antiquos Canones per universam Regionem esse promulgandos. Habentur unà cum Sirmondi notis Conc. Tom. VI. p. 1552. Plura ad hos Canones elucidandos notavit Car. Cointius ad annum DCCXLV. quo Synodum habitam esse vult, Tom. V. p. 118. 744. P.II.

GERMANICUM II. sub Bonifacio Pontificis Legato, ann. DCCXLV. congregatum. In quo damnatis Aldeberto & Clemente Hæreticis, & Gervilione Episcopo Moguntino ob homicidium deposito, Bonifacius [qui à Gregorio III. Papâ, Metropoliticâ dignitate pridem exornatus Archiepiscopatum Regionarium per totam Germaniam, nullâ certâ Sede assignatâ, hactenùs exercuerat,] 745. P.II.

SÆC. VIII. ab An.DCC. primus Archiepiscopus Moguntinus factus est. Extant Acta Synodalia Conc. Tom. VI. p. 1555.

745. P. II. ROMANUM VIII. anno DCCXLV. mense *Octobri* à Zacharia Papa, multisque Episcopis & Presbyteris, in Patriarchio Lateranensi celebratum. In quo Bonifacii sententia Synodalis de Aldeberto & Clemente hæreticis, prolixè confirmatur. Extant hujus Synodi Gesta, tribus Actionibus absoluta Conc. Tom. VI. pag. 1556. Calci subjicitur Gemmuli Diaconi Romani ad Bonifacium, de actis in hâc Synodo *Epistola*. Vide hæc etiam apud Car. le Cointe Tom. V. p. 156. qui in annum sequentem hanc Synodum conjicit.

747. P. II. CLOVESHOVIENSE II. à Cuthberto Cantuariensi, aliisque Episcopis, præsente Æthelbaldo Merciorum Rege, anno DCCXLVII. coactum. In quo de unitate Ecclesiæ, de statu Christianæ Religionis, de pace & concordiâ promovendis decernitur, præmissâ Bonifacii Romanæ Sedis Legati ad Æthelbaldum Regem Epistolâ, quâ ipsum ob repudium & adulterium acritèr coarguit, aliâque ad Guthbertum de corrigendis Anglorum vitiis, & Synodo convocandâ. Habentur Disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* XXX. Conc. Tom. VI. p. 1565. Adduntur ad Calcem Egberti Eboracensis *Constitutiones Ecclesiasticæ* CCXLV. ex Patribus & Conciliis collectæ, *Canones pœnitentiales* XXXV. *Dialogus de Institutione Ecclesiasticâ*; & Bedæ *Canones de remediis peccatorum*. Vide quæ habentur apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 232. præcipuè p. 245. Malmsf. *de Gest. Pontif.* lib. I. fol. 112. Ubi etiam Capitulorum Tituli exhibentur.

752. P. II. VERMERIENSE in Diœcesi Suessionensi in Palatio Regio præsente Pipino Rege anno circiter DCCLII. habitum. In quo de Incestu, Fornicatione, Adulterio præcipuè actum est. Extant hanc in rem *Canones* XXI. cum notis Sirmondi Conc. Tom. VI. p. 1656. & Caroli Cointii ad ann. 753. Tom. V. pag. 339.

753. P. II. METENSE I. sub Pipino Rege, circa annum DCCLIII. (neque enim certò constat) habitum. Extant quæ ad Disciplinam spectant Ecclesiasticam Capitula VIII. Conc. Tom. VI. p. 1659.

754. P. II. CONSTANTINOPOLITANUM V. Oecumenicum [pro nostrâ numerandi ratione] VIII. Constantini Copronymi, & Leonis Augusti literis anno DCCLIV. congregatum; inchoatum IV. Idus *Februarii*, VI. Idus *Augusti* absolutum. Locus conventûs erat Hieræon, Imperatoris in litore Asiatico Palatium, è regione Byzantii ad subsolanum situm, ἐν τῷ τῆς Συείας παλατίῳ, inquit Cedrenus pag. 463. in quo Ædes erat Deiparæ sacra. Concilio ad finem vergente, Sessio ultima in Basilica B. Mariæ in Blachernis in urbe Regiâ habita est. Quo tempore Constantinus recens creatus Patriarcha, Synodo oblatus, ab omnibus recipitur. Convenisse ex omnibus Imperii Orientalis Provinciis Antistites CCCXXXVIII. disertè testantur Theophanes *, Cedrenus †, alii; & quod majus est, ipsius Synodi Nicænæ Patres in * Actis quæ hodiè supersunt; non negantibus id Nicænis, nec quod reponerent habentibus, quàm πολύανδρον ἔχοντες τὸ ὁμήγυριν, *cum populosum haberent Concilium, jactant de multitudine gloriantes.* Hinc magnæ & universalis Synodi nomen jure sibi vendicarunt. Certè πολλῶν ἐπισκόπων συναγωγὴν vocat Zonaras †, Synodo aliàs satis infensus; ut mirari liceat, quâ fronte vir cætera clarissimus Car. du Fresne * mendum in Cedreno quoad numerum cubare, & τλη pro λη perperam irrepsisse contendat, nullâ ratione redditâ, nullâ codicis MS. aliusve testis fide allegatâ. Nescius non sum posterioris partis Historiæ miscellæ consarcinatorum †, Landulphum nempe Sagacem, qui Theophanem, seu potiùs versionem Anastasianam negligentèr exscripsit, habere Episcopos *triginta octo*. Verùm insulsum, & nullius judicii scriptorem, vir emunctæ naris pro se testem adducere noluit; quin & ad Theophanis versionem CCCXXXVIII. substituendum esse, in margine monet ipse Baronius. * Præsedêre Synodo duo celebres ex Oriente Metropolitæ, Theodosius Præsul Ephesinus Orientis Exarchus, & Sisinnius, cognomento *Pastillas*, Pergensis Metropolita, Sede Constantinopolitanâ tunc temporis vacante, cæterisque Patriarchis sub Saracenorum jugo miserè gementibus. Ut non erat cur objicerent Nicæni † Synodum hanc magnam & universalem dici non posse, in quâ neque Romanus esset Pontifex, neque Orientis Patriarchæ, cùm nescire non poterant quo in statu essent hoc tempore Sedes Orientales, quantâ sævitiâ, quali tyrannide à Saracenis vexatæ & oppressæ; neque ex eorum absentiâ Synodi universalis auctoritati quicquam decedere, cùm in sextâ Synodo, ab omnibus, etiam his Nicænis, pro Oecumenicâ habitâ, nulli essent ex Oriente Patriarchæ eorumve Episcopi, διὰ τὴν τῶν μιαρῶν ἐπικράτειαν, propter impiorum Arabum potentiam, nec tamen exinde ullum Sanctæ Synodo adhæsisse præjudicium; ut rectè notant, & validum exinde argumentum adstruunt Monachi Palæstini in literis Patriarchicis, in ipsâ Synodo Nicæna * lectis & approbatis. Romanum Pontificem nullos in hâc Synodo Legatos habuisse quid mirum? Obedientiam suam Imperatori Orientali subtrahere jam cœperat, de Exarchatu Ravennatensi sedi suæ adserendo hoc tempore unicè sollicitus; de Gregorio II. Papâ disertè testatur Theophanes ad ann. DCCXVII. pag. 338. iterumque ann. DCCXXI. pag. 342. Epistolâ decretali Italiæ ac Romæ tributa ad Leonem Imp. hâc de causâ deferenda prohibuisse, Romanique cum universâ Italiâ ad defectionem ab ejus Imperio concitâsse. Neque causæ adversùs Imagines agitandæ, quas tanto studio promovebant Romani Pontifices, vel per se, vel per Legatos, interesse voluit. Quid quòd perpaucos ante annos; cùm Concilium hâc de re universale in animo haberet Leo Isaurus Constantini Pater, rem tanquàm inutilem rejecit Gregorius II. teste ipsomet in suâ ad Leonem Epistolâ *.

Congregatâ Synodo, causa Imaginum sedulò excussa & ventilata est, & longo instituto examine, tandem S. Scripturæ, Sanctorumque Patrum auctoritate damnata & rejecta. Extant Græcè & Latinè, Synodi Nic. II. Actis inserta, Act. VI. hujus Concilii Acta, seu Fragmenta, certè in membra discerpta, & pro arbitrio miserè detruncata, qualia nempè conjurati hujus Synodi hostes, ad posterorum notitiam transmittere voluerunt. Prout jam extant, in sex Tomos distributa sunt.

Tom. I. Originem Idololatriæ à Diaboli inventione & seductione arcessunt, ad quam destruendam, genusque humanum ab Idolorum cultu liberandum, Christus Dominus missus est.

Tom. II. Pergunt ostendere Diabolum Iconolatriam sub schemate Christianismi in Ecclesiam introducere allaborasse, sed à pientissimis Imperatoribus repressam, convocato hunc in finem Episcoporum CCCXXXVIII. Concilio, qui sex Universalium Synodorum Decreta suffragio suo comprobant ac amplectuntur, & adversus professam ab iis fidem Imagines in Ecclesiam introductas esse asserunt.

Tom. III. Ab indivisibili duarum in Christo naturarum unione arguunt eos, qui Imaginem Christi nobis exhibent. Cùm enim Divina Christi Natura incomprehensibilis sit & incircumscripta, neque ullo modo ab humanâ separabilis, vel humanitas à Divinitate dividenda est, vel utique pingendum, quod

Marginal notes (left): * Chronogr. p. 359. † Annal. in Const. Copron. p. 463. * Syn. Nic. II. Act. VI. p. 417. † Tom. III. p. 88. * CP. Christ. lib. IV. c. 13. nu. ii. p. 176. † Hist. Misc. lib. XXII. p. 689.

Marginal notes (right): SÆC. VIII. ab An. DCC. * Ann. DCCLIV. num. XXVII. † Act. VI. p. 396. * Act. III. p. 176. * Ext. Concil. Tom. VII. p. 17.

Digitized by Google

quod nullâ arte, nullis coloribus repræsentari queat. Addunt Christum Dominum S. Eucharistiam apud nos reliquisse tanquàm veram ac unicam καὶ Θεοπαράδοτον Imaginem τοῦ ζωοποιοῦ Σώματος αὐτοῦ τὴν ἐντίμως, καὶ τετιμημένως πραττομένην, *vivifici corporis sui, quæ pretiosè ac honorabiliter facta sit.*

Tom. IV. Loca quædam S. Scripturæ, quæ contra Iconolatriam pugnant, in medium producuntur.

Tom. V. Proferuntur SS. Patrum adversùs Imagines Testimonia, nempe Eusebii Cæsariensis, Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Amphilochii, Epiphanii, Chrysostomi, & Theodoti Ancyrani, ex multis, ut ajunt, pauca propter infinitam multitudinem; nihilominùs clara & diserta, nullis Nicænorum distinctiunculis, nullo sophismate eludenda. His positis, sententiam Synodalem unâ voce in hæc ediderunt verba, ἀπόβλητον εἶναι καὶ ἀλλοτρίαν, καὶ ἐβδελυγμένην, ἐκ τῆς τῶν Χριστιανῶν ἐκκλησίας πᾶσαν εἰκόνα, ἐκ παντοίας ὕλης καὶ χρωματουργικῆς τῶν ζωγράφων κακοτεχνίας πεποιημένην, *omnem imaginem ex quacunque materiâ, improbâ Pictorum arte factam, ab Ecclesiâ Christianorum rejiciendam, veluti alienam & abominabilem.*

Tom. VI. Primò Definitiones aliquot de Imaginibus edunt, præcipuè non audere quenquam ultra studere τὸ τοιοῦτον ἀσεβὲς καὶ ἀνόσιον ἐπιτήδευμα, *tàm scelestum & impium studium*, neq; cuivis vel ex Clericali, vel ex Laicorum ordine fas esse, κατασκευάσαι εἰκόνα ἢ προσκυνῆσαι, ἢ στῆσαι ἐν ἐκκλησίᾳ, ἢ ἐν ἰδιωτικῷ οἴκῳ, ἢ κρύψαι, *Imaginem construere, vel adorare, aut statuere in Ecclesiâ, vel in privatâ Domo, seu accultare*, id est, absconditam penès se retinere, quam secretò colat. Deinde hæreticis quibusvis circa SS. Trinitatem, & duas in Christo naturas errantibus, omnibusque Christi Domini Θεανθρώπου, Sanctorumque Imagines pingentibus, earumque formationi, tanquàm ματαίᾳ ἐπινοίᾳ, καὶ διαβολικῆς μεθοδείας εὑρέσει, varia anathemata dicta sunt. Denique Fide Catholicâ confirmatâ, & acclamationibus Imperatoribus pro more factis, & singulari anathemate in Germanum CP. Georgium Cyprium, & Joannem Damascenum Iconolatriæ Triumviros, & accerrimos Propugnatores vibrato, Synodus soluta est.

Hanc Synodum & Oecumenicam dici posse, & reverà fuisse, nemo, nisi Iconolatrarum præjudiciis excæcatus, dubitare queat. Certè si legitima convocandi ratio, Imperatoris scilicet auctoritas, & divalis Jussio ad omnes Imperii partes transmissa; si Episcoporum hunc in finem undique convocatorum plenarius numerus; si rei tractandæ dignitas & momentum, cultus nempè Religionis soli Deo vindicandus; si Ecclesiæ Catholicæ doctrina & praxis, à fœda & immodica recentiorum temporum superstitione reformanda; si modus procedendi gravis, solemnis, tòtque venerandorum Præsulum consessu dignus; & Decreta Synodica summâ curâ, & accurato judicii libramine expensa, eaque non paucis diebus, ut in Concilio Nicæno II. factum est, sed integro semestri spatio elaborata; si denique Imperialis subscriptio, confirmatio & promulgatio publica Synodum faciant Oecumenicam; quis *Oecumenicæ* titulum huic nostræ jure denegabit? De absentia Papæ & Patriarcharum Orientalium actum est suprà.

755. P. II. VERNENSE ad Senam fluv. in Palatio Pipini Regis, anno DCCLV. v. Idus *Julias* coactum. Condiderunt multa Disciplinæ Ecclesiasticæ apprimè utilia; *Canones* nempè XXV. qui cum Notis Sirmondi habentur Conc. Tom. VI. p. 1664. & Car. Cointii *Annal.* Tom. V. p. 529.

ANGLICANUM, præsidente Cuthberto Cantuariensi circa annum DCCLVI. ex mente Spelmanni habitum. In quo de Natalitiis S. Bonifacii, ejusque sociorum Martyrum annuò celebrandis, actum est. Hujus Synodi nihil extat. Vide Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 289. 756. P. II.

COMPENDIENSE apud Suessionenses, ad Isaram Fl. anno circiter DCCLVI. in Palatio Pipini Regis, celebratum. Extant *Canones* de Gradibus Consanguinitatis, Conjugio, Fornicatione, &c. XVIII. cum Notis Sirmondi Conc. Tom. VI. pag. 1694. Vide etiam quæ ad hos Canones habet Car. le Cointe *Annal.* Tom. V. p. 587. In eadem Synodo Privilegium Grodegangi Metensis Episcopi Monasterio Gorziensi concessum confirmatur, variisque Episcoporum subscriptionibus roboratur. Habetur *ibid.* pag. 1698. Semel hoc loco Lectorem monuisse sufficiat, plures fuisse circa hæc tempora in Gallia & Germania, nullius ferè momenti, Conventus; nempe Germanicum in causa Othmari anno DCCLXI. Nivernensem anno DCCLXIV. Atiniacensem anno DCCLXV. Aurelianensem anno DCCLXVI. De quibus vide quæ habent novissimi Conciliorum Editores Tom. VI. pag. 1700. Plures etiam ejusdem notæ dabit Appendix *ibid.* pag. 1878. &c. 756. P. II.

GENTILIACENSE anno DCCLXVII. in agro Parisiensi habitum. Frequentes aderant totius Galliæ Episcopi, præsentibus etiam Pauli Pontificis Legatis. In hac Synodo de processione Spiritûs Sancti, & de Sanctorum Imaginibus fingendis, an pingendis in Ecclesiis, disceptatum est occasione nimirum Legationis à Constantino Imp. ex Oriente ad Pipinum missæ, & vocis FILIOQUE Symbolo additæ. Si ex Ecclesiarum Gallicanarum statu hoc tempore, conjecturam petere liceat, probabile est damnatam esse in hac Synodo Imaginum tùm ex Ecclesia ejectionem, tùm cultum. Vide de hac Synodo Theodulphum, & Althelmum in *Annal.* Adon. Vien. Regin. & Sigebert. in Chron. ad hunc annum. Confer Car. le Cointe ad annum DCCLXVII. num I. II. Tom. V. pag. 698. 767. P. II.

ROMANUM IX. anno DCCLXIX. in Basilica Salvatoris, juxta Lateranense Palatium, sub Stephano IV. coactum. In quo, deposito Constantino Anti-Papâ, de modo eligendi Pontificis agitur, & cultus Imaginum stabilitur. Habentur hujus Synodi Acta apud Anastas. in *Vit. Steph. IV.* Concil. Tom. VI. pag. 1709. Actorum etiam Fragmenta plura de electione & consecratione Pontificis, & de veneratione Sacrarum Imaginum, ab Holstenio edita, *Collect. Rom.* Part. I. p. 257. exinde Concil. *ibid.* pag. 1722. 769. P. II.

DINGOLVINGENSE ad Isaræ ripam in Boioariâ, anno circiter DCCLXXI. tempore Ducis Thassilonis celebratum. In quo ad reformandos mores & consuetudines Ecclesiasticas, & Regiminis publici conservationem, constituta sunt *Capitula* XIII. quæ cum Actis habentur, Notis hinc inde additis, apud Car. le Cointe *Annal.* Tom. V. pag. 770. 771. P. II.

PADERBORNENSE I. anno DCCLXXVII. habitum. In quo decretum est, ut Saxones ad Fidem nuper conversi juramento se obstringerent, se Fidem Christianam semper esse observaturos. Vide Conc. Tom. VI. p. 1823. 777. P. II.

DURIENSE anno DCCLXXIX. in Villâ-Duriâ, à Ca- 779. P. II.

SÆC. VIII. ab An DCC. à Carolo Magno arma in rebelles Saxones moturo habitum. In quo de reformandis subditorum suorum Moribus, & stabiliendis Ecclesiæ Ritibus actum est. Vid. Annal. Franc. anno DCCLXXIX. Eodem anno mense *Martio* congregatis in unum Episcopis, Abbatibus, & Viris illustribus, editum est Caroli M. Decretum, præcipuè de Rebus Ecclesiasticis. Extant *Capitula* XXIV. tum alibi, tùm Conc. Tom. VI. p. 1824.

780. *P. II.* LIPPIENSE apud Germanos, anno DCCLXXX. habitum. In quo Sedes Episcopales in Saxoniâ erectæ & constitutæ sunt. Vide Crantzii *Metrop.* lib. I. c. 2. & *Hist. Saxon.* lib. II. c. 7.

786. *P. II.* PADERBORNENSE II. anno DCCLXXXVI. ad disponendum Ecclesiæ Saxonicæ statum congregatum. De hâc re vide quæ ex Crantzio notant Conciliorum Editores Tom. VI. p. 1860.

787. *P. II.* CALCHUTHENSE apud Anglos in Regno Merciorum, à Gregorio Ostiensi, & Theophylacto Tudertino, Hadriani Papæ Legatis, anno DCCLXXXVII. habitum. In quo de Fide Nicænâ retinendâ, variisque negotiis Ecclesiasticis Regulæ constitutæ sunt. Extant *Capitula* XX. apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 291. & Conc. Tom. VI. pag. 1861. Hujus Synodi binæ fuere Sessiones, diversis locis habitæ. Prima sub Alfwoldo, Northanhymbrorum Rege, cui interfuerunt Eanbaldus Eboracensis, cæterique illius Provinciæ Episcopi. Secunda Calchuthæ, in Regno Merciorum coram Offa Rege, præsentibus Lamberto Cantuariensi, & reliquis suæ Provinciæ Episcopis. Synodi hujus Calchuthensis meminit Chronicon Saxonicum ad annum DCCLXXXV. ad quem eam collocat, additque Jambertum, seu Lambertum Archiepiscopum, aliquam Provinciæ suæ partem amisisse: Intelligit nempe sex Sedes Episcopales; Wigorniensem, Legecestrensem, Sinasestrensem; Herefordensem, Elmanensem, & Dommucensem, quas, annuente Papâ, Offa Sedi Cantuariensi subtractas, Sedi Lichfeldensi jam in Archiepiscopatum promovendæ subjecit; Eadulpho primo Archiepiscopo constituto, cui Adrianus Papa Pallium misit. Hæc Synodi nostræ Acta ex codice S. Albani, & G. Malmesburiensi fusiùs habentur apud Spelman. ubi suprà, pag. 302.

787. *P II.* NICÆNUM II. Græcis utplurimùm & Romanis Oecumenicum VII. sed si pro Oecumenico sit habendum; reverâ IX. Constantini adhuc pueri & Irenes Matris mandato, suadente hinc Tarasio, ex laico nuper Patriarchâ facto, illinc instigante Hadriano Papâ, anno DCCLXXXVII. congregatum. Primò quidem Constantinopoli in Templo Sanctorum Apostolorum indictum; verùm tumultuantibus Scholariis militaribus, aliisque civibus, quos pro suo erga εἰκονοδουλείαν zelo τοὺς ὑπασπιστὰς τοῦ διαβόλου vocat Cedrenus pag. 470. post unam vel alteram Sessionem dimissum est. Anno sequente Nicæam translatum, & in Æde S. Sophiæ habitum est, inchoatum VIII. Cal. *Octobr.* finitum X. Cal. *Novemb.* Aderant, prçter Archimandritas & Monachos ingenti planè numero, Πᾶν τὸ μοναχικὸν πλήρωμα, uti in Actis sæpiùs vocantur, genus hominum, si unquàm aliàs εἰδωλομανέστατον, aderant inquam, ex Orientalis Imperii Provinciis solummodò convocati Episcopi CCCL. Adriani Papç Legati duo, Patriarcharum Orientalium τοποτηρηταὶ Joannes & Thomas, hic Alexandrini, ille Antiocheni Patriarchæ, Syncellus; qui literis Patriarchalibus instructi, sedes ipsorum in Synodo occuparunt, eorumque nomine Decretis Synodicis ubique subscripserunt. Sed cave credas, mi Lector, veros fuisse hos & genuinos Patriarcharum Legatos. Ficta hîc & fucata omnia. Quod res erat paucis dicam. Missi sunt ab Irene & Tarasio in Orientem Legati, qui Tarasii recèns Patriarchæ facti Synodicam pro more deferrent, & Patriarchas ad Synodum invitarent. In Palæstinam venientes, Theodorum Hierosolymorum Patriarcham in exilio haud ita pridem fato functum esse intellexerunt. Edocti verò quanto cum capitis discrimine Sedes Patriarchales adeundæ essent [totum penè Orientem occupantibus Saracenis] neque sine summo Christianorum penè omnium in his partibus periculo, sibi de hoc negocio agere fas esse, mutatâ sententiâ, & inito cum Monachis quibusdam Palæstinis consilio, electi sunt à Monachis Joannes & Thomas, vitæ Ereminticæ cultores ultimi, idiotæ & imperiti, & ad tantam causam infirmi & indocti, uti de se ingenuè fatentur, qui Patriarcharum vices in Synodo gererent. Quos proinde literis à se scriptis muniverunt; cùm tamen ipsos Patriarchas Legati neque viderunt unquàm, neque Monachi ab iis vel verbulum receperunt. Quo non obstante boni Monachi se pro Trium Patriarcharum Orientalium locum tenentibus ubivis venditarunt, & summo honore à Nicænis habiti, utramque in Actis paginam faciunt; & literæ quas secum detulerunt, tanquàm à Patriarchis ad Synodum destinatæ, unanimi consensu sigillatim receptæ & approbatæ sunt. Quin & in illarum fronte vilissimi hi Monachi Palestini. Οἱ τῆς Ἑώας ἀρχιερεῖς, *summi Orientis Sacerdotes*, disertè dicuntur. Hinc jactatus toties universi orbis in causâ Imaginum consensus, conclamante * & triumphante Synodo, quòd, *inspirante & cooperante Spiritu Sancto, omnes consonuerint, quòd Oriens, Arctus, Occidens, & Mesembria, in unam, eandemque unionem concurrerint.* Hçc fermè omnia ex Nicænorum Actis, & ipsis Monachorum Palæstinorum literis manifestè liquent. Quin legatur vel unus Baronius ad an. MCCLXXXV. *num*, LXXII. LXXIII. & seqq. & res fiet luce clarior. Verùm ad Concilium redeo. Id unicè in hac Synodo egerunt boni hi Patres, ad hoc parati, ut Actis CP. Synodi VIII. irritis factis, Imagines earumque cultum in Ecclesiis reponerent. Extant Græcè & Latinè ex versione Anastasiana hujus Concilii Acta Concil. Tom. VII. in VII. *Actiones* divisa; præmissis Gregorii II. Papæ ad Leonem Isaurum de Imaginibus *Epistolis* II. Anastasii Bibliothecarii *Præfatione*; Constantini & Irenes ad Hadrianum *Epistolâ*; Tarasii ad populum *Apologetico* antequàm fieret Patriarcha.

* Vide Epist. Synod. Act. VII. p. 585.

SÆC. VIII. ab An. DCC.

Act. I. Perlectis Imperatorum ad Synodum literis pro Episcopis qui in Synodo CP. VIII. pars fuerant, jam pœnitentibus, próque iis qui ab his ordinati fuerant, ad Communionem & Synodum recipiendis, ex antiquis Canonibus & Scriptis Ecclesiasticis disputatur.

Act. II. Hadriani Papæ ad Constantinum & Irenem, & altera ad Tarasium de cultu Imaginum, Epistolæ recitantur, & approbantur. In utraque, præcipuè priori, futilibus planè argumentis, tum ex S. Scripturâ, tùm ex absurdè allegatis Patrum testimoniis, quin & ex fabulosissimis S. Sylvestri Actis, pro facultate quâ pollebat bonus Pontifex, Imaginum causam agit.

Act. III. Gregorio Neocæsariensi ad honorem Synodalem recepto, Tarasii ad Patriarchas Orientales, eorumque uti præ se ferunt, ad ipsum literæ, lectæ sunt; Fidesque Concilii Nicæni confirmata; subnexâ Theodori Hierosolymorum Patriarchæ *Synodicâ*, pro more olim emisâ, quâ inter alia de Imaginibus agit; genuina sit, an ab ipsis Monachis conscripta, non una est suspicandi ratio.

Act. IV.

Digitized by Google

SÆC VIII. ab An.DCC

Act. IV. S. Scripturæ loca miserè detorta & SS. Patrum, Scriptorumque Ecclesiasticorum Testimonia, quæ pro Imaginum cultu facere videbantur, sed vel mutilata, vel malè intellecta, vel ex Apocryphis fictisque Historicis nullâ fide dignis hausta, prolata sunt, & Synodali suffragio comprobata.

Act. V. Plura Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum Testimonia, ejusdem planè cum prioribus commatis, & in eundem finem lecta sunt. Pauca quædam adversùs Imagines Testimonia, in Synodo CP. allata, rejecta & reprobata; codices nonnulli, ex quibus loca quædam de Imaginibus deleverant, vel reciderant Iconomachi, in medium producti & ostensi; denique Anathema omnibus Iconoclastis dictum. Testes hâc & præcedente Actione pro Imaginibus longo satis agmine adducti sunt; Athanasius, Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorii duo Nazianzenus & Nyssenus, Basilius, Chrysostomus, Nilus, Cyrillus Alexandrinus, Asterius Amasenus, Theodoritus, Antipater Bostrensis, Leontius Cyprius, Anastasius Antiochenus, Simeon Stylita, Joannes Thessalonicensis, Evagrius Historicus, Sophronius, Gregorius Magnus, Germanus CP. ut scripta quædam Anonyma & Apocrypha jam mittam, infrà memoranda. De his testibus, eorumque in hâc causâ testimoniis, paucula quædam notanda veniunt, quæ breviter expediam. 1. Nullum pro Imaginibus citari testem quarto sæculo anteriorem. Neque id mirum, cùm Imagines in Christianorum Ecclesiis positæ, multò magis adoratæ, omni puriori antiquitati penitùs ignotæ fuerint; quicquid boni Nicæni † de hâc traditione, ab Apostolorum prædicatione, & ab annunciato Evangelio profectâ, à Patribus haustâ, ab omni præterito tempore à tot Sanctis retentâ, sibi suaviter somniant. 2. Non unum hîc citari Tractatum, qui hujus vel illius Patris nomini falsò affingitur. Quales sunt, *Sermo* sub nomine Athanasii *de Imagine Berytensi*, Athanasio prorsùs indignus, ab omnibus jam pro spurio habitus, nec uno post Athanasium sæculo confictus; Basilii ad Julianum Apostatam *Epistola*, à nullo Veterum memorata, à Basilii stylo & ingenio aliena; Chrysostomi sermo *de unico Novi & Veteris Testamenti Legislatore*, qui melliflui Patris puritatem facilitatemque parùm sapit, à Fr. Ducæo ad Chrysostomi spuria relegatus; etsi non desint, qui hanc Homiliam genuinam, vel saltem dubiam esse contendant. 3. In multis quæ hîc citantur Testimoniis; nudam tantùm fieri Imaginum mentionem, in paucis tanquàm in Ecclesiis positas, in paucioribus tanquàm ad recordationem, imitationem, vel affectum aliquem excitandum erectas memorari; de honore verò religioso, cultuve aliquo iis exhibendo, ne γρὺ quidem. Et ad hanc classem revocari possunt quæ producuntur ex Chrysostomi *Homiliâ in Meletium* pag. 200. Cyrilli Hierosol. *Catech.* II. pag. 348. Gregorii Nysseni sermone *de Deitate Filii & Spiritûs Sancti* pag. 201. Nazianzeni *de Polemone* pag. 205. Nili Epistolâ *ad Heliodorum* pag. 224. & *ad Olympiodorum* p. 228. Cyrilli Alexandrini Epistola *ad Acacium* pag. 204. Asterii Amaseni *Sermone in Euphemiam Martyrem* pag. 208. Theodorito *de Vita Simeonis* pag. 265. Antipatri Bostrensis sermone *in Hæmorrhoissam* pag. 208. & id genus alia. 4. Nonnulla horum Patrum loca Christianorum Fidem vel Praxim Imagines minimè respicere, sed solummodò ad illustrandam de Divinâ Christi naturâ doctrinam, quatenùs est Imago Patris, adhiberi. Cujusmodi sunt, quæ habent Athanasius Sermone 4to. contra *Arianos*, Basilius cap. XVII. *de Spiritu Sancto*, & Sermone *contra Sabellianos, Arianos & Anomæos* pag. 261. Neque alio sensu intelligenda est decantatissima illa Basilii sententia, quam toties crepant Nicæni, & Scriptores Pontificii, quòd *Imaginis honor ad primitivum transeat*. 5. Plurima hîc allata, & quæ ad rem proximè faciant pro causâ Imaginum testimonia, ex Scriptis apocryphis & fabulosis, fictis falsisque Narratiunculis, ad Christiani nominis ludibrium natis, quæ nullâ fide nituntur, & primâ statim fronte vanitatem & absurditatem suam manifestò produnt, hausta esse, anilibus fabellis, & futilibus Monachorum Græculorum commentis accensenda. Hujus surfuris sunt, quæ ex Narratione & Miraculis S. *Anastasii* pag. 213. ex Miraculis *Cosmæ & Damiani* pag. 256. & *Vitâ Simeonis Stylitæ* pag. 265. *Joannis Jejunatoris* pag. 272. *Mariæ Ægyptiæ* pag. 277. *Ex Passione S. Procopii* pag. 280. *Vitâ Theodori* pag. 281. Evagrii lib. IV. *de Imagine Edessenâ* p. 377. Ex Actis S. Sylvestri *de Baptismo Constantini* pag. 101. Ex *Limonario* & *Prato Spirituali* p. 381. & alibi proferuntur. Claudam hæc candidâ & ingenuâ eruditissimi Pagii * confessione; *Multa*, inquit, *Apocryphorum quisquiliæ, à septimæ Synodi Patribus probatæ, qui in sacrorum librorum critica rudes erant.*

† Act. VI. p. 404.

* Crit. Hist. Chron. in Annal. Bar. ad ann. LVI. n. III. p. 47.

Act. VI. Concilii Constantinopolitani VIII. Acta, in membra discerpta lecta sunt, & perpetuo Elencho, nullo adhibito judicio; nullâ modestiâ refutata.

Act. VII. Promulgata est Synodalis Definitio, quâ post editam Fidei Confessionem, decernunt vivificæ cruci Christi, B. Virginis, Angelorum, Sanctorumque Imaginibus, τιμητικὴν προσκύνησιν esse tribuendam, easque osculis, incensorum & luminum oblatione, esse honorandas, non tamen verâ illâ latriâ, quæ soli Divinæ naturæ competit. His finitis, scriptæ sunt Epistolæ Synodales II. ad Imperatores una, ad Catholicos ubique Episcopos altera.

Act. VIII. [Quæ quidem tùm in Anastasii, tùm in veteri vulgatâ Editione desideratur, quæque Constantinopoli habita est] lecta est coram Constantino & Irene Synodi Definitio, & multa anathemata Iconoclastis dicta. Quibus subjiciuntur *Canones* XXII. ad Disciplinam Ecclesiasticam pertinentes. Sequuntur, Epiphanii Diaconi Catanensis *sermo laudatorius* ad Synodum habitus; Tarasii ad Hadrianum *Epistola* II. & ad Joannem Presbyterum & Anachoretam altera. Hæ duæ posteriores de illicitis ordinationibus lucri causâ factis præcipuè agunt, subnexâ ad Constantinum & Irenem Dissertatione, *quomodò intelligendum sit, Dei nomen esse incommunicabile, & omnem Propheticam locutionem quæ invehitur in Idola.* Deinde Actorum hujus Concilii vetus versio, & Hadriani ad Carolum M. prolixa admodum pro hâc Synodo *Epistola.*

WORMATIENSE sub Carolo M. ann. DCCLXXXVII. habitum. In hâc Synodo, aliâque anno sequente, in Villâ Ingilenheim coactâ, [quâ de re agit Anonymus de Vitâ Caroli Magni pag. 253.] de Tassilonis Baioariorum Ducis perfidiâ, & in Monasterium detrusione, agebatur. Vide quæ hanc in rem ex Rheginone & Ademaro referunt Conciliorum Editores Tom. VII. p. 963. 787. *P. II.*

FINCENHALLENSE I. in Episcopatu Dunelmensi anno DCCLXXXVIII. sub Eanbaldo Eboracensi, IV. Non. *Septembr.* congregatum. Meminere hujus Synodi H. Huntingdon. *Hist.* lib. IV. fol. 197. & R. Hoveden. Part. I. fol. 232. Quid verò in eâ factum sit, non liquet. Interim confer quæ habet Spelmannus *Conc. Brit.* Tom. I. pag. 304. qui etiam ex Hovedeno & veteri codice MS. Cantabrig. Synodi cujusdam apud Acleam, eodem 788. *P. II.*

anno

Digitized by Google

SÆC. VIII. ab An. DCC. anno & in eodem Episcopatu Dunelmensi habitæ, mentionem facit. De quâ nil amplius extat.

789. P. II. AQUISGRANENSE I. x. Cal. *April.* anno DCCLXXXIX. sub Carolo Magno, in Palatio Regio habitum. Synodum enim eo loco & tempore habitam fuisse, dubitari non potest. Extant de Disciplinâ & Regimine Ecclesiæ *Capitula* LXXXII. Caroli M. jussu condita, sub Titulo *Capitularis Aquisgranensis* Conc. Tom. VII. pag. 966. Subjiciuntur ad Monachos *Capitula* XVI. eodem loco & tempore facta; Alia XXI. de rebus partim Ecclesiasticis, partim Policitis, ibid. p. 988.

791. P. II. NARBONENSE v. Calend. *Jul.* anno DCCXCI. (non DCCLXXXVIII. ut Conciliorum editores, uti luculentèr ostendit Cl. Cointius) à *XXIV.* Episcopis, & *IV.* Vicariis præsente Desiderio Pontificis Legato celebratum. In quo Sedis Narbonensis limites constituti sunt. Habentur hujus Synodi Acta Conc. Tom. VII. p. 964. De lite in hâc Synodo agitatâ, déque singulis Episcoporum subscriptionibus pluribus agit Car. Cointius ad ann. DCCXCI. Tom. VI. pag. 463.

791. P. II. FOROJULIENSE anno DCCXCI. à Paulino Aquileiensi plurimisque aliis Episcopis congregatum. In quo de Processione Spiritûs Sancti, tùm à Patre, tùm à Filio adversùs Græcos, & de Incarnatione Domini contra Felicem & Elipandum, disceptatum & definitum est. Extant hujus Synodi Acta & *Capitula* XIV. adversùs Simoniam, Impudicitiam, & Ebrietatem Clericorum, Matrimonium intra affinitatis gradus contractum, &c. Conc. Tom. VII. pag. 991. & le Cointe ad annum DCCXCV. Tom. VI. p. 540.

792. P. II. RATISPONENSE anno DCCXCII. præsente Carolo M. coactum. Quo Felicis Urgelitani hæresis de Christo, Filio Dei adoptivo damnatur, ipso Felice Romam misso, ubi coram Pontifice hæresim suam ejuravit. Pluribus de hâc Synodo agunt Alcuinus lib. I. *adverf. Elip.* & *Annales Franc.* ad hunc annum. Vide Conc. Tom. VII. pag. 1010. Eadem proculdubio est hæc Synodus cum eâ quam Reginoburgi habitam fuisse ex Annalibus Laurishamiensibus tradit Car. Cointius Tom. VI. p. 476.

793. P. II. VEROLAMIENSE I. apud Anglos, anno DCCXCIII. mense Augusto, sub Offa Merciorum Rege, ab Humberto Archiepiscopo Lichfeldensi, aliisque Episcopis habitum. In quo, reperto jam S. Albani Proto-martyris corpore, Cœnobium eo loci in ipsius memoriam fundandum esse decretum est. In cujus usum Rex Offa varios reditus & patrimonia liberaliter concessit. Vide Mat. Paris. in *Vit. Offæ* II. pag. 28. Multa etiam ad hanc rem spectantia congessit Spelmannus noster *Conc. Brit.* Tom. I. p. 309. Confer item Conc. Tom. VII. pag. 1012.

794. P. II. VEROLAMIENSE II. an. DCCXCIV. sub Offâ Rege Merciorum, jam Româ reverso, habitum. In quo Offa plurima latifundia S. Albani Monasterio, & perpetuum itinerantibus hospitium concessit. Vide quæ ex *Vita MS.* S. Albani habet Spelmannus *Conc. Brit.* Tom. I. p. 314. Meminit etiam alterius Synodi eodem anno & eâdem de re apud Chalchyth. habitæ; sed ab hâc Verolamiensi non aliam fuisse conjicit.

794. P. II. FRANCOFORDIENSE, quod totius Occidentis *Universale* dici potest, coram Carolo M. præsentibus Theophylacto & Stephano Hadriani Papæ Legatis, anno DCCXCIV. in Festo Paschatis à *CCC.* circiter Episcopis celebratum. Duo præcipuè in hâc Synodo acta sunt. Primò, Damnata iterùm Elipandi Toletani, & Felicis Urgelitani, Christum Filium Dei adoptivum esse asserentium hæresis. Unde Hadriani Papæ *contra Elipandum Epistola*; *Libellus* Episcoporum Italiæ eâdem de re, ad Præsules Hispaniæ Synodi Decreto missus; *Epistola Synodica* Episcoporum Galliæ & Germaniæ, ad Hispaniæ Episcopos missa, & Caroli M. *ad Elipandum Epistola*, exhibentur Conc. Tom. VII. pag. 1014. Hæc omnia, aliaque monumenta ad Causam Felicianam illustrandam spectantia profert Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. pag. 91. Secundò, Causa Imaginum summâ curâ ventilata, conclusumque, in Ecclesiis quidem memoriæ & ornamenti causâ retineri posse, omnem verò cultum & adorationem penitùs esse abrogandam; Acta Synodi Nicænæ II. *quæ in partibus Græciæ, pro adorandis Imaginibus, stolidè, sive arroganter gesta est* (ut habet Operis Carolini Inscriptio), post longum & diligens examen rescissa & reprobata; Testimonia ex Patribus, Scriptisque Ecclesiasticis à Nicænis deprompta sedulò excussa, omniáque ipsorum Sophismata & Argutiunculæ solidè refutatæ. Unde Synodum Nicænam nec pro Oecumenicâ, nec pro Septimâ, habendam esse ritè judicârunt. Nec aliter quàm *Pseudo-Synodus* ab istius temporis Scriptoribus appellatur. Testis sit vel unus Annalium Francorum conditor, sequentis Sæculi Scriptor ad ann. DCCXCIV. pag. 13. ubi de Synodo Francofordiensi agens hæc verba; *Pseudo-Synodus Græcorum pro adorandis Imaginibus habita, & falsò Septima vocata, ab Episcopis damnatur.* Quæ verba repetit Auctor vitæ Caroli Magni pag. 256. Certè acta fuisse hæc in Synodo Francofordiensi, non modò disertè testantur istius & sequentium Sæculorum Scriptores penè omnes, Hadrianus, Synodus Parisiensis, Hincmarus, Aimoinus, Ado Viennensis, Strabus Fuldensis, Monachus Engolismensis, Rhegino, eósque secuti Urspergensis, Hermannus Contractus, Aventinus, alii; sed & fidem facit ipsius Synodi Canon II. Et quod omni exceptione majus est [quicquid aliter somniant Baronius, Bellarminus, Binius, &c. quorum deliramenta hâc de re, à cordatioribus Pontificiis explosa sunt] ipsi libri Carolini IV. si non propriâ Caroli operâ, ejus saltem consilio & jussu, ab Episcopis, qui hujus Synodi pars erant, compositi, ab eo revisi, in Concilio lecti & approbati, tandémque à Carolo ad Hadrianum Papam missi. Et sanè non incommodè conjectari potest, haud aliud in hac Synodo in causâ imaginum factum esse, præter Operis Carolini lectionem, examinationem, & approbationem. Unde videant æqui judices, quâ fronte, etiam Novissimi Conciliorum Editores, in capite hujus Concilii hoc Lemma posuerunt; *In quo Hæresis Feliciana tertiò damnata est, Actaque Concilii Nicæni II. in causâ Imaginum confirmata.* Cùm verò non aliundè quàm ex hoc Opere, clariùs constare possit, quid in hac Synodo gestum sit, quidve disputatum, quid denique illud contineat, tribus quasi verbis expediemus.

Lib. I. Post præfationem, & exceptiones quasdam ad Constantini & Irenes literas factas, S. Scripturæ loca, quibus ad Imaginum cultum stabiliendum abutuntur Nicæni Iconolatræ, examini subjiciuntur, eorúmque interpretamenta vana & absurda esse demonstrantur.

Lib. II. Plura S. Scripturæ loca, & SS. Patrum Testimonia à Nicænis allata, examinantur, & facto inter cultum civilem & religiosum discrimine, quàm

SÆC. VIII. ab An.DCC. quàm falsis ratiociniis causam suam agant Nicæni, fusè ostenditur.

Lib. III. Confessione Fidei Catholicæ factâ diversorum in Synodo Nicænâ Episcoporum periculosæ sententiæ & absurda dicta, tam de Fide, præsertim de processione Spiritûs Sancti, quàm de Imaginibus, earumque cultu, ad examen revocantur, & de Miraculis ad confirmandam adorationem Imaginum productis agitur.

Lib. IV. In eadem materiâ progressum est; plures aliæ Actorum Nicænorum partes excutiuntur, argumentis & objectionibus in eis hinc inde factis respondetur, conclusumque tandem capite ultimo, frustrà Synodum suam *universalem* Nicænos nominare, tùm quòd ab Ecclesiâ Universali non sit congregata, tùm quòd Ecclesiæ Catholicæ doctrina ac traditio in eâ non sit servata ac constituta. Hæc est Operis Carolini summa. Unde mirum videri non debeat, illud neque in Tomis Conciliorum, neque inter Capitularia à Baluzio edita, locum habuisse. De eo, ejusque Auctore, variisque Editionibus, nos alibi suprà diximus in Carolo M. hoc SÆC. VIII. pag. 417. Confer præter alios, Dallæum *de Imag.* lib. IV. capp. 4. 5. p. 429. Spanheim. *Hist. Imag. rest.* Sect. VI. VII. VIII. IX. pag. 352. Denique conditi sunt in hâc Francofordiensi Synodo *Canones* LVI. præcipuè ad mores & disciplinam pertinentes, qui habentur Conc. Tom. VII. pag. 1056. De hoc Concilio, Epistolis in causâ Felicianâ scriptis & Canonibus in eo conditis, copiosè agit Cl. Cointius *Annal. Eccl.* Tom. VI. pag. 502. qui, post omnes alios, non leve libris Carolinis negotium facessere conatur, successu quidem parùm felici, cùm facilius sit objicere, quàm refutare. Interim ad magnam horum Canonum partem multa eruditè annotavit.

797. P. II. AQUISGRANENSE II. an. DCCXCVII. V. Cal. *Novembr.* à Carolo M. ejusque Episcopis, Abbatibus, & Comitibus habitum. Extat *Capitulare* de Rebus Regni & Ecclesiæ, Capitula XI. complexum, Conc. Tom. VII. pag. 1134. In eodem Conventu, saltem eodem anno editum est aliud ejusdem *Capitulare de partibus Saxoniæ*, quod XXXIII. Capitula continet, *ibid.* pag. 1131. Post hæc sequitur Theodulfi Aurelianensis *Capitulare* ad Parochiæ suæ Sacerdotes, quo XLVI. documenta ad plebem instruendam necessaria Presbyteris traduntur. In eâdem etiam Synodo Aquisgranensi de Monasterio S. Pauli Romæ construendo agebatur. Vide quæ habentur *ibid.* in Append. p. 1857.

798. P. II. vel. 799. EINCHALLENSE II. apud Anglos Boreales (in Episcopatu Dunelmensi) sub Eanbaldo Eboracensi, an. DCCXCVIII. vel DCCXCIX. habitum. In quo, de Paschatis & Canonum observatione agitur, & Quinque Synodi Oecumenicæ receptæ sunt. Vide quæ ex Hovedeno & Westmonasteriensi habentur Conc. Tom. VII. p. 1148.

BACANCELDENSE apud Cantianos in Merciorum Regno, à Kenulfo Rege, & Æthelardo Cantuariensi, anno DCCXCVIII. habitum. In quo decretum est, ut Ecclesiæ à Laicorum dominio liberæ sint. Extant Synodi Acta apud Spelm. *Concil. Brit.* Tom. I. pag. 317. Ubi vide omninò notam, quam sub finem habet. Vide etiam Conc. Tom. VII. p. 1148. 798. P. II.

ROMANUM X. à Leone III. Papâ, & LVII. Episcopis adversùs Felicem Urgellitanum, ejusque contra Alcuinum Epistolam, an. DCCXCIX. celebratum. Extant hujus Synodi Acta, non tamen integra, Conc. Tom. VII. p. 1150. 799. P. II.

AQUISGRANENSE III. an. DCCXCIX. à Legato Pontificio, & LVII. Episcopis, in Palatio Regio coactum. In quo Alcuinus cum Felice in hæresin relapso congressus est, qui hominem convictum ad Fidem Catholicam reduxit. De hâc Synodo agit ipse Alcuinus *advers. Elipand.* lib. I. Vide etiam Conc. Tom. VII. p. 1151. Extat item Felicis Urgellitani *Confessio Fidei*, in hac Synodo facta, *ibid.* in Append. p. 1858. Synodi cujusdam Ratisponensis, hoc circiter tempore habitæ, ex Caroli M. Capitularibus meminit Ph. Labbeus. Vide ejus observationem *ibid.* p. 152. 799. P. II.

URGELLITANUM, anno DCCXCIX. præsentibus Leidrado Lugdunensi, Nefridio Narbonensi, & Benedicto Abbate, à Carolo M. ut Felicem Episcopum ad Fidem Catholicam revocaret, huc missis, aliisque pluribus habitum. In quo, Felix Urgellitanus Episcopus iterùm damnatur. Vide quæ de hâc Synodo ex P. de Marcâ lib. III. *Marcæ Hispanicæ* MS. protulit Car. Cointius Tom. VI. p. 691. 799. P. II.

CLOVESHOVIENSE III. apud Cantianos, sub Athellardo Archiepiscopo anno DCCC. celebratum. In quo post Fidei Catholicæ professionem, Monasterii de Cotham Prædia à Kenulfo Rege abrepta vindicantur. Extant Acta apud Spelman. *Concil. Brit.* Tom. I. p. 318. & exinde Conc. T. VII. p. 1153. 800. P. II.

TURONENSE anno DCCC. tempore Quadragesimali habitum. In quo Carolus M. Regnum suum inter filios partitus est. Vide Conc. Tom. VII. in *Append.* p. 1862. 800. P. II.

ROMANUM XI. anno DCCC. habitum: In quo, præsente Carolo M. Leo III. Papa à criminibus sibi objectis, præstito juramento, se purgavit. Videsis Anastas. in *Vit. Leon.* III. Conc. Tom. VII. pag. 1081. 800. P. II.

Finis Octavi Sæculi.

SÆCULUM

Digitized by Google

SÆCULUM PHOTIANUM.

CONSPECTUS SÆCULI.

SÆC. IX. ab An. DCCC.

FLORESCIT hoc ævo magis magisque sub Auspiciis Caroli M. res literaria, suadente ac promovente Alcuino Anglo, Caroli Præceptore, cujus consiliis institutæ sunt Academiæ Parisiensis, Ticinensis, Bononiensis, Osnobrugensis. His proximè accesserunt Canonicorum collegia, & in plurimis Monasteriis, etiam humanarum Artium Scholæ celebriores, in quibus adolescentes melioribus literis erudiebantur. Hujusmodi fuere Cœnobia *Italica*, Cassinense, Ferrariense; *Germanica*, Fuldense, Sangallense, Augiense, Lobiense; *Gallica*, Corbeinse, Rhemense, Orbacense, Floriacense; *Anglica*, Albanense, Malmsburiense, Wigorniense, Westmonasteriense, Glastoniense, &c. Quòd Ecclesiæ Statum attinet, cultus Imaginum in Ecclesiâ Orientali iterùm sublatus est à Leone Armenio ann. DCCCXIV. à Theophilo Augusto ann. DCCCXXX. restitutus verò à Michaele III. ann. DCCCXLII. In Occidente etiam Synodicè damnatus, ut de Agobardo, Claudio Taurinensi, &c. nil dicam. Ann. DCCCXXIV. Michael Balbus Imperator CP, Legatos misit ad Ludovicum Pium, unà cum literis quibus omnem imaginum venerationem, & vesanam superstitionem disertè damnavit. Coacta est hac occasione celebriorum totius Galliæ Episcoporum Synodus, in ipsâ Regiâ Parisiis habita, in qua Doctissimi & Sanctissimi Præsules rejectis primò Iconoclastis, & tolerato Historico Picturarum usu, damnant eos, qui *Indebito Superstitionis cultu, eas colunt, adorant, Sanctas nuncupant, & Sanctimoniam se per eas adsequi fatentur;* argumentis in contrarium allatis prolixè respondent; quæ omnia, prolatis antiquorum Patrum & Conciliorum testimoniis, disertè astruunt. Edita sunt Acta hujus Synodi ex Bibliotheca Petri Pithæi, à Melchiore Goldasto libro suo de cultu imaginum inserta pagin. 623. Verùm omnes alias controversias tandem submovit, ac penè absorpsit causa Photiana. Anno DCCCLVIII. ejecto Ignatio, Photius in Patriarcham CP. evehitur, confirmat id Synodus, quam Græci vocant *Oecumenicam*, ann. DCCCLXI. Constantinopoli congregata. Ann. DCCCLXIX. deposito Photio, restituitur Ignatius, à Synodo vulgò *Octavâ* dictâ: Ignatio demum mortuo, Photius sedi suæ restitutus est, qui Synodum CLXXXIII. Episcoporum congregat, quam *Octavam Oecumenicam* fuisse Græci volunt, in quâ omnia in gratiam Photii statuta sunt. Tumultibus hisce Orientalis Ecclesiæ haud parum se immiscuerunt Pontifices Romani, quandoque Photii causæ faventiores, ut plurimùm verò Ignatii, in Photium ad ravim usque debacchantes: Unde orta immedicabilis Orientalem inter & Occidentalem Ecclesiam dissensio, ex tribus potissimum causis nata, ut diversos utriusque ritus & cæremonias jam taceam. I. Ex solita Pontificum Romanorum dominandi libidine, qui Ecclesiam Orientalem Romanæ sedis prærogativæ velificari voluerunt, quod prefractè & constanter negarunt Photius, Photiique Successores. II. Ex additione ad Symbolum de processione Spiritûs S. in voce FILIOQUE, à Latinis facta, à Græcis damnata. Hoc ipsis objicit Photius *Epist. Encyclicâ*, pagin. 51. ὥσπερ κακῶν κορωνίδα, quodque Sanctum & Sacrum Symbolum omnibus Oecumenicorum Conciliorum calculis confirmatum νόθοις λογισμοῖς καὶ παρεγγράπτοις λόγοις, quæ summa fuit ipsorum audacia, adulterare conabantur, ὢ τῶν τοῦ πονηροῦ μηχανημάτων? ô *Machinationes Diabolicas?* &c. ubi pluribus hâc de causâ in Latinos acerrimè invehitur. Quin & non uno edito libro rem ipsam aggressus est. III. Ex causa Bulgarorum, quos Jurisdictioni Pontificiæ asserere voluit Nicolaus Papa, reclamante Photio, & contendentibus Græcis Bulgariam fuisse Imperii Orientalis partem, gentem à Sacerdotibus Græcis primò conversam, seque Patriarchatui CP. sponte submisisse. Quantas turbas excitaverit controversia hæc Bulgariana, Historiæ hujus Sæculi non prorsus ignaris, satis constat. Hinc rupta deinceps penitùs concordia, natumque Schisma nullo fortè Sæculo extinguendum. Ineunte hoc Sæculo penès Imperatorem stetit aliqualis in Urbem Romam & Pontificem potestas, paulatim verò procedente tempore remissior facta, tandem sub Joanne IX. Papa, circa Ann. DCCCLXXV. jugum ferè penitùs excussum, Carolo Calvo jura Imperatoria in Romam, ejusque ditiones in Pontificem transferente. Quin & dehinc jus deligendi Imperatorem Papæ sibi vindicârunt. Fervere cœpit hoc ævo de mutatione supernaturali in Eucharistia factâ, controversia. Primus qui carnalem & corporalem Christi in Sacramento præsentiam publicè proponere & audacter defendere ausus est, fuit Paschasius Rathbertus Corbeiensis, qui edito libello asserere non erubuit, peractâ consecratione substantiam panis & vini mutari in veram Christi carnem

SÆC. IX. ab An. DCCC.

SÆC. IX. ab An. DCCC. sti carnem, verumque ejus sanguinem; illam ipsam nempe carnem, quam de utero Virginis tulit Dominus, quâque passus est, & resurrexit. Huic se statim opposuerunt Rabanus Maurus, Bertramus, vel Ratramnus Corbeiensis, Joannes Scotus Erigena, ne de aliis dicam. SÆC. IX. ab An. DCCC.

SCRIPTORES.

801. Vid. vit. ejus à Smaragdo script. Regulæ ejus à Menardo præfix.

BENEDICTUS, Patriâ Gallus, in Septimaniâ natus anno 751. origine tamen Gothus, Comitis Magalonensis filius, in aulâ Pipini educatus, Pincernæ munus sortitus est. Sub Carolo M. etiam aliquamdiu militavit, donec anno 774. relictâ vitâ Sæculari in Monasterium S. Sequani in Burgundiâ secessit, Cœnobii Cellarius anno 777. factus. Ne verò Abbas fieret, anno 780. in Septimaniam recedens, cellam prope fluvium Anianam sibi posuit; in qua nonnullos annos magnâ rerum omnium egestate exegit. Post annum 793. grassantem in Septimania Fœlicis Orgelitani hæresim accerrimè impugnavit. Anno 797. Monasterium S. Salvatoris prope Anianam Fluvium construxit, & constructo Abbatis vice præfuit. Anno 799. cum Leidrado Lugdunensi in Hispaniam à Carolo M. legatus est; ut Fœlicem ab erroribus revocaret: atque anno sequente in eosdem remissus locos, cum Leidrado sanam illic doctrinam populo prædicaret. Ineunte Sæculo Nono, quo tempore præsertim claruit, multis Monasteriis partim condendis, partim reformandis, autor ac dux fuit: Plurimis & ipse successivè præfuit. Postquàm undecim enim Monasteria rexisset, quæ longum esset enumerare, tandem anno 814. Cœnobium Indense regendum suscepit: in quo septuagenarius obiit III. Id. Februar. anno 821.

SCRIPTA.

Codex Regularum, quas SS. Patres Monachis & Virginibus Sanctimonialibus servandas præscripsere, in tres partes distinctus. Prima pars complectitur SS. Patrum Orientalium Antonii, Isaiæ, Serapionis, Macarii, &c. Regulas ad Monachos. Secunda SS. Patrum Occidentalium, Benedicti, Cæsarii, Ferreoli, Columbani, &c. Regulas ad eosdem. Tertia SS. Patrum Augustini, Cæsarii, Aureliani, Leandri, &c. Regulas ad Virgines. Primus hunc Codicem in lucem edidit Lucas Holstenius additis Notis *Romæ* 1661. recusum mox *Paris.* 1664. 4°.

Concordia Regularum, in quâ S. Benedicti Regula cum aliorum Patrum XXV. Regulis committitur. Evulgavit eam Hugo Menardus *Paris.* 1638.

Liber ex SS. Patrum Sermonibus Parænetícis ad Monachos consarcinatus, quem Holstenius edidit Appendicis ad instar post Codicem Regularum.

Modus diversarum Pœnitentiarum à Benedicto nostro distinctus de Regulâ S. Benedicti Cassinensis, à Baluzio ad calcem Capitularium Carolinorum editus, exinde apud Cointium Annal. ad ann. 821. num. 36.

Epistola ad Georgium Abbatem Anianensem, aliaque ad Nebridium Archiepiscopum Narbonensem, quæ apud Ardonem in Vitâ Benedicti habentur.

801. NICEPHORUS, Chartophylax, claruit forsan circa an. 801. Ætas enim ejus admodum incerta est. A Theodosio quodam Monacho Corinthi recluso de arduis quidem Quæstionibus, seu Casibus Conscientiæ, consultus, scripsit ad eum *Solutionum Epistolas* II. quæ extant Gr. Lat. in Jure Gr. Rom. lib. V. pag. 341. Latinè verò in Bibliotheca Patr. Tom. XII. Habetur Lat. in Orthodoxographis pag. 74. Fragmentum Epistolæ cujusdam Nicephori nostri ad eundem Theodosium, quod aut alteri ex dictis duabus, aut aliæ ejusdem argumenti Epistolæ jam deperditæ, Procemii vicem obiisse videtur.

SERGIUS, homo, ni fallor, Syrus, Manichæorum suo tempore dux & primipilus, claruit anno DCCCI. Pro more Manichæorum se Pauli Discipulum jactitavit, *Tychicum* se appellans, immò eò usque impietatis processit, ut pro Paracleto se gesserit, seque à discipulus suis ut Spiritum Sanctum adorari passus sit. Tandem in Monte propè Argeum in Cappadociâ à Tzanione Nicopolitano captus, securi ex manu sua extortâ, inque eum impactâ interfectus est anno DCCCXII. Scripsit ad Colonienses, Leonem Montanum, aliosque Epistolas plures, θεοςυγεῖς, πάσης ὑπερηφανίας καὶ ἀσεβείας μεςὰς †, *Deo invisas, omnisque superbiæ & impietatis plenas*. Ex quibus non pauca profert Petrus Siculus *Hist. Manich.* pag. 60. 62. &c. qui de impietatibus ejus, flagitiis, & nefandis facinoribus plura habet. 801. P. II. † P. Sic. Hist. Manich. p. 18.

LUDGERUS, Thiadgrimi & Liafburgæ filius, natus est Viromi prope Doccomium in citeriori Frisia. Ultrajectum puer adhuc missus Gregorium Presbyterum Præceptorem sortitus. Anno 760. in Monasterio Trajectensi habitum induit Monasticum. Anno 767. in Angliam transmeans Diaconus ab Æthelberto Archiepiscopo Eboracensi ordinatus est. Post annum Trajectum reversus est; atque anno 769. ut Alcuinum audiret, Angliam repetiit. Anno 773. ad Monasterium Trajectense relicto Eboraco se rursus contulit. Anno 777. ab Albrico Trajectensi Episcopo Presbyter ordinatus est, & Ecclesiæ Pagi Ostergoæ, in quo Bonifacius martyrio coronatus fuerat, præpositus; in quadripartitum interim pro ratione quatuor anni tempestatum Monasterii Trajectensis regimen cooptatus. Anno 784. VVittekindi Frisonum Ducis sævitiâ Ostergoâ expulsus, Romam profectus est, & exinde in Cœnobium Cassinense secessit. Anno 787. VVittekindo ad fidem jam converso, à Carolo M. in Frisiam remissus est, & anno 796. VVerthinense seu Werdense Monasterium condidit, cui ipse Abbatis vice præfuit. Anno 802. Episcopus Mimigardevordensis, & Abbas Lutosæ à Carolo M. factus est. Obiit die xxvi. Martii, anno 809. Scripsit *Vitam Præceptoris sui S. Gregorii* Ultrajectensis Episcopi, quæ à Christophoro Browero edita *Mogunt.* 1615. habetur apud Surium XXV. Augusti, & Mabillon. Sæc. Benedict. III. Part. II. pag. 319. Epistolam ad Rixfridum Ultrajectensem Episcopum de Vitâ & Miraculis S. Suitberti Episcopi, quæ apud 802. Vit. ap. Sur. Mart xxvi. Crantz. Metrop. Sax. l. 1. c. 5. p. 12.

SÆC. IX. ab An. DCCC. Surium & Bollandum exstat Cal. Martii. Verùm ista Epistola Ludgero pluribus argumentis abjudicatur à Carolo le Cointe Annal. Ecclesf. Franc. ad an. 749. num. 52. ad an. 754. num. 78. & ad an. 779. num. 31. quem consulat Lector, qui plura velit.

803. P. II. ANONYMUS *Annalium Francorum* Auctor, claruit sub Carolo M. anno DCCCIII. Condidit Annales Francorum ab an. DCCXCIV. ad annum DCCCIII. Codex MS. Cæsareus in principio mutilus est; sed ipsius Caroli tempore, & propriâ auctoris manu exaratus. Hos Annales eruit, edidítque Cl. Lambecius *Comment.* lib. II. cap. 5. *num.* XXVIII. p. 377.

804. P. II. OLDIBERTUS sive ODELPERTUS, cognomento *Crassus*, Mediolanensium Archiepiscopus circa annum DCCCIV. factus est. Pipinum Caroli M. filium hospitio accepit, & morienti piè ministravit; Bernardum in Italia Regem coronavit. Obiit anno DCCCXIV. Plura de eo docebit Ferd. Ughellus *Ital. Sacr.* Tom. IV. pag. 106. Sententiam ejus, ut & plurium aliorum istius temporis Episcoporum, de Baptismo, per Epistolam rogaverat Carolus Magnus. In cujus gratiam librum *de Baptismo* condidit Oldibertus noster. Habetur MS. in Bibliothecæ Augiensis codice, unde Epistolam præfatoriam, & libri capitum XXII. lemmata extulit Joan. Mabillonius *Analect.* Tom. IV. pag. 317.

806. Vit. Niceph. ab Ignatio Diac. conscript. Græc. Lat. ap. Heinschen. ad Mart. 13. conf. Häch. de Script. Byz. p. 223. NICEPHORUS, Patriâ Constantinopolitanus, Theodori, Constantini Copronymi notarii, & ob imaginum cultum bis in exilium pulsi, ac Eudociæ filius. Ingenium à natura nactus sublime, & magnarum rerum capax, omni id disciplinarum genere diligenter excoluit. Inde Constantino Aug. ejusque matri Irenæ à secretis erat: & anno 787. in secundâ Synodo Nicænâ imaginum venerationem strenuè promovebat; verùm vitæ aulicæ pertæsus, ad Monasticum institutum in Monasterium quoddam è regione Bosphori Thracii situm secessit. Tandem anno 806. mortuo Tarasio, ipse April. XII. ad Patriarchalis dignitatis apicem evectus est. Anno 811. ad Leonem III. Pontificem Romanum pro Ecclesiarum more literas dedit: quem morem Nicephorus Imp. quoad vixit, intercidit. Anno 814. exeunte Leo Armenius edicto publico imaginum cultum prohibuit. Leoni hâc in re, quantum in se erat, restitit Nicephorus Patriarcha; quem cùm nullis monitis, nullis consiliis, flectere poterat Imperator, Patriarchali sede XIII. Mart. anni sequentis depositum, in exilium egit. Primò ad Monasterium quod ipse condiderat, ac *Bonum* vocaverat, se contulit; mox in aliud Monasterium à se itidem in Proconneso Propontidis insulâ exstructum deportatus est: ubi ad extremum usque obitûs diem delituit, qui ipsi contigit die II. Jun. anno 828. quamvis Latini die XIII. Martii memoriam ejus celebrare soleant. De stylo ejus en Photii * judicium, ἔστι δὲ τὴν φράσιν ἀπέριττός τε καὶ σαφὴς καλλιλεξίᾳ τε καὶ συνθήκῃ λόγου οὔτε λελυμένῃ, οὔτε αὖ πάλιν συμπεπιεσμένῃ, περιέργως κεχρημένος; ἀλλ' οἵα ἂν χρήσαιτο ὁ ῥητορικὸς ὡς ἀληθῶς καὶ τέλειος ἀνήρ· τό τε γὰρ νεωτεροποιὸν ἐκκλίνει, καὶ τὸ ἀρχαιότροπον καὶ ἐξησκημένον οὐ παρατρέχει· ἔτι δὲ καὶ ἡδονῇ κέκραται αὐτοῦ σὺν χάριτι τοῖς λόγοις. *Nihil stylus habet supervacaneum aut obscurum; verborum delectu, orationisque compositione, neque nimis dissolutâ, neque contra nimis astrictâ, anxiè est usus; sed qualia adhiberet rhetor quivis, vel consummatissimus orator. Vitat enim recens ficta, neque antiquitate usque probata præterit. Jucunditas adhac, illi gratiam conciliat in dicendo.* Addit denique illum plerosque, qui antecesserunt, in conscribendâ historiâ superando obscurare, nisi quòd nimiâ brevitate non videatur omnes venustatis partes explevisse. SÆC. IX. ab An. DCCC.

* Cod. 66.

SCRIPTA.

Breviarium Historiæ, à cæde Mauricii usque ad an. 769. deductum. Primus id in lucem eruit, & cum versione suâ & notis edidit Gr. Lat. Dionysius Petavius *Paris.* 1616. 8°. qui etiam Fragmentum de Constantini Copronymi Vitâ & Exitu, quod apud Theophanem in Codice Cardinalis Joiisæ reperit, Gr. Lat. addidit: & quamvis stylus Breviarii stylo dissimilis videatur, ejusdem tamen Autoris, alterius licèt Operis Ἀποσπασμάτιον censeri potest. Prodiit iterum utrumque Opus Gr. Lat. Theophylacti Simocattæ Historiæ subjunctum, *Paris.* 1648. fol.

Chronologia Tripartita, sive Regum, Patriarcharum, &c. Habetur Latinè ab Anastasio versa, & Historiæ suæ intexta; Græcè verò à Scaligero primùm edita ad calcem Chronici Eusebiani, Gr. Lat. cum notis Jacobi Goaris, Syncelli Chronico subnexa, *Paris.* 1652. fol.

Epistola prolixissima ad Leonem Papam, Confessionem fidei continens. Extant Gr. Lat. à Commelino edita cum Actis Synodi Ephesinæ *Heidelberg.* 1591. unà cum Zonarâ *Paris.* 1620. denique Concil. Tom. VII. p. 1205.

Opuscula IV. adversùs Iconomachos, Lat. à Canisio edita Antiqu. Lect. Tom. IV. pag. 253. & Biblioth. Patr. Tom. XIV.

Canones breviculi XVII. Extant Gr. Lat. in Jure Gr. Rom. lib. 3. p. 195. apud Zonaram, & Concil. Tom. VII. p. 1297.

Canones alii XXXVII. Gr. Lat. cum notis apud Coteler. Monument. Eccl. Græc. Tom. III. p. 445.

Epistola Interrogationes de re Canonicâ XVII. ac totidem Responsiones continens. Gr. Lat. ibid. p. 453.

Στιχομετρία, seu *Indiculus librorum Canonicorum, Ecclesiasticorum, & Apocryphorum*, appositis στίχοις, seu versuum numero, quibus quilibet liber constat. Eam tamen Nicephori nostri non esse inde probat ὁ πάνυ Pearsonus *, quòd etsi Chronographiæ Nicephorianæ utplurimùm adnexa sit, in nullo tamen Codice MS. nec ullo Veterum testimonio, Nicephoro disertè adjudicatur. Autoris tamen esse Nicephoro coævi vel inde patet, quod ab Anastasio Romano in linguam Latinam versa sit. Extat Gr. ad calcem Chronographiæ in omnibus editionibus.

* Vindic. Ignat. pag. 1.

Ἀντιῤῥητικῶν *adversus Iconomachos libri* III. Opus spissum ac prolixum, cujus ampla satis Fragmenta Gr. Lat. edidit Fr. Combefisius Auctar. *Paris.* 1648. viz. Vindicationem testimonii S. Asterii. ex libro 2. Tom. I. p. 267. aliud versùs Iconomachos ex libro 3. ibid. p. 277. aliud de Sex Synodis ex libro 2. ib. Tom. II. p. 603.

ANDREAS Gente Italus, Patriâ Lucensis, Gundualdi civis Lucensis ipsius Walfridi cognati & socii filius. Palatioli in Tusciâ Abbas tertius, claruit circa annum DCCCVI. Scripto consignavit vitam I. Walfridi, Palatioli in Tusciâ Abbatis primi. Primus eruit Godefr. Henschenius ad diem XV. *Februar.* & ex eo Mabillonius *Sec. Benedict.* III. Part. II. p. 196. 806. P. II.

STEPHANUS Byzantinus, Presbyter an Monachus incertum, claruit anno DCCCVI. Condidit Vitam & Martyrium S. Stephani Junioris, qui claustro in colle S. Auxentii inclusus LX. annos eo in loco exegerat. Quem, cùm Constantino Co- 806. P. II.

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC. Copronymo, in causâ Imaginum vitæque Monasticæ, fervidè nimis se opponeret, variè excruciatum, neci tradidit Imperator anno DCCLXIV. ut disertè Cedrenus pag. 465. licèt Theophanes id referat ad ann. DCCLVII. Ab hujus morte XLII. annos se vixisse testatur Auctor noster, qui hùc atque illùc circumiens, omnia quæ de Stephano Martyre à teneris unguiculis usque ad obitum, ab ipsius parentibus, amicis, consanguineis, convivis, contubernalibus, & discipulis disci poterant, collegit, & scripro mandavit. Incipit hæc Vita, Ἀγαθὸν καὶ δίκαιον, καὶ πᾶσι τοῖς εὐσεβεῖν. Vide omninò L. Allat. *de Simeon.* pag. 80. Erat etiam Stephanus Byzantinus libri περὶ πόλεων auctor, quem, imperante Anastasio, in compendium redegit Hermolaus Grammaticus. Verùm is longè antiquior fuit, & religione Gentilis.

808. JOSEPHUS, Theodori Studitæ frater, & eorundem pro Iconoduliæ causa studiorum & laborum particeps, inde etiam *Confessor* dictus. Archiepiscopus Thessalonicensis ante annum 808. factus, cùm fratrem imitatus seditiones Constantinopoli moveret, & Nicephoro Patriarchæ communionem protervè renunciaret, anno 809. sede sua motus est; & in exilium missus. Obiit post annum 816. Extat *Oratio in Exaltationem venerandæ & vivificæ Crucis* Gr. Lat. apud Gretser. de Cruce Tom. II. pag. 1200. & Epistola ad Simeonem Monachum Lat. apud Baronium ad an. 808. num. 22. Jambi contra Iconomachos ab eo compositi interierunt.

810. IGNATIUS, arte Grammaticus, Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus & Sceuophylax, Tarasii Patriarchæ discipulus, demùm Nicænorum Metropolita. Claruit anno 810. Vixit saltem ad annum usque 828. quo Nicephoro Patriarchæ funebri oratione parentavit. Scripsit *Vitam Tarasii Patriarchæ*, quæ Latinè extat apud Surium & Bollandum Februar. XXV. *Vitam etiam Nicephori Patriarchæ*, quæ habetur Gr. Lat. apud Henschenium & Papebrochium cum notis utriusque Mart. XIII. Item teste Suida *Elegos* ἐπιτυμβίους, Jambos in Thomam Entarten, epistolas aliaque plura, quæ interierunt.

810. SMARAGDUS, Abbas S. Michaelis ad Mosam in Diœcesi Virdunensi, Hermengaudo Abbati successit post annum 805. ante annum verò 810. Non me latet quidem eum vulgò ad annum 980. detrudi, & Smaragdi nostri Opera Smaragdo cuidam juniori S. Michaelis in Saxoniâ Abbati, qui sub Othonibus Impp. floruit, ascribi. Verùm præterquàm quòd Smaragdum nostrum doctrinâ enituisse, & libris condendis incubuisse constet, cùm de Smaragdo Saxone nil certi pateat, prætetquàm etiam quòd Smaragdi scripta omnia Sæculi istius genium ac studia planè sapiant: manifestò liquet *Viam Regiam* à Dacherio editam Smaragdo nostro deberi, tùm quòd Ludovico Regi, postea Imperatori, nuncupetur, tum quòd Codex MS. cujus meminit Holstenius in literis ad Dacherium, ante Smaragdi Saxonis ætatem exaratus fuerit. Tanta autem inter *Viam Regiam*, & *Diadema Monachorum* intercedit similitudo styli, methodi, rerum, ac verborum ferè, ut utrumque Opus unius ejusdemque Autoris fœtum esse facilè pateat. Smaragdus noster anno 810. Romæ interfuit Collationi inter Leonem Papam & legatos Caroli M. de Processione Spiritûs S. habitæ, ejusque Acta literis consignavit. Anno 824. unà cum Frothario Episcopo Tullensi, Ismundo Abbati Mediolanensi & inimicis Monachis à Ludovico Imp. judex datus est. Quando obierit, non liquet.

SÆC. IX. ab An. DCCC.

SCRIPTA.

Commentarius (seu *Postilla*) *in Evangelia & Epistolas in Divinis Officiis* per anni circulum legenda ex SS. Patribus collectus. Prodiit *Argentorati* 1536. fol.

Diadema Monachorum ex sententiis Patrum contextum. Prodiit *Antverp.* 1540.

Commentarius in Regulam S. Benedicti. Prodiit *Colon.* 1575.

Via Regia, Capitibus distincta XXXII. à Dacherio edita Tom. V.

Epistola Caroli M. ad Leonem III. Papam de Processione Sp. S. à Smaragdo scripta perhibetur. Extat Concil. Tom. VIII. p. 1199.

Acta Collationis Romanæ de Processione Sp. S. anno 810. Habentur ibid. p. 1194.

Grammatica Major, seu Commentariorum in Donatum libri XIV. Extat MSS. in Bibliothecâ Corbeiensi. Prologum videre est apud Le Cointe ad an. 824. num. 75.

AMALARIUS, seu Amalharius, *Fortunatus* dictus, anno 810. Archiepiscopatum Trevirensem obtinuit. Anno 811. à Carolo Imp. ad imbuendos fide Christiana Saxones Transalbianos legatus est; ubi fundatâ Ecclesiâ Hamburgensi, anno sequenti in Gallias revertitur; & ad encyclicas Caroli de Baptismo literas scripto libello responsum dedit. Anno 813. Constantinopolim ad pacem cum Græcorum Imperatore confirmandam missus est. Anno 814. ex Oriente reversus, paulò post diem obiit. Extat inter Opera Alcuini *Liber de ratione rituum S. Baptismatis*, Alcuino falsò inscriptus, quippe integro octennio post illius mortem, & ab Episcopo quodam, scriptus, quem quidem Amalarium fuisse ex Codicis Petaviani authoritate constat. 810.

HATTO, natione Germanus, in Monasterio Augiæ majoris educatus, ejusdemque Cœnobii Abbas, tandem Episcopus Basileensis, claruit anno 811. quo ad Nicephorum Græcorum Imperatorem à Carolo M. unà cum Hugone Turonensi, aliisque, legatus, cum illo pacem sancivit, & certos limites utriusque Imperii definivit. Anno 812. unà cum legatis Michaelis Imp. ad Carolum in Occidentem rediit. Obiit anno 836. ipse tamen adhuc vivens, senio gravatus, Huldrico Episcopatum tradidit. Extat *Capitulare* Presbyteris suæ Diœceseos præscriptum, docens quomodo plebem ipsis commissam castè & justè regerent, Canones XXV. complexum apud Dacherium Spicileg. Tom. VI. & Concil. Tom. VII. p. 1522. *Liber de Visionibus*, sive *de Vitâ Wettini Monachi* Augiensis, prodiit, unà cum Visionibus Hildegardis, & aliorum Visionariorum, *Paris.* 1513. fol. & apud Mabillon. Sæc. Benedict. IV. par. 1. pag. 263. *Hodœporicon* sive *itinerarium* ab eo scriptum de Legatione suâ CP. dudum interiit. 811.

AMALARIUS, Metensis Diaconus, &, ut nonnulli volunt, Episcopali infulâ tandem donatus, rectiùs verò Metensis Chorepiscopus. Certè anno 825. Amalarius quidam incertæ sedis Episcopus, à Synodo Parisiensi ad Ludovicum Imp. Aquisgranum missus est, ut ad eum Collectiones ex Patrum scriptis de Imaginibus deferret. Utut sit, Amalarius Diaconus claruit ab an. circiter 812. usque ad an. 836. & forsan diutiùs. Post annum 827. à Ludovico Imp. ad Gregorium IV. Papam legatus est: nec de eo quid amplius liquet. 812.

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC.

SCRIPTA.

De Divinis sive Ecclesiasticis Officiis libri IV. ad Ludovicum Imp. circa an. 827. certè post an. 819. scripti. De hoc Opere sic Bostonus Buriensis. Scripsit Amalarius ad Ludovicum Regem de Officiis Eccl. libros IV. quorum principium (*Gloriosissime*) finis, (*Orationes.*) Unde liquet postrema duo 41. libri capita adjectitia esse; sicut nec in Indice Capitulorum 4. libro præfixo ea comparent. Inde etiam patet alterius cujusdam esse assumentum prolixum illud Supplementum, quod edidit Mabillonius Analect. Tom. II. p. 96. & in Biblioth. Patr. Tom. XIV. pag. 934. Hos Amalarii libros in compendium redegit Willielmus Malmsburiensis, cujus Abbreviatio hodie MS. extat; qui in fine hanc de his libris censuram tulit; "Si de Compendio vis scire, significationes Missæ, legas versus Hildeberti priùs Cenomanensis Episcopi, posteà Turonensis Archiepiscopi. Significationes Sacrarum Vestium & cæterorum id genus, Sermones Ivonis Carnotensis Episcopi: Hi enim Viri talia videntur intellexisse perspicaciùs, & texuisse pulchriùs. Cæterum de varietatibus Officiorum, alium frustra desiderabis quàm Amalarium: Fuerit fortassis aliquis qui scripserit disertiùs, nemo certè peritiùs.

De Ordine Antiphonarii liber, post annum 827. scriptus. Extat unà cùm quatuor libris de Divinis Officiis, inter alios ejusdem argumenti Scriptores *Paris.* 1610. fol. pag. 305. 503. & in Bibliotheca Patr. Tom. XIV. p. 1032.

Ecloga in Canonem Missæ, à Baluzio edita Capitular. Tom. II. p. 1352.

Epistolæ aliquot ad Episcopos, à Dacherio evulgatæ Spicileg. Tom. VI. p. 164.

Regula seu Institutio Canonicorum, Ludovici Imp. [qui & librorum copiam ei ex Palatio Aquisgranensi suppeditavit] jussu, ex veterum Patrum & Conciliorum scriptis ac decretis collecta, & in usum Occidentalium Ecclesiarum concinnata, in Concilio Aquisgranensi anno 817. lecta, approbata, & Synodicâ authoritate confirmata. Constat Capitulis CXIII. quibus ipsi Patres Aquisgranenses alia XXXII. addiderunt. Habetur Concil. Tom. VII. p. 1313.

813. Vit. Theod. Stud. per Michael. Monach. & Ep. Theod. ap. Baron. Tom. IX. passim.

THEODORUS, *Studites* à Monasterio, cui præfuit, dictus, Patriâ Constantinopolitanus, natus est anno 759. Anno 781. in Monasterium Saccudiorum in suburbano CP. situm secedens, Platonis Abbatis disciplinæ se submisit. Anno 794. Platone fasces sponte deponente, Monasterii Præfecturam suscepit Iconomaniæ perditissimè addictus, imaginum causam nullâ pietatis erga Deum, aut obsequii erga Principes ratione habitâ strenuè satagendo, maximum sibi in Urbe rerum novarum cupidâ nomen, summam apud Monachos Græcos bipedum eo tempore procacissimos, venerationem brevi comparavit. Hinc superbiâ inflatus, regimini ecclesiastico, ac rebus maximi momenti, illotis manibus, sese immiscere cœpit: cùmque anno 795. Constantino Imp. Mariam Aug. repudiante & pellicem superinducente, Tarasius Patriarcha remissiùs agere videretur, ipse Imperatori anathematis fulmen incutere, & probris gravissimis incessere, ausus est: Tarasio quinetiam communionem renunciavit, & horrendi schismatis in Ecclesiâ CP. excitandi fovendique Monachis autor fuit. Anno igitur sequente à Constantino Imp. Thessalonicam relegatus, petulantiam exilio luit. Anno 797. Constantino Imp. Irenes matris insidiis sublato, Theodorus Constantinopolim solenni pompâ reducitur, ac maximam init gratiam apud scelestissimam mulierculam, cui ipse vir ad fœdissimas assentationis artes totus compositus, modis omnibus blandiri, eamque divinis propemodum elogiis evehere, non erubuit. Anno 798. Monasterio Studio intra Urbem sito præfectus est. Anno 806. Nicephoro ex sorte Laicâ in Patriarchatum CP. evecto, & Josepho Abbate, qui illicitis Constantini nuptiis olim benedixerat, post novennium in pœnitentiâ exactum ad Ecclesiæ communionem à Synodo CP. restituto, Theodorus intemperiis iterum actus, rem utramque causatus, cœlum terrâ miscuit, Synodum, Patriarcham & Imperatorem Nicephorum, diris devovit, seditioni classicum ubique cecinit; & à Patriarchæ communione se sejungens, septingentos ampliùs Monachos secum in schisma pertraxit: quin & à Leone Papâ ob effrænem animi impotentiam objurgatus, literas superbiæ & irarum plenas rescripsit. De Papâ quid ad nos, *inquit*, hoc, an illud, agat? ubi Leonem gravissimis dicteriis insectari pergit. Tantos furiarum æstus exilio coercendos esse censuit Nicephorus Imp. atque adeò anno 809. eum, cum Josepho fratre, & Platone Abbate, in insulam quandam Byzantio proximam amandavit. Anno 811. à Michaele Rangabe, postquàm Nicephoro Patriarchæ in gratiam rediens morem gessisset, carceris libertatem nactus est. Anno 813. pro Iconoduliæ causâ ærumnas pati, adeóque glorioso Confessoris titulo ab asseclis insigniri cœpit. Cùm enim impiam Iconolatrarum superstitionem edicto publico compesceret Leo Armenius Imp. Theodorus statim Monachis turbonibus stipatus, omnia susque déque movere cœpit, optimum Principem calumniari, imaginum processiones in publico celebrare, Hymnos Iconolatricos palàm in foro ac triviis cantare, Imperatori obsequium renunciare, populum subditis turbarum flabellis ad seditionem ciere. Tantum furorem solo exilio mulctavit clementissimus Imperator, cùmque hominis protervіam nulla ratione coerceri posse animadverteret, Mesopam prope Apollonium eum in carcerem, lenem illum quidem, nec adeò arctum, duci jussit. Hîc loci positus, Encyclicas quasi literas contra Leonem Imp. minarum, contumaciæ & dirarum plenas quaquaversùm mittere non cessavit. Per varios igitur carceres hinc inde deportatus, tandem anno 819. Smyrnam ductus, arctiori custodiæ mancipatus est. Anno 821. à Michaele Balbo Imp. exilio solutus, ad Monasterii sui Præfecturam, & solitas insaniendi artes se contulit. Anno 824. cùm Michael Imp. nil sævum contra Iconomachos spiraret, indignatus Theodorus, Thomæ tyranno contra Imperatorem arma rebellia moventi apertè favit: eo autem in ordinem à Michaele præter spem redacto, Constantinopoli excedere necesse habuit. Postquàm varia igitur loca exulis ad instar circumerrâsset, in Chalcite insulâ tandem consedit: ubi demum anno 826. die XI. Novembr. diem supremum obiit, ætatis anno 67. Vir erat supra communem literatorum sortem eruditus, in quovis ferè scientiarum genere non mediocriter versatus: verùm immodico planè erga imaginum cultum zelo abreptus, in omnes Iconomachos, ipsos etiam Imperatores ad ravim usque debacchatus est. Multa de eo, ejusque certaminibus & miraculis refert Michael Monachus, qui fabulas fabulis nectere amat; ut ex iis quæ apud Baronium habentur, cuivis præjudiciis non occœcato abundè constat.

Digitized by Google

OPERA.

Sermones Catechetici CXXXIV. prodierunt Latinè ex versione Joannis Livineii *Antverp.* 1602. 8°. Habentur Græcè MSS. inter Codices Baroccianos in Bibliothecâ Bodleianâ, & in Bibliothecâ Paulinâ Lipsiensi, (Repositor. Theolog. Ser. 3. fol. num. 31.) Sermones Theodori Catechetici CCXX.

Testamentum ad Discipulos; In eo notabit prudens Lector vecordem hominis erga Sanctorum imagines animum, quarum cultum in eadem fidei Confessione sacratissimis fidei mysteriis accenset, & uno eodemque Spiritu se in SS. & Consubstantialem Trinitatem credere, & sacras venerandasque imagines amplecti & adorare, Sanctorumque reliquias colere profitetur. Statum Monasticum pro Sæculi sui genio, ultra quàm par est extollit. De cætero plurima pia documenta tradit omnibus, præcipuè Ordinis Ascetici Consecraneis utilissima. Latinè olim transtulit Jac. Sirmondus, cujus versionem Annalibus suis inseruit Baronius ad an. DCCCXXVI. prodiit etiam ex Joannis Livineii versione unà cum *Sermonibus Antverp.* 1602. exinde translatum in Biblioth. Patrum Tom. XIV. Extat penes me Græcè ex MSS. Codice Lipsiensi descriptum, quod adjunctâ Sirmondi versione prælo paratum hoc quidem loco edere statueram. Verùm cùm Opus, quod præ manibus habebam, in nimiam molem excrescere viderem, satius abstinendum duxi, præsertim cùm Latinè locis citatis haberi possit.

Sermo in Dominicam quartam Quadragesimæ. Lat.

Fragmentum ex Epistolâ IV. ad Naucratium, de Hæresibus & schismate agens. Lat.

Fragmentum Epistolæ ad Gelasium ex Monasterio profugum. Habetur Lat. apud Turrian. lib. II. de votis Monast. Opuscula hactenus enumerata reperiuntur Latinè in Bibliothecâ Patr. Tom. XIV. p. 830.

Canon seu Hymnus, Odis novem constans, qui canitur in erectione SS. Imaginum. Ex Græcorum Triodio desumptum extat Gr. Lat. apud Baron. ad an. 842. & Latinè in Bibliotheca Patrum p. 830. Verùm Theodori non esse argumento est mentio ibi deprehensa imaginum restitutarum, quod post Theodori mortem demum contigit, nisi potiùs suspicemur hæc de Imaginibus restitutis ab aliis defuncto jam Theodoro addita fuisse.

De honore & adoratione SS. Imaginibus exhibendâ. Prodiit unà cum Damasceni Orationibus de eodem argumento, Lat. *Antverp.* 1556. Græc. *Romæ* 1553.

Oratio in adorationem & exaltationem pretiosæ & vivificæ crucis mediâ Quadragesimâ habitâ. Extat Græc. Lat. apud Gretser. Tom. II. de Cruce p. 1405.

Encomium de Vitâ & Operibus S. Platonis Confessoris. Habetur Lat. apud Surium die XVI. Decembris.

Encomium Bartholomæi Apostoli, à Dacherio Lat. editum Spicileg. Tom. III.

Epistola ad Naucratium de digamis, habetur Græc. Lat. apud L. Allatium de Consensu l. III. c. 13. §. 13.

Epistola ad Gregorium filium, Græc. Lat. ibid. l. III. c. 16. §. 10.

Fragmentum Epistolæ ad Arsenium, quo objectio adv. Concilium Nicænum II. continetur. Extat apud Baron. ad ann. 787. num. 91.

Fragmentum Epistolæ ad Petrum Nicænum, Lat. ibid. num. 98.

Epistola ad Stephanum Secretarium, Lat. ib. ad an. 795. num. 86.

Epistola ad Nicephorum Consobrinum, Lat. ibidem num. 88.

Epistola ad Stephanum Lectorem, Lat. ibid. ad ann. 787. num. 92.

Epistolæ II. ad Platonem de exilio suo, Lat. ad ann. 796. num. 5. 6.

Epistola Panegyrica ad Irenen. Aug. Lat. ad ann. 801. num. 24.

Epistola ad Nicephorum Imp. de successore Tarasio Patriarchæ substituendo, Lat. ad ann. 806. num. 4.

Epistola ad Nicephorum Patriarcham, Lat. ibid. num. 18.

Epistola ad fratres Monasterii Saccundionis, Lat. ad an. 808. num. 4.

Quamplurimas alias ejus Epistolas Annalibus suis insertas Latinè exhibet Baronius Annal. Tom. IX. ab anno 808. ad an. 826.

Multa sanè Opuscula, Homilias, Epistolas, Poëmata & Tractatus Theodori enumerat Michael Monachus apud Baronium ad ann. 798. quæ cùm neutiquam jam compareant, pro deperditis haberi possint; nisi quòd spissus satis Epistolarum Codex penès Baronium fuerit, ex quo Epistolas supradictas à Sirmondo Latinè versas desumpsit, & in Annalibus suis exhibuit.

NAUCRATIUS Monachus Constantinopolitanus, Cœnobii Studiensis Alumnus, Theodori Studitæ Discipulus, Iconolatra perditissimus, claruit anno DCCCXIII. Ob summam in asserendo Imaginum cultu pervicaciam, non unâ vice in carcerem conjectus est, verberibus aliisque malis affectus, de quibus apud Præceptorem suum sæpiùs conqueritur; à quo non unas Consolatorias accepit literas, quas apud Baronium reperire licet. Anno DCCCXVI. carceri adhuc mancipatus, exinde post triennium solutus est; quo tempore diem obierit, non constat. Certum est ipsum Theodoro superstitem fuisse. Scripsit ad Fratres Spirituales hinc inde dispersos, *Epistolam* seu *Tractatum* potiùs satis prolixum, in quo de persecutionibus, quas passi sunt Εἰκονοφίλοι, agit, & summas Theodori Studitæ recens defuncti laudes, & longè supra humanæ sortis captum encomia, ad nauseam usque fusè prosequitur. Extat penès me MS. hic libellus ex codice Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis descriptus. Integram Epistolam [neque enim tanti est] huic loco inserere supersedebo. Initium duntaxat, & pauca quædam ineptissimi Encomii Specimina Græc. Lat. lectori ob oculos ponam, ex quibus de cæteris judicabit prudens lector. 813.

Digitized by Google

Persecutionem propter Dominum sustinentibus, ac ubique dispersis, Spiritualibus Fratribus Patribusque, Naucratius Peccator Monachus S.

HActenus honoratissimi ac charissimi Fratres ac Patres humiles vilesque distuli literas, diem ex die decurrens, ac mecum ipse tristitiam retinens: Id porro multis de causis feci, quas neque puto, honoranda vestra Charitas, ignoraverit: In primis autem, quod non ferrem molesti vobis ac acerbi casûs, nuncius esse, nempe dormitionis beati ac præclari Patris nostri. At postquam, ut video, non hic tantùm, sed & longiùs positos, nova hæc turbavit auditio; ut & plerisque difficile creditu videatur, ut verè Domini famulus ab humanis translatus sit; haud verò arbitror, ut quod ipsi ex quadam reverentia & metu subticuimus ad vos non pervenerit; necessitate ad scribendum processi; jam planiùs, quanquam nolens, renunciaturus; quod utique ex aliorum jam relatu audistis: nec planè sine querulis lamentationibus, ac lachrymis. Quis enim, quanquam saxeo corde, non ferventes profundat lachrymas, communem Ecclesiæ Dei jacturam reputans? Quis verò usque adeò adamantinum pectus habeat, nisi omnino excessit naturæ fines, ut non inexpectatâ auditione percussus faciat patiaturque quod humanum est? Sed heu me miserum: in quale infœlix tempus servatus sum? Quidnam verò illud afflictæ vitæ meæ, erat repositum, ut ejus mortem essem annunciaturus, qui non sibi vixisset, sed Christo? Planè, verò, obdormivit Pater communis------Ille prorsus, & Discipulus Christi & imitator: Vas illud Electionis, os illud Ecclesiæ; Sacerdotum decus; fidei columen; Regula Monachorum; Evangelicus Pastor; Pectus Apostolicum; eximius Confessor; Martyr Proposito; Sol fidei Orthodoxæ; orbis Doctor;------vocalissimus ille veritatis Præco; jugis doctrinæ scaturigo; cui velut innumerabilis ad gubernationem in finem divini propositi esset intellectus; admirabilis ille consiliarius; fidelis dispensator Sacramentorum Dei; Civis cœlestis Jerusalem; mens purgata; aureus animus; pœnitentiæ janua; fons dogmatum; bene modulata Spiritûs lyra; beatæ ac principis Trinitatis Domicilium;------terrestris ille Angelus, & homo cœlestis; mundissimum illud virginitatis templum; multiplex ille ac multiformis volubili sapientia Spiritûs intensissimus conjector; verus Christi famulus, Corporis Christi pulchro supercilio oculus; patientiæ pugil; hæresisque Iconomachorum victor: justitiæ armatura; eleemosynæ fons; diligens Domini legum custos; thesauri virtutum penu, dulcis sermone; & ad salutandum facilis.

Τοῖς διὰ κύριον δεδιωγμένοις, καὶ πανταχοῦ διεσπαρμένοις πνευματικοῖς, ἀδελφοῖς καὶ πατράσι Ναυκράτιος ἁμαρτωλὸς μόναχος.

Ἕως μὲν τοῦ παρόντος, ἀδελφοί μου τιμιώτατοι καὶ πατέρες ἀνεβαλλόμην τὸ ταπεινὸν γράμμα, ἡμέραν ἐξ ἡμέρας διεξερχόμενος, καὶ κατ' ἐμαυτὸν κατέχων τὸ λυπηρόν· καὶ δὴ τοῦτο πέπραχα διὰ πολλά, ἃ, ὡς οἶμαι, οὐδὲ τὴν τιμιότητα ὑμῶν ἀγνοεῖν, καίγε πρὸ τῶν ἄλλων, μὴ φέρων ἄγγελος ὑμῖν θλιπτικῆς ἐπιφορᾶς γίνεσθαι, λέγω δὴ τῆς κοιμήσεως τοῦ μακαρίου καὶ ἀοιδίμου πατρὸς ἡμῶν. Ἐπεὶ δὲ ὡς ὁρῶ, οὐ μόνον τὰ ἐνταῦθα, ἀλλὰ καὶ τὰ πόῤῥω διεδόνησαι τῷ παραδόξῳ τοῦ ἀκούσματος, ὡς καὶ τοῖς πλείοσι δύσπιστον γίνεσθαι, εἰ ἄραγε μετέστη τῶν ἐνθένδε ὁ τοῦ κυρίου θεράπων? οὐκ οἶμαι δὲ, μὴ καὶ πρὸς ὑμᾶς καταλαβεῖν τὸ παρ' ἡμῶν αἰδοῖ ὑποσιωπώμενον, ἀναγκαίως ἐπὶ τὸ γράμμα ἦλθον, ἄρτι ὑμῖν ἐνεργέστερον, καὶ μὴ βουλόμενος ἀναγγέλλων τὸ καὶ παρ' ἑτέρων προακουσθὲν, καὶ τοῦτο οὐκ ἀπονητὶ, οὐδ' ἀδάκρυτι. Τίς γὰρ ἂν εἰ καὶ λιθίνην ἔχων τὴν καρδίαν οὐκ ἀποστάξειε δάκρυον θερμὸν τὴν κοινὴν ζημίαν τῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας ἀναλογιζόμενος; ὁποίαν δὲ ἀδαμαντίνην ψυχὴν κεκτημένος, εἰ καὶ μὴ παντελῶς ἔξω τῶν ὅρων γεγονὼς, ὃς οὐ πληγήσεται τῷ ἀποσδοκήτῳ τῆς ἀκοῆς, καὶ τὰ τῆς φύσεως δράσειεν; ἀλλὰ φεῦ τῆς ἐμῆς ταλαιπωρίας, εἰς οἷον τετήρημαι δύστηνον καιρὸν, καὶ ὁποῖον ἀπέκειτο μου τῇ μοχθηρᾷ ζωῇ, θάνατον ἀναγγεῖλαι τοῦ μὴ ἑαυτῷ ἐζηκότος, ἀλλὰ Χριστῷ; καὶ ὄντως ἀληθῶς κεκοίμηται ὁ κοινὸς Πατὴρ ἡμῶν---ὁ τοῦ Χριστοῦ ἀληθῶς καὶ μαθητὴς, καὶ μιμητὴς, τὸ σκεῦος τῆς ἐκλογῆς, τὸ στόμα τῆς ἐκκλησίας, τὸ κλέος τῶν ἱερέων, Τὸ τῆς πίστεως ἔρεισμα, ὁ τῶν μοναζόντων κανὼν, ὁ εὐαγγελικὸς ποιμὴν, ἡ ἀποστολικὴ καρδία, τῶν ὁμολογητῶν ὁ ἐξαίρετος, ὁ προαιρετικὸς μάρτυς, ὁ τῆς ὀρθοδοξίας ἥλιος, ὁ οἰκουμενικὸς διδάσκαλος------ὁ μεγαλοφωνότατος τῆς ἀληθείας κήρυξ, ὁ ἀέναος τῆς διδασκαλίας βρυτὴρ, ὁ μυριόνους τῇ θεοσκόπῳ κυβερνήσει. ὁ θαυμαστὸς βουληφόρος, ὁ πιστὸς οἰκονόμος τῶν τοῦ Θεοῦ μυστηρίων, ὁ τῆς ἐπουρανίου Ἱερουσαλὴμ πολίτης, ὁ κεκαθαρμένος νοῦς, ἡ χρυσοειδὴς ψυχὴ, ἡ τῆς μετανοίας θύρα, ἡ τῶν δογμάτων πηγὴ, ἡ εὔηχος τοῦ πνεύματος λύρα, τὸ ἐνδιαίτημα τῆς μακαρίας καὶ ἀρχικῆς Τριάδος------ὁ ἐπίγειος ἄγγελος, καὶ οὐράνιος ἄνθρωπος, ὁ τῆς παρθενίας ναὸς καθαρώτατος, ὁ πολλοσὸς καὶ πολυειδὴς τῇ ποικιλοστρόφῳ σοφίᾳ τοῦ πνεύματος, ὁ ἐπιτεταγμένος στοχαστὴς, ὁ γνήσιος Χριστοῦ ὑπηρέτης, ὁ καλλιβλέφαρος ὀφθαλμὸς τοῦ Χριστοῦ σώματος, ὁ τῆς ὑπομονῆς ἀθλητὴς, καὶ τῆς Εἰκονομαχικῆς αἱρέσεως νικητὴς, τὸ τῆς δικαιοσύνης ὅπλον, ἡ τῆς ἐλεημοσύνης κρήνη, ὁ ἀκριβὴς τοῦ κυρίου νομοφύλαξ, τὸ θησαυροφυλάκιον τῶν ἀρετῶν, ὁ τὸν λόγον ἡδὺς, καὶ τὴν προσηγορίαν εὐπρόσιτος.

Hæc ineptissimus Encomiastes. Quæ sequuntur ejusdem ferè sunt farinæ, indigna planè quæ Latinè, multo magis Græcè in publicum edantur. Interim siqua labra similes amant lactucas, ex hac Epistolâ nuper à Fr. Combefis. Latinè redditâ, & à novissimis Bibliothecæ Patrum curatoribus insertâ Tom. XIV. pag. 903. famem suam explere possint.

815. AGOBARDUS, gente Gallus, natus (ut ex brevi Martyrologio, ad quod paucula quædam manu suâ adnotasse videtur Agobardus, nos docet * Mabillonius ann. DCCLXXIX. ann. DCCLXXXII. ex Hispania in Galliam Narbonensem venit: anno 813. Leidrado Archiepiscopo Lugdunensi senectute gravato Coepiscopus substitutus est; eoque paulò post in Monasterium Suessionense secedente Ann. DCCCXVI. thronum Lugdunensem deinceps solus tenuit. Anno circiter 818. reperto inter Fœlicis Orgelitani, qui Lugduni in errorem relapsus obiit, tractatu hæretico, eum ab omnibus reprehendendum divulgavit, editoque simul libro ad Ludovicum Imp. Fœlicianos errores & scriptum confutavit. Anno 822. Conventui Attiniacensi interfuit, cùm electioni Tructesindi Abbatis Anianensis ac Gellonensis in Septimania ineunte anno priùs adfuisset. Anno 828. Judæorum, qui edictum ab Imperatore, ne mancipium Judaicum absque domini sui voluntate baptizaretur, impetrarant, insolentiam scripto multiplici repressit; habitoque anno sequente Concilio Lugdunensi, Judæorum audaciam authoritate Imperatoria coerceri datis ad Ludovicum è Synodo literis enixè petiit. Anno 833. adversùs Ludovicum Imperatorem impia movebant arma filii ejus Lotharius & Pipinus, patrem captum Imperio submovent,

* It. Ital. Sect. 14. p. 68.

SÆC.IX. ab An. DCCC. movent, & in Monasterium detrudunt. His inter alios se comitem dedit Agobardus, qui tanto ardore execrandam perduellionem fovebat, ut edita Apologia omnes ingenii facundiæque nervos ad causam hanc tutandam promovendamque intendebat. Viri quidem cæterà optimi factum pessimum, nulla arte, nullis rhetoricis pigmentis excusandum. Anno igitur sequente Lothario ex Galliis à Patre ejecto fugæ comitem se adjungere est coactus. Anno 835. in Conventu apud Theodonis villam habito, cùm ad causam dicendam ter evocatus, comparere recusaret, Præsulatu submovetur, nullo tamen in locum ejus subrogato. Anno 837. relicto Lotharii comitatu, in Galliam reversus, in Ludovici Imp. gratiam receptus est, & sedem suam recuperavit. Anno 840. Ludovicum ad tuendum littus Orientale Rheni fluminis profectum secutus, VIII. Id. Junii apud Sanctonas obiit. Acri erat ingenio, nec vulgari eruditione, quæstionum Theologicarum peritissimus, disciplinæ Ecclesiasticæ Canonumque antiquorum consultissimus Judex, Vindex acerrimus. Sententiæ quam semel imbiberat tenacissimus, in eaque asserenda constans fortisque. Verè de eo Cl. * Baluzius, *Canonum in primis perpetuus & constans defensor, ut gratus; adeò ut etiam Romanos sui temporis graviter perstringat, quod Gallicanos Canones ob eam, si superis placet, causam contemnerent, quòd eos neoterici Romani non condemnaverint, vel quod legati Romani non interfuerint in eorum constitutione. Mirum, si vir ità compositus non incurrißet invidiam hominum ætatis suæ.* Hæc vir, doctrinâ, an candore clarior, haud facile dicas.

* Not. in Agobard. p. 5.

SCRIPTA.

Agobardi Opera per aliquot retrò sæcula tenebris sepulta jacuerunt, sic quidem in æternum mansura; nisi Papirius Massonus in Bibliopegi cujusdam Lugdunensis tabernam fortè ingressus, exemplar eorum Manuscriptum, idque unicum, ut videtur, quod temporis injuriæ superarat, penès eum offendisset. Quod quidem ipse Bibliopegus tanti thesauri ignarus, mox dilacerandum sibi proposuisset. Codicem arripuit Massonus & in lucem emisit, ordine sequenti.

Adversus dogma Fœlicis, ad Ludovicum Imp.

De insolentiâ Judæorum, ad eundem. Judæi qui Imperatoris gratiâ in Galliâ præcipuè Lugduni lares fixerant, insolentiùs adversùs Christianos se gerere cœperunt, horum igitur audaciam & impietatem, hoc & sequentibus aliquot Opusculis, fortiter frangit deprimitque Agobardus.

De Judaicis superstitionibus.

Liber de Baptismo Judaicorum Mancipiorum.

Epistola exhortatoria ad Nibridium Episcopum Narbonensem, de cavendo convictu & Societate Judaicâ.

Liber adversùs Legem Gundobardi, & impia certamina quæ per eam geruntur.

Ad Bernardum Episcopum, de privilegio & jure Sacerdotii.

De Grandine & Tonitruis liber, in quo insulsam & execrabilem vulgi superstitionem hâc in re argumentis tum ex Sacrâ Scripturâ, tum ex naturâ rei petitis acriter coarguit.

Liber contra objectiones Fredigisi Abbatis, qui pravas & insulsas quasdam opiniones, de Christo Domino aliisque nonnullis fidei Capitibus venditarat.

Epistola ad Proceres Palatii contra Præceptum impium de baptismo Judaicorum mancipiorum. Judæi enim partim dolo partim pecuniâ, plura beneficia in Christianorum præjudicium à Cæsare sibi impetrarant, atque illud inter alia, ne mancipia eorum absque dominorum suorum placitis in Christi fidem baptizarentur; unde edicti impietatem meritò redarguit. SÆC.IX. ab An. DCCC.

Epistola ad Bartholomæum Episcopum Narbonensem, De quorundam inlusione signorum, Occasione epidemicæ cujusdam epilepsiæ, aliorumque insolitorum morborum tunc temporis grassantium, quorum causam ex Agobardo petebat Bartholomæus Narbonensis.

Epistola ad Matfredum Procerem Palatii, quâ miserias istius temporis à Judæis in odium Christianæ religionis motas, deplorat, depingit, remediumque ab Imperatore petit.

Epistola ad Lugdunenses, de modo regiminis Ecclesiastici, occasione rixarum inter Ecclesiæ Lugdunensis Clericos de Ecclesia administranda exortarum, natâ.

De Picturis & Imaginibus liber. Sudant hîc & mirè se torquent Scriptores Pontificii; ut Agobardum tanquam sibi faventiorem, saltem non adversantem hâc in parte efficiant. Sed nullis quæsitis coloribus, nullis verborum lenociniis offuscari potest, quod toties disertè asserit, Imagines nullâ veneratione, nullo cultu esse prosequendas. Ingenuè, ut solet, Papirius Massonus Præfat. ad Agobard. *Græcorum*, inquit, *errores de imaginibus & picturis manifestè detegens, negat eas adorari debere; quam sententiam omnes Catholici probamus, Gregoriique Magni testimonium de illis sequimur.* Cautiùs paulò in Notis Steph. Baluzius, qui tamen apertæ veritati non audet refragari, fateturque lubens nil aliud hac in re scripsisse Agobardum, quàm quod omnes tùm in Gallia sentiebant. Multa hac de re ex Theophilo Raynaudo, & Joan. Mabillonio, [qui longis ambagibus futilique explicatione non tam difficultatem tollere, quàm lenire conantur] profert Carolus Cointius ad an. 840. nu. 14. de Sententia propria ne γρὺ quidem addito.

De Dispensatione Ecclesiasticarum Rerum Liber, quo de collapsâ Ecclesiæ disciplinâ in melius reformandâ, præcipuè adversùs sacrilegam redituum Ecclesiasticorum à laicis direptionem, agit, eamque ex primævæ antiquitatis usu, regulisque & Sanctionibus Ecclesiasticis validè refellit.

Liber contra Judicium Dei, sive de Divinis sententiis, cum brevissimis adnotationibus, contra damnabilem opinionem putantium divini judicii veritatem igne, vel aquis vel conflictu armorum patefieri.

Sermo exhortatorius ad plebem, de fidei veritate, & totius boni institutione.

De Divisione Imperii Francorum inter filios Ludovici Imperatoris, flebilis Epistola.

De Comparatione utriusque regiminis Ecclesiastici & Politici, & in quibus Ecclesiæ dignitas præfulgeat Imperiorum Majestati. Huic libello subjungitur *Epistola* Gregorii IV. Papæ *ad Episcopos Regni Francorum.*

Liber Apologeticus pro filiis Ludovici Pii Imperatoris adversùs patrem.

Cartula porrecta Lothario Augusto in Synodo Compendiensi, anno DCCCXXXIII. quam suo nomine suaque manu munitam, [id quod etiam reliqui Episcopi suo quisque nomine præstiterunt] ad approbandam Ludovici Patris depositionem, Lothario Imperatori obtulit.

Epistola ad Ebbonem Episcopum Remensem, De spe, & timore.

De divina Psalmodia liber, quo Ecclesiæ Lugdunensis in cantando morem, adversùs nuperas scioli cujusdam (quem Amalarium Diaconum fuisse vult Baluzius) objectiunculas eruditè defendit.

De Correctione Antiphonarii liber.

Contra quatuor libros Amalarii liber. Hunc librum ex

Digitized by Google

SÆC.IX. ab An. DCCC. ex veteri Codice MS. Petri Marnæsii Senatoris Gratianopolitani, factâ etiam cum Codice Chiffletiano collatione, primus è tenebris eruit, ediditque Baluzius.

Poëmata duo; viz. *Epitaphium Caroli Magni Imperatoris*, & *De Translatione Reliquiarum SS. Martyrum Cypriani*, *Sperati*, &c.

Prodierunt Opera Agobardi curâ Papirii Massoni *Paris.* 1605. 8°. Cùm vero in iis edendis nimiâ libertate usus esset Massonus, à Codice MS. eodem castigatiùs recensita edidit Stephanus Baluzius & Notis illustravit *Paris.* 1666. II. Vol. 8°. quæ quidem pulcherrima est & accurata editio. Hanc editionem expresserunt novissimæ Bibliothecæ Patr. Curatores Tom. XIV. p. 234.

814. Vid. le Cointe ad an. 814. 817. 818. & seqq. HILDUINUS, Waltoni Abbati in Præfecturâ Monasterii San-Dionysiani circa an. 814. successit, postea Abbas S. Medardi prope Suessionem, & S. Germani prope Lutetiam, factus. Anno 818. Archicapellanus Palatii renunciatus est. Anno 824. Lotharium Imp. Romam ad componendas civium seditiones profectum secutus, anno sequente in Galliam rediit, ac corradendis undique Sanctorum reliquiis se totum dedit, missâ Romam ejus rei gratiâ legatione duplici. Maximâ interim gratiâ in Aulâ apud Ludovicum Pium floruit, in regiminis ferè partem ascitus: eò majori pœnâ dignus, quòd tot vinculis obstrictus, inter conjuratos Ludovici hostes anno 830. nomen dare, & Lotharii rebellis partes sequi ausus sit. Abbatiis igitur & dignitatibus meritò spoliatus, in Saxoniam relegatus est. Anno tamen sequente Hincmari precibus in gratiam receptus, Abbatias San-Dionysianam & San-Germanam, uti & biennio pòst Suessionensem, recuperavit. Anno 835. Ludovici Imp. jussu Areopagiticis scribendis se accinxit. Obiit in Monasterio Medardensi circa ann. 842. Scripsit *Areopagitica* seu *de rebus gestis*, *Passione*, *& Scriptis S. Dionysii Areopagitæ*; quæ prout hodie extant, hisce constant partibus.

Epistola nuncupatoria ad Ludovicum Imp. satis prolixa, qua de Authoribus agit, ex quibus Opus suum corrasit: Historiæ totius fidem asserere nititur, & argumenta contraria, ut potest, diluit.

Epistola brevis Præfatoria ad Lectorem, quæ de Authoribus præcipuè Græcis & Latinis, unde sua hauserit, quædam adnotat.

Vita & Passio S. Dionysii, ex Græcorum & Latinorum monumentis, uti præ se fert titulus, & Hilduini fides, collecta & digesta. Verùm haud tanti est Hilduini authoritas. Liquidò enim constat, Hilduinum præterquàm quòd putidissimas fabulas nullo habito delectu admiserit, & quæcunque de pluribus Dionysiis literis consignata reperit, unico Areopagitæ ascripserit, multa de suo, eaque haud melioris notæ, excogitasse, & admiscuisse.

His accesserunt, licèt post Hilduini mortem scriptæ, *Epistola Hincmari Remensis*, atque alia Anastasii Bibliothecarii, de S. Dionysio Areopagita, *Revelatio quinetiam de eodem Stephano* III, Papæ olim facta: præfixo adhuc toti Operi Rescripto Ludovici Imp. ad Hilduinum de concinnandis Areopagiticis.

Extant *Areopagitica Colon.* 1562. & apud Surium Octobr. IX. Cæterùm scripsit etiam Hilduinus libros IV. de Vita S. Dionysii oratione ligatâ, quos in Cœnobio Gemblacensi adhuc MSS. servari testatur Miræus not. ad Sigebert. c. 82.

814. Vid. ipsi Eginh. de EGINHARDUS, natione Germanus, Carolo M. qui obiit anno 814. à secretis, Imperatori suo admodum charus, ac proinde anno 806. princeps Legationis Romam missus est, ut Caroli Testamentum, quod de partitione Regni inter filios condiderat, inter alios ipsius etiam Leonis Pontificis manu subscriberetur. Anno 816. facto inter illum & Emmam conjugem mutuo consensu, ut à thori consuetudine abstinerent, fit Abbas Fontanellensis: illudque regimen per septennium tenuit. Anno 817. Ludovicus Imp. Lotharium filium dignitatis Imperatoriæ consortem ipsi erudiendum tradidit, ut tum de aliis, tum de moribus lapsis corrigendis, illum sedulò commoneret. Anno 819. Abbas Gandensis creatus est, ac Monasterium istud incendio miserè deformatum primo statim aditu restituit: Monachosque hinc inde dispersos revocavit. Anno 826. Reliquias Sanctorum in Monasterii sui usum Româ impetravit: earumque translationem & Miracula ipse literis consignavit. Anno 829. constructo Selingstadii Monasterio, ipse primus Abbatis munus obiit. Anno 836. Emmam conjugem amisit, cujus mortem acerbè deflevit; ut ex consolatoriis Lupi Ferrariensis ad ipsum literis clarè liquet: quo verò anno ipse obierit, nondum mihi compertum. SÆC. IX. ab An. DCCC. Transl. SS. Marc. & Petr. ap. Sur. Jun. 2.

OPERA.

V*Ita Caroli Magni*, eleganti admodùm & florido stylo scripta. Prodiit seorsim *Lipsiæ* 1616. 4°. & *Argentinæ* 1644. 4°. inter Scriptores Germanicos Reuberi *Francofurt.* 1584. fol. pag. 1. Francicos Quercetani Tom. II. & alibi.

De Translatione & Miraculis SS. Marcellini & Petri libri IV. solutâ, & unicus vinctâ oratione conscripti. Extant apud Surium die II. Junii.

Annales rerum gestarum Pipini Regis, Caroli M. & Ludovici Pii ab anno 741. ad ann. 829. Hos Eginhardo nostro tribuunt Viri extra omnem controversiam eruditissimi, Petrus de Marca, Andreas du Chesne, & Petrus Lambecius, qui in Codice Viennensi Vitæ Caroli M. adjunctos invenit. Editi sunt curâ Hermanni Nevenarii unà cum Vitâ Caroli M. *Colon.* 1521. 4°. à Justo Reubero unà cum aliis *Francofurt.* 1584. fol. p. 15. à Pithæo inter Scriptores Coætaneos *Francofurt.* 1594. 8°. denique à Duchesnio Scriptorum Francic. Tom. II.

Epistolæ LXII. à Duchesnio editæ in Appendice ad Tom. II.

Epistola ad Lupum Abbatem Ferrariensem, quæ inter illas Lupi tertium locum tenet.

Libellus de adorandâ cruce, quem sibi ab Eginhardo nuncupatum fuisse testatur Lupus Ferrariensis *, interiit. * Epist. 4.

Chronicon Laurishamense Eginhardo ascribit Andreas Du Chesne. Ei verò perperam tribui pluribus argumentis adversùs Duchesnium ostendit Carolus Cointius ad an. 774. num. 127. &c. & ad an. 792. num. 3.

Denique *Breviarium Chronologicum* ab Orbe condito ad ann. 809. edidit Lambecius Comment. lib. II. c. 5. p. 395. quod ab Eginhardo conscriptum esse contendit, nudis tamen conjecturis ductus.

HETTIUS, seu *Hetto*, sive *Hectus*, post administratam per decennium Cœnobii Mediolacensis Præfecturam, anno 814. Archiepiscopus Trevirensis factus est. Anno 821. Concilio apud Theodonis villam interfuit. Extant ab eo scriptæ *Epistolæ* II. ad Frotharium Tullensem Episcopum Concil. Tom. VII. p. 1865. 814.

FROTHARIUS, ex Abbate S. Apri, ante annum 817. Tullensis Episcopus factus, idque si calculum rectè ponat Carolus le Cointe, anno 813. Anno 824. 814.

litem

Digitized by Google

SÆC.IX. ab An. DCCC. litem inter Monachos Mediolanenses, & Ismundum Abbatem composuit. Obiit post annum 837. Scripsit *librum Epistolarum* ad varios Præsules, qui à Duchesnio editus habetur Scriptorum Francic. Tom. II. p. 719.

814. P. II. ANONYMUS *Vitæ Caroli M.* auctor, Cœnobii Engolismensis S. Eparchii (ni fallor) Monachus, claruit circa annum DCCCXIV. Quod tamen ex conjecturâ tantùm trado, de auctoris ætate aliter incertus. Vitam Caroli M. Francorum Regis & Imperatoris literis consignavit, quæ ex Pithœi Bibliothecâ prodiit inter *Scriptores* XII. *coætaneos* p.230. Subjectum est ipsius Caroli *Testamentum*, ante annum DCCCX. ut videtur, conditum. Auctor noster haud levem Operis sui partem ex Annalibus Francorum, sub *incerti Auctoris* nomine à Pithœo publicatis, desumpsit, iisdem non rarò verbis usus. Eosdem etiam plebeio licèt & rusticano sermone compositos, se in Chronico ad annum DCCCXIV. secutum esse Rhegino Prumiensis non diffitetur. Hanc Vitam longè integriorem ex pervetusto & optimæ notæ codice Vindobonensi edi posse liquidò ostendit Lambecius *Comment.* lib. II. c. 5. *num.* XXII. p. 343.

816. Flodoard. H.Rem.l.II. c. 19.20. EBBO, sive Ebo, natione Germanus, Ludovici Imp. collectaneus & condiscipulus, in Aulâ enutritus, Regio Fisco inserviit; posteà sacris ordinibus honestatus, Ludovici Sacellanus & Bibliothecarius, deinde Abbas San-Remigianus, ac demum anno 816. Archiepiscopus Remensis. Anno 821. Concilio apud Theodonis villam interfuit. Anno 822. Romam profectus licentiam Septentrionalibus populis Evangelium prædicandi à Paschale Papâ impetravit; atque anno sequente ad Danorum usque fines itinere suscepto, multa Paganorum millia ad fidem convertit, & baptismate lustravit. Exeunte anno in Galliam recurrens, ut Conventui Compendiensi interesset, mox in Septentrionem reversus, incœpto operi diligenter incubuit. Anno DCCCXXIX. Concilio Parisiensi, DCCCXXX. Conventui Aquisgranensi adfuit. Anno DCCCXXXIII. à Ludovico Imp. ad Lotharium filium defecit & rebellibus Episcopis agmen duxit, Abbatiam Vedastinam à Lothario sceleris mercedem nactus. Post Lotharii fugam Abbatiâ spoliatus est, & ad Fuldense Monasterium ablegatus. Ann. DCCCXXXV. ad Synodum apud Theodonis villam adductus, reum sese læsæ Majestatis fassus est; & sede depositus, in Monasterio Fuldensi custodiendus remittitur. Mutato plus unâ vice custodiæ loco tandem anno DCCCXL. mortuo Ludovico, Lotharii jussu in Synodo Ingelsheimensi sedi restitutus est, quam tamen anno sequente Lothario à Carolo fratre Galliâ fugato iterum amisit, eam Sergii Papæ ope recuperare incassum postea conatus. Sedem tamen Hildesheimensem anno DCCCXLIV. adeptus est. Obiit anno DCCCLI. XIII. Cal. April. Extat *Apologeticus* in Concilio Ingelsheimensi oblatus Concil. Tom. VII. p. 1763.

816. HALITGARIUS, Episcopus Cameracensis & Atrebatensis anno 816. factus, anno 823. cum Ebbone Remensi ad Danorum fines Evangelii prædicandi ergo profectus est, eodemque anno mense Novembri Conventui Compendiensi interfuit. Anno 825. à Synodo Parisiensi ad Ludovicum Imp. missus est; ut Collectionem Sententiarum ex Patrum Scriptis de Imaginibus in Synodo elaboratam deferret. Anno 828. à Ludovico Imp. ad Michaelem Balbum Constantinopolim fuit legatus. Anno 829. Sanctorum reliquiis onustus ex Oriente rediit, & Concilio Parisiensi præsens subscripsit. Obiit anno 831. Scripsit *Opus de Vitiis & Virtutibus, remediis peccatorum, & ordine vel judiciis pœnitentiæ, sex libris absolutum.* Horum quinque priores ediderunt tum H. Canisius Tom. V. par. 2. p. 227. tum Bibliothecæ Patrum Curatores Tom. XIV. p. 906. Sextum verò, qui nil aliud est quàm Ecclesiæ Romanæ *Liber Pœnitentialis*, ab Halitgario ex Ecclesiæ istius scriniis exscriptus, primus edidit Stevartius Supplement. Canis. p. 693. deinde Hugo Menardus in notis ad Gregorii Sacramentarium *Paris.* 1642. & Joannes Morinus in Appendice ad lib. de Pœnitentiâ pag. 5. Præfationem Halitgarii in hoc Pœnitentiale Romanum apud Stevartium videre est, ibid. p. 713. SÆC. IX. ab An. DCCC.

PASCHALIS, natione Romanus, Bonosi filius, Ecclesiæ Romanæ presbyter, & Abbas Monasterii S. Stephani juxta Ecclesiam B. Petri, thronum Pontificalem obtinuit anno 817. die XXV. Januarii. Græcorum Monachorum Iconomaniam pro virili fovit; ac Theodorum imprimis eorum antesignanum summo honore coluit; adeò ut missos anno 817. à Theodoto Patriarchâ CP. Apocrisiarios Romam ingredi prohiberet, & sequenti anno Monasterium Romæ apud S. Praxedem profugis Græcis Iconodulis poneret. Anno 823. ipso Paschatis die Basilicâ S. Petri Lothario Imp. diadema Imperiale imposuit; eodemque anno Ebbonem Archiepiscopum Rhemensem & Halitgarium ad Danos fide Christianâ imbuendos legavit. Obiit anno 824. die XI. Maii. Extant *Epistolæ* III. Concil. Tom. VII. p. 1502. 1869. 817.

SEDULIUS, natione Scotus, Author *Collectaneorum* seu *Explanationis in Epistolas S. Pauli*, ex Patrum scriptis consarcinatæ, ab Hepidanno Monacho anno 818. claruisse dicitur, adeóque à nobis in hunc locum reponitur. Verùm id haud adeò certum. Id tamen constat, eum post Bedam floruisse, vel saltem ejus fuisse contemporaneum: atque ita quidem erat integro penè Sæculo hoc tempore antiquior, si modò idem fuerit Sedulius *Britanniæ Episcopus de genere Scotorum*, qui unà cum Fergusto Picto Scotiæ Episcopo anno 721. Concilio Romano, sub Gregorio II. interfuit, & subscripsit. Vide quæ de eo breviter adnotavimus in Sedulio Poëtâ, quæque fusè disputat Labbæus Dissert. de Script. Eccl. Tom. II. pag. 324. Prodiit Collectaneum istud *Basil.* 1528. 1534. & in Bibliothecâ Patrum Tom. VI. p. 494. 818.

ÆGIL sive *Eigil*, Patriâ Noricus, Puer adhuc ante annum 759. Sturmioni Abbati Fuldensi, consanguineo suo, bonis literis ac moribus instituendus committitur. Sub Sturmionis, ejusque successorum Baugulfi & Ratgarii regimine annos 59. in Monasterio Fuldensi exegit. Ann. demum 818. Ratgario Abbati ob provinciam malè administratam deposito suffectus est, & in Aulam à Ludovico Imp. accitus, optima ab eo monita & præcepta de Cœnobio suo regendo percepit: quando etiam raro pietatis exemplo Imperatorem precibus fatigare priùs non destitit, quàm ut Ratgarius, cujus inimicitias ipse expertus erat gravissimas, ab exilio revocaretur, obtinuerat. Obiit anno 822. Rabanum successorem nactus. Scripsit *Vitam Sturmionis Abbatis Fuldensis & Præceptoris sui*, qui obiit circa an. 779. Extat hæc Vita à Christophoro Browero edita *Ingolstad.* 1616. apud Surium ad diem XVII. Decemb. & Mabillon. Sæc. Benedict. IV. Par. 1. p. 226. Ægilis Vitam conscripsit Candidus, discipulus ejus, & Monachus Fuldensis, quæ habetur apud Mabillon. ibid. 818.

THEODO-

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC. 818. Vit. Theod. gr. lat. ap. Combef. Orig. CP. p. 191. Lat. ap. Sur. Decembr. XXVI. THEODORUS, cognomento *Graptus*, patriâ Palæstinus, artibus liberalibus prius imbutus, juvenis adhuc Monachis S. Sabæ instituendus à Parentibus datus est, & in Monasterio tandem Presbyteratûs dignitatem suscepit. Anno circiter 818. à Thomâ Patriarchâ Hierosolymitano Constantinopolim mittitur, ut imaginum causam tueretur. Quod quidem ille audacter satis molitus est, Leonem Armenum Imp. coram procaciter coarguens, ab Imperatore eo nomine flagellis cæsus, & ad Ponti ostia relegatus. Leone è medio sublato, anno 821. Constantinopolim reversus est, eandemque causam apud Michaelem Imp. eodem successu fategit, carceri mancipatus, urbe ejectus, & in Sosthenium amandatus. Anno 833. cùm ineptire nondum desisteret, à Theophilo Imp. flagris cæsus & in Insulam Aphusiam deportari jussus. Post biennium Constantinopolim accitus, cùm nullis monitis, nullis argumentis cederet, variis iterum tormentis ab iracundo Imperatore excruciatus, Apameam in Bithynia mittitur, ubi carceri inclusus diem supremum obiit. Scripto commisit *Disputationem de Imaginum cultu*, quam cum Leone Armeno Imp. habuit Nicephorus Patriarcha CP. circa an. 815. Edidit eam Gr. Lat. cum notis Fr. Combefis. Orig. CP. p. 159. Scripsit & *Epistolam ad Joannem Cyzicenum Episcopum* de pœnis & tormentis sibi fratrique à Theophilo Imp. illatis; quæ habetur Gr. Lat. apud Vitæ ejus Authorem à Combefisio editum ibid. p. 204. Extat *liber de Fide Orthodoxa contra Iconomachos* MS. Græcè in Bibliotheca Regia Parisiensi Cod. 134. & 195. Ex hoc Fragmentum de Eucharistiæ Symbolis, notis Gr. Lat. dedit idem Combefisius ibid. p. 211.

818. THEOPHANES, Theodori Grapti frater Germanus, ejusdem instituti, dogmatis, laborum & certaminum, ne unico quidem excepto, socius, claruit anno 818. Multis demum post fratris obitum annis, ærumnarum suarum fructum tulit, Metropolita Nicænus circa an. 845. factus. Extat Gr. ab eo scriptus *Canon* seu *Hymnus* IX. Odis constans, in Theodorum fratrem, in Menæo Græcorum Decembr. XXVII. & exinde additâ versione Latinâ apud Combefis. Orig. CP. p. 224.

820. † Cent. 2. 21. GILDAS, quem hujus nominis quartum vocat Balæus †, origine Hibernus, ortu Cambro-Britannus, professione Monachus, claruit anno 820. & deinceps. Scripsit *librum de Computo*, Capitulis XCIX. constantem, qui in Bibliotheca Cottoniana Manuscriptus servatur. Præfationem ad Rabanum Maurum adhuc Monachum extulit Usserius Epist. Hibernic. pag. 55. Alia ei tribuit Baleus, & in his *Historiam Britannicam*; quam tamen à Nennio scriptam fuisse suo loco luculenter ostendimus.

820. Vid. Jon. Aurel. Præf. ad libb. de cult. imag. & lib. 1. non longè ab init. Le-Coint. ad an. 821. Num. 87. ad an. 828. N. 53. 54. CLAUDIUS, natione, non quidem Scotus, sed Hispanus, Fœlicis Orgelitani Episcopi discipulus, circa annum 812. vel 813. vivente adhuc Carolo M. in aulâ Ludovici Regis Presbyteri munere functus est; nec modò concionandi vices in se suscepit, sed & scribendis in S. Scripturas Commentariis per plures annos diligenter incubuit. Circa an. 821. à Ludovico Imp. ad Ecclesiæ Taurinensis Præsulatum promovebatur. Ad munus igitur istud Pastorale subeundum semet accingens, omni quo potuit studio rem Christianam inter suos auxit. Cùm plurimos idcircò in Diœcesi suâ Sanctorum Imagines illicito planè honore prosequentes deprehenderet; earum non modò cultum & venerationem disertè damnavit [id enim fecit hoc tempore tota Ecclesia Gallicana] verùm eas omnesque cruces materiales è cunctis Parochiæ suæ Basilicis, delendas, evertendas, & penitùs abdicandas esse animosè contendit: quod & factum est. Hac occasione Theodemirus Ordinis Benedictini Abbas Gallicanus, quo hactenus familiariter usus fuerat Claudius, acrem adversùs illum Epistolam emisit; cui respondit Claudius; & editâ Apologiâ, non modò seipsum, sed & doctrinæ Christianæ puritatem strenuè tutatus est. Quod verò refert Jonas Aurelianensis, ipsum non modò Fœlicis Orgelitani, sed & Hæreseos Arianæ sectatorem fuisse; id ego ex invidiâ aut disputationis æstu profectum crediderim. Certè se illud non ex propriâ scientiâ, sed ex auditu tantùm hausisse ipse Jonas profitetur. Obiit Claudius circa an. 839. SÆC. IX. ab An. DCCC.

SCRIPTA.

Commentarius in Epistolam ad Galatas, anno 816. scriptus, ad Dructerannum Abbatem Sollemniacensem. Prodiit seorsim *Paris.* 1542. 8°. & in Bibliotheca Patrum Tom. XIV. p. 134.

Commentariorum in Genesin libri III. anno 814. scripti, *in Exodum libri* IV. anno 821. scripti. An hæc Opera alicubi delitescant, me planè latet. Nondum certè prodierunt.

Commentaria in Leviticum, anno 823. scripta. Ea penès se habet in MS. Codice Remigiano Cl. Mabillonius, qui & præfationem & finem Operis extulit Analect. Tom. I. p. 30.

Commentarius in Evangelium S. Matthæi ad Justum Abbatem Carofensem anno 815. scriptus, Extat MS. in Bibliotheca Ecclesiæ Laudunensis, teste eodem Mabillonio.

Præter Epistolam ad Galatas, scripsit *Commentarios in reliquas B. Pauli Epistolas*, qui MSS. habentur in Bibliotheca Floriacensi. Præfationem in Epistolam ad Ephesios ad Ludovicum Pium edidit Mabillonius ibid. pag. 4.

Chronologia brevis juxta Hebraicam sacrorum Codicum veritatem, quam Claudii nostri esse non immeritò suspicatus est, qui primus in lucem protulit, Philippus Labbeus Biblioth. Nov. MSS. Tom. I. p. 309.

Apologeticus & Rescriptum adversus Theodemirum Abbatem de cultu Imaginum & Sanctorum, anno 828. scriptum. Ex hoc libro Excerpta quædam Ludovici Imp. jussu facta libris suis hinc inde inseruit Jonas Aurelianensis: quæ exinde in unum quasi fasciculum collecta lectori exhibuit Melchior Goldastus ad calcem Collectionis suæ *de cultu Imaginum* pag. 764. Unde, quasi ex ungue leonem, prudens & pius Lector de toto opere judicare potest.

ANONYMUS *Vitæ B. Alcuini* Auctor, claruit circa annum DCCCXX. Aldrico Ferrariensis Monasterii adhuc Abbate; qui anno DCCCXXIX. Episcopus Senonensis factus est. Scripsit, referente Sigulfo discipulo, Vitam B. Alcuini, nobilis Angli, patriâ Eboracensis, deinde in variis Galliæ Monasteriis Monachi & Abbatis. Quam ex antiquissimo codice, & auctoris ætate exarato, primus edidit, & Alcuini Operibus præfixit Andreas du Chesnius, exinde Surius *Maii* XIX. tandem Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. I. pag. 145. qui auctorem tanquàm minus accuratum, & in rebus chronologicis præcipuè hallucinatum, in præfatione notat, & præclarum admodum de Beato Alcuino ejusque vitâ ac scriptis, *Elogium Historicum* subnexuit. 820. P. II.

ETHELWOLFUS, patriâ Bernicius, ex Anglo- 820. P. II.

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC. Anglo-Saxonum genere prognatus, Eadfridi postea Lindisfarnensis Episcopi, & Iglaci Doctoris celeberrimi discipulus, Cœnobii S. Petri ad Orientale Berniciorum littus Monachus, claruit anno DCCCXX. Condidit carmen versibus Heroicis, de Abbatibus & viris piis Cœnobii S. Petri in Insulâ Lindisfarnensi, quod Egberto istius Sedis Episcopo nuncupavit. Poëma istud in tres libros dividit Baleus *, & ex eo Pitseus †, ipsumque auctorem malè ad ann. DCCL. referunt. Ex MS. Cod. Cantabrigiensi erutum edidit Joan. Mabillonius *Sac. Benedict.* IV. Part. II. pag. 302. Cap. 16. Se etiam de aliis Angliæ Sanctis cecinisse disertè innuit Ethelwolfus. Quâ de re silent Baleus, Pitseus, alii.

* Cent. II. c. 12. p. 102. † De Script. Angl. p. 145.

821. DUNGALUS, Monachus San-Dionysianus Parisiensis, dignitate Diaconus, claruit anno 821. Vixit usque ad annum 830. quando obierit, non liquet. Edidit circa an. 828. *Librum Responsionum adversùs Claudii Taurinensis sententias de cultu Imaginum*: qui habetur in Bibliothecâ Patr. Tom. XIV. pag. 196. Scripsit & *Epistolam ad Carolum M. de Eclipsi Solari*, à Dacherio editam Spicileg. Tom. X.

821. JONAS, Episcopus Aurelianensis anno 821. factus. Anno 826. Sententias Patrum de Imaginibus in Conventu Parisiensi collectas Romam ad Eugenium Papam missus detulit. Anno 829. Concilio Parisiensi, 833. Senonensi, 835. apud Theodonis-villam interfuit. Anno 836. Monasterii Miciacensis regimen à Ludovico Imp. impetravit; atque anno sequente judex ab eo datus est seditiosis Monachis Carilefianis, & Conventui Carisiacensi adfuit. Anno 839. Aquisgranensi placito subscripsit. Anno 840. libros de Imaginibus Carolo Regi obtulit. Anno 843. obiit.

SCRIPTA.

A*Dversùs Claudii Taurinensis Apologeticum libri* III. in quibus Claudii scriptum, seu potiùs scripti Excerptum [integrum enim librum se nunquam vidisse testatur] satis acriter excipit. Interim in toto hoc Opere Imaginum causam non alio animo tuetur Jonas, quàm quòd non sint confringendæ templisque ejiciendæ, contendens eas ad *ornatum* duntaxat, ad *memoriam & eruditionem fidelium*, in Ecclesiis locandas esse, cultu verò aliquo neutiquam reverendas; istud *superstitiosam*, immò *perniciosam Imaginum adorationem emendatione dignam* disertè vocat: ut non sine ratione Baronius *, Bellarminus, Petavius, Mabillonius, aliique, Lectores suos moneant, Jonam nostrum cautè legendum esse, quippe qui etsi pugnavit adversùs Iconoclastas, *inquit Baronius*, non tamen è castris Ecclesiæ Orthodoxæ, à quâ errore pristino ex parte dissensit, militavit. Atque ita quidem sententiam ferre oportet; ubi superstitionis, non ipsius veritatis, causa agitur. Prodiit Opus istud *Colon.* 1554. in Hæresiologiâ *Basil.* 1556. in *Orthodoxogr.* Tom. II. pag. 1526. & in *Bibliothecâ Patr.* edit. *Paris. 2a.* Tom. IV. pag. 688. Notandum enim in novissimâ Bibliothecæ Patrum editione hosce Jonæ libros frustra quæri.

* Ad an. 825. n. 74.

De Institutione Laicorum libri III. à Dacherio editi *Spicileg.* Tom. I.

De Institutione regiâ liber, ab eodem editus Tom. V. p. 57.

821. P. II. JONAS, Aurelianensis Episcopus, claruit anno DCCCXXI. Obiit anno DCCCXLIII. Cæteris illius scriptis suprà memoratis, accenseri meretur *Historia* Translationis S. Huberti Episcopi Tungrensis in Monasterium Andaginense, quam, hortatu Walcandi Leodicensis Episcopi, conscripsit. Subjicitur Anonymi cujusdam Relatio de miraculis post prædictam translationem factis. Utrumque Opusculum vulgavit Joan. Roberti Soc. Jes. in *Historia Hucberti.* Ex quâ in Acta sua transtulit Joan. Mabillonius *Sac. Benedict.* IV. Part. I. p. 295.

BERTOLDUS, Miciacensis in Provinciâ Lugdunensi quartâ Monachus, vir pro captu Sæculi non indoctus, claruit anno DCCCXXI. Mandavit literis Vitam S. Maximini, Abbatis Miciacensis, quam, carmine præmisso, Jonæ Aurelianensi Episcopo nuncupavit. Ex Codicibus MSS. eruit & in Actis suis Benedictinis edidit Cl. Mabillonius *Sac.* I. p. 591. 821. P. II.

ADALHARDUS, gente Gallus, regio stemmate ortus, Bernardi quippe Comitis, qui Pipini Regis frater fuit, filius, Abbas Corbeiensis, claruit anno 822. quo Abbatiæ suæ restitutus est, postquàm ob initam cum Bernardo Rege adversùs Ludovicum Pium conjurationem in Aquitaniam relegatus fuerat. Condidit *Statuta Corbeiensis Ecclesiæ*, quæ apud Dacherium habentur Spicileg. Tom. IV. 822.

CANDIDUS, patrio nomine BRUUN dictus, natione Germanus, Monachus Fuldensis, Ægilis discipulus, eique, ipsomet testante, admodùm charus ac familiaris, claruit circa annum DCCCXXII. Mandavit literis Vitam Ægilis Abbatis Fuldensis, & Præceptoris sui, libris duobus, hunc ligatâ, illum solutâ oratione contexens. Hos primus edidit Christ. Brovverus in *Sanctis* suis, sive *Sideribus Germaniæ*, *Mog.* 1616. Exinde Joan. Mabillonius *Sac. Benedict.* IV. Part. I. pag. 226. Scripsisse etiam Candidum Vitam Baugolfi Fuldensis Abbatis, num. ii. ipse nos docet. Verùm an extet hodiè nondùm didici. 822. P. II.

EUGENIUS II. Boemundi filius Ecclesiæ Romanæ Archipresbyter, & tandem Pontifex anno 824. die V. Junii ordinatus. Anno 826. Concilium LXIII. Episcoporum Romæ celebravit: in quo Canones XXXVIII. de re Ecclesiasticâ sanciti sunt. Obiit anno 827. die XXVII. Augusti. Extant *Epistolæ* II. Concil. Tom. VII. p. 1542. 1869. *Decreta* XI. [quorum aliqua Eugenio III. debentur] ib. p. 1543. 824.

FRECULFUS, ex Monacho Fuldensi Episcopus Lexoviensis ante annum 824. factus; cùm Romam ad Eugenium Papam à Ludovico Imp. legatus est ad impetrandam Collationis de Imaginibus instituendæ facultatem. Anno sequente legationis suæ rationem in Conventu Parisiensi præsens reddidit. Anno 829. Concilio Parisiensi, 835. apud Theodonis villam, 837. Carisiacensi, interfuit: quando & Ebbonem Archiepiscopum Remensem, perduellionis damnatum custodiæ suæ commissum habuit. Anno 846. Concilio Parisiensi, 849. Turonensi IV. adfuit. Obiit ante annum 853. Scripsit *Chronicon*, in duos Tomos divisum, prior VII. libris res ab Orbe condito usque ad Domini nostri nativitatem, persequitur. Posterior V. libros continens à Christo nato usque ad Bonifacium Papam Gregorii M. successorem progreditur. Extat hoc *Chronicon Colon.* 1539. fol. *Heidelberg.* 1597. 8°. in Bibliothecâ Patr. Tom. XIV. pag. 1061. Epistola ejus ad Rabanum Maurum ejusdem Rabani Commentariis in Genesin præfixa est. 824.

GRE-

SÆC. IX. ab An. DCCC. 828. GREGORIUS IV. Joannis filius, S. Marci Confessoris titulo Presbyter, demum Pontifex Romanus die V. Januarii anno 828. postquàm diu multùmque reluctatus esset, consecratus. Anno 830. in Galliam profectus, ut pacem inter Ludovicum Imp. & rebelles filios conciliaret, operam lusit. Obiit anno 844. die XI. Januarii. Varia ejus donaria, Monasteria etiam & Basilicas ab eo constructas ad nauseam usque recenset Anastasius in Vita ejus. Extant *Epistolæ* III. Concil. Tom. VII. pag. 1571. 1870. & *Epistola de Monasterio Floriacensi* apud Baluzium Miscellan. Tom. II. p. 145.

828. ANSEGISUS, Anastasii & Himilradæ filius, in Monasterio Fontanellensi sub Gervoldo Abbate, consanguineo suo educatus. In Aulam dein ascitus, Monasteriis S. Sixti Remensi, & S. Memmii Catalaunico, à Carolo Imp. donatus est; atque anno 807. Monasterio Flaviacensi auctus, lapsam Cœnobii rem brevi restituit. Exactor quinetiam Operum Regalium in palatio Aquisgranensi constitutus est, anno 817. Abbas Luxoviensis, 823. Fontanellensis, à Ludovico Imp. factus; anno 827. quo imprimis claruit, Capitularia Caroli M. congessit; anno 831. morbo gravissimo decumbens, possessiones suas Monasteriis elargitus est. Obiit anno 833. XIII. Cal. Augusti, in Cœnobio Fontanellensi sepultus.

Capitularia Caroli M. de rebus præsertim Ecclesiasticis, collegit, & in IV. libros digessit; quibus tamen aliquot Ludovici Pii incautus admiscuit. Prodierunt à Pithæo editi *Parif.* 1588. *Mogunt.* 1602. à Sirmondo *Parif.* 1640. & ut alias editiones taceam, à Baluzio recognita, ac notis illustrata *Parif.* 1677. 2. vol. fol. De Baluzii tamen editione observare liceat, eam cum prioribus parùm convenire. Antiquis, inquit etiam Carolus Cointius *, editionibus novissimam adversari non dissimulamus. Præter innumeras enim discrepantes lectiones, in editione Baluzianâ desunt Capitula 67. 68. 74. 79. 39. 52. libri primi; adduntur Capitula 89. & 90. tertii libri, uti & Capitula 76. 77. quarti libri, quæ quidem eadem esse cum Capitulis 29. & 24. dudum observavit Cointius. Quatuor Capitularium libris adnectuntur in omnibus editionibus Appendices III. quarum prima in editionibus veteribus constat Capitulis XXXIII. in Baluzianâ XXXV. secunda in edit. vet. habet Capitula XXXVI. in Baluzianâ XXXVIII. tertia X. complectitur Capitula; Appendicibus haud pauca etiam Lotharii, & Caroli Calvi Impp. Capitula admiscentur.

*Ad an. 827. num. 7.

828. SERGIUS, Historicus, multa ob defensum imaginum cultum passus, ideóque à Photio *Confessor* dictus, claruit anno 828. Errant toto cœlo, qui eundem fuisse volunt cum Sergio Confessore, cujus meminit Menologium Græcorum XIII. Maii, qui ob imaginum defensionem excruciatus, & fortunis exutus, in exilio mortuus est sub Leone Isauro anno circiter 735. Scripsit Sergius Historiam σπλητευτικὴν adversus Iconomachos, exorsus à Michaelis Balbi rebus gestis, viz. anno 821. & deinde ad Constantini Copronymi tempora recurrens, ad octavum usque demum Michaelis annum, Christi 828. Historiæ filum perduxit. Stylo usus est, judice Photio *, perspicuo atque elegantissimo, adeò inaffectato tamen, ut ex tempore fusus illi sermo quodammodò videretur: ut verbo dicam, sermonem qui Historico Ecclesiastico maximè convenit, usurpavit. Verùm totius operis, utcunque egregii ac perpoliti, ne minima quidem hodie superest lacinia.

* Cod. 67.

828. THEOSTERICTUS, Cœnobii Mediciensis in Bithyniâ Monachus, Nicetæ Abbatis, & ob cultum Imaginum Confessoris, discipulus, claruit anno 828. Scripsit *Magistri sui Nicetæ Vitam*, sive *Orationem in eum Panegyricam*, quæ habetur Latinè apud Surium, Gr. Lat. apud Henschenium April. III.

830. MICHAEL, SYNCELLUS Patriarchæ, & Presbyter Ecclesiæ Hierosolymitanæ, deinde Constantinopoli Monasterio τῆς χώρας Præfectus, à Theodorâ Aug. Patriarcha CP. designatus, dignitatem istam recusavit. Claruit anno 830. Multos pro imaginum causâ labores & ærumnas, viventibus adhuc Theodoro Studitâ & Nicephoro Patriarchâ, tulerat; uti ex Theodori ad illum epistolâ apud Baronium constat: plures & majores post utriusque mortem sub Theophilo Imp. passus est circa an. 835. in carcerem conjectus, & tormentis excruciatus. Scripsit *Encomium S. Dionysii Areopagitæ*, quod extat Gr. Lat. inter Opera S. Dionysii Tom. II. pag. 207. *& encomium in Sanctos Dei Archangelos, & Angelos*, quod habetur Gr. Lat. cum notis apud Combefis. Auctar. Nov. Tom. I. p. 1525.

Ad an. 835. num. 70.

830. P. II. MICHAEL, SYNCELLUS & PRESBYTER Thomæ Patriarchæ Hierosolymitani, claruit anno DCCCXXX. Quædam ejus Scripta suprà recensuimus; præter hæc, Epistolam Thomæ Hierosolymorum Patriarchæ, ad Hæreticos in Armeniâ, à Theodoro Abucarâ Arabicè dictatam, in Græcum sermonem transtulit, ipséque ad Armenos detulit. Continet verò solam veramque fidem, in Concilio Chalcedonensi traditam, de Christo Domino ac Deo nostro. Extat hæc Epistola Græcè & Latinè inter Theodori Abucaræ Opuscula ad calcem Anastasii ὁδηγ. à pag. 428. usque ad pag. 450. unde liquet Michaelem nostrum, Theodori Abucaræ (qui claruit anno DCCCLXVII.) familiarem vitam diutiùs protraxisse. Ejusdem *Professio fidei*, sive *Libellus de Orthodoxâ Fide* habetur Græcè MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* XL. *num.* LXV. fol. 144. pag. 2. iterùmque ibid. *Cod.* CCCVII. *num.* XV. fol. 94. Vide Lambec. *Comment.* lib. III. p. 163.

830. ANSCHARIUS, natione Germanus, novi Corbeiensis Monasterii in Saxoniâ alumnus. Circa an. 826. ad gentes Boreales, Danos, Suecos, ad fidem convertendos adjecit animum, idque per plures annos sedulò & fœliciter præstitit, inde *Danorum & Aquilonarium Apostolus* dictus. Anno 830. [referunt id alii in annum 832. vel sequentem] Hamburgâ à Ludovico Imp. in Metropolim erectâ, Anscharius in Conventu Aquisgranensi, primus Hamburgensium Archiepiscopus constituitur, ad majorem honoris cumulum à Drogone Antistite Metensi consecratus. Paulò pòst pallium Româ impetravit, ipse à Gregorio IV. Sedis Apostolicæ in partibus Borealibus Legatus renunciatus. Post exactum Hamburgi Septennium à Barbaris fugatus, constructo apud prædium suum Ramsolense tribus ab Hamburgo milliaribus Monasterio, in eo vitam egit. Anno 846. vacante sede Bremensi, isti etiam Ecclesiæ præficitur, post annos demum XII. Ecclesiarum Hamburgensis & Bremensis unione impetratâ. Anno 864. saltem sequenti, Episcopatûs sui 34. diem supremum obiit. Scripsit *Vitam S. Willihadi Bremensis Episcopi* libris duobus comprehensam. Extat apud Mabillon. Sæc. Benedict. III. par. 2. pag. 401. Extitit, Alberti Krantzii * [qui de Anschario toto libro, primo pluribus agit] tempore *Libellus* sive *Psalterium*, Psalmorum summam compendio complectens, devotio-

* Metrop. l. 1. c. 42. p. 75.

Digitized by Google

SEC. IX. ab An. DCCC. votionis Anscharii breve, sed clarissimum monumentum. Scripsit item *Epistolas* plures, quæ perierunt; saltem nondum viderunt lucem.

830. LUPUS, cognomento *Servatus*, Natione Gallus, Provinciâ Lugdunensi quartâ natus, Ordinis Benedictini Monachus Ferrariensis, ab Aldrico Abbate (anno circiter 829. Archiepiscopo Senonensi facto) circa an. 828. ad Rabanum Abbatem Fuldensem jam Diaconus missus est; ut ab eo S. Scripturarum cognitionem hauriret. Post octennium ferè apud Fuldenses exactum, & pauxillum moræ in Cœnobio Selingstadiensi apud Eginhardum Abbatem, amicum integerrimum, factum, à Ludovico Imp. in Aulam accitus est, & cum eo in Galliam anno 836. rediit. Anno 838. præpositus Cellæ S. Jodoci, & anno 842. X. Kal. Decemb. in locum Odonis ob atrocia flagitia dignitate submoti, Abbas Ferrariensis ab Imperatore renunciatus. Odone verò neutiquam cedente, ipsum loco pellere, jubente etiam Imperatore, Lupus necesse habuit, de quo ipse prolixè agit epistola XX. ad Jonam Aurelianensem, qua calumniam sibi exinde conflatam luculenter diluit. Exeunte anno 844. coacta est Episcoporum Synodus apud Vernum, Palatium Regium: præsens aderat Lupus noster; solusque ex omnibus ad condendos hujus Synodi Canones electus est, quâ de re ipse agit ad Hincmarum Epistola XLII. pag. 83. Ipsi verò Canones epistolarum calci subjiciuntur. Anno 853. Concilio Suessionensi interfuit. Ante annum 855. legationem ad Leonem Papam obiit. Post annum 861. è vivis excessit; In vivis enim tunc temporis fuisse fidem nobis facit Epistola CXXV. ad Folcricum Episcopum Tricassinum, cujus Prædecessorem Prudentium non nisi anno 861. diem obiisse Annales Bertiniani testantur. Plura de Lupo nostro ex Epistolis ejus non incommodè, nec sine lectoris fructu peti possunt. Fateor non deesse, qui Lupum Servatum à Lupo Ferrariensi diversum fuisse scribunt, Trithemii authoritate nixi, qui Lupum Servatum Presbyterum, ad quem Rabanus Maurus scripsit octo libros in Epistolam ad Romanos, anno 851. obiisse tradit. Cæterùm cùm unius Trithemii testimonio id nitatur; neque Veterum ulli duos Lupos disertè distinguant; & cætera omnia nostro Ferrariensi mirè conveniant; facilè fieri potuit, ut hâc in parte, in re præsertim chronologica, non minùs quàm in aliis, hallucinatus fuerit Trithemius: adeóque iis accedere mallem, qui unum eundemque fuisse volunt. Certè CP. Baluzius tantam inter epistolas Lupinas, & tum *librum*, tum *Collectaneum de tribus Quæstionibus*, styli, phrasisque similitudinem intercedere notat, ut non ovum ovo esse similius pronunciare non dubitarit.

SCRIPTA.

Liber de tribus *Quæstionibus*, viz. *de Libero Arbitrio, de Prædestinatione bonorum & malorum, & de sanguinis Christi superfluâ taxatione, seu redemptione usque ad salutem impiorum.*

Collectaneum de iisdem tribus Quæstionibus.

Epistolæ II. una ad Carolum Calvum, altera ad Hincmarum Rhemensem. Hæc Opuscula ex vetusto Bibliothecæ Elnonensis Codice MS. Antonius Grimbertus ejusdem Cœnobii Monachus & Bibliothecarius anno 1602. ad prælum paraverat. Verùm diù suppressa, tandem studio Jacobi Sirmondi sub nomine Donati Candidi anno 1648. edita sunt; an. 1650. alicubi in Hollandiâ, additâ præfatione novâ, recusa: habentur etiam inter IX. sæculi Scriptores *de Prædestinatione & Gratiâ*, quos collegit & edidit Gild. Mauguinus in supremâ Monetarum Curiâ Præses, Tom. I. Part. II. p. 9. Verùm *librum de tribus Quæstionibus* Lupo cuidam Servato Moguntinensi Presbytero, quem à nostro Ferrariensi diversum facit, tribuit.

Liber *Epistolarum* CXXX. à Papirio Massono primùm editus, *Paris.* 1588. 8°. (Quam editionem utpotè admodum vitiosam acriter satis carpit Stephanus Baluzius) exinde à Duchesnio Historicorum Franciæ, Tom. III.

Vita S. Wigberti Abbatis Fritislariensis, ad Bunonem Abbatem Hirsfeldensem anno 836. scripta. Eam cum Hincmari Epistolis edidit Joannes Busæus, *Mogunt.* 1602. 4°.

Vita S. Maximini Episcopi Trevirensis, anno 839. scripta. Habetur apud Surium Maii XXIX. In Præfatione se fabulosa omissurum esse profitetur, ne fidem cæteris derogarent: promissis tamen non stetit; tot enim fabulas insignes ut rectè notat Baluzius huic libro addidit, ut mirum valde sit virum eruditum in tam manifestos scopulos impegisse, nisi sicut conquirere fabulosa & fictis oblectare legentium animos, procul gravitate historici crediderit, ita vulgatis traditisque demere fidem ausus non est. Pluribus ibidem adversùs Sanctorum Acta fabulatorum deliriis commaculata justâ indignatione, & pro solito candore agit vir eruditus.

Prodierunt Lupi Opera à Baluzio recognita, & cum Notis edita, *Paris.* 1664 8°. & exinde in Bibliothecâ Patr. Tom. XIV. p. 1.

Habentur adhuc MSS. Sermones II. viz. Sermo ad Anglos super incursu Dacorum, in Bibliothecâ Collegii S. Benedicti Cantab. Cod. 284. num. 19. Sermo in Festivitatem S. Jodoci in Bibliothecâ Lumleianâ, Vol. 165. An Lupi nostri sint, videant quibus inspiciendi copia datur.

ISIDORUS MERCATOR, seu (ut in Codd. 830. quibusdam MSS. juxta sequiorum Sæculorum morem vocatur) PECCATOR, Epistolarum decretalium Consarcinator, vixisse videtur circa annum 830. sub Pontificum Romanorum nomine, à Clemente Romano usque ad Deus-dedit, qui Pontificatum tenuit anno 614. plusquam LXXX. Epistolas partim ab aliis compositas [quæ tamen paucæ sunt] partim à se compilatas, adjectis aliquot Episcoporum Synodorumque literis in lucem protrusit. Spurias esse, & non tam piâ fraude, quod vult Cardinalis Bona*, quàm stupendâ planè impostu- rà confictas longo argumentorum agmine, & rationibus invictis ex imis antiquitatis, Chronologiæ, criticesque sacræ fundamentis, adversùs Turrianum demonstravit D. *Blondellus* in *Pseudo-Isidoro*; adeò ut aliquid hac de re addere, esset post Homerum iliadem scribere. Et ita quidem esse, uno ferè ore jam agnoscunt cordatiores Pontificii. Testem dabo è multis unum Steph. Baluzium, ingens Ecclesiæ Gallicanæ ornamentum. *Antiquo juri quod per septingentos & ampliùs annos valuerat, successit jus novum ex suppositìtiis sanctissimorum Romanæ urbis Episcoporum Epistolis ab impudentissimo illo nebulone Pseudo-Isidoro prolatis compactum, & ex novellis eorum constitutionibus, qui post Caroli tempora sedem Apostolicam occupârunt. —— Introductum igitur fuit ævo Caroli Magni favorabili videlicet, si unquam aliàs tempore, ob magnam confusionem, quæ in politiam Ecclesiasticam invecta erat ex stupenda ac miserabili Episcoporum reliquorumque Clericorum inscitiâ, & vetustorum Canonum ignorantiâ. In hac igitur rerum perturbatione, emersêre famosæ illæ ac nobiles Epistolæ, quæ priscis Pontificibus Romanis tribuuntur. Perculerunt illæ omnium animos suâ novâ antiquitate, & quia sanctissimorum Episcoporum nomina præferebant. Hinc suborta in animis hominum religio, fas non esse dubitare* de

* De Reb. liturg. l. 1. c. 3. §. 11.

Cave Hist. Lit. Pp

SÆC. IX. ab An. DCCC. *de jure quod in his sacris Antiquitatis monumentis continebatur*. Hæc ille, atque plura Præfat. ad Ant. Augustin. de *Emendatione Gratiani* §. 1. 2. Eademque ferè antè annotaverat Præfat. ad Reginon. *de Ecclesiast. Disciplinis* §. 3. 8.

Quis verò fuerit primus Isidorianæ hujusce collectionis architectus, quove tempore vixerit larvatus nebulo, non omnium eadem est sententia. Sunt qui Isidorum Episcopum Hispalensem fuisse volunt, virum quidem doctum, & in antiquitate Ecclesiastica non indiligenter versatum. Verùm repugnat temporis ratio, cùm quædam hujus farraginis partes ex scriptis Isidoro Hispalensi integro sæculo recentioribus defloratæ sint. Quin nec gente fuisse Hispanum verisimile est; etenim Hispania Saracenorum jugo tunc temporis pressa fermè penitùs exularunt meliores literæ; nec credere par est, Hispanum in comminiscendis tam venerandæ vetustatis monumentis, non majorem patriæ suæ curam habere voluisse, cùm in totâ Epistolarum collectione quinque solummodò ad Hispanos datæ sint. Alii illas Riculpho Præsuli Moguntino, qui obiit anno circiter DCCCXIV. tribuunt. Certè hominem fuisse Germano-Francum, ex Gallo-Francorum & Longobardorum idiotismis rectè notat Blondellus; ex Ecclesiæ verò Moguntinæ scrinio, idque Riculphi curâ primùm prodiisse, disertè testantur hujus ferè temporis Scriptores Benedictus Levita & Hincmarus Rhemensis, quorum hic de Hispania allatas fuisse refert, impostoris, ut videtur, fraude hallucinatus. Verùm ut integra collectio Riculpho tribuatur, iterum obstat temporis ratio; quippe quòd in Urbani & Joannis tertii Epistolis reperiuntur loca ex Synodo Parisiensi anno 829. quindecim à Riculphi obitu annis habita, desumpta. Unde conjicit Cl. Blondellus Epistolarum hanc congeriem Benedicto potiùs Levitæ tribuendam esse, qui cum anno circiter 850. tres posteriores *Capitularium* libros adjecerit, Epistolas hasce in frustula sectas, capitularibus suis inseruit. Vero forsan propius videtur, Epistolas à Riculpho vel confictas fuisse, vel collectas, postea à Benedicto Levita recognitas, auctas, & in hanc quam nunc habemus, farraginem redactas; & cùm Curiæ Pontificiæ fuerit assertor strenuus, eo consilio Opus videtur aggressus, ut sub fucatis primævæ antiquitatis testimoniis Romanæ sedis auctoritatem speciosiùs propugnaret. Quòd Isidori Mercatoris nomen sibi sumpserit impostor, nescio an proferenda sit D. Blondelli conjectura, ingeniosa utique, si satis solida, nempe fuisse Isidorum quendam gente Hispanum, Eulogii Cordubensis fratrem, qui ob motus civiles patriæ exul hoc ipso tempore Moguntiaci habitaverit, ubi Mercaturam strenuè exercuit; hujus, ut videtur, nomine abusus est Epistolaris Impostor, ut scilicet crederent imperiti Epistolas de Hispaniis fuisse allatas à Mercatore nostro, qui pietatis causâ profugus pretiosissimum hunc thesaurum barbaricæ libidini subductum, secum in Germaniam attulerit. Quicquid sit, mirari licet, cur ultra Deus-dedit Pontificis tempora, seu annum DCXIV. Epistolas suas non produxerit compilator, quod duplici de causa mihi factum videtur; primò, ut speciosiùs collectæ crederentur ab Isidoro Hispalensi, qui obiit anno 636. Secundò, ne si sua propiùs tempora pertingeret, imposturæ larva faciliùs detraheretur. Denique notandum, integram Isidori collectionem præter Epistolas Pontificias, ordinem celebrandi Concilii, Apostolicorum Canonum versionem, & plurimarum Synodorum tum Græcarum tum Latinarum Decreta continere, quæ in omnibus ferè Conciliorum editionibus reperiuntur.

VULFINUS BOETIUS, gente Sarmata, sed literis humanioribus haud parum excultus, tandem Pictaviensis in Galliâ Episcopus factus est. Claruit circa annum DCCCXXX. Scripsit Vitam S. Juniani, Abbatis Mariacensis in Provinciâ Aquitanicâ Secundâ, quam Godoleno Abbati Nobiliacensi dedicavit. Hanc ex codicibus MSS. S. Juniani Nobiliacensis erutam Actis suis Benedictinis inseruit Cl. Mabillonius *Sæc*. I. pag. 307. In hoc libello auctor, utpotè *à stirpe Romana penitùs alienus*, ut ipsius verbis utar, imperitiam suam, ingenii tarditatem, & sermonem impolitum, magnâ animi modestiâ excusat. Scripsit præterea *Historiam* Translationis Reliquiarum S. Juniani Mariacensis in Nobiliacense Monasterium. Quæ habetur apud eundem Mabillonium *Sæc*. IV. Part. I. p. 430. SÆC. IX. ab An. DCCC. 830. P. II.

ANONYMUS Auctor *Chronici Fontanellensis*, Cœnobii Fontanellensis Monachus, claruit sub Imperio Ludovici Pii, forsan circa an. DCCCXXXIII. quippe qui in Ansegiso Abbate desinit. Condidit Ecclesiæ suæ Chronicon, in quo Abbatum suorum successiones & res gestas præcipuè refert. Chronicon istud edidit Lucas Dacherius *Spicileg*. Tom. III. Ex hoc Chronico Vitam Benigni Abbatis deprompsit Mabillonius & in Acta sua Benedictina rejecit *Sæc* III. Part. I. p. 439. Vitam S. Hugonis Rotomagensis Episcopi *ibid*. pag. 495. Vitam S. VVandonis apud eundem Part. II. pag. 130. Austrulfi *ibid*. pag. 133. 833. P. II.

ERNOLDUS NIGELLUS Abbas, claruit sub Ludovico Imp. circa annum DCCCXXXIV. Ab Imperatore missus est in exilium, quâ de causâ incertum. Ut verò Exilii sui impetraret remissionem, composuit de rebus gestis Imperatoris Ludovici libros IV. carmine Elegiaco, eoque planè non ineleganti conscriptos. Extant MSS. Biblioth. Vindob. Cod. *Hist. Lat*. CCXLIX. Procemium, principium & finem dedit Lambecius *Comment*. lib. II. cap. 5. *num*. XXV. p. 395. qui totum Opus suo tempore destinavit. 834. P. II.

ARDO, SMARAGDUS dictus, Ordinis Benedictini Monachus Anianensis; claruit anno 836. Benedicti Anianensis discipulus, cui morienti adfuit, & à Monachis Indensibus rogatus, *Vitam* conscripsit. Obiit sexagenarius anno 843. Extant sub Smaragdi nomine Opera plura, quæ huic an alteri sint tribuenda, multa inter eruditos lis est. Interim ad nostrum omninò pertinere videtur *Vita S. Benedicti Anianensis*, quippe quæ ab oculato Benedicti mortis teste conscripta fuerit. Extat hæc Vita tum apud Menardum lib. II. Observationum ad Martyrolog Benedict. tum apud Mabillon. Sæc. Benedict. IV. par. I. p. 191. 836.

CHRISTOPHORUS Patriarcha Alexandrinus, claruit imperante Theophilo Iconomacho, circa ann. DCCCXXXVI. Scripsit Parænesin asceticam & Parabolicam de Vitâ humanâ, Τὶ ὁμοιῶται ὁ βίος οὗτος, καὶ εἰς ποῖον τέλος καταστρέφει. Incipit, Πάντας μὲν ἀγαπητοὶ, τοὺς κατὰ καιροὺς Ἀρχιερεῖς τε καὶ Ποιμενάρχας, &c. Extat MS. Biblioth. Vind. inter *Historicos Ecclesiast*. Cod. LXIII num. XVIII. fol. 121. apud Nessel. Catal. Part. V. pag. 129. Immò non alius est hic sermo, quàm qui Græc. Lat. sub Theophili Alexandrini nomine pridem editus est *Par*. 1608. Confer Coteler. Not. ad *Monument*. Tom. II. pag. 669. 836. P. II.

AUCTOR Anonymus *Translationis S. Viti*, Novæ Corbeiæ Monachus, claruit ann. DCCCXXXVI. Scripsit Historiam Translationis S. Viti Lucani Mar- 836. P. II.

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC. Martyris è Galliâ in Saxoniam, cui ipse Auctor interfuit, & in quâ de Origine Corbeiæ Novæ agit. Hanc primus extulit, sed mutilam & mendis scatentem, Hen. Meibomius ad finem *Annalium VVitichindi*. Ex eo du Chesnius *Script. Franc.* Tom. III. Integram ex MS. Cod. Gladbacensi Mabillonius *Sæc. Bened.* Part. I. pag. 523. Auctorem bonæ notæ agnoscit Mabillonius, sed in aliquibus à vero aberrâsse non diffitetur.

837. FLORUS, *Magister* dictus, Diaconus Lugdunensis, claruit anno 837. quo Concilio Carisiacensi interfuit, uti se in antiquo Codice MS. legisse monet Margarinus Bignæus. Eum ob præclaram eruditionem, & indefessam legendi scribendique assiduitatem, plurimùm laudant Walafridus Strabo *, & Wandalbertus †: iste verò addit illum Bibliothecam librorum numero & præstantiâ insignem congessisse. Quin & tantâ apud suos doctrinæ famâ excelluit, ut præ aliis omnibus ab Ecclesia Lugdunensi electus sit, qui Joannis Scoti *Prædestinationis Opus* refutaret; eò magis, ut clarissimo Mauguino * videtur, ad id delectus, quòd in sermone quodam pridem emisso (cujus meminit Hincmarus de Prædestinat. cap. 11.) doctrinæ suæ de Præscientiâ, & Prædestinatione divinâ, præclarum specimen edidisset. Scripsit hoc Opus Ecclesiæ suæ nomine circa annum 852. Quandiu deinceps vixerit, nondum comperi.

* Carm. ad Agobard.
† Præfat. ad Martyrolog.
* Differt. Histor. cap. 10. p. 156.

SCRIPTA.

Commentarius in omnes S. Pauli Epistolas, ex S. Augustini scriptis contextus. Habetur inter Bedæ Opera, ei falsò ascriptus. Flori enim nostri esse ex pluribus Codicibus MSS. ad oculum demonstravit Joannes Mabillonius disquisitione hâc de re scriptâ *Analect.* Tom. I. pag. 12. quâ etiam ostendit genuinum commentarium aliud à vulgato Opus esse, idque necdum typis editum penès se habere, à se aliquando in lucem proferendum. Alibi tamen observat in tribus Bibliothecæ San-Gallensis Codicibus MSS. annorum DCCC. hanc ipsam Bedæ expositionem sub nomine FLORI PRESBYTERI contineri. Vide quæ hâc de re notavit *Analect.* Tom. IV. p. 630.

Commentarius seu Expositio in Canonem Missæ. Extat unà cum aliis quibusdam Flori Opusculis in Bibliothecâ Pat. Tom. XV. p. 62.

Poëmata IX. *viz. Paraphrases Psalmorum* XXII. XXVI. & XXVII. *Hymnus trium Puerorum; Hymnus ad Michaelem Archangelum, de Cereo Paschali, Epistola ad Moduinum Episcopum Augustodunensem, ad Amicum quendam, & ad VVulfinum Grammaticum*. Prodierunt ista Poëmata sub Drepanii Flori nomine sæpiùs, viz. in collectione Poëtarum Christianorum Fabricianâ, in Appendice Bigneanâ p. 727. & in Bibliothecâ Patr. Tom. VIII. pag. 667. Portò Drepanium Florum (qui ad annum 650. aliàs perperam referri solet) eundem cum Floro Magistro fuisse arguit Epistola Exhortatoria ad Moduinum, qui sedi Augustodunensi hoc demum sæculo præfuit.

Poëmata varia, numero VI. cum notis primus edidit Joannes Mabillonius Analect. Tom. I. pag. 388.

Liber de Prædestinatione contra Joannis Scoti erroneas definitiones, à Floro scriptus nomine totius Ecclesiæ Lugdunensis. Ejus certè esse fidem nobis faciunt Matthæus Florilegus & pervetustus Codex MS. Corbeiensis, in cujus tum initio, tum fine Floro nostro disertè adjudicatur. De isto opere sic Matthæus Westmonasteriensis *. *Scripsit contra Scotum Florus, qui & ejus scripta depravando damnavit.* Quâ Matthæi censura nil aliud intelligi, quàm Florum Scoti sensum minùs rectè plerumque accepisse, optimè monet Usserius †. Librum edidit Gilbertus Mauguin. Paris. 1650. Tom. I. Vindiciarum gratiæ & prædestinationis pag. 575. Andreæ Duvalli Doctoris Sorbonici notæ calci operis subjiciuntur. Habetur in Bibliotheca Patr. ubi suprà.

* Flor. Histor. ad an. 883.
† Hist. Goteschal. c. 9.

Sermo de eadem materia, ab eodem editus ibidem p. 23.

836. P. II. *Collectio ex Lege & Canonibus de Coercitione Judæorum, & auctoritate ac firmitate judicii, & testimonio Episcoporum*, à Dacherio edita Spicileg. Tom. XII. p. 48.

Collectio ex sententiis antiquorum Patrum de Electionibus & Officio Episcoporum. Habetur apud Agobardum, & exinde apud Baronium in Appendice ad Tom. XII. Annal. p. 920.

Commentarius in Epistolas S. Pauli ex XII. Patrum, (*viz.* Cypriani, Hilarii, Ambrosii, &c.) scriptis contextus. Extitit MS. penès Chiffletium & Dacherium, teste Mabillonio, ubi suprà p. 20.

Commentarius in Psalmos. Extare dicitur MS. in Monasterio Affligemensi in Flandriâ.

De Martyrologio, ejusque Autore verba fecimus ad annum 760.

Porro ut Usserii verbis utar, à Floro nostro scriptum *Commentarium in Psalterium* in Hafligemiensi Cœnobio (inter Bruxellam & Alostam posito) MS. extitisse in Indice Manuscriptorum Codicum Belgii ostendit Joannes Bunderius: unde illud in Psalmum LXXX. adversùs Amalarium à Fabro citatum est testimonium adversùs Transubstantiationis dogma. Loc. cit.

837. THEGANUS, natione Francus, vir nobilis & doctus, Amalarii & Hettii Episcoporum Trevirensium Chorepiscopus & Suffraganeus. Claruit anno DCCCXXXVII. Scripsit, teste VValafrido Strabone, breviter quidem, & verè potiùs quàm lepidè, *Annales de gestis Ludovici Imp.* ab anno DCCCXIII. usque ad ann. DCCCXXXVII. Hosce unà cum Walafridi Præfatione & Capitulis primus edidit Petrus Pithæus inter Scriptores Francicos coætaneos *Francofurt.* 1594. pag. 291. deinde Andreas Duchesnius Script. Francic. Tomo II. Exemplar MS. editis multò auctius in Bibliothecâ Viennensi asservari testis est CL. Lambecius de Biblioth. Vindob. l. II. cap. 5. p. 391. qui Appendicem duorum annorum in editione Pithæanâ desideratam exhibet.

839. P. II. ALTFRIDUS Mimigardefordensis, seu ut hodiè vocatur, Monasteriensis Episcopus, Gerfrido in eâdem sede successit anno DCCCXXXIX. Obiit anno DCCCXLIX. Condidit de Vitâ S. Liudgeri Mimigardefordensis apud Westphalos Episcopi primi, libros II. quos Notis illustratos, [præmissis multis de Liudgeri Ortu, Baptismo, Episcopatu, Ætate & Obitu, variis Actis, ejusque Scriptis & Monachatu] ediderunt Bollandiani *Mart.* XXVI. Tom. III. p. 626. Exinde Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. I. pag. 15. Eodem etiam sæculo post annum DCCCLXIV. vixit Anonymus Monachus Werthinensis, quem Brovverus Othelgrimum Liudgeri socium fuisse suspicatur, qui Vitam etiam S. Liudgeri duobus libris scripsit, vel potiùs Alfridi Opus auxit & interpolavit. Hos primus extulit Christ. Brovverus in *Sanctis Germaniæ.* Ex eo postremæ collectionis Surianæ curatores *Mart.* XXVI. Denique Mabillonius *ibid.* p. 35.

840. CHRISTIANUS DRUTHMARUS, cognomento *Grammaticus*, patriâ Aquitanus, Cœnobii Corbeien-

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC.

beiensis ex Ordine Benedictino Monachus. Claruisse videtur circa annum DCCCXL. saltem paulò post, quippe qui meminit Bulgarorum ad fidem Christianam conversionis, quæ anno DCCCXLV. contigit. Scripsit, teste Sigeberto * *Commentarium in Evangelium S. Matthæi*, qui curâ Joannis Secerii prodiit *Hagenoæ* ann. 1530. In hoc Commentario non unus est locus, qui hodiernæ Transsubstantiationis dogma adeò validè refellit, ut Scriptores Pontificii Sixtus Senensis, Cardinalis Perronius, Bigneus, aliique penè ad ravim debacchantur, clamant Secerium hominem Lutheranum Druthmarum corrupisse, idque ex fide Codicis MS. liquere. Tam effræni calumniandi libidini, ut os in æternum obstrueretur, simulque ut editioni Secerianæ fides, & integritas vindicaretur, Edmundus Albertinus * editionem *Argentoratensem* anno MDXIV. triennio ante exortum Lutherum, cum privilegio Imperatoris Maximiliani, & Leonis X. insigniibus primæ paginæ adpositis, Jacobi Wimphelingii curâ ex Codicibus MSS. erutam protulit; in qua juxta editionem Hagenoensem eadem loca ad verbum reperiuntur. Necdum tamen contentionis finis. Philippus enim Labbeus * quò jam se verteret nescius, in Albertinum invehitur, quòd ubi editionem illam viderit, quave Bibliothecâ eam deprehenderit, non addidit; se nunquam hactenus in eam incidisse, nec mirum, cùm ea diligentibus Germanis, Gesnero, Simlero, Frisio, præter Miræum aliosque recentiores fuerit ignota. Denique Albertini hominis hæretici, & à fide ac religione majorum suorum παραβάτα, fidem sibi valde suspectam esse. Quò verò in posterum omnis hac de re dubitandi, vel calumniandi ansa tollatur, monemus æquum lectorem hanc ipsam VVinphelingii editionem extare penès eximium virum Thomam Tenison Ecclesiæ Anglicanæ Theologum celeberrimum, in cujus proinde instructissima Bibliotheca videri potest. Præter editiones memoratas habetur iste Commentarius in Biblioth. PP. Tom. XV. pag. 86.

* De Script. c. 72.

* De Sacram. Eucharist. lib. I. p. 863. lib. III. p. 934.

Vide etiam quæ habet Cl. Wetsten. not. ad Orig. contr. Marc. p. 79.

* Addend. ad Tom. 1. de Script. p. 792.

840. GOTTESCHALCUS, *Fulgentius* etiam dictus, natione Francus, quippe in Belgica secunda, videtur natus, in Monasterio Augiæ divitis sub Tatone Abbate melioribus literis institutus est, in quibus eousque excelluit, ut *Fulgentii* nomen inde traxisse dicitur. Posteà Ordinis Benedictini Monachus factus Orbacensis, claruit anno DCCCXL. Vacante per Ebbonis depositionem sede Remensi, à Ricboldo Chorepiscopo Presbyter ordinatus est, ægrè id ferente Rothado Suessionensi Episcopo, in cujus Diœcesi Cœnobium Orbacense situm erat. Ut invidiam declinaret Gotteschalcus, peregrinandi studio ductus, ann. DCCCXLVII. Romam se contulit, Italiam, Dalmatiam, Pannoniam peragravit, anno sequenti in patriam reversus: redeuntem hospitio comiter excepit Eberardus Comes in Gallia Cisalpina, apud quem aliquandiu mansit; & jam quæ sub pectore premebat dogmata, apertiùs proferebat. Doctrinæ S. Augustini studiosissimus erat, & primò quidem de modo videndi Deum in futurâ vitâ quæstiones movere cœpit. Quâ de re frustra à Lupo Ferrariensi admonitus, de Prædestinatione, & absoluto Reprobationis decreto, de gratiâ Dei, aliisque huc spectantibus curiosè nimis disputavit: unde graves de his dogmatibus eâ tempestate controversias movit; toto ferè Doctorum Gallicanorum choro in diversas partes abeunte, hinc Remigio Lugdunensi, Prudentio Trecassino Ratramno Corbeiensi, Gotteschalcum defendentibus; illinc Hincmaro Remensi, Amalario Lugdunensi, Rabano Mauro, & Joanne Scoto, acerrimè oppugnantibus. Sententiam quam de gemina Prædestinatione aliisque ei annexis capitulis fovebat, propriis ipsius verbis, prout apud * Hincmarum habentur, hîc tradam: *Ego Gotteschalcus credo & confiteor*, &c. *quod gemina est Prædestinatio: sive Electorum ad requiem, sive Reproborum ad mortem: quia sicut Deus incommutabilis, ante mundi constitutionem omnes Electos suos incommutabiliter, per gratuitam gratiam suam prædestinavit ad vitam æternam: Similiter omnino omnes Reprobos, qui in die judicii damnabuntur propter ipsorum mala merita, idem ipse incommutabilis Deus, per justum judicium suum incommutabiliter prædestinavit ad mortem meritò sempiternam.* Latiùs hæc postea, non uno libello, non una edita confessione explicavit. Quin & duriùs adhuc & periculosiùs de his rebus locutus est, si Rabanum, Hincmarum aliosque hujus temporis Scriptores audiamus. In doctrina de Libero Arbitrio se cum B. Augustino penitùs sentire * professus est: *erroneas Gennadii Massiliensis opiniones*, & *infœlicis Cassiani perniciosum dogma* disertè damnans. De Voluntate Dei ita † loquitur, *Omnes* inquit, *quos vult Deus salvos fieri, sine dubitatione salvantur, nec posse salvari nisi quos vult Deus salvos fieri, nec est quisquam, quem Deus salvari velit, & non salvetur. quia Deus noster quæcunque voluit fecit: ipsi omnes itaque salvi fiunt, quos omnes vult salvos fieri; & non salvantur quos non vult Deus salvari.* Denique de morte Christi hæc habet †, *illos omnes impios & Peccatores, quos proprio fuso sanguine filius Dei redimere venit, hos omnipotens Dei bonitas ad vitam prædestinatos, irretractabiliter salvari tantummodo velit —— illos omnes impios & Peccatores, pro quibus idem Dei filius nec corpus assumpsit, nec orationem, nec, dico, sanguinem fudit, neque pro eis ullo modo crucifixus fuit, quippe quos pessimos futuros esse præscivit, quosque justissimè in æterna præcipitandos tormenta præfinivit, ipsos omnino perpetim salvari penitus nolit —— Nullius Reproborum perpetualiter esse voluit salvator, nullius Redemptor, & nullius Coronator.* Excerpta sunt hæc ex libello, quem Gotteschalcus in Synodo Moguntina Rabano Mauro obtulit, qui *in Tractatu de Prædestinatione* ad Nothingum Episcopum scripto sententiam ejus nuper refutaverat. Igitur anno DCCCXLVIII. circa Cal. Octobris habita est Moguntiæ Synodus, cui plurimi Galliarum Præsules, Abbates, Monachique celeberrimi interfuerunt: ab his damnatus Gotteschalcus, & ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum suum remissus, præstito priùs juramento, se posthac in Regnum Ludovici non rediturum. Anno DCCCXLIX. occasione placiti Regii habitus est apud Carisiacum complurium Episcoporum conventus; in quo instituto de Gotteschalco, ejusque causæ examine, Sententiâ Synodali decreverunt ipsum Sacerdotali gradu esse deponendum, & ne latiùs sua dogmata spargeret, apud Altivillarensis Cœnobii Monachos ergastulo includendum: denique juxta ordinis sui Rgulam durissimis verberibus castigandum: quod & eousque factum est, donec *librum*, quem *adversùs Rabanum* scripserat, ipse propriis manibus flammis traderat. Anno DCCCLV. coacta est Synodus Valentina, cui præsidebant Remigius Lugdunensis aliique plures. In hac conditi sunt in Gratiam Gotteschalci Canones, Synodi Carisiacensis capitibus oppositi. Interim ut Gotteschalcum ad saniorem mentem revocaret, nullis non modis tentavit Hincmarus, sed frustra fuit. Quippe in sententia sua vindicanda immotus perstitit Gotteschalcus: & quò speciosiùs innocentiam suam ostentaret, juxta impium & perversum istius Sæculi morem; se ad *Judicium Dei*, quod vocabant, subeundum, paratum esse professus est: † nempe se in quatuor ferventis aquæ, olei, picisque ardentis dolia sigillatim esse introitu-

SÆC. IX. ab An. DCCC.

* De Prædest. c. 5. p. 26.

* Ap. Hincmar. lib. c. 21. p. 118.

† Ibid. c. 24. p. 149. 150.

† Ibid c. 27. p. 211. c. 29. p. 216.

Raban. Epist. Synod. ad Hincm. Annal. Fuld. & Chron. Hirsaug. ad an. 848. Annal. Bertin. an. 849.

† Vid. Confess. prolix. ap. Usser. p. 355.

Digitized by Google

introiturum, suosque adversarios ad idem examen subeundum audacter provocavit. Obiit anno DCCCLXX. saltem non diu supervixit: postquam XXI. annis carceris angustias expertus esset.

SCRIPTA.

Confessiones II. *brevior una*, *altera* multò *prolixior*; Has primus extulit, & *Historiæ* suæ *Goteschalcianæ* subjecit Rev. Usserius *Dublin.* 1631. 4°. *Hanov.* 1662. 8°. Deinde Cl. Mauguinus, *Collect. Script.* IX. Sæc. Tom. I. p. 7. uterque in Goteschalcum satis pronus, de eo totâque ejus causâ fusè & accuratè agit.

Epistola ad Ratramnum. Habetur apud Lud. Cellotium *Hist. Goteschalc.* p. 415. Fragmentum metricæ ejus Epistolæ ad eundem editum est à Sirmondo inter Hincmari Opera, ad calcem libri *de non Trina Deitate* Tom. I. pag. 555. & ap. Mauguin. Tom. II. p. 58.

Libellus de Prædestinatione Rabano Mauro anno 1648. oblatus: Ex hoc Fragmenta quædam nobis conservavit Hincmarus lib. *de Prædestinat.* quæ hinc inde collegit & ad sua capita revocavit Mauguin. Tom. I. Part. II. p. 3. & Tom. II. *Dissert. Historic.* c. 14. pag. 62.

Vita S. Lamberti à Goteschalco Clerico incultiùs scripta, teste Sigeberto, cap. 115. Eam unà cum tribus aliis Historicis homogeneis edidit Joan. Chapeavillus *Rer. Leod.* Tom. I. *Leod.* 1612. 4°. Verùm nostri non est, sed Goteschalci Canonici Leodicensis, qui claruit anno 770.

840. De eo passim agunt, Lupus Ferr. Hincm. Flodoard. &c. recentior. Mauguin. Cellot. Usser. alii.

BERTRAMUS, rectiùs RATRAMNUS, natione, ut videtur, Gallus, in veteri Monasterio Corbeiensi Monachus, & Presbiter, tandem favente Carolo Calvo Orbacensis in Diœcesi Suessionensi Cœnobii Præpositus. Claruit anno DCCCXL. quo circiter tempore, vel paulò ante, ad scribendum se accinxit. Opus enim condidit *de Virgine Dominum parturiente*, cui Paschasius Radbertus libros duos opposuisse dicitur. Anno DCCCXLIX. fervente circa Goteschalcum controversia, libros suos *de Prædestinatione* edidit: & paulò post decantatissimum illum *de Eucharistiâ* libellum in lucem emisisse videtur. Anno DCCCLXVI. cùm controversia Latinos inter & Græcos gliesceret, Ecclesiæ Gallicanæ Doctores à Nicolao Papâ rogati, ut Occidentalium causam adversùs Græcos agerent; & in his suadente Hincmaro suas etiam partes tenuit Ratramnus noster, quas strenuè & nervosè obiit. In vivis adhuc erat anno DCCCLXX. si modò idem fuerit Ratramnus ille, Presbyter nonagenarius, cujus Hincmarus Capitulorum ad Nepotem cap. I. mentionem facit. Vir erat pius, modestus, & haud dubiè eruditus, à doctissimis quibusque sui Sæculi Viris magni habitus: quin & exceptâ lite Eucharisticâ, ab ipsis Scriptoribus Pontificiis summis elogiis ornatus.

SCRIPTA.

De partu Virginis seu de Nativitate Christi, liber, à Dacherio editus Spicileg. Tom. I. pag. 218.

De Prædestinatione libri II. Extant apud Gilb. Mauguinum in Collect. Scriptor Græciæ, &c. Tom. I. pag. 29. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XV. pag. 442.

Contra Græcorum errores libri IV. à Lucâ Dacherio primùm editi Spicileg. Tom. II. p. I.

De Corpore & Sanguine Domini liber, & in quo quàm apertè, quàm disertè de re Eucharisticâ agit, & Transubstantiationis dogma, prout in Scholis Pontificiis explicatur, quàm dilucidè refellit, norunt quotquot vel prima Theologiæ tyrocinia posuerunt. Ut itaque Opusculum ad Anticyras, vel ad Orcum potiùs, relegarent Pontificii, (quippe nigro satis carbone à Censoribus Tridentinis, Lovaniensibus, Sixto Senensi, Bellarmino, Genebrardo, Possevino, Gregorio de Valentia, Gretsero, &c. notatum) omnibus machinis aggressi sunt. Qui Authoris existimationem comminuere nituntur: Sunt, qui tanquam hæreticum & novandi cupidum, Monachum adversùs superiores suos recalcitrantem, calumniantur; quibus manifestò satis refragantur compositi hominis mores, & illibata per tot Sæcula fama. Alii Opus esse corruptum & interpolatum clamant, adversùs quos fidem faciunt tot vetusti Codices, & Ælfrici nostri, qui anno 960. floruit, Homilia Paschalis ex Ratramni libello penè ad verbum desumpta. Denique alii volunt non Ratramnum, sed Joannem Erigenam, Authorem esse. Quid inde? quasi Joannes Scotus non esset & ætate & eruditione par. Verùm hos facilè revincit ingenua Joannis Mabillonii * confessio, qui in vetustissimo Monasterii Lobiensis octingentorum annorum Codice MS. tum in initio, tum in fine, se Ratramni nomen reperisse fatetur, & quidem hujusce Codicis Lobiensis jam pridem mentionem fecerat Antonius Sanderus *Biblioth. Belg.* MSS. Part. I. pag. 303. næ verò nugas operosè agunt Viri cæterà graves atque eruditi, qui nuper probandum in se receperunt Ratramnum in hoc Opusculo Ecclesiæ Romanæ de Eucharistiæ dogmate favere, saltem non repugnare; à quo nihilominus tantoperè abest quantùm Oriens distat ab Occidente. Quid ferant tanto hiatu dignum hi promissores? eant per me licet novi nostri transubstantiationis Hyperaspistæ; Ratramnum in ipsum Paschasium nobis transforment, haud difficilius quippe crediderim unam eandemque personam fuisse, quam Ratramnum eandem cum Paschasio, & Ecclesiâ Rom. hodiernâ doctrinam hac de re tenuisse.

* Sæc. Bened. IV. Par. I. Præfat. num. 83.

Prodiit liber iste *Colon.* 1532. *Genevæ* 1541. 8°. in Micropresbytico *Basil.* 550 pag. 513. unà cum Paschasio Ratberto *Coloni* 1551. 8°. inter Feuguerei Opuscula *Lugduni Bat.* 1579. 8°. in Catalogo Testium veritatis, *Genevæ* 1608. fol. Latinè & Gallicè anno 1672. Denique ut versionum Anglicanarum plurium editiones taceam, nuperrimè prodiit editio Anglico Latina *Londini* 1686. 8°. cui Dissertationem patrio sermone præmisit editor, quo Ratramnum adversùs omnes Pontificiorum objectiones & calumnias fusè atque eruditè vindicat.

Liber de Anima. Extat MS. in Bibliothecis Lambeth. Collegii S. Benedicti Cantab. Cod. 301. num. 4. & Ecclesiæ Sarisburiensis, & penès Mabillonium.

Interiit liber à Ratramno scriptus *pro defensione Hymni cujusdam vetusti*, cui versiculum istum (*Te Trina Deitas unaque poscimus*) Hincmarus expungi jusserat, *Te summa Deitas*, deinceps in Ecclesiâ suâ cantari præcipiens.

ERMANRICUS natione Germanus, Rudolfi Monachi Fuldensis discipulus, primùm Monachus, deinde Cœnobii Elewangensis in diœcesi Augustanâ Abbas, claruit circa annum DCCCXL. Scripsit Vitam S. Soli, natione Angli, Monachi & Confessoris in Norico, qui obiit circa annum DCCXL. Edidit hanc Vitam Canisius *Antiq. Lect.* Tom IV. Part. II. p. 544. 73. & exinde Mabillonius *Sæc. Benedict.* III. Part. II. pag. 429. Ermanrico etiam tribuunt Vitam S. Magni interpolatam; quâ de re agit idem Mabillonius *Sæc.* II. ad ann. DCLXV. Alius à nostro 840. P. II.

SÆC. IX. ab An. DCCC. rat Ermanricus ille, Monachus Augiensis, hujus etiam temporis Scriptor, quem in hac *Historia Literaria* Part. I. ad ann. DCCCL. retulimus. Cujus Epistolam, seu potiùs Fragmentum, ex libro *de Grammatica* ad Grymoldum Abbatem & Archicapellanum ex vetusto codice Sangallensi, auctoris ætate scripto, edidit idem Mabillonius *Analect.* Tom. IV. p. 329. Cujus subnexam adnotationem Lector consulat.

840. P. II. ANONYMUS Auctor *Vitæ Ludovici Pii*, circa ann. DCCCXL. vel non diu posteà claruisse videtur. Scripsit Vitam Ludovici Pii Imp. Caroli M. filii, quæ inter *Scriptores* XII. *coætaneos* habetur pag. 336. Ad calcem bina ejusdem Ludovici *Præcepta*, sive Concessiones Hispanis factæ adjectæ sunt. Auctor noster, quisquis fuerit non pauca ex Annalibus Francorum, quos primus edidit P. Pithœus, desumpsisse videtur. Ætatem simul prodit, & fidem adstruit his verbis pag. 337. *Quæ scripsi usque ad tempora Imperii, Adhemari nobilissimi & devotissimi Monachi relatione didici, qui ei* (Ludovico) *coævus & connutritus est. Posteriora autem, quia ego interfui rebus Palatinis, quæ vidi & comperire potui, stilo contradidi.* Et pag. 414. ubi de insolito quodam Cometâ agit, qui in Festo Paschali apparuit, Imperatorem se, utpote rei Astronomicæ peritum, accivisse, & de hoc portento consuluisse refert.

840. P. II. ANONYMUS Auctor *Vitæ S. Balthildis*, claruit circa annum DCCCXL. Scripsit de Vitâ & Miraculis S. Balthildis Reginæ, dein Monachæ Kalensis, libellos duos. Vitam extulit Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. ad ann. DCLXXX. *Translationis* Historiam ad ann. DCCCXXXIII. *Sæc.* IV. Part. I. pag. 448.

841. HAYMO, sive Aimo, Alcuini discipulus, Rabani Mauri condiscipulus, & amicus conjunctissimus, primùm Monachus Fuldensis, deinde ab anno DCCCXXXIX. Abbas Hersfeldensis, demum anno DCCCXLI. Episcopus Halberstadiensis. Anno DCCCXLVIII. Synodo Moguntinæ interfuit. Obiit die XXVII. Martii anno DCCCLIII.

OPERA.

Commentarius in Psalmos. Prodiit Friburgi 1533.

Commentarius in Esaiam. Prodiit Coloniæ 1531. 8°.

Commentarius in Epistolas S. Pauli. Prodiit sub Haymonis nomine *Parif.* 1556. 8°. sub Remigii Remensis nomine *Romæ* 1598. *Mogunt.* 1614. Vide de eo plura *in Remigio.*

Commentariorum in Apocalypsin Libri VII. Prodierunt *Colon.* 1531. De omnibus hisce Commentariis notari meretur eos ex antiquioribus plerunque Scriptoribus defloratos esse.

Historiæ Ecclesiasticæ Breviarium, sive *De Christianarum rerum memoriâ* libri X. Prodiit *Colon.* 1531. 8°. *Romæ* 1564. cum Galesinii Notis, deinde *Colon.* 1573. 16°. *Lugdun. Bat.* 1650. 16°. correctius atque emendatius curâ Joachimi Maderi *Helmstad.* 1671.

Homiliæ in Evangelia Dominicalia & de Sanctis. Prodierunt *Coloniæ* 1536. *Parif.* 1545. 8°.

De varietate librorum, seu *de amore patriæ cœlestis*, libri III. Prodierunt *Parif.* 1531.

Tractatus de Corpore & Sanguine Domini, à Dacherio editus Spicileg. Tom. XII. p. 27.

841. AMULO, sive *Amulus*, sive *Amularius*, Gente ut videtur Gallus, primùm Diaconus Lugdunensis deinde, defuncto Agobardo, ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopus ordinatus XVIII. Calend. Februarii anno DCCCXLI. Consultus anno DCCCXLIV. à Theoboldo Lingonensi Episcopo super incertis Sanctorum reliquiis, superque prodigiis, quæ illarum occasione dicebantur evenire, gravem ad ipsum Epistolam scripsit adversùs temeritatem quorundam Monachorum, quos *viles & nequam homunculos* vocat, (verbis utor Cl. Baluzii) reliquias illas venditantium. Ab Hincmari partibus adversùs Gotteschalcum stetit, & in vivis erat an. DCCCLII. Si modò istoc anno contra Gotteschalcum scripserit, aliàs de tempore mortis nil liquet. Certè hoc circiter tempore scripsisse vel inde colligi potest, tum quòd pag. 169. ait Gotteschalcum *pluribus jam annis à Corpore Ecclesiæ justæ severitatis damnatione præcisum, atque omni Bonorum contubernio, ac solatio defraudatum remansisse*; tum quòd non longè ab Epistolæ initio innuere videtur nondum ad se datas esse trium Episcoporum, viz. Hincmari, Parduli & Rabani Epistolas, quæ tamen exeunte ann. 852. scriptæ sunt.

SCRIPTA.

Ad Theoboldum Episcopum Lingonensem Epistola, cujus occasionem suprà retulimus.

Ad Goteschalcum Epistola, scripta, ut diximus circa annum DCCCLII. quâ quidem magno animi candore & lenitate cum miserabili hoc Monacho agit; nihilominus non modò erroneas illius opiniones studiose refellit, sed & ipsum ob mores perversos & insolentes, atque obstinatam animi pervicaciam meritò corripit. Primus eam in lucem extulit Sirmondus, ex eo alii, & in his Cl. Mauguinus Collect. Script. IX. Sæculi Tom. II. qui in sectiones distinctam, notulisque suis illustratam exhibet, *Dissert. Hist.* c. 23. p. 195.

Responsio ad interrogationem cujusdam de Præscientia, vel Prædestinatione divina, & de libero arbitrio.

De Gratia & Præscientia Dei, deque prædestinatione, & libero arbitrio, de spe item ac fiducia salutis, & de sententia S. Augustini.

Sententiæ B. Augustini, ex libris ejus de Præfatis rebus sumptæ, & in unam seriem distinctis Capitulis ordinatæ. Notandum verò Lectori tria hæc postrema Opuscula in Codice Trevirensi, ex quo ea desumpsit Sirmondus, anonyma fuisse, Amulonis Epistolæ ad Goteschalcum subjecta: adeò ut incertum fuerit an ei sint ascribenda. Primum, seu *Responsionem* Flori Diaconi Lugdunensis *de Prædestinatione sermonem* esse cum Clar. Mauguino consentit Baluzius. Secundum, initio mutilum, nil aliud esse, quàm Amulonis ad Hincmarum Epistolam, unà cum Epistola ad Goteschalcum missam, contendit Mauguinus Dissert. c. 22. pag. 169. An rectè satis viderint alii. Tertium, seu *Sententiarum Collectionem* Amuloni nostro, sed ex conjecturâ tantùm, tribuit, qui primus edidit, Jac. Sirmondus.

Edidit hæc Amulonis Opera cum Notis Stephan. Baluzius ad calcem Agobardi Tom. II. p. 135. Exinde translata sunt in Biblioth. Patr. Tom. XIV. pag. 329.

Contra Judæos Liber I. *ad Carolum Regem Lotharii Imperatoris fratrem.* Hunc sub Rabani Mauri nomine unà cum Fulgentii, &c. Opusculis in lucem emisit P. Chiffletius *Divione* 1656. perperam omninò; cùm Amuloni nostro disertè eum tribuat Trithemius *, cujus sententiam Codices quidam MSS. liquidò confirmant. * De Script. Eccl. fol. 56.

ALPHONSUS III. cognomento *Magnus*, Ordoini Regis Legionensis filius, clarescere cœpit 841. P. II.

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC. pit ab anno DCCCXLI. quo juxta Vasæum, vix XIV. annos natus, patri in Regno successit, & imperii Hispaniæ habenas XLVI. annos moderatus est, etsi alii Regni ejus initium ab anno DCCCLXII. ducunt, & XLVIII. annos regnâsse volunt. Tam Marti quàm Mercurio natus erat, pace belloque ex æquo clarus, domi literis excultus, foris Imperii sui jura contra Saracenos fœliciter propugnavit. Extat sub ejus nomine *Chronicon Hispaniæ*, ab anno DCLXXII. usque ad annum DCCCLXVI. Sebastiano Episcopo Salmanticensi à multis tribuitur, idque præsertim fide Pelagii Ovetensis Episcopi, XII. sæculi Scriptoris; ac proinde sub Sebastiani nomine à Sandovalio in Collectione suâ Chronicorum Hispanorum editum est Pampilone 1615. *fol.* & posteà *ibid.* 1634. Verùm Alphonso nostro strenuè id vindicat Nicolaus Antonius, tum auctoritate ipsius Alphonsi in Epistolâ nuncupatoriâ ad Sebastianum quendam huic Chronico præmissâ, tùm aliis argumentis; quæ apud ipsum videri possunt *Biblioth. Hisp. Vet.* lib. VI. cap. 10. pag. 362. 363. Meliorem hujus, aliorumque Hispaniæ Chronicorum editionem à se expectare nos jussit Card. d'Aguirre *Notit. Concil.* p. 163. An fidem præstiturus sit vir eminentissimus, dies docebit.

842. JOANNES, Patriarcha Hierosolymitanus, claruit circa ann. DCCCXLII. postquam scilicet Imagines in Ecclesiâ Græcâ demum restitutæ sedes fixas, & non movendas ampliùs, obtinuissent; & Iconodulia apud omnes Græcos in pretio esse cœpisset. Scripsit, seu potiùs Arabicè scriptam Græcè vertit, *S. Joannis Damasceni Vitam*, fabulis & ineptiis immane quantum refertam. Extat hæc *Vita* Lat. in omnibus ferè Damasceni Operum editionibus & apud Surium Maii VI. Græcè *Romæ* 1553. 8°. & in editione Damasceni *Basileensi* 1575.

842. GEORGIUS, *Hamartolus* dictus, Natione Græcus, dignitate Archimandrita. Claruit circa annum DCCCXLII. ad quem *Historiam* suam perduxit. Hunc cum Georgio Syncello, superioris Sæculi exeuntis Scriptore, perperam confundunt viri cætera doctissimi; quâ de re eruditè & prolixè agit Leo Allatius *Diatrib. de Georgiis eorumque scriptis* pag. 323. Scripsit Georgius noster *Chronicon ab orbe condito ad Michaelem Theophili Imperatoris filium*, ex variis diversisque Chronographis, & Interpretibus sacris contextum; re quidem Historicâ, quod notat idem Allatius pag. 320. non admodum opulentum; sed ad firmanda fidei capita dissertationibus & SS. Patrum autoritatibus longiusculum. Pleraque sunt in eo, quæ in Cedreno, Theophane, Glycâ, aliisque, iisdem penè verbis ac sententiis, paucissimis tamen exceptis, descripta. Ex hoc autem illos, velut è fonte, sua (cùm posteriores sint) hausisse, nemo ambiget. Historia ad aliorum scriptorum loca obscura, & ardua explananda apprimè necessaria. Extat hoc *Chronicon* Græc. MS. in variis Bibliothecis, Bavarica, Regia Parisiensi, præcipuè Cæsarea Vindobonensi; unde excerptum dedit Lambecius Commentar. Libro II. capite 7. p. 588. Georgii etiam nostri est *Homilia*, sive *Fragmentum de inventa Cruce*, quod edidit Gretserus de Cruce Tom. II. quippe ex hoc ipso Chronico desumptum.

842. Vid. Græc. Menolog. & Anonym. ap. Allat. de Method. p. 361. METHODIUS, *Homologeta* seu *Confessor* dictus, Natione Siculus, apud Syracusas parentibus nobilibus divitibusque ortus domestica educatione perpolitus, Constantinopolim profectus est, ibique monasticum vivendi genus amplexus, in Chio Insula exstructo monasterio sedem collocavit. Posthæc Nicephori Expatriarchæ CP. apud Paschalem Papam, qui obiit anno 824. Apocrisiarius factus. Romæ positus, adulterii falsò accusatus est, & ostenso palàm naturæ vitio crimen diluit. In Græciam reversus, à Michaele Balbo ob propugnatum Imaginum cultum ante annum 829. in Acritam carcerem datus est. Anno 834. à Theophilo Imp. seditiones ab eo excitandas verito, secum in exercitu contra Saracenos ductus, ac post reditum in tenebrosum carcerem conjectus. Anno 842. à Michaele III. Porphyrogennetâ Patriarcha Constantinopolitanus factus, habitâ mox Synodo Imagines, earumque cultum, in Ecclesiam Græcam postliminiò reduxit: utque plebis superstitiosæ animos id genus commentis devinciret arctiùs, Theodori Studitæ, & Nicephori Patriarchæ corpora Constantinopolim solenni pompâ transferenda curavit. Obiit anno 847. die XIV. Junii, ut habent Acta Joannis Anachoretæ apud Metaphrasten. SÆC. IX. ab An. DCCC.

SCRIPTA.

ENcomium S. Dionysii Areopagitæ. Prodiit seorsim Gr. *Florent.* 1516. 8°. *Paris.* 1562. 8°. Gr. Lat. inter Opera Dionysii *Antverp.* 1634. Tom. II. pagina 242. Quæ in hoc Encomio de Dionysio habet Methodius, ea omnia ex Hilduini Areopagiticis mihi planè desumpsisse videtur: quippe qui ea Româ, ubi diu vixerat, facilè impetrare poterat: præsertim cùm Hilduinus quo tempore Areopagitica undique collegit, in Rescripto ad Ludovicum Imp. num. 10. testetur Scriptores Græcos de Dionysii obitu nihil dixisse, quia propter longinquitatem terrarum transitus ipsius in Galliam iis penitùs fuit incognitus. Nihilominus non levis est inter eruditos hac de re controversia. Ex Hilduini Collectaneis sua desumpsisse disertè affirmant, & longâ argumentorum serie demonstrant Sirmondus, Launoius, aliique nasutiores Critici, neque id præfractè negare audet Leo Allatius Diatriba *de Methodiorum Scriptis*; etsi prolatis in utramque partem argumentis, in eam sententiam propendere videtur, quæ statuit Methodium & Syncellum sua non ex Areopagiticis Hilduini, sed ex vetustioribus Græcorum monumentis deprompsisse.

Oratio in eos, qui dicunt, Quid profuit Filius Dei Crucifixus? Extat Gr. Lat. apud Gretser. de Cruce Tom. II. pag. 1667. Bina continet Fragmenta, quæ ex Bibliotheca Augustana deprompsit Gretserus, qui Methodio Seniori non esse tribuenda contendit, eò quòd in iis mentio fit Vexillorum Imperialium in formam Crucis commutatorum: objectionem quidem, sed frigidè admodùm solvere conatur L. Allatius Diatr. *de Methodiorum Scriptis*, pag. 348. ubi etiam tertium de Christo passibili fragmentum ex eâdem Bibliotheca Græcè & Latinè exhibet.

Oratio de Occursu Simeonis & Annæ in Templo, & de Deiparâ.

Oratio in Ramos Palmarum. Extant hæ duæ Orationes Gr. Lat. inter Opera Methodii Patarensis à Combefisio edita *Paris.* 1644. fol. ubi de iis dictum est.

Encomium S. Agathæ virginis & Martyris. Habetur Lat. in Bibliothecâ SS. Patrum Concionatoriâ Fr. Cambefisii. Græca, sed mutila penes se habuit Leo Allatius *de Method.* pag. 365. integra Leonardus Pater Collegii Græcorum alumnus, & Græcarum Literarum in Universitate Messanensi Professor primarius; an edita sint nondum didici.

Canones Methodii Pœnitentiales habentur in Balsamonis Græco Canonum volumine, quod La-

 tinè versum edidit Gentianus Hervetus. Vide quæ de iis habet Baronius ad annum 842. num. 26. &c. Harmenopulus in Epit. Canon. Sect. IV. citat sub nomine διατυπώσεως. Methodii Junioris Patriarchæ esse contendit Arcudius, cui tamen hac in re meliori ratione ductus Leo Allatius suffragari nollet.

842. P. II. METHODIUS Homologeta, Patriarcha CP. Claruit circa annum DCCCXLII. Præter Opera ejus, de quibus alibi, scripsit *Constitutionem de iis qui diverso modo, & diversâ ætate, post abnegationem coactam, vel voluntariam, ad fidem Christianam revertuntur.* Hanc notulis illustratam Græcè & Latinè edidit Jac. Goar. *Euchol. Græcor.* p. 876. Ejusdem tres versus *Jambicos* ad Theodorum & Theophanem Graptos, tribus illis, quos ad ipsum miserant, responsorios, ex codice Cæsareo evulgavit Cl. Lambecius *Comment.* lib. V. pag. 115. Quin & extant apud Const. Manass. *Chron. Compend.* Edit. *Paris.* p. 100. & Cedren. sub Theophilo *Hist.* pag. 522. & Zonar. Tom. III. pag. 121. Hi duo fratres, *Grapti* ideò dicebantur [ut hoc obiter notem] quia cùm in causâ Imaginum coram Theophilo Imp. protervè se gererent, Jambos XII. à se conditos, eorum frontibus inuri & inscribi jussit. Habentur Jambi apud Cedren. ubi supra, pag. 521. Zonar. *ibid.* p. 118. De hâc re ita Const. Manasses loc. citat. p. 97.

Ἔστιξε καὶ τὰ μέτωπα μέχρις αὐτῶν ὀφρύων,
Καὶ τύπους ἐνεχάραξεν αὐτοῖς Ἰαμβοπλόκους,
Οὗτοι μὲν οὖν τὴν κέντησιν τὴν ἐπιμετωπίαν.
Ὡς στέφος καὶ μάργαρον λιθολαμπὲς ἐφόρουν.

Etiam vultus ad ipsa usque supercilia notis deformavit; & versus Jambicos ipsis impressit; quas illi notas fronti inustas non alitèr gestabant, atque coronam unionibus & gemmis exornatam. Verùm de his ante omnia videnda est ipsius Theodori ad Joannem Episcopum Cyzicenum *Epistola*, quam Gr. Lat. edidit Combefisius in *Theodori Vita* Manip. rerum CP. p. 206. Liber Methodii *de Miraculis S. Nicolai* Myrhæ Lyciæ Episcopi, habetur Græcè MS. in Biblioth. Colbert. Cod. MMCCCCCXCIII. Principium, Καλὸν ἡμᾶς., ὦ θεικῶν ἀσμάτων προαστισταί. Sed diverso à Patriarcha Methodio tribuit L. Allatius *Diatr. de Method.* p. 383.

842. WALAFRIDUS, STRABO seu STRABUS dictus, ortu Germanus, vitæ instituto Monachus Benedictinus, Rabani Mauri Fuldensis discipulus, Cœnobii S. Galli Decanus, tandem anno 842. Augiæ majoris in Diœcesi Constantiensi Abbas creatus est. Obiit anno 849. Vir doctus & sapiens, & literarum scientiâ ante alios illustris; ut Isonis Monachi Sangallensis de eo verbis utar.

OPERA.

De *Officiis divinis, sive de Exordiis & Incrementis rerum Ecclesiasticarum* liber: Prodiit inter alios argumenti similis Scriptores curâ Joan. Cochlæi *Moguntiæ* 1549. inter Scriptores de divinis Officiis curâ Melch. Hittorpii, *Paris.* 1610. p. 661. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XV.

Vita & Miracula S. Galli Abbatis Libris II. comprehensa. Extat apud Surium XVI. Octobr. Scripsit Walafridus ejusdem *Vitam* carmine, quæ extare MS. dicitur in Monasterio Sangallensi.

De Vita S. Othomari Abbatis liber. Habetur apud Surium XVI. Novembr. longè emendatior apud Mabillon. Sæc. Benedict. III. par. 2. pagina 153.

Vita S. Blaitmaci. Extat apud Canisium Tom. VI. & Mabillon. ib. p. 439.

Extrema S. Mammæ, sive Mamantis Monachi, apud Canisium ibid.

Vita S. Leudegarii, ibid.

Visio S. Wettini metro scripta, ibidem & apud Mabillon. Sæc. Benedict. IV.

Poemata varia. Extant apud Canisium Antiq. Lect. Tom. VI. p. 542. & in Bibliotheca Patr. Tom. XV. p. 181.

Sermo seu Tractatus de eversione Hierosolymæ ad Caput XIX. *S. Lucæ.* Habetur apud Canisium ibid. p. 331.

Glossa Ordinaria interlinearis in S. Scripturam, ex antiquis Patribus collecta, & ab aliis postea aucta, Straboni nostro vulgò ascribitur.

Poemata quædam Walafridi antea inedita evulgavit Baluzius miscellan. Tom. IV.

NITHARDUS, Angilberti [Abbatis postea Centulensis, qui XII. Kal. Martii anno 814. è sæculo migravit] filius, Caroli M. ex Berthâ filiâ nepos. Postquam multas in Aulâ legationes, in exercitu præfecturas, obiisset, vitâ sæculari abrenunciatâ, monasticam sectatus est, Abbas S. Richarii factus. Nithardi adventus ad Sylvacum, à Marcvvardo Abbate Prumiensi missi, meminit Lupus Ferrariensis Epist. 55. Hunc nostrum fuisse Nithardum non immeritò suspicatur Cl. Baluzius, conjicitque illum in Monasterio Centulensi educatum, apud Marcwardum Prumiensem aliquamdiu hospitem egisse; tandem ad suos reversum, Abbatem Centulensem in Diœcesi Ambianensi factum esse. Claruit anno 843. quo ferè tempore Opus suum condidit. Obiit, ut ferunt, anno 853. Scripsit libros IV. *de Dissidio filiorum Ludovici Pii Imp. ab anno* 814. *exorsus, & ad ann.* 843. *progressus.* Primus hos edidit Petrus Pithæus inter Scriptores coætaneos, *Paris.* 1588. 8°. *Francofurt.* 1594. 8°. pag. 433. inter Scriptores deinde Francicos Duchesnius Tom. II. p. 259. 843.

SERGIUS II. Sergii filius, ortu nobilis, Romanæ Ecclesiæ Archipresbyter, & ab anno 844. Pontifex; die XXVII. Januarii ordinatus. Ineunte statim Pontificatu Ludovicus à Lothario Imperat. patre missus Romam advolavit, Romanis præcepturus, ne electum Pontificem ordinare ampliùs auderent, antequam electionem comprobâsset Imperator. Mox ipse advenit Imperator, & Ludovicum filium in Longobardorum Regem à Pontifice ungi fecit. Obiit Sergius die XXVII. Januarii anno 847. Extat unica *Epistola ad Episcopos Transalpinos de prælatione Drogonis Mediomatricensis*, Vicarii sedis Apostolicæ, Concil. Tom. VII. pagina 1799. 844.

PASCHASIUS RADBERTUS, gente Gallus, natus est anno circiter 786. prima pietatis & doctrinæ tyrocinia posuit inter Monachos qui majori Monialium Suessionensium cœtui inserviebant. Adultus factus Monachum induit in Monasterio veteri Corbeiensi sub Adelhardo Abbate. Anno 844. præfecturam Cœnobii Corbeiensis obtinuit. Synodo Carisiacensi contra Goteschalcum anno 848. interfuit. Obiit anno 851. die XXVI. Aprilis. Vir quidem non indoctus, sed ingenii sui viribus nimiùm fretus. *Primus author*, fatente ipsomet Bellarmino, * *qui seriò & copiosè scripsit de veritate corporis & sanguinis Domini in Eucharistiâ*: cui planè succinit, satis ingenuè, Jacobus Sirmondus: *Genuinum*, inquit, *Ecclesiæ Catholicæ sensum ita primus explicuit, ut viam cæteris aperuerit, qui de eodem argumento multa postea scripsere.* Et ita quidem se rem habere fidem faciunt ipsis- 844.

* De Script. Eccl. p. 266.

SÆC. IX.ab An. DCCC. † De Corp. & fang. Dom. c. 1. ipsissima Paschasii verba, & loquendi modi hactenus per omnia sæcula inauditi. *Omnia*, inquit †, *quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terrâ; & quia voluit, licèt in figura panis & vini, hæc sic esse, omninò nihil aliud quàm caro Christi & sanguis post consecrationem credenda. Unde ipsa veritas ad discipulos, Hac, inquit, caro mea est pro mundi vita: & ut mirabiliùs loquar, non alia planè quàm quæ nata est de Maria, & passa in carne, & resurrexit è sepulchro. Hæc, inquam, ipsa est, & ideo Christi caro est, quæ pro mundi vita adhuc hodie offertur, & cùm dignè percipitur, vita utique in nobis æterna reparatur.* Ex quibus dilucidè satis constat mens Paschasii, ut alia testimonia jam missa faciam.

OPERA.

Commentariorum in Evangelium S. Matthæi Libri XII.

Expositionis in Psalmum XLIV. *Libri* III.

Expositionis in Threnos Ieremiæ Libri V. Prodierunt seorsim *Basileæ* 1502. *Coloniæ* 1532.

De Sacramento Corporis & Sanguinis D. *N. J. C. ad Placidum liber*, ex vulgari Doctorum calculo anno 818. scriptus; nisi quod Carolus Cointius post annum 826. & speciatim circa an. 831. scriptum acriter & pluribus contendat. Vide ipsum hâc de re ad annum 818. 826. & 831. Num. XXXVIII. de hoc libro lis exorta est apud eruditos, facilè haud conciliandа. Plures certè Codices MSS. Rabano Mauro ipsum disertè tribuunt, nempe unus in Bibliothecâ *Coll. S. Johan.* in Bibliothecâ *Benedictinâ* apud Cantabrigienses alter, alibique alii. Sub ejus nomine prodiit ad calcem Bertrami, *Coloniæ* anno 1551. Quin & ex ipso opere peti possunt, quæ Paschasii non esse suadere videantur; præcipuè quæ *de tripartito Christi corpore* habet, aliis Paschasii locis haud satis congrua; è contra sunt antiqui admodùm Codices manuscripti, qui Paschasio Radberto luculenter vindicant. Vetustissimum, & non longè post ætatem ipsius Paschasii scriptum, se nuper penès se habuisse, coràm affirmavit Clariss. D. Alixius; sub Paschasii nomine, ni malè memini, citatur ab Odone Cluniacensi, qui ad initium sequentis sæculi claruit: inter ejus opera à Trithemio reponitur, & à longè potiore eruditorum gente pro ejus fœtu habetur; loca verò quæ de *corpore Christi tripartito* pugnare videntur, forsan non eodem ubique sensu intelligenda sunt. Verùm litem hanc dirimendi partes in me non recipio; fateor nihilominùs in eam me propendere sententiam, librum Paschasio esse adjudicandum. Interim notare licet, Paschasium in hoc ipso opere non pauca tradere, quæ cum receptâ Ecclesiæ Romanæ de Eucharistia doctrinâ nequaquam conveniunt, præsertim cap. 3. 4. & 15. quibus proinde σοφὰ quædam φάρμακα adhibere necesse habuit Jacobus Sirmondus, tanti viri & candore & ingenio parum digna. Prodiit seorsim curâ Joan. Gastii *Hagenoæ* 1528. sub Rabani Mauri nomine *Colon.* 1551. 8°. vero authori restitutus, *Lovanii* 1561. ac demum ad fidem Codicum MSS. curâ Joannis Fuchtenii, *Helmstad.* 1616.

De Corpore & Sanguine Domini ad Frudegardum Epistola, cui subnectitur *Expositio in illud; Cœnantibus autem iis*, &c. ex Commentariis in Matthæum.

Vita S. Adelhardi Abbatis Corbeiensis. Habetur apud Surium & Bollandum ad diem II. Januarii.

Passio SS. Ruffini & Valerii Martyrum, quam suo ævo corruptam & depravatam comptiori stylo perpolivit Paschasius.

Opera Paschasii suprà enumerata in unum collegit Jac. Sirmondus, atque edi curavit *Paris.* 1618. fol. exinde relata in Bibliothecam Patr. Tom. XIV. p. 356. SÆC. IX.ab An. DCCC.

Vita S. Walæ Abbatis post Adelhardum fratrem Corbeiensis, sub titulo, *Epitaphii Arsenii.* Eam primus edidit Jo. Mabillon. *Sæc. Benedict.* IV. par. 1. p. 453.

De partu Virginis libri II qui Ildefonso Toletano hactenus ascripti, & sub ejus nomine sæpiùs evulgati; Paschasio demùm Radberto ex Codicum MSS. fide à Lucâ Dacherio vindicati sunt, ac sub illius nomine editi *Spicileg* Tom. XII. p. 1.

HINCMARUS, nobili apud Gallos loco natus, à pueritiâ in Cœnobio Sanct. Dionysii propè Parisios sub Hilduino Abbate educatus est; ubi tum literis tum pietate mirè profecit; & cum fœlici & acuto ingenio præditus esset, non mediocrem in aulâ apud Ludovicum Imp. gratiam iniit. Hilduinum anno 830. in Saxoniam relegatum, ipse permittente Episcopo, in exilium comitatus est, eique exulanti non ingratas suppetias tulit. Deposito anno 835. ob perduellionis crimen, Ebbone, vacaverat jam ferè decennio sedes Remensis, quum ineunte anno 845. in Synodo Belvacensi, concurrentibus tum cleri, tum populi votis, favente etiam Carolo Rege, Remensis Archiepiscopus Hincmarus ordinatur; cujus electionem anno sequenti Episcopi in Conventu Parisiensi congregati suffragiis suis iterum confirmârunt, redditis tunc etiam à Rege Carolo Ecclesiæ Remensis possessionibus, quas vacante sede Palatini diripuerant. Anno 848. Synodo Carisiacensi interfuit, & in decretis Synodicis contra Gottefchalcum aut hìc, aut alibi factis, primas ferè ubique partes tulit. Anno 853. habita est Synodus Suessionensis, uti ipsius Synodi Acta testantur, etsi Flodoardus anno Episcopatûs Hincmariani septimo habitam referat. In hâc Synodo Hincmarus ordinationem suam iterum confirmari, & Wulfadum, cæterosque Presbyteros ab Ebbone post depositionem anno 840. ordinatos dignitate suâ submoveri effecit. Anno 855. Decreta in Concilio Carisiacensi Hincmaro satagente septennio antè lata in Synodo Valentinâ cassata sunt. Decreta Synodi Valentinæ anno 859. confirmârunt Concilia Lingonense & Tullense, quorum Capitula Carolo Regi oblata, à Rege data sunt Hincmaro confutanda. Præstitit id ille scripto Opere insigni. Anno 860. duplici Synodo Aquisgranensi adfuit, ubi Theutbergâ se cum fratre Hucberto rem habuisse, seu vi, seu veritate id cogente confessâ, Patres eam Lothario Regi abdicandam esse, & publicæ pœnitentiæ addicendam decreverunt. Præclaram id Hincmaro multa agendi scribendique ansam suppeditavit. Eodem anno Concilio Tullensi II. & sequente Aquisgranensi III. subscripsit. Anno 863. aderat Concilio Metensi, in quo ratæ sunt habitæ Lotharii Regis nuptiæ cum Waldrada post repudiatam Theutbergam initæ. Istud verò Concilium mox à Nicolao Papa in Synodo Romanâ damnatum est. Eodem anno Hincmarus impetratâ privilegiorum Remensis Ecclesiæ confirmatione, Rothadum Suessionensem Episcopum cedere renitentem habito Concilio Silvanectensi deponi, alioque in ejus locum subrogato, in Monasterium detrudi fecit; cùmque sedem Apostolicam appellaret, (extat *libellus Appellationis* apud Baron. ad an. 863. num. 81. & Concil. Tom. VIII. p. 785.) cum iterùm damnavit. Intercedente quidem Nicolao Pontifice Rothadum è carcere dimisit, Romam verò ire, quò ad judicium instaurandum eum mitti præceperat Pontifex, neutiquam permisit. Nec tertiò, quidem à Nicolao admonitus, proposito suo absce-

845. Flodoard. Hist. Remens. lib. 3. per totum.

Concil. T. VIII. p. 79.

ibid. p. 137. Loc. citat. p. 673. 674.

Ibid. p. 696.

Ibid. p. 764.

Digitized by Google

SÆC.IX. ab An. DCCC. abscedere voluit. Quamvis etiam quotidianæ minæ de literis excommunicatoriis Româ mittendis ei intentarentur; omnibus tamen insuper habitis, Canonum authoritate se tuebatur, ut ex Apologetica ipsius ad Nicolaum Epistolâ abundè liquet. Anno 865. in Concilio Romano Rothadus sedi suæ restitutus est, rescisso duplici Hincmari judicio. Anno 866. Concilio Suessionensi III. præfuit, in quo VVulfadus, sociique Presbyteri Nicolai Papæ jussu dignitatem pristinam recuperarunt. (Concil. ibid. p. 808. &c.) Anno sequente in Concilio Trecassino, cui præsedit, eandem causam accuratiùs expendit. Anno 869. Hincmarum Episcopum Laudunensem, nepotem suum, criminum plurimorum accusatum in Synodo Vermeriensi, ipse illi præ cæteris infensus calculo suo damnavit. Hinc graves patruum inter & nepotem inimicitiæ, & larga magnarum rerum materia; de quibus nos plura forsan in Hincmaro Laudunensi. Anno 882. erumpentibus in Galliam Normannis, Hincmarus desertis Remis, & ablato secum Sancti Remigii corpore, silvestria loca trans fluvium Matronam petiit; ubi in villa Sparnaco X. Cal. Januarii diem clausit extremum, in S. Remigii Monasterio sepultus. Non meum est de tanto viro judicium ferre, quem *reverendissimum & desideratissimum virum, & merito rectæ fidei ac sanæ professionis ab omnibus Catholicis ritè venerandum* vocat, qui ipsum optimè novit, Rabanus Maurus. *Nobilitatem generositatis*, inquit Lupus Ferrariensis *, *ornat eruditio salutaris, altitudinem officii commendat religio professionis.* In facultatibus Theologicis, concedente id ipso Baronio †, erat excultissimus, quem consuluerint plures de diversis quæstionibus; in scientiâ Canonum eruditissimus, licèt interdum nimis iis favens super Apostolicæ sedis decreta eos extulerit. Et sanè Ecclesiæ leges & jura nemo meliùs intellexit, nemo animosiùs defendit. Tandem ad ejus Opera deveniamus, multâ quidem eruditione, doctrinâ, pietate, referta; & quæ Ecclesiæ Gallicanæ Historiam mirè illustrant; de quibus rectè Sirmondus, *in iis nullum esse quod utilitate suâ careat, & in quo præstans autoris judicium cum scientiæ copiâ non eluceat.*

* Epist. 42. p. 82.

† Ad an. 882. num. 17.

OPERA.

Epistola ad Carolum Calvum quam priori trium librorum contra Gotteschalcum reliquosque Prædestinatianos Operi anno 856. scripto præfixerat. Opus enim ipsum interiit.

Præfatio Operis posterioris.

Posterior de Prædestinatione Dei & Libero Arbitrio Dissertatio contra Gotteschalcum & cæteros Prædestinatianos, anno 859. scripta.

Contra Gotteschalcum collectio ex SS. Scripturis, & Orthodoxorum dictis de unâ & non trinâ Deitate, sanctæ sc. & inseparabilis Trinitatis unitate, anno 857. facta.

De Divortio Lotharii Regis & Reginæ Teutbergæ liber, anno 860. scriptus.

Capitula XVII. *Parochia Remensis Presbyteris data* anno 852.

Capitula XXVII. *quibus de rebus Magistri & Decani per singulas Ecclesias inquirere & Episcopo renunciare debeant.*

Capitula III. anno 12. Episcopatûs superaddita.

Capitula V. *in Synodo Remensi data Presbyteris* anno 874.

Capitula XIII. *Archidiaconis & Presbyteris data* anno 877. Capitula ista omnia habentur Concil. Tom. VIII. p. 569.

Forma Coronationis Caroli Regis anno 869. in civitate Metis ab Hincmaro factæ.

Forma Coronationis Ludovici II. ab Hincmaro anno 877. in Compendio palatio factæ.

Forma Benedictionis ab Hincmaro apud Vermeriam an. 856. *Judithæ Caroli filiæ, cùm Ethelvvulpho Anglorum Regi desponsata est, data.*

Forma Coronationis Hermintrudis Reginæ uxoris Caroli Regis ab Hincmaro anno 866. Suessione factæ.

Explanatio in Ferculum Salomonis ad Carolum Regem, oratione solutâ; pars enim metrica, quæ 446. versibus constabat, interiit.

Ad Carolum Calvum Regem Epistolæ VI.

Ad Ludovicum Germaniæ Regem Epistolæ III.

Ad Clericos palatii, ut hominum suorum rapinas reprimant.

Ad Presbyteros Parochiæ suæ, ut excommunicationem adversùs deprædatores denuncient.

Ad Episcopos & Proceres provinciæ Remensis.

Ad Ludovicum Balbum Regem, novi Regis institutio ad rectam Regni administrationem.

Ad Carolum III. Imperatorem.

Ad Ludovicum III. Regem, Balbi filium, Epistolæ II.

Ad Proceres regni de institutione Carolomanni Regis.

Ad Episcopos regni admonitio pro Carolomanno Rege.

Ad Regem communi Episcoporum nomine de coercendo raptu viduarum, puellarum & sanctimonialium.

Ad Nicolaum *Papam Epistolæ* IV.

Ad Episcopos Synodi Suessionensis Epistolæ IV. *de causâ Wulfadi & sociorum.*

Ad Egilonem Archiepiscopum Senonensem Epistolæ III.

Ad Monachos Altivillarenses de exhibendâ Gotteschalco, modò eum pœniteret, clementiâ.

Ad Hincmarum Laudunensem *Epistolæ* V.

Ad Episcopos Provinciæ Lugdunensis de Carolomanno ejusque complicibus excommunicandis.

Opusculum LV. *Capitulorum adversùs* Hincmarum *Laudunensem.*

Ad Rodulphum & Frotarium Archiepiscopos.

Conventui Episcoporum, de uxore Bosonis, quæ virum suum reliquerat.

Ad Hildegarium Episcopum Meldensem de judicio aquæ frigidæ.

Ad Hildeboldum Episcopum Suessionensem, cui ægrotanti & missâ confessione suâ absolutionem sacerdotalem postulanti absens per literas impertiit.

Ad Hadrianum Papam, aliaque Caroli Regis nomine ad eundem.

Ad Adventinum *Episcopum Metensem.*

Ad Episcopos de jure Metropolitanorum.

Ad quendam Episcopum, de translationibus Episcoporum.

Quæ exequi debeat Episcopus, *& quâ curâ tueri res & facultates Ecclesiasticas.*

Ad Joannem VIII. Papam Epistola Caroli *II. Imp. nomine.*

De Presbyteris criminosis, de quibus approbatio non est.

De causâ Teutfridi Presbyteri.

De visione Bernoldi Presbyteri.

Ad Odonem Episcopum *Bellovacensem.*

Odoacri Bellovacensis Ecclesiæ invasoris excommunicatio.

Ad Joannem Episcopum Cameracensem.

Godbaldi Presbyteri de fœminâ convicti depositio.

Fulcheri & Hardoisæ ob incestas nuptias excommunicatio.

Ad

SÆC.IX. ab An.DCCC. *Ad Engilgarium virum illustrem.*
Ad Anastasium Abbatem.
Responsio ad quorundam quæstiones, cur *in quodam scripto posuerit mysticam Nicanam Synodum.*
Consilium de Pœnitentia Pipini Regis.
Gesta quomodo Hincmarus villam Novilliacum apud Carolum II. Imperatorem impetravit.
Animadversiones in juramentum, quod edere jussus est apud Pontigonem anno 876.
Fragmentum Epistolæ ad VVilgisum & Monachos cæteros S. Dionysii.
Fragmentum Epistolæ ad Ermingardim Augustam.
Fragmentum Epistolæ ad Rotrudem aliasque Monasterii S. Crucis Moniales.
Fragmentum operis metrici de Ferculo *Solomonis.*
Opuscula ab Epistolis ad Carolum Calvum inclusivè enumerata, de gravissimis agunt Regni & Ecclesiæ negotiis, nonnunquam de quæstionibus Theologicis, inprimis verò de jure Ecclesiastico & Canonico; tam prolixa adhuc, ut quæ ad visionem usque Bernoldi Presbyteri recensentur, justorum plerunque voluminum molem exæquent.

Omnia hactenus à nobis recensita Hincmari opera Jacobus Sirmondus in unum collegit, atque edi curavit *Paris.* 1645. 2. vol. fol. Prodierant antea quædam Hincmari opuscula curâ Joannis Busæi *Moguntiæ* 1602. Plura à Johanne Cordesio sunt edita *Paris.* 1615. 4°. Verùm omnes longè vincit editio Sirmondiana.

Libellus accusationis prolixissimus, adversùs Hincmarum nepotem in Concilio Duziacensi oblatus.

Quaterniones Carolo Regi pro Ecclesiastica libertate tuenda oblati apud *Pitsas* anno 867. in causa Hincmari nepotis nondum degeneris.

Rotula oblata eidem cùm Quaterniones præmissos legere differret.

Admonitio extemporalis ad regem habita, *quo tempore oblata est Rotula.*

Epistola ad Carolum Regem de eadem causa.

Quinque ista Hincmarum Laudanensem spectantia opuscula, unà cum Concilio Duziacensi, suisque notis eruditis, edidit Ludovicus Cellotius *Paris.* 1658. 4°. quæ quidem ad innocentiam Hincmari nostri vindicandam plurimùm conferunt. Habentur etiam Concil. Tom. VIII. p. 1552. 1732. *Epistolæ* VIII. benè prolixæ ad Hincmarum Laudunensem, ex Codice Vaticano descriptæ, in lucem editæ sunt, Concil. Tom. VIII. pagina 1789.

Vita Remigii Remensis *Archiep.* Extat apud Surium *Januar.* XIII. Huic item vitæ subjungitur *Remigii Encomium* ab eodem Hincmaro itidem conscriptum. Certè Hincmarum de vita & virtutibus S. Remigii scripsisse auctor est Flodoardus Hist. Rom. l. 3. c. 20. pagina 224. Vide etiam quæ habet Sigebertus *de Scriptor.* c. XCIX.

Denique omnium ferè, quæ unquam scripserit Hincmarus, catalogum totis quindecim Capitibus sigillatim recenset Flodoardus, in quibus quamplurima sunt, aut vetustate consumpta, aut in tenebris adhuc sepulta: quæ meliùs apud ipsum Flodoardum percurri possunt, quàm ut à me huc transferantur.

845. P. II. HINCMARUS Remensis Archiepiscopus, claruit anno DCCCXLV. Scripsit circa annum DCCCLIV. carmen *de fonte vitæ*, ad Audradum Episcopum. Cui Epistolam metricam reposuit Audradus. Hæc duo opuscula ex MS. codice Floressiensi eruit & evulgavit Cas. Oudin, si modò is sit Editor, inter *Veterum* aliquot *Opuscula Sacra* L. Bat. 1692. 8vo.

PRUDENS, sive *Prudentius*; gente Hispanus, Trecarum in Galliâ Episcopus; claruit anno 846. quo Synodo Parisiensi interfuit. Anno 849. Concilio Turonensi IV. adfuit, uti & Concilio Suessionensi II. anno 853. in quo VVulfadus aliique Presbyteri ab Ebbone post Synodicam depositionem ordinati munere suo exciderunt. Gotteschalci partes fovisse exinde constat, quòd adversùs Joannis Erigenæ Capitula de his ipsis quæstionibus scripserit: unde minùs mirum videri debeat præsentiam suam eum subtraxisse, cùm Hincmarus ipsum de statu & compressione Gotteschalci consuleret. Quâ de re conqueritur Hincmarus apud Flodoardum libro 3. capite 20. Obiit Prudentius anno 861. SÆC. IX. ab An. DCCC. 846.

SCRIPTA.

TRactatus de Prædestinatione contra Joannem Scotum Erigenam ad VVenilonem Archiepiscopum Senonensem (qui XIX. Capitula ex Scoti libro excerpta ad ipsum transmiserat) anno 852. scriptus; seu *liber Joannis Scoti de Prædestinatione ex prolatis veterum Patrum Testimoniis* [illegible] *& correctus.* Primus hunc librum edidit Gilbertus Mauguin. Vindiciarum Gratiæ Tom. I. pag. 191. ad p. 562. ejusdem *Recapitulatio* ibid. p. 563.

Collectaneum de tribus Epistolis ad Hincmarum Remensem & Pardulum Laudunensem Episcopos, à Ludovico Cellot. editum ad calcem Historiæ suæ Gotteschalci, *Paris.* 1655. fol. *Epistolam*, seu *Præfationem* ediderat Mauguinus Tom. I. part. 2. p. 6.

Tractatoria Epistola adversùs quatuor Capitula Conventus Carisiacensis, à Mauguino edita, ibid. p. 176.

Epistola brevis ad quendam Episcopum fratrem suum, à Mabillonio edita Analect. Tom. IV. pag. 324.

Habentur Prudentii opuscula in Bibliothecæ Patrum Tom. XV. pag 598. Confer quæ habet Cl. Usserius Hist. Gotteschalci cap. 8. pag. 130. c. 11. p. 247.

ANONYMUS Auctor *Translationis S. Gregorii* claruit anno DCCCXLVI. Scripsit, qui rei gestæ interfuit, Auctor noster Historiam Translationis Reliquiarum cujusdam Gregorii Martyris, in Majus Monasterium in Galliâ, quam ediderunt Bollandiani in mense *Martio.* Inde desumpsit Mabillonius *Sac. Benedict.* IV. Part. I. p 591. 846. P. II.

SABAS Vitæ instituto Monachus, quo verò loci vixerit, incertum, claruit circa annum DCCCXLVI. Conscripsit historiam vitæ, rerum gestarum, & miraculorum S. *Joannicii* Anachoretæ & Abbatis, qui ex Bythyniæ pago Marycato ad Boream partem paludis Apollaniadis sito, anno DCCLXXIX. oriundus erat; & anno DCCCXLVI. ætatis CXV. obiisse dicitur. Extat Græc. MS. hæc historia Biblioth. Vindob. Cod. *Hist.* V. num. v. fol. 32. p. 2. diversa planè ab Actis illis à Simeone Metaphraste conscriptis, quæ Surius *Novembr.* iv. Latinè edidit, & quorum Leo Allatius *Diatr. de Script. Simeon.* non semel meminit. 846. P. II.

PARDULUS, ab anno 836. Abbas Dervensis, ab anno 840. Vicedominus Ecclesiæ Remensis, demum ab anno circiter 847. Episcopus Laudunensis. Anno 848. Synodo Carisiacensi 849. Parisiacensi, 852. Vermeriensi, 853. Suessionensi, & Vermeriensi II. interfuit. Obiit circa an. 856. Extat unica *Epistola ad Hincmarum Remensem* inter Hincmari opera Tom. II. p. 838. 847.

RA-

SÆC. IX. ab An. DCCC.

847.

Vit. Raban. à Rodulf. Presbyt. opp. ejus præfix. Serrar. Rer. Mogunt. lib. 4. p. 625.

RABANUS MAURUS, gente Francus, (etsi Riccobaldus Ferrariensis, Ptolomæus Lucensis, aliique haud pauci, Anglum fuisse tradunt) patriâ Fuldensis, natus est anno 785. Alcuinum in re Theologicâ & disciplinis sæcularibus præceptorem habuit; quibus probè imbutus, in Cœnobio Fuldensi monasticam vitam profiteri cœpit. Anno 810. à Ratgario Abbate Scholæ Fuldensi præfectus est; quam tantâ eruditionis famâ, ac nominis sui gloriâ rexit, ut innumeri ex eâ prodirent Episcopi & Abbates, primaria istius ornamenta. Anno 815. ab Haistulpho Archiepiscopo Moguntiacensi Presbyteratûs gradu auctus est. Anno 822. Abbas Fuldensis factus. Anno circiter 830. Ludovici Imp. filiis in patrem conspirantibus, Rabanus in tam periculoso rerum statu adeò prudenter se gessit, ut utrorumque benevolentiam sibi retineret, & exoptatum pacis inter patrem & filios sequestrum ageret. Anno 834. Ebbonem Archiepiscopum Remensem læsæ majestatis damnatum custodiæ suæ commissum habuit. Anno 835. Sanctorum reliquias à Deusdonâ Diacono Romano Cœnobio Fuldensi donatas magnâ religione ac solenni pompâ excepit; uti & anno sequente reliquias à Sabbatino Laico Romano datas. Anno 838. Monachorum Fuldensium quasi Coloniam Erlafrido Comiti dedit ad Hisaurgiam Monasterium recèns ab eo fundatum deducendam; eodemque tempore quò studia faciliùs & imperturbatiùs urgeret, Monasterii regendi onus in Hattonem refudit. Ipse Abbatis titulo contentus, libris legendis scribendisque se totum dedit. Anno sequenti Monasterio à Monachis seditiosis ejectus est, causantibus, eum studiis literariis nimis intentum rem Cœnobii communem minùs fœliciter procurare, & Monasterii fundos negligentiâ suâ tantùm non decoquere. Ab ingratis Monachis expulsus, in Aulam secessisse fertur, ibique usque ad susceptum Episcopatum, frustrà sæpiùs à Monachis revocatus, moram fecisse. Utut sit, anno 847. defuncto Otgario Archiepiscopo, Rabanus ad sedem Moguntinam evectus est. Eodem anno habitâ Moguntiæ Synodo, de resarciendis Ecclesiæ bonis & privilegiis Laicorum injuriâ direptis & conculcatis Coepiscopos consuluit: Anno 848. collectâ iterùm Moguntiæ Synodo Gotteschalcum præsentem invictâ rationum & argumentorum vi ad incitas redegit, ac refutavit, damnatumque ad Hincmarum Remensem carceri includendum remisit. Ejusdem errores variis paulò post in lucem editis opusculis strenuè oppugnavit. Obiit vir sanctissimus anno 856. die IV. Februarii. Missis quæ de pietate ejus, de modestiâ, humilitate, liberalitate, aliisque virtutibus dici poterant, erat omni scientiarum genere instructissimus, *cui ut absque invidiâ loquar*, inquit Trithemius, *nec Italia similem*, *nec Germania peperit æqualem.* Erat quidem in ipsum paulò iniquior Willielmus Malmsburiensis noster, quod ex *Præfatione ejus ad Abbreviationem Amalarii* liquet, quam ex Bibliotheca Lambethana nuper extulit D. Alix. ad Joan. Parisiensem, quâ non modò sententiam illius de Eucharistiâ tanquam minùs sanam, immò periculosam notat, sed & libros ejus veluti parùm utiles traducit; quin & insignis cujusdam plagii insimulat, quasi duos *de Officiis Ecclesiasticis* libros ex Isidoro, Augustino, & Gregorii Pastorali ad verbum transcripsisset; alia quædam opuscula ex Isidoro & Beda compilâsset: *Fuit enim*, inquit, *vir ille huic vitio peculiariter assiduus*, *quasi prorsus desperaret lectores suos memoriam non habere*, *quâ possent ejus furta deprehendere*; quæ tamen non tam rei veritati quàm literatorum invidiæ, & peculiari in Rabani sententiam odio sunt ascribenda. Erat quippe Rabanus extra controversiam inter sæculi sui doctrinâ claros facilè princeps. Nec ipse modò eruditissimus, sed solis instar doctrinæ radios undique sparsit. Erat sub eo Fuldense Monasterium publica virtutis & eruditionis schola. CCLXX. Monachos habebat: quos non solùm in SS. Scripturis, sed etiam sæcularibus literis erudivit. Confluxerunt etiam ad eum aliunde discipuli, adeò ut ex ejus Schola prodirent, qui mox ad summas in Ecclesia & Republica dignitates evecti sunt. In suorum usum Bibliothecam Fuldensem primus condidit, librisque ornatam reddidit, quin & ipse tot præclara scripsit volumina, quæ sola Bibliothecam instruere possent; de quibus proximè agendum est.

OPERA.

Excerptio de arte Grammaticâ Prisciani.

De Universo Libri XXII. sive *Etymologiarum opus ad Ludovicum Regem.*

De Laudibus S. Crucis Libri II. partim prosâ, partim carmine, anno 843. conscripti. Prodierunt seorsim *Phorcæ* 1501. *Augustæ-Vindel.* 1605.

Commentariorum in Genesim libri IV.

In Exodum Libri IV.

In Leviticum libri VII.

In Deuteronomium libri IV. Commentarii isti omnes Freculfo Lexoviensi nuncupantur, & prodierunt simul *Colon.* 1532. 8°.

In librum Judicum libri II. *ad Humbertum Episcopum.*

In librum Ruth liber unus.

In quatuor libros Regum libri IV. *ad Hilduinum Abbatem.*

In duos libros Paralipomenωn libri IV. *ad Ludovicum regem.*

In librum Judith liber unus.

In librum Esther liber unus ad Emmam Reginam.

In Cantica quæ ad Matutinas Laudes per septimanam dicuntur Commentarius ad Ludovicum Germaniæ regem.

In Proverbia Salomonis libri III.

In Librum Sapientiæ libri III. *ad Otgarium Archiepiscopum Moguntinum*, anno 827. scripti.

In Ecclesiasticum libri X. ad eundem, eodem tempore scripti. Prodierunt seorsim *Paris.* 1544.

In Jeremiam Prophetam comprehensis ejus Threnis libri XXX. circa an. 840. scripti. Commentarius iste in Threnos S. Hieronymo malè inscribi solet. Prodierunt seorsim *Basileæ* 1534.

In Ezechielem Prophetam libri XX. *ad Lotharium Imp.*

In Macchabæorum libros duos Commentarius ad Ludovicum *Regem.*

Commentariorum in Evangelium S. Matthæi libri VIII. *ad Haistulphum Archiepiscopum.*

In XIV. *Sancti Pauli Epistolas libri* XXX. *ad Samuelem Episcopum*, quos rogante Lupo Ferrariensi ex variis SS. Patrum flosculis contexuit.

Homiliæ super Epistolas & Evangelia à natali Domini usque ad vigilias Paschæ numero LXI. *ad Haistulphum Archiepiscopum*, quibus adnectuntur multæ aliæ *Homiliæ de Sanctis*, *& variis Virtutibus.*

Homiliæ super Epistolas & Evangelia à vigiliis Paschæ usque ad XV. Dominicam post Pentecosten, *tam de Tempore*, *quàm de Sanctis*, numero XCI. *ad Lotharium Imp.*

Homilia de Evangelio, *liber Generationis Jesu Christi.*

De septem signis Nativitatis Domini Tractatus brevis.

Allegoriæ in universam S. Scripturam.

De

SÆC. IX. ab An. DCCC. *De Clericorum Institutione & Ceremoniis Ecclesiæ Libri III. ad Haistulfum Archiepiscopum* anno 819. scripti.

De sacris Ordinibus, Sacramentis divinis, & Vestimentis Sacerdotalibus liber ad Thiotmarum.

De Disciplinâ Ecclesiasticâ libri III. ad Reginaldum.

Ad Bonasum Abbatem libri III. viz. de videndo Deo, de Puritate cordis, de modo Pœnitentiæ.

De Quæstionibus Canonum Pœnitentialium libri III. ad Heribaldum. Prodierunt à Stevartio editi in Auctario Canisiano *Ingolstad.* 1616. p. 635.

De *Vitiis & Virtutibus, de Peccatorum satisfactione & remediis sive Pœnitentiis* libri III. Sex isti libri Halitgario rectiùs sunt adjudicandi, sub cujus etiam nomine extant apud Canisium, & in Bibliotheca Patrum.

Pœnitentium liber unus ad Otgarium Archiepiscopum, Capitulis XXIX. *constans*, quem paulò post annum 841. scripsit Rabanus. Prodiit seorsim ab Antonio Augustino cum Notis editus *Venet.* 1584. 4°.

Quotâ generatione licitum sit matrimonium, Epistola ad Humbertum Episcopum.

De Consanguineorum nuptiis, & Magorum præstigiis liber unus ad Bonosum.

De Anima & Virtutibus ad Lotharium Regem.

De ortu, vita & moribus Antichristi Tractatus.

Martyrologium à Canisio primùm editum Antiqu. Lect. Tom. VI. prologus ejus unà cum versibus ad Grimoldum Abbatem à Mabillonio editus habetur *Analect.* Tom. IV. pagina 326.

Poëmata de diversis, à Christophoro Brovvero cum notis edita *Moguntiæ* 1617. 4°.

Commentarius in Regulam S. Benedicti qui Smaragdo Abbati debetur.

Glossæ Latino-barbaricæ de partibus humani corporis, à Goldasto editæ Rerum Alemannicarum Tomo II. *Francofurt.* 1606.

De Inventione Linguarum ab Hebræa usque ad Theodiscam liber, à Goldasto editus ibidem.

Omnia Rabani opera hactenus enumerata, in unum collecta, & in sex Tomos distributa, curâ Georgii Colvenerii, Duacensis Academiæ Cancellarii, prodierunt *Coloniæ* 1627. fol.

Poëmata quædam, à Baluzio evulgata Miscellan. Tom. IV.

De Prædestinatione Dei contra Gotteschalum Epistola III. *viz. ad Hincmarum Remensem, ad Notingum Veronensem, & ad Eberardum Comitem*, à Jacobo Sirmondo editæ *Paris.* 1647 8°.

Liber de Computo, à Baluzio editus Miscellan. Tom. I. p. 1.

Liber contra Judæos, sub Rabani nomine à Chifletio editus *Divione* 1656. Amuloni Lugdunensi debetur.

Opuscula II. *unum de Chorepiscopis, alterum de Reverentia filiorum erga Parentes*, à Baluzio ad calcem Operum Petri de Marca edita *Paris.* 1669. f. Tom. I. p. 285.

Epistola ad Heribaldum Autissiodorensem Episcopum, ann. 853. scripta, ab eodem edita in sua Reginonis Appendice *Paris.* 1671. 8°. pag. 465. Eam priùs ediderat Steuartius sub titulo libri pœnitentialis.

Epistola ad Reginbaldum Chorepiscopum, & Opusculum de Chorepiscoporum Ordinationibus, edita sunt Concil. Tom. VIII. p. 1845.

OPERA INEDITA.

COmmentarius in *Acta Apostolorum.* Extat MS. in Bibliotheca Collegii Baliolensis Oxon. vol. 151. *Cave Hist. Lit.*

De Vita S. Mariæ Magdalenæ liber. Habetur MS. in Collegio Magdalenensi Oxon. volum. 166. SÆC. IX. ab An. DCCC.

Expositio de Paschate & Agno Paschali. Extat MS. in Collegio S. Benedicti Cantab. vol. 12[illegible].

Glossarium Latino-Theotiscum in tota Biblia sacra Veteris & Novi Testamenti; cujus Exemplar MS. venerandæ vetustatis in Germania repertum Bibliothecæ Cæsareæ intulit Lambecius, uti ipse prodit Comment. l. 2. p. 416.

Et forsan alia alibi; de quibus videndus Catalogus, quem exhibet Serarius *Rerum Moguntiac.* lib. 4. p. 631. Inter opera ejus quæ hodie non supersunt, gravi Ecclesiæ dispendio, periit *Epistola ad Egilonem Abbatem Fuldensem*, qua veram & orthodoxam de Eucharistia doctrinam asseruit, & novam Paschasii sententiam refutavit: meminit hujus Epistolæ Auctor coævus, qui in gratiam Paschasii scripsit, & in Bibliotheca Thuana, San-Germana, & Victoriana MS. delitescit, teste Albertino *De Sacrament. Eucharist.* lib. 3. pag. 924. Disertè meminit & ipse Rabanus in *Pœnitentiali* à Steuartio primùm edito cap. 33. Sed vel temporis injuriâ, vel hominum iniquitate dudum evanuit.

RABANUS MAURUS, gente Francus, Archiepiscopus Moguntinus, claruit anno DCCCXLVII. Epistolam ejus ad Egilonem *de Eucharistiâ*, tanquam deperditam, suprà meritò doluimus. Verùm in vetusto codice Gemblacensi, inter varios de Eucharistiâ Tractatus occurrit Anonymus sub hoc titulo; *Dicta cujusdam Sapientis de Corpore & Sanguine Domini adversus Ratbertum.* In hoc Opusculo intendit [verbis utor Cl Mabillonii] adversùs Paschasium, unum, corpus Eucharisticum non esse prorsus idem quod natum ex Virgine; alterum, Christum non toties pati quoties Missarum Solennia celebrantur. Hunc libellum ex codice Gemblacensi nobis exhibet Mabillonius, *Sac. Benedict.* IV. Part. II. pag. 591. Nec alium ipse putat quam Epistolam Rabani ad Egilonem Abbatem, cujus in Epistolâ ad Heribaldum Rabanus ipse meminit. Rationes, quas pro sententiæ suæ fundamento ponit, huc redeunt; primò [quòd Herigerus qui hunc librum legerat, de hâc quæstione loquens, duos tantùm adversarios, scilicet Rabanum & Ratramnum opponat Paschasio, Anonymum nostrum neutiquàm prætermissurus, si alius à Rabano fuisset. Secundò Anonymi ætas cum ætate Rabani apprimè congruit; scripsit quippe fervente controversiâ Paschasianâ, eâque adhuc recens excitatâ de triplici Christi corpore. Tertiò, Herigero fuisse non parùm vetustiorem arguit, quòd ex eo multa transtulit Herigerus in libellum suum. Qui proinde in codice Gemblacensi, cum anonymo nostro conjungitur. Quartò, Scripsit Anonymus noster ante Bulgarorum conversionem, quæ Nicolao I. Pontifice facta est; Rabanus verò istius temporis æqualis, biennio decessit ante Nicolai I. Pontificatum, sub quo Bulgaros ad fidem Christi accessisse constat. Nec obstat quòd hoc Opusculum vulgaribus Epistolarum formulis sit destitutum; cùm hæ forsasse à Librariis detractæ sint, ut in aliis etiam evenit, immò etiam in ipsius Herigeri libello, qui tamen ab aliis *Epistola* appellatur. Hæc pluribus diducit & confirmat tùm in *Adnotatione praviâ*, tùm in *Præfatione generali* ad hunc Tomum, *Sec.* IV. *num.* lvii. lviii. lix. lx. Nihilominùs sententiam suam hisce argumentis firmatam, eruditorum judicio lubens submittit vir apprimè candidus atque eruditus. Ac proinde nos rem in medio relinquimus, eruditorum judicio expendendam. Monendus est Lector inter Rabani Opera haberi sub ejus 847. P. II.

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC. nomine amplissimos *in Pentateuchum Commentarios*; nempe in *Genesin* l. IV. in *Exodum* l. IV. in *Leviticum* l. VII. in *Deuteronomium* l. IV. Soli verò *Commentarii in Genesin* Rabani nostri sunt. Reliqui Walafrido Strabo Rabani discipulo potius tribuendi, qui in iis, quæ ex Præceptoris sui ore hauserat, proprias expositiones compilavit. Liquet id ex Cod. MS. in Bibliothecâ Collegii Novi apud Oxonienses, ubi Præfat. in Exodum hæc habentur verba; *In Genesin Commentarios edidit ipse per se, quæ sequuntur Expositiones in IV. libros Moysis proficiscuntur à Strabo, ejus discipulo, qui Magistri sui dicta fideliter annotavit.* Inde, in codice MS. Collegii Baliolensis, habetur *Rabanus super Genesin*, sine Commentariis in reliquos Pentateuchi libros.

847. Vid. Ejus Epist. ad Wilisind, Memorial. l. II. & alibi passim. Et Vit. per Alvar. oper. præfix.

EULOGIUS, gente Hispanus, civitate Cordubensis, dignitate Presbyter, & paulò ante mortem electus Archiepiscopus Toletanus. Claruit anno 847. Anno 844. Arabum sævitiâ domo exul factus, per varia Hispaniæ loca, præsertim religionis ergò, S. Zachariæ monasterium ad radices Pyrenæorum montium, Panpelonam, Cæsaraugustam, Toletum, peregrinatus est. Defervescente Arabum tyrannide Cordubam repetiit: & ex eâ anno 851. S. Zoili Martyris reliquias ad Wilisindum Pampelonæ Episcopum, amicum integerrimum, dono transmisit. Eodem anno gravissima à Saracenis Cordubensibus contra Christianos mota est persecutio: in quâ Eulogius Martyribus fortiter astitit, ad constantiam monitis impulit, & scriptis consolatus est. Mox & ipse Romam iter meditans prehensus & in carcerem datus. In carcere positus scriptis elucubrandis, Martyrum causæ adversùs calumniatores defendendæ, ac passionibus enarrandis deprædicandisque, se totum dedit. Anno 859. cùm Locritiam virginem Mahumetanam fide Christianâ imbuisset, in rabiem acti Saraceni Eulogium ad tribunal rapiunt, ubi in eum minis cedere detrectantem, ac præclaram fidei confessionem edentem, gladio animadverti jubent. Martyrium obiit Vir sanctissimus V. Id. Martii, in Basilicâ S. Zoili à piis Christianis sepultus.

SCRIPTA.

Memoriale Sanctorum, sive *libri* III. *de Martyribus Cordubensibus.* Qui primus hos libros in lucem edidit Ambrosius Moralis, multa ex libro primo & secundo de Muhammede ejusque dogmatibus resecuit: de quo meritò dudum conquestus est Thomas Malvenda lib. I. de Antichristo cap. 24. Unde in editione libri hujus Romanâ locus iste Malvendæ non comparet.

Apologeticus pro Martyribus adversùs calumniatores.

Exhortatio ad Martyrium, sive *Documentum Martyriale ad Floram & Mariam virgines Confessores.*

Epistolæ aliquot ad Wilisindum Episcopum Panpelonensem, *ad Alvarum, & alios.*

Opera Eulogii studio P. Poncii Leonis, & cum scholiis Ambrosii Moralis prodierunt Compluti 1574. & inter Rerum Hispanic. Scriptores Tom. IV. pag. 213. denique in Bibliothecâ Patr. Tom. XV. p. 242.

847. ALVARUS, natione Hispanus, domo Cordubensis, S. Eulogii Cordubensis socius & amicus summus, ut ex Vitâ ejus à se conscriptâ patet. Claruit anno 847. Eulogio superstes *Vitam & Martyrium* literis consignavit; Vita hæc habetur Eulogii Operibus præfixa tum in editione Complutensi, tum in Bibliothecâ Patrum, & apud Surium XI. Martii. Scripsit & Epistolas aliquot ad Eulogium, quæ inter Eulogii Epistolas locum habent, & in Biblioth. Patrum reperiuntur. Tom. XV. pag. 89 303. 306. Composuit etiam librum *Scintillas Patrum* dictum, quo sententias Patrum collegit, & secundùm communes virtutum vitiorumque locos digessit. Prodiit is *Basileæ*, sed mutilus & absque nomine Authoris indicante Vossio *. SÆC. IX. ab An. DCCC.

* De Hist. Lat. l. III. c. 4.

LEO IV. natione Romanus, Rodoaldi filius, in Monasterio S. Martini educatus, à Gregorio IV. Subdiaconus, à Sergio II. Presbyter titulo SS. Quatuor Coronatorum, ordinatus, demum ad Pontificale culmen evectus anno 847. die XII. Aprilis, dilatâ sc. ab usque mense Januario, quo obiit Sergius, ordinatione, quod sine Imperiali, ut habet Anastasius, authoritate Pontificem non audebant consecrare. Eodem anno, seu ut alii, Anno 854. Etthelvulphum Angliæ Regem Romam advenientem summo honore excepit. Integrum ferè Pontificatum Basilicis, aliisque publicis ædificiis extruendis, civitati muris cingendæ, & adversùs Saracenorum impetus communiendæ, copiis militaribus & navalibus contra eosdem Barbaros conscribendis, & auxiliis undecunque conquirendis, impendit. Anno tamen DCCCLIII. habitâ Romæ Episcoporum LXVII Synodo, lapsos Clericorum mores reformare studuit, propositis ac decreto Synodico sancitis in vitæ morumque normam Capitulis XLII. deposito quinetiam Anastasio Presbytero Cardinali, eò quòd Parochiam suam per annos quinque contra Canonum instituta deseruit, & in alienis commoratus est. Obiit anno DCCCLV. die XVII. Julii. Extat *Epistola ad Prudentium Tricassinum*, alia *ad Episcopos Britanniæ* de *Episcopis Simoniacis*, *aliisque Regulis Ecclesiasticis*; Epistolarum adhuc *Fragmenta* varia Concil. Tom. VIII. p. 30. *Homilia ad Presbyteros & Diaconos de cura Pastorali*, pia planè & elegans Oratio, ac Sacerdotibus utilissima, ibid. p. 33. 847.

IGNATIUS, patriâ Constantinopolitanus, Michaelis Curopalatæ, *Rangabis* dicti, Imperatoris, & Procopiæ filius. Post patrem Imperio privatum, jussu Leonis Armeni exsectis virilibus, in principes insulas quatuordecennis adhuc puer relegatus, ibi loci Monachum induit, & per 30. plùs minus annos egit, Lector, Subdiaconus, Diaconus & Presbyter à Basilio Pareorum Episcopo procedente tempore ordinatus, & Monasterio Satyri præfectus. Anno DCCCXLVII. defuncto Methodio, ad Patriarchatum Constantinopolitanum promotus est, reclamante unà cum aliis Gregorio Syracusarum Episcopo: quem adeò contempserat Ignatius, ut consecrationi suæ interesse inhibuerit. Tumultuantem Gregorium habitâ mox Synodo in ordinem redegit, ac Sacerdotio indignum esse decrevit: sententiam tamen suam à Leone & Benedicto Pontificibus Romanis confirmari frustra postulavit. Graviores verò Ignatius cum Barda Michaelis Imp. avunculo inimicitias expertus est; quem cùm ob uxorem injustè dimissam, & consuetudinem cum nuru initam, reprehenderat, sacrisque submoverat, effusus ille in iram, initâque cum Gregorio Syracusano factione, Ignatium veluti læsæ Majestatis reum anno DCCCLVIII. sede spoliari, & in Terebinthum insulam relegari curavit: ubi vinculis onustus & arcta custodia detentus, fame & inedia torquebatur, de loco in locum deportatus, ubique malè habitus. Anno DCCCLXI. Photius, qui in Ignatii locum subrogatus fuerat, coactâ Constantinopoli Synodo, Ignatium præsentem sede simul & gradu dejecit, mox in exilium remissum. Anno 867.

Vit. Ignat. per Nicet. Græc. Lat. Conc. Tom. VIII. p. 1179. Theognost. libell. de caus. Ignat. Gr. Lat. ib. p. 1264.

Basilius

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC. Basilius arrepto Imperio, Photio Patriarchatum abrogavit, & Ignatium ab exilio revocatum sedi suæ reddidit: qui mox collectâ Synodo Photium Photianosque damnavit & deposuit. Obiit octogenarius anno DCCCLXXVIII. Extat Latinè *Epistola ad Nicolaum Papam* anno DCCCLXVII. data, (cujus pars prior habetur Gr. Lat. inter Acta Concilii CP. IV. Act. III.) Conc. Tom. VIII. p. 1009. *Sermo seu Acclamatio ad Synodum* CP. IV. habetur Lat. ibid. p. 1097. denique *Epistola ad Hadrianum Papam* Lat. ibid. p. 1171.

850. ERMENRICUS, Monachus Augiensis, claruit circa ann. 850. *Extat Libellus ejus ad Grimoldum Archicapellanum*, in quo de viris illustribus Monasterii Sangallensis agit: apud Mabillon. Analect. Tom. IV. p. 329.

850. WANDELBERTUS, Diaconus, & Monachus Prumiensis Ordinis Benedictini, claruit anno 850. Scripsit jussu Marquardi Abbatis *librum unum de Vita Sanct. Goaris*, *atque* alterum *de Miraculis ejusdem*, quorum narrationem ad annum usque 839. perduxit. Extat uterque liber apud Surium VI. Julii, & Mabillon. *Sac. Benedict.* II. pag. 275. Scripsit & *Martyrologium* carmine Heroico, quod Usuardi Martyrologio subjunctum prodiit curâ Joannis Molani *Lovan.* 1568. & habetur inter Opera Bedæ Tom. I. sub titulo *Ephemeridum Bedæ*.

850. P. II. AUCTOR *Vitæ S. Remacli*, Monachus Stabulensis, claruit imperante Lothario circa annum DCCCL. Scripsit de Vitâ & Miraculis S. Remacli Episcopi Trajectensis, qui obiit circa annum DCLXIV. Opus illud primus evulgavit Jo. Mabillonius *Sac. Benedict.* II. p. 488.

850. P. II. HILDEGARIUS natione Gallus primùm S. Dionysii prope Parisios Monachus, dein Caroli Calvi gratiâ Meldensis Episcopus factus anno DCCCL. Obiit an. DCCCLXXIV. Scripsit S. Faronis Episcopi Meldensis Vitam, CXXXI. Capitula continentem; quam ex Codice MS. S. Faronis in Suburbio Meldensi in lucem protraxit Jo. Mabillonius *Sac. Benedict.* II. p. 606.

850. P. II. AUCTOR *Vitæ S. Chlodulfi*, circa annum DCCCL. claruisse videtur, etsi nullâ certa temporis notâ ejus ætas signari potest. Literis consignavit Vitam S. Chlodulfi Mettensis Episcopi, anno DCXCVI. demortui, quam ex MS. cod. Chesniano publici juris fecit Joan. Mabillonius *Sac. Benedict. II.* pag. 1043.

850. P. II. AUCTOR *Vitæ S. Marculfi* vixit, si quis conjecturæ locus dandus sit, circa medium hujus Sæculi, anno DCCCL. certè ante Caroli Simplicis ætatem, ut rectè notat Mabillonius. Scripsit is, quisquis fuit, Vitam S. Marculfi Abbatis Nantuensis, (locus is erat apud Baiocenses, in Provinciâ Lugdunensi secundâ, ubi ipse Marculfus Monasterium condidit.) Extat hæc Vita, sed stylo paulùm immutato, apud Sur. *Maii* I. Sed ex Codd. MSS. stylo suo restitutam edidit Mabillonius Act. Benedict. *Sac.* I. p. 128.

850. P. II. ALMANNUS, Monachus Altovillarensis, claruit circa annum DCCCL. In literas misit Vitam S. Sindulfi Confessoris apud Remos, quam ex MSS. codicibus Monasteriorum S. Theoderici Remensis, & Altovillarensis, primus extulit Jo. Mabillonius *Sac. Benedict.* I. p. 368. Præter Syndulfi Vitam, memorat etiam Sigebertus * Gemblacensis ab Almanno nostro scripta, Vitam S. Nivardi Archi-Episcopi Remensis, Vitam Helenæ Reginæ, & Translationem ejusdem à Româ ad Cœnobium Altovillarense. Et *quia*, inquit, *suo tempore, Francia à Normannis vastabatur, exemplo Hieremiæ Prophetæ, desolationem Franciæ & sui Cœnobii, quadruplici planxit Alphabeto.*

* De Script. Eccl. p. 98. Cave Hist. Lit.

850. P. II. RUDOLPHUS, natione Germanus, Cœnobii Fuldensis Presbyter & Monachus, vir pro Sæculi quo vixit statu admodùm eruditus, Poëta & Historicus insignis, claruit circa annum DCCCL. Obiit VIII. Idus *Martii* anno DCCCLXXV. vel sequente. Jussu Rabani Mauri Abbatis sui, composuit Vitam S. Liobæ Virginis Bischofheimensis in Germaniâ Abbatissæ, quæ extat apud Surium *Septembr.* XXVIII. & Mabillonium *Sac. Benedict. III.* Part. II. p. 245. Vitam etiam Præceptoris sui Rabani Mauri, Abbatis Fuldensis & Archiepiscopi Moguntini, quæ Rabani Operibus præmissa est. Habetur item apud Bollandum *Februar.* IV. Tom. *I.* p. 500. ubi multa de ipsis Actis, de patriâ, nominibus, studiorum loco, tempore, sociis, discipulis, Episcopis & Abbatibus, ætate & scriptis, conciliis, obitu, & veneratione à Doctissimis editoribus præmittuntur. Edidit denique Jo. Mabillon. *Sac. Benedict.* IV. Part. II. p. 1.

850. P. II. ANONYMUS *Vitæ S. Anselmi* auctor, Monachus Nonantulensis tùm ex stylo, tùm quòd à Scriptore Sæculi IX citetur, circa medium hujus Sæculi anno circiter DCCCL. si non paulò anteà, claruisse judicatur. Post se reliquit Vitam S. Anselmi Nonantulani in Italiâ Abbatis primi, qui Monasterium illud condidit anno DCCL. in eoque quinquaginta ferè annos vixit. Primus eam eruit Ferd. Ughellus *Ital Sacr.* Tom. II. colum 101. Fragmenta quædam Bollandiani *Mart. III.* integram ex Ughello Mabillonius *Sac. Benedict.* IV. Part. III.

850. P. II. AUCTOR Anonymus *Vitæ S. Willelmi*, circa annum DCCCL. claruisse videtur. Certè ipsum, quem Auctorem sanè gravem vocat, non modò ante Sæculum XI. vixisse conjicit Mabillonius, sed & verisimile esse, haud longè post Willelmi obitum, qui discessit circa annum DCCCXII. cujus res gestas quasi testis oculatus commemorat, claruisse. Scripsit vitam S. Willelmi, Ducis Gellonensis in Galliâ, Monachi & Confessoris, quam primus in lucem edidit Car. Stengelius *Aug. Vind.* 1611. deinde Mabillonius *Sac. Benedict.* IV. Par. I. p. 70. Exhibet etiam idem Mabillonius Anonymi cujusdam Monachi Gellonensis libellum de Miraculis S. Willelmi *ibid.* Par. *II.* p. 556. an verò sit ejusdem auctoris, mihi haud satis constat.

853. P. II. AUCTOR Anonymus, Monachus Prumiensis, claruit anno DCCCLIII. Scripsit rei gestæ testis oculatus, Historiam *Translationis* Reliquiarum SS. Martyrum Chrysanti & Dariæ, ex Urbe Româ in Galliam. Hanc, quam nonnulli Wandalberti esse suspicantur, ex veterrimo codice Remigiano eruit Joan. Mabillonius *Sac. Benedict.* IV. Part. I. p. 611.

854. ÆNEAS, gente Gallus, sacri Palatii notarius, eo nomine subscripsit Concilio Carisiacensi anno 849. & Suessionensi anno 853. Anno, ut videtur, 854. vel paulò post Episcopus Parisiensis factus est. Anno 859. Synodo Tullensi, 862. Pistensi I. 866. Suessionensi, 867. Tricassinæ, 869. Pistensi II. & Vermeriensi, interfuit. Nec diu supervixit. Extat ab eo circa ann. 868. scriptus *Liber adversùs objectiones Græcorum*, quem Dacherius edidit Spicileg. Tom. VII. p. 1. Prologum illius exhibent Conciliorum Editores Tom. VIII. p. 476. Habetur ejusdem *Epistola* breviuscula

viuscula ad Hincmarum Remensem Concil. Tom. VIII. p. 1898.

855. BENEDICTUS III. patriâ Romanus, Petri filius, à Gregorio IV. Subdiaconus, à Leone IV. Presbyter titulo Sanct. Callisti, ordinatus, demum Pontifex Romanus anno DCCCLV. die I. Septembris factus, sedem Pontificiam ab Anastasio Antipapâ Ludovici Imp. favore subnixo ægrè extorsit; postquàm vestimentis pontificalibus exutus, verberibus cæsus, & in carcerem conjectus fuisset: verùm ipse tandem thronum Patriarcha invictâ populi Romani constantiâ atque animi obstinatione obtinuit. Non longè post adeptum Pontificatum Synodum Suessionensem Hincmarianam confirmavit. Obiit anno DCCCLVIII. die X. Martii. Extant *Epistola* IV. Concil. Tom. VIII. pag. 232.

HERARDUS, gente Gallus ab anno DCCCLV. Archiepiscopus Turonensis, anno 859. in Concilio Tullensi I. Weniloni Archiepiscopo Senonensi à Carolo Rege perduellionis accusato datus est judex. Anno sequente Concilio Tullensi II. 862. Aquisgranensi III. anno 866. Concilio Suessionensi III. & Vermeriensi, anno 867. Tricassino, interfuit. Obiit anno 871. *Extant Capitula* CXL. ex corpore sanctorum Canonum excerpta, & Presbyteris suis anno 858. in Synodo congregatis data, Concil. Tom. VIII. p. 627. & inter Baluzii Capitularia Tom. II. p. 1285. *Commonitorium* ad Wenilonem Senonensem in Synodo Tullensi datum, Conc. Tom. VIII. pag. 695. *Annunciatio de VVulfadi causa & Hermentrudis Regina coronatione in Concilio Suessionensi* 3. facta, Conc. Tom. VIII. p. 830.

855. REMIGIUS, gente, ut videtur Gallus, summus Sacri Palatii Lotharii Imperatoris Magister, seu Capellæ Regiæ Præses; ac Lotharii deinceps favore post Amulonis mortem Archiepiscopus Lugdunensis; quo tamen anno dignitatem istam obtinuerit, parùm constat. Anno 855. Concilio Valentino præfuit; in quo lapsam Gotteschalci causam, quam magno semper studio tutatus est, decretis Synodicis in integrum restitui, & Concilii Carisiacensis Canones contra Gotteschalcum sexennio ante latos damnari, effecit. Anno 859. Episcoporum Synodo in Ademantunno Lingonum collectæ præfuit, in quâ Canones Valentinos comprobari, & Joannis Scoti Capitula XIX. damnari curavit. Decreta ista Synodica post quindecim dies Remigius unà cum Coepiscopis ad Concilium Tullense ad Saponarias detulit, & tribus Regibus Carolo Calvo ejusque Nepotibus Carolo & Lothario oblatos in Concilio relegi obtinuit. Hinc grave ortum est jurgium Remigium inter & Hincmarum, qui Canones etiam Carisiacenses relegi effecit. Nil Synodicè decretum; res in aliud Concilium rejecta. Remigius verò noster anno 866. Suessionensi, 869. Vermeriensi, 870. Attiniacensi, 871. Duziacensi, 873. Cabilonensi I. 875. Cabilonensi II. Conciliis interfuit. Obiit V. Cal. Novembris quo verò anno mihi non satis est compertum.

SCRIPTA.

Liber de tribus Episcoporum Epistolis, seu *Responsio Ecclesiæ Lugdunensis nomine facta adversus* Hincmari, Rabani, & Anonymi Episcopi *Epistolas*. Scriptus circa annum 853.

Libellus de tenendâ immobiliter Sanct. Scriptura veritate, & SS. orthodoxorum Patrum authoritate fideliter sectandâ, seu *Censura Ecclesiæ Lugdunensis Capitulis IV. Synodi Carisiacæ opposita*, anno, ut videtur, 854. scripta.

Absolutio cujusdam Quæstionis De generali per Adam damnatione & speciali per Christum ex eadem ereptione Electorum, quam eodem, quo *liber de tribus Epistolis*, tempore scriptam esse probabile est. Opuscula ista habentur in Bibliothecâ Patr. Tom. XV. & apud Gilb. Mauguinum collect. script. de *Prædestinat. & Gratia* Tom. I. Part. II. p. 67. subjectis libro *de III. Quæstionibus* Andreæ du Vallii Notis.

Ceterùm Remigio nostro ab Usserio ascribitur, & sub illius nomine in Bibliothecâ prodiit *Commentarius in Epistolas D. Pauli*, qui Haymoni vulgò, ac potiori quidem jure tribuitur. De eo monet Usserius Commentarium in Epistolam ad Hebræos nec Remigii nec Haymonis esse, sed Primasio deberi.

HINCMARUS, gente Gallus, in agro Bononiensi natus, Hincmari Remensis ex sorore Nepos; avunculo bonis literis & moribus instituendus puer adhuc datus est. Postquàm annis maturuit, admovetur ad negotia ab avunculo ad Regem, à Rege in Gothiam legatus. Anno circiter 856. defuncto Pardulo in sede Laudunensi avunculi gratiâ suffectus est, & in Ecclesiâ Remensi, utpote Metropolitanâ ordinatus. Episcopus factus primò quidem Hincmaro Remensi, & ut avunculo, & ut Metropolitano suo, morem gessit; eique in frequentibus Synodis contra Rothadum Suessionensem habitis astitit: posteà verò superbiâ & ambitione inflatus, nota Metropolitani jura ei denegavit. Administrationem Palatii, & Abbatiam extra provinciam sitam, eo inconsulto accepit: ad Synodos crebro evocatus venire renuit: ab avunculo aliisque Episcopis excommunicatos in communionem recepit: aliorum Episcoporum subditos excommunicavit. Hinc ulteriùs grassatus, famam avunculi carpere, ne præsentem quidem salutare vel intueri; calumniis insectari; postulare ut sua ipse scripta concremaret; illum degradatione dignum esse clamare, idque se effecturum minari; denique nihil non agere, quo avunculum divexare, & Metropolitani jugum excutere posset. Nec intra hosce limites stetit effrænis audacia. Regi etiam injurius fuit, cujus ille potestatem ludibrio habuit; defectionem etiam ad Lotharium Nepotem meditatus. Arrepto quinetiam civili gladio, insana sua decreta armatâ manu exsequi solebat; quosque sacris submoverat, bonis spoliare. Verbo dicam: impotentissimum & in Ecclesiâ & in republicâ tyrannum egit, belli fax, dissidiorum præco. Tali ingenio vir præditus à turbis quiescere non potuit. Propiorem verò turbarum ansam suppeditavit villa Pauliacum, à sede Laudunense olim abreptum, à Carolo Rege Hincmaro Episcopatum ineunti redditum, ab Hincmaro posteà Regi traditum, ut id Nortmanno cuidam Aulico in beneficium daret. Prædium istud Vir levissimus anno 868. à Nortmanno repetiit; reddere abnuentem excommunicavit; & armatâ familiâ suâ non eo solùm prædio, sed bonis omnibus direptum exuit. Nondum satiatus, Nortmannum tanquam raptorem & sacrilegum apud Pontificem accusat. Hinc literas à Pontifice ad Remensem Metropolitanum impetrat: quibus iste Nortmannum Comitem excommunicare jubetur. Abnuit id, cui causæ injustitiam probè novit, Hincmarus Remensis. Noluit id etiam fieri Carolus Rex, in Nortmanni & justitiæ partes propensior. Fremit Hincmarus Laudunensis; & avunculum simul ac Regem sacrilegii & contemptæ Sedis Apostolicæ apud Pontificem accusat. Eodem circiter tempore major accessit malorum 858.

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC. lorum seges. Hincmarus enim levi quadam de causa universos Diœceseos suæ Clericos excommunicat. Clerici Hincmarum Remensem Metropolitanum appellant. Iste Clericos censurâ solvit; & communioni ministerioque suo restituit. Exardescit statim Laudunensis: ingentes irarum moles versat: minas ubique spargit. Tantas furias Synodo coercendas esse censuit Carolus Rex. Anno igitur 869. res ad Synodum defertur. Pistensem indicit Carolus: Hincmarum accersit. Ire abnuit præfractè Hincmarus: quin & Regem multosque Episcopos & Magnates palam excommunicat. Ei tamen à Rege atque Optimatibus in Colloquio Pistensi facti veniam authoritate suâ impetrat avunculus: remque totam Synodo judicandam committi obtinet. Indicitur Synodus Vermeriæ habenda VIII. Cal. Maii. Adest Hincmarus; cúmque crimina sibi objecta diluere non posset, appellatione ad Romam interpositâ effugium quæsivit. Censuram quidem Synodi ea arte evasit: ipse verò à Rege veluti in carcere detentus fuit prope Silvacum in parochia Laudunensi. Anno sequente Synodus frequens eadem de causa in Attiniaco palatio convenit. Adfuit Hincmarus noster, (licèt antea duplici libello, insulso uno, comptiori altero, appellationem suam confirmare frustra molitus esset) & à Rege rebellionis, ab avunculo contumaciæ, à Normanno injuriæ, à Clericis suis injustæ excommunicationis, à laicis subditis tyrannidis, accusatus est. Rem quidem cum Rege & avunculo transegit, præstito utrique novo fidei juramento, pro reliquis causis terminandis tres Episcopos ab avunculo designatos judices & ipse admisit. Mox tamen judicium detrectans, Pontificem Romanum iterum appellat. Summo interim animi ardore Hadrianus Papa ei apud Regem & avunculum tam precibus quàm minis patrocinatur. Anno 871. Carlomanni rebellia contra Regem arma moventis partes non obscurè sectatus est; & excommunicationi contra eum ab avunculo latæ subscribere recusavit. Eodem anno habita est Synodus Duziacensis; in quâ acriter à Carolo Rege & Hincmaro avunculo accusatus est: & ad Synodum adductus, præsens interrogatus, auditus, convictus, & quantumvis Romam appellans & recusans judices, unanimi Episcoporum suffragio damnatus fuit, & sede depositus. Sede ejectus, cùm novis rebus indies studeret; anno circiter 876. à Carolo Calvo, Imperatore jam facto, in exilium ejectus est, vinculis constrictus, in custodiam datus, & post biennium excœcatus. Anno 878. post Caroli mortem à Joanne VIII. Pontifice in Galliam profecto, habito Trecis Concilio excommunicatione solutus est, ad Missam canendam admissus, & aliquâ parte redituum Ecclesiæ Laudunensis donatus. Obiit ante annum 882. superstite adhuc avunculo. Hæc ferè omnia ad illustrandam hujus temporis Historiam, partim ex Hincmari Remensis Operibus, partim ex Opusculis à Lud. Cellotio editis, non indiligenter collegimus.

SCRIPTA.

Epistola VI. ad Hincmarum Remensem, à Jacobo Sirmondo inter Opera Hincmari Remensis editæ Tom. II. p. 335. 340. 341. 351. 608. 644.

Collectio altera ex Epistolis Romanorum Pontificum pro appellatione sua, Hincmaro Remensi apud Gundulfi villam anno 870. missa per VVenilonem Archiepiscopum. Extat ibid. p. 355.

Schedula Episcopis & per eos Regi porrecta apud Pistas de appellatione à se ad sedem Romanam interpositâ.

Satisfactio per Odonem Episcopum ad Carolum Regem missa. Bina ista Opuscula Notis illustrata unà cum aliis edidit Ludovicus Cellotius *Paris.* 1658. 4°. Cl. Labbeo Conc. Tom. VIII. inserta p. 1760. SÆC. IX. ab An. DCCC.

Reclamatio & Proclamatio in Concilio Tricassino II. anno 878. facta. Extat Conc. Tom. IX. p. 315.

ANGELOMUS Luxoviensis in Burgundiâ Cœnobii Monachus, Ordinis Benedictini, claruit anno 856. 856.

SCRIPTA.

Stromata in libros IV. Regum, seu Commentarii jussu Drogonis Episcopi ex Veterum Patrum scriptis contexti.

Enarrationes seu Stromata in Cantica Canticorum, jussu Lotharii Imp. collecta.

Prodierunt Angelomi Opera *Colon.* 1530. *Romæ* 1565. & in Bibliothecâ Patrum Tom. XV. p. 307.

BERTHARIUS, natione Gallus, ex Regio Francorum genere ortus in Monasterio Casinensi vitam Monasticam amplexus est, tantâque virtutis famâ excoluit, ut post Bassatii mortem anno circiter 857. communi Monachorum suffragio Abbas electus sit. Duram sanè provinciam nactus est, Saracenis prædonibus Italiam ferro flammaque tunc temporis devastantibus; à quorum incursu, ut tutum præstaret Casinum, ipse Monasterium muro cinxit; ac turribus & propugnaculis communivit: & ad montis Casini radices Urbem S. Germani exstruxit. Suscepto sæpiùs in Galliam itinere, suppetias Italiæ contra Saracenos dari à Ludovico Imp. petiit & obtinuit: semel etiam per literas evocatum in Monasterio suo hospitio excepit, & in Apuliam adversùs Saracenos arma moventem secutus est. Anno 879. Romam profectus, Landulpho Episcopo Capuano à civibus per seditionem ejecto authoritate suâ apud Joannem VIII. Pontificem patrocinatus est, ne Italiæ vires mutuis dissidiis distraherentur veritus. Anno 884. Saraceni Casinum expugnarunt; & Bertharium Abbatem ad altare Missam facientem obtruncarunt XI. Cal. Novembr. 857. Chron. Casin. l. 1. c. 35. Pet. Diac. de Vir. Cas. p. 57. III. Cas. c. 1a. p. 20. Ant. Scip. Elog. Cas. p. 57.

SCRIPTA.

Quæstiones in utrumque Testamentum, Conciones ad Monachos in Divorum Natalitiis habitæ, De Medicina libri duo, De Grammatica plures. Metro imprimis multa atque eleganter conscripsit. Ex omnibus ejus scriptis superest Opus primo loco memorandum, viz. Ἀντικειμένων sive *Contrariorum in speciem locorum utriusque Testamenti* libri II. qui sub Juliani Toletani nomine in Bibliothecis Patrum habentur, & Anonymi prodierunt *Basil.* 1530. *Colon.* 1533. 8°. à nonnullis etiam Richardo Cluniacensi, ab aliis Salviano Massiliensi ascripti. Verùm id rectiùs Berthario nostro vindicat Joannes Baptista Marus, * tum Leonis Ostiensis †, qui tale Opus scripsisse Bertharium prodit, authoritate subnixus, tum fide Codicis MS. pervetusti Longobardicis literis scripti in Bibliothecâ Anicianâ, qui Berthariii nomen prætulit. * Annot. ad Petr. Diac. de Viris Illustr. Casinens. p. 33. † Chronic. Casin l. I. c. 35.

Versus de Vita, obitu, ac Miraculis S. Benedicti, aliique ad Angelbergam Augustam, quorum meminit Petrus Diaconus Cap. 12. habentur inter Prosp. Martinengi Poëmata Rom. 1590. & apud Arnold. Wion. ad Martyrol. Benedict. Martii XXI.

Sermo de S. Luca Evangelista, à Petro item Diacono memoratus, in breviario Ord. S. Benedicti habetur.

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC. *Sermonum & Homiliarum liber* I. Servatur MS. in Biblioth. Casin. Num. 107. indicante J. B. Maro, Not. ad P. Diac. pag. 22. ubi etiam meminit *Sermonis de S. Matthia Apostolo*, nec non alterius de S. Romano Abbate, ubinam verò delitescant non dicit.

858. JOANNES, ERIGENA & SCOTUS dictus, quem alii Anglum apud Ergene in confiniis VValliæ natum, alii Scotum ex oppido Aire oriundum, alii Hiberniam Eri seu Erin olim dictam, natalem habuisse, contendunt. Claruit anno 858. Relictâ * Patriâ in Galliam transiit; & ob ingentem eruditionis famam à Carolo Calvo summa dignatione susceptus est, inter familiares adlectus, & in rebus tam seriis quàm ludicris individuus mensæ & cubilis socius factus. Anno circiter 850. fervente controversiâ Prædestinatianâ contra Gotteschalcum ipse calamum acriter strinxit, scripto de Prædestinatione libello ad Hincmarum Remensem. & Pardulum Laudunensem, quem Prudentius Tricassinus & Florus Lugdunensis statim oppugnârunt. Damnato dogmate Gotteschalciano magnam tamen & ipse Joannes invidiam passus est, quam paradoxis ut plurimum dogmatibus Philosophicis immensâque apud Regem gratiâ, sibi utplurimùm conflavit. Sive istam igitur defugiens, seu ab Alfredo Rege ad restaurandam in Anglia rem literariam evocatus, certè anno 877. post Caroli Calvi, Mecænatis optimi, mortem in Angliam transmeavit; & ab Alfredo Rege in Academia Oxoniensi à se sive recens fundata, seu restituta, artium liberalium, Geometriæ imprimis & Astronomiæ, studio præfectus fuisse dicitur. Post triennium natâ inter Academicos Oxonienses discordiâ Malmesburium secessit; & in celeberrimo illo Cœnobio ludum literarium aperuit; ubi demum anno 883. (rejiciunt id alii in 886.) à discipulis, inflexam morum duritiem & gravitatem ægrè ferentibus, stylis, & graphiis confossus interiit IV. Id. Novembr. Corpus ejus, teste Matthæo Florilego, in B. Laurentii Basilica humili quidem loco sepultum est. Ubi verò super ejus Sepulturam divinitùs cecidit radius ignis cœlestis, Monachi his revelationibus admoniti, in majorem Ecclesiam transtulerunt: & ad sinistram Altaris partem loco magis honorabili condiderunt. Certè Martyribus & Sanctis post mortem annumeratus locum in Martyrologio Romano per multa tenuit sæcula; donec tandem, heu infoelix! ab oculatioribus Pontificiis Transubstantiationi contraria sensisse deprehensus, deleto nomine eximeretur. Doctrinam ejus & pietatem egregiè deprædicat Anastasius Bibliothecarius in Epistola ad Carolum Calvum. *Mirandum est*, inquit, *quomodo vir ille barbarus* (*qui in finibus mundi positus, quantò ab hominum conversatione, tantò credi potuit alterius linguæ dictione, longinquus*) *talia* [viz. Dionysii Opera] *intellectu capere, in aliamque linguam transferre voluerit. Joannem innuo Scotigenam virum, quem auditu comperi per omnia sanctum. Sed hoc operatus est ille artifex spiritus, qui hunc ardentem pariter & loquentem fecit. Nisi enim ex gratia ipsius igne charitatis flagrâsset, nequaquam donum linguis loquendi proculdubio suscepisset.*

* Matth. VVestm. Flor. Hist. ad an. 883. p. 253.

SCRIPTA.

De Divisione Naturæ, seu de rerum Naturis libri V. De hoc opere hæc olim notavit Rogerus Hovedenus * noster, cujus verba mutuatus est Matthæus VVestmonasteriensis †, "composuit "librum, quem περὶ φυσικῶν μερισμάτων, i. e. de *Naturæ Divisione*, intitulavit, propter perplexitatem "quarundam quæstionum solvendarum, benè uti"lem: Si tamen ignoscatur ei in quibusdam in qui"bus à Latinorum tramite deviavit, dum in Græ"cos acriter oculos intendit, unde & hæreticus "à quibusdam putatus est. Sunt enim reverà in "hoc libro perplurima, quæ nisi diligenter dis"cutiantur, à fide Catholica abhorrentia videan"tur.

* Annal. ad an. 883. fol. 234. p. 2.
† Loc. cit.

Ambigua S. Maximi, seu Scholia ejus in difficiles locos S. Gregorii Nazianzeni, Latinè versa. Prodierunt simul bina ista Opera typis impressa *Oxon.* 1681. fol.

De Prædestinatione Dei contra Gotteschalcum liber; à Gilberto Mauguin. editus *Vindic. Prædestinationis & Gratiæ* Tom. I. p. 103. Ex hoc libro XIX. Capitulorum Summulæ, quæ Lotharii Imp. jussu olim collectæ, ad Carolum fratrem per Ebbonem Gratianopolitanum Episcopum missæ, in Palatio Vermeriensi anno DCCCLIII. traditæ; & à Prudentio Tricassino & Floro Lugdunensi posteà refutatæ sunt; habentur *in Historia Gotteschalci Usseriana* cap. 19.

Opera S. Dionysii Areopagitæ quatuor, (viz. *De Cœlesti Hierarchiâ, de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, de Divinis Nominibus, de Mysticâ Theologiâ*) in Latinam Linguam conversa, versione Carolo Calvo Imp. nuncupata. Hanc *Versionem* nimiâ Græci Sermonis affectatione vitiatam, adeòque Latinis haud satis esse intelligibilem, dudum observavit prædictus Florilegus. Prodierunt ex his aliqua in editione Operum S. Dionysii *Colon.* 1536. Omnia verò, teste Labbeo * in Bibliotheca Collegii Societatis Jesu Bituricensis MSS. habentur. Præfationem versionis istius duplicem ad Carolum Calvum, metricam alteram breviorem, alteram prosaicam prolixiorem edidit Cl. Usserius *in Epistolarum Hibernicarum* Sylloge p. 57.

* Dissert. de Script. Eccl. Tom. I. p. 67.

Excerpta de Differentiis & societatibus Græci Latinique verbi, quæ inter Macrobii scripta feruntur, ex fusioribus Macrobii scriptis à Joanne nostro deflorata esse censent Usserius & Pithæus.

Liber de Corpore & sanguine Domini interiit; quem Caroli Calvi jussu conscripsit, Ratramni sententiæ ubique consonum, atque eo nomine à Synodo Vercellensi anno 1050. damnatum, ut ex Berengarii Epistola ad Richardum à Dacherio † evulgata patet.

† Spicileg. Tom. II. p. 510.

Cæterùm multa alia Erigenæ Opera recenset Baleus, quæ an unquam ab eo scripta fuerint parum constat; minùs adhuc an MSS. forsan alicubi delitescant.

NICOLAUS, natione Romanus, Theodori Regionarii filius, à Sergio Papa Subdiaconus, à Leone Diaconus ordinatus, Benedicto mortuo an. DCCCLVIII. Ecclesiæ Romanæ Pontifex electus est, & præsente Ludovico Imp. die XXV. Martii consecratus. Anno sequente à Photio Patriarchâ CP. nuper facto literis interpellatus, anno 860. ad causam ejus investigandam legatos Constantinopolim misit. Anno DCCCLXI. Photium, Conciliumque CP. ab eo habitum, sugillare, & Ignatio palàm patrocinari cœpit. Eodem anno habitâ Synodo Lateranensi Joannem Archiepiscopum Ravennatem injuriæ & rapinæ à civibus suis accusatum in judicium vocavit; & venire abnuentem communione privavit. Mox etiam à Ravennatibus exoratus, Ravennam profectus est, & Joannem diu licèt tergiversatum civibus satisfacere, contumaciæque suæ pœnitentiam agere, & veniam postulare coegit, pœnitentem communioni restituit. Anno DCCCLXII. acriùs contra Photium insurrexit habitâque Romæ Synodo pullulantem tunc temporis Theopaschitarum hæresim damnavit. Eodem 858.

anno

Digitized by Google

SÆC.IX.ab An.DCCC. anno divortium Lotharii Regis indignatus, & à Teutbergâ Reginâ injustè uti credi voluit, repudiatâ appellatus, summa imis miscuit, nihil intentatum relinquens, quo aut Teutbergæ causam tutaretur, aut Lotharium Regem à proposito abduceret, adeò ut anno sequente Synodum Metensem damnaret, & Theutgadum Trevirensem ac Guntharium Coloniensem Archiepiscopos à Synodo ad Romam legatos excommunicaret. Eodem anno 863. collecto Romæ Concilio Photium excommunicavit & damnavit; & Rothadum Episcopum Suessionensem ab Hincmaro Remensi depositum sedi suæ restitui, & Romam judicandum remitti crebris literis mandavit. Anno 864. habitâ Romæ Synodo Rodoaldum Episcopum Portuensem, legatum suum tum in Oriente tum in Gallia, sede & communione submovit, aliamque Synodum de causâ divortii Lotharii Regis terminandâ frustra indixit. Anno 865. convocatâ Romæ Synodo, Rothadum præsentem communioni restituit, sedi Suessionensi restituendum decrevit, & in Galliam Synodico decreto ac literis suis communitum dimisit, anathema omnibus ei deinceps adversantibus comminatus. Acriùs eodem tempore contra Michaelem Imp. & Photium exarsit, illiusque scripta flammis palam mandari jussit. Anno 866. Michaeli Bulgarorum Regi fidem Christianam nuper susceptam gratulatus est, quæstionibus CVI. ab eo propositis responso satisfecit, & ad fidem apud Bulgaros confirmandam Paulum Populoniensem & Formosum Portuensem Episcopos legavit. Eodem anno Waldradum Teutbergæ pellicem excommunicavit, Wulfadum & socios in Concilio Suessionensi depositos dignitati suæ restitui jussit; & à Photio anathemate percussus est. Obiit anno 867. die XII. Novembris. Extant *Epistolæ* LXX. Concil. Tom. VIII. pagin. 268. aliæ XXIV. ibidem pagin. 480. Fragmenta aliarum *Epistolarum* VI. ibidem pagin. 514. *Responsa ad Consulta Bulgarorum* Capitulis CVI. constantia, ibidem pagin. 516. *Decreta* seu *Rescripta* de rebus variis in XXII. titulos dispertita, idem pagin. 550. *Appendix Epistolarum secunda* Epistolas IV. complectens, ibidem pag. 563. Cæterùm Nicolai nostri Epistolæ seorsim prodierunt *Romæ* 1542. fol.

858. Phot. in Epist. passim. Nicet. in vit. Ignat. Theog. libell. de Igna. Baron. Tom. X. ab an. 858. Hanck. de Script. Byzant. par. I. c. 18.

PHOTIUS, ortu, ut videtur Constantinopolitanus, Tarasii Patriarchæ nepos, parentes habuit generis splendore illustres, & quos martyrium [forsan ob causam imaginum] nobilitaverat. Genere, doctrinâ, virtute, conspicuus, ad summas reipublicæ dignitates, quamprimùm maturuit, ascendit; factus Protospatharius seu regiorum satellitum dux, Protosecretarius, & Senatûs CP. princeps; adeóque Imperatoris nomine ad Assyrios legatione functus. Anno 858. dejecto Ignatio, & oblato ab eo, seu sponte, seu metu, abdicationis libello, cùm de successore ageretur, Photium τὸν ἐπ' εὐλαβείᾳ καὶ γνώσει πολλὰ φημιζόμενον, fatente Michaele Monacho, causæ Photianæ aliter minimè favente magnoperè reluctantem tum Aulici tum Clerici in Patriarchatum Constantinopolitanum elevarunt, ipso Domini die natali consecratum. Certè ad hoc munus subeundum, quicquid fingant Ignatiani, se per vim quandam adactum esse ipsemet non modò in Epistola ad Hadrianum Papam, sed & privatis ad ipsum Bardam literis, seriò conquestus est. Quo tamen non obstante, Ignatiani in æde S. Irenes congregati Photium ejusque sequaces damnarunt: Photianis mox in Synodum collectis par pari rependentibus. An. 861. habita est Constantinopoli Episcoporum CCCXVIII. Synodus, in quâ solenni sententiâ deponitur Ignatius: cui aderant & con-

Vid. Photii Epist. 6. p. 69.

senserunt legati Pontificii Rodoaldus Portuensis & Zacharias Anagninus Episcopi. Etsi postea ipse Nicolaus Papa consensum denegarit, pessima convicia minasque quotidie in Photium jaculatus. His accessit nova Nicolai in Photium odii ratio, causa nempe Bulgarorum, quos missis illuc anno 866. prædicatoribus sedi Romanæ arripere molitus erat. His interim Photius, utpote sedi suæ subditos, cui se nuper ultrò subjecerant, sedi suæ strenuè vindicavit. Anno 867. ad imperium evectus Basilius Macedo, Photio non leviter infensus, quod ob Michaelis Imp. cædem acriter ab eo correptus fuerat, & sacra communione submotus, revocato Ignatio, Photium throno Patriarchali dejecit. Anno 869. convocato Constantinopoli Concilio Episcoporum CII. quod pro Oecumenico VIII. habent Pontificii, Photium Photianosque damnant & deponunt Ignatiani; & ut modo quodam insolenti res ageretur, Synodali sententiæ calamis non modò atramento, sed ipso sanguine sacramentali tinctis subscripserunt. Quo facto Photius in exilium est actus, cognatis, familiâ, amicis, omni denique humano ministerio, & quos ipsâ vitâ cariores habuit, libris exutus Καινὸν τῶν (inquit) ἢ παράδοξον, ἡ νέα καθ' ἡμῶν ἐπινενοημένη τιμωρία, *& hoc certè novum & paradoxum; recens in me excogitatum supplicium.* Tandem Basilius veteris amicitiæ memor, cum Photio in gratiam redire cœpit, quem mortuo paulò post Ignatio, anno 878. sedi suæ restituit. Nec hoc contentus Joannem VIII. Romanum Pontificem illi reconciliavit. Photium proindè Pontifex in communionem recepit omnia adversùs eum ejusque sequaces decreta irrita fecit; Paulum Anconitanum & Eugenium Ostiensem legatos Constantinopolim misit; ubi collecto anno 879. Episcoporum CCCLXXXIII. Concilio interfuerunt. Omnia hic in Photii gratiam cesserunt, ipse pro legitimo Patriarcha ab omnibus agnitus, rescissa in contrarium decreta, antiqua sedis CP. privilegia confirmata, condito etiam Canone, ut omnes à Joanne Pontifice Romano damnati, à Photio etiam damnarentur; à Photio damnati, à Joanne etiam anathemati subjicerentur. Hanc solummodò Synodum Photianam Oecumenicam VIII. agnoscunt Græci, cujus Acta ex Joannis Becci Patriarchæ CP. codice exscripta primus Gr. Lat. extulit Gulielmus Beveregius *Pandect. Canonum* Tom. II. Anno 886. Photius insidiarum unà cum Theodoro Santabareno adversùs Leonem Aug. Basilii filium initarum falsò insimulatus, ab Imperatore mox sede pulsus, in Harmonianorum Monasterium relegatus est; ubi non diu postea obiisse videtur, in Heremiæ Monasterio ad Merdosagarem sepultus. Vir, ut cætera taceam, infinitæ lectionis, stupendæ eruditionis, omnium non sui modò, sed & omnium penè sæculorum doctissimus, librorum helluo voracissimus, Censor κριτικώτατος. Nemo Bibliothecam ejus vel semel inspexerit, quin Historicum summum, Philologum instructissimum, Criticum perspicacissimum, statim deprehenderet. Testantur accuratam Juris peritiam tot solertia ad interrogationes propositas responsa; prudentiam politicam liber *de Officio Principis*, ut de rebus gestis nil dicam. Legantur ejus Epistolæ; videbis ipsum Philosophica, Medica, Mathematica, Theologica, ad amussim tenuisse. Verùm id apud omnes in confesso est, & fortè solus est Philippus Brietius*, qui Photium literis sæcularibus clarum, divinarum fuisse ignarum affirmavit, reclamante totâ Doctorum caveâ, totque ejus scriptis summâ sacrarum literarum, & rei Theologicæ peritiâ refertissimis. De ingenio ejus & scientiâ externâ, audiatur unicus Nicetas David †, Photio aliàs non satis æquus. Tan-

SÆC. IX. ab An. DCCC.

Vide Leonem Gram. in Chronographiâ, & Ioelem in Hist. Compend.

Epist. 97. ad Basil. Imp. p. 137. Leo Gram. in Chronograph. Ioan. Curopal. in Compend. Zonar. Annal. Tom. 3.

* Annal. ad an. 858.

† Vit. Ignatii p. 1108.

SÆC. IX. ab An. DCCC.

Tandem, inquit Photium *Patriarcham designant*: ἦν δὲ οὗτος ὁ Φώτιος οὐ τῶν ἀγενῶν τε καὶ ἀνωνύμων ἀλλὰ καὶ τῶν εὐγενῶν κατὰ σάρκα καὶ περιφανῶν: *Homo erat sanè minimè obscurus & ignobilis, sed claris & illustribus oriundus natalibus, rerumque civilium & politicarum usu, prudentiâque & scientiâ omnium tunc temporis clarissimus. Grammatica enim literaturæ & carminis pangendi, dicendique laude, quin & Philosophiæ, & Medicinæ, & omnium propè liberalium disciplinarum externarum studio cognitioneque tantoperè florebat, ut ævi sui facilè princeps haberetur, immò & cum Veteribus certare posset.* Πάντα γὰρ συνέτρεχεν ἐπ' αὐτῷ, ἡ ἐπιτηδειότης τῆς φύσεως, ἡ σπουδή, ὁ πλοῦτος, δι' ὃν καὶ βίβλος ἐπ' αὐτὸν ἔρρει πᾶσα, πλέον δὲ πάντων ὁ τῆς δόξης ἔρως, δι' ὃν αὐτῷ καὶ νύκτες ἄυπνοι περὶ τὴν ἀνάγνωσιν ἐμμελῶς ἐσχολακότι. *Omnia quippe in illo concurrerant, aptitudo quadam & naturæ vis ac fœlicitas, studium, opes, quibus sibi librorum omnium maximam copiam comparabat: & quod præcunctis, gloriæ laudisque cupido, quâ incensus totas noctes, ut lecturæ assiduè vacaret, ducebat insomnes.* Mitto Recentiorum encomia, numero & pondere infinita; meritissimum præ aliis Elogium ipsi tribuit, qui de hujusmodi rebus optimè judicare novit, Dan. Heinsius, *Dissert. de Critica Veterum*, p. 166. quod ne nimiùs sim, hûc non transferam.

OPERA EDITA.

Μυριόβιβλον, sive *Bibliotheca*, à Photio adhuc Laico scripta, in quâ CCLXXX. Veterum opuscula lecta, excerpta, & accuratè dijudicata continentur. Nobile, si quod aliud, eruditæ vetustatis promptuarium; quo tot secundæ post naufragium tabulæ, tot aurea melioris ævi monumenta, ex parte saltem nobis conservantur. Opus, in quo ingenii acumen, judicii gravitatem, legentis industriam, an lectionis varietatem quis magis admiretur, haud facilè dixerim. Interim notari meretur, hanc quam nos habemus Bibliothecam, longè majoris operis solummodò partem videri, eâ sc. solummodò quæ absente Tarasio fratre, recitata fuerant, ut ipse Photius Epistolâ ad Tarasium Bibliothecæ præfixâ non obscurè indicat. Legit utique & excerpsit vir eruditissimus infinita alia aliis temporibus præsente Tarasio recitata, unde nil mirum in hoc Opere Ignatium, Papiam, Aristidem, Theophilum, Hegesippum, Athenagoram, Julium Africanum, Gregorium Thaumaturgum, Dionysium Alexandrinum, Gregorium Nazianzenum, aliosque maximi nominis Scriptores, quà sacros, quà profanos, nullum habere locum, in aliâ, ut videtur, Collectione recensitos, cujus fortasse ὑπομνηματισμάτων erant Eclogæ illæ Philostorgianæ, quas hoc demum sæculo edidit Gothofredus. Primus hanc Bibliothecam Græcè cum notis edidit David Hæschelius *Augustæ-Vindel.* 1601. fol. Gr. Lat. deinde prodiit cum Hæschelii notis, Schotti versione & notis, *Genevæ* 1613. fol. *Rothomagi* 1653. fol. Cæterùm monendus est lector, versionem Latinam his editionibus affixam, etsi Andreæ Schotti nomen præferat, pravam esse, fallacem, & Schotti nomine prorsus indignam.

Epistolæ CCXLVIII. unà cum Auctuario V. aliarum de rebus in jure Canonico Orientalium dubiis, ex versione & cum notis Richardi Montacutii nostratis Gr. Lat. prodierunt *Londini* 1651. fol.

Epistola ad Archiepiscopum Aquileiensem invenitur Gr. Lat. in Auctario novissimo Combefisii *Paris.* 1672. Lat. apud Baronium ad an. 883.

Epistola ad Theophanem Monachum, quam Gr. Lat. Prolegomenis suis in Theophanis Ceramei Homilias inseruit Fr. Scorsus Proœm. 2. Sect. 3.

Epistola ad Nicolaum Papam statim post initum Patriarchatum scripta, & Confessionem fidei suæ continens. Extat Lat. apud Baronium ad an. 859. num. 71.

SÆC. IX. ab An. DCCC.

Epistola ad eundem triennio post scripta, Lat. apud Baronium ad an. 861. num. 39.

Epistola Encyclica ad Patriarchas Orientales, Lat. apud Baronium ad ann. 863. num. 41. Græcè verò & Latinè inter Epistolas Photianas à Montacutio editas secundum locum obtinet.

Nomocanon, sive *Canonum Ecclesiasticorum & Legum Imperialium de Ecclesiasticâ disciplinâ conciliatio*, in titulos XIV. distributa. Prodiit cum Commentariis Theodori Balsamonis tum Græcè tum Latinè à Christophoro Justello ex Bibliotheca Palatina primùm editus *Paris.* 1615. 4°. deinde ad calcem Commentariorum Balsamonis *Paris.* 1620. fol. postremò in Justelli junioris Bibliothecâ Juris Canonici *Paris.* 1661. Tom. II. pag. 789. Huic Editioni accesserant prolixa Photii prolegomena hactenus inedita ex Cod. MS. Bibliothecæ publicæ Oxon. à Rev. Usserio descripta.

Homilia in diem natalem B. Mariæ Virginis. Extat Gr. Lat. in Auctario novo Combefisii *Paris.* 1648. Tom. I. p. 1583.

Descriptio nova B. Virginis Ecclesiæ in Palatio à Basilio Macedone extructæ, Gr. Lat. à Cl. Lambecio eruta, & Codino subnexa *Paris.* 1655. fol. & cum notis Combefisii Originum CP. pagina 296.

De Voluntatibus, quæ in Christo dicuntur Gnomica liber, extat Latinè ex versione Turriani in Auctario Canisii Stevartiano p. 437.

Epistola unica, & *Tractatus brevis*, Gr. Lat. à Cotelerio edita sunt Monument. Eccles. Gr. Tom. II. p. 104.

De Divinitate & Incarnatione Dissertationes VI. Habentur Latinè ex Turriani versione apud Canisium Antiqu. Tom. V. p. 183.

Argumenta Photii adversùs Latinos allegat & examinat Joannes Beccus Orat. I. de Unione Ecclesiæ p. 154.

Libellus de Synodis toties editus nihil aliud est, quàm pars Epistolæ, quam scripsit ad Michaelem Bulgariæ Principem *de Officio Principis*; ac proinde inter Epistolas Photianas à Montacutio editas primum locum obtinet. Habetur Græcè in Bibliotheca Cl. Vossii *Synopsis Conciliorum Photii*: Verùm non nostri, sed Photii Tyriorum Episcopi, Opus est. Ex hac Synopsi fragmentum profert Usserius *Dissert. de Symbolis* p. 23.

OPERA Ἀνέκδοτα.

Commentarius in D. Pauli Epistolas, è quo sua utplurimùm desumpsit Oecumenius. Extat Græcè MS. in Bibliothecâ publicâ Cantabrigiensi, clas. 4. fig. 9. fol. Codex quidem est admodum antiquus, sed in principio & fine mutilus, certè deest integer *in Epistolam ad Romanos Commentarius.*

Quæstiones ac Dubia ad Amphilochium Cyzici Metropolitam de variis S. Scripturæ locis. Extant MSS. grandi volumine, sed absque Photii nomine in Cl. Seguierii Galliæ Cancellarii Bibliothecâ, item in Bibliothecis Vaticanâ, Barbarinâ, Bavaricâ, & forsan alibi. Hujus Operis fragmenta duo edidit Combefisius, alterum ad calcem Operum Amphilochii pagin. 226. alterum in Auctarii Tomo I. Alia olim fragmenra protulit Turrianus: ex eodem Opere desumpta esse, quæ apud Auctorem Catenæ in Joannem reperiuntur, non infœliciter conjicit Colomesius.

De Episcopis & Metropolitis Collectio, extitit olim MS. in Bibliotheca Naudeana.

Opus

SÆC. IX. ab An. DCCC.

Opus contra Latinos; ex quo fragmentum de processione Spiritûs Sancti Gr. Lat. profert Cl. Usserius Dissert. de Symbolis pagin. 25. sed non ex ipso Photii ope immediatè desumptum, verùm ex Eutychii Zygabeni Codice MS. Panopl. tit. 12. qui quidem locus in Latina Eutychii versione à Fr. Zino adornata consultò omissus est.

Odæ IX. extant MSS. in Bibliothecâ Claromontanâ.

Prophetarum liber cum expositione. Extat MS. in Bibliothecâ Vaticanâ, uti Possevinus nos docet.

Lexicon, volumen satis crassum, hoc tempore penes Marquardum Gudium Hamburgensem MS. asservatur. Optimus sanè liber, & quem ediscere literariâ esset, ut Epistolâ ad Thorasonum olim notavit Josephus Scaliger.

In Categorias Aristotelis liber habetur MS. in Galliæ regis Bibliothecâ.

Horum Manuscriptorum notitiam ex parte debemus curæ Cl. Colomesii, qui in Paralipomenis ad *Cartophylacem Ecclesiasticum de iis* agit.

Scripsit etiam Photius, teste Suidâ *, adversus Leontium hæreticum olim Episcopum Antiochenum. Verùm hoc opus diu jam interiisse videtur.

* In voce Λεόντιος.

858. P. II. PHOTIUS, deposito Ignatio, Patriarcha CP. constitutus est anno DCCCLVIII. è vivis excessit paulò post annum DCCCLXXXVI. Post tot de Photio scriptisque ejus suprà dicta, pauca sunt eaque de Ἀνεκδότοις, quæ notanda restant.

Liber de Episcopis & Metropolitis, aliisque quæstionibus contra Romanos, sive Latinos, ex Scriptis Synodicis & Historicis collectus, & decem quæstionibus distinctus. Incipit hoc modo, Ἐρώτησις. Ἐν ποίοις φαίνονται πεπηγχότες οἱ Ῥωμαῖοι παράλογως, &c. Extat MS. Biblioth. Vind. Cod. *Theol.* XIX. num. II fol. 314. p. 2. *Cod.* CLXXXIV. num. IX. fol. 51. Hujus operis procul dubio pars est *Interrogatio* illa & *Responsio*, quibus *Antistitibus propter hæresin damnatis*, *illi qui ab illis ordinati fuerant, nullum damnum passi sint*, quæ habetur *ibid.* Cod. *Hist.* XXXIV. *num.* XXVII. fol. 358. Vide Lambec. *Comment.* lib. II. p. 195. 259. Idem opus, ni fallor, habetur Græcè in Bibliothecâ Bodleianâ inter codices *Baroccianos* num. XCI. & *Cod.* CXCVI. fol. 7. pag. 2.

Epitome Actorum Conciliorum VII. *Generalium.* Cujus initium, Ἀναγκαῖον ἐςὶ μέλλοντας ἡμᾶς χελιστικῶν αἱρέσεων ἐπιμνησθῆναι, &c. MS. ibid. Cod. *Theol.* XIX. num. III. fol. 116. diversum, ut videtur, ab eo quod editum habemus Opusculum.

Liber de voluntatibus in Christo quæ vocantur gnomicæ, Latinè in Stuartii Auctario editus, pag. 437. habetur Græcè MS. ubi suprà *Cod.* XXI. *num.* I. fol. I.

Syntagma Canonum, sive Index Materiarum quæ continentur LXXX. Canonibus illis qui dicuntur SS. Apostolorum. Principium, κανὼν α. Περὶ χειροτονίας Ἐπισκόπων, καὶ πόσοι χειροτονῶσι Ἐπίσκοπον. Majoris Operis pars videtur, à Nomocanone penitùs diversa. Extat Græcè MS. *ibid.* Cod. *Hist.* VII. *num.* XI. fol. 17. pag. 2. *Cod.* LVI. *num.* II. fol. 2. habentur Canones integri, Anonymi cujusdam antiqui scholiastæ Græci annotationibus marginalibus & interlinearibus illustrati. An verò hæc Scholia Photium nostrum auctorem habeant, mihi non constat. Vide Lambec. *Comment.* lib VIII. p. 431.

Symbolum fidei, compositum pro iis qui ordinandi sunt Episcopi, Πιςεύω εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, &c. MS. *ibid.* Cod. *Hist.* VII. num. LXXIII. fol. 231.

Annotatio, sive Tractatus brevis *historicus de Patriarchis*, *sede suâ injustè pulsis*, MS. ibid. *Cod.* LXX. *num.* V. fol. 21. p. 2. alterius cujusdam Operis forsan ὑπομνηματικόν.

Disputatio compendiaria de processione Spiritûs S. à solo Patre, capitulatim conscripta, & ad nondum ex Latinis missa. Incipit, Τίς ὅλως ἀναγκαῖος τῶν ἐν Χελ-πανοῖς πλάντων ἐπὶ τῷ ἁγίῳ Γελάσῳ δύο εἰσάγειν αἴτια, τῷ μὲν καὶ Πνεύματι τὸ Πατέρα, τῷ Πνεύματος ὃ πάλιν τὸ Υἱὸν, &c. MS. ibid. Cod. *Theol.* CLXVIII. num. XXIII. fol. 252. pag. 2. Eundem etiam Tractatum recenset L. Allatius de *consens. Orient. & Occident.* lib. II. cap. 6. num. VI. col. 175. In eadem Bibliothecâ excerpta varia ex Photii scriptis hinc inde desumpta habentur; nempe Cod. *Theol.* XL. *num.* LXIII. fol. 138. pag. 2. *de Processione Spiritûs S. ex solo Patre, non autem etiam ex Filio:* num. LXXXI. *adversus Iconomachos & Paulicianos*; Cod. CCCXXIV. num. V. fol. 166. p. 2. *de differentia inter sacras imagines atque idola.*

Excerpta ex Historicis & Scriptoribus profanis, sciens, lubens prætermitto. Notet Lector, me hoc loco in citandis illustrissimæ Bibliothecæ Vindobonensis codicibus dispositionem Nesselianam ubique sequi.

Tractatus de Manichæis, cujus priores libri Manichæismi historiam; posteriores refutationem exhibent. Opus ἀνέκδοτον penes D. Hinckelmannum, in Gymnasio Hamburgensi Professorem, qui, ut Lipsiâ ab amicis accepi, prelo illud parat, & *Lexici* etiam Photiani editionem meditatur. An verò Lexicon illud MS. in Bibliotheca Mart. Gudii unquam exstitit, (ut vulgari famâ toties accepimus) dubitare video eruditissimos Actorum Lipsiens. Conditores ann. 1696. mense *Jan.* p. 38. Sed humanis nuper ereptus est doctissimus Hinckelmannus; cum cujus morte vereor ne tractatuum Photianorum editio periit.

Tractatus de Processione Spiritûs S. à priori diversus. Principium Ἐν πολλοῖς μὲν εἰσιν οἱ ἔλεγχοι πολυσχιδέσι λόγοις ἐσπασμένοι λόγοις, &c. Extat MS. in codice Vaticano, olim Palatino, teste L. Allatio *de consens. Orient. & Occident.* lib. II. cap. 6. num. IV. qui tractatum luculentissimum vocat; illúmque Metrophani Smyrnensi, Photio æquali, quandoque tribui dicit, ut in *Metrophane* infrà notavimus.

Amphilochia, sic dicta, non quòd ab Amphilochio scripta sunt, multò minùs ex veteris illius Amphilochii Iconiensis operibus (quod putavit Combefisius) collecta; sed quod responsa sunt ad CCCXIII. dubia, quæ Amphilochius Metropolita Cyzicenus, Photii amicus & familiaris, ei proposuerat. De hoc opere ita L. Allatius *consens. Orient. & Occident.* lib. II. cap. 6. num. IV. col. 576. *Opus est varium, & multiplici eruditione plenum, Theologis & Scripturæ Expositoribus maximè necessarium, eòque magis amplectendum, quòd non alibi, quàm in Vaticanâ, nunc postremum ex libris Lollianis; sub Urbano* VIII. *invectum, quod ipse sciam, extet.* Additque se sedulâ inquisitione per Italiam & extra Italiam, ubi libri MSS. asservantur, illud indagasse; tamen alicui vel de nomine quidem notum haud invenire potuisse; capita quædam hinc inde reperiri, nusquàm opus integrum. Sed falsus erat vir eruditus, & in his præcipuè versatissimus, cùm in quibusdam Galliæ Bibliothecis, suppresso licet Photii nomine, Latinis auribus oculisque minùs grato, extare dicitur. Ex Amphilochiis cap. 37. responsionem nempè ad hanc quæstionem, *utrum humanitas Christi Divinitati unita, circumscripta sit, an incircumscripta?* Græc. Lat. profert Combefisius ad calcem Operum Amphilochii pag. 226. falsòque Amphilochio Iconiensi ascribit; alii alia. Et nullus dubito Epistolas Photii ad Amphilochium Cyzicenum, nempe Epist. CXXXVII. pag. 190. CLXII. pag. 215. CLXIII. pag. 229. & forsan ad

ad alios alias, præstantissimi hujus operis partem esse.

Epistola Photii *ad Zachariam Armeniæ Patriarcham*, quâ Concilii Chalcedonensis causam pluribus argumentis strenuè agit, extat MS. apud Armenos, ex quâ plura hinc inde profert Clem. Galanus *Conciliat. Eccles. Arm.* Part. II. Tom. I. *Quæst.* I. §. 4. p. 28. alia *Quæst.* III. §. 2. p. 116.

858. x Theogn. libell. II. de Ignat. Nic. Pap. Epist. 8. & Act. Conc. CP. IV. Conc. Tom. VIII.

THEOGNOSTUS, Monachus, Patriarchæ CP. Exarchus sive Legatus. Claruit anno 858. Triennio post Ignatium sede patriarchali in Synodo CP. depositum ægrè ferens, Romam laicum indutus habitum dilapsus est, ibique res Ignatii, suasque, apud Pontificem procuravit. A Michaele Imp. Constantinopolim ad judicium subeundum citatus, Nicolaum papam non solùm patronum acerrimum, sed & Mecænatem liberalem nactus est; ab eo præfecturâ Monasteriorum veteris Romæ, & *Archimandritæ* titulo donatus. Ignatio sedi suæ restituto, Theognostus anno 868. Constantinopolim redit, Hadriani Papæ literis munitus, quibus Basilio Imp. & Ignatio Patriarchæ majorem in modum commendatus est. Hegumenus igitur sive Abbas Monasterii Fontis, & Scevophylax Ecclesiæ magnæ factus est; atque anno 870. à Rege & Patriarchâ suo ad Hadrianum remissus, ut cum eo utriusque nomine de rebus Ecclesiæ gravissimis tractaret, & Episcopis ac Clericis Photianis pœnitentiæ locum concedi obtineret. Anno sequente Constantinopolim re infecta rediit. Nec plura de eo constant. Scripsit *Libellum de causâ Ignatii*, quo miserias & injurias Ignatio Patriarchæ ab anno 858. ad an. 861. illatas historico stylo repræsentavit, & Nicolao Papæ spectandas obtulit. Extat iste *Libellus* Gr. Lat. Conc. Tom. VIII. p. 1263.

858. Metroph. Epist. ad Manuel. Patr. Conc. CP. IV. Act. III. p. 1292. IV p. 1297. VI. p. 1313.

METROPHANES, patriâ Constantinopolitanus, matre quidem sublæsæ famæ, quæ Methodium Patriarcham stupri olim accusavit, natus, factus est Smyrnæorum Metropolita ante annum 858. quo Ignatii CP. à Barda depositi partes, quantum potuit, tutatus est; Photium tamen Patriarcham admisit. Anno sequente, recrudescente iterum dissidio, Metrophanes contumacior jam factus, in Synodo CP. depositus, Ignatio carceris socius datur. Anno 867. deposito Photio, ipse sedem suam recuperavit; & in Concilio CP. anno 870. inter primarios Photii persecutores enituit. Restituto Photio anno 878. Metrophanes eum pro Patriarcha habere præfractè recusavit; & à Joanne licet Papâ anno 879. Photio morem gerere admonitus simul ac jussus contumaciam suam mordicus retinuit. Quo nomine in Concilio CP. ineunte anno 880. tanquam obstinatus Schismaticus, Episcopatu simul ac Communione submotus est. Scripsit *Epistolam ad Manuelem Patricium*, quâ res à Photio ab anno 858. ad ann. 870. gestas ordine narrat. Extat hæc *epistola* Lat. apud Baronium ad an. 870. num. 453. Gr. Lat. unà cum Actis Concilii CP. IV. *Ingolstad.* 1604. 4°. & Concil. Tom. VIII. p. 1385.

858. [illegible]

METROPHANES Smyrnæorum Metropolita, claruit circa annum DCCCLVIII. Extat Opus περὶ τῆς τοῦ ἁγίου Πνεύματος μυσταγωγίας, *de Spiritu Sancto disciplina arcana, ut quemadmodum Filius ex solo Patre, ita & Spiritus Sanctus ex solâ, eâdémque causâ procedit, dicitur tamen Filii esse, tanquàm qui illi consubstantialis est, & ab eo mittitur.* Principium: Ἐν πολλοῖς μὲν εἰσιν οἱ ἔλεγχοι πολυστίχοις ἐσπασμένοι λόγοις δι' ὧν ἡ ὀφρὺς κατασπᾶται. Hoc Opus Metrophani disertè tribuunt antiquissimus codex MS. olim Palatinus *num.* CCXVI. Vindobonensis *Theol.* CCXLIX. num viii. fol. 79. Ubi amplum hujus libri ἀποσπασμάτιον de processione Spiritûs S. ex solo Patre habetur. Non desunt interim alii codices MSS. qui illud Photio ascribunt; utri verò adjudicandum sit, in medio relinquit L. Allatius *de cons. Orient. & Occident.* lib. II. cap. 6. *num.* IV. col. 575. In eodem Codice Palatino num. ii. iii. IV. habentur ejusdem Merrophanis *de recèns exortâ Manichæorum hæresi brevis & luculenta narratio*, *ex diversis contra eosdem Manichæos homiliis excerpta*; *contra Manichæorum recèns prognatum errorem secunda Editio ad Antonium Metropolitam Cyzicenum.* Vide Possevin. in *Append.* p. 81.

PATRICIUS ARARSIUS, ignotæ gentis, conditionis, ætatis, Scriptor, à me ideò in hunc locum repositus, quòd *Libelli Synodici* à Pappo editi authore antiquior erat. Aliter de eo penitus silent tum veteres tum recentiores. Scripsit librum *Oceanum* dictum: unde insigne fragmentum de *Meletio* & *Ario* profert dicti *Synodici* Anthor, pagin. 14. Et si ex ungue, quod aiunt, Leonem metiri liceat, præclaram ejus orationem fuisse oportet. 858.

ADO, gente Gallus, anno 859. Archiepiscopus Viennensis factus est Anno 860. Concilio Tullensi, 873. Cabilonensi, 875. Conventui Cabilonensi, interfuit. Obiit anno 875. & in Martyrologio Romano die XVI. Decembris locum habere meruit. 859.

SCRIPTA.

Martyrologium Sanctorum per anni circulum. Prodiit ad calcem Martyrologii [r] veteris Romani cum notis Heriberti Rosvveydi *Antverp.* 1613. fol. *Paris.* 1645. fol.

Breviarium Chronicorum de sex mundi ætatibus, à mundi initio ad annum 874. perductum, quæ annum enim istum sequuntur ab aliena manu adjecta sunt. Prodiit seorsim *Paris.* 1522. cum Gregorio Turonensi *Paris.* 1512. 1567. *Basil.* 1568. denique in Bibliotheca Patrum Tom. XVI. pag. 768.

Libellus de Festivitatibus SS. Apostolorum ac Discipulorum, sive *Successorum eorum.* Extat ibid. pag. 823. & unà cum Martyrologio *Antverp.* 1613. *Paris.* 1645.

Martyrium S. Desiderii Viennensis Episcopi. Habetur apud Canisium Antiqu. Lect. Tom. VI. & Surium XI. Februarii.

Vita S. Theuderii Abbatis Viennensis. Extat apud Mabillon. Sæc. Benedict. I. p. 678.

ISAAC, Parduli Laudunensis Episcopi Diaconus, anno 849. Concilio Carisiaco interfuit, & Ecclesiæ Remensis Diaconus Suessionensi anno 853. Demum Episcopus Lingonensis factus, anno 859. Concilio Tullensi, 862. Pistensi, 866. Suessionensi, 869. Vermeriensi, 875. Cabilonensi, 876. Pontigonensi, 878. Tricassino interfuit. Scripsit *Epistolam* satis prolixam *de Canone Missæ* à Dacherio editam Spicileg. Tom. I. pag. 345. Hanc verò Epistolam non esse Isaaci Lingonensis, sed Isaaci cujusdam Abbatis Pictaviensis, ex Ordine Cisterciensi, agnoscunt tùm Baluzius, tùm ipsemet Dacherius *Spicileg.* Tom. XIII. Verùm manum de tabulâ; ut enim in hisce recensendis ulteriùs pergamus, prohibent Typothetarum filii, extremas operis lineas jamjam prementes. Extat ejusdem *Collectio Canonum*, Græcorum ad instar Nomocanonum, ex antiquis Canonibus & Imperatorum Francorum Capitularibus consarcinata, à Sirmondo edita 859.

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC. edita Concil. Gallic. Tom. III. à Baluzio Capitular. Tom. II. denique Concil. Tom. VIII. pag. 598.

860. Pantal. de Vir. illustr. Germ. Part. II. p. 52. HULDERICUS, natione Germanus, ex illustri familia Comitum de Kilburg & Dillingen natus, Hupaldi & Diapurgæ Sueviæ Ducissæ filius, natus est circa ann. 817. in Collegio Vanningo S. Galli, deinde sub Adalberto Antistite Augustano educatus, ab isto Romam missus. Eo verò intereà temporis defuncto in Episcopum Augustanum renunciatus fuisset, ni ætatem immaturam causatus esset. Tandem post Hiltini mortem tum Imperatoris tum Canonicorum consensu Ecclesiæ illius Antistes factus est circa ann. 860. Ecclesiam suam per XL. annos magnâ cum laude gubernavit; & Romano Pontifici cœlibatûs jugum sacerdotibus suis imponenti auctoritate suâ atque eruditione fortiter restitit. Obiit anno circiter 900. Scripsit *ad Nicolaum Papam Epistolam de Continentia Clericorum*, quâ illum cœlibatûs jugum rigidè nimis urgentem ex Scripturâ & Ecclesiasticâ antiquitate liberè atque acriter coarguit. Epistolam istam in lucem edidit Joannes Wolffius Memorab. Lect. Tom. I. pagin. 241. inter Orthodoxographa priùs excusam pagin. 481. & ap. Fox. Act. & Monum. Eccles. Tom. II. pagin. 456. & ad calcem Callixt. de Conjugio Clericorum. Magni quidem olim ista à Conjugii Clericalis defensoribus habita est: adeò ut, teste Bertoldo Constantiensi *, Gregorius VII. anno 1079. coactâ Romæ Synodo istud Hulderici scriptum nominatim damnare necesse habuerit. Unde liquet falsos esse Epistolæ hujus Codices quosdam MSS. in Anglia, qui Volusiani Carthaginensis Episcopi nomen præferunt, præcipuè vetustum illum Matthæo Parkero Archiepiscopo Cantuar. à Jo. Balæo dono datum, quem se à Parkero accepisse testatur Jo. Foxus Martyrologus noster loco citato; ubi aliam hac de re sub Volusiani etiam nomine epistolam planè elegantem adjunxit, quâ Clerici uxorati Causam suam adversùs Nicolaum Papam strenuè & nervosè agunt. Animadvertat autem Lector, alium fuisse Udalricum sive Hulricum Episcopum etiam Augustanum, qui Episcopatum iniit anno 924. obiit anno 973. vel paulò post; ut Germanorum Annales disertè testantur. Unde nil mirum hunc nostro plures temerè confudisse.

* Append. ad Herman. ad an. 1079. p. 149.

860. P. II. ANONYMUS *de Miraculis S. Richarii* Scriptor, Monachus Centulensis, claruit anno DCCCLX. Condidit de Miraculis S. Richarii Abbatis Centulensis, libros II. In quorum altero, se ea tantùm referre quæ ipse viderat, disertè tradit. Hos ex codicibus MSS. Centulensi & Compendiensi edidit in lucem Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. p. 213.

860. P. II. ANONYMUS Monachus, *Vitæ Leutfredi* auctor, claruit circa annum DCCCLX. In literas retulit Vitam & res gestas L. Leutfredi Madriacensis in Neustriâ Abbatis, qui decessit circa ann. DCCXXXVIII. Extat hæc Vita apud Surium *Jun.* XXI. & ad varios codices MSS. recognita apud Mabillonium *Sæc. Bened.* III. Part. I. p. 595.

860. P. II. ANONYMUS *Vitæ S. Harlindis* auctor, claruit post medium Sæculum IX. circa annum DCCCLX. etsi de verâ ejus ætate haud adeò securi sumus. Scripsit Vitam SS. Harlindis, ejusque sororis Reinulæ, Eikensium in Belgio Abbatissarum, quam post Bollandum, edidit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* III. Part. I. p. 654.

860. P. II. ISO origine forsan Germanus, Cœnobii Sancti Gallensis Monachus, claruit circa annum DCCCLX. Obiit anno DCCCLXXI. Scripsit de Translationibus & Miraculis S. Otmari libros duos, qui extant apud Goldastum *Script. Rer. Aleman.* Tom. II. & apud Mabillonium *Sæc. Benedict.* III. Part. II. pag. 1620. Addit Goldastus in Præfatione, composuisse illum *Lexicon Latinum*, ex veteribus Glossariis collectum, quod in Biblioth. Cathedrali MS. asservatur. SÆC. IX. ab An. DCCC.

ERMENTARIUS Cœnobii Heriensis, in Insulâ Herio apud Pistones siti, Abbas, claruit circa annum DCCCLXIII. Historiam condidit, libris duobus, Translationis S. Filiberti Abbatis, ex Monasterio Heriensi, in varia subinde loca, ob frequentes Normannorum irruptiones deportati. Quorum penè omnium Ermentarius testis erat oculatus. Hos libellos, ad MSS. codices recognitos, post Chiffletium in *Historiâ Trenorchiensi*, edidit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. I. pag. 537. 863. P. II.

REMBERTUS, natione Germanus, novæ Corbeiæ Monachus, Anscharii discipulus, cui anno DCCCLXV. in sede Hammaburgensi & Bremensi successit, obiit an. DCCCLXXXVII. Commisit literis S. Anscharii, Hammaburgensis & Bremensis Archiepiscopi, Septentrionalium regionum Apostoli, cui admodum erat familiaris, Vitam, quam post Philippum Cæsarem, & Joan. Bollandum *Februar. III.* ad MSS. codices Corbeiæ veteris recognovit, & Actis suis Benedictinis inseruit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. II. pag. 75. Cui etiam Gualdonis Monachi Corbeiensis, qui claruit anno ML. præfationem prolixam, & operis metrici de Vitâ Anscharii specimen subjecit, sed utrumque opus integrum pridem ediderat, notisque illustraverat P. Lambecius ad calcem *Originum Hamburgens.* Tom. I. Hamburg. 1652. 4to. 865. P. II.

WULFADUS, ab Ebbone Remensi inter Clericos cooptatus, Ecclesiæ Remensis Oeconomus factus est, eoque nomine Concilio Carisiacensi anno 849. & Suessionensi anno 853. interfuit. Anno circiter 866. Caroli Calvi Imp. favore Archiepiscopatum Bituricensem adeptus est. Anno 867. Synodo Tricassinæ, 869. Vermeriensi, 870. Pistensi, 871. Duziacensi adfuit. Obiit anno 875. VI. Non. Octobr. Scripsit *Epistolam Pastoralem ad Parochos & Parochianos Diœceseos suæ*, quæ extat apud Mabillon. Analect. Tom. IV. p. 602. 866.

BASILIUS, MACEDO à patriâ dictus, ex illustri Arsacidarum stemmate ortus; Maïctis Arsacidæ nepos, materno verò genere Constantinum M. attingens. Puer adhuc à Bulgaris in captivitatem abductus, multos in Bulgaria annos exegit. Libertatem demum nactus, Theophili sive Theophilitzis, Michaelis Imp. consanguinei, comitatui se adjecit, ab eo Protostrator sibi designatus: ab Imperatore mox inter Stratores suos adlectus, & Protostratoris, deinde Accubitoris, demum Patricii, dignitate auctus. Anno 867. interfecto Barda Cæsare impensiorem Michaelis Imp. favorem eo facinore meruit, ab eo Officiorum Magister, filius adoptivus, ac postremùm ipso Pentecostes die Cæsar renunciatus. Exeunte anno Basilius Michaelem immissis sicariis è medio tollendum curavit; eoque sublato Imperii fasces arripuit. Quicquid in rebus Ecclesiasticis gesserit, Photium præsertim spectat, adeòque suprà à nobis in Photio enarratum est. Obiit anno 886. Imperii administrati 18. inter optimos Principes nume- 867. Vid. vit. ejus per Constant. Porphyr. edit. Gr. Lat. ap. L. Allat. Symmict. Part. II. p. 1.

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC. m randus, nisi quòd pessimo facinore ad imperium grassatus sit.

S C R I P T A.

Capita Exhortatoria LXVI. ad Leonem filium, Gr. Lat. à Morellio edita *Parif.* 1584. 4°. & cum notis Barnabæ Damckii *Hamburgensis* an. 1633.

Orationes aliquot, unà cum Actis Synodi VIII. editæ.

Allocutiones III. ad Synodum dictam extant Lat. Concil. Tom. VIII. p. 1151.

Epistolæ II. ad Nicolaum Papam, habentur apud Baronium ad ann. 867. num. 105. ad ann. 871. nu. 7. Harum prior extat Lat. Concil. Tom. VIII. pagin. 1007. pars etiam illius Gr. Lat. ibid. p. 1293.

Liber de jure, quem scribendum curavit Basilius, interiit. Extant tamen Fragmenta IV. de Nuptiis agentia, Gr. Lat. in Leunclavii Jure Græco-Romano lib. 2. p. 86. unicum etiam de Patriarchali Lat. apud Baronium ad ann. 886. num. 12.

Menologium Græcorum scribendum, augendum, & imaginibus miniatis exornandum, curasse Basilium autor est Baronius *; qui & Codicem jussu ejus conscriptum à se visum, lectumque esse prodit. Eum in Bibliothecâ Vaticanâ etiamnum extare, sex tamen mensibus à Martio ad Augustum inclusivè desideratis, fidem facit Leo Allatius †: qui tamen illum potiùs Basilio juniori, qui anno 977. imperium tenuit, ascribendum conjicit. Cæterùm ne quis incuriâ labatur, sciendum Menologium istud non parùm discrepare ab aliis Græcorum Menologiis, sive eò quòd Latinè habetur apud Canisium, Tom. II. pag. 731. sive eò quòd in Menæis Græcorum insertum reperitur, seu eò denique quòd in linguam Græcorum vernaculam à Maximo Margunio Cytherorum Episcopo versum prodiit *Venetiis* 1129. 4°.

* Ad an. 886.

† De libris Eccl. Græc. Dissert. 1. p. 84.

867. HADRIANUS, natione Romanus, Talari posteà Episcopi filius, à Gregorio IV. Subdiaconus, ac demum Presbyter titulo S. Marci ordinatus. Anno DCCCLXVII. thronum Pontificalem sortitus est, die XIV. Decembris consecratus. Magnam sibi primo limine conflavit invidiam Theutgaudo, Zachariâ & Anastasio Ecclesiasticæ communioni restitutis, quos Nicolaus Papa ad laicorum sortem redegerat. Anno etiam sequente Waldradam à Nicolao excommunicatam censurâ absolvit. His factis tantam apud Occidentales Episcopos, & exules Græcos Romæ commorantes invidiam iniit, ut ab illis acriter reprehensus, ab his communionem ejus fugientibus angue pejus exosus, utrosque demississimis obsequiis & solenni Nicolai Papæ encomio pacatiores reddere necesse habuerit. Eodem anno recepto ab Ignatio Photii Patriarchæ CP. libello contra Nicolaum & Ecclesiam Romanam, Romæ Synodum habuit; ac Photium triplici anathemate percussit, librumque ejus palam comburi jussit. Eodem circiter tempore Lothario Regi, quem ob adulteras VValdradæ nuptias Nicolaus antea sacris submoverat, Romam profecto communionem indulsit. Anno DCCCLXIX. Donatum Ostiensem & Stephanum Nepesinum Episcopos, ac Marinum Diaconum, Constantinopolim legatos ad Concilium celebrandum misit. Anno DCCCLXX. Carolo Calvo ob occupatum & divisum cum Ludovico fratre Lotharii defuncti Regnum, excommunicationem ni incepto desisteret comminatus est; in Episcopos etiam Gallos se præsentem graviter animadversurum jactitans ni Regem suum proposito abducerent. Anno DCCCLXXI. refricatâ pristinâ de Bulgaris controversiâ de Ignatio CP. graviter, incassum tamen, conquestus est. Ignatius jura Patriachatûs CP. tueri certus; Episcopos & Presbyteros Româ in Bulgariam missos provinciâ ejecerat, eamque è Romanæ sedis ditione ereptam Constantinopolitanæ vindicarat. Obiit anno DCCCLXXII. die XXV. Novembris. Extant *Epistolæ* XXVI. Concil. Tom. VIII. pagina 896. quarum tres habentur Gr. Lat. inter Acta Synodi VIII. *Allocutiones* III. ad Synodum Romanam anno DCCCLXVIII. habitam, & *Capita* V. in eo pronunciata, reperiuntur Gr. Lat. inter Acta Synodi VIII. Actione VII. Concil. Tom. VIII. p. 1342.

SÆC. IX. ab An. DCCC.

THEODORUS, ABUCARA dictus, Cariæ Archiepiscopus, & à Photio Patriarchâ CP. ad sedem Laodicenam si non translatus, saltem designatus. Claruit anno DCCCLXVII. quo unà cum Zachariâ Chalcedonensi Metropolitâ à Photio ad Ludovicum Occidentis Imperatorem legatus est; ut librum à se contra Nicolaum Papam conscriptum deferret, & Ludovicum ad excutiendum Papale jugum incitaret. Verùm iter vixdum inierat, cùm à Basilio Macedone, qui interfecto Michaele Imp. purpuram arripuerat, revocatus est, ac domi manere jussus. Anno DCCCLXIX. in Concilio CP. libellum pœnitentiæ obtulit, quo vim sibi à Photio illatam causatus, seque dolis & insidiis in partes Photianas pertractum fuisse præ se ferens, facti veniam postulavit & obtinuit, ab Ignatio Patriarchâ in communionem & Concilii consessum admissus. 867.

Videsis Nicet. in vit. Ignat. Patriarchæ passim, Conc. Tom. VIII.

S C R I P T A.

Dialogus de V. inimicis, à quibus Christus homo factus nos liberavit. Explanatio vocum quibus utuntur Philosophi, & confutatio hæresis Acephalorum. Dialogus ratiocinatione demonstrans Deum esse. Epistola continens fidem Orthodoxam juxta Synodum Chalcedonensem. Solutiones breves de Corpore Christi. De peccato Adami. De luctatione Christi cum Diabolo. Dialogus cum Arabe. Quæstio ab Agareno proposita. Dissertatio cum Judæo. Dialogi aliquot contra Nestorianum. Quæstiones ab infideli proposita. Contra Saracenos. Mahometem non esse ex Deo; quòd fuerit hostis Dei, & à Dæmone obsessus. De *confirmatione Christianismi. De pane mystico & corpore Christi.* De *Christo vero Deo.* De *unâ Uxore. De filio* ὁμοουσίῳ *contra Saracenos. Quòd pater semper generat*, &c. *Disputatio de nomine* Dei; *de Deo & Deitate; & cum Nestoriano. Contra Jacobitam de eadem re. Quæstio ab Origenista proposita. Contra Saracenos Theopaschitas. Dialogus cum Nestoriano. De Tempore.* De *Auctore boni & mali; & aliarum aliquot Quæstionum solutiones*; quæ haud tanti sunt, ut huc transferantur. Edita sunt hæc omnia Gr. Lat. à Jacobo Gretsero unà cum Anastasii ὁδηγῷ *Ingolstad.* 1606. 4°. & in Auctario Duceano *Parif.* 1624. Tom. I. p. 367.

De Unione & Incarnatione Tractatus, quem ex Bibliothecæ Bodleianæ Cod. MS. primus in lucem extulit Andreas Arnoldus Græc. Lat. unà cum S. Athanasii *Syntagmate doctrinæ ad Clericos & Laicos*, *Parif.* 1685. 8°.

THEODORUS ABUCARA, Cariæ Archiepiscopus, claruit anno DCCCLXVII. Opusculum ejus XXVm. de Filio ὁμοουσίῳ contra Saracenos, Latinè tantùm in vulgatis habetur, Græcè verò & Latinè edidit Jo. Cotelerius *Not.* in lib. V. *Const. Apost.* p. 227. 867. P. II.

THEODOSIUS, Patriarcha Hierosolymitanus, claruit anno 869. quo Eliam Syncellum literis & reli- 869.

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC. reliquiis munitum ad Ignatium Patriarcham CP. legavit; ut Concilio Constantinopoli, recèns indicto suo nomine interesset. Extat *Epistola ad Ignatium* Lat. Conc. Tom. VIII. p. 986.

869. MICHAEL, Patriarcha Alexandrinus, claruit anno 869. quo Josephum Archidiaconum suum ad Concilium CP. vices suas obiturum legavit,& Epistolam ad Basilium Imp.de Unitate Ecclesiæ conscripsit. Extat *Epistola* ista Lat. Concil. Tom. VIII. p. IIII. Gr. Lat. (sed multò brevior; forsan à Græcis Concilii Actorum editoribus in compendium redacta) ibid. p. 1361.

869. JOSEPHUS, vitæ instituto Monachus, & Ecclesiæ Alexandrinæ Archidiaconus, claruit anno DCCCLXIX. quo Michaelis Patriarchæ Vicarium in Concilio CP. locum tenuit. Extat Lat. *Oratio brevis Panegyrica ad Synodum* Conc. Tom. VIII. p. 1114.

869. P. II. ODO, natione Gallus, primùm Monachus, deinde Abbas Glannafoliensis & Fossatensis, claruit anno DCCCLXIX. Historiam condidit de Translatione S. Mauri Abbatis in Fossatense Monasterium in agro Parisiensi, Adelmono Diacono dicatam. In quâ etiam de eversione & instauratione Monasterii Glannafoliensis agitur. Hanc ediderunt Jacobus Brolius, Joann. Bollandus, demùm Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. II. p. 165.

870. PETRUS SICULUS, vir doctus ac nobilis circa ann. DCCCLXX. à Basilio Imp. ad Armenos pro permutandis invicem captivis legatus, rem fœliciter confecit; postquàm apud Tibricam Armeniæ civitatem novimestre spatium exegisset. Agunt de eo ex recentioribus post Baronium & Vossium Miræus, ejusque exscriptor Oudinus. Scripsit Petrus ad Bulgariæ Archiepiscopum *Historiam de ortu, progressu, & occasu Manichæorum*; quam à Marco Velsero acceptam primus Gr. Lat. edidit Matthæus Raderus Soc. Jesu *Ingolstad.* 1604. 4°. Habetur etiam Lat. in Bibliothecâ Patr. Tom. XVI.

870. MICHAEL PSELLUS, vir doctissimus, & Philosophus summus, diu in Antro insulâ versatus est; à quo Leo Byzantius, cognomento Philosophus, non tamen Imperator, liberalium disciplinarum elementa hausit; Rhetoricam putà, Philosophiam, reliquasque scientias didicit. Claruit circa ann. 870. & deinceps. Cave tamen sis, ne malè confundas hunc (quod multos fecisse constat) cum altero illo Michaele Psello, Michaelis Ducæ præceptore, undecimi Sæculi Scriptore; de quo suo loco. An aliquid scripto consignaverit noster, non satis liquet. Quosdam tamen Tractatus ab eo scriptos sub recentioris Pselli nomine latere verisimile est, præcipuè *Paraphrasin in plerosque Aristotelis libros, Dialogum de operationibus Dæmonum, Tractatum de Dæmonibus* nondum Græcè editum, aliaque quæ nec tractandi ratione, nec inveniendi acumine, neque stylo, juniorem Psellum sapiunt: de quibus consulas Leonem Allatium in *Diatriba de Psellis*, p. 12. &c. & nos de iis alibi plura.

870. STYLIANUS, cognomento *Mapa*, Neocæsareæ in Provinciâ Euphratesinâ Metropolita, claruit anno DCCCLXX. quo Concilio Constantinopolitano IV. subcripsit. Partibus Ignatianis perditè addictus, multa sub Photio passus est, sede sua submotus, & exilio mulctatus. Photio demum sede Patriarchali dejecto, anno DCCCLXXXVI. sedem recuperavit; & eodem anno, atque iterum annò DCCCLXXXIX. de recipiendis in communionem Photianis Stephanum Papam per literas consuluit, multis utrobique contra Photium declamitans, Ecclesiæ tamen pacem sectariis ejus pœnitentiam agentibus indulgendam esse contendens. Post annum DCCCXCIX. Joannem IX. Pontificem de eadem causa consuluit: atque ipse interim cum Photianis communionem iniit. Extant *Epistolæ II. ad Stephanum* Papam Græc. Lat. Concil. T. VIII. pag. 1397. 1410. antea à Radero unà cum Actis Concilii Octavi Græc. Lat. editæ *Ingolstad.* 1604. 4°. Habetur Styliani cujusdam Opus *de Proprietatibus* S. Trinitatis Gr. MS. in Bibliothecâ Regiâ Parisiensi, Teste Labbeo *Nov. Biblioth. MS.* p. 90. an verò nostri sit Styliani, dicant nobis quibus Codicem MS. inspicere datum est.

ANASTASIUS, Abbas Romanus, Ecclesiæ Romanæ Presbyter & Bibliothecarius, claruit anno DCCCLXX. Anno præcedente cum Suppone & Everhardo Comitibus à Ludovico Imp. Constantinopolim ad conciliandas inter Ludovici filiam & Basilii Macedonis primogenitum nuptias legatus fuerat: quò pervenit sub exitu Concilii Pseudo-Octavi, atque ultimæ illius Actioni interfuit. Mox subreptos à Romanis Legatis conscio Imperatore Libellos pœnitentiæ à Photianis sedi Romanæ oblatos restitui impetravit: & in Occidentem reversus, Actorum Conciliabuli Ignatiani exemplar secum detulit; quod postea Latinè vertit. Anno DCCCLXXI. ab Hadriano Papa Neapolim unà cum Cæsario Abbate legatus est; ut Athanasium Episcopum Neapolitanum, à Sergio Neapolis Duce ac nepote suo urbe ejectum, sedi suæ quovis modo restitui curaret. Sedulâ quidem id, irritâ tamen operâ, sategit Anastasius: cùmque minas & monita Pontificia parùm curarent Neapolitani; delegatâ sibi ab Hadriano authoritate usus, Clerum simul ac populum Anathemate innodavit. Anno DCCCLXXVI. Vitam S. Dionysii Areopagitæ Latinè à se versam ad Carolum Calvum Imp. misit. Plura de eo non constant. Nonnulli tamen illum ad annum usque DCCCLXXXVI. vitam protraxisse volunt. Vir erat pro ævi sui genio nequaquam indoctus, qui utriusque linguæ scientiam tenuit, & cum primariis Sæculi viris, Photio ac Hincmaro, arctam satis amicitiam coluit.

870. Anast. in Actis Conc. à se vers. Photion. passim: Tom. X:

OPERA.

Acta Concilii Constantinopolitani IV. seu Generalis Pseudo-Octavi an. 869. habiti, partim Latinè scripta, partim ex Græco Latinè versa, multis de suo additis. Extant Conc. Tom. VIII. p. 961.

Acta Concilii Nicæni II. seu Generalis Pseudo-Septimi, anno 787. habiti, Latinè versa. Extant Conc. Tom. VIII. p. 29.

Historia Ecclesiastica, sive Chronographia Tripartita, ex Nicephori Patriarchæ CP. Georgii Syncelli, & Theophanis Confessoris Chronicis maximam partem desumpta, & in Latinum sermonem conversa. Prodiit cum Notis Fabroti *Paris.* 1649.

Historia de Vitis Romanorum Pontificum seu *Liber Pontificalis* à S. Petro usque ad Nicolaum pertingens. Partem libri hujus priorem, quæ à S. Petro ad Liberium protenditur, Anastasium parentem non agnoscere inde probat Labbeus *, quòd viderat MS. Codicem optimæ notæ tempore Caroli M. exaratum, in quo Vitæ illæ Damaso jam tum tribuebantur, antequam aut natus esset Anastasius, aut saltem ex primis infantiæ crepundiis emersisset. Codicem haud dissimilem in Bibliotheca Cæsarea haberi testatur Lambecius Comment. l. II. pag. 927. Verùm de hoc opere Pontificali abundè satis *Tom. I. p. 292.

Cave Hist. Lit. Rr suprà

SÆC. IX. ab An. DCCC. ſuprà in Damaſo egimus. Extat Hiſtoria iſta in omni Conciliorum editione, quin & *Moguntiæ* edita 1602. & ad calcem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cum Caroli Fabroti Notis *Pariſ.* 1649. fol.

Collectanea de iis, quæ ſpectant ad Hiſtoriam Monothelitarum, ſeu farrago variorum Opuſculorum ab Anaſtaſio partim conſcripta, partim Latinè verſa, partim aliunde inſerta, viz.

Anaſtaſii Bibliothecarii Epiſtolæ II.
Joannis IV. *Papæ Apologia pro Honorio Papa.*
S. Maximi Epiſtolæ V.
Theodori Papæ Epiſtolæ III.
Martini Papæ Epiſtolæ IV.
Commemoratio eorum, quæ S. Martinus paſſus eſt Conſtantinopoli.
Relatio motionis factæ in S. Maximum coram Principibus in ſecretario.
Anaſtaſii Monachi Epiſtola ad Monachos Caralitanos.
Relatio Diſputationis inter S. Maximum & Theodoſium Cæſareenſem.
Anaſtaſii Apocriſiarii Epiſtola ad Theodoſium Gangrenſem.
Hypomneſticon de geſtis SS. Maximi, utriuſque Anaſtaſii, Martini, &c.

Collectanea iſta à Jac. Sirmondo edita prodierunt *Pariſ.* 1620. 8°. & exinde in Bibliothecâ Patr. Tom. XII. p. 831.

Vita ſeu Paſſio S. Demetrii Martyris. Extat apud Mabillon. Analect. Tom. I. p. 65.

Vita S. Dionyſii Areopagitæ, ex Methodio in Latinum ſermonem translata interiit, exceptâ Præfatione, quæ habetur apud Surium ad diem *III.* Octobr.

Vita S. Joannis Eleemoſynarii, ex Leontio Latinè verſa aut interiit, aut adhuc MS. deliteſcit.

870. P. II. ANASTASIUS, ortu, ut videtur, Romanus, certè in eadem urbe Presbyter & Bibliothecarius, claruit ab an. DCCCLXX. De quo cùm ſuprà, ad an. DCCCLXX. breviter nimis, nec ſatis diſtinctè dictum ſit, pleniùs jam atque accuratiùs agendum erit. Eruditis inter ſe parùm convenit, idémne fuerit Anaſtaſius, *Cardinalis* qui dicitur, & Bibliothecarius, cujus tot egregia habemus monumenta. Quò res hæc clarior apertiorque fiat, videndum primò quiſnam erat Anaſtaſius Cardinalis; deinde utrum is idem erat cum Bibliothecario. Anaſtaſii Cardinalis res geſtas ex Annalibus Bertinianis, Actiſque Synodi Romanæ ſub Leone IV. habitæ, ab Holſtenio primùm publicatis, exinde in Labbeanam Conciliorum editionem translatis, compendio deſcribemus. Pater ei erat Arſenius, propter opes & potentiam magni apud Romanos nominis, de quo Annales Bertiniani ad ann. DCCCLXVIII. *Arſenius ad Ludovicum Imp. pergens in Beneventum infirmitate corripitur, & theſaurum ſuum in manus Ingelbergæ Imperatricis committens, &, ut dicebatur, cum Dæmonibus confabulans ſine communione abiit in locum ſuum.* Fratrem habuit Eleutherium, multis magniſque vitiis infamem, qui Anaſtaſii * conſilio, Leonis Papæ antehac uxorem, ejuſque filiam, quam alii deſponſatam dolo deceperat & conſtupraverat, interfecit. Unde anno DCCCLXVIII. petente Leone Papâ, à Judicibus, quos eo fine miſit Imperator, ad mortem damnatus eſt. Ipſe Anaſtaſius anno circiter DCCCXLVIII. à Leone † IV. Presbyter titulo S. Marcelli ordinatus eſt, *Presbyter* inquit, *cardinis noſtri, quem nos in Titulo B. Marcelli, Martyris atque Pontificis, ordinavimus*, i. e. hæc Eccleſia ei ſpecialiter commiſſa eſt, ut in eâ curandâ, tanquàm janua in cardine ſuo, continuò verſaretur, inde vulgò *Cardinalis* dictus. Verùm

* Annal. ubi ſuprà & Act. Syn. Rom. apud Holſt. Collect. Rom. p. 145.
† Act. ibi. p. 102. alibi.

cardinem ſuum mox deſeruit Anaſtaſius, & relictâ Româ, in regione Aquileienſi per biennium latitabat †, & ad duo etiamſi Concilia vocatus, comparere noluit. Unde à Leone Papâ, & Synodo LXXV. Epiſcoporum anno DCCCL. *Decembr.* XVI. Romæ habitâ, Communione privatus eſt. Anno DCCCLIII. *Maii* XXIX. Leo tunc Ravennæ *, in Eccleſiâ S. Vitalis Synodum habuit, ad quam Anaſtaſium, ab Eccleſiâ ſuâ jam integro quinquennio abſentem, iterùm vocat. Sed cùm latebras adhuc ſtudioſè quæreret, quin nec ipſius Imperatoris Legati qui tunc aderant ſe hominem invenire poſſe affirmarent, Leo annuente Synodo anathematis ſententiam in ipſum tulit. Menſe *Junio* die XIX. Romam rediit Pontifex, ibique in Eccleſiâ B. Petri ſententiam in Anaſtaſium latam publicavit †, treſque Epiſcopos ad illum jam Cluſii commorantem deſtinavit, qui eum ad generalem Synodum Romæ *Novembr.* XV. habendam, tùm coràm, tùm ſcriptis literis, citarent, *Decemb.* VIII. Romæ *, in civitate novâ, *Leonianâ* dictâ, in Eccleſiâ B. Petri, Synodus congregata eſt. In quâ cauſa Anaſtaſiana pleniſſimè agitatur, & cùm poſt tot Synodales admonitiones, tot excommunicationes, neque ad Synodum venire, neque ad Eccleſiam ſuam poſt tot annorum abſentiam redire voluit, proinde judicio Synodali ob ſtultam ſuam audaciam meritò depoſitus eſt, & omni Sacerdotali honore penitùs privatus. Cui ſententiæ Epiſcopi *LXVII.* Presbyteri *XX.* Diaconi *VI.* ſubſcripſerunt. In Eccleſia ubi habitum eſt hoc Concilium, imaginem hujus Synodi pingi fecit Leo, in cujus parte dextrâ ſententiam † quam in Anaſtaſium in Synodo Romanâ an. DCCCL. tulerat, ſcribi juſſit; in parte ſiniſtrâ ſententiam Synodalem, quæ hoc ipſo anno *Maii* XXIX. in eundem lata eſt. Denique ſuper valvas argenteas, ſententiam in hâc ipſâ Synodo jam prolatam. Anno DCCCLV. *Julii* XVII. Leo diem clauſit extremum. Quo mortuo, Anaſtaſius è tenebris erumpens, & ſæculari potentiâ armatus, in Eccleſiam B. Petri auſu nefario, excommunicatus licèt, intravit, & venerandæ Synodi picturam eraſit & deſtruxit. Adverſùs quem eò quòd altiora ſe petens, *inquit* Adrianus Papa, quod ſibi toties interdictum fuerat temerè uſurpavit, ac vetitum locum conſcendit, ſatis noſtra Eccleſia murmuravit & murmurat. *Octobr.* I. In ſedem Pontificalem evectus eſt Benedictus, qui Anaſtaſium, Sacerdotalibus veſtimentis exſpoliatum, ad laïcam communionem redegit, Synodique picturam, quam iſte deſtruxerat, reſtauravit. Ann. DCCCLVIII. *Martii* X. moritur Benedictus, cui *Martii* die XVI. ſucceſſit Nicolaus I. Ipſe Anaſtaſium recepiſſe videtur *. Anno DCCCLXVII. *Novembr.* XII. mortuo Nicolao, poſt dies octo electus eſt Adrianus II. qui mox in exordio ordinationis ſuæ (ut referunt Annales Bertiniani) Anaſtaſium Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarium conſtituit, qui anno ſequenti Adriani Epiſtolam XI. conſcripſit. Sed gratiam, quam conſecutus eſt, non diu tenuit. Quippe anno DCCCLXVIII. *Octobr.* XII. coram Adriano † apud S. Praxedem poſitus & renovatis prioribus, aliiſque longè graviſſimis criminibus ei objectis, ipſe unà cum omnibus fautoribus, qui cum eo, locutione, cibo, potúve communicaverint, anathemati ſubjicitur, donec de omnibus quibus impetitur, coram Synodo rationem reddat. His non obſtantibus, in gratiam mox rediiſſe videtur. Anno enim ſequenti (ſi modò idem ſit qui Bibliothecarius) unà cum Suppone & Everhardo Comitibus, Ludovici Imp. Legatis, Conſtantinopolim miſſus eſt, ibique Concilii (ut vocatur) Oecumenici VIII. duabus ultimis Actionibus interfuit. Anno DCCCLXXI. unà cum Cæſario Abbate, Neapolim in cauſâ Athanaſii Epiſcopi Neapolitani

SÆC. IX. ab An. DCCC.
† Act. ib. p. 102. & 138.
* Act. ibid. p. 103. 140.
† Ibid. p. 105. 140.
* Act. Ibid. p. 101. &c.
† Extat ibid. p. 138. &c.
* Ibid. p. 144.
† Ibid. p. 145. 146.

Digitized by Google

ni ab Adriano Papâ delegatur, ubi clerum populumque contumacem excommunicationi subjecit. Mortuo Adriano *Novembr.* xxv. an. DCCCLXXII. die *Decemb.* XIV. Joannes VIII. Papa ordinatus est, qui Anastasium nostrum Bibliothecarii munere iterùm cohonestavit, ejusque operâ in scribendis Epistolis usus est. Unde Joannis Epistola 314. *Januar.* v. anno DCCCLXXXVI. scripta, aliæque forsan ipsum auctorem agnoscunt. Hujus Joannis jussu, anno circiter DCCCLXXVII. Concilii VII. Oecumenici Acta, quæ ex Oriente redux secum detulerat, è Græco in Latinum sermonem transtulit; ut ex veteri codice MS. luculenter ostendit Cl. Papebrochius †. Quousque post hæc vixerit, non usq; adeò constat; ad annum tamen DCCCLXXXVII. vitam protraxisse putatur.

† Catal. Rom. Pontif. p. 141.

Notet Lector posteriora hæc quæ de Anastasio retulimus Bibliothecario certò esse tribuenda, an Cardinali sub judice lis est. Restat igitur ut paucis disquiramus, utrum Cardinalis, & Bibliothecarius, unus idémque fuerit Anastasius. Eundem censent Vossius *, Lambecius †, Sagittarius *, alii. Diversum faciunt Labbeus, Ciampinus, &c. Pro Vossio facit, quòd uterque erat Ecclesiæ Romanæ Presbyter, uterque Bibliothecarius, uterque eâdem tempestate vixit, & iisdem Pontificibus ministravit. Vossium interim ejusque sequaces erroris arguit Labbeus † quòd duos hos Anastasios perperàm confuderint. Quod gratis quidem ab eo dicitur, nullâ ratione redditâ, adducto nullo vetustatis testimonio. Non alia litem hanc dirimendi commodior mihi videtur ratio, quàm si paulisper investigemus, quóusque in describendis Pontificum Romanorum Vitis processerit Anastasius. In Nicolao I. desiisse communis fert eruditorum sententia, quam & ipse Vossius amplectitur. Doctissimus Ciampinus, quo nemo *Libri Pontificalis* examen accuratiùs instituit; postquàm regulas quasdam criticas tradidisset, quibus certior de Scriptoris alicujus stylo censura ferri posset, Pontificalis libri stylum sub examen revocat *, istumque diversos præter Anastasium auctores habuisse ostendit. Concludit † tandem, Anastasium non nisi Gregorii IV. Sergii II. Leonis IV. Benedicti III. & Nicolai I. vitas elucubrasse; cæteras, quæ Gregorium præcedunt & Nicolaum sequuntur, ab aliis auctoribus confectas fuisse. Hæc si ita sint, nullus dubito diversos fuisse Anastasios nostros, hoc præcipuè argumento ductus: quòd tùm in vitâ Leonis IV. tùm Benedict. III. Depositionis Anastasianæ historia disertè traditur, illúmque canonicè fuisse depositum liquidò affirmatur, idque iisdem penè verbis quæ in ipsius Synodi Romanæ Actis sub Leone IV. habentur. Quod omni prorsùs probabilitate caret, Anastasium Cardinalem de se referre voluisse. Et ut liberè dicam, diversum videtur utriusque ingenium, mores diversi. Interim non est dissimulandum, non deesse Viros impensè eruditos, qui Anastasium in condendis Pontificum vitis illas partes tenuisse negant. In his est Florav. Martinellus, vir multæ eruditionis, in Bibliothecâ Vaticanâ pluribus annis Scriptoris munere functus, libro *de Româ ex Ethnicâ, sacrâ* pag. 409. Cujus decem vel undecim rationes pro hâc causa recenset Ciampinus *. Nec ab hâc opinione abludit ὁ πάνυ Cestriensis † noster, asserens se nihil quicquam hactenùs vidisse, quod Anastasium hujus libri auctorem fuisse doceat, præter titulum in aliquibus MSS. & sanè paucis, inventum. Nec Bibliothecarium illum tale opus edidisse à quoquam ante Sæculum XIV. vel XV. perhiberi. De quo viderint Eruditi. Ut ut sit, erat Anastasius Bibliothecarius supra communem sui sæculi sortem eruditus, Græcè pariter ac Latinè doctissimus, &

* De Hist. Lat. lib. II. c. 35. p. 318.
† Comment. lib. VIII. p. 271.
* Introd. in Hist. Eccles. cap. 8. n. iii. p. 42.
† De Script. Eccl. Tom. I. p. 63.
* Exam. lib. Pontif. Rom. 1688. 4to. Sect. III. IV. V. VI.
† Sect. XI. p. 105.
* Sect. I. p. 2.
† De success. Dissert. I. c. II. n. VI. p. 128.

Cave Hist. Lit.

Constantinopoli diu versatus, Græcorum Bibliothecas sedulò excusserat, & monumenta undique conquisivit, in rebus agendis experientissimus; ingenio subdolus & subtilis, ad disputandum & scribendum promptus & paratus. Curiæ Romanæ, prout res ferebat, Advocatus dicam an Mancipium? In cujus gratiam omnia trahebat. Cujus causam nemo novit accuratiùs, agebat fortiùs.

De scriptis Anastasii non opus est ut jam agamus, cùm de iis satis suo loco actum sit. Id unicum monendum restat, quòd Vita Joannis VIII. quam ex codice MS. protulit Papebrochius, nos docet, Anastasium præter alia, S. Petri Alexandrini Archiepiscopi Vitam, & Passionem S. Acacii, sociorúmque ejus, de Græco in Latinum transtulisse. An versiones ejus hodiè supersint, non comperi.

EPIPHANIUS, Cypri Archiepiscopus, claruit anno DCCCLXX. quo circiter tempore restitutum Ignatio Patriarchatum CP. per literas gratulatus est, se Synodi ab eo anno superiore habitæ decreta ex animo suscipere professus. Extat hæc *Epistola* Gr. Lat. in Prolegomenis Synodi VIII. Generalis, Concil. Tom. VIII. p. 1276. 870.

AUCTOR Anonymus, S. Dionysii Monachus, claruit sub Carolo Calvo circa annum DCCCLXX. Rogatu Samuelis Monachi Dionysiani condidit *de Virtutibus & Miraculis S. Dionysii Areopagitæ, Sociorumque ejus libros tres,* quos ex codicibus MSS. Dionysiano & Victorino extulit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* III. Par. II. p. 343. 870. P. II.

OTFRIDUS, natione Germanus, Rabani Mauri discipulus, Cœnobii Wissenburgensis ex ordine Benedictino Monachus, claruit anno DCCCLXX. Scripsit multa tàm metro, quàm prosâ. De eo hæc Trithemius *; *Exemplo Caroli Imperatoris magni, conatus est barbariem linguæ Teutonicæ ad regulas Grammaticales reducere. Quod & ex parte perfecit. Unde ea quæ patrio sermone conscripsit, non facilè nostra ætate legi & intelligi possunt, etiam ab homine quantumcunque Teutonicæ linguæ perito.* Scripsit volumen Evangeliorum, antiquis rhythmis Theotiscis compositum, & in quinque libros divisum, quod Liudberto Archiepiscopo Moguntino dedicavit. Edidit hoc Opus, sed ex codice mutilo & vitioso, Flacius Illyricus *Basil.* 1571. 8°. Verùm longè auctior & integrior est codex MS. Cæsareus Cod. *Theol.* Lat. DXXIV. ex quo Præfationem Latinam, benè longam, variaque ipsius Operis specimina, præsertim prolixum Fragmentum quod in Flacianâ editione desideratur, profert, & plurima de ipso opere congessit Lambecius *Comment.* l. II. c. 5. num. XXXIV. p. 415. &c. Extant præterea in codice Cæsareo etiam Otfridi *Homiliæ Theotiscæ in Evangelia; Paraphrasis Theotisca in Cantica Isaiæ, Ezechiæ &c. in Orationem Dominicam, in Canticum Zachariæ, B. Virginis, & in Symbolum S. Athanasii;* de quibus videndus Lambecius *ibid.* pag. 460. qui Psalmi primi atque Orationis Dominicæ paraphrasin, prout in ipso codice contextui intermixta est, subjungit. 870. P. II.

* De Script. fol. 68. fac. 2.

ALFREDUS, seu ÆLFRIDUS, seu ALUREDUS, *Magnus* à rebus gestis dictus, gente Anglus, Waddingtonæ in agro Bercheriensi natus anno DCCCXLIX. Ethelwolphi Occidentalium Saxonum Regis & Osburgæ filius natu minimus. Anno ætatis duodecimo adhuc nescivit literas, sed Saxonica Poëmata, quæ diù noctúque 871.

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC. audivit, memoriâ fideli retinuit. Ætate provectior, tempus puerile deperditum omni studio ac diligentiâ redemit; adeò ut non infimum inter eruditos sæculi viros locum obtineret. Anno DCCCLXXI. Angliæ Monarchiam obtinuit, ac per triginta fermè annos tenuit, frequentibus Danorum incursionibus exercitatus, quos multis præliis superavit, & ipse ab iis ad summas sæpè angustias redactus, ac semel Regno exutus. His verò omissis, ad alia veniamus. Monasteria condidit, Ecclesias extruxit, Scholas atque Academiam Oxoniensem fundavit; in quibus Procerum liberos bonis literis imbuendos præcipuè curavit. Quin & ipse exemplo suo aliis præivit, quotidie enim octo horas legendo, scribendo, dictitando, & orando transigebat: adeò ut Grammaticus, Philosophus, Rhetor, Historicus, Musicus, & Poëta, non ignobilis haberetur. Obiit Vir doctissimus, sapientissimus ac piissimus Princeps, VII. Cal. Novembr. anno DCCCC. Regni sui 29. ætatis 51. in civitate VVintoniensi reconditus. Vitam ejus literis mandavit Asserius Menevensis ipsius domesticus & familiaris; unde pressiorem sitim curiosus lector explere possit.

SCRIPTA.

Paraphrasis Saxonica Historiæ Ecclesiasticæ Venerabilis Bedæ, quam cum Bedæ Historiâ edendam curavit Abrahamus Whelocus *Cantabrigiæ* 1644. fol.

Leges quamplurimæ, quarum pars longè maxima ad Ecclesiam spectant. Extant Latinè & Saxonicè ibid. in Append. p. 15.

Testamentum ejus. Extat apud Asserium Menevensem in Vitâ illius p. 22.

Pastorale D. Gregorii Saxonicè vertit. Edita est versionis istius Præfatio Saxonicè, Anglicè, & Latinè ibid. p. 25. Extat ipsa *Pastoralis* Versio in Bibliotheca Collegii SS. *Trin. Cantabrig.* Exemplar verò vetustissimum, & quod Codex olim erat Plegmundi Archiepiscopi, qui floruit anno DCCCXC. cujus character elegans, perpulcher, & vetustissimus, habetur in *Bibliotheca Cottoniana* sub *Tiberio* P. II. N. I. alius item Codex ibid. sub *Othone* B. 2. N. I.

Psalterium Davidis saltem ex parte Saxonicè convertit. Prodiit Versio unà cum textu Latino à Joanne Spelmanno Henrici filio edita Londini 1640. 4°.

Pauli Orosii Historiam, sive *Hormestam* in Saxonicam linguam transtulit. Præfatio versionis habetur apud D. Hen. Spelmannum in Append. ad Vit. Regis Ælfridi pag. 205. Ipsa verò Translatio Saxonica habetur MSS. in Biblioth. Cottonianâ sub *Tiberio* B. I. N. I.

Historiam Regem VVest-Saxoniæ condidit, cujus fragmenta extant Saxonicè & Latinè, ibidem p. 199.

Translatio Boëtii per Alfredum Regem West-Saxonum, habetur in *Bibliotheca Cottoniana* sub *Othone*. A. 6 N. I. cujusdam verò operis Boëtiani versio sit, an *de consolatione Philosophiæ*, an alterius cujuspiam, me planè latet.

Interierunt penitùs *Dialogi* IV. *S. Gregorii ab eo Saxonicè versi*, aliaque plurima *Opuscula*, partim translata, partim proprio Marte elaborata, quorum Indiculum exhibet Baleus Cent. II. c. 26.

872. AIMOINUS, patriâ Gallus, Ordine Benedictinus, Monasterii S. Vincentii Parisiensis (quod nunc S. Germani à Pratis dicitur) Monachus; claruit anno DCCCLXXII. uti ex vetustâ quadam chartâ à Jac. Breullio præfat. in Aimoini Historiam anno 1602. editam constat, quæ sic desinit; *In nomine S. & individuæ Trinitatis Gozlinus, Abbas Monasterii B. Vincentii Martyris, ubi venerabilis Christi Confessor Germanus corpore quiescit, &c. anno incarnationis D. N. I. C.* DCCCLXXII. *Regni verò Caroli* XXXII.---- *Aimoinus, Notarius & Monachus scripsit & subscripsit prid. Nonas* Octobr. In vivis adhuc erat anno DCCCXCII. quo de Miraculis S. Germani scripsit. Alius à nostro Aimoinus ille Floriacensis, qui sæculo undecimo vixit, ac libros de gestis Francorum scripsit; licèt quamplurimi eos temerè confundant. Quâ de re vide Cl. Labbeum Dissert. de Script. Tom. I. p. 16. Extant ab Aimoino nostro scripta.

De Inventione ac Translatione corporis B. Vincentii Levitæ ac Martyris ex Hispaniâ ad Monasterium Castri in Diœcesi Albigensi anno DCCCLV. factâ *Libri* II. ad Bernonem Abbatem Monasterii istius scripti, unà cum Epistolâ ejusdem LX. versibus constante ad Theotgernum Monachum de eodem argumento. Primus hos edidit Jac. Breullius ad calcem Historiæ Aimoini Floriacensis *Paris.* 1603. fol. Habentur etiam apud Mabillon. Sæc. Benedict. IV. par. I. p. 643.

De *Miraculis S. Germani Episcopi Parisiensis libri* II. jubente Gozlino Abbate scripti. Extant apud Surium XXV. Julii, & Mabillon. Sæc. Benedict. III. par. II. p. 104.

De translatione SS. Martyrum Georgii Monachi, Aurelii, & Nataliæ liber.

De *eorundem Miraculis libri* II. Tres isti libri editi sunt à Joanne Mabillonio Sæc. Benedict. IV. Tom. II. p. 45.

JOANNES VIII. natione Romanus, Gundi filius, Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus, & post Hadriani mortem anno 872. Pontifex, die XIV. Decembris ordinatus. Anno 873. Ludovicum Imp. Romam advenientem à juramentis Adelgiso Beneventano Duci præstitis absolvit. Anno 874. Veronam excurrit colloquium cum Ludovico Germaniæ Rege initurus. Anno 875. Carolum Calvum Romam accitum inunxit, & coronâ Imperiali redimivit. Anno 876. Synodo Ticini celebratâ, electionem Caroli confirmari, omnesque istius hostes anathematizari effecit. Anno 877. Saracenis Italiam, atque ipsum agrum Romanum devastantibus, suppetias à Carolo Imp ardentissimis precibus oravit; & Neapolitanis, Beneventanis aliisque, qui cum Saracenis pacem inierant, excommunicationem, ni fœdus dissolverent, comminatus est; cujus rei gratiâ & ipse Trajectum propè Cajetam profectus e[illegible] Verùm subsidiis ab Imperatore minimè supp[illegible]tatis, colla flectere, jugum subire, atque a[illegible] tributo pacem à Saracenis redimere coactus e[illegible]. Anno 878. missis Paulo Anconitano & Eugenio Ostiensi Episcopis ad Constantinopolim legatis, de recuperandâ Romanæ sedi Bulgariâ apud Basilium Imp. & Ignatium Patriarcham egit; huic anathema ni provinciâ cederet, interminatus. Eodem anno Româ à Lamberto Comite Spoletino direptâ, ipse in Galliam suppetias impetraturus fugit, ubi habitâ Trecis generali Episcoporum Gallicanorum Synodo, omnes Ecclesiæ Romanæ hostes excommunicavit, & Hincmarum Laudunensem septennio ante depositum muneri Clericali restituit, atque in ipsâ Synodo Ludovicum Imp. coronavit. Mox in Italiam à Bosone Comite jussu Imperatoris reductus, omnibus pro Ecclesiâ Romanâ decertantibus, ac pugnâ morituris vitam æternam pollicitus est. Anno 879. auditâ Ludovici Imp. morte, Synodum de novi Imperatoris electione Romæ celebravit. Eodem anno Photium Patriarcham CP. in communionem recepit, ac Græcos Photio communicare detrectantes excommunicavit, 872.

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC. vit. Aliam menſe Maio Synodum Romæ habuit, in quâ Ansbertum Mediolanenſem Epiſcopum, quòd ad priorem Synodum vocatus non veniſſet, anathematizavit, ac ſede deponendum decrevit. Anno 880. linguâ Sclavonicâ, *i. e.* vernaculâ Moravis ſacra peragere permiſit. Anno 881. convocato Romæ Epiſcoporum Concilio Athanaſium Archiepiſcopum Neapolitanum ob initam cum Saracenis pacem excommunicavit. Obiit anno 882. die xv. Decembris. Extant *Epiſtolæ* cccxxvi. & *Fragmenta* quædam Concil. Tom. ix. pag. 2. *Sermo in Electione Caroli Calvi Imp.* ſeu potiùs in confirmatione ejuſdem in Synodo Romanâ anno 877. habitus, ibid. p. 295.

872. Lambec. Comment. l. 2. p. 451. 1005. HARTMUTUS, perperam à Caniſio *Hartmannus* & *Hartmundus* appellatus, Rodulphi Burgundiæ Regis conſanguineus, Monaſterii S. Galli primùm Monachus, dein Abbas ordine 14. poſt Grimoaldi mortem anno 872. electus. Anno 883. Monaſterii regimine ſeſe ſponte abdicavit. Extant ab eo ſcripta, *Carmina aliquot & Hymni*, apud Caniſium Antiqu. Lect. Tom. V. pag. 728. *Vita S. VViboradæ Virginis & Martyris, Recluſæ Sangallenſis*, ſub ejuſdem nomine habetur apud Henſchenium ad 11. Maii & Mabillon. Sæc. Benedict. V. pag. 42.

875. JOANNES, Eccleſiæ Romanæ Diaconus, Anaſtaſii Bibliothecarii familiaris; claruit circa ann. 875. Scripſit *Vitam S. Gregorii M.* Pontificis Romani libris iv. quos Joanni viii. Papæ nuncupavit. Extat hæc Vita apud Surium xii. Martii, & in fronte omnium Gregorii M. editionum. Eundem Clementis Papæ geſta Gauderici Velitrenſis Epiſcopi hortatu literis conſignaſſe author eſt Sigebertus *. Verùm iſta intericrunt. Cæterùm in Bibliothecâ S. Germani Pariſienſis extare MS. dicitur ſub Joannis Diaconi nomine *Commentarius, ſeu Expoſitio brevis in Heptateuchum,* qui tamen an noſtri revera ſit, inter eruditos non ſatis convenit.

* De Script. c. 106.

876. USUARDUS, natione Gallus, S. Germani Pariſienſis Monachus, & ut vulgò perhibetur, Abbas S. Salvatoris. Claruit circa an. 876. Martyrologiorum ab Hieronymo & Bedâ concinnatorum brevitate offenſus, & Caroli Calvi Imp. juſſu animatus, fuſiùs ipſe *Martyrologium ex Flori aliorumque id genus ſcriptis* contexuit, & Carolo Imp. dicavit. Prodiit Martyrologium iſtud *Lovanii* 1568. 8°. cum additionibus atque annotationibus Joannis Molani, & cenſurâ Joannis Heſſels de Legendis quibuſdam Sanctorum, recuſum *Antverp.* 1583. 8°. Verùm editione Antverpienſi omiſſa ſunt, quæ Pontificiis diſplicebant, cum integrâ cenſurâ Joannis Heſſels, ut in Biblioth. ſuâ Theolog. MS. p. 499. rectè notavit Cl. Uſſerius.

878. MICHAEL, MONACHUS à vitæ inſtituto dictus, Eccleſiæ CP. Presbyter, ac Ignatii Patriarchæ Syncellus, claruit anno 878. Scripſit *Encomium Ignatii Patriarchæ*, quod mutilum extat Gr. Lat. à Radero editum unà cum Actis Concilii viii. *Ingolſtad.* 1604. 4°. & exinde Concil. Tom. viii. pag. 1260. Scripſit item *Vitam Theodori Studitæ*, cujus excerpta quamplurima hinc inde Lat. habentur apud Baronium Annal. Tom. ix. Scriptor, præcipuè in rebus Theodori penè ad ineptias fabuloſus, & cæco planè in imagines zelo & amore flagrans. Vide quæ de eo nos ſuprà in *Theodoro Studitâ* obiter annotavimus.

878. P. II. MICHAEL Monachus, Eccleſiæ CP. Presbyter, claruit anno DCCCLXXVIII. Extant hæc ejus Opuſcula, hactenùs inedita, 1. *Encomium in Angelicorum ordinum ductores: Michaelem & Gabrielem.* Principium, τὸ ϛόμα μὲ ἤνοιξα, καὶ εἵλκυσα πνεῦμα, φησὶν Δαυὶδ κἀγὼ σήμερον μετ' αὐτοῦ. Recenset hanc Orationem L. Allat. *de Script. Simeon.* pag. 112. 2. *Encomium in glorioſum Christi Apoſtolum Philippum.* Principium Πᾶσα μὲν μαρτύρων Χριστοῦ τελετὴ καὶ πανήγυρις. Idem ibid. pag. 106. 3. *Vita Theodori Studitæ.* Pr. Πολλοὶ μὲν τῶν ἁγίων καὶ διαφόρους χώρας. Idem ibidem pag. 107. Fragmenta quædam habentur Latinè apud Baron. ad ann. DCCXCV. num. LXXVI. & ad ann. DCCXCVII. num. VI. VII. &c. & alibi ſæpiùs. Erat etiam Michael Archimandrita, qui ſcripſit Vitam & Miracula S. Nicolai. Principium, Ὀρθρος ἡμῖν φαεινότατος εὐσεβείας καὶ λαμπρῶν θαυμάτων περιοχή. De quo vid. eund. Allat. *ibid.* p. 103. Verùm is à noſtro forſan diverſus.

NICETAS DAVID, *Paphlago* etiam dictus, ortu Byzantinus, dignitate Philoſophus, & ſi rectè conjecturam ponit Leo Allatius *, Dadybrorum in Paphlagoniâ ſub Metropolitâ Gangrenſi Epiſcopus. Claruit anno 880. Ignatio addictiſſimus, atque adeò in Photium ejuſque cauſam nimis, quàm par erat, iniquus. 880.

* Ad cal. Tom. I. Græc. Orthodoxæ.

SCRIPTA.

Vita S. Ignatii Patriarchæ CP. Extat Gr. Lat. unà cum Actis Concilii viii. *Ingolſtad.* 1604. 4°. & Concil. Tom. viii. p. 1179.

Apoſtolorum XII. Encomia totidem.

Oratio in Marcum Evangeliſtam.

Oratio in Nativitatem S. Mariæ.

Oratio in exaltationem S. Crucis.

Oratio in S. Gregorium Theologum.

Oratio Panegyrica in S. Hyacinthum Amaſtrenſem Martyrem. Has omnes Orationes (ut dubias ab eodem editas mittam) in lucem eruit, ac Gr. Lat. evulgavit Fr. Combefiſ. in Auctario noviſſimo *Pariſ.* 1672.

Oratio Panegyrica; ſeu Encomium in inclytum Martyrem Euſtathium, Agapium, Theopiſtum, & Theopiſtem: Gr. Lat. hanc orationem cum notis edidit idem Combefiſ. in illuſtrium Chriſti Martyrum triumphis *Pariſ.* 1660. 8°. p. 45.

Liber pro Synodo Chalcedonenſi adverſus Epiſtolam regis Armeniæ. Extat Gr. Lat. apud Leonem Allatium Græc. Orthod. Tom. I. pag. 663. Nicetæ cuidam juniori deberi videtur.

Commentarius in Gregorii Nazianzeni Tetraſticha & Monoſticha. Prodiit Lat. *Imolæ* 1588. 8°. Græcè *Venet.* 1563. 4°. ſub Nicetæ noſtri nomine. Nicetæ autem Serroni deberi conſtat.

NICETAS DAVID, Paphlago etiam dictus, claruit anno DCCCLXXX. Plura ejus Opera ſuprà enumeravimus. Alia jam ſequuntur. *Carmen ad S. Angelum*, cum Manuelis Moſchopuli ſcholiis Græcis interlinearibus. Incipit; Πρώτου φάους ὢν δεύτερον θεῖον σέλας &c. *Hymnus in Beatiſſimam Virginem Deiparam*, ejuſdem Moſchopuli ſcholiis Græcis interlinearibus, & ampliſſimo Commentario Grammatico illuſtratus. Principium, Ἡσαΐου προφήτης ἦκεν εἰς πέρας, &c. *Carmen ad S. Chriſtophorum Martyrem.* Principium, Σαμψὼν σίγησον τὸ πολὺ τῆς ἰσχύος, &c. Extant hæc omnia MSS. Biblioth. Vind. Cod. *Theol.* cciii. *n.* xvi. fol. 72. pag. 2. Excerpta ex ejus Orationibus ſeptem; nempè *in Novam Dominicam, in mediam Pentecoſten, in Pentecoſten, in Prophetas, de Jejunio, in ſecundum Chriſti adventum, & in S. Dominicam Diem.* Incipiunt, Ἀπὸ 880. P. II.

SÆC. IX. ab An. DCCC. τοῦ εἰς τὴν νέαν κυριακὴν λόγου. & ibid. Cod. *Philosoph.* ccLXXIII. *num.* iii. fol. 57. Vide Lambec. *Comment.* lib. IV. p. 249. lib. V. p. 247.

880. LIBELLUS SYNODICUS, cujus Auctor historiam Conciliorum omnium tum generalium tum provincialium brevi compendio complectitur; ac claruisse videtur circa an. 880. Desinit enim in Octava Synodo Oecumenica super unione Photium inter & Joannem Papam Constantinopoli anno 879. habita; & partibus Ignatianis nulla veritatis, nulla frontis ratione habita favere deprehenditur. Hunc *Libellum* unà cum versione ac notis primus Gr. Lat. extulit Joannes Pappus Argentoratensis, *Argentorati* 1601. 4°. quem proinde novissimæ suæ Conciliorum editioni inseruit Ph. Labbeus.

880. REMIGIUS, in Cœnobio S. Germani Autissiodorensis Monachus Ordinis Benedictini; claruit anno 880. Post annum 882. à Fulcone Archiepiscopo Rhemos evocatus est, ut instituto ibi à se gymnasio literario præesset, teste Flodoardo *. Errant, qui Remigium nostrum Episcopum Remensem fuisse volunt. Crassiùs adhuc hallucinantur, qui eum cum Remigio Lugdunensi Episcopo confundunt. Sanè noster Episcopales infulas nunquam adeptus videtur. Certè id tacent Flodoardus & Sigebertus † qui de eo verba faciunt. Obiit Remigius circa an. 900.

*Hist. Rom. l. 4. c. 9.

† De Script. cap. 123.

OPERA.

Commentarius in omnes Davidis Psalmos, ex Ambrosio, Augustino, & Cassiodoro maximam partem consarcinatus. Prodiit seorsim *Colon.* 1536.

Enarratio in posteriores XI. *minores Prophetas*, prodiit unà cum Oecumenii in Apostolum, & Arethæ in Apocalypsin Commentariis *Antverp.* 1545.

Expositio Missæ SS. Patrum sententiis & auctoritatibus confirmata. Habetur cum præcedentibus Opusculis in Bibliotheca Patr. Tom. XVI. p. 883.

Commentarius in Epistolas D. Pauli, (qui sub Remigii Remensis, & Haymonis Halberstatensis nominibus sæpiùs prodiit, nostri Remigii procul dubio est. Certè cum J. B. Villalpando Remigio Remensi anno 533. mortuo vindicare, summa esset dementia; Cùm in eo Gregorius M. & Beda disertè citentur, & Saracenorum (i. e. legis Mahometicæ Sectatorum) non semel mentio fiat. Rectiùs igitur Remigio nostro adjudicatur, sub cujus proinde nomine prodiit in Bibliothecâ Patr. Coloniensi 1618. Vide quæ de eo suprà diximus in Remigiis, Remensi, & Lugdunensi, quæque habent Albertinus de Sacram. Euchar. l. 2. p. 885. & Car. Le Cointe ad an. 533. n. 49.

880. ERRICUS, sive HERRICUS, in agro Autissiodorensi natus, in vico ab ipsius nomine dicto *Hery*, ab ineunte ætate factus est Monachus Autissiodorensis Ordinis Benedictini, Haymonis Halberstatensis & Lupi Ferrariensis discipulus; claruit anno 880. Scripsit *Libros* VI. *carminum de Vitâ S. Germani Autissiodorensis ad Carolum Calvum Imp.* Prodierunt seorsim *Paris.* 1543. 8°. Scripsit item *Libros* II. *Prosaicos de Miraculis ejusdem*, quos primus edidit Labbeus Biblioth. Nov. MSS. Tom. I. *Homilias quamplurimas*, quarum aliquot in Alcuini sive Pauli Diaconi Homiliario locum habent, à posteriore manu insertæ, viz. *Homilia in illud*, *Cùm venerit Paracletus*, &c. *In illud Lucæ*, *Cùm iret Jesus in Jerusalem*; *& tertia in illud Matthæi*, *Nemo potest duobus dominis servire.* Denique Collectaneum variorum excerptorum ad mores præcipuè spectantium ex veterum Scriptorum ac Patrum scriptis contexuit, & Hildebaldo Autissiodorensi Episcopo nuncupavit. Extat Collectaneum illud MS. in Bibliothecâ S. Germani Parisiensis. Præfationem metricam ad Hildebaldum & initium Operis exhibet Mabillonius Analect. Tom. I. pag. 413.

ABBO, *Cernuus* dictus, patriâ Neustrius, S. Germani à Pratis Monachus; claruit circa an. 880. 880. ac obsidioni Lutetiæ, quæ à Normannis circa an. 887. facta est, interfuit; ejusque *Historiam* rudi, scabro, & impolito carmine cecinit, libris tribus rem totam conficiens. Priores Carminis istius libros duos edidit P. Pithæus (qui tamen hunc cum Abbone Abbate Floriacensi propè finem sequentis sæculi florente confundere videtur) inter Scriptores Hist. Franc. Tom. II. & exinde desumptos Aimoini Historiæ subjecit Jacobus Breullius *Paris.* 1603. fol. *Tertium librum ad Clericos scriptum*, quod ad Historiam nihil omnino pertineret, & supra modum ineptus esset, omittendum duxerunt. Extant porrò sub Abbonis nomine *Sermones* V. à Lucâ Dacherio primùm editi Spicileg. Tom. IX. pag. 79.

GEORGIUS, Magnæ Ecclesiæ CP. Cartophylax, deinde Archiepiscopus Nicomediensis, 880. claruit circa an. 880. Photii familiaris, quem plurimis ille Epistolis compellavit. Huic ut videtur, ascribendæ sunt Homiliæ, quas edidit Combefisius, ac Georgio cuidam, qui sub Heraclio floruisse dicitur, adjudicandas conjecit. Verùm in eo lapsus videtur Combefisius, quòd Georgium Pisidam cum Nicomediensi parùm cautè confuderit.

SCRIPTA.

In Conceptionem S. Deiparæ Homiliæ II.

In Conceptionem S. Annæ matris Deiparæ Homilia.

In S. Mariæ præsentationem in Templo Homilia.

In S. Dei genetricis ingressum in Templum Orationes II.

In illud, *Stabant juxta crucem Jesu mater ejus*, &c.

In S. Mariæ assistentiam in sepulchro, *& gratiarum actio pro gloriosâ Resurrectione.*

Oratio in SS. Cosmam & Damianum.

Idiomela III. viz. in Festum præsentationis S. Mariæ, in S. Joannem Chrysostomum, & in Patres Nicænos.

Opuscula ista in lucem eruit & Gr. Lat. edidit Fr. Combefis. Auctar. Nov. *Paris.* 1648. Tom. I. pag. 995.

ANONYMUS *gestorum S. Convvoionis* Auctor, gente, ut videtur, Gallus, Cœnobii S. Salvatoris Rotonensis in Diœcesi Venetensi Monachus, claruit circa annum DCCCLXXX. Mandavit literis, de gestis SS. Rotonensium, Convvoionis & aliorum, libros tres, lectu sanè dignissimos, *inquit* Mabillonius, multisque refertos insignibus factis. In quibus, de constructione & dotatione Cœnobii Rotonensis, de Vitâ & Conversatione Monachorum, Convvoionis ejusque sociorum ac discipulorum, aliisque plurimis, perspicuè agitur. Hos, diu perquisitos, tandem ex MS. codice Rotonensi annorum DCC. eruit idem Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. II. p. 193. Quibus præmisit Anonymi cujusdam, Sæculi ut videtur XI. Scriptoris Vitam S. Convvoionis, quam tamen non magni momenti opusculum esse rectè judicat. 880. P. II.

HE-

SÆC. IX ab An. DCCC. 881. HELIAS, Hierosolymorum Patriarcha, seu potiùs Theodosii Patriarchæ Syncellus, cujus vices obiit in Conciliis Constantinopolitanis, Ignatiano anno 869. & Photiano 879. Claruit præcipuè anno 881. Scripsit *Epistolam ad Gallos Episcopos*, quæ Latinè extat apud Dacherium Spicileg. Tom. II. *Epistola ejusdem Encyclica pro Malaceno Episcopo*, habetur apud Mabillon. Analect. Tom. III. pag. 434.

882. MARINUS, seu, ut aliis vocatur, MARTINUS II. natione Gallisanus, Alumbi Presbyteri filius, Ecclesiæ Romanæ Diaconus, anno 866. à Nicolao Papâ in Bulgariam & Constantinopolim legatus est; atque iterum anno 869. ab Hadriano Papâ Constantinopolim missus, Conciliabulo Ignatiano interfuit; à Joanne Papâ Episcopus, nullius tamen certæ sedis, ordinatus, in partes Bulgarorum ad convertendos Gentiles, destinatus est; tertiâ etiam vice Constantinopolim missus, ubi Basilii Imp. jussu carceri inclusus est. Tandem mortuo Joanne, Pontifex Romanus factus est anno 882. die XXIII. Decembr. Obiit die XXIII. Februar. anno 884. Extat *Constitutum de Privilegiis Monasterio Solemniacensi concessis* Concil. Tom. IX. p. 357.

883. P. II. ANONYMUS, *Annalium Francorum* compilator, Monachus (ni malè auguror) Fuldensis, vel Moguntinus, circa ann. DCCCLXXXIII. saltem exeunte hoc Sæculo, claruisse videtur Condidit annales sive gesta Francorum, ab anno DCCXIV. ad annum DCCCLXXXIII. Hos annales, sub nomine *incerti auctoris*, primus in lucem protraxit P. Pithœus, & inter *Scriptores* XII. *coætaneos* primum locum dedit. In collectione suâ posteà recudit Marquardus Freherus, & Appendice ab anno DCCCLXXXIII. ad annum DCCCC. auxit, & *Annalium Fuldensium* titulum dedit; quòd in Cœnobio Fuldensi scripti videntur. Denique Andr. du Chesnius eòs corpori *Scriptorum Franc.* inseruit. In codice MS. Vindobonensi hi Annales multò auctiores habentur, ut non uno specimine nos docet Lambecius *Comment.* lib. II. cap. 5. *num.* xxiii. p. 345. qui etiam ex codice Cæsareo notabile Supplementum ab an. DCCCLXXXIII. usque ad an. DCCCLXXXVII. inclusivè edidit; ubi etiam num. xxxvii. pag. 365. alterius cujusdam auctoris Annales Francorum, ab an. DCCXIV. usque ad Annum DCCCXVII. ex cod. MS. literis Gothicis exarato exhibet. An verò Annales nostri ab unâ eâdémque manu sint compilati, an post annum DCCCLXXXIII. reliqua adjecerit alius, non est facile judicare. Dicant quibus codices MSS. cum editis conferre datum sit.

885. STEPHANUS V. natione Romanus, de regione Viâ latâ, Hadriani filius, Ecclesiæ Romanæ Presbyter titulo SS. quatuor Coronatorum, Papa Romanus ordinatus die XXV. Julii anno 885. Eodem anno datis ad Basilium Imp. literis Marinum decessorem suum defendit, & ob illatas illi injurias Imperatorem objurgavit, Photium conviciis proscidit, & suppetias contra Saracenos sibi dari petiit. Obiit anno 891. die VII. Augusti. Extant *Epistolæ* III. & alterius *Fragmentum*, Concil. Tom. IX. p. 366.

886. Zonar. Annal. Tom. 3. p. 133. 141. Vid. Constant. de Vit. Basil. Mac. c. 31, 50, 53, 70. LEO, cognomento *Philosophus* & *Sapiens*, ortu Constantinopolitanus, Basilii Imp. ex Eudociâ conjuge filius; etsi non desint Historici Byzantini, qui illum Michaelis Porphyrogennetæ ex furtivo cum Eudociâ Basilio paulò post in conjugium datâ, concubitu fuisse filium, suspiciones injiciant. Præceptorem habuit Photium Patriarcham, magistrum viro principe dignissimum. Sub eo immensam meliorum literarum scientiam hausit. Philosophiæ, Historiæ, & Juris peritissimus: præ ceteris verò Astrologiæ judiciariæ addictissimus. Juvenis adhuc à Theodoro Santabareno Euchaitarum Episcopo; quem ob pessima facinora odio habuit, in insidiarum suspicionem apud patrem adductus, in custodiam datus est; posteà verò, orante Senatu, à Basilio liberatus, qui à cervo inter venandum percussus, eum hæredem suum & successorem instituit. SÆC. IX. ab An. DCCC. Anno igitur 886. mortuo Basilio, Calendis Martiis imperii gubernacula suscepit. Imperium adeptus, Photium sede Patriarchali statim deturbavit, substituto ei Stephano fratre suo, & Episcopos à Photio in exilium actos revocavit. Circa an. 901. cùm ex tribus prioribus uxoribus nullam prolem suscepisset, quartam nomine Zoam, cognomento *Carbonopsinam*, S. Epiphanii Magni Agri Abbatis sororem, duxit. Istas verò nuptias, utpote Canonibus, & ipsius Leonis constitutioni contrarias, Nicolaus Mysticus Patriarcha CP. non solùm benedicere recusavit, sed & Presbyterum, qui benedixit, deposuit, ipsum verò Leonem sacris interdixit: ob id, cùm à sententiâ recedere nollet à Leone in Monasterium relegatus. Cæterùm quod Patriarcha CP. noluit, fecit Sergius Papa, qui fatente Baronio, cum Imperatore hâc in parte dispensavit. Obiit Leo an. 911. Maii, vel ut alii, Julii XI. Codinus XXVII. & VIII. menses regnâsse tradit. Vid. Cl. du Fresne *Famil. Byzant.* p. 141.

OPERA.

In Sepulturam, Resurrectionem, & Ascensionem Christi Orationes III.

In Pentecosten, & Festum Palmarum Orationes II.

In Assumptionem, & Annunciationem B. Virginis Orationes II.

In Decollationem S. Joannis Baptistæ, & in Omnes Sanctos Orationes II.

Orationes istas IX. Gr. Lat. edidit. Jac. Gretserus *Ingolstad.* 1600.

Oratio in Exaltationem S. Crucis, quam unà cum duabus postremo loco memoratis Orationibus Gr. Lat. edidit idem Gretserus de Cruce Tom. II. p. 1219.

In Nativitatem, Præsentationem, & Purificationem B. Mariæ Orationes III. quas unà cum septem Orationibus primo loco recensitis Gr. Lat. edidit Fr. Combefis. Auctar. Nov. Tom. I. pag. 1605.

Oratio de S. Nicolao Myrensi Episcopo Gr. Lat. edita à Petro Possino *Tolosæ* 1644.

Oratio Panegyrica in S. Joannem Chrysostomum. Extat Lat. apud Surium Januar. XXVII. Gr. apud Savilium Opp. Chrysostom. Tom. VIII. pag. 267.

Oratio Parænetica, seu *Epistola Encyclica ad omnes Christi fideles hortatoria ad benè vivendum.* Latinè eam edidit Baronius ad ann. 911. num. 5.

Epistola ad Omarum Saracenorum Regem de fidei Christianæ mysteriis & veritate, Saracenorum autem impietate & blasphemiis. Extat Lat. in Bibliothecâ Patr. Tom. XVII.

Canticum Compunctionis ex meditatione extremi Judicii, à Jac. Pontano Latinè editum *Ingolstad.* 1603.

Oracula & Vaticinia XVII. *de futuro Constantinopolis statu.* Ex his ultimum Gr. Lat. prodiit ad calcem Constantini Manassis Annalium *Basil.* 1573. 8°. priora XVI. Gr. Lat. edita sunt cum Rutgersii notis inter varias ejus Lectiones *Lugd. Bat.* 1618. 4°. Omnia denique XVII. Gr. Lat. habentur ad

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC. calcem Codini Antiquitatum *Paris* 1655. fol.

Dispositio ordinis, quem tenere debeant throni Ecclesiarum Patriarchatui CP. subjectarum, Gr. Lat. à Leunclavio edita. Jur. Gr. Rom. lib. 2. pag. 88.

Πρόχειρον Νομικὸν, sive *Delectus Legum* compendiarius, titulos LX. complectens. Titulos priores XXVIII. exhibet Gr. Lat. Leunclavius Jur. Gr. Rom. Tom. II. pag. 79. Ingens & immensi laboris Opus postea molitus Leo, omnes Græcorum Imperatorum Leges & Constitutiones in unum corpus coadunari, & in LX. libros distribui curavit, indito iis *Basilicorum* & Ἑξηκοντάβιβλος titulo. Horum Basilicorum Synopsin antiquam Gr. Lat. edidit Joannes Leunclavius *Basil.* 1575. fol. Integrum opus in septem Tomos divisum Gr. Lat. evulgavit Carolus Annibal Fabrotus *Paris.* 1647. fol.

Novellæ Constitutiones III. à Leone & Constantino fratre Augg. latæ, extant Gr. Lat. ad calcem Synopseos Leunclavianæ pag. 32. & alibi.

Tactica, seu *de re militari Opus*, Lat. à Joanne Checo editum *Basil.* 1554. 12°. Gr. Lat. à Meursio cum notis *Lugd. Bat.* 1612. 4°. deinde cum versione & notis Sexti Arcerii ibid. 1613.

Cæterum octodecim plus minùs Leonis Imp. *Orationes* hactenus ineditas in Bibliothecâ MSS. extare prodit Baronius ad an. 911. num. 3. & indiculum earum texit.

886. WOLPHARDUS, Presbyter, & Monachus Cœnobii Hasenrietani, claruit anno 886. Scripsit jussu Erkenwaldi Episcopi Erystetensis *libros* IV. *de Vitâ S. VValpurgæ*, seu *VValtpurgis Virginis*. Ex his duo priores extant apud Canisium Antiqu. Lect. Tom. IV. integri IV. immutato tamen stylo & resectis multis, apud Surium XXV. Februar. illibati denique apud Bollandum XXV. Febr. & Mabillon. Sæc. Benedict. III. par. 2. p. 287.

886. P. II. ANONYMA quædam, gente Anglo-Saxo, Sanctimonialis Heidenheimensis, Wunebaldi & Willibaldi consanguinea, claruit circa annum DCCCLXXXVI. In literas retulit Vitam S. Wunebaldi Abbatis Heidenheimensis primi, quæ habetur apud Canisium Tom. IV. Part. II. pag. 516. Surium sed mutato stylo *Decembr.* XVIII. Mabillonium *Sæc. Benedict.* III. Part. II. pag. 176. Scripsit etiam Vitam S. VVillibaldi VVunebaldi fratris, Episcopi Eistetensis primi, rudi quidem stylo, sed quæ, ipso vidente & referente, audiverat se scripsisse narrat. Extat hæc Vita apud Canisium ibid. Part. II. pag. 344. Surium *Jul.* VII. Mabillonium ubi suprà p. 365.

887. HEREMBERTUS, sive ERCHEMPERTUS, gente Longobardus, illustri stemmate ortus, genus nempe è Ducibus Beneventanis sumens, Monachus & Diaconus Cœnobii Cassinensis; claruit anno 887. quo Romam ad Stephanum Papam ab Angelario Abbate Cassinensi missus est; & privilegium Monasterio suo à Pontifice concedi impetravit. Scripsit *Chronicon*, sive *Historiam Longobardorum* fusiorem, quam ad annum usque 888. deduxit. *Epitomen* istius ab ipso, uti creditur, Heremperto concinnatam ex Codice MSS. Vaticano eruit, & notis illustratam edidit Antonius Caracciolus *Neapoli* 1626. 4°. unà cum Lupi Protospatæ, Falconis Beneventani, & Anonymi cujusdam, Chronicis. Composuit item *Carmen de Vita Landulphi Episcopi Catuani*, *Acta translationis S. Matthæi Apostoli*, *de destructione & renovatione Casinensis Cœnobii*, *Historiam de Ismaelitarum incursione*, de quibus videsis Petrum Diaconum, cap. 14. & J. B. Mari in eundem notas.

RICULPHUS, Suessionensis, Episcopus claruit anno 889. Concilio Remensi anno 900. interfuit. Extat *Constitutio* continens XXII. Capitula de rebus ad ejus Diœcesin pertinentibus Concil. Tom. IX. pag. 416. & cum Opusculis Hincmari à Cordesio editis *Paris.* 1615. p. 685. SÆC. IX. ab An. DCCC. 889.

ADREVALDUS, sive ALBERTUS, Ordinis Benedictini Monachus Floriacensis, claruit anno 890. Scripsit *Historiam translationis corporum SS. Benedicti & Scholasticæ è ruinis Cœnobii Casinensis in Monasterium Floriacense*. Primus eam edidit Joannes à Bosco Biblioth. Floriac. pag. 1. deinde Henschenius Mar. XXI. denique Mabillonius Sæc. Benedict. II. pag. 353. Scripsit item *Librum de Miraculis Sancti Benedicti*; cui Appendicis vice duo Capita addidit Adelarius, & tres alios libros Aimoinus, Monachi Floriacenses. Extant integri IV. libri locis omnibus suprà citatis. Denique *librum* edidit *De Corpore & Sanguine Domini contra Joannis Scoti ineptias*, qui habetur apud Dacherium Spicileg. Tom. XII. 890.

ADREVALDUS, Monachus Floriacensis, claruit an. DCCCXC. Reliquis ejus scriptis alibi recensitis adjicienda est Vita S. Aigulfi, Abbatis Lerinensis & Martyris, qui circa annum DCLXXV. occisus est. Hanc in primâ suâ editione edidit Surius *Septembr.* III. sed anonymam, & mutato stylo, nec parùm contractam; germanam & integram ex codd. MSS. Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. pag. 656. qui appendicem subjecit de Translatione Reliquiarum S. Aigulfi in Castrum Pruvinense, & Anonymi cujusdam libellum, quo Aigulfi Miracula relata sunt. 890. P. II.

ASSERIUS, natione Britannus, Patriâ Menevensis, Asserii Menevensis, Archiepiscopi affinis & Cancellarius, Joannis Scoti Erigenæ discipulus, claruit anno 890. Ab Hemydo gentis suæ regulo multum exagitatus, & ab Alfredo Angliæ Monarchâ evocatus, in aulâ ejus aliquamdiu lares fixit, ab eo Cœnobiorum Ambresberiensis & Banvillensis præfecturâ donatus. Tandem Episcopatum Schireburnensem adeptus est: & Alfredo Regi autor fuit, ut Academiam Oxoniensem institueret, artiumque liberalium professores annuis salariis ditaret. Obiit an. 909. Scripsit *Historiam de rebus gestis Alfredi regis*, quæ unà cum aliis Angliæ Historicis prodiit *Francofurt.* 1602. f. p. 1. verùm eam primus eruit M. Parkerus Archiep. Cantuar. ex Codice auctori coævo & characteribus Saxonicis excudit curavit Londini. Tantæ, judice Twyno*, fidei, atque authoritatis Scriptor, ut nemini unquam suspectus fuisse dignoscatur. *Annales* etiam *Britanniæ*, *Homilias*, *aliaque* plura scripsisse à Baleo dicitur. 890.

* Antiquit. Oxon. l. 2. p. 141.

ASSERIUS, Britannus, patriâ Menevensis, Episcopus Scireburnensis, claruit an. DCCCXC. Præter Alfredi Vitam, condidit *Chronicon*, sive *Annales* quos à Julii Cæsaris in hanc Insulam adventu, ad Sæculi decimi initium deduxit. Notat Baleus * vetustum quendam auctorem Asserii Annalibus Paralipomenon addidisse. Et sanè hodierno exemplari, post Asserii mortem anno DCCCCIX. appendicula quædam ad annum DCCCCXIV. subnectitur. Lelando hoc opus sub nomine *Chronici S. Neoti* venit, non alia forsan ratione, quàm quòd in celebri hoc Monasterio illud invenerit. Hos Annales ex vetusto codice MS. in Bibliothecâ SS. Trinitatis apud Cantabrigienses, primus extulit Cl. Tho. Galeus *Rer. Anglic. Script.* Tom. III. pag. 141. Plura ex his Annalibus desumpsisse Marianum Sco- 890. P. II.

* Cent. II. c. 23. p. 125.

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC. Scotum, & in Chronicon suum transfudisse rectè notat Nicolsonus noster *Biblioth. Hist. Angl.* pag. 122.

890. GULIELMUS, Ecclesiæ Romanæ Bibliothecarius, claruit anno 890. & deinceps. Scripsit *Vitas Romanorum Pontificum à Nicolao Papa*, in quo desiit Anastasius, *ad Stephanum V. inclusivè* viz. ab anno 867. ad an. 891. Extant hæ Vitæ cum Anastasii Vitis editæ *Mogunt.* 1602. *Paris.* 1649. & in omni Conciliorum editione. Verùm non desunt, in his Baronius, qui omnes illas Pontificum Vitas uni eidemque autori, seu Anastasio, seu alii cuidam, tribuendas censent.

890. P. II. AUCTOR Anonymus *Vitæ S. Remberti*, Monachus, ut videtur, Corbeiensis, claruit circa annum DCCCXC. Scripsit Vitam S. Remberti Hammaburgensis in Saxoniâ Archiepiscopi, quam, sed mutato stylo, edidit Surius *Februar.* IV. integritati restitutam Philippus Cæsar in *Tri-Apostolatu Septentrionali*; dein Bollandiani ad *Februar.* IV. postremò Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. II. p. 471.

890. P. II. ANONYMUS, S. Vincentii in suburbio Parisiensi Monachus, claruit, judice Mabillonio, Sæculo IX. Ego certè illum in ann. DCCCXC. reponendum censeo, eo quòd meminit hujus Monasterii, secundâ vice à Normannis direpti & incensi quod an. DCCCLXXXVI. contigit. Scripsit Vitam S. Drochtovei, Abbatis Basilicæ S. Vincentii in suburbio Parisiaco, quæ modò S. Germani dicitur. Hanc ex MS. codice ejusdem Monasterii edidit Mabillonius *Sæc. Benedict.* I. p. 252.

890. P. II. AUCTOR Anonymus *Vitæ S. Martini* claruisse videtur circa annum DCCCXC. Cùm enim lib. II. num. VIII. non diù post Normannorum tempestatem se vixisse satis indicat, Normanni verò ab anno DCCCLXXXVII. in Galliâ grassati sint, ipsum ad hoc potiùs tempus referendum esse existimamus: Etsi sciamus Cl. Mabillonium illum Sæculo XI. ascribere, nisi error sit in numero, & pro Sæc. XI. IX. sit reponendum. Quocunque demùm tempore vixerit, scripsit de Vitâ S. Martini Vertavensis in Armoricâ Abbatis librum unum, & de Miraculis ejusdem alterum. Eundem enim auctorem esse ex utriusque Opusculi collatione luculentèr patet. Extant hi duo libelli ex MSS. Vertavensibus descripti apud Mabillon. *Sæc. Benedict.* I. p. 371.

890. P. II. ADELHELMUS, quem nonnulli malè ADELINUM vocant, Gallus an Germanus incertum, Sagiensis in Neustriâ Episcopus, claruit circa annum DCCCXC. Vitam & Miracula S. Opportunæ Virginis, Monasterioli in Neustriâ Abbatissæ, duobus libris complexus est. In primo Vitam, in altero Miracula refert. Hos se scripturum, paulò post ordinationem suam, voto se obstrinxerat, sed promissi immemor, & à Normannis in Britanniam nostram captivus deportatus, patriæque posteà & sedi restitutus, votum solvit, & ad hos libros condendos se statim accinxit, ut in libri postremi Præfatione, num. II. nos docet. Habentur hi libri, sed contracto libro secundo, apud Surium *April.* XXII. Ad cod. MS. Ecclesiæ S. Opportunæ *Paris.* recognovit & integros edidit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* III. Part. II. pag. 220.

891. SOLOMON, gente Germanus, in Tergoviâ oppido ex nobili familiâ natus, in schola S. Galli melioribus literis sub Isone Monacho institutus, Ludovici Balbi Imp. Sacellanus & Consiliarius, creatus est primò Abbas Elvingensis, deinde Campedonensis, posteà Fessarensis; inde Sangallensis, tandem anno 891. Constantiensis ad Rhenum Episcopus. Vergente ætate Romam profectus est, à Joanne X. Papa humaniter & honorificè exceptus. Plurimas inde redeuns Sanctorum Constantii & Pelagii, reliquias secum detulit, quas in Monasteriis Sangallensi & Constantiensi deposuit; illic Constantii, hic, Pelagii corpore deposito. Obiit anno 920. Episcopatûs sui 30. Extant *Poëmata* varia apud Canisium Antiqu. Lect. Tom. I. in append. pag. 15. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XVI. p. 1300. Memorat Henricus Pantaleon * elegans Dictionarium à Solomone adhuc juvene conscriptum, sua ætate in Pergameno apud Monasterium Sangallense asservatum. An hodienum extat me latet.

* De Viris illust. Germ. par. 2. p. 105.

FORMOSUS, natione Italus primò quidem Episcopus Portuensis, à Nicolao Papa ad Bulgaros fide Christianâ erudiendos missus, à Joanne VIII. depositus, à Marino restitutus. Tandem anno 891. die XIX. Septembris Ecclesiæ Romanæ Pontifex ordinatus est. Postquàm multas injurias à Romanis civibus, quibus admodum invisus erat, sibi illatas passus esset, obiit anno 896. die IV. Aprilis; post mortem à Stephano successore sepulchro extractus, & primò in sede Pontificali collocatus, deinde sacris exutus vestimentis, tribusque abscissis digitis, in Tiberim projectus; rescissis etiam, quas ipse contulerat, ordinationibus. Extant *Epistolæ II.* Concil. Tom. IX. pag. 428. quarum posteriorem, Episcopis Angliæ inscriptam, merum esse sæculi undecimi figmentum contendit Papebrochius *. *Epistolam* aliam de Monasterio Gigniacensi edidit Baluzius Miscellan. Tom. II. pag. 159. Plurimas ejusdem *ad Fulconem Archiepiscopum Remensem, & Carolum, ac Othonem Reges; Epistolas* recenset Flodoardus Histor. Remens. lib. 4. cap. 2. 3. ubi summaria earum capita, atque argumenta compendiò exhibet. 891.

* Conat. ad Chron. Pont. Rom. p. 156.

NICEPHORUS, Philosophus & Rhetor, ni fallor, Constantinopolitanus, claruit circa annum DCCCXCI. Scripsit *sermonem* ἐπιτάφιον, sive *Narrationem encomiasticam Vitæ S. Antonii*, cognomento *Cauleæ*, Patriarchæ CP. qui diem extremum obiit anno DCCCXC. cujus tamen obitum in annum DCCCCI. rejicit Freherus. Ediderunt hanc Vitam Latinè Surius, & Bollandus (Tom II. *Februar.* pag. 621.) *Februar* XII. Habetur Græcè MS. Biblioth. Vindob. cod. *Historic.* III num XX. fol. 95. p. 2. Nicephorum nostrum Antonio σύγχρονον facit Lambecius. Quod tamen ex ipsâ vitâ colligi non potest. 891. P. II.

NICEPHORUS, Philosophus & Orator Patriarchæ Constantinopolitani, claruit anno 895. Scripsit *Orationem Panegyricam*, seu *Vitam Antonii Caulei Patriarchæ* CP. qui obiit anno 891. Extat Latinè apud Surium, & Bollandum, ad diem XII. Februarii. *Vide suprà.* 895.

NICOLAUS, MYSTICUS cognomento dictus, quia, ut nonnulli interpretantur, secretioris Consilii Senator erat, circa annum 892. Ecclesiæ Constantinopolitanæ Patriarcha creatus est. Novennio exacto Leo imperator adhuc improles quartam uxorem duxit; quo facto offensus Nicolaus, ad Leonis pedes provolutus, ut abstineret, obnixè rogavit. Ei cùm assentiri nollet Imperator, coactâ ille Synodo anno 901. Imperatoris nuptias damnavit; Thomam Presbyterum, qui 892.

Zonar. Annal. Tom. 3. p. 143.

SÆC. IX. ab An. DCCC. qui matrimonio isti ritu Ecclesiastico benedixerat, deposuit; ipsum Imperatorem sacris prohibuit: & cùm nullis precibus à sententiâ suâ dimoveri posset, anno 903. sede suâ exactus, & navi impositus, ad Galacraneum Monasterium relegatur; nullo nec amico, nec famulo, nec libro quidem, cujus lectione se solari posset, exilium comitante. Quanta verò mala passus sit, ipse Epistolâ ad Papam luculenter exponit. Anno 911. Post Leonis mortem Alexander imperium adeptus, ejecto Euthimio, qui in Nicolai locum subrogatus fuerat, Nicolaum ab exilio revocatum sedi suæ restituit; cui deinceps annos 13. præfuit, mortuus anno 924. Extant *Epistolæ* II. altera ad Anastasium Papam, ad Joannem X. altera, Lat. Concil. Tom. IX. pagina 1264. Decretum de literis Patriarchalibus gratis concedendis extat Gr. Lat. in Jure Gr. Rom. lib. 4. p. 249. Epistola ad Simeonem Bulgariæ Principem habetur Gr. Lat. apud Baronium ad an. 917. atque aliæ V. ad Armenorum, Saracenorum, Longobardorum, & Amalphitanorum Principes, & ad Episcopos extra communionem existentes, Lat. ibid.

892. REGINO, natione Germanus, primò Monachus Prumiensis, deinde anno 892. Faraberto Abbate regimen abrenunciante unanimi Monachorum consensu successor electus est. Verùm præfecturam non diu tenuerat, cùm Monachorum quorundam æmulorum invidiæ post septennium cedere coactus est: quâ de re hæc ipse in Chronico suo ad annum 899. *Eodem anno Richarius Prumiensis Abbas constituitur: qualiter autem erga me actum sit, idcirco in hoc loco notare distuli, ne fortè injuriis provocatus, ultra quam Christiana patientia permittit, persecutionis meæ causas exaggerasse viderer.* Obiit circa annum 908. Scripsit ad Adalberonem primum Metensem Episcopum *Chronicon*, à Christo nato ad annum 907. libris duobus, quibus res gestas Francorum præcipuè & Teutonicorum complexus est. Appendix enim, quæ ab ann. 907. ad ann. 972. progreditur, à recentiore quodam scriptore adjecta est. Prodiit hoc Chronicon inter alios rerum Germanicarum Scriptores *Francofurt.* 1583. unà cum Urspergensi *Argentorati* 1609. f. Scripsit adhuc Rhegino de Disciplinis Ecclesiasticis & Religione Christianâ libros II. 900. fermè capitula continentes. In primo libro agit de rebus & personis Ecclesiasticis, in secundo de vitâ & conversatione Laicorum. Aggressus est hoc Opus circa an. 906. hortante Rathbodo Archiepiscopo Trevirensi, in usum præsertim Diœcesos Trevirensis, ex antiquarum Synodorum Canonibus, Pontificum Romanorum Epistolis genuinis, SS. Patrum Sermonibus, Codice Theodosiano, & Imperatorum Francorum Capitularibus præcipuè collectum. Primus id Appendice aliunde consarcinatâ auctum, in lucem emisit Joachimus Hildebrandus *Helmstad.* 1659. deinde Stephanus Baluzius recognitum, & appendice Helmstadiensi auctiore, novâque à se additâ, notis & præfatione doctissimâ, & Actorum veterum Appendice, ornatum edidit *Paris.* 1671. 8°.

894. AUXILIUS, quis vel cujas fuerit, non liquet, claruit circa an. 894. Scripsit *Libros* II. *de Ordinationibus Formosi Papæ*, seu *contra intestinam discordiam Romanæ Ecclesiæ*, sive ut Sigeberti * verbis utar, *De Ordinationibus, Exordinationibus, Superordinationibus Roman. Pontificum.* Primus hos libros in lucem edidit Joannes Morinus ad calcem Operis sui de SS. Ordinationibus par. 3. p. 348. exinde relato in Bibliothecam Patr. Tom. XVII. pag. 1. Alium ejusdem librum seu Dialogum super causâ & negotio Formosi Papæ exhibet Mabillonius Analect. Tom. IV. p. 610.

* De Script. Eccl. c. 112.

WALDRAMNUS, Episcopus Argentoratensis, claruit anno DCCCXCV. quo Concilio Triburiensi interfuit, in cujus Actis Baltrannus Strasburgensis Episcopus appellatur. Obiit anno 905 Scripsit *Poëmata* nonnulla *ad Solomonem Episcopum Constantiensem*; quæ extant apud Canisium Tom. I. in Append. pag. 31. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XVI. 1304. 895.

GREGORIUS, Vitæ instituto Monachus, Basilii junioris Ascetæ discipulus, claruit circa annum DCCCXCV. Scripsit librum de Vitâ & Conversatione S. Basilii Præceptoris sui quam extulerunt Bollandiani ad *Mart.* XXVI. Tom. III. Latinè p. 667. Græcè ad calcem Tomi pag. 24. Habetur etiam Græc. MS. Biblioth. Vindob. cod. *Hist. LXIII.* num. II. fol. 12. p. 2. Confer Lambec. lib. IV p. 200. lib. VIII. pag. 360. Partem hujus Vitæ Symeonis Logothetæ Chronico præmisit Combefisius *Script. post Theoph.* p. 394. 895. P. II.

STEPHANUS VI. natione Romanus, Joannis Presbyteri filius, anno 896. Bonifacium, qui Formoso Papæ suffectus fuerat, vi & armis loco deturbans, sedem Pontificalem invasit die II. Maii ordinatus. Habitâ statim Romæ Synodo Formosi Papæ Acta rescidit, corpus tumulo extractum mutilavit, & Clericos ab eo ordinatos deposuit. Anno 897. ipse in carcerem detrusus, die 3. Augusti strangulatus est. Extant *Epistolæ* II. Concil. Tom. IX. p. 476. 896.

ANONYMUS *gestorum Normannorum* auctor, gente, ut videtur, Belga, claruit circa annum DCCCXCVI. Scripsit gesta Normannorum in Franciâ, ab anno DCCCXXXVII. usque ad annum DCCCXCVI. Hoc Opusculum ex codice Carthusiæ montis Dei descriptum, edidit Andr. du Chesnius inter *Scriptores Normannicos* p. 1. eique excerpta varia de Danis & Normannis subjecit. 896. P. II.

JOANNES IX. natione Romanus, Tiburtinensis, Rampaldi filius, Pontifex Romanus ordinatus est anno 898. die XII. Martii. Sub initium Pontificatûs convocatâ Romæ Synodo, de electione & Coronatione Berengarii & Lamberti Italiæ Imperatorum egit, & Synodi Romanæ à Stephano habitæ Acta rescidit. Eodem anno, vel ineunte proximo, Concilium LXXIV. Episcoporum præsente Lamberto Imp. Ravennæ celebravit; quo Lamberto jus regium confirmavit, Stephanum VI. ac Conciliabulum ejus Romanum damnavit, Presbyteros ab eo depositos restituit, ab eo ordinatos deposuit, Formosi Papæ memoriæ debitam venerationem reddidit. Obiit anno 900. die XXVI. Martii. Extant *Epistolæ* IV. Concil. Tom. IX. p. 483. 898.

BENEDICTUS IV. natione Romanus, Mammoli filius, Pontificalem thronum obtinuit anno 900. die VI. Aprilis ordinatus. Obiit anno 904. XX. Octobr. Extant *Epistolæ* II. de Argrino Lingonensi Episcopo in Ecclesiæ suæ jura restituendo, Concil. Tom. IX. p 511. alia de Episcopo Malaceno apud Mabillon. Annal. Tom. III. p. 436. 900.

HERVEUS, sive HERIVEUS, gente Gallus, ortu nobilis, Hucbaldi Comitis ex sorore nepos, post Fulconis necem anno 900. ex Aulâ regiâ ad Archiepiscopatum Remensem provectus est, pridiè Nonas Julii ordinatus. Eodem 900.

die

Digitized by Google

SÆC.IX.ab An.DCCC. die Concilio Remis, cui ipse præfuit, inchoato, Fulconis decessoris interfectoribus anathema incussit. Circa an. 905. Northmannis ad fidem Christianam convertendis sedulam dedit operam. Anno 909. Synodum Provincialem Trosleii in agro Suessionensi celebravit; in quâ collapsam Ecclesiæ disciplinam instauravit; in pejora indies ruentem Monasteriorum statum restituit; Clericis mulierum consortium interdixit; & Græcorum sententiam de Processione Sp. S. damnavit. Anno 921. habitâ iterum Trosleii Synodo Erlebaldum Comitem ob injustè arreptos Ecclesiæ Remensis fundos excommunicavit. Obiit anno 922. vi. Non. Julii, tertio post coronationem Roberti Regis die. Scripsit *ad Widonem Archiepiscopum Rothomagensem Constitutum* ex sententiis Patrum & Canonibus excerptum, xxiii. Capitula complectens, qualis pœnitentia debet injungi non baptizatis Gentilibus, & baptizatis, & rebaptizatis, & postea à Christianâ fide deficientibus. Extat Concil. Tom. ix. pag. 484. & in Bibliothecâ Patr. Tom. xvii. p. 246. & inter Hincmari Opuscula à Cordesio edita pag. 697. Ejus etiam ductu & consilio condita sunt prolixa Synodi Trosleiensis anno 909. habitæ *Capitula* xv. quæ habentur Concil. Tom. ix. pag. 521. SÆC.IX. ab An.DCCC.

CYPRIANUS Cordubensis in Hispaniâ Archipresbyter, claruit sub Imperio Saracenorum, circa annum dcccc. Scripsit *Epigrammata*, quæ ex codice MS. Toletano eruit, & editioni paravit Card. d'Aguirre, ut ex ejus *notitia* discere licet p. 182. Sed supprimenda adhuc censuit Cardinalis. Germana Cypriani Epigrammata numero sunt, non nisi ix. quorum lemmata exhibet Nic. Antonius *Biblioth. Hisp. Vet.* lib. vi. c. 7. pag. 444. Aliorum etiam XXX. elenchum subjicit, quæ Martyrologio suo Hispano hinc inde inseruit Joannes Tamaius. Verùm hæc spuria esse, & in honorem Ecclesiæ Cordubensis conficta, prolixè contendit, & singula ferè solertèr expendit idem Antonius. 900. P. II.

SÆC. IX.

Concilia hoc Sæculo habita.

802. P. II. ALTINENSE in Provincia Aquileiensi, à Paulino Episcopo anno dcccii. convocatum. In quo Patres Caroli M. auxilium in Joannem Venetorum Ducem, ob cædem Joannis Patriarchæ Gradensis factam, implorarunt. Extat *Epistola Synodalis* Conc. Tom. vii. pag. 1187. & apud le Cointe Tom. VI. p. 808.

802. P. II. AQUISGRANENSE I. ann. dcccii. Mense *Octobr.* sub Carolo M. habitum. In quo, de præstando Imperatori ab omnibus Sacramento, & de disciplinâ Ecclesiasticâ Clericorum & Monachorum, ut Clerici juxta Canones, Monachi juxta Regulam S. Benedicti viverent, actum est. Vide quæ ex Chronico Moissiacensi & Dionysiano habentur Conc. Tom. vii. in *Append.* pag. 1863. Ex Capitulis à Carolo hoc tempore editis, sex ad res Ecclesiasticas pertinentia excerpsit Sirmondus, ad quæ paucula etiam notavit Car. Cointius ad annum dcccii. Tom. vi. p. 776.

803. P. II. CLOVESHOVIENSE I. anno dccciii. v. Idus *Octobr.* sub Cenulfo Rege, ab Athelardo Cantuariensi, & xii. Episcopis congregatum. In quo, extincto Archiepiscopatu Lichefildensi, Dignitas Archiepiscopalis Sedi Cantuariensi restituitur. Extant hujus Synodi Acta apud Spelm. *Concil. Brit.* Tom. I. p. 334. Concil. Tom. vii. pag. 1189. Factum est etiam de libertate Ecclesiarum Decretum, lites itidem inter Wigorniensem & Herefordiensem Episcopos compositæ sunt.

806. P. II. CONSTANTINOPOLITANUM I. ann. dcccvi. habitum. In quo Josephus, quem Sacerdotio exuerat Tarasius Patriarcha functioni suæ restituitur. Vide quæ hâc de re, ex Theodoro Studitâ, observarunt Conciliorum Editores Conc. Tom vii. p. 1191.

807. P. II. SALISBURGENSE ab Annone Salisburgensi Boioatiæ Metropolitâ, præsentibus Boioariæ Episcopis, Abbatibus, Clericis, vii. Calend. *Februar.* congregatum. In quo de ratione Decimarum potissimùm disputatum est, decretumque quadrifariàm illas, more institutóque Majorum, esse dividendas; nempe partem unam Episcopo, alteram Clericis, tertiam pauperibus, quartam fabricis Ecclesiæ esse tribuendam. Actorum summam ex vetusto codice Frisingensi describit Brunnerus lib. vi. num. iv. Vide quæ habet le Cointe Tom. vii. p. 95.

CONSTANTINOPOLITANUM II. ann. dcccix. coactum. In quo contra Theodorum Studitam, Platonem, eorúmque socios malè mulctatos, pro conjugio inter Constantinum Aug. & Theodoten sententia fertur. De hoc Conciliabulo consulendæ sunt Theodori Epistolæ, & Conc. Tom. vii. p. 1192. 809. P. II.

AQUISGRANENSE II. anno dcccix. mense *Novembri* celebratum. In quo, quæstionem movente Joanne Monacho Hierosolymitano, pro Processione Spiritûs S. tàm à Patre quàm à Filio judicatur, & Bernarius Wangionum, Asius Warmantiæ Episcopi, & Adalhardus Abbas Corbeiensis, Legati hâc de re ad Leonem Pontificem missi sunt, qui quid præstiterint ipsius Legationis Acta nos docent, relata in Conc. Tom. vii. p. 1194. His subjecta est Caroli M. Epistola de eadem re, per eosdem Legatos missa. Plurima ad hanc Synodum ejusque Acta, erudita lectúque digna notavit Car. Cointius *Annal.* Tom. vii. p. 117. Meminit hujus Concilii Annalium Francorum auctor ad ann. dcccix. pag. 20. & auctor Vitæ Caroli Magni pag. 274. qui in eodem Concilio multa de statu Ecclesiarum & consecratione Clericorum agitata esse refert. 809. P. II.

ARELATENSE vulgò VI. jubente Carolo M. ann. dcccxiii. vi. Idus *Maias*, in Basilica S. Stephani, congregatum. In quo, ad restituendam collapsam 813. P. II.

SÆC. IX. ab An. DCCC. collapsam Ecclesiæ disciplinam, conditi sunt *Canones* XXVI. qui habentur Concil. Tom. VII. p. 1231. & apud le Cointe T. VII. p. 234.

813. P. II. MOGUNTINUM I. sub Carolo Magno, an. DCCCXIII. V. Id. *Junias*, in claustro S. Albani, celebratum. In quo de Fide, Spe, & Charitate, de Vitâ Clericorum & Monachorum, de Litaniis, & quatuor temporibus observandis, aliisque rebus Ecclesiasticis, plurima sunt saluberrimè constituta. Extant *Canones* LVI. Conc. Tom. VII. p. 1239. & apud le Cointe ad hunc annum ibid. p. 242.

813. P. II. RHEMENSE I. anno DCCCXIII. mense *Majo*, sub Carolo M. à Vulfario Archiepiscopo habitum. Extant de disciplinâ Ecclesiasticâ, scilicet de Fidei ratione, & de Oratione Dominicâ ab unoquoque addiscendâ, de Vitâ Canonicorum, Regulâ Monachorum, Officio Pastorum, de ratione Pœnitentiæ, de VII. principalibus vitiis, aliisque, *Canones* XLIV. Conc. Tom. VII. p. 1253. & apud le Cointe Tom. VII. p. 238.

813. P. II. TURONENSE, jussu Caroli M. anno DCCCXIII. coactum. Extant *Canones* LI. qui de moribus & disciplina agunt Conc. Tom. VII. p. 1259. & apud le Cointe Tom. VII. p. 257.

813. P. II. CABILONENSE I. Caroli M. jussu, anno DCCCXIII. celebratum. In quo, inter alia decretum est, ut juxta Caroli mandatum in majoribus Monasteriis & Episcopiis Scholæ publicæ instituantur, in quibus ingenuorum filii artes liberales edocerentur. Extant de disciplinâ Ecclesiasticâ, nempe ut Episcopi legant Scripturam, Canones, & Gregorii Pastorale, Scholas constituant, moribus sint irreprehensibiles & religiosi, fideles ad res suas Ecclesiæ dandas non esse cogendos, nec circumveniendos, de Peregrinationibus, earumque abusu, de discretione in perceptione Eucharistiæ adhibendâ, aliisque Ecclesiasticis capitibus *Canones* LXVI. Concil. Tom. VII. p. 1270. Habet etiam le Cointe Tom. VII. p. 249. Ad V. præcedentium Synodorum Decreta meliùs observanda *Capitulare* edidit Carolus M. quo XVIII. Capitula continentur. Extat Conc. ibid. p. 1287. Horum quinque postremò memoratorum Conciliorum meminit Auctor Vitæ Caroli M. pag. 280. *quorum*, inquit, *Constitutiones, quæ in singulis factæ sunt, coram Imperatore perlectæ sunt, quas qui nosse voluerit, in ipsis civitatibus invenire poterit, quanquàm & in Archivo Palatii exemplaria illarum habeantur.*

814. P. II. CONSTANTINOPOLITANUM III. circa annum DCCCXIV. à Nicephoro Patriarchâ & CCLXX. Episcopis habitum. Quo Anonymus Sylæi Metropolita, tanquàm Primarius Iconomachus, & egregius Leonis Isauri in exturbandis Imaginibus minister, anathemate percellitur, Imagines, earumque cultus & veneratio confirmantur, & contraria sentientes facientésve excommunicationi submittuntur. Extat Gr. Lat. Historia hujus Concilii in *Oratione* sive *Epistolâ Synodicâ* Episcoporum Orient. ad Theoph. Imp. à Fr. Combefisio primùm edita *Orig. Constantinop. pag.* 110. & Conc. Tom. VII. p. 1290. In qua narrantur quædam de Leone Isauro Magos consulente, quæ an genuina sint, an potiùs Græculi cujusdam Inconolatræ somnium, non immeritò dubitari potest. Quid, quod tota quà patet Synodica anilibus fabulis, & ineptis planè ratiociniis à capite ad calcem referta est. Subnectuntur Nicephori Patriarchæ *Canones* XVII. in Jure Gr. Rom. lib. III. p. 195. primùm editi.

CONSTANTINOPOLITANUM IV. eodem anno, sub Leone Armeno, deposito jam Nicephoro, & suffecto Theodoto Melisseno, habitum. Quo Episcopi, quos vocant, Iconoclastæ Imagines abrogandas esse decreverunt, & Synodum Nicænam II. condemnarunt. Meminerunt hujus Synodi Historici Græci ferè omnes, præcipuè Theodorus Studita in Epistolis. Cujus ad hanc Synodum Epistola, quâ se aliósque ad Synodum venire recusantes excusat, & causam Imaginum tuetur, extat Lat. Conc. Tom. VII. p. 1299. SÆC. IX. ab An. DCCC. 814. P. II.

NOVIOMENSE anno DCCCXIV. habitum; In quo, lis exorta inter Noviomensem & Suessionensem Episcopos, de utriusque Diœcesis terminis, decisa est. De hac Synodo agit Flodoardus *Hist. Rhem.* lib. II. c. 18. 814. P. II.

AQUISGRANENSE III. anno DCCCXVI. sub Ludovico Pio celebratum. In quo conditum est *Opus Regularum* de Canonicis & Sanctimonialibus, in duos libros divisum. Prior agit de Institutione Canonicorum, CXLV. *Capitula* complexus; posterior de Institutione Sanctimonialium, continetque *Capitula* XXVIII. Extant Concil. Tom. VII. p. 1307. Sequuntur Ludovici Pii ad Sicharium Burdigalensem, & Magnum Senonensem *Epistolæ* II. Chrodegangi Episcopi Metensis *Regula*, ut & alia Canonicorum *Regula* ab Anonymo quodam interpolata ibid. pag. 1445. Denique Ludovici Pii *Capitulare*, post Synodum Aquisgranensem editum, quo *Capitula* XXX. de disciplina Ecclesiastica continentur ibid. pag. 1478. Extant etiam Hetti Archiepiscopi Trevirensis *Epistolæ* II. ad hanc Synodum pertinentes ibid. in *Append.* p. 1865. Notandum est, anno sequente habitum esse Aquisgrani conventum Abbatum Franciæ unà cum Monachis suis. In quo de Regularium Institutione edita sunt *Capitula* LXXX. Habentur ibid. p. 1505. Vide quæ de hâc, saltem de superiori Synodo, prolixè refert Auctor Vitæ Ludovici. p. 368. 816. P. II.

CELICHYTENSE apud Anglos, anno DCCCXVI. VI. Cal. *Augusti*, præsente Kenulpho Rege, præsente Vulfredo Archiepiscopo Cantuariensi, habitum. In quo post Fidei Orthodoxæ professionem, de præceptis Canonicis agebatur: Extant de Moribus Ecclesiasticorum *Canones* XI. apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 327. & Conc. Tom. VII. p. 1484. 816. P. II.

THEODONIS-VILLARE I. circa annum DCCCXXI. à XXXII. Episcopis, adversùs Clericorum percussores habitum. Extant hanc in rem *Capitula* IV. Concil. Tom. VII. p. 1519. Sequitur eâdem de re *Decretum* Ludovici Pii, in alio mox conventu apud Triburiam habito editum, & Ahythonis Episcopi Basiliensis de Officio Presbyterorum *Canones* XXV. ibid. p. 1522. Habet etiam hujus Synodi Canones le Cointe Tom. VII. p. 573. 821. P. II.

CLOVESHOVIENSE II. anno DCCCXXII. sub Beornulfo Rege præsidente Wulfredo Archiepiscopo Cantuariensi, cum cæteris Episcopis, Abbatibus, omniumque dignitatum Optimatibus, coactum. In quo, post nonnulla ad statum Monasticum pertinentia, Ecclesiæ Cantuariensis Jura, adversùs Kenulfi nuper defuncti Regis injurias, vindicantur. Habentur hujus Concilii Acta apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. pag. 332. qui de anno dubitat, & ad annum potiùs sequentem referendum judicat. Extant itidem Conc. Tom. VII. p. 1527. 822. P. II.

ATTINIACENSE I. in Campaniâ ad Axonam Fl. anno 822. P. II.

Digitized by Google

SÆC.IX. ab An. DCCC. Fl. anno DCCCXXII. in Palatio Regio habitum. In quo post Ludovici Pii pœnitentiam publicè peractam, non pauca ad corrigendum Ecclesiæ statum necessaria constituta sunt. Vide quæ hâc de re collegerunt Conciliorum Editores, ut & ipsius Ludovici *Capitulare* Conc. Tom. VII. pag. 1529. Anno sequenti habita est apud Compendium Synodus, contra eos qui res sacras illicitè usurpant. Vide Conc. Tom. VII. *in Append.* p. 1858.

824. P. II. PARISIENSE I. Anno DCCCXXIV. Cal. *Novembr.* Ludovici Pii jussu, congregatum. Occasione Legationis à Michaele Balbo ad Ludovicum missæ, & querelæ de Ecclesiarum Orientalium in causâ Imaginum dissidio ab eo factæ, coacta est Parisiis Synodus, sive solennis clarissimorum Galliæ Episcoporum Conventus. Quo, lectâ & examinatâ Hadriani Papæ, pro erigendis Imaginibus, ad Constantinum & Irenem Epistolâ, & prolatis plenâ manu veterum de Imaginibus eorumque cultu testimoniis, conclusum est tandem, Imagines neque cum Iconoclastis frangendas esse, neque cum Synodo Nicænâ II. superstitioso cultu prosequendas. Acta hujus Synodi, seu Conventûs, in libelli Epistolaris formam Operi Carolino mole quidem, non argumento tamen & dignitate, inferioris, ab Episcopis compilata Ludovico Imp. oblata sunt, & ab eo ad Pontificem missa, insertis Michaelis Balbi ad Ludovicum Pium, Eugenii Papæ ad Michaelem Balbum, Ludovici Pii ad Eugenium Papam, ejusque ad Legatos suos Romam missos *Epistolis*. Editus est hic libellus ex Bibliothecâ Pithœanâ *Francofurt.* 1596. deinde à Goldasto libris Carolinis subjectus ibidem 1608. 8°. p. 610. Malè habuit Pontificios hæc Synodus, quam proinde mox refutandam in se suscepit Bellarminus, edito refutationis suæ libello, sex capita continente, in Append. *ad Tract. de cult. Imag.* Tom. II. col. 825. exinde recuso Conc. Tom. VII. pag. 1543. ipsis Synodi Actis, ne veritas luce suâ fulgens in oculos hominum incurreret, penitùs prætermissis. Synodi hujus Parisiensis vindicias agunt, præter alios, viri clarissimi Dallæus *de Imag.* lib. IV. c. 6. p. 491. Spanhemius *Hist. Imag. rest.* Sect. IX. p. 613. Quin & de hac Synodo, ejusque Actis, prolixè agit Car. Cointius *Annal. Eccles.* Tom. VII p. 750.

824. P. II. CLOVESHOVIENSE III. sub Beornulfo Rege, & Wulfredo Archiepiscopo Cant. anno DCCCXXIV. III. Cal. *Novembris* habitum. In quo lis inter Episcopum Wigorniensem & Cœnobitas Bercleenses, de Hæreditate quâdam exorta, dijudicatur, & alia quædam statuta sunt. Extant Acta apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 334. & exinde Concil. Tom. VII. p. 1555.

826. P. II. INGILENHEIMENSE I. in Villâ Regiâ ad Rhenum sitâ, anno DCCCXXVI. Cal. *Jun.* à Ludovico Pio habitum. Actis deperditis, extat solummodò *Edictum* Ludovici Pii adversùs rapinas, Conc. Tom. VII. p. 1556.

826. P. II. ROMANUM I. anno DCCCXXVI. mense *Novembri*, ab Eugenio II. Papâ, & *LXVIII.* Episcopis, Presbyteris *XVII.* diversisque Diaconis & Clericis celebratum. In quo quamplurima de vitâ, moribus, & muneribus Episcoporum, Presbyterorum, Abbatum, Monachorum, sapienter & salubriter sancita sunt. Extant de his, aliisque disciplinæ Ecclesiasticæ capitibus *Canones XXXVIII.* à Luc. Holstenio primùm in lucem prolati *Collect. Rom.* Part. II. p. 7. dein inserti Conc. Tom. VIII. p. 103.

828. P. II. AQUISGRANENSE IV. seu Placitum, seu Conventum vocaveris, anno DCCCXXVIII. à Ludovico Pio privatim habitum. In quo, ut & sequenti anno, plurima, de disciplinâ Ecclesiasticâ *Capitula* edita sunt. Extant Concil. Tom. VII. p. 1577. Vide & le Cointe *Annal.* Tom. VIII. p. 3.

829. P. II. PARISIENSE II. Anno DCCCXXIX. VIII. Id. *Jun.* ex omnibus Provinciæ Belgicæ secundæ, Lugdunensis secundæ, tertiæ, & quartæ Episcopis, ad corrigendos Christianorum mores, celebratum. Acta hujus Concilii libris *III.* absolvuntur. Lib. I. De Religione Christianâ curâ Pastorali, & Ecclesiasticorum vitiis, habentur *Capitula LIV.* Lib. II. De Regum, Principum, omniumque fidelium vitâ, & moribus, deque Christianæ pietatis & charitatis officiis, *Capitula XIII.* Liber *III.* Epistolam Synodalem ad Ludovicum de rebus in hâc Synodo gestis, & Constitutionum Ecclesiasticarum Appendicem, *XXVII. Capitula* continentem, complectitur. Extant hæc Acta Conc. Tom. VII. p. 1590.

829. P. II. WORMATIENSE I. anno DCCCXXIX. mense *Augusto*, sub Ludovico Pio habitum. In quo quatuor Galliæ Synodorum nuper habitarum Decreta confirmantur, & alia non pauca, præcipuè de divortiis, statuuntur. Confer præ aliis Hincmarum in *Responsione* ad Interrog. V. & quæ notarunt Conciliorum Editores Conc. Tom. VII. pag. 1669.

830. P. II. LINGONENSE I. anno DCCCXXX. à Provinciæ Lugdunensis Episcopis collectum. In quo Petri Bezuensis donationes Monasterio S. Petri confirmantur. Extant Acta Conc. Tom. VII. p. 1670.

831. P. II. NOVIOMAGENSE, anno DCCCXXXI. in Palatio Regio habitum. In quo Jesse, Ambianensis Episcopus, læsæ Majestatis reus, depositus est. Vide Annales Fuldenses ad ann. DCCCXXXI. & Conc. Tom. VII. p. 1673.

832. P. II. PARISIENSE III. circa ann. DCCCXXXII. habitum. In quo Ludovici Pii *Diploma*, de ordine Monastico in Monasterio S. Dionysii restituto, editum est. Extat Conc. Tom. VII. p. 1674.

833. P. II. WORMATIENSE II. anno DCCCXXXIII. à plurimis Episcopis & Abbatibus habitum. In quo Privilegium, ab Aldrico Archiepiscopo Senonensi concessum, de Cœnobio S. Regimii ad Varellias transferendo, confirmatur. Extat *Privilegium* & Ludovici *Diploma* Conc. Tom. VII. pag. 1678. Etsi, quod rectè notat Labbæus, Privilegio subscripsisse reperiantur qui posteà Episcopi facti sunt. Unde non omnes eodem tempore subscripsisse liquidò constat. De hoc Privilegio, ejusque subscriptionibus, non pauca habet Car. Cointius Tom. VIII. p. 278.

833. P. II. LONDONIENSE anno DCCCXXXIII. XXVI. *Maii*, ab Archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi, aliisque plurimis Episcopis, & Magnatibus, congregatum. In quo de cohibendis Danorum irruptionibus agitur, & Withlafii Regis Privilegium Monasterio Croilandensi concessum confirmatur. Extat Privilegium apud Ingulf. *Hist.* p. 487. & Conc. Tom. VII. pag. 1683. Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 336.

833. P. II. COMPENDIENSE anno DCCCXXXIII. habitum. In quo, ab Ebbone Rhemensi, Agobardo Lugdunensi, aliisque conjuratæ factionis Episcopis, Ludovicus Pius Imperio exuitur. Ex-

SÆC.IX.ab An.DCCC. tat *Epistola Synodalis*; subjecto etiam Agobardi hâc de re libello, Conc. Tom.VII. pag. 1686. Verùm hæc Synagoga potiùs Malignantium, quàm legitima Synodus judicanda est.

834. P.II. PARISIENSE IV. in Monasterio S. Dionysii propè Parisios, anno DCCCXXXIV. habitum. In quo Ludovicus Pius Communioni Ecclesiasticæ restitutus, Imperii ornamenta recepit. De his videndus præ aliis Auctor Vitæ Ludovici, ex quo sua habent Conciliorum Editores Conc. Tom. VII. p.1693.

834. P.II. ATTINIACENSE II. anno DCCCXXXIV. mense *Novembri* in Palatio Regio habitum: In quo plura ad Statum Ecclesiasticum pertinentia constituta sunt. Quid verò in eo gestum sit, pleniùs docebit Auctor Vitæ Ludovici ad annum DCCCXXXIV.

835. P.II. METENSE II. anno DCCCXXXV. habitum. In quo Ludovicus Imp. ab Ebbone Rhemensi injustè excommunicatus absolvitur. De quo agit Chronicon Cameracense lib.I. cap.41.

835. P.II. MANTUANUM anno DCCCXXXV. præsentibus Benedicto Episcopo, & Leone Bibliothecario, Pontificis Legatis, celebratum. In quo, agitatâ lite quæ vertebatur inter Patriarchas Forojuliensem & Gradensem, causâ superior evasit Forojuliensis; Episcopatibus Istriæ qui Gradensi Patriarchæ priùs suberant Forojuliensi attributis. De hujus Concilii tempore, & Episcopis qui illi interfuerunt, plurima congessit Car. Cointius *Annal.* Tom.VIII. p. 370.

835. P.II. THEODONIS-VILLARE II. anno DCCCXXXV. proximè ante Quadragesimam, celebratum. In quo Ludovicus Pius reconciliatur, & Ebbo Rhemensis ob conjurationem damnatur & deponitur. Acta hujus Synodi exhibet Flodoardus *Hist. Rhemens.* lib.II cap.20. pag.148.& Conc. Tom. VII. pag. 1695. Denique cum observationibus suis le Cointe *Annal.* Tom.VIII. pag.351.

836. P.II. AQUISGRANENSE V. anno DCCCXXXVI. magno Episcoporum concursu, Ludovici Pii jussu, congregatum. Acta hujus Synodi duas continent partes. Prima pars, quæ tribus capitibus absolvitur, agit de Vitâ Episcoporum, & habet *Canones* XII. Secunda, de Doctrinâ Episcoporum *Canones* XII. & de Vitâ & Doctrinâ Abbatum & Clericorum *Canones* XVI. Tertia de Personâ Regiâ, ejusque filiorum & ministrorum, eorumque officiis, *Canones* XXV. Altera hujus Synodi pars continet *Capitula* ad Pipinum Regem transmissa, S. Scripturæ auctoritatibus & testimoniis confirmata, in tres libros divisa; Primus habet *Capitula* XXXVIII. Secundus XXXI. Tertius XXVII. Extant hæc omnia Conc.Tom.VIII. p.410.

836. P.II. STRAMIACENSE apud Lugdunenses, anno DCCCXXXVI. habitum. In quo Agobardi Lugdunensis, & Bernardi Viennensis, qui ob conjurationem in Ludovicum aufugerant, causa ventilata est, sed quod ad Pontificem provocâsse crederentur, in medio relicta. Vide Conc. Tom.VII. p. 1768.

838. P.II. KINGSTONIENSE apud Anglos, anno DCCCXXXVIII. coram Egberto Rege, ejusque filio Athelvulfo, à Ceolnotho Cantuariensi, cæterisque Episcopis & Optimatibus, habitum. In quo, inter alia, Prædium de Mallinges Ecclesiæ Cantuariensi restituitur. Vide Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. pag.340. & quæ de tempore hujus Synodi notavit; item Conc. Tom.VII. p.1769. SÆC.IX.ab An.DCCC.

ENGILENHEIMENSE II. an. DCCCXL. à quibusdam Germaniæ & Galliæ Episcopis habitum. In quo Ebbo Rhemensis sedi suæ restitutus est. Extat Lotharii Imp. hac de re *Edictum*, & ipsius Ebbonis *Apologeticus* Conc. Tom.VII.p.1770. 840. P.II.

AQUISGRANENSE VI. ann. DCCCXLII. coactum. In quo Lotharii Imp. Regnum suum relinquentis causa sub examen revocatur. Vide quæ hac de re ex Nithardi lib. IV. referunt Conciliorum Editores Tom.VII. p.1781. Eodem ut videtur, anno habita est Synodus Bituricensis, in qua Ebbonis Rhemensis Depositio approbata est. Vide quæ ex Hincmaro Rhemensi referunt Conciliorum Editores Tom.VII. in *Append.* p. 1874. 842. P.II.

CONSTANTINOPOLITANUM V. anno DCCCXLII. celebratum. In quo damnatâ Iconoclastarum causâ, cultus Imaginum restituitur, & Methodius in Joannis Patriarchæ exauctorati locum subrogatur. Acta hujus Synodi ex Theophanis Presbyteri oratione exhibentur Conc. Tom. VII. p.1782. 842. P.II.

COLONIENSE I. apud Cenomannos anno DCCCXLIII. habitum. Extant de disciplinâ, partim Ecclesiasticâ, partim Civili, *Capitula* VI. Conc.Tom.VII. p. 1807. 843. P.II.

LAURIACENSE, apud Andegavenses, anno DCCCXLIII. habitum. Extant *Capitul.* IV. adversùs eos, qui auctoritatem, juraque Ecclesiastica & Regia contemnunt, occasione, ut videtur, Lantberti Comitis, aliorumque qui adversùs Carolum Regem hoc tempore rebellarunt, Conc. Tom. VII. p.1790. 843. P.II.

THEODONIS-VILLARE III. an. DCCCXLIV. mense *Octobri*, in loco qui dicitur *Iudicium*, collectum. Ubi Lotharius Imp. & Fratres ejus Ludovicus & Carolus concordiam inter se inierunt. De quo, aliisque negotiis Ecclesiasticis, extant *Capitula* VI. Conc.Tom.VII. p.1803. 844. P.II.

VERNENSE anno DCCCXLIV. in Palatio Regio habitum, præsidente Ebroino, Episcopo Pictavensi, ex Sirmondi conjecturâ tanquam Sacri Palatii Archicapellano. Ubi multa de disciplinâ Ecclesiasticâ sancita sunt. Extant *Canones* XII. Conc. Tom.VII p.1805. 844. P.II.

BELVACENSE in Provinciâ Rhemensi, anno DCCCXLV. mense *Aprili*, sub Carolo Calvo, habitum. In quo, vacante per Ebbonis depositionem Sede Rhemensi, Hincmarus Archiepiscopus ordinatur. Extant, quæ ad Disciplinam Ecclesiasticam spectant, *Capitula* VIII. Conc. Tom. VII. p.1811. 845. P.II.

MELDENSE anno DCCCXLV. XV. Cal. *Iunias* celebratum. In quo, ut jura Ecclesiastica adversùs laicorum rapinas sarta tecta conservarentur constituti sunt de disciplina Ecclesiastica *Canones* LXXX. partim ex recentiorum Synodorum Decretis collecti, partim jam conditi. Habentur unà cum præfatione Conc.Tom.VII. p.1813. 845. P.II.

PARISIENSE V. anno DCCCXLVII. XVI. Cal. *Martias* habitum. In quo, quæ in Synodo Meldensi perfici non poterant absoluta sunt. Extat 847. P.II.

Pri-

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC. *Privilegium* Monasterio Corbeiensi ab hâc Synodo concessum Conc. Tom.VII. p.1848. In hâc etiam Synodo, vel ut voluit Sirmondus, in alterâ ibidem anno superiori habitâ, Ebbo, antehàc Rhemensis Episcopus, Sedem Rhemensem iterùm invadere prohibitus est. Vide Conc.Tom.VIII. p.38.

847. P.II. MOGUNTINUM II. anno DCCCXLVII. præsidente Rabano Mauro, pro Juribus & Immunitatibus Ecclesiasticis, adversùs laicorum rapinas celebratum. Extant, præmissâ ad Ludovicum Regem Epistolâ Synodali, Disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* XXX. Conc. Tom.VIII. p.39.

848. P.II. MOGUNTINUM III. ann. DCCCXLVIII. Cal. *Octobr.* sub Rabano Mauro habitum. In quo Gothescalci Monachi & Presbyteri de Prædestinatione dogmata damnantur, ipsomet Gothescalco ad Hincmarum Rhemensem Metropolitam suum remisso. De hâc Synodo agunt Annales Francorum ad hunc annum p. 43. his verbis. *Gothescalcus quidam Presbyter, de prædestinatione Dei pravè sentiens, & tam bonos ad vitam, quàm malos ad mortem perpetuam inevitabiliter à Deo prædestinatos esse affirmans, in Conventu Episcoporum rationabiliter, ut plurimis visum est, convictus, & ad proprium Episcopum Ingumarum (* Hincmarum *) Rhemis transmissus est, priùs tamen juramento confirmans, ne in Regnum Ludovici ultrà rediret.* Agit etiam Hincmarus non uno loco; ad quem extat *Epistola* Synodalis de Gothescalco, à Rabano scripta Conc. T. VIII. p.52.

849. P.II. CARISIACENSE I. anno DCCCXLIX. in Palatio Regio, à *XII.* Episcopis congregatum. In quo Gothescalcus iterùm depositus, Presbyteri gradu exauctoratus est, virgis cæsus, & in carcerem conjectus. Extant *Capitula* IV. adversùs Prædestinatianos, in hâc Synodo constituta, apud Hincmar. *de Prædest.* cap.2. & exinde cum observationibus Labbei, & Sirmondi qui sententiam Synodalem in Gothescalcum prolatam exhibet, Conc. Tom. VIII. p.56. Confer etiam quæ habentur ibid. p.98. & in Append. p.1933.

849. P.II. PARISIENSE VI. ab aliis TURONENSE IV. dictum, anno DCCCXLIX. à *XXII.* Episcopis habitum. In quo, Nomenoio Britanniæ minoris Duci, Divina humanaque Jura insuper habenti, nisi resipiscat, Patres Synodales Excommunicationem minitantur. Extat *Epistola Synodalis* ad Nomenoium Conc. Tom. VIII. p.58. Supplementum quoddam ad hanc Synodum, de Herimanni donatione Ecclesiæ Nivernensi factâ, ejusque à Carolo Rege confirmatione, habetur ibid. in *Append.* p.1928.

850. P.II. TICINENSE I. anno DCCCL. in Urbe Regiâ Ticino, ad reformandos mores Ecclesiæ habitum. Extant hanc in rem *Capitula* XXV. unà cum Ludovici Imp. de rebus sæcularibus *Capitulis* V. Conc. Tom. VIII. p.61.

850. P.II. BENINGDONENSE apud Anglos, circa an. ut videtur, DCCCL. vel paulò antè, habitum. In quo, ad resarciendas Danorum injurias, multa Prædia & Privilegia Monasterio Croylandensi à Bertulpho Rege data sunt. Vide Spelman. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 334. Conc. Tom. VIII. pag.72. In Synodo Kingesburiensi, anno sequente habitâ, hæc Artulphi Regis Charta quæ extat Conc. ibid. p. 73. confirmatur. Habentur hæc apud Spelman. ibid. p. 344.

Cave Hist. Lit.

SUESSIONENSE I. sive Conventus Ecclesiasticus Politicus, anno DCCCLI. habitus. In quo Pipinus junior Rex Aquitaniæ, regno spoliatus & in Clericum attonsus, in Monasterium detruditur. Vide quæ hâc de re habent Conciliorum Editores T. VIII. in *Append.* p.1933. SÆC. IX ab An. DCCC. 851. P.II.

852. P.II. CORDUBENSE anno DCCCLII. à plurimis Hispaniæ Episcopis habitum. In quo multis Christianis à Saracenis occisis, de Martyribus agitur, eorumque cultus prohibetur. Vide *Eulogium Cordub. in Memoriali* hâc occasione scripto; & quæ habet Baronius ad annum DCCCLII. num. XVI. Synodum hanc *impium Conciliabulum* vocat Card. d'Aguirre *Notit. Conc. Hisp.* ad hunc annum pag.174. vide quæ ad hoc Concilium congessit *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 149.

852. P.II. MOGUNTINUM IV. anno DCCCLII. à Rabano Mauro, omnibusque Franciæ Orientalis, Bojoariæ & Saxoniæ Episcopis & Abbatibus, coactum. In quo quæstiones nonnullæ forsan de controversiis Gothescalcianis, excussæ & ventilatæ sunt. Vide Annales Francorum ad ann.852. p.48. & Con. Tom. VIII. p.77.

853. P.II. SUESSIONENSE II. ann. DCCCLIII. præsidente Hincmaro Rhemensi, à quinque Provinciarum Episcopis, VIII. Sessionibus celebratum. In quo Clerici, ab Ebbone post depositionem ordinati damnantur, & Hincmari in Sede Rhemensi successio confirmatur. Extant *Canones* XIII. & Actorum in quâvis Sessione excerpta Conc. Tom. VIII. p. 79. Sequuntur Caroli Calvi de rebus Ecclesiasticis *Capitula* XII. eidem Synodo proposita ibidem p. 92. Canone III statuitur Burchardum Ecclesiæ Carnotensis Episcopum esse ordinandum. De quo etiam in conventu Senonensi, eodem anno habito, actum est. Vide ibid. in *Append.* pag.1934. Sirmondi Notæ in hanc Synodum habentur ibid. in *Append.* p.1943.

853. P.II. VERMERIENSE I. anno DCCCLIII. in Palatio Regio habitum. In quo, de Herimanni Episcopi Nivernensis causâ, & de Monasterio Dionysiano actum est, & Synodi Suessionensis Capitula confirmantur. Extant hujus Concilii *Definitiones* Conc. Tom. VIII. p.99.

853. P.II. ROMANUM II. anno DCCCLIII. à Leone IV. Papâ, & *LXVII.* Episcopis celebratum. In quo, Anastasius Presbyter & Cardinalis, quòd Ecclesiam suam per quinque annos deseruisset, nec ullis monitis reduci poterat, damnatus, & Sacerdotali honore depositus est. Extant *Capitula* XLII. quorum XXXVIII. ex Synodo sub Eugenio II. habitâ delumpta sunt, cum additionibus, Epistolis, aliisque ad hanc Synodum pertinentibus, à L. Holstenio primùm edita *Collect. Rom.* Part. II. pag. 48. posteà translata in Conc. Tom. VIII. pag. 133. Hujus Synodi, ejusque Capitulorum Breviarium exhibet Luitprandus, seu quisquis sit Scriptor *de Vitis Romanorum Pontificum* in Vit. Leonis IV.

854. P.II. CONSTANTINOPOLITANUM VI. ann. DCCCLIV. sub Ignatio Patriarchâ congregatum. In quo Gregorius Syracusanus, cognomento *Asbestas*, (quem consecrationi suæ interesse vetuerat Ignatius ob maleficia ei objecta, & quòd Ignatii ad Thronum Patriarchalem evectionem totis viribus oppugnaverat) damnatur & deponitur. Vide Nicet. in *Vit. Ignat.* aliosque qui de Photii & Ignatii rebus agunt.

855. P. II. TICINENSE II. anno DCCCLV. habitum. In quo nonnulla ad Ecclesiæ commodum, plura ad Regni utilitatem, decreta sunt. Extant *Capitula* V. Conc. Tom. VIII. pag. 78. paulò verò fusiùs & explicatiùs ibid. p. 146.

855. P. II. VALENTINUM I. ann. DCCCLV. VI. Id. *Ianuar.* ab *XVIII.* circiter Episcopis habitum. In quo fervente controversiâ Gothescalcianâ, editi sunt hâc de re, ut & de Ecclesiæ disciplinâ *Canones* XXIII. Explosis itidem IV. *Capitulis*, quæ in Synodo Carisiacensi sancita fuerant. Habentur hi Canones Conc. Tom. VIII. p. 133.

855. P. II. WINTONIENSE anno DCCCLV. v. Non. *Novembr.* præsentibus tribus Anglo-Saxonum Regibus, Archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi, cæterisque totius Angliæ Episcopis & Magnatibus celebratum. In quo celebris illa Terrarum Donatio, ab Æthelvulfo Rege Deo & Ecclesiæ facta, confirmatur. Hujus Donationis exemplar recitant Ingulphus, Malmesburiensis, Westmonasteriensis, & ex iis Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. pag 348. & Conc. Tom. VIII. p 243.

857. P. II. CARISIACENSE II. anno DCCCLVII. XV. Cal. *Martias* habitum. Ferventibus in Galliâ bellis & seditionibus, & ad reformandos hâc occasione corruptos Christianorum mores, coacta est hæc Synodus. Cujus *Epistola Synodalis*, sub nomine Caroli Calvi ad Episcopos & Comites Regni missa, habetur apud Baron. T. X. ad annum DCCCLVII. num. LVII. & Conc. Tom. VIII. p 246.

857. P. II. MOGUNTINUM V. Cal. *Octobr.* anno DCCCLVII. habitum. In quo, inter alia, multa de Jure Ecclesiastico ventilata sunt. De hac Synodo consulendi sunt Francorum Annales, & Schafnaburgensis in Chronico ad dictum annum; ut Baronium, Serarium, & recentiores taceam.

858. P. II. CARISIACENSE III. ad Saram Fl. in Picardiâ ann. DCCCLVIII. in Palatio habitum. Extant de variis negotiis & Regalis Ecclesiasticis *Capitula* XV. Ludovico Regi destinata Conc. Tom. VIII. p. 6 4.

858. P. II. METENSE III. anno DCCCLVIII habitum. In quo Ludovici Regis Capitula, de indulgentiâ propter seditiones in Fratris sui Caroli regno perpetratas, confirmantur. Extant *Capitula* XII. Conc. Tom. VIII. p. 668.

858. P. II. LINGONENSE II. anno DCCCLVIII. circa Cal. *Iunias* præsente Carolo Rege celebratum. Sancita sunt in eo *Capitula* XVI. quæ in Actis Tullensis Synodi proximè sequentis habentur. Alterius etiam Synodi, in Territorio Lingonensi eodem anno habitæ, mentionem faciunt Conciliorum Editores Tom. VIII. p. 673.

859. P. II. TULLENSE I. apud Saponarias anno DCCCLIX. præsentibus Carolo Calvo, ejusque Nepotibus Lothario & Carolo Regibus, à *XII.* Provinciarum Episcopis celebratum. In quo, inter alia, Prædestinatianorum & Gothescalci errores condemnati sunt. Extant *Canones* sive Capitula XIII. aliaque hujus Synodi Acta & Epistolæ Conc. Tom. VIII. pag 674. Sirmondi notas vide in Append. p. 1949.

860. P. II. AQUISGRANENSE VII. ann. DCCCLX. Id. *Ianuar.* deinde & alterum ibidem, mense *Februar.* habitum. In utroque de causâ Theutbergæ Lotharii Regis Uxoris adulterii accusatæ, & de Divortio exinde facto, actum est. Videndi præ aliis Hincmar. lib. *de divort. Lotharii & Teutberg.* & Annales Bertiniani ad ann. DCCCLX. Extat etiam *Epistola Synodalis* ad Nicolaum de hujus Synodi gestis Conc. Tom. VIII. p. 697.

CONFLUENTINUM, in Diœcesi Trevirensi, ad Mosellæ cum Rheno confluentiam, anno DCCCLX. à *XII.* circiter Episcopis habitum. In quo Pax & concordia inter Ludovicum, Carolum, & Lotharium sancita est. Acta Synodi extant Conc. Tom. VIII. pag. 698. Sirmondi notæ ibid. in *Append.* p. 1951. 860. P. II.

TULLENSE II. in villâ Tusiaco, anno DCCCLX. XI. Cal. *Novembr.* Caroli & Fratrum auctoritate, à *XIV.* Provinciarum Episcopis coactum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *Canones* V. *Epistola Synodalis* adversùs Rerum Ecclesiasticarum pervasores; & Hincmari *Epistola* de nuptiis Stephani & filiæ Regimundi Comitis, Synodi jussu scripta, Conc. Tom. VIII. p. 702. 860. P. II.

CONSTANTINOPOLITANUM VII. Michaelis Imp. jussu, anno DCCCLXI. à *CCCXVIII.* Episcopis in Ecclesiâ SS. Apostolorum, congregatum. Deposito non ita pridem Ignatio Patriarchâ, Bardæ Cæsari ob interdictum sibi Ecclesiæ ingressum inviso, in ejus locum suffectus est Photius, vir genere nobilis, doctrinâ excultissimus, & splendidissimis Reipublicæ muneribus functus. In hâc igitur Synodo Ignatii depositio, & Photii in Thronum Patriarchalem subrogatio confirmatur; subscribentibus Rodoaldo & Zachariâ, ipsius Hadriani Papæ legatis. Acta hujus Synodi abolevisse Ignatianos credi par est. Consulantur interim Cedrenus p. 551. Hadriani & Photii Epistolæ, & præcipuè Nicetas in *Vita Ignatii*, sed fabulis, & totis in Photium convitiorum plaustris refertissimâ. Hanc Synodum pro Oecumenicâ habere Græcorum plurimos ipsi Pontificii diffiteri non audent. Synodus quæ *prima & secunda* vulgò dicitur, non alia erat quàm hæc ipsa Synodus, ita appellata, quòd Patres bis in eâ convocati sunt juxta Zonaram & Balsamonem. In primo conventu Ignatius, absens licet, damnatur & deponitur, Photio in Sede Patriarchali confirmato. Et hic conventus VII. Actionibus absolvebatur, de quibus videndus Nicetas libro citato. Verùm irrumpentibus Iconoclastis, magnasque turbas & tumultus in Concilio moventibus, Synodus debitum hâc vice finem habere non potuit. Secundò igitur convenêre Patres, & confirmatis quæ in priori conventu de Ignatii depositione acta fuerant, Iconoclastas damnârunt, Synodique decreta ediderunt. Ac proinde Michaelem Imp. misisse ad Nicolaum Papam duo volumina, quorum unum depositionis Ignatii gesta continebat, alterum autem de sanctis habebat Imaginibus Acta, ex ipsius Nicolai Literis ad Episcopos & Clerum CP. disertissimè liquet. Conditi sunt in hâc Synodo de disciplinâ Ecclesiasticâ *Canones* XVII. qui habentur Græc. Lat. cum Commentariis Zonaræ *Pandect. Can.* T. I. p. 331. & Conc. Tom. VIII. p. 1511. 861. P. II.

ROMANUM III. anno DCCCLXI. habitum. In quo Joannes Ravennatum Episcopus, ob gravem quam in suos exercebat tyrannidem depositus est, & peractâ posteà pœnitentiâ restitutus. Extant hujus Synodi Acta, tribus Sessionibus distincta, apud Anastas. in *Vit. Nicolai* I. Conc. T. VIII. p. 257. 861. P. II.

SUES-

Digitized by Google

SÆC. IX. ab An. DCCC. 861. P. II. SUESSIONENSE III. anno DCCCLXI. præsidente Hincmaro Rhemensi habitum. In quo Rothadus Suessionensis Episcopus, qui Canonibus Ecclesiasticis conformem se præstare recusavit, Episcopali communione, donec se corrigeret, privatur. De variis Synodis, Placitis, &c. apud Pistas, in causa Rothadi habitis, consulat omninò Lector curiosus Ph. Labbei observationem, quam habes Conc. Tom. VIII. p. 736. Anno sequenti, in Synodo apud Suessionem habitâ, Judith Caroli Regis filia, propter adulterium cum Balduino Comite, Excommunicationis sententiæ subjicitur. In alterâ, ibidem mox celebratâ, Rothadus Suessionensis, haud ita pridem excommunicatus, ad Sedem Apostolicam appellavit. Videantur Annales Bertiniani ad ann. DCCCLXII.

862. P. II. SENONENSE anno DCCCLXII. habitum. In quo, de deponendo Herimanno, Episcopo Nivernensi, actum est. Extat *Epistola Synodalis* ad Nicolaum Papam, unà cum Nicolai Responso, Conc. Tom. VIII. in *Append.* p. 1934.

862. P. II. ROMANUM IV. anno DCCCLXII. habitum. In quo, occasione Orientalium quorundam Romam venientium, Theopaschitarum hæresis, iterùm repullulans, damnata est. Extant hujus Synodi *Canones* II. apud Nicolaum Papam *Epist.* VII. Conc. Tom. VIII. p. 289. & ibid. p. 738.

862. P. II. AQUISGRANENSE VIII. anno DCCCLXII. III. Cal. *Maii* coactum. In quo Theutbergæ causa in medium iterùm prolata, Lothario, ut aliud conjugium initet, permissum est. Extant *Capitula* X. aliaque ad hanc causam & Synodum spectantia Conc. T. VIII. p. 739.

862. P. II. SCIRACHAVANENSE, in Scirachavan Armeniæ Majoris urbe, præsente Asciut Pacratide Armenorum Principe ann. DCCCLXII. celebratum. Scripserat ad Zachariam Armeniæ Catholicum Photius Patriarcha CP. missâ per Joannem Nicææ Episcopum Epistolâ, quâ Synodi Chalcedonensis doctrinam de Incarnatione & duabus in Christo naturis pluribus argumentis confirmavit. His commotus Zaccharias, Episcoporum Abbatumque suorum Concilium convocavit, quo damnata sunt Nestorii, Eutychetis, Dioscori, Theopaschitarum, & Manichæorum dogmata, doctrina Catholica de duabus naturis restituta, Synodus Chalcedonensis admissa quidem, sed tectiùs, & per obscuras verborum ambages, cùm præ metu populi mentem suam hac de re γυμνῇ κεφαλῇ non auderent explicare. Conditi sunt hanc in rem Canones XV. qui Armenicè cum Latina versione habentur apud Cl. Galanum *Conciliat. Eccles. Armen.* Part. II. Tom. I. pag. 139. Ubi Canonum IX. XI. XIII. XIV. in quibus aliquid obscuritatis latere videbatur, uberrimam explanationem addidit.

863. P. II. SILVANECTENSE I. in Provincia Rhemensi, anno DCCCLXIII. vel circiter, à diversarum Provinciarum Episcopis, præsidente Hincmaro Rhemensi, collectum. In quo Rothadus Suessionensis iterùm damnatus & depositus est, & in Monasterium detrusus. Extant Episcoporum regni Lotharii *Epistolæ* II. Conc. Tom. VIII. pag. 761. quæ hujus & sequentis Synodi res gestas haud parùm illustrant.

863. P. II. METENSE IIII. anno DCCCLXIII. mense *Junio*, à Galliæ & Germaniæ Episcopis, præsentibus Pontificis Legatis, celebratum. In quo Lotharii & Theutbergæ divortium, & conjugium cum Waldrada, judicio Synodali confirmantur, & Episcopi facti sui rationes scriptis comprehensas, (suadentibus id Legatis Pontificiis) per Guntharium Coloniensem, & Theutgaudum Trevirensem, Galliæ Belgicæ Archiepiscopos, ad Sedem Apostolicam transmiserunt. De hac Synodo agunt Annales *Incerti*, ut & Bertiniani, & Rhegino ad ann. DCCCLXIII.

ROMANUM V. anno DCCCLXIII. sub Nicolao I. Romæ in Lateranense Palatio habitum. In quo Metensis Synodi Sententia damnatur, ejusque Acta irrita sunt reddita, & Guntharius & Theutgaudus, Concilii Metensis Antesignani, & causæ Lotharianæ assertores strenui, depositi sunt. Editis hujus Concilii Decretis, Metensis Synodi legati mox responsum suum animosè & zelo verè Germano reposuerunt, sententiam Pontificis insuper habent, levitatem, temeritatem, tyrannicum furorem, divinarum legum simul & sacrorum Canonum conculcationem, fraudulentiam, calliditatem, superbiam, tumidúmque potentatum aperto ore ei objiciunt. Subdunt, *scies nos non tuos esse, ut te jactas & extollis, clericos, quos ut fratres & Coepiscopos recognoscere, si elatio permitteret, debueras.* Utriusque partis scripta exhibent Annales Francorum anno DCCCLXIII. pag. 63. Extant *Epistola Synodalis & Capitula* V. Conc. Tom. VIII. pag. 767. Prolixiùs item hujus Synodi gesta enarrant Annales Bertiniani ad annum DCCCLXIV. Eodem anno, nempe DCCCLXIII. in Concilio etiam Romano Zacharias ob res in Legatione Constantinopolitanâ malè gestas deponitur, & Photio damnato Ignatius Sedi suæ restituitur, cultusque Imaginum adversùs Iconoclastas stabilitur. De his omnibus vide Nicolai I. Epist. VII. Conc. Tom. VIII. pag. 288. &c. Denique in Romano Concilio hoc etiam anno habito, Synodi Sylvanectensis Acta abrogantur, & Rothadus Suessionensis, qui oblato Appellationis libello ad Nicolaum provocaverat, Sedi suæ restitui jubetur. Vide Nicolai I. Epist. XXV. XXIX. XXXI. XXXII. XXXVIII. LXXXII. CLXIII. & sequentes. Tria hæc Concilia Romæ, anno DCCCLXIII. habita, annon una eademque Synodus fuerint, vel potiùs diversi ejusdem Synodi conventus, aliorum esto judicium. 863. P. II.

PISTENSE I. ad Sequanam fluvium anno DCCCLXII. vel ut alii DCCCLXIII. si non potiùs anno præcedente habitum; quod quidem potiùs Conventus politicus, quàm Ecclesiasticus censeri debet. Extant *Capitula* IV. in hoc Conventu constituta Conc. Tom. VIII. p. 776. Extat etiam *Privilegium* Ecclesiæ S. Martini tributum, & in hac Synodo confirmatum ibid. in *Append.* p. 1935. Sirmondi notæ ibid. in *Append.* p. 1952. 862. vel 863. P. II.

VERMERIENSE II. anno DCCCLXIII. VIII. Cal. *Novembr.* præsente Pontificis Legato habitum. In quo Monasterii S. Carilefi libertas, adversùs prætensum Roberti Cenomanensis Episcopi jus, asseritur & confirmatur. Videsis Annales Bertin. ad ann. DCCCLXIII. 863. P. II.

ROMANUM VI. anno DCCCLXIV. sub Nicolao habitum. In quo Rodoaldus Portuensis, qui Lotharii pecuniâ corruptus in Concilio Metensi Legatione suâ malè functus fuerat, nec citatus compareret, depositus est. Vide Nicolai I. Epist. VII. & X. 864. P. II.

ROMANUM VII. anno DCCCLXV. XII. Cal. *Februar.* celebratum. In quo Rothadus Suessionen- 865. P. II.

Digitized by Google

SÆC. IX. An. DCCC. ab nensis, ab Hincmaro pridem depositus, in pristinum honorem restitutus est. Acta hujus Synodi habentur apud Anastas. in *Vita Nicolai* I. Conc. Tom. VIII. pag. 263. Acta verò & Epistolæ, aliaque huc spectantia ibid. p. 785.

866. P. II. SUESSIONENSE IV. anno DCCCLXVI. XIV. Cal. *Septemb.* congregatum; In quo Vulfadus ejusque Socii, ab Ebbone Rhemensi post depositionem olim ordinati, gradibus suis jam tandem restituti sunt. Extant *Epistolæ* plures, aliaque opuscula ad hanc causam & Synodum pertinentia, numero XIV. in unum collecta Conc. Tom. VIII. pag. 808. Hincmari Rhemensis *Epistolæ* IV. ad hujus Synodi historiam spectantes exhibentur ibid. in *Append.* p. 1902.

867. P. II. TRICASSINUM I. in Campaniâ ad Sequanam fl. anno DCCCLXVII. VIII. Cal. *Novembr.* à *XX.* Episcopis, eisdem nempe qui superiore anno in Suessionensi convenerant, habitum. In quo de causâ Vulfadi, ejúsque sociorum iterùm agitur. Extat *Epistola* ad Episcopos in Regno Ludovici manentes, *Synodica* ad Nicolaum Papam, quâ totam Ebbonis ordinatorumque ab eo Clericorum historiam accuratè exponunt, denique Caroli Calvi ad eundem de eâdem controversiâ *Epistola* Conc. Tom. VIII. pag. 868. Vide etiam quæ habet Flodoardus *Hist. Rhemens.* lib. III. cap. 17. pag. 216.

868. P. II. ROMANUM VIII. anno DCCCLXVIII. sub Hadriano II. habitum. In quo Photio anathema ter dictum est, ejusque libellus contra Nicolaum Papam igni adjudicatur. Acta hujus Synodi habet Anastasius in *Vit. Hadriani* II. Conc. Tom. VIII. pag. 889. Græcè Latinè summatim exhibentur Actione VII. Synodi quam vocant VIII. pag. 1382.

868. P. II. WORMATIENSE III. anno DCCCLXVIII. XVII. Cal. *Iun.* celebratum. Post editam fidei confessionem, extant disciplinæ Ecclesiasticæ *Canones* LXXX. qui quidem in codicibus MSS. non patùm variant; ut an omnes in hâc Synodo sint constituti, an potiùs aliquot ex aliarum Synodorum Decretis conflati, justa oritur dubitandi ratio. Extant Conc. Tom. VIII. p. 941.

868. P. II. CARISIACENSE IV. ann. DCCCLXVIII. habitum. In quo Willebertus Presbyter examinatur, & postea in Episcopum Catalaunensem consecratur. Extant Synodi Acta Conc. Tom. VIII. in *Append.* p. 1939.

869. P. II. CONSTANTINOPOLITANUM, Romanis & Græculis quibusdam Λατινοφρονοῦσι Oecumenicum, idque ut volunt, *VIII.* (quod tamen constanter negant genuini Ecclesiæ Græcæ filii) Basilii Macedonis mandato, anno DCCCLXIX. III. Nonas *Octobr.* ab Episcopis *CII.* in Æde S. Sophiæ congregatum. Basilius Theophili Imp. domini sui clementissimi, qui ipsum in filium & successorem arrogaverat, cæde nuper maculatus, & Photio Patriarchæ, qui Sacris ei hanc ob causam interdixerat, infensissimus, coactâ hâc Synodo, Photium exauctorandum, & Ignatium ab exilio revocatum in Sedem Patriarchalem reponendum curavit. Hinc omni ex parte odia, convicia, crimina ὅλῳ τῷ θυλάκῳ in Photium congesta, hinc dira quæ passus est, de quibus tot querelæ in Epistolis ejus sparsæ. Extant Gr. Lat. hujus Concilii Acta, in X. Actiones distincta Conc. Tom. VIII. pag. 1179. Actis præmittuntur Nicetæ Paphlagonis *Vita* sive *Certamen* Ignatii; Michaelis Monachi *Encomium* Ignatii; Theognostici Monachi *libellus* de causâ Ignatii: Nicolai Papæ *Epistolæ* aliquot. SÆC. IX. An. DCCC.

Act. I. Hadriani Papæ literæ Legatis suis datæ & Definitio Thomæ Metropolitæ Tyrensis, & Eliæ Syncelli Hierosolymitani, antequàm Legati Constantinopolim venirent, pronunciata recitantur.

Act. II. Episcopi à Methodio & Ignatio ordinati, qui à partibus Photii steterant, & post hos Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, oblato Supplicationis libello, ad veniam & communionem recepti & admissi sunt.

Act. III. Ancyræ & Nicææ Archiepiscopi, quòd libellum Satisfactionis, ab Hadriano Papâ missum, suscipere recusarent, ad veniam non sunt admissi. Deinde Basilii, Ignatii, Hadriani Epistolæ lectæ sunt.

Act. IV. Episcopi, qui Legationis munere à Photio ad Patriarchas olim functi fuerant, in Synodum ægrè intromissi, causam Photii à Patriarchis receptam esse constanter affirmârunt. Verùm contradicentibus aliis, ejecti sunt.

Act. V. Photius citatus, & nonnisi per vim adductus, Synodi judicium se non agnoscere affirmavit, & an Romanorum Pontificum constitutis acquiesceret sæpiùs rogatus, constanter obmutuit, Christique Domini exemplo se tuebatur.

Act. VI. Lectâ Nicolai Papæ in Photium sententiâ, condemnationem ejus vehementer urgebant Legati; oblatam Episcopis Photianis indulgentiam constanter rejecerunt Photiani, Orationem habente Zachariâ Episcopo Chalcedonensi, quâ Ignatium justè & legitimè depositum fuisse ostendit, id quod alii mox refellere conati sunt.

Act. VII. Episcopis Photianis oblatam indulgentiam iterum iterúmque recusantibus, ipse Photius in Synodum introductus anathemati subjicitur.

Act. VIII. Photii Scripta, vel à se edita, vel in sui gratiam aliorum Chirographis munita, igni coram Synodo adjudicantur. In fine Sessionis Iconomachi quidam in Synodum intromissi damnati sunt.

Act. IX. quæ XII. die *Februarii* sequentis anni celebrata est, plurimi qui in Ignatium testes jurati fuissent pœnitentes, ad veniam recipiuntur, & Legati, quibus contra Nicolaum falsò usus est Photius, examinati sunt.

Act. X. *Canones XIV.* qui in Versione Anastasianâ XXVII. habentur, de disciplina Ecclesiastica, & causa Photiana sanciti sunt, & repetitâ sententiâ damnationis in Photium prolatâ, habitâque ab Imperatore oratione, Decreta Synodalia singulorum subscriptionibus roborata sunt.

Hæc Acta Latinè transtulit Anastasius Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, qui duabus postremis hujus Synodi Actionibus, ipse Ludovici Imp. ex Occidente legatus interfuit. Versionem ejus Græcis esse longè auctiorem, cuivis inspicienti mox liquidò patebit. Quâ quidem in re, an bona fide egerit Anastasius, judicent alii, qui hominis ingenium, summumque erga Curiam Romanam studium & observantiam non ignorant. Versio hæc Anastasiana Actis Græco-Latinis præponitur Concil. Tom. VIII. p. 961. Actorum calci, Appendicis vice, subjiciuntur *Epistola* Synodalis Encyclica de rebus in Concilio gestis; Stephani Papæ ad Basilium Imp. Styliani Neocæsareensis ad Stephanum unà cum Stephani responsoriâ, *Epistolæ*; Tractatus *de Photianorum perjurio*; Synodica Nicolai Papæ &c. adversus Photium; *Breviarium* Synodi VIII. denique nonnulla ad Synodum VIII. Photianam pertinentia.

VERMERIENSE III. anno DCCCLXIX. habitum. 869. P. II.

Digitized by Google

bitum. Orto gravi inter Hincmarum Rhemensem, ejusque nepotem Hincmarum Laudunensem, ob Normanni cujusdam excommunicationem, dissidio, Hincmarus Laudunensis in hâc Synodo accusatus, ad Sedem Apostolicam appellavit. Vid. Hincmar. Rhem. *Epist. Apologet.* & Flodoard. lib. III. c.22. p.239.

869. P.II. METENSE V. anno DCCCLXIX. v. Id. *Septembr.* coactum. In quo, factis ab Episcopis Annunciationibus & Capitulis quibusdam, Carolus Calvus in Lotharii demortui sui fratris Regnum, quod jure hæreditario ad Ludovicum pertinebat, coronatus est. Habentur hæ *Annunciationes,* uti vocantur, & *Capitula* Conc. Tom. VIII. p.1532.

869. P.II. PISTENSE II. anno DCCCLXIX. præsente Carolo Calvo, à diversarum urbium Episcopis ad componendum Regni sui statum convocatis celebratum. Extat *Diploma* Caroli Regis in hac Synodo editum Conc. Tom. VIII. p. 1536. quo confirmat donationem Egilis Archiepiscopi Senonensis, qui Villas & Ecclesias quasdam Monasterio S. Petri in diœcesi Senonensi concesserat.

870. P.II. ATTINIACENSE III. anno DCCCLXX. mense *Maio*, à X. Provinciarum Episcopis, præsidente Hincmaro Rhemensi habitum. In quo Hincmarus Laudunensis secundâ jam vice accusatus, ad sedem Apostolicam iterùm provocavit. Conferantur ab utroque Hincmaro hâc de re scripta, & Annales Bertiniani ad ann. DCCCLXX.

870. P.II. COLONIENSE II. ann. DCCCLXX. vi. Cal. *Octobr.* in causâ disciplinæ Ecclesiasticæ habitum. Ex cujus Actis nihil hodie superest. Vide Concil. Tom. VIII p.1539.

871. P.II. DUZIACENSE I. in diœcesi Rhemensi, non longè à Sedano, anno DCCCLXXI. mense *Augusto* à quamplurimis Galliæ Episcopis celebratum. In quo Hincmarus Laudunensis, tertiùm accusatus, Episcopali gradu dejectus est, & durissimè habitus. Supersunt hujus Concilii Acta & Monumenta, quinque partes complectentia. Prima continet Proclamationem Regis adversùs Hincmarum Laudunensem Episcopum, in Synodo porrectam. Secunda continet Libellum expostulationis Hincmari Rhemensis adversùs Hincmarum Laudunensem, in Synodo recitatum. Tertia, responsa Episcoporum ad Proclamationem Regis. Quarta, Acta Synodi cum Hincmaro Laudunensi Episcopo canonicè vocato & præsente. Quinta, Synodi & Hincmari Rhemensis ad Hadrianum Papam Epistolas. Acta hæc ex codice MS. Alexandri Petavii Senatoris eruta, notisque suis & præfatione illustrata, primus edidit Lud. Cellotius S. J. *Paris.* 1658. exinde translata in Conc. Tom. VIII. p.1542. Ad pleniorem horum intelligentiam subjiciuntur, Hincmari Laudunensis *Vita*; utriusque Hincmari Opuscula varia; Hincmari Rhemensis Epistolæ aliquot, & alia nonnulla huc spectantia.

873. P.II. OVETENSE in Hispaniâ, anno DCCCLXXIII. XVIII. Calend. *Julii* à XVII. Episcopis, præsente cum multis proceribus Adelphonso cognom. *Casto* Gallæciæ Rege, habitum. In quo Ecclesia Ovetensis in Metropolitanam erigitur, ejusque termini statuuntur. De hâc Synodo ejusque Actis ex Hispaniæ Scriptoribus agunt Conciliorum Editores Tom. IX p.247. Hujus Concilii Decreta in aliâ Synodo Ovetensi, ann DCCCCI. habitâ confirmantur. Vide Conc. ibid. p.503. Verùm antiquissima hujus Concilii Acta nunquàm hactenùs edita, ex vetusto Codice Ecclesiæ Ovetensis descripta; extulit vir Illustrissimus Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. pag. 158. quibus alia non pauca addidit.

CABILONENSE II. ann. DCCCLXXIII. habitum. Extat Charta Restitutionis Ecclesiæ S. Laurentii Canonicis S. Marcelli factæ Conc. Tom. IX. p. 251. 873. P.II.

COLONIENSE III. anno DCCCLXXIII. habitum. In quo privilegia quædam, & Ecclesiarum quarundam consecrationes, aliaque non magni momenti facta sunt. Quæ ad hanc Synodum spectant, haberi possunt Conc. Tom. IX. p.252. 873. P.II.

SILVANECTENSE II. anno DCCCLXXIII. Caroli Regis jussu, à Rhemensis & Senonensis Provinciarum Episcopis celebratum. In quo Carlomannus, Caroli filius, Clericus, ob grassationes & perduellionem Diaconi gradu dejectus est. Perierunt hujus Concilii Acta. Vide tamen quæ ex Aimoino referuntur Concil. Tom. IX. p.258. 873. P.II.

TOLOSANUM anno DCCCLXXIII. à Septimaniæ & Aquitaniæ Episcopis habitum. In quo querela Judæorum, se à Christianis vexatos conquerentium, audita & repressa est Vide Conc. Tom. IX. in *Append.* p 1235. 873. P.II.

DUZIACENSE II. anno DCCCLXXIV. Id. *Junii*, adversùs incesta conjugia & rerum Ecclesiasticarum pervasiones habitum. Extant, *Epistola* Synodalis ad Episcopos Aquitaniæ, & *Definitio* Synodica de Dudâ Monachâ sacrilegè corruptâ, Concil. Tom. IX p 258. 874. P.II.

CABILONENSE III. anno DCCCLXXV. habitum. In quo peractâ Adalgisi Eduensis Episcopi ordinatione, Privilegia Monasterii Tornutiensis confirmantur. Extant Synodi hujus Acta Concil. Tom. IX. p.275. 875. P.II.

TICINENSE III. apud Longobardos; anno DCCCLXXVI. mense *Februario* habitum. In quo Imperium Carolo collatum confirmatur. Hujus Concilii gesta sequentis Synodi Actis inserta sunt. 876. P.II.

PONTIGONENSE in diœcesi Carnotensi ann. DCCCLXXVI. mense *Junio* & Julio, præsentibus Carolo Calvo, & Pontificis Legatis, celebratum. In quo Synodi Ticinensis Acta de Caroli electione confirmantur. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* XV. aliaque hujus Synodi Acta ac Monumenta in unum collecta Conc Tom. IX. p.280. Vide quæ habentur in *Append.* p.1261. 876. P.II.

ROMANUM IX. anno DCCCLXXVII. mense *Februario*, sub Joanne VIII. Papâ, coactum. In quo Imperium Carolo Calvo, nondùm sopitâ de eo in Germaniâ controversiâ, sententiâ Synodali confirmatur. Extant Acta Synodalia Concil. Tom. IX. p.295. 877. P.II.

RAVENNATENSE, anno DCCCLXXVII. mense *Augusto*, à Joanne VIII. Papâ, & CXXX. Episcopis celebratum. Extant de disciplinâ Ecclesiasticâ *Capitula* XIX. à Luc. Holstenio primùm edita *Collect. Rom.* Part II. pag.1-7. inde inserta Concil. Tom IX. p.300. His Canonibus saluberrimè inter alia provisum est cap. X. ut Episcopi nomina excommunicatorum, tàm vicinis Episcopis, quàm suis parochianis pariter indicent, eaque Ecclesiæ foribus præfixi curent; neque excommunicatum ab 877. P.II.

Sf 4

Digitized by Google

 ab Ecclesiastica severitate liberandum esse, donec coram Provinciali Synodo satisfiat: cap.XII. Quicunque se Parochiæ propriæ conventui publico, ultra tres dies Dominicos voluntariè subtrahant, communione privandos esse.

877. P.II. NEUSTRIACUM anno DCCCLXXVII. præsidente Hincmaro Rhemensi, adversùs Hugonem Lotharii Regis filium illegitimum habitum. Vide Flodoard. lib.III. *Hist.Rhemens.* capp.19.26.& Conc. Tom.IX.p.306.

878. P.II. TRICASSINUM II. anno DCCCLXXVIII. mensibus *Augusto* & *Septembri*, à Joanne Papa & Episcopis Gallicanis, præsente Ludovico Rege, V. Actionibus celebratum. In quo Lambertus & Adalbertus, ob injurias in Ecclesiam Romanam, anathemati subjiciuntur; Rerum Ecclesiasticarum pervasores excommunicantur, Disciplinæ Ecclesiasticæ Canones & Statuta sancita sunt. Extant hujus Synodi Acta, *Capitula*, & *Epistola* Concil.Tom.IX. p.307.

879. P.II. ROMANUM X. anno DCCCLXXIX. habitum. In quo de electione novi Imperatoris, post obitum Ludovici Baldi agitur, nihil tamen nisi post biennium hac in re factum est. Vide Rheginon. in *Chron.* Aimoin. lib. V. cap. 39. Baron. anno DCCCLXXIX. num.II.

879. P.II. ROMANUM XI. anno DCCCLXXIX. à Joanne VIII. Papa habitum. In quo Legati à Pontifice, ad Photium sedi suæ restituendum, Constantinopolim missi sunt. Extat *Commonitorium* Legatis datum Conc.Tom.IX. pag. 322. Vide etiam Joannis VIII. *Epist.* CXCIX.

879. P.II. CONSTANTINOPOLITANUM Græcis penè universis Oecumenicum *VIII.* ut nos verò numeramus X. Basilii Imp. jussu in Æde S. Sophiæ in dextrâ Catechumenorum magnæ Ecclesiæ parte anno DCCCLXXIX. celebratum. Aderant Episcopi *CCCLXXXIII.* & in his Joannis *VIII.* Papæ Legati Paulus, Eugenius, & Petrus Cardinalis & Presbyter, omniumque Patriarcharum Orientalium Vicarii. Mortuo non ita pridem Ignatio, Basilius Macedo in Photium jam æquior factus, ipsum mox in solium Patriarchale reposuit, coactâ hac Synodo, quæ Photii restitutionem ratam habuit, & omnia quæ contra illum gesta fuerant, abrogavit.

Superesse adhuc MSS. hujus Concilii Acta, in *VII.* Actiones digesta, ipsimet non diffitentur Pontificii, datâ operâ (ut videtur) suppressa. Certè habentur integra Græcè MSS. in Biblioth. Vindob. Cod. *Theol.* LXXII. num. II. fol.152. teste Nesselio Catal. part.I. pag. 154. Verùm benè habet quòd aurea eorum excerpta, in Oratione sua *de Pace Ecclesiasticâ*, nobis conservavit Joannes Beccus Patriarcha CP. homo Latinis in solidum addictus. Ea ex Bibliothecæ Bodleianæ Cod. MS. deprompta Græcè & Latinè evulgavit Cl. Beveregius noster *Pandect. Can.* Tom. II. pag. 273. ex quibus nobiliora hujus Synodi gesta perspicere licet; nempe plenam Joannis Papæ cum Photio reconciliationem, missis ad illum tùm literis, tùm muneribus, Patriarchalis dignitatis ornamentis, Stolâ, Superhumerali &c. Acta Synodi, tùm Romæ sub Hadriano Papa, tùm Constantinopoli sub Ignatio, quam *VIII.* Oecumenicam vocant Latini, adversùs Photium habitæ, rescissa & sub anathemate damnata, abrogatis etiam quæ à Photio contra Pontifices & Ecclesiam Romanam gesta sunt; Privilegia sedis Constantinopolitanæ asserta, & utriusque Patriarchatûs Romani & CP. jura stabilita; denique additamentum ad Symbolum (FILIOQUE) damnatum, & tres Canones conditi, quæ ex ipsis Actorum excerptis fusiùs deduci possunt: ac proinde ea quæ hodie habemus percurramus, lectorem præmonentes, præter Becciana, superesse etiam horum Actorum excerpta, ab alia, ut videtur, manu profecta, in multis quidem auctiora, magisque accurata, Actionum verò numero diversa. Ex utrisque inter se collatis brevem hujus Concilii historiam pro more nostro concinnabimus.

Act. I. Joannis Papæ Legatos, in Synodum introductos, Photius Patriarcha benignè excepit, & summâ humanitate allocutus est. Qui proinde ei Patriarchalia ornamenta, quibus ipsum donaverat Papa, stolam nempè Sacerdotalem, Humerale, Sticharium, Penulam, & Sandalia tradiderunt.

Act. II. Novembr. VII. celebrata, lectæ sunt Joannis Papæ ad Imperatores literæ, quibus primo loco Romanæ Sedis auctoritatem mirè extollit bonus Papa, nec minùs Photium deprædicat τὸν θαυμασιώτατον καὶ εὐλαβέστατον Ἀρχιερέα Θεοῦ, virum veteribus prærogativis coram Deo præstantem, tùm sapientiâ scilicet & prudentiâ circa res Divinas & humanas omnes antecellentem, tùm circa alias virtutes morales & curam Divinorum Præceptorum irreprehensibilem Operarium. Hunc igitur recipit, hunc Throno Patriarchali restitui jubet, (interpositâ nihilominùs cautione, ne Photius vel illius successores jus ordinandi in Bulgaria sibi deinceps vendicent) siqui verò fuerint Episcopi, vel Clerici, qui Ecclesiæ & Photio Patriarchæ uniri renuant, hos ab omni Ecclesiæ communione alienos esse pronunciat. Lectâ deinde Papæ ad Photium Epistolâ; qua inter alia ab eo petit, ut Episcopos & Clericos schismaticos, qui ei accedere parati sint, apertis ulnis recipere, dignitatibus & Ecclesiis suis restituere nè dedignetur. Denique lectæ sunt Patriarchæ Alexandrini ad Imperatorem, reliquorum Patriarcharum ad Photium, Epistolæ.

Act. III. XVII. *Novembr.* Epistola Joannis Papæ ad Sedis Constantinopolitanæ & Orientalium Episcopos lecta est, qua Tarasii ex Neophyto in Patriarcham evecti, aliasque hujusmodi ordinationes improbat, respondente Zachariâ Metropolitâ Chalcedonensi Canones aliquandò hac in parte consuetudini cedere posse; quod & Sententia S. Basilii, & exemplis aliquot allatis demonstrat. Mox Theodosii Hierosolymorum Patriarchæ literæ Synodicæ ad Imperatorem recitantur, quibus, iis qui Photium pro legitimo Patriarcha non agnoscunt, neque cum illo communicant, anathema denunciant, totâ id approbante Synodo, & Patriarchâ Antiocheno non diu post Suffragium suum per literas ferente, post hæc, lectum est *Commonitorium* à Papa missum *XVI.* Episcoporum, *VII.* Presbyterorum, *II.* Diaconorum subscriptionibus munitum. Cujus capitulo *VII.* sancitum est, eos qui in Ecclesiæ & fratrum communionem convenire nolunt, post secundam & tertiam admonitionem esse anathematizandos, & ab omni Ecclesiastica communione amovendos. Capit. VIII. Synodum sub Hadriano contra Photium habitam abrogandam esse, neque aliis Synodis annumerandam.

Act. IV. Decembr. XXIV. Allatæ sunt ad Photium, per Basilium Martyropolitanum Theodosii Antiochiæ Patriarchæ locum tenentem, ab Eliâ Hierosolymorum Patriarchâ recens constituto literæ, quas honore & veneratione Photio exhibitâ ei tradidit. Quibus lectis, duo Patricii, qui à Pseudo-Apocrisiariis quibusdam decepti à Photio dissidebant, culpam recognoscentes absoluti & recepti sunt; decretumque est Synodum tùm Romæ sub

Hadriano

SÆC. IX. ab An. DCCC.

Hadriano; tùm Constantinopoli sub Ignatio contra Photium habitam damnandam, abdicandam, & è Synodorum numerò expungendam esse, omnesque qui Ecclesiam decipere, Photiumque non agnoscere persistunt, Ecclesiæ communione esse abscindendos, & quoniam tunc instaret Eucharistiæ celebrandæ tempus, monente Petro Cardinale Pontificis Legato, ad ostendendam, quam inierant pacem & concordiam, assurgens totus Patrum chorus Sanctæ & Divinæ Liturgiæ mysteria cum Photio peregit.

Act. V. Januar. XXVI. Cùm relatum esset Occidentales Synodum Nicænam II. pro causâ sanctarum & venerandarum Imaginum celebratam, non usquequaque recipere & approbare, statuit Synodus dogmata ejus & decreta firma ac rata habenda esse, eamque inter sanctas & œcumenicas Synodos septimum habere locum, & æqualia cum reliquis sortiri privilegia. Post hæc ad Metrophanis Smyrnæorum Metropolitæ causam deventum est. Qui cùm Synodali unioni consentire nollet, destinati sunt ad illum à Synodo tres Metropolitæ, ut veniret & separationis suæ Synodo rationem redderet. Dixit causam se habere, sed venire non posse infirmâ valetudine præpeditum. Missi sunt igitur ad illum tres alii Metropolitæ, qui idem penè responsum ab eo retulerunt. Unde Legati Pontificii ipsum ab omni Ecclesiasticâ communione segregandum esse censuerunt. Oblatâ hâc occasione, tres Canones condidit Synodus; quorum 1. statuit ut quicunque à Joanne Papâ excommunicentur, ubicunque fuerint, à Photio pro excommunicatis habendi sunt, & vice versâ, quoscunque anathemati subjecerit Photius, eos à Joanne Papâ pro excommunicatis habendos esse, servatis semper Romanæ Sedi, ejusque Antistiti, suis privilegiis. Can. 2. Omnem Episcopum qui ex Pontificali ordine ad Monachorum locum & ordinem descendere velit, Pontificali dignitate deinceps esse exuendum. Can. 3. Nemini fas esse, vel absque causâ, vel causâ aliquâ confictâ, Episcopum verberare, vel in carcerem conjicere; sin aliter ausus fuerit, anathemate percutiendum. His, aliisque decretis de Photii receptione, Synodisque contra illum abrogandis, & dissidentium supplicio, deque Synodi Nicenæ confirmatione, subscripserunt Romani Pontificis & Patriarcharum Orientalium Legati, aliique Metropolitæ & Episcopi, acclamationibus pro more factis.

Act. VI. Martii X. in celebri Chrysotriclinii Palatio habitæ, interfuit unà cum filiis suis Augustis Basilius Imp. qui, habitâ ad Synodum oratione, hortatus est ut commune fidei Symbolum ederent, Nicenæ & reliquis Sanctis & Oecumenicis Synodis consonum. Quod & factum est; producto in medium Niceno Symbolo, prout à Synodo II. Oecumenicâ explicatum & confirmatum fuerat, factoque Decreto antiquam hanc fidei definitionem puram & incorruptam servandam esse; *Hanc*, inquiunt, *ex Majoribus ad nostra usque tempora descendentem, tàm mente, quàm linguâ, & amplectimur, & omnibus altâ voce ubique annunciamus, nihil auferentes, nihil addentes, nihil mutantes, nihil adulterantes; Ideòque siquis spuriis verbis, vel additionibus aut subtractionibus, sanctæ illius & venerabilis definitionis antiquitatem adulterare audax tentaverit, si sit in sacro ordine constitutus, omnimodæ depositioni subjiciatur; sin autem laicus, anathemati submittatur.* Quid hoc loco per additiones, mutationes, adulterationes voluerunt hujusce Concilii Patres, aperto ore proferre detrectarunt, ne Romano Pontifici labem inurere viderentur. Interim certum est ad processionem SPIRITUS SANCTI digitum intendisse, & additamentum illud (FILIOQUE) ante paucos annos sub Nicolao I. Papâ in publicum Ecclesiæ Symbolum receptum intellexisse. Quod quidem alibi disertè nos docet ipse Photius Epist. II ad Patriarchas Orient. pag. 51. Ubi de hac quæstione ex professo agit, & post alia adversùs Latinos, in eos hac de causâ acriùs invehitur his verbis. Ἀλλὰ γὰρ οὐχὶ μόνον εἰς ταῦτα παρανομεῖν ἐξηνέχθησαν, ἀλλὰ καὶ εἴτις κακῶν ἐστι κορωνὶς, εἰς ταύτην ἀνέδραμον. Πρὸς γὰρ τοῖς εἰρημένοις ἀτοπήμασι, καὶ τὸ ἱερὸν καὶ ἅγιον Σύμβολον. ὃ πᾶσι τοῖς συνοδικοῖς, καὶ οἰκουμενικοῖς ψηφίσμασιν, ἄμαχον ἔχει τὴν ἰσχὺν, νόθοις λογισμοῖς, καὶ παρεγγράπτοις λόγοις, καὶ θράσους ὑπερβολῇ, κιβδηλεύειν ἐπεχείρησαν. ὢ τῶν τοῦ πονηροῦ μηχανημάτων. τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἐκ τοῦ Πατρὸς μόνον, ἀλλά γε καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι καινολογήσαντες. *Enim verò non in istis tantùm peccare sunt inducti, sed in ipsam impietatis coronidem, si qua ulla est, devenerunt. Præter enim memoratas absurditates, sanctum & sacrum Symbolum, quod ab omnibus Oecumenicorum Conciliorum calculis confirmatur, & vim obtinet irresistibilem, sensibus spuriis, verbis adscititiis, quæ summa fuit ipsorum audacia, conabantur adulterare. O machinationes diabolicas! Spiritum Sanctum novo more comminiscebantur, non de solo Patre, sed etiam Filio procedere.* Vix ovum ovo similius, quàm locus hic Photianus Decreto Synodali, adeò & verba inter se conveniunt, ut Decretum à Photio conditum fuisse nemini dubitare licet. Etsi molliùs hîc loquuntur Patres, paulò duriùs Photius, continuis Latinorum vexationibus antehàc asperior factus. His factis, omnia hujus septimæ Synodi Acta de Photii restitutione; omniumque quæ contra eum vel dicta vel scripta fuerant renunciatione, subscriptione suâ Imperator unà cum filiis suis confirmavit, totâ Synodo acclamante, ei ejusque Imperio fausta omnia & fœlicia apprecante.

Act. VII. Martii XIII. Lecta est fidei definitio, quæ superiori die edita fuerat, communi omnium consensu iterùm recepta & confirmata, Synodo exclamante, *sic sentimus, sic credimus, in hâc fidei confessione confirmamur.* Post effusam deinde in Photii laudes Procopii Cæsareensis Orationem, Romanæ Sedis Legati subjunxerunt, *Si quis Photium sanctum Patriarcham non existimat, nec cum eo communionem amplectitur, sit ejus portio cum Judâ, neque in numero Christianorum omninò referatur;* Synodo iterùm exclamante, *omnes idem sentimus & arbitramur, siquis eum Dei Pontificem non existimat, Dei gloriam ne videat.* Atque ita editis solitis acclamationibus, Synodus tandem soluta est.

Excerptis subjicitur Joannis Papæ ad Photium Epistola de additamento ad Symbolum, qua dolet malos quosdam architectos scandali & inimicitiæ inter utramque Sedem semina sparsisse, testatus se sanctum Symbolum sicut ab initio traditum est inviolatum conservâsse, neque aliud addidisse, vel detraxisse, quin eos qui propriâ insaniâ ducti hoc primùm facere ausi sunt, se tanquàm Divini verbi transgressores, & Theologiæ Christi Domini, Apostolorum, reliquorumque Patrum eversores condemnare, & unà cum Judâ collocare; neque interim aliquem violenter cogendum additionem illam omittere, sed potiùs mansuetudine & prudentiâ admonendos esse, ut à blasphemiâ recedant. Habentur etiam ad calcem, trium Photii Epistolarum fragmenta; nempe ad Marinum Castellensem, Gauderichum Veletriensem, & Zachariam Anagninum Episcopos. In quibus nihil memoratu dignum, præter amicitiæ significationes & Symbola, continetur. Obtortis oculis hanc Synodum intuentur, mille conviciis proscindunt, mille spiculis configunt, Scriptores Pontificii.

Digitized by Google

 Testis sit vel unus L. Allatius, qui peculiari Opere, quod *Synodum Photianam* inscripsit, edito *Romæ* 1662. 8°. hanc Synodum refutare aggressus est, quique non modò Acta ejus corrupta & falsata, sed & ipsam Synodum nullam fuisse, neque alibi uspiàm nisi in Photii cerebello extitisse disertè contendit, futilibus quidem argumentis, viro ingenuo & erudito parùm dignis. Eodem opere plures sub Photio Synodos CP. habitas, quàm vulgò solent numerari, commemorat: sed quæ vel nullæ fuerint, vel nullius nominis, & quarum vix ulla vestigia hodiè supersunt.

879. P. II. MANTALENSE in territorio Viennensi, Ecclesiastico politicum, seu Placitum generale, anno DCCCLXXIX. Idibus *Octobris*, ab Arelatensis Regni Episcopis & Proceribus habitum. In quo Regis nomen Bosoni delatum est. Habentur Acta Synodi Conc. Tom. IX. p. 331.

881. P. II. ROMANUM XII. anno DCCCLXXXI. sub Joanne VIII. habitum. In quo Athanasius Episcopus & Princeps Neapolitanus, ob fœdus cum Saracenis initum, junctaque cum eis adversùs Italos arma excommunicatus est. Vide Leon. Ostiens. lib. V. c. 42. & Joan. VIII. Epist. CCLI. CCLVI.

881. P. II. MACRENSE anno DCCCLXXXI. IV. Non. *April.* apud Macram in Diœcesis Rhemensis finibus congregatum. In quo non pauca ad disciplinam Ecclesiasticam spectantia sancita sunt. Extant *Capitula* VIII. Conc. Tom. IX. p. 337.

886. P. II. NEMAUSENSE anno DCCCLXXXVI. *Novembr.* XV. à Theodardo Archiepiscopo Narbonensi, adversùs Selvam Clericum Hispanum, Sedem Narbonensem, vel ut alii Tarraconensem, affectantem, habitum. Vide quæ ex Narbonensis Ecclesiæ monumentis referunt Conciliorum Editores Tom. IX. p. 395.

887. P. II. COLONIENSE IV. anno DCCCLXXXVII. contra Raptores rerum Ecclesiasticarum, Oppressores pauperum, & incestas nuptias celebratum. Extant de his *Capitula* VI. Concil. Tom. IX. pag. 396.

888. P. II. AGAUNENSE anno DCCCLXXXVIII. in Monasterio S. Mauricii habitum. In quo Episcopi & Primores Rodolphum Conradi II. filium in Regem Burgundiæ elegerunt & coronârunt. Vide Rhegin. in *Chron.* ad an. DCCCLXXXVIII. & Concil. Tom. IX. p. 400.

888. P. II. MOGUNTIACENSE anno DCCCLXXXVIII. præsidente Luitberto Archiepiscopo, coactum. In quo, occasione Arnulphi novi Regis, & disciplinæ Ecclesiasticæ propter incursiones Normannorum reformandæ, multa de utroque statuuntur. Extant *Capitula* XXVI. Conc. Tom. IX. p. 401.

888. P. II. METENSE VI. anno DCCCLXXXVIII. ex vulgari sententia, Calendis *Maii* habitum. Etsi illud ad annum DCCCXCIII. referendum potiùs esse censet Sirmondus. Sanè tempus haud satis certum videtur. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *Canones* XIII. Conc. Tom. IX. p. 412.

890. P. II. WORMATIENSE IV. anno DCCCXC. à circumvicinis Episcopis coactum. In quo Hermanni Coloniensis, & Adalgarii Hamburgensis de Episcopatu Bremensi contendentium causa examinata est. Vide Luitprand. in *Vit. Stephani* Papæ cap. 112. pag. 283. Adam Bremens. *Hist. Eccles.* lib. 1. cap. 41. Flodoard. lib. IV. cap. 1. pag. 315.

890. P. II. VALENTINUM II. DCCCXC. ab Episcopis & Primoribus Regni Arelatensis habitum. In quo Regis nomen Ludovico Bosonis filio delatum est. Extant Acta Conc. Tom. IX. p. 424.

890. P. II. LANDAVENSE circa annum DCCCXC. à Guriano X. Landaviæ Episcopo congregatum. In quo Tudur Rex Brechemaniæ ob homicidium & perjurium excommunicatur. Fateor hujus Synodi tempus haud satis certum esse. Acta habentur apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. pag. 381. Notet Lector plura Concilia Landavensia circa hæc tempora, annis tamen incertis, habita fuisse, quæ ex Ecclesiæ Landavensis Archivis Cl. Spelmannus citato loco nobis exhibet.

891. P. II. MAGDUNENSE in diœcesi Aurelianensi ad Ligerim fl. anno DCCCXCI. habitum. In quo sancitum est ne quis in posterum Abbas in Cœnobio S. Petri Senonensis ordinetur, nisi quem Monachi de suis elegerint. Extant Acta Conc. Tom. IX. p. 432.

892. P. II. VIENNENSE anno DCCCXCII. à Regni Arelatensis Episcopis collectum. Extant de disciplinâ & Moribus Ecclesiæ *Canones* IV. Conc. Tom. IX. p. 433.

892. P. II. RHEMENSE II. anno DCCCXCII. vel sequenti, præsidente Fulcone Archiepiscopo, celebratum. In quo, Odone Comite, qui regnum tyrannicè invaserat, rejecto, Carolus Simplex filius Ludovici Balbi Francorum Rex inauguratur. Vide quæ hâc de re notarunt Sirmondus, Labbeus, Binnius Conc. Tom. IX. p. 434.

893. P. II. ROMANUM XIII. an. DCCCXCIII. Calendis *Martiis* sub Formoso Papâ, ob ingruentia undique mala, hæreses, & schismata, celebratum. Vide de hâc Synodo Flodoard. lib. IV. cap. 2. pag. 317.

894. P. II. CABILONENSE V. anno DCCCXCIV. habitum. In quo Gerfredi Monachi, qui Adalgarium Æduorum Episcopum veneno necâsse dicebatur, per corpus Domini purgatio facta est. Extant Acta Conc. Tom. IX. p. 437.

895. P. II. TRIBURIENSE in Villâ Regiâ super Rhenum; non longè à Moguntiâ, an. DCCCXCV. à *XXVI.* circiter Episcopis habitum. In quo, inter alia, Episcopatûs Bremensis causa, non semel agitata, Hermanno Coloniensi adjudicata est. Extant de variis casibus, & pro disciplinæ Ecclesiasticæ reformatione *Capitula* LVIII. Conc. Tom. IX. p. 438.

NAMNETENSE; proximè post Triburiense Namnetensem hanc Synodum subjiciunt Conciliorum Editores. Verùm tempus ejus planè incertum in medio relinquunt. Ad disciplinam Ecclesiasticam spectant qui conditi sunt *Canones* XX. de visitandis infirmis, de Sepulturâ, de Sacerdotibus nè ullas fœminas, etsi per Canones concessas, in domibus habeant, de decimis, de pœnitentiâ adulterii & fornicationis, de quibusdam confraternitatibus &c. habenturque Conc. Tom. IX. pag. 468. (ubi Sirmondi notam vide) & cum eruditis Car. Cointii notis Tom. III. p. 246. Sunt qui referunt ad annum DCLVIII. Car. Cointius ad annum DCLVI. verùm nulla datur temporis Epocha quâ certò definiri queat.

ROMA-

Digitized by Google

SÆC.IX.ab An. DCCC. 897. P.II. ROMANUM XIV. an. DCCCXCVII. à Stephano Papâ habitum. In quo Formosi Papæ nuper defuncti cadaver exhumatum, & per terram tractum, quasi in judicium adductum & damnatum est. Vide Synod. Roman. sub Jo.IX. c.I. Conc. Tom.IX. p.502.

897. P.II. PORTUENSE in Pago Nemausensi anno DCCCXCVII. XIII. Cal. *Maii* celebratum. In quo Magalonensis Episcopus Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ parochiam quandam, quam Ecclesiæ S. Andochii attribuerat, restituere jubetur. Extant Acta Conc. Tom. IX. p.478. à Baluzio primùm edita *Conc. Gall. Narbon.* p.I.

RHEMENSE III. anno DCCCC. pridiè Nonas *Julii* habitum. In quo Fulconis Archiepiscopi Rhemensis occisores anathemate damnantur. Extant Acta Conc. Tom.IX. p.481. SÆC.IX. ab An. DCCC. 900. P.II.

COMPOSTELLANUM an DCCCC. III. Cal. *Decembr.* ab *VIII.* Episcopis habitum. In quo Cæsarius Abbas, Tarraconensis Archiepiscopus electus & consecratus, ejus electioni repugnantibus aliis & præcipuè Archiepiscopo Narbonensi, ad Sedem Romanam appellavit. Vide Conc. Tom.IX. p.482. & *Conc. Hisp.* Tom.III. p.168. 900. P.II.

Finis Noni Sæculi.

SÆCULUM OBSCURUM.

CONSPECTUS SÆCULI.

SÆC. X. ab A. DCCCC LUGUBREM Ecclesiæ Christianæ hoc Sæculo Statum graphicè depingunt, quotquot res hujusce temporis mandârunt literis; atque apertè satis res ipsa clamat; adeò confusa, luxata, turpia, pudenda omnia. Pauci hoc Sæculum ornârunt Scriptores eruditi, nulla penè Concilia memoratu digna; deformarunt detestanda Schismata etiam in ipso Romanæ sedis sinu, turpissimæ Paparum vitæ, & abominanda flagitia, in Republica Christiana hactenùs inaudita; Unde INFOELIX & OBSCURUM vulgò audit; fatente ac dolente ipso Baronio ad ann.900. Num.I. *Novum,* (inquit) *inchoatur Sæculum, quod sui asperitate, ac boni sterilitate* ferreum, *malique exundantis deformitate* plumbeum, *atque inopia Scriptorum appellari consuevit* obscurum. Num.3. ait, Cuncta, quæ passa est Ecclesia sub Gentilibus Imperatoribus, vel ab hæreticis sive schismaticis, aliisque quibuscunque Persecutoribus, horum comparatione lusus quodammodo puerorum æstimanda esse, immò referenda in lucrum & emolumentum. Ad annum DCCCCXII. N.14. *Quàm fœdissima* (inquit) *Ecclesiæ Romanæ facies, cùm Romæ dominarentur potentissimæ æquè ac sordidissimæ Meretrices? quarum arbitrio mutarentur sedes, darentur Episcopi, & quod auditu horrendum & infandum est, intruderentur in sedem Petri earum amasii Pseudo-Pontifices, qui non sunt nisi ad consignanda tantùm tempora in Catalogo Romano Pontificum scripti. Quis enim à Scortis hujusmodi intrusos sine lege legitimos dicere posset Romanos fuisse Pontifices?* Hæc ibi & multò plura eminentissimus & doctissimus Cardinalis; & ad finem Sæculi anno Millesimo, Num.22. mirandum esse ait, ipsam Romanam Ecclesiam non casuram, & penitùs interituram tot improbis, sceleratis, impudicis, prædonibus, invasoribus, sanguinariis & grassatoribus sedem Apostolicam invadentibus, eamque depravatis moribus conspurcantibus, tam vitioso in primis ingressu, quàm detestando pravorum morum exemplo. Eadem ferè, sed breviter Genebrardus, ad ingressum Sæculi X. pag.552. *Infœlix dicitur hoc Sæculum, exhaustum hominibus ingenio & doctrinâ claris, sive etiam claris Principibus & Pontificibus, in quo nihil ferè dignum memoriâ Posteritatis gestum sit; unde ferunt tunc repertum fuisse quoddam monstrum capite canino cæteris membris humanis, quod statum illius temporis mirificè referret:* & paulò post. *Hoc quidem infœlix, quod per annos ferè* 150. *Pontifices circiter* 50. *à Ioanne scilicet VIII. qui Nicolao & Adriano II. Sanctis Pontificibus successit, ad Leonem IX. usque, qui primus à Deo vocatus velut alter Aaron, antiquam Pontificum integritatem è cœlo in sedem Apostolicam revocavit, à virtute majorum prorsus defecerint*, Apotactici, Apostaticive, *potiùs quàm* Apostolici. In his igitur malis Prora & Puppis erant Pontifices Romani, portentosa Ecclesiæ Catholicæ capita; & si in capite ita se res habuit, quænam, dices, malignitas pervasit membra? Hinc ut de Laicis nil dicam, Episcoporum, Sacerdotum, omnisque Clericalis ordinis mores depravatissimi, collapsa disciplina, fastus, ambitio, avaritia, fraudes, perjuria, luxus, libido, totaque penè vitiorum lerna. Nec mirum, si tam corruptissimo Ecclesiæ statu plures errores circa Sanctorum Canonizationem, Campanarum Baptismum, Cœlibatum Sacerdotum, Sanctorum reliquias, visiones, apparitiones, examen per ferrum candens, aliáque superstitionum portenta ὅλῳ τῷ θυλάκῳ invehantur. *Dormiebat tunc planè* (ut Baronii verbis utar ad Annum DCCCCXII. Num.14.) *alto, ut apparet, sopore Christus in navi, cum hisce flantibus validis ventis, navis ipsa fluctibus operiretur. Dormiebat, inquam, qui ista non videre dissimulans, sineret* SÆC.X. ab A.DCCCC

sic

Digitized by Google

SÆC. X. A. DCCCC. ab *sic fieri, dum non exurgeret vindex.* Nihilominus non penitus deerant hâc ipsâ ætate, etiam in medio Papatu, qui tyrannidi Pontificiæ, Cœlibatûs Clericalis jugo, doctrinæ de Scripturâ Sacrisque linguâ vulgari non habendis, de Purgatorio, Cultu Imaginum, Corporali in Eucharistia præsentiâ, &c. viriliter restiterunt, de quibus Catalogus Testium Veritatis, Mornæus, & Heideggerus in Historia Papatûs, & quicunque ex Reformatis Historiam Ecclesiasticam condiderunt. Quin, nec infœlici huic ævo deerant, barbararum quarundam Gentium ad Christi fidem conversiones, Normannorum, Rollone duce anno DCCCCXII. sacro lavacro tincto; Ruthenorum seu Moschorum, circa annum DCCCCLXIX. mox Polonorum, Danorum, Hungarorum, aliorumque populorum Borealium, qui relicto Paganismo in Christi castra transierunt. Denique ad annum DCCCCXCVI. exeunte Sæculo vulgò refertur Imperii à Francis ad Germanos translatio, Ordinisque Electoralis institutio; rectène, an secus viderint quorum interest: affatim acerriméque hâc de re certant longo satis numero Scriptores de translatione Imperii, quorum lites huc non spectant. SÆC. X. A. DCCCC.

SCRIPTORES.

901. SIMEON, METAPHRASTES dictus, à scribendi, quo usus est, genere, Patriâ erat Constantinopolitanus, nobili atque illustri genere ortus, vir ad bonas literas infœlici sæculo promovendas natus, ipse præstanti ingenio omnique politiori literaturâ ornatus, unde summos Reipublicæ honores facilè consecutus est. Factus est enim à Leone Imp. Proto-Secretarius, Patricius, Magnus, ut videtur, Logotheta, seu summus, uti apud nos vocatur, Cancellarius; certè Logotheta Dromi, denique Magister Palatii, quod quidem munus inter summas Aulæ CP. dignitates eminuit, renunciatus est. Claruit ineunte hoc Sæculo, circa annum 901. De ætate quidem ejus mirè variant eruditorum sententiæ, ab initio Sæculi tertii, usque ad decimum quartum diversis temporibus eum reponentium: quod eò magis mirum videri debeat, cùm, missis aliunde indiciis, ipsemet ætatem suam satis apertè signet, tum alibi, tum in Vitâ S. *Theoctista*, quam scripsisse Metaphrasten disertè tradit Michael Psellus junior. In istâ enim Vitâ non uno in loco, se sub Leone Sapiente, ejusque filio Constantino vixisse testatur Metaphrastes: ubi prodit insuper se Legatum à Leone Imp. ad Arabas in Cretam missum in comitatu Himerii Ducis, cui in rebus bellicis consiliarii vices præstitit, Patum insulam adnavigasse, ibique cum sene quodam Anachoretâ colloquium habuisse; seque ab eo ad scribendam *Theoctista* Vitam incitatum. Hinc patet (ut eos qui Metaphrastem Sæculo decimo antiquiorem faciunt mittam) insignis illorum error, qui ipsum cum Simeone Logothetâ juniore circa annum 1170. claro confundunt: quin & ipse Blondellus * in Chronologicis aliàs satis accuratus, non minùs hallucinatur, qui eum post annum 1080. obiisse putat. Longiùs à vero aberrant Genebrardus † & Simlerus *, qui illum ad 1200. referunt; pejore adhuc errore Volaterranus † ad annum 1300. detrudit; pessimo omnium Casimirus Oudin *, qui ab anno 1314. ad 1330. Metaphrastem claruisse scribit: idque se ex mente Leonis Allatii, ejusque argumentis convictum, asserere affirmat. *In Opusculo isto de Simeonibus*, inquit, *excutit accuratissimè omnia, quæ spectant ad scripta, atque ad ætatem nostri Simeonis Metaphrastæ; quem tandem certis argumentis alligat contra veterum omnium hujus Sæculi Scriptorum sententiam ad annum Christi 1314. cujus sententiam ob momenta rationum, quas affert, lubens amplector. Floruit itaque Metaphrastes ab anno circiter 1314. ad annum 1330.* Obstupui fateor, dum hæc legi, summam viri negligentiam miratus, qui pessimum errorem pejore accumulat. Neque enim anno 1314. Metaphrastes claruit: neque id dicit Doctiss. Allatius, cùm sole ipso clarius sit, L. Allatium tum in *Diatriba de Psellis* p. 19. tum *Dissertatione de Simeonum Scriptis*, Simeonem nostrum ad Leonis Sapientis tempora referre, idque pluribus argumentis extra omnem controversiam probatum dare. Sed ut ad Simeonis res gestas redeamus, anno 904. ipse Leonem Tripolitam Saracenorum Ducem Urbi Thessalonicensi à se recens expugnatæ excidium minantem sapienti & sagaci consilio emollivit, ac à proposito abduxit. Anno circiter 912. ad Vitas Sanctorum literis consignandas se contulit, à Theoctistâ auspicatus. Quousque vitam produxerit nondum didici; sub imperio tamen Constantini Porphyrogennetæ provectioris jam facti, scripsisse constat.

Mich. Psell. Encom. in S. Metaphrast. Gr. Lat. ap. L. Allat. de Script. Simeon. p. 221.

* Genealog. Franc. plen. Assert. p. 126. † Chron. l. 4. p. 631. * Epitom. Gesn. p. 641. † Anthrop. l. 19. p. 707. * Supplem. p. 592.

Tempus, quod à negotiis publicis vacuum habuit Metaphrastes, literarum studio impendit: præcipuè verò illustrandis Ecclesiæ antiquitatibus incubuit. Jubente enim Constantino Aug. Vitas Sanctorum ante sua tempora scriptas undique conquisivit; conquisitas recensuit: elegantiores tanquam Lectorum conspectu dignas, calculo suo approbavit, neque ulla in re mutatas divulgavit: minùs elegantes verò partim nitidiori stylo vestitas, partim novâ formâ & methodo dispositas, in ordinem redegit ac digessit: quasdam etiam ex superiorum traditione acceptas proprio Marte ipse condidit. Vitarum, quas hoc modo conscripsit, numerus in immensum cumulum posterorum negligentiâ auctus est, obscuri cujusvis, Anonymique Scriptoris narratiunculâ Simeoni Metaphrastæ mox ascriptâ. Genuinas itaque Metaphrastæ vitas ab ascititiis discernendi laborem in se recepit eruditissimus Allatius, quod & accuratè præstitit. Hujus ductum nos breviter sequemur, notatis insuper Vitis, quæ vel Græcè, vel Latinè typis excusæ prodierunt. Confer etiam quæ laudandâ planè diligentiâ notavit M. Hanckius *de Scriptoribus Byzantinis* p. 436.

VITÆ GENUINÆ.

1. *Martyrium SS. Zenobii, & Zenobiæ*, extat Lat. apud Surium ad diem XXX. Novembris. 2. *Martyrium S. Eleutherii*, Lat. XVIII. April. 3. *Narratio de transportatione reliquiarum S. Joannis Chrysostomi.* 4. *Martyrium Sanctorum X.*

Digitized by Google

in Cretâ insulâ, Lat. XXIII. Decembr. 6. Vita S. Abramii, Lat. XVI. Mart. 7. Martyrium Sancti Jacobi Persæ. 8. Martyrium SS. Indi, Domnæ & Sociorum, Lat. Decemb. XXVI. 9. S. Epimachi, Lat. XXXI. Octobr. 10. Vita SS. Cosmæ & Damiani. 11. Commentarius in Danielem Prophetam, & SS. tres Pueros, Ananiam, Azariam, & Misaelem. 12. Martyrium SS. Eulampii; & Eulampiæ, Lat. X. Octobr. 13. Vita S. Euphrosynes Alexandrinæ, Lat. Jan. 1. & apud Bollandum XI. Februar. 14. S. Andreæ Apostoli 15. S. Georgii Cappadocis. 16. Martyrium S. Ignatii. Lat. apud Surium, & Bollandum I. Febr. 17. S. Mennæ Ægyptii, Lat. XI. Novembr. 18. Vita SS. Eustrasii, Auxentii, &c. Lat. XIII. Decembr. 19. Martyrium S. Panteleemonis, 20. S. Catharinæ, Lat. XXV. Decembr. 21. S. Blasii Episcopi. 22. Vita S. Pelagiæ Antiochenæ 23. Martyrium S. Mercurii, Lat. XXIV. Novembr. 24. Aliud martyrium S. Georgii, Lat. XXIII. April. 25. SS. Probi, Jaradi, & Andronici. 26. SS. Anargyrorum, Cosmæ, Damiani, &c. 27. S. Euphemiæ, Lat. Septembr. XVI. 28. Vita S. Anastasiæ Romanæ virginis, Lat. XXVIII. Octobr. 29. S. Basilii Episcopi Amaseæ. 30. Commentarius in S. Lucam, Lat. XVIII. Octobr. Gr. Lat. ad calcem Commentarii Arethæ in Apocalypsin Paris. 1631. fol. 31. Martyrium SS. Acindymi, Pegasii, &c. Lat. II. Novembr. 32. Vita S. Theoctistæ Lesbiæ, Lat. X. Novembr. 33. Martyrium S. Petri Alexandrini. 34. SS. XL. Martyrum, Lat. IX. Mart. 35. S. Demetrii. 36. S. Charitinæ 37. SS. Acepsimæ, Josephi, & Aithalæ, Lat. XX. April. Gr. Lat. apud Henschenium XXII. April. 38. Vita S. Marcelli Abbatis, Lat. XXIX. Decembr. 39. S. Hilarionis. 40. Martyrium SS. Martyrii & Marciani, Lat. XXV. Octobr. 41. S. Arethæ & sociorum, Lat. XXIV. Octobr. 42. Vita S. Theodoræ Alexandrinæ, Lat. XI. Septembr. 43. S. Matthæi Apostoli Lat. XXI. Septembr. 44. S. Melaniæ Romanæ, Lat. XXXI. Januar. 45. S. Pauli Homologetæ 46. S. Stephani Iunioris. 47. Abdiæ Prophetæ. 48. S. Hieronis & sociorum, Lat. VII. Novembr. 49. Martyrium S. Timothei, Lat. XXII. Januar. & apud Bollandum XXIV. Januar. 50. S. Julianæ. 51. Vita S. Ioannis Chrysostomi, Gr. apud Savillium Opp. Chrysostomi Tom. VIII. Lat. apud Surium XXVII. Januar. 52. Martyrium S. Bonifacii Romani, Gr. Lat. à Bigotio edita ad calcem Palladii, Lat. apud Sur. V. Jun. 53. Vita S. Amphilochii Iconiensis. 54. Narratio de Miraculo facto à Michaele Archangelo apud Chonas. 55. Vita S. Gregorii Agrigentini, Lat. XXIII. Novembr. 56. S. Alypii Stylitæ 57. S. Eugeniæ, & parentum illius, Lat. 25. Decembr. 58. Martyrium S. Severiani, Lat. 9. Septemb. 59. S. Ananiæ, Lat. 1. Octobr. 60. S. Mamantis, Lat. 17. Augusti 61. S. Barbaræ, Lat. 4. Decembr. 62. SS. Sergii & Bacchi, Lat. 7. Octobr. 63. S. Sozontis Lat. 7. Septembr. 64. S. Vari & sociorum, Lat. 19. Octobr. 65. S. Theodori tyronis, Lat. 9. Novembris. 66. Vita S. Spiridonis Thaumaturgi, Lat. 12. Decembris 67. Cornelii Centurionis, Lat. 13. Septembr. 68. Martyrium SS. Carpi, Papyli, & sociorum, Gr. Lat. apud Papebrochium 13. April. Lat. apud Sur. 13. April. 69. S. Clementis Ancyrani, Lat. apud Bollandum in notis ad 23. Januarii & Surium ad eundem diem 70. S. Artemii, Lat. 20. Octobris. 71. SS. Menæ, Hermogenis, & Eugraphi, Lat. 10. Decembris. 72. S. Nicetæ Gothi, Lat. 15. Septembris. 73. S. Longini Centurionis, Lat. 15. Mart. 74. S. Babylæ 75. S. Sophiæ, & filiarum Fidei, Spei, & Charitatis, Lat. 1. Augusti. 76. S. Xenophontis, & filiorum Arcadii ac Ioannis 77. De morte & aßumptione B. Mariæ Virginis. 78. Encomium S. Basilii Episcopi Amaseni. 79. Vita S. Eusebiæ, Lat. 25. Januarii. 80. S. Martiniani. 81. S. Ioannis Apostoli, Lat. 27. Decembris Gr. Lat. ad calcem Arethæ Paris. 1631. fol. 82. Martyrium SS. Guriæ, Sammonæ, & Abibi, Lat. 15. Novembris. 83. Vita S. Ambrosii Mediolanensis. 84. Martyrium S. Anthimi Episcopi Nicomediensis, Lat. 27. Aprilis. 85. S. Platonis, Lat. 22. Julii. 86. Vita S. Patapii Eremitæ, Lat. 8. Decembris. 87. S. Jacobi Apostoli, 1. Maii. 88. S. Dionysii Areopagitæ, Lat. 9. Octobr. Gr. Lat. inter opera Dionysii Tom. II. 89. S. Thomæ Apostoli, Lat. 21. Decembr. 90. De tribus inventionibus capitis S. Joannis Baptistæ. 91. Vita Joannis propter Christum pauperis. 92. S. Charitonis Homologetæ, Lat. 28. Septembr. 93. Andreæ Cretensis, Lat. 17. Octobr. 94. Martyrium SS. Sebastiani & sociorum. 95. SS. Trophimi, Sabbatii, & Dorymedontis, Lat. 19. Septembr. 96. Vita S. Luciani, Lat. 7. Jan. & apud Bollandum cum notis. 97. S. Nicolai Myrensis Episcopi. 98. S. Joannis Eleemosynarii, Lat. 23. Januar. & apud Bollandum cum notis. 99. SS. Cosmæ & Damiani. 100. S. Joanicii Abbatis, Lat. 4. Novembr. 101. Martyrium S. Callistrati & sociorum. 102. S. Anastasii Persæ, Lat. 22. Jan. 104. SS. Galactionis & Epistemes, Lat. 5. Novembr. 105. S. Gregorii Armeni & sociorum, Lat. 30. Septembr. 106. SS. Thyrsi, Lucii, &c. Lat. 14. Decembr. 107. Vita S. Timothei. 108. S. Cyriaci Anachoretæ, Lat. XXIX. Septembr. 109. S. Matronæ Pergensis, Lat. 8. Novembr. 110. SS. Eustathii & Theopistes, & filiorum Agapii & Theopisti, Lat. 11. Novembr. 111. Martyrium SS. Eudoxii, Romuli, Zenonis, &c. Lat. 5. Septembr. 112. Vita S. Philippi Apostoli, Lat. 1. Maii. 113. SS. Theodori Grapti & Theophanis fratrum, Lat. 26. Decembr. Gr. Lat. apud Combefis. Orig. CP. p. 191. 114. S. Danielis Stylitæ, Lat. XI. Decembr. 115. Theophanis Sygriani, Gr. Lat apud Henschenium 12. Aprilis. 116. Martyrium SS. Guriæ, Samonæ, & Abibi. 117. SS. Nazarii, Gervasii, Protasii, & Celsi. 118. Vita S. Abercii Hierapolitani, Lat. 22. Octobr. 119. Martyrium SS. Metrodoræ, Nymphodoræ & Menodoræ, Lat. X. Septembr. 120. S. Theclæ 121. Vita, res gestæ, & Martyrium SS. Cypriani & Justinæ, Lat. 26. Septembr. 122. Vita S. Alexii.

Vitas proximè numeratas CXXII. genuinos esse Simeonis Metaphrastæ fœtus argumentis tam ex stylo quàm inscriptione ductis judicat Leo Allatius, easque tam editas, quàm ineditas, in Bibliotheca Vaticana, atque alibi MSS. Græcè extare prodit, allatis singularum sententiis initialibus; Diatriba de Simeonum scriptis, pag. 24.

VITÆ SPURIÆ.

PRæter ista alias XCV. Vitas, quæ Metaphrastis nomen in Codicibus MSS. falsò præ se ferunt, enumerat appositis etiam singularum initiis idem Allatius, ibid. p. 119. Harum autem veri Authores nullâ diligentiâ investigari potuerunt.

Denique alias Sanctorum Vitas, & Encomia Panegyrica CCCCXLIV. Metaphrastis nomen in nonnullis Codd. MSS. ementitas, appositis ordine Alphabetico uniuscujusque initiis, enumerat Allatius ibid. p. 80. ac veros singularum Authores designat.

Notandum verò ex spuriis hisce vitis DXXXIX. plurimas à Metaphraste recenseri potuisse, forsan & aliquas manum medicam expertas esse; non ideò tamen ejus censeri posse, cùm aut parùm, aut nihil iis addiderit. Ex illis etiam quamplurimæ post Metaphrastæ mortem conscriptæ sunt.

OPUSCULA RELIQUA.

POëmata IV. quæ Græcè edidit Allatius de Simeonibus Diatrib. p. 132.

Oratio de planctu B. Mariæ, cum exanime Christi corpus amplexaretur. Extat. Gr. Lat. ibid. pag. 245.

 Epistolæ IX. habentur Gr. Lat. ibid. p. 254.

Orationes XXIV. *de Moribus*, ex S. Basilii scriptis decerptæ. Prodierunt seorsim Gr. Paris. 1556. 8°. & tam Græcè quàm Latinè inter opera S. Basilii.

Preces aliquot, & *Hymni*, à Metaphraste compositi extant in Græcorum libris Ritualibus & Tropariis, quos sigillatim enumerat Allatius ibid. p. 131.

Denique *Orationes* ejusdem III. & Capitula γνωμικὰ CXXXI. recenset, & MSS. extare prodit Allatius ibid. p. 130. 132.

901. P. II. AUCTOR Anonymus *Vitæ S. Vodoali*, Monachus Suessionensis, claruit circa annum DCCCCI. saltem superiore Sæculo exeunte. Scripsit Vitam S Vodoali, cognomento *Benedicti*, Confessoris, qui decessit circa annum DCC. Quam subinde decurtatam edidit Jo. Bollandus *Februar.* V. Integram ex codice B. Mariæ Parthenonis, annorum circiter septingentorum, dedit Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. II. p. 544.

902. VALERIUS, Archipresbyter Asturicensis, claruit anno 902. Multas *Patrum Orientalium Vitas*, longè diversas ab editis, in unum collegit volumen, quod Gothicis literis exaratum in Ecclesiæ Toletanæ Bibliothecâ etiamnum extare ex Rosweydi fide refert Aubertus Miræus Auctuar. de Script. Eccles. c. 279.

903. STEPHANUS, natione Germanus, Salmensis Comitis filius: Clericus Metensis, Abbas Lobiensis, & demum ab anno 903. Episcopus Leodicensis. Obiit anno 920. XIV. Cal. Jun. Scripsit *Vitam & Passionem S Lamberti*, quam primus in lucem edidit Joannes Chapeavillus Tomo I. rerum Leodicensium, Leodii 1612. Extat etiam, stylo nonnihil mutato apud Surium XVII. Septembr. Scripsit
* De Script. c. 125. adhuc Stephanus, teste Sigeberto * *Canticum de S. Trinitate*, atque aliud *de Inventione Stephani Protomartyris.* Citat hæc sub nomine *Historiarum de S. Trinitate*, *& de inventione S. Stephani* Protomar*tyris*; Durandus Rational. lib. VI. cap. 114. & quidem periisse videntur non tam aliorum incuriâ, quàm quòd à sede Romana damnata essent, ita enim habet nota Codicis MS. in Biblioth. Lambethana. *Stephanus Leodicensis Officium Trinitatis, sicut de Inventione S. Stephani composuisse asseritur, quæ utraque ab Apostolicâ sede respuuntur.* Hanc notam, an eandem planè cum priori incertum, ab amico doctissimo accepi. *Ivonis Carnotensis Liber de Ecclesiasticis officiis*, *MS. in Bibliotheca Lambethana cap.* 68. *hæc habet. Officium de S. Trinitate non est authenticum. Nam quidam Leodiensis Stephanus idem officium, sic & Historiam de inventione S. Stephani composuisse asseritur; quæ utraque ab Apostolica sede respuuntur.* Confer. Cl. Tentzelium *Exercit. de Natal. Episc. N. XI. p* 368. Quin & ad Robertum Metensem Episcopum scripsit *librum capitularem*, in quo Capitula, Responsoria, Versus, Collectas, per singulas noctis & diei horas, per integrum annum digessit. Verùm hoc Opusculum ampliùs non extat.

904. JOANNES, CAMENIATA cognomento dictus, patriâ Thessalonicensis, Clerici cujusdam filius, ipse etiam Clericus, ac vir uxoratus, Ecclesiæ Thessalonicensis Lector, atque ædium Imperatoriarum Cubuclesius, uti ex ipsius verbis * con-
* De Excidio Thessal. cap. 30, stat. Scripsit anno 904. quo expugnata à Saracenis & direpta est Thessalonica. Ipse tunc à Saracenis captivus ductus, navi impositus & de insula in insulam delatus, tandem Tarsum deductus est, ubi loci degens Historiam suam condidit. Scripsit enim rogatu Gregorii cujusdam viri doctissimi, *Historiam de excidio Thessalonicæ*, qua non modò miserum & lugubrem captæ urbis statum, sed & suam totiusque familiæ sortem, fusè atque eleganter exponit. Edidit hanc Græc. Lat. Leo Allatius Simmict. par. II. p. 180.

910. P. II. AUCTOR *Vitæ S. Gisleni* claruit circa annum DCCCCX. Scripsit Vitam S. Gisleni Confessoris, qui cellam in Hannoniâ condidit, obiitque circa annum DCLXXXI. Quo quidem in opere, prioris Anonymi hac de re scrinia Auctor noster compilavit. Edita est hæc Vita à Jo. Mabillonio *Sæc. Bened.* II. pag. 788. qui ex Raineri Cellensis Monachi, annò MXXX. clari, libro de Miraculis S. Gisleni non pauca subjecit.

910. P. II. ANONYMUS *Vitæ S. Burchardi* Auctor vixisse videtur ineunte Sæculo X. circa annum DCCCCX. Scripsit Vitam S. Burchardi VVirtziburgensis Episcopi primi, quam primus extulit Hen. Canisius *Antiq. Lect.* Tom. IV. Part. II. p. 651. & ex eo Mabillon. *Sæc. Ben dict.* III. Part. I. p. 698. Burchardi etiam res gestas tribus libris consignavit Egilvvardus, Cœnobii S. Burchardi propè VVirtziburgum Monachus, qui Sæc. XI. vixisse videtur, etsi non desint qui ipsum ad ann. MCCC. remittunt. Omisso libro primo ut qui Anonymi lucubrationem superfluis verbis solùm amplificet, secundum & tertium edidit idem Mabillonius *ibidem* pag. 703.

911. CONSTANTINUS, *Porphyrogenneta* à nascendi sorte dictus, Leonis Sapientis ex Zoe, quartâ ejus uxore, filius, patriâ Byzantinus, septennis adhuc puer patri in imperio successit anno 911. primùm Alexandro patruo, deinde matre Zoe, Imperium vice ipsius nondum adulti administrantibus. Anno 919. Imperii habenas in se suscepit, Romano Lecapeno, cujus filiam in uxorem duxit, in Imperii consortium assumpto. An. 944. ejecto Tryphone Patriarchâ Theophylactum Lecapeni Imp. filium in sedis CP. thronum evexit. Anno sequenti sublato Lecapeno, Imperium solus tenuit, & triennio pòst Romanum filium suum Cæsarem renunciavit, qui tandem adultior factus, & diuturni regiminis paterni haud satis patiens, patrem, propinato ei haustu lethali, è medio sustulit. Obiit Constantinus die IX. Novembris anno 959. Imperii 49. ætatis 55. De Elogio ejus audiatur Zonaras *,
Ἦν δὲ Κωνσταντῖνος τὰ πρὸς Θεὸν εὐσεβής, καὶ λόγοις προσκείμενος, ὡς ἔστι καταμαθεῖν ἐκ συγγραμμάτων αὐτοῦ, * Annal. Tom. III. p. 155.
ἀλλὰ μέντοι καὶ ἐξ ἐπιστολῶν, ἃ ἐὰν μὴ πρὸς τέχνην ἠκρίβωντο τὴν ῥητορικὴν ἀλλά γε σχήμασι ταύτης καὶ τισιν ἰδέαις ποικίλλονται. *Fuit Constantinus religiosus erga Deum, & studiis literarum deditus, quod ex scriptis & Epistolis ejus apparet, quæ licèt ad artem oratoriam perpolita non sint, tamen Rhetoricis ornamentis & figuris quibusdam scatent. Operam quoque rythmis & omnis generis versibus dedit; quod in iis scriptis cernitur, quibus obitum conjugis suæ deploravit. Ipsius etiam Philosophiæ rationem habuit, quæ penè in oblivionem venerat, aliarumque disciplinarum, quas doctoribus ordinatis jam deficientes refocillavit.* Hactenus Zonaras, qui in sequentibus ejus etiam vitia non dissimulavit. Certè artes liberales omni quo potuit studio instauravit Constantinus, conquisitis undique optimis scientiarum Professoribus, ipse literis præsertim Historiæ, summoperè deditus. Arithmeticam enim, Musicam, Astronomiam, Geometriam, Philosophiam, Medicinam, sed præ aliis omnibus Historiam apprimè calluit: neque literas humaniores duntaxat; sed & artes mechanicas diu neglectas summoperè promovebat, ipseque

Digitized by Google

SÆC. X. ab A.DCCCC. que Picturiæ ita dedit operam, ut in eâ magnopere excelluerit, quod ex Luitprando notat Clarissimus & Eruditissimus du Fresne *Famil. Byzant.* pag. 142.

SCRIPTA.

Narratio de Imagine Christi ab ipso Servatore ad Abgarum Edessæ Regem missâ, & ab Edessa Constantinopolim deportatâ anno 944. Extat Gr. Lat. à Combefisio edita *Orig. C P.* p. 5.

Vita Basilii Macedonis Imp. avi sui, Gr. Lat. ab Allatio in lucem emissa *Symmict.* Par. II. p. 1.

De administrando Imperio liber ad Romanum filium.

Tacticorum liber.

De Thematibus Imperii Orientalis libri II.

Novellæ Constitutiones XVII. Opuscula ista politica suis & variorum Notis illustrata Græc. Lat. junctim edidit Joannes Meursius *Lugdun. Batav.* 1617. 8°.

Pandecta Historica & Politica, ex universo Historicorum corpore excerptæ, & in titulos LIII. redactæ. Hujus præclari operis, & viro principe dignissimi duo solummodò hodie supersunt tituli, nempe XXVII us. excerpta legationum continens, Græcè editus à Davide Hæschelio *Augusta-Vindel.* 1603. 4°. Latinè à Carolo Cantaclaro cum notis, *Paris.* 1609. 8°. & Lus. Collectanea de virtutibus ex Historicis XIV. vetustioribus excerpta complectens, quem notis illustratum ex Codice Peiresciano Græc. Lat. edidit Henricus Valesius *Paris.* 1634. 4°.

915. JOANNES, gente Italus, patriâ Capuanus, ex illustri Principum Landulfi primi, & Atenulphi II. genere natus; primùm Ecclesiæ patriæ Archidiaconus, deinde Monachis Casinensibus nomen dedit; tandem anno 915. Cœnobii Casinensis Abbas factus, Casinates suos à Saracenis propriis sedibus pulsos Capuam traduxit, obiit an. 634. Scripsit *de Persecutionibus Cœnobii Casinensis, & de miraculis inibi factis Chronicon succinctum*; quo, in condendo Chronico Casinensi se usum testatur Leo Ostiensis, Præfat. fol. 2. Ineditum adhuc extare dicitur. Sub Joannis nostri nomine (quod tamen in Autographo deerat) *Chronicon postremorum Comitum Capuæ* evulgavit Camillus Peregrinus, *Histor. Princip. Longobard.* fol. 122. teste J. B. Maro, ad Pet. Diac. cap. 15.

915. JOANNES X. Joannis filius, Ecclesiæ Ravennatis Presbyter, satagente Theodorâ scorto libidinosissimo, quacum consuevit, à Landone Papa primùm Episcopus Bononiensis, ac mox Archiepiscopus Ravennas factus est. Mortuo Landone anno 915. in Pontificalem Ecclesiæ Romanæ sedem procurante id eadem Theodorâ, elevatus est, die XIII. Aprilis ordinatus, ut in Vita Joannis * legimus. Eodem anno cum fœderatis Principibus in prælium contra Saracenos descendens insignem victoriam reportavit; & Berengarium Italiæ Imperatorem inunxit. Anno 926. Hugonem Heriberti Comitis filium puerum quinquennem, ad Archiepiscopatum Remensem patris potentiâ electum dato diplomate confirmavit. Anno 928. Maroziæ meretricis, Theodoræ filiæ, insidiis sede depositus, in carcerem conjectus est, ac die II. Julii injecto super os cervicali strangulatus. Extant *Epistolæ* III. Conc. Tom. IX. p. 574.

* Concil. Tom. IX. p. 569.

916. HUBALDUS, sive *Hucbaldus*, Cœnobii S. Amandi Elnonensis Monachus O. B. Milonis Monachi itidem Elnonensis nepos, Boduifi Abbatis Sithivensis præceptor; à quo ad Monasterium suum accitus est, & variis fundis donatus; claruit anno 916. ante multos tamen annos, regnante adhuc Carolo Calvo, non incelebris. Obiit anno 930.

SCRIPTA.

Liber trecentorum Carminum in laudem Calvitii ad Carolum Calvum Imper. cujus singulæ voces incipiunt à litera C. prodiit mutilus *Basil.* 1516. 1546. integer à Barthio editus inter Adversaria sua *Francofurt.* 1624. p. 2175.

Vita S. Rictrudis Abbatissæ Marchianensis ad Stephanum Archiepiscopum Leodicensem. Extat apud Surium (stylo nonnihil immutato) & Bollandum ad XII. Maii, & Mabillon. Sæc. Benedict. II. pag. 937. ad Codices MSS. restituta.

Vita S. Aldegondis Abbatissæ Malbodiensis. Habetur apud Surium, & Bollandum ad XXX. Januar. & Mabillon. Sæc. Benedict. II. p. 710.

Vita S. Lebvvini Presbyteri, ad Albricum seu Baldricum Ultrajectensem Episcopum. Extat apud Surium XII. Novembr.

Liber de Musicâ, & Hymni in Sanctos, quos ab eo conscriptos memorat Sigebertus *, interierunt.

* De Script. c. 108.

Vita S. Brigidæ MSS. servatur in Monasterio Elnonensi, teste Ant. Sandero *Biblioth. Belgic. MSS.* part. I. p. 55.

THEODORUS, Constantini Porphyrogennetæ, pueri adhuc in paternum Imperium succedentis, Præceptor & Ephorus, claruit anno DCCCCXX. Habuit is summam in Aula CP. auctoritatem, donec Romani Lecapeni, Patricii, & magni Drungarii classis Imperatoriæ, qui Imperat. Constantini Porphyrogennetæ dignitatem indies magis magisque imminuere cœpit, consiliis obstans, ipse à Romano, unà cum Simeone suo fratre Eunucho, in Opsicianam Asiæ minoris regionem deportatus est. Quæ pluribus persequitur Leo Grammaticus in *Chronographiâ* Edit. *Paris.* p. 492. &c. Eadem sed contractiùs habet Cedrenus Hist. p. 614. 618. 632. Edit. *Paris.* Extant Græcè MSS. orationes V. hactenus ineditæ. I. *Encomiastica* ad magnum Ecclesiæ Oeconomum Patriarchæ fratrem, hoc initio. Μικρὸν μοι πρὸς σε τὸ μέγαν τὸ τοῦ λόγου δῶρον τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπε, &c. II. *Objurgatoria* ad discipulos suos turbidos & inobedientes. Incipit, Πῶς ποτε εἰσινοὶ τὸ ἀυςηρὸν ἡμῖν ἐνειδίζοντες, οἱ τοῦ λόγου διαλογίαν καταπειρώμενοι &c. III. *Apologetica* satis prolixa, pro Eunuchismo & Eunuchis composita, in gratiam & solatium fratris sui qui fuit Eunuchu, præfixo duplici proœmio. Ipsa Oratio hoc habet initium. Εὕρηκα σοὶ τῆς Εὐνουχίας συνήγορον ἀμισθὶ ὧν μὲν γὰρ &c. In hac oratione S. Basilium, ob damnatum Eunuchismum, perstringit & refellit. Confer Lambec. *Comment.* lib. III. p. 132. IV. Ad Imperatorem Constantinum Porphyrogennetam, Leonis sapientis filium partim *Encomiastica*, partim *Paranetica.* Principium. Δῶρον τι καὶ ἐγὼ Βασιλεῦ τοῦτο δίδωμι, δῶρον ἐμοὶ διδόναι καὶ σοὶ λαμβάνειν ἱλαρῶς οἰκειότατον &c. V. *Ad discipulos.* Incipit hoc modo. Ἔδει μὲν με λέγειν ὦ παῖδες ἱλαρότερα τε καὶ εὐφημότερα, καὶ ἀεί τι χάριν ἐπιδεικνυσθαι λόγου πρόσωπον &c. Egregia hæc Opuscula & publica luce dignissima asservantur Biblioth. Vindob. Cod. Theol. juxta *Lambec.* CI. *Nessel.* XLIII. num. ii. fol. 116. Eàque supplemento suo corporis Historiæ Byzantinæ, quod animo conceperat, se insertum pollicitus est Lambecius *Comment.* lib. IV. pag. 154. 290. P. H.

SÆC. X. ab A.DCCCC. 920. P. II. LEONTIUS, Byzantinus Chronographus, claruit circa annum DCCCCXX. De nomine quidem, germanum sit an suppositițium, dubitant Labbeus & Vossius, ac proinde tanquam Anonymus in lucem prodiit. Jubente Constantino Porphyrogennetâ, contexuit *Chronographiæ* libros IV. quibus totidem Imperatorum vitas ac res gestas exposuit; nempe Leonis Armenii, Michaelis Balbi, Theophili Michaelis filii, & Michaelis Theophili filii: Exorsus à Michaele Curopalatâ, in quem desinit Theophanes, usque ad Basilium Macedonem, *i. e.* ab an. DCCCXIII. ad an. usque DCCCLXVII. Hos libros Græc. Lat. edidit Combefisius inter *Scriptores* post Theophanem *Parif.* 1685. à pag. 1. ad pag. 131. Sequitur in Editione Combefisianâ *Vita Basilii Macedonis*, novâ versione ornata pag. 132. quam sub nomine Constantini Porphyrogennetæ anteà Gr. Lat. ediderat L. Allatius *Symmict.* Part. II. pag. I. Verùm Constantini esse negat Labbeus, & Chronographo nostro potiùs adjudicandam censet, *Protrept. ad Hist. Byzant.* numer. XXVIII. pag. 14. & meo quidem judicio rectissimè. Auctor enim Basilium tot immensis ubique ornat præconiis, ejusque genus à tam vetustâ, nobilique prosapiâ repetit, aliter quàm istius temporis scriptores facere solent, ut à Constantini modestia alienum planè videatur, neque aliud scriptori fuisse consilium, quàm ut avi laudes nimiùm decantando, nepoti suaviùs adblandiretur. De se tanquàm Constantino nusquàm vel levissimum indicium injicit, immò tanquàm de alio ubi [illegible]e loquitur, præsertim num. XXXIV. Ubi hæc habet. Νῦν ἐπὶ τῶν ἡμετέρων χρόνων Κωνσταντῖνος ὁ τῆς πορφύρας βλαστὸς, ὁ Λέοντος μὲν τοῦ σοφωτάτου υἱὸς, ἐκείνου δὲ υἱωνὸς, τὸ τοιοῦτον προτέρημα &c. *Nunc ætate nostrâ Constantinus purpuræ surculus, Leonis sapientissimi filius, illius nepos, hoc privilegium habuit.* Hæccine de se Constantinus? Apage! Neque aliud ex operis *Epigraphe* exculpi potest, quàm Constantinum scriptori demùm, quisquis erat, scribendi argumentum & materiam subministrasse. In præfatione testatur auctor, se si vita viresque obsecundassent, universi Imperii Byzantini, ejusque Imperatorum historiam scripto consignaturum. Ac proinde posteà ex morbo convalescens, quatuor Basilii decessorum Vitas huic Operi præmisit. Addidit Combefisius p. 217. incerti Auctoris Vitas Leonis Philosophi eusque filiorum Alexandri & Constantini, Romani Lecapeni, Constantini, & Romani Constantini filii; quas ex aliis quas habemus mutato nonnihil stylo, recentiorem quendam compilasse, & superioribus subjecisse non sine magna verisimilitudine conjicit Labbeus.

920. P. II. AUCTOR *Vitæ S. Basoli*, Cœnobii S. Basoli Monachus, claruit circa ann. DCCCCXX. Scripsit Vitam S. Basoli confessoris, denati anno circiter DCXX. quam ex cod. MS. Altivillarensi, in lucem protraxit Joan. Mabillonius. *Sæc. Benedict.* II. p. 640.

920. P. II. ANONYMUS *Vitæ S. Aicaidri* Auctor, Monachus Gemmeticensis, claruit circa an. DCCCCXX. Extat ab eo scripta S. Aicaidri Abbatis Gemmeticensis Vita, ex codicibus MSS. eruta, apud Jo. Mabillon. *Sæc. Benedict.* II. p. 952.

926. Vit. Odon. per Joan. discip. ap. Sur. Novemb. 18. ODO, natione Francus, in aulâ Gulielmi Aquitaniæ Ducis educatus. Decimo nono ætatis anno Turonis tonsus in Clerum transiit, Musicus & Archicantor Ecclesiæ Turonensis factus anno 901. ibique Grammaticæ elementa hausit; postea Lutetiam profectus, Musicam & Dialecticam à Remigio didicit; inde Turones reversus, cellæ semet inclusit, & durioribus pietatis exercitiis totus [illegible]cubuit. An. 912. Burgundiam petens, in Cœnobio Balmensi à Bernone Abbate nuper fundato Monasticam vitam induit, Monasterii scholæ præpositus. Anno circiter 926. à Turpione Episcopo Lemovicensi Presbyter ordinatus. Anno 927. post Bernonis mortem Abbas electus est; mox verò Monachorum quorundam invidiâ & improbitate divexatus, fasces deposuit; & Cluniacum secedens, cœptum à se pridem Monasterium perfecit. Anno 936. Romam à Leone VII. Papâ evocatus pacem inter Albericum Romanæ civitatis Principem, & Hugonem Regem conciliavit. Biennio pòst Romam iterum profectus, Hugonem ab obsidione urbis precibus abduxit. Paulò ante mortem Abbas Floriacensis designatus à Monachis rejectus est. Anno 942. Romam tertiâ vice Religionis ergo iter suscepit. Romæ positus, acuto morbo laborare cœpit. Festinato igitur in Galliam reditu, Remis apud S. Martinum, cujus memoriam impensè coluit, animam efflavit, quarto post Martini festivitatem die. SÆC. X. ab A.DCCCC.

SCRIPTA.

De *Vitâ S. Geraldi Comitis Aurelianensis Libri* IV. *ad Aymonem Abbatem.*

Tractatus de Reversione B. Martini Turonensis à Burgundiâ, cui præmittitur Epistola ad Fulconem Comitem Andegavensem.

Tractatus, quod B. Martinus par dicitur Apostolis. Tractatus isti duo unà cum Salviano editi sunt *Parif.* 1511.

Sermones IV. viz. *in Cathedrâ S. Petri, de S. Maria Magdalena, de Benedicto Abbate, & De combustione Basilicæ S. Martini.*

Collationum seu Occupationum Libri III.

Antiphonæ XII. *de B. Martino Turonensi.*

Versus & Hymni de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, de B. *Maria Magdalena, & de B. Martino.*

Opuscula hactenus enumerata edidit Andreas Duchesnius in Bibliothecâ Cluniacensi *Parif.* 1614. p. 65.

Moralium in Job Libri XXXV. ex S. Gregorii Moralibus plerunque excerpti. Prodierunt curâ Martini Marrier. *Parif.* 1617. 8°.

Omnia Odonis Opera habentur in Bibliothecâ Patrum Tom. XVII. p. 252. 315.

Chronicon succinctum ab Odone compositum erat MS. in Bibliothecâ Collegii S. Benedicti Cantab. Vol. IX.

Scripsit etiam Odo *librum De Translatione S. Benedicti*, alterum *De contemptu mundi*; quin & *Sermones* plures, ac *Hymnos*; quæ omnia interierunt.

Cæterùm Odonis *Vitam* tribus libris fusè descripsit Joannes discipulus ejus, gente Italus; quem Romæ repertum Odo ad Monasterium Cluniacense anno 942. amandavit; Monasterii Priorem demùm constitutum. Extat hæc *Vita* apud Surium XVIII. Novembr. ex quâ plura de Odone peti possunt.

RATHERIUS, Monachus Lobiensis, anno 928. in Italiam ad Hugonem Regem profectus, ab eo Episcopus Veronensis constitutus est. Anno 954. proditionis apud Hugonem falsò insimulatus, sede suâ & Italiâ ejicitur. A Brunone itaque Archiepiscopo Coloniensi in patrocinium susceptus, ab eo sedi Leodiensi tunc vacanti præfectus est. Verùm austeros illius mores & rigidam disciplinam ægrè ferente Clero Leodiensi, Episcopatu cedere coactus, in Brunonis clientelam iterum se recepit. Mox Brunone satagente, pristinam sedem Veronensem 928.

Digitized by Google

SÆC. X. ab A.DCCCC. nensem obtinuit; quâ tamen rursus excidit, Hugoni Regi ob reprehensos acriter mores illius pravos invisus. Tertiâ igitur vice jam exul, in Monasterium suum Lobiense secessit; ibique diem extremum obiit anno 973. vel sequenti.

SCRIPTA.

Opera ejus ex MSS. undique collegit ac edidit Lucas Dacherius *Spicileg.* Tom. II. viz.

Volumen Perpendiculorum, seu *de Contemptu Canonum* Partes II. ad Huberum Parmensem Episcopum, p. 161.

Qualitatis conjectura cujusdam, seu *Apologia sui ipsius* p. 199.

Discordia inter ipsum & Clericos p. 217.

Liber Apologeticus p. 225.

De nuptu cujusdam illicito p. 238.

Epistolæ V. p. 241.

Synodica ad Presbyteros suos p. 256.

Itinerarium Ratherii Romam euntis p. 265.

Sermones II. *de Quadragesima* p. 281.

Sermones IV. *de Paschate* p. 30?.

Sermones II. *de Ascensione* p. 324.

Epistola ad Patricium de Corpore & Sanguine Domini, habetur apud eundem Tom. XII. p. 37.

Vita S. Ursmari Lobiensis, ab ipso vel scripta vel aucta. Extat, sed mutila ap. Sur. XVIII. April.

Scripsit item teste Sigeberto cap. 127. *Epistolam ad Papam de ærumnis suis*; *Phrenesin de secundo suo exilio*, *Librum* cui titulus *Inefficax garritus*, item *contra Hæresim Anthropomorphitarum*, *Agonisticon*, seu *Præloquiorum lib.* VI. *Confessionum* lib. I. *Sparadorsum*, seu *de arte Grammatica*; quæ an adhuc supersint, non liquet. *Chronographia* ejus Manuscripta in Monasterio Gemblacensi extare dicitur. Denique cùm de reditu ad Monasterium Lobiense cogitaret, misit ad Abbatem librum, quem inscripsit, *Conflictum duorum*; fluctuans scilicet, utrumne reverti debeat an non, ut ex Fulcuino notat Miræus ad Sigebert. p. 149.

930. P. II. ODILO gente forsan Gallus, S. Medardi apud Suessionenses Monachus, claruit circa annum DCCCCXXX. Conscripsit librum *de Translatione* Reliquiarum S. Sebastiani Martyris, & Gregorii Papæ in Suessionense S. Medardi Monasterium, anno DCCCXXVI. factâ, quam Ingranno, Monasterii sui Decano, dicavit. Libellum, sed anonymum, & præfatione mutilum, extulit Bollandus *Januar.* XX. integrum Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. I. p. 383. Scripsit etiam Odilo noster ad Ingrannum, librum *de adventu & susceptione SS. Martyrum Tiburtii, Marcellini*, &c. ex urbe Româ in Monasterium Suessionense, quem habes apud eundem Mabillon. loc. citat. pag. 411. Alter erat Odilo, Abbas Cluniacensis, hujus etiam sæculi scriptor, cujus infra ad ann. DCCCCXCIV. meminerimus.

932. GERARDUS, Monachus, & ut videtur S. Medardi Cœnobii Suessionensis Decanus sive Præpositus ab anno circiter 932. In vivis adhuc erat an. 950. scripsit *Vitam S. Romani*, tum metro, tum prosâ. Eam, quæ stylo Oratorio scripta est, luce donavit Nic. Rigaltius (teste Mabillonio, qui tamen nec annum, nec locum editionis notat.) Prologum edidit ipse Mabillonius Analect. Tom. I. pag. 107.

933. HIPPOLYTUS, patriâ Thebanus, quem cum Hippolyto Portuensi malè confundunt nonnulli; claruit circa ann. 933. certè Simeone Metaphraste, quem citat, paulò junior. Extat Græc. Lat. *Chronicon*, seu potiùs *Fragmentum Chronici*, apud Canisium Antiq. Lect. Tom. III. pag. 35. Hunc etiam ut videtur, authorem habet *Indiculus de* XII. *Apostolis*, sub Hippolyti Senioris nomine Græc. Lat. à Combefisio editus Auctar. *Paris.* 1648. Tom. II. uti suprà in Hyppolyto Portuensi annotavimus. His addere licet, quæ me monuit P. Colomesius, testari nempe Sirmondum notis ad Sidonium pag. 57. in collectaneis antiquis θεαμάτων urbis Constantinopolitanæ (Codini excerpta intellige) quæ in multis Bibliothecis occurrunt, se legisse Constantinum Crispo filio à se interfecto, cùm facti erroris que dolore ictus esset, statuam argenteam auro superfusam, capite aureo cum hoc titulo posuisse; ΗΔΙΚΗΜΕΝΟΣ ΥΙΟΣ ΜΟΥ, *Filius meus læsus.* Cujus rei, inquit, vindices laudant Herodotum, atque Hippolytum Chronographos. Herodoti qui meminerit novi neminem. Hippolytum laudat Glycas in Annalibus, & Nicephorus Callisti Hist. Eccles. l. III. Pro *Herodoto* legendum existimat Lambecius Ηρωδίων, quia nimirum Herodionem coætaneum auctorem citat Anonymus in Collect. *de Antiq. Constantin.* num. 202. Alia Hyppolyti fragmenta habes apud Coteleriùm ad Scriptores Apostolicos.

HIPPOLYTUS Thebanus, claruit anno DCCCCXXXIII. Futile est quod habet Bivarius * qui Hippolytum nostrum Epiphanio antiquiorem facit. Verùm nostrum cum Portuensi confundere videtur. Fuisse Simeoni Metaphrastæ saltem ætate supparem exinde constat, quòd ipsum disertè citet. Quid quòd eodem cum Simeone tempore & vixisse & scripsisse, non infœlici conjecturâ inde colligit Cl. le Moynius †, quòd ex omnibus quos citat auctoribus solum Metaphrastem *Dominum* Symeonem vocat Ἐγὼ δὲ, inquit, πείθομαι τοῖς λόγοις τοῦ κυρίου Συμεών. Qui titulus aptè satis ab eo tribuitur, qui scribebat jam vivente Symeone; qui cùm in Aulâ gratiâ & dignitate floreret, & esset magister & magnus Logotheta, honorificâ istâ κυρίου denominatione ab Hippolyto insigniri potuit. Contexuit Hippolytus *Syntagma chronicum* a Christo nato ad sua usque tempora (ut videtur) deductum. Hujusce operis Fragmentum sub Hippolyti Portuensis nomine primus protulit Niceph. Callistus *Hist. Eccles.* lib. II. cap. 3. pag. 135. Amplius & illustrius Fragmentum de genealogiâ Christi ejusque in terris conversatione habetur MS. plusquam semel iterumque in Bibliothecâ Vindobonensi, ut de aliis Bibliothecis il dicam. Primus illud Latinè edidit Jo. Sambucus *Patav.* 1556. 8vo. Græcè & Latinè ex codice Bavarico H. Canisius *Antiq. Lect.* Tom. III. p. 35. paulò integriùs P. Lambecius *Comment.* lib. III. pag. 46. novissimè ex codice Vaticano Schelstratius *Append. ad Opus Chronol.* p. 510. qui textum exhibuit Canisiano & auctiorem & sinceriorem, cùm in Canisii codice non pauca fuerint inserta. Operæ precium fecerit, siquis collatis variis editionibus & codicibus MSS. præclarum hoc Fragmentum denuo evulgaret. Interim consulat Lector quæ habet Cl. Lambecius Comment. lib. III. p. 45. &c. 98. 99. lib. IV. pag. 150. lib. V. p. 109. lib. VII. p. 341. Aliud Fragmentum ex codice Urbino-Vaticano ante DC. annos conscripto habet Schelstratius *ibidem* pag. 513. In Biblioth. Bodleian. cod. *Baroc.* CXLII. num. XVIII. fol. 278. habentur excerpta è Chronico Hippolyti Thebani de Incarnatione Christi, & de annis quos vixit B. Virgo, de Joanne Baptistâ, Evangelistâ &c. An verò eadem prorsus cum editis, nisi inspecto codice dicere non licet. Alia Chronici hujus Fragmenta ex codice Regio Græcè & Lati-

SÆC. X. ab A.DCCCC.

933. P. II.

*Comment. ad Fl. Dextri Chron. p...

† Not. ad Var. Sacr. p. 1082.

Digitized by Google

SÆC. X. ab A.DCCCC. Latinè dabit Cl. Cotelerius ad *Not.* ad *Patres Apost.* p. 201. 494.

933. EUTYCHIUS, Batrici filius, Arabicè *Said Ibn Batrick* dictus, natione Ægyptius, ex civitate Fostat (quam veterem urbem *Mesr* fuisse tradit Geographiæ Nubiensis Author, cui *Sharifol Edrisi* nomen erat) oriundus, Medicus insignis, & ab anno 933. Patriarcha Alexandrinus, sedem tenuit annos XVII. menses VI. atque obiit anno 950. Accidit ejus tempore dissidium magnum, & lis continua inter ipsum & gregem suum, teste Ibin Abi Osaibea in Vita ejus, quam Arabicè & Latinè libro Eutychiano præmisit Cl. Pocockius. Scripsit ad Isam fratrem suum Arabico Sermone *Annales ab Orbe condito ad annum usque* 940 ex Lege & Evangelio (ut in Præfatione ait) cæterisque libris veteribus & novis collectos, quibus *Contextionis Gemmarum* titulum dedit. In his occurrunt plura notatu dignissima, quæ frustra alibi quæruntur: certè plurima anilibus fabulis simillima, quæ si non ex proprio cerebello finxerit, saltem ex futilibus Ecclesiæ suæ monumentis hausit. Horum Annalium Σποσαχαρμάτιον notis illustratum sub titulo Originum Alexandrinarum Arabicè & Latinè edidit Cl. Seldenus *Londini* 1642. 4°. Integros Annales cum Seldeni Præfatione notisque Arabicè & Latinè in lucem protulit Doctissimus Pocockius Oxonii 1659. 4°. Abi Obseibea, seu Ahmed Ben Casem in *Vitis Medicorum* testatur Eutychium nostrum *Syntagma compendiosum* scripsisse *Netmolgheubar* dictum, tribus absolutum Sermonibus, in quibus de Notitia jejunii Christianorum, Paschatis eorum, festorum, Chalifarum, Patriarcharum, &c. egit. Idem fuisse hoc Opus cum *Annalibus* statuit Seldenus, diversum esse tum ex libri titulo, tum ex rerum distributione colligit Hottingerus.

Clim.3.par. 3. p. 97.

Præter hæc, scripsit Eutychius *librum de Rebus Siciliæ*, postquam à Saracenis capta est. Extat MS. in Bibliothecâ publicâ Cantabrigiensi Annalium Codici subjunctus. Scripsit item *Disputationem inter Heterodoxos & Christianos*, Jacobitis oppositam; quæ habetur MS. uti & *Medica* quædam ejusdem *Opuscula*; de quibus vide quæ habet Cl. Hottingerus Bibliothec. Orient. c. 2. p. 71. 84. & Hist. Eccles. Sæc. X. p. 37.

936. LEO VII. gente Romanus, ab ann. 936. Pontifex die XIV. Februarii ordinatus. Eodem anno Odonem Abbatem Cluniacensem Romam evocavit; ut lapsos Monachorum mores & disciplinam ejus ope restauraret. Obiit anno 939. die XXIII. Augusti. Extant *Epistolæ* III. Concil. Tom. IX. pag. 594.

940. FLODOARDUS, Sigeberto Flauvaldus, Culminiacensis Presbyter, & Canonicus Remensis, claruit anno 940. Heribertus Comes, qui jura omnia Ecclesiastica deprædatus, Hugonem filium puerum septennem in Archiepiscopatum Remensem ante aliquot annos promoveri fecerat, Flodoardum nostrum, utpote filii sui electioni adversantem, Ecclesiâ Culminiacensi privavit, *unà cum terrâ beneficii, quam tunc temporis tenebat*, ut ipsius verbis utar; nec id modò, sed cùm nonnulli eum insidiarum apud Comitem insimularent, in liberâ custodiâ ipsum detinuit; post quinque menses dimissus est, eique postmodùm Hugo jam adultus factus Ecclesiam S. Mariæ in Colrido sitam dedit; terram, quam pater abstulerat, reddidit; aliamque in prædictâ villâ largitus est. Obiit anno 966. 28. Martii, ætatis suæ 73.

SÆC. X. ab A.DCCCC.

SCRIPTA.

CHronicon rerum inter Francos gestarum ab anno 919. ad ann. usque 966. Habetur inter Scriptores coætaneos à Pithæo editos *Paris.* 1588. 8°. & *Francofurt.* 1594. 8° p. 109.

Historia Ecclesiæ Remensis Libri IV. Prodierunt unà cum Appendice Anonymi, antiqui tamen, à Sirmondo editi *Paris.* 1611. 8°. cum notis Colvenerii *Duaci* 1617. 8°. & in Biblioth. Patr. Tom. XVII. p. 500.

Joannes Bonderius in *Indice Codicum MSS. per Belgicam*, ut Cl. Vossius * nos docet, refert Treviris in summo Templo asservari Flodoardi Presbyteri *de Triumphis Italicis Martyrum & Confessorum libros* XV. metro scriptos. *De Triumphis Christi & Sanctorum Palæstinæ* metricè *libros* III. *De Triumphis Christi, & Antiochiæ gestis metricè libros* II. An ita sit, viderint, quibus Codices Manuscriptos inspiciendi copia datur.

* De Hist. Lat. l. 2. c. 40.

FLODOARDUS sive FRODOARDUS Canonicus Rhemensis claruit anno DCCCCXL. Præter Opera ab eo scripta, quæ suprà recensuimus, extant in pervetusto codice Carmelitarum excalceatorum in Suburbio Germanensi, versuum Heroicorum libri XIV. initio quidem mutili, *de summis Pontificibus à B. Petro ad Leonem* VII. quo etiam in opere sub singulis Pontificibus haud pauca Sanctorum Elogia interjicit. Prolixam admodùm hujus operis partem nempe à Gregorio II. ad Leonem VII. edidit Cl. Mabillonius *Sæc. Benedict.* III. Part. II. pag. 596. Ex eodem codice, nempe lib. XIV. c. 18. *Vitam S. Columbani* Abbatis, edidit idem Mabillonius *Sæc.* II. p. 30. ut & *S. Attalæ* Vitam ibid. pag. 127. Carmen etiam de *S. Bertulfo* Abbate Bobiensi ibid. p. 166. Denique ex lib. XIII. Carm. VIII. de S. *Benedicto* multisque ejus miraculis Carmen integrum protulit idem Mabillonius in *Supplemento* Sæc. I. quod habetur ad calcem *Sæc.* II. pag. 1095. An hoc opus idem sit cum Flodoardi libris *XV. de Triumphis Italicis Martyrum & Confessorum*, metro scriptis, qui, ut ex indice MSS. Bonderiano liquet, Treviris asservantur, nôrunt ii, quibus utrumque opus conferre datum sit. 940. P. II.

GREGORIUS, Presbyter, forsan Cæsariensis, claruit circa annum 940. Scripsit *Vitam S. Gregorii Nazianzeni*, ex ipsius Nazianzeni Jambis, quos de *Vitâ suâ* condidit, & Orationibus ut plurimùm concinnatam. Extat Gr. Lat. Operibus Nazianzeni præfixa. Scripsit etiam *Orationem Historicam in SS.* CCCXVIII. *Patres Concilii Nicani, & in* Constantinum Magnum, quæ Latinè habetur apud Surium x. Jul. Gr. Lat. apud Combefis. Auctar. Nov. Tom. II. p. 547. cum notis. 940.

WITIKINDUS, sive Winduchindus, gente Saxo, Monachus Corbeiæ Saxonicæ ad Visurgim fluvium O. B. claruit ab anno 940. Scripsit adhuc anno 973. 940.

SCRIPTA.

DE *rebus Saxonum gestis*, sive *de Henrici Aucupis & Othonis I. Imp. rebus gestis Libri III. ad Mathildam Reginam*, Othonis Augusti filiam. Prodierunt *Basil.* 1532. *Francofurt.* 1577. & inter Scriptores Rerum Germanicarum ibid. 1580.

Versus aliquot, qui in Codice IV. Evangeliorum descripti in Monasterio Corbeiensi reperti sunt, prodierunt curâ Henrici Meibomii unà cum libris de

Digitized by Google

SÆC. X. ab A.DCCCC. de rebus Saxonum, notis illuſtrati, *Francofurt.* 1621. fol. inter alios quoſdam ejuſdem Sæculi Scriptores.

Interierunt *Paſſio Theclæ Virginis* metricè, & *Vita Pauli Eremitæ tam proſâ quàm metro, à* VVitikindo ſcriptæ, teſte Sigeberto de Script. cap. 129.

940. P. II. JOSEPHUS GENESIUS, Hiſtoricorum quos mediæ ætatis jactat Græcia haud poſtremus, claruit ſub Conſtantino Porphyrogennetâ, circa annum DCCCCXL. Etſi de anno non uſque adeò certus ſim. Hiſtoricis Byzantinis ipſum accenſet Joannes Scylitzes Curopalata in præfatione operis ſui, in editione Græco-Latinâ Pariſienſi (quæ poſteriorem ſolummodò Hiſtoriæ Scylitzianæ partem exhibet) perperam omiſſi, habetur verò in verſione Latinâ quam adornavit ediditque Jo. Baptiſta Gabius Venet. anno 1570. Et quia in paucorum manibus verſatur hæc editio, locum integrum hîc deſcribere non gravabor. *Nam Daphnopates Theodorus, Nicetas Paphlago, Joſephus Geneſus, & Manuel Byzantius, Nicephorus Diaconus Phryx, Aſianus, Leo, Theodorus qui fuit Sides Præſes, ejuſque nepos, atque ejuſdem cognominis illius Eccleſiæ quæ eſt in Sebaſte præfectus, & unà cum his Demetrius Cyzici & Joannes Monachus Lydus, proprio ſibi quiſque propoſito argumento —— longè à virorum illorum quos diximus* (viz. *Georgii Syncelli & Theophanis*) *mente aberrarunt.* Cedrenus, qui Scylitzæ ſcrinia, etiam raro mutatis verbis, perpetuò compilare ſolet, in præfatione recenſitis reliquis Geneſium quidem & Manuelem prætermittit, quos tamen nomine τῶν λοιπῶν Βυζαντίων comprehendere videtur. Contexuit Joſephus noſter *Hiſtoriam* ſive *Vitas* Imperatorum Byzantinorum Leonis Armeni, Michaelis Balbi, Theophili Michaelis filii, Michaelis Theophili filii, & Baſilii Macedonis, Hiſtoriæ Byzantinæ partem non contemnendam, quam Conſtantino Porphyrogennetæ Leonis filio, cujus juſſu Opus illud aggreſſus fuerat, nuncupavit Pater id ex dedicatione; ubi verſibus Elegiacis, operi præfixis, auctor Conſtantinum ſic alloquitur.

τὴν ἐξ ἱστορίας τελέσας βίβλον ὡς ἐκέλευσας
 Αὐτοκράτορ μελεταῖς ἢ καμάτοις μεγάλοις,
Ἐν σοι δῶρον ἔθηκα ὅπως ἐγνώσμένον εἴη
 Ἐκ φιλοδεσποτίας συντεθὲν ἐκ τε πόθου.

Extat MS. in Bibliothecæ Colleg. Paulini Lipſienſis codice, paginis LXXVII. in folio conſtante, præfixo *Geneſii* nomine. Apographum ejus Joan. Andreæ Boſii Hiſtoriarum in Jenenſi Academiâ olim Profeſſoris manu deſcriptum, cum breviuſculis Reineſii notis, in Bibliothecâ Senatûs Lipſienſis aſſervatur. Opus diu cum blattis & tineis luctatum in lucem tandem protrahere in ſe ſuſcepit vir undiquaque doctiſſimus Chriſtianus VVagnerus, ad D. Joannis Paſtor Lipſienſis. Apographum Boſianum cum Codice Lipſienſi iterùm contulit, Latinâ verſione, notiſque Critico-Hiſtoricis & Canone Chronico illuſtravit, & diſſertationem præliminarem planè eruditiſſimam præmittere deſtinavit. Verùm morte præventus (obiit enim non mediocri Rei Literariæ jacturâ, dyſenteriâ extinctus v. al. *Aug.* MDCXCIII.) Opus inceptum abſolvere non potuit. Etſi trientem laboris ſe jam devoràſſe, noviſſimis literis paulò ante obitum datis me monuit. De auctore ſingularem planè ſententiam fovebat, codicem MS. *Geneſii* nomen falsò præferre, & à recentiori manu illud additum; veros auctores fuiſſe *Georgium & Theophanem*, Joannis cujuſdam Diocæſareenſis filios; patere hæc ex Jambis *Olympii* cujuſdam, qui codicem manu ſuâ deſcripſit, calci operis ſubnexis, quos prout ab amicis Lipſienſibus in uſum meum deſcripti ſunt hîc ſubjungam.

SÆC. X. ab A.DCCCC.

Λειῶθος ἀνὴρ ἄειστος ὡς ἐγω κρίνω
Γεωργίου τε φημὶ καὶ Θεοφάνους
Τῶν χρονογράφων τῆσδε τῆς βίβλου Πάτερ *
† Ἰωάννη σ.ὶ λάβε, φίλου Δαιμένων
Ὁ τῶν προέδρων πρῶτος ἀλλὰ καὶ θύτης
Διηοκαισαρείας τῆς Ἀναζάρβης
 Ὀλύμπιος. Ὀλύμπιος.

* Πατὴρ
† Cl. ... arius qui mei causâ Jambos ad codd. MSS. nuper recenſuit legit Ἰωάννης σοὶ ταύτης.

Videbit lector eruditus vel primâ fronte hos Jambos ſanam lectionem non agnoſcere, neque ſenſum ſatis commodum fundere. Quin nec diſſimulat ipſe VVagnerus in iis eſſe quæ ipſe haud ſatis intellexerit, id tamen extra dubitationis aleam poſitum eſſe, quod Georgius & Theophanes Joannis τοῦ τῶν προέδρων πρώτου, ἀλλὰ καὶ θύτου Διοκαισαρείας filii, ſint chronographi τῆσδε τῆς βίβλου. Subdit ſe non dubitare quin codici MS. Paulino ΓΕΩΡΓΙΟΥ nomen primitùs adſcriptum fuerit, poſtea verò cum literæ quædam hujus nominis evanuiſſent, neſcio quis lacunas literarum expleturus ΓΕΝΕΣΙΟΥ nomen formavit. Ego quidem (quod ſentio, liberè dicam) in ſententiâ VVagnerianâ acquieſcere non potui. Facilè vidi Jambis ſaniorem lectionem reſtitui poſſe, aliumque ex iis ſenſum exculpendum eſſe. Ne verò judicio meo temerè nimis adhærere viderer, conſului virum in his literis ſummum Edvardum Bernardum, qui Jambos hoc modo corrigendos & in hunc ſenſum reddendos eſſe cenſuit,

Δέιοθων ἀνὴρ ἄειστος, ὡς ἐγὼ κρίνω,
Γεωργίου τε φημὶ καὶ Θεοφάνους
Τῶν χρονογράφων, ὁ τῆσδε τῆς βίβλου Πατὴρ
Ἰωάννη σοὶ λαβὲ φίλε δαιμόνων,
Ὁ τῶν προέδρων πρῶτος, ἀλλὰ καὶ θύτης
Διοκαισαρείας τῆς Ἀναζάρβης.

Inter recentes Scriptores optimus quantum ego arbitror, Georgium, quam [Syncellum] *& Theophanem, Chronologos, eſt hujus libri auctor* [Joſephus Geneſius] *Sume ergo tibi Joannes, hoc Opus, vir dilecte Deo, Præſulum primus atque etiam Epiſcopus, ſive Sacerdos Diocæſareæ; quæ eſt Anazarba.* Deſcripſerat, ut videtur, hunc codicem Olympius in Joannis cujuſdam Epiſcopi Diocœſarienſis gratiam, deſcriptumque ſubnexis verſibus illi obtulit. Atque hunc verum Hexaſtici Jambici ſenſum eſſe, & genuinam lectionem quovis fere pignore contendam. Neque ullus dubito Cl. VVagnerum pro eo quo erat candore atque eruditione ſententiam ſuam facilè mutaturum, ſi modò Jambos Olympianos cum Joannis Scylitzæ loco contuliſſet. Verùm Scylitzæ præfationem ipſe non viderat, de eâ admodùm ſollicitus, utque ejus loci copiam ſibi facerem, me enixiſſimè obteſtatus. Interim impensè rogandi ſunt ejus amici, viri eruditione præſtantiſſimi, cujuſmodi plures nutrit Lipſienſis Academia, nè præclaros eruditiſſimi viri labores perire ſinant, eoſque penè ad umbilicum perductos diutiùs publico invideant.

945. ATTO, *Secundus* dictus, Aldegarii filius, ab anno 945. Epiſcopus Vercellenſis. Obiit poſt annum 960.

SCRIPTA.

CApitulare, (ſeu *Canones & Statuta Eccleſiæ Vercellenſi data*,) è Conciliis, Epiſtoliſque

SÆC. X. ab A.DCCCC. Decretalibus contextum, & in centum Capita distributum.

De Pressuris Ecclesiasticis Opus, in tres partes divisum, quarum prima agit *De Judiciis Episcoporum*, secunda *De Ordinationibus eorundem*, tertia *De Facultatibus Ecclesiarum*.

Epistolæ variæ.

Opuscula ista è Codice Vaticano, admodùm mendoso quidem & plurimis lacunis hiante, curâ Card. Bonæ descripta, in lucem emisit Lucas Dacherius Spicileg. Tom. VIII. p. I.

Sermones Attonis XVII. de variis argumentis, & Liber Polypticus seu Perpendiculum dictus de noxiis redarguendis & honestis sanciendis, in eodem Codice Vaticano habebantur, sed tineis & rubigine adeò deformata, ut legi non possent.

946. AGAPETUS II. natione Romanus, Ecclesiæ Romanæ Pontifex ordinatus, anno 946. die IX. Augusti. Anno 947. Hugoni, cui de sede Remensi à Gallis Episcopis mota lis fuerat, Episcopatum confirmavit. Eundem nihilominus anno sequente Episcopi Galli in Synodo Engilenhemensi damnarunt, ac throno Remensi deturbarunt: quorum sententiam ipse Agapetus habitâ Romæ Synodo anno 948. ratam habuit. Obiit anno 956. die XVIII. Martii. Extant *Epistolæ* II. Concil. Tom. IX. pag. 618. Alia ad Gethardum Archiepiscopum Laureacensem, quâ Metropolitani jura ei confirmat, habetur apud Lambecium Comment. lib. 2. p. 651.

946. LUITPRANDUS, Natione Italus, Domo Papiensis, siquidem Joan. Trithemio fides; Franciscus verò Bivarius in Censurâ Luitprandi operibus præmissâ, conjecturis non penitùs contemnendis contendit gente fuisse Hispanum, domo Cordubensem, saltem Bœticum, & unà cum parentibus à Saracenis fugatum in Italia consedisse. Quicquid sit, erat Ecclesiæ Ticinensis Diaconus, & an. 946. à Berengario Italiæ Rege ad Constantinum Imp. confirmandæ utrinque amicitiæ causâ legatus est; & à Constantino perquàm honorificè & humaniter exceptus, domum reversus Episcopatu Cremonensi donatur, gnaviter administratæ legationis præmio: idque si in re obscura conjicere fas sit, eodem vel sequenti saltem anno. Ante annum 963. (quo verò tempore haud satis liquet) Berengario invisus, incertum qua sorte, factus, sede suâ ejectus est. Inde igitur in Germaniam se contulit, & Francofurti lares fixit, ibique Historiam suam condidit, in qua præcipuè Berengarii Italiæ Regis tyrannidem ad vivum depingit, nec mala, quæ ipse ab illo, ejusque Conjuge VVillâ passus est, reticet, præsertim initio libri III. cui *Antidosis* sive *Antapodosis* titulum fecit: "Tanta enim, *inquit*, mendaciorum jacula, "tanta rapinarum dispendia, tanta impietatis "molimina in me, & domum meam, cognationem & familiam gratis exercuêre, quanta nec "lingua proferre, nec calamus prævalet scribere; "sic igitur eis præsens pagina Antidosis, hoc est "retributio, dum pro calamitatibus meis τ ἀσέβειαν eorum, id est impietatem, præsentibus "futurisque mortalibus denudavero. Nec minus "etiam sanctissimis & fortunatis viris pro collatis "in me beneficiis Antidosis erit. Anno 963. Synodo Romanæ interfuit, & Othoni Imperat. Interpretis vicem præstitit; quæ Saxonicâ enim linguâ locutus est Imperator, ipse Latinè Episcopis reddebat. Anno 968. ab Othone Constantinopolim ad Nicephorum Phocam legatus est, nuptiarum Ottonis filium inter & Annam Romani Imperat. filiam, Nicephori privignam, conciliandarum ergo. Verùm à Nicephoro ludibriò habitus, contumeliis affectus, & innumeris injuriis exagitatus, domum re infectâ rediit: plurimas etiam injurias ab Episcopis & Præfectis Græcis illatas in itinere remetiendo passus: quas ipse fusè satis in Historiâ enatrat & exaggerat. Vixit adhuc anno 970. Tam rudi indoctoque Sæculo vir planè non ineruditus, Græcè pariter Latinèque peritus, Poeticâ facultate insignis, cujus ut & reliquarum artium humaniorum vestigia in operibus ejus ubivis deprehenduntur; unde eum *luculento & alterno stylo* scripsisse affirmat Sigebertus de Script. c. 127.

OPERA.

Historia rerum in Europâ suo tempore gestarum, Libri VI. ad Raimundum Liberitanum in Hispaniâ Episcopum, ab Arnulpho Imp. exorsi, & in priore suâ Legatione CP. desinentes: quæ Legationem enim istam excipiunt, sex posteriora libri sexti capita, Luitprandum authorem non habent, sed à recentiore quopiam adjecta sunt. Libro III. (non verò quod olim existimavit Sigebertus & ex eo Trithemius toto operi) *Antidosis* sive *Antapodosis* nomen dedit, cujus rationem ex ipso Auctore suprà reddidimus.

Legatio ad Nicephorum Phocam Imp. anno 968. suscepta. Primus eam edidit Canisius *Ingolstad.* 1600. *Curiosum planè scriptum*, inquit Erycius Puteanus, *quamvis imperfectum.*

Liber de Pontificum Romanorum gestis à S. Petro usque ad Formosum Papam, ex Anastasio maximam partem excerptus. Supposititium esse opus ac Luitprando abjudicandum satis constat. Non invitâ veritate conjicit * Vossius, (cui hac in parte suffragatur † Phil. Labbeus) id Germano cuidam, ac Monacho quidem Corbeiensi vel Hirsfeldensi, qui sub finem superioris Sæculi floruerit, ascribendum esse. Prodiit unà cum Anastasii Vitis cura Joannis Busæi *Moguntiæ* 1602.

* De Histor. Lat. l. 2. c. 40.
† De Script. Eccl. Tom. II. p. 35.

Chronicon Luitprando cuidam fictitio Ecclesiæ Toletanæ Subdiacono inscriptum, fabulis anilibus & portentosis mendaciis refertum. Hujusce Chronici laudes mirè deprædicat Fr. Bivarius, *Censura* pag. 28. Notavi, *inquit*, singula; placuerunt omnia. Opus ait, correspondere Autori, Phrasi, stylo, rebus scriptis correspondere eruditioni ejus omnigenæ, demum & Mecænati suo Regimundo; uno verbo, esse Dextriani Chronici quasi complementum. Et par certè utriusque Scriptoris fides, idem apud eruditos pondus, & autoritas. Nec ipse dissimulare audet Bivarius, Autorem hunc Pseudo-Turpino Remensi in rebus Caroli M. aliorumque plurium fidem præbuisse. Tanto denique hujus Chronici amore captus, ut istud commentariis uberrimis illustratum in lucem editurum promiserit. Dignus planè homo nugivendulus, qui in hujuscemodi quisquiliis eventilandis operam atque oleum perderet.

Adversaria, ejusdem Autoris, ac farinæ. *Enitet in his*; inquit idem Bivarius, *Spiritus ejusdem Luitprandi*, *utroque idiomate*, *utroque stylo semper ornatus*, *rerum scriptarum gravitate & raritate ubilibet gaudens*: *& Luitprandus nusquam Luitprando dissimilis*. Verum ὅμοιος τῷ ὁμοίῳ φιλεῖ, similesque amant labra lactucas.

Opera ista in unum collecta, ac notis illustrata ediderunt Hieronymus de la Higuera, & Laur. Ramiresius *Antverp.* 1640. fol. Huic etiam editioni epistolæ quorundam Præsulum Hispanorum à Juliano Archi-presbytero collectæ, ejusque Scholiis & Ramiresii notis illustratæ, & Higueræ Diptychon Toletanum, in quo de sedis istius Episcopis fusè agitur, accesserunt.

ANO-

Digitized by Google

SÆC. X. ab A.DCCCC. 950. P. II. ANONYMUS *Hiſtoriæ Claromontenſis* Auctor, claruit circa ann. DCCCCL. Scripſit de SS. Eccleſiis & Monaſteriis Claromontii libellos II. quos primus eruit notiſque illuſtravit Joan. Savaro Regis Conſiliarius *Pariſ.* 1608. & exinde Ph. Labbeus *Biblioth.* Nov. Tom. II. pag. 707.

950. P. II. ANONYMUS *Vitæ* S. *Deicoli* ſcriptor, Monachus Lutrenſis, claruit circa annum DCCCCL. Vitam S. Deicoli Monaſterii Lutrenſis in Diœceſi Byzantinâ Abbatis primi, anno circiter DCXXV. defuncti, literis mandavit, Werdolfo Abbati dedicatam. Hanc primus edidit Jo. Bollandus ad *Januar.* XVIII. deinde ad codices MSS. recognitam Jo. Mabillonius *Sæc. Benedict.* II. p. 103.

950. P. II. AUCTOR Anonymus *Vitæ* S. *Radbodi*, iſtius penè temporis ſcriptor, claruit circa annum DCCCCL. Commiſit literis Vitam S. Radbodi Epiſcopi Trajectenſis ad Rhenum, ann. DCCCCXVIII defuncti. In quâ condendâ, ſe ſua ab illis, qui rebus geſtis interfuere, accepiſſe numer. v. profitetur. Extat, ſed mutato ſtylo, preſſiùs deſcripta, apud Surium, *Novembr.* XXIX. Exinde apud Mabillonium *Sæc. Benedict.* V. p. 25.

950. P. II. JOANNES gente Italus, Urbem Romam natalem habuit, Odonis Cluniacenſis diſcipulus, à quo Româ ſecum abductus, Monachus inſtitutus eſt, deinde Prior ab eo ordinatus. In totâ peregrinatione comitem & ſocium intimum eum habuit Odo, ejuſque operâ ad negotia ſua peragenda maximè uſus eſt. Claruit circa annum DCCCCL. Condidit de Vitâ Præceptoris ſui, S. Odonis, Abbatis Cluniacenſis ſecundi, libros tres. Hos poſt du Cheſnium in *Bibliothecâ Cluniacenſi* ad MS. codicem Compendienſem recognitos, edidit Jo. Mabillonius *Sæc. Benedict.* V. p. 150. qui & prolixum, ſed & eruditum *elogium hiſtoricum* de Odone Abbate Cluniacenſi præmiſit.

950. P. II. ANONYMUS *Vitæ* S. *Mederici* Auctor, claruit poſt Sæculum IX. quo verò anno non ſatis liquet, ac proinde ad annum DCCCCL. eum ponimus, donec certiora indagare poſſimus. Scripſit Vitam S. Mederici Æduenſis apud Pariſios Abbatis, quam ex MSS. codicibus Biblioth. SS. Germani & Victoris Pariſ. in lucem protraxit Jo. Mabillonius *Sæc. Bened.* III. Part. I. p. 8.

950. P. II. AUCTOR *Vitæ* S. *Theofredi*, Monachus, ut videtur, Calmeliacenſis, quo tempore claruit haud ſatis liquet; ætas enim ejus parùm certa Cl. Mabillonius ipſum ante Sæculum XI. vixiſſe conjicit, non aliâ ratione ductus, quàm quòd interdictum, quo fœminis in Eccleſiam Monaſterii negabatur ingreſſus, ſuo adhuc tempore viguiſſe ait. Atqui ritus iſte in paucis Monaſteriis perſeveravit ultra Sæculum X. Quiſquis ſit, ſcripſit Vitam S. Theofredi Abbatis Calmeliacenſis, & Martyris in Galliâ anno DCCVIII. quam ex MS. codice ejuſdem Monaſterii in lucem dedit Jo. Mabillonius *Sæc. Bened.* III. Part. I. p. 477.

950. P. II. AUCTOR *Vitæ* S. *Ebbonis* claruit ex Cl. Mabillonii conjecturâ Sæculo X. certè poſt Normannorum in Galliâ proceſſas, adeòque illum ad medium hujus ſæculi retulimus. Scripſit Vitam S. Ebbonis, Senonenſis in Galliâ Epiſcopi, defuncti anno DCCXLII. quam ex MS. codice S.Petri apud Senonas eruit Jo. Mabillonius *Sæc. Bened.* III. Part. I. p. 647.

950. P. II. ANONYMUS *Auctor Tranſlationis* S. *Gorgonii*, Cœnobii Gorzienſis ad Amnem cognominem haud procul à Moſellâ Fl. ſiti Monachus, claruit circa annum DCCCCL. Scripſit hiſtoriam Tranſlationis S. Gorgonii Martyris in Monaſterium Gorzienſe, quam ex cod. MS. Rhemenſi edidit Jo. Mabillonius *Sæc. Bened.* III. Part. II. p. 204.

950. P. II. ANONYMUS alter *Vitæ* S. *Altonis* Auctor, Altimonaſterienſis in Diœceſi Friſingenſi in Boioariâ ſuperiore Monachus, claruit eodem circiter tempore, certè hoc ſæculo, ut ex ipſius opuſculo liquet. Scripſit Vitam S. Altonis, ortu Scoti, ſeu Hiberni, Cœnobii Altimonaſterienſis conditoris & Abbatis primi, circa annum DCCLXX. defuncti. Extat apud Bollandum *Februar.* IX. & Mabillonium *Sæc. Bened.* III. Part. II pag. 217.

950. P. II. AUCTOR libri *de miraculis S. Columbani*, Cœnobii Bobienſis in Alpibus Cottiis, non longè à flumine Trebiâ ſiti Monachus, claruit circa annum DCCCCL. ut ex iis quæ de temporibus Berengarii Imp. occiſi ann. DCCCCXXIV. & Hugonis [qui ex Provinciæ Comite factus eſt Italiæ Rex anno DCCCCXXVI. ex Rege Monachus anno DCCCCXLV.] refert capp. VII. VIII. IX. manifeſtò liquet. Compoſuit librum de miraculis S. Columbani Abbatis Luxovienſis, quem ex codicibus MSS. eruit, Actiſque ſuis inſeruit Jo. Mabillonius *Sæc. Bened.* II. p. 40.

956. JOANNES XII. natione Romanus, Alberici Patricii filius, ipſe Urbis Patricius & Clericus, poſt mortem Agapeti, favente populo Romano, Pontificalem ſedem adeptus eſt anno 956. die XXIII. Martii ordinatus, cùm decimum octavum ætatis annum nondum expleviſſet. Octavianus antea vocatus eſt, primuſque fuit, [ſi Vitæ ejus Scriptori * fides ſit habenda] qui Pontifex factus, ſibi nomen mutavit. Vir ſceleribus & nequitiâ infamis, nil ambitioni aut libidini ſuæ intentatum reliquit; ſtupris, adulteriis, homicidiis, & tyrannide Neroni vel Caligulæ meritò conferendus. Proditionis inſuper, perfidiæ, & perjurii criminibus Deo inviſus, & Italiæ gravis factus, in Synodo Romana anno 963. ab Othone Imp. adverſùs quem rebellia arma moverat, nefandorum ſcelerum accuſatus eſt, ac depoſitus, ſubſtituto ei Leone. Ipſe tamen anno ſequenti ſede ac potentiâ priſtinâ recuperatis, collecto Romæ Concilio Leonem ejecit & excommunicavit. Obiit anno 964. die XII. Maii, à diabolo in temporibus percuſſus ac lethaliter vulneratus, dum ſe nocte quadam cum cujuſdam viri uxore extra Urbem oblectaret: uti ex Luitprandi fide narrat Baronius *. Extat *Epiſtola* ad Dunſtanum Archiepiſcopum Cantuarienſem *de Pallio*, & *Reſcriptum* pro excommunicatione Iſuardi & ſociorum; qui ob agros ad Cœnobium S. Symphoriani pertinentes injuſtè à ſe detentos à Synodo in finibus Burgundiæ anno 955. anathemate icti fuerant. Concil. Tom. IX. p. 641.

* Concil. Tom. IX. p. 640.

* Ad an. 964. num. 17.

956. P. II. THEODORUS cognomento DAPHNOPATES, vir ſummi in Aulâ Conſtantinopolitanâ & nominis, & dignitatis, Patricius, & primus à ſecretis, claruit circa annum DCCCCLVI. ut ex infrà dicendis liquidò patebit. Erat Theodorus non modò dignitate, ſed & literis illuſtris. Scripſiſſe hiſtoriam Conſtantinopolitam exinde colligo, quòd ipſum Hiſtoricis Byzantinis in præfatione hiſtoriæ ſuæ disertè accenſeat Joannes Scylitzes, quod & à Cedreno etiam factum eſt p. 2. Sed & in Teologicis haud leviter verſatus. Supereſt ejus Oratio de manu S. Joannis Baptiſtæ Antiochiâ Conſtantinopolim translatâ quæ ita incipit. Τὸ τῆς

Digitized by Google

SÆC. X. ab A.DCCCC. πάλιν ἡμῖν τῆς ἱερᾶς τῆς χειρὸς ἐπεδήμησε πρόδρομος, τῶν αὐτῆς χαρίτων ἀναδιδοὺς ἀφθόνως τὰ νάματα &c. extulit hanc Orationem, sed anonymam, Latinè Surius *August.* XXIX. Habetur Græcè MS. Bibliothec. Vindob. Cod. *Theol.* juxta Lambec. CXI. numer. V. à fol. 87. usque ad fol. 98. Meminit & L. Allatius *diatr. de Symeon.* pag. 96. S. Præcursoris manus diu, magnâque curâ Antiochiæ in Templo D. Petri custodita fuerat; quam tandem clàm surripuit Jobus quidam Diaconus Antiochenus, & urbe noctu egressus Chalcedonem detulit, ubi Triremi Imperatoriæ, ad hoc ipsum missæ, impositam, illustriores Senatores procedente obviam, cum Polyeucto Patriarchâ, & universo Clero & Populo, cum cereis, facibus, & suffitibus, eam in Palatium deduxerunt, anno circiter DCCCCLVI. referente hæc Cedreno *Hist.* p. 640. Mox institutum hujus *Translationis* Festum, & hâc occasione anno sequenti, cùm anniversaria istius Festi rediret solennitas, hanc orationem habuit Theodorus, uti numer. XVI. XVII. XVIII. XIX. ipse prolixè narrat. Hinc ætas ejus alioquin satis obscura clarè deprehenditur. Extat etiam MS ejus *Encomium in S. Paulum*, ex diversis Chrysostomi sermonibus collectum. Principium. Ἄπας μὲν ἐγκωμιῶν λόγος &c. Vide L. Allat. *de script. Symeon.* pag. 82. Aliud ejusdem argumenti, sed diverso planè initio ibidem pag. 111. Princ. Τῆς ὑπογραφῆς τῶν Ἀποστολικῶν πράξεων. *Oratio in nativitatem pretiosi Præcursoris.* Princ. Εἰ μὲν ὁ τοῦ λόγου κήρυξ καὶ πρόδρομος. Allat. ubi supra pag. 87. qui tamen monet in cod. Vaticano MLXXIV. Theodorito Cyri Episcopo tribui. *Vita Theodori Studitæ* habetur Græcè MS. *Biblioth. Augustan.* cod LXVI. num. vi. teste Possevino in *Append.* p. 69. Extant item Theodori nostri *Apanthismata* sive flosculi, ex variis S. Joannis Chrysostomi operibus decerpti, & in XXXIII. capita divisi, editi Græcè in Editione Savilianâ Tom. VII. pag. 665. Græcè & Latinè in Parisiensi Tom. VI. pag. 663. Habentur MSS. Biblioth. Vindob. cod. *Theol.* juxta Lambec. CLIII. numer. I. Ubi ordo eorum & numerus ab editis discrepat; & unicuique capiti partim in principio, partim in margine, literis miniatis ascriptum est, ex quibus Chrysostomi operibus singula apanthismata desumpta sunt. Eadem apanthismata continet etiam codex CLIV. elegantissimus planè, & magnâ ex parte aureis literis scriptus, qui Cardinalis Bessarionis olim fuit. Addam solummodò Theodorum nostrum inter Scriptores recenseri, ex quorum sermonibus liber Græcorum Ecclesiasticus, Πανηγυρικὸς dictus, contextus sit, quod diversorum auctorum Orationes laudativæ in varias Christi Domini & Sanctorum festivitates continentur, monente L. Allatio dissert. I. *de lib. Eccles. Græc.* p. 95.

960. **FRIDEGODUS**, natione Anglus, Cœnobii S. Salvatoris Cantuariensis Monachus O. B. dignitate Diaconus, Vir Græcè simul & Latinè doctus claruit anno 960. Scripsit *Vitas S. Wilfridi, & Audoeni*, rogatus ab Odone Archiepiscopo, qui utriusque corpora Cantuariam anno 956. transtulerat. Et *Vitam* quidem *S. Wilfridi Archiepiscopi* Eboracensis versibus heroicis poëmate satis prolixo composuit. Eam primus extulit Mabillonius Sæc. Benedict. III. par. I. p. 169. Vita S. Audoeni solutâ oratione conscripta ab Anonymo quodam, hodie habetur, quæ Fridegodo ascripta à Surio apud istum extat ad diem XXIV. Augusti. Metricè quidem Audoeni Vitam scripsit Fridegodus, an verò prosâ, planè incertum est. Alia memorat Balæus *, viz. *de Peccatrice in Evangelio, de visione Beatorum, Contemplationes varias*: quæ periisse puto. De stylo ejus hoc notat Gulielmus Malmsburiensis †. *Scripsit versibus non ita improbandis; nisi quod Latinitatem perosus, Græcitatem amat, Græcula verba frequentat: ut meritò dictis ejus aptetur illud Plautinum; Hæc quidem præter Sibyllam leget nemo.*

* Cent. 2. cap. 20.

SÆC. X. ab A.DCCCC. † De gest. Pontif. l. I. fol. 114.

FRIDEGODUS Anglus, Monachus Cantuariensis, claruit anno DCCCCLX. Vitam S. Wilfridi Eboracensis metricè ab ipso scriptam, sed in fine mutilam, edidit Mabillonius *Sæc. Bened.* III. Part. I. pag. 169. Quòd verò desiderabatur ex Bibliothecæ Cottonianæ codice posteà nactus, supplementum satis amplum exhibuit *Sæc.* IV. Part. I. pag. 722. 960. P. II.

DUNSTANUS, gente Anglus, patriâ Somersetensis, Herstani & Kynedrydæ filius, Athelmi Archiepiscopi Cantuariensis nepos, in Cœnobio Glastoniensi educatus, & bonis literis, imprimis verò cælandi pingendique arte, imbutus. In Athelstani Regis aulam Athelmi Patrui gratiâ adductus, in famulatu Regio diu vixit. Aulâ tandem ejectus, ad Elphegum Wintoniensem Episcopum, ipsius etiam avunculum, illiusque hortatu ad Monasterium Glastoniense se contulit, & cucullum induit. Abbas paulò pòst Glastoniensis factus. Crebrescente sanctitatis famâ, ab Edwardo Rege aulicis ministeriis iterum admotus est; ac sub duobus Principibus Edmundo & Eldredo omnia nutu suo pro libitu rexit. Anno 955. circiter ab Edwino Rege aulâ depulsus est, & in exilium actus. Pòst annuam itaque in Galliâ moram, ab Edgaro Rege revocatus, Episcopatum Wigorniensem consecutus est. Anno 958. sedem Londinensem obtinuit, atque anno 961. ad Archiepiscopatum Cantuariensem fuit evectus. Obiit anno 988. die XIX. Maii. Ingens Monacismi, & cœlibatûs Clericorum in Anglia propugnator: maximam eo nomine apud Monachos gratiam iniit, qui mira de eo fabulantur. Præter alia à Baleo enumerata, quæ an hodienum supersint, non didici, scripsit in usum Monachorum Sanctimonialiumque nationis Anglicæ *Concordiam Regularum* Capitula XII. continentem: quam Appendicis ad Disceptationem suam Historicam de Antiquitate Ordinis Benedictini in Anglia parti 3æ. pag. 77. inseruit Clemens Reinerus, Benedictinus Anglus, *Duaci* 1626. fol. 961. Antiquit. Britann. p. 79. Godvv. Præsul. Ang. pag. 73.

NICON, genere Armenus, in Ponto Polemoniaco parentibus honestissimis oriundus: puer adhuc ad Aureæ Petræ Monasterium in finibus Ponti & Paphlagoniæ situm clam parentibus aufugit, ibique per plures annos institutum Monasticum diligenter excoluit. Claruit circa annum 961. quando ab Archimandrita suo ad gentes convertendas, plebemque Christianam ad meliorem frugem revocandam missus est. Peragratis proinde Armeniæ variisque Orientis regionibus, in Cretam insulam nuper à Saracenorum jugo liberatam devenit, quam à superstitionis Saracenicæ reliquiis purgavit; incolasque ad Ecclesiam Catholicam reduxit. Anno DCCCCLXXXI. Spartâ Corinthum evocatur, ut Bulgaros in Græciam irruentes precibus suis propulsaret. Obiit circa an. DCCCCXCVIII. ejus memoria in Tabulis tum Græcorum, tum Latinorum XXVI. Novembris colitur. Res ejus gestas scripsit anno MCL. Abbas quidam patriâ Lacedæmonius, quas Latinè vertit Jac. Sirmondus, ex quibus plurima, præcipuè de miraculis ab eo perpetratis, decerpsit Baronius ad ann. DCCCCLXI. DCCCCLXIX. DCCCCLXXXI. DCCCCLXXXII. DCCCCLXXXVI. DCCCCXCVIII. Scripsit librum *de pessimâ religione Armenorum*, qui Latinè in Bibliothecâ PP. haberi solet. 961.

NICON

Digitized by Google

SÆC. X. ab A.DCCCC. 961. P. II. NICON genere Armenus, claruit circa annum DCCCCLXI. Scripsit libellum *de impia pessimorum Armeniorum Religione*, quem anteà Latinè tantummodò, nec satis fœliciter evulgatum, ex codice MS. Bibliothecæ Regiæ, Græcè & Latinè edidit Joan. Cotelerius *Not.* ad *Patres Apostol.* pag. 152. Idem Cotelerius pag 237. ex eadem Bibliothecâ exhibet Græcè & Latinè Opusculum benè longum *de Religione Armenorum*, hoc titulo Ἀπόταξις τῶν αἱρετικῶν Ἀρμενίων, *Renunciatio hæreticorum Armenorum, quomodò debeant anathematizare cùm ad Fidem Orthodoxorum Romanorum redeunt, non autem baptizantur, sed unguntur.* An verò sit ejusdem Niconis mihi planè est incompertum. Biblioth. Vindob. cod. *Jurid* VII. num. XVI quo excerpta quædam Miscellanea, partim Theologica, partim Juridica continentur, nonnulla ex Epistolâ quâdam S. Niconis exhibentur.

964. P. II. BERNERUS primò S. Remigii apud Rhemenses Monachus, deinde Cœnobii Humolariensis apud Veromanduos Abbas, claruit adhuc anno DCCCCLXIV. Condidit Vitam *S. Hunegundis* Virginis & Sanctimonialis Humolariensis. Ejus enim esse non immeritò existimat Mabillonius. Habetur apud Surium stylo politiori ornata. Verùm ad codices MSS. restitutam exhibet idem Mabillonius. *Sæc. Benedict.* II. p. 1018. necnon *Historiam* Translationis corporis ejusdem Virginis Sæc. V. pag. 215.

965. JOANNES XIII. natione Romanus, Joannis Episcopi filius, Episcopus Narniensis ante annum 963. quo Romam à Joanne XII. ad Othonem Imp. legatus Synodo Romanæ interfuit, & Diaconum à Joanne Papa in stabulo ordinatum se vidisse testatus est. Anno 965 Pontifex Romanus electus est, die I. Octobr. ordinatus. Sedem haud diu tenuerat, cùm à Rotfredo Urbis Præfecto civitate ejectus est, & in Campaniâ carceri mancipatus. Carcere dilapsus, à Pandulpho Principe Capuano hospitio est exceptus: à quo rogatus sedi Capuanæ Archiepiscopatûs jura largitus est. Anno circiter 969. ab Othone Imp. fuit restitutus. Anno 971. habito Romæ generali Concilio, Privilegia Cœnobio Glastoniensi ab Edgaro Rege concessa, confirmavit. Obiit anno 972. die VI Septembr. Extant Epistolæ IV. Conc. Tom. IX. p. 663.

965. FULCUINUS, sive Folquinus, primùm Monachus Bertinianus, deinde Lobiensis, defuncto Alatranno ætate adhuc juvenis Monasterii Lobiensis Abbas factus est anno 965. Obiit anno 990.

SCRIPTA.

C*Hronicon de rebus gestis Abbatum Laubiensis Cœnobii*, à Dacherio editum Spicileg. Tom. VI.

De Miraculis S. Ursmari, suo tempore factis *Opusculum*. Extat apud Henschenium XVIII. Aprilis.

Vita Folcuini Tarvanensis Episcopi, qui obiit anno DCCCLV. & in Monasterio S. Bertini sepultus est. Habetur apud Mabilon. *Sæc. Benedict.* IV. Par. I. p. 622.

965. P. II. FOLCUINUS primùm Monachus, deinde juvenis adhuc, Abbas Laubiensis factus est circa an. DCCCCLXV. Obiit an. DCCCCXC. Condidit Chronicon Abbatum sui Cœnobii, à Dacherio editum *Spicileg.* Tom. VI. Libellum de miraculis S. Ursmari suo tempore factis, quem habent Bollandiani *April.* XIX. Vitam item Folcuini Episcopi Tarvennensis in Galliâ, anno DCCCCLIV. defuncti, quam ex codicibus MSS. Marchianensi & Chesniano extulit Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. I. p. 622. SÆC. X. ab A.DCCCC.

SIMEON, Magister & Logotheta, claruit saltem circa annum DCCCCLXVII. Condidit Chronographiam, sive Annales à Leone Armeno usque ad Nicephorum Phocam, quos Græc. Lat. extulit Combefisius inter *Scriptores* post Theophanem *Paris.* 1685. pag. 401. Hos Simeoni Metaphrastæ tribuit Cl. du Fresnius *Indic. Auct. Græc.* pag. 61. Extat Græcè MSS. in codice Regio ejusdem Simeonis chronicon, ex variis chronicis & historiis collectum, ab orbe condito ad Leonem Armenum, in quo opere auctor Theophanis scrinia strenuè compilasse videtur. Vide du Fresn. ibidem pag 32. Codici MS. subnectuntur hi duo Jambi. 967. P. II.

Ἀρχὴ ὧν μὲν Ἀδὰμ ἔχει βίβλος, καὶ τέλος
Τὸ πορφυρογέννητον σεβῆς κράτος.

Certè dubitari nequit quin utraque pars sit ejusdem Simeonis Opus. Ut verò Simeoni Metaphrastæ ascribatur, hîc aquam mihi hærere fateor, utque credam ægrè à me impetrare possum. Si enim Metaphrastes nec tunc admodùm juvenis, initio hujus sæculi scribere incœpit, (quod certis fundamentis nititur) vix ad Nicephorum Phocam vitam produxisse censendus erit. De quo penès eruditos judicium esto. Illud monendum, Combefisium in animo habuisse Scriptores qui in hoc volumine post Theophanem continentur, notis illustrare; sed morte intercedente absolvere non potuisse.

ABBO, gente Gallus, patriâ Aurelianensis, Læti & Ermengardis filius, sub Wilfaldo Abbate in Cœnobio Floriacensi educatus, & in Academiis Parisiensi, Remensi, & Aurelianensi bonis literis imbutus, demum Monasterii Scholæ præfectus est. Ante annum 960. ab Oswaldo Episcopo Wigorniensi in Angliam accitus; Presbyteratûs dignitate fuit honestatus, & Cœnobii Rameseiensis à se nuper fundati Scholæ præpositus. Post biennium multis muneribus ditatus, Floriacum repetiit; ubi post Oylboldi mortem Abbas electus est. Claruit circa an. 970. Post annum 986. Romam proficiscebatur, ut privilegia Monasterio suo ampliora à Joanne XVI. obtineret. Post annum 996. Romam iterum petiit, ut Arnulpho Remensi Archiepiscopo sede sua per injuriam spoliato apud Gregorium V. Pontificem patrocinaretur, utque Monasterium Floriacense Episcoporum Aurelianensium ditione authoritate Pontificiâ eximeretur, impetravit. Anno 1004. ad Monasterium S... irs, hodiè Regulam dictum, in Guasconiam itinere suscepto, ut res Cœnobii istius Floriacensibus pristino jure subjecti disponeret, orto inter comites suos & Monachos Guascones tumultu, lancea ventrem transforatus, obiit Idibus Novembris, inter Martyres à suis repositus. 970. Vit Abb per Ai. M... Bibl. Flor. ...

SCRIPTA.

E*Pitome de Vitis Pontificum*, ex Anastasio Bibliothecario excerpta. Prodiit unà cum Anastasio cura Joannis Busæi *Moguntiæ* 1602. 4°.

Vita S. Edmundi Anglorum Orientalium Regis & Martyris, quam dum in Anglia commoratus est, à Dunstano rogatus, scripsit. Extat apud Surium XX. Novembr.

Collectio, seu Epitome Canonum, à Mabillonio edita Analect. Tom. II. p. 248.

Epistola

Digitized by Google

Epistola ad Abbatem Fuldensem, à Baluzio edita Miscellan. Tom. I. p. 409.

Apologeticus ad Hugonem Francorum Regem pro immunitatibus Monasterii Floriacensis. Extant Fragmenta apud Aimoinum in vita Abbonis cap. 8. & 9.

Epistolæ II. ad Bernardum Abbatem Bellilocensem, quarum altera habetur integra, altera mutila, ibid. c. 10.

Epistola ad Gregorium V. Extat Fragmentum ibid. c. 12.

Epistola hexametris versibus *ad Othonem Imp.* scripta Habetur Fragmentum ibid. c. 13.

Commentarius in Victorii Canonem Paschalem interiit, quo Cyclos annorum ab incarnatione Dominica ad sua usque tempora juxta veracem Evangeliorum fidem correxit Abbo, & ad annos circiter MDXCV. dilatavit.

Libri Dialectici & Astronomici, quos ab Abbone conscriptos esse prodit Aimoinus *, pariter interierunt.

Cæterùm *Epistolas* aliquot Abbonis in Bibliotheca quadam Parisina MSS. nuper repertas esse refert Oudinus †, quæ nondum prodierunt.

* De Vit. Abbonis cap. 3.

† Supplem. p. 319.

971. PILGRIMUS, sive rectiùs Peregrinus, Archiepiscopus Laureacensis in Germaniâ ab anno 971. Obiit anno 992. Extat *Epistola ad Benedictum VII. Papam*, quâ illustris fidei ejus confessio continetur, Concil. Tom. IX. pagin. 716. *Symbolum* ejus, inde excerptum ediderunt novissimi Bibliothecæ Patr. curatores Tom. XVII. pag. 456. Integram Epistolam emendatiorem, quam antea, ex Codice MS. dedit Cl. Lambecius Comment. l. 2. c. 8. p. 641.

971. NOTGERUS, seu NOTKERUS, à Sigeberto *Rogerus* dictus gente Germanus, Sueviæ Ducis filius, post Euracli mortem Episcopatum Leodiensem anno 971. adeptus est. Othoni Imp. inprimis gratus. Obiit anno 1007. IV. Id. Aprilis

SCRIPTA.

Historia Episcoporum Trajectensium, seu Leodicensium [sedes enim Trajectensis Leodium postea translata est] ejusmodi opus scripsisse Notgerum ex Epistola ad Weinfridum Abbatem certò constat. Verùm id quod nunc habemus Herigeri Abbatis Lobiensis reverà est, si modò rectè conjicit Miræus *. Historiam istam edidit Joannes Chapeaville in rerum Leodic. Historia Leodii 1612.

* Not. ad Sigebert. cap. 137.

Vita S. Landoaldi Ecclesiæ Romanæ Presbyteri, libris duobus explicata ad Wormarum Abbatem Gandensem. Extat apud Surium ad XIX. Mart.

Vita S. Remacli Episcopi Trajectensis ad Weinfridum Abbatem. Habetur apud Surium ad III. Septembr. stylo horridiusculo à Surio in gratiam lectoris immutato.

De Miraculis S. Remacli libri II. qui eundem præ se ferentes authorem, Vitæ Remacli subjiciuntur apud Surium ibid. in compendium tamen, omissis quamplurimis miraculis, à Surio redacti, vitandi tædii gratia. Verùm Notgerum Episcopum Leodiensem authorem habere non possunt, cùm author se Stabulensis Monasterii incensioni [quæ anno 883. contigit] interfuisse testetur. Ad Notgerum forsan seniorem non malè referri queant.

Alius enim à Notgero Leodiensi fuit Notgerus Monachus San-Gallensis, qui superiori sæculo floruit, atque obiit anno 912. *Martyrologii*, & *Sequentiarum* author. Extat Martyrologium apud Canisium Tom. IV. p. 761.

NOTGERUS seu NOTKERUS, Episcopus Leodicensis, claruit anno DCCCCLXXI. Notgeri scripta suprà recensuimus. Iis addi potest *Vita S. Hadalini*, nobilis Aquitani & Confessoris & Monasterii Cellensis prope Dionantum conditoris, qui diem clausit extremum circa annum DCXC. Notgerum enim hujus Vitæ Auctorem esse ex numerò VI. non immeritò colligitur. Extat apud Bollandum *Febr.* III. Tom. I. ubi varia de Actis, tyrocinio vitæ religiosæ, & ætate, aliisque præmittuntur. p. 366. & Mabillonium *Sæc. Bened.* II. pag. 1013. De variis qui fuere Notkeris ut rectiùs judicetur, notanda sunt quæ nos docet Jodocus Metzlerus Monachus S. Galli, Epistolâ ad Goldastum * anno MDXCIX. datâ, ubi quatuor Notkeros recenset, Episcopum Leodicensem, *Balbulum* vulgò, sed falsò cognominatum, qui obiit an. MVII. vel MVIII. semperque N*odkerus* scribi solet; tres Monasterii S. Galli alumnos, nempe Notgerum Abbatem, *Piperis granum*, dictum, cujus nulla, quod sciam, supersunt monumenta; Notgerum Monachum, *Balbulum* reverà dictum, qui diem clausit extremum anno DCCCCXII. *Sequentiarum* auctorem, qui & alia post se reliquit ingenii sui monumenta; nempe *Elucidarium* cujusdam libelli, notulis picti, qui adhuc in Bibliothecâ San-Gallensi asservatur; *de Expositionibus S. Scripturâ* lib. I. *Epistolarum ad diversos* lib. I. *de Vitâ S. Fridolini* lib. I. *de Vitâ S. Galli* carmine lib. III. *de Musicâ & Symphoniâ* lib. I. *Litanias*, *Antiphonas*, &c. Tertium Notgerum, quem *Physicum* seu *Labionem* vocabant, medicum & arte pingendi insignem, generis splendore & eruditione nobilem, qui *hymnos* aliquot Ecclesiasticos edidit, & Psalterium, librum Job, & Gregorii Moralia in linguam Teutonicam primus transtulit, & è vivis excessit iii. Cal. *Julii* ann. MXXII. vel ut alii MXXXIV. Hæc pluribus vir eruditus, rerumque sui Monasterii callentissimus.

 971. P. II.

* Inter Epist. ad Goldast. nu. x. p. 13. Franc. 1688. 4to.

BENEDICTUS VI. Romanus, Hildebrandi filius, ab anno 972. XII. Septembr. Ecclesiæ Romanæ Pontifex. A Bonifacio Diacono in castellum S. Angeli detrusus, ibique strangulatus, diem clausit, exeunte mense Martio, ann. 974. Extat *Epistola* unica, quâ Episcopis Salisburgensibus vices Apostolicas in Norica & Pannonia concedit, Concil. Tom. IX. pagina 711. 972.

BENEDICTUS VII. natione Romanus, ex nobili Albericorum familia ortus, Davidis filius, primùm Sutrinus Episcopus, deindè ab anno 975. Pontifex Romanus die XIX. Decemb. ordinatus. Anno 983. habita Romæ Synodo Giseleri Magdeburgensis Episcopi, qui dignitatem istam malis artibus ab Imperatore obtinuerat, causam dijudicavit. Obiit anno 984. die X. Julii. Extat *Epistola* ad Gallos & Germanos, qua Laureacensem Ecclesiam Metropolitanam esse decernit, ejusque Archiepiscopo vices Apostolicas demandat, Concil. Tom. IX. p. 718. A Lambecio primùm edita est Comment. l. 2. c. 8. p. 645. qui & diploma Benedicti de Monasterii Gemblacensis privilegiis anno 983. promulgatum exhibet ibid. p. 901. 975.

LEO, Diaconus, ni fallar, Magnæ Ecclesiæ CP. Claruit circa annum DCCCCLXXV. Scripsit Historiam Constantinopolitanam à morte Constantini Porphyrogennetæ, usque ad exitum Joannis Tzemiscis, *i. e.* ab anno DCCCCLIX. ad annum usque DCCCCLXXV. Extat hæc Historia Græcè MS. in instructissimâ Regis Galliarum Bibliothecâ, Historicis Byzantinis meritò accensenda. Vide du Fresn. in *Indice Auct. ad Glossar. Græc.* 975. P. II.

Digitized by Google

Græc. col. 28. Opus, ut videtur, magni pretii, ex cujus libro VII. & VIII. quædam hinc inde citat idem vir clarissimus, quique typis Regiis, unà cum aliis proximè edendum esse spem nobis fecit. Certè Combefisius ei inter *Scriptores post Theophanem* locum destinavit; & absoluto Tomo primo in secundum rejecit, quem tamen morte præventus non edidit. Extat etiam Leonis nostri *oratio* ad Basilium Imperatorem Romani Junioris filium, qui unà cum fratre suo Constantino Joanne, Tzemisci in Imperio successit. Habetur Græcè MS. inter codices Baroccianos in *Biblioth. Bodleian.* Cod. CXXXI. fol. 306. B. incipit, Ἔδει μὲν τὴς

976. *P. II.* ANONYMUS, *Menologii Græcorum* Compilator, claruit circa annum DCCCCLXXXVI. quippe qui illud jussu Basilii Imperatoris, non Macedonis qui anno DCCCLXVII. solus regnare cœpit, sed Junioris Romani Imperatoris filii, qui imperium subiit anno DCCCCLXXV. aggressus est; id quod tùm ex Jambis operi præfixis liquet, in quibus

ἄναξ ὅλης γῆς ἥλιος τῆς πορφύρας
Βασίλειος τὸ θρέμμα τῆς ἀλουργίδος;

vocatur, quod de Macedone dici nequit; tùm quòd in ipso opere Sanctorum quorundam, qui longè post Basilium Macedonem vixerunt, fit mentio. Prout jam extat, Semestre tantùm hyemale complectitur, nempè à mense *Septembri* ad *Februarium* inclusivè, alterâ anni parte vel deperditâ, vel nondùm erutâ. Codex Græcus MS. judice L. Allatio † αὐτόγραφος est. Scriptus est in folio grandi pergameno, affabrè perpolito, formâ quasi quadratâ, characteribus elegantissimis, capitalibus literis auro efformatis. Singularum paginarum pars superior nomina Sanctorum illius diei repræsentat; alterius dimidia scripta compendio Sanctorum gesta, altera imaginibus coloribusque non ineleganter sub oculos ponit. Miniatura excellit, prout pictoris cujusque ars, ingenium, vel studium ferebat. Plures enim erant qui Imaginibus à se depictis nomina sua in margine libri expresserunt. Venerandum hoc Ecclesiæ Græcæ monumentum Constantinopoli advectum in Lud. Sfortiæ possessionem cessit; posteà in familiam Sfondratorum transiit; demum à Paulo Sfondrato Cardinali, Paulo V. Pontifici donatum, ab eoque solenni inscriptione ornatum, in Bibliothecam Vaticanam illatum est. Plura de hoc libro scire qui velit, adeat is L. Allatium, & qui ex Allatio sua penè omnia desumpsit F. Ughellum in præfatione. Codicem Græcum Latinè reddidit Petrus Arcudius Corcyrensis. Arcudii versionem edidit Ferd. Ughellus *Ital. Sacr.* Tom. VI. p. 1649. Partem etiam Æstivalem per suos menses edere cœperunt Bollandiani in *Martio*, *Aprili*, &c. Vide etiam quæ nos alibi in *Basilio* * *Macedone* hàc de re diximus.

† De lib. Eccles. Græc. Dissert. I. p. 84.

* Pag. 487.

978. *P. II.* SEVERUS, *Mokfahi* filius, natione Ægyptius, patriâ Alexandrinus, sectâ Jacobita, Asmuninæ Episcopus, claruit ann. DCCCCLXXVIII. Testis quippe est Georgius Homaidius Almachinus. *Annal.* Part. II. (quam sub titulo *Historiæ Saracenicæ* edidit Erpenius) lib. III. pag. 306. Severum fuisse tempore Ephrahæmi Syri, Jacobitarum in sede Alexandrinâ Patriarchæ, qui sedem hanc adeptus est anno æræ S. Martyrum DCXCIII. Hegiræ CCCLXVII. *i. e.* Christi DCCCCLXXVII. & post tres annos cum dimidio è vitâ excessit. Contexuit Severus sermone Arabico de vitis & rebus gestis Patriarcharum Alexandrinorum tomos tres. In quibus Ecclesiæ istius originem & integram historiam per singulas quasque successiones fusè persequitur. Hos partim proprio Marte condidit, partim ab aliis olim scriptos, ex monumentis in Monasterio S. Macarii aliisque Scethes Monasteriis, & Alexandriæ Bibliothecis repertis, diligenter conquisivit, & tùm suâ, tùm aliorum operâ, ex linguâ Cophticâ & Græcâ in Arabicam transtulit, uti in præfatione ipse satis luculenter testatur. Extitit hæc historia MS. in Bibliothecâ V. C. Gilberti Gaulmini Parisiensis, Libellorum supplicum magistri. Abrahamo Ecchellensi in *Eutychio vindicato* Part. I. utramque ferè facit paginam, tot ex eâ loca ubique profert, cap. I. IV. VI. VII. X. XIV. & alibi non semel. Scripsit item Severus tractatum adversus Eutychii Batricidæ, Patriarchæ Alexandrini Annales, qui in Bibliothecâ Vaticanâ MS. hodiè asservatur. Confer. Ecchellensi. in *Indic. Auct.* ad calcem *Eutych. Vindic.* num. lxv.

ETHELWERDUS, sive *Elsvvardus*, seu ut ipse in fronte Epistolæ ad Mahtildem consobrinam sibi titulum ponit, *Patricius Consul Fabius Quæstor Ethelvverdus*; gente Anglus, ex regio Anglorum Monarcharum stemmate prognatus, Ethelredi quippe Regis, Ethelvvulphi filii, atnepos; claruit anno 980. Scripsit ad Mathildem consobrinam *Historiam brevem libris* IV. ab origine mundi ad Edgari Regis obitum, qui contigit anno 974. in quibus postquam tempora ante Christum enumerarit potiùs quàm descripserit, & deinde ad annum Christi 49. res gestas mirâ brevitate perstrinxerit, ab eo deinceps anno, quo Saxones sive Angli in Britanniam primùm appulerunt, unicis Anglorum rebus enarrandis dat operam. Prodiit *Historia* ista à nobiliss. Savilio edita inter *Scriptores Anglicos*, *Londini* 1596. fol. 472. 980.

ADSO, Ordinis Benedictini Monachus, & post mortem Alberici Cœnobii Dervensis Abbas. Claruit anno 980. Obiit anno 992. Extant ab eo scripta, *Vita S. Basoli Confessoris*, apud Mabillon. sæc. Benedict. II. pagin. 67. *De translatione & miraculis ejusdem liber*, ibid. sæc. IV. par. II. pag. 137. *Vita S. Bercarii Abbatis*, ibid. Sæc. II. pag. 831. *De miraculis S. Waldeberti*, sæc III. par 2. pag. 451. *Vita S. Frodoberti Abbatis primi Cellensis prope Trecas*, sæc. II. pag. 626. *Historia translationis Reliquiarum ejusdem*, sæc. IV. par. 2. pag. 243 *Vita S. Mansueti Scoti* edita *Paris.* 1636. à Fr. Bosqueto Eccles. Gallican. Histor. Tom. I. par. 2. pag. 23. 980.

SUIDAS, arte Grammaticus, vixisse videtur circa ann. 980. quippe qui in voce Ἀδάμ diversas annorum æras recensens, computationem suam terminet in obitu Joannis Zemiscis Imp. qui veneno sublatus est anno 976. Si quæ sint, quæ sequiora sapiunt tempora, fortasse à recentiore manu addita sunt. Interim miraberis mecum, Lector, vel stupebis potius vix ferendam Miræi* oscitantiam, qui de Attico CP. hæc. Suidæ verba laudans, viz. *Qui tunc Sebasteæ in Philosophia excellebant*, ex *Eustathii schola prodierant, quem Episcopum & Ducem hujus loci Monachorum cognovimus*; mox subinfert, *ex his Suidæ verbis videtur ætas ipsius Suidæ colligi posse*; *dicit enim se cognovisse Eustathium Sebasteæ Episcopum*, *Attici Magistrum*, *qui Atticus sub annum Christi* 425. *vivere desiit*. Cui enim vel puero notum est Suidam hoc loco non de propriâ, sed historicâ scientiâ agere. Condidit Suidas *Lexicon* prolixum, in quo quamplurima habet ad rem Theologicam, & Historiam Ecclesiasticam spectantia, & non pauca Veterum fragmenta, ple- 980.

* Not. ad Honorium c. 51.

SÆC. X. ab A.DCCCC. runque etiam ubi nomen authoris non apponitur. Prodiit Græcè *Mediolani* 1499. fol. *Basil.* 1544. fol. Lat. interprete Henrico Wolfio *Basil.* 1581. Gr. Lat. cum versione seu potiùs Paraphrasi Æmilii Porti Cretensis ac notis ejusdem subinde additis, *Coloniæ Allobrogum*, i. e. *Genevæ* 1619. 2. vol. fol.

980. ROSWIDA, seu Rosvitis, natione Germana, in Cœnobio Gandersheimensi monialis; Claruit anno 980. pietate non minùs quàm generis nobilitate insignis, maximè verò bonarum literarum scientiâ illustris, quas supra communem sæculi sui sortem & sexûs captum excoluit, Græcè simul & Latinè docta, prosâ pariter ac metro pollens. Scripsit Ottonis II. Imp. & Gerbergæ Abbatissæ jussu, *Historiam seu Panegyricum de gestis Ottonis* I. carmine Heroico. Carmine item conscripsit *Historias sacras* VIII. viz. *Passionem* S. *Dionysii martyris*, *Passionem S. Pelagii martyris*, &c. Prosâ verò exaravit *Comœdias sacras* VI. *de variis argumentis*, præcipuè verò Sanctorum laudibus. Omnia isthæc opuscula collegit, & simul edidit Conradus Celtes, primus Germaniæ Poëta laureatus, *Noribergæ* 1501. Panegyricus Ottonis Imp. habetur etiam inter Scriptores Germanicos à Reuberto editos.

980. ÆLFRICUS, sive ALFRICUS, natione Anglus, Æthelvvoldi Episcopi Wintoniensis discipulus, ejusque in regimine Cœnobii Abendoniensis successor (modò Baleo fides adhibeatur.) Teste verò Gulielmo Malmsburiensi*, ab Edgaro Rege Abbas Malmsburiensis factus est, quin & (si Joanni Capgravio fides) primus Monasterii S. Albani recèns instaurati ab Obsvvaldo Episcopo Worcestrensi Abbas constitutus circa ann. 969. Habetur equidem apud Gul. Malmsburiensem † Edgari Regis charta Cœnobio Malmsburiensi concessa, quâ se Ælfricum, virum in omnibus Ecclesiasticum, Monasterio isti præfecisse testatur anno regni sui 14. & incarnationis Dominicæ 974. Quamplurimi sunt, qui illum primò Episcopum Wiltoniensem (Wellensem vocat Baleus) deinde Cantuariensem Archiepiscopum ab anno 995. fuisse volunt; fato functum 1006. primò Abendonæ sepultum, deinde Cantuariam translatum. Verùm alium ab Archiepiscopo Cantuariensi fuisse Ælfricum nostrum suadere videtur ipsius ad Wulfstanum Eboracensem Epistola, quâ seipsum solo Abbatis titulo cohonestat; cùm tamen ex Simeone Dunelmensi, Rogero Hovedeno, aliisque liqueat, Ælfricum Cantuariensem sedem istam integro sexennio tenuisse, antequam Wulfstanus ad Eboracensem promoveretur; nisi potiùs cum Gulielmo Malmsburiensi & Matthæo Florilego Ælfricum in sede Cantuariensi ante Siricium collocemus, & tunc quidem tempora optimè convenient. Interim celandum non est, quod tradunt nonnulli Historici, Wulfstanum non ante annum 1002. sedem Eboracensem adeptum esse; quo posito, nullo modo fieri potest, ut Ælfricus noster inter Archiepiscopos Cantuarienses locum teneat. Alius quidem fuit Wulfstanus Eboracensis Archiepiscopus. Verùm cùm istum anno 956. ante Edgari Regis tempora obiisse constet, parùm is fortasse in rem nostram conferre censendus erit. Litem tamen forsan dirimet doctissima Usserii in *Biblioth. Theol. MS.* conjectura, quam hic loci apponere non gravabor: "Quid igitur, *inquit*, si hæc omnia in hunc "modum inter se concilientur? Ælfricus, 1°. ante "annum 956. [quo obiit prior ille Wulfstanus "Eboracensis Archiepiscopus, ad quem Ælfricus, "posteaquam jam in Æthelwoldi scholâ literis "operam dederat, Epistolam scripserit] Cœnobioli alicujus Abbas factus fuit, atque hoc tem- "pore scripsisse potuit ad Wulfstanum & Wulfi- "num literas. 2°. Post annum 963. (quo Æthel- "vvoldus in Abendoniensi Abbatia successorem "reliquit Ordgarum discipulum suum) Ordgaro "Condiscipulo suo in Abendoniensis Cœnobii "Præfectura successit 3°. Circa an. 969. ab Obsvval- "do Vigorniensi Episcopo Abbas S. Albani consti- "tutus est, [quæ quidem Abbatia major est illa "Abendionensi.] 4°. Circa ann 974. ab Edgaro "Rege [ut chartæ illius verba habent] famosissimi "constitutus est Abbas Cœnobii Malmsburiensis. "5°. ab ann. 978. ad ann. 981. Cridiatunensis apud "Devonienses fuit Episcopus. Nam Alfricum Cri- "diatunensem Episcopum priùs Abbatem Malms- "buriensem fuisse, & virum doctum habitum fuis- "se, librosque duos, unum de rebus Cœnobii sui, "de rerum naturis alterum, scripsisse, testantur "Historici; quod vehementer sanè arguit Alfri- "cum illum eundem cum nostro fuisse. 6°. Ab an- "no etiam 990. ad 995. Wiltoniensium fuit Epis- "copus post Siricium, sicut etiam Devoniensium "eodem tempore post Sidemannum. 7°. Ab anno "995. ad 1006. [quo obiit] post Siricium Cantua- "riensis fuit Archiepiscopus. Certè anno 1001. di- "plomati ab Æthelredo Rege Monachis Septo- "niensibus concesso (quod apud Harpsfeildum "habetur pag. 197.) subscripsit Ælfricus Cantua- "riensis Archiepiscopus. Hactenus Cl. Usserii conjectura. Et Ælfricum quidem hoc tempore sedem Archiepiscopalem tenuisse, fidem mihi facit certissimam privilegium istud Æthelredi Regis Ecclesiæ Christi Cantuariensi concessum, quod Saxonicè & Latinè edidit H. Spelmannus Concil. Brit. Tom. I. pag. 507. cui proximè post Æthelredum loco subscribit. Ælfricus his verbis è Saxonico Latinè versis; *Ælfricus Ecclesiæ Christi Archiep. boni hujus Regis munificentiam ligno crucis in æternum corroboravit*: sive ut in veteri exemplari Latino ibid. edito pag. 509. habetur; *Ego Ælfricus Dorobernicus Archi-præsul hanc prærogativam vexillo sancto confirmavi.* Concessum est hoc privilegium juxta vetustum exemplar Latinum ann. 1006. in quo falsum esse numerum ex scriptoris vitio non sine causa suspicatur Cl. Spelmannus, qui referendum potiùs censet ad ann. 1002. Et certè cùm testes inter alios exhibet Godvvinum, qui sedem Roffensem adiit ann. 1001. & Vofstanum Episcopum Londinensem, qui juxta Fastos Savilianos obiit ann. 1003. vel sequenti, i e. Æthelredi 25. vel 26. haud alius annus dari potest. Vir certè erat Ælfricus noster supra communem sui sæculi sortem in Theologicis, præsertim verò in Grammaticis (*Grammaticus* inde dictus) eruditus: tantam exinde apud populares suos famam adeptus, ut Sermones ab eo scripti, vel Saxonicè versi in Ecclesiis publicè legi juberentur; atque ex ipsius Epistolis haud paucæ in vetustum Ecclesiæ Anglicanæ Synodicon cooptarentur.

* In Vit. Aldhelmi.

† De gestis Reg. Angl. l. 2. c. 8.

SCRIPTA.

Tractatus de Veteri ac Novo Testamento, quo enumeratis sigillatim utriusque voluminibus, ac rebus sub utroque fœdere gestis ordine enarratis, Historiam sacram usque ad Hierosolymam à Tito expugnatam deducit. Saxonicè.

Homilia Paschalis de corpore & sanguine D. N. Jesu Christi, quæ quovis Paschate ad populum recitari lato olim Canone jussa est. In Homiliâ istâ repens tunc sensim in Ecclesiam Transsubstantiationis dogma Ælfricus aggreditur; ac productis argumentis quamplurimis, ex Ratramni libro maximam partem desumptis, funditus convellit, adeò ut

Digitized by Google

SÆC. X. ab A.DCCCC. ut quænam Ecclesiæ Anglicanæ isto ævo de Eucharistia fides fuerit, luculentissimis exinde pateat indiciis. Prodiit typis impressa Saxonicis & Latinis à Joanne Daio *Londini* 1566. quindecim Præsulum, aliorumque Magnatum, subscriptionibus munita, eam ex Archivis Saxonicis fideliter descriptam esse testantium. Præfatio de Ælfrico ejusque scriptis à Reverendissimo Matthæo Parkero Archiepiscopo Cantuariensi conscripta. Demum ab Abrahamo Wheloco adjuncta versione Latina Saxonicè edita est in accuratissima sua Bedæ *Historia Eccles.* editione p. 462.

Epistola II. altera *ad VVulsinum Episcopum Schireburnensem*, altera *ad VVulfstanum Archiepiscopum Eboracensem.* In his multa ex Homilia Paschali De Eucharistia, ac spirituali solummodò corporis & sanguinis Christi præsentiâ repetuntur. Utraque Epistola, jubente Wulfstano, ab Ælfrico postea in Latinum sermonem conversa est, & Ecclesiæ Anglicanæ libris Synodicis ac Pœnitentialibus olim inserta; cautumque est, lata lege Ecclesiastica, ut loco Admonitionis spiritualis doctrinæ ab Episcopo, data quavis occasione, ad Clericos & Presbyteros prælegerentur.

Opuscula supra enumerata ex Ecclesiarum Exoniensis, Herefordensis, ac Wigorniensis Archivis eruit, & adjectâ versione Anglicâ Saxonicè edidit, (exceptâ unicâ ad Wulfstanum Eboracensem Epistolâ, quam Latinè simul ac Saxonicè dedit) vir spectabilis Gulielmus L'Isle *Londini* 1623. 1638. 8º. Edita priùs fuerant (Tractatu primo excepto) Saxonicè simul ac Anglicè à Joanne Foxo, *Actorum & Monument. Eccl.* Tom. II. ad an. 1538.

Liber Pœnitentialis, Ecclesiæ Wigorniensi olim à Wulfstano Episcopo [qui sub Gulielmo Normanno floruit] donatus, in quo Epistolæ istæ inter alios Canones locum sortiuntur; asservatur etiamnum in Bibliothecâ Collegii S. Benedicti Cantab. Extant etiam tam Saxonicè quàm Latinè in libro Canonum Ecclesiæ Exoniensi donato à Leofrico Episcopo, qui anno 1049. sedem istam tenuit. Habetur iste liber in Bibliothecâ publicâ Oxoniensi.

Epistola de Canonibus ad VVulsinum Episcopum, Capitulis XXXV. constans. Habetur Lat. Concil. Tom. IX. p. 1003.

INEDITA.

Sermonum linguâ Saxonicâ LXXX. *libri* II. quos partim à seipso, partim ab aliis, Latinè antea scriptos in plebis usum rogantibus Episcopis Saxonicè postea convertit. Plures hodienum habentur Collectiones Sermonum Ælfrici Saxonicorum, quæ passim in Angliâ, partim in privatorum manibus, partim in publicis Bibliothecis asservantur. Ex his extant Cantabrigiæ duæ, atera in Bibliothecâ publicâ Academiæ, altera in Bibliothecâ S. Benedicti. Prima LX. constat Sermonibus, altera XXIV. In utraque verò habetur *Sermo Paschalis*, titulo *Sermonis de Sacrificio in die Pascha.* Ex Ælfrici enim Sermonibus selecti sunt præ cæteris XXIV. qui populo publicè prælegerentur, eo ordine, ut XII. priores de rebus agentes generalibus [ut *De initio creaturæ*, *De auguriis*, *De die judicii*, *De vaniloquio & negligentia*, *De avaritia*, *De falsis* Diis, &c.] quandocunque Sacerdoti visum esset, legerentur. Posteriores verò XII. propriis Festis assignantur [viz. *De Annunciatione B. Mariæ*, *De Nativitate Domini*, *De Circumcisione* Domini, *De Epiphania*, De *Purificatione B. Mariæ*, *Dominica prima in Quadragesima*, *Dominica Palmarum*, *die Paschatis*, &c.]

Epistola de consuetudine Monachorum. Extat MS. in Collegio S. Benedict. Cantab.

Epistola ad Sygefertum contra Clericorum nuptias. Principium ejus exhibet Gul. L'Isle Præfatione in Hom. Paschal. SÆC. X. ab A.DCCCC.

Canones Concilii Nicani Saxonicè versi MSS. in Collegio dicto.

Chronica Saxonica maximè de Ecclesia Cantuariensi, ab Ælfrico anno ætatis suæ 23. Saxonicè scripta; MSS. ibidem.

Passiones & Vitæ Sanctorum, translatæ ex Latino in Saxonicum sermonem per Ælfricum. Habentur in *Bibliotheca Cottoniana* sub *Julio* E. 7. n. 1.

Vita sancti Guthlaci, Saxonicè ad Ælfwaldum Orientalium Anglorum Regem scripta, MS. ibid. sub *Vespasiano* D. 21. n. 2.

Linguæ Latinæ *Grammatica*, *Saxonico-Latinâ* præfixâ Præfatione Latinâ MS. extat alicubi. Plura enim exinde loca habet Gul. L'Isle Præfat. in Homil. Pasch. immò [quod postea reperi] typis excusa prodiit [unà cum Glossario ejusdem generis] *Oxon.* 1659.

Excerpta ex Prisciano minore, ac Saxonicè versa, plura MSS. Cantabrigiæ.

Dictionarium Latino-Saxonicum. *Opera quadam Donati Saxonicè versa.* *S. Gregorii M. Dialogi IV. Saxonicè versi.*	MSS. Cantabrigiæ, & in Bibliotheca Lumleianâ.

Eundem *Æthelwoldi Præceptoris vitam* conscripsisse prodit Gul. Malmsburiensis in vitâ Aldhelmi MS. Verùm an opus istud supersit, non constat.

Cæterùm Ælfridi *Sermones* Latini injuriâ temporis interierunt. Nec enim mirum est Episcopos Lanfrancum secutos, qui Transubstantiationis dogma ferè sectati sunt, nimio veritatis in iis passim deprehensæ fulgore offensos, eos ex Ecclesiarum Cathedralium Archivis, ubi repositi erant, sublatos suppressisse, Saxonicos interim Sermones [linguâ quippe ipsis ignotâ obvelatos] inviolatos superfuisse. Lingua enim Saxonica post invasionem Normannicam mox penitùs evanuit.

ÆLFRICUS, natione Anglus, Æthelwoldi Episcopi Wintoniensis discipulus, claruit anno DCCCCXC. Vexata est quæstio nec solutu facilis, unúsne fuerit hoc tempore an duo Ælfrici, hic Cantuariensis Archiepiscopus, ille Grammaticus, librorum penè omnium qui sub Ælfrici nomine latent, parens, uterque Æthelwoldi discipulus. Priorem sententiam tuentur scriptores nostri penè ad unum omnes, quam tamen cùm difficultatibus quibusdam premi animadverteret ὁ πάνυ Usserius, ad conciliandas quæ oriuntur difficultates multa congessit, quæ ex *Bibliothecâ* ejus *Theologicâ* MS. suprà compendio exhibuimus. Improbavit hanc Usserii aliorumque sententiam H. Warthonus; pluribus seu argumentis seu conjecturis contendit Ælfricum ex Episcopo VVintoniensi, Siricio in Sede Cantuariensi ann. 995. successisse, obiisse anno circiter MV. Ælfricum verò Grammaticum, primò fuisse Monacum, deinde Abbatem, ut videtur, VVintoniensem, tandem ab anno MXXIII. Archiepiscopum Eboracensem factum, Ælfricum *Puttam*, *i. e.* doctum seu sapientem dictum, diemque clausisse extremum anno MLI. ut si circa annum DCCCCLII. natus sit, centenario proximus obiit. Hæc pluribus vir eruditus Dissertatione *de duobus Ælfricis*, quam *Angliâ Sacr.* Tom. I. pag. 125. inseruit. Litem hanc meam non faciam, etsi omnibus ritè expensis me in sententiam VVhartonianam propendere fateor. Perpendat æquus Lector utrinque dicta, & judicio fruatur suo. 990. P. II.

Digitized by Google

SÆC. X. ab A.DCCCC.

Fuit Ælfricus Anglo-Saxonum suo tempore longè doctissimus, Grammaticæ, Logicæ, Poëticæ, Historiæ non infœliciter peritus, in rebus Theologicis ad amussim eruditus, vir prudens, pius, & Religionis Christianæ zelo fervidus, ad scientiam, fidem, & pietatem Christianam ævo rudi barbaroque, promovendam natus. In contexendis sermonibus populo diebus festis Dominicisve, linguâ Saxonicâ, prælegendis, partim ex SS. Patrum scriptis decerptis, partim de suo additis, incredibilem planè posuit diligentiam. Quorum integri codices in Bibliothecis nostris adhuc delitescunt. Nec minore usus est studio & labore in S. Scripturæ libris in patrium sermonem transferendis. Extat in Bibliothecâ Bodleianâ, nè de aliis dicam, ejus *Pentateuchus*, cum libris Josuæ & Judicum. Præfationem Geneseωs Saxonicè & Latinè extulit VVhartonus noster *Auctuar. ad Hist. dogmat. Usser* pag. 380. Interim ut hoc obiter moneam, eo in loco p. 377. me erroris arguit VVhartonus, quòd in recensendis Ælfrici scriptis, *Grammaticam* ejus & *Dictionarium Latino-Saxonicum* illius operibus MSS. annumerassem, quæ anteà à Somnero evulgata fuerant. Immeritò utique. Edidit quidem Somnerus Ælfrici Grammaticam unà cum ejusdem Glossario, ad finem Glossarii sui *Oxon.* 1639. id quod lectorem disertè monui p. 590. Extare tamen MS. in Bibliothecâ Cottonianâ, & D. Joannis Oxon. alibique sæpiùs, *Glossarium Ælfrici*, ab eo quod publici juris fecit Somnerus longè diversum, nôrunt quotquot in his studiis hospites non planè sunt, & plusquam semel iterumque monet Cl. Hickesius *Catal. libr. Septentrion.* quem Grammaticæ suæ *Anglo-Saxonicæ* subjecit: ubi etiam de Ælfrici nostri operibus Saxonicis, tùm editis tum MSS. plura te, lector Philo Saxo, docebit. Vapulat proindè hoc nomine Whartonus Wh. Kennetto viro ingenuo atque erudito, qui Somneri Vitam patrio sermone nuper edidit pag. 76. Verùm hæc obiter. Quàm diversa fuerit Ælfrici, & Ecclesiæ Anglicanæ hoc tempore, ab hodiernis Ecclesiæ Romanæ dogmatibus sententia uno alteróve exemplo manifestum fiet. In omnibus penè scriptis Theologicis disertè docet sacras Scripturas à fidelibus esse legendas, discendas, earumque lectionem non minùs ad animam purgandam, quàm cibum naturalem ad corpus nutriendum, conducere. Hæc nos in *Homiliis* sive sermonibus Saxonicis; hæc in *Compendio* Veteris & Novi Testamenti ad Sigvuerdum nobilem, alibique ubivis docet. Quin & *præfatione* quam versioni suæ Geneseωs præmisit, objectionem adversùs sacras Scripturas in sermonem popularem transferendas, nè eas pravè intelligant imperiti, luculenter diluit. In dogmate de Eucharistiâ sententiæ Pontificiæ apertum planè bellum indicit. Sermone *de sacrificio*, eoque satis prolixo, qui in die Paschatis solemni coram populo recitari solebat, id penè unicè agit, ut ostendat nos spiritualiter corpus Christi gustare, ejusque sanguinem bibere, cùm verâ fide sacram illam gustemus Eucharistiam; panem & vinum non posse per ullam benedictionem in Christi corpus & sanguinem mutari; verè quidem Christi corpus & sanguinem esse, non tamen corporaliter sed spiritualiter. Esse quidem Eucharistiam quæ ad Altare Dei consecratur commemorationem Corporis Christi quod pro nobis obtulit, & Sanguinis sui quem pro nobis fudit, Corpus Sanguinemque Christi non corporaliter sed spiritualiter; nec disputandum, quî hoc fieri posset, sed quòd ita fiat nostrâ fide esse tenendum. Verùm integrum sermonem exscribere necesse sit, si modò omnia quæ huc spectant excerpere velimus. Paschalem hunc sermonem primus Saxonicè & Anglicè edidit Matthæus Parkerus Archiep. Cant. *Lond.* 1567. 12°. Transtulit in Acta & Monument. Tom. II. Joan. Foxus. Recudit Gulielm. l'Isle sive de Insulâ *Londin.* 1638. 4°. Tandem Saxonicè & Latinè edidit Abr. Whelocus *not.* ad *Bed. Hist. Eccles.* pag. 462. Nec in hoc modò sermone, sed & alibi eadem iisdem penè verbis repetit, præcipuè in *Epistolâ* tum ad Wulfinum Episcopum Schireburnensem, tùm ad Wulfstanum Archiepiscopum Eboracensem. Utriusque partem benè longam monumentis suis Anglico-Saxonicis l'Isleus noster inseruit, exinde Saxonicè & Latinè Whelocus ad Bedam pag. 333. Epistolam ad Wolfstanum primò quidem Latinè scripsit Ælfricus, quam anno sequenti verbis clarioribus & dissertioribus, petente Wulfstano Saxonicè reddidit. Ex Latinâ hâc Epistolâ in pervetusto codice Wigorniensi, qui nunc in Bibliothecâ Collegii Corporis Christi Cantab. asservatur, periodum hanc expunxerat sequioris cujusdam temporis Monachus, utpote Ecclesiæ Romanæ dogmati de Transubstantiatione è Diametro repugnantem; *Non fit tamen hoc sacrificium corpus ejus, in quo passus est pro nobis; neque sanguis ejus, quem pro nobis effudit; sed spiritualiter corpus ejus efficitur & sanguis sicut manna quod de cœlo pluit, & aqua quæ de petra fluxit. Sicut Paulus Apostolus ait.* Securum se existimavit bonus Monachus linguæ Saxonicæ ignarus, nescius utique in Epistolâ Saxonicâ hæc eadem contineri. Quin & in codice Exoniensi, quem Ecclesiæ suo dono dedit Leofricus primus Exoniensium Antistes, hæc ipsa Epistola Ælfrici Latina incorrupta hodie superest, unde hanc sententiam Cl. l'Isleus restituendam curavit.

GERARDUS, Presbyter Augustanus, Ecclesiæ Cathedralis Canonicus, & si idem fuerit, Udalrici Episcopi Capellanus. Claruit anno 980. Udalrico dum vixit, admodùm familiaris. Mandavit literis Vitam S. Udalrici, Episcopi Augustæ-Vindelicorum, ipse penè omnium rerum gestarum testis oculatus, quam absque Auctoris nomine edidit nobilissimus Velserus in *Rebus Vindelicis* pag. 515. Alium etiam librum condidit *de Miraculis S. Udalrici.* Restituto Auctoris nomine, hæc duo opuscula exhibet Mabillonius *Sac. Benedict.* V. pag. 415. — 980. *P. II.*

LANTFREDUS sive LANTFRIDUS, gente Anglus, Cœnobii Wintoniensis Monachus, claruit circa annum DCCCCLXXX. Scripsit librum *de Miraculis S. Swithuni*, scilicet post obitum illius, patratis. Extat MS. in eximiæ antiquitatis & pulchritudinis codice Bibliothecæ Cottonianæ sub Nerone E. I. Epistolam præfatoriam ex alio codice Cottoniano, manu Semi-Saxonicâ exarato edidit H. Whartonus *Angl. Sacr.* T. I. p. 322. — 980. *P. II.*

INGELRAMNUS sive ANGELRANNUS SCHOLASTICUS, Abbas Centulensis, claruit circa ann. DCCCCLXXXI. Scripsit metricè ad Fulbertum Episcopum Carnotensem, *de Vita & Miraculis S. Richarii* Abbatis Centulensis, libros IV. Primum integrum exhibuit Mabillonius *Sac. Benedict.* II. pag. 213. Secundi & tertii argumenta tantùm Capitulorum; quartum, qui relationem S. Richarii ex Sithiensi Monasterio in Centulense continet, edidit idem Mabillonius *Sac Benedict.* V. p. 563. — 981. *P. II.*

JOANNES XV. natione Romanus, Leonis Presbyteri filius, ab anno 986. Pontifex Romanus die XXV. Aprilis ordinatus. Sub initio Pontificatûs à Crescentio Consule Româ expulsus, & in Tusciam fugatus, à Romanis mox revocatus est metu Othonis Imp. quem de suppetiis inter- — 986.

Digitized by Google

SEC. X. ab DCCCC. interpellarat Pontifex. Anno 989. habitâ Romæ Synodo, Adelbertum Pragensem Episcopum derelictam jam monasticæ vitæ studio gregis sui curam repetere coegit. Anno 992. Acta Synodi Rhemensis, in qua depositus fuerat Arnulphus Episcopus Rhemensis, damnavit; missisque anno 995. in Galliam legatis, Arnulphum sedi suæ restituit. Obiit anno 996. die XXX. Aprilis. Extant Epistolæ III. Concil. Tom. IX. pagin. 731.

990. HERIGERUS, sive Harigerus, primùm Monachus, dein Abbas Laubiensis, Fulcuino suffectus anno 990. Obiit anno 1027. die XXXI. Octobris.

SCRIPTA.

Historia, seu Gesta Episcoporum Leodicensium, quæ Notgero vulgò adscribitur. Extat apud Joannem Chapeaville in rerum Leodicensium Historia Leodici 1613.

Liber de Corpore & Sanguine Domini, quem Anonymum edidit Ludovicus Cellotius ad calcem Historiæ Gotteschalci Paris. 1655. fol.

De vitâ & Miraculis S. Ursmari libri IV. carmine rudi & inculto scripti. Apud Henschenium ad diem XVIII. Aprilis. Primus hos libros evulgavit Ægidius VVaulde anno 1628. inter alia Monasterii Laubiensis monumenta.

Vita S. Berlendis virginis. Habetur apud Bollandum ad II. Februarii, & Mabillon. Sæc. Benedict. III. par. 1. p. 14.

Vita S. Landoaldi, quæ sub Notgeri nomine extat apud Surium ad XIX. Martii. Herigero non infirmis argumentis vindicatur à Miræo Not. ad Sigebert. p. 151.

Dialogus de dissonantiâ Ecclesiæ; Adelboldo Episcopo & Herigero interlocutoribus extat MS. Gemblaci, teste Miræo ibid.

Epistola ad Hugonem de quibusdam quæstionibus à Sigeberto * memorata, interiit.

* De Script. c. 137.

990. MOSES BAR-CEPHA, natione Syrus, Episcopus urbis Beth-Raman, Ecclesiarum in partibus Babyloniæ Curator, vixit hoc sæculo, sed quo tempore, prorsus incertum; ac proinde eum labente sæculo circa ann. 990. collocamus. Scripsit Syriacè libros III. de Paradiso, qui ab Andrea Masio Latinè redditi, prodierunt Antverp. 1569. 8°. & in Bibliotheca Patr. Tom. XVII. pagin. 456.

990. OLYMPIODORUS, Monachus Græcus, &, ut nonnulli habent, Ecclesiæ Constantinopolitanæ, juxta alios verò Alexandrinæ, Diaconus. De ætate ejus laborant eruditi; his illum sæculo quinto, aliis nono, aliis undecimo, collocantibus. Nos eum hoc loco deponimus ad an. 990. donec exurgat, qui certiora doceat. Extat Commentarius in Ecclesiasten, Gr. Lat. in Auctario Patr. Ducæano Tom. II. pag. 602. Latinè 1511. 4°. Basil. 1536. 1551. & in Bibliotheca Patr. Tom. XVIII. Commentarius in Job habetur penè integer apud Auctorem Catenæ in Job, Latinè à Paulo Comitolo editæ Venet. 1587. 4°. Græco-Latinè à Patricio Junio Londini 1637. fol. Sunt qui inter Olympiodori opera recensent Commentarium in Threnos Hieremiæ, qui Latinè prodiit unà cum Origenis Commentario Romæ 1598. 4° Quam quidem editionem nondum vidi. Plurima Olympiodori fragmenta nobis exhibet Catena Ghisleriana in Jeremiam tot nempe, ut penè Commentarii vice esse possint.

990. OECUMENIUS, Scriptor itidem admodum incertæ ætatis, de quo altum apud veteres silentium. id modò constat, post annum 800 claruisse. Olympiodoro illum hic adjungimus ad anni 990. donec veram ejus ætatem expiscari liceat. Magnam Novi Testamenti partem ex Veterum Commentariis, præcipuè ex Chrysostomo, qui ipsi prora ac puppis est, clarè, dilucidè, & concisè explicavit; unde Novi Testamenti Scholiastes Græcus vulgò haberi solet. Extant hodie

Enarrationes in Acta Apostolorum.

Commentarii in Epistolas S. Pauli.

Commentarii in Epistolam S. Jacobi, aliasque Canonicas.

Prodierunt Oecumenii opera Græcè Veronæ 1532. Lat. Venet. 1556. 8°. Gr. Lat. Paris. 1631. 2. Tom. fol.

998. P. II. JOANNES, gente, ut videtur, Gallus, Abbas, an Gorziensis, an S. Arnulfi Mettensis tandem in medio relinquit Cl. Mabillonius. Claruit circa annum DCCCCXC. In literas misit Vitam & Miracula S. Glodesindis Mettensis Abbatissæ: quæ fato suo functa est circa annum DCX. idque libris II. Extat hæc Vita, sed interpolata, sub nomine Bernardi cujusdam Abbatis, vel ut alii Arberti Monachi, apud Surium Jul. XXV. Sinceriorem, stylo & Auctori suo restitutam, ex variis codicibus MSS. edidit Ph. Labbeus Biblioth. Nov. Tom. I. pag. 724. Vitam extulit Mabillonius Sæc. Benedict. IV. p. 1087. Posteriorem, seu historiam Translationis & Miraculorum S. Glodesindis dedit idem Sæc. IV. Part. I. p. 435. Scripsit item Vitam S. Joannis Abbatis Gorziensis, anno DCCCCLXXIII. denati, cui morienti adstitit, quam tamen non penitus absolvit. Ediderunt hanc Bollandiani Febr. XXVII. & ad ipsum autographum collatam Jo. Mabillonius Sæc. Bened. V. p. 363.

990. P. II. ANONYMUS Vitæ S. Martini Auctor vixit Sæculo X. exeunte, circa annum DCCCCXC. Scripsit Vitam S. Martini Abbatis Vertavensis, stylo quidem humili, ut ingenuè agnoscit, & rustico, sed Historiæ veritate sinceriter suffragante. Hanc ex MS. codice Monasterii Silvæ majoris erutam, in Actis suis edidit unà cum libello de Miraculis & Translatione ejusdem Abbatis Joan. Mabillonius Sæc. I. p. 681.

990. P. II. REIMANNUS, quem alii OUSMANNUM vocant, natione Germanus, Cœnobii VValciodorensis aut saltem Gorziensis Monachus, claruit circa annum DCCCCXC. Scripsit Vitam S. Cadroæ, Abbatis VValciodorensis, deinde Mettensis quam Immoni Abbati dedicavit. Exhibent hanc Bollandiani Mart. VI. & ex iis Mabillonius Sæc. Bened. V. pag. 487.

990. P. II. JOANNES SMERA POLOVECIUS, natione Russus, Ulodimiri Regis medicus & rhetor, claruit anno DCCCCXC. Inter Scriptores Ecclesiasticos locum habet, non quòd plura post se reliquit Opuscula, extat enim non nisi Epistola unica, sed ob singularem rei novitatem. Ulodimirus supremus Russorum Princeps, religione gentilis, Helenam, sive ut alii vocant, Annam Basilii & Constantini Imperatorum Orientis Sororem, in uxorem duxit. Quâ occasione Religionem Christianam amplexus est, & Russi in Græcorum ritus transferunt. Antè verò quàm hæc fierent, Ulodimirus Idolorum cultui adhuc deditus, in varias quæ tùm vigebant religiones inquirere cœpit, missis undequaque hanc in rem exploratoribus. Instantibus Mahumetanis, illorum cultum velut fœdum, turpemque contemptui habuit. Latinorum reje-

Digitized by Google

cit, quoniam eorum cæremoniæ parùm religiosæ videbantur. In Græcorum religionem, utpote Romanâ minùs corruptam, propendebat. Quò verò tutiùs procederet, misit Joannem nostrum, qui varias regiones peragraret, seque de omnibus certiorem faceret. Peragratâ itaque Pannoniâ, Serviâ, Bulgariâ, Mysiâ, magnoque Græcorum Imperio, Antiochiâ, Hierosolymis, tandem devenit in Ægyptum, & Alexandriæ diu commoratus est, sacro lavacro ibi initiatus. Ex hâc urbe literas ad Ulodimirum dedit, quibus eum de variis Religionis cultoribus certiorem reddidit. Inter alia, hæc habet. "Prætereà verò vidi etiam non paucos Christianorum conventus, apud quos jam nulla idola sunt, tantùm mensa & scamna. Hi autem homines sunt Theologi, seu de Deo loquentes, honesti, super omnia diligentes pacem, planè velut Angeli Dei. Conveniunt autem ad doctrinas quotidie ex mandato Dei, & ad preces antelucano tempore, rursus verò post occasum solis, aliquandò autem tertiâ & nonâ horâ diei. Hos autem hìc homines ubique nominant sanctum Dei novum Israeliticum populum, seu Israelem. Sequuntur autem hìc hanc doctrinam & Reges aliquot cum suis Doctoribus, & ego ipse semper eos doctrinæ causâ accedo. Qua de re librum eorum, cognominatum *Evangelia*, cum doctrinis Apostolorum, tibi Rex mitto, ut percipias. In sequentibus, in Græcorum mores & instituta acriùs invehitur, eorumque ruinam & exitium ob idololatriam, hypocrisin, superbiam, crudelitatem, aliaque vitia prædicit; ultimamque gentem Judaicam ad doctrinam Christi convertendam. Claudit literas his ad Ulodimirum verbis. *Ideóque, O Rex, non licet tibi suscipere mores & religionem Græcam (habet exemplar aliud & Romanam) Sin verò eam susceperis, ego ad te nunquam proficiscar, sed hìc obdormiens judicium Filii Dei expectabo.* Scripsit hanc Epistolam linguâ Bulgaricâ, in tabulis æreis, literis ferreis. Specimen characterum in fronte editæ Epistolæ exhibetur. Tabulæ in Monasterio Salvatoris Præmisliensi, non procul à veteri Sambore delituerunt ad annum usque MDLXVII. quo Andreas Kolodynsky Russorum Diaconus, eas in sermonem Russicum & Polonicum transtulit. Ex Polonico, an. MDCLXXVII. Latinè vertit Benedictus Vissovvatius. Versionem ejus in lucem protulit Sandius in *Append. ad Hist. Eccl.* p. 61. Exinde Andreas VVengerscius *in Append. ad Hist. Eccles. Provinc. Sclavon.* pag. 499. Non parvam huic Epistolæ lucem affundent Miechovvita *Hist. Polon.* lib. II. cap. 3. fol. 990. Cromerus *de Orig. & rebus gestis Polon.* lib. III. pag. 31. ut alios mittam.

990. P. II. THOMAS Hharanita, gente Syrus, dogmate Monothelita, Kfartabensis in diœcesi Aleppensi Metropolita, claruit circa annum DCCCCXC. Ut dogma Monotheleticum latiùs propagaret, ad Maronitas in montem Libanum profectus est. Sed frustrà ei cessit labor, cùm paucos invenerit qui doctrinam ejus amplecterentur; etiamsi nonnulli hâc labe infecti sint. Et de Thomâ hæc quidem Faustus Naironus, ut Maronitas suos à Monothelismi labe vindicaret, quâ tamen eos à tempore Joannis Maronis, id est, ab exeunte Sæculo VI. laboràsse tradit Eutychius Batricida Patriarcha Alexandrinus in *Annalibus*, & suo jam tempore à quingentis penè annis VVilhelmus Tyrius *de bello sacro* lib. XXII. c. 8. ut alios tùm veteres, tùm recentiores mittam. Adversùs hos insurgit Naironus Maronita, editâ pro Maronitis suis apologiâ in Dissert. *De Origine, Nomine, ac Religione Maronitarum* pag. 36. 50. 69. & alibi sæpius Eutychii & VVilh. Tyrii narrationem defendit vir eruditus, & in his literis summus, R. Simonius *in Hist. Crit. de Religione & Moribus Nationum Orientalium*, Gallicè primùm, dein & Anglicè editâ, cap. 14. p. m. 144. Causam hanc denuò in se suscepit, & adversùs tùm Veteres, tùm Simonium propugnare conatur Naironus in *Euopliâ Fidei Cathol.* Part. I. pag. 62. &c. Quin & p. 79. longè ampliorem responsionem ad D. Simonium se paratam habere dicit. Sed ad Thomam redeo. Scripsit librum *decem propositionum*, quas in gratiam Monothelismi congessit, venditavit, & inter libros MSS. Abr. Echellensis reperitur, teste eodem Nairono *in Indice Auct.* quem *Euopliæ suæ* præmisit, ubi etiam Thomam sæculo decimo vergente ad undecimum floruisse docet.

LETALDUS Miciacensis apud Aurelianenses Monachus, claruit circa ann. DCCCCXC. Scripsit librum *de miraculis* S. Maximini Abbatis Miciacensis, quem ex cod. MS. edidit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* I. pag. 598. qui eundem esse Letaldum cum Vitæ S. Juliani Cenomannensis Episcopi expolitore existimat; etsi Possevinus illum Monachum Cenomannensem fuisse contendit. Extat etiam hujus Letaldi *Delatio* corporis S. Juniani in Synodum Karrofensem circa ann. DCCCLXXXVIII. apud Mabillon. *Sæc. Benedict.* IV. Part. I. p. 434. 990. P. II.

STEPHANUS, natione Germanus, Monachus forsan Coloniensis, claruit circa an. DCCCCXC. Scripsit stylo tumido & inflato librum, de S. Maurini Abbatis & Martyris inventione, & translatione factâ in Coloniensi Monasterio S. Pantaleonis, Christiano Abbati dicatum. Habetur post Surium apud Mabillon. *Sæc. Bened.* V. p. 333. 990. P. II.

DUDO, gente Gallus, Ecclesiæ S. Quintini Viromandensis Canonicus, dein Decanus, claruit anno DCCCCXC. Mandato Richardi I. Normanniæ Ducis, commisit litteris de Vitis & Actis primorum Normanniæ Ducum libros III. quos Adalberoni Episcopo Laudinensi dedicavit. Hos ex vetusto codice MS. primus in lucem emisit Andreas du Chesnius *Script. Norman.* p. 49. Scriptorem hunc à peritiâ, studio, & eloquentiâ commendant Gulielmus Gemmeticensis & Ordericus Vitalis. Verùm quod rectè notat Vossius *, scripsit poëticâ magis quàm historicâ fide, usque adeò multas fabulas inseruit. 990. P. II.

* De Hist. Lat. lib. II. c. 41. p. 356.

SISINNIUS, *Magister* dictus, post Nicolai Chrysobergis mortem, Patriarcha Constantinopolitanus factus est an. 994. vel sequente. Dissidia ob quartas nuptias in Ecclesia Orientali jamdiu excitata composuit. Sedem tenuit annos tres. Extat ab eo scriptus *Tractatus de Nuptiis Consobrinorum*, seu Περὶ τοῦ μὴ λαμβάνειν δύο ἀδελφοὺς ἐξαδέλφας δύο, in Leunclavii jure Gr. Rom. lib. 3. p. 197. 994.

SISINNIUS, Magister, deinde Patriarcha CP. creatus anno DCCCCXCIV. imperantibus Basilio juniore & Constantino Porphyrogenneta, fratribus Augg. Extat Græcè Latinè *Tomus Synodalis*, cui XXX. Metropolitæ subscripserunt, super hâc quæstione, ne duo fratres excipiant duas consobrinas *Jur. Græc. Rom.* lib. III. pag. 197. 994. P. II.

ODILO, gente Arvernus, ex equestri familiâ ortus, in vico Brivatensi apud S. Julianum Clericus factus, & in Cœnobio Cluniacensi monasticum indutus habitum, post Maioli præceptoris sui mortem Abbas constitutus est anno 994. à Maiolo adhuc vivente successor sibi designatus. Pietate, & charitate erga pauperes insignis, immensam 994.

Digitized by Google

SÆC. X. ab A.DCCCC. mensam sibi apud Robertum Gallorum Regem, & Henricum Germanorum Imperatorem gratiam & authoritatem conciliavit; adeò ut ab Henrico coronâ suâ aureâ donatus fuerit, quam ille famis tempore, pro alendis pauperibus unà cum aliis Ecclesiæ suæ ornamentis distraxit. Anno circiter 1022. ad visenda Apostolorum limina, & Monachos Casinenses, in Italiam excurrit. Anno 1034. Archiepiscopus Lugdunensis electus, dignitatem istam repudiavit. Plurima in Galliis Monasteria reformavit; multa fundavit. Ista dum inviseret, anno 1048. apud Silviniacum diem extremum obiit, Cal. Januar. ætatis suæ 87. Ordinationis 56. Primus ille Festum omnium Sanctorum instituisse dicitur; cùm Monachis suis præceperit, ut postridie Cal. Novembr. memoriam omnium Sanctorum celebrarent, exemplo ad alias mox Ecclesias transeunte, & authoritate Pontificis Romani tandem comprobato.

SCRIPTA.

Vita S. Maioli Abbatis decessoris sui. Habetur apud Surium XI. Maii.

Hymni IV. *in eundem.*

Epistolæ aliquot ad Fulbertum.

Vita S. Adheleidis Imperatricis Othonis I. Imp. uxoris, quæ obiit anno 999. Edita est à Canisio Tom. V. par. 2. p. 398.

Sermones XIV. *de Festis Domini, B. Virginis, ac Sanctorum.*

Statutum de defunctis.

Omnia ista opuscula simul collegit, atque edi curavit Duchesnius in Bibliothecâ suâ Cluniacensi *Paris.* 1614. exinde relata in Bibliothec. Patr. Tom. XVII. p. 653.

Epistolæ aliquot, à Dacherio evulgatæ Spicileg. Tom. II.

994. P. II. AUCTOR Anonymus *Vitæ S. VVolfgangi*, æqualis ejus ac familiaris, claruit ann. DCCCCXCIV. Scripsit Vitam S. VVolfgangi Ratisponensis Episcopi, eodem ipso anno demortui. Stylum mutavit qui primus edidit Laur. Surius *Octobr.* XXXI. Ex cod. MS. Einsidlensi restitutam suppeditavit Jo. Mabillonius *Sæc. Bened.* V. p. 811.

995. P. II. GEBEHARDUS, Germanus, Augustæ-Vindelicorum Episcopus an. circiter DCCCCXCV. factus est. Obiit anno MII. Gerardi opus de Vita & Miraculis S. Udalrici recudere, & novo stylo expolire in se recepit; quod tamen imperfectum reliquit. Extat apud Marc. Velseium *Rer. Vindel.* p. 591. Prologum & principium habet Mabillonius *Sæc. Bened.* V. p. 472.

996. GREGORIUS V. *Bruno* antea dictus, natione Germanus, Ottonis Marchionis Veronensis filius, Ottonis Imp. nepos, saltem consanguineus, anno 996. Othonis Imp. potentiâ Pontifex Romanus electus est, die XVII. Maii ordinatus. Ineunte statim Pontificatu, à Crescentio Consule urbe pulsus est, & in Hetruriam primùm, deinde in Germaniam fugatus; cùm tamen priùs collecto Ticini Episcoporum Concilio, Crescentium anathemate innodâsset. Paulò post ab Othone armatâ manu reductus, coronam Imperialem isti imposuit; habitâque Romæ Synodo, collapsæ Ecclesiæ disciplinæ instaurandæ operam navavit, & Adelberto Pragensi ad sedem suam se conferre, intentato anathematis fulmine præcepit. Anno 998. ab Abbone Floriacensi rogatus, toti Galliæ regno excommunicationem comminatus est, ni Arnulphus Rhemorum Archiepiscopus injustè olim depositus in sedem suam remitteretur. Obiit anno 999. die XVIII. Februarii. Extant *Epistolæ* IV. Concil. Tom. IX. pag. 752. & *Epistola de Privilegiis Abbatum Montis majoris*, apud Baluzium Miscellan. Tom. IV. p. 431. SÆC. X. ab A.DCCCC.

BURCHARDUS, gente Germanus, patriâ Hassus, Olberti, postea Abbatis Gemblacensis, discipulus, Monachus Lobiensis, tandem anno 996. Franconi fratri germano in sede Wormatiensi successit. Anno 1022. Concilio Selegunstadiensi interfuit. Post 30. fere annos in Pastorali munere fideliter exactos diem extremum clausit anno 1005. f. Item sequenti. Pluribus ante obitum annis extructâ sibi cellâ, & vicino Oratorio in sylva, duobus à VVormatia miliaribus distante, ab omni strepitu, negotiisque sæcularibus procul remotâ; pietati & otio literario se totum dedit. Et hoc quidem in loco hortante Brunichone præposito Wormatiensi, & colloborante magistro suo Olberto; magnum illud *Decretorum volumen* aggressus est in XX. libros distributum, quos è S. Scripturâ, ex Canonibus, qui dicuntur, Apostolorum, ex Synodorum tum Orientalium, tum Occidentalium regulis, ex Romanorum Pontificum decretis, sanctorum Patrum dictis, & libellis quibusdam Pœnitentialibus collegit, nec his contentus, splendidas ex spuriis Pontificum Epistolis quisquilias plena manu convasavit, quarum exempla penè innumera lectori ante oculos ponit Cl. Blondellus Prolegom. ad Pseudo-Isid. cap. 18. p. 98. prodiit hoc Opus *Colon.* 1548. fol. & *Paris.* 1549. 8. & forsan alibi non semel. 996. Vid. Vit. ejus ab Anonymo script. Decreto præfix.

SYLVESTER II. *Gerbertus* antea dictus, natione Arvernus, patriâ Aurelianensis, non infimo loco natus, à puero ingenuis artibus præclarè enutritus, in Philosophiæ verò & Astrologiæ studio haud vulgariter versatus, Monasticam vitam juxta D. Benedicti institutum amplexus, paulò post Roberti Galliarum Regis, ejusque filii Hugonis præceptor factus est. Hac occasione cùm in aula plurimùm poterat, anno 991. convocatâ Synodo Arnulphum Rhemorum Archiepiscopum sede suâ ejiciendum, seque in locum ejus subrogandum curavit. Verùm à Joanne XX. Papâ depositus, anno 995. favente Ottone Imperatore, & suffragante populo, Ravennatum Archiepiscopus constitutus est: hucusque sedis Pontificiæ acerrimus oppugnator; tandem mortuo Gregorio Ottonis III. patrocinio Romanæ Ecclesiæ Pontifex renunciatur, anno 999. die II. Aprilis inthronizatus. Plurima Ecclesiæ Romanæ beneficia ac territoria ab Othone Imp. donari obtinuit, multasque Hæreses in Ecclesiâ paulò ante exortas fœliciter consopivit. Obiit anno 1003. die XII. Maii. Quæ de modo ejus, per magicas nempe incantationes, ad sedem Pontificiam perveniendi, de pactâ pro mercede diabolo animâ, eique tandem ereptâ, tradit Cardinalis Benno sequentis sæculi Scriptor, apud ipsum Bennonem in *vitâ Hildebrandi* legi possunt. 999.

SCRIPTA.

Epistolæ CLX. ab eo dum sedem adhuc Rhemensem teneret, scriptæ; quas edidit Papirius Massonus *Paris.* 1611. 4°. & Duchesnius Scriptor. Francic. Tom. II. p. 787. exinde relatæ sunt in Biblioth. Patr. Tom. XVII. p. 669.

Epistolæ III. post Pontificatum susceptum scriptæ. Extant Concil. Tom. IX. p. 777.

Liber de Spharâ.

Sermo de informatione Episcoporum. Utrumque Tractatum in lucem edidit Mabillonius Analect. Tom. II. p. 212.

Digitized by Google

SÆC. X. ab A.DCCCC. *Vita S. Adelberti Archiepiscopi Pragensis*, ab Abrahamo Bzovio edita *Romæ*, teste Ludovico Jacob à S. Carolo Biblioth. Pontif. lib. I. p. 214.

Epigramma elegantissimum in imaginem Sever. Boetii: habetur apud Baron. Append. Tom. VII. p. 4.

INEDITA.

DE *Arithmeticâ*, *seu de Numeris*, ad Constantinum Monachum Floriacensem. Extabat MS. apud Joannem Massonum Papirii fratrem. SÆC. X. ab A.DCCCC.

De Geometriâ liber MS. olim in Bibliotheca Farnesianâ. Alia ejus opuscula commemorantur, viz. *Dialogus pulcherrimus inter ipsum & Leonem nuncium Apostolicum*; *de Compositione Astrolabii liber*, *de Rheotorica* lib. I. *Oratio in Synodo Mosonii habita* an. 995. quæ an alicubi adhuc delitescant, nondum comperi.

SÆC. X.

Concilia hoc Sæculo habita.

901. *P. II.* CONSTANTINOPOLITANUM I. sub Nicolao Patriarcha habitum. Mortuâ Eudociâ, uxore tertiâ, quartam duxerat nomine Zoen Leo sapiens Imperator. Hâc de re offensus Nicolaus Mysticus Patriarcha, coactâ Synodo, nuptias hasce tanquàm illegitimas damnavit, Thomam Presbyterum, qui hoc matrimonium ritu Ecclesiastico consecrarat, deposuit, ipsumque Imperatorem Ecclesiæ sacris interesse vetuit. De his agunt Cedrenus, Zonaras, Curopalates, &c. & Prooemium unionis quod habetur *Jur. Græc. Rom.* Tom. I. lib. II. p. 104. Extant etiam Latinè Nicolai Patriarchæ ad Romanum Pontificem de hoc argumento Epistolæ II. Conc. Tom. IX. in *Append.* p. 1264.

901. *P. II.* OVETENSE in Hispaniâ, anno DCCCCI. saltem sequenti, ab Hispaniæ Episcopis, præsente Theodulpho Episcopo Regis Francorum Legato, celebratum. Quo dignitas Metropolitana, Ecclesiæ Ovetensi antehac concessa, confirmata est. Decretum etiam, ut Episcopi reliquique Ministri sacri Ecclesiasticæ disciplinæ invigilarent, eoque fine bis in anno Synodos haberent; denique ut Episcopi earum Ecclesiarum quæ destructæ à Saracenis fuerant, Ovetum se conferentes, in eâque Ecclesiâ Deo famulantes, stipem consequerentur. Hæc, ex historiâ Sampiri Episcopi, nos docet Card. d'Aguirre *Notit. Conc. Hispan.* p. 183.

904. *P. II.* ANGLICANUM, ab Edwardo seniore, præsidente Pleigmundo Archiepiscopo, ad Ecclesiam Anglicanam benè ordinandam, & Episcopos in Sedes vacantes reponendos, ablato jam interdicto, Formosi Papæ, ut volunt, jussu congregatum. Cujus proinde ad Episcopos Angliæ hâc de re Epistola habetur. Extant Synodi Acta partim ex Malmesbur. partim ex veteri codice MS. collecta, apud Spelm. *Conc. Brit.* T. I. p. 387. & Conc. T. IX. p. 430. Verùm Formosi, anno DCCCXCVI. fato functi, & Edwardi, qui non nisi anno DCCCCI. regnare cœpit, tempora non benè conveniunt. Ad nodum hunc solvendum magnoperè variant eruditorum sententiæ, & adhuc sub judice lis est. Certè vel Formosi, vel Edwardi nomen expungendum videtur, & vel Joannis IX. vel Ælfridi Regis substituendum. Vide quæ notavit Spelman. loc. citat. & ex eo G. Cossartius Conc. T. IX. p. 43. Cl. Papebrochius ut totius controversiæ fundamentum tolleret, ipsam Formosi Epistolam merum esse Sæculi XI. Figmentum censet, occasione contentionis inter Cantuariensem & Eboracensem Archiepiscopos natum. Certè interpolatam saltem esse innuere videtur *Canteburiæ* nomen vetustiori Dorobernia explicationis gratiâ additum, quod Formosi ætate necdùm in usu erat. Interim dum res clarior fiat, Synodum hanc juxta Malmesburiensem ad annum DCCCCIV. retulimus. Huic Synodo Edwardi senioris Leges Ecclesiasticæ Anglo Saxonicæ apud Spelmannum subjiciuntur, antea à Lambardo editæ in *Archaion* Edit. Cantab. pag. 38. Addere liceat Ælfredum Regem Edwardi patrem, multas Leges, tùm Ecclesiasticas tùm Civiles, promulgasse. In quarum parte priore plurima habentur capitula, tàm ex Novo, quàm ex Veteri Testamento decerpta. Sequuntur quæ notæ Ecclesiasticæ sunt, de jurejurando de fidejussione violatâ, de sacrarum ædium immunitate, de Sacrilegio, de iis qui moniales in Templis rapuerint &c. Extant Saxonicè & Latinè ubi suprà p. 15. & Spelm. loc. cit. p. 354.

ROMANUM I. anno DCCCCIV. sub Joanne IX. celebratum. In quo Acta Stephani VI. contra Formosum habita rescinduntur & improbantur, & solius Lamberti coronatio tanquàm citrà vim, & legitimè facta confirmatur. Extant de his *Capitula* XII. Conc. T. IX. p. 50. quibus alterius cujusdam Synodi *Capitula* XII. subjiciuntur. 904. P. II.

RAVENNATENSE I. à Joanne IX. Papâ, & LXXIV. Episcopis, anno DCCCCIV. celebratum. In quo Formosi Papæ ordinatio confirmatur, Synodusque ab Stephano adversus illum habita damnata & combusta est. Extant Acta & *Capitula* X. Conc. Tom. IX. p. 507. Vide tamen notam, quæ in *Append.* exhibetur p. 1237. 904. P. II.

BARCINONENSE an. DCCCCVI. sub Arnulpho Archiepiscopo Narbonensi, à VII. Episcopis celebratum. In hâc Synodo id solum in quæstionem venit, an Ecclesia Ausonensis Ecclesiæ Narbonensi subjicienda sit. Vide d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 68. plura subjungit, sed quæ huc propriè non spectant. 906. P. II.

ROMANUM II. anno DCCCCVI. à Benedicto IV. habitum. In quo Argrinus Lingonensis Episcopus sedi suæ restituitur. Vide Benedicti Epist. I. Conc. Tom. IX. p. 511. 906. P. II.

NARBONENSE I. anno DCCCCVI. habitum. In quo de Ausonensis Ecclesiæ libertate disceptatur. In alio, anno sequenti ibidem habito, decretum est Ecclesiam Ausonensem, à Tributo Ecclesiæ 906. P. II.

Narbo-

SÆC. X. ab A.DCCCC. Narbonenſi pendendo, in poſterum liberam eſſe. Agit de his P. de Marca, & ex eo Conciliorum Editores Tom. IX. p. 518.

909. P. II. MAGALONENSE apud Juncarias, anno DCCCCIX. V. Nonas *Maias*, præſidente Arnuſto Archiepiſcopo Narbonenſi, & X. Epiſcopis celebratum. In quo Sinnarius Comes cum omni familiâ ſuâ anathematis vinculo, liberatur. Extat *Decretum* Synodale apud Baluz. *Conc. Gall. Narbon.* pag. 5. & Conc. Tom. IX. p. 519.

909. P. II. TROSLEIANUM I. in Diœceſi Sueſſionenſi, ab Heriveo Rhemenſi Archiepiſcopo, ejusque ſuffraganeis, anno DCCCCIX. VI. Cal. *Jul* celebratum. In eo de diſciplina Eccleſiæ ſtatuti ſunt *Canones*, ſive prolixa *Capitula* XV. Conc. Tom. IX. p. 521.

911. P. II. NARBONENSE II. apud Fontem Coopertum anno DCCCCXI. ab Arnuſto Narbonenſi habitum. In quo de Urgelitanæ & Pallarienſis Eccleſiæ juribus & limitibus actum eſt. Fusè de hac re agit Jo. Mariana lib. VIII. c. V. *Hiſp. illuſtr.* Tom. II. p. 435.

912. P. II. TURONENSE an. DCCCCXII. de celebrando Feſto Tranſlationis S. Martini habitum. Actorum ſummam ex Odone Cluniacenſi exhibent Conciliorum Editores Tom. IX. p. 569.

915. P. II. CABILONENSE an. DCCCCXV. habitum. In quo villa quædam, quæ ad Eccleſiam S. Clementis pertinebat, Eccleſiæ ſuæ reddita eſt, & Roculfus Comes Matiſconenſis, res illius Eccleſiæ quas invaſerat reſtituere coactus eſt. Vide Conc. Tom. IX p. 78.

921. P. II. TROSLEIANUM II. an. DCCCCXXI. præſente Carolo Rege præſidente Heriveo Rhemorum Archiepiſcopo, habitum. In quo Hertebaldus Comes Caſtrenſis, qui ob terras quaſdam Eccleſiæ Rhemenſi ereptas, ab Heriveo Archiepiſcopo excommunicatus fuerat, poſt mortem abſolvitur. Vide Flodoard. lib. IV. *Hiſt.* c. 16. pag. 353. & Chron. ad an. DCCCCXXI. p. 112.

922. P. II. CONFLUENTINUM anno DCCCCXXII. ab VIII. Epiſcopis, præſentibus Carolo Franciæ, & Henrico Germaniæ Regibus, habitum. Deperditis tribus, extant quæ de diſciplinâ agunt *Capitula* V. Conc. Tom. IX. p. 579.

923. P. II. RHEMENSE I. hoc eſt alicubi in Territorio Rhemenſi, anno DCCCCXXIII. habitum. In quo pœnitentia iis, qui Bello Sueſſionico inter Robertum & Carolum interfuerunt indicta eſt. Extant Acta brevicula Conc. Tom. IX. p. 591.

924. TROSLEIANUM III. an. DCCCCXXIV. habitum. In quo Iſaac Comes cum Stephano Epiſcopo Cameracenſi rediit in gratiam. Vide Flodoard. lib. IV. c. 19. fol. 354. p. 2.

926. P. II. CARILOCENSE anno DCCCCXXVI. habitum. In quo Eccleſiis per bella & rapinas penè funditùs everſis proſpectum eſt. Vide quæ ex ejuſdem Eccleſiæ tabulis referuntur Conc. Tom. IX. p. 82.

927. P. II. TROSLEIANUM IV. an. DCCCCXXVII. VI. Epiſcopis invito licet Radulfo Rege habitum. In quo Herluinus Comes, propter uxorem, quam, aliâ vivente duxerat, pœnitentiam ſubiens, abſolvitur. Vide Flodoard. in *Chron.* an. DCCCCXXVII. pag. 129. in *Hiſtoriâ Rhemenſ.* lib. IV. cap. 21. fol. 956 p. 2. SÆC. X. ab A.DCCCC.

DUISBERGENSE anno DCCCCXXVII. collectum. In quo illi qui Bennonem Epiſcopum excæcarant, excommunicantur. Vide Flodoard. in *Chron.* ad an. DCCCCXXVIII. 927. P. II.

GRATELEANUM an. circiter DCCCCXXVIII. ab Athelſtano Rege Anglorum, præſentibus Epiſcopis & Proceribus, præſidente VVulfhelmo Archiepiſcopo, habitum. In quo Leges plurimæ, tùm Civiles, tum Eccleſiaſticæ ſtatuuntur. IX. quæ Eccleſiaſtici commatis ſunt, habentur Saxonicè & Latinè cum priſcâ earundem verſione apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 396. qui hæc capitula in diverſis Synodis, hoc circiter tempore habitis, ſed Grateleanam utplurimùm ſequentibus, condita fuiſſe ſuſpicatur, quique proinde de hâc Synodo omninò conſulendus eſt. Extant etiam Latinè Conc. Tom. IX. p. 582. et ampliquè Editio auctior ibid. p. 585. Integram harum Legum tùm ſacrarum, tùm civilium collectionem primus in lucem protulit Lambardus noſter & in utraque *Archaionomiæ* ſuæ editione Saxonicè & Latinè reperitur. 928. P. II.

ERPFORDIENSE an DCCCCXXXII in causâ diſciplinæ Eccleſiaſticæ celebratum. Extant *Capitula* V. Conc. Tom. IX. p. 591. Synodi cujuſdam anno DCCCCXXXIII. propè caſtellum Theodorici habitæ, cui præſederunt Artaldus Rhemenſis & Teudolus Turonenſis antiſtites, meminit Flodoardus in *Chron.* ad annum DCCCCXXXIII. pag. 138. quid verò in eâ geſtum ſit, non refert. 932. P. II.

MACRENSE anno DCCCCXXXV. à VII. Epiſcopis, præſide Artaldo Rhemenſi, habitum. In quo rerum Eccleſiaſticarum invaſores damnantur. Vide Flodoard. in *Chron.* ad an. DCCCCXXXV. p. 142. 935. P. II.

RHEMENSE II. ſaltem LAUDUNENSE anno DCCCCXXXVI. præſentibus Regni Principibus, & Epiſcopis pluſquam XX. celebratum. Quo Ludovicus Francorum Rex ab Arthaldo Archiepiſcopo Rhemenſi ungitur & coronatur, & Rodulfus Epiſcopus Laudunenſis ab eodem conſecratur. Refert hæc Flodoardus in *Chron.* ad an DCCCCXXXVI. p. 142. 936. P. II.

CAMBRICUM circa annum, ut videtur, DCCCCXL. præſente Hoelo Dhatotius Whalliæ Principe, plurimiſque Epiſcopis & Magnatibus, præſidente Epiſcopo Menevenſi celebratum. In quo plurimæ Leges Eccleſiaſticæ ad Eccleſiam Cambro-Britannicam rectè ordinandam ſancitæ ſunt. Extant hæ Leges, ex codicibus MSS. erutæ apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 408. 940. P. II.

SUESSIONENSE anno DCCCCXLI. à Diœceſeos Rhemenſis Epiſcopis, in Eccleſiâ SS. Criſpini & Criſpiniani habitum. In quo, dejecto Arthaldo, Hugo Heriberti Comitis filius, Rhemorum Archiepiſcopus conſecratus eſt. Vide Flodoard. in *Chron.* ad an. DCCCCXLI. p. 152. qui ſe eo tempore ab hoc Hugone, ab exilio revocatum fuiſſe dicit. 941. P. II.

CONSTANTINOPOLITANUM II. an. DCCCCXLIV. congregatum. In quo, Tryphone Patriarchâ depoſito, Theophylactus Imperatoris filius in ejus locum ſubſtitutus eſt. Vide quæ ex Curopalate habent Conciliorum Editores Conc. Tom. IX. p. 617. 944. P. II.

HELE-

Digitized by Google

SÆC. X. ab A. DCCCC. 944. P. II. HELENENSE in Fontanis ann. DCCCCXLIV. præside Aymerico Narbonensi Archiepiscopo habitum. In quo depositi sunt Episcopi Gerundensis & Urgellensis, & mox restituti. Et Episcopo Helenensi primus post Narbonensem locus in Synodis & Ordinationibus concessus est. Vide Conc. Tom. IX. pag. 621. Ad ann. DCCCCXLVII. hanc Synodum refert d'Aguirre *Conc. Hispan.* Tom. III. pag. 182.

944. P. II. LONDINENSE I. circa ann. DCCCCXLIV. sub Edmundo Rege à VVulstano Archiepiscopo, plurimisque aliis Episcopis & Regni Magnatibus, in Festo Paschatis celebratum. Fateor hujus Synodi annum certò definiri non posse; sed cùm Edmundus non nisi ab an. DCCCCXL. ad DCCCCXLVI. regnaverit, hoc circiter tempore congregatam esse oportet. In quâ ut rei Christianæ fides proveheretur, mutua inter omnes benevolentia foveretur, communique animarum saluti provideretur, conditæ sunt haud paucæ Leges Ecclesiasticæ & Civiles, quæ habentur Saxonicè & Latinè apud Lambard. *Archaion.* p. 57. & cum priscâ earundem versione apud Spelm. qui Ecclesiasticas tantùm selegit. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 419.

947. P. II. VIRDUNENSE ad Mosam Fl. præsidente Rotberto Trevirensi, cum plurimis aliis Episcopis, anno DCCCCXLVII. mense *Novembri* celebratum. In quo, contendentibus Artaldo & Hugone (qui tamen ad Synodum evocatus licèt venire noluit) de Episcopatu Rhemensi, Sedes Rhemensis Artaldo adjudicatur. Videsis Flodoard. tum in *Chron.* ad an. DCCCCXLVII. p. 168. tùm in *Hist. Rhemens.* lib. IV. capp. 33. 34. fol. 366 &c.

948. P. II. MOSOMENSE I. ad Mosam Fl. in Diœcesi Rhemensi anno DCCCCXLVIII. mense *Januario*, eâdem de causâ habitum. In quo Sedes Rhemensis Artaldo iterùm adjudicatur, communione Hugoni usque ad generalem Synodum interdictâ. Vide Flodoard. in *Chron.* ad ann. DCCCCXLVIII. p. 168. ubi plura de hac Synodo habet.

948. P. II. ENGILENHEIMENSE ann. DCCCCXLVIII. VII. Id. *Jun.* præsente Marino Pontificis Legato, plurimisque Germaniæ & Galliæ Episcopis, Roberto Trevirensi, Frederico Moguntino, VVicfredo Coloniensi, Adaldaco Hamburgensi &c. celebratum: In quo Artaldus per vim ab Hugone dejectus, & carceri mancipatus, Sedi suæ restituitur, Hugone anathemate percusso. Hugo item Comes ob rebellionem in Ludovicum, & tyrannidem in Ecclesiam excommunicatur. Extant de his Acta & *Canones* X. unà cum Artaldi ad Synodum Epistolâ Concil. Tom. IX. pag. 623. Acta etiam prolixè refert Flodoard. tum in *Chron.* ad ann. DCCCCXLVIII. pag. 170. tum lib. IV. *Hist. Rhemens.* c. 35.

948. P. II. TREVIRENSE anno DCCCCXLVIII. à Roberto Trevirensi, Artaldo Rhemensi, Rodulfo Laudunensi, aliisque, præsente Marino Legato, habitum. In quo Hugo Comes ob perduellionem iterùm excommunicatus, & Episcopi aliquot ab Hugone Rhemensi ordinati damnati sunt. Vide Flodoard. in *Chron.* ad annum DCCCCXLVIII. pag. 175.

948. P. II. LONDINENSE II. anno DCCCCXLVIII. sub Edredo Rege, præsentibus Archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi, habitum. In quo quæ ad Regni & Ecclesiæ salutem & utilitatem spectant constituta sunt. Vide Ingulph. p. m. 497. ubi vide Edredi chartam Monasterio Croylandensi concessam, & in hac Synodo confirmatam. Confer Spelm. Tom. I. p. 428. SÆC. X. ab A. DCCCC.

ROMANUM III. anno DCCCCXLIX. sub Agapeto Papâ habitum. In quo Synodi Engilenheimensis Acta confirmantur. Vide Flodoard. in *Chron.* ad an. DCCCCXLIX. 949. P. II.

LANDAVENSE I. anno DCCCCL. sub Patre Episcopo Landavensi habitum. In quo Nougui Rex, sacrilegii reus, satisfactione factâ, pœnitentiam agit. Vide Acta apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 429. & Conc. Tom. IX. p. 634. 950. P. II.

AUGUSTANUM anno DCCCCLII. in causa disciplinæ Ecclesiasticæ habitum. In quo quæ ad Episcoporum, Clericorum &c. munera, moresque pertinent, præcipuè tractantur. Extant *Capitula* XI. Conc. Tom. IX. p. 636. 952. P. II.

RHEMENSE III. apud S. THEODERICUM, à V. Episcopis, præsidente Artaldo Archiepiscopo, anno DCCCCLIII. adversùs Ragenaldum Comitem, rerum Ecclesiasticarum pervasorem, habitum. Sed petente Rege, Excommunicatio ejus intermissa est. Confer Flodoard. in *Chron.* ad an DCCCCLIII. p. 186. 953. P. II.

LANDAVENSE II. anno DCCCCLV. sub Patre Episcopo congregatum. In quo ob Diaconum coram ipso Altari interfectum, judicium in homicidas fertur. Extant Acta apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 429. & Conc. Tom. IX. p. 637. 955. P. II.

BURGUNDICUM anno DCCCCLV. incertum quo loco habitum. In quo de Excommunicatione Isuardi, qui agros ad Abbatiam S. Symphoriani pertinentes injustè detinebat, actum est. Extat *Commonitorium* Synodale de Excommunicatione Isuardi Conc Tom IX. p. 639. 955. P. II.

BRANDANFORDIENSE in agro Middlesexiensi, an. DCCCCLIX. sub Edgaro Rege habitum. In quo Edvvini Regis Decreta rescinduntur, ablata Ecclesiæ restituuntur, & Dunstanus ab exilio revocatur. Vide Antiq. Britan. *in Vit. Dunst.* p. m. 82. De tempore hujus Synodi, & Privilegii Ecclesiæ Cantuariensi ab Edgaro concessi, confer quæ notavit Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 432. 959. P. II.

MATRONENSE in pago Meldensi, anno DCCCCLXII. mense *Aprili* habitum. In quo rejecto Hugone, qui mortuo jam Artaldo Sedem Rhemensem iterùm invadere voluit, Odalricus ejusdem urbis Episcopus constituit. Vide Flodoard. & Hugonem Flaviacensem in *Chron.* ad an. DCCCCLXI. & ex iis Conciliorum Editores Tom. IX. p. 647. 962. P. II.

ROMANUM IV. ann. DCCCCLXIII. præsente Ottone Imp. habitum. In quo, deposito Joanne Papâ XII. Leo VIII. ei suffectus est. Extant hujus Synodi Acta ex Luitprando desumpta Concil. Tom. IX. p. 648. 963. P. II.

CONSTANTINOPOLITANUM III. an. DCCCCLXIII. sub Polyeucto Patriarchâ habitum. In quo Nicephori Imp. causa de secundis nuptiis, teste Curopalate, discussa & approbata est. Vide Conc. Tom. IX. p. 653. 963. P. II.

ROMANUM V. anno DCCCCLXIV. à Joanne XII. celebratum. In quo Leo VIII. tanquàm schismaticus deponitur, & Acta Conciliabuli sub eo habiti repro- 964. P. II.

Digitized by Google

SÆC. X. ab A.DCCCC. reprobantur. Extant hujus Synodi Acta III. Sessionibus absoluta Conc. Tom. IX. p. 653.

964. P. II. ROMANUM VI. anno DCCCCLXIV. sub Ottone Imp. habitum. In quo Leo VIII. arrepto iterùm Pontificatu, Benedictum V. Papam exauctoravit, & Hamburgum relegavit. Extant ex Luitprando hujus Synodi Acta Conc. Tom. IX. p. 659.

967. P. II. RAVENNATENSE II. anno DCCCCLXVII. præsente Ottone Imp. in causa disciplinæ Ecclesiasticæ habitum. Vide quæ hâc de re habet Rhegino in *Chron.* ad ann. DCCCCLXVII.

969. P. II. ROMANUM VII. anno DCCCCLXIX à Joanne XIII. Papâ habitum. In quo sedes Beneventana Archiepiscopatûs titulo insignitur. Joannis Papæ hâc de re literas exhibet Ughell. *Ital. Sacr.* Tom. VIII. & Conc. Tom. IX. *in Append.* p. 1238.

969. P. II. ANGLICUM anno DCCCCLXIX. à Dunstano Cantuariensi, & omnibus penè Angliæ Episcopis congregatum. In quo damnantur Clerici conjugati, Monachatus promovetur, Comes quidam præpotens ob incestas nuptias pœnitentiam agit, ipsique Edgaro Regi ob compressam virginem claustralem, septennalis pœnitentia injuncta est. Habentur hujus Synodi acta hinc inde collecta apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 474. & Conc. Tom. IX. p. 698.

970. P. II. LONDINENSE III. anno DCCCCLXX. vel saltem sequenti sub Edgaro Rege coactum. In quo præclara Cœnobio Glastoniensi concessa privilegia confirmantur, reservatâ Regi & Hæredibus conferendi baculum pastoralem Abbati electo potestate. Extant Synodi Acta apud Malmesburium *Hist.* lib. II. c. 8. fol. 31. p. 2. Edgari & Joannis Papæ XIII. hâc de re Diplomata & Chartæ apud Spelm. *Conc. Brit.* T. I. p. 486. Conc. Tom. IX. p. 702. Anno sequente, in Synodo Romæ à Joanne XIII. habitâ, eadem privilegia huic Cœnobio confirmantur. Vide ibid. p. 705. Semel hoc loco monuisse sufficiat, Edgarum Regem anno quidem incerto, plurimas Leges Ecclesiasticas & Civiles, frequenti Senatu, ad Dei gloriam, Regiæ Majestatis ornamentum, ac Reipublicæ utilitatem sancivisse. Et primo quidem loco stant Ecclesiasticæ, de immunitatibus Ecclesiæ, de censu Ecclesiastico, sive primitiis seminum, de decimis, de denario in domos singulas imposito, de diebus festis ac jejuniis. Sequuntur humanæ & politicæ. Tertio demùm habentur Canones Ecclesiastici, qui ad has generaliores classes, speciales sub se Canones continentes revocantes; nempè de ordinatorum vivendi formulâ, de confessione, de modo imponendi pœnitentiam, de satisfactione, de Magnatum pœnitentiâ. Extant hæc omnia Saxonicè & Latinè à Lambardo edita *Archaionom.* p. 62. Edit. Cantab. & exceptis Legibus politicis, apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. pag. 435. Latinè Concil. Tom. IX. p. 680.

972. P. II. TARDANENSE apud Montem S. Mariæ anno DCCCCLXXII. habitum. In quo Adalberonis Rhemensis Decretum pro Monachis in Canonicorum locum in Cœnobio Mosomensi substituendis confirmatum extat Adalberonis *Decretum* & Joannis Papæ Epistola, Conc. Tom. IX. p. 705.

973. P. II. MUTINENSE in Flaminiâ, seu Æmiliâ, anno DCCCCLXXIII. ab Honesto Ravennatum Archiepiscopo, ad componendam pacem inter Petrum & Lambertum Germaniæ Proceres, habitum. Extant Acta vetusta ex autographo in Ursianâ Bibliothecâ asservato apud Rubeum *Hist. Raven.* lib. V. p. 264. & exinde Conc. Tom. IX. p. 712.

973. P. II. MARZALIENSE ann. DCCCCLXXIII. ab Honesto Ravennatum Archiepiscopo, & Episcopis comprovincialibus habitum. In quo inter alia compositæ Episcopatûs Bononiensis & Parmensis controversiæ. Extant Acta apud Ughel. *Ital. Sacr.* Tom. II. & Conc. T. IX. in *Append.* p. 1241.

975. P. II. CONSTANTINOPOLITANUM IV. anno DCCCCLXXV. habitum. In quo, deposito Basilio Patriarchâ, Antonius Studites in ejus locum subrogatur. Vide Conc. Tom. IX. p. 720.

975. P. II. RHEMENSE IV. an. DCCCCLXXV. præsidente Stephano Pontificis Legato habitum. In quo Theobaldus ab Hugone Rhemensi olim ordinatus, ob Ecclesiæ Ambianensis usurpationem iterùm excommunicatus est. Extat Epistola Synodalis ad Theobaldum Conc. Tom. IX. p. 721.

975. P. II. WINTONIENSE anno DCCCCLXXV. præsidente Dunstano Cantuariensi coactum. In quo, factâ acerrimâ Monachos inter & Clericos uxoratos contentione, lis in Monachorum gratiam dirempta est B. Virginis Imagine (si Diis placet) pro Monachis loquente. Vide quæ ex Historicis nostris, Malmesburiensi, Florentio Wigorniensi, & præcipuè Chronico Wintoniensi plenâ manu collegit Spelmannus *Conc. Brit.* Tom. I. p. 490. & ex eo Conciliorum Editores Tom. IX. p. 721. De incerto hujus Concilii tempore, multa ut solet eruditè notavit Spelmannus noster loc. suprà citat.

977. P. II. KYRTLINGTONIENSE in Angliâ Orientali sub Edvvardo Confessore, à Dunstano Cantuariensi anno DCCCCLXXVII. habitum. In quo inter alia statutum est, ut homines rusticani ad Ecclesiam S. Mariæ Abbandunensem Religionis causâ peregrinarentur. Sedente Synodo diem suum morte repentinâ obiit Sidemannus Devoniæ Episcopus Cridiantunæ honorificè sepultus. Extant breviuscula hujus Synodi Acta (quæ non alia sunt quàm ipsius Chronici Saxonici verba ad an. DCCCCLXXVII. p. 124.) Saxonicè & Latinè apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 493.

978. P. II. CALNIENSE in agro Wiltoniensi anno DCCCCLXXVIII. à Dunstano Cantuariensi habitum. In quo fervente adhuc de Clericorum conjugio controversiâ, Solario Domûs unà cum trabibus repentè delapso, solus Dunstanus salvus remansit, adeòque miraculo causam decidente, omnia in Monachorum gratiam facilè cesserunt. Hæc pluribus Historici nostri, Malmesburiensis *Histor.* lib. II. cap. 9. H. Huntingdonensis *Histor.* lib. V. ad annum DCCCCLXXVIII. & ex iis Spelm. Tom. I. p. 494. & Concil. Tom. IX. pag. 724. Eodem ferè tempore habitum est Ambresbiriæ eâdem de re Concilium, cujus meminit Florentius VVigorn. ad an. DCCCCLXXVII. pag. 361. Extant etiam Saxonicè & Latinè Leges Presbyterorum Northumbrensium, numero LVI. tùm ad mores eorum corrigendos, tùm ad ipsorum ministeria promovenda. Has ex vetusto codice MS. Collegii Benedicti exscripsit Spelmannus noster *Conc. Brit.* Tom. I. pag. 495. Habentur etiam Latinè Conc. Tom IX. pag. 725. Hos Canones non diu post hoc tempus, & in usum Provinciæ Eboracensis conditos fuisse satis liquet, etsi ad nullum certum annum, nec ad ullam certam Synodum revocari possunt.

ROMA-

Digitized by Google

SÆC. X. ab A.DCCCC. ROMANUM VIII anno DCCCCLXXXIII.
983. P. II. In quo, causa Giseleri Magdeburgensis Episcopi, quali malis artibus Sedem illam ab Imperatore consecutus esset, examinata est. Vide Ditmar. lib. III. In eadem, ut videtur, Synodo contra Simoniacos actum est. Extat Benedicti VI. hâc de re *Epistola* Conc. Tom. IX. in *Append*. pag. 1243. ubi Cossartii notam Lector consulat.

988. P. II. LANDAVENSE III. anno circiter DCCCCLXXXVIII. sub Gucauno Episcopo habitum. In quo Rex Arthmail ob fratricidium anathemate percellitur. Hæc ex Archivis Landavensis Ecclesiæ Spelmannus *Conc. Brit*. Tom. I. pag. 502. & exinde Conciliorum Editores Tom. IX. pag. 732.

989. P. II. ROMANUM IX. anno DCCCCLXXXIX. habitum. In quo Adalbertus Pragensis Episcopus, qui ob pravos populi mores munus suum deseruerat, post plures annos, pœnitentibus & petentibus Pragensibus suis, ad Ecclesiam propriam remissus est. Ex Adalberti vitâ apud Sur. hæc tradunt Conciliorum Collectores Tom. IX. pag. 732.

989. P. II. KARROFENSE apud Monasterium in finibus Pictorum & Biturigum situm anno 989. habitum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *Canones* III. Conc. Tom. IX. p. 733.

989. P. II. RHEMENSE V. anno DCCCCLXXXIX. habitum. In quo Arnulfus Rhemensis Archiepiscopus electus est. Extat Epistola Clericorum Rhemensium, Arnulfi libellus fidelitatis, Commonitorium, & anathema in prædones Rhemorum Conc. Tom. IX. p. 734.

990. P. II. NARBONENSE III. anno circiter DCCCCXC. adversùs bonorum Ecclesiasticorum invasores habitum. Vide Conc. Tom. IX. pag. 742.

990. P. II. SILVANECTENSE anno DCCCCXC. à Provinciæ Rhemensis Episcopis habitum. In quo civitatis Rhemensis prædonibus anathema dictum est. Extant Acta Conc. Tom. IX. pag. 736. posteà verò mutatis animis Episcopi in Hugonis Regis partes transierunt. Vide quæ huc spectant Epistolas & Monumenta ibid. p. 737.

991. P. II. RHEMENSE VI. anno DCCCCXCI. habitum, In quo, deposito per fraudem Arnulfo proditionis falsò accusato, Gerbertus Rhemorum Archiepiscopus constitutus est. Extant Acta hujus Synodi Conc. Tom. IX. p. 738. Sed longè prolixiora Acta, ab ipso Gerberto, ut videtur, collecta, & accuratè digesta, & in LV. *Capita* divisa, ex vetusto Codice exhibent Magdeburgenses Cent. X. cap. 9. p. 246. ad historiam etiam hujus Synodi illustrandam lectu digna sunt, quæ habent Baluzius & Conringius Epist. I. II. III. IV. inter Epist. Conringii nuper editas. *Helmst*. 1694. 4to.

993. P. II. ROMANUM X. anno DCCCCXCIII. habitum. In quo Udalricus Episcopus Augustanus in Sanctorum numerum relatus est. Extat Joannis XV. Papæ pro hac canonizatione *Epistola* Conc. T. IX. p. 741.

994. P. II. RHEMENSE VII. circa an. DCCCCXCIV. adversùs Rhemensis provinciæ pervasores habitum. Extat Epistola Synodalis, & Gerberti Epistola ad Fulconem Ambianensem Conc. T. IX. p. 740. SÆC X. ab A.DCCCC.

MOSOMENSE II. anno DCCCCXCV. à Leone Pontificis Legato celebratum. In quo, lectis Joannis Papæ literis, & examinatâ Gerberti ad Sedem Rhemensem electione, à Divino Officio usque ad Rhemensem Synodum abstinere jussus est. Extant hujus Synodi Acta Conc. T. IX. p. 747. 995. P. II.

RHEMENSE VIII. anno DCCCCXCV. præsente eodem Leone Legato coactum. In quo, deposito Gerberto, Arnulfus Ecclesiæ Rhemensi restitui jubetur, teste Appendice ad Aimoinum. Plura habet Baronius ad an. 992. 995. &c. 995. P. II.

ROMANUM XI. ann. DCCCCXCVI. sub Gregorio V. habitum. In quo constitutum fuit, ut Imperator deinceps à septem Electoribus Germaniæ Principibus eligatur: solâ Baronii autoritate hanc Synodum niti ipse Binius non diffitetur. Certè Baronius plurima ad firmandam suam sententiam congessit; pluribusque de Electoribus, eorumque institutione agit (quam ad Innocentii IV. tempora refert) an. DCCCCXCVI. nu. I. IV. & seqq. & exinde Conc. Tom. IX. pag. 757. Verùm rident hæc omnia, & rejiciunt Scriptores Germani S. Imperii defensores, & inter Curiæ Romanæ fabulas reponunt. Synodum quidem Romæ hoc anno, in causâ Herluini Cameracensis Episcopi de bonis Ecclesiæ suæ invasis conquerentis, habitam non nego. Fidem facit tùm Chronicon Cameracense, tùm ipsius Gregorii Epistola hoc. anno data, quæ habetur Conc. ibid. in *Append*. p. 1245. Verùm ne unicam quidem Scriptoris umbram profert Baronius, qui hujusmodi facultatis, de Imperatore à VII. Principibus eligendo, ab hac Synodo concessæ vel verbulo meminerit. 996. P. II.

RAVENNATENSE III. anno DCCCCXCVII. sub Gerberto Archiepiscopo de multis ad disciplinam Ecclesiasticam spectantibus habitum. Extant Synodi hujus Acta Conc. T. IX. p. 766. 997. P. II.

TICINENSE anno DCCCCXCVII. à Gregorio V. habitum. In quo in Crescentium, qui Gregorium Româ expulerat excommunicationis sententia lata est. Vide Chron. Hildensheimens. & Glabr. Rodulf. lib. I. cap. IV. & Conc. T. IX. p. 770. 997. P. II.

SANDIONYSIANUM anno circiter 997. celebratum. In quo de decimis Ecclesiæ restituendis actum est. Consulat Lector quæ hâc de re habet Aimoinus in Vitâ S. Abbonis Floriacensis Abbatis cap. 9. p. 320. & Conc. Tom. IX. p. 770. 997. P. II.

ROMANUM XII. anno DCCCCXCVIII. à Gregorio V. habitum. In quo Robertus Rex qui Bertam consanguineam suam in uxorem duxerat, eam dimittere jubetur, & Episcopi qui hoc conjugium consecrârant excommunicantur. De his aliisque disciplinæ capitibus extant *Canones* VIII. Conc. Tom. IX. p. 772. 998. P. II.

PICTAVENSE anno circiter M. Id. *Jan*. habitum. Extant Ecclesiasticæ disciplinæ *Canones* III. Conc. Tom. IX. p. 781. Aliarum in Galliâ Synodorum, circa annum MII. habitarum, locis non nominatis, in genere meminit Glaber Rodulfus, & quid in iis gestum sit nos docet lib. III. *Histor*. c. 3. 1000. P. II.

Finis Decimi Sæculi.

SÆCULUM

Digitized by Google

SÆCULUM HILDEBRANDINUM.

CONSPECTUS SÆCULI.

SÆC. XI. ab An. M. INEUNTE Sæculo an. MIV. iterum fervere cœpit Controversia Sacramentaria, litem movente Leutherico Archiepiscopo Senonensi. Hanc paucis post annis suam facit Berengarius Andegavensis, qui anno MXXXV. Carnalem Christi præsentiam in Eucharistiâ palàm impugnavit; corpus & sanguinem Domini modo quodam Sacramentali tantùm inesse affirmans; pertracto in sententiam suam Brunone Andegavensi Episcopo. Hanc ob causam anno ML. in Synodis Romanâ, & Vercellensi, & Turonensi anno MLV. damnatus est. An. MLIX. in Synodo Romana ad opinionem revocandam compulsus, quod secundâ, & tertiâ vice an. MLXXVIII. & MLXXIX. factum: præstito juramento in hæc verba: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per mysterium sanctæ orationis, & verbo nostri redemptoris, substantialiter converti in verum, & proprium, ac vivificam carnem & sanguinem Jesu Christi Domini nostri; & post consecrationem esse verum Christi corpus, quod naturale est de Virgine, & quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dextram Patris; & verum sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est, non tantum per signum & virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturæ & veritate substantiæ, sicut in hoc Brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulteriùs docebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.* Verùm postea pœnitentiâ ductus, ad priorem sententiam rediisse dicitur. Acriùs contendit Henricus IV. Imperator cum Gregorio VII *Hildebrando* dicto, circa Investituras, aliaque jura Regalia. Hæc Imperatori extorquet Gregorius, & partim vi, partim censuris Ecclesiasticis, & doctrinâ (quæ hinc *Hildebrandina* audit) de supremâ sedis Apostolicæ in omnes, etiam Reges, auctoritate, γυμνῇ τῇ κεφαλῇ ab eo assertâ, totisque viribus propugnatâ, Romanæ Cathedræ prærogativam longe supra Imperiale fastigium effert. Hinc tumultus undique in Henricum concitati; ipse, ejusque participes in Synodo Romanâ an. MLXXVI. à Gregorio excommunicati, mox deposito Henrico, in ejus locum subrogatur Rudolphus Sueviæ Dux, ad quem Coronam auream his verbis inscriptam misit Gregorius.

Petra dedit Petro, Petrus Diadema Rudolpho.

Nec minore zelo inter Pontifices Romanos, & Patriarchas Constantinopolitanos de jure Primatûs litigatur. Ortâ etiam inter Archiepiscopos Cantuariensem & Eboracensem de sedis primatu controversiâ, an. MLXXII. in gratiam Lanfranci Cantuariensis judicatum est. Ad hujus Sæculi medium refertur *Cardinalium* propriè dictorum institutio: fuerant quidem antea in Ecclesiâ Romanâ Cardinales, in celebrioribus scilicet urbis Ecclesiis clerici fixi & titulati, nec in aliis majoribus Ecclesiis deerant Cardinales. Verùm hoc circiter tempore in Collegium Apostolicum, ut Papæ Consiliarii, & Conjudices, Senatores Urbis & Orbis, veri mundi Cardines essent, asciti sunt. Exinde in immensum excreverunt Cardinalium Prærogativæ, donato iis ab Innocentio IV. circa annum MCCXLIII. pileo rubro, signo nempe, paratos esse debere pro libertate Ecclesiasticâ, si opus erit, proprium sanguinem fundere. Anno MLXXIV. multæ concitatæ sunt turbæ, teste Ph. Brietio, ob Clericos conjugatos à Concilio Romano damnatos, quos *luxuriosos, & impurissimos Sacrificulos* vocat bonus Jesuita. Status Monachalis novas vires, & magna incrementa hoc ævo acquirit; ordine Monachorum Vallis Umbrosæ, Carthusianorum, & Cisterciensium instituto. Circa Sæculi exitum anno MXCVI. suadente Urbano Pontifice, & approbante Concilio Claromontano anno superiore habito, celeberrima fit Cruce Signatorum (cruce nimirum, tanquam Christianæ militiæ tesserâ, vestibus impositâ) ad terram Sanctam infidelium manibus eripiendam expeditio, Duce Godefrido Bullionio, qui occupatis anno MXCIX. Hierosolymis, primus Hierosolymorum Rex communibus suffragiis declaratur; verùm auro noluit coronari, vel in throno sedere, ubi mundi Dominus spinis redimitus in fœno jacuisset; de quo verè Ph. Brietius; *Regno parto Magnus, administrato Major, sanctissimè relicto Maximus, ipsisque adeò Cæsaribus & Alexandris anteferendus.*

SCRIPTORES.

SÆC. XI. ab An. M. 1001. AIMOINUS, gente Aquitanus, O. B. Monachus Floriacensis, claruit anno 1001. juvenis adhuc Monachus factus, Oylboldo Cœnobii præfecturam tenente. Sub Abbone deinde & Gauzlino Abbatibus vitam egit; a que illum anno 1004. ad Monasterium Squirs, comitatus est, ejusque neci inte uit. Anno s quenti Abbonis vitam literis consign vit. N j lura de eo liquent.

SCRI TA.

Historia F an orum libri IV. ad Abbone Abbatem F or censem, ab excidio Trojæ ad Pipini Regis inaugurationem seu annum Christi 752. Q æ equuntur enim, ac l um quintum, quartique partem posteriorem co ituunt, à recentiore quodam Scriptore adjecta sunt. Extat hæc Histor a inter Scriptores Francicos *Francofurt.* 1613. & Historicos Franc. à Duchesnio editos *Paris.* 1641. Tom. III.

De Miraculis S. Benedicti libri II. ad Gauzlinum Abbatem. Habentur apud Joannem à Bosco in Bibliothecâ Floriacensi pag. 79. Bollandum ad XXI. Martii, & Mabillon. Sæc. Benedict. IV. par. 2. p. 366.

Sermo in Festivitatibus S. Benedicti, cui plurima Poëmata, tam sui, quàm aliorum inspersa leguntur. Extat apud Jo. à Bosco in Bibl. Floriac. pag. 270.

Vita S. Abbonis Abbatis Floriacensis ad Hervæum Clericum. Extat ibid. p. 299.

Poëma Heroicum de primâ fu datione Floriacensis Cœnobii.

De Translatio e reliquiar m corporis S. Benedicti in Galliam. U trumque O sculum edidit Duchesnius inter Hi oricos Franc. Tom. III. p sterius recudit Mabi loniu Sæc. Benedict. II. p. 359.

1001. P. II. WOLSTANU , gente A gl s, Ecclesiæ Wintoniensis Can & Monachus, elvvoldi discipulus & lumnus, claruit rca annum MI. Vitam condidit S. Ethelvvoldi Wintoniensis Episcopi, quam ex MS. codice Cœnobii Uticensis eruit Joan. Mabillonius *Sæc. Bened.* V. p. 606. Auctoris nomen in MS. deerat, sed ætas, geniusque Auctoris, & Gulielmi Malmesburiensis testimonium Wolstano nostro vendicant, ut rectè notat Mabillonius. Scripsit item metro librum de Vitâ S. Svvithuni Episcopi Wintoniensis, Elfego Episcopo dicatum, quem habet ibidem idem Mab lonius p. 628. Reliquorum ejus opusculorum titulos dabunt tibi Baleus & Pitseus.

1001. P. II. ANONYMUS, *V ta S. Gerar* A ctor, Monachus Broniensis, circa annum I. item superiori sæculo exeunte claruisse videtur. Scripsit Vitam S. Gerardi Abbatis Broniensis, u m partim à testibus oculatis, partim ab an nyn o priore hausit, & nt o Ab ati suo dedicavit. Extat sed mutato stylo a ud Surium *Octobr.* iii. Genuinam ex codicibus MSS. rep æsentavit Joan. Mabillonius *Sæc. Bened.* V. p. 248.

1002. GODEHARDUS, pri ò quidem Abbas Tegernsensis, dein Episcopus Hildensheimensis, claruit circa an. 1002. Extant *Epistolæ* V. apud Mabillon. Analect. Tom. IV. p. 349. SÆC. XI. ab An. M.

GOZBERTUS, ab initio Sæculi hujusce Abbas Tegernsensis. De obitu ejus nil liquet. Extant *Epistolæ* IV. apud Mabillon. Analect. Tom. IV. p. 347. 1002.

ANONYMUS *Vitæ S. Adalberonis* Auctor, Monachus & Abbas à S. Adalberone constitutus, claruit circa annum MV. Scripsit Vitam B. Adalberonis Mettensis Episcopi, qui hoc ipso anno obiit. Hanc ex vet sto codice MS. edidit Ph. Labbeus *Bibliot. Nov.* Tom. I. p. 670. 1005. P. II.

FULBERTUS, ante annum 1004. Abbas Ferrariensis, VVilhelmo Comiti Pictaviensi admodùm gratiosus, à quo munere Thesaurario S. Hilarii donatus est: Robertò etiam Francorum Regi inter primos charus, ejusque (uti vulgò fertur) Cancellarius. Anno 1007. Episcopus Carnotensis factus est: B. Virginem immodico planè honore coluisse fertur, non solùm exstructâ in honorem illius splendidâ Ecclesiâ Carnotensi, Canuto Anglorum Rege sumptus in id suppeditante, sed Hymnis in laudem ejus cantandis compositis, primus etiam Nativitatis ejus Festum in Galliis celebrâsse dicitur. Quæ de B. Virgine ipsum morbo decumbentem visitante, eumque proprio lacte sanante, referunt Gulielmus Malmsburiensis aliique, in hujusmodi fabulas nimiùm propensi, videant, cui istiusmodi nugæ in deliciis sunt. Obiit Fulbertus anno 1028. die X. Apr lis. 1007.

SCRIPTA.

Epistolæ, tum ejus, tum quorundam aliorum, numero CXXXIV.

Sermones, *Canones*, *Prosæ*, *Hymni*, *& aliquot versus.* Fragmentum *Sermonis in Nativitatem B. Mariæ* habetur apud Joannem à Bosco in Bibliothecâ Floriac. p. 516. Certè hic Sermo ferè ad verbum habetur in Tractatu de Nativitate B. Mariæ Hieronymo afficto.

Vita S. Autberti Episcopi Cameracensis. Extat apud Surium XIII. Decembr.

Prodierunt Fulberti Opera (*exceptâ S. Autberti Vitâ*) curâ Caroli de Villiers Doctoris Theologi Parisiensis *Paris.* 1608. & exinde in Bibliothecâ Patrum Tom. XVIII. pag. 1. Qualem in Operibus istis edendis fidem præstiterit Doctor ille Parisiensis, vel unico hoc exemplo abundè patet: Fulbertus p. 168. verba i hæc ex S. Augustino * descri sit. Ni *manducave is*, inquit, *carnem filii hom is, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis. Facinus vel flagitium videtur jubere. Figura ergo , præcipiens Passioni Domini esse communicandum tantùm*, &c. Hic loci m sellus editor, refutandis hæresibus hujus temporis (uti in editionis fronte gloriatur) intentus, post voces istas, *Figura ergo est*, glossam istam, *dicit Hæreticus*, inseruerat. Tandem post emissum prælo librum, integram periodum in S. Augustini Operibus legi, & exinde à Fulberto descriptam esse admonitus, binas istas voces, *dicit Hæreticus*, inter

* De Doctri. Christ. l. 3. c. 16.

Digitized by Google

ter errata typographica retulit, eas præter Codicis, quo usus est, MS. fidem additas esse confessus.

Epistola Fulberti, Carnotensis *de rebus Ecclesiæ religiosè & cautè distribuendis* extat apud Dacher. *Spicileg.* Tom. II. p. 827.

1007. P. II. FULBERTUS ex Abbate Ferrariensi Carnotensis Episcopus, anno MVII. factus. Inter opera ejus locum habet *Commentarius ad Act. cap.* XII. quem ex cod. MS. Abbatiæ Longi-Pontis, inter veterum aliquot Scriptorum opuscula sacra, edidit Oudinus anno 1692. Extat item *Sermo* ejus *de Assumptione B. Virginis Mariæ*, qui inter sermones Augustini haberi solet, & in nuperâ Benedictinorum editione n. CCVIII. reperitur. *Vita S. Autberti*, quam mutilam evulgavit Surius, integra MS. apud Cameracenses extare dicitur.

1008. ADELBOLDUS, vir Nobilis, Henrici Imp. Consiliarius, & exercituum dux. Cum parùm feliciter ei succederent res bellicæ, abrenunciato sæculo, monasticum habitum in Cœnobio Laubiensi induit, anno demum 1008. post Anfridi mortem Episcopus Ultrajectensis factus. Obiit anno 1027. die XXVII. Novembris. Extant *Libri II. de Vitâ S. Henrici Imp.* apud Canisium Tom. VI. p. 383. Surium ad XIV. Julii, & Gretserum in Sanctis Bambergensibus *Ingolstad.* 1611. 4o. In his editionibus Adelboldi nomen Operi non præfigitur: cui tamen MSS. quidam Codices tribuunt; non eâ verò authoritate prædìti, ut rem extra omnem controversiam ponere videantur.

1008. P. II. DITMARUS natione Germanus, domo nobilis, illustri Comitum Saxoniæ familiâ ortus, natus anno DCCCCLXXVI. patrem habuit Sigefridum Saxoniæ Comitem, matrem Cunegundam filiam Henrici Comitis Stadensis, Ottoni magno, cujus consanguineum eum vocat Ditmarus, valdè cari, adeòque torque aureo donati. Ex sacro fonte illum suscepit Hillebardus Episcopus Halberstadensis; primùm Monachus Magdeburgensis, dein Præpositus Wallibicensis, tandem Episcopus Marsiburgensis factus est anno MVIII. Quam dignitatem, nocte antequàm hâc de re nuncium accepit, ipse sibi per somnium præsagiit. Obiit Cal. *Decembr.* anno MXVIII. ætatis XLII. Condidit non infimæ notæ Chronicon, quinque Imperatorum Saxonicorum, Henrici I. Ottonum trium, ac Henrici II. res gestas VII. libris complexum. Edidit hoc insigne opus Reynerus Reineccius *Francofurt.* 1580. præfixâ Ditmari Vitâ ex veteri Chronico desumptâ, alteràque quam ipse ex Ditmari chronico contexuit. Ipsum Chronicon in libros VIII. divisum cum notis marginalibus, tabulis Genealogicis, & indice copioso recudit J. Joac. Maderus *Helmst.* 1677. 4to.

1010. P. II. SYRUS, quâ gente ortus incertum, Monachus Cluniacensis, claruit circa annum MX. Condidit flagitante Warnerio Monacho, & posteà Odilone Morbacensi, de Vitâ S. Maioli Abbatis Cluniacensis, libros tres, quos Odiloni Abbati dedicavit. Post Syri obitum Aldelbaldus Monachus singulis libris prologum præfixit, & carmina quædam multis in locis hinc inde adjecit. Totum opus ediderunt Bollandiani *Maii* XI. magis integrum ex codice Lemovicensi Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* V. p. 786.

1010. P. II. ANONYMUS *Vitæ S. Adalberti* Auctor, Cœnobii Alexiani apud Romanos Monachus, posteà Bohemi, vel Germanici alicujus Monasterii alumnus, claruit circa annum MX. Scripsit Vitam S. Adalberti Episcopi & Martyris, qui ex hâc vitâ decessit anno DCCCCXCVII. Post Canisium & Bollandianos, scriptorem hunc recudit Joan. Mabillonius *Sæc. Bened.* V. p. 846.

SAMPIRUS, gente Hispanus, Asturicensis Episcopus, claruit circa annum MX. Scripsit 1010. P. II. Chronicon de Regibus Legionensibus, quo Sebastiani Salmanticensis vel potiùs Alphonsi Regis Chronicon continuavit, ab an. DCCCXVI. usque ad annum DCCCCLXXXV. Immò si Antonii nos non fallit conjectura pars Chronici Sebastiano vulgò tribui (quâ res gestæ sub Ramiro I. & Ordonio ejus filio continentur) Sampiro nostro tribuenda est. Eruit hoc Chronicon, & unà cum aliis Hispaniæ Chronicis Pampilone edidit Sandovalius, anno 1615. 634. Novam Editionem meditatus erat illustrissimus Cardinalis d'Aguirre, ut ex ejus Notitia pag. 363. discere licet. Confer quæ habet Cl. Antonius *Bibl. Hisp. vet.* Tom. II. lib. 7. c. 1.

ARNOLDUS, Episcopus Halberstatensis, 1011. claruit circa ann. 1011. Scripsit *Epistolam de institutione Episcopatûs Bambergensis*, quæ extat apud Baluzium *Miscellan.* Tom. IV. p. 435.

BENEDICTUS VIII. Joannes antea dictus, 1012. Patriâ Tusculanus, Gregorii Comitis Tusculani filius, primùm Episcopus Portuensis, deinde ab anno 1012. Pontifex Romanus, die XX. Julii in Cathedra collocatus. Sub initia Pontificatûs sede atque urbe pulsus ad Henricum Regem in Saxoniam fugit: à quo Romam reductus, impositâ coronâ ipsum Imperatorem renunciavit. Anno 1019. in Germaniam ab Henrico Imp. accitus iterùm profectus est, ut Episcopatum Bambergensem recens institutum confirmaret, & Ecclesiam consecraret. Obiit anno 1024. die X. Julii. Joannem fratrem successorem nactus. Extat *Epistola unica adversùs invasores bonorum Cluniacensium* Concil. Tom. IX. p. 810. & apud Du-Chesne *Script. Francic.* Tom. IV.

ERCHINFRIDUS, Melicensis in Austriâ 1012. Abbas, claruit circa an. 1012. Scripsit *Historiam de Martyrio & miraculis S. Colmanni Scoti*, quæ habetur apud Lambecium de Bibl. Vindob. Tom. II. p. 611.

ERCHINFRIDUS, natione Germanus, Cœnobii Melicensis Abbas tertius, claruit anno 1012. P. II. MXI. Scripsit Historiam Martyrii & Miraculorum S. Colomanni, natione Scoti, qui in Stokerau inferioris Austriæ oppidulo anno MXII. passus est. Quam ex codice MS. Cæsareo extulit, aliaque de Cœnobio Melicensi monumenta antiqua subnexuit Lambecius *Comment.* lib. II. cap. 8. num. 1. p. 611.

LEO, GRAMMATICUS dictus, Præfectus & dux Cibyræotarum ὁ Τζικάνδηλος, uti in 1013. notâ Chronographiæ ejus appositâ vocatur. Sunt, qui ipsum extremis Constantini Porphyrogennetæ temporibus in Aulâ vixisse volunt. Utut sit, eum anno 1013. scripsisse constat. Scripsit *Chronographiam* ab anno 813. quo Theophanes desiit, ad annum 1013. Extat ea Gr. Lat. Fr. Combefisii notis illustrata, Theophani subjecta, *Paris.* 1655. *f.*

BERNO, Monachus S. Galli, deinde Abbas Augiæ divitis prope Constantiam ad Rhenum, 1014. claruit anno 1014. quo coronationi Henrici II. Imp.

SÆC. XI. ab An. M. Imp. à Benedicto VIII. Papâ factæ, interfuit. Obiit anno 1045. die VII. Januarii postquàm Monasterio Augiensi annis 39. præfuisset. Extat ab eo scriptus *Liber de Officio Missæ*, seu *de rebus ad Missæ Officium pertinentibus*, seorsim *Venet.* 1572. 8°. inter Scriptores alios ejusdem commatis *Colon.* 1568. *Paris.* 1610. fol. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XVIII. pag. 6. *Vita S. Udalrici Augustani Episcopi* apud Surium Jul. IV.

Vita S. Meginradi Episcopi & Martyris, apud Mabillon. Sæc. Benedict. IV. par. 2. pag. 63. Alia ejus scripta, quæ quidem vel supposititia, vel deperdita sunt, recenset Simlerus Bibliothec. p. 100.

1020. HUGO, Archidiaconus Turonensis, claruit anno 1020. Extat *Dialogus ad Fulbertum Carnotensem Episcopum* apud Mabillon. Analect. Tom. II. pag. 346.

1020. P. II. OLBERTUS, gente Belga, primùm Monachus Lobiensis, deinde Abbas Gemblacensis, & ut volunt nonnulli, primus S. Jacobi Abbas Leodicensis, claruit circa annum MXX. Jubente Reginerio Hannoniæ Comite, scripsit Vitam S. Veroni Confessoris, quam scholiis suis ornatam edidit Georgius Galopinus ad S. Gislenum Monachus, *Montibus* ann. MDCXXXVI. immò teste Bucelino in Germaniâ sacrâ, scripsit de pluribus Sanctorum Vitis. An Olbertus noster idem fuerit cum Alberto Monacho Lobiensi, ac posteà Abbate Gemblacensi, Burchardi VVormaciensis præceptore, (quod contendit Vossius) plura te docebit idem Vir clarissimus *de Hist. Lat.* lib. II. cap. 41. p. 352. cap. 44. p. 369.

1020. P. II. DIEDERICUS seu THEODORICUS, Hersfeldensis in Thuringia Monachus, claruit circa annum MXX. Scripsit ad Ricardum Cœnobii Amarbacensis Abbatem, libellum de illatione reditúve corporis S. Benedicti Aurelianis ad Floriacum. Edidit hunc ex vetusto codice Floriacensi Joan. Bosco *Biblioth. Floriac.* Part. I. pag. 219. dein Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. II. pag. 350.

1024. P. II. DROGO, natione Belga, primùm Pastor Gestalensis, deinde Morinorum sive Tarvannensis in Flandriâ Episcopus, claruit ann. MXXIV. quo Sedem Tarvannensem sortitus est, quam ad annum usque MLXXIX. tenuit, quo admodùm grandævus obiit. Extat ab eo scripta Vita S. Godolevæ anno MLXX. strangulatæ apud Surium *Jul.* VI. qui tamen stylum ferè ubique immutavit. Scripsit etiam Vitam & Passionem S. Oswaldi Northumbriæ in Angliâ Regis, & de eodem sermones duos. Verùm hæc opuscula in Bibliothecis Belgicis adhuc manuscripta asservantur.

1025. ALEXIUS, Monasterii Studiani Ecclesiarcha, dein ab anno 1025. post Eustathii mortem Patriarcha Constantinopolitanus. Anno 1034. auro pariter ac metu corruptus, Michaelem Paphlagonem Romani Imp. Parricidam coronâ Imperiali induit, ac Zoen Imperatricem adulteram matrimonio ei sociavit. Anno 1036. Joannis fratris Imperatoris sedem Patriarchalem ambientis, & conjuratorum illi Episcoporum insidias astuto consilio elusit, atque irritas reddidit. Obiit anno 1043. Extant ejus aliquot *Decreta de diversis causis Ecclesiasticis*, in Jure Gr. Rom. lib. 4. p. 430.

1025. P. II. VVARMANNUS, natione Germanus, nobilitate insignis, Comes à Dilingen, factus posteà Monachus Augiensis, postremò Episcopus Constantiensis, claruit an. MXXV. Obiit anno MXXXIV. Scripsit Vitam S. Pirminii Abbatis & Coepiscopi. Extat sub *Othloni* nomine apud Chris. Brovverum in *Vitis Sanctorum Germaniæ*, & Surium *Nov.* III. E contra Guil. Eisingrenius in *Catalogo testium* Warmanno nostro tribuit, cui etiam illam vindicat Cl. Mabillonius, Actisque suis sub VVarmanni nomine inseruit *Sæc. Bened.* III. Part. II. pag. 136. Rationes quas profert non sunt contemnendæ, nec ægrè assensum extorquere possunt. Primò VVarmanni ætas cum tempore Ludolfi Archiepiscopi Trevirensis, cui hæc Pirminii vita nuncupata est, rectè congruit. Obiit enim Ludolfus ann. MVIII. Othlono Monacho integro penè sæculo antiquior. Secundò, hujus Vitæ conditor nonnulla de S. Bonifacio commemorat, quæ cum ipsius Othloni narratione Bonifacianâ pugnant. Deinde longè gravior & maturior est Othloni scriptio de S. Bonifacio, quàm hæc de S. Pirminio. Denique in antiquo codice quo usus est, nulla extat Auctoris inscriptio; quin nec in Originali volumine quod laudat Trithemius. Perpendat hæc æquus Lector, & facilè mecum in Mabillonii sententiam descendet.

ELIAS, gente Syrus, Nisibensis in Mesopotamiâ Episcopus, Sectâ Nestorianus, claruit anno MXXVI. Hegiræ CCCCXVII. Scripsisse plura tàm Syriacè, quàm Arabicè testatur Abr. Ecchellensis; inter alia, opus ad Abulhala Sahedum quod *Septem Sessiones*, seu *Disputationes* vocavit; in quo de variis fidei & religionis rebus cum Alvaziro Abulcasemo Arabum Principe eruditè disceptavit. Hujus habentur Arabicè MSS. Exemplaria tria; unum in Bibliothecâ *Vaticanâ*; in *Barberinâ* alterum: tertium penès se habuit Ecchellensis, qui ex *Sessione* IV. quædam profert *præfat.* ad Part. II. *Eutychii Vindicati* p. 21. Alia & Naironus ex *Sessione* II. *Europl.* Part. I. p. 6. *Grammaticam* ejus citat Ecchellensis, & ex eâ nonnulla adducit *not.* ad *Catal. Hebedjesu* p. 58. Nec alium puto nostrum fuisse, quàm quem *Eliam Antiquum* vocat idem Hebedjesu *cap.* CXCI. quemque *Decisiones judiciorum*, & *Quæstiones Ecclesiasticas*, *Institutionésque Grammaticas* ordinâsse & confecisse dicit. 1026. P. II.

JOANNES, *Johannelinus* à staturæ parvitate dictus, Monachus Benignianus, dein Cœnobii Fiscamnensis Prior à Willielmo Abbate constitutus, postea eodem cedente Abbas anno 1028. factus. Anno 1052. Abbatiam Erbrestensem ab Henrico III. Imp. dono accepit. Obiit anno 1078. Scripsit *ad Agnetem Imperatricem Henrici uxorem Libellum Precum* ex Patrum scriptis collectum; quem unà cum Prologo, non integrum tamen, edidit Mabillonius *Analect.* Tom. I. pag. 133. Scripsit alia multa, & in his *Libellum de Divina Contemplatione*, cujus lacinias aliquot exhibet idem ibid. pag. 151. *Orationes sive Preces plurimas*, quarum XI. videre est ibid. pag. 153. *Epistolas* aliquot, quarum III. extant ibid. p. 221. *Librum de Institutione viduæ*, De *Vita & Moribus Virginum*, *de eleemosynarum dispensatione*, & forsan alia plura, quæ non extant. De eo, ejusque scriptis, vide sis eruditissimas Cl. Mabillonii Annotationes ibid. p. 161. 223. 1028.

WARINUS, Monachus Gorziensis, & Clericus Leodiensis, demum Abbas Metensis, claruit eodem tempore, sc. anno 1028. aut non diu postea. Extat *Epistola* prolixa *ad Joannem Fiscamnensem de repetendo Benedicto Monacho Fiscamnensi*, qui ex Judæo Christianus, ex Monasterio Fiscamnensi ad Metense transfugerat, apud Mabillon. Analect. Tom. I. pag. 225. 1028.

ADE-

ADEMARUS Patriâ Cabannensis, Raimundi, Turpionis Episcopi Lemovicensis abnepotis, & Aldeardis filius, primùm Lemovicensis, dein
1030. S. Eparchii Engolismensis Monachus, claruit anno 1030. Scripsit *Chronicon à Principio Monarchiæ Francorum*, præcipuè verò ab anno 829. usque ad annum 1029. quod ex Codice Thuaneo à Philippo Labbeo primùm editum est *Biblioth. Nov. MSS.* Tom. II. pag. 151. In hoc Chronico etsi Auctor in temporibus supputandis sit parùm accuratus; de rebus tamen Francicis, præcipuè Aquitanicis, haud vulgaria exhibet. Scripsit etiam *Commemorationem Abbatum Lemovicensium, Basilicæ S. Martialis Apostoli*, à Labbeo itidem in lucem prolatam ibid. pag. 271. Eundem Autorem habet *Supplementum ad Amalarii Opus de Divinis Officiis*, de quo in Amalario mentionem injecimus.

1030. **HUGO**, cognomento de *Britolio*, natione Gallus, Patriâ Belvacensis, Gilduini Comitis filius, primùm Monachus Cluniacensis, & Clericus Carnotensis, deinde anno 1030. Episcopus Lingonensis à Roberto Rege renunciatus Anno 1049. à Leone IX. in Concilio Rhemensi ob Simoniæ crimen, & divenditum nummis Presbyteratûs ordinem, Episcopatu submotus est. Amissâ dignitate in Monasterium Virdunense secessit; ibique sub Waleranno Abbate fratre suo consenuit. Scripsit *Librum de Corpore & Sanguine Domini contra Berengarium*; quem primus in lucem edidit Lucas Dacherius in Appendice ad Lanfranci Opera *Parif.* 1647. fol. exinde relatum in Biblioth. Patr. Tom. XVIII. p. 417.

1030. P. II. **ANONYMUS** *Vitæ S. VVinnoci* Auctor, claruit circa an. MXXX. Rogatu Monachorum Bergensium scripsit, vel ab alio rudiore stylo scriptam, expolivit Vitam S. VVinnoci Abbatis Wormholtensis in Flandriâ primi. Extat apud Surium *Novemb.* vi. & Mabillonium *Sæc. Benedict.* III. Part. I. pag. 301. qui genealogiam S. Winnoci in codice Vedastino Vitæ huic præfixam præmisit.

1033. **BRUNO**, Natione Germanus, Dux Carinthiæ, Conradi II. Imp. patruelis, post mortem Meinardi unanimi Clericorum consensu Præsul Herbipolensis factus est anno 1033. Ecclesiam suam S. Kiliano dicatam ex fundamentis restituit, & materno prædio quod in Saxoniâ habuit, locupletavit. Cùm Henricum Imp. adversùs Hungaros exercitum ducentem anno 1045. comitaretur, Possonii fortuitò de altâ domo cum aliis cadens interiit vi. Cal. Junii. Ut Clerum suum bonis moribus informaret, ex antiquis Patrum expositionibus contexuit *Commentarios in totum Psalterium, in Cantica omnia veteris & Novi Testamenti, & in Symbola Apostolorum, Ambrosii, atque Athanasii.* Prodierunt omnes isti Commentarii *Colon.* 1494. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XVIII. p. 65.

1033. P. II. **EUSTATHIUS**, Patricius Romanus, Judex ut videtur, Patriarchalis, certè Juris tùm Cæsarei tùm Ecclesiastici peritissimus, claruit, ut ex Opusculi ejus fine liquet, anno MXXXIII. Scripsit Commentarium *de duobus Consobrinis*, qui duas Consobrinas duxerant. Habetur Græc. Lat. in *Iur. Græc. Rom.* lib. vi. p. 414.

1035. **BERENGARIUS**, Natione Gallus, Patriâ Turonensis, Archidiaconus Andegavensis, claruit anno 1035. quo sententiam suam de Eucharistiâ non modò Bertrami, & Scoti, sed totius etiam veteris Ecclesiæ dogmati consonam venditare cœpit: asserens nempe, Panem & Vinum in sacrificio Domini non verè nec essentialiter, sed figuratè tantùm, converti in corpus & sanguinem Dominicum. Berengarium talia docentem mox acriter exceperunt complures Monachi, aliique doctrinæ carnalis propugnatores; quibus non obstantibus in sententiâ suâ tum voce tum scripto confirmandâ pergebat Berengarius. Tandem anno 1050. (ut ex Hermanno Contracto liquet, non quod habet Durandus Turonensis lib. *de Corp. & Sang. Domini*, an. MLIII.) Leo IX. Papâ in Synodo Romanâ, lectâ ejus ad Lanfrancum Epistolâ, hominem hæreseos damnavit; & Ecclesiæ communione privavit: quod & eodem anno in Synodo Vercellensi factum est: in quâ non ipse Berengarius, sed duo ejus procuratores comparuerunt. Eodem circiter tempore Brione in Normannia coram Guilielmo Duce, Parisiis etiam absens, licet coram Henrico Rege damnatus est, ut Durandus nos docet. Anno 1055. habitum est adversùs eum Florentiæ Concilium, eodemque anno Victor Papa Hildebrandum Sacellanum suum in Galliam misit; qui coactâ Turonis Synodo Berengarium ad palinodiam adegit. Anno 1059. in Synodo Romanâ coram Nicolao Papâ pro sententiâ suâ disputavit; eique cùm nullus, referente Leone Hostiensi*, valeret obsistere; Albericus Diaconus Cassinensis, vir doctissimus, ad Synodum evocatur; & cùm post multos verborum conflictus neuter cederet; Albericus unius Hebdomadis acceptis induciis librum adversùs Berengarium edidit. Ipse verò Berengarius minis territus, & injuriarum pertæsus; formulâ ipsi præscriptâ sententiam suam ejuravit; formâ nempe illâ notissimâ, quæ sic incipit; *Ego Berengarius indignus Diaconus*, &c. An. MLXIII. Mauritius Archiepiscopus Rothomagensis Synodum habuit, in qua Berengarium ejusque sequaces condemnavit, fidei confessionem Dogmati Berengariano oppositam condidit. Hujus Synodi Acta extulit Cl. Mabillonius *Analect.* Tom. II. p. 457. An. MLXXV. coacta est alia adversùs Berengarium Pictavis Synodus, præsidente Giraudo Pontificis legato, ut ex Chronico Maxentiano notat idem Mabillonius. An. MLXXVIII. in festo omnium Sanctorum Concilium Romæ congregavit Gregorius VII. in quo Berengarius brevem fidei confessionem edidit, quam in lucem protulit Mabill. loc. cit. pag. 487. Verùm ut moram paulisper traheret, inducias ad proximè futuram Synodum petiit, & impetravit. Habita est itaque anno sequenti in Quadragesima altera Synodus; in qua propositâ ei novâ confessionis formulâ, *Ego Berengarius corde credo*, &c subscripsit & confirmavit. Coactum id fecisse dubitari nequit. Certè ad priorem sententiam eum rediisse ex multis Scriptorum ei coævorum testimoniis Lanfranci, Anonymi Chiffletiani, aliorumque, evinci potest. Et quod rem extra omnem dubitationem ponit, ipsius Berengarii Tractatum MS. se legisse fatetur Mabillonius, in quo tertiam istam fidei professionem penitùs rescindit, plurimisque adductis argumentis convellit, subditque quemadmodum ad subscribendum ultimæ fidei professioni inductus sit, nimirum metu mortis sibi certè imminentis; quove sensu eam asseruerit. Berengarium quidem posthæc ad sanam, ut vocat, mentem rediisse, fideique Catholicæ ad extremum usque spiritum adhæsisse, non uno argumento contendit Mabillonius. An rem usque quaque confecerit, judicent alii. Id certum est, Berengarium Româ discedentem, Turonas venisse, & in S. Cosmæ insulam civitati suburbanam secessisse, ibique assumpto habitu monachali

* Chron. Cassinens. l. 3. c. 33.

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. nachali per Octennium militasse. Obiit eo loci die VI. Januarii, An. MLXXXVIII. Virum fuisse liberalium artium & dialecticæ peritiâ insignem, morum vitæ sanctitate illustrem, ipsi non inficiantur adversarii. Illum ab humilitate, eleemosynâ, modestiâ, castitate, zelo, abstinentiâ, mirè laudat Gulielmus Malmsburiensis *; apud quem extat nobile Hildeberti Episcopi Cenomannensis, ipsius Berengarii discipuli, in laudem ejus Epitaphium: ex quo, missis cæteris, liceat mihi pauca huc transferre.

* De gestis Reg. l. 3. fol. 63.

Quem modo miratur, semper mirabitur orbis;
Ille Berengarius non obiturus obit;
Quem sacra fidei fastigia summa tenentem,
Jani quinta dies abstulit, ausa nefas.
Illa dies, damnosa dies, & perfida mundo,
Quâ dolor & rerum summa ruina fuit.
Quâ status Ecclesiæ, *quâ gloria Cleri.*
Quâ cultor juris, jure ruente, ruit.
Quicquid Philosophi, quicquid cecinêre Poëta,
Ingenio cessit, eloquioque suo.
Sanctior & major sapientia majus adorta,
Implevit sacrum pectus & ora Deo.

Denique in fine;

Vir verè sapiens, & parte beatus ab omni;
Qui cælos animâ corpore ditat humum.
Post obitum vivam secum, secum requiescam:
Nec fiat melior sors mea sorte suâ.

Extant Epistolæ II. *ad Ascelinum & Ricardum*, unà cum Ascelini literis, primùm à Dacherio inter Lanfranci Opera editæ, deinde Concil. Tom. IX. p. 1056. *Aliam ad Ricardum Abbatem* exhibet Dacherius *Spicileg.* Tom. II. Tres ejus fidei *Formulas de Eucharistiâ* habet Mabillonius Analect. Tom. II. p. 486. MSS. *Disputationes cum Lanfranco de præsentiâ Christi in Cœnâ* asservantur in Bibliothecâ Collegii Æneonas, apud Oxonienses Cod. 4. num. 1. Plura ipsum *Opuscula de re Eucharisticâ* edidisse autor nobis est Sigebertus * *In Apocalypsin* scripsisse testatur Bostonus Buriensis. Certè ejus *expositio Apocalypseos*, si modò ejus sit, habetur etiam hodiè MS. in Collegio Gonvil. & Caii Cantab. 4°. Vereor autem ne Berengvviddi cujusdam sit, cui exemplaria septem in diversis Angliæ Bibliothecis latitantia tribuit Thomas Jamesius cuique duo Codices MSS. in Bibliothecâ Lambethanâ hodiè extant, eam disertè adjudicant.

* De Script. c. 154.

1040. * HERMANNUS, CONTRACTUS, à membris contractis dictus, ortu nobilis; Wolferadi Comitis Veringensis, & Hiltrudis filius, in Monasterio Sangallensi educatus dein Monachus Augiæ majoris, O. B. Claruit anno 1040. Omnibus ejus membris Paralysi ita contractis, ut hinc inde deportaretur; studiis tamen adeò sedulò incubuit, ut æquales suos doctrinâ & ingenio facilè superârit; quippe Latinè, Græcè, & Arabicè doctus; Theologiæ, Historiæ, Philosophiæ, Astronomiæ, Rhetoricæ, & Poëticæ peritissimus. Hâc ratione pulchrè id quod natura in corpore negârat, virtutibus animi resarcivit, ut rectè observat Hen. Pantaleon *. Obiit anno 1054. Scripsit *Chronicon de sex mundi ætatibus*, ab initio mundi ad annum 1054. Prodiit *Francofurt.* 1583. auctiùs atque emandatiùs ab Urstisio editum inter Scriptores German. ibid. 1585. 1670. Tom. I. p. 231. Aliam ejusdem operis à prioribus diversam editionem dedit Canisius Antiq. Lect. Tom. I. pag. 432. Extat etiam inter Scriptores Germanicos à Pistorio editos Tom. I. p. 85. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XVIII. p. 348.

* De viris illustr. Ger. part. 2. p. 113.

EUGESIPPUS, quisquis sit, scripsit anno 1040. Extat Tractatus *de distantiis locorum Terræ Sanctæ* apud L. Allatium *Symmict.* Par. I. p. 104. SÆC. XI. ab An. M. 1040.

DOMINICUS, patriâ, ut videtur, Venetus, Gradensis sive Venetus, & Aquileiensis Patriarcha; claruit anno 1040. & deinceps. Anno 1050. potestatem crucem ante se gestandi à Leone IX. impetravit. Anno 1073. à Gregorio VII. ad Michaelem Imp. CP. ad componendum schisma Ecclesias Romanam inter & Græcam vetustum legatus est. Extat Græc. Lat. *Epistola ad Petrum Patriarcham Antiochenum* à Cotelerio edita *Monument. Eccles.* Gr. Tom. II. p. 108. 1040.

PETRUS, Patriarcha Antiochenus, ætate par. Claruit anno 1040. quo anno Patriarchalem dignitatem adeptus sit, non satis liquet, saltem ante annum 1053. quo professionem fidei suæ ad Leonem IX. Papam misit. Extat Gr. Lat. *Epistola* responsoria satis prolixa ad *Dominicum Gradensem*, apud Cotelerium ibid. p. 112. *Epistola* II. *ad Michaelem Cerularium* ibid. p. 145. Harum unam fermè integram antea ediderat Leo Allatius *de Consensu Eccl. Orient. & Occident.* l. III. cap. 12. §. 4. quâ Antiochenus noster in Latinorum mores & dogmata, præcipuè *κακὸν καὶ κακῶν κάκιστον*, uti vocat, additamentum illud, FILIOQUE, Symbolo adjectum, acerrimè invehitur. 1040.

THEOPHANES, cognomento *Cerameus*, Tauromeni in Siciliâ Archiepiscopus, claruisse videtur circa ann. 1040. De ætate ejus non una est omnium sententia. Franciscus quidem Scorsus eum inter annum 842. & 893. floruisse contendit; & nos alibi illum ad annum 870. retulimus. Sed cùm ex ipsius Homiliis Simeone Metaphraste, quem citat, fuisse juniorem luculentissimè constet; & *Homilia in diem Palmarum* in innumeris ferè Manuscriptis præsente Rege Rogerio habita dicatur, longè majori probabilitate cum Leone Allatio hoc circiter tempore claruisse existimamus; & levia planè sunt, nulliusque momenti, quæ ad elevandam harum inscriptionum autoritatem commentus est Franciscus Scorsus, nec tanti sunt ut à me diligentiùs hoc loco excuterentur, præsertim cùm cumulatè id præstitit Leo Allatius *de Script. Simeon.* p. 63. Esto Photii ad Theophanem Epistola: non statim ille Theophanes noster censendus erit, præsertim cùm non ad Theophanem Cerameum Tauromenii Episcopum, sed solummodò ad Theophanem Monachum scripta dicatur. Quæ περὶ τοῦ εὐσεβοῦς *βασιλέως* non uno in loco habet Theophanes, ea omnia ad Rogerium Siciliæ Regem commode satis referri posse pluribus demonstrat doctiss. Allatius loco laudato. Cum Theophane Confessore, *Chronographiæ* conditore, pessimè hunc confundit Miræus *, & ex eo Olearius. † Scripsit noster *Homilias* LXII. *in Evangelia Dominicalia*, & *Festa* totius anni, quas cum notis & Prolegomenis amplissimis Græc. Lat. edidit Fr. Scorsus *Paris.* 1644. fol. *Orationes duas in Dominicâ ante Exaltationem Crucis*, Græc. Lat. ediderat Gretserus *de Cruce* Tom. II. pag. 1207. In quibusdam Codicibus MSS. Homiliæ hæ Dominicales Gregorio Cerameo Archiepiscopo Tauromenitano tribuuntur, nodum prolixè excutit Scorsus, tandemque statuit binominem fuisse autorem, Theophanem & Gregorium eundem Cerameum Tauromenii Archiepiscopum, an satis solidè, doctissimo editori litem hoc loco movebo. In concionando Theophanes noster methodo utitur ad Historiam Evangelicam enucleandam aptâ satis & concinnâ sensum literalem primùm explicat, nec tamen allegoricum & moralem negligit, stylus ei non ingratus, non com- 1040.

* Auctuar. c. 253.

† Abac. Patr. p. 450.

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. comptus quidem & phaleratus, sed simplex, & ad sermonis didactici normam perspicuus, sponteque fluens: nec mirum si hac inclinatâ linguæ Græcæ ætate, ornamenta quædam ei desint, quæ à Basilio vel Chrysostomo expectari poterant.

1040. P. II. ANONYMUS quidam, Ruyensis apud Venetenses in Provinciâ Lugdunensi tertiâ Cœnobii Monachus, claruit circa annum MXL. Literis mandavit Vitam S. Gildæ Britanni, cognomento *Sapientis*, Hilduti discipuli, Abbatis Ruyensis, qui ad Castrum quoddam in Monte Reuvisii illud Monasterium construxit. Primus hanc Vitam ex vetustissimis Floriacensibus Membranis in lucem protraxit Joan. à Bosco *Biblioth. Floriac.* Part. I. pag. 429. Integriorem ex cod. Ruyensi dedit Joan. Mabillonius *Sac. Benedict.* I. p. 138.

1040. P. II. ANONYMUS *Vitæ S. Hugonis* Auctor, Monachus, ut videtur, Æduensis, claruit Sæculo XI. circa annum, ni fallar, MXL. Scripsit Vitam S. Hugonis Monachi Æduensis, & Enziacensis in Burgundiâ Præpositi, qui obiit anno circiter DCCCCXXX. Hanc post du Chesnium & Bollandianos *April.* XX. edidit Joan. Mabillonius *Sac. Benedict.* V. p. 90.

1040. P. II. ANONYMUS *Encomii de Emmâ* Auctor, S. Bertini Monachus, claruit circa annum MXL. Scripsit Historiam, seu de Encomio Emmæ Anglorum Reginæ, Ricardi I. Ducis Normannorum filiæ, Ethelredi Regis conjugis, libros II. quos Emmæ adhuc viventi nuncupavit. Hos ex Bibliothecæ Cottonianæ codice MS. edidit Andr. du Chesnius *Script. Norman.* p. 161.

1043. NILUS, cognomento *Doxopatrius*, Ecclesiæ Græcæ Archimandrita, unde oriundus, incertum; si conjecturæ locus detur, putarem eum è Magna Græcia ortum esse; certè Panormi in Sicilia aliquandiu vixisse ipse nobis testis est. Claruit anno 1043. Rogatus per literas à Rogerio Siciliæ Rege, scripsit breviter *de majorum Patriarcharum sedibus*; quod postea anno nempe prædicto, fusiori opere prosecutus est, in quo de quinque thronis Patriarchalibus, iisque subjectis Archiepiscopis, Metropolitanis, Episcopis, de sedium Patriarchalium institutione, ordine, & propriis nominibus luculenter egit. Ex hac Patriarchatuum notitiâ, multa, amplissima, ac præclara sanè fragmenta exhibet Leo Allatius *de Concord. Eccles. Orient. & Occident.* l. 1. c. 2. 8. 9. 10. 12. 14. 16. 17. 24. Integrum verò librum ex Codice recentiore manu anno 1611. descripto Gr. Lat. in lucem emisit Stephanus Moynius *Varior. Sacr.* Tom. I. p. 211.

1043. P. II. BOVO, gente Gallus vel Gallo-Belga Monasterii Sithivensis in Morinis Abbas, claruit anno MXLIII. quo Cænobii sui regimen subiit, tenuitque ad annum usque MLXV. Scripsit ad Widonem Rhemorum Archiepiscopum relationem de inventione & elevatione S. Bertini Abbatis; cujus corpus ob Normannorum infestationes loco secretiori reconditum fuerat. Facta est hæc Translatio anno MLII. Hanc Relationem ex MSS. codd. erutam habes apud Mabillonium *Sac. Benedict.* III. Part. I. p. 153.

1044. P. II. LEO, cujas fuerit mihi hactenùs est incompertum, factus est tandem Atinensis in Italiâ Episcopus, manus ei imponente Adenulpho Capuano Archiepiscopo anno MXLIV. Obiit anno MLXXII. Scripsit libellum de Inventione sive Translatione corporis Beatissimi Marci Martyris & Pontificis, quem ex MS. codice Casinensi literis Longobardicis exarato, extulit Ferd. Ughellus *Ital. Sacr.* Tom. VI. pag. 541. Extant etiam ejus in D. Marcum *Sermones* aliquot, & Charta donationis Ecclesiæ Atinensi factæ apud eundem p. 549.

GLABER RADULPHUS, sive Rodulphus, Monachus primùm S. Germani Autissiodorensis, postea Cluniacensis. Claruit anno 1045. Scripsit *ad Odilonem Abbatem Cluniacensem Historiarum libros* V. ab anno 900. usque ad annum 1045. tametsi de sæculo decimo perpauca habeat. Prodiit ista Francorum Historia *Francofurti* 1596. & inter Scriptores Francicos à Duchesnio edita *Paris.* 1641. Scripsit etiam *Vitam S. Gulielmi Abbatis S. Benigni Divionensis*, qui obiit anno 1031. Extat apud Roverium in Historia Reomaensis Monasterii *Paris.* 1637. & Bollandum ad I. Januarii. Cæterùm de Glabro Radupho hæc habet Baronius: *„ Sed sicut in recensendâ Historiâ fidelis est, „ ita in eo valde hallucinatus erravit; dum nihil „ vult in alienâ Diœcesi posse præsumere Romanum Pontificem plusquàm cæteros Episcopos, „ quibus certis limitibus est definita Diœcesis; & „ extra ipsam nihil penitùs agere posse, vanè existimavit. Sententiam hâc de re suam, quam sugillat Baronius, profert Glaber Historiæ suæ lib. 2. cap. 4. 1045.

* Ad an. 996. num. 25.

DEODUINUS, sive Theoduinus, Episcopus Leodiensis, ab anno 1045. ad 1075. quo obiit. Scripsit *Epistolam*, seu *Libellum ad Henricum Galliæ Regem de Corpore & Sanguine Christi adversùs Berengarium ejusque sectatores*. Epistolam istam sub Durandi Leodiensis Episcopi anno 1025. defuncti, nomine mutilam ediderunt Baronius ad ann. 1035. & Chapeavilus in *Historia rerum Leod.* quin & Bibliothecæ Patr. Curatores Tom. XVIII. pag. 419. Integram ac vero authori restitutam dedit Mabillonius *Analect.* Tom. IV. p. 496. 1045.

CLEMENS II. *Suidgerus*, seu *Sindigerus* antea dictus, natione Germanus, postquam sedem Bambergensem sexennio tenuisset, anno 1046. ab Henrico Germanorum Rege ad Pontificatum Romanum provectus est, die Natalis Dominici inthronizatus, quo ipso die Henricum atque Agneten uxorem coronâ imperiali induit. Anno sequente Concilium Romæ contra Simoniacos coegit; & Henricum Imp. in Germaniam secutus, diem clausit anno 1047. die IX. vel X. Octobris, in Ecclesiâ suâ Bambergensi sepultus. Extat *Rescriptum* in gratiam Archiepiscopi Ravennatis apud Ferd. Ughellum Italiæ Sacræ Tom. II. & *Epistola Decretalis* de sedis Salernitanæ in Archiepiscopatum evectione Concil. Tom. IX. p. 945. 1046.

ADELDANNUS, Fulberti Carnotensis discipulus, Berengarii condiscipulus, ex Scholastico Leodicensi, Brixiensis ab anno 1048. Episcopus. Obiit circa annum 1061. Scripsit *Epistolam ad Berengarium de veritate Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia*, quæ typis excusa, prodiit unà cum aliis ejusdem argumenti opusculis curâ Joannis Ulimmerii *Lovanii* 1551. 1561. & in Bibliothecâ Patr. Tom XVIII. pag. 438. Scripsit etiam, teste Sigeberto *, ejusdem argumenti *Epistolam ad Paulum Metensem Primicerium*, quâ ipsum, pariter ac Berengarium communem amicum, à sententia sua de Eucharistia revocare conatus est. Epistola ista interiisse videtur. 1048.

* De Script. cap. 153.

GISLEBERTUS, Monachus Autissiodoren- 1048.

SÆC. XI. ab An. M. rensis; claruit anno 1048. Scripsit *Vitam S. Romani*, quæ extat apud Mabillon. Sæc. 1. p. 81.

1048. HUGO, patriâ Burgundus, ortu nobilis, Dalmatii, Domini Samurensis, & Aremburgis filius, natus est anno 1023. Juvenis adhuc quindecennis vitam monasticam in Cœnobio Cluniacensi iniit, Odilonem Abbatem præceptorem sortitus. Post aliquot annos Monasterii Prior, & defuncto Odilone Abbas creatus est anno 1048. Anno 1058. Stephano Papæ Florentiæ morienti adfuit. Anno 1074 Romam religionis ergo petiit. Obiit anno 1108. seu ut alii, 1109. 3. Cal. Maii, anno ætatis suæ 85. Extant *Epistolæ* ejus aliquot apud Dacherium *Spicileg*. Tom. II.

1049. LEO IX. *Bruno* antea dictus, natione Germanus, Hugonis filius, Conradi Imp. consobrinus, ipse Comes Dagspurgensis, ex Episcopo Tullensi Pontifex Romanus ab Henrico VVormatiæ designatus anno 1048. Romæ electus anno 1049. die II. Februarii, die XII. inthronizatus. Eodem anno habitis Romæ & Papiæ Synodis Clementis II. decretum contra Simoniacos confirmavit, in Galliam etiam ac Germaniam profectus, Synodos Rhemensem & Moguntinam celebravit, latis in hâc Canonibus nonnullis, contra Simoniacos præsertim, Ecclesiasticis, in illâ dedicatâ novâ S. Remigii Basilicâ, ejusque translatis in eam reliquiis. Anno 1050. Synodos Romanam & Vercellensem contra Berengarium coegit; & in hâc quidem Beneventanos etiam rebelles, & Humfredum Archiepiscopum Ravennatensem excommunicavit. Anno 1051. postquam in Germaniam iter fecisset, Concilio Romæ celebrato, Gregorium Episcopum Vercellensem propter adulterium excommunicavit. Anno sequente in Germaniam iterum iter facit, ut pacem inter Henricum Imp. & Andream Hungariæ Regem conciliaret. Anno 1053. exercitum contra Normannos ducens ab iis prælio victus est, captus, ac mox dimissus. Anno 1054. legationem Constantinopolim ad Constantinum Monomachum misit, ut pax inter Ecclesias Orientalem & Occidentalem iniretur, & ut Imperatoris animum adversùs Michaëlem Cerularium Patriarcham exacerbaret. Eodem anno diem obiit, XIX Aprilis. Extant *Epistolæ* XIX. Concil. Tom. IX. pag. 949. quarum prima, quæ est ad Michaëlem Cerularium, quaque ejus & Leonis Acridani arrogantiam, erroresque Græcorum vehementiùs coarguit. Tractatus potiùs quàm Epistola, censenda est, utpote XLI. Capita complectens. Extant ejusdem *Homiliæ* seu *Sermones* plurimi editi *Lovanii* 1565. *Colon*. 1568. *Antverp*. 1583.

1049. ANSELMUS, Leodicensis Canonicus & Scholasticus Ecclesiæ B. Lamberti, postea Decanus Namurcensis; claruit anno 1049. Ab Idâ Abbatissâ Coloniensi rogatus, scripsit *Historiam Episcoporum Leodicensium* ab anno 666. ad 1048. circiter, quam primus in lucem edidit unà cum aliis quatuor non dissimilis argumenti Scriptoribus Jo. Chapeavillus *Leodii* 1612. 4°.

1057. NICETA PECTORATUS, seu *Stethatus* dictus, Monachus & Presbyter Constantinopolitanus in Cœnobio Studiensi; claruit circa ann. 1050. Latinorum hostis capitalis, adversùs quem Humbertus, aliique Ecclesiæ Romanæ legati strenuè Constantinopoli disputârunt: quin & si ipsi Humberto fides sit habenda Niceta legatorum argumentis cessit, scripta sua incendit, omnesque Ecclesiæ Romanæ hostes anathematizavit anno 1054. Quâ quidem re vel fucum nobis faciunt boni Apocrisiarii, de famâ suâ satis solliciti, vel SÆC. XI. ab An. M. id tempori serviens fecit Pectoratus, ipsum enim à Græcis ipsis defecisse nusquam, quod sciam, vel leviter agnoscunt Scriptores Græci. Extat Latinè *Liber adversùs Latinos de Azymis, de Sabbatorum jejuniis, & nuptiis Sacerdotum*, à Canisio editus, Tom. VI. pag. 4. & à Baronio in Appendice ad T. XI. Fragmenta quædam hujusce libri habentur Gr. Lat. apud Allatium *de Missâ Præsanctif*. §. 2.16. Ex ejusdem *Canone* in S. Nicolaum quædam adducit idem Allatius libro *adversùs Hottinger*. cap. 11. pag. 208. *Tractatus ejus de Animâ* meminit, & ex capite 14. fragmentum profert idem libro *de octavâ Synodo Photianâ* c. 14. p. 545. *Carmen ejus Jambicum in Symeonem juniorem* præceptorem, Græcè integrum exhibet idem Diatrib. *de Symeon. Script*. pag. 168. Ex præfatione ejus in Symeonis librum de Divinis laudibus quædam adducit idem ibid. p. 152. 172.

NICETA PECTORATUS, Presbyter & Monasterii Studiensis CP. Monachus, claruit circa annum ML. In Bibliothecâ Vindobonensi hæc quæ sequuntur opuscula Græcè MSS. nec hactenùs, quod sciam, edita reperiuntur. Liber contra Ecclesiam Romanam, *de Azymis, de Jejunio Sabbati, & de nuptiis Sacerdotum* cod. *Theol*. LVIII. num. 7. fol. 106. *Oratio invectiva contra blasphemam Armeniorum hæresin*. Incipit, Τὴν συγχυτικὴν τῶν Σαββάτων καὶ ἀζύμων ibid. nu. IX. fol. 119. pag. 2. *Capitum Asceticorum centuria* III. hoc initio, Κεφάλαιον α. Τέσσαρες εἰσὶ, φημι, τὰς αἰτίας ἐν τετράδι τελείας τῶν ἀρετῶν &c. ibid. cod. CIV. nu. VI. fol. 84. Ex centuriâ tertiâ Epistolarum, *Epistolæ tres de Canonibus Ecclesiasticis*; nempe ad Athanasium Abbatem; Athanasii Responsoria; tertia iterùm ipsius Nicetæ ibid. cod. *Hist*. VII. n. lvi. fol. 204. p. 2. 1050. P. II.

MICHAEL PSELLUS, patriâ erat Constantinopolitanus, vetustâ & nobili, consulari utpote ac patriciâ prosapiâ oriundus. Quinquennis præceptori traditus adeò in omni literarum genere profecit, ut summum sæculi sui decus evaderet, σοφώτατος καὶ τῶν φιλοσόφων ὕπατος, uti ipsum vocant Zonaras & Cedrenus, ut recentiorum encomia jam taceam. Claruit anno 1050. & deinceps, summisque in republica honoribus & officiis functus est. Erat enim Senator CP. à Michaele Stratiotico unà cum aliis principibus viris ad Isacium Comnenum legatus missus: ejusque præcipuè operâ in deponendo Michaele Cerulario usus est idem Comnenus: Præcipuè curæ ejus commissus est Michael Ducas, bonis literis, bonisque moribus imbuendus, quem proinde ad omne disciplinarum genus accuratè formavit; immò ope ejus & consilio ipse Ducas anno 1071. in Imperatorem evectus est. At post sexennium exauctorato Michaele Ducâ ipse quoque Psellus dignitatibus exutus, abrasâ comâ, habitum Monachalem induit; & relictâ urbe regia, non diu posteà vitam cum morte commutâsse videtur. Vir planè admirandus, & qui omnes ferè sæculi sui eruditos dicendi copiâ, ingenii acumine, doctrinæ profunditate, longo post se intervallo reliquit. Eum veluti in Ecclesiam Latinam iniquiorem, schismaticis, quos vocat, annumerat Josephus Episcopus Methonensis, * ipsumque in expositione fidei ad Michaelem Ducam affirmâsse Spiritum S. ex solo Patre procedere non uno in loco fatetur ipse Allatius. Scripsit penè infinita, Philosophica, Mathematica, Medica, Historica, Theologica. Hic ergo Psellus, ut doctrinâ præstantissimus, ita omnium πολυγραφώτατος fuit. *Ausim dicere, neminem eâ, vel subsequente ætate, Græcè vel invenisse acriùs, vel* 1050.

* Apolog. adv. Marcum Ephes.

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. *vel ordinasse aptiùs, vel locutum eloquentiùs, vel profundiùs res pertractasse. Nulla fuit scientia, quam ipse vel notis non illustraverit, vel compendio non tentaverit, vel optimâ methodo non expedierit*, inquit Leo Allatius Diatribâ quam edidit *de Psellis eorumque scriptis* pag. 42. quamque in recensendis Pselli operibus, præcipuè τοῖς ἀνεκδότοις, non exiguam mihi lucem prætulisse lubens pronteor.

OPERA typis excusa.

Carmina, seu Paraphrasis metrica in Cantica Canticorum, ad Nicephorum Botoniatem Imp. prodiit Lat. *Venet.* 1573. 4°. *Antverp.* 1615. 8°. Græcè curâ Jo. Meursii, *Lugd. Bat.* 1617. 4°.

Commentarius in Cantica Canticorum ex tribus Patribus, Gregorio Nysseno, Nilo, & Maximo, à Psello, uti creditur, collectus. Prodiit sæpiùs Lat. inter Theodoreti opera, Gr. Lat. verò in *Auctario Duceano* Tom. II. p. 681.

Capita quadam de Trinitate & Personâ Christi ad Michaelem Imp. Gr. Lat. cum Notis VVoegelini *Augusta* 1608. 8°.

Jambi in vitia & virtutes, & Anagoga in Tantalum & Circen, & Allegoria de Sphinge, Gr. Lat. *Basil.* 1544. 8°.

De operatione Dæmonum Dialogus, Lat. *Parif.* 1577. Gr. Lat. cum notis Giberti Gaulmini, *Paris.* 1615 8°. Excerpta ejus à Marsilio Ficino collecta, & Latina facta, pluries prodierunt.

Expositio, seu Scholia in Oracula Chaldaica, quæ à nonnullis Proclo Lydio adscribitur. Prodiit Gr. Lat. à Fr. Patricio in *novâ Philosophiâ* edita *Venet.* 1593. & unà cum Oraculis Sibyllinis *Parif.* 1599. 8°.

Brevis dogmatum Chaldaicorum declaratio, Gr. Lat. à Patricio edita *Venet.* 1593.

De *facultatibus anima liber*, Gr. Lat. cum Origenis Philocalia *Parif.* 1624. 4°.

Annotationes in aliquot Gregorii Nazianzeni loca, Lat. à Jac. Billio editæ cum Gregorii Nazianzeni operibus.

Oratio Panegyrica in Simeonem Metaphrastem, Lat. apud Surium XXII. Novembr. Gr. Lat. apud L. Allatium *de Scriptis Simeon.* p. 221.

Officium pro ejus commemoratione à Psello compositum, Gr. Lat. ibid. p. 236.

Synopsis Legum versibus Jambicis & Politicis.

Carmina politica de Dogmate.

Carmina de Nomocanone.

Libellus de VII. sacris Synodis Oecumenicis. Opuscula ista quatuor Gr. Lat. cum notis edidit Fr. Bosquetus *Parif.* 1632. 8°.

De *Cibariorum facultate, utilitate, & noxâ Syntagma*, ex medicis libris collectum, cui pauca quædam addidit Simeon Sethus Magister Antiochenus. Opus à Setho interpolatum sub istius nomine Gr. Lat. prodiit *Basil.* 1538. 8°.

De *Podagrâ liber*, ab Anonymo quodam tempore Michaelis Palæologi conscriptus, & sub Pselli nomine erroneè editus Græcè *Parif.* 1558. 8°. Latinè sæpius.

De *Lapidum virtutibus libellus*, *Tolosa* 1558. 8°.

Commentarii in octo libros Aristotelis de Physica auscultatione. Lat. *Venet.* 1554. fol.

Περὶ χρυσοποιΐας, seu De *auri conficiendi ratione*, ad Michaelem Cerularium Patriarcham, Lat. unà cum aliis ejusdem argumenti Scriptoribus, *Patavii* 1572. 8°.

Liber de quatuor Mathematicis scientiis, Arithmetica, Musica, Geometria, & Astronomia, Gr. Lat. *Wittemberga* 1560. & cum Xylandri annotationibus *Basil.* 1556. Græcè *Parif.* 1545. Lat. ibid. 1557. *Turnoni* 1592.

Introductio in sex Philosophia modos, Gr. *Parif.* 1540 Lat. ibid. 1541. SÆC. XI. ab An. M.

De *victûs ratione, deque facultatibus, & succi qualitate elementorum libri* II. ad Constantinum Imperatorem, Latinè *Basil.* 1529. 8°.

Paraphrasis in Aristotelis librum περὶ Ἑρμηνείας, Græcè *Venet.* 1503. fol. Lat. *Basil.* 1542.

Compendium in quinque voces Porphyrii, & Aristotelis Pradicamenta, Gr. *Parif.* 1540. Lat. *Basil.* 1542.

OPERA INEDITA.

Liber contra Eunomium, in Bibliothecâ Vaticanâ.

Epitome librorum Moysis, in Bibl. Cæsareâ Viennensi.

Quæstiones Theologica cum Responsionibus ad Michaelem Ducam in Bibli. Augustanâ.

Opuscula quadam in Passionem, Natalem, & Sepulturam Christi, Paradisum & Antichristum, in Bibl. *Viennensi.*

Explicatio in Psalterium Davidis. Extat apud Joannem Surium.

Encomastica Orationes, in Nepotem suum, in Nicolaum Monachum, in Joannem Crustulam Monachum, atque aliæ quamplurimæ, in Biblioth. Vaticanâ.

Epistola XXXIII. in Bibl. Bavaricâ.

De Theologico charactere ad Pothum Vestarcham Oratio, in Bibl. Vaticanâ.

Quæ de Dæmonibus Græci opinentur, ibid.

Doctrina omnifaria Capitibus XCIV. comprehensa ad Michaelem Ducam, ibid.

Expositio in illud, quod in solenni Christi Ascensionis die dicitur; Hodie sancta Cundura, & cras Ascensio, ibid.

Expositio in illud, Domine Jesu Christe, Deus noster, miserere nostri. Amen, ibid.

In loca difficiliora Basilii & Nazianzeni Expositio, ibid.

De *fine sæculi*, ibid.

In Inscriptiones Psalmorum, tam prosâ, quàm carmine, ibid.

Carmina varia, ibid.

Paraphrasis Carmine Jambico in Canonem S. Cosma Maiuma Episcopi, sanctâ & magnâ feriâ quintâ canendum.

Multa alia Theologici, Philosophici, Rhetorici, & Mathematici commatis Opuscula Pselliana, in Bibliothecarum forulis adhuc delitescentia, enumerat Leo Allatius Diatribâ dictâ. Nos brevitati consulentes, Theologicos Tractatus summatim attingere satis duximus.

ANONYMUS Auctor *Vita S. Egvvini*, claruit circa annum ML. certè Elfvvardo Londinensi Episcopo qui obiit anno MXLIV. posterior. Scripsit Vitam S. Egvvini Wigorniensis in Angliâ Episcopi, circa annum CCCXVII. denati, quam ex Bollando & Capgravio edidit Joan. Mabillonius *Sac. Benedict.* III. Part. I. pag. 350. Hujus Egvvini Vitam scripsit etiam Britvvaldus, ex Monacho Glastoniensi Wintoniensis Episcopus, qui obiit anno MXLV. Non Brithvvoldus ille Cantuariensis Archiepiscopus Bedæ æqualis, ut Pitseus, Spelmannus aliique volunt. Fragmentum hujus Vitæ profert Fr. Godvvinus *de Præsul. Anglia* pag. 501. & ex eo alii. 1050. P. II.

GERARDUS, Monachus & Æditiuus Corbeiensis, variorum Monasteriorum successivè Abbas, primò Lauduni in Vincentiano, deinde S. Medardi Suessione, denique Sylvæ majoris in agro Bur- 1050. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. Burdigalensi, ubi ipse Monasterium condidit, claruit circa annum ML. Scripsit, quo tempore Monasterii Corbeiensis adhuc Cellarius erat, Vitam S. Adalhardi Abbatis Corbeiensis, seu potius prolixam & confusam Paschasii Rhatberti narrationem in compendium & meliorem ordinem redegit. Librum item de S. Adalhardi miraculis, cui secundum addidit sequentis sæculi Monachus Corbeiensis. Tum Vitam tum libellos de miraculis ediderunt Bollandus *Januar.* ii. & Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. I. p. 345.

1050. P. II. RICARDUS Bellilocensis in Argonnâ duabus à Claromonte leucis Abbas, claruisse videtur circa annum ML. Vitam S. Rodingi Abbatis Bellilocensis literis consignavit, quam ex MS. codice Catalaunensi edidit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. II. p. 531.

1050. P. II. ANONYMUS *Vitæ S. Urseoli* Auctor, claruit circa ann. ML. etsi de ætate ejus haud satis certi sumus. Scripsit Vitam B. Petri Urseoli Ducis Venetiarum & Dalmatiarum, tandem Monachi S. Michaelis de Coxano in Catalauniâ, mortui circa ann. DCCCCXCVII. Hanc ex MS. cod. Rivipollensi extulit Joan. Mabillonius *Sæc. Bened.* V. p. 874.

1051. MICHAEL CERULARIUS, ab anno 1051. juxta Freherum, rectius verò 1043. juxta Baronium & Curopalatem, Patriarcha Constantinopolitanus, Latinorum ac Pontificum Romanorum hostis infensissimus; quos ob fastum & ambitionem, ob jejunia Sabbatorum, & Azyma in sacris usurpata, ob vocem *Filioque* Symbolo insertam, & arreptum totius orbis Christiani primatum, voce & scriptis exagitavit. Anno demum 1053. postquam literis conciliatricibus utrinque missis spes pacis ineundæ aliqualis illuxerat, Leo IX. Papa Humbertum & Fredericum Cardinales & Petrum Archiepiscopum Amalphitanum ea de causa Constantinopolim legavit. Post tentatas utrinque irrito successu, concordiæ ineundæ rationes, Humbertus Michaelem excommunicavit; Michael Pontificis nomen Diptychis exemit; aliisque Patriarchis Orientalibus, ut idem facerent, autor fuit. Anno 1057. in Isacii Comneni partes propensior, Michaelem Stratioticum imperio cedere astu persuasit. Anno sequente ipse Isacio Imp. de rerum novarum studio suspicione injectâ exosus esse cœpit: cùmque de eo in ordinem redigendo ac sede Patriarchali exuendo meditaretur Imperator, mortem opportunam obiit, anno Patriarchatûs 15. Extat *Decisio Synodica de nuptiis in septimo gradu* Gr. Lat. in Jure Gr. Rom. l. 3. pag. 206. *Fragmenta aliquot de matrimonio prohibito*, ibid. l. 4. pag. 263. *Epistola II. ad Petrum Antiochenum* Gr. Lat. apud Coteler. *Monument.* Tom. II. pag. 135. *Edictum Synodale adversus Latinos de Pittacia*, seu de excommunicatione à Latinis Legatis in ipsum, ab ipso in Legatos vibratâ, anno 1054. die ix. Junii factum, Gr. Lat. apud L. Allatium *de libris Ecclesiast. Græcorum* p. 161.

1043. P. II. MICHAEL CERULARIUS, ab anno MXLIII. Patriarcha CP. creatus est. Primæ ejus ad Petrum Antiochenum Epistolæ subjunctum est opus ejus contra Latinos, cujus hoc est initium, *Ὡς πολὺ τὸ πλῆθος τῆς χρηστότητος τοῦ παναγάθου Κυρίου* &c. Extat Græcè MS. Biblioth. Vindob. cod. *Theol.* Lambec. CCXLVII. Nessel. CCCVI. num. xxiii. fol. 64. pag. 2. Vide Lambec. *Comment.* lib. III. p. 160. Jur. Græc. Rom. lib. IV. pag. 263. inter varia Michaelis nostri decreta *de Nuptiis* habetur breve fragmentum *de Sacerdotis uxore adulteria pollutâ.* Integram verò Epistolam decretalem ex Codd. Reg. Græc. Lat. edidit Cotelerius *not. ad Herm.* pag. 55.

LEO, Archiepiscopus Achridiæ, Bulgarorum Metropolitanus, claruit eodem, quo Cerularius, tempore, eorundem studiorum ac rerum gestarum socius. Anno 1053. unà cum Cerulario *Epistolam acerrimam adversus Latinos* scripsit *ad Joannem Tranensem* in Apuliâ Episcopum. Anno sequente ab Humberto Legato nominatim excommunicatus est. Extat *Epistola ad Joannem Tranensem* Lat. apud Baronium ad ann. 1053. Scripsit Leo & alias *Epistolas* plures, ex quarum primâ quædam adducit Leo Allatius *de Consensu Eccles. Orient. & Occid.* l. 3. c. 14. §. 4. 1051.

LEO, ni fallor, Achridenus, Bulgarorum Archiepiscopus, claruit anno MLI. Præter Epistolam ad Joannem Tranensem adversus Latinos, quæ extat Latinè apud Baron. ann. MLIII. Scripsit *de tentationibus & afflictionibus voluntariis, earumque utilitate* capita [illegible], *Κεφάλαιον α'. Περὶ μὲν ἡμῖν εἰς ζωὴν καὶ διατροφὴν ὁ καρποφορούμενος ἐν τῇ γῇ σῖτος* &c. Habentur MSS. Biblioth. Vindob. cod. *Theol.* ex dispositione Nesselianâ CLXVII. num. iii. fol. 69. *Epistola II.* contra Latinos *de jejunio Sabbati, & de Azymis* ibid. cod. LVIII. num. viii. fol. 114. Excerpta quædam contra Latinos memorantur ibid. cod. CCCXXIV. num. xviii. 1051. P. II.

SYMEON, *Junior, Theologus*, ut à Metaphraste, seu, ut alii, ut à Gregorio Nazianzeno Theologo, distinguatur, dictus; Presbyter CP. S. Mamantis in Xerocerco præpositus, claruit circa an. 1051. Nicetæ Pectorati æqualis, vel potius paulò senior, quippe cujus discipulum se fuisse ipse Nicetas profitetur: unde perperam alii integro sæculo recentiorem faciunt. Parùm de Symeone constat, nisi quod vergente ætate multorum criminationibus sugillatus, in judicium vocatus, in carcerem conjectus fuerit, partim ob correptos liberiùs solutos Imperatoris mores, partim ob dogmata quædam minùs sana, qualia fovisse Symeonem non vana est suspicio. 1051.

SCRIPTA.

ORationes XXXIII. *de Fide & moribus tum Christianis, tum Monasticis.*

Liber divinorum Amorum, *seu de Laudibus sacris Commentationes.*

Capita Moralia, Practica & Theologica, CCXXVIII.

Prodierunt Opuscula ista Latinè ex Jacobi Pontani versione, & cum Gretseri notis, *Ingolstad.* 1603.

Orationes LXIV. præter eas à Pontano editas, ab Allatio visæ & enumeratæ, appositis uniuscujusque argumentis, & initiis Diatrib. *de Scriptis Simeon.* p. 153.

Hymni de Laudibus divinis, *seu Commentationes sacræ* XIX. præter eas à Pontano editas, ab Allatio pari modo enumeratæ, ibid. p. 161.

Capita Practica & Theologica varia, ab editis diversa, ab Allatio itidem visa & recensita, ibid. p. 167.

Alia multa Simeonis nostri *Opera* in Bibliothecis, Antonii Augustini, Regiâ Parisiensi, Altempsianâ Romæ, Regiâ S. Laurentii, & Verderianâ, Manuscripta haberi ex aliorum fide refert Allatius ibidem, quem consulat Lector, qui ea sigillatim scire avet.

Cœterùm, ut hoc obiter notem, minùs ad rem attendit Casimirus Oudin, dum Symeonem nostrum

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. ftrum cum Symeone Logotheta juniore, qui vixit circa ann. 1170. temere confundit.

1053. P. II. DAVID, natione Syrus, Maronitarum in monte Libano Archiepiscopus, claruit anno 1053. quo Epistolam ad Arsenium Episcopum Haincurensem de Melchitis, Maronitis aliisque Sectis dedit. Scripsit etiam Tractatum *de Orientalium sectis & opinionibus*, ex cujus cap. I. quædam Arabicè profert Abr. Ecchellensis *Epist. ad Morin.* inter *Antiquit. Orient. Lond.* 1682. pag. 459. Denique ann. MLIX. negantibus Josepho Abbate & Monachis Constitutiones Ecclesiæ Maronitarum ex sermone Syro in Arabicum transtulit teste eodem *Epist. ad Morin.* ibid. p. 326. Integrum opus XVII. Capita complectitur, quovis capite in plures sectiones diviso. Capitum & sectionum argumenta ibidem exhibentur. Ex hoc opere aliqua Latinè profert idem Ecchellensis *Not.* ad Catal. *Hebedjesu* num. V.

1054. JOANNES, Euchaitarum Metropolita, claruit circa ann. 1054. & deinceps. Scripsit Poëmata versibus Jambicis *in principalium festorum pictas in tabulis historias*, atque alia varia. Prodierunt ista Carmina curâ Matthæi Busti Ætoniensis cum notis doctissimis Græcè edita Ætonæ 1610. 4°. Scripsit etiam *Vitam S. Eusebiæ* apud Euchaitas in magna veneratione habitæ, item *Vitam S. Dorothei junioris in Chiliocomo*: ex quibus Fragmenta quædam profert Leo Allatius libro *de Consensu utriusque Ecclesiæ in Dogmate de Purgatorio* p. 754.

1054. P. II. JOANNES Μαυρόπους, à nigris pedibus dictus, primùm Monachus; deinde Euchaitarum Metropolita, claruit circa annum MLIV. Quantæ existimationis vir fuit Joannes Euchaitensis, disces ex elogio, quod in codicis sui vestibulo, summo quidem artificio exaratum reperit Bustus noster, Ἀνὴρ ἦν σοφώτατος καὶ ἁγιώτατος ὃ συνέγραψε πλείους τῶν λόγων, καὶ ἐπιστολάς, καὶ στίχους ἰαμβικούς, καὶ ἄλλα πολλὰ λόγου καὶ χάριτος ἄξια, καὶ πολλοὺς τῶν ἀνθρώπων ἐξεπαίδευσε, πεπληρωμένος ὢν τῆς τοῦ παναγίου πνεύματος χάριτος. *Vir erat sapientissimus sanctissimusque, qui plures sermones & epistolas & carmina Iambica, aliaque multa, ratione & venustate digna conscripsit, plurimosque erudivit, ipse sacrosancti Spiritûs gratiâ repletus.* Scripsit Orationem *encomiasticam* in tres Sanctos Patres *Basilium Magnum*, *Gregorium Theologum*, & *Joannem Chrysostomum*. Cujus initium est. Πάλιν Ἰωάννης ὁ τὴν γλῶτταν χρυσοῦς, καὶ πάλιν ἡμῖν ἐπιφανὴς ἑορτή. Τέταρτος μὲν τοι Μὴν &c. Extat MS. Biblioth. Vindob. cod. *Theol* CXLIV. num. 6. fol. 217. *Orationem* etiam (teste Leon. Allatio *de script. Simeon.* pag. 105.) εἰς τὴν μνήμην τοῦ ἁγίου μάρτυρος Θεοδώρου, ἤτοι τοῦ πεζοῦ. Quæ ita incipit, Παρ' ἡμῖν δὲ οὐκ οὐράνια τὰ καλά, τὸ τοῦ λόγου. Hanc cum priori nescio quare confundit Cl. Nesselius Catal. Part. I. pag. 224. Obiter hoc loco notare liceat Euchaitarum urbem propter honorem Theodoro martyri præstitum celebrem fuisse. Joannes enim Tzimisces qui imperare cœpit anno 970. ut huic Martyri gratiam referret, ob præstitum ejus, ut putavit, ope adversus Scythas auxilium, elegantissimum ei Templum in hâc urbe struxit, in quo Martyris corpus reposuit, ipsamque urbem veteri nomine abolito, *Theodoropolim* appellavit, teste Zonarâ *Annal*, Tom. III pag. 171. Unde & Auctor noster carmine in Imaginem Constantini Monomachi apud Euchaitenses positam pag. 47. hanc Urbem τὴν μάρτυρος πόλιν τὴν καὶ παροικίαν vocat. In eâdem Bibliothecâ Vindob. cod. *Theol.* LXXVIII. juxta Nesselium nu. 1. fol. 1. habentur Joannis nostri *Canones paracletici*, sive Cantica Consolatoria XXIV. ad Christum Servatorem, quorum unumquodque peculiarem suam habet Acrostichidem, quæ itidem ut quælibet ode nonâ nomine Joannis insignita est. Ibib. fol. 77. pag. 2. alia *duo Cantica* ad Christum servatorem sine Acrostichide & nomine Auctoris. Fol. 83. pag. 1. *Canon* sive Canticum ad sanctum Angelum custodem. Fol. 88. pag. 1. *Canones* sive Cantica LXVII. ad Beatissimam Virginem Deiparam, quorum unumquodque peculiarem suam habet Acrostichidem, & itidem ut quælibet Ode nona nomine Joannis insignitur. Fol. 315. pag. 1. *Canones* sive Cantica XI. ad S. Joannem Baptistam Christi præcursorem, eodem quo priora modo condita ibid. cod. CIII. continentur ejusdem sacra *Jambica*, præfixâ Vitæ ipsius Epitome, numero CII. quorum inscriptiones & principia exhibet Lambecius *Comment.* lib. V. pag. 29. Hæc eadem esse arbitror quæ Græcè elegantissimo planè charactere edidit, notisque breviusculis sed eruditis illustravit Matthæus Bustus, *Etonæ* prope Windesoram in Collegio Regali anno 1610. 4to. Ut mirari desinat Cl. Lambecius loc. citat. hæc poëmata velut jam edita, in Meursii Glossario Græco Barbaro sexies citari, quo autem, *inquit*, tempore & loco, cujusque curâ & studio Editio illa in lucem prodierit, nondùm potui indagare. Id quod eo magis adhuc mirandum est, quòd ipse ibi *Comment.* lib. III. p. 381. duarum Nazianzeni adversùs Julianum invectivarum Editionem Græcam à Montacutio Etonæ in lucem emissam (cui subjuncta sunt hæc Euchaitensis poëmata) disertè citat. De Joannis nostri ætate, vitâ, & scriptis plura habet Lambecius *Comment.* lib. ubi suprà. De Auctore, imprimis de urbe Euchaitensi, M. Bustus in prolegomenis ad Notas Versibus Jambicis à se editis præmissas.

SÆC. XI. ab An. M.

HUMBERTUS, Monachus Tullensis, O. B. à Leone IX. Papa ex Lotharingia Romam secum adductus anno 1049. & inter Cardinales cooptatus. Anno 1051. Monasterio Sublacensi ab eodem præfectus est. Anno 1053. Michaelis Cerularii & Leonis Acridensis Epistolam ad Joannem Tranensem, ut Græcorum insidias detegeret, Latinè vertit. Eodem circiter tempore Episcopus Sylvæ Candidæ à Pontifice renunciatus videtur. Anno 1054. à Leone Constantinopolim legatus est, ut Schisma Orientale componeret. Exeunte anno in Occidentem re infectâ rediit; & in itinere dona quæ à Constantino Imp. opima satis acceperat, Trasimundi Comitis Theatini latrocinio perdidit. Anno 1057. à Victore II. Pontifice ad Monasterium Cassinense missus, ut de præpropera Petri Abbatis electione cognosceret, tumultuantibus Monachis vitæ discrimen adiit. Sedato tamen tumultu Petrum Abbatem dignitatem abdicare, & in locum ejus Fredericum Cardinalem subrogari effecit. Anno 1059. Nicolai Papæ & Synodi Romanæ jussu, abjurationis seu Confessionis formulam à Berengario recitandam composuit. Obiit post annum 1064. 1054. Diatrib. Hist. Carding. Tom. I. p. 1.

SCRIPTA.

Liber adversùs calumnias Michaelis Cerularii & Leonis Achrideni de Azymo, & jejunio Sabbatorum, quem à Constantino Monomacho rogatus Constantinopoli scripsit, titulo *Disputationis inter Romanum & Constantinopolitanum.*

Refutatio Tractatûs editi contra Latinos à Niceta Pectorato. Bina ista Opuscula edidit Baronius in Appendice ad Tom. XI.

Commemoratio eorum, quæ contra Michaelem Cerularium gesserunt Apocrisiarii Apostolicæ sedis anno

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. *anno* 1054. Habetur apud Baronium ad annum dictum,

Ejusdem & Conlegatorum *Epistola ad omnes Ecclesiæ Catholicæ filios.*

Opuscula omnia Humberti suprà recensita extant apud Canisium *Antiqu. Lect.* Tom. VI. pag. 114. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XVIII. pag. 389. 405. 415.

1054. P. II. THOROS, genere Armenus, Armenorum Catholicus seu Patriarcha claruit anno MLIV. Scripsit linguâ Armenâ *Commentarium in SS. Evangelia*, qui habetur in Bibliothecâ Vindobonensi inter codices MSS. *Orientales* num. CVII. 8vo. Vide Lambec. *Comment.* l. I. p. 175.

1055. VICTOR, *Gebehardus* antea dictus, gente Noricus, Henrici Imp. Consiliarius, & Episcopus Eistetensis, post Leonis mortem ab Henrico Imp. quem sanguine proximè attingebat sedi Romanæ præfectus est, die XIII. Aprilis anno 1055. in cathedrâ collocatus. Anno 1056. ab Henrico in Germaniam evocatus, ei morienti astitit, & Henricum filium sibi à Patre commendatum in tutelam recepit. Anno sequente in Italiam reversus obiit Florentiæ die XXVIII. Julii. Extat *Epistola ad Humbertum Sylvæ Candidæ Episcopum*, quâ Ecclesiæ illius privilegia amplificat, Concil. Tom. IX. p. 1077.

1056. P. II. WIPERTUS sive WIBERTUS, vel ut alii GILBERTUS, Brunonis Tullensis Lucrorum Episcopi, posteà Romani Pontificis, Archidiaconus, claruit anno MLVI. Scripsit de Vitâ Leonis IX. *Brunonis* anteà dicti, qui obiit anno MLIV. libros II. Hos notis suis ornatos edidit Jacobus Sirmondus *Paris.* 1615. Posteà ad codices MSS. recognitos & auctos Actis *April.* XIX. Bollandiani inseruerunt. In hanc Vitam notas etiam scripsit Cl. Barthius *Advers.* lib. XLV. cap. 19.

1057. STEPHANUS IX. *Junianus Fredericus Gozzelo* antea dictus, natione Lotharingus, Godefridi Lotharingiæ Ducis frater, Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus, Bibliothecarius, Cancellarius, & Cardinalis titulo S. Chrysogoni Anno 1054. à Leone IX. Constantinopolim unà cum Humberto legatus est, ubi Michaelem Patriarcham deposuit, & anathemate perculit. In Italiam reversus ob propugnatas Godefridi fratris partes, Henrici Imp. inimicitias expertus est; adeò ut in Monasterio Cassinensi positis honorum insigniis cucullum induere necesse haberet; ubi anno 1057. Victoris II. potentâ Abbas renunciatur. Eodem anno Florentiam profectus, Pontificem consulturus, ab eo iterum Cardinalis Presbyter renunciatur, mox mortuo Victore Pontificatum Romanum adeptus est, die III. Augusti consecratus, adeò invitus ac reluctans, ut per vim ex hospitio ad Basilicam S. Petri ad vincula educendus erat. Frequentia egit Concilia, in quibus haud aliud majori studio egit, quàm ut Clericis & Sacerdotibus conjugii licentiam eriperet. Ineunte anno 1058. legationem ad Constantinopolim uniendarum Ecclesiarum ergò adornavit, missis Desiderio Abbate Cassinensi, Stephano Cardinale, aliisque; qui in Orientem profecti operam luserunt. Ipse Stephanus domi residens de transferendo in Godefridum fratrem imperio cogitavit: idque ut faciliùs efficeret, si Papebrochio*, ejusque Codici vetusto fides sit habenda, habitâ Romæ Synodo Henricum Imp. propter Investituram Episcoporum sibi vindicatam Hæreticum declaravit, missoque in Germaniam Hildebrando Diacono, denunciavit. Obiit Florentiæ anno 1058. die XXIX. Martii. Extant *Epistolæ* II. Concil. Tom. IX. pag. 1088. Scripsit junctim cum Humberto Cardinali, Librum *de Corpore Domini* adversùs Michaelem Cerularium, de quo in Humberto agimus; alium item *de eadem re* adversùs Monachum Constantinopolitanum, testante Petro Diac. cap. 17.

* Conat. ad Catal. Pontif. par. I. p. 192.

1057. PETRUS DE HONESTIS, Damiani à fratris, * (quem Patris loco semper habuit) homine dictus, gente Italus, Patriâ Ravennas, in Monasterio S. Andreæ ad Fontem Avellanum vitam Monasticam profiteri cœpit. Ob præclaram virtutis & doctrinæ famam post aliquot annos à Guidone Abbate Pomposiano ad Cœnobium suum accitus est, ut Monachis Pomposianis virtute & doctrinâ exemplo præiret. Postquàm ibi biennium exegisset, Avellanam reversus, Monasterii Prior, ac tandem Abbas renunciatus est. Abbas factus provinciam sibi commissam diligenter excoluit, Monasterii ædificia ampliavit, Monachos ad pietatem & bonarum literarum studium exemplo incitavit, scriptis informavit: quodque meritorum cumulum apud Pontificios in immensum auget, primus omnium Officium B Virginis Monachis suis recitandum præscripsit. Anno 1057. vel sequente, à Stephano Papâ Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, & Ostiensis Episcopus, invitus creatus est. Anno 1059. à Nicolao II. Pontifice Mediolanum legatur, ut Simoniam & Clericorum conjugium ex Ecclesia Mediolanensi eradicaret: eoque obtentu Mediolanensem Romanæ sedi subjiceret. Duram sanè provinciam sortitus est Petrus. Quo in Urbem adveniente tumultuabantur Clerici Mediolanenses, se simoniaco crimine penitùs immunes esse clamabant; impiam & intolerandam esse cœlibatûs legem; ante omnia verò indignum esse Ambrosianam Ecclesiam Romanæ subjacere; nullam judicandi vel disponendi vim Romano Pontifici in illam sedem competere; fortiter esse conservandam authoritatis æqualitatem à Progenitoribus acceptam; nec post coævam Ecclesiæ libertatem subeundum esse jugum Papale. Nec verbis contenti Clerici, vim parârunt, & concursu facto Legatum in vitæ discrimen adduxerunt. Tantas nihilominùs turbarum procellas mirâ dexteritate compescuit Petrus, & attracto in partes Guidone Archiepiscopo, Clericos in ordinem redegit, rem confecit, Romæ triumphum intulit. Anno 1061. solutos Clericorum Romanorum mores indignè ferens, cùm, ut ipsius verbis utar, vivere nesciret cum eis, quibuscum adeò moribus dissentiret, Episcopatu semet abdicavit, & in solitudinem secessit. Non diu autem quieti indulgere datum est. Anno enim sequente ab Alexandro II. Papâ è solitudine Avellanâ abreptus, legationem in Galliam ad reformandum Monasterii Cluniacensis statum obire coactus est. Anno 1063. Florentiam ab eodem legatur, ut gravissimum schisma Petrum Episcopum inter, & cives Monachosque Florentinos enatum componeret. Anno 1069. ad Henricum Germanorum Regem, qui Bertam conjugem repudiare in animo habuit, ab Alexandro missus, scelus id quà salutaribus documentis, quà invictâ animi fortitudine impediit. Anno 1072. defuncto Henrico Archiepiscopo Ravennate, qui ob denegatum constanter Ecclesiæ Romanæ obsequium octennio ante ab Alexandro Pontifice excommunicatus fuerat, Petrus ad Patriam urbem legatus est, ut cives Ravennates Ecclesiæ Romanæ reconciliaret, & anathematis vinculo solveret. Re confectâ Faventiam abiit; ubi febre correptus, in Cœnobio S. Mariæ die XXIII. Februarii animam efflavit, anno ætatis suæ 66. Vir, *inquit Brietius*, planè

SÆC. XI. ab An. M.

* Vit. Damiani per Joan. Discip. opp. Præfix. Diatrib. Hist. Cardin. Tom. I. p. 16.

Vide Petri Ep. ad Hildebrandum & Joannem in Vitâ Damiani.

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. planè pius, & qui religionem multorum animis ingessit, Ecclesiæ vindex accerrimus, & huic præfici dignus, si in meliora tempora incidisset. Nescio an notari meretur, quod in non uno Cœnobii S. Edmundi Registro his verbis legitur. *Ubi* (viz. *in Ecclesiâ à Baldvvino Abbate fundatâ*) *inter Archiclericos erat Petrus Damianus, cujus pulcherrimus liber, qui dicitur Dominus vobiscum, usque hodie extat.* An hic fuerat noster Damianus, disquirant alii: certè nemo, quòd sciam, adventûs ejus in Angliam meminit; aliter temporum ratio satis aptè convenit, cùm Ecclesia illa Buriensis circa annum 1065. fundata erat.

OPERA.

Epistolarum libri VIII. quorum I. ad. Pontifices, II. ad Cardinales, III. ad Patriarchas & Archiepiscopos, IV. ad Episcopos, V. ad Clericos, VI. ad Abbates & Monachos, VII. ad sæculares Principes, VIII. ad Laicos privatos. Prodierunt seorsim cum notis Constantini Cajetani Syracusani *Paris.* 1610. 4°.

Sermones juxta mensium ordinem distributi; ex quibus illos *de Nativitate Domini*, *de S. Martino*, *de Rivis fluminis*, *de S. Stephano*, *de S. Andreâ*, *& de S. Nicolao*, spurios esse notat Theophilus Raynaudus in Erotematis.

Vita S. Odilonis Abbatis Cluniacensis. Extat apud Surium & Bollandum ad I. Januar.

Vita S. Mauri Episcopi Cæsenatis, ibid. ad XX. Januarii.

Vita S. Romualdi institutoris Camaldulensium. Habetur apud Surium ad XIX. Junii.

Vita S. Rodulfi Episcopi Eugubini, ibid. ad XIV. Octobr.

Passio SS. Virginum & Martyrum Floræ & Lucillæ.

Expositio visionum SS. Martyrum Mariani & Jacobi.

Plurimæ aliæ *Sanctorum Vitæ* à Damiano conscriptæ in Collectione Surianâ reperiuntur; quæ tamen in Epistolis ac Sermonibus ejus locum habent; adeòque suprà à nobis sunt enumeratæ.

Opus de Fide Catholicâ ad Ambrosium.

Antilogus contra Judæos.

Dialogus inter Judæum & Christianum.

Disceptatio Synodalis de electione Principis Romani

Actus Mediolanenses.

Liber, qui appellatur Gratissimus.

Liber Gomorrhianus.

De Parentela & cognationis gradibus, atque alii *Tractatus LII.* viz. *De Eleemosyna*, *De Horis Canonicis.* *Liber* qui vocatur, *Dominus vobiscum.* *Apologeticus de contemptu sæculi.* *De perfectiore Monachorum.* *De ordine Eremitarum*, *& facultatibus Eremi Fontis Avellani.* *De sua congregationis institutis.* *In Episcopum Monachos ad sæculum revocantem.* *De Cœlibatu Sacerdotum.* *Contra Clericos intemperantes.* *De abdicatione Episcopatûs.* *Apologeticus ob dimissum Episcopatum.* *De fuga dignitatum Ecclesiasticarum.* *Contra Clericos Aulicos.* *De Brevitate vitæ.* *Contra Clericos Regulares proprietarios.* *De dignitate Sacerdotii.* *Contra inscitiam clericorum.* *De communi vita Canonicorum.* *Apologeticus Monachorum adversùs Canonicos.* *De vili vestitu Ecclesiasticorum.* *De Sacramentis per improbos administratis.* *Contra Philargyriam.* De *Quadragesima*, *& XLII. Hebræorum mansionibus.* *De bono suffragiorum*, *& variis miraculis.* *De variis miraculosis narrationibus.* *De Picturis Principum Apostolorum.* *De Divina Omnipotentia.* *De variis sacris quæstionibus.* *De Processione Sp. S.* *Contra sedentes tempore Divini Officii.* *De frænandâ irâ.* *De tempore celebrandi nuptias.* *De servandâ fide Deo præstitâ.* *De laude flagellorum & disciplinæ.* *De decem Ægypti Plagis & Decalogo.* *De sanctâ simplicitate.* *De ferendâ æquanimiter correptione.* *De Castitate.* *De Spiritualibus deliciis.* *De perfectâ Monachi informatione.* *Institutio Monialis.* *De vitâ Eremiticâ.* *De bono religiosi statûs.* *De Patientiâ in insectatione improborum.* *De jejunio Sabbati.* *De celebrandis Vigiliis.* *De despiciendâ mundi gloriâ.* *De Principis officiis in coercitione improborum.* *De verâ fœlicitate ac sapientiâ.* *De novissimis & Antichristo.* *Expositio mystica libri Geneseos.*

Opera Damiani in unum collecta prodierunt cum notis & observationibus Constantini Cajetani *Romæ* Tom. III. annis 1606. 1608. 1615. quartum etiam Tomum Orationes, Carmina, & Rythmos continentem promisit Cajetanus. Recusa est editio Romana Lugduni 1623. Tom. III. fol. atque addito Tomo quarto *Paris.* 1642. 1663. In Tomis hisce locum non habent

Liber de correctione Papæ & Episcopi, qui typis excusus prodiit *Argentorati* 1562. & inter alia quædam *Francofurt.* 1614. 1621. & apud Goldastum *Monarch.* Tom. II. p. 43.

Sermones V. in Orationem Dominicam, à Dacherio editi *Spicileg.* Tom. VII. Idem tamen Dacherius in fine Præfationis Tom. VIII. Petro Ravennati sive Chrysologo adjudicat.

ALBERICUS, Natione forsan Italus. Monachus & Diaconus Casinensis. Cardinalis titulo S. Quatuor Coronatorum, à Stephano IX. vel ut alii, ab Alexandro II. creatus. Claruit anno MLVII. Anno MLIX. habita est Romæ adversùs Berengarium Synodus: ad hanc, saltem ad sequentem Synodum, sub Gregorio VII. an. MLXXIX. habitam evocatur Albericus noster, ut contra Berengarium disputandi partes in se reciperet, quem proinde & voce & scriptis oppugnavit, elucubrato vix unius hebdomadis spatio *libro de Corpore Domini.* Scripsit præterea, teste Petro Diacono, librum *Dictaminum & Salutationum*; *Hymnos in S. Nicolaum*; *De Musica Dialogum*; *De Virginitate S. Mariæ*; *Contra Henricum Imp. de Electione R. Pontificis*; *Hymnos de Paschate*; *De Ascensione*; *De Cruce*; *De die Judicii*; *De pœnis inferni*; *De Gaudio Paradisi*; *De assumptione B. Mariæ*; *De S. Paulo*; *De S. Apollinare*; *Passionem S. Modesti*, *& S. Cæsarei*; *Vitam S. Dominici Abbatis*; *S. Scholasticæ*, *& Homiliam in eandem*; *De die Mortis*; *De Monachis*, *De Astronomia*; *De Dialectica*; nec non *epistolas* plures. Cunctas Alberici lucubrationes MSS. haberi Florentiæ in Bibliotheca Fratrum Minorum S. Crucis testatur J. B. Marus ad Pet. Diac. pag. 43. *Vita S. Dominici* extat apud Bolland. Tom. II. Januar. XXII. qui tamen Albericum nostrum, cum alio Alberico Monacho itidem Casinensi, qui claruit anno MCXXIII. Librumque *de Visione suâ* scripsit, temerè confundit: quod etiam faciunt Possevinus, Arnoldus VVion, Ciaconius, & alii. 1057.

(De Vir. illust. C. 21.)

GEORGIUS CEDRENUS, Monachus Græcus, claruit anno 1057. Scriptor obscuræ admodùm famæ, de quo nil omnino referunt, qui sequentium temporum Historiam tradiderunt. Scripsit *Annales* sive *Compendium Historiarum* ab Orbe condito usque ad Isacii Comneni tempora, annumque Christi 1057. *Idiotam fuisse illius scripta clamant*, inquit Scaliger *. Historiæ suæ farraginem ex pluribus congessit autoribus, quos ipse in Procemio commemorat; è quibus tres sunt, quibus sua ferè debet omnia. Ab initio mundi usque ad Diocletianum omnia ferè ex Chronographia Georgii Syncelli descripsit: à Diocletiano usque ad 1057.

* Animadvers. in Euseb. Chronic.

SÆC. XI. ab An. M. ad Michaelem Curopalatam Theophanis Chronicon compilavit; inde verò usque ad Isacium Comnenum (in quo Opus terminatur) omnia ferè ad verbum ex Historia Joannis Thracesii Scylitzæ descripsit. Ipse enim à Joanne potiùs, quàm ab eo Joannes, mutuatus videtur: propterea quòd Joannis Protovestiarii cognomento Thracesii Historiam ipse in Procemio memoraverit. Leo Allatius † tale de illo judicium tulit. *Opus è variis historiis, non sententiis solùm, sed verbo tenus consarcinatum absolvit. Quæ si ab auctoribus repeterentur, nudus ipse, æque ac cornicula illa remaneret —— Nescio quâ fronte, quæ exscripsit, pro suis divendidit, adeò ut vix unam, alteramve periodum in tam vasto volumine Cedreni propriam ac legitimam reperies: gratiæ tamen illi agendæ sunt, quod auctores nobis præcipuos, & raros suo ipse furto conservavit.* De ejus Historiâ hæc Cl. Vossius *. *In rebus Byzantinis Zonarâ paulò diligentior est: in iis autem, quæ Constantinopolitanos Cæsares præcedunt, cedit Zonaræ: à quo & stylo vincitur, uti etiam à Nicetâ, & Gregorâ, & aliis.* Certè Cl. Casaubono * *nullius admodum judicii Scriptor, & Veteris Historiæ imperitissimus* audit, nec minus J. Lipsio † *anilium sæpe fabularum Scriptor, & veri incuriosus vel ignarus. Judicio legatur tamen*, inquit, *dabit quod juvet.*

† Diatrib. de Georg. & eorum Script. p. 334.

* De Hist. Gr. l. 2. c. 26.

* Exercit. 2. c. 17. p. 195.

† Cent. Miscell. Epist. 61. p. 466.

Primus, hoc Cedreni Opus notis illustratum Gr. Lat edidit Gulielmus Xylander *Basil.* 1566. f. posteà verò longè integrius prodiit cum notis & animadversionibus Xylandri, Caroli Fabroti, Jac. Goaris, & Glossario mixto-barbaro *Paris.* 1647. f.

1057. ALPHANUS, Patriâ ut videtur Italus, primò Cœnobii Casinensis alumnus, deinde Monasterii S. Benedicti Salerni Abbas, tandem anno MLVII. Archiepiscopus Salernitanus factus, anno MLIX. sub Nicolao II. Synodo Beneventanæ interfuit, cui secundo post ipsum Nicolaum loco subscripsit, obiit anno MLXXXVI. Præsulatûs sui XXIX. Scripsit quamplurima, metro ut plurimùm composita, quæ recenset Petrus Diaconus cap. 19. viz. *Passionem S. Christinæ, & Hymnos de eadem: de S. Benedicto: Versus S. Sabinæ: S Christinæ: S. Petri Apostoli: In laudem Monachorum Casinensium: De situ, Constructione, ac renovatione ejusdem Cœnobii; De S. Mauro; Hymnos de S. Matthæo: De S. Fortunato: De S. Nicolao: Confessionem Metricam:* De *Ecclesia S. Joannis Baptistæ in Casino*: Denique *Epitaphia* atque poëmata alia quamplurima. Hæc ferè omnia edidit Ferdinand. Ughellus in calce Tom. II. *Italiæ Sacræ*, teste J. B. Maro not. ad Petrum Diac. pag. 38. alia edidit Prosper Martinengus Poëm. Tom. III. *Rom.* 1589. 4°. *Versus in laudem Romualdi Causidici Salernitani, & Sigismundi Monachi Casinensis* in Bibliotheca Casinensi MSS. asservantur. *Passio SS. Martyrum* XII. *fratrum Beneventanorum*, metro heroico conscripta, extat apud Sur. Septemb. I. quam tamen longè auctiorem, omnibusque numeris absolutam, ad Cod. MSS. fidem correctam, sese in lucem emissurum pollicetur prædictus Marus loc. citat. ubi quatuor aliorum Alphani nostri opusculorum meminit, quæ in Bibliothecâ Casinensi jam non ampliùs comparent. Denique corrigit errorem Falconis in Chronico, qui poëmata prædicta non nostro sed juniori Alphano Archiepiscopo Salernitano qui obiit an. MCXXI. tribuit.

1058. NICOLAUS II. antea *Gerardus* dictus, natione Burgundus ex Episcopo Florentino Pontifex Romanus post Stephani IX. mortem ab Henrico Rege senex admodùm designatus est, deturbato Benedicto, qui sine jussu Regis & Principum solis Cleri suffragiis nixus sacerdotium usurpaverat. Nicolaus quidem Pontifex declaratus à Rege est anno 1058. die IX. Septemb. inthronizatus verò Romæ die XXI. Januarii anno 1059. cùm & Benedictum Antipapam excommunicavit: mox tamen placatior factus ad laicam communionem admisit. Eodem anno Concilio Romæ celebrato, Berengarium ad palinodiam adegit; & Henrico Germaniæ Regi jus Pontifices Romanos eligendi à decessoribus Imperatoribus acceptum decreto Synodico confirmavit, intentato contra omnes decreti violatores anathemate & diris gravissimis. In eadem Synodo Petri Damiani rogatu Constitutionem contra Clericorum conjugium & concubinatum edidit. Obiit Florentiæ anno 1061. die XXIV. Junii. Extant *Epistolæ* VIII. Concil. Tom. IX. p. 1091.

CONSTANTINUS LICHUDES, sive *Licudex*, dignitate Protovestiarius, post Michaelis Cerularii obitum anno 1058. vel sequente, ad Patriarchatum Constantinopolitanum provectus est. Obiit anno 1066. Extant Gr. Lat. Decreta II. Synodalia, viz. de servo criminali, & de sacerdote cædis reo ac deposito, in Jure Gr. Rom. l. 4. p. 264. 1058.

DROGO sive DRACO gente Belga, Cœnobii Winnoci Bergensis Presbyter & Monachus, claruit anno MLVIII. Cap. XXII. Professionis suæ in Daniam meminit, seque Hamburgi substitisse narrat. Malè hunc cum Drogone Morinorum Episcopo, à Molano confundi rectè notat Mabillonius, & tamen eundem cum Molano errorem errârunt, Possevinus *Appar.* Tom. I. pag. 487. Arnold. Wion. *in Lign. Vit.* lib. II. cap 47. p. 341. Vossius *de Hist. Lat.* lib. II. cap. 45. pag. 374. Sweertius *Athen. Belg.* pag. 223. Miræus *Auct. de Script. Eccl.* cap. 375. pag. 253. & novissimè Oudinus *supplem.* pag. 31. Scripsit Drogo noster librum de Miraculis S. Winnoci, quem Vitæ Winnocianæ secundum & tertium vulgò vocant. Ubi cap. 18. se à Drogone Episcopo Tarvennensi apertissimè distinguit. Hunc ex MS. codice Compendiensi erutum nobis exhibet Cl. Mabillonius *Sæc. Benedict.* III. Part. I. pag. 315. Scripsit quinetiam Historiam Translationis S. Levvinæ Virginis ac Martyris Anglæ, anno MLVIII. peractæ, quam ipse Rumoldo Abbati Bergensi dedicavit, hactenùs quod sciam ineditam. Præfationis partem profert Mabillonius, in quâ iterùm se à Drogone Episcopo Tarvennensi alium esse disertissimè ostendit. 1058. *T. II.*

MARIANUS, SCOTUS à Patriâ dictus, in Hiberniâ quippe natus anno 1028. Venerabilis Bedæ linealiter consanguineus, uti habet Matthæus Westmonasteriensis * Anno 1052. Marianus sæculo relicto Monachum induit. Anno 1058. in Germaniam profectus est, & in Cœnobio S. Martini Coloniensi per triennium consedit. Anno 1059. Fuldense Monasterium cum Sigfrido Abbate profectus, Wirceburgi Presbyter ordinatus est III. Id. Mart. ac prid. Id. Maii. Cœnobium Fuldense ingressus, decennium ibi loci inclusus exegit. Anno 1069. è Fuldensi reclusione ad Moguntinam jussu Archiepiscopi Moguntini transiit: & in eâ non sine sanctitatis opinione decessit anno Christi 1086. ætatis suæ 58. in Cœnobio S. Martini sepultus. Sunt qui eum ante obitum Germaniam perlustrâsse, & Reginoburgi in Bavariâ mathematicas disciplinas docuisse, ac SS. Scripturas interpretatum esse volunt. Scripsit *Chronicon* ab *initio* mundi ad annum Christi 1083. Cassiodorum imprimis secutus. Continuavit id postea ad annum usque 1200. Dodechinus Abbas S. Dysibodi. Prodiit Chro- 1059.

* Florileg. ad an. 1083.

Digitized by Google

SÆC. XI. An. M. Chronicon istud continuatum tum sæpiùs alibi, tum inter Scriptores rerum Germanicarum, ac imprimis *Francofurt.* 1583. f. Codicem ejus MS. edito duplò auctiorem in Bibliothecâ Oxoniensi extare testatur Brianus Twynus †. Verùm additiones istæ ab alienâ forsan manu profectæ sunt. Suspicionem injicit Codex MS. cum alterius additionibus interfertis, quem in Bibliothecâ Lumleianâ exstitisse fidem facit Thomas Jamesius *. De aliis Mariani scriptis, viz. *Concordiâ Evangelistarum*, *Universali Computo*, *Emendationibus Dionysiani calculi*, consulendi sunt Balæus, Waræus, aliique. *Epistolas omnes D. Pauli*, *Mariani Scoti manu exaratas* anno 1079. & Annotationibus marginalibus ac interlinearibus ab eodem illustratas in Bibliothecâ Cæsareâ asservari monet Lambecius Comment. l. 2. c. 8. p. 749.

† De antiqu. Acad. Oxon. l. 1. p. 67.

* Eclog. I. p. 93.

1059. OSMUNDUS, Episcopus Asturicensis, claruit anno 1059. quo Ida Eustachii Comitis Bononiensis uxor Ecclesiam in honorem B. Virginis in Pago Lensiensi construxit; cui ornandæ cùm reliquiæ undique conquirerentur, scripsit Osmundus ad *Idam Comitissam Epistolam de Capillis B. Mariæ*, quæ habetur apud Mabillon. Analect. Tom. I. p. 287.

1060. METELLUS, Tegernsensis seu Tegerensis in Germaniâ Monachus O. B. claruit circa an. 1060. Scripsit Poëmata nonnulla, viz. *Quirinalia in laudem S. Quirini Martyris* metris Horatianis, atque *Eclogas alias* X. Extant à Canisio edita in Appendice Tom. I. p. 37.

1060. GAUFERIUS, *Benedictus* etiam dictus, Patriâ Salernitanus, Monachus Casinensis. Claruit an. MLX. Scripsit *Homilias in Advent & Nativit. Domini*; *Epiphania*; *Septuagesima*; *in Ramis Palmarum*; *in Cœnâ Domini*; *Passionem S. Lucii Papæ*; *Vitam S. Secundini ad Trojanum Episcopum*; *Carmina* varia, viz. *in Laudem Psalterii*; *de Miraculo ejus qui seipsum occidit*, &c. quæ omnia MSS. habentur in Bibliothecâ Casinensi, Num. 280. ac penès CL. Virum *. J. B. Marum, qui se ea aliquando editurum promisit.

* Not. in Pet. Diac. p. 52.

1060. P. II. GAUFERIUS, Cœnobii Casinensis ex ordine S. Benedicti Monachus, claruit anno MLX. Scripsit rogatu Desiderii Abbatis Casinensis ad Stephanum Trojanum Episcopum, Historiam S. Secundini Trojani Episcopi & Confessoris, ut & versus plures in ejusdem Secundini laudem, quæ ex antiquo codice Casinensi extulit Ferd. Ughellus *Ital. Sacr.* Tom VII. p. 1363. Reliqua Gauferii opera quæ adhuc MSS. asservantur, vide suprà & apud J. B. Marum *Not. in Petr. Diac.*

1060. P. II. ANONYMUS, gente Anglus, *Translationis S. Cuthberti* Auctor, Ecclesiæ Dunelmensis Monachus, claruit an. MLX. Scripsit librum de Translationibus & Miraculis S. Cuthberti Lindisfarnensis Episcopi, quem ex codice Compendiensi, & Martio Bollandiano exhibet Mabillonius *Sac. Benedict.* IV. Part. II. pag. 275. XII. posteriora capita ab anonymo quodam sequentis sæculi Monacho addita fuisse censent nonnulli. Omnia verò ab unâ eâdemque manu profecta esse, nos cum Mabillonio judicamus, præsertim cùm Auctor noster ad postremam S. Cuthberti Translationem anno MCIV. Vitam facilè producere potuit.

1060. P. II. FOLCARDUS Cœnobii Sithivensis apud Atrebates Monachus, claruit anno MLX. diùque deinceps vixit. Vir pro sorte sæculi quo vixit non indoctus, Gulielmo Anglorum Regi, quem *Conquæstorem* vocamus, admodùm familiaris, qui subactâ Angliâ ipsum Torneiæ præposuit, ubi XVI. ferè annis Abbatis vices supplevit. Diu in Angliâ versatus est donec ortis illum inter & Episcopum Lincolniensem simultatibus, ad Monasterium suum Sithivense recessit. In literas misit primò quidem per compendium, deinde recognitos & auctos de Vitâ & Miraculis S. Bertini Abbatis Sithivensis libros duos, quos Bovini Abbati suo inscripsit. Hos ex MSS. codicibus Bertiniano & Vedastino edidit Mabillonius *Sac. Benedict.* III. Part I. pag. 104. qui etiam librum II. Miraculorum ab Auctore anonymo, circa initium sæculi X. scriptum, subjecit. Recenset quidem Baleus * Folcardum quendam Dorobornensem, Cœnobii Cantuariensis Monachum, virum doctissimum anno MLX. clarum, quem eundem cum nostro fuisse existimamus. quemque Aldredi Eboracensium Archiepiscopi, magni sui Mecænatis jussu, de Vitâ & Miraculis Joannis Archiepiscopi Eboracensis libros duos, eidem Aldredo nuncupatos, atque alia quædam scripsisse, Baleus refert. Certè Folcardum nostrum S. Oswaldi Wigorniensis Episcopi, aliorumque Sanctorum Angliæ Historias suavitèr composuisse, testis est Ordericus Vitalis, ejusdem penè temporis scriptor *Hist. Eccl.* lib. II. ad ann. MCXVIII. ubi plura de Folcardo habet. Vitæ Jo. Archiepiscopi Eboracensis à Folcardo scriptæ, meminit etiam Auctor incertus de Vitâ S. Joannis *Monast. Anglic.* Tom. I. qui paritèr ac Baleus Folcardum Cantuariensem vocat, Monachum scilicet, non quod Mabillonius malè habet, Cantuariensem Archiepiscopum Vitam ipsam extulit Mabillonius *Sac. Benedict.* III. Part. I. p. 433. Librum verò miraculorum, quem etiam memorat Baleus, reperire non potuit. De aliis Vitæ Bertinianæ scriptoribus, Anonymo quodam antiquiore, & Folquino Abbate Lobiensi, Actorum etiam SS. Audomari, Folquini Episcopi, Winnoci & Salvini compilatore anonymo altero; denique Symone Abbate Sithivensi, exeunte sæculo XII. claro, plura te docebit Cl. Mabillonius in *Observationibus præviis* ubi suprà p. 104.

* De Script. Cent. I. p. 164.

ANONYMUS *Historiæ S. Walarici* Auctor claruit circa annum MLX. Vitam S. Walarici dedit Mabillonius *Sac. Benedict.* II. Anonymi nostri Historiam Relationis S. Walarici Abbatis, tùm prosâ, tùm ligatâ oratione scriptam, ediderunt Bollandiani in *Aprili* suo. Sed metricæ narrationis tantùm Fragmenta habent. Prosam reddidit Joan. Mabillonius *Sac. Benedict.* V. p. 556. 1060. P. II.

GOZECHINUS, natione Germanus, professione Scholasticus, literas apud Leodium docuit. Unde rerum humanarum, & præcipuè hæresium sui temporis, pertæsus, Moguntiam concessit. Claruit circa annum MLX. Scripsit ad Valcherum discipulum & successorem suum, prolixam admodùm Epistolam, seu potiùs Tractatum, quo, præmissâ Apologiâ quòd munus Leodicense deseruisset, mala sui temporis, præcipuè quæ ex perversâ Berengarii doctrinâ consecuta sunt, non ineleganter deplorat. Edidit hoc opusculum Joan. Mabillonius *Analect.* Tom. IV. p. 360. 1060. P. II.

ALEXANDER II. *Anselmus* antea dictus, Patriâ Mediolanensis, Anselmi filius, Episcopus Lucensis, anno 1059. à Nicolao II. ad Mediolanenses unà cum Petro Damiani legatus est. Anno 1061. Pontifex Romanus electus est; die XXX. Septembr. inthronizatus. Anno 1063. Concilium 1061.

SÆC. XI. ab An. M. Lateranense C. Episcoporum celebravit, in quo Canones contra Clericorum Simoniam & concubinatum edidit. Ipse à Cadaloo Antipapâ, Episcopo Parmensi, Simoniæ accusatus, anno 1064. indicto Mantuæ Concilio, coram Episcopis electionis suæ causam egit; & à Simoniæ crimine semet juramento purgavit. Romam reversus, Cadaloum toto biennio in Mole Hadriani obsessum tandem devicit, atque Urbe ejecit. Anno 1065. binas Synodos adversùs Incestuosorum hæresin à Jurisconsultis propugnatam coegit. Anno 1071. Petrum Episcopum Anagninum ad Michaëlem Ducam Imp. CP. irrito successu legavit. Obiit an. 1073. XX. Aprilis. Extant *Epistolæ* XLV. & Fragmenta aliquot Concil. Tom. IX. p. 1115.

1062. P. II. ANONYMUS, Cœnobii Ratisponensis ad S. Emmeramum Monachus, quo relicto, variis quippe casibus exagitatus, in Fuldense Monasterium transiit; claruit anno MLXII. Scripsit librum *de tentationibus suis, variâ fortunâ & scriptis*. Posteriori parte, opera sua quâque occasione condita accuratè recenset: nempe *Librum de Spirituali doctrinâ. Librum Visionum. Librum de tribus Quæstionibus. S. Bonifacii Vitam. Quomodò legendum sit in rebus visibilibus. De confessione Actuum suorum. De Cursu Spirituali*, aliaque non pauca, de quibus ipse luculenter agit. Extulit hoc Anonymi opus Mabillonius *Analect.* Tom. IV. pag. 404. qui Auctorem nostrum Othlonum, Actorum S. Bonifacii compilatorem fuisse conjicit; Verùm sententiæ suæ non nimiùm fisus, rem tandem in medio relinquit.

1066. BERTHOLDUS, natione Teutonicus, Presbyter Constantiensis, & Pœnitentiarius Apostolicus, claruit anno 1066. Perditissimus Henrici IV. Principis sui hostis, contra quem & gladium & calamum stringere nequaquam dubitavit. Gregorii VII. enim partibus addictus, id muneris à Pontifice accepit, ut in Ecclesiæ sinum reciperet, quotquot à Cæsareis ad Pontificias partes deficerent. Ipse etiam anno 1086. in prælio apud Ostrofrancos commissos contra Imperatorem dimicavit. In Historiâ verò suâ Henricum mendaciis & calumniis nullâ fidei, nullâ pudoris ratione habitâ, pessimè insectatur. Obiit anno circiter 1100. Scripsit *Historiam sui temporis* ab anno 1053. ad an. 1100. & *Appendicem annorum* XI. viz. ab anno 1055. ad 1066. inclusivè Hermanni Contracti Chronico adjecit. Utrumque opus edidit Christ. Urstisius inter Scriptores Rerum German. pag. 341. 336. Scripsit & *Opuscula nonnulla pro Gregorio* VII. à Jacobo Gretsero unà cum Defensione suâ pro Card. Bellarmino edita *Ingolstad.* 1609. fol. Tractatum ejusdem de vitandâ Excommunicatorum societate evulgavit, inter alia vetera pro Gregorio VII. monumenta Sebastianus Tenangelius *Ingolstad.* 1612. 4°.

1066. GUITMUNDUS, primùm Ordinis Benedictini in Cœnobio S. Leufredi apud Normanniam Monachus, deinde Aversanus in Italiâ Archiepiscopus constitutus est, & ut quidam volunt, Cardinalis. Etsi enim in Ludovici Dattichii Historiâ Cardinalium nomen ejus non compareat, tamen in Nomenclatore Cardinalium, quem suppresso suo nomine Ludovicus Castaigner Episcopus Pictaviensis edidit *Paris.* 1615. inter Cardinales recensetur, pag. 8. Claruit circa an. 1066. Obiit an. 1080. Extant ab eo scripta, *De veritate Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiâ*, libri III. *Confessio de Trinitate, & humanitate Christi, corporisque ac sanguinis Domini veritate. Oratio ad Gulielmum I. Angliæ Regem*, cùm Episcopatum recusaret. Biblioth. Patr. Tom. XVIII. p. 440. SÆC. XI. ab An. M.

JOANNES XIPHILINUS, patriâ Trapezuntius, non infimæ sortis homo, quippe in principum Senatorum numerum relatus. Omnibus tamen sponte relictis, comam abrasit, & inter montis Olympi monasteria vitam solitariam amplexus est; ubi religionis exercitiis deditus diu vixit, donec mortuo Constantino Lichude anno 1066. ad Patriarchalem urbis Constantinopolitanæ sedem promovetur. Obiit anno 1078. Extat Gr. Lat. *Oratio in Crucem*, seu *in tertiam Jejuniorum Hebdomadem* apud Gretser. *de Cruce* Tom. II. pag. 1449. *Decreta* II. *de Sponsalibus*, in jure Gr. Rom. l. 3. pag. 211. *Decretum de Nuptiis prohibitis*, ibid. l. 4. p. 266. Haberi etiam dicuntur MSS. *Homiliæ ejus in Evangelia Dominicalia totius anni* in Bibliothecis Bavaricâ, & Palatinâ, nunc in Vaticanam translatâ, quæ in lucem nondum prodierunt. 1066. Zonar. Annal. Tom. 3. p. 218.

Communis est, quæ inter omnes ferè doctos obtinet, opinio, Joannem Xiphilinum, qui Dionis Cassii Historiam in *Epitomen* redegit, fuisse nostrum Patriarcham CP. & in hanc quidem sententiam manibus pedibusq; eunt Andreas Schottus, †, Baronius *, ejusque abbreviatores Spondanus * & Bzovius *; Ludovicus de la Cerda †, Philippus Brietius *, Christophorus Besoldus †, & quod magis adhuc mirere, eruditiss. Joannes Gerardus Vossius, *de Hist. Græc.* l. 2. c. 26. immò ipse Henricus Stephanus, Xiphilinum edidit, & priores editiones castigavit, vix vulgari sententiæ refragari audet. Tot tamen tantisque nominibus non obstantibus, certò certius est Joannem Epitomatorem non fuisse Patriarcham, sed ejusdem nepotem. Testem profero ipsum Xiphilinum, cujus verba à nemine, quod sciam antea animadversa, alibi à me prolata, hoc etiam loco describere non gravabor. In vita enim Augusti Cæsaris rationem reddens, quare res, quas ibi recitat, à suâ jam memoriâ remotissimas esse dicat, hæc de se verba habet: Λέγω γὰρ τοῦτο οὐκέτι ὡς ὁ Δίων ὁ Προυσαεὺς, ὃς ἐπὶ τοῦ Σεβήρου καὶ Ἀλεξάνδρου αὐτοκρατόρων γενόμενος, ἀλλ' ὡς Ἰωάννης ὁ Ξιφιλῖνος ἀδελφόπαις ὢν Ἰωάννου τοῦ πατριάρχου ἐπὶ τοῦ Μιχαὴλ αὐτοκράτορος τοῦ Δούκα τὴν ἐπιτομὴν ταύτην συναπτόμενος. *Verùm hoc ego non dico Dionis Prusaensis nomine, qui fuit Imperatorum Severi & Alexandri temporibus; sed ut Joannes Xiphilinus Joannis Patriarchæ fratris filius, qui tempore Michaëlis Imp. filii Ducæ, hanc Epitomen composui.*

† Prolegom. ad Photii Bibl.
* Ad an. 1066.
† Adversf. Sacr. cap. 151. §. 7.
* Annal. ad an. 1066.
† Hist. CP. in Constant. Duc.

MANASSES, gente, ni fallor, Gallus, matre Adilhaide natus, quamvis sint, qui ipsum Patrem Manassem Calvum Comitem de Rocceio, matrem Beatricem de Huinaco habuisse tradunt, nec eruditione, nec probitate admodùm insignis, an. MLXVIII. malis artibus sedem Remensem Archiepiscopalem sibi arripuit, malis moribus plures annos tenuit. Certè objiciebatur ei Simoniaca intrusio, Ecclesiæ suæ supellectilis direptio, Clericorum & Abbatiarum spoliatio, injustæ in plerosque Excommunicationes. His accessit, quòd mandata Pontificis neglexisset, nec Gregorii VII. literis, de Philippo Rege ob mores solutos increpando, & ni monitis cederet, excommunicando, per triennium obtemperâsset. Anno igitur MLXXIX. ab Hugone Diensi Episcopo in Synodo Augustodunensi ob crimina damnatus est. Ad sedem Apostolicam provocavit Manasses, quo tamen non obstante, à legato in Concilium Lugdunense denuò vocatus, in ordinem redactus est; & Hugoni legato Apologeticum pro seipso obtulit. Extat *Epistola ad Gregorium* VII. Concil. Tom. X. pag. 362. *Apologia ad Hugonem & Concilium Lugdunense missa.* 1068.

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. *missa*. Hanc ex Codice MS. Reginæ Sueciæ nuper extulit CL. Mabillonius *Musæi Ital.* Part. I. pag. 119. qui præmissâ *Admonitione* non pauca de Manasse dabit.

1069. SIGIFRIDUS, Archiepiscopus Moguntinus, claruit anno 1069. quo Henrico Regi divortium à Bertâ conjuge molienti voce & authoritate suâ in Synodo Moguntinâ præsto fuit. Anno 1064. infœlicis ad Hierosolymam & loca sancta itineris septem millibus Germanorum dux fuerat. Anno 1074. Synodum Erfordiæ, aliamque anno sequente Moguntiæ convocavit, ut Presbyteros Diœceseos suæ vel ab uxoribus dissociaret, vel ab altaris ministerio submoveret. In utrâque verò Synodo Presbyterorum argumentis devictus, & minis territus, manus dedit, atque incœpto destitit. Anno 1076. ob fidem Henrico Imperatori suo præstitam à Gregorio VII. excommunicatus est. Ipse etiam anno sequente à fide defecit, & Rodulphum Sueviæ Ducem imperiali coronâ Moguntiæ redimivit. Obiit anno 1084. Extant *Epistolæ* III. ad Alexandrum II. Papam, Concil. Tom. IX. p. 1200. 1205. 1233. *quarta* ad Hildebrandum, ibid. p. 1233.

1070. LANFRANCUS, Natione Italus, patriâ Papiensis, ab ineunte ætate melioribus literis informatus. Relictâ patriâ in Normanniam adolescens adhuc venit, & in Beccensi Cœnobio Monachus factus, ad inopiam sublevandam, dialecticam, accepto stipendio, docuit. A Gulielmo Duce ad sacra Aulæ ministeria ascitus, Monasterii sui Prior, ac mox Abbas renunciatus est. Tandem anno 1070. à Gulielmo, Angliæ Rege jam facto, ad Archiepiscopatûs Cantuariensis dignitatem evectus est, accedente non modò Clericorum Cantuariensium, sed etiam Procerum Aulicorum, totiusque populi consensu. Magnæ ei cum Thomâ Archiepiscopo Eboracensi de sedis suæ præcedentiâ (uti vocant) & prærogativâ controversiæ. Ipse verò anno 1071. Romam pro pallio petendo profectus, & Thomæ obviam ibi factus, causam à Pontifice dijudicari, & Ecclesiæ Cantuariensi primorem locum confirmari, obtinuit; cúmque primatum ad Lanfranci successores extendendum non esse contenderet Thomas, habito in Anglia anno 1072. generali Concilio, Thomæ fastum is funditùs contudit, & Ecclesiæ suæ jura Synodico decreto communiri fecit. Anno 1087. Gulielmi Rufi fraudibus & promissis expugnatus, coronam ei Regiam, vivente adhuc fratre majore Roberto, præter fas jusque imposuit; eundem tamen postea ingratum expertus est. Obiit anno 1088. die IV. Junii.

Antiq. Britan. p. 110. Godwin. de Præsul. Angl.

OPERA.

Commentarius in Epistolas D. Pauli. Commentarium comitatur Glossa Epistolarum interlinearis, ubi Lanfrancus textum continuò emendat, quæ tamen a Dacherio multis in locis mutatur, multis subticetur. Aliud Opus in Epistolas (nondum repertum) scripsisse Lanfrancum, indigitare videntur loca quædam à Lombardo citata, quæ in his Commentariis non inveniuntur.

Libellus de Corpore & Sanguine Domini in Eucharistia contra Berengarium. Hunc Lanfranci libellum primus edidit Sichardus unà cum Philastrio *Basil.* 1528. 8°. edidit & Franc. Quadratus Cœnobita Beccensis, an. 1540. qui editionis Sichardianæ nescius, in præfatione affirmavit se tunc illum primum edidisse.

Cave Hist. Lit.

Annotatiunculæ in nonnullas Joannis Cassiani Collationes Patrum.

Decreta pro Ordine S. Benedicti, sive statuta Monachis in Anglia Benedictinis præscripta, à Clemente Reynero primùm edita in Apostolatu Benedictinorum *Duaci* 1626. Ex iis verò nonnulla à consarcinatore quodam congesta esse censet Dacherius.

Epistolæ plurimæ partim ex Codicibus pervetustis Bibliothecæ Cottonianæ, & Monasterii S. Stephani Cadomensis, partim ex Lanfranci Vita, & Hadmeri Historia, depromptæ Multæ è Lanfranci literis perierunt. Nullæ enim ante acceptas infulas scriptæ extant.

Pericope Orationis à Lanfranco in Londinensi Concilio dictæ.

Libellus de celandâ Confessione, quem styli disparitas Lanfranco abjudicaret, nisi alia argumenta eum authorem esse suaderent.

Prodierunt Lanfranci Opera à Luca Dacherio cum notis edita, *Paris.* 1648. fol.

Sermonem ejusdem antehac ineditum evulgavit idem Dacherius, *Spicileg.* Tom. IV.

Alia scripsit Lanfrancus, quæ interiisse videntur; putà *Commentarium in Psalmos, Historiam Ecclesiasticam, & Vitam Gulielmi Conquestoris.* Certè Eadmerus* Lanfrancum de rebus Ecclesiasticis quæ suo tempore gestæ sunt, veracissimo & compendioso calamo scripsisse disertè refert.

* Hist. nov. l. I. p. 7.

DURANDUS, Monachus Fiscamnensis in Normannia, ac posteà à Rogerio Comite Montgomericensi Cœnobio Troarnensi à se recens fundato primus Abbas datus Claruit circa an. 1070. Scripsit *Tractatum de Corpore & Sanguine Domini contra Berengarium*, quem primus in lucem edidit Lucas Dacherius in *Appendice* ad Lanfranci Opera, *Paris.* 1648. 1070.

SAMUEL, natione Afer, patriâ Morochianus, ex religione Judaica ad fidem Christi conversus, claruit anno 1070. Scripsit Arabicè ad Rabbi Isaac *librum, sive Epistolam de adventu Messiæ*, quem Judæi frustra adhuc expectant Eum Latinè transtulit Alphonsus Hispanus Dominicanus. Prodiit *Mantuæ* 1475. 8°. *Antverp.* 1486. *Colon.* 1536. 8°. *in Orthodoxogr.* p. 1586. & Bibliotheca Patr. T. XVIII. p. 519. Istum quidem libellum Joannes Hornbeckius * pro vero & genuino vix habet, nullâ tamen suspicionis suæ ratione redditâ; additque in Bibliotheca Ultrajectina paulò aliter se habere, quàm in excusis exemplaribus legitur. 1070.

* Proleg. ad lib. de convert. Judæis Sect. 5.

GUALDO, Monachus Corbeiensis, claruit circa ann. 1070. Scripsit metricè *Vitam S. Ansgarii Hamburgensis Episcopi*, quam Rambertus antea prosâ expresserat. Edidit hanc Gualdonis Vitam Petrus Lambecius *Rerum Hamburg.* Tom. I. nomen authoris quod in Codice MS. deerat, ex ipso contextu collectum addidit. Falli verò hac in re doctissimum virum contendit Joannes Hallervodius *Spicileg. de Historicis Lat.* p. 77. authoremque eo in loco solummodò asserere, sese suasu Gualdonis libellum istum in chartam conjecisse. Cæterùm Vitam istam in collectionem suam transtulit Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Par. II. p. 115. 1070.

AMATUS, Campaniâ oriundus, Monachus Casinensis, & incertæ sedis Episcopus, claruit anno MLXX. Scripsit metricè ad Gregorium VII. *de gestis Apostolorum Petri & Pauli libros* IV. *Historia Normannorum* lib. VIII. qui MSS. in Bibliotheca Casinensi extare dicuntur. *Versus*, quos fecit *de laude de Gregorii Papæ, de duodecim Lapidibus, de civitate cœlesti* 1070.

SÆC. XI. ab An. M. cœlesti Hierusalem, an hodiè supersint nondum dici.

1070. P. II. WILLERAMUS natione Germanus, Franconiâ oriundus, claruit anno MLXX. Prima literarum tyrocinia in Academiâ Parisiensi posuit, factus primò Ecclesiæ Bambergensis Scholasticus, deinde Monachus Fuldensis Ordinis Benedictini, denique Cœnobii Merzburgensis Abbas. Vir pro sæculo quo vixit, non indoctus. Scripsit in *Canticum Canticorum* paraphrasin geminam, Latinam metro-rhythmicam, & Germanicam veteri prosaicâ, sive *de nuptiis Christi & Ecclesiæ* libros tres. Edidit hoc Opusculum Paulus Merula *Lugd. Bat.* 1598. 8°. Verùm longè melior & auctior est codex MS. Cæsareus, ipso Willerami ævo & forsan propriâ ipsius manu scriptus. Præstantiam & discrepantiam edito non uno specimine, ostendit Lambecius *Comment.* lib. II. c. 8. num. XXV. p. 765.

1070. P. II. OSBERNUS, gente Anglus, Ecclesiæ Cantuariensis Præcentor & Monachus, Lanfranco Archiepiscopo familiarissimus, claruit circa annum MLXX. Præter summam artis Musicæ peritiam, condendis Sanctorum Vitis incubuit. Scripsit quippe *Vitam S. Odonis* Cantuariensis Archiepiscopi, ex codice Thuaneo à Mabillonio editam *Sæc. Benedict.* V. p. 287. *Vitam S. Dunstani* Cantuariensis item Archiepiscopi, ibidem pag. 654. *Vitam & passionem S. Elphegi* Cantuariensis Episcopi, & Martyris, quam, sed in compendium redactam, publici juris fecit Surius *April.* XIX. integram posteà Bollandiani eodem die *April.* Tom. II. ediderunt. Cl. VVhartonus ex Bibliothecæ Lambethanæ codice MS. in lucem protulit Osberni nostri librum *de Vita S. Bregvvini* Archiep. Cant. *de Vita S. Odonis* Archiepisc Cant. librum I. *de Vita S. Dunstani* Archiepisc. Cant. librum primum *de Vita S. Elphegi* Archiepisc. Cant. & Historiam *de Translatione ejusdem*, quam mutilam, & ex Harpsfeldii Historiâ Ecclesiasticâ utplurimùm desumptam, Bollandiani priùs evulgaverant. Habentur hæc *Angl. Sacr.* T. II. p. 73. Posteà verò (quod in præfatione ingenuè fatetur) deprehendit Whartonus Bregvvini Vitam rectiùs Joanni Tinmuthensi tribuendam esse, qui eam ex uberiori Eadmeri opere compilavit; Odonis verò Vitam Osberni non esse, sed ex fide antiqui codicis MS. in Collegio Corporis Christi apud Cantabrigienses, Eadmero potiùs esse adjudicandam. Notandum hoc loco Osbernum duobus libris Dunstani Vitam & Miracula descripsisse. Priorem tantùm cum posterioris prologo dedit VVhartonus, eò quòd liber secundus parùm ad rem historicam conferre videbatur. Interim utrumque exhibent Bollandiani mense *Maio* Tom. IV. p. 659. & Mabillonius *Sæc. Benedict.* V. p. 659. Cætera Osberni scripta, quæ an extent adhuc nescitur, apud Baleum & Pitseum quærantur.

1070. P. II. PETRUS, natione Gallus Cœnobii Malleacensis Monachus, claruit circa ann. MLXX. Scripsit ad Goderammum Abbatem suum *de antiquitate & commutatione in melius Malleacensis Insulæ, & Translatione corporis S. Rigomeri libros* II. Hos in lucem edidit Ph. Labbeus *Biblioth. Nov.* Tom. II. pag. 222. Subjunxit Anonymi cujusdam narrationem de Monasterii hujus devastatione à Gaufrido de Lezeniaco anno MCCXXV. factâ, ibidem pag. 258.

1070. P. II. BONIZO seu BONITIUS, patriâ forsan Italus, Episcopus Sutrinus, claruit anno MLXX. Hic cùm Pontificis partes adversùs Henricum Imp. strenuè propugnaret, de Sede Sutrinâ, jubente Imperatore, pulsus est. Post varia exilia, carceres, & ærumnas anno MLXXXIX. ad Sedem Placentinam promovetur. Demùm à civibus Placentinis, qui Imperatori adhærebant, captus, effossis oculis, & omnibus ferè membris truncatus, miserè obiit *Julii* XIV. anno MLXXXIX. Scripsit ante initum Episcopatum, *Epitomen omnium Operum & sententiarum S. Augustini*, in libros VIII. divisam, cui *Paradisi Augustiniani*, titulum dedit, & Joanni VValberto Vallis umbrosæ Abbati primo dedicavit. Extat codex MS. in Bibliothecâ Vindobonensi asservatus, Opus hactenus ineditum. Composuit etiam Bonizo *Decretale*, sive Syntagma Decretorum Ecclesiasticorum ex sacrâ Scripturâ, probatisque Conciliis, ut & ex Pontificum Romanorum, & SS. Patrum, aliorumque Auctorum orthodoxorum monumentis collectum, & secundùm locos communes in libros VII. divisum. Procemii loco præmisit *Epitomen* historiæ Pontificum Romanorum à S. Petro usque ad Urbanum II. qui *Martii* XII. an. MLXXXVIII. electus; hoc titulo, *Chronica Romanorum Pontificum, à Bonithone Sutrino Episcopo viro per omnia doctissimo.* Hoc decretum MS. in eodem codice Cæsareo continetur. De utroque opere ejusque auctore pluribus agit P. Lambecius *Comment.* l. II. c. 8. num. LXXXV. p. 790. &c.

ANSELMUS, patriâ Mantuanus, nobili prosapia ortus, ab Alexandro II. Pontifice sibimetipsi in Episcopatu Lucensi anno 1071. suffectus, & ad Henricum Regem pro confirmatione impetranda missus, à quo investituram per annulum & baculum Pastoralem accepit. Mox verò facti pœnitentiâ ductus baculum deposuit, & abdicato Episcopatu, in Monasterium Cluniacense secessit, donec à Gregorio VII. ad Ecclesiæ regimen revocatus, anno 1073. Episcopale munus repetiit. Anno 1077. à Gregorio ad Mediolanenses unà cum Geraldo Episcopo Ostiensi legatus est, ut eos Ecclesiæ Romanæ uniret. Anno 1084. à Gregorio Papâ, cujus partes contra Henricum Imp. summo animi studio semper tutatus est, vices legatarias per Italiam accepit, ut omnes ab Imperatore deficientes in Ecclesiæ gremium reciperet, omnibusque contra eum dimicantibus indulgentias & peccatorum remissionem impertiret. Obiit anno 1086. Scripsit *libros* II. *contra Guibertum Antipapam & sequaces ejus pro defensione Gregorii* VII. *Papæ, & Collectanea* quædam, seu *Sententias* ex variis authoribus congestas, quibus demonstratur Ecclesiæ facultates non esse in potestate Regis aut Cæsaris. Extat utrumque Opus apud Canisium *Antiq. Lect.* Tom. VI. p. 202. 235 & in Bibliotheca Patr. Tom. XVIII. p. 602. XXVII. p. 436.

(right margin: 1071. Vid. Greg. VII. l. I. Epist. 21. Baron. ad an. 1073.)

CONSTANTINUS, gente Afer, domo Carthaginensis, Medicus & Philosophus, claruit anno MLXXII. varia Orientis loca peragravit, & Babylone præsertim subsistens omni Chaldæorum, Arabum, Persarum, Saracenorum disciplinâ ingenium excoluit. Babyloniâ discedens Indiam adiit, hinc Æthiopiam petiit, tandem Ægyptum, cujusvis gentis spolia & thesauros secum referens, exactis hoc modo in variarum gentium studiis linguisque ediscendis XL. propè annis domum rediit, ubi insidiis ægrè elapsus ad Casinense Cœnobium se recepit, ibique Monachum induit, & grandævus in Domino obdormivit. Partim scripsit, partim ex antiquorum Medicorum libris transtulit varia, viz. *De morborum cognitione & curatione*, lib. VII. *De Melancholia* lib. II. *De Anima & Spiritus discrimine*, lib. I. aliaque plura edita *Basil.* 1536. fol. Alia ibid. 1539. fol. (right margin: 1072.)

quæ

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. quæ cùm ad institutum nostrum parùm spectent eis recensendis supersedemus; interim vide sis Pet. Diac. *De Vir. illustr. Casin.* cap. 23. Simler. Epit. Gesner pag. 146. Vanderlinden *de Script. Medic.* lib. I. pag. 140.

1072. SAMONA, Archiepiscopus Gazensis, vixisse creditur circa an. 1072. Scripsit *Libellum seu Disceptationem* cum Achmede Saraceno, qua probare nititur *panem & vinum in Sacramento altaris in verum corpus & sanguinem Jesu Christi commutari.* Extat Gr. Lat. in *Auctario Duceano* Tom. II. p. 277.

1072. MICHAEL ATTALIATA, Jurisconsultus Græcus, Proconsul & Judex; claruit sub Michaele Duca Imp. circa ann. 1072. Scripsit *ad Michaelem Imper. Pragmaticam, sive Opus de Jure*, titulos XCV. complectens, σύνοψιν ὡσανεὶ συνόψεως *Basilicorum Synopseos quandam Synopsin*, & accuratissimi Compendii specimen. Gr. Lat. id edidit Joannes Leunclavius *in Jure Gr. Rom.* Tom. II. p. 1.

1072. P. II. HEPIDAMNUS, ortu ut videtur, Germanus, Cœnobii S. Galli in Helvetiâ Monachus, claruit circa annum MLXXII. Condidit, jubente Fulrico II. Abbate suo, *Vitam S. VVihoravæ*, quam libris II. absolvit, qui in Bibliothecâ S. Galli MSS. asservantur. Ejusdem *Annales* ediderunt Goldastus & Quercetanus. Confer. Vossium de *Hist. Lat.* lib. III. p. 707. & qui animadversiones in eum scripsit, Christ. Sandium p. 252.

1073. GREGORIUS VII. Hildebrandus priùs dictus, natione Tuscus, patriâ Soanensis, Bonixi, fabri ferrarii filius. Pusio adhuc in Officina patris, literas nesciens casu formavit ex ligni segmentis hoc dictum Davidis, *Dominabitur à mari usque ad mare*, teste Brietio ad an. MLXXIII. Acri ingenio puer fuit. Laurentii Archiepiscopi Amalphitani magicis artibus infamis, & Gregorii VI. Papæ discipulus, & sub isto Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus. Anno 1047. magistrum suum ab Henrico Imp. Pontificatu deturbatum, & in Germaniam abductum secutus est. ac in Galliam profectus apud Monachos Cluniacenses consedit, ubi Prior Monasterii brevi renunciatus est. Anno 1054. post Leonis IX. mortem à Clero Romano ad Henricum Imp. legatur, ut Pontificem Leonis loco ab eo substitui postularet. Anno 1055. à Victore II. in Galliam legatus Concilium Lugdunense contra Simoniacos, & Turonense contra Berengarium celebravit. Anno 1058. à Stephano X. ad Agneten Imperatricem legatione fungitur. Anno 1061. Ecclesiæ Romanæ jamdiu Archidiaconus, ab Alexandro II. Cancellarius renunciatus est. Tandem anno 1073. ad Pontificatum evehitur die xxx. Junii consecratus, cùm ab annis jam plùs minùs viginti potestatem penè supra Papalem sibi arrogâsset, & in sede Romana omnia nutu suo gubernâsset. Vir ingentis & præferocis animi, fastu & superbiâ totus tumens, vera sui sæculi furia, & orbis Christiani tyrannus insolentissimus, qui nil nisi sceptra & diademata, infinitam clavium potentiam & regalia Petri somniabat. His subjici Reges Principesque in votis habuit; id etiam tentare primus omnium Pontificum Romanorum ausus. Hinc tot anathematum fulmina, & diræ Imperatorum capitibus incussæ, tot nefandæ strages & parricidia, tanta ac tam horrenda flagitia, quæ præterita deploravit ætas, & erubescit aut admiratur præsens. Pauca ex his summatim attingere contentus, præcipuas viri res gestas ordine brevissimo percurram. Anno igitur 1073. Philippo Galliæ Regi anathema, Regnique sui jacturam, Simoniæ crimen causatus, comminatus est. Anno 1074. frequentibus in Italia Synodis habitis, Clericis conjugium, seu (ut ipsius assecla id vocare non erubuerunt) concubinatum interdixit; ipse interim veri concubinatûs cum Mathilde Comitissa commissi non uno nomine suspectus, ac passim accusatus. Eodem anno Robertum Guiscardum Normannorum Principem, Apuliæ & Calabriæ Ducem, ob injurias S. Petri regalibus illatas excommunicat, atque armis adoritur. Missis etiam ad Solomonem Hungariæ Regem literis, eum acriter corripuit, quòd Hungariæ Regnum, Ecclesiæ Romanæ proprium, & peculiarem S. Petri ditionem, à Germanorum Imperatore in feudum accipere ausus esset. Anno 1075. Henricum Imp. quòd excommunicatos à Romano Pontifice recepisset ac fovisset, ad causam dicendam Romam evocavit; & contra detrectantem excitatis Saxonibus rebellionem movit. Eo nomine in Synodo VVormatiensi sede Pontificiâ deponi jussus, ipse anno sequente, Concilio Romæ coacto, Henricum Imp. excommunicavit, regno spoliandum decrevit, subditis obsequium ei præstare sub anathematis pœnâ interdixit; & Henricum Romam venire, ad Pontificis pedibus se supplicem provolvere coactum, anathemate tandem solvere ægrè exoratus est, regno tamen nequaquam restitui voluit. Anno 1077. Rodolpho Sueviæ Duci coronam imperialem misit; & Henricum vindictam parantem iterum anathemati subjecit. Anno 1084 ab Henrico Româ fugatus est, ac Salerni exul obiit anno sequente, die XXV Maii, in Ecclesiâ S. Matthæi ibidem sepultus. Hæc nos pauca ex tam multis, quæ de hoc decantatissimo Ecclesiæ Romanæ Præsule dici poterant, cujus vitam moresque etsi fucatis coloribus oblinire solerter studeant recentiores Pontificii; aliter tamen hominem depingit, ut alios taceam, Benno Cardinalis, Gregorii coætaneus, quem adeant curiosi: Aliter planè Senatus populusque Romanus; aliter totius penè Italiæ, Galliæ, & Germaniæ Episcopi apud Brixiam Boiariæ urbem VII. Kal. Julii congregati. Pauca seligam; "Monachus desertor est, inquit * Senatus consultum, novis dogmatibus sacrosanctam "Philosophiam adulterat, concordiam Collegii "scindit, sacra, profana, divina, humana com"miscet, utrumque juxta polluit; Testis, Judex, "Accusator, Inimicus idem est; maritos ab uxo"ribus separat; scorta pudicis conjugibus, stu"pra, incestus, adulteria, casto præfert connu"bio, populares adversùs Sacerdotes, vulgum "adversùs Episcopos concitat; neminem initia"tum ritè esse docet, nisi qui ab eo sacerdotium "emendicaverit, atque ab ejus aurifugis merca"tus fuerit, in Senatulo muliercularum de sacra"tissimis religionis mysteriis pertractat, supremi "numinis legem, quasi idem quoque ligavit, sol"vit. In decreto Synodali * vocatur *falsus Monachus, Magus, Divinaculus, somniorum prodigiorumque conjector, malè de religione Christiana sentiens*, ut infinita alia jam prætermittam. Extant *Epistolarum libri* X. Concil. Tom. X. pag. 6. cum duplici *Appendice* pag. 306. 410. *Expositio in* VII. *Psalmos Pœnitentiales*, quæ sub Gregorii M. nomine circumfertur, Gregorio nostro à nonnullis ascribitur; de quâ nos obiter suprà in Gregorio M.

* Ext. apud Aventin. annal. Bojor. l. 5. p. 569.

*Ibid. p. 578

Expositio super Matthæum, dum adhuc erat Hildebrandus, scripta, extat MS. in Reverendissimi Archiepiscopi Bibliothecâ Lambethanâ, unde fragmentum protulit Cl. Alix. *Præfat.* ad Joann. Parisiensem p. 7.

WILLELMUS, Abbas Metensis, Gregorio VII. familiaris, cui electionem ad Pontificatum datâ Epistolâ gratulatus est anno 1073. Mona- 1073.

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. nasterii etiam S. Remigii apud Remos Abbas electus est; verùm munus istud vir planè modestus subire refugit. Extant *Epistola* VII. unà cum Oratione in Festo Sancti Augustini recitandâ, apud Mabillon. *Analect.* Tom. I. p. 247.

1073. P. II. ANONYMUS Vitæ S Bartulfi Auctor, Cœnobii Blandiniensis ad Gandavum Monachus, claruit ann. MLXXIII. Jussu Folcardi Abbatis sui, qui anno MLXX. Monasterii sui gubernacula suscepit. *Vitam S. Bartulfi* Renticensis in Morinis Abbatis literis mandavit, vel potiùs Vitam ab alio olim descriptam novo studio & curâ perpolivit, ut in præfatione nos docet. Extat apud Surium & Bollandum *Februar.* v. & Mabillonium *Sæc. Benedict.* III. Part. I. p. 45.

1076. Vid. Ingulphi Hist. p. 73. INGULPHUS, natione Anglus, domo Londinensis, patre qui in Aulâ Edvvardi militavit, natus anno 1030. ipse Edithæ Reginæ ob doctrinam charus. Bonis literis primùm in Gymnasio Westmonasteriensi, deinde in Academiâ Oxoniensi sedulò incubuit, Aristotelem imprimis in Philosophicis, ac Tullium in Rhetoricis sibi duces adhibens. Anno 1051. Willielmo Normanniæ Duci, qui ad colloquium cum Eduardo Rege ineundum in Angliam transmeârat, in notitiam venit, eumque in Normanniam comitatus est, ei ab Epistolis ascitus, & ad summam Aulæ, si non dignitatem, saltem potentiam evectus; adeò ut omnia pro nutu regeret. Anno 1064. invidiam ex tanto Principis favore enatam veritus, Germanis, Sigifrido Moguntino duce, loca sancta proficiscentibus comitem se adjunxit. Domum post mille viæ discrimina reversus, in Cœnobium Fontanellense secessit, vitam monasticam deinceps acturus, Monasterii Prior brevi factus. Anno 1076 à Wilielmo Rege in Angliam evocatus, Croylandensi Cœnobio præfectus est. Post aliquot annos VVulketulo decessori suo an. 1075. à Rege deposito, & Glastoniam relegato, regiam enixis precibus clementiam impetravit, eumque Croylandiam summo honore reduci curavit. Ipse Gulielmo Regi & Lanfranco Archiepiscopo semper inter primos gratus, multa Monasterio suo beneficia ac privilegia concedi obtinuit, lapsum ejus statum restituit, & combusta ædificia restauravit. Obiit anno 1109. Scripsit *Historiam Monasterii Croylandensis* ab anno 664. ad annum circiter 1091. Prodiit Historia ista à nobilissimo Savilio inter V. Scriptores Anglicos edita *Londini*, 1596. fol. dein rerum Anglic. Scriptores *Oxon.* 1684. fol. quæ auctior longè ac melior editio, suppletis lacunis, & integrâ posteriori parte edita, quæ in editione Savilianâ deerat.

1076. P. II. GEORGIUS Heracleensis, Episcopus an Presbyter, an fortè Laicus, incertum; claruit circa annum MLXXVI Scripsit *Encomium* ad Michaelem Ducam Imperatorem, quod Florentiæ in Bibliothecâ Mediceâ MS. asservabatur, teste L. Allatio *Diatr. de Georgiis* p. 339.

1077. LAMBERTUS, *Schafnaburgensis* à patriâ dictus, anno 1058. Monasterio Hirsfeldensi sub Meginhero Abbate vitam monasticam inivit, induto Idibus Martiis cucullo. Exeunte eodem anno Presbyter à Lupoldo Archiepiscopo Moguntino ordinatus est, & peregrinationem Hierosolymitanam statim suscepit. Quâ confectâ ad Hirsfeldenses suos rediit sub exitum anni sequentis. Scripsit anno 1077. quando obierit, non constat. Scripsit *Historiam* ab orbe condito ad annum usque 1077. quâ res gestas ante annum circiter 1050. ordine Chronologico, eoque brevissimo, percurrit, deinceps verò res Germanicas ad annum 1077. fusissimè enarrat. De stylo ejus audiatur magni Scaligeri judicium. *Equidem miror*, inquit *, *in seculo tam barbaro tantam hominis & in loquendo puritatem, & in temporum putatione solertiam fuisse, ut Chronologis nostri temporis pudorem aliquem exprimere posset, si aliquem sensum harum rerum haberent.* Scaligero concinit Barthius *; *quo*, inquit, *Scriptor nemo politiùs inter veteres, res Germaniæ literis commisit.* Prodiit *Historia* ista seorsim *Tubingæ* 1533. 8°. apud Pistorium *Francofurt.* 1583. fol. & inter alios Scriptores Germanicos *Argentorati* 1609. f.

* De Emendat. Temp.

* Advers. l. 49. c. 4.

1077. THEOPHYLACTUS, patriâ Constantinopolitanus, Achridiæ primariæ Bulgarorum Ecclesiæ Archiepiscopus, duram sanè provinciam sortitus, cujus miserias ac difficultates ipse in Epistolis suis sæpiùs deflet. In vivis adhuc erat anno 1077. ante aliquot forsan annos Archiepiscopus.

OPERA.

Commentaria in IV. Evangelia, ex Chrysostomi ferè operibus, uti & reliqua ejus Commentaria deflorata. Prodierunt Lat. *Antverp.* 1564. 8°. Gr. *Romæ* 1542. 1568. Gr. Lat. cum variis lectionibus *Paris.* 1631. f.

Commentaria in Acta Apostolorum, Gr. Lat. unà cum quibusdam SS. Patrum Orationibus *Coloniæ* 1568.

Commentaria in Epistolas S. Pauli, Lat. *Romæ* 1469. *Antverp.* 1564. 8°. *Colon.* 1531. *Paris.* 1552. Gr. Lat. curâ Augustini Lynselli Antistitis Petriburgensis *Londini* 636. f.

Commentaria in IV. Minores Prophetas, viz. *Habacuc, Jonam, Nahum & Hoseam*, Lat. *Paris.* 1549. 8°. Integra Theophylacti *Commentaria in XII. Minores Prophetas* Græcè extare dicuntur in Bibliothecâ Augustanâ.

Epistolæ LXXV. Prodierunt Græcè cum notis Joannis Meursii *Lugduni Bat.* 1617. 4°. Lat. interprete Vincentio Marinerio Valentino, *Colon.* 1622. & in Bibliotheca Patr. Tom. XVIII.

Oratio in adorationem venerandæ Crucis medio Jejuniorum tempore, Gr. Lat. apud Gretser. de Cruce Tom. II. p. 1499.

Institutio regia ad Constantinum Porphyrogennetam Michaelis Ducæ filium, Gr. Lat. à Petro Possino edita *Paris.* 1651. 4°.

Fragmentum (Theophylacti alicujus incertum an nostri) *de risu, & vociferationibus in Festis Sanctorum*, & de Nicephoro Confessore, Lat. in Bibliotheca Patr. Tom. XVIII.

Argumenta adversùs Latinos de Processione Spiritus Sancti, habentur apud Joannem Beccum Orat. I. de Unione Ecclesiarum, Græciæ Orthodoxæ Tom. I. pag. 215. *Colloquium* Theophylacti, cum quodam de accusationibus Latinorum, & Orationem in Alexium Comnenum Imp. MSS. Græcè extare in Bibliothecâ Bavaricâ refert Oudinus Supplem. p. 345.

Prodierunt omnia Theophylacti *Commentaria* Lat. *Paris.* 1554. *Basil.* 1570. & alibi.

1077. NICETAS, SERRON cognomento dictus, magnæ Ecclesiæ CP. Diaconus & Magister, postea Heracleensis Archiepiscopus, Theophylacti æqualis, cujus ad eum habetur Epistola num. 9. Claruit anno 1077. Malè hunc cum Nicetâ Davide Paphlagone in Codicibus quibusdam MSS. confundi prodit Leo Allatius *. Scripsit *Commentarium in Nazianzeni Orationes*, Latinè inter opera Nazianzeni editum. Contexuit etiam ex variis Patrum

* Diatrib. de Psellis p. 17.

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. trum Græcorum Expositionibus *Catenam in Iob*, quæ à Paulo Comitolo (cui potiùs Olympiodoro ascribenda videtur) Latinè edita est, *Venet.* 1587. 4°. à Patricio Junio Gr. Lat. *Londini* 1637. fol. Eundem Authorem habere videntur Catenæ, quæ extant in Lucam, Matthæum, &c. *Commentarius* ejus in Nazianzeni *Tetrastica*, *Monosticha* & *Epigrammata*, prodiit Græcè sub Nicetæ Davidis Paphlagonis nomine *Venet.* 1563. 4°.

1077. P. II. NICETAS, primùm Serrarum in Macedoniâ primâ, deinde Heracleæ in Thraciâ Metropolita, claruit anno MLXXVII. Ejus *Commentarium* in Gregorii Nazianzeni Orationes XVII. sed mutilum & imperfectum Latinè olim edidit Jac. Billius. Extat aliquotiès Græcè MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* XCII. CXII. CXLV. CCXLIX. num. i. fol. 576. Ejusdem *Responsa Canonica* ad interrogationes Episcopi cujusdam Constantini Græc. Lat. edidit Leunclavius *Iur. Græc. Rom.* lib. V. pag. 310. ubi sex tantùm numero habentur; at in Vindobonensi *cod. Hist.* n. xii. fol. 270. novem capitula numerantur.

1077. HUGO, Diensis Episcopus, claruit anno 1077. quo legatus constitutus est à Gregorio VII. ad cognoscendam Episcopi Dolensis in Britanniâ causam, & Synodo Lingonensi præfuit, in quâ Laïcorum investituras damnari curavit. Anno 1080. Concilio Lugdunensi præsedit. Eodem anno Archiepiscopus Lugdunensis factus, Concilia Avenionense & Meldense celebravit. Anno 1087. à Victore III. excommunicatus est, ab Urbano II. in integrum restitutus, & legatione ornatus. Anno 1094. Philippum Regem ob illegitimum matrimonium in Concilio Ostiensi excommunicavit. Obiit post annum 1099. Extant *Epistolæ* II. *ad Gregorium* VII. Concil. Tom. X. pagina 364. *Acacia II. ad Mathildem Comitissam*, ibidem pag. 414.

1080. MICROLOGUS, quem alii Bernonem Abbatem Augiensem, alii Guidonem S. Crucis Avellanæ Abbatem fuisse volunt, utrique perperàm; quisquis tandem sub hoc nomine lateat, vixit certè post ann. 1080. immò scripsit defuncto jam Gregorio VII. post annum 1085. quin & si idem cum Vitæ Caroli M. Autore fuerit, erat adhuc integro ferè sæculo junior, utpote Frederici I. Imp. æqualis. Scripsit Librum, *Micrologum* dictum, *de Ecclesiasticis observationibus, seu de Missa ritè celebranda*. Extat iste *Venet.* 1572. 8°. inter Scriptores de Divinis Officiis *Paris.* 1610. f. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XVIII. pag. 469. *Vita Caroli M.* tribus libris comprehensa, in plurimis Bibliothecis MS. extat; cujus Autor se Micrologum scripsisse in Prologo testatur: Prologum istum edidit Bollandus ad 28. Januarii.

1080. ADAMUS, *Magister* dictus, Patriâ Misenus, ab anno 1077. Ecclesiæ Bremensis Canonicus, claruit an. 1080. Vir uti rectè notat * Ph. Brietius, *Sincerissimus, & quo vix veraciorem ullum historicum producere potest Ecclesia*. Scripsit adhuc juvenis ad Liemarum Archiepiscopum Bremensem *Historiæ Ecclesiasticæ præsertim Bremensis libros IV.* quibus de Religione Christianâ per Diœceses Bremensem & Hamburgensem adeòque per totum Septentrionem, propagatâ ab ingressu Willehadi ad Liemarum Archiepiscopum, seu à temporibus Caroli M. ad Henricum IV. Imp. agit. His Appendicis vice Libellum subnexuit de situ Daniæ, & reliquarum quæ trans Daniam sunt, regionum naturâ, moribus, & religione. Historiam istam unà cum incerti Autoris Historiâ Regum Daniæ, & alterius Anonymi Historiâ Archiepiscoporum Bremensium, edidit Erpoldus Lindenbrogius *Lugd. Bat.* 1595. 4°. Eadem nuperrimè cum notis in lucem emissa *Helmstäd.* 1670. 4°. Prodierat *Hafniæ* 1579. 4°. Appendice destituta.

*Ad a. 1067.

1080. P. II. JOANNES, natione Italus, Philosophus & Dialecticus suo tempore celeberrimus, claruit anno MLXXX. Puer adhuc Patrem in Siciliam comitatus, prima ibi eruditionis fundamenta posuit. Relictâ Siciliâ, in Longobardiam abiit, ibique aliquamdiu commoratus, Constantinopolim demùm profectus est; ubi philosophiæ & dialecticæ studiis graviter incubuit, Michaelem Psellum præceptorem nactus. Imperatori Michaeli Ducæ, ejusque fratribus Andronico & Constantino apprimè gratus erat, qui hominis colloquio mirè delectabantur, ejusque operâ in logicis concertationibus usi sunt. Pulso ab urbe Michaele Psello, ei Joannes in primaria Philosophiæ professione Constantinopoli successit. Quo tempore, Platonis, Aristotelis, Porphyrii, Jamblichi & Procli scripta publicè explicavit, tanta de se admiratione excitata, ut φιλοσοφίας ἁπάσης διδάσκαλος καὶ ὕπατος τῶν φιλοσόφων publicè declaratus sit. Verùm ingenio suo & Sophisticis argutiis nimiùm confisus, in gravissimos errores tùm in Philosophia, tùm Theologia incidit; Pythagoricam metempsychosim, falsas de ideis Platonicis opiniones, sacrarum imaginum contemptum, aliaque hæretica dogmata ubique propugnans. De his monitus cùm ab erroribus recedere nollet, Eustratio Garidæ Patriarchæ CP. in custodiam traditus est, à quo tantùm abest ut ad fidem orthodoxam retraheretur, ut ipse Patriarcham sophisticis cavillationibus in suos errores seduxerit. Tandem anno MLXXXIV. à judicio Ecclesiastico Constantinopolitano tanquàm Hæresiarcha solenniter damnatus, & anathemate percussus est: Pravâque ejus doctrinâ in capita XI. redactâ, jussit Alexius Imperator Joannem hæc ipsa capita in magnâ Ecclesiâ ex Ambone capite nudo anathematizare; audiente universo populo, & post uniuscujusque capitis lectionem itidem clamante *Anathema*. Pluribus hæc prolixè refert Anna Comnena, ipsius Alexii Imp. filia *Alexiad.* lib. V. pag. 143. 144. &c. Notandum Cl. Lambecium Joannem Italum nostrum cum Joanne Philopono, qui ineunte Sæculo VI. claruit, perperàm confundere *Comment.* lib. III. pag. 165. Sed re posteà animadversâ, errorem ingenuè revocavit lib. IV. pag. 325. Scripsit Joannes noster, inter alia, *Responsa* ad XCIII. quæstiones philosophicas miscellaneas, sibi tùm præcipuè ab Imp. Michaele Ducâ, ejúsque fratre Andronico propositas, quæ hoc modo incipiunt. Α. εἰς τὸ τέχνη τῶν τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν. Πολλοὶ μὲν πολλαχῶς τῶν Ἀρχαίων τὴν φιλοσοφίαν ὡρίσαντο &c. Habentur Græcè MSS. Biblioth. Vindob. *cod. Philosoph.* juxta ordinem Lambecianum LXXXVI. nu. i. à fol. i. usque ad fol. 147. Extant etiam, sed quæ non sunt fori Ecclesiastici, ejusdem *Expositio* librorum II. III. IV. *Topicorum* Aristotelis ibid. nu. ii. Liber *de Dialecticâ* ad Andronicum Ducam ibid. num. iii. *Methodus Synoptica Rhetoricæ* ibid. num. iv.

1080. P. II. NICETAS, magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archidiaconus & Chartophylax, claruit circa annum MLXXX. Scripsit contra Joannis philosophi Itali capita de Fide Orthodoxâ, *Anathematismos* XI. de Incarnatione Christi. Incipiunt ita; Ἀναθεματισμὸς α. Τοῖς ὅλως ἐπιχειροῦσι νέαν τινὰ ζήτησιν, καὶ διδαχὴν τῇ ἀῤῥήτῳ ἐνσάρκῳ οἰκονομίᾳ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν καὶ Θεοῦ ἐπάγειν &c. Extant Græcè MSS.

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. MSS. Biblioth. Vindob. *cod Theol.* ex dispositione Lambec. LXXVII. num. lxxiv. fol. 152. p. 2. De his Anathematismis notari meretur quod nos docet L. Allatius de *Consens. Orient. & Occident.* lib. II. cap. 10. eos nempe recitari in Ecclesiâ Græcâ, die Orthodoxiæ sacro, editosque esse in Græcorum *Triodio*, quod est liber Ecclesiasticus à Canonibus, sive Canticis sacris trium Odorum ità appellatus, qui continet Officium à Septuagesimâ, quam illi vocant *Dominicam Publicani & Pharisæi*, usquè ad Sabbatum sanctum in Ecclesiis eorum recitari solitum, ut nos docet idem vir doctissimus, *Dissert.* I. *de lib. Eccles. Græc.* pag. 69. &c. & nos alibi fusiùs.

1080. P. II. GUALFREDUS, natione Italus, patriâ Longobardus, Rodulpho in Sede Senensi successit anno MLXXX. Concilio Vastallensi anno MCVI. interfuit. Obiit anno MCXXVII. vi. Cal. *Aug.* in Ecclesiâ suâ Cathedrali sepultus. Scripsit plurima: nempè *sacram Gothofredi Bullionis in Orientem expediti nem* carmine Heroico, quæ in summæ Ædis Sacrario MS. asservatur: item *de utroque Apostolico*, i. e. de Urbano secundo & Gilberto Antipapâ; *de Romanæ Urbis laudibus*; *de Annulo & Baculo*; *de Sacramento Corporis & Sanguinis Christi*; *de Christianâ militiâ*; denique *Rationale.* Hæc nos docet Ferd. Ughellus *Ital. Sacr.* Tom. III. pag. 626. quæ tamen an edita sint, vel ubinàm extent, non indicat.

1080. P. II. ANONYMUS Actorum Rothomagensium Compilator, Cœnobii S. Audoeni Rothomagensis Monachus, claruit circa an. MLXXX. Res gestas Archiepiscoporum Rothomagensium in acta retulit. Hæc ex ipso Authographo edidit Joan. Mabillonius *Analect.* Tom. I. pag. 424. aliaque nonnulla ad Sedem Rothomagensem spectantia subnexuit.

1080. P. II. AUCTOR ANONYMUS Historiæ Regum Dalmatiæ, circa annum MLXXX. vixisse videtur. Scripsit sermone patrio, id est, Dalmatico, *Commentariolum de Regum Dalmatiæ & Croatiæ gestis*, in quo non pauca ad Ecclesiam spectantia referunt. Hunc in Crainâ repertum, Latinitate donavit anno MDX. Marcus Marulus Patricius Spalatensis, & Dominico Papali, à quo acceperat dedicavit. De Auctoris sensu nil mutavit, verba tamen aliqua quæ superflua videbantur, se resecuisse fatetur. Maruli versionem ad calcem operis de regno Dalmatiæ edidit Joan. Lucius *Amstel.* 1666. pag. 303. Interim toto cœlo erravit Joan. Hallevordius *Biblioth. Curios.* pag. 257. qui Marulum primum hujus libri auctorem, Lucium, Latinum interpretem, facit.

1081. JOANNES SCYLITZES, à dignitate CUROPALATES, dictus, patriâ Thracesius, seu de Asia minori juxta mare Ægeum oriundus, dignitate Protovestiarius, dein magnus *Drungarius Vigilum*, ac tandem Curopalates. Claruit circa annum 1081. Scripsit *Historiam rerum in Oriente gestarum* à Nicephori Logothetæ Imp. interitu ad Nicephori Botoniatæ depositionem, seu ab anno Christi 811. (quo circiter tempore desiit Theophanes) ad ann. 1081. Posteriorem Historiæ partem annos 24. complectentem, multis demum annis post priorem evulgatam conscripsit. Unde factum est, ut priorem partem, viz. ad annum usque 1057. integram in farraginem suam Cedrenus transtulerit, paucis admodùm omissis. Reliqua Historiæ portio, quæ ab anno 1057. ad 1081. progreditur, prodiit Gr. Lat. cum Fabroti, & Goari notis Cedreno subjuncta *Paris.* 1648. fol. Integra *Historia* prodiit Latinè interprete Ioanne Baptista Gabio *Venet.* 1670. fol. Extat equidem *Suggestio* ad Alexium Comnenum Imp. de ambiguitate quadam in Edicto de Sponsalibus recens promulgato tollendâ, in Leunclavii *Jure Gr. Rom.* Tom. I. pag. 132.

NICOLAUS, *Grammaticus* dictus, ex Monacho Patriarcha Constantinopolitanus renunciatus est anno 1084. seu ut habet Baronius, anno 1089. vir literarum non rudis, inquit Zonaras, haud adeò peritus tamen. Obiit anno 1111. seu ex Baronii calculo 1117. Extant Gr. Lat. *Decreta Synodalia duo de Nuptiis patrui avunculive*, in Leunclavii Jure Gr. Rom. lib. 3. pag. 215. aliud *de Præstatione Canonicorum*, lib. 4. pag. 269. *Epistola Synodalis* prolixissima ad Alexium Comnenum Imp. probans ex sacris Canonibus & legibus non esse fas, ut Episcopatus à metropolibus auferantur, ibidem pag. 271. 1084.

NICOLAUS, GRAMMATICUS dictus, Patriarcha CP. claruit ann. MLXXXIV. A Ricciolo in *Chronologiâ reformatâ* Tom. III. pag. 21. unà cum Baronio ad annum MLXXXIX. refertur, & Nicolaus Muzalon vocatur, cùm reverà Nicolaus IV. Patriarcha illud cognomen habuerit; ut ex antiquo Patriarcharum Constantinopolitanorum catalogo Jambico rectè notat Lambecius *Comment.* lib. VI. pag. 302. Ut mittam quæ suo loco commemoravimus. Extant Gr. Lat. *Responsiones* ejus *Synodicæ* ad varias Quæstiones à quibusdam Monachis extra urbem commorantibus sibi propositas, inter Theodori Balsamonis opera edita *Paris.* 1620. pag. 227. sed in fine mutilæ ex Bibliothecæ Vindobonensis codicibus MSS. suppleri possunt. Vide Lambec *Comment.* lib. IV. pag. 187. lib. VI. Part. I. pag. 52. Ejusdem, ni fallar, carmen versibus politicis *de Jejuniis & Festis totius anni*; Incipit, πολλάκις με ἠξίωσας τέκνον εὐλογημένον &c. Habetur MS. Biblioth. Vind. *Cod. Jurid.* X. n. xvii. fol. 100. p. 2. *Responsa Ecclesiastica* ad Joannem Monachum Sinaitam ibid. *Cod. Hist.* VII. num. liv. *Sanctio Ecclesiastica* de oblationibus Liturgicis, hoc initio, Ἡ μὴν πρώτη προσφορὰ ἐστιν ἡ Δεσποτικὴ &c. *ibid.* num. lv. fol. 204. 1084. P. II.

JOANNES, Sancti Montis Sinai Monachus, claruit anno MLXXXIV. Scripsit ad Nicolaum III. Patriarcham Constantinopolitanum *quæstiones Ecclesiasticas* XXI. Extant unà cum Nicolai Responsis, Græc MSS. Biblioth. Vindob. inter *Historicos Ecclesiast.* Cod. VII. num. liv. fol. 201. p. 2. incipiunt Κεφάλαια ἐκκλησιαστικὰ πάνυ ἀναγκαῖα καὶ ὠφέλιμα, κατὰ πεῦσιν καὶ ἀπόκρισιν ζητηθέντα παρὰ τοῦ Μοναχοῦ Ἰωάννου τοῦ ἡσυχαστοῦ τοῦ ἐν τῷ ἁγίῳ ὄρει, τῷ μακαρίῳ πατριάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως Κύρῳ Νικολάῳ Πρώτη ἐρώτησις &c. Ejusdem, ni fallar, Joannis Monachi sunt quæstiones Ecclesiasticæ ad Nicolaum Patriarcham CP. quæ habentur ibid. *Cod. Jurid.* XI. num. ii. fol. 47. Prima quæstio sic incipit, Τολμῶν ὁ ἀνάξιος πανδτελὴς δοῦλος τῆς μεγίστης ἁγιοσύνης σου γράφω, Δέσποτα ἅγιε &c. Ejusdem forsan & *Metaphrasis metrica S. Symboli*; cujus principium, Πιστεύω Θεὸν εἰς ἕνα καὶ Πατέρ, αὐτογέννεθλον &c. ibid. *cod. Theol.* CXXVIII. num. viii. fol. 229. iterumque cod. 243. num. I. fol. 1. pag. 2. 1084. P. II.

BENNO, natione Germanus, Ecclesiæ Romanæ Archipresbyter & Cardinalis, à Clemente III. Antipapâ in Gregorii VII. sententia Synodali depositi locum à Concilio Brixiensi anno 1080. subrogato, factus, claruit anno 1085. Clementis, Guiberti *Ravennatis* antea dicti, partibus constantissi- 1085.

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. tissimè adhæsit, Gregorio VII. hostis infensissimus, quo nomine plenis conviciorum ac calumniarum plaustris à Baronio, aliisque Scriptoribus Pontificiis obruitur. Anno 1098. Concilio Romano inter alios Cardinales subscripsit. Quid illi exinde contigerit; non liquet. Scripsit *de Vita & rebus gestis Hildebrandi & Papæ libros* II. Extant apud Orthuinum Gratium in Fasciculo rerum expetendarum, & apud Illyricum in Catalogo Testium veritatis, pag. 220. Seorsim prodierunt *Francofurti* ad Viadrum 1581. denique inter Varia *Opuscula Anti-Gregoriana* à Melchiore Goldasto edita *Hanov.* 1611. 4°. pag. 1.

1085. P. II. RICEMARCHUS, gente, ut videtur, Cambro-Britannus, Sulghimi Episcopi Menevensis filius, sub Patris curâ & disciplinâ, pietate & bonis literis institutus, post Abrahamum in Sede Menevensi anno MLXXXV. successit. In tabulas retulit *Vitam S. Davidis* primi Menevensis Episcopi, ex vetustioribus monumentis contextam. Extat in codice perantiquo Bibliothecæ Cottonianæ, sub *Vespasiano* A. XIV. Ricemarchi opus, quod affectato dicendi genere, & immani prolixitate laborârit, in lucem producere noluit Cl. Whartonus, ea solùm exhibuisse contentus, quæ ad Gyraldi hâc de re Historiam additamentorum loco esse possunt. Hæc habes *Angl. Sacr.* Tom. II. pag. 643.

1086. VICTOR III. Patriâ Beneventanus, Beneventani Principis filius unicus, natus anno circiter MXXVII. dum vitam egit sæcularem *Dauferius* dictus, posteà assumpto *Desiderii* nomine in Cœnobio Cassinensi vitam iniit Monasticam, atque Abbas electus est anno 1056. Ætatis 30. Anno sequenti à Stephano X. Apocrisiarius ad Michaëlem Stratioticum Imp. designatus est: verùm Pontifice paulò post è vivis sublato, ex itinere Cassinum rediit. Anno 1059. à Nicolao II. Presbyter ordinatus, & Cardinalis renunciatus est. Anno 1084. Gregorium VII. Româ fugientem in Monasterio suo honorificè excepit: & ab eo anno sequenti in extremis agente sibi successor designatus est. A Clero itaque Romano anno 1086. die XXIV. Maii Pontifex electus, nullis tamen rationibus adduci potuit, ut Pontificatûs onus susciperet: sed Cassinum secedens, integro ferè anno ibi delituit, donec anno sequenti in Concilio Capuano enixis Episcoporum precibus expugnatus cessit, ac die IX. Maii ordinatus est. Mense Augusto Synodum Beneventi habuit; ubi Guibertum Antipapam anathemate percussit, excommunicatorum consortium vitari præcepit; & Episcopos Abbatésque qui investituras à Laicis acciperent, deponi decrevit. Mense Septembri ægrotans, Cassinum se deferri jussit; ubi XVI. Cal. Octobr. veneno in calice inter sacra mysteria propinato interiit. Scripsit exemplo Gregorii M. *de Miraculis à Sanct. Benedicto, aliisque Monachis Casinensibus gestis Dialogorum* libros IV. in quibus haud pauca reperies adeò absurda, fabulosa, & Christianæ religionis Majestate gravitatéque indigna, ut quocunque demum animo scripta sint, emunctioris naris hominibus risum movebunt: certè in iis & scriptoris Judicium, & rerum gestarum fidem meritò desiderabis. Libri tertii finis totúsque quartus, (tot enim scripsisse Victorem ipse nobis, & Petrus Diaconus Auctores sunt) in autographo Vaticano deerant; an alicubi adhuc delitescant non liquet; nec tanti res est ut curiosiùs investigemus. Tres hosce Dialogorum libros ex Codice Vaticano primus eruit, notísque additis *Romæ* edidit J. B. Marus. Deinde prodierunt cum ejusdem notis *Paris.* 1666. 8°. inde apud Mabillon. *Sæc. Benedict.* IV. par. 2. pag. 425. apud Henschenium ad XXI. Martii, & in Bibliotheca Patr. Tom. XVIII. pag. 837. *Oratio* ejusdem *ad Episcopos in Synodo Beneventanâ habita* reperitur apud Leonem Ostiensem Chron. Casinens. l. 3. c 71. & Baronium ad an. 1087. SÆC. XI. ab An. M.

BRUNO, natione Germanus, domo Coloniensis, parentibus non obscuris natus, factus primò Canonicus Rhemensis, & Scholarum magister, inde anno 1086. in Carthusiæ eremum secessit, ibique Ordinem Carthusianorum Monachorum primus instituit, ac instituto præfuit. Quæ referunt Scriptores quamplurimi de celebri quodam Doctore Parisiensi, doctrinâ & vitæ probitate quondam claro, qui, dum cadaver in feretro jaceret, è mortuis reviviscens, & in loculo residens primâ vice se justo Dei judicio accusatum; sequenti die se judicatum, tertiâ verò se justo Dei judicio damnatum esse clamaret, deque Brunone qui unà cum aliis aderat, hac occasione tertio in eremum fugiente, putidam omninò olent fabulam, tametsi olim in Breviario Romano locum habuerint. Et totam certè hujus fabulæ scenam eruditè & candidè, uti solet omnia, plenis testimoniorum & rationum monumentis singulari libello refutavit Cl. Launoius Dissert. *de vera causâ secessûs S. Brunonis in Eremum.* Verùm ad Brunonem nostrum redeamus. Exacto in hoc munere sexennio, ab Urbano II Papâ, qui eo olim præceptore usus fuerat, anno 1092. Romam evocatus est; ut in negotiis Ecclesiasticis ipsi à consiliis esset. Verùm turbarum, morúmque aulicorum brevi pertæsus, anno 1095. relictâ curiâ Romanâ, & repudiato Archiepiscopatu Rhegiensi, quem ei Urbanus obtulerat, in Calabriæ eremum se contulit; ubi cùm Monachorum sodalitio per aliquot annos præfuisset, tandem ex hâc vitâ decessit anno 1101. die VI. Octobr. post mortem inter Sanctos relatus. 1086.

OPERA.

Expositio in omnes Psalmos Davidicos.
Commentarius in omnes Epistolas D. Pauli. Prodiit seorsim *Paris.* 1509.
Liber de laudibus Ecclesiæ.
Liber de ornamentis Ecclesiæ.
Liber de Novis.
De aliquot præcipuis Festis Christi Salvatoris.
In solennitates B. Virginis
Liber Sermonum de Martyribus.
Liber Sermonum de Confessoribus.
Sermo de Michaele.
Sermo de contemptu divitiarum. Non desunt autem, qui Opuscula isthæc omnia à Libro de laudibus Ecclesiæ inclusivè enumerata Brunoni nostro abjudicant, & Astensi ascribenda esse contendunt.

Epistolæ II. ex eremo Calabriæ scriptæ; altera *ad Radulphum Viridem*, Ecclesiæ Rhemensis Præpositum, *altera ad Monachos suos Carthusiæ eremum in Delphinatû prope Gratianopolim incolentes.*

Prodierunt Brunonis Opera à Badio Ascensio edita *Paris.* 1524. dein studio Theodori Petrei *Colon.* 1611. III. Tom. fol.

Confessio fidei extat apud Mabillon. Analect. Tom. IV. p. 400.

BRUNO, Patriâ Longobardus, in villâ Soleriâ apud Insubres ex illustri Astensium Prosapia natus, Andreæ & Willæ filius, pietatis & studiorum tyrocinia in Astensi Monasterio posuit, indè in 1087. Chron. Casinens. l. 4. c. 33. f. 137. Ant. Scip. Elog. Cai. p. 112.

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. in Hetruriam transiens inter Canonicos Senenses cooptatus est; hinc Romam venit, & coram Gregorio VII. adversùs Berengarium in Synodo Romanâ anno 1079. disputavit, Episcopus Signiensis à Pontifice mox designatus: cùmque Pontifici vehementer eâ in re reniteretur, piâ quâdam fraude à Gregorio circumventus, onus impositum suscipere coactus est. Claruit præcipuè circa annum 1087. Anno 1096. Concilio Turonensi interfuit. Post plures in Episcopatu transactos annos, solitudinis desiderio victus, anno 1104. Cassinum aufugit. Enixis precibus Pontifici Paschali oblatis Episcopum suum repetunt Signienses. Ille Pontificis authoritate compulsus ad sedem suam rediit. Eodem anno legatus à Pontifice missus est, primò ad Rogerium Apuliæ Comitem, deinde cum Boemundo Antiochiæ Principe in Gallias, ubi Concilium Turonense celebravit. Anno 1107. Cassinum reversus, ejusdem Cœnobii Abbas eligitur, Paschale Papâ electionem comprobante, atque istud ei elogium reddente, dignissimum esse, cui se vitâ functo Christianæ reipublicæ gubernacula traderentur. Anno 1108. Paschalem ad Synodum Beneventanam comitatus est. Anno 1111. Pontificis jussu sese Abbatis munere abdicavit: & ad Signienses suos reversus anno demum 1125. Prid. Cal. Septembr. in Domino obdormivit, Episcopatûs anno 44.

OPERA.

Commentaria in Pentateuchum.
Commentarius in Iob.
Commentarius in Psalterium.
Commentarius in Cantica Canticorum.
Commentarius in Apocalypsin.
Homilia seu Sermones CXLV. Eusebio Emeseno, aut Eucherio Lugdunensi, aut aliis adhuc Veterum nominibus perperam ascripti.
Tractatus in Canticum Zacharia.
Tractatus de Incarnatione Domini.
Argumentum de Sacrificio azymi.
De Sacramentis, Ecclesia mysteriis, atque Ecclesiasticis ritibus opusculum.
Vita S. Leonis IX. Papa.
Responsio ad Quaestionem, cur corruptus Ecclesia status?
Vita S. Petri *Episcopi Anagnini.*
Sententiarum libri VI. viz. *De laudibus Ecclesia. De ornamentis Ecclesia. De novo mundo. De Festivitatibus* Festivitatum. *De laudibus B. Virginis. De Martyribus, Confessoribus,* &c. Opuscula ista inter Brunonis etiam Carthusiensis Opera habentur.
Prodierunt Brunonis Opera à Mauro Marchesio, Monacho Casinensi, in unum collecta, autori suo vindicata, & notis illustrata, *Venet.* 1651. II. Tom. fol. & exinde in Bibliothecâ Patr. Tom. XX. pag. 294.
Opusculum Brunonis de *Consecratione Ecclesia* integrius edidit Lucas Dacherius *Spicileg.* Tom. XII. p. 79.

1087. URBANUS II. Otto antea dictus, natione Gallus, ex oppido Castellionis in Archiepiscopatu Rhemensi, Ecclesiæ Romanæ Cardin. & Episcopus Ostiensis; anno 1083. à Gregorio VII. ad Henricum Imp. in Italiâ agentem legatus, ab eo captus & in custodiam missus est. Anno 1084. sententiam anathematis contra Henricum ejusque fautores in Synodo Romanâ recens iteratam, undequaque per Germaniam promulgavit. Anno 1085. habito in Germania Concilio Quintilineburgensi ex Episcopis Hildebrandinis collecto, Wecilonem electum Archiepiscopum Moguntinum hæreticos damnavit; quod Principem à Pontifice excommunicatum non regno, sed communione solummodò, excidere docuisset. Anno 1087. à Victore III. moriente successor designatus est, & à Cardinalibus electus, Pontifex Romanus creatus est Terracinæ anno 1088. die XII. Martii. Anno 1089. Henricum Regem, omnesque ei obsequium præstantes anathematizavit. Anno 1090. Concilium Melphitanum contra Clericos conjugatos celebravit. Anno 1091. habito Concilio Beneventano Guibertum Antipapam anathemati subjecit. Anno 1093. Henricum Imp. iterum excommunicavit; & Conradum filium arma rebellia Patri inferre persuasit. Anno 1095. in Concilio Placentino Berengarianos, Guibertianos, Clericosque Simoniacos ac conjugatos damnavit. Eodem anno in Galliam profectus Concilium Claromontanum celebravit: in quo Philippum Galliæ Regem excommunicavit, & ingentem Christianorum exercitum contra infideles loca sancta tenentes præliaturum conflavit. Anno 1096. in Concilio Turonensi Philippum Regem pœnitentem absolvit. Anno 1097. pro uniendis in fide Græcis cum Latinis Concilium Barense indixit: in quo Anselmo Cantuariensi contra Græcos de processione Sp. S. disputandi partes dedit. Anno 1099. in Synodo Romanâ Guibertum Antipapam, & Clericos concubinarios iterum anathematizavit. Obiit eodem anno, die XXIX. Julii. Extant *Epistola* LIX. Concil. Tom. X. pag. 422. & *alia* IV. ibid. pag. 1839. *Sermones* II. ad *Synodum Claromontanam* ibid. pag. 511. atque aliæ Epistolæ II. apud Baluzium *Miscellan.* Tom. II. pag. 177.

JOANNES, Ecclesiæ Atinensis in Italiâ Episcopus ordinatus est anno MLXXXVII. E vivis excessit ii. Idus *Septembris* anno MXCIX. Inter plura quæ in Ecclesiæ suæ usum & ornamentum contulit, illud erat non postremum, quòd Ecclesiæ Majoris muros ampliavit, & in iis Historias veteris novique Testamenti depingi fecit. Extat *Sermo* ejus *de SS. Martyribus Marco, Nicandro, & Marciano* apud Ughellum *Ital. Sacr.* Tom. VI. p. 557. Plura scripsisse innuit Ughellus, sed quæ invidiosa vestutas devoravit. 1087. *P. II.*

BOBERTUS de TUMBALENIA, Gallus, Cœnobii in monte S. Michaelis *de periculo maris* Monachus, postea ab Odone Episcopo Bajocensi Monasterii S. Vigonis, juxta murum urbis Bajocensis siti, Abbas constitutus est anno MLXXXVII. teste Orderico Vitali *Hist. Eccles.* lib. VIII. pag. 665. Verùm patrono in carcerem conjecto, Monasterii sui regimen deseruit, Romamque profectus, & à Gregorio VII. Pontifice summo cum honore exceptus, reliquam vitæ partem in Ecclesiâ Romanâ traduxit. Scripsit inter *reliqua peritia sua monumenta*, inquit *Ordericus*, loc. citat. *brevem & luculentam, sensuque profundam super Cantica Canticorum Expositionem.* Latet id opus MS. in variis Bibliothecis. *Prologum* ad Ansfridum Abbatem, & initium operis edidit Joan. Mabillonius *Analect.* Tom. I. p. 125. 1087. *P. II.*

NICOLAUS, Metropolita Methonensis, claruisse videtur circa ann. 1090. quem tamen alii ad sequentis sæculi finem referunt: quâ quidem in re nihil certi statuo. Scripsit *Libellum de Corpore & Sanguine Christi* adversùs eos, qui dicunt consecratum panem & vinum non esse corpus & sanguinem Domini: in quo tamen sunt, quæ cautè legenda esse monent ipsi editores Pontificii. Extat Gr. Lat. in Auctario Duceano Tom. II. pag. 372. Extant ejusdem *Tractatus III. de processione Spiritûs Sancti.* 1090.

Digitized by Google

Sanct. adversùs Latinos, MSS. in Bibliothecâ Vaticanâ, quos se legisse testatur Leo Allatius *de Consensu Eccles.* l. 2. c. 10. §. 2. De tertio verò dubitare videtur, annon juniori cuidam Nicolao Methonensi tribuendus sit.

1090. P. II. SYMEON, Patriarcha Hierosolymitanus, claruit circa annum MXC. ad quem ipsum refert Freherus in *Chronologiâ* utriusque Imperii *Juri Græco-Romano* præmissâ. Circa hæc tempora vixisse omninò censendus est. Scripsit tractatum de *Azimis* adversùs Latinos. Princ. Ἀνέγνωμεν, ὦ φιλοχριστότατοι Λατῖνοι, τὸ συστατικὸν γραμματεῖον τῶν ἀζύμων θυσίας ἡμῶν &c. Vide L. Allat. *de Script. Simeon.* pag. 100. In hoc Opusculo Auctor mentionem facit Epistolæ, à quodam Sylvestro Papa ad Clericum quendam Latinum Constantinopoli versantem scriptæ. Qui quidem Sylvester alius esse non potuit, quàm vel Sylvester II. qui ab anno DCCCCXCIX. usque ad ann. MIII. Romanam Sedem tenuit, vel Sylvester III. qui anno MXLIV. rejecto Benedicto, ex Episcopo Sabinensi Papa factus est.

1090. P. II. JOANNES, primùm Cœnobii in Oxiâ insulâ siti Monachus, factus deinde Patriarcha Antiochenus, claruit exeunte hoc Sæculo circa annum MXC. Fuisse hoc circitèr tempore hujus nominis Patriarcham Antiochenum, fidem nobis faciunt Gulielmus Tyrius, Ordericus Vitalis, aliique. Scripsit *Eclogas Asceticas* ex variorum SS. Patrum, aliorúmque Scriptorum Ecclesiasticorum operibus collectas, & in duas partes divisas. Quarùm primâ agitur de meditatione mortis & extremi judicii; secundâ de Oratione, Psalmodiâ, & Sacrâ Synaxi, exceptis quibusdam miscellaneis hinc inde insertis. Opus est ἀκέφαλον. Nihilominùs in fine auctor se prodit hâc sub oratione, Τέλος τοῦ βίβλου τοῦ μακαριωτάτου πατριάρχου Ἀντιοχείας κυρίου Ἰωάννου τοῦ ἐν τῇ Ὀξείᾳ. Extat MS. Opus hoc ascceticum Biblioth. Vindob. *cod. Theol.* juxta ordinem Lambecianum CCXLI. Nesselianum CCLXXVI. num. i. fol. 1. Scio Cl. Cotelerium not. ad *monument. Theol.* Tom. I. p. 747. has Eclogas Joanni cuidam Patriarchæ Antiocheno juniori, qui itidem Monachus Oxiensis fuerat, & sub medium Sæculi duodecimi vixit, tribuere; Verùm nullâ ratione redditâ: Cùmque Auctorum ex quibus sua excerpserit nemo Michaele Psello qui anno ML. floruit posterior deprehendatur, nostro potiùs adjudicandas censeo. Notet etiam Lector codice Cæsareo *Theol.* CCCXXIV. juxta Lambecium, num. xviii. continere excerpta varia ex Photii, Nicetæ Stethati, aliorúmque Græcorum operibus contra Latinos de processione Spiritûs Sancti &c. In quibus locum suum habet Joannes Patriarcha Antiochenus. An noster is fuerit, an junior cujus suprà meminimus, dicere non habeo.

1090. P. II. GULIELMUS Pictaviensis, primò quidem miles, deinde Gulielmi Ducis Capellanus, demùm Lexoviorum Archidiaconus, claruit circa annum MXC. In Acta retulit gesta Gulielmi Normannorum Ducis & Regis Anglorum. Opus, tùm principio tùm fine mutilum ex Bibliothecæ Cottonianæ codice antiquissimo & tantùm non authographo descriptum edidit Andr. du Chesnius *Script. Norman.* p. 178. illúdque, *librum polito sermone, & magni sensûs profunditate præclarum*. vocat Ordericus Vitalis *Hist. Eccles.* lib. III. p. 503.

1092. IVO, seu YVO, gente Gallus, Patriâ Bellovacensis, Hugone de Altylo & Hiltembergâ natus, Lanfranci adhuc Prioris Beccensis discipulus, deinde Abbas S. Quintini Bellovacensis, demum anno 1092. ab Urbano Papâ Episcopus Carnotensis ordinatus est. Anno sequente ab Episcopis in Concilio Stampensi læsæ majestatis accusatus, ob ordinationem à Pontifice susceptam, appellatione ad sedem Romanam interpositâ censuram evasit. Anno 1095. cùm Philippum Regem, qui dimissâ Bertâ uxore legitimâ pellicem superinduxerat, acriter objurgaret, plurimas à Rege injurias passus est, bonis mulctatus, & in carcerem conjectus; mox tamen Boelii Cenomanensis Episcopi intercessione liberatus. Anno 1104. Rotrocum Comitem Cenomanensem excommunicare à Pontifice Romano jussus, constanter renuit, neminem indictâ causâ excommunicandum esse contendens. Obiit anno 1115. die xxiii. Decembris.

OPERA.

DEcretorum liber, in xvii. partes distributus; maximam partem ex Burchardi collectione desumptus. Prodiit *Basil.* 1499. 4°. *Lovanii* 1557. 8°. & cum Epistolis 1561. fol.

Panormia, quæ Decretorum Ecclesiasticorum quasi summa quædam est, in viii. partes divisa. Scio equidem, non deesse plures, qui hanc Panormiam Ivoni nostro abjudicant, & Hugoni cuidam Catalaunensi attribuunt, & inter alios quidem pro hâc sententiâ strenuè militat Gerardus Mastrichtius Hist. Juris Eccles. num 267. 268. 269. Verùm Opus illud Ivoni vindicat Doctiss. Baluzius; & vetustissimum Codicem MS. S. Victoris Parisiensis Hugone Catalaunensi multò antiquiorem esse contendit; quin & Panormiam ante Decretorùm Opus conditam fuisse pluribus id agit præfatione ad Anton. Augustinum de emendatione Gratiani nu. 21. &c. *Panormia* ista unà cum Decretorum libro excudi solet.

Epistolæ CCLXXXVII. Prodierunt cum notis Francisci Jureti, & Joannis Bapt. Soucheti *Paris.* 1585. 4°. & 1610. 8°. Ex his ultima, quæ est ad Haymericum titulo libelli *de Corpore Domini* in Bibliothecis Patr. haberi solet.

Sermones xxii. *de Ecclesiasticis Sacramentis ac Officiis, præcipuìsque per annum Festis.* Extant inter Scriptores de Divinis Officiis *Colon.* 1568. *Paris.* 1610.

Breve Chronicon de Regibus Francorum à Pharamundo usque ad Philippum I. Francorum, & Gulielmum Rufum Anglorum, Reges. Quæ enim de Henrico I. Angliæ Rege habentur, ab alienâ manu addita sunt.

Omnia isthæc Ivonis opera in unum collegit, & castigata edidit Joannes Baptista Souchetus, *Paris.* 1647. fol.

Epistola ad Bernerium Abbatem Bonæ-vallis, atque alia quædam, edita sunt à Dacherio in *Appendice* ad Guilberti Opera pag. 664. 668.

In Monasterio Elnonensi habetur Ivonis Carnotensis MSS. *Tractatus de excommunicatis, nisi renunciati fuerint, minimè vitandis*, item *libellus de Sacramento Dedicationis, & Ædificationis Ecclesiæ, & de Ordinatione ac dignitate Sacrorum Ordinum*, monente Ant. Sandero Biblioth. Belg. MSS. part. I. p. 33. & 51. Habentur etiam hæc posteriora opuscula in Monasterio Lætiensi, teste eodem Sandero Part. 2. pag. 28. ubi extant ejusdem Ivonis *libri de Sacramentalibus*, *De Oratione Dominica*, & *Symbolo*, *De convenientia* V. & N. *Testamenti*, *De Significationibus Indumentorum Sacerdotalium.* An Operis *Decretalis*, vel *Sermonum* ejus pars sint, dicant nobis, quibus inspicere contigit.

Cæterum *Chronicon* istud amplum à Nino Assyriorum Rege usque ad Ludovicum Pium Imp. quod sub Ivonis nomine MS. extare prodit Vossius*, aliique, quodque sub ejusdem nomine mutilum dedit Freherus *Hanoviæ* 1611. Hugoni Monacho Floriacensi debetur; uti nos infrà pluribus subnotabimus.

* De Hist. Lat. l. 2. c. 47.

PETRUS, Magnæ Ecclesiæ CP. Diaconus, & Cartophylax, claruit anno 1092. Extant *Respon-* 1092.

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. *ſa brevia ad interrogata de diverſis caſibus* Gr. Lat. in Jure Gr. Rom. l. 6. p. 395.

1093. Antiq. Britan. p. 115. Vit. Anſelmi. per Eadmer. ap. Sur. April. 21. pag. 207. Baron. Tom. II. ab An. 1093.

ANSELMUS, patriâ Burgundus, Auguſtæ in Alpibus natus, parentes habuit genere illuſtres Gundulphum patrem, Hemmeburgam matrem. Lanfranci famâ excitatus ad Beccenſe Monaſterium properavit atque ordinem Benedictinum ingreſſus eſt anno ætatis 27. Poſt Lanfrancum primùm Prior, deinde poſt quindecim annos Abbas Beccenſis conſtitutus in utroque munere illi ſucceſſit. Exactis in hâc etiam provinciâ aliis annis quindecim, ab Hugone Comite Ceſtrienſi in Angliam evocatur: cúmque negotii cujuſdam conficiendi causâ apud Gulielmum Rufum tunc ægrotantem ageret, eique ſana conſilia præſertim de tot ſedibus Epiſcopalibus vacantibus ſubminiſtraret, ipſe inter alios Epiſcopus deſignatus, vehementer tametſi diu reluctatus, ſedi Cantuarienſi à Rege præfectus eſt, ab Epiſcopis, qui aderant, inauguratus die IV. Decembr. ann. 1093. Crebræ atque ingentes ei lites ab initio ſtatim Pontificatu ab iracundo nimis ferocique Rege excitatæ ſunt. Primùm de Pallio recipiendo diſceptatum eſt; Anſelmus id ab Urbano Papâ expetiit. Noluit id Gulielmus, in Guiberti partes propenſior. Initis tamen utcunque induciis, & recepto Cantuariæ anno 1095. Pallio; acrius paulò pòſt erupit bellum. Anſelmus Regem omnia ſolutâ animi libidine agentem, templa evertentem, Eccleſias devaſtantem, Deo pariter ac hominibus injurium, acriter corripuit. Rex Anſelmo juramentum de Papa neutiquam appellando ſibi præſtare juſſit. Neuter alteri ceſſit. Anſelmus anno 1097. in exteras oras exul abiit; & Lugdunum ſeceſſit. Inde Romam ab Urbano Pontifice accitus, ingenti honore exceptus eſt; & in Concilio Barenſi contra Græcos diſputavit. Pontificem verò anathema contra Gulielmum Regem expedientem precibus ſuis inhibuit. An 1100. ab Henrico Rege in Angliam revocatus rediit. Redeuntem aliæ ſtatim exceperunt controverſiæ, de homagio Regi præſtando, & ordinandis Epiſcopis, quos ipſe Henricus, fraterque Gulielmus per annulum & baculum inveſtierant. Utrumque fieri præcipit Henricus, recuſavit Anſelmus. Anno 1102. habito Londini Generali Concilio laicas inveſtituras, & conjugia Clericorum damnavit. Anno 1103. Regis rogatu Romam profectus eſt, Pontificem cui rei integræ cognitio ab utraque parte commiſſa erat, conſulturus. Paſchale igitur Papa pro Anſelmo judicium ferente, iſte in Angliam redire veritus, Lugduni ſedecim menſibus conſedit. Anno 1107. Henricus Adelæ ſororis Comitiſſæ Bleſenſis rogatu cum Anſelmo in gratiam rediit: concordiâ utrinque ſancitâ, Rex inveſtiturâ Epiſcoporum atque Abbatum ceſſit. Archiepiſcopus inveſtitos antea à Rege præſules ordinavit. Cantuariam igitur reverſus, ſedem quietè deinceps tenuit, & Clericorum conjugio Eccleſiâ Anglicanâ eliminando ſtrenuè incubuit. Obiit anno 1109. die XXI. Aprilis, ætatis ſuæ 76. Archiepiſcopatûs 19.

OPERA.

Epiſtolarum libri III.
Monologium ſeu Soliloquium.
Proſologion ſeu Alloquium.
Liber incerti Autoris pro incipiente adversùs Anſelmi Proſologion.
Liber contra inſipientem, ſeu *Apologeticus adversùs librum præcedentem.*
Dialogus de Veritate.
Dialogus de Libero Arbitrio.
Dialogus de caſu Diaboli.
Diſputatio Dialectica de Grammatica.
Tractatus de Sacramento Altaris, ſeu de Corpore & Sanguine Domini. SÆC. XI. ab An. M.
Liber de Fide, ſeu de Incarnatione Verbi.
De nuptiis conſanguineorum.
Libri II. contra gentiles, Cur Deus homo.
De Proceſſione Spiritûs S. contra Græcos.
De Conceptu Virginali, activo, & peccato originali.
Fragmenta variorum Anſelmi Tractatuum de Conceptu Virginali paſſivo.
De tribus VValeranni quæſtionibus, ac præſertim de Fermento & Azymo.
De Sacramentorum diverſitate.
Concordia Præſcientiæ, Prædeſtinationis, & Gratiæ cum libertate.
Liber de Voluntate Dei.
Meditationum libri X. viz. De *humanâ conditione, de terrore Judicii*, &c.
Liber de ſalute animæ, Manuale dictum, S. Auguſtino perperàm tributum.
Meditatio ad ſororem de beneficiis Dei.
Meditatio de Paſſione Chriſti.
Alloquia cœleſtia, ſive *Faculæ piorum affectuum, erga Deum, Chriſtum, Deiparam, & Cœlites* complures, numero LVII.
Mantiſſa Meditationum & Orationum in quinque partes tributa.
Hymni & Pſalterium in commemoratione Deiparæ.
Liber de excellentiâ glorioſæ Virginis Mariæ, quem Bellarminus Anſelmo abjudicat. Eum, pariter ac ſequentem librum, Eadmero vindicat, Gabr. Gerberonius.
Liber de quatuor virtutibus B. Mariæ, ejuſque ſublimitate.
Paſſio SS. Guigneri ſive Fingaris, *Pialæ & Sociorum.*
Liber exhortationum ad contemptum temporalium, & deſiderium æternorum.
Admonitio pro moribundo.
Parænesis ad Virginem lapſam.
Sermo ſive Liber de Beatitudine.
Homilia in illud, Introiit *Jeſus in quoddam caſtellum.*
Homilia in aliquot Evangelia.
Carmen de Contemptu mundi, & alia Carmina.

OPERA SUPPOSITITIA.

Liber de Similitudinibus B. Anſelmo adhiberi ſolitis. Eadmeri eſt.
Quædam dicta utilia, collecta ex dictis S. Anſelmi.
Liber de menſuratione Crucis. In eo citatur S. Bernardus.
Dialogus de Paſſione Domini.
Liber de veſtimentis, & membris, & actibus Deo attributis, qui inter Hieronymi etiam & Auguſtini Opera reperiri ſolet.
Elucidarium, ſive *Dialogus* ſummam totius Chriſtianæ religionis complectens. Opus Anſelmo indignum. Trithemius id Honorio Auguſtodunenſi, Raynaudus, Balæus, Simlerus, aliique Gulielmo Conventrienſi Carmelitano, Codices nonnulli Guiberto Novigentino Abbati vindicant.
De Imagine Mundi Libri II. Honorio cuidam debentur, forſan Auguſtodunenſi.
Hactenus editio *Lugdunenſis* 1630. Alia ſub Anſelmi nomine edidit Opera Joannes Picardus *Colon.* 1612. viz. *Explanationes in S. Matthæum, In Evangelia aliquot, In Cantica Canticorum, In Epiſtolas S. Pauli, & in Apocalypſin*, quæ aut Anſelmo Laudenſi, aut Herveo debentur: adeòque infrà locis ſuis memorabuntur.
Prodierunt Anſelmi Opera *Norimbergæ* 1491. fol. *Colon.* 1573. Tom. iii. cum notis Joannis Piccardi *Colon.* 1612. Tom. IV. extraneis in S. Scripturam Commentariis exonerata curâ Theophili Raynaudi

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. di Lugduni 1630 Tom. iii. denique ex recensione Gabrielis Gerberonis *Parif.* 1675.

Epistolæ vii. Anselmi à Baluzio primùm sunt editæ *Miscellan.* Tom. iv. p. 471.

Alias *Epistolas* viii. in lucem protraxit Dacherius *Spicileg.* Tom. ix.

1094. LAMBERTUS, natione ut opinor, Gallus, Atrebatensium Episcopus electus; sed cùm Rainaldus Archiepiscopus Remensis cum ordinare detractaret, Romam profectus Lambertus ipsius Urbani Papæ manibus consecratur anno 1094. xiv. Cal. April. Molestias nihilominus ei creare non destitit Rainaldus; donec anno 1095. habitâ Synodo Claromontanâ recitatum est privilegium, quod Ecclesiæ Atrebatensi nuper concesserat Pontifex, à toto mox Concilio collaudatum & confirmatum. Extant Lamberti *Epistolæ*. II. Concil. Tom. X. p. 468. ubi etiam plures ad illum, & de illo Epistolæ habentur. Alia ejusdem *Epistola ad Paschalem Papam*, data anno 1105. de absolutione Philippi Francorum Regis, habetur ibid. p. 742.

1094. P. II. ANASTASIUS, gente forsan Palæstinus, seu Syrus, patriâ, ut videtur, Antiochenus, Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, claruit circa annum MXCIV. certè sub Joanne Patriarchâ Antiocheno, qui hunc Thronum ascendit an. MXC. Ὁ νῦν πατριάρχης κυρ Ἰωάννης ὁ ἁγιώτατ☉, *Qui nunc Patriacha-tum tenet sanctissimus dominus Joannes*, Scripsit Anastasius Tractatum *de Jejunio gloriosissimæ Deiparæ, quodque servandum sit ut legitimum.* Hunc Græcè Latinè, edidit J. B. Cotelerius *Eccl. Græc. Monument.* Tom. III. pag. 432. Clarissimus Lambecius de Biblioth. Vind. l. viii. pag. 450. citat Anastasii nostri Fragmentum περὶ τῆς ἑβδομάδων τῆς νηστειῶν. Ejusdem opusculum *Artziburio* ad finem Typici S. Sabæ habetur. Interim non dissimulat Cotelerius opusculum *de Jejunio Deiparæ* in Bibliothecâ Regiâ *Cod.* MMMXXVII. multò longius, cumque varietatibus non paucis, sub Niconis Monachi Rheifensis nomine reperiri.

1095. RAIMUNDUS DE AGELES, Canonicus Podiensis, & Comitis Tolosani (qui itidem Podiensis Episcopus) Capellanus, claruit anno 1095. quo prædictum Comitem exercitum in Terram Sanctam ducentem secutus est. In hoc itinere dum hæreret, ad sacros ordines promotus est; & Palæstinam ingressus, lanceam Dominicam, [ipsomet teste] dum è terra effoderetur, præsens vidit: quin & in Obsidione Antiochenâ ipse manibus tulit. Scripsit hortante Pontio Balonensi *Historiam Hierosolymitanam*, quâ res præcipuè Comitis Tolosani auspiciis per quinquennium gestas persequitur, nempe ab eo tempore quo Sclavoniam intravit Christianorum exercitus, usque ad victoriam de Ammirato Babylonio raportatam. Quàm sincerâ fide in hoc Opere egerit, ex solenni ipsius execratione * discere possumus. *Oro igitur,* inquit, *& obsecro omnes, qui hæc audituri sunt, ut credant hæc ita fuisse. Quòd si quicquam ego præter credita & visa studeo referre, vel odio alicujus apposui, apponat mihi Deus omnes inferni plagas, & deleat me de libro vitæ.* Extat hæc *Historia* in Collectione Bongarsianâ *De Gestis Dei per Francos* Tom. I. p. 139.

* Pag. 163.

1095. P. II. PHILIPPUS SOLITARIUS, Philosophus seu Monachus Christianus; claruit juxta Lambecium an. MXCV. [secundùm alios MC. vel MCV.] quo *Dioptram*, sive Amussim Fidei & Vitæ Christianæ ad Callinicum Monachum versibus politicis, ac formâ Dialogi inter animam ac carnem, composuit, in V. libros divisam, variisque veterum Patrum testimoniis contextui passim permixtis illustratam. Opus hoc solutâ oratione, & mirè interpolatum, non nisi iv. libris constans, confuso etiam eorundem ordine, Latinè edidit Jac. Pontanus *Ingolstad.* 1604. 4to. Extat Græcè, prout ab Auctore conditum, in principio quidem præ vetustate mutilum Biblioth. Vindob. *cod. Theol.* cxciii. num. i. fol. 1. Cui quinque Appendices subjiciuntur. Primâ continentur Philippi nostri *capita* V *historica* lectu dignissima, de Fide & Ceremoniis Armeniorum, Jacobitarum, Chatzitzariorum, & Romanorum seu Francorum, à Combefisio edita Gr. Lat. *Auct. Biblioth. vet. Patr.* T. II. col. 271. Secundâ Philippi nostri *Demonstratio* ex Scripturâ sacrâ, & S. Epiphanio, quòd Christus in sacrâ Cœnâ non legale, sed verum comederet Pascha. Tertiâ, Ejusdem *Epistola apologetica* ad Constantinum sacerdotem, *de differentiâ inter intercessionem, & auxilium Sanctorum.* Incipit, ἐπειδὴ παρ ἠτήσω τὴν δ' ἐτέλειαν ἡμῶν &c. Quartâ, Ejusdem *versus politici*, quibus & tempus absolutionis *Dioptræ*, & nomen suum per numeros octo literarum ΦΙΛΙΠΠΟΣ indicat. Quintâ, *Versus* Constantini & Vesti Grammatici in laudem Dioptræ, & auctoris ejus Philippi continentur. Alia hujus Dioptræ Exemplaria MSS. ibid. habentur; nempe *cod. Theol.* CLXVII. num. i. fol. 1. & cclxxxiv. num. 1. fol. 1. De hoc opere confer quæ habet CL. Lambecius *Comment.* lib. iv. p. 178. 205. lib. V. p. 34. &c. 42. 43.

HEMMINGUS, gente Anglus, Monachus & Presbyter Wigorniensis, claruit circa annum MXCV. Opus condidit *de Ecclesiæ Wigorniensis dotatione, privilegiis, & possessionibus* libris V. Ipsum exemplar autographum in Bibliothecâ Cottonianâ sub *Tiberio* A. xiii. hodiè asservatur; ex quo nonnulla desumpsit Gu. Dugdalius *Monast. Angl.* Tom. I. Brevem S. Wulstani Wigorniensis Episcopi Vitam H. Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. I. pag. 541. 1095. P. II.

GOTSELINUS, seu Goscelinus, Monachus O. B. primùm S. Bertini in Artesiâ, dein S. Augustini in Cantuariâ, claruit anno 1096. Scripsit *Vitam S. Augustini* primi Cantuariensis Archiepiscopo, duplici Opusculo, fusiori altero, altero breviori. Brevius in Appendice Lanfranci Operum sine autoris nomine edidit Dacherius *Parif.* 1648. Fusius Opus evulgavit Mabillonius *Sæc. Benedict.* I. pag. 498. Scripsit etiam *ad Anselmum Libros II. de Translatione S. Augustini*; qui MSS. penès Mabillonium habentur. 1096.

GOTSELINUS, natione Gallus, Monachus Cantuariensis, claruit anno mxcvi. Præter Opuscula à nobis suprà recensita, scripsit *Vitam S. Eadgithæ*, Eadgari Anglorum Regis filiæ, Sanctimonialis Wintoniensis. Extat, Stylo nonnihil immutato, apud Surium *Septemb.* xvi. & Mabillonium *Sæc. Benedict.* V. p. 636. Gotselini Historiam minorem *de Vita S. Augustini Cant. Archiep.* (quam in Appendice ad Lanfranci opera, sed anonymam, & integro capite mutilam, olim evulgaverat Dacherius) codice Lambethano usus, iterùm edidit H. Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. II. p. 51. Præter ea quæ tùm alibi, tùm hic recensuimus, habentur MSS. in vetusto admodùm & eleganti codice Cottoniano sub *Vespasiano* B. XX. *Sermo* ejus *in Festivitate S. Augustini*; Libri II. ad Anselmum *de Translatione S. Augustini*, anno mxci. factâ; *Vita S. Letardi*; *Vita S. Mildredæ*; *Translatio S. Mildredæ*, & *Institutio Monasterii ejusdem. Vitæ SS. Laurentii Melliti, Justi, Honorii, Deusdedit, & Theodori* Archiepiscoporum Cant. *Vita Adriani* Abbatis S. Augustini; Historia *de Translatione ejusdem*; *Libellus contra inanes S. Mildredæ usurpatores.* Reliqua ejus opuscula suppeditabunt Malmesburiensis, Baleus, Pitseus, quæ an supersint hodiè mihi incompertum est. 1096. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. 1096. P. II. GREGORIUS Chioniades, vir in Aulâ CP. ut videtur, magni nominis & dignitatis, claruit sub Imperio Alexii Comneni senioris circa annum MXCVI. De Imperio satis quidem certus sum, non item de anno. Alexius quippè diutiùs regnavit ab anno MLXXXI. usque ad annum MCXVIII. Extant ejus *Epistolæ* XVI. partim ad Alexium Comnenum Imperatorem τ͂ μέγαν, partim ad Constantinum Lucitam Protonotarium & Protovestiarium, partim ad Patriarcham CP. partim ad alios dignitate illustres scriptæ. Habentur Græcè MSS. Biblioth. Vindob *cod. Theol.* ex ordine Lambeciano CCXCII. Nesseliano CCIII. num. IV. fol. 23. Unde proculdubio res Byzantinæ istius temporis non leviter illustrari possunt.

1096. P. II. ALULPHUS, Gallus, Sigeri Præcentoris Tornacensis filius, ex Clerico Cœnobii S. Martini Tornacensis Monachus, claruit anno MXCVI. In Monasterio suo Cantoris officio per XLVII. annos perfunctus est. Paterii Gregorii M. discipuli exemplum secutus, ex omnibus Gregorii operibus, quibus Vetus & Novum testamentum exposuit, servatis ipsius Gregorii verbis, opus contexuit, in quatuor partes distributum, quibus GREGORIALIS nomen indidit. Secunda pars prodiit *Paris.* anno 1516. Prologum dedit Mabillonius *Analect.* Tom. I. p. 313. Integrum opus MS. delitescit; in quibusdam verò Galliæ Bibliothecis, indicabit Cas. Oudinus *Supplem.* p. 373.

1097. HILDEBERTUS DE LAVARDINO, Monachus Cluniacensis, Dein Berengarii discipulus, ab anno 1097. seu ut alii, post annum 1099. Episcopus Cenomanensis. Injurius illi planè est Baronius*, qui quæ de effræni Adalberti cujusdam Archidiaconi impudicitiâ habet Ivo Carnotensis †, in Hildebertum refert. Anno circiter 1107. Hildebertus Henrici Angliæ Regis; & Normanniæ Ducis injuriis divexatus, Romam perrexit, suppetias à Paschale Pontifice sibi ferri oraturus. Domum reversus, in carcerem datus est; ac variorum criminum accusatus, postulante Henrico Rege, ut innocentiam suam probatione per ignem demonstratam daret. Istiusmodi verò conditionem ab Ivone monitus nequaquam subire voluit. Post an. 22. vel ut alii 29. Ad Archiepiscopatum Turonensem translatus, sedem istam sexennio circiter tenuit, atque obiit an. 1136. secundùm alios verò 1132.

* Ad a. 1088.

† Epist. 279.

SCRIPTA.

Epistolæ LXXXIII.

Liber seu Prosa de Natali Domini.

Versus de mysterio & ordine Missæ, seu de Concordiâ veteris & novi Sacrificii.

Sermo in illud Isaiæ XXXV. Tunc aperientur oculi cæcorum.

Sermo in illud Lucæ XII. Cui multum datum est, multum quæretur ab eo, &c.

Ad Pastores Sermo Synodicus.

Opuscula hactenus recensita habentur in Bibliothecâ Patr. Tom. XXI. p. 119.

Vita S. Hugonis Abbatis Cluniacensis, Præceptoris sui. Extat in Bibliothecâ Cluniacensi à Duchesnio edita *Paris.* 1614. p. 413.

Vita S. Mariæ Ægyptiacæ, metro scripta. Exemplar ejus MS. extitit penès Heribertum Rosweydum, uti & nunc in Bibliothecâ Paulinâ Lipsiensi.

Poema elegans, seu *Epitaphium in Berengarium* exhibet Gul. Malmsburiensis *lib.* 3. *de gest. Reg. Angl.* fol. 64. & ex eo Baronius ad an. 1088.

Epistola ad Reginoldum Monachum Cantuariensem, edita est à Mabillonio Analect. T. I. p. 293.

Vita S. Radegundis Reginæ extat. MS. penès eundem Mabillonium, qui Prologum ejus edidit, ibid. p. 296.

Liber de querimoniâ & conflictu spiritus & carnis, pag. 421.

Liber de concordiâ veteris & novi testamenti metricus, p. 441.

Orationes aliquot Theologicæ, seu Rythmi sacri p. 446.

Liber elegiacus de exilio suo, p. 453.

Liber Metricus de Urbe Româ. duabus constans partibus, 1. *de Româ dirutâ.* 2. *Roma reparata*, p. 456.

Alia miscellanea Metrica, viz. *de Sacramentis, de utraque parte Altaris, de tribus Missis in Natali Domini*, &c. p. 459.

Opuscula ista proximè enumerata in lucem protraxit, & cum notis edidit Jacobus Hommey Augustinianus in suo Patrum Supplemento *Paris.* 1684. 8°. Denique varia Hildeberti nostri *Poëmata* & *Homiliæ* inter Bibliothecarum Elnonensis, Camberonensis, Parcensis Codices MSS. ab Ant. Sandero *Bibliothecâ MSS. Belgicâ* recensentur; viderint quibus inspiciendi facultas datur. Confer etiam quæ habet Labbeus in *Biblioth. Nov. MS.* p. 59.

BALDERICUS, natione Belga, Gerardi I. qui obiit anno 1049. B. Liedberti dein, & ab anno 1076. Gerardi II. Cameracensium & Atrebatensium Episcoporum Secretarius & Sacellanus. Exinde Canonicus & Cantor Ecclesiæ Morinensis. Tandem Noviomensis & Tornacensis Episcopus creatus est anno 1097. Obiit in urbe Tarvanensi Prid. Cal. Junii anno 1112. Scripsit *Historiam* seu *Chronicon Cameracensis & Atrebatensis* Ecclesiarum libris 3. quos titulo Chronici Cameracensis in lucem edidit Georgius Colvenerius *Duaci* 1615. Chronicon Ecclesiæ Morinensis seu Tarvanensis ab eodem conscriptum in Monasterio Benedictino apud Cenomanenses MS. extare prodit Vossius de Hist. Lat. l. 2. c. 47. 1097.

PASCHALIS II. *Rainerius* seu *Ragingerius* antea dictus, natione Tuscus ex provinciâ Flaminiâ oppido Bleda, Crescentii & Alsatiæ filius, in Monasterio Cluniacensi ad vicesimum usque ætatis annum educatus: dein Romam profectus à Gregorio Papa Presbyter & Cardinalis titulo *S. Clementis* creatus est. Abbas Monasterii SS. Laurentii & Stephani postea renunciatus. Post Urbani mortem anno 1099. ad Pontificatum Romanum evectus est, die 14. Augusti ordinatus. Anno 1101. Gerardum Archiepiscopum Eboracensem, aliosque Henrici Angliæ Regis Legatos excommunicavit, quòd decreta sua de investituris laicis non admittendis callidè dissimulârant. Anno 1102. habito Romæ generali Concilio Henricum Imperatorem ob rapinas & sacrilegia anathemate perculit. Anno 1106. in Galliam Cisalpinam profectus, Synodum Gualstaldensem celebravit; in quâ Laicorum investituras damnavit & conturbatum diuturno bello Ecclesiæ statum restituit. Anno sequente itinere in Galliam facto aliud contra laicas investituras Concilium Trecis habuit. Anno IV. cùm Principes Italiæ in fidem suam adigere ausus esset, & sepulturæ sacræ copiam Henrici IV. defuncti Imperat. exuviis præfractè denegaret, ab Henrico V. Romam suscipiendæ imperialis coronæ gratiâ adveniente captivus factus, Sutrium abductus est. In ordinem itaque redactus Henrico investituras solenni juramento remisit, eumque Imperatorem inunxit. Post Henrici abitum, celebrato Concilio Lateranensi anno 1112. vim sibi adhibitam causatus concessionem suam revocavit; renovatoque anno 1116. Concilio ob remissas Imperatori investituras publicam egit pænitentiam; ac privilegium ei datum damnans, ipsum simul anathematizavit. Perfidum Pontificem armis persecutus est Henricus, eumque, anno 1117. urbe ejecit. Iste verò ingenti Normannorum exercitu conflato, rem strenuè egit, plurimis in Campaniâ oppidis expugnatis; adeò securus victoriæ, ut Henrico absolutionem supliciter postulanti superbè dene- 1099.

SÆC. XI. ab An. M. denegaret. Obiit anno 1118. die xviii. Januarii. Extant *Epistolæ* cvii. & *Fragmenta* plura Decretorum Conciliis Tom. X. pag. 622. aliæ *Epistolæ* vi. apud Baluzium Miscellan. Tom. 2. *Epistola* ad Norigaudum Episcopum Augustodunensem apud eund. in Append. ad Reginonem p.651. SÆC. XI. ab An. M.

SÆC. XI.

Concilia hoc Sæculo habita.

1005. P. II. TREMONIENSE in Villâ Imperiali in Westphaliâ, anno MV. Non. *Jul.* celebratum In quo, monente Henrico Imp. Canones ad reformandam Ecclesiam conditi sunt. Acta Synodi perierunt. Interim vide quæ refert *Ditmar.* lib. vii. pag. 134. qui *Magnam Synodum* vocat.

1006. P. II. FRANCOFORDIENSE anno mvi. habitum. In quo inter alia, petente id Henrico Imp. Ecclesia Bambergensis in Sedem Episcopalem erecta est, & Eberhardus Cancellarius primus Episcopus ordinatur. Extant hujus Synodi Acta *Conc.* Tom. ix. p. 783. Vide Ditmarum, qui huic Synodo interfuit, lib. vi. p. 139. Ubi humilem Imperatoris ad Synodum orationem recenset.

1008. P. II. KALENSE in Palatio Regio (quod nunc Monialium ordinis S. Benedicti sedes est, quatuor ab urbe Parisiensi leucis) anno mviii. præsente Roberto Francorum Rege celebratum. In quo inter alia, ad sublevandas Monasterii S. Dionysii necessitates, Privilegia quædam ei concessa sunt. Extat Roberti Regis hâc de re *Præceptum*, Episcoporum subscriptionibus munitum *Conc.* Tom. ix. pag. 787.

1009. P. II. ÆNHAMENSE ann. circiter mix. (neque enim tempus certò definiri queat) ab Ælfeago Cantuar. & Wulstano Eboracensi, & universis penè Angliæ Episcopis & Optimatibus, die S. Pentecostes celebratum. In quo multa ad Christianam Religionem & Ecclesiæ Politiam promovendam, nonnulla ad salutem Regis, defensionémque Regni & Reipublicæ statuuntur. Extant Saxonicè & Latinè *Canones* xxxii. qui in Codice Saxonico, *Sapientum Decreta* appellantur; subjunctâ etiam priscâ versione Latinâ apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. p. 510. Exindè Lat. *Conc.* Tom. ix. p. 789.

1011. P. II. BAMBERGENSE in Franconiâ, ad Mœnum. fl. anno MXI. præsente Henrico Rege à plusquàm *XXX.* Episcopis, occasione dedicationis Ecclesiæ à Joanne Aquileiæ Patriarchâ peractæ, habitum. In quo discordiæ quædam inter Episcopos compositæ sunt, & Gebehardus Ratisponensis, & Theodoricus Metensis ob res malè gestas arguuntur. Interfuit Ditmarus, qui de hac Synodo agit lib. vi. p. 157.

1012. P. II. LEGIONENSE I. apud Hispanos, anno MXII. sub Alphonso V. Rege in Ecclesiâ S. Mariæ habitum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ Canones vii. Conc. Tom. ix. pag. 817. Verùm præter hos, XLVIII. hujus Concilii Decreta, ad bonum regni spectantia, hactenùs inedita ex variis Codicibus MSS. protulit Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* T. III. ad an. MXII. p. 190.

1012. P. II. HABAMENSE circa annum MXII. sub Æthelredo Rege habitum. Quo disciplinæ Ecclesiasticæ capitula vii. constituta sunt. Extant apud *Spelm.* Tom. i. p. 530. exindè *Conc.* Tom. ix. p. 807. Memorat loco citato ex Jornallensi Spelmannus quatuor Legum Æthelredi partes diversis temporibus & Conciliis editas; tres verò priores non recenset, utpotè nihil in rem Ecclesiæ conferentes. Leges Æthelredi Regis, sed omnes forenses, in Sapientum Concilio Woodstochi promulgatæ, habentur Saxonicè & Latinè apud Lambard. *Archaionom.* p. 88.

1014. P. II. RAVENNATENSE anno mxiv. ab Arnoldo Ravennate & diversarum Provinciarum Episcopis habitum, adversùs ea quæ Adalberti Archiepiscopi tempore perperàm gesta sunt: in quibus erant multæ malæ & illicitæ ordinationes, atque promotiones sacrorum ordinum; dedicationes Ecclesiarum, Monasteriorum, Plebium, & Capellarum invasiones, aliaque mala non pauca. Extant Acta *Conc.* T. ix. p. 833.

1015. P. II. ROMANUM I. anno MXV. habitum. In quo Fructuariensis Cœnobii Privilegium editum est. Extat *Privilegium* apud Ughel. *Ital. Sacr.* Tom. II. p. 990. & *Conc.* T. ix. p. 814.

1017. P. II. AURELIANENSE ann. MXVII. coactum. In quo Lisoius in monasterio S. Crucis Clericus primarius, & Heribertus in Ecclesia S. Petri cognomento *Puellaris*, Scholæ præpositus, aliique qui novas de SS. Trinitate aliisque fidei Christianæ capitibus, hæreses spectabant, damnati, & Roberti Regis jussu flammis exusti sunt. Hæreses quarum accusabantur, hac erat summa; deliramentum esse quicquid in Veteri ac Novo Canone de trinâ unâque Deitate (ipsorum verbis utor) beata confirmat auctoritas; cœlum pariter ac terram prout conspiciuntur, absque auctore initii semper extitisse; nec flagitia æternis suppliciis ulciscenda, nec opera pietatis & justitiæ æternis gaudiis esse remuneranda. Addit vetus auctor Commentarii quem edidit Dacherius *Spicileg.* Tom. II. hæc eos etiam docuisse; Christum de Virgine Mariâ non esse natum, neque pro hominibus passum, nec in sepulchro verè positum, nec à mortuis resurrexisse; in baptismo nullam esse sceleris ablutionem, neque sacramentum Corporis & Sanguinis Christi in consecratione Sacerdotis; & siqua insana sunt Fanaticorum deliria. Integram historiam refert Glaber Rodulfus lib. III. *Hist.* cap. 8. auctor Commentarii, quem *Aganonem* vocant, à Dacherio editus, *Spicileg.* Tom. II. & exindè *Conc.* Tom. ix. p. 836.

1020. P. II. AIRIACENSE in pago Autissiodorensi, anno MXX. præsente Roberto Francorum Rege, à Leotherico Archiepiscopo ad reintegrandam in Burgundiâ pacem, celebratum. Vide *Conc.* Tom. ix. pag. 836. Aderant innumeræ utriusque sexus & ætatis multitudines, ad quorum animos ad majorem

Digitized by Google

majorem devotionem accendendos plurima Sanctorum corpora à fidelibus advehi cœperunt: multa in hâc Synodo ad utilitatem Ecclesiarum disposita sunt.

1020. P. II. TICINENSE forsan circa annum MXX. certè Benedicti VIII. tempore; neque enim ulla alia temporis nota reperiri potest, habitum. In quo de continentiâ & moribus præcipuè Clericorum actum est. Extant *Capitula* VII. & Imperatoris de iisdem *Constitutiones*, præmissâ prolixâ Benedicti præfatione *Conc.* T. IX. p. 819.

1021. P. II. WINTONIENSE I. anno MXXI. sub Canuto Rege habitum. Sed politicus potiùs quàm Ecclesiasticus conventus, adeòque in ipso MS. *Parliamentum* disertè dicitur. In quo nihilominùs inter alia decretum est, ut Monasterium S. Edmundi de Burgo ab omni jurisdictione Episcopali liberum sit. Vide quæ hâc de re congessit Spelmannus noster, ejusque de hâc Synodo notam *Conc. Brit.* Tom. I. p. 534. & quæ exindè habent Conciliorum Editores Tom. IX. p. 483. Immunitates istæ posteà ab Hardicanuto Rege, Canuti filio, in alio Concilio circa ann. MXL. vel MXLI. habito, cui Archiepiscopi Cantuariensis & Eboracensis cæterique suffraganei interfuerunt, confirmantur. Videsis Spelmannum ibid. p. 570. Notandum, quod semel observavisse sufficiat, Canutum non in hâc modò Synodo, sed & aliàs, tempore licèt incerto, plurima in rem Ecclesiæ statuisse; quippè cujus quamplures Leges Ecclesiasticæ, justitiæ & pietatis plenæ, ingenti planè numero in Sapientum Concilio, Wintoniæ in Natalitiis Domini habito promulgatæ, Saxonicè & Latinè primò à Lambardo nostro editæ sunt *Archaionum* p. 97.

1022. P. II. SALEGUNSTADIENSE ad Mœnum, non longè à Francofurto, anno MXXII. celebratum. Extant de moribus & disciplina Ecclesiæ *Capitula* XX. In quibus nimius Missarum & Indulgentiarum usus coercetur *Conc.* Tom. IX. pag. 844. Subjicitur *Appendix* de Synodi habendæ formulâ, ibidem pag. 848.

1022. P. II. LEYRENSE apud Monasterium S. Salvatoris in Regno Navarræ sub Sanctio majori Rege, XI. Cal. *Maii* anno MXXII. coactum: quo privilegia à se & prædecessoribus suis huic Monasterio concessa Sanctius confirmavit, & sedes Episcopalis, quæ jam penès hoc Monasterium erat ad antiquam Ecclesiam Pampilonensem transfertur. Quod & in Synodo Pampilonensi anno sequenti factum est. Vide quæ ex Hispanis Historicis referuntur *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 193.

1022. P. II. AQUISGRANENSE anno MXXII. In quo controversia inter Piligrinum Coloniensem & Durandum Leodicensem, de subjectione Monasterii Burcitani dirimitur. Vide *Conc.* Tom. IX. p. 853.

1023. P. II. PAMPILONENSE in Regno Navarræ, iii. Cal. *Octobris* anno MXXIII. à VII. Episcopis, præsidente Pontio Archiepiscopo Overensi celebratum: quo Episcopatus Pampilonensis, qui hactenùs ob incommoda quædam, Barbarorum scilicet metum, in Leyrensi Cænobio sedem suam habuerat, Ecclesiæ S. Mariæ Pampilonensis restitutus est. Extat Sanctii Regis hâc de re *Decretum*, Episcoporum aliorumque subscriptionibus munitum, unà cum Card. d'Aguirre notis *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 195. Ad annum MXXII. hanc Synodum referunt Baronius ad istum annum, & Conciliorum Editores Tom. IX. p. 935.

MOGUNTINUM I. anno MXXIII. habitum. In quo multa collapsa, restituta sunt, & Otto Comes ab Hanistein ad meliorem frugem reductus est. Vide *Conc.* T. IX. p. 854. & quæ ibi ex *Vitâ S.* Gothardi notata sunt. 1023. P. II.

ANSANUM I. in Villâ, non longè à Saonâ fluvio, quatuor à Lugduno leucis, in Ecclesia S. Romani à pluribus Archiepiscopis & Episcopis anno MXXV. habitum. In quo post longam disceptationem judicatum est non licuisse Archiepiscopo Viennensi sine permissu Episcopi Matisconensis Monachos apud Cluniacum ordinare. Extant *Acta Conc.* Tom. IX. p. 859. Binas Synodos, sed nullius ferè momenti, subjiciunt Conciliorum Editores, nempè Moguntinam anno MXXVIII. Karrofensem alteram eodem anno, quâ Manichæorum hæresis condemnata est. 1025. P. II.

HELENENSE in prato Tulugiensi Comitatus Rossilionis anno circiter MXXVII. sub Oliba Episcopo Ausonensi, vices Berengarii Helenensis Episcopi tunc temporis agente, habitum. In quo *de treugâ* (ut barbarè loqui amant horum temporum Scriptores) & pace actum est, atque alia quæ ad disciplinam Ecclesiasticam spectant, instaurata. Acta & Canones numero X. primus in lucem protulit Steph. Baluzius ad lib. IV. *de Concordiâ* c. 14. p. 251. Exindè in Concil. T. IX. in *Append.* p. 1249. translata, & in *Conc. Hisp.* T. III. p. 197. 1027. P. II.

LEMOVICENSE I. ad Vigennam Fl. anno MXXIX. habitum. In quo declaratum est S. Martialem, Sedis Lemovicensis conditorem, Episcopum *Apostolicum* esse nominandum. Vide *Conc.* Tom. IX. p. 860. 1029. P. II.

BITURICENSE in Aquitaniâ anno MXXXI. Cal. *Novembr.* ab Aimone Bituricensi cæterisque Aquitaniæ Episcopis celebratum. In quo de Martialis Lemovicensis Apostolatu, aliisque negotiis Ecclesiasticis agitur. Extant *Canones* XXV. Concil. Tom. IX. p. 864. 1031. P. II.

LEMOVICENSE II. anno MXXXI. XVIII. *Novembr.* congregatum. In quo etiam de S. Martialis Apostolatu, & multis ad disciplinam Ecclesiasticam spectantibus actum est. Extant integra hujus Synodi Acta prolixa admodùm, binis Sessionibus absoluta, paucis in fine desideratis, *Conc.* Tom. IX. pag. 869. 1031. P. II.

TRIBURIENSE prope Moguntiam anno MXXXI. habitum. In quo quæstio de Jejunio primi mensis ventilata est, decretumque ut siquando Jejunium primi mensis, in eâ hebdomadâ quâ constat caput Jejunii, sicut solet, eveniret, amborum Jejuniorum celebritas unâ officii expletione compleretur. Vide *Conc.* Tom. IX. p. 913. 1031. P. II.

PICTAVIENSE I. anno MXXXII. ab Isemberto Pictaviensi, pluribusque Episcopis, Abbatibus, Monachis &c. coactum. In quo de Fide Catholicâ, & de Rebus Ecclesiasticis per vim & fraudem ablatis agitur. Agit de hâc Synodo Chronicon Malleacense, & ex eo Conciliorum Editores Tom. IX. p. 914. Plures conventus Ecclesiasticos in Galliâ circa hæc tempora habitos, sed nullius ferè momenti memorant *ibid.* p. 937. &c. 1032. P. II.

LANDAVENSE I. circa an. MXXXIV. à Josepho 1034. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. pho Episcopo Landavensi habitum. In quo Mouric Rex Gualatmoricant ob violatum Refugium SS. Dubricii &c. anathematizatur. Acta ex MS. codice Ecclesiæ Landavensis eruit Spelmannus *Conc. Brit.* Tom. I. p. 570.

1042. P. *II.* CÆSENATENSE in Flaminiâ ad Sapim Fl. anno MXLII. habitum. In quo Joannes Episcopus Clericorum in commune viventium societatem instituit, iisque alendis Patrimonium assignat. Extat *Charta* Fundationis apud Ughel. Tom. II. & *Conc.* Tom. IX. p. 941.

1044. P. *II.* CONSTANTIENSE I. anno MXLIV. habitum. In quo Henricus Rex pacem diu desideratam omnibus Regni sui provinciis confirmavit, teste Mariano Scoto ad ann. MXLIV.

1046. P. *II.* SUTRINUM I. prope Romam, anno MXLVI. præsente Henrico celebratum. In quo Gregorius VI. *Gratianus* dictus, Pontificatu cedere coactus est. Agit de hâc Synodo Hermannus Contractus, & ex eo Conciliorum Editores Tom. IX. pag. 943. Confer Baron. ad ann. MXLVI. num. XII.

1046. P. *II.* ROMANUM II. anno MXLVI. à Clemente II. Papâ celebratum. In quo statutum est ut Ravennati Episcopo secundus à Pontifice Romano locus in Conciliis, absente Imperatore, tribuatur. Extat Clementis *Epistola Synadalis* apud Ughel. *Ital. Sacr.* Tom. II. p. 360. & *Conc.* Tom. IX. in *Append.* p. 1251.

1047. P. *II.* ROMANUM III. anno MXLVII. sub Clemente II. ad reformandum Ecclesiæ statutum, præcipuè contra Simoniacos, habitum. Sancitum est, ut quicunque à Simoniaco consecratus esset, nescius illum esse Simoniacum, quadraginta dierum pœnitentiam ageret, & sic in accepti ordinis officio ministraret. Hujus Synodi mentionem facit Petrus Damiani Epist. ad Hen. Ravennat. inter Opusc. ejus num. VI. c. 35. Tom. III.

1049. P. *II.* ROMANUM IV. anno MXLIX. sub Leone IX. habitum. In quo superioris Synodi Romanæ adversus Simoniacos Decretum confirmatur. Statutum etiam, omnes Clericos ab hæreticis redeuntes ordines quidem receptos retinere, ad altiores autem gradus non esse promovendos. Vide Herman. Contract. ad annum MXLIX. & Petr. Damian. Epist. suprà citat.

1049. P. *II.* RHEMENSE I. anno MXLIX. à Leone. IX. Papâ præsente, plurimisque Episcopis celebratum. In quo multa ad morum & disciplinæ reformationem sancita sunt, ignavi Episcopi arguuntur, novi in Galliâ hæretici damnantur. Extant Acta integra unà cum iis quæ tum antecesserunt, tum sequuta sunt, & *Canones* XII. *Conc.* Tom. IX. p. 1028.

1049. P. *II.* MOGUNTINUM II. ann. circiter MXLIX. à XLII. Episcopis celebratum. In quo, inter alia, Simonia & conjugia Clericorum damnata sunt. Vide quæ de hâc Synodo, ex variis Germaniæ Historicis Hermanno, Adamo Bremensi, & Lamberto Schaffnab. congerunt Conciliorum Editores Tom. IX. p. 1046.

1050. P. *II.* ROTHOMAGENSE I. anno ML. à Malgerio Archiepiscopo, Hugone Ebroicensi, & Roberto Constantiensi habitum. Ad disciplinam Ecclesiasticam spectant qui conditi sunt *Canones* XIX. Habentur unà cum Epistolâ Synodicâ *Conc.* Tom. IX. p. 1047.

ROMANUM V. anno ML. à Leone IX. Papâ SÆC. XI. ab An. M.
celebratum. In quo Berengarius propter dogma Eucharisticum damnatus est. Lanfrancus, qui interfuit, causam suam dixit, pravique rumoris maculam, quam ei inusserant adversarii, abstersit, fidem suam exposuit, expositam sacris testimoniis & argumentis confirmavit, unde mox ab omnibus absolutionis sententiam retulit. De hâc Synodo præcipuè agit ipse Lanfrancus in Opere *contra Berengarium*; cujus verba proferunt Conciliorum Editores Tom. IX. pag. 1052. Præmittitur huic Synodo Anonymi cujusdam hujus ferè temporis, scriptoris Opusculum *de Berengarii Hæresiarchæ damnatione multiplici.* Subjicitur Berengarii ad Lanfrancum *Epistola.* 105. P. *II.*

BRIONENSE in Normanniâ, ann. ML. concurrente non levi Episcoporum, aliorumque eruditorum numero, habitum. In quo, præsente ipsomet Berengario, doctrina ejus ventilata, excussa, & refutata est. Agit de hoc Conventu potiùs quàm Synodo Durandus Troarnensis lib. *de Corp. & Sang. Christi.* Vide *Conc.* Tom. IX. p. 1054. Confer quæ ibidem notavit Gabr. Cossartius. 1050. P. *II.*

VERCELLENSE Cal. *Septembr.* anno ML. aliis MLIII. præsidente Pontifice celebratum. In quo Joannis Scoti de Eucharistia liber, & doctrina Berengariana damnantur, teste Lanfranco qui & ipse interfuit lib. *advers. Berengar.* quem suprà citavimus. Subjiciuntur huic Synodo Ascellini & Berengarii literæ mutuæ post Vercel. Concil. datæ *Conc.* Tom. IX. p. 1056. de tempore hujus Synodi agit Cossartius Not. ad hoc Concilium, 1050. P. *II.*

PARISIENSE I. anno ML. XVII. Cal. *Novemb.* præsente Henrico Rege habitum. In quo Berengarius iterùm damnatus est. Meminit Durandus Troarnensis lib. suprà citato. Durandi Leodicensis ad Henricum Regem, & Berengarii ad Ricardum Epistolæ exhibentur *Conc.* Tom. IX. p. 1061 Consulas quæ de hâc Synodo Gabr. Cossartius ibid. notavit p. 1060. 1050. P. *II.*

COYACENSE (quod Diœcesis Ovetensis in Hispaniâ Castrum erat) sub Ferdinando I. pro reformandis moribus Ecclesiæ, anno ML. à IX. Episcopis celebratum. Extant hanc in rem Capitula XIII. *Conc.* Tom. IX. pag. 106. V. priora Decreta eodem sermone veteri Hispanico, quo concepta & expressa fuerunt à Ferdinando Rege & Episcopis, exhibet Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 212. qui & ipsos Canones ad exemplar MS. Toletanum recognitos edidit *ibid.* p. 209. 1050. P. *II.*

ROMANUM VI. anno MLI. à Leone IX. habitum. In quo Gregorius Episcopus Vercellensis adulterii accusatus & depositus, déque iis qui à Simoniacis ordinati fuerant, actum est. Vide Concil. Tom. IX. pag. 1066. Anno superiori Concilium apud Sipontum habuit Leo Pontifex, quo duos Archiepiscopos deposuit, quod pretio & mercede officium suum essent assequuti. Hæc ex Wiberto notant Conciliorum Editores, *ibidem* pag. 1066. 1051. P. *II.*

LEMOVICENSE III. anno MLII. habitum. In quo Isterius in Episcopum Lemovicensem electus, à Metropolitano & Suffraganeis ordinatur. Extat *Epistola Synodalis* Conc. Tom. IX. p. 1068. 1052. P. *II.*

SANDIONYSIANUM anno MLIII. à multis Episcopis & magnâ Procerum frequentiâ celebratum. In quo S. Dionysii reliquiæ detectæ & recognitæ 1053. P. *II.*

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. gnitæ sunt. Historiam refert Rigordus in *Vita* Philippi Aug. apud du Chesne *Hist. Franc.* Tom. V. p. 18. Vide Conc. Tom. IX. p. 1069.

1053. P. II. ROMANUM VII. anno MLIII. habitum. In quo Gerardus Leucorum Episcopus in Sanctorum numerum refertur; & Aquileiensis & Foro-Juliensis diœceseon limites statuuntur. Vide Herman. Contract. ad hunc annum p. 335.

1054. P. II. NARBONENSE I. à Gaufrido Archiepiscopo & X. Episcopis VIII. Cal. *Septembr.* anno MLIV. habitum. In quo ad pacem firmandam, & corrigendum Ecclesiæ statum sancita sunt *Capitula* XXIX. Habentur *Conc.* Tom. IX p. 1072. à Steph. Baluzio in P. de Marcâ opere *de Concord. Sacerd. & Imp.* prius edita, lib. IV. c. 14. p. 252.

1054. P. II. MOGUNTINUM III. anno MLIV. habitum. In quo Gebehardus Eistetensium Episcopus in Pontificem electus Romam mittitur, ibique ordinatus *Victoris* II. nomen accepit. Vide Append. ad Herman. Contract. ad an. MLIV p. 336.

1055. P. II. FLORENTINUM I. à Victore II. Papâ, præsente etiam Henrico Imperatore an. MLV. contra alienatores rerum Ecclesiasticarum celebratum, qui sub Anathematis pœnâ damnati sunt. Vide *Concil.* Tom. IX. pag. 1079. & Petri Damiani lib. IV. Epist. XII. p. 356. qui *plenarium Concilium* vocat.

1055. P. II. LUGDUNENSE I. anno MLV. ab Hildebrando Pontificis Legato, adversus Simoniacos habitum. In quo Archiepiscopus quidam Simoniæ miraculosè convictus esse dicitur. Vide Baron. ad an. MLV. & quæ aliunde notantur Concil. Tom. IX. p. 1080.

1055. P. II. TURONENSE I. anno MLV. præsente Hildebrando Pontificis Legato habitum. In quo Berengarius, damnatâ suâ de Eucharistiâ sententiâ, Ecclesiæ Catholicæ, seu veriùs Romanæ, fidem professus est. Vide quæ ex Guitmundo & Lanfranco huc referunt Conciliorum Editores *Conc.* IX. pag. 1081.

1056. P. II. COLONIENSE anno MLVI. habitum. In quo, mediante Victore Papâ (cui Henricus Imperator moriens filium suum commendaverat) Balduinus & Godefridus Flandriæ Comites cum Henrico Rege adhuc puero reconciliati sunt. Vide *Conc.* Tom. IX. p. 1082.

1056. P. II. NARBONENSE II. apud S. Ægidium anno MLVI. habitum. In quo nonnulla de Ecclesiarum & Monasteriorum libertate statuta sunt Extant *Decreta* III. Conc. Tom. IX. pag. 1082. quæ ex Archivo Archiepiscopi Narbonensis deprompsit Cl. Baluzius in *Concord. Sacerd. & Imperii*, lib. IV. c. 14. p. 254.

1056. P. II. LANDAVENSE II. anno MLVI. sub Hergualdo Episcopo habitum. In quo familia Regis, ob vim medico cuidam Episcopi nepoti illatam, excommunicatur. Acta ex Archivis Ecclesiæ Landavensis dedit Spelmannus *Conc. Brit.* Tom. I. pag. 625. & exinde *Conc.* Tom. IX. pag 1083.

1056. P. II. TOLOSANUM I. anno MLVI. ab *XVIII.* Episcopis, contra Simoniam, aliaque & Populi vitia, celebratum. Extant hanc in rem *Canones* XIII. Conc. Tom. IX. pag. 1084. Berengarii Vice-Comitis Narbonensis, adversus Guifredum Archiepiscopum Narbonensem *querimonia* huic Synodo oblata, habetur *ibid.* in *Append.* pag. 1254. à Baluzio primùm in lucem prolata *Conc. Gal. Narbon.* p. 8. SÆC. XI. ab An. M.

COMPOSTELLANUM ann. MLVI. à Crescenio Archiepiscopo ad disciplinam Ecclesiasticam reformandam celebratum. Quo fine conditi *de Canonicorum*, *Abbatum*, *Presbyterorum*, *Diaconorum*, *Subdiaconorum*, *Sanctimonialium vitâ*, aliisque *Canones* VI. Hos primus extulit Tamaius Salazar in *Martyrol. Hisp. Mart.* X. qui hanc Synodum ad ann. MXXXI. refert, ubi etiam eos exhibet Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 199. Posteà verò meliora doctus, sententiam de tempore mutavit, & ad annum MLVI. cum Baronio retulit. De quo pluribus disputat *ibid.* pag. 218. ubi hos Canones ex Cod. MS. emendatos iterùm exhibet. 1056. P. II.

ROMANUM VIII. anno MLVII. XIV. Cal. *Maii* à Victore II. Papâ in Basilicâ Constantianâ habitum. In quo Marsorum Episcopatus, in duos olim divisus, in antiquum statum, sublatâ illâ divisione, iterùm reformatus est. Vide *Conc.* Tom. IX. pagin. 1087. Hæc nos docet Stephani IX. Papæ Epistola ad Pandulphum Episcopum Marsicanum, quæ habetur ibid. pag. 1089. 1057. P. II.

SUTRINUM II. anno MLIX. habitum. Quo Benedictus Pseudo-Papa, cognomento *Mincius*, depositus, omnique Sacerdotali officio privatus est. Vide *Conc.* Tom. IX. p. 1098. 1059. P. II.

ROMANUM IX. an. MLIX. à Nicolao II. Papâ & *CXIII.* Episcopis celebratum. In quo Berengarius, abnegatâ suâ sententiâ, Ecclesiæ Romanæ doctrinam iterùm amplexus est, fidemque suam juramento firmavit: plura etiam de Romani Pontificis electione, de Simoniacis, aliisque disciplinæ capitibus, decreta sunt. Extant *Capitula* XIII. aliaque collectanea, & in his, juramenti Berengariani *formula* cum notis Binii Conc. Tom. IX. pag. 1099. Episcoporum hujus Synodi subscriptiones ex codice Vaticano 1984. habentur *ibid.* in *Append* p. 1259. 1059. P. II.

TURONENSE II. anno MLX. Cal. *Martias*, à Stephano Pontificis Legato, & *X.* Episcopis habitum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* X. in quibus præcipuè adversus Simoniacas conventiones cautum est, Conc. Tom. IX. p. 1108. 1060. P. II.

JACCITANUM in Aragonia ad radices Pyrenæorum, à *IX.* Episcopis præsidente Austindo Archiepiscopo Auxiano anno MLX. vel juxta Card. d'Aguirrium MLXIII. habitum. In quo, abrogato Gothico precandi ritu, Romanus introducitur, & Sedes Episcopalis ab Osca ad Jaccam translata est. Hæc ex Hieronymo Suritâ referunt Conciliorum Editores Tom. IX. pag. 1111. Extat Canon unicus, nempè *ut causæ Clericorum soli Episcopo & Archidiaconis discutiendæ relinquantur*, apud Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 229. 1060. P. II.

BASILIENSE anno MLXI. à Longobardiæ præcipuè Episcopis habitum. In quo decretum est Pontificem Romanum non aliundè quàm ex Longobardia (quam *Paradisum Italiæ* appellabant) eligendum esse. Vide quæ ex Petro Damiano habent Conciliorum Editores Tom. IX. pag. 1155. 1061. P. II.

OSBORIENSE alicubi in Germania, anno MLXII. 1062. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XI ab An. M. MLXII. in festo SS. Simonis & Judæ, auctoritate S. Annonis Archiepiscopi Coloniensis, præsente Henrico Rege, celebratum. In quo post longam disputationem Cadalous Pseudo-Papa communi suffragio condemnatur, & Alexandri Electio confirmatur. Extat prolixa illa *disputatio* Synodalis inter Regis advocatum & Romanæ Ecclesiæ defensorem *Conc.* Tom. IX. p. 1156.

1062. P. II. PINNATENSE in Aragonia, in Monasterio apud S. Joannem Rapensem, anno MLXII. vii. Cal. *Jul.* de disciplina & ordine Ecclesiastico habitum. Extant Acta apud Hieron. Blancam *in Comment. Rerum Aragonensium*, & exinde notis Cossartii illustrata *Conc.* Tom. IX. p. 1173. & apud Aguirrium *Notit.* pag. 209. & cum notis Variorum *Conc. Hisp.* Tom. III. pag. 226.

1063. P. II. ROMANUM X. anno MLXIII. à centum & ampliùs Episcopis sub Alexandro II. Papa celebratum. In quo occasione Petri Episcopi Florentini, hæresis & Simoniæ accusati, adversùs Simoniacos agitur. Extant hanc in rem *Capitula* XII. Conc. Tom. IX. p. 1173.

1063. P. II. CABILONENSE I. anno MLXIII. præsente Petro Damiano, Pontificis Legato, & *XIII.* Episcopis, adversùs Drogonem Matisconensem, qui privilegia Cluniacensia violaverat, habitum. Extant Acta ex Cluniacensis Cœnobii tabulis compendio desumpta *Conc.* Tom. IX. p. 1177.

1064. P. II. MANTUANUM anno MLXIV. habitum. In quo Cadalous Pseudo-Papa iterùm damnatus est, & Alexander ab objecto Simoniæ crimine purgatur. Quæ hâc de re referunt Historici, Nicolaus Aragonius, Sigebertus, Otto Frisingensis, vide Conc. Tom. IX. p. 1179.

1064. P. II. BARCINONENSE ann. MLXIV. præsente Hugone Pontificis Legato, congregatum. In quo, Legibus Gothicis abrogatis, quibus Catalauni utebantur, novæ introductæ sunt, Hispanis nihilominùs ritum precandi Gothicum abolere recusantibus. Vide Conc. Tom. XI. pag. 1180. & *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 232.

1065. P. II. TULUGIENSE, aliis HELENENSE, in Tulugiensi prato Comitatus Rossilionis haud procul à Perpiniano in diœcesi Helenensi sub Guifredo Archiepiscopo Narbonensi, à pluribus Episcopis & Magnatibus circa annum MLXV. celebratum. In quo ad treugam & pacem firmandam nonnulla de Clericorum libertatibus, Ecclesiarum immunitate & privilegiis, aliisque statuuntur. Extant Acta & *Capitula* XIII. quæ ex Tabulario Regio Barcinonensi primus eruit Stephanus Baluzius ad l. IV. *de Concordiâ* cap. 14. pag. 250. Hinc deprompserunt Conciliorum Editores Tom. IX. pag. 1184. & Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. pag. 233. de tempore differit Gabr. Cossartius loc. citat. pag. 1186. Certè non levem hâc in parte litem movet Cl. Baluzius, cui non pauca sunt, quæ Concilii nostri tempus dubium reddere videntur. Argumenta utrinque expendit, nec tamen sententiam definitivam proferre ausus est. Verùm hoc circiter tempore habitum fuisse maximè probabile est.

1065. P. II. ROMANUM XI. anno MLXV. sub Alexandro II. Papâ habitum. In quo nova *Incestuosorum* hæresis damnatur. Mota quippe erat à Jurisconsultis quibusdam quæstio, & acriter defensa de gradibus consanguinitatis, *sc.* quòd germani fratres vel sorores inter se sint in secundo gradu, filii eorum vel filiæ in quarto, nepotes vel neptes in sexto, ac proindè propinquitatis gradus eâdem ratione, quâ in successionibus numerandos esse. Et hanc *Incestuosorum* vocabant hæresim. Extat *Decretum* Synodale apud Gratianum, & *Conc.* Tom. IX. pag. 1181. Eodem anno habitâ alterâ ibidem Synodo eadem hæresis secundâ vice damnata est. *ibid.* p. 1182. SÆC. XI. ab An. M.

WESTMONASTERIENSE I. anno MLXVI. præsente Rege Edvvardo Confessore, à Stigando Cantuariensi, & Eldredo Eboracensi, cæterisque Episcopis, Comitibus &c. celebratum. In quo de Monasterii S. Petri dotatione, privilegiis, & Asylo actum est. Habentur hac de re variæ Regis & Pontificis Chartæ apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. pag. 628. & Conc. T. IX. pag. 1186. Extant Edvvardi Leges Ecclesiasticæ, incertum quo anno editæ, quas Gulielmus Conquæstor anno Regni sui quarto posteà confirmavit, apud Lambard. *Archaionum.* p. 138. Edit. Cantab. & Spelm. *Conc. Brit.* Tom. I. pag. 619. exinde *Conc.* Tom. IX. pag. 1020. 1066. P. II.

AUSONENSE in diœcesi Ausonensi circa annum MLXVIII. celebratum. In quo de pace & treuga, ut vocatur, actum est, & inter alia usus purgationis per judicium aquæ frigidæ confirmatur. Extant *Constitutiones* sive *Capitula* VI. *de immunitate Ecclesiæ*, *de Clericis*, *Monachis*, *Monialibus*, *& Viduis*, aliisque. Primus extulit Steph. Baluzius *Append.* ad P. de Marcâ *Marcam Hispan.* Exinde Card. d'Aguirre *Conc.* Hisp. Tom. III. pag. 239. 1068. P. II.

AUSCENSE in Novempopulaniâ ad Egercium fl. ann. MLXVIII. ab Hugone Candido Pontificis Legato celebratum. In quo inter alia decretum est, ut omnes Vasconiæ Ecclesiæ, exceptis Ecclesiis S. Orientii, quartam Decimarum partem Ecclesiis Cathedralibus persolverent. Extant Acta *Conc.* Tom. IX. pag. 1195. 1068. P. II.

TOLOSANUM II. præsidente Hugone Cardinale Pontificis Legato, anno MLXVIII. de Episcopatu Lectorensi in Monasterium converso, ex Monasterio in Sedem Episcopalem restaurando, habitum; quod & factum est. Aderant præter Abbates Episcopi *XI.* Extant Acta *Conc.* Tom. IX. pag. 1196. 1068. P. II.

MOGUNTINUM IV. anno MLXIX. auctoritate Sigefridi Episcopi Moguntini celebratum. In quo de causâ Henrici IV. Regis, Bertam conjugem, suam repudiare volentis actum est. Verùm repugnantibus Petro Damiano Pontificis Legato, cunctisque qui aderant Principibus, consilium Imperatoris irritum factum est, qui tamen posteà Bertam parùm benignè tractavit. Extat Sigefridi hac de re *Epistola* ad Alexandrum Papam II. *Conc.* Tom. IX. pag. 1200. Et si quoad Sigefridum ipsum rem planè aliter narret Lambertus Schafnaburg. in Chron. ad annum MLXIX. 1069. P. II.

ANSANUM II. anno MLXX. habitum. In quo Achardus Cabilonensis Episcopus Monasterium S. Laurentii Monasterio S. Martini in insula Barbarensi sito donat. Vide *Conc.* Tom. IX. pag. 1201. 1070. P. II.

WINTONIENSE II. præsente Rege & Pontificis Legato anno MLXX. celebratum. In quo Stigandus Archiepiscopus Cantuariensis, ob per- 1070. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. perjuria, homicidia, aliáque graviora crimina, deponitur. Rem fusiùs narrat Ord. Vitalis *Hist. Eccl.* lib. IV. pag. 516. & R. Hovedenus in suis Annalibus ad annum MLXX. fol. 259. pag. 2. ut alios mittam.

1070. P. II. WINDLESHORENSE anno MLXX. ab Hermenfredo Pontificis Legato, crastino Pentecostes habitum. In quo, in Anglia Normannis jam omnia tenentibus, Ageiricus Australium Saxonum Episcopus, nullâ quòd sciam objectâ culpâ, immò paulò post Marleburgi in custodiam datus, & Abbates aliquot depositi sunt. Vide R. Hovedenum, ut & Ordericum Vitalem locis suprà citatis.

1071. P. II. PEDREDANUM anno MLXXI. coram Willielmo I. à Lanfranco Cantuariensi, aliisque Episcopis, & Regni Primatibus celebratum. In quo dirempta est lis inter Wulstanum Wigorniensem & Thomam Eboracensem, qui Ecclesiam Wigorniensem, ejusque prædia & possessiones Sedi suæ subjicere voluit. Decretumque est Ecclesiam Wigorniensem ab omni usurpatione liberam esse, prout fundatores ejus ipsam reliquerant. Refert hæc Radulphus de Diceto *Abbrev. Chron.* ad ann. MLXXI. p. 483.

1071. P. II. MOGUNTINUM V. anno MLXXI. XVIII. Cal. *Septembr.* sub Sigefrido Archiepiscopo coactum. In quo Carolus Episcopus Constantiensis electus, Simoniæ & Sacrilegii à Clericis suis accusatus, non modò consecrationem obtinere non potuit, sed & depositus est. Extant hujus Synodi Acta à Lamberto Schaffnaburg. relata *Conc.* Tom. IX. pag. 1204. Ipsa verò Acta integra ibid. p. 1206.

1072. P. II. ANGLICANUM I. anno MLXXII. celebratum, Wintoniæ inchoatum, Windleshoriæ absolutum. In quo Sedis Cantuariensis Primatus per Eboracensem asseritur & confirmatur, & utriusque Archiepiscopatûs Jura statuuntur. Extant Synodi Acta, & variæ Lanfranci de hâc aliisque canonicis rebus Epistolæ *Conc.* Tom. IX. pag. 1211. Vide etiam Spelm. *Conc. Brit.* Tom II. pag. 5. qui Regis Willelmi I. *Attestationem* de primatu Cantuariensis Ecclesiæ, cum subscriptionibus Episcoporum & Abbatum, ex MS. cod. Cottoniano primus exhibuit.

1072. P. II. ROTHOMAGENSE II. ann. MLXXII. à Joanne Archiepiscopo, ejusque suffraganeis in Basilicâ B. Mariæ celebratum. In quo, factâ fidei Catholicæ de SS. Trinitate confessione, editi sunt disciplinæ Ecclesiæ *Canones* XXIV. nempè *de confectione & distributione S. Chrismatis, de jejuniis, de IV. jejuniorum temporibus* &c. Habentur apud Orderic. Vital. *Hist. Eccl.* lib. IV. pag. 529. Et *Conc.* Tom. IX. p. 1225.

1073. P. II. ERPHORDIENSE I. in Thuringiâ à Sigefrido Archiepiscopo Moguntino anno MLXXIII. VI. Idus *Martii* in causa Decimationum Thuringiæ habitum. Ubi omnia ferè in gratiam Henrici Regis, quo jure, quave injuria acta sunt. Causam utrinque dicebant Sophistæ undique acciti, ut Canones in ejusce rei gratiam interpretarentur. Quin non leves armatorum copias secum habuit Henricus, quibus eos, siqui fortè negotium interturbare conarentur, militari manu coerceret. Hæc nos docet Lamb. Schaffnaburgensis ad hunc ann. p. 486. Confer quæ notantur *Conc.* Tom. IX. pag. 1230. Ubi etiam Sigefridi Moguntini ad Alexandrum Papam & Hildebrandum Archidiaconum *Epistolæ* II. exhibentur.

CABILONENSE II. anno MLXXIII. habitum. Quid in eo præstitum sit, non liquet; quid verò post illud, de Hugonis Episcopi Diensis electione in locum Lancelini ob Simoniam depositi, factum sit, habes *Conc.* Tom. X. pag. 308. Confer *Append.* p. 1811. SÆC. XI. ab An. M. 1073. P. II.

ROTHOMAGENSE III. à Joanne Archiepiscopo in Basilicâ B. Mariæ anno MLXXIV. habitum. In quo post disputationem de fide S. & individuæ Trinitatis, ad Ecclesiæ disciplinam rectiùs ordinandam & meliùs custodiendam, editi sunt *Canones* XIV. qui habentur *Conc.* Tom. X. p. 310. Quibus aliarum quarundam Synodorum *Capitula* subjiciuntur. 1074. P. II.

ROMANUM XII. pro reformando Ecclesiæ statu, sub Gregorio VII. anno MLXXIV. in primâ hebdomadâ Quadragesimæ celebratum. In hâc Synodo repressi sunt Sacerdotes concubinarii; Hispaniarum Ecclesiis mandatum, ut Romanum ordinem atque officium recipiant. Guischardus Normannorum Princeps anathemati subjectus, ut alia prætercam. Extant *Capitula* XXIV. prolixa cum Gregorii Papæ *apologetico* super decreta in hâc Synodo contra Simoniacos & incontinentes Sacerdotes promulgata *Conc.* Tom. X. pag. 314. Anno sequenti, eodem loco, & de iisdem causis coacta est altera Synodus; de quâ vide ibid. p. 344. 1074. P. II.

ERPHORDIENSE II. ann. MLXXIV. mense *Octobri* ab Archiepiscopo Moguntino congregatum. In quo Romanæ Synodi Decretum contra Clericos concubinarios jussu Gregorii Papæ est promulgatum. Vide Greg. VII. *Epist.* IV. Lambert. Schaffnaburgensis, qui hoc tempore vixit, in Chron. pag. 5 6. hanc Synodum ad hunc annum disertè refert. Nec tacet quanto fervore & quàm animosâ obstinatione Romano huic decreto sese opposuerint ejusce temporis Clerici, his verbis. *Adversùs hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio Clericorum, hominem* (Gregorium VII.) *planè hæreticum, & vesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis Domini, quo ait*, Non omnes capiunt hoc verbum, qui potest capere, capiat: *Et Apostoli*; qui se non continet, nubat: meliùs est enim nubere quàm uri; *violentâ exactione homines vivere cogeret ritu angelorum, & dùm consuetum cursum naturæ negaret, fornicationi & immunditiæ fræna laxaret; quòd si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotium, quàm conjugium deserere; & tunc visurum eum cui homines sorderent, unde gubernandis per Ecclesiam* Dei *plebibus angelos comparaturus esset.* Archiepiscopus Moguntinus cùm se neque persuasionibus neque minis proficere videret, blandis verbis Clericorum animos frustrà emollire conatus est, & tandem solutâ Synodo rem distulit, postquàm sententiam Pontificis promulgâsset. 1074. P. II.

MOGUNTINUM VI. anno MLXXV. mense *Octobri* sub Sigefrido Archiepiscopo celebratum. Aderat inter alios Curiensis Episcopus, cui Papa sub interminatione gradus & ordinis sui in mandatis dederat, ut Presbyteros omnes, qui intra diœcesin essent, cogeret aut impræsentiarum conjugibus renunciare, aut se in perpetuum sacri altaris ministerio abdicare. Quod dùm præstare nititur, Clericorum & Verbis & manibus ita contusus est, ut vix vitâ salvâ è Synodo evaserit. Quare rei difficultate territus, nec ulteriùs promovere ausus, sententiæ executionem ipsi Papæ reli- 1075. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. reliquit. Testatur hæc Lamb. Schaffnaburgensis ad annum MLXXV. p. 515.

1075. P. II. ANGLICANUM II. anno MLXXV. vel hoc circiter tempore sub Lanfranco Cantuariensi habitum. Quo statutum est, Virgines & Matronas, quæ ad fugiendam Normannorum libidinem ad Monasteria se contulerant, velumque suscepe-rant, non teneri quin ad Sæculum, si velint, redire possint. Vide Eadmeri *Hist.* lib. III. p. 57. & *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 7. Anglicani etiam Concilii anno MLXXIV. quo S. Wulstanus injustè depositus est, ex ejus vitâ apud Surium meminerunt Conciliorum editores Tom. X. p. 344.

1075. P. II. LONDINENSE I. anno MLXXV. in Ecclesia S. Pauli, præsidente Lanfranco Cantuariensi, pro reformandis Ecclesiasticis constitutionibus & moribus Ecclesiæ coactum. Extant Actorum hujus Synodi Exemplaria tria, partim ex Malmesburiensi, partim ex vetustis codicibus MSS. prolata, apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. II. p. 7. & *Conc.* Tom. X. p. 346.

1076. P. II. WORMATIENSE anno MLXXVI. ab Episcopis Germaniæ qui ab Henrici IV. Imp. partibus stabant, collectum. Quo Gregorium VII. Pontificatu amovendum esse declarârunt. Extant Acta apud Lambert. Schaffnaburg. ad ann. MLXXVI. p. 524. & Hugon. Flaviniac. eodem anno. Confer etiam Conrard. Urspergens. in Chron. ad annum MLXXVI. p. 169.

1076. P. II. WINTONIENSE III. anno MLXXVI. (quod tamen *antiquitatum Britannicarum* auctor ad ann. MLXXIV. refert) sub Lanfranco Cantuariensi, de prohibendo Clericorum conjugio, & castitate servandâ habitum. Extant capitula plurima disciplinæ Ecclesiasticæ, in hac Synodo constituta, partim ex libro Saxonico VVigorniensi, partim ex MS. Cottoniano eruta, apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 12. & exindè *Conc.* Tom. X. p. 351. Est etiam Synodus Wintoniensis hoc quidem anno habita, quæ an eadem fuerit, an diversa, non constat. Mihi diversa planè videtur, cùm non pauca in eâ statuta esse memorentur, quæ frustrà in priori quæras, ut de causâ Ailrici Episcopi Cicestriensis, quæ canonicè in hac Synodo definita, & ad certum finem perducta est, nè de aliis dicam. Diversas planè Synodos, & diversis temporibus habitas, facit auctor *antiquitatum Britannicarum* in Vit. Lanfranc. pag. 112. 114. diversas itidem Spelmannus, verùm utramque in eundem reponit annum. Quæ in posteriori hâc Synodo acta sint, recensent dictæ *Antiquitates Britannicæ*, & ex iis Spelmannus loc. citat.

1076. P. II. ROMANUM XIII. anno MLXXVI. sub Gregorio VII. in Ecclesiâ Constantinianâ celebratum. In quo Henricus Imp. Sigefridus Moguntinus, Willielmus Trajectensis, & Robertus Bambergensis, Episcopi, Anathemati subjiciuntur, cæteris Episcopis ad causam Romæ dicendam die statuto citatis. Extant Acta *Conc. Tom.* X. p. 355.

1076. P. II. PAPIENSE anno MLXXVI. habitum. In quo Episcopi Henrico adhærentes Romanæ Synodi anathema in ipsum Pontificem retorquebant. Meminit Gulielmus Bibliothecar. in Vitâ *Gregorii Papæ* VII.

1077. P. II. WESTMONASTERIENSE II. an. MLXXVII. à plurimis Episcopis & Proceribus, ad causas cujuslibet Ecclesiæ audiendas & tractandas celebratum. Hujus Concilii, ex chartâ Wilielmi Regis meminit Spelmannus *Conc. Brit.* Tom. II. p. 14. qui etiam Radulphum de Diceto testem citat. SÆC. XI. ab An. M.

PICTAVIENSE II. anno MLXXVIII. ab Hugone Diensi Episcopo Pontificis Legato habitum. In quo multa ad disciplinam Ecclesiasticam spectantia statuta sunt. Extant *Canones* X. Conc. Tom. X. p. 367. Aliæ in Galliâ Synodi annis præcedentibus MLXXVI. MLXXVII. habitæ sunt; nempè Ansana, Claromontensis, Divionensis, Augustodunensis, sive Æduensis, obscuræ quidem & nullius nominis, quæ, si tanti sint, ex ipsis Actis peti possunt *ibid.* p. 359. 1078. P. II.

LONDINENSE II. anno MLXXVIII. adventûs Normannorum XI. à Lanfranco Cantuariensi habitum. In quo Sedes aliquot Episcopales, Bathoniensis, Lincolniensis, Sarisberiensis, Exoniensis, Cestriensis, atque Cicestriensis ex oppidulis in urbes translatæ sunt. Wulstanus etiam Wigorniensis Episcopus, à Lanfranco ob imperitiam, reverà quia Saxonici generis erat, notatus, & sede suâ penè privatus, miraculo se servâsse dicitur. In hoc etiam conventu, de Religione Christianâ conservandâ actum est. Sed ante omnia, mores Sacerdotum parùm puri, quàm proximè fieri potuit; ad priscorum Patrum regulam revocati sunt, estque illis in posterum rectè vivendi modus præscriptus. Disertè hæc refert ad hunc annum, qui unus penè hujus Synodi Acta recenset, Polyd. Virgilius *Hist.* lib. IX. p. 158. ut mirari liceat Spelmannum nostrum, Conciliorúmque editores, nescio quo errore ductos, eandem Synodum iisdem Polydori verbis tùm ad ann. MLXX. tùm ad hunc ipsum annum retulisse. Depositionis Wulstani, ejùsque Restitutionis per Lanfrancum in Synodo factæ meminit Bravonius Monachus Wigorniensis in *Vit. S. Wulstani* apud Sur. *Januar.* XIX. num. V. VI. Quod Surius quidem, nescio unde ductus, ad annum MLXXIV. refert; ac proindè diversum à nostro Concilium facit. Ex MS. cod. Cottoniano quinque Concilia sub Lanfranco habita; nempe Londinense, Wintoniensia II. Glocestriensia II. memorat Spelmannus *Conc. Brit.* Tom. II. p. 15. Quid verò in iis gestum sit nos non docet. 1078. P. II.

ROMANUM XIV. anno MLXXVIII. sub Gregorio VII. Papâ, & centum circiter Episcopis congregatum. In quo Guibertus Ravennas, Tedaldus Mediolanensis, aliique plures Henricianæ partis Episcopi excommunicati sunt. Extant hujus Synodi Acta *Conc.* T. X. p. 369. 1078. P. II.

ROMANUM XV. eodem anno, III. Cal. *Decemb.* sub Gregorio Papâ in Ecclesiâ Constantinianâ habitum. In quo Nicephorus Botoniates, qui, Michaele detruso, Imperium per vim sibi arripuerat, excommunicatur, Guibertus Ravennas deponitur, & multa contra Simoniacos, & Concubinarios, & Bonorum Ecclesiasticorum prædones decreta sunt. Extant Acta & *Capitula* XII. Conc. T. X. p. 371. Subjecta est Henrici Imperatoris ad Gregorium *Epistola*. 1078. P. II.

ROMANUM XVI. anno MLXXIX. mense *Februario* sub Gregorio VII. Papâ habitum. In quo Berengarius, postquàm sententiam de Eucharistiâ sæpiùs mutâsset, dogma suum sub solenni formulâ iterùm abnegavit, Brunone Astensi cum eo in arenam descendente. Extant Synodi Acta *Conc.* Tom. X. p. 378. 1079. P. II.

ARMORICUM [in] minori Britanniâ, anno MLXXIX. 1079. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. MLXXIX. præsente Legato Apostolico, ad proscribendas falsas pœnitentias, quibus peractis peccatores, uti mos erat, absolvi solebant, habitum. Vide Greg. VII. lib. VII. Epist. X.

1079. P. II. BURDIGALENSE præsente Amato Pontificis Legato, anno MLXXIX. vel sequenti, habitum. In quo Berengarius fidei suæ rationem reddidit, teste Chron. Malleacensi. Vide Conc. Tom. X. p. 381.

1080. P. II. ROMANUM XVII. anno MLXXX. sub Gregorio VII. Papâ celebratum. In quo Imperium Henrico abrogatum Rodulpho collatum est, eâ lege, nè deinceps Beneficiorum investituræ à Laicis conferantur, vel accipiantur, missâ etiam ad Rodulphum coronâ aureâ, solenni hoc versiculo inscriptâ.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.

Extant Acta & Constitutiones hujus Synodi *Conc.* Tom.X. p. 381. Vide *Append.* ibid. p.1830.Ubi Rodulphi & Procerum Imperii *Propositio* in hâc Synodo contra Henricum IV. Imp. exhibetur. Eodem anno habita est Synodus Wirtzeburgensis,cui præsederunt duo legati Pontificii in causâ Henrici Imper. Cùm verò res ad exitum perduci non poterat, statutum est in partibus Ultramontanis colloquium hâc de re fieri; quod, ut videtur, in hoc Romano Concilio factum est.

1080. P. II. MOGUNTINUM VII. anno MLXXX. habitum. In quo Episcopi Henriciani, ob Imperatorem excommunicatum, Gregorio Pontifici anathema dixerunt. Extant Acta ex Hugonis Flaviniacensis Chronico desumpta, & Archiepiscopi Saltzebergensis ad Hermannum Metensem *Epistola* Conc. Tom. X. p. 388.

1080. P. II. BRIXIENSE in Lombardiâ an. MLXXX. à XXX. Imperatoriæ partis Episcopis congregatum. Eadem est hæc cum priore Synodus, Moguntiâ hùc translata, aucto Episcoporum numero, in quâ Gregorius Papa deponitur, & Guibertus Ravennas in ejus locum suffectus est. Habentur hujus Concilii Acta apud Conrad. Urspergensem in Chron. ad hunc an. p. 171. Et exinde Conc. T. X. p. 389.

1080. P. II. LUGDUNENSE II. anno MLXXX. ab Hugone Diensi, Pontificis Legato habitum. In quo Manasses, qui Sedem Rhemensem invaserat, damnatus & depositus est. Vide Greg. VII. *Epist.* XVII. lib. VIII. & *Conc.* Tom. X. p. 389.

1080. P. II. BURGENSE apud Hispanos in Castellâ Veteri ad Arlanxam fl. à Richardo Abbate Massiliensi, Cardinale & Pontificis legato anno MLXXX. celebratum. In quo (referente Joan. Marianâ *) antiqui Canones in usum revocantur, prohibentur Sacerdotum conjugia, Romani Sacrorum Ritus & Divinorum Officiorum Ordo, ita volente Gregorio VII. Papâ, Hispaniarum Ecclesiis imperati sunt, Missali tamen Gothico seu Mozarabico,quod per tot sæcula apud Hispanos invaluerat, nondùm penitus abrogato. Officium illud à Leandro Hispalensi Archiepiscopo vel institutum vel auctum, & ab Isidoro fratre ejus ac successore ad umbilicum perductum esse dicitur, inde nunc huic nunc illi vulgò tributum. *Mozarabicum*, rectiùs *Mixt-arabicum* dictum, eò quòd Christiani, qui cum Arabibus mixti Hispaniam incolebant, illud communiter usurpârunt. In hâc verò Synodo primùm prohiberi cœpit, plenè aboleri non potuit. Quippè in plurimis Ecclesiis Cathedralibus, & Monasteriis ejus usus perduravit, & in quibusdam adhuc perdurat. Exeunte circiter Sæculo XV. Magnus ille literarum stator Franscisc. Ximenius † Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus hunc Ordinem longo temporis tractu depravatum instauravit, instituto Toleti tredecim Sacerdotum triúmque Ministrorum collegio, quos *Mozarabes Sodales* appellavit; quibusque id muneris demandavit, ut hoc ritu sacra quotidiè celebrarent, & ad eos sex Mozarabum Ecclesiarum Sacerdotia (in quibus ritus Mozarabicus constanter servatus fuerat) pertinere voluit; adhibitis viris peritissimis, Codices MSS. diligenter excussit, & Missale descriptum typis mandavit *Toleti* anno 1500. Cujus exemplaria rarissimè reperiuntur, adeoque sub hoc Concilio recudi fecit illustrissimus Cardinalis d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 258. utque majorem huic rei lucem affunderet, integra XIV. capita, quæ hac de re ex professo agunt, ex Hispanico latinè versa, ex Eugenii Roblesii libro Hispanico *de vitâ & gestis Card. Ximenii*, qui prodiit *Toleti* anno 1604. itemque ex Card. Bonæ *rer. Liturg.* lib. I. cap. II Diatribam *de Missâ Mozarabum* adjecit. De tempore hujus Synodi disputat G. Cossartius *Not.* ad Conc. Tom. X. in *Append.* p. 1816.

* De reb. Hispan. lib. IX. c. II. p. 471.

† Alv. Gomec. de reb. gest. Fr. Ximenii lib. II. p. 969. Vas. Chron. Hisp. ad annum DCCXVII. p. 698.

1080. P. II. JULIOBONENSE apud Caletes propè Sequanam in Diœcesi Rothomagensi, anno MLXXX. in festo Pentecostes sub Willielmo Anglorum Rege, ab Episcopis & Proceribus Normanniæ celebratum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *Canones* XIII. Conc. T. X. p. 391. Et apud Orderic. Vital. *Hist. Eccles.* lib. V. p. 552.

1080. P. II. LINGONENSE anno MLXXX. adversùs Laicorum investituras habitum. Vide *Conc.* Tom. X. pag. 397. Sed ut verum fatear, Concilium hoc nullâ certâ auctoritate nititur, adeòque locum & dignitatem suam ægrè sustinebit. Eodem anno in Synodo Santonensi Cœnobium Regulæ ad Garumnam fl. renitente Raymundo Episcopo Vasatensi, Floriacensibus Monachis abjudicatum est. Vide *Conc.* loco citato.

1081. P. II. ROMANUM XVIII. anno MLXXXI. sub Gregorio VII. Papâ habitum. In quo Henricus Imperator, illique adhærentes Episcopi iterùm excommunicati sunt. Vide *Conc.* Tom. X. p. 398.

1084. P. II. ROMANUM XIX. anno MLXXXIV. sub Gregorio VII. Papâ habitum. In quo Henricus Imp. & Guibertus Antipapa novo Anathemati subjiciuntur. Vide Bertholdum ad annum MLXXXIV. pag. 354. Anno superiori habita fuerat Romæ eadem de re Synodus, sed in quâ nihil ferè actum est. Vide Conc. Tom. X. p. 401.

1085. P. II. QUINTILINIBURGENSE in celebri Monasterio in Saxoniâ, propè Halberstadium, anno MLXXXV. præsente Pontificis Legato habitum. In quo Henricianorum (quam vocant) hæresis, eorum nempè qui pro Imperatorum juribus adversus Papales usurpationes strenuè contendebant, damnata est. Extant Acta, &, qui disciplinæ Ecclesiasticæ sunt, *Canones* VII. Conc. Tom. X. p. 404. omnia ex Bertholdo Constantiensi desumpta ad an. MLXXXV. p. 356.

1085. P. II. COMPENDIENSE, præsidente Raynaldo Metropolitano Rhemensi an. MLXXXV. habitum. In quo probata est Monasterii S. Cornelii Compendiensis ad Isaram fluvium exemptio à Jurisdictione Epis-

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. Episcopi Suessionensis. Extant hâc de re Acta *Conc.* Tom. X. p. 406.

MOGUNTINUM VIII. an. MLXXXV. mense
1085. *Maio* habitum. In quo Gregorio deposito, Gui-
P. II. bertum justè subrogatum fuisse declaratur. Vide Sigebert. in Chron. ad an. MLXXXV. Berthold. *Append.* ad Herm. Contract. eodem anno p. 357. plura *Conc.* Tom. X. p. 409. & in *Append.* p. 1831. Quin & in hoc Concilio omnes Episcopi Imperatori rebelles deponendi judicantur, teste Conrad. Urspergensi hoc anno p. 172.

1086. TOLETANUM anno MLXXXVI. xv. Cal. *Ja-*
P. II. *nuar.* maximo Episcoporum, Abbatum Procerúmque conventu celebratum. Quo Bernardus S. Facundi Abbas Archipræsul Toletanus communi suffragio constitutus est, & Alphonsus VI. Rex Ecclesiam Toletanam, à Saracenorum tyrannide nuper liberatam, plurimis arcibus, oppidis, & municipiis liberaliter dotavit Latiùs hæc Joan. Mariana lib. IX. cap. 17. Et ex eo d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 287.

1087. CAPUANUM anno MLXXXVII. habitum. Quo
P. II. Victor Beneventanus Papa consecratur, resumptis insignibus Pontificalibus, quæ præter voluntatem electus ante resignaverat. Vide Leon. Ostiens. qui intererat, lib. III. cap. 67. fol. 119.

1087. BENEVENTANUM I. an. MLXXXVII. coa-
P. II. ctum. Quo Guibertus Antipapa cum suis sibi adhærentibus excommunicatur, damnantur Laicorum investituræ, nec cum ejusmodi Episcopis, Abbatibus, Clericisve communicandum, qui beneficium vel dignitatem aliquam ab eis recipere præsumpserint. De hâc Synodo agit Leo Ostiensis lib. III. cap. 71. fol. 121. ubi ejus Acta fusè refert.

1089. ROMANUM XX anno MLXXXIX. sub Urba-
P. II. no II. Papâ & *CXV.* Episcopis celebratum. Quo Gregorii VII. & Victoris III. adversus Guidonem Antipapam & Henricum Imp. res gestæ confirmantur. Guiberto Antipapâ à Romanis urbe pulso, ac jure jurando pollicente se Sedem Apostolicam non ampliùs invasurum, Vide Berthold. Const. ad an. MLXXXIX. p. 363.

MELFITANUM in Apuliâ, anno circiter
1089. MLXXXIX. magno Episcoporum numero ce-
P. II. lebratum. In quo Rogerius Dux Pontifici Fidelitatis juramentum præstitit. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *Canones* XVI. & *Epistola* Joannis Diaconi ad Abbatem Molismensem *Conc.* T. X. p. 476.

1090. TOLOSANUM III. anno circiter MXC. præ-
P. II. sente Bernardo Archiepiscopo Toletano, celebratum. In quo Tolosanus Episcopus ab objectis criminibus purgatur; abolito cursu Mozarabico Gallicanus substituitur, & Maurorum Mosquita in Ecclesiam Christianorum convertitur. Extant Acta apud Roderic. Tolet. libr. VI. *Hist. Rer. Hisp.* cap. 26. 27. p. 106. 107. *Conc.* T. X. p. 479. & Conc. *Hisp.* T. III. p. 292. Ubi vide quæ ibidem afferuntur, Aguirrii & aliorum notas.

1090. NARBONENSE III. anno MXC. à Dalma-
P. II. tio Archiepiscopo Narbonensi, de juribus Crassensis Monasterii habitum. Extant Acta in duas partes divisa, *Conc.* Tom. X. in *Append.* p. 1818. quæ primus in lucem edidit Baluzius *Conc. Gal. Narbon.* p. 18.

1091. LEGIONENSE II. anno MXCI. præside Rene-
P. II. rio Cardinale Papæ Legato habitum. In quo de Missâ Gothicâ juxta Isidori institutionem retinen-
Cave Hist. Lit.

dâ, aliisque actum est. Vide Roderic. Tolet. lib. VI. cap. 30. & Joan. Marian. *Hist. Hisp.* lib. X. cap. 6. præcipuè Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 298. ubi & suas notas addidit.

BENEVENTANUM II. anno MXCI. v. Calend. 1091.
Aprilis congregatum. In quo in Guibertum Anti- P. II.
papam ejusque socios excommunicationis sententia fertur. Vide Bertold. ad annum MXCI. Extant hujus Synodi de disciplinâ Ecclesiasticâ *Canones* IV. Conc. Tom. X. p. 484.

SUESSIONENSE anno circiter MXCII. præsi- 1092.
dente Raynaldo Rhemensi Archiepiscopo colle- P. II.
ctum, in quo Roscelinus Dialecticus Compendiensis, P. Abailardi Magister dogma suum circa Personas SS. Trinitatis ejuravit. Docuit enim Roscelinus tres in Deo personas esse tres res ab invicem separatas, sicut sunt tres angeli, ita tamen ut una sit voluntas & potestas, Patrem & Spiritum Sanctum esse incarnatum, trésque Deos verè dici posse, si usus admitteret. Errores hosce cum in hâc Synodo revocâsset, rediit nihilominùs ad vomitum suum, & inter suos jactitare solebat homo versipellis, se non alio nomine dogmata sua abjurâsse, quàm quòd metu mortis à populo interfici timebat. Ob hanc levitatem & apostasiam graviter ipsum corripit Ivo Carnotensis *Epist.* VII. p. 11. ubi in notis non contemnenda congessit Fr. Juretus p. 558. Extant Anselmi ad Fulconem Belvacensem de Roscelino, qui illum & Lanfrancum erroris circa Trinitatem insimulaverat, Ivonis Carnotensis ad Roscelinum. & P. Abailardi ad Gaufredum Parisiensem *Epistolæ* Conc T. X. p. 484.

RHEMENSE II. anno MXCII. habitum. In 1092.
quo Roberti Comitis avaritia in occupandis mo- P. II.
rientium Clericorum bonis repressa est. Extant Urbani II. Papæ ad Robertum, & Cleri Flandrensis ad Raynoldum Archiepiscopum, Epistolæ Conc. Tom. X. p 488.

STAMPENSE I. ad Ivenam fl. in Diœcesi Se- 1092.
nonensi, anno MXCII. à Richerio Archiepiscopo P. II.
Senonensi, ejusque Suffraganeis aliquot adversus Ivonis Carnotensis ordinationem habitum. Gaufridum, Episcopum Carnotensem ob graviora crimina nuper deposuerat Urbanus II. Papa. In ejus locum Clerus, populusque Carnotensis Ivonem Cœnobii Belvacensis præpositum elegerunt, Urbano Electionem suffragio suo comprobante. Electum consecrare noluit Richerius Metropolitanus, Gaufrido plus æquo faventior. Unde necesse habuit Ivo cum suis Carnotensibus Romam proficisci, ubi ipsius Urbani manibus consecratus est. Pontifice in ejus gratiam tùm ad Carnotenses tùm ad Richerium Senonensem litteras dante, & Gaufrido, omnibúsque ejus fautoribus, ni acquiescerent, anathema interminante. His non obstantibus, Richerius Ivonem recipere recusavit, literas calumniæ & malignitatis in ipsum plenas ubique sparsit, & coactâ Stampis Synodo unà cum Parisiensi, Meldensi, & Trecassino Episcopis, Ivonis Ordinationem ad examen revocavit, & læsæ Majestatis crimen ei objecit, quòd consecrationem suam à Sede Apostolicâ recipere præsumpsisset. Quin & depositionis sententiam in Ivonem protulissent, Sedique suæ Gaufridum restituissent, ni Ivo appellationem ad Sedem Romanam tempestivè interposuisset. Agunt de his Urbani Papæ *Epistolæ* I. & II. apud Ivonem, Ivonis *Epist* VIII. p. 13. XII (ad Urban. P.) p. 25. Posterior hæc extat etiam Conc. Tom. X. p. 490.

PARISIENSE II. anno MXCII. à Manasedo 1092.
P. II.

Digitized by Google

SÆC. XI. ab An. M. Rhemensi Archiepiscopo aliisque decem Episcopis habitum. In quo Monasterii S. Cornelii Compendiensis possessiones confirmantur. Vide Philippi Francorum Regis Chartam hujusce rei confirmatoriam *Conc.*Tom.X.p.481.

TROJANUM in Apuliâ ab Episcopis *LXXV.*& 1093. P. II. Abbatibus *XII.* v. Idus *Martii* anno MXCIII. habitum. Extant de nuptiis consanguineorum dissolvendis, *Capitula* II. Conc. Tom. X. p. 482. Vide quæ de Synodo Trojanâ habentur ad ann. MLXXXIX. ibid. pag. 475. Vbi Baronium, Binium, &c. de hujus Synodi tempore errasse ostenditur. Decreta hujusce Concilii primus extulit Steph. Baluzius ad lib. IV. P. de Marca *de Concordiâ* cap. 14. p. 254.

1093. P. II. ANGLICANUM III. anno MXCIII. Pridie Non. *Decembris* ab omnibus penè Angliæ Episcopis congregatum. In quo Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus consecratur, & de controverso Primatis & Metropolitani titulo agitur, *totius Angliæ* Primatis titulo Cantuariensi adjudicato. Vide Matth. Par. ad ann. MXCIII. & Eadmer. *Hist.* p. 21.

1094. P. II. ROCHINGHAMIENSE in Angliâ, Conventus Ecclesiastico-Politicus, an MXCIV. sub Willielmo II. ab Episcopis, & omni Clero, totâque Angliæ nobilitate habitus. In quo, quæstio an salvâ Sedis Apostolicæ reverentiâ, Anselmus Reg terreno fidem præstare posset, negante id Anselmo, excussa est. Rem gestam prolixè narrat Eadmerus *Hist.* p. 26. Videsis *Antiq. Brit.* in Vit. Anselm. p. 116. 117.

1094. P. II. CONSTANTIENSE II. an MXCIV. sub Gebehardo Archiepiscopo habitum. In quo pro disciplinâ Ecclesiæ reformandâ, de Simoniacis, & Concubinariis, de diebus festis Paschatis & Pentecostes, de solennioribus jejuniis multa statuta sunt. Vide Bertold. qui Synodo interfuit, ad ann. MXCIV. p. 371.

1094. P. II. RHEMENSE III. anno MXCIV. sub Raynaldo Archiepiscopo habitum in quo de Philippi Regis cum Bertrada (ex quâ Ludovicum susceperat) conjugio, repudiatâ Bertâ priore uxore, actum est. Extat hâc de re. Ivonis ad Richerium Senonensem Epistola *Conc.* Tom. X. p. 497. qui tamen huic Synodo non interfuit.

1094. P. II. BRIVATENSE ad Elaverim fl. in Arvernis, præside Hugone Archiepiscopo Lugdunensi, & Romanæ Sedis Vicario, an MXCIV. habitum. In quo controversia quædam inter Hugonem Lugdunensem, & Rodulphum Turonensem ventilata est. Vide *Conc.* Tom. X. p. 499.

1094. P. II. AUGUSTODUNENSE, præsente Hugone Lugdunensi Papæ Legato, anno MXCIV. celebratum. In quo Philippus Francorum Rex ob illicitas nuptias, Henricus Imp. Guibertus Antipapa, item Simoniaci & incontinentes, excommunicantur. Vide quæ habent Berthold. ad hunc annum p. 372.& Chron. Virdunence *Conc.* Tom. X. p. 499.

1095. P. II. PLACENTINUM, in mediâ Longobardiâ anno MXCV. ab Urbano II. Papâ, cum Episcopis & Abbatibus, tàm Galliarum, quàm Longobardiæ & Tusciæ, circa mediam Quadragesimam, in causâ Praxedis repudiatæ Imperatricis, item Philippi Regis Francorum de uxore dimissâ, & pellice in uxorem ductâ, & Alexii Imp. CP. contra Saracenos auxilium petentis, habitum. Vide Bertold. ad ann. MXCV. p. 373. Ad hanc Synodum tantus convenerat hominum numerus, ut cùm nulla Ecclesia SÆC. XI. ab An. M. eos capere posset, Concilium primo ac tertio die in campo celebrari oportuit. In hâc etiam Synodo præter causas prædictas disceptatas, Simoniacæ & Schismaticæ ordinationes; præsertim in nupero schismate Guibertino factæ, rescissæ sunt. Hæresis etiam Nicolaitarum, *i. e.* incontinentium Sacerdotum & Clericorum, item Berengariana damnantur, sententia in Guibertum ejusque defensores cum ardentibus candelis iterùm promulgatur; decretum ut pro Chrismate, Baptismo & Sepulturâ nihil exigatur; jejunia IV. temporum constituta: fusiùs hæc narrante Bertoldo Constant. loco suprà citat. Extant Acta, & disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* XV. ab Holstenio primùm edita *Collect. Rom.* Part. II. p. 169. deinde Conc. Tom. X. p. 500.

CLAROMONTANUM, in Arvernis, anno 1095. P. II. MXCV VI. Cal. *Decembr.* præsente Urbano II. Papâ celebratum. Aderant tredecim Archiepiscopi eorumque suffraganei, adeo ut referente Bertoldo CCV. virgæ Pastorales numeratæ sunt. In celeberrimo hoc Concilio, præcedentis Synody Decreta confirmantur, & plurima ad disciplinam & regimen Ecclesiæ sancita sunt. In hâc etiam Synodo anathema in Philippum Galliarum Regem ob illicitum conjugium, more solenni denunciatum est. Cujus rei quoniam in hujus temporis Conciliis frequens fit mentio, non abs re erit paucis hoc loco de eâ agere. Philippus, voluntatibus & illicitæ Veneri supra modum deditus, Bertam conjugem suam repudiavit, & Bertradam Simeonis de Monte-forti filiam, Fulconis Comitis Andegavensis, consanguinei sui uxorem, marito ereptam, pellicem habuit ejusque fœdis amoribus liberè fruebatur. Nec hoc contentus eam in uxorem ducit, & in Reginam Galliæ inungi voluit. Ob has illicitas & incestas nuptias, plusquam semel iterumque excommunicatur, in Comitio nempe Rhemensi anno MXCIV. Placentino, anno sequenti, & in hoc Claromontano, præsente ipsomet Urbano Papâ. Postea pœnitentiam simulans, ab Urbano absolutus est. Mortuo Urbano, Bertradam iterum ad se vocavit, eâque familiariter utebatur. Quocirca Paschalis, Urbani successor, Joannem & Benedictum Cardinales in Gallias misit; qui habito apud Pictavienses Concilio, anno MCX. Excommunicationis fulmen in Philippum, ejúsque concubinam iterùm vibrârunt. Tandem verè pœnitens factus pellicem dimisit, assumpto apud Floriacum Monachi habitu; Ipsâ etiam Bertradâ apud Fontem Euraldi Sanctimonialium institutis se devovente. Sed ad Concilium nostrum Claromontanum redeo. Extant Acta & *Canones* XXXII. Conc. T. X. p. 506. Subjicitur Appendicis vice, Urbani *Decretum* de primatu Lugdunensi, & P. de Marcâ eâdem de re *dissertatio.* Sequitur *Appendix* altera à G. Cossartio adornata, quæ canones aliquot hujus Synodi integros, reliquorum Breviaria varia, aliaque huc spectantia, complectitur. Symbolam etiam suam ad celeberrimi hujus Concilii elucidationem contulit Steph. Baluzius ad lib. VI. *de Concord.* cap. 31. p. 286.

ANGLICANUM IV. anno MXCV. ab 1095. P. II. universis penè Angliæ Episcopis habitum. In quo, Anselmo fidem Regi, nisi reservatâ Urbano Papæ obedientiâ, præstare recusanti, plures Angliæ Episcopi omnem subjectionem & communionem denegant. Vide Eadmer. qui & ipse huic Concilio interfuit, *de Vit. Anselm.* lib. II. apud Sur. ad *Apr.* XXI.

LEMOVICENSE IV. præsidente Urbano II. 1095. P. II. Papa, anno MXCV. coactum. In quo de Expeditione

SÆC. IX. ab An. M. tione Hierosolymitanâ agitur, & Humbaldus Episcopus Lemovicensis deponitur. Extant Acta *Conc.* Tom. X. p. 598.

1096. P. II. ROTHOMAGENSE IV. anno MXCVI. mense *Februario*, præsidente Gulielmo Archiepiscopo congregatum. In quo Synodi Claromontanæ Decreta relecta sunt. Extant de pace conservandâ & disciplinæ Ecclesiasticæ *Canones* VIII. *Vt Ecclesiæ res suas & consuetudines retineant, & laici partem in decimis, aliisve nullam capiant, nec servitium indebitum exigant; ut Presbyterum Ecclesiæ Laicus non det, nec adimat, sine consensu Episcopi, & ut nullus homo comam nutriat*, &c. *Conc.* Tom. X. p. 599.

1096. P. II. TURONENSE III. anno MXCVI. mediâ Quadragesimâ ab Urbano II. Papa pro expeditione Hierosolymitanâ, aliisque tractandis indictum. Vide Berthold. ad annum MXCVI. p. 375. Composita est etiam controversia inter Canonicos S. Martini & Monachos Carmaricenses, de qua habetur Urbani Epistola *Conc*, Tom. X. p. 602.

1096. P. II. SANTONENSE anno MXCVI. iv. Non *Mart.* ab Amato Burdegalensi habitum. In quo Jejunium in omnium Apostolorum Vigiliis imperatum est. Vide Chron. Malleacense ad hunc annum, & *conc.* Tom. X. p. 604.

1096. P. II. NEMAUSENSE anno MXCVI. mense *Julio* congregatum. In quo, inter alia, Philippus Francorum Rex absolutus est, & Anselmi Cantuariensis causa agitatur. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *Canones* XVI. & Actorum fragmenta quædam à Gabr. Cossartio eruta *Conc.* T. X. p. 605.

1097. P. II. BARENSE in Apuliâ anno MXCVII. celebratum. In quo, pro Græcis cum Romanis, præsertim in dogmate de processione Spiritûs S. conciliandis actum est, præsente, & primas disputandi partes sustinente Anselmo Cantuariensi. Cui proinde à Papa datum est, ut juxta Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum (qui pro more coram Papa sederet) Sedem suam haberet; addito hoc elogio, *Includamus*, inquit *hunc in orbe nostro quasi alterius orbis Papam.* Rem gestam narrant Eadmerus de *Vitâ Anselmi* num. xxix. apud Sur. *April.* xxi. fusius Malmesburiensis de *gest. Pontif.* lib. I. fol. 126. p. 2.

1097. P. II. GERUNDENSE in Hispaniâ Tarraconensi ad Sambrocam fl. anno MXCVII. Id. *Decembr.* Præside Bernardo Toletano Legato Pontificio congregatum. Quo nonnulla ad corroborandam Ecclesiasticæ libertatis dignitatem sancita sunt, & querela Canonicorum Barcinonensium adversus Episcopum Gerundensem admissa & dijudicata. Hæc & hujusmodi alia notavit Baluzius *Marca Hisp.* lib. IV. exinde *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 307.

1097. P. II. HIBERNICUM anno MXCVII. loco incerto habitum. In quo Murchertacus Rex, ejusque clerus & Populus ab Anselmo Cantuariensi, tanquam Primate suo, petunt, ut oppidum Waterfordiense in Episcopalem Sedem erigatur: & electo Malco, gentis suæ viro, ipsum ad Anselmum, ut consecrationem ab eo reciperet, transmiserunt, qui proinde Cantuariæ v. Cal. *Januarii* ab Anselmo ordinatus est. Habetur hujus Concilii historia, & *Petitionis* libellus ap. d Eadmer. *Hisp.* lib. II. pag. 36.

1098. P. II. ROMANUM XXI. anno MXCVIII. à partis Guibertinæ Episcopis habitum. In quo quidem nihil memoratu dignum, actum est. Uide quæ habet Card. Benno in *Vit. Hildebrandi*, & quæ inde citantur *Conc.* Tom. X. in *Appendice* p. 1823.

ROMANUM XXII. anno MXCVIII. habitum. In quo circa controversiam inter Regem & Anselmum, Regi Anglorum induciæ usque ad Festum S. Michaelis concessæ sunt. Confer Eadmerum in vitâ Anselmi, Malmesf. de Pontif. Angl. & *Conc.* Tom. V. p. 614. SÆC. XI. ab An. M. 1098. P. II.

ROMANUM XXIII. in Ecclesiâ B. Petri, anno MXCIX. celebratum. In quo Urbanus Papa statuta Prædecessorum suorum confirmat; Guibertum Antipapam, ejusque socios excommunicat, & expeditionem Hierosolymitanam promoveri rogat. Extant de his *Canones* XVIII. cum notis Binii & Cossartii Conc. Tom. X. p. 615. Conferantur Historici de hâc Synodo ibidem citati. 1099. P. II.

AUDOMARENSE in Morinis, anno MXCIX. prid. ad *Jul.* in Basilicâ B. Mariæ à Manasse Rhemensi Archiepiscopo, quatuorque Episcopis suffraganeis de pace servanda coactum. Extant de Ecclesiarum immunitatibus *Canones* V. Conc. Tom. X. p. 618. 1099. P. II.

STAMPENSE II. in Senonibus ad Ivennam fl. anno MXCIX. à Daimberto Senonensi Archiepiscopo ejusque suffraganeis celebratum. Quâ de causâ convocatum sit hoc Concilium, quidve in eo gestum sit, haud facile liquet, nisi quod Philippus Episcopus Trecassinus graviorum quorundam criminum insimulatus, ad hanc Synodum vocatus comparere noluit, quin nec Legatum, nec legitimam excusationem pro se misit. Dilatâ nihilominus Canonicâ sententiâ, induciæ usque ad Dominicam proximam ante Natalem Domini ipsi concessæ sunt. Patent hæc ex Ivonis Carnotensis aliorumque ad Philippum Trecassinum Epistola LXXIX. p. 158. quæ & *Conc.* Tom. X. p. 716. reperitur. De tempore hujus Synodi agit Cossartius *ibid.* in *Not. p.* 717. 1099. P. II.

HIEROSOLYMITANUM anno MXCIX. habitum. In quo Latinis Terram sanctam tenentibus, pulso Arnulfo, Theobertus Pisanus Pontificis Legatus in Patriarcham eligitur. Vide Will. Tyrium lib. VIII. cap. 11. lib. IX. cap. 1. 18. 19. 1099. P. II.

VALENTINUM anno MC. pridie Calend *Octobris* à Joanne & Benedicto Sedis Romanæ Legatis habitum. In quo Norigaudus Eduensis Episcopus à Sacerdotali Officio suspensus est, & Hugo Flaviniacensis Abbas, à Monachis pulsus, restitui jussus. Vide quæ ex Hugone ipso referunt Conciliorum Editores Tom. X. p. 717. 1100. P. II.

PICTAVIENSE III. anno MC. sub Joanne & Benedicto Cardinalibus, Paschalis III. Papæ Legatis, xiv. Cal. *Decembr.* celebratum; hoc saltem tempore indictum, etsi diutius protractum videtur. In quo Philippus Francorum Rex, ob Bertradam conjugem à se dimissam, & jam revocatam, anathemate percutitur. In hac etiam Synodo Nirogaudus Eduenus Episcopus antea suspensus, ab Episcopali & Sacerdotali officio depositus est Extant Acta ex variis hinc inde collecta, & disciplinæ Ecclesiasticæ *Canones* XVI. Conc. Tom. X. p. 720. 1100. P. II.

ANSANUM III. in Provinciâ Lugdunensi prope Ararim fl. anno MC. à *IV.* Archiepiscopis & *VIII.* Episcopis habitum. In quo de suscipiendo itinere Hierosolymitano iterum actum est; statutumque, eos qui voverant, votique executores non fuerant, à communione esse segregandos, quoadusque vota complerent. Uide Hugonem Flavin. in Chron. & *Conc.* Tom. X. p. 726. 1100. P. II.

Finis Vndecimi Seculi.

Digitized by Google

SÆCULUM VVALDENSE

CONSPECTUS SÆCULI.

SÆC. XII. ab An. MC.

DEFUNCTO Anno MCVI. Henrico IV. succedit filius ejus Henricus V. qui anno MCXI. Romam veniens de manu Paschalis Papæ coronam accepit; cui jus in investituras concessit Pontifex, & Germanis Electoribus Cæsaris creandi jura confirmavit; quæ nihilominus sequenti anno habitâ Romæ Synodo, irrita reddidit; quod & Anno MCXVI. magis solenniter factum est. Hinc nova turbarum seges, hinc Henricus anno MCXVII anathemati subjectus, donec An. MCXXII. injuriarum, & molestiarum pertæsus, in Synodo VVormatiensi coram legatis à Concilio Lateranensi I. missis, jus investituræ ejuravit, obsequiumque Pontifici reddidit. Plures expeditiones ex omni ferè Occidente per totum hoc Sæculum fiunt in terram sanctam, vario quidem successu, tandem infœlici exitu. Anno MCLXIII. magnas in Angliâ, aliisque Regis sui ditionibus adversus Henricum II. turbas excitat Thomas Cantuariensis, & cum nullis consiliis flecti poterat, quin & Regis authoritatem, regnique consuetudines pervicaciâ planè intolerandâ impugnare pergeret, communi sententiâ regni finibus exterminatur: finito sexennio sedi suæ redditus à Sicariis ad ipsam Aram trucidatur anno MCLXX. Mox anno MCLXXIII. ab Alexandro III. in Martyrum Sanctorumque censum relatus. Circa annum MCLX. vel ut alii, MCLXX. inclarescere cœperunt *VValdenses*, *Albigenses*, *Patarini*, *Pauperes de Lugduno*, seu quocunque demum alio nomine vocentur, hâc occasione orti. Contigit Lugduni in magnâ civium coronâ, ut ex iis quidam subita morte correptus sit, territi sunt cæteri, sed præ aliis Petrus VValdius ex oppido VValdi in Marchiâ Galliæ sito oriundus, qui statim bona divendidit, & pauperibus erogavit. Confluente igitur ad illum immensâ multitudine, ipse aliquantulum literatus Novum Testamentum linguâ populari ipsis exposuit, & sanam fidei morumque doctrinam tradidit. Aucto mox in immensum discipulorum numero, Secta hæc ubique prævaluit, fatente ipso Reinerio, fuisse qui affirmarent ipsam à Sylvestri, vel potiùs ab ipso Apostolorum tempore durasse, nec ullam fuisse terram in quâ non altas radices egerit. Quàm sana, quàm innoxia utplurimum fuerint illorum dogmata, vita, moresque, liquido ex iis patet, quæ recenset Æneas Sylvius, postea Pius II. Papa, Hist. Bohemic. c. 35. p. 103. & Ænea antiquior Reinerius Sachonus ipse Inquisitor generalis, qui claruit anno MCCLIV. & librum adversùs VValdenses scripsit, ubi capite quinto errores eorum, & blasphemias, quas vocat sigillatim enumerat, quæ an tam execrabile nomen mereantur, legat primùm, dein judicet æquus rerum æstimator. Interim capite quarto fatetur *hanc Sectam magnam habere speciem pietatis, eo quod coram hominibus justè vivant, & benè omnia de Deo credant, omnesque articulos qui in Symbolo continentur, solummodò Romanam Ecclesiam Clerumque blasphemare.* Hinc totius mali labes, hinc omnes in eos procellarum fons & scaturigo, quod recepta nimirùm Ecclesiæ Romanæ dogmata reprobarunt, mores corruptos, superstitiones, atque tyrannidem acriter corriperent; hinc concitati adversus illos Prælati, Proceres, Reges, totaque penè Gallia in arma ruit. Anno MCLXXIX. sub Alexandro III. in Concilio III. Lateranensi disertè damnati sunt, *fautoribus eorum & receptoribus* (ipsa Canonis verba refero, Can. XXVII.) *Excommunicationi subditis*, prohibito sub anathemate, *ne quis eos in domibus, vel in terrâ suâ tenere, vel fovere, vel negotiationem cum iis exercere præsumat.* Exinde vi & armis ubique oppressi, in varias regiones se diffundere necesse habuerunt. Theologia Scholastica novâ methodo tradita, & Juris Canonici professio in Ecclesiam introducuntur, sequenti sæculo latiùs propaganda. Anno circiter MCXX. Ordo Præmonstratensis sub Regulâ D. Augustini autore S. Norberto in Diœcesi Laudunensi fundamenta sua posuit; anno MCXXVI. Grandemontensis, Conditore Stephano Arverno. Anno MCXXVII. Ordinis S. Joannis Hierosolymitani Equites institutum suum strictiùs colere, & ad arma pro Christianâ fide adversùs infideles feliciùs tractanda, se componere cœperunt. Anno MCLXXXI. Carmelitarum Ordo initium habuit, auctore Americo Patriarcha Antiocheno, qui Monachos quosdam, ut à Saracenorum insultibus tuti essent, in monte Carmelo collocavit. Exeunte sæculo circa annum MCXCVI Fr. Teutonicorum Ordo, qui paulò antea cœperat, à Cœlestino III. confirmatus est, ut de Ordinibus Sancti Jacobi, Calatravæ, SS. Trinitatis, aliisque nil dicam.

SCRIPTORES

SCRIPTORES

SÆC. XII. ab An. MC. 1101. GILBERTUS, sive Gisleber-tus, cognomento Crispinus, patriâ, ut videtur Normannus, in Beccensi Cœnobio, unà cum Anselmo, monasticam vitam egit; à quo literis institutus; tam in divinâ quàm sæculari cognitione egregiè doctus evasit. Claruit ineunte hoc sæculo circa an. 1101. Post peracta sub Anselmo studia Romam peregrinatus est, ac inter redeundum celebrem cum Judæo quodam Moguntiacensi, viro magni inter suos nominis, disputationem de Christianæ religionis veritate instituit. Abbas demum Westmonasteriensis in Angliâ factus, disputationem suam litteris mandavit, & in Dialogi formam redactam Anselmo [quo hortante id laboris susceperat] nuncupavit, addito ei titulo, *De Fide Ecclesiæ contra Judæos*. Obiit anno 1117. vel ut Abbatum Westmonasteriensium Historia MS. habet [notante Cl. Usserio] anno 1114. & in Australi parte Claustri ad pedes Abbatis Vitalis sepultus est, hoc Epitaphio cohonestatus.

Hic pater insignis, genus altum, virgo senexque
Gisleberte jaces, lux, via, duxque tuis.
Mitis eras, justus, prudens, fortis, moderatus,
Doctus quadrivio, nec minus in trivio.
Sic tamen ornatus, nece sexta luce Decembris
Spiramen cœlo reddis, & ossa solo.

Præter *librum contra Judæos* (alium planè ab eo, qui inter Augustini Opera haberi solet, hoc titulo *Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ*, quocum non rarò confunditur] cujus Prologum edidit Joannes Piccardus *Colon.* 1612. in notis ad lib. II. Epist. 16. Anselmi, totum verò Opus Gabriel Gerberon inter Opera S. Anselmi *Paris.* 1675. pag. 512. præter istum, inquam, librum, extant MSS. *Homiliæ in Cantica Solomonis* in Bibliothecâ S. Petri apud Cantabrigienses, item *in Prologos S. Hieronymi super Biblia.* ibid. *Contra peccata cogitationis, locutionis, & operis*, in Bibliothecâ privatâ Gualteri Copi. Alia ejusdem Opuscula memorant Balæus Cent. II. c. 63. Pitseus ad an. 1117. quæ an alicubi adhuc delitescant, mihi planè incompertum est. Quod verò habent de libro Epistolarum, id inde natum videtur, quod in MS. Codice Epistolarum D. Anselmi Bibliothecâ Cottonianâ habetur unica, eaque satis brevis Gilleberti *ad Anselmum Cantuariensem Epistola*, cujus initium, *Anselmo Dei gratia Anglorum*; quæ tamen Gilleberti est Episcopi Lumicensis, cujus etiam est *Libellus de statu Ecclesiæ*, quem iidem huic nostro attribuunt.

1101. LEO, gente Campanus, *Marsicanus* à patriâ forsan dictus, primùm Monachus, & Bibliothecarius Cœnobii Casinensis, dein Ecclesiæ Romanæ Cardinalis Diaconus à Paschali Papâ II. anno 1101. creatus. Anno 1111. capto ab Henrico V. Imperatore, & in custodiam dato Paschali Pontifice, ipse cum Joanne Episcopo Tusculano Româ ementito habitu elapsus, Italiam percurrit, Populumque obtestatus est ut arreptis armis injuriam Pontifici illatam ulciscerentur. Obiit die XII. Maii, sed quo anno prorsùs latet, certè post annum 1115. quo Bullæ Paschalis II. subscripsit. Scripsit *Chronicon Monasterii Casinensis libris* III. *à tempore S. Benedicti usque ad Desiderium Abbatem*, qui postea Pontifex Romanus electus, Victor II. appellatus est. Prodiit Chronicon istud seorsim *Venet.* 1513. unà cum Aimoini Historiâ *Paris.* 1603. cum notis Laureti *Neapoli* 1616. 4°. cum annotationibus Augustini de Nuce, *Paris.* 1668. f. In tenebris fortasse adhuc latent alia ejus Opuscula, viz. *Sermones de Paschate, & de Nativitate. Historia Peregrinorum, Vita S. Januarii, Vita & Conversatio S. Mennatis Confessoris*, quam penès se MSS. servat J. B. Marus, unà cum *Translatione Reliquiarum, & exacta Miraculorum narratione*, à se [ita enim pollicitus erat] suo tempore evulgandam. SÆC. XII. ab An. MC.

Alius etiam à nostro erat hoc circiter tempore Leo, Monachus Casinensis, & Ecclesiæ Romanæ Cardinalis Diaconus creatus, ut volunt anno 1105. à Paschali II. ut alii verò, ab Urbano II. cujus *Epistolarum Regestum* fecit, & quamplures ipse exaravit *Epistolas*, quæ MS. servantur in Bibliothecâ Vaticanâ, nonnullis hinc inde editis. Hunc cum nostro Leone Ostiensi malè confundunt Baronius, Possevinus, aliique. Vide Pet. Diac. de Vir. illustr. Cas. cap. 30. 31. & quæ ibidem habet ejus editor J. B. Marus.

GUIBERTUS, sive Gilbertus, gente Gallus, patriâ Normannus, ortu nobilis, Gulielmi de Grantemeisnelle frater, primùm Monachus Flaviacensis, dein Abbas Monasterii S. Mariæ Novigenti in pago Laudunensi; claruit an. 1101. Obiit an. 1124. die 1. Augusti. 1101.

OPERA.

TRactatus quomodo sermo fieri debeat.

Moralium in Job libri X. *in Amos liber unus*; *& in Lamentationes Jeremiæ liber unus.*

Tractatus de Incarnatione adversus Judæos.

Epistola prolixa de buccella Judæ data & de veritate Dominici Corporis.

De laude B. Mariæ liber.

De Virginitate Opusculum.

De pignoribus Sanctorum libri III.

Gesta Dei per Francos, seu *Historiæ Hierosolymitanæ libri* IX. quibus belli sacri Historiam à primo Occidentalium in Palæstinam ingressu ad Balduini I. Regnum, & annum Christi 1100. pertexit. In condendâ hâc Historiâ usus est, ipso fatente, operosâ verborum elegantiâ, alia planè ab ea, quam in reliquis Opusculis adhibuit. Extat in Collectione Bongarsiana *Gestorum Dei per Francos* Tom. I. pag. 467.

Vita sua, *seu Monodiarum Libri* III.

Opera Guiberti hactenus recensita collegit, è MSS. eruit, & cum notis & observationibus suis, multisque additamentis primus edidit Lucas Dacherius *Paris.* 1651. fol.

Sermo prolixus in illud, *Sapientia vincit malitiam*, qui inter Bernardi Opera haberi solet, à Guiberto sibimet ipsi vindicatur in vitâ suâ l. I. c. 16.

Commentarios Guiberti *in Abdiam Prophetam*, *in Jonam*, *in Michæam*, *lib.* II. *in Zachariam* lib. III. *in Joëlem*, *in Naum*, *in Abacuc*, *& in Sophoniam*, se MSS.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. in Bibliothecis Vallis Claræ, & Igniaci Ordinis Cisterciensium vidisse prodit Cæs. Oudinus *Supplem.* p. 388.

Scripsisse etiam *Expositiones in Genesin*, ipse fidem facit Guibertus *Epistola ad Lysiardum* Episcopum Suessionensem Historiæ Hierosolymitanæ præfixâ, quæ quidem an supersint hodie, non liquet.

1101. ROBERTUS, natione Gallus, Monachus, S. Remigii in Diœcesi Rhemensi O. B. Claruit anno 1101. Concilio Claromontano intererat anno 1095. quo tempore primæ in Terram sanctam expeditioni se immiscuit. Redux factus, Bernardi Abbatis jussu conscripsit *Historiæ Hierosolymitanæ libros* IX. seu ut alii numerant, *libros* VIII. quibus res gestas Francorum in Oriente ab anno 1095. enarrat usque ad victoriam ab Ammiravizo reportatam circa an. 1099. Stylum utpote impolitum, ipse in Præfatione operis modestè satis excusat. Prodiit Historiæ istius editio correcta ducentis ferè abhinc annis, nullo nec loci, nec anni indicio apposito, dein editio depravatissima *Basil.* 1533. demum inter Scriptores Germ. Rubei p. 217. & inter *Gesta Dei per Francos* Tom. I. p 30.

1101. HUGO, ex Monacho Virdunensi, Flaviniacensis in Ducatu Burgundiæ Abbas; claruit anno 1 01. Scripsit *Chronicon Verdunense* in duas partes distributum, primam à Christo nato ad annum usque 1002. secundam ab an. 1002. ad 1102. Opus istud Thesaurum undecimi præsertim sæculi incomparabilem vocat Labbeus, qui illud ex ipso authoris autographo in Bibliothecâ Jesuitarum Claromontanorum asservato edidit *Biblioth. Nov. MSS.* Tom. I pag. 75. consultò interim seclusis è priore parte quamplurimis vulgaribus & inutilibus laciniis aliunde transcriptis, quas, inquit, nemo cordatus atque industrius Historiæ Ecclesiasticæ indagator, merito unquam jure desiderabit.

1101. RADULPHUS ARDENS, patriâ Pictavus Gulielmi IV Aquitaniæ Ducis Ecclesiastes seu Concionator; claruit anno 1101. Scripsit *Sermones de Tempore & Sanctis*, seu *in Epistolas & Evangelia totius anni*. Prodierunt illi *Paris.* 1573. Tom. II. in 8°. antea ibidem 1568. *Antverp.* 1576. 8°. *Coloniæ* 1604. II. Tom. 8°.

1101. THEODORICUS, Monachus primùm, dein Abbas Cœnobii S. Trudonis in Episcopatu Leodiensi, anno 1099. 3. Cal. Februar. consecratus. Claruit anno 1101. Demum à Trudone Abbatiam deponere, & in exilium ire coactus, in Monasterium S. Petri Gandense secessit, ibique diem obiit anno 1107. VII. Cal. Maii.

SCRIPTA.

Vita S. Trudonis. Extat apud Surium ad XXIII. Novembr.

Vita S. Bavonis Gandavensis, ibid. ad I. Octobr. & apud Mabillon. Sæc. Bened. II. p. 395.

Vita S. *Landradæ Virginis*, apud Surium ad VIII. Julii.

Vita S. *Rumoldi*, *Archiepiscopi Dublinienfis & Martyris* apud Surium ad I. Julii.

Sermo de translatione S. Trudonis; *Presbyteri & Confessoris*, ibid. ad XXIII. Novembris p. 515.

Vita S. Amalbergæ Virginis. Extitit MS. penès Miræum, & in Cœnobio Cameræ juxta Bruxellam

Cæterùm Theodoricus *Historias Veteris & Novi Testamenti* versu heroico scripsisse dicitur. Vide Vossium de Histor. Lat. libro II. cap. 48.

SIGEBERTUS, patriâ, ut videtur, Gallo-Brabantus, Monachus Gemblacensis; claruit anno 1101. SÆC. XII. ab An. MC. 1101. In ineunte adhuc in Monasterio Vincentiano apud Metenses scholam aperuit, & Monachos Clericosque ad se venientes melioribus literis imbuit. Postea ad Gemblacum suum rediit, & libris scribendis se præcipuè addixit. Et cùm ferverent undique gravissimæ lites inter Henricum IV. Imperatorem ejusque filium Henricum V. & Gregorium VII. ejusque successores Urbanum II. & Paschalem Papas, Sigebertus noster Henricorum causam constanter tutatus est, & à partibus Imperatoris adversus injusta & violenta Pontificis Romani molimina viriliter stetit; quin & Curiæ Romanæ decreta de conjugii Clericalis prohibitione apertè damnavit: acri subinde censurâ à Baronio, Bellarmino aliisque notatus, vel convitiorum potiùs plaustris onustus. Obiit Sigebertus III. Non. Octobris an. 1113. de quo hæc habet Fr. Svveertius Athen. Belgic. p. 674. *Cùm annos religiosè piéque ætate grandis apud suos exegisset, animam creatori suo reddidit: Utinam ea ætas tales multos tulisset: certè non tam mutilam haberemus illorum temporum Historiam, &c.*

SCRIPTA.

Chronicon ab anno 381. in quem desinit Hieronymus, usque ad ann. 1112. prodiit inter Scriptores Germanicos *Francofurt.* 1583. fol. pag. 477. Tandem post alias omnes editiones ad MS. Codicis fidem recognitum, & à Galfridi Monumetensis quisquiliis repurgatum edidit Aubertus Miræus *Antverp.* 1608. qui etiamsi suam editionem solam esse genuinam, & à nugis liberam glorietur; non desunt tamen qui eam veluti corruptam & depravatam criminentur. Sigeberti *Chronicon* continuarunt alii. Anselmus Gemblacensis, &c. quos vide suis locis.

De Scriptoribus Ecclesiasticis liber, aliis hujusce commatis Scriptoribus adjunctus cum notis Suffridi Petri *Colon.* 1580. 8°. deinde cum scholiis Miræi in Biblioth. ejus Ecclesiastica *Antverp.* 1639. fol.

Epistola pro Ecclesiis Leodiensi & Cameracensi adversus Epistolam Paschalis Papæ. Habetur in Goldasti collectione Anti-gregoriana p. 188. *Hanov.* 1611.

Vita Sigeberti Francorum Regis, apud Sur. Febr. I.

Vita S. Guiberti Confessoris, *Monasterii Gemblac. fundatoris*, apud Sur. Maii. XXIII.

Vita S. Maclovii. Extat apud Sur. Novemb. XV. *Vita S. Theodardi* huic adjuncta periisse videtur.

INEDITA.

Sermo in laudem S. Luciæ, servatur MS. Gemblaci teste Fr. Svvertio loc. suprà citato.

Passio Thebæorum metricè lib. 3. ext. in Monasterio Gemblac.

Vita S. Lamberti, item *ejusdem Translatio* MS. hodiè superesse dicuntur.

De Jejunio IV. temporum ad Leodienses, MS. extare testatur Svveertius. Alia à se scripta recenset ipse Sigebertus in calce libri de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi de operibus suis accurratè agit; quæ aut tenebris adhuc suppressa jacent, aut penitùs interierunt. Sunt autem *Vita Theodorici Episcopi*, *ejusdemque translatio*; *Passio S. Luciæ*; *Gesta Abbatum Gemblacensium*; *Responsum ad Hildebrandi Papæ Epistolam*, quam scripsit in potestatis

Regiæ

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. Regiæ calumniam; *Apologia ad Henricum Imper. contra eos, qui calumniantur missas conjugatorum Sacerdotum; Ecclesiastes, literaliter, allegoricè, mythologicè, metro heroico descriptus.*

1101. P. II. OTHLONUS, gente Germanus, Monachus, ut vulgò volunt, Fuldensis [qui tamen non tam ex Monasterio Fuldensi, quàm ex aliquo alio sub S. Bonifacii patrocinio fuisse videtur.] claruit ineunte Sæculo XII. circa annum MCI. Condidit Vitam & res gestas S. Bonifacii Episcopi Moguntini, & Martyris quas duobus libris complexus est. Primo de gestis ejus ante susceptum Episcopatum agit, & conquisitis undique Caroli M. & Pontificum Romanorum Epistolis, illustrat & exornat. In secundo Acta S. Bonifacii post susceptum Ecclesiæ Moguntinæ Præsulatum, ex ipsius ad Zachariam Papam, & Zachariæ ad Bonifacium Epistolis, præcipuè illustrat. Ediderunt hos libros Christ. Brovverus; Hen. Canisius *Antiq. Lect.* Tom. IV. pag. 156. Surius *Jun.* V. denique Mabillonius *Sæc. Benedict.* III. Part. II. p. 28. Verùm opus hoc Othlono nostro abjudicat Browerus, eò quòd reclamet stylus, nec cum Vitæ Pirminianæ, Othlono attributæ, dictione ullo modo congruat. Sed hæc ratio mihi planè nulla est. Constat enim Vitam S. Pirminii non Othlono, sed Warmanno adjudicandam esse, uti suprà suo loco observavimus.

1101. P. II. RODULPHUS, cognomento *Tortarius*, Monachus Floriacensis, claruit ineunte Sæculo XII. circa annum MCI. Scripsit librum de Miraculis S. Benedicti, quem ex vetustissimo codice Floriacensi, absque Auctoris nomine in lucem protraxit Joan. à Bosco *Biblioth. Floriac.* Part. I. pag. 149. Nomen addidit, iterumque edidit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. II. pag. 390. Eâdem de re librum etiam metro edidit Rodulphus noster, qui an extet hodiè, nondùm didici. Scripsit etiam metro Passionem, Translationémque S. Mauri Martyris Africani. Prætermissa Passione, Translationem sub Tortarii Floriacensis nomine extulit idem Joan. à Bosco, ubi suprà pag. 349. Qui notâ ad finem additâ, ex Rodulfo & Tortario duos Monachos Floriacenses facere videtur.

1101. P. II. ANONYMUS *Vitæ S. Paschasii* Auctor, Monachus Corbeiensis, claruit exeunte Sæculo XI. vel ineunte XII. circa annum MCI. Edidit brevem libellum de Vitâ S. Paschasii Radberti, Abbatis Corbeiensis. Quem ex MS. codice Corbeiensi annorum ferè quingentorum evulgavit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. II. pag. 507.

1101. P. II. NALGODUS, quâ gente vel urbe ortus incertum, Monachus Cluniacensis, vitæ simplicis & honestæ, uti in operis sui titulo vocatur, claruit circa annum MCI. Scripsit vitam S. Odonis Abbatis Cluniacensis; seu potiùs Johannis Cluniacensis opus in compendium & meliorem ordinem redegit. Hanc vitam ex codicibus MSS. eruit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* V. pag. 186. Condidit item Vitam S. Naioli Abbatis Cluniacensis, quam habent Bollandiani *Maii* XI.

1101. P. II. ANONYMUS, primæ partis Annalium Waverliensium conditor, genere, ut videtur, Anglo-Saxo, Cœnobii, de Waverly in agro Surriensi Monachus, claruit circa annum MCI. Gulielmum Normannum Victorem se vidisse, ejusque in curiâ se aliquando fuisse ipse nobis fidem facit, & Edgari Ætheling causam non uno loco agit. Scripsit Monasterii sui *Annales* ab anno MLXVI. quos alii, ejusdem Cœnobii Monachi ad annum usque MCCXCI. deduxerunt. Annales hosce ex vetusto codice Cottoniano, partim literis Saxonicis scripto, in lucem emisit Tho. Galeus *Rer. Angl.* Tom. II. pag. 129. Commendant hunc scriptorem (priorem Annalium consarcinatorem intelligo) etsi non dictionis nitor, hominis tamen antiquitas, simplicitas, veritas, & rerum quas tractat momentum haud exiguum.

THEODORUS, gente forsan Syrus, primùm Monachus, deinde Edessenorum Archiepiscopus constitutus est. Hunc Sæculo XII. claruisse volunt novissimi Bibliothecæ Patrum curatores; nec sequiorem ei ætatem tribuere fas est. Etenim anno MCXLV. Saraceni duce Noradino Edessam occupârunt, sive Edessenos, eorumque Archiepiscopum crudeli morte trucidârunt, & Ecclesias in ipsâ Dominicæ Nativitatis nocte publicè profanârunt. Et etiamsi post aliquot annos urbs in Latinorum potestatem devenerit; illi tamen dum res eorum in oriente integræ erant, suæ communionis homines in Sede Archiepiscopali collocârunt. Ad hujus igitur Sæculi initium circa annum MCI. Theodorum nostrum cum Possino referimus. Extant ab eo scripta *Capitula practica* numero CII. quæ ex vetusto admodùm codice eruta; Græcè & Latinè edidit P. Possinus in *Thesauro Ascetico* pag. 345. Quinquaginta priora *Latinè* Tom. XXII. evulgaverant, qui Lugdunensem Bibliothecæ Patrum editionem non ita pridem adornârunt. 1101. P. II.

NICEPHORUS, professione Monachus, de quo altum silent omnes Scriptores Ecclesiastici, nisi fortè sub Nicephori alicujus (plures enim in historiâ Ecclesiasticâ memorantur) nomine lateat. Claruit ex sententiâ Possini, eodem quo Theodorus Edessenus tempore, circa annum MCI. Scripsit librum præclarum & valdè utilem *de custodiâ cordis*, quem Græc. Lat. edidit P. Possinus *Thesaur. Ascet.* p. 404. 1101. P. II.

THEOFRIDUS, O. B. Monachus, dein Epternacensis in Ducatu Luxenburgico Abbas *XXIV.* claruit anno MCI. Extat ejus Vita S. Willebrordi Ultrajectensis, apud Sur. *Decembr.* VII. *Epitaphium Sanctorum* libris IV. notis Joan. Roberti adornatum. Bina hæc opera prodierunt *Luxemburg.* 1619. 4°. Scripsit etiam Sermones *de cultu & veneratione Sanctorum*, qui in Bibliothecâ Patrum haberi solent. 1101. P. II.

JACOBUS, Vitæ instituto Monachus, in Cœnobio, siquid video, *Coccinobapti*, claruit imperante Alexio Comneno, circa annum MCI. Extant Græcè MSS. *Epistolæ* ejus XLIII. ad Irenem, illustrissimam Sebastocratorissam, Isacii Comneni Sebastocratoris uxorem, Bibliothecæ Regis Galliarum *cod.* MMIV. Vide du Fresn. *Ind. Auct.* ad Glossar. Græc. pag 27. Ejusdem ni fallor, est *Oratio in Nativitatem sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ*, quam Româ, à L. Allatio, ad se missam Græcè Latinè extulit Combefisius *Auct. Nov.* Tom. I. p. 1247. in quâ plurima ex fabuloso S. Jacobi Proto-evangelio in rem suam corrogat. Hanc Allatius tribuere videtur Jacobo qui posteà Bulgarorum Archiepiscopus factus est, *Proarchius* dictus, viro, suo tempore celeberrimo, & Nicephoro Blemmidæ familiari. Sed conjecturam suam dubitanter proposuit, & adhuc, *inquit* hæreo. Certè nostri potiùs esse videtur. Possevinus Jacobi Monachi sermones Græcos MSS. recenset; *de* 1101. P. II.

Digitized by Google

conceptione Mariæ, *de XII. Tribubus Iſraël*, *de conceptione & generatione ejuſdem*; *In ingreſſum in Sancta Sanctorum*, & εἰς τὴν ἔξοδον τοῦ ναοῦ &c. Hos omnes ex uno ſermone (in quo de hiice agitur) Poſſevinum multiplicâſſe contendit Combefiſius. At verò L. Allatius in his rebus multò oculatior *Diatr. de Script. Symeon.* ſequentes Orationes pariter ac ſupradictam uni & eidem Jacobo Monacho ex Monaſterio Coccinobapti adſcribit; nempè 1. *in Veſtem purpuream* ſacerdotibus traditam, & in illud, *magnificavit Dominus Deus nomen ſuum*, & alia de ſemper virgine Mariâ; Principium, Οἱ σφόδρα τῶν ἐρωμένων αὐτοῖς ἀφιέμενοι &c. Allat. ib. p. 101. 2. *in Conceptionem ſanctiſſimæ Deiparæ Mariæ.* Pr. Οὐρανὸς, ἡ γῆ τῆς χάριτος μαρμαρυγαῖς ὑπερφαιδρύνεται σήμερον ib. pag. 104. 3. *de ingreſſu Templi ſanctiſſimæ Deiparæ*, Pr. Πολλοὶ πολλάκις τὴν πεῖραν τῶν πολυτίμων ἀνιμωμένων μαργαριτῶν &c. pag. 107. 4. *in Nativitatem Deiparæ* ſuprà recenſitam. 5. *in Annunciationem ſanctiſſimæ Deiparæ.* Pr. Χαίρω σήμερον τὴν ἐμὴν πανηγυρίζων χαρὰν &c. ibid. p. 114.

1103. ANSELMUS, Eccleſiæ Laudunenſis Scholaſticus & Decanus; claruit circa ann. 1103. magni apud ſuos nominis vir, plures curæ ſuæ commiſſos diſcipulos habuit, & in his Petrum Abailardum, qui quidem hominem fama ejus longe inferiorem ſe comperiſſe teſtatur. "Acceſſi, *inquit*, "*, ad hunc ſenem, cui magis longævus uſus, quàm "ingenium vel memoria nomen comparaverat. Ad "quem ſi quis de aliqua quæſtione pulſandum accederet incertus, redibat incertior. Mirabilis "quidem erat in oculis auſcultantium, ſed nullus "in conſpectu quæſtionantium. Verborum uſum "habebat mirabilem, ſed ſenſu contemptibilem, "& ratione vacuum. Cùm ignem accenderet, "domum ſuam fumo implebat, non luce illuſtrabat. Arbor ejus tota in foliis aſpicientibus à "longè conſpicua videbatur, ſed propinquantibus, & diligentiùs intuentibus infructuoſa repe"riebatur. Congeſtis hinc inde ex Patrum ſcriptis ſententiis, totum Vetus ac Novum Teſtamentum interlineari marginalique Gloſſa illuſtravit. Extat Gloſſa iſta interlinearis, unà cum Lyrani, aliorumque additamentis ſæpiùs edita, ex Gr. *Lugduni* 1528 *Antverp.* 1634. &c. Porrò Commentarios in Matthæum, Lectiones, ſive Explanationes in varia loca Evangeliorum, & Commentarios in Epiſtolas D. Pauli, in Apocalypſin, & in Cantica Canticorum, ſub Anſelmi Cantuarienſis nomine edit. *Colon.* 1612. quamplurimi Codices MSS. noſtro huic Laudunenſi adjudicant, quamquam non deſunt, qui illa Gulielmo Pariſienſi, iſta Herveo Monacho Dolenſi, vindicent.

* Hiſt. Calamit. ſuar. c. 8. p. 7.

1103. † GALTERUS, gente forſan Gallus, Roberti Præpoſiti Inſulani conſanguineus, an. 1103. factus eſt Epiſcopus Magalonenſis, & legatus Apoſtolicus. Obiit anno 1129. Extat *Epiſtola* ad Robertum prædictum *de Floribus Pſalmorum* à Lietberto S. Rufi Abbate collectis apud Mabillon. *Analect.* Tom. I. p. 289.

1105. PHILIPPUS, SOLITARIUS, à vitâ forſan monaſticâ, dictus, natione Græcus, quis vel cujus fuerit, non liquet. Claruit anno 1105. quo *Dioptram ſuam* condidit. Scripſit enim ad Callinicum ſocium ſuum opus Dioptram dictum, ſeu Regulam rei Chriſtianæ libris ſeu ſermonibus IV. in quibus animus & corpus diſputant. Notis id ac Præfatione addita illuſtraſſe creditur Michaël Pſellus. Prodiit Latinè ex interpretatione Jacobi Pontani cum Præfatione & Notis Pſelli *Ingolſtadii* 1604. 4°. & deinde in Bibliotheca Patr. Tom. XXI. pag. 553.

ÆLNOTHUS, origine Danus an Anglus, parùm conſtat, certè potiorem vitæ partem in Dania exegit, ubi annos 24. commoratus eſt; Monachus verò S. Auguſtini Cantuarienſis fuit. Claruit anno 1105. Scripſit *Vitam & Paſſionem S. Canuti Regis Daniæ*, ab Arnoldo Huitfeld primùm editam 1602. deinde cum notis Joannis Meurſii ibid. 1631. 4°. 1105.

ODO, primùm Scholaſticus Aurelianenſis, dein Abbas S. Martini Tornacenſis, demùm Epiſcopus Cameracenſis anno circiter 1105. factus. Cum inveſtituram Epiſcopalem ab Henrico IV. Imp. accipere nollet, ſede ſuâ pulſus, in Monaſterium Aquicinctenſe propè Duacum ſeceſſit, ibique diem extremum obiit anno 1113. XIII. Cal. Julii. Scripſit brevem *Expoſitionem in Canonem Miſſæ* diviſam in quatuor diſtinctiones, quæ ſeorſim prodiit cum Fr. Titelmanni libro ejuſdem argumenti *Antverp.* 1530. & exinde in Bibliothecâ Patr. Tom. XXI. ubi habentur & alia ejuſdem opuſcula, viz. *De Myſterio Dominicæ Incarnationis*, *Dialogus contra Leonem Judæum. Liber de peccato originali. De blaſphemiâ in Spiritum S. Homilia in Villicum iniquitatis*, *Collationum liber*, &c. 1105.

GREGORIUS, Monachus Caſſinenſis, à teneris unguiculis ad vitam Monaſticam eo in Cœnobio formatus; tandem Tarracinenſis in Italiâ Epiſcopus à Paſchali II. creatus, claruit anno MCV. in vivis adhuc anno MCXXVI. vir tantæ gravitatis, ſuavitatis & eloquentiæ, ut à nonnullis *Columna Eccleſiæ* diceretur. Scripſit *Paſſionem* SS. Caſti & Caſſii, item S. Virginis Reſtitutæ, Gerardi Confeſſoris *Vitam*, Homilias *de totius anni Feſtivitatibus*, Verſus de *tranſitu peregrinorum* ad ſepulchrum Domini, & *captione* Hieroſolymitanæ urbis rogante Bernardo Valvenſi editos, aliaque plura, quæ recenſet Petrus Diaconus *de Vir. illuſtr. Caſ.* cap. 32. p. 55. In notis refert Editor opera ejus MSS. paſſim in multorum manibus verſari; & in Bibliothecâ Caſſinenſi haberi hiſtoriam Belli Sacri, ſeu *de Viâ Hieroſolymis*, *qualiter recuperata ſit*, &c. ad expugnationem Hieroſolymorum & mortem Boamundi Principis Antiocheni, *id eſt* annum MC. perductam, Gregorio noſtro à nonnullis adſcriptam. Edidit hanc hiſtoriam Joan. Mabillonius *Muſæi Italici* Tomo I. Part. II. pag. 130. qui in Præfatione monet non deeſſe, qui auctorem gente Gallum vel Normannum, & quidem laicum fuiſſe ſuadere videantur: quod tamen in medio relinquit. Quiſquis ſit, ſe αὐτόπτην eſſe, rebuſque geſtis interfuiſſe, non uno loco teſtatur. Erat etiam eodem circiter tempore alter Gregorius Monachus Caſſinenſis, Sinueſſanus Epiſcopus, quem cum noſtro malè confundit Poſſevinus & poſt eum alii; cujus opuſcula MSS. in Bibliothecâ Caſſinenſi aſſervantur. De quo agit Petrus Diac. cap. ſequenti. 1105. P. II.

ABBAS quidam anonymus, claruit ſub Philippo I. Francorum Rege anno MCV. Scripſit *Tranſlationem* S. Liſardi, & *Dedicationem* Eccleſiæ Magdunenſis, eo ipſo anno factam, cui etiam Abbas noſter præſens interfuit. Habetur apud Cl. Mabillonium *Sæc. Benedict.* I. pag. 157. Cui etiam ſubnexuit Miracula S. Liſardi, ſcripta à quodam Eccleſiæ Magdunenſis Canonico, qui Sæculo XII. vixiſſe videtur. 1105. P. II.

HARIULFUS, gente, ut videtur, Belga, primùm 1105. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. primùm Monachus Centulensis, dein ab anno MCV: Cœnobii Aldeborgensis in Flandriâ Abbas tertius: multas in causa Suessionensis Monasterii contra Cœnobitas Suessionenses lites exercuit, seque suosque coram Pontifice strenuè defendit & vicit. Cessit anno MCLXIII. Reliquit plurima ingenii ac diligentiæ suæ monumenta. 1. *Chronicon* Centulensis Abbatiæ, libris IV. contextum. Vulgavit illud Lucas Dacherius *Spicilegii* Tom. IV. Ex libro secundo qui totus in hâc re occupatur, *Vitam* S. Angilberti Abbatis Centulensis desumpsit, Actisque suis inseruit Joan. Mabillonius, & egregium planè elogium historicum præmisit *Sæc. Benedict.* IV. Part. I. pag. 91. 2. *Vitam* S. Arnulfi Suessionensis Episcopi, qui obiit anno MLXXXVII. Hanc, stylo paulùm immutato, sub nomine Lisiardi malè edidit Surius *August.* XV. ut Vossius, Miræus, aliique pridem notarunt. 3. *Vitam* S. Madelgisili Confessoris & Eremitæ in Pontivo, Gervino Ambianensi Episcopo nuncupatam. Extat apud Mabillon. *Sæc. Benedict.* IV. Part. II. pag. 537. 4. Libellum *de miraculis S. Richarii* Abbatis, post ejus relationem factis, ex MS. codice Centulensi editum à Mabillonio *Sæc. Benedict.* V. pag. 565. 5. *Vitam* B. Gervini II. Abbatis Aldenborgensis uti Vossius & Sweertius testantur; an typis descripta sit, an adhuc inedita lateat, mihi planè est incompertum. In fine Chronici habetur ipsius Epitaphium à se conscriptum, & Carmen ad Centulenses de Chronico suo. Hæc ex autographo edidit Joan. Mabillonius *Analect.* T. I. pag. 431. Versus quidem infœlicem poeticæ facultatis hoc tempore venam primâ statim fronte produnt, nati quippe sæculo, quo Musas Parnassum penitus deseruisse constat.

1106. ODO, Monachus Astensis O. B. claruit anno 1106. Scripsit ad Brunonem Episcopum Signiensem *Expositionem in Psalmos per contemplationem exaratam*, quæ habetur ad calcem Brunonis Signiensis operum, *Venet.* 1651.

1106. PETRUS ALFONSUS, vir illustris, *Moses* antea dictus, gente, ut videtur, Hispanus, ortu Judæus, ad fidem Christi conversus, baptizatus erat (ipsomet teste in prologo) à Stephano Oscensis civitatis Episcopo, anno Christi MCVI. Æræ Hispanicæ 1144. mense Julio, die natali Apostolorum Petri & Pauli susceptus è sacro fonte ab Alfonso Imperatore Hispanico, quem proinde patrem suum spiritualem appellat, unde & *Alfonsi* nomen traxit. Scripsit sub nomine Petri & Mosis *Dialogum adversus Judæos*, in duodecim titulos seu partes distributum, qui habetur in Bibliotheca Patr. Tom. XXI. pagin. 172.

1106. ANONYMUS Author, qui scripsit *Vitam Henrici IV. Imp.* Claruit anno 1106. quo illustrissimus ille Princeps vitam finivit. Historicus est antiquæ fidei & elegantis ingenii, quique ob sinceram & illibatam in enarrandis Henrici rebus fidem invidiæ & persecutionis metu nomen suum occultasse videtur. Prodiit in Fasciculo rerum expetendarum ab Orthuino Gratio editus, dein inter Scriptores alios rerum Germanicarum à Justo Reubero evulgatos *Francofurti* 1584. Ex editione ista liber qui penès me est; erat olim summi viri Isaaci Casauboni, qui in vestibulo voluminis hæc propriâ manu annotavit. *Ex omnibus Scriptoribus, qui hoc volumine continentur, nullus conferendus ulla ex parte cum eo, qui vitam maximi Principis, Imp. Henrici IV. descripsit. Quo in libello, quid prius admirer, nescio; elegantiam sermonis illis temporibus stupendam, an sententiarum gravitatem, an pietatem, qua patet fuisse ingens in eo authore. Quem equidem si fœlicioribus sæculis vixisset, putem nemini veterum, aut Latinorum, aut Græcorum, postponendum; nec illud opusculum postposuerim Taciti libello de Vita Agricolæ.* Hactenus Casauboni nota MS. Contrariam prorsus de eo sententiam tulit Baronius ad an. 1106. Tom. XII. p. 50.

ANONYMUS *Vitæ Gundulphi* Auctor, Monachus Roffensis, ipsius Gundulphi æqualis & familiaris; claruit anno MCVII. Commisit literis Gundulphi Episcopi Roffensis *Vitam*, tribus partibus absolutam, quam ex vetusto codice Cottoniano in lucem emisit H. Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. II. p. 271. 1107. P. II.

TURGOTUS, natione Anglus, haud infimi nominis familiâ ortus. Juvenis adhuc unà cum aliis subactâ à Normannis Angliâ, pro totâ Lindeseiâ obses datus, in arce Lincolniensi detinebatur. Corruptis auro custodibus, in Norwegiam aufugit, inde reversus ad Walkerium Dunelmensem Episcopum se contulit. Ab eo, Alwyno Priori, ut in disciplinâ Monasticâ institueretur, commissus. Defuncto Alwyno, in Cœnobii regimine successit anno MLXXXVII. factus etiam Guilielmi Episcopi Archidiaconus, Decanus, Vice-Domnus, ejus per totam diœcesim vices egit. Expleto vicennio petente id Alexandro Scotorum Rege, ab Henrico I. Angliæ Rege factus est S. Andreæ in Scotiâ Episcopus iii. Cal. *Aug.* anno MCVIII. Thomâ Eboracensi Archiepiscopo, & Ulfrico Cardinale manus ei imponentibus. Obiit Dunelmi anno MCXV. Condidit *historiam* Ecclesiæ & Episcoporum Dunelmensium à primâ fundatione, ad annum usque MXCVII. CXVI. capitibus eam complexus. Extat MS. in codice venerandæ antiquitatis, & forsan autographo, sed absque Auctoris nomine, in Bibliothecâ Cottoniana sub *Faustinâ* A. V. Simeon Dunelmensis, ætate suppar, plagio planè intolerando, Turgoti scrinia fortiter compilavit, & resectis solummodò quæ ad Turgotum propriè spectabant, opus integrum in historiam suam securus transcripsit, suoque nomine venditavit. Latinè scripsisse Turgotum nemini dubium esse potest; Etsi Baleus* Pitseus †, Vossius *, alii, ex malè intellecto Hectoris Boëthii loco, illum vernaculo sermone lucubrationes suas edidisse tradant. Reliquisse Turgotum commentarios *de Vitâ Malcomi* Regis Scotiæ, ejusque conjugis Margaritæ, testatur Vossius *de Hist. Lat.* pag. 396. Quæ unde hauserit, & an hodie supersint, me ignorare fateor. De Turgoto ejusque historiâ, plurima eaque haud vulgaria, congessit V. C. Joan. Seldenus *Præfat. ad Histor. Anglic. Scriptores* X. p. 4. & seqq. 1108. P. II.

* Cent. II. l. LX. p. 169. † De Script. p. 194. * De Hist. Lat. lib. II. c. 48. p. 397.

ANONYMUS Historiæ Elyensis Auctor, Anglus, Monachus Elyensis claruit, si in re incertâ divinare liceat, circa annum MCVIII. Scripsit, sive potius ab antiquiore quodam anglicè scriptam, suasu Hervæi Episcopi Elyensis, Latinè transtulit, Historiam Ecclesiæ Elyensis, sive de operibus Ethelwoldi. Hanc edidit Tho. Galeus *Rer. Anglic. Script.* Tom. III. pag. 463. qui codicem MS. quo usus est, circa hujus Sæculi initium scriptum fuisse colligit. Vide plura in Thomâ Elyensi. 1108. P. II.

STEPHANUS HARDINGUS, natione Anglus, splendidâ familia natus, vitam monasticam in Cœnobio Sherbornensi amplexus est; inde ad peregrinandum se accingens, Scotiam, Galliam, Italiam, Romam usque peragravit. In Burgundiam denuò iter faciens, in Cœnobio Moles- 1109.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. lesmensi apud Lingonenses inter Ordinis Benedictini Monachos nomen dedit. His verò demum relictis ad Ordinem Cisterciensem se recepit, & elapsis exinde annis decem Abbas Cisterciensis electus est anno 1109. post 13. Ordinis sui Monasteria à se fundata, Cisterciensium suorum regimine se abdicavit anno 1133. obiitque anno sequenti die XVII. Aprilis. Congregato generali Cisterciensium Capitulo anno 1116. atque iterum anno 1119. constitutiones quasdam pro unione monasteriorum Cisterciensium inter se promulgavit, quas vocari voluit *Chartam Charitatis*. Extat ista *Charta* in Menologio Cisterciensi *Antverp.* 1635. ad diem V. Julii; & Annalium Cisterc. Angeli Manriquez *Lugduni* 1642. Tom. I. ad annum 1119. Extant ejusdem *Epistola* II. inter Epistolas S. Bernardi ad Ludovicum Galliæ Regem. *Exordium parvum Ordinis sui* in Bibliothecâ Cisterciensi à Bertrando Tissier edita *Paris.* 1660. *Sermo habitus in obitu S. Alberici*, apud Manriquez Tomo I. Annalium ad ann. 1109. *Insignis sermo habitus* anno 1113. cùm S. Bernardum cum 30. sociis venientem habitu Ordinis Cisterciensis induit, apud Britum lib. 1. cap. 22. monente Carolo du Visch. *Biblioth. Script. Cisterc.* p. 301. Eidem vulgò ascribitur. *Liber Usuum, seu Rituum Ordinis Cisterciensis*, *Parisiis* anno 1628. atque alibi, editus.

1109. P. II. PELAGIUS, natione Hispanus, Ovetensis in Hispaniâ Episcopus, claruit anno MCIX. Concilio Ovetensi interfuit anno MCXV. & donationi Sanciæ Infantis Petro Cluniacensi factæ, anno MCXXIV. subscripsit, & post paucos annos diem extremum clausisse videtur. Contexuit Chronicon Hispaniæ, exorsus præcipuè ab eo tempore, quo Sampirus desiit, id est, ab ann. DCCCCLXXXII. vel ut alii DCCCCLXXXV. usque ad annum MCIX. Integra, quam fecit, Historiarum Compilatio (plura enim aliorum Chronica in unum opus congessit) hunc habet titulum, *Liber Chronicorum ab exordio mundi usque ad Æram* MCLXX. Edidit hoc Chronicon unà cum aliis an. 1615. Prudentius Sandovalius, alteramque editionem promisit Card. d'Aguirre *Notit. Concil.* pag. 363. In Præfatione multa continentur non usquequaque vera, unde colligit Antonius, præfationem non à Pelagio nostro, sed à quodam recentiore additam fuisse. Scripsit etiam Pelagius Commentarium *de præcipuis Hispaniæ urbibus*, qui MSS. adhuc superesse putatur. De his Pelagii scriptis multa eruditè notat idem Antonius *Biblioth. Vet. Hisp.* Tom. II. lib. 7. c. 3. p. 9. &c.

1110. PETRUS, GROSOLANUS seu *Chrysolanus* dictus, primùm minoris cujusdam urbis Præsul, deinde Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopus; claruit anno 1110. A Paschali Papâ ad Alexium Comnenum Imp. Constantinopolim missus, fervente controversia de processione Spiritus S. strenuè adversùs Græcos tum voce tum scriptis dimicavit. Domum reversus, orta illum inter & Jordanem de sede Mediolanensi lite anno 1116. Concilii Lateranensis sententia ad priorem sedem abdicato Archiepiscopatu redire coactus est. Extat *Oratio ad Alexium Comnenum de Processione Spiritus* S. Lat. apud Baronium ad an. 1116. Gr. Lat. apud L. Allatium *Orthod. Græc.* Tom. I. pag. 379.

1110. EUSTRATIUS, Metropolita Nicænus; claruit circa ann. 1110. In iis erat, qui adversùs Chrysolanum stylum exacuerunt. Auctor certè gravis, & aliarum scriptionum laude apud Latinos ipsos celebris, fatente Leone Allatio de Consensu l. 2. cap. 10. Tale de eo elogium fert Anna Comnena, testis contemporanea; Ἀνὴρ τά τε θεῖα σοφὸς καὶ τὰ θύραθεν αὐτῶν ἐπὶ ταῖς διαλέξεσι μᾶλλον, ἢ οἱ περὶ τὴν στόαν καὶ ἀκαδημίαν ἐνδιατρίβοντες. *Vir in rebus divinis externisque apprimè doctus, in concertationibus majorem sibi locum vendicans, quàm illi qui Stoâ & Academiâ exercitabantur.* Scripsit *adversus Chrysolanum Opus de Processione Spiritus S.* quod in Bibliothecâ Valicellana hodiè MS. servatur. Quinque alios ejusdem argumenti *Tractatus*, quos ipse vidit, recenset Leo Allatius loco suprà citato. Cæterùm Eustratii nostri *Commentarii in posteriora Analytica Aristotelis* Græcè editi sunt *Venet.* 1534. *Commentarii ejusdem in Aristotelis Ethica* Græcè ibid. 1536. Lat. *Paris.* 1543. SÆC. XII. ab An. MC.

EUSTRATIUS, Metropolita Nicænus, claruit ann. MCX. De ejus Scriptis suprà diximus. 1110. P. II.
Quibus hæc addenda sunt. Scripsit Eustratius adversus Armeniorum hæresin libros duos, quibus in nonnulla fidei capita impegit. Unde necesse habuit confessionem & revocationem errorum, quos imprudenter his libris inseruerat, conscribere, quam Synodo CP. anno MCXVII. sub Imp. Alexio Comneno celebratæ obtulit. Libri ipsi periisse videntur. Superest ipsa *confessio* seu revocatio, quæ hoc modo incipit. Ἐπειδὴ πρὸς Ἀρμενίους μαχόμενοι &c. Extat MS. unà cùm Præfatione, ab alio præmissa, Biblioth. Vindob *Cod. Theol.* 307. num. xvi. fol. 98. Confer quæ habet Lambecius *Comment.* lib. IV. pag. 150. & Nesselius *Catal.* Part. 1. pag. 422.

NICETAS SEIDUS, Scriptor Græcus, Latinorum adversarius; claruit (si in re obscura rectè conjicio) circa ann. 1110. Cum Latinos dogmata ritusque suos ab Ecclesiæ Romanæ, antiquitate commendare animadverteret, edidit adversùs eos opusculum hoc argumento, *Non simpliciter antiqua novis venerabiliora, adeoque neque nova vetus Roma, nec sedes sede.* Ex hoc Opere ampla quædam nec contemnenda fragmenta profert Leo Allatius *de Consensu* lib. 1. cap. 14. §. 1. 2. l. 2. c. 1. §. 2. l. 3. c. 12. §. 4. 1110.

GILLE, sive GILLEBERTUS, genere an gente Ostmannus? Episcopus in Hibernia Lunicensis sive Lumnicensis, seu Limiricensis, (vide sis Waræum * & Usserium †) claruit anno 110. quo Synodum in Hibernia celebravit, in qua limites Epicopatuum Hibernicorum definivit. Anno 1115. in Anglia versatus Bernardi Episcopi Menevensis ordinationi Westmonasterii peractæ interfuit. Primus per totam Hiberniam Legatus Apostolicus factus est; cui muneri, annis jam gravis, morbis gravatus, anno 1139. renunciavit; & paulò post obiit. Extant *Libellus de statu Ecclesiæ*, & *Epistolæ* II. altera *ad Episcopos & Presbyteros Hiberniæ*; altera *ad Anselmum Cantuariensem*, apud Usserii *Epistolarum Hibernic. Syllogen.* p. 77. 1110.

* Comment. de Præsul. Hibern. p. 183.
† Not. ad Ep. Hibern. pag. 140.

GODEFRIDUS, Patria Andegavensis, nobili loco natus, prima ætate Monachis Vindocinensibus se adjunxit, & post aliquot annos novitus adhuc & juvenis, ac Diaconus tantùm quintus ejusdem Cœnobii Abbas creatus est, ab Ivone Carnotensi inauguratus. Anno 1093. in Italiam profectus, rei pecuniariæ subsidium Urbano II. tunc Guibertinæ factionis metu latitanti, tulit. Tanto beneficio devinctus, Pontifex eum Presbyterum ordinavit, & Cardinalem titulo S. Priscæ renuntiavit. Anno 1095. ab Urbano accitus Concilio Claromontano interfuit; non Urbano solùm, sed & Paschali etiam successori imprimis charus: quorum 1110.
utrum

nque in Monasterio suo Vindocinensi hospi-
xcepit. Claruit ann. 1110. Strenuus Ecclesiæ
anæ pugil, cujus authoritatem ut tueretur &
aret, Alpes duodecies transcendit, ter etiam
ntificum adversariis captivus ductus. In vi-
lhuc erat anno. 1129.

SCRIPTA

pistolarum ad Pontifices, *Cardinales*, *Episcopos*,
bbates, *Monachos*, *& Sæculares*, *libri* V.
uscula numero XVIII.
mones XV. *in primariis anni festivitatibus ha-*

odefridi Opera curâ Jacobi Sirmondi notis
ata prodierunt *Paris.* 1610. & exinde in Biblio-
Patr. Tom. XXI. p. 1.

ERENGOSUS, sive Berengosius, Abbas S.
mi extra muros Trevirenses, claruit circa
1110.

SCRIPTA.

E *laude & inventione Crucis Dominicæ libri* III.
Liber de mysterio Ligni Dominici, *& de luce visi-*
invisibili, *per quam antiqui Patres meruerunt*
ari.
mones V. *de Martyribus*, *Confessoribus*, Dedica-
Ecclesiæ, *& Veneratione Reliquiarum.*
odierunt Opuscula ista *Colon.* 1555. 8. & in
otheca Patrum Tom. XII. p. 349.

RUS THEODORUS PRODROMUS, (in
itulo Cyrum nihil aliud quàm Κῦρον, sive *Do-*
m denotare arbitror) Monachus sive ut hoc
ore loqui solebant, Philosophus, causæ Græ-
n adversus Latinos fautor & defensor stre-
claruit sub Alexio Comneno anno MCX.
it contra Latinos librum *de processione Spiritûs*
, cujus hoc principium. Φανερὸν ἐστὶ ὅτι ὥσπερ
ὕτω καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον δίεται ἐκ Πατρὸς μόνε
ύπεξιν. Hunc se legisse testis nobis est. L. Al-
de Consens. Orient. & Occident lib. II. cap. 10.
ii. col. 630. *Epistola* ejus ad Gregorium Mo-
ii Insulæ Oxiæ in Propontide Abbatem, de
Patriarchæ in hanc Insulam, habetur MS.
th. Vindob. *Cod.* Theol. LVIII. num. XIV.
2. hoc initio, Οἴμαι θεσπέσιε καὶ σοφὲ μου Πάτερ καὶ
μέγα Γεγήθειε, ὅτι ἐκλέλοιπεν ὁσιος ἀφ' ἡμῶν &c.
a ejus aliquot MSS. habentur Biblioth. Bodl.
Baroc. CXXXI. Scripsit item amplissimam *ex-*
nem in SS. Patrum, Cosmæ Episcopi Maju-
s, & Joannis Damasceni Canones sive Can-
Ecclesiastica in præcipuis solennitatibus can-
lita, quæ ita incipit Ὁ Χερσὸς βροτὸς γνώμενος
ἄνθρωπος θνητὸς, ἵν᾽ ᾖ καὶ Θεὸς ὁ αὐτὸς &c. Extat
Biblioth. Vindob. *cod. Theol.* num. i. fol. i. us-
d fol. 191. p. 2. & *cod.* CCLXIX. iterumque
CCCXII. & in Bibliothecâ Bodleianâ inter co-
Baroccianos num. cx. ejusdem *Tetrastica sacra.*
anonimy cujusdam Commentario Gramma-
; incipiunt. Ἐν ἡμέραις ἐξ τὴν κτῆσιν κτίζει
cc, MSS. ibid. *cod. jurid.* xv. num. xii. fol.
Mitto Miscellanea ejus *Grammaticalia* ibid.
Philosoph. CV num. ii. Poëma *astronomicum* ver-
Politicis ad Sebastocratorissam Irenem *cod.*
um. xxiv. in alium quippè censum referenda.
is ejus *Exarratio* ad quæsita Sebastocratorissæ
ur Græcè MSS. in Bibliothecâ Regiâ Parisiensi
XXIV.

NSCHERUS, Centulensis in Galliâ Abbas,
t an MCX. Scripsit *de Miraculis* S. Angelberti
Abbatis libros tres. Partem hujus operis in lucem protulit Bollandus *Februar.* xviii. & Hariulfo Monacho Centulensi malè tribuit. Integrum opus ex MSS. codicibus Centulensibus edidit, & Anschero nostro restituit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. I. p. 130. qui in prolegomenis ad Vitam Angelberti sententiæ suæ rationes præfert; quas ibidem consulat curiosus lector. Sæc. XII. ab An. MC.

ANONYMUS Vitæ S. Neoti Auctor, cellæ S. Neoti in agro Huntingdonensi, ut videtur, Monachus, claruit post Normannorum in Angliam adventum circa annum MCX. Scripsit *Vitam S. Neoti* Abbatis Angli, quam ex MS. cod. Beccensi in lucem emisit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. II. p. 323. 1110 1111

FRANCO, primùm Scholasticus Leodiensis, dein Monachus, & post Fulgentii mortem Abbas Affligemiensis O. B. Claruit anno 1111. Scripsit *De Gratia Dei libros* XII. quos Monachus, adhuc inchoavit, Abbas absolvit. Prodierunt hi libri typis excusi *Antverp.* 1565. *Friburgi* 1620. & cum Epistola de Monacho habitum rejiciente, in Bibliothecâ Patr. Tom. XXI. pag. 293. Cæterùm Franco metricè etiam *statum futuræ gloriæ* eleganter descripsit, teste Henrico Gandavensi *. Verùm id Opus interiit. Scripsit etiam ad Hermannum Coloniæ Archiepiscopum *librum de Quadratura circuli*, *aliumque de ratione Computi*, jam deperditos; si modò idem cum Affligemiensi sit Franco ille Leodiensis, de quo verba facit Sigebertus cap. 164. quod quidem haud ita certò constat. 1111

* De Script. Eccl. c. 39.

RUPERTUS, *Tuitiensis* dictus primùm Monachus S. Laurentii in Oesbrovic propè Leodicum sub Berengero sive Berengario Abbate, quo vivente *Commentarios de divinis Officiis* conscripsit anno 1111, A Berengario moriente Cunoni Abbati Sigebergensi, commendatus, cujus Patrocinio à Persecutione falsorum Fratrum invidia tabescentium, uti ipse loquitur, liberatus, *Commentarios suos in S. Scripturam* edere cœpit anno 1117. Demum ob præclaram eruditionis famam à Frederico Archiepiscopo Coloniensi evocatus, Tuitiensis Cœnobii, è regione Coloniæ Agrippinæ siti, Abbas creatus est. Obiit anno 1135. IV. Non. Mart. Quænam illius de Eucharistia sententia fuerit, ipse explicabit Baronius *. In errorem, inquit, illum impegit incautè, quo asseruit in sacratissimo Eucharistiæ Sacramento ita inesse verè ipsum integrum corpus & sanguinem Christi, ut tamen substantia ipsa panis & vini etiam integra remaneret. Qui error damnatus est in Concilio Lateranensi sub Innocentio Papa IV. seu ut luculentiùs forsan Ruperti sententiam explicat Bellarminus †. Error, inquit, Ruperti in eo situs est, quòd existimavit non converti panem in corpus Christi, dum conficitur Eucharistia, sed assumi à verbo divino; quemadmodum assumpta est humanitas. 1111

* Ad an. 1111. in fine.

† De Script. Eccl. in Ruperto.

OPERA.

COmmentariorum *de sanctissima Trinitate & operibus ejus libri* XLII. *in utrumque Testamentum*, ad Cunonem Abbatem Sigebergensem, viz. *de Patris Operibus* libri III. *Filii* XXX. *Spiritûs S.* IX.

Commentariorum in XII. Prophetas Minores libri XXXI. *ad Fredericum Archiepiscopum Coloniensem.* Prodierunt seorsim *Noribergæ* 1524. Lovanii 1551.

Commentariorum in Cantica Canticorum de Incarnatione Christi & laudibus Deiparæ Virginis libri VIII

Com-

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. *Commentarius in Iob*, ex Gregorii M. scriptis excerptus.

Commentariorum in Ecclesiasten libri V. ad Gregorium.

De Gloria & honore Filii Hominis super Matthæum libri XIII. *ad Cunonem ex Abbate Sigebergensi Episcopum Ratisponensem.* Prodierunt seorsim *Colon.* 1533.

De Glorificatione Trinitatis & processione Spiritus S. libri IX. quibus præmittuntur *Hymnus ad Sp. S. Epistola ad Romanum Pontificem, & Prologus ad Cunonem Ratisponensem.* Prodierunt unà cum Opere præcedente *Colon.* 1533.

Commentariorum in Evangelium S. Joannis libri XIV.

Commentariorum in Apocalypsin libri XII. *ad Fredericum Archiepiscopum Coloniensem.* Prodierunt *Noribergæ* 1526.

De Victoria verbi Dei libri XIII. *ad Cunonem.* Prodierunt seorsim *Noribergæ* 1523.

De Divinis Officiis per anni circulum libri XII. *ad Cunonem*: quos nonnulli Valramo seu Waleramo cuidam, S. Anselmi amico, luculentissimo errore ascripserunt. Habentur inter Scriptores *de Divinis Officiis Paris.* 1610. & alibi.

De incendio Tuitiensis oppidi sua ætate viso, in quo Corpus D. N. J. C. *à flamma circumfusa intactum remansit, Liber.*

De Meditatione mortis libri II. Prodierunt unà cum Opusculo præcedente, & Ruperti Vita, *Colon.* 1572.

Vita S. Heriberti Coloniensis Archiepiscopi, qui obiit anno 1121. ad Marcvvardum. Extat apud Surium ad XVI. Mart.

De Passione S. Eliphii Martyris liber. Habetur apud Surium ad XVI. Octobr.

De voluntate Dei liber.

De omnipotentia Dei liber. Prodierunt simul bina ista Opuscula *Noribergæ.* 1524.

In quædam Capitula Regulæ S. Benedicti libri IV. ad Cunonem Abbatem.

De eadem re ex Historia Abbatum S. Nicolai Brenvvilerensium Epistola.

De læsione virginitatis, & an possit conservari corrupta, liber.

Prodierunt ista omnia Ruperti Opera *Paris.* 1638. II. Tom. f. Prodierant antea Ruperti Opera *Colon.* 1533. 1566. 1577. 1598. & 1602.

Dialogorum inter Christianum & Judæum libri III. quibus *Annuli* nomen dedit: in lucem editi sunt à Gabriele Gerberonio ad calcem Anselmi Operum *Paris.* 1675. p. 524.

Opus ex libris Regum de glorioso Rege David, libris VIII. comprehensum se scripsisse memorat Rupertus *in Epistola ad Cunonem libris De Divinis Officiis præfixa*: quod quidem Opus Frederici Coloniensis hortatu olim susceptum nunc interiisse videtur.

1112. JOANNES, Archiepiscopus Lugdunensis, claruit anno 1112. quo Synodum Episcoporum suffraganeorum indixit, & investituras laicorum damnavit. Ad hanc Synodum vocati Provinciæ Senonensis Episcopi ire recusarunt: quin & missa ad Joannem Epistola non solùm licitas esse laicorum investituras, sed & in præsenti Ecclesiæ statu fieri debere declarant. Hos rescripta *epistola* acerbè perstrinxit Joannes, & sententiam eorum indubitatam esse hæresin contendit. Extat *Epistola* ista unà cum Senonensium Episcoporum literis Concil. Tom. X. p. 786.

1113. STEPHANUS I. Æduensis sive Augustodunensis Episcopus creatus est anno 1113. Post. ann. 1129. Episcopali dignitate se abdicavit, sub Petro Mauricio Monachus Cluniacensis factus, eoque astante diem clausit extremum. Scripsit *Librum de Sacramento Altaris, & iis quæ ad illud variosque Ecclesiæ ministros pertinent*, qui habetur in Bibliotheca Patr. Tom. xx. p. 1872. Alter erat junior Stephanus Augustodunensis, qui obiit an. 1189. SÆC. XII. ab An. MC.

BALDRICUS, Patriâ Aurelianensis, primùm Monachus, dein Abbas Burguliensis in Andegavis. Anno 1095. Concilio Claromontano interfuit. Anno 1114. Archiepiscopus Dolensis in Aremorica factus est. Obiit grandævus anno 1131. die XXVII. Januarii. Scripsit *Historiam Hierosolymitanam* libris IV. quibus Christianorum Occidentalium res gestas in Oriente ab an. 1. susceptæ peregrinationis, Christi 1095. usque ad captam Hierosolymam & Godefridi Regis mortem anno 1100. veraciter descripsit & eleganter, judice Orderico Vitali *, qui plurima ex eo deprompsit. *Extat Historia illa* inter *Gesta Dei per Francos* Tom. I. pagin. 81. & ejusdem Carmina quædam inter Historicos Francicos à Duchesnio editos Tom. IV. Alia scripsit Baldricus, viz *Vitam Hugonis Archiepiscopi Rothomagensis*; quæ habetur apud Arturum du Monstieur in *Neustria Pia*, pag. 282. sed in qua multa conficta & fabulosa notat idem Monstieur cap. sequenti. Relationem ejusdem prolixam de Monasterio Fiscamnensi ex Codice MS. Fiscamnensi edidit idem Monstieur ibid. pag. 227. *Vita S. Roberti de Arbrisellis, Ordinis Fontis-Eberaldi Fundatoris* à Baldrico scripta habetur apud Surium & Bollandum ad xxvi. Februar. *Translatio itidem & Miracula capitis. S. Valentini Martyris* apud Bolland. xiv. Februarii 1114.

* Hist. Eccl. l. 9. in fine.

Vitam B. Samsonis, Episcopi Dolensis ab eodem scripto signatam memorat Vossius *de Hist. Lat.* lib. 3. par. 2. cap. 6. Libellus ejus *de Visitatione infirmorum* Manuscr. in Bibliotheca Lambethana habetur.

EARNULPHUS, Natione Gallus, Cœnobii Bellovacensis Monachus, ubi vitam diu egit; sed cùm nonnulla Monachorum facinora insolentiæ plena doleret, quæ nec emendare posset ipse, nec pati vellet, de Monasterio relinquendo consilium iniit A Lanfranco etiam Cantuariensi, cui discipulus olim fuerat, admonitus, ut ad se veniret, inquit Guilielmus Malmsburiensis †, quia ibi animam suam salvare non posset, in Angliam transmeavit. Hîc factus primùm Monachus, deinde sub Anselmo Prior Cantuariæ, ac tandem Abbas Petriburgensis, demum Radulpho Cantuariam translato anno 1115. die xxvi. Decembr. Roffensis Episcopus constitutus est. Plurima ubique pietatis suæ, munificentiæ, & probitatis monumenta reliquit. Obiit mense Martio anno 1124. ætatis 84. Extant *Tomellus* sive *Epistola de incestis conjugiis*, atque alia *Epistola solutiones quasdam continens ad varias Lamberti Abbatis Bertiniani quæstiones, præcipuè de Corpore & Sanguine Domini*, apud Dacherium *Spicileg.* Tom. 11. p. 420. 431. Extat etiam Tomellus ejus in Bibliotheca Lambethana. 1115.

† De gestis Pontif. Angl. lib. 2. in fine.

EARNULPHUS, natione Gallus, Monachus Belvacensis, dein Cantuariensis, ejusdem Cœnobii ab Anselmo Prior factus, postea Abbas Petriburgensis, denique Episcopus Roffensis, anno MCXIV. constitutus est. Obiit anno MCXXIV. Scripsit librum *de Rebus Ecclesiæ Roffensis*, de ejus fundatione, dotatione, chartis, aliisque ad eam spectantibus. Codex MS. in Archivo Ecclesiæ Roffensis asservatur. Ex quo collectanea de rebus Roffensis Ecclesiæ, notis suis illustrata edidit H. Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. 1. p. 327. Scripsit item ad Wal- 1114. *P. II.*

Digitized by Google

kelinum Wintoniensem Eiscopum, Epistolam
ceſtis conjugiis, quæ habetur apud L. Dache-
Spicileg. Tom. II. p. 420. Et *Epiſtolam* seu li-
m ad quasdam Lamberti Abbatis Bertiniani
tiones præcipuè *de corpore & ſanguine Domini.*
t ibid. pag. 431. Earnulphum nostrum egregiè
mendat Gulielmus Malmesburiensis *; & quòd
ontificis, Prælatorum, & Clerici vitia acerri-
nvehi solebat, impensè Baleus,† qui plura qui-
ei opera tribuit, sed quæ Earnulphi Lexovien-
æcipuè sunt, quem cum nostro malè confun-
nterim Whartonus Edmundi de Hadenham,
achi Roffensis, Annales Roffenses, ab anno
V. ad annum MCCCVII. & Historiæ illius
nuationem ab aliis concinnatam, aliáque
ulla ad hanc Ecclesiam pertinentia Earnulphi
ctaneis subnexuit.

ERNARDUS, gente Gallus, Patriâ Burgun-
ortu nobilis, in Fontanensi Castro juxta Di-
em natus anno 1091. Tecelini Militis & Ale-
ilius. Anno 1113. de sæculo relinquendo jam-
neditatus, ad Stephanum Abbatem se contu-
& inter Monachos Cistercienses nomen de-
socios instituti sui plusquam 30. secum addu-
, quos ipse sæculo abrenuntiare monitis in-
rat. Anno 1115. cum pietate & doctrinâ inter
achos Cistercienses communi omnium suffra-
palmam tulit, Stephani Abbatis jussu colo-
quasi Monachorum ad Clarævallum in terri-
Lingonensi deduxit; ibique extructo Mo-
rio Abbatis munus obiit, à Gulielmo de Cam-
Episcopo Catalaunensi ordinatus. Ædifica-
arævallis Monasterio, tuguriolum sibi extra
obii claustra poni præcepit, ibique loci de-
a omni Monasterii regendi sollicitudine, ar-
pietatis disciplinæ, & otio literario, totus
bat. Anno 1127. à Matthæo Episcopo Albanen-
Pontificis per Galliam legato, Monasterii sui
ibus ægrè abstractus, Concilium Trecense pe-
ubi authoritate, quam sibi pietas stupenda &
tio rara apud omnes conciliarant, Templa-
m Ordinem confirmari effecit, & Episcopo-
hortatu *Regulam* quandam iis observandam
ripsit. Anno 1129. in Curia Romana inclareſ-
cœpit; ac bonorum causæ patrocinari, literis-
deinceps ad Pontifices datis totius ferè Occi-
lis Ecclesiæ rebus consulere instituit. Anno
Innocentii Papæ causam in Concilio Stam-
egit; eumque pro legitimo Pontifice haben-
esse magna postea animi constantia conten-
quin & ad Willelmum Aquitaniæ Ducem pro
n legationem obiit. Anno 1131. Innocentio
in crebris per Galliam celebratis Conciliis
t. Anno 1134. enixis præcibus à civibus Me-
nensibus accitus, & ab Innocentio legatus,
olanum profectus est; ubi ingenti venera-
exceptus, cives Ecclesiæ Romanæ reconci-
, iisque autor fuit, ut excussis Conradi ha-
Lotharium *I*mperatorem susciperent. Lon-
esset enumerare singula S. Bernardi itine-
labores, pro restaurandis & ampliandis Ec-
rebus susceptos. Ter Alpes transcendit, sæ-
d Principes Christianos legationes obiit; apud
s religionis & pietatis causa indefesso animi
literis & voce egit. Anno 1138. Romæ mo-
aciens, schisma inter binos Pontifices jamdiu
um fœliciter extinxit, tantumque rationum
ud Victorem Antipapam valuit, ut exutis il-
estibus Pontificalibus Innocentium Papam
, pacem peteret, quam etiam obtinuit. Tan-
neficio devincti Romani triumphum quasi
ardo decreverunt; eumque in Gallias prope-
m ingenti pompa dimiserunt, *Patrem Patriæ,*
Cave Hiſt. Lit.

& *reſtauratorem Eccleſiæ* publica acclamatione agnos- SÆC. XII. ab An. MC.
centes. Anno 1140. Petri Abaillardi errores acri-
ter oppugnavit, quem & vivâ voce & scriptis
palàm evulgatis confutavit. Anno 1146. literis
undequaque missis, & sermonibus ad Principes po-
pulumque habitis ingenti militum copiæ conflandæ,
& in Terram Sanctam Christianorum subsidio mit-
tendæ incubuit, tantâ authoritate usus, ut Conra-
dum Romanorum Imperatorem, Ludovicum
Franciæ Regem, Theodoricum Flandriæ Comi-
tem, & Henricum Blesensem, aliosque Christiani
Orbis magnates monitis suis excitatos ipse manu
propria cruce signaret. Anno 1147. Gillebertum
Episcopum Pictaviensem Divinitatem à Deo te-
merè separantem, aliaque absona de Trinitate fig-
menta propalantem, argumentis suis ad palinodiam
adegit; hæresinque ejus in Conciliis Antissiodo-
rensi, Parisiensi, & Remensi damnari curavit.
Eodem anno ab Alberico Cardinali Ostiensi roga-
tus, ad Henricum Petri de Bruis discipulum, ejus-
que sectarios, *Petrobruſianos* dictos, in Ecclesiæ
Romanæ sinum reducendos se accinxit; & To-
losam *Petrobruſianorum* natale solum, profectus,
innumeram plebem prædicando, disputando,
monendo ab Henrici partibus revocavit. In ordi-
nem utcunque redactis Petrobrusianis, alius Ber-
nardum excepit labor. Illiteratum quoddam tunc
temporis hominum genus speciosum *Apoſtoli-
corum* titulum gravissimis erroribus obtende-
bant. Inter alia enim, quæ propugnabant, ortho-
doxa satis dogmatata, ineptias de vitandis penitus
juramentis, & esu carnium admiscuerunt. Hos ad-
orsus Bernardus, alios ab erroribus retraxit, aliis
os obturavit. Nec tamen ita foris perspicax Ber-
nardus, ut cœcutiret domi. Vidit ille (& inge-
muit) Ecclesiæ Romanæ errores, corruptelas, &
sordes; eaque, quantum poterat castigare non
dubitavit. Vergente præsertim ætate lapsam Ec-
clesiæ disciplinam reformari seriò suasit. Datis
enim anno 1151. ad Cardinalem Ostiensem literis,
postquam degenerem Ecclesiæ statum, & fœdos
Legati cujusdam Pontificii mores deflevisset, hæc
subinfit; *Legite has literas* Domino meo (Pontifici): Ep. 290.
*ipſe viderit, quid de tali homine faciendum ſit. Ipſe
liberavi animam meam. Dico tamen præcipitatione,
quâ ſoleo: Bonum eſt ei, ſi purget ipſe Curiam ſuam,
& ſi liberet conſcientiam ſuam.* Editis quinetiam an-
no sequenti *Libris de conſideratione*, rem eandem
fusiùs persequitur, ac fortiùs urgebat. Obiit vir op-
timus XIII. Cal. Septembr. anno 1153. ætatis suæ
63. Postquam Monasteria 160. Cluniacensibus suis
erexerat. Vir planè sinceræ atque infucatæ Pieta-
tis, insigni in Deum amore, ingenti adversùs cor-
ruptos Christianorum mores zelo flagrans, multò
melior futurus, si tempora, in quibus sors ipsi vi-
vendi contigit, non prohibuissent. Literis huma-
nioribus non leviter tinctus, scientiâ Theologicâ
instructissimus, longè supra captum sæculi, quo
vixit, elegans ac eruditus. *Chriſtianè doctus, & ſan-
ctè facundus, & piè feſtivus*, ut Erasmi de eo ver-
bis utar. Addam quæ de eo D. Chytræus Orat. de
Ph. Melancthone p. 509. *Bernardus*, inquit, *admira-
bili religionis ſtudio, & ſacrarum litterarum peritia,
quarum verba & ſententiæ dicenti ſe ſponte offerunt,
in movendis etiam affectibus piis, non ſegnis, nec inef-
ficax, ſimul tamen feſtivus, & jucundus eſt, ut Melli-
flui cognomen non immeritò ipſi tributum videatur;
cum plerique alii, illi σύγχρονοι, recentiores Schola-
ſticæ Theologiæ Scriptores, frigidi & ἀπαθεῖς in dicen-
do, unum hoc agant, ut Lectorem doceant.*

OPERA GENUINA.

E*piſtolæ* CCCLXVII.
*Ser mones in Dominicas, & feſta Chriſti, Dei-
para*

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC.

paræ, *& Sanctorum* per annum. Item *de Dedicatione Ecclesiæ VII. & unicus in obitu Humberti Monachi.*

In Psalmum XC. Sermones XVII.

Sermones de Diversis numero CXI. *cum aliis Sermonibus* XVII. *parvis*, *& Parabolis* V.

Officium de S. Victore, rogatu Guidonis Arremarensis compositum.

Confessionis privatæ Formula.

Jubilus Rythmicus de Amore, Passione, & Ascensione Jesu Christi.

Sermones LXXXVI. *in priora tria Capita Cantici Canticorum*, quorum priores 23. ante annum 1137. scripti sunt.

De Consideratione ad Eugenium Papam libri V. Prodierunt seorsim *Colon.* 1605. 8°.

De moribus & Officio Episcoporum Tractatus, qui in aliis editionibus locum inter Epistolas sortitur.

Apologia de vitâ & moribus Religiosorum ad Gulielmum Abbatem S. Theodorici.

De Contemptu mundi Tractatus, seu *Exhortatio de contemptu mundi ad Clericos.*

De diligendo Deo ad Haymericum Cardinalem Tractatus.

De gratia & libero arbitrio.

De præcepto & Dispensatione ad Monachos Carnotenses.

De gradibus humilitatis & superbiæ, cum censurâ seu Retractatione in illum Tractatum.

De nova Militia, seu *Exhortatio ad Milites Templi.*

De Conversione ad Clericos, *seu exhortatio de vita in melius convertenda.*

De erroribus Petri Abbaillardi in Synodo Senonensi damnatis ad Innocentium Papam Tractatus, qui in aliis editionibus est Epistola 190.

Tractatus ad Hugonem de S. Victore de quibusdam quæstionibus ab eo propositis, in aliis editionibus Epistola 77.

De Vita & rebus gestis S. Malachiæ Hiberniæ Archiepiscopi cum Sermone de eodem.

Opera Dubia, & Supposititia.

Sermones XLVIII. *in Cantici Canticorum partem posteriorem.* Gilberto de Hollandia, Anglo, debentur.

Tractatus de Vita solitaria, *seu Epistola ad Fratres de Monte Dei Carthusianos.* Gulielmi Abbatis S. Theodorici de Monte Aureo fœtus est.

Vitis mystica, seu *Tractatus in illud*, *Ego sum vitis vera.*

Meditationes Piissimæ XV. *in illam sententiam*, *Nosce te ipsum.* Conficiunt primum librum Hugonis à S. Victore *de Anima.*

De interiori domo, *seu de Conscientia ædificanda*, *Liber.* Tertius est inter Hugonis libros de Animâ.

Scala Claustralium, *seu De modo orandi ad Fratrem Gervasium Tractatus.* Habetur inter Opera S. Augustini titulo *Scalæ Paradisi*, & Guigonem Carthusiæ Majoris priorem, qui obiit anno 1137. authorem habet.

De Amore Dei libri III. Gulielmi Abbatis S. Theodorici opus.

Institutio Sacerdotii, seu *de præcipuis mysteriis nostræ religionis Tractatus.*

Sermones in quadam Festa, *&* Dominicas anni.

Sermones XI. seu *potiùs de Oneribus Isaiæ.* Ælredi Abbatis Rievallensis in Anglia sunt.

Sermones III. de Nativitate.

Sermo de S. Stephano Protomartyre.

Tractatus de puero Jesu duodecenni. Ælredi ejusdem est.

Sermones XV. de Sermone Domini in Cœna habito. Ogerio cuidam Abbati Cucedii Ordinis Cisterciensis à Labbeo tribuntur.

SÆC. XII. ab An. MC.

Sermones IX. viz. *De duobus discipulis euntibus in Emmaum.* De *Excellentia sanctissimi Sacramenti*, *in illud*, *Panem Angelorum.* De *Nativitate & Privilegiis S. Joannis Baptistæ* [qui inter Petri Damiani Opera habetur]. *In Parabolam de Villico iniquitatis.* De *B. Mariæ in illud*, *Sapientia vincit malitiam.* *In Parabolam de decem Virginibus.* De *S. Andreâ*, *in illud*, *Corde credens.* *In Festo S. Nicolai.* Posteriores duo Sermones inter Opera Petri Damiani reperiuntur.

Sermones IV. in Salve Regina, unà cum Meditatione in eandem Antiphonam.

Ad Clerum in Concilio Rhemensi congregatum.

Ad Pastores in Synodo congregatos.

Ad Prælatos in Concilio generali.

De fugienda cordis & corporis immunditia, cento ex Patribus consarcinatus.

Sermones IV. viz. *De miseria humana.* *De septem Gratiis*, seu *donis Sp. S.* *De Duodecim portis Jerusalem.*

In Canticum, *Magnificat.*

Sermones parvi de Diversis numero XIV.

De conscientia Tractatus.

De modo bene vivendi ad sororem, *capitibus* LXXIII.

Liber Sententiarum.

Soliloquium, seu *Oratio ad Deum*, *præfixa libro de Amore Dei.*

Disputatio cujusdam justi cum Deo.

Aliud Soliloquium.

Formula honestæ vitæ, quam Bernardi Silvestri esse asserit Raynaudus.

Instructio, *Quomodo possit homo in bono proficere*, *& placere Deo.*

Varia & brevia documenta piè vivendi.

Speculum Monachorum.

Doctrina B. Bernardi.

Octo puncta perfectionis acquirendæ.

Epistola de doctrina vitæ agendæ.

Tractatus in illud, Ad quid venisti ?

Lamentatio B. Virginis Mariæ.

Ex quamplurimis S. Bernardi Operum editionibus, quæ omnes suas fermè accessiones habuerunt, sequentes præcipuè notamus, *Venet*, 1515. 2. vol. 4. *Paris.* 1517. f. *Lugduni* 1530. f. 1544. 1558. *Venet.* 1549. *Basil.* 1552. 2. vol. ibid. 1566. *Antverp.* 1576. *Paris.* 1586. cum notis Picarti. *Paris.* 1609. *Antverp.* 1620. [cui præter alia, quatuor Opuscula à Gretsero edita *Ingolstad.* 1617. 4°. accesserunt] dein cura Jacobi Merloni Horstii ad MSS. Codices emendata, multis antea Bernardi ineditis, & extraneorum Operum appendice aucta *Paris.* 1645. V. Tom. f. [quam quidem editionem nos in recensendis Operibus secuti sumus] denique prodierunt *Paris.* 1666. 2. vol. f. & 8. vol. in 8°. Editionem istam adornarunt Joannes Mabillonius, ejusque socii, Monachi Benedictini, qui non tantùm eam exactam & correctam reddere conati sunt, quin & plures Epistolas & Tractatus è MSS. Codicibus depromptos tunc primum in lucem ediderunt. Observationes pro more suo doctissimas addidit Mabillonius, Opera supposititia à genuinis optime discrevit, quæ nemo unquam certiùs distinxit, vel de iis doctiùs judicavit.

Hymni IV. de Contemptu mundi habentur apud Carolum du Visch. *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterc.* pag. 45. qui plurima S. Bernardi Opera MSS. in lucem nondum edita recenset ibidem pag. 39. &c.

Epistolæ aliquot à Dacherio evulgatæ sunt, Spicileg. Tom. III.

Expositionum Moralium partes II. Quarum prima *expositiones* XIII. secunda IV. complectitur.

Liber de Musica.

Para-

Digitized by Google

Parabolæ aliquot, *sed manifestò spuria*.
Tractatus brevis de Corpore Domini.
Commentariorum in Cantica Canticorum continua-, Autore Abbate G. cujus nomen latet.
Epistola de Amore Divino.
Liber Metricus de laudibus Virginis, odis XVIII. nstans. Secundus sub S. Casimiri nomine sæpe lgatus est, verùm omnes dissertationes præmis- Bernardo vindicat Jac. Hommeius, qui & reli- a supradicta opuscula in lucem protulit in Sup- mento Patr. *Parif.* 1684.

LAURENTIUS, patriâ Veronensis, Petri II. anorum Archiepiscopi Diaconus, claruit anno CXV. Ætatem ipse satis apertè prodit hoc disti- in fine addito.

Tunc fuit à Christo tecto velamine carnis
Centenus quintus decimus millesimus annus.

ndidit carmine Heroico de *Bello Boleatico* & de us in Majoricâ à Pisanis gestis, deque eorum mpho Pisis anno MCIV. habito, libros VIII. quibus, ut rectè notat Ughellus, etsi aliquando pto ineruditoque pede decurrit, variam tamen bilemque rerum cognitionem secum vehit, quæ bariem illam, quam doctissimi hujus Sæculi gatissimæ aures tantoperè oderunt, detergere se existimatur. Extant apud eundem Ughellum *l. Sacr.* Tom. III. p. 897.

HERMANNUS, Gente Germanus, domo olonienfis, ortu Judæus, tribu Levitâ, Davidis Sephoræ filius, tandem Egberti Episcopi Mona- riensis Sermonibus, & Ruperti Abbatis Tuitien- colloquio expugnatus, abdicato Judaismo ristò nomen dedit. Multis eo nomine injuriis à dæis divexatus, ordinem Canonicum in Cœno- Capembergensi tandem amplexus est. Claruit ca annum 1116. vel paulò post, Bernardo æqua- & Ruperto Tuitiensi familiaris. Scripsit *Opuscu- de conversione suâ*, quod ex Bibliotheca Pau- a Lipsiensi erutum novissimæ Raymundi *Pu- nis* editioni subjecit Benedict. Carpzovius *Lipsiæ* 87. fol.

EUTHYMIUS ZIGABENUS, Mona- us Græcus, claruit anno 1116. vivente adhuc Ale- Comneno, cui familiaris erat; cujusque singu- em in scrutandis S. Scripturis, rebusque Theo- gicis peritiam miris effert laudibus; quem bis versus Ecclesiæ Græcæ hostes [Latinos opinor elligit] fœliciter disputantem se audivisse, ejus nique jussu se *Panopliam* aggressum esse, ipse præfatione nos docet. Quo anno obierit, non uet.

SCRIPTA.

O*Rthodoxa fidei dogmatica Panoplia adversus omnes Hæreses*, ex variis SS. Patrum scriptis atexta, duas in partes divisa, quarum prior XI. sterior XIII. titulos continet. Ex Patrum scriptis Eclogas collegerant præstantissimi aliquot eologi, quibus id in mandatis dederat Alexius , quas postea Euthymius noster in ordinem re- tas, aptè & concinnè dispositas, suas in classes essit. Patres verò, ex quorum armamentario de- apta est Panoplia ista, hi fermè sunt, Athanasius, ilius, Nyssenus, Nazianzenus, Dionysius Areo- ita, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, S. ximus, Anastasius Sinaita, Leontius Cyprius, ontius Byzantinus, Damascenus, Photius, Ex- hæc *Panoplia* interprete Francisco Zino Latinè *Lugduni* 1556. 8°. *Paris* 1580. *Venet.* 1555. fol. Græca in variis Bibliothecis etiamnum supersunt. Insigne Σπιστωτωμάτων, titulum nempe ultimum, Gr. Lat. ex Codice; olim Palatino, nunc Vaticano cum notis edidit Fredericus Sylburgius *in Saracenicis* à pag. 1. ad pag. 54. & exinde Fronto Ducæus in *Auctuario* suo Tom. II. p. 292. SÆC. XII. ab An. MC.

Commentaria in omnes Psalmos Davidis, *& X. S. Scripturæ Cantica*. Prodierunt Lat. Interprete Philippo Saulio *Parif.* 1543. 8°. 1547. 8°. *Venet.* 1568. Præfationem in Psalmos admodum prolixam Græc. Lat. primus eruit Stephanus Moynius *Var. Sacr.* Tom. I. p. 150. quâ Autor de natura, origine, usu, scopo, multiplici Psalmorum genere, obscuritate, variisque versionibus Græcis accuratè agit.

Commentaria in quatuor Evangelia. Prodierunt Lat. Interprete Joanne Hentenio *Lovanii* 1544. 8°. *Parif.* 1544. 1560. 1602.

Commentarium ejus in Catholicas Epistolas Græcè extare in Bibliotheca Sambuci prodit Simlerus.

Cæterùm Euthymii Opera præter *Commentarium* novissimè recensitum omnia habentur Latinè in Bibliothecâ Patr. Tom. XIX. p. 1. 235. 475.

EUTHYMIUS ZIGABENUS, Monachus Constantinopolitanus, claruit imperante Alexio Comneno anno MCXVI. Monachus erat τ̃ Περιβλέπτου μονῆς, ut in inscriptione Epistolæ suæ adversus Phundagiagitas ipsemet testatur. *Cœnobii illustris* vertit Cl. Tollius. Quod viro docto Criticoque excidisse miror, cùm vel leviter in historiâ Byzantinâ versatis notissimum sit, fuisse Constantinopoli celeberrimum Monasterium, τ̃ Περιβλέπτου dictum, B. Deiparæ sacrum, à Romano Argyro Imp. propè mare conditum, à Nicephoro Botoniata instauratum, qui & in illud ipsum ab Alexio Comneno detrusus est. Ejus apud Scriptores Byzantinos passim fit mentio, nec pauca de eo congessit Car. du Fresne *Constant. Christian* lib. IV. cap. 2. numer. XXXVI. pag. 94. Scripsit plurima in quibus primas tenet *Panoplia Dogmatica* de quâ diximus alibi. Est & ab eo scriptus Ἔλεγχος καὶ Θρίαμβος, *Damnatio & Triumphus de impiâ & multiplici execrabilium* Massalianorum, *Secta, qui & Phundaitæ & Bogomili, nec non* Euchytæ, Enthusiastæ, Encratitæ, *&* Marcionitæ *appellantur*. Multiplex quidem erat Massalianorum Secta & hæreticorum penè omnium colluvies, qui Orientis Ecclesias hoc præsertim tempore miserè infestarunt; in plurimis convenientes, in aliquibus à se invicem abierunt. Continet Opusculum præter Præfationem & Conclusionem *Anathematismos* XIV. Unde quædam elicere licet, quæ frustrà alibi quæruntur. Ita ex *Anathematismo* I. discimus, primum Sectæ Massalianorum auctorem fuisse Petrum quendam, *Lycopetrum* dictum, eò quòd lapidibus ob blasphema dogmata obruendus, Sectatoribus suis promisit, se post triduum resurrecturum; cùm tertio post obitum die Dæmon specie lupi ex acervo lapidum evolare visus sit. Undè & asseclæ ipsius *Lycopetriani* cognominati sunt. Ex *Anathem.* II. liquet, Tychicum, unum ex Symmistis & discipulis ejus, ut cæteras S. Scripturas, ità præcipuè universum Matthæi Evangelium corrupisse, falsoque interpretatum esse, omniaque ad pravum suum sensum detorsisse. Exepla benè multa alibi dabit ipse Euthymius, nempè *Panopliæ* Part. II. Tit. XXII. *contra Massalianos*, & Tit. XXIII. *contra Bogomilos*, ubi de eis eorumque dogmatibus copiosiùs agit. Ut Opusculum nostrum cum Lambecio & Tollio Panopliæ *Appendicem* faciamus, nulla causa est; alio planè modo concinnatum est. Videtur mihi potiùs Epistola, vel quod magis existimo, Oratiuncula in solenni quodam conventu habita, 1116. P. II.

SÆC. XII. ab An. MC. ut ex præfatione, & peroratione acclamatoriâ colligi potest. Ex codice MS. Vindobonensi hunc libellum eruit, notisque suis & Lambecianis illustratum Græc. & Lat. edidit Jacobus Tollius in *Antiquitatibus sacris*, sub titulo *Insignium Itinerarii Italici* Ultraject. 1696. 4o. pag. 106. Huic jungi debuerant sequentia. *Epistola adversus Phundagiagitas, Bogomilos, Armenios, &c.* è Cœnobio ad patriam suam missa. Extat MS. Biblioth Vindob. *Cod. Theol* CXCIII. num. VIII. à fol. 186. usque ad fol. 209. iterumque *Cod.* CCCVII. num. I. à fol. I. ad fol. 21. Inscriptionem exhibet Tollius in capite notarum suarum. Διάλεξις, seu *Disputatio cum Saraceno quodam Philosopho, de fide habitâ in urbe Capadocia Melitene*. Princ. Ἐρώτησις Σαρακηνοῦ. Πῶς ὁμολογεῖτε πολυθεΐαν, ἢ εἰσάγετε ἐν τῷ Θεῷ γέννησιν, καὶ πάλιν λέγετε πατέρα &c. ibidem Cod. CCLII num. XIII. à fol. 43. ad 48. Confer Panoplia Part. II. Tit. XXIV. qui aliud Opusculum videtur. *Epistola invectiva contra Armenios, Theopaschitas*, Princ. Ἐπιδήμησε Εὐτυχὴς ὁ Διόσκορος &c. ibidem *Cod.* CCCVI. num. XXVIII. à fol. 121. usque ad 129. Adversus Armenios, & impiam eorum & adulterinam fidem latè egit Euthymius *Panopl.* Part. II. *Tit.* XX. pag. 685. An verò hæc Epistola idem sit Opusculum, nisi inspecto codice MS. dicere nequeo. Interim haud parùm luci procul dubio affundit tùm hisce Euthymii Scriptis, tùm toti Massalianorum historiæ Opus illud, continens Κεφάλαια τῶν Μασσαλιανῶν ἀσεβοῦς δόγματος, ἀναληφθέντα ἐκ τοῦ βιβλίου αὐτῶν, cujus è veteri Codice MS. à se edendi spem nobis nuper fecerunt celeberrimi Actorum Lipsiensium Collectores mens. *Jul.* 1696. pag. 299. Ut verò fidem hâc in re liberent suam, immensè exorandi sunt, idque eò magis, quod ut ipsimet non infœliciter conjiciunt, non aliud sit βιβλίον illud, ex quo capita illa deprompta esse dicuntur, quàm liber Massalianorum Ἀσκητικὸς dictus, cujus βλάσφημα καὶ αἱρετικὰ κεφάλαια damnavit Oecumenica Synodus Ephesina, recensente Photio Cod. LII. col. 40.

1118. NICEPHORUS BRYENNIUS, Patriâ Macedo, in Orestiade civitate natus, Nicephori Bryennii, ob affectatum Imperium oculis privati juxta Zonaram, filius natu maximus, juxta verò Annam Comnenam uxorem suam, nepos. Claruit anno 1118. Annam Comnenam, Alexii Comneni Imp. filiam, uxorem duxit; ac proinde à socero suo, qui novos titulos, novasque dignitates indies producere solebat, primò Panhypersebastus, deinde Cæsar creatus est. Anno 1096. dum Alexius Latinis Thraciam ingressis obstaret, Nicephorus noster Constantinopolin adversùs Gothofredum Bullionæum defendit. Anno 1108. pacem inter Alexium & Boemundum Antiochiæ Principem conciliavit. Ægrotante anno 1118. Alexio Comneno, Bryennii nutu omnia in Aulâ gerebantur: & certè parùm abfuit, quin Annæ Comnenæ, ejusque matris Irenes consiliis, post Alexii mortem Imperium obtinuerit. Anno 1137. Joannem Comnenum Imp. arma in Syriam moventem comitatus est, unde ab obsidione Antiochena æger redux factus, eodem, ut videtur, anno diem clausit. Vir erat teste Zonara *, λόγοις προσκείμενος, *doctrina egregie instructus*, cujus illustre monumentum reliquit *Historiam* à se conditam. Scripsit enim *rerum Byzantinarum Historiam libris* IV. ab an. 1057. ad an. 1081. Prodiit ea Gr. Lat. cum versione & notis Petri Possini *Paris.* 1661. fol. Notas Historicas & Philologicas in eosdem libros scripsit Carolus du Fresne, & ad calcem Cinnami edidit ibid. 1670. f.

Ann. Comn. Præf. ad Alex. & lib. III. alibique passim. Zonar. Annal. Tom. III. p. 223. 229. 242. Nicet. Chron. in Joan. Comnen. p. 5. &c.

* Annal. l. 3.

1118. ANNA COMNENA, Patria Constantinopolitana, Alexii Comneni Imp. & Irenes filia, nata est anno 1083. Constantini Michaelis Ducæ filii conjugio primùm destinata, eo mortuo, Nicephorum Bryennium maritum habuit, claruit præcipue anno 1118. matre primùm, dein anno 1137. marito orbata, ex otio literario sibi doloris solatium quæsivit. Scripsit anno 1148. Fœmina ingenti animo, nec minori doctrinâ prædita, quæ, immenso studio τῶν ἐν λόγοις παιδείας ἀντείχετο (uti habet Zonaras *) καὶ τὴν γλῶτταν εἶχεν ἀκριβῶς ἀττικίζουσαν, καὶ τὸν νοῦν πρὸς ὕψος θεωρημάτων ὀξύτατον. Ταῦτα δὲ αὐτῇ προσῆν φύσεως ὀξύτητι καὶ σπουδῇ προσγεγενῆσθαι· τοῖς βίβλοις καὶ λογίοις ἀνδράσι, καὶ οὐ παρέργως ὡμίλει αὐτοῖς. *Maximam in studiis doctrinarum operam posuit, exquisite Atticisans, ingenioque prædita acutissimo ad abstrusissimas quasque contemplationes, eam facultatem partim naturæ bonitate, partim industria consecuta. Affixa enim erat libris, & eruditorum consuetudine haud obiter utebatur.* Scripsit Historiarum *libros* XV. *de rebus ab Alexio Patre gestis*, quos *Alexiada* appellavit, quibus interceptum morte immatura mariti sui *Opus Historicum* supplevit, & Alexii res gestas ab anno 1069. usque ad obitum anno 1118. fusissimè simul ac elegantissimè enarrat. Prodierunt *Historiæ istius libri VIII.* priores Græcè cum Hæschelii notis *Augustæ Vindel.* 1610. 4o. omnes XV. Græc. Lat. cum Hæschelii notis, & Possini Glossario *Paris.* 1651. f. Notas historicas & philologicas in eam conscripsit Carolus du Fresne, & Cinnami Historiæ subjecit *Paris.* 1670. f.

* Annal. Tom. III. propè fi nem.

JOANNES ZONARAS, ortu Constantinopolitanus, dignitate, Magnus Drungarius Biglæ, & Protoasecretis, claruit anno 1118. Postea ereptis ei morte repentina charissimis conjuge scilicet liberisque, vitam iniit Monasticam, & ut dolorem leniret, curasque sordidas & inutiles ab animo depelleret, rebus antiquorum temporum, Ecclesiæ præsertim, perscrutandis pertractandisque studiosè incubuit. 1118.

SCRIPTA.

ANnalium, *seu Compendii Historiarum* Tom. III. Primo agit de rebus Judaicis ab Orbe condito ad Hierosolymorum excidium. Secundo de rebus Romanis ab Urbe condita ad Constantinum M. Dionem plerumque exscribens. Tertio de rebus Bizantinis à Constantino M. ad Alexii Comneni obitum, qui contigit anno Christi 1118. In rebus, præsertim sui temporis, majorem curam atque industriam in eo desiderat Cl. Vossius *. De stylo, quo in condendis Annalibus usus est ipse † ita pronunciat, vel potius excusat, εἰ δ' ὁ χαρακτὴρ τοῦ λόγου ποικίλοιτο, καὶ μὴ δι' ὅλου ὅμοιος εἴη ἑαυτῷ, θαυμαζέτω μηδεὶς, μηδὲ τις τὸν λόγον αἰτιάσθω, ἢ τὸν τούτου πατέρα με. *Dictionem esse variam, nec per omnia sui similem, nemo miretur, aut culpet orationem, aut me autorem illius. Cùm enim historiam ex variis autoribus veluti stipem colligere necesse habeam, in multis illorum & dictione & compositione utendum erit. Sicubi tamen ipse de meo aliquid interjecero, ac inseruero; stylus ad illius, quem sequor, autoris formam accommodabitur; ne Scriptura à sese dissidere videatur.* Annales istos notis illustratos Græc. Lat. edidit Hieronymus Wolfius *Basil.* 1557. f. Novam editionem eamque planè elegantissimam nuper adornavit vir Cl. & ad juvandas meliores literas natus Carolus Du Fresne, qui Wolfium carpit quòd Zonaræ Annales in tres Tomos distribuerat, cùm ab ipso Autore in duos solummodo distributi sint, primo in Augusto Cæsare desinente, secundo deinceps ad Alexii Comneni exitum progrediente; ipse nihilominus aliam rationem

* De Hist. Gr. l. 2. c. 27. † Annal. Tom. I. p. 3.

Digitized by Google

a iniit, toto Opere in libros XVIII. distributo. præfatione Zonaram ab iniquis aliorum Criti-um censuris defendit, ad calcem notas Histori-, & dissertationem de Hebdomo CP. adjun-.

Denique Anonymi cujusdam breve Chroni- ab orbe condito ad Alexium Comnenum à avio unà cum Nicephori Breviario olim editum ecit. Prodiit hæc editio Gr. Lat. *Parif.* 1686. il. l. f.

Commentarii in Canones SS. Apostolorum. Prodie-t seorsim Lat. *Parif.* 1558.

Commentarii in Canonicas aliquot Græcorum Pa-n Epistolas. Editi sunt Gr. Lat. ad calcem Grego- Neocæsariensis Operum *Parif.* 1621. f.

ommentarii in Canones SS. Conciliorum; tam Oe-enicorum, quàm Provincialium. Prodierunt Lat. *diolani* 1613.

diti sunt simul omnes isti *Commentarii* Gr. Lat. *if.* 1618. & cum Cl. Beveregii Annotationibus Pandectis Canonum *Oxon.* 1672. fol. In præfatio-monet se non sponte, sed alterius persuasu, Ma-lis fortè Comneni Imperatoris, Opus istud ressum esse.

Oratio de immunditie ob gonorrhœam, Gr. Lat. in e Gr. Rom. l. V. p. 351.

anon de S Virgine, sive *Poëma adversus omnes esses.* Habetur, in fine mutilum, Lat. in Biblio-â Patr. Tom. XXIII. integrum Gr. Lat. cum s apud Coteler. Monument. Eccl. Gr. Tom. III. 465. Servatur in Bibliotheca Regia Parisiensi ar Κανὼν εἰς τὴ ὑπεραγίαν θεοτόκον, ὃ ἡ ἀκροστιχὶς, ATOΣ HXOΣ TETATON ΠΛΕΚΕΙ ΜΕΛΟΣ.

Procemium in Tetrasticha Gregorii Nazianzeni diit Gr. *Venet.* 1563.

ractatus de nuptiis Consobrinorum, editus Gr. à Cotelerio Monument. Tom. II. p. 433.

pistolas ejusdem aliquot edidit Bonaventura canius in notis ad librum S. Cyrilli Alex. ad-ùs Anthropomorphitas *Lugd. Bat.* 1605. 4°. In-a earum Epistolarum Collectio continet epi-s LVI. quarum seriem & argumenta describit Lambecius Comment. de Biblioth. Vindob. lib. in Codd. MSS. quandoque Joanni Zonaræ ndoque Michaeli Glycæ ascribuntur, & sæpius-à L. Allatio quandoque sub hujus, quandoque llius nomine citantur, verùm Glycæ potius tri-ndæ videntur.

Ἀνέκδοτα.

ξήγησις τῶν Ἀναστάσιμων κανόνων τῶν Ἰω. Δαμασκηνῦ mentionem faciunt P. Lambecius de Bibliot. dob. lib. III. p. 39. L. Allat. in Catal. Opp. S. masc. ad calcem Symmict. p. 453. & Diatr. de rgiorum scriptis p. 417. Fragmenta quædam t Gretserus *de Cruce* lib. III. in init.

ratio in adorationem crucis, hujus meminit L. *ius de Script. Simeon.* p. 95.

ta S. Sylvestri ap. eund. p. 101.

ratio in occursum Salvatoris ibid. p. 105.

comium in Sophronium Hierosolymitanum ibid. 101.

emata de processione Spiritus S. aliaque adver-atinos composita: hæc à Genebrardo in *La-n* sermonem versa esse fidem nobis facit Jo-ontanus Præfat. ad Cantacuzeni Historiam: e diligenter undique conquisita, nec tamen re- in Præfatione monet Cl. *Du Fresne.*

xicon MS. Græcè erat penes Hen. Stephanum, ue usuram à Casaubono enixè petit *Jos. Sca-* epist. 48. p. 171.

LASIUS. *II. Joannes* antea dictus, Pa- Campanus, civitate Cajetanus, nobili gene-re ortus, in Monasterio Casinensi sub Oderisio Abbate bonis literis & moribus innutritus, procedente tempore ab Urbano II. Ecclesiæ Romanæ Cancellarius, à Paschale II. Diaconus Cardinalis titulo S. Mariæ in Cosmedin creatur. Anno demum 1118. unanimi Cardinalium Suffragio Pontifex electus, est Romæ die XXXI. Januarii; & Cajetæ ordinatus die XXIV. Februarii. Romæ enim à Censio Frangipane, Henrici Imp. duce, prehensus, in vincula conjectus, mox concursu populi facto liberatus, ac statim ab ipso Imperatore Romam adveniente Urbe ejectus, Cajetam se receperat. Imperator Urbe potitus Mauritium Burdinum, Archiepiscopum Bracarensem, sedi Pontificali præfecit; quem statim Gelasius missis ubique literis anathematizavit. Post Henrici abitum conflato Normannorum & Capuanorum exercitu, Romam obsidione cinxit. Repulsam autem passus, in Galliam fugit; ubi anno sequente, die XXIX. Januarii in Monasterio Cluniacensi diem obiit. Vir, *inquit Joannes Stella*, sanctissimus, & omni laude dignissimus, si vitam continentissimam, si mores, si doctrinam singularem inspicias. Nam constantem & sanctæ mentis, in procellis humanarum perturbationum vitam duxit. Extant *Epistolæ* VI. Concil. Tom. X. p. 817. *Passio S. Erasmi, Romæ* 1639. 4°. *Vitam* ejus conscripsit Pandulfus Aletrinus, Hugonis de Alatro, Cardinalis Presbyteri SS. Apostolorum, nepos, & ipsius Gelasii familiaris, cujus compendium exhibet Baronius in Annalibus ad an. 1118. integram dedit Papebrochius in Conatu Chron. Hist. ad Catal. Pontif. par. 2. p. 9.

SÆC. XII. ab An. MC.

† Vit. Pontif. p. 165.

FLORENTINUS, BRAVONIUS dictus, natione Anglus, Monachus Wigorniensis. Scripsit anno 1118. quo etiam obiit, aut saltem sequenti. Ingenium planè habuit, inquit Baleus *, ad quodcunque volebat, apertum & conspicuum, memoriam splendidam ac fœlicem, tam ingenue à teneris annis institutus, & ita ad benè merendum propensus, ut nullam sineret præterire diem, quin aliquam duceret lineam ad patriæ suæ splendorem. Scripsit *Chronicon ab orbe condito usque ad an.* 1118. ex Mariano Scoto utplurimùm desumptum. In disponendâ temporum ratione, duplici Epocha à Christo nato usus est, unâ secundùm Evangelium, alterâ secundùm Dionysium Exiguum, intercedente annorum 22. inter se discrepantiâ. *Chronicon* istud ad annum 1141. continuavit Monachus quidam Wigorniensis Anonymus. Primus istud *Chronicon* in lucem protractum edidit nobilissimus Vir Gulielmus Howardus, postea Comes Northamptoniensis, *Londini* 1592. 4°. exinde cum Matthæo Westmonasteriensi excusum *Francofurti* 1601. f. Scripsit etiam *librum de Regali Anglorum Prosapia*, seu *Regum Anglorum Genealogiis*, qui habetur ad calcem Chronici in editione Londinensi. 1118.

* Cent. 2. cap. 66.

CALLISTUS II. *Guido* antea dictus, patria Burgundus, Gulielmi Comitis filius, Reges Germaniæ, Angliæ, & Franciæ consanguinitate attingens, Archiepiscopus Viennensis, & sedis Apostolicæ legatus ante annum 1112. quo celebrato Viennæ Concilio, investituram Episcopatuum & Abbatiarum à Laicis receptam, hæresin esse statuit, privilegium de investituris à Paschale Papâ Henrico Imp. nuper concessum cassavit, atque ipsum Imperatorem anathemate obstrinxit. Anno 1119. post mortem Gelasii, à Cardinalibus qui in Galliam confugerant, Pontifex Romanus electus est Cluniaci die IV. Februarii, & coronatus ibidem exeunte mense Martio. Mense Novembri 1119.

Digitized by Google

S ÆC. XII. ab An. MC. Concilium generale Remis celebravit, in quo Henricum Imp. anathematizavit, Laicas investituras damnavit, & Clericis uxores interdixit. Anno 1120. in Italiam profectus est, tanto ubique populi concursu, & plausu exceptus, ut in terrorem actus Burdinus Antipapa Româ cederet, ac Sutrium se reciperet. Anno sequente Callistus conscripto, ope Willielmi Calabriæ & Apuliæ Ducis, Normannorum exercitu Sutrium expugnavit, & captum Burdinum perpetuo carcere mulctavit. Anno 1122. Concilium Lateranense habuit, quo Burdini ordinationes irritas fecit, & pacem cum Henrico Imp. petentibus id legatis Imperatoriis ineundam decrevit. Coiit ista pax in Conventu Wormatiensi, Imperatore investituras Episcoporum & Abbatum abrenunciante, Pontifice verò utrorumque electionem Imperatori concedente. Obiit anno 1124. die XII. Decembris. Extant *Epistolæ* XXXV. Concil. Tom. X. pag. 827. aliæ *Epistolæ* V. apud Baluz. Miscellan. Tom. II. pag. 192. *Sermones* IV. *in S. Jacobum Apostolum* habentur in Bibliothecâ Patr. Tom. XX. pag. 1278. *Vitam* ejus à Pandulfo Aletrino conscriptam, mutilam dedit Baronius in Annalibus, integram Papebrochius in Conatu, par. 2. p. 14.

1119. *P. II.* MANFREDUS, Italus, Gerardi Potentini Episcopi discipulus, ejus in eâ Sede successor factus est anno MCXIX. Scripsit *Vitam S. Gerardi* prædecessoris sui, quam ex vetusto codice Ecclesiæ Potentinæ descriptam edidit Ferd. Ughellus *Ital. Sacr.* Tom. VII. p. 178.

1120. PETRUS ABELARDUS, natione Gallus *, Palatio in ingressu minoris Britanniæ propè Ligerim fluvium in Diœcesi Nannetensi oppido oriundus, patrem habuit Berengarium equitem, matrem Luciam, generis vetustate nobiles, ipse natus circa annum 1080. Peractâ domesticæ educationis curâ, præceptores nactus est in Dialecticâ Rosalinum, in Philosophicis Gulielmum Campalensem Archidiaconum Parisiensem, dein Canonicum Regularem, denique Episcopum Catalaunensem, quocum in Academiâ Parisiensi non una ei lis fuit; in Theologicis Anselmum Ecclesiæ Laudunensis Decanum, ubi condiscipulos habuit Albericum Rhemensem, & Lotulphum Lombardum, gloriæ ejus æmulos & famæ perpetuos obtrectatores. Parisios reversus, & Scholæ Philosophicæ jam recturâ florens, incidit in amorem Heloisæ * lectissimæ puellæ, Fulberti Canonici Parisiensis neptis, ex quâ furtivo concubitu filium suscepit, nomine Petrum Astrolabium, mox verò tam matrem quàm partum legitimo matrimonio honestavit; uxore nihilominùs paulò post, ut domesticorum injurias & contumelias evitaret, inter Sanctimoniales in Cœnobio propè Parisios Argenteolo dicto, in quo puellula olim educata fuerat, collocatâ. Ægrè hæc omnia ferebant Heloisæ consanguinei, qui nocte quâdam in Petri cubiculum irrumpentes virilia ei exsecuerunt; extemplò igitur in Monasterium S. Dionysii se recepit, habitumque induit, ubi studiis, & discipulorum, quos frequentes habuit, institutioni ardenter incubuit, & hoc circiter tempore librum *de Theologiâ* in lucem * emisit, in quo de SS. Trinitate & Unitate divinâ, argutè nimis & subtiliter disseruit. Hinc magni in illum clamores excitati, nec unum Hæreseos impactum crimen. Hinc anno 1120. ad Synodum quandam in civitate Suessionensi præsidente Conano Prænestino Episcopo, Pontificis tunc in Galliâ legato vocatur, ubi nullius licet erroris convictus nedum habito causæ examine, librum nihilominùs, idque propriis manibus, ultricibus urendum flammis tradere compulsus est. Ad Monasterium Dionysianum rediens Adamum Abbatem aliosque Monachos sibi infensissimos expertus est, eò quod turpes illorum mores liberiùs coarguerat, infensiores multò, quòd S. Dionysium non modò istius Cœnobii, sed totius Franciæ divum tutelarem, celeberrimum illum Areopagitam Atheniensem fuisse negaret; itaque Monasterium relinquens, in territorium Trecense se contulit, ubi donatâ terrâ, & consentiente Episcopo, adjunctis quibusdam Monachorum cellis, Oratorium extruxit, quod in nomine *SS. Trinitatis* fundatum, postea ob consolationis gratiam, *Paracletum*, sive *Paraclitum* appellavit. Accidit post hæc, ut hominem suum patria sibi vendicaret, quippe qui in Abbatem S. Gildasii *, in Britanniâ Aremoricâ, à Gilda nostrate, uti volunt, olim conditi, electus sit, verùm sterile solum, & gens pene barbara, & quod pejus adhuc, tetriores Monachorum suorum mores, etiam hic loci, pacem & solatium denegârunt, quin eo usque efferbuit Monachorum odium, ut latrones conducerent qui ipsum per viam transeuntem interciperent, venenum cibis ejus miscendum curârunt, quo sumpto, ipsomet casu abstinente, socius quidam Monachus mox occubuit; & quod magis horrendum, in ipso altaris sacrificio, veneno sacro calici immisso, vitæ ejus insidias struere non verebantur. Deserto itaque regimine Gildasiano, in quemnam locum se receperit, haud satis constat; ubicunque fuerit, ecce iterum procella, *iterum nubes post pluviam*, renovatur vetus hæreseos crimen, præcipue apud Bernardum Clarævallensem celeberrimi nominis tunc temporis in Galliâ virum. Anno 1140. Synodus Senonis * celebratur, citatur Petrus, comparet tandem Bernardus, in arenam descendit, scripta profert, erroris capitula designat. Sed cùm Abelardus omnia ex adversariorum sententiâ agi, seque apud parum æquos judices causam dicturum esse cerneret, ad sedem Apostolicam provocavit. Finita Synodo, dum Romam versus iter instituit, Cluniacum venit, à Petro Mauricio Abbate, *Venerabili* dicto, humaniter exceptus. Huic mentem candidè exponit Abelardus *, seque totum ejus judicio submittit, ab eo in monasterium suum ascitus, eoque mediante redintegrata illum inter & S. Bernardum concordia, quin & impetrata ipsius Pontificis absolutio. Tandem valetudinis causâ Cabilonem secedens, in Monasterio S. Marcellini Ordinis Cluniacensis, non sine magna sanctitatis laude diem clausit extremum April. XXI. an. 1142. ætat. LXIII. Defuncti corpus, prout ipse dum in vivis adhuc erat per literas rogaverat, Heloisæ, conjugi traditum est, ab eâ in Cœnobio suo Paracletico sepultum. Duplex ei Epitaphium condidit Petrus Venerabilis; posterioris solummodò clausulam hîc adjiciam.

Est satis in tumulo, Petrus hîc jacet Abailardus,
Cui soli patuit scibile quicquid erat.

Erat quidem acri admodum ingenio, eruditione singulari, in Philosophicis princeps, in Logicis summus, ob egregiam disputandi peritiam *Dialecticus* dictus; *Dialecticarum*, inquit *, *rationum armaturam omnibus Philosophiæ documentis pratuli*; in Theologicis paucos habuit æquales. Errores qui ipsi objiciebantur, plures quidem erant, & si adversarii ejus sint audiendi, periculosissimi, quales sunt, *Quòd Pater sit plena potentia*; *Filius quadam potentia*; *Spiritus S. nulla potentia*, neque de substantiâ esse Patris aut Filii: *Christum non assumpsisse carnem, ut nos à jugo Diaboli liberaret*, *Deum nec posse, nec debere mala impedire*; *non peccavisse*

Marginal notes:
*Abel. Hist. Calam. suar. cap. 1. 2. &c.
*Ibid. c. 6. 37. p. 10.
*Ibid. c. 9. p. 20.
*Ibid. c. 10.
*Ubi supra c. 13. p. 32.
*Otho Friseng. lib. 1. c. 48. Gaufrid. vit. S. Bernard. lib. 3. c. 5.
*Vid. Epist. Petri Cluniac. inter opp. Abelardi p. 335. 337. 344.
*Hist. Calamit. suar. cap. 1.

Digitized by Google

se qui Christum ignorantes crucifixerunt; nec in
lo fuisse Spiritum timoris Domini; potestatem li-
i atque solvendi Apostolis tantùm datam esse,
uccessoribus; quòd propter opera nec melior, nec
efficiatur homo; quòd nec opus, nec voluntas,
concupiscentia, neque delectatio, cùm movet
, peccatum sit; nec debemus eam velle extingui:
iter hæc de eo Bernardus *; Cum de Trinitate
tur, sapit Arium; Cum de Gratiâ, sapit Pela-
; cum de Personâ Christi, sapit Nestorium. Hæc,
ne plura, ei objecta sunt, quæ quidem in ho-
m vel mediocris ingenii, nullâve religionis
tiâ imbutum, haud cadere poterant, quæque
Petrus constanter pernegavit. Ab his ipsum
nt, ejus qui supersunt libri, præcipuè apo-
illa, seu fidei confessio, quâ mentem suam
icuè explicat, & hujusmodi objecta penitùs
; & levissima planè sunt, & incautè potiùs
riusculè, quàm falsò aut heterodoxè dicta,
in Operibus ejus notant ipsi Censores Pari-
es. Verbo dicam: In hoc maximè peccâsse
tur Abelardus, quod ad argutias Dialecticas,
insolentes quosdam Philosophiæ terminos,
mata Theologica, & summa quædam fidei
holicæ mysteria revocare sit conatus. Notan-
denique, plura malesana dogmata ipsi affictа,
aliorum libris hausta esse, quos ipse pro suis
quàm agnovit.

SCRIPTA.

Pistola ad Heloisam IV. quæ Tractatus po-
tiùs quàm Epistolæ censeri possunt. In penul-
de Origine Sanctimonialium, & religionis
nasticæ eruditè agit; in ultima Institutionem
regulam Heloisæ & Sanctimonialibus Paracli-
tradit.

Epistola alia ad diversos VII.

Epistola ad amicum sive Historia calamitatum sua-
, quam eruditis notis illustravit Andreas Quer-
nus.

Apologia, seu Confessio fidei.

Expositio Orationis Dominicæ.

Expositio in Symbolum Apostolorum.

Expositio in Symbolum Athanasii.

Solutiones Problematum Heloisæ.

Adversus Hæreses liber.

Commentariorum in Epistolam ad Romanos libri V.

Sermones XXXII. in festis per annum legendi.

Ad Heloisam ejusque Virgines Paracletenses.

Introductionis ad Theologiam libri III. sive ut ipse
ibi appellat; Opusculum de fide S. Trinitatis. Hoc
s frequenti manu tractare solebat, & in con-
dis suarum Sententiarum libris, penè semper
oculos habuit Petrus Lombardus, fatente
nne Cornubiensi, ipsius Lombardi discipulo,
Quercet. not. ad Abel. p. 1159.

Hæc Abelardi opera undiquaque eruit, colle-
, recensuit, & Præfationem Apologeticam pro
ro Abelardo præmisit Fr. Amboesius Eques
is in sanctiore Consistorio Consiliarius, edidit
præfixâ Doctorum Parisiensium censurâ An-
s Quercetanus, Paris. 1616. 4. Huic etiam edi-
i plures ad Abelardum & de eo Epistolæ consti-
ones, Rescripta & Carmina inseruntur.

INEDITA.

iber Sententiarum Sic & Non dictus. Extat
MS. in Bibliothec. S. Benedict. Catabrig. num.
. & in Bibliotheca publica Cod. 168.

Dialectica, seu Logica, quam penes se MS. ser-
it, & seorsim se editurum promisit Andreas
ercetanus in not. p. 1160.

Expositio super Epistolas Pauli, Psalterium, & in SÆC. XII. ab An. MC.
Genesim, adhuc MSS. extare dicuntur. Librum Nosce teipsum dictum, suum esse, dum adhuc in vivis erat, non semel negavit. Meminit ipse Glossarum, quas scripsit, in Ezekielem, quas puto periisse. Versus ejus ad Astrolabium filium suum, habentur MSS. in Bibliothecâ Cottonianâ, sub Vitellio, C. 8 N. 3. Restat, ut paucula adjiciamus de HELOISA, quam Petrus primò amicam, dein conjugem, tandem in statu monastico sororem habuit. Genere erat clara, Fulberti Canonici Parisiensis neptis, post connubium Argentolii primùm Monacha, & ut vocant, Priorissa facta, dissoluto verò hoc Sanctimonialium conventu, anno 1130. Paracletum translata, ubi cæteris ipsi adhærentibus, eam Abbatissam præfecit Abelardus. Obiit marito plusquam XX. anni superstes XVI. Cal. Junii an. 1163. vel 1164. fœmina planè lectissima, eximiis moribus, ingenio eleganti, nullo non disciplinarum genere exculta, Latinè, Græcè, & Hebraicè docta. Extant inter Abelardi Opera, Heloisæ ad Petrum Abelardum Problemata XLII. Epistola ad Petrum Abbatem Cluniacensem; ad Petrum Abelardum Epistolæ III. quæ admirabile ingenii acumen, & eruditionem non vulgarem liquidò præ se ferunt; in quibus siqua sint, quæ immodicum erga Abelardum affectum prodant, benignâ interpretatione emollienda sunt.

GUIGO, sive Guido, patriâ Delphinas, Ordinis Carthusiani Monachus, Carthusiæ majoris Prior quintus; claruit circa an. 1120. vel paulò post, certè æqualis S. Bernardi, cui familiaris erat. Obiit anno 1137. XXVII. Julii, ætatis suæ anno 50. Monachatus 30. Prioratus 27. 1120.

SCRIPTA.

Scala Claustralium, sive Meditationes de modo orandi ad Fratrem Gervasium. Habetur inter opera S. Augustini titulo Scalæ Paradisi, inter opera etiam S. Bernardi, ei falsò supposita, denique verò authori restituta in editione Bernardi Parisiensi 1666. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XXII. p. 1163.

Tractatus de quadripartito exercitio Cellæ. Extat in Bibliothecâ Patr. Tom. XXIV. p. 1463.

Epistolæ III. 1. ad Haymericum Cardinalem 2. ad Hugonem S. Militiæ Priorem 3. ad Innocentium II. Papam. Habentur in editionibus S. Bernardi operum Parisiensibus 1645. 1666.

Epistola ad Durbonenses Fratres de supposititiis B. Hieronymi Epistolis, à Mabillonio evulgata Analect. Tom. I. p. 331.

Vita S. Hugonis Episcopi Gratianopolitani, apud Surium & Bollandum ad diem I. Aprilis.

Statuta Carthusianorum prima, edita olim Basil. 1510.

RODULPHUS, S. Trudonis propè Leodium Abbas, claruit circa an. 1120. postea Cœnobio S. Pantaleonis Coloniæ præpositus. Obiit circa an. 1138. Scripsit Chronicon Monasterii Trudonensis libris XIII. quos edidit Lucas Dacherius Spicileg. Tom. VII. Vitam S. Lietberti Episcopi Cameracensis, ab eodem editam Tom. IX. Epistolam ad Sigebertum de susceptione puerorum in Monasteriis, quæ unà cum literis Sigeberti ad Rodulphum habetur apud Mabillon. Analect. Tom. II. p. 495. 1120.

ALBERTUS, sive Albericus, Ecclesiæ Aquensis Canonicus, & custos sive æditiuus. Claruit anno 1120. Scripsit ex auditu & relatione aliorum, 1120.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. *Historiam Hierosolymitanæ Expeditionis sub Godefrido Bullionæo & aliis Principibus, libris* XII. quibus res à Christianis in Oriente gestas accuratè persequitur ab an. 1095. ad secundum Baldwini II. ann. Christi 1120. circiter *Historiam istam* titulo *Chronici Hierosolymitani* anonymam primus edidit Reinerius Reineccius *Helmstad.* 1584. dein authori suo restitutam Bongarsius *inter Gesta Dei per Francos* Tom. I. p. 184.

1120. GAUTERIUS, sive *Galterius*, *Cancellarius* à dignitate dictus, gente Gallus; claruit an. 1120. Scripsit *Historiam rerum à Christianis ad Antiochiam fœliciter, ann.* 1115. *infœliciter an.* 1119. *gestarum*, quibus ipse interfuit, & captivus ductus carcerem diu tulit, cujus vi ingenium sibi hebetatum fuisse ipse * queritur. Extat *Historia* ista *Bellorum Antiochenorum* inter *Gesta Dei per Francos* Tom. I. p. 441.

* p. 249.

1120. HUGO, Ordinis Benedictini Monachus Floriacensis; claruit anno 1120. Scripsit *Chronicon libris* VI. *ad Ivonem Carnotensem*; (cui à nonnullis perperàm id tribuitur) exorsus à Nino Assyriorum Rege & in Ludovici Pii Imp. morte, anno Christi 840. desinens. Primus id cum notis edidit Bernardus Rottendorpius Monasterii 1638. mutilum tamen, priorem nempe solummodò partem ad tempora Constantini M. continens. Integrum extat in Bibliothecâ Cæsareâ. *Epilogum* ejus res gestas Ludovici Pii complectentem, exhibet Lambecius Comment. l. 2. c. 8. p. 857. Duo hujus Chronici integra exemplaria extant MSS. in Bibliothecâ Lambethanâ. Scripsit etiam Hugo *libros* II. *de regiâ potestate*; *& sacerdotali dignitate*, *ad Henricum Angliæ Regem*, quos in lucem emisit Baluzius *Miscellan.* Tom. IV. p. 9.

1120. MICHAEL GLYCAS, natione Siculus; claruit anno 1120. Scripsit multa, variique argumenti, quæ sequuntur.

Annales Quadripartiti, opus non solùm historicum, sed etiam physicum & theologicum; primâ parte de operibus sex dierum disserit, secundâ res gestas ab orbe condito ad Christum natum enarrat; tertiâ à Christo nato ad Constantinum M. progreditur, quartâ res exinde gestas pertractat, & in Alexii Comneni morte, anno Christi 1118. definit. Prodierunt Latinè ex Joannis Leunclavii versione *Basil.* 1572. 8. dein Gr. Lat. cum versione & notis Philippi Labbei *Paris.* 1660. fol.

Disputatiuncula II. Lat. editæ à Jacobo Pontano unà cum Philippi Solitarii *Dioptrâ*, *Ingolstad.* 1604. 4°.

Scripsit Glycas *Epistolas* plures, ex quibus plurima, nec contemnenda quidem, fragmenta adducit Leo Allatius, non uno in loco, nempe *De Consensu*, l. 3. cap. 13. §. 4. cap. 14. §. 15. cap. 16. §. 24. cap. 18. §. 8. libro *De Purgatorio*, p. 28. 49. 789. libro *adversus Hottingerum* cap. 18. p. 320. *De libris Eccles. Græcorum* pag. 118, 127, 254, 324. ubi notandum aliquot ex his Epistolas sub nomine Zonaræ vel Glycæ ab eo citari.

Tractatus aliquot hactenus ineditos recenset Leo Allatius *De Consensu* lib. 2. c. 18. §. 17. nempe *Librum ad Maximum Smeniotem de Processione Sp. S.* [fragmentum ejus habet idem l. 3. c. 2. §. 3.] *Ad eundem, an Christus Azymo in supremâ cœnâ usus sit? Ad Esaiam Monachum de animabus à corpore separatis?* Quædam etiam Glycæ *in S. Scripturam Exegetica* in Bibliothecâ Cæsareâ Viennensi extare prodit Possevinus *Apparat. Sacr.* Tom. II. p. 112.

MICHAEL GLYCAS, natione Siculus, claruit anno MCXX. *Epistolæ* LVI. maximam partem Theologicæ de variis S. Scripturæ controversiis Gr. MSS. in Bibliotheca Vindobonensi aliquoties habentur, nempe *Cod. Theol.* LXVII. *Cod.* LXXXIII. num. ii. fol. 29. *Cod.* CLV. *Cod. Philosoph.* CIII. Ubi etiam nonnulla ejus *capita Philosophica* asservantur. Specialem harum Epistolarum recensionem exhibet Lambecius *Comment.* lib. IV. p. 152. &c. *Epistola* ad Alipium Monachum inclusum, de Assumptione B. Virginis Deiparæ, separatim extat *Cod. Theol.* CCLXV. num. ii. fol. 5. SÆC. XII. ab An. MC. 1120. P. II.

NICETAS, civitate Bizantinus, vitæ instituto Philosophus, i. e. (ni fallor) Monachus, claruisse videtur circa ann. 1120. Scripsit *Tractatum Apologeticum pro Synodo Chalcedonensi adversus Armeniæ Principem.* Extant fragmenta ejus apud Leonem Allatium *De Consensu* lib. 1. c. 5. §. 3. p. 72. & libro *De Purgatorio Eccles. Græcor.* p. 314. integra verò Refutatio habetur Gr. Lat. *Græc.* Orthod. Tom. I. p. 663. 1120.

ROBERTUS, *Retenensis* dictus, natione Anglus; claruit anno 1120. Cùm prima literarum elementa in patriâ degustasset, in exteras regiones se contulit, & peragratis Galliâ, Italiâ, Dalmatiâ, Græciâ, tandem in Syriam pervenit, ubi diu inter Saracenos versatus, accuratam linguæ Arabicæ cognitionem sibi comparavit. Domum rediens, in Hispania consedit, ubi Astrologiæ studiis incubuit & Pampelonæ Archidiaconus creatus est. Obiit anno 1143. *Mahometis Alcoranum in compendium* redegit, & redactum Latinè vertit. Prodiit ea *versio Noribergæ* 1543. *Basil.* 1543. 1550. fol. De hac Versione censuram hanc refert Cl. Huetius †, *Ineptissima est, ut semel dicam, hæc Alcorani Interpretatio, sententias miserè subvertens, strigosa ad hæc nonnunquam & exilis, in nimiam statim molem assurgit, ut nemo inde Alcorani intelligentiam sibi spondere queat. Id quidem sperare possemus, si integra alterius hujus interpretis prodiisset conversio, cujus Surrata prior cum Roberti, & Hermanni interpretatione edita est; quæ an Joannis Segobiensis, alteriusne sit, aliorum esto judicium.* 1120.

† De Clar. Interpret. p. 141.

HUGO DE S. VICTORE, *Didascalus*, à nonnullis dictus, natione, ut volunt, Saxo, rectiùs patriâ Iprensis, quod ex veteri Codice Aquacinctensi probat Cl. Mabillonius *Analect. Tom. I p.* 326. Verum singulari dissertatione adversùs Mabillonium, Hugonem Saxoniæ asserere conatur vir de Republicâ Historicâ, immo literariâ optimè meritus, Henr. Meibomius junior ad calcem *T. III. Rer. German.* p. 429. erat Hugo Canonicus, & [si Trithemio * & Pantaleoni † fides]. Abbas Cœnobii S. Victoris Parisiensis, Ordinis S. Augustini; unde *Victorini* sive de *S. Victore*, nomen traxit. Claruit anno 1120. Vir, prout ævi sui indoles tulit, eruditus; in B. Augustini scriptis versatissimus, quem proinde in lucubrationibus suis maximopere æmulatus est, adeo ut alter *Augustinus*, & *lingua Augustini* cognominaretur. Obiit anno 1140. die XI. Februarii, ætatis suæ 44. 1120.

* De Script. Eccl. fol 82. † De Viris illustr. par. 2. p. 171.

OPERA.

De Scripturis & Scriptoribus sacris prænotationes.

Annotationes elucidatoriæ in Pentateuchum, Judices, libros Regum, Psalmos aliquot, Threnos, Joëlem, & Abdiam.

In Ecclesiasten Homiliæ XIX.

Anno-

Annotationes elucidatoriæ Allegoriarum in totum
amentum Vetus, exceptis Prophetis & libris Sa-
tialibus.
Annotationes elucidatoriæ allegoriarum in quatuor
ngelia.
Annotationes literales & quæstiones in Epistolas S.
li, quas Hugoni abjudicatas Scholastico cui-
n Scriptori attribuit Oudinus.
Annotationes elucidatoriæ in Dionysium Areopagi-

Excerptionum priorum libri x. Celebre opus libro-
xxiv. Excerptionum, sparsim habetur inter
ra Hugonis nostri, viz. hic loci x. priores libri
uorum etiam quatuor primi inter opera Richar-
Victorini extant in editione Rothomagensi
o.) libri ix. proximiusque ad xx. exclusivè ii-
sunt cum Annotationibus elucidatoriis Allego-
m in totum Test. Vet. suprà recensitis, liber xx.
n cum Collectaneo Homiliarum in Ecclesiasten,
i iv. reliqui sunt iidem cum Annotationibus
idatoriis in quatuor Evangelia. Cæterum opus
Excerptionum in nonnullis Codd. MSS. Ri-
di Victorini, in aliis Hugonis nostri, in plu-
is nullius authoris, nomen præ se fert. Nec
gonem autem, nec Richardum authorem ha-
potest, cùm author in libro x. Philippi Au-
i Galliæ Regis (qui regnare cœpit anno 1180.)
minerit, seque sub Philippo opus suum con-
uisse prodat. Huc ferè redeunt, quæ de ope-
to fusissimè disputat Oudinus Supplem. pagin.
. &c.
Institutiones in Decalogum.
Expositio in Regulam S. Augustini.
De institutione novitiorum.
De claustro Animæ Libri IV. quos Hugoni de
ieto, Monacho Corbeiensi, Hugonis Victori-
ynchrono, deberi communi omnium erudito-
sententiâ receptum est.
De Medicina animæ Liber.
De Nuptiis carnalibus & spiritualibus Libri II. qui
præcedente Opusculo eundem Hugonem de
ieto autorem agnoscunt.
Bestiarium, sive de proprietatibus animalium &
rum rerum Libri IV. quorum duo priores de
bus, ejusdem sunt Folieti.
De Anima Libri IV. ex quibus primus & ter-
inter Bernardi, secundus inter Augustini
era habentur.
De Fructu carnis & spiritûs liber, ab Hugonis
torini stylo alienus.
De vanitate mundi libri IV.
Tractatus V. viz. De arrha animæ, De laude cha-
tis. De modo orandi. De meditatione. De Arca
ticæ descriptione.
De Arca Noë libri IV.
Sermones C. de variis argumentis.
Sermo de Assumptione B. Mariæ.
Didascali Libri VII. quorum ultimus de Trinita-
sex priores de liberalibus artibus agunt.
De potestate & voluntate Dei libellus.
De quadruplici voluntate in Christo libellus.
De sapientia animæ Christi libellus ad Gualterum
Mauritaniæ, Laudunensem postea Episcopum.
De unione corporis & spiritus libellus.
De Verbi Dei efficacia libellus.
Apologia de Verbo Incarnato, & Disputationes
. de eodem.
De perpetua virginitate B. Mariæ.
Miscellaneorum priorum liber unicus, posteriorum
V. Ea nonnulli non Hugoni, sed discipulo
s cuidam, adjudicanda censent.
De filia Jephte Tractatus.
Speculum de mysteriis Ecclesiæ.
De Canone mystici libaminis, ejusque ordinibus li-
us.

De Ceremoniis, Sacramentis, & Officiis Ecclesiasticis libri III. qui quidem unà cum præcedente Opusculo debentur Roberto Paululo Presbyt. Ambianensi, qui claruit circa an. 1170. SÆC. XII. ab an. MC.

Dialogus de Sacramentis legis naturalis & scriptæ.

Summa Sententiarum septem Tractatibus comprehensa, quorum I. est de *Fide*, *Spe*, &c. II. *de creatione & angelica natura*. III. *de creatione & humana natura*. IV. *de Sacramentis in genere*, *& præceptis divinis*. V. *de Sacramento Baptismi*. VI. *de Sacramentis Confirmationis*, *Eucharistiæ*, *Pœnitentiæ*, *& Extremæ Unctionis*. VII. *de Sacramento conjugii.*

De Sacramentis Christianæ fidei libri II. Argent. 1465. f.

Prodierunt Hugonis Victorini Opera *Paris.* 1526. III. Tom. cura Thomæ Garzonii, *Venet.* 1588. III. T. *Colon.* 1617. *Rothomagi* 1648. 2. vol. f.

Accessit in editione Rothomagensi præter alia quædam levioris notæ, *Liber de studio legendi*, cui deerat caput ultimum. Id aliunde haustum dedit Mabillonius Analect. Tom. I. p. 324.

Epistola increpatoria ad Joannem Archiepiscopum Hispalensem, qui *à fide Christiana ad Arabes defecerat*, extat apud Baronium ad an. 1136.

Scripsit adhuc Hugo noster *Chronicon ad annum usque* 1128. jam deperditum. Id tamen tacito Hugonis nomine passim exscripsit Auctor Chronici magni Belgici à Pistorio editi.

ANONYMUS Chronici universalis Auctor, quisquis fuerit, claruit circa annum MCXX. Condidit *Chronicon compendiarium* à creatione mundi usque ad suam ætatem; *i. e.* usquè ad Imperium Joannis Comneni Porphyrogennetæ; qui Patri suo Alexio successit anno MCXVIII. Incipit, Ἀδὰμ ὁ πρῶτος ἀπὸ Θεοῦ πλασθεὶς ἄνθρωπος &c. Ἀλέξιος ὁ Κομνηνὸς τῶν βοτανειατῶν καθελὼν &c. Extat Græcè MS. in Biblioth. Vindob. *Cod.* XL. num. LXXXIII. fol. 252. 1120. P. II.

OSBERTUS, gente Anglus, Ecclesiæ Cantuariensis Monachus, claruit circa annum MCXX. Scripsit *de Vitâ & Miraculis S.* Dunstani Cantuariensis Episcopi libros II. quos edidit Surius *Maii* xvi. Ex utroque fragmenta quædam integriora nobis dedit Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* V. p. 701. Osbertum nostrum eundem esse cum Osberto Cantuariensi, cujus suprà meminimus, nonnulli contendunt. 1120. P. II.

AUCTOR Anonymus *gestorum Pisanorum* quisquis tandem sit, circa ann. MCXX. claruisse videtur. Ad hunc enim annum opus suum deduxit. Literis mandavit gesta triumphalia, per Pisanos facta, de captione Hierusalem, & civitatis Majoricarum, aliarumque civitatum, ab anno MXCIX. ad annum usque MCXX. in quem desinit. Opusculum hoc ex vetusto Pergameno codice MS. edidit Ferd. Ughellus *Ital. Sacr.* Tom. III. p. 851. Cui etiam breve Chronicon Pisanum, seu potiùs fragmentum Auctoris incerti, ab anno DCLXXXVIII. ad annum MCXXXVI. ex eodem codice subnexuit. 1120. P. II.

ANONYMUS Chronici Ramesiensis Auctor Anglus, celeberrimi illius Cœnobii in agro Huntingdonensi siti, ut credere par est, Monachus, circa annum MCXX. claruisse videtur. Certè aquam mihi hìc hærere fateor, & rem in incerto planè esse. Cum enim postrema operis pars desideretur, quousque pervenerit, non liquet. Verùm si ex trium priorum partium proportione divinare fas sit, non ultra hunc annum se extendisse judicari queat. Quandocunque demùm vixerit, scripsit 1120. P. II.

SÆC. XII. ab An. MC. scripsit *Chronicon*, sive Historiam de Benefactoribus Ecclesiæ Ramesiensis, in quatuor partes, seu ut ipse vocat, *telas* partitam. Quarta hactenus non comparuit. Tres priores à tempore Regis Edgari usque ad Normannorum in Angliam ingressum perducuntur. Has ex codice MS. Scaccarii Regii Westmonast. è tenebris extraxit & luci publicæ donavit Tho. Galeus *Rer. Anglic. Script.* Tom. III. p. 382. qui Anonymum hunc dictionis puritate, & styli nitore, Scriptorum nostrorum nemini inferiorem esse rectè notat.

1120. P. II. GALFRIDUS, id est, STEPHANUS (ita enim disertè habet codex MS.) Urbani Landavensis Episcopi frater, claruit circa annum MCXX. quo translationi corporis S. Dubricii interfuit. Scripsit *Vitam S. Teliavi* Landavensis Episcopi, quam ex codice Cottoniano edidit H. Whartonus *Angl.Sacr.* Tom. II. p. 662. Cui subjecit historiolam de primo statu Landavensis Registro, quod in honorem Teliavi *Teilo* appellatur & à Galfrido nostro contextum fuisse perhibetur.

1121. EADMERUS, sive *Edmerus* sive *Edinerus*, sive *Emundus*, Natione Anglus, Monachus Cantuariensis O. B. Claruit anno 1121. Anselmi Archiepiscopi discipulus, omniumque ejus laborum & itinerum comes individuus, quin & vitæ suæ corrector ab Anselmo petitus ab Urbano II. datus. Tandem, teste Simeone Dunelmensi S. Andreæ in Scotia Episcopus factus est: quod verò illum Monasterii S. Albani Abbatem fuisse tradunt Baleus, Pitseus, aliique eos secuti, in eo plane hallucinantur, cùm Eadmerus ille Cœnobiarcha Albanensis plusquam integro sæculo antiquior nostro fuerit, & circa ann. 980. è vivis excesserit. Cæterùm Eadmerus postquam in Scotiâ infulas adeptus est, cùm Monastici magis obsequii, quo Ecclesiæ Cantuariensi devinctus erat, quàm Episcopalis dignitatis memor ingentem sedis Cantuariensis auctoritatem data quavis occasione jactitaret, eamque super arduis Ecclesiæ Scoticæ negotiis consuli vellet; apud Alexandrum Regem malè audire cœpit, variisque injuriis eo nomine affectus est. Harum denuò pertæsus Eadmerus, seque Ecclesiæ Santandreanæ, desiderato favore regio, nullatenus prodesse posse animadvertens, annulum ac baculum pastoralem Regi remisit, anno circiter 1124. Episcopatu semet abdicavit, & Cantuariam reversus, in Cœnobio pristino consenuit.

SCRIPTA.

Historia novorum, sive *sui sæculi libri VI. ab anno* 1066. *usque ad ann.* 1122. Operis hujusce præstantiam tum à re ipsa, tum ab eximio autoris narrandi judicio, pari fide, & non contemnendo sermonis nitore, plurimùm commendat ὁ πάνυ Seldenus, quorum omnium non pœnitenda specimina exhibet. „In sermone verò, *inquit*, nitor " ejusmodi reperitur, ut si veteres rerum nostratium scriptores ad unum omnes diligentiùs evolveris, hujus fuerit incomparabilis. Stylum æquabilem satis, gravem, & historico, ut ætas tulit, dignum præ se fert, vocabula etiam ferè ubique pura. Cæteri quos terimus, sive coætaneos, sive priores, sive recentiores, barbarie, squallore, & sordium congerie præ Eadmero plerunque deturpantur. Etiam Malmsburiensem hic noster stylo saltem æquat, in cæteris autem longo planè intervallo superat. Primus hanc Historiam ex Bibliothecâ Cottonianâ in lucem emisit idem Seldenus cum notis doctissimis, & Actorum ex publicis Archivis Spicilegio *Londini* 1623. fol. exinde recusa est ad calcem Anselmi operum *Paris.* 1675. fol. SÆC. XII. ab An. MC.

De Vita S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis Libri. II. Habentur in editionibus Operum Anselmi *Colon.* 1612. *Paris.* 1630. 1675. & ap. Sur. Febr. XXI.

Vita S. Wilfridi Archiepiscopi Eboracensis, à Mabillonio edita Sæc. Benedict. III. par. 1. p. 196.

De Excellentia B. Mariæ Virginis.

De quatuor Virtutibus, quæ fuerunt in B. Maria Virgine.

De Beatitudine cœlestis patriæ.

De Similitudinibus S. Anselmi.

Opuscula ista quatuor, Anselmo antea inscripta, & inter Opera ejus delitescentia, Eadmero vindicavit, & sub illius nomine edidit Gabriel Gerberonius ad calcem Anselmi Operum *Paris.* 1675.

Præter hæc extant adhuc Eadmeri opuscula varia, viz. *Carmen de Sancto Edvvardo Rege & Martyre. Epistola ad Edmerum de Matre S. Edvvardi. Utrùm Eboracensis Ecclesia Primatum super Scotos habeat. De corpore S. Dunstani apud Glastonienses posito. Vita S. Wilfridi Archiepiscopi. Vita S. Odonis Archiepiscopi. Vita S. Dunstani & quædam miracula ejus. De ordinatione B. Gregorii Papæ. De excellentia B. Mariæ Virginis. Vita S. Osvvaldi Archiep. Ebor. De beatitudine perennis Vitæ. Vita S. Bregvvini Archiep. De conceptione S. Mariæ. Vita Petri primi Abbatis Cœnobii S. Augustini Cant. Sententia de memoria Sanctorum quos venerari decet: De commovendo super se manum S. Petri Apostoli. De reliquiis S. Audoeni & aliorum Sanctorum in Ecclesia Christi Cant. de Gabriele Archangelo.* Habentur hæc omnia MSS. in codice admodum antiquo Vol. 338. 4°. Col. Corp. Christi Cant.

Alia ejus scripta memorant Balæus, Pitseus aliique, quæ huc transcribere è re minimè visum est.

EADMERUS, Anglus, Monachus Cantuariensis, claruit anno MCXXI. Operibus ejus hactenùs recensitis subjicienda sunt, *Additamenta* ad Vitam S. Anselmi Cantuariensis quæ in vulgatis exemplaribus desunt; *Vita* B. Bregwini Archiep. Cant. *Vita* S. Oswaldi Archiep. Eboracensis; *Vita* S. Dunstani Cantuariensis, Osberno antehàc tributa. *Epistola* ad Monachos Glastonienses de Reliquiis S. Dunstani; *Epistola* ad Monachos Wigorinienses de electione Episcopi. Omnia hæc ex Bibliothecâ Collegii Corporis Christi Cantabrig. edidit H. Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. II. p. 179. Reliqua quæ in eodem codice adhuc MSS. latent, alibi commemoravimus. 1121. P. II.

PETRUS MAURICIUS, gente Gallus, Patriâ Arvernus, ex nobili Dominorum de Monte Buxerio stemmate prognatus, Mauricii & Rangardæ filius; postquam militiæ gloriosam per annos aliquot navârat operam, seculo abrenunciato, Monachis Cluniacensibus se adjunxit; & post Hugonis junioris mortem, anno 1123. die Assumptæ in cœlum Virginis creatus est Abbas Cluniacensis, *Abbas Venerabilis* ob morum gravitatem vulgò dictus. Primo præfecturæ suæ exordio, gravissimas à Pontio Abbate olim Cluniacensi, qui ante triennium Hierosolymam profecturus munere suo sese abdicarat, abdicatum redux repetierat, passus est injurias: verùm iis opportuna Pontii mors mox finem fecit. Anno 1126. Petri de Bruis dogmata voce & scriptis oppugnare cœpit. Anno 1140. Petrum Abailardum apud Cluniacenses fortuito divertentem ab erroribus ad saniorem mentem revocavit; & in Monasterio Cluniacensi senectuti suæ sedes ponere suscepta vita Monastica per- 1123. Vitam ejus prolixe describunt Bibliothecæ Cluniacens. Curatores Paris. 1614.

Digitized by Google

rsuasit. Anno 1145. ab Eugenio Pontifice in Itam evocatus est; ut Tusciæ civitates implacabinter se bello digladiantes invicem conciliaret. dulò id quidem conatus est Petrus: verùm obnata Tuscorum pervicacia pia illius studia ludata est. Anno 1150. ad procuranda Ordinis Clucensis negotia Romam iter suscepit; ingenti hore ab Eugenio Papa, & Romanis civibus excens. Obiit exeunte an. 1156. 8. Cal. Januarii.

OPERA.

Pistolarum Libri VI. Prodierunt seorsim Paris. 1522.
Epistola ad Petrum de S. Joanne contra eos qui di-t, Christum unquam se in Evangelio apertè Deum isse.
Tractatus adversus Judæorum inveteratam duritiem.
Epistola ad S. Bernardum Abbatem Claravallensem, translatione Alcorani ex Arabico in Latinum, quam e fieri procuravit anno 1143.
Summula quædam brevis contra hæreses & sectam abolicæ fraudis Saracenorum, sive Ismaëlitarum.
Epistola sive Tractatus adversùs Petrobrusianos.
De Transfiguratione D. N. J. C. Sermo.
De Miraculis sui temporis Libri II.
Rythmi, Prosæ, Versus, & Hymni.
Statuta Congregationis Cluniacensis.
Prodierunt Petri Cluniacensis Opera *Ingolstad.* 46. *in Bibliotheca Cluniacensi* ab Andrea Duchesio & Martino Marrier edita *Paris.* 1614. denique Bibliothecâ Patr. Tom. XXII. p. 813.
Epistolæ II. antea ineditæ, habentur apud Malon. Analect. Tom. 3. p. 481.

SUGERIUS, natione, ut opinor, Gallus, Dionysii Parisiensis Monachus, deindè Abbas, ruit anno MCXXIII. Diaconus adhuc ex iis t, quos Ludovicus VI. Cognomento *Crassus*, lliarum Rex, ad excipiendum Gelasium II. Pam, tunc temporis in Gallias fugientem, ut suptias adversus Henricum Imp. postularet, misit. biit anno MCLI. vel ut alii, MCLIII. Scripsit *tam* Ludovici VI. Francorum Regis ut & Ludoci VII. Utraque in corpore Historicorum Francorum ex Pithœi Bibliothecâ *Francofurt.* 1596. lom habet. Scripsit etiam *Epistolas* ad diversos, Eunium III. Ludovicum VIII. & alios Franciæ ajores, de gravioribus Regni negotiis; de rebus administratione Cœnobii S. Dionysiani à se gés, *librum*; libellum *de consecratione Ecclesiæ* à se dificatæ, quem ex primâ editione mutilum, ex dice Victorino supplevit Joan. Mabillonius *nalect.* Tom. I. p. 328. denique *Constitutiones & estamentum.* Hæc omnia collegit, & in lucem isit Franc. du Chesnius Andræ filius, *Scrip. Hist. ancic.* Tom. IV. à p. 281. ad p. 546.

FULGERIUS, Carnotensis, Monachus, Presbyter? Robertum Normanniæ Ducem cum ercitu in Terram sanctam proficiscentem anno 95. secutus est. In Syriam quamprimùm venit, ldvvini Regis Godefridi Ducis Bullionæi fratris ellanum egit. Claruit adhuc anno 1124. Scrit *Historiam*, quam vocavit, *Gesta Francorum erusalem peregrinantium ab anno 1095. ad annum ue 1124* primus qui mutilam edidit, inter Ge Dei per Francos Tom. I. p. 381. Jacobus Bonrsius testatur se integriori Codice olim usum esse; quo ipsum Opus distinctum erat in libros tres, cundo libro incipiente à Baldvvino I. Rege, terò à Baldvvino II. adeoque Historiam Fulchenam integram edidit Andreas Duchesnius Script. Francic. Tom. IV. *Paris.* 1641. p. 816. De Fulcherii stylo modestam satis censuram fert Gulielmus Malmsburiensis *. *Scripsit stylo*, inquit, *non quidem agresti, sed, ut dici solet, sine nitore & palæstra; & qui alios admonere potuit, ut accuratiùs scriberent.* SÆC. XII. ab an. MC.

* De gest. Reg. Angl. lib. 4.

HONORIUS II. antea *Lambertus* dictus, Patriâ Bononiensis, loco humili natus, à Paschali Papâ Episcopus Veletrensis, & tandem Cardinalis Ostiensis creatus est. Anno 1124. deturbato Theodulpho Cardinali Presbytero S. Anastasiæ, qui post Callisti mortem Pontifex Canonicè electus fuerat, ipse sedem Pontificalem arripuit die XVI. Decembris, à Clero Romano post dies aliquot (si Baronio fides) ritè confirmatus, & XXVIII. December. vel IV. Januar. anni sequentis coronatus. An 1125. Fredericum & Conradum Imperatores Henrici V. nepotes post avunculi mortem Imperium repetentes, & Lotharium Regem armis persecutos, excommunicavit: quin & Anselmum Archiepiscopum Mediolanensem ob donatum Longobardiæ coronâ Conradum eidem sententiæ subjecit. Anno 1127. Rogerio Siciliæ Comiti ob susceptum absque suâ authoritate Calabriæ & Apuliæ Ducatum, bellum intulit, plenariam peccatorum rem ssio iem omnibus in expeditione eâ morituris affatim pollicitus. Anno sequente eundem Rogerium anathemate percussit; quòd ducatum inconsulta sede Romana arripuisset, & Episcopo Siciliæ Romam ventitare vetuisset. Obiit anno 1130. die XIV. Februar. Extant *Epistolæ* XI. Concil. Tom. X. pag. 908. duodecima ibid. p. 1843. 1124.

ANONYMUS Chronographus, quem Lambertum Schaffnaburgensem fuisse suspicatur Maderus, claruit circa annum MCXXVI. Scripsit *Chronicon* Imperatorum, ab Henrico *Aucupe*, anno DCCCCXX. usque ad Henricum V. qui obiit anno MCXXVI. Chronicon hoc in compendium redegit Monachus quidam Hammerslevienfis, qui & alia quædam compilavit. Hanc Epitomen & collectanea in Antiquitatibus suis Brunsvicensibus edidit J. Jo. Maderus *Helmst.* 1678. p. 135. 1126. *P. II.*

NORBERTUS, Patriâ Clivensis, Heriberti & Hadewigis filius, in aula Frederici Archiepiscopi Coloniensis educatus, dein in aulam Imperatoriam accitus est, & in Monasterium demum Sigebergense secessit. Anno 1118. impetrata à Gelasio Papa facultate ad prædicandi munus se contulit. Anno 1120. S. Augustini Regulam servandam suscipiens, Præmonstratensium Ordinem instituit: & quinquennio post Romam profectus, Ordinem suum ab Honorio Papa confirmari obtinuit. Anno 1126. ab Antverpiensibus evocatus Tanchelinum quendam, Hæresiarcham perditissimum, strenue oppugnavit. Anno 1127. Archiepiscopus Magdeburgensis creatus est. Anno 1131. Concilio Remensi interfuit. Anno 1133. Innocentio Papæ & Lothario Regi ex Germania Romam profectis comitem se dedit. Ann. sequente in Patriam reversus, diem obiit. Extat *Sermo Exhortatorius ad Fratres* in Bibliotheca Patrum Tom. XXI. p. 118. 1127. Vit. Norbert. per Hugon. ap. Sur. Jun. 6.

HERMANNUS, ex Monacho ordinis S. Benedicti S. Martini Tornacensis Abbas constitutus est anno MCXXVII. quo Segardo in hoc munere successit. Verùm post exactum decennium morbo gravissimo oppressus regimini suo sponte renunciavit. Opusculum ejus *de Incarnatione Domini* ex codice MS. Viconiensi edidit Cas. Oudinus, talium 1127. *P. II.*

non

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. non indiligens scrutator, inter Veterum *Opuscula sacra* Lug. Batav. 1692. Ediderat anteà ad calcem Operum Guiberti Lucas Dacherius ejusdem de miraculis Mariæ Laudunensis libros III. deindè *historiam* Abbatiæ S. Martini Tornacensis, quam Romae conscripsit Hermannus *Spicilegii* sui Tom. XII.

1128. DROGO, primò quidem Monasterii Nicasiani apud Remenses Prior, deinde Abbas Laudunensis; denique ab Innocentio II. Romam evocatus, Ostiensis Episcopus consecratur, claruit anno 1128. quo Abbatiam adeptus est. Obiit circa an. 1138.

Scripsit *Librum sive Sermonem de Sacramento Dominicæ Passionis.* Habetur in *Orthodoxogr.* pag. 1388.

1128. P. II. GILBERTUS, (sive ut in Appendice ad Henricum Gandavensem cap. 2. vocatur SILLEBERTUS) cognomento UNIVERSALIS, natione Gallus, Lugdunensis Canonicus & Ecclesiæ Autissiodorensis Diaconus, Hervæi Elyensis Episcopi consanguinei sui, ut videtur ope in Angliam evocatus. Episcopus Londinensis factus est, ab Archiepiscopo Cantuariensi consecratus *Januar.* xxii. anno MCXXVIII. In itinere Romano positus, obiit trans Alpes *August.* x. anno MCXXXIV. Gravem avaritiæ dicam ei impingit H. Huntingdonensis *, ejusdem temporis Scriptor, *quòd multa perquisivit, pauca largitus* †. Eruditione & artibus quæ tunc vigebant Scholasticis, omnes penè sui temporis post se reliquit, S. Bernardo magnâ familiaritate conjunctus. Scripsit adhuc Diaconus *expositionem* in totum Vetus Testamentum. Ex quo opere saltem supersunt, Commentarius integer *in Psalterium*, & Expositio *in Threnos Jeremiæ*, quæ se MSS. vidisse testatur Whartonus *Hist. de Episc. Lond.* cap. 37. pag. 53. Ubinam verò delitescant non indicat. Certè testatur etiam auctor Appendicis ad Henricum Gandavensem Silbertum glossa continuata Psalterium exposuisse, & alios quoque libros edidisse. Quid quòd ei hanc ipsam Appendicem adscribit Vossius *de Hist. Lat.* lib. II. cap. 60. pag. 490. Quæ undè habuerit vir diffusæ lectionis non liquet, nisi fortè ut verisimiliter conjicit Andreas Bosius *, Possevini verba malè intellixit, qui Appendicis verba de Silleberto recitans, addit, *Append. ad Hen. de Gandavo de Script. Ecclesiast.* quæ sic accipit Vossius, acsi Opus aliquod Silleberti denotarent, cùm auctorem designent qui de Silleberto ista scripserit.

* Epist. de viris illustr. apud Whart.
† Angl. Sacr. T. II. p. 698.
* Not. Scrip. Eccl. c. 3. nu VII. p. 26.

1129. P. II. AUCTOR Chronici Aureliacensis, Cœnobii Aureliacensis in Diœcesi Arvernensi Monachus, claruit circa annum MCXXIX. Scripsit breve *Chronicon* Aureliacensis Abbatiæ, à B. Gyraldo ad Petrum de Rocâ Abbatem, à Joan. Mabillonio erutum, notisque illustratum *Analect.* Tom II. pag. 237.

1130. P. II. BENEDICTUS Anglus, Cœnobii S. Petri Glocestriensis Monachus, ætatem habet parùm certam, etsi circa annum MCXXX. claruisse videtur. Scripsit *Vitam* S. Dubricii Urbis Legionum Archiepiscopi. Extat in codice Cottoniano admodùm antiquo *Vespasiano* A. XIV. Rejectis quibusdam insulsis hujus Vitæ Miraculis, reliqua evulgavit H. Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. II. p. 654.

1130. HERVEUS, gente Gallus; Patriâ Cenomanensis, O. B. Monachus Dolensis, claruit circa an. 1130. Scripsit *Commentarium in Epistolas D. Pauli* quod Anselmo falsò inscriptum inter Opera ejus habetur in editione Coloniensi 1612. *Commentarium* etiam *prægrandem in Esaiam Prophetam ad Joannem Abbatem Dolensem*, in Bibliotheca Claromontana MS. asservatum, teste Labbeo *; denique *Postillas breves in Deuteronomium*, quas apud S. Germanum Parisiensem extare prodit Oudinus †, Epistolam encyclicam Monachorum Burgidolensium hujus Hervei vitam & scripta continentem edidit Dacherius Spicileg. Tom. II. p. 514.

SÆC. XII. ab An. MC.
* Dissert. Tom. I. p. 432.
† Supplem. p. 395.

HONORIUS, Augustodunensis Ecclesiæ in Burgundia Presbyter & Scholasticus, claruit anno 1130. *Solitarii* etiam nomen gessisse videtur: ita enim ejus *Gemma animæ* annorum 500. exemplar in codice Ambrosiano *Honorii Solitarii* nomen præfert, notante Mabillonio *It. Ital.* p. 14. Scripsit multa, variique argumenti, quæ sequuntur. 1130.

OPERA.

Liber de Luminaribus Ecclesiæ, sive *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, ex Hieronymo, Gennadio, Isidoro, & Beda ferè contextus. Prodiit cum notis Suffridi Petri *Colon.* 1580. 8°. Eundem in quatuor libellos divisit, & in Bibliotheca sua Ecclesiastica notis illustratum edidit Aubertus Miræus *Antverpiæ* 1639. f.

Commentarii in libros tres Solomonis. Prodierunt *Colon.* 1540.

Inevitabile, sive *Dialogus de Prædestinatione & libero arbitrio.* Prodiit *Coloniæ* 1532. inter Cassandri Opera *Paris.* 1616. *Antverpiæ* 1620. 1624. 8°.

Gemma animæ, de Officio Missæ, ejusque cæremoniis, in quatuor partes distributa. Prodiit *Lipsiæ* 1514. & inter Scriptores *de Divinis Officiis Paris.* 1610. pag. 1179.

Synopsis mundi, sive de Imagine mundi Libri III. Spiræ 1583. Duo priores libri inter Anselmi Opera haberi solent.

Elucidarium, Anselmo etiam suppositum, inter cujus proinde Opera reperitur.

Libellus de Hæresibus. Basil. 1544.

De Mundi Philosophiâ libri IV.

De Solis affectibus liber.

Series Romanorum Pontificum à S. Petro ad Innocentium *II.*

Opera ista Honorii omnia junctim edita sunt in Bibliothecâ Patr. Tom. XX. p. 963. 1226.

Alia quamplurima scripsit Honorius hactenus inedita. viz. *Libellum Sermonum. De incontinentia Sacerdotum. De omnimodâ historia* &c. quæ in Appendice ad librum ejus de Scriptoribus sigillatim enumerantur.

INNOCENTIUS II. *Gregorius* antea dictus, ex nobili familiâ Romæ natus, Joannis filius, Monachus Lateranensis, dein Abbas Monasterii SS. Nicolai & Benedicti propè locum Burranum; postea ab Urbano II. Cardinalis Diaconus S. Angeli renunciatus, anno 1118. Calistum II. in Gallias fugientem secutus; ac demum post Honorii II. mortem anno 1130. Pontifex Romanus ab altera Cardinalium parte electus est die XVII. Febr. die XXIII. ordinatus. Altera interim Cardinalium factio Petrum Cardinalem S. Mariæ, Anacleti II. nomine insignitum in Pontificali throno collocarunt. Innocentius ab Anacleto ejectus & excommunicatus in Gallias fugit; ubi à Gallis, Anglis, & Germanis pro legitimo Pontifice habetur, atque anno sequente in Concilio Rhemensi confirmatur. Anno 1133. à Lothario Germaniæ Rege in sedem restitutus, ei vicissim investituras remisit, atque eum Imperatorem Romæ, coronavit. Anno 1137. Lotharium Imp. in partes trahens Rogerio Siciliæ Regi bellum intulit, eique Campaniam & Apuliam eripuit. Anno 1139. celebrato Romæ mille circiter Episcoporum Concilio 1130.

Petrus Diac. Chron. Casin. l. 4. c. 99.

Digitized by Google

oncilio, Rogerium Regem, & Anacleti biennio te defuncti asseclas excommunicavit, Clericom conjugium damnavit, aliosque Canones Ecsiasticos sancivit. Eodem anno contra Rogem exercitum ducens, re malè gesta, ipse ab hous captus est, & ad iniquas pacis conditiones ctus. Obiit anno 1143. die XXIV. Septembr. Ext *Epistola* XLIII. Concil. Tom. X. p. 946. *alia* V. l. p. 1843. *Epistola* II. apud Baluzium *Miscellan.* m. II. p. 198. Anacleti Antipapæ *Epistola* XXXVIII. Christiano Lupo editæ habentur ad calcem *Epiarum Ephesinarum* p. 491.

SIMEON, Natione Anglus, in Academia conienſi educatus, ubi Philosophiam ac Theolom docuit: deinde factus O. B. Monachus, & ecentor Dunelmensis; reliquias Bibliothecarum, as miserè spoliarant Dani, diligenter excussit: & lecta undique materia ad scribendum se accinxit. aruit anno 1130.

SCRIPTA.

Historia Ecclesiæ Dunelmensis, *ex Majorum autoritate scripta*, ab Oswaldo Rege ad Gulielmi iscopi obitum, viz. ab an. 635. ad 1096. Primus *storiam* istam in lucem extulit Cl. Twisdenus inX. Scriptores Anglicos *Londini* 1652. pag. 1. Eam rgoto, Priori Dunelmensi, vindicat, qui Disseronem huic Collectaneo præmisit, Cl. Seldenus. tè Turgoti Historiam, iisdem penè verbis, paumadmodum mutatis, descripsisse videtur Simeon ter: unde Bibliothecæ Cottonianæ Codex MS. rgoti nomen in fronte præfert. Habetur Histo- hujus Continuatio ab anno 1096. ad 1154. l. p. 59. à recentiore manu addita.

Epistola ad Hugonem Decanum Eboracensem de chiepiscopis Eboracensibus. Extat ibid. p. 75. & apud bbeum *Bibl. Nov. MSS.* Tom. 1. p. 322. ubi st Præfatio.

Narratiuncula de Obsidione Dunelmensi, apud visdenum, ubi suprà p. 79.

Historia de Regibus Anglorum & Danorum Libri ab anno 731. [quo desiit Bedæ Historia] ad an. o. extrema scilicet Henrici I. tempora. Omnia nè ex eo desumpsit Rogerius Hovedenus. Extat l. p. 85. *Historiam* hanc per XXV. annos continua- Joannes de Hexam, Prior Hagulstadensis, sdem temporis Scriptor, ibidem editus.

ALGERUS Primùm Ecclesiæ S. Bartholoei Leodiensis Diaconus & Scholasticus; dein ad clesiam S. Lamberti ab Oberto Episcopo transus, negotiis Ecclesiasticis per viginti ferè annos que ad obitum Frederici Episcopi operam de-: postremùm in Cœnobio Cluniacensi sub Petro uricio Abbate institutum Monasticum amples est. Claruit anno 1130. Scripsit *Libros III. de ramento Corporis & Sanguinis Domini adversùs engarium*, qui habentur in Bibliothecâ Patr. m. XXI. p. 251. *Libros III. de Misericordia & jua*, quorum Præfationem edidit Mabillonius *alect.* Tom. I. p. 307. integri Operis editionem uò procurandam pollicitus *Librum de dignitate antiquitate Ecclesiæ Leodiensis*, cujus unica erest memoria.

WILLELMUS, Natione Anglus, Patriâ nersetensis, inde *Somerset* dictus, Cœnobii lmsburiensis Monachus O. B. Bibliothecarius & ecentor, claruit circa an. 1130. Obiit an. 1143. De hæc Nobiliss. Savilius *, quo nemo meliùs judie poterat. *Inter vetustissimos rerum nostrarum Aus, & narrationis fide & judicii maturitate princi-* pem locum tenet Gulielmus Malmsburiensis, homo, ut erant illa tempora, literatè doctus, qui septingentorum plus minus annorum res tantâ fide & diligentiâ pertexuit, ut è nostris propè solus Historici munus explêsse videatur.

* Cave Hist. Lit.

SÆC. XII. ab An. MCI

SCRIPTA.

Libri V. de rebus gestis Regum Anglorum à primo Saxonum adventu ad vicesimum octavum Henrici I. Regis annum, viz. ab anno 449. ad an. 1127. ad Robertum Glocestriæ Comitem, Henrici I. filium nothum.

Historia Novella Libri II. ab an. 1127. ad 1143. postea additi, & eidem Roberto dicati.

De rebus gestis Pontificum Anglorum libri IV. à primo Augustini adventu ad suum usque tempus.

Historias istas in unum collegit, atque edi curavit Nobiliss. Savilius *Londini* 1596. f. recusas *Francofurti* 1601.

Vita S. Aldhelmi Episcopi Schireburnensis, à Mabillonio edita Sæc. Benedict. I. par. 1. pag. 726. seu Epitome potius. Ipsum enim Librum haud ita pridem edidit Whartonus noster *Angl. Sac.* Tom. II. pag. 1.

De antiquitatibus Glasconiæ Opus ad Henricum Episcopum Wintoniensem, Stephani Regis Anglorum fratrem, extat MS. in Bibliotheca Collegii S. Benedicti Cantabrig. Cod. 373. nu. 11. fol.

Abbreviatio ex Gestis Haymonis de Imperatoribus, habetur MS. in Bibliothecâ Baliolensi apud Oxonienses Cod. 108. nu. 4.

Abbreviatio librorum Amalarii de Divinis Officiis Roberto quodam amico suadente facta, eidemque nuncupata. Extat MS. in Bibliothecâ Lambetanâ N. 39. 40. Præfationem unà cum duobus epilogis à Rev. Joan. Battely acceptam edidit Cl. D. Allix ad calcem præfationis ad Joan. Parisiensem, pag. 82.

WILLELMUS, Anglus, Cœnobii Malmesburiensis, O. B. Monachus, claruit circa annum MCXXX. Præter alia multa, librum scripsit *de antiquitate Glastoniensis Ecclesiæ*, à primâ hujus Ecclesiæ fundatione per XII. Philippi & Jacobi Apostolorum, uti fertur, discipulos, ad annum usquè MCXXVI. Has antiquitates ex antiquo codice MS. SS. Trinitatis Cantabrig. protraxit in lucem Tho. Galeus, diligentissimus antiquitatum Britannicarum Promus condus. *Rer. Anglic. Script.* Tom. III. pag. 291. Adjecit etiam ejusdem Malmesburiensis librum V. *de Pontificibus Anglorum*, qui in MS. quo usus est Anonymus reperiebatur. Refert Galeus Willelmum Vitam Aldhelmi Episcopi scripsisse. Certè hic liber nihil aliud quàm Vitam & res gestas Aldhelmi continet. Hoc opus se anno MCXXV. absolvisse in fine disertè tradit, variasque istius anni notas addit. Eodem ferè tempore, eodémque codice quo Galeus usus, hunc librum V. seu Aldhelmi Vitam, edidit H. Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. II. pag. 1. qui editionem suam Galeanâ longè integriorem esse prædicat. Hanc Aldhelmi Vitam [uti ipse quidem credidit] anteà ediderat Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. I. pag. 726. Sed quod posteà compertum est, ejus tantùm compendium erat, diù tamen ante Galei tempora à studioso quopiam contextum. Scripsit item Malmesburiensis de Vitâ S. Wulstani Episcopi Wigorniensis libros tres, sancto Bravonio vulgò tributos, quos ex antiquo Codice Cottoniano erutos, nobis dedit idem Whartonus ibid. pag. 239. qui plures otiosas Willelmi sententias se passim rejecisse, atque integra plerumque capitula, appositis solummodò argumentis, prætermisisse, 1130. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. in præfatione non diffitetur. Inter rerum Britannicarum Scriptores minores, quos Heidelbergæ 1587. edidit Hieron. Commelinus, hebetur *continuatio* Historiæ Ecclesiasticæ Bedæ, quæ tota ex Malmesburiensi desumpta est, exceptis libris III. tribus postremis capitulis ut in præfat. ad novissimam Historiæ Bedæ editionem rectè notavit Cl. Chifletius.

1130. WASELINUS, cognomento *Momalius*, S. Laurentii apud Leodienses Abbas, claruit ann. 1130. Obiit anno 1147. *Scripsit Epistolam de continentia conjugatorum ante Communionem*, quæ à Mabillonio evulgata est Analect. Tom. I. p. 339. ubi de legibus continentiæ conjugalis, quam certis diebus præscribunt Canones, plura, ut solet, eruditè observat Mabillonius.

1130. THEOBAUDUS, Bezuensis in Burgundiâ Cœnobii Monachus, claruisse videtur circa ann. 1130. Scripsit *Libros IV. de Actis, Translatione, & Miraculis S. Prudentii Martyris*; quos primus in lucem edidit Philippus Labbeus *Biblioth. Nov. MSS.* Tom. II. p. 605.

1131. GRATIANUS, Natione Tuscus, Patriâ Clusinas, Cœnobii S. Fœlicis in Bononiâ Monachus O. B. doctissimus juris Ecclesiastici interpres, inde *Magister* appellatus. Claruit ab anno 1131. Non desunt plurimi, qui Gratianum Petri Lombardi, Petrique Comestoris germanum fuisse volunt, matremque tergeminos hos fratres ex furtivo concubitu conceptos uno partu edidisse, quod quidem nullo satis gravis autoris testimonio fulcitur. Scripsit Gratianus circa annum 1151. *Decretorum Canonicorum Collectanea*, seu *Concordantia discordantium Canonum*, ex SS. Patrum dictis, Synodorum Canonibus, spuriis Romanorum Pontificum Decretalibus, aliisque Pseudepigraphis, collectam; & à se brevibus scholiis illustratam. Quamplurima ipsum ex Ivone & Burchardo hausisse omnibus satis notum est. Totum Opus tribus partibus absolvitur. Prima complectitur *Distinctiones* CI. secunda *causas* XXXVI. quælibet causa varias sub se quæstiones, quælibet quæstio varia Capitula. Causæ 33æ quæstio 3. subjicitur amplus satis *Tractatus de pœnitentia*, septem Distinctiones continens. Pars tertia agit *de Consecratione*, in V. Distinctiones divisa; ut de *Paleis*, aliisque huc spectantibus nihil dicam. Opus istud à Gratiano anno 1151. editum Eugenius III. Pontifex statim approbavit, & in Academiis publicè legi jussit. Varia de hoc Opere ejusque usu eruditorum judicia dabit inter alios Gerardus Mastrichtius Hist. Jur. Eccles. num. 318. 319. Certè utut toties à Pontificiis purgatus, in plurimis tamen controversiis à Reformatorum partibus adhuc stat Gratianus: unde Romanæ Ecclesiæ Theologis sæpe vapulat. Ad utiliorem autem Operis Gratianæi intelligentiam nihil magis confert, quàm Antonii Augustini de Emendatione Gratiani Libri II. præsertim cum Baluzii notis editi *Parif.* 1676. 8°. Prima Gratiani Decretorum editio prodiit absque vel Gratiani vel loci nomine 1472. f. deinde *Venetiis* 1479. *Parif.* 1508. (cui primæ Gratiani nomen appositum est) ex eo tempore innumeris locis & vicibus, in omni Juris Canonici editione; præcipuè *Romæ* 1580. *Parif.* 1612. fol. *Lugduni* 1661. II. Vol. 4°. Addam solum quod habet Val. Forsterus; Opus hoc in Æde Sancti Fœlicis fuisse compilatum, cujus memoria hodienum conservatur Bononiæ apud D. Petronium ad Sacellum D. Sebastiani hac inscriptione:

Hist. Jur. civil. l. 3. c. 7. p. 472.

D. O. M.

Gratiani Clusini Cæsarei Jur. & Pont. enucleatoris propè divini, qui Monachus in martyrum Felicis & Naboris æde, absolutissimum ibidem opus Decretorum Anno Gratiæ MCLI. *compilavit; monumentum; quod illi carie ruderibusque obsorduerat, hic magnificentius renovatum, Joannes Franciscus Aldobrandus* Bononiensis *IV. Dictator ære publico restauravit, Anno salutis* MCCCCXCVIII. *Idib. Junii Joanne Bentivolo* II. P. P. *Remp. feliciter gubernante.*

STEPHANUS, Episcopus Parisiensis; claruit anno 1132. quadriennio post Ludovico Crasso Francorum Regi morienti astitit, ejusque confessionem excepit. Extant *Epistolæ* ejus aliquot apud Dacherium *Spicileg.* Tom. III. 1132.

MALACHIAS, gente Hibernus, *Malmedoic O-Morgar.* Hibernicè dictus, in Aquilonari Hibernorum regione natus, Imari Abbatis Armachani, deinde Malchi Lismorensis Episcopi discipulus. Monasterium Bangorense in Ultoniâ restauravit, ac restaurato præfuit: mox Episcopus Comerensis, deinde an. 1134. Archiepiscopus Armachanus factus est. Anno 1137. sede se sponte abdicavit, & Romam profectus, à Pontifice Hiberniæ legatus renunciatur. Anno 1148. iteratâ vice Romam pergit, verùm febri correptus, in Cœnobio Claræ-vallensi obiit eodem anno, die II. Novembris, perquàm familiaris S. Bernardo qui vitam ejus descripsit. Extat *Prophetia de futuris Pontificibus Romanis*, cum expositione Ciacconii apud Arnoldum Wion in *Ligno Vitæ* lib. 2. c. 40. De aliis Malachiæ *Scriptis*, videsis Clar. Waræum libro I. *de Script. Hibern.* pag. 55. qui eadem fere habet Commentario *de Præsul. Hibern.* p. 14. & Baleum Cent. XIV. pag. 239. 1134.

ODDO, S. Remigii apud Rhemos Abbas; claruit anno 1135. Anno sequente ex Italia, quò profectus fuerat, rediit, & construendæ Montis-Dei Carthusiæ fundum dedit. Extat *Epistola de Miraculo quodam Sanc. Thomæ Apostoli* apud Mabillon. *Analect.* Tom. I. pag. 334. 1135.

ANONYMUS libri de Monasterio Gozecensi Auctor claruit circa annum MCXXXV. quo opusculo suo finem imponit. Scripsit librum de fundatione Monasterii Gozecensis ab anno MXLI. ad annum MCXXXV. quem post Montis-Sereni Chronicon edidit J. Joach. Maderus *Helmst.* 1665. pag. 207. Huic subjecit libellum de fundatione Cœnobii Bigaugiensis, à tempore Henrici III. ad annum MCCXII. aliaque quædam de quorundam Germaniæ Monasteriorum fundationibus subnexuit. 1135. P. II.

ULGERIUS, Andegavensis Episcopus; claruit anno 1136. Extat *Relatio ejus ad Innocentium II. Pontificem pro Monasterio Rotensi*, apud Baluzium *Miscellan.* Tom. II. p. 200. 1136.

GEORGIUS, Metropolita Corcyrensis; claruit circa ann. 1136. Romam à Manuele Comneno Imp. ad Concilium celebrandum missus est; verùm infirmitate impeditus in itinere substitit, Brundusii per sex menses commoratus. Mox ab Imperatore revocatus, ut Synodo Patriarchali Constantinopoli habitæ interesset. De eo ejusque libris adversus Latinos uberiùs agit Leo Allatius, tum Diatribâ *de Georgiis & eorum scriptis*, p. 339. 1136.

tum

Digitized by Google

de Consensu, lib. 2. cap. 11. §. 6. Scripsit enim gma contra Latinos de Purgatorio igne, cujus mentum adducitur ab eodem Allatio de libr. f Græcor. II. pag. 134. *Commentarium etiam Latinos; quo probare nixus est, Apostolos & iam primitivam panem solummodò fermentatum aristia adhibuisse.* Utrumque opus Græcè ex- Bibliothecâ Barberinâ. Extat *Monodia* in m Nectarii Monasterii Casulorum Abbatis apud Baron. ad ann. 1180. Plures item scri- Epistolas, quas Latinè vertit Fider. Mutius mularum Episcopus; ex his aliquot edidit nius Tom. XII. viz. 1176. 1178. 1179. 1180. . quamplurimis suppressis, quæ procul dubio Sæculi historiam non parùm illustrarent.

HILIPPUS, Episcopus Tarentinus claruit 1136. Petri Leonis Antipapæ summus erat r, idcircò Synodo Lateranensi anno 1139. â depositus. Hinc in Galliam se contulit, & Monasterio Clarævallensi ab ipsius Bernardi bus acceptum habitum Monachalem induit. 1150. ejusdem Cœnobii Prior factus, se- io. post Conventus de Eleemosynâ, Cister- um in Diœcesi Carnotensi Cœnobii Abbas ituitur. Tandem senio & laboribus grava- regimem suum sponte dimisit, & ad Mona- m Claræ-vallense denuò se contulit, ubi , quo verò anno mihi nondum constat. Ex- *Epistolæ* XXV. quas edidit Carolus du Visch alcem libri *de Script. Ord. Cisterc.* pag. 336. que Philippi nostri esse, in centurâ iis præfixâ argumentorum serie probant Fr. Silvius, & ictus Vischius.

INALDUS II. patriâ Etruscus, domo il- ssimus, Marsorum ac Barilli Comes, factus rimùm Monachus, dein Abbas Casinensis MCXXXVI. & sub titulo SS. Marcellini & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis factus, post VIII. annos & VIII. menses in Cœnobii sui re- ne fœliciter & summâ cum laude exactos, Casini Idibus *Junii* annò MCLXVI. Scripsit Severo Abbate Casinensi hymnum I. de S. to Abbate hymnos III. de S. Placido Abbate artyre hymnos III. Excusi sunt cum Breviario iensi, anno 1568. 1572. Scripsit etiam versus S. Benedicto & Mauro, & Vitam S. Severi nensis lib. I: quæ se vidisse testatur Arnoldus n. *Lign. Vit.* lib. II. cap. 9. p. 193.

ETRUS, patriâ Romanus, Ægidii filius, s anno 1110. Quinquennis adhuc puer Mona- m Casinensium disciplinæ commissus est, & rardo Abbate, à quo religionis Benedictinæ rum susceperat, per octennium eruditus. Fa- est deinceps Ecclesiæ Ostiensis Diaconus, & obii Casinensis Bibliothecarius. Claruit anno quo à Lothario Imp. ad Monachos legatus est, it modestè se gererent, commonefacturus, a à Monachis Casinensibus ad Lotharium re- s, ab eo in aulam cooptatus fuit, secre- dhi bitus, Romani imperii Capellanus fa- L ogotheta quinetiam, exceptor & auditor em constitutus. Quo anno obierit, parùm at.

SCRIPTA.

E viris illustribus Monasterii Casinensis liber. Prodiit unà cum supplemento Placidi ani, itidem Monachi ac Diaconi Casinensis, notis Joan. Bapt. Mari, *Romæ* 1655. & in B heca Patrum Tom. XXI. p. 347. *Paris.* 1666. 8°.

Cave Hist. Lit.

Liber quartus Chronici Casinensis, historiam Cœnobii Casinensis ab anno 1086. [quo desiit Leo Ostiensis] ad an. 1138. continens. Prodiit typis sæpius excusus cum prioribus tribus Chronici libris.

De notis literarum Romanarum ad Conradum Imperatorem liber, primùm editus *Venet.* 1525. dein Hanoviæ inter antiquæ Grammaticæ autores ab Elia Putschio editos.

Innumera alia à se confecta opuscula recenset Petrus c. 68°. libri 4. Chronici Casinens. viz. *Miracula Casinensium Monachorum. De ortu & vitâ justorum Monasterii Casinensis. Historiam eversionis Cœnobii Sancti Mauri. Sermones aliquot. Astronomiæ librum. Expositionis in Regulam Sanct. Benedicti libros* IV. *Scholia in Vetus Testamentum. De generibus lapidum preciosorum. Epistolas aliquot. Breviaria multa operum alienorum. Altercationem inter se & Cœnobii Casinensis Abbatem Adversarium. Versiones aliquot. librorum Græcorum. Hymnos nonnullos. Chronica bina Historiæ exoticæ. Tractatus varios Theologicos. Homilias. Portentorum librum. Itinerarium. Altercationem cum Constantinopolitano quodam pro Ecclesiâ Romanâ habitam. De locis sanctis. Historiam destructionis & restaurationis Atinæ urbis. Historias XIV. de Vitis, Passionibus, Translationibus, & Miraculis totidem ferè Sanctorum.* Hæc & his longè plura recenset ipse Petrus, tùm dicto *Chronico*, tum *libro de viris illustr. Casinensibus*, cap. 47. quænam ex his supersint, quæque, ut alia Petri opuscula hactenus inedita, in Bibliotheca Casinensi hodie servantur, longâ serie te docebit J. B. Marus in notis. In genere sunt vel *Epistolæ*, vel *Sermones Festivales*, vel *Vitæ*, vel *Scholia*, *Fasti Consulares*, *Imperatorum*, *Pontificum*, &c. Liber *de Ortu*, & *Vitâ justorum Casinensium*, aliaque nonnulla quæ sigillatim enumerat prædictus Marus.

ARCHARDUS, Philosophus insignis, S. Theologus illustris, Monachus Cisterciensis, & sub S. Bernardo Novitiorum in Cœnobio Claræ-vallensi director; quod muneris ejusdem jussu in aliis hujusce Ordinis Monasteriis obiit, Claruit an. 1140. Scripsit *Vitam S. Geselini Eremitæ*, quam in lucem protulit Arnoldus Raisius *Duaci* 1626. 12°. *Conciones* etiam aliquot breviores *ad Novitios suos* scripsisse dicitur; quæ an alicubi extent, non liquet. 1140.

GUILHELMUS, primùm Monachus Claræ-vallensis sub Bernardo Abbate [si Henrico Gandavensi credendum sit] dein Abbas S. Theodorici prope Rhemos, ac postea S. Nicasii Remensis. Claruit anno 1140. Anno 1153. postquam Abbatis munus novennio gessisset, Bernardi unici amici mortem deflens, præfecturæ monasticæ renunciavit, & in Cœnobio Signiacensi Ordinem Cisterciensem induit. 1140.

OPERA.

Liber de vitâ Solitariâ ad Fratres de Monte Dei.

Speculum Fidei.

Ænigma Fidei.

Meditationum liber.

De naturâ & dignitate amoris divini liber, qui cum præcedente opusculo, & orationibus quibusdam, habetur in Biblioth. Patr. T. XXII. p. 1142.

De contemplando Deo liber.

De naturâ corporis & animæ libri II.

Disputatio contra Petrum Abailardum.

De erroribus Gulielmi de Conchis liber.

De Sacramento altaris tractatus.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. *Expositio in Cantica Canticorum*, usque ad hæc verba, *Num quem diligit anima mea, vidistis?*

Commentarius in Epistolam ad Romanos.

Opera Gulielmi hactenus enumerata prodierunt in Bibliothecâ Cisterciensi Tom. IV.

De vitâ S. Bernardi liber, qui inter opera Bernardi haberi solet.

Commentarius in Cantica Canticorum, qui sub Antonii Democharis nomine inter Ambrosii opera reperitur in quamplurimis editionibus.

1140. LUCAS, montis S. Cornelii prope Leodium Abbas Ordinis Præmonstratensis; claruit an. 1140. Obiit anno 1157. Scripsit *ad Milonem Tarvanensem Episcopum Commentarium in Cantica Canticorum* ex Aponii Commentario defloratum. Extat is in Bibliothecâ Patrum Tom. XIV. prodierat antea *Friburgi* 1538.

1140. GUERRICUS, S. Bernardi discipulus, ex Canonico Tornacensi, & Scholæ magistro, Abbas Monasterii Igniacensis in Diœcesi Remensi Ordinis Cisterciensis. Claruit an. 1140. Obiit an. 1157. die XIX. Augusti. Extant *Sermones* ejus *de Tempore per annum*, *Parif.* 1539. *Antverp.* 1576. ad calcem Bernardi operum *Parif.* 1645. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XXIII. p. 169.

1140. PHILIPPUS HARVENGIUS, *Eleemosynarius*, ab egregiâ erga pauperes, pietate, dictus, Abbas Bonæ Spei in Hannoniâ Ordinis Præmonstratensis. Claruit ann. 1140. S. Bernardo familiariter usus est, cui tamen non rarò litem movebat. Obiit post annum 1180. Scripsit multa, quæ sequuntur.

Epistola XXI.

Commentarius misticus in Cantica Canticorum.

Moralitates in eadem Cantica.

De Somnio Nabuchodonozoris.

De lapsu primi hominis.

De damnatione Solomonis.

De Clericorum Dignitate, Scientiâ, Justitia, Continentia, Obedientia & Silentio, Tractatus VI.

Vita S. Augustini Hipponensis.

Vita S. Amandi Abbatis Tungrensis.

Passio SS. Cyriaci & Julitta.

Passio S. Salvii Martyris.

Vita S. Foillani.

Vita S. Gisleni Abbatis.

Vita S. Landelini Abbatis.

Vita S. Oda Virginis.

Vita S. Waldetrudis virginis.

Passio S. Agnetis virginis.

Varia Carmina, Epitaphia, & Logogryphi.

Opera ista eruit, atque edi curavit Nicolaus Chamart Abbas Cœnobii Bonæ Spei, *Duaci* 1620. f.

1140. ANTONIUS, MELISSA à sermonibus dictus, Monachus Græcus, vixisse videtur circa ann. 1140. certè Theophylacto, quem citat, posterior. Extant *Libri II. locorum communium*, seu *Sententiarum* ex Patrum scriptis excerptarum, *de Virtutibus & Vitiis*, qui typis excusi, prodierunt Latinè *Parif.* 1575. 1589. & in Bibliothecâ Patr. Tom. V. edit. *Parif.* pag. 878. Gr. Lat. *Tiguri* 1546. fol. à Gesnero editi, & ad calcem Stobæi *Geneva* 1609. fol.

1140. GERARDUS à NAZARETH, patriâ Galilæus, Nazarethanus primùm, deinde Antiochenus Eremita, tandem Episcopus Laodicensis. Claruit anno 1140. Scripta ejus recenset Simlerus in Biblioth. p. 237. & qui illum exscribit, Possevinus Tom. I. p. 635. viz. *De Conversatione servorum Dei*, *Vitam Elia Abbatis*, *De una Magdalena contra Græcos*, *ad Ancillas Dei in Bethania*, *Contra Salam Templarium*. An edita sint opuscula ista, libenter ab aliis edoceri vellem. SÆC. XII. ab An. MC.

BERNARDUS Morlanensis, natione Anglus, si Pitseo* fides, Ordinis Cluniacensis sub Petro venerabili Abbate Monachus; claruit anno 1140. Scripsit versibus Dactylicorythmicis *ad Petrum Abbatem* suum *libros III. de contemptu Mundi*. Prodiit opus istud *Brema* 1597. *Rintel.* 1626. *Luneburg.* 1640. 12°. Versus ejus de Mundo, & Colloquium Gabrielis ac Mariæ Virginis memorant Simlerus pag. 99. & ex eo Possevinus Tom. I. Pitseus loco citato. 1140. * De Script. Angl. p. 201.

ORDERICUS VITALIS, natione Anglus, natus apud Attingesham vicum super Sabrinam fluvium situm ann. 1075. 14. Cal. Mart. Odelerii Constantii Aurelianensis, qui Rogerio Comiti Scrobesburiensi à consiliis erat, filius, puer quinquennis Siwardi nobilis Presbyteri disciplinæ à patre commissus est, undecennis in Normanniam ad Mainerium Uticensis Cœnobii Abbatem ablegatus, & ab eo inter Monachos relatus. Anno 1091. à Gisleberto Episcopo Luxoviensi Subdiaconus ordinatus est Idibus Martii, deinde post biennium à Serlone Sagiensi Episcopo Diaconus, an. demum 1108. & à Gulielmo Archiepiscopo Rothomagensi Presbyter. Claruit an. 1140. & in Cœnobio Uticensi totam exegit vitam. Scripsit *Historia Ecclesiastica libros* XIII. à Christo nato ad ann. 1142. quos in lucem protractos primus edidit Andreas Du-Chesnius inter Scriptores Normannicos *Parif.* 1619. fol. p. 321. 1140.

BARTHOLOMÆUS DE FUSNIACO, Episcopus Laudunensis; claruit ann. 1140. Biennio post ob illegitimum divortium inter Radulphum Verumanduorum Comitem & uxorem ab eo confirmatum ab Ivone Cardinale Innocentii Pontificis legato ab Episcopali munere suspensus est. Demum abrenunciato Episcopatu Monachis Cisterciensibus se adjunxit. Extat *Epistola Apologetica ad Synodum Remensem*, quâ se dissipati Ecclesiastici patrimonii crimine purgat, Concil. Tom. X. pag. 1184. 1140.

ANONYMUS Chronici Malleacensis Compilator claruit circa ann. MCXL. Condidit Chronicon S. Maxentii in Pictonibus, vulgò *Malleacense* dictum, quòd quædam subnexa habeat, quæ ad fundationem ac restaurationem Malleacensis Cœnobii propriùs pertinere videntur. Priorem partem ab orbe condito, usque ad Francum & Vassum Francorum Principes, eò quòd nihil aliud continet quàm quæ ex Eusebio, Josepho, Orosio, aliisque consarcinata fuerant, prætermisit Ph. Labbeus. Reliqua ad annum usquè MCXL. evulgavit *Biblioth. Nov.* Tom. II. p. 191. 1140. P. II.

WILLIELMUS de WYCUMBA, natione Anglus, Roberti Episcopi Herefordiensis Cappellanus, Cœnobii Lanthoniensis in Cornubiâ Prior quartus, claruit circa annum MCXL. Verùm post annos aliquot Rogero Comiti Hærefordiensi, Cœnobii istius Patrono, ob vellicatam Milonis Patris famam, & Monachis suis ob nimiam austeritatem exosus factus, Prioratu suo cedere compulsus est. Scripsit *de Vita* Roberti Betun Episcopi Herefordiensis libros II. quos ex Lambethano eximiæ elegantiæ & antiquitatis codice, sed omissis quibusdam 1140. P. II.

busdam

Digitized by Google

ujusdam Miraculis, extulit H. Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. II. p. 293.

ANONYMUS Historiæ S. Erkenwaldi Auctor, natione Anglus an Gallus incertum, Gilberti Universalis Londinensis Episcopi nepos, ædis Paulinæ Canonicus, claruit anno MCXL. quo primæ corporis S. Erkenwaldi translationi interfuit. Contexuit historiam de Miraculis S. Erkenwaldi Episcopi Londinensis, S. Melliti discipuli, qui consecratus anno DCLXXV. obiit apud Cœnobium Berchingense anno circiter DCLXXXV. Extat hæc Historia MS. & penes se dùm viveret habuit CL. Whartonus. Undè verò descripserit, vel quid de eâ deinceps factum sit me latet.

PETRUS, LOMBARDUS à patriâ dictus, civitate Novariensis, *Magister Sententiarum* vulgò dictus, in Schola S. Genovefæ Doctor Parisiensis, & Canonicus Carnotensis. Claruit anno 1141. Ex Scholarum Parisiensium Præside an. 1159. Episcopus Parisiensis creatus est; atque obiit an. 1164. die 20. Julii. Sepultus in Ecclesia S. Marcelli, ubi & Epitaphium ejus hodie legitur.

Hic jacet Magister Petrus Lombardus Parisiensis Episcopus, qui composuit librum Sententiarum, Glossas Psalmorum, & Epistolarum, cujus obitus est dies decimus tertius Cal. Aug.

Adversùm illum, tanquàm hæreticum & insanum libellum scripsit Joachimus Abbas Florensis, quasi in dogmate de SS. Trinitate, quædam minùs sana tradidisset. Certè inter alia, asseruit Christum, *secundùm quod est homo, non esse aliquid*; unde ex Concilio Lateranensi anno MCLXXIX. habito ad Willielmum Archiepiscopum Senonensem, literas dedit Alexander* Papa, ut convocatis Provinciæ suæ Episcopis in hanc Petri doctrinam diligenter inquireret, eamque penitus aboleri, & Christum sicut perfectum Deum, sic & perfectum hominem, ex animâ & corpore consistentem, à Magistris, Scholaribus, Parisiis in Theologia studentibus edoceri curaret.

SCRIPTA.

Sententiarum Libri IV. quibus Theologiæ summa ex Patrum scriptis collecta, & in methodum scholasticam digesta traditur. Prodierunt *Noriberg.* 1474. *Venet.* 1480. fol. & cum conclusionibus Hen. Gorichebiensis *Basil.* 1492. 1498. fol. *Noriberga* 1478. 1499. 1528. 8°. *Basil.* 1513. *Paris.* 1564. 4°. *Lovan.* 1576. 4°. *Paris.* 1577. 8°. alibique sæpissimè. In condendo hoc *Sententiarum* opere non leviter adjutum esse Lombardum Petri Abailardi Sententiarum libris, nobis auctor est Joannes Cornubiensis, ipsius Lombardi discipulus. Addunt alii, Lombardum magistri cujusdam Bandini, obscuri & penè ignoti Theologi, scrinia insigniter compilasse. Scripsit Bandinus *Sententiarum Theologicarum* libros IV. qui curâ Bened. Chelidonii prodierunt *Viennæ* 1519. Non ovum ovo similius, quàm Bandiniano operi Lombardi Sententiæ, nisi quod prolixior multò Lombardus sit. Uter alterum exscripserit, incertum, nec lis est facilè dirimenda, etsi non desint, quæ Lombardum sua ex Bandino deprompsisse suadeant. Vide quæ hac de re diligenter collegit Cl. Jac. Thomasius *de Plagio literario* à Sect. 493. usque ad 502.

Glossa, seu Commentarius in Psalmos Davidis, *Paris.* 1541. fol.

Collectanea in omnes D. Pauli Epistolas, ex Ambrosio, Hieronymo, Augustino, aliisque Scriptoribus contexta *Paris.* 1535. Prodierunt omnia ejus opera *Noriberga* 1478. *Basilea* 1486.

ARNULPHUS, ex Archidiacono Sagiensi Luxoviensis in Normanniâ Episcopus ab ann. 1141. Anno 1147. Ludovicum Galliæ Regem in Palæstinam exercitum ducentem comitatus est. Anno 1160. ab Alexandro Pontifice legatus Apostolicus per Angliam creatus est. Anno 1163. in Concilio Turonensi peroravit, & Episcopos ad constanter propugnandam libertatem Ecclesiasticam contra Henrici II. Angliæ Regis molimina multis hortatus est. Anno 1167. ab Henrico Rege ad Thomam Beckerum Archiepiscopum Cantuariensem in Galliâ exulantem missus est, ut diras, quas Becketus Angliæ intentavit, precibus averteret. Anno 1173. ab eodem ad Ludovicum Galliæ Regem pro pace ineunda legatus est. Anno 1177. seu ut alii, 1180. Henrico Regi ob tutatas Becketi partes suspectus, in Cœnobium S. Victoris prope Parisios secessit; ibique obiit anno 1182. die 31. Augusti. Scripsit *Conciones plures*, *Epistolas & Epigrammata*, ab Odone Turnebo Hadriani filio primùm edita *Paris.* 1585. 8°. & exinde in Bibliotheca Patr. Tom. XXII. p. 1034. *Tractatum ejusdem brevem ad Gaufridum Carnotensem Episcopum de Schismate inter Innocentium II. & Petrum Leonem Antipapam*, edidit Dacherius Spicileg. Tom. II. *Sermo ejus in Synodo Turonensi*, qua Victor Antipapa, illiusque fautores excommunicati fuerunt anno 1163. habitus reperitur in Concil. Tom. X. p. 1411. *Epistola* ejusdem III. *ad Arnoldum Abbatem Bonæ-vallis* inter Arnoldi Opera ad calcem Cypriani *Oxon.* 1682. 1141. Vid. Arnulph. Epist. passim. Baron. ad an. 1159. 1160. & alibi.

CÆLESTINUS II. antea *Guido de Castello* dictus natione Tuscus, Ecclesiæ Romanæ Presbyter Cardinalis titulo Sancti Marci. Anno 1140 ab Innocentio II. in Gallias legatus est, ubi ob Patrocinium Arnoldo de Brixiâ Hæretico concessum à Bernardo acriter reprehenditur. Anno 1143. Pontifex Romanus electus est die XXVI. Septembr. Dominicâ proximâ consecratus. Obiit ann. 1144. die IX. Martii. Extant *Epistolæ* III. Concil. Tom. X. p. 1031. 1143.

LUCIUS II. *Gerardus* antea dictus, Patriâ Bononiensis, Alberti filius, ab Honorio II. Presbyter Cardinalis titulo S. Crucis in Hierusalem, & Ecclesiæ Romanæ Bibliothecarius, ab Innocentio II. Cancellarius creatus est. Anno 1127. atque iterum 1135. legationem in Germaniam obiit. Anno 1132. Benevento urbi ab Innocentio II. præfectus, urbem contra bellicos Rogerii Siciliæ Regis impetus strenuè propugnavit. Anno 1144. die X. Martii Pontifex electus est, die XII. ordinatus. A Romanis civibus, qui Pontificale jugum penitùs excusserant, graviter divexatus, subsidiariam opem à Conrado Imp. literis humillimè expetiit. Obiit anno 1145. die XIII. Februarii. Extant *Epistolæ* X. Concil. Tom. X. p. 1035. *aliæ* II. apud Baluz. *Miscellan.* Tom. II. p. 218. 1144.

THOMAS, Abbas Maurigniacensis, claruit an. 1144. Extat *Epistola* ejus *unica ad S. Bernardum* apud Baluz. *Miscellan.* Tom. IV. p. 459. 1144.

AMEDEUS, gente Allobrox, in castro Costâ non longè à Viennâ illustri familiâ natus, Cœnobii Cisterciensium Altecombensis Monachus, deinde Abbas. Anno 1144. Ecclesiæ Lausanensi Episcopus datus est, & à Frederico Imp. Imperii Cancellarius renunciatus. Obiit anno 1158. Extant *Homiliæ* VIII. *de laudibus B. Mariæ Deiparæ* curâ Richardi Gibboni editæ *Audomari* 1613. de in- 1144.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab an. MC. deinde ad calcem Sanct. Leonis Operum *Lugduni* 1633. fol. ac denique in Bibliotheca Patr. Tom. XX. pag. 1262.

1144. OTHO, sive OTTO, Patriâ Austriacus, Leopoldi Marchionis Austriæ, & Agnetis filiæ Henrici IV. Imp. filius, Conradi III. Imp. & Frederici Sueviæ Ducis frater uterinus, Leopoldi Bavariæ, & Henrici Austriæ Ducum frater germanus, Frederici Ænobarbi Imp. patruus. A Leopoldo patre Collegio Neoburgi à se recens extructo præpositus est. Ipse verò deposita mox præfectura ad ediscenda uberiùs literarum elementa Lutetiam Parisiorum se contulit. Mox in Ordinem Cisterciensem cooptatus in Monasterio Burgundiæ Morimundensi primùm Monachum, dein Abbatem egit. Anno 1138. à Conrado Imp. fratre suo in Germaniam revocatus, Episcopus Frisingensis in Bavaria creatus est, Cancellarius insuper & scriniorum præfectus renunciatus. Claruit anno 1144. Anno 1147 Crucis signum induit, atque anno sequente Conrado exercitum in Palæstinam ducenti comitem se dedit. Post ann. 1156. deposito munere Episcopali in Morimundense Cœnobium iterum secessit: ibique obiit anno 1158. die XXI. Septemb. Errat proinde Trithemius *, qui illum anno 1260. claruisse tradit. Scripsit *Chronicon rerum ab initio mundi usque ad ann.* 1146. *gestarum libris* VII. quibus octavum adnexuit *de Fine Mundi*, Antichristi persecutione, & mortuorum Resurrectione. Octo hosce libros primus edidit Joannes Cuspinianus *Argentinæ* 1515. Prodierunt deinceps *Basil.* 1569. & quinquaginta ampliùs capitibus ex MS. Codice auctiores cura Christiani Urstisii inter Historicos Germanos *Francofurt.* 1585. & 1670. Tom. I. p. . unà cum Continuatione ab Ottone de Blasio ad annum 1210. deduxit. Scripsit etiam Otho *Libros* II. *de gestis* Friderici *Barbarossæ Imp.* Nepotis sui, ad calcem Chronici excudi solitos. Scripsisse adhuc dicitur *Historiam Austriacam*, penès Wolfgangum Lazium olim repertam, sed nondum in lucem protractam.

Vid. Car. de Visch. de Script. Cisterciens. p. 455. Ipsius Othon. Chron. passim, & Radevic. Continuat.

* De Script. Eccl. f. 107.

1144. ROBERTUS PULLEYNUS, aliis PULLUS, Natione Anglus, omni literarum scientiâ excultissimus, magnique non modo apud suos, sed & apud exteros nominis; nec desunt qui Ecclesiæ Roffensis Archidiaconum fuisse volunt, id quod tum ex Ecclesiæ Roffensis Cartulario, tum ex Bernardi epistola infrà laudanda certò colligit Rich. Tilisleius * ipse Roffensis Archidiaconus, Flagrante in Anglia civili bello ut strepitus militares Musis inimicos fugeret, in Galliam se contulit, & in Academia Parisiensi bonarum literarum studio diu gnaviter incubuit; hac occasione in S. Bernardi amicitiam devenit †, qui miris laudibus hominem effert, utque diutius Parisiis moraretur, datis ad Ascelinum Episcopum Roffensem literis, enixè petiit. In patriam rediens Exoniam appulit, indeque *venit Oxenfordiam* (verbis utor * Anonymi cujusdam qui Bedæ Chronicon continuavit) *ibique Scripturas divinas, quæ per idem tempus in Anglia obsoluerant, præ Scholasticis quippe neglectæ fuerant per quinquennium legit; omnique die dominico verbum Dei populo prædicavit, ex cujus doctrina plurimi profecerunt.* Claruit præcipuè circa annum MCXLIV. Huic enim ætati, huicque tempori ipsum constanter adscribunt Scriptores nostrates tam editi quàm manuscripti; quicquid in contrarium dicant Galli, qui illum ad sequentis Sæculi initium referunt, annoque MCCVIII. ad Archiepiscopatum Rothomagensem promoveri, anno MCCIX. expeditioni ad Albigenses interfuisse, demum ann. MCCXXI. obiisse tradunt. Verum ego Historicis nostris, de Rebus Virisque Anglicis longè tutiùs quàm exteris fidendum existimo, ut de Bernardi testimonio nil dicam. Aut igitur somnia nobis narrant, aut quod probabilius duco, diversus sit oportet Pullus iste de quo passim agunt. Interim duo è Gallis primarii viri * Lud. Castanæus Rupeposæus, & Joan. Morinus nostris suffragantur, & *Pulleynum* ad medium fere hujus sæculi referunt? Ob ingentem ingenii & eruditionis famam ab Innocentio II. Pontifice tandem Romam evocatur, & ann. MCXLIV. à Cœlestino II. Innocentii successore, Cardinalis tit. Sancti Eusebii dignitate exornatur. Addunt alii ipsum à Lucio II. Ecclesiæ Romanæ Cancellarium factum esse: denique Academiæ suæ memorem haud pauca diplomata & privilegia, in Oxoniensis Universitatis tutelam simul ac ornamentum à Pontifice impetrasse. Quam diu vixerit incertum est, circa an. MCL. decessisse scribit Fr. † Godwinus; an rectè mihi planè est incompertum. Scripsit *Sententiarum de Trinitate libros VIII.* Extat Codex MS. eodem quo vixit Autor sæculo, id est ante ann. CCCCL. scriptus in Bibliothecâ S. Germani in suburbio Parisiensi, ex quo plura protulit Joan. Morinus de Sacrament. Pœnitent. lib. 1. c. 18. n 5. 6. 7. 8. 9. 10. Extitisse etiam in privata Gualteri Copi Angli Bibliotheca nos docet Jamesius nostras Eclog. part. 2. pag. 52. tandem integrum opus unà cum Petro Pictaviensi edidit Hugo Mathout Benedictinus *Parif.* 1655. fol. *Sermones* ejus *de communione Sanctorum* extare MS. in Codice Puteano, testatur Phil. Labbeus in Nov. Biblioth. MS. pag. 28. extant MSS. in Bibliothecâ Lambethanâ viginti circiter *Sermones*, hoc titulo, *Sermones Roberti Pullani Cancellarii Romæ*, codex vetustissimus est; nec diu post Auctoris ætatem scriptus videtur. Alia à Balæo, Pitsæo, & Rupeposæo recensentur, quorum nudos titulos hùc transferre jam non vacat.

* Animad. in Præf. Seld. de Decim. prope fin. Anglicè.

† Epist. 205. p. 1568.

* MS. in Biblioth. Bodl. fol. 275. vid. Antiquit. Oxon. lib. I. p. 49.

* Nomenclat. Card. p. 15.

† De Præsul. Angl. part. 2. p. 162.

HIERONYMUS, patriâ, ut videtur, Italus, Canonicus Regularis ex Priore S. Fridiani Lucensis, Aretinorum Episcopus factus est an. MCXLIV. Frederici Ænobarbi causam strenuè tutabatur. Scripsit *Sermones Dominicales* totius anni quos Hubaldo Ostiensi Episcopo, qui posteà sub nomine Lucii III. Papa factus est, dedicavit. Extant hi sermones MSS. in Bibliotheca Vaticanâ num. MCCXLVIII. monente Ferd. Ughello *Ital. Sacr.* Tom. I. p. 467. 1144. P. II.

ANONYMUS Historiæ Dunelmensis Auctor, Cœnobii Dunelmensis Monachus, claruit anno MCXLIV. Turgoti de Ecclesiâ Dunelmensi, ejusque Episcopis, historiam ab anno MXCVI. ad an. MCXLIV. perduxit. Hanc Continuationem ex codice Cottoniano eruit H. Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. I. p. 705. 1144. P. II.

EUGENIUS III. *Bernardus* antea dictus, Patriâ Pisanus, Abbas Monasterii S. Anastasii Trium Fontium Ordinis Cisterciensis, S. Bernardi Claræ-Vallensis discipulus, Pontifex Romanus electus est anno 1145. die XIV. Februarii, in Monasterio Farfensi die XVIII. ordinatus. Electus enim à Romanis civibus imperium Pontificale exosis (quos *Arnaldistas* vocarunt) statim Urbe ejectus fuerat. Exeunte anno Urbem obtinuit, & Jordanem Romanorum Patricium excommunicavit. Mox tamen iterum ab Arnaldistis fugatus, in Galliam se recepit. Anno 1148. celebrato Remis Concilio Eonem Hæreticum quendam delirum, & Gilberti Porretani errores damnavit. Eodem anno Stephanum Angliæ Regem anathemate percussit; 1145.

quod

Digitized by Google

quòd Theobaldum Cantuariæ Archiepiscopum ad Concilium Remense injussu suo profectum exagitaret. Anno 1152. initâ cum Romanis concordiâ in Urbem reversus est. Obiit Tibure anno 1153. die VIII. Julii. Extant *Epistolæ* LXXXIII. Concil. Tom. X. pag. 1046. *aliæ* V. ibid. pag. 1846. *Epistola unica* apud Baluz. Miscellan. Tom. II. p. 222.

GILBERTUS PORRETANUS, gente Aquitanus, domo Pictaviensis, claruit anno 1145. Primò Scholæ Parisiensis Rector & Canonicus Pictaviensis, deinde ab anno 1141. urbis patriæ Pictavorum Episcopus; Philosophus quidem, & Theologus summus; consuetus verò teste Ottone Frisingensi *, ex ingenii subtilis magnitudine ac rationum acumine multa præter communem hominum morem dicere. Hinc in Conventu quodam Clericorum suæ Diœceseos cùm sermoni, quem habuit, quædam de Trinitate dogmata minùs sana immisceret; à duobus Archidiaconis suis, Arnoldo, & Calone, tanquam contra Catholicæ Ecclesiæ doctrinam sentiens, interpositâ appellatione, Romam delatus est. Eugenio verò Pontifice hoc ipso tempore in Gallias adveniente Synodus Parisiensis fuit celebrata: in quâ præsidente Eugenio Papâ Gilbertus hæreseos accusatus, cautâ atque orthodoxâ dictorum suorum interpretatione censuram evasit. Anno sequente in Concilio Remensi eadem iterum agitata est causa, Rejecta Gilberti dogmata: ipse intactus mansit. Obiit anno 1154. Prid. Non. Septembr. Extat *Epistola ad Mathæum Abbatem S. Florentii* apud Dacherium in Appendice ad Opera Guiberti pag. 764. Alia autem scripsit Gilbertus, viz. *Glossam super Psalterium*, quæ MS. extat Oxonii in Bibliothecâ Baliolensi Cod. 35. In fine libri hæc nota apponitur. *Explicit glossatura Magistri Porretani super Psalterium; quam ipse recitavit coram suo Magistro Anselmo in terrâ Emerderonis. Commentarium* adhuc brevem *in Epistolas D. Pauli*, atque *Opus de Trinitate*, quæ in Bibliothecis Gallicis MSS. extare prodit Oudinus Supplem. p. 421.

GAUFREDUS, Monachus Claræ-vallensis Ord. Cisterc. claruit anno 1148. quo Concilio Remensi interfuit. Post multa annorum curricula à Cardinale Albanensi rogatus, scripsit ad eum *Epistolam de rebus in Concilio Remensi de causâ Gilberti Porretani actis*; quæ habetur inter Acta Concilii Remensis Concil. Tom. X. p. 1121.

JOANNES BURGUNDIO, civis Pisanus, de quo plura nos suprà in Appendice ad Chrysostomum. Claruit anno 1148. Anno 1180. Concilio Romano interfuit. Obiit anno 1194. Præter ea, quæ dicto loco memoravimus scripta, anno 1150. è Græco in Latinum sermonem convertit *Joannis Damasceni Opus de Fide Orthodoxâ*. Extat versio in Bibliothecâ S. Benedicti Cantab. Cod. 35. Mertonensi Oxon. Cod. 109. & Lambeth. Latinè etiam transtulit *Gregorii Emeseni* seu potiùs *Nemesii de Philosophiâ sive de Homine libros* VIII. tam ineleganter verò, judice Beato Rhenano, ut verbo ista legi possit, intelligi nequeat. Ea tamen à Joanne Canone Norimbergensi, & B. Rhenano incognitâ, qua sordebat, barbarie repurgata prodiit *Argentorati* 1512. & alibi sæpius.

ANSELMUS, Havelbergensis in Marchionatu Brandeburgensi Episcopus, claruit circa an. 1149. Scripsit *adversùs Græcos Dialogos* III. quos in lucem edidit Lucas Dacherius *Spicileg.* Tom. XIII.

GILBERTUS FOLIOTH, Natione Anglus, ex Abbate Leicestrensi, ab an. 1149. Episcopus Herefordiensis, deinde ab anno 1161. Londinensis. Anno 1162. mortuo Theobaldo Archiepiscopo Cantuariensi, ipse sedem Metropolitanam ambivit; cùmque prælato ei Becketo voto excideret, canonicam obedientiam Becketo, juramento spondere renuit: quin & (si Joanni Sarisburiensi * in Beketi causam nimis prono fides sit habenda) primatum Angliæ sedi Londonensi arripere tentavit, Archiflaminis Londini olim positi dignitatem sibi jure hæreditario competere causatus. Velitationem istam gravior postea excepit pugna; cùm biennio post Becketus totum Clerum Anglicanum ab imperio Regio eximere annisus est, Gilbertus verò Regiis partibus summâ fide & constantiâ adhæsit. Exeunte igitur anno ab Henrico Rege Romam legatus, Becketum coram Alexandro Pontifice seditionis reum egit, Regis sui causam strenuè tutatus. Domum reversus Ecclesiæ Cantuariensis reditibus colligendis & dispensandis præfectus est. Quo nomine à Becketo statim excommunicatus ad Papam appellavit. Confirmatâ verò à Pontifice censurâ, neutrius fulmen curæ habuit; & convocata Londini Synodo utriusque sententiam irritam esse declaravit. Ante annum verò 1170. præstito juramento à Legatis Pontificiis anathemate absolutus est; cui mox iterum à Becketo innodatur, quòd Henrici Regis junioris coronationi ab Archiepiscopo Eboracensi factæ interfuisset. Ab eodem aliquanto post in Angliam adveniente Henrici Regis precibus absolutus; cùm consilii demum de nece Becketo inferendâ cum Rege initi falsò insimularetur; post Becketi anathema Pontificium iterum expertus. Ante obitum tamen absolutus diem clausit anno 1187. XVIII. Februarii. Adjiciam solummodò elogium, quod ei reddit Abbas Ramesiensis epistolâ ad Alexandrum Papam eo ipso tempore, quo maximè fervebant in Anglia lites, conscriptâ, *Venerabilis Pater noster Gilebertus Londonensis Episcopus, vir meritis & nomine conspicuus inter electas terræ nostræ personas quâdam Prærogativâ virtutum insigniter elucescit. Quippe qui sæculari literaturâ & lege divinâ ad unguem institutus, singulos ferè tam Religionis, quàm Ecclesiastici ordinis & dignitatis gradus attigisse & conscendisse dignoscitur. Pastoralisque curam regiminis fideliter prudenterque dispensans, dignâ satis promotione de Monasterio transivit ad Cathedram, primò Herefordensem, dein Londonensem, utramque vitâ pariter & doctrinâ illustrans & honorans.* Scripsit *Commentarium in Cantica Canticorum*, qui curâ Patricii Junii prodiit *Londini* 1638. 4°. Habentur ejusdem *Epistolæ* VII. inter Epistolas Thomæ Becketi à Christiano Lupo editas *Bruxellis* 1682.

* Epist. inter Becketti Epist. xix. l. 3. pag. 512. in his Epistolis multo plura de Gilberto nostro habentur.

HENRICUS HUNTINDONIENSIS, gente Anglus, Nicolai, Presbyteri conjugati, filius, Albini Andegavii Canonici Lincolniensis discipulus, ipse etiam Canonicus Lincolniensis; ac demum ab Alexandro Episcopo Lincolniensi, quem Romam usque comitatus fuerat, Archidiaconus Huntindoniensis factus. Claruit anno 1150. Quousque vitam protraxerit, non liquet. Scripsit ad Alexandrum Lincolniensem *Historiam Anglorum ab ipsis gentis primordiis usque ad Stephani Regis mortem*, annum 1154. *libris* VIII. seu ut alii opus distribuunt, X. Historiam istam inter Scriptores Anglicos edidit Cl. Savilius *Londini* 1596. fol. quæ exinde recusa est *Francofurt.* 1601. *Epistolam Henrici* sive *Libellum de Contemptu mundi* evulgavit Dacherius Spicileg. Tom. VIII. pag. 178. Alia adhuc conscripsit Henricus, viz. *Epistolam ad Warinum de Regibus Britonum*, & *Opusculum de Provinciis* 1150.

Digitized by Google

Britannæ, in Bibliothecâ publicâ Cantabrigiensi asservata Cod. 251. num. 9. 10. *Librum de imagine mundi, in Collegio S. Benedicti* Cantab. Cod. 367. num. 1. & in Magdalenensi *Oxon.* Cod. 17. num. 1. Trinitatis Oxon. Cod. 7. num. 2. *Librum de Sanctis Angliæ*, in Collegio Societatis Jesu Antverpiensi, uti literis ad Pitseum datis testatus est Heribertus Rosveydus. *Alia* quædam recensent Balæus & Pitseus, quæ an supersint hodie, non constat.

1150. P. II. HENRICUS, gente Anglus, Archidiaconus Huntingdoniensis, claruit anno MCL. Condidit historiam Anglorum, quam libris XII. absolvit. Octo libri priores, qui Regum Anglorum Historiam usquè ad annum MCLIV. complectuntur, à Nobilissimo Savilio olim editi sunt. Quatuor posteriores in duobus Bibliothecæ Lambethanæ codicibus MS. asservantur. Nempè nonus agit de Sanctis Angliæ eorumque Miraculis; decimus de summitatibus rerum; undecimus Satyras & Epigrammata; duodecimus Hymnos sacros & Carmina diversi generis complectitur. In libro decimo post præfationem de fine mundi, sequitur Epistola ad Henricum Regem de Serie Regum & Imperatorum, Judæorum & Assyriorum, &c. ad sua usquè tempora; alia ad Warinum Britonem de Origine Regum Britannorum, à Bruto ad Cadwalladrum; Tertia ad Walterum de contemptu Mundi, sive de Episcopis & Viris illustribus sui temporis, anno MCXLV. scripta, quam ex codicibus MSS. exhibuit H. Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. II. pag. 694. etsi illam Spicilegio suo anteà inseruerat L. Dacherius Tom. VIII. pag. 178. Et certè, ut rectè Whartonus notat, ex unico hoc Historiarum opere Baleus & Pitseus plusquàm viginti quatuor diversorum librorum titulos nobis procuderunt.

1150. JOANNES, ex Monacho in Oxia insula Patriarcha Antiochenus, claruit, judice Cotelerio, circa ann. 1150. Extat Gr. Lat. *Oratio in donationes Monasteriorum Laicis factas*, à Cotelerio edita *Monument. Eccles. Gr.* Tom. I. pag. 159.

1150. CONSTANTINUS MANASSES, Natione Græcus nec plura de eo constant. Claruit anno 1150. Scripsit versibus politicis *ad Irenam Manuelis Comneni Imp. fratriam, Andronici uxorem* Σύνοψιν ἱστορικὴν sive *Compendium Historicum* ab initio mundi ad initia Alexii Comneni Imp. annum Christi 1081. Prodiit *Chronicon*, seu *Compendium* istud Latinè ex Leunclavii versione *Basil.* 1573. 8°. Gr. Lat. cum notis Joannis Meursii *Lugd. Bat.* 1616. 4°. cum Leunclavii, Meursii, Allatii, & Fabroti notis Gr. Lat. *Paris.* 1655. fol.

1150. CONSTANTINUS HARMENOPULUS, Sebastus, Nomophylax, & Judex Thessalonicensis, claruit circa ann. 1150. non diu post exortam Bogomilorum hæresin, ut ipse testatur *. Malè igitur Seldenus † illum ad Philothei (qui thronum Patriarchalem CP. ascendit anno 1362.) tempora revocat.

* De Sect. c. 19.
† De Syned. l. 1. c. 10. p. 393.

SCRIPTA.

Πρόχειρον νόμων, sive *Promptuarium Juris Civilis.* Prodiit Græcè *Paris.* 1540. 4°. Lat. *Lugd.* 1556. Gr. Lat. cum notis Joannis Merceri & Dionysii Gothofredi *Genevæ* 1587. 4°.

Epitome divinorum sacrorumque Canonum scholiis passim illustrata. Agit *de Episcopis, Presbyteris, Diaconis*, &c. *de Monachis & Monasteriis, de Laicis*, denique *de mulieribus*. Integrum Opus sex absolvitur sectionibus, quavis sectione plures sub se titulos habente; ut ratione magis compendiaria & dilucidiore, quod quæritur, inveniri possit: uti in fine Præfationis ipse nos docet. Extat Gr. Lat. à Leunclavio edita in *Jur. Gr.* Tom. I. pag. 1.

Liber de Sectis Hæreticis, cui subjicitur *Confessio de opinionibus Hæreticorum, & de fide Orthodoxa.* Habetur Gr. Lat. ibid. pag. 547. in Auctuario Duceano Tom. I. pag. 533. & cum Theoriani Legatione *Basil.* 1578. 8o.

CONSTANTINUS HERMENOPULUS Nomophylax & Judex Thessalonicensis, claruit circa annum MCL. Et ita quidem tradunt Scriptores penè omnes. Verùm ne quid dissimulem, Philotheus Patriarcha CP. in scholio quod Hermenopuli Epitomæ Canonum apposuit, ipsum ad Joannis Palæologi Imp. tempora, & ad annum Christi MCCCXLV. disertè refert. Vide quæ hâc de re notavit Cl. Lambecius *Comment.* lib. VI. pag. 39. 40. Et ante Lambecium Seldenus noster *de Synedriis* lib. I. cap. 10. pag. 393. Interim cum communi ferè Scriptorum suffragio ad præsens Sæculum referatur, eum hoc loco relinquimus. Et certè duo sunt quæ pro confirmandâ vulgari sententiâ notari velim. 1. Ipsummet Constantinum * affirmare Bogomilorum hæresin ἐ πρὸ πολλῦ τῆ καθ' ἡμᾶς γενεᾶς, *non multò ante nostram ætatem* exortam esse. Quod optimè anno MCL. convenit. Exorta enim est Bogomilorum hæresis tempore Alexii Comneni, qui imperare cœpit anno MLXXX. 2. Constantinum nostrum Principem novellas non ultra initium imperii Manuelis Comneni, qui regnum suum auspicatus est ann. MCXLIII. allegare. Et credi vix potest ipsum hoc Sæculo desiisse, si post duo demùm sæcula vixisset. Sed litem dirimant eruditi. Ex scriptis ejus quædam dedimus alibi, alia nunc datum. *Expositio fidei orthodoxa.* Incipit, Πιστεύειν δεῖ τ ὄντως χριστιανὸν, ὡς αἱ ἅγιαι ᾗ οἰκεμενικαὶ Σύνοδοι ἐθεσπίκασιν &c. Extat Græcè Latinè cum Theoriani legatione, aliisque à Leunclavio editis *Basil.* 1578. p. 577. & in *Jure Græc. Rom.* Tom. I. pag. 538. Sed ut verum fatear, hæc Expositio nihil aliud est quàm Epilogus libri *de hæresibus*, seu de sectis, cui subnecti solet *narratiuncula* de Tribus Tomis Synodicis sub Impp. Constantino Porphyrogennetâ, Manuele Comneno, & Michaele Palæologo compositis in quibus anathemate percutiuntur, quicunque contra Imperatores seditionem excitant, & per vim aut insidias imperium invadere nituntur, ut & eorundem adjutores & conscii. Incipit his verbis. Τοῖς μέλλουσι ἐπιβουλεῦ &c. Extat Græcè MS. Biblioth. Vindob. inter libros *Jurid. Cod.* X. num. iii. fol. 184 pag. 2. *Catalogus Officiorum* Aulæ Imperatoriæ Constantinopolitanæ. Cujus principium. Τὰ ὀφφίκια τῦ Παλατίε. A. Δεσπότης. B. Σεβαστοκράτωρ &c. *ibid.* num. vii. fol. 218. p. 2. His addi potest ejus *Lexicon* συνώνυμον Alphabeticum, cùm in eo vocabula Ecclesiastica explicantur. Incipit his verbis, Ἀρχὴ τῦ ἄλφα, ἀγαπῶ, φιλῶ, &c. Extat MS. Biblioth. Vindob. inter libros *Philosoph.* ex ordine Lambec. XXI. num. iii. fol. 177.

* Lib. de Sect. n. xix. p. m. 574.

1150. P. II.

ISAAC, Magnæ Armeniæ Catholicus, claruit (si rem acu tetigit Combefisius, qui tamen dubia admodum nititur conjectura) circa an. 1150. Extant *Orationes invectivæ* II. *adversus Armenos, idem cum Eutychete, Dioscuro*, &c. *sapientes*; Gr. Lat. à Combefisio cum notis editæ auctuar. Nov. Tom II. p. 317. 1150.

AILREDUS, sive Ealredus, sive Ælredus, Anglus 1150.

SÆC. XII. ab An. MC. Anglus, an Scotus? Anglus, opinor, ortu, educatione Scotus, utpote unà cum Henrico Davidis Regis Scotorum filio ab ipsa penè pueritia bonis literis moribusque innutritus. Ad justam ætatem cùm pervenisset, oblatum sibi Episcopatum recusavit; & in Angliam reversus, in Monasterio Rievallensi, vulgò *Revesby* dicto, in agro Lincolniensi, & provincia Cantuariensi inter Monachos Cistercienses nomen dedit. Tandem solo virtutis nomine, inquit Lelandus, secundus ejusdem Coenobii Abbas constituitur. Claruit anno 1150. Obiit anno 1166.

SCRIPTA.

Historia de Vita & miraculis S. Edvvardi Regis & Confessoris; Extat inter X. Scriptores Anglicos à Twisdeno editos *Londini* 1652. p. 369. Habetur MS. etiam ab eo conscripta *Vita S. Edvvardi Regis* carmine Elegiaco ap. Laurentium Abbatem Westmonasteriensem in Coll. Gonvil. & Caii. Cantab. 4°.

Genealogia Regum Anglorum, in Collectione Twisdenianâ ubi suprà p. 347.

De Bello Standardii tempore Stephani Regis anno 1138. ibid. p. 337.

Historia de Sanctimoniali de VVatthun, ibid. pag. 415.

Sermones de Tempore, & de Sanctis.

In Isaiam Prophetam *Sermones XXXI.*

Speculum Charitatis libris III. cum *Compendio* ejusdem.

Tractatus de puero Jesu duodecenni in illud Luc. II. Cùm factus esset Jesus, &c. in cujusdam discipuli sui gratiam conscriptus. Editus est à Davide Camerario lib. 3. *de Scotorum fortitudine* c. 41. *Paris.* 1631.

De Spirituali Amicitiâ Libri III.

Opuscula ista *à Sermonibus de Tempore* inclusivè enumerata prodierunt cum Richardi Gibboni Jesuitæ *Duaci* 1631. exinde in *Bibliotheca Cisterciensi* Tom.V. pag. 16. & in Bibliotheca Patr. Tom. XXIII. p. 1.

Regula ad inclusas seu Moniales. Augustino perperàm ascripta inter opera ejus haberi solet, sub Ælredi verò nomine habetur in Collectione Regularum Holstenianâ par. 3. p. 109.

Tractatus de Dominica infra octavas Epiphaniæ, & Sermones XI. de Oneribus Esaiæ inter S. Bernardi opera latere solebant.

Alia quæ non extant, aut nondum edita sunt, à Baleo & Pitseo memorantur.

RICHARDUS, Natione Scotus, Canonicus Regularis S. Victoris prope muros Parisienses, ac demum Prior, S. Bernardi, & Hugonis Victorini familiaris. Claruit anno 1150. Obiit anno 1173. 6. Id. Mart. Postquam Prioratus munere Novennio perfunctus esset.

OPERA.

De exterminatione mali & promotione boni Tractatus.

De statu interioris hominis Tractatus III.

De eruditione hominis interioris Libri III.

De præparatione animi ad Contemplationem Liber, Benjamin minor dictus. Prodiit sub titulo Libri, de 12. Patriarchis, vel de contemplatione minori, sed absque loci nomine 1494. 8°.

De gratiâ Contemplationis libri V. Benjamin major dicti.

Allegoriæ nonnullæ Tabernaculi fœderis. Librum hunc passim citat Alexander Alensis in *Muriali MS.* sub nomine *Doctoris incogniti*, appositâ hac ad marginem notâ, *creditur Richardus de S. Victore.*

De Trinitate Libri VI.

De tribus appropriatis personis in Trinitate, ad D. Bernardum.

De Incarnatione Verbi liber ad eundem.

De Emanuële Libri II. contra Judæos.

Tractatus Exceptionum in libros IV. distinctus.

De potestate ligandi & solvendi Tractatus.

De meditandis Plagis quæ circa finem mundi evenient.

De judicaria potestate in finali & universali Judicio.

De spiritu blasphemiæ Tractatus.

De Gradibus charitatis.

De quatuor Gradibus violentæ charitatis.

De gemino Paschate Tractatus.

Declarationes nonnullarum difficultatum Sacræ Scripturæ, ad D. Bernardum.

Quomodo Spiritus S. est amor Patris & Filii.

De differentiâ peccati mortalis & venialis Tractatus.

De superexcellenti baptismo Christi.

Sermo in die Paschæ, atque alius de missione Spiritûs S.

De comparatione Christi ad florem, & Mariæ ad virgam.

Quomodo Christus ponitur in signum populorum.

De differentiâ sacrificii David & Abrahæ.

De differentia sacrificii David & Abrahæ, & B. Mariæ Virginis.

Expositio difficultatum suborientium in descriptione Tabernaculi Fœderis.

De Templo Solomonis ad literam.

De concordiâ temporum Regum conregnantium super Judam & Israel; ad D. Bernardum.

Mystica annotationes variorum locorum in Psalmis Davidis.

Explanatio in Cantica Canticorum.

De visione Ezechielis.

De templo Ezechielis.

Decisio aliquot dubiorum Apostoli.

In Apocalypsin S. Joannis libri VII.

Prodierunt Richardi Victorini *Opera Venetis* 1592. *Colon.* 1621 *Rothomagi* 1650. II. Tom. folio.

Scripsit etiam Richardus *explanationis mysticæ in totum Danielem Librum unum*, cujus magnam partem compendio Allegoriarum in Danielem suo intexuit Godefridus Tilmannus.

THEODORUS cognomento PTOCHOPRODROMUS, qui assumpto habitu Monachico, *Hilarionem* se vocavit, claruit sub Imperio Manuëlis Comneni circa annum MCL. Scripsit versibus politicis & barbaris libros II. utrosque Manueli Comneno dedicatos. In priore paupertatem suam egregiè depingit & deplorat; in posteriore in Hegumenum, sive Abbatem suum acriùs invehitur. Extat utrumque opus Græcè MS. in *Cod.* Regio Parisiensi MCCCCXXXIV. Undè frequentius laudat, & quâvis ferè Glossarii sui Græci paginâ quædam depromit Car. du Fresnius; qui & in Appendice voc. Κυβερνήτης Theodori nostri *Encomium* MS. Joannis Comneni Imp. citat, alibique Ptochoprodromum nostrum; sed levi ratione ductus, eundem cum Theodoro Prodromo, non incelebri hujus sæculi Poëta, facere videtur. De Theodoro Prodromo, ejusque scriptis diximus suprà ad ann. MCX. Theodorum Ptochoprodromum laudat Gregorius Corinthi Episcopus lib. *de construct. Orat.* teste L. Allatio *diatr. de Georgiis* p. 309. Illud etiam monere liceat, Possevinum in *Append.* pag. 96. in Catalogo librorum MSS. Græc. in Bibliothecâ Fontis Bellaquæi propè *Paris* hæc habere; *Theodori Prodromi opera, Theo-*

1150. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. *Theologica*, *ut*, *de Festo Domini*, *Quod nos sumus causa peccati*, *non natura*; *De esu carnium*; *De Vitæ termino.* Viderint qui libros ipsos inspicere possunt.

1150. P. II. ADALGISUS, natione ut videtur, Gallus, Cœnobii S. Theoderici Montis OR apud Remos Monachus, claruit Sæculo XII. circa annum MCL. Scripsit de Miraculis S. Theoderici Abbatis Rhemensis, jussu Patrum ejusdem Cœnobii, quibus & opus suum dedicavit. Extat hic libellus ex ejusdem Cœnobii cod. MS. descriptus, apud Mabillonium *Sæc. Benedict.* I. pag. 622. qui tamen Miracula nonnulla utpotè minus utilia, se prætermisisse ingenue fatetur.

1150. P. II. AUCTOR Anonymus Vitæ S. Virgilii, S. Eberhardi Saltzburgensis Episcopi discipulus, claruit circa annum MCL. Scripsit Vitam S. Virgilii Saltzburgensis in Baioariâ Episcopi, denati anno DCCLXXX. quam edidit Canisius *Antiq. lect.* Tom. II. pag. 153. iterumque recensuit Tom. VI. pag. 163. & ex eo Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* III. Part. II. p. 309.

1150. P. II. ANONYMUS libri de S. Marculpho Auctor claruit Sæculo XII. forsan circa annum MCL. Scripsit libellum de Miraculis B. Marculfi Abbatis Nantensis & Confessoris, in variis corporis ejus delationibus factis. Hunc præmisso de S. Marculfo sermone, (an ejusdem auctoris haud satis certum) edidit Jo. Mabillonius *Sæc. Benedict.* IV. Part. II. pag. 514.

1150. P. II. ROBERTUS, primùm Monachus, deindè, ut videtur, Abbas Walciodorensis, claruit circa annum MCL. Scripsit vitam S. Forannani Episcopi & Abbatis Walciodorensis, eamque Wiboldo Abbati Stabulensi dicavit. Extulerunt illam Bollandiani in mense *Aprili*, & Joan. Mabillonius *Sæc. Benedict.* V. p 586.

1150. P. II. STEPHANUS, gente forsan Hispanus, Cœnobii Cellæ Novæ in Gallæciâ Monachus, claruit circa annum MCL. Vitam & Miracula S. Rudesindi Dumiensis Episcopi circa annum DCCCCLXXVII. defuncti, duobus libris descripsit. Ediderunt Bollandiani *Mart.* I. & exinde Mabillonius *Sæc. Benedict.* V. pag. 522. ubi in observatione prævia, variantes eruditorum de horum librorum auctore sententias videre est. Scripsit etiam S. Rudesindi vitam Ordonius, ejusdem Monasterii post Stephanum Prior, unde in cod. MSS. tres libri habentur quorum tertius Ordonii esse putatur. Vide quæ hâc de re notârunt Bollandiani in *Comment. prævio* ad hanc Vitam, & Nic. Antonius *Biblioth. vet. Hisp.* lib. VII. c. 6. p. 18.

1150. P. II. AUCTOR Chronici Corbeiensis claruit, ut videtur, circa annum MCL. Scripsit Chronicon Corbeiense ab an. DCCCXXII. & in Wicboldo Abbate desinit. Ex vetusto codice Corbeiensi ab Henrico Meibomio avo cum notis editum, Henricus Junior Tomo I. *Rerum Germanicarum* pag. 755. iterum inseruit, ad calcem attexuit antiquam Cœnobii Corbeiensis Litaniam, quæ circa annum DCCCXC. in usu fuisse judicatur.

1151. ALANUS DE INSULIS, patriâ Gallo-Flander, civitate Insulanus, in Cœnobio Claræ-Vallensi vitam egit Monasticam, mox Ripatorii Diœcesis Trecensis Cœnobii recèns conditi Abbas. Anno 1151. Episcopus Antissiodorensis creatus est, verùm laborum pertæsus sedi suæ renunciavit anno 1167. & ad Claræ-vallem rediens, obiit ibidem anno 1182. Scripsit compendio *Vitam S. Bernardi*, quam extulit, & editioni suæ Operum Bernardi præmisit Joannes Mabillonius *Paris.* 1666. De Alano Insulensi juniore agemus suo loco. SÆC. XII. ab An. MC.

GALFRIDUS, ARTHURUS cognomento dictus, patriâ Britannus, domo, ut videtur, Monomutensis, certè ejusdem Ecclesiæ Archidiaconus. Anno 1151. Episcopus Asaphensis constitutus est. Turbatis Walliæ rebus, ut sibi meliùs aliunde prospiceret (si modò idem sit Godefridus ille Episcopus Asaphensis, de quo loquitur Rogerius Hovedenus *, quod planè verisimillimum videtur) in Angliam secessit, ab Henrico Regè benignè susceptus, qui Monasterium Abindoniense Abbate tunc viduum ei in custodiam tradidit. Anno 1175. habitâ Londini Synodo, Ecclesiæ Asaphensis Clerici ab Archiepiscopo Cantuariensi petierunt, ut vel Godefridus Ecclesiæ suæ redderetur, vel alius in ejus locum subrogaretur. Dilemmate illo constrictus Galfridus, Episcopatum sponte resignavit, sperans se Cœnobii sui regimen retenturum: sed utrumque perdidit. Sedem enim Asaphensem accepit Magister Adam, Cænobium Abindoniense Monacho cuidam datum est. De certo mortis ejus tempore non constat. Galfridi fidem in historicis vellicarunt plures tum Veteres tum Recentiores, & censurâ satis iniquâ premunt. Multa nobis incredibilia videntur, utpote à nostris temporibus longissimè remota, & à sæculi gentisque nostræ moribus aliena; multa, quæ etsi fabulosa esse concedantur, non statim ipse tamen ex proprio ingenio confinxit, sed ex vetustioribus rerum Britannicarum monumentis hausit. Scripsit ad Robertum Glocestriæ Ducem *Historiam Britanniæ libris* XII. ab ipsis gentis primordiis ad sua usque tempora. Prodiit Historia ista *Paris.* 1517. 4°. & inter Scriptores Britanniæ minores *Heidelbergæ* 1587. fol. Porrò è Britannico sermone in Latinum transtulit, multis tamen de suo additis [si Gulielmo Neubrigensi fides] *antiquas Merlini Britanni Prophetias.* Prodiit ea versio unà cum explanationibus Alani de Insulis *Francofurt.* 1603. 4. *Epistola ad Alexandrum Lincolniensem Præsulem*, *super Prophetiis Merlini* habetur MS. *in Bibliothecâ Cottonianâ* sub *Cleopatra* C. 10. n. 2. *Vita Merlini*, versu heroico non invenusto ad Robertum Lincolniensem Episcopum, ibid. MS. sub *Vespasiano* E. 4. n. 5 Alia adhuc Galfridi scripta memorat Baleus *, viz. *Librum de exilio Ecclesiasticorum*; *De corpore & sanguine Domini*; *Carminum librum*, &c. quæ interiisse videntur. 1151.

* Annal. par. post. fol. 311.

* Cent. 2. cap. 86.

POTHO, Cœnobii Prumiensis in Diœcesi Trevirensi Presbyter & Monachus O.B. claruit an. 1152. Extant libri V. *de statu domûs Dei*, atque unicus *de domo Sapientiæ*, editi *Hagenoæ* 1532. 8vo & in Bibliothecâ Patr. Tom. XXI. p. 489. 1152.

NICOLAUS, Monachus Claræ-vallensis, Ordinis Cisterciensis, quem styli elegantia S. Bernardo commendavit, ut ei ab Epistolis esset; sed cùm literas sub Bernardi nomine, ejusque sigillo munitas, supposuisse deprehenderetur, aliisque criminibus non immunis esset, ex Bernardi comitatu aufugit, & in Italiam se contulit, ubi S. Bernardum acerrimè oppugnare non erubuit. Claruit præcipuè circa ann. 1152. & diu postea vitam protraxisse dicitur. Scripsit *Librum Epistolarum*, qui habetur in Bibliothecâ Patr. Tom. XXI. p. 517. & *Librum Sermonum Henrico Campaniæ Comiti* dicatum, qui reperitur *in Bibliothec. Cisterc.* Tom. III. p. 193. *Epistolas* ejus binas, antea ineditas, dedit Baluzius *Miscellan.* Tom. II. p. 234. 1152.

ANO-

Digitized by Google

ANONYMUS Historiæ Abendoniensis Auctor, natione Scotus, Cœnobii Abendoniensis Monachus, claruit circa annum MCLII. Scripsit Historiam Cœnobii Abendoniensis, à primâ ejus fundatione ad an. MCLII. eamque Florentii Wigorniensis Chronico, tanquàm additamentum, inseruit. Hanc ex codice Lambethano, ad Cœnobium Abendonense olim spectante, editam nobis dedit H. Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. I. p. 163.

ANASTASIUS IV. *Conradus* antea dictus; patriâ Romanus, ex regione Saburræ, Benedicti filius, Canonicus Regularis, & Cœnobii S. Anastasii in Diœcesi Veliterna Abbas, O. A. Cardinalis & Episcopus Sabinensis ante annum 1130. quo Româ fugiens Innocentius Papa eum urbis Vicarium constituit. Anno 1153. die IX. Julii Pontifex Romanus electus est, die XII. coronatus. Obiit anno sequente, die II. Decembr. Extant *Epistolæ* XIII. Concil. Tom. X. p. 1133. & 1851.

HADRIANUS IV. *Nicolaus Breakspeare* antea appellatus, natione Anglus, patriâ Hertfordiensis, Langliæ non longè à D. Albani fano natus, Roberti Monachi & Sacerdotis filius. Adultus factus, in Monasterio S. Albani sibi locum dari petiit, verùm à Richardo Abbate repulsam tulit. Vo... excidens, in Galliam se contulit, & Lutetiæ studiis bonarum literarum aliquamdiu incubuit. Postea in Cœnobio S. Rufi prope Valentiam urbem inter Augustinianos Monachos nomen dedit, brevi Prior, ac demum Abbas Monasterii constitutus. Procedente tempore Romam pro curandis Cœnobii rebus profectus, ab Eugenio III. Cardinalis, & Episcopus Albanensis creatus est. Anno 1148. legatus Apostolicus in Norwegiæ & Daniæ partes missus, Ecclesiam Upsalensem Archiepiscopali jure insignivit. Anno 1154. die IV. Decembris Pontifex Romanus electus est, die V. inthronizatus. Anno 1155. Arnaldistas Romanos excommunicavit, atque urbe ejecit, ipso Arnoldo Episcopo Brixiensi in crucem acto, & Willelmum Siciliæ Regem Campaniæ ... vastantem anathemate percussit. Eodem anno Frederico Romanorum Regi in Italiam advenienti occurrens, osculum pacis ei denegavit, donec ... ratoris officium sibi de more exhiberet; illumque Romam mox deductum corona Imperiali induit. Anno 156. à VVillelmo Rege in urbe Beneventana obsessus, iniquas pacis conditiones subire coactus est. Obiit anginæ morbo, seu, ut alii, muscâ suffocatus, *Anagniæ* anno 1159. die I. Septembr. postquam Fredericum Imp. (si Urspergensi* fides) recèns excommunicarat. Moriens raro abstinentiæ exemplo matrem Ecclesiæ Cantuariensis eleemosynis alendam commendavit. Extant *Epistolæ* XLII. Concil. Tom. X. p. 1143. 1853. *Epistolæ* II. apud Baluz. *Miscellan.* Tom. II. p. 223.

ELIZABETHA, natione Germana, Sanctimonialium prope Monasterium S. Florini, cui præfuit Ecbertus Elizabethæ frater, in Diœcesi Trevirensi Abbatissa Schonhaugensis, O. B. revelationibus & visionibus insignis. Cœpit Visiones videre anno ætatis suæ XXIII. Christ. 1152. teste Alexandro Alensi *in Muriali MS. lib. VI.* Claruit anno 1154. Obiit die XVII. Junii anno Christi 1165. ætatis suæ 36. Extant *Visionum* seu *Revelationum Libri III.* & *Epistolarum* liber unus, typis impressi *Colon.* 1628.

ECBERTUS, ortu Germanus, prædictæ Elizabethæ frater, O. B. Monachus & Presbyter Bonnensis, deinde S. Florini Sconhaviensis Abbas secundus. Claruit anno 1154. & deinceps, sorori superstes. Extant *Sermones* XIII. *adversùs Catharos* cum excerpto de S. Augustino contra Manichæos in Bibliothecâ Patr. Tom. XXIII. p. 600. 631. *Vita, & obitus Elizabethæ* sororis ab eo descriptus præfigitur editioni Opusculorum Elizabethæ *Colon* 1628. Scripsit etiam *Epistolas* plures, ex quibus excerpta quædam habet Catalogus testium veritatis pag. 393. Alia memorat Simlerus, i quæ apud ipsum videri possunt pag. 177.

1154. P. II. ANONYMUS Chronici Saxonici compilator, is saltem qui ultimam operi manum imposuit, claruit circa annum MCLIV. in quo utique desinit. Continet rerum Britannicarum & Anglo-Saxonicarum Annales, à Christo nato usque ad tempora Henrici II. opus quantivis pretii, in quo genuina Britannicæ & Saxonicæ Historiæ fundamenta posita sunt. Ex hoc quippè fonte hortulos suos largitèr irrigâsse rerum nostrarum Scriptores; per se palàm est. Quod & Florentius Wigorniensis, & Willelmus Malmesburiensis ingenuè fatentur. Scriptum esse diversis temporibus; nec ab uno auctore; ex styli diversitate & characterum differentiâ, rectè notavit diligentissimus editor. In priori operis parte usquè ad annum DCCXXXI. plurima ex Bedæ Historiâ Ecclesiasticâ desumpta sunt, reliqua ad Normanorum usque adventum, ex ipsis, ut videtur, Saxonum Archivis, & Monasteriorum Commentariis petita. Quæ supersunt à tempore Willielmi I. addidit alius, Monachus forsan Petriburgensis, isque testis oculatus, quippè qui ad annum MLXXXVI. pag. 189. se Willielmum Conquæstorem vidisse, & nonnunquàm in ejus Curiâ fuisse testatur, idémque alibi non semel luculentèr satis innuit. Primam hujus operis editionem, seu potiùs fragmenta quædam in lucem protulit Saxonicè & Latinè Abr. Whelochus, Linguæ Arabicæ apud Cantabrigienses olim Professor, eaque calci Bedæ Historiæ Ecclesiasticæ subnexuit. Integrum opus collatis variis codicibus MSS. novâque versione Latinâ, tabulâ Geographicâ Saxonicâ, Regulis generalibus de locorum nominibus, nominum tùm locorum; tùm virorum explicatione, aliisque indicibus adornatum, magno, nostræ, tùm & totius gentis Literariæ commodo, edidit Edmundus Gibsonus *Oxon.* 1692. 4°. Priorem hujus Chronici partem ad annum usquè DCCCCLXXV. Ælfrico Grammatico nonnulli tribuunt. Certè Nota quam affixam habet Codex Cantabrigensis Ælfrici nomen præfert; ejusque ætatis anno XXIII. scriptum asserit. Negat id Gibsonus, cùm Ælfrici Annales de rebus Ecclesiæ Cantuariensis præcipuè agebant; quarum in hoc Chronico vix levis mentio. Quisquis fuerit, hoc certè tempore vixisse videtur. Namque anno DCCCLXXV. de Edvardo post Edgari mortem regnum ineunte loquens, in Editione Whellochianâ, orat, ut eum Deus Optimus Maximus conservatet. In Gibsonianâ, de fame agens, quæ eodem anno passim sæviit, precatur, ut *eam in posterum Cœlestis adimat Angelorum Dominus; détque lætitiam cuique incolarum ex terræ frugibus.*

1154. P. II. ANONYMUS Chronici S. Michaelis Auctor claruit circa annum MCLIV. Scripsit Chronicon S. Michaelis in *Periculo Maris* ab anno DVI. ad annum usquè MCLIV. Hoc unà cum alio ejusdem Montis Chronico ab ann. CCCCXXI. ad MLVI. edidit Ph. Labbeus *Biblioth. Nov.* Tom. I. p. 347.

1155. LUCAS, *Chrysoberges* cognomento dictus; ex Monacho Patriarcha Constantinopolitanus ab anno 1155. juxta successionem Freherianam, juxta Baronium verò ab anno 1148. Anno 1166. Synodum

SÆC. XII. ab An. MC. dum Constantinopoli celebravit. Obiit anno sequente. Extant Gr. Lat. *Decreta Synodalia* XIII viz. *Ne fiant nuptiæ septimi gradûs cognationis*; *De Clericis se immiscentibus sæcularibus negotiis*; *Ne jusjurandum irregulare servetur*; *De infantibus captivis baptizandis*; *De Agarenis*, &c. in Leunclavii *Jure Gr. Rom.* lib. III. p. 217.

1155. P. II. LUCAS, cognomento CHRYSOBERGES, ab anno MCLV. Patriarcha CP. obiit anno 1167. Extat Græcè MS. carmen ejus Iambicum Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCIII. num. VII. Excerpta ex ejus *Institutionibus Asceticis* ibid. *Cod.* CCLXXXVIII. num. II. *Poëma* versibus politicis, fœminæ cujusdam rogatu, priusquàm fieret Patriarcha, compositum, de diætâ moderatâ, respectu Festorum & Jejuniorum totius anni, ibid. *Cod. Hist.* LXX. num XIV. fol. 129.

1155. BASILIUS ACHRIDENUS, Metropolita Thessalonicensis claruit anno 1155. quo Hadriano Papæ ipsum per literas sollicitante, ut abrenunciato Græcorum schismate se Ecclesiæ Romanæ ditioni subjiceret, respondit, nec schismaticam esse Græcam, nec superiorem Romanam Ecclesiam. Extat *Epistola ejus ad Hadrianum*, (unà cum literis Hadriani) Lat. apud Baronium ad an. 1155. Gr. Lat. in Jure Gr. Rom. I. V. p. 307. *Responsio ad interrogata de quibusdam nuptiis*, Gr. Lat. ibid. p. 309. vide p. 408. ubi idem *Responsum*, licet non iisdem prorsus verbis, habetur.

1156. ANDRONICUS, CAMATERUS, Præfectus urbis CP. & magnus Viglæ Drungarius. Sebastus, & ipsius Imperatoris Manuelis affinis, θαυμασὸς ἀνὴρ ipso fatente Vecco, ᾗ λόγων ἰσχὺν περιβεβλημένος ἔτι μικρόν. *Vir admirandus, & egregio sermonum robore pollens.* Claruit circa annum 1156. unde nescio quid in mentem venerit Casimiro Oudino, qui eum ad annum 330. detrudit, ipsumque contra Veccum scripsisse affirmat, cùm è contra abundè satis pateat Joannem Veccum, qui anno demum 1274. claruit, adversùs Andronicum nostrum scripsisse, deque eo tanquam semetipso longè antiquiore loqui. Scripsit *librum adversùs Latinos* sub personâ Manuëlis Imp. seu potiùs *Dialogum, interlocutoribus Manuele & Cardinalibus Romanis Constantinopoli tunc commoratis de Processione Spiritus S.* cui postea respondit Veccus, item *disputationem Imperatoris cum doctore Armenorum Petro*, & *libellum de duabus in Christo naturis*, atque aliis capitibus. Libri isti extare MSS. dicuntur in Bibliothecâ Bavaricâ Cod. 120.

1156. P. II. ANONYMUS, gente Anglus an Gallus incertum, Historiæ de Rege Stephano Auctor, claruit circa annum MCLVI. Gesta Stephani Anglorum Regis, & Comitis Boloniensis, libris II. consignavit, quos ex veteri, sed imperfecto & semiexeso exemplari edidit Andr. du Chesnius *Script. Norman.* p. 227.

1157. RADULPHUS NIGER, Monachus Flaviacensis, seu Flaicensis in territorio Bellovacensi, O. B. claruit non Sæculo decimo, quod hactenus creditum, sed anno 1157. ut in dissertatione fusiùs adversùs Maresium probat Labbæus *. Scripsit *Commentariorum in Leviticum libros* XX. disertè admodum atque eruditè. Extant isti in Bibliothecâ Patr. Tom. XVII pag. 47. *Commentaria in Cantica Canticorum* D. Gregorio perperàm inscripta, Radulpho postliminio restituit, & sub istius nomine edidit Jac. Hommey in Supplemento Patrum *Paris.* 1684. Scripsisse etiam dicitur Commentariorum in Epistolas S. Pauli libros XIV. *Historiam Francorum*, breve *Chronicon*, atque alia quædam, quæ nusquam extant.

* Tom. 2. p. 273. & in Addend. p. 799.

ZACHARIAS, Chrysopolitanus [ut volunt] Episcopus, sin verò Alberico Monacho Trium Fontium * credendum sit, Monachus Præmonstratensis apud S. Martinum Laudunensem. Claruit anno 1157. Scripsit *Commentariorum in Ammonii Alexandrini Μονοτέσσαρον*, sive *Evangelicam Concordiam, libros* IV. qui prodierunt *Colon.* 1535. fol. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XIX. p. 732. 1157.

* Chron. ad an. 1157.

ALEXANDER III. *Rolandus* antea dictus, natione Tuscus, patriâ Senensis, Rainutii filius, primùm Ecclesiæ Pisanæ Canonicus, deinde Romam ab Eugenio III. evocatus, & Cardinalis Diaconus titulo SS. Cosmæ & Damiani, mox Presbyter titulo S. Marci, & Apostolicæ sedis Cancellarius factus. Anno 1156. ab Hadriano ad Willelmum Siciliæ Regem Pontificis hostem legatus, pacem utcunque composuit. Anno 1157. ab eodem ad Fredericum Imp. missus, ut insolentissimas deferret litteras, vitæ discrimen adiit, & cum ignominia est ablegatus. Anno 1159. die VII. Septembr. Pontifex Romanus electus est, & ab Octaviano Cardinale, Antipapâ *Victore* dicto, Româ ejectus ordinatur ad Nymphas die XX. ejusdem; anathematis fulmine utrinque vibrato & in Schismata dissiliente orbe Christiano, indictum est ab Imperatore pro causâ dijudicandâ anno 1160. Concilium Pisanum. In eo communi Episcoporum consensu, confirmatus Victor, reprobatus Alexander & excommunicatus. Ipse vicissim Alexander & Imperatorem & Concilii Patres anathematizavit. Anno 1162. Italia à Frederico Imp. fugatus, in Galliam, ab Henrico Angliæ, & Ludovico Galliæ, Regibus invitatus, secessit; atque anno sequente Concilium Turonense celebravit. Anno 1165. post Victoris mortem Romam reversus est, ab Imperatore 1167. iterum ejectus: anno sequente Romam rursus obtinuit, & collecto Lateranensi Concilio Imperatorem iterato fulmine percussit. Anno 1177. Imperatorem Venetorum ope ad iniquas pacis conditiones adegit, & censurâ absolvit: impositis tamen priùs Cæsaris humo se se provolventis cervici pedibus, & additisque illis ex Psalte vocibus; *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem ac draconem.* Anno 1179. coacto Romæ Generali Concilio plenariam peccatorum remissionem Hæreticorum persecutoribus concedi decrevit. Obiit an. 1181. die XXV. Augusti. Extant *Epistolæ* CCCXXXVII. Concil. Tom. X. p. 1188. *aliæ* IV. ibid. p. 1854. constitutiones ejus quæras ibid. p. 1135. *Epistolæ* IV. apud Baluz. Miscellan. Tom. II. p. 227. *Epistolæ* II. ibid. Tom. IV. p. 466. *Epistola ad Athalaudum de Schismate istius temporis*, in Bibliothecâ Patr. Tom. XXIV. p. 1519. 1159.

ANONYMUS Historiæ Engolismensis Auctor, Engolismensis Canonicus, claruit anno MCLIX. Scripsit Historiam Pontificum & Comitum Engolismensium, quam à tempore Ausonii primi Episcopi, ad Hugonis usquè obitum ad ann. MCLIX. deduxit. Ex tribus codicibus MSS. edidit Ph. Labbeus *Biblioth. Nov.* Tom. II. p. 249. 1159. P. II.

GERVASIUS, gente Anglus, domo Cicestriensis, dignitate Presbyter; claruit anno MCLX. vir suo tempore doctrinâ celeberrimus, magnam sibi famam etiam in Academiâ Parisiensi excitavit. Thomam Becketum Archiepiscopum amicum & patronum habuit, qui eo familiariter usus est. Scripsit inter alia *Commentarios in Malachiam*, qui 1160.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. qui privatim in Bibliotheca Lumleianâ asservabantur, teste Jamesio Eclog. lib. 2. p. 32.

1160. ODO, natione Anglus, patriâ Cantianus, Cœnobii Cantuariensis Prior, O. B. & (si Pitseo * fides) demum Monasterii de Bello Abbas; claruit (non, ut Pitseus, obiit) anno 1160 Extat *Epistola ad Adamum Igniacensem quendam Fratrem Novitium* (in quâ absurda quædam, & tantum non blasphema habet de S. Benedicto ejusque instituto, illique tribuit, quæ de Christo in S. Scripturâ ἰδικῶς dicuntur) apud Mabillon. *Analect.* Tom. I. p. 349. Hujus, ut videtur, Odonis sunt *Epistolæ* aliquot apud Dacher. *Spicileg.* Tom. II.

* De Script. Angl. p. 226.

1160. BERTRANDUS, Monachus, ut videtur, Casæ Dei in Montibus Arvernorum; claruit an. 1160. Extat *liber tripartitus de vitâ, conversatione, & miraculis S. Roberti Abbatis, primique fundatoris Casæ Dei* apud Labbeum in Biblioth. Nov. MSS. T. II. pag. 637.

o. PETRUS BLÆSENSIS, à loco natali dictus; natione Gallus ex Canonico Bituricensi Bathoniensis; ac postea Londinensis in Angliâ Archidiaconus, & Cantuariensis Archiepiscopi Cancellarius, ipsiusque Regis Procancellarius, claruit ab anno 1160. Anno 1167. Stephano Comitis Perticensis filio in Siciliam proficiscenti itineris socium se dedit, & in Angliam postea reversus, obiisse videtur circa annum 1200. Primus omnium fuit, qui in re Eucharisticâ *Transubstantiationis* vocabulum usurpâsse dicitur.

OPERA.

Epistolæ CLXXXIII.
Sermones de variis argumentis LXV.
Tractatus de Transfiguratione Domini.
Tractatus de Conversione S. Pauli.
Compendium super Job, seu *Explanatio in duo priora, & ultimum Jobi capit.*
Tractatus de Hierosolymitanâ peregrinatione accelerandâ.
Instructio fidei, ad Soldanum Iconii anno 1169. ab Alexandro III. missa.
Liber de Confessione sacramentali.
Liber de Pœnitentiâ vel Satisfactione à Sacerdote injungendâ.
Canon Episcopalis, seu *Tractatus de Institutione Episcopi.*
Invectiva contra Depravatorem
Tractatus de Amicitiâ Christianâ, mutilus & imperfectus, qui Cassiodoro suppositus inter opera etiam ejus haberi solet.
Liber contra perfidiam Judæorum.
Tractatus de Amicitia Christiana integer ac perfectus.
De charitate Dei, & dilectione Proximi.
Tractatus de utilitate tribulationum.
Tractatus, quales sunt,
Tractatus de Divisione & Scriptoribus sacrorum librorum.
Tractatus de Eucharistia metricè.

Prodierunt Petri Blæsensis *Opera Paris.* 1519. cura Joannis Busæi *Moguntiæ* 1600. 4°. unà cum appendice ab eodem edita, ibid. 1605. 8°. demum studio Petri de Gussanvillâ collecta, & notis ac variantibus lectionibus illustrata *Paris.* 1667. fol. exinde in Bibliothecâ Patr. Tom. XXIV. pag. 912. 1077.

Continuatio historiæ Ingulphi Croylandensis usque ad ann. 1118. cum Ingulphi Historiâ primùm edita est *Oxon.* 1684. fol. p. 108.

Cave Hist. Lit.

Alia à se scripta memorat Petrus *, viz. *Dialogum ad Henricum regem*; *Opus novellum de assertione fidei*; *librum de rebus gestis Henrici* II. *Angliæ regis*; *& libellum de præstigiis fortunæ*, quæ interiisse videntur, nisi quod opusculum postremum se MS. vidisse prodat Cas. Oudinus.

SÆC. XII. ab An. MC. * Ep. 14. & invect. contr. depravator.

JOANNES DE HEXAM, natione Anglus Hexamiæ in agro Northumbrorum natus, Ordinis Augustiniani Monachus, & Cœnobii Hagulstadensis Præpositus, claruit anno 1160. In vultu severus, in moribus candidus, artium & historiarum in Monasterio suo Prælector eximius. *Simeonis Dunelmensis Historiam* per XXV. annos continuavit ab anno 1130. ad an. 1154. Extat *Continuatio* ista inter Scriptores X. Anglicos à Twisdeno editos *Londini* 1652. p. 257. Alia Joannis scripta recenset Baleus *, viz. *Librum de signis & Cometis, descriptionem Stotici belli, & Conciones* aliquot, quæ hodie nusquam extant. 1160.

* Cent. 3. cap. 31.

FOLMARUS, Cœnobii, ut opinor, de Petrâ Stillante, seu Trieffensteinii in Franconia infra Herbipolim præpositus; claruit (si fas sit in re obscura divinare) circa an. 1160. Communem Ecclesiæ hoc Sæculo doctrinam de corpore & sanguine Domini oppugnavit. Extat hâc de re *Epistola ad Eberhardum Saltzburgensem Episcopum*; item *alia* quâ opinionem suam revocat, unà cum aliis aliquot *ad Folmarum*, vel de illo datis, à Jac. Gretsero editis ad calcem Scriptor. coætaneorum adv. Waldens. *Ingolstad.* 1613. 4°. 1160.

ADAMUS, natione Scotus, Canonicus Regularis Ordinis Præmonstratensis; claruit circa ann. 1160. Obiisse dicitur circa an. 1180. 1160.

SCRIPTA.

Commentarius in Regulam D. Augustini.
Tractatus de triplici Tabernaculo Moysis.
Liber de triplici genere contemplationis.
Sermones XLVII. varii argumenti.

Prodierunt Opuscula ista *Antverp.* 1659. fol. Prodierunt antea tractatus duo medii, & Sermones XIV. de ordine & habitu Præmonstratensi *Paris.* 1518. fol.

Sermones alios LIII. & *Soliloquium de Animâ*, apud Cœlestinos Meduntinos MSS. extare fidem facit Cas. Oudinus ipse Præmonstratensis, *Supplem.* 442.

MICHAEL, patriâ Thessalonicensis, Magister Rhetorum, & magnæ Ecclesiæ Protecdicus; claruit circa an. 1160. damnatus ob Bogomilorum hæresim, eam sub vitæ finem abrenunciavit. Hæresis verò ista Massalianis ferè communis erat, nisi quòd plurimas ineptias & deliria adjecerit; ex gr. non nisi septem S. Scripturæ libros recipiendos esse; abrogandum esse Templorum, Eucharistiæ, Crucis, & Orationum [excepta unica illa, *Pater Noster*] usum. Imperfectum esse Catholicorum baptisma, sectæ suæ assecias Deiparos vocari posse: Inæquales esse S. Trinitatis personas, ipsisque videndas crebrò semetipsas exhibere. Extat Michaelis nostri *Confessio* brevis apud L. Allatium de Consensu l. 2. c. 12. §. ult. 1160.

JOANNES, CINNAMUS cognomento dictus, Grammaticus, seu notarius Manuelis Imp. claruit anno 1160. Sub Manuele Comneno ab ipsa adolescentia militiæ nomen dedit, variisque, quod de se in præfatione testatur, tum in Europam, tum in Orientem expeditionibus interfuit. In vivis adhuc 1160.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. huc erat anno 1183. cùm Andronicus Comnenus, occiso Alexio, ad imperium grassatus, Lopadium in Bythynia obsideret. Post mortem Manuelis ad scribendum animum appulit, & *Historiam duorum Comnenorum*, *Joannis & Manuelis* filii condidit; illius quidem res gestas breviter & summatim, hujus verò fusè & prolixè enarrans, utriusque res gestas ab anno 1118 ad 1176. complexus. *Author elegans*, inquit Leo Allatius *, *si quis alius, formulis dicendi peregrinis sæpius utitur, figuris ex Sophistarum penu. Periodi illi concisæ, plenæ, nisi cùm compositionis novitate asperantur & obscurantur. Totum se, ut verbo extricem, ad Procopium componit. Et mirum est inter tot alios posterioris Sæculi Scriptores tumultuario in dicendo scribendoque delirantes, hunc tantum sapuisse.* Nec aliter G. J. Vossius †; *Dictio ejus purior est, tersiorque, quàm aliorum esse Græculorum solet: Immo Xenophontis ipsius, quem in Præfatione laudat, æmulus est.* Vitio ipsi vertitur, quòd in laudando Manuele modum excesserit. Laudat quidem, sed intra modestiæ limites, nec adulatur; certè adulationis suspicionem à se longissimè semovet, dum ex insita animi indole, atque ipso naturæ ductu se ne verbum quidem ultro aut scienter, nisi vere perinde ac liberè proferre posse profiteatur *. *Historiam* istam in quatuor libros divisam ex Isaaci Vossii apographo primus cum notis Gr. Lat. edidit Cornelius Tollius *Trajecti* ad Rhenum 1652. 4°. Eandem in sex libros distributam cum versione, notisque historicis & philologicis, Carolus du Fresne *Paris.* 1670. fol.

† Diatrib. de Simeon scriptis p. 150.

† De Hist. Greg. lib. 4. cap. 19.

* Hist. l. 5. c. 1.

1160. P. II. JOANNES TZETZES, cujus & genus & patria incerta sunt, professione Grammaticus, claruit ipsomet * teste Michaele Psello centum annis posterior, circa annum MCLX. Isaacium Tzetzem qui in Lycophronis Alexandram commentarium edidit, fratrem habuit. Scripsit versibus politicis ad Joannem Lachanam Grammaticum, Zabariæ filium, Historiarum variarum *Chiliades* XIII. Adjecti sunt ad calcem Jambi aliquot & Epistolæ quatuor. In prolixo hoc opere (quod *Alpha* vocavit Auctor) pauca habet ad rem Christianam & Ecclesiasticam spectantia; ut inter Scriptores Ecclesiasticos vix locum habere mereatur. Extant hæ Chiliades Græcè Latinè *Basil.* 1546. *fol.* & inter Poetas Græcos veteres *Gen.* 1614. Tom. II. pag. 274. Scripsit etiam, sed quæ huc non spectant, *Scholia* in Hesiodum Græc. Lat. unà cum aliis *Basil.* 1543. & ex Editione Dan. Heinsii *Amstel* 1603. 4°. Scripsisse præterea ad Augustam in Homerum ἐξήγησιν μετάφρασιν ἡμαξεμμένοις στίχοις continentem, fidem nobis facit Jo. Simlerus *Biblioth. contract.* p. 423. an verò edita sit, in medio relinquit. Denique extat Poëma ejus *de Allegoriis* Græc. Lat. cum notis Fr. Morelli *Paris.* 1616. 8vo. Præter Chiliades historicas, quæ editæ sunt, habentur in MSS. codicibus complura ejus carmina de differentiis Poëtarum, de Comœdia & Tragœdia, de metris omnibus quæ in versibus reperiuntur, aliaque plura Bibl. Reg. Paris. *Codd.* CCLXXXVII. DCLXXXVIII. DCCCLXXVIII. DCCCCII. MCXXIX. & alibi non semel; item *Epistola* CVII. ibid. *Codd.* DCCCCII. MCCCL. Vide Labb. *Bibliotb. Nov. MSS.* 4to. Part. III. pag. 100. Part. IV. pag. 134.

* Chil. XI. vers. 719.

1160. P. II. ANONYMUS, Chronici Beneventani Auctor, Cœnobii Beneventani ex Ordine Benedictino Monachus, circa annum MCLX. claruisse videtur, cùm concessa Monasterio suo privilegia ultra hoc tempus non deducit. Scripsit Chronicon Beneventani Monasterii S. Sophiæ, quo infinita privilegiorum Diplomata, Chartásque pleno horreo exhibet. Ex originali codice Bibliothecæ Vaticanæ edidit Ferd. Ughellus *Ital. Sacr.* Tom. VIII. p. 561. SÆC. XII. ab An. MC.

ANONYMUS, natione Anglus, Ecclesiæ Hagulstaldensis in Australibus Northumbriæ finibus, 1160. haud procùl à Tinâ flumine sitæ Canonicus regularis, claruit circa annum MCLX. Scripsit *de Sanctis Ecclesiæ Hagustaldensis, eorumque Miraculis* librum, seu potius prolixum sermonem, in solenni hujus Ecclesiæ Festivitate; ad Fratres habitum. In quo de S. Wilfridi sedis Hagustaldensis Antistitis primi, de Accæ ejus discipuli & successoris, deque aliorum hujus Ecclesiæ Sanctorum laudibus & miraculis luculenter agit. Primus ex MS. Cod. Bibliothecæ Bodleianæ in lucem protulit Joan. Mabillon. *Sæc. Bened.* III. Part. I. p. 299. P. II.

FASTREDUS, Abbas Claræ-vallensis, claruit an. 1161. quo Synodo Tolosanæ interfuit, in qua rejecto Victore Antipapa, agnitus est Alexander. Extat *Epistola* ejus *ad Omnibonum Episcopum Veronensem*, qua Synodi Tolosanæ acta describit, Concil. Tom. X. p. 1407. 1161.

JOANNES BELETHUS, Scholæ Theologicæ Parisiensis Rector, claruisse videtur circa an. 1162. Non desunt alii, nempe Claudius Jolly Parisiensis Canonicus, & Casimirus Oudin, qui ipsum ad annum 1328. revocant: quod quidem mirum videri debeat; cùm Henricus Gandavensis qui anno 1280. scripsit, eum inter primos Catalogi sui Scriptores recenseat. Extat *Rationale Divinorum officiorum*, editum *Antverp.* 1553. 1570. 8°. *Lugduni* 1583. & cum Durando ibid. 1592. 8vo. pagin. 922. 1162.

ARNOLDUS, sive Ernaldus, Abbas Bonævallis O. B. in Diœcesi Carnotena, inde *Carnotensis* dictus. Vixit adhuc anno 1162. Bernardi, dum in vivis adhuc erat, familiaris. 1162.

SCRIPTA.

Tractatus de septem Verbis Domini in Cruce prolatis. Prodiit seorsim cum scholiis Fr. Titelmanni *Antverp.* 1532. 8o.

Tractatus de Operibus sex dierum, cura Dionysii Perroneti editus Antissiodori 1609. 8°.

Sermo de laudibus S. Mariæ Virginis. Habentur Opuscula ista tria in Bibliothecâ Patr. Tom. XXII. pag. 1280.

Tractatus de cardinalibus Christi Operibus, qui Cypriano suppositus inter opera ejus locum habere solet.

Meditationes variæ. Omnia hactenus enumerata Opera in unum collecta, & Autori suo restituta prodierunt ad calcem S. Cypriani Operum *Oxon.* 1682. fol.

Ex *libris V. de Vitâ S. Bernardi*, Operibus istius adjungi solitis, *secundus* Arnoldum nostrum autorem habet.

Commentariolus ejusdem *in Psalmum XLIV. & Opusculum de septem donis Spiritûs S.* extant MSS. penès Joannem Mabillonium.

ARNOLDUS, ex Ordine Benedictino, Abbas Bonæ Vallis, claruit anno MCLXII. Operibus ejus antehàc editis addi possunt; *Commentarius in Psalmum* CXXXII. & Tractatus *de donis Spiritûs S.* quos ex codicibus MSS. in lucem emisit inter Veterum *Opuscula sacra* Cas. Oudinus, qui de posteriori Opusculo notat ad dictionis Arnoldinæ elegantiam haud semper accedere. Nec pauca de aliis ejus Opusculis observat. 1162. P. II.

THO-

SÆC. XII. Ab an. MC. 1162. THOMAS BECKET, gente Anglus, civitate Londonensis, Gilberti mercatoris & matris natione Syræ filius. Primis literarum elementis à Priore Mertonensi imbutus, primùm Oxonii, dein Lutetiæ studia literaria ulterius urgebat. In Angliam reversus inter Theobaldi Archiepiscopi Cantuariensis domesticos cooptatus est; ab Archiepiscopo Bononiam mox amandatus, ut ibi Juris Canonici scientiam edisceret. Iterum reversus Archidiaconatu Cantuariensi, præpositurâ Beverlacensi, Rectoris de Bromfield, & Monte S. Mariæ, Præbendis item duabus, unâ Paulinâ, Lincolniensi alterâ, donatur. Mox in Aulam ascitus, summus Angliæ Cancellarius creatus est; & post Theobaldi mortem ad thronum Cantuariensem evectus anno 1162. ipso Pentecostes die consecratus. Summam Ecclesiæ Anglicanæ dignitatem nactus vir ad miraculum usque ambitiosus & protervus, nil nisi libertates Ecclesiasticas, & authoritatem sedis Romanæ somniavit; adeò ut totum Clerum Anglicanum qualicunque Regis potestate eximere, & Pontifici subjicere omni studio eniteretur. Cùm Clerici enim homicidia, aliaque id genus flagitia passim committerent, Rex antiquas regni consuetudines locum obtinere voluit; ut omnes cujuscunque sortis rei à judicibus Regiis coercerentur ac punirentur. Thomas è contra Clericos omni potestate regiâ liberos esse, ac soli Pontifici Romano subditos contendit. Indictâ tamen anno sequenti Synodo Clarendunensi, ipse diu tergiversatus, tandem veritati cessit; & consuetudines regias subscriptione suâ ac sigillo appenso confirmavit. Mox verò facti pœnitens homo levissimus, absolutionem sibi tanquam gravissimo scelere impedito à Pontifice concedi impetravit, & fugam meditatus est. Ex fuga retractus, in Concilio Northamtunensi peculii, perjurii, ac proditionis accusatus, & ab Episcopis, quamvis ad Papam provocaret damnatus. A Concilio dimissus, fugam iterum molitus est; & in Belgium trajiciens, exinde ad Alexandrum Papam in Senonibus agentem se recepit: ubi in omnes Canonum Clarendonensium observatores anathema confestim vibravit. Longum esset omnia viri procacissimi ausa nefaria commemorare; quoties ille in Principis sui caput conjurarit; quoties eundem apud Pontificem & exteros Reges accusarit: quoties denique Angliæ Regem, Episcopos, Proceres & Clerum excommunicarit, absolverit, absolutosque iterum anathematizarit. Ipse interim Innocentium Papam & Ludovicum Galliæ Regem, potentissimos patronos nactus, in Gallia & Italia securus delituit. Tandem anno 1170. pace utrinque composita in Angliam reversus sedem recuperavit. Verùm cùm homo inquietus turbas nectere non cessaret, Regi iterum regnoque gravis factus, à satellitibus quatuor Regiis, injussu tamen regio, Cantuariæ interfectus est, exeunte eodem anno die XXVIII. Decembr. anno ætatis suæ 52. Extant *Epistolarum libri VI.* à Joanne Sarisberiensi olim collecti & digesti, admixtis etiam quamplurimis aliorum ad Thomam, & de eo, *Epistolis*. Collectionem istam in lucem protraxit, & unà cum *Quadrilogo*, seu Vita Thomæ ex quatuor Autoribus, viz. Hereberto ipsius Clerico, Wilhelmo Cantuariensi, Alano Abbate Deoche, & Joanne Sarisberiensi, olim contexta edi curavit Christianus Lupus *Bruxellis* 1682. 4°.

1163. BONACURSUS, Patriâ Mediolanensis, Catharotum Magister, claruit circa an. 1163. Extat *Vita Catharorum Hæreticorum* ab eo conscripta, apud Dacherium *Spicileg.* Tom. XIII.

Cave Hist. List.

GERHARDUS, natione Germanus, Monachus Richenburgensis, dein Cœnobii Monialium Stedarburgensium præpositus factus est anno 1163. obiit anno MCCIX. Scripsit Monasterii sui Chronicon. In quo fundationem, incrementa, & adversitates ejus, secundùm annorum seriem diligenter annotavit. Ex hoc, historiam de Henrico Leone Duce Boioariæ & Saxoniæ excerpsit, & cum notis & oratione panegyricâ edidit Henricus Meibomius; quibus Anonymi breve Chronicon Stedarburgense ab anno MI. ad annum usque MCLXXX. subjecit. Extant hæc omnia post priorem editionem, *Rerum German.* Tom. I. ab Henr. Meibomio Juniore edit. *Helmstad.* 1688. p. 425. SÆC. XII. Ab An. MC. 1163. P. II.

AUCTOR Anonymus Chronici Edenburgensis, natione, ut videtur, Scotus, & Cœnobii S. Crucis Edenburgensis Monachus, claruit circa annum MCLXII. Condidit breve Chronicon ab ingressu Julii Cæsaris in Britanniam, ad annum MCLXIII. In quo de Scotorum rebus, præcipuè verò Cœnobii sui, agit. Extulit ex Bibliothecâ Lambethanâ, & in lucem protulit Whartonus noster *Angl. Sacr.* Tom. . pag. 152. Cùm verò pars prior ad Augustini adventum anno DXCVI. nihil aliud, præter Bedæ Historiæ Ecclesiasticæ Epitomen contineat ea omnia missa fecit. 1163. P. II.

HUGO, Francigena, Monachus Salvaniensis, claruit circa an. 1164. Extat *Narratio* ejus *de Conversione Pontii de Larazio* apud Baluz. *Miscellan.* Tom. III. p. 205. 1164.

HELMOLDUS, Presbyter Lubecensis, & Canonicus propè Lubecam Bosoviensis, Geroldi, postea primi Lubecensium Episcopi discipulus, claruit circa ann. 1165. Obiit anno 1170. Scripsit *Chronicon Sclavorum* à Caroli M. temporibus usque ad annum 1168. in quo de conversione Sclavorum seu Wandalorum ad fidem Christianam, regionumque ac populorum ad Mare Balthicum situ & rebus gestis agit. Primus illud in lucem emisit præmissa Melancthonis epistola Sigismundus Segorckelius *Francofurti* 1556. 4°. deinde Reinerus Reineccius ibid. 1581. denique cum notis & observationibus Henricus Bangertus *Lubecæ* 1659. 4°. 1165.

ANONYMUS Auctor Vitæ Caroli Magni, sub Friderico Barbarossâ claruit circa annum MCLXV. Scripsit de Vita & Rebus gestis Imp. Caroli Magni libros III. qui habentur MSS. Biblioth. Vindob. *Cod. Hist. Lat.* CXLIX. Integrum opus se aliquando in lucem protracturum esse promisit Cl. Lambecius. Interim trium librorum præfationes, unà cum capitum cujusque libri lemmatibus, & conclusione totius historiæ, in antecessum præmisit *Comment.* lib. I. c. 5. n. XXI. p. 329. 1165. P. II.

NIERSES Ghelaiensis, natione Armenus, creatus est Armeniæ Catholicus seu Patriarcha anno MCLXVI. Gregorii prædecessoris frater germanus. Orthodoxam fidei doctrinam amplexatus est, Ecclesiæ pacis concordiæque summoperè studiosus. Missis ad illum nunciis à Manuele Græcorum Imperatore, sæpiùs ad Manuelem rescripsit, unáque fidei professionem de SS. Trinitatis Mysterio, deque Verbi incarnati οἰκονομίᾳ misit. In quâ cùm quædam minùs sana deprehenderentur, ann. MCLXX. Manuel celebrem quendam Theologum Theorianum in Armeniam legavit, quocum prolixam admodùm disputationem per dies aliquot de duabus Christi naturis, de duplici voluntate & operatione, aliisque fidei capitibus con- 1166.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. troversiis, ritibusque Ecclesiasticis, habuit Nierses, ejusque tandem argumentis victus cessit, & sublato Armenorum schismate concordiam cum Græcis meditatus est. Quo fine Concilium suorum convocare in animo habuit. Verùm talia studia volventem mors intercepit anno MCLXXIII. Scripsit non pauca; extat ejus cum Theoriano Græco colloquium, de quo vide paginam sequentem. Prolixum hunc Dialogum in linguam Armenam transtulit, & cum versione Leunclaviana edidit Galanus *Conciliat. Eccl. Arm.* Part. I. à pag. 242. usque ad pag. 322. Epistolaris fidei *Professio* nomine totius Ecclesiæ Armenæ ad Manuelem Imperatorem missa apud Armenos asservatur, unde plura profert Galanus *Part.* II. Tom. I. *Quæst.* I. *Sect.* V. pag. 36. Poëticâ facultate mirè pollens condidit librum integrum *Canticorum suorum*, quibus Ecclesia Armena etiamnum utitur; *Venetiis* ab Armenis typis editum. *Carminis Elegiaci*, quo patriæ suæ calamitates, miserumque Ecclesiæ Armenæ statum eleganter depingit, specimen benè longum Armenicè & Latinè adducit idem Galanus *Part.* I. cap. 10. pag. 94.

1166. ALEXIUS ARISTENUS, dignitate Nomophylax, & Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Oeconomus, quem *τὸν ἐλλόγιμον ἐκεῖνον κῦρον* non uno in loco vocat Balsamon. Claruit anno 1166. quo Synodo Constantinopolitanæ interfuit: & de Jure Canonico inibi consultus adversùs Nicephorum Patriarcham Hierosolymitanum Concilii Trullani Canonem 37m. protulit. Extat *Synopsis Canonum* ab Aristeno nostro Scholiis illustrata: Synopsis quidem ipsa eo longè antiquior videtur: Aristenus verò istam interpretatus est. Edita est *Synopsis*, Gr. Lat. sed Scholiis destituta, sub Aristeni nomine à Christophoro Justello in Bibliothecâ Juris Canon. Tom. II. p. 673. Synopsi Scholia adjecit, notisque illustrata, utraque Gr. Lat. dedit Cl. Beveregius in Pandectæ Canonum *Oxon.* 1672. fol.

1167. MICHAËL ANCHIALUS, Patriarcha Constantinopolitanus ab anno circiter 1167. Vir doctus & Balsamone judice, Philosophorum summus. Latinorum autem hostis acerrimus. Sedem Patriarchalem tenuit annis octo. Extant *Decreta Synodalia* V. viz. *Ne Lectores mundana officia suscipiant. Ne Clerici ex alienâ Diœcesi ordinentur*, &c. Gr. Lat. in Jure Gr. Rom. lib. 3. p. 227. Scripsit etiam *Dialogum*, quem habuit cum Manuele Comneno Imp. quo tempore Pontificis Legati Constantinopolin pervenerunt, Ecclesiarum unionem procuraturi, nihil autem à Græcis exposcentes, quàm cessionem primatûs ipsi Papæ, & appellationem permitti, & illius commemorationem inter sacra fieri. Ex *Dialogo* isto quædam profert Leo Allatius de Consensu lib. 2. cap. 3. §. 2. c. 5. §. 2. cap. 9 §. 3. qui etiam Epistolæ cujusdam Michaelis conviciis, ut ait, & calumniis in Romanam Ecclesiam refertæ meminit.

1167. P. II. MICHAEL ANCHIALUS, Patriarcha Constantinopolitanus ab anno circiter MCLXVII. Præter suprà memorata, extat Græcè MS. *Oratio* in Imperatorem Manuelem Comnenum. Cujus principium, *Εἶπεν ὁ μῦθος ὄρνις ὁ ἀετός.* Habetur in Bibliothecâ Bodleiana inter codices *Baroccianos* Cod. CXXXI. fol. 166.

1170. JOANNES, Gente Anglus, Patriâ Cornubiensis, inde *Joannes Cornubiensis* dictus, claruit anno MCLXX. in Galliâ præceptorem habuit Petrum Lombardum, quocum multas posteà lites exercuit; Romæ diu studiis incubuit, Alexandro III. Papæ admodum charus. SÆC. XII. ab An. MC.

Scripta inedita.

Eulogium ad Alexandrum Papam, seu *Discussio super Philosophiâ humanâ & hæresibus*, habetur in Biblioth. Baliolensi ap. Oxon. Vol. 38. Num. 2.

Summa, qualiter fiat Sacramentum Altaris, per virtutem S. Crucis, & de septem Canonibus, vel Ordinibus Missæ, Cant. in Biblioth. Benedict. Vol. 178. Num. 6.

PETRUS DE RIGA, Natione Gallus, Ecclesiæ Rhemensis Cantor & Canonicus, claruit circa an. 1170. vel paulò post. Ambrosius de Altamura * eum ad an. 1263. refert; ipsumque ex provinciæ Franciæ moderatore ad Ecclesiam Aginnensem in Aquitania sub Metropolitana Burdegalensi assumptum fuisse scribit; eundem enim Petrum Remensem intelligi, ex scriptis liquet. Scripsit Petrus *Heptateuchum*, quem *Auroram* vocavit, *duos libros Regum*, & *IV. Evangelia* metricè reddens. Quo in opere, teste * Henrico Gandavensi, non solùm historicum sensum, sed etiam allegoricum in quantum potuit, breviter expressit. Extat hæc *Aurora* MS. in Bibliothecis passim, ad varios collatam MSS Codd. se editioni paratam habere nuper testatus est Casim. Oudin †, quam utinam publico non invideat. 1170.

* Biblioth. Domin. Cent. I. ad an. 1263.

* De Script. c. 22.

* Supplem. p. 475.

PETRUS COMESTOR, seu *Manducator* dictus, gente Gallus, Patriâ Trecensis, S. Petri in urbe natali Presbyter & Decanus. Celeberrima viri fama excitati Parisienses, hominem ad se vocarunt, & Academiæ Parisiensis Cancellarium constituerunt. Claruit Ann. 1170. Tandem solitudinis & quietis amantior, ad Canonicos S. Victoris in suburbio Parisiensi se contulit, & pietatis juxta ac litterarum studio toto animo incubuit. Obiit, ibidem sepultus, XII. Kal. Novembr. ann. 1198. quod ex chartis commentariisque domesticis probant Canonici Victorini. Unde patet Vincentii Bellovacensis aliorumque error, qui Petrum anno 1160. obiisse scribunt. Vir erat pro sæculo, quo vixit, non indoctus, nec qui ingruentes quotidiè Ecclesiæ Romanæ superstitiones & tyrannidem usquequaque probavit. Certè memoratu dignum est, quod de eo refert Gyraldus Cambrensis ipsius discipulus, in *Gemma Ecclesiasticâ*, (quæ MS. in Bibliothecâ Lambeth. hodiè servatur) distinct. II. cap. 6. his verbis. *Hac autem Magistrum Petrum Manducatorem in audientiâ totius scholæ suæ, quæ tot & tantis viris literatissimis referta fuit, dicentem audivi, Quod nunquam hostis ille antiquus in aliquo articulo adeò Ecclesiam Dei circumvenit, sicut in voti illius,* (sc. continentiæ Sacerdotum) *emissione.* 1170.

Scripsit *ad Gulielmum Archiepiscopum Senonensem in usum fratrum suorum Historia Scholastica libros* XVI. in quibus Historiam Sacram à principio Genesis usque ad finem Actuum Apostolicorum in compendium redegit, multis incertis, si non fabulosis hinc inde interspersis; de historiis quoque Ethnicorum quædam incidentia pro ratione temporum inseruit, instar rivuli, qui secus alveum, diverticula, quæ invenerit, replens, præterfluere tamen non cessat, ut ipse in præfatione loquitur. Prodiit primò an. 1473. *Rutlinga* ap. Guithelum Zainer: *Argentinæ* 1483. *Basil.* 1486. fol. *Lugd.* 1543. 8°. ut recentiores editiones taceam.

Servantur in Cœnobio Victorensi *Sermones* ejus MS. LXXX. quorum 50. scripsit adhuc Presbyter, alios

SÆC. XII. ab An. MC. * De Academ. Parif. p.113.

alios 30. jam S. Victoris Canonicus, ut ex MS. Victorino nos docet Claudius Hemeræus *. XLIV. habentur Lambethæ in Bibliotheca Archiepiscopali Num. 176. fol. Plures Cantabrigiæ in Bibliotheca Pembrochiana Cod.48. Num. 1. 3. & Cod. 76. Num. 1. quot vero numero sint, non dicit, qui Catalogum confecit, CL. Jamesius. CXIV. in Longipontensi Cisterciensium monasterio extare dicuntur. Denique varios *Sermones* qui sub Petri Blæsensis nomine editi sunt, Petro nostro adjudicandos esse monet novissimus Petri Blæsensis operum editor: quàm rectè viderint alii.

1170. THEORIANUS, Natione Græcus, Patriâ forsan Constantinopolitanus, Manuelis Comneni Imp. legatus ad Armenos ad disputandum pro fide orthodoxâ missus anno 1170. In Armeniam ubi pervenerit, Domino Nausesi Catholico Imperatoris sui literas tradidit; & longam cum eo de variis fidei capitibus & consuetudinibus Ecclesiasticis disputationem iniit. Tandem colloquio iste contigit exitus. Catholicus Theoriani argumentis victus manus dedit: seque Episcoporum suorum Synodum coacturum esse pollicitus est, atque argumenta quæ proulerat Theorianus, iis propositurum, seque in omnibus Ecclesiæ Catholicæ sententiæ accessurum, proque Græcis, immo pro veritate adversus Armenos dissertaturum, denique se omnesque secum consentientes fidem orthodoxam scripto comprehensam, suâ & suorum Episcoporum subscriptionibus firmatam, ad Imperatorem & Patriarcham CP. missurum esse. *Dialogum* istum cum Catholico Armeniorum habitum literis mandavit; in quo præcipuè id agit, ut SS. Patrum authoritate Eutychianos & Monophysitas refellat & doctrinam Catholicam de duabus in Christo naturis, Synodique Chalcedonensis authoritatem stabiliret. Edidit hunc Gr. Lat. Joannes Leunclavius *Basil.* 1578. 8°. exinde recusus est in Auctuario Duceano *Paris.* 1624. Tom.I. p. 439.

1170. EUSTATHIUS, ortu Græcus, Archiepiscopus Thessalonicensis, claruit sub Comnenis, Manuele, Alexio filio, & Andronico Patruele, circa annum 1170. quem proinde cum Eustathio magnæ Ecclesiæ Archipresbytero, qui Eulogio seu Sergio in sede CP. successit anno 1017. in Chronologia sua perperàm confundit Marq. Freherus. Vir erat extra controversiam eruditissimus, scriptorque celeberrimus; an verò inter Scriptores Ecclesiasticos reponendus sit, non immeritò dubitare licet. Etsi enim Episcopus fuerit, & non infimis Elogiis à Nicetâ Choniate plus unâ vice ornatus, [quod doctrina tam profanarum, quàm sacrarum literarum. ἢ τὸ παρὰ πολὺ τῶν ἄλλων fuerit præditus, id quod τὸ οἰκειότατον ἐκεῖνο καὶ ἐξαίρετον ἦν χαρακτήρισμα) nihil tamen Ecclesiastici commatis, quod sciam, ab eo editum extat, imò an unquam editum sit, parum liquet, nisi quod Casp. Suicerus *Thesaur. Ecclesiast.* Tom. II. In voce μητροπάρθενος notat Eustathium Thesalonicensem, & Gregorium Corinthi Metropolitam carmina quædam Jo. Damasceni in Pentecosten, quæ in Græcorum Pentecostario leguntur, exposuisse. Alia scripsit, quæ licet huc non propriè spectent, non tamen sunt prætereunda, viz. *Commentaria in Homerum*; prodierunt Græcè 4. vol. Rom. 1550. fol. & *Basil.* 3. vol. 1560. fol. *Comment. in Dionysii Periegesin*, seu *Orbis descriptionem* Græcè *Paris.* 1577. *de Ismenia & Ismenis amoribus* libri 6. Gr. Lat. cum notis Gaulmini *Paris.* 1647. 8vo. His quidem libris lis eo præsertim nomine movetur, quod codices nonnulli Eumathium quendam autorem præferant. Vide Cave *Hist. Lit.*

quæ hac de re habet CL. Vossius de *Hist. Græc.* lib. 4. cap. 19. SÆC. XII. ab An. MC.

EUSTATHIUS, Archiepiscopus Thessalonicensis, claruit anno MCLXX. vel ut alii MCXCIII. certe exeunte hoc seculo superstes. Extat Græcè *Expositio* doctissima & amplissima in S. Joannis Damasceni Canonem, sive Canticum Jambicum Pentecosticum de Spiritu Sancto. Habetur quidem Canon Græcè & Latinè inter Damasceni opera *Paris.* 1619. Præstantissimus verò Eustathii Commentarius Græcè MS. reperitur Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* juxta Lambec. XXI. Nessel. CCVIII. Ipsum procemium decem folia continet, codex integer folia 144. *Oratio* in Imp. Manuelem Comnenum extat Græcè MS. in Bibliothecâ Bodleianâ *Cod. Baroc.* CXXXI. fol. 190. Ejusdem ut videtur. *Supplicatio* ad eundem Imperatorem, nomine civitatis, cum siccitate laboraret *ibid.* fol. 195. Pr. Τολμηρὰ μὲν ἴσως Ejusdem, ut licet conjicere, *Lessus* in fratris sui obitu, *ibid.* fol. 209. Pr. Ὦ πονηρὲς In Catalogo Barvoetiano Bibliothecæ Scorialensis sub. *lit.* ... loc. xi. Cod. IX. habetur *Eustathii Thessalonicensis Archiepiscopi Oratio ad Michaelem Stathmitem Saccularium & Chartophylacem, quòd sæpè cum melodiis celebrare debeant memoriam S. Demetrii.* Et alibi, Ejusdem *Oratio ad eos, qui erant in Templo S Myroblytæ, i. e.* Demetrii, anno Mundi MMMMMMDCCII. *i. e.* Christi MCXCIV. habita Ubi & alii ejusdem Eustathii servari dicuntur. Vide Labbei *Catal. Nov. Biblioth. MSS.* pag. 184. 186. In prædictâ Bibliothecâ Vindob. *Cod* Nessel. cxxxiv. num. viii. fol. 185. asservatur MS.B. cujusdam Eustathii Metropolitæ Ἐπίσκεψις βίου Μοναχικοῦ, καὶ διόρθωσις τῶν περὶ αὐτόν. Cujus principium vetustateuon parum mutilatum est. Nostri forsan est, saltem alterius à veteri illo Eustathio, Sebastiæ in Armenia Episcopo, longè diversi. De reliquis Eustathii scriptis actum est alibi. 1170. P. II.

SYMEON, Magister & Logotheta Alexio Aristeno suppar, claruit circa ann. 1170. Extat Gr. Lat. *Epitome Canonum* ab Henrico Justello edita in Bibliothecâ Jur. Canon. Tom. II. pag. 710. Certè hæc *Synopsis Canonica* tum Symeone, tum Aristeno, antiquior videtur, utrique passim adscripta; quam quidem ordine paululum mutato descripsisse, & in usum suum accomodasse videtur Simeon noster: & ut non ineptè conjicit CL. Beveregius, Scholiis illustraverat, quæ dudum perierunt. Opus Symeonis Magistri & Logothetæ *in Mundi Opificium* ex Genesi & Chronicis per seriem collectum penès CL. Du Fresne du Cange, & alibi MS. extare memorat Cas. Oudinus *. Quale verò, vel cujâs sit opus, an Symeonis nostri, an Logothetæ antiquioris; dicant nobis, qui Codices MSS. possident. 1170. * Supplem. p. 413.

GODEFRIDUS, seu Gotefridus, *Viterbiensis* à Patriâ dictus, natione Italus, dignitate Presbyter, tribus Imperatoribus, viz. Conrado III. Frederico I. Henrico VI. tum à sacris, tum à secretis. Claruit anno 1170. Quadraginta annos peregrinationi in exteras regiones impendisse dicitur, unde domum rediit, variis observationibus, Bibliothecarum spoliis, linguarum non Latinæ modò, sed Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ cognitione refertus. Obiit anno 1186. Scripsit *ad Urbanum III. Papam Chronicon Universale*, tum prosâ, tum metro, quod ob diffusam rerum, ætatum, gentiumque historiam *Pantheon* appellavit, ab Orbe condito ad annum usque 1186. Extat hoc *Chronicon*, inter Scriptores Rerum German. à Joanne Pistorio editos *Francofurt.* 1584. p. 6. Extat ejusdem *Speculum Regum*; seu de 1170.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. *Genealogiâ omnium Regum & Imperatorum à Diluvii tempore ad Henricum VI.* Imp. à Chronico diversum, MS. in Biblioth Cæsareâ Vindobonensi, teste Lambecio *Comment. de Bibl. Vindob.* l. 2. c. 8. p. 774.

1170. SAXO, GRAMMATICUS ob styli, quo usus est, venustatem dictus, gente Danus, Patriâ Selandus, equestri familia ortus, Cathedralis Ecclesiæ Roëschildensis præpositus. Claruit an. 1170. Novennio ante ab Absalone Archiepiscopo Lundensi, in cujus familiâ plerunque degit, & Sacellani vices obiit, Lutetiam ad Ecclesiam S. Genovefæ missus fuerat: ut viros aliquot religiosos exinde in Daniam adduceret. Anno circiter 1177. Absalonis jussu Patriis Annalibus condendis semet accinxit. Obiit anno 1204. Scripsit stylo quidem venusto, & supra sæculi sortem florido ac eleganti *Historiæ Danicæ libros XVI.* ab ipsis gentis primordiis usque ad an. 1186. Vividum ejus atque ardens ingenium, orationem nunquam remissam aut dormitantem, tum miram verborum copiam, sententias crebras, & figurarum admirabilem varietatem vehementer laudat Erasmus*, ut satis admirari nequeam, inquit, unde illâ ætate homini Dano tanta vis eloquendi suppetiverit: quâ quidem omnes, quot sciam, eruditos ὁμοφήφως habet. Certè quod stylum attinet, Valerium Maximum præ cæteris ante oculos habuisse videtur, quod infinitis pene exemplis ostendit CL. Stephanius. Prodiit *Historia* ista, à Christiano Petri, Canonico Lundensi, primùm edita *Parif.* 1514. à Joanne Bebelio *Basil.* 1534. à Philippo Lonicerio & Joanne Fichardo *Francofurt.* 1576. denique longè integrior, & amplissimis Prolegomenis, notisque uberioribus ornata à Stephano Joanne Stephanio *Soræ* 1644. fol. Atque utinam doctissimi editoris diligentiæ nitidiores typi accessissent.

* In Ciceroniano.

1170. HENRICUS, Rhemensis Archiepiscopus, claruit anno 1170. Extant *Epistolæ II. de causâ Drogonis Noviomagensis* apud Baluzium Miscellan. Tom. II. p. 228.

1170. HILDEGARDIS, gente Germana, Patriâ Spanheimensis, Hildeberti & Mechtildæ filia, nata est anno 1098. A primis incunabulis Deo devota, habitum Monialem sub Juttâ Abbatissâ, Megenhardi Comitis Spanheimensis sorore, octennis induit, ipsa demum Abbatissa facta Monasterii S. Ruperti in monte ad Bingiam propè Rhenum fluvium. Claruit anno 1170. Raris animi dotibus prædita, & egregiâ erga Deum pietate, erga religionem zelo insignis, visionibus divinitùs concessis & prophetiis inclarescere quadragenaria jam cœpit. Cujus rei fama excitati Eugenius III. Papa, & primores Galliæ Germaniæque Episcopi ac Abbates, & in his S. Bernardus, visiones illius Propheticas an. 1148. acriori examini subjecerunt, & infucatas deprehenderunt, & in Concilio Trevirensi confirmârunt. Eandem postea sententiam ratam habuerunt Anastasius IV. & Hadrianus IV. Pontifices: qui datis ad illam literis, & seipsos & Ecclesiam Romanam precibus ejus commendarunt. Obiit Hildegardis anno 1180. die 17. Septembris.

SCRIPTA.

Scivias, seu *Visionum sive Revelationum libri III.* Prodierunt *Parif.* 1513. f. *Colon.* 1628.
Vita S. Roberti Confessoris Bingiorum Ducis.
Epistolæ XXXVIII.
Quæstiones variæ.
Expositio Regulæ S. Benedicti, Prodierunt Opuscula ista *Colon.* 1566. & in Bibliothecâ Patr. (non omnia tamen) Tom. XXIII. p. 535.

Physicorum, seu *de rerum Naturâ libri IV.* quos Hildegardi nostræ malè nonnulli tribuunt. Hildegardis enim de Pinguiâ opus esse nos docet Josi. Simlerus *. Prodierunt *Argentinæ.* 1533.

*Bibliothec. p. 301.

GILBERTUS de HOYLANDIA, seu ut nunc vocatur, HOLLANDIA, natione Anglus, patriâ Lincolniensis, S. Bernardi discipulus, Ordinis Cisterciensis Monachus, demùm Cœnobii Swincetensis in agro Lincolniensi Abbas, claruit anno MCLXX. Baleus enim & Pitseus dùm anno MCC. claruisse volunt, seriùs quàm par est, hominem reponunt; quippè Bernardus, quo familiariter usus est, & sub cujus regimine diu vixit, diem suum obiit anno MCLII. Scripsit Sermones in *Cantica Canticorum*, ab eâ scilicet parte quam Bernardus morte præventus absolvere non potuit. *Subtiles quidem*, inquit Henricus * Gandavensis, *& valde spirituales, sed reverâ B. Bernardi eloquentiâ & sensibus impares.* Extant hi Sermones n. xlviii. editi *Argentorati* anno 1497. & in omnibus ferè operum Bernardi Editionibus; quæ ab ineunte hoc seculo prodierunt. Quibus adjectæ sunt Gilberti nostri *Epistolæ* III. & *Dissertationes* Epistolares *Asceticæ* VI. Alia Gilberti opuscula memorant Baleus † & Pitseus *, quæ apud ipsos reperiri possunt. 1170. P. II.

* De Script. Eccl. c. 11. p. 164.

† Cent. III. 15. p. 246.
* De Script. p. 269.

THOMAS, gente Anglus, Cœnobii Elyensis Monachus, claruit circa annum MCLXX vel non diu posteà. Condidit de historiâ Insulæ Elyensis, de Vitâ S. Ætheldrithæ de Abbatibus, de Episcopis de Translatione S. Ætheldrithæ libros tres. Primum sed mutilum edidit Joan. Mabillonius *Sac. Benedict.* II. p. 738. Secundum dedit Galeus noster, & Anonymo, tanquam historiæ Elyensis librum secundum, attexuit. *Rer. Anglic. Script.* Tom. III. p. 489. qui tamen non integrum, sed solummodò ad Normannorum ingressum pertingentem adhibuit. Et eandem opinor ob causam totum librum tertium suppressit Liber MS. quo usus est, tempore Henrici III. exaratus erat. Generalem totius operis præfationem, hactenùs ineditam, ex codice Cottoniano dedit H. Whartonus *Præfat.* ad Tom. I. *Angl. Sacr.* nu. xlviii. p. 39. Ubi etiam de hoc opere variisque ejus partibus prolixè atque accuratè agit. Id præfatione suâ generali Thomas se opus suum in tres libros partitum esse tradit. Liber primus, *inquit*, constat de situ Insulæ, & de gloriosâ Reginâ Ætheldredâ, & de succedentibus ei SS. Virginibus, quibusque infortuniis Insula subjacuit, usque ad ingressionem Monachorum in Ely. Secundus de temporibus Monachorum in Ely, & libertate loci, & quomodò Ecclesia renovata fuit, & de Obsidione Normannorum usquè ad tempora Episcoporum. Quod nunc est. Tertii libri argumentum ipse non exhibet; quin & an ipse liber adhuc superstes sit, non liquet. Habetur quidem in eodem codice Cottoniano, monente Cl. Whartono, manu quidem aliâ, sed satis antiquâ, liber hoc titulo; *Liber tertius* in Historiâ Elyensis Insulæ, constans de duorum temporibus Episcoporum, scilicet Hervei & Nigelli, quid plùs vel minùs utile gesserint, plenè insinuans. Hic Thomæ nostri liber tertius censeri poterat. Cùm verò Auctor post Ricardum Priorem Elyensem, qui obiit paulò ante ann. MCXCVI. opus suum composuerit, seque ex Richardi Historia omnia ferè desumsisse non uno loco agnoscat, meritò hac de re dubitare licet. Duas priores operis à Thomâ conscripti partes, à prima Ecclesiæ fundatione ad annum MCVII. in compendium redegit Anonymus 1170. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. mus quidam Monachus Elyensis retentis nihilominus Thomæ verbis, omnibusque scitu dignis, non sine summa cura & judicio contextis. Hanc Epitomen sub Thomæ nomine edidit Whartonus ubi suprà p. 591. Primam hujus Epitomes partem ad ann. DCCCCLXX. ex primo libro Thomæ desumptam, antea evulgaverat Dugdalius noster *Monast. Anglic.* Tom. I. p. 87.

1172. JOANNES, SARISBURIENSIS à loco natali dictus, natione Anglus, Patriâ Wiltunensis, gentis & sæculi sui decus ac ornamentum, Eugenio III. & Hadriano IV. & Alexandro III. Pontificibus, & Theobaldo Archiepiscopo Cantuariensi (cui à sacris fuit) eximiè charus, Thomæ Becketo Archiepiscopo familiarissimus, & ab anno 1163. totius exilii, omniumque molestiarum comes: sæpe quidem, ut Thomam desereret, regique fidelitatem, & præstandam consuetudinibus regiis obedientiam juramento promitteret, sollicitatus, in exilio manere maluit, quàm conditionibus istis pacem regisque gratiam promercari. Tandem Thomæ consortium, non causam, reliquit, ab eo semper in rebus dubiis præ aliis consultus. Post exactum in exilio septennium, impetratâ à Pontifice veniâ, paceque cum Rege initâ, in Angliam rediit, matremque suam (cujus votis obtemperans iter susceperat) in extremis positam invenit, Anno 1172. mortuo jam Thomâ in Galliam iterum profectus Episcopus Carnotensis in Provinciâ Senonensi constitutus est. Anno 1179. Concilio Lateranensi interfuit. Obiit anno 1182. Plura de eo memoratu sanè dignissima, ex epistolarum Thomæ Becketi Collectione, non sine lectoris commodo peti possunt. Vir ætatis suæ eloquentissimus, & reconditioris cujusvis scientiæ genere instructissimus. Morum severissimus Censor, & si quis alius, rigidi servator honesti: in carpendis aliorum, etiamsi Regum vel Pontificum vitiis parem adhibuit facundiam & libertatem. Nec amicis pepercit, nec inimicis. Quin nec ipsi Thomæ, domino suo & familiari, obstinatum & pervicacem in Regem clementissimum animum sæpius objicere dubitavit.

OPERA.

Polycraticus, sive *De Nugis Curialium & vestigiis Philosophorum libri VIII. ad Theobaldum Archiepiscopum.* In centone isto multos purpuræ pannos & fragmenta melioris notæ agnoscit Justus Lipsius*. Prodiit *Paris.* 1513. 4°. *Lugd. Bat.* 1595. 8. *Paris.* 1610. 8°. *Lugd. Bat.* 1639. 8°. & in Biblioth. Patr. Tom XXIII.

*Not. ad XII. Annal. Taciti.

Metalogici libri IV. in quibus de omni re Logicâ, & Philologicâ Philosophicâ quinetiam, acutè atque eruditè agit. Prodierunt cum Polycratico *Paris.* 1610. *Lugd. Bat.* 1639.

Vita S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis. Prodiit integra cum Epistolis Sarisberiensis *Paris.* 1611. 4°. lacera & hiulca in Quadrilogo de Vitâ S. Thomæ, ex quatuor Autoribus Gregorii XI. jussu olim contexto, qui typis impressus est *Paris.* 1495. 4°. & cum S. Thomæ Epistolis *Bruxell.* 1682. 4°.

Epistolæ CCCIII. Extant in Bibliotheca Patr. Tom. XXIII. Fœdo errore Joannem nostrum Salisberiensem Episcopum, ejusque opus *de Nugis Curialium Polychronicon* vocat Joan. Tinmuthensis *Hist. Aur. l.* 22. *cap.* 88. *MS.* in Biblioth. Lambeth.

Epistolarum aliarum liber. Prodiit. *Paris.* 1611. 4°.

Epistolæ aliæ XCIII. Habentur in collectione Epistolarum S. Thomæ à Chr. Lupo editâ *Bruxellis* 1682. 4°. An verò omnes hæ Epistolæ sint penitùs diversæ, inquirant quibus plus otii est. SÆC. XII. ab An. MC.

Commentarii in Epistol. S. D. Pauli. Prodierunt *Amstelodami* 1646. 4.

Eutheticon metricum, cujus meminit Baleus. Poëma meo quidem judicio elegantissimum. Polycratico præfigitur, cui præfationis vice præludit.

De aliis deperditis, saltem ineditis Joannis scriptis consule Baleum & Pitseum.

JOANNES SARISBURIENSIS, gente Anglus, factus est Episcopus Carnotensis, anno MCLXXII. vel ut alii, MCLXXVI. Obiit MCLXXXI. Scripsit Vitam S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis, capitulis XVIII. constantem, quam ex codice Lambethano nobis dedit H. Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. II. pag. 149. Desumpta est hæc Vita ex Eadmeri de eâdem re Commentario. Cujus opus Joannes in Epitomen redegit, ita volente Thomâ Archiepiscopo Cantuariensi, qui hunc Joannis librum anno MCLXIII. in Concilio Turonensi, Alexandro Papæ obtulit, non alia mente, quàm ut Anselmus in Sanctorum censum potiori jure referri posset. 1172. P. II.

EDVARDUS, gente Anglus, Monachus si rectè conjicio, Cantuariensis, certè Thomæ Archiepiscopo familiaris, claruit anno MCLXXII. Scripsit prolixè Vitam Thomæ Becketti Archiepiscopi Cantuariensis, referens quæ partim ipse viderat, partim quæ ab intimis Archiepiscopi amicis acceperat. Hanc in compendium redactam extulit Surius *Decembr.* XXIX. 1172. P. II.

SIMEON MACJNUS, Chalili filius, genere Syro-Arabs, claruit anno MCLXXIII. *Hegira* DLXIX. E familiâ Michaëlis Basjuvi fuisse refert Georgius Almachinus *Hist. Saracen.* lib. III p. m. 371. id est, si ex sequentibus Almachinum rectè interpreter, ex eo loco originem ducebat; quippè pagus ille antiquitùs *Basjuva* dicebatur, ibique erat Michaelis Archangeli Templum, quod vicini Christiani frequentare solebant. Simeon primò notarii artem exercuit, & Senatus bellici ministerio operam navabat, idque sub Josepho Saladino, à quo sustentatus fuit, & tributis quibusdam in Hagirawana donatus. Per triennium hoc munere functus, ad Monasterium Joannis Cazirii in deserto Askyto, nempè in valle Habybâ se contulit, ubi constructo sibi in medio Monasterii loco semet inclusit, & per triginta & ampliùs annos vitam Monasticam magnâ cum pietatis laude transegit. In calendario Calcasendii, scriptoris Muhammedani, à Seldeno edito *de Synedr.* lib. III. c. 15. p. 365. ad diem XIV. mensis *Chiar*, seu Decembr. X. occurrit *Festum Simeonis.* Disertiùs verò in calendario Arabico Coptitarum *ibid.* p. 368. eodem die celebratur memoria *Monachi Symeonis martyrio coronati in diebus Musulmanorum.* Hunc nostrum fuisse planè suspicor, nec ab hâc conjecturâ abludit Hottingerus *Biblioth Orient.* cap. 2. p. 68. Scripsit Arabicè Symeon stylo elegantissimo opus egregium de præcipuis Religionis Christianæ mysteriis & virtutibus; de quo ita Hottingerus loco citato. *Legi magnam partem illius scripti, cujus nitori & elegantiæ, si stylum species, nihil possit accedere; argumenta tamen non eâdem felicitate & numero penetrant.* Integrum libri titulum, & auctoris in scribendo facundiæ specimina ex quibusdam loquendi formulis ibidem exhibet; ubinam verò hoc opus MS. delitescat non indicat. 1173. P. II.

GULIELMUS, patriâ seu Gallus, seu Germanus, seu quod verisimillium est, Syrus, & fortasse Hierosolymis natus, quin, ut quidam volunt, Reges 1174.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. Hierosolymitanos propinquitate attigit: Anno circiter 1167. rogante Rege Amalrico, Archidiaconatu Ecclesiæ Tyrensis à Frederico Archiepiscopo donatus est, at paulò post ad Imperatorem Constantinopolitanum legatus, rem fœliciter gessit. Circa an. 1169. Archiepiscopo suo subinfensior factus in Occidentem suscepit iter. Reduci Baldwinus Amalrici Regis filius bonis literis & moribus informandis committitur. Mox à Rege sacri Palatii Cancellariatu cohonestatus est; atque anno demum 1174. mense Maio, Archiepiscopus Tyri electus, IV. Id Jun. consecratus. Anno 1178. ad Synodum Lateranensem evocatus, Romam profectus est; atque anno sequenti Concilio interfuit, cujus ipse acta & Canones à reliquis Episcopis rogatus scripto commisit. Domum rediens Constantinopoli apud Manuelem Imp. septimestri spatio hæsit, & ab eo commissam sibi ad Principem Patriarchamque Antiochenum legationem obiit. Post annum itaque ac decem menses Tyrum reversus est. Anno 1188. capta à Sacracenis Hierosolyma, & desperatis Christianorum Orientalium rebus, ipse pro subsidiis quærendis in Occidentem mittitur, & colloquio Regum Angliæ & Galliæ inter Gisortium & Trie adfuit. Tandem Heraclii Patriarchæ Hierosolymitani electioni strenuè obnixus, dum ut sedem ei Patriarchalem obstrueret, Romam versus iter iniret, ab Heraclio veneno sublatus est, quo verò anno non liquet. Scripsit libris XXIII. *Historiam belli à Principibus Occidentis Christianis in Palæstinâ, ac Oriente gesti, ab anno* 1095. *ad annum* 1180. Satis ex hoc opere liquet, ut magni Vossii * de eo verbis utar, *Scriptorem esse modestum, prudentem, acris judicii, veri amantissimum, & pro ætate quâ vixit, doctum atque elegantem.* Prodiit *Historia* ista primùm cura Philippi Poissenoti *Basil.* 1549. deinde studio Henrici Pantaleonis *Basil.* 1560. denique in collectione Bongarsiana *Gestorum Dei per Francos* Tom I. p. 625. Scripsit præterea *Gesta Occidentalium Principum*, seu *historiam de Principibus Occidentis in Oriente, eorumque gestis ab anno* 614. *ad ann.* 1184. & *Acta Synodi Lateranensis.* Utrumque autem opus interiisse videtur.

* De Hist. Lat. l. 2. c. 53.

1175. P. II. NIERSES, gente Armenus, patriâ Lampronensis, Osciuni Armeniæ Principis filius, inter Episcopos Armeniæ non modò generis claritudine, sed & pietate & eruditione maximè conspicuus, floruit anno MCLXXV. Ab Armenis in Sanctorum numerum relatus, ut ex eorum Menologio liquet, ubi ob humilitatem, mansuetudinem, misericordiam, pauperumque amorem, preces assiduas, reliquasque vitæ Christianæ virtutes egregiè commendatur. Anno MCLXXVII. interfuit Synodo Tarsensi, ejusque pars magna fuit, ubi præclaram ad istius Concilii Patres orationem habuit, quâ eos ad schisma tollendum, & fidem Catholicam amplectendam strenuè adhortatur, unionem & concordiam cum aliis Ecclesiis Christianis suadet, in hæreticos & Conciliabula Armena acriter invehitur, gentisque suæ calamitates describit. Extat hæc *Oratio*, magnam saltem partem Armenicè & Latinè apud Clem. Galanum *Conciliat. Eccles. Armen.* Part. I. cap. 22. p. 326. Transtulit de Græco in sermonem Armenum *historiam* S Gregorii M. Papæ (*Dialogum* nempè *de Vitis Patrum*) & *Regulam* S. Benedicti. Scripsit *Expositionem fidei*, ex qua quædam citat idem Galanus *Part.* II. *Tom. I. Quæst.* III. §. I. pag. 101. item librum *de traditionibus SS. Patrum*, ex quo nonnulla proferuntur apud eundem *Tom. II. Quæst. III. §. VII.* p. 70. præcipuè verò *Quæst.* IX. §. II. pag. 198. aliáque Opuscula, quibus Synodi Chalcedonensis fidem viriliter propugnavit.

HUGO ETHERIANUS, natione Tuscus, Constantinopolim sub Manuele Imp. profectus, summam sibi gratiam apud Imperatorem conciliavit; cujus proinde patrocinio fultus, contra Græcos, & scriptis & voce strenuè decertavit. Claruit anno 1177. quo *libros* à se contra Græcorum dogmata elimatos ad Alexandrum III. Pontificem misit, & ab eo literas collaudatorias meruit. Extant *liber de animâ corpore exuta*, seu *de regressu animarum*, in orthodoxogr. pag. 1309. & seorsim *Colon.* 1540. *De hæresibus, quas Græci in Latinos devolvunt*, seu *de Processione spiritus S. ex Patre & Filio, adversus errores Græcorum*, libri III. qui cum præcedente opusculo seorsim prodierunt *Basil.* 1543. & in Bibliotheca Patr. Tom. XXII. pag. 1176. SÆC. XII. ab An. MC. 1177.

BENEDICTUS Anglus, domo Petriburgensis in Academiâ Oxoniensi educatus, primùm Monachus Cantuariensis, deinde Cœnobiarcha, tandem Abbas Petriburgensis constitutus anno MCLXXVII. Librum unum, alterumve de Vitâ & Miraculis Thomæ Cantuariensis contexuit. Cujus magnam partem in opus suum transcripsit *Quadrilogi* compilator, præcipuè libro II. & III. ubi ampla segmenta reperiuntur. 1177. P. II.

ALANUS, gente Anglus O. B. Monachus Cantuariensis, deindè Prior sive Cœnobiarcha, postremò Teukisburiensis ad Confluentiam, Avonæ & Sabrinæ fluminum Abbas, claruit an. MCLXXVII. Obiit anno MCCI. vir tùm fortuna, tùm literis insignis. Scripsit librum de Vitâ & Exilio Thomæ Cantuariensis, qui an integer hodie superfit, non liquet: Nihilominùs penè totum operi suo inseruit Auctor *Quadrilogi*, qui Thomæ Epistolis præfigi solet. Notari debet, quòd apud Baronium, ad annum MCLXII. numero XXI. Alanus noster Abbas *Deoches* dicitur; errore forsan non aliundè orto, quàm quòd in Codice suo Vaticano scriptum erat *Deoches*, pro *Theoches*, seu ut hodiè dicimus, Teukesburiensis. Extant etiam sed MSS. *Sermonum* ejus lib. I. *Epistolarum* lib. I. Hæc duo Opuscula se MSS. vidisse refert Pitseus *de Script. Angl* p. 271. 1177. P. II.

RICHARDUS gente Anglus, primùm Monachus, dein Sub-Prior, postremò Ecclesiæ Elyensis Prioratum accepit anno MCLXXVII. E vivis excessit ante ann. MCXCV. quem tamen Baleus & Pitseus ad annum MCCXX. malè referunt. Vir erat non modò sacrarum, sed & humaniorum literarum, pro sæculi sorte haud vulgariter peritus. Horis succisivis Historiis legendis, & evolvendis vetustis, Anglo-Saxonum monumentis diligenter incubuit. Scripsit Ecclesiæ Elyensis historiam ab anno MCVII. ad annum MCLXIX. Opus MS. adhuc delitescit. Ex eo Epitomen contexuit Monachus Elyensis, servatis ipsissimis Richardi tùm verbis, tùm rebus, quæ minùs utilia videbantur, solummodò resectis. Ut ejus nomen jure retinere mereatur. Sub cujus proindè nomine eam ex codice Cottoniano edidit H. Whartonus Tom. I. pag. 615. qui & Richardi nostri historiam de conversione Abbatiæ Elyensis, in Episcopatum, ex Historiâ Elyensi decerptam, ibidem addit pag. 676. 1177. P. II.

THEODORUS BALSAMON, patriâ Constantinopolitanus, magnæ Ecclesiæ Constantinop. Diaconus, Nomophylax, & Cartophylax, sive Sigilli Patriarchalis, ejusque archivorum custos, primus etiam Blachernarum, sive Ædis B. Virginis, quam 1180.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. quam extra urbis muros ad Blachernas propè mare condidit Pulcheria Augusta, Præpositus claruit anno 1180. Tandem Patriarcha Antiochenus factus; verum occupata dudum à Latinis Antiochia, sedem suam nunquam vidit; sed Constantinopoli agens, res suas, quantum potuit, satagebat. Quin & ipsum ad thronum Constantinop. promovendi vanâ & fallaci spe lactavit diu Isacius Imperator; qua de re non illepidam Historiam narrat Nicetas Choniates *. Vixit usque ad annum 1203. quo capta est à Latinis Constantinopolis. De obitu verò ejus nihil constat. Græcorum sui temporis citra invidiam doctissimus; Juris Orientalis Canonumque Ecclesiasticorum, omnium quos unquam tulit ferax Græcia, peritissimus. Verè de eo Joannes Citri Episcopus †: ὁ ἱερὸς ἐκεῖνος ἀνὴρ, ὁ Ἀντιοχείας τρίβων μὲν τῶν εἰς ἀκρίβειαν τῶν νομικῶν καὶ κανονικῶν νομοθετημάτων, καὶ παρὰ πᾶσιν ἐν τούτοις περιαδόμενος. *Divinus ille vir, Antiochiæ Patriarcha accuratè percallebat Civiles & Canonicas Constitutiones, & ab omnibus in hisce rebus celebratus fuit.* Erat prætereà Ecclesiarum Orientalium adversus Latinos acerrimus propugnator, quo nomine convitia in illum pleno ore effundunt Baronius, aliique causæ Pontificiæ sectarii.

* In Isacio l. 2. c. 4.

† Respons. ad Constant. Cabas.

OPERA.

Commentarius in Canones SS. Apostolorum, & SS. Oecumenicorum, & particularium Conciliorum, & in Epistolas Canonicas Sanctorum Patrum. Aggressus est hoc opus Balsamon jussu Manuelis Imp. & Michaelis Anchialis Patriarchæ; absolvit verò non nisi sub Georgio Xiphilino; qui sedem Patriarchalem ascendit anno circiter 1194. eo saltem sedente recensuit, illique dedicavit. Prodiit hoc opus Gr. Lat. sed hinc inde mutilum, *Paris.* 1620. fol. longè verò auctius & integrius notis Gul. Beveregii in Pandecte Canonum, *Oxon.* 1672. fol.

Commentarius in Photii Nomocanonem. Prodiit Gr. Lat. à Christophoro Justello editus *Paris.* 1615. 4°. & in Bibliotheca Juris Canon. Tom. II. pag. 789.

Collectio Ecclesiasticarum Constitutionum, Paratitla à Leunclavio & aliis dicta. Extat cum Leunclavii & Fabrotti notis in Justelli *Bibliotheca Juris Canon.* Tom. II. p. 1223.

Responsa ad varias quæstiones Jus Canonicum spectantes, viz. de Episcopatuum in Metropoles erectione. De electis ad Ecclesias Orientales. De foro Clericorum. De jure Patriarchico in Monasteria. De Feriis, aliaque plura, quæ habentur passim. Gr. Lat. in Leunclavii *Jure Gr. Rom.* lib. 2.

Responsa ad Interrogationes Marci Patriarchæ Alexandrini Gr. Lat. ibid l. 5. p. 362.

Meditata, sive responsa ad varios casus, Gr. Lat. ibid. l. 7. ferè per totum.

Epistola ad Antiochenos de Jejuniis, à Cotelerio Gr. Lat. edita *Monument.* Tom. II. p. 492.

Epistola ad Theodosium Abbatem de Monachis Rasophoris, seu *raso indutis*, ab eodem Gr. Lat. evulgata Tom. III. p. 473.

1180. RICHARDUS, natione Anglus, patria Northumbrius, Cœnobii Hagulstadensis primùm Monachus dein Prior. Claruit anno 1180. Obiit anno 1190. Extant *Historia de statu & Episcopis Hagulstadensis Ecclesiæ, & Historia de gestis Regis Stephani, & de bello Standardii anno* 1135. ad ann. 1139. à CL. Twisdeno editæ inter Scriptores X. Anglicos *Londini* 1652. pagin. 285. alia Richardi scripta historica, viz. *Gesta Henrici II. Angliæ Regis*; & *Chronicon breve ab Adamo* memorant Baleus, & ex eo Vossius quæ quidem hodie non supersunt. SÆC. XII. ab An. MC.

HEREBERTUS de BOSHAM, gente Anglus patriâ Southsexiensis, claruit anno MCLXXX. 1180. P. II. In Academiâ Oxoniensi studiorum tyrocinia posuit, liberalium artium & Scholasticæ Theologiæ magisterium adeptus. Postea in Gallia studiis suis strenuè incubuit. Thomæ Becketo, summo Angliæ Cancellario ab Epistolis erat; cujus etiam cædi præsens adfuit. In exilium actus, Romam à Pontifice vocatur; Archiepiscopus Beneventanus & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis factus. Quòd verò Herebertum Cardinalem & Beneventanum in Italiâ Archiepiscopum faciant Baleus & Pitseus; & ad testimonium Steph. Langtoni lib. IV. *de Vitâ S. Thomæ* provocant; vereor ne cùm suo Langtono graviter hallucinati sint. Certè Ferd. Ughellus * in Archiepiscopis Beneneventanis id negat, & errorem refellit. Non inficiatur † Herebertum quendam natione Anglum, Compsanum in Italiâ Archiepiscopum fuisse, diuque sedem istam tenuisse, tandemque anno MCLXXX. vitam clausisse. Verùm is alius à nostro erat. Composuit Herebertus noster librum *de Vitâ & gestis Thomæ Cantuariensis.* An prout ab ipso scriptus est, hodie superstit, nondùm didici. Magnam certè ejus partem operi suo inseruit *Quadrilogi* Auctor, servatis ipsius Hereberti verbis. Extat Quadrilogus, tùm alibi, tùm Becketti Epistolis præmissus *Bruxel.* 1682. Alia Hereberti opuscula recenset Baleus *Cent.* III. cap. 15. p. 220.

* Ital. Sacr. Tom. VIII. col. 192.

† Tom. VI. col. 999.

GUALTERUS de CASTELLIONE, quem nonnulli PHILIPPUM GUALTERUM vocant, 1180. P. II. natione Gallo-Flander, *Insulis* oriundus, claruisse videtur anno MCLXXX. Sunt qui illum Canonicorum Tornacensium Præpositum; sunt qui Episcopum Magalonensem fuisse volunt; alii hos duos diversos faciunt, & Gualterum Magalonensem ad sedem istam anno MCVIII. evectum esse asserunt, nostrum verò Insulensem ad ann. MCCL. vel MCCLV. referunt. In mirâ hac sententiarum discrepantiâ verisimillimum videtur, Gualterum nostrum circa annum MCLXXX. vel paulò post claruisse, siquidèm opus *de gestis Alexandri*, nuncupavit Gulielmo I. Rhemensi Archiepiscopo, qui electus est ann. MCLXXV. Obiit ann. MCCII. Præsertim etiam si verum sit, quod in Epistol. LXXXIX. ad Reinesium habet Chr. Daumius, Codicem suum membranaceum anno MCCVIII. scriptum fuisse. His addas Gualterum à Matthæo Vindocinensi memorari, quem ad annum MCCI. alibi retulimus, denique Joan. Sarisburiensis æqualem fuisse, ut ejus ad illum Epistola testatur. Castellionensis noster, Theologus erat, & Poëta egregius. Scripsit, inquit Henricus * Gandavensis, *gesta Alexandri M.* libris X. *Argentin.* anno 1513. *Ingolst.* 1554. *Lugd.* 1558. 4to. Ejus in Psalterium Epistolas; *Morale dogma Philosophorum*, & librum *de Mahumeto* in Bibliothecis Belgicis MSS. asservari testatur Fr. Sweertius in *Athen. Belg.* pag. 643. Ejusdem, ut opinor, Gualteri sunt libri tres *contra Judæos* quos ex codice MS. S. Evodii de Branâ eruit, ediditque Cas. Oudin *in Veterum Opusculis sacris* 1692. Gualteri nostri tale extat Epitaphium.

* De Script. Eccl. cap. 10. p. 165.

Insula me genuit, rapuit Castellio nomen;
Perstrepuit modulis Gallia tota meis.

ELIAS III. cognomento *Ibn-Hadithio*, gente Syrus, 1180. P. II.

SÆC. XII. ab An. MC.

Syrus, Patriarcha Antiochenus, claruit circa annum MCLXXX. quo tempore Christiani Occidentales in terrâ sanctâ bella adversus Saracenos gerebant. Extant Arabice MSS. *Precationes*, & *Conciones*, sive *Homiliæ festivales* in sacra Christianis tempora in Bibliothecâ communi *Lugduno-Batavâ* inter libros quos ex Oriente advexit Jacobus Golius, *Cod.* XXVII. *8vo.* teste catalogo *Spanhemiano* p. 308. Primus horum sermonum continet *explicationem Festi Nativitatis*: & prodit tùm Arabicè, tùm Latinè, sed separatim excusus; posteà Arabicè & Latinè conjunctim edidit unà cum aliis idem Golius ad calcem Grammaticæ Arabicæ Erpenianæ *Lugd. Bat.* 1656. p. 249. qui stylum hujus auctoris, vernaculum licet, tanquàm minùs accuratum notat. Integrum Golii judicium expromit Hottingerus *Biblioth. Orient.* cap. 2. Class. I. pag. 62.

1181. LUCIUS III. *Humbaldus* antea dictus, natione Tuscus, patriâ Lucensis, ante annum 1167. Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, & Episcopus Ostiensis. Anno 1175. atque iterum 1177. ab Alexandro III. ad Fredericum Imp. legatus est. Anno 1181. Pontifex Romanus creatus est die XXIX. Augusti, postridiè coronatus. Anno sequente Willelmum Scotiæ Regem à Rogero Archiepiscopo Eboracensi dudum excommunicatum absolvit, regnumque interdicto liberavit. Anno 1185. cum Frederico Imp. Veronæ congressum habuit de schismaticis Clericis in integrum restituendis. Obiit Veronæ eodem anno die XXV. Novembr. *Extant Epistola* II. & *Decretum* Concil. Tom. X. p. 1735.

1181. [P. II. THEODOSIUS, Monachus Montis S. Auxentii, Asceta, deindè Patriarcha Constantinop. claruit sub Alexio Manuelis filio, & Andronico Comneno, circa annum MCLXXXI. Extant Græc. Lat. *Responsa Synodalia* de nuptiis cum priùs desponsatâ Sobrino, & de sponsalibus non sufficientibus pro perfecto Matrimonio *Jur. Græc. Rom.* lib. III. p. 231.

1182. PETRUS, natione Gallus, primùm Monasterii Cellensis in suburbio Trecarum, dein S. Remigii apud Rhemenses Abbas; denique an. 1182. Joanni Sarisberiensi in Episcopatu Carnotensi suffectus. Obiit IX. Kal. Mart. an. 1187. De eo Nicolaus Claravallensis *; *Abbas Cellensis, vir religiosus, ac timens Deum, homo bonus, & testimonium bonum habens à bonis; vitâ & literaturâ conspicuus, nobis quoque tantâ familiaritate devinctus, ut non sit unus de cæteris, sed præ cæteris unus.*

* Ep. 25.

OPERA.

De panibus liber ad Joannem Sarisburiensem.
Mosaici Tabernaculi mysticæ expositionis libri II.

De Conscientia liber ad Alcherum Monachum. Prodierunt simul opuscula ista *Paris.* 1600. 8°.

Epistolarum libri IX. à Jac. Sirmondo cum notis editi *Paris.* 1613. 8°. Opera hactenus enumerata habentur in Bibliothecâ Patr. Tom. XXIII. pag. 636.

Liber de disciplinâ claustrali ad Henricum Campaniæ Comitem.

Sermones de tempore, & de Sanctorum Festivitatibus.

Prodierunt omnia Petri Cellensis opera studio Monachi cujusdam Benedictini Anonymi *Paris.* 1671.

1183. GAUFRIDUS, natione Gallus, Gaufridi & Luciæ filius, primùm Monachus Lemovicensis Monasterii S. Martialis, deinde in eâdem Diœcesi Prior Vosiensis. Anno 1167. in vigilia S. Matthæi Apostoli à Geraldo Episcopo Cadurcensi apud Beneventum Presbyter ordinatus est. Scripsit anno 1183. nempè *Chronicon* condidit *de rebus in Gallia præsertim gestis ab anno* 996. ad an. 1184. à Labbeo in lucem emissum *Biblioth. Nov. MSS.* Tom. II. pag. 279.

ANDRONICUS COMNENUS Protosebastus, patriâ Bizantinus, patrem habuit Isaacium Comnenum, primò Cæsaris, deinde Sebastocratoris dignitate ornatum, Alexii Comneni Imp. ex Irene Ducæna filium tertio genitum. Anno MCLXXX. Manuel Comnenus moriens Alexium filium XIII. annorum puerum, Imperii successorem reliquit. Cui Andronicus Procerum potentiâ fretus, deposito Alexio Comneno Proto-Vestiario, se tutorem dedit. Mox ab Alexio, invito quidem, in Imperii consortium ascitus est; nec his contentus ipsum Alexium strangulari, ipsiusque cadaver im mare projici jussit. A mense igitur *Novembri* anno MCLXXXIII. solus Imperium tenuit. Latinis erat infensissimus, quos ubique vexavit, & Urbe Regia, occiso per tumultum Joanne Cardinali, Romani Pontificis Legato expulit, supra modum etiam in suos sævitiæ deditus. Effractis quippè modestiæ & mansuetudinis repagulis, in omnia immanitatis genera irrupit. Verùm dùm Isaacio Angelo insidias struit, ipse populari tumultu comprehensus est mense *Septembri* MCLXXXV. & infinita conviciorum & contumeliarum genera, mille crudelitatis exempla perpessus, tandem à furibundâ plebe confossus & discerptus, miseram animam exhalavit, nil aliud ad tot mala reponentem, quàm κύριε ἐλέησον; & ad populum, ἵνα τί κάλαμον συντετριμμένον προσεπικλᾶτε, *quid calamum, contritum infringitis*? Memoratu non indignum est, quòd hâc occasione refert qui hoc tempore vivebat, Nicetas Choniates, sub Andron. lib. II. num. XII. p. 378. nempe expilatis Sacellis Palatinis, sacrum illud vasculum, quo literæ ad Abgarum ipsius Christi Domini manu scriptæ, contineri dicebantur, furto ablatum periisse. Ad Andronicum redeo. Magna ei inerant vitia; habuit & suas virtutes; in pauperes misericors & liberalis; in Quæstores & Magistratus avaros & rapaces atrox & inexorabilis; in victu parcus & sobrius, in Templa munificus; in D. Pauli Epistolas ingenti amore ferebatur; curiosas de rebus Divinis disputationes prohibuit; viros eruditos summâ humanitate tractavit, muneribus auxit, & propè solium suum collocari jussit: ut fatente Nicætâ, sævitiam si demas, quam à barbaris inter quos diu vixerat, hausisse videtur, de eo dici potest, non minimum inter Comnenos Imperatores fuisse, quin nec ulli quicquam de palmâ fuisse concessurum. Eloquentiâ erat egregiâ, eruditione singulari, rerum etiam Theologicarum peritissimus. Testis est prolixus, quem imperante adhuc patruo suo Joanne Comneno, scripsit *dialogus contra Judæos*, cujus argumentum in operis initio ipse exponit his verbis.

1183. P. II.

Ἡ δογματικὴ, τῶνδε τῶν λόγων χάρις,
Τὴν Ἑβραϊκὴν ἐξελέγχουσα πλάνην.
Τὰς εὐσεβεῖς δείκνυσι τοῖς πιστοῖς τρίβους
Ἔγραψα δ' αὐτὴν ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΣ ἐκ πόθου
Ἀδελφόπαις Ἄνακτος Αὐσόνων γένος
ΚΟΜΝΗΝΟΦΥΤΟΥΣ, ἐκ Σεβαστοκράτορος
Εἰς γῆν προαχθεὶς, καὶ γλυκὺ βλέψας φάος.

Dogmatica horum sermonum gratia
Hebræorum refutans errorem

Pias

Pias fidelibus demonstrat semitas &c.

Extat Gr. MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* juxta ordinem Lambecianum CCLV. Nesselianum CVIII. Hunc codicem antiquum & optimæ notæ, folia CXXXVIII. continentem, ex Chio insulâ allatum redemit Joannes Sambucus Cæsareus Medicus & Historicus, qui notâ primæ paginæ appositâ testatum fecit, sibi videri hunc codicem esse autographum, propriâ ipsius Andronici manu exaratum. Dialogum hunc latinè vertit Joan. Livineius, & in LXIV. capita divisit. Versionem Livineianam Auctuario suo inseruit P. Stevartius *Ingolst.* 1616. 4to. à p. 263. usquè ad p. 405. de hoc opere vide quæ habet Cl. Lambecius *Comment.* lib. V. p. 169. Hunc dialogum nescio quo lapsu, nisi forsan ejusdem & nominis & dignitatis sono deceptus, Andronico Palæogo Imp. anno MCCCXXXII. defuncto, tribuit Wharthonus heu! quondam noster. *Append. ad Hist. Liter.* p. 17. Sed constat, Joan. Livineium, ipsum in errorem perduxisse, dum in præfatione versionis suæ asserit hunc dialogum anno MCCCXXVII. compositum & editum fuisse. Eundem penè errorem erravit Miræus *Auct.* cap. 412. pag. 256. & cum Miræo suo Cas. Oudinus *Supplem.* pag. 593.

1184. P. II. ANONYMUS Historiæ Selbiensis Auctor, Monachus Selbiensis, claruit anno MCLXXXIV. Juvenis adhuc, vicesimo secundo ætatis anno, ex Prioris, cæterorumque Seniorum relatione, scripsit Historiam Monasterii Selbiensis in Angliâ, à primâ ejus fundatione anno MLXIX. usque ad annum MCLXXXIV. quam primus in lucem protraxit Ph. Labbeus *Biblioth. Nov.* Tom. I. p. 594.

1184. P. II. PANDULPHUS, patriâ Pisanus, dignitate Cardinalis, claruit circa annum MCLXXXIV. Scripsit Vitam Gelasii II. summi Pontificis, quam notis illustratam edidit Constantinus Cajetanus *Romæ* 1638. 4to. Vitas etiam Pontificum seu potius additiones ad Chronica Damasi Papæ scripsisse dicitur.

1185. JOANNES PHOCAS, Cretâ oriundus, Matthæi postea in Patmo insulâ μοναζοντ☉ filius, Presbyter uxoratus, unicum ex uxore filium suscepit: sese aliquando sub Manuele Comneno Imp. militâsse ipse testatur. Tandem Monachus factus, Hierosolymam adiit, & loca sancta invisit anno 1185. Domum redux, omnia quæ observaverat, breviter, & accuratè literis mandavit. Extat *compendiaria descriptio locorum ab urbe Antiochia usque ad Herosolymam, nec non Syriæ & Phœniciæ*, à Leone Allatio Gr. Lat. edita *Symmict.* par. 1. pag. 1. *Colon.* 1653. 8°.

1185. BALDUINUS, gente Anglus, patriâ Devonius, domo Exoniensis, tenuis conditionis parentibus natus, primò Ludi-magistrum egit, mox Archidiaconus factus; verum deserto hoc munere ad Cistercienses se contulit, creatus inde Abbas Fordensis; anno MCLXXXI. Wigorniensis Episcopus renunciatur; post triennium, vacante jam sede Cantuariensi, & de electione contendentibus, hinc Monachis, illinc Episcopis Suffraganeis; tandem communi suffragio, consentiente etiam Rege, Balduinus electus est, & XIV. Kal. Junii anno MCLXXXV. in sede Archiepiscopali collocatus: adeò ut tum tempore, tum successionis ordine erret Oudinus*, qui ipsum ab an. MCLXXI. Thomæ Beckero in sede Cantuariensi successisse scribit; Thomas enim Richardum Priorem Dovorensem successorem habuit. Monachi etsi Balduini electionis assensum dederant, in ea nihilominus neutiquam acquieverunt, quin ex Collegio Canonicorum sæcularium Hackintonæ ab Archiepiscopo fundando occasionem captantes, (quâ de re videndi *Antiquitatum Britannicarum* auctor p. 142. Godwinus *de Præsul. Angliæ* p. 115. præcipuè Gervasius Dorobern in *Act. Pontif Cant.* col. 1676. & Tract. pecul. *de discord. inter Monach. Cant.* p. 1303.) perpetuum ipsi negotium facessere non destiterunt. Anno MCXC. Richardus I. exercitum in Palæstinam ducens, Balduinum secum detulit, ubi anno MCXC. saltem sequenti in obsidione Ptolemaidis diem clausit extremum; ingenio adeò miti, blandisque moribus, ut etiam lenitas ipsi vitio verteretur; & Urbanus Papa hunc in modum ei scripsisse dicitur, *Monacho ferventissimo, Abbati calido, Episcopo tepido, Archiepiscopo remisso.*

* Supplem. p. 453.

SCRIPTA.

TRactatus XVI. de diversis argumentis, viz. *De dilectione Dei, De duplici resurrectione, De requie, De efficacia divini eloquii, De salutatione Angelica, &c.*

De commendatione fidei.

De sacramento altaris, ad Bartholomæum Exoniensem Episcopum. Hæc omnia collegit edidítque Bertrand. Tissier *Script. Bibliothec. Cisterciens.* Tom. V. anno 1662. Plura Balduini nostri Opuscula MSS. delitescunt, longè plura à Baleo, Pitseo & Carolo Vischio *Biblioth. Cisterc.* p. 31. memorantur.

URBANUS III. *Lambertus* antea dictus, natione Lombardus, patriâ Mediolanensis, ex gente Cribellorum, ex Archiepiscopo Mediolanensi Pontifex Romanus creatus anno 1185. die XXVI. Novembris, die VIII. Decembr. coronatus. Anno 1186. cum Frederico Imp. de patrimonio Mathildis Comitissæ decertans, anathema ei intentavit, sed Veronensium precibus victus destitit. Eodem anno Henrico II. Angliæ Rege petente, Henrico filio Hiberniæ Regnum confirmavit, & in confirmationis tesseram coronam de pennâ pavonis auro contextam dono ei misit. Obiit Ferrariæ anno 1187. die XX. Octobr. dolore ob res à Christianis in Oriente malè gestas confectus. Extant *Epistolæ* V. Conc. Tom. X. p. 1742. 1185.

ANONYMUS, Græcus Chronologiæ Constantinopolitanæ Auctor, claruit ann. MCLXXXV. Contexuit Chronologiam Imperatorum Constantinopolitanorum à Constantino M. usque ad Andronici Comneni exitum, qui anno MCLXXXV. à furibundâ plebe occisus est. Incipit, Ὁ μέγας Κωνσταντῖν☉ ἐβασίλευσεν ἔτη λβ. &c. Desinit, Ἀνδρόνικ☉ ἔτη γ. Extat MS. Biblioth. Vind. *Cod. Med.* XX. num. VI. loco quidem non suo, fol. 4. Vide Nessel. *Catal.* Part. III. p. 32. 1185. P. II.

GREGORIUS VIII. Albertus prius appellatus, patriâ Beneventanus Ecclesiæ Romanæ Presbyter Cardinalis titulo S. Laurentii, & Cancellarius. Anno 1172. ab Alexandro III. ad Henricum Angliæ Regem legatus, de Becketi nece inquisivit, & celebrato apud Abrincas in Normanniâ Concilio plurimos Canones Ecclesiasticos sancivit. Anno 1187. Pontifex Romanus creatus est die XXI. Octobr. die XXV. consecratus. Plenariam statim peccatorum remissionem promisit, & quinquennale jejunium indixit pro recuperanda Terra sancta à Saracenis nuper Christianis erepta. Obiit Pisis eodem anno, die XVII. Decembr. Extant *Epistolæ* III. Conc. Tom. X. p. 1748. 1187.

CLE-

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. 1187. CLEMENS III. *Paulinus* antea dictus, patriâ Romanus, Cardinalis, & Episcopus Prænestinus, Pontifex Romanus creatus est Pisis anno 1187. die XIX. Decembr. inauguratus ibidem anno sequente die VI. Januarii. Eodem anno petente Willelmo Scotorum Rege Ecclesiam Scoticam Archiepiscopi Eboracensis ditione exemit, & soli sedi Apostolicæ deinceps subjici jussit. Obiit anno 1191. die V. Aprilis. Extant *Epistolæ* VII. Conc. Tom. X. pag. 753.

1190. NEOPHYTUS, Presbyter Græcus, Monachus & inclusus; claruit anno 1190. Extat Gr. Lat. *Liber de calamitatibus Cypri ab Anglis anno 1191. captæ* à Cotelerio editus *Monument. Eccl. Gr.* Tom. II. p. 457.

1190. ELIAS de COXIDA, quippe Coxidâ territorii Furnensis in Flandria oppido oriundus, Monachus Cisterciensis, & Cœnobii Dunensis Abbas; claruit anno 1190. Eloquentiâ & authoritate suâ plurimùm apud Leopoldum Austriæ Ducem poterat; adeò ut eo mediante, plùs verò pollente pecuniâ Anglicanâ, immenso nempe redemptionis pretio, Richardus Angliæ Rex custodiâ liberatus fuerit. Obiit Elias die XVI. Augusti anno 1203. Extant *Sermones* II. satis prolixi, in generali Cisterciensium Capitulo habiti, viz. *in illud*; *Rectorem te constituerunt, noli extolli*: *& in illud Joan.* XIV. *Si quis diligit me sermonem meum servabit*, &c. quos extulit Carolus Vischius *Biblioth. Cisterc.* p. 90. Plures ejusdem *Conciones* olim in Dunensi Bibliotheca servabantur, quæ modò exciderunt.

1190. P. II. WILELMUS STEPHANIDES, vulgò FITZ STEPHENS, natione Anglus, domo Londinensis, parentibus nobilitate Normannicâ claris oriundus, claruit anno MCXC. Studia sua tùm in Angliâ tùm in Galliâ strenuè & fœlicitèr promovebat, Monachus posteà Cantuariensis factus. Thomæ Archiepiscopo suo in exilio constanter adhæsit, impensè coluit. Condidit Opus *de Vita & Passione & Miraculis* Thomæ Cantuariensis, gentilis sui, quod magnam partem habetur in *Quadrilogo*, ipsius Thomæ Epistolis præfixo. Composuit etiam stylo non ineleganti descriptionem nobilissimæ civitatis *Londoniæ*, in qua ipse natus erat. Hanc descriptionis suæ civitatis Londinensis, quam patrio sermone adornavit, calci attexuit Jo. Stovius nostras p. 704.

1190. P. II. AUCTOR Anonymus Chronici Rhemensis, claruit an. MCXC. Scripsit breve Chronicon Rhemense à Christo nato ad an. MCXC. Habetur apud Labbeum *Biblioth. Nov.* Tom. I. p. 358.

1191. CÆLESTINUS III. *Hyacinthus* antea dictus, natione Romanus, Petri Bobonis filius, ab an. 1126. Ecclesiæ Romanæ Cardinalis Diaconus titulo S. Mariæ in Cosmedin. Anno 1158. ab Hadriano III. ad Fredericum Imp. missus, in itinere captus, & in carcerem conjectus est, mox tamen liberatus. Anno 1177. ab Alexandro III. legatus, Fredericum, ejusque Magnates excommunicatione absolvit. Anno 1191. die XII. April. Pontifex electus est, die XIV. ordinatus. Eodem anno Henrico Germaniæ Regi Romam advenienti coronam Imperialem imposuit, & impositam calcibus incussis statim dejecit; eo ritu significans, inquit Baronius *, quod ipse potestatem ejiciendi eum ab imperio haberet, si ille demeruerit. Eodem insuper anno Adelfonsum Gallæciæ Regem ob illicitum matrimonium cum toto Regno excommunicavit, quin & Joannem Moretonii Comitem, Richardi Regis fratrem, res novas in Angliâ molitum anathemate percussit. Anno 1193. Leopoldum Austriæ Ducem ob captum Richardum Angliæ Regem diris devovit, sententiamque biennio post renovavit, quo quidem tempore Henricum etiam Imperatorem eidem anathemati innodavit. Obiit an. 1198. die VIII. Januarii. Extant *Epistolæ* XVII. Concil. Tom. X. pag. 1768. *Epistola* unica apud Baluzium Miscellan. Tom. II. pag. 241.

* Ad an. 1191.

STEPHANUS, natione Gallus, patriâ Aurelianensis natus est an. MCXXXV. feliciter emenso humaniorum literarum curriculo, ad Theologiæ Jurisque Civilis studium animum appulit: anno circiter MCLXV. Aureliæ in Monasterio S. Eversii factus est Canonicus regularis, & post Roberti mortem ejusdem Cœnobii Abbas, viris quibuscunque celeberrimis, apprimè charus. An. MCLXXVII. ad Monasterii S. Genovefæ Parisiensis regimen ascitus est, quo in loco privatas instituit scholas, in quibus sacris ordinibus olim initiandi, literis simul ac religione imbuerentur. An. MCXC. Philippo Augusto expeditionem in Terram sanctam suscipiente Gulielmus Archiepiscopus Remensis, cui Regni gubernacula Rex tradiderat, Stephanum nostrum in curæ partem vocavit, eumque mox Romam legatum ad Pontificem misit. An. MCXCII. Episcopus Tornacensis factus est, à Gulielmo Rhemensi consecratus, renitente quidem Clero, nec bene ferente Cœlestino Papâ. Exacto non sine magnæ diligentiæ & fidelitatis laude in hoc munere decennio, fractis viribus, & ætate gravis, obiit vir sanctissimus Septembris IX. anno MCC. ætatis LXVIII. 1192.

SCRIPTA.

Epistolæ ab anno circiter 1163. usque ad obitum scriptæ CCXXXVIII. primus eruit J. B. Massonus Papyrii frater, &, una cum Epistolis Gerberti & Jo. Sarisburiensis, edidit *Paris.* 1611. 4°. Has nuper recensuit, & additis circiter XL. hactenus ineditis asterisco notatis in lucem iterum emisit, notis illustravit, præmissa etiam autoris vita, Claudius du Molinet Canonicus Regularis, *Paris.* 1682. 8°.

Sermones XXXI. in diebus festis utplurimum habiti, extant MSS. in Bibliotheca Tornacensi S. Genovefæ, alibique. Hoc consultò suppressit Molinetus, ita enim, inquit, insipidi ac simplices, ne dicam pueriles, interdum apparent, ut luce publica nequaquam digni visi sint; quippe qui nec eruditas S. Patrum Homilias nec eorum in exponenda S. Scriptura lucem & felicitatem, nec gravem illam moralem doctrinam purissimis eloquentiæ coloribus perpolitam redoleant. Plura habet in Præfat. ubi specimina exhibet, & Epistolarum calci sermonem I. in Synodo habitum subnectit, cui reliquorum Elenchum subtexuit.

Decretum, sive potiùs *Comment. in Decretum Gratiani* habetur MSS. spisso satis volumine in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis. Verùm cùm hæc Commentaria prolixiora sint, nec nisi trita nimirum & vulgaria contineant, omittenda duxit Molinetus, contentus solummodò speciminis causa *Proœmium* lectori exhibere.

GEORGIUS XIPHILINUS; ex magno Scevophylace post Dosithei exauthorationem Patriarcha Constantinopolitanus creatus anno 1193. Obiit anno 1199. Extat Gr. Lat. *Decretum de juribus Territoriorum* 1193.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. titorum in Jure Græc. Rom. l. I. pag. 283. duo ejusdem Synodalia sancita *de Stauropegiis* se legisse testatur Leo Allatius *de Georgiis & eorum scriptis*, pag. 342.

1193. DEMETRIUS TORNICIUS, natione Græcus, quis cujasve fuerit mihi hactenus est incompertum; claruit hoc circiter tempore circa annum 1193. Scripsit ex persona Isaaci Imp. *ad Episcopum quendam de Processione Spiritus S. librum*, qui in Regis Galliæ Bibliotheca habetur. Ejus meminit, & principium apponit Leo Allatius *de Consensu* l. II. c. 13. §. 4.

1194. JOANNES, Episcopus Lyddensis, claruit an. 1194. Extat *Epistola* ejus *ad Michaelem Patriarcham Hierosolymitanum electum* apud Baluzium *Miscellan.* Tom. II. p. 242.

1195. GULIELMUS PARVUS cognomento dictus, natione Anglus, patria Eboracensis, Bridlingtonæ natus anno 1136. Post peractam domesticæ educationis curam, ad Monasterium Neuburgense propè sylvam Cuculinam (inde *Neuburgensis* seu *Neubrigensis* dictus) à parentibus mittitur, ut religionis simul ac eruditionis elementa inde hauriret; atque ita Canonicus Regularis Ordinis Augustiniani in eodem Cœnobio factus est. Claruit an. 1195. Obiit, ut volunt nonnulli, anno 1208. ætatis 72. Stylus est Gulielmo satis Latinus, satis nitidus, longe purior quàm quo Scriptores nostri coætanei uti solebant. Ad Historiæ ejus fidem non parùm facit, quòd quæ tradit, aut ipse suis vidit oculis, aut à viris fide dignis accepit. Scripsit *de rebus Anglicis sui temporis libros* V. ab anno 1066. usque ad an. 1197. Prodiit *Historia* ista *Antverp.* 1587. 8°. *Heidelberg.* 1587. multis verò periodis, & integris XI. Capitulis auctior, optimisque Joannis Picardi notis illustrata *Paris.* 1610. 8°.

1195. P. II. JOANNES WALLINGFORD, natione Anglus, propè viculum qui *Stodham* dicitur, ex mediocri prosapiâ oriundus, *Magister Joannes de cellâ* dictus. Juvenis adhuc, in Academiâ Parisiensi prima studiorum tyrocinia posuit, ubi & Magistri gradum adeptus est. Assumpto religionis habitu, ut loqui amant Pontificii, ad Prioratum Wallingfordiensem vocatur. Tandem mortuo Guarino, anno MCXCV. Cœnobii S. Albani Abbas factus est. Ubi postquàm Monasterii sui gubernacula xix. annos tenuisset, obiit anno MCCXIV. Plura de eo, ejusque Vitâ, Morte rebusque gestis, plenâ manu tibi dabit Matthæus Paris *in Vitis Abbatum* S. *Albani* pag. 103. Extat sub ejus nomine *Chronicon* ab anno CCCCXLIX. quod alius, quem Rodulphum Wendover fuisse conjicit Cl. Editor, ad ann. XLII. Henrici III. continuavit. Hoc Chronicon ex codice Cottoniano, ad annum usque MXXXV. edidit Tho. Galeus Rer. *Anglic. Script.* Tom. III. pag. 525. An ulteriùs progressus sit Joannes noster, non indicat.

1196. P. II. NICOLAUS, Methonensis in Macedoniâ Episcopus, claruit circa annum MCXCVI. Scripsit *Theologiam de S. Trinitate*, ex quo opere fragmentum habetur Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* num 1. p. 1. Incipit hoc modo. Τὶς ὅλως ἀνάσχοιτο τῶν ἐν Χριστιανοῖς τελούντων ἐπὶ τῆς ἁγίας τριάδος δύο εἰσάγειν αἴτια &c. Dubium est an idem sit hic Nicolaus cum Nicolao Methonensi, quem Part. I. p. 437 ad an. MXC. retulimus. Plures fuisse qui sub hoc nomine latent scriptores, admodùm probabile videtur L. Allatio *de Consens.* l. II. cap. 10. §. 2. adeoque Tractatum tertium *de processione Spiritus Sancti*, qui sub Nicolai Methonensis nomine circumfertur, Nicolao cuidam juniori, qui post Nicephori Blemydæ ætatem vixerit, adscribendum censet. Uter fuerit Nicolaus noster, primus an secundus, an tertius ab utroque diversus, non liquet. Certè cùm Cl. Lambecius nostrum ad hunc annum referat, temerè loco suo non amovendum censeo, donec certiora edocti fuerimus.

ALEXANDER, Cœnobii S. Bartholomæi de Carpineto in Italiâ Monachus, claruit an. MCXCVI. 1196. P. II.
Efflagitantibus id fratribus suis Monachis, condidit Monasterii sui Chronicon libris VI. iisque collectanea de ejusdem fundatione & dotatione subjecit. Extat hoc Opus ex Membranaceo codice Monasterii Casæ Novæ primùm in lucem editum à Ferd. Ughel, *Ital. Sacr. Tom.* VI. p. 1231.

RADULPHUS DE DICETO, gente Anglus, Ecclesiæ D. Pauli Londinensis Decanus, 1197.
crebris in exteras regiones peregrinationibus insignis, nec doctrinâ minùs illustris; claruit anno 1197. Extant *Abbreviationes Chronicorum ab initio mundi usque ad ann.* 1198. (quamvis pars prior à condito mundo usque ad Gregorium M. Papam, cùm nonnisi vulgaria & è trivio petita contineret, in editis non compareat) & *Imagines Historiarum ab anno* 1148. *ad annum* 1200. inter Scriptores X. Anglicos à Twisdeno edit. *Londini* 1652. Ejusdem, ut & Joannis Lugdunensis Archiepiscopi, *Epistolæ* extant MSS. *in Bibliothecâ Cottonianâ* sub *Faustina*, A. 8. num. 28. Alia XIII. Radulphi *Opuscula*, partim Historica, partim Theologica enumerat Baleus, quæ quidem in lucem nondum prodierunt.

RADULPHUS DE DICETO, Anglus, Archidiaconus Londinensis, Ædis Paulinæ apud Londinenses Decanus factus est anno MCLXXXIII. 1183. P. II.
Præter Opera ejus quæ suprà recensuimus, scripsit *Historiam compendiosam* de Regibus Britonum à Bruto ad Cadvvalladrum istius gentis ultimum, qui mortuus est anno DCLXXXIX. Hanc edidit Tho. Galeus, *Rer. Anglic. Script.* Tom. III. pag. 553. eique Anonymum de partitione Provinciæ in schieras, Episcopatus, & Regna, ex codice Arundeliano subjecit. Composuit etiam Radulphus indiculum *de successione Archiepiscoporum Cantuariensium, & à quibus Apostolicis pallia susceperunt.* Hunc ex Membranis Lambethanis evulgavit H. Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. I. pag. 87. sed in quo præter nudum nominum indiculum, nihil aliud continetur. Contexuit etiam Historiam *de Archiepiscopatibus & Episcopatibus Angliæ* ab Augustini adventu ad annum MCXCIX. In quibusdam Episcopatibus ulteriùs protenditur. Verùm additiones ab aliâ manu profectæ sunt, forsan Joannis Pyke, qui non unum Radulphi Opus contraxit, vel interpolavit. Habetur hæc Historia MS. Bibliothecæ Norfolcianæ *Cod.* CCXX. Ex quo Historiam de Archiepiscopis Cantuariensibus à primâ sedis fundatione ad annum MCC. notis suis illustratam edidit H. Whartonus *Angl. Sacr* Tom. II. pag. 677. Reliqua de aliis sedibus insuper habuit, tùm quòd nihil eximium præbuerit, tùm quòd in Historiis Radulphi editis verbatim ferè suis quæque locis sint reperta. Vide *Præfat.* num. xxiii. pag. 28. ubi etiam de aliis Chronicis & Historiis Radulpho nostro in eodem codice Norfolciano adscriptis, accuratè agit. Quin & Opus integrum apud se MS. extare testis est alibi idem Whartonus *de Decan. Londinens.* pag. 205. in indiculo librorum Bibliothecæ Ædis Paulinæ anno 1458. facto, extabat *postilla* Radulphi de Diceto, super

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. *super Ecclesiasticum*, & super librum *Sapientiæ*. An verò superfit hodiè, non didici.

1198. JOANNES BROMPTON, natione Anglus, Monachus Cisterciensis; deinde Cœnobii Jornallensis (rectiùs Jorvallensis) in agro Eboracensi Abbas; claruisse videtur circa an. 1198. (si modò is auctor fuerit Chronici, & non id in usum solummodò Monasterii aliunde describi fecerit, quod non contemnenda conjectura opinatur Cl. Seldenus*). Extat sub illius nomine *Chronicon ab anno* 588. *ad annum* 1198. inter X. Scriptores Anglicos, pag. 725.

* Differt. X. Script. præmii. p. 38.

1198. ROGERUS DE HOVEDEN, natione Anglus, patriâ Eboracensis, illustri familia ortus, Henrici II. Angliæ Regis domesticus, postea primarius Theologiæ professor in Academia Oxoniensi; claruit ann. 1198. Scripsit *Annalium Anglicanorum libros* II. ab anno 731. [quo desiit Beda] usque ad an. 1202. Prodierunt *Annales* isti à Cl. Savilio inter alios Historicos Anglicos editi *Londini* 1595. fol. dein recusi *Francofurt.* 1601.

1198. INNOCENTIUS III. *Lotharius* ante appellatus, natione Campanus, patriâ Anagninus, Trasimundi, Comitis Signini, & Clarinæ filius, prima juventute Lutetiam missus, magnam ex doctrinâ omnifariâ gloriam comparavit. Domum reversus, Canonicus Anagninus factus est, & mox à Clemente III. in Cardinalium album titulo SS. Sergii & Bacchi cooptatus. Anno 1198. die VIII. Januarii Pontifex Romanus electus est, die XXII. Februarii consecratus, annos natus 37. Eodem anno Philippi Galliæ Regis filium ex Maria pellice susceptum legitimum haberi decrevit; Philippum Sueviæ Ducem, Henrici Imp. nuper defuncti fratrem à Principibus Germanis Regem Romanorum electum excommunicavit, ut coronæ imperiali inidoneum redderet, Principesque Christianos ad bellum Saracenis in Asia, hæreticis in Europa inferendum, effusis larga manu indulgentiis, excitavit. Anno 1199. Metensibus S. Scripturæ in linguam vernaculam conversæ lectionem interdixit, Marcobaldum Siciliæ Regem excommunicavit, & Philippo Suevo imperium Apostolica authoritate abrogavit. Anno 1203. Henricum Dandulum Venetorum Ducem, Comites Flandriæ, Hannoniæ, S. Pauli, aliosque Principes Christianos, cum toto Crucesignatorum exercitu ob captam Jaderam anathemate percussit. Anno 1206. Joannem Angliæ regem ob defensa constanter jura regia, totumque pariter regnum excommunicavit. Anno 1208. crucem contra Albigenses ubique prædicari jussit. Anno 1209. Ottonem IV. quem ipse Philippo Suevo olim subrogaratæ Romæ Imperatorem inunxit, & mox eundem imperii jura tutantem anathemati innodavit. Anno 1210. Galliæ, Angliæ, Boëmiæ, Siciliæ, Lusitaniæ, & Poloniæ regibus, ni Ecclesiæ confestim satisfacerent, idem intentavit fulmen. Anno 1211. Ottonem Imp. Petrum Aragoniæ, & Joannem Angliæ reges diris devovit, regnumque Galliæ interdicto subjecit. Anno 1213. Portugalliæ Regem, Principesque Germanos Ottoni Imp. adhærentes excommunicavit. Anno 1215. generale Concilium Lateranense celebravit, in quo monstrosum Transsubstantiationis figmentum inter fidei articulos reposuit, & Principes quoscunque Christianos hæresi vitiatos, vel Ecclesiæ Romanæ immorigeros dignitate sua deponendos esse decrevit. Eodem anno SS. Dominici & Francisci instituta monastica, ineptissimis quibusdam visionibus inescatus, confirmavit. Obiit Perusii anno 1216. die XVI. Julii. Plura de eo dici poterant, homine quidem non inerudito, sed immodicè superbo, ingentis animi, qui dominandi libidine totus pruriebat, in Imperatores, Reges & Principes quoscunque arrogantia planè intolerabili. Sufficit quod de eo habet Mathæus Paris ad an. MCCXIII. pag. 245. ubi de Joanne Angliæ rege verba faciens; *Noverat*, inquit, *& multiplici didicerat experientia, quòd Papa super omnes mortales ambitiosus erat & superbus, pecuniæque sititor insatiabilis, & ad omnia scelera pro præmiis datis vel promissis cereus & proclivis.* SÆC. XII. ab An. MC.

OPERA.

Sermones de Tempore & Sanctis, per totum anni curriculum. Prodierunt *Colon.* 1578. 1606. fol.

De Consecratione Pontificis Sermones IV.

De Eleemosyna liber.

De laude charitatis.

In septem Psalmos Pœnitentiales Commentaria. Prodierunt *Antverpiæ* 1550. *Venet* 1578. *Colon.* 1578. fol.

De *Mysteriis Missæ libri VI.* Extant seorsim *Lipsiæ* 1534. *Antverp.* 1540.

De contemptu mundi, seu miseria hominis libri III. Extant *Antverp.* 1540. 12°. *Venet.* 1538. 16°. *Paris.* 1482. 1594. 12°. *Colon.* 1681.

Encomium in Christum & ejus matrem.

Precationes de Passione Christi.

De *Sanctorum veneratione libri III.*

Hymnus in Christum & ejus Matrem.

Conciones Parenetica II. *ad Concilium Lateranense.* Habentur Concil. Tom. XI. p. 131.

Epistolarum libri II. in quorum primo Epistolæ sunt DLVII. in secundo CCLXIV. *Romæ* editi 1543.

Constitutionum decretalium libri V. Extant *Colon.* 1606. Prodierunt Innocentii opera hactenus enumerata *Colon.* 1575. 2. Tom. fol.

Epistolarum libri XI. [cum præfixo authore anonymo coævo de gestis Innocentii Papæ] quos Stephanus Baluzius in unum collegit, magnam partem primus edidit, reliquam emendavit, *Paris.* 1682. 2. Tom. fol. Priores duos collectionis hujusce libros edidit Gulielmus Sirletus *Romæ* 1543. qui deinceps prodierunt *Colon.* 1575. *Venet.* 1578. & à Binio in suos Conciliorum Tomos translati sunt. Selectiores *Epistolas*, præsertim *historicas*, ex Collegii Fuxensis Codice emisit, notisque illustravit Paulus du May, in Burgundiæ curia Consiliarius Regius. *Paris.* 1625. 8°. Quatuor *libros* antea ineditos ex eodem Codice evulgavit Franciscus Bosquetus *Tolosæ* 1635. Verùm omnes omnium curas longè superavit diligentia Baluziana, cui hoc nomine, & ob alia in rem Ecclesiasticam merita, gratiam ab omnibus eruditis reddi par est. Certè quantùm ad Historiam Ecclesiasticam hujus temporis illustrandam, & ad Jus Canonicum excolendum conferunt Innocentii Epistolæ, nemo non videt. Plurima hanc in rem specimina annotarunt doctissimi, & quibus multùm planè debet respublica literaria, Actorum Lipsiensium editores anno 1682. p. 371.

Epistola pro Ecclesia Albiensi, à Baluzio primùm edita *Miscellan.* Tom. IV. p. 467.

In Magistrum Sententiarum Commentaria, *Opuscula de eruditione Principum, de Sacramento Baptismi, de claustro animæ, De Purgatorio*, &c. recenset Ludovicus Jacob Biblioth. Pontif. lib. 1. p. 118. quæ in variis Bibliothecis MSS. adhuc delitescere dicuntur.

JOANNES CAMATERUS, ex Diacono & Char- 1199.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. Chartulario Patriarcha Constantinopolitanus; claruit anno 1199. quo datis ad Innocentium Papam *literis*, mirari se dicebat, quomodo Ecclesiæ Romanæ Universalis Ecclesiæ titulus ascribi posset. Obiit anno 1206. Extat Gr. Lat. *Decretum de nuptiis Consobrinorum* in Leunclavii *Jure Gr. Rom.* lib. 4. pag. 285.

1199. GALFRIDUS, sive GUALTERUS VINESAUF, seu de *Vino salvo*, stirpe Normannus, gente Anglus; claruit anno 1199. Peracto in patria studiorum curriculo, ad exteras Academias se contulit, non ignoti etiam apud Romanos nominis, quippe Innocentio III. Pontifici familiaris, cui poëmata quædam dedicavit. Scripsit plurima tum soluta, tum ligata oratione venustè, ac supra sæculi quo vixit sortem eleganter.

SCRIPTA.

De novâ Poëtriâ. Opus Hexametrum Innocentio III. nuncupatum; idem est cum libro *de Arte dicendi*, etsi alii diversum faciant. Extat MS. in variis Bibliothecis, Balionensi, Arundeliensi, Cottoniana, Seldeniana, ex quo proinde Præfat. ad X. Scriptores quædam profert Cl. Seldenus.

Tractatus de plantatione Arborum, & conservatione Fructuum, continens in se breviter omnem modum inserendi arbores aromaticas, fructus conservandi, vites & vina cognoscendi, vina inversa, seu deteriora reformandi &c. Habetur MS. in Biblioth. Gonvil. & Caii Cantab. Cod. 74. Galfridi nostri esse nemini dubitare fas est.

Historia, sive *Itinerarium Richardi Anglorum Regis in Terram sanctam*, ab aliis Richardo Canonico vel Richardo Divisiensi, ab aliis Roberto Monacho tributum, auctori nuper restituit doctissimus editor Oxoniensis, qui Galfridum nostrum cum Gualtero Constantiensi seu Oxoniensi eundem facit. Prodiit hæc historia, sed mutila, & anonyma in Collectione Wicheliana Gestorum Dei per Francos; integra nuper inter Historiæ Anglicanæ Scriptores *Oxon.* 1687. Tom. II. p. 247. SÆC. XII. ab An. MC.

Poëmata de glorioso rege Richardo, ibid. p. 430.

De aliis, quæ an supersint incertum, Baleum & Pitsæum consule.

NIGELLUS de WIREKER, natione Anglus, Ecclesiæ Cantuariensis Præcentor & Monachus, claruit anno MCC. Quem à multâ lectione, nec minori judicio, ex Lelandi testimonio magnoperè commendat Baleus *, qui plura illius opera recenset. Scripsit inter alia carmine, & Gulielmo de Longo Campo Episcopo Elyensi Regnique Cancellario dicavit, *Brunellum*, sive *Speculum Stultorum*, Coloniæ 1499. editum, 4to. 1200. P. II.

* Cent. III. c. 50. p. 645.

ANONYMUS Chronici Atinensis Auctor, Cœnobii forsan Fossæ Novæ Monachus circa annum M. C. vel paulò post claruisse videtur. Scripsit breve Ecclesiæ Atinensis Chronicon ab anno primo Julii Cæsaris incipiens; posteà Ecclesiæ suæ res succinctè quidem, sed a c[illegible] ad ann. usque MCC. persequitur. Breviculam appendicem addidit Anonymus alter ad annum usque MCCLVI. Edidit hoc Chronicon ex [illegible] quo Manuscripto Fossæ Novæ, Ferd. Ughellus *Ital. Sacr.* Tom. I. sub calcem p. 493. 1200. P. II.

SÆC. XII.

Concilia hoc Sæculo habita.

SÆC. XII. ab. An. MC. 1102. P. II. LATERANENSE I. sub Paschali II. Papa anno MCII. celebratum. In quo in Henricum Imp. qui non semel antehàc excommunicatus ad causam dicendam Romam non venerat, ut & in Archiepiscopum Capuanum à Monachis Cassinensibus sacrilegii accusatum, sententia fertur. Acta recitat Urspergensis ad annum MCII. p. 184. Ubi etiam formula Anathematismi exhibetur. Videsis item Chron. Cassin. lib. IV. cap. 40.

1102. P. II. LONDINENSE I. anno MCII. sub Anselmo Cantuariensi, præsentibus Mauricio Eboracensi plurimisque aliis Episcopis, in Ecclesiâ B. Petri Westmonasteriensi habitum. In quo, præter multa disciplinæ Ecclesiasticæ necessaria constituta, Guido Abbas Persoræ propter Simoniam, alii alias ob causas, damnati & depositi sunt. Extant Acta & Ecclesiasticæ disciplinæ *Canones* XXIX. seu potiùs Canonum *Breviaria*, ex Anselmi operibus excerpta apud Eadmer. *Hist.* lib. III. p. 67. Wil. Malmesbur. *de gest. Pontif.* lib. I. fol. 129. p. 2. *Conc.* Tom. X. p. 728. Ubi Anselmi aliquot Epistolæ subjiciuntur. Agit præterea de hâc Synodo Florentius Wigorn. ad ann. MCII. p. 474. Omnia in unum collecta exhibentur apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 21. Confer Chronicon Saxonicum ad annum MCII. pag. 210.

SÆC. XII. ab An. MC. 1104. P. II. FUSSELENSE apud S. Mariam de *Husillos*, prope Palentiam, præside Richardo Pontificis Legato, præsente Alphonso VI. Rege à *XIII.* Episcopis anno circiter MCIV. [neque enim tempus admodùm certum est] celebratum. Quo de finibus regundis inter Episcopos Oxomensem & Burgensem disceptatur, quædam circa divinum Officium tractantur, conjugia Clericorum, sed irrito conatu, prohibentur. Habentur Acta ex Sandovalio *Conc. Hisp.* Tom. III p. 317. ubi eruditissimus Card. d'Aguirre de tempore hujus Synodi adversùs Sandovalium prolixè disputat. Anno MCX. vel ineunte sequenti habitum est Concilium *Carrionense*, in quo ventilata est causa Gundisalvi Mindoniensis Episcopi duos Archipresbyteratus Ecclesiæ Compostellanæ contra jus retinentis. *Ibid.* p. 318. *Legionense* anno MCXIV. Quid verò in eo actum sit, non liquet. *Ibid.* p. 319.

1104. P. II. TRECENSE I. præsente Richardo Pontificis Legato, anno MCIV. habitum. In quo Hubertus Silvanensis Episcopus Simoniæ accusatus jure jurando se purgavit. Vide Ivonis Epistolam ad Paschalem &c. & *Conc.* Tom. X. pag. 738. Ecclesiis aliquot privilegia concessa habentur *ibid.* p. 739.

1104. P. [illegible] LATERANENSE II. an. MCIV. vii. Cal. *April.*

SÆC. XII. ab An. MC. *April.* celebratum. In quo Investiturarum in Angliâ fautores excommunicantur; nempe tam Regis consiliarii, qui ipsum ad hoc flagitium impellunt, quàm ii qui ab eo hoc modo investiti sunt, inquit Paschalis Papa, qui meminit hujus Synodi Epistolâ centesimâ ad Anselmum datâ *Conc.* Tom. X. pag. 706.

1104. P. II. BALGENTIACENSE I. in villâ Aurelianensis Diœcesis ad Ligerim fl. ann. MCIV. iii. Cal. *Aug.* præsidente Richardo Cardinale Pontificis Legato habitum. In quo, ventilatâ Philippi Regis, qui tùm aderat, causâ, res tandem in medio relicta est, Episcopis de Regis absolutione haud benè convenientibus. Confer Ivonis ad Paschalem Pontificem *Epist.* CXLIV. p. 249.

1105. P. II. PARISIENSE I. anno MCV. IV. Non. *Decembr.* habitum. In quo Philippus & Bertrada eâ lege absoluti sunt, ut tactis SS. Evangeliis jurarer uterque se à toro & omni familiari conversatione in posterum abstinere. Extant Philippi ad Lambertum Atrebatensem, & Lamberti ad Paschalem Papam, hac de re Literæ *Conc.* Tom. X. pag. 742.

1105. P. II. FLORENTINUM anno MCV. à *CCCXL.* Episcopis celebratum. In quo Fluentius Episcopus Florentinus, qui occasione prodigiorum quæ hoc tempore acciderunt, Anti-Christum jam tum natum esse docuit, vanitatis & erroris arguitur, & post gravem increpationem & admonitionem dimissus est. Hæc ex Sabellico & Antonino referunt Conciliorum Editores Tom. X. p. 743.

1105. P. II. QUINTILINEBURGENSE apud Northusum anno MCV. IV. Cal *Julii* coactum. In quo damnantur Simonia, Fornicatio, aliaque vitia; & multa pro reformandis moribus constituta sunt. Acta habet Anonymus quidam istius temporis scriptor apud Urspergensem ad annum MCV. p. 186.

1105. P. II. MOGUNTINUM anno MCV. frequenti admodùm cùm Episcoporum, tùm Optimatum conventu habitum. In quo, deposito Henrico IV. (sententiam ferentibus Romanæ Sedis legatis) filius ejus ad Imperium evehitur. Cui proindè imperialia insignia, Crux & Lancea, Sceptrum, Globus, & Corona tribuuntur. Vide Conrad. Urspergensem loco citato ad hunc annum p. 188. & Otton. Frising. Chron. lib. VII. c. 11. p. 145.

1106. P. II. PICTAVENSE anno MCVI. præsidente Brunone Pontificis Legato habitum. Quo, veniente Boamundo Antiochiæ Duce, & maximoperè id urgente, multi ad suscipiendam expeditionem Hierosolymitanam animati sunt. Hæc Sugerius, qui huic Concilio interfuit, in Vitâ Ludovici Crassi cap. 9. Vide *Conc.* Tom. X. pag. 746. Ubi alii citantur.

1106. P. II. GUASTALIENSE ad Padum fl. in Lombardiâ anno MCVI. XI. Cal. *Novembr.* habitum. In quo de Episcopis (quos vocant) schismaticis in unionem Ecclesiæ recipiendis agitur, &, quod primo loco tractatum est, Ecclesiæ totius Æmiliæ ab Episcopi Ravennatensis subjectione eximuntur; cùm hæc ipsa Metropolis per annos jam penè centum adversus sedem Apostolicam se erexerat. Extant *Capitula* III. & Paschalis Papæ *Epistola* III. Conc. Tom. X. p. 748.

1107. P. II. HIEROSOLYMITANUM IV. anno MCVII. habitum. In quo, deposito Ebremaro, Daybertus Patriarcha, qui ab Hierosolymorum Rege sede suâ pulsus erat, sedi suæ restitutus est. Verùm Daiberto morte subitaneâ erepto, Ebremarus Patriarchatui suo iterùm inhiabat, sed sententia Synodali depositus est, mox ad sedem Cæsariensem translatus. De his agit Will. Tyrius *Bell. Sacr.* lib. XI. cap. IV. p. 797.

FLORIACENSE, apud Monasterium diœcesis Aurelianensis ad Ligerim fl. an. MCVII. XIII. Cal. *April.* habitum. In quo, præsente Ludovico Rege, corpus S. Benedicti metallino & cupreo scrinio insertum magnâ quidem pompâ levatum est. Hæc Chronicon Senonens. ad ann. MCVII. Vide *Conc.* Tom. X. p. 753. 1107. P. II.

TRECENSE II. anno MCVII. circa Ascensionem Domini præsente Paschali Papâ habitum. In quo Simoniaci, Laici beneficiorum collatores, & rerum Ecclesiasticarum invasores excommunicantur. Hæc ex Urspergensi, Sugerio, aliisque referunt Collectores Conciliorum T. X. p. 754. 1107. P. II.

LONDINENSE II. anno MCVII. præsentibus Anselmo Cantuariensi, Gerardo Eboracensi, aliisque Episcopis, Abbatibus, plurimisque Regni Proceribus, Cal. *August.* in Palatio Regis habitum. In quo statutum est, investituras à laicis non esse accipiendas, annuente Rege, ut sine baculi pastoralis, vel annuli traditione id fieret, concedente quoque Anselmo, ut nullus in Prælationem electus pro homagio quod Regi faceret, consecratione suscepti honoris privaretur. In hâc etiam Synodo obedientiam & subjectionem quam sibi promiserat, à Gerardo ad sedem Eboracensem jam translato, exigebat Anselmus. Annuit Gerardus eousque pollicitus, se eandem obedientiam exhibiturum, quam Herefordiensi Ecclesiæ ab eo sacrandus olim promiserat. De hâc re agunt Eadmerus *, Math. Paris † & Hovedenus *, M. Westmonast. †, & Historiæ Anglicanæ scriptores passim. Consulat Lector quæ habet Spelmannus Tom. II. p. 28. 1107. P. II. *Hist. l. IV. p. 91. † Ad annum MCVII. p. 63. * Annal. Par. I. p. 270. † Ad annum MCVII. f. 18.

LONDINENSE III. anno MCVIII. præsente Rege Henrico I. ab Archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi, cæterisque Angliæ Episcopis & Magnatibus, in Festo Pentecostes coactum. In quo Clerici incontinentes severissimè damnantur. Extant de hâc re *Canones* X. apud Florent. Wigorn. ad hunc annum p. 479. R. Hoveden. Par. I. fol. 270. p. 2. Eadmer. *Hist.* lib. IV. p. 95. 1108. P. II.

BENEVENTANUM I. anno MCVIII. mense *Octobri*, à Paschale II. Papâ de investiturâ Beneficiorum à laicis non sumendâ celebratum. In quo Paschalis excommunicationem utrique, & qui daret, & qui acciperet, interminatus est. Vestimenta etiam sæcularia & pretiosa reprehendit, iisque uti Clericos vetuit. Vide Chron. Cassin. lib. IV. cap. 35. 1108. P. II.

LONDINENSE IV. anno MCIX. sub Henrico I. habitum. In quo causa Thomæ Eboracensis, obedientiam Anselmo Cantuariensi præstare recusantis, excussa est & definita, Thomas in Archiepiscopum Eboracensem electus fuerat. Electum, nisi præstitâ prius sibi tanquàm Primati debitâ subjectione & canonicâ obedientiâ, Anselmus consecrare noluit, omnibusque Angliæ Episcopis sub anathematis pœnâ interdixit, nè ipsum ordinarent; scriptis etiam ad Paschalem Papam literis, nè illum nisi hâc lege consecratum pallio donaret. Legem accipere renuit Thomas, saltem per longas ambages detrectavit. Quæ omnia ex 1109. P. II.

ipsius

SÆC. XII. ab an. MC. ipsius Anselmi Epistolis apud Eadmerum Hist. lib. IV. pag. 97. facilè colligi possunt. Pendente adhuc lite, XI. Cal. *Maii* diem suum obiit Anselmus. Post cujus mortem, in subsequente Festo Pentecostes, ut in majoribus solenniis fieri solebat, conveniebant apud Regem Episcopi, Proceresque. Quo tempore habito Concilio, causâque hâc diu multùmque agitatâ conclusum est, Rege etiam id volente, Thomam in consecratione suâ Canonicam obedientiam Sedi Cantuariensi præstare debere. Quod & factum est IV. Cal. *Julii* in Ecclesiâ D. Pauli, Richardo Londinensi utpote Collegii Archiepiscopalis Decano, vacante jam Sede, Metropolitani vices peragente. Pluribus hæc refert Eadmerus *ibid.* p. 103. 104.

1109. P. II. LAUSDUNENSE anno MCIX. à Girardo Papæ Legato habitum. Extant hujus Synodi Decreta duo, nempè de Ecclesia S. Petri Trenorciensibus adversùs Episcopum & Canonicos Nannetenses vindicata & de Capella S. Stephani monachis Majoris Monasterii adversùs Canonicos Camiliacenses adjudicatâ. Habentur hæc *Conc.* Tom. X. p. 762.

1110. P. II. LATERANENSE III. anno MCX. Non. *Mart.* sub Paschali II. collectum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ Canones aliquot, sive potiùs Canonum aliquot veterum confirmationes, contra investituras Laicorum, eorumve qui rerum Ecclesiasticarum dispositionem sibi vendicaverint; contra res naufragorum diripientes, &c. *Conc.* Tom. X. p. 764.

1110. P. II. CLAROMONTANUM anno MCX. tempore Pentecostes habitum. In quo Mauriacensis Ecclesiæ persecutores [nempè Petrus Decanus, aliique ejusdem Cœnobii Monachi, qui pertractâ ad se Laicorum multitudine, Presbytero eruerant oculos, & armati in ipsum Abbatem irrumpentes, effuso sanguine Monasterium polluerant] excommunicati sunt. Extant Richardi Albanensis *Epistolæ* duæ *Conc.* Tom. X. p. 765. Eodem anno habita est Floriacensis Synodus, in qua eadem causa iterùm agitata est.

1111. P. II. HIEROSOLYMITANUM II. anno MCXI. præsente Conone Papæ Legato celebratum. In quo Henricum Imp. ob Papam ab eo captum, Cardinales malè tractatos, nobiles Romanos occisos vel in Custodiam datos, & ingentem populi stragem, excommunicatum fuisse tradit Urspergensis ad ann. MCXVI. pag. 198. ubi de Actis Synodi Lateranensis agit. Confer item quæ habentur *Conc.* Tom. X. p. 767.

1112. P. II. LATERANENSE IV. anno MCXII. V. Cal. *Apr.* sub Paschali II. Papa à centum circiter Episcopis per sex integros dies celebratum. In quo privilegium illud, quod de concedendis sibi Beneficiorum investituris Henricus V. à Paschali Papa per vim extorserat, revocatur; & in ipsum Imperatorem anathematis sententia promulgatur. Extant hujus Synodi Acta antiqua, & multò ampliora à Binio ex variis Scriptoribus collecta *Conc.* Tom. X. p. 679.

1112. P. II. VIENNENSE ad Rhodanum fl. anno 1112. VII. Cal. *Octobris* præsidente Guidone Pontificis Legato congregatum. Quo omnis investitura rei Ecclesiasticæ de manu laica hæresis esse judicatur; & Henricus Imp. ob extortas investituras Synodali Decreto excommunicatus est, missis ad Pontificem Decretis, à quo non nisi post annos quatuor confirmata sunt. Extant Hugonis ad Pontificem Epistola, Decreta & Acta *Conc.* Tom. X. pag. 784.

1112. P. II. ANSANUM propè Lugdunum in Gallia anno MCXII. à Joanne Archiepiscopo Lugdunensi collectum. In quo agitata vexatissima hujus temporis controversia, Laicorum investituræ damnantur. Extat Joannis & Episcoporum Senonensium qui huic Synodo interesse recusaverant, ad Joannem Lugdunensem *Epistola*, unà cum Joannis *Responsoriâ* Conc. Tom. X. p. 786.

1114. P. II. VINDLESHORENSE I. an. MCXIV. VI. Cal. *Maii* ab Henrico Rege, Episcopis & Proceribus Angliæ habitum. In quo de electione Archiepiscopi Cantuariensis unicè agitur. Rex Fatisium Abbatem Abingdoniensem ad hanc dignitatem promovere voluit; Episcopi, & Procerum plures aliquem ex Episcopali vel Clericali ordine maluerunt. Tandem communi suffragio Radulfus Antistes Roffensis in Archiepiscopum electus est. Vide Eadmerum, qui præsens interfuit, *Hist.* lib. V. pag. 109.

1114. P. II. BELLOVACENSE in Archiepiscopatu Rhemensi anno MCXIV. VIII. Id. *Decembr.* à Conone Papæ Legato congregatum. In quo Henricus Imp. iterùm anathemati subjicitur, & querela ab Ambianensibus de Godefrido Episcopo, qui sedem suam deseruerat, Synodo oblata est. Extant Decreta quædam de immunitatibus & moribus Ecclesiasticis *Conc.* Tom. X. p. 797. Hoc eodem anno habita est ad Ceperanum non procul à ripa fl. Lyris Synodus, quâ vix aliud agitur, quàm quod Monachus Cassinensis, qui invitus in Monasterium detrusus fuerat, à voto absolvitur, & Gulielmus Dux Apuliæ Calabriæque constituitur. Fusiùs hæc referunt Chronicon Cassinense lib. IV. c. 51. & Chron. Benevent. apud Baron. ad ann. 1114. pag. 100.

1114. P. II. PALENTINUM I. anno MCXIV. VIII. Cal. *Novembr.* Præsidente Bernardo Toletano Pontificis Legato convocatum. In quo subversionibus & calamitatibus, quæ Hispaniarum Ecclesias tantoperè vexarant, Patres finem imponere sollicitè satagerunt; & Episcopum ad sedem Lucensem jam vacantem promoverunt. Extant Acta aliaque huc spectantia ex Historia Compostellana MS. & alio Cod. MS. apud Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 319.

1114. P. II. COMPOSTELLANUM anno MCXIV. à Didaco Gelmirez ejusdem sedis Episcopo pro diœcesi suâ habitum. In quo multa ad disciplinam Ecclesiasticam, quædam ad communem utilitatem salubriter sancita sunt. Extant *Canones* XXV. *de Ecclesiis*, *de Judicibus*, *de calumniis Pauperum*, *de die Dominicâ*, *de Quadragesimâ*, *de Vicariis*, &c. quos ex codice MS. Mondexarensi, cum MS. Toletano collato publici juris fecit Card. d'Aguirre *Notit. Conc. Hisp.* pag. 261. deinde *Conc. Hisp.* T. III. p. 322.

1115. P. II. OVETENSE in Asturia ad Astam fl. anno MCXV. die Pentecostes præside Pelagio Episcopo Ovetensi magno Episcoporum & Magnatum numero celebratum. Extant hujus Synodi *Constitutiones* sive *Canones* III. quorum postremo cavetur, *nè aliquis à dextris Ecclesiæ infra* LXX. *passus per vim extrahatur.* Adjectæ sunt ingenti agmine subscriptiones tùm nobilium, tùm Episcoporum, quibus Constitutiones hæ Synodales confirmantur.

Cave *Hist. Lit.* Eee 3

SÆC. XII. ab An. MC. tur. Extant omnia ex Codd. MSS. Toletanis deprompta, d'Aguirrii notis illustrata *Conc. Hist.* T. III. p. 324.

1115. P. II. SUESSIONENSE I. præsente eodem Conone, iisdem de causis habitum. In quo Godefridus Ambianensis è Cartusiâ ad Sedem suam revocatur. Videsis Nicol. in *Vit. Godefr.* lib. III. cap. 30. Eodem anno MCXV. in Synodo Rhemensi eadem decreta sunt. Contra Henricum Imp. in Synodis Coloniensi & Catalaunensi, eodem anno habitis, idem actum est.

1115. P. II. SYRIACUM, loco incerto, forsan Hierosolymis, anno MCXV. habitum, præsidente Episcopo Arausicensi Pontificis legato. In quo Arnulphus Hierosolymitanus Patriarcha, multorum criminum vitæque maleactæ reus, Synodali sententiâ depositus est. Nihilominùs homo vafer Romam proficiscens, blandisque verbis, sed præcipuè larga munerum profusione, bono Paschali fucum faciens, sedem suam recuperavit. Tradit hæc Will. Tyr. *Bell. Sacr.* lib. XI. c. 26.

1116. P. II. TRENORCIENSE anno MCXV. à Guidone Papæ legato coactum. In quo decretum est, Ecclesiam S. Joannis Vesontionensis pro matrici habendam esse. Extant Acta & Epistolæ *Conc.* Tom. X. p. 803.

1116. P. II. COLONIENSE I. anno MCXVI. à Theodorico Papæ Legato ob promulgandam excommunicationem, quæ in Henricum Imp. Romæ lata erat, habitum. Vide Urspergens. in Chron. ad annum MCXVI. Et quæ in Chronico Hirsaugiensi habet Trithemius.

1116. P. II. LATERANENSE V. anno MCXVI. pridiè Nonas *Martii* sub Paschali II. in Ecclesiâ Constantinianâ habitum. In quo acta Concilii Lateranensis III. de investituris, Henrico Imperatori per vim concessis, confirmantur, & Ecclesiæ Joannis Vesontionensis causa tractata est. Extant Acta apud Urspergens. ad ann. MCXVI. pag. 87. & *Conc.* T. X. pag. 806. In hâc etiam Synodo causa Grosulani Mediolanensis Archiepiscopi tractata est. Vide ibid. in *Append.* pag. 1838. De hujus Grosulani electione habita est Synodus Mediolanensis ann. MCI. *ibid.* pag. 1832. quem, sedem suam deserere coactum, Paschalis Papa in Synodo Romanâ anno MCIII. restituit *ibid.* p. 1833.

1116. P. II. ROMANUM I. anno MCXVI. habitum. In quo Monasterio Cassinensi præ Cluniacensi prærogativa adjudicata est, Abbate Cassinense hanc sibi gloriam à Romanis Pontificibus concessam vendicante, ut ipse, tanquam Pontificis Romani Vicarius, *Abbas Abbatum* appellaretur. Vide Chron. Cassinens. lib. IV. cap. 62.

1117. P. II. BENEVENTANUM II. anno MCXVII. habitum. In quo Mauricius Burdinus Episcopus Bracarensis, posteà sub nomine Gregorii VIII. Antipapa factus, qui Henricum Imp. Romæ absente Papâ coronaverat, excommunicatus est. Vide Falc. Benev. Chron. ad annum MCXVII. & Petr. Bibliothecar. in vitâ Paschalis II.

1118. P. II. CAPUANUM anno MCXVIII. habitum. In quo Henricus IV. Imp. & Mauritius Burdinus Gregorius VIII. dictus, excommunicantur. Vide Urspergens. ad ann. MCXVIII.

1118. P. II. COLONIENSE II. anno MCXVIII. à Conone Papæ Legato habitum. In quo excommunicatio in Henricum Imperatorem promulgatur. Ita Urspergensis ad annum MCXIX. pag. 200. qui de Synodo Viennensi & Frideslariensi eodem anno habitis eadem refert, sed in annum MCXIX. disertè reponit. SÆC. XII. Ab an. MC.

1118. P. II. TOLOSANUM I. an. MCXVIII. coactum. In quo expeditio in Hispaniam contra Saracenos (sub quorum jugo miserè gemebant hoc tempore Hispani) confirmata est. Vide *Conc.* Tom. X. pag. 824. Et *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 334.

1118. P. II. ROTHOMAGENSE I. an. MCXVIII. contra Rerum Ecclesiasticarum invasores habitum. Multa in hoc Concilio mota sunt, multa agitata, nihil ferè actum est. Vide Order. Vital. ad annum 1118. lib. XII. p. 846.

1119. P. II. TOLOSANUM II. an. MCXIX. VIII. Id. *Jun.* à Callisto Papa II. celebratum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *Canones* X. de Ordinationibus, hæreticis, primitiis, oblationibus, &c. Callisti *Epistola* Synodalis, & Acta à Catello edita *Conc.* Tom. X. p. 856.

1119. P. II. RHEMENSE I. an. MCXIX. XIII. Cal. *Novembr.* à Callisto II. Papâ, propter investituras Ecclesiasticas, excommunicationem Henrici Imp. aliasque causas, Archiepiscoporum *XV.* Episcoporum plusquam *CC.* Abbatum, & Principum diversarum Provinciarum ingenti concursu celebratum. Ad hoc Concilium, præter Episcopos & Abbates Normanniæ, quatuor ex Angliâ misit Rex Henricus I. teste Eadmero *Hist.* L. V. pag. 124. ad quem locum vide quæ eruditè pro more congessit Seldenus noster in *Not.* pag. 213. Huc etiam profectus est Turstanus electus Archiepiscopus Eboracensis, qui, quòd contra Regis voluntatem, & in Sedis Cantuariensis præjudicium consecrationem suam à Papâ acceperit, in patriam redire à Rege prohibitus est; adeòque Archiepiscopatu privatus cum Papâ Romam proficiscitur referente Chronici Saxonici compilatore ad hunc annum pag. 221. Extant de rebus in hâc Synodo gestis *Canones* V. & Acta hinc indè conquisita *Concil.* Tom. X. pag. 862. Modum verò hoc Concilium tenendi, quæque in eo gesta sunt præ aliis plenissimè describit Order. Vitalis Hist. Eccl. lib. XII. p. 857.

1119. P. II. ROTHOMAGENSE II. an MCXIX. à Goisfredo Archiepiscopo habitum. In quo Presbyteris omne cum mulieribus consortium interdictum est. Et cùm Presbyteri huic decreto strenuè reclamarent, Albertus quidam homo eloquens, qui dicere cœpit, comprehensus, & in ergastulum detrusus est. Pluribus hæc refert Orderic. Vit. ad annum MCXIX. lib. XII. p. 866.

1120. P. II. NEOPOLITANUM in Palæstinâ anno MCXX. à Guaremundo Hierosolymorum Rege, ad reformandos mores Ecclesiæ habitum. Factâ hujusmodi reformatione, mox mala publica cessare cœperunt, & Reipublicæ status ad meliorem frugem redactus est. De hâc Synodo agit Will. Tyrius lib. XII. cap. 13.

1120. P. II. SVESSIONENSE II. à Conone Papæ Legato an. MCXX. coactum. In quo Abailardus ob malesanam circa personas SS. Trinitatis sententiam damnatus, & librum suum propriis manibus igni tradere ab Episcopis coactus, in Monasterium detruditur, uti in Epistolâ historicâ *de propriis calamitatibus* ipse fusiùs exponit. Confer quæ habet Otho

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. Otho Frising. *de gest. Frider.* lib. I. cap. 47. pag. 433. Et G. Cossartii notam *Conc.* Tom. X. p. 990.

1122. P. II. ROMANUM II. anno MCXXII. mense *Martio* à Callisto II. habitum. In quo Oderisius Abbas Cassinensis consecratur, & Episcopis quibusdam de Monachis conquerentibus, Monasterium illud ab omni jugo & servitute liberum esse decernitur, subjectione soli Pontifici reservatâ. Vide Chron. Cassinens. lib. IV. cap. 80.

1122. P. II. WORMATIENSE an. MCXXII. magno Episcoporum & Optimatum numero, præsentibus Pontificiis Legatis celebratum. In quo pax & concordia inter Henricum Imp. & Pontificem Romanum circa investituras Laicorum sancita est; annuente Henrico, ut investitura absque annuli & baculi traditione fieret. Extat Callisti II. Privilegium Henrico concessum cum Henrici Rescripto *Conc.* Tom. X. p. 889. Vide Anselm. Gemblacens. in Chronico, & Urspergens. in Chron. ad annum MCXXII.

1123. P. II. LATERANENSE VI. generale I. à Callisto II. Papâ anno MCXXIII. habitum. In quo conditiones Pacis inter Henricum & Pontificem de investituris factæ confirmantur; Imperator, eique adhærentes ab Ecclesiæ censuris absolvuntur; Gregorii VIII. Antipapæ Acta rescinduntur: Ad meliorem Ecclesiæ disciplinam canones conduntur, facto etiam Canone, ut Christianis in Terrâ S. militantibus auxilium mitteretur. Extant *Canones* XXII. cum Baluzii notis, & Acta Concilii à Binio undique congesta *Conc.* Tom. X. pag. 891. Ex hoc aliud Concilium, eodem anno de eâdem re Romæ habitum, malè exsculpsit Baronius ad ann. MCXXIII. cùm unum idèmque fuisse clarissimè liquet. De hâc Synodo vide quæ habentur in *Append.* Conc. T. X. p. 1835.

1125. P. II. LONDINENSE V. anno MCXXV. præsente Joanne Cremensi Pontificis Legato congregatum. In quo ad corrigendos pravos Ecclesiæ mores constituti sunt *Canones* XVII. Extant unà cum Honorii II. Epistolis aliquot ad hanc Synodum pertinentibus, apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. II. p. 32. & exindè *Conc.* Tom. X. pag. 912. Canones hosce non alios fuisse quàm quos anteà sanxerat Anselmus, additis quibusdam aliis, neque tamen eos diu mansisse testatur Chronici Saxonici Auctor ad hunc annum pag. 229. Joannes hic Cremensis Papæ Legatus, qui in hâc Synodo legem adversùs Clericos concubinarios tulerat, eâdem nocte post Missam celebratam, cum meretrice in lecto deprehensus est. Ab hâc labe eum vindicare totis viribus conatur Baronius ad annum MCXXV. sed frustrà; cùm Historici nostri ad unum ferè omnes id ei disertè impingant.

1127. P. II. NAMNETENSE in Armoricâ sub Archiepiscopo Turonensi an. MCXXVII. mense *Octobri* ab Hildeberto Turonensi, & suffraganeis Episcopis coactum. In quo, inter alia, incestuosæ nuptiæ damnatæ & prohibitæ sunt. Interdictum etiam nè filii Sacerdotum ordinentur, nisi priùs Canonici regulares aut Monachi fierent. Extat Hildeberti ad Honorium Papam *Epistola* Synodalis unà cum Honorii *Responsoriâ*, Conc. Tom. X. p. 918.

1127. P. II. LONDINENSE VI. an. MCXXVII. pro reformandis Ecclesiæ moribus congregatum. Acta hujus Synodi describunt Matthæus Paris ad annum MCXXIX. & Florentii Wigorniensis continuator ad an. MCXXVII. p. 504. ubi etiam *Canones* XII. exibentur. Extant etiam apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 35. & *Conc.* Tom X. pag. 920. *Ibidem* p. 942. ad annum MCXXVII. habetur Concilium Londinense de prohibendis Sacerdotum focariis; quod non aliud à nostro fuisse meritò suspicatur G. Cossartius. Quicquid sit, certum est Chronici Saxonici compilatorem, hanc Synodum ad Festum S. Michaelis habitam, in quâ damnata sunt Archidiaconorum & Presbyterorum conjugia, ad annum MCXXIX. referre, ut nisi uxores ante S. Andreæ Festum dimitterent, Ecclesiâ suâ, domoque privarentur, nec unquam posteà ibi suo munere fungerentur. Verùm Rege veniam concedente, domum reversi sunt. Neque hæc decreta ullam vim habuerunt, omnibus uxores suas, Rege permittente, sicut anteà retinentibus. Vide Chron. Saxon. p. 234.

TRECENSE III. in Campaniâ sub Archiepiscopo Senonensi an. MCXXVIII. celebratum. In quo Militum Templariorum Ordo, nono institutionis suæ anno, habitum album & regulam accepit. Extat *Regula*, præmisso prologo, LXXII. Capitula complectens *Conc.* Tom. X. pag. 922. Confer quæ de hâc Synodo tradit VVilh. Tyrius lib. XII. cap. 7. 1128. P. II.

RAVENNATENSE an. MCXXVIII. habitum. In quo Aquileiensis & Venetiarum Patriarchæ depositi sunt; quâ verò de causâ incertum est. Vide Baron. ad an. MCXXVIII. 1128. P. II.

PARISIENSE II. an. MCXXIX. habitum. In quo Argentoliensis Monasterii Cœnobio S. Dionysii restitutio facta est. Extant Matthæi Albanensis Legati de Concilii sententiâ, Honorii Papæ, & Ludovici crassi *Epistolæ*, quibus Concilii Decreta confirmantur, *Conc.* Tom. X. p. 936. 1129. P. II.

ILERDENSE in Hispaniâ Tarraconensi an. MCXXIX. IV. Cal. *Aprilis* præsidente Joanne Sabinensi, Cardinale & Pontificis Legato à *IX.* Episcopis & pluribus Abbatibus celebratum. In quo multa ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentia, præcipuè de vitâ & honestate Clericorum constituta sunt. Eruit Steph. Baluzius *Marca Hisp.* lib. IV. Exindè *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 491. 1129. P. II.

PALENTINUM II. in Hispaniâ Tarraconensi ad Arrionem fl. an. MCXXIX. primâ Quadragesimæ hebdomade præsidente Raymundo Archiepiscopo Toletano celebratum. Aderat Adelphonsus VII. Hispaniarum Rex, qui omnes Hispaniæ Episcopos, Abbates, Comites, Principes, & terrarum suarum potestates ad hoc Concilium invitavit. Plurima in hac Synodo ad communem Ecclesiæ & Reipublicæ usum, & ad disciplinam Ecclesiasticam reformandam statuta sunt, & jus Emeritanæ Ecclesiæ Compostellano Archiepiscopo restitutum. Extant *Decreta* XVIII. *de Proditoribus publicis*, *de Concubinis Clericorum ejiciendis*, *de Monachis vagis*, *de Excommunicatis*, *de Adulteris & Incestuosis separandis*, *de Laicorum investituris*, *de Obedientiâ Regi fideliter sine dolo ab omnibus præstandâ*, &c. Extulit hæc ex Codice MS. Mondexarensi Card. d'Arguirre, primò *Notitiæ suæ* pag. 283. deindè *Conc. Hisp.* T. III. p 340. 1129. P. II.

ANICIENSE seu PODIENSE in VVallaunis, non procul à ripâ Ligeris, an. MCXXX habitum. In quo Petrus Leonis, sive *Anacletus* Antipapa excommunicatus est. Vide Guigon. Carthusiensem in Vitâ Hugonis Gratianopol. & *Conc.* Tom. X. pag. 971. Quod & eodem anno in Syno- 1130. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. do Claromontanâ, ut & Stampensi factum est. Vide Otton. Frisingens. lib. VII. cap. 18. & Bernard. Abbat. in Vitâ S. Bernardi lib. II. cap. 1. p. 1990.

1130. P. II. JOTRENSE in Diœcesi Meldensi apud Gallos an. MCXXX. habitum. In quo in Thomæ, S. Victoris Parisiensis Prioris, interfectores (Nepotes *sc.* Theobaldi Archidiaconi Parisiensis, cui ob illicitas exactiones Thomas animosè resistebat) excommunicationis sententia lata est. Extant hac de re Stephani Parisiensis, Hugonis Gratianopolitani, & Innocentii Papæ Epistolæ *Conc.* Tom. X. pag. 974.

1131. P. II. RHEMENSE II. an. MCXXXI. viii. Cal. *Novembr.* præsente Innocentio II. Papâ celebratum. In quo Anacletus Antipapa excommunicatur, & Ludovicus junior, præsente patre, Rex Franciæ ab ipso Pontifice coronatur. Extant acta ex variis Auctoribus collecta, & Ecclesiasticæ disciplinæ *Canones* XVII. *Conc.* Tom. X. p. 979.

1131. P. II. LEODIENSE an. MCXXXI. habitum. In quo Halberstadensis Episcopus pristino honori undè exciderat restituitur, & Anacletus Antipapa condemnatur. Vide Otton. Fris. lib. VII. cap. 18. & Suger. in Vitâ Ludovici Crassi, & quæ inde citantur *Conc.* T. X. p. 987.

1132. P. II. PLACENTINUM an. MCXXXII. adversùs Anacletum Antipapam ab Innocentio II. ut titubantem Ecclesiarum Cisalpinarum statum consolidaret, habitum. Vide Petr. Cluniacens. *Epist.* lib. III.

1134. P. II. PISANUM an. MCXXXIV. ab Innocentio Papa contra Antipapam Anacletum indictum. In quo etiam Alexander Leodiensis Episcopus Simoniæ accusatus, & comparere recusans deponitur. Vide Bernard. Abbat. Bonæ Val. in Vitâ S. Bernardi ubi suprà cap. 2. De hâc quoque Synodo vide Conc. Tom. X. pag. 989. & in *Append.* pag. 1839.

1135. P. II. LEGIONENSE Ecclesiastico-Politicum, ann. MCXXXV. in ipso die Pentecostes à quamplurimis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & cujuscumque ordinis viris ad declarandum Alphonsum VII. Hispaniæ Imperatorem, habitum. In hâc Synodo multa ad obsequium Dei, multa ad utilitatem regni statuta sunt. Habentur Acta ex Historia MS. Adelphonsi VII. ab Aguirrio Cardinale ex Bibliothecâ Toletanâ edita *Conc. Hisp.* Tom. III. pag. 344. Sequenti anno habita est *Burgis* Synodus, præsidente Guidone Cardinale & Pontificis Legato, quâ plura circa ordinem divini officii sancita sunt. Vide *ibid.* pag. 345. Eodem præsidente habitum est Concilium *Vallis-Oletanum* an. MCXXXVII. Quid in eo gestum sit, nos ferè latet. Vide ubi suprà pag. 346. Nec melioris notæ sunt, quæ de Concilio *Tarraconensi* an. MCXLVI. *de Palentino* an. MCXLVIII. referuntur ibid. pag. 354. de *Vallis-Oletano* generali an. MCLV. *ibid.* pag. 364.

1136. P. II. ANTIOCHENUM an. MCXXXVI. pridie Cal. *Decembr.* ab Alberico Ostiensi, Pontificis Legato coactum. In quo Radulphus partis Latinorum Patriarcha Antiochenus secundus, eo quòd Romano Pontifici parere recusaret, depositus est. Rem pleniùs enarrat Will. Tyrius lib. XV. cap. p. 15. 16. 17.

1136. P. II. HIEROSOLYMITANUM III. ab eodem Pontificis Legato eodem anno proximè post Pascha habitum. In quo Templum Domini in Monte Syon dedicatum est, & de fidei articulis in quibus à Latinis dissentirent, cum Armenorum Catholico disputatum, qui nonnulla proinde se reformaturum promisit. Vide Wilh. Tyrium loco citato cap. 18.

LONDINENSE VII. Westmonasterii anno MCXXXVIII. ab Alberico Ostiensi Pontificis Legato, Episcopis *XVIII.* & Abbatibus *XXX.* celebratum. In quo, vacante jam sede, de Archiepiscopo Cantuariensi eligendo actum est, electo paulò post Theobaldo Beccensis Cœnobii Abbate, & ab Alberico prædicto consecrato. Hâc etiam in Synodo Abbas Croylandensis deponitur. Extant acta & Canones Ecclesiasticæ disciplinæ XVII. apud Richard. Hagulstad. de gest. R. Stephani ad ann. MCXXXVIII. pag. 326. & exindè apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 39. & *Conc.* Tom. X. pag. 992. 1138. P. II.

NORTHAMPTONIENSE I. anno MCXXXVIII. IV. Id. *April.* in Octavis Paschatis sub Stephano Anglorum Rege, à Turstano Eboracensi, pluribusque Episcopis, Abbatibus & Proceribus collectum. In quo Robertus Episcopus Exoniensis constituitur, & Abbates II. *viz.* Robertus Wincelcumbensis, Monachus alter S. Mariæ Eboracensis, facti sunt. Tradit hæc Florentii continuator ad annum MCXXXVIII. p. 519. 1138. P. II.

LATERANENSE VII. generale II. ann. MCXXXIX. sub Innocentio II. à mille circiter Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, &c. celebratum. In quo Arnaldus Brixiensis, Petrus de Bruis, aliique hæretici damnantur; Petrus Eucharistiæ, Baptismi parvulorum, Precumque pro mortuis efficaciam denegavit, templa diruenda, crucesque omni cultu & veneratione spoliandas contendebat. Arnaldus præterquàm quod in nonnullis cum Petro sensit, Episcopis, Clericis, Monachisque dominia & possessiones, quas vocant temporales, adimendas esse censuit. His damnatis, Anacleti II. sive Petri Leonis Antipapæ Acta rescinduntur, multaque ad conservandam Ecclesiæ disciplinam statuta sunt. Extant Acta tum antiqua, tum à Binio adornata, & disciplinæ Ecclesiasticæ *Canones* XXX. *Conc.* Tom. X. pag. 999. 1139. P. II.

WINTONIENSE I. an. MCXXXIX. iii. Cal. *Septembris* coactum. In quo de immunitate Ecclesiasticâ adversùs Stephanum Regem, qui Episcopis carceri mancipatis, eorum Castella occupaverat, nullo penè effectu agitur. Acta prolixè describit Guil. Malmesf. *Hist. Nov.* lib. II. fol. 103. Vide Matth. Paris. ad an. MCXXXIX. p. 77. 1139. P. II.

SENONENSE an. MCXL. præsente Ludovico juniore Rege congregatum. In quo P. Abaelardus ob malesana dogmata, ejusque sectatores & defensores damnati sunt. Extant Samsonis Rhemensis, Jocelini Suessionensis &c. ad Innocentium *literæ*, Innocentii *Rescriptum*, & *Epistola* altera *Conc.* Tom. X. pag 1018. Plurimùm ad hujus Concilii intelligentiam conferet, si eruditus lector consulat S. Bernardi *Epist.* CLXXXVII. CLXXXVIII. CLXXXIX. 1140. P. II.

LONDINENSE VIII. circa an. MCXL. vel seq. præsidente Theobaldo Cantuariensi, in media Quadragesima coactum. Cui Stephanus Rex & Eustachius ejus filius, Angliæque Proceres interfuerunt. In quo plures novæ appellationes ad Romanum Pontificem adversùs Regem factæ sunt. Vide 1140. P. II.

SÆC. XII. ab An. MC. de H. Huntingdon. *Hist.* lib. VIII. f. 266. p. 2.

1140. P. II. CONSTANTINOPOLITANUM I. an. MCXL. mense *Maio*, in dextris Catechumeniis S. Alexii, præsidente Leone Styppiotâ Patriarchâ, præsentibus pluribus Metropolitis & illustribus Imperii principibus celebratum. Quo Constantini Chrysomali olim defuncti scripta, non modò nugarum & ineptiarum, sed hæresis & impietatis plena, in judicium vocata, examinata, proscripta, & condemnata sunt. Inter impia & insulsa quæ in his continebantur dogmata, hæc erant; Satanæ eos cultum præbere, qui cuicunque Principi honorem & venerationem exhibent; omnem Christianum in infantiâ baptizatum, absque eo quòd catechizatus sit, reverà Christianum non esse; quemcunque intellectuali sensu intellectualiter non præsentientem Deum in eo operantem voluntatem suam per Jesum Christum, incassum laborare: singulos Christianos duas habere animas, quarum una sit impeccabilis, alia peccatis obnoxia, quòd si unam habuerit animam, Christianum nondùm factum esse. Plura alia his non minùs impia & absurda, fœdissima Enthusiasmi portenta, nos docet Decretum Synodicum quod Græc.Lat. extat apud L.Allat. *de Consens.Orient.& Occident.* lib. II. cap. 11. n. 1. col. 644. cui uni hujus Concilii notitiam acceptam referimus.

1142. P. II. LATINIACENSE in diœcesi Parisiensi ad Matronam fluvium anno MCXLII. ab Ivone Papæ Legato habitum. In quo inter alia, controversia inter Episcopum Atrebatensem, & Monachos Marchianenses de Abbatis electione composita est. Extant Acta *Conc.* Tom. X. in *Append.* p. 1836.

1142. P. II. WINTONIENSE II. præsidente Theobaldo Cantuariensi Pontificis Legato, in causâ Regni Anglicani, feriâ ii. post Octavas Paschatis, anno MCXLII. habitum. In quo Willielmus Martellus Dapifer, aliique Regiarum partium Ministri excommunicantur. Rem gestam prolixè tradit Gul. Malmesburiensis, qui & ipse interfuit lib. II. f. 106. pag 2.

1142. P. II. HIEROSOLYMITANUM IV. ann. MCXLII. præsidente Henrico Wintoniensi Pontificis Legato, à Patriarchâ Hierosolymitano & quampluribus regionum circumvicinarum Episcopis celebratum. In quo, præsentibus etiam Armeniæ Patriarchâ & Episcopis, Armeniorum in fide errores redarguuntur & emendantur. De hâc Synodo agit Willielmus Tyrius *Hist. Sacr.* lib. XV. cap. 18. p. 883. Vide quæ suprà ad an. MCXXXVI. dicta sunt.

1142. P. II. WESTMONASTERIENSE I. an. MCXLII. ab Henrico Wintoniensi Pontificis Legato, coactum. In quo de Stephano Rege, quem Matildis Imperatrix captivum detinuit, actum est, Innocentio Papâ Henricum Legatum per literas increpante, quòd Regem fratrem suum germanum in libertatem non reddidisset. Vide Guil. Malmes. *Hist.Nov.* lib. II. fol. 108.

1143. P. II. CONSTANTINOPOLITANUM II. anno. MCXLIII. mense *Aug.* præsidente Michaële Oxitâ Patriarchâ, à *XII.* Metropolitis, præsentibus etiam Palatii proceribus, in Thomaite (Triclinium id erat Patriarchale) congregatum. Quo Clemens Sasimorum, & Leontius Balbissæ in provinciâ Tyanensi Pseudo-Episcopi, tanquàm præter canones ordinati, & Bogomilorum hæresis & impietatis rei, damnati & depositi sunt. Hæresis hæc Bogomilorum à Bogomilo quodam Monacho orta, ex Manichaismo & Massalianismo conflata erat, monstrosa & absurda dogmata profundens. Omnem Theologiam Christianam, & doctrinam de Oeconomiâ Christi contempserunt, Ecclesias Templa Dæmonum appellârunt; Eucharistiæ Sacrificium insupèr habuerunt. In his, aliisque ejusdem furfuris, asserendis obstinati erant & pervicaces, firmiter credentes omnem sine dolore pœnam subire se posse, quasi Angeli ipsos ab igne erepturi sint. De duobus his Pseudo Episcopis extat Decretum Synodale Græc. Lat. apud L. Allat. *de Consens.* lib. II. cap. 12. num. iii. col. 671. Quoniam verò Synodus de his pleniùs edoceri vellet, ad Metropolitam Tyanensem hâc de re scribendum statuit. Allatis mox Basilii Metropolitæ Tyanensis literis, Synodus aliud Decretum edidit [quod ibidem habetur col. 674.] in hos duos Pseudo-Episcopos ex Bogomilorum sectâ latum, quo convicti sunt hæc inter alia docuisse & fecisse; neminem sæcularem, nisi Monachus fiat, salvari, licet omnis virtutis viam inierit; tondere licere homines, invitis uxoribus, ut & uxores, invitis maritis; nonnullos Christianos demortuos, insepultos & absque cantu negligere, & neque vivos eosdem in pœnitentiam admitti, effodere projicereque Christianorum reliquias, tùm intra tùm extra Ecclesiam repositas; peccatores esse, qui fato functi sunt, & dæmones in defunctorum corporibus habitare; quin & Deum ipsum in quem credebant Christiani, anathematizare non verebantur; ut de aliis nil dicam.

LONDINENSE IX. an. MCXLIII. adversùs rerum & personarum Ecclesiasticarum violatores in mediâ Quadragesimâ habitum. In quo statutum est, ne qui Clerico alicui violentas manus injecerit, nisi ab ipso Papâ coram absolvi possit. Vide Matt. Paris. ad an. MCXLII. pag. 79. & Hoveden. in *Annal.* ad eundem annum fol. 279. p. 2. Synodi ab Alexandro Lincolniensi Episcopo, Pontificis Legato, vel hoc vel superiori anno habitæ, meminit Godwinus *de Præsul. Angl.* in Episc. Lincoln. pag. 342. Verùm de hâc Synodo incerta omnia. De quo videsis quæ habet Spelm. *Conc. Brit.* Tom. II. p. 48. 1143. P. II.

CONSTANTINOPOLITANUM III. anno MCXLIV. *Octobr.* vi. sub Michaele Patriarchâ, & *XIV.* Metropolitis, assidentibus etiam aliquot Principibus in Thomaite habitum. Quo Nipho Monachus sectæ Bogomilicæ dux, in Periblepti Monasterium amandatur, strictiori custodia coercendus, intentato ei anathematis vinculo, si latenter deinceps aut quidpiam scripserit, aut docere ausus fuerit. Decretum Synodicum Græc. & Lat. extulit L. Allatius *de Consens.* lib. II. cap. 12. num. iii. col. 678. *Februarii* sequentis die iii. conditum est aliud Decretum Synodale, hominem dogmata sua venditare non cessantem, in locum remotiorem relegandum, ut quietè agat, & à nemine visitari, nè pestis illius in alios quoque derivetur, neminemque in posterum cum eo congredi audere, aut ullo modo consuescere, aliter tanquàm unà cum eo sentiens reputabitur, & punietur. Extat hoc Decretum *ibid.* col. 681. 1144. P. II.

VIZELIACUM, apud Monasterium in Diœcesi Augustodunensi anno MCXLVI. in Burgundiâ, præsente S. Bernardo habitum. In quo nova expeditio in Terram sanctam adversùs Saracenos decreta est. Vide Otton. Fris. de gest. Frid. lib. I. cap. 36. sed præ aliis Anonymum de Gest. Ludovici VII. apud 1146. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. VII. apud du Chesn. Hist. Franc. T. IV. Idem etiam in Synodo Carnotensi eodem anno habitâ sancitum est. Adisis Baron. ad an. MCXLVI. De eâdem re in Concilio Stampensi an. MCXLVII. in Dominicâ Quadragesimæ habito iterùm agitur. Vide *Conc.* Tom. X. p. 1004.

1147. P. II. PARISIENSE III. an. MCXLVII. præsente Eugenio III. Papâ coactum. In quo Gilibertus Porretanus Pictavensis Episcopus, errorum circa SS. Trinitatem accusatus, sententiam suam cautâ & subtili explicatione emollire conatus est. Dogmata ei objecta, præter alia minoris momenti, hæc erant; Divinam Essentiam non esse Deum; Proprietates personarum non esse ipsas Personas; Theologicas personas in nullâ propositione prædicari; denique Divinam naturam non esse incarnatam. Videatur Otto Frising. *de gest. Frid.* lib. I. cap. 50. p. 436. ubi hæc copiosiùs referuntur. Præcipuè verò de hâc Synodo Otto de S. Blasio Append. ad Chron. Otton. Frising. cap. 4. p. 198. Consulas item Synodum Rhemens. an. MCXLVIII.

1147. P. II. CONSTANTINOPOLITANUM IV. anno MCXLVII. *Februarii* IV. in Palatio Blachernarum, in causa Cosmæ Patriarchæ celebratum. Interfuerunt huic Synodo Metropolitæ XXXI. Præsens erat & præsidebat Manuel Comnenus Imp. Assistebant Joannes Rogerius Cæsar, summique Imperii principes, senatores, & judices politici. Occasio hæc erat. Cosmas Atticus haud ita pridem creatus Patriarcha, Niphonem Monachum, hæresis Bogomilicæ antesignanum, à tot licet Synodis damnatum, impensè & insano planè affectu coluit & adamavit, hominem in sui consortium admisit, & Decreta contra illum lata injustitiæ arguebat. Insolentior his factus Monachus, quotidiè dogmata securiùs circumvolvebat, & Hebræorum, quem vocabat, Deum repudiabat. Monitus de his Cosmas, hominem nihilominùs mordicùs propugnavit, & in intimis habuit; quin & cùm Imperatoris mandato ad carcerem duceretur, à Satellitibus illum abducentibus avellere nitebatur, saltem unà cum eo in carcerem duci poscebat. Plebe igitur, hanc ob causam, penè ad rabiem tumultuante, coacta est hæc Synodus, quâ coram Imperatore & universa Synodo, palam affirmavit se Niphonem non hæreticum, sed orthodoxum existimare. Unde mox communi suffragio tanquàm eadem cum Niphone sentiens condemnatur, & secundùm Edictorum tenorem dejicitur, & indignus Archieraticâ dignitate judicatur. Synodale Decretum Metropolitarum XXXI. subscriptionibus roboratum Græcè & Latinè extulit L. Allatius *de Consens. Orient. & Occident.* lib. II. cap. 12. num. III. col. 683. Pluribus hæc persequitur Jo. Cinnamus *Histor.* lib. II. pag. 67. &c. De tempore hujus Concilii non statim mihimet satisfacio. Ponit illud Decretum Synodicum an. Mundi ςχνϛ vi MDCLII. id est anno Christi MCXLIV. *Indict.* X. Ubi an. Mundi & Indictio haud benè conveniunt. Indictio enim decima incidit in annum Mundi vi MDCLV. Christi MCXLVII. Cùm verò anno MCXLIV. Cosmas nondùm fuerit Patriarcha, mendum potiùs in numerum annorum Mundi irrepsisse suspicor, & pro ϛ. reponendum ε. præsertim cùm Indictio non per figuras, ut annus Mundi, sed κτ πλάτος scribitur Ἰνδικτιῶνος δεκάτης. Penes eruditum lectorem judicium esto.

1148. P. II. RHEMENSE III. an. MCXLVIII. XI. Cal. *April.* mediâ Quadragesimâ ab Eugenio III. Papâ celebratum. In quo Giliberti Porretani de SS. Trinitate dogmata iterùm excussa & damnata sunt. Extant Giliberti *Assertiones*, disciplinæ Ecclesiasticæ *Canones* XVIII. & Acta Synodi à Binio ex variis Auctoribus compilata *Conc.* Tom. X. p. 1107. SÆC. XII. ab An. MC.

TREVIRENSE anno MCXLVIII. ab Eugenio III. Papâ coactum. In quo Pontifex S. Hildegardi in monte S. Ruperti Abbatissæ, re priùs examinatâ, novas suas Prophetias proferendi & evulgandi facultatem concessit. Extat Eugenii ad Hildegardem, hac de re, Epistola *Conc.* Tom. X. pag. 1128. Vide Trithem. in Chron. Hirsaug. ad annum MCXLVIII. 1148. P. II.

BALGENTIACENSE II. apud Gallos in Diœcesi Aurelianensi anno MCLI. tempore Quadragesimæ congregatum. In quo inter Ludovicum Regem & Eleonoram Ducis Aquitaniæ filiam, ob nimiam sanguinis proximitatem, testibus adhibito jurejurando examinatis divortium factum est. Hæc Suger. lib. de gest. Lud. VII. & *Conc.* Tom. X. p. 1129. Ubi adeas quæ G. Cossartius annotavit. 1151. P. II.

HIBERNICUM an. MCLII. in Cœnobio Mellifontis, seu potiùs Kenlice in Midia, præsidente Christiano Episcopo Lismorensi. Pontificis Legato, à *XXIV.* Hiberniæ Episcopis mense *Martio* congregatum. In quo *IV.* Hiberniæ Archiepiscopatus, Armachanus, Dubliniensis, Casseliensis, & Tuamensis instituti sunt, cuilibet Archiepiscopo suffraganeorum numero subjecto & assignato. Atque his quatuor Archiepiscopis jam constitutis, Joannes Papiro Cardinalis, Legatus ab Eugenio III. in Hiberniam missus, quatuor Pallia quæ secum detulerat in Synodo tradidit. Hæc nos docet Cl. Waræus *Comment. de Præsul. Hibern.* in *Vitâ* Gelasii Armachani p. 15. Pluribus verò hâc de re agit idem *Antiquit. Hibern.* cap. 16. p. 83. Ubi etiam p. 87. Episcoporum qui huic Synodo intererant, nomina Hibernica, & Sedium Archiepiscopalium insignia exhibentur. 1152. P. II.

LONDINENSE X. an. MCLIV. sub Henrico II. tempore Quadragesimali congregatum. In quo, renovatâ pace, Leges antiquæ Anglorum, Edwardi Confessoris, aliæque Regni consuetudines, Chartæ etiam & Privilegia Episcoporum, Abbatiarum &c. Regio Sigillo confirmantur, ut ex codice Monasterii Bellensis notavit Spelmannus *Conc. Brit.* Tom. II. p. 51. 1154. P. II.

SUESSIONENSE III. an. MCLV. IV. Id. *Jun.* coram Ludovico VII. ac Rhemensis & Senonensis provinciæ Episcopis, plurimisque regni Proceribus, pro pace firmandâ habitum; concedente Ludovico ut omnes regni Ecclesiæ, earumque universæ Possessiones, Agricolæ, Mercatores, &c. plenâ securitate per decem annos fruerentur. Extant eâ de re Ludovici Regis literæ *Conc.* Tom. X. pag. 1175. 1155. P. II.

CICESTRENSE an. MCLVII. in festo Pentecostes habitum. In quo ortâ Abbatem inter & Episcopum Cicestrensem de juribus & privilegiis controversiâ, post longum examen & disceptationem, immunitates Monasterii de Bello confirmantur. Extant Acta admodùm prolixa ex Chron. MS. Monasterii Bellensis *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 52. & *Conc.* Tom. X. pag. 1176. 1157. P. II.

ARMACHANUM, seu Ardmachiæ, seu Waterfordiæ anno circiter MCLVIII. [rejicit Spelmannus ad annum MCLXXI.) præsente ferè totius Hiber- 1158. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. Hiberniæ Clero coactum. In quo communi consensu decretum est, ut Angli ubique per Insulam servitutis vinculo mancipati, in pristinam libertatem revocentur. Historiam hujus Synodi tradit Giraldus Cambrensis Hibern. expugn. cap. 18. p. 770. Eodem anno habita est etiam Synodus Roscomaniæ, cujus ex Annalibus Conaciensibus mentionem facit, nil verò in eo gestum recenset Spelmannus *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 59.

1160. P. II. PAPIENSE in Ducatu Mediolanensi anno MCLX. à Friderico Imp. magno Episcoporum Abbatumque numero celebratum. In quo causâ Sedis Papalis per septem dies ventilatâ, deposito tandem Alexandro III. Victori III. Antipapæ *Octaviano* antea dicto Pontificatus adjudicatur. Alexander, *Rolandus* prius dictus, Synodo interesse recusavit, affirmans Summum Pontificem à laico citari non debere, omnesque ipsius judicio subjacere, & ipsum à nemine judicari; ideoque nullum pro se legatum destinavit; sed peracto judicio Synodali, cum suis Cardinalibus urbe cessit, teste Ottone de S. Blasio *Append.* ad Chron. Otton. Frising. c. 13. p. 202. Extant hujus Synodi Acta, & in his Epistolæ plures ad hanc causam pertinentes *Conc.* Tom. X. p. 1387.

1160. P. II. NAZARENUM in Palæstinâ an. MCLX. præsente Hierosolymorum Rege habitum. In quo post causam Papalem inter Alexandrum III. & Victorem III. diu agitatam, ægrè tandem prævaluit eorum sententia, qui Alexandri Legatum recipiendum esse judicabant. Extant Acta apud VVill. Tyrium lib XVIII. cap. 39. & *Epistola Synodalis* ad Alexandrum Papam *Conc.* Tom. X. p. 1403.

1160. P. II. OXONIENSE an. MCLX. habitum. In quo VValdensium dogmata, duce quodam Gerardo Teutonico recens in Angliam inducta, damnantur, eorumque duces & assectores virgis coerciti urbe ejiciuntur. Extant Acta apud Guil. Neubrigens. lib. II. cap. 13. p. 155. &c. ubi etiam Io. Picardi notas lector consulat. Vide Spelm. Tom. II pag. 59. & *Conc.* Tom. X. p. 1404.

1161. P. II. NORMANICUM I. apud Novum Mercatum anno MCLXI. habitum. In quo, rejecto Victore III. pro Alexandro judicatur. Vide Robert. de Mont. in *Append.* ad Sigebert. Quod & in Synodis Belvacensi & Tolosanâ, eodem tempore habitis, decretum est. Extat Fastredi Abbatis Claraevallensis de Concilio Tolosano Epistola *Conc.* Tom. X. p. 1407.

1161. P. II. LAUDENSE in Longobardiâ an. MCLXI. præsente Friderico Imp. habitum. In quo, damnato Alexandro, Victor III. pro Papâ agnoscitur, & inter alia, Moguntini Archiepiscopi (cui per fraudes Huberti Mediolanensis, Episcopi Placentini, aliorumque plurium vita erepta fuerat) occisores, eorumque conciliarii & adjutores excommunicantur. Hæc ex chronico Laudensi Conciliorum editores Tom. X. p. 1409.

1162. P. II. LONDINENSE XI. anno MCLXII. congregato penè totius provinciæ Cantuariensis clero habitum. In quo Thomas Beckettus Regis Henrici cancellarius, communibus omnium votis, defuncto Theobaldo, in Archiepiscopum Cantuariensem electus est. Vide Matt. Paris ad an MCLXII. p. 98.

1162. P. II. CLEONADENSE in Hiberniâ an. MCLXII. vel saltem sequenti, à *XXVI.* Hiberniæ Episcopis, præsidente Gelasio Archiepiscopo Armachano, celebratum. Quo, inter alia decretum est, ut nullus deinceps ad Theologiam publicè prælegendam admitteretur, nisi qui Academiæ Armachanæ alumnus fuerat. Tradunt hæc Annales Ultonienses ad an. MXX. referente Cl. VVaræo *Antiq. Hibern.* c. 15. p. 75. qui & eadem repetit *de Præsul. Hibern.* in Gelasio p. 15.

MONSPELIENSE an. MCLXII. ab Alexandro III. Papa congregatum. In quo Victor III. Antipapa excommunicationi subjectus est: anathemate etiam percelluntur Principes sæculares, si auctoritate suâ hæreticos coercerent; Monachis & Canonicis regularibus Legum sæcularium & Physicæ studium interdicitur. Vide *Conc.* Tom. X. pag. 1410. 1162. P. II.

TURONENSE an. MCLXIII. ab Alexandro III. Papâ, Cardinalibus *XVII.* Episcopis *CXXIV.* & in his Thomâ Cantuariensi cum suis Suffraganeis, Abbatibus *CCCCXIV.* celebratum. In quo Victor Antipapa, ejusque fautores solenni anathemate damnantur. Extant Arnulfi Lexoviensis *sermo* in hâc Synodo habitus, Ecclesiasticæ disciplinæ *Canones* X. & Acta Synodi à Binio ex variis Scriptoribus excerpta *Conc.* Tom. X. p. 1411. Vide plura in *Append.* p. 1838. 1163. P. II.

CLARENDONENSE an. MCLXIV. VIII. Cal. *Febr.* ab Episcopis & Proceribus Angliæ præsidente. Joanne de Oxoniâ habitum. Quo πολυθρύλητα illa *Capitula* XVI. *consuetudinum Anglicanarum* confirmata sunt. Ad quæ fideliter observanda juramento se adstrinxerunt omnes qui aderant; & in his ipse Thomas Archiepiscopus, qui tamen ea, velut Leges iniquas & omnibus Christi fidelibus detestandas, obstinato animo mox damnavit & rejecit. Extant *Capitula* apud Matt. Paris ad annum MCLXIV. pag. 100 & exinde *Spelm. Conc. Brit.* Tom. II. p. 63. ubi ingens Epistolarum cumulus ad Thomam ejusque causam pertinentium reperitur, Capitula, pluresque de hâc re Epistolæ habentur *Conc.* Tom. V. p. 1425. 1164. P. II.

NORTHAMPTONIENSE II. MCLXIV. ab an. Henrico II. ejusque Episcopis & Optimatibus habitum. In quo Thomas Cantuariensis ob non servata capitula Clarendonensia perjurii accusatus, condemnatus est. Rem gestam narrat Hovedenus ad an. MCLXV. fusius auctor Vitæ S. Thomæ apud Baron. an MCLXIV. p. 491. ut alios mittam. Vide etiam *Conc.* Tom. X. p. 1433. 1164. P. II.

CONSTANTINOPOLITANUM V. anno MCLXVI. sub Luca Patriarcha congregatum. Præter principes virosque illustres, interfuerunt tres Patriarchæ, Lucas Constantinop. Athanasius Antiochenus, Nicephorus Hierosolymitanus & Metropolitæ *LVII.* Accusaverant Alenianos, tanquam de natura Divina malè sentientes, Demetrius Lampenus, Joannes Corcyrensis, Constantinus Bulgariæ, & Joannes Irenicus. Causa per integrum sexennium protracta, tandem ad hanc Synodum delata est. Quâ accusatores falsi convincuntur: proindè dignitatibus privati, & in exilium missi. Sex capita in hâc Synodo edita in Græcorum Triodio legi possunt. Ipsa Synodi Acta supersunt MSS. correctissimè & characteribus grandioribus scripta. Quibus subjiciuntur Episcoporum subscriptiones, majori ex parte autographæ, vario literarum tractu, & implicatis lineolis, ut posteriori Græciæ in more fuit, exaratæ, teste L. Allatio *de Consens. Orient. & Occident.* lib. II. cap. 12. num. IV. ut quæ de hâc Synodo referunt Jo. Cinnamus 1166. P. II.

Digitized by Google

 namus lib. vi. & Nicetas Choniates sub Manuele Comneno jam mittam.

1166. P. II. HERBIPOLENSE an. MCLXVI. in Festo Pentecostes congregatum. In quo Paschalis III. *Guido* antea dictus, in Victoris III. emortui locum subrogatus, in sede Pontificali confirmatur. Extant hâc de re Frederici Imp. literæ, & alterius cujusdam ad Alexandrum Papam Epistola *Conc.* T. X. pag. 1438.

1167. P. II. ANGLICANUM an. MCLXVII. ab omnibus Angliæ Episcopis loco incerto habitum. In quo ad declinandum Thomæ Cantuariensis in partibus transmarinis judicium, decretum est ut ad Pontificem appellaretur. Hâc de re extant, tùm Episcoporum suffraganeorum, tùm Cantuariensis ad Pontificem, Epistolæ *Conc.* Tom. v. pag. 1444. Idem etiam factum est in Conventu Chinonensi in Gallia ab Episcopis & Proceribus ditionis Anglicanæ, præsente ipsomet Rege Henrico II. hoc eodem anno habito, uti auctor nobis est Joan. Sarisburiensis ad Episc. Exon. *Epist.* 139.

1168. P. II. CONSTANTINOPOLITANUM VI. circa annum MCLXVIII. vel non diu posteà, in causâ unionis cum Latinis sanciendæ, præsidente Michaele Anchiali Patriarcha congregatum. Aderant ex Occidentis partibus Cardinales primarii, & Episcopi plures, ad pacem cum Græcis conciliandam à Papa missi, qui in hunc finem nihil aliud à Græcis exposcebant, quàm primatum Papæ tribuendum, eius in Divinis Officiis commemorationem fieri, & Appellationes concedendas. Spernebant has conditiones Græci, & re planè desperatâ, Imperator, Synodus, & universus Senatus sanciverunt Papam, & qui cum eo sentirent omnes, totali separatione abscindendos esse; Tomos super hoc conficientes, in quibus immaculatam & orthodoxam fidem digesserunt. Pluribus hæc ex ipsis Græcorum scriptis ἀνεκδότοις nos docet L. Allatius *de Consens. Orient. & Occident.* lib. II. c. 12. nu. 1. col. 664.

1168. P. II. LATERANENSE VIII. an. MCLXVIII. coactum. In quo Fredericus Imp. ob intrusum in sedem Apostolicam Victorem Antipapam damnatur, & imperio privatur. Consulantur Joannis Sarisburiensis *Epist.* LX. & *Epist.* ad Cantiæ Sub-Priorem. In eâdem Synodo decretam esse legationem ad pellendos Episcopos [quos vocant] schismaticos, & catholicos sedibus suis restituendos testatur Chronicon Laudense ad annum MCLXVIII. Habentur hæc omnia *Conc.* Tom. X. pag. 1449.

1172. P. II. CASSILIENSE in Hiberniâ an. MCLXXII. præsidente Christiano Papæ Legato habitum. In quo Ecclesiæ Hibernicæ status ad Anglicanæ formam componitur, multaque de Matrimoniis contrahendis, de decimis solvendis, de Ecclesiis debitâ devotione venerandis, & frequentandis statuuntur. Extant Acta & *Capitula* III. apud R. Hoveden. Part. II. fol. 301. p. 2. Acta & integra Capitula VIII. apud Giral. Cambr. *Hibern. Expugn.* lib. II. capp. 33. 34. pag. 776. exindè apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 95. & *Conc.* Tom. X. pag. 1454.

1172. P. II. ABRINCATENSE apud Normannos in confinio Britanniæ Minoris an. MCLXXII. v. Cal. *Octobr.* præsentibus Pontificis Legatis congregatum. In quo Henricus II. Angliæ Rex à Thomæ Cantuariensis cæde anteà absolutus, secundâ jam vice absolvitur, & Decreta quædam per Pontificis Legatos de moribus Ecclesiæ constituta, promulgantur. Extant Acta & *Decreta* XII. apud R. Hoveden. Annal. Part. II. fol. 302. pag. 2. inde apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 99. *Conc.* Tom. X. p. 1458.

LONDINENSE XII. ann. MCLXXV. coram Henrico II. ab Episcopis & Abbatibus provinciæ Cantuariensis, præsidente Richardo Archiepiscopo, die Dominica ante Ascensionem Domini, Westmonasterii collectum. In quo post editos canones controversiæ inter Richardum Cantuariensem & Rogerum Eboracensem de cruce intra provinciam Cantuariensem ab Eboracensi portandâ; item de Episcopatibus Lincolniensi, Cicestriensi, Wigorniensi, & Herefordiensi, quos de jure ad Sedem suam pertinere asserebat Rogerus Eboracensis; aliisque nonnulli sunt agitatæ. Super quas Appellationes ad Pontificem Romanum factæ sunt. Extant Acta & disciplinæ Ecclesiasticæ de continentiâ, sobrietate, aliisque moribus Clericorum & Religiosorum, de sacramentis, decimis integrè persolvendis &c. *Canones* XIX. apud R. Hoveden. Annal. Part. II. fol. 310. apud Spelman. pag. 103. qui & alia ex vetust. MS. & aliundè congesta, habet, & *Conc.* Tom. X. p. 1461. Notandum, Concilium hoc aliquando *Westmonasteriense* vocari, ob urbis istius propinquitatem. Verùm Londini habitum fuisse manifestò liquet. 1175. P. II.

WINDLESHORENSE II. an MCLXXV. coram Henrico II. ejusque filio, præsentibus Richardo Cantuariensi, aliisque Episcopis & Proceribus, in Octavis S. Michaelis congregatum. In quo consentiente Henrico, Rodericus Conactæ in Hibernia Rex, sub lege Homagii & Tributi Regi Angliæ integrè persolvendi, constitutus est. Agit de hâc re R. Hoveden. Annal. Part. II. fol. 312. p. 2. 1175. P. II.

NORTHAMPTONIENSE III. an. MCLXXVI. præsentibus Regibus Henrico patre & filio, & Willelmo Rege Scotiæ celebratum. In quo de Scotiæ Episcoporum Ecclesiæ Anglicanæ, & præcipuè sedi Eboracensi, subjectione actum est. Negantibus verò id Scotiæ Episcopis, & Richardo Cantuariensi hanc subjectionem Sedi suæ arrogare tentante, res tandem in medio relicta est. In hoc etiam Concilio statuta Clarendonensia recitata novo sacramento confirmantur. Vide R. Hoveden. ad an. MCLXXVI. fol. 314. p. 2. & Spelm. *Conc. Brit.* Tom. II. p. 111. *Conc.* Tom. X. p. 1469. 1176. P. II.

LUMBARIENSE in Galliâ Narbonensi an. MCLXXVI. coactum. In quo Hæretici qui *Boni homines* vocantur, propter nova & malesana dogmata examinati & damnati sunt. Quænam vero fuerint hæc dogmata ipsimet liberè confitentur, dùm ad singula Ludovensis Episcopi quæsita ingenuè respondent. Extant Acta integra *Conc.* Tom. X. p. 1470. 1176. P. II.

DUBLINIENSE an. MCLXXVI. præsidente Viviano Pontificis Legato coactum. In quo jus Anglorum Regis in Hiberniam, & summi Pontificis auctoritas confirmatur, tàm Clero, quàm Populo, sub anathematis vinculo astrictis, ne ab hâc fidelitate ausu temerario resilire præsumant. Refert hæc Girald. Cambrens. *Hibern. Expugn.* lib. II. cap 17. pag. 795. Adsis R. Hoveden. *Annal.* Part. III. fol. 316. Meminit Neubrigensis lib. III. cap. 9. pag. 302. Concilii Dubliniensis generalis, ab Hiberniæ Præsulibus atque Abbatibus, præsidente Viviano, celebrati. In quo cùm Vivianus in 1176. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XII. ab An. MC. in Ecclesiis simplicitatis barbaræ, liberiùs Romanum morem agere vellet, denuntiantibus Præfectis Regiis, ut vel abscederet, vel secum militaret, auro Hibernico, quod multùm sitierat, minùs onustus in Scotiam remeavit. An eadem hæc Synodus cum præcedente fuerit, non satis liquet. Conciliorum editores eam ad annum MCLXXXIII. referunt.

1176. P. II. WESTMONASTERIENSE II. anno MCLXXVI. præsidente Hugone Cardinale Pontificis Legato, mediâ Quadragesimâ congregatum. In quo orta inter Archiepiscopum Cantuariensem & Eboracensem de sedendi præeminentiâ controversia, cùm hic ad Legati sinistram sedere nollet, magnoque inde tumultu facto, nihil in hâc Synodo actum ẽst. Tradit hæc R. Hoveden. Annal. Part. II. fol. 314. p. 2.

1177. P. II. TARSENSE, Tarsi in Ciliciâ, quæ Armeniæ Minoris pars erat, anno MCLXXVII. sub Gregorio cognomento *Degtia* Patriarcha, jussu Leonis Armeniæ Regis celebratum. In omnium votis erat, efflagitante etiam Manuele Gracorum Imperatore, ut Armeni, qui sub schismate laborâssent, ad Græcorum communionem redirent, & fidem Catholicam profiterentur, suadente id præ aliis Narsese Lampronensi, & unionem hanc gnaviter promovente. Tarsi igitur coeuntes, Græcis consenserunt, duas esse in Christo naturas, duas voluntates atque operationes, Græcorum hâc in parte confessionem amplexi sunt, hæreseos damnant Eutychetem, Severum, & Timotheum Ælurum, de Dioscoro, donec hæreticus esse ostendatur, judicium suum suspendentes; Trisagii Appendicem orthodoxè explicant, illamque non ad Trinitatem, vel Christi Divinitatem, sed solummodò ad Christum incarnatum referunt; festa Nativitatis Dominicæ & Baptismi se juxta Ecclesiæ universalis consuetudinem deinceps celebraturos pollicentur, vinum aquâ miscendum in Eucharistiâ admittunt, denique sacram Synodum Chalcedonensem recipiunt. Rectè quidem hîc, & sensu satis Catholico explicant Patres Tarsenses formulam *Trisagio* additam [ὁ σαυρωθεὶς δι ἡμᾶς] Divinitatem nempe passam non esse, sed Christum Θεάνθρωπον fuisse crucifixum; duabus in Christo naturis *inconfusè*, *immutabilitèr*, *indivisè*, *inseparabilitèr* unitis, ac proindè quod uni naturæ proprium erat, vi κοινωνίας ἰδομάτων alteri tributo. Erat quidem olim, sexto præsertim Sæculo, non modò cum Eutychianis [quos omnes rejiciebant] sed & inter Catholicos *de uno ex Trinitate passo* multa lis & controversia, quam tamen puram putam fuisse λογομαχίαν, ex malè intellectâ utriusque partis sententiâ natam, perindè ac olim Græcos inter & Latinos de voce ὑπόσασις contendentes, & nihilominùs unum idemque sentientes, pluribus ostendit eruditissimus Norisius Dissert. Hist. *de uno ex Trinitate carne passo* cap. 6. p. 59. Sed mittenda hæc, quæ non sunt hujus loci, & ad Concilium nostrum redeundum. Ex Actis hujus Synodi extant Armenicè & Latinè *Propositiones* IX. quas ad pacem conciliandam Græci postularunt, unà cum Armenorum responsis & concessionibus, & *Propositiones* VII. quas Armeni Græcis obtulerunt apud Clem. Galanum *Conciliat. Eccl. Arm.* cap. 22. Part. I. p. 331. *Epistola* etiam *Synodalis* ad Manuelem Imperatorem apud Armenos asservatur, cujus partem exhibet idem Galanus *Part.* II. *Tom.* I. *Quæst.* I. §. v. pag. 42. Hæc Patres Tarsenses; verùm interveniente paulò pòst Manuelis morte, divinum illud concordiæ opus imperfectum remansit.

Cave Hist. Lit.

SÆC. XII. ab An. MC. 1177. P. II. VENETUM an. MCLXXVII. celebratum. Quo Alexander Papa, & Fridericus Imperator reconciliantur, & Paschalis Antipapa cum suis quos ordinaverat deponitur. Extant Acta & Epistolæ variæ, tùm Pontificis, tùm Episcoporum & Principum, ad hanc Synodum pertinentes *Conc.* Tom. X. p. 1481.

1177. P. II. NORTHAMPTONIENSE IV. an. MCLXXVII. in Festo S. Hilarii habitum. In quo Guidone Decano de VValtham, ejusdemque Canonicis sæcularibus jus suum in eandem Ecclesiam, in manus Archiepiscopi resignantibus, Rex, potestate à Papâ factâ, Canonicos regulares de diversis domibus Angliæ desumptos, in eâdem Ecclesiâ instituit. Vide R. Hoveden. Annal Part. II. fol. 320.

1177. P. II. VVESTMONASTERIENSE III. *Pan-Anglicum* dictum, an. MCLXXVII. initio Quadragesimæ, præsentibus Richardo Cantuariensi plurimisque Episcopis, Abbatibus, & Regni Proceribus celebratum. In quo lis & bellum inter Aldefonsum Castellæ, & Sanctium Navarræ Reges exorta, judicio Henrici Regis Angliæ compressa & composita sunt. Pluribus hæc enarrat R. Hoveden. Annal. Part. II. fol. 320. p. 2.

1179. P. II. LATERANENSE IX. generale III. ann. MCLXXIX. XII. Cal. *April.* ab Alexandro III. Papâ, & *CCC.* circiter Episcopis celebratum. In his ex Angliâ quatuor, ex Scotiâ plures, ex Hiberniâ septem vel octo Episcopi adfuerunt. Devicto à Cis-Alpinis copiis Friderico Imp. & fasces Pontifici jam submittente, extinctoque hoc modo XXII. annorum schismate, ad reparandum luxatum Ecclesiæ statum coacta est hæc Synodus. In quâ primò de Electione Romani Pontificis agitur, Utque contra schismata in posterum caveretur, statutum est neminem, nisi à duabus Cardinalium partibus electum, pro Pontifice Romano habendum esse. Episcopi Germaniæ aliique qui ab Imperatoris & Anti-Paparum partibus steterant, ejurato schismate reconciliati, & ad Ecclesiæ communionem recepti sunt. VValdenses, Albigenses, & Cathari, tanquàm hæretici damnati & anathematizati. Brabantiones, Cotarellos, &c. vi & armis à sæculari potestate prosequendos esse Synodus decrevit. Extant de his aliisque disciplinæ Ecclesiasticæ capitibus *Canones* XXVII. & Acta Concilii à Binio undique collecta, *Conc.* Tom. X. p. 1503. Subjicitur *appendix* à Bartholomæo Laurentio, ex codice archetypo pergameno olim descripta & edita, in partes XLVIII. divisa; quarum prima ea est quæ Synodi Lateranensis Canones complectitur; reliquæ parùm huc spectant; certè nihil aliud sunt, quàm plurimorum Decretorum compilatio, quæ Romani Pontifices, tùm ante, tùm post hanc Synodum promulgârunt. Habetur integra hæc Appendix *ibid.* p. 1535.

1184. P. II. VERONENSE an. MCLXXXIV. à Lucio III. Papâ ad reconciliandos eos qui ab Antipapis ordinati fuerant, celebratum. Aderat ingens Ecclesiasticorum multitudo, pro quibus intercessit Imperator, ut in gratiam reciperentur. Annuit Pontifex. Verùm mutato mox Concilio, in aliam Synodum rem distulit. Meminit hujus Synodi Krantzius *Saxon.* lib. VI. c. 47.

1184. P. II. AQUILEIENSE an. MCLXXXIV. à Gotefrido Patriarchâ adversùs incendiario, sacrilegos, & hujusmodi alios coactum. Extat *Epistola* Synodalis apud Ughel. *Ital. Sacr.* Tom. V. pag. 68. & *Conc.* Tom. X. in *Append.* p. 1829.

SÆC. XII. NORMANNICUM II. an. MCLXXXIV. sub
ab An. MC. Henrico II. Anglorum Rege, ab Episcopis Nor-
1184. manniæ habitum. In quo conditæ sunt quinque
P. II. Regulæ de veniâ peccatorum iis impertiendâ, qui Eleemosynam ad subventionem Terræ Sanctæ transmiserunt, factâ etiam ordinatione inter Henricum, & Philippum Franciæ Regem, communi Episcoporum & Procerum Concilio approbatâ; quantum quisque ad hoc subsidium conferre debeat. Habentur hæc apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. II. p. 115. & *Conc.* Tom. X. p. 1739.

1186. PARISIENSE IV. anno MCLXXXVI. coactum.
P. II. In quo afflictæ rei Christianæ apud Palæstinos causam agente Heraclio Patriarchâ Hierosolymitano, expeditionem contra Turcas suscipiendam esse decretum est. Vide Rob. Gaguin. *Hist.* lib. VI. & ex eo *Conc.* Tom. X. p. 1747.

1188. GISORTIANUM in Normanniâ anno
P.II. MCLXXXVIII. sive Conventus Episcoporum & Procerum Anglicæ & Gallicæ ditionis, apud Gisortium habitus. In quo, facto jam fœdere inter Henricum Angliæ, & Philippum Franciæ Reges, utrinque pactum est pro Terrâ S. à Saracenis recuperandâ expeditionem se suscepturos esse. Vide R. Hoveden. ad an. MCLXXXVIII. fol. 365. Eodem anno Conventus Episcoporum Anglicæ ditionis pro subsidio Terræ Sanctæ præbendo habitus est. Quod & in Synodo Gaintingtoniensi apud Anglos eodem anno habitâ factum esse tradit Hovedenus loco citato. Idem & in Parisiensi, hoc eodem anno sancitum, ut & in Lanciciensi in majori Poloniâ, eodem tempore celebratâ. De his omnibus Synodis vide quæ ex variis Auctoribus annotârunt Conciliorum editores Tom. X. pag. 1759. Ad Lanciciensem quod attinet, vide quæ de Concilio Cracoviensi habentur *ibid.* in *Append.* pag. 1830.

1189. PIPEWELLENSE apud Northamptonien-
P. II. ses an. MCLXXXIX. à quamplurimis Angliæ, Galliæ, & Hiberniæ Episcopis habitum. In quo lis inter Cantuariensem & Eboracensem, de Primatûs & Ordinationis jure renovata est. Quid verò eâ in re factum sit, non constat. Vide Hoveden. ad an. MCLXXXIX. fol. 375.

1195. EBORACENSE ann. MCXCV. præsente
P. II. Rege, ab Huberto Cantuariensi Pontificis Legato, ad reformandos Ecclesiæ mores habitum. Extant Acta & *Capitula* XII. de rebus Sacris & Ecclesiasticis, apud R. Hoved. ad annum MCXCV. fol. 429. p. 2. & *Conc.* T. X. p. 1791.

1195. MONSPELIENSE anno MCXCV. mense
P. II. *Decembri*, à Michaele Pontificis Legato habitum. In quo post multa de variis Ecclesiæ negotiis constituta, sancitum est, arma contra Saracenos in Hispaniam irrumpentes sumenda esse. Acta primus extulit Steph. Baluzius *Conc. Gall. Narbon.* pag. 28. Vide *Conc.* Tom X. p. 1796.

1196. PARISIENSE V. an. MCXCVI. à Meliore
P. II. Presbytero, & Cencio Subdiacono, Cardinalibus, & legatis Pontificiis coactum. Duxerat in uxorem Ingeburgem, Canuti Danorum Regis sororem Philippus Augustus rex Franciæ, quam mox prætextu consanguinitatis per censuram Ecclesiasticam repudiavit. Conquerente de hâc injuriâ Canuto habita est Synodus Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatumque totius regni. Verùm metu Regis territi rem tandem in medio reliquerunt. Quod ex Rigordo referunt Conciliorum editores Tom. X. p. 1800.

LANCICIENSE in Poloniâ an. MCXCVII. 1197.
à Petro Capuano Papæ Legato habitum. In quo P. II.
Sacerdotum concubinatus & conjugium prohibita & repressa sunt. Vide *Conc.* Tom. X. pag. 1800.

SENONENSE ann. MCXCVIII. habitum.
In quo Populicanorum [Waldensium ea stirps est] 1198.
quam vocant, hæresis damnata est. Hanc Rober- P. II.
tus in Chronico Autissiodorensi omnium hæreseon fæculentissimam vocat. Extant de hac re Innocentii III. Epistolæ II. & G. Cossartii notæ *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 3.

DALMATICUM an. MCXCIX. à Joanne
Capello & Simone Subdiacono Pontificis legatis 1199.
& Dalmatiæ ac Diocliæ Episcopis, ad reforman- P. II.
dam Ecclesiæ disciplinam congregatum. Extant hanc in rem *Capitula* XII. *Conc.* Tom. XI. Part. I. pag. 7.

DIVIONENSE ad Oscaram fl. in Ducatu Bur-
gundiæ ann. MCXCIX. à P. Capuano Cardinale, 1199.
Sedis Apostolicæ Legato, Archiepiscopis *IV.* Epis- P. II.
copis *XVIII.* [ut Abbates aliósque taceam] de Philippi Francorum Regis illicitis nuptiis habitum. In quo, Rege posteriorem conjugem dimittere recusante, Pontificis sententia de sacris per Galliam interdicendis promulgata est. Eodem anno & eâdem de re coacta est Viennæ Synodus. Vide quæ ex variis Scriptoribus referunt Conciliorum editores Tom. XI. Part. I. p. 11.

LONDINENSE XIII. an. MCC. ab Hu-
berto Cantuariensi, pro reformatione Ecclesiæ 1200.
Anglicanæ, prohibente licèt Gaufrido Essexiæ Co- P. II.
mite summo Angliæ Justitiario, coactum. Extant Ecclesiasticæ disciplinæ, de sacris officiis celebrandis, de pœnitentiâ, excommunicatione, decimis, matrimonio, &c. *Capitula* XIV. apud Hoveden. ad ann. MCC. fol. 458. pag. 2. Exinde apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. p. 123. *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 13.

NIGELLENSE sive NIVIGELLENSE in
Brabantiâ, anno MCC. ab Octaviano Ostiensi 1200.
Episcopo & Cardinale Pontificis Legato mense P. II.
Septembri congregatum. Quo interdictum Galliæ ob Philippi Regis nuptias promulgatum, solutum est. Vide R. Hoveden. ad ann. MCC. & *Conc.* XI. Part. I. pag. 20. Habita est anno sequenti mense *Martio* Synodus Suessionensis, in quâ ejusdem Matrimonii causa iterùm tractata est, soluto verò Concilio res tandem in medio relicta *ibid.* pag. 22.

Finis Duodecimi Sæculi.

SÆCULUM

Digitized by Google

SÆCULUM SCHOLASTICUM.

CONSPECTUS SÆCULI.

SÆC XIII. ab A.MCC.

THEOLOGIA Scholastica, superiori ęvo introducta, altas hoc sęculo radices egit; de quâ proinde, instituti nostri ratione, paucis hoc loco agendum erit. Primis Ecclesię Sęculis Apostoli, virique Apostolici doctrinam, quam à Christo Domino puram ac simplicem acceperant, modo quodam facili & perspicuo, atque ad vulgi captum quàm maximè accommodato posteris tradiderunt: nec ad perplexas,& spinosas disputandi rationes unquã diverterunt, nisi fidei adversùs Gentiles & hęreticos vindicandę necessitas id exigebat. In Catechumenis instruendis ὑγιαινόντων λόγων ὑποτύπωσιν, (ut verbo Paulino utar) brevem quandam fidei profitendę formulam, primaria doctrinę Evangelicę capita complectentem, adhibuerunt; quam sermonibus ad catechumenos & competentes habitis uberiùs explicarunt. Hujusmodi erant Cyrilli Hierosolymitani *Catecheses ad Illuminatos*, & Gregorii Nicæni *Sermones Catechetici*: aliter in ordinariis ad populum homiliis, vel aliquem sacrę Scripturæ librum, vel partem ex Evangelio tunc in Ecclesia relectam,vel denique doctrinam aliquam moralem sermone didactico exposuerunt. Ubi verò vetus hęc simplexque Ecclesiastica tradendi methodus paulatim in desuetudinem abire cœpit, subtiliorem & sublimiorem explicandi rationem excogitarunt: id quod ex Dionysii Pseudo-Areopagitę operibus, seu quarto, seu quinto sextove demum sęculo natis luculenter constat. Circa medium ferè Sęculi VIII. Joannes Damascenus primus inter Gręcos, Theologiam ad accuratiorem methodum revocavit, ejusque dogmata in proprias classes distribuit, editis IV. *de fide Orthodoxâ* libris; quorum *primo*, De Deo Uno & Trino, ejusque Natura & proprietatibus; *secundo*, de Creatione, variisque rerum creatarum generibus; *tertio*, de Incarnatione Verbi, & Naturarum unione hypostaticâ, De Christi Vitâ, Morte & ad inferos descensu; *quarto*, De Christi Resurrectione & Ascensione, de fide, & de Sacramentis, de Sanctorum Reliquiis & Imaginibus, de Lege Dei & peccati, de Sabbato, Circumcisione, de Antichristo & de carnis resurrectione agit. In Ecclesiâ Latinâ nemo hoc saxum volvisse deprehenditur ante Lanfrancum Cantuariensem Berengarii adversarium medio Sęculo MC. clarum; qui novam Theologię formam antiquiori substituisse dicitur, quod tamen ex ejus, quę hodiè supersunt, operibus ęgrè colligi potest. Ad sequentis sæculi initium Petrus Abailardus *Introductionis ad Theologiam* libros III. edidit: *Primo*, De Fide, Spe, Charitate, & Sacramentis, pręcipuè de fide circa Trinitatem, agit; *Secundo*, ea quę Trinitatem spectant latiùs pertractat; *Tertio*, De Potentia, Sapientia, & Bonitate Dei, in quibus Trinitas consistit, perfectiùs differit. Hujus operis subsidio egregiè instructus Petrus Lombardus circa Sęculi medium IV. *Sententiarum* libros (unde *Magister Sententiarum* vulgò audit) ex SS. Patrum, pręcipuè D. Augustini, scriptis, compilavit. Et jam novam planè faciem induere cœpit res Theologica, ad formam Elencticam, dubiisque in orbem recurrentibus inservientem redacta, ad Philosophicum & Acroamaticum dicendi genus restricta, in quęstiones infinitas membratim discerpta, rationibus in utramq; partem agitatis, curiosè nimis penè usque ad ineptias ventilata; methodo nihilominus brevi, nec usquequâque inconcinna, & ad subtilem argutamque de quęstionibus Theologicis disputandi rationem satis aptè composita. Lombardum ducem longo densoque agmine secuti sunt *Alexander Hales*, *Thomas Aquinas*, *Bonaventura*, *Albertus Magnus*, *Petrus de Tarentasia*, *Henricus Gandavensis*, *Vdalricus de Argentina*, *Gulielmus Durantes*, *Augustinus Triumphus*, *Richardus de Mediavilla*, *Ægidius Columna*, *Ioannes Scotus*, *Raymundus Lullius*, *Herveus Natalis*, *Franciscus de Mayronis*, *Ioannes de Neapoli*, *Albertus Patavinus*, *Durandus à S. Porciano*, *Petrus Aureolus*, *Ioannes Bassolis*, *Ioannes Baconus*, *Gulielmus Ocham*, *Adamus Goddamus*, ut sequiores penè infinitos mittam. Et, ut in his fieri solet, in diversas mox partes ac sectas abierunt. Hinc ortę *Nominalium & Realium*; *Thomistarum & Scotistarum*; *Sententiariorum & Quodlibetariorum* familię; mutuis inter se rixis ut plurimùm pugnantes. Tandem relictâ simplici, ac puriori veterum doctrinâ, in scholis Christianis penè unicè regnavit Scholastica Theologia; advocatâ in subsidium Aristotelis Philosophiâ, eaque non ex Gręcis fontibus, sed ex turbidis Arabum lacunis, ex versionibus malè factis, malè intellectis hausta. Nihilominus latè sua pomœria protendebat; quin & in ipsam Theologiam exercuit imperium; quo factum est ut loco S. Pauli per aliquot sęcula cathedram penè solus tenuerit Aristoteles. Quantum ad plura Romanę Ecclesię placita stabilienda contulerit nova hęc Scholastica Theologia, cœcus sit oportet, qui non videt. Certè non minùs quàm Majestatis Pontificię auctoritatem longè

lateque promoverit Jus Canonicum eodem ferè tempore natum, iisdemque incrementis auctum. Verùm de his forsan plus satis: ad alia pergamus. Anno MCCIV. pridie Idus Aprilis, captâ à Latinis Constantinopoli, Græcorum respublica, simul & Ecclesia miserè dissipatur. Imperii & Patriarchatûs sedes Nicæam Bithyniæ transfertur, Theodoro Lascare Imperii insignia arripiente. Eodem tempore Alexius Comnenus, Trapezuntem in Imperii sedem elegit, Cappadociam, Paphlagoniam, Pontum & Colchidem provincias nactus; unde imperium *Trapezuntinum* natales habuit. Nec fortunatior Græcorum status ante annum MCCLX. quo urbe Regiâ Latinis ereptâ, in sedes suas restituti sunt. Initio hujus seculi Innocentius III. Papa furias agit, Philippum Augustum imperio privat, subditos Sacramento solvit, & ni pareant diris devovet, Joannem Anglorum Regem ob Steph. Langtonum in sedem Cantuariensem non admissum exauctorat; regnum interdicto subjicit; eum tandem fasces submittentem in Clientelam recipit; Ludovicum Philippi Francorum Regis primogenitum (cui Angliæ regnum tradiderat) Joanni negotium facessere pergentem anathemate percutit. Anno MCCXV. habitum est Romæ Concilium Lateranense, cui plusquàm mille Prælati interfuisse dicuntur, ab his Transubstantiationis dogma disertim stabilitur; *Corpus scilicet, & Sanguinem Christi in Sacramento Altaris sub speciebus Panis & Vini veraciter contineri*, TRANSUBSTANTIATIS *pane in Corpus, & Vino in Sanguinem, potestate divinâ.* Damnantur Abbas Joachim, & Almericus Carnotensis Doctor *Parisiensis*, (& ipse quidem post mortem exhumatus & exustus) aliaque in hæreticos & eorum fautores decernuntur, etiam subditis eorum à fidelitatis vinculo absolutis, & ditionum jure in occupantes translato; ut Canones de Confessione Auriculari quotannis edenda, de Chrismate & Hostiâ asservandis, de immunitate Ecclesiæ, de damnatis ab Ecclesiâ Romanâ morte plectendis, aliosque jam missos faciam. Non desunt quidem eaque non contemnenda argumenta, quæ omnem hujus Synodi decretis fidem atque authoritatem detrahunt; nec aliam Autoritatis Synodalis umbram habere videntur, quàm quod ab Innocentio III. condita in Concilio duntaxat proposita sint, nullo Patrum suffragio roborata; quâ de re vide quæ post alios novissimè disputavit doctissimus Du Pin *de Antiq. Eccles. disciplin.* Differt. 7. §. 4. Huic item Synodo adfuit Dominicus Hispanus, Ecclesiæ Osmensis Canonicus regularis, non sine magno honore & reverentia à Pontifice receptus, à quo etiam Ordinis Prædicatorum à se recèns fundati confirmationem impetravit; eo nempe consilio, ut discipuli ex hac schola prodeuntes, in Albigensibus aliisque hæreticis convertendis perpetuò laborarent. Cùm verò certò scirent hæreticos nudis sermonibus ad Ecclesiæ gremium haud facilè esse reducendos, missi sunt adversùs illos Cruce signati; & ut omnia tam pio proposito convenirent, institutum est *Sanctæ* (quam vocant) *Inquisitionis Officium*; gravissimum illud, & ab Orco petitum Christianæ Religionis dedecus simul & flagellum, Conscientiarum Carnificina, summæque tyrannidis & crudelitatis officina, quâ

——Siculi non invenère tyranni
Majus tormentum——

In re igitur nimis seriâ severâque ineptias agit Ludovicus à Paramo, (ipse hæreticæ pravitatis Inquisitor) *de Orig. Officii S. Inquisit.* lib. 1. tit. 2. c. 1. & seqq. qui dum originem ab ipsis mundi incunabulis arcessit, ipsum Deum primum hæreticæ pravitatis inquisitorem, parentes protoplastos, infidelitatis, hæresis, blasphemiæ, idololatriæ reos in jus vocantem, inque eos damnationis sententiam pro tribunali ferentem, nobis sistit: Et ne quid tam lepidæ fabulæ deesset, primos parentes pœnitentiam jam agentes, vestibus pelliceis, tanquam habitello, seu sacro Benedicto (quem *Sanbenito* Hispani vocant) indutos nobis exhibet: de quibus omnibus diligenter pro more & prolixè agit. Sed jam non vacat operosas captare nugas, & *Stultus labor est ineptiarum.* Anno MCCLIII. Robertus de Sorbona, natione Gallus, vir quidem humili loco natus, sed divitiis, & pietate conspicuus, nec literarum penitus rudis & ignarus, in usum Theologiæ Magistrorum, Collegium Sorbonicum Parisiis condidit; quod per omnia deinceps secula virorum magnâ judicii, eruditionis, literarum, candorisque famâ præstantium hodiernum floret. An. MCCLIV. saltem sequenti, ortâ inter Academiam Parisiensem & Monachos Dominicanos & Franciscanos lite, Fratres Mendicantes librum quendam novum, quem *Evangelium æternum*, seu *Evangelium Spiritus S.* vocabant à Joanne de Parma Minoritarum Generali, ut ferunt, compositum, ediderunt: in quo (teste Gulielmo de S. Amore *, qui hoc ipso tempore adversùs hos ipsos Monachos Parisiis librum in lucem emisit) docuerunt, *Evangelio Christi perfectius, & melius, & dignius fore Evangelium æternum, sive Evangelium Spiritûs S. quo adveniente evacuabitur Evangelium Christi.* Speciatim, ut ex Eymerico aliisque constat, liber iste blasphema hæc dogmata inter alia continebat; *Evangelium æternum Doctrinâ Christi, & toto Veteri & Novo Testamento præstantius esse: Evangelium Christi non esse Evangelium regni, ac per hoc nec Ecclesiæ ædificatorium: Novum Testamentum, sicut & Vetus esse evacuandum: nec in virtute suâ nisi ad annum MCCLX. duraturum: deinceps omnes in statu perfectorum fore; ad instruendum homines de spiritualibus & æternis solos esse idoneos, qui nudis pedibus incedunt: Christum Sanctosque*

* De peric. noviss. temp. c. 8. p. 8.

Digitized by Google

SÆC. XIII. abAn.MCC. *Sanctosque Apostolos non fuisse perfectos in vita contemplantium; contemplativam vero vitam ab ipso Joachim Abbate fructificare cœpisse, & amodò in perfectis successoribus ipsius perfectius mansuram.* Hæc ex multis paucula. Longè plura te docebunt Nicolaus Eymericus director. Inquisit. part. 2. Quæst. 9. Sect. 4. Bulæus Hist. Universit. *Parisf.* Tom III. Sect. 5. p. 330. Usser. de Christ. Eccles. Success. c. 9. Sect. 19. 20. 21. &c. Tam execrandas Blasphemias indignati Theologi *Parisienses*, librum damnarunt, scriptis oppositis refutarunt, lectique sunt delegati, & ad Papam hac de re missi, qui ægrè tandem à Pontifice impetrârunt: ut *Evangelium æternum* damnaretur; sed secretò, &, si posset fieri, sine fratrum scandalo combureretur, adeo tenerè necessarios suos, bipedum licet omnium nequissimos, & in Christianam religionem ad insaniam usque debacchantes, tractavit Pontifex; qui tamen Gulielmi de S. Amore librum *de periculis novissimorum temporum* adversùs hos Monachos hâc de re scriptum, publicè tum Anagniæ, tum Parisiis flammis nuper adjudicarat. Verùm de his pro instituto nostro plus satis. Nutantibus in Oriente Imperii Constantinopolitani viribus, & undiq; arctiùs constringentibus Muhammedanorum copiis, auxilium à Latinis speratur, eoque fine concordia Græcos inter & Latinos tentata, Concilio generali Lugdunensi II. anno MCCLXXIV. habito, cui 1500 Præsules, Abbates, aliosque Prælatos interfuisse volunt. Sex sessiones habuit, tandemque unio quędam Græcorum Latinis præcipuè in dogmate de Spiritu Sancto inita est: quam tamen finitâ mox Synodo rejiciunt Græci, nequicquam contranitente, & minis, verberibus, excœcationibus, exiliis in plerosque sęviente Imperatore Michaele Paleologo, frustra etiam allaborante cum sociis suis Joanne Becco, in Patriarcham levato. Judæi ubique ferè infames & exosi; ob pueros, ut dicitur, circumcisos, quin & crucifixos, aliaque nefanda scelera ex pluribus Occidentis provinciis ejiciuntur, ex Anglia anno MCCXC. ex Gallia an. MCCXCV. ex aliquot Germaniæ urbibus an. MCCXCVIII. Denique tot expeditiones pro recuperandâ terrâ sanctâ, per mutua Christianorum Principum dissidia frustra hactenus susceptæ, tandem exeunte hoc sæculo penitùs desinunt; iis ipsis locis quæ Dominus noster natalibus, vitâ, miraculis, & sanguine consecraverat, barbaris & infensissimis Christiani nominis hostibus in hæreditatem deinceps quietè relictis.

Matth. Paris. ad ann. 1257. p. 539.

SCRIPTORES.

SÆC. XIII. abAn.MCC 1200.

SYLVESTER GYRALDUS, *Cambrensis* à Patriâ, *Barrius* à patre dictus, ortu utpote Cambro-Britannus, in australi Cambriæ parte, maritimisque Demetiæ finibus, non longè à Pembrociæ urbe in castello de Mainarpu illustri genere natus, VVillelmi de Barri, & Angarethæ, Resi Principis Sudvalliæ neptis, filius. Adultus factus, à Davide avunculo, Episcopo Menevensi, Archidiaconus Brechiniensis creatus est: & ad peregrinandum se conferens, in Academia Parisiensi literarum studia excoluit; atque integro triennio Theologiam in Anglorum Collegio prælegit. Domum reversus in Henrici II. Regis aulâ plurimùm valuit. Anno 1185. Joanni Moretonii Comiti, Henrici filio, in Hiberniam exercitum ducenti comes datus est: & ab eo Episcopatibus VVexfordiensi & Lochelinensi donatus, utrumque recusavit. Joanne sub anni exitum in Angliam redeunte, ipse aliquandiu in Hibernia moratus est, ut gentis & rerum gestarum monumenta undique conquireret, regnique topographiam delinearet. Anno sequente in VValliam transfretavit; ibique per aliquot annos delitescens, Historiæ suæ condendæ & elimandæ summo studio incubuit. Re ad umbilicum perductâ, Oxonium perrexit, & contracto ingenti Doctorum, Scholarium, Oppidanorumque cœtu Historiam suam integro triduo recitavit. Lectione finitâ auditores convivio excepit. Postea Baldvvino Archiepiscopo Cantuariensi in loca sancta eunti itineris socium se adjecit. Anno 1198. Episcopus Menevensis electus, motâ de sede controversiâ, Romam an. 1200. petiit, judicem Pontificem sortiturus; ubi cùm exoleta dudum jura Metropolitica sedi Menevensi postliminiò reddi postularet, Huberti Archiepiscopi Cantuariensis potentiâ rejectus est, & Episcopali munere penitùs submotus. Vixit ultra septuagesimum annum: quo verò anno obierit, non liquet.

SÆC. XIII. abAn.MCC

SCRIPTA.

Topographia Hiberniæ, seu *De Mirabilibus Hiberniæ liber.*

Expugnatio Hiberniæ, seu *Historia Vaticinalis de expugnata ab Anglis Hibernia*, cujus duplicem editionem adornavit Gyraldus, ac posteriorem Joanni Regi dicavit.

Itinerarium Cambriæ libris II. comprehensum.

Descriptio Cambriæ ad Stephanum Archiepiscopum Cantuariensem. Bina ista opuscula cum notis simul edidit David Povvellus *Londini* 1585. 8°.

Prodierunt omnia isthæc Opera inter Historicos Anglic. Normannicos, *Francofurt.* 1602. f. p. 692.

Epistola ad Gulielmum Verum Herefordensem Episcopum brevis, ab Usserio edita est in *Hibernic. Epist. Sylloge* p. 114.

Gemma Ecclesiastica extat MS. in Bibliothecâ Lambethanâ & in illius calce epistola, quæ & Vitæ & Scriptorum suorum rationem reddit, digna certè quæ lucem videret.

Dialogus de Ecclesia Menevensi.

Dialogus duorum, mutuique sermonis inter quærentem & solventem libris VII. Uterque Dialogus habetur MS. in Collegio S. Benedicti Cantab. vol. 99. num. 3. 4.

Digitized by Google

SÆC. XIII. abAn.MCC. *Liber de Principis inſtructione*, diviſus in tres diſtinctiones, quarum duas impendit inſectationi Principum Normannicorum, ut proditorio prætextu Religionis omnes Britanniarum Inſulas reduceret ſub Monarchiam Gallicanam, quod myſterium hodie operatur in pragmaticis Hiſpanorum: habetur hoc opus MS. in Bibliotheca Cottoniana ſub *Iulio* B. 13. N. 2.

Diſtinctionum libri IV. in quibus mirificè inſectatur Vitam & Mores Monachorum ibid. MS. ſub *Tiberio* B. 13. N. 1.

Diſtinctiones Sex, in quibus tractatur de moribus VVallorum, & jure Meneveniſis Eccleſiæ, cum variis ejus laboribus initis in hac parte contra Eccleſiam Cantuarienſem, ibidem MS. ſub *Domitiano*, A. 5. Num. 3. idem, ut videtur, opus cum Dialogo *de Eccleſia Menevenſi*, cujus ſuprà fit mentio, ſaltem Dialogus iſte hujus operis pars eſt.

Alia Gyraldi ſcripta penè infinita memorat Baleus Cent. 3. cap. 51. p. 529.

1198. *P. II.* SYLVESTER GYRALDUS, Cambrenſis natione, natus anno MCXLVI. Epiſcopus Menevenſis factus eſt anno MCXCVIII. Inter opera ejus quæ hodiè extant MSS. habetur *Speculum Eccleſiæ*, ſive *de Monaſticis ordinibus & Eccleſiaſticis Religionibus variis*, *diſtinctionum libri* IV. in Bibliothecâ Cottonianâ ſub *Tiberio* B. XIII. In hoc opere Monachos acerrimè perſequitur, eorumque mores parùm honeſtos, fraudes, & inſcitiam mordaci ſale perfricuit. Certè Monachos, ignavum & luxurioſum hominum genus odio pluſquàm Vatiniano habuit Gyraldus, & datâ quavis occaſione ſalsè perſtringit; ut hanc Litaniam ſæpiùs ipſe repetiverit ſæpiùs aliis commendaverit, *à Monachorum malitiâ libera nos, Domine.* Ex hoc opere; nempè *diſtinctione* II. c. 23. 24. Vitam Hugonis Nonant Epiſcopi Coventrenſis & Lichfildenſis decerpſit & ſeparatim edidit H. VVhartonus *Angl. Sacr.* Tom. II. pag. 349. Extant etiam Gyraldi noſtri *de Vita Galfredi*, Eboracenſis Archiepiſcopi, libri II. qui in codice MS. ſine Auctoris nomine habentur; *Legenda S. Remigii*, ſeu *de Vitis S. Remigii & Epiſcoporum Lincolnienſium illi ſuccedentium*; *Epiſtola* ad Stephanum Langtonum Cant. Archiep. *de abdicatione Archiepiſcopatus non faciendâ* de libris à ſe ſcriptis *Epiſtola* ad capitulum Herefordienſe; *de deſcriptione VVallia* liber ſecundus; *Retractationes de libris propriis; de rebus à ſe geſtis* libri tres; *de jure & ſtatu Menevenſis Eccleſiæ diſtinctiones* ſeu *dialogi* VII. Plurimas ſententias & verborum floſculos otioſos in hoc opere ſe reſecuiſſe agnoſcit Editor; *Vita S. Davidis* Archiepiſcopi Menevenſis. Hæc omnia collegit, & ex variis codicibus MSS. luce publicâ donavit idem vir clariſſimus, & in evolvendis, conquirendiſque ſacris patriæ ſuæ monumentis ſtupendæ planè diligentiæ *ibid.* p. 373. Poſt hæc in præfatione enumerata operum Gyraldi ineditorum, quæ propriis oculis luſtravit, catalogum contexuit. Nos de iis ſummatim agemus. Sunt autem *Legenda S. Æthelberti* Orientalium Saxonum Regis. Habetur in codice Cottoniano ſub *Vitellio* E. VII. *Valliæ Mappa* ſeu Tabula chorographica in fronte codicis VVeſtmonaſt. minio depicta. *Gemma Eccleſiaſtica*, prima pars agit *de Sacramentis magis neceſſariis*, ſecunda *de Clericali honeſtate & continentiâ*; extat in Cod. Lambethano. Carmen *de miſeriis conditionis humanæ* ibid. Liber *Carminum & Epigrammatum* ibid. & in Cottoniano ſub *Vitel.* E. V. *Speculum Eccleſiæ*, de quo ſuprà, præmiſſâ prolixâ ad Stephanum Cantuarienſem Archiepiſcopum de literaturæ defectu *Epiſtolâ*; tres priores operis partes in recenſendis & inſectandis Monachorum nequitiis abſolvuntur; quarta de ſtatu, inſtitutione, honore, &c. Sedis Romæ, aliarumque Sedium Patriarchalium; & de munere Paſtorali & Epiſcopali agit; *Symbolum Electorum*, ſeu Epiſtolæ variæ à ſemetipſo collectæ, ad VValterum Mapes Archidiac. Oxon. & quædam alia. *De Principis inſtructione diſtinctiones tres*, opus prolixum, lectuque dignum; aſſervatur in codice Cottoniano ſub *Julio* B. XIII. num. ii. notam de hoc opere, codici MS. appoſitam, quam habes ſuprà, monuit me idem vir amiciſſimus eſſe frivolam & ineptam recentioris cujuſdam ſcriptoris, circa an. MDC. ſcriptam. Prologi librorum à ſemetipſo ſcriptorum, in unum volumen operâ ſuâ congeſti, in Biblioth. Collegii SS. Trinitatis apud Cantabrigienſes habentur.

GERVASIUS, natione Anglus, Fani Servatoris O. B. Monachus Cantuarienſis, claruit an. 1201. Præ cæteris bonarum artium ſtudiis ad vetuſtiora gentis ſuæ monumenta inveſtiganda addixit animum, præcipuè quæ res Britannicas & Saxonicas ſpectabant: ingentique eorum copiâ apud ſe collectâ ad ſcribendum ſemet accinxit. 1201.

SCRIPTA.

Tractatus de Combuſtione & reparatione Cantuarienſis Eccleſiæ, inter Scriptores X. Anglicos *Londini* 1652. f. p. 1289.

Imagines de diſcordiis inter Monachos Cantuarienſes & Baldvvinum Archiepiſcopum, ibid. p. 1303.

Chronicon rerum in Angliâ geſtarum ab anno 1122. ad an. 1199. ibid. p. 1334.

Acta ſive *Vita Pontificum Eccleſiæ Cantuarienſis ab Auguſtino uſque ad Hubertum* incluſivè, ibid. pag. 1629.

HERVARDUS, Archidiaconus Leodicenſis, claruit circa annum 1201. Extat *Epiſtola de Guiberto Gemblacenſi & de ſcribenda Vita S. Martini* apud Mabillon. Analect. Tom. II. p. 536. 1201.

MATTHÆUS VINDOCINENSIS, de cujus ætate non levis eſt apud eruditos controverſia: alii enim illum anno 1203. alii obiiſſe, anno 1215. floruiſſe volunt: nonnulli Abbatem. S. Dionyſii Pariſienſem an. 1260. electum, an. 1286. die XXV. Septembr. defunctum eſſe contendunt. Potior videtur eorum ſententia, qui ineunti huic ſæculo illum accenſent: quippe qui opus ſuum Bartholomæo Turonenſi ab an. 1175. ad 1206. Epiſcopo nuncupârit, addunt Sammarthani Fratres, *Galliæ Chriſtianæ* Tomo I. pag. 773. Matthæum noſtrum, dum eſſet Abbas S. Dionyſii, Turonenſem Pontificatum recuſaſſe. Scripſit carmine elegiago, pro ratione ſæculi non ineleganti, *Tobialem*, ſeu *Hiſtoriam Tobiæ ſenioris & junioris*; quæ typis excuſa prodiit *Lugduni* 1505. curâ Joannis Heroldi *Baſil.* 1563. curâ Joannis Heringii *Bremæ* 1642. 1201.

JOACHIMUS, gente Calaber, Monachus Ordinis Ciſtercienſis in Cœnobio Sambuccinenſi Diœceſeos Anglonenſis in Lucaniâ, dein Abbas Monaſterii de Curacio in Calabriâ, ac demum fundator & Abbas primus Cœnobii Florenſis, atque inſtitutor Congregationis Florenſis. Claruit an. 1201. Undecennio ante ob immenſam Prophetiæ ei divinitùs conceſſæ famam à Richardo Angliæ Rege Meſſanæ in Siciliâ tunc agente accitus, Antichriſtum in Urbe Roma jam natum eſſe, & in ſedem Apoſtolicam mox evehendum vaticinatus eſt 1201.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. est; alia ejuscemodi farinæ plura nugatus. Obiit ante annum 1215. quo Liber ejus adversùs quasdam Petri Lombardi opiniones in Synodo Lateranensi damnatus est.

SCRIPTA.

De concordiâ Veteris ac Novi Testamenti libri V. jussu Lucii III. Urbani III. & Clementis III. Pontificum elucubrati.

Commentaria in Hieremiam Prophetam. Extant *Venetiis* 1525. *Colon.* 1577. 8°.

Psalterium decem chordarum.

Commentaria in Isaiam Prophetam.

Commentaria in nonnulla Capita Naum, Abaccuc, Zachariæ, & Malachiæ Prophetarum.

Prodierunt Opera hactenùs recensita *Venet.* 1519. 4°.

Commentarius in Apocalypsin D. Joannis, excusus *Venetiis*, 1519. *Coloniæ*, & alibi, testibus Labbæo & Miræo.

Vaticinia de summis Romanis Pontificibus XV. tantùm, prodierunt cum notis Paschalini Regiselmi *Venet.* 1589. dein cum notis Josephi Scaligeri non uno in loco, cum notis Joannis Adrasder *Francofurt.* 1608. auctiora apud Wolfium Memorab. Lect. Tom I. p. 444.

In Cyrilli revelationem, in Erithream & Merlinum Commentaria, atque alia quædam vaticinia. Prodierunt Italicè cum Anselmi Marsicani annotationibus *Venetiis* 1589.

Plurima alia Joachimi scripta recenset, & MSS. extare refert, Carolus du Visch. in Bibliothecâ Scriptorum Cisterc. p. 172.

1201. THOMAS, Ordinis Cisterciensis Monachus, claruit circa annum 1201. Scripsit ad Pontium Claromontanum Episcopum *Cnmmentarios in Cantica Canticorum*, typis excusos *Paris.* 1521. *Lugduni* 1571. Verus horum Commentariorum Autor est Thomas noster. Sunt tamen alii, quibus tribuuntur: quâ de re multa inter eruditos lis est; quæ si tanti sit, apud Cas. Oudinum * reperiri potest, qui quidem id satis operosè egit.

* Supplem. p. 444.

1201. NICOLAUS, Patriâ Hydruntinus, à quibusdam *Magister Hydrussa* dictus, claruit an. 1201. Cùm Benedictus Cardinalis ab Innocentio III. Papâ ad resarciendam unionem Orientalem inter, & Occidentalem Ecclesias Constantinopolin missus esset: in omnibus disputationibus, quæ tum in Urbe Regiâ, tum Thessalonicæ & Athenis habebantur, Nicolaus noster interpretis officio functus est. Scripsit Græcè *Tractatus varios adversùs Latinos*, viz 1°. *De Processione Sp. S. in quo Hugonem Etherianum refellere conatur.* Fragmenta ejusce libri habet Leo Allatius *de Consensu* l. 1. c. 22. §. 3. *adversf. Hottinger.* cap. 19. pag. 241. 2°. *De pane fermentato à Christo in supremâ cœnâ Discipulis suis tradito*: duo fragmenta exhibet Leo Allatius *advers. Hottinger.* c. 3. p. 13. *de consensu* l. 2. cap. 13. §. 4. 3°. *De Jejunio Latinorum in Sabbato, Conjugio Sacerdotum, aliisque argumentis.* Citatur ab Allatio loco proximè laudato.

1201. NICETAS Maroniæ, ex Magnæ Ecclesiæ CP. Chartophylace Archiepiscopus Thessalonicensis, Latinis paulò faventior, quippe qui unionem inter Ecclesias Græcam & Romanam fieri unicè exoptabat. Claruit an. 1201. Scripsit *de Processione Spiritûs Sancti Dialogorum libros VI.* in quibus Græcum & Latinum interloquentes inducit, & Hugonis Etheriani argumentis pro virili satisfacit. Fragmenta quædam ex illis profert Leo Allatius advers. Hottinger. cap. 19. pag. 467. *Responsio ejusdem ad interrogata Basilii Monachi* habetur Gr. Lat. in *Jure Gr. Rom.* l. 5. p. 345.

NICETAS, patriâ Mytilenæus, Maroniæ ex magnæ Ecclesiæ Chartophylace, Archiepiscopus Thessalonicensis, claruit an. MCCI. Scripsit librum *de miraculis S. Demetrii Martyris.* Incipit, Ἐις τὸ τῶν θαυμάτων πέλαγος καθεῖναι. Extat Græcè MS. Biblioth. Bodleian. *cod. Baroc.* CXXXI. *Expositio* primi & secundi ἤχου usque ad Odam sextam. Prin. Τῆς εἰς ᾠδὴν χεῖρ ... ibid. *Cod.* CLVII. *Expositio Canonum* sive Canticorum S. Joannis Damasceni, quæ forsan eadem est cum priori; Bibliothec. Vindob. *cod. Theol.* CCXXXVIII. num. IV. *Responsiones* ad interrogationes de diversis casibus Ecclesiasticis, à variis Antistitibus ad illum factas; habentur Græc. Latin. *Jur. Græc. Rom.* lib. V. pag. 346. Notet Lector Responsum ejus ad suggestionem Basilii Cappadocis bis ibidem haberi, nempè lib. V. p. 345. & lib. VI. p. 410. 1201. P. II.

JOANNES, CITRI, *Pydna* olim dicti, in Macedoniâ Episcopus, Theodoto Balsamoni ætate par, claruit circa an. MCCIII. Quo anno Balsamonem adhuc in vivis ex Procemio Responsionum ejus ad Marcum Alexandrinum liquet. Verùm Leo Allatius * mendum in numero cubare contendit, quod minimâ literarum mutatione contingere potuit, & pro MCCIII. MCXCIII. reponendum. Esto. Potuit nihilominus husque vitam producere. Et certè Joannes noster etsi mortuo jam Balsamone scripserit, eo tamen adhuc vivente se Constantinopoli fuisse, & cum clarissimis Jurisconsultis conversatum esse, ipse nobis testis est. Extant Græc. Latin ejus *Responsa* ad plures Interrogationes de variis causis & casibus, ritibus, & consuetudinibus Ecclesiasticis, quas Constantinus Cabasilas Dyrrachii Archiepiscopus ei solvendas proposuerat, in *Jure Græco-Romano* à Leunclavio edito lib. V. p. 323. 1203. P. II.

* De Consens. Occident. & Orient. l. II. c. 13. nu. IV. p. 703.

DEMETRIUS CHOMATENUS Bulgarorum Archiepiscopus Balsamonis, & Joannis Citrensis æqualis, claruit circa ann. MCCIII. Extat Græc Latin. Tractatus ejus *de gradibus cognationis* Jur. Græc. Rom. lib. V. pag 311. *Responsiones* ad Constantini Cabasilæ Interrogata *ibid.* pag. 316. Denique ad Stephanum fratrem suum germanum tractatus super hac quæstione, *An qui mulierem aliquam vitiaverit, matrimonium cum ejus consobrinâ contrahere potest?* ibid. p. 410. 1203. P. II.

MARCUS Patriarcha Alexandrinus claruit an. MCCIII, Scripsit *Quæstiones* LXIV. circa varias causas & negotia Ecclesiastica, quas Theodoro Balsamoni solvendas proposuit. Singulis Responsum suum retulit Theodorus graviter atque eruditè. Extant Græc. Lat. & Interrogationes & Responsa *in Jure Græco-Romano* lib. V. pag, 362. Habentur etiam MSS. duabus quæstionibus auctiora Biblioth. Vindob. *Cod. Jurid.* XIII. nu. XI. fol. 111. & inter *Hist. Eccl.* Cod XXIV. num. XVI. fol. 289. Vide quæ habet Lambecius *Comment.* lib. VI. Part. I. pag. 48. 1203. P. II.

MICHAEL ACOMINATUS CHONIATA, natione Phryx, Nicetæ frater natu major, Athenarum Metropolita, claruit anno 1204. jam tum senex. Extat Latinè *Oratio funebris in mortem fratris Nicetæ*, cum Operibus Nicetæ edita *Paris.* 1566. *Francofurt.* 1568. fol. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XXV. pag 180. Fragmenta exinde aliquot Gr. Lat. exhibet Leo Allatius *advers. Hottinger.* 1204.

Digitized by Google

SÆC XIII. ab An. MCC. p. 197. Extat *Tractatus ejus de Cruce* MS. Græcè, *Parif.* in Bibliothecâ Regiâ Cod. 143. testante Labbeo Nov. Biblioth. MS. pag. 74. item Sermo *Athenarum urbem multum esse dissimilem ab antiquâ*, ibid. Cod. 2016. vid. Lab. p. 135.

1204. P. II. MICHAEL ACOMINATUS CHONIATA, Metropolita Athenienfis, claruit an. MCCIV. Præter alia quæ fcripfit, Hiftoriarum etiam libros aliquot condidiffe videtur, quorum pars non minima MS. habetur Biblioth. Vindob. *Cod. Hiftoric.* XXVI. antiquo & optimæ notæ in *folio*, folia LVII. continente. Ut opus hoc luce publicâ donarent nobiliffimæ hujus Bibliothecæ curatores, maximoperè orandi funt. In Bibliothecâ Bodleianâ inter codices MSS. *Baroccianos* num. CXXXI. fub nomine Michaelis Metropolitæ Athenienfis habentur opufcula fequentia, viz. *Protheoria. Contra reprehendentes quòd ægrè adduceretur ad fpecimen ingenii fui edendum. Encomium Nicetæ Choniatæ. Oratio habita Athenis. Catechefis prima. Sermo in mediâ Quadragefimâ. Sermo in Fefto Palmarum. Alloquium Nicephori Prætoris. Sermo cùm primum inviferet Euripum Euboicum. Epiftolæ variæ. Homilia de creatione hominis. Lamentatio demortui Adyephi. Controverfia judicialis inter animam & corpus.* Prin. Τὴν τοῦ λογικοῦ μέρους. *Epiftolæ* ad Naupacti Metropolitam. *Oratio in Ifaacium Angelum Imp.* qui cœpit imperare an. MCLXXXV. Prin. Εἰ ἡ βασιλίσσα μὲν νότου. *Oratio funebris* in Neophytum Monachorum Athenienfium Archimandritam, Prin. Εἰ Σολομὼν ἔφη πρὸ γνωματεύων. Noftri Michaelis effe nemo dubitabit. Vide *Catal.* MSS. Biblioth. Bodleianæ p. 15. 16.

1204. NICETAS ACOMINATUS, CHONIATES à Patriâ dictus, prædicti Michaelis frater. Novennis adhuc Conftantinopolin ad Michaelem fratrem fe contulit, ab eo moribus & doctrinâ inftitutus. Tandem Aulæ CP. miniftris accenfetur, factus Alexii Comneni, & poftea Ifaaci Angeli Secretarius: deinde Senator CP. Magnus Logotheta fecretorum, Infpector & Judex veli, Sacri Cubiculi Præfectus. Anno 1204. captâ à Latinis Conftantinopoli, ipfe cum uxore gravidâ liberifque in exilium abiit; & Niceam in Bithyniâ profectus, ibi lares fixit. Obiit Niceæ poft annum 1206. De Hiftorico ejus Opere ejufmodi cenfuram
* Politic. l. 1. c. 9. §. 12. tulit Lipfius * *Jam inter infimos quoque Græcos duo funt, quos non contemno. Prior eft Nicetas Choniates. Is parùm adhuc vulgo notus, fateor; fed digniffimus notitiâ: purum rectumque ingenium, fi aliud illo ævo. Stylus ejus operofus, Poëtas & Homerum fæpe refipiens: ut res & narratio ipfa diftincta, compofita, fine vanitate, fine ineptiis, brevis, quod fatis fit, & fida. Crebra apud eum & opportuna monita: judicia non libera folùm, fed fana.* Scripfit Nicetas *Hiftoriam de rebus geftis Imperatorum fui fæculi Conftantinopolitanorum*, in libros XXI. Opufcula X. diftributam. Incipit ab Alexii Comneni morte, anno Chrifti 1118. definit in Henrici Flandri introitu, anno Chrifti 1206. Prodiit *Hiftoria* ifta Lat. *Parif.* 1566. *Francofurt.* 1568. f. Gr. Lat. cum verfione & notis Hieronymi Wolfii *Bafil.* 1557. f. *Genevæ* 1593. 4°. & cum Fabroti Gloffario Græco-barbaro *Parif.* 1647. f. Scripfit præterea *Thefaurum Orthodoxæ Fidei* libris XXVII. quos pulcherrimè defcriptos Græcè in Bibliothecâ Bodleianâ olim vidi. Ex his quinque priores vertit & Latinè edidit cum notis doctiffimis Petrus Morellus *Parif.* 1580. *Genevæ* 1592. 8°. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XXV. pag. 54. Fragmentum ex libro vicefimo, *de ordine* qui obfervatur ab iis qui è Saracenicâ fuperftitione ad Chriftianam fidem tranfeunt, habetur Gr. Lat. tacito Nicetæ nomine, inter Sylburgii *Saracenica* 1595. 8°. pag. 74. SÆC. XIII. ab An. MCC

NICETAS ACOMINATUS, CHONIATES, Michaelis frater, claruit an. MCCIV. Scripfit 1204. P. II.
præter alia, *confutationem legis Mahumeticæ.* Extat Græcè MS. in Biblioth. Colbertina *Cod.* iv. MDCCLIII. hoc titulo Τὰ ὑπὸ τοῦ Μωάμεθ νομοθετηθέντα ἐκ τῆς αὐτοῦ βίβλου, καλουμένης Κοράν, καὶ Χωνειάτου ἀντιῤῥήσεις. Hoc diftinctum effe opus ab aliquâ ejus Thefauri Orthodoxæ Fidei parte exiftimo. Ejufdem *comparatio Hyemis & Æftatis, & quod Hyems fit melior.* Prin. Πάλαι ποτέ. Item *Epiftola* fex. Extant Græcè MSS. inter codices *Baroccianos* Bibliothecæ Bodleianæ num. CXXXI.

JOEL, Chronographus Græcus; quis, cujáfve fuerit, ab aliis lubens edoceri vellem. Claruit 1204.
ann. 1204. Scripfit Χρονογραφίαν ἐν συνόψει, five *Chronographiam compendiariam* ab Orbe Condito ufque ad Alexii Ducæ Murzuphli obitum, i. e. an. 1204. quo tempore capta eft à Latinis Conftantinopolis: Unde hiftoriam fuam his claudit verbis. φεῦ καὶ ταῦτα Χριστιανοὶ Χριστιανούς. Καὶ πῶς ἔμελλεν ἐφησυχάσαι ἡ δίκη, καὶ μὴ παραδοῦναι ἡμᾶς εἰς αἰχμαλωσίαν, καὶ ἐξολόθρευσιν. ὃ καὶ γέγονε καὶ ἡ περίβλεπτος Κωνσταντίνου διὰ τὰς τοιαύτας ἀνοσιουργίας παρεδόθη τοῖς Ἰταλοῖς. *Heu nos miferos! & maximè cum fimus Chriftiani, talia in Chriftianos machinamur. Et quânam ratione divinum judicium tot fcelera laturum effet, & non effet nos captivitati, & internecioni traditurum. Quod & factum eft; & fpectatiffima urbs Conftantini ob fimilia facinora, impietatefque Italis tradita eft.* Eruit hanc *Chronographiam*, & additâ verfione fuâ Gr. Lat. edidit Leo Allatius, unà cum Georgii Acropolitæ Hiftoria, Typis Regiis *Parif.* 1651. fol.

GULIELMUS DE SELIGNIACO, feu Scilligniaco, ab anno 1206. Epifcopus Autiffiodorenfis, poftea ad fedem Parifienfem translatus, obiit apud S. Clodoaldum ad Sequanam ann. 1223. die XXIII. Novembr. Extat ab eo fcripta *Summa Theologica*, quę typis excufa prodiit *Parif.* 1500. 1206.

GULIELMUS, natione Gallus, S. Theologiæ in Academiâ Parifienfi primùm Profeffor, factus deindè Epifcopus Autiffiodorenfis, claruit anno MCCVI. Scripfit Commentarium in IV. libros *Sententiarum*, qui prodiit *Parif.* an. 1500. *fol.* Libro III. Tract. XII. cap. 1. quæft. II. & cap. 2. quæft. I. fingularem hanc opinionem defendit, meritum priùs & principaliùs à fide, quàm à charitate pendere. Quam fententiam erroribus hujus temporis hæreticorum non parùm favere ipfe agnofcit Bellarminus *de Juftif.* lib. V. c. 15. Ab aliis potiùs huic operi infertam judicat Poffevinus *Apparat. Sacr.* Tom. I. pag. 698. qui etiam Gulielmum librum *de Divinis Officiis* fcripfiffe nos docet. 1206. P. II.

STEPHANUS LANGTONUS, Patriâ Anglus, Lutetiæ verò educatus; ubi maximam fibi ex doctrinâ famam ac gratiam conciliavit; adeò ut Cancellarius Academiæ Parifienfis, Canonicus Parifienfis, & Decanus Rhemenfis crearetur. Romam tandem ab Innocentio III. Pontifice accerfitus, inter Cardinales cooptatus eft; atque anno demum 1206. ortâ de fede Cantuarienfi controverfiâ, Huberto Archiepifcopo, invitis quidem Joanne Rege & Monachis Cantuarienfibus, fuffectus, & ab ipfo Pontifice Viterbii confecratus die XVII. Junii. Confecrato regni ingreffum confeftim interdicit Joannes Rex. Regem idcirco excommunicari jubet Papa: quod & factum eft. Anno demum 1212. Rex ineluctabilibus difficultatibus obftri- 1206. Vid. Plura ap. Math. Parif. & Math. Weftmon. & ex his Antiqu. Britan. pag. 154.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab An. MCC. obstrictus Pontifici morem gerit, ei coronam resignat, regnum Angliæ tanquam Romanæ sedis feudatarium ab eo recipit, Stephanum Archiepiscopum in Angliam vocat, & sedi intromittit. Anno circiter 1215. Stephanus à Rege iterum exagitatus nefariam concivit rebellionem, Proceresque Angliæ à Joanne deficere, & Ludovico Galliæ Regis filio sese dedere persuasit. Anno 1218. post mortem Joannis pulsis Gallis, ipse proditionis crimen ingenti pecuniæ mulctâ redimere necesse habuit. Anno MCCXXII. in Ecclesia Oxoniensi Synodum generalem habuit, in quâ de Ecclesiâ Anglicanâ vitâque Monasticâ reformandâ agebatur, duoque sacerrimi nebulones [quorum alter Androgynus fuisse dicitur] qui de assumpta Christi persona, & ementitis divini corporis vulneribus gloriabantur, damnati sunt, & paulò pòst cruci affixi, de quo vide quæ habent Matthæus Paris, & Antiquitates Oxonienses ad an. MCCXXII. Obiit apud prædium suum de Slindon in Sussexiâ anno 1228. die IX. Julii. Cantuariæ sepultus.

SCRIPTA.

Libellus de Translatione Corporis B. Thomæ Cantuariensis, ad calcem Epistolarum Thomæ Becket editus *Bruxellis* 1682. 4°. p. 885.

Epistola ad Joannem Regem, apud Dacherium Spicileg. Tom. III.

Constitutiones XLVIII. apud Lindvod. in Provinciali Angliæ.

Commentaria in Octateuchum, MS. in Bibliothecâ S. Petri Cantab. Cod. 241. Moralis ejus Expositio super Exodum habebatur MS. in Cod. Naudæano, cujus meminit Labbeus *Nov. MS. Biblioth.* pag. 22.

Commentaria in Tobiam, Judith, Ester, Esdram, & Maccabæorum libros. MS. ibid & in Collegio S. Benedicti Cod. 151.

Commentaria in Isaiam, MS. in Coll. S. Benedicti Cod. 375.

Commentaria in Ieremiam, Ezechielem, Esdram, & Nehemiam, MS. ibid. Cod. 145.

Commentarius in Job libris XXXIII. MS. in Bibliothecâ Orialensi Oxon. Cod. 12.

Tropologia sive Moralia in XII. Prophetas Minores, MS. in Bibliothecâ publicâ Cantab. Cod. 151. S. Benedicti Cod. 148.

Commentaria super Evangelia & Epistolas de diebus Dominicis per anni circulum: hæc unà cum Commentariis *in Esaiam & Prophetas minores* extant MSS. in Bibliothecâ Lambethanâ.

Commentarius in Ecclesiasticum, MS. in Bibliothecâ publicâ Cantab. Cod. 60. S. Benedicti Cod. 150.

Vita S. Thomæ, & Passio ejus, ex variis Autoribus Contexta. MS. in Collegio S. Benedicti Cantab. Cod. 75.

Extant hæc Langtoni Opuscula MSS. in plurimis etiam aliis Angliæ Bibliothecis: de quibus consulas Jamesii Catalogum.

Sermones varii habentur MSS. in Bibliothecâ Dunensi ap. Sander. *Biblioth. Belg.* MSS. p. 183.

Summa de diversis, cujus initium. De criminibus: in Biblioth. Cœnobii Camberon. ibid. p. 365.

De B. Maria Sermones II. MSS. in Biblioth. Paulinâ Lipsiensi, Reposit. Theolog. *Serie* 5.8.N. 24. Vid. Felleri Catalog. Cod. MSS. p. 97.

Quamplurima alia ejusdem Opera enumerant Baleus, Pitseus & Carolus du Visch; quos adeant, qui plura velint.

1207. HUGOLINUS, Ostiensis & Velitrensis Episcopus, claruit anno 1207. Extat *Epistola ad Velitrenses, &c. pro conservandâ pace cum Nymphanis*, apud Baluzium Miscellan. Tom. II. p. 248.

RODERICUS XIMENIUS, gente Vasco seu Navarrus, ab anno 1208. Archiepiscopus Toletanus. Anno 1215. Romam profectus, Concilio Lateranensi interfuit, & in consessu Patrum summâ eloquentiæ laude peroravit. Extremâ iterum senectute Innocentium IV. Pontificem Lugduni Concilium celebrantem adiit, ut litem sibi à Petro Taraconensi de primatu totius Hispaniæ intentatam illius judicio permitteret. Inter redeundum, dum in Rhodano fluvio navi deveheretur, mortem obiit anno 1245. die IX. Augusti. 1208.

SCRIPTA.

Historia Hispanica libri IX. à primo Herculis in Hispaniam adventu ad annum Christi 1243. ab Andreâ Schotto editi Hispaniæ Illustratæ Tom. II. p. 26.

Historia Ostrogothorum, ab anno Christi 453. ad annum 555. ibid. p. 148.

Historia Hunnorum, Vandalorum, &c. à primâ illorum origine ad an. 585. ibid. p. 151.

Historia Arabum, ab anno Christi 570. ad annum 1150. ibid. p. 162.

Historia Romanorum, à Jano Rege ad annum Urbis 708. ibid. p. 194. prodierunt simul isthæc omnia Granatæ 1545. f.

S. FRANCISCUS, gente Italus, Assisii in Umbriâ natus anno 1182. Petri Bernardoni & Picæ filius. Adultâ ætate mercaturæ quæstum exercuit; quin & si VValsinghamo fides sit habenda, effræni lasciviæ diu mancipatus fuit. Anno 1208. captivitate, quæ sibi contigit, Sacri Codicis lectione seu virtute auctus, seu ad meliorem frugem reductus, pietatis studio sese totum dicavit, & Evangelicam paupertatem professus, novum vitæ institutum excoluit. Dein erronis adinstar totam pervagatus Italiam, ingenti pietatis & humilitatis specie omnium in se ora oculosque cœpit convertere. Pannis enim & squalore obsitus, crasso ac nodoso fune subcinctus, & ad sordida quæque modò humilitatis speciem præ se ferrent, ministeria descendens, histrioniam in triviis & compitis passim agebat: nummorum insuper contactum meticulosè refugiens, & jejuniis ac vigiliis corpus macerans, vir verè Apostolicus haberi voluit: quin & vaticiniis temerè effutitis, Prophetæ nomen ambiit; & humanam aspernatus sortem ex profanâ, nec ridiculâ minùs, rerum à Christo in terris gestarum imitatione divini alicujus, & plusquàm hominis, personam induit. Ex hujusmodi ineptiis apud alios admirationem sibi peperit; à maximâ verò vulgi parte nonnisi sannis & scommatibus exceptus, plagis sæpenumerò probè mulctatus est: quas quidem ille adeò non refugit, ut summo honori duceret; atque omnimodo lumbifragium ambiret. Tandem anno 1215. majores concepit animos, & contractis undique discipulis novum Monachorum Ordinem instituit; quos studia moresque suos sedulò æmulari voluit. Ipse Romam profectus, sodalitium seu fraternitatem suam (sic enim id appelari voluit) ab Innocentio III. confirmari obtinuit. Anno 1219. in Orientem suscepit iter, ut loca sancta inviseret: & ante reditum cum Soldano Saracenorum congressus, eum ad fidem Christianam convertere conatus est. Obiit anno 1226. IV. Non. Octobr. post mortem inter Sanctos relatus. Plura dabunt Vitæ ejus Scriptores, ac præcipuè Lucas Waddingus *Annal. Minor.* Tom. I. 1208.

OPERA

Digitized by Google

OPERA.

Epistolæ XVI. ad diversos, quarum nonnullæ admodùm prolixæ sunt.

Admonitio ad omnes Fratres Capitulis XXVII.

Verba ad humilitatem, obedientiam, & Patientiam inducentia.

De Virtutibus S. Virginis, & sanctæ cujusque animæ.

Opusculum de verâ & perfectâ lætitiâ.

Expositio in Orationem Dominicam.

Laus Domini Dei Altissimi.

Orationes, seu Precationes XI.

Testamentum S. Francisci.

Regulæ IV. Monachis & Monialibus præscriptæ.

Collationes XXVIII. de variis argumentis.

Officium Passionis Dominicæ.

Canticum Solis, atque alia duo de Amore Divino.

Apophthegmata, Familiaria Colloquia, Prophetiæ, Parabolæ & exempla, Benedictiones, Oracula & sententiæ communes

Sermones VI. Rationes totidem quare Deus Religionem Minorum suæ concesserit Ecclesiæ, & Opusculum X. perfectionum viri Religiosi, & Christiani, spuria à nonnullis censentur.

Opera ista omnia collegit, atque edi curavit Joannes de la Haye *Paris.* 1641. f.

1209. ARNOLDUS, primò Ecclesiæ Hildesheimensis Præpositus, deinde Abbas Lubecensis, claruit anno 1209. *Helmoldi Chronicon* supplevit ab an. 1171. ad annum usque 1209. In rebus Sclavicis præcipuè meretur fidem, notante Cl. Vossio *: in cæteris haud parùm diligentiæ præstitit. Extat hæc *Continuatio* cum Helmoldi Chronico, præcipuè Henrici Bangerti notis illustrata, *Lubecæ* 1659. 4*to.* In prima Hermoldi editione *Francofurt.* 1556. nonnisi IX. priora Capita habebantur. Alia Capita aliis editionibus accesserunt. Tandem IV. ultima capita unà cum Epilogo ex MS. Codice edita sunt inter Henrici Meibomii Opuscula Historica, *Helmstad.* 1660. 4°. p. 568.

* De Hist. Lat. l. 2. c. 55.

1210. GERVASIUS TILBERIENSIS, Natione Anglus, Patriâ Essexiensis, Tilberiæ ad littus Thamesinum natus; Henrici II. Angliæ Regis nepos, ab eo tandem ditionis Arelatensis in Galliâ Marescallus factus: non modò Regi suo, sed & Ottoni IV. Imp. apprimè charus. Claruit anno 1210. Editus est à Cl. Madero, anno 1673. Gervasii nostri *Commentarius de Imperatorum Romanorum, Gothorum, Lombardorum, Britonum, Francorum, Anglorumque Regnis*, teste Christophoro Sandio *. Editionem enim hactenus non vidi. An idem sit Opus cum *Otiorum Imperialium libris* III. qui in Bibliothecâ S. Benedicti Cantab. Cod. 237. nu. 1. MSS. habentur, videant, quibus utrumque Opus conferendi facultas datur. Extat Gervasii nostri liber *de descriptione mundi ad Ottonem Imperatorem* in Bibliotheca Cottoniana, *sub Vespasiano* E. I. N. I. idem opinor cum libro *de Mirabilibus Mundi*, qui in Bibliotheca Benedictina loco citato reperitur. *Dialogus ejus de Scaccarii juribus & consuetudinibus* extat MS. inter Archiva Regni Fiscalia, & in Collegio Gonvilii & Caii Cantab. Alia Gervasii scripta Historica, viz. *Illustrationes Galfridi, Historiam Terræ Sanctæ, Tricolumnium Angliæ, &c.* recensent Baleus, Pitseus, alii.

* Not. ad Voss. de Hist. Lat. p. 147.

1210. P. II. GERVASIUS TILBERIENSIS, claruit anno MCCX. Commentarius de Regno & Regibus Romanorum, Gothorum, &c. quem unà cum aliis Historicis *Helmstadii* an. 1678. edidit Joachimus Maderus, ingentis Operis *de otiis Imperialibus* pars est, & quinque tantùm capita partis secundæ unà cum Præfatione, Epilogo, & summulis capitulorum totius Operis complectitur. Opus integrum in tres partes seu libros divisum, & Othoni IV. Imp. dicatum, MS. asservatur tùm in Bibliothecâ S. Benedict. Cantab. *Cod.* CCXXXVII. num. 1. tùm in Bibliothecâ Academiæ Juliæ, undè hanc partem Maderus deprompsit & evulgavit.

GUALTHERUS MAPES, gente Anglus, Henrici II. Regis Sacellanus, ex Canonico, ut volunt, Sarisburiensi Lincolniensis Præcentor, tandemque Archidiaconus Oxoniensis, claruit anno 1210. Pendente lite inter Galfridum Monumetensem & Hubertum Archiepiscopum Romæ aderat; quo tempore Romanæ curiæ vitia & excessus accuratè notavit. Vir admodùm festivi ingenii: qui lapsos Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Clericorum, & Monachorum mores mordaci sale acriter perfricuit: unde poëmata sua sub fictis titulis & alieno nomine venditare solebat. 1210.

SCRIPTA.

Apocalypsis Goliæ Pontificis, à Joanne Wolfio edita Memorab. Lect. Tom I. Cent. XII. pag. 430.

Ad impios Prælatos liber, ibid. p. 437.

Ad malos Pastores, ibid. p. 439.

Ad Christi Sacerdotes, ibid.

Sermo ad eosdem Prælatos impios, ibid. p. 441.

De malis Romanæ Curiæ ibid p. 442.

Alia forsan faceti hujusce Poëtæ *Opuscula* in variis Angliæ Bibliothecis delitescunt: quorum tituli apud Baleum & Pitseum reperiuntur.

GUNTHERUS, primò Scholasticus, dein Cœnobii Parisiensis in Diœcesi Basiliensi Monachus Ordinis Cisterciensis. Claruit anno 1210. Scripsit ex ore Martini cujusdam Abbatis, qui rebus gestis interfuerat *Historiam cap æ à Latinis Constantinopoleos.* Eam extulit Henricus Canisius *Antiqu. Lect.* Tom. V. pag. 358. Eundem, ut videtur (neque enim id disertè statuo) Guntherum autorem habet *Carmen Heroicum* sanè non inelegans *de rebus à Frederico Barbarossâ Imp. in Italiâ ac præsertim Liguriâ gestis, libris* X. comprehensum, & *Ligurinum* dictum; quod inter Scriptores Germanicos cum notis Jac. Spiegelii evulgavit Justus Reuberus *Francofurt.* 1584. fol. pag. 275. Prodierat antea seorsim *Basil.* 1569. & cum Jac. Spiegelii notis *Argent.* 1531. fol. imò jam anno 1500. folio: in hoc Poëmate meminit alterius à se scripti, de Bello Sacro, quod *Solymarium* vocat. Certè Guntherum hunc, quisquis tandem fuerit, tanquam Poëtam spiritû & ingenii haud vulgaris, immò ut illo ævo mirandum, prope barbari sæculi captu perelegantem, nobis commendant * Lipsius, Casaubonus †, Vossius §, Deus bone! Quales Judices! Quin & res suo ævo domi forisque fortiter & sapienter gestas [inquit, qui hunc Scriptorem edidit, Conr. Rittershusius] Carmine supra quàm sæculum suum ferat, eleganter bonoque & erudito descripsit. 1210.

* Polyorchet. lib. 4. Dial. 4.
† In Polyb. p. 171.
§ De Hist. Lat. l. 2. c. 59. p. 432.

ABSOLOM, primùm Canonicus S. Victoris Parisiensis, dein Abbas Spincherbacensis in Diœcesi Trevirensi. Claruit anno 1210. Hujus meminit Cæsarius Hiesterbacensis Miracul. sui temporis lib. 4. cap. 89. Extant *Sermones Festivales* LI. curâ Danielis Schillingi impressi Coloniæ 1534. f. 1210.

ROBERTUS DE MONTE, seu Robertus de Torinneio, gente Normannus, Abbas S. Michae- 1210.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. chaelis de Monte in Diœcesi Abrincensi, claruit anno 1210. uti vulgò perhibetur: quippe cùm Sigeberti Continuatio illi ascripta ad hunc annum deducatur. Rectiùs tamen alii forsan Robertum nostrum ex Priore Beccensi Abbatem S. Michaelis creatum esse, atque anno demum 1186. obiisse tradunt: adeò ut à posteriore quodam Scriptore Sigeberti Chronicon ab anno 1158. quo desiit Robertus, ad an. 1210. continuatum fuerit. Certè in Catalogo Abbatum S. Michaelis, quem exhibet Monstieur *, non alius hoc tempore occurrit Robertus.

* Neustria Pia, p. 388.

SCRIPTA.

Continuatio Chronici Sigeberti Gemblacensis ab anno 1112. ad 1210. cujus non alia forsan pars genuina est, quàm quæ ad annum 1158. saltem ad an. 1182. desinit. Extat cum Sigeberti Chronico edita *Antverp.* 1608. & sæpiùs alibi.

Epistola una, & Prologus in abbreviationes Epistolarum Apostoli secundùm Augustinum.

Appendix germana ad Sigebertum, antea inedita.

Tractatus de immutationibus Monachorum, de Abbatibus & Abbatiis Normannorum, & ædificatoribus & dotatoribus eorum.

Opuscula ista omnia edidit Lucas Dacherius in Appendice ad Guiberti Opera *Parif.* 1651. p. 715.

Historiam Monasterii S. Michaelis de Monte à Roberto conscriptam edidit idem Dacherius in *Spicilegio suo.*

1211. WILLIBRANDUS ab OLDENBURG, natione Germanus, Canonicus Hildesheimensis, claruit anno 1211. quo iter in Palæstinam suscepit, ut loca sancta inviseret. Domum reversus *Itinerarium Terræ Sanctæ* conscripsit, quod primus evulgavit Leo Allatius *Symmict.* par. 1. pag. 104. *Coloniæ* 1653. 8°.

1212. HELINANDUS, natione Gallus, dein post vitam aliquandiu satis dissolutè actam, quod ipse ingenuè fatetur, Monachus Ordinis Cisterciensis in Cœnobio Montis Frigidi in Diœcesi Bellovacensi, claruit an. 1212. Obiit an. 1227.

SCRIPTA.

Chronicon ab Orbe condito ad annum 1204. libris XLVIII. Edidit id non ita pridem in *Bibliothecâ* suâ *Cisterciensi* Bertrandus Tissierius. De hoc Chronico notatu non indignum est quod tradit Joannes Tinmouth in historiâ suâ nondum editâ.

Chronicum ab initio mundi usque ad tempus suum in maximo quodam volumine digessit: & hoc quidem opus ita dissipatum est & dispersum ut nusquam totum reperiatur; fertur enim quod idem Helinandus cuidam familiari suo Garino Sylvanectensi Episcopo quosdam ejusdem operis quaternos accommodaverit, sicque per oblivionem sive negligentiam, penitùs amiserit. Hactenus Jo. Tinmouth.

Sermones aliquot, ab eodem editi ibid.

Martyrium SS. Gereonis & Sociorum ejus. Extat apud Surium ad diem X. Octobr.

Versus Gallici de Morte, qui publicè legi & cantari solebant. Hos edidit Antonius Loisellius an. 1594. qui notat Helinandi stylum ubique esse ornatum valdè & figuratum; orationem plenam, sententiosam, & moralem: rythmos verò ejus tam eruditos & fluidos, ut nullis antiquis aut modernis quicquam debeant. Hoc me docuit Carolus Vischius, qui plura Helinandi scripta MSS. adhuc delitescentia enumerat, *Biblioth. Cisterc.* p. 140. SÆC. XIII. ab An. MCC.

PETRUS, gente Gallus, Vallis Sarnensis in Diœcesi Parisiensi [Carnotensi habet Miræus *] ex ordine Cisterciensi Monachus, claruit circa an. MCCXII. Ad mandatum Innocentii III. Pontificis scripsit *Historiam Albigensium & sacri belli* in eos an. MCCIX. suscepti, duce & principe Simone à Monteforti, Comite posteà Tholosano, quam prædicto Innocentio nuncupavit. Hanc primus extulit Nicolaus Camuzacius Trecensis Canonicus, *Trecis* 1615. Deinde in Bibliothecam *Script. Cisterc.* Tom. VII. pag. 1. à Bertr. Tissierio an. 1669. editam translata est. Etiam Gallicè reddita ab Arnoldo Sorbino, prodiit *Parif.* anno 1569. monente Carolo Vischio *Biblioth. Script. Cisterc.* p. 276. 1212. P. II.

* Auct. c. 403. p. 262.

GAUFRIDUS, ortu Scotus an Anglus? Monasterii de Coldingham in Scotiâ [Cella erat ad Cœnobium Dunelmense pertinens] Sacrista, claruit an. MCCXIV. Scripsit historiam de statu Ecclesiæ Dunelmensis ab an. MCXIV. ad annum MCCXIV. ipse rerum gestarum utplurimùm testis oculatus. Ex Bibliothecâ Cottonianâ illam edidit H. Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. I. p. 718. qui & Gaufridi Historiam ab aliis continuatam dedit *ibid.* p. 732. 1214. P. II.

CONRADUS A LICHTENAU, gente Germanus, ortu nobilis, anno 1202. Presbyter factus, dein anno 1207. Monachus Ordinis Præmonstratensis, & demum Abbas Cœnobii Urspergensis ad Mindulam in Augustanâ Diœcesi ab anno 1215. ad an. 1240. quo diem obiit. Ex variis aliorum Historiis contexuit *Chronicon à Belo Assyriorum Rege ad annum Christi* 1229. *De Historiâ Germanicâ optimè meritus est; quippe qui de Imperatoribus nostris multa studiosè collegit. Præterea notationem temporis, alterum Historiæ oculum reliquis diligentiùs adhibuit*, inquit eâ ipsâ Apologiâ, quam pro Ottone Imp. adversùs Conradi nostri censuram scripsit; Henricus Meibomius *. Prodiit istud *Chronicon Argentorati* 1540. 1609 f. 1215.

* Opusc. Hist. p. 329.

ALEXANDER NECKAM, Gente Anglus, Patriâ Hartfordiensis, ad fanum S. Albani natus, optimis literis domi apprimè excultus, pro more sæculi Galliæ Italiæque Academias petiit, & lustravit. In patriam redux in S. Albani Cœnobio sibi sedem ponere voluit: sed levi de causa indignatus, Excestriam se transtulit, & in eadem Ecclesia S. Augustini Canonicus Regularis, & ab anno MCCXV. Abbas factus est. Obiit anno MCCXXVII. VVigorniæ in Itinere positus; in Claustro Monachorum ibidem sepultus, hac inscriptione ornatus, quam ex Bostono Buriensi profert Baleus. 1215.

Eclipsin patitur Sapientia, Sol sepelitur:
Cui si par unus, minus esset flebile funus.
Vir benè discretus, & in omni more facetus:
Dictus erat Nequam, vitem duxit tamen æquam.

SCRIPTA.

Commentar. super quatuor Evangelia. Extat MS. in Bibliothec. Lincolniens. Oxon. Volum. 21.

Expositio super Ecclesiastem. MS. in *Bibliotheca Cottoniana* sub *Tiberio* A. 12. N. 2.

Expositio super Cantica, MS. Oxon. in Biblioth. Coll.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. Coll. Nov. Cod. 285. in Biblioth. Baliolenſ. Cod. 38. Cantabrig. in Biblioth. publicâ Cod. 122. & in Pembrochianâ Cod. 152.

Laudes divinæ ſapientiæ olim in Bibliothecâ Lumleianâ Vol. 33.

De Naturis rerum, in Bibliothecâ G. Copi nobilis Angli vol. 62.

Elucidarium Bibliothecæ. Incipit, *De ſingulis Bibliothecæ libris*, teste Baleo. Extat MS. 12. ſed abſque Autoris nomine in Biblioth. Collegii Gonvil. & Caii Cantab. manu ſat antiquâ. Continet liber explicationem Variorum S. Scripturæ locorum difficilium, inter alia ad celebrem illum locum Joan. 6. *Siquis manducaverit*, &c. hæc habet verba notatu non indigna. *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum, hoc eſt, quicunque perſeveraverit in unitate Eccleſiaſtica, quæ eſt res Sacramenti ejus, quod eſt corpus Domini. Panis enim dicitur caro Chriſti, item panis ipſe Chriſtus, qui ſuos hic reficit ſpiritualiter; refecturus eos æternaliter in Gloriâ. Quicunque verò manducaverit ex hoc pane, qui eſt Chriſtus*, id eſt, *delectatus fuerit in fide, in operibus, in amore Chriſti. Manducare enim ſæpe pro delectari accipitur*. Niſi manducaverit, ſc. *interpretativè enim manducat carnem Chriſti, qui in unitate Eccleſiæ eſt, quæ, ut dixi, res eſt illius Sacramenti*. Codex MS. deſinit his verbis, *excellentiorem eſſe Angelica*. Alexandri noſtri opus eſſe, ſumma eſt dementia dubitare. Locum exſcripſit, atque Autorem indicavit D. Whartonus. Plura alia quæ poſt ſe reliquit monumenta, eorum ſaltem titulos exhibent Balęus & Pitſeus, ab ipſis, ſi nudis Nominibus delectentur, ea petant ſtudioſi.

1215. ALANUS DE INSULIS, natione Flander, ob eximiam diffuſiſſimamque eruditionem *Doctor Univerſalis* dictus, Theologus Pariſienſis, ejuſdemque Academiæ Moderator, tandem Ordinis Ciſtercienſis Converſus, ſeu Frater Laicus factus eſt. Claruit an. 1215. quo adversùs Almerici Carnotenſis diſcipulos in Concilio Lateranenſi ſolertiſſimè diſputavit. De Alani noſtri ętate lis eſt inter Scriptores haud facilè concilianda. In Commentariis enim in Merlini Prophetias pag. 198. ait ſe puerum fuiſſe, cùm Theodoricus in Flandriæ Comitem electus eſt: quod contigit circa ann. 1128. In Epitaphio ejus apud Clauſtrum Ciſtercienſe an. 1294. obiiſſe dicitur. Priori reponi poſſe cenſet Carolus Viſchius Commentaria in Merlinum alterius eſſe autoris. Eſto: at quid fiet de Epitaphio? Certè dicendum erit aut mendam in Epitaphio cubare, aut Alanum noſtrum centenarium, ſi non centenario majorem obiiſſe.

SCRIPTA.

Commentarius in Cantica Canticorum ad laudem B. Virginis. Prodiit *Pariſ.* 1540. 8°.

Summa de arte prædicandi.

Pœnitentiale, *Corrector* dictus.

Opus de Parabolis, ſive *doctrinale minus*. Prodiit *Daventriæ* 1492. *Lipſiæ* 1499. fol. 1416. 4°. *Lugduni* 1536. 8°.

Liber Sententiarum & dictorum memorabilium.

Anti-Claudianus, ſeu *de Viro optimo, & in omni virtute perfecto*, libri XI. carmine. Extat hoc opus *Baſil.* 1536. *Antverp.* 1621.

De planctu naturæ contra Sodomiæ vitium.

Contra Albigenſes & VValdenſes libri II.

Sermones XI. de variis argumentis.

Liber de ſex alis Cherubim, qui Bonaventuræ falsò inſcriptus inter opera ejus haberi ſolet.

Rythmus de Chriſti incarnatione, atque *alius de fragilitate humanæ naturæ.*

Omnia iſta Alani opera collegit & junctim edidit Carolus Du Viſch *Antverp.* 1653. fol. SÆC. XIII. ab A. MCC.

Commentaria in Prophetias Merlini Angli. Extant *Francofurt.* 1608.

Dicta de Lapide Philoſophico. Prodierunt *Lugd. Bat.* 1600.

Denique poſteriores duos *libros quadripartiti operis adverſus Albigenſes, VValdenſes, Judæos & Paganos*, in lucem emiſit Carolus Viſchius in *Bibliothecâ Scriptor. Ciſterc. Colon.* 1656. 4° pag. 411. qui & quamplurima alia Alani ſcripta adhuc inedita recenſet p. 13.

Inſigne ejuſdem *Opus* ſeu ſummam *Quot modis* appellatam ad Hermengaldum S. Ægidii Abbatem in Bibliothecâ Regalis Montis Ordinis Ciſtercienſis MS. extare prodit Caſ. Oudinus *Supplem.* pag. 564.

HONORIUS III. *Centius Sabellius* antea dictus, natione Romanus, Haymerici filius, à Cœleſtino III. Diaconus Cardinalis, & Camerarius, ab Innocentio III. Presbyter Cardinalis factus. Pontifex Romanus electus eſt Perusii an. 1216. die XVIII. Julii die XXIV. conſecratus. Summa ei votorum ac ſtudiorum fuit validis Crucesignatorum copiis Saracenos in Aſiâ, & Albigenſes in Galliâ opprimere. Quod quidem tanto animi impetu urgebat, ut Frederico Imp. exercitum conflare, & in Orientem ducere, ſub anathematis pœnâ ſemel iterumque mandârit, moraſque nectentem tandem anno 1226. excommunicârit. Anno 1217. Carmelitarum religionem recens inſtitutam confirmavit. Obiit an. 1227. die XVIII. Martii. Extant *Epiſtolæ* VI. Concil. Tom. XI. p. 242. *Aliæ* III. apud Baluzium *Miſcellan.* Tom. II. p. 252. *Aliæ* VII. apud Waddingum *Annal. Minor.* Tom. I. ad an. 1219. &c. *Aliæ* III. ibid. Regeſto Pontif. p. 1. 1216.

SIMON, Tornacenſis, dignitate Presbyter, & Magiſter Pariſienſis, doctrinâ atque eruditione inter primaria Academiæ Pariſienſis lumina inſignis; claruit circa an. 1216. Extant ab eo ſcripta, *Summa quæſtionum in Sententias*, MS. in Bibliothecâ Baliolenſi Oxon. Cod. 58. & 188. *Inſtitutiones in ſacram paginam* MSS. in Collegio Mertonenſi Oxon. Cod. 36. num. 2. Alia ejuſdem recenſet Simlerus * *in Symbolum Athanaſii librum*; *in Boethium de Trinitate librum*; *Lecturas Scholaſticas*, quæ quidem an alicubi MSS. deliteſcant, non liquet. *Quæſtiones* ejus variæ; & *Expoſitio in Symbolum S. Athanaſii* habentur in Cod. MSS. Victoris, teſte Labbeo *Nov. Biblioth. MS.* p. 25. Cæterùm Simonem iſtum Anglum fuiſſe, patriâ Cornubienſem cognomine Thervaium, contendit Baleus †, eumque tandem ex nimiâ doctrinæ ſuæ fiduciâ contra legem divinam intumeſcentem, omni ſcientiâ divinitùs privatum & elinguem eſſe factum refert, ac fuſiorem inſuper opuſculorum ejus exhibet Catalogum. 1216.

* Biblioth. p. 631.

† Cent. 3. cap. 47.

JOANNES de CECCANO, gente Italus, Ceccano, quod Campaniæ oppidum eſt, ut videtur oriundus, Ceccani Comitibus ex pervetuſtâ nobiliſſimâque Anagninenſium Comitum familiâ prognatis, admodùm familiaris, claruit circa ann. MCCXVII. Condidit Chronicon Foſſæ Novæ à Chriſto nato ad an. uſque MCCXVII. Ex vetuſto codice MS. Cœnobii Foſſæ Novæ, primus in lucem extulit Ferd. Ughellus *Ital. Sacr.* Tom. I. Part. II. p. 449. 1217. P. II.

ANONYMUS Annalium VVigornienſium conditor, Anglus, Monachus VVigornienſis, claruit circa an. MCCXIX. Ita enim ipſe ad hunc annum 1219. P. II.

ætatem

Digitized by Google

 ætatem suam innuere videtur. Annales de rebus Ecclesiæ Wigorniensis, à Christo nato ad sua usque tempora, in literas misit; quos alii deindè ad an. MCCCVIII. continuârunt. Hos, non tamen integros, ex codice Cottoniano in lucem emisit H. Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. I. p. 467. Plurima minoris momenti rejecit, insigniora atque anteà inedita exhibuisse contentus, ut ipse nos docet. Annalibus hisce continuationem Historiæ de Episcopis Wigorniensibus ab anno MCCCII. ad an. MDXL. & compositionem inter Episcopum & Monachos Wigornienses, factam an. MCCXXIV. de electione Prioris, & quædam alia subjecit.

1220. JACOBUS DE VITRIACO, gente Gallus, è vico Argentolii propè Parisios ortus, in Academiâ Parisiensi educatus, primò in oppido natali Presbyterum egit. Relicto verò munere parochiali, Cœnobii B. Mariæ Ogniacensis in Diœcesi Namurcensi Canonicus Regularis factus est, inde in agrum Tolosanum profectus, validè adversùs Albigenses declamavit; nec minori zelo adversùs Saracenos ductus, in Palæstinam transiit, sedis Aconensis, (quæ olim Ptolemais) Episcopus constitutus. Claruit anno 1220. Tandem ab Honorio III. Romam evocatus, Episcopus & Cardinalis Tusculanus renunciatur; & jam legationis Pontificiæ autoritate munitus, in Galliam & vicinas regiones ad crucem prædicandam, & Albigenses profligandos missus est. Romam reversus, vitam pace transegit usque ad an. 1244. quo obiit; corpore in Barbantiam delato, & in Cœnobio Ogniacensi deposito. Vide quæ de eo habet Ludovicus Dattichius *Hist. Cardinal.* Tom. I. p. 289.

SCRIPTA.

Historia Orientalis & Occidentalis libri III. In primo res Orientis describit, mores populorum & situm regionum, historiamque à Mahumedis tempore ad annum 1210. pertexit. Secundo res Occidentales sui temporis enarrat. Tertio ad Orientem regressus historiam suam ad annum 1218. continuat. Prodiit *Historia* ista *Duaci* 1597. 8°. & omisso libro secundo, in collectione *Gestorum Dei per Francos* Bongarsianâ Tom. II. p. 1047. Et hæc quidem editio Bongarsiana Duacensi in multis auctior & emendatior est.

Epistola ad Familiares suos in Lotharingiâ de capta Damiata apud Bongarsium ibid. p. 1146.

Epistola ad Honorium III. *Papam*, apud Dacherium Spicileg. Tom. VIII. p. 373.

Conciones in Evangelia, & Epistolas totius anni. Prodierunt *Antverpiæ* 1575. f. Deest verò harum Concionum pars quinta & sexta, quæ MSS. in variis Bibliothecis extare dicitur.

Vita B. Mariæ Ogniacensis libris II. Habetur apud Surium ad diem XXIII. Junii. Confer quæ habet Anton. Sander. *Biblioth. Belg.* part. 1. p. 93.

1220. ANTONIUS DE PADUA, gente Lusitanus, civitate Olyssiponensis, postea in Italiam migrans, Patavii lares fixit, & Minorum Ordini à Francisco nuper instituto nomen dans, ingentem sibi apud suos existimationem peperit, primusque omnium Minorum Theologiæ professionis munus obiisse dicitur. Claruit an 1220. biennio pòst Presbyter ordinatus, à Francisco ad Monasterium Vercellense mittitur bonis adhuc literis erudiendus. An. 1227. cùm strenuè inceptiendo magis magisque inclarescere cœpisset, Romam vocatus, à Pontifice & Cardinalibus maximo honore exceptus est. Obiit Patavii die 13. Junii an. 1231. Cave *Hist. Lit.*

SCRIPTA.

Sermones Dominicales, adventûs, Quadragesimales, aliique de Tempore.

Sermones de Sanctis. Prodierunt S. Antonii Sermones *Paris.* 1521. *Venet.* 1575.

Interpretatio, sive expositio mystica in S. Scripturam.

Concordantiarum moralium in S. Biblia Libri V.

Opuscula ista collegit, & cum S. Francisci operibus edidit Joannes de la Haye *Paris.* 1641. fol.

Sermones alii de Sanctis in particulari & de diversis, quos supplementi vice evulgavit Antonius Pagi *Avenione* 1684. 8°. Sermones hos omnimodò simplices & jejunos esse rectè notat Cas. Oudinus. Certè Claustro Monachali, quàm publica eruditorum luce longè digniores.

BENIGNUS Florentinus Vallis Umbrosanæ Monachus, posteà Abbas generalis claruit circa ann. MCCXX. obiit anno MCCXXXVI. Condidit Historiam suæ religionis, quam *Florentiæ* an. MDC. typis excusam fuisse testis est Michael Poccíantius *Catal. Script. Florent.* p. 29. Subdit etiam, Benignum aliud opusculum in lucem misisse, cui titulum fecit *Claustrum Animæ*; an verò editum sit, vel ubinam lateat, non indicat. 1220. P. II.

GERMANUS II. Anaplo Propontidis oriundus, vitæ instituto Monachus, ἀνὴρ συνετὸς, καὶ ἀρετῇ καὶ λόγῳ τὸν βίον κοσμήσας, inquit Nicephorus Grægoras *, ab anno circiter 1222. Patriarcha Constantinopolitanus, Niceæ lares fixit, quo translatus fuerat Patriarchatus Constantinop. quamdiu urbs Regia à Latinis teneretur; sede depositus an. 1240. iterumque restitutus an. 1254. obiit eodem, saltem sequente, anno. Certè sedes Patriarchalis per mortem ejus eo tempore vacavit, quo Theodorus Lascaris junior ad imperium pervenit, i. e. juxta Freherum, an. 1255. 1222.

* Hist. Rom. l. 3. p. 39.

SCRIPTA.

Oratio in Encænia venerandæ ædis B. Mariæ, & in Fascias Domini nostri. Extat Gr. Lat. apud Combefis. *Orig.* CP. p. 231.

Rerum Ecclesiasticarum theoria, sive *Expositio in Liturgiam*, Gr. Lat. *in auctuario Duccano* Tom. II. p. 131. Hanc *Theoriam*, prout jam edita habetur, adeò miserè interpolatam esse conqueritur P. Simonius *, ut nihil in eâ priscæ faciei appareat, vixque dignosci possit quid à Germano, & quid ab interpolatoribus profectum fuerit. Subdit se longè integriorem Codicem [S. quidem Basilii Historiæ Ecclesiasticæ titulo prænotatum] nactum esse, Nicetæ Neracleensis Catenæ in Joannem subjectum eumque se aliquando publici juris facturum esse.

* Not. ad Gabr. Sever. p. 287.

Orationes IV. viz. *in Encomium*, *Nativitatem*, & *Dormitionem B. Virginis* Gr. Lat. ibid. p. 450. Ex his secunda, quæ est, *in B. Virginis nativitatem* & incipit ᾗ μετρεῖται γῆ, nostri, ut videtur, non est; reclamant enim Codices antiquissimi, stylus, & modus, & Georgio Nicomediensi, seu Chartophylaci asserunt, teste Leone Allatio Diatrib. *de Georgiis & eorum scriptis*, p. 313.

Homiliæ V. viz. *in Decollationem S. Joannis Baptistæ*, *in Præsentationem S. Mariæ*, *in ejusdem Dormitionem* II. & *in Dominici corporis sepulturam*, Gr. Lat. apud Combefis. Auctuar. Nov. *Paris.* 1694. Tom. I. pag. 1461.

Idiomelon in Festum Annunciationis, Græc. Lat. ibidem.

Digitized by Google

Oratio in exaltationem venerandæ Crucis, & adversùs Bogomilos. Habetur Gr. Lat. apud Gretser. *de Cruce* Tom. II. p. 1237.

Oratio in vivificam Crucem Dominicâ 3a. *jejuniorum*, ibid. p. 1413.

Oratio altera tempore medii jejunii, ibid. p. 1427.

Oratio in primam jejuniorum Dominicam, & in S. Imaginum restitutionem, ibid. p. 1224. Vixit enim istarum Homiliarum author non modò post natam Bogomilorum hæresin, sed & post schisma exortum inter Græcos & Latinos, & post bella inter Italos & Imperatores Constantinop. orta, ut rectè notat Gretserus *.

* In Anno ibid. p. 2722.

Fragmentum quoddam ex *Oratione contra Hæreses ad Anthimum*, apud Canisium, & in omni ferè Bibliothecâ Patrum habetur.

Epistolæ II. ad Cyprios Gr. Lat. à Cotelerio editæ *Monument. Eccles. Græc.* Tom. II. p. 462.

Epistolæ II. ad Gregorium IX. Papam & Cardinales, Lat. apud Matthæum *Paris.* ad an. 1237. & Concil. Tom. XI. p. 318.

Decreta III. præcipuè *de Monasteriis Patriarchalibus*; habentur Gr. Lat. apud Leunclav. *Jur. Gr. Rom.* l. 3. p. 232.

Scripsit præterea Germanus *Opus de Processione Spiritûs S. adversùs Latinos*, Patrum tam Latinorum quàm Græcorum testimoniis sedulò conquisitis refertum, *Responsionem Synodicam ad delegatos Fratres Minores & alios. Opuscula de Azymis, de Purgatorio, & de tribus modis administrandi Baptisma*, teste Leone Allatio, *de Consensu* l. 2. c. 14. §. 3. qui priores duos Tractatus in Bibliotheca Græcè MS. extare prodit.

1222. P. II. GERMANUS junior, Patriarcha Constantinopolitanus factus an. MCCXXII. obiit circa annum MCCLIV. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCLXXVI. num. ii. fol. 136. habetur Manuelis Ducæ Despotæ Epiri & Thessaliæ *Epistola* ad Germanum nostrum, quâ ipsum maximis laudibus effert, simulque rogat, ut Imperatorem Constantinopolitanum Joannem Ducam sibi reconciliaret, & Ecclesiis sub ditione suâ viduis idoneos Episcopos præficeret. *Num.* sequenti extat Germani *Responsoria*, quæ ita incipit. Ἠτλήμεθα νὴ τὰς σὰς Ἀρισείας, ἠτλήμεθα πάνυ δὴ τυχέστατε Δέσποτα ἦτλαν ἀνέλπιστον &c. Num iv. fol. 144. pag. 2. ejusdem *Mandatum* seu *Commonitorium Synodale*, traditum Christophoro Metropolitæ Ancyrano, cùm is ex Synodo Nicenâ anno MCCXXII. celebrata, tanquam legatus Patriarchalis ad Manuelem Ducam, Despotam Epiri & Thessaliæ, esset profecturus. Vide Lambec. *Comment.* l. V. p. 108. 109.

1223. JORDANUS, natione Saxo ex oppido Borterge in Diœcesi Moguntinâ, circa annum 1220. Ordinis Dominicani Monachus factus, post biennium Lombardiæ Provincialis, & post Dominici mortem circa an. 1223. secundus totius Prædicatorum Ordinis Generalis renunciatus. Obiit circa an. 1236. Extat *Corona Virginis Mariæ*, tum alibi, tum *Placentiæ* edita 1599. 12°. *Liber de Origine sui Ordinis*, cum Antonii Maffæi notis *Romæ* 1587. *Historia translationis corporis S. Dominici* apud Bzovii Annales ad an. 1233. num. 5. Plura recenset Ambrosius de Altamura *Biblioth. Dominic.* p. 6. Verùm ubinam habeantur, vel an omnino supersint hodie, non dicit.

1225. CÆSARIUS, natione Germanus, an. 1199. Cœnobii Heisterbacensis in Diœcesi Coloniensi Monachus factus Ordinis Cisterciensis, deinde Novitiorum in eodem Cœnobio magister, tandem Monasterii Vallis S. Petri prope Bonnam Prior. Claruit an. 1225. Extant *de Miraculis & Visionibus sui temporis*, in Germania potissimùm factis *libri* seu *dialogi* XII. in quibus condendis vir nimiùm credulus nugas planè agit, & fabulas undecunque corradit. Prodierunt *Coloniæ* 1591. 8°. *Vita S. Engelberti Archiepiscopi Coloniensis* (qui obiit an. 1225.) ad Henricum Engelberti successorem *libris III.* conscripta an. 1227. Prodiit seorsim cum notis Ægidii Gelenii & Auctuario *Colon.* 1631. & apud Surium ad VII. Novembr. *Homiliæ, seu Conciones morales super omnes Dominicas & Festa totius anni*, in quatuor partes distributæ, quas sub titulo *Fasciculi Moralitatis* edidit Andreas Coppensteinius *Colon.* 1615. 4°. Verùm opera, quæ scripsit Cæsarius plurima, perquàm diligenter recenset ipse *Epistolâ fasciculo Moralitatis præmissâ*, quæ exinde exhibet Carolus Vischius *Biblioth. Cisterc.* p. 57. an verò extent hodie, quærant alii.

CONRADUS LAUTERBERGIUS, Italus, Montis Sereni propè Halin Saxoniæ Presbyter & Monachus, claruit forsan circa an MCCXXV. Scripsisse illum Monasterii sui Chronicon, & de rebus Misnensibus clarissimè liquet. Chronicon verò Montis Sereni, sive Lauterbergense edidit, sed absque auctoris nomine J. Jo. Maderus *Helm.* 1665. 4to. In quo Monasterii sui, veterumque Misniæ Marchionum gesta, aliaque Romani Imperii ab an. MCXXIV. ad annum MCCXXV. commemorantur. Non sum nescius ab eruditis dubitari an cum Conrado nostro idem sit hujus Chronici conditor. Certè diversum facit Cl. Vossius *. Mihi secùs videtur. Sed de hâc re disquirant alii. Interim consulat Lector quæ in præfatione habet doctissimus Maderus. 1225. P. II.

* De Hist. Lat. l. III. p. 699, 732.

RIGORDUS, gente Gothus, arte Medicus, Philippi Galliarum Regis Chronographus, S. Dionysii Parisiensis Monachus, claruit ann. 1225. Scripsit Annales de rebus à Philippo Augusto Francorum Rege gestis, quos Ludovico VIII. Philippi filio nuncupavit. Ad hujus exemplum libros XI. *Philippidos*, sive de gestis Philippi Augusti, carmine Heroico descripsit Gulielmus, sive Guillermus Brito, patriâ Armoricus; quo verò tempore vixerit mihi nondùm constat. Hi duo Historici unà cum aliis ex Bibliothecâ Pithœanâ prodierunt *Francofurti* 1596. *fol.* quos posteà Andr. du Chesnius in Tomum suum ultimum transtulit. 1225. P. II.

GREGORIUS IX. *Ugolinus* anteà appellatus, natione Campanus, patriâ Anagninus, ex Comitibus Signinis oriundus, Innocentii III. nepos, ab eo inter Cardinales cooptatus, an. 1227. Pontifex Romanus electus est die XIX. Martii, die XXI. ordinatus. Sub initio Pontificatûs Frederico Imp. exercitum in Asiam ducere sub anathematis pœna mandavit, & moratum paululùm, donec ex morbo convalesceret, excommunicavit. Fredericus morbo liberatus haud petitâ priùs à Pontifice absolutione, in Palæstinam abit. Abeuntis ditiones in Lombardia & Italia invadit Gregorius, sibique arripit, quin & victoriarum ab Imperatore in Oriente reportatarum invidia ductus, cum Templariis in necem ejus conspiravit, scriptisque ad Soldanum Saracenorum literis, eum ut Fredericum ad Jordanum fluvium improvisò opprimeret, hortatus est. Tantam perfidiam exhorrescens Soldanus, literas Poncificias Imperatori tradidit. Fredericus in Occidentem reversus, à Gregorio absolvi an. 1230. solo armorum terrore meruit. An. 1239. Gregorius Fredericum iterum anathematizavit, filioque Henrico ut arma contra patrem arriperet consilium dedit. Mox tamen ab Imperatore 1227.

Digitized by Google

-ore prælio devictus, æquas pacis conditiones -re coactus est. Abeunte verò Frederico, à pactis -tim resiliit, illum excommunicavit, & subditos -s à fidelitatis sacramento solvit. Cùm tamen bellicæ Imperatori fœliciter cederent, & Epi-pi Germani Papæ nullum esse in Germania jus -mantes, Fredericum anathemate absolverent; -egorius mœrore confectus, obiit an. 1241. die -1. Augusti.

SCRIPTA.

Epistolæ XXXI. Concil. Tom. XI. p. 310.
Fragmenta Decretorum CXCI. ibid. p. 368.
Epistolæ II. ibid. p. 2345.
Epistolæ XLIII. apud Waddingum *Annal. Mi-or.* Tom. 1. ad an. 1228. &c.
Epistolæ XCVII. ibid. in *Regesto Pontif.* p. 3.
Decretales Epistolæ, prodierunt *Basil.* 1511. *Pa-is.* 1541. *Venet.* 1591. 4to. *Londini* 1572. 1606. *Paris.* 1601. fol.
Constitutio pro Benedictinis. Extat *Venet.* 1500. *Paris.* 1619.
Prodierunt Opera ejus omnia cum Jacobi Pamelii notis *Antverp.* 1572.
Epistola pro Canonizatione B. Elizabethæ edita est à Lambecio *Comment.* l. 2. p. 880.

JOANNES ALGRINUS, natione Gallus, domo Abbavillianus, in Academiâ Parisiensi prima Theologiæ tyrocinia posuit. In fine Commentariorum, quos scripsit *in Cantica*, Decanus Ambianensis, & Cantor de Abbatis-villâ fuisse dicitur. Anno circiter 1225. Archiepiscopus Bisontinus factus, an. 1227. Cardinalis & Episcopus Sabinensis. Deinde in Hispaniam ad prædicandam contra Saracenos Crucem missus. Obiit IV. Cal. Octobr. anno 1236. Scripsit anno 1233. *Commentarium in Cantica Canticorum*, typis impressum *Paris.* 1521. fol. *Sermones de Tempore, & de Sanctis* ab eo conscriptos memorat Henricus Gandavensis *, qui variis in Bibliothecis MSS. extare dicuntur.

GULIELMUS, gente Gallus; Patriâ Arvernus, vir omni literarum genere instructissimus, summus Theologus non minùs quàm Philosophus; & Mathematicus; adhæc eximiâ morum pietate illustris. Anno MCCXXVIII. Parisiensis Episcopus creatus est: eodemque anno assumptis sibi Doctoribus aliquot præstantissimis disputationem celeberrimam instituit: in quâ definitum est neminem sine salutis dispendio duo ministeria sacra tenere posse; quorum alterum annuo censu 15. libras Parisienses valeret. An. 1240. dogmata quorundam Theologorum Orthodoxæ fidei minùs consona damnavit. Obiit an. 1249. 3. Cal. April.

OPERA.

De fide Liber.
De Legibus liber.
De Virtutibus liber.
De Moribus liber.
De Vitiis & Peccatis.
De Tentationibus & resistentiis.
De Meritis liber.
De Retributionibus Sanctorum.
De Immortalitate animæ.
De Rhetoricâ Divina.
De Sacramentis in genere.
De Baptismo.
De Confirmatione.
De Sanctissima Eucharistia.
De Pœnitentia Sacramento.
De Ordine.
De Extrema unctione & Sacramentalibus.
De causis, Cur Deus Homo.
De Pœnitentia novus Tractatus.
De Universo Primæ Partis Principalis Partes III.
De Universo Secundæ Partis Principalis Partes III.

Hactenus editio Operum Gulielmi Parisiensis; curâ Joannis Dominici Trajani Neapolitani adornata, *Venet.* 1591. fol.
De Trinitate & Attributis divinis Tractatus.
De Anima liber.
Supplementum novi Tractatûs de Pœnitentiâ.
De Pluralitate & Collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum Tractatus II.
Prodierunt seorsim *Argentinæ* 1507.
Sermones de Tempore, & de Sanctis. Prodierunt seorsim *Paris.* 1494. 8°. auctiores *Tubingæ* 1499. 4°. *Lugduni* 1567. *Colon.* 1629. 4to. multò demum auctiores *Paris.* 1638. fol.
Opera omnia Gulielmi Parisiensis hactenus enumerata in unum collegit, atque edi curavit Bartholomæus Ferronius, *Aureliæ* 1674. II. Tom. fol.
Censura detestabilium aliquot errorum contra Catholicam veritatem facta ann. 1240. in Bibliothecis Patrum haberi solet.
Dialogum de VII. Sacramentis, qui sub Gulielmi Parisiensis nomine prodiit *Lipsiæ* 1512. & *Lugduni* 1567. Arverni nostri non esse, sed Gulielmi Parisiensis junioris ex ordine Prædicatorum rectè notat Theophilus Raynaudus *. Certè stylus ejus à nostri stylo abhorret; & in calce Operis Thomam Aquinatem & Petrum de Tarentasia, Gulielmo nostro juniores citat.
Commentarium in S. Matthæi Evangelium, quod inter Opera S. Anselmi in editione Coloniensi habetur, Gulielmo nostro deberi contendit Oudinus *; qui & prolixa ejusdem *Commentaria in Cantica Canticorum, & in Ecclesiastem*, se MSS. vidisse testatur.

* De bon. & mal. libris Erotem X. p. 141.

* Supplem. p. 520.

1228. RAYMUNDUS DE PENNAFORTI, seu de *Rupe-Forti*, natione Catalaunus, Patriâ Barcinonensis, ex antiquo Regum Aragonum & Comitum Barcinonensium stemmate ortus, natus anno 1175. In Gymnasio Bononiensi Jus Canonicum docuit; Canonicus demum & Archidiaconus Barcinonensis: atque Ordinis Dominicani Monachus factus. Claruit an 1228. Gregorio IX. Pontifici à confessione & sacris adhibitus, an. 1238. in Conventu Bononiensi Ordinis sui Generalis constitutus est. Exacto verò in hoc munere biennio se abdicavit, & Archiepiscopatum Tarraconensem referente Ambrosio de Altamura *, à Gregorio Papa oblatum, Bragensem in Lusitania, denique Barcinonensem in patriâ suâ, constantissimè recusavit. Obiit centenarius an. 1275. die 6. Januarii.

* pag. 41.

SCRIPTA.

Summa de Casibus Pœnitentialibus libris IV. seu *Summa de Pœnitentia & Matrimonio.* Prodiit cum Glossis Joannis de Friburgo 1603. in compendium redacta, *Colon.* 1502.
Libri V. Decretalium, Extravagantium dictorum; ex antiquis Romanorum Pontificum Decretalium Collectionibus, multis hinc inde recisis, contexti, & à Gregorio IX. approbati an. 1230. Prodierunt in omni Juris Pontificii Collectione.

1228. RADULPHUS de COGGESHAL, ordinis Cistercienfis Monachus, deinde Cœnobii Coggeshaliensis in agro Essexiensi Abbas VI. claruit an.

P. II.

save Hist. Lit.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. an. MCCXXVIII. vir liberalibus diſciplinis egregiè inſtructus, melioribus literis aſſiduè intentus, adeò ut toto regiminis ſui tempore vix unum à ſtudiis ſeverioribus diem otioſum traduxerit. Scripſit, teſte Baleo, Chronicon Terræ Sanctæ; quod an hodie ſuperſit multùm dubito: Additiones item ad Radulphi Nigri Chronicon de Imperatorum ac Regum tam Franciæ quàm Angliæ factis inſignioribus, à tempore captæ crucis *i. e.* ab an. MCXIII. uſque ad XI. Henrici tertii annum. Extare adhuc MS. Radulphi noſtri Chronicon exindè colligo, quòd in Hiſtoriâ ſuâ Univerſali inſigne Fragmentum profert Cl. Boxhornius.

1230. ALEXANDER DE HALES, natione Anglus, Patriâ Gloceſtrienſis, juvenis ad Academiam Pariſienſem ſe contulit, & Theologiæ Scholaſticæ, Juriſque Canonici ſtudio operam dedit: in utroque tandem celeberrimus evaſit; adeò ut *Doctor Irrefragabilis* vulgò dictus fuerit. Claruit an. 1230. Minoritarum Ordinem ante octennium amplexus. Obiit Pariſiis an. 1245. die XXVII. Auguſti, inter Franciſcanos ſuos ſepultus.

OPERA.

Commentarius in Pſalmos Davidis, quæ à nonnullis Bonaventuræ, ab aliis Hugonis de S. Caro adjudicantur. Prodierunt *Venetiis* 1496. f.

Commentaria in Apocalypſin. Prodierunt curâ Joannis de la Haye *Pariſ.* 1647. f.

Summa univerſæ Theologiæ, in IV. partes diſtributa. Prodiit *Baſil.* 1502. *Norimberg.* 1482. fol. *Venet.* 1576. *Colon.* 1622.

Quæſtiones ſeu Commentaria in quatuor libros Sententiarum. Prodierunt *Lugduni* 1515. Tom. IV. Alexandro verò abjudicanda videntur Nec enim alia ſcripſit is Commentaria in libros Sententiarum, quàm *Summam Theologiæ*; quæ in nonnullis Codd. MSS. iſtum præ ſe fert titulum.

Summa de Virtutibus, ex quâ multa in Speculum ſuum tranſcripſit Vincentius. Prodiit *Pariſ.* 1509.

Commentaria in Metaphyſicam Ariſtotelis. Extant *Venet.* 1572.

Commentaria in Ariſtot. Libros III. *de Anima.* Prodierunt typis impreſſa *Oxonii* 1481. ſi locum & tempus rectè ſignat, qui Catalogum Bibliothecæ Oxonienſis condidit, Vir. Cl. Thomas Hyde Protobibliothecarius.

Destructorium vitiorum, quod prodiit *Nurembergæ* 1496. f. & *Venet.* 1582. Alexandro Alenſi conſtanti Codicum MSS. fide aſcribitur. Malunt tamen id illi abjudicare nonnulli; eò quòd in fine editionis Nurembergenſis legatur, Opus iſtud compoſitum fuiſſe à quodam Fabri Lignarii filio, qui ob humilitatem nomen ſuum latere voluit. Vid. plura ad an. 1429.

Mariale extat MS. in Bibliothecâ Lambethanâ.

Cæterùm Commentaria Alexandri Alenſis in omnes Prophetas, Evangelia, & S. Pauli Epiſtolas, MSS. partim in Bibliothecâ Ambroſianâ, partim in Bodleianâ extare dicuntur.

1230. PHILIPPUS GREVIUS, Academiæ Pariſienſis Cancellarius; claruit circa an. 1230. Extant *Sermones* CCCXXX. in Pſalmos Davidis, typis editi *Pariſ.* 1523. 8°. *Brixiæ* 1600. *Commentarius in Evangelia* MS. in Collegio D. Petri Cantab. Cod. 103. *Commentarius in Job.* MS. in Bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis Cameracenſis.

1230. CONRADUS DE MARBURCH, natione Germanus, Theologiæ Magiſter & Prædicator inſignis, Ordinis Dominicani Monachus, & D. Elizabethæ Thuringiæ Landgraviæ à ſacris confeſſionibus, claruit an. 1230. extat *Liber de Vita & Miraculis ejuſdem Elizabethæ* [quem Gregorio IX. anno 1232. obtulit] apud Leonem Allatium in *Symmictis* part. I. p. 269. SÆC. XIII. ab A. MCC.

PETRUS DE VINEIS, vulgò Germanus, rectius fortaſſe Italus, & domo Capuanus; Cancellarius Imperatoris Frederici II. [cujus jura adversùs Pontificis Romani uſurpationes ſtrenuè propugnavit], claruit circa an. 1230. An. 1239. Patavii in publico Imperii conventu adversùs Gregorii Papæ ambitionem & tyrannidem declamavit. An. 1245. à Frederico ad Concilium Lugdunenſe, ut partes ſuas tueretur, miſſus eſt. Verùm anno ſequente proditionis ab invidis falsò inſimulatus, oculis privatus, & in carcerem Capuæ conjectus eſt: ubi pudore & fame cruciatus, mortem ſibi ipſi conſcivit an. 1249. Extant *Epiſtolarum Hiſtoricarum libri VI. de geſtis Frederici Imp. & aliis*, à Simone Schardio primùm editi *Baſil.* 1566. 8°. dein *Ambergæ* 1609. 8vo. *Dictamina M. Petri de Vineis* extant MSS. in Collegio S. Benedicti Cantab. Cod. 331. 1230.

THOMAS, gente Dalmata, ortu Spalatenſis, ipſomet teſte c. 32. natus eſt an. MCC. factus primùm Canonicus Spalatenſis, dein an. MCCXXX. in ejuſdem Eccleſiæ Archidiaconum à Capitulo electus eſt, abſente & vehementer reclamante Guncello Archiepiſcopo, cui Thomæ zelus, & juſtitiæ amor, moreſque paululùm ſeveriores neutiquàm placebant. Obiit ann. MCCLXVIII. in Eccleſiâ S. Franciſci in ſuburbio Spalatenſi ſepultus. Cujus inſcriptionem ſepulchralem exhibet Jo. Lucius in capite ſuarum notarum. Condidit Thomas *Hiſtoriam Salonitanam*, ſive Pontificum Salonitanorum atque Spalatenſium, capita LI. continentem, quam ad calcem operis ſui *de Regno Dalmatiæ & Croatiæ* edidit Joannes Lucius Dalmata *Amſtel.* 1666. *fol.* pag. 310. qui Thomam noſtrum unicum rerum Dalmaticarum ſui ævi ſcriptorem vocat. 1230. P. II.

MAURICIUS, Archiepiſcopus Rothomagenſis, claruit an. 1231. Extant *Epiſtolæ* V. apud Dacherium *Spicileg.* Tom. II. 1231.

EDMUNDUS RICH, gente Anglus, domo Abingtonenſis, Edvvardi Rich mercatoris & Mabeliæ filius, in Collegio Univerſitatis apud Oxonienſes, ut volunt educatus, Theologus & Concionator celeberrimus. Scholas ibidem propriis ſumptibus inſtituit, in quibus plures in Theologiâ atque Philoſophiâ gratis erudivit, inter alia Ariſtotelis elenchos explicuit, quos primus omnium [notante Antiquitatum Oxonienſium Collectore ad annum MCCXXVI.] in hâc Academiâ enucleaſſe fertur. Ex ejus proinde ſchola haud pauci celeberrimi nominis diſcipuli prodierunt. Factus deinde eſt Eccleſiæ Sariſburienſis Theſaurarius, ac tandem an. 1234. rogante Gregorio Papâ à Monachis Cantuarienſibus Archiepiſcopus electus, die 2. Aprilis conſecratus. Acer corruptelarum Eccleſiam tunc peſſimè fœdantium correptor, ac ſtrenuus collapſæ diſciplinæ reſtaurator. Quo nomine & ab Henrico III. Angliæ Rege, & ab Othone Pontificis in Angliâ Legato, variis injuriis exagitatus, Romam petiit: ubi cùm corruptos Eccleſiæ Romanæ mores objurgare non dubitaret, Pontifici inviſus eſſe cœpit; & grandi pecuniâ mulctatus, in Angliam remiſſus eſt. Tot injuriis 1234.

fractus

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. fractus Edmundus, voluntarium tandem sibi exilium indixit, & in Galliam profectus Pontiniaci consedit. Inde an. 1242. Soyseyam migravit, ubi febre & mœrore confectus obiit die XVI. Novembris à Callisto demum III. anno circiter 1456. inter Sanctos relatus. Extat *Speculum Ecclesiæ* in Bibliothecâ Patrum T. XXV. p. 316. *Constitutiones XII.* apud Lindvodi Provinciale Anglicum.

1235. ROBERTUS, GROSTHEAD, seu *Capito* dictus, Natione Anglus, patriâ Suffolciensis, in vico Stradbrook natus, cùm per tempus aliquod in Academiâ Oxoniensi studiis incubuisset, in Parisiensem se contulit. Domum reversus, fit primò Archidiaconus Leicestrensis, dein an. 1235. Junii X. Lincolniensis Episcopus ordinatus. Ut immodicam Curiæ Romanæ in Anglia tyrannidem, illicitasque provisiones & reservationes quas ægrè admodùm tulit, fortiùs comprimeret, ipse Romam profectus est, causam istam apud Pontificem acturus. Summâ comitate dimissus, re tamen infectâ, domum rediit: unde acrem satis & mordacem Epistolam hâc de re rescripsit. Quâ conspectâ, in furorem actus est Pontifex, summam in eum concepit iram, minasque eructavit. Verùm repressa paululùm Pontificis rabie, Cardinales, *Non expediret, Domine*, inquiunt, *ut aliquid durum adversus Episcopum statueremus. Vt enim vera fateamur, vera sunt quæ dicit. Non possumus eum condemnare, Catholicus est, immò & sanctissimus; nobis religiosior, nobis sanctior, & excellentioris vitæ; ita ut non credatur inter omnes Prælatos majorem, immò nec parem aliquem habere Orbem Christianum.* Et esto quidem, quod tamen volunt nonnulli, à Pontifice non sit excommunicatus, erat tamen ab eo non uno molestiarum genere vexatus. Nihilominus in redarguendâ Pontificis tyrannide & avaritiâ, immoto atque imperterrito animo perrexit. Obiit Bugdenæ die 9. Octobris an 1253. non sine insigni sanctitatis opinione; etsi in Ecclesiæ Romanæ censum non sit relatus. De illo, præter Historicos nostros hujus temporis, agit Francisc. Godvvinus *de præsul. Angliæ* in Episc. Lincolniens. pag. 348. Vir planè erat, (ut pietatem, vitæ sanctimoniam, reliquasque virtutes Christiano Præsule dignas prætermittam,) ingentis animi, acris ingenii, in re literaria, quantùm ea ferebant tempora, ad summum penè apicem evectus, totum encyclopædiæ circulum emensus, in literis sacris pariter ac prophanis, in linguarum Hebrææ, Græcæ, Latinæ scientiâ, in Astronomiâ, & universâ Philosophiâ adeò supra communem doctorum sortem eruditus, ut artis magicæ, & execrandi cum Cacodæmone consortii apud sciolorum vulgus reus perageretur: quod in tam rudi barbaroque sæculo minimè mirandum est.

OPERA.

Opuscula varia, in lucem emissa, *Venet.* 1514. *Compendium Sphæræ mundi. Venet.* 1508.

Commentarius in libros Posteriorum Aristotelis. Venet. 1504. 1537. 1552.

Epistola ad Innocentium IV. *Pontificem.* Extat apud Matthæum Paris ad an. 1253. ubi etiam dissertationes ejusdem morituri lugubres adversus oppressiones Ecclesiæ à Romano Pontifice illatas reperiuntur.

Testamentum XII. Patriarcharum, ab eo Latinè versum. Prodiit *Paris.* 1549. 12. & in Orthodoxogr. p. 861. ac Biblioth. Patr. Tom. II.

Liber de cessatione Legalium. Prodiit *Londini* 1652. 4°.

Commentarius in Dionysii Areopagitæ librum de mysticâ Theologiâ. Prodiit inter Opera Dionysii *Argentinæ* 1502. f. Porrò in omnia Dionysii Opera exceptis Epistolis, commentatus est Robertus; versionemque eorum Latinam ex omnibus Interpretibus simul collatis consarcinavit. Extant & *Commentarius & Versio* MSS. in Collegio corporis Christi Oxoniensi. SÆC. XIII. ab A. MCC.

Sermo propositus coram Papa Innocentio IV. & Cardinalibus Lugduni, A. D. 1250.

Sermo ad Clerum, Super Sapient. 6. 26. *Rex sapiens est stabilimentum populi sui.*

Sermo alius ad Clerum, super S. Joh. 10. 11. *Ego sum Pastor bonus.* Monitio & persuasio Pastorum.

Alius ad Clerum contra Pastores & Prælatos malos, super Ezec. 34. 2. 3. 4. *Væ Pastoribus Israël, qui pascebant seipsos, &c.*

Alius ad Sacerdotes in Synodo de hoc verbo, *Posuit stellas in firmamento cœli*, Gen. 1. 17.

Alius in celebratione ordinum de hoc verbo, *Sint lumbi vestri præcincti*, Luc. 12. 35.

Alius de bono Judice, super Psalm. 57. 1. *Rectè judicate filii hominum.*

Tractatus de Prophetiis veris & falsis.

Alius de Gratia & Justificatione.

Alius de fide & ejus articulis.

Alius de Oratione.

Alii de superbia, detrectatione & humilitate, &c.

Epistolæ aliquot nunc recèns editæ.

Omnia hæc Opuscula à Sermone coram Papa inclusivè hactenus inedita, in novâ editione *Fasciculi rerum expetendarum & fugiendarum* Tom. II. propediem prodituri sunt.

De Confessione liber, & alius de Conjugio. Extant MSS. in Bibliothecâ publicâ Cantabrigiensi Cod. 133. Extiterunt saltem Jamesii tempore.

De cura Pastorali liber, & alius de Computo Ecclesiastico. Extant MSS. in Collegio S. Benedicti Cantab. Cod. 123. 227.

De Potestate seu cura Pastorali in Bibliotheca Coll. S. Trinitatis & S. Johannis ibid.

Vniversitates Pœnitentiæ, seu Capitula vel Constitutiones quædam de Pœnitentia: *Oculus Moralis*; *Doctrina Cordis*; habentur hæc tria MS. in Biblioth. S. Johannis ibid.

Epistolæ MS. in Biblioth. S. Benedicti vol. 227. 8°. & alibi non semel.

Tractatus de Confessione; *Item de Meditatione, de Articulis fidei, de Præceptis Decalogi* habentur MS. in Viri cujusdam doctissimi Bibliotheca privata.

De X. Præceptis liber. Moralitates super IV. Evangelia. De Pœnis Purgatorii. De Pœnitentia. Scala voluptatis. Summa justitiæ. Templum Domini. De lingua & corde moraliter. De *Venenis moraliter dicta.* Extant MSS. in Bibliothecâ publicâ Cantabrigiensi.

Sermones denique habentur MSS. Oxonii apud Mertonenses & Lincolnienses.

Alia plura Roberti *Opera* MSS. recenset Jamesius in *Ecloga*, quam consulat Lector. Quædam etiam ejus adhuc inedita penès se habet Vir rever. Johannes Batteley

ROBERTUS GROSTHEAD, gente Anglus, Episcopus Lincolniensis, claruit an. MCCXXXV. obiit juxta chronicon MS. in Bibliothecâ Lambethanâ an. MCCLIV. viii. Id. *Oct.* Operum ejus tàm editorum quàm ineditorum indiculum suprà exhibuimus. Cùm verò paulò accuratiorem catalogum haud ita pridem contexuit H. Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. II. p. 344. inedita ab eo recensita, quæque se vidisse & inspexisse refert, paucis hoc loco sub- 1235. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A.MCC. subjungemus. Sunt autem quæ sequuntur.

Epistolæ CXXVIII. in unum volumen digestæ & indice uberi auctæ. Extitit codex MS. antehàc in Biblioth. Westmonast. jam in Cottonianâ, & in Coll. Corp. Christ. Cantab. Ex his CI. in lucem protulit Edovard. Brovvn *Fascic. rer. expet.* Tom.II. pag. 307. qui & ad calcem, Roberti nostri constitutiones quasdam adjecit pag. 410. *Summa Philosophiæ* à recentiori manu descripta. *Dicta* CXLVII. cum indice, quæ quasi totidem prælectiones breves de variis Theologiæ articulis & S. Scripturæ locis in scholis habitæ sunt, ibid. & in Biblioth. S. Trinitat. Cantabrig. *Sermones*, *Propositiones & Themata* ferè C. *Summa Theologiæ*. *Commentarius in Epistolam ad Galatas*. *Tractatus de* VII. *Sacramentis*. *De modo confitendi*. *Regulæ Agriculturæ* per menses digestæ Gallicè. *Tractatus breves* LXXII. viz. *De oculo morali*, *de veneno & peccato morali*: *Sermones* XXV. *Qualiter homo factus est ad imaginem Dei*; *Morales expositiones in operibus sex dierum*: *Meditationes* VIII. *in dicta seu facta quædam S. Anselmi*; *de libero arbitrio*; *de sex differentiis*; *quòd Deus est forma prima omnium*; *de Intelligentiis*; *de Veritate*; *de veritate futurorum contingentium*; *de ordine emanandi causatorum à Deo*; *de impressione aëris*; *de Iride & Speculo*; *de statu causarum*; *de luce & colore ejusdem*; *de generationibus impressionum humidarum*; *quòd motus simpliciter sit in formâ primâ*; *de motu circulari*; *descriptio figuræ Machinæ Mundi*; *de conceptione & excellentiâ B. Mariæ secundum Anselmum*, *Meditationes* II. *Expositio prologi S. Hieronymi super Bibliam*, *de sapientiâ & scientiâ*; *Expositio* [prolixa admodùm] *in primum caput Geneseos*, *seu in Exaemeron*; *de decem Præceptis*; *de confessione*, *quomodo Christus est virga de radice Jesse*; *Expositio in ista verba Cantic.* Unguentum effusum est nomen tuum: *Expositio in ista verba Cantic.* Nigra sum, sed formosa, *de acceptione manus pro executione operis in S. Scripturâ*; *quare Spiritus S. descendit super Christum in specie columbæ*: *quomodò spiritus ubi vult spirat*; *de Levitis ex libro Numerorum*; *qualem Episcopum esse oportet ex instructione Pauli ad Titum*; *de signis in Sole & Lunâ*; *de die Judicii*; *Sermo de laude B. Martini*; *de Incarnatione Christi*; *Expositio in hæc verba Lucæ*, Exiit edictum à Cæsare; *de beatitudine pauperum in spiritu*, *de mutuâ collatione antiquorum*. *Constitutiones datæ Priori & Conventui de Nevvenham*. *Tractatus de Curâ Pastorali*, in Biblioth. Lambeth. *De pœnis Purgatorii* ibidem. Tractatus benè prolixus *de articulis fidei* Gallicè ibid. *De summâ justitiæ* [opus ingens] in Biblioth. publ. Cantab. *Sermones & Tractatus plures* Anglicè ibid. *Moralitates super* IV. *Evangelia* ibid. *De linguâ & Corde moraliter* ibid. *Scala Voluptatis* ibid. *Templum Domini* ibid. *De Conjugio* ibid. *Propositionem* Roberti nostri de visitatione Diœcesi suæ an. MCCL. coram Papâ & Cardinalibus factam, exhibet Whartonus ubi suprà p. 347.

Correctorium totius Bibliæ, liber brevis, in quo docetur quomodò plura difficiliora, totius Bibliæ vocabula pronuntiari debeant, quæ perperam pronunciari consueverunt, MS. in Bibliothecâ Eccles. Christi Cantuar. Vitam Roberti nostri carmine Elegiaco, sed parùm eleganti, contexuit Richardus quidam Monachus Bardiniensis, quam ex Codice MS. Westmonasteriensi edidit idem Whartonus Tom. II. sed fabulas quasdam crassiores & inanes nimiùmque affectatas elegantias se resecuisse non diffitetur. Huic alia quædam monumenta ad Grostheadi memoriam illustrandam spectantia subjecit.

1236. LUCAS, gente Hispanus, Patriâ Legionensis, postquam varias Italiæ, Græciæ, Palæstinæ regiones peragraverat, & Gregorio IX. Pontifici se plurimùm commendârat; ex Diacono Tudensi ejusdem Ecclesiæ Episcopus factus est. Claruit an. 1236. Scripsit *de altera vita*, *fideique controversiis adversùs Albingensium errores libros III.* quos primus in lucem emisit Joannes Mariana *Ingolstadii* 1612. 4°. exinde cum notis Marianæ, Gretseri, & Schotti in Bibliothecam Patr. relati sunt T. XXV. p. 188. Jussu quinetiam Berengariæ Reginæ, Diaconus adhuc *S. Isidori Vitam & Miracula* justo volumine descripsit. Extat id apud Mabillon. Sæc. Benedict. II. & Bollandum ad IV. Aprilis. Denique *S. Isidori Chronicon* multis additis locupletavit, & ad ætatem suam deduxit, anno Christi 1236. desiniens. Habetur id ab Andreâ Schotto editum *Hispania illustratâ* Tom. IV.

GODEFRIDUS, natione Germanus, Monachus Cœnobii S. Pantaleonis intra urbem Coloniam. Claruit an. 1237. Scripsit *Annales* an. 1162. ad an. 1237. quos primus in lucem edidit Marquardus Freherus inter Scriptores Germanicos Tom. I. pag. 239. 1237.

GEORGIUS ELMACINUS *Abnol-Amdi & Ibnol-Ambda* dictus, genere Arabs, Abuliasiri Alamidi scribæ filius, claruit circa ann. 1238. Anno enim Hegiræ DCXXXVI. seu Christi MCCXXXVIII. Patrem sibi morte abreptum fuisse profitetur. Christianum fuisse apertè satis suadent nomen, diligens rerum Christianarum subnotatio, ingens reverentia in citandis S. Scripturæ libris adhibita, Oraculorum Propheticorum ad Christum Dominum applicatio luculenta; ut alia taceam, quæ ex ipso Opere peti possunt. Fatendum sanè est eum non rarò de Muhammede, ejusque lege benignè nimis loqui: quod sanè prudentiæ vel timori hominis inter Muhammedanos scribentis versantisque condonari debeat. Scripsit *Historiam Saracenicam à primo Mahumetis ortu ad initium imperii Atabacai per* XLIX. *Imperatorum successionem*, insertis etiam passim Christianorum rebus, in Orientis Ecclesiis eodem tempore potissimùm gestis. Prodiit *Historia* ista ex versione Thomæ Erpenii Latinè pariter ac Arabicè *Lugduni Bat.* 1625. 4°. *Historiam* suam ab ipso Mundi initio exorsus fuerat Elmacinus. Prior ejus pars à mundo condito ad Mahumeti fugam extitit MS. penès Hottingerum; qui exemplar ejusdem MS. Syriacis literis descriptum se in Bibliotheca publica Cantabrigiensi vidisse testatur. *Biblioth. Orient.* c. 2. p. 75. 1238.

MANUEL CARITOPULUS, *Philosophus* dictus, post depulsum Germanum Patriarchatum Constantinopolitanum tenuisse videtur ab an. 1240. modò Æræ decreto illius de Translatione Episcoporum affixæ fides sit adhibenda. Datum enim id decretum dicitur anno Mundi 6758. qui ex Græcorum calculo in annum Christi 1250. incidit. Obiit forsan, saltem sede submotus est, ante ann. 1254. Extant Græc. Lat. *Solutiones quarundam quæstionum*, in Leunclavii Jure Græc. Rom. l. 3. pag. 238. *Decretum de Translatione Episcoporum*, ibid. pag. 240. *Decretum de Jure Patronatûs*, ibidem pag. 242. 1240.

AUCTOR Anonymus Annalium Marganensium; gente, si conjicere licet, Cambro-Britannus, & Cœnobii de Margan in Comitatu Glamorganensi, à Roberto Glocestriæ Comite olim conditi, Monachus, claruit circa an. MCCXL. Scripsit Chronicon sive *Annales de Margan* ab ann. MLXVI. ad annum usque MCCXXXII. etsi in fine 1240. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A.MCC. fine pauca quædam desiderantur. Edidit hos Annales Tho. Galeus *Rer. Anglic. Script.* Tom. II. *Oxon.* 1687. p. 1.

1240. MATTHÆUS PARIS, gente Anglus, Ordinis Benedictini Monachus, an. 1217. in Cœnobio S. Albani ad vetus Verulamium sito Religionis suæ habitum suscepit. Claruit an. 1240. Ex egregiâ doctrinâ, morumque sanctitate tantam sibi famam conciliavit, ut an. 1248. à Norwegis ad reformandos Monachos Holmenses nominatim petitus, ab Innocentio Papâ eò demandatus sit: ubi Ordinis Benedictini institutum ad pristinam puritatem revocavit. In patriam reversus, non modò à suis benignè exceptus, sed & Henrico III. Regi apprimè charus: à quo quanta sit gratiâ in mensâ, in palatio, in thalamo, ubique denique habitus, ipse non uno in loco testatur. Obiit vir verè magnus an. 1259. Inter omnes Historiæ nostræ Scriptores tum fide tum prudenti liberâque rerum tractatione palmam facilè præripit, quo nemo vixit unquam [judice Casaubono *] neque Papismi superstitionibus addictior, neque rapinarum horribilium, quas Papæ in Anglia exercuerunt, fidelior testis & expositor. Sic Casaubonus; qui in sequentibus ineptissimas Baronii & Bellarmini conjecturas Historiam Matthæi à Reformatis corruptam & interpolatam esse opinantium ex Codicibus optimæ notæ MSS. invictè diluit.

*Prolegom. ad Exercit.

SCRIPTA.

Historia, *Major* seu *Rerum Anglicarum Historia à Gulielmi Conquestoris adventu ad annum 43. Henrici III. Angliæ Regis*, viz. ab an. Christi 1066. ad an. 1259. Historiæ hujus partem priorem ad annum usque 1235. Matthæus ex Rogerii de Wendover (Monachi S. Alban, & Prioris Cellæ de Bealvair in agro Lincolniensi, an. 1237. defuncti) Chronico, paucis excisis, nonnullis additis, verbatim ferè descripsit. *Appendix* ab anno 1260. ad 1273. quæ ad calcem Historiæ reperiuntur, Gulielmo Rishangero, S. Albani itidem Monacho, & Edwardi I. Regis Historico, debetur.

Vitæ duorum Offarum, Merciæ Regum, Cœnobii S. Albani Fundatorum

Vitæ XXIII. *Abbatum S. Albani*, qui Cœnobium à primâ ejus fundatione ad Matthæi Parisiensis tempora rexerunt.

Additamenta ad Historiam Majorem, ea ferè omnia complexa, quæ ad pleniorem enarrationis alicujus elucidationem in Historia aut citantur, aut evocantur. Additamenta ista cum Vitis præcedentibus in unum compegit Matthæus, & secundi voluminis vicem implere voluit.

Prodiit Matthæi *Historia Major Londini* 1571. *Tiguri* 1606. & cum *Vitis Offarum Abbatumque S. Albani, & Additamentis*, cura Gulielmi Watsii [qui Glossarium, notas & varias Lectiones apposuit) *Londini* 1640. f. & secundâ vice 1684. f. editio verò an. 1640. non parùm præstat.

Historia Minor, ab an. 1066. ad 1250. quâ breviter & succinctè percurrit, quæ in Historiâ Majore fusiùs enarrat: plurima tamen scitu non indigna ei admiscentur, quæ in Majori Historiâ frustra quæruntur. Extat MS. in Bibliotheca *Arundeliana*, & in Collegio S. Benedicti Cantab.

Historia etiam ab Adamo ad initia Gulielmi Conquæstoris à Matthæo Paris elaborata fuit, quam integram ferè in priorem *Florilegii* sui partem transcripsit Matthæus Westmonasteriensis.

1240. P. II. MATTHÆUS PARIS, Anglus S. Albani Monachus, claruit an. MCCXL. Præter reliqua opera suprà recensita, scripsit *Vitam S. Edmundi* Archiepiscopi Cantuariensis, qui patriæ ob tyrannidem & exactiones Pontificias pertæsus, in exilio Gallicano, quod sibi sponte indixerat an. MCCXLII. vitam cum morte commutavit. De hâc Vitâ hæc nos docet Florilegus ad annum MCCLIII. Anno MCCLIII. *obiit M. Ricardus de Wit Episcopus Cicestriæ*, IV. *Non.* April. *quondam B. Edmundi Cant. Archiep. Clericus &c. Hujus autem Richardi assertionibus & Fr. Roberti Bacun* O. P. *certificatus, Fr. Matthæus Parisiensis memorati S. Edmundi Vitam à fide dignis sibi relatam, diligenter perscripsit.* Hæc me monuit Whartonus noster. Verùm locus in editione, quâ utor, non comparet, & forsan adhuc MS. latet. SÆC. XIII. ab A.MCC.

ALBERICUS, gente forsan Gallus, in Cœnobio Trium-Fontium in Galliâ Monachus, claruit an. MCCXLI. Composuit Chronicon ab orbe condito, & perduxit non modò ad annum MCXXVI. quod habet Vossius de Hist. Lat. lib. II. cap 46. pag. 381. sed ad sua usque tempora; nempè ad annum MCCXLI. Illud ab Andreâ Quercetano brevi edendum expectare nos jussit Aub. Miræus *Auct.* cap. 403. Verùm adhuc MS. delitescit in Bibliothecâ Sancti Galli in Helvetiâ, in Regiâ Parisiensi aliisque Galliæ Bibliothecis, suo tempore procul dubiò lucem visurum. 1241. P. II.

INNOCENTIUS IV. *Sinibaldus* antea appellatus; Patriâ Genuensis, ex gente Fliscanâ & Comitibus Lavaniæ oriundus, Cardinalis Presbyter titulo S. Laurentii in Lucinâ, Pontifex Romanus electus est an. 1243. die XXIV. Junii, die XXIX. consecratus. Nil antiquius habuit, quàm Decessorum odia adversùs Fredericum Imp. internecina fovere. In Galliam igitur an. 1244. profectus Concilium generale Lugduni anno sequente habendum indixit. In Concilio Imperatorem palàm excommunicavit, imperium ei abrogavit, subditis obsequium illi præstare sub Anathematis pœnâ interdixit, Crucem contra illum ubique per Orbem Christianum prædicari jussit, plenariâ peccatorum remissione omnibus contra illum militantibus concessâ. An. 1246. Jacobum Aragoniæ Regem totumque regnum sacris interdicit. An. 1251. mortuo Frederico Imp. Conradum & Manfredum filios pessimo odio prosecutus est, jusque hæreditarium repetentes conflato Crucesignatorum exercitu oppugnavit: cùmque parùm procederent arma, anathema in utrumque strinxit. Obiit an. 1254. die 7. Decembris. Tantâ autoritate & veneratione pollebat (* teste Fostero) ut à multis Juris utriusque peritissimis Pater & organum veritatis appellatus sit. Primus Cardinalibus rubrum Galerum dignitatis insigne & ornamentum addidisse dicitur. Natalem B. Virginis Octonis diebus celebrari jussit, Bononiam studio privavit, & Patavium transtulit. Extat *Commentarius in V. libros Decretalium, Venet.* 1570. 1578. *Tridini* 1611. *Lugduni* 1578. fol. 1243.

*Hist. Jur. Civ. lib. c. 14. p. 482.

Epistolæ XX. Concil. Tom. XI. pag. 598. *Epistola de Translatione Corporis B. Elizabeth* à Lambecio edita est Comment. lib. 2. pag. 883. *alia Epistola* XLVI. apud Waddingum Annal. Minor. Tom. I. ad an. 1243. &c. *alia* LXI. ibid. in Regesto Pontif. pag. 55. *alia* XVIII. in Regesto Appendicis Tom. I. pag. 10. *Liber Apologeticus de potestate Ecclesiastica, & jurisdictione Imperii contra Petrum de Vineis*, & alia plura Opuscula MSS. in Bibliothecâ Vaticanâ, vid. Lud. Jacob. à S. Carolo *Biblioth. Pontif.* pag. 121.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. 1243. P. II. RICHARDUS de S. GERMANO, Regis Siciliæ Secretarius, seu Notarius, claruit anno MCCXLIII. Scripsit Chronicon satis amplum ab anno MCLXXXIX. nempè ab excessu Gulielmi Siciliæ Regis ad annum usque MCCXLIII. Ex pervetusto codice Cassinensi, luce publicâ illud donavit Ferd. Ughellus *Ital. Sacr.* Tom. III. p. 953.

1244. JOANNES DE S. GEMINIANO, Ordinis Dominicani Monachus, claruit circa annum 1244. quem tamen alii anno 1310. vel 1319. ascribunt. Summus Theologus & Concionator, Thomæ Aquinati cumprimis familiaris; quem à matre & Fratribus in carcere detentum, ut à Religione Dominicanâ arceretur, astu eripuisse dicitur. A Gregorio IX. ad prædicandam intra partes Neapolitanas Crucem contra Fredericum Imp. legatus est. Extant ab eo scripta,

Summa de Exemplis & Rerum Similitudinibus libris X. Prodiit *Basil.* 1499. *Venet.* 1497. 4°. 1577. 1582. *Antverp.* 1583. 8°. 1599. *Lugd.* 1585. *Colon.* 1670. 4°.

Orationes Funebres. Lugduni 1510. 4°. *Paris.* 1611. 8°.

Sermones Quadragesimales. Venet. 1584. 8°. *Colon.* 1612. 8°.

Alia Joannis de S. Geminiano scripta recenset Ambrosius de Altamura *Biblioth. Prædicat.* Cent. 1. pag. 10.

1244. VINCENTIUS, BELLOVACENSIS vulgò dictus, natione Gallus, Patriâ Burgundus, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, Episcopus, ut nonnulli volunt, sed minus rectè, Bellovacensis; reipsâ autem non aliâ de causâ Bellovacensis nomen habuit, quàm quod apud Bellovacos lares fixerit. Claruit anno 1244. Obiit anno 1256. vel ut alii, (rectiùs forsan) 1264. Scripsit *Speculum quadruplex. Historicum* tractans Historias ab orbe condito ad annum 1254. Prodiit seorsim *Norimberg.* 1473. *Mogunt.* 1474. Naturale Libris XXII. *de herbis, avibus, &c. Morale* Libris III. *de affectibus animi*; *Norimberg* 1475. *Venet* 1493. *Doctrinale* Libris XVII. *de scientiis*, in quovis ferè genere, *Norimberg.* 1486. Prodiit Opus istud ingens & prolixum *Basileæ* 1481. *Venet.* 1484. 1591. fol. *Duaci* 1624. fol. Plura de Vincentio, ejusque Speculo habet Ambrosius de Altamura *; accuratiore verò judicio de utroque agit Philippus Labbeus, qui quædam alia Vincentii Opuscula, viz. *Consolatorium de Morte amici, Libros IV. de gratiâ Dei, Librum de gestis & vitâ B. Mariæ, Librum de eruditione puerorum regalium,* prodiisse *Basil.* 1481. memorat, editionem tamen à se visam non esse agnoscit.

* Biblioth. Prædicat. p. 21.

1245. HUGO DE S. CARO, seu de Sancto Theodorico, Patriâ Delphinas, in valle quâdam, cui *Barchinonetæ* nomen, natus, in Academiâ Parisiensi studio bon ar[illegible] incubuit, & Doctoratûs insignia meruit, paulò post à B. Jordano in Prædicatorum Ordinem cooptatus. A Gregorio IX. Constantinopolin missus est; ut Ecclesiarum unionem procuraret. Domum reversus, à Fratribus Galliæ Provincialis electus est. Anno 1245. ab Innocentio IV. Ecclesiæ Romanæ Cardinalis titulo S. Sabinæ renunciatus est in Concilio Lugdunensi; variisque deinceps legationibus adhibitus; imprimis anno 1251; quo in Germaniam missus Conradi partes strenuè oppugnavit. Postea legatum Pontificium in regione Leodiensi agens, Julianæ cujusdam, superstitiosissimæ mulierculæ nugacibus visionibus excitatus, primus omnium Festum Corporis Christi instituit; deinceps in totâ ferè Occidentali Ecclesiâ paulatim receptum. SÆC. XIII. ab A. MCC.
Obiit anno 1260. die XIV. Calend. April. Lugduni apud Prædicatores sepultus.

OPERA.

Postillæ, seu Commentariola juxta quadruplicem sensum in totum Vetus ac Novum Testamentum (*Commentarium tamen in Psalmos* plurimi Alexandro Halensi adjudicant) prodierunt in septem Tomos divisæ *Basileæ* 1504. *Paris.* 1548. *Venet.* 1600. Editioni Venetæ accessit octavus Tomus novi Indicis locupletissimi.

Sermones de Tempore & Sanctis, Swollis 1479. editi in 4°.

Speculum Sacerdotum & Ecclesiæ, Lugduni 1554.

Concordantia major Latinorum Bibliorum, pro omnibus vocibus declinabilibus in totâ S. Scripturâ repertis. Voces enim indeclinabiles addidit Conradus Halberstadius circa annum 1290. *Concordantia* ista pluries prodiit, & ubique ferè prostat.

JOANNES de DEO, natione Hispanus, 1247.
Decretorum Doctor, & Ecclesiæ Bononiensis Canonicus; claruit, ut ipse in fine operis sui testatur, MCCXLVII. Scripsit ad Episcopum & Capitulum Bononiense *Librum Pœnitentiarium*, in quo generatim de vitiis cujuscunque status & confessione, deinde de pœnitentiâ & confessione Prælatorum, nempe summi Pontificis, Cardinalium, &c. speciatim agit. Extat MS. in Bibliothecâ publicâ, Cantabrig. vol. 118. nu. 2. & Patavii in Bibliothecâ Cœnobii *S. Joannis in Viridario* Plut. 10 ad Lævam. Vid. Ph. Thomasin *Biblioth. Patavin.* MS. pag. 31. Habuit etiam penès se D. Theronius, Doctor Sorbonicus, ex cujus Codice amplissima sanè excerpta nobis exhibuit Jac. Petyt. ad calcem Pœnitentialis Theodori Cantuar. *Paris.* 1677. *Summa Judicum*, & de Officio Advocatorum, item *Casus super Decretales* ab eo compositi servantur MS. in Bibliothecâ Monasterii Dunensis, teste Sandero *Biblioth. Belg MS.* par. 1. pag. 177. Ejusdem, ni fallor, est *Tractatus de Excommunicationibus*, cum Expositione metro ap. Thomasin loc. citat.

PETRUS, CASSIODORI filius, natione An- 1250.
glus dignitate Eques, claruit ann. circiter 1250. Extat *Epistola ad Ecclesiam Anglicanam de excutiendâ tyrannide Romani Pontificis in Angliâ*, in *Catalogo* testium veritatis pag. 365. & apud Goldast. *Monarch.* Tom. I. p. 11.

THEOBALDUS STAMPENSIS, natione An- 1250.
glus, sacerdos sæcularis; claruit quidem ex mente Dacherii anno 1108. juxta verò Baleum an. 1250. Rectiùs omnino, siquidem Roberti Grothead æqualis fuerit, eique *Librum de quibusdam in divinâ paginâ titubantibus dedicavit*, uti fidem facit Baleus †. Extant *Epistolæ* V. aqud Dacherium *Spicileg.* Tom. III. Interim tacere non debemus quod refert Brianus Twynus *, & ex eo nuperus Historiæ Oxoniensis conditor †, Theobaldum nostrum, *libellum contra Regulares* edidisse, quem Thurstano Archiepiscopo Eboracensi, qui sedem hanc ab anno MCXIX. usque ad ann. MCXL. tenuit, nuncupavit. Utrum à Twyni an Balei partibus stet temporis ratio, judicet peritus lector; mihi satis est monuisse.

† Cent. X. p. 41.
* Apol. lib. 2. Sect. 275. 276.
† Ad an. 1129. pag. 48.

DAVID, DE AUGUSTA dictus, quia Augu- 1250.
stæ Vindelicorum natus, Ordinis Minorum Monachus; claruit circa ann. 1250. in urbe natali sepultus, quo anno non liquet. Scripsit *Formulam Novitiorum de reformatione exterioris hominis, Formulam*

Digitized by Google

midam interioris hominis, & Speculum de VII. progressibus religiosi. Duo priora opuscula prodierunt seorsim Augustæ Vindel. 1593. posterius verò sub Bonaventuræ nomine Antverp. 1591. Omnia Davidi, vero authori, restituta habentur in Bibliothecâ Patr. Tom. XXV. p. 867.

1250. JOANNES SEMECA, natione Germanus, inde Teutonicus etiam appellatus, Azonis discipulus, Jurisconsultus consummatissimus, Ecclesiæ S. Stephani Halberstatensis Præpositus; claruit anno 1250. Anno 1265. Clemente IV. Papâ decimas à Clero in redemptione Terræ sanctæ per Germaniam & Galliam exigente, Clerum expilari, Germaniam exhauriri, & corrasam iniquis artibus pecuniam in pravos usus converti indignatus, Pontificis avaritiæ appellatione interpositâ sese fortiter opposuit. Quo nomine à Clemente excommunicatus, ac præpositurâ Halberstatensi exutus fuit. Obiit anno 1267. Scripsit *Glossam in Decretum Gratiani*, unà cum Decreto sæpiùs impressam.

1250. P. II. MARTINUS, natione Hispanus, Ecclesiæ Legionensis Presbyter & Canonicus, & Cœnobii Canonicorum S. Isidori in ea urbe Abbas, claruit anno MCCL. Scripsit plurima, quæ in dicto Monasterio adhuc inedita servantur: nempè, *Commentarius in Apocalypsin*; *in Epistolas SS. Jacobi, Petri, & Joannis*; *Conciones ab Adventu usque ad festum Trinitatis*; Sermones varii, viz. *Quod fratres non habeant proprium*; *de Prælatis juxta curam suorum subditorum*; *de Obedientiâ*; *de Disciplinâ Ecclesiasticâ*; *Qualiter juvenes ab otio fugiant*; *Qualiter senes ac juvenes Deo servire debeant*; *Nè Monachi & Canonici Regis curiam frequentare præsumant*; *Nè secreta Principum scire appetant*; *de translatione S. Isidori*; *de Spiritu Sancto*; *de Joanne Baptistâ*; *de Ascensione Dominica*; & alia quædam. Hæc ex Ægidii Gundesalvi D'avila. *Theatro Ecclesiæ Legionensis* recenset Nic. Antonius *Biblioth. Vet. Hisp.* lib. VII. c. 6. p. 19.

1251. GERTRUDIS, natione Germana, ortu nobilis, ordinis Benedictini Monialis, in Cœnobio Rodalsdorfensi vitam egit, ejusdem Cœnobii anno MCCLI. Abbatissa facta, anno verò sequenti monialibus in Heldelfense sacrarum virginum Monasterium translatis, illuc quoque Gertrudis abiit, ubi Mechtildem sororem sociam habuit. Obiit anno MCCXC. Scripsit Germanicè opuscula, seu *Exercitia spiritualia*, quæ Latinè versa, unà cum sororis suæ opusculis, de quibus infrà, edita sunt.

1252. ROBERTUS, DE SORBONA à vico natali dictus, Sancti Ludovici Galliæ Regis Pœnitentiarius, saltem Sacellanus, Canonicus primùm Suessionensis, ac dein S. Mariæ Parisiensis; claruit an. 1252. quo Collegii Sorbonici in Academia Parisiensi fundamenta jecit. Obiit post annum 1271. Scripsit *Opuscula III.* pia ac devota, viz. *De Conscientiâ*, *De Confessione*, *Iter Paradisi*: quæ reperiuntur in Bibliothecâ Patr. Tom. XXV.

1253. Matt. Parif. ad an. 1255. 1257. Nic. Trivet. ad an. 1256. Bul. Hist. Univers. Par. Tom. 3. Præfat. ad opp. Gul. l. de S. Amor. 1632. GULIELMUS DE S. AMORE, ex oppido cognomine in Comitatu Burgundiæ oriundus, Doctor Parisiensis; claruit an. 1253. Ordinum Prædicatorum & Minorum acerrimus castigator. Cùm utrique enim spretis Canonibus & regulis Ecclesiasticis confessionis excipiendæ & prædicationis munus inconsultis Episcopis sibi passim arriperent, & voluntariam paupertatem divitiarumque odium professi, nulli interim labori manuum admoverent, sed agyrtarum ad instar circumvagati fucata pietatis specie popellum pecuniâ emungerent; adhæc scholas in Academia juventuti aperientes statutâ tamen Academica observare nollent; id ægrè ferens Academia Parisiensis duce Gulielmo nostro procacibus Fraterculorum ausis obviam ivit, eoque protervè reluctantes schola Parisiensi ejecit. Obstrepunt Fraterculi: res ad Pontificem defertur. Datis ille anno 1256. literis Academicos, nominatim verò Gulielmum, acriter corripit; cùmque Academici cœptis inhærerent, Gulielmum cum tribus aliis Doctoribus gradu doctorali omnibusque beneficiis Ecclesiasticis privari, ac regno ejici jussit. Tot injuriis irritatus Gulielmus, mordacem contra Fraterculos libellum in lucem emisit, quo eorum præstigias & nequitias omnium oculis spectandas subjecit, & immodicam Pontificis authoritatem vellicavit. Librum cum autore suo hæreseos statim accusant Fraterculi; ac Romam delatum à Pontifice eodem anno damnari, publicâque sententiâ cremari efficiunt. Nondum tamen territus conquievit Gulielmus; acri verò sale Fraterculos constanter, quoad vixit, perfricuit; & nec stipem ostiatim mendicari à validis & robustis Monachis apud Deum esse meritorium, nec ex temerè usurpato prædicandi confessionisque audiendæ munere injuriam sacerdotibus parochialibus faciendam esse animosè contendit. Quapropter ab Alexandro IV. Papâ anno 1257. toto Galliæ regno se subducere, & docendi scribendique munere deinceps abstinere, sub anathematis gravissimi pœnâ jussus est. Obiit post aliquot annos, à Fraterculis post mortem inter Hæreticos relatus, & calumniis conviciisque probè mactatus; memoriam verò ejus contra dicaculorum istorum ineptias egregiè tutatus est Laurentius Anglicus Abbas & Magister Parisiensis, qui Gulielmo de S. Amore succedaneus, Fraterculos scriptis suis acriter castigavit. Vid. plura de eo in *Conspectu* hujus Sæculi.

OPERA.

Commentarius in Psalmum primum.
Concio de Publicano & Pharisæo.

De periculis novissimorum temporum adversùs mendicantes Ordines liber, ab Alexandro IV. anno 1256. damnatus.

Quæstio unica de quantitate Eleemosynæ, utrùm liceat homini dare quicquid habet, ita ut sibi nihil retineat & mendicet.

Quæstio unica de valido mendicante, utrùm debemus dare Eleemosynam valido mendicanti, si sit pauper.

Casus & Articuli, super quibus accusatus est Magister Gulielmus de S. Amore à Fratribus Prædicatoribus.

Collectiones Catholicæ & Canonicæ ad Clementem IV. summum Pontificem anno 1266. delatæ, ad defensionem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & ad instructionem & præparationem simplicium Christi fidelium contra pericula imminentia Ecclesiæ Universali per Hypocritas, Pseudo-prædicatores, & penetrantes domos, & otiosos, & curiosos, & gyrogravos.

Tabula de signis, per quæ Pseudo-prædicatores discerni possunt à veris.

Sermo in die SS. Apostolorum Jacobi & Philippi.

Prodierunt Opera ista *Constantiæ ad Rhenum* (uti præ se fert titulus, reverâ autem Parisiis) 1631. 4°. quam quidem Editionem nondum videram, cùm *Carthophylacem* meum anno 1685. in lucem emisi, mox eâ de re certior ab amico factus.

REI-

Digitized by Google

SÆC. XIII. Ab a. MCC. REINERIUS SACHONUS, patriâ Placentinus, Philoſophus & Theologus peritiſſimus, primò Waldenſium anteſignanus, dein iis deſertis in Prædicatorum Fratrum familiam ſe dedit, Hæreticorum Inquiſitor generalis factus. Claruit anno 1254. Verùm cùm caſtrum Gathenſe, Waldenſium municipium, demolierat, eorumque plures igni adjudicarat, ex urbe Mediolanenſi ejectus an. 1259. in exilio obiit. Extat *ſumma de Catharis & Leoniſtis*, à Claudio Couſlord *Pariſ.* 1548. edita. Magnam libri partem ediderat Flaccius Illyricus in Catal. Teſt. Verit. pag. 431. Tandem *librum integrum* Rainerii *adversùs Waldenſes* X. capita complectentem (in quibus de cauſis hæreſium, de ſectis antiquorum & modernorum Hæreticorum, eorumque notis, moribus, examine, & punitione agit) cum ampliſſimis Prolegomenis & variantibus Lectionibus in lucem dedit Jac. Gretſerus *Ingolſtad.* 1613. 4*to.* exinde relatus eſt in Bibliotheca Patr. Tom. XXV. p. 262. Calci ſubjicitur *Appendicis de Hypocritis*, qui nuncupantur *Stertzer*, in quâ variorum Hæreticorum deliramenta continentur, quam Gretſerus nullâ ratione probâ inſtructus, Reinerii non eſſe contendit.

1254. ALEXANDER IV. ante *Raynaldus* vel *Rolandus* dictus, patriâ Campanus, de Caſtro Gennæ in Diœceſi Anagninâ, ex Comitibus Signiæ oriundus, Philippi Anagnini filius, Gregorii IX. nepos, Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, Epiſcopus Oſtienſis & Velitrenſis. Pontifex Romanus electus eſt ipſo natali Dominico anno 1254. biduo poſt coronatus. Anno 1255. Manfredum Siciliæ & Apuliæ Regem anathematizavit, Regno deponendum decrevit, armis impetiit, crucemque contra eum ubique prædicari juſſit. Anno 1256. Conradinum Frederici Imp. nepotem Imperatorem eligi vetuit, & electores in partes ejus propendentes excommunicavit. Eodem anno à Manfredo in anguſtias redactus, Henrico III. Angliæ Regi cum ſubdiario exercitu die præſtituto in Siciliam advolare ſub anathematis pœnâ præcepit, Alphonſumque Luſitaniæ Regem cum toto Regno diris devovit Anno 1258. Florentinos & Genuenſes fœdus cum Manfredo olim initum violare recuſantes anathemate percuſſit. Obiit Viterbii an. 1161. die XXV. Maii. Extant *Epiſtolæ* III. Concil. Tom. XI. p. 716. aliæ *Epiſtolæ* LI. apud Waddingi *Annales Minorum* ad an. 1256. &c. *aliæ* CXXIV. ibid. Tom. II. in Regeſto Pontif. p. 18. *Conſtitutio Cypria*, Concil. Tom. XI. p. 2352.

1254. HUMBERTUS DE ROMANIS, natione Burgundus, in vico de Romanis natus, Pariſiis dum ſtudiis incubuit, S. Dominici familiæ nomen dedit anno 1225. Anno 1254. Ordinis ſui Magiſter Generalis factus eſt. Dignitati ceſſit an. 1263. Obiit anno 1274.

OPERA.

I*Nſtitutionum ſpiritualium libri* VI. ſive *Speculum Religioſorum.* Prodierunt *Lovanii* 1575. *Pariſ.* 1622.

Expoſitio, ſeu Commentarius in Regulam Sanct. Auguſtini. Prodiit *Comi* 1605. 8°. *Montibus* 1645. 4°.

Sermones pro omni materia CC. *Venet.* 1603. 4°.

Vita Fratrum, ſi non ab Humberto, ſaltem à Gerardo Fracheto Lemovicenſi O. D. Humberti juſſu compoſitæ *Lugduni* 1585. *Ingolſtad.* 1591.

Epiſtola de tribus votis ſubſtantialibus religionis. Prodiit unà cum Sermonibus *Hagenoæ* 1508. fol. & *Venet.* 1603. 4°.

De eruditione Concionatorum libri II. Prodierunt *Vincentiæ* 1604. *Barcinonæ.* 1607. 4°.

Habentur ferè omnia Humberti opera in Bibliothecâ Patr. Tom. XXV. p. 424. 567. 653. 665. SÆC. XIII. Ab a. MCC.

THEODORUS LASCARIS, *Junior, Ducas* etiam dictus, ortu Nicænus, Theodori ſenioris (qui captâ à Latinis Conſtantinopoli imperii ſedem Nicæam tranſtulerat) ex Irene filiâ nepos, Joannis Ducæ Irenes conjugis & Theodori ſucceſſoris filius natu major, patri in imperio ſucceſſit an. MCCLV. Rem adverſus Bulgaros, Theſſalos, alioſque imperii hoſtes ferè per triennium fœliciter egit, verùm infirmâ valetudine morbiſque fractus, habitum Monachalem induit, & in Sydandronum Monaſterium, ut nos docet Dorotheus * Monembaſienſis (in Magneſia id ſitum erat) ſeceſſit, ibique breve quod vitæ remanſit, tempus conſummandæ pœnitentiæ, & otio pio ac literario conſecravit. Regnavit annos III. defunctus anno MCCLIX. ætatis 36. Princeps omninò eruditus, meliori ſorte, ſæculoque dignus. Certè ſummum ejus tum in pietatem, tum in rem literariam ſtudium ex ipſius nummis, imperiique inſignibus luculenter conſtat, in quibus dextrâ crucem, ſiniſtrâ volumen tenens deſcribitur. Vid. Cl. & literis non minùs quàm dignitate illuſtrem D. du Freſne *Famil. Byzant.* pag. 223. Scripſit jam Monachus ad Joannem Epiſcopum Coronenſem prolixum ſatis *Tractatum adversùs Latinos de proceſſione Spiritûs Sancti.* Extat MS. ſed mendosè exaratus, & in fine mutilus in Bibliotheca Coll. Gonv. & Caii Cantab. Titulum & Prologum, quos in uſum meum deſcripſit D. Whartonus, Græcè hic ſubjungam. 1255.

* Σωσιφ. Διαφορ. Ἱστορ. φιλ.

Θεοδώρου μοναχοῦ τοῦ Λάσκαρι λόγος ἀπολογητικὸς πρὸς τὸν ἐπίσκοπον Κορώνης κατὰ τῶν Ἰταλῶν, ἤγουν κατὰ τῶν Λατίνων περὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου.

Ἐπειδὴ ἐρώτησιν ὑπελάβετο ἡ βασίλεια μου πρὸς σοί, ὦ Ἱερώτατε ἐπίσκοπε Κορώνης, ἀπολογήσασθαι τῇ βασιλείᾳ μου, ὅπως ἡ ἁγιωτάτη τοῦ Θεοῦ μεγάλη ἐκκλησία ἡ πρεσβυτέρα Ῥώμη δογματίζει, περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ ἀπολογίαν ἔθου παρὰ τὴν βασιλείαν μου, ὅτι ἡ ἁγιωτάτη τοῦ Θεοῦ μεγάλη ἐκκλησία οὕτως * σύνεται περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος, ὡς οὐ μόνον ἐκ τοῦ πατρὸς ἔχει τὴν ἐκπόρευσιν, ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ· ἀπολογεῖται σοὶ ἡ βασιλεία μου, ὅτι, ἡ καθ᾽ ἡμᾶς ἁγιωτάτη τοῦ Θεοῦ μεγάλη ἐκκλησία, καθὼς μέλλεις γνωρίσαι ἐκ τῶν κατωτέρων ῥηθησομένων ἐγγράφων μαρτυριῶν καὶ ῥήσεων εὐαγγελικῶν, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ μόνου ἐκπορεύεσθαι δογματίζει, ἐκ τοῦ υἱοῦ δὲ οὐκ ἐκπορεύεσθαι, μὲν φαμὲν διὰ τοῦ υἱοῦ δὲ χορηγεῖσθαι ἡμῖν πρὸς κάθαρσιν, καὶ ἁγιασμόν, καὶ πιστεύομεν, καὶ δοξάζομεν, ἃς δὲ χρήσεις ἀναλεξαμένη ἡ βασιλεία μου συντόμως, τῇ σῇ παρατίθησιν ἱερότητι. Ἄρχεται δὲ ἐκ τῆς αὐτοαληθείας αὐτῆς. Καλὸν γὰρ ἐκ Θεοῦ τ᾽ ἄρχεσθαι, καὶ εἰς Θεὸν ἀναπαύεσθαι. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ παράκλητος ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν. Pergit deinceps illuſtriſſimus autor varia ſacræ Scripturæ loca, plurimaque SS. Patrum teſtimonia proferre, quæ quidem acutè ſatis urgere ſolet.

*Porte ! συνίεται.

Præter ea quæ ſcripſit de proceſſione Spiritûs S. quæque duabus orationibus complexus eſt, plures adhuc *Orationes Theologicas* memorat Leo Allatius *, in quibus tractat *de Uno, & Deitate, Unum eſſe Tria, De divinis nominibus, de ſanctiſſimâ Triade, & de Incarnatione Chriſti.* Librum ejus *de Communicatione naturali*, interprete Cl. Alberio, extare dicit Freherus in Chronologiâ, ſed necdum vidi.

*De Conſenſ. lib. 2. c. 14. §. 4. pag. 722.

Tractatus ejus de Trinitate, de Virtute; de Jejunio; Ethicorum Epitome; Sapientiæ Encomium; in S. Euthymium, &c. Extant MS. in Bibliothecâ Regiâ Patr. Cod. 1031. ap. Labbe *Biblioth. Nov. MS.* pag. 96.

NICE-

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. 1255. NICEPHORUS BLEMMIDA, Presbyter & Monachus Monasterii in Emathiis juvenis adhuc factus, ubi vitam egit verè asceticam & Philosopho Christiano dignam; aspera victûs & exercitationis ratione sese indies macerans. Templum sumptibus suis extruxit, & extructo præfuit, quod cùm Marchesina, Joannis Ducæ Imp. amasia, religionis ergo frequentare vellet, Nicephorus eam è foribus præcipitem dedit. Nefas enim judicabat divinus ille vir (inquit Gregoras) nefariam illam & impudicam mulierculam profanis & consceleratis pedibus sacrum pavimentum calcare. Tandem ann. 1255. mortuo Germano, Theodorus Lascaris Joannis Ducæ successor, Nicephorum nostrum, quem præceptorem habuerat, in Patriarcham CP. promovere voluit. Verùm oblatam ille dignitatem constanter recusavit. Quo anno obierit, non liquet. Ἀνὴρ δὲ οὗτος (ait Gregoras*) πολλαῖς περιλαμπόμενος ταῖς ἀρεταῖς, καὶ πολλῇ τῇ σοφίᾳ ἐξησκημένος, ὁπόσην τε Ἑλλήνων ὑμνοῦσι παῖδες, καὶ ὁπόσην οἱ τῆς καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίας προστάται καὶ ῥήτορες εἰς ἡμετέραν ὠφέλειαν προὐθήκαν. *Erat is multis virtutibus insignis, & sapientiâ variâ instructus, tum eâ quæ apud Gentes in precio est, tum ea quam Ecclesiæ antistites & oratores in nostram utilitatem prodiderunt.* Latinis plurimùm favebat, eorumque dogmata, etiam adversùs suos propugnavit. Interim etiam hodiè supersunt opuscula quædam, in quibus adversùs sententiam Latinorum, præcipuè de processione Spiritûs Sanct. fortiter disputat. Nodum istum solvere conatur Leo Allatius de Consensu l. 2. cap. 14. §. 4. dicendo vel Blemmidam nondum discussa causa hæc juvenem effutiisse, & re postea diligentiùs examinata revocasse, vel potiùs hæc fuisse Schismaticorum commenta sub Nicephori nomine protrusa; cùm neque rerum pondera, neque doctrinam, neque styli rationem eandem in iis, quam in cæteris ejus opusculis, observare liceat. Quàm rectè hæc, viderint quibus Codices MSS. inspicere datum sit.

* Hist. l. 2. p. 33.

SCRIPTA.

De *Processione Spiritûs Sanct. libri* II. alter ad Theodorum Lascarim, ad Jacobum Bulgariæ Archiepiscopum alter. Editi sunt Gr. Lat. ab Oderico Raynaldo *Annal. Eccles.* Tom. I. *in Append.* & à Leone Allatio inter *Orthodoxa Græcæ Scriptores* Tom. I. p. 1.

Epistola ad plurimos data, postquam Marchesinam templo ejecerat. Extat Gr. Lat. apud L. Allatium *de Consensu* l. 2. c. 14. §. 4.

Epitome Logica & Physica. Prodiit Gr. Lat. *Augustæ Vindel.* 1605. 8°.

Encomium in Joannem Evangelistam, *Oratio de Animâ*, *alia de corpore*; *Enarrationes in aliquot Psalmos*, *& opuscula de Fide*, *de Virtute*, *& Religione*, in Bibliothecâ Bavaricâ & Vaticanâ extare MSS. dicuntur. Oratio ejus de Fide cum opusculo Sanct. Thomæ Ordinis Prædicatorum de processione Spiritûs Sancti, & excerptis de diversis quæstionibus habetur MS. in Biblioth. regiâ Parisiensi, testante Labbeo *Bib. Nov. MSS.* p. 88.

Bina sub ejusdem nomine *Opuscula contra Latinorum dogma de Processione Spiritus Sanct.* se MSS. vidisse prodit Leo Allatius loco citato. De Blemmidæ opusculis vide etiam quæ habet idem Allatius not. ad Georg. Acropolit. p. 244.

1255. P. II. NICEPHORUS BLEMMIDA, Monachus & Philosophus doctissimus, claruit an. MCCLV. Obiit circa annum MCCLXXII. Reliquorum ejus scriptorum indiculo hæc addi possunt. *Expositio in Psalterium Davidis*, cujus prolegomena hoc modo incipiunt. Ψαλτήριον κυρίως ὀργάνου εἶδός ἐστι μουσικοῦ, ναῦλα παρ' Ἑβραίοις ὀνομαζόμενον &c. Ejusdem *Expositio in Appendicem Psalterii Davidis* varia Veteris & Novi Testamenti Cantica sacra continentem. Extant MSS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* LXVI. num. ii. iii. fol. 218. 356. & iterum *cod.* CCCIV. n. 1. fol. 1. *Doctrina de fide* ad Monachos Monasterii à se extructi. Cujus hoc initium. Τοῖς ὁσίοις τοῦ Δεσπότου Χριστοῦ δοῦλος καὶ ἐκλεκτοῖς φροντισταῖς ὁ κατ' εὐδοκίαν τούτου καὶ χρηστότητα κλῆρος &c. habetur MS. ibid *cod.* CCXLV. num. VII. fol. 299. *Oratio de SS. Trinitate* ibid. *Cod. Philos.* CXLIX. num. XXII. Sunt præterea sub Nicephori Monachi nomine *Orationes* II. quas nostri esse non sine probabilitate conjicit Cl. Nesselius. Prima est Ascetica *de custodiâ mentis & cordis*. Principium Ὅσοι τῆς μεγαλοπρεπείας τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ θεϊκῆς φωτοφανείας τυχεῖν ἐρωτικῶς ἔχετε &c. habetur MS. *cod. Theol.* CIV. numer. II. fol. 10. pag. 2. & Cod. CXCII. numer. XXIII. fol. 217. Posterior *de attentione*: hoc initio. Ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ εἰπόντος. Χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδὲν, *ibidem* num. XXIV. fol. 220. pag. 2. In eâdem Bibliothecâ ejusdem Blemmidæ oratio *de Regno* seu *Imperio*; Opuscula plura medica de Urinis & Sanguine Phlebotomiæ &c. Grammatica, Logica, Physica, & alia quæ non sunt hujus Fori, hinc indè asservantur. De quibus Lambeciani & Nesseliani Catalogi consulendi sunt.

ARSENIUS, *Autorianus* dictus, patriâ Constantinopolitanus, Monasterii cujusdam Nicæni alumnus, cui etiam præfectus est. Postmodùm abdicato hoc munere, privatam magis vitam in Apolloniadis Asceteriis excoluit; & ut videtur, etiam in Monte Atho monasticam vitam degit. 1255. Tandem circa annum 1255. Nicephoro Blemmida id muneris recusante, à Theodoro Lascare Imp. juniore imperii recèns potito ad Patriarchatum Constantinopolitanum evectus est. Anno 1259. Theodorus Imp. moriens, Arsenium unà cum Georgio Muzalone Joanni filio tutorem dedit. Arsenius verò Muzalonis proditionem & insidias regio puero intentatas ægrè ferens, Patriarchatu sese abdicavit, & in Monasterium secessit. Anno 1261. recuperatâ à Græcis, duce Michaele Palæologo, Constantinopoli, ad urbem regiam evocatus est, ut dignitatem pristinam, & cum dignitate sedem plusquàm semisæculo Græcis Patriarchis desideratam reciperet. Anno 1262. Michael Imp. Joannem Theodori Lascaris filium decennem, & Arsenii Patriarchæ pupillum oculis privavit. Tam nefarium facinus Ecclesiasticis censuris vendicavit Arsenius, ac Michaelem sacris interdixit. Irarum plenus Imperator Episcoporum Concilium indicit, Arsenium fictis criminibus onerat, Patriarchatu deponendum curat, & in Proconnesum relegat. Multos annos exilio superfuit Arsenius, quando tamen obierit, non liquet. De eo sic Gregoras*; ἣν μὲν γὰρ τὴν πρὸς ἀρετὴν φέρουσαν, καὶ κατὰ Θεὸν ἀγωγὴν ὁ ἀνὴρ οὐ πολὺ τῶν ἄκρων ἀπολειπόμενος, εἰς δὲ πραγμάτων πεῖραν καὶ πολιτικὴν διοίκησιν καὶ αὐτῶν [ὡς εἰπεῖν] τῶν ἀπὸ σκαμπάνης ὀψὲ τῆς ὥρας ἀπαλλαττόντων ἀπολειπόμενος. *Nam quod ad virtutem & pietatis cultum attinebat, ille vir parum à summis aberat, sed usu rerum & Imperii administratione ne cum fossore quidem conferendus.* Scripsit adhuc Monachus *Synopsin divinorum Canonum*, ex Patribus Synodorumque statutis collectam, & in titulos CXLI. digestam, capitibus quibusdam legum imperialium cuivis titulo adjectis. Extat Gr. Lat. ab Henrico Justello edita Biblioth. Jur. Canon. Tom. II. pag. 749. *Testamentum* Arsenii Gr. Lat. Extulit C. Cotelerius Monument. Eccles. Gr. Tom. II. p. 168.

* Hist. l. 4. p. 60.

THOMAS AQUINAS, *Doctor Angelicus*, gente 1255.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. Comment. Andr. Maurocen. de Vit. B. Thomæ inter op. ſc. Ven. 1625. 8°. Marac. in Biblioth. Marian. Altamur. Biblioth. Domin. pag. 34. Bzov. ad an. 1274. N. 19. 20.

gente Italus, ex nobiliſſimo Comitum Aquinatum, Regumque Siciliæ & Aroganiæ ſanguine oriundus, natus eſt in caſtro Aquino, anno 1224. Puer adhuc quinquennis Monachorum Caſinenſium diſciplinæ commiſſus eſt, ubi cum præclara ingenii ac præmaturæ indolis documenta ediditſet, ad Academiam Neapolitanam miſſus eſt, ibique in Dialecticis Petrum Hibernum, in humanioribus literis Martinum, præceptores ſortitus. Anno 1241. inito cum Joanne de Sanct. Geminiano conſilio in Cœnobio Neapolitano Ordinis Dominicani habitum clàm parentibus ſuſcepit. Re audita, obſtupuit mater ejus, nullumque non lapidem movit, ut illum à propoſito revocaret. Hujus ut inſidias eluderent ſodales Dominicani, Thomam Taracinam, inde Anagniam, tandem Romam transmiſerunt. Mater filium ubivis ſecuta, ut ad conſpectum ejus admitteretur, nequaquam à Cœnobitis impetrare potuit. Illa igitur mox tribus majoribus filiis in ſubſidium vocatis, Thomam Lutetiam Pariſiorum à ſodalibus miſſum in itinere comprehendit, & in arce ſua tutò cuſtodiri fecit. Thomas carceri incluſus, SS. Scripturarum lectioni ſe totum dedit, & repetitis matris, fratrum, & ſororis precibus, lachrymis atque obteſtationibus laceſſitus, ut à ſuſcepto vitæ inſtituto recederet, nullis blanditiis, nullis unquam minis expugnari potuit. Poſt biennium carcere per feneſtram elapſus, Neapolin, atque inde Romam petiit. Anno 1244. à Joanne Teutonici Ordinis Magiſtro Lutetiam ductus eſt. Lutetiæ parùm moratus, Coloniam adiit, ut Albertum M. ibi loci docentem audiret. Coloniâ Pariſios iterùm accitus eſt, ut libros Sententiarum publicè interpretaretur, quod quidem cum ingenti nominis ſui fama, & mirando Studioſorum concurſu præſtitit. Claruit anno 1255. quo Theologiæ Doctor in facultate Pariſienſi eadem cum Bonaventura die creatus eſt. Ante annum 1263. in Italiam reverſus, Ordinis ſui Definitor in Provincia Romana conſtituitur, eoque nomine anno 1263. Generali totius Ordinis conventui Londini habito interfuit. Munus interim ſcholaſticum nequaquam deſeruit. In primariis enim Italiæ Academiis, Bononiæ, Romæ, Fundis, Fogiis in Apulia ac Piſis Theologiam publicè docuit. Ultimo loco Neapoli conſedit, ubi Caroli Regis ſtipendio honeſtatus, reliquum vitæ tempus docendo exegit; rerum mundanarum curæ adeò non deditus, ut ad Neapolitanum Archiepiſcopatum à Clemente IV. vocatus, munus oblatum recuſaret. Anno demum 1274. à Gregorio X. Papa ad Concilium Lugdunenſe II. evocatus, ut librum adversùs Græcorum errores, jubente Urbano IV. à ſe compoſitum in Concilio prælegeret, Neapoli diſceſſit; & in itinere non procul à Tarracina in Cœnobio Foſſæ Novæ diem ſupremum obiit Nonis Martii, anno ætatis ſuæ 50. In extremis agens, ſumpturus * Euchariſtiam, Dominum Jeſum flendo rogitabat, ut iis quæ de ipſius myſteriis, deque univerſa Eccleſia, S. Spiritu inſtigante ſcripſiſſet, ſi minus rectà fuiſſent, veniam tribueret, eaque omnia Eccleſiæ judicio ſacroſancto permiſit. Deeo hæc inter alia Sixtus Senenſis *: *In ſacris ſincerioris Theologiæ ſtudiis ita ſapientiſſimo Auguſtino proximus inceſſit; atque ita mentem ejus, & omnes reconditos ſenſus introſpexit, exhauſitque, ut juxta Pythagoræ Metempſychoſin communi omnium doctiſſimorum adagio jactatum ſit, Auguſtini animam migraſſe in Thomam.* Thomæ quidem doctrina in Scholis Pontificiis magni ſemper ab omnibus habita eſt, non tantæ tamen autoritatis, ut ad illius normam dogmata Theologica exigerentur, quin liberè de quæſtionibus ab eo determinatis judicare licet, ejuſque doctrinam impugnare, quod pluribus adversùs Bzovium contendit Dermicius Thaddæi in *Nitela Franciſc. Relig.* p. 35. &c.

*Volater. lib. 21. p. 758.

*Biblioth. l. 4. pag. 308.

SÆC. XIII. ab A. MCC.

OPERA.

Expoſitio in Ariſtotelis libros Peribermenias & poſteriorum Analyticorum, in octo libros Phyſicorum, in tres libros de Cœlo & Mundo, in libros de Generatione & Corruptione, in quatuor libros Meteororum, in tres libros de Anima, in tres libros, qui Parva Naturalia, dicuntur, in duodecim libros Metaphyſicorum, cum tractatu de Ente & Eſſentia, in librum de Cauſis, in libros X. Ethicorum ad Nicomachum, in octo libros Politicorum, Venet. 1496.

Commentaria in IV. libros Sententiarum Magiſtri Petri Lombardi. Prodierunt ſeorſim *Baſil.* 1492. *Pariſ.* 1574. 8°. *Venet.* 1481. 1490. fol.

Quæſtiones diſputatæ X. de Potentia Dei, Argent. 1500. XVI. *de Malo. De ſpiritualibus Creaturis. De Anima. de Unione Verbi. De Virtutibus in Communi. De Charitate. De Correctione fraternâ. De Spe. De Virtutibus Cardinalibus.* XXIX. *de Veritate.*

Quæſtiones Quodlibeticæ XII. *Colon.* 1471. 1485. 1491. folio. *Noribergæ* 1474. *Ulmæ* 1475.

Summa Catholicæ fidei contra Gentiles in libros IV. diſtributa. Prodiit *Romæ* 1476. *Venet* 1480. fol. ſeorſim etiam cum uberrimis Franciſci de Sylveſtris Commentariis *Lugduni* 1566. f.

Expoſitio in librum B. Dionyſii de Divinis Nominibus.

Summa Theologiæ in partes III. diviſa; Quæſtiones DXII. *articulos* MMDCLIV. continens. Prodiit ſeorſim *Colon.* 1604. *Duaci* 1614. *Antverp.* 1624. *cum* Commentariis Cajetani *Bononiæ* 1514. cum Commentariis Capponi, Cajetani & Javelli *Venet.* 1596. 5. vol. fol. Prodiit etiam per partes variis locis & temporibus edita, viz. pars prima *Venet.* 1477. 1484. prima ſecundæ *Venet.* 1483. ſecunda ſecundæ *Rom.* 1474. *Venet.* 1480. tertia pars *Venet.* 1486.

Expoſitio in librum B. Job.

Expoſitio in primam Quinquagenam Pſalmorum Davidis.

Expoſitio in Canticum Canticorum, quam S. Thomas morti proximus in lecto decumbens Monachis Foſſæ Novæ dictavit. Prodiit ſeorſim 1545. 8°.

Expoſitio in Eſaiam Prophetam.

Expoſitio in Jeremiam Prophetam.

Expoſitio in Threnos Jeremiæ. Tres hæce Expoſitiones à nonnullis Thomæ Anglico adjudicantur.

Expoſitio in Evangelium S. Matthæi, Suppoſititia eſt, ac Petrum Scaligerum Dominicanum Veronenſem Epiſcopum authorem habet.

Expoſitio in Evangelium S. Joannis.

Catena aurea in V. Evangelia; ad Urbanum IV. Papam, ex ſententiis SS. Patrum miro artificio contexta. Prodiit ſeorſim *Lugduni* 1530. 8°. *Antverp.* 1678. f. Commentarii ejus in IV. Evangeliſtas prodierunt 2. vol. *Noriberg.* 1474. *Venet.* 1486.

Expoſitio in omnes D. Pauli Epiſtolas, Baſil. 1475. & Cajetani commentariis illuſtrata, *Bononiæ* 1481. fol.

Sermones pro Dominicis diebus, & Sanctorum ſolennitatibus. Prodierunt ſeorſim *Romæ* 1571. 8°.

Opuſcula LXXIII. viz. *Contra errores Græcorum. Compendium Theologiæ ad Reginaldum fratrem* (quod quidem non Thomæ, ſed Ulrici de Argentinâ fœtus eſſe videtur) *Declaratio quorundam articulorum contra Græcos, Armenos, & Saracenos. De duobus præceptis Charitatis & decem Legis præceptis. De Articulis fidei & Sacramentis Eccleſiæ. Expoſitio Symboli Apoſtolorum. Expoſitio Orationis Dominicæ. Expoſitio Salutationis Angelicæ. De Articulis CVIII.* ſumptis ex opere Petri de Tarentaſiâ *Reſpontio ad*

Joan-

Digitized by Google

oannem Vercellensem. Responsio de Articulis XLII. d eundem. Responsio de Articulis XXXVI. ad lectorem Venetum. Responsio de Articulis VI. ad lectorem isuntinum. De differentiâ Verbi divini & humani. De natura & origine verbi intellectus. De substantiis eparatis, seu *de Angelorum natura. De vanitate intellectus. Contra pestiferam doctrinam retrahentium homines à religionis ingressu. De perfectione vitæ spiritualis. Contra impugnantes Dei cultum & religionem adversus Gulielmum de Sancto Amore. De Regimine Principum Libri IV.* (quos plurimi suspectos habent.) *De regimine Judæorum De Forma absolutionis. Expositio prima decretalis. Expositio secunda decretalis. De Sortibus. De astrorum judiciis. De æternitate mundi contra murmurantes. De Fato. Tractatus Logici & Philosophici XXVI. De eruditione Principum libri VII. Officium de Festo corporis Christi,* Urbani IV. jussu compositum. *Opus de venerabili Sacramento altaris* (quod à nonnullis Alberto M. tribuitur) *De Sacramento Eucharistiæ ad modum X. Prædicamentorum. De humanitate Jesu Christi. De dilectione Christi & proximi. De divinis moribus. De Beatitudine. De modo confitendi & puritate conscientiæ. De Officio Sacerdotis. Expositio Missæ. De emptione & venditione ad tempus. Epistola brevis exhortatoria ad quendam. De vitiis & virtutibus numero quaternario procedens. De Concordantiis dictum. De Usuris.* (Opuscula ista XIV. proximè recensita dubiæ sunt fidei.) *Expositio in librum Boëthii de Hebdomadibus. Præclara Quæstiones super librum Boëthii de Trinitate* Ex opusculis hisce LXXIII. prodierunt seorsim XLIX. 1488. f. quam editionem penès me habeo. Plura *Venet.* 1587. & 1596.

Omnia S. Thomæ opera hactenus enumerata prodierunt in XVII. Tomos divisa *Romæ* 1570. *Venet.* 1594. *Antverp.* 1612. Editionibus Venetæ & Antverpiensi decimus octavus accessit Tomus opera sequentia complectens.

Commentarius in Genesin. Prodiit seorsim *Lugdu.* 1573. 8°.

Commentarius in libros Maccabæorum, *Paris.* 1596. 8°.

Commentarius in omnes Epistolas Canonicas, *Paris.* 1543. 8°. 1550. *Lugduni* 1556. *Antverp.* 1592.

Commentarius in Apocalypsin.

Commentarius in Danielem Prophetam.

Commentarius in Boethii libros de consolatione Philosophiæ. Prodiit seorsim *Lovaniæ* 1487. fol. *Lugd.* 1514. 4°.

De operibus hisce una eademque ferenda est sententia, ea scilicet Thomæ Aquinati abjudicanda esse, & Thomæ Anglico maximam partem deberi.

Prima operum S. Thomæ editio prodiit Tomis XVII. *Venet.* 1490. *Noriberg.* 1496. f.

1255. Vid. Wad. Reg. Annal. Minor. ad an. 1221. 1234. 1243. 1253. 1256. 1260. 1265. 1271. 1274. & alibi.

BONAVENTURA, *Joannes*, seut ut alii, *Petrus Fidanza* in baptismo dictus, à Græcis verò *Eustachius* & *Eutychius, appellatus*, *Doctor Seraphicus*, gente Italus, patriâ Tuscus, apud Balneoregium Hetruriæ urbem honestis parentibus patre Joanne, Ritella matre, natus anno 1221. Anno circiter 1243. Fratrum Minorum Ordini nomen dedit, & Alexandrum Alensem, uti perhibent, præceptorem nactus, studiis Theologicis in Academia Parisiensi incubuit. Tam fœlici id successu præstitit, ut post septennium dignus haberetur, qui sententiarum libros publicè prælegeret & explicaret. Anno 1255. Doctoratûs insignibus cohonestatus est. Anno sequente post Joannis Parmensis mortem totius Ordinis Franciscani Præfecturam seu Generalatum unanimi omnium Fratrum suffragio accepit. Generalis factus, labascentem Minorum disciplinam correxit: totumque Ordinem adversùs Giraldum de Abbatis villa, & Gulielmum de S. Amore egregiè defendit. Immodico planè & superstitioso affectu B. Mariæ Virginis cultui mancipatus, congregato Pisis generali Ordinis sui Capitulo inter alia statuit, Ut Fratres Minores plebem in concionibus passim hortarentur, ad eam, signo campanæ, quæ post completorium pulsatur, audito, orandam & venerandam. Quin & primus omnium religiosas Laicorum sodalitates sive Confraternitates in Orbem Christianum induxit, instituta Romæ anno 1270. Confraternitate, quam vocant *Gonfalonis*. *Anno* 1272. cùm post diuturnum Interpontificium de Pontifice eligendo inter Cardinales non conveniret: Bonaventura communi omnium calculo arbiter est adhibitus, qui Pontificem eligendm pro lubitu suo nominaret. Potestate igitur acceptâ, Theobaldum Archidiaconum Leodiensem, *Gregorium X.* postea dictum, Pontificem designavit; à quo ipse vicissim an. 1274. *Ecclesiæ Romanæ* Cardinalis, & Episcopus Albanensis creatus est, paulò antè Concilium Lugdunense II. cujus ille primæ sessioni intererat Obiit Lugduni ante finitum Concilium an. 1274. die XV. Julii, ætatis suæ 53. honorificentissimo funere elatus, tota nempe Synodo exequias summo studio celebrante.

Cave Hist. Lit.

OPERA.

Principium S. Scripturæ.

Expositio seu Sermones XXIII. in Hexaëmeron.

Expositio in Psalterium, in Ecclesiasten, in Sapientiam, & in Threnos Hieremiæ.

Expositio in caput VI. S. Matthæi, & in Evangelium S. Lucæ.

Postilla in Evangelium S. Joannis, & Collationes in eundem.

Sermones de Tempore, & de Sanctis. Suvollæ 1479. fol. *Hagenoæ* 1496.

Commentaria in IV. libros Sententiarum, 2. Vol. *Norimberg.* 1491. fol.

Opuscula XIII. viz. *De reductione artium ad* Theologicam. *Breviloquium, Centiloquium, Pharetra Declaratio terminorum Theologiæ.* Principium compendiosum in libros Sententiarum *Quatuor libri Sententiarum carmine digesti. De quatuor Virtutibus Cardinalibus. De septem donis Sp. S. De tribus ternariis peccatorum. De resurrectione ad gratiam Dieta salutis* (quæ cum præcedente Opusculo seorsim prodiit *Paris.* 1523. 8°.) *De Ecclesiastica Hierarchia.*

Opuscula alia XVII. viz. *Soliloquium. De Meditatione Vitæ D. N. Jesu Christi. Libellus meditationum. De septem gradibus contemplationis. De quinque festivitatibus pueri Jesu. Officium de Passione Dominica. De S. Cruce laudatio. Linum Vitæ. Speculum de laudibus B. Mariæ, Argent.* 1476. De *Corona B. Mariæ. De compassione ejusdem.* Philomela *Passioni Domini aptata per septem horas. De septem verbis Domini in Cruce. Psalterium B.* Mariæ *majus. Psalterium B. Mariæ minus. In Salutationem Angelicam. In Salve Regina.*

Opuscula alia XX. viz. *De institutione vitæ Christianæ. De regimine animæ. Speculum animi. De X.* Præceptis. De *gradibus virtutum. Itinerarium mentis* in Deum. De *septem itineribus æternitatis. Stimulus divini amoris.* Parvum *bonum sive incendium amoris. Amatorium. Exercitiorum spiritualium libellus. Fascicularius. Epistola* XXV. *memorialia complectens. Confessionale.* De *ratione confitendi.* De *puritate conscientiæ.* De *præparatione Sacerdotis ad Missam. Expositio Missæ.* De *sex alis Cherubim.* De *sex alis Seraphim.*

Digitized by Google

SÆC. XIII. abAn.MCC. *Opuscula* alia XXIII. viz. *De triplici statu Religiosorum. Speculum disciplinæ in usum Novitiorum* (quod cum Epistola memoralium seorsim prodiit *Antverp.* 1600. 8°.) *Viginti passus Novitiorum. In regulam Novitiorum. De processu Religionis. De contemptu Sæculi. De reformatione mentis. Alphabetum parvum boni Monachi. De perfectione vitæ ad Sorores. Declaratio Regulæ* Minorum. *Quæstiones circa eandem Regulam. Quare* Fratres *Minores prædicent. De paupertate Christi. Quòd Christus & Apostoli nudis pedibus incedebant. Apologia Evangelicæ paupertatis. Contra calumniatorem Regulæ Franciscanæ. Apologeticus in eos, qui ordini Minorum adversantur. De non frequentandis quæstionibus. Collationum libellus ad Fratres Tolosates* (de quo ambigitur). *De reformandis Fratribus, ad ministros Provinciales. Compendium Theologiæ. De essentia, invisibilitate, & immensitate Dei. De mystica Theologia.*

Prodierunt S. Bonaventuræ Opera hactenus enumerata, in VIII. Tomos digesta, *Romæ* 1588. f.

1255. THOMAS, *Cantipratensis* dictus, natione Brabantus, vico Leuvis propè Bruxellam nobili genere natus, primò quidem Canonicus in Cantiprato propè Cameracum, dein ad Prædicatorum castra transiens Albertum Magnum Coloniæ docentem audivit, Thomam Aquinatem condiscipulum nactus, claruit anno 1255. Demum Subprior ac Lector in Conventu Fratrum Ordinis sui Lovaniensi factus, tandem Episcopus Lusentinus consecratus suffraganeam Episcopo Cameracensi navavit operam. Obiisse dicitur anno 1263. die XV. Maii.

SCRIPTA.

B*onum Universale de Apibus*, ad Humbertum Ordinis Prædicatorum Generalem. Prodiit *Duaci* 1597. 1605. & cum notis Georgii Colvenerii ibid. 1627. 8°.

Vita B. Christianæ, dictæ Mirabilis in Hasbaniâ. Extat apud Surium die XXIII. Junii.

Vita B. Mariæ Ogniacensis, apud Surium ibid.

Vita B. Lutgardis Monialis de Aquiria, apud Surium XVI. Junii.

Vita B. Margaritæ Iprensis, quæ obiit an. 1237. Prodiit *Duaci* 1618.

Interiit *Liber operosus de Naturis Rerum* à Thoma Cantipratensi labore quindecenni scriptus.

1256. ALBERTUS, natione ut opinor, Germanus, quamvis alii Italum faciant, Cœnobii Stadensis in Archiepiscopatu Bremensi Monachus, & ab an. 1232. Abbas, Ordinis Benedictini. An. 1236. Romam profectus, bullam à Gregorio Pontifice impetravit; ut Monasterium Stadense de relicto Ordine Benedictino in Cisterciensem transiret. Cùm tamen constanter reniterentur Monachi, Albertus molestiarum pertæsus, præfectura, Cœnobii semet abdicavit an. 1240. & Fratribus Minoritis nomen dedit: Generalis demum totius Ordinis Franciscani Magister factus. Claruit anno 1256. Scripsit *Chronicon ab Orbe condito ad annum Christi* 1256. quo tum vetustiorum temporum Historia, tùm verò præcipuè res Germanicæ illustrantur. In Opere sanè contexendo melioris notæ Autores sequitur, quorum verba ubivis ferè retinet; quæque haud alibi facilè reperiuntur, interserit, missis ut plurimùm Monachorum somniis, nugisque quas sæculi sui Scriptores venditare solent. Primus istud *Chronicon* è Bibliothecâ Ranzovianâ unà cum notis & Appendice Genealogica edidit Reinerus Reineccius *Helmstad.* 1587. 4°. recusum *Witteberga* 1608. 4°. SÆC. XIII. abAn.MCC.

MICHAEL CHUMNUS, Primò Nomophylax, postea Metropolita Thessalonicensis claruit an MCCLVIII. Nicephoro Blemmidæ familiaris. Scripsit tractatum *de gradibus cognationis*, quem Gr. Lat. edidit Leunclavius *Jur. Gr. Rom.* lib. VIII. p. 519. Verùm in codice MS. Vindobonensi *Jurid.* XIII. num. VIII. in fine adjuncta est Appendix quædam de nuptiis prohibitis, quæ ita incipit. Τρεῖς τάξεις εἰσὶν τῶν κεκωλυμένων πρὸς γάμου κοινωνίας. Μία μὲν ἡ πρώτη, ἡ ἐκ τοῦ σωτηριώδους καὶ ἁγίου Βαπτίσματος &c. Vide Nessel. *Catal.* Part. II. p. 30. 1258. P. II.

JOANNES GUALLENSIS seu Wallis, gente Anglus, Ordinis Minorum Monachus Wigorniensis, Oxonii Philosophiam ac Theologiam didicit; Parisiis docuit; *Arbor Vitæ* ob eximiam doctrinam passim appellatus. Claruit anno 1260. Quando obierit non constat. Mortuus est Lutetiæ, & apud Franciscanos sepultus. *Eâ erat, ut tum ferebant tempora* (inquit de eo † Lelandus noster) *facundiâ, eâ ingenii promptitudine, acrimoniâ, felicitate etiam, ut de quacunque re non dicam ornatè, eloquenter, splendidè, sed acutè, graviter, doctè potuerit disserere. Quæ virtutes si pleno copiæ cornu adsint, non video quin inter eloquentiæ flores quamvis ad miraculum varios, suum, & meritò quidem vel hac nostra ætate, locum habeant.* 1260.

† Collect. MS. Tom. 4. p. 232. ap. Antiq. Oxon. p. 72.

SCRIPTA.

O*rdinarium*, sive *Alphabetum vitæ religiosæ*, in tres partes divisum, viz. *Diætarium*, *Locarium*, & *Itinerarium*.

Breviloquium de Philosophiæ dignitate ejusque abusu.

Breviloquium de 4. Cardinalibus Virtutibus antiquorum Philosophorum & Principum.

Compendiloquium de Vitis illustrium Philosophorum.

Margarita Doctorum, seu *Communes loci ad omnium generum argumenta*, sive *summa de regimine vitæ humanæ.*

Prodierunt Opuscula isthæc omnia *Lugduni* 1511. fol.

Collectio Epistolarum Decretalium Romanorum Pontificum, ab Antonio Augustino unà cum tribus aliis antiquis Collectionibus edita *Ilerdæ* 1576. f. recusa *Paris.* 1609.

Summa Collationum. Prodiit *Paris.* 1516. 4°. & 1561.

Expositiones seu Moralitates Fabularum Ovidii: *Paris.* 1509.

Alia plura Joannis Wallensis Opera hactenus inedita recenset Baleus Cent. 4. cap. 28.

BONAVENTURA BROCARDUS, Patriâ Argentoratensis, Monachus Montis Sion Ordinis Prædicatorum, claruit an. 1260. Ambrosius de Altamura refert illum ad an. 1238. aitque eum an. 1218. habitum induisse, & in Terram Sanctam ante an. 1227. missum diuturnam ibi moram fecisse. Extat *Descriptio locorum Terræ sanctæ Ingolstad.* 1604. 4to. *Colon.* 1624. 8vo. & alibi. 1260.

BONAVENTURA BROCARDUS, Germanus, patriâ Argentoratensis, ex Ordine Prædicatorum Monachus, claruit an. MCCLXXXIII. quo in Palæstinam profectus est, eamque suis oculis lustravit. Edidit descriptionem Terræ Sanctæ; meliori fide dignus, quod scripsit αὐτόπτης, & non contemnendam diligentiam ubique prodit. Opus hoc, sed valdè mutilum sub nomine *Burchardi de* 1283. P. II.

Monte

SÆC. XIII. ab A. MCC. *Monte Sion* edidit Hen. Canisius *Antiq. Lect.* Tom. vi. p. 297. Integrum ex codice MS. protulit Reinerus Rineccius *Magdeburg.* 1587. 4to. Aliud Brocardi nostri opus *de legatione in Ægyptum* MS. in Bibliothecâ Basiliensi extare dicitur.

1260. ALBERTUS, MAGNUS cognomento dictus (quin & teste † Jovio, deferebat MAXIMI cognomentum Gymnasiorum omnium consensus, nisi publico voto Christiana verecundia restitisset) Natione Germanus, Patria Suevus, domo Lavingensis, ex nobilissima Dynastarum Bolstatensium stirpe oriundus, natus est an. 1205. Juvenis adhuc Patavium à parentibus missus, ut bonis literis institueretur; an. 1221. Fratribus Prædicatoribus se adjunxit; & ab ipso Jordano Dominicanorum Generali Ordinis habitum suscepit. Mitto, quæ de innata animi hebetudine, & exinde orta studiorum infœlicitate, de desperato doctrinæ profectu, & meditata idcirco fuga, de memoria & ingenio ei à B. Virgine, ne fugeret Albertus, divinitùs concessis, & de utroque iterum triennnio ante mortem ablato, & mutato derepente ex Asino in Philosophum, ex Philosopho in Asinum Alberto nugantur Dominicani. Id certò constat Albertum tantam & tam fœlicem in omni literarum scientia operam posuisse, ut summus sui sæculi Theologus, Philosophus, ac Mathematicus haberetur. Tantùm præsertim in Mathematicis potuit, ut ab indocta plebe miranda ejus artificia obstupescente Magicæ possim insimularetur. An. 1236. mortuo Jordano Generali Dominicanorum Magistro, Albertus totum Ordinem biennio Vicarius rexit. An. 1238. in Capitulo Ordinis generali Bononiæ habito ipse cum Hugone de S. Caro ad Generalatum petitus est. Uterque tamen dignitate excidit. Prouincialis autem Ordinis sui per Germaniam factus, Coloniæ lares posuit, ibique Theologiam publicè prælegit, magno auditorum concursu simul ac plausu celebratus. Ex illa enim schola prodierunt Thomas Aquinas, Ambrosius Senensis, Thomas Cantipratensis, aliique longo agmine primores hujusce sæculi viri. Ineunte an. 1260. Albertus ab Alexandro IV. Pontifice Ratisponensis ad Danubium Episcopus renunciatus est, & quamvis invito animo, provinciam suscipere coactus. Anno verò 1263. oneris Episcopalis pertæsus, dignitare suo sese abdicavit; & in Monasterium Coloniense reversus senectutem suam ocio literario oblectavit. Obiit an. 1280. die XV. Novemb. ætatis suæ LXXV. seu, ut alii volunt, LXXXVII. De eo P. Jovius †, *docendo scribendoque, theologiæ philosophiæque totius locos omnes; miris celsissimi ingenii luminibus illustravit. In dicendo vero,* inquit Rhodiginus *, *Gothicum sapit & Barbarum; oratione squarrosa prorsus & illepida.*

† Elog. Doct. p. 15.

Vid. Bzov. ad an. 1227. 1248. 1260. & alibi.

† Ubi supra.

* Lect. Antiq. l. 1. p. 111.

OPERA.

Opera *Dialectica* VIII. viz. *De Prædicabilibus. De X. Prædicamentis. De sex Principiis. De interpretatione libri* II. *De Syllogismo simpliciter seu priorum Analyticorum libri* II. *De demonstratione seu Posteriorum Analyticorum libri* II. *Topicorum libri VIII.* De *Sophisticis* Elenchis *libri* II.

Opera Physica XXVIII. viz. *De Physico auditu libri VIII.* De *Cœlo & Mundo libri* IV. *De Generatione & Corruptione libri* II. *De Meteoris libri* IV. *De Mineralibus libri V. De Anima libri* III. *Metaphysicorum libri* XIII. *Ethicorum Nicomachiorum libri X. Politicorum libri VIII. De sensu & sensato liber.* De *memoria & reminiscentia liber.* De *somno & vigilia liber.* De *motibus Animalium libri* II. *De ætate sive de juuentute & senectute liber.* De *spiritu & respiratione libri* II. *De Morte & Vita liber. De nutrimento & nutribili liber.* De *natura & origine animæ liber.* De *unitate Intellectûs contra Averroen liber.* De *intellectu & intelligibili libri* II. De *natura locorum liber.* De *causis proprietatum liber.* De *Passionibus aëris liber.* De *Vegetabilibus & Plantis libri VII.* De *Principiis motus progressivi liber. De processu Vniversitatis à Causâ Primâ liber. Speculum Astronomicum* (in quo de libris licitis & illicitis pertractatur). *De Animalibus libri* XVI.

Commentarii in Psalmos.

Commentarii in Threnos Jeremiæ.

Commentarii in Baruch.

Commentarii in Danielem.

Commentarii in XII. *Prophetas Minores.* Prodierunt Colon. 1536.

Commentarii in IV. Evangelia.

Commentarii in Apocalypsin. Prodierunt *Basil.* 1506

Sermones de Tempore.

Orationes super Evangelia Dominicalia *totius anni.*

Sermones de Sanctis.

Sermones XXXII. *de Sacramento Eucharistiæ.* Prodierunt Alberti Sermones seorsim *Moguntiæ* 1615. 8vo.

Liber de Muliere forti.

Commentarii in Dionysium Areopagitam.

Compendium Theologicæ veritatis libris VII. *digestum.* Prodiit Venet. 1485. 1588. 8vo.

Commentarius in IV. *libros Sententiarum.*

Summa Theologiæ in duas partes divisa.

Summa de creaturis, in duas partes divisa, quarum prima est *de quatuor coævis,* secunda *de Homine. Venet.* 1498. 1519.

Mariale sive *Quæstiones* CXXX. *super Evangelium,* quod incipit, *Missus est. Mediolani* 1489.

De *Laudibus B. Virginis libri* XII. quos nasutiores Critici Alberto abjudicant, & Richardo à S. Laurentio, Pœnitentiario Rothomagensi, tribuunt. Prodierunt *Argent.* 1493. f. *Duaci* 1625. 4°.

Biblia Mariana, in quibus omnia ferè quæ in S. Scripturâ continentur B. Deiparæ Virgini breviter adaptantur. Prodierunt *Colon.* 1625. 8°.

De Apprehensione & apprehensionis modis liber. Londini 1515. 8vo.

Philosophia pauperum, sive *Isagoge in varios Aristotelis libros.* Venet. 1496.

De *Sacrificio Missæ liber.*

De Sacramento Eucharistiæ liber.

Paradisus animæ, sive *de Virtutibus libellus.* Colon 1498. 4°.

De adhærendo Deo libellus. Prodiit seorsim unà cum præcedente Opusculo *Antverp.* 1581. 8vo. ibid. 1602. 8vo Iterumque ibid. an. 1621. unà cum vita illius per Petrum de Prussia compilata.

De *Alchymia libellus.* Prodiit seorsim *Basil.* 1561. *Vrsellis* 1602. 8vo.

Opera omnia Alberti Magni hactenus enumerata collegit, & in XXI. Tomos distributa edi curavit Petrus Jammy, Ordinis Prædicatorum Theologus, *Lugduni* 1651.

Alium Alberti Operum Tomum penès Editores prælo paratum fuisse fidem facit Ambrosius de Altamura *Biblioth. Prædicat.* p. 55.

RICHERIUS, gente Gallus, Cœnobii Senonensis in Galliâ Monachus, claruit, si rem conjecturâ assequi liceat, circa an. MCCLX. Condidit Ecclesiæ Senonensis Chronicon, quod integrum in lucem protraxit Lucas Dacherius *Spicileg.* Tom. III. Ex libro primo Vitam S. Gundelberti Episcopi Senonensis, S. Deodati Nivernensis, Hildulphi 1260. P. II.

 dulphi Trevirensis, aliorumque quorundam in Acta sua retulit Mabillonius *Sæc. Benedict.* III. Part. II. pag. 468.

1260. P. II. M. JUSTINUS, natione Germanus, Lippiâ urbe VVestphaliæ oriundus, claruit circa annum MCCLX. Scripsit versu non ineleganti ad Simonem Episcopum Paderbornensem, Chronicon Lippiense, quod *Lippiflorium* vocavit, in quo Comitum aliquot Lippiensium res gestas exponit. Primus extulit Henricus Meibomius avus; deindè Henricus junior in *Rer. Germanic.* Tom. I. p. 575. conjecit, qui Justinum nostrum à Justino Monacho Dominicano, cui in Synodo generali Bononiæ anno MCCXLII. demandata fuit provincia S. Dominici Vitam describendi, cum Vossio, alium fuisse opinatur.

1261. GEORGIUS, *Acropolita* dictus, Patriâ Constantinopolitanus. Liberalibus disciplinis in Grammaticorum scholis jam probè instructus, post an. 1228. à Patre suo in Joannis Ducæ Imp. apud Nicæam agentis aulam adolescens adhuc datus est. Anno ætatis 17. ex aulâ dimissus, Mathematâ, Poëticam & Rhetoricam à Theodoro Exapterygo, Logicam à Nicephoro Blemmida didicit. Annos natus 21. de Solis Eclipsi coram Joanne Imp. cum Nicolao Medico eruditè disputavit. Demum magnus Imperatoris Logotheta factus claruit anno 1261. Crebras pro Imperatoribus Constantinop. legationes obiit; arduisque regni negotiis adhibitus fuit à Joanne Ducâ ad Michaelem Despotam pro pace confirmanda Larissam missus; ab eodem Michaele Comneno insidiarum suspecto judex datus: à Theodoro Lascari Joannis filio, quem in Logicis erudiverat, omnibus Occidentalium provinciarum Præfectis præpositus, circa an. 1255. contra Michaelem Angelum Despotam à Theodoro deficientem strenuè belligeratus est: donec tandem in Prilapo urbe obsessus, post fortissimam propugnationem proditione captus fuit, & per provinciam in vinculis circumductus. An. 1260. à Michaele Palæologo Imp. liberatus, & ad Constantinum Bulgarorum Principem legatus est. An. 1267. cùm Ecclesiæ Rhetor juventutem Ecclesiasticam bonis literis ac moribus per plures annos instituisset, oneris pertæsus, Holobolum successorem accepit. An. 1272. Synodo ad dijudicandam Joannis Vecci Patriarchæ Constantinop. causam collecta Georgius inter Politicos Ecclesiasticis additos judex præsedit. Anno sequente à Michaele Imp. ad Gregorium X. Pontificem unà cum aliis quibusdam legatus, pacem Ecclesiasticam Græcos inter & Latinos conciliavit. An. 1274. ad Concilium Lugdunense II. profectus, pacem nuper initam Imperatoris vice juramento coram Patribus suscepto confirmavit. An. 1282. ad Joannem Bulgarorum Principem missus est; ac domum reversus, obiit eodem anno Gregorius Cyprius, Patriarcha Constantinop. encomio Georgii nostri Historiæ præmisso, immodicis illum laudibus effert: quasi unus ille esset, qui omne disciplinarum pariter conjunxerat genus, & in omnibus tenebat primas, ὡς ἀνεχόντι πρὸς οὐδένα κατὰ δέχεσθαι σύγκρισιν: *ita ut in nullo quisquam ei conferri posset*: immò qui ipsum Aristotelem in Philosophicis, Platonem in Theologia atque Attica venustate pari passu sequebatur. Verùm plus satis erit, si dimidiam hujus encomii partem ei largiamur. Sit licèt doctus, diligens, prudens, ac fidelis Scriptor: hujusmodi tamen encomia in hujus sæculi homines effundere, est omnes modestiæ & veritatis limites laudando transilire. Certè Ephræmius in Chronico MS. à L. Allatio citato, vocat Acropolitam nostrum ἄρχοντα πάντων ἢ πρόεδρον. Condidit Georgius Acropolites *Historiam* seu *Chronicon Constantinopolitanum* à capta per Latinos Urbe, usque ad receptam per Michaelem Palæologum, viz. ab an. 1203. ad 1261. Eam Peræ repertam & à Georgio Cantacuzeno redemptam Constantinopoli detulit Georgius Douza; Latinè vertit, notisque illustratam Græc. Lat. edidit Theodorus Georgii frater *Lugd. Bat.* 1614. 8vo. anno sequenti Genevenses eam Gr. Lat. sed absque notis, Laonico Chalcocondylæ subjunxerunt *Genevæ* 1615. fol. Integrior multò demum ex versione, & cum notis Leonis Allatii, subjecta ad calcem prolixa ejusdem Diatriba *de Georgiis & eorum scriptis*, prodiit Græc. Lat. *Paris.* 1651. f. Interim notandum L. Allatium duplicem hujusce Chronici ἔκδοσιν, sive editionem facere: unam breviorem quamplurimis ab aliquo resectis, & hanc ipsam esse, quam G. Douza primus edidit; aliam prolixam ac diffusam, & omnibus numeris perfectam, quam à se Latinè redditam Parisienses Typographi in lucem emiserunt. Denique ejus *Forma de fide, de virtute, & anima*, in Biblioth. Ant. Augustini habebatur; *item Expositio in Gr. Nazianzeni sententias* in Palatina, XIII. *ad Deum precationes*, post Constantinopolim à Græcis recuperatam usurpatæ, quarum ipse in Historia sua meminit; item Orat. *de recuperata Constantinop.* ad Michaelem Imp. de qua in fine Historiæ suæ mentionem injicit.

URBANUS IV. *Jacobus Pantaleon* ante dictus, gente Gallus, in Tricassibus humili loco natus, sutoris quippe veteramentarii filius, primùm Canonicus Tricassinus, dein Laudonensis Archidiaconus, postea Verdunensis Episcopus; Alexandri IV. in Pomerania, Prussia, Livonia, universáque Germania legatus, mox Patriarcha Hierosolymitanus, ac tandem an. 1261. Pontifex Romanus electus Viterbii die XXIX. Augusti, coronatus IV. Septembris. An 1262. Manfredum Regem anathematizavit, peccatorum remissionem omnibus contra eum militantibus pollicitus. Anno 1264. Festum Corporis Christi in Ecclesia deinceps celebrari instituit. Obiit Perusii eodem anno die II. Octobr. De eo hæc habet Joannes Stella. "Hic "etsi humili loco natus, præstanti tamen & ele-"ganti lingua fuit; qui aliquando lacessitus, quod vili patre ortus esset, respondit: *Nobilem virum non nasci, sed fieri, virtutis est atque Nobilitatis.* Extant *Epistolæ* II. Concil. Tom. XI. p. 817. *Metaphrasis ejus in Psalmum L.* habetur in Bibliotheca Patr. Tom. XXV. p. 335. Epistolæ aliæ XI. apud waddingum *Annal. Minorum* ad an. 1261. &c. *aliæ XIII.* ibid. Tom. II. *in Regesto Pontif.* p. 86. 1261.

HENRICUS DE SEGUSIO, natione Gallus, 1262. Patria Segusinus, in Subalpinis natus ante annum 1258. Ebrodunensis in Galliâ Narbonensi Episcopus factus est. An. 1262. Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, & Episcopus Hostiensis. Gulielmum Durandum Speculatorem inter alios discipulum habuit: tantam in utroque Jure scientiam adeptus, ut *Fons & Splendor Juris* denominatus sit. Obiit an. 1271. quem tamen alii ad an. 1281. vixisse volunt. Scripsit *Summam utriusque Juris*, quæ vulgò dicitur *Aurea Summa Hostiensis*. Prodiit ista cum annotationibus Guarini *Basil* 1537. 1573. f. *Lugduni* 1588. 1597. Scripsit etiam *expositionem in sex libros Decretalium*; typis impressam, *Romæ*, ut videtur, 1470. 1473. *Venet.* 1498. f. 1581.

ANONYMUS Annalium Burtonensium con- 1262. ditor. P. II.

Digitized by Google

ditor natione Anglus, Cœnobii Burtonensis in agro Staffordiensi siti, ut videtur, Monachus, claruit circa an. MCCLXII. Certè Matthæum Paris æqualem habuit. Mandavit literis Monasterii sui Annales ab an. MIV. ad exitum anni MCCLXII. In quibus multa notatu non indigna reperiuntur. In lucem protraxit Tho. Galeus *Rer. Angl. Script.* Tom. I. p. 245.

1263. *P. II.* BERNARDUS, gente Gallus, primùm Monachus, deindè Abbas Lirinensis, Carolo Rege familiariter usus est, qui ipsum in Italiam, in Expeditione Neapolitanâ comitem secum abduxit. Cujus favore & commendatione munitus, ab Urbano IV. Pontifice Cœnobii Cassinensis Abbas anno MCCLXIII. constitutus est, mox sacrâ purpurâ decoratus. In regimine suo piè, prudenter, & fortiter se gessit. Monasterio sua jura asseruit, & loca circumvicina à vi & oppressione militum vindicavit. Bis à Pontifice Legatus factus est; semel in Gallias, iterum Constantinopolim missus, utrobique munere fœliciter functus. Tandem partim senio fractus, partim ob injurias quasdam à Carolo Rege monasterio suo illatas, mœrore animi confectus è vivis excessit anno MCCLXXXII. Scripsit *Speculum Monachorum* Venet. 1520. 16°. *Super Regulam S. Benedicti* lib. I. *Collationum Beneficiorum & Officiorum Montis Cassini* Regestum unum; *Inquisitionum Jurium & Bonorum in Castris & villis Montis Cassini* Regestum alterum. Hæc omnia in Bibliothecâ Cœnobii Cassinensis MSS. asservantur.

1265. CLEMENS IV. *Guido Fulcodii*, seu *Guido Grossus* antea appellatus, gente Gallus, primùm quidem Advocatus insignis, & Regis Franciæ Consiliarius, quando & uxorem duxit, ex qua duas filias suscepit. Post uxoris mortem sæculo renunciavit; & ob morum sanctitatem primò Episcopus Podiensis, dein Archiepiscopus Narbonensis, tandem Cardinalis ac Sabinensis Episcopus factus est. Ab Urbano IV. in Angliam legatus, post Urbani mortem Pontifex Romanus à Cardinalibus absens electus est an. 1265. cui electioni assensum ipse præbuit Perusii die VI. Februarii, die XXII. coronatus. Primo statim Pontificatûs ingressu rarum contemptus mundi signum edidit. Utrivis enim filiarum datis nonnisi triginta libris Turonensibus, alteram plebeio homini uxorem locavit, alteram Monasterio commisit: quin & sororis filio tres Canonicatus obtinenti optionem dedit; ut quem vellet, ex his retineret, duos illicò dimitteret. Eodem anno Siciliæ regnum Carolo Andegavensi, Ludovici Galliæ Regis fratri, Manfredo ob contumaciam scilicet abalienatum, Apostolico jure donavit: Crucem contra Manfredum prædicari, & pro sumptibus belli sublevandis Ecclesiasticorum omnium redituum decimas persolvi jussit. Anno 1267. Conradinum Regem Frederici Imp. filium jus avitum in Italia persequentem, omnesque civitates ei adhærentes anathemate percussit, & Petrum Aragoniæ Regem diris devotum regno suo authoritate Apostolica exuendum decrevit. Obiit Viterbii an. 1268. die XXIX. Novembris. Extant *Epistolæ* III. Concil. Tom. XI. pagina 830. *aliæ Epistolæ & Constitutiones VII.* apud Bzovium *Annal.* ad an. 1266. 1267. 1338. *aliæ Epistolæ XIII.* apud Waddingum *Annal. Minorum* ad an. 1265. &c. *aliæ XXXIV.* ibidem. Tom. II. in *Regesto Pontif.* p. 100. alias aliquot dabunt Albertinus *de Eucharistia* p. 273. Cl. Jollius inter Oiselli opuscula p. 690. 691. Plura illius scripta inedita recenset Lud. Jacobatius *Biblioth. Pontif.* pag. 48. Cæterùm turpissimè hallucinantur, qui ingentia *Opera Juridicalia* Cle-

Cave Hist. Lit.

menti nostro ascribunt, puta *Decisiones*, *Francofurt.* 1575. f. *Lecturam auream super Decretales Lugduni* 1517. *Francofurt.* 1580. f. *De appellationibus Tractatum*, *Colon.* 1573. *Commentariorum in Pandectas, Consiliorum volumina III.* &c. Ista enim omnia debentur Guidoni cognomento Papæ, Consuli Delphinati, qui claruit ab an. 1427. ad 1483.

GILBERTUS, sive *Guibertus*, *Wibertus* ab Henrico Gandavensi dictus, Patriâ Tornacensis, Ordinis Franciscani Monachus, S. Theologiæ in Academiâ Parisiensi Professor, claruit an. 1270. Extat *Tractatus de Officio Episcopi & Ecclesia caremoniis*, alius *De pace & tranquillitate animi*, uterque in Bibliothecâ Patr. Tom. XXV. p. 378. *Vita S. Eleutherii primi Tornacensium Apostoli*, apud Bollandum ad XX. Februarii *Sermones de Tempore*, *& de Sanctis*, editi *Paris.* 1518. 8vo. Scripsit & *Hodæporicon* primæ profectionis S. Ludovici Regis in Orientem, teste Henrico Gandavensi*; quod in Belgicis Bibliothecis MS. extare dicitur. 1270.

* De Script. c. 54.

NICOLAUS HANAPUS, natione Gallus, in vico cognomine Diœcesis Rhemensis natus, Ordinis Dominicani Monachus. Sedis Apostolicæ in Romana Urbe Pœnitentiarius, claruit circa an. 1270. Dum munere suo summa cum laude fungeretur, an. 1281. à Martino Papâ Patriarcha Hierosolymitanus renunciatur, primus etiam in Syria & Palæstina fidei Censor à Nicolao III. antea constitutus. Obiit Ptolemaide an. 1288. Extant *Biblia Pauperum* Cap tulis CXXXIV. (Bonaventuræ falsò tributa) sive *Virtutum vitiorumque exempla* ex universo utriusque legis promptuario decerpta, *Venet.* 1537. 16°. *Tubingæ* 1533. *Paris.* 1547. 8vo. *Basil.* 1555. 1270.

CONSTANTINUS ACROPOLITA, magnus Logotheta, νέ☉ Μεταφράστης *sive Metaphrastes junior* dictus, in Aulâ Constantinop. vir summus, claruit, imperante Michaele Palæologo, circa an. MCCLXX. Causam Græcorum adversus Latinos fovebat maximè, contra quos plures de processione Spiritûs S. tractatus reliquit. Duos in scriptis Græcorum laudatos se vidisse refert L. Allatius *de Consens. Orient. & Occident.* lib. II. cap. 15. num. XIV. col. 780. Unum, cujus illud Principium Ἀνδρὲς Ῥωμαῖοι. alterum, cujus illud, Ἐμνήσθην καὶ ἄλλου λόγου τῶν ἀντιλεγόντων ἡμῖν. Quorum, inquit, frusta, eaque satis polita, in codicibus MSS. reperiuntur. Quâ occasione, quo animo Logothetæ nostri Commentarium unà cum propriis comburendum igni obtulit Theodorus Muzalo, in eâdem dignitate successor & Proto-Vestiarius, plenè te docebit Pachymeres lib. VII. cap. 8. Scripsit etiam Constantinus *Orationem* in sanctam Martyrem Theodosiam, patriâ Constantinopolitanam, quæ sub Leone Isauro pro cultu sacrarum imaginum Constantinopoli passa est. Cujus hoc initium. Γυναῖκα μὲν ἀνδρείαν πῶς τις ἂν καὶ ὅπως εὕροι ὁ σοφὸς ἐπαπόρεσε Σολομῶν, καὶ μάλα γε εἰκότως ἐπαπόρεσε. Πρὸ γὰρ τοῦ χάριτ☉ &c. Hanc orationem etiam in suum indicem retulit L. Allatius *de script. Simeon.* pag. 84. qui & alibi quædam ex eâ profert, *advers. Hotting.* p. 200. Extat MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* Lambec. CXI. Nessel. CCLXXIX. *numer.* XVII. f. 217. iterumque *cod. Histor.* CXV. *numer.* ii. fol. 73. pag. 2. Confer. Lambec. *comment.* lib. IV. pag. 63. Extant & aliæ ejus historici argumenti orationes; nempe in *S. Martyrem Neophytum.* Princ. Παραδόξων πραγμάτων δυσπαράδεκτ☉ ἡ διήγησις, ἀλλ' οὐ τοῖς ἡμετέροις καὶ θείοις πληρώματ☉, apud L. Allat. *de script. Simeon.* pag. 105. *in S. Theodorum Tyronem.* Princ. Σὺ μὲν ὦ ἀγαθὲ τοῦ ἀπερράγαθου δοῦλε Θεοῦ. *ibidem* pag. 1270. *P. II.* 109.

Digitized by Google

109. *In S. Joannem Damascenum.* Princ. Τῷ Ἰωάννῃ τὸ λόγον τῷ ἐκ Δαμασκοῦ τὰ ἐγκώμια *ibidem* pag 112. Hunc sermonem à se descriptum, Lutetiam ad Jo. Aubertum, in futurum novæ editionis Damasceni ornamentum, se MS. misisse testis est idem Allatius *in catal. oper. S. Damasc.* ad calc. *Symmict.* num. XXVIII. p. 450. Ex eo quædam profert in *Consens. de purgat.* p. 761.

1270. P. II. GREGORIUS BAREBRÆUS, gente Syrus, Sectâ Jacobita, partisque suæ apud Syros Archiepiscopus, claruit circa annum MCCLXX. Natus quippè anno Æræ *Alexandreæ* MDXXXVIII. *Christianæ* MCCXXVI. Magna doctrinæ fama apud suos florebat in Oriente, teste Fausto Nairono Maronitâ *Euopl. Hist. dogm. fidei Cath.* Part. III. pag. 350. Scripsit sermone tùm Arabico multa, omnis scientiarum generis opera eruditissima, fatente Abr. Ecchellensi in *Indice Auctorum* ad *Eutych. Vindicat.* num. XXIX. Quæ ad notitiam meam pervenerunt, hæc sunt. *Dilucidationes*, sive Tractatus *de Fundamentis Ecclesiæ*, in libros decem partitus. Librum VII. cap. 2. §. 1. citat Ecchellensis *ibidem* Part. I cap. 9. pag. 140. & pag. 175. ubi non pauca Syriacè profert. Alia ex *lib.* VII. cap. 3. §. 3. allegat. idem in Epist. ad L. Allatium ad calc. lib. *de Synodo* VIII. p. 661. Aliud benè longum Syriacè & Lat. ex *lib.* VIII. §. 3. ibid. p. 644. Quædam etiam F. Naironus ex *Tract.* VII. cap. 3. §. 3. *Euopl.* Part. III. pag. 316. Ex *Tract.* VIII. cap 4 §. 3. ibidem Part. II. p. 197. Exemplar MS. linguâ Syriacâ exaratum penès se habuit Abr. Ecchellensis. *Chronicon* decem libris absolutum, cujus duo extant Codices MSS. Syriaci, unus in Bibliothecâ Gilb. Gaulmini Parisiensis, penès Ecchellensem alter, qui plura ex hoc opere adducit *Not. ad Catalog. Hebedjesu p.* 59. 78. 86. quædam etiam Arabicè ex lib. VI. *Eutych. Vindic.* Part. II. cap. 30. p. 472. Alia ex lib. IX. *ibidem* c. 27. p. 295. *Ethica*, citata Nairono *Part.* I. p. 52. Denique liber *Carminum* apud eundem Naironum *Part.* II. p. 116.

1270. P. II. ABU-ISAAC BEN-ASSALUS, natione Ægyptius, patriâ, ut videtur, Alexandrinus, è Sectâ Monophysitarum, claruit (teste Fausto Nairono) sæculo decimo tertio. Cùm verò incertus mihi sit annus, ad an. MCCLXX. refero, donec certiorem expiscari contigerit. Multa nec inerudita opera edidisse testantur Ecchellensis & Naironus. In his primas tenent *Collectio Canonum*, & *Ecclesiæ Alexandrinæ Constitutiones*, duabus partibus absolutæ. In primâ agitur de omnibus iis, quæ ad politiam & administrationem Ecclesiasticam pertinent: in alterâ, quæ ad Laicorum spectant regimen. Extat MS. vetustissimum exemplar in Bibliothecâ Collegii Maronitarum in urbe Româ. Præfationem Arabicè citat Abr. Ecchellensis *Eutych. Vindicat.* Part. II. cap. 17. p. 168. Et in *Epist.* ad L. Allat. *de Synod.* VIII. p. 629. Scripsit itidem opus *Quæstionum Ecclesiasticarum.* Ex *Quæstione* XXIII. locum prolixum de illis Christi verbis, *Quodcunque ligaveris super terram* &c. Arabicè & Latinè profert idem Ecchellensis *ibidem* c. 22. p. 220. De opere ejus Canonico videri potest Naironus Maronita tùm in *Indice Euopliæ* præmisso, tùm operis *Part.* II. pag. 253. ex cap. 55. locum de circumcisione Coptitarum profert *ibidem* Part. I. p. 38.

1270. P. II. AUCTOR Anonymus tractatûs historici de Episcoporum depositione, ex codice *Baroccianо* editi, claruit circa annum MCCLXX. Non alium fuisse quàm Nicephorum Callisti, suspicatus est in præfatione Cl. Editor, hâc unicâ ratione ductus, quòd inter varia Nicephori collectanea in eodem codice repertus sit. Verùm sententiam suam subindè mutavit. Et certum est aliâ à reliquis Nicephori excerptis manu exaratum esse; rectèque observavit ipsemet editor successionem, quam tradit Patriarcharum Constantinop. à Nicephori Catalogo plurimùm differre. Quisquis sit, Scholæ Rhetoricæ in Ecclesiâ Constantinop. magister fuisse videtur. Cujus erat Historiam Ecclesiasticam discipulis suis ad eadem studia formandis prælegere. Orto igitur Constantinopoli schismate, ut paci Ecclesiasticæ consuleret, hunc libellum ex historiis Ecclesiasticis collectum dictavit. Quo, pluribus exemplis ex omni antiquitate Ecclesiasticâ petitis, ostendit Episcopos injustè licèt, & repugnantibus canonibus, sedibus suis deturbatos, pacem Ecclesiæ coluisse, nec successoris orthodoxi communionem unquàm refugisse. Occasio nuperi hujus schismatis, ut ex codice quo usus est Cotelerius, liquet, hæc erat. Arsenius Patriarcha anno MCCLXVI. Michaelem Palæologum, ob sævitiam in Theodori Lascaris filium impuberem, anathemate percussit. Imperator, coactâ Synodo, Patriarcham deponi curavit, subrogato in ejus locum Germano. Quo mox recedente, suffectus est Josephus Presbyter & Archimandrita. Hinc ortum schisma, aliis Josephum sequentibus *Josephitæ* dicti sunt, aliis Arsenio, utpotè injustè deposito, tenacius adhærentibus, *Arseniatæ* indè dictis. Latè de hoc schismate agunt Nicephorus Gregoras, & Georg. Pachymeres. Ut verò huic schismati medicam manum admoveret Auctor noster, & Arseniatas ad pacem & concordiam revocaret, tractatum hunc historicum contexuit, & suis auditoribus dictavit. Hunc ex scriniis *Baroccianis* Bibliothecæ Bodleianæ Cod. CXLII. erutum, & versione Latinâ, notisque ornatum, Gr. Lat. edidit vir clarissimus, mihique longè amicissimus Humphredus Hodius, titulo *Redargutionis novi schismatis Anglicani* Oxon. 1691. 4to. Eodemque penè tempore Anglicè evulgavit. Librum evulgatum mox aggressi sunt ex parte adversariorum Septemviri, emissis totidem in illum libellis. Ex quibus præcipuos sibi examinandos selegit Hodius, & editis prolixioribus vindiciis *Lond.* 1693. 4to. integram controversiam excussit, & ad antiquitatis stateram scrupulosè expendit. Nec deinceps (quod sciam) res ulteriùs progressa est.

METHODIUS, Monachus, ut videtur, Constantinopolitanus, claruit an. MCCLXX. Vixit 1270. P. II. eodem tempore quo Anonymus ille cujus jam facta mentio, sub Josepho Patriarchâ, cùm ob ejectum Arsenium, & Josephum intrusum, gravissimum schisma in Ecclesiâ Græcâ erumperet: & hâc ipsâ occasione scripsit Συλλογὴν συνοπτικὴν βιβλίων, ὅτι οὐ δεῖ χωρίζεσθαι τοὺς λαοὺς &c. *Syllogen compendiosam ex libris Veterum, non debere populos sejungi à suis præsulibus, modò illi de fide rectè sentiant, ἢ κατά τινα ἐγκληματικὴν περίστασιν ἡ χειροτονία αὐτῶν προβῇ, licèt in aliquâ criminosâ circumstantiâ, eorum ordinatio successerit.* Incipit. Ἰστέον ὡς παραιτησαμένου τοῦ μεγάλου Γρηγορίου τοῦ θεολόγου τὸν θρόνον Κωνσταντινουπόλεως, καὶ ἀναχωρήσαντος. Scriptoris hujus notitiam debemus L. Allatio *Diatr. de Methodiis* pag. 383. Ubinam verò delitescat hic Tractatus, nos non docet.

JOBUS, Hieromonachus, Josephi Patriarchæ discipulus, claruit circa annum MCCLXX. 1270. P. II. Josephus Galæsiota, Patriarcha Constantinop. quùm unionem cum Latinis totis viribus impugnaret, multas ab adversâ parte calumnias, multas vexationes expertus est. Præceptoris igitur sui vindicias egit Jobus noster, scripsitque *Apologiam*

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. *giam* pro Josepho Patriarchâ contra primatum Papæ & concordiam Græcorum cum Latinis. Extat opus Græcè XLIX. foliorum *4to.* Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* ex dispositione Lambecianâ CCLXXXI. Nesselianâ CLXXII.

1270. P. II. ANOYMUS Chronici Mailrosensis compilator, gente procul dubio Scotus, claruit, saltem is qui ultimam manum ei adhibuit, circa annum MCLXX. Scripsit Chronicon Monasterii Mailrosensis in ripâ Twydæ fluminis positi, ab anno DCCXXXV. usque ad annum MCCLXX. Primam hujus Chronici partem condidit Abbas quidam de Dundrinâ in Galwyâ; quam coloniam à Mailrosa ductam fuisse conjicit Cl. Editor. Reliqua Monachi quidam Mailrosenses addidisse videntur. Primus extulit Thomas Galæus *Rer. Anglic. Script.* Tom. I. *Oxon.* 1684. p. 132. Ad calcem voluminis collectanea quædam adjecit, præcipuè carmina Annalibus Moilrosensibus, suis locis, sed aliâ manu inserta. Quæ ex codice Cottoniano olim transcripsit reverendissimus Usserius.

1270. P. II. GULIELMUS, de Sanvico Anglo-Cantianus, quippè Sandvico non ignobili littoris Cantiani portu, ut videtur, oriundus, Ordinis Carmelitici Sodalis, claruit an. MCCLXX. *Guilhelmum de Samuco* vocat Trithemius, & natione Gallum facit, *de Script. Eccles.* fol. 109. & *de Ord. Carm.* lib. II. p. m. 8. etiamsi in *Catal. Script. Carm.* huic opusculo subjuncto Syrus fuisse dicitur p. 75. Trithemium sequuti sunt Possevinus *Appar.* T. I. p. 712. (quamquàm non tam ex propriâ, quàm aliorum sententiâ loquitur) Ant. Alegre *Paradis. Carmel.* ad ann. MCCLXXX. pag. 290. Vossius *de Hist. Lat.* lib. II. cap. 60. pag. 490. Verùm potior est eorum sententia, qui Anglum fuisse volunt. Certè Carmelitæ ex Oriente primi in Angliam devenerunt circa an. MCCXL. & Newendenæ seu Novioduni in agro Cantiano, teste Lambardo nostro, primas sedes habuerunt, & quàm frequentes erant Anglorum hoc sæculo in terram Sanctam expeditiones nemo nescit. Aub. Miræus lib. *de Orig. & Increm. Ord. Carm.* pag. 217. Gulielmus Samucus, *inquit*, quem alii Gallum, alii Syrum fuisse volunt. Alibi tamen ubi suam profert sententiam, etsi Henricum Sanvicensem vocat, Anglum natione fuisse disertè dicit *Auct. Script. Eccles.* cap. 486. pag. 273. Interim mirari licet Baleum nostrum, qui & ipse ordinis Carmelitici alumnus erat, in *Centuriis* suis nusquam hujus Gulielmi meminisse, nisi potiùs id fecerit in opere *de Scriptoribus Carmelitis*, quod MS. II. Vol. *4to* olim inspexi, hodiéque ni fallor in Bibliothecâ D. Fr. Bernardi M. D. Londinensis asservatur. Cujas tandem fuerit, in Terram Sanctam profectus est, & in monte Carmelo vitam egit Eremiticam, donec nutantibus Christianorum in Palæstinâ fatis, & increscente indies Saracenorum potentiâ, relicto Carmelo in Cyprum transiit, posteàque in patriam rediit, ubi condidit *Chronicon de Multiplicatione Ordinis Carmelitanæ per Syriam & Palæstinam, & de vastatione Monasteriorum Terræ sanctæ, ac adventu Carmelitarum in Europam.* Editum est in *Speculo Carmelitarum*, seu ingenti Collectione Scriptorum de rebus Carmeliticis, quam adornavit Fr. *Daniel à Virgine Mariâ*, & in lucem emisit *Antvv.* 1680. *Tom.* IV. *fol.* Et à diligentissimis Bollandianis in Prolegomenis ad Tomum III. *Martii* pag. 60. Alia Gulielmo nostro tribuunt Trithemius, Possevinus, &c. nempè *Decretales religiosorum* lib. I. *super sententias* lib. IV. *In Regulam sui Ordinis* lib. I. quæ an supersint hodiè, vel an extiterint unquam, non didici.

RADULPHUS BOCKINGUS, gente Anglus, patriâ Southsexiensis, domo Cicestrensis, Ordinis Dominicani Monachus, claruit anno MCCLXX. Vir tantæ probitatis & eruditionis habebatur, ut ipsum sibi in Confessorem elegerit Richardus Wichius Cicestriensis Episcopus, qui diem extremum clausit an. MCCLV. ab Urbano IV. Pontifice in Sanctorum numerum relatus. Composuit, sed stylo satis barbaro, *inquit* Baleus, *de Vitâ S. Richardi Cicestrensis Episcopi* libros II. quos Isabellæ Arundeliæ Comitissæ dedicavit. Vitam hanc sed in Epitomen ab Anonymo quodam contractam mutato stylo extulit Surius *April.* iii. p. 42. Integram Bollandiani dederunt eodem die. *Sermones* etiam Radulpho nostro ascribunt Baleus & Pitseus, qui an extent, incertum est. SÆC. XIII. ab A. MCC. 1270. P. II.

ELIAS de TRICKYMGHAM, natione Anglus, Cœnobii Petriburgensis ex Ordine Benedictino Monachus, claruit sub Henrico III. anno MCCLXX. Academiam Oxoniensem nutricem habuit. In quâ sub optimis præceptoribus bonis literis institutus, immane quantum profecit; ut liberales disciplinas, & linguarum elegantiam accuratè tenuit, Doctoratûs insignia, non sine magnâ laude, in hâc Academiâ promeritus. Confer Baleum *Centur.* IV. cap. 32 pag. 320. Scripsit *Chronicon*, sive temporum Annales ab an. DCXXVI. paulò post institutam Saxonum Heptarchiam, ad annum usque MCCLXX. quo vixit Auctor. Extant MSS. in *fol.* inter codices manu exaratos viri, dignitate an eruditione præstantioris incertum, D. Jocobi Warei. Quos ære suo redemit, & in Bibliothecâ Thenisonianâ aliquandiù repositos, tandem in propriam Bibliothecam transtulit illustrissimus Clarendoniæ Comes. Præfixa est Chronico brevis computatio de sex ætatibus Mundi, quæ ita incipit. *Ab origine mundi in primâ ætate Sæculi secundùm Ebraicam veritatem computantur anni mille sexcenti quinquaginta sex* &c. 1270. P. II.

ANONYMUS Chronici Longobardici Auctor, S. Justinæ apud Patavinos Monachus, claruit an. MCCLXX. Vixisse hoc tempore manifestissimum est, cùm ipse de iis agere profiteatur, quæ suis temporibus facta sunt. Condidit *de rebus in Longobardiâ, & vicinâ Tarvisinâ Marchiâ gestis* ab anno MCCVII. usque ad annum MCCLXX. libros III. Nec rebus Italis contentus, aliarum etiam gentium historiam compendio persequitur. Hos libros ex Ramingiano exemplari in lucem protulit Christianus Urstisius *Histor. Germaniæ* T. I. p. m. 581. 1270. P. II.

GREGORIUS X. *Theobaldus* antea dictus, gente Italus, Patriâ Placentinus, Archidiaconus Leodicensis, an. 1270. Edwardo Walliæ Principi in Palæstinam exercitum ducenti comitem se adjunxit: ubi dum moram faceret, Pontifex Romanus à Cardinalibus electus est Viterbii an. 1271. die I. Septembr. electioni assensum præbuit, die XXVII. Octobr. atque anno sequente, die XXVII. Martii Romæ coronatus est. Anno 1274. Concilio Lugdunensi II. præsedit; in quo cum Ecclesia Græcâ pacem iniit, nullas non conditiones amplectente Michaele Imp. ut ab imperio suo adhuc nutante Occidentalium arma averteret, & Baldwino purpuram authoritate Synodica abrogari obtineret. An. 1275. in Italiam reversus, Florentinos anathemati subjecit. Obiit an. 1276. X. Januarii, Aretii sepultus. Extant *Epistolæ* IX. Concil. Tom. XI. pag. 929. aliæ *Epistolæ* X. apud Waddingum *Annal. Minorum* ad an. 1272. &c. *aliæ* VI. ibid. Tom. II. in *Regesto Pontif.* pag. 116. 1271.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC.

1272. ROBERTUS KILWARBIUS, Natione Anglus, postquam Oxonii studiis incubuerat, in Academiam Parisiensem se recepit, ibique gradum Magisterii in Artibus consecutus est; domum rediens S. Francisci sodalitio se fratrem dedit, ordinis sui paulò post Provincialis factus. An. MCCLXXII. à Gregorio X. in Archiepiscopum Cantuariensem promovetur, quem, ut jura sua tueri viderentur Monachi Cantuarienses (etsi Gulielmum Chillindem Subpriorem suum nuper elegerant) suffragiis suis legitimè electum esse declararunt: ac proinde Feb. XXVI. consecratus est. Anno sequenti Thoma Cantelupo, in Vesperiis Comitiorum Oxoniensium gradum suscipiente, Disputationis Præsidem & Moderatorem agere, † teste Walsinghamo, Archiepiscopus licèt, non dedignabatur. An. MCCLXXVII. à Nicolao III. Romam accersitus Episcopus, Portuensis, & S. Ruffinæ Cardinalis renunciatur, quo tempore Archiepiscopatu se abdicavit, & Viterbium secedens, non sine suspicione veneni obiit III. Idus Septembris anno MCCLXXX. apud Franciscanos sepultus.

† Hist. Ang. p. 50.

SCRIPTA.

Liber de Passione Christi. Extant MS. in Bibliotheca Benedictina Cantab. vol. 394.

Quæstio de Mendicitate, ibid. eod. vol.

Tabula in libros Augustini, in Bibliothec. S. Petri ibid. vol. 172. 173. 177.

Liber de ortu omnium Scientiarum, MS. in Bibliothec. Dunensis Monasterii, in Flandria, apud Sander. *Biblioth. Bel. MS.* p. 188.

Series errorum ab ipso in Anglia condamnatorum; ibid.

De divisione Scientiarum, Oxon. in *Biblioth. Ballionens.* vol. 2.

De Naturâ Relationis, ibid.

In Prosodiam Prisciani, In Bibliotheca *Petrina*. Cantab. vol. 32.

In Donatum de Vitiosis Sermonibus ibid. vol. 32. Alia apud Baleum & Pitseum quærantur.

1272. GULIELMUS PERALDUS, sive *de Petra alta*, natione Gallus, Provincia Viennensi, habitum Dominicani Ordinis à Reginaldo suscepit an. 1219. Claruit an. 1272. quo (si Ambrosio Altamuræ fides) Archiepiscopus Lugdunensis factus est: Rectiùs forsan vicariam sedis Lugdunensis curam suffraganei jure obiisse censendus. Obiit an. 1275. Extat *Summa de Virtutibus & Vitiis*, *Venet.* 1492. 1497. 8°. *Basil* 1497. *Lugduni* 1551. 16°. *Paris.* 1629. 4°. & alibi sæpè. Sunt qui *Sermones de Tempore & Sanctis*, Gulielmo Parisiensi vulgò inscriptos huic adjudicant. Prodierunt Sermones isti *Lugduni* 1575. & alibi.

1272. *P. II.* ADAMUS de DOMERSHAM, Anglus, Cœnobii Glastoniensis Monachus, claruit anno MCCLXXII. & deinceps. Scripsit historiam controversiæ inter Episcopos Bathonienses, & Monachos Glastonienses; quam ex MS. codice extulit H. Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. I. p. 578.

1273. *P. II.* ANONYMUS, Historiæ Lemovicensis Auctor, ejusdem Eccl siæ, ut videtur, Canonicus, claruit circa an. MCCLXXIII. In literas retulit nomina ac gesta Episcoporum Lemovicensium, à Martiale primo Episcopo, ad Aymericum an. MCCLXXIII. O[illegible]lum hoc nobis dedit Ph. Labbeus *Biblioth. Nov.* Tom. II. p. 265.

INNOCENTIUS V. antè *Petrus de Tarentasia* appellatus, natione Burgundus, Tarentasiæ propè vallem Moriennam natus. An. 1225. Ordinem Dominicanum puer decennis suscepit: & in Academia Parisiensi Studiis Theologicis incubuit: ubi tandem ob raram doctrinam Cathedræ Theologicæ præesse meruit. An. 1263. in Capitulo Dominicanorum generali Lugduni celebrato Vicarius Ordinis Generalis, & Galliæ Provincialis renunciatur. An. 1271. Archiepiscopus Lugdunensis creatus est, anno sequente ad Ecclesiam Tarentasiensem & Episcopatum Ostiensem ac Veliternum translatus. Cardinalis etiam factus. An. 1273. Ecclesiæ Romanæ Pœnitentiarius major constituitur, ac sequente anno Concilio Lugdunensi interfuit. Anno. 1276. Pontifex Romanus electus est Aretii die XXI. Januarii, die XXII. Februarii Romæ coronatus. Florentinos à decessoribus excommunicatos eâ lege absolvit, ut Gibellinos omnes civitate ejicerent. Obiit post quinque menses die XXII. Junii. Extat *Compendium Theologiæ Paris.* 1551. 12°. *Commentarius in quatuor libros Sententiarum*, *Tolosa* 1652. Complura alia ejusdem scripta satis crassæ molis recenset Ambrosius de Altamura *Biblioth. Prædicat.* p. 43. 44. SÆC. XIII. ab An. MCC. 1276.

JOANNES BECCUS sive VECCUS, genere Græcus, Magnæ Ecclesiæ Constantinop. Chartophylax, vir sui temporis & ingenio & eruditione celeberrimus, primò quidem Michaeli Imp. unionem cum Latinis meditanti strenuè adversabatur: quem adeò Imperator omni pacto lenire, inque suas partes pertrahere tum per se tum per alios conatus est. Verùm cùm nullis id consiliis efficere posset, hominem unà cum suis in teterrimum carcerem conjecit, eique Nicephori Blemmidæ scripta misit: quibus per otium perlectis, perpensisque Patrum dictis, & re totâ diligentiùs consideratâ, sententiam mutavit Beccus, & pro Imperatore ac Latinis adversùs Græcos stetit. Unde an. 1274. juxta Freherum, deposito Josepho Galesio, ipse thronum patriarchalem Michaelis favore ascendit; & ut Nicephori Gregoræ verbis pergam, πάντα ἦν αὐτῷ τῷ βασιλεῖ· καὶ γλῶττα, καὶ χεὶρ, καὶ κάλαμος γραμματέως ὀξυγράφου, καὶ λέγων, καὶ γράφων, καὶ δογματίζων. *Imperatori unus fuit omnia, & lingua, & manus, & acuti Scriptoris calamus, & dicendo & scribendo & dogmata statuendo.* Postquàm Patriarchatum octennio tenuisset, mortuo Michaele Imp. ne à plebe discerperetur veritus, sede clam relictâ, in Panachranti Monasterium confugit anno circiter 1283. suffecto iterùm Josepho. Post Josephi mortem an. circiter 1284. Georgius Cyprius Patriarchatum adeptus Beccum ad Olympi montis radices relegari effecit. Cùm verò de injuria sibi illata acerbè quæreretur Beccus, Constantinopolim reductus causam in consistorio sacro agere jussus est. Magno id quidem acumine ac facundia præstitit, sed cùm Latinorum partes acriter tueri pergeret, in Bithyniam unà cum Meliteniota, & Metochita ablegatus est, in castello S. Georgii custodiæ mancipandus, ubi tandem ærumnis & miseriis fractus, diem obiit. Vir erat, judice Gregora *, συνετὸς ἐν τοῖς μάλιστα, καὶ λόγου καὶ παιδείας τρόφιμος· τοσούτοις δὲ καὶ παρὰ τῆς φύσεως συγκεκροτημένος χαρίσμασιν, ὅσοις τῶν τότε ἀνθρώπων οὐδείς. *Excellenti ingenio & doctrina studiis ab ineunte versatus ætate, præterea tantis naturæ donis ornatus, quantis quisquam alius illius ætatis.* Ἑλληνικῆς μὲν γὰρ παιδείας ἕνεκα ἦσαν οἳ τότε προεῖχον αὐτοῦ. Φύσεως δὲ ὀξύτητι καὶ γλώττης δρόμῳ καὶ ἀσκήσει δογμάτων ἐκκλησιαστικῶν, παῖδες ἀνδρὶ παραβαλλόμενοι πάντες ἐδόκουν ἐς αὐτόν. *Nam Græcarum litterarum doctrinâ erant qui illum* 1276.

* Hist. l. 5.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab An. MCC. illum superarent, sed acumine ingenii & eloquentia, & Ecclesiasticorum dogmatum usu omnes, cum illo collati, pueri videbantur.

SCRIPTA.

De unione Ecclesiarum veteris & novæ Romæ liber.

De Processione Spiritus S. Capita XII.

Epistola ad Alexium Agallianum de eadem re.

Sententia Synodalis.

Testamentum. Omnia isthæc opuscula Græc. Lat. edidit Leo Allatius *Græc. Orthod.* Tom. I. à pag. 61. ad pag. 379.

De omnibus suis libris & SS. Patrum consensione animadversio, ab eodem Allatio edita *Græc. Orthodox.* Tom. II. p. 1.

De injustitia quam passus est throno proprio ejectus, ibid. p. 11.

Oratio Apologetica de injustitia, &c. ibid. pagin. 36.

Apologia nullo modo nostras consuetudines destrui; si Ecclesiæ acceptamus unionem, &c. ibid. p. 84.

Ad Theodorum Sugdeæ Episcopum libri III. *de Processione Spiritus S.* ibid. p. 95. Hos ab Allatio acceptos Latinè unà cum aliis quibusdam ediderat Nihusius *Mogunt.* 1655. 8°. Tertium ex his librum Gr. & Lat. dedit idem Allatius ad calcem Libri *de Purgatorio*, *Romæ* 1652. 8°.

Ad Constantinum libri IV. de eadem re Gr. ibid. Tom. 2. p. 149.

In Tomum Cyprii, & novas ejusdem hæreses Orationes extemp. II. ibid. p. 215.

Refutationes Andronici Camateri animadversionum de Processione Sp. S. ibid. p. 287.

Epigrapha, sive Præscriptiones XIII. *in Dicta & Sententias SS. Patrum à se* collecta, *de Processione* Sp. S. p. 522. Hæc omnia habentur *Græc. Orthodox.* Tom. II. Alia quædam Vecci scripta commemorat Allatius *de Consens.* l. II. *§.* 15. c. 8. an verò ex iis sint, quæ ab hactenus recensitis diversa sunt, norunt, quibus Bibliothecæ Vaticanæ Archiva patent.

De unione Ecclesiarum veteris & novæ Romæ, scandalique ex dissidio nati absurditate, libri II. ex quorum secundo amplissima olim excerpta, Concilium CP. Photianum spectantia, collegit Matthæus Blastares; quæ Gr. Lat. edidit Gul. Beveregius Pandect. Canon. Tom. II. p. 273.

1276. GEORGIUS METHOCHITA, magnæ Ecclesiæ CP. Diaconus Becci Symmista, & omnium ferè quæ sub Andronico Imp. perpessus est, malorum socius, claruit anno 1276. Unionem cum Latinis ineundam summoperè promovebat; & cùm à sententia neutiquam dimoveri posset, sæpius in carcerem conjectus est. Obiit exul, quo tamen anno, nondum comperi certè Vecco superstes. *Dictio ei*, judice Allatio *, *in omnibus dura, compositio aspera, nullo fuco, nullo lenocinio mollita, sententiæ graves, argumenta ad probandum id quod voluit firma; sed elocutione & impositione nominum horrida & confragosa.* Hæc Allatius, qui eadem ferè repetit *Diatriba de Georgiis eorumque scriptis*, pag. 345. utrobique autem Opusculo Metochitæ, *viz. de Processione Spiritus S.* Opus in V. partes, seu orationes distributum; *De unione Ecclesiarum; Adversus Maximum Planudem, Manuelem Nepotem, & Gregorium Cyprium enumerat.* Ex his extant *refutatio trium capitum Maximi Planudis*, ab eodem Allatio Gr. Lat. edita *Græc. Orthodox.* Tom. II. pag. 922. *Refutatio Manuelis Cretensis Nepotis*, ibid. pag. 959. Fragmentum satis amplum ex libro V. *de Processione Sp. S.* Gr. Lat. exhibet idem Allatius lib. *de Purgatorio* pag. 668. Fragmentum ex oratione historica *de Unione Ecclesiarum*, lib. adversus Hottinger. pag. 429. Fragmenta bina ex Oratione historica *de Dissidio Ecclesiarum*, ibidem. pag. 458. 462. aliud ex libro V. *de Processione Sp. S.* Fragmentum ibidem pag. 311. Fragmentum libri IV. *de Processione Sp. S. de Epistola S. Maximi* agens, Gr. Lat. edidit Fr. Combefis. *Auctuar.* Nov. Tom. II. pag. 1017.

* De Consens. l. 2. c. 15. §. 9.

1276. P. II. GEORGIUS METOCHITA, quem GREGORIUM Gesnerus & Possevinus malè vocant, magnæ Ecclesiæ Diaconus & Chartophylax, claruit an. MCCLXXVI. Joanni Vecco causam unionis cum Latinis strenuè agenti mordicus adhæsit, omnique operâ suppetias tulit, varia hanc ob causam mala, mutatis subindè carceribus passus. Sed cùm à proposito discedere nollet, in carcere diem extremum obiit. Ejus Scripta suprà, sed breviter, nec satis distinctè recensuimus, de iis proindè hoc in loco, paulò expressiùs acturi. Sunt autem quæ sequuntur.

Tractatus de Processione Spiritus Sancti, Patrumque hâc in re sententiis, in V. Partes sive Orationes divisus. Prima sic incipit. Τὸ περὶ Θεοῦ λέγειν οὐκ ὅπως φρικῶδες τοῖς κατ' ἐμέ. Secunda, Ἐν ἡμῖν καὶ τοῦτο τῶν ἐγκλημάτων, τὸ θείων ἐκ γραφικῶν. Tertia, Ἐπειδὴ περὶ τάξεως τῆς ἐν τριάδι διαλαμβάνοντες τῶν θεοφρουρήτων. Quarta; Περὶ τῆς διὰ τοῦ δημιουργίας Μουζάλων ἐν μέσοις ἐκείνοις δικαστηρίοις τὸ συῤῥεῦσαν πλῆθος ἀνακυκῶν. Quinta, Ἃ μὲν οἱ περὶ τὸ λέγειν ὄντες δεινοὶ τῶν καθ' ἡμᾶς ὠφρυωμένων τοῖς θείοις λόγοις ἐναπερεύγονται.

Ἀντίῤῥησις; sive *Responsio ad tria capita*, quæ Maximus Planudes Monachus publicavit. Prin. Πρὸς ἐρώτησιν ἀπαρακαλύπτως ἡμῖν φωνεῖσαν χρεὼν ἀποκρίνασθαι. Ἀντίῤῥησις sive *Responsio* ad ea quæ Manuel Nepos Cretensis conscripsit Prin. Πρόσταξις ἡ θεόφθογγος τὰς γραφὰς ἡ ἐρευνᾶν ἐπιτρέπουσα. Hæc duo opuscula, sive Responsiones Græce & Latinè edidit L. Allatius *Græcia Orthodoxa* Tom. II. p. 922.

Oratio continens concordiam inter utramque Ecclesiam, antiquæ Romæ & novæ ac nostræ, initium, & quæ deinceps subsecuta sunt. Princip. Οὐκ οἶδα εἰ καὶ ἄλλοτέ ποτε τοσοῦτον. Oratio *Antirrhetica in Georgii Cyprii Patriarchæ Tomum.* Prin. Ὁ μὲν δὴ διεξοδικώτερον τῶν ἡμῶν λόγων ἔχει περανθεὶς, ὡς οἴονται ἀποχρώντως. *Oratio prosequens ea quæ post prædictas duas Orationes, in eadem materiâ disputata & gesta sunt.* Prin. Ἦν ἡμῖν ἄρα προτεθειμένον ἐξ ἀρχῆς σκοπὸν ὡς ἐνὸν ἐκπερματωθέντα. In postremis his opusculis de causis dissidiorum Græcos inter & Latinos agit Metochita, Gregorii Cyprii Tomum refutat, & ex sanctorum Patrum auctoritate demonstrare nititur Spiritum S. ex Patre & Filio procedere, nec ideo esse duas causas, nec duo principia, sed unum idemque Patris & Filii principium & causam, effundere Spiritum S. in quantum unitur Filius Patri, & omnia Patris transeunt naturaliter ad Filium. Omnia hæc Metochitæ opera se vidisse testis nobis est L. Allatius, cui eorum notitiam acceptam referimus, *de Consens. Orient. & Occident.* lib. II. cap. 15. nu. 9. col. 771. Eundem cum Metochitâ nostro faciunt THEODORUM METOCHITAM Logothetam Gretserus & Vossius. Verùm egregiè falluntur, licèt eodem ferè tempore vixerit Theodorus, quem in Chartophylace ad initium sæculi XIV. collocavimus, ac de eo proindè agit Whartonus ad annum MCCCI. Nihilominus erat etiam hoc sæculo illustris, magnisque muneribus in aulâ CP. functus, rerum domesticarum tunc Logotheta, exeunte an. MCCXCV. unà cum Joanne Glyce Legatus missus, non in occidentem ad Mariam Germani Imp. sororem, Michaeli Andronici Imperatoris filio primogenito desponsatam, ut habet Whartonus noster, sed in Armeniam, ad nuptias cum Mariâ,

Rictâ

Digitized by Google

Riftâ patrio nomine appellatâ, Leonis Armeniæ Regis filiâ, Haithonis tunc regnantis sorore, conciliandas, ut disertè tradunt Pachymeres lib. IX. capp. 5. 6. & Gregoras lib. VI. pag. 135. Andronico seniori ob intelligentiam atque doctrinam liberalem, & in negotiis obeundis dexteritatem clarissimus erat; factus mox Logotheta ærarii generalis posteà magnus Logotheta, dignitate ab Andronico tunc primùm institutâ, ejusque filiam Joanni nepoti suo, quem Hypersebastum creavit, in uxorem dedit. Conspirante in avum suum Andronico juniore, & captâ Constantinopoli, Theodorus noster dignitatibus privatus Didymotichum maritimum Bithyniæ oppidum relegatur, ædes ejus dirutæ, opes direptæ, tandem ab exilio reversus in Choræ Monasterio, quod ipse suis sumptibus instauraverat, Monachi habitum induit, ubi senio, stranguriâ & mœrore fractus, animam Deo reddidit anno MCCCXXXII. domino suo Andronico, haud integro mense superstes. In cujus funere orationem habuit Nicephorus Gregoras ejus, præcipuè in Astronomicis, discipulus, quam & Historiæ suæ inseruit lib. X. pag. 333. Vir prudens & solers, *καὶ οὐ μόνον τῆς καθ' ἡμᾶς, ἀλλὰ καὶ τῆς ἔξω σοφίας, εἰς ἄκρον ἐληλακώς* inquit * Cantacuzenus magnus Domesticus & posteà Imperator, ipse licet ex adversâ factione; *non Christianis modò, sed & externis etiam literis politissimus.* Scripta ejus edita vide apud Whartonum loco citato. Nondùm lucem viderunt ejus *capita philosophica & historica miscellanea* CXX. quæ habentur Gr. MSS. Biblioth. Vindob. *codice Philosoph.* foliis cclxiv. in folio constante, juxta numeros *Lambec.* LXXXVII. *Nessel.* VIII. dignissima proculdubiò quæ artis typographicæ beneficio in eruditorum manus transirent. Eorum indicem Græcum exhibet Lambecius *Comment.* lib. VII. pag. 150. 151. & seqq. Extant ibid. *codice* XCV. folia ccclxxiii. in fol. continente Metochitæ nostri *Orationes* XVIII. de variis materiis Philosophicis, sed præcipuè ad Historiam Constantinopolitanam pertinentibus, ipsius Metochitæ æuo, in membranâ pereleganter exaratæ; quas utinam in medium proferant qui nobilissimæ istius Bibliothecæ curam gerunt. Scripsit etiam Michaelis Palæologi *Epitaphium*, ut & Irenes Imperatricis; quæ habentur in Bibliothecâ Regiâ, *cod.* DCCC. teste Car. du Fresne *Famil. Byzant.* p. 236.

* Hist. 1. c. 11. p. 37.

1276. CONSTANTINUS MELITENIOTA, Joannis Becci Patriarchæ Archidiaconus & Metochitæ socius, Latinorum fautor, eodem tempore, quo Beccus & Metochita, claruit, eademque cum iis passus est. Obiit exul in quodam oppidulo Bithyniæ, & in Plata insula tumultuario funere sepultus. Scripsit *Tractatum de Ecclesiastica unione Latinorum & Græcorum*, & alium satis prolixum *de Processione Sp. S.* qui Gr. & Lat. à Leone Allatio editi sunt *Græcia Orthodox.* Tom. II. p. 642. 765.

1276. GEORGIUS MOSCHAMPER, Magnæ Ecclesiæ CP. Charthophylax; claruit circa ann. 1276. Latinis infensissimus, quos palam redarguit, & scriptis refutavit. Pluribus ejus adversùs Latinos scriptis respondit Joannes Veccus, uti ex ipsius Vecci Opusculis liquet, se tamen neque Moschamparis scripta, neque Veccci responsiones vidisse fatetur Leo Allatius *de Consens.* lib. II. c. 15. §. 13. & Diatrib. *de Georgiis eorumque script.* pag. 349. ubi de eo, ejusque Opusculis fusiùs agit.

1276. SIMON, genere, ut videtur, Constantinopolitanus, ortu Cretensis, Hieromonachus, ex parte Latinorum, quin & ex Ordine Prædicatorum. Claruit, quantum conjicio, circa ann. 1276. & deinceps, Oloboli Rhetoris amicus; quòd si hoc tempore vixerit, vel idem cum Simone Jacumæo, primùm Gyratii, mox Thebarum Episcopo non fuit, [uti credere videtur Leo Allatius *] vel erravit Sixtus Senensis † quando Jacumæum anno 1400. claruisse scribit. Extat Gr. Lat. *Epistola* [non tamen integra] *ad Joannem Nomophylacem de Conciliis quæ processionem Sp. S. à Filio definiverunt*, apud Allatium lib. *adv. Hottinger* pag. 324. Duos alios ejusdem ferè argumenti Tractatus, alterum *ad Manuelem Olobolum*, alterum *ad Sophoniam*, se vidisse prodit idem Allatius *de Consensu* l. II. c. 15. §. 11.

* De consensu l. 2. c. 15. §. 11.
† Biblioth. l. 4. p. 303.

JOANNES XXI. aliis XIX. *Petrus Juliani* dictus, Ulysiponiæ in Lusitania natus est, omni scientiarum genere clarus, medicinæ præcipuè operam dedit, qua tandem abdicata, sacros in se suscepit ordines, factus Cardinalis & Episcopus Tusculanus. Mortuo verò Adriano V. Septembr. XX. MCCLXXVI. Pontifex Romanus renunciatur. Etiam in summo Pontificalis dignitatis culmine à literis non abhorruit, pauperibus quæ sublevandis, præsertim si quos amore literarum ductos cerneret, quos ad Ecclesiasticas dignitates promovebat. Artis Astrologicæ & Genethliacæ præceptis delusus, vitam sibi longam prædixerat; cùm subitò nova camera quam in Palatio Viterbiensi extruxerat, in ipsum corruit, quo casu, misere contritus, animam egit XVI. Maii an. MCCLXXXVIII. moribundus sæpiùs exclamavit, *Quid fiet de libello meo; Quis complebit libellum meum?* de libro, scilicet, quam de vitâ magis sollicitus. *De eo hæc habet Ioan. Timmuthensis* Hist. Au. *MS. l.* 23. *c.* 1. Hic primò dictus est Petrus Hispanus, in variis negotiis satis famosus, sed postquam gradum Apostolicum est adeptus, adeò desipuit, ut naturali industria plurimum carere videretur, Literatos tamen homines promovit. 1276.

Mart. Polon. in Chron. circ. fin. Sifrid. Epit. l. 2.

SCRIPTA.

Epistola ad Edvardum I. Angliæ Regem de non gravandâ Hiberniâ, Concil. Tom. X. part. 1. p. 1030.

Epistola ad Francorum Regem ab Oldoino ad Ciaconium edita.

Epistola ad Philippum Minoritam hæreseos in Marchia Tarvicina inquisitorem, ap. Wadding. Annal. Minor. Tom. II. ad an. 1277.

Epistolæ III. ibid. in *Append.* seu *Regist. Pontif.* p. 119.

Summulæ Logicales, cum expositione Versorii Parisiensis, *Paris.* 1487. fol. *Venet.* 1572. 4°.

Parva logicalia in partes ac capita distincta, *Venet.* 1593. 4°.

Tractatus logicales sex, cum elucidariis magistrorum Coloniensium, *Colon.* 1503.

Thesaurus Pauperum, seu *de medendis humani corporis morbis per experimenta*, liber Empiricus ex omni genere auctorum, & experientia propria congestus, *Lugd.* 1525. cum additionibus Joann. Serapionis, *Paris.* 1577. 16°. *Francofurt.* 1576. 1578. 8°. Alia, sed medica & philosophica, tum edita, tum MSS. recenset Lud. Jacob. *Biblioth. Pontif.* lib. 1. pag. 537. Vide Vanderlinden *de Script. Medicis* lib. 1. p. 526.

MARTINUS, POLONUS gente, paterno nomine *Strempus* dictus, ex nobili, nempe Stremporum, familia oriundus, patria Carsulanus. In juventute humaniores literas apprimè didicit, præsertim verò in Juris Cæsarei & Pontificii scientia, in Historiæ & Theologiæ studio excelluit. Ordinis Dominicani Monachis se socium dedit, etsi Ci- 1277.

SÆC. XIII. ab A. MCC. stercienſibus poſt Poſſevinum & Jongelinum vindicare conatur, ſed parùm fœliciter, Carolus Viſchius. Tandem Romam profectus, à Nicolao III. anno MCCLXXVII. Cappellanus Apoſtolicus, majorque Pœnitentiarius conſtitutus eſt. Anno ſequenti vacante ſede Gneſnenſi in Polonia ortaque de electione controverſiâ, Capituli, Boleſlai ducis aliorumque precibus inductus Pontifex, Martinum noſtrum in Archiepiſcopum Gneſnenſem promovebat. Immane erat, ut in aliis, ita hac in parte Carolus Viſchius *, qui ipſum Archiepiſcopum Conſentinum in regno Neapolitano facit, pluresque Martinos Polonos nobis confinxerit. Ad noſtrum redeo. Dum iter in Poloniam inſtitueret, Bononiæ in morbum incidit, ex quo brevi poſt extinctus eſt, in Templo D. Dominici, ante aram majorem, ſecùs ſacellum D. Thomæ ſepultus; hoc ſepulchrali Epitaphio ornatus, quod ſuo adhuc tempore ſe legiſſe teſtatur Abr. Bzovius ad annum 1278. num. 32.

* Biblioth. Script. Ciſterſt. p. 238

Hic jacet Frat. Martinus Polonus Ord. Præd. Archiepiſcopus Gneſnenſis.

SCRIPTA.

Chronicon Martinianum dictum, quod à Chriſto nato, primum ad ann. MCCLXXI. deinde ad ann. MCCLXXVII. perduxit; quæ enim ſequuntur uſque ad ann. MCCLXXXV. ab alia manu acceſſerunt. In hoc Chronico res geſtas Imperatorum & Pontificum, diſpoſitis utrinque columnis, breviter perſequitur. Nihil verò illud magis famoſum reddidit, quàm decantatiſſima illa de Joanna Papiſſa, ſeu fabula, ſeu narratiuncula. Sanè fabulam eſſe, & Martini Chronico intruſam nullus ubito, præſertim cùm in pleriſque vetuſtis Codicibus MSS. deſideretur. In IV. Codicibus MSS. Bibliothecæ Cæſareæ deſiderari, in totidem etiam reperiri ingenuè fatetur Cl. Lambecius * Deerat etiam in antiquiſſimo Codice, quem Bibliothecæ Vaticanæ donavit Urbanus VIII. cujus meminit Leo Allatius *Confut. fab. de Joan. Pap. num. 7.* ut alios taceam; certè Martini Chronicon non unam interpolationem paſſum eſſe eruditi dudum obſervarunt. Editum eſt hoc *Chronicon Baſil.* 1559. deinde cum notis Petri Suffridi, *Antverp.* 1574. 8°. Denique è vetuſtiſſimo MS. & ipſi Scriptori, uti ferunt, penè coætaneo, ſumma fide & diligentia expreſſum, in lucem emiſit Joannes Fabricius Cæſar, Monachus Præmonſtratenſis, *Colon.* 1616. fol. in qua editione Hiſtoria de Joanna Papiſſa non comparet.

*Commen. Biblioth. Vindob. l. 2. c. 8. p. 869.

Sermonum de Tempore & de Sanctis, libri II. Argentorat. 1486. 1488. Alia quædam, quæ an ſuperſint, incertum eſt, memorant Ambroſ. de Altamura *Biblioth. Dominican.* Cent. 1. p. 48. Carolus Viſchius *de Script. Ciſterc.* p. 239.

1277. *P. II.* ANONYMUS Annalium Wintonienſium Compilator, Anglus, Monachus Wintonienſis, claruit circa ann. MCCLXXVII. Scripſit Eccleſiæ Wintonienſis Annales ab anno DCCLXXVIII. ad an. MCCLXXVII. Hos ex Codice Cottoniano eruit Cl Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. I. p. 288. In hiſtoriâ verò civili, quod ipſemet non invitus fatetur, plurima quæ apud Hiſtoricos vulgatos vel certiùs, vel ſine inſigni differentiâ traduntur, & alia quædam nullius planè pretii, lectuque indigna reſecuit. His Annalibus ſucceſſionem Epiſcoporum Wintonienſium ab anno MCCLXXVII. uſque ad Reformationem adjecit.

1278. JOANNES PECKAMUS, natione Anglus, patria Suſſexienſis, ex infima ſtirpe apud Ciceſtrienſes natus; poſt peracta primæ educationis tyrocinia, ad Academiam Oxonienſem amandatur, ubi rem ſuam fœliciter promovebat, & Franciſcanorum ſodalitio nomen dedit, Ordinis ſui demùm Provincialis creatus, quod tamen poſtea factum eſt. *Videns enim*, inquit Lelandus *, *id quod frequentiuſcule accidere ſolet, paucos in ſua patria illuſtres, etiamſi merita accedunt, multos verò foris cùm per literas, tum per alias virtutes plurimas clariſſimos fuiſſe, fauſto ſydere Lutetiam Pariſiorum petiit; ibi tam diu ſtudiis, quæ in Anglia rectè inchoaverat, inſiſtebat, donec à doctis & haberetur & eſſet magnus Philoſophus, juxta ac Theologus.* Rediens in Angliam in Academia Oxonii, non ſine totius Academiæ applauſu atque admiratione publicè prælegebat. Verùm non diu apud ſuos manſit; Pariſios enim accerſitus, ut hanc etiam Academiam ornaret, illuc profectus eſt. Deſertâ Lutetia Lugdunum ſe contulit, quò Juris Civilis & Pontificii ſtudio opportuniùs vacaret. In hac Eccleſia Canonicatum nactus eſt, quem nunquam poſtea dimittere voluit, ſed uſque ad mortem tenuit. Augeſcente indies hominis famâ Italiam petiit, tandem Romam, Pontifici totique curiæ Romanæ gratus, adeò ut in ipſo Pontificis palatio cauſarum auditor conſtitueretur. Interim accidit ut Robertus Killwarbeius Archiepiſcopus Cantuarienſis munere ſuo ſe abdicaret, dignitatem mox in Peckamum noſtrum contulit Pontifex, qui proinde die VI. Martii anno MCCLXXVIII. Romæ conſecratus eſt. In Angliam reverſus vix cathedram occuparat, cum per literas ingentem 4000. Marcarum ſummam ab eo exegit Papa minatus ni ſolveret, ipſum in Eccleſia ſua Cathedrali, quavis die Dominica ſolennibus cæremoniis excommunicandum eſſe. Omni quo potuit modo ictum declinare conatus eſt Peckamus: fruſtra; ſolvere enim coactus eſt. Multa ei lis cum Giffardo Archiepiſcopo Eboracenſi interceſſit, qui in provincia Cantuarienſi crucem auream in ſublime ante ſe geſtari permiſit. Indignatus Cantuarienſis, omni cum Eboracenſi eiuſque ſociis commercio per totam provinciam ſub anathematis fulmine interdixit. Adeò ut hoſpitio, omnibuſque neceſſariis deſtitutus Eboracenſis, crucem deponere neceſſe habuerit. Obiit Peckamus circa ann. MCCX I. admodùm locuples, conſtructo ditiſſimo Collegio, & conſanguineis adeò ditatis, ut eorum poſteros, inquit Godvvinus *, noſtra ætas viderit equeſtri dignitates florentes & divitiis affluentes, in magna potentia ac actuoritate vivere.

SÆC. XIII. ab A. MCC.

* Collect. Tom. 4. pag. 232. Antiq. Oxon. p. 73.

* De Præſul. Angl. p. 142.

SCRIPTA.

Collectanea Bibliorum, *Pariſ.* 1514. *Colon.* 1541. *Conſtitutiones XLVII.* de variis argumentis, viz. *de Summa Trinitate*, *& fide Catholicâ*; *De ſacra Unctione*; *De Sacramentis iterandis*, &c. quæ apud Lindvvodum in *Provinciali* habentur.

Perſpectiva communis edita cum figuris per L. Gauricum (teſte Pitſeo) emendata & diſtincta.

INEDITA.

De ſanctâ Trinitate liber, quem in Bibliothecâ Lumleiana olim extitiſſe nobis autor eſt Jameſius.

Collationes de omnibus Dominicis per annum, MSS. in Bibliotheca Pembrochiana Cantab. Cod. 175. num. 1.

Meditatio de corpore Chriſti, MS. in Biblioth. S. Benedict. Cantab. Cod. 392. num. 34. ubi hæc notâ addi-

 additur, *in hoc habetur opus Alcuini Angli, Bedæ discipuli, opus rarum.*

Disputationes S.Thomæ & Peckami, MS. in Bibliothec. Mertonensi. Oxon. Cod. 12.

Tractatus de mystica interpretatione numerorum in sacra scriptura, habetur MS. in Bibliothec. Lincolniensi Oxon Cod. 16. numer. 9. Verùm an Joannis nostri sit, dubitare licet, tum quod à Baleo inter Peckami opera non recenseatur, tum quod in Codice Lincolniensi autor ex Ordine Prædicatorum fuisse dicitur. Alia plura memorant Baleus & Pitseus, quæ an supersint, non constat.

1278. ROGERUS BACONUS, *Doctor mirabilis* vulgò dictus, gente Anglus, patria Somersetensis, Ilcestriæ (quæ Ptolomæo *Iscalis* est) splendida satis familia natus. Oxonii positus immensos in Grammatica ac Logica, dein & in tota Philosophia progressus fecit, Edmundum Richium postea Archiepiscopum Cantuariensem, & Ricardum Fisacrium præceptores nactus. His subsidiis instructus [ut Anglis tunc in more positum erat] Lutetiam advolabat, ubi linguarum cognitionem, Historiæ, Jurisprudentiæ, Mathematicæ & Medicinæ scientiam, denique summam rerum Theologicarum peritiam addidit, & doctoratus insignia reportavit. In patriam reversus, Oxonii studiorum simul ac vitæ sedes posuit, & suadente, ut videtur, Roberto Lincolniensi habitum Franciscanum in se suscepit. Claruit præcipuè circa annum 1278. quin & jam ante plures annos inclarescere cœperat, etiam anno MCCLIX. coram Henrico III. Oxonii tunc agente, concionem habuit, quâ regem ob Pictavienses aliosque exteros, quorum consiliis penè unicè agebatur, non modò in aulam admissos, sed & summis reipublicæ muneribus adhibitos, liberè coarguebat. Verùm studiis Philosophicis immersus, abditarum rerum disquisitioni se totum dedit, reconditos naturæ recessus penetravit, curiosa quæque rimatus est, latentes rerum causas indagavit, & mirabiles quosdam effectus longè supra communem hominum captum, prorsus adhibitis, ad id machinis, non sine summâ ingenii solertiâ excogitatis. Hinc toties illi impactum *Magi* nomen, toties objectum clandestini cum malignis spiritibus consortii crimen, idque non apud plebem modò, sed & apud Pontificem Clementem IV. cujus rescriptum ad Rogerum nostrum habes ap. Wadding. ad an. MCCLXVI. num. 15. an verò ad hanc calumniam spectet, haud satis liquet. Id certum est Baconum anno sequenti, Joannem Londinensem discipulum suum cum libellis apologeticis & instrumentis mathematicis à se commonitis, Romam misisse. * Anno 1278. renovata est adversus illum criminatio apud Hieronymum de Esculo Ordinis Minorum Generalem, in Galliâ tunc agentem, qui Baconi doctrinam condemnavit, suisque, ne libros ejus legerent, interdixit, ipsumque auctorem carceri mancipandum decrevit. Certè aliquo saltem tempore in carcerem conjectum esse, idque mandante ipsomet Pontifice Nicolao IV. ferè omnes consentiunt: an verò ibidem ad mortem usque duraverit, mihi planè ignotum est. Obiit vir profundissima scientia, acutissimo ingenio, sæculo major, an. 1294. ætatis circiter LXXVIII. in templo Franciscanorum apud Oxonienses sepultus.

* Vid. Wadding ad an. 1278. nu. 26.

SCRIPTA EDITA.

Epistolæ notis illustratæ, *Hamburg.* 1618. 8°.

Specula mathematica & perspectiva, *Francofurt.* 1614. 4°

De retardandis senectutis accidentibus, & sensibus conformandis, *Oxon.* 1590. 8°.

Speculum Alchemiæ, *Norimberg.* 1581. 4° *Basil.* 1561. *Ursellis* 1602. 8°.

Scripta de Arte Chemiæ, seu sanioris Medicinæ de Arte Chemia liber, cum aliis opusculis *Francofurt.* 1603. 1620. 8°.

De mirabili potestate Artis & Naturæ, & nullitate Magiæ, *Paris.* 1542. 4°. *Basil.* 1593. 8°. *Hamburg.* 1608. 1618. 8°. & cum notis in Vol. 5. *Theatri Chemici*, *Argentorat.* 1622. 8°. etiam Gallicè *Paris.* 1612. 8°.

INEDITA.

Compendium studii Theologici lib. V. Extitit cum aliis ejus opusculis, teste Jamesio, MS. 2. Vol. in Bibliotheca Lumleiana Cod. 251.

Grammatica, MS. in Collegio S. Petri Cantab. Cod. 3. *Liber de situ orbis* in Bibliotheca Benedictina, Cod. 192. *Geomantia* in Bibliotheca Lumleiana, Cod. 132. *Rogerina Major* & *Minor* MS. Cantabrig. in Archivis num. 24. & ap. G. Copum Cod. 3. Liber *de utilitate Scientiarum*, quo agit de quatuor veritatis offendiculis. Extat MS. in *Bibliotheca Cottoniana*, sub *Iulio*, D. 5. N. 4. *De Speculis comburentibus*, ibid. sub *Tiberio*, B. 9. N. 5. *De Impedimentis Sapientiæ*; in quo tractatu agitur etiam de Grammaticis Græcæ linguæ rudimentis, ibid. MS. sub *Galba*, A. 8. N. 1. Infinitus essem, si singula recenserem, quæ enumerant Baleus Cant. 4. cap. 55. Pitseus ætat. 13. pag. 367. quæ cùm Grammatica, Philosophica, Mathematica ut plurimùm sint, eorum titulos huc transferre parùm refert. Fusè de Bacono nostro præ aliis agit diligentissimus *Antiquitatum Oxoniensium* collector pag. 136. & seqq. Paucula etiam in genere de scriptis ejus notat, à me hoc loco compendio exhibenda I. Suspicari licet, librorum, quos pertexuit, omnium, ne titulos quidem superesse, eorum quoque qui supersunt exemplaria, non sine summâ difficultate esse conquirenda. Ea enim quæ MSS. latent, possessorum aut invidiâ aut ignorantiâ supprimuntur. II. Quæ in Scholarium passim teruntur manibus Baconi opera multis in locis deficiunt, aut etiam redundant, quod & de illis ipsis dicendum, quæ perfecta existimantur; incertum an id Monachorum incuriâ, an de industriâ factum sit. III. Librorum, quorum ille vulgò pro autore habetur, aliquot, aliis Scriptoribus tribuuntur, e. gr. *Liber de fluxu & refluxu maris Britannici*, Gualtero Burleio; *Liber de utilitate Astronomiæ Gulielmo Botonero*, *Rogerina Major* & *Minor* innominato cuidam autori adjudicantur. IV. Nec eorum omnium censendus est autor, quæ ipsi addicuntur. Sic *Tractatus super Psalterium*, & *Vita S. Edmundi Archiep. Cantuariensis*, quæ Rogero nostro tribuit Lelandus, ad Robertum Baconum reverà spectant; cui etiam *Syncatagoremata* ascripta sunt. Sic etiam *Tractatus de Magnete* à plerisque Petro Peregrino tributus est.

RAYMUNDUS MARTINI, sive *Des Martins*, gente Catalaunus, domo Subiratensis, 1278.
(Barcinonensem alii perperàm fuisse volunt) ex Ordine Prædicatorum Monachus celeberrimus. Claruit anno MCCLXXVIII. Linguarum Orientalium callentissimus, ut viam faciliorem Judæorum & Saracenorum (qui frequentes tunc temporis in Hispania erant) conversioni sterneret, suadente Raymundo de Pennaforti Ordinis sui magistro generali, scripsit *pugionem fidei*, in tres partes divisum, quo ex imis Judaicæ gentis monumentis causam adversùs Judæos & Mauros fœliciter egit; ex hoc opere sua penè omnia deprompsit Porchetus

Digitized by Google

 tus Salvaticus, libro *Victoria adversus Judæos* dicto, ut ex Porcheto Petrus Galatinus *de Arcanis Catholicæ veritatis* lib. 12. in hoc verò differunt, quòd Porchetus mutuum grato animo agnoscit, Galatinus portentoso quidem plagio Raymundi, seu potius Porcheti scrinia egregiè compilavit, nullâ vel hujus, vel illius mentione factâ. Tandem ipsum Raymundum opus cum doctissimis observationibus Jacobi de Voisin Presbyteri & Exsenatoris Burdegalensis in lucem prodiit *Paris.* 1651. fol. & cum Introductione Benedicti Carpzovii, addito etiam Appendicis vice Hermanni è Judæo Christiani opusculo, *Lipsiæ* 1687. fol. Hunc librum Raymundus Græcè pariter ac Latinè edidit, qui MS. extat in conventu S. Dominici de Neapoli, si quidem Ambrosio de Altamura fides sit habenda, *Biblioth. Dominic.* ad ann. MCCLXXXIII. Scripsit etiam *Capistrum Judæorum*, & *Summas contra Alcoranum Saracenorum*, quæ tamen interiisse videntur.

1280. HENRICUS cognomento *Goethals*, sive *Bonicollius*, gente Flander, GANDAVENSIS à patriâ dictus, Mudam propè Gandavum vicum natalem nactus, unde & *Henricus Mudanus* à plerisque vocatur. Claruit anno MCCLXXX. diu in Collegio Sorbonicô Philosophiam & Theologiam docuit, tantâ cum laude, ut totius Academiæ Parisiensis suffragio *Doctor solemnis* appellari meruerit. Factus tandem Ecclesiæ Tornacensis Archidiaconus, obiit Tornaci ipso SS. Petri & Pauli festo, anno MCCXCIII.

SCRIPTA.

Summa Theologiæ, seu *Quæstiones ordinariæ* à Badio Ascensio editæ *Paris.* 1520.

Quodlibeta Theologica in libros IV. Sententiarum, *Paris.* 1518. fol. & 2. Vol. *Venet.* 1615.

De Viris illustribus, seu *de Scriptoribus Ecclesiasticis* liber, ex quo desiit Sigebertus Gemblacensis, ad sua usque tempora deductus, unà cum aliis ejusdem argumenti Scriptoribus, cum notis Petri Suffridi editus *Colon.* 1580. 8°. & cum Scholiis Auberti Miræi in *Biblioth. Ecclesiast. Antverp.* 1639. fol.

Habentur MSS. *liber de Virginitate servandâ*; *de Pœnitentiâ liber*; *Quodlibeta de variis materiis ordine Alphabetico digesta*; *Quodlibetum de mercimoniis & negotiationibus*; *Sermones varii*; *Vita S. Eleutherii Tornacensium Episcopi*; de quibus, ut & *Commentariis quibusdam in Aristotelem*, videsis Valerium Andream in *Bibliothecâ Belgicâ*, & Fr. Swert. in *Athen. Belg.* p. 328.

1280. UDALRICUS, ULRICUS de Argentinâ, natione Germanus, patriâ Argentinensis, Alberti Magni auditor & discipulus, Monachus Dominicanus. Claruit anno MCCLXXX. Parisiis literarum famâ insignis, ubi magisterii gradum nondum adeptus morte præmaturâ ereptus est. *Compendium Theologiæ*, quod inter Thomæ Aquinatis opera habetur, potiori jure Udalrico nostro ab aliis tribuitur. Scripsit item *de Foro Conscientiæ*, *& de Casibus Iuris*; *Comment. in IV. libros Sententiarum*; item *Summam Theologiæ*, *& de Animâ*, ut & *Comment. in Metaphysica & Meteora Aristotelis* taceam; de quibus agunt de Altamura, Miræus, Simlerus pag. 675. Verùm an edita sint, nos non docent.

Cave Hist. Lit.

GEORGIUS PACHYMERES, origine Constantinopolitanus, ortu Nicænus, anno 1242. natus est. Tùm sacris, tùm sæcularibus literis egregiè eruditus in Cleri Constantinopolitani numerum cooptatus est, mox honoribus auctus, factus nempè Patriarchæ Constantinopolitani Protecdicus, seu causarum forensium judex, & Hieromnemon, qui Patriarchæ adstans Ordinationis, Euchologii, aliorumque quæ ad Patriarcham immediatè spectabant officia curabat; Dicæophylax etiam imperialis constitutus, eam quidem judicii & integritatis famam obtinuit, ut an. MCCLXVII. ab Imperatore & Synodo Constantinopolitanâ, ad examinandam Arsenii Patriarchatu ob læsæ majestatis crimen submoti causam, unà cum tribus aliis judex datus sit, missusque hoc fine in Insulam quandam, ubi exul tunc temporis degebat Arsenius. Judices non modò Patriarcham absolverunt; sed & Imperatoris gratiam simul ac munificentiam ei conciliarunt. Totam hujusce rei Historiam ipse nobis fusè enarrat Pachymeres lib. 4. c. p. 15. 16. Anno MCCLXXIII. cùm Michael Palæologus Imperator unionem cum Ecclesia Latina meditaretur, ut ab Hæresis labe Latinos absolveret, libellum hunc in finem conscriptum ad Patriarcham misit, cui aliud volumen opponendum curavit Patriarcha, in quo componendo Georgium nostrum primas partes tenuisse ipse non diffitetur lib. 5. cap. 14. Erat enim Ecclesiæ Romanæ dogmatum acris admodum oppugnator. Claruit præcipuè circa annum MCCLXXX. Vitam egit diuturnam, quam, si calculum rectè ponat Cl. * Lambecius, protraxit ad annum circiter MCCCXL. obiitque ferè Centenarius, certè post annum MCCCVIII. obiisse constat. Vir non infimi inter Græcos sui temporis subsellii, sacrâ pariter ac profanâ eruditione satis celebris. *Stylus*, Judice L. Allatio, *accuratus*, *ad antiquum soccum & sanguinem efformatus*, *& præter historiæ captum tumidior*, *& perplexâ nominum connexione ambiguus*, *& obscurus*; *pro illo tamen ævo quo debacchari sapere erat*, *mollis ac prudens.* Auctor, dum veritatis Sectator videri cupit (inquit idem Allatius) in Ecclesiasticos, & præcipuè Latini nominis fautores, Græcis suis nimis propensior linguam acuit.

Vid. Pachym. Histor. in init.

* Indic. 3. Comment. de Biblioth. Vind. lib. 3. subnex.

SCRIPTA.

Historia rerum Constantinopolitanarum sub Michaele & Andronico Palæologis ab anno 1258. usque ad annum MCCCVIII. per XLIX. annos *gestarum*, lib. XIII. Singulorum librorum excerpta quædam breviuscula, ad calcem Nicephori Gregoræ Latin. edidit Hieron. Wolfius *Basil.* 1562. Fragmenta quædam Nicephori Breviario Græcè subjunxit Dion. Petavius *Paris.* 1616. 8°. tandem integra *Historia*, cum versione, Glossario, Notis & Chronologia Petri Possini Græc. Lat. prodiit, Tom. II. Prior quidem *Romæ* 1666. Posterior ibidem 1669. fol.

Paraphrasis in opera S. Dionysii Areopagitæ inter Dionysii opera locum habet, Græcè *Paris.* 1561. 8°. Gr. Lat. ibid. 1615. fol. *Antverp.* 1633. *Paris.* 1644. fol.

Libellus de processione Spiritus Sancti, quem in lucem extulit Leo Allatius Gr. Lat. *Græc. Orthodox.* Tom. I. p. 390.

Epitome Logices Aristotelis Græcè *Paris.* 1548. Latinè *Basil.* 1560. Gr. Lat. *Oxon.* 1666. 8°.

Scripsit infinita penè in Rhetoricis monumenta;

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. ta, quæ in Regis Galliæ bibliothecâ asservantur, quorum prolixum satis indicem exhibet Leo Allatius in diatribâ supra citatâ.

1280. MECHTILDIS, natione Germana, ex nobili & splendida familia orta, Instituti Benedictini Monialis, in Helfendensi Monasterio vitam egit. Claruit anno MCCLXXX. obiit ante annum 1290. Scripsit *Revelationum*, seu *Spiritualis gratiæ libros* V. qui unà cum aliis ejusdem farinæ opusculis editi sunt *Paris.* 1513. Seorsim *Colon.* 1536. & alibi non semel. Notandum, hos libros Germanicè primùm conscriptos postea in Latinum Sermonem conversos esse.

Alias editiones quæ tum Latinè, tum Italicè prodierunt te docebit Possevinus *Apparat.* Tom. II. p. 100.

1280. P. II. ANONYMUS Chronici Arabici Compilator, claruit anno MCCLXXX. Scripsit Chronicon ab exorto Mahumede *i. e.* ab anno Christi DCXXII. usque ad ann. Hegiræ DCLVIII. sive Epochæ Christianæ MCCLXXX. ex Arabicis & Christianis Auctoribus collectum. Extat MS. in fol. in Bibliothecâ Vindob. inter codices MSS. *Orientales* numer. xxxii. Codicem notis suis marginalibus Latinis exornavit Sebastianus Tengnagelius, qui Bibliothecæ Cæsareæ præfectus fuerat meritò dignissimus, vir quovis doctrinæ genere optimè instructus, in literis Orientalibus summus. Scriptoribus Ecclesiasticis à me accensetur Chronographus Arabs, quòd de rebus Christianorum agit, magnàmque operis sui partem ex Scriptoribus Christianis compilavit.

1281. MARTINUS IV. *Simon de Bria* anteà dictus, gente Gallus, Patriâ Monpisius, Canonicus Turonensis, ab Urbano IV. ad dignitatem Cardinalitiam titulo S. Cæciliæ Presbyteri promotus, ab eo deinde in Galliam missus, per plures annos Legati Pontificii munus gessit. Mortuo Nicolao III. anno MCCLXXXI. XXII. Februarii Viterbii in Pontificem electus est, qui tamen relicto Viterbio in Urbe veteri consecrari voluit, quod & XXIII. Martii factum est. Carolum Siciliæ Regem ad se venientem humaniter excepit, strenuè fovit, eique dignitatem Senatoriam in urbe Roma, quâ exciderat, restituit. Michaelem Palæologum Imperatorem, quòd pactis de unione cum Latinis resarciendâ non stetisset, & Petrum Arragoniæ Regem Siciliæ regnum occupantem, Caroloque reddere recusantem anathemati subjecit. Obiit Perusii, quò, ob tumultus Guelfos inter & Gibellinos exortos, se contulerat XXVIII. Martii anno MCCLXXXV. *Acta* hujus Pontificis à Jordano quodam Auctore coævo conscripta, in lucem protulit Dan. Papebrochius *Catal. Pontif.* Part. 2. p. 61. Extant Martini *epistolæ* V. Concil. Tom. XI. part. 1. pag. 1143. *Sententia prolixa in Petrum Arragoniæ Regem*, ibid pag. 1187. *Epistolæ* III. apud Wading. ad an. MCCLXXXI. MCCLXXXV. *aliæ X.* ibid. in *Appendice* p. 151.

1282. P. II. ANDRONICUS PALÆOLOGUS COMNENUS, Michaelis Palæologi Imperatoris filius, vivo adhuc parente, coronatus est; quo, exeunte anno MCCLXXXII. mortuo, solus regnavit. Tentatam Græcos inter & Latinos concordiam abrupit; Ecclesiæ Græcæ ritus & dogmata strenuè tutatus, extremâ senectute confectus, ab Andronico nepote Imperio privatus est, & Monachicum indutus habitum, & assumpto *Antonii* nomine, biennio post obiit anno MCCCXXXII. Extat ejus *Expositio* Ordinis Metropoλιτῶν Patriarchali Throno CP. subjectarum, simul & Thronorum Episcopalium qui unicuique Metropoli subjecti sunt. Hanc Græcè & Latinè edidit Jac. Goar. *Append.* ad G. Codini Curopalatæ lib. de Offic. CP. *Paris.* 1648. pag. 400. Habetur verò integrior Cod. Vindob. *Hist.* XXIV. nu. ii. fol. 11. Cod. XXXIV. nu. xvi. fol. 313. iterùmque num. XXXV. *Cod.* XCVII. n. xii. fol. 297.

ANONYMUS *Chronici Danici* Auctor, claruit circa annum MCCLXXXII. Condidit Chronicon Danorum, & præcipuè *Sialandiæ*, exorsus ab anno MXXVIII. quo martyrium subiit Olavus Normannorum Rex, ad annum usque MCCLXXXII. perduxit, quando ipsemet floruisse videtur. Continet plura non modò de reipublicæ statu, sed & de rebus Ecclesiasticis lectu digna, nec ita passim obvia. Edidit hoc Opusculum ex Cod. MS. Hafniensi Arnas Magnæus, Islandus, *Lipsiæ* 1695. 8vo. qui & vetustiorum quorundam scriptorum in hoc Chronicon notas & additamenta ex Cod. MS. adjecit, additis etiam, ubi opus erat, notulis propriis, ut locis obscurioribus lucem qualemcunque affunderet. 1282. P. II.

GUIDO BAIFIUS, Patriâ Regiensis, Civis & Archidiaconus Bononiensis, & Jurisconsultus eximius. Claruit anno MCCLXXXIII. Scripsit *Commentariorum*, *Rosarii* titulo, *libros* III. & *in Decretal. lib.* V. Prodierunt cum notis Nicolai Superantii & Petri Tretii, *Venet.* 1580. 1283.

GREGORIUS ABULPHARAIUS, IBN HAKIMA dictus, Aaronis Medici Malatiensis, vulgò *Ibn Koph* vocati, filius, ipse professione Medicus, Secta Jacobita, seu Melchita. Scripsit circa annum Hegiræ DCLXXXIII. Æræ Christianæ MCCLXXXIV. quo Historiam suam terminavit. In variis sui operis exemplaribus, (notante * Cl. Hottingero) sequentibus elogiis ornatur: *Dominus noster Pater Sanctus, eximius doctrinâ, & eruditione insignis, doctorum Rex, excellentium excellentissimus, temporum suorum exemplar, Sæculi Phœnix, Sapientum gloria, Doctor divinâ ope suffultus, Corona virorum virtute præstantium, dubiorum in Theologicis occultorum* ἐπιλυτής, *Christianorum Princeps primarius, Sectæ Jacobiticæ medulla, Mar Gregorius Dominus Pater, unicum ævi decus, & Sæculi Phœnix.* Quin & ab ipsis Scriptoribus Muhammedanis egregiè commendatur, tanquam vir multæ lectionis, variisque scientiis instructus, & penitus imbutus, præcipuè autem Medicinæ gloriæ sæculo suo clarus, adeò ut ad eum è plagis occidentalibus frequentes contenderent; à quo multos etiam Moselmannorum eximiè doctorum plura didicisse fatentur. Quod verò addunt ipsum morti vicinum à fide Christianâ descivisse, calumniam esse ex Christianorum odio conflatam, & ut tantæ famæ virum sibimetipsis arrogarent, nemini dubium esse potest. Condidit *compendium Dynastiarum* X. Dynastiis absolutum, ex variis variarum gentium monumentis depromptum, quod Arabicè & Latinè edidit Cl. Pocokius noster, *Oxon.* 1663. 4°. 1284.

* Biblioth. Orient. cap. p. 81.

JOANNES, Metropolita Ephesinus, claruit sub Andronico Palæologo seniore anno 1284. Gregorio Cyprio Patriarchæ CP. nuper creato acerrimum se adversarium præstitit (de quo latè agit Georg. Pachymeres Historiæ suæ lib. II. capp. 3. 6. & 1284. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. & seqq.) Scripsit librum *contra Schismaticos* ex sacrâ Scripturâ, & Apostolicis atque Synodicis constitutionibus, ut & sanctorum Patrum operibus collectum. Operis scopum Inscriptionis verba delineabunt. Λόγος συντεθεὶς ἐκ &c. ἀποδεικνὺς ὅτι ὀρθοδοξίας τῆς ἐκκλησίας ἀλόγως ταύτης διΐσανται οἱ νῦν ταύτης ἀποσχιζόμενοι, καὶ ὡς, εἰ μὴ ταύτῃ ἑνωθεῖεν, μεγάλην ἕξουσι τὴν κατακρίσιν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως &c. Extat MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* Lambec. CCLXXXIII. Nessel. LVIII. num. 1. fol. 1.

1284. *Niceph. Greg. Hist. l.6. p. 116. GREGORIUS, *Georgius* antea vocatus, Latinis parentibus in Cypro natus, ac proinde inter Romanæ Ecclesiæ cultores ad vicesimum usque ætatis annum educatus, ab iis lectoris gradum consecutus est. Postea Constantinopolim se contulit, ubi versis velis ad Græcorum mores & dogmata se composuit, habitum monasticum induit, quin & Clero Palatino ascriptus est. Anno 1284. mortuo Josepho Patriarcha Gregorius noster, suffragante, & non sine aliqua difficultate id satagente imperatore, in Patriarchale solium evehitur, in quo munere Veccum non modo oppugnavit, sed & vehementer persecutus est. Laborabat hâc tempestate Arseniatarum, & Josephitarum factionibus Ecclesia Constantinopolitana; unde nil mirum si in Gregorium malevoli conspirabant. Accusatur quod Latinorum instituta probaret, blasphemiæ, & impietatis insimulatur. Insurgunt in illum episcopi, clientem deserit Imperator, his igitur malis undique divexatus, circa annum MCCLXXXIX. patriarchatu cessit, & primum in Monasterium S. Deiparæ Hodegorum dictæ se contulit; deinde in D. Andreæ Monasterium secessit, ubi paulò post moritur, postquàm sedem Patriarchalem per quinquennium tenuisset. Acris erat Latinorum adversarius; de quo nihilominus L. Allatius, *Vir fuit accerrimi ingenii, facundus, eloquens, & penè dixerim omni eruditione imbutus.* Nicephorus Gregoras loco citato, ἀνὴρ ἐν λόγοις ἐπιστήμων, ὃς τὴν ἐν ταῖς γραφαῖς εὐγενῆ τῆς ἑλλάδος εὔθυμον, καὶ ἀττικίζουσαν γλῶσσαν &c. *Insigni vir facundia, qui elegantes Græcæ literatura numeros, & Atticam illam linguam longo jam tempore oblivionis gurgite demersam, ingenii dexteritate ac singulari studio in lucem produxit, ac velut ab inferis revocavit.* Scripsisse plura adversus Latinos, præcipuè contra Beccum sive Veccum, summum Latinorum fautorem, testantur Nicephorus Gregoras libro 6. Pachymeres lib. 8. cap. 1. præcipuè *Tomum Synodicum*, quem propter fidei dogmata in eo sincerè tradita, *Columnam Orthodoxiæ* nuncupavit. *Sermones* ejus *contra Blasphemias Vecci* MSS. in Bibliotheca Imperiali Viennensi, (teste Gesnero in Epitome) asservantur. Vide quæ habet L. Allatius *de Consens.* lib. 2. cap. 15. num. 12. *Encomia* ejus varia, præcipuè in S. Georgium, & Dionysium Areopagitam habentur MSS. in Bibliothec. Regis Galliæ, Cod. 16. 1922. & alibi. Vide Labbeum *Nov. Biblioth. MS.* p. 73. 74.

1284. P. II. GREGORIUS CYPRIUS, quia Cypro oriundus, GEORGIUS anteà dum Monachus erat, vocatus, post Josephi Galæsiotæ obitum Patriarcha CP. factus, claruit circa annum MCCLXXXIV. Anno MCCLXXXIX. sede suâ se sponte abdicavit, & sequenti diem clausit extremum. De eo tale fert Elogium Ephremius CP. in Chronico apud L. Allat. *de Consens. Orient. & Occident.* lib. II. cap. 15. nu. XII. col. 776.

Σοφός τις ἀνὴρ Γρηγόριος Κυπρόθεν,
Λόγων σοφῶν μάθημα, μουσῶν ἑστία,
Εἰς Πατριαρχῶν ἀνεβιβάσθη θρόνον &c.
Αὐτὸν δὲ μαθήμασιν ἐνδοὺς καὶ πόνοις
Ἀφῖκτο πρὸς μέγα τι σοφίας βάθος.

Cave Hist. Lit.

Sapiens quidam vir ex Cypro
Sermonum sapientum alumnus, Musarum sacrarium.
In Thronum Patriarchalem evehitur &c.
Ubi disciplinæ & laboribus deditus.
In magnum sapientiæ culmen pervenit.

Supersunt Biblioth. Vindob. *Cod. Hist.* CI. *Epistola* ejus partim scriptæ antequàm Patriarchatum iniit, partim posteà, CXCI. (CCIII. habet L. Allatius) quantivis certè pretii, quibus historia hujus temporis egregiè illustrari possit. Harum omnium Inscriptiones Græcas unà cum earundem initiis exhibet Cl. Lambecius *Comment.* lib. VIII. pag. 511. Habentur hæ Epistolæ iterùm *Cod. Philosoph.* CXCV. *nu.* VI. ubi etiam *numer.* iii. Gregorii nostri Fabulæ reperiuntur. Quænam verò sint hæ fabulæ non liquet. *Orationes* ejus & *Epistolas* inter libros Vulcanianos Gr. MSS. fol. asservari in Bibliothecâ Lugduno-Batavâ, testis est Catalogus Spanhemianus pag. 413. Sequitur in Vindobonensi Codice Historico fol. 146. Gregorii nostri *Decretum Synodale*: cujus initium. Ἀπόφασις. Ἡ μετριότης ἡμῶν σὺν ἅμα τῇ περὶ αὐτὴν ἱερωτάτῃ τῶν Ἀρχιερέων ὁμηγύρει &c. Subjiciuntur nonnulla huc spectantia, de quibus vide Lambec. loc. citat. pag. 522. Extat etiam ejus *Dissertatio Antirrhetica* contra Joannis Vecci blasphema dogmata, quam composuit atque edidit priusquàm in Patriarcham CP. electus est. Incipit ἐκ ἔγωγε θαυμάζω φιλότης, εἴ τις ἀγροικὸς ὢν &c. habetur MSS. ubi suprà *Cod. Theod.* CCXLV. n. v. fol. 99. *Epistola* ad quendam schismaticum ibid. *Cod.* CCLV. *Oratio in Sanctum Magnum martyrem Georgium*, hoc initio. Ἔθος τοῦτο τῶν λόγοις ἀγωνιζομένων σχεδὸν ἑκάστῳ &c. MS. ibid. *Cod. Hist.* CIV. nu. VI. fol. 91. Orationem hanc Latinè ediderunt Bollandiani *April.* xxiii. pag. 123. Græcè deinde in *Append.* Tom. III. ejusdem mensis pag. 5. *Oratio in S. Martyrem Marinam.* Princ. Καὶ τὴν ἐκκλησίαν ἄρα, ἧς ὁ Χριστὸς κεφαλὴ &c. *ibid.* folio 164. pag. 2. Utramque Orationem recenset L. Allatius *de script. Simeon.* pag. 87. 96. *Encomium in Georgium Logothetam Acropolitam.* Habuit MS. penès se Dousa, ex quo fragmentum Georgio Acropolitæ subnexuit; *Encomium in S. Dionysium Areopagitam.* Prin. Ἡ δὲ μὲν προθέσεις τῷ λόγῳ δίκαια. ἡ δὲ ἐπιχείρησις τολμηρά &c. Extat in Bibliothecâ Vallicellanâ & *Cod. Pal.* CCCLXXIV. *Descriptio & Encomium urbis CP.* Extitit penès Bonavent. Vulcanium teste Theod. Dousa not. ad Chron. Georg. Logoth. *Vita & res gestæ & peculiaris Miraculorum narratio S. & Deiferi Patris nostri Lazari, qui in Galesio monte vitam asceticam excoluit, descripta à sanctissimo Patriarchâ Domino Gregorio*, quem non alium à Georgio nostro Cyprio esse rectè conjicit Cl. Allatius, qui hanc Vitam MS. penès se habuit, & scriptionem esse satis elegantem, accuratam, & raram testatur. *Encomium in mare*, sive in universam aquarum naturam, Græcè unà cum Aristotelis libro de Mundo edidit Bonavent. Vulcanius L. *Bat.* 1591. 8vo. *Proverbia in unum collecta & ordine Alphabetico digesta*, Græc. cum Mich. Apostolii parœmiis L. *Bat.* 1619. 4to. *Sententiæ Græcæ* seorsim excusæ *Col.* 1536. 8vo. Longè plura de Georgio nostro habet Allatius Diatr. *de Georgiis* pag. 420. Nec lectori abs re erit consulere Georg. Pachymer. *Hist.* lib. II. capp. 6. 7. 8. 9. 10. & alibi sæpiùs.

HONORIUS IV. *Jacobus de Sabello* priùs dictus, patriâ Romanus, ex illustri Savellorum familia ortus, & ut nonnulli volunt S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis. Martino IV. in Pontificatu successit, Perusii IV. Nonas Aprilis an. 1285.
MCCLXXXV. electus, Romæ XX. Maii corona-

SÆC. XIII. ab A. MCC. tus. Anathematis fulmen à prædecessore in Petrum Arragoniæ Regem vibratum renovavit; Ladeslaum Hungariæ Regem in fide Christi nutantem excommunicari & deponi mandavit; Ordinem Carmelitarum à pluribus oppugnatum confirmavit, novisque privilegiis munivit. Podagrâ, & chiragrâ adeò afflictus erat, ut non nisi instrumentis ad id affabrè compositis suffultus sacra celebrare potuit, tandem continuis doloribus attritus, in monte Aventino debitum naturæ persolvit, April. III. anno MCCLXXXVII. in Vaticano sepultus. Extant *epistolæ* II. apud Bzovium, ad an. MCCLXXXV. MCCLXXXVI. *Epistolæ* IV. apud Wading. Tom. II. ad eosdem annos XV. aliæ ibid. in *Appendice* pag. 558. *Epistolarum Volumen*. MS. in Bibliothecâ Vaticanâ; *Testamentum* item in Barberina asservatum memorat Lud. Jacob. *Biblioth. Pontif.* lib. I. pag. 113.

1286. GULIELMUS DURANTES, *Speculator* dictus, natione Gallus, Patriâ Narbonensis, in Podiomissione, quod Provinciæ oppidum est, (teste Miræo †) nobili genere natus. Adolescens adhuc Juris civilis & Canonici studio operam dedit, quâ quidem in re Bernardum Compostellanum, & Henricum Segusianum, postea Cardinalem Hostiensem, duces & magistros habuit: prima studiorum tyrocinia Bononiæ posuit, ubi doctoratûs lauream adeptus, primùm ibi, deindè Mutinæ publicè docuit; adeoque in exercitatione forensi excelluit, ut *Pater Practicæ* vocaretur. A Clemente IV. Gentili suo Capellanus, & Palatii Apostolici auditor generalis constitutus est; factus etiam Canonicus Bellovacensis, Narbonensis, & Decanus Carnotensis. Anno MCCLXXIV. à Gregorio X. ad II. Concilium Lugdunense generale missus est, in quo Pontificis Procuratorem egit, ejusque nomine plures constitutiones promulgavit. A Nicolao III. Beati Petri Patrimonio præficitur, Rectoris & Comitis patrimonii titulo insignitus: nec Marti minùs quàm Mercurio natus in Italiæ ditionibus Romanæ sedi subditis Dux militiæ Generalis constituitur, & non unâ vice bellis adversùs Romandiolæ, Flaminiæ, & Forolivii civitates contra sedem Apostolicam rebellantes præfectus, rem suam benè & fœliciter gessit. Anno 1286. factus est Mimatensis in Gallia Aquitanica Episcopus; & cùm postea Bonifacius VIII. Archiepiscopatum Ravennatensem ei obtulit, constanti animo recusavit. Anno MCCXCVI. à Bonifacio ad Saracenorum Sultanum legatus, Nicotiæ, quæ Cypri metropolis est, pridie nonas Julii diem obiit. Corpus Romam relatum in Æde Minervæ in Capellâ omnium Sanctorum, magno cum honore sepelitur. Pluribus de Gulielmo nostro agunt Simon Majolus *in Vitâ Durandi*, Commentario ejus in Concil. *Lugdun.* 1569. præmissâ; Fichardus *in vitis juris-consultorum*: Amb. de Altamura *Biblioth. Dominic.* pag. 72. & in *Append.* pag. 462. Eruditionem assecutus est pro tempore, quo vixit, haud vulgarem, eximiam Theologiæ ac Sacrarum literarum scientiam, præcipuè accuratam Juris peritiam. Ejus de re Sacramentaria celebris hæc fertur † sententia.

† Auct. cap. 410.

VERBUM AUDIMUS.
MOTUM SENTIMUS.
MODUM NESCIMUS.
PRÆSENTIAM CREDIMUS.

† Forster Hist. Jur. Civ. l. 3. c. 17. pag. 485.

SCRIPTA.

Speculum Iuris in tria volumina distinctum, scriptum an. 1261. & Cardinali Othobono dedicatum. Prodiit *Basil.* 1574. *Francofurt.* 1592.

Repertorium Juris ex speculo ferè decerptum, quocum prodiit Francofurt. 1592. *Lugdun.* 1516. 1551. excusum est etiam *Venet.* 1496.

Rationale divinorum officiorum in libros VIII. distributum, an. 1286. absolutum. Vide lib. 8. cap. 9. Extat cum Speculo & Repertorio *Lugdun.* 1516. 1551. Seorsim *Mogunt.* 1459. *Rutling.* 1473. *Venet.* 1485. *Argent.* 1486. *Basil.* 1488. *Norimberg.* 1493. fol. *Venet.* 1519. *Lugdun.* 1565. 1568. 1584. 1592. 8°. *Antverp.* 1570.

Commentarius in Canones Concilii Lugdunensis, prodiit cum Vitâ ejus à Simone Majolo editus *Fani* 1569. 4°.

Breviarium Glossarum & textuum Iuris Canonici, *Parif.* 1519. 8°. Scripsit item *in Decretales Gregorii* IX. Nicolai III. & in *Gratiani Decretum*; Verùm aut hi Commentarii perierunt, aut cum blattis & tineis in tenebris adhuc luctantur.

Alius à nostro fuit (quod pridem notavit † Phil. Thomasinus) Gulielmus Durantus episcopus etiam Mimatensis, nostri nempè Nepos & in Sede successor, qui Concilio Viennensi sub Clemente V. anno MCCCXI. interfuit, in quo libellum edidit *de Reformatione Ecclesiæ*. Extat *Parif.* 1545. *Lugdun.* 1635. 4°. & cum quibusdam Clemangis, & P. de Alliaco opusculis *Parif.* 1671. 8°.

† Biblioth. Patavin. MS. p. 14.

GEORGIUS GELESIOTA, Gregorii Patriarchæ auditor & familiaris, claruit sub Andronico Palæologo seniore circa annum MCCLXXXVI. Extat *Oratio funebris in Theodorum Xanthopulum*, cujus si non discipulus fuerat, certè amicus integerrimus. Prin. Ἄνδρες οἳ βασιλείοις ἤθεσι, καὶ μαθήμασιν ἐντεθραμμένοι. Confer. L. Allat. Diatr. *de Georgiis* p. 383. 1286. P. II.

ANONYMUS Annalium Menevensium Compilator, Ecclesiæ Menevensis Canonicus claruit circa annum MCCLXXXVI. Condidit Annales Ecclesiæ Menevensis ab orbe condito ad annum MCCLXXXVI. Extant in Codice Cottoniano *sub Domitiano* A. I. Omissis aliis Wallensium rebus, ea solùm excerpsit, ediditque Whartonus noster, quæ Ecclesiæ Menevensis historiam tradiderunt, ab anno CCCCXXXVIII. quo Saxones in Angliam advenerunt, ad annum usque MCCLXXXVI. *Angl. Sacr.* Tom. II. pag. 648. Nescio an ejusdem canonici sit brevis *Vita Davidis secundi*, Menevensium Episcopi, qui decessit an. MCLXXVI. quam post Annales prædictos habes *ibid.* p. 652. 1286. P. II.

NICOLAUS IV. *Hieronymus* anteà dictus, Patriâ Picenus, domo Asculanus, Patrem Arminilaum Tineum, honestæ conditionis virum, habuit, ex Monacho Franciscano factus est Episcopus Prænestinus, & S. Sabinæ Presbyter Cardinalis: post Honorii mortem creatus est Ecclesiæ Romanæ Pontifex, electus XXII. coronatus XXV. Februarii anno MCCLXXXVIII. Coortis Romæ seditionibus Reate profectus est, rebus verò mox sedatis Romam rediit, pacemque inter Arragoniæ & Neapolis Reges conciliavit. De religione Christiana inter Barbaros propagandâ admodùm erat sollicitus; eodem quo factus est Pontifex anno, nuncios à Rege quodam Tartarorum, ejusque Regina accepit, quorum conversioni congratulatus est. Quin & magnum Tartariæ Chamum ad fidem Christi amplectendam hortari non destitit. Anno sequenti de eadem re ad Armenos eorumque Regem, nec non ad Æthiopiæ Imperatorem scripsit. Causam Christianorum in Syria apud Principes Christianos vehementer sollicitavit. Quin & ad quendam Ptolemaida multos milites ipse proprio 1288.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. prio ære transmisit. Obiit Romæ XIV. Aprilis, an. MCCXCII. ad S. Mariam Majorem sepultus. Epitaphium rudi & inconcinno carmine scriptum habet Wading. ad ann. MCCXCII. N. 6. Sixtus verò Quintus adhuc Cardinalis longè magnificentius Mausoleum ei condidit, & nobiliori inscriptione honestavit, quæ itidem loco citato habetur. Hæc de eo Joannes Stella: *Vir quidem literarum divinarum humanarumque egregiè doctus; ac præter doctrinam multa bonitatis ac integritatis Pontifex fuit, omnes pariter amando; qui non plura affinibus aut cognatis se debere, aut conferre quàm aliis bonis arbitrabatur; & propterea ex omni ferè religione viros optimos & doctos Cardinales creavit, & urbem Romanam pulcherrimis ædificiis exornavit.*

SCRIPTA.

Constitutio pro Benedictinis, *Parif.* 1519. 8°.

Epistolæ, quarum tria volumina in Bibliothecâ Vaticanâ asservari dicuntur. Ex his XVIII. exhibet Bzovius ad ann. MCCLXXXVIII. 1292. quamplurimas Wadingus ad an. MCCLXXXVIII. & sequentibus annis. In *Appendice* verò ad T. II. pag. 168. alias LXVIII. evulgavit.

Commentaria in aliquot libros S. Scripturæ; *in Magistrum Sententiarum lib. IV. Sermones de Sanctis & de Tempore*; *Constitutiones Ecclesiasticæ adversus hæreticos*, & alia quædam à Lud. Jacob *Bibliotb. Pontif.* pag. 165. memorantur, verùm an edita sint, imò an supersint hodie, non didici.

1288. *P. II.* ANONYMUS Chronici Brunswicensis Auctor, natione Germanus, claruit circa annum MCCLXXXVIII. Scripsit Chronicon Ducum Brunswicensium, à temporibus Ludolphi Saxoniæ Ducis ad annum usque MCCLXXXVIII. se enim Edwardi I. Angliæ Regis tempore vixisse refert. Edidit illud unà cum aliis antiquitates Brunswicenses spectantibus J. Joac. Maderus *Helmst.* 1678. 4*to*.

1289. THEODERICUS DE APOLDIA, Patriâ Thuringus, Erfordii natus, inter Monachos Dominicanos educatus est, iisque se sociavit. Claruit anno MCCLXXXIX. jam Sexagenario major. *Scripsit de Vita & rebus gestis S. Elizabethæ, Andreæ Regis Hungarorum filiæ, & Ludovici Langravii Thuringiæ viduæ libros* VIII. Extant apud Canis. *Antiqu. Lect.* part. 2. pag. 147. Hos quidem † CL. Vossius alio Theoderico Thuringo nostri coætaneo tribuendos censet: Sed cùm nullum pro sententiâ suâ argumentum profert, nostro non abjudicandos existimo. Condidit etiam *de Vita S. Dominici ordinis Fundatoris libros VII.* quos Surius ad August. V. sed stylo passim correcto edidit.

† De Hist. Lat. lib. 2. cap. 6. 62.

1290. AUGUSTINUS TRIUMPHUS, Patriâ Anconitanus, Ordinis Augustiniani Eremita, claruit ann. MCCXC. Junior adhuc anno MCCLXXIV. Concilio Lugdunensi interfuit. Vixit aliquamdiu in Academia Parisiensi, plures verò annos Venetiis in S. Mariæ de Nazareth Ordinis sui loco, ubi nonnulla in laudem B. Virginis opuscula elucubravit, præcipuè verò Neapoli lares habuit, Carolo & Roberto Regibus apprimè charus. Obiit ibidem anno 1328. Ætatis LXXXV.

SCRIPTA.

Summa de Potestate Ecclesiastica, ad Joannem XXII. Papam, *Augustæ Vind.* 1473. fol. *Romæ*, 1479. 4°. 1582. fol.

Commentarius in Orationem Dominicam; *Salutationem Angelicam*; & *Canticum B. Virginis*, *Romæ* 1590. 1592. 4°.

In Canticum Deiparæ seorsim ibid. 1603. In Orat. Domin. eod. loc. 1587.

Milleloquium ex Scriptis S. Augustini, quod imperfectum reliquit Triumphus, absolvit Bartholomæus Urbinas, ejusdem ordinis Theologus. Prodiit *Lugduni* 1555. & forsan alibi.

INEDITA.

Super Sententias lib. IV. De Spiritu S. contra Græcos; *De Cantico Spirituali*, sive *de X. Chordis*: *De introitu terræ promissionis*; *De cognitione & potentiis animæ*; *Theoremata de Resurrectione mortuorum*; *Expositio in Ezechielem*; & *in omnes novi Testamenti libros*, *quibusdam etiam duplici expositione additâ*; *Sermones Dominicales*; item *de Sanctis ad Clerum*; *Tabula* seu *Index super Moralia S. Gregorii*; Hæc, ut & *Commentaria quædam in Aristotelem* recenset, quibusque in locis delitescunt ostendit, Joseph. Pamphilus, episcopus Signinus, *Chron. Eremit. S. August.* pag. 46. ubi etiam refert, omnia Augustini nostri opera Civium Anconitanorum sumptibus ab Archetypis transcripta, Romæ in Bibliothecâ Vaticanâ magnis & pulcherrimis voluminibus asservari.

JOANNES DE PARISIIS, sive ortu, sive educatione Parisiensis, inter Ordinis Dominicani Monachos, & Theologos Parisienses maximè enituit. Claruit anno MCCXC. Ortâ inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Francorum Regem discordiâ, Regis sui causam in se suscepit, & jura Regia adversus Pontificem strenuè tuebatur; Conventus Dominicanos concionando, Scholas Theologicas prælegendo egregiè ornavit: sed dum novam quandam propositionem de modo Corporis Christi in Eucharistia ventilaret, nempe, possibile hoc esse per assumptionem substantiæ panis, vel paneitatis in Verbo, idque magis esse rationabile, & veritati Sacramenti congruum, mox Magistros Parisienses in se vehementer irritavit; præcipuè Gulielmum Parisiensem, Ægidium Bituricensem, Bertrandum Aurelianensem, & Gulielmum Albianensem Episcopos, qui hominem in examen vocarunt, & cùm dogma suum retractare nollet, condito facultatis Theologicæ decreto, sententiam ejus damnarunt, eique tum prædicandi, tum prælegendi munere sub excommunicationis pœnâ interdixerunt. Ægrè hæc ferens Joannes noster, à Decreto Parisiensi ad sedem Apostolicam provocavit: causam igitur acturus Romam perrexit, ubi paulò post, vitam cum morte commutavit anno circiter MCCCIV. Confer quæ ex Continuatione Chronici Guil. de Nangis, aliisque de eo notavit D. Allixius præfatione mox citandâ pag. 54. 1290.

SCRIPTA.

Tractatus de Regia Potestate & Papali, in gratiam Regis sui adversus Bonifacium Papam scriptus. Prodiit cum aliquot Dominicanorum opusculis *Paris.* 1506. 4°. & apud Goldast. *Monarch.* Tom. II. p. 107.

Determinatio de modo existendi Corpus Christi in Sacramento Altaris, *alio*, *quàm sit ille quem tenet Ecclesia*. Hanc nuper ex MS. Codice S. Victoris Parif. eruit, & præmissâ prolixâ, sed & eruditâ planè dissertatione historicâ, *de dogmate Transubstantiationis* edidit Vir Cl. D. P. Allix *London.* 1686. 8°.

Correctorium Doctrinæ S. Thomæ, Ægidio Columnæ

Cave *Hist. Lit.* Iii 3

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. lumnæ tributum ejusque nomine evulgatum, *Venet.* 1501. *Colon.* 1624. 8°.

Determinatio de Sectâ Christianâ per testimonia Gentilium; aliaque de Confessionibus Fratrum: Habentur MS. [uti fidem nobis facit Jamesius] in Bibliothecâ Lincolniensi ap. Oxoniens. Cod. 16. N. 1. 2. Scripsisse etiam dicitur *de Unitate Esse & essentia in Deo*; *De adventu Christi*, seu *contra Antichristum*; *Apologeticum contra Henricum Gandavensem*; & *philosophica* quædam, quæ an adhuc supersint, non comperi.

Plures erant hoc circiter tempore Joannes Parisienses, & in his Joannes Parisius Anglus, S. Victoris Parisiensis Canonicus regularis, cujus *Memoriale* seu *Flores Historiarum* extant MSS. tum alibi, tum Bibliothec. Benedictinâ. Cantab. Cod. 20. Ex his plura se in Chronicum suum Belgicum transtulisse, fatetur Miræus *Auctuar.* cap. 403.

1290. RADULPHUS DE COLUMNA, Canonicus Carnotensis. Claruit anno MCCXC. Scripsit *ad Lambertum de Castello Tractatum de Translatione Imperii à Græcis ad Latinos*, qui habetur apud Goldastum, Monarch. Tom. II. pag. 88. neque de illo plura quæ dicam habeo.

1290. JACOBUS DE VORAGINE, rectiùs *de Viragine*, urbe Ligurum maritimâ oriundus, S. Dominici familiæ nomen dedit, ejusque in Lombardiâ Provincialis, deinde totius ordinis Generalis, denique Archiepiscopus Genuensis factus, à Cardinale Ursino Episcopo Hostiensi (vacante tum sede Romana) consecratus. Imperatoris partibus favisse dicitur, unde cum die Cinerum Bonifacius VIII. Sententiam illam pro more in eum ad pedes suos provolutum proferre debuisset, *Cinis es, & in Cinerem reverteris*, conjectis in oculos cineribus, hæc ei dixisse fertur, *Gibellinus es, & cum Gibellinis tuis ad nihilum reverteris*. Et ita quidem habent Blondus & Philippus Bergomas, quorum tamen fides hâc in parte vacillare videtur, cùm potiùs Porcheto Successori tribuendum sit. Claruit anno MCCXC. Obiit anno MCCXCVIII. etsi sint qui vitam ejus ad annum usque MCCCXIV. protrahant. Vir quidem in Deum devotus, in pauperes munificus, in quos integros ferè episcopatûs sui reditus distribuit, pius magis quàm doctus, etsi Augustini opera sedulò legebat, ejusque penè omnia memoriâ tenuisse dicitur. In rebus Historicis, præsertim quæ de Vitis Sanctorum congessit, nimium credulus, & in fabulis undique convasandis ad ludibrium ineptus.

SCRIPTA.

HIstoria Lombardica, seu *Legenda aurea de vitis Sanctorum*. Legenda quidem *aurea ab homine oris ferrei, cordis plumbei* scripta, ut acutè de eâ Ludovicus Vives*. *Quid fœdius* (ita pergit) *dici potest illo libro? quàm pudendum est nobis Christianis; non esse præstantissimos nostrorum divorum actus veriùs & accuratiùs memoriæ mandatos, sive ad cognitionem*, &c. Vivem secutus est Melchior Canus*; *in illo*, inquit, *miraculorum monstra sæpiùs quàm vera miracula legas. Hanc* (Legendam aureamam) *Homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certe parum severi ac prudentis*. Idem planè judicium tulit CL. Espencæus, idque pro concione publica, adeò ut sententiam suam publicè recantare coactus sit. Opus quidem Historiis Christianis accensendum, an potius ad fabulas Romanenses ablegandum; à cordatioribus etiam Pontificiis (ut videmus) non sine gravi stomacho damnatum. Certè nugis, nugacissimis, fictis, ineptissimisque narrationibus refertissimum, quæ non sine immenso Christianæ religionis scandalo legi; multò magis defendi possunt. Prodiit hæc *Historia Norimberg.* 1478. 1493. *Davent.* 1479. 1483. *Venet.* 1483. *Basil.* 1486. *Argentinæ* 1496. *Lugduni* 1510. *Argentinæ* 1518. In editione quæ penes me est, *Argentinæ* 1496. Jacobi nostri Legenda desinit in capite CLXXVII. Quæ sequuntur usque ad finem libri capita XXXVIII. continentia, ab aliis addita sunt. Hæc Legenda etiam abbreviata prodiit *Venet.* 1478. fol.

* De caus. corrupt. art. l. 2. p. 91.

* Loc. commun. l. 11. c. 6. p. 658. Vid. Thuan. ad an. 1555. p. 489.

Quadragesimale Venet. 1575. 1579. 1602. 4°.

Sermones de Planctu B. Mariæ Virginis ibidem 1602.

Sermones pulcherrimi de tempore per totum anni circulum, *Venet.* 1544. 4°.

Sermones de Sanctis per anni totius orbitam, *Papiæ* 1500. *Venet.* 1602. 4to.

Mariale aureum, *de laudibus Matris Dei* alphabetico ordine digestum, & in CLX. Sermones distributum, *Venet.* 1497. *Paris.* 1503. *Mogunt.* 1616. 4°.

Chronicon Januensis civitatis, ejusque Pastorum à fundatione usque ad annum 1213.

Librum de Opusculis S. Augustini defensionem sui Ordinis contra Impugnatores, quod non viverent secundum Apostolicam Regulam; item *summam Vitiorum & Virtutum* memorat, sed an extent, non dicit Amb. de Altamura ad an. 1290. Denique *Sacrosancta Biblia in linguam Italicam* primus transtulisse, annoque 1270. evulgasse dicitur. Inter scripta ejus à nonnullis recensetur opus *Catholicon* dictum, seu Grammatica & Dictionarium, *Venet.* 1483. an rectè, judicent, qui viderint.

GULIELMUS MAJOR, natione Gallus, Ecclesiæ Andegavensis pœnitentiarius, & ab anno MCCXC. ejusdem Ecclesiæ Episcopus, anno MCCCXI. Concilio Viennnensi generali sub Clemente V. celebrato, in quo de extirpandis Templariis agebatur, interfuit & subscripsit. Obiit anno MCCCXIV. Scripsit *Episcopatus sui gesta*, à tempore quo factus est episcopus usque ad annum MCCCXIII. à Dacherio primùm in lucem prolata, *Spicileg.* Tom. X. pagin. 247. *Statuta* ejus *Synodalia* edidit idem Dacherius Tom. XI. 1290.

RICHARDUS DE MEDIAVILLA, seu MIDLETON, *Doctor solidus & copiosus, fundatissimus* etiam & *authoratus* dictus, natione Anglus, Ordinis Minoritarum Theologus; quòd verò illum Archiepiscopum Rhemensem fuisse scribit Marianus, parum apud eruditos fidei meretur. Claruit an. MCCXC. Postquam in Academiâ Oxoniensi Philosophiæ, Jurisprudentiæ, præcipuè Theologiæ Scholasticæ haud vulgarem scientiam assecutus esset, juxta morem apud Anglos his temporibus receptum, Lutetiam se transtulit, ubi celebre sibi nomen comparavit. An. MCCLXXXII. † Petrus Joannes Olivi Minorita saccuatus est, quòd scripsisset nonnulla hæresi & erroribus plena; revera nullâ aliâ de causâ quàm quòd molles & collapsos suorum mores publicè corripuisset; quod tam superioris quàm inferioris ordinis fratres molliter viventes, quin & delicatulos nimis Ecclesiæ Prælatos magno zelo tam voce quàm scriptis lacessivisset. Hinc clamores in illum & tumultus excitati, causæque ejus examen anno sequenti à Bonagratia Ordinis Generali, Richardo nostro Theologiæ tunc Baccalaureo, & quibusdam aliis commissum est. Verbo dicam. Propositiones quasdam ex ejus scriptis excerptas tanquam periculosas & malè sonantes censurâ notârunt: quin & 1290.

† Vid. Wading. ad an. 1282. N. 1. 1283. N. 1. 1297. N. 23. &c.

SÆC. XIII. ab A. MCC. & mortuus jam pro hæretico damnatus est, ejusque libri prohibiti. Addit Baleus cadaver ejus effossum esse, & Clementis Papæ jussu combustum. Petri hujus vindicias adversus Bzovium fuse agit Dermicius Thaddei, ipse Minorita, *Nitela Francisc. Relig.* pag. 331. &c. Verùm redeo. Richardus noster in Patriam reversus, reliquum vitæ tempus Oxonii in publico docendi munere, non sine summa eruditionis fama, transegit. Obiit circa annum MCCC.

SCRIPTA.

QUæstionum in Magistrum Sententiarum lib. IV. Venet. 1509. *Brixiæ* 1591.

Quolibeta Theologica LXXX. quæstiones continentia, Commentariis ejus in sententias subjecta.

De *Commentariis in Evangelia & Epistolas Pauli; lib. de Conceptione Mariæ; Tract. contra Petrum Joannes*, aliisque Baleus Cent. 4. pag. 359. Pitseus *de Script. Angl.* p. 376. videri possunt.

1290. GUIDO, natione Burgundus, Villâ de Mimo, in Diœcesi Eduensi, nobili genere oriundus, ad vitam Monasticam in Cœnobio Antissiodorensi sub Joanne Josnual Abbate consanguineo suo formatus, (ut ex Appendice opusculo ejus subnexâ liquet,) in Academiis Aurelianensi & Parisiensi, Theologiæ, & Juri Canonico per novennium non indiligentem operam navavit. Claruit an. MCCXC. Domum reversus varia obivit munera, factus Eleemosynarius in Monasterio in Puseia, ejusdemque Vice-Prior, Decanus de Recognito, deinde Cœnobii Antissiodorensis Prior. Anno MCCLXXVII. mortuo Joanne, in Monasterii sui Abbatem electus est. Sed coortâ mox factione alterius partis Monachi Joannem quendam de Thyengiis, Anglum Abbatem sibi asciverunt. Diu hæc duravit lis, Guidone bis Romam proficiscente, nec nisi post octennium in Guidonis nostri gratiam definita est. Anno MCCCIX. regimine suo se abdicavit, & in Cellam quandam privatam secedens, obiit VI. Kalend. Martii anno MCCCXIII. postquàm monasterium suum per integros ferme XXIV. annos gubernasset. Plura te docebit Aymo de Bordis, ejusdem cœnobii Monachus, eâ quam modò citavimus Appendice. Scripsit Guido *de gestis Abbatum S. Germani Antissiodorensis*, ab anno MCLXXXIX. usque ad annum MCCLXXVII. Primus in lucem protraxit Philip. Labbeus *Biblioth. Nov. MS.* Tom. I. pag. 570.

1290. CONRADUS, Natione Germanus, Monachus Dominicanus, suique Ordinis Provincialis. Claruit circa annum MCCXC. Scripsit *de Rosario Beatissimæ Virginis*. Prodiit *Colon.* 1603. 12°. Huic etiam *Legendam de Vita, Obitu, & Miraculis S. Dominici* ex omnibus qui ante se scripserant compilatam tribuit de Altamura pag. 65. quæ an edita sit, quærant alii.

1290. HENRICUS, aliis AMANDUS SUSO, Natione Suevus, ex nobili Comitum Montensium genere natus, Ordinis Prædicatorum Theologus insignis, Lector Constantiensis. Claruit circa an. MCCXC. exeunte hoc Sæculo obiisse videtur, vel, ut alii ann. MCCCVI. Sunt quidem iique non infimi nominis viri, qui obitum ejus ad annum MCCCLXV. vel MCCCLXVI. referunt, quod nullo pacto stare potest, siquidem verum sit quod nobis tradidit* Amb. de Altamura Susonem nostrum, unà cum D. Thoma Aquinate (qui in Divorum censum relatus est an. MCCCXXIII.) summo Pontifici propositum fuisse, ut in Sanctorum numerum cooptaretur. Corpus ejus in Conventu Ulmensi provinciæ Alemanniæ ante Altare S. Petri conditum est. SÆC. XIII. ab An. MCC.

* Biblioth. Domin. p. 77.

SCRIPTA.

HOrologium Sapientiæ, Venet. 1492. 1539. *Neapoli* 1658. 12°. & alibi sæpius.

Meditationes C. de Passione Domini, cum totidem petitionibus ad eundem.

Liber de novem rupibus.

Sermones de Tempore; de Sanctis; & Quadragesimale.

Dialogus veritatis.

Epistolæ Variæ, eruditione, sanctitate, spirituque refertæ. Opuscula hæc Laurentius Surius ex linguâ Germanicâ in Latinam traduxit, & *Coloniæ* edidit 1588. 8°.

Officium quotidianum de æternâ sapientiâ, pluries editum, annis tamen & locis mihi non compertis; nisi forsan *Paris.* 1578. 8°.

MANUEL PHILE, patriâ Ephesinus, illustri ac splendidâ familiâ natus; claruit sub Michaele & Andronico Palæologis circa an. MCCXC. Poëticâ facultate plurimùm excelluit. Supersunt ejus quæ sequuntur. *In B. Deiparam & Joannem Chrysostomum Tetrasticha duo.* Prin. Ἁγνὴ κόρη τῆς &c. Extant Græc. MSS. Biblioth. Vindob. *Cod. Hist.* LXXXVIII. num iii. fol. 244. Hæc Joanni Philæ tribuit Lambecius, eidem nempè cujus meminit Cantacuzenus* claro genere prognati, qui Christianæ Philosophiæ desiderio, excussis negotiis omnibus, domi res suas agebat, vitamque sobriam ac justam studiosè excolebat. Verùm fallitur Lambecius. Codex enim MS. non Joannem, sed simpliciter *Philem*, nominat. Quo nomine noster venire solet. Etsi non negaverim Manuelem Joannis vel patrem fuisse vel gentilem. *Tetrasticha in Psalterium.* Prin. Τὰ κιθαρῳδοῦ μὴ πτερόντ@ ᾠδάς &c. Græcè MSS. ibid. *Cod. Theol.* CCCXXV. num. XV. *Hypotheses*, seu Epigrammata Jambica in S. Gregorii Nanzianzeni Orationes ibid. *Cod.* LXXIV. num. ii. iii. &c. *Versus Jambici sepulchrales*, sed in fine mutili, in Phracrassem, à L. Allatio Græc. editi *de Conc. Florent.* p. 702. *Carmen* elegans & prolixum in obitum Pachymeræ, apud eund. Diatr. *de Georgiis* p. 373. Ex ejus *Canone in Nicolaum* quædam citat idem lib. *contr. Hotting.* p. 179. *Carmen ad Deum.* Prin. Τὸν ἅγιον ἢ ζωοποιὸν πνεῦμα. Græc. Lat. edidit Cotelerius ad calcem *Monument.* Tom. III. pag. 510. Editi sunt, sed qui huc parùm spectant, versus Jambici *de Animalium proprietate*, ad Michaelem Palæologum Imp. *Heidelberg.* apud Commelin. anno 1596. Meminit etiam Simlerus editionis Venetæ cum Arsenii Monembaziæ Archiepiscopi præfatione ad Carolum V. Ejus *Homilia dramatica*, variique versus & Epigrammata habentur MSS. Biblioth. Bodleian. *Cod.* CCCLXIV. pag. 436. 1290. P. II.

* Hist. l. IV. c. 32. p. 89.

REMIGIUS, patriâ Florentinus, Thomæ Aquinatis discipulus, Clari Hieronymi ex ordine Prædicatorum Monachus, claruit an. MCCXC. Obiit an. MCCCIX. In Academiâ Parisiensi Magistrum sententiarum non sine magnâ sui nominis famâ, interpretatus est, à Benedicto XI. Magisterii corona & annulo insignitus, ordinisque sui Procurator generalis renunciatus. Scripsit non pauca *Viz. Quæstionum Theologicarum* methodo Alphabeticâ dispositarum lib. I. *Quodlibetorum* Tractatus XVII. *Opus Philosophicum* & Metaphysicum *de modis re-* 1290. P. II.

rum. Ingens volumen sermonum *de Sanctis*, & aliud *de tempore*. Quæ omnia in Bibliothecâ S. Mariæ Novæ Florentiæ hodiè MS. asservantur. Videsis Mich. Poccіantium *Catal. Script. Florent.* p. 155. & Altamuræ *Biblioth. Dominic.* Cent. II. p. 87.

1290. P. II. JOANNES CASTOR, seu *Fiber*, patrio sermone Bever dictus, natione Anglus, ex ordine S. Benedicti Collegii Westmonasteriensis Monachus, claruit sub Edwardo I. circa annum MCCXC. Vir acri ingenio, à teneris unguiculis melioribus literis institutus, pro sorte sæculi eruditus, antiquitatis cultor eximius, indagandis gentis suæ monumentis penè unicè intentus. Contexuit Chronicon ab Æneâ, sive à Bruti in hanc insulam adventu usque ad Henricum III. Angliæ Regem, id est, ad an. MCCXVI. quod tamen ad an. MCCCVI. sive Edwardi I. obitum perduxisse tradit Baleus. Verùm Codici MS. potiùs hac in re fidendum est. Extat hoc Chronicon MS. in *Bibliothecâ Cottonianâ* sub *Vitellio* lit. E. *Cod.* XVII. num. IV. Vide Catalogum jam editum pag. 101. col. 1. Meminit Joannis nostri Westmonasteriensis Annalium scriptoris Lelandus *Comment. in Cygn. Cant.* in voce *Bermundi insula* p. 13. Ejus eruditionem, peritiam, & naturalem in scribendâ historiâ ordinem egregiè commendat Baleus *, quodque non perfunctoriè, sed prolixè & cum judicio, pensitatis singulorum vel virtutibus vel vitiis, Principum & aliorum virorum illustrium facta narret. Scripsit item librum *de rebus Westmonasteriensibus*, teste eodem Baleo, qui Polydorum Virgilium nonnulla ex hoc opere, suppresso auctoris nomine sumsisse suspicatur. Certè Polydorus † ubi de Westmonasterii situ agit meminit Codicis antiquissimi, sed sine nomine auctoris, ex quo refert locum illum aquis olim fuisse circumdatum, & spinarum insulam appellatum. Sed vereor ne hoc Castoris opus tempus edax rerum dudùm devoraverit.

* Cent. IV. c. 80. p. 41.

† Hist. Angl. lib. II. p. 41.

1292. P. II. BARTHOLOMÆUS de COTTON, gente Anglus, Monachus Norwicensis, claruit anno MCCXCII. Mandavit literis historiam Anglicanam, in tres libros divisam. In primo de rebus Britannicis agit; in secundo de Regibus Saxonum & Normannorum ad annum usque MCCXCVIII. in tertio de Archiepiscopis & Episcopis Angliæ ab an MCXXV. ad annum MCCXCII. plurima ex Malmesburiensi suffuratus. Extat codex MS. in Bibliothecâ Cottonianâ *sub Nerone* C. V. sed in eo primus liber desideratur. Ex secundo, omnia Ecclesiam Norwicensem spectantia, & sub *Annalium Norwicensium* titulo, edidit: ex tertio integram Episcoporum Norwicensium historiam desumpsit H. Whartonus *Angl. Sacr.* Tom. I. pag. 395. Quibus, Anonymi Monachi Norwicensis continuationem Historiæ de Episcopis Norwicensibus ab an. MCCXCIX. ad annum MCCCCXLVI. & successionem Episcoporum Norwicensium, ab anno MCCCCXLVI. ad Reformationis tempora addidit.

1292. P. II. SOZOMENUS, gente Italus, Florentiæ si non natus, saltem educatus, Presbyter Pistoriensis, claruit an. MCCXCII. Scripsit ad Vespasianum Librarium, urbisque Florentinæ civem, Chronicon ab orbe condito ad sua usque tempora. Extat ineditum duobus magnis voluminibus, in Bibliotheca Abbatiæ Fesulanæ Canonicorum Regularium, primo à Florentiâ lapide. De hoc opere plura habet Joan. Mabillonius *Itin. Ital.* p. 174. Sunt qui Auctorem seriùs vixisse & ad sæculum XVI pervenisse existimant. Verùm superiora sæcula, *inquit* Mabillonius, quibus nondùm politior literatura restitui cœpta erat, stylus auctoris sapit, ipsique literarum characteres.

1293. P. II. GREGORIUS, genere Armenus, Siside, quæ Ciliciæ urbs erat, ut videtur, oriundus, inde *Sisensis* dictus, evectus est ad Patriarchalem Armeniæ thronum circa an. MCCXCIII. Obiit an. circiter MCCCV. Erat quidem fide Catholicus, sed in Romanam Ecclesiam quàm in Græcos longè propensior. Hanc observantiam & reverentiam non unis ad ipsum litteris excolere & fovere studuit Bonifacius VIII. Papa, hortans, *ut Armenorum Clerum, populumque in fide quam docet, tenet, prædicat Romana Ecclesia, & per se, & per alios informaret; utque purgato omni vetustatis errore, in fide sint stabiles, in opere efficaces.* Certè non mediocrem in Armeniâ messem hoc tempore habuerunt Romanæ Ecclesiæ Operarii, adeò ut ipse Hayton Armeniæ Rex deposito sceptro S. Francisci habitum induerit, & inter Fratres Minores fit Cœnobita. Intereà studium suum erga Romanam Ecclesiam graviter prosequitur Gregorius, utque fœliciùs succederet, scripsit prolixam Epistolam seu Tractatum ad Haytonem, Exregem, quo Armenorum errores refert, & tùm antiquorum Patrum, tum domesticis Scriptorum suorum testimoniis studiosè refellit, déque Synodo hâc fine cogendâ deliberat, quam tamen mors ejus paulò post intercepit. Extat hæc *Epistola* Armenicè & Latinè apud Clem. Galanum *Conciliat. Eccles. Arm.* Part. I. cap. 27. pag. 435. Miris laudibus eam efferunt Concilii Sisensis an. MCCCVII. habiti Patres *ibid.* p. 467. quam postea *tanquam veracem & Apostolicum Canonem, atque legitimam Constitutionem ab omnibus Armeniorum Ecclesiis recipi, atque observari jubent.* Nec aliter de eâ loquuntur Armeni Antistites, qui in Concilio Adanensi an. MCCCXVI. convenerunt *ibid.* c. 29. p. 505. Concinnavit etiam Gregorius noster *Cantica Sacra* in Ecclesiæ Armenæ usum, pluresque S. Martyrum historias ex Romanâ, Græcâ, & Syriacâ in Armenorum linguam transtulit, teste Anonymo, qui historiam Patriarcharum Armeniæ scripsit, à Galano editam cap. 27. p. 419.

1294. BONIFACIUS VIII. antea *Benedictus Cajetanus* vocatus, natione Campanus, patriâ Anagninus, SS. Sylvestri & Martini in Montibus Presbyter Cardinalis, in locum Cœlestini V. (cujus simplicitate, dolo perquam insigni abusus fuerat, dum voce ficta noctu quasi cœlitùs demissa ei Pontificatum deponere persuasit) Neapoli semet in Pontificem eligi curavit, Decemb. XXIV. anno 1294. Coronatus Romæ Januarii XXIII. an. 1295. In ejus solenni inauguratione duo mala omina * acciderunt quæ turbulentum hominis ingenium moresque feroces prænunciare videbantur. Primùm, quòd dum procederet ad Coronationem, supervenerint densissimæ tenebræ, ortaque vehementissima tempestas cereos ac lampades in Ecclesia extinxerit: Alterum, quod dum templo egrederetur, orta in populo seditione, amplius XL. homines occisi sint. Primo Pontificatûs anno Clericos à sæcularibus tributis exemit, Urbevetanos loca quædam, quæ ipse Ecclesiæ vindicavit, restituere recusantes anathemate perculit, sacrisque omnibus interdixit. Occasione Abbatiæ Apamensis in Gallia, arcta quæ ei cum Philippo Francorum Rege necessitudo intercessit, penè collapsa est; levis quidem dissensio, sed quæ post paucos annos accedentibus aliis causis in majorem erupit flammam. Anno MCCXCVI. Clericos in Gallia criminibus infames, vel emendari vel deponi curavit, stricta etiam in Clericorum dissolutorum fautores excommunicationis censura. Jacobum & Pe-

* Wading. ad an. 1294. N. 8. Spondan. ad an. 1295.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A.MCC. & Petrum Cardinales Columnenses, tanquam Cœlestini partibus addictos, & Gibellinorum factioni faventiores, sibique clam insidiantes, habito Romæ Episcoporum conventu purpurâ exutos, & muneribus omnibus spoliatos anathemati subjecit, annoque sequenti urbem Prænestinam, in pœnam violatæ à Columnensibus Majestatis dirui præcepit. Anno MCCXCVII. Jacobo Aragoniæ Regi, ut in Fredericum fratrem, jus suum in Siciliæ regnum mordicùs tuentem, arma moveret, superciliosè mandavit: & post triennium cùm nec Fredericus, nec Siciliæ proceres arma deponerent, ipsos diris devovit, totumque Siciliæ regnum interdicto subdidit. Et cum Pontificibus Romanis solenne erat, ob delicta Principum, regnis eorum sacris officiis, & Sacramentis interdicere, an. MCCXCVIII. Constitutionem Declaratoriam emisit, quomodò tempore interdicti tam Clerici quàm Sæculares sese habere debeant. Anno MCCC. Annum sacrum sive Jubileum Christianum Romæ anno quovis centesimo celebrandum primus instituit, quo confluente immensâ hominum multitudine, prima quidem die, (siquidem vera nobis referat post Crantzium Urspergensis Chronici * Continuator) vestimentis Pontificiis indutus populo benedixit. Sequenti die Imperiali habitu Coronâ ornatus in Publicum prodiit; districto gladio sibi prælato, sedensque alto loco, *Ecce* inquit, *duo gladii hic*! *Vides*, *O Petre*, (inquiunt, ad tam immanem arrogantiam obstupescentes, qui hæc referunt Historici) *Successorem tuum*, *& Tu salutifer Christe*, *cerne tuum Vicarium*: *vide quoad ascendit superbia servi servorum tuorum.* Anno MCCCIII. crescente indies discordiâ ipsum inter & Philippum Galliæ Regem, qui suis nuper interdixerat ne ad Curiam Romanam liberè irent, vel pecuniam illuc mitterent, habitâ Synodo, anathematis fulmen in Philippum vibravit, subditos à fidelitatis juramento absolvit, regnumque Alberto Imperatori subjicit. Sed factâ mox cum quibusdam factionis Gibellinæ Cardinalibus conspiratione, missi sunt trecenti equites, qui Pontificem tunc Anagniæ agentem captivum tenent; verùm à Civibus Anagninis ejus causâ arma arripientibus, post triduum custodiâ liberatur. Romam rediens trigesimo quinto post die animi mœrore confectus miserè obiit, Octob. XI. ann. MCCCIII. Vir suprà modum ambitiosus & arrogans, inquit Vitæ ejus * Scriptor. Joanni Stellæ, *Vir certè callidus ingratissimusque*, *pro arbitrio animi potius ad terrorem*, *quàm ad amorem omnia agens*, *ab omnibus arrogantissimus & improbus adjudicatus.* Quàm impotenti insolentique dominandi, & promovendæ Majestatis Pontificiæ libidine teneretur, testis est vel unica illi Decretalis clausula † Tit. de Majorit. & obedient. *Porro subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus*, *dicimus*, *definimus*, *& pronunciamus omnino esse de necessitate salutis.* Certè ob immodicam ambitionem, fastum, fraudes, tyrannidem, de eo in proverbium abiit, *Intravit ut Vulpes*, *regnavit ut Leo*, *mortuus est ut Canis.*

*Pag. 262.

* Concil. Tom. XI. p. 1397.

† Extravag. Commun. lib. 1. Tit 8. cap. 1.

SCRIPTA.

Epistolæ: Habentur II. Conciliorum Tom. XI. part. 2. p. 1398. *Epistolæ & Constitutiones* XXIV. apud Bzovium ad an. 1294. & seqq. annis apud Wading. ad ann. 1296. 1297. XLVII. ibid. in *Regest. Pontif.* XXII. apud eundem Tom. III. p. 1.

Rescriptum de indulgentiis anni Jubilæi, Julii Rosæ Scholiis illustratum.

Constitutio de privilegiis Doctorum, *& Studentium Almæ Urbis*, habetur in Collectione *Constitut. Apost.* Romæ 1579. p. 2.

Decretalium liber Sextus, seu *Juris Pontificii Codex*, quem à tribus doctissimis Viris, ex quibusdam novis Decretis à se editis compilari, & in Gymnasiis publicè legi mandavit, licèt adhuc in Gallia receptus non sit; prodiit *Paris.* 1503. 1541. *Venet.* 1591. 8°. cum Glossis *Lugdun.* 1581. fol. *Francofurt.* 1586. *8vo.* & in quavis fere Juris Canonici editione. Paucula quædam inedita enumerat Lud. Jacob. *Biblioth. Pontif.* p. 32. quæ apud ipsum quærantur.

ÆGIDIUS DE COLUMNA, *Doctor Fundatissimus* vocatus, Patriâ Romanus, ex splendida & illustri stirpe, nobili quippe Columnensium familia, oriundus. In urbe Patriâ prima studiorum tyrocinia posuit, quæ postea aliis in locis summoperè excoluit. In Philosophicis ac Theologicis Thomam Aquinatem Præceptorem habuit, in cujus doctrina tantos fecit progressus, eique tam mordicùs adhærebat, ut ejus sanctique Bonaventuræ defensionem adversùs Gulielmum S. Theologiæ Professorem Oxoniensem in se susceperit, editis hunc in finem geminis libellis, quorum alterum *D. Thomæ Reprehensorium*, alterum *D. Bonaventuræ Defensorium* nuncupavit. Ordinis Augustiniani Fratribus Eremitis se socium dedit, quo vitæ instituto haud vulgarem sibi nominis famam doctrinâ morumque gravitate conciliavit. A variis Academiis, virisque Principibus expetitus, in Galliam concessit, à Philippo Audace ad Philippum filium, cognomento Pulchrum, bonis literis ac moribus imbuendum evocatus: unde in Academia Parisiensi Philosophiam & Theologiam per plures annos summa cum laude docuit. Anno MCCXCII. plenis Ordinis sui comitiis Romæ habitis, ejusdem Ordinis Prior generalis communi suffragio renunciatus est, quo tamen munere post triennium sponte se abdicavit. Anno MCCXCVI. à Bonifacio VIII. (cui admodum carus erat; cujusque electionem ad Pontificatum editâ Apologiâ *de Renunciatione Papæ* tutatus est) Bituricensium Archiepiscopus & Aquitaniæ Primas constituitur; satagente id etiam Philippo Rege, tum ob celeberrimam viri famam, tum quòd ipsum olim præceptorem habuerat. Cardinalitiâ etiam infulâ ornatum esse plerique tradunt; intercedente verò Pontificis morte in vulgus minimè renunciatum: & quò minus id præstiterit Clemens, Bonifacii successor, in causa erant Philippus Galliæque Proceres, Ægidii commentario in gratiam Bonifacii scripto, haud leviter offensi. Sunt tamen, qui Cardinalem fuisse præfractè negant. Argumenta in utramque partem expendit, & pro Cardinalatu ejus sententiam fert doctissimus Lud. Dattichius *Hist. Cardinal.* Tom. I. pag. 372. Obiit Avenione XI. Kalend. Januar. an. MCCCXVI. ætatis LXIX. Moriens supremis tabulis vasa & ornamenta ad Dei cultum spectantia, Ordinis sui Ecclesiis, Romanæ, & Bituricensi, libros verò suos Monasterio Parisiensi legavit. Corpus Parisios translatum, in æde Augustinianorum conditum est, lapidi sepulchrali hoc inscripto Epitaphio. 1296.

Hic jacet aula morum, *vita munditia*, *Archiphilosophiæ Aristotelis perspicacissimus Commentator*, *Clavis & Doctor sacræ Theologiæ*, *lux in lucem reducens dubia*, *frater Ægidius de Româ*, *Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini*, *Archiepiscopus Bituricensis*, *qui obiit anno Domini M. CCCXVI. die XXII. mensis Decembris.*

Egre-

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. Egregias ei laudes tribuit Abr. Bzovius ad ann. MCCCXVI. num. XVI. quas an usquequaque meruerit, non disquiro. Erat certè pro sæculo quo vixit, non indoctus, in Philosophiâ Aristotelicâ, & Theologiâ Scholasticâ præcipuè exercitatus; unde & *Theologorum Princeps* appellatus est: quin & jam an. MCCLXXXVII. in comitiis generalibus Florentiæ congregatis, Eremitæ Augustiniani decreverunt fratris Ægidii doctrinam (*qua mundum* ut ipsorum verbis utar, *universum illustrat*) ab omnibus Ordinis sui lectoribus & studentibus esse recipiendam, & inviolabiliter observandam. Stylo minùs eleganti, id quod ipsemet fatetur Bzovius, neque ex Ciceroniano ornatu usus est, tùm quòd usus ejus Scholæ talis esset, tùm quòd meminisset illius vulgaris, *ornari res ipsa negat, contenta doceri*; tùm quod optimè sciret, res ex suâ naturâ intellectu difficiles, non posse verborum lenociniis explicari. Scripsit quamplurima, tùm Philosophica, tùm Theologica, magnam partem adhuc tenebris sepulta; alia variis locis, formis annisque edita; typis excusorum indicem se editurum promisit Ph. Labbeus *, verùm an promissis steterit, nondum comperi. Nos qualem assequi potuimus, Catalogum hoc loco texemus.

* De Script. Tom. I. p. 13.

SCRIPTA.

Quæstio in utramque partem disputata, de Potestate Regiâ & Pontificiâ, occasione dissidii inter Philippum Pulchrum, & Bonifacium Papam nata; præmittitur Bonifacii Epistola, unà cum Philippi Responso. Edidit hæc Melchior Goldastus Monarch. Tom. II. pag. 95.

Defensorium, seu *Correctorium librorum S. Thomæ contra Gulielmi Lamerensis Thomæ-Mastigis Corruptorium*, unà cum aliis, *Venet.* 1501. & curâ H. Streveldorfii, *Colon.* 1624. 8vo. Hoc quidem opus nonnulli Joanni Parisiensi tribuunt, ut suprà notavimus. Certè nihil obstat quòminus ambo librum de eodem argumento, eodemque titulo edere potuerint.

Elucubrationes in IV. libros Sententiarum Lombardi, Basil. 1513. *Comment. & Quæstiones in* IIIum. *librum Sententiarum* prodierunt *Romæ* 1623.

De Peccato originali, *Oxon.* 1479. 4to.

De Subjecto Theologiæ, unà cum aliis opusculis, *Venet.* 1501.

Theoremata de Sacramento Corporis Christi. Hoc opusculum ejus esse negare videtur Bellarminus *de Script.* p. 359.

De regimine Principum Romæ 1482: *Venet.* 1598.

De Esse & Essentiâ; *De Mensurâ & Cognitione Angelorum*, *Venet.* 1598. unà cum *Comment.* ejus *in priora Analyt. Aristotelis.*

Quæstiones in IIum *librum Sententiarum*, cum Comment. Angeli Rocchæ, II. Tom. *Venet.* 1581.

Tractatus de Erroribus Philosophorum, ibid. eodem anno.

Quæstiones Metaphysicæ & Quodlibeticæ, *Venet.* 1501.

Comment. in Aristotelis libros de Animâ ad Edvvardum Angliæ Regem, ibid.

Expositio super libros Elenchorum Aristotelis, unà cum Aug. de Biellâ *Tract. de medio Demonstrationis in defensionem Ægidii*, *Venet.* 1500.

Versio & Expositio in Rhetoricam Aristot. cum *Declaratione Alpharabii*, *Venet.* 1515. *Comment. in Physica Aristotelis*, *Venet.* 1502.

Comment. in lib. de Generatione & Corruptione 1526.

Comment. in Alpharabium de Causis, *Venet.* 1550.

Commentationes Physicæ & Metaphysicæ, *Ursellis* 1614. 8°.

Commentarius in lib. Ium *Sententiarum*, *Venet.* 1571. fol. SÆC. XIII. ab A. MCC.

Comment. in Hexaemeron. lib. II. *Venet.* 1521. 4to.

Plura alia Theologica impressa esse affirmat Bellarminus loc. citat viz. *In Cantica Canticorum lectiones XIX. Lect. in Epistolam ad Romanos. Exposit. in Caput, Firmiter, & in Caput, Marthæ; in Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam*, de hac tamen expositione subdubitat. *De renunciatione Papæ; de Clerico minùs sufficienter ad Subdiaconatum promoto; Quomodo Reges possint bona regni Ecclesiis elargiri; Tractat. contra exemptos; De Divinâ Influentiâ in beatos; De laudibus Divinæ Sapientiæ, De Defectu malorum culpæ; De Prædestinatione, Præscientiâ, Paradiso, & Inferno; De materiâ Cœli; De Formatione corporis humani; De motu Angelorum.* Quibusdam verò in locis hæc omnia impressa sunt, utinam nobis Bellarminus indicasset. Præter hæc, plurima alia Ægidii opuscula recenset, variisque in Bibliothecis delitescere dicit Joseph. Pamphilus *Chronic. Ordin. Eremit. S. August.* p. 42. &c. Denique monemus lectorem non deesse, qui omnia Ægidii Romani opera Ægidio Corboliensi medico Gallo ascribunt; quâ de re utpote veri perquam absimili, & futili prorsus opinione conqueritur Theoph. Raynaudus *de bonis & malis libris* part. I. Erotem. 10. p. 122.

ARMANDUS DE BELLOVISU, natione Italus, patriâ Bononiensis, Ordinis Dominicani Monachus, sacri palatii Apostolici magister. Claruit circa annum 1296. alii multò recentiorem faciunt, & ad annum MCCCCXCVI. revocant. Ambrosius de Altamura tres Armandos de Bellovisu nobis sistit; primum Bononiensem nostrum, secundum Hispanum, an. 1235. clarum, mortuum circa annum 1340. Verùm sibi parùm constans eadem ferè opera utrique tribuit; denique tertium natione etiam Hispanum, Monachum Barcinonensem, & in Academia Bononiensi apud Dominicanos Regentem qui claruit an. 1530. cuique *Tractatum de Conceptione B. Virginis* ascribit. Verùm Nicolaus Antonius in nupera sua *Scriptorum Hispaniæ Bibliotheca* de ullo hujus nominis Scriptore penitùs siler. Fateor me veram Armandi ætatem ignorare. Extant ab eo Scripta, *Postilla in psalmos, Meditationes, preces* Mogunt. 1503. *Sermones* Brixiæ 1610. 4to. *explicatio terminorum difficilium tam in philosophia, quàm Theologia*, Ven. 1586. Wittemberg. 1623. 8vo. 1296.

RICOLDUS, quem alii RICHARDUM vocant, de Monte Crucis, natione Italus, patriâ Florentinus ordinis Benedictini Monachus, claruit an. MCCXCVI. Peregrinandi studio ductus, varias Orientis regiones peragravit, multa à Muhammedanis passus, linguas Syriacam & Arabicam accuratè didicit. Religionis Muhammedanæ & Ecclesiarum Orientalium statum diligenter perquisivit. Tandem à Pontifice Romano ad dubia quædam Fidei solvenda revocatus Florentiæ Octobr. XXXI. an. MCCCIX. ad sedes beatorum transiit. Muhammedis Alcoranum, dùm adhuc in Asiâ versaretur, ex linguâ Arabicâ Latinè transtulit, eique commentarium apposuit, stylo quidem impolito, & prout infœlix sæculi sors tulit, penè barbaro. In hoc Commentario, quem *Alcorani improbationem* inscripsit, errores & deliria Saracenorum, modumque quo adversus illos sit disputandum, præcipuè exponit. Ricoldi Commentarium Demetrius Cydonius Thessalonicensis posteà Græcè transtulit. Extat hæc Græca versio Biblioth. Vindob. *cod. Theol.* CCLXI. n. ii. *fol.* 119. p. 1 Demetrii versionem Bartholomæus Picenus de Monte arduo, purè magis atque eleganter, Latinè reddidit, 1296. P. II.

& Fer-

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. & Ferdinando Regi Aragoniæ nuncupavit. Utramque versionem Græcam & Latinam unà cum Alcorano edidit Joan. Oporinus *Basil.* 1550. Latinè prodiit *Parif.* 1511. *4to. Hispali* 1520. *Venet.* 1607. *4to.* Scripsit etiam Ricoldus librum ad Nationes Orientales, in quo de differentiis inter Hebræos, Gentiles, & Muhammedanos agit. Asservari hodiè MS. Florentiæ in Bibliothecâ S. Mariæ Novellæ testantur Michael Poccíantius *Catal. Script. Florent.* p. 156. & Altamura *Biblioth. Dominic. p.* 86. ad an. MCCCVI.

1297. ENGELBERTUS, natione Teutonicus, Ordinis Benedictini Monachus, & ab an. MCCXCVII. Admontensis Cœnobii in Styria Abbas, etiam anno MCCLXXIII. clarus, ut paulò serius quàm par erat, Possevinus illum ad annum 1340. referat. Extat *liber* ejus *de ortu, progressu, & fine Imperii Romani*, cui Philosophica quædam hinc inde immiscuit, à Gaspare Bruschio editus, *Basil.* 1553. *8vo.* & cum aliis Scriptoribus homogeneis, Joach. Clutenii cura, *Offenbachii* 1610. *8vo.* & in Bibliotheca Patrum T. XXV. p. 362.

Carmen Heroicum, seu *Panegyris in coronationem Rodulphi Habspurgensis*, an. 1273. scripta, in quavis ferè Historicorum Germanicorum collectione reperitur.

1299. SÆC. XIII. ab A. MCC. THOMAS WICKE, sive WICCIUS, gente Anglus, Monachus Augustinianus, sive Ordinis sancti Augustini, in Cœnobio Osneiensi Canonicus Regularis. Claruit an. MCCXCIX. Bonis artibus à pueritiâ imbutus, & Academiæ Oxoniensis vicinitate fretus, haud mediocrem sibi famam in literis comparavit; præcipuè Historiæ patriæ illustrandæ studio addixit animum. Scripsit *Chronicon Angliæ* ab adventu Conquestoris, id est, ab an. MLXVI. ad suam usque senectutem, & Edvvardi I. obitum ann. MCCCIV. In quo Opere Gulielmum Novoburgensem sibi imitandum proposuit. Hos annales nuper è tenebris eruit vir doctissimus, & de re literaria benè meritus T. G. ediditque inter *Historiæ Anglicanæ Scriptores* Tom. I. *Oxon.* 1687. f. Condidit item Wiccius *librum de Abbatibus Osneiensibus* à Cœnobii fundatione, id est, ab anno MCXXIX. usque ad annum MCCXC. Extitit Balei tempore, qui meminit etiam Poëmatum ejus *de commendatione Vini*, & *de increpatione Gulæ*; an verò adhuc supersint, mihi est incompertum.

SÆC. XIII.

Concilia hoc Sæculo habita.

1201. P. II. PARISIENSE I. anno MCCI Præsidente Pontificis Legato habitum. In quo Euraudus Miles, in rebus sæculi vir admodùm versutus, hæresis Bulgarorum reus, damnatus est, eapropter publicè exustus. Vide *Conc.* T. XI. Part I. pag. 24.

1201. P. II. MELDENSE in Galliâ Lugdunensi ann. MCCI. à Joanne Casemarii Abbate, sedis Romanæ Legato convocatum. Quo pro pace inter Joannem Angliæ, & Philippum Francorum Regem constituendâ, Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates qui aderant, diu multùmque laborârunt. Tandem cùm res ad nullum exitum perduci poterat, ad sedis Romanæ judicium appellatum est. Extant Innocentii III. ad Episcopos Galliæ *literæ*, & Joannis Legati ad Innocentium hâc de re *Responsoriæ* Conc. Tom. XI. Part. I. p. 27.

1206. P. II. LAMBETHENSE I. in Angliâ ad Thamesim fl. anno MCCVI. habitum. In quo Stephani Langtoni Archiepiscopi Constitutiones provinciales editæ sunt. Extant Constitutiones tres de modo dandi mortuarium, de potationibus & earum pœnis, déque missâ bis in die celebrandâ *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 30.

1206. P. II. RADINGENSE I. in agro Bercheriensi apud Anglos, anno MCCVI. à Joan. Ferentino, Pontificis Legato, habitum. Quid in hâc Synodo factum sit tacet Mat. Paris anno MCCVI. pag. 214. addit verò Joannem, Angliâ perlustratâ, magnam pecuniæ summam congessisse, & sarcinulis magnâ cautelâ dispositis, festinum ad mare pervenisse, & Angliam à tergo salutâsse. Certè nihil momenti actum esse satis innuere videtur M. Westmonasteriensis, qui eadem iisdem ferè verbis habet ad hunc annum p. 63. hoc insuper addens; Legatum post corrasam magnam pecuniæ summam, Concilium celebrâsse, ne nil aliud fecisse videretur.

1207. P. II. NARBONENSE I. in provinciâ scilicet Narbonensi, sed incerto loco, anno MCCVII. habitum. In quo de modo convertendi Albigenses agebatur. Rem narrat Vincent. Bellovac. Specul. Hist. lib. XXIX. cap. 93. & exindè *Conc.* T. XI. Part. I. p. 32.

1209. P. II. MONTILIENSE in provinciâ Narbonensi, an. MCCIX. viii. Id. *Septembr.* præsidente Milone sedis Apostolicæ Legato congregatum. In quo Raymundus Comes Tolosanus, summus Albigensium fautor, pœnitentiæ subjicitur, séque Ecclesiæ mandatis pariturum solenni juramento semet astringit. Extant hujus Synodi Acta *Conc.* Tom. XI. Part. I. pag. 35. Ubi formula juramenti, præcepta à Legato Raymundo data, aliaque plura hùc spectantia exhibentur.

1209. P. II. AVENIONENSE I. (urbs est ad Rhodanum fl. proprium Romanæ sedis in Galliâ Dominium) an. MCCIX. viii. Id. *Septembr.* ab Hugone Episcopo Rhegiensi, & Milone Pontificis Notario, Papæ Legatis celebratum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ ad corrigendos hominum mores hoc temporè miserè his præsertim partibus corruptos condita *Capitula* XXI. *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 41.

1209. P. II. PARISIENSE II. an. MCCIX. habitum. In quo Almaricus Carnotensis ejusque sectatores, ob novos quosdam articulos invectos damnantur. Ipse Almaricus dialecticâ peritiâ insignis, asserebat inter alia, quemlibet Christianum teneri credere se esse membrum Christi, nec sine hâc fide aliquem salvari posse, non minùs quàm si non crederet Christum esse natum & passum. Pomæria dilatarunt ejus discipuli, affirmantes, potestatem Patris viguisse, quamdiu duravit lex Mosaica; veniente Christo viguisse novam legem: Hâc finitâ, tempus Spiritûs Sancti incepisse, cessare jam Confessionem & Sacramenta, & unumquemque tantum per gratiam Spiritûs Sancti interiùs sine actu aliquo exteriori inspiratum salvari posse. In hâc etiam Synodo quidam Aristotelis libri, seu Physici, seu Metaphysici, aliique novi quorundam Theologorum hoc tempore publicati, prohibiti & exusti sunt. Extant Synodi Acta *Conc.* T. XI. Part. I. p. 49.

1210. P. II. AVENIONENSE II. ann. MCCX. præsente Milone Legato, habitum. In quo cives Tolosani quæ de expulsione hæreticorum polliciti fuerant, adimplere recusantes, excommunicati sunt, Comite

Digitized by Google

mite etiam Tolosano anathemate percusso, teste Petro de Valle Sarnensi, *Conc.* T. XI. Part. I. p. 53.

1210. P. II. TOLOSANUM I. in Villâ S. Ægidii, anno MCCX. ab Hugone & Theodisio Legatis Pontificiis coactum. In quo Raymundus Comes Tolosanus, ejusque fautores iterùm excommunicantur. Plura de hâc re habet Petrus de Valle Sarnensi. Vide *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 54. In conventu Narbonensi eodem anno habito, de ejusdem Comitis causâ iterùm tractatum est.

1210. P. II. ARELATENSE I. eodem anno, & de eâdem re, à Theodisio Pontificis Legato celebratum. In quo conditiones Reconciliationis Raymundo Comiti Tolosano factæ, ab eo rejectæ sunt. Extant *conditiones* propositæ *Conc.* Tom. XI. Part. II. in *Append.* p. 2329.

1210. P. II. ROMANUM I. an. MCCX. sub Innocentio III. Papâ habitum. In quo Otto IV. Imp. nuper coronatus, dùm varia Italiæ & Siciliæ loca Imperio asserere conatur, dignitate Imperiali privatur. Cui mox Germaniæ Electores Fridericum Siciliæ Regem subrogârunt. De hâc re agunt Chronographi passim, Urspergensis, Palmerius, Nauclerus, Trithemius, alii. Vide *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 56.

1212. P. II. PARISIENSE III. an MCCXII. à Roberto de Corceone Pontificis Legato celebratum. In quo plurima ad restituendam Ecclesiæ disciplinam constituta sunt. Extant *Canones* in IV. partes divisi. Prima ad Clericos sæculares, complectitur *Canones* XX. Secunda ad viros regulares, *Canones* XXVII. Tertia ad moniales, XXI. Quarta ad Archiepiscopum & Episcopos, XXI. Habentur *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 57.

1213. P. II. VAURENSE in Occitaniâ sub Archiepiscopo Tolosano ad Acutum fl. an. MCCXIII. congregatum. In quo Petri Aragonum Regis Raymundum Tolosanum protegentis, ipsiusque Raymundi causâ prolixè examinatâ, res tota ad ipsius Pontificis cognitionem ultimò refertur. Extant hujus Concilii Acta prolixa ex Petro de Valle Sarnensi ut plurimùm desumpta *Conc.* Tom. XI. Part. I. pag. 81. confer etiam Concil. Hisp. Tom. III. pag. 480. Eodem anno habita est Synodus ad Murellum Castrum apud Garonam fl. propè Tolosam situm, ad placandum Petrum Aragoniæ Regem, qui arma jam movere cœperat. Extat *Epistola* Synodalis ibid. p. 99. Quin & an. MCCXII. mense *Novembri* habitus est Episcoporum Procerumque Conventus Apamiensis ad Simonis Monfortii ditionem bonis moribus ac legibus temperandam; de quo Conc. *ibid.* p. 80.

1214. P. II. DUNSTAPLIENSE in Angliâ ann. MCCXIV. à Stephano Archiepiscopo Cantuariensi ejusque Suffraganeis coactum. In quo, Legato Pontificio Episcopos minùs idoneos ad sedes vacantes promovente, nec huic rei remedium adhibere volente, Stephanus Cantuariensis, & cæteri Espicopi in Synodo congregati, interpositâ appellatione, ad Pontificem provocârunt. Vide Mat. Paris. ad annum MCCXIV. p. 247.

1214. P. II. LONDINENSE I. anno MCCXIV. à Nicolao Tusculano Pontificis Legato coactum. In quo Joannes Rex Angliæ (quem Innocentius Pontifex, quòd Stephanum Langtonum ad sedem Cantuariensem electum suscipere nollet, Regno exuerat, executione Philippo Francorum Regi demandatâ) submissione Pontifici factâ, ab interdicto & depositione absolutus est. Vide M. Paris. loc. citat. p. 249.

1214. P. II. MONSPELIENSE I. à Petro Beneventano Pontificis Legato anno 1214. vel ut alii, 1215. congregatum. In quo Raymundi Tolosani ditio Simoni Montis-fortis Comiti concessa est: Extant Acta & disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* XLVI. apud Petr. de Valle Sarnensi in *Hist. Albigens.* & *Conc.* Tom. XI. Part. I. pag. 103. *Epistola* Legati Apostolici de hâc Synodo convocandâ habetur *Conc.* Tom. XI. Part. II. in *Append.* pag. 231. Hujus Concilii Canones edidit Petrus Gariellus in *serie Episcoporum Magalonensium,* sed mutilos & mendosos, quos proindè ex vetere codice MS. Andegavensi extulit Steph. Baluzius *Conc. Gall. Narb.* pag. 40. sed aliter planè divisos & dispositos quàm in Editione Labbeanâ habentur. Quod & in *Appendice* ipsi monent Conciliorum Editores.

LATERANENSE IV. generale, an. MCCXV. Cal. *Novem.* sub Innocentio III. Papâ celebratum. 1215. P. II.
Aderant, præter cujuscunque penè regionis Oratores Regios, & absentium Procuratores ferè infinitos Episcopi *CCCCXII.* & in his Patriarchæ *II.* Constantinopolitanus nempe & Hierosolymitanus, sed Latinus uterque, Primates, & Metropolitani *LXXI.* Abbates & Priores plusquàm *DCCC.* Et primò quidem Fides Catholica adversùs varias hæreses explicatur; damnantur Albigensium, Almarici, aliorumque errores, deque iis coercendis, puniendis, & per vim sæcularem exterminandis statutum est. Damnatus est Joachimi Abbatis de unitate SS. Trinitatis contra P. Lombardum liber, pleraque de Græcis ad Ecclesiæ Romanæ fidem revertentibus, deque diversis disciplinæ Ecclesiasticæ capitibus sancita. Denique haud pauca privilegia pro recuperandâ Terrâ Sanctâ militantibus concessa, adhibito etiam consilio de Ordine Dominicanorum instituendo, ipsomet Dominico jam tùm præsente. Extant Acta hujus Concilii & *Canones* LXX. Græcè simul & Latinè editi, & alia quædam quæ ad hanc Synodum pertinent, *Conc.* Tom. XI. Part. I. pag. 117.

MELODUNENSE I. in Briâ sub Archiepiscopo Senonensi an. MCCXVI. à Petro Archiepiscopo, occasione Ludovici Philippi Francorum Regis filii, qui Angliam, prohibente Papâ, ingenti exercitu invaserat, habitum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ constitutiones sive *Capitula* VII. *Conc.* Tom. XI. Part I. p. 241. 1216. P. II.

OXONIENSE an. MCCXVII. à Stephano Cantuariensi pro reformandâ Ecclesiâ Anglicanâ congregatum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* XLIX. *Concil. Brit.* Tom. II. pag. 181. & *Conc.* T. XI. Part. I. pag. 271. In hoc Concilio impostor quidam qui quinque crucifixionis vulnera, lateri, manibus, pedibusque impressa habebat, aliusque nebulo Hermaphroditus ejus fautor, publicè convicti, & errores confessi puniti sunt. Hæc refert Mat. Westmonast. ad an. MCCXXII. pag. 85. Vide quæ hâc de re ex MS. Vaticano habet Bzovius ad hunc annum, num. xx. 1217. P. II.

SARISBURIENSE eodem anno à Richardo Episcopo cum Clero suo post Synodum Oxoniensem habitum. Extant Constitutionum Synodalium de disciplinâ Ecclesiasticâ *Capitula* LXXXVII. *Concil. Brit.* Tom. II. p. 137. & *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 247. Habentur etiam apud Spelmannum pag. 161. Richardi Dunelmensis Constitutiones Synodales, sed quæ, mutato tantùm quorundam capitulorum ordine & resectis XIII. postremis capitulis, eædem omninò sunt; ac proindè ab iis acceptas, & in Synodo Dunelmensi confirmatas esse constat. 1222. P. II.

PARISIENSE IV. anno MCCXXIII. à Conrado Portuensi Episcopo Papæ Legato habitum. Albigensibus Bartholomæum quendam Antipapam in finibus Bulgarorum sibi constituentibus, Episcopi in hâc Synodo congregati hanc rem examinâsse videntur. Vide M. Paris ad an. MCCXXIII. Extat *Epistola* Synodalis ad Archiepiscopum Rotomagensem *Conc.* Tom. XI. Part. I. pag. 288. Anno sequenti eodem loco habita est altera Synodus in causâ 1223. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. causâ Raymundi Comitis Tolosani, ut & Monspeliensis in eâdem causâ. Anno etiam MCCXXV. tres Synodi præcipuè de Regni negotiis Parisiis coactæ sunt. De his omnibus vide *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 289. 290.

MONSPELIENSE II. ann. MCCXXIV. habitum.
1224. P. II. In quo Raymundus Tolosanus, aliique, de obedientiâ Romanæ Ecclesiæ præstandâ, deque injuriis resarciendis juramentum dederunt. Extant juramenti formula & Amalrici Montis-fortis ad Synodum literæ, ne pacem cum Raymundo faciant *Conc.* Tom. XI. Part. II. in *Append.* pag. 2333. Ediderat anteà Steph. Baluzius *Conc. Gall. Narbon.* p. 58.

MELODUNENSE II. ann. MCCXXV. in Octa-
1225. P. II. vis omnium Sanctorum habitum. In quo de Fori Ecclesiastici jurisdictione & aliis nonnullis; de pace item inter Reges Angliæ, nec non de negotio Albigensium, actum est. Vide *Conc.* Tom. XI. Part. I. pag. 290.

1225. P. II. BITURICENSE I. ann. MCCXXV. prid. Cal. *Decemb.* in festo S. Andreæ congregatum. In quo de Raymundo Comite Tolosano ditioni suæ restituendo agitur. Extant Acta in Chronico Turonensi MS. & exinde *Conc.* Tom. XI. Part I. pag. 291. Pleniùs multò de hoc Concilio agit Matth. Paris ad an. MCCXXVI.

GERMANICUM Moguntiæ, ut videtur, anno
1225. P. II. MCCXXV. IV. Id. *Decembr.* à Conrado Portuensi Pontificis Legato contra Simoniacos & concubinarios Clericos habitum. Extant de his aliisque *Capitula* 14. Binii & Cossartii notis illustrata *Conc.* T. XI. Part. I. p. 295.

PARISIENSE V. an. MCCXXVI. à Legato Pon-
1226. P. II. tificio contra Albigenses per Cruce-signatos exterminandos coactum. Altera etiam Synodus seu Conventus, eodem anno, & de eâdem re ibidem habitus est. Vide quæ ex Turonensi Chronico habentur *Conc.* Tom. XI. Part. I. pag. 300. Unde etiam discimus, Concilium Cremonæ ab Imperatore eodem tempore fuisse congregatum de hæreticorum per Italiam extirpatione. Sed Italis illum recipere recusantibus, res in fumum abiit.

FUXENSE in diœcesi Apamiensi anno 1226. ha-
1226. P. II. bitum. In quo Comes Fuxensis pœnitentiam præ se ferens, ab hæresi, uti vocatur, excommunicatione, omnibusque sceleribus eatenùs perpetratis absolvitur. Hæc Annales Fuxenses *Conc.* Tom. XI. Part. I. pag. 302. Hoc ipso anno Concilium Leodii habuit Legatus Pontificius, quo Episcopi Monasteriensis & Osnabrugensis, Friderici (à quo S. Engelbertus interfectus fuerat) fratres, suspensi sunt, & ad Romani Pontificis judicium remissi.

WESTMONASTERIENSE an MCCXXVI. præ-
1226. P. II. sente Ottone Pontificis Legato coactum. In quo, Honorio III. Papâ duarum Præbendarum obventiones per literas petente, Synodus re examinatâ, & tacitè notatâ Romanorum avaritiâ, eam in medio reliquit, omnibus affirmantibus hæc universum orbem Christianum respicere, & cùm constiterit, quomodò erga tales exactiones se habuerint alia Regna, tùm demùm se in obsequiis suis fore promptiores. Extant hujus Synodi Acta apud M. Paris ad an. MCCXXVI. pag. 328. 331. An. MCCXL. habitus est Northamptoniæ præsente Pontificis Legato Episcoporum Abbatumque conventus. In quo de novâ quâdam pecuniæ exactione, omnibus sæculis inauditâ & execrabili, (Matthæi Paris verbis utor) per Petrum Rubeum Pontificis Quæstorem ad hanc ipsam rem in Angliam missum excogitatâ, querelam instituunt, & post varias hinc inde disceptationes, modestè rejiciunt. Rem gestam prolixè enarrat idem Matthæus ad annum MCCXL. p. 533. &c.

1227. P. II. NARBONENSE II. anno MCCXXVII. tempore

Cave Hist. Lit.

Quadragesimæ à Petro Archiepiscopo Narbonensi habitum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* XX. de excommunicatis, perjuris, Judæis coercendis, condendis testamentis &c. *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 304. SÆC. XIII. ab A. MCC.

ROMANUM II. an. MCCXXVIII. sub Gregorio 1228.
IX. Papâ congregatum. In quo Fridericus Imp. ob P. II.
votum de expeditione in Terram Sanctam suscipiendâ non solutum, in Cœna Domini anathemate perculsus est. Extat hâc de re Gregorii IX. ad Episcopos Apuliæ *Epistola* Conc. T. XI. Part. I. p. 413.

BASSEGIENSE sive Conventus Ecclesiastico- 1228.
politicus, anno 1228. Bassegiæ inchoatus, Meldis P. II.
continuatus, Parisiis absolutus. In quo Raymundus Comes Tolosanus, in gratiam Ecclesiæ & Ludovici Regis receptus est. Extant horum Conventuum Acta *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 414. Verùm cùm Raymundus pacta sua non rectè observaverit, in Conventu Melodunensi, an. 1232. habito, hac de re cum eo expostulatum est. Vide *ibid.* p. 448.

TOLOSANUM II. an 1229. mense *Novembri*, 1229.
præsidente Romano S. Angeli Cardinale Pontificis P. II.
Legato, de inquirendis Hæreticis, de libris S. Scripturæ à Laicis non habendis, de libertatibus Ecclesiarum, déque aliis Ecclesiasticæ disciplinæ capitibus coactum. Extant *Capitula* 45. Conc. Tom. XI. Part. I. p. 427.

TURIASONENSE apud Hispanos in villâ quâ- 1229.
dam Aragoniæ, ab Episcopis *XII.* præside Joanne P. II.
Cardinale Pontificis Legato, an. 1229. iii. Cal. *Maii* de dissolvendo Jacobi Regis & Eleonoræ matrimonio congregatum. Decreverunt Patres matrimonium bona quidem fide initum fuisse, sed ob propinquitatem cognationis solvendum esse, servatâ nihilominùs Alphonso filio, quem ex Eleonorâ susceperat Ferdinandus, legitimâ in regnum successione. De hâc re agunt Scriptores Hispani, quos vide apud Spondanum ad annum MCCXXIX. & Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. ad annum 1229 pag. 492.

TARRACONENSE. Plura erant circa hæc 1230.
tempora Concilia Tarraconensia, quibus levi di- & seqq.
gito simul ac semel defungemur, neque enim tanti sunt, ut iis enarrandis sigillatim immoremur. I. *Tarraconense* an. 1230. habitum. Quid verò in eo gestum sit nescitur II. an. 1239. xiv. Cal. *Maii*, de Clericis negotiis sæcularibus se non immiscendis, & de Sepulturâ Ecclesiasticâ incendiariis & raptoribus non concedendâ; nec quis duas Canonicas seu præbendas in diversis Ecclesiis obtineat. III. an. 1240. de cruce Archiepiscopi Toletani per provinciam Tarraconensem non portanda. IV. an. 1242. contra Valdenses hæreticos. Vide ad hunc annum. V. eodem anno, quo statutum, ut Episcopi & eorum Officiales justitiam gratis reddant, ut nullus sacerdos plures Missas in uno die celebret, præterquàm in Natali Domini. VI. an. 1244 VII. an. 1246. VIII. an. 1247. IX. an. 1248. X. an. 1253. de Excommunicatis absolvendis. XI. an. 1279. ad procurandam Raymundi de Penna-forti Canonizationem. De his omnibus, nullius penè momenti, & quorum vix memoria superest, breviter agunt Baluzius *Marca Hispanica* lib. 4. & Aguirrius *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 495. 496. 498. 502. 504. 505. 523.

GONTERIENSE I. anno 1231. à Turonensi Ar- 1231.
chiepiscopo ejusque Suffraganeis, apud Castrum P. II.
Gonterii habitum. Extant de disciplinâ Ecclesiasticâ nempe *de Matrimoniis clandestinis*, *de causis Matrimonialibus*, *de modo instituendi Rectores Ecclesiarum*, *de residentiâ Rectorum*, *procurationibus*, &c. Canones 37. Conc. Tom. XI. Part. I. p 439.

RHEMENSE I. apud S. Quintinum an. 1232. ha- 1232.
bitum. In quo Milonis Bellovacensis jura à Rege P. II.
ablata ei asseruntur, & vindicantur. Vide Spon-

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab. A.MCC. dan. ad annum 1231. Alia Concilia de hâc re eodem circiter tempore habita sunt. De quibus vide *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 445. In Conventu etiam Melodunensi hoc anno de Pace malè observatâ cum Comite Tolosano expostulatum est, ut suprà observavimus.

1233. P. II. BITERRENSE I. an. 1233. à Valthero Pontificis Legato celebratum. Extant quæ ad disciplinam Ecclesiæ spectant *de hæreticis, eorumque fautoribus singulis Dominicis excommunicandis, de S. Ordinibus suscipiendis, de patronis* Ecclesiarum, &c. *Capitula* 26. *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 452.

1233. P. II. NYMPHÆENSE in Bithyniâ, anno 1233. mense *April.* coactum. In quo de concordiâ Græcorum cum Latinis, præsertim in dogmate de processione Spiritûs S. frustrà actum est. Extant utrinque scripta, *Confessiones* nempè *fidei, & Epistola Synodalis* Conc. Tom. XI. Part. I. p. 461. *Confessio* Græcorum habetur etiam Græcè Part. II. in *Append.* pag. 2336.

1233. P. II. MOGUNTINUM I. à Conrado Moguntino Archiepiscopo an. 1233. coactum. In quo Stadingorum (qui variorum & detestandorum criminum accusati fuerunt) hæresis non ita pridem in Germaniâ orta damnata est. Vide quæ ex *Append.* ad Schaffnab. ad an. 1232. notant Editores Conciliorum T. XI. Part. I. p. 478.

1234. P. II. ARELATENSE II. an. 1234. vi. Id. *Julii* à Joanne Archiepiscopo & Suffraganeis suis congregatum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *de statutis Concilii Lateran. IV. diligenter observandis, de Episcopis per se & alios prædicantibus, de Hæreticis,* &c. Canones 24. *Conc.* Tom. XI. Part. II. in *Append.* pag. 2340.

1234. P. II. SPOLETANUM aliis ROMANUM an. 1234. habitum. In quo pro expeditione in Terram S. suscipiendâ, pecunia ex indulgentiis undique corradenda concessa est. Vide *Conc.* T. X. Part. I. p. 481.

1235. P. II. NARBONENSE III. an. 1235. à P. Amelio, Archiepiscopo & trium provinciarum Episcopis collectum. In quo, jubente Pontifice, Fratribus prædicantibus, hæreticæ pravitatis inquisitoribus constitutis, consilia & præcepta data sunt quomodò in munere obeundo adversùs hæreticos se gerere debeant. Extant in hunc finem *Capitula* 29. *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 487.

1235. P. II. MOGUNTINUM II. an. 1235. habitum. In quo absoluti Stigandi hæretici; & qui Conradum Marpurgensem interfecerant, ad Sedem Apostolicam; nullâ inflictâ pœnâ, remissi. Extant hâc de re Gregorii IX. *Epistolæ* II. *Conc.* T. XI. Part. II. in *Append.* p. 2345.

1235. P. II. RHEMENSE II. apud. S. Quintinum an. 1235. habitum. In quo Episcopi pro variis negotiis ad Ecclesiæ Rhemensis jura & libertates pertinentibus Regem factâ supplicatione interpellârunt. Extant Acta & *Supplicatio* Conc. Tom. XI. Part. I. pag. 501. Eodem anno aliud Rhemense Concilium ab iisdem Episcopis & de eâdem re *Compendii* habitum est. Vide *ibid.* p. 505.

1236. P. II. TURONENSE I. an. MCCXXXVI. à Juhello Archiepiscopo coactum. Extant Ecclesiasticæ disciplinæ *de Cruce-signatis enormis delicti reis; de Advocatis, Notariis, Sortilegiis, falsis Testibus, de conversis, Hospitalitate,* &c. *Capitula* XIV. Conc. Tom. XI. Part. I. p. 503.

1237. P. II. LONDINENSE II. an. MCCXXXVII. ab Ottone Papæ Legato congregatum. In quo pro reformandâ Ecclesiâ Anglicanâ edita sunt Decreta sive *Capitula* XXXI. nempè *de Ecclesiarum dedicatione, de Sacramentis, Sacerdotibus, Clericis,* &c. Extant hujus Synodi Acta & Decreta apud Mat. Paris. ad an. MCCXXXVII. p. 446. Exinde apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 218. & *Conc.* Tom. XI. Part. I. pag. 530. Supersunt etiam Episcopi cujusdam Anonymi constitutiones Synodales circa hæc tempora editæ, *de Baptismo, Confirmatione, Sacramento Altaris, aliisque Sacramentis, de statu Monachorum & Regularium, de Decimis, Excommunicatione, Archidiaconis, Cruce signatis*: & *de Ebrietate & Sobrietate,* &c. habentur apud Spelman. *Conc. Brit.* T. II. p. 230. & *Conc.* T. XI. Part. I. p. 544. SÆC. XIII. ab A. MCC.

CAMPINIACENSE apud. Gallos, ann. MCCXXXVIII. à Gerardo Archiepiscopo Burdigalensi & Suffraganeis suis congregatum. Extant de disciplinâ Ecclesiasticâ viz. *de Excommunicatis, de Vicariis non restituendis, de causis Matrimonialibus; de vestibus Regularium, de vitâ & honestate Monachorum,* &c. *Capitula* XXXVIII. *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 557. 1238. P. II.

TURONENSE II. an. MCCXXXIX. à Juhello Archiepiscopo & suffraganeis suis coactum. De disciplinâ Ecclesiasticâ agunt quæ constituta sunt *Capitula* XIII. viz. *quòd in quâlibet parochiâ sint tres, qui de scandalis requisiti, dicant veritatem; de vestibus Sarcerdotum, de Excommunicatione,* &c. Habentur Conc. T. XI. Part. I. p. 566. 1239. P. II.

RHEMENSE III. apud S. Quintinum anno MCCXXXIX. ab Henrico Archiepiscopo & Suffraganeis suis, pro Clericorum & Canonicorum libertatibus vindicandis habitum. Extant Acta & Decreta *Conc.* T. XI. Part. I. p. 568. Anno sequenti Synodum *Meldensem* coegit Jacobus Prænestinus Cardinalis & Legatus, in qua Achiepiscopos & Episcopos obtestatus est, ut Romam cum ipso irent, adversùs Fredericum Imperatorem apud Papam acturi *ibid.* p. 57. 1239. P. II.

WIGORNIENSE an. MCCXL. à Waltero Episcopo habitum. Extant ex MS. cod. Cottoniano, de disciplinâ & moribus Ecclesiæ, *de Ornamentis Ecclesiarum; de Consecratione Cœmeterii; de Baptismo, Confirmatione, Matrimonio,* &c. Constitutiones sive *Capitula* LIX. apud Spelm. *Conc. Brit.* T. II. p. 240. & *Conc.* T. XI. Part. I. p. 573. 1240. P. II.

GUIDONENSE ad Meduanam fl. in Cenomaniâ, an. MCCXLII. à Juhello Archiepiscopo & Suffraganeis apud valium Guidonis habitum. Acta perierunt: extant disciplinæ Ecclesiasticæ *de statu regularium, de jurisdictione Archidiaconorum, Archipresbyterorum, & Decanorum,* &c. *Capitula* IX. *Conc.* T. XI. Part. I. p. 590. 1242. P. II.

TARRACONENSE I. præsidente Archiepiscopo Tarraconensi præsente Raymundo de Pennaforti, Domini Papæ Pœnitentiario, an. MCCXLII. congregatum. In quo contra VValdenses Hæreticos, in Aragoniam irrumpentes, eorumque occultatores, fautores & defensores actum est, præscriptâ formulâ in illos inquirendi, puniendi, & ubi redierint ad Ecclesiam recipiendi. Extant hujus Synodi Acta *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 592. *Conc. Hisp.* T. III. p. 496. & apud Bzovium ad hunc annum. Anno etiam MCCXLIV. altera Synodus Tarraconensis habita videtur, cujus supersunt fragmenta quædam nondùm edita. 1242. P. II.

OTHONIENSE in Daniâ, an MCCXLV. adversus Bonorum Ecclesiasticorum prædatores, & contemptores ceremoniarum congregatum. Vide Jo. Pontan. *Hist. Dan.* lib. VII. 1245. P. II.

LUGDUNENSE I. generale I. an. MCCXLV. IV. Cal. *Jul.* præsente Innocentio IV. Papa, in Templo maximo celebratum. Interfuerunt præter Abbates, & inferioris ordinis viros Ecclesiasticos, Cardinales plurimi, & Episcopi *CXL.* Aderat & Latinorum Imperator Constantinopolitanus cum suis Latinis Patriarchis Constantinopolitano & Antiocheno. In hoc Concilio Pontifex novum anathematis fulmen in Fredericum Imperatorem vibravit; omnique honore & dignitate Imperiali exauctoratum 1245. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. auctoravit; Concilii etiam Lateranensis Decreta de bello contra Turcas in Palæstinâ gerendo renovata sunt; multa de subsidio Imperatori Constantinop. mittendo, de Tartaris coercendis, de Crucesignatis, sunt constituta. Ut de Ecclesiasticâ disciplinâ nihil dicam. Extant hujus Synodi Acta, *Capitula* XVII. & alia IX. & *Epistolæ* plures ad hoc Concilium spectantes, *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 633. 671. In hâc Synodo Galerus rubrus, dignitatis Cardinalitiæ insigne, primùm, ni fallor, institutus est.

1246. P. II. ILERDENSE an. MCCXLVI. præsidente Petro Ablatio Archiepiscopo Tarraconensi, præsente etiam magnâ Procerum catervâ habitum. Quo Arragoniæ Rex ob causam Berengarii Episcopi Gerundensis (cui linguam præscindi jusserat) & Violantis Reginæ, quam repudiaverat, excommunicatus (omni ejus regno interdicto subjacente) eâ lege absolutus est, ut monasterium Benefacianum jam anteà inchoatum ad umbilicum perduceret, & reditibus dotaret. Quod & factum est, & Monachi Cistercienses in eo collati. Baluzius *Marca Hisp.* lib. IV. & *Conc. Hisp.* T. III. p. 503.

1246. P. II. LANCICIENSE I. in Polonia an. MCCXLVI. habitum in quo Conradi Ducis Mazoviensis ob bona Ecclesiæ spoliata excommunicatio confirmatur. Vide *Conc.* T. XI. Part. I. p. 675. & notam de tempore, quam subnexuit Cossartius.

1246. P. II. BITERRENSE II. anno MCCXLVI. XIII. Cal. *Jul.* à Gulielmo Archiepiscopo Narbonensi cum suis Suffraganeis habitum. De disciplinâ Ecclesiasticâ nempe *de Hæreticis iisque à laicis perquirendis*; *de Divino Officio in ruralibus Ecclesiis*; *de Judæis*, &c. extant *Capitula* XLVI. ejusdemque Synodi consilium, *qualiter sit in inquisitione procedendum contra hæreticos* XXXVII. capita complexum *Conc.* T. XI. Part. I. p. 677.

1248. P. II. SCHENINGENSE apud Ostrogothos in Sueciâ, an. MCCXLVIII. à Gulielmo Papæ Legato habitum. In quo Sacerdotum (qui Ecclesiæ Græcæ morem ductis uxoribus his in partibus sequebantur) conjugia damnata & prohibita sunt. Vide Joan. Magn. in Hist. Goth. lib. XIX. cap. 15.

1248. P. II. VALENTINUM in Gallia, an. MCCXLVIII. à duobus Cardinalibus, & quatuor provinciarum Episcopis, pro fide, pace, ac libertate Ecclesiæ celebratum. *Capitula* quæ edita sunt, solummodò ad Ecclesiæ disciplinam spectant, numer. XXIII. habentur *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 696.

1248. P. II. URATISLAVIENSE I. ad Viadrum fl. in Silesiâ, an. MCCXLVIII. præsidente Jacobo Archidiacono Leodiensi Pontificis Legato habitum. In quo quinta redituum Ecclesiasticorum pars ad relevandas Sedis Apostolicæ angustias, Pontifici ad triennium concessa est Vide, Matth. Michov. Hist. lib. III. c. 51. & exinde *Conc.* T. XI. Part. I. p. 702.

1251. P. II. INSULANUM I. ad Villam Comitatus Vindaschini in Provinciâ, an. MCCLI. à Joanne Archiepiscopo, & provinciæ Arelatensis Episcopi habitum. De disciplinâ Ecclesiasticâ, viz. *de Inquisitione Hæreticorum*; *de Decimis*; *de clandestinis Matrimoniis*, &c. agunt *Canones* XIII. qui extant *Conc.* T. XI. Part. II. in *Append.* p. 2349.

1252. P. II. EBORACENSE circa annum, ut videtur, MCCLII. à Waltero Archiepiscopo coactum. In quo controversiæ quædam inter Sacerdotes hujus provinciæ eorumque parochianos de ornamentis Ecclesiæ exortæ, terminatæ & decisæ sunt. Extat Decretum apud Spelman. T. II. p. 290. & *Conc.* T. XI. Part. I. pag. 705. Huic Synodo utrobique ejusdem Walteri Gray Constitutiones provinciales anno MCCL. editæ præmittuntur.

1252. P. II. SENONENSE II. anno MCCLII. à Gilone Archiepiscopo Senonensi habitum. In quo monetur

Cave Hist. Lit.

Theobaldus Navarræ Rex, ut bonis Ecclesiæ quæ invaserat, cederet. Extat ipsa monitio *Conc.* T. XI. Part. I. p. 706. SÆC. XIII. ab A. MCC.

RAVENNATENSE I. an. MCCLIII. exeunte mense *Aprili* à Philippo Archiepiscopo unà cum Suffraganeis suis contra rerum Ecclesiasticarum invasores coactum. Acta extant apud Rubeum, Hist. Rom. lib. IV. p.... 1253. P. II.

SALMURIENSE I. an. MCCLIII. à Petro Turonensi Archiepiscopo coactum. Actis deperditis extant disciplinæ Ecclesiasticæ *de celebratione Divinorum officiorum*; *de custodiâ Sacramentorum*; *de Archidiaconis*, *Archipresbyteris*, *& Decanis ruralibus*, *ad Ordines promovendis*; *de Procurationibus*; *de Commendis Ecclesiarum*, &c. *Capitula* XXXIII. *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 707. 1253. P. II.

GONTERIENSE II. apud Castrum Gonterii à Petro Archiepiscopo & suffraganeis suis, anno MCCLIII. congregatum. Extat tantummodò canon unicus *de abusoribus literarum Apostolicarum* Conc. T. XI. Part. I. p. 715. 1253. P. II.

ALBIENSE (urbs est Episcopalis sub Archiepiscopo Bituricensi) an. MCCLIV. ab Episcopo Avenionensi Pontificis Legato plurimisque Narbonensis, Bituricensis, & Burdegalensis Provinciarum Episcopis habitum. Extant de hæreticis eorumque casibus variis, & de disciplinâ Ecclesiæ *Capitula* LXXI. *Conc.* T. XI. Part. I. p. 720. 1254. P. II.

BURDEGALENSE I. an. MCCLV. à Gerardo Archiepiscopo pro disciplinâ Ecclesiasticâ congregatum. Extant *Capitula* XXX. *de Clericis habentibus Ecclesias*; *de Quæstoribus*; *de Presbyteris alterius diœcesis*; *de Decimis & Primitiis*; *de Statutis confratriarum*, &c. *Conc.* T. XI. Part. I. p. 730. 1255. P. II.

COPRINIACENSE I. (idem quod Campinacense) in diœcesi Burdigalensi anno circiter MCCLV. à Geraldo Archiepiscopo habitum. Extant, sed ex aliorum Conciliorum Canonibus ut plurimùm desumptæ, Constitutiones Synodales XXXIX. *de alienis Parochiis*; *de injectoribus manuum in Clericos*; *de Excommunicatis*; *de Concubinis Sacerdotum*, &c. *Conc.* T. XI. Part. I. p. 746. 1255. P. II.

BITERRENSE III. in Galliâ Narbonensi, an. MCCLV. VIII. Id. *Maii* habitum. In quo subsidium ad expugnandos hæreticos in Castro de Querbus obsessos, Seneschallo Regio concessum est. Extant Acta *Conc. Gall. Narbon.* p. 64. & exinde *Conc.* T. XI. Part. I. p. 753. 1255. P. II.

DUNELMENSE I. in Anglia Boreali, anno circiter MCCLV. à Waltero Episcopo coactum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ LI. ex cod. MS. Dunelmensi apud Spelm. *Constitutiones* in hâc Synodo editæ, *Concil. Brit.* T. II. p. 293. & *Conc.* T. XI. Part. I. p. 760. 1255. P. II.

NORWICENSE anno MCCLV. à Waltero Episcopo Norwicensi habitum, de liberâ dispositione primorum fructuum. Extat constitutio hâc de re facta ex Cod. MS. apud Spelm. *Conc. Brit.* T. II. p. 301. & *Conc.* T. XI. Part. I. p. 768. 1255. P. II.

DANICUM an. MCCLVII. coactum, in quo Episcoporum libertati & securitati contra laicorum injurias prospectum est. Extant hâc de re Constitutiones Synodales IV. *Conc.* T. XI. Part. I. 772. Eodem anno Synodum Lanciciensem coegit Fulco Gnesniensis Episcopus ad Presbyteros duos, quos in carcerem conjecerat Boleslaus Silesiæ Dux, è captivitate liberandos. Vide Cromer. L. IX. & *Conc.* T. XI. p. 773. 1257. P. II.

MERTONENSE I. anno MCCLVIII. in festo S. Bartholomæi, præsidente Bonifacio Archiepiscopo habitum, "ad quassandam scilicet Decimam "totius Ecclesiæ Anglicanæ, per Alexandrum Papam concessam, ut verba se habent vet. MS. apud 1258. P. II.

Kkk 2 Spelm.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A.MCC. Spelm. *Conc. Brit.* T. II. p. 304. & *Conc.* Tom. xi. Part I. p. 773.

1258. P. *II.* ROFFIACENSE in diœceſi Pictavenſi anno MCCLVIII. xII. Cal. *Sept.* præſidente Giraldo Burdigalenſi Archiepiſcopo congregatum. Extant Eccleſiaſticæ diſciplinæ *Capitula* X. *Conc.* Tom. xi. Part I. pag. 774.

1258. P. *II.* MONSPELIENSE III. an. MCCLVIII. viii. Id. *Septembr.* à Jacobo Archiepiſcopo Narbonenſi cum ſuffraganeis ſuis coactum. Extant de diſciplinâ Eccleſiaſticâ *Capitula* VIII. *Conc.* Tom. xi. Part. I. p. 778.

1259. *P. II.* SCOTICUM ſeu PERTHENSE an. MCCLIX. præſente Alexandro, Perthi habitum. In quo edita ſunt ſtatuta Provincialia, quæ ſuo etiam tempore in Eccleſiâ obſervata fuiſſe teſtatur Hector Boethius Hiſt. lib. XIII. fol. 284. Vide Spelm. T. II. p. 304. & *Conc.* Tom. xi. Part. I. p. 782. Quænam verò fuerint hæc ſtatuta, nos latet.

1260. *P. II.* COLONIENSE I. anno MCCLX. à Conrado Archiepiſcopo congregatum. Extant diſciplinæ Eccleſiaſticæ, *de manifeſtâ cohabitatione Clericorum & Mulierum*; *de Clericorum negotiatione*; *de inſufficientiâ ſcientiæ, quæ eſt illiteratura Clericorum*; *de Clericis Simoniacis*, &c. *Capitula* XIV. *Conc.* T. xi. Part. I. p. 781. Subjiciuntur ejuſdem Conradi de Monachis & eorum converſatione ſtatuta XXVIII. *ibid.* p. 792.

1260. *P. II.* ARELATENSE III. anno MCCLX. à Florentino Archiepiſcopo cum Suffraganeis ſuis collectum. Damnatâ Canone I. Joachimi Abbatis ejuſque Sectatorum doctrinâ, extant diſciplinæ Eccleſiaſticæ *de baptizandis parvulis in neceſſitate*, *de Confirmationis Sacramento non niſi jejunis, & à jejunis tribuendo*; *ut in Eccleſiis ſemper reſideant ſaltem Vicarii*, &c. *Canones* XVII. *Conc.* Tom. xi. Part. II. p. 2359.

1260. *P. II.* PARISIENSE VI. an. MCCLX. Dominicâ in Paſſione de propitiando Deo adverſus Tartarorum & Saracenorum irruptiones habitum. Unde ſancitum eſt, Orationes eſſe multiplicandas, Proceſſiones faciendas, blaſphemias in Deum puniendas, peccata & ſuperfluitates Cibariorum ac Veſtium reprimendas. De hâc re vid. Guil. Mangiac. in Vit. Ludovic. *Conc.* Tom xi. part. I. p. 793.

1260. P. *II.* COPRINIACENSE II. an. MCCLX. à Petro Burdigalenſi Archiepiſcopo pro diſciplinâ Eccleſiaſticâ coactum. Extant Conſtitutiones ſive *Capitula* XIX. *de Vigiliis in Eccleſiis vel Cœmeteriis non faciendis*; *de Commendis Eccleſiarum vacantium*; *de Jure patronatûs*; *de Decimis*; *de Sepulturis*, &c. *Conc.* Tom. xi. Part. I. p. 799.

1261. P. *II.* LAMBETHENSE II. an. MCCLXI. à Bonifacio Cantuarienſi congregatum. In quo ad avertendas Tartarorum ad populum Chriſtianum irruptiones, ſolennes proceſſiones, & ſupplicationes apud Deum factæ ſunt. Extant de variis caſibus conſtitutiones plures ex vet. cod. MS. Cotton. *Concil. Brit.* Tom. 2. pag. 305. & *Conc.* T. XI. Part. I. p. 803. Notet Lector, Tartarorum occaſione diverſa Concilia hoc tempore habita fuiſſe, & in his Britannica duo, Londinenſe & Beverlacenſe; quorum cùm ſuperſint neque Acta neque Conſtituta, vide *Conc.* T. xi. Part. I. p. 815.

1262. *P. II.* COPRINIACENSE III. ann. MCCLXII. à P. Burdigalenſi Archiepiſcopo habitum. Extant quæ diſciplinæ ſunt Eccleſiaſticæ, *de locis in quibus res vel perſona Eccleſiaſtica capta detinentur*; *de illis qui impediunt juriſdictionem Eccleſiaſticam*: *de Excommunicatis compellendis*, &c. *Capitula* VII. *Conc.* T. XI. Part. I. p. 821.

1263. *P. II.* BURDIGALENSE II. an. MCCLXIII. à Petro Archiepiſcopo habitum. Extant *Capitula* VII. de variis caſibus Eccleſiaſticis, Excommunicatione, Sepultura, Confirmatione, Abſolutione infirmi excommunicati &c. in Synodo, ut videtur, conſtituta *Conc.* T. xi. Part. I. p. 823. SÆC. XIII. ab A.MCC.

PARISIENSE VII. an. MCCLXIII. in Octavâ B. Martini coactum. In quo ad ferendum Terræ Sanctæ ſubſidium, Bonorum Eccleſiaſticorum centeſima in quinquennium conceſſa eſt. Extat de hâc re *declaratio Synodalis* Conc. Tom. xi. Part. I. pag. 824. 1263. *P. II.*

NANNETENSE an. MCCLXIV. à Vincentio Turonenſi habitum. Extant diſciplinæ Eccleſiaſticæ *ne Prælati vel Patroni ſe obligent ad Beneficium non vacans*; *ne Clerici ſint Venatores*, *de reſidentiis faciendis*, *& Beneficiorum pluralitate*, &c. *Capitula* IX. *Conc.* T. xi. Part. I. p. 826. 1264. *P. II.*

PARISIENSE VIII. MCCLXIV. in Craſtino S. Bartholomæi, præſente Ludovico Francorum Rege, & Simone S. Cæciliæ Cardinale Papæ Legato coactum. In quo adverſus juramenta turpia, quibus in Dei nomen facta eſt blaſphemia, Rex edictum promulgavit. Vid. Gaufred. in Vit. Ludovici G.XXXIII. & *Conc.* T. xi. Part. I. p. 828. & G. Coſſartii notam *ibid.* 1264. *P. II.*

BONONIENSE in Gallia an. MCCLXIV. à Guidone Epiſcopo Sabinenſi, Cardinale, & Pontificis Legato congregatum. In quo Angli, quod conditionibus pacis à Ludovico Francorum Rege judicatis ſtare recuſarent, auctoritate Urbani IV. Papæ interdicto & anathemati ſubjiciuntur, fulminis vibrati executione Epiſcopis quibuſdam ex Angliâ huc evocatis commiſſâ. Tradit hæc auctor Appendicis ad Matth. Paris p. 997. 1264. *P. II.*

LONDINENSE III. an. MCCLXV. præſente Ottobono S. Adriani Cardinale, Clementis IV. Papæ Legato habitum. In quo excommunicationis à Pontifice in Regis adverſarios latæ, cujus in Synodo Bononienſi anno ſuperiori fit mentio, ſententia promulgatur. Vide Mat. Weſtmonaſt. ad an. MCCLXV. f. 160. 1265. P. *II.*

COLONIENSE II. an. MCCLXVI. ab Engilberto Archiepiſcopo coactum. Ad diſciplinam Eccleſiæ pertinent *Capitula* XLV. in hâc Synodo ſancita, quæ habentur *Conc.* T. xi. Part. I. p. 836. In quibus Perſonarum Eccleſiaſticarum jura immunitates, & privilegia primas tenent. 1266. P. *II.*

NORTHAMPTONIENSE anno MCCLXVII. præſente Otthobono Legato habitum. In quo Epiſcopi (& in his Joannes Wintonienſis, Walterus Wigornienſis, Henricus Londinenſis, & Stephanus Ciceſtrenſis) & Clerici qui pro Simone Comite adverſus Regem ſteterant excommunicantur, & decima Bonorum Eccleſiaſticorum Regi in ſeptem annos conceſſa. Vide *Append.* ad Matth. Paris ad annum MCCLXVII. p. 1001. 1267. *P. II.*

ARELATENSE IV. an. MCCLXVII. à Bertrando de S. Martino Archiepiſcopo & Præſulibus Arelatenſis provinciæ celebratum. Editi ſunt in hâc Synodo diſciplinæ Eccleſiaſticæ *Canones* XXII. quorum quatuor priores deſiderantur. Reliqui agunt de *Cenſuris obſervandis*, *de Calicibus non vendendis aut pignorandis*; *de Caſibus Epiſcopo vel Papæ reſervatis*; &c. Extant *Conc.* T. xi. Part. II. in *Appendice* p. 2368. 1267. P. *II.*

URATISLAVIENSE II. an. MCCLXVII. in feſto Purificationis Mariæ à Guidone Cardinale Papæ Legato congregatum. In quo, prædicatâ anni Jubilæi gratiâ, & cruce contra Saracenos, ſubſidium pro recuperandâ Terrâ Sanctâ conceſſum eſt. Vide M. Michov. lib. III. c. 57. 1267. P. *II.*

VIENNENSE anno MCCLXVII. vi. Id. *Maii* à Guidone Pontificis Legato convocatum. Extant ad reformandam Eccleſiæ diſciplinam neceſſaria *Capitula* XIX. *de vitâ & honeſtate Clericorum*; *de modo Viſitandi*; *de pluralitate Beneficiorum*; *de Decimis* 1267. *P. II.*

SÆC. XIII. ab A. MCC. cimis contra laicos; de Usurariis; de Judæis, &c. Conc. T. XI. Part. I. p 858.

1268. P. II. LONDINENSE IV. an. MCCLXVIII. ix. Cal. *Maii* ab Ottobono Cardinale Legato Pontificio, & universis penè Angliæ, Walliæ, Scotiæ & Hiberniæ Episcopis celebratum. In quo multa ad reformandam & conservandam Ecclesiæ disciplinam saluberrima statuerunt. Extant constitutiones sive *capitula* LIV. nempè *de Baptismo*; *de Sacramentis gratis administrandis*; *de consecratione Ecclesiarum*; *de Clericorum habitu & moribus*; *de Vicariorum residentiâ & institutione*; *aliisque plurimis disciplinæ Ecclesiasticæ capitibus*, Concil. *Brit.* T. II. pag. 263. & *Conc.* T. XI. Part. I. p. 866. *Magnum Concilium* vocat Matth. VVestmonasteriensis f. 165. Ad annum MCCXLVIII. refertur in Collectione *Spelmannianâ* Typographi proculdubiò lapsu pro MCCLXVIII. Ut causa non erat, cur hunc errorem tanquàm *lapsum graviorem* corrigeret G. Cossartius.

1268. P. II. GUNSTERIENSE III. ad Castrum Gunterii anno MCCLXVIII. à Vincentio Turonensi Archiepiscopo congregatum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *de invadentibus & occupantibus bona Ecclesiastica*; *de impedientibus jurisdictionem Ecclesiasticam*; *sepulturâ Ecclesiasticâ deprivandos*, *qui Excommunicationis sententiam ultra annum sustinerent*; *de vestimentis Archidiaconorum*, *& Decanorum* &c. *capitula* VIII. *Conc.* T. XI. Part. I. p. 909.

1269. P. II. ANDEGAVENSE I. an. MCCLXIX. die Martis post Quindenam Nativitatis S. Joannis Baptistæ habitum. Extant Canones II. *de donationibus non prohibendis*, & *de advocatis Ecclesiasticis*, *Conc.* T. XI. Part. I. p. 911.

1269. P. II. SENONENSE III. an. MCCLXIX. die Sabbati ante festum SS. Simonis & Judæ, ab Archiepiscopo Senonensi congregatum. Extant pro disciplinâ Ecclesiasticâ *de Clericis focarias tenentibus*; *de Usurariis* &c. *Capitula* VI. *Conc.* T. XI. Part. I. p. 912.

1270. P. II. RAVENNENSE anno MCCLXX. iv. Cal. *Maii* à Philippi Archiepiscopi vicario in Sacrario D. Vitalis habitum. In quo Henuerardi Episcopi, & Sedis Cæsenatis invasores excommunicantur, neque absolvi possunt, nisi satisfacerent. Vide Hieron. Rubeum Hist. Raven. lib. VI. ad an. MCCLXX. p. 443.

1270. P. II. COMPENDIENSE apud Gallos in Suessionensi, anno MCCLXX. à Joanne Archiepiscopo Rhemensi coactum. Extant constitutiones aliquot *de iis qui capiunt bona Ecclesiastica*; *Conc.* T. XI. Part. I. p. 917.

1270. P. II. AVENIONENSE III. ann. MCCLXX. à Bertrando Archiepiscopo habitum. Extant de disciplinâ nempè *de alienationibus bonorum Ecclesiasticorum revocandis*; *de pecuniâ legatâ ad arbitrium Executorum in causas pias dividenda*; *de Clerico*, *qui Episcopum*, *præpositum* &c. *graviter læserit*, &c. *Capitula* VIII. *Conc.* T. XI. Part. I. p. 910.

1271. P. II. RHEMENSE IV. apud S. Quintinum ab ejusdem provinciæ Episcopis, vacante tunc sede, an MCCLXXI. congregatum. Interturbarunt aliquandiu hunc Conventum Canonici Rhemenses, vetantes Suffraganeos se inconsultis in Synodum coire, verùm dissidium mox compositum est. Extant de privilegiis Ecclesiasticis *Capitula* V. *Conc.* T. XI. p. 922.

1273. P. II. REDONENSE ad Vicinoniam fl. in Ducatu Britanniæ anno MCCLXXIII. coactum. De disciplinâ Ecclesiasticâ agunt *sc. de violentiâ Episcopis*, *Abbatibus* &c. *non inferendâ*; *de hospitalitate ex bonis Ecclesiæ*; *quæ sint bona Ecclesiastica*, &c. *capitula* VII. Habentur *Conc.* T. XI. Part. I. p. 933.

1274. P. II. LUGDUNENSE II. *generale* II. à Gregorio X. Papâ, an. MCCLXXIV. die vii. *Maii* celebratum. Aderant Cardinales, & Metropolitani, & Episcopi D. Michaelis Imp. CP. & Episcoporum aliquot Græcorum Legati, Jacobus Arragonum Rex, & complures Regum & Principum Oratores, ut Abbates, aliosque taceam. Inchoatâ jam Synodo, & expositis Concilii convocandi causis, primo loco Decimæ redituum Ecclesiasticorum, in subsidium belli sacri, ulteriùs adhuc promovendi, concessæ sunt. Deindè lectis Græcorum in Synodo literis de concordiâ Græcos inter & Latinos, præsertim in Articulo de processione Spiritus S. actum est. Græci enim rerum suarum necessitate adacti præcipuè Michaele Imperatore id summopere urgente; auxilium à Latinis ad sustentandum nutantem Imperii sui statum implorare, eoque fine cum Romanâ Ecclesiâ consentire, saltem consentire videri, necesse habuerunt. Hinc qualis qualis unio ac concordia utrinque in hâc Synodo sancita; quam tamen Græci mox non sine stomacho respuebant. Recepti sunt etiam Tartarorum Legati de pace cum Christianis ineundâ acturi. Multa de disciplinâ & regimine Ecclesiæ, præcipuè de modo, loco, & tempore Pontificis eligendi, sunt constituta. Extant Acta hujus Synodi, Constitutiones Synodales XXXI. plures Gregorii Pontificis Epistolæ, Michaelis Imperatoris, & Græcorum literæ, *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 937.

SALTZBURGENSE I. in Bavariâ an MCCLXXIV. pro recipiendis Lugdunensis Synodi constitutionibus, aliisque de causis congregatum. Extant Ecclesiasticæ disciplinæ *Capitula* XXIV. *de Capitulis provincialibus Abbatum ac aliorum Prælatorum*; *de pluribus Beneficiis Clericorum*; *de vagis Scholaribus*; *de Episcopis puerorum*; *de Advocatis Ecclesiarum*, &c. *Conc.* T. XI. Part. I. p. 998. 1274. P. II.

DUNELMENSE II. an. MCCLXXVI. à Roberto Episcopo Dunelmensi habitum. Extant ex vet. cod. MS. Eccles. Dunelm. *de Decimis* Constitutiones Synodales VI. *Conc. Brit.* T. II. p. 316. & *Conc.* T. XI. Part. I. p. 1008. 1276. P. II.

SALMURIENSE II. in Andibus ad Ligerim fl. an. MCCLXXVI. congregatum. Extant de disciplinâ Ecclesiasticâ, *de luminaribus in Ecclesiâ*; *de pluralitate Beneficiorum*; *de vitâ & honestate & Clericorum & Monachorum*, &c. Canones XIV. *Conc.* T. XI. Part. I. p. 1011. 1276. P. II.

BITURICENSE II. à Simone Cardinale, Sedis Apostolicæ Legato, an. MCCLXXVI. Id. *Sept.* congregatum. De regimine & disciplinâ agunt constitutiones in hâc Synodo promulgatæ. Habentur *Capitula* XVI. *Conc.* T. XI. Part. I. p. 1017. 1276. P. II.

TRIBURIENSE anno MCCLXXVI. præsentibus Sigehardo Patriarchâ Aquileiensi, & Altmanno Episcopo Pataviensi, Pontificis Legatis, convocatum. Aderant præter Episcopos, Sueviæ & Saxoniæ Principes, Laicique plures. Vehementer agitata est in hâc Synodo Henrici Imperatoris causa, qui cùm à Papâ excommunicatus fuisset, nec cum eo, nec cum quoquam qui cum eo communionem coluissent, communicare volebant. Nullam non conditionem promisit Henricus, modò Imperatoris titulum retineret. Sed rejecti sunt ejus ad Synodum Legati; rejectæ semel iterumque omnes ejus Supplicationes, ipsumque pro verè Excommunicato habendum esse unanimi voce declararunt. Prolixè hæc refert Lambert. Schaffnaburgensis ad ann. MCCLXXVI. pag. 531. 1276. P. II.

CONSTANTINOPOLITANUM I. an. MCCLXXVII. à Joanne Becco Patriarchâ coactum. In quo Beccus Latinis mirum quantum addictus, Romanæ Ecclesiæ fidem professus est, & Pontificis Romani Primatum recognovit. Extat Lat. *Epistola* Synodalis ad Joannem Papam *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 1033. Eodem anno habita est altera Synodus *Constantinopolitana*, in quâ Schismatici (ut vocantur) qui concordiam cum Romanis in- 1277. P. II.

SÆC. XIII. ab A. MCC. tam respuebant, excommunicati sunt. Extat *Epistola* Synodalis Encyclica *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 1037. Verùm sciendum est, genuinos Ecclesiæ Græcæ filios has Synodos parùm curare, earumque decreta penitùs rejicere.

1278. P. II. LANGESIENSE apud *Langez*, oppidum in Turonibus, anno circiter MCCLXXVIII. à Joanne Turonensi Archiepiscopo cum suffraganeis suis coactum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *de procurationibus post Synodum præstandis*; *de Matrimoniis clandestinis*; *de filiis Presbyterorum*; *de Excommunicatis ultra annum*, &c. Canones XVI. *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 1038.

1279. P. II. AUDOMARO-PONTANUM in Galliâ Belgicâ anno MCCLXXIX. à Gulielmo Archiepiscopo Rothomagensi cum Suffraganeis suis ad Pontum Audomari coactum. Extant de rebus Ecclesiasticis *Capitula* XXIV. unà cum *Appendice* additionum *Conc.* T. XI. Part. I. p. 1044.

1279. P. II. AVENIONENSE IV. an MCCLXXIX. XVI. Cal. *Jun.* à Bertrando Archiepiscopo Arelatensi & Suffraganeis suis congregatum. Extant de Ecclesiasticâ disciplinâ *Capitula* XV, quibus alia ejusdem Synodi statuta subjiciuntur *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 1050.

1279. P. II. AUSCENSE apud Augustam Ausciorum (quæ urbs Archiepiscopalis est in Novempopulania) anno MCCLXXIX. habitum. In quo de Ecclesiæ Vasatensis juribus defendendis adversus Senescallum Vasconiæ agitur. Extat *Epistola* Synodalis ad Edvvardum Angliæ Regem, Aquitaniæ Ducem, *Conc.* Tom. XI. Part. II. p. 2375.

1279. P. II. BITERRENSE IV. anno MCCLXXIX. à Petro Narbonensi Archiepiscopo cum Suffraganeis suis congregatum. In quo de mittendis ad Regni Comitia Legatis, qui libertates Ecclesiasticas defenderent actum est. Extant Petri Archiepiscopi Narbonensis *Epistolæ II.* apud Baluz. *Conc. Gall. Narbon.* p. 81. & *Conc.* T. XI. Part. I. p. 1062.

1279. P. II. REDINGENSE II. apud Anglos in agro Bercheriensi, anno MCCLXXIX. à Joanne Peckham Archiepiscopo Cantuariensi celebratum. Extant ex vet. cod. MS. Cotton. de disciplinâ Ecclesiasticâ *Constitutiones* V. quibus ejusdem ordinationes de domibus religiosis subnexæ sunt *Concil. Brit.* T. II. p. 320. & *Conc.* T. XI. Part. I. p. 1062.

1279. P. II. BUDENSE apud Budam Hungariæ ad Danubium Metropolim anno MCCLXXIX. à Philippo Pontificis Legato coactum. Synodum hanc Ladislaus Hungariæ Rex armorum terrore aliquantispèr disturbaverat, posteà pœnitentiâ ductus, culpam suam per literas recognovit. Extant Acta & disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* LXIX. *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 1073.

1279. P. II. ANDEGAVENSE II. ann. MCCLXXIX. à Joanne, vel, ut alii, Jodoco Archiepiscopo Turonensi habitum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* V. quæ ad jura & libertates Ecclesiasticorum penè unicè spectant, *Conc.* Tom. XI. Part. I. pag. 1074.

1279. P. II. TARRACONENSE II. ann. MCCLXXIX. VII. Id. *Decembr.* coactum, in quo Episcopi Nicolaum Papam obnixè rogarunt, ut Raymundus de Pennâforti Sanctorum numero adscriberetur. Ita ex Hieronymo Suritâ Bzovius ad annum MCCLXXIX. & Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* T. III. p. 523.

1280. P. II. COLONIENSE III. anno MCCLXXX. à Sifrido Archiepiscopo congregatum. In quo ad reformandum corruptum Ecclesiæ hoc tempore statum, edita sunt disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* XVIII. *de vitâ, honestate & officio Clericorum*; *de cohabitatoribus mulierum*, *& concubinariis*; *de statu claustralium & religiosorum*; *de Sacramentis &c.* Habentur *Conc.* T. XI. Part. I. p. 1107.

LAMBETHENSE III. ann. MCCLXXX. à Joanne Cantuariensi Archiepiscopo habitum. In quo Othonis & Ottoboni, sedis Apostolicæ in Angliâ Legatorum, constitutiones tanquàm leges Ecclesiasticas, perpetuò in posterum observandas esse decretum est; statuto etiam addito, ut quisquis Ecclesiam cum curâ animarum retineret, ad ordinem Sacerdotalem infra annum promoveretur. Extant hâc de re Acta ex cod. MS. Bodleiano apud Spelm *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 327. & *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 1124. SÆC. XIII. ab A. MCC. 1280. P. II.

BITERRENSE V. an. MCCLXXX. ad consultandum de rebus Ecclesiarum Narbonensium congregatum. Quid in eo factum sit, vel an aliquod omninò sit statutum, nobis non constat. Extant *Epistolæ II.* quibus procuratores Synodales constituti sunt, apud Baluz. *Conc. Gall. Narbon.* p. 84. & *Conc.* T. XI. Part. I. p. 1124. 1280. P. II.

CONSTANTINOPOLITANUM II. anno MCCLXXX. præsidente Joanne Vecco Patriarchâ coactum, in quo de loco quodam Gregorii Nysseni de processione Spiritûs Sancti tùm à Patre tùm à Filio, quem magnæ Ecclesiæ Referendarius *Escammatismenus* dictus, corruperat, erasâ illâ, (ἐκ τῦ υἱῦ) particulâ, fatente id tandem ipsomet Referendario, actum est. Extat Græc. Lat. integra sententia Synodalis *Conc.* T. XI. Part. I. p. 1125. 1280. P. II.

SANTONENSE I. in Galliâ sub Archiepiscopatu Burdegalensi, an. MCCLXXX. præsidente G. de Bricio congregatum. Extant quæ disciplinæ Ecclesiasticæ sunt *Capitula* XV. *de nominibus Rectorum Ecclesiarum*; *de sacris fontibus*; *de S. Chrismate*; *de numero Patrinorum*; *de corpore Christi ad infirmos deferendo*, &c. *Conc.* T. XI. Part. I. p. 1134. 1280. P. II.

PICTAVENSE I. anno MCCLXXX. à Gualtero Episcopo Pictavensi coactum. De disciplinâ agunt *Capitula* XI. nempè *de jurisdictione Archipresbyterorum*; *de officio Subcapellanorum*; *de his qui absolvere non possunt*; *de purgatione*, &c. *Conc.* T. XI. Part. I. p. 1138. 1280. P. II.

SALTZBURGENSE II. ann. MCCLXXXI. à Friderico Archiepiscopo sedis Apostolicæ Legato habitum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* XVIII. *de dispensatione & Prælatorum ratione faciendâ*; *de jejunio religiosorum*; *déque eorundem habitu & discursu*; *de immoderatis sumptibus visitatorum*, &c. *Conc.* T. XI. Part. I. p. 1151. 1281. P. II.

LAMBETHENSE IV. an. MCCLXXXI. à Joanne Peckham Archiepiscopo Cantuariensi, & suis Suffraganeis congregatum. In quo Othonis & Ottoboni constitutiones iterùm confirmantur. Extant Ecclesiasticæ disciplinæ *de Sacramento Eucharistiæ*, *& reliquis Ecclesiæ Sacramentis*; *de annalibus celebrandis & anniversariis*; *de hospitalitate tuenda*; *de filiis Presbyterorum*, *de Clericis plura Beneficia occupantibus* &c. *Capitula* XXVIII. ex vet. cod. MS. Cotton. apud Spel. *Conc. Brit.* T. II. p. 328. & *Conc.* T. XI. Part. I. p. 1156. 1281. P. II.

AVENIONENSE V. an. circiter MCCLXXXII. à Bertrando Archiepiscopo Arelatensi & ejusdem provinciæ Episcopis congregatum. Extant de disciplinâ Ecclesiasticâ *Capitula* XI. *contra Usurarios*; *de precibus pro Ecclesiâ faciendis*; *de bonis Ecclesiasticis non alienandis*, *de procuratoribus*, &c. *Conc.* T. XI. Part. I. p. 1174. 1282. P. II.

SANTONENSE II. an. MCCLXXXII. à Gaufrido de S. Bricio coactum. Extant de disciplinâ Ecclesiasticâ, nempè *de sepulturâ Excommunicatorum*; *de sepeliendis Excommunicatis per Capitulum absolutis*; *de Testamentis*, &c. *Capitula* V. *Conc.* T. XI. Part. I. p. 1180. 1282. P. II.

TURONENSE III. an. MCCLXXXII. à Joanne Archiepiscopo cum suis Suffraganeis collectum. *Capitula* XIII. quæ extant, ad Ecclesiæ disciplinam spectant, 1282. P. II.

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. ſpectant, ſc. *de vexatoribus*; *de incitantibus ad lites*; *ut Clerici & Religioſi tabernas non frequentent*; *de proceſſionibus faciendis*, &c. Habentur *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 1183.

1284. P. II. NEMAUSENSE in Occitaniâ ſub Archiepiſcopatu Narbonenſi, anno circiter MCCLXXXIV. à Bertrando Epiſcopo coactum. Extant prolixa *Capitula* XIV. quæ *de Sacramentis*, *de vitâ & honeſtate Clericorum*, aliiſque diſciplinæ capitibus, unà cum conſtitutionibus quibuſdam particularibus agunt. *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 1200.

1284. P. II. PICTAVENSE II. ann. 1284. præſidente Gualtero Epiſcopo congregatum. Extant quæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſunt, *de Divinis*, *præſentibus Excommunicatis*, *non celebrandis*; *de Decimis*; *de Sacramentis à Sacerdote poteſtatem non habente non accipiendis*, &c. *Capitula* V. *Conc.* T. XI. Part. I. p. 1234.

1285. P. II. CONSTANTINOPOLITANUM III. in Triclinio Alexiaco circa annum 1285. ni valdè fallor congregatum. Præſens adfuit Andronicus Palæologus Imp. & qui circa eum Magnates omnes, & quotquot è Senatoribus conſpicui. Et in his præcipuè Theodorus Muſalo magnus Logotheta, vir in rebus Theologicis admodùm exercitatus, quique primas diſputandi partes in hâc Synodo ſuſtinuit. Aderant Patriarchæ duo, Gregorius Cyprius Conſtantinopolitanus, & Athanaſius Alexandrinus, ingens Epiſcoporum cœtus, ut de Monachis, Laicisque melioris notæ nil dicam. Occaſionem Synodo dedit vexata Græcos inter & Latinos quæſtio de proceſſione Spiritûs Sancti; anſam immediatam controverſa Joan. Damaſceni ſententia, qui lib. I. *de fide orthodoxâ* cap. 15. de Patre ſermonem habens, ita ſubinfert, καὶ προβολεὺς διὰ λόγου ἐκφαντορικοῦ πνεύματος, *& productor per verbum explanantis Spiritûs*. Ex hoc loco Veccus haud ita pridem Patriarcha, & qui cum eo ex parte Latinorum ſtabant, concludebant Spiritum à Patre ſimul & à Filio procedere. Reſponderunt Græci aliud voculâ *ex*, aliud *per*, ſignificari. Quin nec deerant qui totum illud caput Damaſceni eſſe negabant. Ad dirimendam igitur litem coacta eſt hæc Synodus. Adductus ex carcere Veccus, quem plures ſocii ſequebantur, ubi prolixâ habitâ diſputatione, controverſia plenè excuſſa & ventilata eſt. Cùm verò nullis argumentis convinci, nullis modis flecti potuit obſtinatus Vecci animus, iterùm in carcerem amandatus eſt, & Gregorius Patriarcha paulò poſt Tomum Synodicum de hâc re edidit. Extant hujus Concilii Acta Græc. Lat. apud Pachymerem Hiſt. lib. VII. & exindè apud L. Allat. *de Conſenſ. Orient. & Occident.* lib. II. c. 2. nu. ii. vi. de Niceph Greg. Hiſt. Rom. l. VI. p. 121.

1285. P. II. LANCICIENSE II. an. MCCLXXXV. præſidente Jacobo Gneznenſi Archiepiſcopo habitum. In quo Henricus IV. Wratislaviæ Dux, ejuſque ſocii ac Satellites, ob violatas Eccleſiæ libertates, bona ſcilicet Eccleſiaſtica, decimaſque per totam diœceſim Eccleſiæ ereptas, & in ſuum uſum converſas, excommunicantur. Plura habet Hieron. Michov. lib. III. c. 62.

1286. P. II. RAVENNATENSE II. an. MCCLXXXVI. ſub Bonifacio Archiepiſcopo coactum. Ad cauſam Eccleſiæ reformandam conſtituta ſunt *Capitula* IX. nempè *de joculatoribus & hiſtrionibus non recipiendis*; *de decimis*, &c. quæ habentur *Conc.* Tom. XI. Part. II. p. 1238.

1286. P. II. BITURICENSE III. ann. MCCLXXXVI. à Simone de Bello-loco Archiepiſcopo cum Suffraganeis ſuis XV. Cal. *Octobr.* congregatum. Extant diſciplinæ Eccleſiaſticæ *Capitula* XXXV. *Conc.* Tom. XI. Part. II. pag. 1247. Vide quæ de hâc Synodo habentur in *Append.* p. 2521.

1287. P. II. EXONIENSE apud Anglos in agro Devonienſi, à Petro Quivil Epiſcopo an. 1287. coactum. Extant *de Sacramentis*; *de Eccleſiis & Oratoriis conſtruendis*; *de Cœmeteriis*; *de immunitate Eccleſiarum*; *de vitâ & moribus Clericorum*; *de reſidentiâ Presbyterorum*; *& pluralitate Beneficiorum* &c. Conſtitutiones prolixæ ſive *Capitula* LV. apud Spelm. *Concil. Brit.* Tom. II. pag. 350. & exindè *Conc.* Tom. XI. Part. II. pag. 1264. Subnectitur *ſummula ſive modus exigendi confeſſiones*, *pœnitentiaſque injungendi*, in eâdem Synodo editus. ibid. p. 1312.

RHEMENSE V. anno MCCLXXXVII. à Petro Archiepiſcopo congregatum. In quo, exortâ inter Epiſcopos & Monachos de jure audiendi confeſſiones, & pœnitentias injungendi controverſiâ, tota lis ad ſedis Apoſtolicæ deciſionem remiſſa eſt. Extat *Epiſtola* Synodalis *Conc.* T. XI. Part. II. p. 1317. 1287. P. II.

HERBIPOLENSE in Franconiâ, anno 1287. à Joanne Tuſculano Pontificis Legato, præſente Rudolpho Imp. multiſque Germaniæ Proceribus, celebratum. Extant de moribus Clericorum & Eccleſiaſticâ diſciplinâ *Capitula* XLII. *de honeſtâ vitâ*; *de vitandis tabernis ac ludis*; *de colloquio cum Monialibus*, *vel de Clericis concubinariis* &c. *Conc.* Tom. XI. Part. II. p. 1319. 1287. P. II.

MEDIOLANENSE I. an. 1287. ſub Ottone Archiepiſcopo habitum. Extant diſciplinæ *Capitula* X. ſummatim recenſita apud Bzov. ad an. 1287. & *Conc.* Tom. XI. Part. II. p. 1333. 1287. P. II.

INSULANUM II. ann. 1288. à Roſtagno Archiepiſcopo & provinciæ Arelatenſis Epiſcopis celebratum. Extant diſciplinæ Eccleſiaſticæ *Capitula* XVIII. nempè *de Excommunicatione*; *de parvulis in neceſſitate baptizandis*; *de iis qui Clericum ceperint*; *de iis qui tradunt toxica in mortem*, *vel abortum*, &c. *Conc.* Tom XI. Part. II. p. 1335. De variis Concilio huic conjungi ſolitis, videſis G. Coſſartii notam *ibid.* p. 1345. 1288. P. II.

CICESTRENSE I. an. 1289. à Gilberto Epiſcopo coactum. Extant de diſciplinâ Eccleſiæ, ſcilicet *de vitâ & honeſtate Sacerdotum*; *de corruptoribus Sanctimonialium*; *de concubinis Presbyterorum & Clericorum*; *de ſepulturis* &c. *Capitula* XLI. ex vetuſto codice MS. apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 404. qui & varias præcedentium conſtitutionum lectiones ex antiquo cod. MS. ſubjecit. Vide *Conc.* Tom. XI. Part. II. p. 1346. 1289. P. II.

NUGAROLIENSE in Diœceſi Auſcenſi, ſive Auxitanâ, ann. MCCXC. præſidente Amaneo Archiepiſcopo ab Auſcitaniæ Epiſcopis congregatum. Extant *de bonis & immunitatibus Eccleſiæ*, aliiſque capitibus canones ſeu conſtitutiones 12. *Conc.* Tom. XI. Part. I. p. 1353. Vide *Append.* p. 2444. 1290. P. II.

SALTZBURGENSE III. an. MCCXCI. habitum. In quo *de Hoſpitalariis*, *Templariis*, *& Teutonicis*, in unum ordinem coadunandis actum eſt. Extant *de contractibus Matrimonialibus*, *de Clericis Officialibus*, *de Sectâ vagorum Scholarium*, Conſtitutiones III. *Conc.* Tom. XI. Part. II. p. 1359. 1291. P. II.

LONDINENSE V. an. MCCXCI. celebratum. In quo Judæi, quorum ingens erat in Angliâ multitudo, & nefanda facinora, decreto publico Angliâ decedere coacti ſunt. Eodem in conventu Rex ad expeditionem in Terram Sanctam Religionis causâ ſuſcipiendam, ſubſidium à Sacerdotibus, viriſque Eccleſiaſticis petiit; iterato etiam jure ſtatuit, nè cuivis liceret prædia Monachis dare, aut iis aliiſve Sacerdotibus poſſeſſiones emere. Sed ſuperveniente mox Bernardo Pontificis Legato, Rex hanc legem revocavit. Refert hæc Ab. Bzovius ad ann. MCCXCI. *num.* I. 1291. P. II.

MEDIOLANENSE II. *Novembr.* XXVII. in Eccleſiâ S. Teclæ, an. MCCXCI. ſub Ottone Archiepiſcopo habitum. In quo poſt multa ad diſciplinam Eccleſiaſticam revocandam conſtituta, ſup- 1291. P. II.

pe-

Digitized by Google

SÆC. XIII. ab A. MCC. petiæ ad Terram Sanctam recuperandam decretæ sunt. Vide quæ ex Bern. Corii Hist. Mediol. habet Bzovius ad an. 1291. num. 11.

1292. P. II. CICESTRENSE II. ann. 1292. à Gilberto Episcopo habitum. Extant quæ disciplinæ Ecclesiasticæ sunt, viz. *de animalibus in cœmeteriis ad pascendum non ponendis*, *de sepulturis in Ecclesiis*, *& Cancellis non faciendis*, &c. Capitula VII. ex vetusto codice MS. unà cum variantibus lectionibus ex codice altero apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. II. p. 410. Habentur Constitutiones Conc. T. XI. Part. II. p. 1361.

1294. P. II. SALMURIENSE III. an. 1294. congregatum. Extant de disciplinâ *Capitula* V. *contra Vestium superfluitatem*; *de absolutione Excommunicatorum in morte*; *contra redimentes peccata per pecunias* &c. *Conc.* Tom. XI. Part. II. p. 1395.

1296. P. II. LONDINENSE VI. an. 1296. à Roberto Cantuariensi & Suffraganeis suis in Ecclesiâ S. Pauli collectum. In quo, ex occasione duorum causidicorum, duorumque Fratrum ex ordine Prædicantium, qui causam Regiam in Clerum non obstante prohibitione Pontificiâ, defendere se paratos esse affirmabant, excommunicationis sententia in bonorum Ecclesiasticorum invasores, & infringentes *Chartam Magnam* &c. lata & promulgata est. Anno sequenti Archiepiscopus sententiam excommunicationis per Ecclesias ubique solenniter publicandam, unà cum literis ad Robertum Londinensem misit, datis apud Ottford VI. Id. *Jul.* 1298. unde forsan M. Westmonasteriensis pag. 200. Synodum hoc anno habitam fuisse refert. Habentur hæ Roberti Cantuariensis literæ ex cod. MS. Cottoniano, apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 428. Vide *Conc.* Tom. XI. Part. II. p. 1421.

1298. P. II. SANTONENSE III. an. 1298. à Guidone Episcopo habitum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* VII. *de vita & honestate Curatorum Sacerdotum*; *de iis, qui Ecclesias dant ad firmam*; *de residentiâ Rectorum in Ecclesiis suis*, &c. *Conc.* Tom. XI. Part. II. p. 1425.

1299. P. II. ROTHOMAGENSE an. 1299. ab Archiepiscopo Rothomagensi & Suffraganeis suis coactum. Ad disciplinam Ecclesiasticam pertinent *Capitula* VII. *de vitâ & honestate Clericorum beneficiatorum*; *ut placita diebus festis non teneantur*; *ut Clerici in factis personalibus justitia sæculari se non subjiciant*, &c. quæ habentur *Conc.* Tom. XI. Part. II. p. 1427.

BITERRENSE VI. an. 1299. IV. Cal. *Novembr.* congregatum. In quo de controversiâ inter Archiepiscopum & Vice-Comitem Narbonensem exortâ actum est. Extat *Epistola* Synodica ad Philippum IV. Francorum Regem, adversus Vice-Comitem ejusdem urbis, apud Baluz. *Conc. Gall. Narbon.* p. 87. & *Conc.* T. XI. Part. II. p. 1430. SÆC. XIII. ab A. MCC. 1299. P. II.

MELODUNENSE III. ad Sequanam fl. in Diœcesi Senonensi, an. 1300. XII. Cal. *Feb.* à Stephano Senonensi & Suffraganeis suis congregatum. In quo *de Judicibus à Pontifice constituendis*, *de jurisdictione Ecclesiasticâ*, *de Hæreticis*, *Excommunicatis*, aliisque agitur. Extant de his *Constitutiones* VI. *Conc.* Tom. XI. Part. II. p. 1431. 1300. P. II.

MERTONENSE II. an. 1300. à Roberto Cantuariensi coactum. Extant ex Bibliothecâ Cottonianâ, Constitutiones *de Decimis*, *& Nutrimentis animalium*; *de Mortuariis*; *de Ornamentis*, *aliisque in Ecclesiâ servatis*; *déque bono regimine Curiæ suæ Cantuariensis*, Concil. Brit. Tom. II. p. 431. & Conc. T. XI. Part. II. p. 1435. 1300. P. II.

COLONIENSE IV. anno circiter 1300. à Wichboldo Archiepiscopo congregatum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* XXII. *de ætate & qualitate Præficiendorum Ecclesiis Parochialibus*; *de Apostatis*, *discursoribus & vagis Clericis*; *de Testamentis Clericorum & Laicorum*; *de manifestis usurariis*, &c. *Conc.* Tom XI. part. II. p. 1440. 1300. P. II.

BAJOCENSE in inferiori Normanniâ non procul à mari, anno circiter 1300. habitum. In quo ad mores & munera Ecclesiasticorum, & ad disciplinam Ecclesiæ rectiùs ordinandam edita sunt *Capitula* 113. Habentur *Conc.* Tom. XI. part. II. pag. 1450. 1300. P. II.

AUSCITANUM an. 1300. congregatum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* 13. nempè *de libertate lectionum*; *de illis qui occupant bona defunctorum*; *de bonis vacantium Ecclesiarum*, *ut nullus Patronus à præsentato per ipsum*, *aliquid extorqueat*; *de temporibus ordinandi*; *de ætate requisitâ in Curato*, *Beneficium scilicet Ecclesiasticum nemini 25. annis minori esse conferendum*, *secùs si factum fuerit*, *ipso jure irritum esse*; aliaque nonnulla disciplinæ capita constituta sunt; quæ habentur Conc. T. XI. part. II. p. 1468. De tempore hujus Synodi G. Cossartii notam Lector consulat, qui & locum ubi habita fuerit se nescire ingenuè profitetur. 1300. P. II.

Finis Sæculi Decimi tertii.

APPENDIX

APPENDIX
AD
HISTORIAM
LITERARIAM,
Ab Anno MCCC. *ad Annum* MDXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

APPENDIX

AD

HISTORIAM LITERARIAM

CLARISSIMI VIRI

GUILIELMI CAVE,

IN QUA

DE SCRIPTORIBUS

ECCLESIASTICIS,

Ab Anno MCCC. ad Annum MDXVII. pari methodo agitur;
ex duabus in unam conflata, *Alterâ nempe*

HENRICI WHARTON,

ALTERA

ROBERTI GERII,

QUI

CONCILIA

Sæculorum XIV. & XV. recenſuit.

Accedunt ad calcem DISSERTATIONES TRES,

I. *De* SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS *incertæ ætatis.*
II. *De* Libris & Officiis Eccleſiaſticis GRÆCORUM.
III. *De* EUSEBII *Cæsarienſis Arianiſmo adversùs* JOANNEM CLERICUM.

COLONIÆ ALLOBROGUM,
Apud GABRIELEM DE TOURNES & FILIOS.

M. DCC. XX.

Digitized by Google

Digitized by Google

SÆCULUM WICKLEVIANUM.

CONSPECTUS SÆCULI.

SÆC. XIV. ab A.MCCC H.W.

HAUD infœlicius à Christo nato, si decimum excipias, Sæculum experta est Ecclesia. Neglectum meliorum literarum studium, conculcata pietas; & hinc effreni Ordinum Mendicantium intemperie, illinc futilibus controversiis, discissus Christianus Orbis. Ab Ecclesiâ jamdiu exularat castioris Theologiæ studium, & salebrosis Scholarum nugis locum cesserat. Istas quinetiam è Clero pauci excoluerunt. Sacerdotibus enim sæcularibus Juris Canonici ac Civilis scientia inprimis in votis fuit; quâ ad summas Ecclesiæ dignitates compendio perveniri posset. Soli ferè Mendicantium Ordini rerum divinarum studium excolendi gloria relicta est. Isti verò immensam exinde apud vulgus autoritatem obtinuisse nequaquam contenti, in Academiarum Cathedras avidi involarunt, & antiqua Sæcularium munera ruptis Disciplinæ Ecclesiasticæ repagulis sibimet ipsis arripuerunt. Hinc natum ferale Sæcularium & Fraterculorum odium. Illi temerè à Mendicantibus usurpata concionandi confessionesque excipiendi munera ægerrimè tulerunt; isti perfectiorem vitæ statum plebi credulæ ostentantes, Sæcularium ordinem Ecclesiæ gravem atque inutilem esse prædicarunt. Summo utrinque partium studio ea lis toto ferè Sæculo agitata est, hinc Clero pro veritatis causâ & antiquis privilegiis decertante, illinc Mendicantibus Sedis Romanæ favore munitis, cujus ipsi asseclæ fuerunt ut plurimùm juratissimi. Neque ipsis tamen Mendicantibus ad amussim inter se convenit. Sub initium enim Sæculi exortus est Petrus Joannis de Olivâ, Ordinis Franciscani, qui divinitus semet inspiratum jactitans, docuit Spiritualem statum nuper Orbi Christiano à Francisco invectum esse; cui Novi Testamenti leges utpotè minùs perfectæ, cedere debeant; Christi & Apostolorum Evangelium nullum ad perfectionem ducere adeóque abolendum esse, introductâ Francisci Regulâ; eliminandum Cleri Sæcularis ordinem, atque ordini cuidam Religioso Ecclesiæ regimen committendum, Evangelicam paupertatem tam religiosè ab omnibus colendam esse, ut neque proprium aliquid, neque in communi possidere liceat. Hujusmodi ferè dogmatibus in vulgus effusis, Petrus Joannis ingentem Franciscanorum turbam in partes suas traxit; quibus *Spiritualium* nomen inditum fuit. Spiritualibus accerrimè se opposuit Joannes XXII. aliique sequentes Pontifices; qui dogmata illorum damnarunt, & sectariis anathema dixerunt. Verùm parùm id curârunt Michaël Cæsanas, Occamus, cæterique Spirituales; qui innumeras Pontificum Bullis hæreses inesse palàm prædicarunt. Spretâ Bullarum auctoritate, Pontifices rem Fidei Inquisitoribus ferro ac flammis agendam commiserunt. Isti *Spirituales*, qui *Begvardi*, *Begvini* & *Fratricelli* jamdudum appellari cœperant, rogo passim addixerunt, nonnunquam & copiis militaribus oppugnarunt; sectam autem contumacem adeò expugnare non poterant ut ad inchoatam usque Reformationem reliquiæ ejus non contemnendæ superessent. Hactenùs de Mendicantium jurgiis. Ineunte Sæculo Clemens V. sedem Pontificiam Avenionem transtulerat, ut Philippo Pulchro Galliæ Regi, cujus auctoritate Papatum adeptus fuerat, gratiam rependeret. Eâdem ferè de causâ habitum est Concilium Viennense anno 1311. quod quidem indixit Clemens, ut fidem de condemnandis Bonifacii VIII. hæresibus Philippo datam eâ ratione eluderet. In hoc Concilio sublatus est Equitum Templariorum Ordo, ipsi flammis damnati, illorumque bona Equitibus Hospitalariis donata; confirmatum Corporis Christi Festum, & declarata S. Francisci Regula. Ablatâ enim Concilio libertate, omnia pro libidine decrevit Papa, Patrum suffragia nec

[Right margin: SÆC. XIV. ab A.MCCC. H.W.]

[Right margin: Eymeric. Direct. Inquisit. part. 2. qu. 15.]

Digitized by Google

 rogans nec expectans. Cœterum sedis Romanæ translatione haud parum imminuta est majestas Pontificia; quæ ab illo tempore sensim labascere cœpit, & Regibus terrori esse desiit. Postquam Ludovicus Bavarus Imp. anathema sibi à Joanne XXII. incussum tam fœliciter dissflasset; & doctissimorum virorum calamos in subsidium vocando, Principes alios docuisset, quâ potissimùm ratione Pontificum fulmina repellenda essent. Longè graviorem autem plagam tulit sedis Romanæ autoritas à diuturno schismate, quod post Gregorii XI. obitum anno 1378. inchoatum, quinquaginta plùs minùs annis perduravit. Schisma adeò difficile, ut è quanam parte staret veritas scitu ferè impossibile esse, non ignobiles istius ævi Scriptores conquerantur. Diviso autem inter plures Papatu, factum est, ut singulis nihil non concedere, quo sequacium suorum favorem demererentur, ac tandem Concilii Generalis arbitrio fasces Pontificios demittere necesse fuerit. Post medium Sæculi VViclefus Ecclesiæ Romanæ errores voce ac scriptis strenuè impugnavit; adscitisque sibi innumeris per Angliam, Bohemiam exterasque gentes discipulis, doctrinam suam longè latèque propagavit. Quod ad Græcos attinet; illi quidquid otii ab intestinis seditionibus superfuit, futilibus de lanâ caprinâ controversiis impenderunt. Adulto enim Sæculo quæstio inter Barlaamitas ac Palamitas de lumine Thaboritico exorta est; quæ Synodis, anathematismis, ac libellis mordacibus agitata est tanto utrinque animorum æstu, ac si de primariis fidei articulis certandum esset, totiúsque religionis prora ac puppis in ejusmodi nugis staret.

SCRIPTORES.

1301. H.W. IOANNES DUNS, cognomento SCOTUS, *Doctor Subtilis* dictus, natione Anglus, Dunstonæ in Parochiâ Emildonensi propè Alnwicum in Northumbriâ natus, secundùm alios verò gente Scotus, ex vico Duns, octo mille passibus ab Angliâ distante, oriundus; ex Waddingi denique aliorumque sententiâ Hibernus, ut pote Duni in Ultoniâ natus. Illum enim genti suæ tam Scoti quàm Hiberni præfractè vendicant, nullâ tamen ratione fulti. Præterquam enim, quòd omnes, qui de illo mentionem injiciunt, ante Sæculum XVI. Scriptores, & in his Bartholomæus Albicius *, cum Anglis annumerent; asservantur etiamnum nonnulli operum ejus Codices MSS. paulò post ætatem suam exarati, in quibus nomen, Patria ac locus natalis ascripta reperiuntur. Iuvenis adhuc Minoritis Novocastrensibus nomen dedit, & ab iis Oxonium missus, in Collegio Mertonensi, cujus demum Socius fuit, penitiorem literarum cognitionem hausit; in Theologiâ Scholasticâ omnium sui ævi facilè princeps, in Jure Civili pariter ac Canonico versatissimus; Logices, Physices, Metaphysices, Mathematicæ, Astronomiæ callentissimus. Claruit anno 1301. quo circiter tempore evocato ex Academia Oxoniensi ad Parisiensem Gulielmo Vartone, illius Præceptore, in Cathedram Theologicam suffectus est; quam tantâ sui nominis gloriâ moderabatur, ut triginta plusquàm Scholarium millia ejus audiendi gratiâ Oxonium undique confluxisse perhibeantur. Post prælectas Oxonii Sententias, anno circiter 1304. à Symmistis suis Franciscanis Luteriam accitus, primùm Baccalaureatûs, dein Doctoratûs insignibus cohonestatus, demum à suis in Comitiis Tolosanis anno 1307. Regens creatus est: & in Academiâ Parisiensi Scholas Theologicas regendas suscepit. Quo primùm tempore inauditum antea in Ecclesiâ dogma de Immaculatâ Beatæ Virginis Conceptione propalare cœpit, idque solenni habitâ disputatione ducentis ordine prolatis argumentis demonstratum ivit. Tantùm sanè apud Academicos Parisienses potuit Viri doctissimi fama, ut in sententiam ejus manibus pedibusque transirent, Festum immaculatæ conceptionis instituerent, neve quis, nisi ejusdem opinionis sectarius, ad gradus Scholasticos admitteretur edicto caverent. Anno 1308. Scotus à Gondisalvo Minoritarum Generali Coloniam se transferre jussus, Lutetiâ discessit, & ab universâ civitate Coloniensi obviàm procedente solenni pompâ receptus est. In Conventu autem Franciscanorum brevi post apoplexiâ correptus, & festinato nimis, ut volunt, funere elatus, obiit eodem anno die VIII. Novembris, ætatis suæ 43. seu, ut alii habent, 34. Innumera ferè ingenii sui monumenta reliquit, in quibus SS. Thomæ & Bonaventuræ definitiones accuratè discutiens, & ad limam revocans, in plerisque diversam, in nonnullis contrariam, init viam. Hinc natæ *Thomistarum* & *Scotistarum* sive *Realium Sectæ*; quæ Scholarum subsellia assiduis jurgiis & rixosis clamoribus per plura Sæcula impleverunt; & etiamnum, ubi ejusmodi tricis, ne dicam nugis, locus datur, implent.

* Conform. S. Francisci.

OPERA.

Grammatica Speculativa, à nonnullis Alberto de Saxoniâ Augustiniano falsò ascripta.

Quæstiones uberrimæ in universam Logicam, cum Mauricii à Portu Hibernici, Archiepiscopi Tuamensis Expositione. Prodierunt seorsim *Venet.* 1512. 1600. 8vo.

Commentaria in VIII. *libros Physicorum Aristotelis*, à Waddingo Joanni nostro abjudicata. Prodierunt seorsim *Venet* 1504. 4to. 1597. Editio *Lugdunensis* Francisci de Pitigianis Aretini annotationes apposuit.

Quæstiones in libros Aristotelis de Animâ imperfecta, cum Scholiis & Supplemento Hugonis Cavelli Pseudo-Archiepiscopi Armachani.

Tractatus de rerum Principio.

Tractatus de primo Principio, cum Scholiis Cavelli & Mauricii.

Tractatus Theorematum XXIII. cum eorundem Scholiis.

Collationes XXIII. *Physico-Theologicæ*, cum Scholiis Cavelli.

Collationes aliæ IV.

Tractatus de cognitione Dei.

Quæstiones

Digitized by Google

Quæstiones Miscellaneæ de Formalitatibus imperfectæ. Prodierunt *Venet.* 1514. *Parif.* 1584. 4°.

Meteorologicorum libri IV. in quibus citatur Thomas Bradvvardinus Scoto junior.

Expositio in Metaphysicam Aristotelis, cum notis Cavelli. Prodiit *Parif.* 1520. & cum notis Mauricii *Venet.* 1501.

Conclusiones Metaphysicæ, cum notis Cavelli.

Quæstiones in Metaphysicam, cum notis Mauricii & Cavelli. Extant *Venet.* 1407. 1501.

Quodlibeta & Commentaria in libros IV. *Sententiarum*, cum notis Cavelli, Lycheti, Joannis Poncii, & Antonii Hiquæi. Opus ingens ac subtilissimum, *Anglicanum*, & *Oxoniense* vulgò dictum, quòd Oxonii elucubratum fuerit. Prodiit seorsim *Venet.* 1516. 1597. *Antverp.* 1620. & alibi.

Reportatorum Parisiensium libri IV. (qui quasi compendium rude sunt *Operis Anglicani*) cum notis Cavelli & Waddingi. Prodierant seorsim *Parif.* 1519. *Venet.* 1597. *Parif.* 1600. 8vo.

Quæstiones Quodlibetales XXI. seu, ut alii dividunt, XLIII. cum notis Cavelli, & Lycheti. Prodierunt *Parif.* 1519.

Opera isthæc Scoti omnia collegit, notis ferè perpetuis illustravit, & in XII. Tomos distributa edidit Lucas Waddingus *Lugduni* 1639. f. plurima ejus Opera olim imprimenda curaverant Angli Franciscani, *Patavii* 1474.

Alia ejus Opera, & in his *Commentaria in Genesin, Evangelia, & Epistolas Pauli, Sermones de Tempore & Sanctis, & Tractatum de Perfectione statuum* enumerant Trithemius, Baleus *, & Waddingus †; quæ nondum lucem aspexerunt.

* Cent. IV. cap. 82.
† De Scriptor. Ord. Minor. p. 203.

1301. H.W. ANDREAS NOVOCASTRENSIS, gente Anglus, Ordinis Dominicani Monachus, & Theologiæ Doctor, claruit anno 1301. Extat ab eo scriptus *Commentarius in librum primum Sententiarum*, *Parif.* 1514. f. *Commentarium in Boethii librum de Consolatione Philosophiæ* ab eo scriptum esse prodit Baleus cent. x. pag. 44.

1301. H.W. RAYNERIUS, gente Italus, Patriâ Pisanus, Ordinis Dominicani Monachus, Theologus ac Jurisconsultus consummatissimus, Scriptor incertæ admodum ætatis, quippe quem alii ad annum 1323. ad annum 1410. alii referunt. Nos cum Trithemio eum circa annum 1301. deponimus, donec certior lux affulgeat. Extat *Pantheologia*, seu *Summa universæ Theologiæ*, Alphabeticè disposita; quam multis additis, multis detruncatis, & stylo ubique immutato edidit Jacobus Florentinus Minorita *Norimbergæ* 1473. Corruptam istam editionem expresserunt *Veneti* 1486. *Lugdunenses* 1519. f. *Brixienses* 1580. 2. vol. 4°. *Parisienses* haud ita pridem vol. f.

1301. H.W. THEODORUS METOCHITA, natione Græcus, Magnus Logotheta Dromi, atque ipsi Andronico Imp. affinitate junctus; Joannis quippe Panhypersebasti, Andronici nepotis, socer. Exeunte Sæculo postremo unà cum Joanne Glyca in Occidentem Legatus, Mariam Germani Imperatoris sororem Michaëli Imp. Andronici primogenito desponsatam Constantinopolin adduxerat. Claruit anno 1301. Anno circiter 1314. Logotheta generalis factus, omnia apud Imperatorem poterat; ac res Imperii pro lubitu, summa tamen fide ac diligentia moderatus est. Anno circiter 1328. Andronicus Senior ab Andronico Juniore, rebelli Nepote, bello victus est; captaque urbs Constantinopolis. Metochites itaque, qui invicta semper fide avi partes propugnarat, Didymothichum, maritimum Bithyniæ oppidum, relegatus est, & magnificæ ipsius ædes, direptis prius opibus, à furente plebe solo æquatæ. Post aliquantulum temporis, Turcis Bithyniam populantibus Constantinopolin reductus est, & in monasterio Choræ, quod à Justiniano Imp. olim fundatum, & ruinis pessundatum, ipse restaurarat, degere permissus; gravi tamen interdicto, Andronici Senioris, quem animâ cariorem habuit, colloquio vel qualicunque literarum commercio privatus. Obiit anno 1332. die XIII. Martii, XXX. post Andronici mortem diebus: à Nicephoro Gregorâ, discipulo & amico summo, funebri oratione laudatus. Vir, judice Gregorâ *, Τῶν ὑφ᾽ ἡλίῳ σοφώτατος, qui φύσεως εὐμοιρίᾳ πρὸς λόγους, καὶ καρτερίᾳ πρὸς πόνους, καὶ μνήμης ὑγιείᾳ καὶ καθαρότητι, σοφίας ἁπάσης εἰς τὸ ἀκρότατον ἤλασεν. --- βιβλιοθήκη γὰρ ἦν ἔμψυχος οὗτος, καὶ τῶν ζητουμένων πρόχειρος εὐπορία. Οὕτω πάντας μακρῷ τῷ μέτρῳ παρέστημεν, ὅσοι ποτὲ λόγων ἥψαντο. *Vir omnium, quos sol intuetur, doctissimus; qui facundiâ naturali & tolerantiâ laborum, & memoriæ præstantiâ summum omnis eruditionis fastigium conscenderat. --- Viva Bibliotheca, & eorum, quæ scire velles, oraculum. Tanto intervallo omnes eos superabat, qui unquam in studiis versati sunt.* Immani prorsus errore hunc cum Georgio Metochite, Becci socio, confundit Cl. Vossius *, atque adeò insigni Parachronismo Beccum & Meliteniotem Theodoro Metochitæ exilii comites adjungit.

* Hist. l. 7. 8. p. 190.
* De Hist. G. l. 2. c. 29.

SCRIPTA.

Compendium *Historiæ Romanæ* à Julio Cæsare ad Constantinum Magnum, à Joanne Meursio cum versione sua ac notis editum Gr. Lat. *Lugduni Bat.* 1618. 4°. Sed non aliam esse hanc *Historiam* quàm *Glycæ Annalium librum tertium* demonstrat Theophylus Raynaudus *, cui proinde non immeritò vapulat Meursius.

* De bon. & mal. lib. p. 156.

Paraphrasis in octo libros Physicorum, & *parva Naturalia Aristotelis*; quæ à Gentiano Herveto Latinè versa prodiit *Basil.* 1559. 4to.

Historiæ Sacræ libri 2. & *Historia CP. liber unicus*, extiterunt Græcè MSS. penès Meursium.

Capita CXX. *Philosophica & Historica*, MSS. in Biblioth. Augustanâ *. Alia alibi.

* Index MSS. Bibl. August. p. 74.

RAYMUNDUS LULLIUS, seu LULLUS, gente Catalaunus, Raymundi Lulli & matris ex illustri Herilium familia filius, in Insulâ Majoricâ apud Baleares in vico S. Michaëlis natus anno 1236. Claruit anno 1301. Juvenis Mercaturam coluit spe quæstûs, seu, ut alii habent in Majorcæ Regis aulâ militavit, Seneschallus Jacobo Regi factus, libidine & insanis amoribus infamis, donec tandem inopinato quodam casu ad meliorem frugem converteretur. Aulâ igitur relictâ, quadragesimo ætatis anno Fratribus Minoritis se adjunxit, totus pietatem spirare cœpit, ingenti desiderio Mahumetanos ad fidem Christi convertendi flagravit; adeóque literarum studiis, quæ olim flocci fecerat, diligenter incubuit. Penitiora imprimis Medicinæ ac Chemiæ arcana perscrutari & ediscere in votis habuit: licèt VVaddingus *, & cum eo alii, totum artis Chemicæ studium, non ad nostrum, sed ad juniorem quendam Raymundum de Terragâ, & Neophytum dictum è Judæis ad Christianos conversum, spectare contendant. Utut sit, Lullus primis Latinæ Linguæ elementis Lutetiæ imbutus; & ab emptitio quodam servo Mahumetano (à quo mox perfidè vulneratus summum vitæ discrimen adiit) Arabicum sermonem edoctus, innumeris ferè libris, Hispanâ, Latinâ, & Arabicâ Linguâ evulgandis animum adjecit. Dein in montem secedens, precibus & contemplationi per septem menses totus vacavit, ibique novum 1301. H.W.

* Annal. Minor. Tom. 3.

SÆC. XIV. ab A. MCCC. novum scientiæ lumen divinitùs infusum accepisse dicitur. Mox Romam ad Honorium IV. profectus ut Cœnobia, in quibus studia linguarum Orientalium vigerent, ab eo ubique terrarum erigi juberentur, postulavit anno circiter 1287. Ejusdem rei promovendæ gratiâ Parisios, Montem Pessulanum & Genuam ordine petiit; ac ubique locorum Artem suam Generalem, quam Inventivam appellavit, summo studio edocuit. Anno sequente, ut eandem sibi Romæ prælegere liceret, frustra postulavit. Genuam igitur reversus, ad meditatum diu opus Evangelii inter Mahumetanos prædicandi se accinxit. Tunetum itaque in Africa trajiciens, disputatione cum Saracenis initâ grave capitis periculum adiit, sacerdotis cujusdam Arabis precibus ægrè liberatus, lege tamen latâ, ut in Africam reverso mors irrogaretur. Ex Africa Neapolim venit; ibique artem suam usque ad annum 1290. prælegit. Postmodò ut Romæ eam doceret, à Bonifacio VIII. petens repulsam tulit. Mox Genuam profectus, multos exaravit libros; Majorcam Regem invisit; Lutetiam, artem suam iterum prælegit, rursus Majorcam, cùm Judæis & Saracenis disputavit, Cyprum, Jacobitas & Nestorianos voce oppugnavit, ac propinatum ab iis venenum ægrè evasit. Genuam ac Parisios reversus, artem suam edocuit; de eâdem verò Romæ docendâ Clementem V. interpellans, rejectus est. Dein Lugdunum mox Majorcam concedens, inde in Africam ad Bugii Regiam transfretavit, ac fidem Christi prædicare cœpit. A Saracenis verò lapidibus appetitus, & ab Alfalcino eorum Sacerdote rationem fidei suæ postulatus, cùm Philosophicis argumentis eam demonstratum iret, in squallidum carcerem conjectus est. Tandem Genuensium Mercatorum precibus liberatus, ex Africa solvit; & amissâ naufragio totâ librorum supellectile, Pisam appulit. Nonnulli tamen iter istud Bugiense in annum 1313. circiter rejiciunt. Dein recuperandæ Terræ Sanctæ animum adjiciens, bellum sacrum strenuè apud omnes hortari cœpit, ejusque suscipiendi seu animo seu prætextu ingentem nummorum vim à matronis Italis corrasit. Avenionem itaque ad Clementem V. profectus, ut Sacrum Bellum decerneretur, petiit. A Pontifice ludibrio habitus, Lutetiam secessit, artique suæ edocendæ incubuit usque ad Concilium Viennense anno 1311. Apud Concilii enim Patres omnimodo sategit, ut Studia linguarum ubique extruerentur, ut ex omnibus ordinibus militaribus unicus conflaretur, ut Sacrum Bellum indiceretur, ut Averrois scripta damnarentur; nil tamen obtinuit. A Concilio rejectus, ad Reges Christianos se contulit, quos ad Sacrum Bellum suscipiendum sollicitare non desiit. Aulas itaque Regias Galliæ & Hispaniarum circumvagatus, tandem in Angliam devenit, ibique artem Chemicam exercuit. Parùm tamen fidei meretur, quod Joannes Imperialis *, ipse etiam dubitabundus, ex aliorum auctoritate refert, *pilas quasdam æneas hujus operâ in auri substantiam versas ad hæc usque tempora in Regis Britanni atrio asservari.* Verùm iter istud Anglicum, multis argumentis in medium prolatis, dubium reddit Lucas Waddingus †. Anno circiter 1314. Raymundus derelictâ uxore (uxoratus enim fuit) tertiarium Franciscanorum ordinem suscepit, & immenso Martyrii desiderio æstuans, pro Christo occumbere certum habuit. Aliquantulùm igitur in Siciliâ & Majorcâ commoratus, in Africam denuò trajecit, ubi postquàm nonnullos ad fidem Christi perduxisset, Tuneti, seu, ut alii Bugiæ, in carcerem conjectus, & gravissimis vulneribus ac tormentis à Saracenis excruciatus est. Semianimis à Genuensibus Mercatoribus eductus, & in navem delatus, in conspectu patriæ Insulæ animam efflavit die XXIX. Junii anno 1315. ætatis suæ 80. Ingens de eo apud Scriptores est Controversia. Alii enim, & in his Bzovius, eum hæreticis, histrionibus, & circumforaneis nugivendulis annumerant; insanum Chemiæ studium, atque auri conficiendi sitim exprobrant, & quingentos ferè errores ex libris ejus desumptos à Gregorio XI. Avenione anno 1372. anathemate notatos esse produnt. Alii è contrà eum in Sanctorum & Martyrum album reponunt: Pietatem, zelum & doctrinam deprædicant: totam illam librorum Chemicorum & Medicorum farraginem Raymundo Neophyto deberi volunt; Lullium denique adeò in ejusmodi nugis non ineptiisse, ut in Scriptis genuinis Alchymistarum stultitiam sæpissimè irrideat, contendunt. Hujusmodi ferè argumentis Lullii partes operosè tutatur, qui de illo ejusque peregrinationibus, morte, arte, doctrinâ, libris fusissimè agit, Lucas Waddingus Annal. Minor. ad ann. 1275, 1287. 1290. 1293, 1295. præsertim verò ad ann. 1315. ferè per totum.

* Mus. Histor. p. 13.

† Annal. Minor. Tom. 3. ad an. 1315. num. 3.

SÆC. XIV. ab A. MCCC.

SCRIPTA.

Probatio Articulorum Fidei & Legis Christianæ. Colon. 1509.

Liber Natalis Pueri Iesu, anno 1310. scriptus. *Paris.* 1499.

Liber Blanquerna dictus, *de quinque statibus Personarum*, viz. de Uxoratis, Religiosis, Prælatis, Cardinalibus, & Pontificibus. In linguam Valentinam conversus prodiit *Valentiæ* 1521.

Liber de orationibus & contemplationibus intellectûs. Ibid.

De Meditationibus totius anni, seu *de Amico & Amato. Paris.* 1505.

De laudibus B. Virginis Mariæ, seu *Ars Inventionum. Paris.* 1499.

Clericus, seu *Liber pro Clericis.* Ibid.

Phantasticus, anno 1211. scriptus, quo Phantastici nomen sibi vulgò impositum amolitur, suique Apologiam texit. *Ibid.*

Philosophia amoris, an. 1298. scripta. *Paris.* 1516.

Liber Proverbiorum. Ibid.

Commentaria in Primordiale Evangelium Ioannis, seu in I. caput Joannis, *Ambianis* 1511.

Arbor Scientiæ. Venet. 1514. *Lugduni* 1515.

De Demonstratione per æquiparanuam liber, anno 1304. scriptus *Valentiæ* 1510.

De substantiâ & accidente liber, quo Trinitatem probandam sumit: anno 1313. scriptus. *Valentiæ* 1520.

Disputatio Raymundi Lulli & Homerii Saraceni, primò Bugiæ habita Sermone Arabico, dein Latinè à Lullo conversa anno 1308. *Valentiæ* 1510.

Disputatio quinque hominum Sapientum, anno 1294. *scripta. Valentiæ* 1520.

Quæstiones super IV. libros Sententiarum, anno 1298. scriptæ. *Lugduni* 1491. Panormi 1507.

Quæstiones Magistri Thomæ Atrebatensis solutæ secundum artem, anno 1299. scriptæ. *ibid.*

De Anima rationali liber, anno 1294. scriptus. *Compluti* 1519.

Logica parva. Compluti 1518. & cum Commentariis Antonio Belver. *Majoricæ* 1584.

Logica nova, anno 1503. scripta. *Valentiæ* 1519.

Ars brevis, quæ dicitur, *Ars universalis magna*, anno 1307. scripta; pluribusque Opusculis, quibus totidem sunt tituli, comprehensa. Prodiit *Argentinæ* 1617. 8vo. *Valentiæ* 1515. f. *Francofurt.* 1596.

Practica compendiosa artis. Lugduni 1525. 4to.

Ars generalis ultima, anno 1308. finita. *Majoricæ* 1645.

Liber Correlativorum innatorum, anno 1309. scriptus. *Valentiæ* 1512.

Ars

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab A.MCCC

Ars inventiva veritatis. Valentiæ 1525.

Tabula generalis ad omnes Scientias applicabilis, anno 1293. concinnata. *ibid.*

Ars Expositiva, seu *Lectura* super duos praecedentes libros. *Ibid.*

Liber de ascensu & descensu intellectûs, anno 1304. scriptus. *Valentiæ* 1519.

Dialogus de immaculatâ B. Virginis Conceptione. Prodiit Hispanicè & Latinè *Bruxellis.*

Testamentum duobus libris universam artem Chymicam complectens, anno 1332. scriptum. Prodiit *Colon.* 1566, 1573. 8°.

De Secretis Naturæ, seu *quintâ essentiâ libellus*, cum *Epistolâ ad Robertum Regem de lapide Philosophorum. Augustæ Vindel.* 1518. 4°. *Venet.* 1514, 1521. 4°. *Argentinæ* 1541. 8°. *Colon.* 1567. 8°.

Secreta Secretorum Lullii & Hermetis Philosophorum. Colon. 1592. 8*vo.*

Clavicula & Apertorium Alchymiæ, item *Magia naturalis. Noriberg.* 1546. 4*to. Colon.* 1579. 4*to.*

Codicillus, seu *Compendium artis Chymicæ Colon.* 1572. 8*vo. Rothomagi* 1651. 8*vo.*

Apertorium de veri lapidis compositione. Basil. 1561. f. *Argentorati* 1613. 8*vo.*

Ars intellectiva super lapidem Philosophorum & Practica lapidis, ibid.

Compendium animæ transmutationis Theoria & Practica, atque alia varia Opuscula. *Basil.* 1561. *Argentinæ* 1613. *Francofurt.* 1550. 4*to.*

Liber de Mercuriis, anno 1333. conscriptus, *ibid.* & seorsim *Colon.* 1567. 8*vo.*

Praxis universalis magni Operis, inter alia Opuscula Chymica *Basil.* 1561. *Argent.* 1613. *Ursellis* 1602. 8*vo.*

Repertorium, ad intelligendum Testamentum, Codicillum, aliosque Raymundi libros perutile. *Ibid.*

Varii Tractatus Chymici. Basil. 1572, 1610. 8*vo.*

Ars operativa Medica Basil. 1597. 8*vo.*

Epistola Medica. Noribergæ 1625. 4*to.*

De *conservatione vitæ Tractatus*, cum *libro Secretorum. Argentorati* 1616. 8*vo.*

Cæterùm plura quàm quatuor voluminum millia conscripsisse Raymundus dicitur. Operum tamen ejus excusorum nullus quod sciam Catalogum contexuit accuratum. In indiculo nostro desunt certo certiùs quamplurima; quin & fortasse Theologica pleraque quæ maximè notari meruerunt. Scripsit enim Lullius; *Psalterium*, seu, *Librum de centum nominibus Dei*; *Tractatum de Confessione*, *Libros de Contemplatione plures*: *De centum signis & dignitatibus Dei*: *Expositiones binas Orationis Dominicæ*, *Tractatus de Oratione complures*: *De Conscientiâ*, *De consolatione eremiticâ*: *Artem Prædicandi majorem ac minorem*: *De IV. sensibus S. Scripturæ*: *Librum LII. Sermonum contra omnes incredulos*: *De Antichristo*: *De Articulis fidei*: *De Deo ignoto & mundo ignoto*: *De Trinitate in Unitate*, sive *de essentiâ Dei*: *De Spiritu S. contra Græcos*: *Adversus Judæos*: *De modo convertendi Infideles*: *Libros de Attributis sive Proprietatibus Dei quamplurimos*: *De Prædestinatione & Libero Arbitrio*: *De naturâ Angelicâ*: *De Invocatione Dæmonum librum* (qui tamen potiùs Raymundo Neophyto debetur) *De septem donis Sp. S. & eorum effectibus* (MS. in Bibliothecâ Mertonensi Oxon. cod. 170.) atque alia ferè innumera; quæ longo ordine recenset Lucas VVaddingus de Scriptor. Ord. Minor. p. 296.

1301. H.W. GULIELMUS DE NANGIACO, seu de *Nangis*, natione Gallus, Ordinis Benedictini Monachus in Cœnobio S. Dionysii Parisiensi, claruit anno 1301. Scripsit *Historiam* ab orbe condito ad annum 1301. juxta annorum seriem: quam ad annum 1368. continuârunt bini ejusdem Cœnobii Monachi. Fragmentum ejus ab anno 977. ad 990. edidit P. Pithæus inter Scriptores Coætaneos *Francofurt.* 1594. p. 207. Integram dedit Dacherius Spicileg. Tom. XI. p. 405. Scripsit adhuc Gulielmus *Chronicum Regum Franciæ* ad annum usque 1301. à Pithæo inter alios Scriptores Francicos evulgatum *Francofurt.* 1596. quin & *Gesta* S. Ludovici Francorum Regis, filiorumque ejus Philippi Audacis ac Roberti. Prodierunt *ibidem* à Pithæo edita, & apud Andr. Quercetanum Hist. Franc. Tom. V.

GULIELMUS MANDAGOTUS, gente Gallus, ex Archidiacono Nemausensi & Uticensi Pontificis Romani Capellanus, & Ecclesiæ Tolosanæ Præpositus. Anno 1295. Ebredunensis Archiepiscopus à Bonifacio VIII. creatus est. Claruit anno 1301. Anno 1312. Ecclesiæ Romanæ Cardinalis & Episcopus Prænestinus à Clemente V. die XIV. Decemb. renunciatus est. Obiit Avenione anno 1321, seu, ut alii, 1324. Præter operam quam Bonifacii VIII. jussu *sexto Decretalium libro* condendo navavit, scripsit *Tractatum de Electionibus novorum Prælatorum*, qui typis excusus prodiit *Colon.* 1573. 8*vo.* cum additionibus Boerii. 1301. H.W.

HENRICUS STERO, Natione Germanus, Cœnobii Altaichensis inferioris Monachus Ordinis Benedictini, Hermanni Abbatis Capellanus, ac demum, ut nonnulli volunt, Abbas Piburgensis, claruit anno 1301. Scripsit *Annales* ab anno primo Frederici Barbarossæ Imp. ad primum Rodulphi Habspurgensis, seu ab anno Christi 1152. ad 1273. Annales istos primus edidit Marquardus Freherus inter alios Scriptores Germanicos; auctiores dedit Henricus Canisius Antiq Lect. Tom. I. p. 229. Scripsit etiam Stero *Historiam de rebus gestis Rudolfi Habspurgensis*, *Adolfi Nassovii*, *& Alberti Austriaci Impp.* ab anno 1266. ad an. 1300. quam Ulricus & Conradus VVelling fratres, Monachi Cœnobii Augustani SS. Udalrici & Afræ O. B. ad annum 1335. continuârunt. Extat *Historia* ista cum VVellingorum *Continuatione* apud Freherum Scriptor. German. *Francofurt.* 1600. Tom. I. p. 384. 1301. H.W.

DINUS MUGELLANUS, Gente Italus, è Mugello agri Florentini vico oriundus, Juris utriusque consultissimus, & apud Bononienses Professor primarius, claruit anno 1301. A Bonifacio VIII. Cardinalatûs pollicitatione Romam accitus, sedulam illi in condendo sexto Decretalium libro operam præstitit. Pontificis tamen perfidiâ mercede excidit. Cardinalitiæ dignitatis consequendæ spe dejectus, ex nimio animi mœrore obiisse dicitur anno 1303. non quidem adhuc sine veneni suspicione. 1301. H.W.

SCRIPTA.

Commentarius in Regulas Iuris Pontificii. Colon. 1569. 1594. 8*vo.* & cum additionibus Nicolai Boerii. *Colon* 1617. 8*vo.*

Commentarius in Titulum Institutionum de Actionibus. Lugduni 1568. *Francofurt.* 1568. 8*vo.*

Tractatus de Præscriptionibus secundùm annorum, mensium, & dierum numerum. Colon. 1568. 8*vo.* 1576. 8*vo. Venet.* 1584. *Colon.* 1594. 8*vo.*

De Glossis contrariis Iuris Civilis Francofurt. 1596. *Venet.* 1584.

De Successione ab Intestato, & *de Interesse*, *Colon.* 1590. *Venet.* 1584.

Commentarius in librum sextum Decretalium, Bonifacii VIII. jussu elucubratus, *Consilia*, aliaque jus utrumque spectantia nondum typis prodiisse videntur.

JACOBUS DE BENEDICTIS, *Iacoponus* 1301. H.W.

SÆC. XIV. abA.MCCC. *nus* ob ingentem sui contemptum dictus, natione Italus, Patriâ Tudertinus, nobili loco natus. Relicto sæculo, familiæ Franciscanæ se adjunxit; & eximiâ vitæ sanctitate (prout ista ferebant tempora) spectabilis, claruit anno 1301. Præ cæteris autem pietatis officiis mirabili sui ipsius contemptu enituit. Francisci enim Patriarchæ vestigiis quàm proximè insistendum, ratus, ludibrium sibimet inferendum summoperè ambivit; id maximè meritorium, & supremum perfectionis Christianæ gradum esse arbitratus. Nec voto quidem excidit. Dum arrepto enim sibi munere Prophetico inconditas Revelationes in vulgus jactaret, & Bonifacii Pontificis (cui nondum ad Papatum evecto familiaris fuerat) mores factaque redargueret, ludibrium tulit, à Bonifacio in vincula conjectus in Urbe Prænestinâ. Utut novum illud pietatis ostentandæ artificium istiusmodi titulum tumulo ejus inscriptum meruit.

Ossa B. Jacoponi de benedictis,
Tudertini Fr. ordinis minorum,
Qui Stultus Propter Christum,
Nova Mundum arte delusit,
et Coelum rapuit.
Obdormivit in Domino
Die xxv. Decembris, anno mcccvi.

Scripsit, linguâ rudi Italicâ *Rithmos & Poemata multa*, quibus crassiora verba, Tudertina, Calabra, Sicula, Neopolitana, datâ operâ immiscuit; ut Lectoribus risum, sibi ludibrium moveret. Franciscus Fresatus Minorita ista in septem libros distribuit, notisque illustrata edi curavit *Romæ* 1558. auctiora *Venet.* 1617. 4to. Ejusdem *Rythmus ad B. Virg. Mariam prope crucem Christi Patientis stantem*, qui incipit, *Stabat Mater dolorosa*, in Officio B. Virginis habetur. *Sententiæ & Monita Salutaria*, apud Matthæum Raderum in Viridario Sanctorum. *Canticum de Contemptu Mundi*, cui initium, *Cur Mundus militat sub vanâ gloriâ*! omnibus satis notum. Denique *Prophetia* MS. in Bibliothecâ Vaticanâ.

1301. R.G. JACOBUS CAJETANUS de Stephaniscis, natione Italus, patriâ Anagninus, Ord. Fr. Min. Bonifacii Papæ VIII. ex fratre nepos, claruit anno MCCCI. Bonifacii Patrui sui favore in S. Cardinalium Collegium titulo *S. Georgii ad velum aureum* Card. Diaconus cooptatus, res Romanas consilio & prudentiâ non parum adauxit; obiit anno MCCCXLIII. *De ratione, institutione, & celebratione Anni Iubilæi*, opus exaravit: Extat Julii Rosei Scholiis adornatum Bibl. PP. Tom. XXV. pag. 936. Accedunt duo carmina versu Heroico. *Vitam* etiam Cœlestini Papæ V. & *Historiam* Coronationis Bonifacii VIII. literis consignavit; Opus in tres partes distinctum versibus Heroicis non invenustis confecit, præmissis Epistolâ & Præfatione sermone libero. Initium operis, *Alma Petri sedes jamdudum languida vultu.* Habetur MS. Paris. in *Codice Naudæano* VI. Vide Labb. Catal. Bibl. MSS. p. 236.

1301. R.G. DANTES ALIGERIUS, natione Italus, patriâ Florentinus, nobili prosapiâ oriundus, claruit anno MCCCI. in lucem editus est anno MCCLXV. Ab ipsis propè incunabulis musas coluit, & politiori literaturæ animum adjecit: Anno MCCCI. à Guelphis potentioribus inter Gabellinos, ex iis unus, oppressus, absens damnatus & in exilium actus, Bononiam primùm se contulit, deinde Parisios, Veronæ posteà à Cane Scaligero hospitio exceptus, ubique studiis gravioribus operam dedit; Ravennæ demum consedit, ubi & fatalem diem obiit anno MCCCXXI, ætatis suæ LVI. ibique honorificè tumulatus. Jura Imperialia adversùs Pontificum Rom. usurpationes erudito planè opere defendit, quod *Monarchiam* inscripsit. Opus istud tribus libris absolutum primus in lucem emisit inter varios Auctores *de Imperiali Iurisdictione & Potestate Ecclesiasticâ* Simon Schardius, Basil. 1566. Argent. 1609. *fol.* Separatim edidit Joan. Operinus Typographus Basileens. 1559. 8°. Dantem istum alium à Dante Poëta immeritò suspicatus. Notandum est dictum opus in Indd. expurgat. prohiberi, & Poëmatum (quæ plurima patrio sermone magnâ ingenii ubertate cecinit) loca nonnulla, quibus Monachorum inertiam & luxuriam perstrinxit, unde Romæ hæresis censuram vix aut ne vix quidem evitavit: Scripsit etiam *de Vulgari Eloquentiâ* libros duos à Jacobo Corbonello editos Paris. 1577. 8°. SÆC. XIV. ab A.MCCC.

GERVASIUS RICOBOLDUS, natione Italus, patriâ Ferrariensis, Ecclesiæ Ravennensis Canonicus, claruit anno MCCCI. Ad instantiam Michaëlis Ecclesiæ Ravenn. Archidiaconi scripsit *Chronicon totius Orbis*, quod *Pomarium* inscripsit, in sex libros digestum. Primus ab Orbe condito ad Abrahamum natum: Secundus à nativitate Abrahæ ad Romam conditam: Tertius ab Urbe conditâ ad natalem Christi progreditur: Quartus historiam Cæsarum Romanorum complectitur: Quintus orbis terrarum descriptionem continet: Sextus successiones & gesta Pontificum Romanorum exponit usque ad ann. MCCC. quo tempore vixit, cui subjungitur series Patriarcharum quatuor illustrium sedium Antioch. Hierosol. Alexandr. & Ravennens. omissis CP. eo quod ab Apostolorum temporibus originem non duxerint. In historiâ Patriarcharum Ravenn. Andr. Agnelli *de Archiepisc. Ravenn. Commentarios* descripsit: Extabat Chronicon prædictum MS. apud celeberr. Bataviæ Historiographum Petr. Scriverium, qui editionem ejus cum Sigeberto, Rheginone, aliisque Chronologis diu meditatus est, nec tamen perfecit; habetur etiamnum in Biblioth. Reginæ Christinæ ex Gallia deportatum. Porrò Auctorem nostrum Opus suum in compendium redegisse, brevemque ipsius Epitomen, quæ in Bibl. Vaticanâ MS. reperitur, confessè testatur Hieron. Rubeus Hist. Ravenn. lib. VI, ad ann. 1291. 1301. R.G.

JOANNES FRIBURGENSIS, à nonnullis *Joannes de Uriburgo dictus*, cognomento *Runsic*, natione Germanus, Friburgo in Brisgoiâ oriundus, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, ac tandem Episcopus Ossunensis in Hungariâ, claruit anno 1302. In concionibus adeò potens, ut dum semel apud Bononiam in usuram inveheretur, Cives tumultu facto usurarios urbe ejicerent. Obiit anno 1314. Postquàm abdicato Episcopatu vitam otiosam apud Dominicanos suos aliquandiu exegisset. 1302. H.W.

SCRIPTA.

Summa Prædicatorum. Prodiit *Reutlingæ* 1487.
Summa major, seu *Confessariorum*, in IV. partes distributa. *Lugduni* 1518.
Glossa in Summam Raymundi Pennafortis de Pœnitentiâ & Matrimonio. Prodierunt unà cum Summâ *Romæ* 1603. 4to.
Commentaria ejus *in libros Sententiarum*, *Glossas in Decretum*, *Epistolas*, atque alia quædam memorat Ambrosius de Altamura Biblioth. Prædicat. p. 95. 468.

PETRUS CASSIODORUS, Cassiodori filius, natione utrum Italus (an Anglus) non satis constat; equestri familiâ natus, optimisque artibus & disciplinis excultus, claruit anno MCCCII. 1302. R.G.

Hic

Digitized by Google

SÆC. XIV. abA.MCCC. Hic immanis Tyrannidis, avaritiæ, & exactionum Papalium pertæsus, cogitationes suas literis mandavit, & *Epistolam monitoriam* ad Anglorum Ecclesiam misit, ne ampliùs Rom. Pontificum jugo colla subderet: Extat Epistola supradicta apud Fl. Illyric. *Catal. Test. Verit.* p. 1595. & inter Tractatus *de Monarchiâ Imp. Rom.* à Goldasto editos, Tom. I. p. 11.

1303. H.W. PTOLOMÆUS LUCENSIS, gente Italus, ex civitate Lucâ, S. Thomæ Aquinatis discipulus, Ordinis Prædicatornm Monachus, claruit anno 1303. Tandem Joanni XXII. Pontifici à sacris Confessionibus fuit; atque anno 1318. Episcopus Torcellensis in ditione Venetâ creatus, obiit anno 1321. Scripsit *Annales* rerum tum sacrarum tum civilium ab anno 1060. ad annum 1303. gestarum; item *Chronicon Pontificum atque Imperatorum*. Prodiit utrumque Opus *Lugduni* 1619. *Annales* habentur in Bibliotheca Patrum Tom. XXV. p. 949. Scripsit etiam ad Gulielmum. Petri Godivum, postea Cardinalem *Historiam Ecclesiasticam* libris XXIV. quæ asservatur MS. in Bibliothecis Vaticanâ, Barberinâ, Colbertinâ, & Navarrensi. Habetur excerptum ejus *de Genealogica Roberti Guiscardi* Tom. III. Hispaniæ illustratæ. Aliud *de Genealogia & posteritate Caroli Siciliæ Regis* in Collectaneo Hist. Franc. Tom. V. p. 893.

1303. R.G. PTOLOMÆUS LUCENSIS, Lucâ Italiæ urbe oriundus, ordinis S. Dominici Monachus, claruit anno MCCCIII. ad hunc quippe annum Annales produxit. Præter Annales, *Historiam etiam Ecclesiasticam* adornavit, Guil. Petri de Baionâ S. Ceciliæ Card. Presb. nuncupatam, ad Clementis Papæ V. mortem productam. Huic Anonymus quidam Appendicem adjecit: utrumque Opus, & Historiam & Appendicem in suis Annal. Eccles. passim laudat H. Spondanus: utriusque etiam partem edidit Steph. Baluzius, Clementis Papæ V. vitam à Ptolomæo, Joannis XXII. Benedicti XII. Clementis VI. Innocentii VI. Gregorii XI. Paparum vitas à Continuatore conscriptas. *Vit. Pap. Aven. Tom. I.* pagg. 23 173. 235. 299. 357. 477. Integra extat MS. in Biblioth. Colleg. Fuxens. Tolosæ. Porrò *Concionem* habuit Mantuæ Ptolomæus noster, in quâ Christum non in utero Virginis, verùm juxta cor ipsius ex tribus sanguinis guttis conceptum retulit. Contra quem Bap. Mantuanus *Tractatum de parte corporis, in quâ conceptus est Christus* edidit, qui inter Opera ejus habetur.

1304. R. G. RADULPHUS de BALDOCK, natione Anglus, Theologus & historicus sui temporis non vulgaris: claruit sub Edvardis I. & II. Angliæ Regibus, anno MCCCIV. in Ecclesiâ D. Pauli Londinensis varia progressu temporis munia obiit, Archidiaconus Middlesexiæ primò, deinde anno MCCXCIV. Decanus, tandem anno MCCCIV. à Canonicis Episcopus electus, à Clemente Papa V. confirmatus; & anno MCCCVI. Lugduni à Cardinale Albanensi consecratus est: domi reversus ab Edvardo I. Rege summus Regni Cancellarius renunciatus: verùm Rege mortuo munus istud citò deposuit, & Ecclesiæ suæ regimini in posterum totus vacavit. Obiit anno MCCCXIII. & in *Novo Opere*, cui extruendo nec curis nec sumptibus pepercerat, sepulturæ locum habuit. In historiis evolvendis, & antiquitatibus patriis indagandis operam non inutilem posuit. *Chronicon* à primâ gentis origine ad sua usque tempora perductum post se reliquit; quod *Historiam Anglicam* inscripsit: Opus hoc nunquam typis excusum est: Utrum exemplar ejus MS. alicubi nunc extet, incertum est: Lelandum istud Londini aliquando vidisse ex ipsius testimonio refert Balæus*, deperditum censet Whartonus†. Certè à Reverendiss. Usserio Armachano illustri suo Opere *de Britann Eccles. Antiquit.* non semel laudatur, pag. 21. 27. 73. qui tamen opus integrum forsan non vidit cùm testimonia, quæ profert, ex Lelandi Collectaneis in Bibl. Bodleianâ MSS. haurire potuit. *Statuta* etiam, & *Consuetudines Ecclesiæ suæ* in unum Volumen Decanus congessit quod anno 1559. extitisse in Archivis, ex *Monast. Angl.* Tom. III. p. 365. advertere licet. SÆC. XIV. ab A MCCC.

* Cent. IV. n XCV. p. 177.

† De Episc. Lond. p. 110.

EBERARDUS, natione Germanus, Cœnobii Altahensis Monachus Ordinis Benedictini, Ecclesiæ Ratisponensis Archidiaconus, claruit anno 1305. Scripsit *Annales de Ducibus Austriæ, Bavariæ, & Sueviæ* ab anno 1273. (quo desiit Henricus Stero) ad an. 1305. Steronis interim Annales continuare præ se ferens, ejusdem Historiam de Rodulpho Imp. egregiè compilavit. Extant *Annales* Eberhardi apud Canisium Antiq. Lect. Tom. I. p. 307. 1305. H.W.

CLEMENS V. *Bertrandus Gotto* antea appellatus, natione Vasco, ex vico Villendraut in Diœcesi Burdegalensi oriundus, Bertrandi filius, ex milite Clericus, primùm Episcopus Convenarum, dein anno 1299. Archiepiscopus Burdegalensis à Bonifacio VIII. creatus, tandem anno 1305. Pontifex Romanus absens electus est Perusii die v. Junii, coronatus Lugduni die XIV. Novembr. Pontificatum adeptus, sedem ab urbe Româ in Galliam transtulit, modò Lugduni, modò Burdegalis, potissimùm verò Avenione commoratus, & in grati animi tesseram Regno Galliæ nullum ex Bonifacii VIII. Bullâ, *Unam Sanctam Catholicam Ecclesiam*, præjudicium esse factum declaravit. Anno 1307. Andronicum Græcorum Imp. ob Schismatis crimen excommunicavit: initoque cum Angliæ ac Galliæ Regibus consilio, omnes unâ eademque nocte comprehendi, & in carcerem mitti fecit Templarios, quorum opulenti reditus invidiam iis excitarant, & idololatriæ blasphemiæque criminationes induxerant. Anno 1309. Venetos ob occupatam Ferrariam anathemate percussit, & personas ac res eorum occupare volentibus donavit. Eandem paulò post censuram Florentinis & Lucensibus irrogavit. Anno 1311. mense Novembri, habito Viennæ Generali Concilio Franciscanorum Ordinem confirmavit; & Templarios hæreseos damnari, proscribi, ac bonis exui effecit. Hinc ad supplicia passim rapti flammis interierunt Templarii: bona eorum Hospitalariis data. Anno 1313. Henricum VII. Imp. qui Romam ad coronam accipiendam profectus, Cardinalibus Pontificis vicariis fidelitatis Sacramentum præstare denegarat, & jura sua armis recuperatum ivit, è medio tollendum curavit, venenatâ hostiâ à Bernardo Politiano Dominicano Confessore suo ad id subornato, ei dum Florentiam obsideret; traditâ. Obiit Clemens Roccæ-Mauri super Rhodanum anno 1314. die XX. Aprilis. Extant, *Epistola & Decreta* XVIII. Concil. Tom. XI. p. 1499. *Alia* XVI. apud Bzovium Annal. ad an. 1307. &c. *alia* XI. apud Waddingum Annal. Minor. Tom. 3. ad an. 1306. &c. *alia* XLVI. ibid. in Regesto Pontif p. 28. *Constitutiones Clementinæ, seu Decretalium liber septimus*, Clementis V. jussu ex variis sui & Concilii Viennensis Constitutionibus collectus in libros v. distributus, & post mortem ejus à Joanne XXII. anno 1317. divulgatus. Prodiit Parif. 1517. 12*mo.* ibid. 1541. Rhotomagi 1519. 12*mo.* Venet. 1591. 8*vo.* Lugduni 1584. f Francofurt 1586. 8*vo.* Denique *Epistolarum Regesti Volumina* IX. in Bibliothecâ Vaticanâ MSS. asservata. 1305. H.W.

1305. H.W. THOMAS JORSIUS, sive JOYCE, Anglicus

SÆC. XIV. ab A.MCCC. Anglicus, & Gualensis dictus, gente Anglus, Patriâ Londinensis, origine forsan Cambro-Britannus; Alberti M. Discipulus, Ordinis Dominicani Monachus, Doctoratûs laureâ insignitus, Theologiam Parisiis, Londini atque alibi docuit: posteà Dominicanorum in Anglia per septennium Provincialis, & Edwardo Regi à confessionibus, & secretis Consiliis ascitus. Claruit anno 1305. quo Cardinalis & Episcopus Sabinensis à Clemente V. renunciatus est die XVIII. Decembr. dignitatem istam grandi pecuniæ summâ mercatus, si Balæo fides. Non desunt equidem, & in his Trithemius & Oudinus, qui Thomam nostrum ad annum 1400. referunt. Quin & lepido prorsus commento Ambrosius de Altamura, ut Scriptorum Dominicanorum Catalogum per fas & nefas augeat, eum datâ operâ in quatuor Scriptores dissecat, ac per totidem Sæculi hujusce partes distribuit: quos licèt ipse diversos fuisse credi velit; unum tamen eundemque esse ex scriptis iis attributis primâ fronte patet. Anno demum 1311. Thomas noster à Clemente ad Henricum VII. Imp. Legatus, Lugduni in itinere obiit. Corpus Oxonium delatum apud Dominicanos sepultum est. Non levem sanè Thomæ nostro Anglico propinquitas nominis cum Thomâ Angelico injuriam fecit: quùm factum exinde fuerit, ut Anglici Operum pars longè maxima Angelico ascribantur, & inter opera ejus collocentur; viz. *Commentaria in Genesin, in Isaiam, in Ieremiam, in Danielem, in libros Maccabæorum, in Threnos, in Epistolas Canonicas, in Apocalypsin, & in Boethium de Consolatione Philosophiæ, ac summa totius Logicæ Aristotelis*; quæ Thomæ Anglico deberi censentur, uti loco suo supra monuimus. Cæterùm sub Thomæ nostri nomine extat *Opus aureum in* XXVII. *Psalmos, Venet.* 1611. f. *Interpretatio Metamorphoseos Ovidianæ secundùm sensum moralem, Paris.* 1509. *Commentarius in Octateuchum*, MS. in Bibliothecâ Collegii Novi Oxon. Cod. 90. Magdalenensi cod. 47. Mertonensi cod. 200. *Commentarius super duos Nocturnos Psalmorum* MS. in Bibl. Evoniensi Oxon. cod. 25. Pembrochiana Cantab. cod. 46. *De quatuor Prædicabilibus ad omne genus humanum*, MS. in Bibl. S. Petri Cantab. cod. 87. *de theoria prædicandi*, MS. ibid. cod. 99. & in Bibl. Lincolniensi Oxon. cod. 20. *De instantibus & momentis*, & *de videndo faciem Dei post Resurrectionem*, MSS. in Bibl. Publica Cantab. cod. 179. *Articuli Hæreticales contra eum, & Responsa*, MSS. ibid. *Commentarius in libros D. Augustini de Civitate Dei*, MSS. in Bib. Mertonensi Oxon. cod. 169. Baliolensi cod. 70 qui quidem excusus est, *Tolosæ* 1488.

1305. H.W. GULIELMUS PARISIENSIS, gente Gallus, Ordinis Prædicatorum Monachus, & Generalis fidei per Galliam Censor anno 1305. à Clemente V. constitutus. Anno 1308. ejusdem Pontificis jussu Templariorum causam & crimina unà cum aliis Prædicatoribus recognovit. Istum, ut videtur, Gulielmum autorem habent *Dialogi* VII. *de Sacramentis*, Gulielmo Arverno Parisiensi falsò tributi, & sub ejus nomine, *Lipsiæ* 1512. *Paris.* 1587. editi: de quibus paulò fusiùs suprà egimus.

1305. H.W. PHILIPPUS EYSTETENSIS, natione Germanus, Patriâ Alsatus, S. Theologiæ Doctor, Abbas Cœnobii Cisterciensium Parisiensis, claruit anno 1305. quo Romam ab Alberto Austriaco Imp. missus, Episcopus Eystetensis sive Aichstadianus ordine XXXIX. à Clemente V. creatus est. Obiit anno 1322. die XXV. Februarii. Scripsit rogatu Annæ, Hungariæ Reginæ, Alberti Imp. filiæ, *Vitam S. Walpurgis*, Abbatissæ Heidenheimensis; quam ex fusioribus Wolfhardi commentariis ferè contexuit. Extat apud Canisium Antiqu. Lect. Tom. IV. p. 560.

1305. R.G. PHILIPPUS EYSTETENSIS ex Abbate Parisiensi Episcopus Eystetensis, claruit anno MCCCV. Præter Vitam S. Walpurgæ suprà memoratam; quamque recusam nuper ediderunt Bollandiani, Tom. V. *Commentarium de Ecclesiæ Eystetensis Divis tutelaribus*, SS. Richardo, Willibaldo, VVunebaldo, & VValpurgâ concinnavit: Opus istud, uti & vitam S. VValpurgæ prædictam, cum observation. suarum libris II. & Catalogo Episcoporum Eystetensium à se adornato, in lucem emisit Jac. Gretserus Ingolst. 1617. 4to.

1307. H.W. SIFFRIDUS, natione Germanus, Misnensis Ecclesiæ in Saxonia Presbyter, claruit anno 1307. quem cum Sifrido, Ordinis Prædicatorum, Episcopo Cyrenensi, & Archiepiscopi Moguntini Suffraganeo circa an. 1470. nonnulli perperàm confundunt. Scripsit Siffridus noster *Chronicon* ab Orbe Condito ad annum 1307 quod omissâ priore parte ad annum usque Christi 457. & resectis in reliquâ plurimis periochis inutilibus, evulgavit Georgius Fabricius Chemnicensis, & Historiæ suæ Saxonicæ calci subjunxit, *Lipsiæ* 1569 *Ienæ* 1598. f. inde à Pistorio inter Scriptores suos Germanicos collatum, *Francofurt.* 1583. Tom. I.

1307. H.W. HAITONUS, sive AITONUS gente Armenus, Haitonis Armeniæ Regis nepos, & exiguæ cujusdam Provinciæ in Georgiâ regulus, postquàm factis sub Aitone Patruo stipendiis Sacræ militiæ egregiam operam navasset; & diuturnum Saracenis Palæstinam tenentibus bellum intulisset; deposito cingulo cucullum induit, ordinis Præmonstratensis Monachus in Cypro factus anno circiter 1290. uti ipse indicat Historiæ suæ cap. 46. Illum sanè familiæ Dominicanæ intulit Ambrosius Altamura *; quo nomine illum furti, injuriæ, quin & mortalis peccati reum agit Cas. Oudinus, ipse Ordinis Præmonstratensis Socius. Haitonus, accepto Antonii nomine, vitam deinceps otiosam egit, pietate non minùs, quàm olim natalibus insignis. Claruit anno 1307. quo Pictavii agens, Clementis V. Pontificis jussu Historiam de Tartaris eorumque moribus ac gestis dictavit; rebus à se fortiter gestis nequaquam dissimulatis. Historiam ab illo Gallicè dictatam ejusdem Pontificis mandato Latinè transtulit Nicolaus Falconius Pictaviensis, stylo, prout ætas ista tulit, minimè eleganti usus. Operi titulum indidit, *Itinerarium & flos Historiarum Orientis*, cujus calci adnectitur *Passagium Terræ Sanctæ*. Prodiit *Hagenoæ* 1529. 4°. inter Novi Orbis Scriptores *Basil.* 1532. f. à Reinero Reineccio editum *Helmstad.* 1585. Italicè autem *Venet.* 1553.

* Biblioth. Ord. Præd. p. 57.

1307. R.G EDMUNDUS de HADENHAM, natione Anglus, Cœnobii Roffensis in agro Cantiano Monachus, claruit anno MCCCVII. Scripsit *Annales* ab Orbe condito ad annum Christi MCCCVII. quos Auctor Anonymus usque ad an. MCCCLXXVII. pressiori stylo continuavit; Annales prædicti, exceptis iis quæ Roffensem Ecclesiam spectant, ab Historiâ quæ sub *Matthæi Westmonasteriensis* nomine olim vulgata est non omnino discrepant; unde ut alter alterum exscribat necesse est. *Additamenta Roffensia*, ut potè antehac inedita, ex Codice MS. Cottoniano *Nero* D. II. extulit VVhartonus, ac luci publicæ donavit *Angl. Sacr.* Tom. I. p. 341.

1308. H.W. ANTONIUS ANDREAS, gente Hispanus, Patriâ Aragonius, *Doctor Dulcifluus* appellatus, Joannis Duns Scoti Discipulus, Ordinis Minoritarum sodalis, claruit anno 1308. obiisse dicitur anno 1320.

SCRIPTA.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab A.MCCC.

SCRIPTA.

Commentaria in IV. *libros Magistri Sententiarum.* Prodierunt curâ Constantini Cardinalis Sarnani *Venet.* 1578. 1584.

Super librum VI. *Principiorum Gilberti Porretani Venet.* 1512, 1517.

Quæstiones super XII. *libros Metaphysicorum. Paris.* 1495. *Venet.* 1513. f. 1523. Istas Joanni Duns Scoto codices ac Scriptores nonnulli adjudicant.

Tria Principia rerum naturalium. Venet. 1517.

Commentaria in Artem veterem Aristotelis, viz. in Isagogen Porphyrii, Prædicamenta, & post Prædicamenta Aristotelis.

In libros Perihermenias Aristotelis.

In librum divisionum Boethii. Prodierunt opera ista postremum recensita, *Venet.* 1480, 1509. f. *Lucæ* 1517. f.

Quæstiones in Artem veterem, & in Divisiones Boethii Venet. 1517.

Quæstiones Mercuriales, seu *Commentarius super Regulas Iuris. Rothomagi* 1509. 4to.

Atque alia forsan, quibus immorari operæ haud pretium erit.

1310. H.W. NICOLAUS TRIVETHUS, seu Trivettus, natione Anglus, Patriâ Norfolciensis, illustri genere ortus, Thomæ Triveti, equitis aurati & Justiciarii regii filius, Londini à pueritiâ inter Dominicanos versatus, eorumque instituta sectatus. Jacta Londini doctrinæ fundamenta, Oxonium profectus, ad culmen perduxit; doctoratûs Pileo ibi insignitus. Postea Lutetiam pergens, majorem sibi & scientiam & famam peperit. Demum Londinum reversus, Dominicanorum Cœnobii Præses seu Prior electus est. Claruit anno 1310 Obiit ferè septuagenarius anno 1328. apud Dominicanos sepultus.

SCRIPTA.

Chronicon, seu *Annales Angliæ* ab anno 1135. ad 1307. à Lucâ Dacherio editum Spicileg. Tom. VIII.

Commentaria in S. Augustini libros de Civitate Dei, in quibus elucubrandis Thomam Anglicum socium & adjutorem habuit. Prodierunt sub utriusque nomine *Tholosæ* 1488. *Venet.* 1489.

De gestis Imperatorum, Apostolorum & Regum MS. in Bibl. Magdalenensi Oxon. cod. 138.

Commentaria in Boethium de Consolatione MS. in Bibl. publicâ Cantab. cod. 236.

Flores super S. Augustini Regulam, MS. in Bibl. Lumleianâ cod. 291.

Ordo Missæ, seu *Speculum Sacerdotale*, MS. in Biblioth. Mertonensi Oxon. cod. 147. num. 1. Eundem esse arbitror, quem in Bibliotheca Archiepiscopi Cantuariensis Lambethana MS. inspexi, Tractatum *de Officio Missæ*, in fol. autore Triveto. Ex literis enim initialibus Capitulorum ejus iste titulus conficitur. *Frater Nicolaus Trivet de Ordine Fratrum Prædicatorum hunc Tractatum compilavit ad honorem Dei.*

Plurima alia Theologica, Historica, Philologica, recensent Baleus, Pitseus, Altamura, quos vide.

1310. H.W. MALACHIAS, gente Hibernus, Ordinis Minorum Monachus, Theologus Oxoniensis, Edvvardo II. Angliæ Regi à sacris concionibus, claruit anno 1310 & si rectè conjicit VVaræus *, posteà Neapolim migravit. *Vir inter insigniores sui Ordinis proceres numeratus* (inquit Baleus †) *magnam eruditione laudem domi forisque sibi comparavit.* Extat *Liber de Veneno Peccatorum mortalium deque remediis ipsorum*, Prælo Henrici Stephani emissus *Paris.* 1518. *Concionum volumen*, quod ab eo conscriptum memorat Baleus, nondum tenebris emersit.

* De Script. Hibern. L. 1. n. 65.
† Gent. 14. p. 242.

1310. R.G. THEOLEPTUS, Philadelphiæ Archiepiscopus, forsan primus; (eam quippe in Metropolim nuper evexerat Andronicus Imp. decimumque ei locum tribuit) claruit anno MCCCX. Vir egregiis animi dotibus instructus, omnibusque quæ Præsulem decent virtutibus ornatus: Pietate, prudentia, fortitudine conspicuus; Αὐτὸς μὲν εἰς ἄκρον ἀρετῆς ἥκων καὶ πολιτείας ἀκείβειαν μοναδικῆς οὐ μόνον κατωρθωκώς, ἀλλὰ καὶ ἑτέρους ἱκανῶς ἔχων διδάξαι· ἔτι δὲ καὶ προνήσεως εὖ ἔχων καὶ παιδείας τῆς ἔξωθεν οὐκ ὀλίγον μεταλαβών. *Ipse ad culmen virtutis ascenderat, nec solùm omnes vitæ Anachoreticæ numeros adeptus erat, sed aliis quoque ad eandem disciplinam idoneum se magistram præbere poterat: adde quod vir prudens & in externis doctrinarum studiis versatus non mediocriter.* Cantacuz. Hist. lib. I. c. 14. Hujus operâ multum usus est Andronicus Avus Imp. ab eo ad Nepotem pacis ineundæ gratiâ legatus missus; & utriusque suffragiis unus ex Arbitriis qui intestina dissidia compescerent, & res Romanas pacatas darent, cooptatus est, urbem suam diu obsessam prudentiâ & animi fortitudine conservavit; quamdiu obsidioni isti (quæ circa annum MCCCXXII. acciderat) superfuerit, non satis liquet. Extant (hujus ut videtur) *Canones* sive *Cantica Ecclesiastica Catanyctica & Paracletica* quatuor: unum *ad animam suam* de Resurrectione & Judicio extremo. Pr. Ἀποσαμένη φροντίδας βιωτικάς. f. Ἀπωσ. Latinè edidit Pontanus in Append. ad Simeonis Theologi Opuscula à se versa, Ingolst. 1603. Alterum *ad Dominum nostrum Ies. Christ.* Tertium & quartum *ad B. Virginem Deiparam.* Habentur Græcè MSS. in Bibl. Vindob. *Cod. Theol.* secundùm dispositionem Nesselianam, (cujus numeros me ubique secutum semel monuisse sufficiat) CCXXXI. n. 9. à fol. 37. p. 1. ad fol. 51. p. 1. In eodem Codice immediatè sequuntur *Precationes tres ad B. Virginem Deiparam*, & altera ad S. *Angelum custodem*, quas nostri Theolepti meditationes esse à veri similitudine non abhorret.

1311. H.W. GULIELMUS DURANTUS, gente Gallus, Durandi Speculatoris Nepos, & in sede Mimatensi successor, Episcopus ejus nominis IV. Sub fœlicibus patrui auspiciis egregiam bonis literis operam navarat; & insignem admodum Theologiæ, Philosophiæ, præsertim verò Juris Pontificii scientiam retulerat: Ecclesiæ Mimatensis Canonicus ac tandem Archidiaconus ab eodem factus. Defuncto Patruo, Bonifacii VIII. Pontificis mandato successor illi datus est anno 1296. atque anno sequente, consentiente Canonicorum Mimatensium Capitulo decrevit neminem inter Canonicos adsciscendum, cujus affines aut consanguinei ad tertiam usque generationem Ecclesiam Mimatensem quomodolibet divexassent. Claruit anno 1311. quo Clementis V. Pontificis Concilium propediem celebraturi mandato Tractatum, De modo celebrandi Generalis Concilii, & corruptelis in Ecclesia reformandis conscripsit, & in Concilio Viennensi recitavit. Anno 1312. expulsis ex urbe Mimatensi Judæis, dirutisque illorum ædibus, Collegium omnium Sanctorum ibidem extruxit. Anno 1316. à Philippo Rege ad Robertum Flandriæ Comitem Pacis componendæ ergo legatus est. Obiit circa annum 1328. Extat *Tractatus de modo celebrandi Generalis Concilii*, quo omnia singulorum Ecclesiæ Ordinum vitia depingit, inprimis autem pudendam Sacerdotum ac Monachorum ignaviam, sordes, ac luxuriam ubertim insectatur, eitamque corruptis illorum moribus medelam adhiberi monet. Primus

SÆC. XIV. ab A.MCCC. mus illum edidit Philippus Probus, J. C. Bituricensis *Paris.* 1545. sub Durandi Speculatoris nomine. Speculatorem enim cum nepote suo cognomine plurimi perperam confundunt. Prodiit exinde authori vero restitutus *Paris.* 1635. 4°. & inter alia quædam haud dissimilis argumenti *Paris.* 1671. 8°.

1311. R. G. GULIELMUS DURANTUS Jun. Episcopus Mimatensis ejus nominis quartus, quem cum Patruo ejusdem cognominis ac in eadem sede prædecessore malè confundit Spondanus ad annum MCCCXI. quo tempore claruit. Scripsit *Historiam sive Relationem rerum* in Concilio Viennensi tractatarum quibus ipse interfuit. Extat MS. in Bibl. Vaticana 4177. & in *Colleg. Fux. Tolosa.* Historiam hanc idem prorsus opus cum notissimo ipsius Tractatu *de modo celebrandi Generalis Concilii* suspicatur Cas. Oudin. Suppl. p. 580. Utut sit, inde breviarium excerpsit Bzovius ad an. MCCCXI. qui ex eodem codice Vaticano pium admodùm & eruditum sermonem de Articulis à Clemente Papâ V. propositis, in eodem Concilio habitum protulit, qui tum ex materia tum ex scribendi genere nostri Duranti fœtus genuinus meritò censeatur. Extat apud Bzovium loco citato.

1311. R.G. THEODULUS MONACHUS qui alio nomine Thomas Magister dicitur, natione Græcus, patriâ, si L. Allatio fides, Thessalonicensis, claruit sub Andronico Palæologo Avo, Theodoro Metochitæ familiaris, Niphoni Patriarchæ charus, anno MCCCXI. ex variis ejus appellationibus varia eum munera obiisse, & quod Græcis istius ævi solenne fuit, à forensibus negotiis ad Monasticam ἡσυχίαν transiisse, utriusque item status culmen attigisse, ac Rhetorum Magistrum, Cœnobii Abbatem aliquando fuisse, conjectari fas est. Extat ejus *Oratio Encomiastica* in S. Gregorium Theologum Nazianzenum. Habetur MS. in Bibl. Vindob. Cod. Jurid. XII. *n.* x. *Orationes gratulatoriæ quatuor*; *prima* ad Angelum sub Andronico Seniore Imp. magnum Stratopedarcham; *secunda*, ad Theodorum Metochitam magnum Logothetam; *tertia*, ad Niphonem Patriarcham nuper renunciatum; *quarta*, ad Regem Cypri. *Epistolæ* septem; Opera hactenus numerata cum suâ versione edidit *Laur. Normannus*, Upsaliæ 1693. 4°. *Dictionum* Atticarum Sylloge Græcè prodiit Romæ, 1517. 1525. Paris. 1532. 8°. sub nomine *Thomæ Magistri* curâ Nic. Blancardi nuper recusa, ac Indice Auctorum locupletata, Franequer. 1690. 8°. Idem Opus extat MS. Theodulo Magistro ascriptum in Bibliotheca Regia Parisiensi Cod. 1853. In eodem Cod. habentur ejusdem Theoduli *Declamationes* aliquot, *Epistolæ & Orationes*, testante Cl. du Cangio *Ind. Auct. ad Glossar. Græc.* quæ utrum ab iis à Normanno editis diversæ sint, meritò dubitandum est, cùm ex iis una sit in *Triphonem* Patr. CP. pro quo *Niphonem* substituendum esse temporis ratio omninò postulat: Nec fraudandus est Theodulus noster *Oratione* in Joannem Baptistam & Præcursorem, quam Abbas scripsit, cujus meminit L. Allatius de *Simeon.* p. 82. Pr. Ἀλλ' ἔμοιγε τοῖς σοῖς ἐπιβαλεῖν ἐγκωμίοις, ὦ Χειρὶ Βαπτιστά, πόρρωτεν πειρωμένῳ. Hujus etiam censendæ sunt *Declamationes* nonnullæ; *Oratio* ad Thessalonicenses de pace & concordiâ. Pr. Οὔ μοι δοκῶ τῶν πάντων οὐδὲν. *Oratio* in legatione habita ad Imp. Andronicum Palæologum. *Ad Philosophum* Josephum de iis quæ in expeditione Italorum & Persarum gesta sunt. *Sermo* in S. Euthymium Thaumaturgum Episcopum Madytarum. *Encomium* maris & universæ aquarum naturæ, & quædam alia, quæ unà cum iis nuper editis à nobis supra memoratis Græcè habentur MSS. in *Bibl. Residentiæ Soc. Jesu Constantinop.* Varia etiam ejus Opuscula Græca in quadam Italiæ Bibliotheca latitare narrat Simlerus, *viz.* Ad *Athenienses* in Olynthiis: *de Navigatione* è Thessalonicâ Byzantium, & rursus Byzantio Thessalonicam, *de Regno, de Repub.* &c. *Epistolæ* etiam nonnullæ MSS. in Cod. Regio Paris. 185. habentur *Scolia* ejus in *Aristophanem*, *Euripidem* & *Pindarum*, quorum etiam *vitas* conscripsit, uti & *Grammatica* quædam & istiusmodi alia, partim impressa, partim MSS. non sunt hujus loci.

MARINUS SANUTUS, seu *Sanudo*, cognomento *Torsellus*, Patricius Venetus, Marci filius, in Parochiâ Severi, civitate Rivoalti, Venetiis natus; familiaris & domicellus Richardi Cardinalis Diaconi S. Eustachii. Germani cujusdam artificis operâ usus, Organa illa Pneumatica, quæ hodie usurpantur, Italicè *Torsellos* dicta, primus omnium in Ecclesiam induxit: inde datum ei *Torselli* nomen. Claruit anno 1312. Negotio Terræ Sanctæ ab infantiâ intentus, totam ferè ætatem in exteris regionibus perlustrandis exegit, Salustii in hoc diligentiam æmulatus, ut Opus, quod meditatus est, accuratius daret. Quinquies enim ultra mare transfretavit, in Cyprum, Armeniam, Alexandriam, Rhodum, Palæstinam. Absoluto opere in Aulis Imperatoris, Pontificis, Regis Galliæ, aliorumque Principum multùm diuque versatus est. Obiit post annum 1329. Scripsit *Secreta Fidelium Crucis super terra Sancta recuperatione & conservatione*, libris III. quorum primo Saracenos debilitandi & in ordinem redigendi media proponit; Secundo ordinem quem Christiani Duces in sacro bello gerendo observare debeant, describit: tertio modum conservandi & tenendi Terram Sanctam semel recuperatam exhibet; ejusque Historiam à primis incolis ad sua usque tempora deducit, additâ Chorographicâ ejus ac locorum vicinorum descriptione, Mappis aliquot, seu Tabulis Geographicis illustratâ. Opus istud inchoavit Marinus anno 1306. Joanni XXII. Pontifici obtulit anno 1322. Prodiit id à Jacobo Bongarsio editum *Hanoviæ* 1611. f. inter Gesta Dei per Francos, quorum Tomum secundum ferè integrum conficit. Calci adnectuntur *Epistolæ* Marini XXII. ad Joannem Papam, Andronicum Imp. CP. variosque Cardinales ac Antistites; quibus illos ad expeditionem in Terram Sanctam suscipiendam ut plurimùm cohortatur. 1312. H.W.

ALEXANDER DE S. ELPIDIO, gente Italus, ex oppido cognomine in Umbria oriundus, S. Theologiæ Doctor, è Provincia Picena Ordinis Augustiniani Eremita, claruit anno 1312. quo post Jacobi Ortani obitum Ordinis sui Prior Generalis in Comitiis Viterbiensibus electus est. Anno 1315. in Conventu Ordinis sui Patavii habito, Magistratus illi in aliud triennium prorogatus est, quin & anno 1318. in Comitiis Ariminensibus tertia, Taurisinis anno 1321. quarta, Montepessulanis anno 1324. quinta vice, Generalis constitutus fuit. Anno 1325. Ravennæ Archiepiscopus creatus est. Quando obierit, incertum est. Scripsit Joannis XXII. Pontificis jussu *Tractatum de Iurisdictione Imperii & auctoritate summi Pontificis*, in duos libros distributum, qui typis excussus prodiit *Lugduni* 1498. *Arimini* 1624. Ejusdem *De Paupertate Evangelicâ*, & *Ecclesiastica unitate libros*, & *Commentaria in Aristotelis scripta quædam* MSS. in Conventu Eremitarum Augustinianorum Bononiensi asservata memorat Jos. Pamphilus Chron. Ord. Erem. p. 46. 1312. H.W.

VITALIS E FURNO, gente Aquitanus, domo Vasatensis, S. Theologiæ Professor, Ordinis Minoritarum sodalis, & Provinciæ Aquitaniæ Præfectus, claruit anno 1312. quo Cardinalis SS. Sylvestri & 1312. H.W.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab A.MCCC. & Martini à Clemente V. renunciatus est. Sub Joanne xx.i. Michaëlis Cæsenatis Fratrumque Spiritualium sententiam de paupertate Christi & Apostolorum scripto oppugnavit: quo imprimis labore meruit, ut Episcopus Cardinalis Albanus à Pontifice crearetur. Obiit Avenione die xvi. Augusti anno 1327. apud consodales suos sepultus.

SCRIPTA.

Speculum Morale totius S. Scripturæ, quo cuncta ferè utriusque Testamenti loca mystico sensu explicantur. Prodiit *Lugduni* 1513. 4to. *Venetiis* 1594. 1600. Opus istùd anno 1305. ab Auctore elucubratum est.

Commentaria in Proverbia Salomonis.

Expositio in quatuor Evangelia.

Commentaria in Apocalypsin. Prodierunt isthæc Opera *Venetiis* cura Cardinalis Sarnani.

De tuenda sanitate & remediis morborum digressio. Typis excusa prodiit *Moguntiæ.*

Commentaria in IV. libros Sententiarum. MSS. in Bibliothecâ Vaticanâ.

Alia quædam illius scripta recenset Lucas Waddingus de Scriptor. Ord. Minor. p.331.

1312. H.W. HERVÆUS NATALIS, natione Brito Aremoricus, in Academia Parisiensi Theologiæ Doctor Regens, Ordinis Prædicatorum primùm in Conventu Montis Relaxi prope Parisios Monachus, dein in Provinciæ Provinciâ Moderator, posteà Vicarius generalis, ac demum in Comitiis totius Ordinis Lugduni anno 1318. habitis Generalis creatus. Claruit anno 1312. Obiit Narbone anno 1323. die x. Augusti.

SCRIPTA.

Commentaria in IV. libros Sententiarum. Prodierunt *Venetiis* 1505. 4. vol. f. *Paris.* 1647.

Quodlibeta majora IV. *Venet.* 1486.

Quodlibeta minora XXIV. *Venet.* 1513.

Tractatus de Potestate Papæ. Paris. 1647. cum Commentariis.

Defensorium contra impugnantes Fratres Prædicatores, quod vivant secundùm Apostolicam vitam. Venet. 1516. 8vo.

Tractatus de Verbo. De Voluntate. Quæstiones de peccato originali. De æternitate Mundi. De cognitione primi principii. De Beatitudine Quæstiones V. *De Virtutibus moralibus. De ordine secundæ intentionis ad primam. De secundis intentionibus Tractatus* 2. *De paupertate Christi & Apostolorum. Tractatus de Sacramentis. De utrâque Potestate Papali & Regali De materiâ Cœli Quæstiones* IX. *De Relationibus Quæstiones* V. *De unitate formarum Quæstiones* XVIII. *De unitate formæ in homine. De motu Angeli.* Opuscula ista proximè recensita prodierunt simul *Venet.* 1513 f.

Commentarius in Epistolas S. Pauli, qui sub Anselmi nomine circumfertur, & Hervæo nostro à quamplurimis ascribitur, Herveo Dolensi debetur: uti suprà suo loco notatum est.

Summa Logicæ Aristotelis, quæ inter Aquinatis Opera habetur, à nonnullis Hervæo Natali adjudicatur.

1313. H.W. HUGO PRATENSIS, seu de Prato Florido, gente Italus, Pratis prope Florentiam natus, Ordinis Dominicani Monachus. Ecclesiastes celebratissimus; claruit anno 1313. obiit anno 1322. Extant *Sermones Dominicales super Evangelia & Epistolas totius anni, Lugduni* 1528. 4to. *Sermones de Sanctis totius anni ibid.* 1528. 8vo. *Quadragesimales Sermones, Venet.* 1578. 8vo. 1584. 8vo.

PORCHETUS SALVATICUS, natione Italus, patriâ Genuensis, ex illustri Salvaticorum gente natus, Ordinis Carthusiani Monachus, incertæ admodum ætatis Scriptor, cujus nullus, quod sciam ante Augustinum Justinianum meminit. Neque ipsemet Justinianus, qui Scripta ejus in lucem protraxit, ætatem illius indicavit. Illum equidem ad annum 1512. in Carthophylace suo retulerat Vir Cl. Gul. Cave, non aliâ tamen, uti ipse mihi coram agenti affirmavit, ratione motus, quàm quòd Liber ejus contra Judæos paucis post annis prælo exierit. Sanè parum credibile videtur, Petrum Galatinum, cujus Opus anno 1518. in lucem primùm prodiit, Porcheti Scripta adeò insigniter expilare aut potuisse aut ausum esse; modò ipse Porchetus pauculis antea annis scripserit, forsan & in vivis adhuc esset, qui ingrati hominis plagium detegeret: præsertim cùm ante Sæculi XV. exitum Galatinus Opus suum concinnâsse videatur. Quin & Augustinus Justinianus, utcunque certam Porcheti ætatem nequaquam indicet, de eo tanquàm superioris ævi Scriptore verba facit. Miræus * nescio quâ auctoritate motus, illum anno 1315. vixisse prodit. Certè veri non absimilis iste calculus videtur, modò Scriptoris alicujus vetustioris authoritas accederet. Ipse Porchetus haud vulgari linguæ Hebraicæ scientiâ instructus, & in Hebræorum scriptis versatissimus, scripsit insigne Opus adversùs Judæos, cui *Victoria* titulum dedit, *ad Judaicam perfidiam subvertendam & ut præstantiùs veritas fulgeat fidei Christianæ*, uti ipse in Præfatione loquitur. In Opere isthoc condendo quamplurima ex Raymundi Martini *Pugione fidei* exscripsit, adeò autem non ingratus, ut *ab illo se sumpsisse hujus libelli materiam in plerisque compilandi* libenter agnoscat. Illud demum tenebris eductum Augustinus Justinianus, Episcopus Nebiensis, & ipse rerum Hebraicarum peritissimus, recognovit, auxit, & *Paris.* 1520. f. in lucem dedit præmissâ ad Gulielmum parvum, Episcopum Trecensem, Epistolâ nuncupatoriâ, quâ locis ex Hebræorum monumentis à Raimundo & Porcheto prolatis fidem facit, se maximam illorum partem in iisdem libris, quos fermè omnes sibi comparaverat, legisse testatus. SÆC. XIV. ab A.MCCC. 1315. H.W.

* De Script. Sæcul. XIV. p. 13.

FRANCISCUS MAYRONIUS, natione Gallus, Dignæ in Provinciâ natus, *Doctor Illuminatus & Acutus* dictus, Joannis Duns Scoti Discipulus, Ordinis Minorum sodalis, in Academiâ Parisiensi Theologiæ Baccalaureus, Roberto Siciliæ Regi admodum charus, claruit anno 1315 quo circiter tempore Actum Sorbonicum primus omnium Academiæ invexit; quo singulis diebus Veneris, æstivo tempore, ab ortu Solis ad occasum sine ullâ requie, sine ullo pastu aut potu, sine ullo Præsidis auxilio ab unico quodam Respondente contra multos opponentes disputatur. Anno 1323. Joannis XXII. literarum ad Cancellarium Parisiensem beneficio Doctoratûs seu Magisterii pileo donatus est, & Theologiam docendi potestatem accepit. Obiit Placentiæ anno 1325. à Pontificiis quibusdam recentioribus acriter vellicatus, quod in IV. Sentent lib. dist. 19. qu. 2. Supereffluentem Christi ac Sanctorum meritorum Thesaurum in dubium revocaverit. 1315. H.W.

OPERA.

Commentaria in IV. libros Sententiarum.

De Formalitatibus liber.

Quodlibeta varia.

De primo principio.

De expositione divinorum nominum.

De univocatione entis. Prodierunt Opera ista *Venet.* 1520, 1556, 1567. f. Prodierunt antea, exceptis

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab A.MCCC. tis Commentariis & Quodlibetis, *ibid.* 1517.
Sermones Quadragesimales, Venet. 1491.
Sermones de Sanctis, Venet. 1493. *Basil.* 1598.
De Paupertate Christi & Apostolorum.
De Virtutibus & vitiis capitalibus.
De Articulis fidei.
De Baptismo.
De Humilitate.
De Indulgentiis.
De Corpore Christi.
De Angelis.
De Suffragiis defunctorum.
De Pœnitentiâ.
De Iejunio.
De ultimo judicio.
De Septem Donis Sp. S.
Super Pater noster, & Magnificat. Prodierunt Opera ista à concionibus inclusivè enumerata *Basil.* 1498.

De decem Præceptis Explicatio, Paris. 1619.

Commentaria ejus in *Genesin* MSS. in Bibliothecâ Minoritarum Leodiensium; & *Reportata in quartum Sententiarum, de Virtutibus & Vitiis capitalibus: Quæstiones* MD. *de variis locis S.Scripturæ, & dubiis* Theologicis; ac demum *Interrogationes circa varias difficiles materias*; MSS. penès se asservata esse prodiit Lucas Waddingus; qui & alia plura Francisci Opera nondum in lucem edita recenset, de Scriptor. Ord. Minor. p. 124.

Theologicæ veritates in S. Augustinum de Civitate Dei. Extant cum Thomæ Anglici Commentariis in eundem *Tolosæ* 1488. *Venet.* 1489.

Commentarii super Universalia & Prædicamenta Aristotelis.

Commentarii in VIII. *libros Physicorum ejusdem.* Prodierunt unà cum præcedente Opere & Formalitatibus, *Venet.* 1517.

1315. H.W. UBERTINUS, DE CASSALIS, & *de Iliâ* appellatus, natione Italus, Patriâ Casalensis, Ordinis Minoritarum Monachus, claruit anno 1315. Exorta gravi inter Franciscanos de lanâ caprinâ controversiâ, & exinde schismate, hinc *Spiritualibus*, Christum & Apostolos nil nec proprium nec in communi habuisse contendentibus, illinc Fraterculis *de communitate* dictis eos nil quidem proprium, aliquid tamen in communi possedisse asserentibus. Ubertinus *Spiritualibus* se ducem præbuit: quorum partes animosè tutatus est, donec anno 1312. Ioannem Papam adversarium sortitus causâ cecidit. Indignatione igitur commotus, ut sibi cum suis separatim vivere liceret, à Pontifice postulavit. Repulsam passus, turbas molitus est. Graviorem idcircò procellam veritus, anno 1317. relictis Minoritis ad Benedictinos transeundi potestatem petiit, & obtinuit; assignato sibi, in quod secederet, Monasterio S. Petri Gemblacensi in Brabantiâ. Tandem verò ad Carthusianos secessisse dicitur. Anno 1321. à Joanne Pontifice de vexatissimâ illâ circa paupertatem Christi quæstione consultus, Christum aliquid proprium aut in communi modo mundano possedisse hæreticam esse sententiam, eum verò aliquid in communi modo spirituali habuisse satis Orthodoxè dici posse definivit. Mirè Pontifici & Cardinalibus placuit Ubertini sententia, & rem acu tetigisse visa est. Extat *Responsio circa quæstionem de Paupertate Christi & Apostolorum* coram Joanne XXII. apud Avenionem in Consistorio facta, contractior apud Waddingum Annal. Minor. Tom. 3. ad ann. 1321. integrior unà cum *articulis* à fratre Bonagratiâ adversus eum adductis, apud *Baluz.* Miscellan. Tom. I. p. 293. 307. Opus prolixum *Arbor Vitæ Crucifixæ* inscriptum, typis excusum est *Venet.* 1485. 4to. *Opus de septem statibus Ecclesiæ, Venet.* 1516. 4to.

Cæterùm non desunt, qui librorum IV. de Imitatione Christi tres priores Ubertino nostro deberi censeant. SÆC. XIV. ab A.MCCC.

JOANNES DE NEAPOLI, gente Italus, civitate Neapolitanus, ex nobilissimâ stirpe Sicolâ oriundus; Ordinis Prædicatorum Theologus, S. Thomæ Aquinatis studiosus lector & strenuus assertor, Academiæ Parisiensis *Doctor solennis*, claruit anno 1315. In studio S. Dominici Neapolitano, Regentis officio functus, Cathedram magistralem multis annis summâ cum laude moderatus est. Obiit post annum 1323. Extant *Quæstiones variæ Philosophicæ & Theologicæ*, numero XLII. Parisiis disputatæ, à Dominico Gravinâ in lucem editæ *Neapoli* 1618. f. Alia ejus Scripta, viz. *Super* IV. *libros Sententiarum. Quodlibeta* XIII. *Sermones de Tempore, de Sanctis, de Mortuis*, &c. memorat Ambrosius de Altamura Biblioth. Prædicat. p. 165. 1315. H.W.

JOANNES GLYCYS patriâ Byzantinus, Logotheta Dromi, ac demum Patriarcha CP. claruit imperante Andronico Palæologo Avo anno MCCCXVI. Vir erat optimis disciplinis imbutus, præcipuè autem eloquentiâ ac præclarâ loquendi dulcedine conspicuus, Atticismi ac purioris sermonis cultor, degenerem, & penè barbaram sui ævi loquelam castigare & polire sollicitus; in istâ dicendi arte Niceph. Gregoram discipulum habuit: Niphone Patriarchâ ob Sacrilegium aliaque flagitia exauctorato, in ejus locum sufficitur Joannes, annoque MCCCXVI. thronum Patriarchalem capessit, uxore in Monasterium secedente. Anno MCCCXX. morbis fractus & laborum pertæsus, relicto Patriarchatu, in Cyriotissæ Cœnobium se contulit; eo nomine imprimis à Gregorâ laudatus, quòd vir minimè avarus, non magnam opum vim corraserat, sed exiguam pecuniæ summam sibi conservans, eam in Monasterii usus impendit. Testamentum brevi post condidit, non diu superfuturus. Scripsit *Historiam* sive *Narrationem luculentam legationis suæ ad Armeniam,* quam non mediocribus laudibus extollit Niceph. Greg. *Hist. Rom.* lib. VI. p. 135. eam autem interiisse verisimile est. *Testamentum* ejus miram animi pietatem spirans habetur apud eundem ibid. lib. VIII. pag. 202. Tractatum *de brevitate vitæ* velut editum memorat Cl. Cangius, *Ind. Auct.* ad *Gloss. Græc.* quo verò anno & tempore non refert; *opera quædam Grammatica* habentur MSS. in Bibl. Reg. Gall. Cod. 1720. 1911. 2088. 1316. R.G.

JOANNES XXII. antea *Iacobus Ossa* seu *Deusa* appellatus, gente Gallus, Patriâ Aquitanus, civitate Cadurcensis, Arnoldi de Ossâ, sutoris veteramentarii filius, ex Caroli Siciliæ Regis Cancellario, Roberti Vicecancellario, primùm Episcopus Foroliviensis, dein Archiepiscopus Avenionensis, mox Cardinalis Episcopus Portuensis, demum Pontifex Romanus Lugduni electus anno 1316. die VII. Augusti, coronatus ibidem V. Septembr. quùm priùs Cardinalibus, qui sedem Romanam à Clemente V. Avenionem translatam ægrè tulerunt, jurejurando confirmasset, se nunquam equum vel mulam conscensurum, quin Romam accederet. Anno 1317. Ludovicum Episcopum Tolosanum, 1320. Thomam Episcopum Herfordensem, 1323. Thomam Aquinatem Sanctorum Catalogo intulit. Sub initio Pontificatus à Ludovico Bavaro & Frederico Austriaco, quos discordes Electores in Imperatoriam dignitatem simul evexerant, de coronâ Imperii accipiendâ interpellatus, utrumque rejecit; anno verò 1320. cùm Ludovicus jus suum armis repeteret, Fredericum confirmavit, & illum Ludovici armis opposuit. Victo Frederico, 1316. H.W.

Ludovicum

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC.

Ludovicum publico scripto citavit, ut Avenione se sisteret, facti sui rationem redditurus, interea verò imperium deponeret. Renuit id Imperator, & ad Concilium provocat. Indignè id fert Joannes, & Ludovicum anno 1323. excommunicat, imperio deponit, & Electoribus alium eligere præcepit. Imperatoris quinetiam hyperaspistas fidissimos, Matthæum Vicecomitem Mediolanensem, & Marsilium Patavinum anathemati subjecit. Ludovicus à Romanis, qui Pontificis reditum frustra postulârant, accersitus Italiam intrat anno 1327. Romæ coronam imperialem accipit; habitoque Cardinalium Concilio Joannem citat: comparere renuentem tanquam Antichristum, Sathanam, & Hæresiarcham damnat, Pontificatu deturbat, & imagine ejus coràm combustâ anno 1328. Nicolaum V. antea Petrum Corbarium dictum, Antipapam constituit. Securus interim Avenione delitescit Ioannes, & Ludovici minas & molitiones ridet: ac Pisanorum auxilio usus anno 1333. Antipapam in ordinem redegit. Sed ut ad alia transeamus, acris Ioanni cum Franciscanis duplici nomine mota est controversia. Isti enim Christum & Apostolos nil aut proprium aut in communi possedisse, Christumque nudum in cruce pependisse docuerunt: ac rerum quarumcumque non Dominium, sed usum solummodò ad se pariter ac Christianos quoslibet perfectos spectare gloriati sunt, contrariam Sententiam hæreseos insimulantes. Ioannes, qui pecuniam animâ cariorem habuit, ejusque immensam vim in loculis coacervatam mortuus reliquit, Dominicanos in partes advocans, utrumque Minoritarum articulum tanquam vanum, stultum, & hæreticum damnavit, Christum coronâ, purpurâ, splendidâque veste indutum in cruce pependisse, rerumque usum à dominio separari non posse definivit: Franciscanos sibi adversantes excommunicavit, & *Fratricellos* vocans, ex iis complures flammis combussit. Nugæ hæ: verùm majoris momenti doctrina ista, quam anno circiter 1321. apertè docuit & prædicavit Ioannes, damnavit Sorbona, refutarunt tanquam hæresin gravissimam plurimi: nempè animas defunctorum fidelium ad beatam visionem Dei ante Resurrectionem non admitti. Obiit Ioannes Avenione anno 1334. die IV. Decembr.

SCRIPTA.

Epistola VI. Concil. XI. p. 1629.

Epistola alia LXIII. apud Bzovium Annal. ad an. 1317, &c.

Epistola alia LXXV. apud Waddingum Annal. Minor. ad an. 1317, &c.

Epistola alia CCXCVI. ibid. Tom. 3. in Regesto Pontif. p. 52.

Constitutiones XX. *Apostolicæ*, quas *Extravagantes* appellari voluit. Istæ quidem nec ab ipso Ioanne, nec ab ullo alio Pontifice, vulgatæ aut probatæ sunt, sed privata auctoritate collectæ anno circiter 1340. Prodierunt. *Rhothomagi* 1519. 12°. *Francofurt.* 1586. 8°. *Venet.* 1591. 8°. cum Glossis *Lugduni* 1584. f.

Acta Inquisitionis adversus Petrum de Palude, & *Epistola unica*, quâ Fr. Michaëli Minoritæ committit causam quorundam Minoritarum malè de fide sentientium, apud Baluz. Miscellan. Tom. 1. p. 165.

Epistolarum Regestum in V. partes divisum MS. in Bibliothecis Vaticana, Barberina, &c. Singularum Epistolarum argumenta & initia habentur Concil. Tom. XI. p. 1643.

Sermones 2. *in illud*, *Mementote Operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis.* MSS. in Bibl. publica Cantab. Cod. 179. num. 1, 2.

Retractatio quæstionis, num animæ Sanctorum non fruantur Dei visione ante Judicium extremum, Extat *Append* apud Ioann. Villanum Hist. Florent. lib. 2. cap. 19. monente L. I. à S. Carolo Biblioth. Pontif. lib. 1. p. 139.

SÆC. XIV. ab An. MCCC.

Libellus de Contemptu Mundi, an typis prodiit nondum comperi. Lucubrationes Spirituales in hunc libellum meditatum esse Patricium Fattorium Turritanum testatur Leo Allatius in Apibus Urban p. 209.

Ars Metallorum transmutatoria. Ex Latino in Gallicum sermonem conversa prodiit *Lugdun.* 1557. 8°.

JOANNES PAPA XXII. Jacobus Deusa antea dictus, non Cauponis aut Sutoris filius uti vulgò traditur, verùm *de Militari progenie* i. e. ex veteri nobilitate ortus, uti ex Alberto Argentin. probat Baluzius: Episcopus primò Forojuliensis, mox Archiepiscopus Avenionensis, deinde Cardinalis Episcopus Portuensis, ac tandem tertio post mortem Clementis V. anno summus Pontifex renunciatus anno MCCCXVI. Vir *non multum magnus in staturâ, sed in scientiâ magnus, & bonæ vitæ testimonium habens*, sic Ioannes Parisiensis in *Vitâ* ejus. Operibus ejus à Cl. Whartono recensitis annumerare liceat, *Articulos contra Monachos* Basil. 1555. 8°. *Bullas & Epistolas* XIX. à Baluzio, in Actorum veterum Collectione editas. *Vit. PP. Aven.* Tom. II. *Responsionem* ad Michaëlem de Cæsenâ hæreticum super Proprio, vel Communi vel Speciali in facto Minorum. Extat MSS. in Bibl. Bodleian. cum tractatu Michaëlis, Cod. 1669. n XVII. secundùm ordinem Catalogi novissimè editi. *Volumen Sermonum* ex ore ejus exceptorum per Fr. Raymundum MS. in Bibl. Regis Gallorum, Cod. 4163. *Sermonum* fragmenta plurima apud Occamum in *Compendio* reperiuntur. *Revocatio* sententię suæ de Beatitudine Sanctorum quam hortatu amicorum jamjam moriturus protulit Epistolari formâ vulgata inter Epistolas Ioannis P. Conc. T. XI. part. II. editas primum locum occupat. Habetur etiam apud Petrum Herentalium in fine ejus Vitæ à Baluzio editæ. 1316. R. G.

ALBERTUS PATAVINUS, natione Italus, Eremita Augustinianus, Ægidii Romani discipulus; in Academia Parisiensi Doctoratûs gradum assecutus, SS. Scripturas publicè, ac magnâ discipulorum frequentiâ interpretatus est. Claruit anno 1316. Obiit Lutetiæ anno 1328. seu, ut alii, 1323. ætatis suæ 46. in conventu Augustianianorum sepultus. Erecta ei est post mortem in Prætorio Paravino supra fores septentrionales marmorea statua, hoc elogio literis insculpto. Super statuam. *Alberto Eremitarum patri singularissimo, vitæ continentissimæ, patriâ Patavino, studiorum alumno, & Reipublicæ Christianæ summo splendori.* Sub statuâ. *Albertus liberalium artium ac urbis nostræ splendor, in Ordine Eremitarum regulam professus, continentissimæ vitæ fuit: is claruit ingenio, sub celeberrimo Egidio Romano ejusdem Ordinis literis apprimè imbutus; sumptâ Parisiis infulâ magistrali, tam clarus evasit, ut Paulum Apostolum, Moysem, Evangelia, ac librum Sententiarum expositione splendidissimâ reseraverit: idemque ante omnes suæ ætatis viros facundissimus prædicator; immortali memoriæ hic optimo jure datur.* Scripsit quamplurima; ex quibus typis impressi prodierunt *Sermones de Tempore, de Sanctis, & Quadragesimales, Paris.* 1544, 1550. 8°. *Venet.* 1584. *Expositio Evangeliorum Dominicalium totius anni* prodiit. *Venet.* 1476. f. MSS. extant *Commentaria in Pentateuchum, in Evangelia quatuor; in Epistolas D. Pauli, in Magistrum Sententiarum*, Patavii etiamnum asservata, teste Iosepho Pamphilo Chron. Ord. Eremit. S. Aug. p. 45. 1316. H. W.

MICHAEL CÆSENAS, natione Italus, S. Theologiæ Doctor, Ordinis Minoritarum socius, 1316. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. Provinciæ Bononiensis alumnus, Ordinis sui Generalis electus est in Comitiis Neapolitanis anno 1316. pridie Cal. Junii, statimque ad restaurandam Franciscanorum disciplinam strenuè se accinxit. Anno 1322. fervente inter Pontificem & Minoritas controversiâ de paupertate Christi, & usu ac dominio rerum, Capitulum Generale Ordinis sui Perusii celebravit, & Minoritarum sententiam hæreseos notâ, quam inusserat Joannes Papa, immunem esse declaravit. Gliscente acriùs lite, Michaël Ludovici Imp. partibus se adjunxit: quo nomine Avenionem à Pontifice ad dicendam causam ann. 1327. evocatus, in custodiam datus est. Anno sequenti ex Petri Corbarii Minoritæ surrogatione in Antipapam toti Minoritarum Ordini iniquior factus Pontifex, Michaëlem hæreseos ob definitionem Perusinam accusat; judices assignat, causam agi jubet. Michaël à Pontificis sententia appellat; & eventum veritus, Avenione clam fugit. Fugientem excommunicat Joannes, ac gradu deponit, commissâ Bertrando Cardinali Franciscanorum Præfecturâ. Michaël ad Concilium provocat, & Ludovicum Imp. Nicolaum Papam, Occamum, potioremque sui Ordinis partem sibi adjungens, rem suam fortiter agit, & Pontificis minas ridet. Anno 1329. Bertrandus convocatis Franciscanis Pontificis sequacibus apud Lutetiam mense Junio Michaëlem Generalatu Ordinis submovit, & Gerardum Odonis loco ejus substituit. Michaël nihilominus Imperatoris favore subnixus nequaquam cessit; Joannem autem hæreseos palam accusavit. Quapropter ipse anno 1330. à Pontifice diris iterum devotus est, & à Gerardo in Conventu Franciscanorum Perpinianensi anno 1331. hæreseos damnatus. Obiit Monachii in Bavariâ anno 1343. in vigiliâ S. Andreæ, Generalatûs titulo ad extremum usque spiritum mordicùs retento. Extant *Tractatus* 3. *contra varios errores & hæreses Joannis* XXII. *Papæ*, præcipuè verò *de utili dominio bonorum Ecclesiasticorum, & abdicatione rerum temporalium in perfectione status Monachorum & Clericorum*, apud Goldastum Monarch. Tom. 2. p. 1236. *Epistola* apud Waddingum Annal. Minor. ad ann. 1317. *aliæ* 2. ad an. 1322. *Literæ* ejus ac *Protestationes contra Joannem* XXII. prodierunt *Lugduni* 1495. Porrò *Commentarios in Ezechielem Prophetam*, *In* IV. *libros Sententiarum*, & *Sermones de Tempore ac de Sanctis* à Michaële elucubratos esse refert Lucas Waddingus de Scriptor. Ord. Minor. p. 259.

1317. H.W. ASTESANUS, sive Astensis, gente Italus, ex Asta Subalpinorum urbe oriundus, Ordinis Minoritarum sodalis, Provinciæ Januensis alumnus, claruit anno 1317. Obiit circa an. 1330. Scripsit, hortante Joanne Cajetano Ursino Cardinale S. Theodori, *Summam de Casibus Conscientiæ*, vulgò Astesanam dictam, libris VIII. quæ curâ Bellati & Gometii prodiit *Norimbergæ* 1482. f. Postea à Bartholomæo de Bellatis Feltrensi & Gometio Ulisipponensi, Minoritis, recognita & in lucem edita, *Venet.* 1519. f. Ex hâc *Canones Pœnitentiales* excerpsit, & notis illustratos, unà cum aliis edidit Antonius Augustinus, *Venet.* 1584. 4°.

1317. H.W. JACOBUS DE LAUSANNA, natione Gallus, Ordinis Prædicatorum sodalis, & Academiæ Parisiensis Theologus, claruit anno 1317. quo Licentiatûs gradum accepit, pileo doctorali paulò post donatus. Postquàm Theologiam Lutetiæ diu publicè docuisset, Ordinis Provincialis per Galliam totam constitutus est, sedi tandem Lausannensi regendæ admotus. Innumera ferè conscripsit, imprimis verò plures S. Scripturæ libros Commentariis fusissimis illustravit. Ex his in lucem prodiit ingens *Moralitatum Opus*, in XII. libros distributum, *Lemovicis* 1528. Sermones de *Tempore, Sanctis & Quadragesima*, prælo bis exierunt, ab Alphonso de Castro postremâ vice evulgati. Præclarum illi in Præfatione elogium posuit Alphonsus; id verò, præsertim notat Jacobum in Parabolis admodum frequentem esse, ut Salvatorem ipsum, qui parabolicè ad Judæos verba facere solebat datâ operâ imitari videatur. Cætera illius scripta dabunt Possevinus Apparat. Tom. 1. p. 787. & Altamura Biblioth. prædicat. p. 112. SÆC. XIV. ab An. MCCC.

BERTRANDUS DE TURRE, patriâ Aquitanus, Camboli in Cadurcensi Diœcesi natus, *Doctor Famosus* vulgò appellatus, Ordinis Franciscani socius, & Provinciæ Aquitaniæ Minister. Claruit anno 1319. quo ad Archiepiscopatum Salernitanum evectus est. Anno sequente inter Cardinales cooptatus, Episcopatum Tusculanum demum obtinuit. Plurimas ante & post susceptum Galerum pro Pontificibus Romanis Legationes obiit, atque anno 1328. totius Ordinis Franciscani Administrator à Joanne XXII. constitutus fuit; usque dum Michaël Cæsenas in ordinem redigeretur, aut dignitate submoveretur. Factum id à Bertrando anno sequente; cùm habitis Lutetiæ Franciscanorum Papæ sequacium Comitiis Cæsenati fasces abrogati sunt. Obiit Bertrandus circa an. 1334. Scripsit *Sermones Epistolares*, seu in Epistolas inter Missam habendam legi solitas: impressos *Argentinæ* 1501. *Sermones de Tempore ab Adventu usque ad Pascha*; *Sermones de Sanctis*, *Dominicales*, *Quadragesimales & Feriales*: *Commentaria in* IV. *libros Sententiarum*. *In Evangelia & Epistolas totius anni*: MSS. in Bibliothecâ Vaticanâ, teste Waddingo*: ut *Tractatum de paupertate Christi & Apostolorum*, *& Collationes Theologicas*, missa faciam. 1319. H.W.

* De Scriptor. Ord. Minor. p. 60.

DURANDUS A S. PORCIANO, natione Gallus, in oppido, quod à S. Porciano Abbate dicitur, Arvernorum Boiis proximo natus, *Doctor resolutissimus* dictus; Ordinis prædicatorum Theologus eximius, claruit anno 1320. septennio ante Doctor Parisiis renunciatus. In Italiam posteà profectus, S. Palatii Apostolici Magister anno 1323. à Joanne XXII. constitutus est; atque ibi sacras literas aliquamdiu explicuit. Anno 1326. die XIII. Januar. Meldensis Episcopus à Pontifice creatus est, anno sequente ad sedem Aniciensem seu Podiensem provectus. Obiit anno 1333. die XIII. Septemb. Meldis in Ecclesiâ principe sepultus. Extant *Commentaria super libros* IV. *Sententiarum*, (quæ juvenis inchoavit, senex absolvit) non unâ vice edita, præcipuè verò *Venet.* 1571. f. *Liber de Origine Jurisdictionum*, *seu de Ecclesiasticâ Jurisdictione* & *Tractatus de legibus*, typis evulgati *Paris.* 1506. Plura alia ejusdem scripta adhuc inedita recenset Altamura Biblioth. prædicat. p. 109. Nugas agunt, qui nostrum cum Durandis Troarnensi, Leodiensi, & Speculatore confundunt, atque illi *Epistolam* Deoduini ad Henricum Regem *De Corpore Domini* contra Brunonem ascribunt. 1320. H.W.

THOMAS MORUS, seu *de la Moor*, gente Anglus, Eques Auratus, & Edwardi II. Angliæ Regis famulus. Sub istius auspiciis ac ductu contra Scotos stipendia fecit; causamque ejus postea throno injuriâ depulsi summâ, quâ potuit, fide ac constantiâ tutatus est. Claruit anno 1320. Scripsit *Edwardi II. Vitam ac Res gestas* ab anno 1307. quo Regimen suum auspicatus est, ad annum 1326. quo à nefariis Parricidis interemptus fuit. Gallicè Historiam suam Morus conscripsit, quam idcircò postulante illo Latinè vertit Gualterus Baker Canonicus Osneiensis. Extat Latinè inter Scriptores Anglicos Normannicos à Gul. Camdeno auspiciis Reverendissimi 1320. H.W.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC.

veterdiſſimi Præſulis Matthæi Parkeri Archiepiſcopi Cantuarienſis editos *Londini* 1574. f. *Francofurt.* 1602. f.

1320. R.G. NICEPHORUS CHUMNUS, qui & Nathanael aliquando nominatur, natione Græcus, patriâ, ni fallor, Byzantinus, profeſſione Monachus, & in Aulâ CP. ſub Andronico Palæologo ſen. Imp. rerum potens, Canaclei præfectus primò & cuſtos Annuli Imperatorii; poſteà magnus Stratopedarcha: Cum Andronicus Nepos Avum bello oppetiit, urbis Theſſalonicæ præfecturam habuit, ſeniori ſemper fidus. Claruit anno MCCCXX. ob prudentiam & in rebus agendis peritiam opibus & honoribus auctum narrant Gregoras * Cantacuzenus, †, ac præclaris eum elogiis ornant. Quamdiu vixit incertum eſt: ex ejus lucubrationibus nullę adhuc lucem aſpexerunt: Sunt autem hujuſmodi *Confutatio* dogmatis de proceſſione Sp. S. Hujus meminit Allatius, & in Bibl. Regis Gallorum Gr. MS. extare refert, *de Conſenſ.* lib. II. c. 18. §. XVIII. pag. 870. in iſtâ quidem Regis Chriſtianiſſimi Bibliothecâ Cod. 1751. (in initio pauca deſunt folia) habentur græcè varii ejus *Tractatus Theologici*, *Philoſophici*, *Ethici*, *Chryſobulla* & *Epiſtolæ* numero CLXXII. teſte Labbæo *Catal. Bibl. MSS.* p. 89. ea autem ſpeciatim recenſet *ibid.* p. 295. Quæ res Theologicas aut Hiſtoriam Eccleſ. propiùs ſpectant, cæteris omiſſis, recenſebimus. *Sermo* in Chriſti Transfigurationem, n. x. *Sanctio*, Natalis Domini feriam non uno tantùm die, ſed per totum menſem celebrari debere, n. XI. *Symbuleuticus* de juſtitiâ ad Theſſalonicenſes, & urbis encomium, n. XII. *Ex Imperatoris* decreto, ut judices jurejurando obligentur ad munus ſanctè obeundum, n. XIII. *Encomium* ad Imperatorem, n. XIV. *Querela* adverſùs Niphonem ob malè adminiſtratam Patriarchatûs ſui provinciam, n. XV. *Oratio* funebris in Theoleptum Metropolitam Philadelphiæ, n. XVI. *Confutatio* Latinorum dogmatis de proceſſione Sp. S. n. XVII. *Ad Epiſcopum* Philadelphiæ de miraculo in Canâ, n. XVIII. *Ad eundem* de petitione Eliſæi ab Heliâ, n. XIX. *Ad Filiam* Imperatricem de ipſius viduitate n. XX. *Ad Imperatorem* de obitu Deſpotæ & Filii ejus, n. XXI. *Conſolatio* in calamitate amici, n. XXII. *De charitate* erga proximum, & omnia relinquenda ut Chriſtum ſequamur, & de benedictione Paternâ quam ſurripuit Jacob ſuadente Matre, n. XXIII. Porro *Opuſcula* ejus varia & *Epiſtolas* in eadem Bibl. Cod. 1754. & in alio Codice Colbertino *Epiſtolas* aliquot ſupereſſe teſtatur Cl. du Cangius *Ind. ad Gloſſ. Gr.* pag. 30. Opus ejus de *oratione*, *judicio* & *operatione* quid ex iis amplecti, quid fugere liceat, in Bibl. Vaticanâ MS. extare fidem faciunt Simlerus, & Poſſevinus *in Apparat. ſacro.*

* Hiſt Rom. lib. VII. p. 168.
† Hiſt. lib. I. c. 14. p. 45.

1320. H. W. NICOLAUS DE LYRA, ſeu *Lyranus*, Trithemio & Baleo Anglus, rectiùs verò Normannus, Lyræ in Diœceſi Ebroicenſi natus, *Doctor Planus & utilis* dictus. Parentes Iudæos habuit, atque inter Rabbinos Judaicos prima literarum fundamenta poſuit. Poſtea ad fidem Chriſtianam converſus, Minoritarum habitum in Cœnobio Vernolienſi ad Cuſtodiam Normannicam ſpectante anno circiter 1292. induit. Theologiæ Magiſter in Academia Pariſienſi creatus, Claruit anno 1320. Poſtquàm aliquot in Conventu Vernolienſi annos exegiſſet, ad Academiam Pariſienſem ſe contulit; & in Magno Franciſcanorum Conventu per plures annos S. Scripturam interpretatus eſt; quam demum integram, arduum ac difficile opus aggreſſus, duplici Commentario, literali altero, altero morali, illuſtravit. Anno 1325. à Joannâ Franciæ Reginâ inter alios viros celeberrimos deſignatus eſt, qui Teſtamentum ſuum executioni demandaret. Obiit anno 1340. die XXIII. Octobr.

Append.

SCRIPTA.

Poſtillæ perpetuæ, ſeu *brevia Commentaria in univerſa Biblia libris* LXXXV. Opus arduum & eruditum, anno 1293. inchoatum, anno 1330. abſolutum. Poſt imperfectas aliquot & minùs accuratas editiones *Baſil.* 1508. *Lugduni* 1529. 6. vol. f. & alibi, prodiit caſtigatius cura Fr. Feuardentii, Jo. Dadrei & Jacobi de Cuilly, *Lugduni* 1590. dein in Bibliis Gloſſatis *Duaci* 1617. *Antverp.* 1634. in Bibliis maximis *Pariſ.* 1660.

Poſtillæ majores, ſeu *Enarrationes in Epiſtolas & Evangelia Dominicalia totius anni. Venet.* 1516 1588. 80.

Tractatus de idoneo miniſtrante & ſuſcipiente SS. Altaris Sacramentum. Prodiit unà cum S. Thomę libello ejuſdem argumenti in Germaniâ in 4°. abſque loci vel temporis mentione factâ.

Diſputatio contra perfidiam Judæorum, quæ unà cum ejuſdem *Præceptorio Lugduni* & *Pariſiis* edita fuiſſe à Miræo dicitur. Certè prodiit *Venetiis* 1483. ad calcem Poſtillarum in omnes utriuſque Teſtamenti libros.

Tractatus contra Iudæum quendam, ex ipſis Evangelii verbis Chriſtum ejuſque doctrinam impugnantem. Prodiit unà cum præcedente Opuſculo ad calcem Poſtillę *Lugduni* 1529.

Contemplatio de vitâ & geſtis S. Franciſci, à Lucâ Waddingo unà cum Opuſculis S. Franciſci edita *Antverp.* 1623. 4°.

Alia aliquot Lyrani ſcripta enumerat Bellarminus de Script. Eccleſ. pag. 369. plura Baleus Cent. V. cap. 12. nonnulla VVaddingus de Script. Ord. Minor. p. 266. qui loca, quibus Tractatus illius quidam MSS. aſſervantur, indicat.

NICOLAUS de LYRA, ex ſodalitio S. Franciſci, Ordinis ſui per totam Burgundiam Provincialis, claruit anno MCCCXX. Lucubrationibus ejus à Cl. Warthono numeratis accenſeantur ſequentes; *Tractatus* de differentiâ noſtræ Tranſlationis ab Hebraicâ literâ in Vetere Teſtamento *Præceptorium*, ſive Expoſitio in Decalogum legis Divinæ. Utrumque opus in ipſis ferè artis Typographicæ incunabulis literis Gothicis editum, abſque anni notatione, illud Rothomagi, hoc Lutetiæ. *Tractatus* de Animæ clauſtro. Extat MS. in Bibl. Bodl. Claſſ. *Laud.* C. XI. 3. *De viſione* Divinæ Eſſentiæ ab animalibus à corpore ſeparatis inter alia opuſcula MS. in Bibl. Colleg. Merton. Oxon. n. CLXXXVII. & cum aliis ejuſdem operibus in Cod. Colbertino 149. *Probatio* Adventûs Chriſti per Scripturas à Judæis receptas; prodiit Francof. in 8vo. cum aliis nonnullis contra Hebræos tractatibus. Humilis *Confeſſio* cum gratiarum actione poſt peractum ejus opus Biblicum à Waddingo profertur. *Bibl. Minor.* p. 265. uberior autem & caſtigatior ex Cod. MS. Colber, 2184. à Baluzio, *Not. ad Vit. PP. Aven.* Tom. I. col. 808. 1320. R.G.

ALBERTINUS MUSSATUS, natione Italus, Patriâ Patavinus, Poëta & Hiſtoricus pro ratione ævi ſui non incelebris, Obiit exul Clodii anno 1329. in urbe verò patriâ ſepultus. Scripſit *Libros* XVI. *de Geſtis Henrici* VII. Germanorum Imperatoris, *Priapeia*, *Ecelinum*, *Librum de Fato*, atque alia quædam, quę cum notis & Emendationibus Laurentii Pignorii, Oſii, ad Villani prodierunt excuſa *Venet.* 1635. f. 1320. H. W.

ANDREAS HORNE, natione Anglus, patriâ, ni malè conjecerit Baleus *, Gloceſtrenſis, Iuris Municipalis Anglicani ſtudioſiſſimus. Claruit 1320. H. W.

* Cent. 125 cap. 41.

B 2 anno

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. anno 1320. Ætatem quidem ejus sibi incompertam esse Baleus agnoscit; neque aliud de illo tradit, quàm quòd in Historiâ versatissimus, comparatis hinc inde Historiarum Floribus, *Claudiocestriæ Chronicon* condiderit. Chronicon quidem jampridem periit. Aliud autem, quod Baleum penitus fugit, superest Opusculum; unde Autoris ætas certò definiri queat. Scripsit enim Andreas Juris Forensis Anglicani *Summam*, quam *Speculum Justitiariorum* appellari voluit, linguâ Gallicanâ, quæ in Foro Anglicano more vetusto usurpari solet. Ex illo patet Autorem id sub Edwardo II. Rege, ante annum tamen 1324. conscripsisse. Obiit post annum 1343. quo Abbatis Walthamensis causam in foro egit; uti testimonium ex Archivis forensibus, depromptum atque Operi præmissum demonstrat. Vir sacrarum literarum non minùs quàm Jurisprudentiæ callentissimus, nullas in foro Anglicano leges usurpari voluit, nisi quæ S. Scripturę & juri naturali consentaneæ essent; adeóque postremâ Operis parte consuetudines Anglicas utrivis contrarias sigillatim enumerat & aboleri suadet. Prodiit *Speculum Justitiariorum* Gallicè *Londini* 1642. 8°. Anglicè conversum *Londini* 1646. 8°. Cæterùm non immeritò in Catalogo nostro locum obtinet Andreas, non solùm quòd S. Scripturam unicam Jurisprudentiæ normam ponat; sed & illustre Ecclesiæ Anglicanæ fidei de libris Scripturæ Canonicis Testimonium exhibuerit: quod quidem, cùm liber exteris ignotus, nostratibus etiam (si Jurisconsultos excipias) parùm notus sit, integrum apponere Lectori non ingratum fore arbitror. Postquàm igitur universam Legem forensem in S. Scriptura fundatam esse præfatus fuisset; totamque Scripturam in Vetus ac Novum Testamentum distribuisset; XXII. Veteris Testamenti libros ex mente Hebræorum recenset; ac dein subjungit *: Et oûtre ceux sont autre livres en l' viel Testament, tout soit ne soient elles authorises Canon, sicome, Tobie, Iudeth, Maccabes, Ecclesiasticus. *Et præter istos alii sunt Veteris Testamenti libri, quamvis authoritate divinâ careant, neque in Canonem recipiantur; ex. gr. Tobias, Iudith, Maccabæorum libri, Ecclesiasticus.*

* In Præfat. p. 4.

1320. R. G. LANDOLFUS de COLUMNA patriâ Romanus, Canonicus Carnotensis, claruit anno MCCCXX. Literis consignavit Chronicon ab Orbe condito ad sua usque tempora, Joanni Papæ XXII. nuncupatum, quod *Breviarium Historiale* appellavit. Hujus operis partem, viz. *Elogia Philippi* Pulchri Galliæ Regis ejusque filiorum Ludovici Hutini, & Philippi Longi in lucem emisit Phil. Labbeus *Biblioth. MSS.* Tom. I. pag. 659. Integrum extat MS. in Bibliothecâ Pateanâ Paris. Cod. 242. prodiit etiam typis alicubi impressum circa primordia Typographiæ, certè ante annum 1500. 8vo. *Pontificum* etiam Romanorum historiam à B. Petro ad Joannem Anglicum dictum, Landolphum elucubrâsse affirmat Raphael Volaterranus *, utrùm verò sit opus à priori diversum dubitare licet. Extat Raduphi de *Columnâ* (qui & Pandulfus & Landulfus dicitur de translatione Imperii Tractatus in Sylloge *Schardianâ* p. 284 seorsim edit. Basil. 1566. 8vo. an idem sit Auctor, adhuc dubito.

*Comment. Urb. l. 22.

1320. R.G. ODORICUS FOROJULIENSIS, à nonnullis Oldoricus dictus, natione Italus, è Portu-Naono (Forojulii id oppidum est) oriundus, Frater Ord. Min. claruit sub Joanne Papa XXII. anno MCCCXX. Obiit Utini XIV. die *Ianuar.* anno MCCCXXXI. Cùm varias orbis Orientalis regiones pervagâsset, & inter fideles diu versatus majorem Asiæ partem ad Indos usque perlustrâsset; Historiam suæ Peregrinationis contexuit; quæ aliquando *Itinerarium*, aliquando *de Mirabilibus Mundi* nominatur; Extat MS. in Bibl. Colleg. Corp. Chr Cantab. & in Bibl. Bodleian. inter Cod. Digbeianos. In lucem protulit unà cum Auctoris *vitâ* ad XIV. d. *Ian.* Bollandus Tom. I. Alterius hujus Auctoris Operis meminit Waddingus *de variis ritibus & conditionibus hujus mundi* inscripti, quod idem esse cum priore testatur Vossius †. Chronicon ejus sæpiùs in suis Annalibus laudat idem Waddingus, quod MS. habuit & plurima inde excerpsit. Verùm indiciis ex ipso opere petitis quod MS. in Biblioth. Colbertinâ Cod. 5496. repertum perlegerat Cl. Baluzius, Odoricum ejus Actorem non esse manifestò deprehendit: vid. Baluz. not. *ad vit. Pap. Avenion.* Tom. I. p. 1411. & sequ. cæterùm *Sermones* varios & *Epistolas* ei tribuunt Simlerus & Possevinus.

† De Hist. Lat. l. II. c. 64. p. 510.

PETRUS AUREOLUS, gente Gallus; Verneriæ seu Verberiæ ad Isaram fluvium natus, *Doctor Facundus* appellatus, Ordinem Minoritarum ingressus, Michaëlis Cæsenatis electioni in Generalem anno 1316. in Comitiis Neapolitanis strenuè obstitit. Anno 1318. licentiam publicè docendi in Academia Parisiensi mandato Pontificio accepit, Magisterii apice donatus. In Magistrum itaque Sententiarum legit, donec anno 1321. III. Cal. Martii, ad Archiepiscopatum Aquensem in Gallia eveheretur. Obiit die XXVII. April. sed quo anno non constat: certè post annum 1345. quo *Breviarium Bibliorum* scripsit. Errant profectò qui eum Cardinalium albo inscribunt: nec minùs forsan, qui Joannis Duns Scoti discipulum fuisse volunt. 1321. H. W.

SCRIPTA.

Commentaria in libros IV. *Sententiarum*, quorum quæ in primum edita sunt curâ Card. Sarnani *Romæ* 1595. f. quæ in 2m 3m & 4m libros prodierunt *ibid.* 1505. f.

Quodlibeta varia, cum Tomo 2°. Comment. *Romæ* 1605.

Breviarium Bibliorum, seu *Epitome universæ S. Scripturæ juxta literalem sensum.* Prodiit *Venet.* 1507. *Argentinæ* 1514. *Paris.* 1565. *Venet.* 1571. curâ Stephani Novelleti *Paris.* 1585.

Tractatus de immaculatâ Conceptione B. Virginis, qui *Tholosæ* 1514. prodiisse dicitur.

Librum ejusdem, qui inscribitur, *Rosa Distinctiones*: *Sermones de tempore*: & *Tractatum de paupertate & usu paupere rerum.* MSS. in Conventu Sagiensi Normannico extare refert Lucas Waddingus de Script. Ord. Minor. p. 276.

JOANNES BASSOLIS, natione, ut fertur, Scotus, *Doctor Ordinatissimus* dictus, Ordinis Minoritarum socius, Ioannis Duns Scoti Discipulus, illi præ cæteris ob ingenium dilectus, adeò ut eo unico præsente Scotus sufficiens auditorium adesse diceret. Anno 1313. Rhemis, 1322. quo præcipuè claruit, Mechliniæ in Magistrum Sententiarum prælegit. Quando obierit, non liquet. Extant *Commentaria seu Lectura in* IV. *libros Sententiarum*, curâ Orontii Finei Delfinatis edita *Paris.* 1517. f. *Miscellanea* ejusdem *Philosophica & Medica ibidem* prodierunt. 1322. H. W.

JOANNES PARISIENSIS, gente Anglus, S. Victoris Parisiensis Canonicus regularis Augustinianus, claruit anno MCCCXXII. Rebus historicis operam impendens, Veterum pariter ac Recentiorum monumenta sedulò excussit, & quidquid memoratu dignum reperit, in ordinem redegit; inde historiam concinnavit ad annum MCCCXXII. diductam, quam *Memoriale historiarum* inscripsit, hujus 1322. R.G.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. hujus cum laude meminit & testimonium exinde profert Cl. Launoius, *Dissert. de Brunone* pag. 79, 80. alia quædam de Gallicâ regione, & origine regnorum & gentium regionis ejusdem protulit vir de re historicâ optimè meritus Andr. Du Chesnius, *Collect. vet. Hist. Franc. Script.* Tom. I. p. 128. inde etiam, ni fallor, in lucem protraxit *Clementis* V. & Joannis XXII. PP. vitas Cl. Baluzius, *Vit. Pap. Aven.* Tom. I. p. 1. 113. Opus integrum extat MSS. apud Anglos, in Bibl. Publicâ Cantabr. Cod. 239. & Coll. Corp. Christ. Cod. 20. apud Gallos in Bibl. Regiâ, S. Victoris Parisiens. & Collegii Navarrici ibidem.

1323. H. W. BERNARDUS GUIDO, gente Gallus, Patriâ Lemovicensis, ex vico Roeriâ propè Rupem-Apis oriundus, humili loco natus est anno 1261. Anno 1280. Prædicatorum Ordini se adjunxit, anno 1294. ex Lectore Cœnobii Albiensis Prior factus, anno 1297. Carcassonæ, 1299. Castrensis, 1303. Lemovicensis Prior constitutus. Anno 1305. Inquisitor contra Albigenses Tolosanos renunciatus est, Ordinis sui Procurator in Curia Romana anno 1312. electus. Quadriennio post à Joanne XXII. pro pace inter civitates concilianda & confirmanda in Italiam missus est. Anno 1323. Tudensem Episcopatum in Gallicia diuturnæ militiæ præmium tulit; anno sequenti ad sedem Lodovensem in Gallia Narbonensi translatus. Obiit anno 1331. die XIII. Novembr. apud Dominicanos Lemovicenses sepultus.

SCRIPTA.

DE Fundatione Ordinum Grandimontensis & Artigia, & Monasterii S. Augustini Lemovicensis Historia brevis ad annum 1313. deducta. Extat apud Labbeum Biblioth. Nov. MSS. Tom. 2. p. 275.

Gesta Comitum Tholosanorum, à Catello edita *Tolosæ* 1623. f.

Vita S. Fulchranni Episcopi Lodovensis. Habetur apud Bollandum ad XIII. Februar.

Vita S. Glodesindis virginis, à Bernardo quodam Abbate, forsan nostro, conscripta habetur apud Surium ad XXV. Julii.

Speculum Sanctorale ad Joannem XXII. in quo de Christi, Sanctorumque omnium ac Martyrum vitis agitur libris, seu potiùs voluminibus IV. Extat MS. in Bibliotheca Prædicatorum Avenionensium. *Epistolam* ejus *nuncupatoriam & Præfationem* dedit Labbæus ibid. p. 513. qui *nomina & gesta Episcoporum Lemovicensium*, à S. Martiali usque an. 1273. inde excerpta exhibet pag. 265. *Historiam de S. Thoma Cantuariensi*, p. 515. *aliquot Sanctorum Vitas* sparsim alibi. Inde excerptas edidit Fr. Bosquetus *Clementis* V. & *Joannis* XX. *Pontificum Vitas*: alias alii.

Speculum Historicum Romanorum Pontificum atque Imperatorum & Regum Galliæ usque ad an. 1322. Berengarii Generalis sui jussu conscriptum, & Joanni XXII. dicatum. Extat MS. in Biblioth. Colbertina & apud Prædicatores Avenionenses.

Acta omnium generalium Capitulorum Dominicani Ordinis ab Ordine condito ad sua usque tempora, Aymerici Generalis jussu collecta & digesta. Habentur MSS. ap. Dominicanos Tolosanos.

Practica Inquisitionis. MS. ibidem.

Tractatus brevis de temporibus & annis generalium & particularium Conciliorum. Tractatus de Officio Missæ. De Præceptis Decalogi, de Apostolis & LXXII. Discipulis, De Episcopis Tolosanis. Dicta SS. Patrum & Doctorum de peccato originali. De Articulis fidei & Sacramentis Ecclesiæ, atque alia quædam, MSS. in Bibliotheca Colbertina, teste Cl. Oudino Supplem. p. 595.

Append.

SÆC. XIV. ab An. MCCC. 1323. R. G. BERNARDUS GUIDONIS, patriâ Lemovicensis, ex Ordine Prædicatorum, ab omnibus historiæ Ecclesiasticæ studiosis, præcipuè autem ab iis ejusdem Regionis ac Ordinis, optimè meritus, claruit anno MCCCXXIII. Plurima eximii hujus Historici Opera recensuit Cl. Whartonus, pauca supersunt nobis paulò annotanda. Certum est Guidonem nostrum duplex Chronicon Rom. Pontificum elaborâsse, unum breviusculum, quod *Præcedens Catalogus Pontif. Rom.* sive *Flores Chronicorum* appellatur. Extat MS. in Biblioth. Carmelitarum Excalceatorum Claromont. in Arvernâ n. XXIX. teste Labbæo *. Alterum fusius & prolixius quod habetur in Biblioth. Colbertinâ, Cod. 375. duplex autem hujus Chronici extat editio, prior Berengario Ord. Magistro nuncupatur, ac desinit in an. MCCCXXI. posterior Joanni Papæ XXII. dicatur, ac ad annum MCCCXXX. diducitur, ulterius forsan producenda, nisi auctoris jam septuagenarii mors prævenisset. Utriusque specimen nobis exhibet Steph. Baluzius in opere posthumo, *Vit. Pap. Aven.* Tom. I. ubi inter Clementis Papæ V. vitas, quæ ordine *tertia* est, col. 55. breviori; *quarta* col. 61. prolixiori stylo conscripta, utraque nostrum Guidonem Auctorem vendicant; eodem modo & *Secunda* Joannis Papæ XXII. brevior col. 133. *tertia* fusior col. 151. Guidonis operâ scripta, nisi quod posteriori additamentum breve post mortem Guidonis ab incerto quodam subjunctum est. Hoc Pontif. Rom. Chronico multùm usus est in Annal. Ecclesiast. condendis Rev. Apamiarum Antistes H. Spondanus, Extatque MS. in Bibl. Prædicatorum Tolosæ *. Uti & *Sanctoriale* quinque prægrandibus voluminibus, quorum secundo *Vita* nostri Guidonis (an à se scripta non liquet) præfigitur. Ibidem etiam habetur *Tractatus* de Magistris in Theologiâ ex ordine Prædicatorum. Opera ejus historica plurima habentur MSS. in Biblioth. Coll. S. Trinit. Cant. *Descriptio Galliarum*, pars Chronici Guidoniani, â Du-Chesnio edita est *Script. Franc.* Tom. 1. p. 22. *Sanctorum Lemovicensium historia* ex *Sanctoriali* desumpta à Labbæo in lucem protracta, *Bibl. MSS.* Tom. I. p. 629. & sequ. qui Vitam Guidonis exhibet, *ibid.* Tom. II. p. 512. Inde etiam petita est *Vita* S. Thomæ Aquinatis, quam Bollandiani ediderunt, ad d. 7. Martii. *Sermones* ejus de tempore & Sanctis, extant MSS. in Bibl. Bodleian. Class. *Laud. H.* XXIV. iterúmque Class. *Bodlei. C.* VI. 4. Scripsit etiam additiones ad librum Stephani de Salagnaco de exordiis Ord. Prædicatorum, teste Baluzio *Not. ad Vit. Pap. Aven.* T. I. col. 579.

* Catal. Bib. MSS. p. 208.

* Spondan. Annal. Eccles. ad ann. 1330. n. VII.

1324. H. W. MARSILIUS PATAVINUS, MENANDRINUS dictus, natione Italus, civitate Paduanus, in Aurelianensi Academia Jurisprudentiæ elementis imbutus, uti de seipso prodit *, Philosophus & Jurisconsultus sui temporis celeberrimus, Ludovici Bavari Imp. Consiliarius, claruit anno 1324. quo Majestatem Imperatoriam à Pontificia tyrannide conculcatam indignatus, insigne illud Opus, *Defensorem Pacis*, evulgavit; in quo Imperatorem Pontifici adeò non subesse, ut Pontifex Imperatori non solùm in temporalibus, sed etiam in spiritualibus quoad externam Ecclesiæ Disciplinam moderandam subjici debeat, acutè & eruditè probat; Aulæ Romanæ fastum, ambitionem & luxuriam luculenter depingit; Pontifici Romano ne minimam quidem supra reliquos Episcopos potestatis aut præeminentiæ Prærogativam jure divino competere fusè demonstrat. Tantâ Marsilii fiduciâ in rabiem actus Joannes XXII. anno 1327. prolixum edidit Decretum quo eum diris devovet, ipsiusque argumenta utcunque vellicat. Unde nil mirum eum in Indice Librorum Romano Authoribus damnatis adhuc accenseri,

* Defens. pacis l. 2. c. 18.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. censeri. Obiit Marsilius apud Montemaltum ann. 1328. medio Septembri. Extant *Defensor Pacis*, seu *de re Imperatoriâ & Pontificiâ adversùs usurpatam Romani Pontificis jurisdictionem libri* 3. *Basil.* 1522. f. *Francofurt.* 1612. 1623. 8°. & apud Goldastum Monarch. Tom. 2. pag. 154. *De Jurisdictione Imperiali in causis Matrimonialibus*, ibid. p. 1383. *De Translatione Imperii Tractatus*, ibid. p. 147. & in Antilogiâ Papæ à Weissemburgio edita *Basil.* 1555. 8°. quam in Appendice suo ad Fasciculum Rerum Expetendarum recudi fecit Vir doctissimus mihique amicissimus Eduardus Brovvn *Londini* 1688. f. p. 55.

1325. H. W. PETRUS BERTRANDUS, (gente Gallus, Annonæensis oppidi in Vivariensi ditione civis, Matthæi Bertrandi filius, Gulielmi Noviomensis Episcopi frater, Juris Pontificii ac Cæsarei in Academiis Avenionensi, Monspessulanâ, Aurelianensi, & Parisiensi Professor, Consiliarius Regius, & Joannæ Francorum Reginæ Cancellarius, ex Decano Aniciensis Ecclesiæ primùm Episcopus Nivernensis, dein anno 1325. Æduensis sive Augustodunensis factus est. An. 1329. cum Gulielmo Archiepiscopo Senonensi, cæterisque Prælatis, pro immunitate Ecclesiasticâ adversùs Petrum Cunerium Advocatum Regium coram Philippo Valesio Rege strenuè decertavit. Anno 1331. die xx. Decembr. Ecclesiæ Romanæ Cardinalis titulo S. Clementis à Joanne XXII. renunciatus est. Anno 1341. Collegium Augustodunense ære suo fundavit. Obiit Avenione anno 1349. die XXIV. Junii. Extat *Libellus de Iurisdictione Ecclesiasticâ*, seu *Acta disputationis* adversùs Petrum de Cugneriis pro Ecclesiæ Gallicanæ libertate, seorsim *Paris.* 1495. 4°. apud Goldastum Monarch. Tom. 2. p. 1361. *Tractatus de origine & usu Iurisdictionum*, seu *de spirituali & temporali Iurisdictione*, inter alios Tractatus Juris editus *Venet.* 1584. Tom. XII. pag. 408. Utrumque Opus habetur in Bibliothecâ Patr. Tom. XXVI.

1326. H. W. PETRUS DE DUSBURG, Patriâ, ut videtur, Dusburgensis, Ordinis Teutonici Frater & Sacerdos, claruit anno 1326. quo Historiam suam tunc absolvisse testatur in Epistolâ nuncupatoriâ ad Wernerum de Orselen Teutonicorum Equitum Magistrum, qui electus anno 1325. occisus est anno 1330. Turpissimè igitur hallucinatur Oudinus, qui Petrum ad annum 1425. refert. Scripsit Petrus *Chronicon Prussiæ*, sive *Historiam Ordinis Teutonici* à primâ ejus institutione anno 1190. usque ad annum 1326. ab incerto quodam Authore ad annum 1435. continuatam. Primus eam è tenebris eruit, notis illustravit, dissertationibus XIX. de Antiquitatibus Prussicis auxit, & in lucem emisit Christophorus Hartnochius *Jenæ* 1679. 4°.

1327. H. W. ANDRONICUS, Patriâ Constantinopolitanus, ex Imperatoriâ Comnenorum prosapiâ oriundus, claruit circa an. 1327. Extat. *Dialogus adversùs Iudæos* Latinè ex Joannis Livineii versione in Stevartii Auctuario ad Canisium *Ingolstad.* 1616. 4°. & in Bibliothec. Patr. Tom. XXVI. p. 38. Eundem Andronicum autorem habere videntur, *Dialogus adversùs Latinos de Processione Sp. S. Disputatio Imperatoris cum Doctore Armeniorum Petro de duabus in Christo naturis, & aliis Capitibus*, & *Scriptum contra Ioannem Veccum*, quæ MSS. in Bibliothecâ Bavaricâ Cod. 120. asservantur, teste Possevino in Catalogo p. 62.

1329. H. W. JOANNES BACONUS, seu Baconthorpius, natione Anglus, ex Baconthorpâ vili pago agri Nordovolgiensis oriundus, *Doctor Resolutus* dictus. Ineunte ætate Carmelitis Cœnobii Nigeriensis seu Blacneiensis prope Walsinghamiam se adjunxit; & ab iis Oxonium primùm dein Lutetiam missus, Juris utriusque & S. Theologiæ laureas adeptus est, tantam insuper famam consecutus, ut Averroistarum Princeps vulgò haberetur. Domum reversus, post aliquot annos Provincialis Carmelitarum in Angliâ ordine duodecimus in Conventu Fratrum generali Londini habito anno 1329. electus est. Post quadriennium Romam evocatus, ut super gravissimis de Matrimonio quæstionibus sententiam proferret, cùm nimium authoritati Pontificiæ circa enervandas dispensationibus leges de matrimonio divinas inter disputandum tribuisset, sibilis exceptus est. Erroris admonitus Baconus, rei veritatem diligentiùs investigavit, vitium agnovit, Palinodiam modestè cecinit, Pontificem in gradibus consanguinitatis lege divina prohibitis dispensare non posse contendit; & Sophisticem tanquam perniciosissimam fidei Christianæ pestem deinceps detestari cœpit. Obiit anno 1346. Londini sepultus.

SCRIPTA.

Commentaria, seu Quæstiones super IV. libros Sententiarum. Prodierunt *Mediolani.* 1510, 1611. & curâ Joannis Chrysostomi Marascç *Cremonæ* 1618. Tom. 2. bis *Parisiis* semel *Venetiis.*

Compendium Legis Christi, & *Quodlibeta. Venetiis* 1527. f. edita, *Quodlibeta* prodierunt unà cùm Commentariis in Sententias, *Cremonæ* 1618.

Tractatus 2. *de Regulâ Ordinis Carmelitani*, & *Compendium Historiarum ac Iurium pro defensione ejusdem Ordinis*, nescio an adhuc in lucem exierint.

Ineditorum Baconi Operum longum satis Catalogum texit Baleus, ex eo Pitseus, aliique. In maximè notari merentur *Commentaria in omnes utriusque Testamenti libros, in S. Augustinum de Civitate Dei. Tractatus varii adversùs Iudæos. Tractatus adversùs Ioannem Pontificem de Beatorum visione. Sermones varii*, &c.

GERARDUS ODONIS, natione Gallus, Patriâ Ruthenensis, de Castro Rodulphi oriundus, *Doctor Moralis* dictus. Ordinis Minoritarum sodalis, ac demum anno 1329. Minister Generalis, in Comitiis Parisiensibus Michaëli Cæsenati substitutus Factum id favore Ioannis XXII. Pontificis, cui perquàm familiaris fuit. Ut plurimas enim legationes, in Siciliam binas, unicam in Angliam, atque alteram in Posnam Croatiæ, illi à Pontifice commissas taceam: Pseudo-Patriarcha Antiochenus, & perpetuus Ecclesiæ Catanensis in Siciliâ Administrator ab illo demum constitutus est. Obiit Catanæ anno 1349. Extant *Commentarii in libros X. Ethicorum Aristotelis, Venet.* 1500. *Officium de stigmatibus S. Francisci*, à Franciscanis hodienum recitatum. *Tractatus de figuris Bibliorum* MS. in Cœnobio Mirapicensi. *Quæstiones* 11. *Philosophicæ de Lumine, & divisibilitate materiæ*, MSS. in Bibliothecâ Vaticanâ; *Commentaria in libros IV. Sententiarum, & in varios S. Scripturæ libros*; atque alia quædam, teste Waddingo, Biblioth. Ord. Minor. p. 145. 1329. H. W.

JOANNES CANON, aliis *Canonicus* appellatus, gente Anglus, Ordinis Franciscani Socius, Rei Theologicæ peritissimus, nec Juris Pontificii ignarus. Claruit anno 1329. Positis Oxonii primis Theologiæ rudimentis, Lutetiam se contulit, ut conterraneum suum Joannem Duns Scotum magnâ gloriâ ibi docentem audiret. Pileum Magistralem adeptus, Parisiis Theologiam aliquandiu, in Angliam verò redux, Oxonii usque ad obitum prælegit. Scripsit *Commentaria in Magistrum Sententiarum*; 1329. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. *rum*; *Lecturas Magistrales*; *Quæstiones disputatas*; & *in Aristotelis Physica libros* VIII. Prodierunt *Venet.* 1492. & Francisci Montis Feretri Philosophiæ apud Minoritas Venetos Professoris curâ *ibid.* 1516.

1330. H. W. GULIELMUS OCHAM, sive OCCAM, gente Anglus, in vico cognomine agri Surreiensis natus, *Doctor Singularis*, & *Venerabilis Inceptor* appellatus, Ordinis Minoritarum, *inter maxima & portentosa ingenia referendus*, inquit Jacobus Gaddius *, Joannis Duns Scoti discipulus, postea tamen ejusdem impugnator, adeò ut diversam ab eo sectam, *Nominalium* dictam, seu institueret, seu restauraret. Claruit anno 1330. diu tamen antea Scriptis celebris. Ineunte enim sæculo cathedram Theologicam in Academiâ Parisiensi tenuit; & Philippi Pulchri Galliæ Regis partes adversùs Bonifacium Papam edito de Potestate Ecclesiasticâ & sæculari libro egregiè propugnavit. Minoritarum in Anglia Provincialis factus, anno 1322. Conventui Ordinis sui generali Perusii habito interfuit; ubi unanimi Franciscanorum suffragio definitum est, Christum & Apostolos nil aut proprium aut in communi possedisse asserere hæreticum non esse (prout credi voluit Joannes Papa) sed sanum & orthodoxum. Eandem doctrinam soluto Conventu ubivis locorum, & inprimis Bononiæ prædicavit Occamus, donec anno sequente à Joanne Pontifice sub anathematis pœnâ ad silentium adigeretur. In Galliam igitur secedens, ibi securus delituit usque ad annum circiter 1328 quo calamum adversùs Pontificem pro Ludovico Bavaro Imp. strinxit; Petri Corbarii Antipapæ partes fovit; Joannis XXII. ambitionem & tyrannidem scriptis acriter oppugnavit; & Imperatorem nulli, nisi Deo, in temporalibus subesse palàm edocuit. His nominibus anathematis fulmine à Joanne an. 1330. percussus, ad Ludovicum Bavarum Imp. confugit; à quo benignissimè acceptus, & secretioribus consiliis adhibitus, in aulâ illius consenuit: partesque ejus, quoad vixit, non minùs eruditè quàm constanter egit, adeò ut Imperatorem sic affari soleret: *Tu me defendas gladio; & ego te defendam calamo.* Obiisse fertur anno 1347. die X. Aprilis, Monachii in Conventu Ordinis sui sepultus. Waddingus verò eum ante annum 1350. non decessisse, & Capuæ potiùs tumulatum esse contendit.

* De Script. non Eccles. Tom. 2. pag. 122.

OPERA.

Quæstiones super IV. libros *Sententiarum*, & *in Centiloquium Theologicum.* Prodierunt *Lugduni* 1495. f.

Commentarius in primum librum Sententiarum loco innominato 1483. f.

Expositio aurea super totam Artem veterem, viz. in Porphyrii Prædicablia; in Aristotelis Prædicamenta, & in libros duos περὶ ἑρμηνείας. Prodiit studio Marci Beneventani *Bononiæ* 1496. fol.

Summa totius Logicæ Venet. 1508. 4°. 1591. 4°. *Oxon.* 1675. 8°.

Major Summa Logicæ. Venet. 1532.

Quæstiones in libros VIII. *Physicorum Argentinæ* 1491. 1506.

Philosophia Naturalis, seu Summula in librum Physicorum, Venet. 1506. 4°. *Romæ* 1637. 4°. à Bonaventurâ Teulo Veliterno evulgatæ.

Disputatio de Potestate Ecclesiasticâ & seculari, sub formâ *Dialogi inter Clericum & Militem Paris.* 1598. & apud Goldastum Monarch. Tom. I. p. 13.

De Jurisdictione Imperatoris in causis Matrimonialibus Tractatus, anno 1342. scriptus. Ibid. p. 21.

Quæstionum VIII. *decisiones super potestate & dignitate Summi Pontificis. Lugduni* 1496. & apud Goldastum Tom. 2. p. 313.

SÆC. XIV. ab An. MCCC. *Centiloquium Theologicum*; *omnem fermè Theologiam speculativam sub centum conclusionibus subtilissimè complectens. Lugduni* 1496.

Dialogus inter Magistrum & Discipulum, in tres partes distributus. Prima pars constat libris VII. & agit de potestate definiendi quænam sint assertiones catholicæ, quænam hæreticæ, de puniendis hæreticis, de infallibilitate Papæ, de potestate Concilii Generalis, &c. Secunda dividitur in duos Tractatus, & oppugnat Joannis XXII. hæresim de beatorum animabus ad visionem Dei ante resurrectionem non admissis. Tertia dividitur in Tractatus IX. quorum quilibet in plures libros subdividitur. Agit de primatu Pontificis Romani, an à Christo institutus, an Orbi Christiano conveniat; de autoritate Concilii Generalis, superioritate Imperatoris, de fidei articulis definiendis, potestatis ecclesiasticæ & sæcularis limitibus.

Compendium errorum Joannis XXII. in quo errores & hæreses LXXVII. à Pontifice edoctos & prædicatos fuisse Occhamus contendit.

Opus nonaginta dierum, de utili dominio rerum Ecclesiasticarum, & abdicatione bonorum temporalium in perfectione status Monachorum & Clericorum adversùs errores Joannis Papæ: quo Joannis XXII. Constitutiones adversùs Michaëlem Cæsenatem & Franciscanos latas impugnat, rationes ejus diluit, Minoritarum sententiam de paupertate Christi & usu ac dominio rerum fusè confirmat. Prodierunt simul Opera ista tria *Lugduni* 1495. & habentur apud Goldastum Monarch. Tom. 2. p. 398.

Quodlibeta VII. *Paris.* 1487. *Argentorati* 1491.

Tractatus de Sacramento Altaris. Prodiit unà cum *Quodlibetis*, *Paris.* 1487. *Venet.* 1516. *Paris.* 1513. 8°.

De corpore Christi liber. Argentorati 1491. Istud enim opusculum Lucas Waddingus * à superiore distinxit. Ego tamen unum idemque esse Opus subdubitarem. Viderint id, qui utrasque editiones nacti fuerint, Eruditi. * De Scriptor. Ord. Minor. p. 155.

Tractatus, quòd Benedictus XII. Papa nonnullas Hæreses Joannis XXII. amplexus est & defendit.

Epistola ad Fratres Minores in Capitulo apud Assisium congregatos anno 1334. Utrumque Opusculum extat MS. in Bibliothecâ Colbertinâ, teste Oudino Supplem. p. 607. Alia plura illius Scripta enumerat Baleus & Waddingus *, quæ nondum viderunt lucem. * De Scriptor. Ord. Minor. p. 155.

1330. R. G. GULIELMUS OCCAM, Anglus, Minorita, *Doctor Invincibilis* dictus, claruit an. MCCCXXX, Operibus à Cl. Whartono congestis accenseri meruit *Epistola Defensoria* sui & Fratrum Minorum nomine contra errores Joan. P. XXII. scripta, in quâ X. errores Papæ circa paupertatem Christi & Apostolorum, tres circa justorum Beatitudinem ac pœnas impiorum quamprimùm vitâ excesserint, notandos & corrigendos suscepit. Hanc ex Apographo G. Grashavi (quam tamen priùs editam suspicatur) prelo subjecit Ed. Brovvn Ecclesiæ Sundriensis in agro Cantiano Rector dignissimus, *Append. ad Fascic. rerum expet.* p. 439. Opus nonaginta dierum, de potestate Papæ, Errorum Joan. Papæ XXII. Dialogum inter Magistrum & Discipulum, jussu Bessarionis Cardinalis in compendium redegit Henricus de Zœmeren S. T. P. Decanus Antverpiens. ac in lucem edidit Lovan. 1481. *fol.* Notandum est tertiam partem Dialogi inter Magistrum & Discipulum, in IX. Capita distributi, quorum tria priora solummodò in editis comparent, reliquis suppressis, eò quòd *amariora erant quàm ut in vulgi conspectum prodirent*, uti Jo. Bapt. Ascensius in Epistola Nuncupatoria ad Joan. Trithemium Spanheimens. Editioni Lugdunensi præfixâ an. 1444.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. *De Hæreticis* scripsisse dicitur Occamus, verum non est Opus à priori distinctum; sed unicum ejusdem Capitulum ab Auctore eo nomine insignitum.

1330. H. W. PETRUS PALUDANUS, natione Burgundus Gerardi Varembonii Toparchæ in Bressiâ filius, Ordinis Dominicanorum Monachus, Theologiæ & Juris Canonici scientiâ insignis, S. Thomæ doctrinæ pugil fortissimus. Anno 1314. Licentiatûs dignitatem in Academiâ Parisiensi meruit. Anno 1325. à Joannâ Franciç Reginâ Testamento suo procurando inter alios præfectus est. Claruit anno 1330. quo circiter tempore Patriarcha Hierosolymitanus constitutus est. Obiit anno 1342. die ultimo Januarii Parisiis, seu, ut alii, in insulâ Cypro, Parisios post mortem deportatus.

OPERA.

Commentaria in 3m. & 4m. libros Magistri Sententiarum. Prodierunt *Paris.* 1530 2. Tom. fol. Prodierat antea Commentarius in 4m. librum *ibid.* 1514. f. in 3. librum *ibid.* 1517. f. Lacunas in Commentariis hisce antea deprehensas ex MSS. Codicibus supplevit Vincentius Harlemius.

Thesaurus novus, seu Sermones de Tempore per totum annum, in tres partes divisi, hyemalem, æstivalem, & Quadragesimalem. *Antverp.* 1571. *Venet.* 1584. 8°. *Colon.* 1608. 8°.

Tractatus de causâ immediatâ Ecclesiasticæ potestatis, in sex partes divisus, viz. de Potestate S. Petri, Apostolorum, Discipulorum, Papæ, Episcoporum, Curatorum, cum Decisione articuli cujusdam circa materiam Confessionum. Prodiit *Paris.* 1506.

Quòd Fratres Prædicatores possunt habere possessiones & reditus, *Tractatus*, impressus alicubi in 8°.

Commentaria in universos S. Scripturæ libros. Extant MSS. in Conventu Dominicanorum Parisiensi.

Commentaria in primum & secundum librum Sententiarum extiterunt MSS. penès Damianum Zenarium Typographum Venetum, qui editionem eorum meditabatur.

Tractatus de paupertate Christi & Apostolorum contra Michaelem de Cæsenâ, MSS. in Bibliothecâ Colbertinâ.

Opera omnia Paludani *Parisiis* impressa fuisse curâ Mag. Fratris Joannis Primarii Regentis Parisiensis prod t Ambrosius de Altamura Biblioth. Prædicat. p. 110.

1330. H. W. GUIDO DE PERPINIANO, seu *de Terrenâ*, gente Catalaunus, ex Ruscinonensi Comitatu oriundus, Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Monachus, lauream Doctoratûs in Academia Parisiensi meruit, indè *Doctor Parisiensis* vulgò appellatus. Anno 1318. Ordinis sui Generalis numero decimus tertius Burdegalis electus est, & Inquisitor Generalis à Pontifice renunciatus. Anno 1321. Majoricensis Episcopus in insulis Balearibus à Joanne Pontifice factus est, postea ad Elnensem sedem translatus. Claruit anno 1330. Obiit Avenione die XXI. Augusti, apud Carmelitanos suos Perpinianenses sepultus, sed quo anno incertum: licèt id hoc ipso anno 1330. contigisse velit Antonius Alegre *. Extant *Summa de Hæresibus omnibus & earum confutationibus* ad Gaucellinum Cardinalem Albanensem, edita *Paris.* 1528. fol. *Colon.* 1631. *Concordia IV. Evangelistarum cum perpetuis Commentariis*, *Colon.* 1631. unà cum præcedente Opere impressa. *Commentarium* ejusdem *in Decretum Gratiani* MS. in Bibliothecâ Regis Galliæ extare memorat Baluzius.

* Paradis. Carmelit. ætas 14. c. 58.

*, *Tractatum de perfectione Vitæ* MS. in Bibliotheca Colbertinâ Oudinus p. 597.

* Not. in Gratian. p. 642.

1330. H. W. ADAMUS GODDAMUS, sive Woddheam natione Anglus, inde ἀπλῶς sæpe *Anglicus* dictus, patriâ, ut videtur, Norwicensis, (maximam enim vitæ partem Norwici degit) Ordinis Minoritarum socius, S. Theologiæ Doctor, & Professor Oxoniensis, Gulielmi Occami discipulus, claruit, anno 1330. Obiit anno 1358. Babwellæ prope Burgum S. Edmundi sepultus. Scripsit *Commentaria in V. libros Petri Lombardi Magistri Sententiarum*, quæ typis excusa prodierunt *Paris.* 1512. Alia plura recenset Balæus Cent. V. cap. 98. quæ adhuc inedita delitescunt.

1330. H. W. GUALTERUS HEMINGFORDUS, gente Anglus, Gisburnensis Cœnobii propè Cliviam in agro Eboracensi Canonicus Regularis Ordinis Augustiniani. Claruit anno 1330. Obiit Gisburnæ anno 1347. in Cœnobio suo sepultus. Scripsit *Historiam de Gestis Regum Angliæ à Gulielmo Bastardo ad Edvvardi II. Regis tempora*, viz. ab anno 1066. ad annum 1308. si Balæo * ac Vossio † fides. Curtiore exemplari usus est Cl. Galeus, qui in annotatiuncula Historiæ isti ab ipso nuper evulgatæ præfixa nonnisi ad annum 1300. Historiam à Gualtero productam esse meminit. Aliud autem ejusdem exemplar MS. vidi Cantabrigiæ in Collegio Corporis Christi, quod ad annum usque 1313. progreditur, & in his verbis desinit, *Terra siluit & quievit.* Ibidem MS. extat ejusdem *Historia Edvvardi II.* quæ tamen, ni malè memini, haud aliud est quàm postrema Historiç prædictæ pars; quæ ad annum 1313. progressa res primo Edwardi II. sexennio gestas enarrat. Cæterùm Historiæ illius partem priorem, viz. ab anno 1066. ad 1273. inter Historiæ Anglicanç Scriptores Quinque *Oxoniæ* 1687. fol. evulgandam curavit Cl. Galeus, reliquam se propediem editurum pollicitus. Præter Annales istos habentur MSS. in Bibliothecâ Cottonianâ * *Gesta Edvvardi III.* à Gualtero nostro conscripta; Verùm ut priores duntaxat Edwardi III. annos attingant necesse est, cùm triginta circiter ante Regem annis Gualterus obierit.

* Cent. 5. cap. 71.
† De Hist. Lat. l. 2. c. 65.
* Sub effigie Neronis D. 2. num. 19.

1330. H. W. LUDOLPHUS SAXO, à quibusdam Landulphus dictus, natione Saxo, post peractos in professione Dominicana 26. vel 30. annos, Carthusianis in Moguntino Cœnobio nomen dedit, posteà Prior Carthusianorum Argentinensium factus, claruit anno 1330. Scriptor verè pius, & supra sæculi sui sortem elegans. Quo anno obierit incertum.

SCRIPTA.

Vita Domini nostri Jesu Christi, ex quatuor Evangeliis, aliisque Scriptoribus Ecclesiasticis conflata, cum Commentariis precibusque ad singula capita insertis. Prodiit *Argentinæ* 1483. *Paris.* 1509. *Venet.* 1536, 1564, 1572, 1578. (cui editioni accessit *Vita S. Annæ & B. Joachimi, B. Virginis parentum*) Paris. 1589.

Commentaria in Psalmos Davidicos, juxta spiritualem præcipuè sensum, ex Hieronymi, Augustini, Cassiodori, & Petri Lombardi sententiis accurata, Prodierunt *Paris.* 1506. *Venet.* 1521. *Paris.* 1528. *Lugduni* 1540.

1330. H. W. MONALDUS, natione Dalmata, civitate Justinopolitanus, Ordine Minorita, ac tandem Archiepiscopus Beneventanus vulgò habitus, alius à Monaldo Anconitano Minoritâ, qui Arzengæ à Saracenis martyrio coronatus est anno 1288. vel 1289.

die

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. die 11. Martii. Verùm ab utroque diversum fuisse Monaldum scriptorem demonstrat Arturus du Monstier in Martylogio Franciscano. Claruit Monaldus noster anno 1330. Obiit circa an. 1332. die IX. Novembris. Nec plura de eo constant. Extat *Summa Casuum Conscientiæ, Aurea & Monaldina* dicta, edita *Lugduni* 1516. 8°. Scripsisse etiam dicitur *Summam Juris Canonici* (MS. in Bibliotheca Vaticanâ) *Quæstiones in IV. libros Sententiarum, & Sermones varios*, quæ nondum in lucem prodierunt.

1331. H. W. BARTHOLOMÆUS à S. CONCORDIA, natione Italus, Civitate Pisanus, Ordinis Prædicatorum Monachus, claruit anno 1331. Obiit anno 1347. cautè distinguendus à Bartholomæo Albicio Minoritâ, Patriâ similiter Pisano, de quo plura infrà. Extat *Summa Casuum Conscientiæ, Pisanella* seu *Magistruccia*, dicta, quam anno 1338. absolvit; & *Sermones Quadragesimales*; *Lugduni* simul edita 1519. 8°.

1331. R. G. JOANNES CALECA, Natione Thrax, patriâ Aprius (unde & Apreni cognomen suscepit) Presbyter Byzantinus, magno Domestico primùm, deinde Andronico Imp. à sacris; ac tandem Patriarcha CP. ejus nominis XIII. claruit anno MCCCXXXI. Qui ad annum MCCCXLI. detrudunt non sunt audiendi; Esaias enim Patriarcha, in cujus demortui locum Joannes suffectus est; Andronico Avo adhuc superstite diem obiit. Anno MCCCXLVII. quod in Barlaami castra transfugisset. Synodali sententiâ deturbatur, ob rerum novarum studium Didymotichum relegatur, Constantinopoli demum reversus è vivis excessit. Dum ex Clero Imperatoris fuit, multâ cum laude munus istud sustinuit, variasque pro more singulis anni Dominicis in Evangelia Conciones habuit, quarum nonnullæ adhuc supersunt; quæ ad nostram notitiam pervenerunt sic se habent: *Sermo* die Dominicâ ante exaltationem Crucis, à Gretsero editus *de Cruce* Tom. II. p. 1363. cujus meminit L. Allatius *de Symeon.* p. 87. postremam ejus partem ex Ziphilini in Adorationem sermone à Gretser. itidem excuso *ibid.* 1449. exscripsit. *Homiliæ duæ*, quarum *prima* in Evangelium Dominicæ post nativitatem Christi hoc modo incipit. Ἀναχωρησάντων τῶν Μάγων, ἰδοὺ Ἄγγελος Κυρίου φαίνεται κατ' ὄναρ τῷ Ἰωσὴφ, &c. τοὺς Μάγους ὁ Θεὸς πρῶτον δι' ἀστέρος εἰς τὴν πίστιν ἐχειραγώγησε--2da. in Evangelium Dominicæ ante Epiph. Pr. Ἀρχὴ τοῦ Ἐυαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ ὡς γέγραπται ἐν τοῖς Προφήταις. Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν Ἄγγελόν μου. κ. λ. Τὸν ὕστερον καὶ τὸν τελευταῖον τῶν προφητῶν Ἰωάννην τὸν Πρόδρομον. Extant Gr. MSS. in *Biblioth. Vindob. Cod. Theol.* XLVIII. num. v. *Homiliæ* LVI. in Evangelia Dominicalia, quarum prima sic incipit. Κυριακῇ τοῦ τελώνου καὶ τοῦ φαρισαίου. Ὁμιλία εἰς τὸ ῥητὸν τοῦ Ἐυαγγελίου τῆς παραβολῆς τοῦ τελώνου καὶ τοῦ φαρισαίου (harum septima sub Philothei nomine à Gretsero edita *de Cruce*, T. II. p. 1477.) MS. ibid. Cod. LXI. num. I. ad fol. 169. In eâdem *Bibliothecâ Cod. Theol.* CCLXXXII. qui foliis 157. in 4to. constat, habentur ejus *Homiliæ* viginti unæ in Evangelia Dominicalia (non omnes à superioribus diversæ) quarum prima inscribitur ac incipit his verbis. Ἀρχὴ συν Θεῷ ἁγίῳ τοῦ διδασκαλίου κυριακῇ τοῦ τελώνου καὶ τοῦ φαρισαίου εἰς τὸ Ἐυαγγέλιον λόγος διδασκαλικός. Ἡ εἰς τὸν τελώνην καὶ φαρισαῖον παραβολὴ καὶ ὑπότυπωσις ὥσπερ γυμνασία τις καὶ παραίνεσις. *Commentariorum* in IV. Evangelia scripsisse refert Possevinus; verùm opus istud nihil aliud censeo, quàm volumen sermonum in Evangelia Dominicalia suprà memoratum.

1332. H. W. THOMAS WALLEIS, *Gualensis & Anglicus* dictus, natione quippe Anglus, patriâ ut videtur, Cambro-Britannus, Theologus Oxoniensis, Ordinis Prædicatorum Monachus, claruit anno 1332. quo Avenione coram totâ Aulâ Pontificiâ in solennitate S. Joannis Evangelistę concionem habens, doctrinam de immediata Dei visione fortiter asseruit, & Joannem XXII. præsentem hæreseos accusavit. A Pontifice igitur carceri mancipatus, mox Gallię Regis & Academiæ Parisiensis precibus eductus est. Alius noster à Thomâ Jorgio Anglico, Cardinali Sabinensi, qui obiit anno 1311. cujus tamen scripta ita cum nostri scriptis confundi solent, ut quænam ad Jorgium, quænam ad nostrum spectent, nullo modo dignosci queat. Id tantùm certum, utrique simul omnia deberi non posse, quod quidem vult Altamura. Magna tamen pars Operum Jorgio ascriptorum Wallensem hunc nostrum authorem habere non immeritò censeri queant. Certè ad hunc spectant *Articuli Hæreticales, & Libellus de theoriâ prædicandi* ad Theobaldum de Ursinis Archiepiscopum Panormitanum. Amplum satis Thomæ Wallensis Operum Catalogum texit Baleus Cent. v. cap. 35. & ex eo Pitseus ætat. XIV. p. 429. ~~v. Cat. MSS. Reg. A D.~~

RICHARDUS BURIENSIS, cognomento *Aungervillus*, natione Anglus, Patriâ Suffolciensis, in Burgo S. Edmundi natus, Richardi Angervilli, equitis aurati filius. In Academiâ Oxoniensi educatus, doctrinâ adeò insignis evasit, ut dignus haberetur, qui regendæ Edwardi Walliæ Principis, postea Angliæ Regis, juventuti præficeretur. Dispulum ab Isabebella matre in Galliam abductum secutus, Quęstoris ei munere in Vasconiæ partibus fungebatur. Edwardo demum anno 1326. rerum potito, summas Aulæ dignitates obtinuit, primùm Coferarius, dein Thesaurarius Garderobæ, ac mox Privati Sigilli Custos constitutus, bis etiam ante annum 1333. ad Pontificem legatus, Ineunte anno 1333. Decanus Wellensis, exeunte anno Episcopus Dunelmensis renunciatus est, die XIX. Decembr. ab Adamo Episcopo Wintoniensi Chertseiæ consecratus. Anno sequenti Magnus Angliæ Cancellarius, post biennium Thesaurarius factus est. Obiit Auklandiæ, anno 1345. die XXIV. Aprilis, ætatis suæ 59. Vir planè doctissimus, (*ardentis ingenii virum* appellat Petrarcha, qui * præclaram ejus mentionem fecit) munificentissimus, morumque sanctimonia celeberrimus, inprimis verò immenso erga literas & literatos studio insignis, quos tanto amore prosecutus est, ut unicus eruditorum sui sæculi Mecænas meritò habeatur; & primarios Angliæ Præsules, Doctoresque familia sua emitteret. Fundata Oxonii Bibliotheca pulcherrima, scripsit anno 1344. *Philobiblon* seu *librum de amore librorum & Bibliothecarum institutione*, qui typis exculus prodiit *Spiræ* 1483. *Paris.* 1500. 4°. *Oxon.* à Cl. Iamesio editus 1599. 4°. & cum Epistolis Philologicis à Goldasto editis *Francofurt.* 1610. 8°. p. 400. 1333. H. W.

* Epist. famil. lib. 3. ep. 1.

ROBERTUS de GRAYSTANES, gente Anglus, Cœnobii Dunelmensis Monachus, & Subprior, S. etiam Theol Professor, claruit anno MCCCXXXIII. Multos in isto Monasterio annos transegerat à Fratribus dilectus, & in locum Ludovici Episc. Dunelm. an. MCCCXXXIII. mortui communibus Capituli suffragiis sufficitur, ab Archiep. Eborac. consecratus XIV. d. Novemb. spe tamen excidit, nec dignitate quam ritè adeptus est frui licuit; ex Papali quippe Provisione, & mandato Regio, Richardus de Bury, seposito nostro Roberto, contra jus fasque thronum Episcopalem capescit: Injuriæ iste non diu supervixit. *Historiam* Dunelmensis Ecclesiæ ab Anonymo quodam inchoatam 1333. R. G.

SÆC. XIV. ab An. MCCC. tam, & operâ Gaufridi de Coldingham ad annum MCCXIV. diductam, ad annum MCCCXXXVI. continuavit: Priorem Historiæ suæ partem ad ann. usque MCCLXXXV. ex Annal. Eccl. Dunelm. ferè integram descripsisse, posteriorem prolixiori methodo conceptam eum proprio marte lucubrasse notat Clar. Wharthonus, qui resectis inutilibus reliqua omnia ex MS. Cod. Cotton. descripta, inter Ecclesiæ Dunelm. Historicos edidit *Anglia Sacra* Tom. I. p. 732. quibus etiam Wilhelmi de Chambre continuationem ad annum MDLIX. productam subjecit, *ibid.* p. 765.

1333. H. W. NICEPHORUS CALLISTUS, Callisti Xanthopuli filius, claruit anno 1333. Monachus fuisse videtur, & in S. Sophiæ Asceterio vitam egisse. Se certè propè insignem Bibliothecam, in S. Sophiæ templo repositam per plures annos studiis incubuisse ipse testatur *. Annum ætatis necdum tricesimum sextum egressus, *Historiam Ecclesiasticam* ex Eusebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Evagrii, aliorumque Scriptorum Ecclesiasticorum monumentis contexere cœpit: quam quidem ordine non incommodo, & stylo pro ratione ævi non invenusto condidit, fabulis verò putidissimis & quisquiliis ubique ferè intertextis eam adeò vitiavit, ut judice Casaubono, *non pluris, quàm folia farfari, facienda sit.* Libris XXIII. constitit Opus istud, & historiam à Christo nato ad Leonis Philosophi mortem anno 911. deduxit, Andronico seniori Palæogo Imp. nuncupatum. Extant hodienum libri priores XVIII. qui à nato Christo usque ad Phocæ Imp. interitum anno æræ Dionysianę 610. progrediuntur. Unicum Historiæ hujusce, quod in Orbe Christiano supererat, exemplar à Turco quodam milite ex Matthiæ Corvini Hungariæ Regis Bibliothecâ Budensi ereptum in foro CP. vænüt: à Christiano quodam redemptum post multas vicissitudines in Bibliothecam Cæsaream Vindobonensem devenit; ubi nunc asservatur. Versionem ejus Latinam elucubravit Joannes Langius, typis excusam *Basil.* 1553. *Antverp.* 1560. *Paris.* 1562. adjectis Langii scholiis *ibid.* 1573. *Francofurt.* 1588. Prodiit demum Græco-Latinè curâ Frontonis Ducæi *Paris.* 1630. 2. vol. f. Cæterùm Nicephori *Catalogum metricum Imperatorum Constantinopolitanorum*, & *Seriem Patriarcharum CP.* oratione solutâ fusiùs conscriptam evulgavit Phil. Labbeus in Protreptico de Scriptoribus Byzantinis *Paris.* 1648. p. 34. Prodiit ejusdem *Synopsis totius Scripturæ Iambicis trimetris digesta*, unà cum *Oratione ad Deum deprecatoriâ*, Græcè *Basil.* 1536. 8°.

* Hist. Eccl. l. 1. p. 67.

1327. R.G. NICEPHORUS CALLISTI filius, cognomine Xantopulus, Historicus Græcus, claruit anno MCCCXXVII. Lucubrationes ejus nonnullas recensuit Cl. Warthonus, supersunt aliæ non prætereundę. *Oratio* de Origine, structurâ & miraculis Templi B. Virginis Deiparæ sacri ad *Fontem*. Pr. Εἶτα πηγῆς μὲν ἡδὺ, καὶ ψυχρὸν πιεῖν φερβαλλομένης τὸ ῥεῖθρον. Hujus Operis ipse mentionem injicit *Hist. Eccl.* lib XV. Tom. II. p. 630. Habetur Gr. MS. in *Bibl. Vindob. Cod. Hist.* CIII. n. 11. à fol. 17. p. 1. ad fol. 144. p. 1. & in Bibl. Vaticanâ teste Lambecio, unde & ejus notitiam habuit L. Allatius; vide *Diatrib.* de *Symeon.* p. 88. Porrò Nicephorus noster *Odis & Hymnis*, aliisque *Officiis Ecclesiasticis*, necnon *Catalogis Imperatorum*, *Patriarcharum, SS. Patrum* &c. versibus politicis condendis calamum exercuit, quorum nonnulla typis excusa, quædam inedita delitescunt, de quibus consulendus omninò L. Allatius *de libris Ecclesiast. Græcorum Dissert.* I. p. 70. *Dissert.* II. p. 115. & sequ.

1335. H. W. MATTHÆUS BLASTARES, Jurisperitus Græcus & Hieromonachus, sive Monachus sacerdos, claruit anno 1335. quo *Alphabeticum Canonum Syntagma* compilavit. Prodiit *Syntagma* istud, seu *Synopsis alphabetica rerum, quæ in sacris Canonibus comprehenduntur*, à Cl. Beveregio Gr. Lat. cum notis editum in Pandectis Canonum *Oxon.* 1672. Tom. II. par. 2. p. 1. Extat ejusdem *Opusculum de Causis seu Quæstionibus Matrimonii*, Gr. Lat. in Leunclavii Jure Gr. Rom. l. 8. p. 478. *Græca* etiam *versio Donationis Constantini M.* ab eodem elucubrata prodiit alicubi in 4°. unà cum Balsamonis versione. Blastarem nostrum adversùs Arcudium defendit J.B. Catumsyritus, & ipse Italo-Græcus, lib. de Sacrament. Concord. p. 131. Antequàm verò Lectorem dimittam, liceat mihi errorem notare viri eruditi, Ludovici Ellies du Pin, qui in Bibliothecâ novâ Scriptorum Ecclesiasticorum, Gallico idiomate nuper editâ *, Blastaris Syntagma Canonum typis nondum excusum esse affirmat.

* Paris. 1686. 8°. p. 87. Tom. ii

MATTHÆUS BLASTARES Hieromonachus, Juris Canonici peritissimus, claruit anno MCCCXXXV. Præter opera à Cl. Whartono recensita, insuper conscripsit *Carmina duo* versibus Politicis de Officiis Magnæ Ecclesiæ & Aulæ CP. Prodierunt Græcè & Latinè à Goaro edita, in notis ad Geo. Codini librum de Officiis &c. Paris. 1648. verùm ex Cod. mendoso & mutilo; extant integriora Gr. MS. in Bibl. Vindob. Cod. Histor. XXIV. n. VI. iterúmque ibid. Cod. XXXIV. n. 11. ubi etiam habetur explicatio Catalogi Officiorum, &c. à Matthæo nostro adornata, n. IX. *Synopsis* Nomocanonis S. Joannis Nesteutæ sive Jejunatoris Patriarchæ CP. Pr. Πρόλογος. Ἀλλὰ γὰρ καὶ τὸ τῦ Νηστευτῦ θείου Ἰωάννου. Gr. MS. ibid. n. 11. & Cod. XXXIV. n. 111. *Ex Joannis* Episc. Citri Responsis Canonicis ad Constant. Cabasilam Capita XXXII. à Matthæo nostro collecta & disposita. Tit. Ἐκ τῶν ἀποκρίσεων, κ. λ. Ματθαῖος ἔγνω ταυτὶ συντεταχθῆναι. Pr. Κεφάλαιον α. Τὰ ἀντιμίνσια τῆς ἁγιαστικῆς μετέχοντα δυνάμεως. Gr. MS. ibid. n. XIV. & Cod. XXXIV. n. VI. In eadem etiam celeberr. Bibliothecâ habetur MS. *Appendix ad Syntagma* Juris Canonici Alphabet. à Cl. Beveregio editum, *Synopsin Nomocanonis S. Joan. Nesteutæ*: *Nicetæ Heracl. Responsiones ad interrogat. Episc. Constantini*; *Nicephori Patr. CP. Canones*; *Joannis Citri responsa canonica*; *Catalogum Officiorum M. Eccl. CP. Ordinem Thronorum Eccles. Patriarchatui CP. subjectorum*, *à Leone Imp. Glossarium juridicum Latino-Græcum.* Pr. Ἀδνόμιον. S. Cyrilli Anathemat. XII. *contra Nestorium*, *Catalogos duos Officiorum*, &c. complectens. Cod. Hist. LVIII. n. 11. iterúmque XC. n. 1. Tractatus ejus *de appositione cocti frumenti in officio pro mortuis.* Pr. Ἡ θεοειδὴς τῆς καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίας ἱερουργία. Habetur Gr. MS. in Bibl. Bodleian. Cod. Baroc. LXIII. Opus ejus *contra Latinos*: Et aliud *contra Judæos*; & *de usu caldæ in Eucharistiâ*, *aliisque capitulis cum Latinis controversis.* Gr. MSS. ibid. Cod. 3379.

1335. R.G.

1335. H. W. BENEDICTUS XII. antea *Jacobus Furnerius* appellatus, Savarduni ad Aurigam amnem prope Pirenæos in provinciâ Tolosanâ natus, Gulielmi molitoris filius, Theologiæ Doctor Parisiensis, vitam Monasticam apud Cistercienses professus in Bolbona Monasterio Diœcesis Mirapicensis, dein Abbas Montis Frigidi in Diœcesi Narbonensi, hinc Episcopus Apamiensis, & Mirapicensis, postea Presbyter Cardinalis titulo S. Priscæ ab avunculo suo Joanne XXII. anno 1327. creatus, & post mortem ejus Pontifex Romanus Avenione electus anno 1334. XX. Decembris, inauguratus anno 1335. die VIII. Januarii. Ineunte Pontificatu quinquaginta quinque Hæreseos, uti vocavit, capita de paupertate Christi

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. Christi & perfectione status, Monachi & Clerici à Franciscanis propagata damnavit. Anno 1336. Beatorum animas ad visionem Dei statim post obitum admitti definivit, damnata Joannis decessoris sententia. Anno 1337, Joannem Boemiæ Regem ob violatam immunitatem Ecclesiasticam excommunicavit: & Ludovico Bavaro Imp. absolutionem enixè sæpiùs petenti non solùm denegavit, sed & Joannis XXII. censuras roboravit. Vice-Comites quinetiam, aliosque Civitatum & Provinciarum Præfectos ab Imperatoribus in Italia constitutos, excusso Principis jugo suam unumquemque provinciam sibi arripere, & propriis deinceps auspiciis gubernare suadet atque efficit. Senatum denique Populumque Romanum hortatus est, ut Senatoriam dignitatem, quam Imperatorio nomine ac vice hactenus gesserant, suis tandem auspiciis & Ecclesiæ administrarent. Tot injuriis commotus Imperator anno 1338. Francofurti Conventum habuit præsente Edvvardo III. Angliæ Rege, ubi ex communi Principum & Episcoporum consilio diploma edidit; in quo Papam cum suis, Pharisæos, perditissimos Antichristos, in Templo Dei instar Dei sedentes appellavit. Obiit Benedictus Avenione anno 1342. die xxv. Aprilis. Extant *Epistolæ* seu *Constitutiones* III. satis prolixæ, Concil. Tom. xi. p. 1793. *aliæ* V. apud Bzovium ad an. 1336. &c. *aliæ* xxix. apud Waddingum Annal. Minor. Tom. III. ad an. 1335. &c. *aliæ* xlii. ibid. in Regesto Pontificio p. 241. *Epistola de pravis moribus Clericorum Narbonensium*, apud Baluz. Miscellan. Tom. 2. p. 263. *Extravagantium & Constitutionum* libri II. editi *Paris.* 1517. 4°. ex iis nonnulla in Collectione Romana 1579. prodierunt. *Constitutio de reformatione Benedictinorum Paris.* 1519. 8°. *Epistola ad Abbatem Cisterciensem* apud Vischium Biblioth. Cisterc. p. 37. *Vita S. Ioannis Gualberti*, Ordinis Vallis Umbrosæ Fundatoris, quæ habetur apud Surium ad xii. Julii, eidem à Ludovico Jacob, à S. Carolo* ascribitur. Extant denique *Tractatus aliquot de statu animarum ante generale judicium*, *Sermones per omnes anni festivitates*, *& Registrum Epistolarum ac Constitutionum* Tomis IX. comprehensum, MSS. in Bibliotheca Vaticana.

* Biblioth. Pontif. l. 2. p. 24.

1335. H.W. SIMON FIDATUS DE CASSIA, gente Italus, à Cassia natali in Hernicis vico cognomen traxit, Ordinis S. Augustini Eremita, vitæ sanctitate & concionandi facundiâ insignis. Claruit anno 1335. Ædificato Florentiæ ad montem S. Caii ante quinquennium Cœnobio S. Catharinæ, nobilissimis matronis & virginibus, sanctimonialibus Ordinis sui, id replevit, & ad mortem usque gubernavit. Obiit anno 1348. die II. Februarii. *Vir* (judice doctissimo Cardinali Bona *) *admodum pius & fervens*; *cujus est insigne Opus de Gestis Domini.* Extant enim Libri XV. *Enarrationum Evangelicæ Veritatis*, seu de *Gestis Domini Salvatoris* ad Thomam Corsinium Florentinum Jurisconsultum, editi *Colon.* 1540. fol. *Liber de B. Virgine*, *Basil.* 1517. Scripsit etiam *Librum de speculo Crucis*, *Librum Epistolarum ad diversos*, & alia tam vernaculo, quàm Latino sermone; quorum indiculum exhibet Jos. Pamphilus Chron. Ord. Erem. S. Aug. p. 51.

* Notitia Auctorum lib. de divin. Psalmod. præmissa.

1336. H. W. JOANNES ANDREAS, natione Italus, patriâ Mugellanus, Joannis Presbyteri filius, à quo pariter ac Bonifacio Pergamensi literis institutus, Bononiam venit, ibique operam Juri Pontificio tam fœlicem navavit, ut Jurisconsultorum sui sæculi celebertimus haberetur. Martini de Sulmannis discipulus. Claruit anno 1336. Postquàm Bononiæ 45. annis docuisset, obiit ex peste in eadem urbe anno 1348. die VII. Julii. Filium habuit Bonicontum, Jurisconsultum eximium, qui postquàm scriptis nonnullis egregiam sibi famam peperisset, immaturâ morte extinctus ante patrem obiit.

SCRIPTA.

Novellæ, *seu Commentaria in V. libros Decretalium.* Prodierunt *Venet.* 1581.

Glossæ Mercuriales in sextum librum & in Clementinas, ibidem, & Lugduni 1572.

Quæstiones Feudales, uti & de Matrimoniis, & Interdictis locorum. Venet. 1584.

Arbor Consanguinitatis, Affinitatis, & Cognationis tum spiritualis tum legalis Basil. 1517.

Tractatus de Sponsalibus & Matrimonio, & de Consanguinitate & Affinitate, habentur in *Tractatuum* vol. 16. f. 2. 54.

Additiones ad Speculum Gulielmi Durandi Episcopi Mimatensis, & *Liber de laudibus S. Hieronymi*, eidem ascribuntur: quæ quidem nondum, ut opinor, in lucem prodierunt.

GULIELMUS DE BALDENSEL, Eques Auratus Hierosolymitanus, claruit anno 1337. quo rogatu Talayrandi, Comitis Petracoriensis, S. R. E. Cardinalis, scripsit *Historiam itineris in Terram Sanctam à se suscepti.* Extat *Hodæporicon* istud unà cum *Epistolâ* ad Petrum Abbatem Aulæ Regiæ Ordinis Cisterciensis in Diœcesi Pragensi apud Canisium Antiqu. Lect. Tom. v. par. 2. p. 96. 1337. H. W.

ARNALDUS CESCOMES, Archiepiscopus Tarraconensis, claruit anno 1337. Scripsit *Epistolas duas de Saracenis ab Hispaniâ pellendis*; quæ habentur apud Baluz. Miscellan. Tom. 2. p. 267. 1337. H. W.

GUALTERUS BURLÆUS, gente Anglus, *Doctor Planus & Perspicuus* dictus, sacerdos sæcularis, ex nonnullorum tamen sententia, Ordinis Franciscani socius. Collegii Mertonensis in Academiâ Oxoniensi alumnus, postea Lutetiam profectus, Magisterii dignitatem non sine summâ doctrinæ laude consecutus est. Joannem Duns Scotum & Oxonii & Parisiis docentem audivit: ejus tamen doctrinam Oxonium redux acerrimè impugnavit. Ob insignem doctrinæ famam invictissimo Principi Edvvardo III. præceptor datus. Claruit, seu, ut alii, obiit anno 1337. Certè eo adhuc anno libris scribendis incubuit, annos natus 62. Scripsit *Commentarios in Sententias*, & *Philosophica* innumera; ex quibus aliquot lucem viderunt, viz. *Expositio in libros Ethicorum Aristotelis*, *Venet.* 1501. *In Isagogen Porphyrii*, *Gilbertum Porretanum*, & *Artem veterem*, *Venet.* 1497. 1509. *De intensione & remissione Formarum*, *Venet.* 1519. *Commentaria in libros Posteriorum Aristotelis*, *Oxon.* 1517. 4°. *Venet.* 1552, 1504. 1537. *Tractatus de Materiâ & Formâ*, *& de Relativis. Oxon.* 1500. 4°. *De Vitis Philosophorum*, --- 1472. 4°. Cætera dabit Balæus Cent. V. cap. 42. Pitseus, p. 435. 1337. H. W.

JOANNES DE JANDUNO, sive de Gandavo, patriâ quippe Gandaviensis, Doctor Perusinus, Theologus & Philosophus non ignobilis, Ludovici Imp. partes adversùs Joannem XXII. Pontificem strenuè tutatus est: quo nomine unà cum Marsilio Patavino à Pontifice excommunicatus est. Claruit anno 1338. quo *Libellum pro superioritate Imperatoris* conscripsit. Extat *Tractatus* iste seu *Informatio de Nullitate Processuum Joannis XXII. Papa contra Ludovicum Imp. pro superioritate Imperatoris in Temporalibus*, apud Goldastum Monarch. Tom. I. p. 18. *Quodlibetum* ejusdem à Marsilio Ficino evulgatum, & *Commentaria in libros Sententiarum* 1338. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. *rum* se legisse testatur Goldastus *. Ego sanè editionis locum & tempus nullâ diligentiâ reperire potui. Extant præterea Philosophica pleraque, viz. *Quæstiones in Physica Aristotelis, Venet.* 1501, 1544. *Florentiæ* 1485. *Commentaria in Metaphysica ejusdem, Venet.* 1525. *Quæstiones in tres libros de Animâ, Vincentiæ* 1486. *Venet.* 1497, 1561. *in libros de Cœlo & Mundo, & in Averroem de Substantiâ Orbis, Venet.* 1488, 1501. & alia forsan, quę minoris momenti sunt.

* Præfat. ad Tom. I.

1338. R.G. SIMON de CREMONA, natione Italus, Ord. Fr. Eremit. Aug. Monachus, & apud Venetos pro sæculo Concionator eximius, claruit anno MCCCXXXVIII. Scripsit *Postillas* sive *Sermones* super Epistolis Dominicalibus, in lucem emissos Reutling. 1484. Scripsit etiam *Sermones* super Evangelia Festorum totius anni, qui MSS. servantur in Bibl. Fratr. Augustin. Patav. *Quadragesimale*, extat MS. in Bibl. SS. Joan. & Paul. Venetiis. *Quæstiones & Expositiones Sententiarum*: *Quæstiones* de Sanguine Christi, & de *Indulgentiis* huic attribuit Possevinus; utrum autem alicubi extent, incertum est.

1339. R.G. ARNALDUS de VERDALA, nobili & antiquâ familiâ apud Carcassonenses ortus, juris utriusque Professor, Canonicus primò & officialis Mirapicensis, & contra Albigenses Inquisitor; dein Ecclesiæ S. Pauli de Fenaldesio Diœcesis Alectensis Decanus; ac per totam Provinciam Narbonensem, jurium, rerum, ac personarum Reformator à Benedicto Papâ XII. constitutus: à quo legatus ad Ludovicum Bavarum, pacis ineundæ causâ, missus, rei pulchrè peractæ præmium Cathedralem Magalonensem obtinuit. Claruit anno MCCCXXXIX. quo ad dictum Episcopatum evectus est. Concilio Biterrensi an. MCCCLI. interfuit, sequente vitam cum morte commutavit, Monspelii mortuus, Magalonæ sepultus. *Historiam* brevem sive Commentarium de Episcopis Magalonensibus conscripsit, in quâ sex supra viginti decessorum suorum Pontificum seriem, & acta accuratè pertexuit, inquit Petr. Gariel. Historiam dictam primus in lucem protulit Ph. Labbeus Bibl. MSS. Tom. I p. 793. eandem fusioribus suis commentariis hic illic interspersit P. Gariellus, quos de *Præsulibus Magalonens. & Monspeliens.* conscripsit; II. Tomis editos Tolosæ 1665. *fol.*

1340. H. W. BARLAAM, gente Calaber, ex urbe Seminariâ oriundus, Ordinis S. Basilii Monachus, vir, omni literarum scientiâ excultissimus, νοῆσαί τε ὀξὺς, καὶ τὰ νοηθέντα ἐξηγήσασθαι ἱκανώτατος, καὶ τὰ Εὐκλείδου καὶ Ἀριστοτέλους καὶ Πλάτωνος ἐκμελετήσας, καὶ διαβόητος περὶ ταῦτα ὤν, inquit Cantacuzenus *. Inter Latinos primùm educatus, cum Latinis contra Græcos sensit. Postea ad Græcorum castra transeuns, Latinos scriptis fortiter oppugnavit, Græcis tamen interim gravissimæ litis ansam dedit. Thessalonicam enim primò delatus in Græcorum Monachorum, eorum præsertim, qui se ἡσυχαστὰς nuncupabant, mores, instituta, & dogmata inquirere cœpit: cúmque quædam minùs orthodoxa ab iis foveri deprehendisset, Constantinopolim accurrit, à Joanne Cantacuzeno hospitio excipitur, Monachos hæreseos apud Joannem Patriarcham accusat, Gregorium Acyndynum sibi Parastatem acciet. Monachi Gregorium Palamam ducem sortiti rem suam strenuè agunt, & hæreseos crimen in Barlaamum rejiciunt. Barlaamus interim plurimis contra Latinos scriptis editis Andronici Imp. favorem demeretur; & Monasterii S. Salvatoris CP. Abbas constituitur. Synodus tandem indicitur, anno circiter 1337. scriptis & argumentis utrinque concurritur. Palamas lumen in monte Thabor Christo circumfusum, increatum aliquid, & naturale ac coæternum Dei lumen fuisse contendit; Barlaam è contra lumen illud neque ex divinâ essentiâ emanâsse, nec divinam essentiam fuisse asseruit; & præterea corporeos oculos per nullam diviniorem potentiam adeò elevari posse, ut Deitatem conspiciant. Synodus nil in utramque partem definivit; Barlaami tamen procacitatem & in disputando petulantiam acri satis censurâ notavit: Palamæ autem non minùs quàm Barlaamo silentium indixit. Barlaamus injuriam sibi factam clamat; & Imperatoris favore subnixus, adversarios impugnare nequaquam cessat. Anno 1339. ab Alexio Imp. ut videtur, legatus, suscepto Avenionem itinere, coram Joanne Pontifice in Consistorio Cardinalium multis peroravit, ut Synodum Generalem pro disceptandis utrinque controversiis indici suaderet. Surdis ille cecinit. Pontifex pacem noluit, nisi Ecclesia Græca penitùs succumberet. Constantinopolim igitur reversus Barlaamus, ad consueta se contulit studia. Claruit anno 1340. Anno sequente mortuo Andronico Imp. & Palamitis, qui Cantacuzenum in partes traxerant, omnia pro lubitu agentibus, Constantinopoli sese clàm subduxit, sæpiùs, & in frequentibus Synodis, post abitum damnatus & excommunicatus. Ipse interim in Occidente positus, ad Latinorum partes defecit, & Græcorum dogmata scriptis acriter oppugnavit, Episcopus Gyracensis in regno Neapolitano brevi pòst constitutus. Quo anno obierit, non constat. Nugas agunt, qui cùm ob rerum gestarum ignorantiam contraria Barlaami scripta conciliare nequeant, eum in binos scriptores, alterum Monachum Græcum, alterum Episcopum Hieracensem, dissecant.

*Hist. l. 2. c. 39.

SCRIPTA.

Liber contra Primatum Papæ, à Joanne Luido primùm Gr. Lat. editus *Oxonii* 1592. 4°. prodiit dein cum Salmasii adhuc pueri notis *Hanov.* 1608. 8°. ab eo tandem ætate provectiori libri de Primatu Papæ calci subnexus *Lugd. Bat.* 1645. 4°.

Λογιστικῆς, sive *Arithmeticæ Algebraicæ libri* VI. Gr. Lat. *Argentinæ* 1572. 8°. *Parif.* 1600. 4°.

Epistola II. *ad amicos in Græciâ constitutos de Primatu Ecclesiæ Romanæ.* Lat. apud Bzovium ad an. 1331. §. 13.

Epistola ad Alexium Calochetum pro Latinis ante Episcopatum scripta, ibid. ad an. 1330. §. 59.

Responsio ad Demetrii Thessalonicensis Epistolam de Processione SP. S. ibid. ad ann. 1332. §. 5.

Probatio per Scripturas, quòd Spiritus S. procedat à Filio. ibid. ad ann. 1333. §. 2.

Orationes pro unione Græcorum cum Ecclesiâ Romanâ ad Benedictum XII. Papam Avenione habitæ, ibid. ad ann. 1339. §. 25.

Ethicæ secundùm Stoicos libri 2. Prodierunt unà cum Epistolis & Orationibus prædictis, Lat. apud Canisium Tom. VI. p. 4. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XXVI.

Tractatus ejusdem XVIII. *de Processione Sp. S. adversùs Latinos, duos de unione Ecclesiarum ac totidem de Primatu Papæ* se perlegisse testatur Leo Allatius de Consensu l. 2. c. 17. §. 1.

BARLAAM, gente Calaber, instituto Monachus, versatilis ingenii vir, inter Latinos enutritus ad Græcos confugit, & contra Latinos calamum strinxit; unde & Cœnobii S. Salvatoris Abbas constituitur: postea ad Latinos regressus, ac eorum partes tutatus, Episcopus Hieracensis renunciatur. Præter ea quæ à Cl. Whartono suprà recensentur, plura ingenii sui monumen- 1340. R. G.

ta

Digitized by Google

ta post se reliquit. Extant nempè *Demonstrationes* duæ ad Legatos Papæ, de Sp. S. ex solo Patre. Pr. Ὁ Θεῖος Ἀπόστολος ἐν τῇ πρὸς Γαλάτας ἐπιστολῇ. Habentur Gr. MSS. *Biblioth. Vindob. Cod. Theol.* CI. n. VI. iterùmque in capita XII. divisa *Cod. Hist.* CXXIII. n. ii. à fol. 97. ad fol. 123. Ex his singulis capitibus totidem libros in *recensione Allatiana* de *Conf.* L. II. c. 17. *sect.* I. col. 825. 826. fieri suspicari fas est. *Dialogus* contra Legatos Papæ de Processione Spiritûs S. Pr. Λατῖνος· ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Υἱὸς μία εἰσὶν ἀρχὴ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἐπεὶ &c. *ibid. Cod. Theol.* CI. n. VII. Vid. L. Allat. *ibid. Epistola* ad Nicolaum Archiepisc. de primatu Papæ. Pr. Μὴ τοῦτο οἴου σεβάσμιε πάτερ, ὅτι τοῦ πάσα τῶν ὀρθῶν ἐκπεσόντος δογμάτων, &c. *ibid.* n. VIII. L. Allat. *ibid. Dissertationes duæ* contra S. Thomam Aquinatem de S. Trinitate. Pr. Θωμᾶς μὲν ἑνὶ τρόπον διαφορᾶς ἐν τῇ τριάδι οἴεται, &c. ibid. n. IX. L. Allat. *ibidem Dissertationes tres* contra Legatos Papæ de Processione Spiritûs Sancti. Pr. Ὁ μάλιστα τῶν ὑμετέρων θαυμάζω τοῦτό ἐστιν, ὅτι ἐφ' ἑδραίας ἀκινήτου ἐννοίας ὁρῶ ὑμᾶς ἱδρυμένους, ἀλλ' ἀτάκτως, &c. *ibid.* Vide itidem Allat. *ibidem. Responsio* ad Archiepiscopi Bosphorani argumenta de Processione Spiritûs S. Pr. Φὴς ὅτι Πατρὸς καὶ Υἱοῦ θέλημα ἕν, &c. *ibidem*, n. XI. Iterum adisis Allat. *ibid. Oratio* contra Latinos ex variis variarum Orationum *S. Gregorii Nazianzeni* & *S. Basilii* M. fragmentis coagmentata. Pr. Ἐπειδὴ τὸ ἁπλοῦν καὶ ἀπερίεργον τῆς τελείας ἡμῶν ἀτιμάσαντες πίστεως, &c. *ibid.* n. XII. Allat. *ibid. Epistolæ* quinque. *Prima*, Ad amicos in Græcia de unione S. Rom. Ecclesiæ. *Secunda*, Ad eosdem de primatu Eccles. Rom. & de Processione Sp. S. *Tertia*, Ad Demetrium Thessalonicens. responsoria, ac ad unionem Eccl. Rom. hortans. Hujus fragmentum habetur apud Allat. adversùs Hottinger. p. 125. aliud p. 285. *Quarta*, Ad Alexium Calochetum, in qua ostendit non obedientes Rom. Eccl. esse non solùm Schismaticos, verùm etiam Hæreticos. *Quinta*, In quâ probat per S. Script. Sp. S. ex Filio esse quemadmodum ex Patre. Harum meminit L. Allat. *de Consens. lib.* II. *c.* 17. *sect.* iii. *col.* 839. 840. Utrùm verò eædem sint cum iis quas in *Bibl. Vaticanâ* extare narrat Spondanus, ad ann. 1332. n. v. quarum etiam nonnullas edidit *Bzovius* ad ann. 1330. nisi inspectis Codd. dici non potest. *Compendiosa* ejus exercitationis Ethicæ secundùm doctrinam Stoicorum, ex eorum scriptis collectæ meminit idem Spondanus, *ibid. Epistola* ejus ad Nilum inclusum, quem judicem inter se & Palamam constituit, meminit L. Allatius. *Diatr. de Georgiis* p. 342. uti & *Commentariorum* ad Lapitham Cyprium: Tractatûs etiam de Lunari defectu comprehendendo ex Mathematicâ constructione Ptolomæi. Pr. Ἀναγκαῖον ἡγησάμην ἐντεῦθεν σοι, ibidem. Porrò multa cum Opera Mathematica elucubrâsse testantur Vossius & Sempilius.

1340. H. W. MAXIMUS PLANUDES, Monachus Græcus, Vir utrâque linguâ eruditus, & omnifariâ doctrinâ excultus, Andronico Imp. seniori apprimè charus, à quo ante annum 1327. unà cum Leone Orphanotropho Aquileiam legatus est, ut Venetos Græcis subiratos placaret. Claruit anno 1340. Scripsit adhuc anno 1353. Doctrinam ejus atque eruditionem ipsi deprædicant adversarii. Sic enim illum jam diu defunctum alloquitur Bessario Cardinalis Οὐ γὰρ ἂν ἐγὼ σοῦ ἀνδρῶν ἄριστε καὶ σοφώτατε καταγνοίην, οὕτω πάσαν ἐξησκημένε παιδείαν, οὕτω δὲ διαβεβηκότος ἐν φιλοσοφίᾳ, καὶ θεωρίᾳ, καὶ διὰ πάντων μὲν μαθημάτων ὁδεύσαντος, εὐδοκιμήσαντος δ' ἐν ἅπασι, πρὸς δὲ τῇ Ἑλλάδι καὶ τὴν Λατίνων γλῶτταν εἰς ἄκρον ἐξησκημένε. *Non enim de te, vir optime atque sapientissime, malè sentirem, qui in omni disciplinarum exercitatione versatus es*, &c.

Append.

SCRIPTA.

De Processione Spiritûs Sancti contra Latinos Liber seu Capita. Prodiit Gr. Lat. unà cum Responsionibus Bessarionis; & notis à Petro Arcudio inter Opuscula aurea edita *Romæ* 1630. 4°. p. 614.

Oratio in sepulturam Christi, & *B. Virginis Lamentationem*, ab Axonio Latinè edita *Paris.* 1639. Quædam illius Græcè exhibet L. Allatius de Lib. Ecclesiast. Græc. Dissert. 2. p. 257.

Homilia ἀκέφαλος in SS. Petrum & Paulum, quam sub Gregorii Nysseni nomine Gr. Lat. separatim edidit Gretserus *Ingolstad.* 1620. à Cl. Lambecio * auctoritate Codicum MSS. Planudi adjudicatur. *Comment. l. 4. p. 56.

Epigrammatum Græcorum libri VII. qui Gr. prodierunt *Paris.* 1566. 4°. Gr. Lat. per Lubinum--- 1603. 4°. & cum Scholiis variorum *Francofurti* 1600. Planudem nostrum autorem, seu potiùs collectorem, haberè vulgò censentur.

S. Augustini de Trinitate libri XV. à Planude *Græcè versi.* Versionis istius Capita nonnulla Græcè edita sunt *Romæ* 1630. Gr. Lat. per Leunclavium *Basil.* 1578. 8°. Integra extat MS. in Bibliothecâ Cæsareâ Vindobonensi, teste Lambecio Comment. l. 4. p. 159.

Dionysii Catonis Præcepta moralia, & *Disticha*, ab eodem *Græcè translata*, & *expositione interlineari illustrata*, prodierunt *Augustæ Vindel.* 1523. 8°. *Lugd. Bat.* 1598. 8°.

Scholia in Diophanti priores duos libros, à Gul. Xylandro unà cum Diophanto edita *Basil.* 1575.

Æsopi Fabulatoris Vita & Apologia, Gr. *Venet.* 1521. & innumeris aliis in locis.

Epistolæ CXXII. *Comparatio veris & hyemis*, *Oratio in S. Martyrem Diomedem*, & *Argumentationes* III. *contra Latinos de Processione Sp. S.* extant Gr. MSS. in Bibliothecâ Cæsareâ teste Lambecio Comment. pag. 57, 328. Cætera ejus Scripta enumerat Simlerus p. 498.

Dialogus ejus *de Grammaticâ*, & *Tractatus de Syntaxi* extant MSS. in Bibliothecâ Augustanâ. Vid. Indicem ejus p. 25.

GREGORIUS ACYNDYNUS, Monachus Græcus, Barlaami Sectator, Palamæ & Monachorum Hesychistarum, quin & Latinorum hostis acerrimus. Claruit anno 1340. Triennio circiter ante Barlaamo contra Palamam in Synodo CP. agenti astiterat, & unà cum eo gravem Synodi censuram expertus est. Ipse nihilominus inquieti ingenii vir, Palamitas hæreseos palàm accusare non dubitavit. Quapropter à Josepho Patriarchâ in judicium vocatus anno 1341. Synodo CP. Silentium sub anathematis pœnâ observare jussus est. Anno 1347. Cantacuzeno rerum potito, & Isidoro ad Patriarchatum CP. evecto, in frequentibus Synodis damnatus & excommunicatus, vitam deinceps obscuram & otiosam egit. Extat *Carmen Jambicum de hæresibus Gregorii Palamæ*, Gr. apud L. Allatium Græc. Orthod. Tom. 1. à pag. 756. ad 770. Fragmenta ii. Gr. Lat. apud eundem de Consensu l. 2. c. 16. §. 3. Habentur etiam Græcè MSS. in Bibliothecâ Bavaricâ Acindyni *libri* 2. (sed mutili) *de essentiâ & operatione Dei* adversùs Palamam, Gregoram, & Philotheum: quorum capitum Periochas Jac. Gretserus suis in Cantacuzeni Historiam notis inseruit, indeque Bzovius Annalibus suis ad an. 1337. §. 8. Integrum Opus demum edidit Gretserus, *Ingolstad.* 1616. 4°. 1340. H. W.

NILUS CABASILAS, Archiepiscopus Thessalonicensis, causæ Græcorum propugnator strenuus. Claruit anno 1340. Extant *Libri* 2. alter de *causis divisionum in Ecclesia*; alter *de Primatu Papæ*, editi Græcè *Londini* in 4°. sed absque anni vel Typographi notâ, Gr. Lat. *Basil.* 1544. 4°. *Francofurti* 1340. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. 1555. 8°. cum notis Salmasii *Hanov.* 1608. 8°. & ad calcem operis sui de Primatu Papæ *Lugd. Bat.* 1645. 4°. In postremis hisce duabus editionibus accesserunt loca nonnulla ad idem argumentum spectantia, ex variis Nili scriptis excerpta. Cæterum scripsisse Nilus dicitur *Libros* XLIX. *de Processione Sp. S. adversùs Latinos.* Plurima ejus contra Ecclesiam Latinam Opuscula Manuscripta recenset Leo Allatius Dissert. de Nilis cap. 14. p. 49.

1340. R. G. NILUS CABASILAS, Archiepiscopus Thessalonicensis, Latinorum hostis infensissimus, claruit anno MCCCXL. Scriptis adversùs Latinos, præcipuè *de Processione Spiritûs S.* tantam apud suos existimationem obtinuit, ut in Synodo Cpolitanâ paulò ante Concilium Florentinum congregatâ, cùm Patres Græci, quibus modis disputationem contra Latinos sustentare possint deliberarent, Cabasilæ Opera diligentiùs evolvendâ, & ex eis notatu digniora excerpenda uno ore decreverint. Pauciora quidem ex istis lucem publicam viderunt; ea recensuit Cl. Whartonus. Inedita plura adhuc in Bibliothecarum claustris latitant, ea quorum notitia ad nos pervenerit, referre molestum non erit. *De Igne Purgatorio* libellus, cum opere de *Primatu Papæ* Gr. Lat. editus, nisi fortè Marco Ephesio potiori jure ascribendus. *Responsio perspicua & compendiaria adversùs Latinos* velut *Enchiridion* quoddam cum illis disputandi. Pr. Τῶν ἐν τῇ Θεολογίᾳ δογμάτων τὰ μὲν ἐςὶ ῥητῶς κείμενα. Extant Græcè MS. in *Biblioth. Vindob. Cod. Theol.* CI. num. IV. & in *Regiâ Parif.* Cod. 1377. Latina ejus versio à Fl. Illyrico adornata olim in lucem prodiit teste Simlero. *Liber de Processione Spiritûs S.* Opus permagnum in varias partes distributum. *Prima* Pars *Capita* seu *Argumenta Latinorum* XLIX. pro Processione Spiritûs S. ex Patre *& Filio* complectitur. Pr. Λατίνων κεφάλαιον α'. Πρῶτον μὲν ἀρχαῖά τίς ἐςὶ δόξα τῆς Καθολικῆς Ἐκκλησίας. *Secunda, Refutationem* eorundem Capitum *generalem* in Dissertationes V. divisam continet: Singularum principium exhibet L. Allatius *dissert. de Nilis,* p. 49. *Tertia Refutationem* eorundem XLIX. Capitum *Specialem*, in totidem Solutiones unicuique capiti singulatim subjunctas divisam comprehendit. Pr. Πάντα μᾶλλον ἢ τὰ τοιαῦτα ἡμῖν ἂν ἀληθῆ. Ex his XLIX. Capitibus tot libros numerat L. Allatius *. Habetur Græcè MS. in *Biblioth. Vindob. Cod.* CI. n. IV. & in *Basileensi*, uti & apud Venetos in *Bibl. SS. Joannis & Pauli*, licet Thomasinus *in favorem Latinorum* scriptum dicat, eo forsan hallucinatus quòd Argumenta Latinorum in isto Opere primum locum occupant. *Epistola* ad Sororis suæ Filium Nicolaum Cabasilam de *Oratione ejus Encomiastica in S. Demetrium Martyrem.* Pr. Ἡ δὴ αἰτία δήλη, δι' ἣν ἐς ὧδε τίτακται. MS. *ibid. Cod. Theol.* CCLXII. n. VIII. *Epistola alia Theologica* ad eundem Pr. Περὶ ἐννοίας τῶν συγγραμμάτων σε. MS. in *Bibl. Vatic. Cod.* 632. *Epistola nonnulla* ad Nic. Cabasil. ejusque *Responsoria*, habentur etiam MSS. in *Bibl. Reg. Gall. Cod.* 1759. *Epistola* ad Demetrium Chrysoloram, Demetrium & Prochorum Cydonios Fratres, extant MSS. in eodem Codice Vaticano. Opus contra Barlaamitas & Acindynianos extat MS. in *Biblioth. Vallicell.* teste Possevino †. Porrò *Operum* Nili Thessalon. Volumen magnum majori folio habetur Gr. MS. in *Biblioth. Lugduno-Batavâ* in Arcâ Bonav. Vulcanii. num. ii.

* De Consens. lib. II. c. 18. §. VIII.

† Append. ad Apparat. Sacr. p. 21.

1340. H. W. RICHARDUS HAMPOLUS, à nonnullis *Pampolitanus* malè appellatus, vero cognomine *Rollus*, gente Anglus, Patriâ Eboracensis, Theologiæ Doctor, Ordinis S. Augustini Eremita, prope Cœnobium sanctimonialium Hampolense, quatuor milliaribus à Doncastro in agro Eboracensi dissitum vitam egit eremiticam. Claruit anno 1340. Obiit anno 1349. in Festo S. Michaëlis, in Monasterio Hampolensi sepultus, Sancti titulum apud populares suos post obitum sortitus videtur. Habetur enim MS. in Bibliothecâ Cottonianâ * Officium S. Richardi Hampolæ Eremitæ; in quo de vitâ & miraculis ejus agitur.

* Sub effigie Tiberii A. 15.

SCRIPTA.

De emendatione peccatoris, & de regulâ benè vivendi liber. Prodiit *Parif.* 1510. 4°.

Enarratio compendiosa & pia in Psalterium.

Enarratio in Cantica Vet. Testamenti in Ecclesiasticis Officiis usurpata.

Commentarius specialis in Psalmum XX.

Commentarius in Orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum, & Symbolum Athanasii.

Commentarii in nonnulla loca Cantici Canticorum.

Commentarius brevis in Threnos Jeremiæ.

Enarratio brevis in aliquot capita Jobi.

Alia quadam Opuscula sacra, quæ unà cum suprà recensitis omnibus prodierunt *Colon.* 1536. f. & in Bibliothecâ Patr. Tom. XXVI. p. 609. *Annotationes* ejus *in Apocalypsin*, & *Tractatus de vitâ activâ & contemplativâ*, extant MSS. in Bibliothecâ Cottonianâ, loc. cit.

Stimulus conscientiæ, opus versu Anglico concinnatum & in VII. partes distributum. Prima agit de naturâ humanâ, 2ª. de mundo; 3ª. de morte, 4ª. de Purgatorio, 5ª. de die judicii, 6ª. de pœnis inferni, 7ª. de gaudiis cœli. Id MS. vidi in Bibliothecâ Archiepiscopi Cantuariensis Lambethanâ in 4°.

Psalterium illum in linguam Anglicanam transtulisse, & in versum illum Davidis (ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque) judicium suum de necessitate Scripturarum vernacularum proposuisse ex MS. quodam Codice testatur RR. Usserius in Historiæ Dogmaticæ Controversiarum Specimine MS.

Cætera, quæ nondùm sunt edita, à Baleo & Pitseo longo agmine recensentur, Manuscripta à Jamesio Eclog. par. 2. p. 35.

ROBERTUS HOLKOT, gente Anglus, Northantoniæ natus, Ordinis Dominicani Monachus, & Theologiæ Professor in Academiâ Oxoniensi, Claruit anno 1340. Obiit in urbe patriâ anno 1349. peste extinctus, dum Ecclesiastici libro explicando incumberet. 1340. H. W.

SCRIPTA.

Commentaria, seu *Quæstiones in* IV. *libros Magistri Sententiarum.* Prodierunt *Lugduni* 1497. f. 1510. 4°. 1518.

Moralitates pulchra Historiarum in usum Prædicatorum, quibus annectitur *Tabula aurea D. Thomæ super Evangelia & Epistolas totius anni. Venet.* 1505. *Parif.* 1510. 8°.

Lectiones CCXIII. *in librum Sapientiæ Salomonis*: quas nonnulli Reginaldo de Alnâ Ordinis Cisterciensis adjudicant. Extant *Spiræ* 1483. *Reuthlingæ* 1489. *Venet.* 1509, 1586. f.

Lectura in Canticum Canticorum, & in septem priora Ecclesiastici Capita. Venet. 1509.

Commentarius in Proverbia Salomonis, quem quidem alii Thomæ Gualensi ascribunt. Prodiit *Parif.* 1515.

Tractatus de imputabilitate peccati, Conferentia quadam super sententias, & aliæ aliquot *Quæstiones. Lugduni* 1497. f. 1518.

Commentarius in XII. *Prophetas Minores*. Extat MS.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. MS. in Bibliothecâ Baliolensi *Oxon.* cod. 25.

Quodlibeta: MSS. in Bibliothecâ Pembrochianâ Cantab. cod. 108.

Allegoriæ utriusque Testamenti. MSS. in Bibl. S. Petri Cant. cod. 74.

Sermones per totum annum. MSS. ibid. cod. 107.

Alia Holcoti Opera inedita dabit Altamura Biblioth. Prædicat. p. 126. & in Append. pag. 479. Baleus Cent. V. cap. 84. Pitseus æt. XIV. p. 465.

1340. H. W. PHILIPPUS DE MONTE CALERIO, seu *de Iannâ*, regione Subalpinâ oriundus; Ordinis Minorum Monachus, in Conventu Tolosano primùm professus, dein verò Lector Conventûs Sacri Loci Paduæ. Claruit anno 1340. Extant *Conciones Dominicales totius anni*, quæ à Janselmo Canovâ Ordinis Minorum custode Cumano, Philippi consodale in compendium redactæ editæ sunt *Lugduni* 1510. *Quadragesimale*, *Conciones de Eucharistiâ, & Sermones de Sanctis*: quæ quidem omnia cum Concionibus Dominicalibus prodierunt *Lugduni* 1515. *Postilla super Evangelia Dominicalia* ab eodem anno 1352. conscripta habetur MS. in Biblioth. Pembrochianâ. Cantab. cod. 51.

1340. H. W. HENRICUS DE URIMARIA, seu *Frimariâ*, natione Germanus, patriâ Thuringus, Ordinis Augustiniani *Eremita*, Sacræ Scripturæ & Philosophiæ Aristotelicæ studiosissimus, & in Academiâ Parisiensi Theologiæ Doctor. Claruit anno 1340. Effusam suam ejus erga pauperes benevolentiam, erga Deum pietatem insigni elogio cohonestant ex Jordano Jos. Pamphilus * & Possevinus †: qui charitatis quidem suæ egregium proferunt indicium; pietatem verò ejuscemodi depingunt, ut enthusiasticum aliquid traxisse non possimus non suspicari. Utcunque verò uterque multorum illi in vitâ & in morte miraculorum gloriam affingit. Obiit grandævus, postquàm immanes renum ac vesicæ dolores biennio tulisset.

* Chron. Ord. Erem. p. 40.
† Apparat. Tom. I. p. 733.

SCRIPTA.

ADditiones ad libros Sententiarum. Prodierunt unà cum Ægidii Romani Commentariis *Colon.* 1513.

De quadruplici instinctu liber. Venet. 1498. alteri cuidam Henrico Ordinis Dominicani malè inscriptus.

Sermones de Passione Domini & de Sanctis. Hagenoæ 1513. & cum præcedente libro *Parif.* 1514.

Præceptorium, quod sub Nicolai Lyrani nomine sæpius excusum prodiit, isti à nonnullis adjudicatur.

Alia ejus Opera MSS. quamplurima enumerant Jos. Pamphilus, & ex eo Ant. Possevinus locis citatis.

1340. H. W. LUPOLDUS BEBEMBURGIUS, sive *Babenbergius*, à nonnullis Ludolphus & Liutolfus dictus, natione Germanus, ex nobili familiâ de Bebemburche, Juris utriusque Professor, in Academiâ Bononiensi Joannis Andreæ auditor, ex Canonico Moguntino, Herbipolensi, & Babembergensi Episcopus Bambergensis factus est anno circiter 1340. Sic Trithemius & Pantaleon *. Sunt tamen qui Episcopalem apicem Lupoldo prorsus denegant. Extat *Liber* ad Rudolfum Saxoniæ Ducem *De zelo veterum Regum Galliæ & Germaniæ Principum*, in Bibliothecâ Patr. Tom. XXVI. p. 88. item *Liber de Juribus Regni & Imperii* ad Balduinum Trevirensem Archiepiscopum, *Argentinæ* 1508. 4°. Prodiit uterque simul Tractatus *Parif.* 1540. *Colon.* 1564. 8°. *Basil.* 1497, 1566. *Argentinæ* 1603. 1609.

* De Viris illust. Germ. par. 2. p. 328.

Append.

ALVARUS PELAGIUS, seu inverso ordine *Pelagius Alvarus*, natione Hispanus, Patriâ Gallæcus, natalibus non infimis solùm, sed & pudendis, ex Compostellanæ Diœceseos Clerico, & Decretorum Doctore Bononiensi, Minoritarum sodalis anno 1304. in generali Capitulo Assisii habito factus. Dein Pisis operam Theologiæ dedit; & Lutetiam profectus, Ioannem Duns Scotum docentem audivit. Anno circiter 1329. Ioannis XXII. Pontificis partes adversùs Michaëlem Cæsenatem tutatus, Pœnitentiarius Apostolicus renunciatur. Anno 1332. XVI. Cal. Iulii Coronensis in Achaiâ, ante annum 1340. Silvensis in Lusitaniâ Episcopus constitutus est. Quando obierit, parùm constat. Extant *de Planctu Ecclesiæ* ad Petrum Gomesium Franciscanorum Generalem libri 2. quos ante decennium conscriptos Alvarus Compostellæ correxit anno 1340. Prodierunt *Vlmæ* 1474. *Lugduni* 1517. *Venet.* 1560. *Summa Theologiæ*, *Vlmæ* 1474. *Collyrium Fidei adversus Hæreses*, MS. in Bibliothecis Vaticana & Colbertina. *Sermo prolixus de visione animarum* coram Ioanne XXII. Pontifice habitus, quo Ioannis sententiam tuetur. MS. in Bibliotheca Toletana. Alia ejus Scripta recenset Waddingus de Scriptor. Ord. Minor. pag. 15. SÆC. XIV. ab An. MCCC. 1340. H. W.

BERNARDUS PARENTINUS, Ord. Prædicatorum, Provinciæ Tolosanæ (errat Poccianțius, qui Florentinum asserit) Philosophus ac Theologus eximius, claruit anno MCCCXL. Scripsit Lectiones eruditas super totum officium Missæ: opus istud *Lilium Missæ* (pro quo *librum Missæ*, exscriptoris forsan incuriâ, habet Possevinus) compellavit: Extat MS. in Biblioth. Bodleian. Cod. 2627. Typis impressum per Lud. Vassorium emendatum Parif. 1517. 1531. 8°. *Sermones*, & Opuscula varia ei tribuunt Pocciantius & Simlerus. 1340. R. G.

GEORGIUS LAPITHA, gente Cyprius, nobili & antiquâ ortus familiâ, prope fl. Lapitham, unde nomen adeptus, sedem habuit; claruit anno MCCCXL. præter utriusque linguæ Scientiam, Philosophiæ arcana perscrutatus est, Sacris etiam Scripturis perdiscendis assiduus, quibus Latinorum dogmata fœliciter propulsavit, avitæ fidei tenacissimus: cum Barlaamo Monacho, & Nicephoro Gregorâ literarum commercium habuit, unde & ætas dilucidè innotescit. Scripsit *Versus* Morales & Politicos: *Morales* numero CCCXIX. extant Gr. MSS. *Venetiis* in *Bibliothecâ S. Antonii*, teste Gesnero. *Politici* (opus tumultuarium) Græcè habentur MS. in *Bibliothecâ* Regis Gallorum, Cod. 2256. iterum Cod. 3337. titulus & principium sic se habent. Στίχοι πολιτικοὶ αὐτοσχέδιοι, εἰς κοινὴν ἀκοὴν τοῦ σοφωτάτου κυρίου Γεωργίου Λαπίθου τοῦ Κυπρίου. Γνῶθι σαυτόν, ὦ βέλτιστε, τίς τε καὶ ποῦ τυγχάνεις. Opus divisum per titulos, juxta varia rerum argumenta. 1340. R. G.

IOANNES CANTACUZENUS, patriâ Byzantinus, illustrissima Cantacuzenorum prosapia oriundus, patrem habuit Præfectum Peloponnesi, quem 21. annos natum puer adhuc amisit, matrem Theodoram Palæologinam, lectissimam fœminam, cui Michaël I. Palæologus Imp. avunculus erat magnus. Postquàm juventutem literis & militaris disciplinæ scientiâ haud vulgariter imbuisset, rebus Imperii summis tractandis admotus, in Aula & urbe enitere cœpit. Uxorem duxit Irenem Andronici Asanis, Magni Ducis, filiam, Andronici senioris Imp. ex sorore neptim; & ex ea liberos sex, tres mares, totidem fœminas suscepit. Principio ab Andronico seniore Imp. Sacro Cubiculo Præfectus, cùm Andronici junioris, quo cum singularem ab unguiculis amicitiam coluerat, partibus deprehende- 1341. H. W.

SÆC. XIV. ab An. MCCC.

henderetur addictus circa 1320. Imperatoris gratiam amisit: & ab Andronico juniore Magnus Domesticus, ac Thraciæ Præfectus constitutus est. Arreptis tandem Imperii fascibus anno circiter 1328. & exautorato avo, Andronicus junior Cantacuzenum honoribus atque opibus cumulavit; toti militiæ præfecit; Imperii collegam sibi expetivit, sed reluctantem non obtinuit; nil unquam eo inconsulto aut refragante egit; moriens denique anno 1341. Joannis Palæologi filii sui, pueri novennis, simul ac Imperii tutelam ei commisit. Strenuè non minùs quàm fideliter provinciam sibi demandatam obiit Cantacuzenus; donec dissidia excitantibus Annâ Imperatrice, Joannis Imp. matre, Ioanne Patriarchâ aliisque proceribus CPP. exeunte eodem anno Aulâ relictâ in Macedoniam secesserit, perduellis statim ab Anna renunciatus. Ingens procerum ac militum numerus ad Cantacuzenum confestim accurrunt; eumque, diu reluctantem, purpuram Didymotichi induere compellunt. Anno sequente die XXI. Maii, à Lazaro Patriarcha Hierosolymitano Imperator Hadrianopoli solenni pompa coronatur. Bello per quinquennium gesto, Cantacuzenus victor evasit, captâque ineunte anno 1347. Constantinopoli, Ioanni Palæologo non iniquas pacis leges dedit; ut uterque Imperium, dispari tamen, donec ad maturam ætatem perveniret Ioannes, jure retineret, deinceps pari. Die XIII. Maii ab Isidoro Patriarcha CP. quem Joanni subrogarat, Imperator coronatus est; & post dies aliquot Helenam filiam Joanni Imp. cui olim desponsata fuerat uxorem dedit. Parvo sanè tempore concordia inter Imperii collegas illibata mansit. Suspicionibus in inimicitias utrinque exacerbatis, iterum ad arma deventum est. Victor Joannes Constantinopolim anno 1355. in potestatem redegit. Quarto post die Cantacuzenus, qui abdicationem Imperii dudum cogitaverat, & bellum civile diutiùs protrahere noluit, cui nondum etiam ita irritæ erant vires, ut nulla resistendi copia daretur, in Monasterio Manganensi propè Constantinopolim sese ultrò ac lubens inclusit; mutato Joannis in Joasaphi seu Josaphati nomen, comam totondit, & Monachalem vestem induit; bellum usque adeò detestatus, ut Matthæum filium Peloponnesi Despotam cum Joanne Palæologo armis de Imperio certantem autoritate paternâ incœptis abduceret, & suscepto in Peloponnesum itinere Joanni conciliaret. Ad Monasterium redux, pietatis & literarum studio se totum dedit, & historiâ rerum à se gestarum conscribendâ infœlicem senectutem oblectavit. Quot annis depositæ purpuræ superfuerit, parùm liquet; plures tamen superfuisse constat. Sunt qui ad annum usque 1374. eum pervenisse volunt. Scripsit hortante Nilo, & assumpto sibi Christoduli nomine fictitio, eleganti non minùs quàm diffuso stylo *Historiam rerum ab Andronicis duobus Impp. & seipso gestarum* ab anno 1320. ad ann. 1357. libris IV. præmissâ Historiarum Operi *Genealogiâ* Imperatorum Andronicos antecedentium ab anno 1195. ad 1320. Verè de illo eruditissimus Cardinalis Bona *, *Eximius Historicus, sed res suas nimiùm extollens*. Siquidem ipsius enim gesta magnificè ut plurimùm depingit, & in proprias laudes aliquoties excurrere non erubescit. Prodiit Historia ista Latinè ex Jac. Pontani versione unà cum ipsius & Gretseri notis *Ingolstad.* 1603. fol. Gr. Lat. cum utriusque notis *Parif.* 1645. 3. Tom. f. Extant ejusdem *Orationes* 3. & *Apologia seu Assertiones* IV. *pro fide Christianâ adversus Saracenos & Alcoranum*, Gr. Lat. curâ Rodolphi Gualteri editæ *Basil.* 1543. fol. & cum Alcorano *ibid.* 1555. Habentur etiam illius Ἀντιῤῥητικά, seu *Contradictiones adversus Prochorum Cydonium*, MSS. in Bibliothecâ Vaticanâ.

* Notitia Autor. lib. de Divin. Psalmod. præmissa.

1342. R. G. JOANNES CANTACUZENUS, Imperator CP. claruit anno MCCCXLII. patriæ, Religionis tum auctoritate, tum Scriptis propugnator strenuus, scripsit *Capita* quędam contra Paulum latini ritûs Patriarcham, quorum excerpta nonnulla græcè habentur MSS. in *Bibl. Vind. Cod. Theol.* CCX. n. XVIII. à fol. 359. p. 1. ad fol. 388. p. 1. Pr. Ὅτι κατ' οὐσίαν ὁ Θεὸς ἀόρατος ἐστὶ καὶ Ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις καὶ ἀψύχοις καὶ οὐ τοῖς μὲν μᾶλλον κ. λ. *Epistolæ* sex de S. Trinitate & de lumine in monte Thabor ad Paulum Archiep. & ejusdem Pauli duę Epistolæ ad Cantacuz. Imp. MSS. *Oxon. Baroc.* 193. item in *Bibl. Reg. Gall.* Cod. 1435. idem forsan opus: *Contra Monachum* Isaacum Argyrum capita, ex quibus excerpta nonnulla similiter habentur *ibid. Codice eodem.* n. XIX. Pr. Περὶ τῶν ἑπτὰ πνευμάτων, ἤτοι τῶν θείων ἐνεργειῶν τοῦ παναγίου πνεύματος, ἅπερ οἱ ἀντιλέγοντες τῇ Ἐκκλησίᾳ κτίσματα φασὶ εἶναι, αὐτίκα τούτων ὁ μέγας Βασίλειος, integra habentur Gr. MS. in *Bibliothecâ Reg. Gall.* Cod. DCXCII. Edictum etiam, quo confirmavit Tomum Synodicum Excommunicationis & exauctorationis Joannis Calecæ Patr. CP. tanquam hæretici, ut pote errorum Barlaami & Acindyni sectatoris, cujus excommunicat. ipse Cantacuz. meminit in Hist. suâ Byzant. lib. IV. capp. 3. 24. extat unà cum ipso tomo MS. in *Bibl. Vind. Cod. Iurid.* VII n. XII. XIII. cum hac inscriptione. Ἐυνοέστατοι καὶ πιστότατοι τῇ Βασιλείᾳ μου οἰκήτορες ἅπαντες τῆς θεοδοξοτάτου θεοφυλάκτου καὶ θεομεγαλύντου Κωνσταντινουπόλεως, οἵ τε κληρικοὶ μονάζοντες καὶ ὅσοι τῆς πολιτείας, καὶ ὁ κοινὸς ἅπας λαός· τὰ κινηθέντα παρὰ τοῦ Βαρλαὰμ ἐκείνου κατὰ τῆς εὐσεβείας καὶ ὅπως κ. λ. Nessel. p. 20. *Paraphrasis* Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum Gr. MS. *Venetiis* in *Bibl. SS. Ioannis & Pauli Epistolæ Sim.* p. 179. *Contra Judæos* libros nonnullos concinnavit, teste Simlero, qui eos brevi prodituros sperare frustrà nos jussit. Extant *ejusdem Argumenti* libri novem. Gr. MSS. in *Bibl. R. Gallorum.* Cod. 281. item in *Bibl. L. Bat.* ex legato Varneriano n. 20. Porrò notandum est Cl. Whartonum in numero Orationum contra Saracenos cespitâsse, *tres* duntaxat numerantem, quum *quatuor* scripserit Imperator, totidemque in lucem emiserit cum versione suâ Cl. Editor. Duo etiam opuscula scripsit contra *Prochorum Cydonium*: 1. *Responsiones* ad dicta Prochori, de essentiâ & operatione Divinâ. Pr. Περὶ μὲν οὖν τῶν τῆς ἐνεργείας τοῦ Θεοῦ εἰδῶν κατὰ τὴν ἐν προοιμίοις ἐπαγγελίαν. 2. *Antirrehetica* ad dicta Patrum allata à Prochoro Cydonio. Pr. Ὅλως μὲν οὐκ ἔδει, ὦ Πρόχορε, οὕτως ἀπολογήσασθαι με πρὸς τὰ λεγόμενα. habentur, ex fide L. Allatii, * MSS. in Bibl. Vatican. Codd. 673, 674, & 1222.

* Diatrib. de Nilis p. 46.

1342. R. G. ADAMUS MUREMUTHENSIS, gente Anglus, Ecclesię D. Pauli apud Londinenses Canonicus, vir erat in jure Civili probè institutus, & in rebus agendis exercitatus; legationes plurimas, tùm Archiepiscoporum Cantuariensium, tùm Regis Edvardi nomine obiit, ad majora Regni & Ecclesiæ negotia adscitus. Anno MCCCXXVII. à conventu Cantuariensi, Sede vacante, Spiritualis jurisdictionis custos per Diœcesin Exoniensem Episcopò eo tempore orbatam statuitur. Claruit anno MCCCXLII. quamdiu autem superfuit incertum est; res gestas sui temporis, quibus ipse interfuit, & quarum pars magna fuit, literis commisit, res Romanas & Gallicas Anglicanis intertexens. Duplex *Chronicon* elucubrasse dicitur; Primum ab anno MCCCII. usque ad an. MCCCXLIII. Alterum (modò ab eodem Auctore, quod non usque adeò certum est profectum) ad annum MCCCLXXX. productum neutrum typis vulgatum à celeberrimo Antiquitat. Britannic. Auctore (cui prima pars solummodò innotuisse videtur) & Nic. Harpsfeldio sæpiùs laudatum. *Continuatio Chronicorum* dicitur, & in Bibl. Cotton.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. Cotton. MS. extat *Claudius* E. VIII. 27. ad ann. MCCCXL. ibid. *Nero*. D. X. 4. ibid. *Galba* A. I. 1. in Coll. S. M. Magd. Oxon.

1342. H. W. CLEMENS VI. *Petrus Rogerius* antea appellatus, natione Gallus, patriâ Lemovicensis, ex oppido Monstrio, seu, ut alii, Monte Malo oriundus, Gulielmi filius, primùm Monachus, dein Abbas Cœnobii Casæ Dei in Arvernis Ordinis Benedictini; posteà Lutetiam studiorum Theologicorum ergo profectus, Joanni XXII. Pontifici innotuit, à quo Prior S. Basilii Nemausensis, Abbas Fiscanensis in Normanniâ; Episcopus Atrebatensis, Archiepiscopus Senonensis, ac dein anno 1330. Rothomagensis successivè factus est, à Benedicto XII. Presbyter Cardinalis titulo S. Nerei & Achillei anno 1337. renunciatus. Post mortem Benedicti anno 1342. die VI. Maij Pontifex Romanus Avenione electus est, die XIX. coronatus. Ineunte Pontificatu, ut Romanos diuturnâ Pontificum absentiâ irritatos demulceret, Jubilæum ab anno centenario ad quinquagesimum reduxit: & Ludovicum Imp. jus in Italiâ armis persequentem hæreticum esse declaravit, & anathemate devinxit. Sæpiùs à Ludovico posteà de absolutione interpellatus, nullâ aliâ lege eam concedere voluit, nisi Ludovicus Occamum dederet, acta contra Pontifices cassaret, edicto sanciret Imperium esse sedis Romanæ beneficium, sese hæreticum esse confiteretur, Imperium deponeret, nec nisi Papâ volente resumeret. Tam iniquas conditiones recusantem Ludovicum anno 1346. iterato anathemati innodavit; & Electoribus alium sibi Imperatorem brevi eligere præcepit, ni malint à Pontifice sibi regem dari. Anno 1348. Avenionem civitatem à Joannâ Neapolis & Siciliæ Reginâ emit; eamque paulò pòst excommunicavit. Obiit Avenione anno 1352. die VI. Decembr. Extat *Epistola Encyclica adversus Hæreticos flagellantes* Concil. Tom. XI. p. 1876. *alia de Episcopatu Ostiensi* apud Baluz. Miscellan. Tom. IV. pag. 508. *aliæ* X. apud Bzovium ad an. 1342. &c. *aliæ* XXX. apud Waddingum Annal. Minor. Tom. 3. ad ann. 1342. &c. *aliæ* CCXII. ibid. in Regesto Pontif. p. 263. *aliæ* XVII. apud eundem Tom. IV. ad ann. 1351, 1352. *aliæ* XXXIX. ibidem. in Regesto Pontif. pag. 1. *Epistolarum & Decretalium* ejus volumina plura extant MSS. in Bibliothecâ Vaticanâ; *Propositiones* ejus adhuc Archiepiscopi Rothomagensis coram Papâ & Cardinalibus in Consistorio factæ MSS. in Bibliothecâ Pembrochianâ Cantab. cod. 89. num. 1. Cætera dabit Lud. Jacob. à S. Carolo Biblioth. Pontif. p. 55.

1342. R.G. CLEMENS, Papa VI. *Petrus Rogerii* antea dictus natione Aquitanus; ex Ord. Benedicti, claruit anno MCCCXLII. anno MCCXCI. lucem aspexit, decennis habitum Monasticum induit anno MCCCI. Per varios in Academiâ Parisiensi & in Ecclesiâ honoris gradus, ad summum Dignitatis fastigium ascendit, Vir *magnæ Divinitatis Scientiæ, atque fons Sermociniorum*; uti Append. ad Ptolomæum Lucens. Auctor in *Vita ejus*, col. 300. Scripta ejus nonnulla numeravit H. Whartonus, pauca supersunt nobis indicanda. *Oratio* habita in Canonizatione S. Ivonis, à Surio edita, Tom. III. à Bollandianis recusa, mense Maii, Tom. IV. *Responsio* ad argumenta Petri de Cugneriis Advocati Regii, quibus jurisdictionem Ecclesiasticam impugnavit, edita inter Acta istius disputationis, Paris. 1495. 4to. posteà in Bibl. PP. translata. *Epistolæ* XLV. à Cl. Baluzio editæ in Collectione Actorum veterum. *Vit. PP. Aven.* Tom. II. *Concio* Funebris in obitum Card. Neapoleonis; eam laudat Steph. Baluzius & fragmenta quædam exinde profert, ibid. Tom. I. in notis. col. 600. 601. *Oratio* coram Joanne P. XXII. de expeditione Philippi Francorum *Append.*

R. in Terram Sanctam; hujus etiam meminit, & lacinias quasdam descripsit idem Baluzius, ibid. col. 787. *Sermonum* volumen MS. in Biblioth. Rev. Archiep. Rhemensis. *Tract.* de Paupertate Christi Apost. MS. penès Baluzium. Adversùs Mich. de Cæsenâ an censendus sit hæreticus; teste Waddingo. SÆC. XIV. ab An. MCCC.

BARTHOLOMÆUS DE URBINO, gente Italus, Patriâ Urbinas, Augustini Triumphi discipulus, Ordinis Eremitarum Augustinianorum sodalis ac Bononiæ in scholis Theologicis versatus, inter clarissimos sæculi sui Scriptores nomen tulit. Claruit anno 1343. quo circiter tempore Episcopus Urbinas à Clemente VI. Papâ constitutus est. Autoritatis enim Pontificiæ, quam scripto adversùs Ludovici Imp. sequaces propugnavit, pugil fortissimus summam apud Pontifices Romanos gratiam meruit. Obiit anno 1350. Augustini & Ambrosii Operum assiduus Lector, utriusque sententias maximè insignes excerpsit, & in Alphabeti ordinem digestis Milleloquii nomen indidit. Prodiit *Milleloquium S. Augustini* (ab Augustino quidem præceptore ejus inchoatum, à Bartholomæo absolutum) *Lugduni* 1555. *Milleloquium S. Ambrosii*, *Lugduni* 1556. *Tractatus contra errores qui inventi fuerunt tempore Ludovici Ducis Bavariæ*, MS. habetur in Conventu Augustinianorum Romano. Erroris illum Occamum, Marsilium, aliosque justi Principum in temporalibus suprematûs assertores notare arbitror. Scripsit adhuc *Tractatum de quatuor donis*. *De bello spirituali libros* 2. *Expositionem Evangeliorum Quadragesimalium*, *& Compendium libri Ægidii Romani de regimine principum*; quæ nondum, quod sciam, tenebris emerserunt. 1343. H. W.

NICEPHORUS GREGORAS, seu potiùs Gregoræ filius, patriâ Byzantinus, anno circiter 1295. natus, Juvenis adhuc Joanne Glycy Patriarchâ familiarissimè utebatur, & ab eo eloquentiæ scientiam hausit. Provectior factus Theodori Metochitæ amicitiam coluit, Astronomiam ab eo didicit, eique filii ad instar charus fuit. Annos XXVII. natus Andronici Imp. gratiam ambire cœpit; habitâque in laudem ejus oratione Panegyricâ, Chartophylax Ecclesiasticus creatus est. Anno 1325. ab Imperatore ad Cralen Triballorum seu Serviorum Principem legatus; multis difficultatibus ac periculis superatis, rem tandem fœliciter gessit. Anno 1327. Andronico seniore à nepote suo devicto, Gregoras qui avi partibus constanter adhæserat, in calamitatis partem venit; atque ei post quinquennium morienti adfuit, mortuo parentavit; Theodorum etiam Metochitam post paucos dies defunctum funebri oratione laudavit. Mortuo seniore, in junioris Andronici Aula versatus est. Anno 1334. Legatis Joannis XXII. Pontificis Constantinopolim appellentibus, & colloquium de religione postulantibus, Gregoras qui ob eximiam doctrinam disputatoribus Theologis adjungendus erat, disputationem omni modo declinandam esse suasit & obtinuit. Anno circiter 1338. Barlaamum lites in Ecclesiâ Græcâ serentem autoritate suâ oppugnavit. Anno 1341. Andronicum juniorem Imp. defunctum è nostris inter exequias laudavit. Claruit anno 1345. quo circiter tempore ad Historiam condendam se accinxit; & Gregorii Acindyni partes adversùs Palamam fortiter tutatus est. Habitâ itaque à Callistrato Patriarcha Synodo unà cum reliquis Acindynistis damnatus, & ad silentium sub anathematis pœnâ adactus est. Sententiam ille indignatus, in Christi Monasterium secessit; & emissis ubique procacibus scriptis Imperatorem ac Patriarcham injuriæ, Ecclesiam Græcam corruptelæ, Monachos ignaviæ, luxuriæ, & hæreseos accusare non desiit. Qua- 1345. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab an. MCCC.

propter à Cantacuzeno Imp. in Monasterio Christi manere jussus, qualecunque colloquii ac literarum commercium interdictum habuit. Anno 1355. Cantacuzenus, Imperio deposito, controversias Theologicas, & Gregoræ criminationes Synodi judicio subjecit; & præsentem hominem calumniæ & mendacii convicit. Quamdiu certamini huic superfuerit Gregoras, non constat.

SCRIPTA.

Historiæ Byzantinæ libri XI. à captâ per Latinos Constantinopoli usque ad Andronici junioris obitum, seu ab anno 1204. ad 1341. De eâ tale fert judicium Lipsius *. *Scripsit Historiam pariter ac Nicetas Choniates, sed nequaquam pari castigatione aut industriâ, & vitia plura traxit sui ævi. Superfluit aut evagatur; & res orationesque proprias miscet indecorè, immò ineptè: judicia tamen ejus crebra, & plerumque recta: causa eventuum curiosè posita: pietas inculcata, & multa opportunè ad primam illam causam relegata, idest, ad Deum. Sanè providentiam & fatum non alius scriptor asseruit magis.* Magnam sibi ac Andronico juniori Imp. injuriam à Gregorâ factam esse, veritatemque rerum gestarum mendaciis plerumque ac calumniis offuscatam acerbè satis conqueritur Cantacuzenus. Certè cæco affectu eum in Andronici senioris passim abreptum esse partes nullus non agnoscit, *multaque* illum *de se parùm decorè locutum esse* jure merito notat Cl. Card. Bona *. Ea quæ à Michaële Palæologo usque ad Catelanorum ab Andronico seniore defectionem libris 4°, 5°, 6°, & 7°. scripsit, ex Georgii Pachymeris Historiâ in compendium redactâ ferè mutuatum esse Gregoræ Historiâ Lat. interprete Hieronymo Wolfio, *Paris.* 1567. f. *Francofurti* 1568, 1587. f. Gr. Lat. cum Wolfii notis *Basil.* 1562. f. *Genevæ* 1615. f. Fragmenta quædam, quæ editis exemplaribus libro octavo deerant, Gr. Lat. ad calcem Breviarii Nicephori Patriarchæ CP. edidit Dion. Petavius *Paris.* 1616. 8°.

* Politic. l. 1. c. 9. §. 12.

* Notitia Auctorum l. de Divin. Psalmod. præmissa.

Oratio in obitum Theodori Metochitæ, prodiit Gr. Lat. ad calcem Metochitæ *Lugd. Bat.* 1618. ad calcem Glycæ *Paris.* 1660.

Commentarius seu *Scholia in Synesium de Insomniis.* Prodierunt cum Synesii Operibus Gr. *Paris.* 1553. Gr. Lat. *ibid.* 1613.

Passio Cordati Corinthii, aliorumque Martyrum Achæorum, Gr. Lat. ab Henschenio & Papebrochio cum notis edita inter Acta Sanctorum, Martii x.

Disputatio contra Palamam præsente Imperatore Joanne Palæologo habita MS. in Bibliothecâ Augustanâ. Vid. Indicem ejus anno 1675. editum, p. 41.

Technologia Grammatica, atque Orationes II. MSS. ibid. p. 64.

Contra Synodum, quæ pro Palamâ contra Barlaamum & Acindynum sententiam tulit, libri x. quorum Excerpta exstare MSS. in Bibliothecâ Vaticanâ notat Gesnerus.

Demonstratio de emendando tempore Paschatis. MS. in Bibliothecâ Bavaricâ. Summa ejus habetur libro 8o. Historiæ. Alia ejus Opuscula Manuscripta quamplurima ex Bibliothecâ Vaticanâ recenset Ant. Possevinus ad calcem Apparat. sacr. p. 13. *Tractatum illius de Constructione Globi in* Bibliothecâ Regis nostri MS. vidi.

1345. R. G.

NICEPHORUS GREGORAS, Byzantinus, Philosophus & Historicus insignis, artis etiam oratoriæ peritissimus, Andronico Avo Imperatori inter paucos charus, claruit anno MCCCXLV. Auctoris hujus πολυγραφωτάτου scripta edita accuratè quidem recensuit Cl. Whartonus, nonnulla etiam inedita; quibus apponantur sequentia. In *Bibliothecâ Cæsareâ Vindob. Cod. Theol.* CLXXIV. foliis 306. constanti plurima habentur Gregoræ Opuscula, non omnia quidem Theologica, singula tamen recensebimus servato codicis ordine, viz. *Dialogus* de statu primi hominis ante lapsum, mortalis fuerit an immortalis, ad fol. 15. principium de industriâ erasum est n. I. *Epistolæ* variæ, quarum prima inscribitur τῷ Γαβρᾷ Pr. Χθὲς τὴν τοῦ Θεοῦ βίβλον ἀνέχων ἐπὶ τῶν χειρῶν fol. 15. p. I. n. ii. *Oratio* ad Imp. Andronicum Palæolog. Sen. quâ gratias illi agit ob singularem humanitatem sibi ægrotanti exhibitam. Pr. Ἐμοὶ μὲν πόῤῥωτεν σκοπουμένῳ, μέγιστε Βασιλεῦ, τὸ τῶν σῶν ἀρετῶν πέλαγος. fol. 58. n. iii. *Dissertatio* de Prærogativâ Beatæ Virginis super Seraphim ab Hymnographo quodam celebrata. Pr. Οὐκ ἀπεικὸς οἶμαι ἀπορεῖν. fol. 66. p. I. n. IV. *Prologus* in narrationem de Susannâ. Pr. Οὐκ ἔμελλεν οἶμαι οὐδὲ τὸ τῶν γυναικῶν φῦλον χωρὶς ὑποδείγματος, fol. 69. p. I. num. v. *Variæ Precationes Sacræ* ad Christum & B. Virginem fol. 70, p. I. num. VI. *Dissertatio* contra simulatores Sapientiæ, vel quòd Philosophi, tam Aristotelis, quàm Platonis Sectatores, à verâ Sapientiâ sunt alieni. Pr. Μέγα μὲν ἀνθρώποις σοφία. fol. 74. p. I. n. VII. cui subnectitur *Epistola* ad supremum Philosophorum, cujus titulus & Principium Τῷ Ὑπάτῳ τῶν φιλοσόφων. Εἰ σὺ μὲν ὁ τοσοῦτος ἐν ἀνθρώποις ἥρως, de isto dignitatis titulo consulat Lector curiosus Clariss. Cangium in *Glossar. Græc.* v. ὕπατος, ubi multorum nomina, qui dictum officium subierunt, recensentur. *Descriptio* Resurrectionis Christi. Pr. Πάνυ μοι δοκεῖ τῶν ἀτοπωτάτων εἶναι, παῖδας τῶν Ἑλλήνων φιλοτιμεῖσθαι τὸ κακοδαίμονος αὐτῶν πλάνης. fol. 82. p. I. num. VIII. *Prologus* Encomiasticus in Homerum, & narratio eorum Ulyssis cum explicatione morali. Pr. Ποιηταὶ μὲν καὶ Ῥήτορες, καὶ ὅσοι τὸν φιλόσοφον εἵλοντο βίον. fol. 86. p. I. n. IX. *Oratio* funebris in obitum Calliergi, Pr. Ὦ Θετταλῶν πόλις ἰδίᾳ καὶ Ῥωμαίων κοινῇ πρότερον, καὶ νυνὶ δὲ κατ' ἐμοῦ τὴν ἔχθραν ἀνῃρημένη. fol. 126. p. 2. n. x. *Oratio* Parænetica extemporanea ad Imperatricem super obitum Theolepti Episc. Philadelphiensis. Pr. Βασίλισσα, τὸ μέγα ἐν γυναιξὶ καὶ πρᾶγμα καὶ ὄνομα. Βασίλισσα, τὸ ἱερὸν τοῦ Χριστοῦ καὶ θεῖον κειμήλιον. fol. 131. p. 2. n. XI. *Epistolæ tres*, prima inscribitur τῷ Κρήτης. Pr. Ἡ μὲν δὴ βίβλος. fol. 136. p. I. nu. 13. *Oratio* funebris ad Imperatricem super obitu fratris ipsius Joannis Chumni. Pr. Ἀθληταὶ μὲν καὶ πύκται σταδιοδρόμοι. fol. 146. p. I. num. XV. *Precatio* ad Christum in ingressu in urbem Ephesinam. Pr. Ὁ Θεὸς ὁ αἰώνιος, ἡ ἀκατάλυτος ἐξουσία. fol. 150. p. 2. num. XVI. *Excerpta* ex XII. Minorum & IV. Majorum Prophetarum vaticiniis cum explicatione. Pr. Πάντων μὲν ἐγὼ θείων λόγους ἀνδρῶν. fol. 152. p. I. num. XVII. *Collectio* insignium quorundam locorum ex libro Jobi cum explicatione. Pr. Καὶ ἐγένετο ὡς ἡ ἡμέρα αὕτη καὶ ἰδοὺ ἦλθον οἱ Ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ παραστῆναι ἐνώπιον τοῦ Κυρίου. fol. 246. p. I. num. XVIII. *Epistolæ* tres fol. 278. num. XIX. hactenus Codex iste celeberrimus. Porrò in ead. *Cæsar. Bibl.* extat Gr. MS. *Oratio* in S. Theophanonem Leonis Sapientis Imp. Conjugem. Pr. Πολλοί μοι πολλάκις τῶν ἀρετῇ καὶ συνέσει διαφερόντων προσίασιν ἄλλοτε ἄλλοι παραινοῦντες καὶ συμβουλεύοντες *Cod. Theologico* CCLXXIX. num. VII. hujus meminit L. Allatius de *Symeon.* p. 107. & fragm. inde profert *diatribâ* de *Nilis*, p. 26. *Oratio* de Beatæ Virginis nativitate, præsentatione in Templo, & educatione. Pr. Ἀκούω Μωσέα τὸν μέγαν, τὸ ξένον ἐκεῖνο θαῦμα τῆς βάτου πάλαι θαυμάζεσθαι θέλοντα. *ibid. Cod. Hist.* CIV. num. I. vide Allat. de *Symeon.* p. 82. *Oratio* in Annunciationem B. Virginis. Pr. Ἐμοὶ δὲ τῶν ζωγράφων πολλάκις ἐκείνους ἐπῄει θαυμάσαι, καὶ τῶν ἀνδριαντοποιῶν *ibid.* n. ii. vide Allat. *ibid.* p. 88. *Oratio* Encomiastica prolixa & perelegans in Imp. Constantinum M. dignissima (Nesselii verbis utor) ut Supplemento Corporis Hist. Byzantinæ ali-

quando

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. quando inſeratur. *ibid.* num.. iii. *Vita* Antonii Patr. CP. Cauleæ dicti. Pr. Εἰ δὲ καὶ θνητὴν φύσιν ὁ χρόνος, καὶ πάντων ἐπὶ πατὴρ, ὁπόσα φθορὰ καὶ γένεσις βόσκει. Allat. de *Symeon.* p. 87. *Oratio* Encomiaſtica in Magnum Martyrem Mercurium. Pr. Καὶ κυβερνήτης μὲν πρὸς ἄνεμον παραταττόμενος βίον *ibid.* p. 97. De vita, moribus, & conflictu Sancti Patris Michaelis Syncelli Oratio. Pr. Νόμος οὗτος ἤνθησε πάλαι παρ' Ἕλλησι, καὶ μέγα τῷ χρόνῳ τὸ κράτος εἰλήφει. *ibid.* p. 100. meminit etiam alibi *. *Dialogus* contra Barlaamum, cui *Florentii* & περὶ σοφίας nomen dedit, plurimorum doctorum rogatu ſcriptus, in quo ſub fictis nominibus Barlaami hiſtoria latè exponitur, uti ipſe nos docet *Hiſt. Rom.* lib. X. I. p. 390. Pr. Πόθεν ἡμῖν ὁ καλὸς Φλωρέντιος διὰ χρόνου καθάρει εἰς τὸ τῶν κεκρυμμένων ἐπίνεικον. Gr. MS. in *Bibl. Reg. Gall.* Cod. 2259. *Dogmatici* quatuor adverſus Palamam cum ejuſdem hiſtoriâ, *ibid.* Cod. 1752. *Epitome* diſputationis habitæ in palatio inter Greg. Palamam & Niceph. Gregoram *ibid.* Codd. 1379. 1408. *Hiſtoria* Romanæ pars altera ſex libris comprehenſâ, *ibid.* *Cod.* 2079. *Encomium* Patriæ. Pr. Ὅτι μὲν οὐδέν. MS. *Oxon. Cod. Baroc.* 116. Quædam etiam *Aſtronomica* & *Grammatica. Epiſtolæ* etiam & *Orationes* hic illic in Bibliothecis, *Vaticanâ, Regiâ Pariſienſi, Bavaricâ*, MSS. deliteſcunt. *Epiſtolas* ad amicos, ſpeciatim ad Georg. Lapitham Cyprium, contra Eccleſiam CP. veluti lapſam & hæreticam, ſcripſiſſe teſtatur Joa. Cantacuz. *Hiſt.* lib. IV. c. 24. *Vitam* denique Joannis Heracleenſis Metropolitani Avunculi ſui ſcriptis conſignavit, teſte ſeipſo, *Hiſt. Rom.* lib. IX. p. 301. Reſtat unica adhuc *Epiſtola* nobis memoranda typis excuſa, ad Theodulum Monachum; inter Theoduli Opuſcula Gr. Lat. à Cl. Normanno edita *Upſal.* 1693. 4to.

* Diſſert. de Nilis, p. 26.

1345. H. W. THOMAS DE ARGENTINA, natione Germanus, patriâ Argentoratenſis, unde nomen traxit, Theologus Pariſienſis, Ordinis S. Auguſtini Eremita, claruit anno 1345. quo Prior Generalis Ordinis in triennium more conſueto in Conventu Pariſiis habito electus eſt V. Id. Julii. Anno 1348. in Capitulo Papienſi, atque iterum 1351. in Baſileenſi magiſtratus ei in alia triennia prorogatus eſt, uti & in Conventu Peruſino an. 1354. Obiit Viennæ anno 1357. Extant *Commentaria in* IV. *libros Magiſtri Sententiarum, Argentinæ* 1490. *Venet.* 1564. *Genuæ* 1585. & alibi edita. Cæterùm alius à noſtro fuit Thomas de Argentinâ, Ordinis Prædicatorum; qui claruit anno 1495. & ſcripſit *Sermones, Meditationes, Epiſtolas, & Quæſtiones*: de quibus Trithemius & Simlerus. Ea quidem nondum edita fuiſſe arbitror.

1347. H. W. THEOPHANES, natione Græcus, Archiepiſcopus Nicænus, claruit anno 1347. Gregorii Acindyni æqualis. Scripſit inſigne *Opus adverſus Judæos*, in duos Tomos diviſum; & *Concordiam Veteris ac Novi Teſtamenti* adverſus eoſdem: quibus fidei Chriſtianæ veritatem fusè aſtruit, & Meſſiam jamdiu adveniſſe invictè probat. Accuratam ſimul ac prolixam utriuſque Operis Analyſin exhibet Poſſevinus Apparat. Tom. 2. pag. 470. Habentur MSS. in Collegio Societatis Jeſu Romano à Fr. Turriano donata. Ejuſdem *Poëmata* quædam à Gonſalvo Poncio Latinè verſa ſunt atque evulgata *Romæ* 1590. 8°. *Epiſtola doctrinalis ad Sacerdotes ſuæ provinciæ, quodnam ſit Sacerdotis munus, & officium oſtendens*; atque *altera ad Nicanos de Chriſtiani munere*, ubi Acindyniſtarum æquè ac Judæorum conſortium fugiendum eſſe docet, aſſervantur MSS. in Bibliothecâ Vaticanâ, teſte Poſſevino Append. ad Apparat. Sacr. p. 16.

1347. H. W. RICHARDUS FITZ-RALPH, ſeu Richardus Radulphus, gente Hibernus, Patriâ Dundalkenſis, aliis tamen Anglus, Theologiæ Profeſſor in Academiâ Oxonienſi, Joannis Baconthorpii diſcipulus, Edvardo III. Angliæ Regi ſummo in precio habitus; à quo primùm Decanus Lychefeldenſis, dein anno 1333. Cancellarius Oxonienſis conſtitutus eſt. Anno 1347. Archiepiſcopus Armachanus in Hiberniâ à Clemente VI. Papâ jure proviſionis renunciatus eſt, Exoniæ à Ioanne Grandiſono Epiſcopo VIII. Id. Jul. conſecratus. Capitales ei & ante & poſt ſuſceptum Epiſcopatum cum Fraterculis Mendicantibus inimicitiæ interceſſerunt; quorum vanam ac ſuperbam paupertatem Oxonii in lecturis Theologicis falsè vellicare ſolebat, Epiſcopus verò factus acriori calamo confixit. Quin & in Angliam anno 1356. trajiciens, habitis Londini concionibus, novem contra eos concluſiones evulgavit. Fraterculi eum hæreſeos apud Pontificem confeſtim accuſant, & Avenionem citari curant. Illuc profectus, per triennium hæſit: ibique nondum finitâ lite deceſſit anno 1360. XVI. Cal. Decembris.

SÆC. XIV. ab An. MCCC.

SCRIPTA.

SErmones IV. *ad Crucem Londonienſem ann.* 1356. *habiti, atque alii de laudibus S. Deiparæ.*

Summa, ſeu libri XIX. *adverſus errores Armenorum. Pariſ.* 1612.

Defenſio Curatorum adverſus Fratres Mendicantes, ſeu Oratio coram Papâ & Cardinalibus Avenione anno 1357. habita. Prodiit *Pariſ.* 1496, 1625. 8°. 1633. & cum Rogerii de Convvay defenſione Mendicantium, adverſus Armachanum apud Goldaſtum Monarch. Tom. 2. p. 1392. Prodierunt omnia ſimul iſta Opuſcula curâ Joannis Sudoris *Pariſ.* 1511. Exceptis illis *de laudibus Deiparæ*, & *Defenſorio Curatorum*, à ſe dicit Sudorius, propterea quod antea impreſſum fuerit.

Sermonum Liber MS. extitit penès Cl. Waræum *, & in Bibliothecâ Collegii Novi Oxon. vol. 82. Codex Waræanus penès Cl. Teniſonum nunc aſſervatur, continetque innumeros ferè Sermones de Tempore & Sanctis, ab anno 1345. ad 1351. habitos. Voluminis calci adnectuntur, præter orationem præcedentem, *Propoſitio* ex parte Regis Angliæ in Conſiſtorio pro gratiâ Jubilæi Anglis obtinendâ anno 1344. menſe Auguſto. *Propoſitio* ex parte Prælatorum & omnium Curatorum totius Eccleſiæ coram Papa in Conſiſtorio anno 1350. die V. Julii adverſus Ordines Mendicantes. *Reſponſio* ad objectiones Mendicantium. *Informationes & motiva.* Domini Armachani ſuper declaratione de illâ extravagante Joanninâ. *Vas Electionis.*

*Comment. de Præſul. Hibern. p. 21.

Commentarius in Sententias. MS. in Bibl. Orialenſi Oxon. vol. 6.

Novum Chriſti Teſtamentum Hibernicè converſum ab Armachano in quodam Eccleſiæ ſuæ muro paulò ante mortem occultatum ac tandem anno 1530. repertum eſſe memorat Baleus †, qui verſionem ab ipſomet Armachano confectam eſſe non malè conjicit. Integrum enim Bibliorum Codicem ab eodem Hibernicè converſum in Hiberniâ ſæculo poſtremo ſuperfuiſſe fidem facit Joannes Foxus *. Plurimaque hujuſmodi Bibliorum fragmenta in Hiberniâ paſſim extare prodit digniſſimus Armachani ſucceſſor Cl. Uſſerius in Hiſtoriæ Dogmaticæ Controverſiarum inter Orthodoxos & Pontificios Specimine MS. quod Reverendiſſimi in Chriſto Patris ac Domini, Gulielmi Archiepiſcopi Cantuarienſis favore penès me aſſervatur.

† Cent. 14. cap. 97.

* Martyrolog. Anglic. Tom. 1. p. 381.

Plura alia recenſent Wareus *, & Baleus †. Manuſcripta, quæ extant, dabit Jameſius Eclog. par. 2. p. 9.

* De Script. Hibern. l. 1. c. 10.

† Cent. 5. c. 54. Cent. 14. cap. 97.

1347. R. G. THOMAS CHESTERFIELD aliàs CHESTER-

SÆC. XIV. ab An. MCCC. CHESTERTON, Ecclesiæ Lichfeldiensis apud Anglos Canonicus, claruit an. MCCCXLVII. Seriem Episcoporum Coventrensium & Lichfeldensium contexuit, & historiam Ecclesiæ à primâ ejus fundatione sub Oswio Merciorum & Northanumbranorum Rege an. DCLVI. ad sua tempora perduxit. Eam ex Codice Cottoniano cum quatuor MSS. collatam in lucem produxit Cl. Whartonus *Angl. Sacr.* T. I. p. 423. cui additamenta quædam & continuationem ab anno MCCCLVII. ad annum MDLIX. curâ Gulielmi Whitlock (qui & ipse etiam Canonicus fuit Lichfeldiensis) concinnata subjunxit editor; varias etiam lectiones oræ cujusvis paginæ applicuit, & suas annotationes ad imum adjecit.

1347. R.G. JOANNES THORESBEIUS, gente Anglus, Archiepiscopus Eboracensis, claruit sub Edvardo II. Rege, anno MCCCXLVII. literarum tyrocinia in inclytâ Academiâ Oxoniensi posuit, Jurique Civili & Theologiæ operam dedit, in quibus tantos fecit progressus, ut in summos tùm Ecclesiæ tùm Reipublicæ honores aditum sibi patefecit; primò Episcopus Menevensis Anno MCCCXLVII. deinde Wigorniensis factus, ac summus Regni Cancellarius anno MCCCXLIX. demum Metropolitanus Eboracensis ac Angliæ Primas anno MCCCLII. S. R. E. etiam Cardinalis titulo S. Sabinæ ab Urbano Papâ V. constitutus, si Balæo fides, cùm amplissimo Cancellariatûs munere septem annos fideliter functus esset, quò majorem Provinciæ curam gereret, rebusque Ecclesiæ unicè vacaret, anno MCCCLVI. loco cessit, & sigillum Regi ægrè annuenti resignavit: omnes deinde optimi Antistitis partes implevit, Clerum contra importunos Fratrum Mendicantium insultus strenuè propugnavit, rixas inter cives Eboracenses & Monachos B. Mariæ suo consilio sedavit; litesque inter sedem Cantuariensem & Eboracensem, circa Crucem gestandam, toties vexatas, composuit denuò, ac penitùs extinxit. Cùmque Ecclesiæ Metropoliticæ annos supra 24. præfuisset, corpus sepulturæ, animam Domino reddidit anno MCCCLXXIII. Scripta alia latinâ, alia vernaculâ linguâ exarata edidit, Pastorale, sive Injunctiones Clericis sibi subjectis, Angl. MS. in Bibl. Lambethanâ; excerpta nonnulla exhibet Cl. Whartonus ad *Usserii Hist. Dogmat. de SS. Script. Append.* pag. 430. De vulgi institutione Commentarium, linguâ vernaculâ scriptum; MS. penes Godwinum fuit. Contra Monachos Mendicantes Processum latinè, vide Balæum Cent. 6. p. 493.

1348. H. W. IOANNES HONSEMIUS, aliis HOXSEMIUS, natione Belga, Hutgardiæ in Provinciâ Leodiensi natus, Philosophiæ & Iurisprudentiæ scientias, quas in Academiis Gallicis hauserat, in Patria publicè professus est, Ecclesiæ Leodiensis S. Lamberti Canonicus & Scholasticus factus. Claruit anno 1348. pro tuendâ Ecclesiæ suæ ditione ad Pontificem Romanum, Galliæ Regem, & Brabantiæ Ducem sæpiùs legatus. *Historiam & res gestas Episcoporum Leodicensium*, ab Ægidio Aureæ Vallis Monacho Cisterciensi superioris sæculi literis consignatam, ipse ab anno 1247. quo desiit Ægidius, ad annum 1348. produxit. Utriusque Historiam inter ejusdem argumenti Scriptores alios evulgavit Ioannes Chapillus Leodii 1613.

1348. H. W. THOMAS BRADWARDINUS, natione Anglus, Hatfeldiæ in agro Suffolciensi (sic Godvinus †). Hartfeldiæ in Diœcesi Cicestriensi (sic Baleus *, cui potiùs assentirem) natus, *Doctor Profundus* appellatus, Oxonii in Collegio Mertonensi educatus, ubi Procuratoris munere anno 1325. fungebatur, posteà Theologiæ Doctoratu insignitus. In Aulam à Ioanne Stratfordo Archiepiscopo Cantuariensi accitus Edvardi III. Regis confessionibus præfectus est, Canonicatu Lincolniensi, & Cancellariatu Ecclesiæ Cathedralis Paulinæ Londinensis donatus. Confessionibus regiis admotus, Regem per Galliam arma victricia circumferentem secutus est; vitæ sanctimoniâ & puritate adeò ubique conspicuus, ut non defuerint, qui insignes Edvardi victorias hujus potiùs precibus ac pietati, quàm militum fortitudini, & ducis solertiæ acceptas referant. Anno 1348. mortuo Stratfordo Archiepiscopus Cantuariensis à Capitulo Cantuariensi electus est, Rege tamen ac Pontifice Ioannem Uffordum præponentibus, dignitate quidem tunc temporis excidit: Uffordo verò mense Junio ante consecrationem defuncto, à Capitulo iterum electus est, à Rege simul ac Pontifice confirmatus, & à Bertrando Cardinale Avenione consecratus. In Angliam redux, vix quadraginta diebus consecrationi suæ superstes Londini obiit, Cantuariæ nondum inthronizatus.

† Com. de Præsul. Angl. part. I p. 160.
* Cent. 5. cap. 87.

SCRIPTA.

De Causâ Dei & de veritate Causarum contra Pelagium libri* 3. quos ex Prælectionibus Oxonii habitis Mertonensium suorum rogatu Cancellarius jam Londinensis digessit. Prodierunt cura Cl. Henrici Savilii *Londini*, 1618. f.

Geometrica Speculativa, *Paris.* 1530. *Arithmetica Speculativa*, *Paris.* 1502. utraque simul *Paris.* 1512.

Tractatus Proportionum. Venet. 1505.

Plura alia Bradvvardini Opera inedita recenset Baleus Cent. v. cap. 87. & Altamura Biblioth. Prædicat. pag. 133. 489. qui eum Dominicanum fuisse somniat.

JOANNES VITODURANUS, Monachus Ordinis Fratrum Minorum in cœnobio S. Montis prope Vitodurum, claruit anno MCCCXLVIII. Ut rerum suo tempore gestarum notitia ad seros usque nepotes pertingeret, *Chronicon* sive *Historiam* suorum temporum conscripsit, quod ab anno MCCXV. ad annum MCCCXLVIII. produxit. Opus supradictum laudat ex Goldasto Reverendiss. Usserius de *Christ. Eccl. Success.* c. 7. p. 190. eoque usi sunt in Historiis suis condendis H. Bullingerus & Jo. Simlerus, idem citat Jo. H. Hottingerus *dissert. de Methodo legendi Hist. Helvet.* passim. Extat MS. in Bibl. S. Galli in Helvetiâ ipsum αὐτόγραφον. 1348. R.G.

DAVIDES MONACHUS, natione Græcus, patriâ, ni fallor, Thessalonicensis, circa ann. MCCCXLVIII. claruisse videtur, quando contentio inter Barlaamum, cui Acindynus astipulatus est, & Monachos Thessalonicenses maximè fervescebat, quæ Concilio CP. anno MCCCL. habito, consopita est; scripsit *Compendiariam & perspicuam declarationem hæreseos Barlaami & Acindyni*: cujus titulus & principium Τοῦ τιμιωτάτου ἐν μοναχοῖς κυροῦ Δαβὶδ σύντομος καὶ σαφὴς δήλωσις περὶ τῆς τοῦ Βαρλαὰμ καὶ Ἀκινδύνου αἱρέσεως. Ὁ Βαρλαὰμ ἑλληνικοῖς προσκείμενος δόγμασιν, ἐνόμιζε μηδὲν ἄλλο φῶς εἶναι θεῖον, &c. Extat Græcè MS. *Biblioth. Vindob. Cod. Theolog.* CCX. num. XVI. & in *Biblioth. Augustanâ*, * *Subsell.* II. num. XXIII. Hujus excerpta quædam breviuscula habentur apud L. Allatium de *Consens.* l. II. c. 17. 2. *Sect.* 2. col. 838. ampliora apud Gretserum in *Annotat.* ad *Cantacuzen.* pag. 928. 929. Notandum est in *Bibl. Regis Gallorum*, Cod. 691. exphemiis Barlaami & Acindyni ad Nicolaum Cabasilam, cujus meminit Cl. Cangius *Gloss. Med. Lat.* 1348. R.G.

* Reiseri Index MSS. Bibl. August. p. 27.

v. Dissi-

SÆC. XIV. ab An. MCCC. v. *Dissipatus*: eundem esse auctorem, idem prorsus opus, verisimillimum est.

1350. H. W. FRANCISCUS PETRARCHA, gente Italus, Aretii in Tusciâ, vel, ut alii habent, Ancisæ agri Florentini; majorum Petrarchæ sedis, Patre Florentino exule natus anno 1304. die xx. Julii. Avenione & Carpentoracti in Galliâ liberalibus disciplinis institutus est, Dante Aligerio Præceptore usus. Juris studio per quinquennium Montispessulani, per triennium Bononiæ incubuit. Anno 1327. sublato è vivis Patre, qui ad juris scientiam excolendam illum ferè invitum adegerat, Bononiâ Avenionem rediit. A Joanne Cardinale Columna inter domesticos ascitus, Galliam & Italiam peragravit. Mox amœnam quandam Galliæ vallem, quam incolæ Clausam vocant, decimo quinto lapide ab Avenione remotam, studiis suis sedem delegit. Sede privatâ delitescens, famâ tamen nequaquam delituit vir ingenio, eloquentiâ, facultate Poëticâ, & ignotâ tot sæculis Latinæ linguæ elegantiâ sæculi sui Princeps: nec minùs pius quàm doctus, qui solutos ævi sui, & inprimis Aulæ Romanæ, mores acri calamo flagellavit. Nondum annos 36. natus, Romam & Lutetiam uno eodemque die ad lauream accipiendam evocatus est. Romam profectus, anno 1341. die Resurrectionis Dominicæ, Id. April. in Capitolio adstante Senatu ingentique Procerum Romanorum & advenarum catervâ ab Urso Senatore laureâ redimitus est: Clausam repetiturus Ecclesiæ Parmensis Archidiaconatum dono accepit. Latibulo demum Gallico egressus, ac plura loca circumvagatus, jam senex Patavinum Canonicum egit. Cardinalis etiam à Benedicto XII. creandus, nisi sororis suæ virginis elegantissimæ, stuprum Pontifici denegâsset: sint licèt, qui Petrarchæ nullam fuisse sororem contendant. Claruit anno 1350. Summis Orbis Christiani Principibus, qui ab eloquenti Petrarchæ Musâ celebrari certatim ambiebant, præcharissimus, Arquatæ in agro Patavino consenuit, ibique tandem apoplexiâ correptus obiit anno 1374. die XIV. Iulii septuagenario unico die minor; insigni pompâ elatus, & magnifico sepulchro conditus. Unicum de eo Erasmi elogium apponam. *Reflorescentis*, inquit, * *eloquentiæ Princeps apud Italos videtur fuisse Franciscus Petrarcha, suâ ætate celebris ac magnus: nunc vix est in manibus: ingenium ardens, magna rerum cognitio; nec mediocris eloquendi vis. Est tamen in eo ubi desideres linguæ Latinæ peritiam, & tota dictio resipit sæculi prioris horrorem.*

* Ciceronian.

OPERA.

D*E Vitâ Solitariâ libri* II.

De Remediis utriusque fortunæ libri II. quos antequàm castrentur, legi prohibet Index Romanus. Prodierunt seorsim *Lugduni* 1577. 8°.

De otio Religiosorum libri II.

De verâ sapientiâ Dialogorum libri II.

De contemptu mundi sive Secretorum Dialogi III.

Psalmi Pœnitentiales VII.

De republicâ optimè administrandâ liber.

De officio & virtutibus Imperatoris liber.

Rerum memorandarum libri IV.

Epitome vitarum virorum illustrium. Prodiit cum præcedente Opere *Basil.* 1563.

De pacificandâ Italiâ exhortatio.

Ad veteres Rom. Reip. defensores oratio.

De libertate capessenda hortatoria.

De obedientiâ & fide uxoriâ.

De Avaritiâ vitandâ Oratio.

Itinerarium Syriacum.

De rebus familiaribus Epistolarum libri VIII.

Epistolarum ad quosdam ex veterib⁹ illustriorū liber.

Epistolarum sine titulo liber.

De rebus senilibus & familiaribus Epistolarum libri XVI.

Epistolarum variarum liber. Ex Epistolis Petrarchæ, XV. quæ de Iuribus Imperii Romani contra Papam agunt, habentur apud Goldastum Monarch. Tom. 2. p. 1345. & seorsim prodierunt *Argentinæ* 1555. 4°.

De sui ipsius & aliorum ignorantia liber. Prodiit seorsim *Genevæ* 1609. 12°.

Apologia contra Gallum.

Invectivarum contra Medicum quendam libri IV.

De laureâ sumendâ consolatoria Epistola libris V.

Bucolicorum Ecloga XII. *Basil.* 1546. 8°.

Africa, sive de Bello Punico libri IV. 1570. 4°.

Epistolarum metricarum libri III.

Testamentum.

Poëmata plurima linguâ Thuscâ, quæ ob amorem Lauræ juvenis adhuc lusit. *Venet.* 1515, 1545. 4°. 1553. 4°. 1596. 8°. *Lugduni* 1550. 16°.

Prodierunt omnia Petrarchæ Opera in IV. Tomos distincta *Basil.* 1554, 1581. Prodierunt antea ex iis multa *ibid.* 1496. f.

Itinerarium ad sepulchrum Domini. MS. in Bibliotheca Collegii Novi Oxon. cod. 181. num. 3. *Tractatus de Florentia*, MS. in Bibl. Magdalenensi Oxon. cod. 152. *De Gualtero Marchione & Gryseldâ ejus uxore liber*, MS. in Bibliotheca S. Benedicti Cantab. cod. 4. 85.

Liber de Vitis Cæsarum & Pontificum Romanorum usque ad sua tempora, atque *alius de Herculum numero*, habentur MSS. in Bibliotheca Vaticana. Prior prodiit Italicè *Venet.* 1534. 8°.

Liber de Casibus virorum illustrium, & Epistolarum familiarium libri XV. nondum editi, extant MSS. in Bibliothecâ Colbertinâ, teste Oudino Supplem. p. 620.

Ars Punctuandi, MS. in Bibliotheca Augustana. Index MSS. Bibl. August. p. 50.

Plura de Petrarcha, ejusque Scriptis, Lectorem affatim edocebit Jac. Philippus Thomasinus, Episcopus Æmoniensis, in Petrarcha redivivo, *Patavii* secunda vice edito 1650.

JOANNES BECANUS, sive *de* BEKA, natione Belga, Ecclesiæ Ultrajectinæ Canonicus, claruit anno 1350. Scripsit, ad Gulielmum Hollandiæ Comitem, *Chronicon Ecclesiæ & Episcoporum Ultrajectensium, Comitumque Hollandiæ*, à temporibus S. Willibrordi, primi Episcopi, usque ad annum 1346. Continuavit id ad annum 1524. Gulielmus Hedam, Decanus Harlemensis, & Præpositus Arnhemiensis. Prodiit cum Hedami Continuatione, & Bernardi Furmerii notis, *Franeckeræ* 1611. 4°. sed multis mendis scatet hæc editio. Auctior ac longè emendatior est, quæ cum Arnoldi Buchellii notis historicis, & duplici Appendice Lamb. Hortensii & Suffridi Petri, prodiit *Ultrajecti* 1643. f. 1350. H. W.

ALBERICUS DE ROSATE, sive *Roxiati*, à patriâ *Bergomensis* vulgò appellatus, Juris Pontificii Doctor. Claruit anno 1350. Extat *Commentarius in librum sextum Decretalium, & de statutis libri* IV. inter tractatus illustrium Jurisconsultorum *Venet.* 1584. item *Dictionarium Iuris Civilis & Canonici, Venet.* 1573, 1601. 1350. H. W.

Tractatus de Testibus in Tractatu Tractatuum vol. 5. f. 176. & alter *de Præpositionibus* ibid. vol. 1. f. 334.

NICOLAUS CABASILAS, Nili Cabasilæ Thessalonicensis, aliorumque duorum Archiepiscoporum ex sorore nepos, primùm quidem Sacellii Curator; quo munere perfungens, missus est à Joanne 1350. H. W.

SÆC. XIV. ab An. MCCC. Joanne Patriarcha CP. anno circiter 1346. ad Cantacuzenum Imp. ut imperium deponere ei persuaderet. Anno 1347. a Cantacuzeno Constantinopolim recens expugnatam ingresso ad Annam Imperatricem in Palatium legatus est; ut pacis conditiones ei à victore latas proponeret. Mortuo demum Nilo patruo, ei in sede Thessalonicensi successit. Claruit anno 1350. Scriptor sanè doctissimus, Latinorum verò hostis acerrimus. De tempore obitus silent Autores.

SCRIPTA.

Liturgiæ Expositio, seu *Compendiosa interpretatio in Divinum Officium*. Extat Gr. Lat. in Auctario Patrum *Paris.* 1624. Tom. 2. pagin. 200. Latinè prodierat *Venet.* 1545. *Antverp.* 1560.

De Vita in Christo libri VI. in quibus præcipuè agitur de vi & virtute trium Sacramentorum, Baptismi, Confirmationis & Eucharistiæ. Latinè eos vertit, & cum Philippi Solitarii Dioptrâ, & Gretseri notis edidit Iac. Pontanus *Ingolstad.* 1604. 4°.

Oratio contra Fœneratores, Lat. à Pontano edita *ibidem*. Prodiit eadem Græcè, mutila *Augustæ-Vindel.* integra cum Oratione S. Epiphanii in sepulturam Christi, *Samoscii* 1604. 4°.

Habentur omnia Nicolai Opera hactenus recensita Latinè Bibliothecâ Patrum Tom. XXVI.

Encomium S. Theodoræ viduæ. Gr. Lat. apud Henschenium April. V.

Commentarius in librum tertium magnæ Constructionis Ptolomæi. Prodiit *Basil.* 1530.

Index MSS. Bibl. Auguft. p. 89. *Schemata quædam Astrologica* habentur MSS. in Bibliotheca Augustana.

Observationum in visionem IV. *animalium Ezechielis liber*, extat Gr. MS. in Bibliotheca Vaticana.

Librum Nicolai *De Processione Sp. S. adversus Latinos*, aliumque ejusdem argumenti *contra Thomam Aquinatem* memorat Leo Allatius de Consensu lib. 2. cap. 18. §. 9. qui plura alia ejusdem Opuscula MSS. recenset Dissert. de Nilis pag. 55.

1350. H.W. JOANNES THAULERUS, natione Germanus, Ordinis Dominicani in Conventu Coloniensi Monachus. Vixit circa an. 1350. & Argentorati pariter ac Coloniæ concionibus inclaruit. Scripsit vernaculo sermone Opuscula complura, pietati & devotioni inservientia: difficillimis sententiarum ambagibus & obscuro stylo, recepto mysticorum Theologorum more, usus. Scriptorum illius præcipua ex Germano idiomate in Latinum vertit Laurentius Surius, atque edidit ordine sequenti.

Conciones de tempore.

Conciones de Sanctis. Utræque simul prodierunt *Lugduni* 1557.

De veris virtutibus, & institutionibus divinis, seorsim *Colon.* 1587.

Epistolæ piæ.

Prophetia de plagis nostri temporis.

Cantica spiritualia animæ Deum amantis.

De novem rupibus, sive gradibus Christianæ perfectionis.

Speculum lucidissimum, & exemplar D. N. Iesu Christi.

Convivium M. Echardi jucundum & pium.

Colloquium Theologi & Mendici.

Oratio fidelis præparatoria ad mortem.

Præparationes V. *notabiles ad mortem fœlicem.*

De X. cæcitatibus, & XIV. *divini amoris radicibus libellus.*

Quæ quidem omnia, exceptis Sermonibus, non tam Thauleri sunt Opera, quàm ex Thauleri aliorumque Scriptis contexta. Utcunque sub Thauleri nomine prodierunt, *Colon.* 1548. 8°. 1603. 1615. 4°. SÆC. XIV. ab an. MCCC.

NICOLAUS CABASILAS CHAMAETAS, Archiepiscopus Thessalonicensis, quem nonnulli cum Nilo Avunculo suo & in eadem sede decessore male confundunt, claruit anno MCCCL. Vir extra invidiæ aleam doctus, plurimos ingenii sui fœtus edidit, quibus immortale apud posteros nomen obtinuit; cùm tamen Latinorum placita multo acumine expugnaverit, ex scriptis ejus pauca admodum in lucem prodierunt, plura tenebris damnata in Bibliothecarum claustris adhuc constringuntur suntque hujusmodi; De *Vita* in Christo libri septem: horum sex à Pontano Latinè editi; de septimo altum silentium: septimus autem unà cum sex prioribus eo ipso ordine quo editi sunt, extat Gr. MS. in *Biblioth. Cæsareâ Vindob. Cod. Theol.* CCLXII. n. XXIX. à fol. 244. p. 1. ad fol. 341. p. 1. titulus & Principium Septimi sic se habent. Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ζωῆς λόγος ζ. ὁποῖος γίνεται ὁ μεμνημένος τὴν ἀπὸ τῶν μυστηρίων χάριν φυλάξας τῇ παρ' ἑαυτοῦ σπουδῇ. Ἐπεὶ δὲ εἴρηται τίς γίνεται ὁ μυηθεὶς καί τινα τὴν ὁδὸν ἐλθών. Septem etiam libri in *Bibl. Regis Gallorum*, Cod. 1759. extare dicuntur. Ex IV. prioribus fragmenta quædam Græcè profert L. Allatius *adversus Creighton*, pag. 422. 423. 424. 531. & Petrus Arcudius *de Concordia* passim. *Expositio* in visionem Prophetæ Ezechielis de quatuor animalibus. Pr. Πᾶσα προφητεία καὶ θεωρία καὶ ὅρασις. Expositio in visionem alteram ejusdem Prophetæ de ossibus aridis. Pr. Τὴν τοῦ Θεοῦ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους ἐπιδημίαν. Extant Gr. MSS. in *Bibl. Vind. Cod. Theol.* CCX. n. V. VI. à fol. 104. p. 1. ad fol. 117. p. 2. iterumque ibid. Cod. CCLXII. n. IX. X. ubi etiam habetur *Expositio* tertia in Ezechielis Prophetæ visionem. Pr. Πᾶσα προφητεία καὶ ὅρασις εἰκόνες ἦσαν τῆς τοῦ Σωτῆρος ἐπιδημίας, num. XI. *Precatio* ad Christum τὸν μονογενῆ τοῦ Θεοῦ Υἱὸν καὶ λόγον. Pr. Ὑμνοῦμέν σε, δοξολογοῦμέν σε, *ibidem*. Cod. CCLXII. num. XIX. *Responsio* ad interrogationem, *Quis sit finis Incarnationis Dominicæ?* Pr. Εἰ καὶ φιλόχρυσοι καὶ φιλόδουλοι ἄνθρωποι. MS. *ibid.* Cod. CCCXV. num. XXII. habetur etiam in *Bibliothecâ Vaticanâ*. *Expositio* verborum Sancti Gregorii Nazianzeni, Ὦ τῆς καινῆς μίξεως, ὦ τῆς παραδόξου κράσεως (quæ habentur Oratione 38. Tomo I. Operum Gr. Lat. edit. Paris. p. 620.) Pr. Ἐρωτᾷς ὦ φίλον ἄριστε, τί ἐστιν ἐκεῖνο ὅ φησιν ὁ ἐν θεολογίᾳ μέγας Γρηγόριος, Ὦ τῆς Καινῆς, κ. λ. --- Καὶ βούλει μαθεῖν τίς ἡ τῶν ῥημάτων τούτων, δύναμις· ἰδού σοι. MS. *ibidem* num. XXIII. *Explicatio* duplex sacrarum vestium in divinâ Liturgiâ usitatarum habetur, *ibid. Cod. Hist. Eccl.* XXXIV. num. XXXVI. videtur esse Appendix quædam ad opus Liturgicum, verùm in editis non comparet. Orationes variæ *In Christi* salutares passiones. Pr. Ἄκουε, οὐρανὲ, καὶ ὁ τῶν Ἀγγέλων ἅπας κύκλος. Gr. MS. *ibid. Cod. Theol.* CCX. n. iii. & iterum *Cod.* CCLXII. n. IV. hujus meminit L. Allat. de *Simeon.* p. 82. & fragm. exinde profert *adversus Creighton.* p. 425. *Oratio* in Ascensionem Christi. Pr. Αἱ χάριτες μὲν ἀπὸ τῶν προτέρων χρόνων ἐξ οὐρανοῦ. MS. *ibid.* n. IV. item *Cod.* CCLXII. n. V. Allat. de *Simeon.* p. 82. *In nativitatem* B. Mariæ Virginis. Pr. Καὶ πρώτην μὲν τὸν Θεὸν ἐνταῦθα καλοῦμεν. MS. *ibid.* n. vii. iterum *Cod.* CCLXII. n. I. uti & *Bibl. Regis Gallorum* Cod. 1759. Allat. *ibid.* p. 97. *In Annunciationem* B. Mariæ Virginis. Pr. Εἴποτε δεῖ χαίρειν ἄνθρωπον καὶ σκιρτᾶν. MS. *ibid.* n. viii. iterúmque *Cod.* CCLXII. n. iii. & in *Codd. Reg. Paris.* 1379. 1759. Allat. *ibid.* p. 88. *In Obitum* & assumptionem B. Mariæ Virginis. Pr. Τοῦ νῦν ἀγῶνος ὡς οὐδὲν ἂν γένοιτο μεῖζον. MS. *ibid.* Cod. CCLXII. n. VI. & in *Reg. Paris.* Cod. 1379. In *S. Martyrem* Demetrium Pr. Πολλῶν ὄντων καὶ μεγάλων, οὐ μενοῦν οὐδὲ συνιδεῖν ῥᾴδιον: MS. *ibid.* n. vii. & in 1350. R.G.

Reg.

Digitized by Google

Reg. Parif. Cod. 1759. Allat. *ibid.* p. 107. fragmentum hujus Orationis Græcè apud eundem *adversùs Hottinger.* p. 203. Ad eundem *Demetrium Allocutio.* Pr. Ὀυδὲν ὄιμαι τῶν ἀτόπων, ὦ Μαρτύρων ἀκρότης. MS. *ibid.* n. xv. & in *Reg. Parif.* Cod. 1759. In *S. Andream* jun. qui Martyrium consummavit Hierosolymis. Pr. Ἐγὼ δέ σε πῶς ἂν εἴποις ἐρῶν ὦ Χριστοῦ μάρτυς Ἀνδρέα. MS. *ibid.* n. xii. & in *Reg. Parif.* Cod. eodem. In S. *Nicolaum* Episcopum Myrensem Myroblytum Pr. Ἐπεὶ δὲ πάντα ἀπήντησεν ἡμῖν παρά σου ὦ ποιμένων ἄριστε. MS. *ibid.* n. ii. In *tres SS. Patres, Basilium M. Gregorium Theologum, & Joannem Chrysostomum.* Pr. Οἶμαι γε τῶν ἐννομωτάτων καὶ δικαιοτάτων εἶναι, τὸ γινομένην τοῖς πατράσι πᾶσαν νέμειν τιμήν. MS. *ibid.* n. xiv. Eximios hosce tres Patres ex recentioribus Græcis alii etiam suis Orationibus junctim collaudarunt, e. g. Joannes Euchaitarum Metropolita, Philotheus Patriarcha CP. Matthæus Camariota, Theodorus Metochita, & forsan alii; unde mirari liceat quid Phil. Labbæo, viro doctissimo & in his studiis satis exercitato, in mentem venerit, orationem prædictam Cabasilæ abjudicare, & Philotheo adscribere, de *Scriptor. Eccl.* T. II. p. 115. cum ista Philothei à Pontano primùm Gr. Lat. edita ab hâc omninò diversa sit. *Oratio* Encomiastica in Imperatorem. Pr. Ἄτοπόν τι νομίζω καὶ τῆς μεγίστης ἀγνωμοσύνης. MS. *ibid.* n. xxx. & *Reg. Parif.* Cod. 1759. *Oratio* Encomiastica ad Imperatricem Annam Palæologinam. Pr. Νόμος μὲν ἅπασιν Ἕλλησιν ἔκειτο ἀπαρχὰς τῶν καρπῶν ἄγειν Ἀθήναζε. MS. *ibid.* n. xxxiii. *Oratio* ad Imperatricem de Usurâ, ab editâ prorsus alia; Pr. Πολλαχόθεν ἐπιδειξαμένη τῶν ἔργων ὦ μεγίστη βασίλισσα, τοῦ καλοῦ καὶ δικαίου. MS. *ibid.* n. xxiv. *Oratio* ad Athenienses de *Arâ* apud ipsos *Misericordia.* Pr. Ἥκω νῦν ὦ Ἀθηναῖοι συμβουλεύσων ὑπὲρ τῶν νόμων καὶ τῶν δικαίων ὑμῖν. MS. *ibid.* numero xxv. *Libellus* de Magistratuum Civilium iniquis ausis circa res sacras. Pr. Τοὺς μὲν πονηροὺς τῶν ἀρχόντων. MS. *ibidem. Cod. Theol.* CCLXII. numero xxii. à fol. 344. ad fol. 369. & in *Bibl. Reg. Parif.* Cod. 1759. *Interpretationes* in Acta Conciliorum & SS. Patrum Canones, Extant Gr. MSS. in *Bibl. Regis Gall.* Cod. 940. cum Balsamone, Zonarâ, &c. *Protheoria* operis cujusdam Avunculi sui Nili Cabasilæ adversùs Latinos, à L. Allat. edita *Differt. de Nilis*, pag. 50, 51. *Epitaphium* Avunculi sui suprà memorati tumulo inscriptum; versibus Heroicis conceptum, cum duodecim aliis eodem carmine, Gr. MS. *Bibl. Vind. Cod. Theol.* CCLXII. num. XXIX. *Canon* Iambicus cum scholiis in Fest. Theophaniæ: alter in S. Pentecosten: horum meminit Allat. *de Nilis*, pag. 56. Philosophica demum nonnulla; contra *Scepticos*, contra *Niceph. Greg.* de *Rhetorica*; de *Syllogismis*, &c. *Epistolæ* numero sedecim, quibus, si in lucem prodirent, Historiam Byzantinam illustratam iri confidimus, extant MSS. in uberrimâ istâ *Cæsareâ Bibliothecâ*, Cod. CCLXII. toties memorato.

1350. H. W. ROGERUS CONNOVIUS, seu de *Convvay*, gente Anglus, Patriâ Cambro-britannus, ex Connovio antiquissimo oppido littorali originem & cognomen sortitus. Juvenis adhuc in Familiam Franciscanam adscitus, ad Academiam Oxoniensem à consodalibus Minoritis missus est. Theologiam ac Philosophiam Scholasticam probè edoctus, infulas Doctorales & egregiam eruditionis famam retulit. Quo nomine primarius Theologiæ professor, ac demum totius Angliæ Minister Provincialis à suis constitutus est. Claruit anno 1350. Ingens tunc temporis inter Clerum Secularem atque Ordines Mendicantes exardescebat controversia de Confessionibus audiendis, aliisque Pastoris muneribus obeundis, quæ Mendicantes conculcatâ Canonum authoritate sibi passim arripuerunt. Cleri causam egit Richardus Archiepiscopus Armachanus. Pro Mendicantibus in arenam descendit Rogerus noster, qui *de Confessionibus per Regulares audiendis contra informationes Armachani librum* edidit. Prodiit is unà cum Armachani opere *Parif.* 1496, 1511. & apud Goldastum Monarch. Tom. 2. pagin. 1392. Ejusdem *Quæstiones* 3. *de Christi paupertate & dominio temporali* MSS. penès Waddingum extiterunt. Reliqua illius Scripta enumerant Baleus Cent. VI. cap. 7. & Waddingus de Scriptor. Ord. Minor. pagin. 312. Cæterùm Rogerus Londini obiit anno 1360. in Cœnobio Minoritarum sepultus.

JOANNES BOCCACIUS, gente Italus, patriâ Florentinus, claruit anno MCCCL. Fr. Petrarchæ auditor & æmulus: Certaldum ad Arni ripam oppidum natale habuit, in lucem editus Anno MCCCXIV. Ingenio erat prompto & facundo, ab ipsis propè incunabulis assiduus Musarum cultor & pedissequa; inde ei lepores, inde venustates, inde tot veneres & cupidines, quibus scatent undique & luxuriant ejus lucubrationes; severioribus etiam studiis & politiori literaturæ animum adjecit. Renascentes in Italiâ bonas literas inter alios sui temporis fovit, Sermonem vernaculum unicus perpolivit: Annorum tandem ac famæ satur ex hac vitâ migravit Anno MCCCLXXV. ætatis LXII. in Templo maximo Certaldi honorificè tumulatus. Multos ingenii fœtus edidit; Extant *de Genealogia Deorum* libri XV. Hugonis Hierosol. & Cypri Regis mandato scripti; prodiit hoc opus Venet. 1473, 1497. *fol.* Vincent. 1478. & cum notis Jac. Mycilli Basil. 1532. *De Claris Mulieribus* liber, Joannæ Siciliæ Regis Filiæ gratiâ susceptus. Lovanii 1487. *fol.* Bernæ Helvetiorum 1539. *De casibus virorum illustrium*, Parif.------*fol.* Aug. Vind. 1544. *Historia Constantinopoleos.* Tres posteriores tractatus habentur MSS. in *Bibl. Lugduno-Batavâ*, numero XXIV. *Historiæ Romanæ compendium*, Col. Agrip. 1534. 8°. *De Montium, sylvarum, fontium, lacuum, fluviorum, stagnorum, & marium nominibus*, Basil. 1532. *Vita Dantis Aligerii* Poëtæ Florentini, Italico sermone scripta, Florent. 1576. 8°. Romæ 1644. *Decamero* dialogus festivus Italicè etiam scriptus, anno 1348. peste undique grassante, Venet. 1549. 4°. plures id genus *Novellas* confinxit: Fertur etiam de *Hæresibus Bohemorum*, & de *bello Florentinorum* historiam contexuisse, utrùm autem extent non reperi. 1350. R. G.

INNOCENTIUS VI. *Stephanus* anteà appellatus, gente Gallus, Patriâ Lemovicensis, Alberti filius, Juris utriusque Doctor, primùm causarum Auditor in Palatio Apostolico, dein Noviodunensis, posteà Claromontanus Episcopus, Pœnitentiarius major & Cardinalis Episcopus Ostiensis, demum anno 1352. Pontifex Romanus Avenione electus die XVIII. coronatus XXX. Decembr. Anno 1355. Carolum IV. Imp. Italiam cum exercitu ingressum Romæ à Cardinalibus coronari permisit; eâ tamen lege, ut Urbem pedes intraret, datoque juramento promitteret, Italiam sese mox deserturum, nec rediturum deinceps donec à Pontifice accerseretur. Conditiones non aspernatus est vecors Imperator, juramentum præstitit, & ambitioni Pontificiæ Imperii majestatem submisit. Anno 1359. Innocentius primus omnium Pontificum à Romanis impetravit, ut sibi Senatorem ipsis præficere liceret. Obiit Avenione anno 1362. die XII. Septembr. Villanovæ apud Carthusianos sepultus. Extant *Epistolæ* 2. de celebrandis Festis S. Augustini & S. Edvvardi Regis in Angliâ, Concil. Tom. XI. pag. 1930. *aliæ* XXIII. apud Bzovium ad an. 1353. &c. *aliæ* XXX. apud Waddingum Annal. Minor. ad an. 1353. &c. *aliæ* LXXX. ibid. in Regesto Pontif. pag. 27. *Epistolarum volumina* XV. aliis XIX. in Bibliothecâ Vaticanâ MSS. asservari dicuntur. 1352. H. W.

GRE-

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC.

1354. H. W. GREGORIUS PALAMAS, genere Asianus, in aulâ Imperatoriâ educatus; postquàm maturuit, spretis Palatii honoribus, divenditisque & in Pauperes distributis facultatibus, cum duobus fratribus ad montem Atho se contulit, ubi decennium plusquam Monasticæ vitæ impendit; quin & aliud decennium in Berrhææ Scete exegit. Morbo tandem debilitatus, ut vires repararet, Thessalonicam petiit, eo circiter tempore, quo Barlaamus Monachos lacessere incœpit. Monachis ducem atque advocatum sese præbuit Palamas, Barlaamum hæreseos & calumniæ accusat, ipse διθείας ab altero insimulatus. Res ad Synodum defertur. Utrique silentium imponitur. Mox tamen rerum summâ ad Cantacuzenum delatâ; Palamas qui eo familiarissimè utebatur, Barlaamum crebris Synodis condemnari, neutiquam verò sententiam propriam de lumine Thaboritico confirmari obtinuit. Anno circiter 1347. fervente inter Cantacuzenum & Palæologum Impp. bello Joannes Patriarcha Palamæ, quem throno suo insidiari suspicatus est, Cantacuzenum anathematizare jussit; recusantem communione ejecit, & carceri inclusit. Captâ à Cantacuzeno Constantinopoli Palamas ab Annâ Imperatrice carcere eductus est; & ad Victorem legatus, ut iras ejus adversùs Palæologorum gentem moniris leniret. Joanne Patriarchâ ejecto, ac statim defuncto, ipse à Cantacuzeno Patriarcha designatur, Episcopis tamen Isidorum potiùs optantibus, dignitate excidit: quo quidem tempore à Clericis quibusdam CPP. Joannis Patriarchæ sectariis confectus videtur Tomus ille qui apud Leonem Allatium de Consensu lib. 2. cap. 16. §. 4. Gr. Lat. legitur, quo Isidorus pariter ac Palamas anathematizantur. Postea Archiepiscopus Thessalonicensis ab Isidoro Patriarchâ Cantacuzeni Imp. jussu consecratus est; circa annum (si rectè conjicio) 1354. sed à Præfectis urbis non admissus, sedem nunquam obtinuit. In Lemnum igitur secedens, pingui otio Imperatoris beneficio fruebatur. Paulò post à Cantacuzeno & Callisto Patriarchâ evocatus contra Barlaamitas & Acindynistas in Synodo CP. strenuè disputavit; & utrosque Synodicâ sententiâ damnari effecit. Quando obierit non liquet. Vir teste Cantacuzeno*, τῶν ἄλλων, οὐ λόγοις μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ τὰ τοῖς θεολόγοις περὶ θεοῦ δεδογμένα ἐξηκριβωκέναι διαφέρων, *qui non in dicendo solum eximius, sed etiam Theologicis literis præ aliis eruditissimus fuit.*

*Hist. l. 2. c. 40.

SCRIPTA.

O*Rationes demonstrativæ 2. de Processione Spiritûs Sancti contra Latinos.* Prodierunt Gr. Londini absque anni notatione in 4°.

Refutatio Expositionum seu Epigrapharum Joannis Vecci. Extat Gr. Lat. apud P. Arcudium inter Opuscula aurea *Romæ* 1636. 4°.

Prosopopœia, sive *Orationes 2. judiciales mentis corpus accusantis, & corporis sese defendentis; unà cum Judicum sententiâ.* Prodiit Græcè à Turnebo edita *Paris.* 1553. 4°.

Orationes 2. in Transfigurationem Dominicam. Habentur unà cum Prosopopœia Latinè in Bibliothecâ Patr. Tom. XXVI.

Index Bibl. August. p. 27. *Consideratio plenior in Transfigurationem Domini.* & *Epistola* MSS. Gr. in Bibliotheca Augustanâ. *Expositio Fidei Orthodoxæ*: MS. ibidem.

1354. R. G. GREGORIUS PALAMAS, ortu Asianus, ex Monacho Archiepiscopus Thessalonicensis, claruit anno MCCCLIV. Extant, præter eas à Cl. Whartono memoratas, quæ sequuntur lucubrationes, *Orationes* duæ in Transfigurationem Domini, Græcè & Latinè à Combefisio cum ejusdem notis editæ *Auct. Novis.* Paris. 1672. *fol.* *Orationes* duæ de ingressu B. Mariæ in Templum, quarum prior sic incipit. Εἰ ἐκ τοῦ καρποῦ τὸ δένδρον γινώσκεται, καὶ τὸ καλὸν δένδρον. Posterior hoc modo. Ἐπὶ τῶν μειζόνων, ἢ κατ᾽ ἀνθρωπίνην δύναμιν. Utriusque meminit L. Allatius *de Simeon.* pagg. 87. 92. Extant Græcè MSS. in Biblioth. Vaticanâ. *Oratio* de Dominicâ Incarnatione. Pr. Ὁ τοῦ Θεοῦ προαιώνιος καὶ ἀπερίληπτος καὶ παντοκράτωρ Λόγος. Allat. de *Simeon.* p. 103. De *Passionibus & Virtutibus*, & de iis quæ per otium cogitatio parit, ad Xenam Monacham: *Homilia in Demetrium Martyrem; de mutuâ concordiâ; in Publicanum; in Prodigum; de secundo Adventu Domini; de Misericordiâ & Beneficentiâ*, &c. habentur Græcè MSS. in *Biblioth. Reg. Gall.* Cod. 615. Volumen *Sermonum* in folio Gr. MS. extat in *Biblioth. Bodleianâ*, Cod. 637. *Hypotheses Theologicæ* capitulis XVI; de *doctrinâ Acindyni* ad Athanasium Cyzicorum Archiep. liber; *Confutationum Acindyni* libri VII; *Jambi* adversùs *Acindyni Carmina*, *Epistolæ* item plurimæ ultrò citròque datæ habentur Græcè MSS. in *Biblioth. Regiâ Parisiensi*, Cod. 1408. *Capitula* LV. *Physica, Theologica, Ethica, Practica* adversùs Barlaamum, Gr. MSS. *ibid.* Cod. 1213. *Homilia* de præmiis bonorum & suppliciis malorum, Dominicâ πρὸς τὰς τῶν προπατόρων (quæ est *Dominica ante Christi Nativitatem*) recitari solita, Græcè MS. *ibid.* Cod. 1379. *Expositio* sive *Confessio* orthodoxæ fidei. Græcè MS. in *Biblioth. Augustanâ Subsell.* II. Cod. 23. Disputatio inter Gr. Palamam & Man. Chrysoloram de Processione Spiritûs Sancti: extabat Græcè MS. apud S. Antonium Venetiis, teste Possevino. *Epistola* cujusdam Gregorii nostri ad Thessalonicenses de laboribus suis, & *Disputationis* adversùs Infideles & Atheos Chionas meminit eruditiss. Combefisius in notis ad Orationes à se editas.

GEORGIUS LECAPENUS, institutō, ut videtur, monachus, diu in Thessalia vixit; Gregorio Palamæ familiaris: claruit circa ann. 1354. 1354. H. W.
Extat liber *de constructione verborum* Græcè *Venet.* 1526. 8°. & eodem anno eâdemque formâ *Florentiæ*. Scripsit etiam *Epistolas* plures, MSS. in Biblioth. Bavaricâ ac Regis Galliæ; item *de Artificio grammatico; de verborum significationibus*, MS. in Bibliothecâ Augustanâ. *Historiam, Carmina Jambica*, Libanii *Epistolas elegantiores* numero CCLXIV. selegit, & in unum volumen redegit, de quibus omnibus vide quæ habet Cl. L. Allatius Diatr. de *Georgiis & eorum Scriptis* pag. 363.

Index MSS. Bibl. August. p. 64.

CALLISTUS, montis Atho Monachus, Cœnobii Iberorum sodalis, fervente adhuc inter Palæologum & Cantacuzenum bello, à Monachis legatus est Constantinopolim, ut pacem suaderet, ubi ab Annâ Imperatrice & Joanne Patriarchâ malè habitus est. Anno circiter 1354. Patriarcha Constantinopolitanus à Cantacuzeno Imp. renunciatus est. M. Freherus quidem in Chronologiâ suâ Patriarchatum à Callisto inchoatum ad annum 1360. refert: verùm errore manifesto. Præterquàm enim quòd Callistus à Cantacuzeno adhuc Imperii clavum tenente Patriarcha constitutus sit, obiit ille post exactum ab exauthoratione Cantacuzeni (quæ contigit anno 1355.) annum integrum, sedem CP. biennio circiter moderatus. Ineunte, ut videtur, anno 1355. à Cantacuzeno Imp. ut Matthæum filium imperiali coronâ indueret, rogatus, obsequium denegavit, & in Xamantis Monasterium secessit: cumque ad munus Patriarchale redire renuisset, Patriarchatu submotus est, substituto Philotheo. Joanne Palæologo paulò post rerum potito, sedi suæ restitutus est; atque anno sequente ad Elizabetham Cralis Serviæ Principis viduam pacis confirmandæ gratiâ

1354. H. W.

Cantacuz. Hist. l. 4. c. 16, 50.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. gratiâ legatus; ubi apud Pheras Serviorum Metropolim diem supremum obiit. Extat Gr. Lat. *Homilia in exaltationem pretiosæ & vivificæ crucis*, Gretser. de Cruce Tom. 2. pagin. 1347. Idem Freherus meminit alterius Callisti Patriarchæ CP. anno 1406. Hujus an superioris sit ista Homilia, viderint eruditi; uti & *Oratio in Dormitionem Deiparæ*, atque *alia in Decollationem S. Joannis Baptistæ*, quæ Gr. MSS. extant in Bibliotheca Cæsareâ teste Lambecio Comment. l. 4. pag. 6. Junioris Callisti esse videtur *Opus de Vitâ Monasticâ*, quod habetur Gæcè MS. in Bibliotheca Barbarina, teste Allatio in Consensu l. 2. c. 18. §. 13.

1354. R. G. MATTHÆUS CANTACUZENUS, Joannis Cantacuzeni Imp. CP. & Irenes filius, tanto Patre non indignus, eisdem animi dotibus instructus, eisdem artibus & disciplinis imbutus, eisdem virtutibus ornatus, eandem etiam fortunam expertus, claruit anno MCCCLIV. Andronici junioris filiam Joannis Palæologi sororem in matrimonium duxit; deinde dissidiis inter Fratres exortis, Patris hortatu partem Regiminis suscepit, à Philotheo Patriarchâ coronatus anno MCCCLIV. Proximo anno certis conditionibus imperio renunciat, posteà repetit; armis utrinque certatum est; tandem vel prælio victus, vel turbis fatigatus in Montem Atho secessit, habitumque Monasticum induit, quamdiu vixit incertum est. In illustrandis S. Scripturis egregiam planè operam navavit; in *Cantica Canticorum Commentarium* lucubravit, in *Sapientiam Salomonis* aliquid meditâsse à quibusdam dicitur, & *Monita quædam salutaria* vel dictâsse vel collegisse. Opus in *Cantica* versione suâ ac notis illustratum Gr. Lat. edidit *Vincent. Richardus* Romæ 1624. *fol.* unde mirari subit, adeò celebrem Auctorem, adeò insigne Opus in ipsâ Urbe prelo egressum, ab iis qui de scriptoribus Ecclesiasticis agunt, Possevino, Bellarmino, Miræo, ipsoque etiam Oudino, qui de *Scriptoribus omissis* ex professo *Supplementum* texuit, neglectum penitùs & prætermissum.

1355. H. W. PETRUS DE COLUMBARIO, à nonnullis dictus *Petrus Bertrandus junior*, Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, Episcopus Ostiensis & Velitrensis. Claruit anno 1355. quo missus est ab Avenione Romam ab Innocentio VI. Pontifice, ut Carolum IV. Imperatorem inungeret & coronaret; quod quidem fecit ipso die Paschatis ejusdem anni. Extat *Historia* itineris istius, & ad Avenionem reditûs, titulo *Itineris Romani*, apud Labbeum Biblioth. Nov. MSS. Tom. 1. pagin. 354.

1355. R. G. HENRICUS de ERFORDIA, Saxo-Germanus, ex Ord. Præd. Cœnobii S. Pauli apud Mindenses Monachus, Theologus eximius, Scholæ Erfordiensis in primordiis ejus grande decus & ornamentum, claruit anno MCCCLV. Scripsit *Chronicon generale* ab orbe condito ad annum MCCCLV. quod *de factis memorabilibus* inscripsit: Hujus partem aliquam *Magni Chronici Belgici* Auctor operi suo inseruit: Idem laudat Reverendiss. Usserius, ac *Æterni Evangelii* errores exinde profert *Graviss. Quæst.* c. 9. p. 279. ut & Fl. Illyricus *Catal. Test.* p. 1720. Opus etiam *de Ente* composuit, in decem partes distributum, cui titulus *Catena Aurea*, in cujus Prologo alias suas lucubrationes recenset, *viz. de Conceptione B. Virginis*; De Ornatu Clerici; *De Casibus Conscientiæ*: *Sermones*, &c. de quibus consulendus Possevinus *Apparat. Sacr.* Tom. I. p. 697. qui opus prædictum Neapoli in Biblioth. Fr. Dominic. MS. extare fidem facit. Notabit Lector eodem loco & tempore *Ioannem de Erfordiâ* Ord. Min. floruisse, virum juris peritiâ insignem, ac Scriptis clarum, quorum *Append.*

Catalogum exhibent Simlerus & Possevinus, utrum verò jam extant mihi incompertum est. SÆC. XIV. ab An. MCCC.

JOANNES PALÆOLOGUS, Andronici junioris Imp. CP. filius natu maximus, hæres & in Imperio successor, claruit ann. MCCCLV. 1355. R. G. Patre anno MCCCXLI. mortuo, Puer novennis sub tutelâ Annæ Matris, & Joan. Cantacuzeni M. Domestici imperium capessit: Anno MCCCXLII. à Joanne Patriarchâ Coronâ imperiali exornatur: Anno MCCCXLVII. Helenam Cantacuzeni filiam *thalami*, ipsúmque Cantacuzenum *imperii* Consortem accipit: Anno MCCCLV. Cantacuzeno abdicante solus dominatur: Anno MCCCLXXXIV. rejecto Andronico primogenito, Manuelem filium natu minorem sibi in Imperio socium constituit; & tandem languoribus exesus sexagenarius Byzantii obiit annò MCCCXCI. Extat hujus nomine *Professio Fidei*, Ecclesiæ Græcæ Confessioni opposita, Romanæ in omnibus consentanea, coram Paulo Patr. *CP.* Latini ritûs, Nicolao Episc. Arenopolitano, aliisque Urbani Papæ V. Legatis XVIII. die Octobr. Annò MCCCLXIX. Romæ habita. Hanc ex Archivis Vaticani deprompsit Bzovius, ac Græcè & Latinè edidit in *Annal. Ecclesiast.* eandem L. Allatius profert libro *de Consens.* lib. II. c. 17. *sect.* VI. col. 843: ejus meminit Spondanus, ac uno ore omnes Scriptores Pontificii, & de Ecclesiâ Græcâ triumphum agunt. Utrum autem genuina sit, an suppositititia inter eruditos non convenit. *Epistola* quædam Joannis Palæologi ad Patriarcham Alexandriæ in Biblioth. Vaticanâ MS. habetur, utrum nostri sit, an potiùs Joannis junioris, qui sequente sæculo imperium tenuit, & Concil. Ferrariensi & Florentino interfuit, nisi inspecto codice certum aliquid statuere non licet.

NICOLAUS EYMERICUS, Gente Catalaunus, Patriâ Gerundensis, Ordinis Prædicatorum Inquisitor generalis religionis per totam Regis 1356. H. W. Aragoniæ ditionem ab Innocentio VI. Pontifice anno 1356. constitutus est. Anno 1371. Capellanus, & summus causarum Judex à Gregorio XI. Avenione creatus. An. 1375. multa Raymundi Lulli dogmata ab eodem Pontifice hæreseos damnari effecit. Obiit Gerundæ in Conventu S. Dominici die IV. Januarii anno 1399. Extat *Directorium Inquisitorum* in tres partes divisum, cum Commentariis Francisci Pegnæ editum, *Venet.* 1595. *f. Romæ* 1578, 1587. *Barcinone* antea anno 1503. excusum. Complura alia Eymerici scripta adhuc inedita, enumerat Ambrosius de Altamora Biblioth. Prædicat. pagin. 142. Oudinus Supplem. p. 667.

DEMETRIUS CYDONIUS, sive Cydo, Patriâ Byzantinus, Raph. Volaterrano Thes- 1357. H. W. salonensis, Cantacuzeni Imp. Aulicus inter primos conspicuus, & præ aliis charus, quippe Rerum privatarum Comes, & secretarum Consiliarius. Cùm Cantacuzenus biennio circiter ante purpuram depositam secessum & vitam Monasticam meditaretur; Demetrius & Nicolaus Cabasilas rem eandem in animo habuerunt, uterque σοφίας μὲν εἰς ἄκρον τῆς Cantacuz. Hist. l. 4. c. 10. ἔξωθεν ἐπειλημμένοι οὐχ ἧττον δὲ καὶ ἔργοις φιλοσοφοῦντες, καὶ τὸν σώφρονα βίον, καὶ τῶν ἐκ τοῦ γάμου κακῶν ἀπηλλαγμένον ἠρεμένοι. Claruit noster anno 1357. Monasterium una cum Cantacuzeno Imp. ingressus. Desertâ Patriâ, Mediolani latinis literis, & Theologiæ operam dedit. Tandem erogatis in pauperes bonis, in Cœnobio quodam Cretensi vitam traduxit, & cum morte commutavit.

D SCRIPTA

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC.

SCRIPTA.

De *execrandis Dogmatibus Gregorii Palamæ liber*, in quo omnes illius hæreses ex scriptis ejus excerptas recenset.

De Processione Spiritûs S. liber in Capita XIII. distributus. Prodiit uterque à Petro Arcudio inter Opuscula aurea Gr. Lat. cum notis editus *Romæ* 1630.

Oratio deliberativa ad Græcos de non reddendâ Callipoli. Gr. Lat. cum notis apud Combefis. Auctar. Nov. Tom. 2. p. 1221.

Oratio deliberativa ad eosdem de non reddendâ Callipoli postulante Amurate Turcorum Rege Gr. Lat. ibid. p. 1283.

Oratio pia de morte contemnendâ, quæ sub Cydonii cujusdam nomine Gr. Lat. unà cum Hermiæ Διασυρμῷ prodiit *Basil*. 1552. & inter alia ejusdem argumenti Opuscula, ibid. 1559. cum Wolfii Scholiis 1577. 1586. Demetrii nostri esse non malè censeri possit. Habentur enim MSS. in Bibliothecâ Augustanâ Orationes Demetrii Cydonii plures de eodem argumento. Index MSS. Bibl. August. p. 82.

Epistola ad Barlaamum contra Processionem Sp. ex Filio. Extat Lat. apud Canisium Tom. VI. p. 4. & in Bibliotheca Patr. Tom. XXVI.

Richardi sive Ricoldi, Monachi Dominicani, *Confutatio Alcorani*, à Demetrio *Græcè versa*, prodiit unà cum Alcorano *Basil*. 1543, 1555. f.

Liber de Contemptu Mundi, *S. Thomæ Aquinatis Summa adversùs Gentes*, & *Summa Thologicæ partes prima ac secunda*, quin & *S. Anselmi Cantuariensis Liber de Processione Spiritûs S. & Epistola de tribus quæstionibus ad Valerianum Numburgensem Episcopum*, *Græcè versa*; De *Processione Sp. S. libri* 2. alter Apologeticus pro S. Thomâ adversùs Nicolai Cabasilæ Elenchos, alter ad amicum quendam, qui id ab eo perquisierat, *Liber de Vitâ, doctrinâ, & miraculis* D. *Thomæ*, aliáque plura Opuscula, à Leone Allatio de Consensu lib. 2. cap. 18. §. 5. R. Volaterran. Comment. libr. 15. pagin. 537. Possevin. Apparat. Sacr. Tom. 1. pagin. 418. atque aliis, memorantur.

1357. R. G. DEMETRIUS CYDONIUS, qui & *Nipho Hieromonachus* dicitur, patriâ Thessalonicensis, claruit anno MCCCLVII. Scripta ejus edita suprà numerantur, verùm in nonnullis supplendus est Whartonus, in paucis etiam corrigendus: nimiùm enim festinans utramque Demetrii *Deliberativam* à Combefisio editam, *de non reddenda Callipoli* inscriptam refert, cùm in alterâ solùm de eo agatur, in alterâ *de petendo à Latinis subsidio* unicè disceptetur. Extat præterea *Lamentatio calamitatum Thessalonicensium*, quas concives sui in fatali illo Urbis excidio passi sunt, cum Latinâ versione Combefisii inter *Scriptores post Theophanem* typis Luparæis edit. 1685. *fol. p.* 385. Opera inedita hæc sunt, *Commentarius de Processione Spiritûs S.* pro Latinis contra Græcos rogatu cujusdam Amici compositus, & in capita XLI. divisus, ab eo quem P. Arcudius edidit omninò diversus. Pr. Προοίμιον. Ἐπὶ πολλῶν τῆς σῆς φιλομαθίας ϗ φιλαληθείας. Hujus meminit L. Allatius *de Consensu*, lib. II. c. 18. *sect.* V. col. 857. habetur MS. in Biblioth. Vindob. Cod. Theol. CCLX. à fol. 1. ad fol. 210. *Apologia pro S. Thomâ Aquinate*, contra Nilum Cabasilam Archiep. Thessalon. Pr. Ἡ μὲν τῶν Λατίνων προθυμία τοῦ ἀνδρὸς τούτου μεγάλη ϗ θαυμαστή. MS. *ibid.* à fol. 210. ad fol. 268. vide Allat. *ibid. Epistola* ad Amicum quendam, communicationem proximè præcedentis libri à se petentem. Pr. Τὴν μὲν ἔσαν αἰτίαν εἰ βούλει μαθεῖν τοῦ μὴ μέχρι νῦν ἐλθεῖν. MS. *ibid.* uti & *Cod. Theol.* CCX. n. IX. & CCLXII. n. XXXII. ex quibus ad Nicol. Cabasilam scriptam esse manifestò liquet. *Epistolæ* tredecim, quarum prima ad Manuelem Palæologum Imp. Pr. Σὺ ϗ ἄρχειν οἶδας ϗ ὑπακούειν ἐπίστασαι. MSS. *ibid.* eas omnes ἀγνωστοτάτας censet Cl. Lambecius, ut supplemento corporis hist. Byzantinæ posthàc inserantur. Græcè MSS. *ibid.* n. Habentur in *Bibl. Reg. Parisiensi Epistolæ* duæ ad Philotheum Patr. scriptæ, Græcè MSS. Cod. 1334. Aliæ plures, cum variis opusculis, partim editis, partim ineditis, *ibid.* Cod. 1759. *Oratio in Pentecosten*, & *in Spiritum S.* Pr. Οἱ μετὰ τῆς γυναικὸς ἀγονισθὲς εἰσιόντες, ὧν μὴ πολὺ τῆς φθάσαντες. Allat. *de Consensu*, ibid. *de Simeon.* p. 101. *Oratio in Annunciationem B. Virginis*, hâc inscriptione, Δημητρίου τοῦ Κυδώνη λόγος εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, ὃ μέλλει ἐπ' ἐκκλησίᾳ ἀναγινωσκόμενος διὰ τὸ τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ ἐπιδοκιμασθῆναι. Pr. Ὅσοι τῶν πολλῶν βούλονται τοῖς βασιλεῦσι χαίρειν εἰπεῖν, ὧν ἐντυγχάνουσι. Extat MSS. in *Bibl. Vindob. Cod. Theol.* CCLXII. n. XVII. & cum eadem Censurâ in *Cod. Regio Paris.* suprà memorato, uti testatur Combefisius. * Hujus etiam meminit Allat. *de Simeon.* p. 103. In *Bibl. Bodl. Cod. Baroc.* 90. habentur Græcè MSS. *Apologia pro S. Thomâ & Oratio* novissimè recensita. *Sermo* item *in Laurentium.* Pr. Οἱ σώφρονες τῶν ἱερέων. *Homilia* quædam Pr. Τοῖς ὑπὲρ τοῦ μεγάλου Θεοῦ ϗ Σωτῆρος ἡμῶν. *Solutio argumentorum quorundam circa Incarnationem Christi.* Pr. Τὰ δὲ ἀνωτέρω περὶ τούτου. Et *Epistolæ* novem. Præter Opera supradicta proprio marte laborata, aliorum etiam lucubrationes è Latino Sermone in Græcum vertit Demetrius. *Anselmi Cantuariensis librum de Processione Spiritûs S. Ejusdem* Epistolam *ad Walerannum de tribus Quæstionibus, ac præsertim de fermento & azymo*; utriusque meminit L. Allatius *de Consensu* loco suprà laudato. Ex *Augustini Sermonibus* capita quædam, & D. *Tho. Aquin. contra Gentes*, qui *Venetiis* extant MSS.

* In notis ad Orat. De liberat. col. 1281.

RANULPHUS HIGDENUS, seu *Hikeden*, vulgò CESTRIENSIS dictus, natione Anglus, in Occidentali Insulæ regione natus, Ordinis Benedictini Monachus in Cœnobio Cestriensi, claruit anno 1357. Obiit grandævus ann. 1363. sexagesimo quarto Monachatûs sui anno. Cùm ingentem Historicorum, præsertim verò Anglicorum, supellectilem congessisset, ipse Historiæ ab Orbe condito scribendæ animum adjecit. Illam itaque ex variis Historicis eleganter admodùm concinnavit, integras ac prolixas illorum lacinias intexens, appositis tamen singulorum, à quibus sunt acceptæ nominibus, adjunctaque ab Abrahami temporibus marginali annorum supputatione; adeò ut vix aliam quàm Compilatoris gloriam meruerit, nisi quòd libro ultimo multa è suo penu inseruerit. Compilatoris tamen munus tam egregiè præstitit, ut paucis admodùm è nostratibus Historici fide, gravitate ac judicio cum eo sint conferendi. Operi suo *Polychronici* nomen indidit; totumque in septem libros juxta numerum ætatum mundi, ac dierum quibus orbis creatus est, distribuit. Primus liber nonnisi topographicam Orbis descriptionem exhibet. Secundus ab Orbe condito ad Captivitatem Judæorum Babylonicam progreditur. Tertius à Transmigratione Babylonica ad Christi Adventum. Quartus à Christo nato ad Saxonum in Angliam Adventum. Quintus à Saxonum appulsu ad adventum Danorum. Sextus ad irruptionem Normannorum. Septimus ad sua usque tempora, annum verò 1357. Quòd si nonnulli Codices Historiam ulteriùs producant, quales mihi nonnunquam in manus inciderunt, id ab aliena manu accessisse censendum est; Ipse enim Ranulphus in præfatione totius Operis se ad istum annum Historiam deducturum esse pollicetur; & in illo desinit Verso 1357. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. sio Operis Anglicana paulò post Ranulphi obitum confecta. Ex quamplurimis, quos vidi, Historiæ istius Codicibus MSS. longè pulcherrimus est, qui in Collegio Gonvilii & Caii (cujus ipsemet alumnus fui) asservatur. Ranulphi Polychronicon jussu nobilis viri Thomæ de Barkeley Anglicè vertit Joannes de Trevisa, Sacerdos Cornubiensis, ac Vicarius de Barkeley, qui & multis aliis scriptis, inprimis verò integra utriusque Testamenti versione Anglica, inclaruit. Polychronici versioni ipse nonnulla, appositâ tamen semper distinctionis notâ, de suo intexuit, præsertim contra Monastici Ordinis petulantiam ac superstitiones quas sæpius exagitare solet. Versionem ad finem perduxit, uti ex nota calci adnexa patet anno 1387. die 8°. Aprilis: adeò ut palàm lapsus sit seu incuriâ seu errato Typographico Caxtonus, qui in fine versionis à se typis impressæ adnotavit eam finitam esse anno 1357. Illam enim immutato paululum Anglicæ linguæ Archaismo, & à seipso ad annum usque 1460. Edvvardi IV. Regis primum, continuatam typis impressam evulgavit Londini 1482. f. Gulielmus Caxtonus, qui sub Edwardo Rege dicto claruit, primusque omnium artem typographicam Angliæ intulit. Ipsamet autem Joannis de Trevisa Versio, à Caxtono nondum perpolita extat MS. in instructissima RR. Viri Tho. Tenisoni, Theologi nostratis doctissimi, Bibliotheca. Cæterùm præter Polychronicon suprà memoratum, Ranulphus, quem alii *Radulphum* vocant, noster conscripsit *Distinctiones Theologiæ*, *Speculum Curatorum*, quod MS. in Bibliothecâ Collegii Baliolensis Oxon. cod. 69. *Expositionem super Iob*, *In Cantica Canticorum*, *Sermones per annum*, atque alia quædam, quæ à Baleo * recensentur. Ut id etiam obiter notem, Ioannis Trevisæ versionem Bibliorum Anglicam, quam Domini sui Thomæ de Barkeley mandato confecit, etiamnum MS. extare veri non est absimile. Cl. enim Iamesius † tria versionis totius Bibliæ Anglicanæ à Wicleviana longè diversæ exemplaria MSS. in Oxoniensis Academiæ Bibliothecis asservari prodit.

* Cent. 6. c. 12.

† Corruptio Patrum. Par. 2. cap. 24.

1357. R. G. RANULPHUS HIGDENUS, natione Anglus, Monachus Cestriensis Ord. Benedict. claruit anno MCCCLVII. *Historiam* universalem ex aliorum Chronicis contexuit, quam à Creatione Mundi exorsus ad sua tempora diduxit, positâ ubique in margine Annorum supputatione, eamque *Polychronicon* appellavit. Opus in septem libros divisum; horum sex priores, viz. ad Normannorum tempora, in quantum res Britannicas & Hibernicas complexi sunt iis omnibus quæ ad exterarum Gentium res gestas pertinebant prætermissis, ex Codd. MSS. primus Latinè edidit doctiss. Galeus Eccles. Metrop. Eboracens. nunc Decanus dignissimus, *hist. Angl. script.* Tom. III. Opus integrum in variis Angliæ Bibliothecis MS. asservatur. Extat ejus *Ars componendi Sermones*, MS. in Biblioth. Bodleian. Cod. 2752. *Speculum Curatorum*, MS. in Biblioth. Colleg. Baliol. Oxon. sub *lit.* L. cod. x. Plura ejus opera recenset Baleus *Cent.* VI. p. 462. & ex eo Pitsæus, p. 516.

1357. H. W. GEORGIUS DE ARIMINO, gente Italus, civitate Ariminensis, Doctor Theologiæ Parisiensis, Ordinis Augustiniani Eremita & post Thomæ de Argentina mortem Prior Generalis, in Comitiis Montispessulani habitis an. 1357. die XXIV. Maij electus. Obiit Viennæ anno sequente, communem cum Thoma Argentinensi tumulum sortitus. Extant *Commentaria in libros primum & secundum Sententiarum*, *Valentiæ* 1500. *Venetiis* 1503. edita. *Additiones in Scriptum ejus super Sententias*, *Venet.* 1522. *Commentaria in Epistolas S. Pauli*, *& S. Iacobi Canonicam*, & *Liber de Usuris*, *Arimini* 1522. *Librum de Formis*, *Tractatum de moribus Venetorum*, & alium *de conditionibus Florentinorum*, memorat Jos. Pamphilus Chron. Ord. Erem. p. 58. Sermones de Tempore, & Sanctis accensent Simlerus, aliique.

Append.

ALPHONSUS VARGAS, natione Hispanus, Patriâ Toletanus, Ordinis Augustiniani Eremita, Philosophiam ac Theologiam in Academia Parisiensi per decennium professus, primò Ussamensis, dein Pacensis Episcopus, tandem Archiepiscopus Hispalensis factus est. Claruit anno 1358. Obiit Hispali anno 1359. die XIII. Octobr. seu, ut alii volunt, anno 1366. die XXVI. Decembr. Extant *Commentaria in librum primum Magistri Sententiarum*, (discipulis dictata Lutetiæ anno 1345.) *Venetiis* 1490. excusa. *Quæstiones in Aristotelis libros tres de Animâ*, *Vincentiæ* 1608. *Venet.* 1566. 1358. H. W.

LEVOLDUS NORTHOVIUS, natione Germanus Patriâ Westphalus, in agro Marcano familiâ equestri natus, claruit anno MCCCLVIII. In Academiâ Erfordiensi tyrocinium literarum posuit, inde in Aulam ascitus Engelberti Comitis filios erudiendos suscepit. Anno MCCCVIII. ætatis trigesimo, severioribus Theologiæ studiis in Academiâ Avenionensi, ubi Clemens Papa V. sedem tunc temporis fixerat, animum seriò applicuit, deinde in patriam reversus & Sacris Ordinibus initiatus, munus Sacerdotale per multos annos cum laude sustinuit, animúmque literis humanioribus subinde relaxans, eximiam in historia & antiquitatibus (præsertim patriis) scientiam nactus est: hisce dotibus instructus, hortatu Engelberti Patroni sui ad Archiepiscopatum Coloniens. nuper evecti, ad historiam scribendam octogesimo ætatis anno se accinxit: Extant ejus *Origines Marcanæ*, sive *Chronicon Comitum de Marcâ & Altenâ*, à prima origine usque ad an. MCCCLVIII. Opus istud cum Anonymi Continuatione ad annum MCCCXC. ex duobus MSS. Codicibus primus in lucem edidit, & notis brevibus illustravit H. Meibomius senior, typis Wechelianis impressum Hanov. 1613. *fol.* idem recudi fecit H. Meibomius filius inter *Rerum Germanic. Scriptores*, Helmstad. 1688. *fol.* T. I. p. 373. *Catalogum* etiam *Archiepiscoporum Coloniensium*, à Materno primo Episcopo anno XCIV. usque ad Wilhelmum de Genepe anno MCCCXLIX. adornavit. Prodiit curâ ejusdem Meibomii jun. *Rerum German. Script.* To. II. p. 4. 1358. R. G.

NILUS, Metropolita Rhodius, Latinorum hostis acerrimus, Gregorii Palamæ sectarius, vixit forsan (neque enim certam ejus ætatem indagare potui) circa an. 1360. Barlaamo & Acindyno si non ætate par, saltem non diu posterior: desinit enim in Synodo CP. ab Isidoro Patriarchâ habitâ, (quam quidem Nonam appellat) quæ Barlaamum condemnavit. An idem sit Nilus, qui juxta Freheri Chronologiam anno 1378. factus est Patriarcha CP. dicere non habeo. Ex parte eorum stetit, qui Barlaamitas damnarunt tanquam mentientes, modisque omnibus insanientes, καὶ ἀσεβοῦντας μᾶλλον τῶν ἄλλων αἱρετικῶν, uti ipse loquitur. Extat tum Græcè tum Latinè *Enarratio Synoptica de Sanctis & Oecumenicis Synodis* IX. à Justello patre edita ad calcem Nomocanonis Photiani *Paris.* 1615. 4°. à Justello filio in Bibliothecâ Iuris Canonici *ibid.* 1661. f. Tom. 2. p. 1155. *Oratio ejusdem in sanctam Matronam* ex insulâ Chio oriundam Gr. Lat. à Leone Allatio evulgata est. 1360. H. W.

THOMAS STUBBS, sive STOBÆUS, natione Anglus, Patriâ Eboracensis, Ordinis Dominicani 1360. H. W.

Digitized by Google

minicani Monachus; S. Theologiæ Doctor, Claruit anno 1360. Obiit post annum 1373. Scripsit *Vitas* seu *Chronicon Archiepiscoporum Eboracensium*, à S. Paulino ad Joannis Thoresbeii obitum, seu à primâ sedis fundatione usque ad annum 1373. Extat istud Chronicon inter x. Scriptores Angiæ à Cl. Twisdeno editos *Londini* 1652. f. pagin. 1685. Quamplurima ejusdem scripta Theologica adhuc inedita, recensent Baleus Cent. vi. cap. 36. Pitseus æt. xiv. pagin. 512. Altamura Biblioth. Prædicat. pagin. 125

1360. H. W. JOANNES WICLEFUS, natione Anglus, in septentrionali Insulæ parte natus, Oxonii in Collegio Mertonensi educatus, cujus primùm Scholaris, dein Socius fuit, Collegii Cantuariensis ac Baliolensis præfecturæ tandem admotus; Philosophus insignis, Theologus omnibus numeris consummatissimus; nec minùs vitæ sanctimoniâ & morum castitate, quàm doctrinâ eximius. Theologiam Scholasticam ad unguem edoctus, inprimis verò Occami, Lincolniensis, atque Armachani studiosus lector, postquàm Doctoratûs insignia tulisset, Theologiam in Academiâ Oxoniensi publicè professus est; demum Ecclesiæ de Lutterworth in Provinciâ Lecestrensi Rector factus. Claruit anno 1360. quo circiter tempore ingravescentes ævi superstitiones, immanem, Ecclesiæ tamen jamdiu inolitam, Romani Pontificis tyrannidem, erronea fidei dogmata in Scholis passim recepta, & turpissimam vitiorum labem ab omnibus admissam, à plerisque etiam defensam, voce ac scriptis acriter oppugnare cœpit, præsertim verò Regiæ potestatis atque Ordinis Ecclesiastici jura contra immanes Pontificis Romani & Fratrum Mendicantium usurpationes constanter pariter ac eruditè propugnavit. Eò impudentiæ enim tunc temporis devenerat arrogantia Pontificia, ut Regi in Ecclesiasticis rebus nulla, in sæcularibus nonnisi dimidiata, authoritas conservaretur; plusque emolumenti ex Anglia reciperet curia Romana quàm Regia. Receptam autem Ecclesiæ disciplinam omniaque Cleri jura penitùs everterunt importuna Fraterculorum Mendicantium colluvies, qui Ecclesias circumvagati in Presbyterorum Parochialium munera involarunt; & Episcopali regimini, pristinisve Ecclesiæ canonibus subjici noluerunt. Tam insanam Pontificis & Fraterculorum ambitionem ac tyrannidem summâ, quâ pollebat, facundiâ oppugnavit Wiclefus, & utramque ex Ecclesiâ eliminandam esse docuit. Adhæc Christianæ fidei dogmata nativa atque infucatâ sui simplicitate induta plebi tradidit; & fabularum & nugarum loco, quibus hactenùs ferè sæculis postremis inescati fuerant Christiani rudiores, S. Scripturæ oracula passim prædicavit, linguâque vernaculâ populo legenda dedit. Haud mirum itaque, si ingentem exinde apud bonos gratiam, apud malos invidiam inierit. Edvvardus III. ac Richardus II. Angliæ Reges illum charissimum habuerunt; quorum ille VViclefum in exteras regiones legatum misit, iste sacris domesticis admovit; uterque autem in tutandis Regiæ potestatis juribus doctrinam ejus ac consilium in subsidium vocarunt. Sanè Wiclefi autoritate ac favore apud summos Regni Proceres factum est, ut plures atque acriores adversùs Pontificis Romani usurpationes ac Fratrum Mendicantium petulantiam leges sub hisce duobus Regibus sancitæ fuerint, quàm à Gulielmi Normanni temporibus ad excussum usque penitus sub Henrico VIII. Papale jugum. Nec minùs apud plebem quàm supremos Regni Ordines potuit Wiclefus; adeò ut *Discipulos ejus multiplicatos esse nimis, & implevisse ubique orbem regni*; quin & *in tantum in suis laboriosis dogmatibus prævaluisse, quòd mediam partem populi, aut majorem partem suæ sectæ adquisierunt*, conqueratur Henricus Knygthon * Historicus coævus. Fusiùs id persequitur Walsinghamus †; qui Villas ac Civitates ipsamque Academiam Oxoniensem doctrinâ ejus infectas esse dolet. *Longè latèque*, inquit, *per patrias populum maculando suam prædicationem dilatavit, ita ut penè majores Provinciarum eorum sequerentur errorem. ---- Visus est absorbere Iordanem, & omnes Christianos mergere in Abyssum. Dixit publicè & prædicavit, Rectoribus Ecclesiarum non valentibus eam prohibere ob favorem populi rem, qui libentissimè eum audiebant, & se periculo valebant exponere, antequam vel prohiberetur prædicare.* Quin & ipsemet VViclefus in Confessionis de Sacramento Altaris Anglicæ calce refert plus tertiam Cleri partem è partibus suis stare, doctrinamque suam summo capitis discrimine tueri paratos esse. Mitto propensum Oxoniensis Academiæ in VViclefum animum; adeò ut libri ipsius ad Concilii usque Constantiensis tempora in Scholis publicis & Collegiis communi decreto legerentur, ac singulis Academiæ gremialibus pervolvendi more recepto traderentur. Authoritatem suam in Anglia labefactari ægrè tulerunt Pontifices Romani, larvam sibi ereptam & detecta commenta dolebant Fraterculi; quin & ipsum pietatis ac veritatis incrementum malis invidiam commovit; adeò ut innumera undequaque mala in VViclefi caput cusa esse neutiquam mirum videatur. Primò itaque Collegii Cantuariensis apud Oxonienses præfecturâ illum Simon Langhamus Archiepiscopus Cantuariensis ac Cardinalis anno circiter 1367. injuria submovit. VViclefus Collegii Præfectus secundùm statuta à Simone Islip Archiepiscopo ejus fundatore paucis antea annis data à Sociis sæcularibus ritè electus fuerat. Id ægrè tulerunt Monachi quidam turbones, qui Collegio pedem nuper intulerant, & gregalem è suis quendam in præfecturam sufficere summo studio contenderunt. Procaces Monachos VViclefus & Socii seculares Collegio ejecerunt. Monachorum causam suscepit Langhamus: & VViclefum præfecturâ cedere mandavit, substituto in locum ejus Henrico Wodehull Monacho. Nolente id Wiclefo, Collegii reditus sequestravit. Wiclefus & socii ad Urbanum V. Pontificem provocant. Is rem Andruyno Cardinali judicandam commisit. Iste tandem sententiam tulit, solos Monachos sæcularibus exclusis Collegium possidere debere, Wiclefum sociosque expellendos esse, factâ priùs Monachis injuriarum compensatione. Cardinalis sententiam datâ ann. 1370. Bullâ ratam habuit Urbanus Papa. Integer litis istius [uti vocant] processus in Bibliothecæ Archiepiscopalis Lambethanæ archivis MS. asservatur. Hactenùs Wiclefum cuniculis aggressi sunt adversarii. Sub extremis autem Edwardi Regis, senio jam debilis ac ferè deliri, temporibus, Synodum Londini habuit Simon Sudburius Archiepiscopus Cantuariensis anno 1377. mense Februario, ut à VViclefo doctrinæ suæ rationem, forsan & pœnas, exigeret. Adfuit VViclefus, causamque egit intrepidè, & Joannis Lancastriæ Ducis, partibus suis addictissimi, aliorumque Procerum, qui præsentes illi astiterunt, subsidio Episcoporum ictus ac insidias salvus evasit. Post Edvvardi mortem, allatis in Angliam, quas ad Episcopos contra VViclefum dederat Gregorius XI. Papa, literis, nova Synodus coacta est Lambethæ mense Junio ejusdem anni; quæ tamen Procerum populique minis deterrita sententiam definitivam contra VViclefum præsentem ferre ausa non est. Ipse veritatis causam in foro, in Academiis & in Templis, voce, scriptis, ac concionibus tutari pergebat.

Tandem verò turbatis Regni rebus, & Joanne Lancastrensi ab Aulâ recedente, Episcopi crebris

Gregorii

* De event. Angliæ l. 5. p. 2663.
† Hist. p. 256, 281, 304. 305.

Vid. Hussi Replic. adv. Angl. Io. Stokes inter Opp. ejus Tom. 1. f. 109. 110.

SÆC. XIV. ab An. M.CCC.

Gregorii Papæ literis incitati, postquàm Richardum II. imbellem Regem, in partes traxissent, Wiclefi doctrinam melioribus auspiciis eradicatum ibant. Habitâ anno 1382. Londini Synodo, articulos seu dogmata ab illo propugnata IX. hæreseos, XIV erroris damnarunt: sectarios ejus aut ad palinodiam adegerunt, aut in carcerem conjectos bonis mulctârunt, in ipsum denique acriùs animadvertendum esse decreverunt. Neque enim se præsentem sistere voluit VViclefus, de insidiis sibi à præsulibus in itinere positis certior ab amicis redditus. Absentis tamen causam egerunt Academiæ Oxoniensis Cancellarius, Procuratores bini, ac Senatûs pars longè major; qui missâ ad Synodum Epistolâ publico Academiæ sigillo munitâ præclarum doctrinæ ejus, pietatis ac fidei orthodoxæ elogium reddiderunt, post latam à Synodo sententiam solita concionandi ac scribendi munia Lutterworthæ adhuc obiit VViclefus, neque unquam ante mortem intermisit; seu recrudescente Richardi Regis favore factum, seu viri famæ nominisque autoritati datum id sit; seu denique aliquali dogmatis palinodia inimicorum rabiem eluserit VViclefus. Habetur etenim apud Knyghtonum * Declaratio ejus brevis de Sacramento Altaris vernaculo sermone, quam terrore mortis adactum Synodo illum obtulisse refert Historicus; Ista tamen Transubstantionis dogmati reverâ usque adeò non favet, ut contrariam sententiam haud obscurè doceat. Sunt etiam, qui Wiclefum in Bohemiam secessisse, inventaque ibi ampla simul ac fœcunda discipulorum messe, doctrinam suam longè latéque propagasse volunt. Verùm id parùm certum. Istud demum est certissimum, Wiclefum Lutterworthæ ex paralysi, qua integro ferè biennio laboraverat, anno 1387. die ultimo Decembris in pace obiisse, in Ecclesia sua Parochiali sepultum. Vir erat, quo majorem non tulit postremis hisce sæculis Christianus Orbis; quique non minùs supra laudem, quàm invidiam politus videtur. Omnifariâ rerum Theologicarum scientiâ instructissimus, legum municipalium impendiò peritus, rara morum gravitate præditus, inprimis verò immmenso erga Deum zelo, erga proximum charitate flagrans. Hinc nata puritatis pristinæ in Ecclesiam reducendæ cupido; quam tamen limites usque adeo egredi non permisit, ut omnia disciplinæ Ecclesiasticæ jura illibata conservare religioni haberet. Eximiam ejus pietatem ne pessimi quidem adversarii in dubium unquam vocare sunt ausi, præclaram certè doctrinam abundè testati sunt ex iis quamplurimi. *Potens erat*, inquit Knyghtonus *, *& validus in disputationibus super cæteros & in argumentis nulli credebatur secundus*: quique primus illi in scholastica certamina venit, Joannes Kylynghamus Carmelita, *modestè tamen egit* (si Waldeno * fides) *admiratus in eo doctrinæ excellentiam.* Sanè in omnibus ferè, quæ hodienum extant, suis scriptis accuratam Theologiæ notitiam & elimatum judicium prodit Wiclefus. Pressè ubique & acutè disputat, egregiam spirat pietatem, Sacram autem Scripturam summa perspicuitate ac solertiâ interpretari solet. Nil in eo puerile aut otiosum [Scriptoribus istius ævi solenne vitium] deprehendi potest; omnia gravia, subacta, atque elimata. Is denique est, cui nihil ad consummatam eruditionem defuit, nisi Sæculum fœlicius. Dissimulari tamen non potest, diversa sæpè ac contraria nonnunquam dogmata in illius libris reperiri posse: quod Wiclefo adeò non detrahit, ut in laudem illi potiùs cedere debeat. Neque enim præfervido quodam animi impetu abreptus, sed maturo judicio ac ratione ductus Ecclesiæ Romanæ errores oppugnavit; quos unico ictu eum non detexisse nil mirum est. Ut alios enim articulos taceam, in expositionibus Orationis Dominicæ, Symboli Apostolici, & Decalogi, quas perlegi, MSS. Purgatorium sæpenumerò admittit, [in Tractatu autem de Spirituali Prælio MS. dilucidè ac prolixè docet;] Preces Sanctis offerri, ut ipsi pro nobis Deum interpellent, monet; Septem Sacramenta enumerat; animasque in Purgatorio positas Ecclesiæ militantis precibus juvari prædicat. Istiusmodi tamen opiniones illum postmodùm abrenunciasse constat. Certè septem Sacramentorum doctrinam Wiclefistis improbasse fidem facit Æneas Sylvius *: quo nomine etiam à Concilio Constantiensi damnatus fuit. Purgatorium à Wiclefistis è medio sublatum esse, precesque pro mortuis ludibrio habitas idem refert: quin & Waldensis † Wiclefum Sanctos invocare prohibuisse narrat: ut quamplurima è Scriptis ejus à Cl. Jamesio prolata adversùs purgatorium ac preces pro mortuis testimonia impræsentiarum mittam. Cæterùm accuratam dogmatum Wiclevianorum cum hodiernâ Ecclesiæ Anglicanæ doctrinâ concordiam fusè demonstravit prolixa Wiclefi Apologia Anglico sermone edita Oxonii 1608. 4°. Vir doctissimus Th. Jamesius; qui Parsoni aliorumque absurdas opiniones Wiclefo summâ injuriâ affuentium, calumnias invictè diluit. Post clarissimi Confessoris obitum in sanctissimos ejus manes maximâ insaniâ debacchati sunt Pontificii. Conclusiones 18. ex Trialogo ejus desumptas, habitâ Londini anno 1396. Synodo, hæreseos damnavit Thomas Arundelius Archiepiscopus Cantuariensis, librosque illius omnes comburi jussit. Sint licèt argumenta, quæ Synodum istam ad annum 1410. referendam esse suadeant, non contemnenda. Inprimis verò Cancellarii totiusque Academiæ Oxoniensis testimonium solenni decreto anno 1406. Wiclefo redditum; quod ad calcem Operum Joannis Hussi reperitur. Postquàm enim præclarum probitatis ac pietatis elogium illi reddidisset, *fortemque fidei athletam singulos mendicitate spontaneâ Christi religionem blasphemantes S. Scripturæ sententiis catholicè expugnantem* appellasset; hæc subinfert. *Nec fuerat prædictus Doctor pro hæreticâ pravitate convictus, aut per nostros Prælatos post ejus humationem traditus incendiis. Absit enim, quòd nostri prælati tantæ probitatis virum pro Hæretico condemnâssent; qui in Logicalibus, Philosophicis, & Theologicis, ac Moralibus, & Speculativis inter omnes nostræ Universitatis, ut credimus, scripserat sine pari.* Conclusiones ejusdem 45. partim hæreseos, partim erroris damnavit Concilium Constantiense; libros flammis comburi, ossaque Sepulchro educta ignibus cremari decrevit. Decretum Concilii ex mandato Martini V. exequutus est Richardus Flemyng Lincolniensis Episcopus anno 1428. Acriùs tandem in Wiclefi memoriam nuper invectus est Varillasius, Historiographus Gallus; qui pristinas calumnias renovavit, novas subinde excogitavit; & utrasque in Historiâ suâ Hæresis in lucem dedit. Verùm tam insulsè plurimùm calumniatur Historicus ille mendacissimus, adeò omnem rerum gestarum Chronologiam perturbavit, tam crassos pariter ac ineptos errores admisit, ut putidissimum impostorem ubique prodat, & risu potiùs quàm refutatione excipi mereatur.

Innumera ferè Wiclefus Latino pariter ac vulgari idiomate conscripsit, non vulgari sanè eruditione recondita, si Waldenum ipsum, hostem VViclefi juratissimum testem adhibeamus: qui in Epistola quadam ad Martinum V. se VViclefi assertionum acumen, autoritatum copiam, rationum vehementiam supra modum obstupuisse profitetur. Ducenta plusquàm illius Operum volumina, pulcherrimè conscripta, bullis aureis tegumentisque pretiosis ornata, à Subincone Lepore, Archiepiscopo Pragensi, paulò ante Concilium Constantiense publicè

*L. 5. p. 2647.

*L. 5. p. 2664.

*Zizan. fascic. MS. ap. Baleum Cent. 6. c. 4.

*Histor. Bohem.

† Tom. 3. p. 204.

publicè concremata esse narrat Æneas Sylvius *. Haud minorem Opusculorum numerum, quorum partem longè maximam ipse oculis usurparat recenset Baleus Cent. vi. cap. 1. Omnia VViclefi Scripta in Angliâ adhuc delitescere, & ex Bibliothecis nostris quà publicis quà privatis in lucem efui posse lubenter crederem. Plurima ipsemet vidi, partim impressa, partim manuscripta; quorum Indiculum proximè subnectam.

* Hist. Bohem. cap. 35.

SCRIPTA.

Dialogorum libri IV. *quorum primus Divinitatem & Ideas tractat; Secundus Universarum creationem complectitur; Tertius de Virtutibus vitiisque ipsis contrariis copiosissimè loquitur; Quartus Romanæ Ecclesiæ Sacramenta, ejus pestiferam votationem, Antichristi regnum, Fratrum fraudulentam originem atque eorum hypocrisin; variaque nostro ævo scitu dignissima perstringit.* Prodierunt hi Dialogi, isthoc titulo insigniti, liquidis satis characteribus alicubi in Germaniâ impressi anno 1525. 4°. foliis 175. Habetur exemplar unicum in Bibliothecâ Collegii SS. Trinitatis apud Cantabrigienses.

Ostiolum Wiclefi, seu Tractatus Anglicus de Sacramento Altaris, quo Transsubstantiationem petitis tam è Philosophiâ quàm Scripturâ argumentis nervosè oppugnat. *Norimbergæ* 1546. 8°. *Oxonii* 1612. 4°. Hallucinatus autem est, quisquis libelli titulo apposuit, eum anno 1395. scriptum esse. Ante septennium enim obierat Wiclefus.

Tractatus II. *adversùs Fratres Mendicantes*. Istorum prior est Supplicatio ad Richardum II. & regni Ordines, ut Fraterculos ultra jus fasque omne sese efferentes in ordinem redigant. Posterior quinquaginta Fraterculorum errores ac crimina totidem capitulis impugnat. Prodierunt Anglicè à Cl. Jamesio editi *Oxonii* 1608. 4°.

Aphorismi seu Articuli Wicleviani, à Joanne Foxo in lucem editi *Argentinæ* 1554. 8°. Istos quidem nondum vidi.

Conclusiones XIX. è Scriptis ejus excerptæ, & à Gregorio XI. damnatæ, extant Concil. Tom. XI. p. 2041. *Conclusiones* XXIV. in Synodo Londinensi anno 1382. damnatæ, ibid. p. 2053. *Conclusiones* XVIII. ex Trialogo ejus desumptæ, & in Synodo Londinensi anno 1396. damnatæ, ibid. p. 2080. *Articuli* XLV. in Concilio Constantiensi anno 1415. damnati, ibid. p. 45. Conclusiones & articuli omnes prædicti habentur in Fasciculo Rerum Expetend. *Colon.* 1535. f. p. 95. 133.

Confessio Fidei, seu Conclusiones XVIII. in Synodo Lambethanâ anno 1377. exhibitæ; in quibus de Eccles. reditibus & clavium usu præsertim agit: apud Foxium in Comment. Rerum Eccles. *Basil.* 1563. f. par. 1. p. 8.

Epistola ad Urbanum VI. Papam missa anno 1384. *ibid.* p. 16.

Responsum ad Richardum II. Regem *de Iure Regis & Papæ*, anno 1377. Datum, *ibid.*

Declaratio fidei suæ, apud Walsinghami Historiam ad annum 1378. & *Cconlusiones* ejusdem plures ibid. & ad annos sequentes.

Anglica totius S. Scripturæ versio, quam ex vulgatâ Hieronymi versione concinnavit anno 1383. prout Codex MS. in Collegio Emmanuelis Cantab. asservatus in fronte ascriptum habet. Habetur etenim ista Versio MS. in Bibliothecâ dicti Collegii pulcherrimè exarata, uti & in Bibliothecâ Cottonianâ sub effigie Claudii E. 2. & in Bibliothecâ Regis nostri Jacobæâ, ut & in Lambethana & Collegii Sionensis Londinatis. Porrò extat MS. in Bibliothecâ publicâ Academiæ Cantab. Versio Novi Testamenti, eodem authore, Class. 3. num. 4. cui præfigitur prolixa admodum *Introductio de authoritate atque usu S. Scripturæ.* Sub istius initium enumeratis ex Judæorum ac Reformatorum sententiâ libris Scripturæ Canonicis, *reliquos omnes Apocryphos esse & authoritate fidei carere asserit.*

Expositio in omnes Epistolas Dominicales totius anni, *Anglicè*, qua dogmata ac corruptelas Pontificiorum acerrimè impugnat. MS. ibid. Class. 4. fig. 10. 8°.

Commentarius in Epistolas & Evangelia Dominicalia totius anni, habetur MS. in principio tamen ac fine mutilus; in Collegio M. Joannis Cantab. C. 8. fol.

Tractatus varii contra Clericos & alios statui, Anglicè MS. in Collegio Corporis Christi Cantab. Num. 362. 40. Codicis margini nota isthæc inscribitur. In isto volumine habentur collecti Tractatus omnes mordaces de erroribus ac corruptionibus, quæ suo ævo Joannes Wiclefus deprehendit; præsertim autem in Clero, in Monachis, & in mundi ordinibus. *Quæstiones* ejusdem *variæ contra Clerum* Anglicè extant MSS. in Bibliothecâ Lambethanâ in 12°.

Tractatus prolixus de actibus animæ, MS. ibid. inter volumina Miscellanea lit. K. fol. à p. 47. ad 88.

Determinatio contra Ioannem Kylyngham Carmelitam. MS. ibid. à p. 419. ad 426.

Determinatio contra Monachum quendam de Civili Dominio, Latinè, quâ adversùs Monachum probat resignationem coronæ & vectigalis solvendi sponsionem à Joanne Angliæ Rege Pontifici Romano olim factam in præjudicium Regni Angliæ cedere non debere, neque Regem impræsentiarum obligare. MS. in Bibliothecâ Lambethanâ in 8°.

Commentarius in Psalmos, aliosque S. Scripturæ ac Liturgiæ Ecclesiasticæ Hymnos. MS. in Collegio S. Trinitatis Cantab. f. Commentarius in priores LXXXIX. Psalmos habetur MS. in Bibliothecâ Lambethanâ.

Harmonia Evangelica, à Clemente Presbytero Lanthoniensi (claruit is anno 1170. & prolixum in septem Canonicas Epistolas Commentarium scripsit, MS. in Bibliothecâ Lambethanâ asservatum) Latino sermone contexta, à Wiclefo *Anglicè conversa*, MS. penès Richardum Chisvvell Bibliopolam Londinensem. 4°.

Commentarius in selecta S. Scripturæ loca, Anglicè MS. 4°. apud eundem.

Pauper rusticus, seu Miscellanei Tractatus varii Anglicè, qui pauperes sine multorum librorum ope totam Christianam religionem edocent; viz. *Expositio Symboli Apostolici, Decalogi, & Orationis Dominicæ; Paranesés variæ homines ad desiderium cœleste excitantes, Consilium Christi, De Patientiâ boni, De tentatione, Diploma cœli, De Spirituali prælio, De nomine Iesu, De amore Jesu, De verâ mansuetudine, De affectu humanæ voluntatis, De vita activâ & contemplativa, Speculum Castitatis*; quod putidissimis fabulis repletum Wiclefo cumprimis indignum videtur. Habetur iste Codex Miscellaneus MS. penès eruditissimum mihique amicissimum virum M. Joannem Langhton Academiæ Cantabrigiensis Protobibliothecarium, 12°. quin & in Bibliothecâ Cantabrigiensi publicâ 12°. & in Collegio D. Joannis, ubi Codex MS. *Catechismi VVicleviani* titulum præfert.

Alia Miscellaneorum Collectio viz. *Expositio Decalogi*, priore multò brevior, De 7. *peccatis mortalibus*, *De* 7. *sensibus corporeis ac totidem facultatibus animæ*, *De* 7. *virtutibus spiritualibus*, De 7. *donis Spiritûs S. De* 7. *Sacramentis*: *De* 12. *impedimentis orationis*, *De natura fidei*, De *diversis gradibus charitatis*, *Expositio Orationis Dominicæ*, à præcedente diversa & in

Digitized by Google

in errores Pontificios oppugnando longè acrior, *Speculum Peccatorum*, *Diploma cœli* (quod quidem unicum præcedenti Collectione commune habet) *Tres Sagittæ.* Extat ista Collectio MS. 12°. penès RR. Virum mihique multis nominibus suspiciendum, Th. Tenisonum, Theologum nostratem. Ne verò plures ac diversos ejusdem argumenti Tractatus Wiclefo ascriptos miremur; plures illum Decalogi Expositiones ac Dialogi editiones evulgasse prodit, qui in scriptis ejus versatissimus fuit Joannes Hussus *. Tertiam adhuc Miscellaneorum Wiclefi Collectionem vidi MS. in Bibliothecâ Lambethanâ, in qua præter Tractatus suprà memoratos habentur Opuscula, *de desiderio Jesu*; *de spirituali & carnali amore*; *Equestris apparatus & armatura cœli.* Forsan & aliæ alibi habentur.

* Replic. contra Angl. Io. Stokes inter opp. ejus Tom. 1. fol. 108.

Præter hosce, quos ipse vidi, Codices MSS. alios à se visos sæpe numerò citat Jamesius in Apologiâ Wiclefi suprà laudatâ, viz. *librum de veritate S. Scripturæ*; *Tractatum alium de 7. peccatis mortalibus*; *Libellum miscellaneum*; *De Civili Dominio* (MS. in Bibliotheca publica Oxoniensi) *De Blasphemiâ*; *Confessiones binas de Sacramento Altaris*, Latinam alteram, alteram Anglicam; *Sermones III. in Domini Sermonem in monte habitum*; *De vitâ Sacerdotum*; De *Regulâ S. Francisci*; De *Fundamentis Legum Angliæ Commentarium* vernaculo Sermone; *Expositionem* denique *Decalogi Latinam*; Wiclefi *Opus magnum de decem Præceptis*, unà cum *Trialogo* ejus, & 23. *aliis tractatibus* se ex Hibernia fugientem reliquisse memorat Baleus. Plurima Trialogi excerpta exhibet Gul. Wodefordus in illius, quam elucubravit, Refutatione.

Habentur adhuc MSS. in Bibliotheca Cottoniana *Postillæ VViclefi super Dominicarum & Feriarum Evangeliis*, *sub effigie Claudii D.* 8. *Sermo in Festo omnium Sanctorum*, *Tractatus de modo orandi*, *Alius de virtutibus ac vitiis*, Anglicè omnia, sub effigie Titi D. 19. num. 16, 17, 18.

Tractatus de Incarnatione Verbi extabat MS. in Bibliotheca Lumleiana, Cod. 297. *Speculum Sæcularium Dominorum* MS. in Bibliotheca Regis Westmonasteriensi.

Opus de abominatione in Loco sancto asservatur MS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, teste Lambecio Comment. l. 2. p. 777.

1360. H. W. JOANNES CALDERINUS, patriâ Bononiensis, Jurisconsultus celeberrimus, à Joanne Andrea post Boniconti obitum in filium adoptatus, claruit anno 1360. Obiit Bononiæ, apud Dominicanos sepultus. Extat *Tabula continens authoritates & sententias Bibliorum*, prout in Decretalibus citantur, ordine alphabetico disposita, *Spiræ* 1481. *Consilia* sive *Responsa Juris*, *Venet.* 1582. & admixtis Gasparis filii Consiliis, *Lugduni* 1536. *Repetitiones variæ in Jure civili*, *Lugduni* 1587. *Tractatus de Interdicto Ecclesiastico*, *Venet.* 1584. *Commentaria ejusdem in libros Decretalium*, *Decisiones*, aliaque plura Scripta Jus utrumque spectantia, recenset Simlerus Biblioth. p. 350.

1360. H. W. PETRUS BERCHORIUS, gente Gallus, Patriâ Pictaviensis, Ordinis Benedictini Monachus, Prior Monasterii S. Eligii Parisiensis, claruit anno 1360. Obiit ann. 1362. in Cœnobio suo sepultus. Scripsit ad Joannem de Pratis, Episcopum Prænestinum, *Dictionarium seu Repertorium morale Biblicum*, alphabeticè dispositum, in quo dictiones præcipuas ad instar locorum communium tractat, & ad mores accommodat: item *Reductorium morale utriusque Testamenti libris* XIV. in quo tota ferè Scriptura tropologicè exponitur, intermixtis plerunque Allegoriis: denique *Inductorium morale*, in tres partes divisum. Prodierunt simul tria isthæc Opera *Basil.* 1515. *Paris.* 1521. 4. vol. f. *Venet.* 1583. 1589. 3. vol. f. *Colon.* 1620. 3. Tom. f.

JOANNES SAPIENS, CYPARISSIOTA cognomento dictus, natione Græcus, de cujus ætate haud benè constat. Mihi tamen circa an. 1360. vixisse videtur, certè Gregorio Palamæ suppar. Extat *Expositio materiaria eorum, quæ de Deo à Theologis dicuntur*, in X. Decades distributa, quæ quidem *abdita continentur mysteria mystica & symbolicæ Theologiæ*, censente Card. Bona †. Prodiit Latinè à Fr. Turriano edita *Romæ* 1581. 4°. & in Bibliotheca Patr. Tom. XXI. pagin. 377. Habentur ejusdem *Sermones* II. *Palamicarum Transgressionum*, Gr. Lat. apud Combefis. Auctar. Noviss. *Paris.* 1672. 1360. H. W.

† Notitia Autor.

MANUEL CALECA, seu Calecas, natione Græcus, Ordinis, uti volunt, Dominicani Monachus, claruit anno, non 1250. quod plures volunt, sed 1360. quippe qui contra Palamitas scripserit. Fucum itaque Lectori facit Petrus Galesinus *, dum Calecam Concilio Lugdunensi II. anno 1274. interfuisse scribit, non magis hâc in re audiendus, quàm cùm Michaelem Imp. CP. eidem Concilio adfuisse prodit. 1360. H. W.

* Vit. S. Ravent.

SCRIPTA.

Libri IV. *adversus Græcorum errores de Processione Spiritûs Sancti*: quos Ambrosius Camaldulensis jussu Martini V. Pontificis Latinè vertit, versos edidit Petrus Stevartius cum notis *Ingolstad.* 1608. 1616. 4°. exinde recusos in Bibliothecâ Patr. Tom. XXVI.

Liber de Essentiâ & Operatione Dei adversùs Palamitas, illorumque Pseudo-Synodum, sub Joanne Cantacuzeno habitam.

De principiis Fidei Christianæ secundum traditionem S. Scripturæ & Doctorum Catholicorum liber in X. Capita distributus. Utrumque Opusculum Gr. Lat. in lucem extulit Fr. Combefisius Auctar. Noviss. *Paris.* 1672. f.

De *SS. Trinitate Tractatum* Calecæ opulentissimum à se visum esse testatur L. Allatius de Consensu l. 2. c. 18. §. 4.

MANUEL CALECA, natione forsan Græcus, claruit Gregorio Palamâ junior, circa annum MCCCLX. Scripta quod attinet, præter ea quæ congessit Cl. VVhartonus, supersunt nonnulla nobis etiam memoranda. Extant *Orationes* duæ, in *Circumcisionem Domini* una. Pr. Τῷ καιρῷ ἐκείνῳ ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι. In S. *Stephanum* altera. Pr. Ὥσπερ ὁ ἥλιος πανταχοῦ μὲν τῆς γῆς τὰς ἀκτῖνας. Harum notitiam conservavit L. Allatius *de Simeon.* pagg. 112. 115. Ejusdem *Orationes Theologicas* memorat, quarum etiam sextam laudat, & lacinias duas exinde profert idem Allatius, *adv. Creighton*, pagg. 435. 436. Idem fragmentum satis amplum ex libro quarto contra Græcos, qui nativo sermone nondum prodiit, Græcè exhibet in Tractat. *de Purgatorio*, à pag. 12. ad pag. 20. aliud *ibid.* p. 311. nonnulla *lib. de Consens.* coll. 1332, 1333. 1360. Opus Græcum integrum extat MS. in *Biblioth. Regia Parisiensi*, Cod. 901. Grammatica etiam Græca MS. habetur *ibid.* Cod. 1992. 1360. R. G.

BARTHOLOMÆUS DE GLANVILLA, *Anglicus* à Patriâ cognomento dictus, ex illustrissimo Comitum Sudovolgiorum sanguine oriundus, Ordinis Franciscani Monachus. Claruit anno 1360. Præclarâ rei Theologicæ & Philosophicæ, quas Oxonii, Lutetiæ ac demum Romæ summo studio 1360. H. W.

SÆC. XIV. ab An. MCCC. studio coluerat, notitiâ instructus, S. Scripturæ Allegoriis atque ænigmatibus, quæ sub naturalium rerum proprietatibus & figuris plerumque obvelantur, explicandis animum adjecit; & ex centum plus minus Scriptoribus, quorum ipse post præfationem nomina recenset prolixum concinnavit *Opus de Proprietatibus rerum*, in libros XIX. distributum: quorum primus de Deo, secundus de Angelis bonis ac malis, tertius de anima rationali, quartus de substantiâ corporeâ, reliqui de cæteris rebus creatis agunt. Prodiit Argentinæ 1488. 1505. 4°. *Norimbergæ*, 1492. & titulo *Allegoriarum ac Tropologiarum in utrumque Testamentum Parif.* 1574. Libris hisce XIX. accedere solet vicesimus *De rerum accidentibus*, viz. *De numeris, mensuris, ponderibus & sonis*, & in editione Parisiensi 1574. *Liber de proprietatibus Apum*. Ejusdem *Sermonum liber* prodiit *Argentinæ* 1491. *Librum contra Laurentium Vallam* MS. in Collegio Baliolensi, & *Practica librum* MS. in Bibliothecâ publicâ Oxonii, atque alia quædam memorat Pitseus pagin. 495. & ex illo Waddingus de Scriptor. Ord. Minor. pag. 50. *Postillas Scripturarum* ab eodem concinnatas esse prodit Baleus Cent. 6. cap. 15. Vidi equidem in Bibliothecâ Regis nostri Westmonasteriensi Postillas MSS. in Evangelia SS. Matthæi & Marci binis codicibus, quorum alter nonnisi Postillam in Matthæum apposito Authoris nomine, alter Postillas in utrumque Evangelium tacito Authore, continebant. Eidem verò Authori utrumque Codicem deberi communis, quæ in utroque habebatur, in Matthæum Postilla demonstravit. Istæ tametsi Joannis cujusdam de Glanvillâ nomen præ se ferrent; Bartholomæo forsan nostro non immeritò ascribi possent. Neque enim ullus, quod sciam, Scriptor Joannis de Glanvillâ meminit, & Authorum nomina in Codicibus MSS. perperam collocari haud adeò insuetum est, ut ætatem Codicis MS. Bartholomæi ævo, quantùm conjectari licuit, optimè convenientem taceam. Utut sit, binas, quas exinde descripsi de Eucharistiâ lacinias apponere Lectori forsan non ingratum erit. In Postillâ itaque in S. Matthæum Autor ad illa verba, Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus, istiusmodi glossam dedit: *Mysticè hoc ad corpus, illud ad sanguinem Christi refertur.* In Postillâ autem in S. Marcum, ad eadem verba, hæc habet. *Jesus accepit panem, sc. figurans corpus suum in pane, quod est Ecclesia: Præsensque accipitur in fide, benedicitur in numero, frangitur in passionibus, datur exemplis, sumitur doctrinis.*

1360. H.W. JOANNES RUYSBROKIUS, gente Belga, in vico cognomine ad Sennam fluvium inter Bruxellam & Hallas natus, *Doctor Divinus* dictus, & à Dionysio Carthusiano alter Dionysius Areopagita appellatus, Ecclesiæ majoris Bruxellensis Presbyter, & Ecclesiæ S. Gudulæ Vicarius; postea Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Cœnobii Viridis Vallis in silvâ Soniâ tertio à Bruxellâ lapide recens fundati primus Prior anno ætatis suæ sexagesimo constitutus est. Claruit anno 1360. Obiit die 2. Decembr. anno 1381. ætatis suæ 88. hæreseos post mortem à Joanne Gersono accusatus, à Surio defensus. Scripsit idiomate materno Opuscula complura, pietatem & amorem Dei redolentia; mysticâ Theologiâ & obscuro satis stylo usus, Pseudo-Dionysium Areopagitam utrinque æmulatus. Istorum præcipua quævis Latio donavit, atque ordine sequenti edi curavit Laurentius Surius.

Summa totius vitæ spiritualis.
Speculum salutis æternæ.
Commentaria in Tabernaculum Mosis, & ad id pertinentia, interprete Jordano.
Tractatus de præcipuis quibusdam virtutibus.
De fide & judicio Libellus.
De quatuor Tentationibus.
De septem custodiis Scholæ Spiritualis, sive seriis.
De septem gradibus Amoris, interprete Gerardo Magno.
De nuptiis spiritualibus libri III. interprete Gulielmo Jordano.
De calculo, sive, *perfectione filiorum Dei*, interprete Gul. Jordano.
Regnum amantium Deum.
De verâ Contemplatione Opus insigne.
Epistolæ XII. *utilissimæ.*
Cantiones II. *spirituales.*
Samuel, sive, *de alta contemplatione.*
Oratio brevis. Prodierunt Opuscula isthæc omnia *Colon.* 1552. f. 1609. 4°.

JOANNES de FORDUN, gente Scoto-Britannus, Patriâ Marnensis, vico sui nominis oriundus, Historicus insignis, claruit anno MCCCLX. 1360. R. G. Alius quippe omninò est à Joanne de Fordhan, Cœnobii Fordensis Abbate, qui Joanni Anglorum R. ab auriculari confessione fuit, & circa annum MCCX. floruit, ut rectè notavit Cl. Editor. Multum debet Joanni nostro Patria sua, multum recentiores Scotorum Historici ob Historiam suam tanto sudore laboratam, quam *Scoti-Chronicon* inscripsit. In isto opere in quinque libros diviso, suæ Gentis Historiam à prima origine usque ad media tempora Edoardi III. viz. annum MCCCLX. summa fide conscripsit: idem interpolavit & continuavit Magnus Mac-Ullac Fordunii discipulus. *Continuatio* extat MS. in Biblioth. Regiâ Westmonast. *Historia* prodit curâ Cl. Tho. Gale, ex Cod. MS. quem olim possidebat Hector Boëthius, inter XV. *Scriptores Rer. Angl.* Oxon. 1691.

NICOLAUS ORESMIUS, sive OREM, gente Gallus, Patriâ Normannus, Theologorum, Philosophorum, & Mathematicorum in Academia Parisiensi coryphæus; à Joanne itaque Galliæ Rege delectus, qui Carolum filium, Sapientem postea dictum, bonis literis moribusque informaret. 1361. H. W. Post adeptam Doctoratûs lauream, Navarrense Gymnasium anno 1356. regendum suscepit; ubi Theologiam ex officio docuit, & Caroli Regis jussu Gallicæ S. Bibliorum Versioni incubuit. Anno 1361. quò præcipuè claruit, regiæ Palatii Capellæ Thesaurarius, & Decanus Rothomagensis factus, præfecturâ Navarrensi cessit. Anno 1363. Orationem coram Urbano V. & Cardinalibus Avenione acrem habuit: quâ auditoribus suis totique Clero exitium haud ita procul imminere contestatus est: & prædictionis suæ argumenta ex eorum sceleribus desumpta palam exposuit. Anno 1370. Caroli Regis mandatis obsecutus, Veterum scriptis Gallicè vertendis operam dedit; & septennio circiter expleto Episcopatum Lexoviensem mercedem accepit. Obiit circa an. 1384.

SCRIPTA.

Sermo in illud Isaiæ, Juxta est salus mea, &c. coram Urbano V. & Cardinalibus habitus, à Flacio Illyrico editus habetur in Catalogo Testium Veritatis p. 512. à Solomone Gesnero seorsim recusus *VVittebergæ* 1604.

De mutatione monetæ Liber. Extat in Bibliothecâ Patrum Tom. XXVI. p. 226.

Tractatus de Sphærâ, Gallicè editus *Parif.* 1546.

Politica atque Ethica Aristotelis, libri aliquot Ciceronis, & Petrarchæ de remediis utriusque fortunæ liber, ab eo Gallicè versi & Lutetiæ 1486. 1488. 1534. excusi, in censum venire haud merentur.

Quam-

SÆC. XIV. ab An. MCCC. Quamplurima alia Oresmii scripta, & in his *Sermones* cxv. in Bibliothecis Navarrensi, Vaticana, & Augustinianorum Parisiensium MSS. asservata recenset Jo. Launoius Hist. Gymnas. Navarr. Tom. II. p. 458.

1362. H. W. URBANUS V. paterno nomine *Gulielmus Grisant* appellatus, natione Gallus, Patriâ Lemovicensis, Juris Canonici Doctor, & Ordinis Benedictini Monachus, Cœnobii S. Victoris apud Massiliam Abbas, sedis Apostolicæ in regno Siciliæ & Neapolis Legatus, Pontifex Romanus Avenione absens electus est anno 1362. die xxviii. Septembr. electionem ratam habuit die xxvii. Octobr. Avenione inthronizatus die xxxi. ejusdem, consecratus & coronatus die vi. Novembris. Sub initia Pontificatûs excommunicato Bernabove Vicecomite Mediolanensi, res Italiæ turbatas pro lubitu composuit. Anno 1364. Petrum Castellæ Regem anathemate percussit; regno ejici mandavit; Henricum fratrem Petri naturalem, legitimum haberi, & Petri loco regem esse jussit. Mox levi quadam offensâ irritatus Petrum Arragoniæ Regem diris devovit, & Sardiniæ ac Corsicæ regno mulctandum decrevit. Anno 1367. Romam iter suscepit; rebusque in Italia ex animi sententia compositis, ubique triumphavit. Anno 1378. Carolum iv. Imp. post peractas sibi stratoris vices Romæ excepit. Anno sequente Joannem Palæologum Imp. CP. vanâ subsidii contra Turcas impetrandi spe lactatum Romam accersivit, stratoris munere dignatus est, & in quascunque obsequii fideique formulas jurantem anno 1370. dimisit. Obiit eodem anno, Avenionem prius redux, die xix. Decembr. Massiliæ apud S. Victorem sepultus. Extant *Epistolæ* III. Concil. Tom. xi. pagin. 1957. 2033. *Constitutio contra pluralitatem beneficiorum*, ibid. pag. 1936. *Epistolæ aliæ* viii. de unione Ecclesiarum Græcæ & Romanæ, apud Bzovium ad ann. 1365. & *aliæ* lx. apud Waddingum Annal. Minor. Tom. iv. ad annum 1363. & *aliæ* lvii. ibidem in Regesto Pontif. pag. 71. *Versus de Agno Dei*, apud Victorellum, addition. ad Ciacconium de Vitis Pontif. *Romæ* 1630. *Epistolarum Volumen*, MS. in Bibliothecâ Vaticanâ. *Expositionem ejus in Apocalypsin* MS. ex Hiberniâ fugiens post se reliquit Baleus.

1362. H. W. HAINRICUS, natione Germanus, Monachus Rebdorfiensis, claruit anno 1362. Scripsit *Annales* rerum ab Imperatoribus Adolfo, Alberto, Frederico III. Ludovico Bavaro & Carolo IV. gestarum, ab anno 1295. ad an. 1363. Annales istos in lucem edidit Marquardus Freherus inter Historicos Germaniæ *Francofurt.* 1600. Tom. 1. p. 411.

1362. R. G. AMALRICUS AUGERII, patriâ Biterrensis, (non Bononiensis uti conjicit Vossius) ex Ordine S. Augusti. Monachus, ac Monasterii B. Mariæ de Aspirano, diœcesis Helenensis, Prior, claruit anno MCCCLXII. *Chronicon Pontificale* ex ccix. scriptoribus collectum ordine Alphabetico contexuit, ac Urbano Papæ V. nuncupavit: Pontificum neminem post Joannem XXII. in isto Opere memorat, nec ipsius Joannis ultra sextum Pontificatûs annum res gestas persequitur. Hunc passim laudat celeberr. Annal. Continuator*, ac præclaris ornat elogiis, *quo neminem fideliorem aut accuratiorem Chronographum eo tempore reperiri asserit. Chronici* supradicti partem, *Vitas*, viz. *Clementis V. & Joannis* XXII. *PP.* è tenebris produxit, & notis uberrimis illustratam edidit Cl. Baluzius, *Vit. Pap. Aven.* T. I. col. 95. 185. Opus integrum extabat MS. apud P. Scriverium, teste G. Vossio, de *Hist. Lat.* lib. III. c. 1. p. 531. Scripsisse etiam *Historiam belli contra Albigenses* testatur Sandæus *not. & animadv. in* Voss. Hist. Lat. p. 202.

*Spondan. ad ann. 1310. num. IV.

PHILOTHEUS, natione Græcus, vitam Monasticam ab ipsis ferè incunabulis summâ virtute ac pietate excoluit, postea Moderator sacræ Lauræ in monte Atho, & ante annum 1354. Metropolita Heracleensis constitutus est. Ineunte, ut videtur, anno 1355. Didymotichum à Cantacuzeno Imp. legatus est; ut pacem inter Matthæum filium & Palæologum generum conciliaret. Eodem anno, deposito Callisto, Patriarcha Constantinopolitanus electus pacem inter Cantacuzenum & Palæologum summo animi studio promovit. Palæologo mox Constantinopolis urbis potito, Callisto Patriarchatum cessit, & populi metu in latebras sese dedit. Anno sequente Callisto è vivis sublato, sedi CP. à Joanne Imp. iterum restitutus est, summoque deinceps favore cohonestatus. Claruit anno 1362. Obiit, postquàm Patriarchatum quindecim annos circiter occupasset, 1371. Vir, judice Cantacuzeno*, καὶ βίῳ καὶ λόγῳ τοῖς ἱερῶσι ἀξιοχρέως ὢν πρὸς αἰδῶ; *ob vitæ sanctitatem & eloquentiam venerabilis.* 1362. H. W.

*Hist. l. 4. c. 32.

SCRIPTA.

Liturgia & Ordo instituendi Diaconum. Extat Lat. in Bibliothecâ Patr. Tom. xxvi. p. 200.

Sermo Encomiasticus in tres Hierarchas, Basilium, Gregorium Theologum, & Joannem Chrysostomum. Lat. ibidem. Gr. Lat. à Jacob. Pontano unà cum Dioptrâ Philippi Solitarii editus *Ingolstad.* 1604. 4°. & à Frontone Ducæo in Auctario Patrum *Paris.* 1624. Tom. 2. p. 313.

Oratio de Cruce. Gr. Lat. apud Gretser. de Cruce Tom. 2. p. 1255.

Oratio in tertiam jejuniorum Dominicam. Gr. Lat. ibid. p. 1477.

Refutatio Anathematismorum ab Harmenopulo Scriptorum. Extat Gr. Lat. apud Leunclavium Jur. Gr. Rom. l. 4. p. 288.

De divinâ substantiâ, operatione, potentiâ, & lumine in monte Thabor libri xv. pro Gregorio Palamâ, contra libros x. Nicephori Gregoræ. Extant MSS. in Bibliothecis Bavaricâ & Vaticanâ. Fragmentum eorum Latinè exhibet Bzovius ad an. 1337. bina Græcè L. Allatius, alterum lib. de Purgatorio p. 770. alterum lib. de libris Eccles. Græc. p. 218.

Sermones dogmatici adversus Barlaamitas & Acindynistas habentur MSS. in Bibliothecâ Augustanâ. Annon idem cum præcedente opus constituant, videant Eruditi. Index Biblioth. August. p. 27.

Confessio Fidei. MSS. ibidem.

Homiliæ in Evangelia & Sanctos totius anni. MSS. in Bibliothecâ Bavaricâ.

Homilia in omnes Sanctos. MS. in Bibliothecâ Cæsareâ.

Compendium de œconomiâ hominis Christi, & Encomium S. Demetrii. MSS. in Bibliothecâ Vaticanâ.

PHILOTHEUS, cognomento *Coccinus*, Patriâ Græcus, primò Monachus Sinaïta, deinde Præpositus Monasterii in Monte Atho, postea Heracleæ Metropolita, ac tandem Patriarcha CP. claruit anno MCCCLXII. Hunc miris laudibus extollit, prudentiamque ejus, ac eruditionem, pietatem ac sanctimoniam, quâvis datâ occasione, in historiâ suâ deprædicat Joan. Cantacuzenus Imp. Scripta quod attinet, edita pleraque recensuit Cl. Warthonus, & nonnulla inedita; accuratiorem eorum notitiam adhibere liceat. *Ordo Sacri Ministerii* à Philotheo institutus, prodiit Græcè & Latinè curâ Jac. Goari *Eucholog.* 1362. R. G.

SÆC. XIV. ab An. MCCC. log. sive Ritual. Græcor. Parif. 1647. fol. pag. 1. Doctrina collecta ex Joan. Chryfoftomo, & aliis Patribus fuper Evangelium de Publicano & Pharifæo Pr. Ἡ εἰς τὸν τελώνην καὶ τὸν φαρισαῖον παραβολὴ καὶ ὑπόθεσις, ὥσπερ γυμνασιά τις. Extat Græcè MS. in Bibl. Vindob. Cod. Theol. XLVII. nu. vii. Capita Afcetica decem, quorum quinque priora & pars fexti ob defectum unius vel duorum foliorum defunt; reliqua habentur MS. ibid. Cod. Theol. CLXXIX. nu. XIII. In eadem Bibl. Cod. Theol. CXCII. n. XIII. reperiuntur Capitula Afcetica XI. nifi quod unius itidem folii defectu quinque priora defint; fextum fic incipit. Ὅταν ἐν ἕξει τινι γινώμεθα ἐγκρατείας. Integra ut videtur extant in Cod. Reg. Parifienfi 853. horum meminit Poffevinus, alterius cujufdam Philothei opus exiftimans, conjecturâ autem aberravit vir eruditus. Oratio Afcetica, quod cuftodiâ cordis obferventur etiam præcepta Chrifti. Pr. Ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ἡ τοῦ Πατρὸς τοῦ ἀιδίου σοφία καὶ δύναμις, φησίν. Ὁ ἀγαπῶν με. MS. in eodem Codice Vindob. n. XIV. Sermonum quorundam Afceticorum Fragmenta MSS. habentur ibid. Cod. Theol. CCCV. n. XX. Oratio in omnes fanctos. Pr. Καὶ τὸ λόγοις μὲν ἄλλως τὰ τῶν ἁγίων ἐκεῖνα διεξιέναι, καὶ θαύματα καὶ ἀγῶνας ἐκείνων. Hujus meminit L. Allatius de Simeon. p. 97. extat MS. Vindob. Cod. Theol. CCLXXIX. n. IV. & in Vaticana. Notet Lector Compendium de Oeconomia Chrifti hujus Orationis partem effe, non integrum tractatum. Oratio in S. Anyfiam MS. in Biblioth. Vaticanâ, tefte Poffevino. Oratio in S. Demetrium Martyrem & Miroblytam. Pr. Δημήτριος ἡμῖν τῆς συλλογῆς καὶ τῶν λόγων ἀφορμὴ προὔκειται σήμερον. MS. in Bibl. Vind. Cod. Theol. CCI. n. i. Orationes tres ad Helenam Imperatricem, de Beatitudinibus Evangelicis. Pr. Μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. MS. ibid. n. ii. Epiftola ad Petriotam Barlaami fectatorem, Quod uti S. Trinitas unus fit Deus, fic etiam una fit Deitas, & de Divinâ Operatione. Pr. Χθὲς καὶ πρότριτά μοι τις τῶν συνήθων ἀγγελίαν ἧκε κομίζων. MS. ibid. n. IV. & in Cod. Reg. Parif. 1752. Differtatio ad M. Domefticum Palæologum de Deitate, occafione fumptâ ex fcriptis Antirrheticis D. Bafilii adv. Eunomium, MS. ibid. n. v. Ad eundem M. Domefticum Differtatio de divinâ Chrifti transfiguratione in monte Thabor, & de Lumine quod ibi Difcipulis apparuit. Pr. Ἐπεὶ δὲ τὰς λέξεις καθ' ἡμῶν συκοφαντίας τε καὶ καινοτομίας. MS. ibid. n. VI. De Præceptis Domini. MS. in Bibl. Regis Gallorum, Cod. 853. iterumque ibid. 932. in quo, dictum opus excipiunt Theoremata Ethica, Phyfica, Theologica, atque excerpta è variis Auctoribus, noftri Philothei ut videtur labore congefta. Vide Labb. Catal. MSS. pagg. 92. 95. Orationes five libri tres contra Niceph. Gregoram de lumine in Monte Thabor. Libri alii XII. contra ea quæ idem Nicephorus in Dialogis fcripferat de Divinâ effentiâ & operatione. Hi XV. MSS. extant in Biblioth. Bodleianâ, Cod. 711. Regiâ Parif. Cod. 80. Bavaricâ Cod. 111. & in Vaticanâ Sermones Dogmatici duo adverfus Barlaamum & Acindynum de Divinitate, & Divino lumine fynodo oblati. Habentur MS. in Biblioth. Regis Gallorum, Cod. 1752. & in Auguftanâ, fubfell. II. Cod. 23. II. Hos in Indice Auct. Græc. editorum recenfet Cl. Du Cangius, quo autem loco aut tempore lucem afpexerunt non indicat, nec ullam omninò editionis notitiam aliunde expifcari licuit. Scripfit denuò Philotheus Canones & Acoluthias, hoc eft, Cantica & Officia Ecclefiaftica, quorum nonnulla fuperfunt. Canon five Canticum Ecclefiaft. in S. Georgium Martyrem Pr. Ἀνυχάστως ἡμέραν καπνίζοντες λαμπρὰν. Acoluthia, five Officium Ecclesiaft. in Greg. Palamam Archiepifcopum Theffalonicenf. unà cum inferto Synaxario Vitæ ipfius Dominicâ τῆς ὀρθοδοξίας, i. e. Secundâ jejuniorum cani folita. Pr. Ποίοις εὐφημιῶν ἄσμασιν. Extant MSS. in Biblioth. Vindob. Cod. Theol. CLXXXVII. In eadem Bibliothecâ Cod. CCI. n. iii. habentur Græcè MSS. Cantica duo Ecclefiaftica in eundem Palamam Thaumaturgi nomine infignitum, unà cum Acoluthia in ejus memoriam. Primum Canticum fic incipit. Εὐφραίνου ἐν κυρίῳ πόλις Θεσσαλονίκη. Secundum hoc modo, Χάροις τὸ ἐνσεβείας φωστήρ. Acoluthia his verbis concipitur Πάτερ ἱερὲ Γρηγόριε, σὺ τὸν Θεὸν ἐκ παιδὸς ἀγαπήσας ἐξέφυγες ὑλικὴν προσπάθειαν. De his in Gr. Palamam officiis confulatur L. Allatius de Lib. Eccl. Græc. Differt. II. à pag. 193. ad pag. 219. fragmenta quædam ex iftis profert idem Allatius adv. Hottinger. p. 215. Scripfit etiam Tractatum Aftronomico-Theologicum de fignificatione circumvolutionis Syderum, cujus non nifi titulus & paucula initialia verba fuperfunt MSS. in Bibl. Vind. Cod. Theol. CCCV. num. XI.

BERNARDUS, DAPIFER cognomento dictus, Molicenfis in Auftriâ Monachus, claruit anno 1362. Scripfit Hiftoriam de B. Gothalmo, S. Colomanni Cellario, quam primus in lucem edidit Cl. Lambecius Comment. de Biblioth. Vindob. Tom. 2. p. 618. 1362. H. W.

JOANNES MILICIUS vel MILITZIUS, natione Bohemus, obfcuris quidem natalibus ortus, verùm pietate & eruditione illuftris, claruit anno MCCCLXII. Ecclefiæ Pragenfis Archidiaconatum eo animo depofuit, ut facris Concionibus unicè vacaret: Hujus Sermonibus ductæ (diu enim in iftâ urbe Prædicatoris munus fuftinuit) mulieres meritoriæ, defertis lupanaribus, caftitatem & fanctimoniam excoluerunt, ipfumque lupanar Caroli Imp. juffu in Clauftrum converfum eft. Nihil prius in votis habuit Milicius nofter, quàm ut degeneres fæculi fui mores in meliùs efformaret, fideique & difciplinæ corruptelas detegeret fimul & fanaret. Adventum etiam Antichrifti non tam prædixit, quàm monftravit, unde apud Inquifitores Hærefis delatus, ad fedem Romanam provocavit: paucis poft diebus quàm Romam pervenerat, morbo correptus ipfo D. Petri die Fefto anno MCCCLXXIV. animam piè exhalavit. Hunc laudat M. Flaccius Illyr. Catal. Teft. Verit. col. 1795--6. Lucubrationes recenfuit Bohufl. Balbinus, qui Vitam ejus ab Anonymo fcriptam ex Cod. MS. Trebonenfi defcripfit, & publici juris fecit. Mifcel. hift. Bohem. Decad. I. l. II. p. 43. Extant ex fide Balbini Conciones Quadragefimales MSS. in Biblioth. S. Clementis Pragæ, fub literâ N. 206. iterùmque 216. Prothemata de B. Virgine MSS. ibid. 301. Poftilla in Evangelia, in duos Tomos diftributa; prior habetur MS. ibid. 404. & in Biblioth. Trebonenfis Cœnobii fub lit. F. Cod. 2. pofterior in eadem Trebonenf. Biblioth. lit. M. Sermones de tempore & de fanctis MSS. ibid. lit. O. Opufcula denique MSS. in Biblioth. S. Clementis, lit. O. Cod. 216. 1362. R. G.

S. BRIGITTA, gente Sueca, regio fanguine prognata, Birgeri & Sigridis filia, Wulfonis Neriiciæ Principis uxor, pietatis ac virtutis ftudio ab unguiculis, innutrita, nec vifionum divinarum ab ipfis, uti fertur, incunabulis ignara, vitam monafticam conjugatæ præoptare cœpit. Poftquàm igitur maritum fecum in Hifpaniam ad S. Jacobum religionis ergo peregrinari induxiffet: reducem primùm perpetuam vovere continentiam, dein Monafterium ingredi perfuafit. Annuit ille, feptem tamen liberis ab uxore priùs fufceptis, Ciftercienfibus nomen dedit, & in Monafterio Alvaftra haud ita diu poft vitâ deceffit. Brigitta conjugio foluta pietati excolendæ fefe 1363. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. sese totam dedit; novum Ordinem Monasticum, quem S. Salvatoris vocant, instituit; & visionibus crebris inclaruit anno circiter 1363. Postquàm biennium in cellis prope Alvastram Monasterium sitis commorata esset, divinitùs admonita Romæ propter condonationes & indulgentias, quas promeruere Sancti, à Pontifice dispensatas compendio veniri ad cœlum, illuc iter ante annum 1350. suscepit, & loca sancta visitando plures contrivit annos. Tandem post lustrata Sanctorum apud Neapolim & Siciliam monumenta, Hierosolymam proficisci divina visione jussa est: Post annum rediens, morbo in itinere correpta est; & Romam deducta, brevi post animam Cœlo reddidit anno 1373. die XXIII. Julii, primùm apud Monasterium S. Laurentii deposita, dein anno sequente ad Cœnobium Wasthenæ translata. Eam in Sanctarum album retulit Bonifacius IX. anno 1391. Canonizationem confirmavit Concilium Constantiense anno 1415.

SCRIPTA.

Revelationum libri VIII. Prologum iis præmisit Matthias de Sueciâ, Canonicus Lincopensis, qui Glossas in universam S. Scripturam eximias concinnâsse dicitur. Revelationes autem Alphonsus Episcopus Gyennensis in ordinem redegisse ac in libros distribuisse Christo jubente fertur.

Regula S. Salvatoris data divinitùs ab ore Iesu Christi devotæ sponsæ suæ B. Brigittæ, Capitibus XXXI. comprehensa.

Sermo Angelicus de excellentiâ B. Mariæ Virginis, quem Angelus Brigittæ coram adstans dictavit.

Orationes IV. divinitùs revelatæ.

Revelationes Extravagantes, quas in primâ Revelationum Collectione prætermissas Petrus Alvastri Prior collegit ac seorsim disposuit.

Prodierunt S. Brigittæ Opera *Lubecæ* 1492. *Norimbergæ* 1521. *Romæ* 1557. f. [quam quidem editionem nos secuti sumus] *Antverpiæ* 1611. f. cura Joannis Cardinalis de Turrecremata recognita, & Gonsalvi Duranti notis illustrata, *Romæ & Coloniæ* 1628. Tom. II. f. *Monachii* 1680. f.

Orationes XV. *de Passione Domini* typis excusæ ----1530. 8°.

Iulii XXIII. Cæterùm tacendum non est, quod Autor Vitæ ejus prodit apud Surium *, illam nimirum S. Scripturam Gothico idiomate sibi describendam curasse; ne divina oracula vulgari linguâ perlegendi facultas deesset.

1365. R. G. JOANNES de LIGNANO, natione Italus, patriâ Mediolanensis, Bononiæ per multos annos studiis incubuit, unde & Bononiensis à quibusdam dicitur, claruit anno MCCCLXV. ad annum MCCCC. detrudit Oudinus, malè. Ob eximiam in utroque Jure peritiam, *Legum & Philosophiæ summus capitaneus vulgò audit*. Ad Gregorium XI. Legatus missus anno MCCCLXXVII. Vicarius ejus generalis in civitate Bononiæ constituitur, ibique anno MCCCLXXXIII. naturæ debitum persolvit. Varia scripsit; *Juridici* potissimùm argumenti, nonnulla etiam *Theologici*. *De pluralitate Beneficiorum* Urbani P. V. Jussu, Paris. 1512. *De horis Canonicis*; *de censuris Ecclesiasticis*; *de Ecclesiastico interdicto*, *de Amicitiâ*; *de Bello & Duello*: Opera hactenus numerata edita habentur inter *Tractatus Tractatuum* Lugduni 1549. Tom. XV. XVI. XVII. & inter *Tractat. Univers. Juris* Venet. 1584. Tom. XII. XIV. XV. opusculum autem *de Duello*, prout in impressis extat, postremam solummodò tractatûs *de Bello* partem esse docet Baluzius, qui integer habetur MS. in *Bibl. Colbertinâ*, Cod. 978. *Epistola* ad Petrum de Lunâ Card. quâ eum cæterosque Cardinales ab electione novi Pontificis adversùs Urbanum VI. dehortatur, extat MS. *ibid.* Cod. 811. hujus partem edidit Odoric. Raynaldus *ad annum* 1378. *Oratio* ad Phil. Caraffam Cardinalem designatum, cùm ei pileum rubrum Urbani P. VI. nomine tradidit, MS. *ibid.* Cod. 814. Pro Electione Urbani P. VI. tractatus quem *de fletu Ecclesiæ* inscripsit, Jacobo de Seva à nonnullis tributus; opus in duas partes dispescitur, prioris fragmenta quædam edidit Raynaldus ad *eundem annum*, posteriorem integram ad finem Tomi XVII. *Annal. Eccles.* Utraque pars habetur MS. *ibid.* Cod. 813. ubi & tertius Tractatus pro Urbano sub titulo *Novarum Allegationum* reperitur, qui posterioris partis *Appendix* quædam censeri debet, teste Baluzio *not. ad Vit. PP. Aven.* col. 1404. *De Pace*, seu, *de Pace Animæ* tractatus. MS. *ibid.* Cod. 685. *Commentarii in libros Decretalium*, in *Biblioth. majoris Ecclesiæ Bononiens.* MSS. asservantur. In *Clementinas* etiam eum commentâsse testatur Zabarella. *Lecturæ* habentur MSS. in *Biblioth. Regis Anglorum* in ædibus Jacobæis, Cod. 682. Denique Lucubrationum ejus volumina V. extant MSS. in *Biblioth. Ecclesiæ Cathedral. Patav.* teste Thomasino.

1366. R. C. JOANNES TINMUTHENSIS, qui aliquando *Joannes Peccator* nominatur, gente Anglus, Tinmuthæ in Northanumbranorum finibus ad ostium Tini fl. villæ non ignobilis Vicarius, & Ord. Bened. ad S. Albanum Monachus, claruit anno MCCCLXVI. Cùm Ecclesiarum Archiva, & Monasteriorum Bibliothecas perscrutâsset, Veterumque Scrinia evolvisset, ad historiam Ecclesiasticam illustrandam animum adjecit; Virtutemque & Pietatem per priorum exempla posteris commendare satagens, plurimorum Sanctorum Vitas literis mandavit. Hujus *Historia aurea* circa annum 1360. scripta, extat MS. in *Biblioth. Lambethana* tribus prægrandibus voluminibus comprehensa; Opus à Reverendiss. nostro Usserio sæpiùs laudatum, nec non D. H. Spelmanno, D. G. Dugdalo, H. Warthono, ut alios taceam. Habetur etiam MS. cum Supplemento in *Bibl. Coll. Corp. Christi* apud Cantabrigienses, *Sanctilogium*, idest, Vitæ Sanctorum, utriusque sexûs pietatis laude celebrium: de hâc lucubratione non racemos quosdam, sed plenam quod aiunt vindemiam reportavit Joan. Capgravius in *Catal. Sanctorum Angliæ*, cujus operis non tam *auctor* quàm *exscriptor* audire meruit. Ex Tinmuthensis Sanctilogio *Vitam S. Paterni Venetensis Episcopi*, edidit Bollandus. *S. Bregwini Archiep. Cantuar.* Osberno perperam adscriptam Whartonus noster, *Angl. Sacr.* Tom. II. p. 75. Exigua ejus pars sex sanctorum Vitas complexa habetur MS. ad calcem tertii volum. *hist. aureæ* in *Bibl. Lambeth.* Integrum, ni fallor, opus, vitas clvii. continens, MS. *in Biblioth. Cotton. Tiberius*, E. I. quibus subnectuntur *Orationes*, *Antiphonæ*, aliaque *incidentia*. Vid. Catal. MSS. Cotton. p. 28, 29. Alia opera Theologica ex Bostono Buriensi recenset Balæus, nempe *Commentarium* in *Genesin*, *Exodum*, &c. quæ nullibi quod sciam extant. Vide Balæum *Cent.* VI. p. 467.

1366. R. G. WILHELMUS ab HAZENBURG, natione Bohemus, Arnesti Archiepisc. Pragensis discipulus, ejusque summâ amicitiâ junctus, claruit anno MCCCLXVI. Hic amplissimâ familiâ natus ad Ecclesiæ Wissehradensis Decanatum [quæ dignitas eo tempore primis par erat] promotus, Cæsarei legati ad Pontifices munus obiit; In istis legationibus librorum cupidus, plurimos optimæ notæ codices corrasit, & Bibliothecam pretiosissimis libris refertam post se reliquit, quam Carolus IV. Imp. post obitum ejus ingenti pretio emptam Universitati Carolinæ donavit. Scriptis consignavit *Vitam Arnesti Archiepiscopi Pragensis*, quam ex Cod. MS. *Biblioth.*

Colleg.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. Colleg. Crumlovienſis Soc. Jeſu, primus eruit, ac *Miſcellaneis ſuis Hiſtoricis regni Bohemiæ* inſeruit Boh. Balbinus, *Decad.* I. *lib.* IV. *p.* 80. Arnelti *Aſpirationes & Vota quædam* ſubjunxit Cl. Editor. *ibid.* p. 89.

1367. H. W. S. CATHARINA, natione Itala, Patriâ Senenſis, Jacobi & Lappæ filia, nata eſt 1347. octavum ætatis annum ingreſſa, perpetuæ virginitatis voto ſe obſtrinxit, totam Chriſto dicavit, & Dominicanæ Religioni animum adjecit: Prædicatorum habitu paulò poſt induta. Mitto, quæ miraculis & frequentibus viſionibus, de familiari oculorum & oris commercio, quin & nuptiis cum Chriſto Deo O. M. initis, fabulantur Monachi nugaciſſimi. Utcunque verò ſanctiſſimæ virginis famam portentoſis ineptiis, ne dicam blaſphemiis, ſine fronte, ſine corde aſſutis onerent, & inficiant gerrones putidiſſimi; ipſa certè meliori fato digna, ſincerâ erga Deum pietate, illibatâ vitæ caſtimoniâ, & flagranti in pauperes charitate, in Eccleſiam Zelo, claruit circa annum 1367. Ante annum 1376. Avenionem profecta, Gregorium XI. Pontificem Florentinis iratum precibus ſuis placavit, & jubente mox Pontifice, quem crebris antea literis de reditu ad Urbem Romam tandem ſuſcipiendo ſollicitârat, in Cardinalium conſeſſu contra Pontificis Romani à ſede ſuâ Epiſcopali abſentiam adeò efficaciter diſſeruit, ut vaſis conclamatis, omnes Avenionem derelinquendam cenſerent. Anno 1376. Gregorium Papam in Italiam ſecuta, poſt illius mortem Urbani VI. partibus contra Clementem Papam pertinaciter adhæſit. Obiit prid. Cal. Maij anno 1380. ætatis ſuæ 33. à Pio II. Pontifice anno 1461. inter Sanctos relata.

SCRIPTA.

Dialogi de Providentiâ Dei, ſex Tractatibus comprehenſi. Prodierunt *Ingolſtad.* 1583 *Colon.* 1601. *Venet.* 1611. 8*vo*.

Epiſtolæ CCCLXIV. graves & pietatis plenæ ad varios Pontifices, Cardinales, Reges, Principes, & alios linguâ vernacula, conſcriptæ. Prodierunt Italicè *Venet.* 1506. f. Gallicè *Pariſ.* 1644. 4*to*.

Oratio in Annunciationem Deiparæ, atque aliæ plures, à Raymundo de Vineis Capuano, O. D. Catharinæ Confeſſario, ex Italico in Latinum ſermonem converſæ. Extant *Ingolſtad.* 1583.

Divina Doctrina data per Perſonam æterni Patris intellectui loquentis, in plures Tractatus, & Orationes diviſa: quam Latinè vertit, vel forſan Catharinæ nomine conſcripſit Raymundus. Prodiit *Colon.* 1553. f.

Cæterum haud alia eſſe, quàm fumoſi cerebri deliria, decantatas Catharinæ pariter ac Brigittæ Revelationes, nullus, cui ſanum ſinciput, facilè dubitabit. Utcunque enim Brigittæ Revelationes à Cardinalibus Romanis quibus illas Gregorius XI. anno 1377. Urbanus VI. anno 1379. examinandas commiſerant, & à Bonifacio IX. in Bullâ * Canonizationis ejus, ac tandem à Concilio Baſileenſi approbatæ fuerint, & à Spiritu S. proceſſiſſe affirmentur; Catharinæ autem donum Propheticum & divinæ Revelationes à Pio II. in Bullâ † Canonizationis ejus, & ab Eccleſiâ Romanâ in Breviario * celebrentur; mira verborum ſimplicitas, inanis ſententiarum ſtrepitus, incondita garrulitas, abſurda dogmata, peſſimuſque, quo ubique ſcatent, Enthuſiaſmus, impoſturam manifeſtò produnt. Quid quòd ſibi invicem repugnent, & immaculata B. Virginis Conceptio Brigittæ, maculata Catharinæ revelata fuerit? Verùm nos effrænem muliercularum intemperiem parùm moramur. Viderit, cujâ ſoli refert, Eccleſia Romana.

* Inter Brigittæ Opera *Romæ* 1557. p. 10.
† Ap. Bzov. Annal. ad an. 1370. n. 20.
* April. xxx.

1368. H. W. PHILIPPUS RIBOTUS, natione Hiſpanus, patriâ Catalaunus, Ordinis Carmelitani in Cœnobio Gerundenſi Monachus, ac demum Ordinis ſui in Catalauniâ Provincialis, claruit anno 1368. Obiit Petrelatæ in Cœnobio ſuo an. 1391. Scripſit *Speculum Carmelitarum*, ſeu libros x. de inſtitutione, progreſſu, privilegiis, & rebus geſtis Ordinis ſui. Prodiit *Venet.* 1507. f. Antverp. 1680. f. Riboti *Sermones & Epiſtolas* typis olim excuſos eſſe fidem facit Poſſevinus *; editionum tamen annos & loca nullatenus invenire potui. Habetur MS. in Bibliothecâ Lambethanâ in fol. Riboti *Speculum Carmelitarum*, quod calci ſubjectam habet integram verſionem Anglicam antiquam ſatis. Iſtam Thomæ Scropo ſive Bradlæo, Epiſcopo Dromorenſi (circa annum 1434.) deberi mihi demonſtravit Vir doctiſſimus, Joannes Batteleius, Archidiaconus Cantuarienſis.

* Apparat. Sacr. Tom. 2. p. 282.

L. COLUCCIUS PIERUS SALUTATUS DE STIGNANO, Patriâ Florentinus, omni literarum humaniorum genere excultiſſimus, & poſt Petrarcham Poëta Laureatus. Claruit anno 1368. ab Urbano V. & Gregorio XI. Pontificibus ob doctrinæ & prudentiæ famam à ſecretis aſcitus; & à Republica Florentinâ ad idem poſtea munus & Cancellariatûs dignitatem evocatus, Galeatio Mediolanenſium Duci, qui Florentinis bellum intulerat, tam ſtrenuè repugnavit, ut Galeacius plus ſibi obeſſe Collucii ſcripta quàm mille Florentinorum equites agnoſceret. Obiit Collucius Florentiæ IV. Id. Maii, anno 1406. Extant *Epiſtolæ* 2. apud Baluzium Miſcellan. Tom. IV. pag. 510. Scripſit verò præter has Coluccius *libros* 2. *de verâ Religione. Diſputationem de præſtantiâ Juriſprudentiæ ſupra Medicinam, Librum de Fortunâ & Fato* in Tractatus V. diviſum. *Epiſtolarum librum*, & Opuſculum *Loculum noctis* inſcriptum: quæ in Bibliothecis Florentinis MSS. adhuc aſſervari teſtatur Michaël Poccianciue in Catalogo Script. Florentin. p. 42. Epiſtolæ ejus habentur MSS. in Bibliothecâ Cottonianâ ſub effig. Caligulæ A. 16. 1368. H. W.

PHILIPPUS DE LEIDIS, patriâ Hollandus, Lugduni Batavorum ex equeſtri familiâ oriundus, Juris utriuſque lauream Doctoralem Aureliæ accepit. Canonicum verò Pariſiis anno circiter 1369. publicè profeſſus eſt, Eccleſiæ S. Mariæ Condatenſis Canonicatu donatus. Tandem à Gulielmo Bavaro Hollandiæ Comite in Patriam revocatus, ipſi à ſacris domeſticis & conſiliis ſecretioribus admotus eſt. Mox Arnoldi Hornani Ultrajectenſis Epiſcopi Vicarius conſtitutus, Romam Principis ſui juſſu itinere ſuſcepto Canonicatus, Ultrajectenſem & Leidenſem tulit à Gregorio XI. Pontifice, cui perquam charus fuit. Obiit Trajecti an 1386. die VIII. Junii, in Urbe Patriâ ſepultus. Scripſit *Tractatum de Reipublicæ curâ & ſorte principantium*, à Joanne Severino editum *Lugd. Bat.* 1516. f. & *Lecturam in librum* 3. *Decretalium.* Omnia Philippi Opera à Joanne Franconio eruditâ præfatione illuſtrata & in lucem edita fuiſſe fidem facit Fr. Sweertius Athen. Belgic. pagina 644. editionis tamen nec annum nec locum indicat. 1369. H. W.

GERARDUS MAGNUS, patriâ linguâ *Groot* dictus, natione Belga, civitate Daventrienſis, Lutetiæ ſtudiis Theologicis tanto ſucceſſu incubuit, ut anno ætatis 18. ad magiſterium promoveretur. Domum reverſus Canonicus Ultrajectinus & Aquiſgranenſis creatus eſt. Demum ad Joannem Rusbrochium Priorem Viridis Vallis viſendum & audiendum profectus, Canonicorum Regularium ibi loci degentium vitæ genus adamare cœpit. Abdicato itaque utroque Canonicatu, Clericos ſeu Fratres Vitæ Communis, Daventriæ in patriâ, Emſteinii prope Dordracum, Windeſemii prope Svollam, aliiſque 1370. H. W.

in

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCC. in locis plurimis instituit, qui juventutem bonis literis moribusque instituerent. Claruit anno 1370. Obiit anno 1384. die xx. Augusti, ætatis suæ 44. Extant Opuscula iii. viz. *Protestatio de veridicâ Prædicatione*; *Conclusa & Proposita*; *Tractatus de studio sacrorum librorum*; cum Operibus Thomæ à Kempis edi solita. Viginti plus minus alia Gerardi Opuscula, in Bibliothecis Belgicis MSS. asservata, enumerant Miræus Auctar. cap. 444. & Fr. Sweertius Athen. Belgic. p. 280. ut de Rusbrochii scriptis à Gerardo Latinè versis nil dicam.

1370. H.W. PHILOTHEUS ACHILLINUS, natione Gallus, & Caroli V. Regis Consiliarius; claruit anno 1370. Quisnam verò sub ementito Philothei Achillini nomine delitescat, incertum est. Goldastus non inani prorsus conjecturâ ductus suspicatur Philippum fuisse Mæserium seu de Mazeriis, Equitem, qui primùm Cypri Regni Cancellarius, dein Gregorii XI. Papæ Consiliarius, ac postremò Caroli V. Francorum Regis Domesticus & τὰ πάντα fuit; ac viginti quinque ante obitum annis aulâ derelictâ in Cœlestinorum Parisiensium Monasterium secessit, ibique vitam pio simul ac literato otio exegit, à Carolo tamen adhuc de rebus regni sui gravissimis assiduò consultus. Quisquis demùm fuerit, scripsit Philotheus adversùs iniquam Pontificis Romani ambitionem & tyrannidem Opus insigne, *Somnium Viridarii* dictum, seu *Libros 2. de potestate Regiâ & Sacerdotali, Dialogi inter Clericum & Militem formâ* compositos. Prodiit Opus istud, sed valdè mendosum, *Parif.* 1516. integrum verò & emendatum, apud Goldastum Monarch. Tom. I. p. 58. Cæterùm Philippus ille Mazerius scripsit *Vitam S. Thomæ Cretensis Archiepiscopi, seu Petri Thomasii*, qui obiit ineunte anno 1366. libris 2. Extat hæc Vita apud Bollandum ad diem XXIX. Januarii.

1370. H.W. GALLUS, natione Germanus, Aulæ Regiæ Cœnobii (juxta Pragam Bohemiæ metropolim) Ordinis Cisterciensis Abbas, quem ob sacrarum literarum peritiam, diffusam Veterum Lectionem, profundam rerum divinarum contemplationem, ingenii acumen & morum sanctitatem, insigni elogio deprædicat Trithemius * claruit anno 1370. Scripsit ad Fratrum suorum instructionem prolixum satis Opus *Malogranatum* dictum, formâ Dialogi inter Patrem & Filium. Opus in tres libros distribuitur, quorum primus agit de statu Incipientium, secundus de statu Perfectorum. Prodiit in Germaniâ, tacito tamen loci nomine, excusum 1481. 4°. atque iterum 1487. f. Porro *Sermonum ad Fratres librum* ab illo conscriptum memorant, quotquot de eo verba faciunt, Authores.

* De Script. c. 140.

1370. H.W. GREGORIUS XI. *Bellifortis* antea vocatus, natione Gallus, patriâ Lemovicensis, Gulielmi Comitis Belfortii filius, Clementis VI. ex Joanna Rogeria sorore nepos. Annum ætatis agens 17. Cardinalis Diaconus titulo S. Mariæ Novæ ab avunculo creatus est, & ad Baldum tunc temporis Perusii legentem missus, ut juris scientiâ institueretur. Anno ætatis 35. Christi 1370. Pontifex Romanus electus est, die xxx. Decembr. consecratus & coronatus die V. Januarii ann. sequenti. Anno 1375. Joannam Siciliæ & Neapolis Reginam, quòd intercessioni suæ proditoris cujusdam crimen non condonâsset, anathemate percussit. Anno sequente Florentinos in Ecclesiæ libertatem injurios summo excommunicationis genere, seu anathemate maranatha devinxit. Isti nihilominùs Pontificis fulmina flocci facientes, proposita capitis pœna Clericos officia Ecclesiastica exequi coegerunt. Eodem anno Gregorius sedem Pontificiam ab Avenione Romam postliminiò retulit, incredibili lætitia & triumpho à Romanis exceptus. Obiit Romæ anno 1378. die XXVII. Martii. Extant *Epistolæ* v. Concil. Tom. XI. pagina 2037. *aliæ* x. apud Bzovium ad ann. 1372. &c. *aliæ* XCVII. apud Waddingum Annal. Minor. Tom. IV. ad ann. 1171. &c. *aliæ* CXII. ibid. in Regesto Pontif. p. 103. SÆC. XIV. ab An. MCCC.

JORDANUS de QUEDLINBORCH, natione Germanus, patriâ Saxo, unde (& à nonnullis Joannes *de Saxoniâ* dicitur, verùm à Joanne de Saxoniâ qui circà annum MCCXXIII. floruit omninò alter,) ex instituto S. Augustini Monachus, & Lector Magdeburgensis, claruit anno MCCCLXX. à Trithemio ad ann. MCCCCX. perperam dimissus, quippe qui anno MCCCLXXX. diem extremum clausit. Opera vigiliis suis lucubrata nonnulla typis excusa lucem viderunt; nonnulla manu exarata in Bibliothecis adhuc delitescunt. Sunt autem hujusmodi; *Opus Sermonum de Sanctis*, prodiit Parif. 1500. *4to.* 1521. *Opus Postillarum & Sermonum super Evangel. Dominical.* Argent. 1483. Extat MS. *in Biblioth. Trajectinâ.* 2. Vol. *De Vitis Fratrum Ordinis sui*, libri IV. duo priores habentur MSS. *ibid.* Prodierunt integri notis August. Sabothii ejusd. Ord. illustrati. *Leodii* 1625. *8vo. Vita S. Monicæ D. Augustini matris*, ex ipsius Augustini libris concinnata, eam edidit Bollandus ad d. iv. *Martii. De quatuor Communionibus, locali, spirituali, temporali, portionali*; quæ necessariæ sunt eis qui Monasticam vitam profitentur: Antonius Massa edidit *Parif.* in Italicum Sermonem transtulit Aug. Fivizenus, ac *Romæ* 1586. edendum curavit. *Collectaneum*, seu *Speculum Augustinianorum* ex Aur. Augustini Operibus collectum, & Fratr. suis Eremitis August. Paris. nuncupatum. Pr. *Quia juxta dictum Sapientis.* Extat MS. in *Biblioth. Cœnobii Fr. Augustin. ad Pontem novum Parif.* 1370. R.G.

JOANNES de HILDESHEIM, natione Germanus, patriâ Westphalus, ex Ord. Carmelit. Monachus, Petri Thomæ istius Ord. Generalis discipulus, cujus subsidio in bonis literis excolendis Avenione usus est, claruit anno MCCCLXX. Extat ejus opere laborata *Historia de translatione trium Regum*, (Magorum) ad Florentium Episc. Monasteriensem, *Coloniæ* edita. *Speculum fontis Vitæ*, MS. in *Biblioth. Bodleian.* Cod. 1143. *De Ordine Carmelitarum Dialogus* inter Directorem & Detractorem, MS. *ibid.* Cod. 3429. Plura alia ejus scripta memorat Trithemius, viz. *Chronicon Historiarum*; *de Monstris in Ecclesiâ*; *De Antichristo*; *contra Judæos*; *Sermones* insuper, & *Epistolas*, quibus etiam *Carmina* addit Possevinus. 1370. R.G.

BARTHOLOMÆUS ALBICIUS, gente Italus, patriâ Pisanus, ex Rivano in Tuscia oriundus, Ordinis Minorum Monachus, claruit anno 1372. Anno 1399. ad Capitulum generale Ordinis sui Assisii habitum profectus, librum suum de Conformitatibus obtulit, quem concordi omnium suffragio probatum retulit, & in laboris premium integro, quo utebatur olim S. Franciscus, habitu donatus est. Obiit grandævus in Conventu Pisano die x. Decembr. anno 1401. Extant *Conformitates S. Francisci cum vitâ D. N. Jesu Christi*, *Mediolani* 1510. f. emendatæ & auctæ à Jeremia Brucchio Ordinis Franciscani, *Bononiæ* 1590. f. *Conformitates B. Mariæ Virginis cum D. N. Jesu Christo*, seu Libri VI. de Vitâ & laudibus B. Mariæ Virginis, *Venet.* 1596. f. *Sermones quadragesimales de Contemptu Mundi*, *sive de triplici Mundo*, anno 1397. scripti, *Mediolani* 1488. 4°. *Venet.* 1503. *Sermones alii Quadragesimales*, qui casuum conscientiæ resolutionem ferè spectant, *Lugduni* 1519. 8°. *Vita B. Gerardi Laici* annno 1242. defuncti; quam ab Albicio anno 1347. conscriptam 1372. H.W.

Digitized by Google

SÆC XIV. ab An. MCCC. M S. penès se habuit L. Waddingus * Alia quædam à Bartholomæo elucubrata memorat Idem de Scriptor. Ord. Minor. p. 48.

* Annal. Minor. ad an. 1343. nu. 33.

1373. H. W. ISAACUS ARGYRUS, Monachus Græcus, claruit anno 1373. quo Nicephorum Gregoram secutus, *Computum* suum edidit, Andronico urbis Æni præfecto inscriptum, Gr. Lat. à Jacobo Christmanno primùm evulgatum *Heidelberg.* 1611. 4°. Deinde versione sua ac notis illustratum edidit Dion. Petavius de Doctrina Temp. Tom. III. p. 359. omisso tamen Epilogo, qui in Christmanni editione habetur. *Computus alter*, qui ejusdem quoque Argyri fuisse videtur, ab eodem Petavio editus est ex Bibliotheca Regis Galliæ, ibid. p. 384.

1373. R.G. ISAACUS ARGYRUS, natione Græcus, instituto Monachus, Barlaami discipulus & hyperaspistes, uti ex Simeone Thessalon. notavit H. Wharthonus; claruit anno MCCCLXXIII. ob singularem in disciplinis Mathematicis peritiam præcipuè insignis. Scripsit, ex fide Sixti Senensis * & Possevini †, *Homiliam* in verba illa Domini, *Hæc mando vobis, ut diligatis*, &c. *Encomium in Demetrium Martyrem*; ubinam verò loci asservantur non comperi: Extat nostri Isaaci *de regimine Novitiorum liber*. Pr. Αὐτη ἐςιν ἡ σώφρων, MS. in *Biblioth. Bodleian.* Cod. 5. & cujusdam Isaaci Anachoretæ (fortè nostri) tractatus *De Monasticâ Politiâ*; *De Virtutibus & Vitiis*; & *Expugnatio Superbiæ*, MSS. *ibid.* Cod. 290. *Computus duplex* nativo sermone lucem vidit; quorum alterius *excerptum* notis suis doctissimis illustratum Latinè exhibuit Jos. Scaliger cum Hypoliti *Canone Paschali* Gr. Lat. Lug. Bat. 1595. 4°. pag. 25. Alia ejus *Opera Mathematica* laudat idem vir eruditiss. *Isagog. Chronolog. Canon.* passim; quæ, uti & *Poëtica* nonnulla in variis Europæ *Bibliothecis Vaticanâ*, *Cæsareâ*, *Bodleianâ*, *Regis Paris.* (ut privatas omittam) MSS. sparsim delitescunt: de quibus (quoniam non sunt hujus loci) consulantur Ger. Vossius, Possevinus, & librorum MSS. Catalogi.

* Bibl. Sanct. l. IV. p. 270.
† Apparat. Sec. Tom. I. p. 974.

1375. R.G. MATTHÆUS de CRACOVIA, gente Polonus, Theologiæ Magister in Gymnasio Pragensi & in eâdem urbe Presbyter, verùm à popularibus suis malè habitus loco cedere coactus est; claruit anno MCCCLXXV. Tractatum edidit *de celebratione Missæ*, Henrico Episcopo Warmiensi nuncupatum, qui sub titulo *Conflictus Rationis & Conscientiæ de sumendo vel abstinendo à Corpore Jesu Christi*; MS. habetur in *Biblioth. Colleg. Caio-Gonvil.* apud Cantabrigienses, Cod. 828. n. iii. & in *Trajectinâ*. In eo disputatur *utrùm expediat & deceat Sacerdotes continuare Missas vel Laicos frequenter communicare*, quo titulo prodiit excusum *Memmingæ* 1494. 4°. Alia ejus Opera Theologica, *de Prædestinatione*; *De Contractibus*, *Sermones*, &c. recensent Trithemius, Simlerus, & Possevinus.

1377. H. W. BONAVENTURA BADUARIUS, à PERAGA, gente Italus, civitate Patavinus, illustri genere ortus. Theologiæ Doctor in Academia Parisiensi, postquàm ibi plures annos studiis impendisset creatus, Ordinis Augustiniani Eremita, Ordinis sui Generalis in Comitiis Veronensibus anno 1377. electus est. Presbyter Cardinalis titulo S. Cæciliæ ab Urbano VI. Pontifice anno 1378. mense Septembri renunciatus, varias pro sede Romana legationes obiit. Tandem dum iniquis Francisci Carrariensis Patavinorum Reguli ausis quantâ animi poterat constantiâ obsisteret, immissis ab eo sicariis Romæ occisus est anno 1386. seu ut alii, anno 1389. secundùm alios 1396. ex aliorum sententia 1399. Extant *Speculum B. Mariæ*, *Augustæ* 1476. *Tomi IV. in libros IV. Sententiarum*, alicubi in Germania excusi; *Meditationes in vitam Christi*, itidem impressæ, testibus Miræo, * & Jos. Pamphilo †. *Commentaria* adhuc in *Canonicas SS. Jacobi & Joannis Epistolas*, & *Sermones de Tempore*, *de Sanctis*, & *ad Clerum*, scripsisse Baduarium prodit Jos. Pamphilus loc. cit.

SÆC. XIV. ab An. MCCC.
* Auctar. cap. 441.
† Chron. Ord. Erem. p. 67.

MATTHÆUS, FLORILEGUS vulgò dictus, Westmonasteriensis Monachus Ordinis Benedictini, claruit anno 1377. Scripsit *Historiarum Flores*, seu Annales ab Orbe condito ad annum Christi 1307. ex Matthæo Parif. quoad partem priorem ferè descriptos. Extant Flores isti in duos libros distributi, curâ Reverendissimi Matthæi Parkeri editi *Londini* 1567. f. recusi *Francofurt.* 1601. f. Annales hosce usque ad annum 1377. produxisse Florilegum, quin & *Chronica Monasteriorum Westmonasteriensis*, & *S. Edmundi* contexuisse, fidem facit Baleus Cent. XI. cap. 31. Nondum verò Continuatio ista, multò minùs Chronica lucem aspexerunt. 1377. H.W.

URBANUS VI. *Bartholomeus* antea appellatus, gente Italus, Patriâ Neapolitanus, Archiepiscopus Barensis, dum post mortem Gregorii XI. Cardinalibus in Conclavi coactis sedulò famularetur, & concordiam suaderet, Pontifex Romanus inopinatò electus est Romæ anno 1378. die VIII. Aprilis, coronatus die XVIII. ipso Paschatis festo, dissentientibus tamen acriter Cardinalibus Gallis, qui cùm numero prævalerent, Gallum Pontificem præoptabant; atque adeò Româ recedentes Robertum Cardinalem, Comitem Gebennensem, Papam Fundis mense Septembri elegerunt, eique Clementis VII. nomen indiderunt. Hinc natum grave & diuturnum in Orbe Christiano schisma; quod militum gladios illo ævo, scriptorum calamos nostro etiam exercet. Nec enim de vero Pontifice inter Pontificios convenit: sed prout olim Ecclesiarum Occidentalium regimen inter Urbanum & Clementem, eorumque Successores divisum extitit; sic & nunc fermè Authores Popularium suorum studiis obsecuti, in partes dissiliunt. Urbanus Romæ, Clemens Avenione sedit. Illi Italia, Germania, & Pannonia; huic reliquus Orbis Occidentalis cessit. Obiit Urbanus, postquàm gravia cum Clemente Antipapâ armis non minùs temporalibus quàm spiritualibus bella integro decennio gessisset, captivitatem plus unâ vice passus, & assiduis periculis jactatus, Romæ anno 1389. die XV. Octobris. Extant *Epistolæ* IV. Concil. Tom. XI. pag. 2045. *Constitutio in violatores libertatis Ecclesiasticæ*, apud Bzovium ad an. 1383. *Epistolæ aliæ* III. apud Waddingum Annal. Minor. Tom. IV. in Regesto Pontif. p. 165. 171. 176. ubi Clementis VII. Epistolæ XX. reperiuntur. *Bullam ejus de fide Hæreticis non servanda*, ex Bibliothecâ Cottonianâ edidit Richardus Crackanthorpius noster. Apol. pro Eccl. Anglican. adversùs Spalatensem. Porrò Urbani *Formulæ precum*, unà cum *Indulgentiis* ab eo concessis, vulgari idiomate prodierunt *Dilingæ* 1567. *Constitutiones quædam Ecclesiasticæ* in Collectione *Romæ* 1579. editâ. *Literæ* seu *Bullæ* plures Apostolicæ in Laertii Cherubini Bullario Magno *Romæ* 1617. 1638. 1378. H.W.

ALBERTUS DE ARGENTINA, gente Germanus, civitate Argentoratensis, Magister seu Doctor, & fortassis Presbyter, Episcopi Argentinensis familiaris, à quo Avenionem legatus fuit, ut se Pontifici excusaret, & Ludovici Imp. decretum contra ambitionem Pontificiam deferret. Claruit anno 1378. Scripsit *Chronicon* ab initiis Rodulphi Habspurgensis Imp. ad Caroli IV. mortem, seu ab anno Christi 1270. ad 1378. Mutilum id edidit Cuspinianus cum Consulibus Romanis, *Basil.* 1553. 1569. (quæ quidem editio in Indice Expurgatorio nominatim prohibetur, quin & integrum Alberti Chronicon legi interdicitur, 1378. H.W.

antequam

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. antequàm pro Inquisitorum arbitrio expurgetur) integrum Christianus Urstisius inter Scriptores Germanicos, *Francofurt.* 1585. 1670. Tom. II. p. 97. Scripsit etiam Albertus *Vitam Bertholdi à Buchecke*, Episcopi Argentinensis, & Spirensis ab anno 1328. ad 1353. Eam ad Chronici calcem edidit Urstisius ibid. p. 167.

1378. R.G. NILUS PATRIARCHA, primò Monachus, deinde post mortem Macarii qui Philotheum excepit, ad thronum Patriarchalem C P. evectus anno MCCCLXXVIII. Hunc viginti annos Ecclesiæ præfuisse vulgò traditur, verùm ex accuratiori Patriarcharum serie à Labbæo editâ satis certum est, eum non nisi octo annos Cathedram adornâsse, annoque MCCCLXXXVI. mortem obiisse. Hujus meminit Simeon Thessalonicensis, *Dial. contra Hæres.* Σεφωτάτυ Νείλυ τῦ μετ᾽ αὐτὸν (Φιλόθεον) τ̃ Κωνςαντίνυ ἀρχιερατεύσαντος ἐκκλησίας, Extat ejus *Oratio Supplex ad Deum contra Barbarorum incursionem, bellum intestinum, famem, pestem, & mortem subitam*, à nonnullis Nilo Ascetæ perperam tributa; hanc in linguam Latinam transtulit, & versionem istam absque contextu Græco edidit Joan. Sambucus, *Patav.* 1555. *4to.* Habetur Græcè MS. in *Biblioth. Vindob. Cod. Hist.* LV. num. iii.

1378. R. G. JOANNES FABRI, natione Gallus, patriâ non Duacensis, uti vulgò scribitur, sed Parisiensis, in ea enim urbe *se natum, nutritum, & in Jure Canonico Doctoratum adeptum* ipse testatur; Ex Abbate S. Vedasti Atrebatens. Episcopus Carnotens. factus, & Ludovici Ducis Andium Siciliæ R. Cancellarius, claruit anno MCCCLXXVIII. obiit anno MCCCXC. Scripsit ex fide Steph. Baluzii Tractatum de Schismate adversùs Joannem de Lignano, quem *de Planctu bonorum* inscripsit, formâ Dialogi inter Doctorem Bononiensem & Parisiensem. Extat MS. in *Bibl. Colbert.* Cod. 812. 814. *Expositionem rerum in Galliâ gestarum*, circa annum MCCCLXXVIII. Comiti Flandriæ traditam; hujus meminit Baluzius *not. ad Vit. P P. Aven.* col. 1261. eamque in Tomo iv. *Historiæ Universitat. Parisf.* editam esse testatur. *Oratio ejus ad Gregorium P. XI. Caroli V. Francorum R. nomine*, extat MS. *ibid.* Cod. 822. *Diarium* denique *historicum*, quo res gestas omnes quibus interfuerit, singulis diebus prout gestæ sunt, ab anno 1381. ad annum 1388. ordine descripsit, habetur MS. *ibid.* Cod. 587. patrio, ut videtur, sermone consignatum. Hoc Diario multum usus est Baluzius in notis suis, uti ipse fatetur col. 1405. Notandum est Quæstionem istam de *Schismate* doctissimos quosque istius sæculi Viros exercuisse, quorum alii Urbani VI. alii Clementis VII. partes secuti sunt: Unde in immensum adeò excrevit ista controversia, ut xxxii. volumina ultro citròque scripta in *Archivis Vaticanis* adhuc dum MSS. habeantur, uti Alf. Ciacconius testatur.

1380. H. W. GULIELMUS THORN, natione Anglus, Cœnobii S. Augustini Cantuariensis Monachus Benedictinus, claruit circa an. 1380. Scripsit *Chronicon de Gestis Abbatum S. Augustini Cantuariensium*, ab ipso S. Augustini in Britanniam ingressu usque ad an. 1397. summâ quidem fide ac diligentiâ ubivis usus; priorem verò Chronici partem usque ad annum 1272. ex Thomæ Spotti Historiâ, pauculis quibusdam resectis mutuatus. Prodiit istud Chronicon inter Scriptores x. Historiæ Anglicanæ *Londini* 1652. f. p. 1757. Alia quædam scripsisse dicitur Gulielmus, viz. *Historiam Regum Cantianorum*; *Vitas quorundam Sanctorum, & Chronica de Comitatibus, Episcopatibus, & Abbatiis per totam Angliam*: quæ quidem nondum typis edita sunt. Extat Opus postremum MS. in Bibliothecâ S. Benedicti Cantab. cod. 67.

Append.

SÆC. XIV. ab An. MCCC. 1380. H. W. BALDUS UBALDUS, gente Italus, domo Perusinus, ex illustri Ubaldorum familiâ oriundus, Petri de Ubaldis, Doctoris Perusini filius, Juris utriusque Doctor, Bartoli de Saxoferrato auditor, primùm in civitate patria, dein à Galeacio Vicecomite Mediolanensi evocatus, Ticini maximo auditorum concursu & applausu jus utrumque docuit. Claruit anno 1380. quo circiter tempore de electione Pontificum Urbani VI. & Clementis VII. schismaticâ à summis reipublicæ Christianæ viris consultus, pro Urbano sententiam tulit. Tandem à caniculâ suâ, quam alebat, in labro leviter morsus, quarto deinceps mense rabiem concepit, ac diem obiit anno ætatis suæ 76. Christi 1400. die XXVIII. Aprilis, seu, ut alii, anno 1423. mense Julio. Habitu S. Francisci amictus (ratus id plurimum ad animæ salutem conducere) sepeliri voluit. Factum id Ticini in Conventu Fratrum Minorum.

SCRIPTA.

Commentarius in libros Decretalium. Venetiis 1595.

Consiliorum volumina v. Francofurt. 1589. *sextum* Venet. 1600.

Commentarius in Codicem, Feuda, Digestum novum ac vetus, &c. Lugduni 1545.

Tractatus plures, viz. de *Tabellionibus*, *de Pactis*; *de Constituto*, *de Substituto*, *de Additione cum inventario*, *de Syndicatu Officialium*, *de carceribus*, *de quæstione & torturâ*, *de jure Protomiseos*; *de dote*; in Tractatu Tractatuum reperiuntur.

Alia plura Baldi Opera Jus Civile spectantia innumeris ferè in locis typis impressa prodierunt. Omnia compendio enumerat Boissardus Icon. illustr. Vir. Par. I. p. 102.

STEPHANUS BYRCHINGTONUS, gente Anglus, patriâ Cantianus, Vico de Byrchinton in Insulâ Taneto oriundus, Cœnobii Cantuariensis ex Ordine Benedicti Monachus, claruit anno MCCCLXXX. *Archiepiscoporum Cantuariensium Seriem & Vitas* ab Augustino Romano anno DXCVII. ad Wilhelm. Courtney, ann. MCCCLXXXI. contexuit. Opus istud, *Antiquitat. Britannic. Auctor* sæpiùs laudat, præsertim in *Vitâ Joannis Stratford*, ubi integras exscribit paginas, uberius quàm quo Whartonus usus est exemplar nactus; unde duplicem sui Operis editionem, arctiorem unam quæ in anno 1368. desinit, auctiorem alteram ad ann. 1382. ductam, Stephanum nostrum adornâsse suspicatur idem, Vir eruditus, qui breviorem istam ex *Codice Lambethano* descriptam publici juris fecit *Angl. Sacr.* Tom. I. p. 1. cui etiam *Simonis Sudburii Vitam* ex Wilh. Chartami *Speculo Parvulorum* in *eadem Biblioth.* MS. subjunxit. *ibid.* p. 49. In eodem Codice habentur MSS. *De Regibus Angliæ*; *de Pontificibus Romanis*; & *De Imperatoribus Romanis Commentarii*; quos Byrchingtono nostro pari fiduciâ ascribit; ac *Episcoporum Eliens. Catalogum* à Pitsæo memoratum ei abjudicat Cl. editor, qui & erroris Pitsæani fundamentum fœlici conjecturâ detexit, *Præfat.* ad Tom. I. *Angl. Sacr.* p. 20. 1380. R.G.

HENRICUS de HUECTA, sive *de Oita*, (unus enim idemque est, duos licèt fecerit Simlerus & ex eo Possevinus,) natione Germanus, ex Ord. Carmelit. in Academia Viennensi Professor, Henrici de Hassiâ æqualis ac coadjutor, claruit anno MCCCLXXX. Ob Propositiones quasdam Curiæ Romanæ placitis parum congruas hæresis notam vix evitavit, à Joanne tamen Gersono M. Franciæ Cancellario multum laudatus. Extat hujus *Tractatus de Contractibus*, inter Gersonis Opera sæpiùs impressus, 1380. R.G.

E 2 seorsim,

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. seorsim autem prodiit *Parif.* 1506. 4to. *Propositiones & earum Explicationes*, vidit Fl. Illyricus, quarum portiunculas nonnullas exhibet, *Catal. Test. Verit.* col. 1800. Scripsit porro ex fide Trithemii & Pantaleonis, *super* IV. *libr. Sententiarum*; *De Conceptione B. Mariæ*; *Sermones*, &c.

1381. H.W. MICHAEL ANGRIANUS, seu Aignanus, gente Italus, Patriâ Bononiensis, sint licet, qui ex Lombardiâ oriundum velint, ordinem certè Carmelitanum in Cœnobio Bononiensi professus est, Theologiæ laureâ in Academiâ Parisiensi postea insignitus. Claruit anno 1381. quo totius Ordinis sui Generalis numero decimus nonus in Capitulo Veronensi constitutus est. Vicarii Generalis munus illi antea demandarat Urbanus VI. Pontifex. Summum Ordinis sui magistratum quinquennio administravit. Obiit Bononiæ anno 1416. Calendis Decembribus, ex Sixti Senensis autem calculo anno 1396. in Conventu Carmelitano ante summum altare sepultus. Scripsit *Commentariorum in Psalmos libros* V. quibus universum Psalterium methodo Scholastica, non infœlici tamen, explicat. Prodiit Opus istud sub *Incogniti* Authoris nomine Compluti 1524. *Lugduni* 1588. *Lugduni* 1602. f. Authori demum suo restitutum *Venet.* 1603. *Lugduni* 1652. 1673. *Commentarium ejus in libros Sententiarum Mediolani* excusum esse prodit Simlerus Biblioth. p. 503. qui plura alia Michaelis scripta, & in his insigne *Opus de purissimâ Conceptione Virginis Mariæ*, recenset; alia Antonius Alegre paradis. Carmelit. p. 316.

1381. H.W. RAYMUNDUS JORDANUS, qui diu suppresso suo, sub *Idiotæ* nomine latuit, & Sæculi octavi aut noni antiquitatem præ se tulit; Canonicus erat Regularis Ordinis Augustiniani, primò Uticensis sive Uzeciensis in Gallia Narbonensi Præpositus, dein Cellensis in Diœcesi Bituricensi Abbas. Claruit ab anno 1381.

OPERA.

Contemplationum libri VI. *de miserabili cursu vitæ præsentis*; *de innocentiâ perditâ*; *de conversione per* XII. *menses anni spiritualis producentis* XII. *fructus Spiritûs*; *de conflictu assiduo inter animam & carnem*; *de septem donis Sp. S. contra septem peccata mortalia*; *quòd Spiritus S. est adjutor animæ*, *& de variis ejus erga hominem officiis*; *De octo beatitudinibus*; *De Amore*; *De verâ Patientiâ*; *De Morte*; *De B. Mariâ Virgine*. Prodierunt Contemplationes istæ *Paris.* 1519. 4to. & alibi.

Tractatio plena de B. Virgine.

De statu religioso libri III.

Opus de Oculo Spirituali: seu *Oculus Mysticus*. Prodiit, mutilum tamen, sub Raymundi nomine à Raynaudo editum *Lugduni* 1641. Verùm id Joanni Gallensi deberi Waddingus demonstravit. Prodierat antea sub nomine cujusdam Magistri P. Lacepieræ integrum *Venet.* 1496. Italicè à Theoph. Romano Ord. Erem. August. conversum.

Regulæ Christianam vitam complectentes.

Paraphrasis in Psalmum XV. quam unà cum præcedente Opusculo Joanni Pico Mirandulano deberi conjicit Labbeus.

Opera ista omnia, in quavis ferè Bibliothecæ Patrum editione sub Idiotæ nomine haberi solita, Raymundo vindicavit, additisque Castigationibus suis edi curavit Theop. Raynaudus *Parif.* 1654. 4to.

1384. H.W. JOANNES TAMBACUS, natione Teutonicus, patriâ Argentinensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum in Cœnobio Argentinensi Monachus, dein Studii Pragensis primus Rector, ac demum Sacri Palatii Magister ab Urbano V. Papâ anno 1366. creatus. Claruit anno 1384. Obiit octogenario major, quo tamen anno, non liquet. Extat *Speculum Patientiæ*, seu *de Consolatione Theologiæ libri* XV. *Parif.* 1493. *Colon.* 1502. *Norimbergæ* 1509. & alibi pluries. Opus ejusdem *De Culpâ & Gratiâ* MS. habetur apud Dominicanos majoris Conventûs Parisiensis. Alia plura Tambaci scripta recenset Altamura Biblioth. Prædicat. p. 129. de quibus nil constat.

MARSILIUS AB INGEN, seu Inghenius, gente Germanus, Trithemio tamen & Baleo Anglus, Academiæ Parisiensis Doctor, Canonicus & Thesaurarius Ecclesiæ S. Andreæ Coloniensis, Gymnasii Heidelbergensis fundator, primusque ejusdem Doctor ac Rector. Claruit anno 1384. Obiit anno 1394. XIII. Cal. Septembris, Heidelbergæ in Ecclesia S. Petri sepultus. Scripsit *Commentaria in* IV. *libros Magistri Sententiarum*, quæ typis impressa prodierunt *Argentorati* 1501. Alia ejusdem scripta enumerat Baleus Cent. VII. cap. 5. quæ in tenebris adhuc delitescunt. 1384. H.W.

EMANUEL II. Palæologus, Joannis V. Palæologi Imp. filius natu tertius, Imperium rarâ erga patrem pietate meruit. Cùm Joannes enim pater anno circiter 1380. præfecto Constantinopoli Andronico filio natu maximo, in Occidentem proficisceretur, ut subsidia à Christianis Principibus adversùs ingravescentes Turcorum vires conquireret: & inter redeundum Venetiis à mercatoribus ob usurariam pecuniam nondum exsolutam detineretur; Andronicus de Imperio securus, patris captivitatem in sinu risit: Emanuel verò corrasis è præfectura sua Thessalonicensi pecuniis, Venetias properavit, & expunctis mercatorum tabulis Patrem redemit. Andronici scelere incarceratus, Emanuelis pietate liberatus Joannes Imp. illum cum Joanne filio exhæredavit, istum Imperii successorem sibi mortuo designavit, socium sibi vivo ascivit anno circiter 1384. Andronicus ejusmodi ignominiâ in rabiem actus ad Bajazetem Turcorum Regem confugit; & copiis illius auxiliaribus adjutus Constantinopolim expugnat, patrem fratremque carceri mancipat, & Imperium invadit. Exacto in carcere triennio Joannes & Emanuel filius salvi evadunt, & Bajazetis tyranni, Andronico jamdudum infensioris facti, favore & auxiliis usi, Imperium recuperant; & Andronicum in carcerem perpetuum abducendum Turcis committunt. Anno 1391. defuncto Joanne Patre, Emanuel solus deinceps regnare cœpit: cùmque Imperii majestatem adversùs Bajazetis ferociam constanter tueretur, decennalem statim Regiæ Urbis obsidionem passus est. Ipse Urbis curâ defensioneque Joanni Andronici fratris filio commissâ, in Occidentem paterno exemplo subsidia à Latinis impetraturus navigat; paterno etiam infortunio usus Postquàm enim Italiam, Galliam, Angliam, Germaniam, & Pannoniam peragrasset, Constantinopolim demum re infectâ rediit. Desperatis ferè rebus Constantinopolitanis aliunde eluxit salus. Tamerlane enim Tartarorum Principe ad suppetias Emanueli ferendas cum ingenti exercitu advolante, Bajazetes anno 1401. obsidionem solvit: & commisso anno sequenti cum Tartaris prælio vincitur, ac captivus abducitur. Emanuel extincto tyranno perpetuam cum Mahometo ejus filio pacem iniit: & imperium deinceps securus tenuit. Obiit, uti volunt, anno 1418. rectùs verò 1425. postquam senio debilis Imperii lampadem Joanni filio anno 1419. tradidisset. 1384. H.W.

SCRIPTA.

Præcepta C. Educationis Regiæ ad Joannem filium.

Orationes

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. *Orationes* VII. *de virtutibus ac vitiis, & bonarum literarum studio*, ad eundem.

Oratio propitii Principis ad benevolos subditos in ætatis flore constitutos.

Preces ad Deum matutinæ (prolixæ satis) II.

Capita Compunctionis seu Confessionis ad Deum, metricè.

Imago Veris in Aulæo textili operis Phrygii.

Oratio ficta Tamerlanis ad Bajazetem à se captum.

Psalmus Eucharisticus ad Deum pro captivitate Bajazetis.

Prodierunt Opuscula ista omnia curâ Joannis Leunclavii Gr. Lat. *Basil.* 1578. 8°.

Oratio funebris admodùm prolixa in Fratrem Theodorum Palæologum Despotam Gr. Lat. à Combefisiò cum notis edita Auctar. Nov. *Parisi.* 1648. Tom. II. p. 1045.

1384. R.G. EMANUEL PALÆOLOGUS, *Manuel Imperator* vulgò dictus. Joannis Palæologi F. Andronici junioris N. claruit anno MCCCLXXXIV. à Patre in Imperii consortium adscitus, ab anno MCCCXCI. solus regnavit. Plurima eruditionis ac pietatis suæ monumenta post se reliquit. Edita è Cl. Whartono memorantur, quæ typis nondum commissa in Bibliothecis etiamnum latent, quorum notitia ad nos pervenit, recensebimus. *Oratio in Dormitionem Deiparæ.* Pr. Ὦ Θεῦ μῆτερ καλὸν γδ᾽ οἶμαι καὶ μάλα χαίειν. Hujus meminit L. Allat. *de Simeon*, p. 114. *Oratio de peccato, de non desperando, & de Divinâ Providentiâ*, Pr. Ὁ λόγος οὗτος ὁ τῆς ὁσίας ἡμῖν τὸ βίον ἀεί ... διαζωγραφήσας. Allat. *ibid.* p. 102. *Sermo Apologeticus* ad Latinum quendam Parisiis agentem, qui in figurâ Syllogismi ad eum scripserat, *de Processione Spiritus S.* capitibus clvii. constans. Pr. Κρεῖττον ἂν ἦν σοι ταῦθ᾽ ἅ σοι περὶ ἡμᾶς εἴρηται. Hujus etiam meminit Allatius *de Consens.* lib. II. c. 18. sect. iii. col. 854. Eundem in *Biblioth. Vaticanâ* MS. extare, uti & *Epistolas* nonnullas testatur Simlerus. *Dialogus cum Matre sua de Nuptiis.* Pr. Βασιλεῦς. Ὦ μῆτερ, εἰ ποτε ἄλλως ἔχον δόξης περὶ τοῦ πράγματος. Extat MS. in *Bibl. Vindob. Cod. Philos.* MCVIII. n. vi. in eodem Codice, uti & in Cod. XLII. varia habentur nostri Manuelis Opera, *Preces, Cantica, & Canones*, utrum ab editis diversa, cùm editio ista à Leunclavio adornata non sit in promptu, dicere non possum. *Dialogus cum nobili quodam Persa*, ut fingit, *super Religione Christianâ, ac præcipuis fidei mysteriis, deque Mahometismi impietate*; Opus egregium in xxvi. dialogos partitum habetur MS. in *Biblioth. Reg. Gall.* Cod. 1385. In eâdem *Bibliothecâ* Cod 1843. reperitur *Onirocriticum* hactenùs ineditum, teste du Cangio. *Canones Vitæ Spiritualis*; *Poëmata in S. Demetrium, & alios Cœlites, & Encomium Theodoræ Thessalonicensis*, Manuelis nostri operæ laborata se legisse testatur Geo. Phranzes *Hist. Byzant.* l. II. c. 5. p. 114.

1384. R.G. JACOBUS de THERAMO, natione ut videtur, Italus, Canonicus Aprutinus, & Archidiaconus Aversanus, claruit anno MCCCLXXXIV. Scripsit *de Romani Pontificis Monarchiâ*, librum quem *Monarchiale* appellavit, Opus ex Car. Molinæi judicio blasphemum uti refert Simlerus: *De redemptione generis Humani* tractatum, in duas partes, ut videtur, distributum; quarum una *Disputatio est inter Ecclesiam Christi & Synagogam Satanæ*, & *Consolatio Peccatorum* dicitur; Extat MS. in *Bibl. Bodleian.* Cod. 775. 1819. aliisque: altera est *Tractatus judicialis*, sive *Actio Causidica inter Deum & Diabolum*, & *Belial* prenotatur. MS. in *Bibl. Colleg. Baliol.* apud Oxonienses, *de Remediis Conversorum*, lib. xii. MS. in *Bibl. Bodleian.* Cod. 2668. *In Clementinas* etiam scripsisse dicitur: *Commentarius* ejus in quatuor libr. *Sententiarum* in publicum prodiit, *August. Vindel. Append.*

1472. De *Prophetiis* ejus legimus in Articulis contra I. Hussum in Concilio Constant. prolatis. Vide Conc. Tom. XII. col. 133. SÆC. XIV. ab An. MCCC.

JOANNES DE BURGO, natione Anglus, Theologiæ Doctor, Academiæ Cantabrigiensis Cancellarius, nec non Ecclesiæ de Colingham in agro Nottinghamiensi Rector, claruit anno 1385. quo Pupillam Oculi compilavit. Scripsit enim librum, cui titulus, *Pupilla Oculi, omnibus Sacerdotibus, tam Curatis quàm non Curatis, summè necessaria; in quâ tractatur de septem Sacramentorum administratione, de decem Præceptis Decalogi, & de reliquis Ecclesiasticorum officiis, quæ oportet Sacerdotem ritè institutum non ignorare.* Prodiit *Parisi.* 1510. *Argentinæ* 1514. *Rothomagi* 1516. 4°. Quanti olim habebatur liber iste, ex innumeris ejus MSS. patet *Homilias* quasdam ab eodem scriptas memorat Baleus Cent. 6. cap. 73. 1385. H. W.

MANUEL CHRYSOLORAS, origine Romanus, patriâ Byzantinus, nobilissimâ prosapiâ oriundus, claruit anno 1389. quo circiter tempore in Occidentem à Joanne Palæologo seniore Imp. legatus, ut subsidia adversùs Turcas à Christianis Regibus postularet; postquàm apud Angliæ Regem, aliosque principes munus sibi demandatum summâ diligentiâ, irrito tamen successu, obiisset, in Italiâ consedit: ubi Græcarum literarum studium septingentis plusquam annis in Occidente neglectum, quin & ignotum ferè, primus omnium resuscitavit; ac primùm Venetiis, mox Florentiæ, postea Romæ, tandem Ticini docuit; Leonardum Brunum Aretinum, Franciscos Barbarum, Philelphum, & Poggium, Baptistam Guarinum, aliosque primarios sæculi Viros discipulos nactus. Anno circiter 1397. ab Emanuele Imp. in Occidentem profecto Florentiâ evocatus, Mediolanum se contulit. Post Emanuelis verò abitum ad solita docendi munia se recepit. Anno 1414. Constantiam petiit, Concilii Generalis spectator cupidus: ubi anno sequenti die xv. Aprilis vitam finivit, apud Dominicanos Constantienses sepultus Epitaphium ei posuit Æneas Sylvius, Poëta Laureatus, quod sic incipit; 1389. H. W.

Ille ego, qui Latium priscas imitarier artes,
Explosis docui sermonum ambagibus, & qui
Eloquium magni Demosthenis & Ciceronis
In lucem retuli, Chrysoloras nomine notus,
Hic sum post vitam, & peregrinâ in sede quiesco,
&c.

Extant *Epistolæ* iii. *de Comparatione Veteris & Novæ Romæ.* Prima admodùm prolixa ad Joannem Palæologum Imp. Secunda ad Joannem Chrysoloram, Tertia ad Demetrium Chrysoloram, multò breviores. Prodierunt Græcè, prima etiam Gr. Lat. interprete Petro Lambecio, ad calcem Codini de Antiquitatibus CPP. *Parisi.* 1655. f. *Quæstiones* ejusdem *Grammaticales* prodierunt Græcè alicubi in 8°.

MANUEL CHRYSOLORAS, patriâ Byzantinus, eximius Græcarum literarum in Italiâ instaurator, claruit an. MCCCLXXXIX. Præter Epistolas à VVhartono recensitas, nonnulla etiam argumenti Theologici conscripsit, ac, veluti animum cum cœlo mutâsset, Latinorum dogmata non solùm amplexus est, verum etiam scriptis propugnavit. Extat ejus *de Processione Spiritus S.* contra Græcos tractatus, brevis quidem, sed ex Allatii sententiâ satis acutus & solidus. Pr. Ῥωμαίοις γράφων ὁ μακάριος Παῦλος περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος φησίν. Hujus meminit L. Allatius *adv. Creighton*, p. 4. Habetur MS. *Parisi.* in *Cod. Naudæano*, 32. *Epistolæ* ejus nonnullæ extant MSS. in *Bibl. Vindob. Cod. Philos.* CCXLV. n. vi. 1389. R.G.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. n. vi. Plures in *Bibl. publ. Lugduno-Batavâ*, n. xlv. S. Gregorii Magni *Missam* ex linguâ Latinâ in Græcam transtulit, uti nos docet L. Allatius *de Georgiis*, p. 362. Extat MS. in *Bibl. Barberinâ*, Cod. 75. Hoc tempore claruit & *Joannes Chrysoloras*, vir dicendi ac disputandi peritus, Barlaami Monachi partes tutatus, à Greg. Palamâ profligatus. Vide Phranz. *Chro. Byzant.* l. I. c. 12. p. 56. Huic fortasse tribuenda est *Disputatio*, cujus meminit Possevinus *Append.* p. 49. inter Græc. MSS. Manuel. Eugenici.

1389. H. W. BONIFACIUS IX. *Petrus Thomacellus* antea appellatus, patriâ Neapolitanus, ab Urbano VI. primùm Acolythus & Protonotarius Apostolicus, deinde Diaconus Cardinalis S. Georgii in Velabro, postremò Presbyter Cardinalis titulo S. Anastasiæ constitutus. Post Urbani mortem Pontifex Romanus electus est anno 1389. die II. Novembris, consecratus die XI. coronatus die XIV. ejusdem, ætatis suæ anno 34. seu, ut alii, 45. Anno 1390. anathema Carolo Siciliæ Regi, totique ejus posteritati ab Urbano decessore incussum abrogavit: & Festum Annunciationis B. Virginis ab Urbano paulò ante mortem institutum confirmavit. Anno 1391. vir nummi, quo affines ditaret, cupidissimus, Annatarum onus Ecclesiæ primus invexit, ut primi anni fructus Beneficiorum Ecclesiasticorum, primitiarum Iudaicarum ad instar, ærario Apostolico solverentur, sanciens. Anno 1394. seditionibus nuperis in Urbe sedatis, ut sibi magistratus pro lubitu constituere, vectigalia imponere, ac rem militarem disponere liceret obtinuit, adeóque *primus omnium Romanorum Pontificum*, inquit Bzovius *, *omnem populi Romani vim sustulisse, ac tandem Urbis summum imperium obtinuisse visus est.* Anno 1400. ex Assisio ubi multis annis moram fecerat, Romam ingressus Jubilæum celebravit. Obiit anno 1404 die I. Octobris. Extant *Epistolæ & Constitutiones* IV. apud Bzovium ad an. 1390. 1391. 1403 *alia* VI. apud Waddingum Annal. Minor. Tom. IV. ad an. 1392, 1394, 1399. *alia* XLII. ibid. in Regesto Pontif. p. 177. *alia* plures apud eundem Tom. IV.

* Ad an. 1394. nu. 1.

1390. H. W. JOSEPHUS, ALSHAHER BILTABIB dictus, Al-marchum Al-mashiki Altagi filius; natione Ægyptius, civitate Alexandrinus, Præpositus Ecclesiæ Catholicæ B. Virginis anno 1390. constitutus, Presbyter anno 1398. ordinatus. Iste omnes ferè Canones in Ecclesiâ Grecâ receptos Arabico sermone paraphrasticè interpretatus est. Extat integra *versio* MS. in Bibliothecâ Bodleianâ. Ex eâ excerptos *priorum* IV. *Conciliorum Generalium Canones* Arabicè & Latinè evulgavit Cl. Beveregius in Pandectis Canonum *Oxon.* 1672. Tom. II. p. 681.

1390. H. W. PETRUS HERENTALIUS, seu *de Herentalis*, gente Belga, patriâ Brabantus, ex oppido cognomine originem duxit, Canonicus, ac Prior Cœnobii Floreffiensis Ordinis Præmonstratensis, claruit anno 1390. Obiit post annum 1436. modò calculos rectè ponat Simlerus *, qui Catenam illius in Psalmos isto circiter anno concinnatam prodit. Ex variis enim Patrum ac Doctorum Commentariis prolixam *Psalmorum Expositionem* Petrus composuit, quæ typis excusa prodiit. *Colon.* 1487. f. *Reutlingæ* 1498. *Rothomagi* 1504. 4to. Colon. 1554. *Commentarium* ejusdem *in* IV. *Evangelia fusissimum*, uti & *Chronicon ab orbe condito ad annum* 1385. se MSS. in Bibliothecâ Floreffiensi vidisse testatur Oudinus Supplem. p. 657. Chronicon habetur etiam in Bibliothecâ Colbertin. Cod. 751. Alia quædam illius scripta recenset. Fr. Sweertius Athen. Belgic. p. 621.

* Biblioth. p. 558.

1385. R. G. PETRUS HERENTALIUS, patriâ Brabantus, ex Ord. Præmonstrat. Cœnobii Floreffiensis Prior, claruit anno MCCCLXXXV. Scripsit *Compendium Chronicorum*, ab orbe condito ad an. MCCCXCV. Joanni Episcopo Leodiensi nuncupatum, quod MS. extat in *Biblioth. Floreffiensi*, & in *Colbertinâ*, Cod. 751. Ex hoc Opere, ut videtur, *Vitas Pontificum Rom.* VII. descripsit, *viz.* Joannis XXII. Benedicti XII. Clementis VI. Innocentii VI. Urbani V. Gregorii XI. Clementis VII: ac notis suis uberrimis locupletatas publicæ luci donavit Steph. Baluzius *Vit. PP. Aven.* Tom. I. col. 179. 237. 309. 361. 413. 483. 539.

SÆC. XIV. ab An. MCCC.

1390. H. W. RADULPHUS DE RIVO, natione Belga, patriâ Brabantus, domo Bredanus, Decanus Tungrensis, antiquatum Ecclesiæ consuetudinum peritissimus simul ac tenacissimus, claruit anno 1390. Obiit Romæ anno 1401. die ii Novembris, seu, ut alii anno 1403. die x. Aprilis. Extat *Calendarium Ecclesiasticum*, seu de *Canonum observantia Propositiones* XXIII. seorsim editæ *Lovanii* 1568. & in Bibliotheca Patr. recusæ Tom. XXVI. pag. 289. *Historia de rebus gestis trium Pontificum Leodiensium*, Engelberti à Markâ, Joannis de Arkel & Arnoldi de Horn, ab anno 1347. ad an. 1386. quam primus in lucem edidit Joannes Chapeaville Rerum Leod. Hist. *Leodii* 1616. 4°. Tom. III. p. 1.

1390. H. W. GERARDUS, ZUTPHANIENSIS à civitate patriâ dictus, unus è primis Clericis Regularibus Ordinis S. Hieronymi, seu Fratribus Vitæ Communis à Gerardo Magno apud Daventrienses institutis, pietate eximiâ, & rarâ doctrinâ insignis, claruit anno 1390. Obiit die IV. Decembris, anno 1398. ætatis suæ 31. Extant Opuscula ii. Ascetica, alterum *De Reformatione interiori*, *seu virium Animæ*; alterum *De spiritualibus Ascensionibus*, *Parisiis & Coloniæ* 1539. sæpius inter Opera Thomæ à Kempis, & in Bibliotheca Patr. Tom. XXVI. p. 254.

1390. H. W. WILHELMUS WODFORDUS, aliis *Wilfordus*, natione Anglus, Waddingo *, tamen, (cui Scriptores Anglicos suis conterraneis annumerare solenne est) Hibernus, ac civitate Waterfordiensis, Ordinis Franciscani Monachus, claruit anno 1390. Sexennio post in Synodo Londinensi à Thoma Arondelio Archiepiscopo Cantuariensi, totoque Clero Anglicano, delectus est, qui Joannis VViclefi Trialogum scripto refutaret. Obiit, uti vulgò fertur, Colcestriæ anno 1397. Sin autem verum sit quod vult VVaddingus *, Wodefordum nempe Opusculum de Religione anno 1433. scriptum Juliano Cardinali nuncupasse, necesse est illum diu supervixisse. Extat *Liber ad Thomam Archiepiscopum Cantuariensem adversus Articulos* XVIII. *ex Wiclefi Trialogo excerptos*, & in Concilio Londinensi anno 1396. (ex communi Scriptorum calculo) damnatos: in Fasciculo Rerum expetendarum *Colon.* 1535. f. p. 96. *Determinatio contra Hæreses Jo. Wiclefi*, MS. in Bibliotheca Coll. Novi Oxon. cod. 87. Mertonensi cod. 222. *Defensorium contra Armachanum in libello de mendicitate Christi*, MS. in Biblioth. Magdalenensi Oxon. cod 62. *Extractio errorum Armachani*, MS. in Biblioth. Coll. Novi Oxon. cod. 168. *Super causis condemnationis Articulorum Joannis Wiclefi*, MS. in Biblioth. Mertonensi cod. 210. (quod quidem Opus nequaquam diversum à primo videtur.) *De Sacramento Altaris*, MS. in Biblioth. Exoniensi Oxon. cod. 11. *Summam ejus de virtutibus*, quam perfecit VValterus Prior à medio usque in finem, MS. vidi in Coll. Gonvil. & Caii. apud Cantab. fol. Alia adhuc plurima recensent Baleus Cent. VII. c. 3. & VVaddingus de Script. Ord. Minor. p. 158.

* Annal. Minor.

* Annal. Minor. Tom. IV. ad an. 1395. §. 2.

1390. H. W. JOANNES BROMIARDUS, gente Anglus,

SÆC. XIV. ab An. MCCC. glus, patriâ Herefordiensis, Ordinis Prædicatorum Monachus, Theologus ac Jurisconsultus summus, Doctor Oxoniensis, ac demum Professor S. Theologiæ Cantabrigiensis, VViclefum in Synodo Londinensi anno 1382. acriter oppugnavit. Claruit anno 1390. sint licèt, qui ad annum 1290. errore manifesto eum referant. Obiisse dicitur post annum 1419. Extat *Summa Prædicatorum* in duas partes distributa, qua præcipuos Disciplinę Ecclesiasticæ locos & sensus ordine Alphabetico explicat, *Norimbergæ* 1485. *Venet.* 1586. 4°. *Dicta de missarum celebratione*, MSS. in Bibliotheca Mertonensi Oxon. cod. 210. *Exhortationes*, MSS. in Biblioth. publica Cantab. cod. 208. *Tractatus Juris Civilis & Canonici ad moralem sensum applicati secundùm ordinem Alphabeti*, MS. in Biblioth. Pembrochiana Cantab. cod. 122. in Biblioth. Coll. Novi Oxon. Cod. 140. & in Bibliotheca Lamethana. Alia enumerant Baleus Cent. VII. cap. 4. Altamura Biblioth. prædicat. p. 63.

1394. H. W. BENEDICTUS XIII. *Petrus de Luna* antea nominatus, natione Hispanus, nobilissimo inter Aragonios loco natus. Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin à Gregorio XI. creatus, post mortem illius Clementis VII. partibus adhæsit, ab isto in Hispaniam anno 1381. legatus. Post Clementis mortem Pontifex Romanus Avenione electus est ann. 1394. die XXVIII. Septembr. consecratus & coronatus II. Octobr. accepto priùs juramento se, cedente Bonifacio IX. Pontificatu cessurum. De pace in Ecclesiam revocanda à Christianis principibus & Episcopis sæpe interpellatus nullas non tricas nexuit, & astutias commentus est, ut sibi Pontificatum conservaret aliis fucum faceret. A Carolo igitur Galliæ Rege anno 1398. Avenione obsessus, captus, & in custodiam datus est. Anno 1403. carcere elapsus ad consuetas fallendi artes rediit, Papatum abdicare se paratum esse nunquam non professus, eundem tamen interim retinere per fas & nefas contendens. Anno 1408. die V. à Concilio Pisano depositus, in Catalauniam aufugit, atque anno 1408. Conciliabulum asseclarum suorum Perpiniani coegit: & mox Barcinone positus, Pontifices æmulos, eorumque sequaces, ac Patres Pisanos diris devovit, & Concilii Pisani Acta abrogavit. Anno 1417. die XXVI. Julii, Concilii Constantiensis decreto Papatu simul ac communione submotus est. Ipse nihilominus ab omnibus desertus ad extremum usque spiritum titulum malè usurpatum pertinax retinuit. Obiit Paniscolæ, Regni Valentini arce, anno 1423. die XXIII. Maii. Extant *Epistolæ* V. Concil. Tom. XI. p. 2086, 2113, 2157, 2268. *Bullâ*, qua Reges ac Principes omnes ab obedientia sua recedentes anathematizat, & Principatibus exuendos decernit, Concil. Tom. XII. p. 1812. *Responsio ad Sigismundum Imp.* apud Bzovium ad an. 1415. num. 19. *Edictum contra Judæos*, ibid. num. 35. *alia plures Epistolæ* apud Theodoricum à Niem. *Liber de potestate summi Pontificis & Concilii* MS. in Bibliotheca Vaticana. *Vita humana adversùs omnes Casus Consolationum liber.* Hispanicè evulgatus.

1395. H. W. HENRICUS KNIGHTON, natione Anglus, Canonicus Regularis Monasterii Leicestrensis, claruit circa annum 1395. Melioris notæ Historicus; quo non alius res Anglicas majori fide ac diligentia persecutus est. Scripsit *Chronicon de Eventibus Angliæ libris* V. ab anno circiter 950. ad an. 1395. quorum primo res à Saxonicis Regibus usque ad an. 1066. gestas breviter percurrit: tres sequentes, qui ad annum usque 1377. pertingunt, ex Ranulphi Higdeni Cestrensis Polychronico ferè verbatim exscripsit. Literis præterea commisit *Historiam Depositionis Richardi* II. Angliæ Regis anno 1399. factæ. Extat utrumque Opus inter X. Historiæ Anglicanæ à Cl. Twisdeno editos *Londini* 1652. p. 2311, 2743.

CALLISTUS II. Patriarcha Constantinopolitanus, primò Cœnobii Xanthopulorum apud Byzantinos Monachus, deinde anno MCCCXCV. Patriarcha renunciatus, post tres menses fato cessit, ad annum MCCCCVI. perperam reponit L. Allatius. Scripsit adhuc Monachus, adjuvante ejus operam fratre quodam Ignatio, Tractatum *de Vita Monastica* in Capita C. diductum, cui titulus, *Methodus & Regula exquisita, testimoniis Patrum comprobata, de iis qui eligunt vitam quietam Monasticam & de Vita instituto* &c. Pr. Ἐδει μὲν ἡμᾶς κτ̀ τὰς θείας φαναγχρισμὰς διδάξας. Hujus Auctoris & Operis meminit Symeon Thessalonicens. *Dialog. contra hæreses.* Habetur Græcè MS. in Biblioth. Barberina. Vide Allatium *contra Creighton*, pag. 655. 1395. R.G.

MATTHÆUS PATRIARCHA, Metropolita primò Cyzicenus, deinde Patriarcha Constantinop. Renunciatus anno MCCCXCV. à Genebrardo, Onuphrio, & Frehero omissus, inter Callistum II. (qui Antonio ejus nominis quarto successit; tres solummodò menses throno potitus) & Euthymium reponendus: hujus Patriarchæ mentionem facit Sylvester Sgyropulus *Hist. Concil. Florent.* sect. II. c. VII. p. 5. obiit anno MCCCCVIII. Extat ejus *Testamentum*, sive *ultima voluntas & Doctrina*, i. e. Fidei Confessio. Gr. MS. in *Bibl. Vindob. Cod. Hist.* LV. n. 1. à fol. 1. ad fol. 43. *Hypotyposis*, sive *Informatio ad seipsum, & ad Episcopos sibi subjectos, & ad Clerum Magnæ Ecclesiæ* Constantinop. Anno Christi MCCCXCVIII. scripta, habetur Græcè MS. *ibid.* n. II. 1395. R.G.

PETRUS DE ALLIACO, natione Gallus, Compendii ad Isaram fluvium tenuissimæ sortis parentibus anno 1350. natus, liberalibus disciplinis probè institutus, Collegium Navarrense in Academia Parisiensi anno 1372. ingressus est; inter sodales Candidatorum Theologiæ, quos Bursarios appellant, receptus. Anno 1375. Magistri Sententias in Collegio suo prælegere, & ad populum in Ecclesia concionari cœpit: & ad Synodum Ambianensem evocatus, Subdiaconus adhuc ad Presbyteros concionem habuit. Anno 1380. III. Id. April. Doctoris insignia retulit; atque anno sequente habitâ coram Andegavensi Duce oratione, Concilio Generali ad tollendum schisma opus esse Academiæ Parisiensis nomine declaravit, Canonicus Noviodunensis eodem anno factus. Anno 1384. Collegio Navarrensi præfectus est; ubi Joannem Gersonem, Nicolaum Clemangium aliosque doctissimos Viros discipulos habuit. Anno circiter 1387. coram Clemente VII. Pontifice apud Avenionem sedente Facultatis Theologicæ Parisiensis causam oravit adversùs Joannem Montesonum, Dominicanum, quem sententiam suam de maculato B. Virginis Conceptu publicè docentem nuper damnarant. Anno 1389. Academiæ Parisiensis Cancellarius renunciatus est, & Carolo VI. Regi à sacris largitionibus, & Confessionibus adhibitus. Anno 1394. Capellæ regiæ apud Parisios Thesaurarius constituitur. Eodem anno à Carolo Rege ad Benedictum XIII. qui Clementi VII. successerat missus est, de schismate tollendo in medium consulturus. Anno 1395. Aniciensis seu Vellavensis, 1396. Cameracensis Episcopus renunciatur. Anno 1405. Genuæ versatus, habita coram Benedicto Pontifice concione, ei, ut Festum Trinitatis celebrandum decerneret, persuasit: quod quidem à paucis antea Ecclesiis celebratum fuerat, deinceps verò duce & auctore Cameracensi ubique observari cœpit. Anno 1409. Concilio Pisano interfuit. Anno 1411. VII. Id. Junias à Joanne XXIII. 1396. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. Papâ in Cardinalium cœtum titulo S. Chrysogoni allectus est; & post triennium in Germaniam legatus. Exeunte an. 1414. ad Constantiense profectus est Concilium, cujus tertiæ sessioni præfuit, & per integrum triennium pars magna fuit. Exeunte anno 1417. quo finita est Synodus, crebras ad Patres conciones habuit. Obiit anno 1425 Cameraci in Ecclesia Cathedrali sepultus; *Aquila Franciæ*, & *malleus à veritate aberrantium indefessus* appellari solitus.

OPERA.

Commentarii breves in libros IV. Sententiarum. Seorsim---1500.4°.

Quæstiones seu Principia in quatuor libros Sententiarum.

Recommendatio S. Scripturæ.

Principium in cursum Bibliorum, præcipuè in Evangelium S. Marci.

Quæstio Vesperiarum, Utrùm Petri Ecclesia lege reguletur.

Quæstio de resumpta, Utrùm Petri Ecclesia Rege gubernetur, lege reguletur, fide confirmetur & jure dominetur. Prodierunt simul Opera ista, dempto primo, *Argentinæ* 1490 f.

Speculum Considerationis XII. Capitibus contentum.

Compendium contemplationis in tres Tractatus divisum.

De IV. *gradibus scalæ spiritualis* ex dictis B. Bernardi.

Epitome quadruplicis exercitii spiritualis.

De Oratione Dominica Tractatus ii.

Salutationis Angelicæ Expositio devota.

Verbum abbreviatum super libros Psalmorum.

Meditationes ii. *in Psalmum* XXX. *In te Domine, speravi.*

Meditatio in Psalmum, Judica me, Deus.

Meditationes in VII. *Psalmos Pœnitentiales.* Habentur unà cum tribus prioribus Meditationibus inter Orthodoxographa p.1085.

Meditationes in Cantica, Magnificat, Benedictus, & Nunc dimittis.

Expositio in Cantica Canticorum Solomonis.

Duodecim honores S. Josephi sponsi Virginis. Prodierunt simul Opuscula ista XVII. à Speculo Considerationis inclusivè enumerata *Duaci* 1634. 8°.

Tractatus de anima. Prodiit seorsim. *Paris.* 1494. 8°. 1505.

Sermones varii argumenti XX.

Modus, seu forma eligendi summum Pontificem.

Quæstiones in Sphæram Mundi Ioannis de Sacro-Bosco, Paris. 1498. Venet. 1508.

Libellus de emendatione Ecclesiæ, Concilii Constantiensis Patribus anno 1415. oblatus. Prodiit in Fasciculo Rerum expetend. *Colon.* 1535. p.203. & apud Wolffium Lect. Memorab. Tom. 1. p.756.

De Ecclesiæ & Cardinalium authoritate Libellus. Extat inter Gersonis Opera *Paris.* 1606. Tom. 1. p.895.

Liber de Concordia Astrologiæ & Theologiæ. Habetur in Appendice Operum Gersonis.

Tractatus super libros Meteororum Aristotelis de impressionibus aëris, ac de iis, quæ in 1ª, 2ª, & 3ª, *regionibus aëris fiunt.* Argentinæ 1504. Viennæ 1509.

Sacramentale, Lovanii 1487.

Vita S. Petri de Morono, Pontificis Romani, dicti Cœlestini V. Prodiit seorsim à Dionysio Fabro Priore Parisiensium Cœlestinorum in lucem edita *Paris.* 1539. 4°. & habetur apud Surium die XIX. Maji.

Tractatus de Imagine Mundi.

Epilogus Mappæ Mundi.

De Legibus & Sectis.

De Correctione Calendarii.

De vero Cyclo Lunæ.

Cosmographiæ Tractatus ii.

Vigintiloquium de Concordantia Astronomicæ veritatis cum Theologia.

De Concordia Astronomicæ veritatis & narrationis Historicæ.

Tractatus Elucidarius Astronomicæ Concordiæ cum Theologia & Historia.

Apologeticæ Defensiones II. *Astronomicæ veritatis*, Coloniæ anno 1418. scriptæ.

Tractatus de Concordia discordantium Astronomorum. Prodierunt simul Opuscula ista à Tractatu de Imagine Mundi inclusivè alicubi in folio; non expressis loci, temporis, aut Typographi nomine.

Prodierunt etiam alicubi *Liber de Concilio Generali*; *Liber Quæstionum in Hexaemeron*; *Conceptus & exponibilia*; *Tractatus de Interdicto*; *Tractatus de permutatione Beneficiorum*, & *Responsio contra Fr. Matthæi Conclusiones pro secta Flagellantium.* Verùm editionum tempora & locos invenire non potui.

Cæterùm plurima Cameracensis Opuscula inedita MSS. asservantur, viz. *Quæstio utrum hæreticum sit pro docendi licentia pecuniam dare vel recipere*; *Quæstio de reprehensione Petri à Paulo facta*, *Tractatus* ii. *de falsis Prophetis*; *Tractatus* iii. *contra Fratrem Ioannem de Montesono*; *Sermones aliquot*, & alia in Bibliotheca Collegii Navarrensis, à Launoio sigillatim enumerata Hist. Gymnas. Navarr. Tom. ii. p.479.

ANTONIUS DE BUTRIO, gente Italus, patriâ Bononiensis, Juris utriusque Doctor, & in Academiis Bononiensi ac Ferrariensi Professor, Joannis de Imola & Geminiani magister. Claruit anno 1398. Obiit Bononiæ anno 1408. Non. Octobr. (si Forstero fides) ad S. Michaelem in monte sepultus. Habetur tamen in Bibliotheca Augustana Codex MS. secundam Lecturæ ejus super 2. Decretalium partem complectens, qui Lecturam istam anno 1439 scriptam esse præ se fert. Quàm parum autem inscriptionibus hisce Codicum MSS. tribuendum sit, vel exinde constat, quòd in eadem Bibliotheca Codex MS. habeatur, qui Zabarellæ super Clementinas Lecturam anno 1436. compositam esse prodit; cùm tamen Authorem anno 1417. obiisse certò certiùs constet. Extat Antonii *Commentarius in quinque libros Decretalium*, Venet. 1578 Tom. VII. *Commentarius in sextum Decretalium librum*, Venet. 1575. *Consilia sive Responsa Iuris*, Venet. 1582. *Tractatus de jure Patronatûs*, Francofurt. 1581. *Speculum de Confessione*; Lovanii --- f. *Reportatoria duo*; alterum Juris Canonici, Juris Civilis alterum, plus unâ vice edita: & alia quædam, quæ ad hunc locum minùs spectant. 1398. H. W. Hist. Jur. Civil.

DEMETRIUS CHRYSOLORAS, natione Græcus, patriâ Thessalonicensis, adolescens adhuc ob raram indolem, & egregias animi dotes Joan. Cantacuzeno jam Monacho primùm innotuit, & ab eo Manueli Imp. velut summis rebus idoneus, & præcipuè in arduis sagax commendatus, Constantinopolim abiit, reliquum vitæ spatium in Aulâ transacturus, variis legationibus functus, & ad difficiliora regni negotia admotus, claruit anno MCCCXCVIII. Scripta quorum nulla lucem adhuc aspexerunt sunt hujusmodi. *Encomium in S. Demetrium Martyrem.* Pr. Δημήτριος τὸ γλυκὺ θρέμμα, καὶ θαυμαστὸν ὄνομα. Pr. Hujus meminit L. Allatius *de Simeon*, p.85. & *contra Creighton*, p.6. *Contra Demetrium Cydonium pro Nicolao Cabasilâ de Processione Spiritûs S. dialogus.* Pr. Μέγας μὲν ὁ τῶν ὁμοφύλων καὶ 1398. R. G.

Digitized by Google

καθ' ἡμῶν πόλεμος Allat. *ibid.* *Dialogus alter contra Latinos.* Pr. Τὶ ᾗ τὸ κατηγορεῖν ὦ Θευδόσιε καὶ τίνες οἱ τούτῳ χρώμενοι. Allat. *ibid.* horum alteruter, ut videtur, habetur Græcè MS. in *Bibl. Bodleian.* Cod. 720.n.i.Ubi & *Refutatio Epistolæ* ad ipsum missæ per Legatos Papæ *de Processione Spiritûs* S.n.ii. *Tractatus ex libris Nili Thessalonicensis* contra Latinos *de Processione Spiritûs* S. Pr. Ἀχραῖα δόξα τῇ ἐκκλησίᾳ Allatius *ibid.* Extat & in *Bibl. Bodleian.* Cod. 3377. *Tractatus contra Latinos* Græcè MS. *Epistola* ad Barlaamum *de Processione Spiritûs S.* Latinè extat ex ipsius Barlaami, ut videtur, versione, unà cum ipsius *Responsoriâ* in *Bibliothecâ Patrum Coloniens.* edita. *Epistola ad Antonium Asculanum* dubitantem quomodo, cùm Ens sit præstantius Non-ente, Dominus noster dixerit de Juda *melius ei esset si natus non fuisset.* Pr. Ἀπορῦντί σοι ὡς ἐπειδὴ τὸ ὂν τοῦ μὴ ὄντος κρεῖττον. Utriusque meminit Allatius, *ibid.* p. 6. 7. *Disputatio coram Manuele Imp.* inter eum & Antonium eundem *de eisdem Christi verbis*, extat Latinè ex versione Geor. Trombæ *Florent.* 1618. *4to.* *Epistolæ* centum ad Manuelem Palæolog. Imp. quarum prima sic incipit, Ἄειςε βασιλεῦ. Habentur MSS. in *Bibl. Bodleian.* Cod. 125. *Homiliæ de Transfiguratione Christi*; *de Sepulturâ*; *de Resurrectione*; *de Annunciatione*, (in capite mutila); *In dormitionem Deiparæ*, *In nativitatem Domini*: Extant MSS. in *Bibl. Scorialensi.* *Epigramma Funebre in Obitum Theodori Despotæ.* Extat Græcè MS. in *Bibl. Vindob.* Cod. *Philos.* XCVIII. n. vii. Orationi Manuelis subjunctum. Ad hunc Codicem *Epistola ad Asculanum* suprà memorata cum septem aliis Opusculis olim pertinuit, ut ex Indice ejusdem apparet. In eâdem *Bibl. Cod. Philos.* CCCXLVII. habentur *Erotemata Grammatica* Demetrio ascripta, Manueli forsan potiore jure adjudicanda.

1400. H.W. NICOLAUS DE GORHAM, quem nonnulli Gallum fuisse volunt, rectiùs verò natione Anglus, in vico cognomine Provinciæ Hartfordiensis natus, Oxonii in Collegio Mertonensi bonis literis innutritus, & Magisterii gradu cohonestatus. Tandem Dominicanis se adjunxit; & Lutetiam profectus, doctrina ac pietate inclaruit, Ordinis sui Provincialis in Gallia factus. Eundem tamen Franciscanis Waddingus * annumerat. Vixit forsan exeunte hoc sæculo, circa annum 1400. Alii illum ad ann. 1350, alii etiam ad ann. 1296. referunt; & Philippo cuidam Galliarum Regi à sacris Confessionibus fuisse produnt.

* De Script. Ord. Minor. p. 264.

OPERA.

Commentaria in IV. Evangelistas. Prodierunt *Colon.* 1537. f.

Commentaria in Acta Apostolorum.

Commentaria in omnes Epistolas S. Pauli. Hagenoæ 1502. Paris. 1521. f.

Commentaria in Epistolas Canonicas. Sub Thomæ Wallensis nomine sæpiùs edita.

Commentaria in Apocalypsin.

Sermones de Tempore & Sanctis per totius anni circulum. Prodierunt unà cum Comment. in Ep. S. Pauli *Hagenoæ & Parisiis.*

Omnia Gorrami Opera collegit, & in duos Tomos distributa edi curavit Joannes Keerberg *Antverp.* 1617. & 1620. 2. vol. fol.

Commentaria Thomæ Wallensis in Boethii Consolationem Philosophiæ in nonnullis Cod. MSS. Gorramo ascribuntur.

Reliqua Gorrami Opera inedita recensent Baleus Cent. VII. c. 22. Altamura Biblioth. Prædicat. pagin. 71. & Simlerus Biblioth. Tigurin. pagin. 519.

1400. H.W. JACOBUS MAGNI gente Hispanus, patriâ Toletanus, Ordinis Augustiniani Eremita, insigni S. Scripturæ peritiâ, & assiduâ veterum Theologorum lectione egregium sibi nomen tulit. Claruit anno 1400. postquàm Patavii Theologiam ac Philosophiam publicè professus esset: Carolo VII. Francorum Regi à secretis confessionibus adscitus, Archiepiscopatum Burdegalensem sibi oblatum repudiavit. Obiit Lutetiæ apud Augustinianos sepultus. Scripsit insigne *Opus de Sermone & Inquisitione divinæ sapientiæ*, cui *Sophologium* nomen dedit, libris x. distinctum, quod ex veterum Philosophorum, Poëtarum atque Oratorum Scriptis ab ipso consarcinatum esse in Præfatione prodit. Prodiit id characteribus vetustissimis impressum *Lugduni* 1495. 8°. & cum Joannis de S. Geminiano Opere de Similitudinibus & exemplis. *Lugduni* 1585. f. Alia illum elucubrâsse, & in his *Quæstiones in libros Aristotelis de Animâ* luculentas, & *utriusque Philosophiæ tam naturalis quàm supernaturalis Compendium* in Michaelem Episcopum Autisiodorensem, prodit Jos. Pamphilus Chron. Ord. Erem. p. 73.

NILUS DAMYLA, patriâ Italus, Hieromonachus in Monasterio Hieræ Petræ Carcasinorum in Cretâ insulâ, claruit anno 1400. Latinorum hostis infensissimus. Scripsit *Opus de Ordine in divinâ Triade, & de Processione Spiritus S.* MS. in Bibliothecâ Vaticanâ. Fragmentum ejus Gr. Lat. exhibet L. Allatius lib. adv. Hottinger. cap. 19. p. 441. *Collectanea* insuper elucubravit ad Maximum Monachum *ex sacris literis, adversùs eos, qui contradicunt S. Spiritum non ex Patre procedere, sed ex Patre & Filio*, & *Tractatus* II. alterum *de Damaso Papa & fide antiquâ Romæ*, alterum *de Synodis duabus Photianis*: MSS. in Bibliotheca Regis Galliæ. Ex postremo Tractatu Fragmentum Gr. Lat. profert L. Allatius lib. de Synodo Photiana cap. 9. pag. 179. aliud lib. de consensu l. 2. cap 18. §. 10. aliud è penultimo Tractatu habet in Addendis pagin. 1375. aliud ex secundo Opere, ibid. l. 2. cap. 18. §. 7. Alia Fragmenta vid. apud eundem de Consensu l. 2. cap. 9. §. 5. & l. 3. c. 1. §. 3. 1400. H.W.

MAXIMUS, Monachus Græcus, Damylæ σύγχρονος, quem literis tentavit, sententiæ autem suæ adversarium sensit, claruit circa annum 1400. Scripsit acriter pro Latinorum dogmate adversùs Græcos, missis undequaque, inprimis verò ad Constantinopolitanos, hac de re *Epistolis.* Ejus scripta haud adhuc superesse arbitror. 1400. H.W.

FRANCISCUS XIMENIUS, natione Hispanus, patriâ Catalaunus, domo Gerundensis, Episcopus Elnensis, & Pseudo-Patriarcha Hierosolymitanus. Claruit circa annum 1400. Scripsit *Librum insignem de Naturâ Angelicâ*, *Compluti* 1527. excusum. *Tractatum de Scalâ Dei*, *Barcinone* 1501. *Pastorale pro instructione Episcoporum & Supernorum*, *Barcinone* 1495. f. *De Vitâ Christianâ libros* IV. *Valentiæ* 1484. *Granatæ* 1496. Alia ejus Opera quamplurima, linguâ patriâ conscripta, in Bibliothecâ Cœnobii S. Mariæ de Jesu prope Barcinonem MSS. asservari testatur Waddingus de Scriptor. Ord. Minor. p. 140. 1400. H.W.

FRANCISCUS ZABARELLA, seu *de Zabarellis*, gente Italus, domo Patavinus, Juris utriusque Doctor, quod à Joanne Lignano, Baldo, & Saliceto acceptum tum in Gymnasio patrio tum Florentiæ docuit, Nicolai Abbatis Panormitani magister. Tantam apud concives Patavinos egregiâ nominis famâ ac vitæ probitate authoritatem iniit, ut extinctâ Carrariensium familiâ, illi patriæ civitatis claves deferendi, deditionisque Venetis faciendæ provinciam committerent. Ecclesiæ Cathedralis 1400. H.W.

Patavinæ

SÆC. XIV. ab An. MCCC. Patavinæ jamdiu Archipresbyter, tandem Episcopus à Canonicis electus est: concivium verò suorum voluntati morem gerens, oblatam dignitatem refugit; & ab iis vicissim opulentissimam S. Mariæ de Prataleâ Abbatiam pietatis erga patriam insignis præmium tulit. Claruit anno 1400. Episcopus Florentinus à Populo electus, dignitate tamen usque ad annum 1411. caruit: cùm à Joanne XXII. Papa in Cardinalium cœtum titulo SS. Cosmæ & Damiani cooptatus, sedem etiam suam ab eo confirmatam retulit. Post biennium à Pontifice ad Sigismundum Imp. mittitur de Concilio Generali indicendo & schismatibus tollendis acturus. Concilium utriusque consensu Constantiæ convocatur: ad convocatum anno 1414. legatur Zabarella Pontificis obiturus vices: quas summa prudentia, fide, ac diligentia triennio ferè administravit; Hieronymum Pragensem capitis damnatum in carcere invisere & ad Palinodiam hortari non dedignatus. Obiit Constantiæ die VI. Novembr. anno 1417. ætatis suæ 78. honorificè admodùm elatus, tota Synodo, ipsoque Imperatore, funeris pompam cohonestantibus, & Poggio Florentino laudes illius è suggesto recitante. Corpus postea Paviam translatum est, & illustri à civibus ornatum Epitaphio, quod apud J. Phil. Thomasinum* videre est.

* Illustr. vir. elog. p. 6.

SCRIPTA.

Commentarius in V. *libros Decretalium*, *& Clementinas.* Prodiit *Venet.* 1602.

Commentarius in *Clementinas* seorsim prodiit *Venet.* 1481. Tom. IV.

Consilia Juris. Venet. 1581.

Varia Legum Repetitiones. Venet. 1587.

De Schismatibus authoritate Imperatoris tollendis Liber, inter alia quædam editus *Basil.* 1587. *Argentinæ* 1609, 1618. Illum Indices Romani, antequàm expurgetur, legi prohibent. SÆC. XIV. ab An. MCCC.

Alias illius scripta enumerat Thomasinus †, viz. *Commentarios in Naturalem & Moralem Philosophiam*; *Tractatum de Horis Canonicis*; *Historiam sui temporis*; *De Fœlicitate libros* III. *Commentaria in Vetus & Novum Testamentum*; *Opuscula de Artibus liberalibus*; *De Naturâ rerum diversarum*, *Acta in Conciliis Pisano & Constantiensi. Volumen Orationum*, *& Epistolarum*: quæ quidem nondum in lucem prodiisse puto.

† Ibid. p. 5.

SIMON JACUMÆUS, aliàs SACUMÆUS, Constantinopolitanus dictus, fortè quòd è Byzantio genus duxerat, in Insulâ Cretâ natus, Ord. Prædicat. & per totam Græciam Inquisitor Generalis à Rom. Pontif. constitutus; Gyracii primò Episcopus, mox Thebarum Metropolita, claruit anno MCCCC. In S. Scripturis *N. Test.* ex *Græcâ linguâ* in *Hebræam* & *Latinam* convertendis laudabilem operam posuit, quas tribus Columnis ita disposuit, ut verbum verbo aptè responderet, uti Sixtus Senensis tradit. Præter dictum Opus, scripsit etiam *de Processione Spiritûs S.* pro Latinis adversùs Græcos Tractatus tres: quorum primum Manueli Olobelo inscripsit. Pr. Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον φιλανθρωπότατον ὄν. Secundum Sophoniæ. Pr. Μέμνημαι ὡς ὅτι ἡ μεγάλη ἁγιωσύνη σου ἀπέσταλτο. Tertium Joanni Nomophylaci. Pr. Ἡ δήλωσις τῶν λόγων σου φωτινεῖ. Scripsit etiam in Joannem Cantacuzenum *Carmina quædam.* Prin. Ὅπλοις κραταιοῖς ἑλκύσας ζωγῶ στίφη. Horum omnium notitiam debemus doctissimo Allatio *de Simeon.* pagg. 202. 203. 1400. R. G.

SÆC. XIV.

Concilia hoc Sæculo habita.

1301. R. G. COMPENDIENSE I. à Roberto de Courtenay Rhemensi Archiepiscopo mense *Novembr.* ann. MCCCI. convocatum, in quo septem Capitula disciplinam Ecclesiasticam & Clericorum immunitates, *viz. ne secularibus potestatibus subditi sint*, præcipuè spectantia ordinantur. Extant *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1472. vide Spondani *Annales Eccles.* ad ann. MCCCI. §. IX.

1302. R. G. PENNAFIDELENSE, (Vaccæorum Hispaniæ Tarraconensis id oppidum est) ab Episcopis Provinciæ Toletanæ sub Gonsalvo Archiepiscopo (non autem Ægidio, uti Codex MS. quo usus est Cl. Cossartius, & ex Scriptoribus Hispanis nonnulli) ipsis Calend. *Aprilis* anno MCCCII. congregatum, in quo *Clerici ad horas Canonicas recitandas*, *concubinas dimittendas*, *Eucharistiam morientibus ministrandam*, *Confessionum arcana omninò celanda ordinantur*; *dies Festus in honorem B. Ildephonsi instituitur*; aliaque *de decimis*, *de immunitatibus Ecclesiarum* &c. decernuntur. Extant Constitutiones Ecclesiasticæ XV. *Conc. Tom.* XI. *Append.* col. 1444. & apud Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 538. Anno sequente habita est Synodus apud Oscam urbem in Aragoniâ, in quâ Privilegium Ramiri Aragonum R. & Sanctii ejus filii, ad reparationem Ecclesiæ Oscensis à Barbaris expugnatæ, publicè recitatur. Vide d'Aguirr. ibid. p. 543.

1302. R. G. ROMANUM, à Bonifacio Papâ VIII. III. Cal. *Novembr.* anno MCCCII. coactum. Huic Concilio Præsules & Clerum Gallicanum adesse jubet Pontifex, quò eos in partes suas attraheret, ac Philippo Regi, quem inimicissimum habuit, infensos daret. Eis autem non comparentibus, (regio nempe Edicto eos Regno exire vetuit Philippus) nihil omninò in hâc synodo actum est, sed æstus omnis in fumum abiit. Vide Bernardum Guidonis, Spondani *Annales*, Ludovici de Bail. *Collect. Concil. Tom.* II. p. 449. & *Conc.* T. XI. part. II. col. 1476. præcipuè autem G. Cossartii notas ibid. col. 1477. & in *Append.* ibid. col. 2444.

PARISIENSE I. (Conventus Ecclesiastico-politicus) à Philippo VI. cognomine Pulchro Galliarum Rege, ad jura regni sui adversùs iniquas Bonifacii Papæ VIII. usurpationes tutanda, die X. *Aprilis* anno MCCCIII. congregatum: cui Prælati, Barones, Abbates, Urbium item Syndici & Procuratores &c. Regis mandato interfuere; qui Regem suum à Pontificis injuriis vindicandum, ipsum Bonifacium *Simoniæ*, *Usuræ*, *Homicidii*, *Hæresis* demum postulandum, eâque de causâ *excommunicandum*, *exauctorandum*, & *de sede Papali deturbandum* uno ore (assentientibus etiam ipsis Præsulibus, reliquóque Clero) decreverunt: Extant Acta celeberrimæ hujus congregationis ex MS. Chronico Dionysii Paris. gallicè scripto desumpta apud Bochel. *Decret. Eccles. Gall.* pagg. 321. 322. Articuli X contra Bonifacium in hoc conventu lati proferuntur ibid. Epistolæ Præsulum 1303. R. G.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. lum Gallican. ad Bonifacium pars potior habetur *Conc.* T. XI. Part. II. col. 1475. Consulat Lector curiosus Goldast. *de Monach.* T. III. de Marcâ de *Concord.* l. IV. c. 16. n. vi. vii. p. 260. & alibi passim. *Acta inter Bonifacium* &c. *& Philippum* Paris. edita. 1613. 4*to*. eadem fusiùs à Cl. Puteanis fratribus adornata. *Gall.* Par. 1655. *fol.*

1303. R. G. NUGAROLIENSE I. (Armeniacorum id oppidum est ad Garumnam fl.) ab Auscitanæ Provinciæ Episcopis Amanæo Metropolitano præside, iv. Non. *Decembr.* anno MCCCIII. celebratum, in quo multa ad disciplinam Ecclesiasticam spectantia peraguntur. Extant contra *Clericos peregrinos sacra facientes: judices temporales sese causis Ecclesiæ admiscentes: decimarum detentores: concubinarios, usurarios, adulteros* &c. Canones XIX. *Conc.* T. XI. Part. II. col. 1478.

1303. R. G. COMPENDIENSE II. Pridiè Non. *Januarii* anno MCCCIII. juxta Romanos autem (apud quos Annus à Calend. *Januar.* incipit) MCCCIV. à Roberto de Courtenay Rhemensi Archiepiscopo cum suffraganeis celebratum. In quo actum est *de sepulturâ excommunicatis negandâ; contra matrimonia clandestina, & contra luxum Clericorum.* Extant disciplinę Ecclesiasticæ Capitula V. *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1493. &c.

1307. R. G. RAVENNENSE I. ab Episcopis Provinciæ Ravennatis, Raynaldo Archiepiscopo Præside, ad puriorem Divini Numinis cultum anno MCCCVII. celebratum. Hujus meminit Rubeus *Hist. Ravenn.* l. VI.

1307. R. G. SISENSE in Ciliciâ Armeniæ Minoris Metropoli, jussu Gregorii Patriarchæ, & Leonis Armeniæ Regis, in magnâ Ecclesiâ S. Sophiæ à *LVI.* Patribus, præsentibus etiam Leone Rege, ejusque Patre Haitano, cum cæteris Principibus ac Magnatibus Armeniæ, anno MCCCVII. congregatum. In hâc Synodo (quæ ad Ecclesiæ Armenæ cum Romanâ conciliationem, quam diu meditaverat Rex, solummodò coacta est;) Epistola Gregorii Patriarchæ nuper mortui, quâ dogmata & ritus Ecclesiæ Romanæ probanda suscepit, lecta est & approbata, ac tanquàm verus ac Apostolicus Canon, & legitima constitutio, ab omnibus Armenorum Ecclesiis recipi & observari, in membranis insuper transcribi, & in ærario Ecclesiæ inter pretiosa Domini κειμήλια asservari ordinatur: & concordia cum Ecclesia Romanâ, tùm in Festorum celebratione, tùm in aliis omnibus rectis Constitutionibus stabilitur. Acta hujus Synodi ex Cod. MS. Armeno, qui olim in Ecclesiâ Patriarchali Ciliciæ servabatur, primus extraxit, & cum versione suâ Latinâ edidit Clemens Galanus, *in notis de Conciliat. Eccl. Arm. cum Rom.* cap. 28. p. 455.

1308. R. G. AUSCITANUM ab Amaneo Archiepiscopo cum suffraganeis, sexto Cal. *Decembr.* anno MCCCVIII. congregatum. In quo nonnulla ad mores Monachorum corrigendos, jura Ecclesiastica vindicanda, constitutiones demùm priùs stabilitas resuscitandas, firmandásque decernuntur. Extant Canones VI. *Conc.* T. XI. Part. II. col. 1500.

1309. R. G. POSONIENSE diœcesis Strigoniensis in regno Hungariæ ad Danubium fl. Gentili Cardinale Legato Pontificio Præsidente, mense *Novembr.* anno MCCCIX. coactum. Extant Disciplinę Ecclesiasticæ *de non offendendis Prælatis: de non occupandis bonis Ecclesiasticis: de pœnâ concubinariorum* &c. Canones IX. *Conc.* Tom. XI. *Append.* col. 2453. Extat etiam eorundem confirmatio per Clementem Papam VI. anno MCCCXLVI. facta *ibid.* col. 2463. SÆC. XIV. ab An. MCCC.

1309. R. G. LONDINENSE I. à Roberto de Winchelsey Metropolitano Cantuariensi cum suis suffraganeis Clementis Papæ V. mandato in Ecclesiâ D. Pauli XXIV. die *Novembr.* anno MCCCIX. coactum. Concilium generale hoc ipso anno (quod tamen in biennium distulit) in causâ Templariorum convocare destinaverat Pontifex, literísque ii. Idûs *Aug.* MCCCVII. datis per Germaniam, Galliam, Angliam, &c. missis, Synodos Provinciales singulis ditionibus in antecessum haberi, & de statu tùm Ecclesiæ generali, tum dicti Ordinis, multis criminibus infamis, speciali consultum iri mandavit: vi hujus præcepti congregantur Præsules, quid verò egerint, cùm Acta non compareant, planè incertum est. Extant Bullæ Papales duæ, quarum unâ Concilio generali futuro interesse, alterâ Synodum interim celebrare jubetur Antistes Cantuariensis, in utrâque facinora Templariorum ad nauseam usque repetuntur. Has cum Certificatorio Episcopi Londinens. super citatione Concilii in lucem protraxit H. Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. p. 458. exinde *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1502. quibus meritò adjiciatur Litera Archipræsulis Cantuar. ad suffraganeos suos, quando dictas Bullas unà cum Articulis Inquisitionis in Equites S. Templi num. LXXXVII. eis transmisit, quam ex Cod. MS. *Bibl. Bodleian.* publici juris fecit insignis Antiquitatum indagator D. Guil. Dugdale *Monast. Angl.* Tom. II. p. 559. Monendus est Lector, Robertum Cantuariensem Constitutionem quandam *de juramento & obedientiâ Rectoribus & Vicariis, in eorum Ecclesiis celebrantium, faciendis,* anno MCCCV. edidisse: quæ unà cum formâ juramenti habetur apud Spelmann. *ibid.* Tom. II. p. 436. anno etiam MCCCX. Synodum alteram Londini convocâsse; in quâ Generalis Concilii Viennensis circa Templarios decreta recipiuntur ac approbantur. Vide *Antiq. Britan. Eccles.* p. 210.

SALTZBURGENSE II. à Conrado Archiepiscopo cum suis suffraganeis anno MCCCX. celebratum. In quo, ad petitionem Clementis Papæ V. Decimæ duorum annorum Sedi Apostolicæ solvendæ à Clero concordibus votis decernuntur: eodem annò aliam Synodum habuit Antistes Salisburgensis, Apostolicæ Sedis Legatus, cui *VI.* Præsules assederunt, in quâ severitas Legum & Constitutionum quarundam priorum mitigatur; & statutis quibusdam pœnalibus modus ponitur. Utriusque Acta habentur *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1513. 1514. 1310. R. G.

COLONIENSE I. ab Henrico Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopo, sacri Imperii per Italiam Archi-cancellario, cum Episcopis suffraganeis, Coloniæ in Ædibus Archiepisc. vii. Idus *Martii* ann. MCCCX. celebratum. In hâc Synodo, quæ ex speciali Clementis Papæ V. mandato congregata est, statuta Majorum (*viz.* sub Conrado & Suffrido Archiepiscopis Coloniensibus) *contra concubinarios* edita redintegrantur, & sub gravioribus pœnis stabiliuntur; plurima item in *Castitatem Clericorum,* & præcipuè *Monialium* de novo decernuntur: Cautum est etiam, ut *non nisi sacris Ordinibus initiati, & legitimè ordinati in Ecclesiis ministrent; nec ante vigesimum quintum ætatis annum sacri Ordines conferantur; & ad vitandos errores qui ex diversis computandi modis sæpius exorti sunt,* in hoc Concilio statutum est, *ut Annus Domini Salvatoris nostri à Nativitate initium sumat:* verùm non est instituti nostri singula percurrere, pauca hæc delibâsse sufficiat. Extant quæ disciplinam spectant Capitula XXIX. *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1517. 1310. R. G.

RAVEN-

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. 1310. R.G. RAVENNENSE II. à Raynaldo Archiepiscopo cum suffraganeis anno MCCCX. habitum. In quo de Templariorum negotio Clementis Papæ V. ut videtur, hortatu actum est, & nonnulla in morum reformationem decreta. Eodem anno idem Raynaldus aliud Concilium, Bononiæ priùs indictum postcà in Ravennam ordinatum, eâdem de causâ celebravit, vide *Conc.* Tom.X. Part.II. col. 1533. Enimverò plures hoc tempore Synodos, per varias Hispaniæ, Germaniæ, Angliæ, præcipuè autem Galliæ provincias, ad inquirendum in mores Equitum S. Templi congregatas memorant Historici: quarum aliquot hoc loco notavimus. *Salmanticensem* ab Hispaniæ Præsulibus Gonsalvo Archiepiscopo Toletano Præside, anno MCCCX. Eodem anno *Parisiensem* à Philippo Metropolitano, cæterisque provinciæ Senonensis Præsulibus. *Monguntinam* eodem etiam anno à Petro Archiepiscopo cum suffraganeis, in quâ, præter ea quæ in Templariorum causâ acta sunt, statuta quędam Provincialia ex antiquioribus Conciliis in compendium redacta, & de novo stabilita; vide *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1533. 1534. *Bituricensem* ab Ægidio de Româ Archiepiscopo anno MCCCXI. à Concilio Viennensi nuper reverso, quid autem in ea actum sit, non liquet.

1311. R.G. VIENNENSE Oecumenicum XV. uti numerant Pontificii, à Clemente Papâ V. cum Patriarchis Alexandrino & Antiocheno ritûs Latini, & *CXIV.* (vel ut alii *CCC.*) & ampliùs Episcopis; Viennæ Allobrogum ad Rhodanum fl. anno MCCCXI. coactum, Calend. *Octob.* inchoatum, septimo *Maii* sequentis finitum. Hoc Concilium, (cujus Historicorum istius temporis nemo non meminit) tribus de causis congregatum, totidémque Sessionibus absolutum dicitur: Primâ, ut Templariorum multorum flagitiorum infamiâ laborantium causa exploretur; Secundâ, ut Terrâ Sancta à Saracenis occupata recuperetur, Tertiâ, ut Ecclesiastici Ordinis fiat reformatio, & disciplinæ vigor renovetur: *Primâ* itaque *Sessione* xvi. die *Octobr.* de recuperatione Terræ Sanctæ actum est; cúmque in finem, ut Crux per universum orbem prædicaretur, decretum: *Secundâ Sessione* iii die *Aprilis* MCCCXII. præsente Philippo Gallorum Rege (cui negotium istud valdè arrisit) cum Fratre, & tribus Filiis, sententia Clementis Papæ adversùs Templarios, quam xxii. die *Martii* proximè lapsi in Consistorio clam condiderat, publicè lecta est, & Patrum suffragiis comprobata: *Sess. Tertiâ* vi. die *Maii*. Constitutiones variæ circa fidem & mores, (à Successore suo Joanne XXII. cum reliquis Clementis Constitutionibus, sub *Clementinarum* nomine, quarto abhinc anno publicandæ) decernuntur; quarum illæ quibus contra *Beguardos* & *Beguinas*, *Fratricellos*, & *Dulcinistas* actum est, eæque quibus linguam *Hebræam*, *Arabicam*, & *Chaldæam* in Academiis Oxon. Paris. aliísque publicè edoceri (Raymundo Lullo, ut perhibetur, id, ad conversionem Infidelium & Mahumedanorum, potissimùm suadente) decretum est; & Constitutio de *Festo Corp. Christi* feriâ quintâ post octavam Pentecostes quotannis celebrando, maximi ponderis videntur, nobísque imprimis memorandæ. Extat Clementis Papæ V. *Sententia* de extinctione Templariorum in Concilio lata, quâ ob paucorum crimen in omnes istius Ordinis Equites deszvit, ipsúmque Ordinem penitùs delevit, quod *tametsi jure non poterat*, *per viam tamen Provisionis seu Ordinationis Apostolicæ irrefragabili sanctione sustulit*, bona eorum omnia ac reditus (iis qui in regno Hispaniæ, à Mauris diu agitatæ, positi erant exceptis) Ordini S. Joannis Hierosolymitani annecti, & in perpetuum uniri ordinavit. *Conc.* T.XI. Part.II. col. 1557. cum multis Epistolis huc spectantibus: Constitutiones inter *Clementinas* editæ habentur; varias earum editiones vide apud Wharton. pag. 7. hujus Appendicis sub Clemens V.

RAVENNENSE III. à Raynaldo Archiepisc. cum *IV.* Suffraganeis & *VI.* Episcoporum absentium Procuratoribus, in choro majoris Ecclesiæ Ravenn. xxi. die mensis *Junii*; anno MCCCXI. coactum. Extant *de Exequiis Episcoporum: de Anniversariis Episc. de Anniversariis Patronorum Ecclesiarum: de Reliquiis SS. de Sacramentis Eccles.* Aliísque Disciplinæ capitulis Canones XXXII. *Conc.* T. XI. Part.II. col. 1569. 1311. R.G.

TARRACONENSE à Guillielmo Metropolitano cum *V.* Episcopis suffraganeis primo die *Augusti*, anno MCCCXII. habitum. In quo super vitâ, moribus, & instituto Templariorum inquisitione factâ, innocentia eorum palam innotuit; decretumque est, ut congrua iis habitatio, & proventus ex reditibus sui Ordinis daretur, modò Episcopo loci subjecti sint; & nequis eos in posterùm defamare præsumat. Extat apud Illustr. Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom.III. p. 546. eodem anno Concilium Provinciale apud Salmanticam, jussu Clementis Papæ V. celebravit Archiepiscopus Compostellanus, in quo nona Decimarum pars in utilitatem Academiæ Salmanticensis, & Doctorum stipendia decernitur. *ibid.* pag. 547. 1312. R.G.

PARISIENSE II. à Philippo Senonensium Archiepiscopo cum suffraganeis ad initium mensis *Maii* anno MCCCXII. habitum. Extant ad vigorem Ecclesiasticæ Disciplinæ renovandùm & abusus quosdam reformandos, *contra detentores Clericorum*, & *citationes generales* Capitula III. apud Lud. de Bail. *Collect. Conc.* T. II. p. 606. & *Conc.* T.XI. Part. II. col. 1602. 1312. R.G.

NICOSIENSE I. à Petro de Planâ Episcopo Ruthenensi, Romani Pontificis ad Ecclesias Orientales Legato, qui posteà Patriarcha Hierosolymitanus renunciatus est, die xv. *Junii*, anno MCCCXIII. in majori Ecclesiâ Nicosiensi, in Insulâ Cypro coactum. Extant disciplinæ Ecclesiasticæ Capitula XLII. ad Clericorum mores in meliùs formandos, & cultum divinum majori cum reverentiâ præstandum. *Conc.* Tom. XI. *Append.* col. 2418. 1313. R.G.

RAVENNENSE IV. à Raynaldo Archiep. cum *V.* Episcopis suffraganeis & *III.* Vicariis in Ecclesiâ B. Nicolai Castri Argentæ, Ecclesiæ & Diœcesis Ravennat. x. die mensis *Octobr.* an. MCCCXIV. Pontificiâ sede tunc temporis vacante, congregatum. Extant ad Divini cultûs honestamentum, vitæ puritatem, morum reformationem, bona Ecclesiastica ab invasoribus conservanda, Canones XX. (quorum aliquibus Præsules Bononienses, jurium suorum plus æquo tenaces, assensum suum denegârunt) *Conc.* T. XI. Part. II. col. 1603. vide G. Cossartii observationem *ibid. col.* 1617. 1314. R.G.

SALMURIENSE à Gaufrido Turonensi Archiepiscopo, cum Suffraganeis & Abbatibus ad montem Garganum tertio die *Octobr.* anno MCCCXV. coactum. Extant in tutelam Sacrarum possessionum, *contra perturbatores jurisdictionis Ecclesiasticæ*, & *contra Archidiaconos qui ab examinandis pecunias exigunt*, Canones IV. *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1617. 1315. R.G.

NUGAROLIENSE II. ab Auscitanę Provinciæ Præsulibus Guilielmo Archiepiscopo Præside, anno MCCCXV. congregatum. In hâc Synodo 1315. R.G.

SÆC. XIV. ab An. MCCC. modo nonnulla ad pacem & fructum Ecclesiæ, & abusuum quorundam correctionem ordinantur. Extant disciplinæ Capitula V. *Contra Dominos temporales occupantes Ecclesias vacantes: Ne Clerici à judicibus Sæcularibus compellantur: Ne capitali supplicio afficiendis pœnitentia denegetur* &c. vide *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1620.

1315. R. G. SILVANECTENSE I. in Provincia Rhemensi, à Roberto Archiepiscopo cum suis suffraganeis, & aliarum Sedium Prælatis, anno MCCCXV. habitum. Ubi actum est de crimine, quo Petrus de Latiniaco Episcopus Catalaunensis, & Summus Regni Cancellarius impetebatur, scilicet quòd Philippi Regis & Joannis de Castello decessoris sui necem procuraverat: Hic, sigillis ablatis, in carcere detentus, ac bonis omnibus spoliatus, è custodiâ educi petit, quò liberiùs juxta Canones conscientiam elueret; cui Patres consenserunt; deinde Parisios Synodus transfertur, ibique causâ ritè perpensâ dictus Petrus absolvitur, ac in sedem suam restituitur, vide *Nang. Continuat.* ad Annum MCCCXV. *Spondanum* ad annum eundem, qui hæc omnia in Concilio Senonensi acta narrat. *Conc.* T. XI. Part. II. col. 1623. Advertendum est Robertum Archiepiscopum aliud Concilium apud Silvanectum Anno MCCCXVII. celebrâsse. In quo contra Invadentes bona Ecclesiastica actum est, nimirùm *à divinis cessandum esse in eâ Parochiâ, ubi bonorum quæ ad Monasteria, aut Xenodochia pertinebant, invasores habitarent: ipsos Invasores si intra octo dies non satisfecerint, arctioribus censuris cogendos esse: excommunicatorum nomina singulis diebus Dominicis à Parochis è suggestu pronuncianda.* Extat de rebus istis Epistola Synodalis die xxvii. *Martii* anno MCCCXVII. data *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1625.

1316. R. G. WESTMONASTERIENSE à Waltero Archiepiscopo Cantuariensi cum cæteris Angliæ Episcopis anno MCCCXVI. celebratum. In hoc Concilio multa circa *Personarum & Rerum Ecclesiasticarum immunitatem tuendam, disciplinæ vigorem renovandum, Provisiones Papales moderandas, Legatorum aliorúmque Curiæ Romanæ Assectarum exactiones cohibendas, Scotorum audaciam reprimendam*, ac tandem *subsidium Regi bellis implicito gratuitò offerendum* Clero proposuit Archiepiscopus, quorum memoriam celeberrimus *Antiq. Britan. Eccl.* Compilator * conservavit: eodem ut videtur Concilio, sub hoc tempus certissimè de gravaminibus Ecclesiæ (præcipuè quòd causæ Ecclesiasticæ ad Judices sæculares per Regias Prohibitiones sæpius dimoverentur) ac eorum remediis consulitur; ubi Articuli isti, qui sub nomine *Articulorum Clerici* usque adhuc innotescunt, ac inter jura municipalia edi solent, conditi sunt; quos brevi post tempore Regi, Lincolniæ Comitia Regni celebranti, suppliciter obtulerant Prælati, ac Responsionem singulis accommodam habuerunt. Extant *Articuli* isti & *Responsiones* Regio diplomate muniti unà cum *Epistola* Regis ad Justitiarios de iisdem fideliter observandis apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. p. 483. *Conc.* Tom. XI. *Append.* col. 2463.

* p. 215. Edit. Hanov.

1317. R. G. RAVENNENSE V. à Raynaldo Archiepiscopo cum ejusdem Provinciæ Episcopis, ad Ecclesiasticam Disciplinam, vitio sæculi tùm temporis primùm labefactatam, instaurandam, Bononiæ (unde etiam *Bononiense* à quibusdam appellatur) anno MCCCXVII. habitum. In quo Constitutiones in superioribus Synodis, tam per ipsum Raynaldum quàm Bonifacium Prædecessorem suum, ac Latinum sedis Apostolicæ Legatum editæ, lectæ sunt, & plures de novo constitutæ: Extant *de custodia vacantium Ecclesiarum: de vita & honestate Clericorum: de certo numero Canonicorum in Ecclesiis Cathedralibus statuendo: de Salariis Notariorum & Sigilliferorum*, &c. Capitula XXIV. *Conc.* T. XI. Part. II. 1655. SÆC. XIV. ab An. MCCC.

CÆSAR-AUGUSTANUM à Petro de Luna primo istius urbis Archiepiscopo, adsistentibus IV. Suffraganeis, XIII. die *Decembr.* anno MCCCXVIII. celebratum. In quo Erectio dictæ sedis in Metropolim solenniter publicata est. Extat apud Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 555. eodem anno Synodus, ab Eximeno de Lunâ Archiepiscopo Tarraconensi nuper electo, Tarracone congregata *ibid.* 1318. R. G.

TOLOSANUM à Joanne primo istius Sedis Archiepiscopo, mense *Junii*, anno MCCCXIX. Tolosæ, quam ex Episcopali in Metropolitanam nuper evexerat Joannes XXII. Papa, congregatum. Hujus Synodi Acta Joannes quidam Aurelianensis Archiepisc. Tolosanus collegisse dicitur; utrum verò alicubi extent, incertus sum. Vide *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1680. 1319. R. G.

NICOSIENSE II. à Joanne Archiepiscopo, ad Disciplinam Ecclesiæ instaurandam, & mores Clericorum corrigendos VII. die *Aprilis* anno MCCCXX. celebratum. In eo, *ut beneficiati per se quotidie officium celebrent: de habitu eorum tum intra tum extra Ecclesiam: de Missa pro defunctis celebranda;* aliisque ejusdem Commatis decretum est. Extant Constitutiones XIX. *Conc.* Tom. XI. *Append.* col. 2424. Habentur & aliæ Ecclesiasticæ Constitutiones X. *de Monialibus: de Missa nuptiali* &c. ab eodem Joanne diversis temporibus prolatæ *ibid. col.* 2428. 1320. R. G.

SENONENSE à Guilielmo Archiepiscopo cum suffraganeis, die Jovis post Pentecosten, tertio viz. Idus *Junii* an. MCCCXX. celebratum. Extant ad Disciplinam Ecclesiasticam spectantia Capitula IV. *de jejunando in Vigilia Festi Corp. Christi: de cessatione à divinis quando Clericus à Judice laico detinetur: de vita & honestate Clericorum: de professione Monachorum. Conc.* Tom. XI. col. 1680. 1320. R. G.

ADANENSE, (urbs erat Ciliciæ in Armenia Minori) à Constantino Armenorum Patriarcha, *XVIII.* Præsulibus, *V.* Magistris sive Abbatibus, rogatu Oscini Regis, circa annum MCCCXX. vel paulò post congregatum. Præsentibus etiam Rege Oscino, cum fratre suo Alinah, & Proceribus, Magnatibúsque, cum multis Sacerdotibus, ac viris Religiosis. In hac Synodo Acta Synodi Sisensis renovantur, & concordia cum Ecclesiâ Romanâ tam in fide, quàm in ritibus stabilitur. Extant Acta *Armenicè & Latinè* à Galeno edita. *Conc. Eccl. Armen.* Tom. I. cap. 29. pag. 474. Confer Epistolam Joannis Chernacensis ad Fratres unitos, quæ habetur *ibid.* p. 513. 1320. R. G.

LONDINENSE II. à Waltero Cantuariensi Metropolitano cum suffraneis mense *Decemb.* anno MCCCXXI. Londini habitum. Extant, ad regimen Ecclesiasticum meliùs ordinandum; *de Testamentis, de visitatione Archidiaconorum; de inductionibus, & institutionibus, & pro regulatione Apparitorum,* Canones sive Capitula VIII. item *Preceptum* Edwardi Regis II. Archiepiscopo, cæterisque Præsulibus datum, ne quid in Concilio, quod in Regis vel Regni præjudicium cedat, statuatur, apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 488. & *Conc.* Tom. XI. *Append.* col. 2468. 1321. R. G.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. VALLISOLETANUM, à plurimis Hispaniæ Præsulibus, Guilermo Episcopo Sabinensi [unde *Sabinense* Concilium à Binio appellatur] Pontificis in Hispaniam Legato Præsidente, apud Vallem-Oleti Diœcesis Palentinæ ii. die *Aug.* anno MCCCXXII. celebratum: Extant Disciplinæ Ecclesiasticæ Canones XXVII. *quibus corruptelis & incommodis ingruentibus remedium adhibetur.* Conc. Tom. XI. part. II. col. 1682. & cum MS. in *Colleg. Ildephonsi Complutens.* collati, apud d'Aguirre, *Conc. Hisp.* T. III. p. 556.

1322. R. G. COLONIENSE II. ab Henrico Archiepiscopo Coloniensi, sacri Imperii per Italiam Archicancellario, cum sedis suæ suffraganeis, & Ecclesiæ Cathedralis Capitulo, pridie Calend. *Novembr.* anno MCCCXXII. in ipsis ædibus Archiepisc. celebratum. In quo Statuta quædam Synodalia ab Engelberto decessore suo circa annum MCCLXVI. decreta approbantur, rata habentur, & per totam Provinciam ut Provincialia statuta & decreta observari ordinantur. Extat huius Synodi decretum *Conc.* Tom. XI. p. II. col. 1707.

1323. R. G. PARISIENSE III. à Guilielmo de Melodulo Archiepiscopo Senonensi, cum Suffraganeis, cæterisque illius Provinciæ personis Ecclesiasticis, circa finem mensis *Februar.* anno MCCCXXIII. Parisiis congregatum. Extant de Disciplinâ Ecclesiasticâ ejusdem ferè commatis cum iis, quæ in superiori hujus Provinciæ Concilio, anno MCCCXX. Senonis celebrato acta erant, decretis, Capitula IV. apud Lud. le Bail. Tom. II. pag. 607. cum Cod. MS. collata. *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1711.

1323. R. G. TOLETANUM I. à Joanne Archiepiscopo XVIII. die Maii anno MCCCXXIII. congregatum, in quo de fide & moribus consultum est. Extat *Instructio compendiosa in* XIV. *Articulis fidei*, VII. *Sacramentis, præceptis Decalogi, Theologicis virtutibus, & vitiis capitalibus*, cum disciplinæ Capitulis XVII. *de officio Archipresbyteri & Ordinarii, de vitâ & honestate Clericorum; de decimis*, &c. apud Eminentiss. Card. d'Aguirre qui primus ex MS. *Mondexarensi* in lucem protulit *Conc. Hisp.* Tom. III. pag. 569. Concilium alterum apud Toletum XXI. die *Novembr.* anno MCCCXXIV. idem Joannes Archiepisc. celebravit: in quo Concilii Vallisoletani decreta renovantur, & quædam alia disciplinam & Clericorum mores spectantia ordinantur. Extant Constitutiones Ecclesiasticæ VIII. *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1712. & cum MS. *Mondexarensi* collatæ apud d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 576. Idem Joannes Toletanus Concilium Provinciale, *Complutense* dict. apud Alcalam tenuit iii. Idus *Decembr.* ann. MCCCXXV. in quo tres prioris Synodi constitutiones, ad Clericorum mores pertinentes, lucidiùs proponuntur & explicantur. *Ibid.* p. 578. Eodem loco Concilium Provinciale, an. MCCCXXXIII. celebravit hujus successor Simon de Lunâ, cujus memoriam, cùm acta non compareant, conservavit Illustr. Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 584.

1326. R. G. AVENIONENSE I. à trium Provinciarum Arelatensis, Aquensis, & Ebrodunensis Præsulibus, Præsidentibus tribus dictarum sedium Metropolitanis, adsistentibus Episcopis suffraganeis *XI.* & absentium vices gerentibus *VIII.* in Monasterio de S. Rufo prope Avenionem, XVIII. die mensis *Junii* anno MCCCXXVI. coactum: in quo plurima in morum & disciplinæ reformationem, Clericorum privilegia ac immunitates, nonnulla etiam circa *indulgentias, & res matrimoniales, & testamentarias* statuuntur. Extant hujus Synodi Canones LIX. quos Pet. Gassendus publici juris primus fecit, ac ad calcem *Historiæ Ecclesiæ Diviensis* edidit; cum altero MS. codice collatos Collectioni suæ inseruerunt novissimi Conciliorum Editores, Tom. XI. part. II. col. 1717. & notam minimè prætereundam adjecerunt, *ibid. Append.* p. 2476. Ad hunc locum Joannes Papa XXII. Concilium, vel eodem anno, vel ad initium sequentis, contra Nicolaum V. Antipapam, qui eum in Conciliabulo quodam Italico Hæreticum declaraverat, convocavit: Vide *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1774.

MARCIACENSE Auscitanæ diœcesis, à Guilielmo de Flavacourt Auscitano Archiepiscopo cum suffraganeis, die octavo *Decembr.* an. MCCCXXVI. habitum. Extant quæ disciplinam spectant, & morum correctionem *de ætate & qualitate ordinandorum; de literis dimissoriis; de officio Archidiaconi; de officio Ordinarii; de perjuriis, exceptionibus, appellationibus*, &c. Canones LVI. nisi quod (uti monuit Cossartius) horum nonnulli ad alias Synodos potiùs referendi sunt. *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1747. Concilium Marciacense alterum in causâ Anesancii Episcopi Adurensis à perduellionibus occisi, idem Guilielmus Auscitanus anno MCCCXXIX. celebravit. In quo Sicarii, qui dictum parricidium patrarunt, ab Ecclesiæ consortio amoventur, & quicunque eos hospitio exciperent, anathemate percelluntur. Vide *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1782. 1326. R. G.

SYLVANECTENSE II. à Guilielmo de Bria Rhemensi Archiepiscopo, cum *VI.* Suffraganeis, *II.* Vicariis, Ecclesiarum Cathedralium deputatis, die XI. *April.* an. MCCCXXVI. congregatum. In quo ordo tenendi Concilii Provincialis, per Rhemensem Provinciam in posterum observandus stabilitur, & jurisdictio Ecclesiastica confirmatur. Extant *de Beneficiatis; de decimis, etiam ab Ecclesiasticis, persolvendis, ne excommunicati sint testes, contra clandestina matrimonia*, &c. Canones VII. *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 768. 1326. R.G.

COMPLUTENSE I. à Joanne Archiepiscopo Toletano Hispaniarum Primate Regnique Castellæ Cancellario, cum *III.* istius Provinciæ Episcopis, totidemq; Episcoporum Vicariis, in ipsius Metropolitani palatio apud Alcalam de Henares, XXV. die *Junii*, anno MCCCXXVI. coactum; in quo Ecclesiarum singularum immunitatibus asservatis, Metropolitanæ imprimis jura proteguntur. Extant Canones II. *Conc.* Tom. XI. part. II. col. 1771. & cum codice MS. *Mondexarensi* collati *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 579. Idem Joannes Archiepiscopus hoc anno Provinciale Concilium apud Toletum XI. die mensis *Febr.* congregari jussit, cui Joannes Vincentius Archidiaconus Arelatens. Archiepiscopi Vicarius Generalis præsedit, in quo circa Disciplinam Canones III. *de foro competenti; de dolo & contumacia, de vita & honestate Clericorum* ordinantur. Ibid. p. 580. 1326. R.G.

ROFFIACENSE diœcesis Pictaviensis, ab Arnoldo Burdegalensi Archiepiscopo cum suffraganeis XIV. die *Jan.* an. MCCCXXVII. celebratum; in quo Clericorum privilegia ac immunitates à foro ac Judicibus sæcularibus strenuè asseruntur. Extant Capitula II. *Conc.* Tom. XI. part. II. col. 1773. 1327. R.G.

LONDINENSE III. à Simone Mepham Antistite Cantuariensi cum suffraganeis in Ecclesia D. Pauli, die quinto *Februar.* anno MCCCXXVIII. habitum. In quo ii omnes, qui cædis Waltheri de Stapleton, Exoniensis nuper Episcopi, & summi Regni Thesaurarii, (quem, exorto tumultu, cives Londinenses ausu nefario captivum duxerant, & securi 1328. R.G.

SÆC. XIV. ab An. MCCC. curi percusserant) operâ, ope, vel consilio rei fuerant, ab Ecclesiæ consortio sententia synodali exterminantur. Decreta superiorum quarumdam Synodorum redintegrantur, quædam etiam *de cessatione à servilibus operibus, in diebus Parasceves, Animarum & Conceptionis; de Testamentis; de Bannis matrimonialibus*, &c. decernuntur & Oxoniense de *Appellationibus* decretum rescinditur. Extant Constitutiones Ecclesiasticæ IX. apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. p. 493. & *Conc.* Tom. XI. Append. col. 2476.

1329. R.G. COMPENDIENSE III. à Guilielmo de Bria Rhemensi Archiepiscopo cum *III.* Episcopis suffraganeis, & cæterorum istius Provinciæ Præsulum Vicariis, apud Compendium die XVII. mensis *Septemb.* anno MCCCXXIX. congregatum. Extant in tutelam Jurisdictionis, Immunitatum, Privilegiorum, ac bonorum Ecclesiæ, Canones VII. *Conc.* Tom. XI. par. II. col. 1775. Hanc Synodum apud Sylvanectum congregari, & *V.* Præsules ei interesse narrat Guil. Marlot. *Hist. Metrop. Rhem.* Tom. II. lib. IV. p. 617.

1329. R.G. PARISIENSE IV. ex speciali Philippi Valesii Gallorum Regis mandato, ut utriusque fori Ecclesiastici scilicet & sæcularis, termini & limites distinguantur, VII. die *Decemb.* anno MCCCXXIX. congregatum: Huic conventui non purè Synodico præfuit Philippus Rex, interfuerunt Archiepisc. *V.* Episcopi *XV.* Barones item & Optimates regni, & Regis Consiliarii. In eo de Potestate Ecclesiastica & Civili quæstio fusiùs agitata est. Petro de Cugneriis Regni Cancellario Prætorum partes tutante, Petro Rogerii Senonense Electo, & Petro Bertrando Episcopo Eduensi pro Prælatis respondentibus; utrinque querelæ, utrinque gravamina proferuntur: tandem Episcopis, se corrigenda correcturos, & contra Officialium suorum abusus remedia opportuna adhibituros spondentibus, Rex cui in animo non erat consuetudines impugnare, se eorum curam habiturum, ac in suis juribus & libertatibus defensurum profitetur: Extant Acta seorsim edita Paris. 1495. deinde in *Bibliotheca PP.* recusa. Vide *Conc.* Tom. XI. Par. II. col. 1777.

1330. R.G. LAMBETHENSE I. à Simone Mepham Archiepiscopo Cantuariensi, in ædibus suis Lambethanis circa annum MCCCXXX. habitum. Extant Disciplinæ Ecclesiasticæ ad res Sacramentales præcipuè spectantia, viz. *de Ornamentis & Officio Altaris; de Confessionibus audiendis*, &c. Capitula X. apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 497. & *Conc.* Tom. XI. par. II. col. 1784.

1332. R.G. MAGHFELDENSE I. à Simone Mepham Archiepiscopo Cantuariensi, apud Maghfeld vicum quendam Regnorum in agro Sussexiensi, XVI. Cal. *Aug.* anno MCCCXXXII. coactum. In quo diei imprimis Dominicæ ac aliorum festorum observantia stabilitur. Extat *Constitutio* in quâ *Dies festi, qui pio animi affectu per totum annum observari debent, enumerantur*, apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 500. Notet Lector in Collectione Spelman. Constitutioni prædictæ duos alios Canones *de Presbyteris Stipendiariis, & de Decimis* adhærere, quibus autem loco & tempore sanciti sint, non constat: Simul etiam ediderunt novissimi Conciliorum Editores Tom. XI. Par. II. col. 1789.

1335. R.G. SALMANTICENSE à Joanne Archiepiscopo Compostellano, & *VIII.* ejusdem Provinciæ Præsulibus, XXIV. die mensis *Maii*, anno MCCCXXXV. celebratum. In quo *de vita & honestate Clericorum, de reliquiis & veneratione Sanctorum, de Judæis & Saracenis; de usuris, sortilegis*, &c. plurima ordinantur: cautum est insuper sub pœnâ *majoris excommunicationis, ne quis Præsules ad Concilium exeuntes aut redeuntes aliquo modo lacescat aut interturbet*. Extant Constitutiones Ecclesiasticæ XVII. apud d'Aguir. *Conc. Hisp.* Tom. III. pag. 584. Eodem anno Guido Episcopus Helenensis Constitutiones quasdam Synodales promulgavit, quas illustr. d'Aguirre publici juris fecit. *Ibid.* p. 592. SÆC. XIV. ab An. MCCC.

RHOTOMAGENSE à Petro Archiepiscopo cum Episcopis suffraganeis, Abbatibus, Prioribus, & Ecclesiarum Cathedral. Procurat. in Prioratu B. Mariæ de Prato prope Rhotomagum die XI. *Septembris* anno MCCCXXXV. congregatum. In quo *de divinis officiis religiosè celebrandis: de vita & honestate Clericorum: Monachorum: de publicandis aliarum Synodorum decretis*: aliisque Disciplinæ capitibus actum est. Extant Constitutiones Ecclesiasticæ XIII. *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 183. 1335. R. G.

BITURICENSE à Fulchrando Archiepiscopo & III. istius Provinciæ Præsulibus circa medium *Octob.* anno MCCCXXXVI. Bituricis, ut videtur celebratum. In quo plurima ad Disciplinam Ecclesiasticam ordinantur. Constitutiones nonnullæ Provinciales, quæ tempore & desuetudine penè exoleverant, resuscitantur, aliæ *contra violantes Ecclesiasticam jurisdictionem, contra turbatores pacis & libertatis Ecclesiæ* de novo ordinantur. Extant Canones XIV. *Conc.* Tom. XI. *Append.* col. 2522. 1336. R.G.

ANDEGAVENSE I. à Petro Turonensi Archiepiscopo cum Suffraganeis, Abbatibus, &c. apud Castrum Gonterii Diœcesis Andegavensis XX. die *Novembr.* anno MCCCXXXVI. habitum. In quo Ecclesiarum jura & privilegia strenuè propugnantur: *Extant contra eos qui jurisdictionem Ecclesiasticam impediunt: qui spiritualem potestatem usurpant, qui à clericis pedagia exigunt, bona Ecclesiastica invadunt aut detinent*, &c. decreta gravioribus pœnis munita XII. Capitulis comprehensa. *Conc.* XI. Part. II. col. 1842. cautum est insuper ut hujusce Concilii decreta sex vicibus per singulos annos in Ecclesiis publicentur, *& linguâ maternâ* exponantur. 1336. R. G.

AVENIONENSE II. à trium Provinciarum, Arelatensis, Ebrodunensis & Aquensis Præsulibus, ipsis Præsidentibus, adsistentibus Episcopis suffraganeis XVII. & absentium Vicariis II. in Monasterio S. Ruffi iii. die *Septemb.* ann. MCCCXXXVII. congregatum. In quo de Ecclesiæ regimine & morum reformatione consultum est. Extant Canones LXIX. (quorum LI. in priori Concilio anno MCCCXXVI. ordinati renovantur, reliqui XVIII. jam primùm ordinantur) *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1852. integrius paulò apud Baluzium (additis IV. aliis capitulis) cum ejusdem notis. *Conc. Gall. Narb.* p. 341. 1337. R.G.

TOLETANUM II. ab Ægidio Archiepiscopo cæterisque ejusdem Provinciæ Episcopis vel per se, vel per Vicarios, ipso Metropolitano Præside XIX. die *Maii* an. MCCCXXXIX. congregatum. Extant Constitutiones in hâc Synodo vel editæ, vel renovatæ V. *de literatis ad Clericatum promovendis: de studio Theologiæ & juris Canonici in Ecclesiis Cathedralibus accendendo*, &c. *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1869. & apud d'Aguirre *Conc. Hisp.* T. III. p. 609. 1339. R.G.

NICOSIENSE III. ab Heliâ Archiepiscopo cum suffraganeis tam Græcis quàm Latinis, præsentibus etiam Maronitarum & Armenorum in Insulâ Cypro Præsulibus, Nestorianorum item & Jacobitarum Rectoribus, cum Cleri & populi maximâ frequentiâ, in Aulâ Archiepiscopali XVII. die *Ja-* 1340. R.G.

Append. F 2 *nuarii*

SÆC. XIV. ab An. MCCC. nuarii anno MCCCXL. congregatum. In hâc Synodo *brevis expositio fidei de Trinitate, Ecclesiâ, S. Scripturâ, septem Sacramentis, Romanæ Sedis prærogativâ uti in Ecclesiâ Rom. prædicatur*, prolata est, cui omnes subscripserunt. Dein *ad cultum Divinum* ac *Ordinis Clericalis honestatem* Constitutiones nonnullæ ordinantur. Extant *Professio* fidei prædicta, & disciplinæ Ecclesiasticæ Capitula VIII. *de decimis integrè solvendis*; *de Matrimoniis clandestinis*, &c. *Conc.* Tom. XI. *Append.* col. 2432.

1341. R. G. CONSTANTINOPOLITANUM I. quod Oecumenicum nonum numerant Græci, sub Andronico Jun. Imperatore, & Joanne XIII. Patriarchâ (Isidorum perperam dicit Nilus in Synopsi) in templo S. Sophiæ paulò ante obitum Imperatoris coactum. Præsentibus etiam (si eidem Nilo, quem in nonnullis lapsum esse constat, fides sit habenda) Lazaro Patriarchâ Hierosolymitano, Patriarcharum Alexandrini & Antiocheni Legatis, cum plurimis Episcopis ac Proceribus. Graves hoc tempore in Oriente tumultus excitarat Barlaam Monachus è Latinis profugus, Monachos Thessalonicenses, ob futiles quasdam & inanes quæstiunculas, *de Dei operatione & essentiâ, & de lumine in monte Thabor*, graviter lacessens, quorum caussam egit Greg. Palamas. Ad has rixas sedandas Imperator Patres congregat: qui Monachis faventiores Barlaamum damnant, Palamæ silentium indicunt. Vide Niceph. Gregoram *Hist. Rom.* lib. XI. Extant Acta & Decreta ex Nili Rhodii Synopticâ narratione ad calcem Photii *Nomocanonis* à Justello editi: exinde in sua *Dogmata Theolog.* lib. I. cap. 12. transtulit Dionys. Petavius, ac demum novissimæ editionis Concil. Curatores, *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1873. Paucis post diebus, Imperatore jam mortuo, Joannes Patriarcha alterum Concilium Constantinopoli convocavit, cui M. Domesticus interfuit; in quo de iisdem quæstionibus inter Greg. Acindynum Barlaami discipulum, & Palamam prædictum acriter dimicatum est: Palamæ tandem cessit victoria. Acindynus uti & Barlaamus cujus errores concoxerat, hæresis damnantur, & nisi resipiscant, Ecclesiæ communione privari cummunibus Patrum & Senatorum suffragiis judicantur: Decrevit item Synodus, siquis in posterum contra Palamam, Monachosve cum illo sentientes insurgeret, eâdem excommunicationis sententiâ innodaretur: In hanc rem confectus est *Tomus*, cui ipse Joannes Patriarcha, omnesque Episcopi qui coram aderant, subscripserunt; & posteà ex absentibus nonnulli suis subscriptionibus munierunt. Vide Jo. Cantacuz. *Hist.* lib. II. c. 40. p. 337. Consule etiam Jac. Gretseri *Annotationes, ibid.* pag. 929. qui se Tomum suprà memoratum in Cod. MS. *Bibl. Augustanæ* vidisse ac perlegisse testatur. Confer etiam L. Allat. de *Consens. Eccl.* lib. II. c. 17. sect. 2.

1341. R. G. ANGLICANUM à Joanne Stratford Archiepiscopo Cantuariensi, cum ejusdem Provinciæ Episcopis anno, ut videtur, MCCCXLI. congregatum. Extat unica saluberrima Constitutio *adversus Clericorum avaritiam*, qui in Beneficia nondum vacantia se intrudere, & eadem per fas & nefas occupare moliebantur, apud Cl. Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 549. & *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1873. notandum est Joannem Arch. Regulas quasdam & ordinationes pro regimine Curiæ suæ Cantuariensis *De Arcubus* vocatæ, anno 1342. Lambethæ edidisse; quibus excessus quosdam & abusus in dictâ Curiâ tollere, & multa circa *Officialem* sive *Decanum*, (quo officio ipse olim multa cum laude functus est) *Advocatos, Procuratores, Notarios, Promotores*, &c. ordinando, omnia in meliorem statum redigere sategit. Extant in eam rem Satuta sive Regulæ LIX. apud Spelman. *ibid.* p. 550. SÆC. XIV. ab An. MCCC.

LONDINENSE IV. à Joanne Stratford Archiepiscopo Cantuariensi, & suffraganeis in Templo D. Pauli Londinensi, x. die *Octob.* anno MCCCXLII. coactum. In hac Synodo multa in præsidium & munimen inferioris subsellii Clericorum adversùs Superiorum injurias, & immodicas exactiones decernuntur. Extant Capitula XII. quorum ultimum est ipsissima superioris anni Constitutio, apud H. Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 572. & *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1876. Aliud etiam Concilium in Ecclesiâ D. Pauli Londinens. Joannes Archiepiscopus, xx. die *Martii* eodem anno secundùm computum Anglicanum, juxta Romanum MCCCXLIII. cui *XI.* Episcopi suffraganei interfuerunt, celebravit. Anglicanum editorem eo nomine erroris suspectum habet G. Cossartius, quod duas Provinciales Synodos eodem anno haberi retulit, verùm immeritò; Archiepiscopus enim, qui, Rege absente, Reip. curam gesserat, & civilibus negotiis implicitus, res Ecclesiæ plusquàm par erat prætererat, reverso jam Rege, sæculi curis solutus, ad Ecclesiæ regimen animum seriò adjunxit, & ut omnes corruptelas radicitùs evelleret, frequentiores Synodos congregavit: quid, quod Joannem Archiepiscopum *duas Synodos* in Ecclesiâ Paulinâ Londini hoc anno habuisse, inque iis *æquissimas multas constitutiones tulisse* disertè testatur integerrimus *Antiquit. Britan. Auctor* pag. 236. Extant Disciplinæ Ecclesiasticæ Capitula *de pace Ecclesiæ & Regni*; *de habitu & honestate Clericorum de Testamentis*, &c. in hâc Synodo ordinata XVII. apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 581. *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1886. 1342. R. G.

NOVIOMENSE sive Noviodunense, (Noviodunum Suessionum oppidum est juxta Aisiam fl.) à Joanne de Vienna Archiepiscopo Rhemensi, cum *VI.* ejusdem Provinciæ Episcopis, & reliquorum Vicariis, Ecclesiarúmque Cathedralium Procuratoribus, XXVI. *Julii* anno MCCCXLIV. celebratum. Extant qui mores, & disciplinam, & Ecclesiæ libertates spectant in hâc Synodo sanciti Canones XVII. *de impedientibus jurisdictionem Ecclesiasticam*; *de citationibus Ecclesiasticis*; *ne personæ Ecclesiasticæ diffidationes faciant*: &c. *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1886. 1344. R.G.

PARISIENSE V. à Guilielmo Archiepiscopo Senonensi preside, adsistentibus *V.* Suffraganeis, duobus Vicariis, cæterísque istius Provinciæ personis Ecclesiasticis, quotquot commodè interesse poterant, XIV. die *Martii*, an. MCCCXLVI. celebratum. In hâc Synodo Constitutiones Provinciales in anteactis Conciliis stabilitæ renovantur, & quò magis Populo innotescant, debitúmque iis obsequium persolvatur, eas in omnibus *Synodis, Curiis, Conventibus*, & *Capitulis* legi & promulgari decretum est. Extant quibus vigor disciplinæ jam labefactatæ resuscitatur, non tàm de novo conditi, quàm ex prioribus selecti & novâ formâ pro ratione loci & temporis prestituti, Canones XIII. apud L. Dacher. *Spicileg.* T. V. exinde *Conc.* T. XI. Part. II. col. 1908. 1346. R.G.

CONSTANTINOPOLITANUM II. Annâ Imperatrice, & Joanne Palæologo filio suo quindenni Præsidentibus, & quamplurimis Episcopis præsentibus, (iis solùm exclusis qui Cantacuzeno apertè faverant) in Palatio Regio, VII. die *Februarii* anno MCCCXLVII. coactum. In hac Synodo 1347. R.G.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC. nodo, *Sessione primâ*, Joannes Patriarcha, eò quòd Barlaami dogmata complexus à Majorum fide declinasset, aliosque in pessimos errores impellere satagisset, junctis suffragiis exauctoratur, cui sententiæ Episcopi etiam absentes suffragantur: *Sessione secundâ*, in quâ Joannes Cantacuz. Imp. qui jam summâ rerum potitus est præsedit, adfuit etiam Lazarus Patriarcha Hierosolymitanus; Sententia contra Patriarcham priùs edita repetitur & confirmatur, & *Tomus* Synodicus conficitur, in quo Acindynus ejusq; sequaces damnantur: Palamas è contra ejusque socii rectè sentire declarantur: Joannes Patriarcha Throno deturbatur, & Isodorus annuente etiam Cantacuzen. Imp. in ejus locum sufficitur. Hujus Synodi *Historia & Acta* leguntur apud Cantacuz. Hist. lib. III. cap. 98. 99. lib. IV. c. 3. Tom. 3. Tomus Synodicus habetur MS. in *Biblioth. Cæsarea Vindob.* Cod. Jurid. VII. num. XII. Tertio ab hinc anno dissensionibus istis nondum sopitis, aliud Concilium apud Regium Palatium in Blachernis Constantinop. sub Joanne Cantacuzeno Imp. & Callisto Patriarchâ anno MCCCL. habitum est: Ad hoc Concilium vocati utriusque partis Præsules, frequentes coeunt; intersunt etiam Proceres & primariæ dignitatis Viri: per quatuor continuos dies acriter disputatum est, hinc Palamâ Archiepiscopo tunc temporis Thessalonicensi, inde duobus Metropolitanis Ephesi & Gani, cum Niceph. Gregorâ, & Dexio quodam strenuè dimicantibus, huc tandem res rediit; Ephesi & Gani Archipræsules sedibus suis movendos; Barlaamum & Acyndinum (non vitâ functos uti Spondanus *, sed) velut membra tanta putredine corrupta ut sanari non possent, à reliquo corpore divellendos; eos omnes qui erroribus valedictis Ecclesiæ dogmata amplecti vellent, absque omni præteritorum exprobratione recipiendos; qui secus fecerint Ecclesiæ consortio privandos decretum est: quæ omnia in *Tomum* rediguntur, cui primus subscripsit Joan. Cantacuzenus Imp. huic proximus Joannes Palæologus junior Augustus; deinde Callistus Patriarcha cæterique Præsules: Extant hujus Synodi Acta à Fr. Combefisio Græcè & Latinè edita, cum ejusdem notis *Auct. Noviss.* Paris. 1672. *fol.*

* *Ad annum.* 1350. *§.* 20.

1347. R. G. TOLETANUM III. ab Ægidio Archiepiscopo tribusque Episcopis suffraganeis in reformationem morum & abusuum correctionem, præcipuè adversùs *Simoniam*, die XXIV. *Aprilis* anno MCCCXLVII. apud Complutum congregatum. Unde à Card. d'Aguir. *Complutense* audit. Extant Canones IV. *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1916. & apud d'Aguirre *Conc. Hisp.* T. III. p. 614.

1351. R. G. BITERRENSE in Gallia Narbonensi ad Orebim fl. Petro de Judiciâ Archiepiscopo Narbonensi Præside, præsentibus *IV.* ejusdem Provinciæ suffraganeis, nec non Episcoporum absentium Procuratoribus, Abbatibus, Prioribus, &c. VII. die *Novembr.* anno MCCCLI. congregatum. Extat *Decretum Synodale*, quo prioritas sedendi unicuique juxta promotionis antiquitatem ordinatur: habentur etiam *Literæ* Archiepiscopi ad Suffraganeos, quibus eos ad Concilium convocat; & disciplinæ Ecclesiasticæ Canones VIII. *de inclinatione capitis ad nomen Jesu: de reverentiâ Christi Corpori cum ægrotis defertur adhibendâ*, ut *pro Papa, Rege, & Prælatis oretur*: &c. hæc omnia à Cl. Baluzio ex Cod. MS. in fine mutilo Ecclesiæ Helenensis deprompta; notisque suis illustrata, inter *Conc. Gall. Narbonens.* p. 91. edita habentur. Inde *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1922. Notabit Lector defectum Canonis octavi ex Conc. Avenionens. ann. MCCCXXXVII. Can. XI. suppleri posse. Prætereundum non est Petrum Gariellum in *serie Præsulum Magalonens. V.* Episcopos huic Concilio interesse, & *Append.* IX. Constitutiones in eo ordinatas ex fide *Actorum MSS.* referre. SÆC. XIV. ab An. MCCC.

LAMBETHENSE II. à Simeone Islip Cantuariensi Antistite cum Suffraganeis quotquot Comitiis regni interant; & absentium Vicariis mense *Febr.* an. MCCCLI. apud Lambeth congregatum. In quo Regis Procerumque votis concessum est, ut *Clerici capitalium criminum convicti Episcopalibus carceribus perpetuò manciparentur, ac tenui victu sustentarentur.* Extat Constitutio Synodalis apud H. Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. p. 597. *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1928. 1351. R. G.

TOLETANUM IV. à Blasio Archiepisc. primâ die mensis *Octobr.* anno MCCCLV. celebratum. In quo de Constitutionum Synodicarum vi & obligatione consultum est, easque ad *pœnam* tantùm non item ad *culpam* obligare decernitur. Extant in eam rem Constitutiones II. *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1931. 1355. R. G.

MAGHFELDENSE II. à Simone Islip Cantuariensi Metropolitano aliisque Episcopis circa medium mensis *Julii* ann. MCCCLXII. apud Maghfeld habitum. In quo dies Festi numerantur, & quomodò observari debent, instituitur. Extat *Epistola decretalis* Simonis Archiepiscopi ad Episcopum Londinensem, quâ Constitutionem Synodalem promulgari mandat, apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 609. *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1933. Vide Constitutionem Simonis Mepham Archiepiscopi Cantuariensis ejusdem prorsus tenoris superiùs memoratam anno MCCCXXXII. 1362. R. G.

LAMBETHENSE III. à Simone Islip Archiepiscopo Cantuariensi cæterisque istius Provinciæ Præsulibus ad refrænandam Clericorum avaritiam & luxuriam mense *Novembr.* anno MCCCLXII. coactum. Extat quâ *Presbyterorum stipendia præfiniuntur, & ex unâ diœcesi in alteram absque literis dimissoriis* emigratio prohibetur, Constitutio unica apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. pag. 610. *Conc.* T. XI. Part. II. col. 1935. 1362. R. G.

ANDEGAVENSE II. sub Simone Turonensi Metropolitano, assidentibus *VII.* suffraganeis in Ecclesiâ Andegavensi XII. die mensis *Mart.* anno MCCCLXV. congregatum. In quo Canones XXXIV. ad corrigendos in foro Ecclesiastico abusus, & mores Clericorum reformandos, immunitatesque Ecclesiæ sartas tectas conservandas decernuntur. Extant *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1939. 1365. R. G.

EBORACENSE à Joanne Thoresby Archiepiscopo Eboracensi cum Suffraganeis in Palatio de Thorp juxta Eboracum, circa finem mensis *Septembr.* anno, ut videtur, MCCCLXVII. habitum. In quo nonnulla ad *Ecclesiarum venustatem, Clericorum honestatem, abusuum quorundam in solvendis Decimis, & matrimonio contrahendo* correctionem, & *contra nutrices parvulos suffocantes* &c. saluberrimè decernuntur. Extant Constitutiones Ecclesiasticæ X. apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. II. p. 602. & *Conc.* Tom. XI. Part. II. *Append.* col. 2482. 1367. R. G.

VAURENSE, à Binio *Lavaurense* dict. à trium Provinciarum Episcopis, Narbonensis, Tolosani, & Auscensis sive Auxitani, licentiâ Urbani Papæ V. priùs habitâ, apud Vaurum Galliæ Narbonensis oppidum ad Aculum fl. Petro de Judiciâ Archiepiscopo Narbonensi Præside, primo die *Junii* anno MCCCLXVIII. coactum. In hâc Synodo plurima 1368. R. G.

SÆC. XIV. ab An. MCCC. rima Ecclesiasticam Disciplinam spectantia, ex anteriorum Synodorum Constitutionibus potissimum desumpta, stabiliuntur. Extant Decretorum capitula CXXXIII. (quorum primum prolixissimum ad Laicorum institutionem spectat, & *doctrinam de fide* ubi articulorum fidei expositio habetur: *de septem Sacramentis: de virtutibus Theologicis & Moralibus: de donis S. Spiritûs: de eleemosynis corporalibus & spiritualibus: de vitiis capitalibus: de X. Præceptis Decalogi*, comprehendit, & *laicos* in omnibus istis *instruendos* ordinat,) *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 1969. & apud Baluzium cum *suis notis*, *Conc. Gall. Narbon.* p. 124. Præmittuntur *Epistolæ* Urbani Papæ V. duæ, Narbonensis item Archiepiscopi *Literæ* Gaucelinum Magalonensem cæterosque Suffraganeos ad dictum Concilium convocantes, cum quorundam *Responsoriis*: subjicitur *forma indulgentiæ* à Patribus in hac Synodo congregatis, omnibus in Christo fidelibus, qui ad Ecclesiam Cathedralem Vaurensem reparandam, ornandamve sumptus impenderint, concessæ: Agmen claudit Urbani V. *Epistola* ad Archiepiscopos trium Provinciarum, qui Concilio Vaurensi interfuerunt, *contra fraudulentas donationes* eodem anno ii. Non. *Octobr. Viterbii* data.

1374. R.G. NARBONENSE ex mandato Gregorii Papæ XI. à *VI.* Provinciæ Narbonensis Præsulibus, Petro Metropolitano Præside, in Ecclesiâ Cathedrali Narbonæ XV. die *Aprilis* anno MCCCLXXIV. coactum. Huic Concilio Prælati exempti cujuscunque Ordinis (solis Carthusiensibus exceptis) non obstantibus quibuscunque privilegiis (salvo tamen jure in posterum) interesse jubentur. Extant in hanc rem *Bullæ* Pontificiæ tres & *Epistola* Petri Narbonensis, quâ Suffraganeos ad Concilium convocat, Disciplinæ item Ecclesiasticæ *Capitula* XXVIII. quorum quatuor priora *de Synodis celebrandis*, his proxima *de fictis Apostolis*, & *Excommunicatis*, intermedia ad bona *Ecclesiastica tutanda*, *Clericorum immunitates & possessiones conservandas*, *eorúmque & populi mores reservandos*: postrema denique circa *Indulgentias* & *Synodalium Constitutionum robur ac firmitudinem*, ex superiorum conventuum Decretis potissimùm desumpta ordinantur, apud Baluzium *Conc. Gall. Narb.* p. 301. & *Conc.* Tom. XI. Append. col. 2497.

1375. R.G. UNIEJOVIENSE ab Episcopis Poloniæ sub præsidio Jerosłai Archiepiscopi Gnesnensis anno MCCCLXXV. celebratum. In quo, præter ea quæ ad Disciplinæ Ecclesiasticæ reformationem ordinata sunt, subsidium ex cujuslibet Sacerdotii proventibus ad sumptus Belli Turcici suppeditandos decernitur. Hujus memoriam conservavit Simon Starovolscius in *Epitome Conciliorum*. Vide *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 2043.

1378. R.G. GLOCESTRIENSE à Simone de Sudbury Cantuariensi Metropolitâ cum Suffraganeis in Monasterio Apostolorum BB. Petri & Pauli Glocestriæ XVI. die *Novembr.* anno MCCCLXXVIII. congregatum. In quo Constitutio *de stipendiis Presbyterorum* à Simone de Islip Archiep. Cantuarienf. priùs stabilita laxatur, ac mitior de novo instituitur. Vide H. Spelman. *Conc. Brit.* p. 626. *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 2051. Notabit Lector, eundem Simonem hoc etiam anno Synodum Londini convocâsse, inque eâ nonnulla contra Joannem Wicklyff ejusque sequaces constituisse, & quatuor Canones (à Lindewoodo nostro fortean publicatos) condidisse, multa etiam de Curiâ suâ in *Arcubus* reformâsse, uti fidem facit *Antiquitat. Brit. Auctor.* p. 258.

1379. R.G. COMPLUTENSE II. ab Hispaniæ Præsulibus, Petro Tenorio Archiepiscopo Toletano Præside, anno MCCCLXXIX. congregatum. In quo Urbano VI. Romæ, Clemente VII. Avenioni sedem Pontificiam occupante, & utroque seipsum verum legitimum S. Petri successorem indigitante, utri eorum adhærendum sit deliberant Patres, nihil tamen statuentes in medio relinquunt. Vide Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 618. Eâdem de causâ eodem etiam anno Conventus Episcoporum habitus est apud oppidum *de Illescas*, Petro Toletano iterùm Præside, præsente etiam Henrico Rege: uti etiam apud *Toletum* alter, cui Legati ab Urbano, aliique in causâ Clementis à Rege Galliæ missi interfuerunt, necnon apud *Burgos*: & sequente anno ad *Medinam Campestrem*, in quibus nihil omninò de arduâ istâ quæstione toties disceptatâ decretum est, prudentioribus ad Generalis Concilii arbitrium rejiciendam judicantibus: anno autem MCCCLXXXI. xiii. Cal. *Jun.* Concilium *Salmanticæ* celebratur, Petro de Lunâ Cardinale & Clementis VII. Legato Præside, in quo Urbanus rejicitur, & Clemens Papa salutatur. Quod & anno MCCCLXXXVII. in conventu Episcoporum & Procerum apud *Navarram*, alióque apud *Barcinonem* similiter factum est, unde per totam ferè Hispaniam Clemens obtinuit. Vide Card. d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 618. 619, 620.

LONDINENSE IV. Guilielmo de Courtenay Archiepiscopo Cantuariensi Præside, præsentibus etiam *VI.* Episcopis, *XXIII.* Theologiæ Professoribus, *XIII.* in jure civili & Canonico Doctoribus; in causâ Joannis Wicklyff, errorumque ejus uti vocantur, in Prioratu Fratrum Prædicatorum Londini XXII. die *Maii* anno MCCCLXXXII. celebratum. In hac Synodo decem Wicklyffi conclusiones ut *hæreticæ*, quatuordecim aliæ ut *erroneæ* & determinationi Ecclesiæ repugnantes damnantur. Nicolaus Hereford, Philippus Rippington & Joannes Ashton Wicklyffo assentientes hæretici judicantur, & ab Ecclesiæ consortio pelluntur. Extant hujus Synodi *Acta*, *Conclusiones*, *Interrogationes*, & *Responsiones*, aliaque huc pertinentia apud H. Spelm. *Conc. Brit.* p. 629. & seq. *Conc.* Tom. XI. Part. ii. col. 2052. quibus *literæ* Regiæ Archiepiscopo & Episcopis, eos qui Hæresin prædicarent carceribus compingendi potestatem conferentes, subjunguntur. 1382. R. G.

SALTZBURGENSE II. à Piligrino de Pucheim Archiepiscopo Salisburgensi, cum Suffraganeis, aliisque Prælatis, in Palatio Archiepiscopi, mense *Januar.* anno MCCCLXXXVI. habitum. In quo nonnulla *de modo dicendi horas Canonicas*, *de absolutionibus: de indulgentiis: contra mendicantes*, *usurarios beneficiorum occupatores*, aliaque ad morum correctionem, vitæ honestatem, & disciplinam Ecclesiasticam pertinentia decernuntur. Extant Capitula XVII. *Conc.* T. XI. Part. II. col. 2061. 1386. R.G.

PALENTINUM hortatu Joannis Regis Castellæ ac nonnullorum istius Regni Præsulum, sub præsidio Petri de Luna S.R.E. Cardinalis & in Hispania Legati Pontificii in Ecclesia Fratrum Minorum Palentini, IV. die *Octobr.* anno MCCCLXXXVIII. celebratum. Extant Constitutiones Ecclesiasticæ VII. *de officio Ordinarii*; *de cohabitatione Clericorum & Mulierum*; *de Judæis & Saracenis*, &c. *Conc.* Tom. XI. Part. II. col. 2068. 1388. R.G.

LONDINENSE V. à Wilhelmo de Courtenay Cantuariensi Archiepiscopo cum Suffraganeis ann. MCCCXCI. Londini coactum. In quo *Constitutio* quædam Roberti Winchelsey Metropolitæ Cantuariensis contra *Presbyteros stipendiarios*, quæ in desuetudinem 1391. R.G.

Digitized by Google

SÆC. XIV. ab An. MCCC.

tudinem abierat, instauratur. Extat in hanc rem *Epistola Synodalis* apud Spelman. *Conc. Brit.* p. 640. *Conc.* T. XI. Part. II. col. 2077.

1394. R.G. PARISIENSE VI. Caroli VI. Francorum Regis jussu, à quamplurimis Galliæ Archiepiscopis & Episcopis, præsentibus etiam Consiliariis Regiis & Regni Cancellario, ad extinguendum Schisma & Unionis methodum excogitandam, ii. die *Februar.* anno MCCCXCIV. in Regali Palatio Parisin. coactum. Huic Synodo præfuit, omnium calculis cooptatus, Simon Cramaudi Patriarcha Alexandrinus, Ecclesiæ Carcassonensis Administrator. Interfuere Patriarcha Hierosolymitanus, Archiepiscopi *VII. Episcopi XLVII.* Abbates *X.* cum Decanis, Prioribus, S. Theologiæ & utriusque Juris Professoribus aliisque Viris prudentibus, & in rebus agendis peritis, de viâ unionis tractatur, singulis juramenti vinculo obstrictis, quod sibi potissimum visum est liberè enunciare. Cùm autem tria unionis media proponerentur, primum per Concilium generale, secundum per Compromissum, tertium per Cessionem, in hoc tanquam maximè idoneum potioribus Suffragiis consenserunt, deinde de modo istiusmodi Cessionem ex utraque parte obtinendi deliberant Patres; Legatis instructiones parant, & quæcunque in optatum finem conducere possint, sedulò perquirunt & decernunt. Extant *Acta* compendiosè scripta apud *Spondanum* ad hunc Annum; fusiori stylo narrata ex MS. Hist. Caroli VI. Francorum Regis edidit Luc. Dacherius, *Spicileg.* T. VI. inde *Conc.* T. XI. *Append.* p. 2511. Eadem de causâ habita est Parisiis altera Synodus anno sequente, & ann. MCCCXCVIII. demùm tertia, in quibus via Cessionis unicum schismatis remedium ponitur, & decretum *Subtractionis* qua pecuniæ, subsidia, provisiones, beneficia, ac omnis generis emolumenta à Benedicto dum Cessioni assensum dederit subtrahuntur, multis hinc inde agitatis, tandem promulgatur. Vide Spondani Annal. ad an. MCCCXCVIII. num. V. VI. & seqq.

SÆC. XIV. ab An. MCCC.

1396. R.G. LONDINENSE VI. à Thomâ Arundel Archiepiscopo Cantuariensi cum Suffraganeis, XIX. die *Febr.* anno MCCCXCVI. congregatum. In hac Synodo præter lites inter Theologos & Juristas Oxonienses, ex Bullis & Privilegiis Papalibus, ut videtur, ortas, Synodali Auctoritate compressas (de quibus consulat Lector *Hist. & Antiq. Oxon.* p. 197.) octodecim Articuli ex Joannis Wicklyffi *Trialogo* vel potiùs (uti Historicus Oxon. *ibid.* p. 299.) ex libris quibusdam sub forma Trialogorum, more Wicklyffiano, conscriptis per Doctores Oxonienses jussu Regis desumpti, erroris damnantur. Hujus Synodi meminit *Antiquitat. Britann. Auctor*, p. 271. & Statuta quædam, pro curiâ in *Arcubus* etiam reformandâ, illic ordinata asserit, quorum nonnulla habentur apud Spelm. *Conc. Brit.* Tom. II. p. 656. & seq. Extant Articuli supradicti *Conc.* T. XI. Part. II. col. 2080. & cum Tractatu prolixo Wilhelmi Woodfordi, Ord. Min. contra præfatos Articulos mandato Thomæ Cantuariensis scripto, *Fascic. rerum expetend.* pag. 190. Edit. Noviss. Concilium aliud Londinense in Ecclesia Paulina anno MCCCXCIX. habuit idem Thomas Archipræsul: in quo Rex Henricus & Clerus mutua gratiæ & benevolentiæ officia sibi invicem præstiterunt, Rex ad Libertates Ecclesiasticas defendendas animi sui promptitudinem per nuncios testatur, precesque eorum assiduas, pro sua regnique salute expetit; Archiepiscopus, se Regi gratitudine æquè ac officio devinctos, debitumque ei obsequium semper præstituros Synodi nomine respondit, ac vicissim Regem obsecrat; ut Regiâ suâ Auctoritate provisiones Papales, & Præventiones legibus interdictas, subditis suis exosas meritò & injurias, præcipuè autem Academiis & literarum studiis exitiosas abrogaret, cui benignum etiam responsum tulit: vide *Antiq. Britan.* p. 273. & *Conc.* Tom. XI. part. II. col. 2081.

Finis Decimi quarti Sæculi.

SÆCULUM SYNODALE.

CONSPECTUS SÆCULI.

SÆC. XV. ab An. MCCCC.

POST incultam tot Sæculorum barbariem, & tam diuturnum literarum squalorem, tandem advenit exoptatum illud Sæculum, quo doctrina fugatis ignorantiæ tenebris quasi ab inferis emergeret, & bonarum artium linguarumque studium Orbi Christiano postliminio redderetur. Duplici ferè id causæ acceptum referri debet, captæ à Turcis Constantinopoli, & inventæ arti Typographicæ. Expugnatâ enim anno 1453. Græcorum metropoli, doctissimi quique gentis istius Viri paupertate & barbarici jugi duritie coacti, in Occidentales partes, præsertim verò Italiam sese contulerunt; & non solùm Græcæ linguæ, sed & omnis ferè melioris literaturæ scientiam Latio secum invexerunt; saltem Latinis, ut aliquid supra nodosam Scholarum disciplinam sapere contenderent, incitamento fuerunt. Dein paucis antea annis reperta ars Typographica, seu Batavis seu Germanis id laudis debeatur, antiqua Eruditorum monumenta in lucem protraxit, recentiora mirâ celeritate propalavit. Iste literarum status: Sin res Ecclesiasticas spectemus, haud ullum à quarto usque Sæculum Synodorum feracius inveniemus. Ut minoris enim notæ Concilia & Conciliabula taceam, anno 1409. ut diuturnum Pontificum Romanorum schisma è medio tolleretur, habita est Synodus Pisana, quæ Benedictum XIII. & Gregorium XII. Papatu submovendos decrevit, & Alexandrum V. Sedi Romanæ præfecit. Cùm verò id Schisma adeò non extingueret, ut adaugeret potiùs, & Triumviratus Pontificius Ecclesiæ intolerabilis videretur, Concilium Constantiense anno 1413. curante Sigismundo Imp. coactum est, cujus Autoritate, cùm quisnam è

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. tribus verus esset Pontifex dignosci non posset, singulis fasces abrogati sunt, illorumque loco Martinus V. ad Pontificatum evectus. Summâ enim constantiâ Concilii istius Patres Synodi Oecumenicæ superioritatem supra Papam astruxerunt, ne hiscere quidem ausis, qui interfuerunt, Pontificibus Romanis, eamque decreto solenni, tanquam indubitatum fidei articulum, confirmarunt. Nondum tamen finitum Schisma: Papatum ad extremum usque vitæ actum mordicus retinuit Benedictus XIII. Gravioris momenti, quæ Concilio Constantiensi cum Hussitis fuit, controversia. Isti veritatis & primævæ fidei tenaces Eucharistiam Christianis sub utraque specie administrandam esse prædicârunt; saltem, ut ipsis utraque species concederetur, postulabant. Hussum datâ fide publicâ Constantiam advocarunt Patres, advenientem violatâ fide ad rogum damnârunt; utque ora Hussitis æternùm occluderent, Sessione XIII. decreverunt, *quòd licet Christus post cœnam instituerit, & suis discipulis administraverit sub utrâque specie panis & vini venerabile sacramentum, tamen hoc non obstante*, Calix Laicis auferendus esset. Definitam Constantiæ superioritatem Concilii, Synodus Oecumenica Basileensis anno 1431. roboravit ac fortissimè asseruit. Illam indixerat Eugenius IV. Papa, ut Sigismundo Imp. & Concilii Constantiensis decreto de frequentibus Synodis habendis, morem gereret: verùm quamprimùm Basileenses superioritatem Concilii supra Papam asserere animadverteret, Synodum dissolvi ac Bononiam transferri jussit. Pontificis audaciæ constanter refragarunt Concilii Patres; & Papatu illum, ni mandatum revocaret, submovendum esse decreverunt. Pòst innumeras tergiversationes Eugenius, Pontificum à Concilio Constantiensi haud ita pridem depositorum exemplum veritus, fastum demisit; & Synodi jussis obsecutus, Acta illius omnia confirmavit. Sublato autem è vivis, cujus autoritatem maximè reveritus est, Sigismundo Imp. ad consuetas fallendi artes rediit, & Concilium Ferrariæ anno 1438. celebravit, Florentiam anno sequente translatum; ut haberet, quod Basileensium decretis opponeret. Huc vanâ auxilii contra Turcos impetrandi spe allectus Joannes Imperator CP. Episcoporum Græcorum turbam adduxit. Disputatum est aliquamdiu de processione Sp. S. de Primatu Papæ, de Purgatorio, aliisque Religionis capitibus, tandem Unionis formula excogitatur, cui aut Imperatoris minis adducti, aut Pontificis auro corrupti, subscripserunt è Græcis quamplurimi. Concilium interim Basileense Sessiones suas producit; & deposito Eugenio, dignitatem Pontificiam Fœlici V. donat. Cæterùm nullum non ex suprà memoratis Concilium Oecumenici titulum atque autoritatem sibi vendicavit; singula à sede Romanâ aliquoties confirmari meruerunt, & indubiam definitionibus suis fidem à Christianis omnibus adhiberi jubent. Quin ex frequenti ac diuturnâ Conciliorum isto sæculo habitorum Sessione, & acerrimâ, quæ secuta est de singulorum autoritate, controversiâ, factum non malè censeri posset; quòd Conciliorum Generalium infallibilitas, à paucis anteà recepta, ferè universalem in Ecclesiâ Romanâ fidem obtinuerit. Exeunte Sæculo Pragmatica S. Ludovici Sanctio, quæ anno 1268. condita fuerat, in usum revocata est: qua Sedes Pontificia intra Gallias gravem potestatis jacturam fecit. Conciliorum enim Constantiensis ac Basileensis decreta Ecclesia Gallicana religiosè sibi observanda sumpsit; nec ultra limites à Canonibus Ecclesiasticis positos autoritatem Pontificiam evagari passa est. Concilium interim Florentinum, quod nihil non Pontificum libidini permisit, in Italiâ aliisque Occidentis partibus obtinuit, ita tamen ut augescente indies bonarum literarum & antiquæ Theologiæ studio, recepta olim Apostolicæ plenitudinis opinio paulatim evanesceret; & omnipotentiæ Pontificiæ moles nutaret. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

SCRIPTORES.

SÆC. XV. ab An. MCCCC. H. W. JOANNES HUSSUS, gente Bohemus, in Pago Hussenitz cognominato natus, in Academia Pragensi bonis literis institutus, ubi Artium liberalium Baccalaureus anno 1393. Magister Philosophiæ anno 1395. Sacerdos & Concionator Templi Bethlehemitici anno 1400. creatus est. Claruit anno 1400. Vir, ipsis fatentibus adversariis, doctrinâ illustris, pietate conspicuus. Dum sacrarum literarum & castioris Theologiæ studia depositis præjudiciis ac sincero veritatis zelo urgeret, & VViclefi si non sermones præsens audiret, saltem scripta diligenter pervolveret; fœdissimos nec diutiùs tolerandos Ecclesiæ Romanæ errores & corruptelas facilè agnovit: agnotos quà concionando quà scribendo fortissimè oppugnavit: studiorum ac laboris socium & parastatem nactus HIERONYMUM PRAGENSEM, gente pariter Bohemum, in urbe Praga natum, Lutetiæ Parisiorum & in præcipuis Galliæ ac Germaniæ Academiis studiis Theologicis innutritum, & ob raram ac divinam planè in concionando eloquentiam apud populares suos celeberrimum. Utriusque doctrinam arrectis auribus exceperunt Bohemi; conciones turmatim frequentarunt; & errores inolitos agnoverunt simul & oderunt. Frigescente itaque apud Bohemos indulgentiarum mercaturâ, actum de religione clamabant Pontificii, ni Joannis & Hieronymi ausis properè obviaretur. In utrumque igitur insurgit Subinco Lepus, Archiepiscopus Pragensis anno circiter 1408. Synodum cogit, Academicos accersit, VViclefi dogmata & sectatores damnat, librosque comburit, Joanni & Hieronymo concionandi munus interdicit; atque Urbe mox excedere compellit. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

Subincon-

Subincone verò paulò pòst è vivis sublato, ad consueta redeunt docendi munia. Annis sequentibus ad Gregorium XII. & Joannem XXIII. Pontifices hæreseos delatus Hussus majus discrimen adit. Pontifices rem totam Cardinali Columnæ committunt. Ille Joanni diem dicit, qua Romæ se judicandum sisteret. Mittit iste procuratores suos qui innocentiam firmissimis rationibus probent: mittit & VVenceslaus Rex legatos qui Joannis causam tuerentur. Nullam defensionem admisit Cardinalis; verùm Joannem contumacem esse hæreticum pronunciavit. Anno 1413. increbrescentibus inter Bohemos ob religionis causam seditionibus, Hussus à VVenceslao Rege ex civitate Praga ejectus, apud vicanos concionari cœpit, donec sedatis paululùm turbis, redeundi copia daretur. Anno 1414. inchoato Constantiensi Concilio Hussus Sigismundi Imp. literis, quibus saluti suæ publicâ Imperii fide cautum est, Germanicè simul ac Latinè scriptis munitus, à nobilibus aliquot Bohemis die 3. Novembris Constantiam deducitur, acceptis priùs in itinere Pontificis & Concilii literis, quas salvi conductus vocant. Nil tamen fidei tam solenni religione datæ authoritas & reverentia potuit, quò minùs Hussus, reclamantibus Sigismundo & Germanis, vicesimo sexto post ingressum die in fœdissimum carcerem daretur. Integris sex mensibus variis carceribus, inediis & tormentis exagitatus, tandem in Concilio hæreseos absens & inauditus damnatur, præcipuè ob Eucharistiam in utraque specie administratam. Verùm cùm id iniquè admodum ferret Sigismundus Imp. disputandi ac semet defendendi copia Husso conceditur. Die igitur quinto atque iterum septimo Junii iste in medium adducitur, & certamen instituitur. Verùm omnia strepitu & clamoribus aguntur. Hussus conviciis & vociferationibus obrutus ne verbum quidem facere permittitur, nisi palinodiam agere vellet. Constanter id recusat ille, & in carcerem amandatur. Die VI. Julii carcere iterum eductus Concilio sistitur, hæreseos damnatur, flammis addicitur, vestibus sacerdotalibus exuitur, gradibus Academicis deprivatur, & papyraceâ coronâ cacodæmonibus depictâ redimitur, ad supplicium perducitur. Summâ ille animi constantiâ & fortitudine mortem oppetiit, vivicomburio extinctus in patenti prato extra muros urbis. Mense Aprili ejusdem anni Hieronymus Constantiam venerat, acceptâ priùs à Concilio tutò veniendi, non tamen redeundi (id commenti enim boni Patres scelestissimæ perfidiæ prætexebant) potestate, & in carcerem datus, dirisque tormentis excruciatus fuerat. Post Hussi mortem abjurationis formulam sibi datam ex scripto recitare supplicii terrore adactus fuit. In carcerem nihilominus remissus turpissimæ ignaviæ pœnitentiâ duci cœpit; & excusso veterno veritatem iterum profiteri non dubitavit. Anno igitur 1416. die XXV. Maij in Templum Cathedrale adductus tantâ animi præsentiâ & invicto argumentorum robore disseruit, ut adversarios suos ad silentium adegerit. Ad rogum itaque damnatus iii. Cal. Junii par Husso certamen obiit, parem triumphum reportavit.

OPERA.

Explicatio Symboli, Decalogi, & Orationis Dominicæ.

Tractatus de peccato mortali, de Matrimonio, de Cognitione & dilectione Dei, de tribus hostibus hominis & septem peccatis mortalibus, de Sacramento corporis & sanguinis Domini, Constantię in carcere conscripti.

De sanguine Christi sub specie vini à Laicis sumendo Quæstio.

De sufficientia legis Christi ad regendam Ecclesiam.

Sermo de fidei suæ elucidatione.

Sermo in illud, Pax huic domui, & alius de pace.

Epistolæ LXVIII. Hussi aliorumque sub tempus Concilii Constantiensis scriptæ.

Narratio de initiis & progressu certaminum Joannis Hussi cum factione Pontificia.

Appellatio ab Archiepiscopo Pragensi ad Papam.

Epistola scripta quo tempore Hussus per excommunicationem Pragâ abierat.

Replica contra Anglicum Joannem Stokes Wiclefi calumniatorem.

Defensio quorumdam articulorum Joannis Wiclefi.

De ablatione bonorum temporalium à Clericis. Habetur apud Goldastum Monarch. Tom. 1. p. 232.

De Decimis.

Replica contra occultum adversarium.

Replica contra Prædicatorem Plenensem.

Quæstio de arguendo Clero pro Concione.

De quinque Officiis Sacerdotis.

Determinatio Quæstionis cum suo Tractatulo de sanguine Christi glorificato.

Tractatus de Corpore Christi.

Tractatus de tribus dubiis factis in Holomutz.

Quæstio de Credere.

De libris Hæreticorum legendis.

Actus pro defensione libri Joannis Wiclefi de Trinitate.

Quæstio de Indulgentiis; sive de Cruciatâ Papæ Joannis XXIII.

Contra Bullam à Joanne XXIII. *editam de erectione Crucis contra Ladislaum Apuliæ Regem.*

Opusculum de sex erroribus, compilatum & parietibus Betlehemeticis inscriptum.

Tractatus de Ecclesia, pronunciatus publicè in civitate Pragensi.

Responsio ad scripta M. Stephani Paletz Theologiæ Doctoris.

Responsio ad scripta M. Stanislai de Znoyma T.D.

Refutatio scripti octo Doctorum Theologiæ.

Liber de Antichristo, & membrorum ejus Anatomiâ.

Liber de regno, populo, vitâ, & moribus Antichristi.

De Sacerdotum & Monachorum abhorrendâ abominatione in Ecclesiâ Christi.

De abolendis sectis & traditionibus hominum.

De pernicie traditionum humanarum.

De Unitate Ecclesiæ, & Schismate. Prodiit seorsim *Basil.* 1520.

De Evangelicâ perfectione.

De mysterio iniquitatis fragmentum.

De Revelatione Christi & Antichristi fragmentum.

Alia quædam Fragmenta. Opuscula ista à Libro de Antichristo inclusivè recensita prodierunt simul *Argentorati* cum Appendice Othonis Brunselfii.

Historia gestorum Christi ex quatuor Evangelistis in unum collecta, & secundum tres annos prædicationis ejus digesta.

Conciones Synodicæ.

Sermones XXVIII.

Explicatio in VII. *priora Capita primæ Epistolæ S. Pauli ad Corinthios.*

Commentarii in Epistolas VII. *Canonicas.*

Enarratio Psalmi CIX. *& novem sequentium Psalmorum.*

De Corpore Christi in Sacramento Altaris; quòd non creetur, neque incipiat esse contra crassos Papistarum errores.

De Adoratione, & contra Imaginum adorationem.

Carmen de Cœna Domini.

Opera ista omnia unà cum plurimis monumentis Historicis, literis & Tractatibus aliorum, Bullis Pontificis, &c. Historiam Hussi, Hieronymi, & VViclefi spectantibus prodierunt *Norimbergæ* 1558. 2. Tom. fol.

Epistolæ

SÆC. XV. ab An. MCCCC.

Epistolæ ejus cum Præfatione M. Lutheri excusæ sunt *Wittembergæ* 1537. 8°.

Commentarius in Apocalypsin, sine Autoris nomine editus *Wittembergæ* 1528.

Responsiones Hieronymi Pragensis ad Articulos in causâ fidei habentur Concil. Tom. XII. p. 1551.

1401. R.G. ISIDORUS, natione Græcus Metropolita Thessalonicensis, circa annum MCCCCI. claruisse jure optimo censendus est; quippe qui Gabrieli in ista sede antecessit, quem Simeon sequutus sex menses ante captam Thessalonicam an. MCCCCXXXX. obiit: Si ergo singulis decem annorum præposituram ponamus, Isidorus sub hoc tempus thronum Archiepiscopalem adornâsse putabitur. Vide *Synodicon Thessalonicense* apud Allatium de *Symeon.* p. 187. Extant hujus, ut videtur, labore concinnati *in integrum B. Lucæ Evangelium Commentarii*, quos in *Biblioth. Vaticanâ* Græcè MSS. asservari ex Sixto Senensi * & Possevino † accepimus. Huic etiam, ni fallor, tribuendæ sunt *Orationes variæ*, ab eruditiss. Allatio in *Diatrib.* de *Simeon.* memoratæ, quales sunt, *Oratio in salutarem secundùm carnem & divinam Generationem Christi.* Pr. Ἄῤῥητα τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας ὑπὲρ ὑμῶν, p. 83. *In dormitionem B. Deiparæ.* Pr. Ἐκ δὲ οὐρανοῦ κάλλους, καὶ αὐγὴν ἡλίου φαιδρὰν, p. 87. *In Annunciationem B. Deiparæ*, Pr. Εὐφραινέσθωσαν οἱ οὐρανοὶ, καὶ ἀγαλλιάσθω ἡ γῆ, p. 94. *In Sancta Sanctorum.* Pr. Καθάπερ τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ, εἰς τότε, p. 67. *In Nativitatem B. Deiparæ.* Pr. Μωσῆς ἐκεῖνος ᾧ θάλασσα μὲν ὑπεχώρει, γῆ δὲ παραδόξως, p. 100. *In Festum Luminum*, i. e. S. Epiphaniæ. Pr. Νῦν ἡμέρα φωταυγὴς καὶ σωτήριος, νῦν ἡλιολαμπὴς, p. 100.

* Biblioth. Sanct. l. IV. d. 271.

† Apparat. Sac. Tom. I. pag. 982. Tom. II. Append. p. 11.

1401. R.G. AYMERICUS de PEYRACO, natione Gallus, Ord. Bened. Monachus, Decretorum Doctor, ac tandem Abbas Moyssiacensis, claruit anno MCCCCI. Scripsit *de gestis Caroli M.* volumen, Joanni Duci Bituricensi nuncupatum. Extat MS. in *Biblioth. Regiâ Paris.* Cod. 1343. Scriptis etiam consignavit *Chronicon universale* ultra annum MCCCC. productum. MSS. habetur in *Biblioth. Colbertin.* Cod. 2835. Et *Vitam Urbani Papæ* V. quæ utrum sit præcedentis Chronici pars, an opus ab eo diversum haud satis liquet, ut ut sit, eam notis suis locupletatam edidit Cl. Baluzius *Vit. PP. Aven.* Tom. I. col. 415.

1404. H.W. PAULUS, ANGLICUS à natione dictus, Decretorum Doctor, claruit anno 1404. quo Opusculum suum elucubravit, decimo quinto Bonifacii IX. anno, uti ipse in fine disertè testatur: adeò ut menda typographica in num. 1444. lateat, necesse sit, qui in oram libelli apud Goldastum irrepsit. Scripsit Paulus *Aureum Speculum*, seu Dialogum inter Petrum & Paulum, in tres divisum. Operis sui scopum ac materiam ipse his verbis in Præfatione depingit. *Primò errores gravissimos Curiæ Romanæ detegam, circa provisiones beneficiorum, & indulgentiarum concessiones, detectasque eliminando cum Simoniacis & eorum participibus condemnabo. Secundò scripta minus Catholice scribentium quædam, quæ tantæ destructioni ecclesiasticæ causam præstasse videbantur aut occasionem, tanquam hæretica clarissimè reprobabo: & ibi fundamentum enervabo illius destructionis de Symoniacis quâ prohibitis, & de prohibitis quâ Simoniacis; quæ multos etiam communiter peritos videntur ponere in errorem. Tertiò totam Romanam Curiam erroneam, & in statu damnationis laborantem, ex verissimis fundamentis declarabo, necnon omnes qui à jure communi per exorbitantes gratias beneficia Ecclesiastica sunt adepti, Papæ plenitudinem potestatis pertractando. Et secundum hoc tres erunt partes, quas Lectori suadeo toto studio perlegere.* Extat Speculum istud Aureum apud Goldastum Monarch. Tom. II. p. 1527.

SÆC. XV. ab An. MCCCC. 1404. H.W. JOANNES CHARLIERIUS DE GERSON, gente Gallus, à vico cognomine, Diœceseos Rhemensis in Campania oriundus, *Doctor Christianissimus* appellatus; natus est anno 1363. XIX. Cal. Januar. Arnulphi & Elizabethæ filius, anno 1377. Lutetiam Parisiorum à parentibus missus, Artistarum Socius in Collegio Navarrensi factus est. Anno 1382. in Theologorum Societatem receptus, postquàm Petrum Alliacum septennio, Ægidium Campanensem triennio docentes audivisset, anno 1392. Collegii Magister designatus est. Exin paucis post annis Cancellarii Parisiensis munus obtinuit, quod quidem tantâ prudentiâ & honore gessit, ut *Cancellarius* κατ᾽ ἐξοχὴν hodienum appellari soleat. Claruit anno 1404. Hallucinantur planè, qui Joannem nostrum Ordinis Cœlestinorum Monachum, eorundemque deinceps Lugdunensis Cœnobii Priorem fuisse volunt: in hoc lapsi, quòd noster fratres duos Joannem & Nicolaum Cœlestinis ascriptos habuerit. Anno 1407. Joannis Parvi, qui Ludovici Aurelianensis Ducis interfectionem licitam esse affirmarat, assertiones concionibus ac scriptis oppugnavit, & à Facultate Parisiensi acri censura notari effecit. Anno 1408. in Concilio Parisiensi, quod ob causam Schismatis tollendi coegerat Carolus Rex, utrique Papæ, Benedicto XIII. & Gregorio XII. obedientiam denegari, donec alter alterutri cederet, persuasit; & apud Benedictum Tarasconę semel atque iterum, & tertiò Massiliæ concionibus egit, ut Pontificatu deposito pacem Ecclesiæ daret. Anno 1409. depositis in Concilio Pisano Benedicto ac Gregorio, & electo Alexandro V. cùm adeò non finiretur, ut adaugeretur, schisma; Gerso eandem pacis rationem, quam Benedicto anteà suaserat, ab Alexandro iniri voluit. Verùm uterque arreptum semel Pontificatum mordicùs retinuit. Anno 1413. exortâ gravi inter Parisienses seditione, Gerso cum tumultuanti populo obviam iret, ad necem vel carcerem quæsitus est. Fugâ ille sibi consuluit, & inter superiores ædis S. Mariæ fornices per aliquot dies delituit; domo interim à plebe expilatâ & supellectile direptâ. Anno 1414. Regis Gallorum & Senonensis Provinciæ Legatus ad Concilium Constantiense mittitur: ubi nullum non movit lapidem, ut schisma tolleretur; Ecclesię Pax simul & puritas restitueretur, resectis erroribus, & detersis maculis; totus denique Christianus Orbis & in Capite & in membris instauraretur: cúmque exoptatæ reformationi Pontifices obesse compererit, Commentarium *de Auferibilitate Papæ ab Ecclesia* conscripsit à Concilii quidem Patribus approbatum, minimè tamen executioni mandatum. Sanè tantam sibi Gerso eximiâ doctrinę & pietatis famâ autoritatem in Synodo conciliavit, ut in omnibus Doctorum Virorum congressibus principatum facilè teneret; & unanimi Patrum jussu Concilii Decreta ac Definitiones componeret. Quin & Zabarella Cardinalis haud aliud, quod Hussitis opponeret, pręter Gersonis autoritatem habuit. *Cancellarium*, inquit, *Parisiensem dicitis vobis suspectum existere; qui tamen usque adeò superexcellens Doctor est, qualis in tota Christianitate vix reperiri queat.* Dum Ecclesiæ verò emendandæ sedulò incumberet Gerso, ingens ei cordolium pepererunt Burgundiones. A Concilio enim postularunt, ut assertionum Joannis Parvi censura à Facultate Parisiensi ante octennium lata, pro qua Gerso strenuè decertaverat, examini denuo subjiceretur. Factum id, repugnante Gersone atque aliis, qui à partibus ejus stabant; resque selectis judicibus à Concilio commissa. Censuram Parisiensem illi abrogant. Gerso ad Concilium provocat. Judicum sententiam Patres confirmant. Pessimè id Gersoni cessit. Post Concilium enim anno 1418. solutum nequaquam illi liberum fuit Lutetiam reverti, ut Cancellarii munere defungeretur. Urbem enim nuper occuparat

Joannes

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC.

Joannes Burgundiæ Dux, qui Aurelianensem Ducem immissis olim sicariis interficiendum curarat. Gerso itaque ut adversariorum rabiem effugeret, per montosa Bavariæ loca, ac varias Helvetiæ plagas Lugdunum se recepit; ubi asylum illi apud Archiepiscopum & Joannem fratrem Cœlestinorum Priorem paratum fuit. Reliquum ibi vitæ tempus libris conscribendis, & parvulis in æde D. Pauli catechizandis impendit, cúmque mortem sibi imminere persentisceret, adductis in Ecclesiam parvulis suis discipulis, Deum pro se orare quotidie & orando exclamare jussit, *Deus meus, Creator meus, miserere pauperrimi famuli tui Joannis Gersonis.* Obiit vir sæculi sui Princeps, subitâ inter orandum morte extinctus, anno 1429. IV. Idus Julii, in Basilica S. Pauli sepultus, ubi verba hæc, *Pœnitemini & credite Evangelio*, ab illo inter concionandum sæpissimè usurpata, Epitaphium tumulo suo inscriptum habuit.

OPERA.

Liber de laude Scriptorum ad Cœlestinos, anno 1423. scriptus.

Monotessaron, seu Harmonia ex quatuor Evangeliis.

De potestate Ecclesiasticâ, seu *de origine Juris & Legum*, liber Constantiæ, tempore Concilii scriptus.

Sermo pro viagio Regis Romanorum ad Petrum de Lunâ, anno 1315. habitus.

Libellus de auferibilitate Papæ ab Ecclesiâ.

Sententia de modo habendi se tempore Schismatis.

De statu Ecclesiæ in V. & N. Testamento Tractatus, Gersoni ascriptus.

De Unitate Ecclesiasticâ, liber, anno circiter 1408. scriptus.

De statibus Ecclesiasticis.

De modo vivendi omnium fidelium. Prodiit *Antverp.* 1511. 4°.

Sermo de tribulationibus ex defectuoso Ecclesiasticorum regimine adhuc Ecclesiæ perventuris, & de signis earundem, in Concilio Constantiensi habitus.

Declaratio compendiosa defectuum virorum Ecclesiasticorum.

De Schismate Tractatus II.

Tractatus de Concilio generali unius Obedientiæ.

Decretum Concilii Constantiensis super frequentatione Conciliorum Universalium, anno 1417. editum.

Sermo de Prælatorum Officio, in die Circumcisionis Domini, Tarascone coram Benedicto Papâ habitus.

Considerationes IV. *de Pace & unitate Ecclesiæ*, coram eodem ibidem prædicatæ.

Epistola ad Ducem Aurelianensem pro unione Ecclesiæ.

Epistola ad Petrum Cameracensem Episcopum.

Sermo factus in die Ascensionis coram Alexandro V. *Papa.*

Sermo habitus Massiliæ coram Benedicto XIII. anno 1403. die IX. Novembris, *pro pace & unione Ecclesiæ.*

Propositio facta Parisiis anno 1408. *ex parte Universitatis Parisiensis coram Anglis Episcopis euntibus ad Concilium Pisanum.*

Trilogus in materiâ Schismatis.

Epistola Regis Franciæ justificativa substractionis à Petro de Lunâ anno 1407.

Sermo coram Constantiensi Concilio anno 1417. *habitus, in illud: Nuptiæ factæ sunt in Cana.*

Tractatus de nuptiis Christi & Ecclesiæ, in quo solvit quæstiones motas in præcedenti Sermone.

Sermones & Tractatus IV. *de erroribus circa Præceptum, Non occides.*

Sermo in festo Purificationis de potestate ordinariâ Episcoporum.

Sermo in Concilio Constantiensi anno 1415. *habitus, postquàm Joannes XXIII. recessit à Concilio.*

Propositio ex parte Regis Franciæ contra propositionem quam Atrebatensis Episcopus ex parte Ducis Burgundiæ fecit pro condemnatione Conclusionum M. Joannis Parvi.

Declaratio veritatum, quæ credendæ sunt ex necessitate salutis.

Propositiones corollariæ de eâdem materiâ in Concilio Const. edita.

Tractatus de Protestatione circa materiam fidei contra Hæreses diversus, in Concilio Const. anno 1415. recitatus.

Considerationes & signa XII. *quibus aliquis convinci solet de hæresi.*

Quomodo, & an liceat in caussis fidei à summo Pontifice appellare, & judicium ejus declinare.

Duo Libelli Articulorum Theologicorum & Scholasticorum contra errores & pertinacem hæresin Petri de Luna.

Discussio illius assertionis; Sententia Pastoris, etiam injusta, timenda est.

Epistola de susceptione humanitatis Christi allegorica & tropologica.

Epistola contra Io. Rusbrochii librum de ornatu spiritualium nuptiarum.

Epistola, quâ Joannis de Schoenhavia Defensio ejusdem libri refutatur.

Lectiones II. *in Evangelium S. Marci.*

Propositiones de sensu literali S. Scripturæ, & de caussis errantium.

Tractatus contra hæresin de Communione Laicorum sub utraque specie, in Concilio Const. anno 1417. editus.

Tractatus de probatione Spirituum, in Concilio Const. anno 1415. editus.

Tractatus de examinatione doctrinarum, anno 1424. scriptus.

Epistola laudans mellifluam & igneam S. Bonaventuræ doctrinam.

Epistola ad Osvualdum Carthusiensem.

Epistola ad studentes Navarrenses, quid & qualiter studere debeat Novus Theologiæ auditor.

Epistola ad eosdem de regenda disciplina.

Responsiva ad Carthusianum quærentem, an liceat pro exercitio spirituali Conventum & prolixitatem Divini Officii deserere.

Admonitio de cautè legendis quorundam libris propter errores occultos.

De distinctione verarum Visionum à falsis.

Trilogium Astrologiæ moralizatæ, ad Delphinum Regis filium anno 1419. scriptum.

Contra superstitiosam dierum observationem. Prodiit unà cum præcedente Opusculo *Lugduni* 1519.

De sculptura & fabricatione idololatrica imaginum Astrologicarum contra Medicum Monspeliensem. Prodiit cum prioribus *ibidem.*

De erroribus circa artem Magicam.

Propositiones in Concilio Const. factæ contra assertiones Fr. Matthei Grabon Dominicani de statu perfectionis Religionis Christianæ & Religiosorum.

Tractatus contra Sectam Flagellantium in Concilio Const. anno 1417. editus. Prodiit unà cum præcedente Opusculo & Tractatu de defectibus Clericorum, *Erfordiæ* 1616.

Epistola de eadem Secta ad M. Vincentium Dominicanum.

Tractatus contra Proprietarios Regulæ B. Augustini, Gersoni ascriptus.

Regulæ Morales.

Compendium Theologiæ, Gersoni ascriptum.

Opusculum tripartitum, de Præceptis Decalogi, de Confessione, & de arte moriendi; à Gersone Gallicè scriptum, & à semidocto quodam Latinè versum. Melius sanè fatum meruit Opus istud decantatissimum, quod tantam apud Gallos existimationem obtinuit,

SÆC. XV. ab An. MCCCC. tinuit, ut Synodorum XVII. decreto à Presbyteris & Curatis in exponendo Decalogo, excipiendis Confessionibus, & visitandis ægrotis adhiberi jubeatur: quin & in Ecclesiarum XX. libros Rituales transferatur. Synodorum decreta, & Ecclesiarum nomina sigillatim recenset Launoius Hist. Gymnas. Navarr. par. 2. l. 2. c. 1. p. 510.

Tractatus de differentia peccatorum venialium & mortalium. Gallicè à Gersone scriptus, & alio quodam Latio donatus.

De arte audiendi Confessiones.

De confessione mollitiei.

De remediis contra recidivum peccati.

Responsio de statuto Ordinis Cartusiensium, quòd Confessarii non absolvant à mortali certo, sed confitentem remittant ad Superiorem suum.

Avisamentum per modum confessionis in religionibus non lapsis audienda.

De modo excommunicationum & irregularitatum, & absolutionis ab iisdem.

Notabile de forma absolutionis à peccatis.

Aliud notabile de primis motibus & consensu.

Opusculum super absolutione Confessionis Sacramentalis.

De forma absolvendi defunctos Cartusiensibus usitata.

De potestate absolvendi & peccatorum reservatione.

Epistola ad Episcopum quendam super moderata casuum reservatione.

Dialogus de potestate ligandi & solvendi.

Propositiones VIII. *de eadem materia.*

Tractatus de cordis induratione.

Tractatus de Indulgentiis.

De Suffragiis quæ fiunt pro vivis & defunctis.

Resolutiones L. *totidem Quæstionum seu Casuum Conscientiæ.*

De duplici peccato veniali.

De correctione proximi.

De parvulis ad Christum trahendis.

De contractibus, venditione & emptione liber anno 1420. scriptus.

Tractatus de Simonia.

Propositiones XII. *de eadem re.*

De sollicitudine Ecclesiasticorum, seu de intentione dantis & accipientis temporalia pro suffragiis & officiis Ecclesiasticis.

Considerationes XII. *pro volentibus condere Testamentum.*

Epistola super testamento librorum suorum, ad Cœlestinos anno 1428. scripta.

Epistola, qua postulat à Carthusianis, ut suffragia quæ illi pollicebantur post obitum, sic anticipent, quatenus à Deo impetret, ut in gratia Dei moriatur.

Testamentum Gersonis per formam orationis quotidianæ.

Poëmata varia de nativitate, patriâ, vitâ, studiis, & Testamento Gersonis.

Epistola consolatoria ad Joannem fratrem super morte Nicolai fratris.

De præparatione ad Missam; & pollutione nocturnâ.

De pollutione diurnâ.

Dialogus de cœlibatu & castitate Ecclesiasticorum, anno 1423. scriptus.

Carmen de pulchritudine corporis, quæ multis fuit occasio ruinæ.

Contra impugnantes Ordinem Carthusiensium, quòd pauca inter eos reperiuntur miracula, Tractatus Gersoni suppositus, qui Bonifacium Ferrerium Carthusianum, S. Vincentii Ferrerii Ordinis Prædicatorum fratrem, autorem habet.

De indispensabili carnis abstinentiâ Carthusianorum.

An liceat gravatum debitis admittere ad vovendam Religionem.

De temperantiâ in cibis, potu, & vestibus Prælatorum. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

Carmen contra superbiam, & aliud de voluntariâ paupertate.

Sermo de vitâ Clericorum, ad Clerum habitus.

Sermones IV. *in Cœnâ Domini.*

Sermo de Christi Resurrectione in die Paschæ.

Sermo de officio Pastorum, in Concilio Remensi anno 1408. habitus.

Tractatus de visitatione Prælatorum, & curâ Curatorum.

Sermones XIV. quorum ille de Conceptione Virginis dubius est.

Carmen ut crescant Lilia Galliæ.

De onere & difficultate officii Cancellariatûs, & cur eo se abdicare voluerit.

Recommendatio Licentiandorum in Decretis.

Tractatus de Nobilitate.

De considerationibus, quas debet habere Princeps.

Dialogus inter Francum & Anglum; de bello Galliæ ab Anglis injustè illato.

Opusculum de Puellâ Aurelianensi, Gersoni ascriptum.

De consolatione Theologiæ libri IV. metro & prosâ.

Dialogus Apologeticus pro condemnatione Propositionum M. Joannis Parvi.

Varia Poëmata.

Josephina, seu Vita B. Josephi, conjugis B. Mariæ, carmine decantata.

Pöemata aliquot de Divâ Virgine.

Sermo de Nativitate Virginis Mariæ.

Prosa in Circumcisione Domini.

Centilogium de Conceptibus.

Liber de Vitâ spirituali animæ ad Episcopum Cameracensem.

Centilogium de impulsibus.

Considerationes de Mysticâ Theologiâ, Lugduni anno 1470.

Carmen de purificatione sensuum inferiorum.

Opusculum Epistolare de Religionis perfectione, anno 1422. scriptum.

De Consiliis Evangelicis, & statu perfectionis.

Dialogus de perfectione cordis, anno 1423. scriptus.

De Meditatione cordis. Augustæ Vindel. 1488. 4°.

De simplificatione & mundificatione cordis.

De directione seu rectitudine cordis.

De illuminatione cordis, seu de una pretiosa Margarita.

De oculo, ejus objecto & actione.

De remediis contra pusillanimitatem & scrupulositatè, Tractatus ab ipso Gallicè conscriptus, ab alio Latinè versus.

De diversis Diaboli tentationibus Tractatus, Gallicè pariter scriptus.

Tractatus contra Professum inobedientem, anno 1426. scriptus.

Tractatus de zelo & fervore Novitiatûs.

Documentum notabile de Sacramento Altaris, Augustæ Vindel. 1488. 4°.

Instructio pro devotis simplicibus, Gallicè primùm à Gersone composita.

Epistolæ VIII. *ad diversos varii argumenti.*

Tractatus de Passionibus Animæ, anno 1409. scriptus.

Carmen, Vitam esse somnium, ad Petrum de Alliaco Cameracensem.

Tractatus de monte contemplationis, Gallicè primùm conscriptus.

Epistolæ III. *quibus se aliquamdiu ægrotasse significat.*

De mendicitate spirituali partes II.

Epistola ad sorores suas, docens de quibus per singulos dies cogitare debent.

Appellatio Peccatoris à divina justitia ad divinam misericordiam.

Tractatus

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC.

Tractatus de Oratione, & valore ejus.

Expositio Orationis Dominicæ.

Tractatus de triplici Cantico, sensuali, morali, & rationali.

Varia Poëmatia.

Collectorium, seu Tractatus XII. *super Magnificat.*

Anagogicum, de verbo & hymno, Gloria in excelsis Deo, Patri, & Filio, & Sp. S.

Epithalamium mysticum Theologi & Theologiæ versibus decantatum.

Tractatus super Cantica Canticorum, triduo ante mortem absolutus.

De elevatione mentis ad Deum, seu Alphabetum divini amoris, Gersoni ascriptum.

Expositio & meditatio super septem Psalmos Pœnitentiales.

Donatus moralizatus.

Sermones X. varii argumenti.

Consilium, ut posthabitis recentioribus Auctoribus antiqui legantur.

Epistolæ ii. *Consolatoriæ ad Petrum Episcopum Cameracensem.*

Indiculus aliquorum Doctorum, qui de Contemplatione locuti sunt.

De officio Prælatorum, durante præsertim subtractione.

Propositiones utiles pro exterminatione schismatis.

Arbor de origine Juris & Legum.

Epistola ad Canonicum Remensem de distinctione visionum.

Explicatio quorundam terminorum ad S. Scripturam & Theologiam intelligendam necessariorum.

Tractatus de passionibus animæ.

De distinctione peccatorum, ex Alberto.

Additamentum ad Tractatum de Schismate.

Epistola de S. Dionysio ad Abbatem S. Dionysii, anno 1408. scripta.

Acta super diuturnitate Schismatis, & de Schismate tollendo.

Lectiones ii. *in illud S. Marci, Pœnitemini & credite Evangelio.*

An liceat Christiano initia rerum observare ex cœlestium siderum respectu.

Epistolæ ii. *de Festo B. Josephi celebrando.*

Officium sacrum in Festo B. Josephi dicendum.

Supplementum Sermonis de Purificatione B. Mariæ in Concilio Constantiensi.

Tractatus de illuminatione cordis.

Propositiones iii. *super esu carnium Religiosorum S. Benedicti, anno* 1428. scriptæ.

Opusculum contra eos, qui dicunt, Quo die quis Missam audivit, non subitanea morte periturum.

Instructiones ad Præceptorem Delphini, anno 1429. datæ.

Sermo de reddendo debito, in Synodo Lugdunensi anno 1422. habitus.

Opusculum contra quendam docentem, Puerulos etiam non baptizatos ante rationis usum innocentes esse.

De signis bonis & malis peccatorum.

Contra eos, qui beatitudinibus, & actibus Hierarchicis privatorum devotorum orationes præferunt, Tractatus anno 1428. scriptus.

Sermo de Sp. S. in feria 2ª. Pentecostes anno 1403. habitus.

Schedula de regimine cujusdam Reclusi in monte Valeriani.

Protestatio facta in Comitiis Facultatis Theologicæ contra Schismata.

Epistola Brugis anno 1400. *scripta, qua deflet statum Ecclesiæ tempore Schismatis.*

Propositiones aliquot pro reformatione disciplinæ Facultatis Theologicæ.

Epistola ad Provincialem Ordinis Cœlestinorum, explicans quid, & quot modis crux Christi feratur.

Append.

Centilogium de causa finali. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

Propositiones L. *de modis significandi.*

Propositiones L. *de concordia Metaphysicæ cum Logica*, anno 1426. scriptæ.

Sermones XLVI. à Joanne Brisgoico Theologo ex ore Gersonis Gallicè concionantis excepti, & in Latinum sermonem versi.

Tractatus de Consolatione in mortem amicorum.

Tractatus de Consolatione in mortem parentum.

Solennis Oratio coram Carolo VI. *Rege habita, de vita Principis naturali, spirituali, & politica.*

Considerationes X. *contra Adulatores Principum.*

Propositiones pro Pace coram Rege anno 1408. factæ.

Sermo ad Regem pro justitia.

Expositio Passionis Domini, è Gallico in Latinum versa.

Tractatus contra Romantium de Rosâ.

Conclusiones V. contra ludum stultorum.

Exhortatio de celebrando Festo B. Josephi ad Ducem Bituriæ anno 1413. facta.

Meditationes devotæ in Ascensionem Domini.

Ratio qua quis potest spiritualiter peregrinari Romam in anno Jubilai.

Remedia refrænandæ linguæ.

Quomodo puer Jesus concipi, nasci, & educari possit in unoquoque nostrûm.

Speculum bonæ vitæ.

Sermo coram Rege in commendationem Hospitalis Parisiensis.

Considerationes VI. *contra peccatum blasphemiæ.*

Querelæ defunctorum in igne purgatorio detentorum.

Moralis admonitio pro Sanctimonialibus.

Perfectiones XV. *necessariæ volenti Deo servire.*

Dialogus sex Magistrorum de Tribulatione.

Opusculum contra nimis strictam & scrupulosam conscientiam.

Considerationes XII. *ut homo exaudiatur à Deo.*

Tractatus contra fœdam tentationem, aut spiritum blasphemiæ.

Colloquium quoque sensuum & conscientiæ.

Prodierunt Gersonis Opera curâ Joannis Geilleri *Argentinæ* 1488. 3. Tom. 1499. 4. Tom. *Colon.* 1483. vol. IV. f. *Basil.* 1518. 4. Tom. *Paris.* 1521. auctiora *Paris.* 1606. 4. Tom. quam quidem editionem nos in Indiculo nostro ordine repræsentavimus.

Cæterùm non desunt, qui *libros* IV. *de Imitatione Christi* Gersoni nostro adjudicent: sed de iis nos plura inferiùs.

HERMANNUS de Petrâ, gente Belga, domo Sturdorpæus, vel ut alii Sandorpius, Ord. Carthusiani Monachus, & Sanctarum sui Ordinis Virginum Domûs S. Annæ, propè Brugas, per triginta annos Rector, claruit anno MCCCCV. obiit anno MCCCCXII. vel ut nonnulli MCCCCXXVIII. Scripsit *Sermones quinquaginta in Orationem Dominicam*, stylo usus scholastico, inquit Sixtus Senensis; in lucem prodierunt *Aldenardæ* 1480. *Lovanii* 1484. *fol.* Alia ejus Opera Theologica, *de regimine Monialium, de immaculatâ Conceptione B. Virginis; Sermones de Tempore, & de Sanctis*, enumerant Simlerus †. & Fr. Sweertius *, ast ubinam loci reperiantur non indicant. 1405. R. G.

† Bibl. p. 339.
* Athen. Belg. p. 343.

GREGORIUS XII. *Angelus Corarius* antea appellatus, Patriarcha CP. titulo tenus, & ab Innocentio VII. Presbyter Cardinalis titulo S. Marci renunciatus. Pontifex Romanus electus est Romæ anno 1406. die XXX. Novembr. coronatus die V. Decembr. anno ætatis suæ 80. eâ tamen lege, ut Pontificatum adeptus Benedictum Antipapam ad sese invicem Papatu abdicandos literis invitaret. Fecit id quidem ille; nec conditionem recusavit Benedictus, 1406. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. Nil tamen utrinque actum. Aliud in fronte; aliud in corde gerunt boni Pontifices; atque alter alteri suaviter colludunt. Indicto igitur anno 1409. à Cardinalibus Concilio Pisano uterque deponitur, & electus Alexander V. sedi Romanæ præficitur. Gregorius ad Concilium vocatus, respondet, non Cardinalium, sed ipsius esse Concilium convocare; atque adeò judicium ipsorum ridet & declinat. Idem facit & Benedictus. Alexandro electo, ille Ariminum, iste in Cataloniam fugit. Uterque novos Cardinales creat, & pro vero Pontifice haberi contendit. Gregorius insuper collecto Forojuliensi Concilio Patres Pisanos, Alexandrum, Benedictum, eorumque sequaces anathemate percussit. Anno demum 1415. cùm apud omnes jamdudum vilesceret, in Concilio Constantiensi per Procuratorem suum Carolum Malatestam die IV. Junii Papatu semet abdicavit: Cardinalis Tusculanus & perpetuus Piceni Legatus deinceps factus. Obiit Recineti anno 1417. die IV. Julii, in Cathedrali Ecclesiâ sepultus. Extat *Epistola ad Petrum de Luna Antipapam* Concil. Tom. XI. p. 2084. *Responsio ad appellationem Cardinalium, qui ab illo desciverant*, ibid. p. 2261. *Epistola alia* V. ibid. p. 2273, 2286. *alia Epistola sive Bulla* iii. Concil. Tom. XII. p. 105. *alia Epistola & Responsiones* V. apud Bzovium ad ann. 1406, 1408, 1409. *alia* plures apud Waddingum Annal. Minor. Tom. V. & Theodoricum à Niem. l. 2. 3. & 4.

1406. H. W. JOANNES LATTEBURIUS (Latherium minùs rectè vocat Baleus*) natione Anglus Ordinis Franciscani in Conventu Redingensi Monachus, in Academiâ Oxoniensi sacris literis innutritus, eximium inter istius ævi Theologos locum tulit. Claruit anno 1406. quo Commentarium in Threnos ad umbilicum perduxit. Scripsit enim *Librum Moralium super Threnos Jeremiæ*, operosum & prolixum valde, Capitibus CXV. Prodiit iste typis excusus anno 1482. f. Alia ejusdem scripta recenset Baleus, viz. *Distinctiones Theologiæ*, & *Alphabetum Morale*, MSS. in Collegio S. Petri Cantab. *Commentarios in Jeremiam*, *in Acta Apostolorum*, *& in Psalmos*, *Lectiones Scripturarum*, & *Conciones varias*; quæ quidem interiisse videntur, certè nondum in lucem prodierunt.

* Cent. 7. c. 34.

1408. H. W. RICHARDUS ULLERSTON, natione Anglus, in Ducatu Lancastrensi natus, uti ipsemet in Præfatione ad Tractatum de Officio militari prodit, Sacræ Theologiæ apud Oxonienses Professor, Richardum Cortenay, Henrici Walliæ Principis Clericum & consanguineum, præceptorem habuit. Roberto Halamo, Episcopo Sarisburiensi & Ecclesiæ Romanæ Cardinali, summâ familiaritate junctus. Claruit anno 1408. quo ab Halamo provocatus Tractatum de Reformatione Ecclesiæ Oxonii edidit. Diuturni enim Schismatis tædium, & increbrescens Concilii Generalis quàm citissimè habendi fama complures excitarat Præsules, gravissimarum, quæ in Ecclesiâ jamdiu obtinuerant corruptelarum conscios, & Reformationis tandem aliquando instituendæ cupientissimos; ut abusus vitiaque, quæ maximè reformari meruerunt, scriptis mandarent Concilio mox proponenda. In his eluxit Robertus Cardinalis, qui Conciliis Pisano, & Constantiensi interfuit, & opus reformationis tantoperè exoptatum promovere certus, Richardo nostro id operæ dedit, ut elucubrato ea de re commentario abusus maximè tollendos notaret. Summâ fide ac prudentia provinciam sibi demandatam Richardus obiit; utpote haud vulgariter literatus; & ingenti disciplinæ Ecclesiasticæ denuo instaurandæ desiderio tactus. In concinnando isthoc opere Roberti Lincolniensis ductum præ aliis secutus est; quem studiorum ac Theologiæ magistrum sibi adhibuisse videtur: certè in scriptis ejus versatissimus fuit illumque tantoperè admiratus est, ut *pro tempore suo lucem & lucernam hujus mundi fuisse* prædicarit. Exstat iste Commentarius titulo *Petitionum quoad Reformationem Ecclesiæ Militantis*, MS. Cantabrigiæ in Bibliothecâ SS. Trinitatis in fol. dignissimus qui lucem aliquando videat, præsertim cùm inter tot istius ævi de corrupto Ecclesiæ statu Tractatus, nullus adhuc in lucem prodierit ab Anglo conscriptus Authore, nisi quem Adversarii hæreticum fuisse clament. Nos itaque Prologum, quo totius Operis ratio luculenta redditur, & excerpta quædam, ex Codice MS prædicto descripta, in Lectoris gratiam hîc loci subjiciemus.

SÆC. XV. ab An. MCCCC.

Petit. quoad Reform. Ecclesf. Art. 6.

Incipit Præfatio in Tractatum, qui intitulatur, Petitiones Ricardi quoad reformationem Ecclesiæ militantis.

REverendo in Christo Patri ac Domino suo Roberto Sarum Episcopo suus supplex Orator & servus, & ad familiaritatem acceptus, Ricardus Ullerston, sacræ Paginæ Professor minimus, reverentias & honores debitos tanto patri. Venerandissime Pater, quùm à tempore jam transacto perpendens zelum vestrum non remissum, sed prægrandem ad Ecclesiæ unitatem, sciens iterum quòd ex voto vestrò erat, quòd exilitas mea inter cæteros ad unitatem ecclesiæ contendentes aliquid operis impertiret; quatinus cum viduâ pauperculâ minutum offerens laudem reportem pro voto, de quanto locupletiores in Scripturis per me oblatis sint ad proficiendum in istâ materiâ animati. Hinc est quòd in hâc materiâ quædam scribere destinavi; quibus effectualiter executis crederem certè per Dei gratiam, quòd ecclesia jam vacillans esset ad stabilem unitatem reformata. Nam & sub ista figura videtur mihi procedendum, videlicet quòd concionatoris more in persona Ecclesiæ Anglicanæ, seu potiùs universalis Ecclesiæ, proponam, quæ mihi videntur proponenda, tanquam in medium me provincialiter exponemus coram Concilio Generali. Quapropter & XVI. articulos mihi proposui tangendos per modum petitionum generali Synodo dirigendos; rationes, quare debeant adimpleri, subnectens, canonica auctoritate, ut æstimo, roboratas; quatinus non habito respectu ad petentem, sed ad Ecclesiæ, cujus formam induo, rationem, rationi pareant; quæ ejus veritati innititur, qui non potest fallere neque falli; executionique demandare satagant, quæ tam vivax ratio postulavit, juxta votum scribentis, immo potiùs juxta nutum ipsius ad scribendum impellentis: quatinus per hoc ecclesia jam militans ad solidam unitatem reformetur. Verùm quia non pro certo constat, quid vel Ecclesia Universalis, vel Anglicana quoad per me petenda diffiniet; hinc est, quòd si visum fuerit dominationi vestræ, censui præsens opusculum taliter nominare: *Petitiones Ricardi quoad reformationem Ecclesiæ militantis*. In quibus quidem petitionibus sic procedam; scilicet quòd primus Articulus erit de Summi Pontificis ordinatâ electione: Secundus erit de Symoniæ declinatione: Tertius verò erit de legis Christi exaltatione. Sed quartus est contra anomalam Ecclesiarum appropriationem. Et quintus propter idoneorum perfectionem. Sextus contra exemptiones. Septimus contra dispensationes. Octavus contra Beneficiorum pluralitates. Nonus contra appellationes. Decimus contra privilegiorum abusiones. Undecimus contra apostasiam Clericorum sese secularibus negociis immiscentium. Duodecimus contra prærogativam Cantorum & Officialium in curiis Dominorum residentium. Tertius decimus contra extorsiones universaliter. Quartus decimus erit contra superfluum & nimis sumptuosum & inordinatum apparatum in Clericis & eorum familia. Quintus decimus erit pro cultu divino fructuosiùs ampliando. Et sextus decimus

Legendum forsan. & tanquam; & *delenda vox* me.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. decimus erit pro pace inter Regna Christiana summo opere procuranda.

Sub calcem Articuli secundi hæc habet. Ista quidem tantò dixerim pro eo, quòd nulla gens sub cœlo fidelis est adeò notata de execranda & insatiabili avaritia; quemadmodum est Romana Curia. Adeò quòd ubique terrarum in vulgatum proverbium vertitur; videlicet, quòd Curia Romana non quærit ovem sine lana.

Artic. 3. Tertiùm petimus, quòd Christi Vicarius hìc in terris nullam aliam legem tantùm reputet, tantùm exaltet, tantùm promoveat quemadmodum legem Christi. Probatur hujus petitionis rationabilitas per hoc, quòd aliter ipse non esset verus Christi Vicarius, nec etiam Christus optimus Legislator: quod profectò audire abhorrent omnium Christianorum aures. Christus enim non perfecit penitus; ut autoritas Evangelii sui esse desineret, aut quòd legem majoris auctoritatis statueret, aut quòd ejus Evangelium in minorem honorem esset per aliqua facta Successorum; cùm ab initio promulgatum eis fuerat. Ex quo sequitur, quod Domini præcepto quisque ad hunc finem laboraret; quòd magis timerent Christiani ejusce transgressionem, quàm cujuslibet alterius ordinationis seu statuti. Cujus oppositum tam diu experti sunt Christiani; quòd modò si contingat de legibus loqui, statim de legibus humanis intelligimus, & nequaquam de Evangelio; quod certè modò in Ecclesia non plùs reputatur, quàm versus Catonis, aut Senecæ proverbia; nisi fortè hoc solum dictum Petro & suis Successoribus, Quodcunque ligaveris supra terram, &c. Quod utinam quòd verbo allegantes, non tamen ex toto intelligentes, non allegarent in contumeliam legis Christi. Adeò quòd processum est & deventum est modò ad veritatem vaticinii Ysaiæ: Populus iste ore suo & labiis suis glorificat me; cor autem ejus longè est à me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis.

Artic. 13. Nec valet hìc consuetudinem contra bonos mores allegare, præsertim cùm malum, quò diutinius, eò pejus.--- Aliter enim tota congeries peccatorum posset faciliter excusari, dicendo, quòd sic consuevit fieri, & sic fecerunt boni viri, & rursum quòd talia memoriam hominum transierunt, non interim impetita; & iterum quòd nonnulli, qui videbantur aliqui esse in Ecclesia, talia tam scriptis quàm factis approbarunt: & absit, quòd omnes talia facientes essent in perditionis periculo. Verùm multiplicare inconvenientia non est solvere. Et ut volunt Philosophi cum Scriptura; nullum violentum æternum. Non superest aliud pro salute, nisi quòd emendemus in melius, quæ vel scienter vel ignoranter peccavimus in præmissis.

Habetur in eodem Codice MS. ejusdem Autoris *Tractatus de Officio militari*, præceptoris sui Richardi Cortenay precibus conscriptus, & Henrico Walliæ Principi, postea invictissimo Angliæ Regi, nuncupatus. Alia adhuc Ullerstoni scripta enumerat Baleus *, viz. *Defensorium dotationis Ecclesiæ* à Constantino factæ: *Commentarios in Psalterium*; *Super Cantica Ecclesiæ*; *Lectiones Ordinarias*; & insigne Opus *de Symbolo Ecclesiæ* anno 1409. elucubratum; quod Joannes Stanberius Episcopus Herefordensis anno 1463. in lucem revocatum Commentariis illustrasse dicitur.

* Cent. 7. c. 25.

1408. H. W. THEODORICUS DE NIEM, seu *Niemus*, natione Germanus, Pontificum Romanorum scriba ab anno usque 1372. saltem à Gregorii XI. obitu, Ecclesiæ Lucensis Clericus; sique Gaspari Bruschio & Gabrieli Bucelino * fides, ab anno 1390. Verdensis Episcopus, eâque sede post pauculos annos resignatâ Cameracensis Episcopus à Bonifacio IX. constitutus. Claruit anno 1408. Scripsit *Historiam de schismate sui temporis gravissimo inter Papas & Antipapas libris* iii. à Gregorio XI. morte ad Alexandri V. electionem, seu ab anno Christi 1378. ad 1410. admixtâ etiam passim luculentâ satis rerum civilium historiâ. Prodiit *Norimbergæ* 1532. *Basil* 1560. Libris hisce tribus quartum addidit Theodoricus, in Tractatus VI. divisum, cui *Nemus Unionis* nomen dedit. In eo agit de modis tollendi Schismatis à Regibus Christianis usurpatis, de technis à Gregorio XII. & Benedicto XIII. ut omnia pacis consilia profligarent, adhibitis, deque utriusque depositione in Concilio Pisano: quin monumenta, Epistolas atque Bullas Pontificum, Cardinalium, & aliorum rem præ manibus spectantia passim profert, & Historiæ suæ admiscet. Prodierunt integri IV. libri *Basil.* 1566.f. *Norimbergæ* 1592. *Argentorati* 1608.8°.& cum Francisci Zabarellæ & Joannis Marii Belgæ commentariis de eodem Schismate, *ibid.* 1629. 8°. Extat ejusdem *Historia de Vitâ Joannis* XXIII. *Papæ*, sub Joannis Niemii nomine ab Henrico Meibomio edita *Francofurti* 1620. 4°. *Privilegia & jura Imperii circa Investituras Episcopatuum & Abbatiarum*, *restituta à Papis*, *Imperatoribus Romanis*, inter alia quædam typis impressa *Basil.* 1557. *Argentorati* 1609.1618. *Exhortatio ad Rupertum Regem Romanorum*, ut à diuturno somno excitatus, Pontificum schisma ex Ecclesiâ extirpet, & Imperii jura reformet; apud Goldastum Monarch. Tom. II. p. 1381.

* Germ. Sac.

THOMAS NETTERUS, WALDENSIS, à natali loco appellatus, natione Anglus, ex vico Walden in agro Essexiensi oriundus; Joannis Netteri & Mathildis filius, Oxonii bonis literis institutus, & Magisterii pileo donatus; Londini Carmelitanam religionem ingressus est; claruit anno 1409. quo ab Henrico IV. Angliæ Rege ad Concilium Pisanum legatus est; ubi pro schismate tollendo strenuè disseruit: & adversùs Gregorii & Benedicti Antipaparum partes fortiter disputavit. Domum reversus, Ordinis sui Prior Provincialis numero vicesimus tertius anno 1414. creatus est; & contra VViclevistas summo animi fervore decertavit: tanto sanè partium studio abreptus, ut Henricum V. Regem socordiæ in puniendis Hæreticis acriter pro concione increpare non vereretur. Hinc tanquam unicus fidei pugil spectatus, Henrico Regi à sacris Confessionibus adhibitus est; & ad Concilium Constantiense anno 1415. missus, ut adversùs Hussitas declamaret. Anno 1419. ad Uladislaum Poloniæ Regem, & Michaelem Teutonici Ordinis Magistrum pacis componendæ gratiâ legatus est. Inter legationem istam obeundam, VVitoldum Lithuaniæ Ducem, ferocissimum totius Orbis tyrannum, ad fidem Christianam convertit. Dein Henricum V. victricia per Galliam arma circumferentem secutus, anno 1422. ultimos invictissimi Principis spiritus vitales in sinum ipsius efflatos excepit. Henrico VI. Regi à confessionibus pariter & secretis adscitus, atque illum in Galliam, ut coronam regni Lutetiæ indueret, profectum anno 1430. comitatus, Rothomagi in Normannia obiit die 3. Novembris, in conventu Carmelitarum suorum honorificè sepultus. Innumera ferè scripsit, è quibus unicum typis excusum habetur *Doctrinale Antiquitatum fidei Ecclesiæ Catholicæ*, adversùs VViclevitas & Hussitas, Opus ingens ac prolixum, in tres Tomos distributum, ac Martino Pontifici nuncupatum. Primo Tomo de Deo, Christo, Petro, Ecclesia, & Religiosis; secundo de Sacramentis; tertio de Sacramentalibus agit. Prodiit apud Badium Ascensium *Paris.* 1532.f. dein *Salmanticæ* 1556.f. ac brevibus Joan. Bapt.

1409. H. W.

SÆC. XV. ab An. MCCCC. Bapt. Rubei Elucidationibus illustratum *Venet.* 1571. f. & alibi Reliqua Waldensis Opera recenset Baleus Cent. VII. cap. 84. *Fasciculus Zizaniorum* ejus MS. penès Baleum extitit; qui Fragmenta quædam illius in Opere de Scriptoribus Anglicis repræsentat. Aliud ejusdem exemplar MS. penès Cl. Usserium fuit, uti ipsemet in Historiæ Dogmaticæ Controversiarum Specimine MS. fidem facit.

1409. R. G. ALEXANDER Papa V. *Petrus Philareti* antea dictus, natione Græcus, patriâ Cretensis, ex Ordine Fr. Minorum, claruit an. MCCCCIX. Ut bonarum literarum, quarum fundamenta in Italiâ posuerat, apicem pertingeret, Academias Oxoniensem & Parisiensem profectus est; unde Doctoratu insignitus in Italiam rediit, & Joanni Duci Mediolanensi à Consiliis primò, deinde ejus operâ Episcopus Vicentinus renunciatur: ad sedem Novariensem posteà translatus, inde in Archiepiscopum Mediolanensem evectus: ab Innocentio Papa VII. pileo rubro anno MCCCCIV. adornatus, cujus nomine uti & Gregorii P. XII. successoris ejus varias legationes obiit; ac demum à Cardinalibus utriusque obedientiæ in Concilio Pisano congregatis summus Pontifex electus anno MCCCCIX. ibique inauguratus; verùm Dignitate istâ diu frui non licuit, undecimo enim post adeptum Pontificatum mense debitum naturæ persolvit, Bononiæ V. non. *Maii* MCCCCX. Vir stupendæ in egenos munificentiæ, adeò ut *Episcopum se divitem*, *Cardinalem pauperem*, *Papam mendicum* affirmare perhibeatur. *Epistola* ejus ad Hugonem Eterianum extat in *Bibl. PP.* anno 1589. Parisiis edita; in posterioribus editionibus prætermissa. Scripsit præterea *in libros Sententiarum Commentarios.* Habentur MSS. in *Bibl. Regis Gallorum*, Cod 685. *Quodlibeta* & *Sermones* varii.

1410. H. W. SIMEON, natione Græcus, ex Monacho Archiepiscopus Thessalonicensis, claruit anno 1410. Callisti Patriarchæ Constantinop. qui circa annò 1406. thronum tenuit, æqualis. Crasso tamen satis errore Possevinus & Miræus eum ante annos sexcentos floruisse asserunt. Acerrimus Græcæ Ecclesiæ adversus Latinos, reipublicæ adversùs Turcos vindex & assertor, illos scriptis oppugnavit; horum impetus summâ animi præsentiâ sustentavit. Obsessâ enim an. 1428. ab Amurathe tyranno Thessalonicâ, nullis nec præmiis nec minis induci poterat, ut Græcos ejectis Latinis in Turcorum deditionem concedere permitteret. Obiit anno 1429. mense Septembri, sex mensibus ante Thessalonicam ab Amurato iterum expugnatam. Laudes ejus ubertim prosequitur Eugenius Nomophilax in Synodico Dominica Orthodoxiæ in Ecclesia Thessalonicensi recitari solita; ὡς τοῦ τῆς ἐκτὸς τε καὶ τῆς πνευματικῆς σοφίας πλήρους ὑπερφυῶς γενομένου, κἀν ἐν τῇ ἀσκητικῇ εἴτ' οὖν ἀγγελικῇ ἀγωγῇ τε καὶ πολιτείᾳ διαπρέψαντος, ταυτὸ εἰς ἄκρον κατορθωκότος, &c. *qui externæ & spiritualis sapientiæ super humanum captum repletus, in Ascetico, sive potiùs Angelico instituto, & vitæ ratione excelluit, eamque cum summa virtute & laude perfectissimè egit*, &c. Extat *Commentarius de divino Templo*, *de ejus Ministris*, *de sacris eorum Vestibus*; *de Sacrosanctâ Mystagogiâ sive Missâ*, *ad pios quosdam Cretenses*, à Jacobo Pontano Latinè versus atque evulgatus *Ingolstad.* 1603. 4°. inde in Bibliothecam Patrum translatus Tom. XXII. Verùm Pontanus fraude apud Pontificios non infrequenti usus, plurima Commentarii loca resciderat, plura mutilarat; adeòque nil mirum, si Græca suppresserit. Græcum igitur textum adjunctâ versione Latina fideliori in Rituali suo Græcorum *Paris.* 1647. f. pag. 212. dedit vir candidioris animi Jacobus Goar, qui *nimium*, uti vocat, Pontani *zelum* castigat, & Simeonem nostrum modò Ecclesiæ Romanæ conjunctus fuisset, antiquis Patribus annumerandum esse non diffitetur. Scripsit adhuc Symeon *Ecclesiasticum Dialogum adversus omnes Hæreses*, de solâ D. N. Jesu Christi fide, sacris Sacrificiis, & mysteriis omnibus Ecclesiæ, ex S. Scripturis & Patribus collectum; qui Græcè MS. habetur in Bibliothecis Vaticana & Cæsarea; *pius & doctus*, judice Allatio *, *dignusque qui aliquando lucem videat*, *sed manuductus à Catholico.* En hominis cautelam. Utinam dent tamen, modò Catholico isti non adsit Pontani zelus. Insignem ex isto Opere Dissertationem seu *Dialogum de Pœnitentia* excerpsit, & Gr. Lat. edidit Joan. Morinus Append. ad lib. de Pœnitent. pag. 125. Quamplurima ejusdem Fragmenta habet Turrianus in annotat. in Constitut. Apostolicas: Petrus Arcudius Lib. de Concordia Eccles. Orient. & Occident. Allatius de Synodo Photiana pagin. 164. advers. Hottinger. pag. 18, 110, 135, 278. lib. de consensu lib. 2. c. 3. §. 4. Extant præterea ejusdem *Responsiones* LXXXV. *ad Interrogata Gabrielis Metropolitæ Pentapolitani*, MSS. in Bibliotheca Vaticana. Insigne earum Fragmentum Gr. Lat. exhibet idem Allatius Lib. advers. Hottinger. pag. 78. *Liber de Sacerdotio ad Monachum quendam. Expositio compendiosa Symboli Orthodoxæ & inculpatæ nostræ fidei Christianorum. Expositio necessaria sententiarum S. Symboli, unde collectæ sunt & adversus quos dictata. Capita* XII. *quæ solùm Christianorum fidem seu articulos omnes Fidei continent, & quod Symbolum Apostolicum eos contineat, deque Virtutibus comprehensivis. Libellus de iis circa quæ Latini innovant.* MSS. in Bibliotheca Vaticana. Prolixum Simeonis Opus MS. Græcè penès doctissimum Virum H. Covellum S.T.P. Ecclesiæ Eboracensis Cancellarium asservari audio. Istius Operis pars satis exigua est, qui primo memoratus est loco, Commentarius. Quænam alia è supra recensitis Opuscula in eodem locum obtineant, nondum accepi.

* Diatrib. de Simeon. script. p. 193.

SIMEON Archiepiscopus Thessalonicensis, 1418. R. G.
Vitæ Monasticæ cultor & laudator, in antiquorum Patrum scriptis non mediocriter versatus, & rituum Ecclesiasticorum eximiè peritus, claruit anno MCCCCXVIII. humanis excessit paulò ante captam Metropolim suam anno MCCCCXXX. Lucubrationes ejus variæ supersunt. *Dialogus Ecclesiasticus adversus omnes hæreses, & de solâ Domini & Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi fide, sacris item sacrificiis, & mysteriis omnibus Ecclesiæ, nihil proprium habens, verum ex SS. Scripturis & Patribus collectus & prout vires ferebant compositus, & singulis quovis tempore interrogantibus Responsionem subministrans*, Pr. Ἐν Χριστῷ τῷ μονογενεῖ Υἱῷ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρί. Extat Græcè MS. in *Biblioth. Vindob.* Cod. Theol. CCXVIII. in capite pauca desunt, habetur integer in *Vaticanâ Commentarius Synopticus divini & sacri Symboli Orthodoxæ & inculpabilis nostræ Christianæ fidei.* Pr. Περὶ τοῦ ἱερωτάτου Συμβόλου τῆς ἀληθοῦς καὶ μόνης τῶν Χριστιανῶν πίστεως. MS. *ibid.* nu. VI. & in *Bodleian.* Cod. 294. *Expositio perquàm necessaria verborum Sacri Symboli fide Christianæ, unde collecta & adversùs quos coagmentata sint.* Pr. Καλὸν ἐκθέσθαι καὶ ὅθεν τὸ ἱερώτατον παρὰ τῶν θείων Πατέρων συνελέγη Σύμβολον. MS. *ibid.* num. IV. & in *Bodleian.* ubi suprà. *Explicatio XII. Capitum sive Articulorum solam veram Christianorum fidem quantum fieri potest continentium, & divino Symbolo comprehensorum, & de Virtutibus complexivis.* Pr. Ἡ ἀληθὴς καὶ μόνη τῶν Χριστιανῶν ἡμῶν πίστις ὑπὲρ νοῦν οὖσα καὶ λόγον. MS. *ibid.* num. V. *Responsiones ad Quæstiones quasdam Episcopi* (Gabrielis Pentapolitani) *interrogantis eum.* Pr. Προοίμιον. Ἔδει μὲν τὰς τοιαύτας τῶν ἐρωτήσεων ὑψηλοτέρας οὔσας καὶ ὑπὲρ ἡμᾶς MS. *ibid.* num. II. & in *Bodleian.* Codd. 85, 91, 294. *De Sacerdotio ad pium quendam Monachum*, *Sacrâ Diaco-*

nia

niâ insignitum, cùm ipse Archiepiscopus adhuc existeret in Ordine tantùm Presbyterorum. Pr. Ἐν Χριστῷ μοι ἀγαπητὲ καὶ γνησιώτατε ἀδελφὲ, τὴν ὀφειλὴν τῆς ἀγάπης πᾶσι κατὰ τὴν ἐντολήν. MS. *ibid.* num. III. Opera hactenus memorata unà cum Tractatu *ad pios Cretenses de templo*, &c. à doctiss. Goaro edita, simul prodierunt Græcè impressa *Jassii* in Moldavia 1683. *fol.* *De septem Ecclesiæ Sacramentis Dialogus inter Clericum interrogantem, & Archiepiscopum respondentem.* Pr. Κεφάλαιον α΄ Κληρικός. Παρακαλοῦμεν, ἐπειδὴ τὴν ἀληθῆ τῆς πίστεως γνῶσιν ἐδεξάμεθα. Habetur MS. in *Biblioth. Vindob.* Cod. Theol. CVI. qui constat foliis 158. in folio. *Precationes Sacræ*, Prima, *contra hostium Gentilium incursionem.* Pr. Πάτερ, Υἱὲ καὶ Πνεῦμα ἅγιον. Secunda, *in Encœniis Templi B. Deiparæ non manu facti.* Pr. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ Κύριος μετὰ σοῦ. Tertia *ad Virginem in solenni supplicatione.* Pr. Ἁγιωτέρα τῶν Ἀγγέλων, ἐνδοξοτέρα. Quarta. *ad B. Virginem cujuslibet necessitatis causâ* Pr. Κεχαριτωμένη, ὑπὲρ πᾶσαν τετιμημένη. Quinta *tempore terræ motus, siccitatis,* &c. Pr. Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ Παντοκράτορ ὁ Θεός. Sexta *ad Spiritum S. in Festo Pentecostes.* Pr. Ἀγαθὲ καὶ ἀγαθότητος πηγὴ, ἅγιε καὶ ἁγιασμοῦ. Extant Græcè MSS. *ibid.* Cod. Theol. CCXVIII. num. VII. *Accurata dijudicatio legitimarum & illegitimarum Nuptiarum*; excerpta ex *libro Juridico* Chartophylacis Theod. Balsamonis. Pr. Τρεῖς εἰσιν ὅροι τῶν κεκωλυμένων γάμων. MS. *ibid.* nu. VIII. *Monita de Vitâ Asceticâ*, horum *Excerpta* inter id genus alia Græcè MSS. *ibid.* Cod. Theol. CCLXXXVIII. num. ii. *Epistola adhortatoria ad viam salutis, missa omnibus ubique per Provinciam suam Ecclesiis.* Extat Græcè MS. in *Biblioth. Bodleian.* Cod. 294. In eodem Codice, præter varios ex istis quos suprà recensuimus tractatus, reperiuntur *Formulæ literarum dimissoriarum* ἐνταλτηρίων & συγχωρητικῶν. Huic tandem asserit L. Allatius *de iis circa quæ Latini innovant* Opus. Pr. Πρῶτον μὲν τὸ περὶ τὴν πίστιν ἀποσφάλλεσθαι *de Consens.* lib. II. c. 18. §. 13. col. 863. Vide eundem *de Simeon.* p. 185. & seq. ubi de Simeone nostro fusè admodum & eruditè disserit Vir doctissimus.

1410. H. W. PETRUS ANCHARANUS, sive *de Ancharano*, gente Italus, patriâ Bononiensis, ex Illustri Farnesiorum familia oriundus, Jurisconsultus celeberrimus, nec infimæ sortis Philosophus: Baldi auditor, claruisse dicitur anno 1410. quanquam ad annum usque 1487. vixisse à nonnullis perhibeatur. Id tamen parum credibile; Codex quippe MS. Lecturæ ejus super Clementinis & Rescriptis, qui in Bibliotheca Augustana asservatur, eam Bononiæ anno 1397. conscriptam esse præ se fert: necnon alius Codex MS. Lecturæ illius super secundo Decretalium libro, ibidem repertus, istam Venetiis anno 1392. completam esse prodit. Obiit Bononiæ, in Templo S. Benedicti sepultus, ubi Epitaphium tumulo ejus inscriptum, inter alia, bina ista habet Disticha.

Index MSS. Bibl. August. p. 58.

Canonis hic speculum, Civilis & Anchora Juris
Hic jacet: æternas mens tenet alta domos.
Quis superavit eum virtute micante? quis isto
Consiliis hominum clarior ante fuit?

Extant ab eo scripta, *Commentaria in Decretales & Clementinas, Lugduni* 1549. 1553. f. *Bononiæ* 1581. f. *Consilia*, sive *Juris Responsa Venet.* 1568, 1585, 1589, 1599. *Selectæ Quæstiones omnium præstantissimorum Jurisconsultorum, in tres Tomos digestæ, Francofurt,* 1581.

1410. H. W. BOSTONUS BURIENSIS, natione Anglus, Ordinis Benedictini Monachus in Cœnobio S. Edmundi Buriensi. Vir industrius simul ac eruditus claruit anno 1410. Quò meliùs rem literariam promoveret, universa ferè Angliæ Monasteria & Collegia perlustravit, Bibliothecas rimatus est, libros conquisivit, Scriptores ordine Alphabetico digessit, ætatem eorum ac vitam adjecit, quibusque in Bibliothecis monumenta illorum invenirentur notavit. Extitit *Catalogus iste Scriptorum Ecclesiæ* (sic enim Opus suum appellari voluit) MS. olim penès Cl. Usserium, nunc verò penès doctissimum virum Thomam Gale, S. Theol. Profess. qui illum suo tempore, ita vovemus, publici juris faciet, saltem ex illo Lelandum nostrum à se edendum illustrabit. Scripsisse præterea Bostonum *Speculum Cœnobitarum*, & *Monasterii sui Chronicon*, author est Baleus *, quæ quidem interiisse videntur. * Cent. 7. c. 48.

1410. H. W. JOANNES XXIII. seu ut alii numerant, XXIV. *Balthazar Cossa* antea appellatus, patriâ Neapolitanus, juvenis juri Civili & Pontificio Bononiæ operam dedit, Doctoratûs gradu insignitus. Dein Romam profectus à Bonifacio IX. inter cubicularios ascitus est, mox Archidiaconus Bononiensis, postea Protonotarius Apostolicus, inde Diaconus Cardinalis S. Eustachii, & Legatus Flaminiæ constitutus, Bononiam, magnamq; Flaminiæ partem in Ecclesiæ potestatem redegit. Anno 1409. Concilio Pisano interfuit. Anno 1410. veneno priùs Alexandro V. decessori propinato, & corruptis partim largitionibus partim armorum terrore Cardinalibus, Pontifex Romanus electus est Bononiæ die XVII. Maii, coronatus die XXV. Ineunte Pontificatu Ladislaum Neapolis Regem anathematizavit, & Cruciatam contra illum prædicari jussit, plenam peccatorum remissionem omnibus pro Sede Romana militantibus abundè pollicitus. Anno 1413. à Sigismundo Imp. intentato defectionis metu coactus Concilium Generale Constantiæ habendum indixit; & Pontificatu se cessurum, modò Benedictus & Gregorius Antipapæ idem facerent, spopondit. Ipse anno sequente V. Kal. Novembr. Constantiam ingressus, paucis post diebus Concilio initium dedit. De Papatu verò abdicando à Concilii Patribus interpellatus, moras nectit, & graviora veritus, mense Martio anni 1415. abjectis insignibus Pontificiis, ex urbe Constantia clam noctu fugit, & Schafusam, Austriæ Ducis oppidum se subducit. Fugâ elapsus, quadraginta criminum, & in his Hæreseos, negatæ scilicet animarum immortalitatis, atheismi, Simoniæ, homicidii, veneficii, aleæ, adulterii, Sodomiæ, stupri, in Concilio reus agitur, & ad comparendum frustra sæpiùs citatus, convincitur ac damnatur; adeóque die XIV. Maii Synodali decreto Pontificatu deponitur. Mox Helvetiorum ope ex fuga retractus, & Manhemii in carcerem datus, Papatu semet abdicare, & Concilii Acta confirmare coactus est. Lectâ itaque in Synodo cessionis schedulâ, majori solennitate sententia depositionis die XXXI. Maii ab Episcopo Atrebatensi pronunciata est. Joannes dein Ludovico Bavariæ Duci custodiendus committitur, & in castro Hedelbergensi carceri triennali mancipatur. Tandem anno 1418. liberatus, obiit Florentiæ anno sequente die XXII. Decembris. *Extat Bulla convocationis Concilii Constantiensis* Concil. Tom. XII. pag. II. *Sponsio de abdicando Papatu*, ibid p. 16. *Epistola* quædam apud Binium in Concilio Const. Tom. VII. *Epistolæ* ii. apud Azovium ad an. 1413. 1414.

1410. R. G. HENRICUS de BALMA, sive *de Palmâ*, natione Gallus, patriâ Bugiensis, Ord. Fr. Minorum Monachus, claruit an. MCCCCX. à Genebrardo ad ann. MCCCLXIII. fœdo lapsu reductus. Erat quippe S. Coletæ Virgini à Confessionibus, quæ non nisi an. MCCCLXXX. nata est, & nostri Henrici consilio potissimum usa Ordinis sui circa annum MCCCCXX. reformatio-

SÆC. XV. ab An. MCCCC. nem aggressa est. Vir erat *magnæ perfectionis*, ut Card. Bonæ verbis utar; & *morum integritate præstantissimus*, ut de eo Spondanus. Scripsit *de Mystica Theologiâ* Tractatum, Bonaventuræ communiter inscriptum, & inter ejus Opera non semel editum. Composuit etiam *Meditationes quasdam pias, ante & post celebrationem Missæ, & in cæteris actionibus quotidianis usurpandas*, utrum verò lucem aspexerint, subdubito.

1411. H. W. JOANNES GROSSIUS, seu *Grossus* natione Gallus, patriâ Tolosanus, Ordinis Carmelitani Monachus, claruit anno 1411. quo Ordinis sui Generalis numero vicesimus secundus in Conventu Bononiensi creatus est; atque eo nomine Concilio Pisano eodem anno interfuit. Annis antea 22. ejusdem Ordinis Generalis à Carmelitis quotquot Gregorio VII. Antipapæ adhæserunt, in Capitulo Perpinianensi electus fuerat. Ut collapsam Carmelitarum disciplinam restauraret, tria Ordinis Comitia Generalia Balneolense anno 1416. Montepessulanum anno 1420. & Apameense anno 1425. celebravit. Anno demum 1424. senio jam gravis, Præfecturâ cessit, postquàm decem Cœnobiis ac binis Provinciis Ordinem auxisset, eodemque anno vitâ excessit. Scripsit *Viridarium Ordinis Carmelitani* libris 3. quibus Ordinis sui institutionem, progressum, & illustres seu doctrinâ, seu pietate Viros, fusè describit. Prodiit unà cum Philippi Riboti Speculo, aliisque ejusdem argumenti Scriptoribus à Baptista Cathaneo editis *Venet.* 1507. f. & in Speculo Carmelitarum quod Daniel à Virgine Maria Carmelita edendum curavit *Antverp.* 1680. IV. Tom. f.

1412. H. W. HIERONYMUS à S. FIDE, natione, ut videtur, Hispanus, ex Judæo Christianus, Benedicti XIII. Papæ Medicus, claruit anno 1412. Scripsit *librum de refellendis Judæorum erroribus*, aliumque *adversus Talmuth Judaïcum*: ex quorum recitatione quinque ampliùs Judæorum millia ad fidem Christianam dicuntur conversa. Prodiit uterque sub titulo *Hebræo-mastigis Francofurti* 1602. 8°. & habetur in Bibliotheca Patr. Tom. XXVI. p. 528. Posterior Tractatus prodierat antea *Tiguri* 1552.

1414. H. W. VINCENTIUS FERRERIUS, natione Hispanus, Provinciâ Valentinus, Ordinis Dominicani Monachus, Benedicto XIII. à sacris Confessionibus, & Sacri Palatii Magister, claruit anno 1414. Concionator ævi sui celeberrimus, qui triginta annorum spatio Hispaniam, Italiam, & Galliam concionando perlustratus, maximam sibi eloquentiæ & sanctitatis famam, auditoribus pietatis & pœnitentiæ fructum peperit. Mira de eo fabulantur Dominicani, & Pontificii, quibuscunque minùs est aut cordis aut frontis: illum nempe cæcis visum, claudis gressum, mortuis vitam reddidisse, omne genus morborum verbo sanasse; 35000. Judæos & 8000. Saracenos ad fidem Christianam convertisse; & centum millia hominum perditorum ad meliorem frugem reduxisse: quin & Patrio, idest, Cathalaunico idiomate ubivis gentium concionantem ab omnibus, cujuscunque fuerint nationis, auditoribus intellectum esse. Anno 1418. Concilio Constantiensi interfuit: quùm electo à Concilii Patribus Martino V. à Benedicto XIII. à cujus partibus hactenus steterat, defecit, eumque deinceps in concionibus acriter oppugnavit. Obiit anno 1419. die V. Aprilis in urbe Venetensi apud Armoricos Britones, in Sanctorum album à Callisto III. anno 1455. ascriptus.

OPERA.

T*Ractatus de vita spirituali*, sive *de interiori homine*. Prodiit *Magdeburgi* 1493. *Venet.* 1500. & sæpiùs cum Meditationibus S. Augustini & S. Bernardi. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

Tractatus consolatorius in fidei mutationibus.

Epistola ad Benedictum XIII. *Antipapam.*

Epistola ad Joannem de Podio Nucis Ord. Prædicat. Generalem.

Fragmentum Epistolæ ad Bonifacium Cartusianorum Generalem.

Fragmentum Epistolæ ad Joannem Gersonem.

Epistolæ II. ad Infantem Martinum Petri IV. Aragoniæ Regis filium, posteà Regem: ex Hispanico in Latinum Sermonem ab Antistio conversæ.

Epistola ad Ferdinandum I. *Aragoniæ Regem.*

Opuscula ista omnia collegit, & Scholiis illustrata edidit Vincentius Justinianus Antistius *Valentiæ* 1591.

Conciones de Tempore, & de Sanctis, à Vincentii Discipulis, ut videtur, collectæ, & in tres Tomos digestæ. *Ulmæ* 1475. *Colon.* 1485. *Argentinæ* 1493. 1503. *Lugduni* 1527. 8°. *Venet.* 1606. 8°.

Commentarius in Orationem Dominicam. Prodiit unà cum Concionibus *Antverp.* 1573. 8°. *Lugduni* 1523. 4°.

Liber de Fine Mundi, seu *de ruinâ vitæ spiritualis, Ecclesiasticæ dignitatis, & fidei Catholicæ, ac de duplici Antichristi adventu*; *Neapoli* in 4°. excusus, & Germanicè alicubi 1582. 4°.

HERMANNUS DE LERBEKE, natione Germanus, Ordinis Prædicatorum in Cœnobio S. Pauli apud Mindenses sodalis, claruit anno 1414. Scripsit Historiam seu *Chronicon Comitum Schawenburgensium* ab Adolpho Comitum istorum primo ad Othonis Schawenburgensis obitum, seu ab anno 1006. ad annum 1414. Primus id in lucem eruit ac notis illustratum evulgavit Henricus Meibomius *Francofurti* 1620. 8°. 1414. H. W.

THEODORICUS URIAS, natione Germanus, patriâ Saxo, inter præcipuos sui temporis Theologos numerandus, claruit anno MCCCCXIV. Scripsit *Historiam Concilii Constantiensis*, cui ipse interfuit, eamque Sigismundo Imp. nuncupavit. Opus istud partim ligato, partim soluto sermone conscriptum, in quatuor libros distributum *de consolatione Ecclesiæ* inscripsit; idque sub auspiciis sereniss. Ducis Brunsvicensis inter alia ad dictum Concilium pertinentia brevi in lucem proditurum Eruditiss. Act. Lips. Editores indicarunt*, quod ut maturiùs fiat, in votis est omnium quibus veritas est cordi. 1414. R. G.

*Anno 1695. p. 557.

JOANNES CAPREOLUS, gente Gallus, ex oppido Ratinensi Diœceseos Tolosanæ oriundus, Ordinis Prædicatorum Monachus, & in Academia Tolosana Theologiæ Professor, doctrinæ D. Thomæ vindex acerrimus. Claruit anno 1415. Interfuisse dicitur Concilio Basileensi anno 1431. Quando obierit, incertum. Extant *Commentaria in* IV. *libros Magistri Sententiarum Venet.* 1484., 1514, 1588. *Defensiones Theologicæ S. Thomæ Aquinatis*, ibid. 1484. f. si forsan à præcedente Opus sit diversum. Elogium ei posuit Ambrosius de Altamura Biblioth. Prædicat. p. 158. 1415. H. W.

PAULUS CARTHAGENA à S. MARIA, natione Hispanus, *Burgensis* à patriâ dictus, aliis tamen ex oppido S. Mariæ ortus, sectâ, Judæus; & gentilium suorum nobilitate, doctrina, opibus facilè Princeps, posteà verò ad fidem Christianam lectione Operum D. Thomæ conversus, primùm Trevigni Archidiaconus, dein Carthaginensis Episcopus, mox Burgensis creatus est; Scrinio regio præfectus, Regnorum Castellæ & Legionis Archicancellarius, ac demum Patriarcha Aquileiæ constitutus. Claruit anno 1415. Tres ante fidem acceptam filios susceperat, Alfonsum, Gonsalvum, & Alvarum Garsiam, quorum illum sui in sede Burgensi succes- 1415. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. successorem, istum Placentinum Episcopum, hunc familiæ propagatorem post se reliquit. Obiisse fertur anno 1435. die XXIX. Augusti. Extant *Additiones notabiles ad Postillas Nicolai de Lyrâ in totam Scripturam*, unà cum Postillis Lyrani *Lugduni* 1590. & alibi sæpiùs impressæ. *Scrutinium Scripturarum libri* 2. quod anno Christi 1434. ætatis suæ 81. absolvit. Prodiit *Mantuæ* 1474. f. *Burgis* 1591. f. *Quæstiones* XII. *de Nomine Tetragrammato*, cum notis Jo. Drusii *Franekeræ* 1604. 8°.

1416. H. W. NICOLAUS DE CLEMANGIIS Nicolai filius, gente Gallus, in vico Clemange Provinciæ Catalaunensis natus, *Doctor Theologus* à recentioribus dictus. Avunculum habuit Petrum Clemangium, Medicum celeberrimum, fratrem Stephanum, Collegii Navarrensis Provisorem. Ipse duodecimo ætatis anno Lutetiam missus, in Collegium Navarrense receptus est; ubi præceptores habuit Petrum Nongentinum, Gerardum Machetum, posteà Castrensem Episcopum, & Joannem Gersonem. Præclaros itaque in Theologia profectus fecit: Eloquentiæ verò ac Poëseos studio præ aliis incubuit. Anno circiter 1393. ab Academia Parisiensi Rector creatus est, & scribendis Epistolis adhibitus. Comparatâ sibi per Epistolas elegantissimo stilo exaratas famâ, à Benedicto XIII. in Curiam Avenionensem evocatus est, & à secretis sibi adesse jussus. Paulò post Ecclesiæ Lingonensis Thesaurariam dignitatem obtinuit. Anno circiter 1408. cùm Benedictus XIII. Galliæ regno, quòd edicto Regio obedientiam ei nuper subtraxerat, Sacra interdixisset; Clemangius in scripti interdicti suspicionem lapsus immeritò (tribus enim ante promulgatum anathema mensibus Curiâ Romanâ egressus Genuam se receperat) maximum famæ & fortunæ discrimen subiit. In Vallis itaque profundæ Monasterium apud Carthusianos, ac dein Fontem in Bosco secedens, Principis iram deprecari, ac crimina missis quaquaversum literis diluere necesse habuit. Dissipatis calumniis, ad Lingones suos se contulit, Thesaurariatûs munus obiturus. Anno 1415. à Benedicto XIII. ut in aulam suam rediret, multis rogatus, otium ac tuguriolum suum, quo tunc apud Fontem delituit, Curiæ Pontificiæ honoribus præposuit. Sub id temporis abdicata dignitate Lingonensi, Baiocensis Ecclesiæ Cantor constituitur. Errant, qui Archidiaconum Baiocensem fuisse volunt. Claruit anno 1416. summis sæculi Viris, Gersoni, Alliaco, Ferrario, aliisque familiaris ac charus. Obiit ante annum 1440. in Sacello Collegii Navarrensis sub lampade coram altari magno è tholo pendente sepultus; & breviculum istud Epitaphium sepulchro inscriptum habet; *Qui lampas fuit Ecclesiæ, sub lampade jacet.* Vir certè sincera animi pietate præditus, ac stylo supra sæculi sui sortem eleganti usus: intrepidus principum malorum censor & objurgator; qui Pontificum schismata, ambitionem & vitia, Ecclesiasticorum sordes & avaritiam, Monachorum ignaviam, & luxuriam, & libidinem; omnium denique Ordinum mores solutos acri calamo flagellat.

OPERA.

Liber de corrupto Ecclesiæ statu, anno circiter 1414. scriptus. Prodiit seorsim curâ Joannis Fuchtenii Helmstadii 1620.

Deploratio calamitatis Ecclesiasticæ per Schisma nefandissimum, cum exhortatione Pontificum ad ejus extirpationem, heroicis versibus descripta.

Liber de lapsu & reparatione justitiæ: ad Philippum Burgundiæ Ducem, anno 1421. scriptus. Prodiit *Viennæ* 1481. 4°.

Disputatio cum quodam Parisiensi Scholastico de Concilio Generali, anno 1409. scripta. *Viennæ* 1482. 4°. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

Collatio duplex ad eundem Scholasticum de eadem materiâ.

Liber de Annatis non solvendis, seu Responsio Gallicanæ nationis Cardinalibus appellantibus ab ejusdem voto, conclusione, & deliberatione Constantiæ factis de Annatis ampliùs non solvendis. Librum istum Clemangio primâ fronte abjudicat styli barbaries: prodiit tamen sub Clemangii nomine, unà cum duobus præcedentibus Opusculis, in Fasciculo Rerum Expetend. *Colon.* 1535. f. p. 189.

Tractatus in Parabolam de filio prodigo.

De fructu Eremi liber, circa an. 1413. elucubratus.

De fructu seu prosperitate rerum adversarum liber, eodem circiter tempore conscriptus.

De novis festivitatibus non instituendis liber, anno 1413. scriptus.

De Præsulibus Simoniacis liber, anno circiter 1411. scriptus.

Oratio ad Galliæ Principes, quâ eos à bello civili dehortatur.

Epistola ad Gerardum Machetum; quòd tam corpore è Babylone sit fugiendum quàm mente.

Epistolæ III. *ad Gregorium* XII. scriptæ nomine Benedicti XIII. pro extirpatione Schismatis, & unione Ecclesiæ.

Scripta quædam nomine Universitatis Parisiensis.

Epistolæ CXXXVII.

Fragmentum descriptionis vitæ Tyrannicæ cum detestatione ac reprehensione, versibus heroicis comprehensæ.

Liber de Antichristo, & ortu ejus, vitâ, moribus & operibus.

Opera ista Clemangii omnia in unum collegit, Analectis & Glossario Latino-Barbaro illustravit, atque edi curavit Joann. Martinus Lydius *Lugduni Batavorum* 1613. 4. Opuscula Clemangii aliquot prodierant antea *Paris.* 1521. à Margarino Bignæo etiam in primâ Bibliothecæ Patrum editione repræsentata.

Liber de Studio Theologiæ, à Dacherio primùm in lucem editus Spicileg. Tom. VII. à Clemangio anno circiter 1409. scriptus.

Epistolæ aliquot antea ineditæ habentur apud eundem Tom. VI.

Carmen de Vita rusticæ fœlicitate extat apud Phil. Camerarium Meditat. Historic. Tom. 3.

Opuscula quædam Clemangii MSS. viz. *Descriptionem rei mirabilis, quæ in Galliis accidisse ferebatur*; *Epistolas* IX. *nomine Universitatis Parisiensis scriptas*; *Sermonem de SS. Innocentibus*; *Orationes seu Preces* X. *Commentarios in Isaiam usque ad sexagesimum caput*; *descriptionem metricam urbis Genuæ*; *Epistolas alias* XII. *Exhortationem ad resistendum Mahometanis*: in Bibliothecis Galliæ privatis exstare prodit Launoius *, *Epistolæ* ejusdem MSS. aliquot extant in Bibliotheca Lambethana, & penès Cl. virum Joannem Battely, S. Theol. Profess. Archidiaconum Cantuariensem.

* Hist. Gymnas. Navarr. part. 2. p. 578.

JOSEPHUS, natione Græcus, Ephesi Archiepiscopus, ac tandem anno 1416. Patriarcha Constantinopolitanus in Synodo CP. electus. Alii quidem & in his Freherus *, Patriarchatum à Josepho anno 1414. susceptum esse volunt. Verùm rem extra dubium posuit Sguropulus †; qui Josephum in Concilio Florentino, exactis 23. in munere Patriarchali annis ac 20. diebus, obiisse narrat. Difficilem, si quis alius, provinciam nactus est Josephus; & ipse tanto oneri subeundo, seu naturæ indolem, seu ingenii vires spectes, longè impar. Sic enim res Græcorum à Turcis attritæ eâ ætate ferebant; ut Latinorum amicitiam & suppetias quovis modo ambire, & Ecclesiæ libertatem Reipublicæ saluti postponere, iis ne- 1416. H. W.

* Chronolog. ante Leunclavii jus Gr. Rom.
† Hist. Conc. Flor.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. cesse fuerit. De unione Græcos inter & Latinos ineunda jamdiu agitatum fuerat, ac rebus CPP. indies in deteriùs vergentibus Joannes Imp. inceptum facinus festinatò urgebat. Principio quidem Josephus Ecclesiæ suæ dignitatem constanter asseruit, & iter à Græcis Episcopis ad Occidentale Concilium suscipiendum maximè improbavit, id in Græcorum opprobrium cessurum esse prædicans; utque Concilium Constantinopoli potiùs indiceretur, atque illuc evocarentur Latini, multis suasit. Mox verò Imperatoris blanditiis expugnatus cessit; missisque anno 1435. ad Concilium Basileense Legatis, Synodi istius Acta rata habuit, atque iterum anno 1436. missâ Bullâ plumbeâ se ad unionem inter Ecclesias resarciendam in Occidentem venire paratum esse præ se tulit; & Concilii Generalis eâ de re habendi locum ac tempus definiri postulavit. Post biennium imminutâ Eugenii Pontificis fraudibus Concilii Basileensis autoritate, ad Eugenii partes sese contulerunt Græci, & Concilium ab illo Ferrariæ indictum adire decreverunt. Itineris ducem sese dedit Josephus, haud adeò tamen de tuenda Græcorum fide, quàm de conservandâ Patriarchatûs CP. dignitate sollicitus. Innumeras enim cæremonias ventosus homo excogitarat, ut in primo cum Eugenio Pontifice congressu sese illi parem ac nequaquam inferiorem esse demonstraret. Incassum verò. Et Græcorum enim infortunium & Latinorum fastus infœlicem Patriarcham se demittere coegerunt. Disputatione de dubiis fidei articulis utrinque initâ, ipse unionem quavis lege consarcinandam esse arbitratus est; atque adeò cedendum esse Latinis, etiamsi veritas penès Græcos staret, ut eo modo auxilium contra Turcos obtinerent, palam prædicare non eruSguropol. Hist. Conc. Flor. §. 8. c. 12. buit. *Si ex viginti quatuor enim*, inquit, *religionis capitibus unum tantùm Latinorum libidini demus; reliqua viginti tria unius defectum supplere satis valebunt.* Re ad exitum spectante, ipse gravi morbo decubuit, & Patrum sententias rebus definiendis audire voluit. Illas ei clam perlegit Bessarion; sed fide pessima curtatas ac pro lubitu mutatas. Istiusmodi artificio pariter ac innata animi levitate inductus, Latinorum dogmatibus subscripsit, aliosque autoritate sua Episcopos ad subscribendum impulit. Cùm verò Latinos à fidei articulis ad vellicandam Ecclesiæ Græcæ disciplinam procedere videret, subscriptionis datæ gravi pœnitentia ductus est; & post octiduum mœrore simul ac morbo confectus obiit die x. Junii anno 1439. Extant Lat. *Epistola ad Concilium Basileense*, Concil. Tom. XII. pagin. 545. *Bulla plumbea ad idem*, ibid. pag. 157. Gr. Lat. *Oratio ad Synodum*, CP. iter in Occidentem suscipiendum dissuadens, apud Sguropulum Hist. Concil. Florent. Sect. 2. cap. 18. *Alia ejusdem argumenti Oratio*, ibid. cap. 24. *Oratio exhortatoria* ad Græcos Episcopos Italiam secum profecturos, ut constanter se gerant, ibid. Sect. 3. cap. 16.

1417. H. W. MARTINUS V. aliis III. *Odo Columna* antea dictus, patriâ Romanus, ex illustrissimo Columnensium sanguine oriundus, Juris Pontificii studiis Perusii innutritus, ab Urbano VI. Referendarius, ab Innocentio VII. Diaconus Cardinalis S. Georgii in Velabro factus, anno 1414. ad Concilium Constantiense profectus, rebus gestis inter primos enituit. Anno 1417. depositis tribus Antipapis, & electione novi Pontificis Cardinalibus in Concilio præsentibus, & triginta delegatis ex quinque nationibus pari numero selectis commissâ, ipse unanimi omnium consensu Papa electus est die XI. Novembr. S. Martini memoriæ sacro. Presbyter ordinatus die XII. Episcopus die XIII. Pontificiâ coronâ indutus die XXI. Pontifex creatus, nil antiquius habuit, quàm Concilium solvere, & toties promissam ac tantoperè à Sigismundo Imp. & Principibus Christianis efflagitatam Ecclesiæ reformationem eludere. Factum id rem in futurum Concilium quod propediem se coacturum spopondit, rejiciendo. Utcunque reclamantibus Imperatore & Episcopis Germanis; anno sequente die XXII. Aprilis Concilium claudit; & Italiæ turbas præsentiâ suâ componendas causatus, XVII. Cal. Junii Constantiâ discedit. Anno 1420. Cruciatam contra Bohemos Hussi sectatores indixit, plenam peccatorum remissionem vexilla sacræ militiæ sequentibus largitus. Anno 1423. mense Augusto Concilium Generale Senis coegit; cùm verò mentio de Ecclesia reformanda in Synodo injiceretur; eam in se fabam cudi probè sciens, Concilium properè abrupit, & in annum septimum Basileæ habendum rejecit. Anno 1429. Alphonsi Aragoniæ Regis auxilio usus, Ægidium Sancii Munionis Benedicto XIII. ante quinquennium à Cardinalibus Schismaticis titulo Clementis VIII. suffectum, Papam semet abdicare, & Cardinales illius sequaces in partes suas concedere adegit: adeóque tandem aliquando Schismati gravissimo in Ecclesia Romana per 51. annos grassato finem imposuit. Obiit die XX. Februarii, anno 1431. ætatis suæ 63. Extant *Epistolæ*, *Bullæ*, *& Constitutiones* XV. Concil. Tom. XII. pagin. 252, &c. *aliæ Epistolæ & Constitutiones* XVII. apud Bzovium ad ann. 1419. &c. *aliæ* plures in Magno Bullario Laertii Cherubini Tom. I. *Sermo de Translatione B. Monicæ S. Augustini matris ab Ostiâ ad Romam*, in Historia Augustiniana *Tolosæ* 1641. *Approbatio Regulæ Monachorum Hieronymianæ*; inter Hieronymi Opera Tom. IV. *Leges pro Cardinalibus*, in Vita ejus à Cotelerio edita.

GOBELINUS PERSONA, natione Germanus, in antiqua Saxonia, quæ nunc Westphalia dicitur, anno 1358 natus. Postquam Italiam ferè universam lustrarat, & in Curia Romana diu hæserat; anno 1386. sacerdotio initiatus est, triennio pòst Rector Capellæ S. Trinitatis in Urbe Paderbornensi factus. Cùm verò adversùs Edictum quoddam ab Urbis Consulibus latum, Pontificiis & Imperatoriis sanctionibus contrarium pro concione declamare non dubitaret; loco suo excidit; & Episcopi Vicarius seu Officialis constitutus est. Monachorum paulò post Ordinis Benedictini invidiam expertus, & veneno tentatus, Paderborna relicta, Bilefeldam se contulit; ubi Ecclesiæ Cathedralis Decanus brevi renunciatus est. Claruit anno 1418. Tandem negotiorum pertæsus, cucullum induit; & sexagenario major è vivis excessit. Scripsit *Chronicon* ab Orbe condito usque ad annum Christi 1418. *Cosmodromium* dictum; quod ante annum 1404. inchoatum anno demum 1418. absolvit. Prodiit cum notis & Appendice Henrici Meibomii *Francofurt.* 1599. f. Eidem tribuunt Molanus & Surius *Vitam S. Meinulphi*, Paderbonensis Diaconi, & Confessoris, quem ex fonte sacro suscepit Carolus Magnus. Eam interpolatam, ac stylo immutato deformem dedit Surius ad v. Octobr. sinceram, omissâ tamen miraculorum farragine, Christophorus Browerus *Moguntiæ* 1616. 1418. H. W.

HENRICUS DE HASSIA, seu de Langenstein, natione Germanus, S. Theologiæ Licentiatus in Academiâ Parisiensi, Ordinis Carthusiani Monachus; & Cœnobii S. Mariæ in Geldria propè Arnheimium Prior; & si rectè conjicit Trithemius, Ecclesiæ Wormatiensis Canonicus, Viennam tandem evocatus, ut Academicis Theologiam prælegeret. Claruit anno 1418. Obiit anno 1428. Scriptor prolixus admodùm & operosus; qui cùm plures annos Genesi pro cathedrâ explicandæ impendisset, vix quartum libri caput attigit, ac totidem complevit volumina. 1418. H. W.

SCRIPTA.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC.

SCRIPTA.

Regulæ, ad discernendum mortale peccatum à veniali. Prodierunt unà cum Antonini Opere de eruditione Confessorum *Memmingæ* 1483.

Liber de Contractibus, & ordine Censuum. Habetur in Appendice Operum Joannis Gersonis.

Secreta Secretorum Daventriæ 1501. edita.

De Animæ conditionibus Soliloquium. Extat apud Orthodoxogr. Tom. 2. p. 1607.

Contra disceptationes & contrarias prædicationes Fratrum Mendicantium super Conceptione Mariæ Virginis, & contra maculam S. Bernhardo mendaciter impositam. Mediolani 1480.

Tractatus de Confessione, De Nobilitate Animæ, De Oratione Dominicâ, & Angelicâ Salutatione, Epistola Invectiva contra æmulos Cleri, De mundi contemptu, Animæ Speculum, De eruditione Sacerdotum, MSS. in Bibliothecâ Augustanâ. (Index. Bibl. August. p. 42, 46, 49, 56.)

Alia plura Henrici Opera, adhuc inedita, recensent Trithemius de Script. Eccles. p. 146. Bellarminus p. 381. Simlerus p. 278.

1418. R. G. HENRICUS de HASSIA, natione Germanus, Ord. Carthus. Monachus, S. Theologiæ Professor, & in Academiâ Viennensi Henrici Huectæ socius & coadjutor, claruit anno MCCCCXVIII. Lucubrationibus ejus à Cl. Whartono memoratis accenseantur nonnullæ. Extat Tractatus super *Oratione Domini & Angelicâ Salutatione*, uti & Operis prænotati *Sacerdotum secreta circa Missam*, vetus quædam editio absque ullâ loci vel temporis notâ. *De discretione Spirituum* tractatus prodiit Corn. Dielmanni curâ *Antvv.* 1652. *8vo. De vitiis & erroribus Spiritualium* liber, formâ Epistolari conceptus, & Joanni Episcopo Wormatiensi nuncupatus, Jacobo Gruytrodio Carthusiano obstetricante lucem vidit, qui Operi suo *de erroribus Christianorum* insertum dedit uti Fl. Illyricus disertè refert. *Catal. Test. Verit.* col. 1801. *In Decem præcepta* Commentarius in fol. *In Orationem Dominicam*: & *de modo celebrandi & recipiendi Sacramentum Eucharistiæ*, in 4to. MSS. habentur in *Bibl. Trajectensi. De moribus & vitâ Canonicorum Regularium. De vitio proprietatis personarum Religiosarum*; uterque MS. in *Bibl. Basiliensi. De reductione effectuum in causas*; *de concatenatione Causarum*; MSS. in *Bibl. Bodleianâ*, Cod. 1146. In *eadem Bibliothecâ*, Cod. 1667. extat Henrici de Asiâ *super Genesin* Commentarius, nostri Henrici Opus esse hariolari liceat, qui cùm Professoris Viennensis munus sustinuit, in Genesin plures annos prælectiones habuit. Tres demum *Epistolæ* MSS. in *Collect. Merton.* apud Oxoniens. reperiuntur.

1418. R. G. ANTONIUS RAMPELOGUS, seu *de Rampigollis*, natione Italus, patriâ Genuensis, Ord. Eremit. August. Frater; S. Theologiæ Doctor, disputationibus contra Hussitas in Concilio Constantiensi acutè actis inclaruit anno MCCCCXVIII. quamdiu vixit incertum est. Scripsit ad juvenes Ordinis sui in Cœnobio Neapolitano studentes super varios Vet. Testamenti locos Opusculum, quod *Figuras Bibliæ inscripsit, rude & trito eloquio scriptum* refert * Sixtus Senensis, in *quo sacras Historias exponens singulas ad morales Virtutes accommodavit*; graviorem instud censuram strinxit Ant. Possevinus †, quam meritò judicent alii: in Indd. etiam expurgatoriis prohibetur nisi corrigatur: in lucem prodiit Parif. 1506. *8vo.* 1511. *4to.* Colon. 1505. 1617. *12mo.* Argentorat. 1516. Lugdun. 1558. 1779 *Dictionarium Pauperum, & speculum Salvationis humanæ*, prodiit cum præcedente, Parif. 1497. *8vo. Aureum* etiam *Bibliorum Repertorium* exaravit, continens *Locos communes de titulis Theologicis*, secundùm ordinem Alphabeti, quod olim alicubi in Germaniâ impressum in 4to testatur Gesnerus. Extat Antonii cujusdam Ampilogii Eremitæ Opus *Biblia Aurea* dictum, sive *Loci communes ex Bibliis*, impressum Coloniæ 1628. *8vo.* quod idem prorsus Opus cum superiori, variato paululum ex literæ initialis absentiâ Auctoris cognomine, suspicamur.

* Biblioth. Sanct. lib. IV. p. 198.

† Apparat. Sac. Tom. I. p. 104.

1419. H. W. AUGUSTINUS DE ROMA, de Favaronibus cognominatus, gente Italus, patriâ Romanus, Ordinis Augustiniani Eremita, & ab anno 1419. Prior Generalis in Comitiis Astensibus XII. Cal. Septembr. electus. Postquàm Ordinem suum duodecim annis rexisset, ad Episcopatum Cæsenatem anno 1431. assumptus est, tandem Nazarenus in ditione Neapolitana Archiepiscopus factus. Obiit anno 1443. seu, ut alii, 1445. Pratis in Tusciâ apud Augustinianos sepultus. Multa scripsit; è quibus nulla typis impressa reperire potui. Prælum tamen aliquando subiisse conjicerem *Librum de Sacramento unitatis Christi & Ecclesiæ, Librum de Christo capite & ejus inclyto principatu*, ac *Librum de Charitate Christi circa electos, & de ejus infinito amore*: eò quòd in Indice Romano, teste Bellarmino, *, prohibeantur. Eosdem antea Augustini libros tanquam non sanam & erroneam in fide doctrinam continentes damnavit & reprobavit Concilium Basileense † *Commentaria* Augustini nostri *in omnes D. Pauli Epistolas*, *in Epistolas Canonicas*, & *in Apocalypsin*; sese apud Eremitas Patavinos Manuscripta vidisse prodit Possevinus *. Reliqua ejus scripta enumerant Possevinus loc. cit. & Josephus Pamphilus Chron. Ord. Erem. p. 79.

* De Script. Eccles. pag. 388.

† Sess. 22.

* Apparat. Sacr. p. 135.

1420. R. G. THOMAS HASELBACHIUS natione Germanus, Theologiæ in Academiâ Viennensi Professor, claruit anno MCCCCXX. Viro & sacris & profanis literis, pro captu sæculi, satis fœlicitèr instructo, solum judicium defuisse videtur, *cujus doctrinam laudarem, nisi duos & viginti annos Esaiæ primum Capitulum legisset, neque adhuc ad calcem venisset*, inquit Æneas Sylvius *, qui cum eo commercium literarum habuit. In Concilio Basiliensi non infimum locum obtinuit. Scripsit *Sermones Dominicales super Epistolas* D. Pauli; prodierunt anno 1478. impressi nullâ habitâ loci mentione. *Sermones de Confessione & de Sanctis*, extant MSS. in *Bibl. Augustanâ. Chronicon* ejus à Cuspiniano laudatum narrat Simlerus, qui *Enarrationum in Isaiam Prophetam* libros XXIV. *super sententias* lib. IV. & alia ejus Opera enumerat, *Bibl. Gesner.* p. 795.

* Epist. 165. p. 718. edit. Basil.

1420. H. W. MACARIUS MACRES, natione Græcus, Montis Atho Hieromonachus, Georgii Phranzæ amicus cum primis familiarissimus, quo satagente, Constantinopolim profectus, Regii Monasterii Pantocratoris Hegumenus constitutus est, posteà Protosyncellus Magnus renunciatus. Claruit anno 1420. Latinorum hostis infensissimus, quo nomine à Patriarcha CP. qui cum Latinis tunc sensit, inter Hæreticos habitus, multis exagitatus est malis. Ante annum 1430, à Joanne Palæologo Imp. ad Martinum V. Pontificem Romanum unà cum Marco Jagro, Magno Duce, legatus, anno 1431. inter redeundum die VII. Januarii è vivis excessit: ἀνὴρ ἀελσες κατὰ γε λόγον ἢ ἀρετῇ ἢ συνέσει, si Phranzam audiamus, *Vir & eloquentiâ, & virtute animi, & intelligentiâ longè præstantissimus.* Scripsit *Opus de Processione Spiritus S. à Filio, id dogmatis neque necessarium esse, sed innovationem fidei, probare annisus.* Totidem in verbis memorat, & in decem Capita divisum esse

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. esse prodit Leo Allatius de Consensu l. 2. c. 18. § 10.

1420. R. G. MACARIUS MACRES, Græcus Hieromonachus, & Magnus Protosyncellus, claruit anno MCCCCXX. Scripsit contra Latinos *de Processione Spiritûs Sancti* tractatum, cujus argumentum ex titulo deprehendimus, qui his verbis concipitur, Ὅτι τὸ λέγειν καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι οὔτε ἀναγκαῖόν ἐστιν ἀλλὰ καινολογία τῆς ὀρθοδόξου πίστεως. Pr. Τὰ θεῖα τῶν χριστιανῶν δόγματα καὶ ἡ πίστις. Habetur Græcè MSS. in *Bodleianâ. cod.* 720. n. xvii. Vide Allatium *de Consens.* l. II. c. 18. sect. 11. col. 815. Macarii cujusdam Hieromonachi alibi meminit Allatius, & de ejus *Canonum Collectione* Metaphrastæ encomium profert, *de Simeon*, p. 35. Extat etiam Macarii Hieromonachi *Epistola* ad Simeonem *Hieromonachum*; (fortè ad Thessalonicensem) Græcè MS. in *Bibl. Vindob.* Cod. Philos. ccxxv. n. xiii. utrum nostri, an alterius, viderint ii quibus MSS. Codices inspiciendi copia concessa est.

1420. H. W. JOSEPHUS BRYENNIUS, patriâ Constantinopolitanus, vitæ instituto Monachus, concionibus ad Populum habendis præfectus, claruit anno 1420. quem in Oratione 8a. de Trinitate ab Allatio citatâ ipse designat. Multa scripsit adversùs Latinos: præsertim verò adversùs dogma eorum de Processione Spiritûs S. *Orationes* xviii. quas ipse περὶ τῆς ἱεραρχίας τελάδος, *de Divinissimâ Trinitate* inscripsit, MSS. in Bibliothecâ Vaticanâ asservatas. Singularum titulos, argumenta, initia, & loca, in quibus sunt habitæ, ordine recenset Leo Allatius de Consensu l. 2. c. 18. §. 14. qui & Fragmenta III. ex iis Gr. Lat. adducit ibid. alia ibid. c. 5. §. 3. cap. 15. §. 7. l. 3. c. 2. §. 3. lib. advers. Hottinger. pag. 315. 318. *Orationes* ejusdem duas *de futuro Iudicio & sempiterna beatitudine* idem citat Allatius, & excerptas exinde lacinias Gr. Lat. exhibet lib. de libris Ecclesiast. Græcor. pag. 136. 143. 339. lib. de Purgatorio pag. 79. 141. 713. *Ejusdem Dialogi de Processione Spiritûs S. Disputatio de Orthodoxâ Ecclesiâ; atque alia de Fide* habentur MSS. in Bibliothecâ Ambrosianâ.

1420. R. G. JOSEPHUS BRYENNIUS, Monachus Byzantinus, & concionibus ad populum habendis præfectus, claruit an. MCCCCXX. Scriptis suprà memoratis accenseri meruerunt *Orationes duæ in Annunciationem B. Virginis Deiparæ*, quarum prima sic incipit, Εἰς δόξαν τῆς παντουργοῦ τελάδος. Χθὲς εὐαγγελισμοί. Hujus meminit L. Allatius *Dissert.* de Simeon, pag. 88. Altera his verbis, Θεὸς ὁ τῶν πάντων πρὶν γενέσεως αὐτῶν ὑποστάμενος. Allat. *ibid.* p. 96. *Oratio in illud* stabant juxta Crucem, &c. & *in S. Deiparam* Pr. Ἡ πάντων τὸ πᾶν ἀρρήτοις λόγοις ἁρμονίας ἁρμοσαμένη. Allat. *ibid.* p. 95. *Gratiarum Actio in S. Deiparam* Pr. Θεοῦ τοῦ παντοδυνάμου πλείστων ἡμῖν λόγων χορηγοῦντος. Allat. *ibid.* p. 96. Fragmentum hujus profert idem *de consens.* lib. II. c. 3. sect. 3. col. 529. *Oratio in S. Parasceven.* Pr. Συμφυὴς τῷ κόσμῳ καὶ σύγχρονος. Allat. *ibid.* p. 110. Scripsit etiam *Orationem in Transfigurationem Domini*, quam idem Vir doctissimus laudat, *de Consens.* l. II. c. 17. sect. 2. col. 837. Et *Orationem de Domini Crucifixione*, ab eodem laudatam, *Dissert. de libris Eccl. Græc.* p. 311. Extat denium *de Divinâ Energiâ*; & *de Lumine in monte Thabor* Opus cum ejusmodi aliis Græcè MSS. in *Bibl. Regis Gallorum*, Cod. 507.

1420. H. W. LEONARDUS BRUNUS ARETINUS, natione Italus, Aretium urbem, unde cognomen traxit, natalem habuit; Humaniorum literarum studio ab ipsis incunabulis innutritus; Latini sermonis elegantia, venustate dictionis & ingenii acumine inter clarissimos sæculi sui Historicos, Oratores & Philosophos nomen tulit; Græcæ autem linguæ scientiam ab Emanuele Chrysolora acceptam primus omnium Latinorum erexit & restituit. Ingentem eruditionis famam apud Italos adeptus, ab Innocentio VII. Pontifice in aulam Romanam accersitus & Epistolis scribendis admotus fuit anno circiter 1404. eodem etiam munere apud tres sequentes Pontifices Gregorium XII. Alexandrum V. & Joannem XXIII. perfunctus. Tandem in Hetruriam à Senatu Florentino revocatus, summus civitatis Cancellarius concordi Patrum suffragio constitutus est. Claruit anno 1420. Pingui otio donatus, Historiis, aliisque quibus de re literaria præclarè meruit lucubrationibus conscribendis animum appulit, nec minùs tamen divitiis coacervandis intentus, quo nomine turpissimæ avaritiæ ab Historicis notatur, abundè vapulat. Obiit Florentiæ, dierum & gloriæ satur VII. Id. Martii anno 1443. ætatis suæ 74. In templo S. Crucis sepultus, magnificum nactus est sepulchrum, nec minùs gloriosam inscriptionem, hisce verbis conceptam: *Postquam Leonardus è vitâ migravit; Historia luget; Eloquentia muta est; ferturque Musas tum Græcas tum Latinas lachrymas tenere non potuisse.* Sanè eloquentiæ uberrimique ingenii laudem nullus Aretino facilè denegabit; atque adeò Æneas Sylvius * illum *Hetruriæ splendorem, quo nemo post Lactantium Ciceroni proximior, fuit*, vocat: *verumque doctissimum atque omnium eloquentissimum* fuisse prædicat Poggius Florentinus †. Interim tamen dissimulari non potest, illum plurimis consummati Scriptoris dotibus destitui; utque Erasmi * de eo verbis utar, *Facilitate dictionis ac perspicuitate satis accedit ad Ciceronem, sed ne vis aliisque virtutibus aliquot destituitur: alicubi vix tuetur Romani sermonis castimoniam, alioqui vir doctus juxta ac probus.* His adde, quâ major viro erudito inuri non potest labes, plagii Literarii crimine teneri Aretinum. Gothicam enim Procopii Historiam Latinè versam, suppresso veri autoris nomine, sibi inscriptam evulgavit. Pessimè Aretino id furti cessit. Paucis enim post obitum illius annis Historiam Procopio postliminiò vendicavit Christophorus Persona; & detecto plagio Aretini pudendo fraudem ejus orbi erudito deridendum propinavit.

* Epist. 51.

† Invect. adv. Philelp. 2.

* Ciceronian.

SCRIPTA.

Contra hypocritas Libellus. Prodiit in Fasciculo Rerum Expetend. *Colon.* 1535. f. 154.

Historiæ Florentinæ libri XII. quibus fusè enarratis externis Florentinorum bellis, intestinas seditiones concivium offensam veritus, plerumque tacet. Prodierunt à Sixto Brunone editi *Argentinæ* 1610.

De bello Italico adversùs Gothos lib. IV. quos Procopio subfuratus est. *Basil.* 1531. *Paris.* 1534. 8°. *Bellovisus* 1607. 4to.

De Bello Punico libri III. quibus illa quæ in Livio, ob amissam Historiæ Decadem secundam, desiderantur, supplere præ se fert. Omnia autem ferè ex Polybio desumpsit; utcunque se nudum interpretem egisse vir ingratus in præfatione neget. Prodierunt *Augustæ Vindel.* 1537. & sub Polybii nomine à Badio Ascensio Parisiis editi.

Epistolarum libri VIII. *Argentinæ* 1521. *Basil.* 1538. 8°.

Dialogus de moribus. Paris. 1516.

Versio x. *librorum Ethnicorum Aristotelis*, *ibid.* Græca feliciter admodum vertit Aretinus, quippe qui non solum stylum luculentum satis adhibeat, sed & Græci termenis sensum sine ulla ferè unquam verborum paraphrasi summa fide reddat.

Commentarius de rebus suo tempore in Italiâ gestis, à Schis-

SÆC. XV. ab An. MCCCC. à Schismatis Romani superiore sæculo inchoati exordiis ad annum usque 1440.

Commentarius de rebus Græcis; à Gallicratidæ & Thrasybuli temporibus ad Epaminondæ obitum, ad Angelum Acciolum equitem Florentinum. Prodiit uterque Commentarius unà cum Historia Florentina *Argentinæ* 1610. posterior *Lugduni* 1539.

Commentarius in libros Aristotelis Oeconomicos, & *Introductio in ejusdem Moralia. Venet.* 1550.

Historia de crudeli amoris exitu Guisguardi & Tancredi Salernitanorum Principis filiæ. Extat inter Æneæ Sylvii Epistolas num. 410.

Libellus de disputationum exercitationisque studiorum usu. Basil. 1536. *Paris.* 1642. 8°.

Cætera Aretini Scripta, & in his *versiones* Scriptorum Græcorum, Aristotelis putà, Platonis, Plutarchi, Demosthenis, Æschinis, &c. quamplurimas recenset Simlerus Biblioth. p. 449. Boissardus Icon. par. 1. p. 125. Historica quædam Vossius de Hist. Lat. l. 3. c. 5.

1420. H. W. JOANNES FRANCISCUS POGGIUS, BRANDOLINUS dictus, Patriâ Florentinus, ex Terranova agri Aretini oppido oriundus, linguarum & humaniorum literarum scientiâ probè excultus, Græcè ab Emanuele Chrysolorâ edoctus, octo Pontificum Romanorum Secretarius seu scriniorum Præfectus, claruit anno 1420. In Concilio Constantiensi partes non infimas egit, ibique defunctum Zabarellam Cardinalem funebri Oratione anno 1417. laudavit. Post Nicolai V. mortem anno 1455. postquàm quinquaginta annos in Curiâ Romanâ militâsset, quadraginta ferè Secretarii munus obiisset; annos jam natus 72. Florentiam evocatus est, ut Reipublicæ Patriæ à secretis esset. Obiit grandævus anno 1459. Florentiæ sepultus. Vir sanè non ineruditus, sed rixosi, si quis alius, & lascivi ingenii. *Illi natura satis erat*; judice Erasmo*, *artis & eruditionis non ita multum*; *interim impuro sermonis fluxu usus, si Laurentio Vallæ credimus*. Graviorem longè Poggii censuram alibi profert Erasmus *, qui postquàm effrænem ejus in Laurentium Vallam, ipsomet centuplò doctiorem, iracundiam castigasset, hæc subinfit; *Poggius rabula adeò indoctus, ut etiamsi vacaret obscœnitate, tamen indignus esset qui legeretur; adeò autem obscœnus, ut etiamsi doctissimus fuisset, tamen esset à bonis viris rejiciendus.*

* Ciceronian.

* Epist. l. 4. Ep. 7.

OPERA.

Descriptio ruinarum Urbis Romæ.

Descriptio obitûs & supplicii Hieronymi Pragensis ad Leonardum Aretinum. Prodiit in Fasciculo Rerum Expetend. *Colon.* 1535. p. 152. & inter Hussi Opera *Norimbergæ* 1588.

Oratio funebris in Franciscum Zabarellam Cardinalem.

Oratio funebris in Nicolaum Albergatum Cardinalem anno 1443. defunctum. Habetur inter alios Scriptores Vitæ Albergati *Colon.* 1618. 4°.

Oratio funebris in Laurentium Medicæum Principem Florentinum.

Oratio de vitâ Nicolai Nicoli civis Florentini.

Facetiarum liber, qui spurcitiis & fœdissimis obscœnitatibus totus scatet, ad flammas, vel ad orcum potiùs relegandus. Prodiit mutilus *Tubingæ* 1550. 8°. Integer *Norimbergæ* 1485. f. *Venetiis* 1523. 8°.

De situ regionis Indiæ liber.

De officio Principis ad Julium II.

De varietate fortunæ ad Nicolaum V. *libri* IV.

De authoritate & potestate Pontificis & Concilii.

De nobilitate liber.

De miseria conditionis humanæ.

Historia Florentina libris VIII.

Disceptatio, utrum præstantior sit Medicus an Jurisperitus.

Invectiva in Fœlicem Antipapam.

Historia Disceptativa de avaritia.

Historiæ convivales tres.

Epistolarum volumen.

Invectivarum in Laurentium Vallam libri II.

Invectiva II. *pro Nicolao Nicholo in Franciscum Philelphum.*

Orationes complures.

Prodierunt Poggii Opera *Argentinæ* 1511. & 1513. f. *Basil.* 1538. f.

De infœlicitate Principum libellus, ab Elia Ehingero editus *Francofurt.* 1629. 8°.

Oratio in funere Leonardi Aretini, apud Baluz. Miscellan. Tom. III. p. 248.

Vita Dominici Capranicæ Cardinalis, ibid. p. 263.

Dialogus adversus Hypocrisim, quem è Bibliotheca Florentina in lucem extulit, atque unà cum Leonardi Aretini Oratione adversùs Hypocritas edendum curavit Hieronymus Sincerus Lotharingus *Lugduni* 1679. 8°. recusum in Appendice ad Fasciculum Rerum Expetend. *Lugduni* 1688. f.

Latinè adhuc transtulit Xenophontis Cyropædiam, & Diodori Siculi Historiam. Utraque *versio* typis excusa prodiit. Ut de Quintiliano, Asconio, Valerio Flacco, & Silio Italico ab eo in lucem protractis nihil dicam.

NICOLAUS DINCKELSPULIUS, natione Germanus, Patriâ Suevus, Gymnasii Viennensis Rector, claruit anno 1420. Superfuit anno 1431. quo ab Academiâ Viennensi delegatus Concilio Basileensi interfuit. 1420. H. W.

OPERA.

De Dilectione Dei & proximi Sermones XI.

De Præceptis Decalogi.

De Oratione Dominicâ.

De tribus Partibus Pœnitentiæ.

De octo Beatitudinibus.

De septem Peccatis mortalibus.

Confessionale Peccatorum.

De quinque Sensibus. Prodierunt isthæc simul Opuscula *Argentinæ* 1516. f.

Tractatus de Donis Spiritûs S. De Gratitudine & Ingratitudine, De Communione Sacramentali, extant MSS. in Bibliothecâ Augustanâ. Plura adhuc Nicolai scripta enumerat Simlerus Biblioth. Tigurin. p. 518. quique Simlerum tacito nomine solet exscribere, Possevinus Apparat. Sact. Tom. II. p. 147.

THEODORICUS ENGELHUSIUS, natione Germanus, Ecclesiæ Hildesheimensis Canonicus, claruit an. 1420. Scripsit *Chronicon Chronicorum*, seu Chronicon Universale rerum in Ecclesiâ & Republicâ gestarum ab Orbe condito ad annum 1420. Primus id è tenebris eruit, & publici juris fecit Joachimus Joannes Maderus *Helmstadii* 1671. 1420. H. W.

GULIELMUS LINDWOOD, gente Anglus, rarâ Juris Pontificii scientiâ celebratissimus, primùm quidem Aulæ Gonvilii in Academia Cantabrigiensi alumnus; posteà verò Oxonium transeuns, Doctoratûs insignia ibi loci tulit. Rebus agendis admotus, tantam brevi nominis famam sibi conciliavit, ut ab Henrico Chichleio Archiepiscopo Cantuariensi Decanus de Arcubus, sive summus sedis Metropolitanæ Cancellarius; ab Henrico V. Rege privati Sigilli Custos constitueretur. Claruit anno 1422. 1422. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. 1422. quo missus à Rege ad Hispaniæ & Lusitaniæ Reges legationem obiit. In Galliam exeunte anno reversus, Regem apud Staltum Vincennarum nuper defunctum deprehendit; & dolore animi compulsus, aulâ recedit, in Angliam redit, & ad scribendum se accingit; post annum 1434. Episcopus Menevensis factus. Obiit anno 1446. apud Canonicos Ecclesiæ S. Stephani Westmonasteriensis sepultus. Quod enim habet Pitseus *, eum anno 1423. è vita decessisse; mendam typographicam in numero cubare suspicarer. Præterquàm enim quòd Lindvodus se hoc ipso anno Provinciale suum inchoasse, annoque demum 1430. ad finem perduxisse in Præfatione asserat; ipse Pitseus id non obscurè probat, dum Lindvodum scribit tantam processu temporis apud Henricum VI. gratiam iniisse, ut sedi Menevensi ab eo præficeretur. Scripsit *Provinciale seu Constitutiones Angliæ libris* V. ad Henricum Chichleium, Mecœnatem suum; in quibus Constitutiones Archiepiscoporum Cantuariensium XIV. à Stephano Langtono ad Henricum Chichleium inclusivè collegit, & fusissimis Commentariis explicatas dedit. Prodiit Badii Ascensii typis impressum *Parif.* 1505. f. dein *Londini* 1557. 8°. *Oxon.* 1679. f. & recisis annotationibus, quæ ad Jus Canonicum minùs spectabant, curâ Roberti Sharrock LL. D. *Oxon.* 1663. 8°. Eidem ascribit Pitseus *Catalogum quorundam Archiepiscoporum Cantuariensium*, non alia forsan ratione, quàm quòd unà cum Provinciali *Londini* 1557. prodierit. Certè non alia de causa Lindvodo adjudicavit *Collectionem Constitutionum Othonis & Othoboni*, & amplissima in eos *Commentaria*, quæ Joanni de Athonâ qui exeunte Sæculo XIII. floruit, deberi omnes nôrunt; quàm quòd in omnibus editionibus Provinciali subnecti soleant. *Summam* adhuc *Causarum*, & *Commentarium in Psalmos quosdam* scripsisse Lindvodus dicitur: quæ nondum in lucem prodierunt. Cæterùm taceri non debet Lindvodum ad Concilium Basileense ab Henrico VI. Rege legatum, insignem Regio nomine Concilii Patribus obtulisse *Appellationem* contra Pontificum Romanorum fastum & arrogantiam, Regemque nullum in terris sibi in temporalibus superiorem agnoscere prædicasse. Appellationem istam ab omnibus Conciliorum Editoribus hucusq; summa fraude omissam conqueritur Jamesius Tractatu de corruptione Patr. p. 201.

* De Script. Angl. p. 610.

1422. H. W. JOANNES CANANUS, natione Græcus, Historicus Byzantinus, claruit anno 1422. Scripsit *Historiam Obsidionis Urbis Constantinopolitanæ*, ab Amurate II. Turcorum Rege anno 1422. X. Junii inchoatæ, die XXIV. Augusti solutæ. Extat Historia ista Gr. Lat. interprete Leone Allatio, ad calcem Georgii Acropolitæ *Parif.* 1651. f.

1424. H. W. GEORGIUS PHRANZA, Patriâ Byzantinus natus est annò 1401. die XXX. Augusti, non ignobili genere ortus, utpote Gregorio Palæologo Mamonæ, Magno Monembasiæ Duci, affinitate junctus. Utrosque parentes peste extinctos anno 1417. amisit. Ipse anno sequenti, die XVII. Martii, inter Cubicularios ab Emanuele Imp. cooptatus est. Claruit anno 1424. quo pacis ineundæ gratiâ ad Amuratem Turcorum Regem cum duobus aliis Legatis missus rem benè gessit. Anno 1425. Manuelis Imp. cui ante biennium ab Epistolis adhibitus fuerat, fato jam vicini Testamentum literis consignavit, & inter Curatores locum obtinuit; Paulò pòst à Manuele morituro Joanni Imp. filio de meliore notâ commendatus. Post Manuelis mortem à Constantino Palæologo Despotâ inter Cubicularios & amicos charissimos, ægrè id concedente Joanne Imp. fratre, ascitus, eum in Peloponnesi præfecturam mense Novembri secutus est. Anno 1428. moto inter Constantinum Despotam & Carolum Dynastam bello, Phranza copiis militaribus præfectus, Glarentzam urbem expugnavit. Anno sequenti dum Constantino Patras obsidenti Consiliarius adesset; & ex subitâ præsidiariorum eruptione periclitantem corpore suo tegeret, in duram admodum captivitatem à Patrensibus abductus est: mox, pactis utrinque induciis, liberatus. Bello iterum resuscitato, egregiam ille Constantino operam præstitit, in prælio fortis; in consilio prudens: sæpè turmis militaribus præfectus; sæpe ad exteros Principes barbaros pariter ac Christianos legatus; plùs unà vice ab inimicis captus, & pretio venditus. An. 1431. expugnatis à Constantino Patris præfuit. Anno 1432. ad Joannem Imp. missus. Protovestiarii dignitatem tulit. Anno 1436. Constantinum Peloponnesi regimine cedentem ad Urbem Regiam comitatus est. Anno 1438. Helenam Alexii Palæologi filiam, sibi uxorem duxit, multiplici prole auctus. Anno 1440. Constantino Peloponnesum repetenti comitem se dedit, ab eo rebus maximis præ aliis adhibitus, Selybriæ urbis, & Spartanæ provinciæ Præfecturâ donatus, & octennio sequenti plusquam totidem legationibus insignitus. Anno 1448. Constantino post Joannis fratris obitum ad Imperium evecto, majori deinceps dignitate augeri cœpit. Postquam enim Trapezuntem & Iberiam legatus, Iberiæ Regis filiam Constantino Imp. desponsârat; Byzantium reversus Magnus Logotheta renunciatus est. An. 1453. die XXIX. Maii, expugnatâ à Turcis Constantinopoli, Phranza in servitutem raptus est, venditus, & Spartam in Peloponnesum abductus; uxore pariter liberisque venditis atque aliò deportatis. Anno exeunte libertatem nactus, ad Thomam Peloponnesi Despotam, Constantini Imp. fratrem se recepit; à quo inter Domesticos allectus, & Certezâ oppido donatus fuit. Anno 1455. uxorem è servitute redemit, & ad Venetos legationem obiit. Anno 1460. attritis bello intestino fratrum Palæologorum opibus, & Turcis Peloponnesum longè latéque devastantibus, Phranza Thomam Despotam in Monasterium quoddam Macedoniæ confugientem secutus, rerum eventum ibi loci positus expectavit. In potestatem à Turcis redactâ Peloponneso, anno 1466. Græciæ longum vale dixit: & postquàm Italiâ peragratâ Viterbium, Romam, Anconam, & Venetias inviserat; Corcyræ sub exitum anni consedit; ubi deposito Georgii, & assumpto Gregorii nomine, vitam Monasticam induit; & ad Historiam sui temporis scribendam se accinxit. Eam demum absolvit anno 1477. die XXIX. Martii. Quamdiu absolutæ superfuerit, non liquet. Scripsit *Historiam rerum Byzantinarum* ab anno 1260. usq; ad an. 1476. libris IV. res ante se natum gestas leviter delibans, deinceps verò Historiam grandiori telâ pertexens. Latinè eam convertit, amputatis digressionibus crebris in tres libros contraxit, & adjectis ubique notis Theophylacto Simocattæ subjunctam edidit Jacobus Pontanus *Ingolstad.* 1604. 4°.

GEORGIUS PHRANZA, patriâ Constantinopolitanus, dignitate Protovestiarius, claruit anno MCCCCXXIV. Capta urbe, rebusque Græcorum pessundatis, ille liberis orbatus, & ingruentibus undique miseriis fractus in Cretam secessit, & valedicto sæculo, assumptoque Gregorii nomine, Vitam Monasticam amplexus est. *Auctor non contemnendus, sed usu rerum conspicuus*, ut de eo Allatius *adv. Hotting.* p. 493. Præter *Historiam*, quam à se Latinè versam amputatis nonnullis edidit Pontanus, quæ Græcè MSS. habetur in *Bibliothecis Bavaricâ, Regiâ Scorialensi, & Ambrosianâ Mediolan.* scripsit etiam aliud *Chronicon* brevius & succinctius, quod alterius Operis compendium videtur; incipit 1424. R. Gr.

ab

SÆC. XV. ab An. MCCCC. ab an. MCCCCII. ad ann. MCCCCLXXXVII; diductum MSS. erat penes L. Allatium, uti ipse refert, *contra Creighton*, p. 117. & de *Georgiis*, p. 426. Scripsit etiam *Expositionem Symboli*, Simeonis Thessalonicensis fortassis exemplo ductus: hujus ipse meminit in Historiâ suâ, lib. III. cap. 24.

1425. H. W. JOANNES DE IMOLA, patriâ Bononiensis, parentibus qui ab Imola Bononiam olim transmigrarant, natus; Baldi senis auditor. Juris utriusque Doctor in urbe patria non incelebris. Claruit anno 1425. Obiit Bononiæ an. 1436. die XVIII. Februarii, in Peristylio Templi S. Benedicti sepultus. Extant *Commentaria in tres libros Decretalium, in Sextum Decretalium, & in Clementinas*, Venetiis edita anno 1575. II vol. f. & juris Canonici Professoribus satis nota. *Commentarius in primam & secundam Infortiati, Digestique novi partes*, Bononiæ, 1580. *Consiliorum volumen*, Venet. 1581. Alia alibi.

1426. H. W. JULIANUS CÆSARINUS, Patriâ Romanus, illustri loco natus, Juris utriusque Doctor & in Academiis Italicis Professor, egregiæ doctrinæ famâ aditum sibi ad summos Curiæ Romanæ honores fecit, Protonotarius Apostolicus, Referendarius, Rotæ Auditor, & Cameræ Apostolicæ Clericus ordine constitutus. Tandem Cardinalis Diaconus titulo S. Angeli anno 1426. die XXIV. Maii, seu, ut alii habent, 1430. à Martino V. renunciatus est: mox Presbyter Cardinalis titulo S. Sabinæ, & Episcopus Grossetanus ac Tusculanus creatus. Purpuram adeptus, ad Hussitas debellandos in Germaniam cum exercitu legatus est. Verùm ab Hussitis probè cæsus & in fugam conjectus ludibrium retulit. Anno 1431. ab Eugenio IV. Basileam missus, Pontificis vices tenuit; & Concilio Generali ibi loci inchoato præfuit. Cùm verò Patres superioritatem Concilii supra Papam fortiter assererent, Eugenius datâ ad Julianum exeunte anno Epistolâ, illi Concilium dissolvere jubet. Noluit id Julianus; rescriptisque ad Eugenium duabus Epistolis eum acerrimè objurgavit, gravissimisque argumentis à consilio abducere conatus. Pontificem *causam schismatis & infinitorum malorum, ni consilium mutaverit, futurum esse* obtestatus est: Summa quinetiam constantia atque eruditionis fama concilii auctoritatem tutatus est, & præsidis locum tenuit, donec anno circiter 1438. vela flecteret & in Eugenii partes transitione facta, contra Marcum Ephesium in Concilio Florentino strenuè disputaret. Solutâ Synodo Florentinâ, ad Uladislaum Hungariæ ac Poloniæ Regem legatus, pacem à Christianis cum Amurate Turcorum Rege sanctissimè nuper initam summâ perfidiâ violari suasit, & obtinuit, Regemque à juramenti vinculo absolvit. Pessimè Christianæ Reipublicæ illâ cessit perfidia. Commisso enim apud Varnam anno 1444. prælio Uladislaus occubuit, Christianorum copiæ deletæ sunt; ipseque Julianus, qui prælatâ Cruce Christianis in pugnam præivit, vulneribus confectus interiit anno ætatis suæ 46. Extant *Epistolæ* ii. *ad Eugenium Papam*, quibus illum à Synodi Basileensis dissolvendi consilio abducere conatur, in Fasciculo Rerum expetend. Colon. 1535. p. 27. *Oratio habita in Concilio Basileensi nomine Ecclesiæ Catholicæ ad convertendum Bohemos*, admodum prolixa habetur Concil. Tom. XII. p. 894. ubi plures aliæ in eodem Concilio habitas Orationes sparsim reperire est. Acta disputationis in Concilio Florentino contra Græcos in Concilii istius historia inveniuntur. Alius à nostro fuit Julianus Cardinalis, cujus extat *Tractatus de Translatione Imperii* MS. in Bibliothecâ Augustanâ; modò verum sit, quod præ se fert titulus, autorem ejus Nicolai V. Pontificis Legatum fuisse. (Index MSS. Bibl. August. p. 47.)

Append.

SÆC. XV. ab An. MCCCC. 1426. H. W. BERNARDINUS, SENENSIS à patriâ dictus, ex nobili Albizeschorum familiâ oriundus, patre Senensi in Massanâ Hetruriæ oppido natus est anno 1380. die VIII. Septembr. Tolli & Neræ filius. Matrem trimulus, patrem septennis amisit. Anno 1392. Senas à propinquis accitus, Onuphrium in Grammaticis, Joannem Spoletanum in Philosophicis præceptores habuit. Anno 1396. Confraternitati Disciplinatorum B. Mariæ Virginis se adjunxit: & in Domo hospitali de la Scala, cui præfuit Tobia consobrina, sedes posuit; crebris corporis flagellationibus, urticâ & cilicio carni in remedium libidinis adhibitis, præ aliis insignis. Anno 1400. sævissimâ per Italiam grassante peste, sedulam fovendis ægrotis, qui ad Hospitale de la Scalâ turmatim confluxerunt, operam navando, egregiam sibi pietatis ac charitatis famam comparavit. Anno 1404. Franciscanorum religioni nomen dedit; & post brevem in Cœnobio Senensi moram factam, otium sectatus, ad Conventum Columbarii Urbe procul in medio nemore situm se contulit. Sacerdotio posthac initiatus, concionibus admodum inclarescere cœpit. Hierosolymam, dein ab Ordinis sui Generale missus, locis Sanctis Guardiani vice præfuit; totiusque Terræ Sanctæ Commissarium egit. In Italiam reversus, summâ nominis famâ ac populi plausu urbes concionando peragravit. In sermonibus id præcipuè egit ut auditores ad eximiam Jesu Christi nominis reverentiam excitaret. Nomen itaque sacrosanctum istud in centro Solis circino circumscripti depictum circumgestare solitus, id inter concionandum sæpe ostentavit, populumque ad nominis adorationem multis hortatus est. Exinde autem rerum novarum studii suspectus, apud Martinum V. Pontificem hæreseos accusatur: & Romam accitus, crimen quidem diluit, more tamen usurpato deinceps abstinere jussus est. Claruit anno 1426. Ab Eugenio IV. Pontifice Episcopus Ferrariensis, Senensis, & Urbinas ordine designatus, & à populo avidè expetitus, dignitates oblatas constanter recusavit. Fratribus verò de Observantiâ (quos ipse anno circiter 1412. instituerat) Cismontanis præfectus, trecenta ampliùs Monasteria aut collapsa restauravit, aut è fundamentis erexit. Obiit Aquilæ in Vestinis die XX. Maii anno 1444. ætatis suæ 64. à Nicolao V. inter Sanctos ascriptus anno 1450. Mira planè atque innumera de eo nugantur fabulatores Pontificii, morbos quoscunque verbulo difflatos, mortuos reliquiarum ejus beneficio vitæ restitutos, Græcæ linguæ scientiam ei penitùs rudi, coram Græcis tamen concionari auso, divinitùs inspiratam, Christumque ac B. Deiparam supra sermocinantis caput videri solitos, aliaque id genus portenta; quæ stupent bardi, rident sani.

OPERA.

Quadragesimale de Religione Christiana, in plures Tractatus divisum.

Quadragesimale de Evangelio æterno, quod plures Tractatus complectitur, & in his insignem *de usuris*.

Adventualia ii. *viz. de vitâ Christi, & de Inspirationibus.*

Quadragesimale duplex, unum *de Pugna spirituali*, alterum *Seraphim dictum*, seu *de Amore*.

Sermones de quatuor novissimis, & alii *Extraordinarii* dicti, numero XXV.

Tractatus de Confessione.

De Speculo peccatorum.

De Præceptis Regulæ Minorum.

De Præceptis Religiosi.

Epistola ad Fratres Familiæ Ultramontanæ.

De Aspirationibus quotidianis ad Deum.

H Dialogus

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. *Dialogus de Obedientia.*

Sermones de Christo Domino, augustissimo Eucharistiæ Sacramento, Deipara Virgine, de Tempore, & de Sanctis. Sermones de Festivitatibus gloriosæ Virginis per annum prodierunt *Norimbergæ* 1493.

Commentarii in Apocalypsin B. Joannis Evangelistæ.

Prodierunt S. Bernardini Opera curâ Petri Rodulfii, Episcopi Senogallensis, *Venet.* 1591. 4. Tom. in 4°. auctiora verò studio Joannis de la Haye, Franciscani, *Parif.* 1636. Tom. V. f.

1428. H. W. NICOLAUS TUDESCHUS, *Panormitanus* vulgò dictus, gente Siculus, Patriâ Catanensis, Ordinis Benedictini Monachus, & Cœnobii S. Agathæ Abbas, Monacensis Abbas Trithemio atq; aliis dictus, dein Archiepiscopus Panormitanus, claruit anno 1428. Jurisconsultus sui sæculi longè celeberrimus, adeò ut ob eximiam Juris utriusque scientiam Lucerna Juris communi voce appellaretur. Francisci Zabarellæ & Antonii Butrii discipulus. Postquàm Jus Canonicum in gymnasio Senensi, & ab anno 1425. Parmæ aliquamdiu docuisset; Romam evocatus, causarum Rotæ Auditor constitutus est. Anno 1431. ab Aragoniæ Rege ad Concilium Basileense legatus, dicendi copiâ, verborum gravitate, reconditâ Juris Canonici scientiâ, & nominis authoritate principem inter omnes locum tenuit. Concili causam edito contra Eugenium Papam commentario fortissimè tutatus est; ejusque superioritatem supra Pontificem Romanum invictis argumentis astruit; Eugenium tamen Concilii authoritatem detrectantem, & Conciliabulum Ferrariæ celebrantem, hæreseos eo nomine damnari noluit: quin Patres anathema Pontifici communi suffragio parantes consilio abduxit & Presbyteris atque Abbatibus non loca solùm, sed & definitivas sententias in Synodo ambientibus spem decollavit, atque antiquam Episcoporum prærogativam fortiter asseruit. Anno circiter 1440. Cardinalitiam purpuram à Fœlice V. Papâ Virtutis ac laborum præmium accepit. Obiit peste correptus anno 1445. seu, ut alii habent, 1443.

OPERA.

Commentaria fusissima in quinque libros Decretalium. Prodierunt *Venet.* 1492. *Lugduni* 1586. in tres priores libros *ibid.* 1524.

Commentaria in Clementinas, & earum Glossas.

Consilia numero CXVII.

Quæstiones subtilissimæ VII. Prodierunt unà cum Consiliis *Lugduni* 1584, 1586.

Repetitio in caput, Per tuas, *de Arbitris.*

Practica in omnibus ferè curiis observari solita.

Thesaurus singularium in Jure Canonico decisionum.

Tractatus de Superioritate Concilii supra Papam, seu *Defensio Concilii Basileensis adversùs Eugenium Papam.* Ejusmodi librum à Panormitano conscriptum esse Bellarmino * parum credibile videtur, qui contrarium planè rationibus quibusdam stramineis innixus innuit, seque illum in variis Panormitani Operum editionibus frustra quæsivisse asserit. Verùm invitâ hæc omnia veritate, forsan & conscientiâ. Librum enim antiquis characteribus anno circiter 1500. excusum ad calcem reliquorum Panormitani Operum penès se haberi mihimet indicavit Præsul omni laude major, Reverendus in Christo Pater ac Dominus Gulielmus Episcopus Asaphensis.

* De Script. Eccl. p. 288.

Prodierunt Panormitani Opera *Lugduni* 1547. 5. vol. f. *Venetiis* 1592. 8. Tom. f. *ibid.* 1617. 9. Tom. f.

1428. R. G. JOANNES GRITSCH, natione Germanus, patriâ Basileensis, Ord. Fr. Minorum, claruit anno MCCCCXXVIII. Tyrocinium literarum in patriâ Academiâ posuit; exteras etiam studiorum gratiâ invisit; cúmque optimis quibusque disciplinis animum excoluisset, sermonis nitorem & elegantiam insuper adhibuit. Quo tempore Concilium Basileæ congregatum est. Sacris Concionibus sui Ordinis Præfectus eximiæ eruditionis & eloquentiæ famam deportavit. Extat ejus *Quadragesimale per totum anni spatium inserviens, cum thematum Evangelicorum & Epistolicorum introductionibus*, impressum Reutlingæ 1476. Viennæ 1477, 1581. *fol.*

ALEXANDER CARPENTARIUS, natione Anglus, claruit anno 1429. quo *Destructorium vitiorum* condere incœpit. Isti enim debetur Opus illud quod *Venetiis* 1582. 4°. *Norimbergæ* 1496. & alibi sæpiùs, sine Authoris cognomine, Alexandro Anglo inscriptum, prodiit. Sic enim ad calcem Codicis MS. in Bibliotheca Baliolensi Oxon. notatum legitur: *Auferens angustias tenebrarum cujusdam fabri lignarii filius hæc notabilia supradicta ex SS. Doctorum sententiis, & S. Scripturæ documentis collegit; & ad honorem Dei scribere ad Ecclesiæ utilitatem decrevit*, &c. Codex verò in fronte Alexandri nostri nomen fert. *Hæc* αὐτόπτης Cl. Usserius in Bibliotheca sua Theologica MS. prodit. Porrò Destructorium istud habetur etiam MS. sub Alexandri nostri nomine in Bibliotheca S. Petri Cantab. cod. 115. 1429. H. W.

RAYMUNDUS DE SABUNDE, sive SEBEYDE, gente Hispanus, Artium & Medicinæ Doctor, in facultate etiam Philosophica, quin & Theologica insignis. Plurimam sibi in Gymnasio Tolosano (quod regendum demum suscepit) docendo & scribendo famam consecutus est. Claruit anno 1430. Extat *Theologia naturalis, de Homine & Creaturis*, seu *Thesaurus divinarum Considerationum*, quem Tolosæ inchoavit anno 1434. ad finem perduxit an. 1436. impressus *Daventriæ* — f. *Argentinæ* 1496. *Parif.* 1509. *Lugduni* 1540. 8°. *Francof.* 1631. 8°. *Venet.* 1581. 8°. Prologus in Indice Romano Clementis VIII. prohibetur. Nec mirum quidem. Omnes enim veritates revelatas in S. Scriptura contineri, atque unico illo medio Christianis à Deo propositas esse clarè docet. Habetur etiam ejusdem Dialogus *Viola Animæ* inscriptus, qui Raimundus & Dominicum Seminiverbium de hominis natura, de cognitione sui, Dei, & proximi, deque omni debito, quo Deo & proximo obstringimur, colloquentes repræsentat; nec aliud ferè est quàm Liber de Theologia naturali ab ipsomet autore in Dialogi formam redactus. Prodiit iste Dialogus *Coloniæ* 1501. 4°. *Lugd.* 1568. 12°. 1430. H. W.

DEMETRIUS CHRYSOLORAS, natione Græcus, domo, ut videtur, Thessalonicensis, summus Philosophus ac Astronomus, Emanueli Imp. admodum charus, à quo aliquando, dum prandenti adstaret, rogatus, referente Sguropulo *, num ex astrorum scientia certò aliquid futurum pronunciare posset, respondit se ex siderum concursu reperisse septimum Palæologum initurum concordiam cum Latinis & unionem Ecclesiarum maximè perniciosam, & Christianis omnibus detestandam. Cúmque id Imperator in Joannem consobrinum suum rejiceret; Demetrius Joannem filium ab Astris destinari affirmavit. Claruit circa annum 1430. Scripsit adversùs Latinos *Orationem Synopticam ex iis, quæ Nilus Thessalonicensis disseruit. Dialogum, quòd fas non sit Orthodoxis alios Orthodoxos de re aliqua accusare, Dialogum denique contra Orationem, quam scripsit Demetrius Cydonius adversùs Nilum Cabasilam Thessalonicensem.* Postremi istius Dialogi Fragmentum Gr. Lat. exhibet Allatius lib. advers. Hottinger. p. 49. Singula 1430. H. W.

* Hist. Concil. Florent. Sect. 3. c. 8.

Demetrii

Demetrii Opuscula MSS. asservantur in Bibliotheca Vaticana.

1430. H. W. MACARIUS, gente pariter Græcus Metropolita Ancyranus, claruisse videtur circa annum 1430. vel paulò ante; in Latinos acriter invectus. Extat opus ineditum *contra pravas Latinorum opiniones*; & in fine etiam contra Barlaamum, Acindynum, eorumque asseclas, Capitibus CXX. constans. Memorat id, atque acriter perstringit Leo Allatius de Consensu l. 2. c. 18. §. 15.

1430. R. G. MACARIUS ANCYRANUS, Metropolita, claruit circa annum MCCCCXXX. *Auctor*, ex sententia Allatii, *si quis alius, nugax, & qui mera deliramenta loquitur.* Verùm ex fragmentis, quæ idem Allatius satis frequentia profert, longè aliud judicium tum de Auctore, tum de Opere ferre non erubescimus; quippe qui contra Romani Pontificis Primatum, multa de Patriarchis, Metropolitis, & Episcopis; multa de Ordinationibus, Appellationibus, aliisque Iuris Ecclesiastici capitulis, de sextâ Synodo rebusque in eâ gestis eruditè, sanè & accuratè disputat. Vide Allat. *de Consens.* lib. I. c. 1. §. 1. c. 2. §. 8. c. 8. §. 2. c. 14. §. 3. c. 18. §. 2. c. 20. §. 8. 9. 18. c. 27. §. 2. Ex ungue Leonem. Integrum Opus contra Latinos asservatur Græcè MS. in *Biblioth. Cæsarea Vind.* Cod. Theol. CVII. Codex est chartaceus, mediocriter antiquus, in *folio*, constatque foliis 123. Ex eodem Opere Eclogas, sive excerpta quædam collegit Mathusalah Monachus. Pr. Α'. Τίς ἡ τῶ ἐντορεύεσθαι δύναμις, καὶ γράφει ὁ χρυσορρήμων. Habentur Græcè MSS. *ibid.* Cod. Philos. CCXXIV. n. x. Vide Lambecii Comment. lib. V. p. 223.

1430. H. W. ESAIAS, patriâ Cyprius, Latinorum amicus & sectarius, claruit, si rectè conjiciam, (neque enim certam ejus ætatem hactenus investigare potuerim) circa an. 1430. Certè Nicolai Sclengiæ æqualis, cujus librum de Processione Sp. S. adversùs Latinos datis ad illum literis oppugnavit; quibus ipsum ineptiarum atque impietatis arguit; Spiritum S. verò à Filio æquè ac Patre procedere multis argumentis probare contendit. Extat *Epistola ista* Gr. Lat. apud Leonem Allatium de Consensu l. 2. c. 18. §. 16. & Græc. Orthod. Tom. 1. p. 396.

1430. H. W. JOANNES, ANAGNOSTA Thessalonicensis, urbi patriæ ab Amurate II. Turcorum Principe anno 1430. expugnatæ præsens adfuit, laborum & calamitatum particeps. Ipse victoris pollicitationibus è fugâ revocatus, pristinas in Urbe sedes inter alios concives incolere perrexit. A tyranno verò post biennium reverso bonis exutus instituti consilii pœnitentiam egit. Scripsit *Narrationem de extremo Excidio Thessalonicensi*, cui *Monodiam* sive *Threnum Prosaicum* subtexuit. Utraque Gr. Lat. ab Allatio edita est Symmict. Part. II. p. 318. 374.

1430. H. W. PETRUS JEREMIÆ, natione Siculus, domo Panormitanus, Ordinis Dominicani Monachus, Concionator in primis facundus, claruit circa an. 1430. Bononiæ primùm inter Prædicatores cooptatus, posteà Insulam patriam repetiit, ac Monasteria sui Ordinis plura authoritate suâ reformavit, Bononiam demum regressus, obiit (uti ex Epitaphio liquet) anno 1452. V. Non. Martii, juxta Altamuram verò anno 1434.

SCRIPTA.

Sermones de tempore, & de Sanctis per totum annum.

Append.

Expositio Orationis Dominicæ.

Expositio decem Præceptorum.

Tractatus de Passione Domini.

Tractatus de Fide.

Prodierunt Opera Petri Hieremiæ modò recensita, *Hagenoæ* 1514. Alia quædam recenset Altamura Biblioth. Prædicat. p. 173. quæ nondum in lucem edita videntur.

NICOLAUS AUXIMANUS PICENS, gente Italus, patriâ Picenus, Ordinis Minoritarum sodalis, Bernardino Senensi familiaris, claruit anno 1430. Vir pius, nec indoctus quidem. Multa pro Ordine suo gessit, variaque obiit munera; inprimis verò Vicariatu provinciæ S. Angeli, & locorum Terræ Sanctæ præfecturâ fungebatur. Hierosolymis redux obiit in Cœnobio Aræ-cœli. Scripsit *Summam Casuum Conscientiæ*, Venetiis 1484. excusam; *Supplementum ad Summam Pisanellam*, Mediolani 1444. Venet. 1469. 4°. *Interrogatorium Confessorum*, Venet. 1489. 8°. *Commentarii in Regulam Fratrum Minorum, Juris Canonici Epitome, Sermonum liber, & Quadragesimale*; quæ ab eodem conscripta esse refert Lucas Waddingus de Scriptor. Ord. Minor. p. 263. nondum in lucem prodiisse videntur. 1430. H. W.

NICOLAUS SCLENGIA, natione Græcus, patriâ forsan Cyprius, Latinorum hostis infensissimus, claruit Esaiæ Cyprio æqualis circa annum MCCCCXXX. Scripsit contra Latinos *de Processione Spiritûs S.* & in dogmatis sui propugnaculum varia ex S. Scripturis & Patribus testimonia congessit. Opus istud examinavit Esaias, & Scriptâ Epistolâ Nicolaum ad disputandum provocat. Nicolaus rescribit. Extat Rescriptum, sive *Epistola Responsoria* ad Esaiam. Pr. Τί δὲ σοι, ἢ φίλε, τῆς ἀρρήτου τῷ παναγίου πνεύματος ἐκπορεύσεως ἀποκαλύψειν ἐγώ. Græcè MS. in *Bibl. Reg. Parisiens.* Cod. 1818. 1430. R. G.

HIERONYMUS CAMALDULENSIS; Patriâ Bohemus, domo Pragensis, unde & *Pragensis* cognomen adeptus est, Ord. Camaldulensis Eremita, claruit anno MCCCCXXX. Vir pius, *Sacris Literis apprimè eruditus, vita munditiâ & facundiâ singulari clarus* *, cùm annos supra viginti in Eremo Camaldulensi pœnitentiam egisset, patriâ desertâ in Poloniam proficiscitur; unde fidei Christianæ propagandæ gratiâ Lithuaniam pergit; ibique miseros populos Ethnicismo & Idolorum cultu insanientes ad veram sapientiam reducit; tandem ab iis malè tractatus, & regno exire jussus in Germaniam ac Italiam regressus est. Concilio Basileensi anno MCCCCXXXI. interfuit; ac Venetiis anno MCCCCXL. obiit. Scripsit *de Vitâ S. Romualdi Abbatis* prolixum admodum Sermonem, quem Bollandiani typis mandârunt, *Febr.* Tom. II. p. 124. Plura ejus scripta recenset Possevinus †, & Boh. Balbinus *. *Sermones Dominicales, de Sanctis, & Quadragesimales; contra errores Græcorum; contra Hæreticos; de Corpore Domini; Orationem in Conciliis*: quæ nihil aliud esse videtur, quam *Oratio de statu Religionis in regno Bohemia*, quam rogatu Jul. Card. in Concilio Basileensi habuit. 1430. R. G.

* Æneas Sylv. hist. de Europ. c. 26. p. 417.

† Appar. Sac. Tom. I. p. 745.

* Misc. Bohem. Dec. I. l. 4. p. 179.

JOANNES NIDER, natione Germanus, Patriâ Suevus, Ordinis Prædicatorum Theologus summus, Domûs Prædicatorum Basileensium Prior, Hæreticæ Pravitatis Inquisitor, & Gymnasii Viennensis Rector. Claruit anno 1431. quo ab Academia Viennensi ad Concilium Basileense missus, disputationibus adversùs Hussitas institutis sibi famam aucupatus est. Ineunte anno 1432. à Concilio ad Bohemos legatus, ut eos datâ salutis cautione & reformationis spe ad Synodum invitaret, operam lusit. Nondum enim illis memoriâ exciderat Hussi vivicomburium, & Con- 1431. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. & Concilii Constantiensis perjurium. Obiit Nider Norembergæ anno 1438.

SCRIPTA.

Consolatorium timoratæ Conscientiæ. Prodiit *Romæ* 1604 8°. *Parisiis* 1494. 16°. antea impressum.

Formicarius, seu *Dialogus ad vitam Christianam exemplo conditionum Formicæ incitativus*, historiis Germaniæ refertissimus. *Paris.* 1519. 4°. *Duaci* 1602. 8°.

Præceptorium, seu Tractatus de decem Præceptis. *Paris.* 1507. 4°. 1515. 4°. *Duaci* 1612. 8°.

Alphabetum divini Amoris. Habetur inter Opera Gersonis *Paris.* 1606. fol.

De modo benè vivendi liber; sub nomine D. Bernardi, ad Sororem, editus *Paris.* 1494. 16°. *Romæ* 1604. 8°.

De Reformatione Religiosorum libri iii. *Antverp.* 1611. 8°.

De Contractibus Mercatorum liber. Habetur in Collectione Tractatuum Juris, *Venet.* 1584. Tom. vi. p. 279. & inter alia Opuscula *Lugduni* 1593. *p.* 615.

Sermones totius anni de Tempore & Sanctis cum Quadragesimali. Prodierunt alicubi in 8°.

Epistolæ ii. ineunte anno 1432. *ad Bohemos* scriptæ. Habentur Concil. Tom. xii. p. 848. *alia ad Concilium Basileense*, ibid. p. 969.

Alia plura Nideri Opera inedita recenset Ambrosius de Altamurâ Biblioth. Prædicat. p. 170.

1431. H. W. EUGENIUS IV. *Gabriel Condelmerius* antea nominatus, Patriâ Venetus, illustri sanguine oriundus, Gregorii XII. ex sorore nepos, Angeli Condelmerii filius. Adolescens adhuc Canonicis Cœlestini habitûs Congregationis S. Georgii in Algâ nomen dedit. Excitatâ sanctitatis opinione, Romam ab avunculo accitus est, & Episcopus Senensis, Clericus Cameræ, Thesaurarius, ac Presbyter Cardinalis titulo S. Clementis, ordine constitutus. Sub Martino V. Piceni primùm, dein Bononiæ Legatus, rem utrobique benè gessit. Post Martini obitum Pontifex Romanus electus est anno 1431. ii. Nonas Martii, coronatus die xi. ejusdem mensis. Ineunte Pontificatu, *cùm divina humanaque omnia pertubaret*, inquit Joannes Stella*, populum Romanum ad arma concitavit; qui tumultu facto Eugenium cucullo arrepto Urbe se proripere compellunt; fugientem telis & sagittis insequuntur; Magistratus Pontificios loco submovent, suos subrogant, & libertatem sub Bonifacio IX. deperditam asserunt. Eugenius Urbe ejectus, Florentiam concedit. Interea temporis Concilium Basileense à Martino V. anno præcedenti indictum die XXIII. Julii à Juliano Cardinale S. Angeli, Eugenii legato, inchoatur: & sessione secundâ mense Martio anni sequentis habitâ, Papam Concilio subesse, reformandam esse Ecclesiam tam in Capite quàm membris, nec Concilium sine consensu proprio dissolvi aut aliò transferri posse decernit. Ægerrimè id fert Eugenius, legatum revocat, & Concilium Bononiam transferri jubet. Concilium authoritatem suam strenuè vindicat, Pontificis edictum irritum esse, temerarium, atque in Ecclesiæ scandalum cedere declarat; ipsum in Concilio intra tres menses comparere jubet, ni Concilii decreto in ordinem redigi malit: diem tamen illi sæpiùs ampliat usque ad initium anni 1434. cùm Eugenius Patrum minis territus, Concilio cedit, Acta illius omnia confirmat, edicta sua revocat, & legatos, qui in omnibus Concilio morem gerant, remittit. Post triennium verò Græcis in Occidentem adventuris, ut unionem cum Latinis sancirent, de Conventûs loco decertatur. Eugenius Concilium Ferrariam moveri mandat. Patres è contra Basileenses Eugenium Simoniæ, perjurii, aliorumque criminum reum agunt, & Basileæ se judicandum sistere jubent, parere nolentem sessione xxviii. die 1. Octobr. anni 1437. contumacem declarant; anno sequente sessione 31. ab authoritate Pontificia suspendunt; anno 1439. sessione 34. penitùs deprivant: Conciliorum Ferrariensis & Florentini Acta irrita ac schismatica esse decernunt, & exeunte anno die xvii. Novembr. sessione 39. Amedeum Sabaudiæ Comitem, sibi Pontificem titulo Fœlicis V. eligunt. Eugenius interim in Basileensium capita haud parcè fulminat; & allectis in Italiam Græcis Concilium suum celebrare pergit. Inchoatum id Ferrariæ anno 1418. & serpente ibi lue Epidemicâ Florentiam sub initium anni sequentis translatum. Acriter Græcos inter & Latinos aliquamdiu disputatur, tandem tamen utrinque convenit. Joannes enim Palæologus Imp. CP. ad incitas à Turcis jam dudum redactus, in Concilio præsens, subsidia sibi adversùs Barbaros ferri paciscitur, cæterâ de rebus fidei & Ecclesiæ suæ libertate parùm solicitus, Episcopos Græcos in Latinorum partes cedere authoritate suâ compellit. Utcunque igitur reclamantibus Marco Ephesino, atque aliis antiquæ fidei tenacibus, communi suffragio definitur, Purgatorium esse, Papam Ecclesiæ caput esse, Spiritum S. à Patre & Filio procedere, azyma in Eucharistiâ celebrandâ usurpari posse. Re confectâ Concilium solvitur; Palæologus Imp. inanibus promissis, Episcopi Græci dolore & ignominiâ onusti domum redeunt. Eugenius verò Romam se confert, in Fœlicem ac Basileenses tonat: nec illi minùs acriter anathema in Eugenium rejiciunt. Conviciis, quin & armis, res utrinque agitur: donec tandem anno 1442. die xvii. Cal. Junii, Patres Basileenses, indicto priùs Lugduni post triennium Concilio, Synodum claudunt, à Nicolao V. Papa anno demum 1449. confirmatam. Obiit Eugenius die xviii. Februarii, anno 1447. ætatis suæ 64. Extant *Epistolæ & Bullæ* xxiv. Concil. Tom. xii. pagin. 469, 931, &c. *alia Epistolæ* xxxiii. (quarum aliquæ Gr. Lat.) Concil. Tom. xiii. pag. 21, &c. *alia* x, apud Bzovium Annal. Tom. iv. *alia* plures apud Waddingum Annal. Minor. Tom. v. & in Bullario Laertii Cherubini *Romæ* 1617, 1638.

* Vit. Pontif. Basil. 1507.

1431. H. W. LAURENTIUS JUSTINIANUS, patriâ Venetus, dignitate Patricius, Bernardi Justiniani & Quirinæ filius, Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini Congregationis S. Georgii in Algâ. Triginta annis in Regulari vitâ exactis, Venetiarum Episcopus ab Eugenio IV. anno circiter 1431. seu, ut alii habent, 1435. constitutus est; postquàm nullas non preces, nullas non artes, ut onus impositum excuteret, adhibuisset. Vir infucatâ erga Deum pietate, prodigâ in pauperes charitate, & ingenti religionis Zelo, meritò celebrandus. Anno 1450. Patriarchæ titulo ac dignitate à Nicolao V. Pontifice auctus est, primusque apicem Patriarchalem urbi patriæ intulit. Obiit die viii. Januarii, anno Christi 1455. ætatis suæ 74. à Clemente VII. anno 1524. in Sanctorum album relatus.

OPERA.

Lignum vitæ, anno 1419. scriptum.

De Disciplinâ & spirituali perfectione.

De casto connubio Verbi & Animæ.

Fasciculus amoris.

De triumphali agone Christi.

De interiori Conflictu.

De complanctu Christianæ perfectionis.

Sermones de Festis Christi, Deiparæ, & Sanctorum, & de Eucharistiâ.

De vitâ solitariâ Opus.

De contemptu mundi. Opera omnia, hactenus enumerata, à Justiniano ante susceptas infulas Episcopales ordine sunt conscripta. Quæ sequuntur, post admissum

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. admissum Præsulatum sunt elucubrata.

De spirituali interitu animæ liber.

De ejusdem Resurrectione Spirituali, quæ per mediatorem Dei & hominum Christum Jesum fit, gratiâ ipsius multipliciter operante, libri II.

De regimine & institutione Prælatorum.

De obedientiâ.

De humilitate.

De gradibus perfectionis.

Epistolæ variæ.

De incendio divini Amoris Tractatus, in editione Venetâ primùm editus.

Prodierunt omnia Laurentii Justiniani Opera *Basil.* 1560. f. *Lugduni* 1568. f. *Venetiis* 1606. f.

1432. H. W. ANDREAS DE PETRA, Colossarum, seu, ut Sguropulo passim audit, Rhodi Archiepiscopus; inter Græcos natus, educatus, & Episcopali dignitate insignitus, tandem ad Latinos defecit. Claruit anno 1432. quo ad Concilium Basileense ab Eugenio Papâ legatus, Patres, ut Eugenio morem gererent, & schisma ab Ecclesiâ averruncarent, prolixâ oratione die XXII. Augusti habitâ persuadere conatus est. Mox à Concilio legatus ad Græcos concordiæ ineundæ gratiâ designatus est. Ipse munus istud olim obierat; an verò Provinciam sibi recens concreditam adierit, haud satis patet. Anno 1438. contra Marcum Ephesium & Bessarionem de processione Sp. S. in Concilio Ferrariensi strenuè disputavit. Extat *Oratio in Synodo Basileensi habita* Concil. Tom. XII. pagin. 872. & apud Bzovium ab anno 1432. §. 37. *Assertiones in Concilio Ferrariensi adversus Græcos propositæ*, ibidem ad ann. 1438. §. 8.

1432. R. G. ANDREAS de PETRA, *Rhodius* dictus, Archiepiscopus Colossensis, Græcus transfuga, claruit anno MCCCCXXXII. Scriptis suprà recensitis adjiciantur pauca. *Opus Antirrheticum in Marci Ephesii Epistolam* quandam ad Georgium Presbyterum (Scholarium scilicet) formâ Dialogi, ut videtur, conceptum, in defensionem dogmatis & rituum Latinorum, quæ Marcus improbaverat. Hujus Operis meminit L. Allatius *contra Creighton*, p. 162. Vide eundem *de libr. Eccl. Græc.* p. 196. *Apologia demonstrativa*, ex Commentariis B. Thomæ (Aquinatis) ad Bessarionem Archiepisc. Nicænum. *De Divinâ Essentiâ & Energiâ.* Extat Græcè MS. in *Bibl. Vatican.* & in *Regia Parisiens.* Cod. 1290.

1432. H. W. JOANNES, Archiepiscopus Tarentinus, claruit anno 1432. quo ipse pariter Eugenio ad Concilium Basileense missus, pro Pontifice in Synodo peroravit. Anno 1434. pace inter Eugenium & Concilium resarcitâ, ab illo iterum legatus est, ut cum aliis Concilio sua vice præesset. Anno 1438. derelictis Basileensibus, ad Eugenium se contulit: & Concilio Ferrariensi interfuit. Extat *Oratio in Synodo Basileensi habita* Concil. Tom. XII. pag. 884. & apud Bzovium ad annum 1432. §. 51.

1432. H. W. ÆGIDIUS CARLERIUS, natione Belga, ortu Cameracensis, Collegii Navarrensis in Academiâ Parisiensi socius, & Theologiæ Professor. Postquam prælectionibus in Sententiarum libros, & concionibus ad populum non vulgarem sibi nominis famam comparasset; anno 1431. v. Id Octobr. Ecclesiæ Cameracensis Decanus creatus est. Claruit anno 1433. quo Concilio Basileensi adfuit, & in reducendis ad Ecclesiam Hussitis strenuam navavit operam. Pragam enim à Concilio legatus nullum non laborem impendit, ut Bohemos in Ecclesiæ sinum revocaret, saltem ad Concilium adduceret. Basileam reversus, contra Nicolaum Taboritam, Hussitarum pugilem in Synodo per quatriduum disputavit. Obiit grandævus anno 1473. die XXIII. Novembris.

OPERA.

Sporta Fragmentorum; in qua habentur Tractatus *De conservatione bonorum Ecclesiæ*; *Defensorium Ecclesiæ*; *De perpetua Virginitate B. Mariæ*; *Contra Iconomachos*; *Pro cœlibatu, præsertim Ecclesiasticorum.*

Sportula Fragmentorum, quæ continet Tractatus, *De electione Judæ proditoris*; *De Hierarchiâ Ecclesiasticâ*; *De redditibus ad vitam*; *De Decimis*; *De Indulgentiis*; *De integritate Confessionis*; *De non esu carnium apud Benedictinos*: *Contra consummati sæculi calculatores*; *De clausura Religiosarum Ordinis S. Dominici.*

Prodierunt Sporta atque Sportula istæ, titulo *Diversarum Casuum Consultationum*, *Bruxellis* 1478. 2. vol. f.

Oratio, quâ respondit per dies quatuor in Concilio Basileensi ad articulum secundum Bohemorum, de corrigendis peccatis publicis, quem proposuit per biduum Nicolaus Taborita. Extat Concil. Tom. XII. p. 1159. usque ad p. 1248. apud Bzovium ad an. 1433. §. 193. & apud Canisium Antiqu. Lect. Tom. 3. pag. 289.

Commentarii in IV. libros Sententiarum, *Sermones* XLIII. & *Tractatus de rebus diversis quamplurimi*, MSS. in Bibliotheca Collegii Navarrensis asservantur. Singulorum titulos & argumenta exhibet Launoius Hist. Gymnas. Navarr. par. 2. c. 4. p. 581.

JOANNES RAGUSÆUS, seu *de Ragusio*, natione Dalmata, Ordinis Prædicatorum Monachus, & Procurator Generalis. Quo nomine ad Concilium Basileense legatus, ineunte anno 1433. adversus Joannem de Rogkysana, Hussitarum Advocatum, integro octiduo disseruit. Anno sequenti à Concilio Constantinopolim missus est; ut Græcos pacis & subsidii spe ad Synodum invitaret. Anno 1438. derelictis Patrum Basileensium partibus, in Eugenii Pontificis castra transiit, & Concilio Ferrariensi interfuit. Anno 1440. Episcopatu Argentinensi, seu ut alii habent, Argensi, à Pontifice ante biennium donatus, Constantinopolim ad Joannem Imp. legatus est. Sunt qui Ragusæum in Cardinalium numerum titulo S. Sixti posteà cooptatum fuisse tradunt. Extat *Oratio quâ respondit per octo dies in Concilio Basileensi ad Articulum primum Bohemorum, de Communione sub utraque specie, à Joanne Rogkyzanâ propositum*; Concil. Tom. XII. p. 1013. usque ad p. 1159. apud Bzovium ad annum 1433. §. 99. & Canisium Antiqu. Lect. Tom. 3. par. 2. pag. 1. 1433. H. W.

GERARDUS LANDRIANUS, Episcopus Laudensis, claruit anno 1433. quo circiter tempore à Concilio Basileensi ad Henricum VI. Angliæ Regem legatus, in consessu Ordinum Angliæ orationem ad Regem habuit; & Oratores ac Episcopos reliquorum regnorum exemplo ex Anglia ad Concilium mitti, pacemque afflictis Galliæ rebus concedi multis rogavit. Extat *Oratio ista* Concil. Tom. XII. p. 867. 1433. H. W.

JORDANUS BRIXIUS, natione Gallus, dignitate Miles, professione Jurisconsultus, Consistorii Regii Advocatus, & Provinciæ Galliarum Judex Major claruit anno 1433. Scripsit *Tractatum pro Eugenio IV. Pontifice adversus Concilium Basileense*; quem primus in lucem edidit Baluzius Miscellan. Tom. 3. p. 303. 1433. H. W.

HENRICUS DE KALTEISEN, natione Germanus, patriâ Confluentinus, *Frigidum Ferrum* vulgari cognomento dictus. In patria Urbe educatus Dominicanis se adjunxit: & Doctoratûs laureâ in 1433. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. in Academia Coloniensi insignitus, Cruciatæ contra Bohemos prædicandæ provinciam sibi à Pontifice demandatam suscepit. Anno 1433. in Concilio Basileensi contra Udalricum Hussitarum Patronum integro triduo disputavit. Anno 1440. Sacri Palatii Magister creatus est, & Hæreticæ pravitatis per totam Germaniam Inquisitor constitutus; cùm priùs Inquisitor fidei apud Colonienses fuisset. Anno 1452. III. Cal. Mart. duarum in Norvegia Provinciarum, Nydrosiensis & Cæsariensis, Archiepiscopus à Nicolao V. Papa consecratus est. Obiit anno 1465. VI. Cal. Octobris, in Conventu Confluentino sepultus. Extat *Oratio, quâ in Concilio Basileensi per tres dies refutavit tertium Articulum Bohemorum, de liberâ prædicatione verbi Dei, quem proposuit per biduum Udalricus Presbyter Orphanorum*: Concil. Tom. XII. pag. 1249. usque ad p. 1364. apud Bzovium ad an. 1433. §. 254. & Canisium Antiqu. Lect. T. IV. par. 2. p. 1. Reliqua ejus scripta, adhuc inedita, recensent Trithemius fol. 173. & Altamura p. 187.

1433. H. W. JOANNES DE POLEMAR, Archidiaconus Barcinonensis, Apostolici Palatii Auditor, Juris Pontificii Doctor in Gymnasio Viennensi, à Juliano Cardinale anno 1431. ad Concilium Basileense inchoandum præmissus, in Synodo deinceps præclarè rem gessit. Præcipuè verò in colloquiis de concordiâ ineundâ cum Hussitis anno 1433. institutis inclaruit. Ineunte enim anno à Concilio Pragam ad Bohemos legatus, crebras de pace apud Ordines Regni orationes habuit; eosque Oratores suos ac Theologos ad Synodum mittere persuasit. Basileam deductis Hussitis, & disputatione utrinque initâ, ipse Petri Rayne, Angli, qui ultimus omnium pro Bohemis perorarat, argumenta triduanâ dissertatione oppugnavit. Mox ad Bohemos, qui Basileâ proditionis metu properè excesserant, remissus, pacem exoptatam Concilii jussu composuit, & Hussitis postulata concessit. Utrinque enim convenit, ut Eucharistia sub utraque specie Laicis daretur; ut enormia crimina acri censura ab Ecclesiasticis afficerentur; ut Presbyteris Dei verbum liberè prædicare liceret; utque sacerdotes rerum civilium dominio, sese ampliùs non immiscerent. Extat Polemarii *Oratio*, quâ in Concilio Basileensi per tres dies refutavit quartum articulum Bohemorum *de civili dominio Clericorum*, quem proposuit per triduum Petrus Rayne (rectiùs Payne dicendus) Anglus: Concil. T. XII. pag. 1364. usque ad pag. 1419. apud Bzovium ad ann. 1433. §. 338. & Canisium Antiqu. Lect. Tom. IV. par. 2. pag. 229. *Liber de abstinentia carnium, Sermones, & Quæstiones*, à Trithemio memorata, adhuc latent.

1434. H. W. ALPHONSUS TOSTATUS, gente Hispanus, in oppido Madrigali apud Vaccæos natus, primâ ætate in Academia Salmanticensi bonis literis operam dedit, dein in Collegium Bartholomæi ad Laurum Salmanticense adscitus, sacros Presbyteratûs ordines suscepit. Annos nondum 22. natus, totum literarum, quâ latè patet, stadium tam felici cursu permensus fuerat, ut nulla humanæ scientiæ materia ipsi inaccessa videretur. Triplici itaque stipendio è publico conductus, nullas ferè non artes liberales in Academiâ Salmanticensi docuit. Claruit anno 1434. quo circiter tempore Concilio Basileensi interfuisse dicitur. Episcopus demum Abulensis factus, Regi à secretioribus consiliis adhibitus, & major Hispaniarum Referendarius creatus. Obiit gloriæ magis quàm dierum satur, anno Christi 1454. quadragenario haud major, in Ecclesia Abulensi sepultus; atque istiusmodi elogio ab Hispanis donatus; *Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.* Vir sanè stupendæ memoriæ, incredibilis diligentiæ ac rari planè judicii: qui non modò intima Theologiæ adyta penetrarat, sed & reconditiorem exterarum disciplinarum, Philosophiæ, Mathematicæ, Geographiæ, Historiæ, ac Juris utriusque scientiam toto, quod aiunt, pectore exceperat. Nec tamen pietate minùs ac religionis zelo, quàm doctrinâ insignis, jejuniis, vigiliis, & orationibus perquàm deditus; adeò ut defuncti memoria apud populares suos eximia veneratione coleretur. Diligentiam verò quòd attinet, & indefessum legendi scribendique studium; certè omnium non sui modò, sed cunctorum sæculorum πολυγραφώτατος fuit: qui 22. annorum spatio plura scripsit, quam integrâ ferè ætate aliquis attentè perlegere possit; ut in hoc decantato illi Didymo Alexandrino conferri soleat: quem admirandâ etiam memoriæ fœlicitate ita exæquavit, ut nil unquam semel perlectum oblitus feratur. Sanè ut immensa, quæ typis excusa circumferuntur, taceam volumina, quadringenti plusquàm illius libri, dum ex Hispaniis in Italiam prælo destinati adveherentur, naufragio interiisse dicuntur. Ne tantas tamen dotes labe aliquâ immunes censeamus, nonnulli in eo debitam erga SS. Trinitatis mysterium, venerationem, plures majorem erga Patres reverentiam, omnes styli nitorem atque elegantiam desiderant, ut Pontificiorum criminationes mittam, qui illum nimio placita suâ à Card. Turrecrematâ impugnata, & ab Eugenio Pontifice notata, defendendi studio abreptum ipsam Papalem authoritatem haud obscurè impugnasse conqueruntur.

OPERA.

Commentariorum in Genesin, liber, anno 1436. scriptus, cui præmittitur *Commentarius in Epistolam S. Hieronymi ad Paulinum, & in Præfationem ejusdem in Pentateuchum.*

Commentariorum in Exodum libri II.

In Leviticum liber.

In Numeros libri II.

In Deuteronomium liber.

In Josue libri II.

In Judices & Ruth liber.

In primum librum Regum libri II.

In tres sequentes libros Regum libri totidem, quorum ultimus scriptus est anno 1449.

In libros Paralipomenon libri II.

Commentariorum in Evangelium S. Matthæi libri VII. anno 1449. ad umbilicum perducti.

Defensorium trium Conclusionum, anno 1445. scriptum.

Liber de quinque figuratis Paradoxis. Prodiit seorsim *Duaci* 1621. 8°.

Libellus de sanctissima Trinitate.

Tractatus in illud, Ecce Virgo concipiet, &c.

Contra Sacerdotes publicos concubinarios.

De statu Animarum post mortem.

De optimâ Politiâ.

Prodierunt omnia ista Tostati Opera, Francisci Ximenii Cardinalis sumptibus *Venet.* 1530. (quæ quidem editio in Indice Romanensium Expurgatorio iniquam satis censuram passa est, atque adeò præ aliis sincera est habenda) *ibid.* 1596. & *Colon.* 1612. Tom. XXVII. f. quorum ultimi duo Tomi nonnisi Indicem complectuntur, studio Francisci Fontani, Canonici Complutensis, compilatum.

Censura Colloquii Ratisbonensis. Prodiit alicubi 1608. 4°.

Commentarius sive Expositio in libros Chronicorum Eusebii, in V. Partes distributa, quam patriâ linguâ conscripsit Tostatus. Prodiit Hispanicè *Salamanticæ* 1506.

Quæstiones XIV. quarum quatuor priores universam ferè S. Scripturam compendio repræsentant; reliquæ de stirpe ac successione Deorum Gentilium agunt. Prodierunt Hispanico idiomate excusæ *Antverp.* 1551.

Cæte-

Cæterum Tostatus universos S. Scripturæ libros *Commentariis* explicavit; atque innumera diversi argumenti Opuscula conscripsit. Horum, quotquot oblivioni supersunt, titulos exhibet Ant. Possevinus Apparat. Sacr. Tom. 1. p. 47.

1434. H. W. JOANNES, titulo tenus Patriarcha Antiochenus, claruit anno 1434. quo Basileæ positus *Tractatum de superioritate Concilii contra Papam* compesuit, in quo id præcipue agit, ut Concilii superioritatem argumentis è Jure Canonico prolatis astruat. Postquam libellum suum in Conventu Fratrum Minorum publice recitasset, Concilii Patribus legendum obtulit. Extat ille Concil. Tom. XII. p. 912.

1434. H. W. ISAIAS, & ipse etiam titulo tenus Patriarcha Hierosolymitanus, forsan aliquis ex Minoritis, qui Missionem tunc temporis in partibus Orientalibus obierunt, cui Armeniorum Ecclesiæ Romanæ conciliandorum cura commissa est, & augustus iste titulus à Pontifice collatus. Neque enim onus ei impositum, nec submissa verborum humilitas, quâ Pontificem affatur, vero Patriarchæ conveniunt. Claruit anno 1434. sub cujus exitum data ex Urbe Constantinopoli Epistolâ breviculâ, Armeniorum unionem sibi curæ fore promisit. Extat *Epistola* ista Concil. Tom. XIII. p. 539.

1434. R. G. NICOLAUS PLOVIUS, aliis *Plonius*, interdum & *Blonius* dictus, gente Polonus, *Decretorum* Doctor, Capellanus ac tandem Episcopus Posnaniensis, claruit anno MCCCCXXXIV. Lucubrationes ejus variæ supersunt, diversis locis & temporibus editæ. *Sermones de tempore & Sanctis*, Argentorat. 1498. *Tractatus Sacerdotalis de Sacramentis & Divinis Officiis*, Paris. 1514. 4to. *De excommunicationibus : de Horis Canonibus dicendis : de interdicto Ecclesiastico : de Irregularitate, de Sacramentis, & eorum administratione : de sacrificio Missæ.* Hi sex Tractatus prodierunt Argentorat. 1593. & inter *Tractat. Tractatuum juris*, Venet. 1584. Tom. XIV. XV. Opus *de Sacramentis, & Censuris Ecclesiasticis*, editum Paris. 1551. 8vo. Tho. Aquinatis *Confessionale* subjunctum habet, uti & Lugduni 1565. Paris. 1586.

1436. H. W. MARCUS EUGENICUS, natione Græcus, primum quidem ludo aperto pueris edocendis & orationibus conscribendis operam dedit; dein paratâ à Joanne Imp. in Occidentem profectione, ob raram doctrinam atque eloquentiam electus qui pro Græcorum dogmatibus contra Latinos inter primipilares decertaret. Archiepiscopatu Ephesino post Josephi Metropolitæ obitum donatus est anno circiter 1436. An. 1438. à Joanne Imp. ad Concilium Ferrariense ductus, principem inter Græcos post Patriarcham CP. locum tenuit, tum ob doctrinæ famam, tum quòd Patriarcharum Antiocheni & Hierosolymitani vices sibi demandatas obiret. Sub initium Concilii gravissimam Imperatoris iram subiit, eò quòd vocem FILIOQUE è Symbolo expungi, & azyma in Eucharistia non ampliùs usurpari, à Latinis oblato libello postulans, Eugenii Pontificis animum exacerbasset. Institutâ utrinque disputatione Marco communi omnium suffragio primæ partes à Græcis sunt demandatæ; ut aciem instrueret, copias educeret, & adversariorum ictus repelleret simul ac repensaret. Provinciam ille sibi demandatam intrepidâ animi constantiâ & immenso fervore egit; Latinorum utpote hostis juratissimus; & effreni erga Ecclesiæ Græcæ dignitatem zelo ductus. Primo quidem certamine infra conceptam de se opinionem, & Juliani Cardinalis, Latinorum Antesignani, acumen subsedit; Scholasticis quippe disputandi formulis in Occidente receptis insuetus; & causâ, quam agebat, [de processione enim Sp. S. agebatur] veritate destitutus. Postea verò Bessarionem sibi parallatam nactus, tantâ dicendi copiâ, tam invicto argumentandi acumine emicuit, ut omnes in sui stuporem raperet: tam immoderato interni animi ardore usus, ut Latinos Hæreticos vocare nequaquam dubitavit, cum illi famâ ficto rumore in vulgus dissererent; & ab ipso Bessarione, laboris socio, Cacodæmonis titulo notaretur. Re demum ad exitum spectante, & Episcopis Græcis Pontifici morem gerere, & Concilii decretis subscribere à Palæologo Imp. jussis, solus omnium constanter recusavit, neque ullis minis, ullis promissis adduci potuit, ut Ecclesiæ Græcæ libertatem proderet. Post Concilium igitur solutum Constantinopolim reversus, divinis ferè honoribus à Populo exceptus est: & Latinos scriptis oppugnare pergens, ut unio tanto rerum apparatu, tanto strepitu composita, in nihilum recideret, effecit.

SCRIPTA.

Epistola de Synodo Florentinâ ad omnes Christianos, quos multis hortatur, ne Synodum Florentinam suscipiant; Græcorum subscriptiones partim pretio partim terrore à Latinis surreptas esse docens. Extat. Gr. Lat. unà cum Josephi Methonensis Responsione, Concil. To. XIII. p. 677.

Epistola circularis ad omnes ubicunque terrarum degentes, de eadem re. Extat Gr. Lat. cum Gregorii Protosyncelli Responsione, ibid. p. 740.

Tractatus, quod Divina Dona sanctificantur non solum à verbis Dominicis, verùm etiam à consequentibus oratione & benedictione Sacerdotis, virtute Sp. S. Habetur Græce inter Liturgias *Paris.* 1560. *p.* 138.

Professio Fidei. Fragmentum ejus Gr. Lat. exhibet Leo Allatius de Consensu l. 3. c. 3. §. 4.

Epistola ad Joannem Palæologum Imp. cujus laciniam dabit idem lib. de Synodo octavâ c. 14. p. 544.

Ecphrasis animam agentis. Excerptum ejus habet idem ibid.

Capita Syllogistica contra Latinos de Processione Spiritus S.

Epistola ad Georgium Scholarium contra ritus & sacrificia Romanæ Ecclesiæ. Habetur MS. uti & quatuor præcedentia Opuscula, in Bibliothecâ Vaticanâ. *Orationes de purgatorio* Ferrariæ ad Cardinales habitæ; *Responsiones ad Quæstiones Cardinalium & de consecratione Corporis Dominici. Solutio duarum quæstionum à Rege propositarum. Epistolæ adversùs* Latinos, Ὁμολογία τῆς ὀρθῆς πίστεως Florentiæ facta, & alia quædam in Bibliotheca Regis Galliæ MS. Gr. asservantur. Teste Ph. Labbeo, nov. Biblioth. MSS. p. 2. §. 2. pag. 88.

MARCUS EUGENICUS, Metropolita Ephesinus, Græcorum in Synodo Florentinâ pugil indefessus, fideique Orientalis strenuus propugnator claruit ann. MCCCCXXXVI. Disputationibus contra Latinos famam latè propagavit, scriptis immortale sibi nomen peperit, quorum plurima congessit H. Whartonus, sunt autem alia à nobis minimè prætereunda. 1436. R. G. *Capita* lxviii. *contra hæresin Acindynistarum de distinctione Divinæ Essentiæ & Operationis.* Pr. Κεφάλαιον α'. Εἰ ταὐτὸν ἐστὶ Θεοῦ οὐσία καὶ ἐνέργεια, ἢ ἐν τῇ οὐσίᾳ. Habentur Græcè MSS. in *Bibl. Vindob.* Cod. Theol. CLXXI. *De Processione Spiritûs S. contra Latinos* Pr. Καινή τις ἐστιν ὡς ἀληθῶς καὶ ἀλλόκοτος ὡς οἱ Ῥωμαῖοι ἐν τῷ ἁγίῳ Συμβόλῳ. MS. *ibid.* Cod. Theol. CCII. Hunc Tractatum nostro Ephesio, etsi Auctoris nomen subticeatur, Cl. Tengnagelius asseruit. Fragmentum Operis cujusdam [forte superioris] *de Processione Spiritûs S.* Pr. Εἰ δὲ καὶ τὸν μέγαν Κύριλλον συνηγορεῖν. MS. *ibid.* Cod. Theol. CCXXII. num. vi. Capita Syllogistica

SEC. XV. ab An. MCCCC. adversus Latinos *de Processione Spiritus S.* Pr. Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ Πατρὸς ἐκπορευόμενον. MSS. *ibid.* Cod. Philos. ccxxiv. num. vi. *Alia Capita Syllogistica de Processione*, &c. memorat Allatius. Pr. Ἐρώμεθα τοὺς Λατίνους, quæ in *Bibl. Vaticana*, cum *Responsione* Geo. Scholarii & Bessarionis Græcè MSS. asservantur. Vide Allat. *de Consens.* lib. III. cap. 3. §. 4. col. 935. Extant etiam in *Bodleian.* Cod. 720. *Responsio ad Latinorum assertiones de Igne Purgatorio*, Ferrariæ anno 1438. habita. Pr. Ἐπειδὴ μὴ ἀγάπης ἀποκρίνασθαι ... *Responsio secunda ad Latinorum assertiones de Purgatorio.* Pr. Ἐπειδὴ σαφέστερον ἡμᾶς ἀπαιτῆσαι ... καθαρώτερον ἐπὶ τοῖς ἠρωτημένοις. Utraque habetur Græcè MSS. in *Biblioth. Cæsareâ*, Cod. Philos. CCXXIV. num. iii, iv. In eodem Codice reperiuntur & *alia quædam Quæstiones Theologicæ* Græcè MSS. Pr. Ἡ τοῦ Υἱοῦ ... *Cantica duo in SS. Trinitatem & Incarnationem Domini*, quorum primum sic incipit, Μέγα τὸ εὐσεβείας μυστήριον, nec non *Canones Octo in S. Virginem Deiparam*, quorum primus hoc modo incipit, Ἀρχόμενος σήμερον ... Extant Græcè MSS. *ibid.* Cod. Theol. CLXXXVII. *In Orationem Dominicam Commentarius*, Græcè MS. *ibid.* Cod. Philos. CXCV. num. xiii. *Confessio fidei* in Concilio Florentino. Pr. Ἐγὼ τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι ... ἐντραφεὶς ... , MSS. in *Bibl. Bodleian.* Cod. 114. iterúmque *ibid.* Cod. 3377. Hujus meminit L. Allatius *de Consens.* lib. III. cap. 3. §. 4. col. 934. & *contra Creighton*, p.162. *De hominis imbecillitate* Tractatus, Græcè MS. in *Bibl. Augustanâ.* *Epistola ad* Georg. Scholarium, quâ mutatam animi sententiam, & in Latinos lapsum plorat. Habetur Græcè MS. in *Biblioth. Bodleian.* & *Regiâ Paris.* eamque velut ἀνέκδοτον laudat Cl. Ds. du Cangius, *Gloss. Med. Græc.* col. 1281. sub. v. Ῥαμπίλιον. Eandem autem ex *Cod. MS. Ambrosiano* descriptam cum versione suâ Græcè & Latinè edidit doctissimus Allatius, *contra Creighton*, p.88. *Epistola* altera ad Geor. Scholarium. Pr. Τὴν γραφὴν σου δεξάμενος. Hujus uti & *Responsionis* quam paravit Andreas Colossensis notitiam debemus industriæ L. Allatii *de Georgiis*, p. 396. *Expositio Officii Ecclesiastici* Græcè typis mandata est *Jassii* in Moldaviâ 1683. *fol* Simeonis Thessalonicensis Operibus subnexa. Fortasse Expositio ista non differt à Paraphrasi in Pentecostarium à Marco nostro adornatâ, cujus mentionem habet L. Allatius *de libr. Eccl. Græc.* Dissert. II. p. 280. Piorum quorundam Cretensium rogatu scripsit Sermonem annuâ S. Eliæ celebritate in *Officio* legendum. Pr. Ἔδει μὲν ἀληθῶς ἡμῖν ... Hujus testem habemus Greg. Protosyncellum, *Apologia adv. M. Ephesii Epistolam*, Conc. Tom. XIII. c. 805. Tractatus denique *de Purgatorio*, à Bon. Vulcanio primùm, dein à Cl. Salmasio typis subjectus, Nilo Thessalonicensi ab Allatio * ascriptus, nostrum Ephesium Auctorem habuisse videtur, uti ex Sixto Senensi †, & Mart. Crusio * didicimus, quod & Reverendiss. Usserius Armachanus observavit. Erat & Marco frater nomine Joannes; de quo nonnulla Cl. Whartonus *Append.* ad Part. I. p. 78. Hujus, ut videtur, operâ Simeonis Archiepiscopi elogium in Synodico Thessalonicensi conscriptum est. Vide Allatium *de Simeon.* p. 187.

* Dissert. de Nilis p. 45.
† Biblioth. Sanct. lib. VI. Annot. 259. p. 526.
* Turco-Græc. p. 186.

1436. H. W. BESSARION, gente Græcus, patriâ Trapezuntinus, Ordinis S. Basilii Monachus, anno circiter 1436. Monasterio post 21. annos inibi exactos eductus, & ad honores eâdem de causâ, ob quam Marcus Eugenicus, evectus est, Archiepiscopus Nicænus constitutus. Anno 1438. ad Concilia Ferrariense & Florentinum profectus, latum eloquentiæ & doctrinæ explicandæ campum nactus est. Marco in disputando socius datus, præclarè rem gessit; Latinorum argumenta acutè dissolvit, & Græcorum causam nervosè admodùm tutatus est. Famæ sibi exinde comparatæ (neque enim aliud versipellis homo egit) fatur, mollius deinceps pedem Latinis committit, ita ut in istorum partes pedetentim propendere, & Pontificis gratiam aucupari, manifestis indiciis deprehenderetur; acriter à Marco eo nomine increpatus, & Spurius, atque Ecclesiæ patriæ proditor appellatus. Sub Concilii finem detracto velo ad Latinos penitus defecit; eorum causam strenuè promovit; & Josepho Patriarchæ CP. moribundo Concilii definitiones subscriptione suâ confirmare persuasit. Soluto Concilio, in Græciam reversus, Patriarcha CP. à Joanne Imp. & Latinorum sectatoribus designatus est, verùm Græcis, quotquot Florentiæ fidem non decoxerant, avitam religionem mordicùs retinentibus, & Latinorum amicos cane & angue pejus detestatis; dignitate Patriarchali cedere necesse habuit. In Italiam itaque se recipiens, divitiis simul ac honoribus ab Eugenio Pontifice cumulatus est, & inter Cardinales cooptatus. A Nicolao V. Eugenii successore Episcopus Tusculanus, & legatus Bononiæ constitutus est: quam quidem provinciam tantâ prudentiâ quinquennio administravit, ut perpetuus Patronus ac Protector à Dominicanis pariter ac Franciscanis Sodalibus designaretur. Post Nicolai mortem an. 1455. parum abfuit quin Summus Pontifex à Cardinalibus eligeretur. Post annum 1458. Pio II. Papæ belli contra Turcos suscipiendi author fuit; & ad Fredericum Imp. ad Germaniæ Principes, & Venetorum Rempublicam legatione perfunctus, omnes flagrantissimis precibus ad sacrum bellum concitavit. Apud illos quidem surdis cecinit, his verò facundo sermone id animi addidit, ut exercitum haud contemnendum conscriberent. Verùm Pii mors repentina tantos belli apparatus difflavit. Anno circiter 1464. à Paulo Pontifice in Isidori Cardinalis, titularis Patriarchæ CP. defuncti, locum suffectus est, & post Pauli obitum an. 1471. omnium votis ad Papatum expetitus, fatali quodam casu dignitate excidit. A Sixto Pontifice in Galliam legatus, sub reditu Taurini morbum, Ravennæ mortem incurrit an 1472. ætatis suæ 77. Romæ in Basilica SS. Apostolorum sepultus. Vir, judice Chalcocondyla *, ξυνέσει τῇ ἀπὸ φύσεως, πολλῶν δὴ τῶν ἐς τοῦτο εὐδοκιμούντων Ἑλλήνων μακρῷ γενόμενος, καὶ κρίνειν τὸ ἐφ' ᾧ, τὸ ἂν γένοιτο, κράτιστος δοκῶν γενέσθαι, τὰ δ' ἐς σοφίαν, τῶν Ἑλλήνων τε καὶ Ῥωμαίων, οὐδενὸς δεύτερος, quin & non modò omni literarum genere excultissimus, sed & summus literatorum Mecænas; adeò ut familia ejus artium liberalium officina videretur; & ipse Græcis libris magno sumptu in Italiam transvectis Bibliothecam locupletissimam Venetiis erigeret; cui Marcum Ant. Sabellicum Româ lauto stipendio accitum præfecit; eamque moriens Venetæ Reipublicæ dono dedit.

* Hist. l. 6.

SCRIPTA.

Liber de Sacramento Eucharistiæ, & quibus verbis Christi conficiatur. Extat Lat. in Bibliotheca Patr. Tom. xvi. Gr. Lat. inter SS. Patrum Liturgias *Paris.* 1560.

Oratio dogmatica in Synodo Florentinâ habita de causis schismatis. Habetur Gr. Lat. Concil. Tom xiii. p. 391.

Alia oratio de Unione ineundâ, sessione primâ Concilii Ferrariensis habita. Gr. Lat. ibid. p. 36.

Epistola prolixissima ad Alexium Lascarin Philanthropenum, Antidotus dicta, de successu Synodi Florentinæ & Processione Sp. S. Extat Lat. Concil. Tom. xiii. p. 1228.

Epistola ad eundem de processione Sp. S.

Apologia pro Vecco, seu *Confutatio Constitutionum Palamæ.*

Epistola

SÆC. XV. ab An. MCCCC.

Epistola generalis ad omnes, qui sedi Patriarchali CP. subsunt. Quam ipse postea Bessario Latinè vertit.

Responsio ad quatuor argumenta Maximi Planudis de Processione Sp. S. ex solo Patre. Opuscula ista quatuor edita sunt Gr. Lat. à Petro Arcudio in aureâ suâ Opusculorum Theologicorum collectione, quam *Romæ* emisit anno 1630. 4°.

Epistola ad Pædagogum filiorum Thomæ Palæologi, quomodo pecunia iis à Pontifice assignata per singulos menses distribuenda sit; & dicti filii in omni pietate & obedientia ergà sedem Romanam instituendi. Græcè edidit Jac. Pontanus in notis suis ad Gr. Phranzæ Historiam *Ingolstad.* 1604. 4°. Gr. Lat. cum notis Jo. Meursius *Lugd. Bat.* 1613. 8°.

Epistola ad Senatum Venetum in Bibliotheca sua, quam iis in æde S. Marci locandam donaverat. Habetur Lat. inter Epistolas Philologicas à Melch. Goldasto editas *Francofurt.* 1610. pagina 500.

Oratio, sive Consilium de bello movendo contra Turcos. Prodiit *Islebii* 1603.

Monodia in obitum Manuelis Palæologi Imp. Lat. apud Bzovium ad an. 1472. §. 56.

In calumniatorem Platonis libri IV.

Correctio librorum Platonis in legibus.

De natura & arte contra Trapezuntium.

Translatio XIV. *librorum Metaphysicorum Aristotelis, & unius Metaphysicorum Theophrasti.* Prodierunt simul Opera ista Philosophica *Venet.* 1503, 1516.

1436. R. G.

BESSARION, natione Græcus, domo Trapezuntinus, Episcopus Nicænus, & S. R. E. Cardinalis, ac tandem post captam Constantinopolim titulo tenus Patriarcha Constantinopolitanus, claruit anno MCCCCXXXVI. Varia eruditionis suæ monumenta post se reliquit; horum multa numeravit Cl. Whartonus, supersunt plura nobis indicanda. *Epistola* ad Geo. Gemisti Plethonis Filios, *de obitu & laudibus* Patris Pr. Πέπεισμαι τ̀ κοινὸν πατέρα. Extat MS. in *Bibl. Vindob.* Cod. Theol. CCXLIII. iterumque Cod. CCLVI. num. ix. Græcè & Latinè ex versione suâ edidit L. Allatius *de Consens.* lib. III. c. 3. §. 6. & *de Georgiis*, p. 392. *Epigramma in proprium Sepulchrum*, Græcè MS. *ibid.* edidit Ant. Sanderus *Elog. Card.* Lovan. 1526. *In Theodoram Constantini Imp. Conjugem* Jambi sepulchrales, eos Græcè & Latinè edidit L. Allatius *Consens.* lib. III. cap. 4. §. 4. *Apologia pro Latinis de Processione Spiritûs S.* sive *Refutatio Capitum Marci Ephesii contra Latinos*, quam quidem Apologiam Gennadius incepit, verùm morte occupatus, ut dicitur, perficere non potuit, Bessarion autem rogatu Gregorii Patriarchæ CP. absolvit. Pr. Ὁ Λατίνων τε ϗ Γραικῶν πρὸς ἀλλήλυς. Hujus meminit L. Allatius *de Consens.* lib. III. cap. 3. §. 1. Extat MS. *ibid.* Cod. Theol. CCLVI. num. vi. Eandem vidit ac legit P. Arcudius in MS. Codice ex Cretâ allato in *Biblioth. Gasp. Viviani* Episc. Anagnini, uti ipse refert *de Concord.* lib. II. c. 15. *Professio fidei Christianæ in Synodo Florentinâ prolata*; in XXI. Articulos divisa. Pr. Α΄. Πιστεύομεν ὅτι ἐςὶ Θεὸς δημιυργὸς πάντων ὅσα εἰσί. Β΄. Ὅτι ὁ Θεὸς ὔτε σῶμά ἐςιν ὔτε σῶμα ἔχει. MS. *ibid.* Cod. Theol. CCXCII. *Epistola* ad Geor. Gemistum Plethonem *de quatuor quæstionibus Philosophiæ Platonicæ*, viz. περὶ τῦ ἀνυποστάτε. περὶ τῦ μεθεκτῦ ϗ ἀμεθέκτυ. περὶ τῆς τῶν ὄντων συνωνυμίας ϗ ὁμωνυμίας. & περὶ τῆς εἱμαρμένης Pr. Κοινῆς πάσιν ἐνεστπαρμένης ἐννοίας. Habetur MS. cum *duplici* Plethonis *Responsione*, Græcè *ibid.* Cod. Philos. LXXIV. num. ii. *Epistola* ad Theodorum Gazam *de Geo. Trapezuntii libro* pro *Aristotele* contra *Platonem* Pr. Οὐκ ἐθαύμαζον μόνον, ἀλλὰ ϗ ἥδόμην. MSS. *ibid.* n. v. Vide Allat. *de Georgiis*, p. 378. *Epistola alia* Manuel. Chrysoloræ Epistolis conjunctæ, Græcè MSS. *ibid.* Cod. Philos. CCXLV. *Epistola* ipsius Græco-barbaræ ad Palæologos meminit Habertus, *notis ad Euchotog.* p. 155. *Tractatûs ejus de Primatu Papæ*, cum laude meminit L. Allatius *de Consens.* lib. III. c. 6. §. 1. col. 966. & *de Georgiis*, p. 403. In isto autem Opere Gennadii Patriarchæ librum ejusdem Argumenti eum defloràsse autumat vir doctissimus. *De S. Joannis Evangelistæ obitu*, contra Geo. Trapezuntium scripsisse Bessarionem testatur Allatius, *ibid.* p. 379. *Sanctorum etiam Patrum, tum Orientalium, tum Occidentalium sententiis, quæ de Processione Spiritûs S. etiam ex Filio agebant*, in unum fasciculum collegit, & ad Alexium Lascarium misit, uti ipse in *Epistolâ ad eundem* disertè refert, quam quidem Epistolam, ut obiter hoc notem, à se versam Latinè primus edidit Abramus Cretensis cum Concilio Florentino, *Romæ* 1526. *fol. Physica demonstrationes de Deo, & Epistola nonnulla* ad Geo. Gemistum extant Græcè MSS. in *Bibl. Bodleian.* Cod. 2290. *Epistolæ tres*, 1. Ad Andronicum Callistum Philosophum. 2. Ad Michaelem Apostolium 3. Ad Plethonem; Græcè MSS. *ibid.* Cod. 24. Extant demum nonnulla Opera *Physica & Mathematica*, quibus non est immorandum.

EMUNDUS DINTERUS, natione Belga, patriâ Brabantus, claruit anno MCCCCXXXVI. In Aulico strepitu & splendore Vir ad maxima quæque idoneus multos annos transegit, Antonio I. ejusque Filiis Joanni IV. & Philippo I. ac demum Philippo *Bono* dicto Branbantiæ Ducibus à secretioribus Consiliis: Otii tandem appetens Aulæ valedixit, & sacris mysteriis insignitus, Canonicatum in Ecclesia D. Petri Lovaniens. obtinuit, ubi Deo & Musis vacavit. Obiit Bruxellis an. MCCCCXLVIII. Literis consignavit *Chronicon Brabantiæ*, quod manu exaratum olim fuit penès Joan. Miræum Episcopum Antwerpiens. teste ipsius ex fratre nepote Aubert. Miræo ejusdem Ecclesiæ Decano *Elog. Belg.* p. 195. Idem MS. apud Casparum Gevartium latuit, unde & brevi in lucem proditurum sperare nos jussit Fr. Sweertius *. *Seriem* etiam *Genealogicam Ducum Brabantiæ*, &c. congessit, à Geor. Neomago cum Philippi Ducis Vita à se adornata *Francofurti* editam. *Historiam* denique *Vita & Obitûs Philippi à Burgundia Episcopi Ultrajectini*, quæ prodiit *Argentorat.* 1519. Duæ Posteriores Lucubrationes habentur inter *Germ. rerum Script.* à Frehero editas Hanov. 1611. Tom. III. *fol.* 1436. R. G.

* Athen. Belg. p. 229.

GEORGIUS SCHOLARIUS, natione Græcus καὶ παρ' Ἕλλησι τὰ ἐς σοφίαν εὐδοκιμῶν, inquit Chalcocondylas *, *inter Græcos doctissimus*; Marci Ephesii summus sectator & amicus, Latinorum hostis virulentissimus; claruit anno 1438. Tandem Vitam Monasticam amplexus, deposito Georgii, Gennadii nomen assumpsit, & Monasterii cujusdam in monte Atho præfecturam suscepit. Hactenus res patet. In reliquis hæret aqua. Eodem enim tempore in Oriente floruit Georgius quidam Scholarius, qui Ioanni Imp. inter familiares habitus, Concilio Florentino interfuit, ac tandem capta Constantinopoli laicus adhuc in thronum Patriarchalem Constantinop. evectus est; cui post quinquennium renuncians, in Monasterium se recepit, assumpto Gennadii nomine, multaque pro Latinis scripsit. An unus idemque cum priore Georgius iste fuerit, vel quænam cuique partes sint assignandæ haud satis patet. In eam it sententiam Matthæus Caryophilus, Iconiensis Episcopus * ut existimet duos fuisse Scholarios, alterum Latinorum amicum, qui Concilio Florentino adfuit, & ante captam Constantinopolim laicus obiit; alterum eorumdem hostem, qui captæ urbis Patriarchatum obtinuit. Verùm sententia ista multis nominibus damnanda venit. Pluribus eam oppugnat, aliamque à se confictam profert † Leo Allatius; Georgium nempe Marci amicum, morbo impeditum 1438. H. W.

* Hist. l. 6.

* Præfat. ad V. Cap. Concil. Florent.

† De Consens. l. 3. c. 5. 6. & Diatrib. de Georgiis p. 391.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. impeditum esse, quominùs Concilio interesset; & ante captam Urbem defunctum, Græcorum causam ad extremum usque spiritum fovisse, Georgium è contra Patriarcham Concilio adfuisse, & cum Latinis semper sensisse. Multa sanè argumenta congerit Allatius, quæ tamen, ut id pace tanti viri dixerim, rem extra omnem controversiam nequaquam ponunt. Hallucinatur quidem Caryophilus; sed quid si unicum illo sæculo floruisse Scholarium dicamus; qui primùm patriam Ecclesiam constanter propugnans, postea ad Latinos defecerit, & thronum Patriarchalem conscenderit. Certè disertis id affirmant verbis Phranza * (scriptor coævus, & in Græcorum Republica versatissimus; sola cujus authoritas mille argumentis præponderare debet) Historia Civilis Constantinop. Manuel Malaxus †, aliique, ut de Latinis taceam. Sanè mutasse sententiam Scholarium haud adeò mirantur, qui versipelle Græcorum ingenium norunt, præterquàm quòd Scholarium, quisquis ille demum fuerit, qui Concilio Florentino interfuit, Latinis adeò non accessisse: ut Marci Ephesii æmulus subscriptionem constantissimè denegarit; totidem verbis prodant Phranza, & Rhacendita apud Plusiadenum, ut Chalcocondylam impræsentiarum mittam. Utut sit, id doctissimi Allatii autoritati, & aliquali saltem argumentorum verisimilitudini damus; ut Scholarium bisecemus, & Patriarcham infra suo loco exhibeamus. Scripsit Scholarius Latinorum adversarius, Syntagma, Ὀρθόδοξ κατὰ ... dictum, *adversus Synodum Florentinam*, in partes seu libros VIII. distributum. Prodiit Græcè *Londini* in 4°. sed absque anni notâ, editum. *Epistolas* ejusdem aliquot ad Notaram, Magnum ducem & Imperatoris generum MSS. citat, & exinde fragmenta profert Allatius de Consensu lib. 3. cap. 5. §. 3. Diatrib. de Georgiis pag 379. 398. & singularum initia exhibet ibid. p. 409. Orationem etiam *De inani, irrationali & incompositâ circa fidem, permissione Dei, attentâta novitate*, idem se MSS. legisse prodit de Consensu c. 6. §. 4.

* Hist. l. 2. c. 19.

† Hist. Eccl.

1438. H. W. JOANNES EUGENICUS, Magnus Ecclesiæ Patriarchalis Constantinop. Nomophylax, Marci Ephesii frater germanus; cui in oppugnandis Latinis opem subsidiariam, in Concilio Florentino anno 1438. præsens tulit: cúmque moras de die in diem à Pontifice Romano necti animadverteret; & subtimidum Imperatoris sui animum odio haberet, fugam molitus est, Marcum etiam fratrem in consilii partem trahens. Verùm è fuga retractus, incœptum facinus pudore luit. Scripsit *Antirrheticum adversus Synodum Florentinam*, cujus Fragmenta quædam Gr. Lat. exhibet L. Allatius lib. de Purgatorio pagin. 61, 220. 241. 265.

1438. H. W. ISIDORUS, RUTHENUS à sede suâ Episcopali dictus, gente Græcus, patriâ, ut videtur, Thessalonicensis, Ordinis S. Basilii Monachus, & Monasterii S. Demetrii apud Constantinopolim Abbas. Anno circiter 1435. à Joanne Imp. ad Concilium Basileense unà cum Demetrio Palæologo, Magno Duce, legatus, Imperatorem suum cum Episcopis Græcis, rejecto Eugenio Papâ, ad Concilium profecturos esse pactus est; modò ipsi Patres conventa servarent; & in unionis tesseram Missam Basileæ celebravit. Paulò post reditum, Metropolita Kiovienss, totiusque Russiæ Patriarcha creatus est. Anno 1438. Dorothei etiam Patriarchæ Antiocheni unà cum Marco Ephesio vicem obeuns, Concilio Florentino interfuit; & pro Græcis adversùs Latinos eruditè aliquamdiu disputavit. Posteà verò vela flectens in Latinorum partes manibus pedibusque transivit: adeò ut sub finem Concilii, Bessarionem sectarium nactus, anathema Marco Ephesio subscribere recusanti à Concilio incutiendum esse acriter, frustra tamen, contenderet. Falluntur itaque Gemistus & Amyrutzius, qui Isidorum decretis Synodi Florentinæ neutiquam consensisse volunt. Soluto Concilio, in Italia substitit: atque anno 1439. ab Eugenio Papa Presbyter Cardinalis titulo S. Petri & Marcellini, renunciatus est. Mox in Russiam reversus, à Russis unionem cum Ecclesia Romana initam exosis captus, bonis exutus, & in carcerem conjectus, fugâ ægrè demum evasit. Dein à Nicolao V. titulari Constantinopolis Patriarchatu insignitus, & in Orientem legatus, miserrimæ Urbis Regiæ cladi anno 1453. adfuit. Turcorum manibus astu quodam elapsus, Italiam repetiit; & Episcopus Sabinensis, ac Cardinalium Collegii Decanus constitutus, obiit demum Romæ anno 1463. Scripsit *Epistolam lugubrem de capta à Turcis Constantinopoli*, ex Pera anno (non 1452. quod error est numeri, sed) 1453. datam; quæ habetur inter Epistolas Turcicas à Reusnero editas l. 4. p. 104.

1438. H. W. GEORGIUS GEMISTUS, PLETHO ob Platonis amorem, ut nonnulli volunt, cognominatus, genere Constantinopolitanus; qui tamen in Peloponneso ut plurimùm vitam degit, Philosophus nobilissimus ὁ σοφὸς à Sguropulo passim appellatus, quo post Platonem & Aristotelem σοφώτερον οὐκ ἔφυσεν ἡ Ἑλλάς, adeò ut Platonis anima in Gemisti corpus transmigrasse videretur, inquit Bessario Cardinalis in Epistola * ad Demetrium & Andronicum Gemisti filios. Acer Latinorum adversarius, adeò ut ab Imperatore circa anno 1426. de proposito suo Concilium Occidentale adeundi interrogatus; id omninò improbaret, in Ecclesiæ Græcæ dedecus & servitutem rem cessuram esse vaticinatus. Anno tamen 1438. in Concilium Florentinum à Græcis adductus est; ut haberent, quem Scholasticis Latinorum argutiis opponerent. Nec sanè ille conceptam de se opinionem fefellit: nodosa Latinorum argumenta acumine singulari diluit; & Græcorum causam summo pariter verborum robore atque eloquentiâ egit; tanto etiam zelo, invictâque animi constantiâ usus, ut posthabito Imperatoris Latinorumque favore, partes susceptas neutiquam desereret; nec ad finem usque Concilii disputandi ardorem remitteret. Obiit centenarius in Græciam redux, quo verò anno non liquet. Μέγα κλέος Ἑλλάδι πάσῃ γέγονεν ἐκεῖνος ἀνήρ, inquit Bessarion †. μέγας αὐτῇ κόσμος εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον ἔσεται. *Magnum iste vir Græciæ decus fuit; magno illi in posterum ornamento erit.* Philosophiæ antiquæ, in primis Platonicæ, admodùm deditus fuit; illam maximo semper studio excoluit, & de reconditioribus ejus mysteriis scripta quamplurima in lucem edidit. Hinc arreptâ occasione, magis tamen famæ invidiâ motus, Georgius Trapezuntius * eum à Christiana fide tandem ad Ethnicismum penitùs descivisse, precesque Soli extremâ ætate obtulisse calumniatur. Doctrinæ autem famam illi adeò non audet denegare; ut *Platone non minorem eloquentiâ, non inferiorem scientiâ* fuisse libenter agnoscat.

* Ap. Allat. de Consensu l. 3. c. 3. §. 6.

† Loc. cit.

* Comparat. Platon. & Arist. cap. ult.

SCRIPTA.

De Processione Spiritûs S. Demonstratio, Sp. S. ex Patre solo procedere, neque inde aliquod absurdum sequi: in qua Græcorum sententiam Philosophicis ut plurimùm rationibus demonstrare satagit.

Aliud de eodem argumento Opus uberius, & rationibus abundantius. Utrumque MS. à se visum esse prodit L. Allatius de Consensu l. 3. cap. 3. §. 6.

Index MSS. Bibl. August. p. 9?.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. §. 6. Habetur quin etiam MS. in Bibliotheca Augustana.

Libri ii. *de gestis Græcorum post pugnam ad Mantineam.* Prodierunt Lat. ex Marci Ant. Antimachi versione *Basil.* 1540. Græcè ad calcem Xenophontis *Venet.* 1503. ex Aldi officinâ, & *Basil.* 1557.

De Rebus Peloponnesiacis constituendis Orationes ii. Gr. Lat. *Antverp.* 1575. f.

De Virtutibus Libellus. Gr. *ibid.* 1572. f. Gr. Lat. *Basil.* 1552. 8°. *Antverp.* 1575. f. *Jenæ* 1590. 8°.

De differentia Philosophiæ Aristotelis & Platonis Græcè *Parif.* 1541. 8°. Lat. *Basil.* 1574.

Scholia in Zoroastris Oracula. Gr. Lat. *Parif.* 1538, 1599. 8°. Inedita, quæ præcipuè sunt historica, rhetorica, philosophica, longâ serie recenset Leo Allatius Diatr. *de Georgiis eorumque scriptis* p. 385. &c. quæ ab eo petat Lector curiosus. Tractatus illius *de Fato*, &c. extat MS. in Bibliothecâ Augustanâ. *Thessaliæ Descriptionem chorographicam* ejusdem (quæ quidem Allatii notitiam fugit) in Bibliotheca Regis nostri MS. vidi.

Index MSS. Bibl. August. p. 85. 90.

1438. R. G. GEORGIUS GEMISTUS PLETHO, natione Græcus, patriâ Byzantinus, Philosophus omnibus numeris absolutus, Platonis discipulus & propugnator, *non tantùm iis qui nunc vivunt, sed ipsi etiam Aristoteli,* omnibusque Veteribus, *si eorum ætate fuisset, venerandus,* ità de eo Mich. Apostolius; claruit anno MCCCCXXXVIII. Scripta quod attinet, etsi paucissima ex istis Theologici sint fori, cùm tamen abditissima Philosophiæ castioris mysteria explicent, omnique eruditionis genere sint refertissima, Catalogum eorum, iis solùm quæ à Cl. Whartono memorantur prætermissis, conficere non gravabimur, eundem Lectori φιλοβίβλῳ haud ingratum fore arbitrantes. *Protheoria*, sive Præmeditatio in Manuelis Palæologi Imp. Orationem funebrem, quam in obitum Fratris sui Theodori Despotæ adornavit. Hanc dictæ Orationi præfixam Græcè & Latinè edidit vir de Græcis literis optimè meritus Fr. Combefisius, *Bibl. PP. Auctar.* Tom. II. p. 103. *Orationes* duæ funebres, Una in *obitum Cleopes* Theodori Despotæ supradicti uxoris, in qua *de animi immortalitate* agitur. Pr. Σόλων μὲν ὁ σοφὸς πρὸς τὸν φίλον τι αὐτοῦ. Altera in *Hypomenem*, Irenem scil. Manuelis Imp. conjugem, quæ valedicto sæculo *Hypomenes* nomen assumpsit. Pr. Τῇ τῶν ἡμετέρων βασιλέων. Utraque habetur Græcè MS. in *Bibl. Vindob.* Cod. Theol. CCLVI. n. II. *Bodleianâ*, Cod. 33. 114. & *Regiâ Parif.* Cod. 2016. *Oratio* funebris in *Helenam* Palæologinam, extat Græcè MS. in *Bibl. Vaticana*, ex fide L. Allatii †, & in *Augustana. Responsio* ad Georgii Scholarii pro Aristotele contra Platonem objectiones. Pr. Σχολάριος. Ἐπεὶ τὸ βιβλίον τῶν κατ' Ἀριστέλης βλασφημιῶν καὶ ἐς ἡμᾶς ὀψὲ ἀφίκετο. πάνθων. Ἐγὼ μὲν οὐκ ὀψὲ ὥς γε σὺ φῄς. MS. in *Biblioth. Vindob.* Cod. Philos. LXXIV. n. 1. *Bodleian.* Cod. 114. *Regiâ Parif.* Cod. 1281. Opus istud pulcherrimè descriptum, à Nicolao Alemanno dono acceptum, Gottardi Voegilini, typographi ni fallor Basileensis, precibus victus L. Allatius ei imprimendum tradidit, utrum unquam prelo exierit non comperi. *Epistolæ* duæ *Responsoriæ* ad quatuor *Quæstiones* à Bessarione propositas. Prima sic incipit. Ὃν πάντα οἶεσθαι χρὴ τοὺς ἄνδρας τούτους. Altera hoc modo; Ἐπειδὴ καὶ μαρτυριῶν δεῖν πρὸς τὰ προγεγραμμένα σοι. Utramque manu exaratam habuit Allatius; utraque jam extat MS. in *Bibl. Vindob.* ubi suprà; num. III. *Collectio summaria Zoroastrorum & Platonicorum Dogmatum.* Pr. Ἐκεῖνα μάλιστ' ἂν δέοι κεφάλαια εἰδέναι. MS. *ibid.* num. VI. iterumque Cod. cccxii. nu. II. In eadem locupletissima Bibliotheca Cod. Philos. CXL. num. 6. Habentur Græcè MSS. *Methodus Astronomica* cum subjunctis *Canonibus* eò pertinentibus, & *introductione in Genethliologiam*; item *Canon Chronologicus* à Nabonassaro usque ad suam ætatem, num. VII. in fine autem imperfectus. Scripsit præterea Gemistus *de Legibus* libros tres; *totius Antiquitatis & Theologiæ Philosophorum promos condos, dignosque L. Allatio Judice, qui in omnium manibus terantur*; à Gennadio Patriarcha Constantinop. velut blasphemos, & Ethnicismi labe fœdatos flammis damnatos. Ex his nonnisi pars primi superest; cujus *Sex* Capita habentur MSS. in *Bibl. Barberina*, *decem* in *Cæsarea Vindob.* Cod. Philos. CCCXII. Pr. Τάδε συγγέγραπται περὶ νόμων. Vide Lambecii Commen. lib. VII. Hujusce Operis segmenta varia sub variis titulis disposita hic illic in Bibliothecarum claustris constricta tenentur, viz. *Demonstrationes Physicæ de Deo.* Pr. Πᾶν τὸ ὂν ἐνεργείᾳ ἐξ ἀνάγκης ἔχει. *De Fato.* Pr. Πότερα ἢ ὥς εἶναι τε καὶ εἱμαρμένην ἀπαιτεῖν. *De Insomniis.* Pr. Ποίοις τρόποις τὰ ἐν ὕπνοις φαινόμενα. *De orta & progenie Deorum*: *de Mensium ac Annorum ordine Dierumque recensione*: Postremum reperitur in *Bibl. Regiâ Scorialensi* quæ ipsum antecedunt tria in *Cæsarea Vindob.* Scripsit item Pletho *de Incarnatione Filii Dei* tractatum, & *de Processione Spiritûs S. contra Latinos* duplicem; quorum primus sic incipit, Τὸ ὑπὲρ Λατίνων βιβλίον τὸ ἐς ἡμᾶς ἧκον; extatque MS. in *Bibl.* Bodleian. Cod. 114. & in *Augustana.* Alter hoc modo Βιβλίον τόγε εἰς ἡμᾶς ἧκον. Hujus meminit L. Allatius *de Consens.* lib. III. cap. 3. §. 6. col. 937. & brevem exinde laciniam profert, *ibid.* col. 908. Asservantur MSS. *Monodiæ* variæ in *Bibl. Bodleian.* Cod. 33. *Epistola in Bibl. Regis Gallorum*: *Excerpta* quamplurima *Historica, Geographica, Philosophica* ex Diodoro Siculo, Appiano Alexand. Plutarcho, Xenophonte, Æliano, Procopio, Ptolomæo, Strabone, &c. habentur Græcè MSS. in *Biblioth. Vindob. Bodleian.* & *Regiâ Parif.* Denique Gemisti Opera Græcè calamo exarata Neapoli in *Biblioth. Augustin. Cœnobii S. Joannis de Carbonaria* se vidisse affirmat Cl. Mabillonius *Iter. Ital.* p. 110.

† Distr. de Georg. p. 386.

1438. H. W. SILVESTER SGUROPULUS, seu ut ipse in Concilii Actis subscribit, *Syropulus*, Patriâ Græcus, Diaconus Constantinop. Magnus Ecclesiarcha, & Dicæophylax; & unus è quinque Crucigeris Patriarchæ Constantinop. seu ex iis, qui è tota Græcia delecti, ut Patriarchæ in rebus Ecclesiasticis à sanctioribus essent consiliis; Crucis figuram ornamenti & distinctionis honorariæ ergo vestibus adsutam gestabant. Claruit anno 1438. quo Patriarcham suum ad Concilia Ferrariense & Florentinum secutus, rebus omnibus gestis aut accitus est, aut se immiscuit. Summus Latinorum hostis, & acerrimus Græcæ libertatis vindex: inter sex tamen pugiles delectus qui pro Græcorum dogmatibus adversus Latinos decertarent, munus arduum subire noluit; seque disputantium numero eximi obtinuit. Ipse nihilominus tam præfracto zelo Ecclesiæ suæ causam nutantem datâ quavis occasione sustentavit; ut Imperatoris, Patriarchæ, & Bessarionis iram experiretur. Sub Concilii exitum subscribere jussus, innumeras nexuit moras, diuque tergiversatus est; donec Imperatoriis minis territus, morem gesserit, se vi coactum & invitum subscribere priùs protestatus. Domum reversus, cùm ob subscriptionem Florentinam se ab omnibus odio haberi animadverteret, Magistratum abdicavit; & negotiis Ecclesiasticis renuncians, ad res in Concilio gestas scripto consignandas se contulit. Extat *Historia Unionis non veræ inter Græcos & Latinos*, seu *Concilii Florentini*, à doctissimo viro, Roberto Creyghtono, postea Episcopo Bathoniensi ac Wellensi, in lucem protracta, & cum notis edita Gr. Lat. *Hagæ-Comitis.* 1660. f.

1438. H. W. CATHARINA BONONIENSIS, natione Itala, patriâ Bononiensis, sint licet qui Vero-

nam

SÆC. XV. ab An. MCCCC. næ natam, Ferrariæ educatam affirment; ex honesta Vigrorum familia, Patre Joanne Ferrariensi, matre Benevenuta Bononiensi, originem duxit. In Ordinem S. Claræ, quem Ferrariæ professa est, adscita, Bononiam translata est; ut recèns exstructo ejusdem Instituti Corporis Christi Monasterio præesset. Claruit anno 1438. quo Revelationes suas scripto consignavit. Vanâ etenim pietatis specie delusa, revelationes sibi divinitùs factas esse, crebrasque mentis illuminationes cœlitùs indulgeri somniavit. Obiit anno 1463. die IX. Martii. Innumeris ferè illius, quæ circumferuntur, Revelationibus haud pauciora post obitum ejus miracula Pontificii affinxerunt. Eam Divino Officio coli permisit Clemens VII. Papa; Martyrologio tabulisque Ecclesiasticis intulit Clemens VIII. Quin & de Canonizatione ejus Consilium sæpe initum fuit. Extat *Liber de Revelationibus sibi factis*, Bononiæ 1511, 1536. Venet. 1583. Præter istum, *Rosarium metricum de mysteriis Passionis Christi Domini, & de vita B. Mariæ Virginis*, Latinè: & *Libellum de septem armis necessariis ad pugnam spiritualem*, Italicè, ab eadem conscripta memorat Waddingus *. Nescio, an in lucem prodierint.

* de Scriptor. Ord. Minor. p. 88.

1439. H. W. JOANNES DE TURRECREMATA, gente Hispanus, ab oppido natali Torquemado vulgari idiomate dicto, Diœcesos Palentinæ, nomen sortitus; Ordinis Dominicani Monachus in Conventu S. Pauli Vallisoletani. Ad Academiam Parisiensem missus, Theologiæ & juris Pontificii laureas tulit, & utriusque scientiam per plures annos docuit. In Hispaniam redeuns Monasteriis S. Pauli Vallisoletano, & S. Petri Toletano præfectus est. Anno circiter 1431. ab Eugenio Papa in Curiam Romanam accitus, & S. Palatii Magisterio donatus, ad Concilium Basileense missus est: ubi contra Hussitas fortissimè dimicabat, & Pontificis partes strenuè tutabatur: à Concilio etiam S. Brigittæ Revelationibus severo examine discutiendis præpositus. Anno circiter 1437. à Pontifice ad Basileenses iterum legatus est & mox ad Concilium Florentinum revocatus, contra Marcum Ephesium eruditè disputavit. Anno 1439. Presbyter Cardinalis titulo S. Sixti ab Eugenio creatus est: & in Galliam missus, Synodo Bituricensi præfuit. Plurimas pro autoritate sedis Romanæ asserenda legationes obiit: in quibus omnibus si non votum saltem famam tulit, summâ prudentiâ ac doctrinâ usus, & rarâ vitæ sanctitate conspicuus. Anno 1450. ad Episcopatum Orensanensem in Gallæcia evectus, eum mox dimisit, à Nicolao Papa ad Albanum in Italia translatus. Anno 1464. Pii II. favore Albanam Sabinensi Sede commutavit; & illustri *Fidei Defensoris ac Protectoris* titulo à Pontifice insignitus est. Obiit octogenarius anno 1468. die XXVI. Septembris. Romæ in Cœnobio S. Mariæ super Minervam, quod ipse vivus construxerat, & moriens centies mille aureis ditaverat, sepultus.

OPERA.

In Decretum Gratiani Commentariorum Tomi V. prodierunt cum notis ac summis Nicolai Boerii, Præsidis Burdegalensis, *Lugduni* 1555. *Venet.* 1578.

Summa de Ecclesia & ejus autoritate libris IV. *Lugduni* 1496. *Venet.* 1561.

De Pontificis Maximi Conciliique Generalis autoritate ad Basileensem Oratorem Responsio, in Concilio Florentino recitata. Prodiit seorsim *Venet.* 1563. 4°. & habetur Concil. Tom. XIII. p. 1661. usque ad p. 1719.

Meditationes in figuras, quas Romæ in Templo S. Mariæ de Minerva ipse poni curavit. *Romæ* 1467. 1473. f.

Expositio omnium D. Pauli Epistolarum. Basil. 1495. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

Quodlibetica. Argentinæ 1490.

Commentarius in Psalterium Davidis. Moguntiæ 1474. Venet. 1485. f. *ibid.* 1513.

Sermones de Tempore & de Sanctis. Lugduni 1509.

Tractatus de Aquâ benedictâ contra Petrum Anglicum. *Romæ* 1559.

De veritate Conceptionis B. Virginis Mariæ. Tractatus in XIII. partes divisus. *Romæ* 1547. 4to.

Commentaria in Regulam S. Benedicti. Paris. 1494. Colon. 1575.

Expositio Regulæ S. Brigittæ. Colon. 1628. Ejusdem *Defensorium super Revelationes Cœlestes S. Brigittæ* prodiit inter Brigittæ Opera *Romæ* 1557. f.

Salus Animæ, seu Stabilimentum Fidei Catholicæ. Londini 1509.

Tractatus contra principales errores Mahumedanorum. Paris. 1465. 8°.

Collectio omnium Quæstionum D. Thomæ de summi Pontificis autoritate. Augustæ 1496. Venet. 1562. Lugduni 1496.

Dissertatio contra Græcos in Concilio Florentino, demonstrans azymum & fermentatum indifferenter in Eucharistia adhiberi posse: quin & Christum Dominum azymo potiùs consecrasse; item verbis Salvatoris tanquam formâ & non aliis fieri Transsubstantiationem. Extat Concil. Tom. XIII. p. 1141.

Prodierunt Turrecrematæ Opera *Augustæ* 1471. Tom. VIII. Alia quædam adhuc inedita recenset Ambrosius de Altamura Biblioth. Prædicat. 191.

ANDREAS, Presbyter Ratisponensis claruit sub Sigismundo Imp. an. MCCCCXXXIX. *Chronicon* condidit *de Principibus terræ Bavarorum*, eâque de causâ eum *Titum Livium suum* censent concives sui, inquit Joan. Aventinus. Dictum Opus notis suis illustratum, & Leon. Bauholtzii *Paralipomenis* auctum primus in lucem emisit eruditissimus Marq. Freherus, *Ambergæ*, 1602. 4to. Prodiit iterum curâ Jo. Hen. Bœcleri, Æneæ Sylvii *de rebus Frederici Imp. Historiæ* subnexum. *Argentorat.* 1685. *fol.* 1439. R. G.

NICOLAUS EUBOICUS, Episcopus Saguntinus, ob egregiam utriusque linguæ peritiam in Concilio Ferrariensi & Florentino Interpres Patrum suffragiis cooptatus, munus sibi demandatum magna cum laude præstitit, claruit anno MCCCCXXXIX. Extant ejus Orationes, seu potiùs Interlocutiones in Concilio habitæ, *in Actis Conc.* Dissertatio Juliani Cardinalis de istâ Quæstione, *Utrum liceat Symbolo Fidei aliquid addere*, in eodem Concilio prolata, nostri Nicolai operâ ex *Latino* in *Græcum* sermonem versa habetur MS. in *Bibl. Vindob.* Cod. Theol. CXC. num. XXVI. Script. de *Origine & rebus gestis Turcorum* librum Æneæ Sylvio nuncupatum, cujus ipse meminit Æneas * prodiit *Basileæ* 1556. *fol.* Epistolam quandam MS. ad Andronicum Callistum Philosophum memorat Ph. Labbæus, *Bibl. MSS. Cat.* p. 101. Plutarchi Opus *de civilibus præceptis*, & Onosandri *de optimo Imperatore* in Linguam Latinam traduxit. Versiones istæ lucem viderunt *Basileæ* & alibi. 1439. R. G.

* De Asia c. 26. p. 307.

JOANNES DE LYDGATE, gente Anglus, Patriâ Suffolciensis, Ordinis Benedictini ac in Cœnobio Buriensi Monachus. Post perlustratas exterarum simul ac patriæ regionum Academias, humaniores literas in Cœnobio suo professus est, & edocendis Magnatum liberis operam dedit. Anglicorum suo tempore Poëtarum princeps, multa patrio idiomate Poëmata componendo, multa ex Gallicâ & Italicâ linguis vertendo, maximam sibi famam apud populares 1440. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. populares suos consecutus est. Ingenium variis metrorum generibus exercuit: & elegantiæ sermonis invigilans, Anglicam linguam incultâ, qua olim squallebat, barbarie haud parùm defæcavit. Claruit sexagenarius anno 1440. & Buriæ tandem defunctus, inter Cœnobitas suos sepulcrum tenuit. Extant Anglicè *Libri* IX. *de Casibus virorum illustrium* ab Adamo usque ad Joannem Franciæ Regem ab Anglis in Pictavia captum, seu ad annum Christi 1356. quos ex Joanne Boccatio, aliisque transtulit, *Londini* 1527, 1554. *Historia Belli Thebani* carmine Anglico conscripta. *Londini* ad calcem Chauceri Operum 1678. f. *Poëmation de bono consilio*, ibidem p. 569. Habentur MSS. in Bibliothecâ Lambethanâ Opuscula ejusdem varia versu Anglico conscripta; viz. *Quomodo audienda sit Missa. Litania*, *Bonum Consilium*, *Oratio ad B. Virginem. Alia ad Deum oratio & Vita B. Virginis Mariæ libris* IV; *Vita S. Edmundi* Regis ac Martyris; carmine Anglico; MS. penès Reverendissimum Primatem, Archiepiscopum Cantuariensem. *Liber de saltu Machabræ*, Londini 1554. *Vita & res gestæ Hectoris*, *Londini* 1614. *Liber metricus in laudem B. Virginis Mariæ*: atque alia quædam typis Anglicis excusa. Multa etiam Latinè scripsit, Historica, Theologica, Moralia. Omnium utriusque linguæ Opusculorum Indiculum exhibet Baleus Cent. VIII. c. 7. illiusque pro more exscriptor Pitseus p. 632.

1440. H. W. GEORGIUS, TRAPEZUNTINUS quidem origine, in insulâ tamen Cretâ natus anno 1396. Post haustam domi præclaram literarum scientiam Romam profectus est; & aperto ludo, Græcæ Linguæ artiumque liberalium scientiam summâ cum laude docuit. Singulari doctrinæ famâ excitatus Eugenius Pontifex eum in Aulam evocavit, sibique ab Epistolis admovit. Claruit anno 1440. Post Eugenii mortem Alphonsus Rex eum Neapolim accersivit & lauto admodùm stipendio honestavit. Anno 1465. è Cretâ Constantinopolim adnavigans, Andreæ Chii ob Christianæ fidei confessionem à Turcis nuper interfecti Martyrium à nautis Byzantinis sibi narratum accepit; & post biennium Romam redux literis mandavit. Ingravescente ætate, acuto morbo afflictus, postquàm convaluit, literarum omnium adeò oblitus fuisse dicitur, ut nec scribere, nec legere potuisset. Quod tamen alii ex summo animi dolore illi contigisse scribunt. Cùm ingenii enim sui monumenta, multorum annorum vigiliis elaborata, lautum aliquod præmium se accepturum ratus, Pontifici obtulisset; misellam centum ducatorum mercedem retulit. Spei igitur frustratæ dolore & avaritiæ Papalis indignatione extra se positus Trapezuntinus deinceps delirasse dicitur, & pecuniam in Tyberis alveum abjecisse, additâ exclamatione, *Periere labores, pereat & ingrata merces.* Obiit nonagenarius anno 1486. Filium reliquit Andream Trapezuntinum; qui Patris Defensionem adversus Theodorum Gazam conscripsit.

SCRIPTA.

Epistola ad Joannem Palæologum Romanorum Imp. quâ eum hortatur, ut spretis Basileensium promissis, Florentiam adnaviget. Prodiit Gr. Lat. cum Simocatta & Phranza à Jacobo Pontano edita, *Ingolstad.* 1604. 4°.

Liber de Processione Sp. S. contra Græcos ad Joannem Cuboclesium.

Epistola ad Hieromonachos Cretenses & Sacerdotes de eadem re; *& de unâ sanctâ & catholicâ Ecclesiâ.* Habetur utrumque Opusculum Gr. Lat. apud L. Allat. Græc. Orthod. Tom. I. p. 469.

Expositio in illud, Si volo eum manere, &c. quâ probare nititur S. Joannem nondum obiisse. Prodiit Lat. *Basil.* 1543. 8°. & in Orthodoxogr. p. 1231. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

Martyrium Andreæ Chiensis, anno 1465. à Turcis ob constantem fidei Christianæ professionem morte mulctati. Extat Lat. apud Surium Maii XXII.

De VIII. *partibus Orationis Compendium.* Prodiit *Augustæ* 1537. 8°.

Dialectica brevis, Colon. 1530. & Joannis Noviomagi ac Bartholomæi Latomi Scholiis illustrata, *ibid.* 1544. 8°.

Comparatio Platonis & Aristotelis. Venet. 1523. 8°.

Rhetoricorum libri V. *Venet.* 1523. *Basil.* 1522. 4°. *Paris.* 1538. 8°.

Cur Astrologorum judicia ut plurimùm sint falsa. Paris. 1549. 8°. & cum Commentatio in Centiloquium Ptolomæi *Colon.* 1544. 8°.

Interpretatio in Ciceronis Orationem pro Ligario Paris. 1520. *in aliquot alias Ciceronis Orationes*, Basil. 1553. *in Centiloquium Ptolomæi* Basil. 1550.

Cæterùm Trapezuntinus è Græco in Latinum sermonem *transtulit* S. *Cyrilli Commentarios in Evangelium S. Joannis*, *& de Trinitate libros* XIV. inter Cyrilli Opera sæpiùs editos, & seorsim *Paris.* 1514. f. *Plures Homilias Chrysostomi in Matthæum*; *Gregorii Nysseni de vitâ Mosis librum*, inter Opera Nysseni *Viennæ* 1527. *Basil.* 1562. *Basilii libros contra Eunomium*, inter Opera Basilii *Antverp.* 1570. *Eusebii de Præparatione Evangelica libros* XIV. *Tarvisii* 1480. f. *Rhetoricorum Aristotelis libros* III. inter Aristotelis Opera *Basil.* 1538. *Venet.* 1560. *Almagesti Ptolomæi libros* XIII. *Basil.* apud Henricum Petri in fol. Quæ verò inter Damasceni Opera *Basil.* 1548. sub Trapezuntii nomine prodiit Historiæ SS. Barlaami & Josaphati versio, antiquioris reverà Interpretis cujusdam fœtus est. Pessimâ autem fide in versionibus conficiendis usus est Trapezuntius, multa de suo addere, nonnulla detruncare, plurima in aliam sententiam mutare, solitus.

Tractatum ejusdem *de Eleemosyna*, *de veritate fidei Christianæ*, &c. MSS. memorat Leo Allatius Diatrib. de Georgiis p. 395. &c.

JOSEPHUS, Episcopus Methonensis, gente, 1440. saltem sectâ, Latinus, ὁ Ῥωμαίων Ἐπίσκοπος apud H. W. Methonenses, teste Sguropulo *, licèt Patriarchæ CP. Methonen, dum Italiam anno 1436. navigaret, appellenti assentatus, se à Græcorum partibus stare finxerit. Claruit anno 1440. Scripsit *Apologeticum libellum pro Synodo Florentina adversùs Marcum Ephesium.* Extat Gr. Lat. Concil. Tom. XIII. p. 677. In libello isto Josephus se pro quinque Capitibus Synodi Florentinæ *Apologiam* scripsisse memorat. Verùm ista nusquam hodiè comparet.

* Hist. Concil. Florent. Sect. 4. c. 4.

JOANNES, Jacobitarum in Ægypto Patriarcha, claruit anno 1440. quo receptis ab Eugenio Papâ literis & munusculis, Epistolam Pontifici rescripsit ineptissimis assentationibus, Orientalium more, refertam; & Andream S. Antonii Abbatem Romam legavit. Extat *Epistola* ista Latinè Concil. Tom. XIII. p. 1201. 1440. H. W.

NICODEMUS, gente Æthiops; & Abbas Æthiopum Monachorum Hierosolymis ad Sepulchrum Domini degentium, claruit anno 1440. quo ab Eugenio Pontifice de obsequio sedi Romanæ præstando interpellatus, Epistolam excogitatissimis blanditiis cumulatam misso oratore ad Pontificem destinavit: se tamen rem tanti momenti inconsulto Rege suo facere non posse præ se tulit. Extat Latinè *Epistola* ista Concil. Tom. XIII. p. 1214. 1440. H. W.

GREGORIUS MELISSENUS, *Mammas* dictus, natione Græcus, Hieromonachus, Ecclesiæ 1440. H. W.

Digitized by Google

clesiæ CP. Pœnitentiarius, & Joanni Imp. à sacris Confessionibus. Anno 1438. ad Concilium Florentinum profectus est, vicarias Patriarchæ Alexandrini partes gerens. Ac primùm quidem adeò contra Latinos excanduit, ut ne Christum quidem Dominum in eorum templis adorare vellet. Posteà verò Pontificis auro corruptus, quod nec ipse dissimulavit *, maximus Unionis procudendæ artifex evasit; Protosyncellus seu Primicerius ab Imperatore, apud quem flagranti gratiâ pollebat, in Concilio renunciatus. Anno 1440. deposito Metrophane Patriarchâ CP. qui Bessarioni anno præcedente substitutus, ob subscriptionem Florentinam à Patriarchis Orientalibus collectâ Synodo anathematizatus fuerat; Gregorius ad thronum Patriarchalem evectus est: postquàm triginta annos in vitâ monasticâ exegisset. Me quidem nequaquam latet virum minimè ineruditum * contendere, Metrophanem ante captam urbem sede motum non esse, nec Gregorium Patriarchatum unquam obtinuisse. Verùm Phranzæ † authoritas mille conjecturis hâc in re prævalet; qui disertis verbis & Metrophanis depositionem & Gregorii evectionem tradit. Addit Phranza Gregorium post annos aliquot patriarchatum abdicasse, & Constantinopoli anno 1451. exulis instar, discessisse. Quò se contulerit, haud ita patet. Sunt qui Romam petiisse, ibique tandem sepultum miraculis inclaruisse volunt. Sanè Gregorium Patriarchatui non tam cessisse, quàm à Græcis, tanquam Ecclesiæ in Concilio Florentino proditorem, ejectum esse suadet Nicolai Pontificis Epistola ad Constantium Imp. quâ suppetias oranti præcipit, ut Gregorium ad sedem suam revocet, illique reverentiam Pontificali authoritati debitam à populo exhiberi efficiat, nec tanquam abjectum sacerdotem ludibrio esse permittat. Extant à Gregorio scripta, *Apologia pro Synodo Florentina* adversùs Marci Ephesii Epistolam encyclicam, seu Refutatio istius, Gr. Lat. Concil. Tom. XIII. p. 739. *Oratio seu Epistola ad Alexium Commenum Imp. Trapezuntinum de Processione Sp. S.* demonstrans, additione illâ ad Symbolum, FILIOQUE, nil innovatum esse: Gr. Lat. apud L. Allatium Græc. Orthod. Tom. I. p. 419. *Alia pro defensione Synodi Florentinæ Opuscula* se scripsisse memorat Gregorius; quæ nondum in lucem prodierunt.

* Vid. Sguropulum Sect. 8. cap. 6.

* Rob. Creyghtonus Præfat. ad Sguropulum.

† Hist. l. 3.

1440. R. G. GREGORIUS MELISSENUS, Hieromonachus, & Magnæ Ecclesiæ Cp. Protosyncellus, ac tandem Patriarcha, claruit anno MCCCCXL. Ex *Epistolâ* ejus ad Imperatorem Trapezuntinum ab Allatio editâ, manifestò cognitum & compertum habemus Gregorium nostrum mortuo Ephesio superstitem fuisse, ex Monacho Episcopum factum, cúmque triginta annos Cathedram Episcopalem adornâsset, in Thronum Patriarchalem invitum & frustra renitentem suffectum, eum denique, quòd ad Latinos transierat, & Conc. Florentini decretis assensum dederit, exauctoratum patriâ cessisse, Romámque profugisse disertè testatur G. Trapez. *Epistolâ ad Cretens.* pag. 578. Præter *Apologiam* in Marci Ephesii *Epistolam ad omnes Fideles*, quam Joan. Matthæus Caryophilus Latinè vertit, & ad finem Tom. II. *Actorum Conc. Florent.* unà cum Josephi Methonensis adv. *eundem Ephesium libello* Græcè & Latinè primus edidit *Romæ per Paulinum*, in 4to. Extat *Apologia* in M. Ephesii *fidei professionem.* Pr. Ὁ τῆς Ἐφεσίων πόλεως Ἀρχιερεὺς κῦρις Μάρκος. Hujus Exemplar MS. penès se habuit L. Allatius, unde & etiam inter alia, quæ *Græcia Orthodoxa* Tomum tertium conficerent, se aliquando editurum promisit vir eruditus *contra Creighton*, pag. 145. Fragmenta nonnulla in medium produxit *ibid.* pag. 280, 285, 309. Hujus Apologiæ meminit etiam P. Arcudius *de concordia* lib. II. cap. 15. *Tertiam* etiam *Apologiam* edidit, *pro definitione Concilii Florentini*, cujus ipse mentionem facit in Apologiâ primò memoratâ. *Conc. Tom.* XIII. col. 807. utrum verò jam supersit, affirmare non licet.

THOMAS WALSINGHAMUS, natione Anglus, Patriâ Norfolciensis, oppido cognomine non incelebri oriundus, Ordinis Benedictini Monachus in Cœnobio S. Albani, cui Præcentoris munus gessit. Claruit anno 1440. Scripsit *de Rebus Anglicis Historias binas*, breviorem unam, prolixiorem alteram. Illa ab anno 1273. initium sumens, usque ad an. 1422. progreditur. Ista, cui titulus est *Hypodigma Neustriæ* ab irruptione Normannorum anno 1066. usque ad sextum Henrici V. Regis annum, Christi verò 1417. res gestas ordine enarrat. Utraque à Cl. Cambdeno inter Scriptores Anglicos Normannicos editæ sunt *Londini* 1574. f. recusæ *Francofurti* 1602. f. Præter isthæc scripsit Walsinghamus *Auctarium Polychronici Ranulphi Higdeni*; quod quidem [si Baleo * fides] *habet rarissimas Historias, & à nullo alio scriptas.* Exordium ducit ista Continuatio ab anno 1342. & ad annum 1417. pertingit. Unicum ejus Exemplar MS. vidi, in Bibliothecâ Collegii Gonvilii & Caii, quod tamen in fine mutilum ultra annum 1398. non progreditur. Denique *Henrici V. Angliæ Regis*, cujus temporibus vixit, *Gesta* literis consignasse dicitur. 1440. H. W.

* Cent. 7. cap. 88.

JOANNES DE ANANIA, *Archidiaconus* vulgò dictus, gente Italus, civitate Bononiensis, Juris Pontificii Doctor celeberrimus, patriæ Urbis Archidiaconus & Professor. Claruit anno 1440. Obiit anno 1455. Extant *Commentaria in Decretalium libros* Mediolan. 1492. 1497. Lugduni 1546. & alibi. *Quæstiones Juridicæ* Lugduni 1572. *Consiliorum volumen*, Lugduni 1540. *Tractatus de Iure Patronatûs*, Francofurti 1581. 1440. H. W.

JOANNES CAPISTRANUS, natione Italus, Aprutii prope Aquilam Marsorum urbem natus, ex nobili Chiolorum stirpe oriundus, annum 1385. natalem habuit. Bernardini Senensis discipulus & necessarius, Minoritarum Regularis Observantiæ in Conventu Florentino sodalis, atque Ordinis sui in partibus Cismontanis bis Vicarius Generalis. Maximam sibi concionibus, & eximiâ vitæ sanctimoniâ famam concivit: adeò ut quatuor Pontificibus summis, Martino V. Eugenio IV. Nicolao V. & Callisto III. gratissimus haberetur. Claruit anno 1440. Inquisitor fidei, & Legatus Apostolicæ Sedis primùm in Italiam, dein in Germaniam missus, de re Pontificiâ præclarè meruit. Per civitates enim & oppida circumforanei ad instar agyrtæ oberrans, in foris & triviis conciones ad plebem habuit; quibus sacram adversùs sedis Romanæ adversarios militiam capessere persuasit. Apud Germanos verò exterasque nationes, Italici idiomatis ignaros, inconditis gesticulationibus verborum loco usus, auditorum animos miris modis deliniisse dicitur. Conflato itaque Cruciatorum quos vocant, exercitui se ducem præbuit; & ad hæreticos ferro flammâque exscindendos perrexit. In Campaniâ etenim octoginta sex Fratricellorum oppidula combussit. Dein in Germaniam transeuns, Hussitis grave intulit bellum, & effrænis assеclarum suorum zeli beneficio ut plurimùm potiora tulit. Profligatis Bohemis, communi deinceps Christianæ reipublicæ bono operam dedit. Conscriptis enim plusquàm centum millibus Cruciatorum, Tauruno, munitissimæ Hungariæ urbi, à Mahomete Turcorum Imperatore obsessæ, anno 1456. suppetias tulit: ubi non solùm milites verbis atque orationibus animavit; sed ipse etiam Crucem vexilli loco Christianis præferens, in primâ acie fortis- 1440. H. W.

Digitized by Google

 fortissimè rem gessit; & insignem Turcorum stragem edidit. Obiit Willaci in Diœcesi Quinque Ecclesiensi die III. Octobris, anno 1456. ætatis suæ 71. à Gregorio XV. Beatorum numero ascriptus.

SCRIPTA.

Tractatus de Papa & Concilii sive Ecclesiæ authoritate, adversùs Concilium Basileense. Extat inter Tractatus Juris *Venetiis* editos 1584. T. XIII. part. I. p. 32.

Speculum Clericorum, seu Sermo ad Clerum in Tridentinâ Synodo Diœcesanâ anno 1439. habitus. Prodiit seorsim cum praecedenti Tractatu *Venet.* 1580. 4°.

De instructione seu directione *simplicium Sacerdotum.*

Defensorium Tertii Ordinis à S. Francisco instituti. Tres istos Tractatus imprimi curavit Antonius Amicius Aprutius *Venet.* 1580.

Speculum Conscientiæ. Habetur inter Tractatus Juris Tom. I. p. 323.

Tractatus de Canone Pœnitentiali; ibid. Tom. XV. p. 395.

Tractatus de excommunicatione; ibid. p. 388.

De Matrimonio, per modum Consilii; ibid. Tom. IX. p. 77.

Repetitiones aliquot in Jure Civili, Venet. 1587.

De Judicio universali, & Antichristo, ac Bello spirituali, Venet. 1578.

De usuris & Contractibus. Venet. 1583.

Alia plura scripsit Capistranus, adhuc inedita; quorum Indiculum exhibet Possevinus Apparat. Sacr. Tom. I. p. 833. & Bellarminus de Script. Eccl. p. 391. præ aliis verò Waddingus de Scriptor. Ord. Minor. p. 196.

1440. H. W. LAURENTIUS VALLA, Patricius Romanus, anno circiter 1415. natus, S. Theologiæ Doctor, & Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis Canonicus. Claruit anno 1440. Vir omni humanioris literaturæ genere probè subactus; acris verò ac supra modum mordacis ingenii; qui omnibus minùs Latinè loquentibus dicam scripsit: nec Theologos sui sæculi vanis dogmatibus & ineptis argutiis deditos acuto calamo perstringere dubitavit. Censoriâ istiusmodi libertate innumeros sibi inimicos conciliavit; & in his Joannem Fr. Poggium, quocum ferale bellum scriptis commisit. Româ tandem seu sponte, seu Pontificis jussu digressus anno circiter 1443. Neapolim se contulit ad Alphonsum V. Aragoniæ Regem; cui quinquagenario Latinæ linguæ elementa tradidit. Tantum tamen patronum nactus vix rogum, cui à fidei Inquisitoribus addicebatur, evitare potuit. Cùm plurimas enim Ecclesiæ Romanæ traditiones erroris damnare non vereretur; ab aulæ Pontificiæ asseclis ad flammas rogatus est. Id supplicii quidem Alphonsi præcibus evasit Valla; scopis tamen in foro cæsus crimen suum luere coactus est. Romam denuò reversus, quorundam amicorum ope Pontificem sibi propitium reddidit; & acceptâ docendi potestate, lauto insuper stipendio donatus est. Obiit anno 1465. Calend. Sextil. ætatis suæ 50. De tanto Critico judicium ferat Erasmus * ὁ χελτικώτατος. *Et quis tam exigui, inquit, animi est, cujus pectus tantis invidiæ angustiis concluditur; ut Vallam non & magnificè laudet, & amet quàm maximè: qui tantâ industriâ, tanto studio, tantis sudoribus barbarorum ineptias refellit, literas penè sepultas ab interitu vindicavit, prisco eloquentiæ splendori reddidit Italiam: doctis etiam id præstitit, ut posthac circumspectiùs loqui cogantur.*

* Lib. 7. Ep. 3.

Append.

OPERA.

Elegantiarum linguæ Latinæ libri VI. Lugduni 1544. 8°. Cantabriæ 1687. 8°.

Libellus de reciprocatione Sui & Suus. ibid.

Antidoti in Poggium Florentinum libri IV.

Apologus & actus scenicus in eundem.

Alius in eundem Liber.

In Antonium Raudensem Annotationum libellus. Venet. 1481. f.

Epistola Apologetica ad Alphonsum Regem, adversùs Titum Livium de duobus Tarquiniis.

Invectivarum sive recriminationum in Benedictum Morandum Bononiensem libri ii.

In Bartholomæum Facium Ligurem & Antonium Panormitanum Recriminationum libri IV.

In Bartoli de insigniis & armis libellum ad Candidum Decembrem Epistola.

De Dialectica libri iii. Paris. 1530. Venet. 1499. f.

De ementitâ Constantini donatione Declamatio ad Papam. Prodiit in Fasciculo rerum Expetend. *Colon.* 1535. *f.* 66. inter Scriptores de Potestate Imperiali, &c. à Simone Schardio editos *Basil.* 1566. f. *Argentorati* 1618. f. seorsim verò *Lugd. Bat.* 1620. 4°.

Apologia pro se & contra calumniatores ad Eugenium Papam.

Annotationes in Novum Testamentum ex diversorum utriusque linguæ codicum collatione, *Paris.* 1505. *Basil.* 1541. & cum notis Jacobi Revii *Amstelodami* 1631. 8°.

De voluptate & vero bono libri iii. Basil. 1519. 4°.

De Libero Arbitrio ad Garsiam Episcopum Ilerdensem.

Prodierunt omnia Vallæ Opera, hactenus enumerata, Henrici Petri typis excusa *Basil.* 1540. f.

De mysterio Eucharistiæ Sermo. Argentinæ 1490. 4°.

De gestis Ferdinandi Castellæ & Aragoniæ Regis libri iii. ab anno 1410. ad annum 1415. Prodierunt *Romæ* 1520. f. *Vratislaviæ* 1546. 8°.

Inter Scriptores Hispanicos à Roberto Belo editos *Francofurt.* 1579. f. Tom. I. ab Andreâ Schotto editos *ibid.* 1603. f. Tom. I. p. 727.

Mitto *Commentaria in Salustium*, *Emendationes in Livium*, *Commentaria in Quintiliani Institutiones*, *versiones Homeri Iliadis*, *Herodoti & Thucydidis Historiarum*, *& Æsopi Fabularum Latinas*, aliaque ejusmodi, unâ plùs vice prælo emissa.

Vita Aristidis ab eo conscripta MS. habetur in Bibliothecâ Augustanâ.

FLAVIUS BLONDUS, seu rectiùs inverso ordine *Blondus Flavius*, gente Italus, patriâ Foroliviensis, natus est anno 1388. Humaniorum literarum studio, prout Italorum istius ævi ingenia ferebant, operam non infœlicem navavit. Romam profectus, Cardinalium quorundam favore in aulam Pontificiam accitus fuit, & Eugenio IV. ab Epistolis scribendis admotus, & ab eo ad Venetos unà cum Recanatensi Episcopo mox legatus. Claruit anno 1440. sequentium etiam Pontificum Secretarius usque ad Pium II. sub quo Romæ pauper admodùm, ut Philosophum decuit, diem obiit anno 1463. die IV. Junii, ætatis suæ 75. relictis quinque filiis de meliori notâ literatis; quos ex Marganiâ, illustris inter Romanos sanguinis fœminâ, susceperat. Talem de eo censuram fert Joannes Gobelinus *. *Procul Blondus ab eloquentia prisca fuit; neque satis diligenter, quæ scripsit, examinavit: non quàm vera, sed quàm multa scriberet, curam habuit.* 1440. H. W.

* Comment. Pii II. Pont. l. II.

I 2 SCRIPTA.

SCRIPTA.

Historiarum Decades iii. (quarum tamen ultima libros xi. complectitur) de rebus in Occidente gestis ab Imperii Romani inclinatione usque ad ætatem suam, seu ab anno Christi 410. usque ad ann. 1440. Historiam istam [quod in Blondi laudem haud parùm cedit] in compendium redegit Pius II. Pontifex. Prodiit seorsim *Venet.* 1484. f.

Roma instaurata libri iii. ad Eugenium Papam; quibus qualis suo tempore esset Roma, post crebras devastationes restituta, describit.

Italia illustrata libri VIII. quibus Italiæ in XVIII. Provincias divisæ urbes & regiones, resque sequioris ævi maximè notabiles commemorat.

De Venetorum origine & gestis liber, à jactis Reipublicæ fundamentis usque ad captam à Saracenis Ptolemaidem, seu ab anno Christi 456. ad 1291.

Roma triumphantis libri x. quibus de veterum Romanorum rebus, religione, Reipublicæ administratione, militiâ, moribus, & triumphis agit.

Prodierunt omnia Blondi Opera *Basil.* 1559. f.

1440. H. W. AMBROSIUS CAMALDULENSIS, gente Italus, patriam habuit Porticum Flaminiæ oppidum non procul à Florentiâ situm. Decimum quartum ætatis annum agens, Monachorum Camaldulensium qui eremum quandam inter Apenninos montes incoluerunt, Ordini initiatus est. Vir pro sæculi sui captu eruditissimus, quodque illâ ætate paucis contigit, utriusque linguæ peritus. In Græcis Emanuelem Chrysoloram Venetiis docentem audivit; tantoqne studio Græcarum literarum scientiam excoluit, ut à Sguropulo † inter omnes Latinos τῆς ἑλληνικῆς παιδείας εὐδημονέστερος haberetur. Tandem Ordinis sui Abbas Generalis constitutus, claruit anno 1440. Eugenio IV. & Nicolao V. summis Pontificibus inprimis charus; à quibus ad Cardinalitiam purpuram sæpe designatus, dignitate seu sponte seu fatali quadam sorte excidit. Ab Eugenio ad Concilium Basileense legatus, partes Pontificias egregiè propugnavit: nec minùs sedulam in Conciliis Ferrariensi & Florentino operam navavit: in quibus contra Græcorum dogmata acriter disseruit; & coram Imperatore & Episcopis Græcis plùs unâ vice Græcè peroravit. Ex Concilio Ferrariensi Florentiam ab Eugenio missus, ut Concilium istuc transferre liceret à Florentinâ republicâ obtinuit: quin & eleemosynæ Papali dispensandæ præfectus est, qui nummulos esurientibus apud Concilium Græcis minutatim erogaret. Pactâ tandem utcunque inter Græcos & Latinos concordiâ, spectatæ Ambrosii eruditioni datum est, ut Unionis ineundæ formulam componeret: ἀνὴρ ποικίλος μὲν καὶ πανοῦργος, ut de eo Sguropulus † σχῆμά δε περικείμενος εὐλαβείας, οὐκ ἄμοιρος τε τῆς τῶν ἑλληνικῶν λόγων παιδείας; καὶ τῷ Πάπᾳ πιστότατος. *Vir veteratorius & callidus, insignis sanctitatis simulator, nec linguæ nec disciplinarum Græcarum penitùs ignarus, & Papæ fidelissimus.* Obiit valdè grandævus, non sine sanctitatis opinione in Eremo suâ Camaldulensi, vel, ut alii habent, Constantiæ. Vitam ejus fusissimè descripsit Augustinus Florentinus Historiarum Camaldulensium libro 3. à pag. 321. usque ad finem: Errat verò Labbeus *, cùm Augustinum tribus libris vitam illius descripsisse ait. Scripsit quidem Augustinus de Historiâ Camaldulensi libros tres: Ambrosii verò vita solummodò in Appendice ad librum tertium continetur.

† Hist. Concil. Flor. Sect. 10. cap. 2.

† Sect. 7. c. 1.

* Dissert. Tom. 2. p. 45.

SCRIPTA.

Hodæporicon, seu descriptio itineris Eugenii Papæ auctoritate anno 1431. à se per Italiam suscepti, ut corruptos Monachorum & Virginum claustralium mores emendaret. Prodiit curâ Nicolai Bartholini *Florentiæ ac Lucæ* 1681. 4°.

Unionis formula inter Ecclesias Græcam & Romanam, seu *Definitio Synodi Florentinæ*. Extat Gr. Lat. Concil. Tom. XIII. p. 510.

Palladii Vita S. Chrysostomi, è Græco Sermone in Latinum *versa*. Prodiit versio *Venet.* 1533. & alibi.

Joannis Moschi Pratum spirituale. Lugduni 1617. & cum Græco textu in Auctario Duceano Tom. II. p. 1057.

Joannis Scholastici Climax. Venet. 1531.

Manuelis Galecæ libri IV. *contra errores Græcorum* Ingolstad. 1608.

S. Ephræmi Syri Sermones XIX. *Argentinæ* 1509. Extant in Bibliothecâ Cæsareâ *Sermones* XXI. *S. Ephræmi* ab Ambrosio olim *Latinè versi*, & Cosmo Medici [summo ipsius Mæcenati] nuncupati. *Præfationem ad Cosmum*, sanè elegantissimam, exhibet Lambecius Comment. de Biblioth. Vindob. Tom. I. p. 119. Non versionem solùm, sed Præfationem etiam, tacito Ambrosii nomine, expilavit Gerardus Vossius Tungrensis.

Alia multa veterum Patrum scripta Latio donavit Ambrosius, & in his *S. Dionysii Areopagitæ opus de Cœlesti Hierarchia*; *S. Basilii librum de Virginitate*; *S. Athanasii contra Gentes*, *S. Chrysostomi libros tres ad Stagirium Monachum*, *Homilias in Matthæum*, & XVIII. *alia Opuscula diversi argumenti*; *Vitas Monachorum, & S. Gregorii Nazianzeni*, atque alia plura; quæ quidem ferè omnia diversis locis ac temporibus in lucem prodierunt.

Cæterùm non contemnenda etiam ingenii sui monumenta proprio Marte Ambrosius composuit, viz. *Epistolarum libros* XVI. MSS. in Bibliothecâ S. Marci Florentinâ; *Chronicon Montis Cassini*; *Commentariorum de rebus à se, dum Generalis esset Camaldulensium, gestis libros* ii. *Vitas Sanctorum aliquot*: *Tractatum de Sacramento admirabili Corporis Christi*; *Tractatum contra Græcos de Processione Sp. S. Orationes nonnullas ad Conciliorum Ferrariensis & Florentini Patres habitas*, quodque nec Bellarminus, nec Pocciancius enumeravit, *Opus contra vituperatores Monasticæ vitæ*, MS. in Bibliothecâ S. Justinæ Patavinâ asservatum, teste J. Tomasino lib. de Biblioth. Patavinis p. 46.

MICHAEL APOSTOLIUS, natione Græcus, patriâ Byzantinus, Geo. Gemisti Plethonis familiaris, Philosophiæ Platonicæ sectator, claruit anno MCCCCXL. Græcorum rebus afflictis, & jam-jam collapsuris, in Italiam aufugit, à Bessarione Card. inter alios suæ gentis eruditos, hospitio aliquandiu exceptus, donec gratiâ ejus excidens sedem mutare necesse habuit, & ex Italiâ in Cretam Insulam migravit, ubi libris exscribendis & pueris instituendis victum sibi quæritabat. In defensionem Platonis contra Theodorum Gazam calamum strinxit, Geo. Gemisto succenturiatus. Dictum Opus sic incipit. Ἔδει Πληθῶνα, εἴπερ αὐτοῦ Ἀριστοτέλης λέγων, & extat Græcè MS. in *Bibl. Vindob.* Cod. Philos. LXXXV. num. i. & in *Bodleiana*, Cod. 165. Dialogus *Menexenus* dictus de *SS. Trinitate*, utrum Judæi & Turcæ rectiùs *simpliciter Unum* credant Deum, an Christiani Deum *Trin-Unum*. Interlocutores *Menexenus* Cydonius, *Diophanes* Gortynius, & *Laonicus* Byzantius. Pr. Διοφ. Ποῖ δὴ καὶ πόθεν, ὦ φίλε Μενέξενε; Μενέξ. Ἐκ Κυδωνίας εἰς Γορτύνην. Extat MS. *ibid.* nu. ii. *Oratio* consultatoria ad Socerum sibi irascentem, cùm ad secundas transiret nuptias. Pr. Ἐν ἄλλοις τῶν ἀναγκαίων ἤδη σχολάζοντι. MS. *ibid.* num. iii. & in *Bodleiana*, Cod. 76. *Appellatio* ad Constantinum Palæologum ultimum CP. Imp. qua continetur superstitæ 1440. R. G.

Religionis

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. Religionis ipsius Confessio: in hâc formulâ Fidei, processionem Spiritûs S. ex *solo Patre* confitetur, uti monet Cl. Lambecius, Pr. Πολλῶν ἐτῶν, θεόδοξε βασιλεῦ, ἃ τὸ χρῆμα τοῦτο τὴν βασιλείαν κοσμεῖ. MS. numer. IV. *Oratio* ad Magistrum suum Joannem Argyropulum cùm ipse Constantinopoli publicè docere inciperet. Pr. Τοῖς ἀγῶμεσι τῶν ἀνθρώπων τὰς σφῶν αὐτῶν ἐνεργέτας. MS. *ibid.* num. v. *Epistolæ* XLV. quarum prima ad Georg. Gemistum Plethonem. Pr. Ἔτι μὲν καὶ πρότερον ἄλλο. Reliquæ ad Manuel. Chrysoloram, Laon. Chalcocondylam, Joan. Argyropulum, Mich. Marullum, Joan. Chrysoloram, Bessarionem Card. Petrum Calliergen, aliosque plures eâdem ætate florentes viros doctos, quas omnes publicâ luce dignissimas censet P. Lambecius, quod Historiæ illorum temporum illustrandæ multum inservirent, habentur MSS. *ibid.* nu. VI. Multa ex Operibus suprà recensitis asservantur Græcè MSS. in *Bibl. Bavaricâ*; plura in *Vaticanâ* in Codice Autographo ex *Biblioth. Heidelberg.* allato, ubi Epistolæ LXV. numerantur. *Oratio Panegyrica* ad Fredericum III. Imp. rogatu Aristonymi Byzantini circa annum MCCCCLVII. scripta, Græcè & Latinè à Frehero edita, *Rer. Germ. script.* Tom. II, Francof. 1602. *fol. Oratio funebris* in laudem Bessarionis Card. Græcè MS. fuit penès P. Pantinum, inde ad Andr. Schottum devenit: Habetur in *Biblioth. Bavaricâ*, eadem cum *Versibus* quibusdam *Heroicis*, *Elegiacis*, *Jambicis in præcipua Festa Dominicalia & Sanctorum*, MS. in *Codice* 165. *Monodia funeralis* ad Andream Calergen MS. *in Bibl. Regia Parisiensi. Disceptatio* adversùs eos qui Occidentales Orientalibus superiores esse contendebant, quoad Philosophiam, & in declarando modo Generationis Christi, & Processionis Spiritûs S. Græcè MS. in *Bibl. Bodleian.* Cod. 76. *Versus Politici* Græci in Laudem Batrachomyomachiæ Homericæ MSS. erant penès Archiepisc. Toletanum. Denique in *Parœmiis* sive *Proverbiis Græcorum* colligendis & ordinandis operam satis fœliciter impendit. Opus ordine Alphabetico dispositum Gasparo Osmensi Episcopo nuncupavit. Hujus breve Compendium Græcè edidit Hervagius, *Basil.* 1538. 8*vo.* Integrum cum versione Latinâ, & notis amplissimis, prodiit curâ P. Pantini, & Andr. Schotti, Lug. Batav. 1619. 4*to.*

1440. R. G. JANNOTIUS MANETTUS, natione Italus, patriâ Florentinus, claruit anno MCCCCXL. anno MCCCXCVI. natus, à primâ pueritiâ studiis litterarum deditus, veram sapientiam, desertis Scholasticorum lacunis, ex ipsis fontibus haurire concupivit: Manuelem Chrysoloram in Græcis literis Magistrum habuit, linguæ etiam Hebrææ (quod in isto ævo rari admodum exempli erat) cognitionem assequutus: In Senatorium Ordinem à concivibus suis cooptatus est, & Equestri dignitate à Nicolao Papa V. cui inter primos charus erat, honestatus; varias etiam tum Reipub. tum Pontif. Rom. nomine Legationes obiit; & postquam tres supra sexaginta annos magno cum honore & auctoritate transegisset, Neapoli debitum naturæ persolvit anno MCCCCLIX. Eo nomine inter Scriptores Ecclesiasticos præcipuè memorandus, quòd *Psalterium Davidis*, & *Veteris Testamenti* partem ex Hebræo, *Novum Testament.* integrum ex Græco sermone in Latinum transtulit. Scripsit autem præclarum Opus *contra Judæos & Gentes* in decem libros distributum, quod *Pisauri* MS. asservatur. Orationes varias pro re natâ Legatus habuit, quarum nonnullæ lucem aspexerunt: *Oratio* ad Alphonsum Aragoniæ R. *de laudibus Pacis*, anno 1443. *Alia* ad eundem in nuptiis Ferdinandi unici sui Filii, anno 1445. habita. *Oratio Gratulatoria* ad Nicolaum Papam V. *in creatione suâ*, 1447. *Altera* ad Fridericum Imper. quo tempore *Append.* ingressus est *Florentiam*, anno 1451. Omnes à Marq. Frehero editæ, *Germ. rer. Script.* Tom. III. Hanov. 1611. *folio. Vitam Nicolai P.* V. scriptis consignavit, hujus meminit Bapt. Poggius in *Vitâ Card. Firmani* apud Baluzium, *Miscell.* Tom. III. pag. 264. Extat MS. in *Biblioth. Vaticanâ. Vitam Franc. Petrarchæ*: eam edidit Jac. Ph. Thomasinus *Petrarch. Rediviv.* Patavii 1650. 4*to.* Opera hactenus numerata, unà cum *Vitis Socratis*, *Dantis*, &c. *Historia* item *Pistoriensis*; *de illustribus longævis* liber; *de Sæcularibus & Pontificalibus pompis*, MSS. asservantur Pisauri in *Biblioth. Seren. Ducis.* Horum postremum, cum *laudatione Genuensium* reperitur MS. in *Biblioth. Colleg. Novi* apud Oxoniens. Apud eosdem in *Biblioth. Colleg. Lincoln.* MS. extat *Oratio Funebris* in Leonard. Aretinum. *De Dignitate & Excellentiâ Hominis.* Opus prodiit curâ Alexand. Brassicani, *Basil.* 1532. 8*vo.* Verùm in *Indd. Expurg.** prohibetur nisi repurgetur. Plura alia ejus Opera numerat Possevinus †, quem consulat Lector curiosus.

* Madrit. 1612. p.65.
† Apparat. Sac. Tom. I. p.796.

1440. R. G. MICHAEL BALSAMON, natione Græcus patriâ fortè Byzantinus, Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Magnus Chartophylax & Archidiaconus, claruit anno MCCCCXL. Hic inter alios Crucigeros Josephum Patriarcham ad Concilium Florentinum comitatus, Latinorum Artes & Versutias detexit, & fictam unionem irrisit; Synodali autem definitioni, Imperatoris voluntati obsequens renitente licèt & reluctante animo, subscripsit: domum reversus scripsit ad Joannem Palæologum Imp. *Anaphoram Cleri Constantinopolitani*, quare qui ex Italiâ advenerant, Unionem in Synodo probatam dissolverent: Eam memorat & sugillat L. Allatius *de Consens.* lib. III. c. 2. & nonnulla fragmenta in lucem profert, *ibid.* col. 918, 922, 924, 927.

1440. R. G. JOANNES SEGOVIENSIS, natione Hispanus, ex urbe natali cognomen adeptus, S. Theologiæ in Academiâ Salmanticensi Professor, & Canonicus Toletanus, claruit anno MCCCCXL. Academiæ suæ nomine Concilio Basileensi interfuit, ejusque pars magna fuit; pro Concilio adversùs Pontificem strenuè & audacter egit; contra Græcos nervosè & dilucidè peroravit, & (ex fide Balæi*) in Bohemorum gratiam disseruit, pro utrâque Sacramenti specie laicis ministrandâ dimicans. Hunc Æneas Sylvius ut *Theologia peritissimum & summâ scientiâ virum*, *moribus & doctrinâ illustrem*, *cujus virtutem & summam bonitatem adversarii vel inviti venerabantur*, deprædicat, variisque, quàvis datâ occasione, præconiis ornat: à Fœlice IV. vulgò V. Antipapâ Sacrâ Purpurâ insignitus est Joannes noster IV. Idus *Octobr.* MCCCCXL. verùm, abdicante Fœlice, dignitate istâ exutus, & Ecclesiæ Cæsareensis Præposituræ à Nicolao P. V. admotus, vitæ Monasticæ secessum potiorem habuit, & in parvo quodam Cœnobio vitam fefellit. *Concordantias Biblicas vocum indeclinabilium collegit*, *& ordine Alphabetico disposuit*, à Joan. Frobenio primò Basileæ ann. 1476. præmissâ dedicatione Sebast. Brant, seorsim impressas; Posteà *Majoribus Concordantiis* insertas, & variis in locis excusas. Scripsit præterea Tractatum de immaculatâ B. Virg. Deiparæ Conceptione; prodiit *Bruxel.* 1664. *fol. Acta Concilii Basileensis* scriptis commisit; ea in duobus maximis Codd. membranaceis exarata, apud Basileenses magnâ diligentiâ custodita, reperit Augustinus Patricius Senensis, & ex eis *historiam suam Synodi Basil. summariè atque integra fide* descripsit, *nihil omnino rerum publicarum prætermittens.* Vide *Conc.* Tom. III. colum. 1612. *De auctoritate Episcoporum in Concilio generali.* MS. ibidem superioris, ut videtur, Appendix. *Orationem* similis planè argumenti, in Concilio

*Cent. VIII. p. 590.

SÆC. XV. ab An. MCCCC. lio Basileens. habitam, integram exhibet Æn. Sylvius, *Comment. Basil. Syn.* lib. I. pag. 34. Porrò Joannem nostrum *Mahumetis Alcoranum* ex *Arabico* in *Latinum* Sermonem vertisse, ac *ineptias ejus veris ac vivis rationibus & argumentis* explosisse testatur idem Sylvius †. Alter à nostro Joannes Segobiensis Ord. Præd. & integro ferè sæculo junior, cujus extat Opus *de Prædicatione Evangelicâ*, in libr. VI. divisum, in quo de Concionatoris officio prolixè agit. Prodiit *Compluti* 1573. *Brixiæ* 1586. 4to.

† Europ. c. 42. p. 440.

1442. R. G. FRANCISCUS de PLATEA, natione Italus, patriâ Cremonensis, Ord. Fratr. Minorum Monachus, claruit ann. MCCCCXLII. Scripsit *Summam Mysteriorum Christianæ fidei*; *Sermonum librum*; *De restitutionibus*; *de Censuris Ecclesiasticis*, & *de Usuris*. Ex his Lucubrationibus tres posteriores habentur inter *Tractat. Tractatuum Juris. Venet.* 1584. *Tom.* XIV. Opera omnia junctim edita prodierunt *Patavii* 1473. *fol. Paris.* 1476. Sub idem tempus floruit Joannes de Platea J. C. Bononiensis, cujus *Commentarii in Institut.* & *tres libros Cod.* prodierunt *Lugdun.* 1528. 8*vo.* & alibi.

1443. H. W. MEFFRETHUS, natione Germanus, Ecclesiæ Misnensis Presbyter, claruit anno 1443. quo Hortulum suum se inchoasse testatur, Joanne Episcopo Diœceseos Misnensis clavum tenente. Scripsit *Hortulum Reginæ*, seu Sermones de Sanctis, & Dominicales per totum annum in partes Æstivalem & Hyemalem distributos. Prodierunt *Norimbergæ* 1487. f. *Basileæ* 1488. 2. vol. f. Utramque editionem in Bibliotheca Lambethana inspexi. Cæterùm Meffretus antiquos Doctores secutus, in Sermonibus de Conceptione B. Virginis eam originali labe immunem non fuisse ausus est docere. Ægrè id tulerunt Operis sui Editores; atque adeò in priore editione brevis Typographi Admonitio, in posteriore prolixa Fr. Joannis de Lapide, Cartusiani, Doctoris Parisiensis, concionibus istis præmittitur Præmonitio; qua Meffreti sententia & assertiones refutantur, & hæreseos arguuntur. Sententiam enim de maculata B. Virginis Conceptione antiquitùs quidem obtinuisse non diffitetur Carthusianus; verùm post evulgatam ab Academia Parisiensi, à Concilio Basileensi, & à Sixto IV. Pontifice definitionem contrariam, puram putam esse hæresim à Catholicis omnibus repudiandam strenuè contendit.

1444. H. W. REGINALDUS PAVO, Anglicè *Peacock*, natione Anglus, Patriâ Cambrobritannus, in Collegio Orialensi apud Oxonienses educatus, Doctoratûs insignia tandem accepit. Vir summâ rei Theologicæ peritiâ ac morum probitate conspicuus; quo nomine magno illi Pietatis ac melioris literaturæ Mecænati Humphredo Glocestriæ Duci facilè in notitiam devenit. Illius favore Episcopatum Asaphensem obtinuit anno 1444. ad Cicestrensem translatus anno 1450. Summo animi studio Wicleviſtis, quos vulgò *Lollardos* vocarunt, in Ecclesiæ Romanæ sinum reducendis incubuit, cui operi ad extremam usque ætatem intentus, plurimos tam vernaculo quàm Latino sermone libros edidit. Haud ita tamen partibus Pontificiis addictus, quin gravissimos in Ecclesia Romana tunc passim receptos errores ac superstitiones agnosceret & insectaretur. Lollardis quinetiam adeò non iniquus, ut vivicomburium illis à Clero Anglicano sæpe inflictum vehementer improbaret, mitioribus argumentis & ratione solâ controversiam dirimendam esse ratus. Ecclesiæ Repræsentativæ, seu Papæ, seu Concilii Generalis infallibilitatem, quæ quidem posthabita isto ævo Concilia Constantiense & Basileense in Scholis passim venditari cœperat, acriter scriptis oppugnavit; Ecclesiamque fidei Articulos definiendi & errare posse & reverà sæpiùs errasse contendit. Alias adhuc opiniones Vir supra communem sæculi sui sortem eruditus ab egregia antiquitatis cognitione hauserat, quæ tunc temporis quidem parùm notæ, ab omnibus verò jam receptæ, hæreseos suspicionem illi apud indoctos atque æmulos præsules moverunt. Post Humphredi itaque Ducis interitum ad Synodum Lamethanam anno 1457. citatus à Thoma Bourchiero Archiepiscopo Cantuariensi, Episcopis Wintoniensi, Lincolniensi, Roffensi, ac viginti quatuor inferioris subsellii Theologis hæreseos accusatus est; erroresque aliquot partim ex scriptis ejus collectos, partim inimicorum fraude confictos, abrenunciare jussus. Palinodiam egit in Templo D. Pauli Londinensi die IV. Decembris ejusdem anni. Quid illi exinde contigerit, parùm constat. Tradunt nonnulli eum in carcere nece clandestina sublatum esse, alii in ædibus Episcopalibus ad mortem usque incarceratum, plures verò in Cœnobium quoddam secessisse, dato illi ex reditibus Episcopalibus exiguo admodum stipendio. Utcumque parvo illum tempore dignitati suæ superfuisse, inter omnes convenit. Næ verò ludibrium debent nuperi Indicis * Librorum prohibitorum & expurgandorum Hispanici Authores qui Peacocum nostrum Cicestriensem Pseudo-episcopum vocant, & Professorem Oxoniensem Lutheranum fuisse somniant. Certè non alius istius ævi Scriptor Ecclesiæ Romanæ causam majori acumine atque eruditione contra Wiclevistas egit; utcunque is fuerit, qui pessimas morum ac disciplinæ corruptelas in Ecclesiam invectas esse dissimulare nollet; & crassiusculas, quæ tunc passim vigebant, superstitiones improbaret.

* Madrit. 1667. fol. p. 865.

SCRIPTA.

De Fide libri II. formâ Dialogi inter Patrem & Filium, Anglicè conscripti, quorum prior fidem Argumentis duntaxat probabilibus, non demonstrativis, niti probat; posteriore S. Scripturam unicam esse fidei Regulam acutè satis disputat. Liber iste posterior, unà cum Excerptis ex priore nonnullis, prolixâ Editoris Præfatione illustratus, in lucem emissus est *Londini* 1688. 4o. Integrum extat Opus MS. in Collegio SS. Trinitatis Cantab. Paucis admodum ante obitum atque actam Palinodiam annis Opus istud Peacocus composuit. Si quidem non solùm *Repressoris* (quem anno 1449. evulgavit) à se antehac conscripti inibi mentionem facit; verùm etiam complures, quos se sc conscripturum esse in *Repressore* promiserat, libros veluti jamdiu in lucem editos commemorat.

Repressor nimiæ Cleri reprehensionis, Opus inprimis prolixum, ac summo, ut videtur, studio elimatum; quo recepta Ecclesiæ Romanæ dogmata ac ritus adversùs Wiclevistarum objectiones Auctor vulgari idiomate fusè astruit. Integrum Opus in V. partes distribuitur; quarum primâ impugnatos à Wiclevistis ritus generali argumento propugnat; reliquæ singulos ordine tuentur. Primâ itaque parte Palmariam Wiclevistarum, qui nil sive dogmatum sive Cæremoniarum, nisi à S. Scripturâ expressè approbatum, recipi voluerunt, objectionem aggreditur: idque in primis probandum sumit, nequaquam in id nobis datam esse Scripturam, ut illa, quæ naturalis ingenii viribus dignosci possent, revelaret; adeòque innumera Christianis omnibus necessariò facienda ac credenda esse, de quibus ne verbum quidem habet Scriptura; immo potiorem fidei atque officii Christiani partem è ratione naturali petendam esse. Christianam enim religionem (si Sacramenta excipias) nihil penitus addidisse Legi morali; adeòque totam (si Sacramenta demas) non

in

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. in S. Scripturâ, sed in ratione naturali primariò fundari. Hinc sequi, quod legis & rationis naturalis dictatis optemperandum esset, etiamsi Christus & Apostoli aliquid ipsis contrarium prædicaverint. S. autem Scripturam unicam esse veritatum revelatarum normam ac mensuram, tanquam indubitatum & ab omnibus receptum dogma ubivis supponit, quin & sexcentis ferè locis luculenter asserit. Parte secundâ Imaginum usum & Peregrinationes religionis causâ susceptas defendit; acutè quidem satis neque ineruditè; adeò invitâ tamen veritate, ut absurdas sæpenumero sententias tueri necesse habeat. Ut alia enim ejuscemodi taceam, Judæorum ac Gentilium idololatriæ originem & naturam explicans, tantum paulò ante Christum naturam Philosophiæ indies au-
Par.2.c.17. gescentis beneficio veritatis jubar eluxisse prædicat; ut omnes à Christo nato Gentiles (si pauculos obscuri nominis excipias) idololatriæ crimine penitus immunes fuerint. Inter agendam verò imaginum causam cultum iis exhiberi neutiquam probat; idque duntaxat licere contendit, ut commemorativa Dei beneficiorumque ejus ac Sanctorum, nequaquam repræsentativa, signa in Ecclesiis asserventur. Parte tertiâ fundos atque ampla patrimonia possidere Sacerdotibus Christianis licere probat; & ministrantis culpam jus ministerio debitum non auferre, neque Laicis decimas illi debitas subtrahendi potestatem conferre contra Lollardos asserit. Constantini interim donationem, quam Sylvestro Papæ olim factam esse Pontificii crassiores fabulantur, uberrimis vali-
† Par. 3. c. 12. 13. disque argumentis impugnat *. Parte quartâ diversos sacerdotii gradus in Ecclesia necessariò admittendos esse & à Christo institutos fuisse demonstrat contra Lollardos, qui paritatem omnium sacerdotum præoptarunt, neque alios, præter Presbyteros ac Diaconos, Ordines admitti voluerunt. Capite quarto, Petri ejusque successorum Pontificum Romanorum, primatum astruit, & sequentibus, Leges ab Ecclesiæ præsulibus circa res indifferentes rectè condi & homines ad easdem servandas licitè cogi posse disputat. Nimiam tamen rituum ac ceremoniarum farraginem in Ecclesiam jamdiu invectam esse non illubenter agnoscit, & innumera, quæ exinde orta sunt, mala dolet; quin & librum eâ de re se
Par.4.c.9. scripturum esse vovet, utque voto Deus annuat, precatur. Parte ultimâ singulares & à vulgo Christiano discretas Religiosorum Ordinum vivendi formulas, peculiarem habitum, magnifica ædificia, aliasque consuetudines tuetur: & Capite tertio, varias Hæreticorum sectas, quæ antiquam Ecclesiam divexarunt, earumque dogmata recensens, postremo loco Waldenses & Wiclevistas apponit. Hactenus sex Ecclesiæ consuetudines à Lollardis impugnatas defenderat. Quinqne aliæ pari modo propugnandæ, restabant viz. I. Preces Sanctis oblatæ, & communicatio meritorum à Sacerdotibus & Monachis passim venditata. II. Nimia vasum pretiosorum in Ecclesiis asservatorum multitudo, quæ divendi & in egenos distribui meliùs possent, & honor imaginibus ac reliquiis Sanctorum datus. III. Assiduus Sacramentorum usus, maximè verò divinus, qui Eucharistiæ elementis exhibetur, cultus IV. Juramentorum usus à Clero usurpatus & aliis impositus. V. Pœnarum capitalium & belli usus ab Ecclesia approbatus. Quùm verò capita ista aliis in libris sanè pertractarat; ampliùs de iis differere hic loci noluit. Integrum Opus MS. pervolvi in Bibliotheca publica Cantab. Classf. 4. fig. 3. in fol. E quamplurimis, quæ notari meruerunt, locis, bina præ aliis selegi; alterum de Canonicis S. Scripturæ libris, de Sacerdotum nuptiis alterum, quæ Latinè versa in Lectorum gratiam subjicerem.

Par. I. cap. 19. *Porrò in sui defensionem Historiam Susannæ adversarii producere non debent, Danielis* XIII. *cap. Iste enim locus & Historia non est Scripturæ portio, sed apocrypha. Verus autem Danielis liber quantus quantus est, S. Scripturæ, in duodecimo capite terminatur, ut Hieronymus interpres testatur.* Atque iterum par. 2. cap. 17. cùm sententiæ de Idololatriæ origine ab ipso prolatæ Hæreticus objiceret locum Sapientiæ XIV. Authorem istius libri hallucinatum esse affirmat; ac dein subdit: *Iste locus Sapientiæ* XIV. *falsus est; utque ita credam, integrum mibi est. Liber enim Sapientiæ non est S. Scripturæ liber; nudaque affirmatio ejusce libri Sapientiæ authoris Scriptorisve, cui nomen erat Philo, nequaquam parem meretur fidem, neque tantum habet ponderis, quantum S. Scriptura, atque argumenta superiùs à me hac de re prolata.----Atque ita quidem mihi videtur, fidem* XIV. *capiti Sapientiæ neutiquam in hac re adhibendam esse. Si cui rudioris ingenii mirum videatur, dictum Sapientiæ librum tam eximium in Bibliis hodierno tempore locum obtinere, quin & pari, atque alios S. Scripturæ libros, solennitate in Bibliis collocari; illi sic respondeo. Sub Ecclesiæ primordiis paulò post Christi passionem Scripta homines ad Sanctitatem incitantia, rara admodum & pauca erant, si libris ejusdem argumenti ab illo tempore conscriptis conferantur. Postmodum, cùm Christiani maximo piorum librorum studio afficerentur, copiâ autem destituerentur, ob devotionem & aviditatem, quâ spirituales doctrinas homines tunc temporis exceperunt, in Biblia sua descripserunt & Philonis librum, qui Sapientia appellatur; & Jesu filii Sirach librum, qui vocatur Ecclesiasticus, aliosque plures, ob magnam devotionem, quâ Christiani tanta piorum librorum caritatis tempore in ejuscemodi libros ferebantur; quamvis satis norint dictos hosce libros è S. Scripturâ non esse; quod & Hieronymus aliique clariùs testantur libros istos S. Scripturæ partem non esse. Prisca verò ista devotio dictos libros in Bibliis collocandi ab omni tempore, quo Biblia à privatis descripta passim habebantur, in hunc usque diem non cessavit. Exinde tamen istorum librorum authoritas non altiùs, quàm olim, attollitur; nec exempli gratiâ eo usque exinde ampliari potest, ut argumentis nudâ illorum affirmatione majoribus præponenda sit.*

Par. III. cap. 15. *Quamcumque actionem Apostolus aliquis aut Scriptura ejus in morali sacerdotis conversatione usurpari perhibet: istam actionem à sacerdote frequentari rationi non repugnat. Alter enim Apostolus & Scriptura ejus quiddam rationi contrarium perhiberet; quod nequaquam concedendum est. Ita verò res habet, ut à sacerdote aut alio quolibet Christiano omnia ciborum genera, quantum sufficit, actis Deo gratiis, accipi Scriptura satis approbet, uti patet ex* I. Tim. *cap.* IV. *Pari modo ista actio, ut sacerdos ex omnibus virginibus sibi uxorem pro lubitu eligat & accipiat (modò nuptias statim post primæ uxoris obitum non ineat) utque liberos gignat, possessiones teneat, familiam habeat, liberos alat & educet, uxorem possessiones & liberos gubernet, atque illis prospiciat; ista inquam actio à Paulo, ac pari argumento à cæteris Apostolis comprobatur.* De Paulo res patet ex eo, quod *scriptum est* I. *Cor.* VII. *cap. in initio, ubi ad omnes generaliter Corinthi Christianos, atque adeò ad sacerdotes non minùs quàm alios verba facit:* I. *Tim.* 3. *cap.* & *Tit.* I. *cap. si eo sensu accipiantur, quo Pauli temporibus & à Pauli avo ad hunc usque diem per universam Græciam intellecta sunt; uti Ecclesiæ istius praxis demonstrat: quin & secundùm intellectum, quem verbis illis apposuit Ecclesia Occidentalis à Petri ac Pauli diebus ad Augustini usque tempus; uti sacerdotum in Ecclesia Occidentali consuetudo Augustini avo recepta demonstrat; unà cum Historia Tripartita ubi de Concilio Nicæno verba facit; atque ipso Augustino, qui Sacerdotum suo tempore uxoratorum mentionem fecit. Negari tamen non potest,* Paulum Timotheo *Ep.* I. *cap.*

SÆC. XV. ab An. MCCCC. v. *consilium dedisse, ut semetipsum castum servaret.* Cæterùm Operis istius conscripti tempus ex eodem certissimè definiri potest. Parte etiam V. cap. 6. annos ab inchoato inter Anglos & Gallos bello 34. effluxisse sæpiùs dicit; adeò ut ann. 1449. scriptum esse necesse sit.

Præter libros suprà recensitos scripsit Peacocus alios à semetipso in iisdem memoratos, viz. *Justam Doctorum æstimationem* Latinè, *Justam S. Scripturæ æstimationem* tribus partibus comprehensam Anglicè: *de religione Christiana*; De *matrimonio, de implendis* IV. *Tabulis Tractatum*; cujus tertia pars *de usura* egit. *De Extensione* IV. *Tabularum, De Sacerdotio, De Christiana fidei regula*; *Librum de Fide*, atque alium *de Sacramentis*, Latinè: *Donatum in religionem Christianam ducturum : Donati sequacem* seu Appendicem : *Provocatorem Christianorum*, De *Evangelicis Consiliis, Demonstrationem Christianæ fidei, De Baptismo*; *De Eucharistia*; *Præconem* : *De signis in Ecclesia*, seu *de cultu*; De *Doctrina*; De *Ecclesia* Latinè. Porrò Par. 3. Repressoris capit. 12. sese librum *de fabulis Legendarum* scripturum esse in se recipit. Par. 4. cap. 2. libros *de Baptismo*; *& Pœnitentia*, Latinè; Par. 1. cap. 2. *Logicam* linguâ vulgari in Laicorum usum: ac demum Par. 5. cap. 6. se *Lectionum* è cathedrâ Academicâ habitarum volumen editurum esse pollicetur.

* Cent. 8. cap. 19. † Eclog. Oxon. Cant. tab. par. 2. Alios adhuc recenset Balæus *, Puta, *Defensorem, Declaratorium, Symbolum, Ad Godhardum Minoritam, Epistolam*, (quam MS. in privata Gualteri Copi Bibliotheca extitisse prodit Jamesius †) *Divinum Officium, Enchiridion, De Providentia Dei, De libertate Evangelii, De secularium potestate, De æqualitate ministrorum, De legibus & doctrinis hominum, De communione sub utraque specie, Contra mendicitatem impiam, De sua Palinodia.* Verùm præter Opera bina primo loco recensita vix alia exstare putem. Edidit quidem Joannes Foxus, unà cum Articulis seu Aphorismis Wiclevianis, Collectanea quædam ex Peacoci scriptis *Argentinæ* 1554. 8°. Libellum autem istum mihi nondum videre contigit.

1444. H. W. LEONARDUS DE UTINO, aliis *Bellunensis*, nonnullis *Micensis* dictus, gente Italus, Ordinis Prædicatorum socius, Gymnasii Bononiensis Regens ac Professor, Eugenio IV. Pontifici à sacris Concionibus, & Dominicanorum in Lombardia Provincialis, claruit anno 1444. Nec plura de eo constant.

S C R I P T A.

Sermones floridi de Dominicis, & quibusdam Festis quos Florentiæ prædicavit anno 1435. & Venetiis. Prodierunt *Lugduni* 1496. *ibid.* 1516. 2. Tom. 4°. Iidem forsan sunt *Sermones Aurei* Utinæ 1466. nescio annon & *Sermones Quadragesimales & Dominicales*, Ulmæ 1478. Lugduni 1496. excusi.

Sermones de Sanctis, qui sub ipsa artis Typographicæ incunabula excusi prodierunt ann. 1446. absque loci mentione, *Ulmæ* 1475. *Spiræ* 1479. *Lugduni* 1495. 4°.

Tractatus de locis communibus Concionatorum. Ulmæ 1478.

De Legibus Opus satis crassæ molis. Prodiit *Venetiis* 1473. f.

1444. H. W. PETRUS DE PILICHDORF, natione, ut videtur, Germanus, S. Theologiæ Professor, claruit, si ex notâ ad finem libri appositâ conjicere liceat anno 1444. Scripsit *Librum contra Sectam Waldensium*, qui cum Reinerii Sachoni Opere ejusdem argumenti à Gretsero editus est *Ingolstad.* 1613. p. 281. ubi & pars *Tractatus contra pauperes de Lugduno* reperitur. p. 279. Habetur utrumque Opusculum in Bibliotheca Patr. Tom. XXV. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

JACOBUS BRACELIUS, natione Italus, patriâ Genuensis, Historicus sui temporis gravissimus, claruit Laurentio Vallæ & Barthol. Facio æqualis, circa an. MCCCCXLIV. *Senatûs Genuensis Scriba, eundem honoris locum à Nicolao P. V. ultrò delatum repudiavit, mediocritate suâ contentus* *. Inter alios istius sæculi Viros eruditos Alphonsum Arragoniæ & Neapolis R. Mecænatem habuit, sub cujus auspiciis varia Opera casto & venusto sermone conscripsit: quorum nonnulla lucem aspexerunt. *De Bello inter Hispanos & Genuenses* ab anno MCCCCXII. ad annum MCCCCXLIV. libr. 5. prodierunt *Hagenoæ* 1530. *Ora Ligustica descriptio* ad Blondum Flavium; *de illustribus Genuensibus* ad Ludovic. Pisanum Ord. Prædicat. *liber*; *Epistolarum liber*: Opera hactenus numerata junctim impressa, *Paris. ap. Bad. Ascens.* 1520. 4to. & Barthol. Gorla curante *Romæ* 1579. 4to. Opera Historica ab Andr. Schotto inter Scriptores Italos edita. *Ital. Illustrat.* Francof. 1600. *fol. De præcipuis Urbis Genuensis familiis* libellus ad Henricum de Merla Caroli VII. Francorum R. legatum: eum edidit doctiss. Mabillonius, *Iter. Ital.* p. 227. & sequ. 1444. R. G. * Foliet. Clar. Ligur. Elog. p. 203.

THOMAS RUDBURN, natione Anglus, Ecclesiæ S. Swithuni Wintoniensis Ord. Benedict. Monachus, *Junior* dictus, ut à Thom. Rudburn Episcopo Menevensi, qui nostro paulò antiquior sub hujus sæculi initium floruit, & *de rebus Anglicanis Chronicon* contexuit, distingueretur: claruit an. MCCCCXLV. Scripsit hortatu Fr. Wintoniens. *Historiam brevem de fundatione, incrementis*, atque *Episcopis Eccl. Winton.* à Lucio R. ad tempora Henrici VI. Anglorum R. ab Usserio Armachano sub titulo *Historiolæ Wintoniensis* sæpiùs laudatam: eam Historiæ Majoris *Epitomen* appellare maluit H. Wharthonus; habetur MS. in *Biblioth. Cotton.* Galba A. XV. Scripsit præterea *duplex Chronicon*. Horum unum (quod *Breviarium Chronicorum* inscripsit) successionem & res gestas Regum Britonum & Saxonum strictim complectitur, res Civiles succinctè narrans, Ecclesiasticis penitus prætermissis: Extat MS. *ibid.* Nero A. XVII. Alterum stilo uberiore, & diligentiâ longè subtiliori compositum, in quinque minimum libros distinctum habetur MS. in *Biblioth. Lambethanâ*, & *Colleg. Corp. Christi* apud *Cantabrig.* verùm quod plurimùm dolendum est, uterque Codex tam in capite quàm in calce mutilus est. Opus istud Historiam Wintoniens. *Minorem*, hoc *Majorem* appellat Wharthonus; qui eam, Rudburno Menevensi à Vossio perperam tributam, suo Auctori restituit, quæ ab initio ac fine deerant ex Epitome prædictâ supplevit, insigniores ejus à Minori diversitates notavit, & resectis iis quæ aliunde petita in lucem dudum prodierunt, edendam curavit, *Angl. Sacr.* Tom. I. pag. 179. *Minoris* etiam *Præfationem* & Anonymi cujusdam Monachi Winton. *Annales* ab anno MCXXXIII. ad ann. MCCLXXVII. subjunxit. *ibid.* pagg. 287, 288. 1445. R. G.

ANTONINUS, verò nomine *Antonius*, ob pusillam verò staturam *Antoninus* dictus, gente Italus, patriâ Florentinus, Nicolai & Thomasiæ filius, natus est anno 1389. Primâ ætate Juri Canonico Fœsulis operam dedit. Sedecennis Prædicatorum Ordini se adjunxit; & in Conventu Cortonensi cucullum induit, Laurentium Ripafractam præceptorem sortitus. Adultior factus, cùm doctrinæ & pietatis famâ enitere cœperit, Cœnobiis Dominicanorum Cortonensi, Romano S. Petri Neapolitano, S. Marci Florentino, Senensi, Cajetano, Suessano, & Fœsulano ordine præfectus 1446. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. præfectus est. Plures Reipublicæ Florentinæ nomine legationes adhuc Fraterculus ad diversos Principes, maximè verò ad Martinum V. & Eugenium Pontifices, obiit. Tandem Vicarius Generalis Congregationis Neapolitanæ constitutus, anno demum 1446. IV. Id. Februar. Archiepiscopus Neapolitanus ab Eugenio Papa invitus admodùm renunciatus est. Anno 1447. atque iterum 1455. Romam à Populo Neapolitano legatus est; ut Nicolao V. & Callisto III. ad Pontificatum evectis fausta precaretur. Obiit die 2. Maii anno 1459. ætatis suæ 70. in Ecclesia S. Marci ingenti Pompâ sepultus. Pius enim II. Papa Florentiæ tunc præsens funeris curandi onus in se suscepit: omnibusque cadaver ejus, antequàm terræ mandaretur, osculatis, plenariam septem annorum ac totidem Quadragenarum indulgentiam concessit. Neque enim sine insigni sanctitatis famâ decessit Antoninus: quin mira de illius pietate, vigiliis, humilitate, ac charitate narrant vitæ ejus Scriptores; miracula verò sine fine, sine fronte accumulant. Tantam quin etiam vivus adhuc de se excitaverat sanctimoniæ opinionem Antoninus, ut Nicolaus V. Papa de eo dicere soleret, Antoninum non minùs vivum, quàm Bernardinum Senensem mortuum in Sanctorum album referri meruisse. Id tandem in votis habuit Leo X. sed morte præreptus rem Hadriano successori absolvendam reliquit; qui Antoninum Calendario intulit anno 1523. Pietatis certè famam Antonino denegare haud æquum erit: id tamen dicere veritas cogit, eum nullius judicii scriptorem fuisse, qui aniles ac putidissimas fabulas undequaque convasare solet.

SCRIPTA.

Summa Historialis, seu *Chronicon Tripartitum*, à mundo condito usque ad annum 1459. ex pluribus Historicis (quos ipse in Præfatione recenset) consarcinatum. Prima pars ab Orbe condito ad Constantinum M. secunda exinde ad annum 1313. tertia exin ad sua usque tempora producitur. Prodiit *Venet.* 1481. *Norimbergæ* 1484. *Basil.* 1491. & cum notis P. Maturi *Lugduni* 1586. 3. Tom. f.

Summa Theologica, in IV. partes distributa. Prodiit *Memmingæ* 1483. *Argentinæ* 1496. 4. vol. f. *Venet.* 1591.

Summa confessionalis, Argentinæ 1492. 1499. 4°. Paris. 1516. 8°. Lugduni 1564. 8°. Venet. 1572. 16°.

Annotationes de Donatione Constantini M. Habentur inter alios aliorum Tractatus *Colon.* 1535.

Trialogus de Discipulis Emmaunticis, unà cum Authoris vitâ, ante annum 1500. alicubi typis impressus.

De virtutibus liber, Norimbergæ 1472.

Tractatus de Excommunicatione, *De Interdicto Ecclesiastico*, *De Irregularitate*, *De Suspensione*, & *De Usuris*, repeHriuntur inter Tractatus Juris *Venetiis* 1584. editos.

Opera Antonini inedita dabunt Altamura Biblioth. Prædicat. pagina 183. & Michael Pocciancius Catalog. Script. Florentin. p. 13.

1447. H. W. NICOLAUS V. *Thomas Sarzanus* antea dictus, patriâ Genuensis, vel ex Platinæ mente, Lucensis, humili loco natus, Bartholomæi Chirurgici filius, bonarum literarum studio Nicolai Albergati Cardinalis beneficio Bononiæ incubuit. Dein in Curiam Romanam accitus, postquàm in Disputationibus Ferrariæ & Florentiæ habitis doctrinæ ac prudentiæ famam sibi conciliasset; ab Eugenio Pontifice in Germaniam legatus est, ut Fredericum Imp. & Imperii Principes à Concilii Basileensis partibus ad Romanæ sedis obsequium revocaret. Fecit id Thomas, & partim disertis orationibus, partim effusis reformationis propediem secuturæ promissionibus Germanorum animos flexit, & schisma sustulit. Romam an. 1446. reversus, Cardinalitium galerum, & Episcopatum Bononiensem laboris mercedem tulit. Anno 1447. post Eugenii mortem Pontifex Romanus electus est die v. coronatus die XIX. Martii Anno 1449. Fœlicem Antipapam à Concilio Basileensi Eugenio deposito ante decennium subrogatum, Friderici Imp. potentiâ atque armis usus, Papatu semet abdicare coegit. Abdicanti locum in Cardinalium consessu dedit, & perpetuum Germaniæ legatum constituit. Cæterùm civilibus Italiæ bellis se immiscens, rebus Ecclesiasticis parùm vacavit. Obiit anno 1455. die XXIV. Martii. Summus literarum ac literatorum Patronus; qui quidem omnes ferè sæculi sui Viros doctrinâ insignes stipendiis ditavit; innumera ferè Veterum Scriptorum monumenta toto orbe conquisita sumptu suo exscribi & in Bibliothecâ Vaticanâ reponi fecit; primusque omnium artes liberales è Græciâ in Italiam liberalitate suâ postliminio invexisse visus est. Extant *Epistolæ* VI. & *Avisamenta Oratoribus suis data pro extinguendo Schismate*, Concil. Tom. XIII. pag. 1321. *aliæ plures Epistolæ* apud Bzovium ad an. 1447. &c. Waddingum Annal. Minor. Tom. V. & in Bullario Romano.

MAPHÆUS VEGIUS, gente Italus, patriâ Laudensis, Martini V. Pontificis Datarius, seu Libellorum Supplicum Magister, Canonicus Romanus, Poëta atque Orator insignis, claruit anno 1448. Obiit anno 1458. apud Augustinianos sepultus in Sacello S. Monicæ, cujus corpus ex ostiis Tiberinis Romam transferendum olim curarat. Vir amœniorum literarum scientiâ, Poësi præsertim, insignis; qui, Jovio * judice, *heroico spiritu Maronem fœliciter æmulatus, omnes ferè à mille annis illustres Poëtas, nec excepto quidem Petrarchâ laureato, præclarâ cum laude superavit.* 1448. H. W.

* Elog. Vir. Illustr.

SCRIPTA.

De perseverantia in religione libri VII.

De educatione liberorum, & claris eorum moribus libri VI. prodierunt seorsim *Basil.* 1541.

Disputatio Terræ, Solis, & auri de Præstantiâ disceptantium.

Dialogus de miseriâ & fœlicitate. Prodierunt simul omnia ista Opuscula *Paris.* 1511.

Dialogus Philalethes dictus, sive Veritas invisa & exulans, Lipsiæ 1499.

Antonias, seu de Vitâ S. Antonii Anachorethæ libri IV. versu scripti. *Antverp.* 1559.

De quatuor hominis novissimis Tractatus.

Paraphrasis in VII. *Psalmos Pœnitentiales* versu Elegiaco.

Opera omnia Vegii hactenus recensita habentur in Bibliothecâ Patrum Tom. XXVI. pagina 612.

Officium Ecclesiasticum S. Monicæ. Extat inter Officia Ecclesiæ Romanæ.

Liber de significatione verborum in Jure Civili. *Vicentiæ* 1477.

Æneidos Virgilianæ liber decimus tertius, cum Virgilio sæpius excusus.

NICOLAUS CUSANUS, à vico natali Cusâ ad Mosellæ ripas in Trevirensi Diœcesi sito, dictus, pauperculi cujusdam piscatoris filius, S. Theologiæ & Decretorum Doctor. Primùm quidem, ut nonnulli volunt, Canonicorum Regularium juxta Pennotum sodalis, & Monasterii Wotobergensis Præpositus; dein Archidiaconus Leodiensis, & Decanus S. Florini Constantiensis. Ab anno 1431. Concilii Basileensis authoritatem fortiter propugnavit, editoque Opere de Concordantiâ Catholicâ Papam Concilio inferiorem esse demonstratum ivit; 1448. H. W.

neque

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. neque ipsas Pseudo-Isidori Decretales, quibus tot retrò sæculis Orbi Christiano fucum fecerant Pontifices, convellere ac falsi arguere veritus. Postmodùm verò ad Eugenii Partes anno circiter 1437. deficiens, à Pontifice in Germaniam legatus est, ut Confessiones quorumcunque audiendo, & à casibus majori etiam Pœnitentiario reservatis absolvendo, nummis Germanos emungeret. Anno 1441. Nuncius Apostolicus ad Conventum Imperii Moguntinum missus est, ut Imperatorem ac Principes à Concilii Basileensis obsequio abstraheret; pari in Galliam legatione haud ita diu post perfunctus. Anno 1448. die xx. Decembris Cardinalitiam dignitatem titulo S. Petri ad Vincula à Nicolao V. obtinuit; mox ad Germaniam remissus, ut Monasteria reformaret, Imperii Principes ad bellum contra Turcas suscipiendum cieret, & Jubilæum Romæ brevi celebrandum prædicaret. Exin Episcopus Brixinensis, in Comitatu Tirolensi à Nicolao constitutus, diuturnam cum Sigismundo Austriæ Duce rixam iniit. Noluit enim Sigismundus Cardinales Episcopatus in ditione suâ jure commendatitio possidere. Cusanus ad Callistum Pontificem, qui Nicolao successerat, provocat. Papa Sigismundum excommunicat, & regioni ejus sacra interdicit. Cusanus anno circiter 1459. Brixinum proficiscitur; & à Sigismundo obsessus captusque, grandi auri pondere soluto & remissis Ecclesiæ suæ privilegiis libertatem redemit. Sigismundum quidem Pius Papa iterato anathemate ulciscitur: Cusanus tamen sede suâ privatus Italiam repetere necesse habet. Obiit Tuderti in Umbriâ pridie Idûs Augusti anno 1464. ætatis suæ 63. Corpus Romam delatum apud S. Petrum ad Vincula depositum fuit. Vir erat censente Card. Bonâ * *profunda scientia & subtilissimâ exercitatione limata*. Eruditionem quidem ejus nullus facilè negabit, constantiam omnes desiderant.

* Notitia Autor. lib. de Divin. Psalmod. præmissa.

OPERA.

De *doctâ ignorantiâ libri* III.
Apologia docta ignorantia.
De Conjecturis libri II.
De filiatione Dei.
De Genesi.
Idiota libri IV.
De visione Dei.
De pace Dei Dialogus.
De *ludo globi libri* II.
De *Fortuna.*
Compendium seu directio veritatis.
De *Possess.* sive de Principio rerum omnium *Trialogus.*
De Beryllo.
De *dato Patris luminum.*
De *quærendo Deum.*
De *veneratione sapientiæ.*
De *apice* Theoria.
De *Deo absconditio* Dialogus.
De *Annunciatione* Dialogus.
Excitationum libri X.
De *æqualitate.*
De *Catholica Concordantia libri* III. Ex Opere isto excerptus est *Tractatus de Donatione Constantini M.* qui in Fasciculo Rerum Expetendarum prodiit *Colon.* 1535. p. 79.
Epistolarum liber.
Cribrationum Alcorani libri III. Prodierunt unà cum Alcorano *Basil.* 1550. f. & inter alia adversus Alcoranum Opera *ibid.* 1543. f.
De *novissimo die.*
De *Geometricis transmutationibus.*
De *Arithmeticis complementis.*
De *Mathematicis complementis.*
De *Quadraturâ circuli.*
De *Sinibus & chordis.*
De unâ recti curvique mensurâ.
Complementum Theologicum.
De *Mathematicâ perfectione.*
Reparatio Kalendarii.
Correctio Tabularum Alphonsi.
Prodierunt omnia Cusani Opera *Paris.* 1514. *Basil.* 1565. 3. Tom. f.
Dialogus de Staticis experimentis. Argentinæ 1550. 4°.

ERICUS OLAI, natione Suecus, S. Theologiæ in Academiâ Upsalensi Doctor, & Ecclesiæ Metropolitanæ in eadem Urbe Decanus, claruit Joanni Benedicto Archiepiscopo coætaneus ann. MCCCCXLVIII. *Historiam Suecicam & Gothicam* conscripsit, in sex libros distributam, ab Erico Rege *Sapiente* dicto, qui circa Æræ Christianæ initium sceptrum tenuit, ad Caroli Canuti tempora, qui anno orbis Redempti MCCCCXLVIII. solium conscendit: prodiit Opus istud à Jo. Messenio editum & illustratum *Stocholm.* 1620. 4°. inter alias Sueciæ antiquitates curâ Joan. Loccenii recusum. *Holmiæ* 1654. 8°. 1448. R. G.

BARTHOLOMÆUS RIMBORTINUS LAPACIUS, natione Italus, patriâ Florentinus, illustri genere ortus, Ord. Prædicat. Monachus, claruit a. MCCCCXLVIII. ab Eugenio IV. & Nicolao V. PP. variis beneficiis locupletatus, variis titulis & honoribus auctus; Sacri Palatii Magister, per regiones Hungaricas hæresium Censor, ac Orator Evangelicus constitutus est. Episcopus Argolicensis primò, posteà Cortinensis, & demum Coronensis evasit an. MCCCCXLIX. Nec dignitatibus impar, tantam enim ex disputationibus contra Græcos in Concilio Florentino eruditionis famam consequutus est, ut, Concilio peracto, qui Constantinopolim ad Unionem suadendam, & disputationum certamina cum contrà sentientibus subeunda mitteretur, idoneus judicatus est: Reversus, & ætate jam ingravescente laborum pertæsus, omnibus suis Dignitatibus se sponte exuit, sibique & Deo vacans, vitæ reliquum in otio transegit: obiit XXIV. *Maii* MCCCCLXVI. Scripsit *de sensibilibus deliciis Paradisi* Opus, ex Joanne de Tambaco potissimùm desumptum, & prolixioris istius Operis quasi Compendium. Prodiit Paris. 1514. 8vo. Extat *Commentarius in Psalmum quinquagesimum; de Incarnatione; de effusione sanguinis Christi in Cruce*, ad Pium P. II. & alia plura MSS. in *Biblioth. S. Mariæ Novellæ Florentiæ*, quæ singulatim recensent Ambr. Altamura *, & Mic. Pocciantius †. 1448. R. G.

* Biblioth. præd. p. 188. 189.
† Catal. Script. Florent. p. 23.

MATTHÆUS PALMERIUS, natione Italus, patriâ Florentinus; Poëta, Orator & Historicus insignis. Claruit anno 1449. quousque Chronicon suum perduxit. In Concilio tamen Florentino partes non infimas tulit. Dantis Aligerii æmulus librum de Angelis Italico versu conscripsit; in quo cùm de rebus divinis parùm cautè locutus deprehenderetur, in hæresis Arianæ suspicionem incidit; cùmque errores suos revocare nollet, temeritatem capite luit, apud Cornam civitatem flammis exustus: quod tamen alii factum negant. Scripsit *Chronicon* ab Orbe condito usque ad annum 1449. quod cùm Eusebii & Prosperi Chronicis subjungi soleat, non nisi mutilum hactenus lucem vidit, ea sc. pars, quæ Prosperi Chronicon ab anno 444. quo ipse desiit, ad annum 1449. continuet. Integrum interim Palmerii Chronicon penès Laurentium Pignorium Patavinum MS. extitisse fidem facit Vossius *. Prodiit Chronicon dictum unà cum Eusebii & aliorum Chronicis *Basil.* 1536. & alibi. Extat etiam *Vita Nicolai Acciaioli* ab eodem 1449. H. W.

* De Histor. Lat. l. 3. c. 7.

SÆC. XV. ab An. MCCCC.

eodem Italicè conſcripta, *Firenze* 1588.4°. Alia quædam ab eo, partim Latino, partim patrio ſermone elucubrata commemorat Mich. Pocciancius †, viz. *Libros IV. de Vita civili ad Alexandrum de Alexandris*, *Hiſtoriam Piſanam*, *Epiſtolas & Orationes complures*, & *Poëma de Angelis*: quæ quidem, quòd ſciam, nondum prælum ſubierunt.

† Catalog. Scriptor. Florentin. p. 124.

1450. H. W. JOANNES CAPGRAVIUS, gente Anglus, patriâ Cantianus, Ordinis Auguſtiniani in Cœnobio Cantuarienſi Monachus, & poſt adeptum Oxonii Doctoratûs gradum, provincialis, Humfredo Gloceſtriæ Duci à ſacris Confeſſionibus, ac ſummè familiaris. Claruit anno 1450. & inter Theologos ævi ſui Anglos principem locum tenuit, in ſolutos Eccleſiaſticorum mores acriter detonare ſolitus. Obiit Linnæ apud Nordovolgios die XII. Auguſti anno 1464. Edvardo IV. rerum potito, & apud Auguſtinianos ſepultus eſt. Sic quidem Balæus & Joſephus Pamphilus. Pitſæus verò, cui ſuffragantur Voſſius & Miræus, illum ſub Richardo demum tertio, anno 1484. obiiſſe prodit. Scripſit *Catalogum* ſive *Legendam Sanctorum Angliæ*, quæ typis excuſa prodiit *Londini* 1516. f. Hiſtoriam iſtam expilaſſe dicitur Capgravius ex ingenti ac pulchro admodum volumine ejuſdem argumenti; quod in Bibliothecâ Cottonianâ MS. aſſervatur. Alia etiam quamplurima partim Hiſtorica, partim Theologica, ingenii ſui monumenta planè non contemnenda, poſt ſe reliquit. Imprimis verò in totam S. Scripturam commentatus eſſe dicitur. Amplum ſatis ſcriptorum illius Catalogum texit Balæus Cent. VIII. cap. 1. & ex eo Pitſæus p. 672. ac Joſ. Pamphilus Chron. Ord. Erem. p. 83. Ex his extant MSS. *Commentarius in Geneſin*, in Bibliotheca Orialenſi Oxon. Cod. 20. *in Acta Apoſtolorum*, in Bibl. Baliolenſi Oxon. Cod. 171. *De Symbolo*, ibid. Cod. 172. *Hiſtoriam de inclytis Henricis omnibus*, Regibus, Imperatoribus, Scriptoribus, aliiſque, ad Henricum VI. Angliæ Regem, MS. in Bibliothecâ Colleg. S. Benedict. ſeu Corp. Chriſti Cantab. N. 296. vidi. Habetur eadem, tacito tamen Capgravii nomine, in Bibliothecâ Cottonianâ ſub effigie Tiberii A. vol. 8. Extat ibid. MS. ſub effigie Vitellii D. 15. num. 4. *Vita S. Gilberti autoris Ordinis Sempringhamii* Anglicè à Capgravio ſcripta.

Sub Effig. Tiberii E. I.

1450. H. W. THOMAS à KEMPIS, cognomento *Hammerlein* ſive *Malleolus*, ex oppidulo cognomine Kempis ſive Campis Diœceſeos Colonienſis oriundus, Joannis & Gertrudis filius, natus eſt circa an. 1380. Tredecennis puer Daventriam ſtudiorum ergò à parentibus miſſus eſt; ubi Florentium, Fratrum Clericorum Præfectum, præceptorem ſortitus eſt. Poſt ſeptennium anno 1399. Monaſterium Canonicorum Regularium S. Auguſtini Congregationis Windeſimenſis in Monte S. Agnetis prope Svvollenſem civitatem ſitum petiit: ubi poſt exactum ſub fratre germano Joanne Monaſterii Priore tyrocinii quinquennium anno 1406. habitum induit, poſt aliquot annos Monaſterii Procurator & Superior factus. Claruit anno 1450. Obiit grandævus anno 1471. ætatis ſuæ 92. Vir, ſi quis alius, pius & devotus; quem tamen nonnullibi, quaſi extra ſe raptum, Enthuaſiaſtam agere, & tantùm non delirare diſſimulari nequit. De eo Sanctorum cœtui inferendo in Eccleſiâ Romanâ modò cogitari innuit Papebrochius *, qui corpus ejus non ſine prodigiis anno 1682. die XIII. Auguſti repertum eſſe narrat; & *ut religioſo cultu eum aliquando venerari liceat*, ſperandum eſſe ſubdit.

* Conat. Chronol. ad Catal. Pontif. par. 2. p. 83.

OPERA.

Sermones XXX. ad Novitios Regulares.
Sermones IX. ad Fratres.

Utiliſſima Conciones & Meditationes ſeu Orationes de Paſſione Domini, numero XXXVI.

De Imitatione Chriſti libri Opus non tam mole, quàm uſu & famâ magnum: cujus admirandum, venuſtum tamen, dictionum zelum, ſententiarum pondus, & igneas pietatis ſcintillas multi multis deprædicarunt. Mihi ſatis erit inſigne Magni Bellarmini * elogium apponere. *Ego certè*, inquit, *ab adoleſcentiâ, & uſque ſenectam hoc opuſculum ſæpiſſimè volvi & revolvi: & ſemper mihi novum apparuit, & nunc etiam mirificè cordi meo ſapit.* Libri dignitatem nullus non agnoſcit: de Authore verò ferali odio invicem digladiantur Scriptores. Ego ſanè memet hiſce turbis non immiſceo, nec noſtrum eſt tantas componere lites. Aliorum tamen ſententias breviter notare Lectori non ingratum fore arbitror. Commune ferè itaque Codicum pariter ac Typographorum ſuffragium Thomæ noſtro Kempenſi Opus iſtud adjudicat. Receptæ iſti ſententiæ favet Codex ipsâ Thomæ manu deſcriptus, qui ejuſmodi notam in calce repræſentat: *Finitus & completus anno Domini* 1441. *per manus Fratris Thomæ Kemp. in monte S. Agnet. prope Zvoll.* His accedit ſtyli ſimilitudo, & ſpectata Kempenſis pietas. Verùm ineluctabiles è contra difficultates militant. Præterquàm enim quòd notula dicti Codicis calci ſubjecta Thomam Operis haud tam Autorem quàm deſcriptorem arguat; quodque Bonaventura * ex hoc Autore partem Capitis ultimi libri ad verbum citaverit, & illa devoti cujuſdam libelli de Imitatione Chriſti verba eſſe dixerit: aſſervatur in Cœnobio Gerardimontenſi Codex ſine appoſito Autoris nomine ante annum 1400. ſcriptus: aliuſque adhuc antiquior Codex, cui Joannis de Gerſen, ſive de Geſſen, Abbatis Vercellenſis (claruit iſte ab anno 1230. ad 1245.) nomen præfigitur, in Monaſterio Aronenſi aſſervari dicitur, cujus meminit Bellarminus, * aliàs in Kempenſem pronus: quin & editionis Venetæ anno 1501. Curatores, cùm Joannis Abbatis nomen præfixerint, ad Codicem ipsâ Abbatis manu ſcriptum provocant. Poſterior quidem difficultas (modò iſtiuſmodi Codices revera extent) nequaquam expugnari poteſt. Priorem autem enervarunt Kempenſis ſectarii; dum Collationes ſuprà memoratas Bonaventuræ perperam aſcribi contendant, iſtâ inprimis ratione nixi, quòd Ubertinus de Caſalis, Bonaventurâ junior, in illis citatus reperiatur. Hinc ab ineunte uſque ſæculo ingens inter Benedictinos, & Canonicos Regulares, à quorum partibus ſtant Jeſuitæ, nata eſt controverſia: illi pro Joanne, iſti pro Thoma, utrinque ut tanti Operis conſcripti meritum Ordini ſuo arripiant, tanquam pro aris & focis pugnant. Pro Benedictinis in arenam deſcendit Conſtantinus Caetanus; pro Canonicis Heribertus Roſveydus, & Henricus Sommalius. His utrinque ſucceſſerunt ingens gladiatorum numerus, qui Apologiis, Vindiciis, Refutationibus rem egerunt. Nec intra modeſtiæ fines certamen ſtetit, conviciis quin & fraude utrinque agitur: illi abraſos & immutatos Codicum MSS. titulos conqueruntur: iſti effoſſum Thomæ Operum Indiculum rident. Haud tamen ita ſors fœcundæ iſtius controverſiæ tulit, ut intra Thomam Kempenſem & Joannem Vercellenſem claudatur. Fuere enim, qui, cùm Joannem de Gerſen, obſcurum Scriptorem, parùm nôrint, nominis affinitate decepti, Opuſculum iſtud Ioanni Gerſoni, Cancellario Pariſienſi, adjudicarunt. Verùm ea ſententia dudum apud eruditos exulavit. Aliam init viam nuperus Conjecturæ, *Romæ* anno 1667. editæ, autor: qui expenſis utrinque argumentis, non unum, ſed plures Operis iſtius autores fuiſſe opinatur; ita ut Thomæ quidem Kempenſi Compilatoris gloriam relinquat; quartum verò librum Ioanni Gerſoni indubitanter aſcribat, de reliquis autem tribus dubitet, ſint ne aſcribendi Ioanni Vercellenſi, an Ubertino

* De Script. Eccl. p. 387.

Collat. 7. ad Fratres Toloſates.

* De Script. Eccl. p. 386.

SÆC. XV. ab An. MCCCC. Ubertino de Iliâ Casalensi, an Petro Corbatiensi; (qui Pontificatum Romanum, assumpto Nicolai V. nomine, anno 1328. usurpavit, & post biennium abdicavit): & allato demum Mariani cujusdam Florentini (quem anno 1430. floruisse putat) testimonio, in Petri partes propendet. Argumenta verò ejus diluit, ac Marianum integro sæculo juniorem esse demonstrat Daniel Papebrochius in Conatu suo Chron. Hist. ad Catal. Pontif. par. 2. pag. 82. Hactenus de Auctore Operis de Imitatione Christi; restat ut editiones aliquot subnectam. Prodiit igitur innumeris ferè vicibus excusum, & in omnes ferè linguas conversum, Anglicè, Germanicè, Gallicè, Italicè, Hispanicè, Bohemicè, Hungaricè, Arabicè, Turcicè, Græcè autem *Augustæ-Vindel.* 1615. Latinè ------ 1485. 8°. *Venet.* 1501. *Antverp.* 1569. 12°. cum Heriberti Rosveydi Vindiciis, *Antverp.* 1621. 8°. *ibid.* 1664. 24°. *Amstelodami* 1679. 12°. *Paris.* 1640. f.

Soliloquium animæ.

Hortulus Rosarum.

Vallis liliorum.

De tribus Tabernaculis.

De disciplina Claustralium.

De fideli Dispensatore.

Hospitale pauperum.

Dialogus Novitiorum.

Spiritualia Exercitia Religiosorum dupliciâ.

Doctrina Juvenum.

De verâ cordis compunctione.

De solitudine & silentio.

De recognitione propriæ fragilitatis.

Epitaphium seu Enchiridion Monachorum.

Manuale parvulorum.

De elevatione mentis ad inquirendum summum bonum.

Alphabetum parvum Monachi in scholâ Christi, seu *Alphabetum Religiosorum.* Prodiit Bonaventuræ ascriptum *Argentinæ* 1495. Trithemius, Possevinus, Svveertius, & editiones nonnullæ id Kempensi ascribunt. Kempensis causam agit Rosveydus, Bonaventuræ Waddingus *, qui tamen Opusculum prologo simul ac Epilogo à Kempensi auctum esse non illubens concedit.

* De Scriptor. Ord. Minor. p. 76.

Consolatio pauperum & infirmorum.

Orationes plurimæ admodum pia atque devotæ.

De mortificatione sui ipsius.

De Humilitate.

De vita bona & pacifica.

Vita boni Monachi rythmicè.

Hymni, & Cantica valde pia & spiritualia, nu. xx.

De Vita Christi ac de Beneficiis ejus Meditationes in IV. partes distributæ. Prodierunt seorsim *Colon.* 1626. 8°.

Vita S. Lidvvinæ seu *Lidevvigis Virginis*, quæ diem obiit anno 1433.

Vita Ven. Magg. Gerardi Magni, & D. Florentii; qui Ordinem Fratrum Clericorum instituerunt.

Vitæ Discipulorum utriusque, D. *Joannis Gronde*, *D. Joannis Brinckerincke*, *D. Luberti Berneri*, *D. Henrici Brune, D. Gerardi Zutphaniensis*, *D. Aurelii Burensis*, *D. Jacobi de Viana*, *Joannis Cacabi vulgò Ceteloci*, *& Arnoldi Schoonhove.*

Epistolæ VI. *admodùm utiles & religiosæ.*

Prodierunt Thomæ Kempensis Opera *Noribergæ* 1494. f. *Paris.* 1520. 1570. f. *Venet.* 1565. 1569. *Antverp.* 1574. 1480. 8°. cura Henrici Sommalii in tres Tomos digesta *Antverp.* 1607. 4°. 1615. 8°. *Duaci* 1635. 8°.

Chronicon Monasterii S. Agnetis, à Rosveydo editum *Antverp.* 1615. 1622. 8°.

1450. H. W. ANTONIUS DE ROSELLIS, natione Tuscus, Patriâ Aretinus, utriusque Juris Doctor & in Gymnasio Patavino interpres, Eugenii IV. Pontificis Orator ad Concilium Basileense missus, posteà verò Frederico III. Imp. à secretis Consiliis. Claruit anno 1450. Obiit senectute vegetâ Patavii 1467. Scripsit insigne Opus, *Monarchiam* dictum, de potestate Imperatoris & Papæ, in V. partes divisum, quod sub Eugenio Papâ ante annum 1440. elucubratum, sub Frederico Imp. post annum 1457. auxit & recensivit. In quo adductis ex S. Scriptura, Patrum scriptis, ratione, & utroque Jure argumentis probare nititur Pontificem Romanum in temporalibus non præesse; neque ullam gladii civilis authoritatem, quin nec ullam supra reliquos Episcopos superioritatem habere. Prodiit Opus istud *Venet.* 1483. 1587. & habetur apud Goldastum Monarch. Tom. I. p. 252. usque ad p. 556. in Indice Romanensium Expurgatorio legi prohibitum. Extant ejusdem Tractatus *de Legitimatione*, *de successione ab intestato*, *de indiciis & tortura*, *de Conciliis generalibus*, *De Usuris*, *& de Indulgentiis*, in Tractatu Tractatuum.

DIONYSIUS à RICKEL, cognomento *de Leevvis*, natione Belgâ, in oppidulo Ryckel, quod Hasbaniæ municipium est in Diœcesi Leodicensi, honestis parentibus natus, *Doctor Ecstaticus* dictus. In Academia Coloniensi bonis literis innutritus, & Magister Artium creatus, anno ætatis suæ 21. Carthusianis Cœnobii Ruremundensis Monachis nomen dedit. Claruit anno 1450. Cardinalis Cusani amicus & necessarius summus. Obiit anno 1471. die XII. Martii, ætatis suæ 69. seu, ut alii habent, 77. *Vir in divinis Scripturis*, inquit Thithemius *, *studiosissimus*, *& continua exercitatione peritus*; *sæcularis quoque Philosophiæ non ignarus*; *ingenio subtilis*, *sermone scholasticus*; *vita & conversatione singulariter devotus*; *adeò ut etiam divinis revelationibus dignus haberetur. Tot ac tanta scripsit, ut numero Opusculorum præter Augustinum apud Latinos parem habuerit neminem.* 1450. H. W.

* De Script. Eccl. p. 175.

OPERA.

Commentarii in universos S. Scripturæ libros. Prodierunt *Colon.* 1533. VII. vol. f. (in Evangelia *Venet.* 1569. *Lugduni* 1579.)

Enarratio in Hymnos aliquot veteres Ecclesiasticos, ibid. ad calcem Commentariorum.

Commentarius in libros IV. *Magistri Sententiarum*, Venet. 1584. 4. tom. f. Colon. 1535.

Commentarius in S. Dionysii Areopagitæ Opera. Colon. 1536. f.

Summa Fidei Orthodoxæ. Antverp. 1569. Venet. 1572. II. Tom. 16°.

Dialogion de Fide Catholicâ libris VIII. Venet. 1568.

De doctrinâ & regulis vitæ Christianæ libri II. Colon. 1577.

Monopanton, seu liber ex omnibus Epistolis S. Pauli secundùm argumenta digestus, *Lugduni* 1547. 16°. *Paris.* 1551. 1631. 8°.

Liber de IV. *hominis Novissimis*, viz. de Morte, Judicio, Inferni pœnis, & Gaudiis Cœli: in quo docet Animas Purgatorii haud certas esse de ipsorum salute: quo nomine Pontificiis vapulat: & in Indice Expurgatorio gravi censurâ notatur. *Delphis* 1487. 4°.

Colloquium de particulari judicio Animarum. Prodiit unà cum præcedente Opere *Colon.* 1591, 1598.

Paraphrastica redditio aliquot Operum Cassiani. Colon. 1640.

Enarrationes in Joannis Scholastici Climacem. ibid.

Inflammatorium divini amoris. Colon. 1605.

De arctâ viâ salutis & contemptu mundi Tractatus.

Speculum animatorum mundi.

De gravitate & enormitate peccati.

De Conversione peccatoris Speculum. Bisuntii 1488. 4°.

De

SÆC. XV. ab An. MCCCC. *De fonte Lucis & semita Vitæ.*
Devotum Præcordiale.
Dialogus Patroni ad Canonicum. Prodierunt simul Opuscula ista septem *Lovanii* 1577.
Speculum beatæ vitæ, & humanæ vitæ. Norimbergæ 1495. 4°.
Scala Religiosorum Pentateuchus. Antverp. 1556. 16°.
Contra Alcoranum & Sectam Mahometicam libri v. Colon. 1533. 8°.
De instituendo Bello contra Turcos, de Generali Concilio celebrando, & contra vitia Superstitionum ibid.
De Vita Sacerdotali rectè instituenda, ---614. 8°. Antverp. 1532.
De omnium Ordinum ac statuum Institutione, Prolapsione, & Reformatione. Colon. 1559.
Sermones de Tempore, & de Sanctis. Colon. ---f.
Indiculus Operum à se scriptorum, apud Bzovium ad an. 147. §. 22.
Revelationes ipsi à Domino factæ, ibid. §. 23. &c.
Hactenùs Dionysii Carthusiani Opera, quæ ad notitiam nostram pervenerunt. Prolixum satis scriptorum ejus Catalogum à seipso concinnatum compendio exhibet Trithemius de Script. Eccl. p. 176. Simlerus Biblioth. Tigurin. p. 171. Possevinus Apparat Sacr. Tom. p. 476. longè ampliorem verò Fr. Sweertius Athen. Belgic. p. 215.

1450. H. W. JOANNES CANALES, gente Italus, Ordinis Franciscani Monachus in Conventu Ferrariensi, S. Theologiæ Doctor, sacrarum juxta ac profanarum literarum scientiâ, inprimis verò elimatâ Philosophiæ Platonicæ notitiâ, insignis. Claruit anno 1450. Borsoni primo Ferrariensium Duci perquàm acceptus; à quo ad plurimos Italiæ Principes ablegatus res maximi momenti gessit. Scripsit libros, *de Cœlesti vitâ; De naturâ animæ, ejusque immortalitate; De Paradiso, & animæ fœlicitate; de inferno, & animæ cruciatu.* Prodierunt simul *Venet.* 1494. f.

1450. H. W. GULIELMUS VORILONGUS natione Gallus, Ordinis Minoritarum sodalis, Conventûs Dinani alumnus, claruit anno 1450. Tantâ eruditionis famâ, ut cùm accerrima inter Franciscanos & Dominicanos controversia de Sanguine Christi jamdiu mota vigeret, Romam accitus fuerit, qui Ordinis sui partes coram Pio II. Pontifice tueretur. Obiit Romæ anno 1464. ad Aram cœli sepultus. Extant ab illo scripta, *Commentarius* in IV. *libros Sententiarum* Lugduni 1484. Paris. 1503. Venet. 1519. & *Vade mecum*, seu *Repertorium propositionum, quæ sunt contra Scotum, sive Collectaneum quæstionum* IV. *librorum Sententiarum*, Argentinæ 1501.

1450. H. W. JOANNES, PLUSIADENUS cognomento dictus, Sacerdotum Primarius, sive Archipresbyter, claruit post Synodum Florentinam, circa annum, ut videtur, 1450. Eundem cùm Josepho Methonensi esse suspicatur Allatius lib. de Consensu l. 3. c. 3. §. eo quòd Josephi Libellus pro Synodo Florentina adversùs Marcum Ephesium in Codice MS. Bibliothecæ Ambrosianæ Joannis Plusiadeni nomen in fronte gerat: idq; penè pro certo habet Epilog. ad Græc. Orthod. Tom. I. Sanè Græcis sequioris ævi mutato vitæ instituto nomen etiam commutare adeò non infrequens erat; ut idem qui ante Episcopatum Joannes, post susceptas infulas Josephus fuisse non incommodè censeri possit. Verùm si is, quem de Episcopo Methonensi ex Sguropulo suprà adduximus, locus de Josepho accipiendus sit (quod quidem videtur) iste Latinus erit; & à Joanne nostro longè alius. Scripsit Plusiadenus *Dialogum* sive *Disceptationem pro Synodo Florentinâ*: quam Gr. Lat. edidit Leo Allatius inter Scriptores Græciæ Orthod. Tom. I. p. 583.

HILARIO, Monachus Græcus, Latinorum pariter sectarius, claruit circa an. 1450. Scripsit, post Synodum Florentinam, *Dialecticam Orationem de pane mystico Græcorum, & Latinorum azymo*: quam Gr. inter Varia sua Divina emisit Jo. Meursius *Lugd. Bat.* 1619. 4°. Gr. Lat. Leo Allatius Græc. Orthod. Tom. I. p. 655. SÆC. XV. ab An. MCCCC. 1450. H. W.

JOANNES ARGYROPULUS, Patriâ Byzantinus, claruit anno 1450. & deinceps. Captâ à Turcis Constantinopoli, Patriâ exul in Italiam transiit: & ob raram, qua enituit, eruditionem apud Cosmum Medicem, Florentiæ Principem summo in honore fuit; adeò ut Petro filio & Laurentio nepoti præceptor datus, parentis loco haberetur; & juventuti Florentinæ Græcas literas enarraret. Peste demum Hetruriam devastante, Romam concessit; & Aristotelem publicè explicando, amplum satis sibi stipendium concivit. Obiit vergente sæculo septuagenarius. Vir præter immodicam ingluviem & bibacitatem, quibus perquàm malè audit, nimiâ sui opinione inflatus, & alieni contemptor meriti: adeò ut Ciceronem Græcas nescivisse literas illoto ore jactitare auderet. Præter *versiones Latinas & Enarrationes librorum Aristotelis*, quæ typis sæpiùs commissæ sunt, scripsit ad Cosmum Ducem *librum de Processione Spiritûs S. & Concilii Florentini decreto*; à Leone Allatio Gr. Lat. editum Græc. Orthod. Tom. I. p. 400. *Ejusdem Monodia de Joanne Imp. CP. Consolatio ad Imperatorem CP. Liber de Regno, & Comparatio inter Principes antiqui & novi Imperii.* Extant MS. in in Bibliotheca Regis Galliarum. 1450. H. W.

PETRUS CANDIDUS DECEMBER, natione Italus, patriâ Mediolanensis, Viglebano istius ditionis oppido oriundus, claruit an. MCCCCL. Mediolani Græcas & Latinas literas aliquantisper docuit, postea sub Nicolao P V. Magister brevium constitutus Romam petiit, eo autem mortuo, in Patriam reversus reliquum vitæ spatium sub Francisci Sfortiæ Ducis clientela transegit, ibique mortuus, & honorificè tumulatus est arcâ marmoreâ inclusus. Scriptis consignavit *Vitam Philippi Mariæ Vicecomitis* Mediolani Ducis III. *Vitam* etiam *Francisci Sfortiæ* Mecænatis sui Mediolan. Ducis IV. Posterior extat MS. in *Bibl. Regis Gallorum*; altera typis alicubi excusa in lucem prodiit. *De geniturâ hominis* libellum scripsit, *Romæ* impressum. *Epistolarum* libri octo MSS. habentur in *Bibl. Cœnobii Fr. August. S. Salvatoris* Bononiens. quibus præmittitur *Epistola* ad Bartholomæum Capreum Archiepiscop. Mediolanensem, cujus hortatu Epistolas suas in unum corpus collegerat: ita testatur Mabillonius *It. Ital.* pag. 197. Opus ejus *de origine fidei*, & *Dialogus de Ignorantiâ Vitæ*, MSS. asservantur in *Biblioth. Lugduno-Batavâ*, inter MSS. Latin. num. XXI. *fol.* Appiani Alexandrini historiam *de civilibus Romanorum libellis*, suasu Alphonsi Aragoniæ R. in Latinum Sermonem vertit, verùm ex isto opere laudem non magnam meruit, prodiit autem ista Versio *Romæ* 1472. *Venet.* 1477. 1492. Comparationem Alexandri M. & Julii Cæsaris ex Plutarchi Græcâ, & Alexandri res gestas ex Q. Curtii Latinâ in linguam Italicam traduxit. 1450. R. G.

BARTHOLOMEUS FACIUS, natione Italus, patriâ Genuensis, domo Spedianus, claruit sub Nicolao Papa V. ann. MCCCCL. Vir utriusque linguæ peritus, & gloriæ supra modum appetens, unde inter eum & Laurentium Vallam æmulatio & simultas intercessit: In historiis conscribendis, Jul. Cæsaris dictionem imitatus, majorem elegantiam quàm fidem adhibuit. Extant varia ejus Opera. *De humanâ vitæ fœlicitate* liber; sive, *de summi boni* 1450. R. G.

Append. K *fruitione;*

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. *fruitione*, ad Alphonsum Aragoniæ R. prodiit *Antverp.* 1556. 8vo: *De excellentiâ & præstantiâ Hominis*, ad Nicolaum P. V. utrumque opus *Præfatione* & *Notis* adornatum edidit Marq. Freherus, *Hanov.* 1611. 4to. *De rebus gestis Alphonsi Regis Neapolitani*, lib. X. eos in lucem protraxit Jo. Mich. Brutus *Lugd.* 1560. 4to. Prodierunt iterum cum Guicciardini *Historiâ* à Cœl. Sec. Curione ex Ital. in Lat. sermonem versâ. *Basil.* 1566. *fol. De bello Veneto Clodiano. Lugdun.* 1578. 8vo. *De origine belli inter Gallos & Britannos.* Extat MS. in *Biblioth. Carmelit. Excalceat. Claromontens.* teste Labbæo *. *De rebus Siculis* liber, MS. in *Bibl. Regia Paris. De differentiis verborum Latinorum*, MS. ibidem, *Orationis invectiva in Laur. Vallam*, in Italiâ, editæ, meminit Simlerus. Fertur etiam scripsisse *de viris sui ævi illustribus*; Arrianum *de gestis Alexandri M.* & *de rebus Judicis*, Latinum fecit.

* Bibl. MSS. Catal. p. 209.

1450. R. G. BENEDICTUS de ACCOLTIS, natione Italus, patriâ Florentinus, domo Aretinus, claruit anno MCCCCL. an. MCCCCXV. in lucem editus, quando obiit non reperi. *Bellum à Christianis contra Barbaros pro Christi Sepulchro & Judæa recuperandis gestum* quatuor libris descripsit, impressum *Basil.* 1544. 8vo. & Tho. Dempsteri notis auctum, *Florent.* 1623. 4to. Erat & alter Benedictus de Accoltis, ipse etiam Aretinus, nostro paulò recentior, Archiepiscopus Ravennat. & S. R. E. Cardinalis, quem inter præcipuos sæculi sui Poëtas memorat Lil. Gyraldus †. Hujus Lucubrationes Poëticæ, Epigrammata, Elegiæ, &c. inter V. Poëtarum Etruscorum Carmina impressæ sunt *Florent.* 1562. 8vo.

† De Poët. nostr. temp. Dial. II. 413.

1453. H. W. MATTHAEUS CAMARIOTA, Patriâ Constantinopolitanus, aliis Thessalonicensis, Sacerdotis cujusdam Græci, qui in clade CP. occubuit, filius; Philosophus & Rhetor eximius; claruit Constantinopoli anno 1453. quo captæ Urbi præsens interfuit. Extat prolixæ *Epistola de captâ Constantinopoli* portio insignis, (à Theodoro Zygomala in Epistolam suam de Constantinopolitanis periculis & cladibus transcripta) Gr. Lat. apud Crucii Turcogræciam lib. 1. p. 76. Ejusdem *Epitomen in Hermogenem*, & *Rhetoricæ librum*, MSS. extare memorat Jos. Simlerus Biblioth. Tigurin. p. 491. *Synopsis ejus Rhetorica* habetur MS. in Bibliotheca Augustana. Scripsit etiam *Commentarios in Synesii Epistolas*, qui olim penès Iohannem Zygomalum erant, teste Crucio Turco-Græc. p. 187. *Encomium in tres Hierarchas*, *Basilium, Gregorium & Chrysostomum*: habetur Græcè in Bibliotheca Regis Galliæ, & forsan alibi. Matthæo adhuc nostro deberi videntur Tractatus duo, qui in Bibliotheca Augustana Græcè Manuscripti extant his titulis insigniti: *Matthæi Monachi & Presbyteri Thessalonicensis de Divinâ Gratiâ & Lumine adversùs eos qui creaturam dixere*; *Ejusdem Tractatus de iis qui spuria & aliena docent in Ecclesiis.* Prior, forsan & posterior, Tractatus Barlaamitas oppugnavit; qui Lumen Thaboriticum increatum aliquid esse negarunt.

Index lib. MSS. Bibl. Augult. p. 27.

1453. R. G. MATTHAEUS CAMARIOTA, patriâ fortè Byzantinus, Manuelis Rhetoris præceptor, claruit, cladi Constantinopolitanæ superstes, ann. MCCCCLIII. Hujus *Orationes* nonnullæ *de Sacro Officio Pastorali*, habentur Græcè MSS. in *Bibliothecâ Cæsareâ Vindob.* Cod. Philos. CXCV. num. XIV. *Tres Canones Jambici*, sive *Hymni*, primus *in Festo Purificationis.* Pr. Ἄβυσσον ὑγρὰν ὡς τρίβων. Secundus *in Festo Exaltationis Crucis* Pr. Σέσωκε τὸ πρὶν λαόν. Tertius *in Festo Paschatis.* Pr. Χέρσον θαλασσόδμητον. Extant Græcè MSS. in *Biblioth. Bodleianâ*, Cod. 48. *Canon. Iambicus de Christo & ejus Cruce*, MS. in *Bibliothec. Regis Gallorum*, ex fide Simleri, ab antedictis haud diversus: In eadem Biblioth. Parisiensi varia nostri Matthæi opera, cum Theodori Lascaris Operibus connexa MSS. reperiri testatur Cl. Labbæus *. *Synopsin Rhetorices* quæ in *Bibliothecis August. Paris. Bodleian.* aliis MS. asservatur, in lucem emisit ad finem superioris Sæculi vir doctissimus, & ad juvandas bonas literas natus, Dav. Hœschelius Græcè *Augusta Vind.* 1595. 4to. præmissâ *Epistolâ* Maximi Margunii cui dictum opus acceptum habuit.

SÆC. XV. ab An. MCCCC.

* Catal. MSS. p. 335.

1453. H. W. DUCAS, cujus prænomen latet, patriâ Byzantius, ex Imperatoria Ducarum familia oriundus, Michaelis Ducæ nepos, claruit anno 1453. post expugnatam à Turcis Constantinopolim, Lesbum Insulam concessit, & in Dorini Gateluzi, Principis Lesbii, Christiani quidem, Turcorum verò tributarii, aulâ militavit. Anno 1455. à Gateluzo ad Hamzam Turcicæ classis Ducem, ut munera deferret, missus, pacem & amicitiam à Barbaro Lesbiis impetravit. Eodem anno à Dominico Gateluzo Dorini nuper demortui successore Adrianopolim legatus est, ut tributa Mahometi Turcorum Imp. numeraret. Annis sequentibus alias binas ad Turcorum Tyrannum legationes obiit; ac Lesbo à Turcis anno 1462. summâ perfidiâ expugnatæ superfuit. Scripsit *Historiam Byzantinam* de postremis Imperii Constantinopolitani rebus gestis, ab Andronici Palæologi junioris morte usque ad captam à Turcis Lesbum Insulam, seu ab anno Christi 1431. ad 1462. præmissis etiam annorum Summis ab Orbe condito usque ad Andronici obitum. Prodiit Historia ista Gr. Lat. cum versione ac notis Ismaelis Bulliasdi, *Paris.* 1649. f.

LEONARDUS JUSTINIANUS, ex Insula Chio oriundus, unde *Chiensis* nomen vulgò obtinuit, Archiepiscopus Mitylenus, claruit anno MCCCCLIII. à Nicolao Papa V. unà cum Isidoro Card. Sabinens. ad Constantinum Palæologum Imp. Constantinopolitanum Legatus missus, Regiæ Urbis excidium præsens vidit, ipse etiam posteà hostium rabiem expertus, à quibus captus, & ultimo supplicio suffectus est. Scripsit *Epistolam*, ad Nicolaum P. V. in qua *luculentam captæ à Turcis Constantinopoleos narrationem* instituit: prodiit cum Mich. Rottingi præfatione, *Norimberg.* 1544. *Basil.* 1556. 8vo. & inter *Rerum Turcic. Script.* à Lonicero editos, *Francof.* 1578. Tom. II. p. 84. Tractatus *de vera Nobilitate* contra Car. Poggium Apologeticus, prodiit unà cum Leonardi *Vitâ* à Mich. Justiniano conscriptâ *Abellini.* 1647. 4to. 1453. R. G.

1453. H. W. GEORGIUS SCHOLARIUS, qui & GENNADIUS, natione Græcus, patriâ forsan Constantinopolitanus, omni literaturæ genere haud vulgariter institutus; Matthæi Camariotæ, si Maximo Margunio fides, discipulus; vir (judice Card. Bona *) *lingua nitidus & ingenio acer.* Pluribus ante Synodum Florentinam annis in Didascalorum Collegia Constantinopoli conscriptus, haud levem apud Joannem Imp. gratiam iniit; secretioribus Consistorii Imperialis consiliis, omnibusque de unione cum Latinis ineundâ Senatûs Episcoporum consultis adhibitus. Anno 1438. in Italiam ab Imperatore ductus, quasnam in Concilio Florentino partes egerit, haud satis patet. Circumferuntur quidem sub illius nomine Orationes aliquot ad Synodum Florentinam; quæ Latinorum partibus non solùm favent, sed datâ etiam operâ eas propugnant. Verùm istas à maleferiato quodam Latino confictas & Gennadii nomini suppositas esse contendunt Rivetus * & Creightonus †. Sanè effusa Ecclesiæ Romanæ adulatio, & Græcæ contemptus, quibus scatent Orationes istæ longè infra spectatam Scholarii prudentiam & gravitatem subsidunt. Quin nec imbellem prorsus Chalcocondilæ authoritatem, quâ pugnavit Rive-

* Notitia Author. lib. de Divin. Psalmod. præmissa.

* Critic. Sa. cr. l. 4. c. 19.
† Præfat. ad Sguropulum.

tus

SÆC. XV. ab An. MCCCC. tus; Allatius reddidit. Sic enim Chalcocondylas *. Eugenius Papa (paulò post solutam Synodum Florentinam) Constantinopolim misit viros quosdam doctos εἰς διάλεξιν ἀφιζομένους τοῖς τῶν Ἑλλήνων σοφοῖς, οἳ οὐ προσίεντο τὴν γενομένην σφίσι σύνοδον κατὰ τὴν Ἰταλίαν, Μάρκῳ τε τῷ Ἐφέσου ἀρχιερεῖ καὶ τὴν ἀρχὴν πειθομένῳ τῷ τῶν Λατίνων δόγματι τὸ παράπαν, καὶ Σχολαρίῳ τῷ τότε παρ' Ἕλλησι τὰ εἰς σοφίαν εὐδοκιμοῦντι οὐ μήν τοι ἤνυετο αὐτοῖς οὐδὲν, &c. Quamvis, inquam, Rivetus Interpretis Latini errore deceptus, verba ista · καὶ τὴν ἀρχὴν πειθομένῳ τῷ τῶν Λατίνων δόγματι τὸ παράπαν, quasi de Scholario pariter ac Marco dicta malè acceperit: quod tantumdem tamen est priorem periodum, τοῖς Ἑλλήνων σοφοῖς οἳ οὐ προσίεντο τὴν γενομένην σφίσι ξύνοδον κατὰ τὴν Ἰταλίαν, Scholario non minùs quàm Marco apponendam esse, ne ipse quidem Allatius negabit. His adde Phranzæ, & Rhacendytæ authoritatem, qui Scholarium in Synodo Florentinâ Latinis neutiquam accessisse affirmant: & argumenta, quæ unicum fuisse Georgium Scholarium suadent: certè optima nobis aderit Orationes istas si non abjiciendi, saltem de iis dubitandi ratio. Utut sit, Scholarium cum Latinis postea sensisse satis superque constat. Anno 1453. captâ à Turcis Constantinopoli, in thronum Patriarchalem Urbis tunc vacantem, Laicus adhuc à Mahomete Imp. evectus est; & insuetatis planè honoribus cumulatus. Illum sub primis Patriarchatûs auspiciis à Palatio ad Patriarchalem domum pedes deduxit Tyrannus; & de rebus sacris disserentem non illubenter postea audivit. Quinquennium ille sedi Constantinop. mutato Georgii in Gennadium nomine præfuit; cùm regiminis pertæsus, seu quòd pertinax Græcorum adversùs Latinos odium doleret; seu quòd de Mahomete ad fidem Christianam producendo ampliùs sperare desisteret, onus deposuit; Patriarchatu semet abdicavit; & in Monasterium concessit; anno circiter 1460. fato defunctus.

* Hist. lib. 6.

SCRIPTA.

Epistola seu Oratio adhortatoria de unione cum Latinis ineunda ad Episcopos Orientales in Synodo Florentina: in ipso cujus exordio non leve planè τῆς νοθείας argumentum primâ fronte patet. Author enim sibi veniam præfatur, quòd huic negotio se se non vocatus immiscere audeat: cùm ex Sguropulo Sole clarius constet Scholarium, etiam antequàm à Constantinopoli solveretur, omnibus Imperatoris ac Episcoporum de unione pangendâ consultationibus admotum fuisse.

Orationes aliæ III. admodùm prolixæ, *ad omnes Synodi Florentinæ Patres.* Extant Orationes istæ IV. Gr. Lat. interprete Matthæo Caryophilo, ad calcem Actorum Concilii Florentini, Concil. Tom. XIII. p. 544.

Expositio, seu *Apologia pro sancta & Oecumenica Synodo Florentina, & Defensio quinque Capitum in Concilio contra Græcos definitorum* viz. de Processione Sp. S. de Sacrificio in Azymo, de Purgatorio, de Fruitione Sanctorum, & de Primatu Papæ. Genuinum esse Gennadii Opus negant, sententiamque suam multis argumentis confirmant Petrus Arcadius & Matthæus Caryophilus, ambo partibus Pontificiis addictissimi. Rationes istorum aggreditur, & Gennadio Opus prolixè vindicat Leo Allatius de Consensu l. 3. cap. 6. §. 2. Prodiit Lat. *Dilingæ* 1581. 8°. Gr. *Romæ* 1577. & lingua Græcorum vulgari cum versione Latina *Romæ* 1628. 4°.

Oratio ad Ioannem Imp. in Synodo Florentina, cùm sententiam ejus de unione exquireret Imperator. Habetur Gr. Lat. Concil. Tom. XIII. p. 478.

Oratio brevicula ad eundem Constantinopoli facta, cùm de unione ab illo consuleretur. Gr. Lat. apud Sguropulum Sect. 3. cap. 6. *Append.*

SÆC. XV. ab An. MCCCC. *Confessio*, seu *Sermocinatio habita cum Mahomete Turcorum Imp. de recta Christianorum fide*: quam in Mahometis gratiam linguâ Turcarabicâ donavit Achmetes Berrhœæ Prætor. Extat Græcè, Latinè, & Turcarabicè in Crusii Turco-Græcia lib. 2. p. 110. Gr. Lat. apud D. Chytræum Orat. de statu Ecclesiarum in Græciâ, &c. *Francofurt.* 1583. 8°. p. 173.

Libellus de Articulis fidei ad eundem Mahometem seu *Dialogus de via salutis humanæ*, interrogante Turco & Patriarchâ respondente. Habetur Gr. Lat. in Hæresiologia *Basil.* 1556. p. 797. & seorsim à Fuchtenio editus *Helmstadii* 1611. 8°.

Tractatus de Prædestinatione ad Josephum Monachum Thessalonicensem. Græcè à D. Hæschelio editus *Augustæ Vindel.* 1593. 4°. Gr. Lat. à Fred. Morello post Appendicem Operum S. Basilii *Paris.* 1618. demum à Carolo Libertino Soc. Jesu, nova versione & Commentariis illustratus Gr. Lat. *Vratislaviæ* 1681. 4°.

Oratio in unum in natura, & trinum in Personis Deum Gr. Lat. ab Aldo Manutio excusa unà cum Damasceni & aliorum Hymnis *Venet.* 1501. 4°.

Extant omnia ista Gennadii Opera (præter Orationes binas ad Joannem Imp.) Latinè in Bibliothecâ Patrum Tom. XXVI.

Expositio literarum in sepulchro Constantini M. exculptarum de excidio Urbis Constantinop. & Turcorum imperio. Habetur Græcè ad calcem Chronici Dorothei Monembasiæ Metropolitæ, & Synopseos Historiarum Matthæi Cigalæ, utriusque excusi *Venet.* 1637. 4°.

Scripsit præterea Gennadius *Responsionem ad argumenta Marci Ephesii de Processione Sp. S.* quam quidem imperfectam ab illo morte prærepto relicta aliud quis absolvit: [Bessarion is Cardinalis fuit, si Caryophilo fides] & *Responsionem ad argumentum Græcorum.* Utrumque Opus MS. extare memorat Leo Allatius de Consensu l. 3. cap. 6. §. 5. qui & alia quædam à Gennadio conscripta, & MSS. etiamnum variis in Bibliothecis asservata memorat Diatrib. de Georgiis p. 400. &c. puta *Librum de Animâ*; *De inani, absurda & incomposita innovatione fidei*; *Canonem in Gregorium Palamam Archiepiscopum Thessalonicensem* &c. ut multa è Latino in Græcum sermonem ab eodem conversa taceam.

GEORGIUS SCHOLARIUS, qui relicto Sæculo GENNADII nomen assumpsit, primus post captam urbem Patriarcha Constantinop. claruit anno MCCCCLIII. Utrum unicus, an duo fuerint hoc tempore Georgii Scholarii, inter eruditos disceptatur. Duos fuisse magno molimine contendit L. Allatius *de Consens.* lib. III. cap. 5. & *Diatriba de Georgiis*, pag. 395. fusiùs adhuc & copiosiùs *contra Creighton*, integrâ *Exercitatione* VII. Tanto tamen verborum apparatu rem haud integram & indubiam reliquit, quin ab eo dissentiant Recentiores; inter quos, ut alios taceam, præcipuè eminent Cl. Ds. Ducangius, & R. Simonius Parisiensis. Hisce litibus immisceri nec est otium mihi nec animus; Verùm si quod sentio liberè loqui liceat; non video quin quicquid de Geo. Scholario vel Gennadio tradiderint ejusdem ævi Scriptores, in unum eundemque aptè satis quadrare, & de unico satis commodè intelligi possit. Qui à Joanne Palæologo Imp. ob eximias animi dotes magni habitus, ejus mandato in Italiam descendit; Concilio Florentino interfuit *; & quo labanti Patriæ suppetias fœliciùs impetraret, in Latinorum partes abiit †; & Unionis negotium aliquamdiu promovit; utrum ex animi sui sententia id egerit, an simulatò ut suorum commodis inserviret, judicent alii. Decreto enim Synodico nec subscri- 1453. R. G.

* S. Sgur. hist. Conc. Flor. Sect. III. c. 6. Duc. Hist. Byzant. c. 31.

† M. Ephesii Epist. apud Allat. contra Creight. p. 28.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC.

psit, nec suffragatus est; verùm Imperatore reliquisque contribulibus suis Florentiæ relictis, ipse cum Demetrio Despota, qui ab istiusmodi Unione alienissimus semper fuit, & Geo. Gemisto Plethone, Concilio nondum finito, Venetias clam abiit *; unde in patriam reversus, acerrimum se patriæ Religionis vindicem, & Latinorum hostem infensissimum præstitit: Marco Antistiti Ephesino, qui Unioni nunquam consensit, se socium adhibuit, eique fideliter adhæsit †: Acta Synodi descripsit, & Occidentalium dolos & technas exposuit: Cùmque ad vitandas quibus impetebatur molestias in Monasterium Pantocratoris secesserat, eum velut Oraculum quoddam in omnibus dubiis & ambiguis rebus consulere solebat plebs universa, eumque velut unicum Religionis columen & præsidium suspiciebat *: In isto Cœnobio usque ad Urbis excidium delituit †: Primusque post captam urbem, suffragante Clero, Patriarcha designatur, in Gregorii sponte exulantis locum suffectus, & *Gennadii* nomen usque retinuit * In isto Dignitatis fastigio positus, frequentes cùm Mahomete Imp. sermones habuit, & de variis Religionis Christianæ capitibus cum eo disseruit †, unde eruditionis non vulgaris & infucatæ pietatis laudem apud Infidelem obtinuit. Cùm quinque annos & ampliùs in Patriarchatu transegerat *, laborum jam pertæsus, in publico Principum, Episcoporum & Clericorum concessu honoribus se exuit, & ad vitam Monasticam rediens in Cœnobium Præcursoris in monte Menœcæi propè Serras situm se contulit, ibique dum vixit studiis vacavit; quando obiit incertum est: Multa & varia edidit ingenii sui monumenta, Philosophica, Theologica, Dogmatica, Scholastica, Eristica: quorum aliqua typis impressa lucem aspexerunt, à Cl. Whartono, uno aut altero excepto memorata, plura adhuc MSS. Bibliothecarum claustris constricta delitescunt. *Epistola Apologetica pro Basilio M.* prodiit Græcè & Latinè cum notis Fr. Morelli, *Paris.* 1618. 8vo. *Responsio dogmatica ad quosdam de sanctissimo SS. Eucharistiæ mysterio eum interrogantes*, Græce non ita pridem edita *Bucarestæ* in *Ungroblachia* fol. operibus nonnullis Meletii Syrigi, & Dosithei Hierosol. subjuncta. *Præfationem* ad *Syntagma* quod Ὀρθόδοξ καλόφιμον appellatur, quæ in editis deerat, quâ opus istud vero Auctori vindicatur, *Georgio* scilicet *Scholario primo post excidium urbis Constantinop. Patriarchæ*, quod [ut id obiter notem, palmarium L. Allatii Argumentum funditus avertit] ex *Codice Regio Paris.* in lucem protulit R. Simon in *Appendice* ad Opusculum patrio sermone scriptum, *Fides Ecclesiæ Orientalis* prænotatum *Paris.* 1687. 12°. editum pag. 224. *Excerptum* quoddam ex aliquo nostri Gennadii opere de *Sacramentis*, modò genuinum sit quod meritò dubitamus, Græcè exhibet idem vir doctissimus, *ibidem* pag. 256. Porro in eadem celeberrimâ *Regis Gallorum Bibliothecâ* MSS. habentur duo volumina contra Latinos, ex *Biblioth.* Sereniss. Florentiæ Ducis allata & numer. 2956. 2957. signata; quorum primo *Syntagma* supradictum Londini editum continetur. Altero *de Processione Spiritûs Sancti* Tractatus, *ad eos qui in ista re à nobis dissentiunt* scriptus, & *Joanni Comneno Trapezuntis R.* nuncupatus, qui propterea *Liber secundus* dicitur. Opus in quatuor Sectiones dividitur, quælibet Sectio in plura Capita. Pr. Τὸ μὲν πρῶτον βιβλίον ἡμῖν ἐπὶ ταῖς μελέταις. habetur etiam in *Biblioth. Vindob.* Cod. Theol. LVI. iterumque *ibidem* Cod. CCXXXVII. Ejusdem Operis *Ecloga* à Mathusala quodam Sancti Montis Sinaï Monacho excerptæ extant *ibid.* Cod. Philos. CCXXIV. num x. Dictum opus laudat, brevemque laciniam inde profert L. Allatius *de Consens.* lib. II. cap. 15. sect. 12. col. 778.

* S. Sgur. Con. Flor. §. IX. c. 11.

† Leon. Chalcond. de rebus Turcicis. lib. VI. p. m. 195.

* Ducæ hist. Byzant. c. 36.

† Ducas, ibid c. 37.

* Man. Malax. ap. Crusin, Turc. Græc. lib. II. p. 107.

† Ibid. p. 109.

* Ibid p. 120.

prolixiorem alteram de *Synodo Phot.* pag. 199. *De Dissidio inter Græcos & Latinos circa processum Sp. S.* Pr. Τὸ θεῖον reperitur MS. in *Biblioth. Bodleian.* Cod. 92. *Historia Concilii Ferrariensis & Florentini*, sive, *de rebus Florentiæ gestis in Synodo Octavâ.* Pr. Ἡ εἰς τὴν Φερράραν εἰσέλευσις σὺν Θεῷ. Μετὰ δὲ τὸ σάββατον τῆς τυροφάγου. MS. in *Biblioth. Vindob.* Cod. Hist. LXXV. qui foliis constat 200. in 4°. *Necessaria Doctrina de peccatis mortalibus & venialibus.* Pr. Ὁ μὲν ἀκριβέστερος περὶ τῶν θανασίμων καὶ συγγνωστῶν ἁμαρτιῶν λόγος. MS. *ibid.* Cod. Theol. CCLXXXVIII. num. I. & in *Cod. Reg. Paris.* 1765. *Epistola* ad Monachum quendam Montis Sinaï de controversiis quibusdam ad Patriarcham Hierosolym. aliosque pertinentibus. Pr. Τιμιώτατε ἐν μοναχοῖς κ. λ. —— Αἱ γραφαὶ τῆς σῆς εὐλαβείας. MS. *ibid.* Cod. Theol. CCLXIV. num. III. In eodem Codice extat & altera *Epistola* ejusdem ferè Argumenti ad Joachimum Hieromonachum Sinaitam. Pr. Ἐπειδὴ ἔλαθεν ἡμᾶς τοῦτο. *Sermo funebris* in Filium, Græcè MS. *ibid.* Cod. Philos. CXCII. num. I. *Ad Constantinum Imp. super obitu Matris Consolatoria.* Pr. Ἡ μακαρίας. *De animarum postquàm à corporibus solutæ sunt dispositione*, ad Sabbatium Monachum. Pr. Ὁσιώτατε. *Epistola* ad Joannem quendam dum in Monasterio Præcursoris ad montem Menœcæum ageret. Pr. Ἤδειν μὲν. Ad Jo. Archiep. Thessalon. Vicarium *de Purgatorio.* Pr. Αὐτοσχεδιάζω. *De tempore & modo subsistentiæ animæ rationalis tractatus* amici cujusdam rogatu in Monte Menœcæo scriptus. Pr. Ἐπειδὴ. *de Simoniacâ hæresi*, cum præmissâ ad Imperatorem *Epistolâ Nuncupatoriâ* Pr. Ταῦτα ἐκ τῶν ἀθέων. *Oratio extemporanea* in funere Theodori Sophiani nepotis sui in Monasterio Batopedii sepulti. Pr. Ἀλλὰ ζῶντος. *In Festo Decollationis venerandi Prophetæ Præcursoris & Baptistæ.* Pr. Ὁ μὲν μακάριος. *In Adventum* Domini *nostri Jesu Christi secundùm carnem.* Pr. Οἱ λαμπρότατοι. De *Uno in Trinitate Deo nostro, rerum omnium* Conditore, *& contra Atheos & Polytheos.* Pr. Οἶδα μὲν. *In Festo Assumptionis B. Virginis* Deiparæ, scripta & lecta in Templo Pammacaristæ, (quod excisa urbe, & Templo S. Sophiæ à Turcis occupato, Patriarchæ domicilium fuit) Pr. Ἡ μὲν τοῦ ἔτους. *Homilia in* Parabolam *Prodigi de Pœnitentia.* Pr. Ὁ τῶν φαρισαίων. *Homilia de mysterio corporis Domini nostri Jesu* Christi. Pr. Ἐπειδή. Hæc in titulo una ex iis esse dicitur quas *in infausto* Palatio *habuit diebus* Parasceves *Quadragesimæ*; istud enim muneris obiit Gennadius noster: singulis sextis feriis in Triclinio Imp. præsentibus Regis Consiliariis & Urbis Primoribus verbum Dei exposuit, unde & Διδάσκαλος, sæpissimè audit. *Altera Homilia in parabolam Pharisæi &* Publicani. Pr. Τὴν τῆς ὑπερηφανίας κρημνόν. *Errorum Iudaicorum redargutio perspicua*, ex S. Scripturis & Christianæ veritatis traditione, formâ *Dialogi Christianum* inter & *Judæum* conscripta. Pr. Βούλει διαλεχθῶμεν. *Vaticinia lucidiora ex Prophetarum scriptis collecta quæ ad D. N. I. Christum spectant*; superioris operis videtur esse Appendix. Horum omnium à *Consolatoriâ* inclusivè notitiam debemus Illust. D. Ducangio, qui ex Codice MS. V. C. Eusebii Renaudoti titulos & voces initiales descripsit *Glos. Græc.* voce Ῥάμπλιον *Epistolæ* quædam selectiores, & *Oratio* Funebris in Theodorum Despotam, ex volumine Epistolarum αὐτογράφῳ post captam urbem reperto descriptæ, extant Græcè MS. in *Biblioth. Regia Parisiensi*, Cod. 2955. *Monodia* in B. Patrem, *Marcum Eugenicum* Archipræsulem Ephesinum, Græcè MS. *ibid.* Cod. 2958. *De primo Dei cultu* tractatus, sive *Lex Evangelica*, in Cœnobio Præcursoris postquàm Patriarchatum abdicasset scripta, Græcè MS. *ibid.* Cod. 2959. *De divinâ Providentiâ* sive *Prædestinatione Sermones tres*, Josepho Monacho inscripti, MS. *eodem*

Codice

SÆC. XV. ab An. MCCCC. *Codice.* In eadem locupletissima Bibliotheca, *Cod.* 1765. Præter varias ex supradictis lucubrationes, reperiuntur MSS. *Paraphrasis Hymni* Synesii *in Natalem Domini*; *De suo in Monasterium secessu* ad Constantinum Imp. *In Festum ingressus* B. *Virginis* in Sancta Sanctorum: *Epistolicus Sermo* Demetrio Despotæ in Peloponneso: *Commentaria* de novo Latinorum fidei dogmate: *Chronologia*: *Excerpta* ex Theodoreti Orationibus *Græcarum Passionum*: *De Providentia Dei* sermo quartus: *Apologia* pro suo ad Theodorum Brennum silentio: *Quæstiones* & *Responsiones* de *Divinitate Christi*: *De secundo Adventu Domini, & Resurrectione Corporum*: *De negatione Petri, & galli cantu, de horâ quâ crucifixus est Dominus*: *De Arboribus in Paradiso*; *Nomenclatura* partium corporis humani; Vide Labbæi *Catal.* MSS. pag. 296. In eadem Bibliotheca extat MS. *De Nobilissimo Melissenorum genere* Collectio ex variis Historicis facta Joan. Palæologi Imp. *Epistolas* novem ad Notaram magnum Ducem se legisse testatur Allatius, & singularum initium exhibet *diatrib. de Georgiis*, p. 409. harum etiam meminit alibi *. Extat MS. *Canon.* in Gregorium Palamam. Pr. Ἡ θεῖ σοι λάμψασα χάρις τῦ πνεύματος. Hunc laudat idem Allatius *adv. Hottinger.* pag. 209 *Oratio in Transfigurationem Domini.* Pr. εἴπερ ἄλλω τινὰ τῶν ἱερῶν. habetur MS. in *Bibl. Bodleian.* Cod. 92. *Oratio in Annunciationem* B. *Deiparæ*, hanc Græcè MS. asservari in *Biblioth. Regiâ Scorialensi*, testatur Possevinus †: eandem referente Labbæo *, in Latinum Sermonem transtulit Jac. Pontanus, verùm versio ista necdum lucem vidit. Denique *Oratio in Nativitatem Domini* Pr. Καὶ πᾶσι μὲν τοῖς ἄλλοις τῶν ὄντων. Reperitur MS. ex fide Allatii, in *Bibliothecâ Palatinâ.* Opera Philosophica, uti & versiones quas non paucas confecit, missa facimus. *Dialogum* cum Turca Græcè & Latinè primus edidit Ioannes Brassicanus, *Viennæ*, 1530. Confessio Fidei quam notis suis illustratam edidit Joannes Wegelinus *Augustæ*, 1608. novissimè prodiit curâ Christ. Daumii *Cygneæ*, 1667. 8vo.

* Contra Creighton. p. 99.

† Appar. Sac. T. I. p. 633.

* Bibl. MSS. Catal. p. 36.

1455. H. W. CALLISTUS III. *Alphonsus Borgia* antea vocatus, gente Hispanus, patriâ Catalaunus, Joannis filius. In Gymnasio Ilerdensi bonis literis institutus, Juris utriusque Doctoratum meruit. Mox Alphonso Aragoniæ Regi à secretis & Epistolis accitus, anno 1429. Episcopus Valentinus à Martino V. Pontifice, ab Eugenio IV. Cardinalis titulo SS. Quatuor Coronatorum anno circiter 1440. creatus est. Anno 1455. Pontifex Romanus electus est die VIII. coronatus die XX. Aprilis, decrepita jam ætate gravis. Pontificatu inito, Turcis statim bellum indixit, missis ubique Legatis Christianos Principes excitavit, Indulgentias amplissimas militaturis concessit: & ut Christianos animaret, Festum Transfigurationis D. N. Jesu Christi instituit ac celebrari jussit. Ipse armatis triremibus XIII. Turcorum oras devastavit; & moriens centum & quinquaginta millia nummorum aureorum sacro bello impendenda legavit. Obiit anno 1458. die VI. Augusti. Extant *Epistolæ* II. Concil. Tom. XIII. p. 1391. *aliæ* IX. inter Æneæ Sylvii Epistolas: & *Officium Transfigurationis* inter alia Ecclesiæ Romanæ Officia.

1455. R. G. THOMAS DORNIBERG, natione Germanus, patriâ Suevus, domo Memmingensis, Decretorum Doctor, & Consulatûs Spirensis Advocatus, claruit an. MCCCCLV. an. MCCCCLXXIX. superstes quo Moguntiæ ad Inquisitionem Joannis de Wessalia adfuit. Scripsit *Compendium Theologicæ veritatis*, in septem libellos distinctum, quorum primus *de Natura Divinitatis*, secundus *de operibus Conditoris*, tertius *de corruptela Peccati*, quartus *de Humanitate Christi*, quintus *de sanctificatione Gratiarum*, sextus *de virtute Sacramentorum*, septimus *de ultimis Temporibus*, & *de pœnis malorum & præmiis beatorum*: prodiit in lucem anno 1473. *Aureola* ex suavissimis, salutiferisque floribus gloriosi Confessoris *B. Hieronymi* adfabrè contexta, impressa *Romæ* 1472. *fol.* SÆC. XV. ab An. MCCCC.

NICOLAUS DE ORBELLIS, seu *Dorbellus*, natione Gallus, patriâ Andegavensis, Ordinis Minoritarum Provinciæ Turonensis sodalis, Theologiæ & Philosophiæ Scholasticæ in Gymnasio Pictaviensi Professor. Scoti vindex fortissimus, claruit sub Callisto III. circa annum 1456. De obitu ejus nil constat. 1456. H. W.

SCRIPTA.

Commentarius seu *Compendium in IV. libris Sententiarum*, secundùm Doctrinam Joannis Scoti. *Hagenoæ* 1503. 4to. *Paris.* 1511, 1517. 8°. 1520. 8°.

Sermones in omnes Epistolas Quadragesimales, Lugduni 1491.

De scientia Mathematica liber, Bononiæ 1485.

Commentariorum in libros Physicorum Aristotelis libri VIII. *De Cœlo & Mundo libri* II. *De Generatione & Corruptione libri* II. *In libros Meteororum libri* III. *in libros Metaphysicorum libri* XII. *in libros Ethicorum libri* X. Prodierunt unà cum præcedenti Opusculo *Basil.* 1503.

Commentarius in libros Aristotelis de Animâ. Basil. 1542.

Logica, seu *Commentarius in aliquot ejusdem libros*; Venet. 1516.

Super Formula Petri Hispani libri VII. Venet. 1516. 4to.

Expositio Logica secundùm Scoti subtilis doctrinam, Parmæ 1482.

Physicam, & *Ethicam* secundùm ejusdem opinionem se in juventutis usum compilasse prodit ipsemet Dorbellus præfat. in Comment. super libros Sententiarum.

GULIELMUS HOUPELANDUS, gente Gallus, Bononiæ in Morinis natus, Theologiæ Magisterio in Academia Parisiensi donatus est anno 1457. Dein Parisiis Archipresbyter S. Severini Parochiam regendam suscepit, mox Ecclesiæ B. Mariæ Canonicus, & Archidiaconus Briensis. Tandem Facultatis Theologicæ Decanus, obiit anno 1492. die 11. Augusti. Scripsit *Librum de Immortalitate Animæ, & statu ejus post mortem*, variis antiquorum Patrum, sive Philosophorum, sive Poëtarum, & Doctorum Catholicorum, & sanctorum virorum sententiis refertissimum. Prodiit iste *Paris.* 1499. 8°. 1457. H. W.

JACOBUS DE PARADISO, natione ut videtur, Germanus, Ordinis Carthusiani Monachus, Doctor Erfordiensis. Claruit anno 1457. Scripsit multa ex quibus impressa prodierunt, *Collectum de septem statibus Ecclesiæ in Apocalypsi misticè descriptis & de autoritate Ecclesiæ, & de ejus reformatione* in Antilogia Papæ *Basil.* 1555. 8°. p. 462. apud Goldastum Monarch. Tom. II. p. 1567. & in Appendice ad Fasciculum Rerum Expetend. *Londini* 1688. f. *Tractatus* III. viz. *de arte curandi vitia, de planctu peccatoris, & de Statu ac officio Ecclesiasticarum Personarum* Amstelodami 1617. *Tractatus de Animabus à corpore exutis*, Basil. --- 4°. *Liber de veritate dicenda aut tacenda* Basil. --- f. teste Simlero Biblioth. Tigurin. p. 321. 1457. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. 1457. R. G. THOMAS CHAUNDLERUS, (Joannem falsò appellat Balæus, & post eum alii) gente Anglus, patriâ Somersetensis, domo Fontanensis, claruit anno MCCCCLVII. Vir non minùs prudentiâ rerum conspicuus, quàm eruditionis laude spectabilis, varia tum in Academia, tum in Ecclesia munia obivit, varias adeptus est Dignitates. Collegii Wintoniensis primò, deinde Novi Collegii apud Oxonienses Custos; Academiæ crebrò Commissarius, tandem & Cancellarius, quod munus XI. vicibus sustinuit: Ecclesiæ Parochialis de Hardwyck in Comitatu Buckinghamiensi Rector; Cathedralis Wellensis, & Metropolitæ Eboracensis Cancellarius; Capellæ Regiæ & Herefordensis Decanus: ingravescente ætate Dignitatibus omnibus se exuit, & vitæ reliquum in otio & quiete traduxit, annoque MCCCCLXXIX. placidam mortem obiit. Scripsit *Chronicam brevem de ortu, vita & gestis Rev. Patris Willelmi de VVickham* Collegii Novi Fundatoris Episcopi Wintoniensis, eam ex Cod. MS. Cottoniano descriptam edidit Cl. VVhartonus, *Angl. Sacr.* Tom. II. pag. 355. *Allocutionum opus de laudibus ejusdem VVikhami* formâ *Dialogi*, cujus interloquutores *Panestius* & *Ferrandus*, conscriptum. Hujus partem aliqualem, quæ laudes Thomæ de Beckington Episcopi Wellensis complectitur, in lucem produxit idem vir eruditus, *ibid.* p. 357. Opus integrum habetur in *Biblioth. Cotton.* Titus A. 24. Oxonii item penès *Novi Collegii Custodem*; pulcherrimis characteribus exaratum, auroque & variis colorum pigmentis decoratum. Varia hujus Chaundleri opera MSS. habentur in *Bibl. Collegii SS. Trinitatis* apud Cantabrigienses, utrum omnia quæ ei ascribunt Balæus & Pitseus dixerint ii qui Cod. MS. inspexerunt. *Epistolas* denique nonnullas inter *Epistolas* Beckingtoni se reperisse asserit H. Whartonus, *Præfat.* ad Angl. Sac. Tom. II. p. XVIII.

1458. H. W. PIUS II. *Æneas Sylvius* antea dictus, gente Italus, ortu Senensis, ex illustri Piccolominæorum prosapia oriundus, Sylvii & Victoriæ filius, Corsiniani natus est anno 1405. In oppido natali Grammaticam didicit; rei interim familiaris angustiis adeò constrictus, ut omnia ruris officia ob inopiam subire sit coactus. Anno 1423. amicorum subsidio usus, Gymnasium Senense se contulit: ubi poëtas inprimis & oratores audivit & perlegit; ac Poëmata tam Latinâ quàm Hetruscâ linguâ brevi edidit. Dein Juri Civili operam dedit: anno verò 1431. exorto inter cives gravi bello patriâ recessit, & in Dominici Capranicæ Cardinalis comitatu Concilium Basileense profectus est: & apud Patres summo in honore ob raram doctrinam habitus; ipse vicissim Concilii partes integro decennio voce ac scriptis strenuè propugnavit. Scriba enim Synodi constitutus, Clericus ceremoniarum, literarum abbreviator, & unus ex Duodecimviris (qui magistratus illic quasi censorius habebatur) sæpe in Concilio peroravit; sæpe inter Collatores Beneficiorum præfuit: crebras legationes obiit, Tridentum semel missus, Constantiam secundò, Frankfordiam semel, in Sabaudiam iterum, Argentinam tertiò: ubi crimen admisit, quod ipse adeò non defleat, ut datis ad patrem literis * tantùm non jactitet. Anno circiter 1437. flagrante inter Eugenium & Basileenses aperto schismate, & Pontifice rem fulminibus ac deprivationibus agente, cùm alii metu clàm dilaberentur; alii palàm deficerent, Æneas Synodo constanter adhærendum esse ratus est. *Nos*, inquit †, *cùm nihil haberemus, quod nobis auferri posset, perseverandum putavimus: ne partem, quæ verior nobis apparebat, relinquentes, detrimentum animæ faceremus.* Anno 1439. à Fœlice Papâ secretis admotus est; & paulò post ad Fredericum Imp. legatus laureâ poëticâ ab Imperatore donati, & inter amicos acciri meruit. Anno 1442. à Frederico Basileâ accitus, in aulam Imperatoriam transiit; & Protonotarius seu Secretarius Imperii factus, & in Senatorium Ordinem cooptatus; necdum tamen Basileenses damnare ausus est; nec Eugenii partibus penitus accessit, sed *neutralibus* adhæsit. Sensim verò in Eugenii partes transeunte Frederico, ipse etiam Æneas sententiam pedetentim mutavit; & postquàm in Conventu Ratisponensi, ubi de Schismate tollendo agebatur, Cæsareas vices tenuisset; duplicique ad Eugenium legatione perfunctus esset; tandem à Thomâ Sarzano, Apostolico in Germaniâ Legato persuasus, ipse Eugenio collum submisit; & exeunte anno 1446. vel ineunte 1447. à Frederico Romam missus, nationis Germanicæ obedientiam Apostolicæ sedi detulit. Post Eugenii obitum, à Cardinalibus delectus est, qui durante interpontificio Conclavi præesset. Episcopatu Tergestino à Nicolao Papâ donatus, Germaniam repetiit; & ab Imperatore inter Consiliarios allectus, gravissima Imperii negotia procuravit. Post quadriennium Episcopatu Senensi auctus, anno 1452. Fredericum Romam, ut coronam imperialem susciperet, profectum secutus, Legatus Bohemiæ omniumque Austriæ regionum inter redeundum constitutus est. Anno circiter 1456. in Italiam ab Imperatore missus, ut de bello Turcis inferendo cum Pontifice aliisque Principibus consuleret, Cardinalitiam purpuram à Callisto III. retulit. Post Callisti mortem, anno 1458. Pontifex Romanus electus est die XIX. Augusti, coronatus die III. Septembris. Multa de eo spes concepta fuerat, ductis ab eruditione illius, & uberrimis promissionibus argumentis, Ecclesiam denuò auspiciis ipsius reformandam fore. Verùm ille spem conceptam plurimùm fefellit; editâ retractationis Bullâ, ea quæ in Concilio contra Eugenium Papam egerat, revocavit; Regesque & Principes inobedientes apertâ vi ad Apostolicæ sedis obsequium redacturum esse palam præ se tulit; Concilium Papæ subesse debere declaravit; emissâque Bullâ à Pontifice ad Concilium appellari sub anathematis pœnâ prohibuit; utque Platinæ & Stellæ de eo verbis utar; *Non Reges, non Duces, non populos, non tyrannos, in se aut Ecclesiasticum quempiam delinquentes, bello, censuris, interdictis, execrationibus persequi priùs destitit, quàm eos ad sanitatem rediisse cognoverit.* Extrema ferè Pontificatûs tempora bello contra Turcos indies ad majora grassantes parando impendit; cùmque ingentem Cruciatorum militumque subsidiariorum exercitum conflasset; & Anconæ classi imponendum deduxisset; lentâ febre ibi correptus obiit anno 1464. die XIV. Augusti. Romam relatus, in Vaticano sepultus est.

* Lib. I. Epist. 15.

† Bulla retractat.

OPERA.

B*Ulla Retractationum omnium ab eo olim contra Eugenium Papam in Concilio Basileense gestorum.* Extat Concil. Tom. XIII. p. 1407.

Commentariorum de gestis Concilii Basileensis libri II. Prodierunt in Fasciculo rerum expetendarum *Colon.* 1535. seorsim *Basil.* 1577. 8°.

De Coronatione Fœlicis V. Pontificis Maximi liber.

De ortu, regione, ac gestis Bohemorum, seu Historia Bohemica à primâ gentis origine usque ad annum 1458. Prodiit seorsim *Romæ* 1475. f. *Basil.* 1532. 1575. *Hanov.* 1602. f. *Salingiaci* 1528. *Ambergæ* 1593. 4°.

Abbreviationum Flavii Blondi Historiarum ab inclinatione Imperii usque ad tempora Joannis XXIII. *Papæ libri* XX. Habentur unà cum Blondi Historiâ *Venet.* 1484. seorsim *Basil.* 1533.

Cosmographiæ, seu *Historiarum de mundo universo*, libri

SÆC. XV. ab An. MCCCC.

liber primus, in quo de Asiâ minori agit, *Parif.* 1534. 8°. *Colon.* 1573.

Europa, seu *Cosmographiæ liber secundus*, in quo sui temporis varias historias complectitur. *Parif.* 1543. 80. *Colon.* 1573. 8°. & apud Freherum Script. German. *Hanov.* 1602. Tom. ii. p. 37.

In Antonii Panormitæ Poëtæ de dictis ac factis memorabilibus Alphonsi Aragonum Regis libros IV. *Commentaria.* Hanov. 1611. 4°. VVittebergæ 1585. 4°. cum commentariis Jacobi Spiegelii: & *Rostochii* 1590. 4°. studio Davidis Chytræi.

In Triumphum Alphonsi Regis.

In Alphonsum Aragoniæ Regem Oratio.

Epistolarum liber, continens Epistolas CCCCXIV. ante Pontificatum ferè adeptum scriptas; quarum nonnullæ justi Tractatus haberi possunt; & inter Opuscula sigillatim à plurimis recensentur, viz. Epistola CIII. quæ est *Triplicis problematis resolutio.* CVIII. *Somnium de Fortunâ.* CXI. *de Poëticæ laudibus.* CXIV. *Historia de Euryado & Lucretiâ se amantibus* (prodiit seorsim Lovanii 1479. 4°.) CXXX. *Dialogus contra Taboritas & Bohemos de sacrâ communione sub unâ specie*, anno 1451. scriptus CXXXI. *Oratio de clade CP. & bello contra Turcas suscipiendo*, CLXI. *De clade universalis Ecclesiæ* CLXV. *Descriptio Urbis Viennensis.* CLXVI. *De curialium miseriis.* CLXXXVII. *De rebus à se gestis*, CLXXXVIII. *De Papæ officio & ejus Officialibus.* CCCLXIX. *Excusatio contra murmur gravaminis nationis Germanicæ.* CCCXCV. *Retractatio libelli de duobus se amantibus* CCCXCVI. *De fide Christianorum ad Mahometem Turcorum Regem, & de vanitate sectæ Mahometicæ.* CCCXCVII. *Oratio Pii Papæ* ii. *in Concilio Mantuano anno* 1459. *habita.* CCCXCVII. *Bulla de profectione in Turcas.* CCCXCVIII. *Oratio ad Callistum Papam offerendo obedientiam Imperatoris* CCCXCIX. *Oratio coram Frederico Imp. in Concessu Cardinalium habita ad eum inducendum ad bellum contra Turcas.* CCCCX. *De crudeli amoris exitu Guisguardi & Sigismundæ Tancredi Principis Salernitanorum filiæ*, Tractatus, ex vulgari in Latinam linguam ab Æneâ Sylvio conversus. CCCCXI. *De vindictâ illata violentiæ, quam sibi se extorsit Lucretia Speculum Romanæ pudicitiæ.* Prodierunt omnes simul Æneæ Sylvii Epistolæ, numero CCCCXXXII. *Norimbergæ* 1481. & *Lug.* 1497. Epistolæ & Orationes *Lovanii* 1483.

In Salvatoris nostri Passionem Carmen Sapphicum.

De Liberorum educatione ad Ladislaum Hungariæ, & Bohemiæ Regem.

De Grammaticâ ad eundem.

De arte Rhetoricâ & Epistolarum partibus ad Archiepiscopum Trevirensem.

Descriptio de ritu, situ, moribus, & conditione Germaniæ ad Antonium S. Chrysogoni Cardinalem. Romæ 1584.

Prodierunt omnia ista Pii II. Opera ex Officinâ Henricopetrinâ *Basil.* 1571. f.

Tractatus de ortu & autoritate Imperii Romani ad Fredericum Imp. Habetur apud Goldastum Monarch. Tom. II. p. 1558.

Responsio ad Orationem Oratorum Galliæ in Conventu Mantuano. Extat apud Dacherium Spicileg. Tom. VIII. & Concil. Tom. XIII. p. 1775.

Alia ad eosdem Responsio sive Oratio. Concil. Tom. XIII. p. 1765.

Bulla contra Appellationes à sede Apostolicâ ad Concilium, & Decreta II. *de bello Turcis inferendo*, in eodem Concilio promulgata. Inveniuntur ibid. p. 1801.

Ilias contra Venereos ex Homero. Latinè, Londini 1509. cum *Præfatione* in laudem Homeri.

De pravis mulieribus libellus. Argentorati 1507.

Constitutiones Ecclesiasticæ variæ, quæ habentur in Collectione *Romæ* 1579. edita.

Sermo primus, dum esset Pastor factus, ad populum, MS. in Bibliotheca Augustana. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

Historiam de rebus à se gestis, quæ sub Joannis Gobelini, Secretarii sui nomine prodiit, scripsisse creditur. Plura alia Pii II. Opuscula adhuc inedita recenset Ludovicus Jacob à S. Carolo Biblioth. Pontif. p. 187. quem vide sis.

Scripsisse *Dialogum adversùs falsam donationem Constantini Imp.* produnt Hieronymus, Occalus Catalanus, Joannes Felinus, & Balbus Episcopus, à Labbeo citati Dissert. de Script. Eccl. Tom. II. p. 228.

PIUS Papa II. *Æneas Sylvius* antea dictus, patriâ Italus, apud Corsinianum agri Senensis oppidum natus, claruit anno MCCCCLVIII. *Vir literis, eloquentiâ, dexteritate & prudentiâ nulli secundus, adeóque scribendo delectatus, ut nec perpeti morbi articularis dolore, nec multitudine negotiorum oppressus, ab eo cessare potuerit*, uti de eo Spondanus *. Operibus ejus suprà recensitis accenseri meruit *Historia rerum Friderici III. Imperatoris*, quâ non solùm Friderici res gestas, sed quæ per totam Europam memoratu digna in id tempus congruerunt, complecti instituit, verùm opus non absolvit, nec ultrà motus Hungaricos produxit. Hanc ex Codice MS. optimæ notæ edendam, notisque illustrandam in se suscepit vir doctissimus Joan. Hen. Boeclerus, & universalem Historiam à se contextam subjungere decrevit, sed consilium ejus mors abrupit. Boeclero mortuo, labor iste Cl. Kulpisio cessit, qui dictum opus cum *specimine Annotationum Boeclerianarum*, *variis Diplomatibus, Documentis*, &c. à Boeclero maximam partem congestis, præmissâ prolixâ *Præfatione*, & rarioribus nonnullis qui *res Germanicas* illustrare possint *Scriptoribus* subjunctis, edendum curavit *Argentorat.* 1685. *fol. Orationes quædam* Sylvii quibus bellum contra Turcas promovere studuit, prodierunt *Islebii*, 1603. 4to. *Epistola* & *Opuscula* Romæ, 1475. 4to. Lugd. 1581. Ant. 1640. 4to. *Historia rerum ubique gestarum*, Venet. 1477. *Opera omnia* junctim edita, *Basil.* 1551. *fol.* 1458. R. G.

* Annal. Eccles. ad an. 1438. §. 9. 13.

JOANNES GOBELINUS, Vicarius Bonnensis, & Pio II. Pontifici à secretis. Claruit anno 1458. Veteranus, ut videtur, Curiæ Romanæ aulicus: Martinum enim V. Eugenium IV. Nicolaum V. & Callistum III. se vidisse testatur. Pio Papæ superfuit. Extant sub illius nomine *Commentariorum* de rebus à Pio II. Papa, seu potiùs de rebus omnibus sub Pii Pontificatu ab anno 1458. ad 1464. totâ Europâ gestis libri XII. Quisnam istorum Autor fuerit, haud satis inter eruditos convenit. Multi in eam propendent sententiam, ipsum Pium eos sub alieno nomine edidisse. Pium sanè autorem fuisse parùm dubito. Mihi potior tamen videtur sententia, Historiam istam à Pio morte abrepto imperfectam fuisse relictam; & à Joanne Gobelino suppletam, revisam, ac publici juris factam. Hæc enim Platina de Pio habet. *Scripsit etiam rerum sui temporis in Italia gestarum libros* XII. *quod opus nondum absolutum cum vita finivit, vetuitque publicari, nisi emendaretur.* Quisquis demum fuerit, Author ab origine domûs Piccolominææ exordium sumit, & fidem sibi hisce verbis præfatur; *Tu verò, qui hæc aliquando legeris, ità demùm boni consule, ut mentienti nihil ignoscas.* Prodiit curâ Francisci Bandini Piccolominæi, Archiepiscopi Senensis, *Romæ* 1584. 4°. & 1589. cum Commentariis Jacobi Piccolominæi *Francofurti* 1614. f. 1458. H. W.

ALPHONSUS SPINA, natione Hispanus, ex Judæo Christianus, Ordinis Franciscani Monachus, & Academiæ Salmanticensis Rector. Claruit 1459. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC.

anno 1459. Fidei Inquisitoris munus obiisse ipse fidem facit; cùm Alfonsum Debeiar, sacerdotem Valisoletanum à se hæreseos ad Petrum Episcopum Palentinum delatum esse, & ad palinodiam adactum referat *, non alia sanè de ratione, quàm quòd peccatorum confessiones sacerdoti Parochiali potiùs quàm Religiosis Mendicantibus faciendas esse prædicaret. Tandem Episcopatum Orinopolitanum Alfonsus noster obtinuisse dicitur. Prodiit suppresso Autoris nomine *Fortalitium Fidei contra Judæos, Saracenos, aliosque Christianæ fidei inimicos*, Norimbergæ 1494. 4°. & Gulielmi Totani, Ordinis Prædicatorum curâ *Lugduni* 1511. Editionis Norimbergensis titulus id per quendam Doctorem eximium Ordinis Minorum anno 1459 in partibus Occidentis conscriptum esse prodit. Ipsemet verò Autor † sese Operi condendo in villa Vallis Oletanæ anno 1458. incubuisse narrat. Autoris demum nomen indicavit Joannes Mariana *, qui Alvari Lunæ, Fontidoniæ Reguli, à Castellæ Rege anno 1453. capite plexi supplicium enarrans, morienti adfuisse refert Alfonsum Spinam, *is qui Fortalitium Fidei edidit, splendido titulo, voce barbara, eruditum Opus, & divinarum rerum cognitione præstans.* Hallucinantur itaque qui Thomæ Patriarchæ Barbariensi Opus istud tribuunt; nec minùs, qui Gulielmo Totano id ascribunt, non alia forsan ratione fulti, quàm quòd id Totanus prælo iterum excudendum curaverit. Ejusmodi sanè Opus est, & communi Eruditorum notitiâ adeò non indignum; ut scopum ac materiam ejus summatim exhibere Lectori non ingratum fore arbitrer. Integram enim Religionis, qualis tunc temporis in Ecclesiâ Romanâ obtinuit, Historiam subministrat; quibus argumentis Ecclesiæ dogmata, seu Romanæ adscititia, seu Christianæ genuina, Hæretici ac Judæi impugnarint, Inquisitores asseruerint, docet; quænam dogmata inter necessarios fidei articulos locum obtinere censerentur, indicat; qualisque esset fidei Romanæ statera, antequam crassiora dogmata nuperorum Methodistarum fraude fucum induerent, demonstrat. Primo itaque libro agit de spiritualibus fidelium Christianorum, maximè verò Prædicatorum, armis; de optima concionandi methodo, cujus unicum, pariter ac totius fidei fundamentum S. Scripturas ponit *: de nobilitate & præstantia fidei Catholicæ; quam Judaicâ lege antiquiorem, nobiliorem, atque utiliorem esse fusè probat; & prolatis Veteris Testamenti de futuro Messia oraculis, omnia in Christo ad amussim impleta esse demonstrat. Aliis tamen quæ adferre solent Christiani, argumentis putidissimas admiscet nugas, & ex ipso Jesu nomine, quod decantatum illud Tetragrammaton, & Judæis ante Christum natis penitus incognitum fuisse somniat, centena ferè argumenta excudit, straminea sanè, ipsisque farfari foliis inaniora; quæ tamen demonstrativa esse jactitat. Neve parum nugacem existimes; se XXII. *Sermones* de miris nominis *Jesu* proprietatibus composuisse testatur. Libro secundo Hæreticos aggreditur; & de Hæreseos definitione, naturâ ac origine multa præfatus, hæreses 14. sæculo demum suo pullulantes enumerat atque ordine oppugnat. Ex his pars ferè media circa Confessionem & Absolutionem sacerdotalem versatur. Decima indulgentias Episcoporum inutiles esse docet. Undecimâ orationes pro defunctis *ab existentibus in mortali peccato factas* prodesse negat. Duodecima Purgatorium tollit. Integra ubique Hæreticorum argumenta in medium adducuntur; quibus frigidiusculas solutiones Alphonsus subnectere solet. De Confessionis sacerdotalis necessitate verba faciens, eam tempore Ambrosii nondum in Ecclesiâ receptam esse agnoscit; illorumque sententiam, qui confessiones excipiendi munus Clero Parochiali potius quàm Ordinibus Mendicantibus competere censuerunt, tanquam hæresin gravissimam impugnat. De Purgatorio disputans, id à Christi exemplo probare nititur. Animam enim ejus à corpore solutam in Purgatorio usque ad Resurrectionem triduò incarceratam fuisse contendit; quodque Purgatorium subter terrâ situm sit, incolasque animas pœnâ sensus excruciet, certissimum esse fidei articulum docet. Ultimo loco de Hæresis pœnâ, & Inquisitionis faciendæ ratione agit; ac tandem propositâ istiusmodi quæstione, *An aliquo casu Hæretici sint tolerandi?* decernit quòd in pœnâ hæresis tria spectari possint; gravitas criminis, Ecclesiæ corrigentis charitas, & fidelium utilitas. Quoad primum; Hæretici quàmprimùm deprehensi sunt, *magis interficiendi essent, quàm incendiarii aut falsarii.* Quoad secundum, *non statim traduntur exterminio*, sed servato ordine correctionis fraternæ semel aut iterum admonentur. Sin monita respuant; nequaquam diutiùs tolerandi sunt. Quoad tertium, si Hæretici errorem suum palàm defendant, & in conventicula secedant; *tunc absque alia dilatione vel inquisitione exterminandi sunt.* Tertio libro Judæorum argumenta contra fidem Christianam exhibet. Horum plurima genuinis Christianæ religionis articulis adversantur; in fortiora autem contra peculiares Ecclesiæ Romanæ articulos militant. Vicesimo quarto enim argumento *contendit Judæus probare, quòd Christiani sunt idololatræ; quia adorant sacramentum altaris, & propter venerationem imaginum. Dicunt enim Judæi, quòd Christiani sunt pessimi idololatræ, adorantes Christum purum hominem tanquam Deum; & quod pejus est, hostiam de frumento ab eis formatam & coctam adorant sicut Deum, quod est derisibile; & postea comedunt, quod est horribile. Adorant etiam imagines opera manuum hominum. Illud autem est contra legem Dei, Deut.* VI. &c. Consideratione sextâ quamplurima impossibilia in Christianâ lege doceri Judæus contendit. *Decimum Impossibile est, quòd in sacramento altaris est verum corpus Christi; cùm locutus sit Christus signativè, & non realiter, dicens, hoc est corpus meum.* XI. *Impossibile est, quòd corpus Christi sit in sacramento altaris per miraculum, cùm ad oculum non apparet.* XII. *Impossibile est, quòd Corpus Christi incipiat esse in altari; quia nec per motum localem nec per conversionem alterius in ipsum.* XIII. *Impossibile est, quòd corpus Christi sit integrum, & quòd caro & sanguis manent in locis separatis sub speciebus panis & vini.* XIV. *Impossibile est, quòd corpus Christi in tam parva hostia contineatur, cùm majus in minori non capiatur.* XV. *Impossibile est, quòd unicum corpus Christi sit simul in diversis altaribus, cùm non possit unum corpus simul esse in diversis locis.* XVI. *Impossibile est, quòd caro Christi & sanguis sint sub speciebus panis* & *vini; cùm sit impossibile duo corpora simul esse in eodem loco; sc. substantiam panis & vini cum carne & sanguine Christi; cùm illa accidentia, ut dicunt, non sint per se, nec in aëre, nec in carne & sanguine Christi, sed subjectivè in substantia panis & vini.* XVII. *Impossibile est, quòd in sacramento altaris sit Corpus Christi incorruptibile; cùm possit putrefieri & à muribus comedi.* XVIII. *Impossibile est, quòd corpus Christi sit in sacramento; cùm illud frangatur in partes nonnisi substantia autem frangi possit.* XIX. *Impossibile est quòd istud sacramentum sumatur & non consumatur.* XX. *Impossibile est, quòd qui manducat partem hostiæ istius sacramenti, manducet totum Christum; cùm omnis Pars minor sit toto.* XXI. *Impossibile est, quòd aliquando accidit, quòd una Pars istius sacramenti manet in altari, & altera cadet in terram & pedibus conculcatur. Id autem de Deo dici est impossibile; cùm Deus non possit cadere nec pedibus conculcari.* XXII. *Impossibile est, quòd si esset Deus ille Christus vester, qui est in Sacramento, cùm cadit in terram elevaret se, & non demitteret*

* Fortalit. Fidei l. 2. Consid. 6. Hær. 5. fol. 41.

† Loc. cit.

* De rebus Hispan. Tom. II. L. 12. c. 13. p. 313.

* Consid. 2. fol. 4.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. mitteret etiam se à malis & immundis sacerdotibus tractari XXIII. *Impossibile est, quòd in illo sacramento sit verus Deus, ideò quòd descendat in stomachum & ad loca digestionis, cùm sumitur.* XXIV. *Impossibile est, quòd in illo sacramento sit verum corpus Christi per miraculum quotidie.* Fusè Judæus singula impossibilia totidem capitulis persequitur; quibus ficulneam aliquam responsionem Alfonsus utplurimùm adnectit: non rarò autem contrarias Judæorum ac Hæreticorum responsiones apponit; quibus ipse ne verbulum quidem solet subjungere. Reliquus iste liber de Judæorum sævitiâ atque odio in Christianos, de variis eorundem fatuitatibus, infortuniis, excidio Hierosolymitano, Judæorum è Provinciis Christianis expulsione; pœnis, futura conversione, & Antichristi adventu agit. Quartus liber Mahometi originem, vitam, sectam, & nugacem doctrinam depingit, variisque argumentis impugnat, & instituta fidei Christianæ ac Mahometicæ collatione utriusque concordiam ac discordiam demonstrat. Octava Consideratione Saracenus contra fidem Christianam disputare fingitur: & inter alia, nonum argumentum *contra imagines, quæ habentur in Ecclesiis*, profert, *Saraceni enim cum Judæis insultantes contrà nos, dicunt hæc nobis non licere, quod facimus contra divinum præceptum*, Exod. XX. Deut. XXVIII. & Levit. XXVI. *Derident etiam Christianos, quòd effigiant Deum*, &c. Reliquo libro de Mahometanorum ac Christianorum bellis à Mahometi morte ad sua usque tempora Historiam contexuit. Quintus liber, frivolum satis argumentum nactus, de Dæmonum essentia, ordine, differentia, regimine, ferali contra fidem Christianam odio, præstigijs, potestate, habitatione, & tormentis agit.

1460. H. W. JACOBUS PICCOLOMINÆUS gente Italus, patriâ Lucensis, Caroli & Leonardi Aretinorum in poëseos ac eloquentiæ studio discipulus. Postquàm animum literis probè excoluisset, Romam venit, & Cardinali Firmano ab epistolis inserviit, Nicolao V. thronum Pontificalem tenente. Post obitum Nicolai Callisto III. à secretis fuit; eodemque munere apud Pium II. gentilem suum perfunctus est, cui inprimis dilectus & familiaris erat. Claruit anno 1460. quo Episcopus Papiensis à Pio creatus est, & vigesimo post mense in Cardinalium numerum titulo S. Chrysogoni allectus. Anno 1487. Presbyter Cardinalis desiit, & Episcopus Tusculanus audire cœpit. Obiit apud Cryptas Laurentianas lacûs Vulsiniensis, III. Id. Septembr. anno 1489. ætatis suæ 57. Romæ apud Augustinianos sepultus. Scripsit *Commentariorum de rebus toto Orbe per quinquennium gestis libros* VII. Eos exorditur à Pii II. contra Turcos profecturi ad Anconam itinere; & in Joannis Carvagiali, Cardinalis S. Angeli morte finit; adeóque ab anno 1464. ad 1469. deducit. Prodierunt unà cum Gobelini Commentariis *Francofurti* 1614. f. Extant ejusdem *Epistolæ* DCCLXXXII. ab anno 1462. ad ann. 1489. exaratæ. Editæ sunt *Mediolani* 1521. Prodiit verò utrumque simul Opus *Mediolani* 1506. f. & *Francofurti* 1614. f. Ex commentariorum illius libro sexto edita habetur *Historica narratio de Hussitis, & Georgio Pogiebrachio Bohemiæ Rege*, Hanoviæ 1602.

1460. H. W. ANDREAS BARBATIUS, seu *Barbatias*, aliàs *Andreas de Bartholomæo*, gente Siculus, civitate Mastanensis, Juris utriusque Professor, Joannis de Imola discipulus, & in arte sua celeberrimus; adeò ut *Monarcha legum* passim appellaretur. Claruit anno 1460. Decrepita ætate jus Bononiæ edocere cœpit, ubi cùm procaci receptas opiniones convellendi studio abriperetur, *Deliri Senis* nomen meruit. Obiit Bononiæ apud S. Petronium sepultus.

SCRIPTA.

Lectura in Clementinas Paris. 1517.

Commentaria in tres priores libros Decretalium. Venet. 1511.

Conciliorum volumina IV. Venet. 1516.

Additiones ad Baldum Ubaldum in Codicem Digestorum, Feuda, & Infortiatum. Lugduni 1545.

De præstantia Cardinalium Tractatus ad Cardinalem Bessarionem. Extat in Tractatu Tractatuum *Venet.* 1584. Tom. XIII. par. 2. p. 63.

Tractatus de Cardinalibus & Legatis à latere. ibid. p. 131.

Tractatus de Testibus. ibid.

Repetitiones variæ. Papiæ 1496. Lugduni 1553. Venet. 1587.

GREGORIUS DE HEIMBURG, natione Germanus, Juris utriusque Doctor, & Æneâ Sylvio * judice, *inter Germanos scientiâ juris ac facundiâ facilè princeps*; authoritatis Pontificiæ, si quis unquam alius, hostis juratissimus: In Concilio Basileensi præsens, Papæ primatum viriliter oppugnavit: summamque cum Ænea Sylvio amicitiam contraxit. Mox Norimbergam à civibus accitus, Syndicatûs munere per triginta annos summa cum laude perfungebatur. Anno 1460. Sigismundo Austriæ Duci à Pontifice recèns excommunicato Advocati vices obiit: illiusque nomine ad proximum Concilium Generale appellavit: nec his contentus ipsam Romanam sedem è fundamentis convellere, editisque libellis, *Synagogam*, *Babylonem* & *Meretricem Babylonicam* appellare non veretur. Hinc in rabiem actus Pius Pontifex, veteris amicitiæ obliviscitur, & exeunte anno Gregorium diris devovet: scriptáque ad Norimbergenses epistolâ, ipsum civitate ejici, bonaque ejus in fiscum redigi jubet. Gregorius à Pontifice ad Concilium appellat; & in Bohemiam se recipiens, Pii minas ridet. Postea à Dithero Archiepiscopo Moguntino in Germaniam revocatus, diem in pace obiit, illudque Paulinum * tumulo suo inscribi jussit, *Non judicabit me humana dies.* 1460. H. W.

* Comment. In dict. & fact. Alfonsi Reg. l. 3. §. 5.

* 1. Cor. IV. 3.

SCRIPTA.

Admonitio de injustis usurpationibus Paparum Romanorum ad Imperatorem, Reges, & Principes Christianos; sive *Confutatio Primatûs Papæ.* Extat apud Goldastum Monarch. Tom. I. p. 557.

Appellatio Sigismundi Ducis ab excommunicatione Pii II. Papæ ad Concilium generale & liberum, cum scholiis in Pii II. Breve de excommunicatione Sigismundi, & sui: seu Sigismundi Ducis processus contra Papam. Tom. 2. p. 1576.

Appellatio ad Concilium generale à Bulla Pii II. Papæ contra se emissa. ibid. p. 1592.

Apologia contra detrectationes & blasphemias Theodori Lalii Feltrensis Episcopi. ibidem pagin. 1604.

Invectiva in Nicolaum Cusanum Cardinalem Papalis plenitudinis defensorem. ibid. p. 1626.

Prodierunt seorsim Opuscula ista Francofurti 1608. 4°. tria priora in Antilogia Papæ *Basil.* 1555. 8°. & in Appendice ad Fasciculum Rerum Expetend. *Londini* 1688. f. p. 114.

THEODORUS LÆLIUS, natione Italus, Referendarius Apostolicus, & Episcopus Feltrensis, seu Tarvisinus. Claruit anno 1460. Ad Cardinalitiam dignitatem à Paulo II. designatus, Romæ obiit anno 1464. antequam purpuram acciperet; in Ecclesia S. Mariæ Novæ sepultus. Scripsit *Replicam*, seu *Confutationem Appellationis Gregorii Heimburg à Pii II. Bulla contra se emissa ad Concilium generale*, 1460. H. W.

convicüs

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. conviciis & dicteriis refertissimam. Extat illa apud Goldastum Monarch. Tom. 2. p. 1595. & inter Heimburgii Opuscula *Francofurt.* 1608. 4°. *Orationes* ejusdem *duas pro Pio* II. alteram ad Venetiarum Ducem, alteram ad Francorum Regem, MSS. in Bibliotheca Card. Sirleti olim asservatas memorat Ludovicus Jacob. à S. Carolo Biblioth. Pontif. par. 2. p. 443.

1460. H. W. HENRICUS GORCOMIUS, sive *Gorichemius*, natione Belga, patriâ Hollandus, de vico natali cognomen traxit, Theologus & Philosophus insignis, Academiæ Coloniensis Vice-Cancellarius, claruit anno 1460. Extat *Tractatus de superstitiosis quibusdam Casibus seu Cæremoniis Ecclesiasticis*, Coloniæ 1503. 4°. *Lugduni* 1621. 8°. *Opus de celebritate Festorum*, ibid. *Conclusiones & Concordantiæ Bibliorum ac Canonum in libros Magistri Sententiarum*, additis Summarii erroribus Magistri Parisiis & in Anglia damnatis. *Colon.* 1502. *Basil.* 1513. *Venet.* 1506. *Commentarius in libros Aristotelis de Cœlo & Mundo*, typis Quentelii anno 1501. *Quæstiones Metaphysicæ de Ente & Essentia*, ibid. 1502. Plurima ejusdem Opuscula inedita recensent Valerius Andreas Biblioth. Belgic. p. 353. & Fr. Sweertius Athen. Belgic. p. 328. Denique Petri Lombardi, & Aquinatis Sententias, additis titulis & conclusionibus, Gorcomius edi curavit *Basil.* 1492. f. *Argentinæ* 1489.

1460. H. W. GEORGIUS, aliis GREGORIUS, HERMONYMUS sive *Charytonimus*, Spartiata Monachus, post expugnatam Constantinopolim in Galliam se recepit; & in Academia Parisiensi Græcas literas publicè docuit annuo stipendio eo nomine donatus, claruit anno 1460. præcipuè verò sub Sixto IV. Pontifice, cui admodum familiaris erat, ab eo in Angliam anno 1476. legatus, ut Archiepiscopum Eboracensem ab Edwardo Rege carceri inclusum intercessione suâ liberaret. Extat Gennadii Scholarii libellus *de vita salutis hominum*, ab eo Latinè versus in Hæresiolog. *Basil.* 1556. f. p. 797. *Mahumetis vita* ab illo Lat. reddita unà cum aliis *Basil.* 1541. 8°. *Demonstratio*, *Christum esse Filium Dei, & Deum*, Gr. Lat. cum Cyrilli, Damasceni, & Psellii opusculis *August. Vind.* 1608. 8°. *Monodia in obitum Georgii Gemisti* in Bibliotheca Augustana MS. asservatur. Vide Indicem Codicum MSS. Bibliothecæ istius p. 90.

1460. H. W. GEORGIUS CODINUS, natione Græcus, *Curopalates* dictus; id verò an officii sui, an familiæ nomen, prorsus incertum est. Nec incerta minùs illius ætas; Miræus illum ad annum 1081. refert, crasso sanè errore; cùm Codinus* Andronici Palæologi junioris, & Joannis Cantacuzeni Impp. disertè meminerit. Propiùs veritatem attigit Gretserus, qui Codinum Cantacuzeno Imp. supparem facit. Iste tamen integro saltem sæculo aberravit. Post expugnatam enim à Turcis Constantinopolim scripsit Codinus; quippe qui Urbem sub Constantino Palæologo Imp. ab impiis Agarenis anno Mundi 6961. [viz. Christi 1453.] captam esse, atque Imperatorem gloriosâ morte occubuisse narrat†. Anno igitur 1453. superior non fuit; neque, ut videtur, inferior multò; adeóque circa annum 1460. jure deponi possit.

* De Offic. CP. cap. 2.

† Lib. de Impp. CPP.

SCRIPTA.

De Curia & Ecclesia Constantinopolitana Officiis & Officialibus liber. Prodiit Gr. Lat. cum versione & notis Fr. Junii [qui sub Hebraicis Nadabi Agmonii vocabulis nomen occultare voluit] *Francofurt.* 1588. 8°. dein auctior ab eodem editus *Heidelberg.* 1596 8°. Gr. Lat. interprete Gretsero, cum tribus observationum & emendationum libris *Paris.* 1625. f. denique cum iisdem Jac. Goari notis amplissimis *Paris.* 1648. f.

De Originibus Constantinopolitanis liber, ex antiquo quodam Chronico excerptus, Gr Lat. primus evulgavit Georgius Douza *Heidelberg.* 1596. 8°. cum Joannis Meursii notis recusum *Genevæ* 1607. 8°. Versione emendatâ & notis doctissimis superadditis Cl. Lambecius denuò edi curavit *Paris.* 1655.

De formâ Urbis Constantinopolitanæ libellus. Prodiit Gr. Lat. unà cum præcedente Opusculo, & eruditissimis Lambecii animadversionibus, *Paris.* 1655. f.

Liber de signis, statuis, & aliis spectatu dignis Constantinopolis. Prodiit Gr. Lat. mutilus cum versione Douzæ & Meursii notis, *Genevæ* 1607. 8°. integer cum Lambecii versione & animadversionibus *Paris.* 1655. f.

Liber de ædificiis Constantinopolitanis. Habetur Gr. Lat. ex Lambecii versione, ejusdemque notis illustratus, inter priora Opuscula *Paris.* 1655. f.

Liber de structura Templi S. Sophiæ CP. Gr. Lat. cum Meursii notis *Genevæ* 1607. 8°. cum Lambecii animadversionibus *Paris.* 1655. f.

Liber de Imperatoribus Constantinopolitanis, seu de annis ab Orbe condito usque ad Imperium Constantini M. & de iis qui in ipsâ regnarant, usque dum ab Agarenis capta est. Prodiit Gr. Lat. cum versione & notis Cl. Lambecii *Paris.* 1655. f. Gregorii Papæ, *Dialogi* dicti, Missam in linguam græcam convertit, quam Græcè edidit Morellus *Paris.* 1595. Gr. Lat. Fr. Duceus in *Auctar.* Tom. II. pag. 125. Auctiorem multò, & perfectiorem haberi in Bibliotheca Barberina Cod. 75. Emmanueli tamen Chrysoloræ tributam, monet, Leo Allatius Diatr. *de Georgiis & eorum scriptis* p. 362.

JOANNES AQUILANUS, natione Italus, patriâ Neapolitanus, Aquilâ urbe, unde nomen obtinuit, oriundus, Ordinis Dominicani Monachus, Theologus & Concionator insignis, claruit anno MCCCCLX. Extant *Sermones Quadragesimales*, quos *Vitiorum limam* inscripsit, editi *Venetiis* 1497, 1576. 8*vo*. Per id tempus fuit, & PETRUS cognomine AQUILANUS, Fr. Ordinis Minorum, Joannis Duns-Scoti Sectator & Discipulus; unde & *Scotellus* vulgò audit, *Doctor sufficiens* etiam dictus: hujus extant *Quæstiones in IV. libros sententiarum*, *Spiræ* primùm editæ 1480. posteà Constantii Sarnani Card. curâ recusæ, *Venet.* 1584. 1600. 4*to*. & *Scotellus*, ubi non tantùm ad Scoti subtilitates, sed etiam ad D. Thomæ reliquorumque Scholasticorum doctrinam sternitur via, *Paris.* 1585. 1460. R. G.

JACOBUS GRUYTRODIUS, *Carthusianus* vulgò dictus, istius Ordinis in Cœnobio SS. Apostolorum juxta Leodium Prior, claruit anno MCCCCLX. quâ de causâ eum ad annum MCCCCLXXXIII. depulerit H. Whartonus non video, cùm eum ex hac vitâ anno MCCCCLXXII. migrasse, Friderico III. Imperium, Sixto IV. Ecclesiam moderante, disertè narrant Joan. Trithemius†, & Fr. Sweertius*: Varia condidit Opuscula, quibus veram pietatem & vitæ sanctimoniam colere studuit & propagare: è quibus nonnulla sub Artis Typographicæ primordiis prelo egressa nobis sunt minimè prætereunda, tametsi nec locum, nec annum impressionis indicare possumus. *Quodlibetum statuum humanorum*, ut de Papa & ejus *Curia de statu secularium*, *Regum ac Nobilium*, *Judicum*, *Divitum*, *Mercatorum*; *de arte curandi Vitia*: *de erroribus Modernorum Christianorum*: *de abusionibus Clericorum*. Prodierunt & hæc opuscula, *Divini amoris Pharetra*: *Jesu* 1460. R. G.

† De Script. Eccl. p. 150.

* Athen. p. 365.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. *Jesu Christi ad animam fidelem Alloquia: Jesu Christi & peccatoris Colloquium*; Colon. 1577. 12°. De hoc Auctore, & scriptis ejus consulatur Fl. Illyricus *Catal. Test. Verit.* col. 1905, 1906.

1460. R. G. AUGUSTINUS DATHUS, natione Italus, patriâ Senensis, Philosophus & Orator insignis, claruit Æneæ Sylvio suppar anno MCCCCLX. Anno MCCCCXX. natus, & à prima pueritia bonis literis innutritus, tantos sub Fr. Philelpho præceptore suo progressus fecit, ut adolescens admodum doctissimis istius seculi viris accenseri meruit; vigesimo secundo ætatis anno Urbinum accersitus, Fredericum de Monteferrato erudiendum suscepit, postea in Sicilia publicè docuit, inde à Nicolao Papa V. Romam accitus ut ei ab Epistolis esset, istius officii munus detrectavit, ac in patriam urbem reversus Gymnasium illic aperuit, ubi ad summos honores aditum sibi patefecit; annum verò agens quinquagesimum nonum, pestilentiâ correptus ad plures abiit VIII. Idus *April.* anno MCCCCLXXIX. Varias Lucubrationes edidit, quæ in unum volumen collectæ hoc ordine disponuntur. *De immortalitate Animorum*, tractatus decem, opus imperfectum, *Orationum* libri septem ex quibus quæ nostri sunt instituti recensebimus. In primo *Præfatio in D. Hieronymi* libros contra *Jovinianum* hæreticum. *Invocatio* Dei in principio alicujus libri; præcipuè lascivi: *De laudibus legalis Sapientiæ: de sui ipsius cognitione: de laudibus Christianorum Theologiæ: de laudibus Virtutis: de hominis dignitate & præstantia: de recto hominis fine: ad Discipulos, quod Animus sit colendus ut ager: de Amicitia: de Pace: de humana fœlicitate: de medio vitæ statu* quo summa consistit tranquillitas: *de contemptu rerum humanarum*. In secundo, *de laudibus D. Hieronymi: de Passione Domini: de laudibus D. Bernardini Senensis*, quæ Bernardini operibus præfixa prodiit *Paris.* 1636. *fol. De laudibus Catharinæ Senensis: Callisti Martyris: Andreæ Apostoli: SS. Eucharistiæ: Orationes in celebritate Epiphaniorum, quando dies Festi totius anni convocato in Templum Christiano populo indicantur, de laudibus B. Mariæ Virginis: de assumptione B. Virginis: de Salvatoris adventu Oratiunculæ ad Deum* in honorem Bernardini Senensis: *Oratio quâ optimum esse asserit, ut totius vel verbi, vel operis, & à Deo nobis origo sumatur, & in Deum consummatio referatur: Invocatio ad* Deum, in principio alicujus operis peragendi: *Laudes divorum Augustini, Nicolai, Margaritæ, Theodoræ*: in tertio, *de præclara Reip. institutione: de laudibus Justitiæ: Canonicus* in Collegium Patrum ascitus: *gratias agit: de laudibus Pii Senensis summi Pontificis*. Reliquæ Orationes humaniores sunt; quæ septimo libro continentur linguâ Tuscâ scriptæ. *Epistolarum* libri tres. Historia *Senensis*, in tres libros distincta: *Historia Plumbinensis; Stromatum* opus in duos tractatus divisum; In hoc opere variæ res Philosophicæ & Criticæ dilucidè explicantur. Sermo de *Voluptate: de Vitâ beatâ: de septem Virtutibus*, Fide, Spe, Charitate, Prudentiâ, Temperantiâ, Justitiâ, Fortitudine: *de Sacramentis Panis & Aquæ: de Sacrorum connubiis*. Opera omnia Augustini Dathi collegit Nicolaus filius, & eorum editionem molitus est, *Præfationem* ad libros de *immortalitate animarum* præfixit, & *Epistolam Nuncupatoriam* ad Pium Papam III. verùm morte præventus, quod conceperat non perfecit: eo mortuo ad Hieronymum Nicolai Nepotem cura ista devoluta est; cujus operâ in lucem prodierunt, Joanni Picolominæo Pii Papæ III. Nepoti nuncupata, *Senæ* 1503. recusa *Venet.* 1516. *fol.*

1461. R. G. GEORGIUS AMYRUTZA, natione Græcus, patriâ Trapezuntinus, Logotheta & Protovestiarius, ob eximiam rerum scientiam *Philosophus* dictus, claruit an. MCCCCLXI. Hic captâ à Turcis Trapezunte urbe, ob corporis venustatem & jaculandi peritiam, præcipuè autem propter affinitatem cum Bassa quodam cujus erat consobrinus, à Machomete perquàm humaniter tractatus est, Constantinopolim ductus inter Primores regni locum habuit: hisce illecebris devictus, repudiata fide Christiana Muhammedanismi errores amplexus est, tandem autem morte repentina, dum aleâ ludebat, perfidiæ pœnas luit. Scripsit adhuc Christianus *ad Demetrium Nauplii Ducem de iis quæ contigerunt in Synodo Florentinâ*, contra Unionem. Princ. Μαθηλῶντί σοι, ὦ πολυτίμητε Δοὺξ Δημήτριε τὰ ἐν Φλωρεντίᾳ Συνόδῳ πλος. Hujus operis meminit L. Allatius *de Consens.* col. 1379. Varia etiam fragmenta exinde profert, *ibid.* lib. 3. cap. 1. §. 4. & c. 2. §. 2. & inter addenda, *ibid.* col. 1373, 1375. Extat ejus *Dialogus de Fide in Christum* cum Rege Turcarum, Græcè MS. in *Bibl. Regis Gallorum*, teste Labbeo *Bibl. MSS. Catal.* pag. 334. & *Epistola* ad Bessarionem Cardinalem.

1463. R. G. JOANNES ANTONIUS CAMPANUS, natione Italus, Cavellis pago perobscuro apud Campanos, (unde nomen habuit) obscuris etiam natalibus ortus, claruit anno MCCCCLXIII. Hunc mater agrestis labore fessa sub lauro enixa peperit; puerum, ad custodiendas oves à patre destinatum, Sacerdos quidam in famulitium suum suscepit, literis latinis instituit, cúmque animum ei discendi avidum, ingenium ad omnia promptum & expeditum animadvertisset, eum ut studiis acriùs incumberet, Neapolim perduxit: Illic Laur. Vallam publicè profitentem audivit: inde Perusium profectus, scholæ publicæ præfecturam suscepit; civitate etiam donatus & amplissimo stipendio auctus: inter eum & Æneam Sylvium magna intercessit familiaritas: Hujus favore Episcopus Crotoniensis primò, deinde Aprutinensis sive Teramensis salutatur: à Paulo P. II. ad bellum contra Turcas excitandum legatus in Germaniam ad Colloquium Ratisponense anno MCCCCLXXI. missus, Archipresbyteratum in Ecclesia D. Eustachii Legationis præmium obtinuit: à Sixto P. IV. variis etiam dignitatibus auctus, verùm gratiâ ejus excidens Romáque discedere coactus, Neapolim primò, deinde Teramum, ac tandem Senas secessit, ubi quinquagenarius (à Vossio * mendosè quadragenarius) fatis cessit, Idib. Quintil. anno MCCCCLXXVII. *Vir multa laude dignus, ignobili licet genere procreatus, neque enim in soluta oratione suorum temporum cuiquam cessit, nec verò carmine minus præstitit*, ita de eo Lil. Gyraldus †. Scripta plurima post reliquit. Quæ ad res Ecclesiasticas pertinent, hæc sunt; *Oratio Cineritia*; & *De gerendo Magistratu tractatus*, in III. libros divisus; utrumque opus à Joann. Costerio editum, *Lovan.* 1548. 8°; & in *Bibliotheca Patrum* Tom. XXVI. *Orationes* sive *Consilia duo* de movendo bello contra Turcas, inter alia ejusdem Argumenti prodierunt, *Isleb.* 1603. 4to. *Vita Pii Papæ II.* inter alias virorum doctorum Vitas *Francof.* 1536. à Fichardo edita, & deinde Æneæ Sylvii operibus præfixa *Basileæ*. *Andreæ Brachii Perusini historia*, VI. libris comprehensa *Basil.* 1545. 8°. eam Bononiæ in Cœnobio S. Salvatoris MS. vidit Cl. Mabillon. *. *Epistolarum* libri novem, *Franc.* 1602. Ex quibus nonnullæ inter Jacobi Picolominæi Epistolas prodierunt, *Mediolan.* 1521. *fol.* nonnullas edidit Melchior Goldastus *Politica Imp.* *Francof.* 1614. *Epistolæ familiares*, *Lovan.* 1513. 4to. *Orationes in funere Callisti Papæ III. In funere Card. Saxoferratensis: In Exequiis Pii Papæ II. De Spiritu S. de Circumcisione: de laudibus S. Stephani: de laudibus S. Thomæ Aquinatis*. Lucubrationes omnes suprà recensitas, unà cum reliquis operibus *Philologicis, Politicis, Poëticis*, quæ ex instituti nostri ratione silentio præterimus, Jacobi Antiquarii

* De Hist. Lit. lib. III. c. 7. p. 583.

† De Poët. temp. Dial. I. p. 386.

* Iter. Ital. p. 196.

hor-

tatu

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. tatu edidit Michael Fernus Civis Mediolanensis, præmissâ Antonii *Vitâ* à se scriptâ, *Romæ*, 1495. *fol.*

1463. R. G. ÆGIDIUS de ROYA, natione Gallus S. Theologiæ in Academia Parif. Profess. Cœnobii Montis Regalis Abbas, claruit an. MCCCCLXIII. Obiit an. MCCCCLXXVIII. Sub hujus nomine circumferuntur *Annales Belgici* ab anno DCCXCII. ad ann. MCCCCLXXX. producti: ab Andr. Schotto primùm ex *Codd. MSS.* eruti, curâ autem Fr. Sweertii in lucem prolati, *Francof.* 1620. *fol.* Verum istud opus non unici Auctoris fœtus est. Prima pars ab an. DCCXCII. ad ann. MCCCCXIV. *Joannem Brandonem*, Cœnobii Dunensis Ord. Cisterc. Monachum Auctorem vindicat, qui opus historicum *Chronodromon* dictum triplici volumine concinnavit, & anno MCCCCXXVIII. obiit: id ab ann. MCCCCXIV. ad annum MCCCCXXXI. continuavit *Barthol. de Beka*. Utriusque opus in *Compendium* redegit, *Supplementum* XXXII. annorum adjecit, ac ad annum MCCCCLXIII. produxit Ægidius noster; ac Imberto Abbati opus integrum *Chronicon Dunense* dictum nuncupavit; cui *Præfationem* præmisit, & VI. ann. *Appendicem* subjunxit *Adrianus Butius*, ejusdem Cœnobii Monachus: qui an. MCCCCLXXXVIII. obiit. Vide Sandii *not. & animad. in Voss. de H. L.*

1463. R. G. HENRICUS WOLTHERUS, natione ut videtur Saxo-Germanus, Ecclesiæ Cathedralis S. Anscharii Bremensis Canonicus, claruit anno MCCCCLXIII. Scriptis consignavit *Chronicon Archiepiscopatûs Bremensis*, in quo successionem & res gestas Episcoporum & Archiepiscoporum Bremens. & Hamburgens. à S. Willehado primo istius Ecclesiæ à Carolo M. nuper fundatæ Episcopo, usque ad Henricum de Suarzborg, qui Girardo de Hoyâ, anno MCCCCLXIII. mortuo successit, summatim exposuit. Dictum *Chronicon.* ex ipso αὐτογράφῳ in Archivis Illustr. Comitis Oldenburgici hodienum asservato H. Meibomii avi labore descriptum, imprimendum curavit H. Meibomius nepos, inter *Rer. Germ. Script.* Tom II. *Helmstad.* 1688. *fol.*

1464. H. W. PAULUS II. *Petrus Barbus* antea dictus, patriâ Venetus, Nicolai & Polyxenæ filius, Eugenii IV. ex sorore nepos. Mercaturæ exercendæ innutritus, postquàm avunculus thronum Pontificalem adeptus est, literarum studio se dedit, præceptore usus Jacobo Ricionio: & mox ab Eugenio in aulam accitus, Archidiaconus Bononiæ, Episcopus Cerviæ, Protonotarius Apostolicus, & Cardinalis titulo S. Marci, ordine creatus est. Anno 1464. Pontifex Romanus electus est die XXXI. Augusti, coronatus die IX. Septembr. Pontificatu suscepto nil antiquius habuit, quàm Pii decessoris acta abrogare, & amicos injuriis afficere authoritatemque Pontificiam armis & insidiis augere. Anno 1466. Georgium Pogebrachium, Bohemiæ Regem, Hussitis addictum, lata in Consistorio sententia hæreseos damnavit, anathemate percussit, regno exuendum decrevit; idque Frederico Imp. ac illo munus oblatum renuente, Matthiæ Hungariæ Regi authoritate Apostolica donavit: quin & Legato in Bohemiam Laurentio Roverella, Episcopo Ferrariensi, Georgii subditos ad rebellionem movendam incitavit. Primus omnium galeri coccinei usum Cardinalibus proprium fecit. Obiit apoplexiâ correptus anno 1471. die XXVI. Julii ætatis suæ 53. Extant *Epistolæ* 2. Concil. Tom. XIII. p. 1434. *aliæ* plures in Collectione *Romæ* 1579. edita, & in Cherubini Bullario magno *ibid.* 1638.

1465. R. G. JOANNES DLUGOSSUS, à quibusdam *Duglossus*, vulgò *Longinus* dictus, gente Polonus, ex Canonico Cracoviensi Archiepiscopus Leopoliensis, claruit an. MCCCCLXV. *Vir nobilis*, inquit Herburtus †, *de gente Vienaviâ, virtute & constantiâ summâ, eruditione & facundiâ (ut illis temporibus) non vulgari, & industriâ ac dexteritate in rebus gerendis singulari præditus: fidem* etiam ejus & *diligentiam* in historiâ perscribendâ alibi * deprædicat, *verborum cultum & sententiarum gravitatem* in eo desiderat. Extat hujus labore conscripta, *Historia Polonica in tres partes digesta*, edita *Dobromili*, 1615. *fol.* Catalogum omnium Episcoporum per omnes universi Poloniæ regni Cathedras ab ipsâ cujusvis fundatione ad sua usque tempora contexuit. Operis hujus exemplar MS. autographum à Mart. Cromero acceptum habuit Thomas Treterus Canonicus Wormatiensis, ex quo *Vitas Episcoporum Posnaniensium* à Jordano primo Antistite ad Urielem de Gorkâ Præsulem quadragesimum quintum, i. e. ab anno MCCCCLXVI. ad annum MCCCCLXXIX. cum *Appendice* suâ edidit Treterus, *Brunsberg.* 1604. 4to. *Vita S. Stanislai Episcopi Cracoviensis*, à Surio in compendium redacta, & mutato stylo edita Tom. III. integrior à Bollandianis, mense *Maii*, nostrum Joannem Auctorem vendicat.

† Hist. Polon. lib. XVII. c. 10. p. m. 332.

* Præfat. ad Hist. Pol.

1465. R. G. DOMINICUS de DOMINICIS, natione Italus, patriâ Venetus, Episcopus primò Torcellanus; dein Brixiensis, & Referendarius Apostolicus, claruit anno MCCCCLXV. Prudentiâ suâ, ac in rebus agendis peritiâ Trium Pontificum Pii II. Pauli II. & Sixti IV. gratiam demeruit, variasque eorum nomine legationes obiit, decessit Brixiæ anno MCCCCLXXVIII. Extat ejus *Tractatus de sanguine Christi, & de filiatione Joannis Evangelistæ ad B. Virginem.* Venet. 1557. 8vo. *De Cardinalium legitimâ creatione* ad Calixtum P. III. Opus istud ex MS. primum edidisse M. Antonium de Dominis testatur Jo. Conrad. Dietericus, quo autem loco vel tempore non indicat, nec ulla uspiam ejus vestigia indagare potui. *De Reformatione Curiæ Romanæ* ad Pium P. II. Hujus operis pars esse videtur Tractatus ineditus cujus meminit Labbæus hoc titulo, *Summa secundùm quam Archiepiscoporum & Episcoporum Notarii debeant officium exercere*, Bibl. MS. p. 53.

1465. R. G. JACOBUS ZENUS, natione Italus, patriâ Venetus, Patriciæ dignitatis vir, Episcopus tandem Patavinus, claruit anno MCCCCLXV. Vir utriusque Palladis artibus instructus, & tam militiâ quàm literis illustris; obiit anno MCCCCLXXVI. Literis consignavit *Vitam Nicolai Albergati Episcopi Bononiensis*, quam cum duplici ejusdem Præsulis vitâ, illam à Poggio Florentino, istam à Carolo Sigonio adornatam prelo subjecit Geo. Carnefelt. *Colon.* 1618. 4to. Scripsit etiam *de gestis summorum Pontificum*, opus elegantissimum, judice Trithemio. *Orationes* quasdam *de humanâ miseriâ*, *de Christi Corpore*, memorat Simlerus, quæ lucem nondum quod sciam aspexerunt.

1466. H. W. RODERICUS SANCIUS DE AREVALO, natione Hispanus, illustri loco natus, postquàm Juris studio in Academia Salmanticensi per decennium insudasset, utriusque Juris & Artium Professor creatus est. Dein Henrici IV. Castellæ Regis Sacellanus, Auditor, & Consiliarius, Referendarius Apostolicus, Episcopus primùm Ovetensis, dein Palentinus, demum Calagurritanus, claruit anno 1466. Castro S. Angeli in Urbe Roma à Paulo II. Pontifice præfectus. Scripsit, jubente Henrico Rege, *Historiam Hispanicam libris* IV. à prima gentis origine usque ad annum 1469. De eo simul ac Lucâ Tudensi & Roderico Ximenio, tale fert judicium Alfonsus Garsias Matamorus *, *Cùm non ad voluptatem aurium*

Vid. Prolog. ad Speculum Hum. Vitæ.

* Lib. de Acad. & doct. Viris Hispan.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. aurium, sed ad memoriam, & judicium Posteritatis scripserint, cùm à deliciis longissimè, tum ab ineptiis & mendacio procul absuerunt. Prodiit Historia ista in Italia seorsim excusa, dein Francofurt. 1603. Hispaniæ Illustratæ Tom. I. pagin. 121. Extant ejusdem *Tractatus* iii. *de Appellatione à Sententia Papæ, de Synodis Generalibus, de remediis afflictæ Ecclesiæ militantis adversus Turcas.* MSS. Patavii in Bibliotheca S. Joannis in Viridario, indicante Tomasino lib. de Biblioth. Patavinis pag. 12. Num editi sint, me latet. Ejusdem etiam *Epistolam lugubrem simul & consolatoriam de expurgatione insulæ Nigropontis per Turcas*, memorat Simlerus Biblioth. Tigurin. pagin. 609. Cæterum *Romæ* 1468. f. *Paris.* 1475. f. & *Bisuntii* 1488. 8°. typis excusum prodiit Roderici nostri *Speculum Humanæ Vitæ*, in duos libros divisum. Primus agit de omni statu vitæ temporalis; secundus de statu & vita spirituali, Ecclesiastica & regulari. Opus Paulo II. Pontifici inscribitur, omnibusque omnium vitæ ordinum ac conditionum commodis & incommodis sigillatim enarrandis insumitur.

1467. H. W. ALEXANDER DE IMOLA, TARTAGNUS cognomento dictus, gente Italus, Imolæ seu Forocornelii natus, Juris utriusque consultus celeberrimus, Joannis de Imola & Joannis Ananiensis discipulus; Papiæ, Ferrariæ, & Bononiæ per triginta ferè annos Juris scientiam publicè professus est. Claruit anno 1467. tantâ eruditionis famâ eximius, ut quicunque illum docentem non audiverat, vix inter doctos Italiæ Jurisconsultos illo ævo numerari posset. Obiit anno 1487. ætatis suæ 54. Professionis 30. Bononiæ apud S. Dominicum sepultus. Extant *Commentaria in sextam Decretalium, & Clementinas*: & *Consiliorum libri* VII. Venet. 1571. 1597. f. *Commentaria in Digestum vetus, Codicem, Digestum novum, & Infortiatum*, Lugduni 1558. *Additiones ad Baldum Ubaldum in Codicem, Digestum, & Infortiatum*, Lugduni 1545.

1468. H. W. HENRICUS HARPHIUS, natione Belga, ex vico De Herp, seu De Erp, Campiniæ Brabanticæ, Ordinis Minoritarum Regularis Observantiæ Theologus & Provincialis, ac demum Conventûs Mechliniensis Guardianus. Claruit anno 1468. Obiit Mechliniæ anno 1478. in medio chori apud Franciscanos suos sepultus; *Mysticæ Theologiæ Magister doctus, methodicus, singularis*, ut Card. Bonæ * verbis utar.

* Notitiâ Auctor. l i. de Divin. Psalmod. præmissa.

OPERA.

De Theologiâ mysticâ, tum speculativâ, tum affectivâ libri 3. quorum primus vocatur *Epithalamium*, secundus *Directorium aureum Contemplativorum*, tertius *Eden sive Paradisus Contemplativorum.* Prodierunt *Colon.* 1538. 1555. erroribus & fæcibus sedis Apostolicæ jussu repurgati curâ Petri Pauli Philippi, Ord. Prædicat. *Romæ* 1585. *Brixiæ* 1601. & *Colon.* 1611. 4°. In Indice enim Romano cavetur, ne deinceps imprimantur, nisi secundùm exemplar Romanum anni 1585. adulterati. Pars secunda Germanicè ab Harphio conscripta fuerat. Eam itaque Latinè vertit & introductione præmissâ illustravit Petrus Blomovenna Carthusianus Leydensis.

Speculum aureum in x. *Præcepta Decalogi.* Norimbergæ 1481. *Basil.* 1496. Argentinæ 1520. 4°.

Speculum perfectionis. Venet. 1524.

Collationes III. de perfectione vitæ, sive *Compendium Directorii. Colon.* 1536.

Sermones de Tempore & Sanctis. Hagenoæ 1509. f.

Liber de tribus Pœnitentiæ partibus, ibid.

Tractatus de triplici adventu Christi. Cæterùm Harphius Opera sua Belgico ferè sermone elucubravit, ab aliis postea in Latinum translata.

Append.

LAONICUS CHALCOCONDYLAS, seu *Chalcondylas* (sunt qui inverso nomine pro Laonico Nicolaum vocant) natione Græcus, patriâ Atheniensis, illustri genere oriundus. Claruit anno circiter 1468. Vitam produxisse dicitur ad annum usq; 1490. Scripsit *Historiam de origine & rebus gestis Turcarum libris* x. ab Ottomanno Orthogulis filio usque ad adultum Mahometis II. regnum, seu ab anno Christi 1300. ad 1463. Prodiit Latinè ex versione Conradi Clauseri *Paris.* 1550. *Basil.* 1556. 1562. Gr. Lat. *Genevæ* 1615. f. *Paris.* 1650. f. SÆC. XV. ab An. MCCCC. 1468. H. W.

JACOBUS PEREZIUS, gente Hispanus, patriâ Valentinus, domo Aiorensis, ex Ordinis Augustiniani Eremitâ Episcopus Christopolitanus seu Chrysopolitanus anno 1468. Calendis Octobris creatus, & Suffraganeus Roderici Borgiæ, Cardinalis Valentini, Episcopi Portuensis & Carthaginensis. Obiit anno 1491. in Ecclesiâ S. Augustini sepultus. 1468. H. W.

SCRIPTA.

Commentaria in omnes Psalmos Davidis Allegorica & Anagogica.

Expositio in Cantica Officialia, viz Benedictus, Magnificat, Nunc dimittis, Gloria in excelsis, Te Deum, & Quicunque vult: ad Rodericum Borgiam Cardinalem.

Tractatus contra Judæos de Christo reparatore generis humani. Prodierunt Opera ista *Paris.* apud Ascensium. *Lugduni* 1512. *Venet.* 1568. 4°.

Expositio in Cantica Canticorum.

Quæstionis finalis discussio, Utrùm solus Christus sit metrum & mensura, & largitor omnium bonorum, & reparator humanæ naturæ. Prodiit unà cum Expositione præcedenti, *Paris.* apud Ascensium 1498. *Lugduni* 1513.

ALBERTUS CRUMMEDICKIUS, natione Germanus, patriâ Holsatus, militari genere ortus, ex Canonico Episcopus Lubecensis, claruit anno MCCCCLXVIII. Hujus operâ multum usus est Christianus Danorum R. & multiplices ei legationes mandavit, quibus honorificè obeundis omnes Ecclesiæ proventus impendit suaque abliguriit bona: Septuagesimum ætatis annum supergressus obiit an. MCCCCLXXXIX. Dum Antecessorum memoriam ab interitu vindicat, suam æternitati consecrat scripto *Episcoporum Lubecensium Chronico*, à primâ fundatione ad annum MCCCCLXV. quo Arnoldus decessor suus mortem oppetiit. Dictum Opus cum Anonymi continuatione ad annum MDV. è MSS. eruit H. Meibomius junior, & inter *Rer. Germ. Scriptores*, Tom. II. edidit *Helmstad.* 1688. *fol.* 1468. R. G.

JOANNES BEETZIUS, natione Germanus, Ord. Fr. Carmelitarum in Cœnobio Thenensi Monachus, S. Theologiæ apud Lovanienses Professor claruit an. MCCCCLXVIII. obiit XVI. Cal. *August.* anno MCCCCLXXVI. Scripsit *Præceptorium divinæ legis* sive *Expositionem Decalogi*, Opus prolixum in libr. X. partitum, editum *Lovanii* 1486. *fol. Scholasticam Epistolæ B. Pauli ad Romanos Expositionem*; hujus meminit Sixtus Senensis †. Plura videsis apud Trithemium. 1468. R. G.

† Bibl. Sanct. lib. IV.

PETRUS NATALIS, seu *de Natalibus*, patriâ Venetus ex Parocho SS. Apostolorum in Diœcesi Castellanensi Episcopus Equilinus Gradensis Provinciæ. Claruit anno 1470. Superfuit an. 1482. quo Catalogo suo ultimam manum adhibuit. Scripsit *Historiam*, sive *Catalogum Martyrum & Sanctorum*, quo Vitas, Miracula & Passiones eorundem enarrat, brevitatis quidem ac veritatis Jacobo de Voragine studiosior, 1470. H. W.

L

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. studiosior, haud majori tamen judicio usus. Præterquàm enim quòd à communi Martyrologorum vitio, effræni fabulandi libidine, immunis non sit; Priscillianum Hæresiarcham, ejusque sectatorem Latrocinianum Martyribus annumeravit: ut alios mittam. Prodiit iste Catalogus *Argentinæ* 1502. *Lugduni* 1542. Ejusdem *Catalogus Venetorum Senatorum & gestorum eorum* prodiit *Vincentiæ* 1493.

1470. H. W. GABRIEL BARLETTA, gente Italus, patriâ Apulus, ex oppido Barulo natales & nomen traxit, Ordinis Dominicani Theologus insignis. Claruit anno 1470. Scripsit adhuc post annum 1480. Hydrunti enim à Turcis capti meminit. Extant *Sermonum Tomi* 2. quorum prior Sermones Quadragesimales, alter Sermones de tempore Adventûs, Ascensionis, Pentecostes, & de nonnullis Sanctis continet. ---- 1470. Venet. 1571, 1585. 8°. Notandum verò est, quod Leander Albertus à Miræo* citatus prodit: sc. Conciones istas ab homine quodam imperito, sibi in adolescentiâ noto, fabricatas fuisse, qui ut splendorem operi ineptissimo quæreret, falsò Gabrielis Barlettæ nomen prætexuit. Cæterùm alius à nostro, ætate tamen par, fuit Gabriel Bareletus, Ordinis quidem Dominicani Theologus & Concionator insignis, patriâ verò Aquinas, ab Ambrosio de Altamura † ad annum 1486. relatus. Hujus extant *Sermones per annum*, *Hagenoæ* 1518. (in quâ editione appellatur *Stephanus*) Venet. 1577. 8°.

* De Script. Sæculi XVI. cap. 23.

† Biblioth. Prædicat. p. 210.

1470. R. G. JOANNES HEROLDUS, à nonnullis *Herlotus*, à Possevino pessimâ coruptione *Berolis* dictus, natione Germanus, patriâ si rectè conjicio, Basileensis, Ord. Dominicani Monachus, Theologus & Concionator eximius, claruit anno MCCCCLXX. Vir singulari animi modestiâ *Discipuli* nomen induit. Sub nomine, suppresso suo & penè exoleto, varia feruntur scripta Theologica. *De eruditione Christi fidelium* tractatus, seu *Loci communes*, in quibus continetur Explicatio *Decalogi*, *Orationis Dominicæ*, *Angelicæ Salutationis*, *Symboli Apostolorum*, &c. prodiit *Argent* 1490. *fol. Hagen.* 1521. 4*to*. *Sermones de Tempore*, *de Sanctis*, *Quadragesimales*, *Promptuarium* seu *Speculum Exemplorum*, Norimberg. 1514. Colon. 1518. Venet. 1599. 4*to*. *Sermones* super Epistolas Dominicales ex Sermonibus Guil. Lugdunens. & ex dictis S. Thomæ, J. Nideri, & aliorum collecti 1488. *fol.* Opera omnia junctim edita *Moguntiæ* 1612. 3. Vol. 4*to*.

1470. R. G. JOANNES GOCHIUS cognomine PUPPERUS, natione Belga, Mechliniæ in Brabantiâ natus, Presbyter & Monialium in eadem urbe Confessor, claruit Wesselo Groningensi familiaris anno MCCCCLXX. Obiit ex fide Balæi an. MCCCCLXXV. quanquam eum ad annum MCCCCLXXX. referat Fr. Swertius. *Vir singulari eruditione, ac suo tempore nulli secundus, libertatis Christianæ propugnator acerrimus, interpres legis Evangelicæ diligentissimus*, ut de eo Corn. Scribonius Graphæus in *Præfatione ad Gochii Opusculum*. Scriptis suis Scholasticorum placita oppugnavit, Mendicantium mores acriter perstrinxit, unde rariùs in lucem emissa sunt Opera ejus, eaque manca & imperfectè edita, & omnia in Indd. Romanis prohibita. Prodierunt olim hæc Opera *alicubi in Germaniâ* impressa in 4*to*. viz. *Tractatus de Gratiâ*; *Tractatus de fide*; *de S. Scripturæ dignitate*; *Apologeticum ad Fratr. quendam Dominicum de Scholasticorum scriptis, votis, & obligationibus*; *Dialogus de quatuor erroribus circa Evangelistarum legem*. *Opus de libertate Christianâ*, edidit Corn. Græphæus, *Antverp.* 1521. 4*to*. Plura videsis apud Flac. Illyricum, *Catal. Test. Verit. col.* 1909. ut Simlerum & Sweertium taceam.

SÆC. XV. ab An. MCCCC. ERTWINUS ERDMANNUS, natione Germanus, patriâ Westphalus, Civitatis Osnabrugensis Consul, & apud Fridericum III. Imp. Orator, claruit anno MCCCCLXX. obiit extremâ ætate XXX. d. *Maii*, ann. MDV. Scripsit hortatu D. Conradi Comitis de Deipholt, & Episcopi Osnabrugensis sui nominis quarti *Chronicon sive Seriem Successionalem Episcoporum Osnabrugensium* à primâ Ecclesiæ sub Carolo M. fundatione ad annum MCCCCLIII. quo dictus Conradus ad Præsulatum evectus est. Opus istud ex Avi sui scriniis depromptum publici juris fecit H. Meibomius junior, *Germ. Rer. Script.* Tom. II. *Helmstad.* 1668. *fol.* 1470. R. G.

SIXTUS IV. *Franciscus à Ruvere* antea vocatus, natione Italus, patriâ Ligur, civitate Savonensis, ex nobilissimâ gente Ruvereâ oriundus, Leonardi & Lucinæ filius; natus est anno 1414. Novennis puer Franciscanis nomen dedit; & Cœnobium ingressus, Joannem Pinarolium Præceptorem in Grammaticis sortitus est. Adultior factus, Cherii Dialecticam, Bononiæ Philosophiam & Theologiam didicit. Patavii demum Magisterii gradu cohonestatus, in primariis Italiæ Academiis Theologiam & Philosophiam prælegit. Eruditionis & eloquentiæ famam non vulgarem adeptus, à familiâ Franciscanâ primùm Jacobo Sarguellæ Ministro Generali, senectute gravato, adjutor datus est; dein Liguriæ Provincialis, mox Ordinis sui in Romana curia Procurator, & totius Italiæ Vicarius Generalis, demum cedente Sarguellâ Minister Generalis in Capitulo Perusino constitutus. Anno 1467. Presbyter Cardinalis titulo S. Petri ad Vincula à Paulo II. renunciatus est. Post Pauli obitum anno 1471. Pontifex Romanus electus est die IX. coronatus die XXV. Augusti. Anno 1476. Festum Immaculatæ B. Virginis Conceptionis instituit: & post biennium confirmatâ Rosarii Sodalitate, 11000. annorum Indulgentiam omnibus B. Virginem breviculâ quâdam Salutatione compellantibus concessit. Vid. Breviarium *Venet.* 1522. excusum, & Hyppolytum Maraccium lib. de Pontif. Marianis, *Romæ* 1642. cap. 76. Anno 1478. Laurentium Medicem & Florentinos ob Franciscum Salvianum, Archiepiscopum Pisanum, scelestissimum perduellem, meritâ pœnâ mulctatum, excommunicavit & armis persecutus est. Paulò post Venetorum potentiam in Italia crescere ægrè ferens, totam Reipublicam sacris interdixit: & Helvetios, misso vexillo sacro, ad bellum iis inferendum concitavit, plenariam peccatorum remissionem omnibus sub vexillo isto militaturis pollicitus. Anno 1483. promulgatâ Bullâ Franciscanos & Dominicanos ob controversiam de B. Virginis conceptione motam hæreseos notam sibimet invicem inurentes, ab istiusmodi contumeliis in posterum abstinere sub anathematis pœna mandavit. Obiit anno 1484. die XII. Augusti. Vir quidem & ipse supra communem Pontificum sortem eruditus, quique Bibliothecam Vaticanam advectis ex Europa undequaque libris instituit, moribus tamen fœdissimis infamis, & libidinibus tam impuris mancipatus, ut eas prodere Scriptores pudeat. Certè primus omnium publicis lupanaribus Romæ aditum & licentiam fecit; & ex annuo scortorum vectigali Apostolicum ærarium ditavit. Extant *Decreta* III. Concil. Tom. XIII. pagina 1442. *aliæ Epistolæ & Decreta* XVI. apud Bzovium ad ann. 1472. &c. *Passagium pro Expeditione in Terram Sanctam*, apud Freher. Script. German. Tom. 2. pag. 161. *Epistola ad Carolum Burgundum*, apud Baluz. Miscellan. Tom. IV. pagin. 527. *Bulla & Constitutiones* quamplurimæ in Bullariis & Constitutionibus Romanis. Cæterùm scripsit Sixtus, dum inter Cardinales adhuc subsisteret, *Librum de Christi Sanguine*; *& de potentiâ Dei Commentaria contra errores cujusdam Carmelitæ Bononiensis*, *affirmantis* 1471. H. W.

Deum

SÆC. XV. ab An. MCCCC. *Deum suâ omnipotentiâ damnatum hominem salvare non posse*. Uterque Tractatus prodiit Romæ 1471. Ejusdem *Explicatio* in Nicolai Richardi Tractatum super declaratione Indulgentiarum pro animabus in Purgatorio concessarum, unà cum dicto Nicolai opere excusa est ------ 1487. *Tractatus de futuris Contingentibus*, & *de Conceptione Beatissimæ Virginis*, in Italicis Bibliothecis MSS. asservari memorant Lucas Waddingus de Scriptor. Ord. Minor. p. 317. & Lud. Jacob. à S. Carolo Biblioth. Pontif. p. 203.

1471. R, G. BERNARDUS JUSTINIANUS, natione Italus, patriâ Venetus, dignitate Patricius, instituto Monachus Ord. Carthus. claruit anno MCCCCLXXI. quo civitatis suæ nomine ad Sixtum P. IV. legatus missus est: anno MCCCCXCV. diem extremum clausit. Literis consignavit *Vitam Laurentii Justiniani* primi Venetiarum Patriarchæ, Patrui sui, à Surio ad d. viii. *Jan.* editam, ipsius etiam Laurentii Operibus præfixam, *Basil.* 1560. *Lugd.* 1568. *De origine Venetiarum, rebusque à Venetis gestis*; adjectâ B. *Marci Evangelistæ Vitâ*, prodiit *Venet.* 1534. *fol. Orationes variæ* inter alias in lucem emissæ, *Venet.* 1495. *fol.* 1659. *4to. Hanov.* 1613. *8vo. Historiam* etiam Gothicam adornâsse fertur Bernardus noster. Vide Gerh. Vossium *de Hist. Lat.*

1473. H, W. MARTINUS, MAGISTER cognomento dictus, natione Gallus, patriâ Turonensis, infimo loco natus, utpote Lanii cujusdam filius. In Collegium Navarrense receptus, an. 1469. Baccalaureatus, anno 1473. Magisterii gradum magnâ cum laude tulit. Postea in Collegium S. Barbaræ secedens, id non modò gubernavit, sed & incrementis non contemnendis auxit; tantâque celebritate Philosophiam Moralem prælegit, ut paulò ante mortem accerseretur, qui Ludovico XI. Regi à sacris Confessionibus & Eleemosynis adesset. Obiit quinquagenarius anno 1482. Extant *Liber*, seu *Quæstiones Morales de Fortitudine*, Paris. 1489. f. *Liber de Temperantiâ*, Paris. 1490. *Expositio perutilis & necessaria super libro Prædicabilium Porphyrii*, Paris. 1499. *Tractatus Consequentiarum in verâ divinâque Nominalium viâ*, Paris. apud Antonium Denidelum. *Quæstio de Fato*, præfixa Compendio Alberti M. in octo Physicorum libros, *Paris.* apud Dionysium Roccum.

1474. H. W. RUDOLPHUS AGRICOLA, gente Friso, in pago Baflon juxta Groningam natus anno circiter 1442. Postquàm Groningæ prima literarum fundamenta fœliciter posuisset, ad Academiam Lovaniensem se contulit; ubi in Gymnasio Falconensi Philosophiæ artiumque liberalium studio incubuit. Laureâ donatus Philosophicâ, in Galliam secessit, ut politioris literaturæ scientiam, quam inprimis ambiit, ad summum perfectionis culmen perduceret. Relictâ Galliâ, Italiam petiit: ut Theodorum Gazam Græcas literas Ferrariæ magnâ nominis gloriâ enarrantem audiret. Voti compos factus, Hebraicæ etiam linguæ scientiam sæculo isti ferè ignotam adjecit. Tot tantisque animi dotibus instructus, in patriam rediit: & Reipublicæ Groningensis Syndicum aliquot annis egit. Claruit anno 1474. A civibus suis ob negotia publica procuranda legatus, in Maximiliani Cæsaris aulâ semestri spatio hæsit: ubi patriæ suæ causam fœliciter procuravit, communi tamen magnorum virorum fato, minimè gratos expertus est cives. Domum reversus, cùm ab Antverpiensibus aliisque ad scholas regendas amplo stipendio deposceretur, à necessario suo, cui Græcas literas olim prælegerat, Joanne Dalburgio præsule Wormatiensi anno 1482. evocatus, in illius comitatu reliquam vitam exegit, modò Wormatiæ, modò Heidelbergæ degens. Utrobique literas humaniores publicè edocuit, quin & Gymnasii Heidelbergensis Præfecturam gessit. Illam ipsi contulerat Philippus Princeps Palatinus, qui Agricolam nonsolùm liberali stipendio ornavit, sed de rebus maximi momenti consuluit. Integro triennio Academiæ Heidelbergensi totique Germaniæ ad meliorum literarum studium facem prætulit; ipse præter accuratam trium linguarum notitiam, omni scientiarum genere excultissimus; Philosophus summus, Rhetor disertus, Theologus insignis, Musicæ, Picturæ, aliarumque artium molliorum studiosissimus. Obiit Heidelbergæ, immaturâ morte præreptus, dùm Dionysii Areopagitæ libris Latinè vertendis incumberet; die XXVIII. Octobris, anno 1485. ætatis suæ 42. apud Minoritas in Franciscani habitu [sic enim voluerat] sepultus. Tumulum ei posuit Hermolaus Barbarus; justa persolvit Joannes Reuchlinus. De Agricolæ stylo sententiam ferat Erasmus *. *Vir divini pectoris*, inquit, *eruditionis reconditæ, stylo minimè vulgari, solidus, nervosus, elaboratus, compositus; sed qui nonnihil resipiat & Quintilianum in eloquendo, & Isocratem in orationis structura, utroque tamen sublimior, Quintiliano etiam fusior ac dilucidior. Et huic tamen ad summam laudem cùm alia quædam obstitere; tùm præcipuè regionis ac temporis infœlicitas; ------ In Italia summus esse poterat; nisi Germaniam prætulisset.* Taceo magnificum illius Encomium, quod in Adagio, *quid cani cum balneo*! ei reddidit Erasmus; cùm non tam Critici Censoris, quàm Panegyristæ partes isto in loco Vir Maximus egisse videatur. Fusè illic in Agricolæ laudes excurrit; nihil illo unquam Cisalpinum orbem produxisse omnibus literariis dotibus absolutius asserit, consummatam ejus eloquentiam, diffusam linguarum peritiam, atque elimatam Philosophiæ scientiam prædicat; maximum denique Italiæ pariter ac Germaniæ ornamentum fuisse testatur. Tam insigne Rudolphi elogium ægrè tulerunt Inquisitores librorum Pontificii; adeò ut in editione Erasmi Adagiorum Manutianâ nusquam appareat. Neque enim dissimulari potest Rudolphum nostrum manifestas Ecclesiæ Romanæ corruptelas tam scriptis quàm sermonibus acriter satis sæpe impugnâsse.

* Ciceronian.

OPERA.

DE *Inventione Dialecticâ libri* 3. Prodierunt seorsim cum scholiis Joannis Matth. Phrissemii *Paris.* 1538.

De Universalibus Quæstiones aliquot singulares.

Propedeumatum dialecticæ inventionis Opusculum.

Scholia in Orationem Ciceronis pro lege Manilia.

Aphthonii Sophistæ Progymnasmata, ab Agricola Latinè conversa.

Prisciani Cæsariensis Praexercitamenta ex Hermogene translata.

Commentariola in aliquot L. Ann. Senecæ Declamationes. Basil. 1529. 8°.

Oratio de nativitate Domini.

Oratio in laudem Philosophiæ & reliquarum artium; Ferrariæ anno 1476. habita.

Oratio gratulatoria ad Innocentium VIII. *Pontificem.*

Epistola de studio formando, anno 1484. scripta *Heidelberg.* 1621. 8°.

Epistola alia VII.

Paranesis Isocratis ad Demonicum, Ejusdem de regno libellus, Luciani libellus de non credendis delationibus, Ejusdem Micyllus sive Gallus, Platonis Axiochus de contemnenda morte, ab Agricolâ Latino sermone donati.

Carmina & Epitaphia. Antverp. 1511. 4to.

Prodierunt omnia ista Agricolæ Opera, in duos Tomos digesta, curâ Alardi Amstelredami *Colon.* 1539. f.

Commentaria in Boethii libros de Consolatione Philosophiæ

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. *sophia.* Colon. 1535. Basil. 1570.

Oratio in laudem Matthiæ Richili, typis Joan. Soteri 1529. 8°.

Alia quædam conscripsit Rodolphus, puta, *Epitomen Historicam* jussu Philippi Principis Palatini, *Vitam Francisci Petrarchæ*, *Carmen de S. Annâ*, &c. quæ nondum in lucem edita videntur.

1474. H. W. BARTHOLOMÆUS PLATINA, Paterno nomine *Sacchus* dictus (alii *Baptistam* vocant, Bartholomæum autem, qui illum probè novit, Richardus Flemyngus *) gente Italus, patriâ Cremonensis, nonnullis tamen Veronensis, ex vico patrio cognomen duxit. Humili loco & obscuris parentibus natus, juventutem militiæ dedit. Annis provectior, operam literis non infœlicem præstitit, claruit anno 1474. Calixto III. imperante in urbem venit, & à Bessarione Cardinale inter Domesticos adscitus est. Mox à Pio II. Pontifice abbreviator Apostolicus factus, non exigui sanè pretii sacerdotia dono accepit. Post Pii mortem à Paulo II. loco motus est, & bonis omnibus spoliatus; non alio nomine, quàm quòd apud Pium in honore fuisset. Ægrè admodùm id tulit Platina, & Palatium continuis viginti diebus obsidens, cùm ad Pontificis colloquium neutiquam admitteretur, missâ Epistolâ se ad Reges Principesque dilapsurum minabatur, eosque adhortaturum, ut Concilium ipsi indicerent, in quo facti rationem reddere cogeretur; Platinæ petulantiam carcere durissimo & compedibus castigavit Paulus; Exacto in carcere quadrimestri spatio, Pauli Gonzagæ Cardinalis Mantuani precibus liberatus, in Cardinalis clientelam transit. Post triennium Paulus illum iterum comprehendi jubet, læsæ majestatis reum agit, negantem equuleo imponit & gravissimis tormentis excruciat: cùm verò nullâ arte, nullâ sævitiâ criminis confessionem extorquere posset; misellum hominem hæreseos accusavit; ideò scilicet quòd de immortalitate animæ disputare soleret, & Platonis aliorumque Philosophorum scripta tereret. Bessarionis demum & Gonzagæ Cardinalium precibus fatigatus Pontifex Platinam carcere post annuam moram eduxit, & biennio sequenti dignitatis restituendæ vanâ spe lactavit. Paulo è vivis sublato suffectus est Sixtus IV. qui Platinæ innocentiam simul ac doctrinam probè sciens, eum inter Contubernales allegit, opibus auxit, ædibus in Quirinali donavit, & Bibliothecæ Vaticanæ præfecit. Obiit ille Romæ, peste extinctus, anno 1481. ætatis suæ 60. in Templo S. Mariæ Majoris sepultus. Vir sanè non ineruditus, quique, judice Erasmo *, *in historiâ valiturus erat, si nactus fuisset argumentum fœlicius. In optimo cive, & Panegyrico nonnihil accedit ad Ciceronis imaginem; sed tanto intervallo, ut hoc nomen non promereatur eruditorum calculis: alioqui vir doctus, facundus, & ni fallor, bonus.* Illustre illi elogium posuit Richardus Flemyngus in Lucubrationibus Tiburtinis lib. I. In Pontificum autem Vitis describendis *parùm veracem* esse notat Card. Bona in Notit. Autor. lib. de Divinâ Psalmod. præmissâ.

* Lucubrat. Tiburt. l. I.

* Ciceronian.

SCRIPTA.

Historia de Vitis Pontificum Romanorum à Christo nato ad Pauli II. obitum, seu ad annum 1471. Sixto IV. Pontifici nuncupata. Prodiit *Basil.* 1479. *Norimbergæ* 1481. f. cum Onuphrii Panvinii Continuatione usque ad an. 1565. *Lovanii* 1572. *Colon.* 1600. & 1611. 4°.

De naturis rerum liber.

Epistolarum ad diversos liber.

De honestâ voluptate & valetudine libri X. *Bononiæ* 1498. 4°.

De falso & vero bono Dialogi III.

Contra amores Dialogus.

Dialogus de vera Nobilitate.

Dialogi II. *de optimo cive.*

Panegyricus in laudem Bessarionis Cardinalis Niceni.

Oratio ad Paulum II. *Papam de pace Italiæ componenda, & bello Turcis indicendo.*

Prodierunt omnia ista Latinæ Opera *Colon.* 1529. *Lovanii* 1572. *Colon.* 1574. f.

Dialogus de flosculis linguæ Latinæ. Venet. 1480. 4°.

De ratione victus, & modo vivendi, seu de tuenda valetudine: item *de Natura rerum, & Arte coquendi sive popina scientia libri* X. *Colon.* 1529. 8°. *Paris.* 1530. 8°. *Basil.* 1541. 4°.

Historiarum de rebus Urbis Mantuæ, & familia Gonzagarum libros III. Platina conscripsit. Horum editionem meditatum esse Joannem Oporinum, typographum Basileensem testis est Simlerus *. An præstiterit, haud invenio.

* Biblioth. Tigurin. p. 85.

BARTHOLOMÆUS PLATINA, natione Italus, patriâ Cremonensis, Bibliothecæ Vaticanæ sub Sixto P. IV. Præfectus, claruit anno MCCCCLXXIV. In historiis conscribendis solæ veritati litans omnem verborum ornatum insuper habuit. *Historiam inclytæ urbis Mantuæ, & sereniss. familiæ Gonzageæ summa fide* contexuit: Opus in libr. VI. divisum ex *MS. Codice Vindobonensi* descripsit, & necessariis additionibus illustratum, in lucem emisit Vir Cl. Petrus Lambecius *Viennæ Austr.* 1675. 4to. *Indicem Archivi Arcis S. Angeli* concinnavit, cujus exemplar vidit Reverend. P. Joan. Mabillon *. *Historia PP. Rom.* prodiit *Venet.* 1518. *fol. L. Bat.* 1645. 12mo. 1474. R. G.

* Iter. Ital.

PETRUS NIGER, natione Germanus, Ord. Fr. Præd. Monachus, claruit ann. MCCCCLXXV. Theologiam quam Scholasticam appellant juvenis amplexus est, Thomæ Aquinatis castra sequutus; verùm ætate maturior istiusmodi quisquilias posthabuit, & rerum divinarum scientiam ex ipsis S. Scripturæ ϑεοπνεύστοις fontibus haurire cupiens, eo animo iter in Hispaniam suscepit, ut Hebraicam linguam penitus addisceret. In patriam regressus scripsit, contra Judæos, *De conditionibus veri Messiæ*, ad Episcopum Ratisponensem, & *de Judæorum perfidia Opus Eslingæ* editum 1475. *fol.* Extat etiam *Clypeus Thomistarum* Matthæi Corvino Hungariæ R. dicatus, impressus *Venetiis* 1481. 1475. R. G.

AMBROSIUS CORIOLANUS, qui & *Coranus* dicitur, patriâ Romanus, Ordinis Fratr. Eremit. S. Augustini Prior generalis, (fallitur doctiss. Vossius qui Dominicanum † asserit) claruit anno MCCCCLXXV. Multum de Ordine suo, multum de Patriâ scriptis Commentariis meruit, quibus utriusque famam apud posteros consecravit. Scripsit super *Regula D. Augustini Commentarios*; *ipsius Augustini Vitam*; *de laudibus S. Augustini*, orationes tres; *Defensorium Ordinis S. Augustini*; *Responsorium ad maledicta Canonici Regularis Congregationis Frisonariæ.* Hæc omnia simul prodierunt *Romæ*, 1481. *fol.* Extat *de Conceptione B. Mariæ Virginis Oratio*, coram Sixto Papa IV. alicubi edita. Multa alia erudita condidit Opuscula, *Chronicon de Viris illustribus & Scriptoribus sui Ordinis*; *de laudibus urbis Romæ*; *B. Christinæ Spoletanæ Vitam*; *de veritate fidei Christianæ Orationem*; ac alia de quibus consulendus Possevinus, *Appar. Sac.* Tom. I. p. 64. 1475. R. G.

† Hist. Lat. lib. III. c. 8. p. 606.

JOANNES DE CIRCYO, natione Gallus, patriâ Divionensis, Ordinis Cisterciensis, ex Abbate Balernensi ad Cistercii Præfecturam anno 1476. assumptus: Innocentio VIII. Pontifici ob singulares 1476. H. W.

Digitized by Google

gulares animi dotes eximiè charus. Acriter contra Commendas Monasteriorum disputavit in Synodo Aurelianensi anno 1477. Turonensi 1478. & in Romanâ Curiâ coram Innocentio Papâ, à quo multa Ordini suo privilegia impetravit. Anno 1503. senio gravatus dignitati suæ renunciavit, & exeunte eodem anno diem clausit. Extant *Compendium Sanctorum Ordinis Cisterciensis*; *& Collectio Privilegiorum à diversis Pontificibus, Regibus, & Principibus* eidem Ordini concessorum; simul impressa *Divione* 1491. Prodiit posterius Opus iterum *Antverp.* 1630. Illi adjungitur *Exhortatio ad Monachos Ordinis Cisterciensis*; quam transtulit Carolus du Visch in Bibliothecam suam Scriptor. Ord. Cisterc. p. 201.

1476. H. W. M. JOANNES WESSELUS HERMANNI, qui & BASILIUS, cognomento *Gansfortius*, gente Friso, civitate Groningensis, Rodolphi Agricolæ conterraneus & amicus summus, ob eximiam pietatem & doctrinam *Lux mundi* vulgò dictus; juratissimus Pontificiæ autoritatis & superstitionis adversarius. Post hausta domi plura literarum fundamenta, ad Luteriam & celeberrimas totius Europæ Academias se contulit; & nativâ ingenii fœlicitate pariter ac immani diligentiâ summum literarum apicem conscendisse visus est: Rhetor, Poëta, Philosophus, & Theologus insignis; Hebraicè, Græcè, & Latinè peritus. Claruit anno 1476. Theologiæ laureâ insignitus, Parisiis, Coloniæ, Heidelbergæ, Romæ, & præsertim Basileæ (ubi Reuchlinum discipulum habuit) frequenti auditorio docuit. Alius ab hoc, vir tamen minimè ineruditus, fuit Joannes de Wesalia; qui in Germaniâ inferiori eo circiter tempore inclaruit, maximamque Theologiæ tunc receptæ litem intentavit, Pontificis autoritatem, & spurias Ecclesiæ Romanæ traditiones, neutiquam locorum oppugnare veritus: quodque proletarios tunc temporis Theologos non minùs pupugit, Aristotelis dogmata Philosophica, in Ecclesiæ non minus quàm Scholarum usum jamdiu recepta, palàm oppugnavit, Platonicam Philosophiam veriorem ac Christianæ fidei propiorem esse ratus. Ad hæc D. Thomæ autoritatem sæpe in disputando floccifecit, solique Scripturæ fidem indubiam adhibendam esse prædicavit. Habentur sanè in Fasciculo Rerum expetendarum* [*Moguntiæ* priùs ann. 1479. excusa] Paradoxa aliquot, uti tunc videbantur, illius dogmata, ex ipsius ore, apud Wormatiam concionantis à Thomistis quibusdam excerpta; quibus infallibilem Ecclesiæ Doctoribus in explicandâ S. Scripturâ aut tradendis fidei articulis autoritatem esse negat: divinam festorum ac jejuniorum institutionem in dubium vocat, Romam peregrinantes stultitiæ insimulat, & mandata Ecclesiæ non ligare ad peccatum docet; ut alios minoris momenti articulos taceam. Tam immanes errores gravi pœnâ plectendos esse censuerunt Inquisitores, Gerardus Eltenius & Jacobus Sprengerus, Ordinis Prædicatorum. His suadentibus, ac penè cogentibus, Archiepiscopus Moguntinus epistolâ ad Academiarum Heidelbergensis & Coloniensis Doctores anno 1479. datâ jussit, ut VVesseli dogmata Hæreseos suspecta è libris ejus excerperent, & examini subjicerent. Factum id solenni apparatu, multique è scriptis illius excerpti errores in medium sunt prolati, de regulâ fidei. Nihil enim credendum esse voluit, quod in S. Scripturâ non habeatur; de Sacramento Eucharistiæ, in quo substantiam panis manere credidit; de Indulgentiis, quas parùm approbavit; de Concilii Generalis autoritate, quam fallibilem esse docuit; de Processione Spiritûs S. quam Filio æquè ac Patri deberi negavit; deque aliis Theologiæ placitis quamplurimis. Hosce primùm tuebatur Wesselus; cùm verò ignem ab Inquisitoribus intentari sentiret, ad Palinodiam descendit. Maximè id displicuit Theologis non obscuri nominis quibusdam Academicis; qui cum tanto viro tam præcipitanter actum esse dolerent, nimis acrem & inanem Thomistarum simultatem insimulabant; *immo non verebantur asserere multos articulos ejus & majorem Partem posse sustineri.* Quod Wesselum Basilium attinet, is post Academias plures perlustratas, ingravescente ætate domum repetiit; & in patriâ civitate sacras literas exposuit: donec senectute nimiâ gravatus in Conventum Spiritualium Virginum Groningensem secesserit, & deinceps privato ocio ac precibus totus vacaverit. Obiit septuagenario major anno 1489. apud Franciscanos sepultus.

*Fol. 163.

Examen ejus propè fin. in Fasciculo, fol. 166.

OPERA.

De Dei providentiâ liber.

De causis Incarnationis, & de magnitudine ac amaritudine Dominicæ Passionis libri ii. Prodierunt *Antverp.* 8°.

Tractatus de dignitate Ecclesiasticâ, de verâ & rectâ obedientiâ, & quantum obligent subditos mandata & statuta Prælatorum. Exstat apud Goldastum Monarch. Tom. I. p. 563.

De Sacramento Pœnitentiæ, & quæ sint claves Ecclesiæ, sive De potestate ligandi & solvendi.

Quæ sit vera communio Sanctorum.

De thesauro Ecclesiæ, & de participatione ac dispensatione ejus Propositiones XXXII. Habentur apud Goldastum ibid. p. 573.

De *fraternitatibus*, &c.

De *Purgatorio, & statu animarum post hanc vitam.*

Tractatus contra potestatem Pontificis Romani in Indulgentiis. Extat apud Goldastum ibid. p. 576.

Epistolæ plures.

De Sacramento Eucharistiæ & audiendâ Missâ.

De Indulgentiis liber.

De Oratione & modo orandi.

Opuscula VVesseli omnia, adhuc recensita, edita sunt, titulo *Farraginis rerum Theologicarum*, Basil. 1523. f. & curâ M. Lutheri *Basil.* 1525. 4°. Auctiora accurante Petro Pappo *Groningæ* an. 1614. Denique curâ Theodori Strackii *Marpurgi* 1617.

Scala Meditationis, in editione Groningensi accessit.

De moribus veterum Hæreticorum liber Lipsiæ 1537.

Alia quædam scripsit VVesselus, viz. *De Justificatione per Christum librum*, &c. quæ an typis adhuc excusa fuerint, nondum comperi. Cæterùm omnia ejus scripta in Indicibus Romanis prohibentur, ipseque autoribus damnatis annumeratur.

ROBERTUS FLEMYNGUS, natione Anglus, illustri loco natus, Richardi Flemyng, Lincolniensis Episcopi, consanguineus. Positis Oxonii in Collegio Lincolniensi, quod Richardus Episcopus recens fundaverat, primis literaturæ fundamentis, in Italiam se contulit, & Baptistam Guarinum Veronensem Ferrariæ docentem audivit; utriusque linguæ elegantiarum, in primis verò Poëtices studiosus. Romam delatus, Protonotarii Apostolici dignitatem obtinuit. Claruit anno 1477. In patriam demum redux, Lincolniensis Ecclesiæ Decanus constitutus est. Obiit Lincolniæ, in sacello propè Richardum consanguineum sepultus. Dum in Italiâ adhuc ageret, & Tiburti in secessu anno 1477. moram faceret, scripsit heroico carmine magnificum Sixti IV. Pontificis Encomium libri ii. quibus *Lucubrationum Tiburtinarum* titulum dedit. Priore libro Sixti prosapiam, vitam, res gestas ac virtutes celebrat; posteriore calumnias illi affictas diluit, & illustre parentelæ ejus elogium ponit; ubique autem pudendâ adulatione usus immensis laudibus Pontificem immerentem cumulat 1477. H. W.

SÆC. XV. ab An. MCCCC. mulat, vix alio nomine notandus. Haud adeò fœlicem enim nactus est venam, versusque scabros satis atque impolitos dedit. Prodiit *Romæ* eodem, ut videtur, anno excusum in 8°. Unicum ejus exemplar vidi penès R. V. Gul. Cave. Alia ejus scripta, & in his *Dictionarium Græco-Latinum* memorat Baleus Cent. 8. cap. 21.

1478. R. G. PETRUS RANZANUS, patriâ Siculus, domo Panormitanus Ord. Præd. Monachus, Ferdinandi Regis Orator ad Matthiam Hungariæ R. claruit anno MCCCCLXXVIII. quo ad Ecclesiæ Lucerensis Præsulatum evectus est: obiit admodum senex anno MCCCCXCII. Scripsit *Annales temporum de omnium penè Gentium rebus*, in libr. VI. distributos, quorum ultimus *de rebus Hungaricis* in indiculos XXXVI. divisus, & Matthiæ R. dicatus, solus superest. Eum cum *Appendice* à se adornata, primus edidit Vir Cl. Joannes Sambucus, *Viennæ Austriæ*, 1558. *fol.* eundem inter *Hungaric. rerum Script.* recudi fecit Jac. Bongarsius, *Francof.* 1600. *fol.* In celeberrima dicti Sambuci Bibliotheca nonnullas Ranzani *Orationes* MSS. asservari refert Simlerus. *Vitam & res gestas B. Vincentii Ferrerii* à Calixto Papa III. in Divorum numerum relati in Collectione suâ edidit L. Surius ad v. d. *Aprilis de Urbis Panormitanæ antiquitate* opusculum. Hujus meminit Fazellus *. *De Laudibus Lucerinæ Civitatis*, aliaque plura adhuc inedita, ab Ambr. Altamura † recensentur.

* De rebus Sicul. Dec. I. l. 8. p. 149. 173.
† Bibl. Dom. p. 214.

1479. H. W. JOANNES RAULINUS, patriâ Tullensis, præclaris & opulentis parentibus natus. In Collegio Navarrensi Academiæ Parisiensis bonarum literarum studiis innutritus, anno 1479. Theologiæ lauream accepit. Anno 1481. Gulielmo Castrofortio in Collegii Navarrensis regimine suffectus; quod quidem summa probitatis & prudentiæ opinione administravit. Anno circiter 1497. abdicato magistratu, Cluniacensibus Monachis se adjunxit; & inter istos non minùs pietate, quàm olim inter Academicos doctrinâ eluxit. Anno 1501. Ordinis Benedictini reformandi provinciam sibi à Cardinali Ambasiano Legato commissam obiit. In vivis esse desiit Lutetiæ in Cluniacensi Collegio VIII. Id Febr. anno 1514. ætatis suæ 71.

SCRIPTA.

Sermones de Adventu Domini. Prodierunt *Paris.* 1516. *ibid.* 1519. 8°. *Venet.* 1584. 4°.

Sermones Quadragesimales in duas Partes distributi. *Paris.* 1523. *Venet.* 1584.

Sermones de Festivitatibus Sanctorum totius anni in duas itidem Partes digesti. *Paris.* 1524.

Itinerarium Paradisi, seu Sermones de Pœnitentia *Paris.* 1524.

Doctrinale de triplici morte, Naturali, Culpæ, & Gehennæ, Paris. 1520. & cum Itinerario Paradisi *Venet.* 1585. 4°.

Sermones XIV. *de Eucharistia* Paris. apud Joannem Parvum.

Volumen Epistolarum LV. quibus accesserunt *Collatio in Festo S. Ludovici per thema: Domine, in virtute tuâ lætabitur Rex; & Collatio habita in Conventu Cluniacensi de perfecta Religione* S. *Benedicti*. Paris. 1520. 4°.

Oratio de Reformatione Cleri ad Capitulum generale Basil. 1498.

Prodierunt Opera Raulini Theologica *Antverp.* 1612. 6. vol. 4*to*. Sermones *Paris.* 1642. 2. vol. 8*vo*.

Commentarius in omnes Logicos libros Aristotelis. *Paris.* 1500.

AUGUSTINUS PATRICIUS, gente Italus, Ecclesiæ Senensis Canonicus, Francisci Piccolominei Cardinalis Senensis Secretarius, claruit anno 1480. Novennio ante Cardinalem Senensem à Paulo II. ad Conventum Germanorum Ratisponensem pro subsidiis contra Turcas postulandis missum comitatus fuerat: & Romam reversus, rerum in Conventu gestarum historiam literis consignarat. Scripsit etiam isto anno 1480. jussu Domini sui, *Historiam Conciliorum Basileensis & Florentini*, præsertim verò illius, ex Codicibus duobus in Ecclesia Basileensi, ut ipse refert, asservatis, maxima parte exscriptam. Habetur Historia ista Concil. Tom. XIII. p. 1488. usque ad p. 1616. Extat etiam *Historia Conventûs Ratisponensis* inter Scriptores Germanicos à Frehero editos *Francofurt.* 1602. Tom. II. p. 143. SÆC. XV. ab An. MCCCC. 1480. H. W.

MATTHÆUS MARESCHALCUS DE PAPPENHEIM, natione Germanus, nobilissima familia oriundus, Udalrici Mareschalci Castellani Ducis Bavariæ, & Annæ à Schwabsperg filius, literarum studio in Academiis exteris plurimos annos impendit, & utriusque Juris Doctoratum meruit. Domum reversus, Canonicatu Ecclesiæ Augustanæ, aliisque beneficiis Ecclesiasticis cumulatus est. Claruit anno 1480. Extat *Chronicon Australe* dictum, quod res totâ Europâ gestas ab anno 852. ad 1327. brevissimè secundùm annorum seriem percurrit, apud Freherum Script. German. Tom. I. p. 311. Ejusdem Chronici pars plenior, quæ res gestas ab anno 1276. ad 1303. uberiùs enarrat. ibid. p. 327. *Chronicon Augustanum* ab anno 973. ad annum 1104. ibid. p. 343. *Chronicon Elvvangense* ab anno 1095. ad annum 1477. ibid. p. 453. Cæterùm Chronica ista omnia nonnisi excerpta sunt ex amplioribus Chronicis [Australi, Augustensi & Elvangensi] à Matthæo descripta. 1480. H. W.

GABRIEL BIEL, Patriâ Helvetus, aliis tamen Spirensis, *Collector* dictus, S. Theologiæ Doctor, & in Academia Tubingensi Professor publicus, ab Eberhardo Comite Wirtembergensi, qui Academiam istam anno 1477. fundavit, evocatus, ut Theologiam & Philosophiam accepto stipendio edoceret. Claruit anno 1480. Eberhardo Principi admodùm charus, & summo in precio habitus. Postquàm plures annos cathedram Tubingensem rexisset, Clericorum Vitæ communis ordinem suscepit, obiitque juxta nonnullos anno 1495. sint licet, qui illum usque ad annum 1520. vitam produxisse velint; quòd minùs quidem verisimile videtur, cùm Trithemius illum anno 1494. provectâ jam ætate apud Tubingenses egisse prodat. 1480. H. W.

SCRIPTA.

Commentaria in libros IV. *Magistri Sententiarum.* Prodierunt *Basil.* 1512. *Brixiæ* 1574. 3. vol. 4*to*.

Expositio Canonis Missæ, quæ revera est Eggelingi Brunsvicensis, paucis à Bielio omissis, nonnullis additis aut mutatis: quod quidem ipse in calce Operis ingenuè satis agnoscit. Prodiit *Lugduni* 1542. *Venet.* 1576. *Brixiæ* 1580. *Bergomi* 1594.

Sermones de tempore, Deipara, & Sanctis per totum annum ----1499. f. *Brixiæ* 1583. 4*to*. *Basil.* 1519.

Sermones medicinales contra pestem & mortis timorem.

Defensorium obedientiæ Pontificis, ad Ecclesiam Romanam.

Historia Dominicæ Passionis. Prodiit unà cum Defensorio & Sermonibus cunctis, *Hagenoæ* 1519.

Tractatus de Monetarum potestate simul & utilitate. Norimbergæ 1542. 4*to*. *Colon.* 1574. *Lugduni* 1605. 4*to*.

Epitome scripti Gulielmi de Occam, & Collectorium circa IV. *libros Sententiarum*, in Academiâ Tubingensi

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. bingensi editum. Vid. Indicem MSS. Bibl. Augustanæ p. 102.

1480. H. W. HERMOLAUS BARBARUS, Patricius Venetus, natus est anno 1454. die xxi. Maii, Francisci Barbari, Viri eruditissimi, qui summo proximum in Patriâ civitate locum tenebat, filius: vir ad bonarum literarum gloriam in Italia resuscitandam natus, Græcè & Latinè impensè doctus, & utriusque linguæ elegantiarum scientissimus; *verè magnus ac divinus homo*, inquit Erasmus *, *qui rara literatura castissimos mores adjunxit, nec minùs vitæ innocentiâ quàm doctrinæ præstantiâ enituit.* Claruit anno 1480. quadriennio antè scribere exorsus. A Republica Veneta ad Romanum Pontificem legatus, ab Innocentio VIII. anno 1491. Patriarcha Aquileiensis inscio Senatu constitutus est. Cùm verò Legati Reipublicæ, qui Romæ apud Pontificem agebant, lege Patriâ vetarentur, ne inconsulto Senatu Sacerdotium acciperent, aut in Clerum transirent; ausum id contra civitatis Leges graviter tulerunt Veneti; datisque ad illum literis mandarunt, ut morâ omni sublatâ Patriarchatum abdicaret; aliter patrem suum magistratu submovendum, bonaque ejus fisco addicenda fore. Frustra tergiversatus est Hermolaus civiumque iracundiam morâ leniri posse speravit. Pater magistratu exuitur, & incassum tentatis rebus omnibus dolore animi absumitur. Ipse Hermolaus bonis spoliatur, civium albo eximitur, & perpetuo exilio mulctatur. Tam infœlici fortunæ ictu oppressus, meliori certè fato dignus, vir doctissimus inopem Romæ vitam traduxit, misellâ Alexandri Pontificis sportulâ aliquamdiu sustentatus; donec anno 1494. morbo plebeio extinctus interiit, anno ætatis suæ 59. funeris etiam honore defraudatus. Erasmi de eo judicium suprà audivimus. Verùm jejunum id nimis, si ejusdem elogio, quod alibi occurrit, conferatur. In Adagio enim, *quid cani cum balneo?* hæc de Hermolao habet. *Is vir erat, qui non solùm Italiam suam, verùm etiam omne sæculum hoc nostrum illustravit: cujus tanta est apud omnes eruditos authoritas, ut impudentissimum sit ab illo dissentire: tam insignis in restituendis literis utilitas, ut à literis omnibus alienissimus, aut certè ingratissimus habeatur, apud quem Hermolai memoria non sit sacrosancta.*

* Ciceronian.

SCRIPTA.

ORatio gratulatoria ad Fredericum Imp. Brugis 1486. 4to. Basil. 1520. 4to.

Compendium scientiæ naturalis. Lausannæ 1579. 8vo.

Castigationes Plinianæ ad Alexandrum VI. Romæ 1492. f. & castigatiores *ibid.* 1493. f. *Venet.* 1497.

Orationes, Prælectiones &c. Paris. 1494. 4°.

Epistolæ variæ, & Præfationes inter Angeli Politiani Epistolas, *Basil.* 1553. lib. 1, 9. & 12.

Versiones Latinæ aliquot Aristotelis librorum. Basil. 1533.

Castigationes in Pomponium Melam; *Corollarium ad Dioscoridis quinque libros priores de materia Medica*; *Versiones Latinæ Dioscoridis librorum, Themistii Orationum, & aliquot Plutarchi Opusculorum*, variis locis ac temporibus in lucem prodierunt.

Cæterùm præter isthæc suprà recensita scripsit Hermolaus *De Cœlibatu libros II. Contra barbaros Philosophos librum, De re uxoria Poëma, Quæstiones Geometricas, Convenientiam astrorum & medicinæ, Præcepta historiæ conscribendæ ad M. Ant. Sabellicum, Orationes & Epistolas multiplices, Carminum plusquam 12000. librum, Compendium Galeni, Versiones Græcorum aliquot librorum, & in his Responsionis Gennadii Patriarchæ Constantinop. de fide Catholica ad Mahometem Turcarum Imp.* Omnium illius Operum editionem factam esse memorat Simlerus *: quæ tamen à me nullâ diligentiâ inveniri potuit.

SÆC. XV. ab An. MCCCC.

Concionum sacrarum volumen extare dicitur MS. Patavii apud Augustinianos Eremitas.

* Biblioth. Tigurin. p. 293.

BAPTISTA SALVIS, sive *de Salis*, natione Italus, patriâ Ligur, Ordinis Franciscani socius, Provinciæ Januensis alumnus. Claruit anno 1480. Obiit post annum 1494. Scripsit *Summam Casuum Conscientiæ*, quæ ab Authore nomen ducens, *Baptistiana* appellari solet. Prodiit *Paris.* 1499. 1480. H. W.

PACIFICUS, gente Italus, patriâ Novariensis, Ordinis Minorum Frater. Claruit anno 1480. Scripsit *Summam Casuum Conscientiæ*, ab Authoris nomine *Pacificum* dictam: quam Fr. Tarvisinus Carmelita Italicè vertit, versamque edi curavit *Venet.* 1574, 1580. 1480. H. W.

ANGELUS DE CLAVASIO, natione Italus, patriâ Ligur, ex oppidulo cognomine oriundus, Ordinis Minoritarum sodalis, & familiæ Observantium Vicarius Generalis. Theologus & Jurisconsultus insignis, claruit anno 1480. Sixto IV. aliisque Romanis Pontificibus gratissimus, à quibus Nuncii Apostolici titulo insignitus pro corradendâ contra Turcas pecuniâ subsidiariâ legatus est. Obiit Cunii in Cœnobio S. Mariæ de Angelis anno 1495. Scripsit *Summam Casuum Conscientiæ*, *Angelicam* vulgò dictam; quæ post vitiosas aliquot editiones, ipsomet Authore curante, typis excusa prodiit *Venet.* 1490. emendatior *ibid.* 1569, 1578, 1582 *Argentinæ* 1513. *Norimbergæ* 1498. 1588. f. Alia quædam composuit, viz. *Tractatum de Restitutionibus*, *Tractatum* inscriptum, *Arcam fidei*, &c. quæ prælo exierunt *Compluti* 1562. 4°. 1480. H. W.

BAPTISTA TROVAMALA, aliis *Novamala* dictus, patriâ itidem Ligur, & Ordinis Franciscani Monachus, claruit Lovanii ab anno 1480. Scripsit, *ad utilitatem simplicium Confessorum*, *Summam Casuum Conscientiæ*, quæ *Rosella* dici solet, secundùm Alphabeti ordinem digestam. Prodiit ista Venet. 1499. 4o. *Paris.* 1515. 8°. *Argentinæ* 1516. f. 1480. H. W.

BERNARDINUS AQUILANUS, natione Italus, Fossâ Aprutii oppido oriundus, Ordinis Minoritarum sodalis & in Curiâ Romanâ Procurator; Juris utriusque pariter ac sacrarum literarum peritissimus: quo nomine in Curiam Romanam accitus, Concionatoris munere fungebatur. Claruit anno 1480. Obiit anno 1503. in Conventu S. Juliani prope civitatem Aquilanam, ætatis suæ 83. Anno demum 1515. reliquiæ ejus exinde translatæ ad Cœnobium S. Angeli intra Fossam & Ocram; ubi subtùs altare conditæ insigni veneratione hodienum coluntur. Extant ab illo scripta, *Funerale*, Venet. 1572. *Tractatus de nubere volentium doctrinâ*, inter Tractatus Juris *Venet.* 1584. Tom. IX. *Admonitiones vitæ Spiritualis*, (anno 1491. elucubratæ) Italicè, *Venet.* 1572. *Historia brevis de Cœnobiis & illustribus Viris provinciæ S. Bernardini*; *Quodlibetum Scholasticum*; *Quadragesimales*; *Centuria in memoriam Passionis Christi*; *Peregrinus*; seu de Christo sub Peregrini specie Discipulis Emmauntem proficiscentibus apparente: *Sermonum libri aliquot*, *Vitæ S. Bernardini Senensis*, *& S. Philippi Aquilani*, Italicè. Ex his pleraque MSS. asservantur in Cœnobio S. Angeli prædicto; teste VVaddingo de Scriptor. N. Ord. Minor. p. 54. 1480. H. W.

ANTONIUS DE BALOCHO, aliis *Antonius de Vercellis* dictus, gente Italus, Balocho Diœcesis Vercellensis pago natus, Ordinis Franciscani Socius, è familia Regularis Observantiæ, ac Pro- 1480. H. W.

SÆC. XV. ab An. MCCCC. vinciæ Genuensis. Claruit anno 1480. Prædicator totâ Italiâ celeberrimus. Scripsit *Quadragesimale de XII. excellentiis Christianæ fidei*; Venet. 1492. & Lugduni 1504. excusum. *Tractatum de Virtutibus*, Hagenoæ 1513. 4°. Quadragesimale alterum de æternis fructibus Spiritûs Sancti; in XVII. Tractatus distributum. Singulorum titulos exhibet, totumque Opus penès se MS. extitisse prodit Lucas Waddingus de Scriptor. Ord. Minor. p. 29.

1480. H. W. BERNARDINUS TOMITANUS, natione Italus, patriâ Feltrensis, *Parvus* à brevi staturâ cognomento dictus, Ordinis Minoritarum, Sixto IV. & Innocentio VIII. Pontificibus Romanis acceptissimus, quibus operam in rebus gravissimis obeundis locavit. Claruit anno 1480. Vir rarâ morum castitate, & eximiâ concionandi facundiâ apud conterraneos suos celebratissimus. Innumera ferè miracula illi affinxerunt Historici è Minoritis sequiores; quin & coævus illi Bernardinus de Bustis *, plures in aere Angelos, quàm in terrâ homines illi Vincentiæ concionanti astitisse refert. Verùm ista ad popellum. Certius id pietatis indicium, quòd Christianos intolerandis Judæorum usuris afflictos dolens, *Montem Pietatis* multis in locis erigi curaverit: ut verporum nummulariorum tyrannidi occurreret. Obiit Ticini die XXVIII. Septembris anno 1494. summa veneratione à vicina plebe, etiamnum cultus. Scripsit *Tractatulum de modo confitendi*, Brixiæ 1542. 12°. editum: & *Conciones quasdam Italicas de Perfectione Vitæ Christianæ*, Venet. 1532. 8°.

* Rosar. par. I. Ser. 3.

1480. H. W. BERNARDINUS DE BUSTIS, gente Italus, oppido cognomine in Ducatu Mediolanensi oriundus, Familiæ Franciscanæ sodalis; rei Theologicæ, Philosophicæ ac Jurisprudentiæ scientiâ, pro ratione ævi, haud vulgariter instructus, Michaelis de Carcano discipulus; claruit anno 1480. quo Officium de Immaculata Conceptione B. Virginis, quod ipse concinnarat, à Sixto IV. Papâ diplomate Apostolico confirmari obtinuit. Vir præclara eloquentiæ famâ, & præstanti concionandi arte inter primarios Ordinis sui Proceres numerandus adeò ut cùm recepto illa ætate apud Italos more illustriores è Minoritis Concionatores à celebrioribus Italiæ civitatibus missa ad Generalem legatione quotannis deposcerentur; Bernardinus singulis ferè ab eo, quo primùm florere cœpit, tempore annis ad totidem Principes aut insignes Urbes eum à Generale deposcentes destinatus fuerit. Qualicunque verò dicendi genere enituit, certè judicio parùm valuit, ad inanes superstitiones & nugas pronus. Ut effrænem enim ejus B. Mariæ sine fronte sine corde assentandi libidinem taceam; ut insanas laudes, ne dicam blasphemias, quibus Lectori nauseam, Beatissimæ Virgini injuriam facit, mittam: tantâ in nudum Jesu nomen, quod novo Bernardini Senensis commento divino honore nuper in Italia coli cœperat, devotione ferebatur; ut id die anniversario rituque solenni per universam Ecclesiam celebrari ardentissimis precibus ab Innocentio VIII. postularet. Obiit post annum 1500.

SCRIPTA.

MAriale, seu Sermones de B. Virgine Maria, ejusque excellentiis, non solùm per singulas ejus festivitates, verùm etiam per omnia totius anni Sabbata. Prodiit *Mediolani* 1494. 4°. *Argentinæ* 1496.

Quadragesimale, Argentinæ 1496.

Rosarium Sermonum per Quadragesimam, cunctosque totius anni tam Dominicales, quàm festos, dies, necnon de unaquâque materia prædicabili. Prodiit in duos Tomos distributum *Hagenoæ* 1500. *Lugduni* 1507, 1525. 4°. & cum Mariali *Brixiæ* 1588. Tom. 3.

Pro defensione Montium Pietatis Tractatus II. ad Bernardinum de Carvaialo Cardinalem, anno 1497. scripti. *Mediolani* 1503. f. & cum Rosario *Hagenoæ* 1588. 2. vol. f.

Officium de Conceptione B. Virginis.

Officium nominis Iesu. Utrumque à Minoritis hodienum recitatur: istud die XIV. Januarii, illud die VIII. Decembris.

ROBERTUS CARACCIOLUS, natione Italus, Lycii in regno Neapolitano natus, illinc *Robertus de Licio* cognominatus, Ordinis Minorum Socius, ac demum ordine Episcopus, Aquinas, Liciensis, atque (ut nonnulli volunt) Aquilanus in Marsorum provincia. Claruit anno 1480. Summa apud plurimos Pontifices & universam Italorum gentem gratia florebat; id honoris rara concionandi ubertate ac fœlicitate nactus, qua tantopere excellere credebatur, ut recepto apud omnes elogio *Secundus Paulus* appellaretur. Egregius sanè (prout ea ferebant tempora) Concionator, & ingenti planè zelo actus; qui lachrymas auditoribus suis pro lubitu excutere potuisse fertur; quique solutos sæculi mores, ac præsertim plusquàm regiam Pontificum & Cardinalium Pompam, acri calamo flagellavit. Obiit anno 1495. postquàm quinquaginta annos Concionatoris munus obiisset, in Ecclesia Conventualium Liciensi sepultus, atque istiusmodi disticho medio sepulchri inciso collaudatus. 1480. H. W.

Ille Robertus hic est Christi, quo præsule, vatum
Nemo post Paulum clarior orbe fuit.

SCRIPTA.

SErmones de Christo, B. Virgine, ac Sanctis. Prodierunt. *Venetiis* 1489, & 1490.

Sermones de Tempore, & de laudibus Sanctorum Neapoli 1489. *Basil.* 1490.

Quadragesimale de Peccatis Basil. 1475. Venet. 1488. 8°. Licii 1490.

Quadragesimale de Pœnitentiâ. Venet. 1472. 4°. Argentinæ 1497. f.

Sermones de Annunciatione Virginis Mariæ, de Prædestinatorum & Damnatorum numero, de catenis peccatorum, de spe bonâ, de Judicio pestilentiæ. Prodierunt isti ùnà cum præcedente Opere secunda vice, excusi *ibidem*.

Sermones de Adventu, & Quadragesimâ. Venet. 1496. 8°.

Sermones de timore Iudiciorum Dei, de immortalitate animæ, de æternâ beatitudine. Excusi sunt apud Gregorium Arivabenium *Venetiis* in 4°.

Sermones per Solennitates totius anni, Domini Sabaoth, & Beatissimæ Virginis Venet. 1471, 1496.

De hominis formatione liber. Norimbergæ 1470.

Sermones de amore divinorum Officiorum, ad Joannem Aragonium Ferdinandi Regis Siciliæ filium quibus mysticè exponuntur verba S. Joannis: *Vidi alterum Angelum volantem*, &c. Neapoli 1473.

Speculum Fidei Christianæ. Venet. 1555.

Prodierunt pleraque ex antedictis Opera uno volumine, *Lugduni* 1503. tribus tomis, *Venet.* 1490.

MICHAEL DE MEDIOLANO, gente Italus, patriâ Mediolanensis, Ordinis Franciscani Regularis Observantiæ insignis Concionator. Claruit anno 1480. Eundem fuisse, ac *Michaelem de Carcano*, non malè conjicit Waddingus *. Certè uterque Mediolanum patriam habuit: uterque in familia Franciscanâ 1480. H. W.

* De Scriptor. Ord. Minor. p. 261.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. Franciſcana militavit; & utrique eadem ferè Opera aſcribuntur.

SCRIPTA.

Confeſſionale, ſeu methodus confitendi. *Venet.* 1513. 8°.

Quadrageſimale de quatuor capitalibus vitiis, Gulâ, Irâ, Invidiâ, Acediâ Venet. 1476. 4°.

Quadrageſimale alterum duplicatum de Pœnitentia & ejus partibus Venet. 1492. 4°.

Sermones de Adventu. 1487. 4°.

Sermones XI. *more ſcholaſtico in Decalogum.*

Sermones de Sanctis.

Sermones de Tempore.

Sermones de Pœnitentiâ ad dies Quadrageſimæ.

De Peccatis generatim.

De tribus præcipuis peccatis, Superbiâ, Avaritiâ, Luxuriâ.

De quatuor reliquis peccatis capitalibus, & earum filiabus.

De fide Chriſtianâ liber.

Prodierunt iſta à Sermonibus in Decalogum incluſivè enumerata Opuſcula, Michaeli de Carcano inſcripta, *Baſil.* 1479.

1480. H. W. STEPHANUS BRULIFER, natione Gallus, patriâ Armoricus, domo Maclovienſis, Ordinis Minoritarum, Doctor Pariſienſis, Gulielmi Vorilongi diſcipulus. Theologiæ Scholaſticæ juxta Scoti ſententiam apud Moguntinos & Metenſes Profeſſor. Claruit anno 1480. Obiit in Conventu Bernonis Provinciæ Britanniæ, poſt annum, uti videtur, 1500.

SCRIPTA.

Reportata in IV. *libros Sententiarum S. Bonaventuræ.* Prodierunt ſeorſim *Baſil.* 1501. *Venet.* 1504. *Pariſ.* 1507.

Liber de Sanctiſſimâ Trinitate, quo Pictores inſulſis imaginibus S. Trinitatem depingentes acriter caſtigat.

Sermones de paupertate Chriſti & Apoſtolorum Pariſ. 1500.

Apologeticus adverſùs quendam Epiſcopum Minoritam, Fratres Regularis Obſervantiæ damnantem, quòd alio ſe nomine appellarent, quàm Regula expreſſerit.

Tractatus de timore ſervili, & de donis Dei.

Tractatus de Formalitatibus ad mentem Scoti. Prodierunt tres iſti Tractatus Venet. 1516. f.

Declaratio identitatum & diſtinctionum rerum ſecundùm Scotum. Baſil. 1507. 8°. ad calcem *Reportatorum.*

Concio de valore Miſſarum, in Synodo Moguntinâ habita.

Prodierunt Bruliferi Opera *Pariſ.* 1499. atque *ibid.* 1500. 8°.

1480. H. W. ANDREAS, primùm quidem Ordinis Prædicatorum Frater, dein Craynenſis, ſive Carnenſis Archiepiſcopus, & Eccleſiæ Romanæ Presbyter Cardinalis titulo S. Sixti; vir inſigni facundiâ, & eximiâ vitæ ſanctitate meritò celebrandus. Claruit anno 1480. Immenſo pietatis & religionis Chriſtianæ zelo ductus, cùm corruptam Eccleſiæ Romanæ doctrinam, & corruptiores, Eccleſiaſticorum [præſertim verò Sixti Pontificis, mores diutiùs ferendos non eſſe arbitraretur; & utrique malo remedium adhiberi è re Chriſtianâ fore cenſeret; crebris precibus & adhortationibus apud Sixtum Papam privatim, & in publico Cardinalium conſeſſu egit, ut tamdiu deſiderata reformatio tandem aliquando inchoaretur. A Pontifice & Cardinalibus ſibilo & ſannis exceptus, aliò ſe vertit; acceptâque [uti præ ſe tulit] à Frederico Imp. poteſtate, Baſileam urbem ſe contulit; & in Eccleſiâ Cathedrali anno 1482. die XXV. Martii, Concilium Generale ibi loci quàm citiſſimè habendum indixit, *ad fidei Catholicæ* [ut ipſius verbi utar] *reformationem, morum correctionem, ſcelerum vitiorumque extirpationem, & pacem univerſalem in populo Chriſtiano procurandam.* Infremuit Sixtus re auditâ, datiſque ad Baſileenſes literis Andream compedibus vinctum ſibi mitti juſſit. Iſte à Pontifice ad Concilium provocat, & Concilii indictionem renovat. Sixtus legato in Helvetiam Angelo Epiſcopo Sueſanenſi Andream ſub anathematis pœnâ tradi mandat; & detrectantes Baſileenſes diris devovet: cúmque anathema parùm curarent Helvetii, Jodocum Præſulem Sedunenſem ad Fredericum Imp. mittit, qui Cæſarem invitum perquàm ac diu renuentem, eò tandem deduxit, ut Baſileenſibus Andream cuſtodiæ mancipare ſub perduellionis pœnâ præceperit. Factum id exeunte anno 1482. & Andreas, menſibus aliquot in carcere exactis, tandem clandeſtinis inſidiis ſtrangulatus interiit.

SCRIPTA.

Epiſtola Encyclica; quâ inſtituti ſui de Convocando rationem reddit, miſerum Eccleſiæ ſtatum, & Papæ Apoſtaſiam deſcripſit, reſque in Concilio tractandas proponit.

Appellatio à Papali ſententiâ; quâ acriter in Sixtum IV. invehitur, peſſima illius ſcelera depingit, & exaggerat, totamque Pontificiam authoritatem ab imis fundamentis convellit.

Reſponſio ad Epiſtolam Henrici Inſtitoris Dominicani, Appellationis ſuæ refutatoriam, quâ Pontificum authoritatem prolixè impugnat, craſſamque totius Ordinis Prædicatorum inſcitiam & hypocriſin detegit & perſtringit.

Exhortatio de reformandis moribus & Eccleſiâ ad omnes Chriſtianos.

Epiſtola ad Fredericum Imp. quâ illum enixè rogat, ut incœptis ſuis opituletur.

Oratio defenſoria ad Antonium Gratiam-Dei, judicem Cæſareanum.

Epiſtolam ad Caſparum Epiſcopum Baſileenſem; quâ eum, ut inſtituto ſuo obſecundet, multis hortatur.

Opuſcula iſta omnia collegit, & Scholiis illuſtravit, qui Andreæ Secretarii & procuratoris vice præſtò fuit, Petrus Numagen, Trevirenſis, Notarius & Sacellanus Eccleſiæ Tigurinæ, additâ *Geſtorum Andreæ Hiſtoriâ breviculâ.* Collectionem iſtam ex Bibliothecâ Eccleſiæ Tigurinæ in lucem protraxit Joannes Henr. Hottingerus, & Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ inſeruit Sæc. XV. Tiguri 1654. 8°. Append. ad Sect. I. à p. 355. ad p. 605.

HIERONYMUS SAVONAROLA, natione Italus, patriâ Ferrarienſis, origine tamen Patavinus, nobili familiâ oriundus, Hieronymi Savonarolæ & Helenæ Bonacorſiæ filius, natus anno 1452. XI. Cal. Octob. A teneris unguiculis pietatis artiumque liberalium ſtudio ſummâ diligentiâ incubuit; ita ut adoleſcens adhuc præclarum inter eruditos nomen obtineret. Anno 1474. Bononiam inconſultis parentibus profectus, Dominicanæ familiæ ſe adjunxit, & impoſitam ſibi Philoſophiæ ac Metaphyſicæ perdocendæ provinciam ſuſcepit. Poſtea ſacro muneri initiatus, crebris ad populum concionibus in ſolutos ſæculi mores detonare cœpit, tantâ eloquentiâ, tam fœlici ſucceſſu uſus, ut auditorum animos quò vellet perſuaſos flecteret, & perditiſſimis quibuſcunque homuncionibus 1480. H. W. Io. Fr. Picus Mirand. in Vitâ ejus

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. muncionibus pietatis & religionis Zelum incuteret, tanto passim populi confluxu celebratus, ut amplissima templa auditorum multitudinem nequaquam caperent. Claruit 1480. Vir ad Religionem promovendam natus, qui summâ vitæ austeritate & illibatâ morum sanctimoniâ omnium in se admirationem rapuit: & certissimis quibusdam rerum futurarum prædictionibus *, divini ferè hominis opinionem sibi conciliavit. Tantâ pietatis & eloquentiæ famâ instructus, mirum sanè, quàm immanem apud Italos authoritatem sibi comparaverit; adeò ut tota Italia à dicentis ore pendere videretur. Frequentibus ille concionibus oppidatim habitis, in id solùm incubuit, ut deploratam ævi malitiam castigaret; collapsam Pontificum incuriâ religionem restitueret; pietatem, charitatem, & justitiam in Christianorum animos revocaret; solutosque omnium mores corrigeret. Inprimis verò id curæ habuit, ut Pontificum, Ecclesiasticorum, & Principum qualiumcunque vitia detegeret, & acri satyrâ flagellaret. Anno 1489. Florentiam se contulit; tantamque concionibus disertis, Propheticis prædictionibus, & morum gravitate potestatem sibi brevi conciliavit, ut in Republicâ Florentinâ omnia deinceps pro nutu ageret. Anno 1494. à Florentinis ad Carolum Galliæ Regem victricia per Italiam arma circumferentem legatus, victoris iram authoritate sua compescuit, & civibus pacem impetravit. Jamque Curiæ Romanæ totique Ecclesiasticorum Ordini invisus esse cœperat Hieronymus, tam quòd Ecclesiam reformandam, & Babylone (Romam innuens) excedendum esse clamaret; quàm quòd singulorum vitia palàm notare & acerbè perstringere neutiquam vereretur. Præsertim verò Alexandrum VI. Pontificem, monstrum illud vitiorum, & Christianæ religionis propudium, in rabiem egerat, scelera illius detegendo, & pro concionibus exaggerando. Anno igitur 1498. Alexander submissis Dominicanis quibusdam fraterculis, qui Hieronymi concionibus adversarentur, primores aliquot in partes trahit, & inimicam factionem suscitari curat. Isti Hieronymum, à Pontifice priùs anathemate percussum, armatâ manu in templo invadunt, ferro & flammis sibi aditum patefaciunt: ab Hieronymianis tamen post acre certamen repelluntur. Mox verò à Senatu, datâ fide publicâ, ut incolumis ad Cœnobium reverteretur, accersitus, paruit; & Ecclesiâ egressus, summâ perfidiâ carceri mancipatus est; sævissimisque tormentis excruciatus, ut Prophetias suas falsas esse confiteri cogeretur. Cessit tormentis Hieronymus, & nimiâ doloris vehementiâ animo abalienatus, morem gessit. Quamprimùm Hieronymum in vincula ductum esse novit Alexander Papa, Romam eum mitti postulavit; cùm verò id à Florentinis obtinere non posset, binos illi fidei Inquisitores judices dedit, & Florentiam legavit. Isti Hieronymum tormentis jam seminecem hæreseos reum agunt, habitoque judicio tumultuario, mortem in crastinum indicunt. Summa animi fortitudine eam oppetiit Hieronymus, in foro Florentino strangulatus & flammis combustus die XXIII. Maii anno 1498. ætatis suæ 46. Defuncti memoriam ingenti honore sectatores sui coluerunt, eumque inter Martyres reposuerunt. Quod ad crimen certè illi impactum attinet, illi hæresis fuit, (ut Florentinorum ad Alexandrum VI. Epistolæ verba adhibeam) *docere omnes justitiam hortari cives æquali quodam jure uti, insidias omnium in Rempublicam detegere, nec pati contra jus civitatis plura aliquem sibi occupare: docere parentes optimam filiorum educationem & eruditionem, ut digni Christiano nomine evadant; persuadere mulieribus, deposito omni ornatu, sequi Christum, pueros nihil magis nosse quàm gesta Christi & Sanctorum*: aliáque hujusmodi agere, quæ bonorum amorem, malorum odium facilè permovere possint. Magno utrinque animorum æstu anno circiter 1556. sub Paulo IV. Pontificatu decertatum est in Curiâ Romanâ de comprobandis aut prohibendis Hieronymi scriptis. Vicit tandem Dominicanorum sedulitas, & pro Hieronymo sententiam ferri obtinuit; ita tamen, ut pauci aliquot qui in indicem priùs relati fuerant libri, ex illo nequaquam eximerentur: non quidem Hæretici aut erronei habendi, sed inter *suspensos* (sic enim loqui voluerunt Judices) reponendi. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

* Vid. Philip. Cominæum Hist. l. 8. c. 2.

OPERA.

Triumphus Crucis seu *de fidei Christianæ veritate libri* IV. anno 1497. scripti, & *Florentiæ* editi, dein *Venet.* 1517. *Parif.* 1524. 8°. *Venet.* 1540. *Lugd. Bat.* 1633. 8°. Hos libros MSS. editis longè auctiores penès se habuit Joann. Cordesius Lemovicensis, teste Illustr. Grotio in Apolog. Rivet. discussione Libri IV. caput 7. loco motum in Collectione suâ scriptorum contra Mahometanos edidit Theodorus Bibliander *Basil.* 1543. f. titulo *Commentatiuncula Mahumetanorum sectam omni ratione carere demonstrantis.*

De simplicitate vitæ Christianæ libri V. Florentiæ 1496. Venet. 1507. 8°. Colon. 1550. Parif. 1511. 8°. Lugduni Bat. 1633. 12°. Gratianopoli 1667. 12°.

Contra Astrologiam divinatricem libri 3. ex Joannis Pici Mirandulani disputationibus collecti. Italicè ab Hieronymo conscriptos Latinè vertit, & scholiis illustravit Thomas Boninsignius *Florentiæ* 1581. 8°. *Venet.* 1586. Italicè prodierunt *Florentiæ* 1495.

Expositio quadruplex in Orationem Dominicam. Lugduni 1536. Ingolstad. 1543. 16°. 1556. Venet. 1538. Lugd. Bat. 1633. 12°. Gratianopoli 1669. 12°.

Alia *Orationis Dominicæ Expositio*, quæ singulis petitionibus singulas Orationes subnexas habet, sub Hieronymi nomine impressa est *Parif.* 1538. 16°. *Gratianopoli* 1669. 12°. Verùm an genuinus sit Hieronymi fœtus jure merito dubitari queat.

Expositio salutationis Angelicæ: Ave Maria, Italicè, *Venet.* 1558. 8°.

De Humilitate Tractatus, Italicè, *Venet.* 1538. 8°. *Parif.* 1617. 12°.

De Amore Christi liber, Italicè *Florentiæ* 1529. 4°. *Venet.* 1588. 8°. *Parif.* 1617.

De Vitâ Viduali liber, Italicè cum priore *Florentiæ* 1495. 4°. *Parif.* 1617. 12°.

Lamentatio Christi sponsæ adversùs Pseudapostolos, sive Exhortatio *ad fideles ut precentur Dominum pro renovatione Ecclesiæ.* Venet. 1537. & cum Vitâ Savonarolæ *Parif.* 1674. 8°. Tom. I. p. 381.

Dialogi VII. Spiritûs & animæ interlocutorum, quibus titulus, *Solatium itineris mei*, *Genuæ* 1536. 12°. *Venet.* 1537. 16°. *Lugd. Bat.* curâ Joannis Balesdenii 1633. 12°. & *Gratianopoli* 1668. 12°.

Dialogi alii III. Rationis & Sensus interlocutorum, quibus idem est titulus, *Solatium itineris mei*, Venet. 1537. 16°.

De Oratione libri 2. Italicè, *Venet.* 1538. 8°. *ibid.* 1547. 8°.

Regula X. orandi tribulationis tempore, Italicè, *ibid.*

Regula bene vivendi, ad discipulos suos, Italicè, *ibid.*

Regula vivendi Christianè, in carcere anno 1498. Italicè conscriptæ, & *Florentiæ* 1498. 4°. editæ.

Expositio Decalogi, Italicè *Florentiæ* 1495. 4to. *Venet.* 1538. 1547. 8vo.

De sacrificio Missæ & mysteriis ejus, Italicè, *ibid.* & *Parif.* 1617. 12°.

Epistola de frequenti Communione, Italicè, *Florentiæ* 1496. 4to.

De Beneficiis in Christianos collatis per Crucis mysterium

SÆC. XV. ab An. MCCCC. *mysterium & signaculum.* Parif. 1610. 24°.

De modo bene vivendi & tendendi in Deum, Italicè, *Venet.* 1538. 1547. 8°.

Epistola ad Nicolaum Patrem de suscepto à se Dominicanorum habitu, Italicè, *Venet.* 1547. 8°. & cum Vitâ ejus *Parif.* 1674. 8°. Tom. 2. p. 70.

De perfectione status religiosi, Italicè, *Florentiæ* 1495. 4°. *Venet.* 1538. 1548.

Regulæ de discreto & ordinato modo vivendi in Religione, Italicè, Venet. 1538. 1547.

Epistolæ plures ad Fratres suos Congregationis S. Marci, Italicè, *ibid*

De Lectione Spirituali Epistola ad Sorores tertii ordinis S. Dominici, Italicè, *ibid.*

Oratio, quam morti addictus ad sacrum Christi corpus habuit, Italicè; *Florentiæ* 1498. 4°.

Tractatus graduum ascendendi ad perfectionem vitæ spiritualis, anno 1497. scriptus, *Florentiæ* 1497. 4°. Venet. 1537. 16°. Italicè, *ibidem.* 1538. 1547. 8°.

Regulæ VII. *Religiosis omnibus observandæ*, Latinè *Venet* 1537. 16°. Italicè *ibidem* 1537. 1548. 8°.

Oratio, seu *Meditatio in Psalmum, Diligam te Domine*, Venet. 1537. 16°.

Tractatus de mysterio crucis, & officium ejusdem, Venet. 153?. 16°.

Expositio, seu Meditatio in Psalmum xxx. *In te Domine speravi*: quam paulò ante mortem composuit. *Venet.* 1507. 8°.

Meditatio in Psalmum, Miserere mei Deus: quam inter vincula itidem & carceris angustias dictavit. Extat cum præcedente Meditatione, & Triumpho Crucis Venet. 1540.

Meditatio in Psalmum xxx. *In te Domine speravi.*
Meditatio in Psalmum LXXIX. *Qui regis Israel, intende.* Lugd. Bat. 1633.

Habentur Meditationes cum Expos. in Orat. Domini. *Lugduni* 1536.

Expositio sive Meditationes in plures Psalmos. Parif. 1524. 8°.

Meditationes quædam. Parif. 1538. 16°.

Manuale Confessionum, item *Recollectorium Rudimentorum Theologiæ.* Venet. 1543. 8°.

Eruditorium Confessorum. Parif. 1517. 8°. Venet. 1543. 8*vo.* Lugd. Bat. 1640.

Sermones XXX. *de tempore & Sanctis*, anno 1495. habiti; Italicè *Florentiæ* 1496. 4°. *Venet.* 1517, 1520. 4*to*, 1539. 8*vo.* Concio tertia in Indice Romano prohibetur.

Conciones Quadragesimales XLVIII. anno 1496. habitæ, Italicè, *Florentiæ* 1497. 4*to.* *Venet.* 1514. 1519. 4*to.* 1539. 1543. 8*vo*, Concio. 12a. in Indice Romano expurgari jubetur.

Conciones XXIX. *in Ruth & Micham,* eodem anno habitæ Italicè, *Florentiæ* 1497. 4. *Venet.* 1513. 1520. 4*to.* 1540. 8*vo.* Latinè *Salmanticæ* 1556. 4*to.* Concionem tertiam damnavit index Romanus: Concio 28. *Tractatus de arte moriendi* à nonnullis inscribitur.

Conciones XLIX. *in Ezechielem, & unica in Psalm.* VII. anno 1497. habitæ, Italicè, *Venet.* 1517. 1520. 4°. 1541. 8°. Ex his Conciones, 21a. 32a. & 40a. in Indice Romano notantur:

Conciones XXII. *in Exodum & Psalmos*; anno 1498. habitæ, Italicè, *Florentiæ* 1498. 4*to.* *Venet.* 1520. 4*to.* *Venet.* 1540. 8°. Istæ præ aliis omnibus Concionibus Ecclesiæ & Aulæ Romanæ corruptelas exagitant; adeóque ex iis Conciones, 1. 2, 3, 6, 10, 12, & 20. in Indice Romano legi prohibentur.

Conciones XIII. *per Adventum, & aliæ* XLVI. *per Quadragesimam, super Arcam Noe.* Venet. 1536. 8°. à Bernardino Stagnino de Tridino Latinè editæ.

Conciones XXIII. *super Aggæum Prophetam & Psalmos* anno 1494. habitæ. Italicè, *Venet.* 1544. 8°.

Conciones XLVII. *in Job*, per Quadragesimam anno 1495. habitæ, Italicè, *Venet.* 1545. 8*vo.* Ex his concionem 14. Index Romanus expurgari jubet. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

Epistola quædam Apologetica, Florentiæ anno 1497. scriptæ, Italicè, *Florentiæ* 1497. 4*to.* *Venet.* 1537, 1548 8*vo.*

Epistola ad quendam N. Fratrem, adversùs sententiam excommunicationis contra se nuper injustè latam; Italicè & Latinè. *Florentiæ* 1497. 4*to.*

Sermones XL. *in Amos, &* XX. *in Zachariam Prophetam,* ab Hieronymi prædicantis (ut & reliqui ferè omnes Sermones) ore excepti, & ab aliis Latinè versi, *Venet.* 1514, 1519. 4°.

Sermo in vigiliâ nativitatis Domini, Italicè, *Parif.* 1517. 8°. *Ingolstad.* 1556. *Gratianopoli* 16?9. 12°.

Alia ejusdem argumenti, Italicè, *Venet.* 154?. 8.

Sermones XXV. *in Psalmum* LXXII. *Quàm bonus Deus Israel*, anno 149?. habiti, Italicè, *Venet.* 1528. 4*to.* 1541. 8*vo.*

Sermones quamplurimi in Psalmos, Italicè, *Venet.* 150?. ?. vol. 4°. *ibid.* 1517. 4°.

De amore divino Concio, in illud Thren. I. Ego vir videns, *Senis* 1543. 8°.

Sermones XIX. *in primam Epistolam S. Joannis, aliosque Scripturæ locos*, Italicè, *Venet.* 1556.

Oraculum seu prophetia de renovatione Ecclesiæ, Italicè, *Venet.* 1560. 8°.

Meditationes seu Conciones in Cantica & alia Scripturæ loca. Venet. 1556. 8°.

Conciones breviculæ IX. *in Threnos Jeremiæ* ibid.

Brevis Expositio in librum Esther, ibid.

Compendium totius Philosophiæ, tam naturalis, quàm moralis, libris XV. *Venet.* 1542. 8°. *Wittembergæ* 1596. 8°.

Opus de divisione, ordine, & utilitate omnium Scientiarum, libris IV. Ex his liber quartus de re poëticâ agit.

Compendium Logices, libris X. Prodierunt tria ista Opuscula unà cum Compendio Philosophiæ, *Venet.* 1542. 8*vo.*

Margarita Philosophica, seu *rationalis & moralis Philosophiæ Principia*, ab Orontio Finæo aucta & castigata. *Basil.* 1535. 8°.

Apologia, sive *Epistolæ III. ad Alexandrum* VI. *Papam*, anno 1497. datæ. Extant apud Bzovium ad ann. 1497. *Sermo prolixus Apologeticus* Florentiæ in Festo Annunciationis habitus, ibid. ad an. 1495. §. 24.

De Veritate Propheticâ libri seu dialogi IX. qui in Indice Romano prohibentur, *Florentiæ* 1497. 4°. *Venet.* 1548. 8°.

Compendium Revelationum. Prodiit *Parif.* 1496. 4°. & unà cum Vitâ Savonarolæ *Parif.* 1674 8°. Tom. I. p. 216.

Apologeticus Fratrum Congregationis S. Marci Florentiæ Ordinis Prædicatorum, à seipso institutæ adversùs Alexandrum VI. Papam. Ibid. Tom. 2. pag. 74. *Tolosæ* 1612. 12°. antea excusus.

Sermo Apologeticus in illud Psalmi VII. *Domine Deus meus in te speravi*, Florentiæ anno 1497. in die Ascensionis Domini habitus, Italicè, ibidem. p. 157.

Epistolæ plures. ibid. sparsim.

Epistolæ spirituales & asceticæ, quas in unum volumen collegit, ex Etruscâ linguâ Latinè convertit, atque unà cum Savonarolæ Vitâ, ibid. Tom. 2. Mantissæ vice edendas curavit Jacobus Quetif Ord. Prædicat.

Plura adhuc ab Hieronymo conscripta memorat Jo. Fr. Picus, Comes Mirandulanus; in vita * ejus, viz. *Commendationes in Hexaemeron, & alia plura Geneseos loca*; *In partem Levitici*; *In Psalterium Davidicum*; *In Salomonis Cantica*; *In Hieremiæ Threnos*; *Interpretationem Evangeliorum imperfectam*; *Conclusiones* * cap. 15.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. clusiones perbreves in Decreta Pontificia; Admonitionem ad Sacerdotes & Clericos; His accenset Bzovius *, Librum de regimine Reipublicæ Florentinæ; Ambrosius de Altamura †, Libros de Cambiis, De Usuris, De Simonia, de Defensione proximi, De furto notabili, & Commentaria in VII. Psalmos Pœnitentiales. Ex his forsan aliqua in lucem prodierunt, quorum editiones me planè fugiunt. Cæterùm de Hieronymi Vitâ, rebus gestis, supplicio, innocentiâ, doctrinâ, ac scriptis fusissimè egit nuperus Vitæ ejus Editor, Parif. 1674. ii. Tom. 8°. seu Jacobus Quetif seu quisquam alius is fuerit; Vir certè minimè indoctus, cui nos in texendo Hieronymi Operum Catalogo plurimum debemus.

* Ad ann. 1497. §. 19. † Biblioth. prædicat. p. 216.

1480. H. W. MARSILIUS FICINUS, gente Italus, patriâ Florentinus, Ficini Chirurgici filius, natus est anno 1433. die XIX. Octobr. Literis excultus sumptu Laurentii Medicis Florentinorum Principis, Lucam Gyminianensem, & Commodum præceptores habuit. Post decursa fœliciter literarum stadia, cùm in omni Philosophiæ genere versatissimus, Theologus ac Medicus celeberrimus, Græcè verò ac Latinè peritissimus haberetur; summâ apud Laurentium & Cosmum Medices gratiâ valuit; & ab iis honestis ædibus, Sacerdotio, Ecclesiæ Cathedralis Florentinæ Canonicatu annuisque stipendiis donatus est. Tantorum Mecænatum favore otium nactus ad juvandam rem literariam se accinxit; cùmque alii Aristotelis volumina certatim verterent, ipse Platonis scripta Latinè transferenda suscepit; Platonicam Philosophiam ingenti studio excoluit, primusque omnium in Occidente instauravit. Platonicorum Princeps, inquit Card. Bonâ *, qui ferè solus ex Platonicis inoffenso pede percurri potest. Claruit, anno 1480. Rei Philosophicæ nimiùm deditus, religionis & pietatis curam posthabuisse dicitur, donec Savonarolæ Florentiam advenientis eloquentiam admiratus, concionibus ejus audiendis animum adjecit; dumque flosculis Rhetorices inhiavit, pietatis igniculos recepit. Reliquam dein vitam religionis officiis impendit; & pro Savonarola eruditissimam Apologiam scripsit. Obiit in villa Coregiana propè Florentiam anno 1499. in Templo S. Mariæ sepultus. Statim post obitum Michaeli Mercato Miniatensi se visendum, prout vivus promiserat, obtulisse, quæque antea de animarum immortalitate disseruerat expertum jam confirmasse, ex proborum (uti ipse ait) & eruditissimorum testium fide narrat Baronius ad ann. 411. propè finem.

* Notitia Author. lib. de Divin. Psalm. præmissa.

OPERA.

De Religione Christiana, & fidei pietate liber, ad Laurentium Medicem. Parif. 1559. 8°. cum notis Lud. Crocii, Bremæ 1617. 8°.

De immortalitate animarum ac æterna fœlicitate libri XVIII. Theologiæ Platonicæ, ad eundem.

In Epistolas S. Pauli Commentarius, & Ascensus in tertium cœlum ad Paulum intelligendum. Quidquid verò tituli Opus istud in fronte gerat, nonnisi Epistolam ad Romanos explicatam dat.

Conciones habitæ ad Fratres. viz. De quinque panibus. De duobus Discipulis euntibus ad Emmaus. In illud, Si consurrexistis. De Passione Domini. De laboribus & ærumnis D. Pauli. De stella Magorum. De Cantico Simeonis ac vera fidelium pace. De creatione rerum.

De vita libri 3. ad Laurentium Medicem, quorum primus agit de studiosorum sanitate tuenda, secundus de vita producenda, tertius de vita cœlitùs comparanda, Venet. 1584. 4°.

Apologia, in qua de Medicina, Astrologia, Vita Mundi, & de Magis Christum salutantibus agitur. Venet. 1498.

Quòd necessaria sit ad vitam securitas, tranquillitasque animi.

Antidotus Epidemiarum, tutelam bonæ valetudinis continens, à Ficino Italicè conscripta, ab Hieronymo Riccio Latinè versa.

Epistolarum libri XII. in quibus varii Tractatus habentur, viz. Dialogus inter Deum & animam. De divino furore. De Fœlicitate. Oratio ad Deum Theologica. Quæstiones v. de Mente. Compendium Platonicæ Theologiæ. Dialogus inter Paulum & Animam, quòd ad Deum non ascendatur sine Deo. Exhortatio ad bellum contra Barbaros. De officiis. Oratio de laudibus Philosophiæ. Oratio de laudibus Medicinæ. De Philosophiâ Platonicâ. De Vita Platonis Philosophi. Apologia de moribus Platonis. Disputatio contra judicia Astrologorum. De institutione Principis. Oratio Christiani gregis ad Pastorem Sixtum IV. Pontificem. Oraculum Alphonsi Regis ad Ferdinandum Regem. Orphica comparatio Solis ad Deum atque declaratio idearum. Philosophica Principis institutio. De Christiana legis divinitate. De Platonicorum contemplationibus. Oratio de Charitate habita ad Populum. De adoratione Divinæ virtutis. Apologia de voluptate. Excerpta ex Proclo in Rempublicam Platonis. Apologia in librum suum de Sole & lumine. Oratio ad Carolum Gallorum Regem. De providentia, vaticiniis, remediisque malorum. Prodierunt Ficini Epistolæ seorsim Norimbergæ 1497. 4°. Venet. 1495. f.

De Sole liber allegoricus & anagogicus. Venet. 1498.

De Lumine liber. ibid.

De Voluptate liber.

Dionysii Areopagitæ translatio cum suis argumentis.

In Platonem Epitomæ seu Argumenta Commentaria, Collectanea, & Annotationes.

In Plotini libros LIV. in sex Enneadas distributos Argumenta, quibus totam ejus Philosophiam summatim complectitur.

Expositio in Theophrastum de sensu, phantasia & intellectu.

Mercurii Trismegisti Pamander, & Asclepius, Latinè versi.

Athenagoræ Atheniensis De resurrectione Excerpta.

Jamblichus de Mysteriis Ægyptiorum, Chaldæorum, atque Assyriorum.

Procli in Alcibiadem Platonicum de animâ ac dæmone Excerpta.

Proclus de Sacrificio, & Magia. Venet. 1497.

Porphyrius de Occasionibus, sive causis ad intelligibilia nos ducentibus.

Ex Porphyrii libris IV. de Abstinentia Excerpta.

Ex Psello de Dæmonibus.

Alcinous de doctrina Platonis. Venet. 1497.

Speusippus de definitionibus Platonis.

Xenocratis de Morte libri 2.

Synesius de somniis.

Pythagoræ aurea verba & symbola.

Prodierunt Marsilii Ficini Opera, Venet. 1516. Basil. 1561. 1576. 2. Tom. f. Parif. 1641. 2. Tom. f. Excerpta ex variis Authoribus, Venet. 1497. f. Versio Operum Platonis, Venet. 1491. Lugduni 1590. Francofurt. 1602. Versio Operum Plotini, Basil. 1580. Scripta ejus paucula adhuc inedita, enumerat Michael Poccianicus Catalog. Scriptor. Florentin. p. 123.

WERNERUS ROLLWINCK DE LAER, patriâ Westphalus, ex oppidulo Diœceseos Monasteriensis oriundus, Ordinis Carthusianorum Monachus in Cœnobio S. Barbaræ Coloniensi. Claruit anno 1480. Obiit anno 1502. ætatis suæ 77. conversionis 55. 1480. H. W.

OPERA.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC.

OPERA.

Fasciculus Temporum, omnium Antiquorum Chronica complectens, per sex Ætates digestus, ab Orbe condito ad sua usque tempora. Triplicem Operis istius editionem edidit Wernerus. Prima in anno 1470. desiit. Exemplar ejus MS. penès Vossium * extitit. Secunda ad annum 1474. pertigit: & exinde Appendix seu Continuatio Joannis Linturii, Hostensis in Voitlandia pastoris, initium sumit, & usque ad annum 1514. progreditur. Prodiit editio ista *Lovanii* 1476. Tertia editio ad Hydruntum à Turcis expugnatum, sive annum 1480. deducitur: & *Augustæ* 1481. prodiit atque unà cum Linturii Appendice habetur inter Scriptores Germanicos Pistorii *Francofurt.* 1584. Tom. 2. p. 580.

* De Hist. Lat. l. 3. c. 6.

De VVestphaliæ situ & laudibus, & VVestphalorum seu antiquorum Saxonum moribus, &c. liber, ab Orthuino Gratio editus ---- 1514. recusus *Colon.* 1602. 8°.

Paradisus Conscientiæ, & Quæstiones XII. *pro S. Theologiæ studiosis.* Colon. 1475. 4°.

De Sacramento Eucharistiæ, & fructu Missarum. Colon. 1535.

Sermo prolixus de S. Benedicto, typis impressus ante annum 1494. teste Trithemio: quo verò anno aut loco, me latet.

Alia plura conscripsit Wernerus, viz. *Calendarium ac Martyrologium, librum de origine Frisonum, Opus grande super omnes Epistolas S. Pauli, Libros* VII. *de Vita S. Pauli. Librum de regimine Principum*, &c. quorum Indiculum satis longum ab ipso Wernero acceptum, exhibet Trithemius lib. de Viris Illustr. Germaniæ.

1480. R. G. JOANNES GERBRANDUS de LEYDIS, patriâ Batavus, domo Leidensis, Ord. Carmelitarum in Cœnobio Harlemensi Prior, claruit anno MCCCCLXXX. inter suos consenuit, & anno MDIV. diem extremum clausit. Scripsit varia quibus nomen suum ab interitu vindicavit. *Chronicon Hollandiæ Comitum & Episcoporum Ultrajectensium*, in XXXII. libros partitum, atque ad ann. MCCCCLXXX. diductum. Dictum opus è tenebris produxit, & inter alios *rerum Belgicarum Scriptores*, edidit Fr. Sweertius, *Francof.* 1620. *fol. Chronicon Egmundanum*, sive *Annales regalium Abbatum Egmundensium.* Istud ex duobus MSS. exemplaribus inter se collatis descriptum, & notis suis uberioribus illustratum edidit Antonius Matthæus Leidensis, cui etiam aliorum nonnulla subjunxit, *Lugd. Bat.* 1692. 4to. *Historiam sui Ordinis* decem libris contexuit, quæ MS. apud Cl. Miræum delituit. *Sermones de tempore; de Sanctis; Quadragesimales; de Passione Domini*, & alia opuscula Theologica, nullibi quod sciam comparentia, memorat Simlerus: Vide etiam Possevin. *Apparat. Sac.* & Swertii *Athen. Belg.*

1481. H. W. MATTHIAS PALMERIUS, gente italus, civitate Pisanus, Simlero tamen Vincentinus, claruit anno 1481. Matthæi Palmerii Florentini Chronicon continuavit ab anno 1449. (quo desiit iste) usque ad annum 1481. Prodiit sæpiùs ista *Continuatio*, Matthæi Chronico subnecti solita. Latinè etiam vertit, satis infœliciter quidem, Aristeæ Historiam de LXXII. Interpretibus. *Versio* typis excusa est *Basil.* 1536, 1551.

1483. H. W. JOANNES TRITHEMIUS, sive *Trittenheimius*, natione Germanus, in vico cognomine ad Mosellam fluvium non longè à Treviris natus anno 1462. die 1. Februarii, parentibus quidem honestis, mediocris tamen fortunæ. Joannis de Monte & Elizabethæ de Longovico filius. In Academiis Trevirensi & Heidelbergensi bonis literis institutus, anno ætatis suæ 22. die Purificationis B. Virginis, Ordinis Benedictini Monachus in S. Martini cœnobio Spanheimensi factus est. Juvenis adhuc & Novitius tantam sibi apud sodales rara eruditione & pietate eximia autoritatem conciliavit; Philosophus, Mathematicus, Poëta, Historicus & Theologus insignis; ut altero conversionis suæ anno, Christi 1483. communi Monachorum suffragio Abbas eligeretur. Hanc provinciam non sine summa laude per 22. annos administravit; cum Nicolai Remitii Prioris (uti vocant) sui, aliorumque quorundam monachorum (quos *Cynonotorum* nomine in Epistolis suis passim traducit) factione diu multúmque vexatus, eò quod Philippi Principis Palatini partes adversùs Hassorum Comitem tueretur, monasterio suo exivit April. 1. 1505. & apud Joachimum Marchionem Brandeburgensem, Coloniæ Agrippinæ tunc agentem, aliquantisper substitit, quocum etiam in Marchiam Brandeburgensem profectus est, ubique ab eo clementer & perquàm honorificè exceptus. Post interstitium 18. mensium, vigente adhuc monachorum factione regimini Spanheimensi renunciavit, & Laurentii Herbipolensis Antistitis literis evocatus, cœnobio S. Jacobi Majoris in Suburbano Herbipolensi Octob. 15. 1506. præfectus est, ubi otio abundans, & ditioris turbulentiorisque monasterii curis vacuus, totum deinceps ad literas prosequendas animum appulit, usque ad obitum, qui ipsi contigit Decembr. XIII. anno 1518. vel ut alii, 1519 ætat. an. 57. Homo quidem impensè eruditus, quique inter sui sæculi doctrinâ claros paucos habuit æquales, vix ullum superiorem. Nec vulgares modò trivit semitas, sed & intima reconditioris eruditionis penetralia reseravit, & forsan curiosè nimis rimatus est: unde, ipsomet conquerente *, vulgò pro Mago habebatur; nec deerant, qui ipsum suscitasse mortuos, evocasse ab inferis dæmones, prædixisse futura, fures latronesque carminibus ligasse clamitarent. Ficta quidem hæc, & ementita, se tamen libros Magorum plerosque legisse non diffitetur, quod & steganographiæ Opus abundè testatur. Nec sibi solùm Musisque cecinit, sed & plures discipulos in cœnobio suo melioribus literis instituit, adeò ut ad illum confluerent non solùm ex Germania tota viri doctissimi atque spectabiles multi, sed ex Italia quoque & tripartita Gallia plures, ut ipse nos docet †. In monasterii Spanheimensis usum simul & ornamentum egregiam planè Bibliothecam plusquàm 2000. melioris notæ Codicum MSS. in quavis ferè lingua, Hebraica, Græca, Latina, Chaldaica, Arabica, Indiana, Ruthenica, Tartarica (ut alias taceam) ingenti ære erexit. De hac Bibliotheca pluribus ipse agit, tum alibi, tum præsertim lib. 1. Epist. 32. lib. 1. Epist. 46. Quin & proprio marte scripsit, quæ vel sola ad mediocrem bibliothecam sufficere possint, quorum proinde catalogum hìc exhibemus.

* Lib. 2. Epist. 42. p. 303.

† L. 2. Epist. 3. p. 195.

OPERA

Chronologia mystica de secundis sive Intelligentiis orbes post Deum moventibus ad Maximilianum Imp. *Colon.* 1567. 8°.

Compendium, sive *Breviarium primi Voluminis Chronicorum de origine gentis & Regum Francorum* per annos 1189. à Marcomiro (viz. ante Christum 433.) usque ad Pipinum Regem. Opus cumprimis fabulosum, & ex mendacissimis Scriptoribus collectum. Alia etiam duo volumina scripserat Trithemius, quibus Historiam Francorum à Pipino ad 29m. Maximiliani Cæsaris annum, Christi 1514. pertexuit. Prodiit istius primi voluminis Compendium *Paris.* 1539. f.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. *De origine gentis Francorum liber*, ex putidissimis spurii Hunibaldi Figmentis consarcinatus. Prodiit unà cum præcedente Opere *Basil.* 1547. & habetur apud Schardium Rerum German. Tom. 1. p. 170.

Chronicon successionis Ducum Bavariæ, & Comitum Palatinorum. Francofurt. 1544, 1549. 4°.

Catalogus illustrium virorum Germaniam suis ingeniis & lucubrationibus omnifariam exornantium: ad Jacobum Wimphelingium.

Catalogus Scriptorum Ecclesiasticorum, septennali labore compositus, & anno demum 1484. tertiò emendatus ac completus. In eo Scriptorum DCCGCLXX. circiter vitæ breviter describuntur, elogia texuntur, & scripta enumerantur. Prodiit *Moguntiæ* 1494. cum Anonymi cujusdam Appendice *Paris.* 1512. 4°. cum insigni Balthazaris Werlini Appendice *Colon.* 1531, 1546. 4°. *Basil.* 1594.

Chronicon Cœnobii *Hirsaugiensis* in Diœcesi Spirensi, ab anno 830. ad annum 1370. à Trithemio emendatum & auctum. Id rursus Trithemius anno 1514. ad incudem revocavit & ita demum adauxit, ut quadruplum primæ editionis conficeret. Nonnisi prior tamen editio typis excusa in lucem prodiit (*Basil.* 1556. f. & alibi evulgata.) Ex posteriore amplum satis Excerptum, quod Vitam & res gestas Frederici Comitis Palatini Victoriosi dicti complectitur, seorsim edidit Marquardus Freherus *Heidelbergæ* 1602. 4°.

Chronicon Monasterii S. Martini Spanheimensis in Diœcesi Moguntinâ, ab anno 1044. ad 1511. ad annum usque 1526. continuatum ab Anonymo quodam, qui Trithemii etiam Opus non rarò interpolavit.

Epistolæ familiares ab excessu de Cœnobio Spanheimensi scriptæ & historiis istius sæculi refertæ, libris 2. quorum primus Epistolas LXXIX. secundus LXI. continet 1536. 4°.

Opera Trithemii Historica, sc. omnia hactenus enumerata, edi curavit Marquardus Freherus *Francofurt.* 1601. 2. Tom. f.

Chronicon Monasterii S. Jacobi Majoris in Diœcesi Herbipolitana.

De viris illustribus Ordinis S. Benedicti libri IV. Prodierunt seorsim *Colon.* 1575. 4°.

Commentarius in Regulam S. Benedicti. Valencenis 1608. 8°.

Sermonum vel Exhortationum ad Monachos libri 2. *Argentinæ* 1486. f. *Antverp.* 1574. 8°. *Florentiæ* 1577. 4°.

De triplici regione Claustralium.

Modus & forma quotidiani exercitii Monachorum.

Compendium Spiritualis exercitii.

De religiosorum tentationibus libri 2.

De vitio proprietatis Monachorum liber.

De laude Scriptorum manualium.

De vita Sacerdotalis institutione.

De vanitate & miseria humanæ vitæ.

Liber Penthicus, seu lugubris, de statu & ruina Ordinis S. Benedicti. Florentiæ 1577. 4°.

Orationes in annuo Abbatum Bursfeldensis Congregationis conventu habitæ.

Epistolarum ad familiares liber.

Modus & forma celebrandi Capitulum Provinciale in Provincia Moguntina.

De visitatione Monachorum liber.

Constitutiones Provincialium Capitulorum per provinciam Moguntinam & Diœcesin Bambergensem celebratorum.

De Miraculis B. Mariæ Virginis in Ecclesia nova prope Dittelbach, Franciæ Orientalis oppidum, libri 2.

De miraculis in Urticeto juxta Heidelbrunnam, Wurtzburgensis Diœceseos *oppidum ad Invocationem B. Virginis factis, libri* 3.

Opera omnia à Chronico Monasterii S. Jacobi inclusivè recensita collegit atque evulgavit Joannes Busæus *Moguntiæ* 1604. f.

Antipalus maleficiorum libri IV.

Curiositas Regia, seu Quæstiones VIII. Theologicæ à Maximiliano Imp. propositæ, & à Trithemio solutæ *Oppenheimii* 1515. *Francofurt.* 1550. 8°. *Duaci* 1621. 8°.

De laudibus Ordinis Fratrum Carmelitarum. Florentiæ 1593. 4°. *Lugduni* 1639.

De laudibus S. Annæ, matris S. Mariæ Virginis.

Cursus Horarum, Officiique divini pro festo S. Annæ, & S. Joachim.

Orationes & Sequentiæ variæ in honorem Christi & Sanctorum.

Catalogus Græcorum Codicum in Bibliotheca Trithemiana Spanheimensi.

Opera proximè annumerata ab Antipalo maleficiorum inclusivè simul edidit titulo *Paralipomenon Trithemii* idem Busæus *Moguntiæ* 1605. 8°. *Colon.* 1624. 8°.

Vita S. Maximini Archiepiscopi Trevirensis. Habetur apud Surium die XVI. Novembris.

Vita S. Maximi Episcopi Moguntini. Extat ibid. die XVIII. Novembr.

Epistola ad Petrum Abbatem Amerbachiensem, antea inedita, habetur apud Lambecium Comment. de Biblioth. Vindob. Tom 3. Append. pag. 342.

Polygraphiæ libri VI. ad Maximilianum Cæsarem, quibus infinitos scribendi, animique nostri arcana quavis ferè lingua tutè enunciandi modos miranda subtilitate accuratè explicat. Prodierunt unà cum clave sua----1518. f. *Colon.* 1571. 8°.

Steganographia, seu de ratione occultè scribendi. Prodiit cum clave sua *Francofurt.* 1606. 4°. *magnum* (uti ipse vocat) *& nimis arduum opus*, quod octo libris absolvere aggressus est. Duos priores jam ann. 1505. ad finem perduxerat, reliquos diutius suppressit; rationes verò cur ita fecerit, ipse nobis enarrat lib. 2. Epist. 43. pag. 303. Librum istum multi apertè damnant, & Magiæ accusant. Alii illum scriptis propugnarunt, & in his Jo. Caramuel Lobkovitz, qui Vindicias Steganographiæ Trithemianæ edidit *Colon.* 1635. 40. & Illustrissimus Princeps Augustus Brunsvicensium Dux, qui in Systemate suo Cryptographiæ (quod sub ficto Gustavi Seleni nomine *Luneburgæ* 1624. f. evulgavit) opus istud ab omni suspicionis Magicæ labe purgare nititur.

Tractatus de Providentiâ Dei. Altorfii 1611. 8°.

Historia belli Bavarici anno 1504. *gesti.* Extat in Collectione Scriptorum German. Freheriana Tom. 3. p. 97.

Tractatus Chymicus. Prodiit-----1611. 8. *Argentinæ* 1613. 8°. *Liber de Veneficis.* Germanicè excusus *Ingolstad.* 1555. 40.

Alia quamplurima Trithemii Opera, nondum typis impressa, longo satis agmine recenset Jos. Simlerus Biblioth. Tigurin. pag. 421 & Hieronymus Ghilinus in Theatro Virorum literatorum pag. 13. De libris verò propriis, quo tempore, quà occasione scriptis ad annum usque 1506. exeuntem, deque iis, quæ deinceps scribere meditatus erat, accuratè agit ipse Trithemius Epistol. lib. 2. Ep. 50.

JOANNES TRITHEMIUS, natione Germanus, patriâ Mosellanus, Ord. Benedict. Cœnobii Spanheimensis primò, dein Herbipolensis Abbas, claruit anno MCCCCLXXXIII. Scripsit *Annales Hirsaugienses, historiam Franciæ & Germaniæ, gesta Imperatorum, Regum, Principum, & illustrium virorum, tomis duobus complectentes*: Opus secundis curis auctum, ac ad annum MDXII. productum; à viris doctis diu exoptatum, nunc primùm integrum prodiit, ex MS. Codice *Bibliothecæ Sangallensis*, qui ex ipso αὐτογράφῳ nunc flammis absumpto fideliter descriptus est, curâ istius ædis Monachorum, & *typis ejusdem Monasterii*, 1690. *fol.* 1483. R. G.

Huic

SÆC. XV. ab An. MCCCC. Huic operi lucubrationum suarum indicem subnotavit Auctor, ex quarum numero habentur ineditæ quæ sequuntur. *Vita S. Irminæ Virginis Dagoberti R. filiæ*, Abbatissæ Trevirensis: *Laudes S. Andreæ Apostoli*; *S. Josephi Nutricii Domini*; *S. Benedicti Abbatis*; *Monologion* hominis devoti ad animam suam; *Laudes Vitæ Monasticæ*; *laudes & utilitates studii & lectionis scripturæ sacræ*; *Quæstiones in Evangelium S. Joannis*; *Quæstiones in Psalmos*; *de miseriâ Prælatorum claustralium*, lib. II. *Naturalium Quæstionum*, lib. XX. *Itinerarium vitæ suæ*, ad Jacobum Trithemium fratrem suum, lib. II. *contra peculium Monialium*; *de computo Ecclesiastico*: Hæc ex suo indice sumpta; his jungatur *Rhabani Mauri Vita*, & ex Moguntiâ in Saxoniam *translatio*, præter *Rosaria*, *Precationes*, & *Officia Ecclesiastica*, quæ brevitatis causâ præterimus: nec tamen pigebit celebriores operum quorundam editiones in primâ parte prætermissas in lectoris φιλοβίβλω gratiam supplementi vice hîc demum adnotare: *De Luminaribus Germaniæ* opus cum additionibus Iac. Wimphelingii prodiit *Mogunt.* 1494. *Laudes Ordinis Carmelitarum*; lib. II. *Colon.* 1643. 8*vo.* cum Aub. Miræo, & Ioan. de Carthagenâ. *Contra maleficos, & omnes artes & superstitiones ab Ecclesiâ prohibitas* libellus prodiit *Ingolst.* 1555.4*to.* *Steganographia*, opus in Indd. Romanis prohibitum, *Darmstad.* 1621. 4*to.* & cum Vita ac Vindiciis ejusdem, *Mogunt.* 1676. 4*to.* *Veterum Sophorum sigilla & imaginationes Magicæ*, ex MS. Trithemii erutæ---1612. 8*vo.*

1483. H. W. AUGUSTINUS PATRICIUS, alius ab Augustino Patricio Senensi de quo suprà, primò sub Innocentio VIII. Ceremoniarum Magister, dein ab ann. 1483. Episcopus Poientinus. Scripsit ad Bartholomæum Paganuccium *Vitam Fabiani Bencii Politianensis* S. Canonum Professoris, *Descriptionem adventus Frederici III. Imp. ad Paulum Papam II.* Hæc duo Opuscula primus eruit, & in lucem dedit Joan. Mabillonius Musæi Ital. Tom. I. par. 2. pag. 251. qui & aliud ejusdem Augustini opus *de Ritibus Ecclesiæ Romanæ* penès se habere testatur, quod in Collectione Ritualium Romanorum à se propediem in lucem edenda publici juris se facturum pollicetur.

1483. H. W. JACOBUS GRUYTRODIUS, natione Germanus, Ordinis Carthusiani Monachus, & Cœnobii SS. Apostolorum propè Leodium Prior. Vir *in divinis Scripturis*, inquit Trithemius, *studiosus & eruditus, vitâ & conversatione devotus, ingenio præstans, & dulcis eloquio.* Claruit anno 1483. Obiit anno 1492. prid. Id. Februarias. Scripsit *Speculum Quintuplex, Prælatorum, Subditorum, Sacerdotum, Sæcularium hominum, & Senum*: quod Dionysio Carthusiano falsò inscriptum prodiit. Multa alia Grutrodii Opuscula enumerat Trithemius de Script. Eccl. pag. 179. plura adhuc Simlerus Biblioth. Tigurin. p. 316.

1483. R. G. FELIX FABRI, natione Germanus, patriâ Tigurinus, ex nobili Schmidiorum familiâ oriundus, Ord. S. Dominic. Monachus; Cœnobii Ulmensis Lector & Prædicator, claruit anno MCCCCLXXXIII. Bernardum Breitembachium Ecclesiæ Moguntinæ Decanum iter in Terram Sanctam hoc anno aggressum comitatus, Hierosolymam, montem Sinai, aliosque Orientalis plagæ locos visitavit, & proximo anno reversus *Historiam itineris*, sive *peregrinationis suæ Hierosol.* scriptis mandavit: utrum hæc sit diversa ab *Historiâ* istâ quæ sub Breitenbachii nomine edita est, *Mogunt.* 1486. *Spiræ* 1490. 1502. *fol.* an idem prorsus opus junctis utriusque laboribus concinnatum, incertus sum; hoc certissimè constat, Felicem nostrum in rebus historicis describendis stilum exercuisse, & *Historiam Suevorum* contexuisse, à Goldasto editam inter *Suevicarum rerum Scriptores*, Francof. 1605. 4*to.*

Append.

SIGISMUNDUS GOSSENPROT, vel GROSSENBROT, natione Germanus, Cœnobii SS. Udalrici & Afræ apud Augustanos Monachus, eâque forsan de causâ *Religiosi* cognomen vulgò sortitus, claruit anno MCCCCLXXXIII. Scripsit *de rebus Augustanis Ecclesiasticis Chronicon.* MS. extabat in *Bibliothecâ VVolfg. Lazii*, inde ni fallor descriptum in lucem protulit, & Tom. III. *Germ. Script.* edidit Joan. Pistorius, *Francof.* 1607. *fol.* In isto opere concinnando Udalricum quendam Commonachum adjutorem habuisse ex Gesnero refert Cl. Gerh. Vossius *. SÆC. XV. ab An. MCCCC. 1483. R. G.

* Hist. Lat. Lib. III. c. 6. p. 571.

INNOCENTIUS VIII. *Joannes Baptista* antea appellatus, patriâ Genuensis, origine tamen Græcus, Aaronis Proregis Neapolitani filius, in Alfonsi & Ferdinandi Regum Neapolitanorum, & Philippi Calandrini, Cardinalis Bononiensis, contubernio educatus: à Paulo II. Pontifice Episcopus primùm Savonensis, mox Melfitensis, dein Datarius, ac demum anno 1473. Presbyter Cardinalis titulo S. Balbinæ constitutus. Anno 1484. Pontifex Romanus electus est die XXIX. Augusti, coronatus die XII. Septembris. Anno 1485. Venetos à Sixto decessore anathematizatos absolvit & in Ecclesiam recepit. Anno 1487. atque iterum 1489 Ferdinando Neapolis Regi, tributum à Sixto Pontifice relaxatum Ecclesiæ reddere recusanti, anathema incussit, regno deponi jussit, subditosque obsequii vinculum abrogavit. Anno 1491. Norwegis, ut sine vino sacram Synaxin celebrare possent, indulsit. Obiit sexagenarius anno 1492. die XXV. Julii. Extat *Epistola ad Henricum VII. Angliæ Regem de Clericis in sæculare forum non trahendis.* Concil. Tom. XIII. pag. 1467. *Epistolæ & Constitutiones* VIII. apud Bzovium ad ann. 1484. &c. *plures* in Bullariis, aliisque Constitutionum Pontif. Collectionibus; *nonnullæ* inter Angeli Politiani Epistolas. *Epistolarum volumen*, MS. in Bibliothecâ Cæsareâ. *Regulæ* MSS. in Bibliothecâ Cœlestinorum Avenionensium. 1484. H. W.

JOANNES PICUS, Mirandulæ & Concordiæ Princeps, *Phœnix* dictus, natione Italus, patriâ Mirandulanus, Joannis Francisci Pici Comitis Mirandulani & Juliæ filius, natus est anno 1463. Puer adhuc summis animi corporisque dotibus ad miraculum usque ornatus, dum sub ferulâ ageret non infimum inter Poëtas & Oratores locum obtinuit. Decimo quarto ætatis anno, Juris Pontificii discendi causâ Bononiam se contulit. Id cùm biennio degustâsset, Decretalium squalorem atque nugas exosus, juvenis ad majora natus, altiora meditari cœpit; & rerum abditissimarum speculationi, ac Philosophiæ tum humanæ tum divinæ studio se totum dedit: Perlustratis igitur primariis Galliæ & Italiæ Academiis, eruditissimos utriusque Philosophiæ Professores ubivis conquisivit; Philosophorum ferè omnium scripta pervolvit, remque suam tam indefesso animi studio agebat, ut Theologus simul ac Philosophus omnibus numeris absolutus, imberbis adhuc juvenis haberetur. Quod ad molliores verò literas attinet, is sanè erat, qui sermonis elegantiâ, facetiis, & gratiâ, eloquentiæ viribus, disputandi subtilitate, & diffusâ linguarum scientiâ omnibus sui sæculi viris palmam præripuit. Accuratæ enim linguarum Græcæ & Latinæ notitiæ Hebræam, Chaldaicam, & Arabicam adjecerat dialectos, Italiæ antea, ne famâ quidem auditas. Claruit anno 1484. Septennio in Academiis pervisendis exacto, gloriæ ac famæ cupidus Romam perrexit; ubi publicè disputandas proposuit nongentas quæstiones de rebus Dialecticis, Metaphysicis, & Mathematicis, ex reconditis Latinorum & Græcorum scriniis, perobscurâ Hebræorum Cabalâ, & abditissimis Veterum 1484. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC.

Philosophorum mysteriis petitas. Quæstiones istas in scholis & compitis ubique locorum per Europam totam affigi curavit, se itineris insuper impensas omnibus eruditis Romam disputandi ergò advolantibus soluturum pollicitus: Tanti certaminis & triumphi gloriam Mirandulano abstulit maleferiatorum quorundam invidia; qui universa Theologiæ ac Philosophiæ mysteria juveni patere, & in vulgus disceptari ægrè ferentes, quæstiones ejus strophis primùm ac cuniculis aggressi sunt: mox tredecim ex iis seligentes erroris & hæreseos accusârunt. Mirandulanus editâ statim Apologiâ, quæstionum veritatem propugnavit, & adversariorum calumnias diluit. Innocentius tamen Papa, nescio quo livore ductus, libelli Quæstionum lectione interdixit, spemque omnem disputationis penitùs sustulit. Provectior ætate factus Mirandulanus, ingentem illum disputandi pruritum odio habere cœpit: & misso Philosophiæ, artiumque externarum cultu, castiori Theologiæ totus incubuit; sacros Codices diligenter pervolvit; versiones Latinam & Græcam cum Hebraicis fontibus sedulò contulit; Christianæ religionis veritatem adversùs Judæos & Muhammedanos tutandam suscepit; præsertim verò impiam non minùs quàm ineptam Astrologorum gentem aggressus funditùs debellavit. Anno 1491. deposito Principatûs Mirandulani & Concordiensis regimine, maximam thesauri partem in pauperes distribuit; & in peramœnam agri Ferrariensis villam secedens, Deo & Musis solus vacavit, pietate & effusâ in egenos charitate non minùs illustris, quàm doctrinâ olim conspicuus. Quin & paulò ante mortem tanto Christi & religionis amore exarsit, ut reliquas opes pauperibus elargiri, & solo Crucifixo munitus, nudatis pedibus orbem peragrare, & per urbes, per oppida, per vicos Christianam fidem prædicare in animo haberet. Obiit Florentiæ [ubi Marsilii Ficini, & Angeli Politiani consuetudine delectatus, moram agere solebat] gravissimâ febre correptus, xv. Cal. Decembr. anno 1494. ætatis suæ 32. in Templo S. Marci sepultus in habitu Fratrum Prædicatorum, quem suscepturum pridem voverat, & induerat. Vir planè portentosi ingenii, & pro ætate eruditionis laude nulli secundus. Audiamus Epitaphium tumulo ejus inscriptum.

Joannes jacet hic Mirandula; cætera nôrunt,
Et Tagus, & Ganges, forsan & Antipodes.

* Ciceronian.

Indoles planè divina, (inquit Erasmus) * *& ingenium ad omnia factum: sed hujus quoque dictionem nonnihil vitiavit linguarum ac Philosophiæ atque etiam Theologiæ cura.*

OPERA.

HEptaplus, seu in Hexameron libri VII.

Quæstiones DCCCC. *Romæ ad disputandum propositæ*. Romæ 1486. f. Norimbergæ 1532. Colon. 1619. 8°.

Apologia adversùs Quæstionum suarum calumniatores.

De ente & uno Opus.

De Hominis dignitate.

Regulæ seu Præcepta XII. *ad Christianæ vitæ institutionem.*

Commentarius in Psalmum XV. *Conserva me, Domine.*

De Christi regno, & vanitate hujus mundi.

Expositio in Orationem Dominicam.

Epistolarum aurearum & familiarium liber, à Christophoro Cellario cum notis editus *Jenæ* 1682. 8°.

In Apologiam Disputationum libri XII.

In Platonis Convivium libri III.

Elegia ad Florentiam, in laudem Hieronymi Benivenii.

Prodierunt omnia Pici Opera *Venet.* 1498. *Argentinæ* 1504. *Basil.* 1573. *Mirandulæ* 1596. *Basil* 1601. f.

Alia Pici scripta enumerat Joannes Fr. Picus, Comes Mirandulanus, nepos atque hæres ejus, in Vitâ illius, viz. *Librum de veritate translationis Hieronymi adversùs Hebræorum calumnias. Defensionem* LXX. *Interpretum, quantùm ad Psalmos attinet, adversus eosdem. Libellum de verâ temporum supputatione. Commentaria in Novum Testamentum. Opus adversùs septem Ecclesiæ hostes*, (sc. Atheos, Ethnicos, Judæos, Muhammedanos, Christianos hæreticos, Christianos impios at Orthodoxos, Christianos impios simul & hæreticos.) *Libros* XII. *adversùs divinatricem Astrologiam. Ptolomæi Centiloquii versionem & refutationem. Opera contra omnes Hæreticos, De curatione morborum, De concordiâ Platonis & Aristotelis, Poëmata Latinâ & Hetruscâ linguâ*, &c. quæ nondum in lucem prodierunt.

PETRUS BRUTUS, natione Italus, patriâ Venetus, Episcopus Catharensis, claruit anno MCCCCLXXXV. Hebraicæ linguæ peritiam assequutus, contra Judæos calamum strinxit: fidem Christianam ex S. Scripturis luculenter exposuit, & labefactatis adversariorum argumentis fœliciter propugnavit: Extat *pro fide Christianâ* adversùs Judæos Opus celeberrimum Senatui Vicentino nuncupatum, *Victoria pro Christianis* dictum. Prodiit *Vincentiæ* 1489. *fol.* 1485. R. G.

CAROLUS FERNANDUS, seu *Phernandus*, gente Belga, civitate Brugensis, ab ipsis quidem vitæ primordiis cæcus, haud vulgariter tamen doctus; Orator, Philosophus, Poëta, & Concionator insignis: publicus humaniorum literarum in Academiâ Parisiensi Professor. Claruit anno 1486. Postea cucullum induit, & in Vincentiano apud Cœnomannos Cœnobio quod Casalinum dicitur, Monachis Benedictinis se adjunxit. Obiit anno 1496. 1486. H.W.

SCRIPTA.

DE animi tranquillitate libri ii.

De immaculata B. Virginis Conceptione libri ii. adversùs Vincentium de Castro Novo Ord. Prædicat.

Collationum Monasticarum libri IV.

Speculum Disciplinæ Monasticæ.

De observatione Regulæ Benedictinæ.

Prodierunt Opuscula ista quinque typis Badianis impressa, priora tria *Paris.* 1512. quartum *ibid.* 1515. quintum 1516.

Præter ista scripsisse dicitur Fernandus *Epistolarum libros* ii. *Orationum & Epigrammatum libros* iii. *Laudes Ordinis Carmelitarum, Odarum in laudem Christi libros* IV. *Elegias de contemptu mundi, Orationem de S. Catharinâ, & Orationem de Conceptione ad Carthusianos*: quæ MSS. adhuc delitescunt.

PHILIPPUS CALLIMACHUS EXPERIENS, natione Italus, patriâ Florentinus, oppido Sangeminiano oriundus, claruit anno MCCCCLXXXVI. Romæ sub Pio P. II. inter alios viros doctos, honestè & cum laude, vixit. Paulo autem secundo ad Pontificatum evecto conjurationis suspectus Româ pulsus est, & ad Casimirum Poloniæ R. perfugiens, ab eo amicè fuit exceptus, Liberisque ejus Præceptor datur, ad maxima Regni negotia pòst admotus, & Secretarii officio honestatus, nec priùs Aulâ quàm vitâ exiit. Obiit Cracoviæ IV. Cal. *Novembr.* anno MCCCCXCVI. Scripsit *Historiam de rebus gestis Attilæ Hunnorum R.* seorsim editam *Hagenoæ* 1513. & cum Bonfinio *de reb. Hungar.* recusam, *Francof.* 1581. *fol. De rebus gestis Uladislai Poloniæ* 1486. R. G.

Digitized by Google

Polonia R. separatim *August. Vind.* 1519. *4to.* & inter *Hungar. rer. scriptores*, Francof. 1600. *fol.* De *clade Varnensi*, à Lonicero editum, *Chron. Turcic.* Tom. II. *Francof.* 1578. *fol.* *Oratio sive Consilium de bello suscipiendo contra Turcas*, Isleb. 1603. *Historia de iis quæ à Venetis tentata sunt ad movendos Persas & Tartaros contra Turcas.* Opus istud, cum superiore, & Callimachi *vitâ* à Jo. M. Bruto adornatâ, prodiit inter *Persic. rer. scriptor.* Franc. 1601. *fo.* Unica ejus *Epistola ad Ang. Politianum* inter Politiani Epistolas reperitur.

1488. H. W. ÆLIUS ANTONIUS NEBRISSENSIS, vernaculâ linguâ *de Lebrixa* dictus, natione Hispanus, ex cognomine oppido in æstuariis Bœtis fluvii sito oriundus, natus est anno 1444. Joannis Martinez de Cala, & Catharinæ de Xarana filius. Postquàm in patriâ Grammatices & Dialectices elementa hauserat, Salmanticam missus, Appollonium in Mathematicis, Paschalem de Arandâ in Physicis, Petrum Oxomensem in Ethicis quinquennio audivit. Anno 1463. in Italiam profectus, cunctas ferè Academias lustravit; insigniores artium Professores frequentavit; & uberrimam Theologiæ, Juris utriusque, Medicinæ, linguarum Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ, notitiam consecutus est. Anno 1473. ab Alphonso Fonsecâ, Episcopo Hispalensi, in patriam revocatus, primus omnium humaniorum literarum scientiam postliminio intulit Hispaniæ; quæ mille circiter annis Vandalorum & Arabum armis oppressa Latinæ linguæ splendore & elegantiâ caruerat. Antonius in Episcopi familiam allectus, ludum literarium Hispali aperuit, & triennio rexit. Anno circiter 1476. post patroni sui obitum, Salmanticam se contulit; & duplici stipendio honestatus, duas cathedras (quod nemini antea contigit) Grammaticæ alteram, alteram Poëticæ, regendas suscepit. In hoc stadio literario, barbariei, quâ tot sæculis squaluerant Hispanorum ingenia, expugnandæ totus incubuit; duram sanè provinciam nactus. Morosæ enim Scholasticorum genti unà cum sermonis vitiis inoleverat & vitiorum amor. Acriter illi adversùs Antonium decertarunt, rerum novarum dicam illi inscripserunt, & tantùm non hæreseos accusarunt. Isti scilicet erant, quos Antonio, antiquas sermonis sordes repurganti, victoriæ erat instar, persuadere, ut sanari vellent. Claruit anno 1488. quo liberali stipendio invitatus, in Ioannis Stunicæ summi Alcantarensis militiæ præfecti, familiam transiit: ubi otium opportunum nactus, Dictionarium suum, aliaque ad Grammaticam illustrandam facientia scripta confecit. Primario interim Professore Salmanticensi è vivis sublato, Antonius defuncto suffectus est, & Salmanticam repetiit. Anno 1504. à Ferdinando Rege, cui summo in honore fuit, in aulam accersitus est, ut rerum ab ipso gestarum historiam scripto consignaret. Anno circiter 1508. egregiam Ximenio Cardinali trilinguem Bibliorum editionem molienti operam præstitit. Anno 1513. nescio qua ignominia ab ingratis Academicis affectus, Salmanticâ recessit, & in Ximenii clientelam se dedit. Ab eo lauto stipendio donatus, & primus Academiæ Complutensis Professor factus, ibi loci rem literariam scriptis & prælectionibus pro virili auxit. Obiit Compluti, apoplexiâ extinctus, die 11. Iulii, anno 1522. ætatis suæ 77. *Magnus Hispaniæ Aristarchus, præclarus Orator, multæ & variæ lectionis, cœlestis necnon ingenii & eminentis doctrinæ vir, Romanæ togæ gloria*: uti illum vocat Alphonsus Matamorus *; qui tamen alibi † agnoscit Historiam, quam de gestis à Ferdinando Rege conscripsit, Antonium tenui ac dejecto quidem stylo, parùmque diligenter prosecutum esse.

* Apologetic.
† Lib. de eruditis Hispaniæ viris & Academiis.

Append.

OPERA.

Paraphrasis in Sedulii Poëmata de miraculis Christi. Prodiit *Compluti* 1524. 4o.

Annotationes in Hymnos & Psychomachiam Aurelii Prudentii. Lucronii 1512. 4°. Antverp. 1540. 8°. Hanov. 1613. 8°.

Quinquagena locorum S. Scripturæ non vulgariter enarratorum, sive Critica Responsio ad totidem Quæstiones Biblicas. *Basil.* 1543. 8°. *Paris.* 1520. 4°. *Antverp.* 1600. 8°, & inter Criticos Sacros *Londini* 1660. Tom. XIII. p. 1165. *Duas alias Quinquagenas* scripserat Antonius: Verùm istas extorsit, & æternis tenebris damnavit Fidei Inquisitorum injuria.

Scholia in Segmenta ex Epistolis SS. Pauli, Jacobi, Petri, & Joannis, necnon & Prophetis, quæ in re divina leguntur per anni circulum. Granatæ 1545.

Annotationes in Orationes, quæ in universali Ecclesia decantantur per totum annum. Editæ sunt alicubi 1549.

Expositio in Hymnos in Ecclesia decantatos. Prodiit unà cum duobus præcedentibus Operibus *Granatæ* 1541. 4o.

Homiliæ diversorum Authorum in Evangelia, quæ diebus Dominicis leguntur, ex collatione variorum exemplarium castigatæ, & addita expositione illustratæ. *Ibid.* & *Granatæ.* 1549.

Acta Sanctorum, seu Vitæ nonnullæ, olim descriptæ, cum additionibus marginalibus. *Lucronii* 1527.

Homilia III. *de vinea spirituali nostræ mentis & sapientiæ.* Habentur inter Orthodoxogr. p. 1934.

De rebus à Ferdinando & Elizabethâ Hispaniarum Regibus usque ad annum 1509. *gestis Historiarum Decades* ii. quibus præmittitur *Geographica* quædam *Hispaniarum descriptio.* Sunt qui Historiam istam à Ferdinando quodam Pulgare Hispanicè compositam esse volunt, & Antonio nonnisi versionis Latinæ gloriam relinquunt. Utut sit, interierunt hodie prioris Decadis tres postremi libri, posterioris pars quarti & sex sequentes. Quod superest, prodiit *Granatæ* 1545. f. *Francofurt.* 1579. f. & Hispaniæ Illustr. Tom. I. p. 786.

De bello Navarrensi, à Ferdinando Rege contra Joannem Navarræ Regem anno 1512. gesto Historiarum libri ii. Prodierunt ubique ad calcem præcedentis Historiæ.

Lexicon Juris Civilis contra quosdam insignes Accursii errores. *Antverp.* 1527. 8°. *Lugduni* 1537. *Paris.* 1594. *Venet.* 1606. 8°.

Lexicon artis Medicamentariæ. Compluti 1518.

Dictionarium quadruplex, viz. Latino-Hispanicum, & Hispanico-Latinum. Nominum propriorum, & Latino-Hispanico-Theologicum. *Compluti* 1532. f. Antverp. 1572. *Granatæ* 1554, 1585. *Antiquariæ* 1606. *Hispali* 1612. *Lugduni* 1655.

Introductiones in Latinam Grammaticam, seu Commentariorum de sermone Latino libri V. *Barcinone* 1523. f. *Compluti* 1524. *Lugduni* 1541. *Antiquariæ* 1601. 8°.

Repetitio seu Prælectio de vi & potestate literarum *Salmanticæ* 1507.

Repetitio de Accentu Latino. Hispali 1513. 4o.

Lexicon seu *Vocabularium parvum*, in quo reperire est vocabula Scholasticis maximè necessaria. *Barcinone* 1523. f.

Repetitiones III. viz. *De Mensuris*, *De Ponderibus*, *& De Numeris.* Prodierunt simul *Compluti* 1529.

De Digitorum supputatione. Granatæ 1535.

Introductorium in Cosmographiæ libros. Paris. — 4°.

Collationes Antiquitatum Hispali editæ.

Ecphrases in Virgilii Opera. Granatæ 1546. 4o.

Annotationes in Auli Persii Satyras. Lucroni 1529. 8°.

De profectione Regum ad Compostellam Carmen.

M 3 Saluta-

SÆC. XV. ab An. M.CCCC. *Salutationes aliquæ ad patriam metricæ.*

Epithalamium in nuptiis Alphonsi & Elizabethæ Lusitaniæ Principum.

Vafrè dicta Philosophorum carminibus Latinis reddita.

Prodierunt simul Poëmata ista *Granatæ* 1534. 4°. & cum notis *Antiquariæ* 1577.

Alia quædam Nebrissensis Opera, Philologica ferè aut Grammatica, recenset Nicolaus Antonius Biblioth. Hispan. T. I. p. 107. quæ & typis nondum impressa sunt, & ad hunc locum minùs spectant.

1488. H. W. AURELIUS BRANDOLINUS, *Lippus* cognomento dictus, patriâ Florentinus, Theologus disertus, Musicæ & Rhetoricæ peritissimus, Poëta verò consummatissimus, adeò promptus & facilis in pangendis versibus, ut quicquid dicturus erat, versus vel invito excideret. Clatuit anno 1488. A Matthiâ Corvino Rege in Hungariam accitus, Rhetoricam Budæ & Strigonii per plures annos docuit. In Italiam redux, Ordini Eremitarum Augustiniano nomen dedit, in Monasterio Florentino habitum indutus; & sacris demum Ordinibus initiatus, inter clarissimos sæculi sui Concionatores nomen tulit. Obiit Romæ, peste correptus, anno 1498.

SCRIPTA.

Paradoxa Christiana libris ii.

De ratione scribendi libri iii. *Colon.* 1573. 8°.

De humana vita conditione & tolerandâ corporis ægritudine Dialogus ad Matthiam Corvinum Hungariæ Regem.

Prodierunt simul tria ista Opera *Basil.* 1498, 1543.

Carmina de morte Platinæ. Habentur in calce Operum Platinæ.

Nondum tenebris exierunt, *Historia omnes Vet. Testamenti elegantiore stylo reddita*, *Historia Sanctorum multa. Utrumque Testamentum metro enarratum*, *Commentaria in Epistolas S. Pauli*, & *Orationes plurima*, quæ Brandolinus scripsisse dicitur.

1488. H. W. PETRUS SCHOTTUS, gente Germanus, patriâ Argentoratensis, anno circiter 1459. præclaris parentibus natus. A Joanne Mullero Grammaticâ primisque literarum elementis imbutus, Lutetiam unà cum præceptore suo se contulit; ubi plures annos moratus nil in omni scientiarum genere intentatum reliquit. Postquàm ibi maximam nominis sui famam apud eruditos omnes excitâsset, & Baccalaureatûs gradum tulisset, patriam repetiit. Salutatis obiter amicis, Bononiam se contulit; & Poëticæ, Rhetoricæ, ac Græcarum literarum studio se dedit, in his præceptorem nactus Antonium Britoniensem. Jus verò Canonicum pariter ac Civile inprimis coluit; & utriusque Doctoratum meruit. Claruit anno 1488. In patriam redux, Ecclesiæ S. Petri Canonicus constitutus fuit. Obiit medio ætatis cursu fatis immaturis abreptus anno 1491. ætatis suæ 31. teste Trithemio *. Extant *Vita SSS. Joannum Baptista, Evangelista, & Chrysostomi*, carmine elegiaco; & *Laudes Joannis Gersonis* metro itidem descriptæ, item *Epistola aliquot*, & *Quæstiones varia de rebus ad conscientiam pertinentibus.* Argentinæ 1498.

* De Script. p. 190.

1489. H. W. ARNOLDUS BOSTIUS, seu *Boschus*, natione Germanus, Ordinis Carmelitani Monachus in Monasterio Gandavensi, claruit anno 1489. Trithemio, Hermolao Barbaro, Gaguino, aliisque reipublicæ literariæ primoribus admodùm familiaris. Obiit Gandavi prid. Non. April. anno 1499. Extant *Libri* ii. *de Viris illustribus Ordinis Carthusiani*, Colon. 1609. 8°. Cætera illius scripta recenset Trithemius de Script. Eccl. p. 204. & in his *Librum tertium de Illustribus Ordinis Carmelitani Viris*, quem Mechliniæ MS. asservari prodit Miræus Auctar. cap. 494. Certè penès Baleum olim fuit, necnon alius ejusdem Autoris *De Patronatu Mariæ.* SÆC. XV. ab An. MCCCC.

HENRICUS BEBELIUS, natione Germanus, Justingæ in Sueviâ natus; infimæ quidem sortis parentibus, honestis tamen; Vir omni melioris literaturæ genere apprimè instructus; quique politioris doctrinæ studium & Latinæ linguæ eloquentiam Germaniæ inter primos intulit. Poëticen verò maximè excoluit, tam uberem carminis venam nactus, ut à Maximiliano Cæsare laureâ Poëticâ donaretur. Claruit anno 1489. In Tubingensem Academiam anno 1497. evocatus, Poëtas, Historicos atque Oratores priscos publicè explicandos suscepit. Obiit post annum 1506. 1489. H. W.

SCRIPTA.

Facetiarum libri III. in quibus nonnulla pietati & honestis auribus injuria notari possunt. *Argentinæ* 1603. 8°. & cum aliorum facetiis *Francofurt.* 1590. 8°.

Oratio ad Maximilianum I. *Cæsarem de ejus & Germania laudibus.* Extat inter Scriptores Rerum Germanicarum à Schardio editos Tom. I. p. 95.

Demonstratio Germanos esse αὐτόχθονας. ibid. pag. 105.

Apologia pro defensione Imperatorum contra Leonardum Justinianum & alios, *qui nomen Imperatorum extenuant*, *ejusque coronationem rident.* ibid. p. 109.

Tractatus, quod Imperator Christianorum, jure Christianissimus sit dicendus. ibid. p. 116.

De laude, antiquitate, imperio, victoriis, rebusque gestis veterum Germanorum. ibid. p. 117.

Epitome laudum Suevorum, & Ulrici principis Wirtembergici. ibid. 135.

Apophthegmata aliquot Imperatorum Romanorum, per Æneam Sylvium & Bebelium nostrum consignata, prodierunt inter alia quædam Collectanea *Francofurt.* 1602. f. p. 175.

Ecloga triumphalis de victoriâ Maximiliani Imp. contra Bohemos, ibid. p. 251.

Ars condendorum Carminum, & *Racemationes in carmine observanda.* Tubingæ. 1515.

Institutio puerorum, ibid.

Triumphus Veneris, ibid.

Commentarius de Epistolis conscribendis.

De abusione lingua Latina apud Germanos, & *de proprietatibus ejusdem liber.*

Vocabularium optimarum dictionum.

De Magistratibus Romanorum.

De nominibus artificum, & *morborum corporis humani Gracis ac Latinis.*

De nominibus Sanctorum cum eorum interpretatione.

Quarundam Quæstionum expositiones.

De pagis Suevorum & Neccaro fluvio.

Apologia cum Commentariis.

Retractationes.

Instructio benè scribendi.

De nominibus officiorum apud Principes.

De accentibus Hebraicis. Opuscula omnia à Commentario de conscribendis Epistolis inclusivè enumerata; uno volumine impressa sunt *Argentinæ* 1513.

De Proditione Ducis Mediolanensis, *De mendaciis quorundam Historicorum*, atque alia quædam, quæ ex Simlero peti possunt.

GAUFRIDUS BOUSARDUS, natione Gallus, nobili apud Cænomannos loco ortus, anno 1456. in Collegium Navarrense receptus, Philosophiam & humaniores artes excoluit. Earundem scien- 1489. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. ſcientiam haud vulgarem conſecutus, cathedræ Philoſophicæ apud Navarrenſes præfectus eſt. Anno 1478. ſtudiis Theologicis, abdicatâ Philoſophiæ curâ, ſe totum dedit: atque anno 1489. quo demum claruit, Doctoratûs inſignia ſuſcepit. Anno circiter 1510. Romam profectus, & Româ Bononiam coram Julio II. Pontifice de nomine Jeſu concionem habuit. Anno 1511. Synodo Piſanæ adfuit; & Concilii juſſu Cajetani librum de Auctoritate Papæ & Concilii, Pariſios ſecum retulit, ut reſponſionem à Theologis Gallis procudi obtineret. Eodem anno Academiæ Pariſienſis Cancellarius, & paulò poſt Theologorum Decanus creatus eſt. Anno 1518. Cancellariatum Pariſienſem Auximenſi apud Cænomannos Eccleſiâ permutavit. Obiit Cœnomannis anno 1520. ætatis ſuæ 81. in Templo S. Vincentii ſepultus.

SCRIPTA.

Opus de Continentiâ Sacerdotum ſub hâc quæſtione: Ut Papa poſſit diſpenſare cum Sacerdote ut uxorem ducat; Prodiit Pariſ. 1505. 8°.

De diviniſſimo Miſſæ Sacrificio compendioſa & brevis Expoſitio. Pariſ. 1511. 1520. 4°.

Nova & fructuoſa Interpretatio in VII. *Pſalmos Pœnitentiales.* Pariſ. 1519. 8vo.

Oratio pia & prolixa ad Chriſtum, quâ omnia vitæ ſuæ geſta enarrat. Præfigitur Interpretationi in Pſalmos Pœnitentiales; & habetur etiam apud Launoium Hiſt. Gymnaſ. Navar. par. 2. p. 627.

1489. H. W. DONATUS BOSSIUS, gente Italus, Patriâ Mediolanenſis, natus anno 1436. Claruit anno 1489. Scripſit *Chronicon*, ſeu *Conditionum & mutationum humanarum Hiſtoriam* ab initio Mundi ad ſua uſque tempora; item *Chronicon de Epiſcopis & Archiepiſcopis Mediolanenſibus* ad annum uſque 1489. Prodiit utrumque ſimul Chronicon *Mediolani* 1492. f.

1489. R, G. ANTONIUS GISLANDIUS, natione Italus, Javeno Lombardiæ oppido natus, Ord. Præd. Monachus, & per Provinciam Taurinenſem hæreticæ pravitatis Inquiſitor, claruit ann. MCCCCLXXXIX. Scripſit *Reſolutiones dubiorum Evangelicorum*, Opus in duos Tomos diſtributum, quorum prior ſeorſim prodiit *Lugd.* 1510. 8vo. uterque conjunctim *ibid.* 1542. 8vo. *Venet.* 1574. 4to. In hoc opere Evangelia quadruplici ſenſu exponit, & decem millia quæſtionum ſolvit. Ab hoc haud diverſum arbitror *Opus Aureum ſuper Evangelia totius Anni, ſecundùm uſum Romanæ Curiæ & Ordinis Fr. Præd.* impreſſum *Venet.* 1598. 1606. 4to.

1490. H. W. MARCUS ANTONIUS COCCIUS SABELLICUS, natione Italus, Patriâ Æquicolenſis, ſeu ut alii habent, ad vicum Varronis in viâ Valeriâ natus, patrem habuit fabrum ferrarium, bonis literis excultus, ludum literarium, primùm apud Tiburtinos aperuit: dein altiora meditatus Romam tranſiit; & in Pomponii Læti amicitiam ac ſodalitium receptus uberiorem eloquentiæ Latinæ ſcientiam hauſit: & ſolenni Pompâ in Quirinali monte laureâ coronatus, Sabellici nomen tulit. Claruit anno 1490. Româ digreſſus, Utini prope Aquileiam nobiles pueros literis inſtituit; mox verò duplicato ſtipendio à Vicentinis evocatus, ut juventuti urbanæ præeſſet, illuc ſe tranſtulit. Augeſcente indies doctrinæ famâ, à Senatu Veneto accitus eſt, ut Reipublicæ res geſtas literis mandaret, & liberales artes publicè edoceret; trecentorum aureorum ſalario donatus, & à Cardinale Beſſarione Bibliothecæ ab ipſo apud S. Marcum fundatæ præfectus. Obiit ſeptuagenarius anno 1506. XIV. Cal. Maias, lue Gallicâ confectus, quam ex impuri ſcorti amore delirus ſenex contraxerat. *Vir naturâ facundus, nec artis expers*, inquit Eraſmus*, *quique non infœliciter rhetoricatur interdum: in hiſtoriâ ſat ſplendidè verſatus, ſed in hâc tantùm, quæ ſuum dicendi genus deſiderat.* SÆC. XV. ab An. MCCCC. * Ciceronian. p. 374.

OPERA.

Rapſodiæ Hiſtoriarum ab Orbe condito uſque ad annum 1504. *Enneades* XI. Binæ enim priores editiones--1470. f. *Venet.* 1498. ultimam Sabellici manum non ſubierunt.

De rebus geſtis Venetorum ab Urbe conditâ ad annum circiter 1487. Hiſtoriarum libri XXXIII. *Venet.* 1487. f.

Exemplorum libri X. Prodierunt ſeorſim *Baſil.* 1533. 8vo.

De Aquileiæ antiquitate libri VI.
De Venetæ urbis ſitu libri III.
De Venetis magiſtratibus liber.
De Prætoris officio liber.
De *Officio Scribæ* Dialogus.
De *Latinæ linguæ reparatione* Dialogus.
Epiſtolarum familiarum libri XII.
Orationes XII.
Poëmata varia.

Prodierunt omnia Sabellici Opera hactenus recenſita *Baſil* 1560. Tom. IV. f. omnia ab Exemplorum libris excluſivè enumerata *Venet.* 1505.

Annotationes in Horatium, Baſil. 1580. *in Suetonium*, Venet. 1490. f. Pariſ. 1610 *in Plinium*, Francofurt. 1602. 8°. Venetiis 1508. *in Livium*, ibid. & Pariſ. 1573. *Oratio in Livium de laudibus Hiſtoriæ*; ibid. *Annotationes in Valerium Maximum, Lucanum, Papinium, Catullum, Ciceronem, & Valerium Flaccum*, à Badio unà cum Annotationibus in Plinium, Livium, & Suetonium impreſſæ ſunt ſimul *Pariſiis* f.

PONTICUS VIRUNNIUS, ſeu *Virumnius*, natione Italus, Patriâ Tarviſinus, claruit anno 1490. quo circiter tempore in gratiam Badoeræ, clariſſimæ Venetorum familiæ, quæ ex Britannis originem duxerat, ſex priores Galfridi Monumetenſis de rebus Anglicis Hiſtoriæ libros, reſectis fabuloſis, in epitomen redegit. Prodiit iſta *Epitome*, quâ à Bruti tempore ad Arturum Regem, annum verò Chriſti 528. res Britannicæ libris VI. enarrantur, *Auguſt.* 1534. 8vo. *Londini* 1585. 8vo. & inter Rerum Britannicarum Scriptores ab Hieronymo Commelino editos *Lugduni* 1587. f. p. 93. Scripſit adhuc Ponticus *Commentaria* in Virgilium, Ovidii Metamorphoſin, Statii Achilleida; Claudianum, & Joannis Sacroboſci Sphæram; *De obſcuris autorum locis & corruptis nominibus libros* III. *De miſeriâ literarum libros* ii. *Elegiarum & Epigrammatum librum*; *ut Verſiones* Græcorum aliquot Scriptorum Latinas, aliaque *Opuſcula* à Simlero p. 585. enumerata taceam. 1490. H. W.

BONIFACIUS SIMONETA, gente Italus, Civitate Mediolanenſis, ortu nobilis, Joannis Simonetæ Hiſtorici patruus, Ordinis Ciſtercienſis Monachus, ac demum Abbas Monaſterii S. Stephani de Cornu in regione Placentinâ. Claruit anno 1490. Scripſit ad Carolum VIII. Galliæ Regem, *Commentarios de Perſecutionibus Chriſtianis, & Pontificum hiſtoriâ* à S. Petro uſque ad Innocentium VIII. Commentarios hoſce continuo narrationis filo non contexuit, ſed novâ planè methodo Epiſtolarum libris VI. comprehendit. His Orationes nonnullæ inſeruntur; ſingulisque Epiſtolis, numero CCLXXIX. Anatomica, Medica, Geographica, Aſtronomica ac Mathematica admiſceri ſolent. Prodiit Opus iſtud *Mediolani* 1492. & Hieronymi Emſeri curâ *Baſil.* 1509. 1490. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. 1490. H. W. PETRUS APOLLONIUS COLLATIUS, Presbyter Novariensis, claruit, ex Vossii * sententiâ, (quæ quidem potior videtur) circa annum 1490. à Bignæo verò, Miræo, aliisque ad septimi sæculi finem refertur. Eundem esse conjicit Vossius cum Apollonio Collatio, Fastorum conditore, quem inter Autores vergentis istius sæculi recenset Cæsar Scaliger †; & *frigidiusculum fuisse Poëtam, & cùm discedit ab elegiaco, etiam infœlicem*, prodit. Scripsit Apollonius noster carmine heroico *Libros IV. de Excidio Hierosolymorum* à Tito expugnatorum. Prodierunt isti, curâ Joannis Gagnæi *Lutetiæ* 1516, emendatiores studio Adriani Vander-Burchii *Antverpiæ* ex officinâ Christophori Plantini, in Appendice Poëtarum Christianorum Bigneanâ p. 731. & in Bibliothecâ Patrum Tom. XII. Extat etiam MS. penès Reverendum Patrem * Mabillonium (quod inter alia à Cl. Magliabecchio dono acceperat) Apollonii nostri *Carmen Heroicum de Davide & Golia* ad Laurentium Medicem ex quo hoc ipsum tempore floruisse luce clarius est.

* De Hist. Lat. l. 3. par. 2. c. 10.
† Poëtic. l. 6.
* It. Ital. p. 194.

1490. R. G. PETRUS APOLLONIUS COLLATIUS, natione Italus, patriâ Florentinus, Presbyter Novariensis, claruit an. MCCCCXC. *Carmen* ejus *Heroicum de Davide & Goliâ*, cujus ex Mabillonio meminit H. Whartonus, uti & *Carmen Epicum*, (*Christi Crucifixi ad Judæos querela* prænotatum; *Elegias* quasdam, *Epigrammata*, &c. nuper edidit Laz. Aug. Catta J. C. Novariensis *Mediolan.* 1692. 8vo. *Fastos* ejus laudat Vossius *Hist. Pelag.* lib. II. par. 3. p. 245. & versus aliquot de *Nativitate gloriosæ Virginis* exinde profert, *ibid.*

1490. R. G. JOANNES CAROLUS, natione Italus, patriâ Florentinus, Ord. Prædicat. in Cœnobio S. Mariæ Novellæ Monachus, claruit ann. MCCCCXC. humanis excessit Cal. *Febr.* anno MDIII. ætatis 75. Vitas virorum aliquot illustrium qui in illo Conventu floruerunt pio animi affectu, & pari eloquentiâ conscripsit, viz. Joannis Salernitani primi istius Domûs Fundatoris, Aldobrandini Calvacanti Episc. Urbevetani, Simonis Santerelli Archiep. Pisani, Angeli Acciaioli Antistitis Florentini, Alexii Strozzæ, Guidonis Regiolani, & Joannis Dominici Ragusini Card. Opus Christoph. Landino Ang. Politiani Præceptori nuncupatum extat MS. in *Biblioth. S. Mariæ Novellæ* apud Florentinos: inde ut arbitror singulas descripsit, & operi suo *de Viris Illustribus Prædicatorum* sparsim inseruit Leander Albertus, quod prodiit *Bononiæ* 1517. *fol.* In *eadem Biblioth.* servantur & alia ejus opera MSS. *Librum dierum Lucensium* formâ Dialogi conceptum, & illorum temporum deplorationes continentem memorat Cl. Mabillon. †. Tractatus *super Psalmos Pœnitentiales*; *Orationum & Concionum* volumen; *de dignitate Monasterii S. Mariæ Novellæ*; ac alia opera recensent Ant. Possevinus & Ambr. de Altamura, in *Biblioth. Dominicanâ.*

† Iter. Ital. p. 162.

1490. R. G. MATTHÆUS BOSSUS, natione Italus, patriâ Veronensis, B. Augustini Canonicus Regularis in Monasterio Fesulano, & ut quibusdam videtur ejusdem Cœnobii Abbas, claruit Ang. Politiano, & Pico Mirandulano æqualis, an. MCCCCXC. Laurentio Medices summo eruditorum virorum fautori fuit à sacris Confessionibus, & Joanni filio ejus Cardinali (qui postea Papa renunciatus Leo X. dictus est) perquàm dilectus: Hunc Sixtus Papa IV. ad Sacras Insubriæ & Liguriæ Virgines ordinandas, reformandasque misit, & operæ pulchrè navatæ præmium sacras ei Infulas obtulit; verùm dignitatem istam tranquillo otio posthabuit homo minimè ambitiosus; & LXXV. ætatis anno salutis humanæ MDII. privatus obiit. Varia post se reliquit ingenii sui monumenta, diversis locis & temporibus edita. *Dialogus de veris & salutaribus animi gaudiis*, tribus libris distinctus prodiit *Bonon.* 1491. *De instituendo sapientiâ animo*, sive, *de vero sapientiæ cultu*, lib. VIII. *Bonon.* 1495. 4to. *De tolerandis adversis, dialogi duo*; *de gerendo Magistratu, justitiâque colenda*, opusculum; *de immoderato mulierum cultu exhortatio.* Opera hactenus enumerata junctim prodierunt *Argent.* 1509. 4to. *Orationes variæ*; *Epistolarum* libri tres, primus sub titulo *Recuperationum Fesulanarum* prodiit *Bonon.* 1483. Secundus *Epistolas familiares* complexus typis excusus est *Mantuæ*, 1498. *fol.* Tertius cum Sermonibus quibusdam subjunctis, *Venet.* 1502. 4to. Opera omnia Julii Ambrosini ejusdem Congregat. Canonici curâ collecta, *recognita* & *expolita* prodierunt *Bononiæ*, 1627. *fol.* SÆC. XV. ab An. MCCCC.

CONRADUS SUMMENHART, natione Germanus, patriâ Suevus, domo Calviensis, S. Theologiæ Professor, & Scholæ Tubingensis, sub primordia ejus, ingens decus & ornamentum, claruit anno MCCCCXC. Natus ann. MCCCCLXV. denatus MDXI. pestiferâ lue in Monasterio de Schuteren extinctus. Extat *Tractatus bipartitus, quod Deus homo fieri voluerit, quodque Messias in Lege & Prophetis promissus, non solùm Homo, sed etiam Deus esse debuerit*, editus *Tubingæ* 1494. *De duodecim abusibus Monasticis*, Oratio ad Patres Benedictin. in Capitulo Hirsaugiensi *ibid.* 1498. *Septi-partitum opus de Contractibus pro foro Conscientiæ & Theologico.* Hagenoæ 1515. *fol. Venet.* 1580. *fol. De decimis defensivis* Argent. 1490 *fol. in quatuor libros Sententiarum Conclusiones*, an editæ sint nondum comperi, præter Commentaria in universum Aristotelis Physicam *Basil.* 1517. edita; & id genus alia. 1490. R. G.

JOANNES TUROCIUS, sive, de THWROCZ, patriâ Pannonius, claruit anno MCCCCXC. Opus historicum de rebus Hungaricis conscripsit ab Attilâ primo Rege, usque ad Coronationem Matthiæ Corvini, quæ an. MCCCCLXIV. contigit, nisi quòd XL. annorum series ab anno MCCCXLII. ad annum MCCCLXXXII. *Joannis de Kikulleri* operâ digesta sit; eam Historiæ suæ, habitâ temporis ratione, verbo tenus inseruit Turocius, & dicto Matthiæ R. dicavit. Prodiit *Chronicon* ex utriusque laboribus concinnatum, in iii. libr. dispositum, *Augustæ* typis Erhardi Radholt anno 1488. inter *Hungaric. rer. Scrip.* à Jac. Bongarsio editos recusum *Francof.* 1600. *fol.* 1490. R. G.

ALBERTUS BARO de BONSTETEN, natione Germanus, Maximiliano Imp. I. à Sacris, & Eremitarum in Helvetiâ Decanus, claruit anno MCCCCXCI. Literis commisit *Vitam Nicolai Tolentini Ord. Eremit.* Monachi, qui complures annos cibi expers vixisse creditur, eam edidit L. Surius ad x. diem *Septembr.* Extat & Historia ejus labore concinnata, quam *Austriacam* inscripsit, & Carolo VIII. Galliæ R. nuncupavit, MS. in *Biblioth. Cæsareâ Vindob.* Hujus meminit eruditiss. Pet. Lambecius *Commentar.* Tom. II. p. 4. eamque se editurum pollicitus est, sed morte præventus non præstitit: idem in rei Literariæ commodum in se suscepit digniss. ejus Successor Dan. Nessellius *editâ Sciagraphiâ*, Vindob. 1692. 1491. R. G.

ALEXANDER VI. *Rodericus*, sive, *Theodoricus Borgia* antea dictus, natione Hispanus, patriâ Valentinus, ex nobilissimâ Borgiarum familiâ oriundus, Callisti III. ex fratre nepos, à Callisto patruo Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, Archidiaconus, & Vicecancellarius creatus, tandem Episcopus Portuensis, & Sacri Collegii Decanus evasit Post Innocentii VIII. obitum anno 1492. Pontifex Romanus electus 1492. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. electus est die XI. Augusti, coronatus die XXVI. id dignitatis mercatus, partim pecunia, partim opimis sacerdotiis, officiis, quin & sedis Romanæ fundis & castellis, inter primores Cardinales distributis. In rebus Ecclesiasticis nil memoratu dignum gessit: alia prorsus ille curæ habuit; ut divenditis passim, nullâ juris, nullâ pudoris ratione habitâ, dispensationibus pecuniam undequaque corraderet. Hinc Ludovico Galliæ Regi anno 1498. potestatem fecit Joannam uxorem dimittendi, nullo alio nomine, quàm quòd sterilis & invenusta esset. Id verò inprimis egit, omnique curâ molitus est, ut sæcularem Principatum Cæsari Borgiæ, filio notho, per fas & nefas compararet, Petrique patrimonium in Borgiæ hæreditatem commutaret. Sanè incœpto isti nec pater nec filius defuit. Iste conscripto paternâ ope exercitu Flaminiæ & Umbriæ Regulos civitatibus suis summâ injuriâ ejecit: ille filium utriusque Provinciæ Ducem, & Ecclesiasticæ ditionis Principem autoritate Apostolicâ creavit. Verùm sacrilegis ausis fata obstitere. Obiit enim Alexander anno 1503. die XVIII. Augusti, fatali pincernæ errore veneno extinctus, quod opulentioribus ipse aliquot Cardinalibus, quorum divitiis inhiabat, ad cœnam vocatis propinandum paraverat. Mores ejus fœdissimos, immensam ambitionem, avaritiam turpissimam, detestandam sævitiam, nefandam libidinem, & incestos cum Lucretiâ filiâ concubitus ubertim depingunt Historici istius ævi, Guicciardinus *, Cicconius, aliique; ut Brietium † aliosque è recentioribus taceam; adeò ut criminibus hisce illum eximere frustra laboret Bzovius *. Extat *Bulla super Canonizatione Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis*, Concil. Tom. XIII. p. 1476. *Epistolæ & Constitutiones Ecclesiasticæ* XXI. apud Bzovium ad an. 1493. &c. Plures in Collectione Romanâ, & Bullario Laertii Cherubini. *Epistolæ aliquot ad Franciscum Ximenium Archiepiscopum Toletanum* in Vitâ Ximenii. *Clypeus defensionis fidei S. Romanæ Ecclesiæ*, Argentorati 1497. editus. *Liber de Cardinalium excellentiâ & officio Vicecancellarii*, & *Glossa in Regulas Cancellariæ ad* Innocentium VIII. MSS. olim in Bibliothecâ Card. Sirleti.

* De rebus Ital. lib. I.
† Annal. ad an. 1492. 1495. 1503.
* Annal. Tom. XVIII.

1492. H. W. BERNARDINUS DE CARAVAIAL, gente Hispanus, antiquâ & nobili familiâ ex urbe Cazeres in provincia Extramaduræ prognatus; Asturicensis, Pacensis, Carthaginensis, ac Seguntinus Episcopus, & Ferdinandi Hispaniæ Regis ad Innocentium VIII. Orator, demum Cardinalis ab Alexandro VI. factus, claruit anno 1492. Anno 1511. cùm Julius Pontifex fidem Cardinalibus olim datam de habendo Concilio Oecumenico turpissimè violaret. Bernardinus adjunctis sibi aliis quibusdam Cardinalibus Concilium Generale Pisis habendum indixit; & Calendis Septembribus celebravit. Eapropter à Julio depositus dignitate Cardinalitia excidit. A Leone X. restitutus, Decani vices in sacro Cardinalium Collegio tulit, & Episcopatum Tusculanum obtinuit, Patriarchatu Hierosolymitano titulo tenus antea cohonestatus. Obiit Romæ in Monasterio S. Crucis Hierosolymitanæ die XIII. Decembris anno 1523. Extat *Oratio ad Cardinales* anno 1492. habita de eligendo Summo Pontifice, *Romæ* 1492. excusa. Alia ejusdem commemorat Nicolaus Antonius Biblioth. Hispan. Tom. I. p. 168. viz. *Orationem ad Sixtum* IV. & *Cardinales in die Circumcisionis Dominicæ* anno 1484. *Homiliam in Exaltationem S. Crucis* coram Maximiliano Imp. Mechliniæ anno 1508. recitatam; *Sermonem ad Cardinales in commemoratione victoriæ Bazensis*; *Epistolam consolatoriam ad* Ferdinandum *Regem in obitu Serenissimi Principis Ioannis*; *Orationem nomine Catholicorum Regum ad Alexandrum* VI. Singula ista Opuscula edita in lucem esse fidem facit Antonius; sed nec locum nec tempus editionis indicat.

JOANNES de LAPIDE, natione Germanus, Doctor Theologiæ Parisiensis & Ord. Carthus. Monachus, claruit an. MCCCCXCII. Tyrocinium literarum in Academiâ Parisiensi posuit; inde ad Basileensem se contulit; & post-habito Ecclesiæ Cathedralis Canonicatu cucullum induit, domumque Carthusianam ingressus, vitam tranquillam & devotam degit. Scripsit *Resolutorium dubiorum circa celebrationem Missarum occurrentium.* Prodiit primò *Basileæ* 1492. 8°. postea variis locis, & non uno titulo impressum. *Daventr.* 1493. *Lipsiæ* 1499. *Colon.* 1501. 1506. 4to. *Antverp.* 1511. 4to. *Venet.* 1516. *Constantiæ* 1596. 12mo. *Paris.* 1598. *Patav.* 1599. *De Ascensione* Domini; *de Conceptione immaculata Virginis*, utrumque inter Sermones Meffrethi editum. *De Qualitate & Officio Sacerdotis*, sive, de iis quæ ad dignum Sacerdotem exiguntur. Extat MS. in *Bibl. Basileensi. Summaria Passionis Domini*, *Sermones*, & alia opuscula memorat Possevinus, quæ utrum alicubi reperiantur incertum est. Commentarii in Aristotelem, & Gilb. Porretanum *de sex principiis* prodierunt *Basileæ* typis Amerbachianis. 1492. R. C.

HARTMANNUS SCHEDELIUS, natione Germanus, domo Norimbergensis, Philosophiæ & Medicinæ Professor, claruit anno MCCCCXCII. Inter Ecclesiasticos Scriptores locum meruit Chronico quod scripsit Universali, per sex ætates Mundi distributo, & res Ecclesiasticas non minùs quàm civilia negotia complectente. In hoc opere seriem Pontificum, Cæsarum, Regum, aliarumque rerum memorabilium ab initio mundi ad an. MCCCCXCII. succinctè descripsit: id in publicum emisit *Norimberg.* 1493. *fol.* eâ de causâ *Chronicon Norimbergense* vulgò dictum: idem Opus recusum prodiit *August. Vind.* 1497. Commentarius de Sarmatiâ ex hoc Chronico, ut videtur, sumptus inter *Polon. rerum Scriptores* à Pistorio editos comparet *Basil.* 1582. *fol.* edidit prætereà Consilium *de Peste*, & alia in *Medicina*, quæ non sunt hujus loci. 1492. R. G.

HIERONYMUS DONATUS, Patricius Venetus, claruit anno 1494. Cretæ insulæ aliquamdiu præfectus, summisque in patria sua honoribus cumulatus, à Republica Veneta ad Julium II. Pontificem anno 1510. legatus pacem afflictæ civitati impetravit, ac paulò post Romæ diem supremum obiit annos circiter 53. natus. Scripsit *Apologeticum ad Græcos de Principatu Romanæ sedis*, excusum *Romæ* 1525. & in Apparatu ad Concilia Labbeano Tom. 2. par. 2. pag. 27. Græcè Tractatum istum dum in Creta ageret conscripsit, ac postea dum quartùm Romæ legationis munere fungeretur, Latinum fecit. Scripsit adhuc *Epistolas varias*, quarum aliquot habentur in secundo & quinto libro Epistolarum Angeli Politiani. E Græco verò in Latinum sermonem *convertit* S. Dionysii Areopagitæ librum de Divinis nominibus, & Epistolis; S. Joannis Damasceni tractatum de Immaculatis Mysteriis; & Alexandrini Aphrodisæi Opus de Anima. *Tractatus*, quem *de Processione Sp. S.* conscripsit; *Liber de Terra motu Insulæ Cretæ*; & *Oratio ad Lusitaniæ Regem*, nondum, quod scio, in lucem prodierunt: cùm tamen Philippus Donatus, Hieronymi nostri filius in Epistola ad Clementem VII. nuncupatoria, Apologetico de Principatu Romanæ Sedis præfixa, scribat sese Patris librum de Processione Spiritûs S. adversùs Græcos quinto antehac ann. Leoni X. dicavisse. 1494. H. W.

NICOLAUS BARIANUS, natione Italus, patriâ Placentinus, Ordinis Augustini Eremita Monachus, 1494. H. W.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. Monachus, Theologiæ & Juris Pontificii consultissimus. Claruit anno 1494. Natâ inter Augustinianos & Minoritas de Praecedentiæ jure controversiâ, ipse gregalium suorum causam summâ doctrinâ egit, & penes istos à Jurisconsultis pronunciari obtinuit. Argumenta postmodùm sua scripto commisit, & titulo *Causa Vitaliana de pracedentia Eremitarum & Minorum*, typis excudi fecit *Cremona* 1500. Scripsit etiam *Librum de monte impietatis*, *Cremona* 1496. editum, & ad calcem libri de Montibus pietatis Romanensibus, qui *Lipsia* prodiit anno 1670. & *Quadragesimale Quodlibeticum* LXXVII. *Quastionum Pradicabilium*, *Bononia* 1501. 4°. impressum.

1494. R. G. NICOLAUS BARIANUS, natione Italus, patriâ Placentinus, Ord. Eremit. S. Augustini Regularis Observantiæ Mediolan. Doctor Decretorum, claruit ann. MCCCCXCIV. In defensionem Ordinis sui opus edidit, quod *Causam Vitalianam & Pracedentiam Eremitarum & Minorum* inscripsit, prodiit *Cremona* 1500. Extat & *Quadragesimale quodlibeticum septuaginta septem quastionum pradicabilium*, impressum *Bononia*, 1501. 4to. *De montibus pietatis*, libellus ad Georgium Card. Albanensem, *Cremon.* 1496. *Lipsia* 1670. 4to.

1494. H. W. ROBERTUS GAGUINUS, gente Belga, ex vico Callinâ in Artesiæ finibus ad Lisam fluvium oriundus. Ineunte adhuc ætate Monasterium Niepense apud Morinos ingressus, Ordini SS. Trinitatis de Redemptione captivorum nomen dedit. Lutetiam dein studiorum ergo missus, in D. Mathurini Cœnobio apud sodales suos moram egit; & utriusque Juris lauream accepit; anno demum 1473. totius Ordinis sui Generalis factus. Claruit anno 1494. Prudentiæ non minùs, quàm doctrinæ famâ insignis, multas in Italia, Germania, ac Britannia pro Carolo VIII. & Ludovico XII. Galliæ Regibus, legationes obiit: isti in primis charus, à quo ingenti pecuniæ vi donatus est, Bibliothecæ regiæ præfectus. Obiit Lutetiæ anno 1501. x. Cal. Junias apud Mathurinos suos sepultus. Vir minimè indoctus, & in Historia, ac Rhetorica ac Poëtica haud vulgariter versatus: in quo tamen fidem in enarrandis rebus patriis & Gentilium suorum laudibus deprædicandis omnes desiderant. De stylo ejus hæc habet Erasmus *. *Robertus Gaguinus non ita pridem habitus fuit magni nominis, dictione tamen, quàm scriptis vendibilior; verùm suo sæculo; nunc vix inter Latinè loquentes reciperetur.*

* Ciceronian.

SCRIPTA.

Annales rerum Gallicarum libris XI. ab anno Christi 300. usque ad ann. 1500. Prodierunt *Paris.* 1511. & cum supplemento Huberti Vellerii usque ann. 1520. *Francofurti* 1577. 1580.

Liber de immaculata B. Maria Virginis Conceptione contra Vincentium de Novo-Castro Dominicanum *Paris.* 1598.

Alia Decertatio metro scripta de eadem re contra eundem ad Arnoldum Bostium Carmelitam. Prodiit alicubi in 4°.

Poëmata de Passione S. Richardi Martyris, *De variis in Ecclesia Ordinibus*, *De miseria humana conditionis*, *Dialogus in desides & ignavos. Paris.* 1598. cum libro de Conceptione B. Mariæ.

De arte metrorum libi 3. Phorcæ 1505.

Ejusdem Orationes, & *Epistolas* se typis excusas legisse testatur Labbeus *: atque *Ordinis Chronicon* ab eo conscriptum memorat Trithemius †: ut Versiones & Opuscula vernaculo idiomate ab illo elucubrata taceam.

* Dissert. Tom. 2. p. 298.
† De Script. Eccl. p. 199.

1494. H. W. FELINUS SANDEUS, natione Italus, patriâ Ferrariensis; ex nobilissima Sandæorum familia oriundus, Juris utriusque Doctor, claruit anno 1494. Nondum vicesimum ætatis annum egressus Pisis Decretalium libros ab anno 1464. ad 1481. summa eruditionis laude publicè prælegit. Dein ob insignem juris scientiam Romam ab Innocentio VIII. evocatus, Rotæ judicio præfectus est, ac die IV. Maii anno 1495. Episcopus Hadrianensis & Pinnensis constitutus, mox Referendarius Apostolicus, ac demum Nicolai Saudomnini Lucensis Episcopi Coadjutor factus, cui è vivis sublato anno 1495. in sede successit: Episcopatu statim submotus à Juliano Roboreo tunc Cardinale, postea verò Julio II. Pontifice; sed in integrum restitutus anno 1501. ibidem obiit mense Octobri anno 1503. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

OPERA.

Commentarius in V. libros Decretalium. Venet. 1498. Tom. 2. Lugd. 1549. 2. vol. f. ibid. 1587.

Consilia, *De Constitutionibus*, *de Rescriptis*, *De Officio Ordinarii*, *De Majoritate & Obedientia*, *De Treuga & Pace*, *De lite contestata*, *de Probationibus*, *De testibus*, *De testibus cognatis*, *De fide instrumentorum*, *De Prasumptionibus*, *De Jurejurando*, *De Exceptionibus*, *De Prascriptionibus*, *De Sententia & re judicata*, *De Appellationibus*, *De accusationibus & inquisitionibus.* Venet. 1582. Lugduni 1587.

Additiones in Decretum.

Additiones ad initiatum ab Abbate Panormitano Opus.

De Jure Patronatûs Tractatus.

De Indulgentia plenaria Sermo, in illud, *Hodie mecum eris in Paradiso*, inter alios Tractatus *Venet.* 1584.

Historiarum Epitome de Regibus Sicilia & Apulia; nominatim de Alphonso Aragoniæ Rege. *Hanovia* 1611. 4°.

Quomodo puniatur conatus, quando litera Apostolica noceant Patronis *Ecclesiarum.*

Prodierunt omnia Felini Sandei Opera, *Basilea* ab Episcopiis aliquot voluminibus impressa, & *Venet.* 1570.

JOANNES GEILERUS, *Kaysersbergius* sive *Casarisbergius* à loco natali dictus; patriâ enim Alsatus in Monte Cæsaris oppido imperiali natus est anno 1445. die XVI. Martii; Joannis Geileri & Annæ Zuberæ filius. Post prima literarum tyrocinia, ad Friburgensem Academiam missus, Magisterii lauream adeptus est. Mox sacris initiatus, Basileam se contulit, ut Theologiæ studio vacaret. Exacto ibi quinquennio, Doctoratûs insignia obtinuit. Cùm insignem igitur consummatæ rerum Theologicarum scientiæ famam retulisset; Friburgum primò, mox Herbipolim accitus, ut concionandi munus obiret. Anno demum circiter 1478. ampliori stipendio, & importunis civium precibus invitatus, Argentoratum concessit; ubi per tringinta tres annos in primario Templo summâ facundiâ, & auditorum concursu pariter ac plausu concionatus est. Claruit anno 1494. Effusâ in egenos liberalitate, in peregrinos hospitalitate, & invicto pietatis zelo insignis, summam sibi apud Germanos authoritatem conciliavit: Maximiliano insuper Cæsari admodum charus; à quo persæpe in aulam evocatus, maximoque honore habitus fuit. Episcopis verò & Monachis parum gratus, quorum pudendam literarum inscitiam, & deploratam morum corruptelam acriter ille scriptis & sermonibus corripuit. Obiit anno 1510. die x. Martii, Argentorati in majori Templo propè suggestum sepultus. 1494. H. W.

SCRIPTA.

Liber Sermonum, *De arbore humana*, *De arbore Crucifixi*, *De* XII. *Sp. S. donis*, *De morte gratia*,

SÆC. XV. ab An. MCCCC. *tia*, De XXIII. *mortis conditionibus*, *De dispositione ad fœlicem mortem*, *De morte virtuali sive gratia*, iterùm. Argentinæ 1514. 1519.

Navicula fatuorum, Argentinæ 1510.

Orationes variæ ad Clerum.

Navicula Pœnitentiæ.

Peregrinatio.

Expositio Orationis Dominicæ.

Fragmenta Passionis.

De *communicandis his*, *qui ultimo supplicio afficiuntur.*

De *amovendis Concubinis*, *etiamsi uterque continere decreverit.*

Quod pueri non sint instigandi ad Religiones, *in quibus Regula non servatur.*

Contra statutum, *quo testamentum facere cives prohibentur.*

De septem peccatis mortalibus.

Epistolæ plures.

Tropi, sive Sales.

Opera Geileri omnia adhuc enumerata variis annis, viz. 1509. 1510. 1518. *Argentinæ* apud Joannem Gruningerum excusa fuisse fidem facit Possevinus Apparat. Sacr Tom. I. p. 880.

Oratio in Synodo Argentinensi habita. Argentinæ 1482.

Sermones plurimi de Jubilæo, anno 1500. habiti, in illud Levitici XXV. *Anno Jubilæi redibunt omnes ad possessiones suas.* Argentinæ 1513. apud Matthiam Schurerium.

Conciones in Evangelia, Germanicè *Argentinæ* 1515.

1494. H. W. JOANNES REUCHLINUS, *Capnio* dictus, natione Germanus, patriâ Suevus, apud Phorcen Marchionatus Badensis oppidum natus anno 1454. v. Cal. Januarii. In ætate tenera pueris Symphoniacis, qui in Ecclesia Oppidi natalis meruerunt, allectus; cùm voce admodum valeret, in Marchionis Badensis aulam accitus fuit: ubi Grammaticam edoctus, cùm coætaneos adolescentes ingenii viribus ac præclara indole longè anteverteret, juveni Marchioni Badensi Comes datus est, cumque illo ad Academiam Parisiensem missus. Hîc loci præter haud vulgarem, quam nactus est, Latinæ Linguæ ac Logicæ scientiam, Græcas literas à Georgio Hermonymo Spartiata accepit. Eodem præceptore usus, & literulas pulchrè pingendi artem addidicit; qua deinceps peculium sibi comparavit, & multorum benevolentiam meruit. Anno 1474. Basileam se contulit, ubi Magistri Philosophici dignitate auctus, Græcam simul ac Latinam linguam edocere cœpit. Juris Cæsarei studium ibidem auspicatus, Aureliæ demum ad finem perduxit, & Doctoratûs insignia anno 1481. accepit. In Germaniam redux, ab Eberhardo Comite Wirtembergensi in aulam accitus, Romam primùm in comitatu ejus ductus est, & post reditum ad Fredericum Imp. legatus. Legationem in Aula obeunti Medicus quidam Judæus Jehiel Loans Hebraicæ linguæ elementa tradidit, quam Romam postea Legatus Capnio ab Abdia quodam accuratiùs edidicit; cui pro singulis horis singulos aureos Minerval dedit. Romam missus fuerat a Philippo Comite Palatino: in cujus aulam concesserat, postquàm turbatis rebus Wirtembergensibus Tubingâ exulare coactus esset. Compositis domi rebus, Tubingam rediit, & inter Quatuor viros Provinciæ Suevicæ Iudices allectus, linguæ Hebreæ in Orbe Christiano propalandæ otium suum dicavit. Claruit præcipuè ab anno 1494. quo Catalogum suum scripsit Trithemius. Divinarum juxta ac humanarum literarum peritissimus; in primis accuratissima linguarum Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, & Chaldaicæ scientia instructus, primus in Germania Hebraicas & Græcas literas, Latinasque elegantias resuscitavit. Factum id frementibus Monachis, & Theologis Scholasticis, qui ex revocatis linguarum scientiâ & elegantiæ studio nodosæ suæ ac barbaræ Theologiæ ruinam facilè augurati sunt. Duce igitur Joanne Hocstrato Ord. Præd. Academiæ Coloniensis Decano, in Reuchlinum insurgunt, hæreseos accusant, scripta ejus comburunt, Judæis illum plus justo favere clamant, habitique cum Poëtis Ethnicis commercii, tanquam capitali delicti reum agunt. Neque intra hosce fines stetit injuria: Pontifices Romanos adeunt, & importunis clamoribus postulant, ut Reuchlinus diris, libri ejus flammis devoveantur, literæque Hebraicæ è republica Christiana eliminentur. Istius enim linguæ studium à Christianis coli ægrè tulerunt Inquisitores; & ab Imperatore Edictum summâ astutiâ impetraverant, ut omnes Judæorum libri, præter Sacra Biblia, flammis comburerentur: eo sanè Consilio, ut ipsi grandem pecuniæ vim à Judæis libros suos quàm libenter redimentibus corrogarent. Imperator Reuchlinum eâ de re consuluit: ille mitiorem tulit Sententiam, ac Judæorum libros fidem Christianam oppugnantes comburi, reliquos conservari voluit. Hinc natum est acre Inquisitorum omniumque Monachorum odium. Cucullati gregis malitiam & petulantiam acerrimis satyris (neque enim graviori stylo refutari meruerunt ineptissimi tenebriones) ultus est Reuchlinus, inprimis verò edito Obscurorum Virorum Epistolarum volumine, admirabili lepore ac facetiis condito, quibus ad excitandum risum rudis & ridiculus Monachorum & Scholasticorum Latinè scribentium stylus exprimitur. Liber iste avidè ab omnibus exceptus & evulgatus mirùm quàm pupugit cucullatorum animos; Hocstratum verò adeò sauciavit, ut tanquam lethali percussus dolore interierit. Reliqui conjurationis socii à Leone X. Papa demissis tandem precibus obtinuerunt, ut Epistolæ istæ Apostolico edicto legi divendive vetarentur. Edictum lepido commento elusit Reuchlinus. Secundum enim ejusdem farinæ Epistolarum volumen priori tamen longè aculeatius, tanquam ex titulo minimè interdictum, imprimi curavit. Verùm istud leve admodum jurgium præ capitali illâ, quam suprà memoravi, controversiâ Delegatis ista primùm à Pontifice Judicibus commissa est; qui cùm penès Reuchlinum sententiam ferrent, Monachi ad Pontificem appellarunt. Reuchlino suppetias tulerunt Erasmus & Huttenus, quos eo nomine variis calumniis, nugacibus picturis & futilibus argumentis Monachi incessebant. Motâ demum in Germania Lutherum inter & Indulgentiarum præcones lite, contentio illa graviori locum dedit, ac paulatim conquievit. Hisce turbis levatus Reuchlinus Græcas pariter & Hebræas literas in Academia Ingolstadiensi extrema ætate docuit: donec morbo Icterico oppressus rei literariæ curam abdicare necesse haberet. Obiit Stutgardiæ prid. Cal. Sextil. anno 1521. ætatis suæ 67. *Dignus profectò*, inquit Trithemius*; *qui solis literis, non etiam perstrepenti curiæ populari incumberet. Nullum enim nobis non modò Italia, sed nec sæculum nostrum, huic tanto viro parem objiceret.*

* De Script. Eccl. f. 201.

OPERA.

De Arte Cabalistica libri III. ad Leonem X. Prodierunt seorsim *Hagenoæ* 1517. inter Scriptores de arte Cabalistica *Basil.* 1587. f. & cum Petri Galatini Arcanis Cathol. Ver. *ibid.* 1550. f. & *Francofurt.* 1612.

De verbo mirifico libri III. ad Episcopum Vangionum Camerarium Dalburgi Dialogi formâ conscripti; quibus Philosophiæ Græcæ, Hebraicæ, & Christianæ

SÆC. XV. ab An. MCCCC. Christianæ secreta referantur. *Venet.* 1486. f. *Spiræ* 1494. f. *Lugduni* 1552. 8°. & cum præcedenti Opere *Basil.* 1587. Utrumque Opus in Indicibus Romanis prohibetur.

Psalmorum VII. *Pœnitentialium versio ex Hebræo facta, & in eosdem Commentariolus.* Tubingæ 1512. 8°.

De arte Concionandi Libellus, cum aliis ejusdem argumenti libris excusus *Basil.* 1540. *Londini* 1570. 8°.

Defensio contra calumniatores suos Coloniæ edita.

Dialogus an Judæorum Talmud sit supprimendum? Colon. 1518. 4°.

Breviloquium, seu Dictionarium singulas voces Latinas breviter explicans per ordinem Alphabeti, Fratrum Amerbachiorum precibus concinnatum, & ab iis impressum, *Basil.* 1480.

Lexicon Hebraicum, & in Hebræorum Grammaticam Commentarius Basil. 1537. 1554. f.

Linguæ Hebraicæ Rudimenta. Phorcæ 1506.

De Accentibus & Orthographiâ Linguæ Hebraicæ libri III. ad Hadrianum Cardinalem *Hagenoæ.* 1518. 4°.

Tabulæ XX. *Institutionum in Linguam Sanctam, & Exegesis dictionum in Psalmos* VI. Basil. 1554.

Obscurorum Virorum ad Ortuinum Gratium Epistolarum libri II. Francofurt. 1624. 8°. Illustrium Virorum ad Reuchlinum Epistolæ prodierunt libris II. tacito loco atque anno, in 4°.

Progymnasmata Jambis trimetris scripta, quæ cum Commentario Georgii Simleri edita sunt *Phorcæ* 1508. 4°

Oratio de Palatini & nobilissimæ familiæ Ducum Bavariæ reverentia erga Ecclesiam, coram Pontifice habita, typis Aldinis excusa est.

Cæterùm Reuchlinus plurima alia conscripsit Opuscula, plura Græcorum Patrum scripta Latinè vertit. Singula dabit Simlerus Biblioth. Tigurin. p. 352. *Epitomen historicam rerum Assyriarum, Persicarum, Græcarum, & Romanarum* ab eodem in gratiam Philippi Principis Palatini scriptam memorat Vossius de Hist. Lat. lib. 3. cap. 10.

1494. H. W. JACOBUS WIMPHELINGIUS, natione itidem Germanus, patriâ Alsatus, civitate Selestatensis, natus est anno 1449. In scholâ patriâ Slestadiensi bonis literis institutus, ad Academias Friburgensem, Basileensem, Erfordiensem, ac Heidelbergensem ordine se contulit, ut Theologiæ ac Juris Pontificii scientiam hauriret; utriusque demum Licentiatus Academico more factus. Inter disertissimos istius ævi Concionatores habitus, Spiram an. 1494. evocatus est, ut Ecclesiastæ munere ibi fungeretur. Fecit id annis aliquot, non sine insigni pietatis & eruditionis laude. Demum sæculi pertæsus, dignitati suæ Ecclesiasticæ renunciavit: & Heidelbergam profectus, in Gymnasio urbis literario sacros autores, ac in his Hieronymum, enarrandos suscepit: quoque magis humani generis commodis inserviret, pædagogum agere non gravatus est; plurimosque optimæ spei adolescentes; & in his Jacobum Sturmium Argentinensem, literis bonisque moribus informavit. Ipse meliori literaturâ instructus, cùm Monachorum inscitiam & arrogantiam ægrè ferret, dictisque mordacibus convelleret; hæreseos à Monachis Augustinianis apud Julium II. Papam delatus est; quòd alicubi scripsisset S. Augustinum non fuisse Monachum: aut certè non talem, quales jam habentur Augustinenses, neque Ordinis ab eo dicti hodiernum habitum tulisse. Pontifex re audita Wimphelingium sui ipsius voce ab importunis Monachorum clamoribus absolvit, & calumniatoribus silentium indixit. Post inchoatam à Luthero Reformationem schisma Ecclesiæ invectum dolens, à Gymnasio Heidelbergensi recessit; & Selestadii in ædibus Magdalenæ sororis vitam deinceps otiosam egit. Obiit penè octogenarius anno 1528. die XVI. Novembr. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

SCRIPTA.

Epitome Imperatorum, ac rerum in Germania gestarum. Basil. 1532. unà cum Witichindi Historia, & inter Scriptores German. Schardii Tom. I. p. 170.

Liber de vita & moribus Episcoporum Argentinensium, aliorumque Principum & Prælatorum. Argentinæ 1512, 1661.

Adolescentia. Opus anno 1500. scriptum, quo præcepta ad mores ingenuè formandos traduntur. *Argentinæ* 1514.

Oratio, sive *Concilium de bello movendo contra Turcas.* Islebii 1603.

De Germanicæ nationis gravaminibus contra Sedem & Curiam Romanam ad Maximilianum Imp. Habetur apud Freherum Script. German. Tom. 2. p. 373. non integer tamen.

Replica super eodem argumento contra Æneæ Sylvii Tractatum, ibid. p. 381.

Sermo ad juvenes, qui sacris initiantur. Basil. apud Hervagium excusus.

Libellus Grammaticalis. Argentinæ 1497. 4°.

Rhetorica pro pueris. Argentinæ 1515.

Philippica, seu *Dialogi* VI. *pro institutione filiorum Philippi Electoris Palatini.* Argentinæ 1498.

De *Nuncio Angelico Carmen Heroicum, aliud ad Philippum Comitem Palatinum, & Elegia ad Ludovicum ejus primogenitum*; excusa anno 1494. & 1499.

Soliloquium pro pace Christianorum. Opus metricum ad Bertholdum Archiepiscopum Moguntinum *de triplici Candore. In laudem D. Mariæ liber. De laudibus Spirensis Ecclesiæ liber. De Spiritu S. Oratio. Ad Regem Franciæ Oratio. De arte Poëtica liber. Poëmata varia. De Hymnorum & Sequentiarum autoribus Tractatus.* Opuscula ista typis impressa extare fidem facit Simlerus Biblioth. Tigurin. p. 326.

Ad Rempublicam Argentinensem libri 2. quorum priore Argentinam cæterasque Rheni civitates nunquam Galliæ fuisse subjectas probat: secundo Reip. instituendæ præcepta tradit. *Argentinæ*---4°.

Oratio de Annunciatione Dominica, *Argentinæ* itidem excusa.

Scripta Wimphelingi inedita recenset Simlerus loc. cit.

OLIVERIUS MAILLARDUS, patriâ Armoricus, aliis tamen Parisiensis, Ordinis Minorum Regularis Observantiæ Provincialis, ac demum Vicarius Generalis; apud Parisienses & Nannetenses, & in aulâ Gallicâ ac Burgundicâ Concionator non incelebris. Claruit Anno 1494. Obiit Tolosæ anno 1502. 1494. H. W.

SCRIPTA.

Contemplatio in Salutationem Evangelicam prolixa. Paris. 1507.

Quadragesimalia II.

Sermones de Adventu, Parisiis anno 1494. *habiti.* Paris. 1506.

Sermones de Tempore. Lugduni 1498. 4°.

Sermones de Sanctis, & communi Sanctorum. Lugduni 1507. Argentinæ 1514.

De peccati stipendio, & gratiæ præmio.

Prodierunt Maillardi Opera, unà cum *pulcherrimis Juris quæstionibus*, ad quemlibet Sermonem & Tractatum additis, ipsomet curante, *Lugduni* 1499. recusa *Argentinæ* apud Joannem Parvum.

MICHAEL

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. 1494. H.W. MICHAEL FRANCISCUS, gente Gallo-Flander, patriâ Insulensis, Ordinis Dominicani Monachus, & Theologiæ Doctor Coloniensis, Philippo I. Austriaco à sacris Confessionibus, Concionibus, & Consiliis, Episcopus Salubriensis paulò ante obitum creatus. Claruit ann. 1494. Obiit Insulis in patriâ suâ anno 1502. Rosarii B. Virginis cultor, si quis alius, superstitiosissimus, pluribus scriptis Confraternitatis suæ merita deprædicavit, & Beatissimæ Virginis majestatem supra jus fasque extulit.

SCRIPTA.

Quodlibeticæ decisiones de VII. Doloribus B. Mariæ Matris Dei. Antverpiæ typis Theodori Alostensis.

Quodlibeticæ decisiones de Confraternitate Sanctissimi Rosarii B. Mariæ. Prodierunt unà cum præcedente Opere *Colon.* 1476. *Paris.* 1518. 8º.

Confraternitas dolorum B. Mariæ, à Philippo Austriaco erecta. *Antverpiæ* typis Theodoreti Alostensis.

Clavis Cellarii divinæ & humanæ sapientiæ, à Gulielmo Oonselio Dominicano edita.

De Abusibus Aulicorum, seu *de Vanitate sequentium Curiam* liber MS. apud Dominicanos Insulenses, teste Miræo *.

Commentarius in Antiphonam, Salve Regina: quidem an typis adhuc excusus fuerit nondum comperi.

* De Script. Sæc. XVI. cap. 8.

1494. R.G. JACOBUS PHILIPPUS FORESTUS, natione Italus, ab oppido suo natali *Bergomas* vulgò dictus, Eremita Augustinianus, claruit anno MCCCCXCIV. in lucem editus est anno MCCCCXXXIV. in Sodalitium admissus anno MCCCCLI. lucis usurâ privatus an. MDVIII. vel ut alii MDXV. Scripsit Opus historicum quod *Supplementum Chronicorum* inscripsit, in XVI. libr. divisum, cujus duplex extat editio; prior ab initio mundi ad annum MCCCCLXXXV. prodiit *Brixiæ* 1485. *Venet.* 1486. 1490. *fol.* Posterior ad annum MDIII. producta prodiit *Venet.* 1506. Integrum Opus repurgatum, & Bern. Bindoni Appendice XXXII. annorum auctum, prælo exiit *Parif.* 1535. *Venet.* 1547. *fol.* *De claris Mulieribus Christianis Commentarius*, Beatrici Aragoniæ & Bohemiæ Reginæ inscriptus, prodiit *Ferrariæ* 1497. *fol. Parif.* 1521. *fol.* *Interrogatorium sive Confessionale*, *Antverp.* 1513. 8vo. Commentarium in D. Lucæ Evangelium adornasse dicitur; utrum extet non comperi.

1495. H.W. ANTONIUS BONFINIUS, natione Italus, patriâ Apulus, domo Asculanus, & Recinetensis, Græcis Latinisque literis apprimè excultus. Claruit anno 1495. Summo apud Matthiam Corvinum Hungariæ Regem honore habitus, hortatu ejus res Hungaricas scripto consignandas suscepit. Fecit id, stylo non ineleganti usus; ac *Rerum Hungaricarum Historiam* ab ipsis gentis primordiis usque ad annum 1495. libris XLV. in quatuor Decades cum dimidiâ distributis complexus, ad Ladislaum Hungariæ Regem anno 1495. dono misit. Prodierunt tres priores Decades curâ Martini Brenneri *Basil.* 1543. integra Historia cum additionibus & emendationibus Joannis Sambuci *Basil* 1568. f. *Francofurt.* 1581. f. *Hanov.* 1606. f. Ejusdem *Symposium Beatricis*, seu Dialogi III. de Virginitate & fide conjugali ex Sambuci Bibliotheca prodierunt *Basil.* 1572 8º. recusi ------ 1621. 8º. Cæterùm Græcorum libros à Bonfinio Latinè versos enumerat Simlerus Bibl. Tigurin. p. 48. *Append.*

Ex his *Hermogenis de rhetorica libri*, & *Aphtonii Sophistæ Progymnasmata* typis impressa sunt *Lugduni* 1538. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

JOANNES JOVIANUS PONTANUS, gente Italus, Cereto Umbriæ oppido oriundus. Patre, quem non ignobilem habuit, à seditiosis civibus interempto, Neapolim juvenis & egenus profugit: ubi Antonii Panormitani, Regiorum Scriniorum Magistri, ope, in Ferdinandi Regis aulam simul ac favorem receptus, Alphonso Juniori, filio Regis primogenito, præceptor datus est: ac mortuo demum Panormitano, in locum ejus suffectus Epistolis conscribendis præfuit. Claruit anno 1495. Inter primores sæculi Historicos, Poëtas, & Oratores habitus, mordaci tamen stylo & subagresti supercilio plurimorum odium & invidiam concitavit. Hinc nata forsan calumnia, quæ ipso adhuc vivente in vulgus sparsa erat, illum volumina quædam Ciceronis, in vetustâ Monasterii Cassinatis Bibliothecâ reperta, paulùm immutata nomine suo evulgâsse. Obiit mense Augusto, anno 1503. ætatis suæ 78. Neapoli conditorio sepultus, quod sibi, uxori, ac liberis construxerat. De stylo ejus & ingenio hæc habet Erasmus *. *Non sum vel tam hebes, vel tam invidus, ut non fatear Pontanum multis egregiis ingenii dotibus virum fuisse summum. Ac me quoque rapit placido quodam orationis lapsu: verborum dulce quiddam resonantium amœno tinnitu demulcet aures: demum splendore quodam perstringit dignitas ac majestas orationis. ---- Locos verò communes sic tractat, ut ægre possis agnoscere Christianus fuerit necne.----- Vir extra controversiam in litteris inter præcipuos numerandus.* 1495. H.W.

* Ciceronian.

OPERA.

De Obedientiâ libri V.

De Fortitudine libri II.

De Principis officiis ad Alphonsum Calabriæ Ducem.

De liberalitate.

De Beneficentiâ.

De Magnificentiâ.

De splendore, & splendidi hominis supellectile, ornamentis &c.

De Conniventiâ.

De Prudentiâ libri V.

De Magnanimitate libri II.

De Fortunâ libri III.

De Immanitate & partibus ejus liber.

De Aspiratione libri II.

Dialogi aliquot, Charon, Antonius, Actius, (seu de Historia) *Ægidius*, qui in x Colloquia distribuitur.

Colloquia XI. titulo *Asini*, contra ingratum quendam.

De Sermone libri VI.

De Bello Neapolitano, quod Ferdinandus Rex Neapolitanus contra Joannem Andegavensem Ducem gessit, Historiarum libri VI. Prodierunt *Hagenoæ* 1530. *Dordraci* 1618 8vo.

Centum Ptolemæi sententiæ in Latinum sermonem conversæ, & Commentariis illustratæ.

Opera ista omnia in tres Tomos digesta prælo dedit Cratander *Basil* 1538. 3. Tom 8º.

Poëmata, viz. *De Stellis libris* V. *Meteororum liber. De hortis Hesperidum*, seu *de cultu malorum citreorum libri* VI. *Lepidina*, seu *Pastorales Pompæ* VII. *Eclogæ Bucolicæ.* 3. *Amorum libri* 2. *De amore conjugali libri* 3. *Tumulorum libri* 2. *De divinis laudibus liber. Hendecasyllaborum seu Bajarum libri* 2. (unà cum Tumulis, *Argentinæ* 1515.) *Jambi de obitu Lucii filii. Versus Lyrici de rebus variis. Eridani libri* 2. Prodierunt Poëmata seorsim ab Aldo excusa *Venet.* 1513. 8vo. 1533. 8vo.

N Dialo-

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. *Dialogus, quatenus credendum sit Astrologiæ.* Colon. 1541.

Prodierunt omnia Pontani Opera *Venet.* 1519. 2. vol. 4°. ex Aldi officinâ, & *Basil.* 1556. 4. vol 8°.

1495. H. W. NICOLAUS SIMONIS, natione Batavus seu Hollandus, patriâ Harlemensis, Ordinis Carmelitani in Cœnobio Harlemensi Monachus, ac demum in inferiori Germania Provincialis primariusque Theologiæ inter gregales suos interpres. Claruit anno 1495. Obiit Harlemii grandævus anno 1511.

SCRIPTA.

Sermones de Tempore & Sanctis, quos *Vade Mecum* inscripsit. Typis alicubi excusos fuisse arbitror: locum verò & annum nondum comperi.

Repetitiones & disputationes. Venet. 1497. Prodierat seorsim Disputatio, qua maximè inclaruit, unica, *ibid.* 1487.

Commentarius in librum 2. Decretalium, Mediolani 1505, 1510.

De potestate Papæ, Imperatoris, & Concilii libri IV. *Mediolani* ad calcem Operis præcedentis editi.

Plurima ejusdem Opuscula, tam Historica quàm Theologica, nondum in lucem protracta, recensent Simlerus Bibl. Tigurin. pagin. 525. Fr. Swveertius Athen. Belgic. pag. 582. & Ant. Alegrius Paradis. Carmelit. decor. Sæc. XVI. cap. 350.

1495. H. W. JACOBUS SPRENGERUS, natione Germanus, domo, ut videtur, Coloniensis; Ordinis Dominicani Monachus, ac demum Prior Provincialis. Claruit anno 1495. Post reportatam Magisterii lauream, Hæreticæ pravitatis Inquisitor generalis unà cum Henrico Institore ejusdem Ordinis Theologo ab Innocentio VIII. seu, ut alii volunt, Sixto IV. per Germaniam constitutus est. Scripsit à collegâ adjutus opus insigne contra maleficas mulieres, tribus libris distinctum: quod *Malleum Maleficarum* inscripsit. Prodiit istud *Venet.* 1576. 8°. *Francofurti* 1580 8°. *Lugduni* 1620. 8°. Volumen autem, quod *de Institutione, Approbatione, Miraculis & Indulgentiis* SS. *Rosarii B. Virginis*, composuit, adhuc ineditum videtur. Cæterùm Henricus ille Institoris Librum conscripsit *de Potestate Papæ* contra Monarchiam Antonii Roselli J. C. Patavini, *Venetiis* 1499. editum, atque alia nonnulla nondum vulgata, quæ recenset Ambr. de Altamura Biblioth. Prædicat. p. 215.

1495. R. G. PETRUS DORLANDUS, natione Germanus, Ord. Carthus. Monachus, & Cœnobii Zelemensis prope Diez in Brabantiâ, Prior, claruit anno MCCCCXCV. Annum agens 53. fatis cessit xxv. die *August.* anno MDVII. Multa scripsit, quorum pars minima in lucem edita est. Extat *Corona de viris illustribus Ordinis Carthusiani*, sive *Chronicon Carthusianum*, quod notis suis illustratum & auctum typis commisit Theodorus Petreius ejusdem Ord. Monachus, *Colon.* 1608. 8*vo*. *Explicatio mystica habitûs Carthusiensis; de vitio Proprietatis Monachorum*; utrumque Opus editum *Lovan.* 1514. 8*vo*. *Vita & res gestæ B. Annæ*, lib. V. prodiit *Antverp.* 1617. *Viola Animæ*, lib. VI. *de Passione Christi* dialogus; utrumque impressum refert Simlerus. *De tribus Carthusianorum votis, de duabus viis*, dialogum; *Collationes de militiâ Spirituali*; *de Sacerdotum dignitate*, MSS. asservari in *Biblioth. Cœnobii Carthusian.* apud *Coloniens.* affirmat Fr. Swveertius *Athen. Belg.* qui reliqua nostri Auctoris Opera inedita, ad Monachos sibi subjectos in pietate erudiendos præcipuè ordinata, longo agmine recenset *ibid.* p. 613. 614.

1495. R. G. GODESCALCHUS HOLEN, natione Germanus, Ordin. Eremit. Augustin. Frater, claruit sub Maximiliano Imperat. I. circa annum MCCCCXCV. Memoriam apud posteros conservavit prolixo in Dialogum Commentario, prodiit *Divinæ legis Præceptorum*, Colon. 1481. *fol.* Norimb. 1497. *fol.* 1521. 4*to*. *Sermones* ejus *Dominicales in Epistolas D. Pauli*, excusi sunt *Hagenoæ*, 1520. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

VINCENTIUS BANDELLUS, gente Italus, patriâ Lombardus, ex Castro Novo Diœceseos Terdonensis oriundus: Ordinis Dominicani socius, & apud illos in Academiâ Bononiensi Theologiæ Professor, ac Scholæ Academicæ sæpiùs Regens, demum Ordinis sui bis Prior Bononiensis, ac toties Vicarius Generalis Congregationis Lombardiæ, seu Prior Mediolanensis. Claruit anno 1496. Tandem in Capitulo generali Romæ anno 1501. habito totius Ordinis Generalis electus est. Obiit septuagenarius in Conventu Montis Alti in Calabriâ anno 1506. Neapoli apud S. Dominicum sepultus. 1496. H. W.

SCRIPTA.

De Conceptione B. Virginis in peccato originali libri 3. quibus D. Thomæ sententia de Conceptione ex SS. Patrum & Theologorum Scholasticorum autoritate comprobatur. *Bononiæ* 1481. *Mediolani* 1575.

Declaratio super Constitutiones Ordinis sui ex Actis Capitulorum Generalium collecta. *Mediolani* 1505. 4°.

Expositio in Constitutiones Sanctimonialium Ordinis Dominicani.

Regula & Privilegia Fratrum & Sororum.

De Pœnitentia Ordinis S. Dominici.

Instructio Officialium Fratrum Ordinis sui.

Formularium Electionum & Confirmationum Priorum.

Modus celebrandi Generalia & Provincialia Capitula.

Opuscula ista omnia (dempto illo de Conceptione) simul edita sunt *Lugduni* 1515.

JOANNES PALEONYDORUS, seu *Veteraquinas*, natione Batavus, apud Aquas Veteres, Ultrajectinæ ditionis oppidum, natus; Ordinis Carmelitani in Conventu Machliniensi Monachus, & S. Theologiæ Doctor. Claruit anno 1496. Obiit anno 1507. ætatis suæ 74. Habentur ab illo Scripta *Fasciculus Temporum tripartitus*, seu *Liber*, uti ipse inscripsit, *trimerestus anaphoricus panegyricus* de origine, statu & progressu Ordinis sui Carmelitani typis *Moguntinis* impressus: *Manuale ejusdem Ordinis*, *Moguntiæ* unà cum Fasciculo editum, *Propugnaculum Carmelitarum*, seu de antiquitate & sanctimonia Eremitarum montis Carmeli liber, *Venetiis* 1570. 4°. excusus. Scripta inedita recensent Simlerus Bibl. Tigurin. pag. 402. Fr. Swveertius Athen. Belgic. p. 389. Ant. de Alegre Parad. s. Carmel. p. 370. *Epistolæ* ejus plures penès Baleum extiterunt. 1496. H. W.

JOANNES BLÆRUS, gente Brabantus, patriâ Diesthemius, Prior Cœnobii S. Jacobi Ordinis Benedictini intra muros Urbis Leodicensis; Claruit anno 1496. Scripsit *Historiam Revelationis* B. Julianæ Sanctimoniali Leodicensi anno 1230. divinitùs factæ de institutione Festi Corporis Christi. Prodiit illa in Magno Speculo Exemplorum *Duaci* 1603. & habetur apud Bzovium Annal. Eccl. ad an. 1230. num. 16. 1496. H. W.

MICHAEL LOCHMAYER, natione Germanus, Canonicus Passaviensis in Bohemiâ, non Paraviensis, ut Simlerus & Possevinus; S. Theol. & Juris Canonici Professor; claruit anno MCCCCXCVI. Scripsit *Parochiale Curatorum*, Opus in decem capita distri- 1496. R. G.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. diſtributum, quo *Officium Curati* circa Sacramentalia latè exponit, & jus ad *decimas, oblationes,* aliósque proventus apertè vindicat, prodiit *Lipſiæ* 1497. *Hagen.* 1498. *Pariſ.* 1513. *Promptuarium Sermonum in Evangelia Feſtivalia totius anni; necnon in Eccleſiarum Dedicationes, & prima Miſſæ celebrationem,* prodiit cum Sermonibus *Pauli de Waan,* ſub idem tempus ejuſdem Eccleſiæ Canonici, *Hagen.* 1497. 1512. 1516. *4to. Mogunt.* 1616. *8vo.*

1498. R.G. BAPTISTA de SALIS vel ROSELLIS, natione Italus patriâ Genuenſis, Ordinis Fr. Minorum Monachus, claruit anno MCCCCXCVIII. Scripſit *Summam Caſuum Conſcientiæ,* quæ ab Auctore nomen ſortita, *Summa Roſella,* communiùs *Baptiſtiniana* appellatur. Prodiit *Romæ* 1479. *Auguſt.* 1484. *Norimb.* 1488. *fol.*

1500. H.W. JOANNES NAUCLERUS, ſeu *Vergehaus* natione Germanus, patriâ Suevus, nobili loco natus, Joannis Vergehaus, equeſtris dignitatis viri, & Ludovici Comitis Wirtembergenſis aulici, filius, Juris utriuſque Doctor, & Canonici Profeſſor in Academia Tubingenſi: cujus Rector primus ab Everardo Comite Wirtembergenſi, fundatore, anno 1477. conſtitutus eſt; Iſtius olim adoleſcentiæ regendæ præfectus fuerat, peſſimâ tamen indoctorum Aulicorum invidiâ impeditus, quò minùs Principem curæ ſuæ commiſſum Latinæ linguæ elementis imbueret. Ab aulâ ad Eccleſiam ſe receperat Nauclerus, & Eccleſiæ Collegiatæ apud Stutgardianos anno circiter 1460 præpoſitus, ab Ulrico Comite Wirtembergenſi ad Carolum Burgundiæ Ducem poſt ſeptennium legatus fuerat. Poſtquàm ſupremum Academiæ magiſtratum aliquandiu obiiſſet, Eccleſiæ etiam Tubingenſis præfecturam accepit. Claruit anno 1500. Utramque provinciam eximiâ ſanè laude obiit; plurimóſque magni nominis Viros, & in his Joannem Reuchlinum, è Scholâ Tubingenſi literis haud vulgariter imbutos emiſit. Scripſit *Chronicon Univerſale* ſuccinctè comprehendens res memorabiles ſæculorum omnium ac gentium ab Orbe condito uſque ad annum 1500. Prodiit primùm *Tubingæ* 1515. dein (à Philippo Melancthone auctum & perpolitum) unà cum Nicolai Baſelii Monachi Hirſaugienſis Appendice ad annum 1514. aliaque Conradi Tigermanni & Bartholomæi Laurentis, res geſtas ab anno 1515. ad 1544. curſim memorante, *Colon.* 1544. f. dein cum Laurentii Surii Appendice ab anno 1501. ad 1564. *Colon.* 1564. 3. vol. f. denique *ibid.* 1579. f.

1500. H.W. AUGUSTINUS, gente Italus, civitate Ticinenſis, ſaltem Canonicus Regularis Ticinenſis, Congregationis Lateranenſis. Claruit anno 1500. Obiit poſt annum 1520.

SCRIPTA.

Vita B. Monicæ, S. Auguſtini matris.

Elucidarium Chriſtianarum Religionum, ſive Religioſorum Ordinum: in quo fusè agitur de Ordine Auguſtinianorum, de S. Auguſtini vitâ, moribus, & doctrinâ, quódque Eremitæ Auguſtiniani Canonici, Regularibus ſint poſteriores.

Regula Sanctiſſimi Patris Auguſtini: in qua continetur & *S. Guarini,* Epiſcopi Præneſtini ac Cardinalis, *Vita.* Iſtam à Regulâ divulſam reperire eſt apud Surium ad VI. Februarii.

Prodierunt Opera iſta tria *Brixiæ* 1511.

Porrò ſcripſit Auguſtinus noſter *Compendium Speculi Crucis, Expoſitionem in Pſalm. Deus in nomine tuo ſalvum me fac,* & *Tractatum de doctâ ignorantiâ:* quæ quidem an Brixiæ unà cum præmiſſis Operibus evulgata fuerint, haud ſatis ſcio. Utut ſit, *Mediolani* 1603. excuſa prodierunt.

Append.

Cæterùm *Chronicon Magnum,* ab illo compoſitum, adhuc ineditum deliteſcit. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

MANUEL, natione Græcus, patriâ Peloponneſius, Matthæi Camariotæ diſcipulus, Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Rhetor; ὁ σοφώτατος καὶ θεολογικώτατος Manueli Malaxo * dictus. Claruit anno 1500. quo calamum contra Latinos ſtrinxit. Scripſit enim *Apologiam,* ſeu *Refutationem* X. Capitum Fr. Franciſci Ord. Prædicat. de proceſſione Sp. S. de Azymo, de Purgatorio, de primatu Papæ, &c. Fragmenta quædam exinde profert Leo Allatius lib. de Purgatorio p. 82. 165. 772. 939. Integrum ferè Tractatum (paucis ſiquidem in fine deſideratis) Gr. Lat. in lucem extulit Vir Cl. Steph. le Moyne inter Varia Sacra p. 270. Scripſit adhuc Manuel *Librum contra Plethonis Opuſculum de Proceſſione Spiritus S.* quo reprehendit Plethonem, quod non ex principiis Theologicis, ſed ex doctrina Gentilium argumenta ſua de proceſſione Sp. S. duxerit. Fragmentum exhibet L. Allatius de Conſenſu l. 3. c. 3. §. 6. aliud in Diatrib. de Georgiis p. 389. 1500. H.W.

* Hiſt. Eccl.

GULIELMUS PEPINUS, natione Gallus, patriâ Ebroicenſis Ordin. Prædicat. Monachus, Concionator eximius, claruit anno MD. Extant ejus *Sermones Quadrageſimales,* impreſſi *Pariſ.* 1532. 1589. 8vo. *Lugdun.* 1541. *Venet.* 1569. emendatius *ibid.* 1575. *Speculum aureum ſuper ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, Pariſ.* 8vo. *Venet.* 1573. *Sermones Dominicales ex Epiſtolis & Evangeliis totius anni,* Venet. 1588. 1591. *8vo. Sermones de imitatione Sanctorum,* Venet. 1589. 1594. *8vo.* Opuſculum ſuper *Confiteor* Venet. 1589. Pariſ. 1624. *8vo. Roſarium Aureum B. Virginis,* Venet. 1591. *8vo. Expoſitio in Exodum,* Pariſ. 1534. *8vo. Sermones XL. de deſtructione Ninives,* 2. partibus *Pariſ.* 1618. *8vo.* Opera omnia ſuprà memorata, cum *Compendioſa relatione vitæ Fr. Lud. Bertrandi,* à Paulo Papa V. in Sanctorum numerum relati, in unum corpus collecta ſimul prodierunt. *Colon.* 1609. 1610. *4to. Antverp.* 1656. 9. Vol. *4to.* Commentarium in *Geneſin.* adornâſſe fertur nondum ut videtur typis excuſum. 1500. R.G.

CLAUDIUS SEISELIUS, patriâ Sabaudus, Ludovico Galliæ R. à ſupplicibus libellis, ex Epiſcopo Maſſilienſi Archiepiſc. Taurinenſis, claruit anno MD. deceſſit an. MDXX. Scripſit in tria priora D. Lucæ capita *de triplici ſtatu viatoris,* ad Leonem Pap. X. volumen ingens, impreſſum *Taurini* 1518. *fol.* Hujus ut videtur pars, viz. *Moralis explicatio Evangelii,* Miſſus eſt Angelus, anteà lucem aſpexit, *Pariſ.* 1514. *in 4to.* edita. *Diſputationes adverſus errores & ſectam Valdenſium,* Pariſ. 1520. *in 4to. De Divina Providentia* Tractatus, cum priore, *Pariſ.* 1520. 1637. *4to.* nonnulla opera *hiſtorica* condidit patrio ſermone, & *jus feudale* commentariis adornavit. 1500. R.G.

PETRUS BURRUS, natione Belga, patriâ Brugenſis, Canonicus Ambianus, Poëta caſtus, nec invenuſtus, claruit anno MD. anno MCCCCXXXII. natus, MDVII. denatus. Scripſit *Pæanas quinque Feſtorum B. Virginis,* edit. *Pariſ.* 1499. *4to. Hymnos de omnibus Sanctis,* quos Jod. Badius Aſcentius ſuis Commentariis illuſtratos edidit, *Pariſ.* 1528. *4to.* Cecinit etiam Odas in Adventum Domini, in Nativitatem, Circumciſionem, cæteroſque dies Domino & B. Virg. Mariæ feſtos, uti & Elegias, Epigrammata, &c. de quibus prolixè ſatis Trithemii Continuator & Fr. Swveertius. 1500. R.G.

JOANNES PINUS, natione Gallus, patriâ Tholoſanus, Rivorum Epiſcopus, claruit anno MD. Literis conſignavit *Vitam Catharinæ Senenſis,* inter 1500. R.G.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. Fœminas illust. editam Parif. 1521. fol. Vitam Philippi Beroaldi Bononiensis, prodiit cum priori Bonon. 1505. 4to. D. Rochi Narbonensis Vita, & Allobrogicæ narrationis, lib. II. simul prodierunt Parif. 1516. 4to. De Vitâ & laudibus Codri Urcei libellus, prodiit operibus Urcei præmissus, Bonon. 1502. & alibi. De Vitâ Aulicâ, Tolosæ, ... 4to.

1500. R. G. PAULUS CORTESIUS, natione ut videtur Italus, Protonotarius Apostolicus, claruit anno MD. Scripsit *in quatuor libros Sententiarum* Disputationes seorsim editas, *Parif.* 1513. *fol.* nonnullis Hieron. Savonarolæ opusculis conjunctas, *Basil.* 1540. *fol.* *De Cardinalatu*, lib. X. *Cortes.* 1510. *fol.* *De Sacrarum literarum, omniumque disciplinarum scientia*, Basil. ap. Henric. Petri. Struxit insuper lib. VI. *de Principe*, quorum ipse meminit in *Præfat. suâ ad Sentent.*

1500. R. G. HENRICUS AQUILONIPOLENSIS, natione Germanus, patriâ Saxo, Historicus & Poëta non incelebris, claruit Wittebergæ anno MD. Scripsit Opus metricum, *Adolpheida* dictum, in quo *Comitum Schaumburgensium*, & *Civitatis Hamburgensis* historiam exposuit: aliud item Carmen in quo *Urbis Lubecensis* primordia descripsit: Utrumque majori fide quàm elegantiâ scriptum ab Hen. Meibomio avo è Codd. MSS. erutum, & *Francof.* 1620. 4to. editum recudi fecit H. Meibomius nepos. *Script. German.* Tom. I. *Helmstad.* 1688. *fol.* *De vitâ & laudibus S. Augustini* Carmen panxisse fertur.

1500. R. G. Vid. an. 1512 H. W. JOANNES AVENTINUS, gente Boius, ab oppido natali nomen sortitus, claruit anno MD. Ratisbonæ mortuus & sepultus. Præter Opera à Cl. Whartono memorata, scriptis commisit *Annales Schirenses* editos *Biponti*, 1600. 4to. *De Origine Saracenorum, & bellis adversus Christianos gestis*, Opus à Ph. Lonicero in lucem prolatum *Chron. Turc.* Tom. I. *Francof.* 1578. fol. Ex *Annalium Boiorum* [qui hoc sæculo prodierunt *Basil.* 1615. *Francofurt.* 1627. *fol.*] lib. primo *Danicarum Antiquitatum* Sermones XVI. selegit, notisque suis illustratos edidit Joan. Lyscander. *Hafniæ* 1642. 4to. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

CAROLUS BOVILLUS, natione Gallus, patriâ Veromanduus, domo Samarobrinus; Ecclesiæ Noviomensis Canonicus, claruit sub annum MD. 1500. R. G. Vir nullis non Disciplinis instructus, nullis non artibus perpolitus, Grammaticus, Orator, Philosophus, Mathematicus, Theologus, in singulis summus. Edidit *Quæstionum Theologicarum*, *De creatione Angelorum*, *de voluptate Paradisi*, *de Diluviis*, aliisque ex utroque Testamento petitis, libros VII. *Parif.* 1504. 1513. *Basil.* 1515. *fol.* *In Primordiale Evangelium D. Ioannis* Commentarium, prodiit *Parif.* 1511. & subjunctis quibusdam *Epistolis*; necnon *Raym. Lullii vitâ*, ibid. 1514. 4to. Tractatus *de laude Hierosolymorum* in Psal. CXLVII. *de laude gentium* in Psalm. CXVII. *de concertatione & areâ peccati*, simul impressi *Lugduni.* 1531. 8vo. fertur & in *Psalmos* LXXI. CXVIII. & in *Orationem Dominicam* commentasse. Dialogi IV. *De animæ immortalitate* I. *de resurrectione* II. *de mundi excidio* I. unà excusi *Parif.* 1551. 4to. *De raptu D. Pauli*; *de propheticâ visione*; *de voto*; *de libero arbitrio*; *de differentiâ Orationis* junctim prodierunt, *Parif.* 1589. 8vo. *Proverbia*, aliaque opera *Critica & Mathematica* missa facimus.

Concilia hoc Sæculo habita.

1405. R. G. PRAGENSE à Sbinkone Archiepiscopo in causâ Schismatis ex gemino Ecclesiæ capite orti anno MCCCCV. celebratum. Extant Literæ Innocentii Papæ VII. ad Archipræsulem præfatum, quibus Concilium Provinciale contra Schismaticos (eos qui Benedicto Papæ XIII. adhærebant) congregare mandat apud Raynald. *Annal. Eccles.*

1408. R. G. OXONIENSE à Thomâ Arundel Cantuariensi Antistite cum cæteris istius Provinciæ Episcopis anno MCCCCVIII. coactum. In quo contra doctrinæ Wickleffianæ seminatores cautum est, ne quis pro suggesto ad populum ageret nisi facultate ab Episcopo priùs impetratâ, & ut Collegiorum singulorum per Academiam Oxoniensem Custodes in Scholarium suorum, cujuscunque gradus fuerint, fidem diligenter inquirant, inque suspectos monitis, &, si opus sit, censuris procedant. Extat Decretum Synodale Articulos XIII. complectens apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. p. 662. & *Conc.* Tom. XI. part. 2. col. 2089. Proximo anno aliud Concilium Provinciale in Ecclesiâ Cathedrali D. Pauli Londinens. celebravit Archiepiscopus. In quo de alterutri Papæ hoc Schismatis tempore adhærendo disceptatur, & Decretum Oxoniense contra Lollardos (quo nomine Wickleffi sequaces indigitantur) confirmatur: Hujus Synodi meminit Tho. Walsingham *Hist. Angl.* p. 377. *edit. Francof.* Extat Commissio Episcopo Londinensi ad publicandum dictum decretum apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. p. 668. Notandum est Thomam Cantuariensem Synodos Provinciales singulis ferè annis in Ecclesiâ D. Pauli Londin. celebrâsse, in quibus contra doctrinæ Wickleffianæ fautores cujuscunque Ordinis aut Dignitatis crudeliter sævitum est. In harum alterâ Festivitas S. Georgii Martyris duplex Festum constituitur, in alterâ ne S. Scripturæ in linguam Anglicanam verterentur cautum est. Vide Walsingham *ibid.* p. 382. *Antiquit. Britan.* p. 274, 275.

RHEMENSE, à Guidone de Royâ Archiepiscopo Rhemensi cum Suffraganeis, XXVIII. die *Aprilis* anno MCCCCVIII. celebratum. 1408. R. G. In hâc Synodo (ad XXII. *Julii* superioris anni convocatâ, ac Episcopis non comparentibus in VIII. d. *Novembr.* ejusdem anni, ac demùm ad dictum XXVIII. prorogatâ) varia de *SS. Trinitate & fide Catholicâ*; *de Sacramentalibus*; *de habitu & conversatione Clericorum*; *de Monachorum & Monialium Reformatione*; *contra Officialium exactiones*; *de Schismatis extinctione* decernuntur, & Scholæ Parisiensis privilegia ab Urbis Prætore violata statuminantur. Hujus memoriam conservavit Cl. Marlotus, *Hist. Rhemens.* T. II. lib. IV. p. 688. Vide etiam Jo. Gerson. *Opera*, Tom. II.

PERPINIANUM à Benedicto Papa XIII. quo Cardinalibus ad Concilium Generale apud Pisas celebrandum coeuntibus fraudem faceret, & in sui gratiam tanquam legitimi Christi Vicarii Synodicam declarationem obtineret, Cal. *Novembr.* an. MCCCCVIII. congregatum. 1408. R. G. In hoc Conciliabulo Prælatis inter se dissentientibus per VII. Sessiones nihil actum est: Sessione octavâ & ultimâ Cal. *Febr.* anni sequentis à Præsulibus *XVIII.* qui soli supererant, se verum Ecclesiæ Pontificem, ægrè & non nisi pactâ Papatûs in schismatis extinctionem renunciatione, impetravit Benedictus: Extant Acta ex Niemo & Raynaldo *Conc.* Tom. XI. part. II. col. 2108. Vide d'Aguirre *Conc. Hisp.* T. III. p. 637. fœlicius ei cessit in Concilio Salmanticensi an. MCCCCX. habito,

Digitized by Google

habito, in quo jus ejus ad Papatum strenuè asseritur, & ipse summus Ecclesiæ Pontifex concordibus votis declaratur: Librum Synodalem edidit Gundisalvus Episcopus Salmanticensis. Vide Card. d'Aguirre *ibid.* p. 645. Nec sibi defuit Gregorius Papa XII. quippe qui Concilium ad Austriam urbem Diœcesis Aquileiensis in Festo Pentecostes an. MCCCCIX. congregavit; in quo verus Ecclesiæ Pastor, & unicus Christi Vicarius à paucis qui aderant Episcopis declaratur. Extat *Sententia Synodalis* cum tribus Gregorii *Epistolis Conc.* Tom. XI. part. II. col. 2102.

1409. R.G. PISANUM, Oecumenicum, à Cardinalibus utriusque obedientiæ, in id velut unicum Schismatis remedium consentientibus, xxv. die *Martii* anno MCCCCIX. convocatum. Hoc Concilium cui præter Principum Legatos *CLXXX.* Præsules, *CCC.* Abbates, *CXX.* Magistri in Theologiâ, *CCC.* Juris utriusque Doctores, & tantum non omnium Europæ Academiarum Procuratores interfuerunt, XXIV. sessionibus absolutum est: Non est nostri quid in singulis gestum sit minutatim referre, potiora selegisse sufficiat, reliqua ex ipsis Actis peti possunt. *Sess. Primâ* Constituuntur universalis Ecclesiæ nomine Procuratores, qui contra Benedictum & Gregorium de Papatu contendentes agant; Hi Synodali auctoritate freti eos ad comparendum citant, non comparentes contumaciæ postulant. *Sess. tertiâ* xxx. *Martii.* Decretum contumaciæ contra duos Contendentes, quòd legitimè bis citati non comparuerint, promulgatur; & Cardinales eis adhærentes ad Concilium vocantur, *Sess.* X. XI. XII. xxii. xxiii, xxx. *Maii*, Articuli XXXVII. contra Contendentes publicè lecti, & per testes idoneos probati, à Synodo notorii & manifesti declarantur. *Sess.* XV. v. *Iunii.* Sententia definitiva quâ Petrus de Lunâ, & Angelus de Corario *Schismatici hæretici, & contumaces & secundùm S. Canones ab Imperio amoti, & ab Ecclesia præcisi* omnesque fideles ab obedientiâ eorum absoluti, ac tandem omnes Sententiæ & Censuræ ab eorum alterutro intra anni spatium prolatæ, irritæ, cassæ, & planè nullæ declarantur, & publicè lecta est & approbata, & præsentium subscriptionibus munita. *Sess* XIX. xv. *Iunii* Cardinales XXIV. ad novum Pontificem ex Synodi decreto eligendum Conclave intrant, (eis etiam qui tempore schismatis per Contendentes creati erant ad Suffragiorum jus admissis, ex peculiari Indulgentia pro hac vice à Synodo *Sess.* XVII. concessa,) & xxvi. ejusdem mensis D. Petrum de Candia Cardinalem Mediolanens. eligunt, qui Papa renunciatus *Alexandri* V. nomen sumit. *Sess.* XX. primo *Iulii* Alexander Papa V. Concilio præsidet, omnes Cardinalium processus & sententias à tertio die *Maii* anno MCCCCVIII. confirmat; duas Cardinalium factiones in unum Collegium restituit; Privilegia quædam eis qui Synodo interérant concedit, & opus reformationis in se suscipit *Sess.* XXI. XXII. XXIII. x. xxvii. *Iulii*, vii. *Aug.* Omnes Processus à Tempore schismatis abolentur; Censuræ cassantur; Promotiones, Consecrationes, Ordinationes, modò aliàs Canonicæ sint, ratæ habentur; Petro de Lunâ aut Angelo Corario hæreseos & schismatis nuper damnatis adhærentes, velut Hæreticæ pravitatis fautores judicantur: Concilium Generale intra triennium celebrandum, Provinciales interim Synodi super negotio Reformationis, velut in antecessum ubique congregandæ ordinantur. Extant Acta primò edita *Paris.* 1612. 4to. integriora apud Richerium *Hist. Conc. General.* lib. II. c. 2. cum Sev. Binnii notis, *Conc.* Tom. XI. part. II. col. 2117. ampliora ex L. Dacherii *Spicilegii* Tom. XI. *ibid.* col. 2140. *Articuli* contra Contendentes cum probationibus ex Raynaldo, *ibid.* cod. 2249. *Epistolæ Append.* denique, & alia nonnulla huc spectantia, *ibid.* col. 2256. & seq.

1412. R.G. ROMANUM à Joanne Papa xxiii. ex decreto Concilii Pisani, absoluto jam triennio, anno MCCCCXII. congregatum. In quo Joan. Wickleffi scripta (*Dialogus*, scilicet, *Trialogus*, alia) tanquam hæretica reprobantur, & igni cremanda judicantur. Extat Decretum Synodale sexto die *Ianuar.* anni sequentis datum, *Conc.* Tom. XI. part. II. col. 2322.

1414. R.G. CONSTANTIENSE Oecumenicum ex decreto Concilii Pisani à Joanne Papâ xxiii. rogatu Sigismundi Romanorum & Bohemiæ R. Calend. *Novembr.* an. MCCCCXIV. congregatum. In quo de diuturno illo schismate extinguendo, de Ecclesiâ tum in Capite tum in Membris reformandâ, de Wickleffianis denique & Bohemis supprimendis novâ prorsus methodo actum est. Præsulibus quippe per Nationes distributis & seorsim consulentibus; & Cardinalibus in suo Collegio negotia separatim tractantibus, nihil quicquam Concilio definiendum proponebatur, nisi quod per Cardinales & Episcopos Nationum in singulis suis Conventibus discussum priùs & conclusum fuisset. Huic Concilio ultrà tres annos duraturo Sigismundus Rex, Principes, Principúmque Legati, Præsules, Abbates, S. Theologiæ, & utriusque Juris Doctores, magnâ sanè frequentiâ interfuerunt, Sessionibus XLV. Ecclesiæ negotia tractaturi.

I. Ac primò quidem de tricipite schismate extinguendo deliberant Patres, ac à Joanne initium sumunt; cui *Sess.* II. ii. *Mart.* MCCCCXV. Schedulam Resignationis offerunt; quam ipse palàm in Synodo legit, & ad eam observandam Sacramenti religione se obstringit, paucis post diebus clam fugiturus. *Sess.* III. xxv. *Mart.* Concilium Constantiense ritè convocatum esse, nec nisi schismate extirpato; & Ecclesiâ in fide & moribus, in Capite & Membris reformatâ, dissolvi posse, aut aliò transferri, nec Episcopis à Concilio nondum finito discedere licere, contrà eos qui ex absentiâ Papæ Concilium dissolutum iri affirmarunt, decretum est. *Sess.* IV. V. xxx. *Mart.* vi. *April.* Concilium immediatè à Christo potestatem habere, cui omnes cujuscunque dignitatis etiam *Papa'is* obedire tenentur, qui secus fecerint pœnis coercendos, Joannem Papatui renunciare & definitionibus Concilii stare teneri, discessum ejus à Concilio illicitum esse, ni redierit contra eum ut hæreticum & schismaticum procedendum, conclusum est. *Sess* XII. xxix, *Maii* Joannes Papa aliquoties ad Concilium citatus oblato ei salvo conductu, quòd non comparuerit contumax declaratus, & quòd *Ecclesiam* malè administrâsset, vitâ damnabili & nefandis moribus exemplum malæ vitæ populo præbuisset, beneficia Ecclesiastica simoniacè distribuisset, bonáque & jura Ecclesiæ dilapidasset, *suspensionis* sententiâ priùs innodatus, Synodali decreto jam tandem *deponitur*, ac omnes fideles ab ejus obedientiâ absolvuntur. Cautum est insuper, ne quis absque Synodi consensu, nec ex Contendentibus aliquis omninò, in Papam eligeretur. Huic sententiæ se subjecit Joannes, & Decreto confirmato Papatum deposuit. *Sess.* XIV. iv. *Iul.* Legati Gregorii P. XII. quæ à Synodo hactenus gesta sunt approbatis omnibus & confirmatis, ejus nomine Papatui renunciant: ex quo Cardinales suæ creationis à Synodo recepti sunt, & duæ Obedientiæ in unum corpus coaluêre. Restat Benedictus, ad quem legati, (quorum primus Sigismundus Rex,) *Sess.* XVI. xi. *Iulii* ordinantur: frustrà, subdolè agit Benedictus & fraudes nectit, principes ejus fautores eum deserunt, Synodus contra eum procedit. & *Sess.* XXXVII. xxvi. *Iulii*, MCCCCXVII. *sententia depositionis*

SÆC. XV. ab An. MCCCC. tionis in eum velut *perjurum*, *universalis Ecclesiæ scandalizatorem*, *inveterati schismatis fautorem*, *&c.* *decernitur*. *Sess.* XLI. VIII. *Nov.* cùm in antecedentibus Sessionibus de Concilio generali post quinquennium à fine hujus Concilii, altero post septennium, & deinceps singulis decenniis habendo, & formulâ fidei à Papâ, priusquàm publicetur ejus electio, profitendâ; de Ecclesiâ tum in Capite, tum in Membris à futuro Pontifice reformandâ, deque modo eligendi conclusum esset; Cardinales & quinque Nationum Delegati ad suffragiorum jus pro hâc vice admissi Conclave intrant, & tertio post die XI. *Nov.* festo D. *Martini* Odonem Cardinalem de Columnâ, qui Martini V. nomen eâ de causâ assumpsit, in Summum Pontificem eligunt: qui *Sess.* XLIV. XIX. *April.* Papiam urbem Italiæ de consensu Patrum proximi Concilii locum designat, & *Sess.* XLV. XXII. *Apr.* plenariam omnibus qui Concilio interfuerant indulgentiam concedit, Concilium jamjam soluturus.

II. Quod Reformationem attinet, in eâ satis segnes erant boni Patres, totum istud negotium, nisi quod XVIII. Capita præcipuè reformanda indicâssent, ad Martinum P. noviter electum remiserunt; qui, ne nihil agere videretur, Constitutiones quasdam *de exemptionibus*, *de unionibus*, &c. *Sess.* XLIII. edidit, reliquis quæ maximi erant momenti penitùs prætermissis.

III. Studio autem vehementiori in causâ hæreseos, quam vocant, actum est. Inani prorsus furore in *Ioan. Wick eff.* triginta jam annis demortuum *Sess.* VIII. IV. *Maii* MCCCCXV. sævitum est, cujus doctrina *hæretica*, *erronea*, *scandalosa* declaratur; scripta omnia prohibentur; memoria velut notorii hæretici absque pœnitentiâ defuncti diro anathemate confossa; ossa denique exhumanda & projicienda decernuntur. Pari ferociâ contra *Ioan. Hussum* procedit Synodus, quem, ruptâ salvi conductûs fide, non auditum, nedum convictum carceri primò mancipavit; deinde XXX. in eum Articulis formatis hæreticum denunciavit; scripta ejus omnia cremari, ipsumque degradari & comburi, reluctante licet & frustrà renitente Sigismundo, *Sess.* XIII. XV. *Iunii* ordinavit. Hujus Sententiæ atrocitate permotus *Hieron. de Pragâ*, ipse etiam, ut Wickleffi & Hussi sectator, Hæreseos postulatus, metuque perculsus, se suaque dogmata Synodo subjecit, & Retractationis schedulam propriâ manu scriptam, & vivâ voce prolatam *Sess.* XIX. XXIII. *Sept.* Synodo tradidit. Postea verò pœnitentiâ ductus, abjurationem suam detestatus, Hussi virtutes deprædicans, magno ingenii acumine, nec minori animi constantiâ dogmata sua proferens & propugnans, à Synodo *Sess.* XXI. XXX. *Maii* MCCCCXVI. ut hæreticus damnatur, & potestati sæculari traditus vivicomburium patitur. Denique contra horum fautores & asseclas, decretum est *Sess.* XIII. circa S. Eucharistiæ Sacramentum, quod *licet Christus sub utrâque specie instituerit, eundemque administrandi modum Ecclesia Primitiva retinuerit, his tamen* NON OBSTANTIBUS, *consuetudo Ecclesiæ, quâ sub specie panis tantummodò à Laicis suscipitur, est observanda.* Quædam alia obiter in hâc Synodo gesta, *Disceptationem* Anglos inter & Hispanos de loci prærogativâ, Anglis à Concilio haud ægrè concessâ & decreto confirmatâ; *Petitiones* Polonorum circa libellum cujusdam Joan. Falconberg. Equitis; *Carolinæ* confirmationem, &c. brevitatis gratiâ præterimus. Extant Acta compendiosè relata, seorsim edita, *Hagenoæ*, 1500. 4*to.* cum notis Binii *Conc.* Tom. XII. in initio; quibus subjunguntur Martini P. V. Bulla de erroribus, uti vocantur, Wickleffi, &c. *ibid.* col. 259. & Methodus in publicâ sessione Conciliorum General. observanda, *ibid.* col. 284 *Epistolæ* variæ, decreta, processus, aliaque huc spectantia *Appendicis* vicem obtinent, *ibid.* col. 1434. De Decretis quartæ & quintæ Sess. hujusce Synodi, quibus Potestas Concilii Generalis super Papam stabilitur, consulat Lector Edm. Richer. *Hist. Conc. Gen.* lib. II. c. 3. Natal. Alexandr. *Hist. Eccles. Sæc.* XV. *Dissert.* III. IV. Em. Schelstrat. *Acta Constant. Conc. Antv.* 1683. 4*to.* & ejusdem *Tractat. de sensu & auctorit. Constant. Conc.* contra Maimburg. *Romæ* 1686. 4*to.* Accuratissima harum rerum cognitio ex *literariâ Reformationis historiâ*, quam sub auspiciis Seren. Ducis Brunsvicensis edendam avidè expectamus, promptam ei & propitiam Lucinam precantes, expetenda erit. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

LONDINENSE, ab Henrico Chicheley Cantuariensi Antistite cum Suffraganeis, in Ecclesiâ D. Pauli circa Festum S. Michaëlis anno MCCCCXIV. coactum. In quo, Oratores pro parte Cleri Anglicani ad Concilium Generale Constantiæ celebrandum progressuri eliguntur, & quædam ad privilegia Monachorum minuenda, & exemptiones cohibendas ringentibus frustrà Fratribus decernuntur. Vide Walsingham *Hist. Angl.* p. 387. Notandum est Henricum Archiepiscopum singulis ferè annis Synodos Londini congregâsse; Harum unâ anno MCCCCXV. de festis S. Georgii M. SS. Davidis & Ceddæ Episcoporum, & S. Winifredæ V. actum est. Extat Constitutio Synodalis apud Spelm. *Conc. Brit.* p. 669. & *Conc.* Tom. XII. col. 295. Alterâ anno MCCCCXVI. nonnulla in jurisdictionis Ecclesiasticæ malè administratæ correctionem, & hæreseων quas vocant extirpationem ordinantur. Extant Disciplinæ Capitulà III. *Conc. ibid.* col. 299. Tertiâ, an. MCCCCXVII. in studiosorum gratiam decretum est, ut Beneficiorum Ecclesiasticorum Patroni ea vacantia his, qui graduum dignitatibus ab Academiis donati sunt, deinceps conferant, gradûs & professionis ratione juxta Beneficiorum census & valores habitâ. Constitutio habetur ap. Spelman. *ibid.* Consule etiam *Antiquit. Britan.* p. 278 & sequ. ubi plures at levis momenti Synodi sub Henrici Cantuariensis Præsidentiâ memorantur. 1414. R. G.

SALISBURGENSE ab Everhardo Archiepiscopo, cum Suffraganeis *V.* & absentium Procuratoribus, circa annum MCCCCXX. congregatum. In quo varia Disciplinæ Capitula, à Decessoribus suis in superioribus Synodis stabilita, renovantur, & multa alia in morum reformationem de novo ordinantur. Extant Constitutiones *de Summa Trinitate & fide Catholicâ*; *de officio Archidiaconi, Vicarii*, &c. XXXIV. *Conc.* Tom. XII. col. 308 quibus subjunguntur *Canones* LIX. ex prioribus Constitutionibus excerpti, & à Joanne Ecclesiæ Salisburgensis Archidiacono promulgati, *ibid.* col. 328. 1420. R. G.

PRAGENSE II. à Conrado Archiepiscopo reliquoque ex parte Reformatorum in regno Bohemiæ Clero, Hussitis vulgò appellato, ad amoliendam, quâ injustè laborabant hæreseos infamiam VII. *Iulii* anno MCCCCXXI congregatum. In quo XXII. Articuli fidei Christianæ Veterum Formulis consoni, *de Sacra Scriptura*; *de Ecclesiæ Primitivæ Symbolis*, *de Sacramento Eucharistiæ*; *de morum Cleri reformatione*, &c. solenni decreto promulgantur. Dicti *Articuli* habentur in *Historiâ Hussiticâ* Cochlæi, lib. V. & apud Dubravium *Hist. Bohem.* lib. XXV. Videsis Boh. Balbini *Miscel. Hist. Bohem.* Decad. I. lib. 6. 1421. R. G.

COLONIENSE I. à Theodorico Archiepiscopo, & Suffraganeis *V.* XX. die *Martii* anno MCCCCXXIII. celebratum. Extant Disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* VII. *contra fornicarios seu concubinarios Clericos*; *contra Sæculares qui in libertatis* 1423. R. G.

Digitized by Google

tatis Ecclesiasticæ derogationem præsumant, &c. *Conc.* Tom. XII. col. 360. His subnectuntur *Constitutiones* V. de Disciplinâ XXII. *April.* ejusdem anni à Theodorico Synodicè ordinatæ.

1423. R.G. PAPIENSE aliàs SENENSE dictum, Oecumenicum, à Martino P. V. ex decreto Concilii Constantiensis ad urbem Papiensem mense *Maii* anno MCCCCXXIII. coactum; inde pestilentiâ grassante ex Præsulum, qui paucissimi aderant, sententiâ Senas translatum, ibique Calend. *Novemb.* inchoatum; Præsidentibus IV. Sedis Pontificiæ Legatis. In quo contra Hussitas Hæreseos damnatos, eorumque fautores, contra Benedictum XIII. ejusque in schismate Successores asperè satis & importunè actum est: de Græcis etiam reducendis consultum, cùm autem ad Ecclesiastici statûs Reformationem deventum est, à Martino P. bellorum inter Principes Christianos grassantium obtentu soluta est Synodus, & Civitas Basileensis Concilio septimo post anno celebrando constituta est. Extant Acta *Parif.* 1612. in 4to. edita, & apud Richer. *Hist. Conc. Gen.* lib. III. c. I. & cum additionibus nonnullis ex Raynaldo, *Conc.* Tom. XII. col. 365.

1425. R.G. HAFNIENSE Petro Luckio Lundensi Archiepiscopo Præside, assidentibus Suffraganeis *VI.* cum Abbatibus & Clero Provinciæ Lundensis XI. die *Januar.* anno MCCCCXXV. ad Disciplinæ instaurationem, & morum correctionem celebratum. Extat *Epistola* Synodalis varia monita salubria, & potioris Disciplinæ capitula continens. *Conc.* Tom. XII. col. 380.

1429. R. G. PARISIENSE à Joanne de Nantone Archiepiscopo Senonensi, assistentibus Suffraganeis *IV.* Abbatibus, Prioribus, aliisque viris doctis ex Academiâ Parisiensi, primo die *Martii* anno MCCCCXXIX. coactum. In quo varia ad vitæ honestatem, morum probitatem, & cultûs Divini puritatem ordinantur. Extant *Constitutiones* Synodales XLI. quarum aliæ *reformationem Divini Officii* spectant, aliæ *mores Prælatorum, Abbatum, Abbatissarum, & Personarum Regularium*, aliæ *habitum & vitam Clericorum*; aliæ denique *Secularium correctionem*, *Conc.* Tom. XII. col. 392.

1429. R.G. DERTUSANUM à Petro de Fuxo Cardinale Martini V. Legato, ad profligandum Schisma in Hispaniam misso, Præside; præsentibus Alfonso Aragoniæ Rege, Reginâ, Prælatis, Abbatibus, aliisque præcipuis Ecclesiasticis Regnorum Aragoniæ, Valentiæ, & Principatûs Cataloniæ plusquam C C. XIX. *Septemb.* anno MCCCCXXIX. congregatum. In quo Schismate per cessionem Clementis VIII. Antipapæ jam penitus extincto, & Paniscolensibus ad unionem & obedientiam reductis, de Ecclesiastici statûs reformatione consultum est. Extant *Acta* (quibus Clementis VIII. Bulla resignationis, & octo Alphonsi R. Diplomata immunitates Ecclesiæ propugnantia subnectuntur) & Constitutiones XX. *de vitâ & honestate Clericorum*; *contra Concubinarios*; *ut nullus non idoneus ad S. Ordines promoveatur*; *de modo instruendi populum circa fidem*; &c. *Conc.* Tom. XII. col. 409. & apud d'Aguirre. *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 648.

1431. R.G. BASILEENSE, Oecumenicum, ex decreto Concilii Constantiensis à Synodo Senensi confirmato, Præsulibus ad locum & tempus in eâdem præstituta coëuntibus, Martino V. & post ejus obitum Eugenio IV. PP. consentientibus, & Julianum S. Angeli Cardinalem sui nomine Legatum & Concilii Præsidem constituentibus; Sigismundo Imp. ejusdem patrocinium suscepturo; anno MCCCCXXXI. congregatum: XXIII. *Iulii* inchoatum, undecimo abhinc anno ad civitatem Lausanensem prorogandum.

Primâ *Sessione* XIV. *Decemb.* habitâ, Conciliorum Constantiensis & Senensis Decreta, Martini & Eugenii PP. Bullæ, quibus fundamentis innixa est hujus Concilii Auctoritas, leguntur; Causæ propter quas coactum est indicantur; & modus agendi in singulis Sessionibus ordinatur: Tribus autem de causis celebrata est hæc Synodus, 1. de fide illibatâ conservanda, 2. de pace inter Principes Christianos conciliandâ, 3. de Ecclesiâ in Capite & Membris reformandâ.

I. In negotio Fidei. Legatio ad Bohemos instituitur, quâ eos oblato salvo conductu ad Concilium vocant. Bohemi Oratores suos, fide à Concilio & Sigismundo Imp. datâ, Basileam mittunt: qui benignè primùm à Synodo recepti, quatuor postulant; 1. Ut Eucharistia per Bohemiæ & Moraviæ ditiones sub utrâque specie ministretur. 2. Ut omnia peccata moralia præsertim publica per eos quorum interest cohibeantur. 3. Ut Verbum Dei à Sacerdotibus liberè & fideliter prædicetur. 4. Ut Clerus ab omni temporali dominio abstinere cogatur; si hæc concessa sint, se ad Ecclesiam Romanam redire, & cum eâ in posterum uniri velle profitentes: Super his postulatis in privatis Congregationibus multum disputatum est, in Concilio nihil actum, nisi quod *Sess.* XXX. XXIII. *Decemb.* MCCCCXXXVII. *Eucharistiam sub unâ specie à laicis suscipiendam*; *Christum integrum esse sub alterutrâ specie*; & *Consuetudinem Ecclesiæ pro lege habendam*, decretum sit. De Græcis etiam reducendis Legationes & Literæ ultrò citróque datæ quibus de Generali utriusque Ecclesiæ Concilio habendo; de commeatu & subsidio Græcis ministrando, de salvo conductu, aliisque præcurrentibus conclusum est. Verùm conatus istos infregit Eugenius P. Græcos Florentiam alliciens. His adjicere liceat Decreta contra Judæos *Sess.* XIX. renovata, & Libellum quendam Augustini de Româ Archiepisc. Nazareni, ob propositiones quasdam temerarias, erroneas & hæreticas, *de humanâ naturâ Christi*, &c. in eo contentas, damnatum, salvâ auctoris personâ, *Sess* XX. & tandem Veritates duas *Sess.* XXXIII. XVI. *Maii* MCCCCXXXIX. promulgatas: Primam *de potestate Generalis Concilii super Papam.* Secundam *de non dissolvendo aut transferendo in alium locum Concilio, absque duarum partium consensu*, quibus veritatibus pertinaciter repugnans *hæreticus* declaratur. Nec prætereunda videtur hujusce Synodi *de immaculatâ B. Virginis Conceptione* Definitio, & *Festi* ejusdem quotannis VI. Id. *Decemb.* cum Indulgentiarum solennitate celebrandi *Institutio Sess.* XXXVI. XVII. *Sept.* MCCCCXXXIX. ordinata. II. In negotio Pacis; Ad Principes discordes legatos suos ordinavit Synodus; quibus mediantibus, Concordia inter Regem Franciæ & Ducem Burgundiæ inita est; Reliquos Synodi conatus dissidia eam inter & Eugenium *de summâ potestate* orta frustrârunt; uti & Reformationis negotio multùm restiterunt. III. Nonnullæ autem saluberrimæ Constitutiones in disciplinæ collapsæ instaurationem, vitæque & morum correctionem, ab hoc Consessu variis temporibus effluxerunt. *De Electione summi Pontificis*, cum *formula Fidei* à nuper electo profitenda: *de numero & qualitate Cardinalium*, &c. *Sess.* XXIII. *De Episcopis eligendis*, ut sint *ætate legitimâ*, *moribus graves*, *literarum scientiâ præditi*, &c. *contra Reservationes*, &c. *Sess.* XII. *Contra Concubinarios*; *de Excommunicatione*; *de Interdictione*; *de Annatis non solvendis*, &c. *Sess.* XX. XXI. In Jurisdictionis antiquæ renovationem *contra Papales usurpationes*; & *frivolas Appellationes*, *Sess.* XXXI & denique

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. denique quò malis ingruentibus tempestiva adhibeantur remedia, ut *Synodi Episcopales per singulas Diœceses bis aut ad minùs semel annuatim*, Provinciales *tertio quoque* anno celebrentur, *Sess.* XV. Hæc sunt Primordia Reformationis à Synodo tentata, ulteriùs ut videtur progressurâ nisi de Auctoritate suâ litigandum esset, cui vindicandæ multum insudârunt Patres. *Sess.* II. Decretum Constantiense *de potestate Concilii super Papam* confirmatur. *Sess.* III. IV. Papæ non licere *Concilium dissolvere, aut aliò transferre, nisi cum consensu duarum partium; nec Cardinales à Concilio avocare, aut novos nisi in Concilio creare* conclusum est. *Sess.* VI. VII. VIII. anno MCCCCXXXII. *Unicam esse Ecclesiam, Unicum Generale Concilium Basileæ congregatum* declaratur; *nemini licere sub pœna excommunicationis Bononiam aut quemcumque alium in locum pro celebratione Concilii se conferre; si Sedes vacaverit durante Concilio Papam extra Concilium non esse eligendum: contra Eugenium procedendum esse, ni Bullam dissolutionis revocaverit, nec ei licere de Beneficiis eorum qui Concilio adhærent disponere*, decretum est *Sess.* X. XI. XII. an. MCCCCXXXIII. *Eugenius* ad Concilium *citatur*; non comparens *contumaciæ* postulatur: nisi *dissolutionis* Bullam revocet, & intra terminum præscriptum coram Concilio se sistat deponendus judicatur. *Sess.* XIV. XVI. XVII. ann. MCCCCXXXIV. Eugenii *Literæ* ad Concilium quibus *id legitimè continuatum; seque id omni favore prosequuturum* declarat, *omnia in eo hactenùs gesta, & in tribus Causis prædictis deinceps gerenda approbat; omniáque à se in præjudicium Concilii facta aut attentata cassat*; publicè lectæ, ratæ, & gratæ habentur. Legati autem qui eas pertulerunt, non nisi sub certis conditionibus, *absque omni jurisdictione coactivâ*, & juramento ad decreta Concilii Constant. observanda priùs præstito, ad Præsidentiam admissi. *Sess.* XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. ann. MCCCCXXXVII. varia *Accusationum* Capita, *Citationes* & *Processus* in Eugenium ad Synodum venire præfractè recusantem formantur *Sess.* XXXIV. xxv. *Jun.* MCCCCXXXIX. Eugenius in præcedentibus Sessionibus *contumax* declaratus, & ab omni jurisdictione *suspensus*, *ut pacis Ecclesiæ turbator, simoniacus, perjurus, hæreticus, &c. deponitur. Sess.* XL. xxvi. *Febr.* MCCCCXL. Amadeus Sabaudiæ Dux, superiori Sessione in Pontificem electus, juramentum ex decreto Synodi præstitit, & Felicis nomen suscepit, cui ut *unico vero & indubitato Ecclesiæ Rom. Pastori ab omnibus Christi fidelibus de necessitate salutis obediendum esse* decrevit Synodus. *Sess.* XLV. xvi. *Maii* MCCCCXLII. Felix Papa V. Concilii Præses Civitatem Lugdunensem pro Concilio intra triennium celebrando nominavit: Concilium autem Basileense non dissolutum; sed vel Basileæ continuandum vel ad Civitatem Lausanensem transferendum decretum est. Extant *Acta* cum Binii notis, *Conc.* Tom. XII. col. 459. quibus præmittuntur *Petitiones* & *Articuli Bohemorum*: Subjunguntur *Bulla* Nicolai P. V. Eugenii Successoris, acta & gesta Concilii Basileensis confirmans: *Epistolæ* variæ Synodales: *Actionum, Decretorum*, aliarumque rerum huc spectantium *Farrago* sivè *Appendix*, & *Orationes* contra Bohemos IV. Concilii *Basileensis & Florentini Acta*, ab Augustino Patricio compendiosè relata, habentur *Conc.* Tom. XIII. col. 1488. Vide Æneæ Sylvii *de Gestis Concilii Basileensis* libros II. & Richer. *Hist. Conc. Gen.* lib. III. à Cap. 2. ad 6. inclusivè.

1438. R. G. BITURICENSE à Gallicanæ Ecclesiæ Præsulibus, Præsidente Carolo VII. Francorum R. præsentibus Ludovico Delphino, aliisque Regni Primoribus, Avarici Biturigum Aquitaniæ Metropoli, an. MCCCCXXXVIII. celebratum. In quo Concilium Basileense, repudiato Ferrariensi, ab Ecclesiâ Gallicanâ approbatur; & Constitutiones ejus *de potestate Concilii* suscipiuntur; eâque occasione, PRAGMATICA SANCTIO pro jure Regio contra Usurpationes Papales ab Ordinibus Regni in Conciliis generalibus anno sequente confirmanda stabilitur. Vide Gaguin. *Hist. Gall.* lib. X. Extat *Pragmatica Sanctio*, *Paris.* 1554. 2. Vol. 8°. à Pinsonio edita & illustrata, *ibid.* 1666. SÆC. XV. ab An. MCCCC.

FERRARIENSE sive FLORENTINUM, ab Eugenio IV. P. quo Patrum Basileensium conatus pessundaret, & Græcos spe suppetiarum à Latinis fascinatos in partes suas attraheret, Ferrariæ congregatum & vi. *Octob.* an. MCCCCXXXVIII. inchoatum; Florentiam posteà transferendum. Huic præsedit Eugenius Papa Cardinalibus & Prælatis Latinis stipatus; quibus non pauci ex Basilea, repudiato Concilio accesserunt: Joannes Græcorum Imperator, Demetrius Despota, Josephus Patriarcha Constantinop. cum Patriarcharum Orientalium Vicariis, Metropolitanis, Monasteriorum Hegumenis, & Proceribus Ecclesiasticis ad unionem in fide & ritibus inter Græcos & Latinos stabiliendam interfuerunt. De quatuor Articulis in hac Synodo controversum est. 1. *De Processione Spiritûs S.* 2. *De Pane Azymo in Sacramento Altaris* 3. *De Purgatorio.* 4. *De Primatu Papæ*, quorum primo ad Concilium reservato, reliqua privatis Congregationibus discutienda amandantur, & ne fortè rixosæ de rebus controversis in Concilio Disputationes (cùm in tanta frequentia nullus sit altercandi modus) unionis negotium impedirent, inter utrosque convenit, ut ex alterutra parte decem qui disputandi munus sustinerent eligerentur: à parte Græcorum ex Metropolitanis Ephesius (unus instar omnium) Monembasianus Nicænus Lacedæmoniæ, & Anchiali; è Proceribus Ecclesiasticis M. Chartophilax M. Ecclesiarcha; Monasteriorum Præfecti, Pantocratoris & Calei, & Moses Hieromonachus. A parte Latinorum, duo Cardinales, Julianus & Firmanus: Andreas Rhodi, Joannes Hispanus, & sex alii. *In Congregationibus*, inter Julianum Card. & Joannem Hispanum ex parte Latinorum, Marcum Ephesium & Archiep. Nicænum ex parte Græcorum, de *Purgatorio* disputatum est, testimoniis ex S. Scriptura & Doctorum scriptis utrinque allatis. *In Concilio* Controversia de *Additamento* ad Symbolum per XI. continuas Sessiones à VI. die *Octobris* ad XVIII. *Novembris* inclusivè agitata necdum determinata, in medio relinquitur; petentibus Latinis ut in alteram partem quæstionis transeant, & relictâ de Additamento controversiâ ipsum dogma de Processione *ex Filio* disceptetur, deinde Concilium Florentiam Urbem transfertur. *Sess. I.* Florent. aliàs XIII. xxvi. *Februar.* MCCCCXXXIX. Marcus Ephesius Ecclesiæ Græcæ fidem de processione *ex Solo Patre* tuendam suscipit. *Sess.* II. III. Latini Occidentalium Patrum testimonia in suæ fidei propugnaculum proferunt, & responsum petunt: deinde id mandante Imperatore à disputando cessatum est & ad media Unionis pervestiganda proceditur: id negotii subit Imperator, & sive ex propensiori animi affectu, sive ex suppetiarum spe, & immani res Græcas provehendi desiderio, ei acriter instat & invigilat. Hic primò Patriarcham in consortium operis adducit, dein Antistites summâ rerum penuriâ laborantes vel muneribus vel minis sibi obsequentes dat, dempto à Principibus Ecclesiasticis patriæ fidei tenacioribus suffragandi jure: tandem impellente Imperatore; Rosseno, Nicæno, & Protosyncello suadentibus, ii. *Junii* in Latinorum castra itur: Dogma de Processione *ex Filio*, Ephesio frustrà obnitente, plerisque non sine gemitu & lachrymis assentientibus, recipiendum decernitur; deinde *Additamentum* 1438. R.G.

Digitized by Google

ditamentum ad Symbolum legitimè & justis de causis factum esse: Utrique Ecclesiæ consuetudinem suam circa panem Eucharisticum ἄζυμον vel ἔνζυμον servandam esse: Doctrinam Purgatorii & Primatûs Papæ tenendam esse, ab Imperatore cum Consiliariis, Synodo inconsultâ, conclusum est. Tomus deinde conficitur quinto die *Julii* palam ab omnibus subscriptione confirmandus, & postero die solenni celebritate promulgandus. Hujusce Synodi Historiam & Acta à Sylvestro Syropulo M. Ecclesiarcha & Dicæophylace qui præsens interfuit summa fide relata & ex publicis Græcorum commentariis descripta habemus, cum interpretatione & notis R. Creighton Gr. Lat. edita *Hagæ Com.* 1660. *fol.* Nec dissimulandum est, Acta ab his paululum discrepantia, suppressis Latinorum dolis, à Theodoro Xanthopulo (si rectè conjicit Allatius †) Græcè conscripta, *Romæ* primùm edita, 1577. *fol.* deinde adjectis Scholarii & aliorum operibus Græcè & Latinè ex interpretatione Matt. Caryophili *ibidem* recusa 2. Vol. 4*to.* inde in *Conc.* Tom. XIII. relata. Dum hæc geruntur, Florentiam appellunt Armenorum Legati, ad unionem cum Latinis in fide & ritibus transigendam missi. Quibus auditis, de Symbolo Athanasiano & Constantinopolitano cum additione vocis *Filioque*, & de Concilii Chalcedonensis decretis suscipiendis; de septem Sacramentis juxta formam in Ecclesiâ Romanâ usitatam ministrandis; de nonnullis Festis diebus observandis; de consensu cum Ecclesiâ Romanâ in *Purgatorio*, *Papæ Primatu*, aliisque doctrinæ Capitibus determinatum est. Extat *Decretum Synodale* XXII. *Novemb.* anno MCCCCXXXIX. sancitum, *Conc.* Tom. XIII. col. 529. Pactam etiam in hâc Synodo cum Jacobinis, cum Mesopotamiæ & Syriæ incolis, cum Chaldæis denique & Maronitis concordiam memorant Historici, & *Decreta* cum *Formulâ fidei* ab iis Gentibus profitendâ reperiuntur, *ibid.* col. 1204. 1222. Verùm hæc Romæ in Basilica Lateranensi ad quam Eugenius P. ex Florentiâ Synodum transtulerat acta sunt. Consule hujus Concilii Acta ab Horatio Justiniano collecta & Latinè edita *Conc.* Tom. XIII. col. 815. & Augustini Patricii Historiam Compendiariam suprà laudatam *ibid.* col. 1428.

† In Creighton. Exercit. V. p. 73.

1439. R.G. CANTUARIENSE I. ab Henrico Archiepiscopo, cum Suffraganeis Calend. *Novembris* anno MCCCCXXXIX. habitum. In quo Clerus de severitate legum *Præmunire* conquestus, earum abrogationem suppliciter petiit, decimâ Regi concessâ, & majoribus adjumentis uberrimè promissis: de *augmentatione* item exilium Vicariorum, & moderandis Advocatorum exactionibus actum est. Extat in hanc rem *Constitutio* Synodalis apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. p. 689. & *Conc.* Tom. XIII. col. 1282. Porrò hac Synodo sedente exequias pro Sigismundo Augusto defuncto honorificè celebratas narrat Nic. Harpsfield *Hist. Eccl. Angl.* p. 621.

1440. R.G. FRISINGENSE à Nicodemo de Scala, qui pulso Joanne Grienenvvaldero sedem occupaverat, cum Decano & Capitulo Ecclesiæ Cathedralis reliquoque Diœcesis Frisingensis Clero, in aula Episcopali II. die *Septembris* ann. MCCCCXL. congregatum. Extant quæ ad disciplinam Ecclesiasticam spectant *Canones* XXVI. *De Clericis peregrinis & ignotis*; *de judiciis*; *de Clericis non residentibus*, &c. *Conc.* T. XIII. col. 1283.

1445. R.G. ROTHOMAGENSE à Radulpho Roussellio Archiepiscopo cum Suffraganeis, Ecclesiarum Cathedralium Procuratoribus, Abbatibus, Prioribus, &c. in Capella Manerii Archiepiscopalis XX. *Decemb.* anno MCCCCXLV. celebratum. Extant in rectæ Fidei propugnaculum, & vitæ sanctimoniam, *Constitutiones* XL. contra *Blasphemos, & temerè jurantes*; *contra magicos libellos, & Dæmonum invocatores*; *contra Superstitiones noviter Usurpatas*, &c. *Conc.* Tom. XIII. col. 1303.

TURONENSE rectiùs ANDEGAVENSE, Joanne Archiepiscopo Præside, Præsentibus Suffraganeis *IV.* & absentium Vicariis, in Refectorio Ecclesiæ Andegavensis Cal. *Julii* anno MCCCCXLVIII. coactum. In quo Disciplinæ Ecclesiasticæ *Capitula* XVII. *de clandestinis Matrimoniis*; *de non temerandis Ecclesiis*, *de ludis prohibitis*, &c. ordinantur. Horum Compendium protulit Possevinus in *Appar. Sac.* Tom. II. integra ex J. Sirmondi apographo descripta, habentur, *Conc.* Tom. XII. col. 1352. 1448. R.G.

CONSTANTINOPOLITANUM, præsentibus tribus Patriarchis, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, Constantino Palæologo Imperante, in Templo S. Sophiæ circa annum MCCCCL. celebratum. In quo Gregorius Patriarcha Constantinop. de throno deturbatur, & Athanasius in ejus locum sufficitur; Synodo Florentinâ rejectâ ab unione cum Latinis secessum est. Additionem Symbolo supervacaneam esse, cùm quod à septem Synodis comprobatum sit correctione non indigeat, & Papam reliquis Patriarchis ordine non dignitate præcedere, declaratum est. Denique trium Patriarcharum Synodus an. MCCCCXLIII. congregata, (cujus Decretum contra Metrophanem Patriarcham aliosque Henoticos habetur apud Allatium *De Consensu* lib. III. cap. 4.) ab hoc Consessu approbatur. Extant *Acta* partim Græcè partim Latinè *Conc.* Tom. XIII. col. 1365. & apud Allatium *ibid.* inter *Addenda*, col. 1380. & seq. ubi multa congessit Vir eruditus quibus ea νοθείας suspecta daret: verùm non sunt tanti ut Lectori scrupulum injiciant, aut nobis ad alia properantibus aliquid negotii facessant. 1450. R.G.

COLONIENSE, Nicolao Cusano Cardinale legato per Germaniam Pontificio Præside, Theodorico Archiepiscopo adsistente & comprobante, præsentibus Comprovincialium Vicariis, Abbatibus, Decanis, &c. tertio die *Martii* anno MCCCCLII. habitum. In quo varia ad mores Clericorum & Monachorum corrigendos, & in disciplinæ in dies labascentis instaurationem ordinantur, Constitutiones deníque à superioribus Synodis editæ renovantur. Extant *Decreta*, Conc. Tom. XIII. col. 1378. 1452. R.G.

SUESSIONENSE à Joanne Juvenale de Ursinis Metropolitâ Rhemensi, cum Suffraganeis IV. licentiâ à Carolo R. secundùm Pragmaticam priùs impetratâ, mense *Iulii* anno MCCCCLV. (ad annum sequentem dimittunt novissimi Conciliorum editores) coactum. In quo abusus, qui bellis flagrantibus in Ecclesiam irrepserant, tolluntur, cultui divino suus decor restituitur, aliaque ad fidei puritatem & vitæ honestatem decernuntur. Extat *Decretum* Synodale *Conc.* Tom. XIII. col. 1396. Consule Guil. Marlot. *Hist. Rhemens.* lib. IV. cap. 40. p. 732. 1455. R.G.

SENONENSE, à Ludovico Archiepiscopo cum Suffraganeis *III.* Decanis, Abbatibus, & reliquo istius Provinciæ Clero, mense *Martii* anno MCCCCLXI. celebratum, (in Actis annus MCCCCLX. numeratur *more Gallicano*). In quo quatuor tractanda proponuntur, 1. *De Dei reverentia & cultu.* 2. *De Correctione morum virorum Ecclesiasticorum*, 3. *De fideli administratione & bonorum temporalium conservatione*, *& fideli distributione.* 4. *De oppressionibus & gravaminibus Ecclesiæ*: & super singulis variæ constitutiones ordinantur. Extant 1461. R.G.

Digitized by Google

SÆC. XV. ab An. MCCCC. tant *Capitula* prolixa XXVI. ab altero Concilio sub Tristando Archiepiscopo anno MCCCCLXXXV. demum habito comprobata, & ejus Actis inserta. *Conc.*Tom.XIII. *Append.*col.1723.

1463. R. G. CANTUARIENSE II. à Thoma Bourchier Archiepiscopo cum Suffraganeis, in Ecclesia Cathedrali D. Pauli Londinens. sexto *Iulii* ann. MCCCCLXIII. coactum. In quo de debita reverentia Ecclesiis & locis sanctis habenda, & de vestitu Clericorum actum est. Extant *Constitutiones* II. apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. p. 698. inde *Conc.* Tom. XIII. col. 1419. Plures Synodos sub Thomâ Archiepiscopo Londini habitas memorat *Antiquitat. Britan.* Auctor; & multa in negotio Reformationis ab iis Decreta notat; quem vide p. 293. 294.

1466. R. G. EBORACENSE, à Georgio Nevile Archiepiscopo, cum Suffraganeis, Prælatis, & Clero istius Provinciæ, in Ecclesiâ Metropolitanâ, xxvi. die *Aprilis* anno MCCCCLXVI. ad fidei munimen, morum reformationem, & Ecclesiasticæ libertatis defensionem congregatum. In quo decretum est *ut quilibet Sacerdos quater in anno populo exponat* XIV. *Articulos fidei*; X. *mandata Decalogi*; II. *præcepta Evangelii*; VII. *opera Misericordiæ*; VII. *peccata Capitalia*; VII. *virtutes principales & VII. gratiæ Sacramenta*: & multa alia ad corrigendos abusus ordinantur. Extant *Capitula* X. quibus subjunguntur *Constitutiones* V. à Joanne Kemp Archiepiscopo & S.R.E. Cardinale in Synodo Provinciali priùs stabilitæ in hac Synodo renovatæ apud Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. & *Conc.* Tom. XII. col. 1421.

MADRITENSE, ab Hispaniæ Episcopis & Prælatis, Roderico de Borgiâ Cardinale & Sixti P. IV. in Hispaniam Legato Præside, sub initium anni MCCCCLXXIII. coactum. In quo contra *ignorantiam, avaritiam, & luxuriam* Clericorum actum est. Et remedia tempestiva singulis adhibentur. Hujus Synodi ex Marianâ meminit H. Spondanus ad ann. 1471. VII. VIII. Vide d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. pag. 671. SÆC. XV. ab An. MCCCC. 1473. R. G.

TOLETANUM ab Alphonso Carrillo Archiepiscopo, cum Suffraganeis, & Comprovincialibus, in oppido de Aranda Oxomensis Diœcesis, unde & ARANDENSE à quibusdam appellatur, V. die *Decembris* anno MCCCCLXXIII. In quo *ne cura Ecclesiarum aut dignitates ullis crederentur qui Latinè nescirent; ne Clerici Concubinas teneant; contra duella & homicidia*, &c. decretum est. Extant *Canones* XXIX. *Conc.* Tom. XIII. col. 1448. & apud d'Aguirre *Conc. Hisp.* Tom. III. p. 672. 1473. R. G.

LONDINENSE II. à Joanne Morton Archiepiscopo, cum Episcopis Suffraganeis, & Provinciæ Cantuariensis Clero, in Ecclesiâ Dom. Pauli Londin. XIII. die *Feb.* anno MCCCCLXXXVI. congregatum: In quo contra ineptias quorundam Concionatorum caninâ Eloquentiâ in Episcopos absentes latrantium; contra mollitiem & luxuriam Cleri Londinensis, & de Exequiis Episcoporum defunctorum actum est. Vide Spelman. *Conc. Brit.* Tom. II. p. 712. Consule *Antiquit. Brit.* 297. 298. 1486. R. G.

Finis Decimi quinti Sæculi.

SÆCULUM REFORMATUM.

CONSPECTUS SÆCULI.

SÆC. XVI. ab An. MD. SUB initium Sæculi, Julius II. vir projectissimi in omne scelus animi ad Pontificatum evectus, inter habendam electionem datâ fide se Concilium Generale intra biennium coacturum esse sanctissimè in se recepit. Papatum adeptus de fide liberandâ parùm sollicitus, nonnisi copiis militaribus conscribendis, opprimendæ urbium Italicarum libertati, & ampliandis Ecclesiasticæ ditionis pomœriis, animum adjecit; repudiatis summo fastu Cardinalium, quibus Synodus in votis fuit, precibus. Viri intemperiem tandem castigavit Ludovicus XII. Galliæ Rex, qui à Pontifice bello lacessitus, Concilium Turonense anno 1510. haberi jussit. Plura adversùs authoritatem Pontificiam moliri ausa est ista Synodus; & in his Christi Vicarium plus nimis ferocientem armis jure oppugnari posse, Pragmaticam Sanctionem in usum esse revocandam, & legatos ad Julium, qui de Concilio indicendo eum compellarent, mittendos esse, decrevit. Concilium indicere Julius præfractè recusavit; adeóque Cardinales quamplurimi Ludovici Regis & Maximiliani Imp. patrocinio fulti Concilium Pisis anno 1511. celebrârunt. Inchoatâ Synodo Julium adesse jubent, nefariæ perfidiæ & violatæ fidei reum agunt, nil *in Christianâ republicâ deterius, nil perniciosius expectari posse, quàm ipsum Christi Vicarium* prædicant, ac prolato in medium longo criminum Julianorum indiculo, ipsum dignitate Papali suspendendum decernunt. Julius interim, ne causæ suæ deesset, ex adverso Concilium Romæ in Ecclesiâ Lateranensi anno 1512. celebrari curat; Patresque Pisanos hæreseos damnari & diris devoveri efficit. Gallicis armis parùm prosperè in Italiâ cedentibus, brevi post tempore dissoluta est Synodus Pisana, & præclara Leoni X. qui Julio Concilii Lateranensis Sessione V. intermortuo anno 1513. successerat, triumphandi materia relicta est. Concilium ille diutiùs produxit, resque pro lubitu gessit; Synodum Pisanam iteratò anathematizari, Pragmaticam Sanctionem aboleri, Pontificis supra Concilium superioritatem definiri, & adversa Conciliorum Constantiensis ac Basileensis decreta cassari effecit. Rebus Gallicis in deterius vergentibus, Franciscus cum Leone Papâ famosam *Concordatam* SÆC. XVI. ab An. MD.

anno

Digitized by Google

SÆC. XVI. ab An. MD. anno 1515. iniit; & Clerum Gallicanum se *Conventui Pisano renunciare & Concilio Lateranensi adhærere* solenni decreto protestari adegit; quamvis hodie Ecclesia Gallicana Concilium Lateranense repudiet, & Oecumenicorum numero eximat. Sanè isti Concilio vix sexaginta Episcopi interfuerunt; isti etiam maximam partem Itali, vilissima sedis Romanæ mancipia. Anno 1517. Tetzelius, aliique Ordinis Dominicani gregales, venales Indulgentias per Germaniam circumtulerunt; à Leone Papa immissi, qui credulâ plebe pecuniam emungerent. Horum audaciæ sese obvium dedit Lutherus, & in impias Dominicanorum conciones invectus, insigniores Ecclesiæ Romanæ errores paulatim aggressus est; atque adeò tamdiu exoptatam, toties frustra tentatam Reformationem fœliciter auspicatus est; quæ summâ alacritate & applausu à maximis Sæculi Viris excepta, per potiorem Ecclesiæ Occidentalis partem brevi diffusa est; incassum frementibus inferis & ringente Sede Romanâ. SÆC. XVI. ab An. MD.

SCRIPTORES.

1501. H.W. JOANNES LUDOVICUS VIVES, gente Hispanus, patriâ Valentinus, domi Grammaticæ, Lutetiæ Dialecticæ operam dedit, tam infœlicem sanè, ut præceptores Sophistarum ac Scholasticorum nugis & incultæ barbariei perditè addictos nactus, humaniores literas adeò non hauriret, ut etiam scriptis oppugnaret. Invecto enim Hispaniæ ab Antonio Nebrissensi politioris literaturæ studio, cùm Doctores Scholastici, quibus rudis ille sermonis squalor in deliciis erat, tam laudabili incepto manibus pedibusque obviam irent, Ludovicus noster Theologo cuidam Valentino Antonium impugnanti manum commodasse dicitur. Tandem verò Lovanii Græcis Latinisque literis supra vulgarem sortem eruditus, cœno emersit, quòque magis à rectâ eruditionis semitâ deflexerat, eò acriore animi contentione utriusque linguæ elegantiis restaurandis incubuit. Claruit anno 1501. In Academia Lovaniensi publico, ut videtur, stipendio conductus, liberales scientias juventuti Academicæ prælegit; ubi adolescentem nobilissimum Gulielmum Croium, paulò pòst ad sedem Toletanam evectum discipulum habuit. Interea temporis magnus ille doctrinæ & antiquæ Theologiæ instaurator Erasmus, rem præclaram ausus, Veterum Patrum Latinorum scripta è situ diuturno excutienda, mendis & sordibus repurganda, ac in lucem edenda susceperat. Ab isto in Consilii partem vocatus Vives, Celeberrimum S. Augustini Opus de Civitate Dei recognoscendum, & Commentariis elucidandum suscepit. Quanto id successu præstiterit, norunt eruditi; norunt quotquot bonas literas curæ habent. Opus suum anno 1522. absolutum, datâ ex Lovanio Epistolâ Henrico VIII. Angliæ Regi inscripsit. Regi eo nomine gratissimus, mox in Aulam Anglicam accitus est; ut Mariæ Principis, filiæ Regis unicæ, institutioni præesset. Eo munere aliquot annis perfunctus, tandem ob improbatum Henrici divortium, aulâ regnoque excedere necesse habuit: quin & iram regiam expertus est, in custodia libera sex menses detentus; atque ægrè demum liberatus. Hinc in Belgium secessione factâ, Brugis deinceps sedes posuit, & uxore ductâ proli suscipiendæ ac libris scribendis operam dedit. Obiit Brugis anno 1537. seu, ut alii, 1541. *Vir in omni disciplinarum genere exercitatissimus*, inquit Jovius, *& de bonis literis optimè meritus----quo decedente doctior nemo in Hispania superfuit. Equidem nec ingenium* (hæc Erasmus*) *nec eruditionem, nec memoriam in illo desidero. Adest illi parata sententiarum ac verborum copia, quumque fuerit initio durusculus, in dies magis ac magis in illo maturescit eloquentia: quem si nec vita nec studium destituerit, bona spes est fore, ut inter Ciceronianos numeretur.*

* Ciceronian.

OPERA.

De ratione studii puerilis Epistolæ II. Prodierunt seorsim *Lugduni* 1532. *Basil.* 1557. *Tiguri* 1562.

Exercitatio linguæ Latinæ, seu *Dialogi. Colon.* 1494. 4to. *Norimbergæ* 1571. 8vo. 1622. 12°. *Venet.* 1580. 8vo. 1612. 8vo.

De conscribendis Epistolis libellus. Colon. 1536. 1537. 8vo.

De ratione dicendi libri III. Basil. 1537.

De consultatione liber, cum præmisso Opere; *ibid.*

Declamationes vi. *de præsenti statu Europæ, & bello Turcico.* Basil. 1538.

Pompejus fugens.

Fabula de Homine.

Liber in Pseudo-Dialecticos.

Prælectiones iv. *in Varia.*

Ædes legum.

Isocratis Orationes II. *viz. Areopagitica & Nicocles*, Latinè versæ. *Basil.* 1538.

De Corruptis Artibus, & tradendis Disciplinis, libri xx. *Antverp.* 1531. *Colon.* 1532. *Lugduni* 1551 8vo.

Prælectio in Georgica Virgilii, & in Suetonium quædam.

Interpretatio Allegorica in Bucolica Virgilii. Mediolani 1539. 8vo.

De initiis, sectis, & laudibus Philosophiæ liber.

Anima Senis, seu prælectio in Ciceronis librum de Senectute.

De Somno & vigiliâ, seu prælectio in Somnium Scipionis *Basil.* 1521.

Introductio ad Sapientiam.

Satellitium animi, sive Symbola, Principum institutioni potissimùm designata. Prodiit cum præcedente Opusculo *Lugduni* 1532. *Basil.* 1537. *Lugduni* 1556. 8vo. *Lipsiæ* 1600 8vo.

Genethliacon Iesu Christi, seu de tempore quo natus est Christus.

De Virtute fucatâ.

Clypei Christi descriptio.

Jesu Christi Triumphus.

Virginis Deiparæ Oratio.

In Psalmos Pœnitentiales VII. *Meditationes totidem.*

De Passione Christi Meditatio in Psalmum xxxvii.

Exercitationes animi in Deum. Basil. 1543 16°.

Commentarius in Orationem Dominicam. ibid.

Precationes & Meditationes quotidianæ ac generales. ibid.

De

Digitized by Google

SÆC. XVI. ab An. MD. *De Sudore Christi sacrum diurnum.*

Concio de nostro & Christi sudore.

De Veritate Fidei Christianæ libri V. quod quidem Opus ultimo omnium loco conscripsit. Prodiit *Basil.* 1544. 8*vo*. *Colon.*1564.

De Animâ & vitâ Libri 3. Lugduni 1538.1555.8*vo*.

De Officio Mariti Liber. Brugis 1528. 8*vo*.

De Institutione Fœminæ Christianæ libri V. jussu Catharinæ Anglorum Reginæ compositi. Prodierunt *Basil.*1538.

De Concordiâ & discordiâ in humano genere libri IV. ad Carolum V. Imp. *Antverp.* 1529.8*vo*. *Lugduni* 1532. 8*vo*.

De Purificatione Liber. ibid.

De Christianorum vitâ miserrimâ sub Turcâ. ibid.

De Subventione Pauperum, sive de Humanis necessitatibus Libri 2. *Parif.* 1530. *Lugduni* 1532.

De Communione rerum, ad Germanos inferiores.

*De Europæ dissidiis, & Bello Turcico, Dialogus.*Basil. 1538.

Epistolæ variæ. Harum selectiores editæ sunt *Antverpiæ* 1571, 1572, 8*vo*. 1577. nonnullæ anteà ineditæ habentur inter Erasmi Epistolas, *Londini* 1642. fol. in calce voluminis secundi.

Prodierunt Opera Vivis omnia suprà enumerata *Basil.* 1555.2. Tom.f. Prodierunt antea Opuscula varia *ibid.*1519. 4°.

Commentarius in S. Augustini libros de Civitate Dei. Haberi solet inter S. Augustini Opera Tom.V. seorsim verò *Basil.*1522. *Parif.*1555. Notari verò non indignum est, in editione S. Augustini, quam curârunt Lovanienses, Opus istud à Censoribus Romanis viriatum esse; plurimosque illius locos, Pontificiis minùs gratos, eximi.

Descriptio Temporum & rerum Romanarum, sub Joannis Warsenii nomine *Lovanii* 1534. edita eidem à nonnullis tribuitur.

Opuscula aliquot inedita recenset Nic. Antonius Biblioth. Hispan. Tom. 1. p. 555.

1501. H.W. JOANNES LUDOVICUS VIVALDUS, patriâ Pedemontanus, è Monte Regali Liguriæ oppido oriundus; Ordinis Prædicatorum Theologus, claruit anno 1501. Demum à Cardinali de Valle in Consistorio Romano anno 1519. Episcopus Arborensis in Sclavoniâ sub Metropolitano Jadrensi designatus, calumniam ab æmulis quibusdam passus est; quasi verò Neophytus esset, & infideli sanguine prognatus. Re Cardinali de S. Cruce commissâ, postquàm illum Christianis parentibus ortum esse compertum fuisset, sedem suam Episcopalem adeundi & pro munere gubernandi potestatem tulit. Scripsit Librum insignem, quod *Opus Regale* inscripsit. In eo Opuscula sequentia continentur.

Epistola de repellendis tristitiæ causis.

De officio pietatis erga defunctos.

Tractatus de pugnâ partis sensitivæ cum intellectiva.

Epistola ad Vladislaum Bohemiæ & Hungariæ Regem.

Liber de laudibus trium Liliorum insignium Regis Galliæ.

Tractatus de cognitione electorum & reproborum.

De XII. *persecutionibus Ecclesiæ Dei.*

Di Magnificentiâ gloriæ Solomonis, numne salvus an damnatus fuerit.

De causâ contritionis liber. Prodiit *Lugduni* 1512.

De veritate contritionis liber alter. Parif. 1519. 1530.1564.

Prodierunt Vivaldi Opuscula Theologica *Papiæ* 1507. *Lugduni* 1548.

BAPTISTA MANTUANUS, *Spagnolus*, seu *Hispaniolus* cognomento dictus, gente Italus, patriâ Mantuanus, ex Hispano Celtibero patre, matre Itala, furtivo concubitu (si Jovio * fides) natus est anno 1448. die XVII. Aprilis. Ordinis Carmelitani in Conventu Mantuano Monachus. Poëta eximius, & Theologus non incelebris; quippe qui penitiori Latinæ linguæ scientiæ Hebraicas literas adjecerat; & Poëticam venam rebus lascivis aut prophanis impendere piaculum duxit. Claruit anno 1501. Postquàm sexies à Congregatione sua Vicarius Generalis electus fuisset; demum anno 1513. Romæ in frequentissimo Carmelitarum Capitulo totius Ordinis Generalis constitutus est. Post triennium verò se tanto oneri imparem sentiens dignitati suæ ultroneus cessit; ut Deo ac sacris studiis faciliùs vacaret. Pauxillo sanè tempore id illi contigit. Obiit Mantuæ XI. Cal. Aprilis anno 1516. ætatis suæ 68. Mortuo Fredericus Mantuæ Princeps statuam marmoream, laureâ coronatam, in arcu triumphali juxta Virgilii Maronis simulachrum posuit. Vir certè & ingenio dicendi ubertate plurimùm pollens; quippe Poëta optimus haberi posset, nisi in illa incidisset tempora, quibus nullus mediocribus Poëtis locus erat. Carminum utcunque numero nulli inferior; utpotè qui plusquàm quinquagies quinquies millenos versus à se scriptos reliquerit. Hos quidem duriusculâ censurâ *Scabiosos* esse, & *ita ruri natos, ut nihil sapiant urbanum*, judicat Scaliger †. Mitiùs paulò Lilius Gyraldus *. *Juvenis*, inquit, *laudibilior poeta fuit. Cum verò ei desedit calor ille & fervor juvenilis: tanquam amnis sine obice extra ripas sordidè defluens, coerceri non potuit; vix enim ea legere possumus, quæ longiùs ille ætate provectus carmina scripsit.* Sanè Mantuanus id infortunii habuit, ut in extremo ferè vitæ actu Criticorum ictus scripta sua confodentium edita defensione repellere cogeretur.

SÆC. XVI. ab An. MD. 1501. H.W.

* Elog. Doct. Virorum c. 61.

† Poetic. Lib. 6.

* Dialog. de Poëtis sæc. sui.

OPERA.

Psalmi VII. *Bononiæ* anno 1482. editi, cùm civitas gravi peste premeretur.

Apologeticus in laudem Poëseos & Poëtarum contra castigatores Operum suorum.

De horum temporum calamitatibus seu de VII. peccatis mortalibus, *Bononiæ* 1478. 4*to*. *Parif.*1505.4*to*.

Bucolicorum libri 3. sive *adolescentiæ.*

Ecloga X.

Contra Poëtas impudicè scribentes. Parif.1505.4*to*.

Epigrammatum ad Falconem liber.

De morte contemnenda Carmen.

Næniæ aliquot, seu Consolationes in mortem Collæ Asculani, Petri Nebularii Carmelitæ, Frederici Hispanioli, Joannis Soreth Carmelitarum Generalis, Alexandri Cortesii, & filii Joannis Sebadini.

Exhortatio ad Principes Christianos, de armis contra Infideles semper capiendis.

Uter sit præstantior, Orator, an Poëta?

De suscepto Magisterio Theologico Carmen.

Contra Amorem Carmen, *atque aliud de natura Amoris.*

De vita S. Blasii Episcopi & Martyris libri II.

De vita B. Nicolai Tolentini libri III.

De Bello Veneto liber.

Exhortatio ad Insubres.

Angelariorum libri VI. ad Gonsalvum Ferrandum Agelarium.

De Cupidine marmoreo dormiente Carmen.

Parthenice Heroidum & virginum sanctissimarum, viz. de D. Maria libri III. de S. Catharina libri III. de SS. Margareta, Agatha, Lucia, Apollonia, & Cæcilia libri singuli. *Bononiæ* 1487. 4*to*. *Daventriæ* 1497. 4*to*. *Venet.*1499.

De vita B. Dionysii Areopagitæ libri III.

De

SÆC. XVI. ab An. MD.

De vitâ S. Georgii liber.

De vitâ B. Ludovici Morbioli Bononiensis liber.

In laudem B. Joannis Baptistæ Carmen.

In B. Albertum Carmelitam Siculum Carmen.

Fastorum libri XII. secundùm XII. anni menses digesti. *Argentinæ* 1520. 4to.

Vita suæ Epitome ad posteritatem.

Alphonsus, seu de Granata à Ferdinando & Isabella Hispaniæ Regibus anno 1492. expugnata libri VI.

Trophæum Gonzagæ, seu de Gallis ex Italia pulsis libri V.

De fortunâ Francisci Gonzagæ Carmen.

Carmen Panegyricum in Robertum Sanseverinatem Venet. 1499.

Somnium. Romanum de eodem.

Carmen Panegyricum in Brixiam civitatem.

In Villam Io. Bapt. Refrigerii Carmen.

De Quercu Juliâ Carmen.

Sylvarum libri IV.

Contra detractores Dialogus.

Contra calumniatores Epistola.

Tractatus de parte corporis B. Mariæ, in qua conceptus est Jesus Christus.

Redemptoris mundi matris Ecclesiæ Lauretanæ Historia.

De variis interpretationibus S. Scripturæ.

Apologia pro Carmelitis.

Pro Io. Trithemii libro de laudibus Ordinis Carmelitarum.

Pro ejusdem libro de Viris illustribus ejusdem Ordinis.

De Patientia libri III. Paris. 1498. 4to. ibid. 1505. 4to.

De Vita Beata Dialogus jucundissimus.

Prodierunt omnia Baptistæ Mantuani Opera, studio Laurentii Cuperi Bruxellensium Carmelitarum Prioris, *Antverp.* 1576. 4. Tom. 8vo. plurima *Colon.* 1565. ferè omnia *Parif.* 1513.

1501. H. W. PETRUS MARTYR ANGLERIUS, natione Italus, domo Mediolanensis, apud lacum tamen Verbanum in Gallia Cisalpina natus, Protonotarius Apostolicus, claruit anno 1501. Patriæ discordiam atque intestina bella detestatus, anno 1487. Tendillæ Comitem, Hispaniæ Regis legatum in Hispaniam secutus est; & à Ferdinando Rege in aulam accitus, variis dignitatibus auctus, rebusque gravissimis admotus fuit. Prior enim Archiepiscopatûs Granatensis constitutus; & secretis Rerum Indicarum Consiliis adhibitus, exeunte anno 1501. ad Campsonem Gaurum Ægypti Sultanum à Catholicis Regibus legatus est. Obiit post annum 1525. Historica conscripsit plurima; in quibus, judice Gomecio*, *styli ruditatem rerum à se traditarum fide egregiè compensat.*

* De reb. gest. Fr. Ximenii lib. I.

SCRIPTA.

De navigatione Oceani, seu de Insulis à Christophoro Columbo nuper inventis, libri XXX. anno 1502. scripti. Prodierunt seorsim *Parif.* 1587. 8°.

De legatione suâ Babylonicâ libri III. Editi sunt unà cum præmisso Opere *Basil.* 1533. *Colon.* 1574. 8o.

Epistolarum Libri XXXVIII. quibus integra ferè rerum in Europa per totidem annos (ab anno sc. 1488. ad 1525.) gestarum Historia Epistolis DCCCXIII. comprehensa exhibetur. Prodiit Opus istud *Compluti* 1530. *Amstelodami* 1670. f.

1501. H. W. FRANCISCUS GEORGIUS, Patriâ Venetus, Ordinis Minorum sodalis; Platonicæ Philosophiæ & Talmudicis commentis impensè deditus, plurimos erravit errores, quos cum Origene ferè communes habuit. Ex his maximè notari meretur sententia ejus de Paradiso terrestri; cujus integram Historiam, Philonem & Origenem secutus, in allegoricum sensum detorquet. Claruit anno 1501. Obiit anno 1510. Scripsit *Problematum in S. Scripturam Tomos* VI. *Venetiis* 1536. *Parif.* 1574. 4to. editos: & *Cantica* III. *de Harmonia mundi*, Venet. 1525. *Parisiis* 1525. f. impressa.

1501. H. W. ANTONIUS TROMBETA, nonnullis *Tubeta* dictus, natione Italus, patriâ Patavinus, Ordinis Minoritarum, Provinciæ S. Antonii Minister; & in Academiâ Patavinâ Metaphysicæ Professor, eximius Scoti sectator. Illam quidem provinciam annis 22, istam 42. gessit. Claruit anno 1501. Inter legendam Patavii Metaphysicam Monasterii S. Leonardi de Mathemauro Ordinis S. Benedicti, Commendæ titulo, à Julio II. Pontifice donatus est. Summa in docendo, scribendo, ac disputando assiduitate, totius ferè Curiæ Romanæ, maximè verò Petri Bembi Cardinalis doctissimi favorem ac necessitudinem obtinuit. Tandem Archiepiscopus Athenarum titularis, ac dein Episcopus Urbinas factus, à Julio II. ad Concilium Lateranense evocatus est. Obiit in urbe patriâ anno 1518. ætatis suæ 82. in æde D. Antonii sepultus. Scripsit *Expositiones in Isagogicas Formalitates ad Scoti Theologiam*; quas Antonius Syrrectus, Minorita, paulò ante evulgarat. Prodierunt Syrrecti Formalitates *Parif.* 1588. 1605. Trombetæ Expositio ad calcem earundem *Venet.* 1518. Cæterùm *Quæstiones in Metaphysicam, & Tractatus de futuris contingentibus*: quæ scripsisse Trombetam author est Waddingus*, nondum uti arbitror, prælo exierunt. Ejusdem verò *Tractatus contra Averroïstas de Animarum humanarum purificatione* typis excusus est *Venet.* 1498. f.

* De Script. Ord. Minor. p. 38.

1501. H. W. BONIFACIUS DE CEVA, gente Italus, patriâ Ligur, Marchionis de Cevâ filius, Saxoniæ Ducum consanguineus, Juris utriusque Doctor. Post navatam diu Foro operam, Ordini Franciscano se adjunxit, & in Conventu Rubei Montis Provinciæ S. Bonaventuræ habitum suscepit. Claruit anno 1501. Ob insignem, quâ polluit, prudentiam, rerumque agendarum dexteritatem, pacis Sequester inter tumultuantes Galliæ Principes plus semel adhibitus est. A consodalibus verò suis Provinciæ Franciæ Minister & Commissarius, & Provinciarum Turonensis ac S. Bonaventuræ, & magni Conventus Parisiensis Reformator factus, singulas novis ab ipsomet editis Constitutionibus ad meliorem disciplinam revocavit. Obiit Lutetiæ anno 1512. Aprilis die XII. Scripsit, præter *Constitutiones* prædictas, Minoritis satis notas, Opus haud exigui laboris, quod inscripsit, *Viatica Excursiones, de variis hominum vitiis*, ad Joannem Episcopum Taurinensem. Prodiit *Parif.* 1518. *Tractatum de Perfectione Christianâ.* Parif. 1517. *Quadragesimale, & Sermones Paschales*, ibid. *Tractatum de scientiâ, & arte benè moriendi, & Responsionem ad quandam Apologiam contra se factam*: de quibus Waddingus de Scriptor. Ord. Minor. p. 85.

1501. H. W. ANTONIUS BONITUS, natione Italus, patriâ Cuccharanus, Ordinis Minoritarum Socius, & Provinciæ Terræ Laboris Præfectus, claruit anno 1501. Reginæ Joannæ matri, & Joannæ filiæ de Aragonia operam diuturnam in Sacello Palatii regendo præstitit. Dein Regi Ferdinando ab eleemosynis ascitus, Ecclesiam Montis Marani regendam suscepit, ad Acernensem denuò translatus: tanta ubique erga pauperes benevolentia usus, ut *Pater Pauperum* vulgò appellaretur. Obiit circa annum 1510. Extat *Elucidarium de Conceptione immaculatâ Virginis*

Digitized by Google

SÆC. XVI. ab An. MD. *Virginis gloriosæ*: typis impressum *Neapoli*, 1507. *Manuale* autem, quod scripsit, *omnium fere definitionum & discrepationum casuum conscientiæ*, nondum prælo editum videtur.

1501. H.W. JOANNES DE ARGAMANES, gente Hispanus, Ordinis Franciscani, Provinciæ S. Jacobi. Claruit anno 1501. Scripsit *Speculum Fratrum Minorum*, quo gravissimas, quæ in Minoritarum Regula deprehendi possent, difficultates explicat. Prodiit in Enchiridio seu Manuali Fratrum Minorum anno 1535. Italicè *Tarvisii* 1593. Ejusdem *Tractatus de valore Indulgentiarum*, excusus est *Hispali* 1548. 1622. *Clypeus sacrarum Monialium* extat in Enchiridio Fratrum Minorum.

1501. H.W. PELBARTUS OSVALDUS, natione Hungarus, civitate Temeswariensis, Ordinis Minoritarum Concionator eximius. Claruit anno 1501. Scripsit Volumen satis crassum, cui titulum dedit, *Aureum S. Theologiæ Rosarium, juxta quatuor Sententiarum libros quadripartitum, ex doctrinâ Doctoris Subtilis, & D. Bonaventuræ, atque aliorum sacrorum Doctorum.* Quartum ex hisce quatuor librum à Pelbarto morte prærepto nondum absolutum supplevit Osvaldus à Lasco, Pelbarti discipulus. Prodiit integrum Opus *Hagenoæ* 1504. 1508. 2. vol. f. *Venetiis* 1586. 1589. Tom. IV. *Brixiæ* 1594. Extant præterea ab eodem conscripta, *Sermones de Tempore Dominicales, ac de Sanctis*, Parif. apud Franciscum Regnant: *Quadragesimale triplex*, viz. de pœnitentia, vitiis, & præceptis Decalogi; & *Stellarium* B. Virginis. Unicum Opus ex hisce tribus confici solet; quod *Pomœrium Sermonum* inscriptum, prodiit *Hagenoæ* 1475. 1498. *Venet.* 1586. 4°. Quinetiam ejusdem *Stellarium Coronæ gloriosissimæ Virginis* impressum est *Venet.* 1587. *Commentaria in Psalmos*, Hagenoæ 1504.

1501. H.W. JOANNES MEDER, natione Germanus, Ordinis Franciscani Regularis Observantiæ Theologus, nec ignobilis apud Basileenses Concionator. Claruit anno 1501. Scripsit *Parabolam filii Prodigi*, seu integrum Sermonum totius anni volumen de eadem Parabola, quibus Pœnitentiæ originem, progressum & effectus fusè explicat. Prodiit *Basileæ* 1510. *Parif.* 1511. 8°.

1501. H.W. MAURITIUS DE PORTU FILDÆUS, patriâ linguâ *Ophihilla* dictus, gente Hibernus, *Flos Mundi* vulgò appellatus, Ordinis Franciscani socius, inter Fratres Conventuales in Italia ab unguiculis ferè atque adeò quadraginta plùs minus annis versatus. Claruit anno 1501. In Academiam Patavinam evocatus Theologiam diu prælegit. Tandem vero à Julio II. Pontifice Archiepiscopus Tuamensis renunciatus, Concilio Lateranensi anno 1512. interfuit, primisque duabus Sessionibus subscripsit. In Patriam redux, maxima à conterraneis suis veneratione exceptus est; non solùm ob ingentem eruditionis & pietatis famam, verùm etiam ob plenarias Indulgentias concedendi facultatem, quam à Pontifice adeptus Hiberniæ secum intulit. Obiit Gallovidiæ ante quinquagesimum ætatis annum VIII. Cal. Junii anno 1513. seu, ut alii volunt, 1514. Vir in rebus Theologicis ac Philosophicis juxta doctrinam Scoti, si quis alius versatissimus; quibus excolendis totam ferè vitam impendit.

SCRIPTA.

Theoremata de mente Scoti. Prodierunt *Venet.* 1514. 8°.

Annotationes in ejusdem Quæstiones in Porphyrium, Universamque Logicam. Venet. 1500. f.

Castigationes in libros IV. Sententiarum scripti Oxoniensis. Lugduni 1520.

Reportata ejusdem recognita. Parif. 1518.

Epitomata in Formalitates Scoti. Parif. 8°. *Venet.* 1505. f.

Notæ & Postilla in universa ferè Scoti Opera. Habentur in postrema Scoti Operum editione Lugdunensi.

Dictionarium S. Scripturæ: quod quidem ultra literam E non progreditur. Prodiit *Venet.* 1603.

Enchiridion fidei. Venet. 1591. 4°.

Liber distinctionum, MS. in Bibliothecis Fratrum Conventualium Ravennæ & Assisii.

Alia nonnulla ejusdem Opera recenset Lucas Waddingus de Scriptor. Ord. Minor. pag. 256.

NICOLAUS DIONYSII, aliis *de Nyse* dictus, natione Gallus, ordinis Minoritarum Theologus non obscuri nominis, Conventûs Rothomagensis Præpositus, Provinciæ Franciæ Vicarius, mox Minister Provincialis. Claruit anno 1501. Obiit Rothomagi anno 1509. die XVIII. Maii, in aula Capitulari ante altare sepultus. 1501. H.W.

SCRIPTA.

Resolutio Theologorum, seu *Commentarius in IV. libros Sententiarum.* Venet. 1568. 1574.

Summa, sive Gemma Prædicantium, seu *Sermones plures.* Prodierunt *Basil.* 1508. *Brixiæ* 1585.

Sermones æstivi & hyemales.

Sermones de Adventu duplices.

Sermones de Quadragesima. Prodierunt omnes isti postremùm recensiti Sermones *Rothomagi* 1508. *Argentinæ* 1510.

Sermones de Tempore à Dominica 2ª. post Pascha usque ad Adventum. Parif. 1510.

Speculum mortalium, seu *de quatuor novissimis.* Parif. 1518.

JACOBUS ALMAINUS, gente Gallus, patriâ Senonensis, Theologus magni inter Scholasticos nominis, doctrinæ Scoti, Occami, & Bielis addictissimus; Collegii Navarrensis in Academia Parisiensi alumnus, & Joannis Majoris auditor. Claruit anno 1502. Quamprimùm Artium Magisterium tulisset, Dialecticam & Philosophiam naturalem publicè docuit, suasque de utraque disciplina lucubrationes ab anno 1505. ad 1508. typis dedit. Anno 1508. in Theologico Navarræ Sodalitio locum obtinuit; atque anno demum 1511. lauream Theologicam tulit. Anno sequenti Sententias in Collegio suo prælegit, & commentariis illustravit. Eodem circiter tempore à Facultate Theologica electus est, qui Thomæ Cajetani librum de Pontificis supra Concilium auctoritate, à Concilio Pisano ad Parisienses transmissum, edita responsione refutaret. Summo id acumine ac doctrinâ præstitit; librumque suum, in frequentissimo omnium Theologorum conventu recitatum, cunctorum suffragiis comprobatum retulit. Obiit anno 1515. immatura morte abreptus. 1502. H.W.

OPERA.

Moralia, in quibus quatuor habentur Tractatus viz. *De actuum & habituum essentia eorumque impedimentis; de tribus virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate; de humanis virtibus; de earundem virtutum oppositis.* Prodierunt simul *Parif.* 1510. 1512.

Quæstio in Vesperiis habita de Dominio naturali, Civili, & Ecclesiastico. Habetur *ibid.* & inter Gersonis Opera Tom. 1. p. 688.

Lectura

Digitized by Google

SÆC. XVI. ab An. MD. *Lectura in iii. Librum Sententiarum* imperfecta, seu de Pœnitentia & Matrimonio; à distinctione 14. ad 37. Exstat *ibid.*

Lectura in 3. Librum Sententiarum completa. Prodiit *ibid.* & seorsim *Lugduni* 1527. 8°.

Expositio in Quæstiones seu Decisiones Gulielmi Occami de Potestate Ecclesiastica & seculari. Habetur apud Goldastum Monarch. Tom. I. p.588. inter Gersonis Opera Tom.I. p.751. seorsim verò *Paris.*1526. 8°. & cum libris præmissis *ibidem.* 1512.

Liber de autoritate Ecclesiæ & Conciliorum adversus Thomam de Vio Cajetanum: Extat apud Gersonem Tom.I. pagin.705. & seorsim *col.*1514.

Dictata super Sententias M. Roberti Holkot de actibus fidei & intellectus, de actibus fidei, & de libertate voluntatis. Paris. 1512. & 1526. 8°.

Embammata Physicalia. Paris. 1505.

Tractatus V. Consequentiarum. Paris. 1508.

Prodierunt Opera Almaini (nescio tamen, an omnia) *Paris.* 1516.

1503. H.W. FINUS HADRIANUS, natione Italus domo Ferrariensis, Scripturarum (ut vocant) Ducalis Fisci Magister; vivebat senex anno 1503. uti in Prœmio Operis sui testatur. Scripsit *Flagellum adversus Judæos,* in libros IX. distributum: quod typis excusum prodiit *Venet.* 1538. 4°.

1504. H.W. ALBERTUS CRANTZIUS, gente Germanus, ex honesta familia Hamburgi natus, Juris Canonici & Theologiæ Doctor, postquàm multas Academias invisisset, anno circiter 1490. creatus. Anno 1482. Academiæ Rostochianæ Rector factus Theologiam & jus Canonicum ibi aliquandiu docuit. Postea in urbem patriam reversus, Hamburgensis Ecclesiæ Canonicus creatus est; & Professoris Theologici munere honestatus, tandem Canonicorum Collegii Decanus evasit. Claruit anno 1504. Ecclesiæ quidem reformationem, pristinamque puritatem summis apprecatus est votis: Luthero tamen opus exoptatum aggredienti, quasi desperans, dicere solebat: *Frater, frater, abi in cellam, & dicito; Miserere mei, Deus.* Obiit Hamburgi anno 1517. VII. Id. Decembris, in cœmiterio templi majoris sepultus.

SCRIPTA.

Metropolis, seu Historia Ecclesiastica de Ecclesiis in Germaniâ, maximè verò Saxoniâ, Caroli M. ætate fundatis vel instauratis, ab anno Christi 780. usque od ann. 1504. libris XII. comprehensa. Prodiit *Basil.* 1548. *Colon.* 1574. 8°. *Francofurti.* 1576. 1590.

Historia Saxonicæ libri XIII. *Colon.* 1520. *Francofurt.* 1575.

Historia Vandalica libri XIV. *Francofurt.* 1575.

Chronicon aliarum gentium Septentrionalium, viz. Daniæ, Sueciæ, & Norwegiæ. *Argentinæ* 1546. & cum additione per J. VVolfium *Francofurt.* 1575. Singulas hasce Historias à Caroli M. ætate orditur Crantzius, & id anno 1504. finit. Omnia ista Crantzii Opera, antequam expurgentur, legi interdicunt Indices Romani.

De Officio Missæ libellus, Rostochii 1505. excusus.

1505. H.W. JOANNES STELLA, civitate Venetus, D. Mariæ formosæ Sacerdos, scripsit anno 1505. Quando obierit, parùm constat. Scripsit, veteri stylo ac simplicitate usus, *Commentarium de Vita ac moribus Pontificum Romanorum* à S. Petro usque ad secundum Julii II. annum, qui Christi fuit 1505. Interim multa se, novissimis præsertim temporibus, quæ literis tutò committi non possent, prætermisisse ipse in Epistolâ ad Antonium Sutrianum, Patriarcham Venetum, non diffitetur. Sanè ipso tacente illum novissimis Pontificibus, & in his Alexandro VI. & Julio II. omnium non solùm Pontificum sed & virorum pessimis, turpissimè adblandiri quivis facilè agnoscet. Prodiit Opus istud *Venet.* 1507. dein *Basil.* 1570. Postremò ---- 1650. 24°. Scripsit adhuc Stella Librum *Augustalem* dictum *de Imperatoribus Romanis.* Prodiit iste *Venet.* 1503. SÆC. XVI. ab An. MD.

DANIANUS CRASSUS, natione Italus, ex Ripolâ, oppido in Subalpinis supra Augustam Taurinorum sito, oriundus; Ordinis Dominicani Monachus, ac demum in Lombardiâ Provincialis; S. interim Theologiæ Magister, Collegio S. Thomæ in Academiâ Ticinensi Regens datus est. Claruit, anno 1506. Obiit anno 1516. Scripsit *Commentarium* satis prolixum in *Job*; atque anno 1506. edendum curavit cum aliis aliquot Tractatibus; in quibus locum habet *Liber Quæstionum de S. Joanne Evangelistâ.* Dum Collegio enim D. Thomæ præesset Damianus, disputando asseruit propositionem istam, S. Joannem fuisse Consanguineum Christi, Consanguineum Dei & multas alias, contra Joannem de Cassivis Ord. Minor. Istas posteà in librum digestas luce publicâ donavit. 1506. H.W.

FRANCISCUS XIMENIUS, gente Hispanus, Cisneris, municipio regni Legionensis non ignobili, natus, ex illustrissimâ Cisneriorum familiâ ortum duxit. Patrem habuit Alphonsum Ximenium Cisnerium, matrem Mariam. Gonzalus à sacro fonte dictus, Francisci posteà nomen cum cucullo induit. Sacerdotio ab incunabulis destinatus, summâ curâ literis institutus est. Compluti Grammaticam, Salmanticæ Philosophiam, Theologiam, ac Jus utrumque didicit. Hinc Romam ad causas actitandas profectus, auditâ Patris morte, in patriam rediit; expectativis, quas vocant, Pontificis literis munitus. His fretus Archipresbyteratum Uzedæ oppidi, tunc fortè vacuum occupavit; ab Alphonso Carillo Archiepiscopo Toletano eo nomine captus, & in vinculis diu detentus. Tandem liberatus Archipresbyteratum suum Capellaniâ (quam appellant) maximâ Ecclesiæ Seguntinæ commutavit. Seguntiæ positus, adscito sibi Hebræo præceptore, linguarum Hebraicæ ac Chaldaicæ elementa hausit; & Joanni Lupo Medinensi instituendæ Academiæ autor fuit. Egregiâ viri famâ permotus Petrus Gonsalvus Mendozius Cardinalis, Episcopus Seguntinus, vicariam universæ diœceseos administrationem illi detulit, & sacerdotiis eum opimis auxit. Pauxillo dehinc tempore elapso, rerum mundanarum pertæsus, & secessum meditatus, sacerdotia & dignitates abdicavit; & in Cœnobio Toletano Monachis Franciscanis se adjunxit. Loci tamen celebritate offensus, secretiorem adhuc secessum cogitat; & enixis precibus impetravit, ut in angustam quandam perpaucorum sodalium domunculam, Castanetum dictam, amanderetur, paulò post haud dissimili Salzedæ Monasteriolo præfectus. Anno 1492. Isabellæ Reginæ à sacris Confessionibus admotus est; & gregalium suorum Provincialis per utramque Castellam factus. Anno 1495. Mendozio Cardinali, Archiepiscopo Toletano successor datus est, atque adeò sedis suæ jure totius Hispaniæ Primas & Archicancellarius evasit. Ann. 1500. Academiæ Complutensis fundamenta posuit. Claruit anno 1506. Quadriennio ante præclarum illud Opus accuratam SS. Bibliorum editionem triplici lingua Compluti adornatam exorsus fuerat: accitis undequaque maximo sumptu, præcipuè verò ex Bibliotheca Vaticana, quam emendatissimis Codicibus MSS. & ingenti stipendio conductis viris eruditissimis, Alphonso Zamora, Alphonso medico Complutensi, & Paulo Coronello rerum 1506. H.W.

Digitized by Google

SÆC. XVI. ab An. MD. Hebraicarum peritissimis, Demetrio Cretensi, Antonio Nebrissensi, Lopide Astuniga, & Ferdinando Pintiano Græcarum Latinarumque literarum consultissimis. Duravit opera egregio isti incœpto data quindecim plùs minùs annos, adeò ut editio finem penè cum Ximenii morte tulerit, postquàm illi quinquaginta millibus aureorum, & ampliùs, constitisset. Eodem circiter tempore Mozarabum Liturgiam, quæ in universa Ecclesia Toletana ab Isidori temporibus, & post expugnatum à Mauris Toletum in sex Ecclesiis, quas Christianis Barbari permiserant, usurpata fuerat; post recuperatam verò ab Alfonso VI. sub finem undecimi seculi Urbem in desuetudinem paulatim abierat; sex illis Ecclesiis postliminiò intulit; atque anno 1504. Melchiori Gurrizio Genuensi Toleti imprimendam dedit. Anno 1506. turbatis post Sabellæ Reginæ mortem Castellæ rebus, Ximenius Joannæ Reginæ tunc delirantis Custos, Carolique pueri Protector ab Optimatibus Castellanis unanimi suffragio electus est. Anno 1507. dignitate Cardinalitiâ à Julio II. Pontifice donatus fuit: Inquisitor Fidei Generalis per universum Castellæ regnum mox constitutus. Post Ferdinandi demum Regis mortem, ab anno 1515. universam Hispaniam, absente Carolo, vicaria autoritate biennio rexit. Obiit Vir verè magnus, & literis juvandis natus, Pintiæ VI. Id. Novembr. anno 1517. ætatis suæ 80. circiter. Toleti in Ecclesiâ primariâ sepultus. Magnificam, uti suprà diximus, SS. Bibliorum editionem, sumptu quin & dictamine proprio, à viris doctissimis adornari fecit. In eâ Veteris Testamenti libri tribus columnis per singulas paginas sunt distincti. Istarum prima textum Hebraicum, secunda vulgarem Latinum, tertia Græcum LXX. Interpretum, Latinâ etiam versione interlineari additâ illustratum, exhibent. His, in Pentateuchi libris, in margine inferiori subjicitur Chaldaica Paraphrasis, cui etiam translatio Latina κατὰ πόδας facta apponitur. In libris non Canonicis (Canonem enim Scripturarum ex Hebræorum mente instituit Ximenius) præter Græcam τῶν ό. versionem habentur duæ Latinæ, vulgaris altera, altera interlinearis de verbo ad verbum. In Novi Testamenti libris præter Græcum textum quàm emendatissimum unica habetur vulgaris versio Latina. Accessit volumine postremo Hebræorum, Chaldæorum, & Græcorum vocabulorum Onomasticon copiosissimum. Prodiit Opus istud pulcherrimum, Leoni X. Pontifici nuncupatum, *Compluti* excusum sex voluminibus in folio: quorum postremum anno 1515. prælo exiit. Cæterùm *Epistolarum* à Ximenio scriptarum volumen in Ecclesiæ Toletanæ archivis MS. extare prodit Alvarus Gomecius*, qui & pauculas aliquot in Vitâ ejus repræsentat.

* De Vitâ Ximenii, l. 4.

1506. H.W. ALPHONSUS ZAMORA, natione Hispanus, ortu tamen Judæus, Judæis parentibus in urbe Zamora natus est. Hebraicis literis ac mysteriis eruditissimus, publicas inter Judæos, antequàm fidem Christianam susciperet, scholas moderatus. Demum baptismo initiatus, claruit anno 1506. Ob insignem rerum Hebraicarum peritiam amplissimo stipendio à Cardinali Ximenio invitatus, nobilissimæ illi Bibliorum Complutensium editioni adornandæ quindecennem ferè operam locavit.

SCRIPTA.

Vocabularium Chaldaicum atque Hebraicum Vet. Testamenti.

Interpretationes Hebræorum, Chaldæorum, & Græcorum nominum utriusque Testamenti.

Catalogus eorum, quæ in utroque Testamento aliter scripta sunt vitio Scriptorum, quàm in Hebræo & Græco, & in quibusdam Bibliis antiquis.

Introductiones Artis Grammaticæ Hebraicæ. SÆC. XVI. ab An. MD.

Opera isthæc postremum Bibliorum Complutensium volumen conficiunt; in quibus conscribendis Alphonsus noster partes primas, in sequentibus solas tulit.

Introductiones Artis Grammaticæ Hebraicæ; seu Grammatica alia priori *brevior, facilior, & lucidior*, (uti ipse in Præfatione loquitur) ad Alphonsum Fonsecam, præsulem Toletanum, Ximenii successorem.

Vocabularium breve omnium ferè primitivorum Hebraicorum.

Brevis Tractatus de Orthographia Hebraica, seu *de Punctis*.

Epistola ex Hispania *ad Hebræos* Romæ degentes missa *ad reprehendendum eos in sua pertinacia*. Extat Hebraicè & cum versione Latina interlineari.

Opuscula ista quatuor proximè enumerata prodierunt simul *Compluti* 1526. 4°.

Compendium universorum Legis veteris præceptorum——4°.

ANTONIUS DE BURGOS, Hispanus, civitate Salmanticensis, Juris utriusque Doctor Bononiensis, & S. Clementis Hispanorum Collegii, ab Ægidio Cardinali Albornozio exstructi, sodalis; 1507. H.W. Jus Pontificium in Academia Bononiensi per 20. annos honesta satis conditione professus est. Claruit anno 1507. Eximiam doctrinæ & probitatis famam adeptus, à Leone X. in Curiam Romanam accitus; utriusque Signaturæ Referendarius factus est; & Pontificibus dehinc Romanis in rebus gravissimis procurandis operam usque ad obitum dedit. Romæ è vivis excessit septuagenarius anno 1525. die x. Decembris. Extant, *Commentarius super utili & quotidiano Titulo de Emptione & Venditione in Decretalibus*. Ticini 1511. Parmæ 1574. Venet. 1575. 8°. Lugduni 1575. f. *Commentarii in alios Decretalium Titulos binos*, viz. de Constitutionibus, & de Rescriptis, cum priore excusi: & *Variæ Repetitiones in Jure Civili*, Venetiis 1587. editæ.

BERNARDUS BASINUS, Hispanus, 1507. H.W. Theologiæ Doctor Parisiensis, Ecclesiæ Cæsaraugustanæ Canonicus, claruit anno 1507. ab anno tamen inde 1491. non incelebris, cùm Romæ in Templo S. Mariæ supra Minervam, die S. Thomæ Aquinatis coram XIX. Cardinalibus summa cum laude peroravit. Scripsit *Librum de Artibus magicis, & Magorum maleficiis*; qui typis impressus prodiit *Paris.* 1506. 8°. *Francofurt.* 1580. 8°. & Tom. II. pars 1ª. *Lugduni* 1620. 8°.

PHILIPPUS DECIUS, gente Italus, patria Mediolanensis, Tristani de Decio filius; anno 1508. H.W. ætatis decimo septimo Ticinum missus, Lancelotum fratrem, Jasonem Maynum, & Joannem Puteum jus utrumque docentes audivit. Dein Lancelotum fratrem à Florentinis Pisas evocatum secutus, Baldo Novello, Philippo Corneo, & Hieronymo Zanetino discipulum se dedit. Anno ætatis 22. Doctoratûs insignia meruit; & Institutionum prælectionem sibi à Pisanis demandatam accepit. Claruit anno 1508. Munus Professorium tanto acumine, eloquentia, & dicendi ubertate exornavit, ut Auditores ad cathedram suam confertim traheret, aliorumque Professorum invidiam excitaret. Hinc Bartholomæus Socinus, Juris Cæsarei in eodem Gymnasio Professor, cùm se discipulis viduatum doleret; aut semetipsum aut Philippum munere suo dimitti petiit. Pisani itaque Philippo iuris Pontificii professionem injungunt, & Felino Sandeo comitem dant. Amplioris triumphi materiam id Philippo dedit. Felinus enim extemplò cathedram suam auditorum frequentia

Digitized by Google

SÆC. XVI. ab An. MD. tiâ spoliatam indignatus, & Philippi consortio sese imparem sentiens, Romam se contulit; & calumniis effecit, ut Philippus se docendi munere abdicare cogeretur. Is, Pisis relictis, Senensibus operam obtulit; à quibus libentissimè exceptus est. Paulò post turbatâ re Senensi, Pisis revocatus, Jus Canonicum docuit. Dein Ticinum transiit, opimis stipendiis à Gallo præside invitatus. Dum Cathedram Ticinensem regeret, à Concilio Pisano an. 1511. sententiam rogatus de Synodi indicendæ jure (quod ad unicam spectare sedem Romanam Julius Papa contendit) pro Concilii authoritate contra Pontificem scripsit. Ejectis itaque è Ticino Gallis Matthæus Cardinalis Sedunensis unicam Philippi domum militibus deripiendam dedit. Iste in Galliam se recepit; ubi Jus Pontificium, apud Bituricenses biennio fermè edocuit. Tandem à Florentinis mille quingentorum aureorum stipendio in Italiam revocatus, pristinam dignitatem ac Provinciam Pisis obtinuit. Postremò Senis professus est; ubi unicâ filiâ Patricio Senensi collocatâ octogenario major obiit anno 1535. die XII. Octobris: Pisas delatus, & in monumento, quod sibi vivus posuerat, reconditus.

SCRIPTA.

Consilium pro Ecclesiæ authoritate supra Papam in causâ Synodi Pisanæ anno 1511. habitum. Extat apud Goldastum Monarch. Tom. II. p. 1667.

Sermo de eâdem materiâ pro justificatione Concilii Pisani. Habetur ibid. p. 1677. & cum præcedente Opusculo apud Richerium Hist. Concil. Gener. lib. 4. par. 1. cap. 2. p. 167.

Consilium de Reprobatione Instrumenti. Venet. 1546. Spiræ 1590. 8°.

Commentarius in Decretalia, Digestum vetus, & Codicem. Lugduni 1551. f.

Commentarius de Regulis Juris. Colon. 1569. f. 1619. 8°.

Additiones in Baldum Ubaldum ad Codicem, Digestum, & Infortiatum. Lugduni 1545.

Consiliorum Tomi 2. purgati per N. Ant. Gravatium. *Venet.* 1581.

1510. H.W. THOMAS RADINUS, TODISCHUS dictus, natione Italus, civitate Placentinus, Ordinis Dominicani Theologus subtilissimus, Poeta, Philosophus, & Orator eximius, quodque magis adhuc mirandum, tot tantasque scientias sine præceptoris ope adeptus. Claruit anno 1510. Scripsit ad Maximilianum Imp. *Librum de Pulchritudine Animæ*, quem *Callipsychiam* nominavit, *Mediolani* 1511. editum; alium, cui titulus, *Abyssus Sideralis*, Parif. 1514. 4°. *Orationem contra Lutherum*, Lipsiæ 1520. 4. *& alteram contra Melanchthonem*, Romæ 1522. 4°.

1511. H.W. CYPRIANUS BENETUS, seu *Benedictus*, gente Hispanus, patria Aragonius, Ordinis Dominicani sodalis, & Theologiæ Doctor Parisiensis. Claruit anno 1511. tam doctrinâ quam pietate insignis. Obiit post annum 1522.

SCRIPTA.

Tractatus de prima Orbis sede.
De Concilio.
De Ecclesiastica potestate.
De Pontificis Maximi authoritate.

Quatuor isti Tractatus, Julio II. & Leoni X. Papis nuncupati, in lucem prodierunt *Romæ* 1512. 4°.

Dialogus de excellentia & utilitate Theologiæ.

De Caroli Hispaniarum Regis præeminentia, de clementia, &c. Prodiit cum Dialogo præmisso *Romæ*, 1518. 4°.

Oratio Hortatoria vehemens ad Hadrianum VI. Papam ad accelerandum iter. Prodiit alicubi in 4°.

Tractatum de non mutando Paschate sub Cypriani Veneti, Doctoris nomine excusum memorat Simlerus Biblioth. Tigurin. p. 152. qui & Venetum istum eundem cum Beneto nostro fuisse, non malè forsan, conjicit.

MARCUS VIGERIUS, natione Italus, patriâ Ligur, domo Savonensis, Ordinis Minoritarum Monachus, præceptorem habuit Franciscum Roboreum civem ac sodalem suum, qui posteà ad sedem Pontificalem Sixti IV. nomine evectus est. Postquàm Theologiam Patavii & in Sapientiæ Romanæ Gymnasio diu prælegisset; Episcopus Senogalliensis factus est, dein inter Ecclesiæ Romanæ Cardinales allectus, & Episcopatu Prænestino auctus, claruit anno 1512. quo Concilio Lateranensi à Julio II. Pontifice evocatus interfuit. Obiit septuagenarius anno 1516. Calendis Junii. Extant ab eo scripta *Decachordum Christianum de præcipuis Incarnati Verbi mysteriis*, Fani 1507. Antverp. 1616. *Lucubratio de excellentia Instrumentorum Dominicæ Passionis, Romæ* 1512. Utrumque simul Opus prodiit *Hagenoæ* 1517. *Paris* 1517. Tomus alter *de Vita, Passione, Morte, Resurrectione, & Instrumentis Passionis D. N. Jesu Christi.* Iste unà cum præmissis Operibus impressus est *Duaci* 1607. 2. Tom. *Apologiam* adhuc pro Julio Papa adversùs Pisanum Conciliabulum ab eo conscriptam esse prodit Possevinus Apparat. Sac. Tom. 2. pag. 62. *Dialogum etiam de tollendis abusibus Ecclesiæ* ab eodem compositum memorat Simlerus Biblioth. Tigurin. p. 475. 1512. H.W.

JOANNES AVENTINUS, *Turmarius* cognomento dictus, gente Boius, ex Abusina seu Abensperge, superioris Bavariæ oppidulo, oriundus; natus est anno 1466. Patrem nactus Joannem Turmaier, ejusdem oppidi Pandocheum. Post finita literarum tyrocinia, Ingolstadium à parentibus missus est, ut Philosophiam artesque liberales edisceret. Dein Lutetiam migravit, ubi post annos plures in omni studiorum genere exactos Artium Magisterium consecutus est. Claruit anno 1512. Philologus, Mathematicus, & Historicus insignis. In Germaniam redux, Viennam petiit; ubi libros oratorios & poëticos auditoribus selectis diu prælegit. Dein Cracoviam profectus, Græcas literas publicè professus est. Mox in patriam revocatus, anno 1509. Somnium Scipionis, & Rhetoricam Ciceronis ad Herennium summa cum laude Ingolstadii enarrare incœpit. Anno 1512. Monachium accitus, Ludovico & Ernesto Bavariæ Principibus præceptor datus est; & post annos aliquot Ernesto in Italiam peregrinanti comitem se dedit. Præceptoris officio defunctus, Annalibus Boiorum conscribendis se accinxit, Bavariæ Principibus sumptus liberalitate maximâ suppeditantibus. Post perlustratas itaque universas totius provinciæ Bibliothecas, & Monastericorum tabularia, modò in patria sua, modò Ratisponæ apud amicum integerrimum Erasmum Brimsium consedit; atque operi incœpto diligenter incubuit. Anno 1533. ductâ ante triennium uxore, Ingolstadii sedes posuit, à Nobilissimo Viro Leonardo Eckio accersitus, ut Oswaldum filium bonis literis institueret. Sub finem anni dum ab Ingolstadio Ratisponam vehiculo iter faceret, gravissimo correptus morbo Ratisponæ decubuit; & ingravescente indies morbo diem obiit v. Id. Januar. anno 1534. ætatis suæ 68. Ratisponæ in æde S. Haymerani sepultus. 1512. H.W. Vid. an. 1500. R.G.

SCRIPTA.

Annales Boiorum libris VII. ab ipsis gentis primordiis ad annum Christi 1460. Prodierunt *Ingolstad.* 1554. f. & à Nicolao Cisnero recogniti aucti *Basil.*

Digitized by Google

SÆC.XVI. ab An. MD. *Basil.* 1580. f. Verùm primas obtinet Editio Ingolstadiensis. Annales istos, antequam expurgentur, legi prohibent Indices Romani.

Rudimenta Grammatica de octo partibus Orationis & constructione, de Græcorum declinatione, &c. *Augustæ-Vindel.* 1519.

Explicatio veterum consuetudinis numerandi per digitos manusque. Ratisponæ 1532.

Opera inedita enumerant Simlerus Biblioth. Tigurin. p. 339. quique illum exscripsit, Boissardus Icon. illust. virorum par. 2. p. 224.

1512. H. W. ALEXIUS, Episcopus in Italia Melfitanus, claruit anno 1512. quo Julii II. Pontificis jussu concionem ad Concilii Lateranensis Patres, sessionem tertiam III. Nonas Decembr. celebraturos, habuit, *de ratione Synodorum habendarum optima, & concordiæ necessitate.* Extat ista, unà cum *Epistola*, quâ Julium muneris peracti certiorem facit, Concil. Tom. XIV. p. 83.

1513. H. W. JOANNES MARIA DE MONTE, Archiepiscopus Sipontinus, claruit ann. 1513. quo Concilio Lateranensi adfuit; & ante inchoatam die XVI. Februarii Sessionem quintam ad Patres è suggesto concionatus est. Exstat iste *Sermo*, de institutione Conciliorum, Julii Pontificis laudibus, restituenda justitia, unitate ac pace, agens, Concil. Tom. XIV. p. 122.

1513. H. W. LEO X. *Joannes Medices* antea appellatus; patriâ Florentinus, ex amplissima Mediceorum familia oriundus. Laurentii Medices & Claricis Ursinæ filius; Angelum Politianum, & Bernardum Michelotium præceptores nactus, Græcis simul ac Latinis literis institutus est. Eum infantem ferè adhuc in Laurentii patris gratiam Ludovicus XI. Galliæ Rex insigni Archiepiscopatu donavit, puerum tredecennem Innocentius VIII. Papa in Cardinalium cœtum titulo S. Mariæ in Dominica cooptavit. Mediceis à Carolo VIII. Galliæ rege oppressis, & rerum Florentinarum summâ dejectis, ipse Roma pulsus inter exteras gentes diu exulavit. Anno circiter 1503. Romam reversus, magnam apud Julium Papam gratiam iniit, & Legatus Bononiæ constitutus, anno 1512. in prælio apud Ravennam à Gallis captus est, & Mediolanum ductus Concilium Pisanum illuc à Cardinalibus translatum præsentia ac constantia sua turbavit & labefactavit. Mox Gallorum manibus astu quodam elapsus, in Provinciam suam se recepit. Anno 1513. ætatis suæ 37. Pontifex Romanus à Junioribus Cardinalibus electus est die XI. coronatus die XIX. Martii. Concilium Lateranense à Julio decessore anno superiore inchoatum integro quadriennio continuavit; ut haberet, quod Concilio Pisano opponeret; & unde orbi Christiano reformationem votis calidissimis exoptanti fucum faceret. Omnia hìc ad Pontificis nutum gesta: abrogata Synodorum Basileensis & Constantiensis decreta, prostrata funditùs Conciliorum majestas, & in supremum authoritatis culmen evecta sedes Pontificia. Maximè verò Sessione XI. anno 1516. habitâ Pragmatica Sanctio, à S. Ludovico Galliæ Rege olim lata, totius Concilii suffragiis, tanquam Schismatica, nefaria & authoritati Papali injuria, damnata & abolita est: quamvis à Concilio Basileensi adprobatam esse Sanctionem, omniaque in eo contenta, ipsi Patres totidem verbis agnoscant. In eadem revocatæ Sanctionis Bullâ definitum est; illum in Ecclesia esse non posse, qui Romani Pontificis cathedram deserit, Christum S. Petri successores ita vicarios suos instituisse, ut qui illis non obedierit, morte moriatur; quodque maximi momenti erat, Pontificem Romanum pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, quàm transferendorum ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere; idque ex S. Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum, Canonum decretis, propriaque Conciliorum confessione manifestò constare. Cæterùm Leo, purus putus, si quis unquam, Atheus, cui vitam genialiter agere unica erat religio; sub initio Pontificatûs, postquàm bellum contra Ludovicum XII. Galliæ Regem à decessore suo excommunicatum, parùm prosperè succedere animadverteret, rupto summâ perfidiâ fœdere cum Maximiliano Cæsare & Helvetiis olim inito, in Galli partes transiit; istique Imperium Constantinopolitanum authoritate Apostolica dono dedit. Anno circiter 1515. Tetzelium Monachum Dominicanum in Germaniam, alios alibi, amandavit, immensam pecuniæ vim ex indulgentiarum venditione corrasuros. Factum id impietate atque impudentia summa; dum effrontes Indulgentiarum propolæ (teste Episcopo coævo ac Pontificio *) passim prædicarent, tum vivos tum mortuos per plenarias indulgentias passim absque omni delectu ab universis pœnis pariter ac culpa solvi, statimque salvari; ---- *usque adeò ut si contingeret peccatorem plenas venias assecutum mori, mox in cœlum evolaret absque alia satisfactione temporali seu purgatoria.* Obiit Leo non sine veneni suspicione anno 1521. die I. Decembris. Extant *Epistolæ & Constitutiones* XXIII. Concil. Tom. XIV. pagin. 129. &c. *aliæ* XLVIII. apud Bzovium Annal. Eccl. ad ann. 1513. &c. (ex his verò XLIV. habentur apud Bembum,) *aliæ* plures in Laertii Cherubini Bullario Magno; denique *Epistolarum libri* XVI. à Petro Bembo (qui ipsi ab Epistolis fuit,) nomine illius scripti; *Basil.* 1556. 8°. editi.

*Onus Eccl. Colon. 1531. f. cap. 15.

1513. H. W. SIMON BENIGNIUS, Modrusiæ in Croatia Episcopus, claruit anno 1513. quo Concilii Lateranensis Patribus Sessionem sextam die XXVII. Aprilis celebraturis verba fecit de schismatibus sæculi postremi, promissa toties, (ut ipsius verbis utar) Ecclesiæ reformatione, & bello Turcis inferendo. Extat iste *Sermo*, unà cum *Epistola* ad Bernardinum de Frangepanibus dedicatoria, Concil. Tom. XIV. p. 144.

1513. H. W. BALTHASAR DEL RIO, gente Hispanus, civitate Palentinus, Scholasticus apud Gallæcos Mindoniensis, Archidiaconus Cesenatensis, Leonis X. Cubicularius, Protonotarius Apostolicus, & Cardinalis Alborensis Secretarius; claruit anno 1513. quo Concilii Lateranensis Sessionem septimam Sermone de expeditione contra Turcas ineunda recitato, in illud Matthæi XVII., *Nihil impossibile erit vobis*, die XVII. Junii auspicatus est. Habetur ille *Sermo*, præfixa *Epistola* ad Ferdinandum Hispaniarum Regem nuncupatoria, Concil. Tom. XIV. p. 165. & seorsim excusa *Romæ* 1513. 4°.

1513. H. W. JOANNES BAPTISTA GARGHA, natione Italus, patriâ Senensis, Eques Hierosolymitanus, claruit anno 1513. quando ad Synodi Lateranensis Patres Sessionem octavam die XVII. Decembris habituros è sacris rostris peroravit, de bello contra Turcas suscipiendo, & subsidiis Rhodo insulæ ferendis. Extat *Oratio* ista, cum *Epistola* ad Fabricium Carretum Hierosolymitani Ordinis magnum Magistrum præmissâ, Tom. XIV. p. 195.

1514. H. W. ANTONIUS PUCCIUS, domo Romanus, Cameræ Apostolicæ Clericus, Patris sui eo in munere successor, claruit anno 1514. cùm Leonis X. jussu Concilii Lateranensis Sessioni nonæ die V. Maii celebratæ Sermone de Ecclesiæ majestate ac privilegiis, paceque ac pietate in Christianam rempublicam reducendis habito prælusit. Turpissimè verò Leoni Papæ, in Synodo tunc præsenti, adulatur; cui verba

Digitized by Google

SÆC. XVI. ab An.MD. verba Psalm. LXXII.11. *Omnes reges terræ adorabunt eum, & servient ei*, tribuere non erubescit. Extat ille *Sermo*, cum *Epistola* ad Leonem Pontificem, Concil. Tom. XIV. p. 231.

1515. H.W. STEPHANUS, Torcellanus in ditione Veneta Episcopus, & Archiepiscopus Patracensis, claruit anno 1515. quo coram Pontifice & Episcopis Concilii Lateranensis Sessionem decimam die IV. Maii habituris de necessaria ac desideratissima totius Ecclesiæ reformatione, & Apostolicæ sedis authoritate, septuagenarius concionatus est. Immani sanè erga Pontificem adulatione usus, cui datam esse omnem potestatem in cœlo & in terra prædicat, ita ut ipse toti imperaret mundo & soli Deo unicè obediret, tantamque obedientiam à subditis exigeret, quantam ipse Deo præstaret. Habetur ille *Sermo* Concil.Tom.XIV.p.261.

1516. H.W. PETRUS GALATINUS, Patriâ, ut videtur, Italus, saltem in Conventu Barensi Provinciæ Apulæ vitam egit, ex Judæo Christianus, Ordinis Franciscani Monachus, Artium ac Theologiæ Doctor, L. Pucii SS. Quatuor Coronatorum Cardinalis necessarius, ac demum Pœnitentiarius Apostolicus. Claruit anno 1516. Obiit post annum 1532. Rerum Hebraicarum satis peritus, Maximiliani Imp.& Leonis Papæ hortatu, ut Judæorum ineptias Talmudicas, & Cabalisticas, Christianæ autem fidei veritatem demonstraret; & Joannis Reuchlini famam à Theologis Scholasticis vellicatam tueretur; Dialogi inter Galatinum, Capnionem, & Hocstratum habiti formâ composuit *Opus de Arcanis Catholicæ Veritatis* in libros XII. digestum: quod quidem penè integrum, pauculis de suo additis, portentoso plagio (ut à Joanne Morino * meritò vocatur) ex Raymundi Martini *Pugione*, saltem Porcheti Salvatici *Victoria*, compilavit, iisdem ferè verbis, sententiis, versionibus, exemplis, & auctorum locis ubique servatis, Porchero tamen, unde sua plena manu transcripserat, ne semel quidem nominato. Prodiit Galatini Opus primùm *Orthonæ-maris* 1518. (multis tamen antehac annis inchoatum) *Basil.*1550.f. *ibid.*1561.*Parif.*1602.*Francofurt.*1612.f.1672.f. Alia adhuc scripsit Galatinus, puta *Summam Theologiæ*, *Commentarium in Apocalypsin* fusissimum, *Tractatum de recta S. Scripturæ interpretatione. Opus singulare de Ecclesia instituta, destituta & restituta: Tractatum de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento; De anima intellectiva; De homine; De septem Ecclesiæ temporibus & statibus, De cognoscendis pestilentibus hominibus; De Angelico Pastore, Expositionem cujusdam vaticinii Romani subobscuri; de Vaticiniis Methodii, S. Cataldi, & B.Cyrilli, De Optimi Principis Diademate.* Ista ex authographo Vaticano descripta MSS. penès se extitisse testatur Waddingus *; qui eadem in lucem se daturum esse recepit, datam autem fidem nunquam præstitit.

* Exercit. Bibl. 1. cap. 2. p. 16.

* De Script. Ord. Minor. p. 280.

1517. H.W. MARTINUS LUTHERUS, natione Germanus, patriâ Saxo, Islebii Mansfeldensis ditionis oppidi natus est anno 1483. die X. Novembris. Patrem habuit Joannem Lutherum, qui Mansfeldiæ magistratum aliquando gessit, matrem Margaretam Lindemannam. Anno ætatis decimo quarto Magdeburgum, anno sequente Isenacum missus est; ut positi domi literarum tyrocinia penitiori scientiâ cumularet. Exacto apud Isenacum quadriennio, an. 1501. in Academiam Erfordiensem se contulit; ubi Magisterii Philosophici gradu anno 1503. honestatus Philosophiam docere cœpit. Mox verò parentum consilio ingenium ad omnia factum ad Jurisprudentiæ studium deflexit. Anno 1504. violenta condiscipuli cujusdam morte territus, Ordinis Augustiniani Monachis in Cœnobio Erfordiensi, insciis amicis nomen dedit, & S. Scripturę lectioni (hîc loci enim in obscuro quodam Bibliothecæ angulo Latinos Bibliorum Codices ei primùm videre contigit) & pervolvendis S. Augustini ac Scholasticorum scriptis sedulò incubuit. Anno 1507. cucullum induit; & sacris initiatus, Missam cantare incœpit. Anno 1508. ab Erfordia ad Academiam Witembergensem à Joanne Staupicio traductus est: ubi logicam & Physicam Aristotelis triennio explicavit. Anno 1512. Romam Conventûs sui nomine legatus, corruptos aulę Romanæ mores vidit & ingemuit. Witembergam reversus, anno 1513. Theologiæ Doctor creatus est, Frederico Saxoniæ Duce, qui concionibus illius admodum delectabatur, sumptus suppeditante. Lauream adeptus, Græcę Hebrææque linguarum studio se dedit; & Epistolam ad Romanos è cathedra enarrandam suscipiens, justificationis dogma in scholis & concionibus passim receptum refutavit. Claruit anno 1517. quo favente numine, Religioni reformandæ se ducem & Antesignanum prębuit. Tunc primùm enim immani Tetzelii ac sociorum indulgentias venales per Germaniam circumferentium audaciâ, & impiis dogmatibus offensus, propositiones suas contra Indulgentias Pontificias Templo Witembergensi affixit. Furiunt Tetzelius & æruscatores socii, Lutherum hęreseos damnant, & ad flammas rogant. Inde nata Luthero ausa uberiùs & accuratiùs controversiam tractandi. Tanta tamen id modestia pręstitit, ut silentium simul promitteret, modò id adversariis indiceretur, scriptaque sua Episcopi, & provincialis sui, quin & Leonis Papę censurę submitteret, nec aliud postularet, quàm ut alia pṙdicandi forma Indulgentiarum pręconibus imponeretur. Densa interim inimicorum acies in Lutherum insurgunt, Joannes Eckius, Sylvester Prierias, Jacobus Hocstratus, aliique, qui illum convitiis & calumniis proscindunt; Pontificem, ut in eum flammis animadverteret, exhortati. Ægerrimè id tulit Lutherus, vir fervidioris animi, & minimè ad injurias ferendas natus; majoraque ausus ipsam oppugnare sedem Pontificiam non dubitavit. Certiora enim indies edoctus vir S. Scripturæ & SS. Patrum studiosissimus, Ecclesiæ Romanę errores magis magisque agnovit, agnitosque scriptis editis refutare non desiit. Anno 1518. ab Augustinianis suis ad Capitulum Heidelbergense citatus, eò profectus est; habitâque disputatione dogmatum suorum veritatem demonstravit. Exeunte anno Augustam petiit, ut coram Cajetano legato, cui rem dijudicandam Pontifex commiserat, causam ageret. Cajetanus ei sententiam suam revocare jubet. Ille meliora è S.Scriptura edoceri petit, seque nihil pertinaciter adserere, & in omnibus Ecclesiæ judicio stare paratum esse professus, ad Papam provocat. Domum reversus, ne turbas in Ecclesia aut republica excitaret, secessum cogitavit, & in Gallias abitum molitus est. Verùm explorato consilio à Frederico principe Witembergæ manere jussus est; & à Pontifice ad Concilium Generale appellavit. Anno 1519. Lipsiam profectus, prolixam cum Jo. Eckio de Pontificis autoritate, Purgatorio, & Indulgentiis disputationem instituit. Anno 1520. à Leone Papâ damnatus & anathemate percussus, internecinum ab eo tempore bellum authoritati Pontificię indixit, publicè statim Witembergæ combustis Jure Pontificio, & Leonis bullâ. Anno 1521. à Carolo Imp. ad Comitia Wormatiensia datâ fide publicâ evocatus, invictâ animi constantiâ fidem à se literis proditam confessus est; nec ut libros suos damnaret, ullis minis adduci potuit. Mox à Cæsare proscriptus, Frederici Principis jussu in arce Wartenburgensi integro fermè anno delituit. Anno 1522. latibulo egressus Witembergam inscio Frederico se contulit; & religionis causam deinceps palàm egit: anno 1524.

Digitized by Google

cucullum monasticum deposuit; Missamque in Ecclesiâ cathedrali VVittembergensi abrogari obtinuit. Anno 1525. Catharinam Boram, virginem nobilem, antea monialem, uxorem duxit; nuptiis forsan haud opportunis, quas tamen numen multiplici prole ratas fecit. Anno 1529. satagente Philippo Hassiæ Landgravio colloquium Marpurgi habuit cum Theologis Zuinglii & Carolostadii sequacibus de pace ineundâ. Verùm laudabili Principis voto obstitit nimia utriorumque Theologorum pertinacia. Anno 1534. Biblia sacra Germanicè à se olim per partes versa editaque, absolutâ demum & in unum compacta corpus, typis commisit. Obiit, vir verè maximus, Islebii in solo natali, quò à Comitibus Mansfeldicis dissidii componendi causâ accitus venerat; anno 1546. die XVIII. Februarii, anno ætatis suæ climacterico, VVittembergæ honorificè sepultus. Ingenium nactus est à natura sagax, acre, præfervidum, ad magna quævis aggredienda factum, vir si quis alius, invicti atque imperterriti animi. Quoties veritatis agebatur causa, nec amorem cujusvis curabat nec odium; Pontificis fulmina, Imperatoris edicta, non minùs quàm plebis convicia insuper habuit, & fortiter contempsit. Interim haud iverim inficias, Lutherum affectibus liberiùs quàm par erat, sæpiùs indulsisse, atque etiam in majorum gentium Principes impotenti animo strinxisse calamum. Verùm *quisque suos patimur manes.* In re literaria non segniter desudavit, ipse prout ea ferebant tempora haud mediocriter eruditus. In indagandis S. Scripturæ sensibus studium præcipuè posuit, ejusque benè magnam partem commentariis explicavit. Theologiam à multis retro sæculis corruptam ad pristinam integritatem pro virili revocavit. Quâ quidem in re si minùs forsan alicubi ὀρθοτομεῖν videatur, vitio non tam ipsi, quàm temporis, quo vixit, conditioni vertendum est, nec mirum, si maculas quasdam contraheret, qui Augiæ stabulum repurgare aggreditur. Primævæ antiquitatis normam ante oculos habuit, & certè (ut in Epistola * ad Cardinalem Albertum, rectè olim notavit Erasmus) multa in libris Lutheri damnantur ut hæretica, quæ in Bernardi Augustinique libris ut orthodoxa, immò ut pia leguntur; additque, Lutherum multa imprudenter magis quàm impiè scripsisse. Nec prætereundum debet quod in Lutheri vita refert M. Adamus †, Erasmum Pontificis Oratoribus ipsum ad Lutherum oppugnandum incitantibus respondisse. *Major est Lutherus, quàm ut in illum scribam: imò tantus, ut ex Lutheri unica pagella perlecta pluserudiar, quàm ex Thoma toto.* Stylo usus est sanè duriusculo, rari quippe adhuc erant Erasmi, Politiani, Longolii, Bembi, Sadoleti, qui cum Cicerone, Livio, Terentio familiariter versabantur. Utcumque verò incompta & inelaborata sit, genuinam certè pietatem, & ingentem ubique Zelum spirat vivida Lutheri dictio, nec tam verba, quàm res fundere videtur. Multa, variique argumenti, conscripsit Lutherus; quæ diversis annis VVittembergæ typis excusa prodierunt in VII. Tomos digesta. Horum indiculum nos Lectori propediem sistimus.

* Epist. l. 12. Ep. 10.

† P. 115.

OPERA.

TOmus I. *Wittembergæ* 1582. f. continens scripta ab anno 1517. ad annum 1520.

Decem præcepta ante controversiam de Indulgentiis motam VVittembergæ prædicata.

Propositiones de Pœnitentia & Indulgentiis, & quædam alia disputationes initio causæ propositæ 1517.

Conciones XII. *de Indulgentiis, de Pœnitentia,* &c.

Epistola ad Albertum Cardinalem & Archiep. Moguntinum.

Epistola ad Hieronymum Episcopum Brandeburgensem.

Epistola ad Joannem Staupicium Augustinianorum Vicarium.

Epistola ad Leonem Pontificem Resolutionibus præmissa 1518.

Resolutiones Disputationum de virtute Indulgentiarum.

Probationes Conclusionum, quas disputavit in Capitulo Heidelbergensi.

Asterisci adversus Obeliscos Eccii.

Responsio ad Dialogum Sylvestris Prieriatis.

Protestatio Lutheri brevis.

Epistola ad Lectorem contra Jac. Hocstratenum.

Quod justus etiam inter benè operandum peccet.

Instructio pro confessione peccatorum abbrevianda.

Epistola ad pium Lectorem.

Acta Lutheri apud Legatum Apostolicum Cajetanum Augustæ.

Epistola ad Melancthonem.

Epistola II. ad Cajetanum Cardinalem.

Appellatio prima à Cajetano ad Papam.

Epistola ad Fredericum Saxoniæ Electorem.

Appellatio secunda à Papa ad Concilium.

Acta Lutheri cum Carolo Miltitio. 1519.

Epistola ad Leonem Papam.

Epistola ad Monachos Iutterbocenses.

Defensio contra criminationes Eccii.

Disputatio Lipsica.

Sermo Lipsiæ prædicatus.

Resolutiones super propositionibus suis Lipsiæ disputatis.

Epistola Resolutionibus præmissa.

Additio ad Ægocerotem Emiseranum.

Epistola ad Eccium.

Defensio contra malignum Eccii judicium.

Articuli hæretici Joannis Eccii.

Disputationes ab anno 1519. ad 1545.

Loci doctrinæ Christianæ præcipui.

Tomus II. *Wittembergæ* 1546. continens scripta ab anno 1520. ad annum 1527.

Epistola ad Leonem X.

De Libertate Christiana liber.

Tessaradecas consolatoria ad Fredericum Electorem.

Confitendi ratio.

Responsio ad schedulam inhibitionis.

Responsio ad condemnationem doctrinæ suæ per quosdam Magistros Lovanienses & Colonienses

Epistola ad Carolum Imp.

Protestatio.

Epistola ad Cardinalem Moguntinum.

Epistola ad Episcopum Mersburgensem.

Appellatio à Papa ad Concilium.

De Captivitate Babylonica.

Adversus Antichristi Bullam.

Assertio Articulorum suorum per Bullam damnatorum.

Acta exustionis Antichristianarum Decretalium.

Responsio ad librum Catharini 1521.

Epistola ad Fredericum Elect. de Conventu Wormatiensi.

Acta in Conventu Wormatiensi.

Epistola ad Carolum Imp. & alia ad Principes Imperii.

Responsio extemporalis ad articulos.

Ludus Lutheri à stolida Sorbona damnati.

Defensio ad Fredericum Electorem.

Confutatio rationis Latomianæ.

De abroganda Missâ privatâ.

De votis Monasticis. 1522.

Epistola ad J. Brismannum.

Epistola ad Capitonem.

Epistola ad Senatum Pragensem.

Adversus falsò nominatum Ordinem Episcoporum.

Epistola

Digitized by Google

Epistola ad Fredericum Electorem.
Contra Henricum Angliæ Regem.
Contra calumniatores Edicti Cæsarei 1523.
De instituendis Ministris Ecclesiæ.
Quod Ecclesiæ sit potestas judicandi de quavis doctrina.
De doctrinis hominum vitandis.
Refutatio quarumdam sententiarum quæ pro confutatione doctrinarum humanarum allegantur.
Formula Missæ pro Ecclesia Wittembergensi.
De piis Ceremoniis in Ecclesia servandis.
De abominatione Missæ privatæ, 1525.
Amen.
Interpretatio Monachovituli. 1523.
Exemplum Theologiæ & doctrinæ Papisticæ. 1523.
Adversus armatum virum Cochlæum 1523.
Judicium de Erasmo. 1524.
De servo arbitrio ad Erasmum. 1526.
Epistola de Erasmo.
Epistola ad Georgium Ducem Saxoniæ.
Epistola ad Henricum Regem Angliæ 1525.
Responsio ad titulum maledici scripti Regis Angliæ 1525.
Disputatione aliquot.

Cæterùm in binis hisce Lutheri Operum Tomis habentur & aliorum Epistolæ, Tractatus, Disputationes & Narrationes multæ, quæ res à Luthero integrò ab incœpta reformatione decennio gestas scriptasve spectant; inprimis verò Melanchthonis, Ulrici de Hutten, Ambsdorffii, & Frederici Electoris è Lutheranis; Caroli verò Imp. Leonis Papæ, Cajetani, & Eccii è Pontificiis.

Tomus III. *Witteberga* 1549.
Præfatio in Vetus Testamentum, anno 1524. scripta.
Quomodo libri Mosis sint legendi 1524.
Enarratio præcationis, qua benedicitur populo Num. VI. 1532.
Deuteronomium ex Hebræo castigatum cum Annotationibus 1524.
Enarratio ultimorum verborum Davidis. 1543.
Orationes in Psalmos XXII. *priores.*
Argumenta Psalmorum omnium.
Prælectiones in XV. *Psalmos Graduum* 1540.

Tomus IV. *Witteberga* 1574.
Annotationes sive Commentaria in Ecclesiasten. 1526. 1532.
Commentaria in Cantica Canticorum 1538.
Scholia in Esaiam. 1534.
Argumenta bina in Ezechielem.
Annotationes in Danielem 1530.
Annotationes in XII. *Minores Prophetas* (exceptis Haggæo & Zachariâ) 1526. 1534. 1536. 1542. 1545.
Argumentum Concionum Prophetæ Haggai. 1526.

Tomus V. *Witteberga* 1554.
Annotationes in aliquot Capita Matthæi. 1528. 1538.
Commentarius in Magnificat.
Præfatio methodica totius Scripturæ in Epistolam ad Romanos.
Exegesis in Caput VII. *Primæ Epistolæ ad Corinthios.*
Sermo de Matrimonio. 1524.
Duorum Thematum de Matrimonio Analytica. 1524.
Enarratio in caput XV. *Epistolæ* 1. *ad Corinthios.* 1534.
Enarratio in caput XVIII. *S. Joannis.* 1539.
Commentarius prior in Epistolam ad Galatas. 1521.
Commentarius posterior in Epistolam ad Galatas. 1536.
Enarrationes in duas Epistolas S. Petri. 1524.
Enarratio in Epistolam S. Judæ. 1524.
Commentarius in Zachariam Prophetam. 1528.
De bonis operibus Libellus. 1535.
Catechismus major. 1529.
Cathechismus minor. 1529.

Tom. VI. *Witteberga* 1557.
Enarrationes in V. VI. *&* VII. *Capita S. Matthæi.* 1532.
Enarratio Orationis Dominicæ. 1520.
Enchiridion parvum Precationum. 1535.
Brevis Expositio Decalogi. 1535.
Explicatio Symboli Apostolici. 1535.
Brevis Explicatio Orationis Dominicæ.
Simplex orandi modus. 1534.
Tria Symbola Christianæ fidei Annotationibus illustrata. 1538.
Notæ veræ Ecclesiæ. 1539.
Precatio contra Turcam. 1541.
De Jesu Christo vero Judæo & semine Abrahæ. 1523.
De Judæis, & eorum mendaciis. 1543. Prodiit *Francofurti* eodem anno.
Epistola contra Sabbatharios. 1538.
De Missâ privatâ, & unctione Sacerdotum. 1533.
Conciuncula quædam cuidam amico præscripta.
Sermones XVI. *de variis rebus.*
Homilia de Baptismo. 1535.
Defensio verborum Cœnæ Dominicæ contra Sacramentarios. 1527.
De usurâ taxandâ Commonefactio. 1540.
De Constituendis Scholis. 1524.
Adversus Papatum Romanum à Satanâ fundatum. 1545.
Farrago Epistolarum 1534.
Enarratiuncula Psalmi XXXVI.
Commentarius in Psalmum CXVIII.
Supputatio annorum Mundi. 1541.

Tomus VII. *Witteberga.* 1580.
Commentarius in Genesin. 1544.

Editionem istam Wittebergensem adornavit Justus Jonas: alia prodiit *Jenæ* 1564. 4. Tom. f. *& ibidem* 1612. VII. vol. f. Cæterùm longè plura Lutheri scripta enumerat Simlerus Biblioth. Tigurin. p. 484. ejusque pro more exscriptor Boissardus Icon. illustr. Vir. part. III. p. 210. qui singula Lutheri Opuscula juxta temporis ordinem, quo scripta vel edita sint, recensent: uterque tamen parùm accuratè. Nos itaque certiores temporis notas aliunde utplurimùm apposuimus. Denique innumera ferè, quæ Germanicè edidit Lutherus, quæque cum vernaculis Operum Latinorum versionibus in unum collecta prodierunt *Wittebergæ* 1551. XII. vol. f. scripta, utpote ad rem nostram parùm spectantia, hîc loci missa facere consultum duximus.

SOLI DEO GLORIA.

FINIS.

Digitized by Google

GUILIELMI CAVE
SS. Theologiæ Professoris, Canonici Windesoriensis,

DISSERTATIONES TRES.

I. DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS *incertæ Ætatis.*

II. DE LIBRIS ET OFFICIIS ECCLESIASTICIS GRÆCORUM.

III. DE EUSEBII CÆSARIENSIS ARIANISMO, *adversus* IOANNEM CLERICUM.

DISSERTATIO PRIMA *DE* SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS INCERTÆ ÆTATIS.

RECENSUIMUS hactenus per omnia Ecclesiæ Christianæ Secula, Viros doctrinâ scriptisque illustres, quorum tempora vel aliquâ probabili conjecturâ signari poterant. Nondùm tamen laborum finis. Plures sunt, nec contemnendi Scriptores, quorum ætas penitùs ignoratur, nec ulla vestigia deprehendi queant. Hos etiam in censum referri, è re forsan Lectoris erit, non quidem omnes (id enim infiniti esset operis, tædioque pleni) sed paucos, selectos, nec ita passim obvios. Quos proinde ordine Alphabetico dispositos, hîc subjungam; lectorem præmonens, Scriptores aliquot incertæ ætatis, sed Photio antiquiores me *Hist. Litt.* Part. I. præcipuè ad finem Sæculi VI. inseruisse, in hac Collectione non repetendos.

AGAPIUS Scriptor satis obscurus, cujus utpote præter Photium, nullus (quod sciam) Veterum meminerit. Sectâ fuit Manichæus, & fortè primarius. Si quid video, non alius erat, quàm Agapius ille, Manetis discipulus, qui librum confecit *Heptalogum* dictum, de quo agit Petrus Siculus *Hist. Manich.* p. 30. Obstare forsan quis dicet quod habet Photius, quasi Eunomii hæresiarchæ æqualis fuerit, inque eum calamum strinxerit. Sed primò non id expressè affirmat Photius, sed tantùm ita sibi videri, Agapium Eudoxii κακοδοξίαν oppugnasse. Unde liquet ipsum Eunomii non nominatim meminisse. Verùm esto: Eunomii errores perstrinxerit Agapius. Hoc etiam fieri potuit, modò ætate paulò grandiorem fuisse supponamus. Insaniæ suæ virus non ante annum CCLXXVII. propinare cœpit Manes, & plures postea annos in vivis erat, ac proinde ad exitum vergente hoc Sæculo Agapium sibi discipulum adscivit. Eunomius, imperante Constantio, hæresim suam in vulgus sparsit. Quid obstat igitur quo minùs Agapius eò usque, imò ad Constantii exitum vitam producere potuit? præsertim cùm Cyrillus * Hierosolymitanus, qui regnante etiam Constantio vixit, disertè testetur, suo adhuc tempore superfuisse, qui ipsum Manetem suis oculis conspexerat. Quin & ætate Epiphanii, qui scripsit anno CCCLXXIV. erant, qui cum Hermâ Manetis discipulo colloquuti fuerant, sibique de illo plura narraverint, teste ipsomet Epiphanio *Hæres.* LXVI. *num.* 12. p. 629. perpendat Lector: nihil enim hac in parte pro certo statuo. Scripsit Agapius noster opus in XXIII. libellos distinctum, & alia præterea *Capita* CII. Quæ omnia Uraniæ cuidam, sectæ suæ mulierculæ, studiique sociæ nuncupavit. In his Operibus insana & planè portentosa dogmata venditavit; Esse principium malum per se subsistens, Deo, ab æterno oppositum, quod pro re natâ naturam, materiam, Satanam, diabolum, mundi principem, Sæculi hujus Deum, aliisque sexcentis nominibus appellavit; homines necessariò atque invitos peccare; corpus deterioris esse partis; animam Divinæ particulam auræ, ejusdemque cum Deo naturæ; arborem illam Paradisi Christum fuisse; Trinitatem Consubstantialem se fateri: Christi etiam corpus & sanguinem, quin & Christum crucifixum,

* Catech. VI. p. 141.

Digitized by Google

crucifixum, imò ipsam Crucem, Baptismum, Sepulturam, atque Resurrectionem ejus, mortuorumque adeò omnium resurrectionem & judicium, se honorare, ac prædicare. Sed fictis hæc atque fucatis vocabulis, ad decipiendum accomodatis, & ad absurdos planè & abominandos, ineptos & incongruos sensus, ab eo detortis. De Sole & Luna veluti de diis disseruit, ejusdemque cum Deo esse naturæ prædicavit, hymnis celebrans, cultumque illis & majestatem tribuens. Abstinentiam à carnibus atque à re uxoriâ, tanquam à rebus detestandis, & à vino velut ebrietatis causâ simulavit. Vetus Testamentum irrisit, ejusque dicta, factaque omnia malo illi & cum Deo pugnanti principio adscripsit. Ex Evangelio, Epistolisque Paulinis, dicta quędam divulsit quæ ad impietatem suam stabiliendam detorquere molitus est. Actis quæ vocantur *XII.* Apostolorum & maximè Andreæ usus est. Quæ quidem à Manichæis conficta fuisse tradunt Veteres. Testes etiam adhibuit Platonem aliosque Gentiles, quos perinde ac Christum servatorem, *Divinos ac sacros* appellavit. In his exponendis, dictione & phrasi interdum quidem non contemnendâ usus est, in quibusdam rursùs vilis erat, nihilque à trivialibus differens. Philosophica miserè permiscuit & confundit, ad verum rectumque depravandum non parùm strenuus, in dicendo solers, ad inveniendum atque excogitandum simplex omninò ac stolidus. Plura de eo ejusque dogmatibus dabit Photius Cod. CLXXIX. col. 401. quem adeant qui talium curiosi sunt. Certè qui Photium cum *Formula receptionis Manichæorum*, quam primò edidit Cotolerius, deinde Tollius, diligenter conferet, non parùm lucis insanis hisce Agapii dogmatibus accensebit.

ALEXANDER I. Alexander *Lycopolita*, Natione Ægyptius, Lyco urbe Thebaidis oriundus. Duæ erant hujus nominis urbes, utraque in Ægypto sita, una in nomo *Lycopolite* dicto, in nomo *Sebennyte*, altera. Utra fuerit Alexandri patria parum refert. Erat quidem primùm cultu gentilis, deinde ad Manichæos in Ægyptum recèns delatos se contulit. Tandem ejurata hæresi, ad Catholicorum castra transiit. Et cùm ex eorum grege fuerat, opiniones probè novit, scripsitque librum πρὸς τὰς Μανιχαίυ δόξας, *de Manichæorum placitis*, quo interiorem eorum sensum accuratè exponit, & malesana hujus sectæ dogmata rationibus è medio Philosophiæ petitis solidè refellit. Stylus ei duriusculus, durior exscribentium vitio factus; nec parùm difficilem reddit ipsius argumenti perplexitas. Ætas auctoris, etsi certò definiri nequit, antiquissimum tamen esse, & quarti sæculi scriptorem, nec forsan ab ipsius Manetis temporibus longè remotum suspicari fas est. Ait se relationem hujusce opinionis ἀπὸ γνωρίμων τῦ ἀνδρὸς, *ab iis qui cum homine familiariter conversati fuerint*, accepisse. In his erant, quos proximè nominaverat, Papus & Thomas, dogmatis Manichaici doctores. Thomas non alius videtur quàm Thomas iste Manetis discipulus, cujus meminerunt Epiphanius *Hæres.* LXVI. *nu.* 5. 12. 31. & Petrus Siculus *Hist. Manichæorum* p. 31. Et *Formula receptionis Manichæorum*, tum à Cotelerio, tum à Tollio edita; quem Manes in Syriam & Palæstinam misit, quiq; *Evangelium* Manichæorum condidit, in Decreto Pseudo-Gelasiano inter Apocrypha damnatum. Papum eundem esse conjicerem cum Agapio Legis Manichaicæ interprete & explanatore ab ipsomet auctore constituto, qui *Heptalogum* Manichaicum commentus est, cujus etiam Petrus Siculus loco citato mentionem facit, de quo nos suprà. Sed obstat quod in prædictâ *Formulâ* Papus & Agapius inter Manetis discipulos distinctè recensentur. His adde Alexandrum, Cyrilli Hierosolymitani, Epiphanii, aliorumve qui de Manichæis agunt, nusquam meminisse, ipsis, ut videtur, antiquiorem. Extulit Gr. Lat. hunc Alexandri librum ex apographo Bigotiano Fr. Combefisius *Auct. Noviss.* Paris. 1672. *Part.* II. p. 3. Habetur etiam Latinè *Biblioth. PP. noviss.* Tom. XXVII. Joannes quidem Sambucus notâ codici MS. appositâ, Alexandrum ad Heraclii Imperatoris tempora circa annum DCXL. refert, quâ verò ratione vel auctoritate ductus id asseruerit, me planè latet; nec omninò illud probare possum. Confer Lambec. *Comment.* lib. IV. p. 210. II. Alexander Monachus; gente forsan Cyprius, cujus verò nec patria certò constat nec tempus; Michaële tamen Glycâ antiquiorem fuisse certissimum est, cùm ab eo citetur. Supersunt ejus orationes duæ. Prior encomiastica *in sanctum Apostolum Barnabam*, in Templo S. Barnabæ, præsente Episcopo, habita, à Surio Latinè edita *Junii* XI. Extat etiam Gr. MS. Vide L. Allat. *de Script. Symeon.* p. 99. Posterior historica *de inventione venerandæ & vivificæ Crucis*, ad quosdam sanctos Patres, qui ab eo quæsiverant, in quo sit vera Theologia, & de Divina dispensatione sincera confessio. Hanc nobis illustratam, Gr. Lat. edidit Gretserus *de Cruce*, Tom. II. Extat Græcè MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCCXXXIII. sub Alexandri Ascetæ nomine sermo *de exitu animarum, & Angelorum circa eas ministerio.* Verùm nihil aliud est, quàm Macarii Alexandrini Sermo *de exitu animæ justorum & peccatorum*, quem nos Gr. Lat. edidimus hujus Hist. pag. 163. an. 373. Edidit etiam superiori anno Gr. ac Latinè ex Biblioth. Paulinæ Lipsiensis Cod. MS. in suis *Antiq. sacris* Jac. Tollius p. 192. Nescius utique (saltem se nescire simulavit) eundem sermonem à me ante annos octo, ex eodem Codice Lipsiensi editum fuisse.

ALEXIUS Niceæ Metropolita composuit *Cantica Ecclesiastica in S. Demetrium Martyrem.* Incipiunt, Τλὼ γλῶττάν μυ τράνωσον, &c. Habentur Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CLXXXVII. fol. 6. Erat etiam Alexius Comnenus cognomento *Spanea*, cujus Διδασκαλία παραινετικὴ *Venetiis* à Christophoro Zaneto Græcè edita est, nullâ anni (quo impressæ sunt hæ Paræneses) mentione factâ. Verùm hic auctor recentioris ævi fuisse videtur.

AMMONAS Abbas, cujusnam verò Cœnobii incertum: Scripsit *Capita Ascetica* XVII. quæ sic incipiunt. Τήρει σεαυτὸν ἀκειβῶς ἀγαπητὲ, &c. Habentur Græc. MS. Bibliot. Vindob. *Cod. Theol.* CLXXIX. fol. 36. Ex his quædam excerpsit in *Eclogis* suis *Asceticis* Joannes Patriarcha, qui claruit circa annum MXC. *Ibid. Cod. Theol.* CCXCIII. fol. 19. habentur ex Abbatis Ammonii institutionibus asceticis *capita* XXII. Pr. Τέσσαρα πράγματα εἰσιν, &c. An nostri sint dicant alii. Labbeus *Biblioth. nov. MSS.* p. 91. recenset Ammonæ Abbatis opusculum *de IV. illis, quorum si vel unum quis habeat, nec pœnitentiam agere potest, nec Deus ejus orationem exaudit.* An quid affine cum prædictis capitulis contineat, norunt qui Cod. MS. inspexerunt.

ANCYRIANUS, Chronographus, non quasi civis Ancyranus, ab Ancyra Galatiæ oppido ita dictus (quod sibi voluisse videtur Lambecius) sed nomen proprium est, non patronymicum, ut rectè notat Combefisius. Scripsit opus historicum, sive chronographicum; quo, inter alia, meminit imaginum Metrophanis, Alexandri, & Pauli, Byzantii Episcoporum, quæ tabulis ligneis incisæ, super magnam Columnam Porphyreticam ad orientem collocatæ erant, quasque Ariani rerum potiti, unà cum imagine Deiparæ, ipsiusque Pueri Jesu postea igni tradiderunt. Citat hoc opus Codinus *de origin. Constantinop.* p. 37. *Edit. Par.* & *Demonstrationum Chro-*

Digitized by Google

nogr. auctor. p. 5. Operis titulus juxta Demonstratorem erat *Decalogus* ἐν τῷ Δεκαλόγῳ αὐτοῦ, inquit: quo tamen nihil aliud intellexisse præter librum decimum disertè ostendit Codinus, qui ait, ipsum ἐν τῷ δεκάτῳ λόγῳ αὐτοῦ, *in decimo operis sui libro* hæc tradidisse. Semel monuisse satis erit, plures Chronographos & Historicos, tum à Codino, tum à Demonstratore Combefisiano memorari, Anastasium, Herodotum, Hippolytum, Marcellum, Lectorem, Milichium, Plutarchum Justino Imp. ab Epistolis; & Philippum Eparchum; de quibus haud aliud præter nuda nomina, nobis occurrit. In his est Papias, ex quibus Commentariis quædam profert Anonymus Combefisianus, p. 22. quemque post Anastasii Imperatoris tempora vixisse constat. Ut mirum videri debeat, adeò hallucinari posse Cl. Combefisium ut eundem cum Papiâ faceret, cujus meminit Nicephorus, Lib. I. cap. 1. p. 35. cùm manifestum sit Nicephorum loqui de Papia Hierapolitano, Apostolorum ferè discipulo, à Papia de quo Anonymus, & vetustate, & argumenti diversitate longissimè alieno.

ANDREAS, Presbyter si conjicere licet, Constantinopolitanus, contexuit amplissimam *catenam*; sive Commentarium, tum in *Proverbia Salomonis*; tum in *Isaiam Prophetam*, ex variorum SS. Patrum aliorúmque veterum scriptorum Ecclesiasticorum Operibus collectum. Pr. Αἱ παροιμίαι πεπλήχυσαι παίδευσιν ἠθῶν καὶ πάθων ἐπανόρθωσιν, &c. Extat Gr. MS. utraque hæc catena Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* XXIV. & codicem integrum foliorum CCCXXIX. occupat. Ex fine libri, collectoris nomen patet. Ipse codex anno 1241. exaratus est.

ANDRONICUS DUCAS, Sigurus, scripsit carmen *de Trinitate*, versibus Hexametris; item in *Gregorium Nazianzenum*. Habentur Biblioth. Bodleian. *Cod.* CCXCIV. num. 22. 23. Plures erant ex Nobilissimâ & Imperatoriâ Ducarum familiâ, Andronici. Quis noster fuerit, an Andronicus ille Ducas, qui vixit anno MXLI. à Michaële Imperatore in Orientem missus, ut Manichæos & Paulicianos ad pietatem & veram religionem traduceret; an alius quis multò recentior, ab aliis potiùs edoceri vellem, quàm propriam protrudere conjecturam.

APHRODISIANUS, gente Persa, quo verò vitæ instituto fuerit, Laïcus an Clericus, Presbyter an Episcopus, altum est apud Veteres silentium. Condidit Historiam de nativitate, moribus, formâ & vestitu B. Virginis Deiparæ, cujus Fragmentum habetur Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCCXV. *num.* XXIV. *fol.* 110. p. 1. 2. & aliud, ut videtur *Cod.* LVIII. *num.* XX. *fol.* 137. Meminit hujus Aphrodisiani Epiphanius Presbyter & Monachus in *Vita S. Deiparæ*, qui tamen Historiam ejus magni facere non videtur. Vide L. Allat. *de Script. Symeon.* p. 106. & quæ habet Lambecius *Comment.* l. IV. p. 132. Aphrodisianum Philosophum *de Incarnatione Domini* latere MS. in Codice Regio *Paris.* MXLV. testis est Phil. Labbeus *Bibliothec. nov. MSS.* p. 75. Erat & Aphrodisianus Persa, quem eundem cum nostro fuisse suspicor, qui locorum Orientis descriptionem Græcè olim composuit. Hujus meminit Anonymus Ravennas, Sæculi circiter septimi Scriptor, cujus Geographiam paucis ab hinc annis eruit & illustravit Plac. Porcheron Benedictinus lib. II. c. 12. p. 61. his verbis. *Quas provincias multi descripserunt Philosophi, ex quibus ego legi Arsatium & Afroditianum, Persas, qui linguâ Græcâ Orientem descripserunt.*

ARCADIUS, Constantiæ Cypri Archiepiscopus, vixit saltem ante Sæculum VIII. Condidit Vitam S. Symeonis Stylitæ junioris, *Thaumastorita* dicti, quod in monte prope Antiochiam, qui Θαυμαστὸς dicebatur, columnam per plures annos, sub Imperio Justini senioris, inhabitaverit. Ampla ex hac vita fragmenta in Concilii Nicæni II. *Act.* IV. p. 265. proferuntur, sed absque auctoris nomine. Auctorem verò esse Arcadium nostrum disertè nos docet Joan. Damascenus *de Imagin.* Orat. III. p. 781.

ARCHIPPUS, Eremita, & Ecclesiæ quæ in Urbe Chonis erat, Paromonarius, sive Custos, is nempe quem Latini *Mansionarium* vocant, contexuit narrationem de miraculo S. Michaëlis Archangeli, in Urbe Chonis patrato. Pr. Ἀρχὴ τῶν θαυμάτων καὶ δωρεῶν, καὶ χαρισμάτων τῶν δοθέντων ἡμῖν ὑπὸ Θεοῦ. Vide L. Allatium Diatr. *de script. Simeon.* p. 94. Alibi, nempe p. 113. Περὶ τῆς Ἀποκαλύψεως τοῦ Ἀρχαγγέλου Μιχαὴλ; titulum habet.

ARISTARCHUS, Chronographus Christianus, satis vetus, fortè Atheniensis, scripsit Epistolam, seu Historicum Commentarium, ad Onesiphorum Primicerium, de Athenarum situ, & gestis ibidem Apostolorum temporibus. Quo præcipuè Dionysii Areopagitæ, prosapiam, doctrinam, conversationem, ætatem, ordinationem, prædicationem, Episcopi in locum ejus subrogationem, illius denique Romam adventum, descripsit & narravit. Hanc epistolam penès se habuisse Hilduinus * S. Dionysii Parisiensis Abbas, eamque ad Ludovicum Imp. misisse testatur. Verùm ut liberè dicam, mihi hac in parte suspecta omnia. Aristarchi, ejusve Epistolæ nullus meminit Eusebius, non Hieronymus, Gennadius, Photius; non qui opera Areopagitica primi in lucem protulerunt, non qui se iis statim opposuerunt; non Symeon Metaphrastes, qui omnia Bibliothecarum scrinia diligenter excussit, & id genus omnia, vera falsave, ubique corrasit, & conquisivit. Imposuisse videntur Hilduino, homini nimiùm credulo & superstitioso, Methodius Patriarcha postea Constantinop. Romæ tunc Apocrisiarius, & Græcorum alii homines ad cudendas fabulas nati, certè artifices peritissimi. Aristarchus & Onesiphorus, quos nobis exhibet bonus Hilduinus, fortè non alii sunt, quàm quorum in Epistolis suis toties meminit D. Paulus. Græcis quippe fabulatoribus nihil familiarius erat, quàm omnes, quorum nomina in Epistolis Paulinis reperiuntur, in LXXII. discipulos Christi convertere, & ex iis totidem Episcopos vel Scriptores Ecclesiasticos efformare. Quæ fabulandi licentia ortum forsan, certè incrementum, duxit à Pseudo-Dorotheo Tyri, ut volunt Episcopo. De quo, ejusque *Synopsi*, suo loco affatim diximus.

* In Areopagitic. Epist. ad Ludovic. num. III. ap. Sur. Octobr. IX. p. 118. Vide Epist. ad omnes Catho. ibid. nu. II. p. 120.

BARNABAS, Monachus & Anachoreta, omnibus qui de Scriptoribus Ecclesiasticis agunt, hactenus ignotus, scripsit *Expositionem Incarnationis Christi, per Interrogationes & Responsiones.* Opus est maximam partem historicum, & ad illustrandam Christi vitam haud parum conferet. Extat Græcè MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CLIII. *num.* X. à fol. 294. usque ad fol. 297. Confer quæ habet Lambecius *Comment.* lib. IV. p. 164.

BARTHOLOMÆUS, gente, ni fallor, Syrus, civis, certè Monachus Edessenus; qui non rarò se simpliciter Edessenum vocat; ætatis admodùm incertæ scriptor, cujus ne levissima quidem, quod sciam, habetur mentio, cujusque in toto suo opere nec vola, nec vestigium; vir non inelegantis ingenii, non contemnendæ eruditionis, in scriptis & ritibus Chaldæorum, Arabum, Muhammedanorum versatissimus. Scripsit *Elenchum* seu confutationem Hagareni,

Digitized by Google

Hagareni, quâ non sine magno ingenii acumine & mordaci sale, Alcorani ineptias & Muhammedis ortum, vitam, mores, ritus, & dogmata, eleganter exponit. Opus hoc ἀκέφαλον Gr. Lat. extulit Steph. le Moinius, & inter *Varia* sua *Sacra* locum dedit, *Lugd. Batav.* 1685. p. 302. subnectitur *ibid.* p. 429. tractatus alter Gr. Lat. *contra Muhammedem*, an ejusdem auctoris, non liquet. Sunt quæ id suadere videantur, materiæ affinitas, auctoris ingenium, accurata rerum Muhammedanarum peritia. Nec desunt quæ assensum planè retrahunt, præcipuè haud levis in utroque discrepantiâ. Bartholomæus in recensendis Muhammedis uxoribus & liberis, cum Anonymo, nec nominibus, nec numero, convenit. Monacho Nestoriano, primario Muhammedis in condendo Alcorano ἱεροδιδάσκαλῳ nomen apud Bartholomæum est *Pachuras*, apud Anonymum *Baira*, ut alia jam mittam. Utut sit, utrumque opus jucunditate & utilitate suâ se magnopere commendat.

BASILIUS. Ad hanc classem revocantur. I. BASILIUS S. Lauræ propè Hierosolyma Abbas, cujus extat Tractatus hoc titulo, *Ascetam non esse captandos honores, aut honoraria.* Pr. Τιμὰς κατὰ μηδὲν προσίεχε, &c. habetur Gr. MS. Biblioth. Bodleian. *Cod.* CLXIII. II. BASILIUS MALEINUS, S. Lauræ Archipresbyter & Monachus. Scripsit sermonem περὶ ἀσκητικῆς ὑποτυπώσεως, seu *de Vitâ Asceticâ*, qui asservatur Græcè MS. in Bibliothecâ Regiâ Parisiensi, *Cod.* MMDII. ab Antonio Eparcho, uti arbitror, accepto. Cujus quippe meminit in Indice librorum suorum, quem Regi Galliarum obtulit. Vid. le Moyne *Var. Sacr.* Tom. I. p. 518. III. BASILIUS PHILIPPENSIS, cujus habetur sermo *in Præsentationem Beatæ Virginis in Templo* Bibliothec. Bodleian. *Cod. MS.* MMMCCCLXXXIII. num. XVIII. IV. BASILIUS Thessalonicensis Metropolita, cujus extat *Responsio* ad Quæstionem à Magno Dirrachii sacellario propositam de conjugio duorum fratrum cum amitâ consobrini. *Jur. Græc. Rom.* lib. VI. p. 408.

BRUTIUS, ortu, ut videtur, Romanus, apud quos erat Domus seu Familia *Bruttiana*. Eundem cum Brutio Præsente, qui cum Imperatore Antonino Consulatum gessit, cujúsque filia Imperatoris filio nupta fuit, aut saltem ejus gentilem quendam fuisse, non malè conjicit Jos. Scaliger. Condidit, Græcè an Latinè incertum, Chronographiam, seu Historiam rerum Romanarum ad sua usque tempora. Christianum fuisse apertè satis testantur, quæ de persecutione sub Domitiano ex eo referunt Eusebius, & Hieronymus in Chronico ad ann. MMCXII. plurimos nempe Christianorum sub Domitiano fecisse Martyrium, interque eos Fl. Domitillam, Fl. Clementis Consulis ex sorore neptem, in Insulam Pontiam relegatam, quia se Christianam testata sit, ὡς ὁ Βρέττιος ἱστορεῖ. Eadem penè de hâc persecutione, ex eo citat Joan. Malala *Chronogr.* lib. X. p. 340. qui ipsum aliquando Bottium, aliquando Buttium vocat. Verùm non alium à nostro esse, extra omne dubium ponit, qui Malalæ vestigia premere solet, Chronici Alexandrini, sive Paschalis compilator, cui Βρέττιος dicitur.

CASSIANUS, Historicus antiquus, παλαιὸς ἱστορικὸς, quemadmodum à Christop. Angelo dicitur, *de statu hodierno Græcorum*, c. 25. p. 23. ubi agit de iis, qui moriuntur, excommunicationis vinculo non soluti, & ex Cassiani historiâ fabulosam quandam narratiunculam hâc de re refert, aitque ipsum ejusmodi excommunicatum suo adhuc tempore τυμπανιαῖον vocâsse. Cùm παλαιὸν legerem, suspicatus sum non alium hunc esse quàm Julium Cassianum, cujus ἐξηγητικὰ non semel laudat Clemens Alexandrinus, præsertim cùm Gesnerus & Simlerus tradant ipsum annales, temporum rationes, conscripsisse. Verùm primò, unde sua hauserit Gesnerus, nusquam constat veterem illum Cassianum Annales historicos edidisse. Deinde nec credi par est illum vocabulo τυμπανιαῖς usum esse; cùm sequiores demum Græci eo sensu usurpare solent. Rem igitur in medio relinquo, doctioribus, si tanti sit, excutiendam.

CHRISTODORUS, patriâ Thebanus, dignitate illustris, scripsit de miraculis SS. Cosmæ & Damiani, quos Græci Ἀναργύρους vocare solent. Condidit item Poëma *de aucupio*. Vide Suidam in Χριστόδωρ. Eodem loco meminit Suidas alterius Christodori, Panisci filii, ex Copto, urbe Ægypti, oriundi. Heroici Poëtæ, qui sub Anastasio Imperatore floruit. Scripsit *Isaurica* libris VI. quibus gentis istius expugnationem ab Anastasio factam prosecutus est. Eodem etiam metri genere τὰ πάτρια *Constantinopolitana*, lib. XII. consignavit. *Thessalonicensia*, lib. XXV. *Naclensia*, urbis nempe ad Heliopolim, *Miletensia*, *Trallensia*, *Aphrodisiadensia*, aliaque multa. Quóusque verò res Ecclesiasticæ his immixtæ fuerint, cùm scripta ipsa dudum perierint, dicere non audeo.

CHRISTOPHORUS Patricius, patriâ Mitylenæus, condidit Poëma Iambicum, Sanctorum historiam, per totum anni circulum, breviter exponens, à *Septembri* usque ad finem *Augusti*. Extitit olim Græcè MS. in Bibliothecâ Palatinâ, quæ nunc in Vaticanam transiit, *Cod.* CCCLXXXIII. *Num.* VII: ap. Possevin. in *Append.* p. 94. Nec aliud est Menologium, quod semel iterumque citat Meursius in Glossar. verb. Ἰνδικτ p. 192. & p. 238. in voc. Κυνηγέσιον. Eodem Cod. Palat. *num.* ii. Patricii Ὁμηρόκεντρα, sive *Centones Homerici de Christo*, ab Eudociâ Augustâ absoluti, continentur. Verùm ille, *Pelagius* dictus est, & sub Zenone floruit, à nostro longè diversus. *Ibid.* Cod. CCCXXVI. Patricio Presbytero tribuuntur.

CLEMENS, Chronographus vetustus, Joan. Malalæ sæpiusculè laudatur, qui tamen ipsum in rebus post Tiberii tempora gestis, nusquam citare solet. Eundem cum Clemente Στρωματεῖ facit reverendæ memoriæ Antistes, Fellus Oxoniensis, & forsan non malè, etsi ejus sententiam non defendo. Ad Sæculum VIII. rejicit Clar. Hodius. Quâ de re diximus in *Jo. Malalâ* ad annum DCI. mihi certè non alius est quàm Clemens ille Historicus, cujus meminit Suidas*, qui scripsit Romanorum Reges & Imperatores, & de figuris Isauraticis ad Hieronymum, & alia quædam. Quando verò floruerit, vel quoúsque Romanorum Regum & Imperatorum Historiam perduxerit, Suidas in medio relinquit. De quo fusiùs egimus suo loco.

* In Voce Κλήμ.

CONSTANTINUS. I. CONSTANTINUS magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus & Chartophylax. Extat Gr. MS. Oratio encomiastica *in omnes Sanctorum Martyres*, Pr. Αἱ μὲν χριστοῦ πανηγύρεις, ὅσαι τὰ φῶς τῆς ἀεὶ ἡμᾶς οἰκονομίας. Vide L. Allat. *de Script. Simeon.* p. 81. Ex hac Oratione plura proferunt Concilii Nicæni II. Patres Act. V. p. 373. Unde ipsum ante Sæculum VIII. claruisse liquet, ac proinde alium esse à Constantino magnæ Ecclesiæ Chartophylace, qui tempore Concilii II. Nicæni vixit, quemque Irene Imperatrix Legatum ad Abimelech Arabum præfectum misit. De quo Theophanes ad ann. DCCXC. p. 339. II. CONSTANTINUS Tii, Paphlagoniæ urbis maritimæ, inter Psyllium & Amastrida sitæ, Episcopus. Scripsit Sermonem *de inventione Reliquiarum S. Euphemiæ.* Pr. Ἥκω τὸ ἐπίταγμα φέρων, &c. Latinè edidit Surius *Julii* XI. Extat MS. Bibliothec.

Digitized by Google

Bibliothec. Bodleian. *Cod.* MMMCCCLXXXIII. *num.* XXII.

COSMAS Vestitor; Βεςήτωρ apud recentiores Graecos nomen erat Dignitatis & Officii, tum in Palatio, tum in Ecclesiâ, eorum nempe qui à vestibus erant vel Imperatori, vel Patriarchae. Ita ap. Codinum cap. 2. inter ordines Officialium Palatinorum LXII. locum habet *Vestiarius*, ejusque insignia notantur *ibid.* cap. 4. *n.* LXIV. Cosmae nostri orationes habentur, tres, I. *in SS. Joachim & Annam* Deiparae parentes; Pr. Ἧχθες τῆς θεόλόκε γενεθλιακὴ πανήγυρις τῆς κοσμικῆς χαρᾶς. Extat MS. Biblioth. Augustan. *nu.* VI. Vide Possevin. in *Append.* p. 68. & L. Allat. *de Symeon.* p. 95. Partem hujus Orationis Gr. Lat. exhibet Cotelerius *not.* in constit. Apost. p. 203. II. *In Prophetam & Archi-Sacerdotem Zachariam.* Pr. Μύςα τ̃ ἀῤῥήτων ἱερερημάτων Ζαχαρία. MS. Biblioth. Bodleian. *Cod. Baroc.* CCXXXIV. *num.* I. III. *In translationem Reliquiarum Sancti Joannis Chrysostomi.* Pr. Ἡκεςὶ πάντως ἡμῖν ὦ φιλόχειςος πανήγυρις, &c. Descriptam penès se habuit Clar. Savilius, sed supprimere maluit, indignam utique quae ederetur.

DANIEL, Monachus Raithenus, conscripsit Historiam Vitae Joannis Climaci, montis Sinae Abbatis, cujus *Scalae Paradisi* Vita haec praemitti solet, & in Bibliothecis MS. passim occurrit. Vide L. Allat. *de Symeon.* p. 112. Extat haec Vita Latinè ap. Surium die *Mart.* XXX. Habetur Biblioth. Vindob. *Cod. Hist.* LXII. *num.* XVIII. *fol.* 119. Danielis Abbatis Narratio à Joanne Diacono quodam accepta, de puero aliquo Hebraeo, à pueris Christianis per ludum baptizato. An ad nostrum spectet quaerant alii.

DEMETRIUS I. DEMETRIUS GEMISTUS, magnae Ecclesiae C P. Diaconus & Protonotarius, scripsit *ordinem Liturgiae Patriarchalis*, quomodo celebratur in magnâ Ecclesiâ. In quo explicantur Ritus ordinationum, quo tempore, & quâ ratione, unaquaeque perficitur. Extat Gr. MS. in Bibliothecâ, tum Vaticanâ, tum Regiâ Parisiensi. Graecè & Latinè extulit, doctissimisque observationibus illustravit Is. Habertus in *Pontificali Graecorum* Par. 1643. *fol.* II. DEMETRIUS Metropolita Cyzicenus. Scripsit Historiam *de haeresi Jacobitarum*, & ejusdem sectae *Chatzitzariorum*, qui in Armeniâ sunt, à voce χάτζες dicti, quae linguâ Armenâ crucem significat, eò quòd rejectis omnibus imaginibus crucem solam adorare & colere dicuntur. De quibus adisis Niceph. l. XVIII. c. 54. p. 884. Hunc libellum, sed ἀνωνύμως, Graecè & Latinè extulit Combefisius *Auct. Nov.* T. II. p. 261. Sed in notis ex codice Palatino vero auctori restituit. Sub cujus etiam nomine in Bibliothecâ Scorialensi extare dicitur, teste Possevino *Append.* p. 100. Habetur etiam *Jur. Graec. Rom.* lib. VI. p. 397. Demetrii Syncelli Metropolitae Cyziceni (nostri ut videtur) *Declamatio de nuptiis prohibitis*, cui scholion in margine apponitur, quo denotatur ὡς λίαν ἀναγκαῖον τῦτο καὶ χρήσιμον, *Opusculum valde necessarium & utile.* Demetrius etiam Cyzicenus tum à Joanne Scyllitzâ Curopalate, tum à Georgio Cedreno in praefatione inter Historicos Byzantinos memoratur. Nostrum verò designari, affirmare non audeo. Denique Demetrii Cyziceni sub Michaële Paphlagone meminit Cedrenus *Hist.* p. 223. 740. An verò Scriptoribus Ecclesiasticis accensendus fuerit, non constat.

ELIAS *Ecdicus*, sive Defensor Ecclesiae, cujus inter alia, munus erat pauperum & infirmorum curam gerere, ne à potentioribus opprimerentur. In magnâ Ecclesiâ ex Decreto Heraclii Imp. numero erant decem, & ut plurimùm ex Presbyterorum ordine habebantur. Habuerunt & Latinorum Ecclesiae & monasteria suos Advocatos & Defensores, de quibus post alios fusè agit Alteserra *Ascet.* lib. II. c. 17. p. 126. Scripsit Elias noster *Capita Ascetica* CCXLIV. Pr. Ἔξεςι παντὶ Χειςιανῷ τῷ ὀρθῶς πιςεύοντι εἰς θεὸν μὴ ἀμελεῖν, &c. Ex his CXXIII. Latinè edidit Jac. Pontanus ad calcem oper. Symeonis junioris Theologi, inserta deinde *Biblioth. PP.* Tom. XXII. Extant integra Gr. MSS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theolog.* CXCII. num. iii. fol. 22. & *Cod.* CCLXXIV. *num.* I. *fol.* I. ubi in fine Codicis notatur, quòd haec capita πηγὴ γνῶσεως dicta sint. Erat & alter Elias, professione Monachus, cujus habetur MS. sermo πανηγυρικὸς *in Christi nativitatem, & in SS. Patres.* Pr. Ὁ θεὸς τῶν πατέρων ἐπιλάμψει μοὶ τὸ πολυπόθητον φῶς. Recenset hanc Orationem L. Allatius *de scriptis Symeon.* p. 101.

EPHRAIM Chersonis (quae Ponti urbs erat maritima ad Maeotidem paludem sita, fortè non alia quàm quae Chersonesus vulgò dicitur) Archiepiscopus, & (si codicibus quibusdam MSS. fides sit habenda) martyr, qui imperante Trajano Chersonem relegatus, ibidem martyrium subiisse dicitur. Bis meminit hujus Orationis L. Allatius *de script. Symeon.* p. 93. 96. Edidit verò Gr. Lat. Joan. Cotelerius, & operum S. Clementis calci subjecit p. 837. à Surio priùs Latinè edita erat *Novemb.* XXIII. Scripsit item Ephraemius tractatum *de miraculis S. Clementis*, qui ita incipit Ἐξελθόντος Φιλίππε τῦ Ἀποςόλε τ̃ Γαλιλαίας. Memorat illum idem Allatius *ibid.* p. 90. Quem tamen se reperire non potuisse nos monet Cl. Cotelerius.

EPIPHANIUS. I. EPIPHANIUS HAGIOPOLITA, sive Monachus Hierosolymitanus; concinnavit ad modum descriptionis situs orbis enarrationem Syriae, Urbis sanctae, & sacrorum ibi locorum. Hunc libellum primus Graecè & Latinè edidit, sed miserè & infoeliciter, Fredericus Morellus; ad codicem Vaticanum restitutum, & correctâ versione, Gr. Lat. in lucem emisit L. Allatius *Symmict.* Part. I. p. 48. II. EPIPHANIUS, Monachus & Presbyter; descripsit Vitam & tempora S. Deiparae. Quo in opere gloriatur se omnes, qui in eâdem arenâ laborârant, multis parasangis superâsse, multa se examinasse, καὶ τὰ ἄπιςα, καὶ βίβλια, καὶ ἀληθῆ ex Eusebii historiâ Ecclesiasticâ, reliquisque Scriptoribus & Doctoribus collegisse, apposito cujusque nomine in fronte, ne fides sibi denegaretur. Incipit; Περὶ τ̃ κυρίως ϰ̀ ἀληθῶς θεοτόκε καὶ ἀειπαρθένε Μαρίας πολλοὶ διεξῆλον τῶν πάλαι διδασκάλων. Partem aliquam hujus libri Graecè Latinè exhibet L. Allatius *de Symeon.* p. 106. Contexuit etiam Epiphanius noster vitam, res gestas, & exitum S. Apostoli Andreae: Pr. Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἀνεγράψαντο βίους. Vide Allat. *ibid.*

ESAIAS Abbas, cujusnam verò monasterii, mihi adhuc est incompertum. Scripsit de religiosâ exercitatione & quiete *Capitula* XIX. quae Graecè & Latinè edidit P. Possinus *Thes. Ascet.* p. 315. Extant Gr. MSS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CLXXIX. *num.* XXIII. *fol.* 148. Isaiae Presbyteri & Anachoretae Capita tria Ascetica de Novitiis & Monocellitis, & de iis qui habitare volunt in Coenobio. Sed an nostri sint, non immeritò dubitare licet.

EUBION, quis fuerit, quâve tempestate vixerit, nondum didici. Scripsit *expositionem in Prophetas*, cujus fragmentum Gr. MS. habetur cap. 36. inter *Testimonia Veterum*, quorum collectio sub nomine Damasceni, in Bibliothecâ Collegii Claromontani Jesuitarum adversatur, teste Ph. Labbeo *Conspect. Oper. Damasc.* p. 50.

EVO-

Digitized by Google

EVODIUS Monachus, quisquis erat, scriptis consignavit *Martyrium sanctorum & illustrium XLII. Christi Martyrum.* Pr. Φαιδρὰ μὲν τῆς παρούσης ἑορτῆς ὑπόθεσις. Indicium facit L. Allatius *de Script. Simeon.* p. 113. Alia etiam post se reliquit. Certè ex scriptis Evodii Monachi, quædam de Muhammede, fabulisque ab eo confictis profert Euthymius Zigabenus *Panopl. Dogmat.* Part. II. Tit. xxiv. Ut saltem Euthymio antiquiorem fuisse constat.

EUSEBIUS, Episcopus, vel, ut alii, Archiepiscopus, Alexandrinus, quem eundem cum Eusebio Diacono Alexandrino, Laodiceæ in Syriâ Episcopo, qui claruit anno CCLIX. faciunt, Bellarminus, Possevinus, &c. Alii longè juniorem fuisse volunt. Aquam mihi hâc in parte hærere fateor. Macarius Alexandrinus qui vixit anno CCCCIV. scripsit quæstiones ad quendam magnum Eusebium, Archiepiscopum Alexandrinum ut suo loco notavimus; & tamen in toto Episcoporum Alexandrinorum catalogo, nullus nobis occurrit Eusebius. Quid si igitur cum Turriano illum Alexandriæ in Asia Episcopum fuisse statuamus? Quicquid sit, plures sub ejus nomine Orationes, à Leone Allatio, aliisque recensentur. I. *In Adventum Ioannis* εἰς τὸν ᾍδου. Pr. Ἀνάλαιον ἐςὶ πάλιν σήμερον τῷ προεί τῦ λόγυ. Vide L. Allat. *diatr. de script. Symeon.* p. 82. II. *In resurrectionem Domini*, Pr. Ἀιῦτη τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ὁ κύει@, *ibid.* III. *In proditionem Juda.* Pr. Δεῦρο λοιπὸν υἱὲ μὴ ἡ πεὶ τῆς προδοσίας. *ibid.* p. 84. IV. *In Assumptionem Domini.* Pr. Ἐπειδὴ Χάειλι τῦ κυείυ ἡμῶν, *ibid.* p. 91. V. *De Baptismo Domini.* Pr. Ἐπειδὴ Χθὲς τῆς γενέσεως τῦ κυείυ, *ibid.* VI. *In secundum Domini adventum.* Pr. Μετὰ τὴν ἀνάληψιν τὸ κυείυ, *ibid.* p. 99. VII. *De Eleemosyna, & in divitem & Lazarum,* habetur Gr. MS. in *Cod. Colbert.* MMCCCCXCIII. Vide du Fresn. *Ind. Auct.* p. 26. VIII. *De Jejunio Quadragesimali.* Pr. Παραγενομένης τῆς ἁγίας τεσαρακοςῆς τὸ ἁγίων νηςειῶν, προσελθὼν ὁ Ἀλέξανδρ@ τῷ μακαρίῳ Εὐσεβίῳ ἐπισκόπῳ Ἀλεξανδρείας λέγει. Extat Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCXLVII. *num.* xv. *fol.* 124. IX. *De Memoria Sanctorum, die quodam festo, coram Alexandro habita.* Pr. Δέομαι σῦ τίμιε ἐπίσκοπε, &c. *ibid. num.* xxi. *fol.* 169. X. *Encomium Diei Dominica.* Pr. Μετὰ τὴν ἀπόλυσιν τῆς ἁγίας ἐκκλησίας ἐν ἡμέρᾳ κυειακῇ καθεζομένε &c. ibidem. *Cod. Hist.* LXIII *num.* iv. *fol.* 39. iterúmque, ut videtur, *Cod.* LXVII. *num.* xiv. & Biblioth. Bodleian. *Cod. Baroc.* CCLXIII. Est etiam Eusebius Monachus, qui scripsit Vitam S. Philippi Presbyteri Argyriensis, quam ediderunt Bollandiani *Maii.* Tom. III. p. 1.

GEORGIUS. Varii sub hoc nomine Scriptores recensendi veniunt. I. Georgius Aristinus, historicus, isque non recens. Scripsit, ut videtur, historiam quandam Ecclesiasticam, quam citat Josephus Methonensis * Episcopus, & ex eo probat additamentum (*Filioque*) jam à secunda Synodo, tempore Damasi Papæ, Symbolo fuisse appositum. Verùm an supersit hodie, non didici. II. Georgius Chumnus Byzantinus, patriâ Cretensis, urbe Candacensis; contexuit historiam Rhythmicam veteris Testamenti; versibus Græco-Barbaris, ab orbe condito, usque ad Imperium Davidis & Solomonis. Pr. Δέομαι τρισυπόςατε κύειε, καὶ πατέρα τὸν χάειν συ μ' ἀπέςειλε, &c. Extat Gr. MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCXLIV. *num.* ii. *fol.* 2. & in Bibliothec. Joan. Susi CP. in Chartâ bibacinâ cum figuris, teste Possevino in *Append.* p. 49. Recentioris Græciæ hic scriptor est, ut ex stylo liquet. III. Georgius Grammaticus, non Chæro-boscus ille, qui *Grammaticalia* scripsit, & longè antiquior erat. Nostri habentur Orationes encomiasticæ II. *in S. Barbaram virginem & martyrem.* Pr. sic incipit, Ἔςι μὲν τῆς ἐκ ἀξίως ἐπισφαλὲς τῶν ὑπὲρ ἀξίαν ἐφάπτεσθαι. Posterior ita: Ἐπειδὴ ἡ τῆς μάρτυρ@ πανσέβασμ@ μνήμη, &c. Has se vidisse tum in Bibliothecâ Barberinâ, tum Messanensi, refert L. Allatius *Diatr. de Georgiis*, p. 322. qui & pleraque Georgii nostri Anacreontica carmina suavissima, varii nec inelegantis argumenti, penès se editioni parata habuisse testatur, quorum argumenta ibi recitat. IV. Georgius Hagiopolita, id est, ut ego interpretor, Hierosolymitanus; in Codice MS. τῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν., titulum gerit. Extat ejus Oratio encomiastica εἰς τὰς ἀσωμάτυς, *in substantias incorporeas, & quarum similia in Divinis Literis absconduntur, deque fandis, atque infandis.* Καὶ πάλαι τῷ θείῳ Δαυὶδ περὶ ἡμῶν πάντων προεκλαδήσαν. Hanc Latinam fecit L. Allatius, teste ipsomet *de Georgiis*, p. 316. In hâc Oratione auctor dum de Angelis eorúmque ministeriis agit, multa nova, incompta, & parùm Catholica ex ingenio suo effundit. Specimina exhibet Allatius loc. citat. V. Georgius patriâ Mityleneus, quem nonnulli malè Methymnensem vocant. Scripsit orationem *in sanctam & salutiferam D. N. Iesu Christi passionem,* quam Græc. Lat. cum notis extulit Gretserus *. Edita sunt Georgii Patricii, patriâ Mitylenei *Epigrammata* varia in laudem Operum S. Dionysii Areopagitæ. Quæ an nostri sint, quærant alii. Confer. Allat. *de Georg.* p. 322. VI. Georgius, aliis *Gregorius* dictus, cognomento *Pardus*, Metropolita Corinthi, scripsit, uti ferunt *expositionem* in Joan. c. 21. de Thoma contrectante Dominum, postquàm à mortuis resurrexit. Plura etiam opuscula ei tribuunt Gesnerus, Simlerus, & Possevinus, quæ tamen omnia huc redeunt; nempe Georgium nostrum scripsisse expositionem *in Canones* sive *Cantica Ecclesiastica festorum Dominicorum totius anni*, & in his in festum Dominicæ antepaschalis, id est, in contrectationem Thomæ, in dormitionem Deiparæ, &c. Extat Gr. MS. hæc Expositio sub Gregorii nomine Bibliot. Vindob. *Cod. Theol.* CXXVIII. *num.* 1. *fol.* 1. Pluribus hâc de re agit L. Allat. *de Georg.* p. 416. ubi etiam Frisium & Possevinum miræ ἀβλεψίας & negligentiæ arguit. Ex his, expositiones in Canones Joannis Damasceni selegit, & in novam operum Damasceni editionem paravit idem Allatius. Vide ejus *Catalog. operum S. Damasceni*, ad finem *Symmict.* p. 450. Gregorii nostri Rhetorica & Grammaticalia continentur Biblioth. Vindob. *Cod. Philosoph.* VI. *num.* 1. Id ampliùs monendum, Codicem MS. quo hæ Expositiones continentur, anno 1225. exaratum fuisse. VII. Georgius Choniades Presbyter: scripsit ad reverendum monachum Theodulum schemata & scholia in librum Joann. Damasceni, *fontem Scientiæ* dictum, Pr. Τὰ εἰωθότα ζητεῖσθαι κεφάλαια. Misit hæc scholia L. Allatius ad Joan. Aubertum Parisiensem, cùm novam operum Damasceni editionem meditaretur. Vide ejus *Symmict.* p. 449. & *de Georg.* p. 341. VIII. Georgius Eparchus, sive Africæ Vicarius, scripsit libellum ad Moniales Alexandriæ quæ ab Ecclesiâ Catholicâ defecerunt. Extare Gr. MS. hoc opusculum in Bibliothecâ Vaticanâ nos docet Possevinus in *Append.* p. 9. Verùm editum est Gr. Lat. inter opera S. Maximi, *Tom.* II. p. 339. ubi ἐκ προσώπυ Γεωργίυ τῦ πανευφήμυ Ἐπάρχυ Ἀφελικῆς esse dicitur, & ut videtur, ipsius Maximi est. IX. Georgius, Monachus, & magnæ Ecclesiæ Carthophylax composuit *Encomium in S. Deiparæ redditionem in Templo, & dedicationem Deo factam secundùm historiam.* Pr. Φαιδρὸν τὸ τῆς παρούσης ἑορτῆς τὸ σύνθημα. Meminit sæpè citatus, sæpè citandus L. Allatius *Diatr. de Symeon.* p. 113. X. Georgius, Monachus; conscripsit Vitas recentiorum Imperatorum à Leone Armenio, usque ad Constantinum Porphyrogennetam, qui vitam suam clausit anno DCCCCLIX. *Decembr.* ix. an verò eo tempore vixerit Georgius, mihi non constat. Eruit has Vitas, & Græc. Lat. edidit

* De cruce, Tom. II. p. 659.

* Respons. ad Marc. Ephes. Conc. T. XIII. p. 685. 689.

dit Fr. Combefisius inter scriptores post Theophanem *Parif.* 1685. *p.*499.

GREGORIUS, natione Bulgarus, Monachus, & Cœnobii in Oxiâ, Propontidis insulâ, præpositus; Scripsit Epistolas duas, unam ad Cæsarem Alexium Porphyrogennetam, Phœbenæ filium; alteram consolatoriam ad Dominam Theodoram Porphyrogennetam, de obitu Despotæ Anemæs. Habentur Gr. MSS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* LVIII. *num.* XIII. fol. 128. II. Gregorius, Monachus Sinaita; composuit *capita* XXXV. *de quiete Asceticâ, sive Monasticâ.* Incipiunt Ἰδὲ καθὼς ἡ κέλευσιν οὖ, &c. Habentur MSS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCI. *num.* VII. *fol.* 167. Hujus operis, ut opinor, pars sunt, ejusdem *capita Ascetica* VII. quæ reperiuntur *ibid.* Cod. CXCII. *num.* XXVIII. *fol.* 241.

HEGEMONIUS, Scriptor penè ignotus, cujus unus, quod sciam, meminit Heraclianus Episcopus Chalcedonensis apud Photium *Cod.* LXXXV. *col.* 204. ubi scriptores recensens, qui Manetis impietatem refutarunt, ait, Hegemonium Archelai cum Manete disputationem perscripsisse. Ipsummet Archelaum acta disputationis suæ literis consignâsse nôrunt, quotquot Cyrillum Hierosolymitanum, Epiphanium, Socratem, aliósque legerint. Quin & ipsorum Actorum fragmentum non contemnendum Latinè superest. Hegemonium verò quis nobis dabit? Ut suspicari fas sit, Archelaum fuisse auctorem, Hegemonium postea interpretem. Refert quidem Hieronymus * Archelaum librum disputationis suæ Syro sermone composuisse, qui deinde in Græcum translatus est. Unde conceptis penè verbis jurare ausim, non alium hujusce versionis auctorem fuisse quàm Hegemonium nostrum, nec aliam eam, quàm quâ Cyrillus, Epiphanius, iisque olim usi sunt. Quo verò tempore vixerit Hegemonius, vel an ipsius Archelai æqualis, nullo indicio investigari potest.

* De Script. c. LXXII. p. 23.

HERON, Philosophus & Confessor, condidit opus aliquod historicum, vel chronographicum. Hujus scriptoris notitiam uni Cyrillo Scythopolitano debemus, qui in Vitâ S. Sabæ * cap. 77. p. 354. hæc habet, Κατὰ τοὺς συγγραφέντας χρόνους, ὑπὸ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν Ἱππολύτου τε τοῦ παλαιοῦ καὶ γνωρίμου τῶν Ἀποστόλων, καὶ Ἐπιφανίου, τοῦ τῶν Κυπρίων Ἀρχιερέως, καὶ Ἥρωνος, τοῦ φιλοσόφου καὶ ὁμολογητοῦ. *Iuxta tempora conscripta à sanctis nostris Patribus, Hyppolito illo antiquo Apostolorum familiari, Epiphanio Cypriorum Archipræsule, seu Archiepiscopo, & Herone Philosopho & Confessore.* Eadem *ibid.* Tom. II. habet in Vitâ Euthymii, cap. 109. p. 293. Si dùm Heronem ultimo loco ponit, ullam temporis rationem habuerit Cyrillus, verisimile est illum, Sæculo IV. præcipiti, saltem sequenti floruisse, Verùm de ipso auctore quis nobis divinabit? in tam profundo veterum silentio, plusquàm Delio natatore opus est. Inter Ægypti Episcopos qui Synodo Sardicensi interfuerunt, saltem subscripserunt, erat Hero quidam, ut ex Epistolæ synodicæ subscriptionibus liquet, ap. Athan. *Apol.* II. p 597. Verùm hunc scriptorem fuisse quis fidem faciet? Erat Hero Thebaidis Episcopus, verùm is non Confessor, sed Apostata, qui sub Juliano Antiochiæ fidem Christi abnegavit, teste Theophane *Chronogr.* p. 43. Erat & tertius Hero, hoc circiter tempore, Orator Atheniensis, Procli Philosophi Platonici magister, ἀνὴρ θεοσεβὴς καὶ τελείαν παρασχὼν ἠσκηκώς; cujus multa historica memorat Suidas. Verùm is an Christianus fuerit meritò dubitare licet. Fortè non contemnenda erit, ingeniosa utique, Cl. Cotelerii conjectura, non alium hunc fuisse, quàm Maximum, Philosophum Cynicum, *Heronem* dictum, Gregorii Nazianzeni, ex amico adversarium; parentibus Martyrio claris ortum, ipsumque sub persecutione Arianâ Oasin in exilium missum, quem proinde Gregorius, sub Heronis Philosophi & confessoris titulo, deprædicat, ut ex *Oratione* XXIII. liquet. Certè scripsit Maximus insignem *de fide* adversùs Arianos, librum, Gratiano Imperatori, Mediolani oblatum, teste Hieronymo †. Potuit & alia scribere, historica vel chronologica; Et cùm quæ adversùs Nazianzenum gesserat, Maximi nomen minùs gratum reddidissent, cùmque à secundo Concilio Generali nominatim damnatus fuerat, sub veteri Heronis nomine latere maluit. Sed nullus conjectandi finis est.

* Ap. Coteler. Monument. Tom. III.

† De Script. cap. 127.

HYPERECHIUS Presbyter & Abbas, quo loco vel tempore vixerit, non comperi. Certum est, vixisse ante Pelagium Romanæ Ecclesiæ Diaconum, qui Pontifex factus est anno DLV. quique librum *de Vitis Patrum* Latinè transtulit, à Rosweydo unà cùm aliis editum, in quo tres Hyperechii nostri regulæ totidem verbis hodie reperiuntur Et certè Monachorum qui quarto, quintóve sæculo floruerunt, æqualis esse videtur. Extat ejus παραίνεσις Ἀσκητῶν, sive *Exhortatio ad Monachos*, CLIX. *Capitula*, sive regulas breviores complectens. Has Græc. Lat. extulit Fr. Combefisius *Auct. Noviss.* Par. 1672. p. 315. Latinè habentur *Biblioth. PP.* Tom. XXVII. Inter Apophtegmata Patrum quæ Gr. Lat. evulgavit Cotelerius *Monument.* Tom. I. p. 701. inveniuntur Hyperechii nostri sententiæ VIII. quæ in hisce capitulis totidem ferè apicibus continentur.

JOANNES, quo nomine occurrit, I. Joannes Chalcedonensis Metropolita. Extant Gr MSS. ejus quæsita & responsa varia circa res Ecclesiasticas, è Marco Alexandrino, aliisque, collecta. Pr. Εἰ χρὴ μετὰ τῶν κοσμικῶν, &c. Bibliothec. Bodleian. *Cod.* CCLXIII. *Demonstratio ejus in Synodum, quæ πενθέκτη, sive quinisexta dicitur, & in Canones ipsius*, asservabatur in Bibliothecâ Constant. Barini CP. teste Possevino *Append.* p. 46. II. Joannes cognomento Eugenicus, magnæ Ecclesiæ CP. Diaconus ac Rhetor. Hujus extant opuscula duo, *Vita S. Iosephi Hymnographi*, sive *Melodi*, Vide L. Allat. *de Symeon.* p. 97. Hanc ediderunt Bollandiani *April.* iii. *Oratio Encomiastica in S. Martyrem Iacobum Persam.* Pr. Εἰ καὶ πεπονηκὼς μὲν τὶς καὶ κάμνων τῷ σώματι, ἰατρῷ τινὶ προσιλθὼν, &c. Subjuncta est. MS. Anthologio Ecclesiastico Græcorum mensis Nov. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CLXXXVI. III. Joannes Geometra, quis fuerit, nondum comperi. Opuscula ejus plura extant, partim edita, partim MSS. & sunt quæ sequuntur. *Paradisus*, sive *Hortus Epigrammatum* XCIX. *Tetrastica* Moralia & Divina, SS. hominum sententiis referta, complectens, quæ præfixis singulorum argumentis, Græcè pariter ac Latinè extulit Frederic. Morellus, *Paris.* 1595. 8°. *Hymni* quatuor prolixi versibus Heroïcis & Elegiacis in B Deiparam; editi sunt in corpore Poëtarum Græcorum veterum Gr. Lat. *Genev.* 1614 p. 746. *Oratio in Passionem Christi.* Pr. Ἥκει δὲ λοιπὸν πρὸς αὐτὴν ἡ ἀκμὴ τῶν ἄθλων ὁ λόγος, ap. L. Allat. *de Symeon.* p. 94. *Oratio* ἐξόδιος *in dormitionem gloriosæ Deiparæ.* Pr. Θαῤῥεῖν μὴν ἡ λόγον ἐπ' ὀλίγον. κἂν ἦν. ibid. p. 95. Hanc orationem se non tantùm ex Evangelistis & Prophetis, sed ex Patribus atque etiam Apocryphis collegisse ipse nos docet. *Sermo prosphoneticus*, sive gratulatorius *ad S. Deiparam.* Pr. Χαίρετε τοῦτό μοι τὸ βραχὺ καὶ μεγὰ τοῦ λόγου προοίμιον. *ibid.* p. 114. In Indice Librorum Gr. MSS. Antonii Eparchii Corcyrensis apud le Moyn. *Var. Sacr.* Tom. I. occurrunt sequentia Geometræ Opuscula, *num.* V. *Hymnus* in sanctissimam Deiparam versibus Heroïco Elegiacis. Adduntur *Salutationes* in IV. Sectiones

Digitized by Google

Sectiones divisæ, sicut & alii versus in Festa & celebriores solemnitates *num.* XXXII. *Confessio* Christiana, versibus Heroïco-Elegiacis, *num.* XXXIII. *Hymnus* in S. Deiparam secundùm libros Alphabeti *num.* XXXII. *Oratio* ad S. Deiparam, versibus Jambicis; & alia ejusdem *Oratio* versibus Heroico-Elegiacis. Ubi alia carmina occurrunt de Imaginibus, aliique atiam versus de variis argumentis utilissimis. In cod. Vindob. *Theol.* LXXXIX. *num.* XXXI. habetur Anonymi cujusdam Epigramma in Joannem Geometram Hymnorum scriptorem, quod incipit, Κῦδος μ' Ἰωάννη. IV. JOANNES Nicææ Metropolita; vixit ante Sæculum XI. laudatus utique semel iterúmque ab Anastasio Cæsariensi lib. *de Jejunio Deiparæ*, qui claruit circa annum MXCIV. Scripsit ad Zachariam Majoris Armeniæ Catholicum, (eundem forsan, qui Photii æqualis erat) librum *de Nativitate* Domini, quo ex Epistola Cyrilli Hierosolymitani ad Julium Romanum, nova planè atque fabulosa de Christi die Natali refert. Tractatum hunc Gr. Lat. publici juris fecit, notisque illustravit Fr. Combefisius *Auct. Nov.* T. II. p. 297. Confer quæ habet Cotelerius *not.* ad PP. *Apost.* p. 233. &c. V. JOANNES SAITA, patriâ Cretensis, domo Cydoniates. Duo tantùm ejus opera (quod sciam) hodie supersunt. 1. Disputatio, *de Sacramento & Azymo, inter Græcos & Latinos* Gr. MS. Bibliothec. Bodleian. *Cod.* DCCXX. *num.* VII. 2. *Dialogi duo amplissimi contra Judæos.* Prior in capita XII. Posterior in duo solummodò capita divisus. Incipiunt, Φορτικὴ λίαν καὶ δυσχερὴς τυγχάνει γε ἅπασι τῶν Χριστιανῶν πρὸς Ἑβραίους διάλεξις. In his dialogis omnes Judæorum cavillationes & contradictiones contra fidem Christianam prolixè & solidè refellit. Extat integrum hoc Syntagma CCXIII. foliorum in 4to. Gr. MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCXXIII. Et mirùm planè videri debeat tam egregium opus lucem publicam hactenus non vidisse. VI. JOANNES STAURATIUS Chartophylax Thessalonicensis, scripsit Orationem *de Miraculis S. Demetrii Proconsulis*, qui Imperatoris Maximiani jussu, Thessalonicæ lanceis confossus, martyrium consummavit. Pr. Ὁ λόγος μυῤῥόρρα ἀπαμιλλᾶται τὰ θαύματα; habetur MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCLXXXIV. *num.* VII. *fol.* 90. & Bibliothec. Bodleian. *Cod.* MMMMCCCLXXXIII. *num.* XII. sed &, ni malè memini, edita est. VII. JOANNES Metropolita Claudiæ (Noricorum ni fallor, ea urbs est) scripsit Epistolam, Latinis oppositam, *de azymis & suffocatis, aliisque.* Pr. Ἐπειδή σοι μαθεῖν ἔρως ἐμπέπτωκε πατὴρ παρ' ἐμοῦ τοῦ εὐτελοῦς. Nugacem esse auctorem, & pleraque ad verbum ex Nicolao Hydruntino exscripsisse contendit L. Allatius *de Consens. Orient.* lib. II. c. 18. *num.* XVIII. *col.* 871. Verùm Leonis censuræ, hâc in parte, plena fides non est adhibenda. VIII. IOANNES magnæ Ecclesiæ Diaconus. Superest Gr. MS. ejus hoc titulo Tractatus; Τίς ὁ σκοπὸς τοῦ Θεοῦ τῆς πρώτης τοῦ ἀνθρώπου πλάσεως καὶ τῆς δευτέρας ἀναπλάσεως διὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Vide L. Allat *Diatr. de Psellis* p. 40. Quis fuerit, vel an plura scripserit, nondum didici. IX. IOANNES Monachus & Diaconus, in opusculi sui titulo S. Basilii Magni discipulus, & τέκνον ὑπακοῆς, *filius obedientiæ* dicitur. Nugæ hæc, & gerræ Siculæ. Dictio, Methodus, & multa quæ tractat, Sæculum à S. Basilio longè remotum arguunt. Disciplina & ordo pœnitentiæ ab eo præscriptus, alius planè est ab eo qui in Canonicis Basilii scriptis reperitur. De Patribus loquitur, qui Basilium secuti sunt, & pœnitentiæ tempora ab eo definita diminuerunt, Sua à Basilii temporibus ipse satis apertè distinguit. Contexuit quisquis erat, *Canonarium*, quo sigillatim explicat pravos animi affectus, morbosque & pœnitentias his convenientes, nec non quæ de communione, cibo, potu, & oratione observanda sunt, clementer admodùm definit. Stylus ei scaber & difficilis, & qui, ut rectè notat Morinus, Cacosynthetis & asperis hyperbatis abundat. Cùm eloquens videri vult, battologus est, & κακόζηλος. Præclarè videtur sibi dixisse, cùm inutilem Epithetorum congeriem struxit. Ex codice Vaticano extulit hoc Opusculum canonicum, & Gr. Lat. edidit Joan. Morinus ad calcem operis *de Pœnitent.* p. 401. X. Scripsit etiam JOANNES quidam Monachus Commentarium seu Historiam S. & gloriosi Martyris Arthemii, quam ex Philostorgii historiâ Ecclesiasticâ, aliisque studiosè collegit. Pr. Τὰ τοῦ μεγάλου καὶ ἐνδόξου μάρτυρος διηγεῖσθαι μέλλον ἀνδραγαθήματα. Confer L. Allat. *de Symeon.* p. 110. Verùm hic (licet etiam monachus dicatur) cum priori idem non est. Non desunt qui Joanni Damasceno attribuunt, ut alibi notavimus. Vide eundem Allatium in catalogo operum Damasceni, ad calcem *Symmict.* p. 452. XI. JOANNES Patriarcha Hierosolymitanus; Ecclesiæ Orientalis causam adversùs Latinorum ritus & dogmata strenuè tutabatur. Quis fuerit hic Joannes non usque adeò constat. Erat Joannes Monachus Hierosolymitanus qui in Synodo Aquisgranensi anno DCCCIX. quæstionem de processione Spiritûs S. movebat, cujus meminimus in isthoc Concilio. An is postea in Patriarcham evectus? Erat & Joannes Hierosolymorum Episcopus quem Theophanes collocat ad ann. DCXCII. Alius, quem anno circiter DCCC. benedictionis causâ, claves sepulchri Dominici, ac loci Calvariæ; claves etiam civitatis, ac Montis Oliveti cum vexillo per duos Monachos Carolo Magno misisse testantur Annales Francorum in Vitâ Caroli M. Erat denique Joannes Patriarcha, qui Joannis Damasceni Vitam scripsisse dicitur. An hic auctor noster? Planè incerta omnia. Imò nondùm natæ, nondùm saltem adoleverant, quæ inter Ecclesiam Orientalem & Occidentalem postea intercedebant controversiæ. Scripsit Joannes noster *Disputationem de Azymis*, quam in urbe Hierosolymitanâ, cum Philosopho quodam Latino habuit. Incipit, Τὸν πολύνουν φασὶν γε παράπαν μὴ χαίρειν τῷ πόνῳ τοῦ Βοῤῥᾶ, &c. Extat MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CLXVI. *num.* VI. *fol.* 144. Ex hoc opere quædam profert L. Allatius *contr. Hottinger.* p. 74. 97. qui mentionem etiam facit alterius colloquii cum Latino *de Azymis.* Pr. Παρὰ τοῖς παρ' ὑμῶν Εὐαγγελίοις, ὁ ἔλαβεν ὁ Χριστὸς εἰς θυσίαν τοῦ πάσχα, &c. *ibid.* p. 526. Scripsit item Orationem *de processione Spiritûs S.* Pr. Γέγονεν ἐν Ἐφέσῳ μετὰ τὴν ὑπατείαν Φλαβίου Θεοδοσίου, &c. Quin & Oratione de Azymis se alia quoque adversùs Latinos edidisse testatur. Unde suspicari licet ipsum Sæculo XII. vel XIII. floruisse. Joannes ille Patriarcha, qui ex Arabico Vitam Damasceni Græcè condidit circa annum DCCCXL. claruisse putatur. Quo verò tempore vixerit, ex ipsâ Vitâ colligi nequit. Id modò constat, ipsum diù post Damascenum floruisse.

LEO, cujus neque patriam, nec tempus, nec vitæ genus, expiscari licet. Composuit collectionem præcipuarum Veteris Testamenti prædictionum de Christo, quæ ita incipit, Ὅτι Θεὸς ὁ Χριστὸς Ἱερεμίας, οὗτος ὁ Θεὸς ἡμῶν οὐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτόν, &c. habetur Gr. MS. Bibliothec. Vindob. *Cod. Theol.* CCLII. *num.* 10. *fol.* 33. II. LEO magister, Proconsul, Patricius, & à Secretis in aulâ Constantinopolitanâ, vir in operibus SS. Patrum versatissimus; Ex quibus, & præcipuè ex scriptis Theodoriti, contexuit Epitomen *expositionis* in Pentateuchum Mosaïcum, in librum Joshuæ, Judicum, Ruth, & IV. libros Regum. Pr. Οὐ προτέταχεν θεολογίαν ὁ Μωσῆς διὰ τὴν νηπιότητα αὐτῶν, &c. Extat Gr. MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* XXVIII. Eodem modo Epitomen

Digitized by Google

men *Expositionis* variorum Patrum in Evangelium S. Matthæi, S. Lucæ, & in Epistolam S. Iacobi concinnavit. Pr. Πῶς νοητέον, τὸ μὴ κρίνετε, ἵνα μὴ, &c. habetur MS. ibid. *Cod.* CCCXXIV. *num.* ii. fol. 146.

LEONTIUS, Presbyter & Præpositus Monasterii S. Sabæ in urbe Româ, in Acta retulit vitam & miracula S. Georgii Agrigentinorum in Siciliâ Episcopi, qui nondùm Episcopus Concilio V. Oecumenico interfuit, & sub Mauritio Imperatore præcipuè claruit, de quo frequenter agit Gregorius M. in Epistolis suis. Pr. Φοβερὸν καὶ ἀκατάληπτον θαῦμα καὶ τῇ οἰκουμένῃ ὠφέλιμον. Extat hæc Vita Græc. Manuscript. in *Codice Colberteo* MDCLXXVII. Vitam hujus Gregorii Anonymam Latinè extulit Surius ad *Novemb.* XXII. sed à nostrâ diversam, saltem à Metaphraste insigniter interpolatam. Plures sunt Leontii inter Scriptores Ecclesiasticos, de quibus suo loco dictum est. Interim liceat mihi hâc occasione corrigere errorem Bern. Mallinerotii, qui in *Paralipomenis* † ad Vossium *de Hist. Græc.* Leontium quendam Magnesianum Historicis Græcis accenset, idque auctoritate Alemanni in *not.* ad Procopii Anecdota adstruit. Leontius is erat, Magnesiæ in Asiâ Episcopus, qui Conciliabulo Ephesino, anno CCCCXLIX. & Synodo Chalcedon. CCCCLI. interfuit. Verùm longè fallitur Mallincrotius. Nihil quippè aliud dicit Alemannus, quàm Leontium referre, fuisse *XXVII.* Ephesi Episcopos, à S. Timotheo usque ad Marciani imperium. Id quòd in Concilio Chalcedonensi Act. XI. *Col.* 969. disertè tradit ipsemet Leontius. Historicam verò Episcoporum Ephesinorum Successionem in Opere à se composito Leontium scripto tradidisse, nemo ante Mallincrotium unquam somniavit.

† Pag. 38.

MACARIUS, cognomento CHRYSOCEPHALUS, vetustâ & illustri familiâ oriundus, Philadelphiæ Archiepiscopus factus est, cujus neque ætatem, neque res gestas, omni adhibitâ diligentiâ, indagare potui. Erat quidem Macarius Philadelphiensis Episcopus, Philothei Patriarchæ CP. æqualis, unus ex tribus Imperatori propositis, ex quibus Patriarcha eligeretur, de quo Cantacuzenus l. IV. c. 37. p. 859. Verùm Chrysocephalum, de quo agimus, hunc fuisse non audeo affirmare. Erat Macarius, noster πολυγράφος, in scriptis SS. Patrum admodùm versatus, etsi nihil, quod sciam, hactenùs lucem viderit, præter unicam orationem *in exaltationem S. Crucis,* quam immenso operi suo *de Cruce* p. 1289. Gr. Lat. inseruit Gretserus. Sed plurima latent MSS. quæ ex L. Allatio (cui tot recentioris Græciæ scriptorum notitiam debemus) & aliunde, breviter recensebimus. Sunt igitur orationes XIV. in festa Ecclesiæ, nempe (1.) in IX. *ordines Angelorum & in S. Michaelem.* Pr. Ἀεὶ σὴ μὲν καὶ ἡ τῶν ὁρωμένων εὐπρέπεια. (2.) *In magnos Angelorum principes Michaelem & Gabrielem.* Pr. Ἡδη μὲν τῷ οὐρανίους δυνάμεις φίλτρῳ. (3.) *In venerandum festum occursus sive* ὑπαπαντῆς. Pr. Φαιδρὰ ἡ ἑορτῆς τὰ προπύλαια. (4.) *In solemnitatem* Ὀρθοδοξίας Pr. Τίς ὁ ἦχος τῶν ἑορταζόντων. (5.) *In Dominicam tertiam jejuniorum, quâ peragitur adoratio crucis.* Pr. Μεγάλη μὲν ἡ παροῦσα ἡμέρα. (6.) *In festum Palmarum.* Pr. Χαῖρε σφόδρα θύγατερ Σιών. (7.) *In S. & gloriosam Christi Resurrectionem.* Pr. Χαρᾶς ὑπόθεσις ἡ παροῦσα πανήγυρις. (8.) *In mulieres unguenta ferentes, & in Joseph ab Aramathea,* &c. Pr. Τῆς παρούσης ἡμέρας τὰ Εὐαγγέλια. (9.) *In Ascensionem Domini Deique nostri J. C.* Pr. Μεγάλη ἡ ἡμέρας ἡ δύναμις. (10.) *In S. Apostolum & Evangelistam Joannem Theologum, & Theologiam Evangelicam per eum nobis traditam.* Pr. Ἀποστολικὴν ἐπιδημίαν εὐφημῆσαι προθέμενος. (11.) *In Joannis Baptistæ Præcursoris nativitatem.* Pr. Ἰωάννῃ τῇ φωνῇ τοῦ λόγου τοὺς λόγους ἀνατίθημι. (12.) *In Christi Transfigurationem.* Pr. Θεὸς κύριος καὶ ὄρος ἐπέφανε. (13.) *In Joannis Præcursoris decollationem.* Pr. Πάλιν Ἰωάννης ὁ μέγας ἡ πρόδρομος τοῦ λόγου φωνή. (14.) *In Exaltationem crucis.* Pr. Ἐμοὶ μὲν χαρισθεὶς ἀπάθειαν. Quæ ea est quam fine mutilam edidit Gretserus. Has omnes orationes MSS. penès se habuisse profitetur L. Allatius *de Concil. Florent. advers. Creyghton* p. 681. alibique eas enumerat *Diatr. de script. Symeon.* p. 83. 88. 94. 96. 97. 99. 105. 111. 113. 114. Scripsit etiam Macarius brevem, sed accuratam *expositionem* in canones Apostolorum & Conciliorum, quam dum Chii moraretur, se legisse testis est idem Allat. *adv. Creyght.* p. 680. Legit etiam ejusdem Macarii *magnum Alphabetum,* in Lucæ Evangelium sermonibus & libris XXIV. comprehensum, totidem nempe quot sunt Alphabeti Literæ, ut appareat Christum esse A & Ω. *Principium & Finem.* Ex SS. Patribus Chrysostomo, Nazianzeno, Basilio, Athanasio, Cyrillo, &c. collectum est. Magnam Proœmii partem profert Allat. *ibid.* p. 682. Ex hoc Proœmio liquet ipsum eodem modo *expositionem* in Genesin concinnâsse, in duos Tomos divisam quorum primum *Cosmogeniam,* secundum Patriarchas nominavit. Sed omnem ejus diligentiam superavit absoluta ejus in sanctum Matthæi Evangelium elucidatio ex veterum commentariis compilata, tribus voluminibus comprehensa, quorum quodlibet XX. libris conflatur. Vasti hujus Operis pars prima in XX. sermones distributa habetur Græcè MS Bibliot. Bodleian. *Cod. Baroc.* CLVI. Vide *Catal.* MSS. p. 20. ubi sermonum tituli Græcè exhibentur. Denique nè hoc etiam omittam; Matthæi cujusdam Chrysocephali *carmina Iambica,* & ejusdem, an alterius, Chrysocephali tractatum de vitæ Humanæ termino, Pr. Οἱ λέγοντες ὅτι ἑκάστῳ ἀνθρώπῳ, &c. recenset Allat. ubi suprà, p. 684.

MARCUS Hieromonachus, Monasterii S. Sabæ præpositus, scripsit Sermonem in Vitam & Miracula S. Gregorii Agrigentinorum Episcopi. Pr. Σοφὸν καὶ ἀκατάληπτον χρῆμα καὶ τῇ οἰκουμένῃ ὠφέλιμον. ap. Allat. *de Symeon.* p. 109. Confer quæ habentur suprà in *Leontio.* Composuit item *Declarationem dubiorum in Typico occurrentium,* divisam in capita XCV. editam in *Typico* Græcorum *Venet.* 1643. *fol.* Habentur Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CLXXV. *num.* ii. Marci Monachi (nostri ut videtur) versus *Iambici* in Psalterium, qui ita incipiunt; Ἡ Δαβιδικῶν τῶν μελισμάτων χάρις, &c. item *Cod.* CCII. *n.* v *fol.* 34. Marci cujusdam Epistola ad Patriarcham CP. *de Constantiâ,* adversùs persecutionem Orthodoxæ fidei. Verùm nostri esse affirmare non audeo.

MATTHÆUS, I. MATTHÆUS *Angelus, Panaretus* dictus, dignitate Quæstor, Ecclesiæ suæ causam contra Latinos strenuè tutabatur. De tempore quo vixerit, incerta omnia. Recentissimum & patriâ Rhodium facit, & paulò ante Concilium Florentinum claruisse affirmat Joan. Sambucus, sed levi ratione fultus. Multò antiquior mihi videtur, nec alius forsan quàm *Panaretus* ille Protovestiarius, cujus meminit Pachymeres, lib. V. cap. 17. & 21. anno MCCLXXIII. ab Imperatore Michaele Palæologo unà cum IV. aliis Legatis ad resarciendam Ecclesiæ concordiam, Romam ad Gregorium X. missus. Hoc modo Thomæ Aquinati, contra quem toties calamum strinxit, ætate par erit. Ut ut sit, scripsit plurima quæ sequuntur. 1. *Antithesis* contra Thomam Aquinatem de processione Spiritûs Sancti; Pr. Προοίμιον τῆς ἀντιθέσεως, &c. 2. Contra eundem *de igne Purgatorio*; Πῶς ἐστὶν ὁ ἐκεῖνος τόπος ἔνθα αἱ ψυχαὶ καθαίρονται πρὶν, &c. 3. Dissertatio contra Latinos *de Primatu Papæ.* 4. Refutatio *sex capitum* à Latinis editorum in defensionem processionis Spiritûs S. ex Patre & filio. 5. *Demonstratio*

sio in quot absurditates Latini necessariò incident, dum Spiritum S. etiam à Filio procedere asserunt. 6. *Dissertatio* de aliis XXII. erroribus Latinorum. 7. Dissertatio contra Latinos, *de Primatu Papæ.* 8. Dissertatio contra Latinos *de Azymis.* Omnia hæc opuscula continentur Græcè MSS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CII. Verùm in indice codici præmisso XXII. Opuscula enumerantur. Integra, ni fallat catalogus, opuscula XX. habentur MSS. inter libros Seldenianos Biblioth. Bodleian. *Cod.* MMMCCCLXXVIII. II. MATTHÆUS, patriâ Jatrus (Propontidis ea insula erat) professione Hieromonachus, vel ut ipsius verbo utar Μοναχὸς θύτης, *Monachus sacrificulus.* Vixit saltem sæculo XII. vel potiùs sequenti, cùm dignitatum quarumdam vocabulis utatur, quæ vix ante hæc tempora nata sunt. Contexuit versibus politicis *Catalogum Officiorum* magnæ Ecclesiæ CP. & ad eundem modum *Catalogum Officiorum* Aulæ Imperatoriæ CP. Hæc duo opuscula, quæ in codice quodam MS. Matthæo Blastaræ tribuuntur, (vide du Fresn. *in Indic. Græc.* p. 55.) Græcè & Latinè cum notis edidit Jac. Goarus cum Georgio Codino *de Officiis CP.* Parif. 1648. p. 8. & 38. Ejusdem planè, ut opinor, sunt *quæstiones & causæ Matrimoniales*, quæ integrum penè Juris Græco-Romani librum VIII. à p. 478. usque ad p. 519. occupant. Extat MS. in Bibliotheca Vaticana Matthæi Hieromonachi ἐξήγησις, seu expositio in Divinos Canones, & de Paschate apud Possevin. in *Append.* p. 12. & in Bibliotheca Fontis-Bellei prope Parif. *contra Judæos* libri V. *ibid.* p. 96. & Biblioth. Bodleian. *Cod. Baroc.* XXXIII. *num.* I. scripsit etiam Hieromonachus noster tractatum *de Azymis*, quem citat L. Allatius *de Conc. Florent.* p. 434. iterùmque p. 331. In Biblioth. Vindob. *Cod. Philosoph.* CXCIX. num. 2. habetur Gr. MS. Matthæi cujusdam tractatus Theologicus de *SS. Trinitate*; nostri verò an sit, dicant alii. III. MATTHÆUS, Joniæ & Asiatidis terræ Episcopus. Extat ejus Epistola ad Magnum magnæ Ecclesiæ Constantinop. Chartophylacem, quæ ita incipit, Φθίνοντος τῆς πόλεως ἐξιόντες, &c. Habetur Gr. MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CLXXIV. num. XIV. à folio 138. ad 145.

MAXIMUS Monachus, cujusnam verò cœnobii non liquet, scripsit ad Nicephorum magnæ Ecclesiæ CP. Chartophylacem, *Quæstiones Sacras Miscellaneas*, seu περὶ διαφόρων κεφαλαίων. Extant Græcè MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Jurid.* XI. *num.* III. à *fol.* 51. usque ad *fol.* 58.

MICHAEL, Synodorum in Phrygia Episcopus, scripsit expositionem maximorum Miraculorum SS. Archangelorum. Pr. Πολλαὶ καὶ μεγάλαι τῆς ἀσωμάτου, καὶ μεγαλοπρεποῦς Ἀρχαγγελικῆς σου. Vide L. Allatium *de Symeon.* p. 107.

NECTARIUS Hieromonachus scripsit carmine librum de Abbatibus, qui ante eum claruerunt. Extat Græcè MS. in codice Regio Parisiensi MMCXCVIII. ut fidem nobis facit Ph. Labbeus *Biblioth. nov. MSS.* p. 235. neque de eo aliquid amplius novi.

NICEPHORUS URANUS, Magister Antiochiæ, in literas misit Vitam S. Symeonis junioris Stylitæ, qui monasterii in monte Θαυμαστῷ propè Antiochiam, præpositus erat. Ediderunt Bollandiani ad diem *Maii* XXIV.

NICETAS, Ecclesiæ Nicenæ Charthophylax, librum scripsit *De Schismate* inter Ecclesiam Græcam & Romanam, quibus nempe temporibus & quibus de causis Ecclesia Romana à Græcâ secesserit. Extat Græcè MS. Cod. Regio Parisiensi CCCXXXIV. indicante du Fresnio in *Indice Auctorum*, quem Glossario Græco subjecit, p. 30. Idem ante du Fresnium pridem memoraverat Labbeus *Biblioth. nov.* MSS. p. 89. qui subdit, in Sfortianâ Bibliothecâ titulum fuisse, Nicetam *de Azymis*, *& Sabbatorum jejunio & nuptiis Sacerdotum.* Ex opere de Schismate quædam profert L. Allatius, *de Synodo Phot.* p. 203. II. NICETAS Rhetor & Philosophus; an idem sit qui *Nicetas David* Paphlago, *Philosophus* etiam dictus, qui claruit anno DCCCLXXX. nondum didici. Sub ejus nomine plures orationes hactenùs, quod sciam, ineditas recenset L. Allatius *Diatr. de Script. Symeon.* quæ sequuntur. I. *In gloriosam Martyrem Pantieleemonem*, p. 96. Pr. Θαυμαστὸς ὁ Θεὸς ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ φησὶν ὁ μέγας. II. *De certamine, & de inventione & translatione reliquiarum S. Stephani Protomartyris*, ibid. p. 102. Pr. Ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Σωτὴρ πάντων. III. *Encomium in magnum Nicolaum Mirobleptem & Thaumaturgum*, ibid. Pr. Ὁ μὲν θεοπάτωρ Δαυὶδ τὸ ἀεὶ θαλὲς καὶ μετάρσιον. Hæc oratio Nicetæ Rhetori Paphlagoni inscribitur. IV. *In S. & illustrem Apostolum Jacobum*, ibid. p. 108. Pr. Πρώην μὲν ἡμᾶς ἡ ζῶσα τῆς ἀληθινῆς θεολογίας πηγὴ. V. *In Timotheum Apostolum.* ibid. p. 111. Pr. Τί δ' Τιμόθεος. Τοῦτο γὰρ μετὰ τοὺς Ἀποστόλους. VI. *In SS. & gloriosos XII. Apostolos*, ibid. Pr. Τί καλὴ ἐκκλησίας ἡ τάξις, τί τερπνὴ τῶν ἐν αὐτῆς. VII. *Encomium in S. Martyrem Theodorum*, ibid. Pr. Τί λαμπρὰ καὶ διαυγὴς ἡ τῆς ἡμέρας χάρις. Hæc Oratio Nicetæ Episcopi Paphlagoniæ nomen gerit. VIII. *In SS. & Thaumaturgos* ἀναργύρους *Cosmam & Damianum*, ibid. p. 114. Pr. Ὡς ἀγαπητὰ τὰ σκηνώματά σου κύριε τῶν δυνάμεων. IX. *In SS. & illustres Martyres Cyricum & Julittam*, ibid. p. 115. Pr. Ὥσπερ οὐκ ἔστι συγχωρῆσαι τῷ κυρίῳ ἰουδαίου. III. NICETAS SCUTARIOTA, cujus extant homiliæ tres. I. *In Dominicâ Orthodoxiæ habita.* Pr. Καὶ οἱ διά τινος κλίμακος ἐπί τινα ὑψηλοτάτην πέτραν ἀνατρέχειν βουλόμενοι, &c. II. *In illud S. Joannis.* cap. XII. Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit, & Pr. Ὁ μὲν νοῦς τ προκειμένων ἡμῖν εἰς ἐξήγησιν εὐαγγελικῶν ῥημάτων τὴν σήμερον, &c. III. *In principium Evangelii S. Joannis* Pr. Τοῦ πνεύματος ἡ δύναμις ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται, &c. habentur Gr. MSS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* LXI. *num.* ii. *fol.* 169. Scripsit etiam Scutariota *Scholia*, sive annotationes in Nicetæ Choniatæ Thesaurum Orthodoxum. Vide libros V. quos Latinè in lucem emisit Petrus Morellus, ubi hinc inde reperiuntur. Epistolæ etiam ejus MSS. in codice Reg. Parif. DXCIV. asservantur, teste Labbeo *Bibl. Nov. MSS.* p. 101.

PANTALEON Magnæ Ecclesiæ Constantinop. Diaconus & Chartophylax. Ætas ejus mihi quidem parùm certa. Sunt qui illum ad medium Sæculi XIII. referunt, eique ascribunt tractatum *contra Græcorum errores de Processione Spiritus Sancti* &c. editum Constantinopoli in ædibus Fratrum Prædicatorum anno MCCLII. Verùm qui tractatum istum primus in lucem emisit, P. Stuartius in *Auctario* suo p. 555. Anonymum edidit. Ediderunt & sub Anonymi titulo novissimi Bibliothecæ Patrum Curatores, Tom. XXVII. Etsi Tomo præcedente in monitione ad Lectorem, ubi de Manuele Caleca agunt, Pantaleonem Auctorem perhibent. Vidit id vir his literis haud leviter imbutus, Joann. Ciampinus, † nihilominus tanquam Anonymum constanter citare pergit. Extant utcunque ejus orationes II. *In gloriosam Domini nostri transfigurationem*, quam Gr. Lat. edidit Combefisius *Auct. Nov.* T. I. *col.* 1579. qui secundam priori elegantiorem, & fortè non ejusdem esse auctoris judicat. Narrationes *de Miraculis S. Michaelis* habentur Græcè MSS. in Codice Regio Parif. MCCCCLXXIII. Vide etiam Allat. *de Symeon.* p. 99. & p. 103. Latinè ediderunt Surius, Lippomannus, alii. Pantaleonis

† De Azym. & Ferm. c. 1. p. 14.

Digitized by Google

leonis orationem *in exaltionem S. Crucis*, Gr. Lat. edidit Gretserus *de Cruce* Tom. II. *col.* 1233. Verùm hic Monasterii Byzantinorum Presbyter esse dicitur. Sed id, ut rectè alibi notat Combefisius, inde accidere potuit, quòd ex Diacono Constantinop. Presbyter Monasterii factus sit. In Catalogo Jac. Marmoretæ Constantinop. Pantaleonis Diaconi Orationes panegyricæ totius anni, sive XII. Mensium, in festos & Dominicos dies extare dicuntur. Vide Possevin. *Append.* p. 48. Quædam etiam Pantaleonis nostri opuscula habentur Latinè Biblioth. PP. *edit. noviss.* Tom. XII.

PERDICCAS, Protonotarius Ephesinus, scripsit versibus politicis, *expositionem* spectaculorum Dominicorum, & memorabilium quæ Hierosolymis videntur. Hanc primus edidit Fredericus Morellus Parisiensis, accuratius verò Græcè & Latinè L. Allatius *Symmict.* Part. I. p. 65. qui & Anonymum quendam, qui *de locis Hierosolymitanis* prosâ scripsit Græcè & Latinè subnexuit.

PETRUS. I. PETRUS Damascenus, vitæ instituto Monachus. Extant ejus non pauca inedita; *Tractatus* IV. sive *Ecloga* ex variis scriptoribus. I. *Sylloge Miscellanea.* II. *Excerpta* ex Chrysostomo *de Humilitate*, &c. III. *De mandatis Divinis.* IV. *De tribus facultatibus Animæ*, Biblioth. Bodleian. *Cod. Baroc.* CXXXIII. Tractatus *de septem operationibus, quibus mens ad Deum elevatur.* Pr. Φύγε τοὺς ἀνθρώπους καὶ σώζῃ. ibid. *Cod.* CCXIII. Ex libro quodam ejus Ascetico excerpta varia. Pr. Ἀρχὴ μὲν παντὸς ἀγαθοῦ ἡ ἐκ Θεοῦ διδομένη φυσικὴ γνῶσις, &c. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCLXXXIX. *num.* xx. *fol.* 45. Ex libro ejus quodam Λόγοι ψυχοφελεῖς, *sermones animæ utiles.* Pr. Τρίτη ἐστὶν ἀγρυπνία σύμμετρος τὸ ἥμισυ εἰς ψαλμοδίαν, &c. Ubi in titulo S. Petrus Damascenus dicitur, ibid. *Cod.* CC. *num.* ii. *fol.* 69. Confer Lambec. *Comment.* l. IV. p. 200. *Alphabetum* ejus in codice *Colberteo*, MMMMDVI. MS. asservari testis est du Fresnius in *Ind. Auct. Græc.* p. 31. quid verò continet, non indicat. II. PETRUS Argivorum Episcopus contexuit Orationem *in S. & gloriosos Anargyros & Thaumaturgos Cosmum & Damianum.* Pr. Ἀστέρες μὲν αἰσθητοὶ τῷ στερεώματι προδεικνύμενοι πρὸς θέαμα κινοῦσι μέγα, indicante L. Allatio, *de Symeon.* p. 83.

PHILO Rhetor & Philosophus, scripsit Historiam Ecclesiasticam, quam laudat Anastasius Sinaita initio *Demonstrationis historicæ de magnâ & angelicâ summi Sacerdotis dignitate*, his verbis; Ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ ἱστορίᾳ Φίλωνος τοῦ φιλοσόφου εὗρον τι τοιοῦτον ὅτι πρ, &c. Ubi ex ea profert historiolam de Presbytero quodam ab Episcopo suo excommunicato, qui postea martyrium passus, capsulâ inclusus, & in Ecclesiâ positus, quiescere non potuit, donec à proprio Episcopo (ut per somnium monuerat) anathematis vinculo solutus fuerat. Extat hic Anastasii libellus ἀνέκδοτος Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CLXXXIV. *num.* xx. *fol.* 118. Bodleian. *Cod. Baroc.* CLXXXV. *num.* ii. & alibi non semel. Hujus Philonis, ejúsve historiæ meminit nemo ante Anastasium, nemo postea, unicum si excipias Michaelem Glycam, Part. IV. *Annal.* in Leone Isaurico, *Edit. Paris.* p. 282. qui tamen ipsum Philonis opus proculdubio non vidit, sed integram quam habet narratiunculam, seu mavis fabulam ex oratione Anastasianâ, tacito licet nomine, ad verbum exscripsit. Erat ergo Philo, Anastasio, qui claruit anno DLXI. antiquior, & tamen vixit postquam cessaverant Gentilium persecutiones, ut initio fragmenti ipse satis innuere videtur; ac proindè sæculo quarto, quintóve vixisse necesse est. De auctore ipso quis fuerit, difficilis est disquisitio, ut Delio natatore opus sit. Οὐ μάντις εἰ καὶ ταὐφανῆ γνῶναι σαφῶς. Interim divinare fas est. Inter Episcopos qui anno CCCXLVII. Synodi Sardicensis epistolæ subscripserunt, ap. Athan. *Apol.* II. p. 596. erant Philones duo, uterque in Ægypto Episcopus. Verùm hos in scriptorum numero ponendos esse, quis fidem faciet? Auctor. Prædestin. *de Hæres.* cap. XXX. p. 31. ubi de *Alogis* agit, meminit Philonis Episcopi, qui hæreticos istos sæpe profligavit. Verùm si vixerit is, quo tempore orti sunt Alogi? nostro longè antiquior erat, nec ullam planè fidem meretur iste Anonymus, quem nomina propria non rarò pro libitu fingere, haud levis suspicio est. In Indice librorum MS. quem Regi Galliæ obtulit Anton. Eparchus Corcyrensis, *num.* XIV. occurrit opusculum Philonis Philosophi, περὶ μετανοίας. Ut & Deflorationes variarum enarrationum de creatione mundi. An ex Philone Hebræo excerpta sint, norunt qui codicem ipsum inspicere possunt. Erat & Philo Monachus, cujus extat meditatio Ascetica *contra Pulchritudinem Mulierum*, quæ ita incipit; Εἶδον κάλλος γυναικὸς βασανίζον μου τὴν διάνοιαν. Habetur Gr. MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCCXXV. *num.* xv. Verùm is longè recentior mihi videtur. In re omnium obscurissimâ, de qua altum silent omnes Scriptores Ecclesiastici, liceat mihi, bonâ cum lectoris veniâ, conjecturam meam hoc loco proponere. Quidni igitur dicamus auctorem nostrum alium non fuisse quam Philonem, Carpasii urbis in Cypro Episcopum, ab Epiphanio ordinatum, cui etiam Episcopatus sui curam commisit, cùm & Romam & Constantinopolim proficisceretur. De quo, ejusque in *Cantica* commentario, diximus alibi ad ann. CCCCI. Præter hunc, Philonem alium inter Scriptores Ecclesiasticos, hisce præsertim sæculis, frustra quæras. Conjecturæ nostræ haud parùm favet, quod de Philone Carpasiote disertè dicat Polybius Rhinocorurum Episcopus, posterioris partis vitæ Epiphanianæ scriptor, c. 49. fuisse ipsum κληρικὸν ἀπὸ ῥητόρων; *Clericum ex ordine Rhetorum desumptum*, quorum quidem erat antiquitates Sacras & Ecclesiast. excutere & pertractare. Quò rectiùs hæc intelligantur, observandum erit, Rhetores non modò apud Forum, & in Rostris declamitâsse, sed & dignitatem quandam & officium Ecclesiasticum constituisse. Erat enim in quavis ferè majori Ecclesiâ Rhetorum Schola, de reditibus istius Ecclesiæ sustentata, quâ juniores clerici ad futuras sacri ordinis functiones promovendi, sacris literis & disciplinis Ecclesiasticis erudiebantur; Ῥήτωρ τῆς ἐκκλησίας, i. e. juventutis Ecclesiasticæ magister, ut de Manuele Holobolo Pachymeres, lib. V. cap. 12. qui etiam Georgio Acropolitæ in hoc munere successit, cui illud ab Imperatore impetravit Germanus Patriarcha, eo nomine in collegium cleri cooptato; cujus proinde curæ commissi sunt adolescentes Ecclesiastici, disciplinis liberalibus sacrisque studiis, in ludo isto literario operam daturi, uti expressè nos docet idem Pachymeres, lib. IV. capite 14. Inter Officiales magnæ Ecclesiæ CP. apud Codin. cap. 1. XXV^{tum} locum obtinet Rhetor. Et Georgius ὁ Ῥήτωρ τῆς Μητροπόλεως Ἀίνου, καὶ ἐκδικὸς τῆς μεγάλης ἐκκλησίας memoratur Cl. Hodio *præmonit. ad Malal.* Certè vix aliud nomen in Scriptis Ecclesiasticis, quàm illud Rhetoris frequentiùs occurrit. Qui huic Scholæ fuit Ῥήτωρ τῶν Ῥητόρων, διδάσκαλος & μαίστωρ τῶν Ῥητόρων, & ὁ μέγας Ῥήτωρ dictus est: cujus non unum exemplum dabit Du-Fresnius in voce Ῥήτωρ. Et *Cod. Baroc.* CXXXI. Anonymus orationis encomiasticæ auctor, Ῥήτωρ τῶν Ῥητόρων καὶ διδάσκαλος τῶν διδασκάλων appellatur. Et dignitas quidem erat satis splendida. Hinc τὸ λαμπρὸν ῥήτορα vocat Matth. Jatrus *de offic.* p. 8. & de Michaele Thessalonicensi Nicet. Choniat. in *Manuel.* l. VII. *num.* v. ὁ ῥητορικὸν θρόνον κοσμῶν, *qui Rhetoris thronum ornavit.* Jam verò Rhetorum munus erat, teste Codino cap. citat.

εἰς τὸ

εἰς τὸ ἑρμηνεύειν τὰς γραφὰς, *scripturas interpretari.* Unde Michael Thessalonicensis in Testamento suo apud Allat. *de consens.* lib. II. cap. 12. *num.* 15. se μαΐστορα τῶν ῥητόρων, διδάσκαλον τῶν Ἐυαγγελίων, Magistrum Rhetorum, Evangeliorum doctorem nominat. In Auctoris incerti explicatione officiorum magnæ ecclesiæ, quæ ad calcem Codini, *Edit. Par.* p. 315. exhibetur, doctoris (τοῦ διδασκάλου) munus est *Evangelium & Psalterium explicare*, κρατῶν καὶ τὰ σχολεῖα τῆς ἐπισκοπῆς, *curámque habere scholarum quæ in Episcopio sunt*; ut nil mirum si *Doctor & Rhetor* haud rarò conjungantur. Post sacras literas, Ecclesiasticas præcipuè, explicabant Rhetores, & vel historiam Ecclesiasticam proprio marte condiderunt, vel ab aliis scriptam, in Epitomen redigebant, & quæ exinde excerpebant, discipulis & auditoribus suis, ore tenus tradere solebant. Hinc notare fas est, omnes penè Scriptores qui Rhetorum nomine nobis veniunt, historiis Ecclesiasticis illustrandis, ut plurimùm incubuisse. Hinc natum forsan Socrati historiæ Ecclesiasticæ scribendæ studium, qui in scholâ Rhetoricâ Troili Sophistæ educatus videtur. Zacharias Rhetor, qui claruit anno CCCCXCI. scripsit Historiam Ecclesiasticam, de quâ Evagrius lib. III. cap. 7. & alibi sæpiùs. Joannes Rhetor Antiochenus, Historiographus, claruit anno DXXVI. cujus meminit Evagrius lib. IV. c. 5. & alibi non semel. Nicetas Rhetor, cujus tot habemus hodie Vitas & Encomia Apostolorum & SS. Patrum partim edita, partim MSS. Joannes magnus Ecclesiæ Diaconus & Rhetor, vitæ Josephi hymnographi conditor. Istiusmodi Rhetor fuisse videtur Nicephorus Callisti, cujus historia Ecclesiastica, & ex historiis Ecclesiasticis excerpta penè infinita supersunt hodiè, qui à teneris unguiculis in Ecclesiâ S. Sophiæ CP. educatus erat, victum & domicilium per multos annos ibi consecutus. Ubi ex infinitis quæ eo in loco reposita erant voluminibus & commentariis Collectanea sua ecclesiastica collegit & digessit, ut ipse nobis auctor est, *Præfat. hist. Eccl.* p. 37. Ex his liquet Rhetoris fuisse historias Ecclesiasticas evolvere, tractare, excerpere, prælegere; discipulorum ex ore dictantis magistri excipere, & in commentarios referre. Inde ea quæ in scriptis Veterum, tùm sacrorum, tùm profanorum toties occurrit formula, ἀπὸ φωνῆς. Leontii Byzantini historia Sectarum ἀπὸ φωνῆς Θεοδώρου; Vita S. Epiphanii ἀπὸ φωνῆς Ἰωάννου τοῦ μαθητοῦ αὐτοῦ. Eclogæ Philostorgianæ ἀπὸ φωνῆς Φωτίου τοῦ πατριάρχου; Excerpta historiæ Ecclesiasticæ Theodori Lectoris ἀπὸ φωνῆς Νικηφόρου Καλλίστου; Ex Eusebii historiâ Ecclesiasticâ ἀπὸ φωνῆς ejusdem Nicephori; Breviarium Hist. Ecclesiasticæ Theodoriti ἀπὸ φωνῆς ejusdem; Vita S. Patapii ἀπὸ φωνῆς Andreæ Cretensis Archiepiscopi; & mille istiusmodi exempla quæ Codices MSS. curioso lectori suppeditabunt. Cùm igitur (ut rem in pauca contraham) Philo Carpasiotes in Ecclesiâ Constantiensi Rhetoris obibat munus, verisimile est ipsum pro muneris sui ratione historiam hanc ecclesiasticam condidisse. Quòd verò Philosophus vocatur, quid mirum? cùm vox ista non monachos modò, & arctioris vitæ cultores denotare cœpit, sed & omnes præsertim in clero constitutos, qui ad reconditiorum literarum studium animum appulerunt. Hinc Nicetas Rhetor & Philosophus, & ne tritis nimium immoremur, Michael Psellus quâ erat eruditionis famâ, ὁ τῶν φιλοσόφων ὕπατος, *Philosophorum princeps* vulgò dicebatur. Habuit verò & Palatium suos Philosophos, suos Rhetores; Philosophos qui Divinarum, humanarumque legum cognitione instructi, Imperatori, datâ quâvis occasione, assisterent; Rhetores, qui Imperatoris vice, dicendi facultate pro re natâ uterentur. Hinc ap. Anonymum *de officiis*, quem ex *Cod. Mazar.* edidit Goarus ad *Codin.* p. 42. φιλοσόφων ὕπατος, & ῥητόρων πρῶτος inter ordines Palatinos locum habent. Hæc de re satis obscurâ dicenda habui, meliora, certiorave docentibus aures faciles ac benevolas lubens commodaturus. Rem forsan faciliùs expediret Leonis Allatii liber *de Philonibus*, si toties promissus in lucem publicam prodiisset.

PHILOTHEUS; quisquis fuerit, *Sancti* nomine insignitus, scripsit sermonem περὶ τῶν ἐντολῶν, *de mandatis Domini nostri Iesu Christi*, quem Gr. Lat. extulit P. Possinus *in Thesauro Ascet.* Paris. 1684. p. 326. Suspicari quis possit, hunc fuisse Philotheum illum Patriarcham CP. qui claruit anno MCCCL. Verùm præter alia quæ notat Possinus, reclamat ipse codex MS. unde desumptus est hic sermo, qui annorum saltem quingentorum ætatem præ se fert.

PROCOPIUS Diaconus & Chartophylax, scripsit *Encomium* Divinorum Archangelorum Michaëlis & Gabrielis. Pr. Ἀγγελικῆς πανηγύρεως ἡ προαφορισμένη κυρία παροῦσα συναθροίζει. Vide L. Allatium *de Symeon.* p. 87. *Encomium in S. Apostolum & Evangelistam Ioannem.* Pr. Ἀπόστολος ὁ τὴν φαιδρὰν ταύτην συγκροτήσας πανήγυριν. Extat MS. *Cod. Baroc.* CCXL. *Encomium in S. Apostolum & Evangelistam Marcum.* Pr. πάλιν Ἀποστολικὴ καταστράπτει πανήγυρις, &c. L. Allat. *ibid.* p. 104. Hæc Procopii Opuscula ediderunt Bollandiani *Apr.* XXV. Sermo in *celebrationem S. & venerabilium imaginum* asservatur Græcè MS. in Bibliothecâ V. C. Eusebii Renaudoti. Meminit Cl. du Fresn. in *Indic. Auct. Græc. MSS.* p. 32.

STEPHANUS, Ephesius, an fortè Stephanus ille Episcopus Ephesinus qui anno CCCCLI. Concilio Chalcedonensi interfuit, & ex Codice Canonum Ecclesiæ universæ nonnulla relegit *Act.* XI. vel quis alius longè recentior. Certè in titulo codicis Palatini Stephanus *Episcopus Ephesinus* dicitur. Verùm cùm fallax & lubrica sæpè sit inscriptionum, quæ in codicibus MSS. occurrunt, fides, cúmque plures esse poterant Stephani Ecclesiæ Ephesinæ Episcopi, hunc Stephanum illum in Synodo Chalcedonensi celebrem, fuisse, asserere non sum ausus. Habetur ejus *Canonica Synopsis*, quâ canones SS. Apostolorum, Conciliorum Nicæni & Ancyrani, &c. in Epitomen contrahuntur. Pr. Ἀποστόλων κανόνες εἰσὶν ὀγδοήκοντα πέντε, &c. Extat Græcè MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCLXXXIII. *num.* ii. *fol.* 52. & in Bibliothecâ Palatinâ, jam in Vaticanam translatâ, *Cod.* XXVIII. *num.* xxxi. iterúmque *Cod.* CC. teste Possevino in *Append.* p. 74.

SYMEON. I. SYMEON, Cœnobii cujusdam in Mesopotamiâ Abbas, scripsit Orationem *de continuâ meditatione mortis.* Pr. Ἀγνοεῖτε ἀδελφοί μου ποῖον φόβον καὶ ἀνάγκην ἔχομεν ἀναστῆναι ἐν τῇ ὥρᾳ τῆς ἐξόδου ἡμῶν, τῆς ἐκ τοῦ βίου τούτου. Habetur Gr. MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCCV. *num.* iii. à *fol.* 105. usque ad *fol.* 124. Nomine Symeonis Stylitæ inserta est Latinè *Biblioth. Patr.* Tom. VII. Confer. L. Allat. *de Symeon.* p. 24. II. SYMEON hieromonachus, *Scholarius* dictus, contexuit *Syntagma Canonum Pœnitentialium*, ex Canonibus SS. Apostolorum & VII. Conciliorum Oecumenicorum; ut & Synodorum particularium, ex SS. Patrum & præcipuè ex S. Basilii & Joannis Nesteutæ scriptis collectum, & facilioris inventionis causâ, ordine Alphabetico dispositum. Extat Gr. MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCVI. *num.* v. à *fol.* 46. usque ad *fol.* 173. Habetur ibid. *Cod.* CXXVIII. *num.* iii. fragmentum historicum *de Baptismate SS. Apostolorum.* Pr. Ἐρευνήσαντες φιλοπόνως πῶς καὶ παρὰ τίνος

ἐβα-

Digitized by Google

ἐβαπτίσθησαν Ἀπόστολοι, &c. Verùm ex Sophronii Patriarchæ Hierosolymitani commentariis desumptum est, uti ipse auctor ingenuè fatetur. III. SYMEON STUDITA, Monasterii nempe à Theodoro Constantinopoli hoc nomine erecti monachus. Composuit *Troparia* in festis & jejuniis Ecclesiæ recitanda. Eorum aliqua in libris Ritualibus MSS. Cryptoferratensis Monasterii se legisse testis est L. Allatius, & sex eorum initia exhibet *de Script. Symeon.* p. 23. IV. SYMEON Euchaitarum Episcopus; Extant ejus Gr. MSS. ad Joannem Monachum & Enclistum Epistolæ duæ. Prior in Bibliothecâ Regiâ Parisiensi, & olim inter codices Theologicos Antonii Augustini. Posteriorem tanquam valdè piam commendat L. Allatius *de script. Symeon.* p. 179. ubi utriusque initium habetur. V. SYMEON humilis monachus, scripsit *encomium in Symeonem senem* qui Christum ulnis in Templo susceperat; Pr. Τὴν πρὸς τὰς ἀγαθὰς τῶν ὁμιλήσεων τιμὴν μεγάλη τινὸς. Hanc orationem se legisse testatur L. Allatius *de Symeon.* p. 180, vide p. 110.

THEODORUS. Sub hoc nomine in censum nostrum referendi, I. THEODORUS Antidorum Episcopus, auctor satis antiquus, ut fidem nobis facit L. Allatius. Scripsit *Expositionem τῆς λειτυργίας,* quam frequenter citat idem Allatius, & exinde plura profert *de Purgat.* p. 108. lib. *contra Hotting.* p. 11. 120. 132. *de Concil. Florent. contra Creyght.* p. 159. & forsan alibi. II. THEODORUS urbis Paphi in insula Cypro Episcopus. Vitam condidit S. Spyridonis, Trimethuntis in Cypro, Episcopi. Pr. Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος φησὶν Ἰωάννης ὁ εὐαγγελιστὴς, &c. habetur Gr. MS Biblioth. Vindob. *Cod. Hist.* XXXI. *num.* x. à *fol.* 136. usque ad *fol.* 161. & *Colberti Cod.* CCCCLXII. Confer quæ habet Lambecius *Comment.* lib. VIII. p. 310. III. THEODORUS presbyter, cujusnam verò Ecclesiæ, vel quo tempore vixerit, haud satis liquet. Constat nihilominùs, ipsum claruisse post ann. DXX. quando controversia de operibus Dionysii Areopagitæ orta est, & ante Photii tempora. Scripsit Librum, quo ostendit germanum esse quod sub nomine S. Dionysii habetur opus, & argumenta in contrarium allata, pro virili dissolvere conabatur. Argumenta ducta erant 1. A silentio SS. Patrum qui Dionysium secuti sunt. 2. A silentio Eusebii, qui dum aliorum Patrum opera recenset, Dionysiacorum nullam facit mentionem. 3. A traditionum quarum meminit Dionysius incrementis, quæ tamen postea, & nonnisi diuturno temporis spatio sensim in Ecclesiâ invaluerunt. 4. Ab Epistolâ Ignatii à Dionysio citatâ, post mortem tamen Dionysii, & paulò ante ipsius Ignatii martyrium scriptâ. Hæc ex eo opere argumenta refert Photius *Cod.* I. Theodori verò solutiones reticet, vel quòd non recensuit, vel quòd excerpta ex codice Photiano exciderunt. IV. THEODORUS Trimethuntii, in Cypro Episcopus. Extat MS. sermo de vitâ, exilio & ærumnis Sancti Joannis Chrysostomi. Pr. Ἀγαπητοὶ, ἀψευδὴς ὁ Θεὸς διὰ τῆ προφήτε ἐπαγγειλάμενος. Adisis L. Allatium *de Symeon.* p. 81. V. THEODORUS Alaniæ (urbs est, ni fallor, non longè à Byzantio posita.) Episcopus. Extat MS. sermo ejus extemporaneus *in Dei & Salvatoris nostri I. Christi sepulturam.* Pr. Ἀναβάλλεται μὲν ὁ Ἰησοῦς, καὶ φῶς ὡς ἱμάτιον ἡνίκα τοῖς μαθηταῖς ἀστράπτων ἐπὶ τὸ ὄρος Θαβώρ. Hæc nos docet L. Allatius *de Symeon.* p. 82. VI. THEODORUS Metropolita Cizycenus; Sermonem habet *in Sanctum Martyrem Blasium.* Pr. Βλάσιον τὸν μέγαν ἐν ἱεράρχαις καὶ μάρτυσι, πῶς ἂν ἀξίως θαυμάσωμεν. Testis est L. Allatius *de Symeon.* p. 84. VII. THEODORUS Petrarum vel Petræorum (urbs erat Galileæ inferioris) Episcopus, in literas misit vitam & conversationem Sancti Patris Theodosii, torius Eremi propè Hierosolyma Archimandritæ. Pr. Ἡ ἀρετὴ ποθεινὸς καὶ ἀδιάφθορος μία οὐσία. Extare MS. testatur L. Allatius *de Symeon.* p. 95. & ex eâ quædam profert *ibidem* p. 7. VIII. THEODORUS SCUTARIOTA, scripsit vitam Sancti Pauli Apostoli. Extat MS. teste L. Allatio *de Symeon.* p. 106. hoc initio; Παῦλος ὁ Ἀπόστολος Ἑβραῖος μὲν ἦν τὸ γένος. IX. THEODORUS, patriâ Smyrnæus, ὕπατος φιλοσόφων, *Philosophorum princeps,* scripsit in defensionem Ecclesiæ Græcæ adversus dogmata Latinorum, ex quo proinde excerpta de processione Spiritûs S. de Azymis, &c. unà cum aliis habentur Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCCXXIV. *num.* IX. à fol. 238. usque ad *fol.* 262. Ejusdem *Epitome* eorum quæ de naturâ & principiis naturalibus ab antiquis tradita sunt, in IV. τμήματα, sive segmenta digesta. Pr. Ὅσα περὶ φύσεως καὶ τῶν φυσικῶν ἀρχῶν καὶ τῶν φύσει συνεστώτων. Opusculum hactenus ineditum. Denique Theodorum Sideram, aliumque Theodorum Ecclesiæ Sebastenæ præpositum inter Historicos Byzantinos nominatim reponunt Joannes Scylitzes, & Georg. Cedrenus in præfationibus ad suas Historias.

THEOPHILUS, Chronographus Christianus, quem ubique ferè citat Malala, cujus calculum, tanquam longè accuratiorem, commendat. An idem sit cum Theophilo Antiocheno (quod voluit olim Antistes Oxoniensis) controversia est haud facilè solvenda. De quâ aliquid diximus in Joan. Malala.

TIMOTHEUS, alter Chronographus unà cum Theophilo Malalæ passim laudatus, præcipuè verò ut Domini nostri nativitatem in sextum mundi millenarium incidisse probaret. Meminit etiam idem Malala Timothei cujusdam gente Persæ, qui ante susceptum Baptismum apud Persas *Bastagarius,* sive *Bajulus* fuerat. Ex quo plura refert de Manichæis, eorumque Episcopo Indarazaro, Persarum Regis jussu occisis, præsente & spectante Christianorum Episcopo; de facultatibus eorum publicatis; libris igni traditis; Ecclesiis Catholicis addictis; promulgato etiam Edicto, ut si per Imperium Persicum Manichæus inveniretur, igne absumeretur. Sub Justiniani Imperio hæc contigisse narrat Timotheus, & ex eo Malala lib. XVIII. p. 178. De quibus tamen nulla alibi habetur mentio.

ZOZIMAS, Monasterii cujusdam in Palestinâ, ut videtur, Abbas, sive Archimandrita. Multis contendit Possinus eundem fuisse cum celebri illo Zosima, qui disciplinæ Monasticæ in quodam Palæstinæ cœnobio à puero traditus, ultra LIII. annos in vitâ asceticâ perseveravit, & Mariæ Ægyptiacæ anno CCCCXXXII. defunctæ, funus curavit, ductis pro sententiâ suâ argumentis, à loco, tempore, & utriusque genio & moribus. Verùm an tanti sint, ut eruditos in partes suas pertrahant, haud operæ pretium erit pluribus excutere. Extant ejus Διαλογισμοὶ, seu *Alloquia Ascetica,* XIV. capitulis comprehensa, ex ejus ore, à quodam illius discipulo, excepta. Edita sunt Gr. Lat. in Possini *Thes. Ascet.* p. 279. Magni hoc opusculum facit Possinus *propter efflorescentem in illo genuinam indolem verè Asceticorum sensuum, & quendam suavissimè fragrantem ex uberi, quâ penitus imbuitur unctione spiritus, heroicæ sanctimoniæ odorem,* ut ejus verba sunt. Notat præterea Joan. Moschum, *Prati spiritualis* consarcinatorem, multa ex his Alloquiis, imò integra quandoque capita, exscripsisse.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO SECUNDA
DE
LIBRIS ET OFFICIIS ECCLESIASTICIS
GRÆCORUM.

De Libris Eccleſiaſticis Græcorum acturo, liceat mihi L. Allatii, viri in his literis ſummi, verbis præfari. " Græcorum Eccleſiaſtici libri, plures nec " unius generis ſunt, in eamque jam " excreverunt molem, ut attentiùs introſpicienti " haud fieri poſſe videatur, ut per annum, ab homine id ſtudioſiùs incumbente, nec aliis negotiis implicito, recitentur, tantùm abeſt ut cantu etiam & " per intervalla temporum reſpirante, commodè acc" cenſeantur. Illius etenim generis religio increbreſ" cens unicuique de novo, dummodò ſanctorum " res pertractantur, acceſſionem facere & ingentia " duplicare volumina permiſit. Hinc maximam li" brorum copiam majorem fecit, & novis ſemper " additis, molem, in immenſum adauxit. Hæc vir in rebus gentis ſuæ egregiè inſtructus, Græcorum ſui temporis longè doctiſſimus, qui duplicem proinde *Diſſertationem* hac de re inſtituit, ad Gabr. Naudæum unam; ad Joann. Aubertum alteram edit. *Pariſ.* 1645. 4°. Verùm cum Allatio Divinorum officiorum potiores ſolummodò & uſitatiores libros, idque modo ſatis prolixo percenſere placuit, nos minutiores etiam libellos ſæpe & particulares magni alicujus operis vel officii formulas & διατάξεις in Cenſum noſtrum referemus, idque ſummatim & paucis, Lectores qui plura deſiderant, ad Lexicographos Eccleſiaſticos, aliosque qui de his latiùs ſcripſerunt, remittentes. Neque enim doctis hæc ſcribimus, ſed in juniorum φιλαρχαίων gratiam, qui libris ad hunc uſum commodis, deſtituti ſunt. Quo verò meliori ordine res agatur, obſervationes & collectanea noſtra, methodo Alphabeticâ diſponemus. Sic itaque exordimur.

ʽΑΓΙΑΣΜΟ'Σ. De vulgaribus hujus vocis ſignificationibus jam non agitur. Notat hoc loco ſolennem aquæ benedictionem, juxta quam apud Græcos peragi ſolet. Cujus duplicem habemus ordinem ſeu διάταξιν in Euchologio. Prima dicitur Ἀκολουθία τοῦ μεγάλου ἁγιασμοῦ τῶν θείων Θεοφανείων, & ſemel tantùm in anno uſurpatur, in feſto nempe *Theophaniorum*, quando aqua Solenni ritu conſecratur. Extat apud Goarum in *Euchologio*, p.453. Ex quo etiam diſcimus duplicem hoc tempore aquæ fieri benedictionem, primam in feſti pervigilio, ex qua bibitur, populus aſpergitur, domus luſtrantur; alteram, quæ ipſo die feſto inter Miſſarum Solennia facta eſt, quæ proinde ſanctior habetur, majorique curâ aſſervatur & pœnitentibus nondum in Eccleſiæ communionem plenè receptis propinari ſolet. Hoc etiam ritu memoriam baptiſmatis Chriſti, hoc die olim peracti renovabant, cujus baptiſmo, aquarum omnium naturam adeò uſque ſanctificatam fuiſſe crediderunt Veteres, ut aquæ profundâ hâc nocte hauſtæ, domumque portatæ non in unum modò, ſed quandoque in plures annos incorruptæ ſervabantur, diſertè id teſtante Chryſoſtomo Homil. *de Baptiſm. Chriſti*, Tom. I. p. 278. Altera dicta eſt Ἀκολουθία τοῦ μικροῦ ἁγιασμοῦ, & recitatur in communi aquæ benedictione, non modò in Theophaniis, ſed & ſingulis menſibus, vel urgente quavis neceſſitate, à ſacerdote fieri poteſt. Habetur *ibid.* p.441. Utrumque officium in notis ſuis præclarè illuſtrat eruditiſſimus Goarus. Videſis Codin. *de Offic.* Conſtantinop. *cap.* XIV. num. XXVI. XXVII. &c. p.79. ubi ἁγιασμὸν, ſive aquæ benedictionem deſcribit, quę cujuſvis menſis initio (exceptis ſolummodò Septembris die XIV. & Januarii VI.) coram Imperatore in Palatio fieri ſolebat.

ʽΑΓΙΟΠΟΛΙΤΙΚΟ'Ν ΣΤΙ'ΧΗΡΟΝ, *Hymnus* ſive Canticum longiuſculum, ab Andreâ Monacho, Cretenſi Archiepiſcopo, qui ἁγιοπολίτης κατ' ἐξοχὴν dictus eſt, compoſitum; cujus & alia cantica in libris Græcorum paſſim reperiuntur. Ex Codice Barberino meminit hujus στιχηροῦ Goarus *not.* ad *Euchol.* p. 202. Balſamoni dicitur Ἀκολουθία τοῦ ἁγιοπολίτου, qui & Ψαλτῳδημάτων ἁγιοπολιτικῶν meminit.

ΑἿΝΟΙ *Laudes* memorantur in officio τοῦ Ὄρθρου, p, 54. ita nempe apud Gręcos, explicante Goaro, dicuntur Pſalmi Davidici CXLVIII. CXLIX. CL. propter repetitam in iis vocem Αἰνεῖτε, & in Eccleſiaſticis eorum libris paſſim occurrunt.

'ΑΚΑ'ΘΙΣΤΟΣ, *Hymnus* in laudem B. Virginis, ob urbem à Perſarum, Barbarorumque furore, illius, ut ferunt, ope ter ſervatam conditus, idque hâc primùm occaſione. Obſeſſâ urbe Regiâ imperante Heraclio, ex unâ parte à numeroſo exercitu ſub Sarbaro Choſroæ Perſarum Regis Duce, ex alterâ à Chagano Scythâ, Sergius Patriarchâ imaginem Deiparæ Virginis non manufactam ulnis ſuis geſtans, cum toto populo ſupplicationes inceſſanter fecit; quo facto Heraclius mox inſignem de hoſtibus victoriam reportavit. Unde populus totam noctem abſq; ulla intermiſſione Hymnum pro gratiarum actione Deiparæ decantavit. Idem poſtea ſub Conſtantino Pogonato, & tertium ſub Leone Iſauro, infeſtantibus Agarenis, factum. Hinc feſtum inſtitutum, hinc Hymnus Sabbato quintæ hebdomadis Quadrageſimæ in perpetuum decantandus, Ἀκάθιστος, quaſi ſeſſione carens, dictus (inquit Triodium hâc die) διότι ὀρθοστάδην τότε πᾶς ὁ λαὸς κατὰ τὴν νύκτα ἐκείνην τὸν ὕμνον τῇ τοῦ λόγου μητρὶ ἐμελῴδησαν. *Quod totus populus tota nocte ſtando Hymnum Deiparæ concinuerit, quodque, cùm in omnibus aliis ædibus ex more ſedere liceat, in iſtis Divinæ Matris erecti omnes ſtantes auſcultamus.* Narrat Codinus *de Offic.* Conſtantinop. cap. XII. *ſect.* X. p.71. Ex quatuor Vigiliis, quæ quotannis in Palatio celebrari ſolebant, ſecundam fuiſſe τοῦ Ἀκαθίστου. Extat hoc officium in Horologio Gręcorum *Venet.* 1535. aliiſque annis non ſemel inedito. MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCXXXI. *num.* VIII. à fol. 24. uſque ad 37. hoc initio, Βουλὴν προαιώνιον ἀποκαλύπτων σοι κόρη Γαβριὴλ ἐφίστηκε, &c. Hymni hujus originem, & integram triplicis liberationis urbis Conſtantinop. hiſtoriam

historiam

storiam accuratè describit Anonymus Auctor *Orat. Histor.* in festum τῆς Ἀκαθίστε, quam Gr. Lat. edidit Combefisius *Auct. Nov.* Tom.II.p.805.

ʼΑΜΑΡΤΩΛΩΝ ΣΩΤΗΡΙΑ. Liber Ecclesiasticus, ab Agapio Cretensi apud Montem Athum Monacho, viro in scriptis tum Græcorum, tum Latinorum, non inerudito, linguâ vulgari, ex diversis Græcorum Latinorumque operibus, tribus partibus absolutus, quo pia documenta, variique sermones Ethnici continentur. Parte tertiâ in laudes B. Virginis se effundit, deque miraculis vel ab ea, vel ejus nomine, patratis copiosè agit. Editum est ab ipsomet auctore hoc opus *Venet.* ap. Ant. Julian. anno 1641. 4*to*.

ʼΑΜΩΜΟΣ. Ita dictus est Psalmus CXVIII. eò quòd ab his verbis incipit, Μακάριοι οἱ ἄμωμοι, & in sabbato τῆς ἀπολυσίμε, seu Sabbato secundæ hebdomadis Jejuniorum cani solet. Ejus passim mentio fit in libris Græcorum ritualibus, in *Euchologio* non semel. Vide p. 53. 483. 561. Confer etiam Meursii *Glossar.* & Suiceri Thesaurum in hâc voce.

ʼΑΝΑΒΑΘΜΟὶ, *Psalmi graduales*, seu *Cantica graduum* apud Hebræos, Græcos, & Latinos, satis nota. In Divinis Græcorum Officiis, certis quibusdam temporibus suum etiam habent locum. Vide quæ hâc de re congessit Du Fresnius in Glossariis suis, tum Græco, tum Latino; quæque Commentarios, tam veteres, quàm recentiores ad hos psalmos notare solent.

ʼΑΝΑΓΝΩ΄ΣΕΙΣ, *Lectiones*, seu ut Latini potiùs dicerent, *Lectionarius*: In quo libro partes seu segmina ex veteris Testamenti libris excerpta, variisque anni diebus, pro dierum festorum solennitate, in Ecclesia recitari solita, continentur, in unum volumen redacta, ut faciliùs & commodiùs præ manibus habeantur. Prostat liber MS. passim in Monasteriis Græcorum, & potissimum in Bibliothecâ Vaticanâ & Barberinâ, *num.* XVI. & XVII. monente L. Allatio *Dissert.* I. p. 53. & *Diatr. de Georg.* p. 417. qui tamen notat hunc librum diversum esse ab aliis Lectionibus prolixioribus, quas non ex sacris literis, sed ex sanctorum Patrum opusculis desumptas iidem Græci inter Divina sua Officia recitant.

ʼΑΝΤΟΛΌΓΙΟΝ. Latinè dicas *Florilegium*, opus in duodecim menses divisum, quo continentur Officia quæ per totum annum in Domini nostri Jesu Christi, B. Virginis Deiparæ, & reliquorum celebrium Sanctorum solemnitatibus solent decantari, ut & communia Officia in unum pluresve Prophetas, Apostolos, Martyres, Pontifices, Confessores, & alios. Contextum est hoc opus ad modum, qui in Menæis observatur, & maximam partem ex iis desumptum; in hoc verò differt, quòd in Menæis omnia ferè Sanctorum Festa sua habent quæque Officia, *i. e.* Hymnos, Preces, & Lectiones: in hoc præcipua tantùm, quandóque & nulla; ita verbi gratiâ à prima Septembris die usque ad septimam, nulla pro diebus festis Officia reperiuntur, quæ tamen in Menæo satis frequentia continentur. In Menæis integra festorum Officia exhibentur; in Anthologio plura memorantur tantùm, verbáque illorum initialia solummodò ponuntur. Denique p. 288. habentur plures Orationes cuilibet sanctæ & magnæ hebdomadis diei convenientes, & lectiones ex Evangeliis depromptæ, festo Paschali propriæ. In duo volumina dispertitur. Primum continet sex menses à prima die mensis Septembris usque ad finem Februarii; Secundum sex æstivales à Martio scilicet, ad Augustum. Ultimum in codice Cæsareo obtinent locum Canones aliquot Paracletici Joannis Euchaitensis. Quorum unumquodque peculiarem suam habet Acrostichidem, quæ itidem ut quælibet Ode nona nomine Joannis insignita est. Opus immensum, novis subinde additionibus auctum. Inde in postremarum editionum titulis πλουσιώτατον dicitur, aliáque quædam necessaria officia & interpretationes continere notatur, quæ in prioribus Anthologiis desiderabuntur. Hinc posteriorum correctorum libidinem hâc in parte acriùs carpit L. Allatius, p. 89. qui talem de hoc opere censuram fert. *Liber, ut verum fatear, lucri causâ excogitatus, ferè enim nihil in eo est, si recentiora quædam addita excipias, quæ eradi tanquam noxia operæ pretium fuerit, quod non in Menæis & Paracletice, aliisque libris & commodius & accuratius digestum sit.* Habetur Gr. MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* juxta Lambec. CCCIX. juxta Nessel: CXLVI. suum etiam Anthologium habuit Allatius, à se sæpiùs citatum, nec in aliis illustrioribus Europæ Bibliothecis deesse videtur. Editum est hoc Opus *Venetiis* anno 1621. deinde typis *Pinelli*, accurante Theophylacto Tzanphurnaro, Hieromonacho *ibid.* 1639. Huic editioni subnectitur Πασχάλιον, sive *Calendarium Paschale*, L. annorum, nempe ab an. MDCXLII. usque ad finem an. MDCXCII. In quo id obiter notare licet, Græcos in celebrando Paschatis die eandem cum Ecclesiâ Anglicanâ rationem tenere; ita exempli causâ anno MDCLXXXV. Pascha eorum, sicut & nostrum, incidebat in diem Aprilis XIX. Variant nihilominùs in Cyclo lunari; sic nempe eodem ipso anno, Cyclus lunaris, sive *aureus*, ut vocatur *numerus*, nobis erat XIV. Græcis verò XI.

ʼΑΝΘΟΛΟΓΙΟΝ ΝΕΌΝ, sive *Florilegium novum*, ex omnibus penè Divinorum Officiorum voluminibus, in Presbyterorum & Monachorum Græcorum usum & sublevamen excerptum, laborem in se recipiente, idque jussu Antonii Sanctorii Cardinalis, nationis Græcorum Protectoris, Antonio Arcudio Corcyrensi. In hoc Breviario, rubricæ generales exhibentur, Psalterium cum Canticis, Horologium, Officium feriale, Officium Ἀναστασίμου ὀκτωήχου, Corporis Christi, ordo defunctorum, Pentecostarium, Lectiones Sanctorum communium simplicium, propriáque ipsorum Synaxaria, Domini solennitatum, B. Virginis, cæterorúmque insignium, tum duplicium, tum semi-duplicium, festorum dierum integra per annum Officia, aliáque non pauca. Edidit hoc Opus Arcudius *Rom.* 1598. 4*to*. Acriùs hoc opus perstringit L. Allatius, p. 105. quasi in eo componendo, compilator se intra sanctorum Patrum terminos non continuisset, & plus sapere visus est, quàm ipse Divinus Spiritus voluit, cùm vetera immutaret, integra obtruncat, perfecta immiscet, & de suo addit incompta atque insulsa, neque cum Græcis ipsis communia. *Quo pacto stomachum*, inquit, *sapientibus movit, & opus aliàs laudabile dehonestavit.*

ʼΑΝΤΊΦΩΝΑ. Sensu primo, proximéque proprio, hæc vox notat Canticum Ecclesiasticum alternum, cùm Psalmi aut Hymni ab utraque parte Chori alternatim canuntur. Habet verò & strictiorem significationem; sumitur enim pro Officio Ecclesiastico, ex variis Psalmis diversorum versuum, qui magis solennitatis mysterium exprimunt, collecto. Et hæc Antiphona pro magnâ anni parte, in diebus Dominicis recitatur. Dividuntur in primum & secundum Antiphonum; De quibus L. Allatius *Dissert.* I. p. 15. hæc nos docet. In primo post singulos versus recitatur, ταῖς πρεσβείαις τῆς Θεοτόκου Σῶτερ σῶσον ἡμᾶς, *precibus Deiparæ salvator salva nos*: In secundo pro solennitatum diversitate versui adnectitur formula solennitatem exprimens, ut in die Paschatis dicitur, Σῶσον ἡμᾶς, υἱὲ Θεοῦ ὁ ἀναστὰς ἐκ νεκρῶν, ψάλλοντάς

λοντάς σοι ἀλληλύϊα. *Salva nos, fili Dei, qui à mortuis resurrexisti, canentes tibi alleluia:* In Pentecostes, Σῶσον ἡμᾶς, υἱὲ Θεῦ παράκλητε ἀγαθὲ ψάλλοντάς σοι ἀλληλύϊα, *Salva nos, fili Dei paraclete bone, canentes tibi alleluia;* & sic de aliis terminatis versiculis idem repetitur. In nunc & semper dicitur illud, Ὁ μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος τοῦ Θεοῦ ἀθάνατος ὑπάρχων, *Unigenitus filius, & sermo Dei, immortalis existens*, &c. Postmodùm tertia statio excipit, quæ & tertium Antiphonum vocatur; Versiculi Psalmorum cum Tropario proprio solennitatis, cujus vicem, cum Typica dicuntur, beatitudines occupant; in quarum postremis tertiæ, sextæque odæ Troparia, sive Paracletices, recitantur. De his Antiphonis vide etiam quæ habet Goarus ad *Euchológ.* p. 123.

Ἀπόδειπνον, Latinè dicas *Completorium*, Officium scilicet Ecclesiasticum, quod post sumptam cœnam decantatur. Vocatur τῶν ἀποδείπνων ἀκολουθία. Duplex hâc de re apud Græcos officium occurrit. Primum μέγα dictum, quod per totam Quadragesimam psallitur. Et præsertim canuntur XII. Psalmi, ἀπὸ τοῦ ὑψώσω κύριε, usque ad κύριε εἰσάκουσον. Quod quidem in Monasteriis fieri solet. Sacerdotes verò Sæculares & Monachi iter facientes hos Psalmos omittunt. Alterum μικρὸν dicitur, & per reliquum anni tempus celebratur. Utrumque Officium in Græcorum Horologio reperitur. Confer Meursium, Suicerum, & du Fresn. in voce Ἀπόδειπνον.

Ἀπόστολος, seu, ut in Euchologio Goariano, p. 233. vocatur Ἀποστολικὸν βιβλίον, quòd potior, majorque illius pars ex Epistolis Apostoli Pauli concinnatur. Continet quippe Lectiones ex Epistolis canonicis Apostolorum, præsertim Sancti Pauli desumptas. Hinc in ordinatione Lectoris Pontifex tradit ei τὸν Ἀπόστολον, *Euchol.* p. 236. & in *Liturgiâ Chrysost.* p. 68. Lector profert Τὸ προκείμενον ἀποστόλε καὶ τῆς ἡμέρας; *Propositum Apostoli & diei*, mox καὶ τοῦ ἀποστόλε πληρωθέντος, *& lectione Apostoli completâ sacerdos exclamat*, &c. Hic liber tempore S. Sabæ jam in usu fuit, teste Cyrillo Scythopolitano in *Vita* ejus, num. LXXV. ap. Cotel. *Monum.* T. III. p. 351. Lector qui Epistolas S. Pauli Apostoli publicè in Ecclesiâ legit, φροταποστολάριος vocatur, cujus meminit Codinus *de Offic.* CP. cap. VI. num. XIV. p. 44. Editus est hic liber *Venet.* 1641. hoc titulo, Ἀπόστολος σὺν Θεῷ ἁγίῳ. De Πραξαποστόλῳ agemus suo loco.

Ἀποστολοευάγγελον, liber complectens lectiones Apostolicas simul & Evangelia, quæ in sacris Liturgiis, singulis diebus aut festis, præsertim Dominicalibus, iisque quæ B. Virginis Martyrúmque honori dedicata sunt, leguntur. Agit de hoc libro *Euchologium* non uno loco. Extant Ἀποστολοευάγγελα, totius anni, juxta XII. menses disposita, certis quibusdam diebus recitanda, summatim exposita in *Euchologio*, p. 904. Ubi etiam habentur Ἀποστολοευάγγελα, in mulieres martyres, in moniales, in moniales simul & martyres, & XI. matutina Evangelia τὰ ἀναστάσιμα, seu *memoriam resurrectionis habentia.*

Βάϊα sive Κυριακὴ τῶν βαΐων, *Dominica in Palmis*, quâ populus inter matutinas laudes decantandas, palmas manibus gestare solet ad imitationem turbæ Hierosolymitanæ, Christum Hierosolyma ingredientem præeuntis, palmásque manibus ferentis. Extant in *Euchologio*, p. 744. Εὐχὴ εἰς τὸ δοῦναι τὰ βάϊα τῇ βαϊοφόρῳ, *Oratio ad palmas ipso palmarum die distribuendas.* Et ipsum festum τῶν βαΐων ἑορτὴ, sive ἡ βαϊοφόρος ἡμέρα vulgò dicitur. De festo Palmarum vide quæ habet Codinus *de Offic.* CP. cap. X. p. 66. quæque ad illud caput notavit Gretserus, p. 238.

Βάπτισμα. Ritus & ceremonias describere, quibus Baptismus apud Græcos peragi solet, non est hujus loci. In *Euchologio* huc pertinent quæ sequuntur Officia. I. Εὐχὴ εἰς τὸ κατασφραγίσαι παιδίον, *Oratio ad cruce signandum puerum suscipientem nomen octavâ die nativitatis suæ*, p. 321. Officium hoc Baptismo præambulum est, & Catechumenatûs vicem supplere videtur, cùm Catechumeni olim nomen suum Ecclesiæ dare tenebantur. II. Ἀκολουθία τοῦ ἁγίε βαπτίσματος, *Officium S. Baptismatis* p. 350. Cujus Officii varia exemplaria ex codicibus MSS. exhibet Goarus. Integrum baptismum apud Græcos celebrandi ritum ex Euchologio latinè exhibet, scholiisque suis illustrat P. Arcudius *de Concord. Sacram.* l. I. c. 17. p. 57. III. Εὐχὴ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος τῶν εἰς ἀποθνήσκον νήπιον, *Oratio S. Baptismatis in puerum letho proximum* p. 370. cùm nempe urget vel morbus, vel instantis mortis necessitas, ut baptismus contractiori formulâ peragatur. IV. Εὐχὴ εἰς τὸ ἀπολοῦσαι νεοφώτιστον τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ, *Oratio ad abluendum recens illuminatum octavâ die, sive Ablutio post Baptismum* p. 371. Moris quippe erat in Ecclesiâ ab omnibus retroactis sæculis, ut Octavâ post baptismum die Neophyti vestes candidas depositurі in Ecclesiam convenirent. Cui postea accessit *Ablutio* sive Abstersio, ne forte aquæ baptismalis, vel Chrismatis aliquid excidens deperdatur.

Βασίλειοι. Hoc nomine in scriptis Ecclesiasticis Græcorum veniunt quatuor libri; nempe Samuelis II. Regum II. qui in sacro veteris Instrumenti canone habentur. De quibus vide *Constitut. Apost.* lib. I. cap. 5. 6.

Βίβλος κανόνων, *Codex Canonum*, quo usa est Ecclesia universa, continens priorum IV. Conciliorum generalium, ut & Ancyrani, Neocæsariensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodiceni canones, continuatâ numerorum serie dispositos, qui sibimet invicem hoc ordine succedunt. Concilii Nicæni (primo quidem loco positi, διὰ τὴν τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου αὐθεντίαν, ut ipsius codicis verba sunt, *propter Synodi Oecumenicæ auctoritatem*) Canones XX. Ancyrani XXV. Neocæsariensis XIV. Gangrensis XX. Antiocheni XXV. Laodiceni LIX. Constantinopolitani primi VII. Ephesini VIII. Chalcedonensis XXIX. omnes numero CCVII. Hinc in Actis Conciliorum, præsertim Ephesini & Chalcedonensis (ut de scriptoribus Ecclesiasticis nil dicam) toties occurrit formula, fieri aliquid παρὰ τὴν τῶν κανόνων ἀκολουθίαν, damnari quempiam διὰ τὴν ἐκκλησιαστικῶν θεσμῶν ἀκολουθίαν, & κατὰ τὴν τῶν κανόνων τάξιν: quia nempe Codex Canonum, quo tunc usi sunt, continuatâ numerorum serie & Consequentia decurrebat. Prima hujus codicis mentio occurrit in Actis Concilii Chalcedonensis, cujus canones ei demùm accesserunt; ita Act. XI. ἀπὸ τοῦ βιβλίε recitantur Canones XCV. & XCVI. qui Concilii Antiocheni sunt XVI. & XVII. Act. XIII. ex eodem codice legitur Canon IV. qui inter Nicænæ Synodi canones quartum habet locum. Et Act. IV. sumpto libro, Ætius Archidiaconus & Primicerius magnæ Ecclesiæ legit ex eo canonem LXXXIII. & LXXXIV. qui quidem Concilii Antiocheni sunt IV. & V. In Codice Encyclico Epistola Synodica XLI. † (quæ est Episcoporum Pisidiæ ad Leonem Imp.) Timotheum ejusque asseclas ex Ecclesiâ Dei ejiciendos judicant *secundum Consequentiam regularem.* Quænam verò hæc fuerit, nos docent quæ sequuntur; *sicut* (inquiunt) *tertia & octogesima regula de talibus apertè decernit, cujus initium est, si quis Episcopus à Synodo depositus, aut presbyter*, &c. Jam verò LXXXIII[ia]. Codicis nostri regula est Synodi Antiochenæ Canon IV. qui eodem modo incipit. De Codicis hujus

† Conc. To. IV. col. 2981

Q

hujus origine, variisque incrementis non pauca diximus in observationibus nostris ad Concilium Chalcedonense anno CCCCLI. p. 175. 176. hic non repetenda. Primus hunc codicem è tenebris eruit, & versione notisque adornatum Græc. Lat. edidit Christoph. Justellus *Par.* 1610. 8vo. Transtulit deinde in Bibliothecam suam Juris Canonici Henricus Christophori F. *Tom.* 1. p. 1. ann. MDCLXI. Recudit demùm præmissâ historicâ relatione *de collectionibus Canonum* G. Th. Maierus *Helmst.* 1663. 4to. Alius ab hoc est *Codex Ecclesiæ Orientalis*, vel idem potiùs à sextæ Synodi Patribus anno DCLXXXI. insigniter auctus, de quo etiam diximus loco citato. Hunc ex codice MS. Ecclesiæ Pictaviensis Græcè extulit Joan. Tilius, posteà Meldensis Episcopus, *Par.* 1540. 8vo. In posteriori hoc Codice locum habent Canones Sardicenses, qui in Codice Ecclesiæ Universæ desiderantur. Ut ἐβλεψίαν suam egregiè prodiderit Cardinalis Perronius †, dum Christoph. Justellum sublestæ fidei in edendo Codice Canonum Ecclesiæ Universæ arguere voluit, quòd hos Canones suppresserit. Nesciis utique, alium esse Ecclesiæ *Universæ*, alium Ecclesiæ *Orientalis* Codicem. Quo nomine jure vapulat Henrico Christophori filio in Præfat. generali *ad Biblioth. Juris Canonici Veteris.* Convenit penè inter omnes Veteribus in more fuisse positum, ut quoties in synodum coirent, de rebus vel fidei, vel disciplinæ acturi, cum duplici jure judicandum esset, Divino nempe & Canonico, in medio consessûs super tabulam collocatus sit à dextrâ parte Codex Evangeliorum, è sinistrâ Codex Canonum. Et de Codice quidem Evangeliorum disertissimè affirmat Cyrillus * Alexandrinus, ubi de synodo Ephesinâ agens, ἔκειτο γὰρ ἐν ἁγίῳ θρόνῳ τὸ σεπτὸν εὐαγγέλιον, μονονουχὶ καὶ ἐπιβοῶν τοῖς ἁγίοις ἱερουργοῖς· κρίμα δίκαιον κρίνατε. *Venerandum enim Evangelium in sancto throno collocatum erat, illud tantùm non sanctorum sacerdotum auribus insonans; justum judicium judicate.* Et plena sunt Conciliorum Acta; imò ipsis oculis id demonstrant Picturæ veteres, quæ etiam hodie supersunt. E multis unicum exemplum dabo. Bethlehemi in Ecclesiâ Dominicæ Nativitatis, inter alia monumenta, ex utrâque parietum parte, Meridionali & Aquilonari, infra fenestras Ecclesiæ in sex quadratis spatiis ex musivo opere totidem sunt arcus figurati, sive fornices, quæ totidem Conciliorum memoriam exhibent. Pars meridionalis sex continet Concilia Oecumenica, Nicænum, Constantinopolitanum I. Ephesinum, Chalcedonense, Constantinopolitanum II. Constantinopolitanum III. Aquilonaris totidem provincialia, viz. Ancyranum, Antiochenum contra Paulum Samosatenum, Sardicense, Gangrense, Laodicenum, & Carthaginense sub Cypriano contra Novatum. Unaquæque fornix suam habet inscriptionem Græcam, quæ istam synodum breviter describit. In medio arcûs visitur plutus, cujus in medio collocatur Codex, quo librum Evangeliorum denotari, nemo, opinor, facilè denegabit. Venerandum hoc Antiquitatis monumentum ab Emanuele Comneno, ut ex inscriptione liquet, absolutum, anno MDCXXVI. descripsit Nic. Quaresmius *Elucidat. Terr. sanctæ* Tom. II. lib. VI. cap. 13. Inscriptiones Græcas, & Parietis Aquilonaris delineationem ex Oriente sibi transmissam, & æri elegantèr incisam exhibet vir illustris pariter ac eruditus Joa. Ciampinus lib. *de sacris Ædificiis Constantini M.* cap. 24. p. 150. qui & alibi de hoc more ex Veterum monumentis agit, nempe in elegantissimo opere de *vet. Monument. Musiv.* cap. 16. p. 133. & cap. 25. p. 236. Vide etiam cap. 22. p. 201. Et de codice Evangeliorum hactenus. De codice Canonum non adeò clara sunt Veterum testimonia, etsi admodùm probabile est, & tantùm non certum; cùm in Actis Conciliorum legimus præstò semper fuisse ad manum, & datâ Canones relegendi occasione, à diacono in manus sumi solere sine ullâ introductionis mentione. His adde quòd in supramemorati operis Bethlehemitici Quadrato sexto, quod synodi Carthaginensis memoriam conservat, sub duplici arcu bini repræsentantur suggestus. Codice utrique superimposito. An hic codicem Evangeliorum, alter Canonum Codicem denotet, lectori erudito perpendendum relinquimus; Certè à magnâ verisimilitudine non abhorret. Suum denique synodicon habet Ecclesia Æthiopica, quæ Græcorum ritus Ecclesiasticos ut plurimùm sequitur. Præter enim librum, quem *Synodum* vocant, Apostolorum Constitutiones & Canones, sed à nostris tum rebus, tum verbis, necnon ordine & numero valdè discrepantes, complectentem; habent Habessini & Codicem Conciliorum, nempe Ancyrani, Neocæsariensis, Nicæni, Gangrensis, Antiocheni, Laodicensis, & Sardicensis canones continentem; de quo plura te docebit, lector, vir in his literis sine pari, Job. Ludolfus *Hist. Æthiop.* lib. III. *cap.* 4. Pleniùs *Comment. Æthiop.* lib. III. *cap.* 4. *num.* xxx. p. 301.

† Resp. ad M Brit. Reg. l. 1. c. 53.

* Apologet. ad Theod. Imp. Tom. VI. p. 251.

ΓΕΡΟΝΤΙΚΟ'Ν. Opus est in quo dicta & facta vetustiorum Ἀσκητῶν congesta sunt. Frequens Gerontici apud Scriptores Græcos mentio. Cujusmodi opera primùm in Ægypto contexta sunt. Qualia, Apophthegmata ἁγίων γερόντων à Cotelerio Gr. Lat. in lucem emissa *Monument.* T. I. p. 341. *Excerpta* ex Palladii Historiâ Lausiacâ T. III. p. 158. Παράδεισος, sive *Ægyptiorum Monachorum Historia* ibid. p. 171. Joan. Moschi *Pratum spirituale* Biblioth. PP. Gr. Lat. T. II. ut alia prætermittam. Plura MSS. delitescunt. Ex quibus quædam in Ecclesiâ publicè leguntur, id quod de Joannis Climaci (qui & ipse cap. 56. βιβλίον γεροντικὸν memorat) opere satis constat, ut infrà notabimus. De hoc Climaci opere vide quæ diximus *suprà* p. 346.

ΔΙΑΚΟΝΙΚΟ'Ν. Hæc vox non unam apud Scriptores Ecclesiasticos significationem obtinet. Sumitur quandoque pro eâ Ecclesiæ parte, in quâ dum sacra fiunt, diaconi consistere solebant; nempe in soleâ, & ad Bematis cancellos; aliquando pro æde Ecclesiæ adjunctâ, in quâ vasa sacra & vestes reponebantur, quorum curam habebant diaconi, de quo non pauca congessit Gothofredus ad *Philostorgii* lib. VII. c. 3. p. 276. quandoque pro collectâ seu eâ precum publicarum parte, quam diaconi pronunciabant. Hoc verò loco librum denotat Ecclesiasticum, quo omnia, inquit L. Allatius, quæ ad diaconi munus obeundum requiruntur, in agendâ re Divinâ & singulis officiis uno veluti fasce continentur. De eo videtur intelligendus esse Joannes Euchaitarum Episcopus cùm carmina εἰς τὸ βιβλίον τῆς Διακονίας τοῦ τροπαιοφόρου scripsit. Vide Allat. *Dissert.* I. p. 97.

ΔΙΔΑΧΑΙ'. Conciones. Homiliæ Ecclesiasticæ, quæ vetustioribus Διδασκαλίαι vocabantur, recentioribus Græcis Διδαχαὶ dictæ sunt; conciones nempe in præcipua anni festa, quæ ferè semper in procemium & duas στάσεις distinguuntur. Cujusmodi, inquit Du-Fresnius in verb. Διδαχαὶ, erant, Alexii Rharturi presbyteri & Chartophylacis Corcyræ editæ *Venet.* an. MDLX. quo & vixit; & aliæ nescio cujus anonymi in *Cod. Colbert.* MMMMDCXXXIV. An verò hujusmodi conciones à privatis Doctoribus compositæ, in publicis Ecclesiæ cœtibus recitatæ sint, non constat.

ΔΙΠΛΟΚΑΤΗΧΟΎΜΕΝΟΝ. Cantici Ecclesiastici species erat; iterata fortè precatio pro Catechumenis, inquit Cl. Du Fresnius, qui ad conjecturam suam firmandam, locum unum alterúmve ex

Digitized by Google

ex Horologio MS. in Officio Quadragesimæ profert *Append.* ad *Gloss. Græc.* col. 59.

ΔΙ'ΠΤΥΧΑ. Nota satis est & vox & res. Duplices erant Tabulæ, quarum unâ Patriarcharum, Pontificum, Episcoporum, qui majoribus Ecclesiis præsidebant, & in vivis erant, nomina inscribebantur; in alterâ mortuorum, eorum nempe qui in pace & communione Ecclesiæ diem suum obierant, quæque ex his Tabulis inter sacrorum solennia à Diacono ad altare recitari solebant. Episcopi alicujus nomen his Tabulis inditum communionis erat tessera & indicium. Ubi verò alicui denegatur, nomen ejus è publicis Ecclesiæ Tabulis erasum est. Mos satis antiquus, & quarto saltem sæculo, si non retroactis Temporibus usurpatus. Verùm non modò Episcoporum, sed & aliorum sanctitate illustrium, præcipuè Imperatorum Orthodoxorum nomina hisce Tabulis inscripta fuerunt, & ex iisdem recitata. Quin & Conciliorum Oecumenicorum; ut fidem nobis facit Justiniani Imp. Epistola † ad Epiphanium Patriarcham CP. & nos etiam ad Concilium Chalcedonense notavimus, ubi de *Codice Canonum Ecclesiæ universæ* agimus. Plena est harum Tabularum in Scriptoribus Ecclesiasticis, plena in Conciliorum Monumentis, ubique mentio. De Diptychis agunt Durantus *de Ritibus Ecclesiæ* lib. II. c. 43. num. VIII. IX. p. 717. Habertus *Pontif. Græc.* p. 156. Goar. ad *Euchol.* p. 143. Mastrictius Schediasm. *De susceptor. in Baptismo*, & *Hist. jur. Ecclef.* num. II. p. 7. præsertim verò Lexicographi Ecclesiastici, Du Fresnius in Glossario tùm Græco col. 314. tum Lat. col. 107. &c. Meursius & Suicerus in *voce* Δίπτυχα.

† Cod. de summ. Trinit. l. 7. prope fin.

'ΕΓΚΑΙ'ΝΙΑ. *Encœnia*, seu ædium sacrarum dedicationes. Ad hanc classem pertinere videntur hæc Euchologii officia. I. Τάξις γινομένη ὅπὶ θεμελίῳ ἐκκλησίας, *ordo observari solitus in fundamento Ecclesiæ ponendo.* II. 'Ακολυθία τῦ ςαυρεγωνγίυ, *Officium circa crucis defixionem* p. 609. III. Τάξις γινομϑύη ἐν τοῖς ἐγκαινίοις, *Ordo in Encœniis*, hoc est, in S. Templi dedicatione servandus p. 832. 844. 845. IV. Τάξις γινομϑύη ἐπὶ σαλυθείσης ἁγίας τραπέζης, *Ordo servandus si mota fuerit sacra mensa* p. 614. Sunt & alia Officia, & Orationes, quæ ad hanc classem pertinere videntur; nempe *Officium in consecratione patinæ & calicis novi* p. 852. *Oratio in aperiendo, sive reconciliando Templo, à Gentilibus, vel ab Hæreticis profanato* p. 620. *In reconciliatione Ecclesiæ in qua hominem violenter mori contigerit* p. 621. & hujusmodi alia.

'ΕΙΡΜΟΛΟ'ΓΙΟΝ, Liber Ecclesiasticus, quo omnes Octoechi 'Ειρμοὶ sive cantus initiales Christi & Deiparæ Festivitatum, totiúsque anni continentur. 'Ειρμὸς appellatur, inquit Zonaras in Canones Anastasimos Damasceni, ὡς ἀκολυθίαν τινὰ ϗ τάξιν μέλυς, καὶ ἁρμονίας διδὺς τοῖς μετ' αὐτῦ τροπαείοις, *quod seriem quandam & connexionem & ordinem cantûs & consonantiæ tribuat consequentibus post se troparüs.* Hermus itaque, explicante L. Allatio *Dissert.* I. p. 98. est hymnus, sive troparium à quo reliquorum Tropariorum quæ in eâ ode canuntur, consequentia & series ducitur. Canon nempe est & regula modulationis subsequentium Tropariorum. Editum est hujusmodi Hermologium *Venet.* anno 1603. 8°. Novissimum, ni fallor, prodiit *ibid.* anno 1643. Ad finem habetur Tabula VII. Conciliorum Oecumenicorum, Index graduum prohibitæ affinitatis, VII. peccatorum mortalium, VII. gratiarum. VII. mysteriorum seu sacramentorum, & IV. naturalium virtutum tùm animæ, tùm corporis. Habetur MS. tùm alibi, tùm Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CCLXXXV. n. iii. fol. 264. Extare in Bibliothecâ Barberinâ 'Ειρμολόγιον totius anni, quemadmodum in Monte Sancto cani consuevit, à Josaphato Cucuzele hieromonacho notis musicis adornatum, testis est idem Allatius, p. 99. Dicitur hic Cucuzeles, ὁ νεὸς, nempe ut à seniore distinguatur. Erat is Magister Joannes Cucuzeles, qui contexuit τὴν ἅπασαν ἀκολυθίαν τῆς ἐκκλησιαςικῆς τάξεως, *Seriem universi officii Ecclesiastici*, quam antiquis notis Musicis adornavit. Extat Gr. MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CLXXXV. continetque folia 341. 4°. atque ita incipit, Δεῦτε προσκυνήσωμϑυ, &c.

'ΕΙΣΟΔΙΚΟ'Ν. Officium est quod peragitur quando Evangelia, vel dona sacra solenni procedendi ritu, à Sacerdote ad altare deferuntur. Duplex verò apud Græcos, notante Goaro ad *Euchol.* p. 124. est εἴσοδ☉. Prima μικρὰ, quæ & in Euchologio Allatiano in consecratione Episcopi ἡ πρώτη εἴσοδος τῆς θείας ἱερυργίας dicitur, libri nempe Evangeliorum, quem ante faciem elevatum defert Diaconus, in sacrarium introductio. In Liturgiâ Chrysostomianâ p. 67. hoc modo describitur; Sacerdos acceptum sacrum Evangelium tradit Diacono, atque ita porta Septentrionalis partis egressi veniunt ad consuetum locum, καὶ ποιῦσιν τὴν μικρὰν εἴσοδον, *& ingressum minorem peragunt.* Habetur *ibidem* εὐχὴ τῆς εἰσόδυ, quæ μυςικῶς seu *secretò* recitanda est, Εἴσοδος μεγάλη, seu *ingressus major* est, quando sacra dona pompâ magis solenni & augusto apparatu, altari inferuntur. De quo vide quæ prolixè notavit Goarus, *ibid.* p. 131.

'ΕΝΝΑ'ΤΑ, quæ *Novendiaria* reddi possunt: Officium, quod pro defuncto, nono post obitum die, psalmis, aliisque precibus & lectionibus peragitur; quod & tertio & quadragesimo die, factum est. Meminit auctor Constitut. Apost. lib. VIII. cap. 42. col. 506. Ubi etiam τρίτα τῶν κεκοιμϑύων, ϗ τεσσαρακοςὰ & ἐνιαύσια, recenset. Vide quæ ex Justiniani Novellâ, Niceph. Gregorâ, aliisque notat du Fresn. *col.* 387.

'ΕΞΑ'ΨΑΛΜΟΣ, à numero Psalmorum quibus componitur, dictus, sex quippe Psalmos continet; nempe III. XXXVII. LXII. LXXXVII. CII. CXLII. qui utplurimum in matutinis, quandóque etiam & ἐν τοῖς ἀποδείπνοις canuntur. 'Εκ ᾿ὃ τὸ ἀποδείπνου ψάλλωμϑυ τὸ κ᾿ συνηθὲς, ἑξάψαλμον, (ut habetur in Menæo in *Apodeipno*) *canimus consuetum hexapsalmum.* De hexapsalmo, trisapsalmo, aliisque Psalterii partibus, in officium aliquod peculiare redactis, plura te docebit, Lector, L. Allatius *Dissertat.* I. p. 57. Confer etiam du Fresn. *Gloss. Gr.* col. 401.

'ΕΞΟΔΙΑΣΤΙΚΟ'Ν, *Exequiæ.* Ad hunc titulum sequentia Euchologii Officia revocanda sunt. I. 'Ακολυθία εἰς ψυχορραγῦντα, *Officium agentis animam*, p. 737. cùm nempe ægroto penè instat mortis articulus. II. 'Ακολυθία ἐξοδιαςικῦ, *Officium exequiarum*, p. 525. cui subjunctæ sunt Orationes plures ex aliis MSS. circa defunctum usurpandæ. III. 'Ακολυθία ἐξοδιαςικῦ τῶν μοναχῶν, *Officium funeris Monachorum*, p. 544. IV. *In sacerdotem vitâ functum*, p. 561. Quin & viri sæculares, mulieres & pueri vitâ functi sua etiam habent funeris officia.

'ΕΣΠΕΡΙΝΟ'Σ 'ΥΜΝΟΣ, sive *Hymnus vespertinus*, sole jam occidente, cùm lumina inferrentur, in Ecclesia cantari solitus. Incipit. Φῶς ἱλαρὸν ἁγίας δόξης ἀθανάτυ πατρὸς ὐρανίυ, &c. Occurrit passim in codicibus MSS. librisque Græcorum ritualibus; nec semel typis impressus. *Constitut. Apost.* lib. VIII. cap. 36. habetur προσφώνησις ἐπιλύχνιος; & cap. sequenti 'Ευχαριςία ἐπιλύχνιος. Verùm utraque

formula à nostra diversa. Sed lib. VII. cap. 49. occurrit προσευχὴ ἑσπερινὴ, eadem penè & verbis & sensu. Antiquissimum certè hunc hymnum suo tempore fuisse luculenter testatur Basilius; seque illum διὰ τὴν τοῦ χρόνου ἀρχαιότητα in testimonium adducere, lib. *de Spiritu S. cap.* XXIX. p. 359. Non sum nescius Græcos plerosque, & recentiores penè omnes hymnum hunc Athenogeni ad martyrium jam properanti, cujus ibidem meminit Basilius, tribuere. Quisquis verò Basilii locum serio perpenderit facilè videbit, hymnum Athenogenis à nostro apertè distingui. Ac proinde quæ hac de re dicta sunt *hujus Hist. Lit.* p. 57. de vulgari sententia intelligenda sunt. Basilius quippe quis fuerit τῆς ἐπιλυχνίου εὐχαριστίας, Hymni scilicet vespertini auctor, se nescire disertè profitetur; de hymno verò matutino nihil habet. Interim hymnum quendam quo Spiritûs S. Divinitas confirmabatur, scripsisse Athenogenem loco citato expressè tradit. In vetusto quodam codice MS. Ὕμνος τοῦ λυχνικοῦ apellatur, quia in officio Lucernarii principem locum habet. Vide quæ diximus in verbo Λυχνικόν. Addam solummodò quod ante me notarunt Usserius & Fr. Ducæus, gentiles olim talem quandam formulam usurpasse. Certè teste Varrone *de Ling. Lat.* lib. IV. p. 46. Græci cùm lumen adfertur, religiosè solebant dicere, Φῶς ἀγαθόν. Quid mirum igitur si haberent Christiani quod gentilibus opponerent, suum nempe Φῶς ἱλαρὸν, in laudem Domini nostri, qui ἀπαύγασμα τῆς δόξης Dei Patris ab Apostolo dicitur.

Ἐυαγγέλιον. Codex in quo descripta sunt Evangelia, non quidem continuata historiæ Evangelicæ serie, sed in certa τμήματα, sive περικοπὰς divisa, quæ proprias lectiones constituant, ad usum singulorum dierum & festivitatum; modò unius, modò alterius Evangelistæ, textu quandoque etiam plurimis in locis ut opus fuerit, interposito, non ita tamen ut seriem Evangelicam prorsus interrumpant. Exceptis enim solennitatibus, quæ peculiare sibi poscunt Evangelium, in reliquis anni diebus ita dispertiuntur, ut unius priùs Evangelistæ textum in tmemata dividant, & diebus applicent, donec finiat; postmodùm alterius continuent, donec omnia ad exitum perduxerint, & diebus Dominicis, à scriptore Evangelii nomen imponant. Dicunt enim Ἡ πρώτη κυριακὴ τοῦ Ματθαίου ἡ δευτέρα τοῦ Ματθαίου, & sic de aliis. Ubi Codex Evangelistarum terrabiblos sit, τετραευάγγελιον nuncupatur. Pluribus hæc persequitur L. Allatius, *Dissert.* I. p. 54. &c. pluribus Meursius in voce εὐαγγέλια; pluribus du Fresnius *Gloss. Gr.* col. 441. qui & varia Evangelia memorat; nempe ἑωθινὰ, quæ diebus Dominicis in matutinis leguntur; ἑωθινὰ ἀναστάσιμα, numero XI. certis diebus ac hebdomadibus lecta; ὁσιακὰ, quod in festis Sanctorum, secundùm menses aliquot, legantur; denique μικρὰ εὐαγγέλια, quæ à mulieribus vice φυλακτηρίων gestari solebant. Quod & suo jam tempore factum esse testatur simul & reprehendit Isidorus Pelusiota, lib. II. *Epist.* 150. ad Epimachum, p. 178. Diaconus qui Evangelium legit in sacra Liturgiâ εὐαγγελιστὴς vocatur, qui antequàm lectionem suam ad altare incipiat, ut ex liturgiâ Chrysostomianâ liquet, conversus ad sacerdotem benedictionem ejus impetrat his verbis: Ἐυλόγησον δέσποτα τὸν εὐαγγελιστὴν τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ τοῦδε, *benedic, Domine, Evangelistam S. Apostoli & Evangelistæ N.* Editum est hoc θεῖον καὶ ἱερὸν εὐαγγέλιον (hunc enim habet titulum) primùm ab Emmanuele Glyzonio *Venet.* anno, ni fallor, 1599. posteà curâ Theophylacti Hieromonachi apud Joan. Pet. Pinellum, *ibid.* 1645. Præmittitur Præfatio, sive Epistola dedicatoria ad sanctissimum, doctissimúmque Gabrielem Philadelphiæ Metropolitam, & ad Severum Monembasiæ Episcopum, & D. Raphaelis Patriarchæ τοποτηρητὴν, data Julii XXIV. Vitæ IV. Evangelistarum, ex Sophronio Hieronymi interprete, & Dorothei Synopsi, desumptæ, cuilibet Evangelistæ, suo loco præfixæ sunt.

Ἐυαγγελιστάριον, libellus quasi Appendicis vice Evangelio subnexus. In eo continentur Evangelistarum continuatio, unde incipiant, & unde finiant, Canones XXXV. in quibus semper invenitur Dominicarum totius anni Evangelium matutinum, & quis tonus canitur singulis Dominicis, aliaque ad inveniendum diem S. Paschatis necessaria, Paschalium perpetuum, ab Emmanuele Glyzonio compositum. Claudunt libellum canones Evangelici Eusebii Cæsariensis, cum ejusdem ad Carpianum Epistola. Prodiit unà cum Evangelio *Venet.* 1599. & 1645.

Ἐυχέλαιον. Orationes in S. Oleo, seu extremâ unctione administrandâ, recitandæ. Extat Officium in *Euchologio*, p. 408, hoc titulo: Ἀκολουθία τοῦ ἁγίου ἐλαίου ψαλλομένη ὑπὸ ζ. ἱερέων συναχθέντων ἐν ἐκκλησίᾳ ἢ ἐν οἴκῳ, *Officium S. Olei decantatum à septem Sacerdotibus congregatis in Ecclesia, vel domi;* in Ecclesia, si ægrotantis permittant vires; domi, si graviter afflictus, & prostratus sit. Cur ad hoc Officium celebrandum septem requirantur Sacerdotes, varias rationes à numero septenario petitas reddere conatur Symeon Thessalonicensis, leves quidem illas, nec tanti ut excutiantur.

Ἐυχολόγιον, sive *Rituale Græcorum*, continens ritus & ordines Divinæ Liturgiæ, variorum Officiorum Ecclesiasticorum, tum matutinorum, tum vespertinorum, formulas ordinationum, sacramentorum, baptismatis, &c. cum benedictionibus & orationibus, cuilibet personæ, statui, vel tempori, congruis, præter integras Basilii, Chrysostomi, & *Præsanctificatorum* liturgiis. Extat Gr. MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* juxta Lambecium CCCXXVII. juxta Nessel. CCLXXXVI. num. ii. à fol. 308. Omnium antiquissimum videtur illud in Bibliothecâ Barberinâ asservatum, in chartâ pergamenâ, quadratis literis, ante nongentos & plures annos, accuratissimè descriptum. Editum est à Græcis *Venetiis* non semel, nempe ann. 1544. 1550. 1570. 1571. 1600. 1602. 1629. 1638. 1642. Hujus postremæ editionis curam in se suscepit Theophylactus Hieromonachus, qui illam se recognovisse, à mendis quæ in priores irrepserant, repurgâsse; nonnullisque orationibus auxisse gloriatur. Verùm omnium diligentiam longè superavit Jacobus Goar Parisinus, ordinis Prædicatorum Monachus, qui conquisitis undique codicibus tum editis, tum manuscriptis, omnes hujus Euchologii formulas & διατάξεις recensuit & digessit, variantes lectiones collegit, non paucas orationes, & integra officia ex MSS. Euchologiis addidit; versionem latinam adornavit, notis eruditis, figuris æneis, & Onomastico illustravit. Prodiit insigne hoc opus Græcè & Latinè *Paris.* 1645. *fol.* Ex majori Euchologio desumtum est in usum Sacerdotum συνταγμα τινῶν ἀναγκαίων ἀκολουθιῶν καθ' ἑκάστην ἀνηκουσῶν τῷ ἱερεῖ, *necessariorum quorundam officiorum ad Sacerdotem pertinentium, & ex Euchologio desumptorum collectio.* In hac collectione continentur officium vespertinum, & τοῦ ὄρθρου sive *laudum* Ἀποστολοευαγγέλια, sive *Epistolæ & Evangelia* in varias commemorationes Sanctorum, ordo τοῦ μικροῦ ἁγιασμοῦ, pro parva benedictione, ordo communis invocationis, in sponsalibus, ἀκολουθία τοῦ στεφανώματος, seu in coronatione sponsorum, in bigamum, preces in puerperam primo partûs die, preces pro obsignando puero octavo die post partu, preces in puerperam quadragesimo die,

ordo

Digitized by Google

ordo ſacri baptiſmatis, & alia quædam quotidiani uſûs. Editum eſt hoc Syntagma eleganter rubricatum, curante Emmanuele Glyzonio, *Venetiis* apud Franciſcum Julianum anno 1595. 4o.

ἙΩΘΙΝΟ'Σ, Hymnus matutinus, qui in Officio matutino quotidie legi, diebus verò Dominicis & majoribus Eccleſiæ feſtis modulatione quadam cani ſolet. Incipit Δόξα ἐν ὑψίςοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Ἀινῦμέν σε, &c. Deſinit; Ὅτι σὺ εἶ μόνος ἅγιος, σὺ εἶ μόνος κύριος, &c. in Benedictino apud Cantabrigienſes codice circa annum 884. exarato, *Hymnus Angelicus* dictus eſt, quòd initium ducat à cœleſti illâ δοξολογίᾳ, quam Chriſto jam nato, ſacer Angelorum chorus cecinerunt, Luc. 2. 13. 14. Laudes Dei inter ſacrorum ſolennia hymnis celebrare moris erat, non apud Judæos modò & Gentiles, ſed & in Eccleſiâ Chriſtianâ, præeunte cum diſcipulis ſuis Domino noſtro, Matt. XXVI. 30. Dominum ſecuti ſunt Apoſtoli; Κατὰ τὸ μεσονύκτιον orantes, hymnos canebant Deo. Act. XVI. 25. Idem in Eccleſiâ Apoſtolicâ 1. Corint. XIV. 26. Coloſſ. III. 16. Idem & ab ævi Apoſtolici Chriſtianis factum. Hinc Lucianus, vel quiſquis ſit iſtius Dialogi *Philopatr.* conditor, auctor certè coævus, Chriſtianos introducit, ἐπὶ παννύχυς ὑμνωδίας ἀγρυπνοῦντας, *ad hymnos totâ nocte decantandos vigilantes*, Tom. II. p. 1010. His hymnis Chriſti Divinitatem præcipuè celebrabant, ut Domini noſtri honorem adversùs gentilium blaſphemias animoſiùs vindicarent. De Chriſtianis ſui temporis Plinius ad Trajanum; *lib.* X. *Epiſt.* 97. *Affirmabant hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die, ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo, dicere ſecum invicem.* Nec aliter ſcriptor antiquus contra Artemonis hæreſin. apud Euſeb. lib. V. c. 28. p. 126. *Pſalmi & Cantica fratrum à fidelibus*, ἀπ' ἀρχῆς *conſcripta* τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ τὸν Χριςὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες, *Chriſtum verbum Dei concelebrant Divinitatem ei tribuendo.* Quin & de Paulo Samoſateno notant Patres Antiocheni Epiſt. Synod. *ibid.* lib. VII. cap. 3. p. 281. ipſum Pſalmos in honorem Domini Jeſu Chriſti cani ſolitos aboleviſſe. Ex horum numero fuiſſe hymnum noſtrum matutinum non ſine ratione conjicit Uſſerius noſter *de Symb.* p. 34. nec temerè dubitari poteſt à primis ferè rei Chriſtianæ incunabulis uſurpari fuiſſe ſolitum. Conſtitut. Apoſt. L. VII. cap. 48. habetur προσευχὴ ἑωθινὴ, quæ à formulâ hodiernâ parùm differt. Uſu fuiſſe receptiſſimum Athanaſii tempore ipſe nos docet, & ſacratis virginibus quovis mane uſurpandum commendat, Δόξα ἐν ὑψίςοις Θεῷ, &c. ὑμνοῦμέν σε, προσκυνοῦμέν σε, καὶ τὰ ἑξῆς, *de Virgin.* p. 833. Imò hymni antiquitatem haud parùm arguit ipſe Codex MS. in quo deſcriptus reperitur, ante annos fermè MCCC. exaratus, codex nempe SS. Bibliorum Alexandrinus in Regia noſtra Bibliotheca aſſervatus, ubi *vol.* III. *fol.* 569. poſt odas quæ ſequuntur Pſalmos, ſub titulo ὕμνος ἑωθινὸς eadem manu deſcriptus legitur. Vide *Bibl. Polyglot.* Tom. VI. *not.* ad LXXII. Interp. p. 140. In eodem codice ſubjuncta eſt & oda alia ςιχηρῶς, eodem modo & manu ſcripta, quæ ita incipit, Καθ' ἑκάςην ἡμέραν εὐλογήσω σε, &c. Huic cur *Hymni veſpertini* titulum præfixerit Uſſerius, haud ſatis conſtat, cùm ex ipſo hymno luce clarius liquet matutinum fuiſſe. Si quis hymnum noſtrum ad Codices MSS. accuratè & magnâ planè diligentiâ recognitum videre cupiat, adeat is Smithi noſtri *Miſcellanea*, p. 144. 145. &c. Denique notare fas ſit, hunc hymnum ab Eccleſia noſtra Anglicana receptum, ad veteris Eccleſiæ morem in communi Euchologio locum habere, & in officio S. Euchariſtiæ publicè recitari.

ΘΕΟΤΟΚΑ'ΡΙΟΝ, *Theotocia*; Odæ ſunt, ſive Cantica Officiis Eccleſiaſticis hinc inde interſperſa, quæ Græci præ ſuo in Deiparam affectu, in ejus honorem ſolent decantare. Θεοτοκάριον liber eſt, quo *Theotocia* continentur. Mentio fit in Indice Bibliothecæ Monaſterii S. Trinitatis Inſulæ Chalces apud du Freſn. alibi (quod ſciam) apud Scriptores Græcos rarò occurrit. Interim eſt etiam Græcis liber Eccleſiaſticus, Θεοτοκάριον dictus, in laudem B. Virginis Mariæ, ab Agapio Monacho Cretenſi compoſitus, qui illum ex variis libris qui in Monte Sancto aſſervantur, collegiſſe dicitur. Extat *Venet.* 1643. 4to.

ΘΗΣΑΥΡΟ'Σ, *Theſaurus.* Liber Eccleſiaſticus, linguâ vulgari ſcriptus, continens homilias ſeu conciones in Feſta anni, aliaque pietatis officia. Claudit opus orationis Dominicæ Explicatio. Auctorem habet Damaſcenum Monachum *Studitam* dictum, Subdiaconum Theſſalonicenſem. Prodiit *Venet.* anno 1628. 8°. & 1642. 4°.

ΘΗΣΑΥΡΟ'Σ ΝΕ'ΟΣ, *Theſaurus novus*, Quo Homiliæ XIX. varii, ſed Theologici & Eccleſiaſtici argumenti continentur. Extat *Venet.* anno 1621. novis verò curis & figuris adornatus, ann. 1646. 4°. Theophilacti Hierodiaconi Tzanfurnari, ni fallor, opus eſt.

ΚΑΛΕΝΔΑ'ΡΙΟΝ, *Kalendarium*, ſive Ephemeris Eccleſiaſtica in uſum totius anni, juxta XII. menſes, ab initio Septembris, uſque ad finem Auguſti, à Græcis digeſta, quâ feſta Eccleſiæ, ſtata jejuniorum tempora, & id genus alia, notari ſolebant. Confecta eſſe hujuſmodi Calendaria, liquet vel ex Biblioth. Vindob. *Cod. Hiſt. Eccl.* XCVII. *num.* XIII. ubi habetur Præpoſiti cujuſdam Monachalis Epiſtola ad Sapientem ſenem Aſcetam de quæſtionibus variis Monaſticis, ad Jejuniorum præcipuè & Feſtorum annuorum obſervationem pertinentibus, unà cum ejuſdem ſenis Reſponſo; cui integrum Calendarium Eccleſiaſticum in fine inſertum eſt.

ΚΑΝΩ'Ν. Varia ſignificat hæc vox apud Scriptores Eccleſiaſticos. Miſſis aliis, deſignat hoc loco διάταξιν, ſeu officium Eccleſiaſticum, idque non uno ſenſu. Primò itaque ut canones Synodicos taceam, κανὼν eſt regula Monaſtica, ſeverioris vitæ cultoribus præſcripta, ad quam, vitam moreſque ſuos componerent, κανὼν τῆς μοναχικῆς πολιτείας, Cyrillo Scythopolitano in Vit. Joann. Solitarii, num iii. & *num.* XVII. τὸν κοινὸν κανόνα τῶν ἀδελφῶν, *communem Fratrum regulam* vocat. Verùm hæc notiora ſunt, quàm ut iis explicandis immoremur. II. Κανὼν eſt hymnus Eccleſiaſticus, in officio aliquo pro more & ex regula decantari ſolitus. Unde κανόνες notant hymnos, qui poſt Pſalmos Davidicos, preces, aliaque troparia, antequàm finiantur divina officia, recitantur. A materia de quâ agunt, varia ſortiuntur nomina. Alii ἀναςασιμοὶ dicuntur, qui de Chriſti Reſurrectione; ςαυρωσιμοὶ, qui de cruce; νεκρωσιμοὶ, qui de mortuis; τριαδικοὶ, qui de Trinitate; δογματικοὶ, qui de dogmatibus agunt, &c. De quibus conſulendus du Freſnius ſuis locis. Adiſis etiam Meurſii *Gloſſarium*, p. 215. & Meurſium excribit Suicerum *Theſ. Eccleſ.* in *verb.* κανών. In Eccleſiaſticis Græcorum libris nullibi non occurrunt hujuſmodi Canones. In iis celebetrimus eſt μέγας κανὼν, ab Andrea Cretenſi Archiepiſcopo, conditus, qui, collectâ univerſâ veteris & novi Teſtamenti hiſtoriâ, canticum compoſuit, cohortans omnes, ut quæ videant in hiſtoria eſſe bona & laudabilia, pro viribus ſectentur, mala fugiant & execrentur. Integer hic Canon in Græcorum Triodio, alibique reperitur. Ubi ἡ τοῦ μεγάλου κανόνος ἀκολουθία

memoratur feriâ V. magnæ Hebdomadis recitanda. Et *magnus* ibi dicitur hic canon, quia cùm reliqui canones triginta & paulò plura troparia habeant; hic ad CCL. progrediatur. Infiniti penè sunt horum canonum auctores. In iis agmen ducunt Methodius Patarensis, Cosmas, Joannes Damascenus, Theophanes, Josephus, & Theodorus Studita, Photius Patriarcha, Symeon Logotheta, Joannes Euchaitensis, &c. quorum nomina apud L. Allatium legi possunt, *Dissert.* I. p. 81. Et notari meretur, quod ex *Typici* cap. 7. observat, in Menæo, ubi memoria alicujus Sancti variorum Poëtarum canonibus celebratur, si Canon aderit Cosmæ, eum aliis anteponendum; si Joannis, nempe Damasceni, & aliorum, eum qui Joannis est, anteponi; si Theophanis & aliorum, Theophanis anteponi; ille enim ante alios honorandus est. III. Κανὼν liber pœnitentialis est. In quo peccantium ἐπιτίμια constituta sunt. Hinc Sacerdotes pœnitentes κανονίζειν dicuntur, cùm peccata ipsorum ad Canonum rigorem examinant, pœnamque canonibus præscriptam, iis imponunt. Eodem etiam sensu Κανονικὸν τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Νηστευτοῦ inscribitur.

ΚΛΙΜΑΞ. Denotat lectiones in Ecclesiâ recitari solitas, desumptas ex opere Joannis Scholastici, quod Κλίμακα, seu *Scalam Paradisi* inscripsit, ipse inde *Climacus* dictus. Hinc in Triodio & Typico ἀνάγνωσις εἰς τὴν Κλίμακα frequentiùs occurrit. Vide quæ suprà in Γεροντικῷ diximus, quæque infrà in Πατερικῷ dicemus.

ΚΟΝΤΑ'ΚΙΟΝ. Sensu Ecclesiastico brevis hymnus, à voce κοντὸς, sive *parvus* dictus, eò quòd paucis laudes alicujus Sancti vel Festi, complectatur. Et varia sunt κοντάκια pro variis Sanctorum festis. Ingrediuntur Psaltæ, καὶ πολυχρονίζουσι ψάλλοντες καὶ μετ' αὐτῷ τὸ κοντάκιον, ἡ παρθένος σήμερον ὑπερούσιον τίκτει, καὶ πάλιν τὸ πολυχρόνιον, *& multos annos cantando precantur, psallentes postea* Contacium *illud*, Virgo hodie supersubstantialem parit; *iterùmque canticum longævitatis repetunt*, inquit Codinus *de Offic.* cap. VII. *num.* XIII. p. 56. Primum horum Contaciorum auctorem fuisse Romanum Diaconum Emesenum, qui circa ann. D. sub Anastasio Dicoro vixit, testatur Synaxarium. Unde & in Rubricâ Menæi Romanus ὁ τῶν κοντακίων ποιητὴς dicitur, qui primus scilicet κοντάκια composuit, idque ex institutione B. Virginis (ut fabulantur Græci) in festo nativitatis Christi, Romano per somnium apparentis, chartæque volumen illi tradentis, cum mandato ut illud deglutiret, unde expergefactus, & in ambonem conscendens, Contacium illud (cujus suprà ex Codino meminimus) cecinit. Inter Cantores erat ὁ ἄρχων τῶν κοντακίων, cujus munus erat Contacia cantanda inchoare.

ΛΑΥΣΑΙΚΟ'Ν. Liber continens lectiones ex Palladii historiâ Lausiacâ *de Vitis Patrum* collectas, quæ statis diebus in Ecclesiâ prælegebantur. Liquet id ex Typico S. Sabæ, cap. 8. Ἐν ἑκάστῃ αὐτῶν ἀναγνώσεις δ'. δύο εἰς τὸν ἅγιον Ἐφραίμ, καὶ δύο εἰς τὸ Λαυσαϊκὸν, καὶ εἰς τὰς ὥρας τὴν κλίμακα. Alia in eundem sensum habentur in Triodio, feriâ II. hebd. I. jejun. quæ apud Du Fresn. col. 794. reperiri possunt.

ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΚΟ'Ν, sive ΛΕΙΤΟΥΡΓΙ'ΑΙ. Liber in quo Liturgiarum celebrandarum series describitur, & tres Liturgiæ, Basilii, Chrysostomi, & τῶν προηγιασμένων, *sive Præsanctificatorum* continentur. Proclus Episcopus CP. (si modò ejus sit Tractatus, de quo justa est suspicandi causa) originem Liturgiarum ad ipsa Apostolorum tempora refert, atque † Clementem, dictantibus Apostolis primum edidisse. Quod & à Jacobo, Hierosolymorum Antistite factum est. Verùm remittente, post aliquot Sæcula, Christianæ pietatis fervore, cùm longiùs productæ Liturgiæ tædio afficerentur Christianorum animi, Basilius magnus, ut legentium pariter ac audientium commodo consuleret, in minorem formam redegit. Nihilominùs cùm adhuc prolixitate nimiâ laboraret, Chrysostomus resectis plurimis, breviorem reddidit. Liturgia προηγιασμένων quando recitatur, Corpus Christi non conficitur, sed confectum antea, Divinis laudibus decantatis, absumitur. Et hujus Liturgiæ auctorem faciunt Gregorium Papam, *Dialogum* dictum. De hac fusè agit L. Allatius *Dissert.* I. p. 20. fusiùs dissertatione singulari *de Missâ Præsanctificatorum*, quam operis sui *de Ecclesiæ Orient. & Occident. consensione* calci subjecit. Tres, quas recensuimus, Liturgiæ, in Græcorum Euchologio semper continentur. In celebrandis his tribus Liturgiis, Græci hunc servant ordinem. Basilii Liturgia, ut ex procemio liquet, decies per totum annum canitur; nempe vigiliâ Nativitatis Dominicæ, festo S. Basilii, vigiliâ Luminum, in S. Quadragesimæ Dominicis, Dominicâ Palmarum exceptâ, sanctâ & magnâ feriâ V. & magno Sabbato. Præsanctificatorum, exceptis prædictis, omnes sacræ Quadragesimæ dies occupat. Quod reliquum est totius anni, Chrysostomi Liturgia sibi vindicat. Præter has, habent Græci & alias Liturgias, nempe B. Petri, Marci, Jacobi, & Clementis, sed quas in communem Ecclesiæ usum non recipiunt. Sola Jacobi Liturgia in Ecclesiâ Hierosolymitanâ semel in anno recitari dicitur. Prodierunt Liturgiæ SS. Patrum Jacobi Apostoli, Basilii M. & Chrysostomi, à Morellio editæ, Gr. L. *Par.* 1560. *fol.* Jacobi, Marci, Basilii, Chrysostomi, Præsanctificatorum, S. Gregorii, *Dialogi* dicti, in Fr. Ducæi *Auct. Biblioth. PP.* Græco-Lat. *Tom.* II. p. 1624. Basilii Liturgia, præterquàm quòd in omnibus operum ejus editionibus reperitur, habetur separatim Græcè *Venet.* 1601. 4°. Chrysostomi per Demetrium Ducam Græc. Lat. *Venet.* 1528. 4°. 1644. 4°. Ad calcem habetur ἀκολουθία, die S. Styliani Paphlagonis, h. e. *Novemb.* XXVI. celebrari solita, unà cum aliis officiis Ecclesiasticis, quorum index præmissus est.

† Fragm. περὶ παραδ. τῆς θείας λειτουργ. p. 156.

ΛΥΧΝΙΚΟ'Ν, *Lucernarium*. Eam notat Officii Vespertini partem, quæ recitatur cùm lucernæ accenduntur. Inter ἑσπερινὸν & λυχνικὸν (ut rectè notat * Goarus) non modicum discrimen intercedit. Ἑσπερινὸν namque totum vespertinum officium est; τὸ λυχνικὸν prima tantùm ejus pars, preces scilicet, cùm tempus instat lucernæ, Deo offerendæ. In Euchologio Allatiano ap. Goar. p. 641. mentio fit τοῦ λυχνικοῦ ὕμνου. Neque nudiustertiùs natus est officium hoc Ecclesiasticum recitandi mos. Τὰς ἐν τῇ λυχναψίαις εὐχὰς memorat Socrates †, quæ in Achaia & Thessalia, ut & Hierosolymis, & à Novatianis Constantinopoli fieri solebant. Basilius *de Spirit. S.* ait, τὴν χάριν τοῦ ἑσπερινοῦ φωτὸς nequaquam cum silentio suscipi, sed mox ut apparuerit, se εὐχαριστεῖν. Officium integrum *Lucernaris* habetur in *Euchologio* Goariano, p. 35. Non opus est ut hoc loco agam de luminaribus olim in Ecclesia accendi solitis. Cumulatè id præstiterunt alii, Baron. ad ann. LVIII. *num.* LXX. LXXI. LXXII. LXXIII. LXXIV. LXXV. Casalius *de Vet. S. Christ. ritib.* c. XLII. p. 184. Durantus *de rit. Eccl. Cath.* l. I. c. 8. p. 72. Ciampinus *de S. ædific. Const. M.* c. X. p. 184. qui bina Candelabra marmorea in Basilica S. Constantiæ exquisitè elaborata exhibet, *Tab.* XXIX. fig. 3. & 4. *ibid.* p. 130. Ad hæc lumina concinnanda sumptus faciebant, quandoque & fundos donabant Veteres. In antiqua inscriptione Eugenii Notarii ap. P. Aringhium *Rom. Subterran.* Tom. I. l. 2. c. 10. p. 340. mentio

* Ad Euchol. p. 30.

† L. V. c. 22. p. 287.

Digitized by Google

mentio fit redituum quorundam ex hortis Transtiberinis AD LUMINARIA NOSTRA. Verùm cùm NOSTRA dicantur, forsan ad Luminaria, quæ in Defunctorum anniversariis de more accendebantur, referenda sunt, ut non inscitè conjicit P. Aringhius. Hujusmodi donationes φωταψίας vocant recentiores Græci.

ΜΑΡΤΥΡΙΚΟ'Ν. Troparium in honorem Martyrum compositum; ἄσματα τῶν μαρτύρων, ut Symeoni Thessalonicensi *de Sacr. Ord.* cap. IV. p. 136. dicitur. Extant hujusmodi Troparia μαρτυρικὰ tum alibi sæpius, tum in Liturgiâ Præsanctificatorum in *Eucholog.* p. 188. Quæri potest, cùm tempore Quadragesimali, exceptis Sabbatis & Dominicis, Sͭ. Martyrum commemorationes facere expressè vetat Synodi Laodiceniæ Canon LI. cur singulis Quadragesimæ diebus hisce Tropariis μαρτυρικῶν μαρτύρων memoria celebretur? rationem reddere conatur Goarus p. 206. quem vide.

ΜΕΤΑ'ΝΟΙΑ, *Pœnitentia*. De quâ hæc, inter alia, officia in Euchologio continentur. 1. Εὐχὴ ἐπὶ μετανοούντων, *Oratio super pœnitentes* p. 673. 2. Ἀκολουθία τῶν ἐξομολογουμένων, *Officium eorum qui peccata confitentur*, p. 679. 674. 3. Εὐχὴ ἐπὶ τῶν ἐπιτιμίων λυομένων, *Oratio pro iis qui impositâ pœnitentiâ liberantur*, p. 666. 4. Ἀκολουθία εἰς λύσιν ἀφορισμοῦ ἱερέως, *Officium ad excommunicationem Sacerdotalem tollendam*, p. 667. 668. Ubi & multæ ejusdem commatis orationes habentur, quas longum nimis esset recensere.

ΜΗΝΑ'ΙΟΝ. Immensum est opus in XII. menses, totidemque βιβλία, sive volumina divisum, quovis mense suum sibi μηναῖον vendicante. In quo Sancti omnes, quorum memoria ex mense colitur, ad proprios dies revocari recensentur, singulorum Officium, unà cum Rubricis miniatis literis expressis, Tropariis, Missis, Canonibus, Lectionibus, aliisque recitandis subnectitur, Vitæ & res gestæ compendio descriptæ plerùmque exhibentur; quandoque & imagines præfiguntur. Ubi verò Sanctus aliquis peculiare officium non habeat, is saltem vel prosâ, vel carmine commemoratur. In solenniotibus, majoribúsque Festis, propria officia singulis quas vocant, horis destinantur. Ita exempli causâ in festo natalis Domini *Decemb.* XXV. hora prima, tertia, sexta, & nona suam habet quæque ἀκολουθίαν. Eodem modo fit in festo Theophaniorum *Jan.* VI. ne de aliis dicam. Nec Sanctorum solum, & solennitatum Dominicalium, sed & aliarum quoque rerum memorabilium celebritas hisce in libris locum obtinet. Sic *Januar.* XXIII. sancta & œcumenica sexta Synodus peculiare sibi habet Officium. Et ejusdem mensis die XXVI. magni illius Terræ motûs, qui sub extremum Theodosii junioris imperium, per tres integros dies Constantinopoli duravit, memoria celebratur. Invocationem Sanctorum in Ecclesiâ Græcâ hodie vigere notum est quam quod notissimum, cujus non rarò hìc deprehenduntur vestigia. Ita *Septemb.* I. in Festo Symeonis Stylitæ, octo vel novem Oratiunculæ hâc, similive formulâ clauduntur, Συμεὼν ὅσιε πρέσβευε τῷ σωθῆναι τὰς ψυχὰς ἡμῶν, *Sancte Symeon, intercede ut salventur animæ nostræ*. Editum est vastum hoc Menæorum opus *Venetiis* apud Pinellos aliósque in *fol.* non uno & eodem tempore, sed variis diversísque annis. Mensis *September*, à quo annum suum Græci solent inchoare, prodiit *Venet.* curâ Nicephori Paschalæi Hieromonachi, an. 1628. iterúmque curante Theophylacto Tzanfurnaro Hierodiacono anno 1648. hoc titulo, Βιβλίον τοῦ Σεπτεμβρίου μηνὸς περιέχον τὴν πρέπουσαν αὐτῷ ἅπασαν ἀκολουθίαν & sic in reliquis. *October* curâ Nicephori, an. 1628. Theophylacti 1648. *November* curante Nicephoro anno 1626. Theophylacto 1649. *December* anno 1602. curâ Theophylacti 1628. *Januarius* curâ Matthæi Galatiani Cyprii Hieromonachi, anno 1603. Theophylacti 1629. *Februarius* curâ Nicephori Paschalæi anno 1626. Theophylacti 1643. *Martius* curâ Theophanis Zenacii Hieromonachi, anno 1625. Theophylacti 1642. *Aprilis* curante Theophylacto anno 1638. *Maius* curâ Nicephori anno 1625. Theophylacti 1642. *Junius* curante Nicephoro anno 1626. Theophane Zenacio 1645. *Julius* curâ Nicephori anno 1624. Theophylacti 1642. *Augustus* curante Nicephoro anno 1625. Theophylacto 1642.

ΜΗΝΟΛΟ'ΓΙΟΝ. Diversum planè à Menæo opus, utpote in quo, ad instar Martyrologii Latinorum, Acta vel Passiones Sanctorum quâlibet cujusvis mensis die summatim exponuntur, brevis saltem eorum commemoratio habetur. Variant apud Græcos sua Menologia, pro loco & tempore aucta & immutata, neque eadem prorsus, nec diversa tamen. Extat Menologium à Cardinale Sirleto Latinè versum, à Canisio editum *antiq. Lect.* Tom. V. Aliud habetur Menæis hinc inde insertum. Verùm omnium antiquissimum & augustissimum est Menologium illud Basilii Imp. studio & jussu descriptum, & ut videtur, autographum, cujus codex vetustissimus & rarissimus, à Paulo Sfondrato Cardinali, dono datus, in Bibliothecam Vaticanam hodie translatus est. De quo post Allat. & Ughellum, nos etiam quædam notavimus *Sæc.* X. ad ann. DCCCCLXXVI. Extat Græc. MS. ab initio Septembris, usque ad finem Augusti; Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CXCV. & *Cod.* CCXLVII. num. IV. fol. 16. Menologium ex Menæis erutum, & in linguam Græcam vernaculam à se versum edidit Maximus Margunius Cytherorum Episcopus, *Venet.* ap. Ant. Pinel. ann. 1529. 4o.

ΜΥ'ΡΟΝ, vel τὸ μύρον τοῦ χρίσματος, *unguentum Chrismatis*, à solo Patriarcha vel Episcopo, ex Materiâ pretiosâ, & sanctiori planè apparatu, feriâ quintâ sanctæ & magnæ hebdomadis conficiendum, in multis actionibus sacris, præcipuè in confirmatione Baptismali usurpandum, idque ex præscripto Canonis XLVIII. Concilii Laodiceni, quo jubetur, illuminatos post Baptisma χρίσματι ἐπουρανίῳ, *super cœlesti Chrismate* esse inungendos, adeóque regni Dei participes fieri. Confirmatio quippe apud Græcos semper cum Baptismo conjungitur. Unde & σφραγὶς κυρίου, τέλειον φυλακτήριον, καὶ τελειωτικὴ σφραγὶς veteribus dicitur, & *signaculo Domini consummari* non semel apud Cyprianum occurrit. Extat in *Euchologio* p. 628. Ἀκολουθία τοῦ ἁγίου μύρου, *sancti unguenti Officium*; quo scilicet ritu, & quibus precibus conficitur, & p. 637. præscribitur materia ex quâ componitur, & ordo qui in faciendo & præparando hoc unguento servandus est; quin & vasculum quo continetur, ἅγιον τοῦ μεγάλου μύρου alibi vocatur.

ΝΙΠΤΗ'Ρ, *Pedilavium*, feriâ quintâ magnæ Hebdomadis celebratum, ad exemplum Domini nostri, discipulorum suorum pedes manu propriâ lavantis institutum. In hoc ritu peragendo Patriarcha, vel Pontifex, & in Monasteriis Abbas, Christi personam gerit, XII. Monachi, aliive pauperes duodecim Apostolorum vices sustinent, eorúmque nomina sibimet assumere creduntur. In his semper locum habent Ostiarius & Oeconomus, ille primum, hic ultimum locum obtinet. Ostiarius Judam proditorem repræsentat, risu & conviciis oneratus; Oeconomus Petri Apostoli locum ejúsque reluctationem imitatur. Habetur in *Euchologio* p. 745. ἀκολουθία τοῦ θείου καὶ ἱεροῦ Νιπτῆρος, *Officium Divini & sacri Lavipedii*. Et Theophili Alexandrini Serm. &

εἰς νιπτῆρα, ferià quintà Majoris Hebdomadis laudatur à du Fresnio *Gloss. Gr.* col. 999. Quin & solennis hic lavandi ritus Regibus & Principibus etiam hodie in more est. Modum, quo Imperator CP. XII. pauperum pedes hâc die lavare solebat, accuratè describit Codinus *de Offic.* CP. cap. 12. p. 69. De toto hoc more lavandi pedes singularem librum edidit Gretserus, quem ποδόνιπτρον, seu *Pedilavium* inscripsit, *Ingolst.* 1610. 4to. cui integrum ex Euchologio Officium inseruit.

ΝΟΜΟΚΑΝΏΝ. Liber Ecclesiasticus, quo Canones & Decreta Conciliorum in suas classes disposita & digesta, cum legibus & novellis Imperatorum constitutionibus componuntur. Primus, quod sciam, qui talem Nomocanonem nobis dedit, fuit Joannes Scholasticus, an. DLXIV. Patriarcha Constantinopolitanus factus. Cujus *Nomocanonem* in L. titulos distributum, Gr. Lat. ediderunt Justellus & Voellus *Biblioth. Juris Canon.* Tom. II. p. 603. Post Joannem, Nomocanonem in XIV. titulos dispertitum contexuit Photius, Joannis post aliquot demùm sæcula, in sede Constantinopolitanâ successor. Hunc Balsamonis commentariis illustratum ex Codice Palatino primus edidit Christoph. Justellus tum Græcè, tum Latinè, *Paris.* 1615. 4to. Prodiit post annos quinque ad calcem commentariorum Balsamonis *Paris.* 1620. fol. Denique à Justello f. & Voello recognitus, locum habuit in *Bibliot. Jur. Canon.* Tom. II. p. 789. Anonymi etiam cujusdam Nomocanonem, sed ex Constitutionibus Apostolorum & VII. Conciliorum Oecumenicorum decretis præcipuè consarcinatum, Gr. Lat. edidit Cotelerius *Monument.* Tom. II. p. 68. qui tamen notante eodem Cotelerio, imperfecta, incondita, & insulsa recentioris Græciæ farrago est. Nomocanonem quandoque apud Græcos pro libro Pœnitentiali usurpari, supra in voce Κανών observavimus.

ΟἾΚΟΣ. Hymni genus, in Dei, vel Sancti alicujus, laudem, ita constructum, ut quasi compagem, ædificium, fabricámque virtutum ejus & gloriæ videatur componere; & ideò κοντακίῳ opponitur, ut eo amplius & diffusius. Hæc ex Ligaridio nos docet Goarus ad *Euchоlog.* p. 57. 541. Et κοντακίου, & Ὄικου, meminit Euchologium in Officio *laudum* p. 54.

ὈΚΤΩΉΧΟΣ, Seu *Octotonus*. Liber quo Octo toni à Joanne Damasceno compositi, præcipuè continentur. De hoc opere liceat mihi Leonis Allatii verba huc transferre. "Cùm Græcorum musica proprios tonos (ipsi vocant ἤχους *sonos*) quatuor habeat, primum, secundum, tertium, & quartum, quatuor item obliquos, πλάγιον τοῦ πρώτου, obliquum primi, obliquum secundi, obliquum tertii. gravis aliis est, & obliquum quarti, Canones omnes sive Troparia & quæcunque aliæ cantiones in hoc libro contentæ, ita dispositæ sunt, ut quæ primo tono concinnuntur, omnia simul primum sibi locum occupent, quæ secundo secundum, quæ tertio tertium, & sic de singulis, donec ad obliquum quarti perveniatur, qui inter tonos ultimus, ultimum quoque sibi locum vendicat, & cantiones eo modulatæ ac commensuratæ, ultimo quoque loco reponantur. Continet tantùm Troparia & Canones qui à primis vesperis Dominicæ ad finem usque Missæ canuntur. Et octo Dominicis pro tonorum numero finitur. Singuli toni tres habent canones. Primum ἀναστάσιμον, qui in Resurrectionis Dominicæ, secundum σταυροαναστάσιμον, qui in Crucis & Resurrectionis, tertium in Mariæ Virginis laudibus celebrandis, versantur. Et hæc in Octoechis antiquis habebantur. In recentioribus modò additur pro singulis tonis Canon, qui in μεσονυκτίῳ vel μεσονυκτικῷ, mediæ scilicet noctis officio cani suevit, & quod de Trinitate pertrectat, *Triadicus* dicitur. Et Canones hi dierum Dominicorum numerum non excedunt, cùm octo etiam illi sint. Hæc vir doctissimus *Dissert.* I. p. 64. ubi pluribus hâc de re agit. Confer etiam quæ notat Goarus ad *Euchоlog.* p. 206. Extat Octoechus Gr. MS. Bibliothec. Vindob. *Cod. Theol.* CXVI. anno Christi MCCCXCI. exarato; item *Cod.* CXLVI. cum amplissimo commentario Joannis Zonaræ *ibid.* Cod. CCXV. cum antiquis notis musicis *ibid.* Cod. CCCXXX. Primùm ni fallor, prodiit Græcè *Venet.* 1523. 1584. 1602. 1610. 1624. 8vo. & aliàs forsan non semel.

ὈΠΙΣΘΆΜΒΩΝΟΣ ἘΥΧΗ'. *Oratio*, quæ retrò ambonem, in mediâ Ecclesiâ recitatur, cùm post dimissionem, à diacono pronunciatam, sacerdos è cancellis egressus, populo factâ oratione benedicit, ad exemplum scilicet Domini nostri, qui priusquàm in cœlos ascenderet, Discipulis suis benedixit. Habetur hæc oratio, extra Tribunal altâ voce à Sacerdote proferenda, *Liturg. S. Chrysost.* p. 85.

ὌΡΘΡΟΣ. Continet laudes Græcorum matutinas, prout à μεσονυκτικοῖς distinguuntur, quæ profundâ semper nocte decantari solent. Extat Ἀκολουθία τοῦ ὄρθρου, sive Officium laudum, à die lucescente auspicandum, in *Euchologio* p. 48.

ΠΑΝΗΓΥΡΙΚΟ'Ν. Liber qui variorum Auctorum Orationes encomiasticas, in varias, Christi, aliorumque Sanctorum, solemnitates complectitur. Ex quo in diebus festis Sanctorum, concurrente populo ad celebrandam eorum memoriam, orationes laudativæ festo propriæ, publicè leguntur. In auctoribus qui hoc opus constituunt, agmen ducunt Athanasius Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus & Nyssenus, Amphilochius, Epiphanius, Chrysostomus, Ephræm Syrus, Cyrillus Alexandrinus, ut alios mittam; MS. passim apud Græcos reperitur, in variis tamen Ecclesiis varius; adeò ut quibusdam in locis in immensam excrevit molem, & XII. volumina complectatur, eáque satis ingentia, pro mensium numero disposita, teste L. Allatio. p. 64.

ΠΑΡΑ'ΔΕΙΣΟΣ. Liber Ecclesiasticus, Vitas quorundam Sanctorum complexus, quas ex Simeonis Metaphrastæ scriptis excerpsit Agapius Monachus Cretensis, & in linguam vulgarem seu Græco-barbaram transtulit. Continet Vitas XXIV Sanctorum, nempe Josaphati, Theclæ protomartyris, Gregorii Thaumaturgi, Ambrosii, &c. Prodiit hic liber *Venet.* anno 1641 4to. Idem est liber, ni fallor, sed paulò auctior redditus, ἐκλόγιον dictus, continens selectas XL. Sanctorum Vitas, ab eodem Agapio apud montem Athum monacho, viro in scriptis tum Græcorum, tum Latinorum non inerudito, linguâ vulgari ex diversis Græcorum, Latinorumque operibus editas an. 1644. 4to. Extat Gr. MS. tum in codice Regio, tum Colbertino liber LV. senum hoc titulo, Βίβλος τῶν ἁγίων γερόντων, ἥτις λέγεται παράδεισος. Vide du Fresn. in *Ind. Auct.* col. 31.

ΠΑΡΑΚΛΗΤΙΚΗ'. Ferè nihil aliud est quàm Damasceni Octoechus, à Græcis subsequentibus temporibus admodùm auctus, unde & Ὀκτώηχος νέα vocatur, & Josephum auctorem habuisse dicitur. Παρακλητικὸς appellatur hic liber, partim quòd sit consolatorius, cùm omnia quæ in eo sunt, maximè spectare videntur, ut peccatorem consolentur, partim quòd sit invocatorius, cùm totus sit in Deo, Sanctisque

Digitized by Google

sanctisque exorandis, Divinoque sibi auxilio, variis supplicationibus impetrando. Non in hoc, ut in aliis libris Ecclesiasticis, certa dies diebus decreta sunt Officia, Canones, seu Troparia, quibus finitis, reponuntur, sed Parackleticus semper præ manu est, & omnibus diebus aliquid in eo invenitur, quod sive in Missâ, sive in Vesperis; sive in Matutino, sive in aliis Officiis recitatur. Quando enim in aliis officiis propria desiderantur, ad hunc Lector remittitur, uti Cl. Allat. nos docet p. 68. qui alibi plurima in hoc libro criminatur, nempe quod quædam de B. Virginis partu contumeliose dicantur, plurima B. Virgini contra jus & æquum tribuantur; quod affirmetur Joann. Præcursorem post mortem in infernis Christum prædicâsse, ac nunciâsse propè jam esse salutem ac vitam; Dominum nostrum descensu suo ad inferos, omnes ab orbe condito homines à pœnis illis & potestate Dæmonis liberâsse, & ad vitam vendicâsse, peccatorum remissionem dedisse iis, qui crediderunt, incredulis denegâsse, Deum angelos ante hunc mundum aspectabilem creâsse. Singula prolixè persequitur vir eruditus *Dissert.* II. p. 283. Prodiit Paracletice *Venet.* an. MDCX. deinde operâ Nicephori Paschalei *ibid.* apud Ant. Pinel. anno MDCXXV. & curante Theophylacto Hieromonacho, *ibid.* 1640. hoc titulo, Παρακλητικὴ σὺν Θεῷ ἁγίῳ. Περιέχουσα τὴν πρέπουσαν αὐτῇ ἀκολουθίαν.

ΠΑΣΧΑΛΙΟΝ. Cyclus Paschalis, quo festum Paschatis, & aliæ, quæ ex eo pendebant, solennitates, designari solebant. In his enim Cyclis non modò Paschatis diem, sed & annos vel mundi, vel Diocletiani, aliaque festa præcipua & jejunia describebant. Habentur hujusmodi Paschalia in libris Ecclesiasticis Græcorum, quorum ex Horologio edito *Venet.* an. 1535. specimen nobis exhibet du Fresnius, *Gloss. Græc.* col. 1128.

ΠΑΤΕΡΙΚΟΝ. Liber continens Vitas SS. Patrum, in Ecclesiâ pro more legi solitus. *Ad mensam toto tempore* Πατερικὰ *leguntur*, inquit Typicum S. Sabæ, *cap.* VIII. De Copronymo Cedrenus, *quotquot reperiri poterant* Πατερικὰ βιβλία, *vel reliquias Sanctorum, combussit.* Nihil frequentius hujusmodi Patericis in Bibliothecis MSS. ubi Apophthegmata & Acta SS. Patrum, ordine alphabetico secundùm ipsorum nomina recensentur. Tale opus Gr. Lat. edidit P. Possinus in *Thesaur. Ascet.* p. 228. & Zozimæ Abbatis *Alloquia*, ibid. p. 279. Fragmenta quædam Ascetica Miscellanea, ἐκ τοῦ Πατερικοῦ, sive ex *Opere de Vitis Patrum*, habentur Gr. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CLXXIII. num. 19. fol. 316. Confer quæ in *Gerontico*, *Climace*, & *Lausaico*, notavimus.

ΠΕΝΤΗΚΟΣΤΑΡΙΟΝ. Liber, quo Officium ab ipso die Paschatis, usque ad Octavam Pentecostes, nempe ad Dominicam Omnium Sanctorum continetur. Hunc habet titulum, Πεντηκοστάριον, περιέχον πᾶσαν τὰς αὐτῷ πρεπούσας καὶ ἀναγκαίας ἀκολουθίας, ἀρχόμενον ἀπὸ τῆς ζωηφόρου μεγάλης κυριακῆς τῆς ἐγέρσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ μέχρι τῆς αὐτῆς ἑορτῆς τοῦ τιμίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Editum est præter alias vices, apud Jacob. Leoncinum, *Venet.* ann. 1579. 4°. 1618. & curâ Theophylacti Hieromonachi, *ibid.* 1642. Multa in hoc libro carpit, & virgulâ censoriâ notat L. Allatius, *Dissert.* II. p. 229. nempe quòd plura à novissimis editoribus sint addita, præcipuè ex additamento Nicephori Callisti, & Nicolai Malacci Nauplii Archipresbyteri, qui multa Troparia de suo addidit, & horas in vigiliâ Pentecostes consarcinavit, veteraque antiquorum Patrum monumenta novis suis deliramentis inspersit, quòd repugnantibus Synodorum Decretis, Pseudepigrapha & Apocrypha in lectiones & Divina officia sint introducta, quòd affirmet humanum genus omne ab inferni cavernis ereptum, à Christo apud inferos prædicante, in cœlos fuisse asportatum. Integrum hoc spatium septem hebdomadum quæ Pascha subsequuntur, & Græcis & Latinis *Pentecoste* vulgò audit. Extat in *Euchologio* p. 753. ἀκολουθία τῆς ἁγίας πεντηκοστῆς, *Officium sanctæ Pentecostes*, in ipsâ Dominicâ sanctæ Pentecostes, sub vesperam præcipuè, multis precibus & genuflexionibus celebrandum.

ΠΙΝΑΞ. Canonem aliquando denotat, sive Tabulas pœnitentiales, in quibus peccantium qualitates, pœnitentium pœnæ describuntur. Et ita quidem in officio super Pœnitentes *Euchólog.* p. 680. Ὁ ἐπιτιμῶν sive pœnitentiarius postquàm minutatim de singulis peccatis interrogaverit, jubetur πιάσειν τὸ Πίνακα, *Indicem* (Pœnitentialem) *assumere*, & quale sit peccatum inquirere, & cum hoc libro conferre, ut quale sit peccatum cognoscat. De aliis hujus vocis significationibus consulantur Lexicographi, Suidas, Hesychius, Suicerus, &c.

ΠΡΑΞΑΠΟΣΤΟΛΟΣ. Liber ex Actibus Apostolorum & Epistolis, tum Paulinis, tum Canonicis, & Apocalypsi, compositus, textu in plures partes diviso, & diebus singulis & festis diebus accommodato, ita ut completo libro, ea quoque omnia terminentur. In Ecclesiis Græcorum, hoc ordine, legi solet; nempe à Dominicâ Paschatis, usque ad Dominicam Sanctorum omnium. Pro lectione magni Vespertini, Actus Apostolorum tantummodò leguntur. In reliquis Dominicis totius anni, septem catholicæ, & XIV. S. Pauli Epistolæ & Joannis Apocalypsis. Confer L. Allat. *Dissert.* I. p. 47. Extat πραξαπόστολος MS. cui insertum est Menologium seu commemoratio sacrarum solennitatum & præcipuorum Festorum totius anni secundùm XII. menses, Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* CXCV. & *Cod.* CCCVIII. Editus etiam sub nomine *Apostoli*, Venet. 1633.

ΠΡΟΟΙΜΙΑΚΟΣ. Psalmus est CIII. *Proœmialis*, dictus, non quòd toti Psalterio præfigatur, sed quòd ab eo Divina Officia inchoentur. Meminit ejus, Officium de Mysteriis Præsanctificatorum ap. *Euchólog.* p. 187.

ΠΡΟΨΑΛΜΑΤΑ. Preces quæ in Ecclesiâ antè Psalmos, à Psaltis, Lectoribus, Subdiaconis, & Plebe, concinuntur. Vide quæ ex Niconis Pandectis MS. huc notavit du Fresn. *Glos. Gr.* col. 1262.

ῬΟΓΑΛΙΑ. Libri, seu Acrosticha, in quibus non tantùm virorum nomina, ordine quo procedere deberent, pro cujusque officii dignitate dum vocarentur, & eorum nomina à Nomenclatore ederentur, ut est apud Luitprandum, lib. VI. cap. 5. sed quantitas etiam *Roga* seu Donativi, quod *Presbyterium* Anastasio dicitur, descripta, &c. ut sciret unusquisque quid accipere deberet, cùm ejusmodi Rogæ à Patriarchâ, vel ab Imperatore, distribuebantur. Hæc du Fresnius *Gloss. Græc.* col. 1303. qui locum hanc in rem profert ex Balsamone de incenso Patriarchæ die catecheseos, p. 474.

ΣΤΕΦΑΝΩΜΑ, sive ΣΤΕΦΑΝΑ ΤΟΥ ΓΑΜΟΥ. *Corona nuptiales.* Coronas pro nuptiis usurpari, apud Scriptores, tum sacros, tum profanos, notius est quàm ut probari debeat. De his hæc officia in Euchologio continentur. 1. Ἀκολουθία γινομένη ἐπὶ μνήστροις ἤγουν τοῦ ἀρραβῶνος, *Ordo servari solitus in sponsalibus celebrandis*; *videlicet nuptiarum subarrhatione*, p. 380. 2. Ἀκολουθία τοῦ στεφανώματος, *Officium coronationis Nuptiarum*, p. 385. 3. Εὐχὴ ἐπὶ λύσιν

λύσιν ςεφάνων τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ, *Oratio cùm solvuntur coronæ octavâ die*, p. 399. Græci enim, per octo dies, nuptias celebrare solent. Notátque Goarus cujuslibet Sacramenti, vel insignis beneficii, acceptationem, per septem alios dies, Græcos, hâc etiam ætate, memoriæ commendare. 4°. Ἀκολυθία εἰς διγάμυς, *Officium in Bigamos*, p. 403. Bigamos, etsi non penitùs damnaret vetus Ecclesia, acri tamen censurâ notavit, & nonnisi post peracta jejunia, & orationes, ad S. Eucharistiæ communionem admittere solebat. Verùm mitius cum iis egit sequioris Ecclesiæ indulgentia. Ad hanc nuptiarum classem fortè revocari possunt variæ orationes circa mulieres puerperas, & abortivum facientes, quæ à p. 316. usque ad 330. reperiuntur.

ΣΤΙΧΗΡΟΝ. Versus paulò longior, ab hymnographo Ecclesiastico conscriptus. De quo vide Goarum ad *Euchol*. p. 32. 206. Ubi inter ςίχον & ςιχηρὸν non modicum discrimen esse notat. Στίχος versiculus est ex S. Scripturâ, & maximè Psalmis Davidicis, depromptus. Στιχηρὸν versum prolixiorem, ab Hymnographo compositum, denotat. Et sunt utplurimum Psalmi Davidici conglobati, prolixiori sententiâ, ad longiusculum periodorum normam, in unum conflati. Habetur in Bibliothecâ Colbertinâ, teste du Fresnio, col. 1451. Codex MS. n. 837. in quo describuntur *Stichera* unà cum notis musicis, quæ canuntur singulis annis, in Festis, in cujus fine ςιχηρὰ ἀνατολικὰ, προσόμοια κατ' ἀλφάβητον, &c. describuntur.

ΣΤΟΙΧΕΡΑΡΙΟΝ. Liber in quo describuntur Sticharia, seu vestes strictiores, quibus viri Ecclesiastici, Antistites, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi etiam & Monachi, indui solebant. Habetur hujusmodi Sticherarion MS. in Bibliothecâ Regiâ, *Cod.* MMXXXVII. incipiens à mense Septembri, à quo annus Græcorum principium ducit.

ΣΥΝΑΞΑΡΙΑ. Sunt Vitæ Sanctorum in compendium redactæ, & succincta expositio Solennitatis de quâ agitur, ex Menæis, & prolixioribus Græcorum libris Ecclesiasticis, in angustiores terminos contracta. Unde natum illis Synaxariorum nomen. In contexendis hujusmodi Synaxariis principem locum habuit Nicephorus Callisti, qui Synaxaria composuit in præcipuas Triodii Festivitates; quæ illarum causas reddunt, unde originem habuerunt, & quamnam ob causam hoc tempore ita se habeant, & à Divinis Patribus sic dispositæ sint, cum nonnullis circumstantiis particularibus. Ordiuntur à Dominica Publicani & Pharisæi, finiunt in Solennitatem omnium Sanctorum, ut ex ipsius operis titulo liquet. Menæis, Triodio, & Pentecostario, passim inserta sunt hæc Synaxaria. Quæ Triodio inseruit Nicephorus, varias in se hæreses continere, & digna animadversione Ecclesiasticâ esse ostendit L. Allatius, *Dissert.* II. Quin & Gennadius *de Azymo*, cap. 2. tanquam ambitioso studio, & impetu perniciosi Schismatis, composita, damnat, nec in Ecclesiâ CP. legi solere affirmat. Nihilominus hæc Nicephori Synaxaria à Matthæo Cigulâ Cyprio, & à Maximo, Cytherorum Episcopo, in linguam Græcam vulgarem conversa sunt, seorsim edita *Venet.* 1637. 1648. 4°.

ΣΧΗΜΑΤΟΛΟΓΙΟΝ. Continens τὴν πᾶσαν ἀκολυθίαν, sive totum ordinem sumendi habitus Monastici. Edidit varia quæ huc spectant Officia, in Euchologio suo Cl. Goarus. Habetur 1. Ἀκολυθία εἰς ἀρχάριον ῥασοφορῦντα, *Officium in novitium habitum Monasticum suscipientem*, p. 468. ubi notæ & variantia exemplaria exhibentur. 2. Ἀκολυθία τοῦ μικρῦ σχήματος ἤτοι τοῦ μανδύυ, *Officium parvi habitus, id est, Mandiæ*, p. 473. Et quod mulieribus simili veste consecrandis peculiare est, *ibid.* p. 496. 3. Ἀκολυθία τοῦ μεγάλυ καὶ ἀγγελικῦ σχήματος, *Officium magni & Angelici habitus*, p. 499. cui variantes lectiones, notæque eruditæ subjiciuntur. Extat MS. hoc σχηματολόγιον Bibliothec. Vindob. *Cod. Theolog.* juxta Lambec. CCCXXVII. juxta Nessel. CCLXXXVI. Verùm inter editionem illam impressam, & codicem MS. Cæsarium, magnam esse differentiam notat Cl. Lambecius.

ΤΑΚΤΙΚΑ. Libri ceremoniales, in quibus ordo & regula Divinorum officiorum continentur, & quid singulis diebus, in rebus sacris præstandum sit, præscribitur. Et à τάξει nomen habent, sicut apud Latinos, ab ordine, *Ordinarium* fit. Librum sub hoc nomine in plerisque Græcorum Monasteriis innotescere, nec alium à Typico esse, notat L. Allatius, *Dissert.* I. p. 15.

ΤΕΤΡΑΩΔΙΟΝ. Canon quatuor odis constans, qui in Sabbatis, præsertim Quadragesimæ, cani solet. In magnum Sabbatum τετραώδιον composuit Cosmas, Majumensis Episcopus, Μελωδὸς dictus, quem librum postea, Imperatoris Leonis mandato, Marcus Episcopus Hydruntinus perfecit & complevit, odas addendo quæ illi deerant, ut ex Cedreno, aliisque pluribus, ostendit L. Allatius *Dissert.* I. p. 72. &c.

ΤΡΙΑΔΙΚΑ. Hymni sunt, sive Troparia, in honorem SS. Trinitatis, in Liturgiis decantari solita. In singulis quippe odis duo postremi cujusque Canonis versus cum laude SS. Trinitatis, & B. Virginis clauduntur: præsertim verò canuntur in μεσονυκτίῳ seu μεσονυκτικῷ mediæ scilicet noctis, officio, τῇ κυριακῇ εἰς τὸ μεσονυκτικὸν κανὼν τριαδικὸς, ut in *Octoecho* legimus. Hymni hi τριαδικοὶ in Triodio, in officio Vespertini Sabbati sancti, & in Horologio, integri reperiuntur. Vide L. Allat. *Dissert.* I. p. 65. & du Fresnium in *verbo* τριαδικά.

ΤΡΙΣΑΓΙΟΝ. Hymnus est notissimus, à ter repetita voce ἅγιος sic dictus; hac nempe formulâ, ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς. A Græcis non modò in sacris officiis usurpatur, verùm cùm è lecto surgunt, vel Ecclesias ingrediuntur, & præcipuè in ipso mortis articulo, recitare solent. Cantari cœpit imperante Theodosio juniore; quin & Proclo Episcopo Constantinopolitano δι' ἀποκαλύψεως; per revelationem divinitùs innotuisse disertè affirmat Jobius *de incarn.* l. VI. cap. 25. apud Phot. *Cod.* CCXXII. col. 609. Respicit nempe quod communiter referunt Veteres, dum vigente tremendo terræ motu, Imperator Proclus, omnisque populus CP. litaniis incessanter incumberent, puerum è medio, in aërem fuisse raptum, ubi hunc Hymnum ab Angelis decantatum didicit, qui proinde cessante mox terræ-motu, in publicum Ecclesiæ, & Vitæ quotidianæ usum, receptus est. Certè Orientales Episcopi in Synodo Chalcedonensi, ann. CCCCLI. illum usurpârunt, ut ex fine Actionis I. liquet, p. 309. Et additamentum illud, ὁ ςαυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ingenti Ecclesiæ scandalo & perturbatione postea adjecit Petrus Fullo Antiochenus. De origine sacri hujus hymni, & quantas exinde turbas & contentiones in Ecclesiâ excitaverit additio Fulloniana, plena sunt Historicorum Ecclesiasticorum volumina. Ex veteribus rem gestam describunt Theodorus Lector, *Hist. Eccl.* l. I. p. 554. Jobius ap. Phot. loco citato, Ephraïm Antiochenus, *ibidem* Cod. CCXXVIII. col. 773. Damascenus Epist. *de Trisagio* ad Jordanem Cœnob. *Oper.* p. 722. & *de Fid. Orthod.* l. III. cap. 10. p. 385. Theophanes ad ann. Theod. XXX. p. 80. & ad ann. Zenonis XVI. p. 115. Nicephorus

Digitized by Google

phorus *Hist. Eccl.* l. XIV. cap. 46. p. 544. lib. XV. cap.28. p.623. lib.XVIII. cap.51. p.879. Ut Cedrenum, Zonaram, &c. mittam. Ex recentioribus Forbesius *Instruct. Hist. Theol.* l. I. cap. 16. p. 29. Goarus *not.* ad *Euchológ.* p.126. Meursius, *Gloss.* p.576. Paulò fusiùs Suicerus & du Fresnius in hâc *voce*. Amplissimè Gretserus tractatu peculiari adv. Tho. Wegelinum, sub titulo *Fullonis redivivi*, anno 1608. 4to. Integram verò historiam, singulari dissertatione *de Trisagii origine*, ad examen revocat, ejusque fundamentum non uno argumento subruere conatur, vir doctissimus, P. Alixius, in hisce studiis haud leviter exercitatus, *Rhotom.* 1674. 8vo. Ad controversiam Catholicos inter & Eutychianos de hâc re rectiùs intelligendam Lectori non inutile erit percurrere Illustriss. Norisii Historicam dissertationem nuper editam *de uno ex Trinitate carne passo*.

ΤΡΙ'ΤΑ. Officium Ecclesiasticum pro defuncto, tertio ab ejus obitu die celebratum. Hujus, ex constitutionibus Apostolicis meminimus in verbo ἔνατα. Vide quæ de Τρίτοις, Ἐννάτοις, καὶ τεσσαρακόστοις, ex Philippi Solitarii Dioptrâ & aliunde notavit Cotelerius *not.* ad PP. Apost. p. 324. 325. & varios quos ibi laudat auctores. Nec pauca hâc de re congessit Cl.Du-Fresnius, in voce Τρίτα.

ΤΡΙΩ'ΔΙΟΝ. *Triodium.* Liber Ecclesiasticus, in quo Officium à Septuagesimâ, quam vocant Dominicam Publicani & Pharisæi, usque ad Sabbatum sanctum, hoc est à Dominica Septuagesimæ, penè usque ad diem Paschatis recitari solitum, continetur, *Triodium* dictus, quòd cùm Canones & Hymni qui in reliquis Divinis officiis usurpantur, novem habeant odas, in hoc libro tribus tantùm constat, imò neque semper tres habet, cùm integros etiam canones proponat, sed ἀπὸ τοῦ πλεονάζοντος nomen sumpsisse existimat Nicephorus, vel propter magnæ Hebdomadis canones sic dictos. Primus hanc officii formam in figuram, ut videtur, sanctæ & vivificæ Trinitatis, Cosmas Melodus excogitâsse dicitur, qui pro magnâ, sanctâque Hebdomade, cantus, ad cujuslibet ferè diei appellationem, per Acrostichides concinnavit. Ad cujus exemplum, Theodorus, & Josephus Studitæ in reliquis sanctæ Quadragesimæ hebdomadibus, in Monasterii sui usum composuerunt. Posteà multa addiderunt, Nicephorus Callisti, & Philotheus Patriarcha CP. Latinorum quidem hostes acerrimi; & hinc illæ lacrymæ. De ipsis enim conqueritur Allatius *Dissert.* II. p. 114. quòd sequiores affectibus propriis distracti, sæpe etiam odio in Romanam Ecclesiam, multa quæ à veritate aberrant, intruserunt. Nam antiqua ferè omnia, inquit, plana sunt; nihil in se continent quod pias aures offendat; recentia multis scatent erroribus, & subdolè sæpiùs in Romanam Ecclesiam garriunt, multas etiam hæreseων labes lectionibus inspergunt. Errores quos in hoc opere damnat, quosque latè persequitur, ad sequentia capita revocari possunt; pœnarum inferni finem aliquando esse futurum, justorum animas in locis quibusdam determinatis detineri, ibique diem judicii expectare, impiorum verò carcere tenebroso mancipatas, immisericordes dæmones custodes experiri, & futurorum adhuc tormentorum expectatione torqueri; damnatorum pœnas non esse corporeas, sed in tenebris, elongatione à Deo, & conscientiæ stimulis consistere; secundum Domini adventum post exacta septem annorum millia futurum; Spiritum Sanctum ex solo Patre procedere; Christum non in azymo sed fermentato, corpus suum Apostolis tradidisse. Singula accuratè excutit vir doctissimus, sed nimius est, ad nauseam usque in recensendis, quos vocat, erroribus, quibus novissimi hujus Triodii consarcinatores, adversùs Ecclesiæ Romanæ honorem & auctoritatem insurgere videntur; nempe quòd Joannem Italum, Barlaamum & Acyndynum, qui Latinorum partes adversùs Græcos strenuè fovebant, multiplici anathemate feriunt, quòd Photium Patriarcham, sanctissimum & orthodoxum vocant, omniaque scripta vel dicta contra ipsum damnant; quòd Constantinum Monomachum, Alexium Comnenum, utrumque Andronicum Impp. qui Græcorum causam contra Latinos summo studio prosequebantur, egregiis ornent encomiis, quòd Sisinnium, Michaelem Cerularium, Michaelem Anchiali, Germanum, Josephum, Athanasium, aliosque Patriarchas CP. Latinorum hostes acerrimos, laudent, sanctos & orthodoxos enuncient, præcipuè quòd Gregorium Palamam, quo nemo fortiùs, nemò acriùs, Græcorum adversùs Latinos, causam egit, summis laudibus & acclamationibus prosequantur. Hæc, aliaque ejusdem commatis Leonem malè habuere, neque eâ patiente stomacho concoquere potuit. Extat Triodium *Venetiis* editum ann. MDCXX. & Theophylacti Hieromonachi curâ recognitum *ibid.* ap. Pinell. MDCXLIV. hunc habens titulum, Τριώδιον ψυχωφελέστατον περιέχον τὴν πρέπουσαν ἐν τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ τεσσαρακοστῇ ἅπασαν ἀκολουθίαν. Triodii Synopsin, versibus Jambicis contextam scripsit idem Nicephorus, quæ sub finem carminum *Basil.* 1536. editorum, habetur.

ΤΡΟΠΑ'ΡΙΟΝ. In scriptis Græcorum Ecclesiasticis notat hymnorum quoddam genus, qui in illorum officiis ubique reperiuntur. Canones enim, Odæ, & Troparia utramque ferè faciunt paginam. Canones in Odas dividuntur; Odæ in Troparia, ex quibus componuntur. Singula namque Troparia continent, aut plura, aut potiora, cùm eorum numerus determinatus non sit. Tropariorum scriptores varios recenset Du Fresnius *Gloss. Græc.* in voce τροπάριον. Extat MS. (Græcè, opinor,) Biblioth. Bodleianæ *Cod.* MMDLVIII. Troparion, Codex elegantissimè scriptus, qui continet Tropos, sive hymnos sacros, viz. Alleluia, Tractus, Modulamina, prosas, per anni circulum, in festos & dies dominicos; omnia notis musicis antiquis superscripta.

ΤΥΠΙΚΟ'Ν. Ordo recitandi Divini Officii, liber haud parvæ molis, in quo, ut Leonis Allatii verbis utar, *Dissert.* I. p. 4. à primo die anni, singulis diebus, quid inter Missarum solennia, quid ad vesperas, quid ad horas, quid ad Matutinum, quid denique ad reliqua Divina officia, sive dies illi feriales sunt sive festi, recitandum, quid psallendum aut legendum sit, quibus diebus jejunandum, quibus & quomodo solvendum jejunium, verbis clarissimis, ac facillimâ methodo, præscribitur, variisque est distinctum, pro materiæ varietate, capitibus. Variant apud Græcos Typica, cùm quælibet, saltem ex majoribus Ecclesiis, suum habeat. Quæ in singularem Monasteriorum usum condita sunt, κτητορικὰ, proprio nomine, appellantur. Prodiit Typicum *Venet.* annis 1603. 1615. 1643, hoc titulo. Τυπικὸν σὺν Θεῷ ἁγίῳ περιέχον πᾶσαν τὴν διάταξιν τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀκολουθίας τοῦ χρόνου ὅλου, *Typicum, favente Deo, continens integrum officii Ecclesiastici ordinem per totum annum.* Quo in opere sequentia continentur. I. Typicum τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀκολουθίας S. Lauræ in Hierosolymis. Quod & in aliis Monasteriis Hierosolymitanis, aliisque Ecclesiis, obtinet ex præscripto S. Sabæ *Sæc.* V. 2. Μηνολόγιον: juxta XII. Menses, continens ἀκολουθίαν τῆς ἐκκλησιαστικῆς ψαλμωδίας τε καὶ συνάξεως per totum annum, incipiendo ut solent Græci, à mense Septembri, usque ad finem Augusti, præmisso capitum indice. 3. Marci Hieromonachi, qui se ἁμαρτωλὸν vocat, Σύνταγμα εἰς τὰ ἀπορούμενα τοῦ τυπικοῦ sive *de dubiis quæ ex Typico oriuntur*,

Digitized by Google

oriuntur, capitibus C. absolutum. 4. Nicolai Patriarchæ CP. ad Anastasium, montis Sinæ Abbatem, de jejuniis Græcorum *carmina politica* CCXXIV. 5. Anastasii Cæsareæ Palæstinæ Episcopi tractatus περὶ τῆς Ἀρτζιβουρίου de feriis Monachorum, de continentiâ & ingluvie, &c. 6. *Vita quatuor Evangelistarum*; ex Dorothei Synopsi desumptæ. 7. *Regulæ variæ* περὶ τοῦ πῶς δεῖ πιστεύειν, περὶ τοῦ πῶς δεῖ κινεῖν τὸν Θεὸν, &c. 8. Κεφάλαια παραινετικὰ, seu *capita adhortativa ad virtutem*, per modum gnomologiæ disposita. 9. Πασχάλιον τοῦ ὀγδόου αἰῶνος, *Paschalium octavi Sæculi*, sive Calendarium continens annos ab orbe condito, & ab incarnatione Christi; Indictionem etiam, Cyclum, tum solarem, tum lunarem, & τὸ θεμέλιον τῆς Σελήνης. Hoc θεμέλιον *Epactæ* Latinorum respondet, & Ephemeridem annorum ab anno MDCXLIII. usque ad annum MDCLXXVI. complectitur. Sunt etiam, notante eodem, quem suprà notavimus, Allatio, quæ strictiori sensu apud Græcos Typica vocantur; nempe versuum quorundam ex Psalmis, hinc inde congestorum, & ad solennitatis, quæ agitur, arcana exponenda aptiorum, Eclogæ. Et horum duo sunt genera; alterum quod in matutinis precibus, dum Vigilias, quòd eam noctem insomnes traducant, peragunt, recitari aut cani solet; in festis scilicet Christo & B. Virgini dicatis, quæ sola vigilias habent. Alterum Typicorum genus est, quæ inter Missarum solennia, diebus etsi non omnibus, canuntur, & sunt πρῶτα καὶ δεύτερα, *prima & secunda*; nec alia sunt, quàm Psalmus CII. qui πρῶτα, & CXLV. qui δεύτερα, dicuntur, uti notat etiam Cl. Goarus, p. 124.

ΥΜΝΟΛΟΓΙΟΝ. Liber Ecclesiasticus continens hymnos in omnia Festa totius anni cum antiquis notis musicis, Menæi & Menologii instar in XII. menses digestos, ab initio Septembris usque ad finem Augusti. Inserta sunt Troparia Sophronii Archiepiscopi Hierosolymitani, in Vigiliâ Natalis Christi, cantari solita. Extat Gr. MS. Biblioth. Vindob. *Cod. Theol.* ex dispositione Nesselianâ CXXXVI. num. 1. à fol. 1. ad fol. 172. habetur etiam *ibid.* Cod. CLXXXI. anno Christi MCCXXI. exarato, num. 1. à fol. 1. usque ad fol. 184. Pars etiam hujus Hymnologii media, à vigiliâ Nativitatis Christi, usque ad diem XXI. Maii, *ibid.* Cod. CCIV. Varii hymni Ecclesiastici à Scriptoribus Græcis memorantur; quales sunt, hymnus *Angelicus*, *Seraphicus*, *Cherubicus*, ἐπινίκιος; quibus titulis Trisagium ornatur; hymnus μυστικὸς, τριαδικὸς, &c. de quibus non opus est ut hic sigillatim agamus.

ΦΩΤΑΓΩΓΑ'ΡΙΑ, seu ΦΩΤΑΓΩΓΙΚΑ'. Preces sunt vespertinæ, seu quæ in vespertinis officiis canuntur, cujusmodi plures haberi, in Horologio, Triodio, Paracletice, aliisque Græcorum libris Ecclesiasticis, observat sæpe laudatus du Fresnius *Gloss. Græc.* col. 1721.

ΧΑΙΡΕΤΙΣΜΟΙ'. Χαιρετισμὸς denotat Festum Annunciationis Deiparæ, quando Angelus à Deo missus eam convenit & salutavit. Χαιρετισμοὶ, hymni sunt in laudem Deiparæ compositi, quorum odæ singulæ incipiunt à voce Χαῖρε, quales habentur MSS. in *Cod. Regio* MMCCXVI. indicante du Fresnio, cod. 1724.

ΧΕΙΡΟΤΟΝΙ'Α. Ordinatio ad munus aliquod Ecclesiasticum, Episcopo manus imponente, variisque ritibus & orationibus celebrata. Plura sunt in Euchologio quæ huc spectant Officia, & à minoribus ordinibus auspicabimur, id solùm præmonentes, Ostiarium, Exorcistam, & Acolythum, apud Græcos hodie pro sacris ordinibus non agnosci. 1. Τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ, Ἀναγνώστου καὶ Ψάλτου, *Ordo fieri solitus in ordinatione Lectoris & Cantoris*, p. 233. & apud Habertum *Pontif. Græc.* p. 305. qui & ampliorem formulam exhibet juxta Liturgiam Patriarchalem, *ibid.* p. 37. 2. Εὐχὴ ἐπὶ χειροτονίᾳ Δεποτάτου καὶ Κηροφόρου, *Oratio in Deputati & Ceroferarii ordinatione*, p. 237. Quis fuit Deputatus, quidve ejus officium, non satis liquet. Eundem esse cum Ceroferario, & Latinorum Acolytho, volunt plurimi, & non inter officia, sed inter ministeria deputabatur. Ejus erat, pallio indutum præire cum lampadibus sanctum Evangelium, quando in ambonem, lectionis causâ, adferebatur, & sacra dona cùm ad sanctum altare deferuntur, & cùm ad mensam propositionis referuntur, uti nos docet Joannes Citrensis in Respons. ad Nicolaum Cabasilam, *Jur. Gr. Rom.* lib. V. p. 328. Sed & præter cereos, ferulam etiam manu gestâsse dicitur. Unde in descriptione coronationis Imperatoriæ ferula in sinistram ejus tradi solebat, ὡς τάξιν ἐκκλησιαστικὴν τοῦ Δεποτάτου λεγομένου, *ut ordinem seu locum in Ecclesiâ teneat illius qui Deputatus dicitur*, ut in Andronici junioris coronatione rem describit Cantacuzenus, *Hist.* lib. I. p. 122. Et eadem planè habet Codinus *de Offic.* cap. XVII. n. XXXV. XXXVI. p. 95. Quicquid sit, munus illud in Ecclesiâ Græcâ, suo penè tempore desiisse, & ante paucos annos in Ecclesiâ solummodò Thessalonicensi viguisse, nos docet Symeon Thessalonicensis, *de S. Ordin.* cap. I. p. 106. 3. Τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ Ὑποδιακόνου, *Ordo observandus in ordinatione Subdiaconi* p. 244. & ap. Habert. p. 306. & ex Liturgiâ Patriarchali, *ibid.* p. 45. 4. Τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ Διακόνου, *Ordo qui observari solet in ordinatione Diaconi*, p. 249. Cui subjuncta est, p. 262. forma in *Diaconissæ* ordinatione observanda. Idem officium exhibet Habertus, p. 308. Ordinem in institutione Diaconi observandum reperies *Eucho log.* p. 284. 5. Τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ Πρεσβυτέρου, *Ordo observandus in ordinatione Presbyteri.* p. 292. & ap. Habert. p. 312. & juxta Liturgiam Patriarchalem, *ibid.* p. 106. Τάξις ἀκολουθίας, quâ Archipresbyter constituitur, habetur ex Allatiano exemplari, *Euchou log.* p. 287. 6. Τάξις γινομένη ἐπὶ χειροτονίᾳ Ἐπισκόπου, *Ordo qui in Episcopi ordinatione servari debet*, p. 302. Amplior ex Euchologio Allatiano *ibid.* p. 305. Habetur & apud Habertum p. 316. prolixiori verò formulâ ex Liturgiâ Patriarchali, *ibid.* p. 66. Singula hæc officia ad codices MSS. recognita, variantibus lectionibus & additamentis aucta, notis eruditis illustrarunt Jac. Goarus in *Euchologio*, & Isaac. Habertus in *Pontificali* suo, viri de Ecclesiâ Græcâ egregiè meriti. Formulas etiam conferendi Sacros ordines apud Græcos, nempe Lectoris, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, & Episcopi, Gr. & Lat. exhibet & illustrat P. Arcudius *de Concord. Sacram.* lib. VI. cap. 2. p. 480. Cumulatè verò præ aliis, id præstitit Joan. Morinus commentario *de Sacris Ecclesiæ ordinationibus.* Ubi Part. II. omnes penè ordinationum apud Græcos formulas, quæ variis sæculis in usu fuerunt, Græcè & Latinè exhibet, & annotationibus illustrat. In his eminet antiquissimum exemplar ex codice MS. DCCC. ad minimum annorum, literis majoribus & uncialibus scripto desumptum: Part. III. de singulis, prolixis quidem, sed & doctissimis dissertationibus agit.

ΨΑΛΤΗ'ΡΙΟΝ. *Psalterium.* Liber continens omnes Psalmos Davidicos eo ordine quo in Sacris Bibliis habentur, sed in certas classes, plures vel pauciores Psalmos, pro eorum longitudine, continentes, distinctos. Has Sectiones Græci καθίσματα, sive *Sessiones* vocant, quod olim Psalmi uno contextu non legebantur, sed interjectis lectionibus, ne homines laboris pertæsi, neglectis officiis, ad aliud animum

Digitized by Google

animum adverterent. Καθίσματα singula in tres partes dividuntur, quæ solenni illâ δοξολογίᾳ, *Gloria Patri, & Filio*, &c. terminari solent. De his Cathismatibus fusè disserit L. Allatius, *Dissert.* I. p. 55. qui p. 60. describit modum quo Psalterium per totum annum in Græcorum Ecclesiâ recitatur. Est penès me Psalterium *Venetiis* editum, ap. Ant. Pinell. ann. 1627. 8vo. in XX. καθίσματα divisum. I. Κάθισμα continet à Psalmo I. ad *VIII.* inclusivè. II. à *IX.* ad *XVI.* III. à *XVII.* ad *XXIII.* IV. à *XXIV.* ad *XXXI.* V. à *XXXII.* ad *XXXVI.* VI. à *XXXVII.* ad *XLV.* VII. à *XLVI.* ad *LIV.* VIII. à *LV.* ad *LXIII.* IX. à *LXIV.* ad *LXIX.* X. à *LXX.* ad *LXXVI.* XI. à *LXXVII.* ad *LXXXIV.* XII. ab *LXXXV.* ad *XC.* XIII. à *XCI.* ad *C.* XIV. ab *CI.* ad *CIV.* XV. ab *CV.* ad *CVIII.* XVI. ab *CIX.* ad *CXVII.* XVII, ab *CXVIII.* XVIII. ab *CXIX.* ad *CXXXI.* XIX. ab *CXXXII.* ad *CXLII.* XX. ab *CXLIII.* ad *CL.* Sequuntur ψαλμὸς ἰδιόγραφος de victoriâ quam David ex Goliath reportavit, qui Psalterio non continetur; Cantica sacra ex V. & N. Testamento desumpta, nempe Mosis II. Exod. *XV.* Deut. *XXXII.* Hannæ matris Samuelis, cap. *II.* Abaccuc Prophetæ, cap. *III.* Isaiæ, cap. *XXV.* Jonæ Prophetæ, cap. *II.* Trium Puerorum, Dan. *III.* B. Virginis & Zachariæ, Luc. *I.* Ezechiæ Regis, Isaiæ *XXXVIII.* Manassis Regis Judæ; Simeonis senis, Luc. *II.* Calci subnectitur ordo, ὅπως ὀφείλει στιχολογεῖσθαι τὸ ψαλτήριον ἐν ὅλῳ τῷ ἐνιαυτῷ. Prodiit etiam Psalterium, ut infinitas alias editiones taceam, *Venet.* 1643. cui præmittitur Psalterii per totum annum in Ecclesiâ Græcâ recitandi modus. Subjicitur duplex Lexicon; grammaticum, quo præcipua quæ in Psalmis occurrunt, vocabula, unà cum eorum Etymologiis, explicantur; historicum alterum, quo personæ & nomina propria quorum in Psalmis & Canticis Sacris fit mentio, illustrantur.

ὩΡΟΛΟΓΙΟΝ. Liber quo Horæ diurnæ & Officia continentur. Præter horas & mesoria, quæ singulis Officiis necessariò dicuntur, Troparia, Psalmos, Preces varias, habetur in hoc opere, inquit Allatius, p. 90. Canon compunctivus, Canones paracletici in B. Virginem & angelum custodem, & deprecatorius in omnes Angelos & Sanctos; officium satis amplum sanctissimæ Communionis, & minutiora alia. Subjiciuntur, Cyrilli Alexandrini oratio *de exitu Animæ, deque secundo adventu*; Christoph. Patricii Mitylenæi *Troparia*, προσόμοια dicta, totum *Menologium*, quoad majora anni festa, ab initio Septembris, complectentia; *Paschalion* annorum 50. continens Indictiones, Cyclum Solarem & Lunarem, θεμέλιον Lunæ & Paschata ab anno MDCXLII. usque ad ann. MDCXCII. Jonæ Gialeni *Selenodromium* perpetuum; Niceph. Paschalei *de jejuniis Græcorum* tractatulus, linguâ vulgari conscriptus. Prodiit hoc Horologium *Venet.* ann. 1535. 1601. 1602. 1623. 1632. 1646. 1652.

ὩΡΟΛΟΓΟΨΥΛΟΝ, seu *parvum Horologium*, ex majori excerptum, & usui ordinario magis accommodatum. De quo hæc idem Allatius; *Dissert.* I. p. 104. Continet gratiarum actionem postquàm Christianus è somno surrexerit; officium mediâ nocte & vespere, singulis diebus dici solitum; novem cantica, primam, tertiam, sextam & nonam horas; parvum ἀπόδειπνον ex Apostolaria, & ἀπολυτίκια totius hebdomadis; preces in mensâ; preces brevissimas, dicendas singulis diei horis; Menologium brevissimum; Paschalium annorum X. Editus est hic libellus, ut aliàs sæpè, *Venet.* ann. 1642. in formâ quam vocant 32.

DISSERTATIO TERTIA.

DE

EUSEBII CÆSARIENSIS ARIANISMO,

adversus IOANNEM CLERICUM.

Lond. 1696. 8o.

PRODIIT haud ita pridem apud nos Liber, è sermone Gallico, ut dicitur, in Anglicum traductus, complectens vitas quatuor Sanctorum Patrum, nempe *Clementis Alexandrini, Eusebii Cæsariensis, Gregorii Nazianzeni, & A. Prudentii.* Auctorem præfert Joannem Clericum Amstelodamensem, scriptis editis satis notum. Utrum cum nostri temporis Arianis, vel potiùs Photinianis facit, mihi est inexploratum. Id modò certum, librum de quo agimus, eorum curâ versum fuisse, & in lucem emissum, quin & in hanc, quam habemus, formam redactum. Nullum enim tale opus distinctum usquam edidit D. Clericus; sed hæ Vitæ ex *Bibliothecâ* ejus *Universali*, præsertim ex *Tomo* X. & XVIII. desumptæ sunt, & in libri formam ab Editore dispositæ & ordinatæ. Nos in præsenti Dissertatione Editionem Londinensem utplurimum sequimur. Hunc librum pro merito excutere, mihi non vacat. Post primarium operis institutum, id sibi penè unicè proposuisse videtur auctor, ut sanctos Patres inter se committeret, [a] quasi nec sibimet ipsis, nec inter se invicem convenientes; ut eos tanquam obscuros [b], perplexos, confusos repræsentaret, nec eorum quæ tractant satis peritos; qui terminis utuntur æquivocis, & præclarè se munere suo functos arbitrantur, cùm de mysteriis incomprehensibilibus modo quodam haud intelligibili disputârint. Dallæi librum *de usu Patrum* magnis effert laudibus (quicquid, *inquit* [c], aliter sentiant Antiquitatis Panegyristæ) nec mirum; cum auctori, viro cæterà doctissimo, visum fuerit, omnem quæ Patribus debetur, reverentiam excutere, deque eorum scriptis sinistrè, & duriori censurâ judicare. In Episcopos, omnémque ordinem clericalem acriùs animadvertit [d], quos velùti præjudiciis, in conventibus suis synodalibus mirè occæcatos, traducit, hâcque præ laicis prærogativâ gaudentes, quòd simul & partes esse possint & judices; quòd [e] maximis etiam Principibus imponere, iisque tanquam instrumentis abuti solent. Ecclesiasticorum [f] vitia, avaritiam, ambitionem, dominandi libidinem, Sacerdotii & Episcopatuum aucupationem, superbiam, iracundiam, lites & jurgia pro nugis, nulliúsque momenti re-

[a] Vid. Vit. *Eusebii* p. 90. 91.

[b] Vid. in *Clem. Alex.* p. 46 in *Eus.* 91. 95. 158. 165.

[c] In *Cl. Alex.* p. 42.

[d] Vid. in *Eus.* p. 136. 144 in *Naz.* 273.

[e] Mais la verité est que l'Empereur faisoit alors peu de chose de son pur mouvement & qu'il n'étoit que l'organe de quelques Ecclesiastiques: ce qui n'est que trop souvent arrivé, même aux plus grands Princes in *Euseb.* p. 460

[f] In *Greg. Naz.* 217. 218. 246. 272. 273.

Digitized by Google

bus, idque sub specioso fidei defendendæ prætextu, ex Basilio & Nazianzeno luculenter exponit. Et nè quò hæc tendant nesciremus, subdit g, nisi constaret nobis, de quibus hæc dicta sunt, existimaret quis non aliud hic præter hodiernorum Theologorum imaginem nobis exhiberi. Et sanè quàm benevolum in Theologos Christianos gerat animum, in libro suo de *Incredulitate* nuper apud nos edito testatus est.

g p. 218. vide p. 280.

Verùm hæc, & siqua istiusmodi, non sunt hujus loci. Ad alia me vocat auctor, virgulam censoriam satis pro magisterio in me exercere dignatus, non aliâ licet ratione à me lacessitus, quàm quod Eusebium à directo Arianismi crimine vindicare olim conatus sum. Locum integrum, prout possum à me Latinè redditum, subjungam. * *Erat semper* (Eusebius) *à partibus Arianorum, eumque tanquam eadem cum iis sentientem accusârunt Athanasius & Hieronymus. In summâ vix credi potest, ipsum, si modò fuisset Orthodoxus, Arianismo tantopere favere, & depositioni Sancti Athanasii consentire voluisse. Nihilominus Socrates, citatis quibusdam locis, in quibus cum Orthodoxis loquitur, illum absolvere aggressus est; idémque fecerunt recentiorum plures, & in his* D. Cave *in Vitâ Eusebii, quam & Latinè & Anglicè scripsit. Posterior hic putâsse videtur se ad id faciendum* ex Christianâ charitate † *obligari. Existimant verò alii, Christianam charitatem, hoc est, amorem quem erga omnes Christianos gerere debemus, historicos quosvis obligare ad talium veritatum mentionem faciendam, quæ nullam conditioni mortuorum alterationem inferunt, quæque viventibus usui esse possint, ut inde de rebus ritè judicare discant. Prætensa ista charitas, quæ ad illos solummodò Patres se extendit, qui orthodoxi habentur, in causâ fuit, quòd non nisi Panegyricos* * *sermones de veteribus quodammodo habeamus, in quibus defectus eorum semper celantur, cùm nullo virtutum involucro tegi queant.*

* In. vit. *Euseb.* p. 153, *Biblioth. Univers.* & *Historique* de l'année 1688. *Tom.* X. p. 474.

†Verba mea sunt; *Adeò ab omni planè Christiana charitate abhorrent, qui eum vafrè & dolosè subscripsisse volunt.* Hist. Lit. p. 130. *Edit. Lond.*

*Conf. Præf. ad Vit. *Clem. Alex.* p. 2.3. Edit Gall p. 177. *Tom.* X. & edit. Angl. præf. libro præfix.

Hæc D. Clericus; tectè innuens, me vitas Sanctorum Patrum, Eusebii saltem, ad hunc modum conscripsisse. At priusquàm hæc in vulgus projiceret, nisi calumniator haberi velit, quas veritates silentio suppresserim, quibus nævis fictos fucatosque colores obduxerim, quorumnam Vitas *panegyricè* potiùs quàm historicè descripserim, liquidò ostendere debuisset. Si enim *accusâsse sufficiat, quis erit innocens?* Rem igitur ab ovo repetam, & apud æquum lectorem causam dicam.

In priori hujus operis parte *, & præsertim in *Vitâ Eusebii*, ante quindecim jam annos à me patrio sermone edita †, non pauca ex Eusebii scriptis testimonia adduxi, quæ ipsum, saltem apud æquos rerum æstimatores, ab Arianismo liberarent. Quid ad hæc Censor noster? Negátne loca à me allata Eusebii esse? an affirmat in alium sensum à me detorta? vel cum Arianis dogmatibus conciliari posse? Nequaquam planè. Intra generalem accusationem se continet, ubi dolus latere solet. Quidquid sit: bilem ei movisse videtur; num quod tantum virum Arianis eripi molestè ferret, an aliâ ex causâ ipse viderit. Immeritò utcunque, & injuriâ quidem. Non mihi in animo erat, neque jam est, Eusebium ab omni labe purgare, è contra plus simplici vice testatus sum, multa scriptis ejus inesse incautiùs, duriùs, periculosiùs dicta, quæ æquum & candidum lectorem expetunt; insolentes quandoque & incommodas reperiri loquendi formulas, à receptis Theologorum regulis abhorrentes, quas nec probo, nec defendo. Sed hîc pedem figo, hoc in me probandum recipio, Eusebium non fuisse Arianum, κυρίαις eorum δόξαις non fuisse imbutum; quinimò in ejus, quæ extant scriptis, superesse plurima, quæ ipsa Arianismi fundamenta radicitùs evellunt. Duo proinde mihi agenda sunt. Primò ostendam Eusebium Cæsariensem injustè ad Arianos amandari; deinde, calumniam mihimet exinde conflatam paucis diluam.

*In *Euseb.* pag. 91. *Edit. Genev.*

† Vit. PP. Primit. Tom. II. in vit. *Euseb.* num. 22. p. 29, 30. &c.

I. Eusebius Cæsariensis injustè ad Arianos amandatur. Et tamen ita vulgò fieri solet, idque contentione non levi. Et in hunc clamorem abierunt plurimi, tum veteres, tum recentiores. In veteribus primas tenent Athanasius, Eustathius Antiochenus, Marcellus Ancyranus, Epiphanius, Hilarius, Hieronymus, Antipater Bostrensis, alii; & post Concilium Nicænum II. Scriptores Græci penè universi. Productus fuerat in isthoc Concilio ex *Epistolâ* Eusebii ad Constantiam Aug. Constantini M. sororem locus *, quo adversùs omnem Christi imaginem faciendam eruditè disputat: Cui cùm nihil quod opponerent, haberent Patres, communis statim exortus est clamor, εἰς ἀδόκιμον νοῦν παραδοθεὶς, καὶ σύμφρων τοῖς τοῦ Ἀρείου θρησκεύουσιν, *homo est in reprobum sensum traditus, ejusdem cum Ario opinionis, eadémque cum ejus sectatoribus sapiens.* Quasi scilicet omnes, quas affert, Eusebii rationes nullius essent ponderis, nec flocci penitus faciendæ in re licèt ad Arianismum parùm spectante, si modò ipse esset Arianus. Sed ita argumentari solent boni Patres Nicæni. Ex recentioribus post Petavium nemo acriori censurâ vexavit Eusebium, quàm Purpuratus Annalium parens. Hoc ei perpetuò objicit, hanc constanter cantat cantilenam, *Arianus est.* Suspectæ sunt ei † Constantini M. literæ ad Alexandrum & Arium. Unde? Quia *ab Eusebio homine Ariano recitatæ.* In Constantini edicto adversùs Hæreticos, nominatim non recensentur Ariani. Quare? *Suspecta* * *redditur perfidia Eusebii hominis Ariani.* Nec longè quærenda est Cardinalis in Eusebium indignationis causa; non aliunde nempe quàm quòd disertè scribit, suffragante omni antiquitate, Constantinum in extremis Nicomediæ fuisse baptizatum. Quo posito, corruit planè splendida Pontificiorum de Romano Constantini baptismo fabula, & quæ ex eo pendent Donationes, & amplissima privilegia. De hâc itaque Eusebii narratione agens Baronius; tradit hæc, inquit, * *Eusebius, sed Arianorum signifer, qui in gratiam Constantii Imp. Ariani hominis, & Arianorum patroni, hæc ipsa conscripsit.* Ne igitur hæreticæ pravitatis infamiâ diutiùs prematur vir sæculorum omnium memoriâ dignissimus, omniúmque sui temporis longè doctissimus, pessimam Arianismi notam ab Eusebii capite depellere conabor. Quod ut clariùs elucescat, *Theses* quasdam *ANTI-ARIANAS*, easque primi commatis, nempe de Divinitate Filii Dei, deque æterna ejus existentia (in quibus controversiæ Catholicos inter & Arianos cardo præcipuè vertitur) subjiciam, quas Eusebii auctoritate disertè confirmabo; Præmissis duabus regulis, ad explicanda hæc mysteria apprimè necessariis, in quas consensêre Theologi penè omnes, veteres ac recentiores.

* Act. VI. Conc. T. VIII. col. 495.

† Ad an. 318. nu. 90, 95.

* Ad an. 326. nu. 22.

*Ad an. 324. n. 43. & seq.

Regula I. *In personis SS. & individuæ Trinitatis considerandus est Pater tanquam fons & principium Deitatis:* à quo suum esse habet Filius, suum Spiritus Sanctus, ipse à nullo. Hanc regulam veteres una voce nobis tradiderunt. Athanasius † Μόνος ἀγέννητος, μόνος πηγὴ θεότητος, *solus ingenitus, & solus fons Deitatis.* Alibi * Ὁ πατὴρ ἀρχὴ τοῦ υἱοῦ καὶ γεννητὴς ἐστὶ, *Pater principium Filii, & genitor est* Clarius rationem reddit *Orat.* V. † Μία ἀρχὴ θεότητος, καὶ οὐ δύο ἀρχαί· ὅθεν κυρίως καὶ μοναρχία ἐστιν, ἐξ αὐτῆς δὲ τῆς ἀρχῆς ἐστὶ φύσει υἱὸς ὁ λόγος, οὐκ ὡς ἀρχὴ ἑτέρα καθ' ἑαυτὸν ὑφεστὼς, οὐδ' ἔξωθεν ταύτης γεγονὼς ἵνα μὴ τῇ ἑτερότητι δυαρχία καὶ πολυαρχία γίνηται· ἀλλὰ τῆς μιᾶς ἀρχῆς υἱὸς, ἴδιος υἱὸς, ἰδία σοφία, ἴδιος λόγος, ἐξ αὐτῆς ὑπάρχων. *Unum est principium Deitatis, non duo, unde propria Monarchia unius domini haberi debet. Ex ipso deinde principio per naturam existit Filius, qui est verbum, non quasi alterum principium, seorsim subsistens,*

† Contr. Sab. Greg. p. 508.

*Cont. Aria. Orat. II. p. 145.

† Pag. 303.

Digitized by Google

subsistens, neque aliundè genitus, ne ratione secundi duo principia, pluriumque principatus oriantur; sed unius principii suus, propriusque filius, propria sapientia, proprium verbum, ex ipso principio ortum habens. Unum, inquit Basilius †, *novimus ingenitum*, καὶ μίαν τῶν πάντων ἀρχὴν, *& unicum omnium principium, Patrem nempe Domini nostri Jesu Christi*: inde Pater ei * Αἴτιος καὶ ἀρχή. Gregorio Theologo † ἀρχὴ, ὡς αἴτιος καὶ πηγή. Pro Latinis unus loquatur Augustinus *, *Pater filii sui unigeniti auctor est, qui tamen Filium genuit, & gignendo ei dedit.* Consona his docet Eusebius † noster, Filium nempe unigenitum veluti Patris imaginem, ex ipso ortum, οὐκ αὐτὸν ὄντα τὸν πατέρα· ἀλλὰ τὸν τοῦ πατρὸς μονογενῆ υἱὸν, οὐδ' αὐτὸν ὄντα τὸν ἀγέννητον, καὶ ἄναρχον, ἀλλὰ τὸν ἐξ αὐτοῦ φύντα, καὶ ἀρχὴν, ἐπιγραφόμενον τὸν γεγεννηκότα. *Non tamen ipsummet Patrem, sed Patris sui Filium unigenitum, non ipsum quidem ingenitum, & sine principio, sed ex illo ortum, sic ut principium sui ascribat Patri.* Iterum * *Utcunque licet Filium profiteamur Deum, unus tamen Deus est*, ἐκεῖνος ὁ μόνος ἄναρχος, καὶ ἀγέννητος ὁ τὴν θεότητα οἰκείαν κεκτημένος, αὐτῷ τε τῷ υἱῷ τοῦ εἶναι, καὶ τοῦ τοιῷδε εἶναι γεγονὼς αἴτιος. *Ille nimirum qui solus principio caret, qui ingenitus, qui propriam à se possidet Divinitatem, qui ipsi insuper Filio existendi causam, & taliter existendi dedit.* Addam & tertium †, πάντα δὲ ταῦτα παρὰ τοῦ πατρὸς λαβὼν, ἐξ αὐτοῦ τε καὶ τῆς θεότητος τὴν δόξαν, ὡς ἂν υἱὸς γνήσιος καὶ μονογενὴς εἰληφὼς ἔχει· ἀλλ' οὐχ καὶ ὁ πατὴρ παρά τινος εἴληφε· πάντων καὶ αὐτὸς ὢν ἀρχὴ καὶ πηγὴ καὶ ῥίζα τῶν ἀγαθῶν· εἰκότως εἷς καὶ μόνος ἀναγορεύοιτο ἂν Θεός. *Hæc autem omnia cùm de Patre suscepisset, ab illo & gloriam Divinitatis, tanquam Filius dilectus & unigenitus, accepit, sed non ita Pater à quoquam accepit, cùm sit ipse omnium principium, & fons & radix bonorum, unde meritò unus & solus prædicatur Deus.* Sed hospes sit oportet in scriptis Eusebianis, qui hæc nescire potest.

† Epist. 78.
* Adv. Eunom. l. I. in fin.
† Orat. 29. p. 490.
* Cont. Maximin. III. c. 14. col. 732.
† De Eccl. Theol. l. II. c. 14. p. 121.
* ibid. l. I. c. 11. p. 69.
† Ibid. l. II. c. 11. p. 111.

Regula II. *Siqua in scriptis sanctorum Patrum occurrant dicta, quæ Filium Patre minorem, vel inferiorem facere videantur; vel ad subordinationem Filii ad Patrem, vel ad progressum ejus ex Patre ad condenda universa, vel denique ad τὴν κατὰ σάρκα οἰκονομίαν referenda sunt.* Hæc tria breviter sunt explicanda. I. Filius Patri subordinatur ut principio & auctori suo; minor, non ratione essentiæ, sed originis, quam à Patre habet. Filius Patri æqualis naturâ divinâ; Major Pater communicatione. Hanc Filii minoritatem (si ita loqui fas sit) constanter agnovisse catholicos Patres, tam qui ante, quàm qui post synodum Nicænam scripsere, non opus est pluribus demonstrare, cùm illorum testimonia plenâ messe collegit vir in antiquitatis Ecclesiasticæ palæstrâ egregiè exercitatus, Georgius Bullus *; imò non indiligenter id præstitit doctissimus Petavius †. Unum aut alterum ex post-Nicænis, illustrationis gratiâ adjiciam. Alexander * Episcopus Alexandrinus, sub quo Arius primùm in hæresim erupit, postquàm Ecclesiæ doctrinam de Filio tradidisset, addit, Ἄτρεπτον τοῦτον, καὶ ἀναλλοίωτον ὡς τὸν πατέρα, ἀπροσδεῆ, καὶ τέλειον υἱὸν, ἐμφερῆ τῷ πατρὶ μεμαθήκαμεν, μόνῳ τῷ ἀγεννήτῳ λειπόμενον ἐκείνου. *Hunc conversionis & mutationis expertem, perinde ac Patrem, nullius egentem, & perfectum Filium Patrisque similem esse didicimus, hoc solo inferiorem Patre, quòd ingenitus non est.* Et post pauca, οὐκ οὖν τῷ μὲν ἀγεννήτῳ πατρὶ οἰκεῖον ἀξίωμα φυλακτέον, μηδένα τοῦ εἶναι αὐτῷ τὸν αἴτιον λέγοντας. *Itaque Patri quidem ingenito propriam dignitatem servari oportet, nullam nempe eum habere existentiæ suæ causam profitendo.* Competentem quidem honorem Filio tribuendum esse contendit, generationem ex Patre principio carentem ei assignando, æternam ejus Divinitatem prædicando, similitudinem Paterno characteri in omnibus respondentem ascribendo, τὸ δὲ ἀγέννητον τῷ πατρὶ μόνον ἰδίωμα παρεῖναι δοξάζοντες, ἅτε δὴ καὶ αὐτοῦ φάσκοντος τοῦ Σωτῆρος, ὁ πατήρ μου μείζων μου ἐστίν. *Solum vero ingenitum Patris proprium esse dicamus, cùm & ipse Servator dixerit, Pater meus major me est.* Athanasius * Alexandri Diaconus ac hyperaspistes, & in sede successor, simulque fidei catholicæ vindex acerrimus; διὰ τοῦτο γὰρ καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς οὐκ εἴρηκεν, ὁ πατήρ μου κρείττων ἐστίν, ἵνα μὴ ξένον τῆς ἐκείνου φύσεως, αὐτὸν ὑπολάβοι, ἀλλὰ μείζων εἶπεν· οὐ μεγέθει τινὶ, οὐδὲ χρόνῳ, ἀλλὰ διὰ τὴν ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς γέννησιν. *Atque eam ob causam non est dictum à Filio, Patrem suum se meliorem esse, ne seipsum extraneum alienumque ab illius naturâ existimaret,* sed Pater, *inquit*, major est, *non quidem magnitudine, aut ætate, sed quia ex ipso Patre ortum habebat.* Basilius † Athanasii æqualis, ἐπειδὰν γὰρ ἀπὸ τοῦ πατρὸς ἡ ἀρχὴ τῷ υἱῷ κατὰ τοῦτο μείζων ὁ πατὴρ, ὡς αἴτιος καὶ ἀρχή· διὸ καὶ ὁ κύριος οὕτως εἶπεν, ὁ πατήρ μου μείζων μου ἐστὶ, καθ' ὁ πατὴρ δηλονότι. *Quoniam enim à Patre principium est Filio, ideo major est Pater, ut causa & principium. Quapropter etiam Dominus sic dixit,* Pater meus major me est, *quatenus videlicet est Pater.* Eleganter, ut solet, alibi *; ὡς γὰρ ὁ υἱὸς τάξει μὲν δεύτερος τοῦ πατρὸς ὅτι ἀπ' ἐκείνου, καὶ ἀξιώματι, ὅτι ἀρχὴ καὶ αἰτία τοῦ εἶναι αὐτοῦ ὁ πατήρ· καὶ ὅτι δι' αὐτοῦ ἡ πρόσοδος, καὶ προσαγωγὴ πρὸς τὸν θεὸν καὶ πατέρα· φύσει δὲ οὐκέτι δεύτερος, διότι ἡ θεότης ἐν ἑκατέρῳ μία. *Nam quemadmodum filius ordine quidem à Patre secundus est quoniam ab illo est: Et dignitate, quoniam origo est, atque causa essendi Pater ipsi est, & quoniam per ipsum accessus & adductio est ad Deum Patrem. Naturâ verò nullo modo secundus, quoniam in utroque una est Deitas.* Antiquioris cujusdam Theologi dictum refert Isidorus Pelusiota *, δυνάσθε λέγειν ὃ ἔφησέ τις πρὸς αὐτοὺς (Anomæos) διαλεγόμενος, ὅτι καὶ τὸ μεῖζον ἴσταται ᾗ γεννήτωρ, καὶ τὸ ἴσον καθ' ὁ Θεὸς, καὶ ὁμοούσιος. *Illud vobis dicere licet, quod à quodam dum adversùs eos dissereret, allatum est, nempe quod & majus consistit, quâ ratione genitor est: & æquale, quatenus Deus est, ejusdémque substantiæ.* Breviter S. Hilarius † *Nam dum à te est, secundus à te est.* Gregorius * Theologus, Basilii familiaris, πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, τοῦ υἱοῦ ἐστὶ, πλὴν τῆς αἰτίας, *Omnia quæ habet Pater, Filii sunt, præter causam.* Alibique, † Δῆλον ὅτι τὸ μεῖζον μέν ἐστι τῆς αἰτίας, τὸ δὲ ἴσον τῆς φύσεως; καὶ τοῦτ' ἀπὸ πολλῆς εὐγνωμοσύνης ὁμολογοῦμεν ἡμεῖς. *Manifestum est, Majoris vocem ad causam pertinere, Æqualis verò ad naturam. Et nos illud ingenuè admodum & candidè confitemur.* Ad eundem planè modum ubique loquitur Eusebius. Unicum tantummodò locum dabo *. Καὶ ὁ μὲν καθ' ἑαυτὸν τέλειος καὶ πρῶτος, ὡς πατὴρ, καὶ τῆς τοῦ υἱοῦ συστάσεως αἴτιος· οὐδὲν εἰς συμπλήρωσιν τῆς ἑαυτοῦ θεότητος παρὰ τοῦ υἱοῦ λαμβάνων. Ὁ δὲ ὡς ἐξ αἰτίου γεγονὼς υἱὸς, δεύτερος οὗ ἐστιν υἱὸς καθέστηκεν, παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ τὸ εἶναι, καὶ τοιόσδε εἶναι εἰληφώς. *Et ille quidem per seipsum perfectus ac primus, tanquam Pater, & qui auctor sit ut Filius consistat, nihil à Filio accipiens, quo suam naturam quà Deus est compleat: Hic autem tanquam ex causâ profectus Filius, secundus ab illo cujus est Filius, existit, quippe qui à Patre ut & sit, & talis sit, acceperit.* 2. Præter æternam Filii cum Patre coexistentiam, Divini cujusdam τοῦ λόγου progressus meminisse videntur Antiquorum plures, quo ὁ λόγος omnia creaturus, ex Deo Patre κατ' ἐνέργειαν prodiit ad condenda universa. Multus est in hâc notione adstruendâ, simul & enucleandâ Bullus * noster, qui Athenagoræ, Tatiani, Theophili, Antiocheni, Hippolyti, & Novatiani, hanc in rem testimonia fusè non minùs quàm eruditè explicat; quem adeant curiosi. Nec à ratione quidem abhorret, quod observat † idem vir eruditus, hoc ipsum vulgato illo Arianorum effato denotari, πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, *priusquàm nasceretur*

* Defens. fid. Nic. sect. IV. cap. 1. 2.
† De Trinit. l. II. cap. 2. p. 99. &c. Vid. lib. V. cap. 5.
* Epist. ad Alex. apud Theod. H. Ec. l. I. c. 4. p. 17.
* Cont. Aria. Orat. II. p. 180.
† Adv. Eunom. lib. I.
* Ubi supr. l. III. p. 7[illegible]. Vide omnino l. I. p. 30.
* Lib. III. Epist. 334. p. 386.
† De Trinit. lib. XII.
* Orat. 24. in Ægypt. advent. p. 229.
† Orat. 36. p. 582. & Orat. 40. p. 649.
* Demonst. Evang. l. IV. c. 3. p. 147.
* Ibid. Sect. 3. c. 5. 6. 7. 8.
† Ib. c. 9. p. 378.

Digitized by Google

nasceretur non erat. Referri hæc ad Christi ex Virgine incarnationem non possunt, quippe Arianos ultrò concessisse filium ante B. Virginem, imò ante mundum conditum extitisse, notum est, quàm quod notissimum. Adeóque de aliâ quâdam filii nativitate intelligi debent, de ea nempe quâ paulò ante conditum mundum ex patre modo quodam inexplicabili progressus est ut universa constitueret. Proindeque huic Catholicorum sententiæ effatum illud suum opposuerunt Ariani. Ingeniosa certè conjectura, nec à maxima verisimilitudine aliena. Et ab hac sententia non prorsus abludere Eusebium nostrum, infinitis exemplis demonstrare poterat, iis præcipuè locis, in quibus ostendit (ut ipsius verbis * utar) ἕνα μονογενῆ, καὶ ἀγάπητον υἱὸν ἐδόκει τῷ παναγάθῳ πατρὶ τῆς τῶν γεννητῶν ἁπάντων δημιουργίας προυφίςασθαι δεῖν, *Optimo Patri visum esse, unigenitum & dilectum Filium, omnium rerum quæ creandæ essent, opificio præferri oportere. Quem proinde dicimus*, inquit, πρῶτον πάντων ἀπὸ τοῦ πατρὸς οἷόν τι μονοειδὲς πάσης οὐσίας καὶ φύσεως προβεβλῆσθαι ὄργανον ἔμψυχον καὶ, &c. *Omnium primum à Patre, quasi quoddam singulare instrumentum omnis essentiæ & naturæ productum esse; instrumentum nempe animatum & vivens, ac potius divinum, vitalemque vim in se habens, & sapientissimum.* Ne mireris, Lector, Filium hoc loco Patris in condendâ rerum universitate *instrumentum* vocari. Non enim loquitur de instrumento *extraneo*, sed *connaturali*, *de singulari quodam*, nempe *animato*, *vivente*, *divino*, πανσόφῳ, *vimque vitalem in se habente.* Nec aliud sibi voluit Eusebius, quàm ita volente & mandante Patre, Filium in creatione mundi paternæ voluntati obsecundâsse, eamque in actum perduxisse. Neque aliter loqui solent Patres maximè Catholici, apud quos non rarò Patri *ministrâsse* dicitur. Quid quod ipsemet Petavius, Irenæi, Athanasii, Basilii, Cyrilli Alexandrini, Marii Victoris, aliorúmque testimonia citat, qui disertè affirmant Patrem Filio imperâsse, ipsumque paternis jussis paruisse, *de Trinit.* l. II. cap. 7. *num.* VII. p. 140. 141. Et tamen quod in his Patribus facilè admittit, eodem loco Eusebio præfractè denegat. En egregium hominis candorem! Verùm hæc obiter. Eodem sensu intelligendus videtur Eusebius, cùm toties † Filium τὸ δεύτερον κατὰ τὸν πατέρα τῶν ὅλων αἴτιον, *Secundam omnium rerum causam post Patrem* dicit, præsertim cum iis ipsis in locis filium οὐσιώδη σοφίαν, *Deum*, quin & αὐτόθεον, vocat. Neque alio planè sensu alibi * ait *Deum Patrem*, μέσην τινα παρεμβάλλειν τὴν τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ καὶ πρωτοτόκου θείαν καὶ παναλκῆ καὶ πανάρετον δύναμιν, *Mediam quandam unici sui primoquegeniti Filii Divinam & omnipotentem, & omnibus virtutibus exuperantem vim interposuiße*, quandò scilicet mediante Filii virtute Deus condidit universa. Certè ipse Alexander † Alexandrinus, ubi de Deo Patre, & rebus ab illo, ex nihilo creatis agit, de Filio ita loquitur. Ὧν μεσιτεύουσα φύσις μονογενὴς, δι᾽ ἧς τὰ ὅλα ἐξ οὐκ ὄντων ἐποίησεν ὁ πατὴρ τοῦ Θεοῦ λόγου, ἡ ἐξ αὐτοῦ τοῦ ὄντος πατρὸς γεγέννηται. *Inter quæ duo medium obtinens unigenita natura Dei verbi, per quam Pater universa condidit ex nihilo; ex ipso verò Patre progenita est.* 3. Incarnationis œconomia omnem Christi comprehendit statum, actiones, & munera, quæ ab assumptâ carne humanâ θεάνθρωπος, Dei hominúmque mediator obiit, atque executus est. Hâc ratione Patre esse inferiorem, apud omnes in confesso est, notiúsque, quàm ut probari debeat. Testem instar omnium damus Augustinum *. *Regula catholicæ fidei sic se habet, ut cùm aliqua in scripturis dicantur de Filio; quòd sit minor Patre, secundùm susceptionem hominis intelligantur. Cùm verò ea dicantur, quibus demonstratur æqualis; secundùm id quod Deus est, accipiantur.* De hac missione & exinanitione agens Eusebius * noster, postquam præcipua legationis hujus mediatoriæ, à Deo Patre ei commissæ, munia recitâsset, ait, *ipsum hoc modo* μείζονα τε εἶναι αὐτοῦ ὁμολογεῖν, *Patrem se majorem esse confiteri:* Alibíque † vocat ipsum ψυχῶν ἰατρὸν πρὸς τοῦ μείζονος ἀπεςαλμένον, *animarum medicum à majore missum.* Quoties igitur filium à τῷ ἐπὶ πάντων Θεῷ distinguit, ratione muneris mediatorii id facit; *quippe * quod ille qui mediator est, non eo ipso Deus est. Sed ἦν καὶ πρὶν ut unigenitus Dei Filius, antequàm fieret Dei mediator & hominum, mediator Dei & Angelorum, quando μεσιτεύει πατρὶ, intermedias partes supplebat suo Patri, qui ministerio Angelorum legem hominibus promulgavit.* Huc fortasse referri debet, quod ex epistolâ ejus ad Euphrationem Episcopum citant Synodi Nicenæ II. Patres his verbis; * Πλὴν αὐτὸς ὁ πάντων μᾶλλον ἀκριβῶς ἐπιςάμενος υἱὸς τοῦ θεοῦ ἕτερον ἑαυτὸν εἰδὼς τοῦ πατρὸς, καὶ μείω ὑποβεβηκότα εὖ μάλα εὐσεβῶς τοῦτο καὶ ἡμᾶς διδάσκει λέγων, ὁ πατὴρ ὁ πέμψας με μείζων μου ἐςί. *Veruntamen ipse Filius Dei qui magis omnia liquido novit, alium se à Patre, ac minorem atque inferiorem sciens, admodum piè hoc etiam nos docet, dicens Pater qui misit me major me est.* Hæc de incarnationis statu clara satis & aperta sunt; Verba verò quæ immediatè procedunt, οὐ γὰρ συνυπάρχειν φαμὲν τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ, προϋπάρχειν τὸν πατέρα τοῦ υἱοῦ, *Non enim simul cum Patre Filium fuisse dicimus, sed Patrem praexistere*, de ordine solùm naturali inter Patrem & Filium intelligi possunt; aliter cum exploratissimâ Eusebii mente è diametro pugnant, ut ex iis, quæ infrà notabimus liquidò patebit. His ita positis, ad ipsas jam *Theses* veniamus: hoc ordine in singulis servando, ut primò tradam sententiam Catholicam, dein Arianam, denique Eusebianam; ut uti propius accesserit Eusebius, rectiùs dijudicet æquus Lector.

* Dem. Evang. l. IV. c. 4. p. 149.

† H. Eccl. l. I. c. 2. p. 5. l. X. c. 4. p. 373. 375. 376.

* Dem. Evang. l. IV. c. 6. p. 154. confer. Orat. de laud. Const. c. XI. p. 635. 636. Et quæ ad istum Eusebii locum notavit Cl. Bullus *sect.* 3. p. 392.

† Epist. ubi suprà, p. 17.

* Lib. 83. *Quæst. Quæst.* 69. Tom. IV. col. 586.

* De Eccl. Theol. l. I. c. 11. p. 70.

† Præp. Evang. l. VII. c. 12. p. 321.

* Cont. Marc. l. I. c. 1. p. 8.

* Act. VI. col. 497.

THESIS I.

D. N. IESUS CHRISTUS præter humanam, quâ carne indutus, naturam habet ut Dei Filius reverâ Divinam.

ERAT, inquit Apostolus *, ἐν μορφῇ Θεοῦ, *nec duxit esse rapinam* τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, tum cùm *seipsum exinanivit; & formam servi accipiens, similis hominibus factus est, & habitu inventus ut homo.* In quem locum hæc inter alia Chrysostomus † Τί οὖν πρὸς Ἄρειον εἴπωμεν ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, Θεὸς ἦν· μορφὴ γὰρ, καὶ μορφὴ κεῖται· Εἰ τοῦτο ἀληθὲς, κἀκεῖνο· φύσει ἄνθρωπος, ἡ μορφὴ τοῦ δούλου· Οὐκοῦν φύσει Θεὸς καὶ ἡ μορφὴ τοῦ Θεοῦ. *Sed quid jam adversus Arium dicemus? in formâ Dei existens, Deus erat. Nam & hic, & illic nomen forma ponitur. Si hoc verum, certè & illud. Forma servi est, est naturâ homo. Ergo forma etiam Dei, naturâ est Deus.* Et rectè quidem ὁ χρυσορρήμων, & argumento planè ἀναντιῤῥήτῳ. Ex hoc etenim loco luce clarius est; Christum non minùs verè Deum extitisse, quàm verè homo factus est. Negari non potest etiam Arianos Christum Deum vocare consuevisse. Sed ludebant in terminis, Deum non naturâ & essentiâ, sed creatione solummodò & constitutione intelligentes. Θεὸς κτισθεὶς ὑπὸ θεοῦ, inquit Arius *; quin & verum Deum pro re natâ confiteri non recusârunt †, sed non alio sensu, quàm quod ita factus sit, γινόμενος γὰρ ἀληθινὸς, ἀληθινός ἐςι. *Verus enim est, qui revera factus est.* Aliter, ubi apertâ fronte loquebantur, Deum verum esse negabant *, nec alio modo quàm μετοχῇ, eâdem scilicet ratione Deus dictus, qui cæteri quoque numina appellantur. Quid quod Filium in creaturarum ordinem redigebant? quem ipse Arius, ejusque sequaces † ubique conditum, & ex creatis unum, καὶ κτίσμα, καὶ ποίημα,

* Philip. II. 6. 7. 8.

† Confer etiam quæ habet Basilius adv. Eunom. lib. I. p. 28.

* Ap. Athan. disp. contr. Ar. in Conc. Nic. p. 86.

† Ap. Athan. Ep. ad Afric. p. 721. & Theod. H. Eccl. lib. I. c. 5. p. 28.

* Athan. Orat. I. contr. Arian. p. 124.

† Ap. Ath. ib. p. 125. Epist. Syn. Nic. ad Ægypt. ap. Socr. lib. I. c. 9. p. 28. Ath. ib. p. 124. Orat. II. p. 142. Alex. Epist. ap. Theod. p. 10.

Digitized by Google

πόιημα, καὶ ἔργον, dicere non reformidârunt. Nec creaturam modò, sed & naturâ mutabilem, virtutis ac vitii capacem, sed pro ἰδίῳ αὐτεξουσίῳ bonum remansisse. Longè aliter Eusebius noster, non solùm τὴν θεότητα, & τὴν θεότητος αὐτοῦ δύναμιν Filio adscribit †, non modò υἱὸν μόνον πατρικῇ θεότητι τετιμημένον, *Solum Filium Paternâ Deitate honoratum esse* fatetur, sed & Deitatem sensu Apostoli in ipso inhabitare. Ita * ad istum Prophetæ locum Isai. XLV. 14. *Quoniam in te est Deus, & non est Deus præter te, Deus Israël Salvator.* Ad hunc enim modum postrema verba reddunt LXX. aliter verò juxta Hebraicam veritatem alii Interpretes Græci, Aquila, Θεὸς ἄρα ἰσχυρὸς ἀποκρυπτόμενος, Θεὸς Ἰσραὴλ σώζων. Theodotion, διὰ τοῦτο ἰσχυρὸς κρυφαῖος, Θεὸς σώζων. Postquam hæc recitasset Eusebius, subdit, Σφόδρα θαυμαστῶς κρυφαῖον Θεὸν, τὸν Χριστὸν ὀνομάζει, καὶ τὴν αἰτίαν δὲ δι᾽ ἣν θεὸν αὐτὸν μόνον ὡς ἐν γεννητοῖς καὶ τὸ πρῶτον καὶ ἀγέννητον ἀποκαλεῖ, σαφῶς ἐκδιδάσκει, τὸν τοῦ πατρὸς ἐν αὐτῷ κατοίκησιν· Ἐν τούτῳ γὰρ καὶ τὸν θεῖον Ἀπόστολον εὐδόκησε πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος κατοικῆσαι. Τοῦτο δηλοῖ φάσκουσα ἡ λέξις, ὅτι ἐν σοὶ ὁ Θεός ἐστι, καὶ οὐκ ἔστι θεὸς πλὴν σοῦ. *Ubi sanè mirabiliter absconditum Deum Christum nominat, nec non causam quoque planissimè docet, propter quam solum ipsum ut in genitis sit, post primum ac ingenitum vocat, ob Patris videlicet in ipso inhabitationem. In ipso enim, ut Divinus docet Apostolus*, complacuit omnem plenitudinem Deitatis habitare. *Hoc ipsum verba ipsa declarant, quæ sic se habent; quoniam in te est Deus, & non est Deus præter te.* Ubi τὸ ἐν γεννητοῖς, respicit Filii ex Patre generationem, quo sensu Pater πρῶτος καὶ ἀγέννητος verbis proximè sequentibus dicitur. In adstruenda Dei unitate, quotiescunque contra Judæos, Gentiles, vel Hæreticos agit, prudenter monet † Ecclesiam duos Deos nequaquam agnoscere, & utcunque Filium Deum profiteatur, tamen non nisi unum Deum prædicare, Patrem nempe ἄναρχον καὶ ἀγέννητον, *qui propriam à se possidet Divinitatem, & Filium, cui taliter existendi causam dedit.* Cúmque Filius perfectissima sit Patris sui imago, ὁ ὢν perinde ac Pater dicitur *, Καὶ τοῦτο εἴη ἂν αὐτοῦ εἰκὼν, καθ᾽ ὁ μόνος ὢν αὐτὸς ὁ ὤν· διὸ καὶ αὐτὸς χρηματίζει ἄν· Ὁ ὢν ἐπεὶ καὶ Θεὸς, καὶ κύριος ὁμοίως τῷ πατρὶ, καὶ αὐτὸς διὰ πάσης ἀναγορεύεται τῆς θεοπνεύστου γραφῆς. *Et eo ipso sit imago ejus, quod solus ipse sit, qui est. Adeóque vocetur & ille*, QUI EST, *cum & Deus sit, & Dominus similiter atque Pater est, & Dominus ac Deus, quomodo per scripturas universas annunciatur.* Ad πολυθρύλλητον † illud Joannis, *& Deus erat verbum*, notat τὸν λόγον hoc loco non θεῖον appellari, ne quis illum opinaretur, similem humano cuidam verbo extitisse, θεὸν δὲ αὐτὸν καλεῖ τὸ ὑπερφυὲς τῆς περὶ αὐτὸν θεοπρεποῦς ἀξιώματος οὕτω δεικνύς. *Sed appellat eum Deum, quo divinæ dignitatis ejus excellentissimam indicaret naturam.* His adde, quod Filio ubique tribuit, quæ solius Dei propria sunt, nec creaturæ ullo jure competere possunt, qualia sunt, Omnipotentia *, Omnipræsentia †, Καρδιογνωσία *, Miraculorum operatio †, quibus τὸν θεὸν λόγον ἀπέφηνε, *Se Deum verbum esse demonstravit*, ut alia mittam. Vim hujus argumenti clarè agnoscit doctissimus Petavius in Præfatione * ad illud ipsum opus, quo in Eusebium tàm immaniter debacchatur. *Qui verè propriéque Deus est*, inquit, *ex Dei substantiâ genitus, idem habeat omnia necesse est, quæ sunt propria Dei, Infinitatem, Immensitatem, Æternitatem, Omnipotentiam*, τὸ ἄκτιστον, τὸ ἄτρεπτον, *cæterasque dotes & proprietates, sine quibus stare divinitas vera non potest.* Hæc diserta satis; sunt tamen clariora hujusce rei testimonia. E multis pauca proferam. Conqueritur Eusebius †, immeritò sibi vitio vertisse Marcellum, quòd Dei verbum ὡς Θεὸν οὐσίᾳ καὶ δυνάμει ὑφεστῶτα, *Deum esse substantiâ, & potentiâ subsistentem*, affirmâsset; ipse contra † blasphemiæ dicam Marcello hoc nomine impingit, quòd ausus sit, Διαιρεῖν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ ἕτερον Θεὸν τὸν λόγον ὀνομάσας, οὐσίᾳ τε καὶ δυνάμει διεστῶτα τοῦ πατρὸς, *Dividere quidem Dei verbum, & verbum Deum alterum nominare, substantiâ & potentiâ à Patre differentem.* Et ne ullus calumniæ pateret locus, Filium naturâ Deum esse ingenuè confitetur. En insignem hanc in rem locum *: οὕτω πεφυκὼς τὴν οὐσίαν αὐτόθεν τε ἀπὸ πρώτης ὑπάρξεως φυσικὴν, ἀλλ᾽ οὐκ ἐπίκτητον τὴν εἰκόνα τοῦ πατρὸς ἐπαγόμενος. διὸ καὶ φύσει Θεὸς ὁ μὲν καὶ μονογενὴς υἱὸς ὢν τυγχάνει, οὐχὶ δὲ ὁμοίως τοῖς ἔξωθεν εἰσποιουμένοις, ἐπισυμβεβηκὸς τε τὸ ἀξίωμα τῆς τοῦ Θεοῦ προσηγορίας ἐπέχει, *Quum tali existat & naturâ, & essentiâ, inde ex quo primùm extitit, non acquisititiam, sed naturalem Patris imaginem referat. Quare idem naturâ Deus, & idem unigenitus Filius existit, non autem ut illi, qui extrinsecus adsumuntur, adoptatus, quique adventitium Divinæ appellationis honorem possident.* Verba ipso sole splendidiora, nulloque sophismate eludenda. Subdit verbis sequentibus, *naturâ esse unigenitum Filium, Deumque nostrum celebrari, etsi non sit* Ὁ πρῶτος Θεὸς, sed πρῶτος τοῦ Θεοῦ μονογενὴς υἱὸς, καὶ διὰ τοῦτο θεὸς, *Ex Deo unigenitus Filius, & idcirco Deus.* Quid plura? Filium αὐτόθεον ῥητῶς dicit; ita etiam in sermone, quem Tyri in Encœniis habuit circa ann. CCCXIV. necdum exortâ hæresi Arianâ, ait †, *Christum Dominum* ὡς ἂν τοῦ καθόλου θεοῦ παῖδα γνήσιον καὶ αὐτόθεον προσκυνεῖσθαι, καὶ εἰκότως, *tanquam summi omnium Dei naturalem Filium, ac per se Deum adorari, idque jure merito.* Non quod crediderit Eusebius Filium essentiam suam à semetipso habuisse, (id enim centenis locis rejicit) sed quod verissimè sensuque maximè proprio Deus sit, unde & αὐτὸς θεὸς, ipsissimus Deus semel iterúmque * ei dictus est. Ad hunc Eusebii locum observari meretur Clarissimi Valesii Annotatio. *Notandus est imprimis hic locus, in quo Eusebius Christum vocat* αὐτόθεον, *id est, per se ac verè Deum. Hic enim unicus locus meo quidem judicio sufficit ad repellendas omnes calumnias eorum, qui Eusebium nostrum Ariani dogmatis labe aspersum fuisse crediderunt.* Nec his contentus Eusebius, acriùs hoc nomine perstringit † Arianos, ipsis licet non nominatis, nempe Τοῖς κτίσμα αὐτὸν φάναι τετολμηκόσιν ἐξ οὐκ ὄντων, τοῖς ὁμοίως τοῖς λοιποῖς κτίσμασιν γενόμενον, *quòd ausi sunt illum creaturam vocare, eumque dicere è non existentibus, quemadmodum & cæteræ producuntur creaturæ, progeneratum.* Quod & in sequentibus fusiùs probat, damnatque * unà cum illis Marcellum; hunc, quod hypostasim Filii inficiando ipsum Filium abnegavit: illos verò, quòd duas hypostases concedendo, unam ingenitam, creatam, alteram de non existentibus, unum quidem substituunt Deum: *At nullus interea (inquit) illis habetur Filius, non unigenitus, non Dominus, non Deus.* Μηδὲν μὲν ἐπικοινωνῶν τῇ τοῦ πατρὸς θεότητι· τοῖς δὲ λοιποῖς κτίσμασι καθ᾽ ὃ ἐξ οὐκ ὄντων ὑπέστη, συμβαλλόμενος; ἀλλ᾽ οὐκ οὕτως ἡ ἐκκλησία· τὸν δὲ υἱὸν τοῦ Θεοῦ, θεὸν καὶ κύριον ἀνακηρύττει, καὶ ἀληθῶς υἱὸν εἶναι καὶ θεὸν διδάσκει. *Neque enim quicquam habet secundùm eos, cum paternâ Divinitate commune; sed per omnia componitur cum creaturarum turbâ in hoc, quod de nihilo procreabatur. Sed non ad istum modum Ecclesia. Nam filium Dei prædicat Deum Dominumque, verissimè Filium esse eum, atque Deum docet.* Testatur, † Patres Ecclesiasticos, Ebionæos, Sabellium, & Paulum Samosatenum, idcircò alienos ab Ecclesiâ pronunciâsse, quòd licèt unum agnoscerent Deum, τὴν δὲ τοῦ υἱοῦ θεότητα μὴ εἰδότας, *Filii tamen Divinitatem non fatebantur.* Si igitur Eusebius alicubi Patrem solum

R 3

† Dem. Evang. l. IV. c. 1. p. 144. De Eccl. Theol. l. 1. c. 18. p. 89. l. III. c. 6. p. 174.
* Dem. Evang. l. V. c. 4. p. 226.
† De Eccl. Th. lib. I. c. 11. p. 69.
* Ibid. lib. II. c. 20. p. 237.
† Ibid. lib. I. c. 20. p. 83.
* Orat. de laud. Const. c. 11. p. 637.
† Ibid. c. 12. p. 639.
* Cont. Marc. l. II. p. 56. de laud. Const. c. 14. p. 651.
† Cont. Marc. l. I. p. 28.
* Ad Tom. II. Dogm. Theol. cap. 6. n. 3.
† Cont. Marc. lib. 1. p. 28.
† Ibid. p. 29.
* Dem. Evang. l. V. c. 4. p. 227.
† Hist. Eccl. l. X. c. 4. p. 375.
* Ibid. p. 376. de Eccl. Th. l. II. c. 14. p. 121.
† De Eccl. Th. l. I. c. 9. p. 66.
* Ibid. c. 10. p. 69.
† Ibid. c. 14. p. 75.

lum Deum esse pronunciat; non de Essentiâ Divinâ, sed ingenito principio intelligendus est, ut millies ipsemet nos docet. Unicum hic regeri potest, quod ex epistolâ ejus ad Euphrationem citat Athanasius †, & in Actis * Concilii Nicæni II. denuò recitatur, his verbis; Ἔςι καὶ αὐτὸς μὲν Θεὸς ὁ υἱός, ἀλλ' οὐκ ἀληθινὸς Θεός. *Nam & ipse quidem Filius Deus est, sed non verus Deus.* Sed notari debet, hanc sententiolam verbis & præcedentibus & subsecutis mutilatam nudè tantùm recitari, ut quo sensu illam dixerit auctor, haud facile est investigare: interim dubitari nequit, Eusebium ad verba illa Christi respexisse, & eodem planè sensu posuisse, *Ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Et ita planè se rem habuisse, ipsemet Eusebius * testis est, ubi Marcello respondet, qui hoc ipsum sibi objecerat, se his verbis non Patrem solum verum Deum docuisse, sed illud tantùm quod à Salvatore prolatum est voluisse, *Ut te cognoscant solum verum Deum.* Neque hoc Marcello insolens, qui aliàs † Eusebium accusaverat, quasi Christum nudum esse hominem diceret, non aliam ob causam, quàm quòd in Epistolâ quâdam sententiam illam Apostolicam usurpârat, *Unus Deus est, unus mediator Dei atque hominum, homo Jesus Christus.* Quo verò sensu effatum illud Dominicum intellexerit Eusebius, ipse omnium optimus sententiam suam ingenuè exponit *: Patrem nempe solum esse verum Filii fontem & originem, Filium Patris imaginem; hocque ipsum servatorem voluisse cùm diceret, *Ut cognoscant te unum solum verum Deum.* Sed non tamen gravemur, *inquit*, & verum Deum confiteri, & Filium veluti in imagine, resultantem, Ἵνα ἡ τοῦ μόνου προσθήκη μόνῳ τῷ πατρὶ, ὡς ἀρχετύπῳ τῆς εἰκόνος ἁρμόζῃ, *Ut additio illa*, solus, *soli Patri adaptetur, utpote qui imaginis sit archetypon.* Alibíque ait *, Dominum hæc verba ad Patrem ideo retulisse, τὸ προσῆκον ἀπονέμων σέβας τῇ ἀγεννήτῳ φύσει, ἧς αὐτὸν εἰκόνα εἶναι καὶ γέννημα οἱ θεῖοι λόγοι παιδεύουσιν, *Ut sic naturæ ingenitæ convenientem honorem & cultum attribuat, cujus naturæ & ipsum imaginem esse & sobolem Divina docent oracula:* id est, honorem originis & principii Patri soli unicè esse tribuendum.

† De Syn. Arim. p. 683.
* Act. VI. col. 497.
* Contra Marcel. l. I. p. 27.
† Ibid. p. 29.
* De Eccl. Th. l. II. c. 23. p. 141.
* Dem. Evang. l. V. c. 17. p. 244.

THESIS II.

Divinam hanc naturam Pater ingenitus suo Filio dedit & communicavit.

Pater Deus est, sed non *de Deo*, quia non ab alio suam habet origenem; Filius Deus, sed *de Deo*, quia à Patre est. Inde in symbolo Nicæno, credimus εἰς τὸν ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριςὸν, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς, μονογενῆ, τοῦτ' ἐςὶ, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς. θεὸν ἐκ θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, *In unum Dominum Jesum Christum, natum de Patre, unigenitum, hoc est ex substantiâ Patris: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum.* Et naturam in Christo divinam, & ejus à Patre communicationem ex æquo negabant Ariani: quin futili hac argumentatione apud Athanasium * eam oppugnavit Arius, Ἀλλ' εἰ γεγέννηται, φησιν, ἐκτὸς ἐςὶ τοῦ γεννήσαντος, καὶ διῄρηται, *Atqui, inquit, si genitus est, extra genitorem existit, & ab eo diremptus est.* Hinc in Epistolâ † ad Eusebium Nicomediensem, conqueritur, se velut impium, ab Alexandro Episcopo urbe expulsum esse, quod confiteri nollet, ἀεὶ θεὸς, ἀεὶ υἱός· ἐξ αὐτοῦ ἐςι τοῦ θεοῦ ὁ υἱός, *Semper Deus, semper Filius: ex ipso Deo existit Filius.* Eusebius verò ab his longè diversus, cum Catholicis ubique tenet, Filium essentiam suam, & Deitatem à Deo Patre accepisse, *Ecclesiam * erroneas malè sentientium de Deo Filio vias* (quas ibi describit) *declinare, Evangelicæ verò veritatis præconio gloriari;* nempe *unum quidem* τὸν ἐπὶ πάντων θεὸν se confiteri, ἕνα δὲ καὶ μονογενῆ, θεὸν ἐκ θεοῦ Ἰησοῦν Χριςὸν, *Unum quoque Filium unigenitum, Deum de Deo, Jesum Christum: Esse lucem * supernè, ex Divinitate principio ac fine experte emanantem quæ extra procedit; imperium † & dominationem simul cum ipsâ Divinitate, & cum potentiâ & honore à Patre accepisse.* Θεοῦ * δὲ τοῦ ἐπὶ πάντων ζῶν καὶ ἐνεργὴς ὑπάρχων λόγος, καὶ οὐσίαν τε ὑφεςὼς διὰ θεοῦ δύναμις, καὶ θεοῦ σοφία πρόεισι μὲν τῆς πατρικῆς θεότητός τε καὶ βασιλείας, *Summi Dei vivus atque efficax sermo, ac personaliter subsistens; quippe qui virtus sit, & sapientia, ex Patris Divinitate & regno procedit.* Locum istum Isaiæ à Christo Domino citatum explicans *, *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me*, &c. Hinc liquere, *ait*, Dominum nostrum prioribus sacerdotibus longè esse excellentiorem, quod non oleo præparato, neque ab hominibus, ut alii solebant, Ἀλλ' ἐνθέῳ πνεύματι αὐτοῦ δὴ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς αὐτοῦ κεχρισμένος, παρ' οὗ καὶ τῆς ἀγεννήτου θεότητος μετασχὼν, θεὸς καὶ κύριος πρὸς τῶν ἱερῶν ἀναγορεύεται γραφῶν, *Sed Divino, hoc est, Dei, Patrísque sui Spiritu unctus, à quo etiam ejus Divinitatis, quæ facta non est, compos effectus, Deus ac Dominus in sacris dictus est libris.* Christi dignitatem duplici argumento hîc adstruit Eusebius; primò quòd Divinitatem à Patre accepit, dein quòd sacerdos constitutus extraordinariis Spiritûs Sancti donis, modo quodam excellentiori ornatus sit. Et eadem de re alibi † agens, hæc habet, τὸν πρῶτον καὶ μόνον ὅλῳ τούτῳ χρισθέντα, καὶ τῆς θεικῆς καὶ πᾶσιν ἀκοινωνήτου πατρικῆς εὐωδίας μετειληφότα, καὶ μόνον ἐξ αὐτοῦ γεννηθέντα θεὸν λόγον, μετοχῇ τε τοῦ γεννήσαντος, ἀγεννήτου καὶ πρώτου, καὶ μείζονος, θεὸν ἐκ θεοῦ ἀποφανθέντα Χριςὸν καὶ ἠλειμμένον ἀπεκάλησε. *Qui solus hoc toto unctus est, quique divinæ atque ejus, quæ cum nullis aliis communicatur, paternæ fragrantiæ particeps factus, & qui solus ex illo genitus Deus verbum communicatione gignentis ingeniti, primique, & majoris, Deus de Deo est declaratus, quem proinde Christum atque unctum vocavit.* Davidicum illud de Christo testimonium, ab Apostolo citatum dum profert *, *Juravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum*, &c. Hinc liquere, *ait*, quod is de quo Psalmus vaticinatur, ἱερεύς τις ὢν αἰώνιος, καὶ υἱὸς ὑψίςου θεοῦ, ὡς ἂν ὑπ' αὐτοῦ τοῦ ὑψίςου θεοῦ γεγεννημένος, καὶ σύνθρονος τῆς βασιλείας αὐτοῦ, *Sacerdos est sempiternus, altissimique Dei Filius, quippe ab ipso altißimo Deo genitus, & illius Regni Consessor.* His adjiciam & alia, adhuc, si fieri potest, illustriora †, Ὁ δὲ δεύτερος, μετουσίᾳ τοῦ ἀληθοῦς, τῆς κοινωνίας ἠξίωται, οὔτε ἂν καθ' ἑαυτὸν, οὔτε ὑφεςὼς δίχα τοῦ θεοποιοῦντος αὐτὸν πατρὸς, οὔτ' ἄνευ τοῦ πατρὸς θεολογούμενος, ἀλλ' ὅλον αὐτὸ τοῦτο ὄντι, καὶ ζῶν, καὶ ὑφεςὼς, διὰ τὸ ἐν αὐτῷ πατέρα, συνόντα τῷ πατρὶ, καὶ ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτὸν θεοποιούμενος, τό τε εἶναι ὁ μὲν, καὶ τὸ θεὸς εἶναι οὐκ ἐξ ἑαυτοῦ, παρὰ δὲ τοῦ πατρὸς ἐσχηκώς. *Alter verò*, id est, Filius Patri proximus, *quoniam Pater ei seipsum communicat, de communicatione veritatis illius dignitatem accepit, quippe, qui neque à seipso sit, nec seorsim ab eo, qui ipsum genuit, Patre subsistat, neque nisi à Patre Divinitatem habeat: sed hoc ipsum totum, quod est, quod vivit, quod subsistit, ab eo, à quo est Patre, obtineat, ipse Patri coexistens, & ab illo genitus, & tùm ut sit, tum ut Deus sit, non à se ipso, sed à Patre habet.* Hinc contendit *, honorem qui Filio exhibetur, in Patrem tanquam archetypon suum redundare: *Pater quippe honoratus existit per Filium, uti & per ipsum visus:* Ὁ γὰρ ἑωρακὼς τὸν υἱὸν ἑώρακε καὶ τὸν πατέρα. τὴν ἀγέννητον

* Contr. Sab. Greg. p. 513.
† AP. Theod H. Eccl. lib. I. c. 1. p. 21.
* De Eccl. Th. l. I. c. 3. p. 62.
* De laud. Const. c. I. p. 606.
† H. Eccl. l. I. c. 2. p. 5.
* De Laud. Const. c. 12. p. 639.
* Dem. Evang. l. IX. p. 442.
† Ibid. lib. IV. c. 15. p. 173.
* Ibid. l. IV. c. 15. p. 178.
† Ibid. l. V. c. 4. p. 226.
* De Eccl. Th. l. II. c. 7. p. 111.

Digitized by Google

ἀγέννητον θεότητα, διὰ ἐν εἰκόνι. καὶ κατόπτρῳ ἐν τῷ υἱῷ χαρακτηριζομένην ὁρῶν· ἀπαύγασμα γάρ ἐστι φωτὸς ἀϊδίου. Καὶ ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τοῦ Θεοῦ ἐνεργείας. Καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ· πάντα δὲ ταῦτα παρὰ τοῦ πατρὸς λαβὼν, ἐξ αὐτοῦ τε καὶ τῆς θεότητος τὴν δόξαν, ὡς ἂν υἱὸς γνήσιος καὶ μονογενὴς, εἰληφὼς ἔχει· ἀλλ' οὐ καὶ ὁ πατὴρ παρά τινος εἴληφε. Πάντων δὲ αὐτὸς ὢν ἀρχὴ καὶ πηγὴ καὶ ῥίζα τῶν ἀγαθῶν εἰκότως εἷς καὶ μόνος ἀναγορεύοιτο ἂν Θεός. *Nam qui Filium vidit, is utique & Patrem vidit, dum Deitatem ingenitam, veluti in imagine atque*

Sap. VII. 26. *speculo in Filio characterizatam intuetur.* * Est enim splendor æternæ lucis, & speculum mundissimum operationis paternæ, & imago bonitatis ipsius. *Hæc autem omnia cùm de Patre suscepisset, ab illo & gloriam Divinitatis, tanquam Filius dilectus & unigenitus accepit. Sed non ita Pater à quoquam accepit, cùm sit ipse omnium principium, & fons, & radix bonorum. Quo sensu meritò unus & solus prædicatur Deus.* Nè multa; ex Divino hoc Filii or-

† Ubi supr. l. I. c. 11. p. 72. tu rectè colligit † Eusebius verè Deum esse. Τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς σάρξ ἐστι· καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος πνεῦμά ἐστι. πνεῦμα δὲ ὁ Θεὸς διὸ ἕπεται

Joan. III. 6. νοεῖν, ὡς τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ Θεοῦ, θεός ἐστι. *Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu spiritus est. Deus autem spiritus. Consequens igitur est, ut intelligamus, quod natum est de Deo, Deum esse.* Sed integrum penè Eusebium haurire necesse est, si omnia quæ huc spectant, in censum nostrum referemus.

THESIS III.

Hæc essentiæ Divinæ communicatio in sacrâ Scripturâ, sanctisque Patribus, Filii generatio dicitur.

Filium genuit Pater, non naturam suam dividendo, vel multiplicando, sed essentiam, quam habet ipse, integram Filio suo communicando. Hinc

* De Eccl. Th l. I. c. 10. p. 68. orta φυσικὴ illa σχέσις, uti vocat * Eusebius, naturalis illa relatio, quam ad genitorem suum obtinet filius, quæque ex ipsa Filii appellatione oritur, cúmque vox, unigeniti, ad genus pertingat & generationem, indicat, id ejus solius esse, καὶ μηδετέρῳ αὐτῷ τῆς υἱότητος κοινωνεῖν, *Et in filiatione sua cum nullo alio communicare.* De hac generatione frequenter agunt sacræ literæ, ut non opus sit repetere, quæ cuivis nota sunt. Ecclesiæ Apostolicæ doctrinam tradit nobis Alexander Alexandrinus in Epi-

† Ap. Theod. l. I. c. 4. p. 17. stola ad † Alexandrum CP. credere nimirum *in unum ingenitum Patrem, qui à nullo habet causam essentiæ suæ, & in unum Dominum, Jesum Christum, Filium Dei unigenitum,* γεννηθέντα οὐκ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, ἀλλ' ἐκ τοῦ ὄντος πατρὸς, *Non ex nihilo genitum, sed ex eo qui verè Pater est;* idque non corporum more, sed inexplicabili & inenarrabili quodam modo, quippe cujus subsistentiam nulla mortalis natura pervestigare possit. Generationem quidem Filii agnoscebant etiam Ariani. Sed qualem? non essentialem, sed creatam, quæque rebus conditis competere possit, ἐπὶ Θεοῦ οὖν κτίζειν, τὸ γεννᾷν, ταυτὸν ἐστιν, inquit Arius

* Disput. cont. Arian. p. 89. Or. III. contr. Ar. p. 231. De Syn. Arim. p. 709. apud Athanasium *; *in Deo creare idem est quod gignere. Si ex eo quod genitus esse dicatur,* (inquit Eusebius Nicomediensis in Epistola † ad Paulinum Tyrium) *subindicare videtur,* ὡς ἂν ἐκ τῆς οὐσίας τῆς πατρικῆς αὐτὸν γεγονότα, καὶ ἔχειν ἐκ τούτου τὴν ταυτότητα τῆς

†Ap. Theod. ib. c. 6. p. 23. φύσεως, *Eum ex paterna substantia ortum, eandem quoque cum Patre naturam habere, scimus scripturam non de illo solo dicere, quod genitus sit, sed etiam de aliis quæ naturâ prorsus ab illo discrepant,* nempe de hominibus, aliisque rebus creatis, de quorum generatione loca quædam adducit. Huic Arianorum blasphemiæ illa Symboli sui verba opposuerunt Patres Nicæni, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ· γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα., *Natum de Patre unigenitum; genitum, non factum.* Videamus tandem quid de his Eusebius

* De Eccl. Th. l. I. c. 12. p. 72. noster. Disertè agnoscit * τὴν μονογενῆ υἱοῦ τὴν ἐξαίρετον καὶ ἀΐδιον γέννησιν, *Singularem & æternam unigeniti*

† De laud. Const. c. 12. p. 640. *Filii generationem.* Hunc † esse unigenitum sermonem, Θεὸν ἐκ Θεοῦ γεγεννημένον, *Deum ex Deo genitum, nam ut sacræ,* inquit, *Theologorum docent paginæ, in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum,*

*De Eccl. Th. l. II. c. 14. p. 123. *& Deus erat verbum.* Nec aliter * fieri posse, quin Deus sit, Ὁ ἐκ τοῦ ἑνὸς καὶ μόνου ἀγεννήτου Θεοῦ γεννηθεὶς, *Qui ex uno solo ingenito Deo genitus est. Nam si quod de carne nascitur, caro est; & quod nascitur de spiritu spiritus est,* ἀκολούθως καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ Θεοῦ, Θεὸς ἂν εἴη, *Certè consequens est, ut quod de Deo gignitur, Deus sit.* Et quidem cùm solus sit de Patre progenitus, meritò ipsum solum & Deum & unigenitum Filium dici posse, alibi † inte-

† Ibid. l. I. c. 10. p. 68. * Ibid. l. I. c. 2. p. 61. gro capite luculenter ostendit. Ubi Ecclesiæ doctrinam hac de re enucleatiùs exponit *, pluribus docet, Christum propriè Dei esse filium non secundùm carnis, quam suscepit, generationem, Κατὰ δὲ τὴν ἐξ αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς πρὸ πάντων αἰώνων, ἄγνωστον τοῖς πᾶσι. Καθ' ἣν τὸ πλήρωμα τῆς πατρικῆς θεότητος, καὶ αὐτὸν υἱὸν, Θεὸν ὑπεστήσατο· οὐκ ἰδιοκτήτου, καὶ τοῦ πατρὸς ἀφωρισμένην οὐδ' ἄναρχόν τινα καὶ ἀγέννητον· οὐδὲ ἀλλόθεν ποθὲν ξένην, καὶ τοῦ πατρὸς ἀλλοτρίαν, ἐφελκόμενον θεότητα· ἐξ αὐτῆς δὲ τῆς πατρικῆς μετουσίας, ὥσπερ ἀπὸ πηγῆς εἰς αὐτὸν προχεομένης πληρούμενον· μόνῳ γὰρ ἐν αὐτῷ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς πατρικῆς ἐκείνης θεότητος, ὁ μέγας ἐπαίδευσεν Ἀπόστολος, *Sed secundum illam Divinitatem, quam à Patre, & Deo eodem habuit ante omnia sæcula, universis incognitam. Secundùm quam generationem, paternæ Divinitatis plenitudinem, & ipsum Filium, Deum constituit, non à seipso possessam, vel à Patre separatam, sed nec sine principio illam & ingeneratam Deitatem, nedum aliunde derivatam, extraneam, hospitem, & à Patre alienam, sed de Paterna participatione, veluti de jugi puteo in ipsum effuso, propagatam cum plenitudine. Siquidem in illo solo habitare plenitudinem paternæ Deitatis magnus edocuit Apostolus.* Locus, siquis alius, admodùm appositus, disertissimusque & qui totam Eusebii mentem clarè exprimit. Subdit mox, ut solet aliàs, unum solummodò Deum in Ecclesia annunciari, unum itidem Dei Filium unigenitum, qui εἰκὼν τῆς πατρικῆς θεότητος, καὶ διὰ

* Ib. c. 12. p. 67. τοῦτο Θεὸς, *Imago est paternæ Deitatis, atque ob hoc ipsum Deus.* Neque alio sensu Filium vocat * τὸν

† Dem. Evang. l. IV. c. 3. p. 147. * Ibid. lib. IV. c. 15. p. 170. l. V. c. 1. p. 213. μονογενῆ θεὸν, *Deum unigenitum,* & † ἕνα τέλειον μόνον γεννητὸν Θεὸν ἐκ Θεοῦ, *Unum perfectum solumque genitum Deum de Deo.* Ad illud Psaltæ, *eructavit cor meum verbum bonum,* notat *, siquidem hoc ex persona Patris & universorum Dei dicatur, & unigenitum Dei verbum significaverit, tanquam Filium, qui de Patre extiterit, cautè monet fieri hoc οὐ κατὰ προβολὴν, ἢ κατὰ διαίρεσιν, ἢ τομὴν ἢ μείωσιν, *Non projectione aliqua, aut divisione, aut sectione, aut diminutione, aut alia quapiam ejusmodi ratione, cujusmodi in corporibus agnoscere consuevimus; impia enim hæc sunt, & ab ineffabili illa generatione, solaque mente concipienda, πάμπαν ἀπῳκισμένα, omninò longissimè semovenda, juxta effatum illud propheticum* (τὸ συνηθὲς ἐφ' ἑκάστου τῶν περὶ αὐτοῦ θεολογουμένων, καὶ εὐσεβὲς ἐκεῖνο ῥῆμα, *Dictum omni pietate refertum, quod in omnibus, quæ de illo Theologicè dicuntur usurpare consuevimus*) *Generationem ejus quis enarrabit?* Cùm Apostolus ad Hebræos filium vocat ἀπαύγασμα τῆς δόξης αὐτοῦ, *splendorem paternæ gloriæ,* addit *

* De Eccl. Th. l. I. c. 20. p. 95. Eusebius, hanc vocem illam de Patre Filii generationem subindicare; Filium verò compellans *splendorem paternæ lucis,* ὥστε εἶναι τὸ ἀπαύγασμα γέννημα τοῦ πρώτου φωτὸς, *Ut splendor sit primi illius luminis*

 genitura,

Digitized by Google

genitura, non ad modum existens creaturis mortalibus, dum generantur, usurpatum, sed quatenus est imago invisibilis Dei, quatenus in forma Dei existit, denique quatenus est splendor & character substantiæ ejus. Certè magnum hoc pietatis mysterium nullâ aliâ similitudine sæpiùs illustrare amat noster Eusebius, quàm hâc relatione inter solem & radium, lumen & splendorem. In quibus conveniunt, in quibus differunt, in quibus præeminet æterna hæc & ineffabilis Filii generatio, prolixè non minùs quàm accuratè expendit †; locum ipsum consulant eruditi. Id modò ubique agit, ut hâc similitudine ostendat, Filium à Patre tanquam ex fonte procedere, eandem cum Patre naturam sortiri, & etiamsi alia sit à Patre hypostasis, à Patre tamen non magis posse separari, quàm à sole radium, vel à lumine splendorem. Eâdem similitudine ad eundem planè finem, uti solent omnes ferè Patres Catholici; neque aptiorem adhibere potuerunt Patres Nicæni, quàm ut diceremus, Filium esse φῶς ἐκ φωτὸς, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, *Lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero.*

† Dem. Evang. L. IV. c. 3. p. 147.

THESIS IV.

Essentia Divina, quam Pater cum Filio communicat, ejusdem est naturæ cum substantiâ Patris.

ET hoc quidem Axioma ex ipsâ rei naturâ oritur. Cùm enim Deitas una planè sit, & penitùs indivisa, necesse est, ut is quocum communicatur, non aliam à communicante naturam possideat. Patrem semper Filium ejusdem secum naturæ participem producere nôrunt omnes. Κοινὸν ὑπάρχει πᾶσι καὶ αὐτοδίδακτον ὁμολόγημα; inquit Photius * ὡς ἅπας υἱὸς τῆς αὐτῆς ἐστὶ τῷ γεγεννηκότι οὐσίας καὶ φύσεως. *Communis est omnium, & quam ipsa docet natura, confessio, quemvis Filium ejusdem esse cum genitore substantiæ & naturæ.* Et, si ita in humanis fit, quantò magis in Divinis, ubi perfectissima & planè imperscrutabilis datur generatio? *Ubi*, (ut loquar cum Augustino †) *Patris & Filii simul una sapientia, quia una essentia, & sigillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia.* Ante Augustinum Hilarius *, *Tali confessione originis suæ indiscretæ naturæ perfecta nativitas est. Quod enim in utroque vita est, id in utroque significatur essentia, & vita quæ generatur ex vita, id est, essentia quæ de essentia nascitur, dum non dissimilis nascitur scilicet, quia vita ex vita est, tenet in se in dissimilem naturam originis suæ, quia & natæ & gignentis essentiæ, id est, vita quæ habetur & data est, similitudo non discrepet.* Ad sententiam Ecclesiæ Catholicæ hâc in parte declarandam sufficit unius Concilii Nicæni decretum, quo jubemur, *Credere in unum Dominum Jesum Christum, natum de Patre, unigenitum.* τουτέστιν, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς· Θεὸν ἐκ θεοῦ, φῶς ἐκ φωτός, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ· γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρί; *Hoc est, ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero: genitum, non factum, consubstantialem Patri.* Cùm enim viderent Patres, sophisticis & subtilissimis Arianorum effugiis non alio modo occurri posse, τοῦ ὁμοουσίου vocabulum adhibuerunt, quo omnem eis elabendi viam intercluderent. Deinde in anathematismo, quem symbolo subnexuerunt, damnârunt, dicentes ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, ἢ οὐσίας, ἢ κτιστὸν, ἢ τρεπτὸν, ἢ ἀλλοίωτον τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, *Dei Filium ex aliâ hypostasi, sive substantiâ, vel creatum, aut convertibilem, aut alterabilem esse.* Vibratum esse in Arianos hoc fulmen nemo nescit. Certè Filii τὸ ὁμοούσιον præfractè & γυμνῇ τῇ κεφαλῇ denegârunt. *Filius*, inquit Arius †, ἴδιον οὐδὲν ἔχει τοῦ θεοῦ κατ᾽ ὑπόστασιν ἰδιότητος· οὐ γάρ ἐστιν ἴσος, ἀλλ᾽ οὐδὲ ὁμοούσιος αὐτῷ, *Nihil Divinæ substantiæ proprium habet, neque enim Patri æqualis est, nec consubstantialis.* Et alibi †, Οὗτος δὲ ὁ κύριος ξένος μὲν καὶ ἀλλότριος ἐστι τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας. *Dominus verò noster extraneus est, & à Patris substantiâ planè alienus.* Subdit, *verbum dici solummodò* κατ᾽ ἐπίνοιαν, *sed non esse naturaliter verè Dei Filium.* Eusebius Nicomediensis, quo nemo Arii mentem intimiùs novit, hæc habet *; Ἀλλ᾽ ἓν μὲν τὸ ἀγέννητον, ἓν δὲ τὸ ὑπ᾽ αὐτοῦ ἀληθῶς καὶ οὐκ ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ γεγονός; καθόλου τῆς φύσεως τοῦ ἀγεννήτου μὴ μετέχον, ἢ ὂν ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ· ἀλλὰ γεγονὸς ὁλοσχερῶς ἕτερον τῇ φύσει, καὶ τῇ δυνάμει, πρὸς τελείαν ὁμοιότητα διαθέσεώς τε καὶ δυνάμεως τοῦ πεποιηκότος γενόμενον. *Sed unum quidem credimus ingenitum; alterum autem ab eo verè, & non ex ejus substantiâ factum, nec ullo modo particeps naturæ illius, nec è substantiâ ejus existens, sed naturâ & virtute prorsus diversum, ad perfectam tamen similitudinem naturæ, virtutisque factoris sui conditum.* Quid jam de his Eusebius noster? sentitne cum Ecclesiâ Catholicâ? sentit planè. Fatendum est, Eusebium ὁμοουσίου vocabulum ægrè admodum admisisse. Admisit tamen. Constanter verò rem ipsam agnovisse, sequentia facilè demonstrabunt. 1. Expressè docet *, unà cum Patre unum esse debere in omnibus, & per omnia Dei verbum, Ὡς ἂν κἂν τούτῳ τὸ τῆς εἰκόνος ἐμφερὲς τῷ πατρὶ καὶ κατὰ πάντα ἀποσώζοιτο, κατά τε τὴν ἀρετὴν, κατά τε τὴν δύναμιν, καὶ τὴν οὐσίαν, κατά τε τὸν τῆς μονάδος καὶ ἑνάδος ἀριθμὸν, *Ut etiam in hoc imaginis similitudo cum Patre, tam in eo quod ad virtutem, quodque ad potestatem & essentiam pertinet, quàm in eo quod ad unitatis, singularitatisque numerum usquequâque servetur.* Posteaque † non modò μονογενῆ Θεοῦ υἱὸν, *unigenitum Dei Filium*, sed & οὐσιώδη τοῦ Θεοῦ λόγον, *essentiale Dei verbum*, seu, ut reddit interpres, *verbum Dei essentiam referens*, appellat. His addere possumus quod ad illud Joannis non inscitè notat *, *Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, priori membro Deum Patrem, posteriori Deum Filium denotari, utrúmque verò copula ET conjungi; Ὁ γὰρ, ΚΑΙ, σύνδεσμος τῷ πατρὶ συνάπτει τὴν θειότητα τοῦ υἱοῦ· διὸ φησι, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. *Conjunctio etenim illa,* ET, *Divinitatem Filii connectit Patri, quocirca ait, Et Deus erat verbum.* 2. Dum Filium tanquam exactissimam Patris imaginem nobis exhibet quod millies facit, milliès cum eo Patres Catholici, non aliud innuere videtur, quàm eandem cum Patre naturam habere. Locum unum, alterúmve proferam. Postquam declarasset † Filium non ex substantiâ geniti, κατά τι πάθος ἢ διαίρεσιν οὐσιωμένον, *partiendo aliquid, aut dividendo naturam suam nactum esse, Patrem verò ingenitum & sine principio extitisse*; pergit his verbis, εἴη δ᾽ ἂν ταύτῃ καὶ εἰκὼν Θεοῦ, ἀῤῥήτως πάλιν καὶ ἀνεπιλογίστως ἡμῖν, ζῶντος Θεοῦ ζῶσά τις, καὶ καθ᾽ αὑτὴν ὑφεστῶσα ἀΰλως καὶ ἀσωμάτως, καὶ τοῦ ἐναντίου παντὸς ἀμιγῶς, ἀλλ᾽ οὐχ οἷα τις πάλιν ἡ παρ᾽ ἡμῖν εἰκὼν ἕτερον μὲν ἔχουσα τὸ κατ᾽ οὐσίαν ὑποκείμενον, ἕτερον δὲ τὸ εἶδος, ἀλλ᾽ ὅλον αὐτὸ εἶδος ὢν, καὶ αὐτοουσίᾳ τῷ πατρὶ ἀφομοιούμενος, *Eâdem porrò ratione imago Dei erat, ita quidem ut rursùs nullis neque verbis, neque rationibus, quomodo sit, comprehendere possimus; quippe cùm viventis Dei vivens ipsa sit, & per seipsam consistens, sine materiâ, sine corpore, nihil prorsus habens admixtum contrarii, neque verò cujusmodi ulla sit apud nos imago, quæ & aliud essentiæ subjectum habeat, & aliam speciem, sed quæ tota ipsa sit species, & ipsa essentia, similitudinem referens Patris*, eandem scilicet, cum eo essentiam habens. Si unus est Deus, ut alibi arguit †, ipsius sit oportet, qui per Filium suum tanquam per imaginem agnoscitur, διὸ καὶ ὁ υἱὸς Θεὸς, διὰ τὴν ἐν αὐτῷ τοῦ πατρὸς ὡς ἐν εἰκόνι μόρφωσιν. *Quapropter, & Filius quoque Deus est, propter Patris figuram in ipso, ut in*

* Epist. I. p. 4.
† De Trin. l. VII. cap. 2. col. 337.
* De Synod. adv. Arian. p. 360.
† Excerpt. ex Thal. ap. Athan. de Synod. p. 681.
† Ibid. de sent. Dion. p. 441.
* Epist. ad Paulin. apud Theod. l. I. c. 6. p. 22.
* Dem. Evang. l. IV. c. 6. p. 154.
† Lib. V. in init. p. 202.
* De Eccl. Th. II. c. 27. p. 127.
† Ibid. c. 8. p. 215.
† De Eccl. Theol. l. I. c. 20. p. 96.

Digitized by Google

in imagine resultantem. Marcellus, adversùs quem integro hoc opere disputat, Patrem solummodò substantiam esse dixit, verbum verò in ipso existens, nonnisi accidens; cùm igitur Eusebius de Patre disseruisset *, addit, τὸν δὲ τούτου μονογενῆ υἱὸν, ὡς ἂν εἰκόνα τοῦ πατρὸς, ἐξ αὐτοῦ φύντα, πάντη τε καὶ κατὰ πάντα ὁμοιότατον ὄντα τῷ γεγεννηκότι, καὶ αὐτὸν Θεὸν, καὶ νοῦν, καὶ λόγον, καὶ σοφίαν, καὶ ζωὴν, καὶ φῶς εἶναι, αὐτοῦ τε τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ εἰκόνα, *Hujus autem Filium unigenitum, veluti Patris imaginem, ex ipso ortum esse omninò & per omnia, quam simillimam genitori suo, & ipsum Deum & mentem, & verbum, & sapientiam, & vitam, & lucem, ipsius pulchri bonique imaginem.* Non quod voluit Eusebius, Filium non esse essentialiter Deum, sed tantùm Patri suo quamsimillimum, (quæ Semiarianorum sententia erat) vetant id verba illa, ubi αὐτὸς Θεὸς disertè dicitur, quod nonnisi ad indivisibilem Deitatem referri queat. Sed hæc ei mens erat, easdem Divinæ naturæ perfectiones, vitam, sapientiam, potentiam, bonitatem, &c. quæ ex Patre velut ex Origine profluunt, in Filio tanquam in speculo & imagine exhiberi. Frequenter hoc *Imaginis* vocabulo utitur Eusebius (quod semel monuisse sat erit) frequenter & omnes penè Catholici Scriptores etiam dum Filii Divinitatem strenuissimè propugnant. E pluribus duos solummodò adhibebo, Alexandrum Alexandrinum, ejusque discipulum & successorem Athanasium. Alexander in eâ ipsâ Epistolâ *, quâ multis tum argumentis, tùm S. Scripturæ testimoniis Christi Deitatem adversùs Arium fortissimè adstruit, hoc etiam telo pugnat, Dominum, quando dicit, *Ego & Pater unum sumus*, non seipsum Patrem renunciare, nec duas personas unam esse demonstrare, Ἀλλ' ὅτι τὴν πατρικὴν ἐμφέρειαν ἀκριβῶς πέφυκε σώζειν ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς, τὴν κατὰ πάντα ὁμοιότητα αὐτοῦ ἐκ φύσεως ἀπομαξάμενος, καὶ ἀπαράλλακτος εἰκὼν τοῦ πατρὸς τυγχάνων, καὶ τοῦ πρωτοτύπου ἔκτυπος χαρακτήρ. *Sed quoniam Patris Filius expressam Patris similitudinem exactissimè servat, quippe qui omnimodam ejus similitudinem à natura impressam habeat, sitque imago Patris nulla in re discrepans, & primitivi exemplaris expressa figura.* Et iterum †, *Hunc perfectum Filium, Patrisque similem esse didicimus, hoc solo inferiorem Patre, quòd ingenitus non est.* Εἰκὼν γάρ ἐστιν ἀπηκριβωμένη καὶ ἀπαράλλακτος τοῦ πατρὸς; *Est enim imago Patris exactissima, & in nullo discrepans.* Athanasius * Τοῦ γὰρ πατρὸς ὄντος ἦν ἂν ἐν αὐτῷ ἡ ἀλήθεια, ἥτις ἐστὶν ὁ υἱὸς, ὁ λέγων, ἐγώ εἰμι ἡ ἀλήθεια, καὶ τῆς ὑποστάσεως ὑπαρχούσης πάντως εὐθὺς εἶναι δεῖ τὸν χαρακτῆρα, καὶ τὴν εἰκόνα ταύτης· οὐ γὰρ ἔξωθεν ἐστι γραφομένη τοῦ Θεοῦ εἰκὼν· ἀλλ' αὐτὸς ὁ Θεὸς γεννητής ἐστι ταύτης· ἐν ᾗ ἑαυτὸν ὁ ὁρῶν προσχαίρει ταύτῃ. *Patre existente existebat semper in eo veritas, quæ Filius est, qui dicit,* Ego sum veritas, *& substantiâ Patris existente, omninò statim oportuit, & characterem & Imaginem sui ipsius existere. Non enim extrinsecus depicta est imago Dei, sed Deus ipse ejus imaginis genitor est, in qua seipsum contuendo exhilaratur.* Hinc etiam Christum æternum esse Regem demonstrat *, Υἱὸς γὰρ ὢν τοῦ Θεοῦ, ὅμοιος ἂν εἴη αὐτοῦ. Ὅμοιος δὲ ὢν, πάντως ἐστὶ καὶ κύριος καὶ βασιλεὺς· αὐτὸς γὰρ φησιν, ὁ ἐμὲ ἑωρακὼς, ἑώρακε τὸν πατέρα. *Quum enim sit Filius Dei, sequitur, ut sit similis Deo, quum verò sit similis Deo, omninò necesse, ut sit Dominus & Rex, ipse enim inquit,* Qui vidit me, vidit & Patrem. Alibique † ait; unumquemque in prima Christianismi sui institutione edoctum esse, Deum habere Filium, qui verbum, & sapientia, & potentia suâ est, Καὶ ταῦτά ἐστιν αὐτοῦ εἰκὼν, καὶ ἀπαύγασμα, *Et hæc ipsa sunt imago & splendor ejus.* Præiverat his omnibus D. Apostolus, cùm Filium vocavit † *Splendorem Paternæ gloriæ; & characterem substantiæ ejus;* * *imaginem invisibilis Dei;* † *Jesum Christum, qui est imago Dei.* Quibus in locis ut rectè notat * Eusebius noster, Ταῦτα περὶ τῆς θεότητος τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ εἴρηται, *Hæc omnia de Filii Dei Divinitate dicuntur.* Subditque, *Si unus sit Deus, & præter illum non est alius*, αὐτὸς ἂν εἴη ὁ διὰ τοῦ υἱοῦ ὡς δι' εἰκόνος γνωριζόμενος, *ipsius sit oportet, qui per filium suum tanquam per imaginem agnoscitur. Quapropter & Filius quòque Deus est, propter Patris figuram in ipso ut in imagine, resultantem.* Quæ verba suprà adduximus. Hæc Speciminis gratiâ, ut manifestum sit, non solum fuisse Eusebium, qui hac loquendi formulâ usus est: Jam ad alia ejus testimonia pergamus, 3. Non dubitat affirmare omnia habere Filium quæ habet Pater, easdem nempe perfectiones, eandem sapientiam, potentiam, vitam, dominium, eandem igitur & essentiam. Cùm enim in ipso omnis Deitatis plenitudo σωματικῶς, verè & realiter inhabitet, fieri nequit, quin eandem prorsus naturam consequatur; quippe quæ nec secari potest, nec dividi. *Quis non dixerit*, inquit *, *in Deo sapientiam esse, & potentiam, & vitam, & quicquid bonum & honestum est; quin potius eum esse omnia ista, aut siquid his superius, & melius extiterit, quod nobis sit incognitum. Hac natura* αὐτοδίδακτος *unumquemque de Deo profiteri cogit;* Ἔνθεν καὶ τὸν υἱὸν διδασκόμεθα πάντα ταῦτα εἶναι ἀπὸ μονογενῆ υἱὸν, καὶ κληρονόμον ὄντα τοῦ πατρὸς καὶ πάντ' ἔχοντα ὅσα καὶ ὁ πατὴρ διὸ ἐν μορφῇ Θεοῦ λέγεται· καὶ εἰκὼν τοῦ Θεοῦ. *Unde etiam, & de Filio edocti sumus hæc singula, unigenitum illum esse Filium, hæredem Patris sui, omnia possidentem quæ possidet Pater: quare & in forma Dei fuisse dicitur, & imago Dei.* Dixerat id ipsum ipse Dominus, *omnia quæcunque habet Pater, mea sunt.* Ex quo communia esse inter Patrem & Filium rectè subinfert Gregorius † Theologus. Πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, τοῦ υἱοῦ ἐστιν, ὡς ἔμπαλιν τὰ τοῦ υἱοῦ, τοῦ πατρὸς· οὐδὲν οὖν ἴδιον, ὅτι κοινά· ἐπεὶ καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι κοινὸν καὶ ὁμότιμον, εἰ καὶ τῷ υἱῷ παρὰ τοῦ πατρὸς. *Omnia quæ habet Pater, sunt Filii, quemadmodum rursus omnia, quæ Filius, Patris. Nihil ergo peculiare, quia communia omnia. Quandoquidem ipsum quoque esse, commune atque æquale est ipsi cum Patre, licet aliàqui hoc à Patre Filius habeat.* 4. Thesim quam probandam suscepimus, disertiùs adhuc, & penè totidem verbis adstruit. Quid enim clariùs dici potest, quàm quod de Filio * habet τὸν αὐτὸν δὴ φῶς καὶ γέννημα νοερὸν φωτὸς ἀλήκτου, καὶ ἕνα μὲν τὴν οὐσίαν, ὡς ἂν ἐξ ἑνὸς ὄντα πατρὸς; *Eundemque lumen & inexplicabilis luminis intellectualem fœtum, qui substantiâ quidem unus est, ut pote ex uno Patre editus.* Rationem reddit paginâ sequenti haud facilè solvendam; Dei nempe naturam simplicem prorsus esse indivisibilem, incompositam, & sine partibus, ac ultra omnem, quæ oculis cernitur, mundi constitutionem positam, neque enim aliter Divinam esse posse. Et ne temerè hæc ei excidisse videantur, idem ferè in opere ante Synodum Nicænam edito affirmaverat *. Cùm enim dixisset, Patrem à nullo, Filium veluti secundum in ordine subsistendi, suum esse à Patre accepisse, pergit hoc modo; τὸν δὲ τῶν δευτερείων ἠξιωμένον, καὶ τὸ Θεὸν εἶναι λαβόντα παρὰ τοῦ πατρὸς ἔχειν, ὡς ἂν εἰκόνα τοῦ Θεοῦ, μιᾶς ἐπ' ἀμφοῖν κατὰ τὸ παράδειγμα τῆς θεότητος ἐπινοουμένης, ἑνός τε ὄντος Θεοῦ, τοῦ καθ' ἑαυτὸν ἀνάρχως καὶ ἀγεννήτως ὄντος, διὰ δὲ τοῦ υἱοῦ, ὡς ἂν δι' ἐσόπτρου καὶ εἰκόνος ἐπιθεωρουμένου. *Hic autem cùm proximum à Patre locum obtinet, tanquam Dei imago, à Patre habet quod Deus sit: utpote cum una in ambobus juxta exemplum Divinitas intelligatur, & unus sit Deus, qui per seipsum sine principio, & sine generatione existat, per filium autem, tanquam per speculum & imaginem consideretur.* Quando igitur Filium ἓν καὶ ταὐτὸν τῷ Θεῷ ὄντα, *unum, eundemque cum Deo esse* negat †, Marcellum oppugnare intelligendus est, qui verbum unam eandemque cùm Patre hypostasim esse statuit. Nec aliter intelligi posse docent sequentia, ubi Filium vocat υἱὸν ἀληθῶς

* Ibid. lib. II. c. 14. p. 121.
* Ap. Theod. l. I. c. 4. p. 15.
* Pag. 17.
* Orat. II. cont. Arian. p. 150. 151.
* Orat. III. p. 199.
† Ibid. p. 212, 213.
† Heb. I. 3.
* Col. I. 15. 16.
† 2. Cor. IV. 4.
* De Eccl. Th. l. I. c. 20. p. 96.
* Ibid. l. I. c. 20. p. 106.
Joan. XV.
† Orat. XXXVI. p. 584.
* De Laud. Const. c. XII p. 640. 641.
* Dem. Evang. l. V. c. 4. p. 277.
† De Eccl. Th. l. II. c. 14 p. 122. conf. c. 17. p. 127. & l. I. c. 20. p. 4.

Digitized by Google

ἀληθῶς ὄντα, ζῶντα, καὶ ὑφεστῶτα, ἐν ἀρχῇ τε ὄντα, καὶ πρὸς τὸν θεὸν ὄντα, καὶ θεὸν ὄντα. *Filium verè existentem, viventem, subsistentem, qui in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat.* 5. Non contemnendum est, quo adversus Marcellum utitur, argumentum, à Dei unitate ductum. Contendit Marcellus verbum Dei aliquando esse προφορικὸν, aliquando ἐνδιάθετον, nunc operativum, nunc in Deo quiescens, quandoque substantiâ & potentiâ à Patre differens, quandoque ingenitum vel æternum, οὐ συνορῶν inquit Eusebius *, ὅτι εἰ μὲν ἕτερον τοῦ Θεοῦ τὸν λόγον φάσκει δύο ἔσεσθαι ἀΐδια, ὁ λόγος, καὶ ὁ Θεὸς, καὶ οὐκ ἔτ' ἔσεσθαι ἀρχὴν μία. *Minimè advertens, quod si verbum diversum quid à Deo statuat, duo futura sint æterna, hoc est, Deus & verbum; nec principium hoc modo statuetur unicum.* Vis argumenti in eo sita videtur; necesse est, ut unicum sit Deitatis principium. Si verò Filius non sit ejusdem cum Patre substantiæ, consequens erit, ut duo statuantur æterna principia, quod cum unitate Dei omninò pugnat. 6. Accedit denique ipsius Eusebii fidei Nicænæ confirmatio, quâ & Arii dogmata simul damnavit, & τὸ ὁμοούσιον ratum habuit. Hæsit quidem aliquandiu ad hoc vocabulum, Filium tanquam Divinæ essentiæ partem eo denotari suspicatus. Remoto verò hoc obstaculo, & sensu vocis Catholico à Patribus declarato, libenter eam amplexus est: quin etiam fassus, non defuisse sacræ vetustatis Antistites, pietate & eruditione illustres, qui hoc vocabulum sensu Catholico usurpârant. Verùm hoc Eusebii suffragium, & subscriptionem sine fraude, dolóve factam, pluribus infrà vindicabimus. Mitto quæ in Thesibus præcedentibus disseruimus, nempe quòd Christus sit verus & perfectus Deus, quòd sit naturalis Dei Filius, & à Patre ab æterno genitus, quæ eandem planè cum Patre naturam manifestò evincunt, nec leve pondus & momentum huic propositioni addere possunt. Si igitur alicubi † Filium δευτέραν μετ' αὐτὸν οὐσίαν vocat, *alteram post Patrem substantiam*, manifestum est, non de diversâ essentiâ loqui, sed de personâ vel hypostasi; cùm eodem loco *Deum De Deo* dicit.

* De Eccl. Th. l. II. c. 12. p. 119.

† Dem. Evang. l. VI. p. 257. Vide præp. Evang. l. VII. c. 12. p. 312.

THESIS V.

Divinam essentiam Pater cum Filio suo communicavit ab æterno.

Æternitatem Filii, ejusque συνδρομον τῇ ἀρχῇ τὸ εἶναι, quemadmodum non inscitè loquitur Cyrillus * Alexandrinus, *concurrentem cum paterno principio existentiam*, constanter docuisse Catholicos Patres, Antiquitatis Ecclesiasticæ rudis planè sit oportet, qui nescire potest; nec pluribus jam probare opus est, quod cumulatè præstiterunt alii. Hanc Ecclesiæ fidem ab ipsis Christianismi primordiis traditam, & perpetuò conservatam, omni quo poterant nisu, totisque viribus oppugnârunt Ariani. Hinc vulgatum illorum effatum † ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, *erat cum non esset Filius Dei*; & factum esse ἐκ τῶν οὐκ ὄντων; unde & Ἐξουκόντιοι, sive οἱ ἐξ οὐκ ὄντων dicti sunt: contendebant quippe priùs non fuisse, posteà extitisse, talem factum, quandocunque demum factus est, qualis quilibet hominum nasci solet. Expulsum se queritur Arius *, quod non confiteretur, ἀεὶ ὁ Θεὸς ἀεὶ υἱὸς, ἅμα πατὴρ, ἅμα υἱὸς, *Semper Deus, semper Filius, simul Pater, simul Filius*; quodque affirmaret, Filium, antequam gigneretur, aut crearetur, aut terminaretur, aut fundaretur, non fuisse, quin nec esse ἀΐδιον, ἢ συναΐδιον, ἢ συναγέννητον τῷ πατρὶ, οὐδὲ ἅμα τῷ πατρὶ τὸ εἶναι ἔχειν ὥς τινες λέγουσι, *Æternum, aut coæternum, aut coingenitum cum Patre, nec simul cum Patre essentiam nactum esse, ut quidam dicunt.* Hinc teste Theodorito, † pro hæreticis habuit Philogonium Antiochenum, Ellanicum Tripoleos, & Macarium Hierosolymorum antistites, in eosque calumnias concinnavit, propterea quòd dicerent, ἀΐδιον καὶ προαιώνιον τὸν υἱὸν, καὶ τοῦ πατρὸς ὁμότιμόν τε καὶ ὁμοούσιον, *Filium æternum, & ante sæcula esse, æqualemque, & consubstantialem Patri.* Concedebat quidem Arius *, Filium substitisse ante omnia tempora & sæcula perfectum Deum, sed solummodo θελήματι καὶ βουλῇ, *voluntate & consilio Dei*; & priorem generatione Filii Patrem habuisse generandi scientiam, uti medicus ante medicinam datam, medendi tenebat rationem, quemadmodum loquitur Asterius † Cappadox, Arianorum primipilus. Certè Ariani pro insigni, quâ pollebant dissimulandi arte, mirè in hâc causâ in terminis ludebant. Cùm dicerent, *erat quando non erat*, vocem, *tempus*, metu opprobrii supprimebant, affirmabant eum πρὸ χρόνων fuisse, sed tum ἐν τοῖς χρόνοις διαστήματά τινα, *spatia quædam*, seu intervalla commenti sunt in quibus illum non fuisse voluerunt, quod non semel iis exprobrat Athanasius *. Ipsemet Arius, quò ab exilio citiùs revocaretur, coram Imperatore Synodi Nicenæ decretis subscripsit, se eadem sentire cum synodo professus, præstito etiam jurejurando, se nihil in hâc parte per fraudem agere, oblato simul fidei suæ libello, quo inter alia fatetur τὸν ἐξ αὐτοῦ πρὸ πάντων τῶν αἰώνων γεγεννημένον Θεὸν λόγον, *Filium ex Patre ante omnia sæcula factum esse Deum verbum.* Nihilominùs fucum bono Imperatori fecisse, disertè tradunt Athanasius † & Socrates. Insigne hujus fraudis specimen refert Socrates, sed ex auditu tantùm; subscripsisse verò Arium, & subscriptioni jusjurandum adjecisse, id se ex ipsis Imperatoris epistolis hausisse testatur. Hallucinari quidem in tempore contendit Valesius, sed nullâ idoneâ ratione nixus, ipse potiùs in tempore mortis Arii statuendo hallucinatus. Quicquid verò de tempore sit, * Socrates in re ipsâ errare non potuit, qui ipsius Constantini literas ante oculos habuit. Inquiramus jam quorum causam hac in parte agat Eusebius, & cum Catholicis, an cum Arianis facit? Non modò fatetur † Christum, eundem fuisse Deum Dominúmque, qui Patribus sub veteri Testamento toties apparuerit (ὅτε τε αὐτὸς ἐκεῖνος ἦν, καὶ οὐδ' ἄλλος, ὁ τῶν αἰώνων προϋφεστὸς υἱὸς τοῦ Θεοῦ, *quod idem non alius, sed ipse ille esset Dei Filius, qui omnia sæcula antecedit*; alibique * de propheticâ illâ Danielis visione agens, *aspiciebam donec Throni positi sunt*, &c. subdit, manifestissimè hæc non ad alium quàm ad Servatorem nostrum referri posse, τὸν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεὸν, Θεὸν λόγον, *Deum sermonem qui in principio erat apud Deum*) non modò προκόσμιον, ipso mundo antiquiorem, sed & τὴν πρὸ αἰῶνος οὐσίωσιν ei ascribit †; alibique * vocat, φῶς τὸ προκόσμιον, καὶ τὴν πρὸ αἰώνων νοερὰν καὶ οὐσιώδη σοφίαν, τὸν τε ζῶντα, καὶ ἐν ἀρχῇ παρὰ τῷ πατρὶ τυγχάνοντα Θεὸν λόγον, *Æternum illud lumen, & intellectualem & substantialem sapientiam, sæculis omnibus anteriorem, vivum Dei verbum, quod in principio erat apud Deum.* Ad illud † Apostoli, *Qui cùm in forma Dei esset*, &c. συνορᾶς ὅτι πρὸ τοῦ κενῶσαι ἑαυτὸν, καὶ μορφὴν δούλου λαβεῖν, ἦν, καὶ προῆν, καὶ ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπῆρχε· τίς δὲ ἦν, *&c. Vides quod priusquàm exinanivit semet ipsum, & assumpsit servi formam, erat, & ante erat, & in forma Dei subsistebat: Quis autem ille? non alius certè quàm Jesus Christus, & antequàm carnem assumeret.* Sed illustriora habemus hujusce confessionis testimonia. *Ecclesia*, inquit *, *unum Deum prædicat, Patrem nempe omnipotentem, Patrem quidem unius solius Christi, omnium autem Dominum & conditorem*, οὕτω καὶ υἱὸν Θεοῦ μονογενῆ, Ἰησοῦν Χριστὸν παραδίδωσι, τὸν πρὸ πάντων αἰώνων ἐκ τοῦ πατρὸς γεγεννημένον· οὐ τὸν αὐτὸν ὄντα τῷ πατρὶ· καθ' ἑαυτὸν δὲ ὄντα καὶ ζῶντα, καὶ ἀληθῶς υἱὸν συνόντα, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, καὶ φῶς ἐκ φωτὸς, καὶ ζωὴν ἐκ ζωῆς· ἀλέκτως καὶ ἀῤῥήτως, καὶ

παντάπασιν

* Thesaur. l. 9. p. 67.

† Alex. Epist. ap. Theod. l. I. c. 4. p. 10. Ex Arii Thal. apud Athan. Orat. I. contr. Ar. p. 124. Orat. II. p. 137. de Syn. Arim. p. 631.

* Epist. ad Euseb. Nic. ap Theod. l. I. c. 5. p. 21. Et Ep. ad Alexand. ap. Athan. de Syn. Arim. p. 682.

† Ibid. p. 21.

* Loc. cit.

† Ap. Athan. de Syn. Arim. p. 685.

* Orat. II. cont. Arian. p. 145. 146.

† Orat. I. cont. Arian. p. 10. Epist. ad Serap. p. 522.

* L. I. c. 25. &c. p. 61. c. 37. 38.

† Dem. Evang. l. I. c. 5. p. 10. l. VII. c. 2. p. 347. l. VIII. p. 562. De Eccl. Th. l. II. c. 2. p. 105. c. 21. p. 137. & alibi passim.

* Hist. Eccl. l. I. c. 2. p. 10.

† Dem. Evang. l. II. c. 4. p. 81.

* H. Eccl. lib. I. c. 2. p. 5.

† De Eccl. Th. l. I. c. 20. p. 94.

* Ibid. c. 8. p. 66. c. 17. p. 80.

Digitized by Google

παντάπασιν ἀγνώστοις ἡμῖν καὶ ἀκαταλήπτοις λόγοις, ἐκ τοῦ πατρὸς, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν ὅλων, γεγεννημένον, καὶ οὐχ ὁμοίως μὲν τοῖς λοιποῖς γεννητοῖς ὑποστάντα· οὐδὲ ζωὴν ἐμφερῆ τοῖς δι' αὐτοῦ γεγεννημένοις ζῶντα· μόνον δὲ ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς ἀποτεχθέντα, καὶ αὐτοζωὴν ὄντα. *Ad eundem quoque modum, Dei Filium unigenitum, agnoscit eum, qui ante omnia sæcula de Patre fuit genitus, non illum certè eundem cum Patre existentem, at per se subsistentem, viventemque, verè Filium, cum Patre coexistentem, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam de vita, inenarrabilibus, ineffabilibus, omnimodò incognitis & imperscrutabilibus rationibus de Patre genitum ad salutem universis procurandam, non similiter aliis subsistentem, nec vitam viventem cum illis parem qui ab eo sunt creati, solum de solo Patre genitum, ipsammet vitam existentem.* Neque aliter ad locum illum Solomonis *, *Dominus condidit me principium*, &c. *non ita dixit*, inquit, *quasi vellet intelligi* Ὡς ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παρελθὼν, *quod de non ente ad esse processisset*, οὐδ' ὡς ὁμοίως τοῖς λοιποῖς κτίσμασι, καὶ αὐτὸς ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γεγονὼς, ἢ τινὲς οὐκ ὀρθῶς ὑπειλήφασιν, ἀλλ' ὡς ὑφεστὼς μὲν καὶ ζῶν πρό τε καὶ προϋπάρχων τῆς τοῦ παντὸς κόσμου συστάσεως, *nec quod ad modum creaturarum reliquarum de non ente producebatur, quod nonnulli minùs rectè sunt arbitrati sed quod subsistens & vivens, sed quod praexistens, & præsubsistens ante omnem mundi conditionem erat.* Perstringi his verbis Arianos certissimum est: in tantum ab illorum insania abhorrebat. Quin & alia non pauca ad hunc Solomonis locum præclarè annotavit; illud præcipuè, quod † LXX. viralis versio per τὸ ἔκτισέ με, *condidit me*, ab Hebræis rejicitur, neque genuinum vocis Hebraicæ sensum exprimit. C A N A quippe *Possidere* significat; atque ita reliquos omnes interpretes Græcos, *Aquilam*, *Symmachum*, & *Theodotionem* reddidisse notat. Et summâ quidem ratione niti hanc interpretationem. Πλείστη δ' ἂν γένοιτο τοῦ Ἔκτισε, καὶ τοῦ Ἐκτήσατο διαφορὰ τῷ, τὴν μὲν κτίσιν κατὰ τὴν κοινοτέραν διάνοιαν, τὴν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι πάροδον σημαίνειν· τὴν δὲ κτῆσιν, τοῦ προϋπάρχοντος ἰδιάζουσαν οἰκειότητα πρὸς τὸν κτώμενον. *Plurimum quidem differt* ἔκτισε (creavit) & ἐκτήσατο (possedit:) *Cùm illud significet communi notione, creaturarum processum, de non ente ad Esse subsistere: hoc verò rei præexistentis possessionem, & proprietatem peculiarem possidentis.* Hanc Hebraicam lectionem primum, vel inter primos adhibuisse Eusebium, non fatetur modò, sed & penè laudat Jesuita Petavius *, perpetuus aliter Eusebio-mastix: Neque tamen hoc ipso loco illum absque *non boni auctoris* nota dimittere potuit. Verùm nos cum Eusebio in adstruendâ Filii æternitate pergamus. Δῆλον † ὅτι ὁ μονογενὴς υἱὸς ἦν πρὸς τὸν ἑαυτοῦ πατέρα τὸν Θεὸν, συνὼν καὶ συμπαρὼν αὐτῷ ἀεὶ καὶ πάντοτε. *Manifestum est quod unigenitus Filius erat apud Deum Patrem suum præsens, adstans, assistens semper & ubique:* Quod & ex celeberrimis illis locis probat, tum illo Solomonis. *Ante omnes colles gignit me; cùm hominem appararet, præstò illi aderam*; tum Joannis, *& Deus erat verbum.* Ut vix clarius æternam Filii coexistentiam agnoscere potuit. Dum exponit insignem illum Michææ locum, *exitus ejus ab initio, ex diebus sæculi*, hæc habet *, προφητεύεται δῆτα ἐκ Βηθλεὲμ τις ἐξελεύσεσθαι ἄρχων ἐν τῷ Ἰσραὴλ, τὰς ἐξόδους ἀπ' ἀρχῆς ἐξ ἡμερῶν αἰῶνος ἔχων· τοῦτο δὲ οὐκ ἂν ἐφαρμόσειεν ἀνθρώπου φύσει, εἰ μὴ μόνῳ τῷ Ἐμμανουὴλ, καὶ τῷ τῆς μεγάλης βουλῆς ἀγγέλῳ· τὸ γὰρ ἐξ αἰῶνος ὑφεστάναι τίνι ἄρα ἐφαρμόττοι ἂν, ἢ μόνῳ Θεῷ; *Divinitus ergo prædicitur de Bethleem, quidam egressurus Princeps in Israël, exitus ab initio ex diebus sæculi habens. Hoc autem ipsum nunquam Humanæ naturæ accommodari poterit, sed soli* Emmanuel, *& magni consilii Angelo. Quod enim ab æterno existat, cui tandem sit accommodandum, nisi soli Deo?* Duplicem alibi de Christo rationem nobis exhibet †: altera quidem recentior est, quæ heri ac nuper ad homines introducta sit, nempe incarnationis dispensatio, ὁ δὲ, παντὸς χρόνου καὶ πάντων αἰώνων πρεσβύτερος, *altera verò omni tempore, omnibusque sæculis antiquior*: æterna videlicet ejus generatio. Hæc vera nostra Theologia *, υἱὸν γεννητὸν οὐ χρόνοις μὲν τισὶν οὐκ ὄντα ὕστερον δέ ποτε γεγονότα· ἀλλὰ πρὸ χρόνων αἰωνίων ὄντα, καὶ προόντα, καὶ τῷ πατρὶ ὡς υἱὸν διαπαντὸς συνόντα, καὶ οὐκ ἀγέννητον, ὄντα, γεννώμενον δὲ ἐξ ἀγεννήτου πατρὸς, μονογενῆ ὄντα, λόγον καὶ Θεὸν ἐκ Θεοῦ *Filium esse, qui genitus sit, non illum quidem qui certis temporibus non fuerit, posterius autem sit natus; sed qui sit ante tempora æterna, atque antèeat, & tanquam Filius unà cum Patre semper existat, neque verò qui non sit genitus, sed ex Patre ingenito genitus, unigenitus nempe, verbum, & Deus ex Deo.* Alibique ait † τὸν υἱὸν ἐξ ἀπείρων αἰώνων, μᾶλλον δὲ πρὸ πάντων αἰώνων ὑποστῆναι, γεννώμενόν τε συνεῖναι, καὶ συγγενόμενον ἀεὶ τῷ πατρὶ ὡς τῷ μύρῳ τὸ εὐῶδες, καὶ τῷ φωτὶ τὴν αὐγὴν, *Ipsum filium ex infinitis sæculis, ac potiùs ante omnia sæcula extitisse, dumque existit, simul esse, neque Patrem unquam relinquere, sicut nec unguentum bonus odor, nec lucem splendor relinquit:* Etsi fateatur, hæc exempla, non omnimodò integram similitudinem præstare posse. Ex oratione *de laudibus Constantini* toties citatâ unum, alterumve afferre liceat. *Cap. I.* *. τοῦτον καὶ αὐτὸς ἐπὶ πᾶσι, καὶ πρὸ πάντων, καὶ μετὰ πάντας, ὁ προὼν αὐτοῦ μονογενὴς λόγος· ὁ δὲ μέγας ἀρχιερεὺς τοῦ μεγάλου Θεοῦ· παντὸς χρόνου, καὶ πάντων αἰώνων πρεσβύτατος, τῇ τοῦ πατρὸς καθωσιωμένος τιμῇ, πρῶτος καὶ μόνος τῆς πάντων ὑπὲρ ἱλάσκεται σωτηρίας· πρωτείοις μὲν τῆς τῶν ὅλων ἀρχῆς ἴσοις δὲ τῆς πατρικῆς βασιλείας ἐνδοξαζόμενος. Hoc est, interprete Valesio, *Ipse denique in omnibus, & ante omnes, & post omnes, unigenitus ejus Filius, ac sermo praexistens, magnus Dei pontifex, omni tempore, omnique ævo antiquior, Patris sui cultui devotus, ac dicatus, primus ac solus pro omnium salute ei supplicat, qui prærogativam quidem honoris obtinet principatum universi, æqualem autem cum Patre gloriam in Patris Regno possidet.* Verba illa, τῇ τοῦ πατρὸς καθωσιωμένος τιμῇ, reddit vetus interpres, *dignitatis paternæ particeps*: quod si juxta sensum Valesianum reddantur, ad χρείαν Filii mediatoriam referenda sunt. *Cap. II.* †. Ὁ μέν γε τοῦ Θεοῦ μονογενὴς λόγος τῷ αὐτοῦ πατρὶ συμβασιλεύων ἐξ ἀνάρχων αἰώνων εἰς ἀπείρους καὶ ἀτελευτήτους αἰῶνας. *Et ille quidem unigenitus Dei sermo à sæculis principio carentibus, ad infinita usque & interminata sæcula regnat cum Patre.* Hæc, & his longè plura Eusebius, iisdem in exprimendâ Filii æternitate vocabulis usus, quibus & sacræ literæ, & Catholici Patres constanter uti solent. Quid quod non diffitetur ipse Criticus * noster, stylo istius temporis, quo vixit Eusebius, *ante mundum conditum existere*, & *æternum esse*, idem valere? Ut omnia in pauca contraham. Fatetur Eusebius Christum esse Deum verum & perfectum: fatetur naturalem esse ac genuinum Dei Filium, à Patre æternè genitum; fatetur, eandem cum Patre essentiam possidere, esse ὁμοούσιον, verè συναΐδιον (verbis saltem tantundem valentibus) & coæternum. Perpendant hæc secum Censores Eusebiani, & dicant seriò, quo jure contendant, illum fuisse Arianæ partis hominem, multò magis recoctum fuisse Arianum? Dionysius Petavius, vir in lectione Patrum admodum exercitatus in vasto isthoc, quod condidit, opere, id penè unicè egisse videtur, si non ut Arianorum causæ viam sterneret, saltem ut omnium veterum testimonia de Christi ὁμοουσίῳ atque æternitate enervaret, atque in pravum sensum detorqueret: in omnes iniquus, in Eusebium iniquissimus; quem tam asperè, tantisque conviciis excipit, & tam manifesto partium studio dicta ejus in deteriorem sensum ubique interpretatur;

* Ibid. l. III. c. 2. p. 150.

† Ibid. p. 152. 153.

* De Trinit. l. II. c. 1. n. 2. p. 92.

† Ibid. l. II. c. 14. p. 123. Eadem penè l. III. c. 4. p. 169.

* Dem. Evang. l. VII. c. 2. p. 341.

† Ibid. l. IV. c. 1. p. 144.

* Ibid. c. 5. p. 149.

† Ibid. l. V. c. 1. p 225.

* Pag. 606.

† Pag. 607.

* In Euseb. p 123. Edit. Gall. p. 445.

pretatur, ut nemini non liqueat, ipsum maligno in Eusebium animo ad hoc opus accessisse. Plurima ex Eusebii scriptis collegit *, quæ sibi Arii hæresim sapere videbantur, quæ tamen si ad regulas à nobis suprà positas candidè exigantur, haud incommodè, nullóque planè negotio solvi possunt.

Hactenùs Eusebium ex propriis scriptis vindicavimus, præteritis quæ addi poterant, infinitis, ne in nimiam molem excresceret Dissertatio. Restat adhuc clarius fortiusque argumentum, ejus nimirùm Synodi Nicænæ decretis assensus, quo τὸ ὁμοούσιον publicè recepit, & primaria Arii dogmata diserto anathemate damnavit. Sed dolo malo factum id, inquies, & sublestâ fide. Et ita quidem nonnulli, & in iis D. Clericus, Peravii ut videtur, auctoritate nixus, unde Eusebium tanquam nullius fidei, nullius conscientiæ hominem traducere maluit, quàm ut Catholicus agnosceretur. En qualem nobis depingit † Eusebium: *Hominem* nempè, ut ipsis verbis utar, *dexterrimum* *, *qui terminis fidei, quos ipse non probavit, subscribere non dubitavit* †, *modò in sensum sententiæ suæ congruentem exponere potuit, etiamsi illis, qui eos imposuerunt, parùm convenientem. Certè claudat oculos necesse est, qui ex iis quæ in epistolâ ad Csarienses habet, non videt, ipsum terminos Synodi Nicænæ aliter intellexisse, quàm exempli gratiâ, intellexit Athanasius*. Id est, ex ejus sententia, vir erat versutus, & versipellis, qui in venerabili sanctissimorum totius orbis præsulum conventu, præsente etiam Constantino Imp. & in re, omnium quæ unquam vertebantur, gravissimâ, aliud linguâ, manuque proferebat, aliud sub pectore coxit. Ain' verò? age, an ita fuerit paulisper expendamus. Nec alium hàc in causâ producemus testem, quàm ipsummet Eusebium in *Epistolâ* † *de fide* ad Cæsarienses suos, si non sedente jam Synodo, certè paulò post scriptâ, quâ integram rei gestæ historiam narrat, & ad quam provocat auctor noster. Primò igitur refert, se formulam fidei suæ, rectam quidem illam simplicémque, Patribus obtulisse, quâ inter alia credere se in unum Dominum Jesum Christum, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam ex vitâ, ante omnia sæcula ex Deo Patre genitum, professus est; hæc se ex Episcopis, majoribus suis accepisse; hæc se tenere, & ad mortem usque retenturum, idque sincerè & ex animo, coram omnipotente Deo, & D. N. Jesu Christo testificari. Hanc formulam ὀρθότατα περιέχειν, primus omnium testatus est Imperator, seque ita sentire affirmavit, & unà cum illo tota approbavit Synodus; monente Constantino, unam duntaxat vocem τοῦ ὁμοουσίου adjiciendam esse; ac proinde inter paucula quæ symbolo Eusebiano addiderunt Patres Nicæni, declarabant, Filium esse ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς & ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, *ex substantiâ Patris, & Patri consubstantialem*; subnexo etiam anathematismo contra eos, qui fuisse aliquando tempus cùm non esset, & non esse antequam gigneretur, vel quòd de non extantibus factus est, vel quòd ex alterâ substantiâ, vel essentiâ esse Filium Dei, aut conversioni, mutationíque obnoxium affirmarent. Ad has voces, ἐκ τῆς οὐσίας, & ὁμοουσίου, hæsitavit Eusebius, veritus ne quid pravi sub iis lateret sensus. Hinc variæ quæstiones ortæ sunt, & responsiones; & quænam esset horum vocabulorum sententia, accuratè expendebatur. Donec primò Imperator, deinde Patres Synodici mentem suam super his exposuerunt, fassi, per voces, ἐκ τῆς οὐσίας significari Filium quidem esse ἐκ τοῦ πατρὸς οὐ μὴν ὡς μέρος τῆς οὐσίας αὐτοῦ τυγχάνειν, *Ex Patre quidem esse, sed non tanquam partem esse illius substantiæ*: fieri enim non posse, ut ingenita Patris natura, materiæ expers, intellectualis, atque incorporea, corpoream ullam affectionem admittat, neque per divisionem substantiæ, neque per abscissionem, nec per mutationem paternæ essentiæ atque virtutis, sed Divinis, arcanísque rationibus id esse intelligendum. Per τὸ ὁμοούσιον se nihil aliud significare, quàm Filium Dei nullam omninò cum creaturis similitudinem habere, sed solius Patris, à quo genitus est, per omnia similem esse, καὶ μὴ εἶναι ἐξ ἑτέρας τινὸς ὑποστάσεώς τε καὶ οὐσίας, ἀλλ' ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς, *Nec ex aliâ quâdam hypostasi, aut substantiâ, sed ex Patris substantiâ esse*. Per *genitum, non factum*, excludi omnimodam cum rebus creatis similitudinem, ac proinde Filium non esse facturam, sed longè præstantioris substantiæ, arcano quodam generationis modo, qui nec verbis exprimi, nec intelligentiâ comprehendi ab ullâ possit creaturâ. His ita expositis æquum omninò videbatur, inquit Eusebius, ut nos quoque hunc sensum amplecteremur, nec vocem *Consubstantialis* rejiceremus, tum pacis intuitu, tum ne à rectâ intelligentiâ excideremus: confessus prætereà, fuisse ex veteribus insignes Episcopos & disertos scriptores, qui in explicandâ Patris ac Filii Divinitate, vocabulo ὁμοουσίου usi sint. Quocirca fidem Nicænam jure merito approbandam censuit, cui, inquit, *non levitèr & inconsultò, sed juxta sensus allatos, & ob rationes expositas consensimus omnes*. Anathematismum haudquaquam molestè suscepit, quod istiusmodi voces à sacrâ Scripturâ penitus abhorrent: unde visum est nullatenus rationi consentaneum esse, ut hæc vel discerentur, vel docerentur; nec se unquam antea hujusmodi vocibus uti consuevisse. Claudit Epistolam his verbis: Ταῦτα ὑμῖν ἀναγκαίως διεπεμψάμεθα, ἀγαπητοὶ, τὰ κεκριμένα τῆς ἡμετέρας ἐξετάσεώς τε καὶ συγκαταθέσεως φανερὰ καθιστάντες ὡς εὐλόγως τότε μὲν καὶ μέχρις ὑστάτης ὥρας ἱστάμεθα ὅθ' ἡμῖν τὰ ἑτεροίως γραφέντα προσέκοπτε· τότε δὲ ἀφιλονείκως τὰ μὴ λυποῦντα κατεδεξάμεθα. Ὅθ' ἡμῖν εὐγνωμόνως τὴν τῶν λόγων ἐξετάζουσι τὴν διάνοιαν, ἐμφανῆ σύμπραξιν ἔχειν ἔδοξε τοῖς ὑφ' ἡμῶν αὐτῶν ἐν τῇ προεκτεθείσῃ πίστει ὁμολογημένοις. *Hæc vobis necessariò scribenda esse duximus, dilectissimi, ut vobis liquidò demonstremus, quanto cum judicio, tum dubitatio, tum assensio nostra librata sit; & quòd rectè atque ordine, primùm quidem ad extremam usque horam restitimus, quamdiu nonnulla aliter quàm oportuit, scripta nos offendebant, tandem verò ea, quæ nihil offensionis habebant, sine contentione amplexi sumus, postquàm nobis verborum sententiam candidè examinantibus apparuit ea prorsus cum illis convenire, quæ nos ipsi in fide primùm à nobis expositâ confessi fueramus*. Hæccinè sunt hominis fidem vafrè simulantis? hæccinè temerè & inconsultò subscribentis? hæccinè intimos animi sui sensus consutis dolis fraudulenter celantis? Apage tales suspiciunculas. Certè nihil apertius, nihil candidius fieri potuit; fecit quod viro honesto, ingenuo, erudito, prudente, rectique tenace dignum erat. Quid, quod ipse * Athanasius semel iterúmque fatetur, Eusebium non subscripsisse modò, sed & in hac Epistolâ τὸ ὁμοούσιον, καὶ τὸ ἐκ τῆς οὐσίας agnovisse, verámque esse eam fidem, quæ in Nicænâ Synodo constituta est: seque jam purgâsse, etiamsi Arianos accusaverit. Monendus est lector, laciniam illam (sive Constantini sit, sive Eusebii) de Filio potentiâ in Patre ἀγεννήτως existente priusquàm actu gigneretur, quæ sub finem Epistolæ occurrit apud Theodoritum, deesse omninò apud Socratem, ut & apud Epiphanium Scholasticum, qui Historiam *Tripartitam* ex Socrate, Sozomeno, ac Theodorito consarcinavit; & cum Eusebii doctrinâ de æternâ Filii existentiâ è diametro pugnare. Unde justa oritur suspicio Ariani cujusdam fraude in exemplar, quo usus est Theodoritus, irrepsisse. Certè vix credi potest, Socratem probatæ fidei historicum, & his temporibus proximum, eousque imprudentiæ, vel perfidiæ potiùs processisse, ut locum tam notabilem abscinderet, vel præteriret, cùm cuivis Epistolam inspicienti fraus tam facilè deprehendi potuit. Denique, alibi etiam

*Dogm. Th. Tom. II. De Trin. l. 1. c. 11. 12. p. 56. &c.

† In Euseb. p. 154. 155. Bibl. Univers. Tom. X. p. 480.

* Etoit un homme adroit.

† Idem habet p. 149.

† Ext. ap. Socr. l. 1. c. 8. p. 23. Theod. l. I. c. 12. p. 36 Gelas. H. Conc. Nic. l. II. c. 34. col. 252. Niceph. l. VIII. c. 22. p. 576. & inter Opp. Athan. Tom. II. p. 48.

* Decret. Syn. Nic. p. 402. de Syn. Arim. p. 629.

Digitized by Google

† De vit. Const. l. 3. c. 13. 14. p. 490. * Epist. ad Eccles. de syn. Nic. ap. Euseb. ib. c. 17. p. 492. Ep. ad Eccles. Alex. ap. Socr. l. I. c. 9. p. 30.

etiam docet nos Eusebius †; omnes, antea licet discordes, in Nicæna tandem Synodo in unius fidei consonantiam consensisse. Testatur & Constantinus * Imp. cuncta, quæ dissensionis materiam excitare videbantur in hoc concilio, eò usque accuratè discussa atque examinata esse, ut omnes in unitatis consensum conspirarent, ita ut nullus dissensioni, nullus controversiæ de fide locus ampliùs relinqueretur. Subdit Socrates, definitionem fidei non leviter ac temerè, sed cum multa inquisitione & diligenti examine dictatam fuisse; nec quædam in illo Concilio dicta, quædam silentio tradita, sed quæcunque ad confirmationem dogmatis dici poterant, cuncta in medium fuisse prolata. Cùm verò adhuc instarent Eusebii obtrectatores, ejusque nomini labes & maculas inurere non cessarent, librum *Apologeticum* ad orthodoxos omnes Episcopos mittere coactus est, quo se purgavit & defendit, ostenditque, si quid unquàm protulerit aut scripserit, quod vel tantillum Arii dogma saperet, non ex impio sensu, sed ex minùs curiosâ, parúmque sollicitâ simplicitate id protulisse, ut auctor nobis est Gelasius Cyzicenus mox proferendus. Præterire non possum perversam D. Clerici * hac in re mentem, qui longam Eusebii de voce ὁμοουσίῳ disceptationem, & institutum ea de re examen in crimen ei vertit; quasi in subscribendo Concilii decreto minùs sincerè se gessisset. Quid facies huic homini? qui nec Eusebii prudentiam in examinando, nec sinceritatem in subscribendo admittere velit. Hucusque cùm progressus sim, non abs re forsan erit, gravissimorum quorundam virorum tum veterum, tum recentiorum de causâ hâc Eusebianâ judicia exhibere. E Veteribus tres proferam, totidem è Recentioribus. Veteres damus Socratem, Theodoritum, & Gelasium Cyzicenum. Socrates integro capite † ex professo Eusebii vindicias agit, & allatis aliquot locis ex ipsius scriptis, Arianum non fuisse liquidò demonstrat; quin & ipsius obtrectatores provocat, ut probent Eusebium Filio Dei initium *subsistentiæ* uspiam tribuisse, tametsi *dispensationis* vocabulis in libris suis usum fuisse ipsum inveniant. Et forsan [ut non inscitè conjicit † Bullus noster] ex frequenti vocabulorum usu, quæ ad Filii οἰκονομίαν pertinent, quæque contra Sabellianos, quorum hostis fuit accerrimus, penè ad nauseam & fastidium usque repetit Eusebius, factum est, ut quibusdam in Arianam ex adverso impietatem delapsus videretur, à quâ tamen reverà semper alienus fuit. Theodoritus de Eusebii Epistola ad Cæsarienses * agens, eam vocat τῆς τῶν λύτ]ης ἔλεγχον ἐναργῆ, *manifestam Arianorum vesaniæ redargutionem*; additque eos, præcipuum licet honorem Eusebio tribuant, tanquam idem cum ipsis sentienti, iis tamen quæ ab illo scripta sunt, palam contradicere; idque tum ex eadem Epistolâ, tum ex libris *de vitâ Constantini* latiùs persequitur; adeò ut capiti XIII. præmissum est hoc lemma, Ἔλεγχος τῶν νῦν βλασφημούντων Ἀρειανῶν ἐκ τῶ Εὐσεβίε τῶ Καισαρείας ἐπισκόπε συγγραμμάτων, *Confutatio Arianorum nostri temporis ex scriptis Eusebii Cæsariensis*. Gelasius Cyzicenus in *historiâ* † *Concilii Nicæni* pro Eusebio hæc habet; *Nemo autem æstimet Eusebium ex his qui de illo famâ circumferuntur, quasi Arii blasphemiæ consenserit, sed credat si qua protulit, aut scripsit μικρόν τι τῶ Ἀρεíε φρονούμενα, Arii dogmata vel tantillum subolentia, non ex impio illius sensu protulisse unquam aut scripsisse, sed ex minus curiosâ, parumque sollicitâ simplicitate, ut ipse in Libro* Apologetico, *quem ad omnes orthodoxos Episcopos misit, plenius ista probavit.* Prætermitti non debet, quod de contentione inter Eustathium & Eusebium habet † Sozomenus, nempè utrumque eorum confessos esse, Filium Dei propriam habere subsistentiam, perinde tamen quasi se invicem non intelligerent, alter alterum accusabat, Eustathius Eusebium, quòd ea quæ Nicææ decreta fuerant, innovaret, Eusebius verò ea se probare dixit, sed Eustathio Sabellii opinionem exprobrabat. A Veteribus ad recentiores venio, H. Valesium, R. Montacutium, G. Bullum; viros antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimos. Valesius *, *Proferunt quidem loca quædam ex Eusebio, quibus approbent illum Ariano dogmati adhæsisse; sed nullum discrimen adhibent inter libros ante Concilium Nicænum, & inter eos, qui post illud Concilium ab Eusebio sunt elaborati; quod tamen fieri omninò debuerat, ut de Eusebii fide certum ac legitimum judicium promereretur. Quæcunque enim ante Nicænam Synodum scripta sunt, Eusebio objici & imputari non debent.* Confer omninò quæ habet idem Valesius in notis ad *Euseb.* p. 191. Verba *Thesi* I. suprà exhibuimus. Montacutius noster Episcopus, primò Cicestrensis, dein Norvicensis, id ipsum † ingenuè fatetur, etsi aliter in Eusebium haud satis æquus. *Vult Baronius, Arii fuligine quemadmodum loquitur non leviter aspersum Eusebium, sed imbutum penitùs; velut advocatum factionis Arianæ, partes orthodoxorum minùs sincerè, minùs secundùm veritatem narratas peregisse. Socrates tamen illi ætate proximus vehementer in illo laboravit, ut Eusebium vindicaret ab aspersione illâ, & in partes assereret orthodoxorum. Nec injustâ forsitan excusatione, si tempora distinguantur accuratè. Nam nondum detectâ Arii impietate, fraudibus hæretici atque impostoris nondum prolatis in apertum, propendebat Eusebius fortassis in opinionem & partes Arianas: at postquam ventilatâ & discussâ causâ, Nicænæ sanctionis veritatem consignârant, & furori Ariano, atque blasphemiæ anathema maranatha indixerant, non sine ratione opinari licet, virum illum eruditissimum animo semper constantissimo illi professioni adhæsisse.* Tertius accedat Bullus noster, optimus fidei Nicænæ defensor; *quasi intellexisset* *, inquit, *qui nihil non in Patrum scriptis intellexisse videri voluit, Petavius, nunquam certè doctissimum, & de Ecclesiâ Catholicâ optimè meritum Eusebium, propterea quòd Filium Dei dixerit μέσιτω inter Deum & res creatas, & ob dicta similia, tanquam recoctum Arianum, nedum cum Hieronymo [quem ipsum eo nomine ausus est acriter reprehendere præcellentissimus Valesius] ut Arianæ factionis signiferum sugillasset, quod in scriptis suis passim facit.* Alibique * *ab Arianâ impietate reverà semper alienus fuit, ac verissimum quidem illud esse fatebitur quisquis Eusebii scripta accuratè, & seposito partium studio evolverit: qui & hoc observato* (responso nempe quod ibi protulerat) *ad ea loca omnia, quæ Petavius* lib. I. de Trin. c. 11. *magno acervo congessit, ut probaret Arianum fuisse Eusebium, facilè respondere poterit.*

* In. Euf. p. 124. edit. Gal. p. 446.

† H. Eccl. l. II. c. 21. p. 103.

† Def. Fid. Nic. Sect. III. c. 9. p. 379.

* Hist. Eccl. l. I. c. 11. p. 39.

† Lib. II. c. 1. Conc. T. II. col. 140.

† Lib. II. c. 18. p. 468.

* De vit. & script. Euseb. præfix. Hist. Eccl.

† Præf. Anal. I. & exercit. in Baron.

* Sect. III. c. 9. p. 395.

* Ibid. p. 379.

Sed ab Arianorum partibus stetit Eusebius; ita objectare pergit Auctor noster. Fateor non leve ei cum Arianis commercium intercessisse; in aula utplurimùm versatus est; Constantino charissimus, quò confluere solebant primaria Arianæ partis capita, eaque occasione Synodicis illorum conventibus haud rarò interfuit; & forsitan meliorem, quàm par erat, de Ario opinionem conceperat. Certum enim est, Arium mirum fuisse dissimulandi artificem, & dogmata sua pro re natâ perpolire, & fucatis coloribus illinire consuevisse, eáque ratione, non Eusebio tantùm, sed & aliis Orientis Episcopis imposuisse, ut in Epistola ad Cognominem suum Alexander Alexandrinus disertissimè nos docet ap. Theod. H. Eccl. l. I. cap. 4. p. 10. 19. Et nos quædam hac de re supra *Thes.* V. observavimus. Sin verò de consensione in dogmatibus Arianis intelligatur, quòd è partibus eorum stetit Eusebius, accusationem constanter pernego; méque illud luculenter satis ostendisse arbitror. Mirari desinet, multa duriùs & incautiùs dicta in Eusebii scriptis reperiri, qui secum in animo reputaverit, quod alibi notavimus, ipsum in Platonicorum scriptis, librísque Origenis, multum diúque versatum, exinde nova quædam hausisse, & novas phrases minùs commodas, quandóque & periculosas in Christianam

Digitized by Google

nam Theologiam induxisse. Quod tamen illi cum multis præteritorum sæculorum doctoribus commune fuit, securiùs & audacter nimis de iis locutis, de quibus nondum suum Ecclesia tulerat judicium. Verbo expediam, Eusebii scripta, ubi ad examen sunt revocanda, si eodem candore cum iis agatur, qui erga omnes difficillimarum controversiarum scriptores observari solet, eos præsertim, qui de sublimibus mysteriis, omnémque humani ingenii vim superantibus agunt; si loca dubia ex certis, obscura ex claris, periculosa ex sanis & orthodoxis explicentur, in tuto erit Eusebii fides, nec ullus tam injustæ censuræ locus relinquetur. Quàm alienus fuit ab omni nupero hæreticorum commento, quàm antiquæ Apostolorum doctrinæ tenacissimus, ipse nos docet *. Marcellum quippe oppugnaturus, palam præferatur, se de Servatoris nostri divinitate, νεώτερον μὲν λέγειν ἔχειν οὐδὲν, οὐδ' ἐμαυτοῦ σοφόν τι καὶ οἰκεῖον εὕρημα, *nihil recentioris alicujus commatis dicere habere, nihil tradere à se noviter adinventum; nihil ex sapientiæ suæ opinione profectum, sed Ecclesiæ Dei doctrinam præ se laturum incorruptam, quam à testibus verbi, auritis olim atque oculatis acceptam, ab initio, illa custodit, adhuc inviolatam.* Hæccine dicturus esset in publica hominum luce Eusebius, si modò alienam ab Ecclesiâ Catholicâ doctrinam de primario hoc fidei articulo tradidisset? Quàm facilè fuisset illum falsi hâc in parte revincere? præsertim cùm nemini non notum fuerit, ipsum ante decennium fidem Catholicam in Nicænâ Synodo agnovisse, suoque suffragio publicè comprobasse.

* De Eccl. Th. l. I. in præf. p. 60.

Assertâ hucusque Eusebii causâ, alterum Dissertationis nostræ caput tribus verbis erit absolvendum, calumnia nempe, quæ mihi exinde conflata est. Si enim Eusebius non fuit Arianus, ipsum calumniæ evertitur fundamentum. Quin si in incerto adhuc res esset, quænam amabo in me culpa erit, quòd tantum virum à tam atroci crimine conarer liberare? Quod Socrati, Theodorito, Gelasio, quod Valesio, Montacutio, &c. licuit, cur non & mihi liceat? Accedit denique ad vituperii cumulum, quod vitas sanctorum Patrum *Panegyricè*, non historicè descripserim. At unde id liquet? quibus indiciis, quibus exemplis deprehenditur? Volvantur & revolvantur scripta mea, & num ita sit, dicant æqui judices. Ubinam, sodès, toties objecti sermones Panegyrici? ubi nam laudationes immodicæ? ubinam ficta falsave encomia? imò quid non strictè & usquequaque verum, & favente omnium eruditorum suffragio veteribus concessum? Res gestas ex ipsis fontibus semper deprompsi, & juxta temporis rationem in ordinem redegi, testes ubique fideliter advocavi, nihil alicujus odio, nihil favori dedi, nihil addidi, nihil suppressi, solius veritatis amore ductus. Jure meo usus, methodum, quæ mihi videbatur commodissima, amplexus sum. Quis verò D. Clerico jus & auctoritatem dedit leges biographicas præscribendi? in Vitis, quas ipse edidit, plurimum sibi plaudere videtur. Fruatur ille suâ gloriâ, mihi quæ mea sunt, relinquat. Candidi est ingenuique animi aliena humaniter tractare, & in meliorem partem interpretari. Æqui bonique viri parum meretur nomen, qui aliorum labores importunè & morosè carpit, &, ut ore Terentiano † loquar, *Nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.* Hæc quidem dixi, non in D. Clerici gratiam, cujus iniquam censuram facilè contemno; sed ut viris ingenuis atque eruditis me, meáque omnia probarem. Christianam charitatem, quam mihi objicit, & penè vitio vertit, studiosè colo & amplector; nec profiteri erubesco, malle me cum Christiana charitate derideri, quàm Critico supercilio insolescere, & in alios temerè & leviter insultare, neque huic objectiunculæ aliud repono, quàm illud Apostoli, *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Quibus consona est æquissima & vetustissima illa juris Regula *, *in dubiis benigniora semper esse præferenda.*

† Adelph. Act. I. Scen. II. p. 166.

1. Cor. XIII. 5. 6. &c.

*De reg. jur. n. 56.

FINIS.

INDEX

INDEX SCRIPTORUM ALPHABETICO-CHRONOLOGICUS.

SCRIPTORES GENTILES PRÆMISSO HOC SIGNO † denotantur. Literæ A Appendicem, D Dissertationes notant.

JESUS CHRISTUS Dominus noster *Pagina* 2

A.

	Clar. an.	Pag.
Abbo Floriacensis	970	503
Abbo Parisiensis	880	474
Abdias Babylonius	59	18
Abercius Hierapolit.	164	39
Absolon	1210	622
Abu-Isaac-Ben-Assalus	1270	642
Acacius Berœensis	430	268
Cæsariensis	340	129
Acacius CP.	471	291
Meliten.	431	269
Acca Hagulstadens.	705	406
Achaiæ Presbyteri	59	17
Achardus Clarevallens.	1140	579
† Acta Pilati	33	25
Adalardus	822	443
Adalgisus	1150	586
Adamannus Scotus	679	389
Adamus Bremensis	1080	537
de Domersham	1272	644
Muremuthensis	1342	28 A.
Præmonstrat.	1160	589
Addas	277	93
Adelboldus	1008	519
Adelhelmus	890	477
Adelmannus	1048	523
Ademarus	1030	521
Adeodatus Papa	672	388
Ado Viennensis	859	466
Adrevaldus Floriac.	890	476
Adrianus	433	272
Adso	980	505
Ægidius Charlerius	1433	89 A.
Romanus	1296	657
Abbas	514	326
de Roya	1463	120 A.
Ægil	818	441
Ælfricus	980	506
Ælnothus	1105	560
Æneas Gazæus	487	297
Parisiens.	854	459
Sylvius, vide Pius II.		
Aëtius Hæreticus	359	137
Agapetus CP.	527	330
Agapetus I. Papa.	535	334
II. Papa	946	500
Agapetus Rhodiens.	457	287
Agapius Manichæus		166 D.
Agatho Biblioth. CP.	680	390
Agatho Papa	679	388
Agnellus	555	342
Agobardus	813	438
Agrippa Castor	132	35
Agrippinus	215	61
Ailredus Rievallens.	1150	584
Aimoinus Floriac.	1001	518
Aimoinus Parisiens.	872	472
Alanus Abbas	1177	596
Alanus de Insulis	1151	586
Alter junior	1215	624
Albericus Bergomens.	1350	33 A.
Casinensis	1057	529
Albericus Trium-Fontium	1241	631
Albertinus Mussatus	1320	15 A.
Albertus Aquensis	1120	571
de Argentina	1378	50 A.
de Bonstetten	1491	140 A.
Crantzius	1504	159 A.
Crummedickius	1468	121 A.
Magnus	1260	639
Patavinus	1316	13 A.
Stadensis	1256	638
Alcuinus Flaccus, sive Albinus	780	420
Aldhelmus	680	389
Alexander Alexandrinus	313	110
Carpentarius	1429	86 A.
Cæsariens.	212	61
De Carpineto	1196	601
de S. Elpidio	1312	10 A.
de Hales	1230	628
Hierapolit.	431	269
de Imola Tart.	1467	121 A.
Lycopolita		167 D.
Monachus		167 D.
Neckam	1215	623
Alexander II. Papa	1061	531
III. Papa	1159	588
IV. Papa	1254	634
V. Papa	1409	76 A.
VI.	1492	140 A.
Alexius Aristenus	1166	592
Melitanus	1512	162 A.
Nicænus		167 D.
Studita	1025	520
Alfonsus Magnus	841	450
Spina	1459	115 A.
Tostatus	1434	90 A.
Vargas	1358	39 A.

Digitized by Google

	Clar. an.	Pag.
Alfonsus de Zamora	1506	160 A.
Alfredus Rex	871	471
Algerus Leodiens.	1130	577
Almannus	850	459
Alphanus Salernitanus	1057	530
Altfridus	839	447
Alvarus Cordubens.	847	458
Pelagius	1340	27 A.
Alulphus	1096	544
Alypius Presbyt.	430	269
Amalarius Metensis	812	435
Trevirens.	810	435
Amalricus Augerii	1362	45 A.
Amatus Casinensis	1070	533
Ambrosius Alexand.	230	77
Alexand. jun.	392	184
Autpertus	760	415
Camaldulens.	1440	100 A.
Coriolanus	1475	124 A.
Mediolan.	374	165
Amedeus	1144	581
† Ammianus Marcellinus	380	220
Ammon Abbas	330	126
Ægyptius	399	217
Ammonas		167 D.
Ammonius Philosophus Alexand.	220	68
Monachus Alex.	372	162
Presbyter.	458	288
Amphilochius Iconiens.	370	159
Amulo Lugd.	841	450
Anastasia Romana	301	102
Anastasius Abbas	741	414
Bibliothecarius	754	415
Biblioth. Alter	870	469
Monachus	655	385
Palæstinus	1094	543
I. Papa	398	195
II. Papa	496	300
IV. Papa	1153	587
Presbyt.	655	386
Sinaita	561	344
Sinaita jun.	599	357
Sinaita alter	685	392
Anatolius Alexand.	270	87
CP.	449	285
Ancyrianus Chronogr.		167 D.
Andreas Barbatius	1460	117 A.
Craynensis	1480	129 A.
Cæsariensis	500	301
Cretensis	635	380
Horne	1320	15 A.
Italus	806	434
Novocastrensis	1301	3 A.
de Petra	1432	89 A.
Presbyter		168 D.
Presb. Ratisponens.	1439	96 A.
Samosatens.	431	270
Andronicianus		358
Andronicus Camiterus	1156	588
Comnenus	1183	598
CP.	1327	18 A.
Ducas		168 D.
Palæologus Comnenus	1282	650
Angelus de Clavasio	1480	127 A.
Angelomus	856	461
Angradus	699	393
Anianus	401	239
Alter	507	319
Celedensis	415	252
Anna Comnena	1118	568
Anonymi Biographi		
S. Adalberonis	1005	518
S. Adalberti	1010	519

Anonymi Biographi	Clar. an.	Pag.
S. Agili	680	390
S. Aicaidri	920	496
B. Alcuini	820	442
S. Aldegundis	690	393
S. Altonis	950	501
S. Amati	670	388
S. Anselmi	850	459
S. Anstrudis	710	407
S. Arnulfi	650	385
S. Austrebertæ	720	409
S. Austregili	630	380
S. Auxentii	470	291
S. Bathildis Anglæ	685	392
S. Bathildis Reginæ	840	450
S. Barthulfi	1073	536
S. Basoli	920	496
S. Bavonis	670	388
S. Bertilæ	720	409
S. Boniti	712	407
S. Botulfi	730	412
S. Burchardi	910	494
Caroli Magni	814	441
Caroli Magni	1165	591
S. Chlodulphi	850	459
S. Consortiæ	590	355
S. Deicoli	950	501
S. Drochtovei	890	477
S. Ebbonis	950	501
S. Egwini	1050	525
S. Eparchii	590	355
S. Eucherii	750	415
S. Eugendi	510	322
S. Forsei	680	390
S. Gerardi	1001	518
S. Geremari	701	402
S. Gertrudis	650	385
S. Gildæ	1040	523
S. Gisleni	910	494
S. Goaris	730	412
S. Gundulphi	1107	561
S. Harlindis	860	467
Henrici IV. Imp.	1106	561
S. Hermenlandi	750	415
S. Hugonis	1040	523
S. Joannis Reomaensis	580	349
S. Judoci	710	407
S. Leodegarii	680	391
S. Leutfredi	860	467
Ludovici Pii	840	450
S. Marculfi	850	459
S. Martini Vertavensis	890	477
Ejusdem	990	509
S. Martiniani	399	218
S. Maximini	650	385
S. Mederici	950	501
S. Neoti	1110	563
S. Pardulfi	760	416
S. Paschasii	1101	559
S. Præjecti	680	391
S. Philiberti	696	393
S. Radbodi	950	501
S. Remberti	890	477
S. Remacli	850	459
S. Richmiri	730	412
S. Salabergæ	685	392
S. Sequani	590	355
S. Sulpicii	660	387
S. Theofredi	950	501
S. Virgilii Arelatens.	710	407
S. Virgilii Saltzburgens.	1150	586
S. Vodoali	901	494
S. Urseoli	1050	526

Anonymi

	Clar. an.	Pag.
Anonymi Biographi		
S. Walarici	725	410
S. Wandregisili	670	388
S. Willelmi	850	459
S. Winnoci	1030	521
S. Wolfangi	994	511
S. Wunebaldi	886	476
Anonymi Chronici		
Alexandrini	630	379
Arabici	1280	650
Atinensis	1200	603
Aureliacensis	1129	576
Beneventani	1160	590
Brunsvvicensis	1288	653
Chronicographi	501	318
Constantinopol.	1185	599
Corbeiensis	1150	586
Danici	1282	650
Edenburgensis	1163	591
Fontanellensis	833	446
Imperatorum	1126	575
Longobardici	1270	643
Mailrosensis	1270	643
Malleacensis	1140	580
S. Michaelis	1154	587
Ramesiensis	1120	573
Rhemensis	1190	600
Saxonici	1154	587
Universalis	1120	573
Anonymi Historici		
Actorum Rhotomag.	1080	538
Annal. Burtonens.	1262	640
Annal. Franc.	796	423
Franc.	803	434
Franc.	883	475
Marganens.	1240	630
Menevens.	1286	652
Primæ part. Waverliens.	1101	559
Wigorn.	1219	624
Winton.	1277	647
Author. Christ. lib.	520	327
de Act. Felic.	202	60
de Episc. depositione	1270	642
de Marculfo	1150	586
de Mirac. S. Columbani	950	501
de Mirac. S. Richarii	860	467
de Monasterio Gozac.	1135	578
de rebaptiza. Hæret.	253	82
Panapolita	700	393
de Rege Stephano	1156	588
de Tentation. suis, &c.	1062	532
de Virtut. & Mirac. S. Dionysii Areop.	870	471
Ecclesiæ Hagustalden.	1160	590
Encomii de Emma	1040	523
Gestorum S. Convvoionis	880	474
Norman.	896	479
Pisanor.	1120	573
Historiæ Abendon.	1151	587
Angl.	785	422
Claramont.	950	501
Dunelm.	1144	582
Elyens.	1108	561
Engolism.	1159	588
S. Erkenvvaldi	1140	581
Lemovic.	1273	644
Regum Dalmat.	1080	538
Selbiensis	1184	599
S. Walarici	1060	531
Invectivæ advers. Iconomachos	770	418
Menologii Græc.	976	505
Translat. S. Cuthberti	1060	531
Reliquiarum SS. Chrysanti & Dariæ	853	459
Anonymi Historici		
S. Gorgonii	950	501
S. Gregorii	846	455
S. Lifardi	1105	560
S. Viti	836	446
† Anonymus Nicomediensis	302	219
Anonymi plures incertæ ætatis		358
Anscharius Bremens.	830	444
Anscherus	1110	563
Ansegisus Lobiens.	828	444
Anselmus Cantuar.	1093	542
Havelberg.	1149	583
Laudun.	1103	560
Leod.	1049	524
Lucens.	1071	554
Anso Abbas	776	420
Antenor	720	409
Antheon Arsin.	484	295
Anthimus CP.	535	334
Antiochus Monach.	614	375
Ptolemaïtanus	401	240
Antipater Bostrens.	460	288
Antoninus Honoratus	437	275
† Antoninus Imperat.	161	57
Antonius Abbas	330	126
Andreas	1308	8 A.
de Balocho	1489	127 A.
Bonfinius	1495	145 A.
Bonitus	1501	157 A.
de Burgos	1507	160 A.
de Butrio	1398	56 A.
Florent.	1446	104 A.
Gislandius	1489	139 A.
Melissa	1140	580
Monac.	460	289
Nebrissens.	1488	137 A.
de Padua	1220	625
Puccius	1514	562 A.
Rampelogus	1418	81 A.
de Rosellis	1450	108 A.
Trombeta	1501	157 A.
Apelles Hæreticus	188	51
Aphrodisianus Persa		168 D.
Apollinaris Hierapolit.	179	43
Apollinarius Senior	362	142
Junior	379	158
Apollonius	192	52
Aponius	680	389
Appion	196	57
Aprigius	540	337
Aquila Ponticus	128	34
Aquilius Severus	360	142
Arabianus	196	57
Arator	544	338
Arcadius Cyprius		168 D.
Archardus	1140	579
Archelaus	278	93
Archelaus Cæsariensis	440	280
Archippus Eremita		168 D.
Arculphus	690	392
Ardo Smaragdus	836	446
Arethas Cæsar.	540	336
Aribo	760	416
Aristarchus Chronogr.		168 D.
Aristides Atheniens.	123	33
Aristo Pellæus	136	36
Arius Hæreticus	315	110
Armandus de bello visu	1296	658
Arnaldus Tarracon.	1337	23 A.
Arnaldus de Verdela	1339	24. A.
Arnobius Afer	303	102
Jun.	461	289
Arnoldus Bostius	1489	138 A.

Digitized by Google

	Clar. an.	Pag.
Arnoldus Carnotens.	1162	590
Halberstat.	1011	519
Lubecens.	1209	622
Arnulphus Luxoviens.	1141	581
† Arrianus Philosophus	147	57
Arsenius	383	178
Arsenius CP.	1255	635
Asclepiades Trallens.	484	295
Asclepius Afer	440	286
Asserius Menevens.	890	476
Asterius Amasenus	401	238
Arianus	330	126
Urbanus	188	51
Astesanus	1317	14 A.
Athanasius Alexandr.	326	120
Presbyt. Alex.	451	286
Junior	765	416
Athenagoras	177	46
Athenogenes	196	57
Atticus CP.	406	246
Atto Vercellens.	945	499
Audentius	360	142
Audoenus	640	382
August. Triumph. Ancon.	1290	653
Augustinus Cantuariensis	596	357
Dathus	1460	119 A.
de Roma	1419	81 A.
Hipponensis	396	186
Patric. Poient.	1483	135 A.
Patricius Senensis	1480	126 A.
Ticinensis	1500	147 A.
Avitus Viennensis	490	297
Aurelius	390	183
Brandolinus	1488	138 A.
‡ Ausonius	379	222
Auxilius	894	478
Aymericus de Peyraco	1401	70 A.
B.		
Bachiarius	440	277
Bacchylus Corinth.	196	56
Baldericus Tornac.	1097	544
Baldricus Dolensis	1114	564
Baldus Ubaldus	1380	51 A.
Baldvvinus Cantuar.	1185	599
Baltasar del Rio	1515	162 A.
Baptista Mantuan.	1501	156 A.
de Salis sive Salvis	1480 127 A. 1498	147 A.
Trovamala	1480	127 A.
Bardesanes Syrus	172	45
Barlaam Calaber	1340	24 A.
Barnabas Apostolus	34	12
Monachus		168 D.
Barsanuphius	548	339
Bartholomæus Albicius	1372	49 A.
de Cotton	1292	656
Edessenus		168 D.
Facius	1450	109 A.
de Fusniac.	1140	580
à S. Concord.	1331	21 A.
de Glanvillâ	1360	43 A.
Platina	1474	124 A.
Rimbertinus	1448	106
de Urbino	1343	29 A.
Basilides Gnosticus	112	31
Ægyptius	256	84
Basilius Abbas		169 D.
Achridenus	1155	588
Ancyranus	347	132
Ancyranus alter	787	422
Cappadox	675	388
Cilix	497	300

	Clar.	an.	Pag.
Basilius Macedo Imp.		867	467
Magnus		370	152.155
Maleinus			169 D.
Philippensis			169 D.
Seleuciensis		448	285
Thessalonicensis			169 D.
Bassianus Ephes.		448	285
Baudemundus		680	391
Beda Venerab.		701	402
Bellator		550	339
Benedictus Abbas Anan.		801	433
Abbas Casinens.		530	332
de Acoltis		1450	110 A.
Anglus		1130	576
Anglus alter		1177	596
Benedictus II. Papa		684	392
III. Papa		855	460
IV. Papa		900	478
VI. Papa		972	504
VII. Papa		975	504
VIII. Papa		1012	519
XI. vulgò XII. Papa		1335	22 A.
XIII. Papa		1394	55 A.
Benignus Florentinus		1220	625
Benno Cardinalis		1085	538
Berengarius		1035	521
Berengosus		1110	563
Bernardinus Aquilanus		1480	127 A.
de Bustis		1480	128 A.
de Caravaial.		1492	141 A.
Senensis		1426	85 A.
Tomitanus		1480	128 A.
Bernardus Abbas Lirinensis		1263	641
Basinus		1507	160 A.
Clarevall.		1115	565
Dapifer		1362	46 A.
Guido		1323	17 A.
Justinianus		1471	123 A.
Morlanensis		1140	580
Parentinus		1340	27 A.
Bernerus		964	503
Berno Augiensis		1014	519
Bertharius		857	461
Bertholdus Constant.		1066	532
Bertoldus		821	443
Bertramus, sive Ratramnus		840	449
Bertrandus de Casa-dei		1160	589
de Turre		1319	14 A.
Beryllus Bostren.		230	77
Bessarion Cardin.		1436	92 A.
Bobolenus		690	393
Boëthius		510	321
Bonacursius Mediol.		1163	591
Bonaventura Brocard.	1283	1260	638
Cardin.		1255	637
Patavinus		1377	50 A.
Bonifacius de Ceva		1501	157 A.
Mogunt.		723	409
Bonifacius I. Papa		418	253
II. Papa		530	332
IV. Papa		606	374
V. Papa		620	376
VII. vulgò VIII.		1294	656
IX. Papa		1389	54 A.
Simoneta		1490	139 A.
Bonizo		1070	534
Bostonus Buriensis		1410	77 A.
Bovo		1043	523
Braulio Cæsaraug.		627	378
Brigitta		1363	46 A.
Bruno Astensis		1087	539
Carthusian.		1086	539
Herbipolit.		1033	521

Brutius

Digitized by Google

	Clar.	an.	Pag.
Brutius			169 D.
Bruun		822	443
Bulgaranus		610	375
Burchardus Wormat.		996	511
C			
Cælestinus I. Papa		423	263
II. Papa		1143	581
III. Papa		1191	600
Cælestius Hæreticus		407	246
Cæsarius Arelat.		502	318
Naz. frater.		362	158
Heisterbac.		1225	626
Cajus Presbyter		210	61
Callistus CP.		1354	36 A.
Callistus CP. II.		1395	55 A.
Callistus II. Papa		1119	569
III. Papa		1455	113 A.
Candidus		196	57
Arianus		364	145
Fuldensis		822	443
Isaurus		497	300
Capreolus Carthag.		431	271
Carolus Bovillus		1500	148 A.
Fernandus		1486	136 A.
Magnus		768	416
Cassianus Historicus			169 D.
Cassiodorus		514	325
Catharina Bononiensis		1438	95 A.
Catharina Senensis		1367	48 A.
† Celsus		150	57
Ceolfridus Abbas		680	389
Cerealis Castulens.		487	297
Cerinthus Hæret.		80	24
Chalcidius		330	125
Charisius Presbyter		431	269
Christianus Druthmarus		840	447
Christodorus			169 D.
Christophorus		836	446
Patricius			169 D.
Chrodogandus		742	414
Chromatius		401	242
Chrysippus Presbyt.		455	287
† Claudianus		395	221
Claudianus Mamertus		462	290
Claudius Scotus		820	442
Claudius Seissellius		1500	147 A.
Clemen. Alexand.		192	53
Chronogr.			169 D.
Clemens Romanus		65	18
II. Papa		1046	523
III. Papa		1187	600
IV. Papa		1265	641
V. Papa		1305	7 A.
VI. Papa		1342	29 A.
Cogitosus		530	332
Columba		560	343
Columbanus		589	352
Commodianus	270	326	87
Conantius		633	380
Conon		601	374
Conradus Lauterbergius		1225	626
de Marburch.		1230	628
Monachus		1290	655
Summerhaut.		1490	140 A.
Urspergens.		1215	623
Constantinus sive Constantius		404	243
Acropolita		1270	641
Casinensis		1072	534
Diaconus			169 D.
Hermenop.		1150	584
Lichudes		1058	530

	Clar.	an.	Pag.
Constantinus M. Imp.		316	116
Manasses		1150	584
Meliteniot.		1276	646
Papa		708	407
Porphyrogen.		911	494
Tii Episcopus			169 D.
Constantius Lugdun.		440	280
Cornelius Papa		251	80
Cosmas Hierosol.		730	410
Cosmas Monachus		576	348
Vestitor			170 D.
Cresconius Afer		690	392
Crispinus		337	129
Cummeneus Albus		660	387
Cummianus		640	381
Cuthbertus		740	413
Cyprianus Benetus		1511	161 A.
Carthag.		248	78
Cordubensis		900	479
vitæ Cæsar. Script.		546	339
Cyrillus Alexandrinus		412	251
Hierosolym.		350	133
Scythopol.		555	342
Cyrinus		760	416
Cyrus Alexandrinus		460	288
Alexandr. alter		620	376
Theodorus Prodrom.		1110	563
D.			
Dacius Mediolan.		527	331
Dacrianus			424
† Damascius		540	359
Damasus Papa		366	146
Damianus Crassus		1506	159 A.
Daniel Raithenus			170 D.
Dantes Aligerius		1301	6 A.
David de Augusta		1250	632
Maronita		1053	527
Monachus		1348	32 A.
Demetrius Chomatenus		1203	619
Chrysolor.	1398 56 A.	1430	86 A.
Cydonius		1357	37 A.
Cyzicenus			170 D.
Gemistus			170 D.
Tornicius		1193	601
Deodvinus Leodiensis		1045	523
Desiderius Cadurcensis		629	378
Diadochus Photic.		450	286
Didymus Alexand.		370	160
Diedericus seu Theodoricus		1020	520
Dinus Mugellanus		1301	5 A.
Diodorus Presbyt.		278	93
Tarsensis		378	170
Dionysius Alexandrin.		254	83
Areopagita		50	17
Pseudo-Dionysius		362	142
Charthusianus		1450	108 A.
Corinthius		170	41
Exiguus		533	333
Papa		259	85
Ditmarus		1008	519
Dominicus de Dominicis		1465	120 A.
Dominicus Gradensis		1040	522
Domitianus Ancyr.		545	338
Donatus Afer		329	125
Bossius		1489	139 A.
Donatus Diac.		780	421
Dorotheus Archimandr.		601	373
Marcianop.		431	269
Monac.		502	319
Tyrius		303	103
Dracontius		440	277

Digitized by Google

	Clar. an.	Pag.
Drogo Abbas Laudun.	1128	576
Taryannensis Episc.	1024	520
sive Draco	1058	530
Ducas	1455	110 A.
Dudo	990	510
Dungalus	821	443
Dunstanus Cantuar.	961	502
Durandus à S. Porciano	1320	14 A.
Troarnensis.	1070	533
Dynamius Patricius	593	355

E.

	Clar. an.	Pag.
Eadmerus Cantuar.	1121	574
Earnulphus	1115	564
Ebbo Remensis	816	441
Eberhardus Altahensis	1305	7 A.
Ecbertus Eborac.	732	413
Schonhaug.	1154	587
Ecclesia Vien. & Lugdun.	177	49
Edmundus de Hadenham	1307	8 A.
Edmundus Rich	1234	628
Edvardus	1172	595
Eginhardus	814	440
Elias de Coxida	1190	600
Cretensis	787	422
Ecdicus	–	170 D.
III. Ibn-Hadithio	1180	597
Monachus	–	170 D.
Nisibensis	1026	520
de Tritckyngham	1270	643
Eligius Lemovicensis	640	381
Elizabetha Schonhaug.	1154	587
Elusius	330	127
Emanuel Imp. CP.	1384	52 A.
Emundus Dinterus	1436	93 A.
Engelbertus	1297	659
Ennodius	511	322
Ephræm Syrus	370	149
Ephræmius Antiochenus	526	328
Ephraim Chersonensis	–	170 D.
Epiphanes Hæreticus	120	32
Epiphanius CP.	520	327
Catanensis	787	422
Constantiensis	368	147
Cyprius	870	471
Hagiopolita	–	170 D.
Presbyter	–	170 D.
Scholasticus	510	320
Erchinfridus Abbas	1012	519
Ericus Olai	1448	106 A.
Ermanricus	840	449
Ermenricus	850	459
Ermentarius	863	467
Ernoldus Nigellus	834	446
Ertvvinus Erdmannus	1470	122 A.
Esaias Abbas	371	161
Abbas alter	–	170 D.
Cyprius	1430	87 A.
Erricus Autissiod.	880	474
Etherius seu Heterius	783	421
Ethelvverdus	980	505
Ethelvvolfus Monac.	820	442
Evagrius Antioch.	388	181
Ponticus	380	175
Scholasticus	594	355
alter	430	267
Evantus	581	350
Eubion	–	170 D.
Eubulus Lygrensis	631	380
Eucherius Lugdunens.	434	273
Eudocia Augusta	421	259
Eudoxius	360	138
Eugenius Carthag.	480	294
Eugenius II. Papa	824	443
III. Papa	1145	582
IV. Papa	1431	88 A.
Eugenius Toletanus	646	384
Eugesippus	1040	522
Eugippius Africanus	553	341
Lucullan.	511	322
Eulogius Alexandr.	581	349
Cordubensis	847	458
† Eunapius Sardianus	380	220
Eunomius hæreticus	360	138
Euodius Antiochenus	44	16
Monac.	–	171 D.
Uzalensis	420	257
Eusebius Alexandrinus	259	85
Alexandr.	–	171 D.
Pamphilus Cæsar.	315	111
Dorilæens.	448	284
Emisenus	341	130
alter	401	239
Nicomed.	324	118
Vercellens.	354	136
Thessalonic.	601	373
Eustasius Abbas	610	375
Eustathius Antioch.	325	119
Berytensis	448	285
Epiphan.	496	300
Basil. Interpres	440	276
Patricius Roman.	1033	521
Thessalonic.	1170	593
Eustratius CP.	560	342
Eustratius Nicænus	1110	562
Eutropius Presbyt.	430	267
Valent.	599	358
Euthalius	396	195
Eutherius	431	270
Euthymius Zigabenus	1116	567
Eutyches Presbyt.	448	284
Eutychianus Adanensis	538	336
Eutychius Alexandr.	933	498
CP.	553	341
Euzoius Arianus	366	147
Ezekiel Tragicus	190	51

F.

	Clar. an.	Pag.
Facundus Hermianens.	540	336
Fastidius Priscus	420	256
Fastredus Clarevall.	1161	590
Faustinus Presbyter	384	178
Faustus Apollon.	484	295
Cassinensis	606	374
Milevitanus	400	218
Reiensis	472	292
Felinus Sandeus	1494	141 A.
Felix Croilandensis	715	408
Fabri	1483	135 A.
Felix III. Papa	483	295
IV. Papa	526	328
Felix Toletanus	693	393
Ferreolus	553	341
Finus Hadrianus	1503	159 A.
Firmilianus	233	78
Flaccus Alcuinus	780	420
Flavianus Antioch.	381	177
Flavianus CP.	447	283
Flavius Blondus	1440	99 A.
Dexter	388	181
Flodoardus	940	498
Florentius Presbyter	650	385
Florentius Wigorniens.	1118	569
Florus Magister	837	447

Florus

Digitized by Google

Clar.	an.	Pag.
Florus Monachus	760	416
Folcardus	1060	531
Folmarus Abbas	1160	589
Formosus Papa	891	477
Fortunatianus Afer	340	129
Franciscus Assisias	1208	621
Georgius	1501	157 A.
Mayronius	1315	11 A.
Petrarcha	1350	33 A.
de Platea	1442	102 A.
Ximenius Card.	1506	159 A.
Ximen. Elnens.	1400	57 A.
Zabarella	1400	57 A.
Franco Abbas Afflig.	1111	563
Freculphus	824	443
Fredegarius Scholast.	740	413
Fridegodus Cantuar.	960	502
Frotharius	814	440
Fructuosus	656	386
Fulbertus Carnotens.	1007	518
Fulcherius Carnotens.	1124	575
Fulcuinus Lobiens.	965	503
Fulgentius Ferrandus	533	333
Ruspensis	507	319

G.

Clar.	an.	Pag.
Gabriel Barletta	1470	122 A.
Biel	1480	126 A.
Galfridus Monumetens.	1151	586
Galfridus, i. e. Stephanus	1120	574
Vinesauf.	1199	603
Gallus Abbas	630	379
Cisterciensis	1370	49 A.
Galterus Magalon.	1103	560
Gaudentius Brixiensis.	387	180
Gauferius Casinens.	1060	531
Gaufredus Clarevall.	1148	582
Gaufridus Bousardus	1489	138 A.
Sacrista	1214	623
Vosiens.	1183	598
Gauterius Cancellar.	1120	572
Gebehardus	995	511
Gelasius Cæsariensis	380	175
Cyzicenus	476	293
Gelasius Papa	492	298
II. Papa	1118	569
Geminus Antioch.	232	78
Gennadius CP.	458	288
alter CP.	1453	110 A.
Massiliens.	495	299
Georgius Acropolita	1261	640
Alexander.	620	376
Amirutza	1461	119 A.
de Arimino	1357	39 A.
Aristinus		171 D.
Cedrenus	1057	529
Choniades		171 D.
Chumnus		171 D.
Cartophylax		171 D.
Corcyrens.	1136	578
Codinus	1460	118 A.
Eleucius	614	376
Elmacinus	1238	630
Eparchus		171 D.
Gelesiota	1286	652
Gemistus Pletho	1438	94 A.
Grammaticus		171 D.
Hagiopolita		171 D.
Hamartolus	842	451
Heracleensis	1076	536
Hermonym. Charit.	1460	118 A.
Laodicenus	340	130

Clar.	an.	Pag.
Georgius Lapitha	1340	27 A.
Lecapenus	1354	36 A.
Metochita	1276	645
Mitylenæus		171 D.
Monachus		171 D.
Moschamper	1276	646
Nicomediensis	880	474
Pachymeres	1280	649
Pardus		171 D.
Phranza	1424	84 A.
Pisides	640	380
Scholarius	1438	93 A.
Scholar. Patr. CP.	1453	110 A.
Syncellus	792	422
Trapezunt.	1440	97 A.
Xiphilinus	1193	600
Gerardus Germanus	1163	591
Landrianus	1433	89 A.
Magnus	1370	48 A.
Monachus	1050	525
Odonis	1329	18 A.
à Nazareth	1140	580
Presbyter	980	508
Suession.	932	497
Zutphan.	1390	54 A.
Gerbertus, vid. Silvest. II.		
Germanus CP.	715	408
CP. jun.	1222	625
Germanus Parisiens.	555	342
Gertrudis Monialis	1251	633
Gervasius Cantuar.	1201	618
Cicestriensis	1160	588
Ricoboldus	1301	6 A.
Tilberiensis	1210	622
Gilbertus, sive Sillebertus	1128	576
Folioth	1149	583
de Hoylandia	1170	594
Porretanus	1145	583
Tornacensis	1270	641
Gildas Badonicus	581	349
alter	820	442
Gillebertus Westmonast.	1101	557
Limericens.	1110	562
Giraldus Cambrensis, vid. Sylvester		
Gislebertus	1048	523
Glaber Rodulphus	1045	523
Gobelinus Persona	1418	80 A.
Godefridus Colon.	1237	630
Godehardus	1002	518
Godefridus Vindocin.	1110	562
Viterbiensis	1170	593
Godescalcus	767	416
Gordianus	540	337
Gotselinus	1096	543
Gotteschalcus	840	448
Gotteschalchus Holen	1495	146 A.
Gozbertus	1002	518
Gozechinus	1060	531
Gratianus	1131	578
Gregentius 470 291	540	337
Gregorius Abulphar.	1284	650
Acindynus	1340	25 A.
Antiochenus	570	347
Ariminens.	1357	39 A.
Bæticus	370	149
Barebræus	1270	642
Cæsar. Presbyt.	940	498
Chioniades	1096	544
Cyprius Patr. CP.	1284	651
de Heimburg.	1460	117 A.
Melissenus	1440	97 A.
Monachus		172 D.

Gregorius

Digitized by Google

	Clar. an.	Pag.
Gregorius Monachus alter	895	478
Monac. Cassinensis	1105	560
Nazianzen.	370	155
Neocæsar.	254	82
Nyssenus	370	153
Gregorius I. Papa	590	353
II. Papa	715	407
III. Papa	731	412
IV. Papa	828	444
V. Papa	996	511
VII. Papa	1073	535
VIII. Papa	1187	599
IX. Papa	1227	626
X. Papa	1271	643
XI. Papa	1370	49 A.
XII. Papa	1406	73 A.
Gregorius Palamas	1354	36 A.
Sinaita		172 D.
Sisensis	1293	656
Turonensis	573	347
Gualdo Corbeiensis	1070	533
Gualfredus	1080	538
Gualterus Burlæus	1337	23 A.
Gualterus de Castellione	1180	597
Hemingford	1330	20 A.
Mapes	1210	622
Guerricus Abbas	1140	580
Guibertus Abbas	1101	557
Guido Abbas	1290	655
Baisius	1283	650
de Perpiniano	1330	20 A.
Carthus.	1120	571
Guilielmus Abbas Rhem.	1140	579
de S. Amore	1253	633
de Baldensel.	1337	23 A.
Bibliothecar.	890	477
Durantes	1286	652
Durantes jun.	1311	9 A.
Gallus	1206	620
Houpelandus	1457	113 A.
Lindvvood	1422	83 A.
Major	1290	654
Mandagotus	1301	5 A.
Gulielmus Malmsburiens. vid. Willelmus		
Gulielmus de Nangiaco	1301	5 A.
Neubrigensis	1195	601
Ocham	1330	19 A.
Guilielmus Parisiensis	1228	627
Parisiensis jun.	1305	8 A.
Pepinus	1500	147 A.
Peraldus	1272	644
Pictaviensis	1090	541
de Sanvico	1270	643
de Seligniaco	1206	620
Tyrius	1174	595
Thorn	1380	51 A.
Vorilongus	1450	109 A.
Guitmundus	1066	532
Guntherus Monachus	1210	622

H.

	Clar. an.	Pag.
HAdrianus I. Papa	772	418
II. Papa	867	468
IV. Papa	1154	587
Hæres	760	416
Haitonus	1307	8 A.
Halitgarius	816	441
Hariulfus	1105	560
Harmonius	190	51
Hartmannus Schedel.	1492	141 A.
Hartmutus Monachus	872	473

	Clar. an.	Pag.
Hatto Basiliensis	811	435
Haymo Halberstat.	841	450
Hectus sive Hetto	814	440
Heddius	720	409
Hegemonius		172 D.
Hegesippus	170	44
Hegesippus alter	374	169
Helias Hierosolym.	881	475
Heliconius	395	186
Helinandus Monachus	1212	623
Heliodorus Antiochenus	440	277
Heliodorus Presbyter	340	130
Helladius Cæsariensis	378	170
Helladius Tarsensis	431	269
Helmoldus	1165	591
Helvidius	382	178
Hemmingus	1095	543
Henricus Aquilonipolensis	1500	148 A.
de Balma	1410	77 A.
Bebelius	1489	138 A.
de Erfordia	1355	37 A.
de Gandavo	1280	649
Gorcomius	1460	118 A.
Harphius	1468	121 A.
de Hassia	1418	80 A.
de Huecta	1380	51 A.
Huntingdon.	1150	584
de Kalteisem	1435	89 A.
Knighton	1395	55 A.
Rebdorf	1362	45 A.
Remensis	1170	594
de Segusio	1262	640
Stero	1301	5 A.
Suso	1290	655
de Urimaria	1340	27 A.
Woltheri	1463	120 A.
Epidamnus	1072	535
Herardus Turonensis	855	460
Heraclianus		358
Heraclidas Nyss.	440	281
Heraclides	401	242
Heraclitus	196	57
Herbertus de Bosham	1180	597
Herembertus	887	476
Herigerus Lobiens.	990	509
Hermannus Abbas	1127	575
Contractus	1040	522
de Lerbeke	1414	78 A.
ex Judæo Christ.	1116	567
de Petra	1405	73 A.
Hermas Pastor	65	20
Hermes Presbyter	136	35
Trismegistus	120	31
Hermias	177	48
Hermogenes	170	43
Hermolaus Barbarus	1480	127 A.
Heron Confessor		172 D.
Hervardus Leod.	1201	618
Herveus Dolensis	1130	576
Natalis	1312	11 A.
Remensis	900	478
Hesychius Ægyptius	296	98
CP.		358
Hierosolym.	601	372
Illustris	536	335
Salonit.	418	254
Heterius Uxamensis, vid. Etherius		
Hettius	814	440
Hieracas Hæreticus	302	102
† Hierocles	302	218
Hieronymus Camaldulensis	1430	87 A.
Donatus	1494	141 A.
de S. Fide	1412	78 A.

Hierony-

Digitized by Google

	Clar.		an.	Pag.
Hieronymus Italus			1144	582
Pragens.			1400	68 A.
Savonarola			1480	129 A.
Stridonensis	386	180	378	171
Hilario Monachus			1450	109 A.
Hilarion			397	195
Hilarius Arelatensis			430	268
Diaconus			354	136
Pictaviensis			354	134
Hilarius Papa			461	289
Hildebertus de Lavard.			1097	544
Hildegardis			1170	594
Hildegarius			850	459
Hilduinus			814	440
† Himerius			361	220
Hincmarus Laudun.			856	460
Remensis			845	453
Hippolitus Portuensis			220	61
Thebanus			933	497
Honoratus Massil.			490	297
Honorius Augustodun.			1130	576
Honorius I. Papa			626	378
II. Papa			1124	575
III. Papa			1216	624
IV. Papa			1285	651
Hormisdas Papa			514	326
Hosius Cordubensis			316	118
Hubaldus			916	495
Hugo de S. Caro			1245	632
Cluniacensis			1048	524
Diensis			1077	537
Etherianus			1177	596
Flaviniac.			1101	558
Floriac.			1120	572
Lingonens.			1030	521
Pratensis			1313	11 A.
Salvaniensis			1164	591
Turonensis			1020	520
de S. Victore			1120	572
Hugolinus Ostiensis			1207	621
Huldericus			860	467
Humbertus Cardin.			1054	527
Humbertus de Romanis			1254	634
Hyperechius Abbas				172 D.
I.				
Jacobus Almainus			1502	158 A.
Apostolus			31	10
Baradæus			550	340
de Benedictis			1301	5 A.
Bracelius			1444	104 A.
Cajetanus			1301	6 A.
Diac. Heliop.			456	287
Gruytrodius	1460	118	1483	135 A.
de Lausannâ			1317	14 A.
Magni			1400	57 A.
Monachus			1011	559
Nisibenus			325	120
de Paradiso			1457	113 A.
Philip. Bergomas			1494	145 A.
Picolomineus			1460	117 A.
Perezius			1468	121 A.
Sprengerus			1495	146 A.
de Theramo			1384	53 A.
de Vitriaco			1220	625
de Voragine			1290	654
Vimfelingius			1494	144 A.
Zenus			1465	120 A.
Jannotius Manettus			1440	101 A.
Ibas Edessenus			436	274
Idatius Clarus			385	179
Lemicens.			445	282
Jesse Ambianensis			799	424
Ignatius Diaconus CP.			810	435
Martyr			101	27
Patr. CP.			847	458
Ildefonsus			657	386
Ingelramnus			981	581
Ingulphus			1076	536
Innocentius I. Papa			402	242
II. Papa			1130	576
III. Papa			1198	602
IV. Papa			1243	631
V. Papa vid. Pet. de Tarantasia.				
VI. Papa			1352	35 A.
VIII. Papa			1484	135 A.
Joachimus Calaber			1201	618
Joannes Ægeates			483	294
Algrinus			1227	627
Anagnosta			1430	87 A.
Joannes Ananiensis			1440	98 A.
Andreas			1336	23 A.
Antiochenus			427	265
Alter			477	294
Alter			620	376
Alter			1090	541
Alter			1150	584
Alter			1434	91 A.
Anton. Campanus			1463	119 A.
Apostolus			31	11
Aquilanus			1460	118 A.
de Argamenes			1501	158 A.
Argyropulus			1450	109 A.
Atinensis			1087	540
Aventinus	1500	148	1512	161 A.
Joannes Baconus			1329	18 A.
Bapt. Gargha			1513	162 A.
Bassolius			1322	16 A.
Beccus sive Vecc.			1276	644
Beetzius			1468	121 A.
de Beka			1350	33 A.
Beleth			1162	590
Blærus			1496	146 A.
Boccacius			1350	35 A.
Bromiardus			1390	54 A.
Brompton			1198	602
de Burgo			1385	53 A.
Burgundio			1148	583
Joannes Cæsaraugust.			615	376
Calderinus			1360	43 A.
Caleca			1331	21 A.
Cameniata			904	494
Camiterus			1199	602
Canales			1450	109 A.
Cananus			1422	84 A.
Canon			1329	18 A.
Cantacuzenus			1342	27 A.
Capistranus			1440	98 A.
Capgravius			1450	107 A.
Capnio, vid. Reuchlinus				
Capreolus			1415	78 A.
Carolus			1490	140 A.
Carpathius			701	402
Cassianus			424	264
Casinensis			915	495
Castor, seu Fiber			1290	656
Chalcedonensis				172 D.
Chrysostomus			398	195
de Circyo			1476	124 A.
Cinnamus			1160	589
Citri Episc.			1203	619
Claudianus				173 D.
Climacus			564	348
CP.			517	326

	Clar. an.	Pag.
Joannes CP. alter.	712	407
Cornubiensis	1170	592
Joannes Damascenus	730	410
de Ceccano	1217	624
de Deo	1247	632
Diaconus Rom.	875	473
Diaconus alter		173 D.
Dlugossus	1465	120 A.
Duns Scotus.	1301	2 A.
Joannes Epiphaniensis	591	355
Erigena	858	462
Eubϧæ Episc.	744	414
Euchaitensis	1054	527
Eugenicus	1438	94 A.
alter		172 D.
Joannes Fabri	1378	51 A.
Fiscamnensis	1028	520
de Fordun	1360	44 A.
Friburgensis	1302	6 A.
Joannes Gallus	990	509
Geilerus	1494	142 A.
Geometra		172 D.
Gerbrand. de Leydis	1480	133 A.
Gerson	1404	70 A.
Gerundensis sive Biclarensis	584	351
de S. Geminiano	1244	632
Glycys	1316	12 A.
Gobelinus	1458	115 A.
Gochius Pupper	1470	122 A.
Gritsch	1428	86 A.
Grossius	1411	78 A.
Guallensis	1260	638
Heroldus	1470	122 A.
Joannes de Hexam	1160	589
Joan. Hierosolymitanus	386	179
Hierosol. alter	842	451
Hierosolymitanus alter		173 D.
de Hildesheim	1370	49 A.
Honsemius	1348	32 A.
Huss	1401	68 A.
Joannes Jejunator	585	351
Jacobit. Patr.	1440	97 A.
de Janduno	1338	23 A.
Jovian. Pontanus	1495	145 A.
de Imola	1425	85 A.
Italus	950	501
Joannes de Lapide	1492	141 A.
Latteburius	1406	74 A.
de Lignano	1365	47 A.
Lydgatus	1440	96 A.
Lud. Vivaldus	1501	156 A.
Lud. Vives	1501	155 A
Lugdunensis	1112	564
Lyddensis	1194	601
Joannes Malela	601	370
Maria de Monte	1513	162 A.
Maro	580	348
Maxentius	520	327
Meder	1501	158 A.
Metropolita Ephes.	1284	650
Milicius	1362	46 A.
Monachus		173 D
Monachus alter		173 D.
S. Montis Sinai Mon.	1084	538
Moschus	630	379
Nauclerus	1500	147 A.
de Neapoli	1315	12 A.
Nicænus		173 D.
Nicomediensis	316	118
Nider	1431	87 A.
Joannes Palæologus	1355	37 A.
Palæonydorus	1496	146 A.

	Clar. an.	Pag.
Joannes Philoponus	601	369
Phocas	1185	599
Joannes I. Papa	523	328
II. Papa	532	333
IV. Papa	640	381
VII. Papa	705	407
VIII. Papa	872	472
IX. Papa	898	478
X. Papa	915	495
XII. Papa	956	501
XIII. Papa	965	503
XV. Papa	986	508
XIX. Papa	1276	646
XXII. Papa	1316	12 A.
XXIII. Papa	1410	77 A.
Joannes Parisiensis	1290	653
Parisiensis alter	1322	16 A.
Peckamus	1278	647
Philosophus	1080	537
Picus Mirandul.	1484	135 A.
Pinus	1500	147 A.
Plusiadenus	1450	109 A.
de Polemar	1433	90 A.
Poggius	1420	83 A.
Patr. Antioch.	1150	584
Joannes de Raytu, vid. Joan. Climac.		
Ragusæus	1433	89 A.
Raulinus	1479	126 A.
Reuchlinus	1494	143 A.
Rhetor	526	29
Ruysbrokius	1360	44 A.
Joannes Saita		173 D.
Sapiens Cypariss.	1360	43 A.
Sarisberiensis	1172	595
Scholasticus, vid. Jo. Climacus		
Alter CP.	564	346
Scylitzes	1081	538
Segoviensis	1440	101 A.
Semeca	1250	633
Smera Polovecius	990	509
Stauratius		173 D.
Stella	1505	159 A.
Syrus	650	385
Joannes Talaia	477	294
Tambacus	1384	52 A.
Tarentinus	1432	89 A.
Taulerus	1350	34 A.
Thessal.	680	391
Thoresbeius	1347	32 A.
Tinmuthensis	1366	47 A.
Trithemius	1483	133 A.
Turocius	1490	140 A.
de Turrecrem.	1439	96 A.
Tzetzes	1160	590
Vitoduranus	1348	32 A.
Wallingford	1195	601
Wesselus	1476	125 A.
Wiclefus	1360	40 A.
Xiphilinus	1066	532
Zonaras	1118	568
Jobius Monachus	530	332
Jobus Hieromonachus	1270	642
Joel Chronographus	1204	620
Jonas Abbas	664	387
Aurelianensis	821	443
Hibernus	630	378
Fontanellensis	729	410
Jordanus Brixius	1433	89 A.
de Quedlinborch	1370	49 A.
de Saxonia	1223	626
Jornandes	552	340
Josephus Arabicus	1390	54 A.

Digitized by Google

	Clar. an.	Pag.
Josephus Bryennius	1420	82 A.
Alexandrinus	869	469
Christianus	420	257
Confessor	808	435
Genesius	940	499
Judæus	67	21
Methonensis	1440	97 A.
Patr. CP.	1416	79 A.
Ireneus Lugd.	167	39
Tyrius	444	282
Isaac	430	267
Isaacus Argyrus	1373	50 A.
Isaac Syrus Presbyter	440	280
Syrus alter	540	338
Armenus	1150	584
Lingonensis	859	466
Isaias Hierosol.	1434	91 A.
Ischyrion Alexand.	451	286
Isidorus Cordub.	420	257
Gnosticus	130	35
Hispalensis	595	356
Mercator	830	445
Pacensis	754	415
Pelusiota	412	250
Ruthenus	1438	94 A.
Thessalonicens.	1401	70 A.
Iso	860	467
Judas Apostolus	31	11
Theologus	202	60
Julianus Cæsarinus	1426	85 A.
Coensis	457	288
Hæreticus	420	255
Halicarnass.	510	320
† Julianus Imp.	361	219
Julianus Pomerius	498	301
Toletan.	680	390
Julius Africanus	220	68
Cassianus	174	46
Firmicus	340	128
Julius I. Papa	337	128
Junilius	550	340
Justinianus Imp.	527	329
Valent.	529	331
M. Justinus Lippiensis	1260	640
Justinus Martyr	140	37
Siculus	484	295
Justus Orgellitanus	529	331
à Tiberiade	90	24
Toletanus	633	380
Ivo	1092	541
Juvenalis Hierosol.	431	270
Juvencus Presbyter.	330	125
L.		
Lactantius	303	102
Lambertus Atrebat.	1094	543
Lambertus Schafnab.	1077	536
Lampetius Presb.	460	289
Landolphus de Columna	1320	16 A.
Lanfrancus Cantuar.	1070	533
Lantfredus	980	508
Leonicus Chalcondylas	1468	121 A.
Laurentius Justinianus	1431	88 A.
Novariensis	507	319
Valla	1440	99 A.
Veronensis	1115	567
Leander Hispalens.	585	351
Leidradus	798	423
Leo I. Papa	440	277
II. Papa	682	392
III. Papa	795	423
IV. Papa	847	458

	Clar. an.	Pag.
Leo VII. Papa	936	498
IX. Papa	1049	524
X. Papa	1513	162 A.
Leo Achridenus	1051	526
Atinensis Episc.	1044	523
Bituricensis	453	286
Diaconus CP.	975	504
Grammaticus	1013	519
Leo		173 D.
Magister		173 D.
Ostiensis	1101	557
Sapiens Imp.	886	475
Leonardus Aretinus	1420	82 A.
Leonardus Justinianus	1453	110 A.
de Utino	1444	104 A.
Antiochenus	348	132
Leontius Arabissi		358
Arelat.	461	289
Byzantinus	590	352
Byzantius	920	496
Cyprius	590	355
Presbyter		174 D.
Leporius	420	257
Letaldus	990	510
Letoius	383	178
Levoldus Northovius	1358	39 A.
† Libanius	360	219
Liberatus Diaconus	553	341
Liber Diurnus	715	408
Libellus Synodicus	880	474
Liberius Papa	352	134
Licinianus	584	351
Linus Papa	64	18
Lucas Evangelista	49	17
Legion. sive Tudens.	1236	630
Abbas	1140	580
Chrysoberges	1155	588
Lucianus Antioc.	294	97
Byzens.	457	288
† Lucianus Epicuræus	176	57
Lucianus Presbyter	415	252
Lucifer Calaritan.	354	136
Lucius Arianus	371	161
Lucius vel Leucius Charinus	180 49	358
Lucius II. Papa	1144	581
III. Papa	1181	598
Lucius de Stignano	1368	48 A.
Ludgerus	802	433
Lupoldus sive Ludolphus Bamberg.	1340	27 A.
Ludolphus S..o	1330	20 A.
Lugdun. & Vienn. Ecclesia	177	49
Luitprandus Cremon.	946	500
Lupus Servatus Abbas	830	445
Tricassinus	426	265
M.		
Macarius Ægypt.	373	162
Alexand.	373	ibid.
alter	373	165
Romanus	401	239
Ancyranus	1430	87 A.
Antioch.	680	389
Chrysocephalus		174 D.
Macres	1420	81 A.
Macrobius Afer	344	131
Magnes	350	133
Malachias Hibernus	1134	578
Hib. alter	1310	9 A.
Malchion Antioch.	270	87
Malchus Sophista	496	300
Manasses Remens.	1068	532

T Manes

	Clar. an.	Pag.
Manes Hæreticus	277	89
Manfredus	1119	570
Mansuetus Mediol.	680	389
Manuel Caleca	1360	43 A.
Charitopulus	1240	630
Chrysoloras	1389	53 A.
Phile	1290	655
Rhetor CP.	1500	147 A.
Maphæus Vegius	1448	105 A.
Marcellinus Comes	534	334
Eborac.	755	415
Presbyter.	384	178
Marcellus Ancyranus	330	127
S. Petri Discip.	50	17
Marcion Hæreticus	140	33
Marculphus	660	387
Marcus Ant. Sabell.	1490	139 A.
Benedictinus	606	374
Diadochus	356	137
Ephesinus	1436	91 A.
Eremita	401	238
Evangelista	40	16
Eugenicus	1436	91 A.
Gazensis	402	243
Hieromonachus		174 D.
Hydruntinus	750	414
Patriarcha Alexand.	1203	619
Vigerius	1512	161 A.
Marianus Scotus	1059	530
Marinus Papa	882	475
Sanutus	1312	10 A.
Marius Aventicensis	581	349
Mercator	418	254
Marsilius Ficinus	1480	132 A.
ab Ingen.	1384	52 A.
Patavinus	1324	17 A.
Martialis Lemovic.	70	24
Martinus Braccarens.	560	344
Legionensis Presbyter	1250	633
Lutherus	1517	163 A.
Magister	1473	123 A.
Martinus I. Papa	649	384
IV. Papa	1281	650
V. Papa	1417	80 A.
Martinus Polonus	1277	646
Turonensis	375	170
Martyres Lugdunenses	177	49
Matronianus	385	179
Matthæus Apostolus	31	9
Angelus		174 D.
Asiatidis Episc.		175 D.
de Bappenheim	1480	126 A.
Blastares	1335	22 A.
Bossus	1490	140 A.
Camariota	1453	110 A.
Cantacuzenus	1354	37 A.
de Cracovia	1375	50 A.
Iatrus		175 D.
Palmerius	1449	106 A.
Paris	1240	631
Patriarcha CP.	1395	55 A.
Vindocin.	1201	618
Westmonast.	1377	50 A.
Matthias Palmerius	1481	133 A.
Mauritius de portu Fild.	1501	158 A.
Mauricius Rothom.	1231	628
Maurus Ravennat.	649	385
Maximinianus CP.	431	270
Maximinus Anazarb.	431	269
Maximus	196	57
Alexandr.	380	176
Confessor	645	382
Cæsaraug.	599	356

	Clar. an.	Pag.
Maximus Monachus	1400	57 A.
Monachus alter		175 D.
† Maximus Philosophus	399	221
Planudes	1340	25 A.
Rhegiensis	433	272
Taurinensis	422	260
Mechtildis Monialis	1280	650
Meffrethus	1443	102 A.
Meletius Antioch.	360	141
Mopsuest.	428	267
Melito Sardensis	170	42
Memnon Ephesin.	431	269
Mennas CP.	536	334
Metellus Tegerensis	1060	531
Methodius CP.	842	851
Monachus CP.	1270	642
Tyrius	290	96
Metrodorus		358
Metrophanes Smyrn.	858	466
Michael Alexandr.	869	469
Anchialus	1167	592
Angrianus	1381	52 A.
Apostolius	1440	100 A.
Attaliata	1072	535
Balsamon	1440	101 A.
Cæsenas	1316	13 A.
Cærularius	1051	526
Choniata	1204	619
Chumnus	1258	638
Franciscus	1494	145 A.
Glycas	1120	572
Lochmeyerus	1496	146 A.
de Mediolano	1480	128 A.
Monachus CP.	878	473
Psellus	870	469
Psellus jun.	1050	524
Syncellus	830	444
Synodensis		175 D.
Thessalon.	1160	589
Micrologus	1080	537
Miltiades Rhetor	180	49
Minutius Felix	220	61
Modestus	176	46
Hierosol.	620	376
Montanus Hæreticus	172	44
Toletan.	531	332
Monaldus Beneventanus	1330	20 A.
Moschimus	457	287
Moses Barcepha	990	509
Musanus	176	46
Musæus Massiliens.	458	288
Mutianus Scholasticus	550	339

N.

	Clar. an.	Pag.
Nalgodus	1101	559
Naucratius	813	437
Nectarius CP.	381	377
Nectarius Hieromonachus		175 D.
Nemesius Emisenus	380	176
Nennius	620	377
Neophytus Presbyt.	1190	600
Nepos Ægyptius	244	78
Nestorianus Chronogr.	474	293
Nestorius Hæreticus	428	266
Nicæas	420	255
Nicephorus Blemmida	1255	635
Bryennius	1118	568
Callistus	1333	22 A.
Chartophylax	801	433
Chumnus	1320	15 A.
CP.	480	294
CP. alter	806	434

CP.

	Clar. an.	Pag.
Nicephorus CP. alter	895	477
Gregoras	1345	29 A.
Monachus	1101	559
Uranus		175 D.
Nicetas Archidiac. Conſt.	1080	537
Byzant.	1120	572
Choniates	1204	620
Maronita	1201	619
Nicænus		175 D.
Paphlago	880	473
Pectoratus	1050	524
Rhetor		175 D.
Scutariota		175 D.
Seidus	1110	562
Serron Heracl.	1077	536
Nicetius Trevirenſ.	527	331
Nicias Monachus	601	374
Nicodemus	34	12
Abbas	1440	97 A.
Nicolaus Auximanus Picenſ.	1430	87 A.
Barianus	1494	141 A.
Cabaſilas	1350.33.34.A.	
Clarevall.	1152	586
de Clemangiis	1416	79 A.
de Cuſa	1448	105 A.
Dinckelſpulius	1420	83 A.
Dionyſii	1501	158 A.
Euboicus	1439	96 A.
Eymericus	1356	37 A.
de Gorham	1400	57 A.
Grammaticus	1084	538
Hanapus	1270	641
Hydrunt.	1201	619
Lyranus	1320	15 A.
Methonenſ.	1090	540
Methonenſis	1196	601
Myſticus	892	477
de Orbellis	1456	113 A
Orem	1361	44 A.
Panormitanus, vid. Nic. Tudeſchum		
Nicolaus I. Papa	858	462
II. Papa	1058	530
IV. Papa	1288	652
V. Papa	1447	105 A.
Nicolaus Plovius	1434	91 A.
Sclengia	1430	87 A.
Simonis	1495	146 A.
Trivethus	1310	9 A.
Tudeſchus	1428	86 A.
Nicon Armenus	961	502
Nierſes Armenus	1175	596
Ghelaienſis	1166	591
Nigellus de Wireker	1200	603
Nilus Abbas	440	276
Cabaſilas	1340	25 A.
Damyla	1400	57 A.
Doxopatrius	1043	523
Patriarcha CP.	1373	51 A.
Rhodius	1360	39 A.
Nithardus	843	452
Nonnoſus	540	336
Nonnus	410	249
Norbertus Magdeb.	1127	575
Notgerus Leodienſis	971	504
Novatianus Hæreticus	251	81
O.		
Odilo Abbas	994	510
Odilo Monachus	930	497
Oddo Remenſis	1135	578
Odo Abbas Glannafol.	869	469
Odo Aſtenſis	1106	561
Cameracenſ.	1105	560
Cantuar.	1160	589

	Clar. an.	Pag.
Odo Cluniac.	926	496
Odoricus Forojulienſis	1320	16 A.
Olbertus	1020	520
Oldibertus ſive Odelpert.	804	434
Oliverius Maillardus	1494	144 A.
Oecumenius	990	509
† Olympiodorus	425	302
Olympiodorus	990	509
Olympius	430	267
Optatus Afer	368	148
Ordericus Vitalis	1140	580
Ordo Romanus	730	412
Orentius Eliberit.	516	326
Oreſieſis	344	131
Origenes	230	70
Oroſius	416	252
Osbernus	1070	534
Osbertus	1120	573
Oſmundus Aſturic.	1059	531
Othlonus	1101	559
Otho Friſingens.	1144	582
P.		
Pachomius	340	130
Pacianus	370	149
Pacificus Novar.	1480	127 A.
Palladius Galata	401	240
Pamphylus Abyden.	484	295
Pamphylus Cæſar.	294	97
Panadorus	401	239
Pandulphus	1184	599
Pantænus	181	50
Pantaleon Diaconus		175 D.
Paphnutius	370	149
Papias	110	30
Pardulus	847	455
Paſchalis I. Papa	817	441
II. Papa	1099	544
Paſchaſinus Lilybetanus	443	281
Paſchaſius Diaconus	501	318
Paſchaſius Radbertus	844	452
Paſtor	458	288
Paterius	601	373
Patricius Hibernus	432	271
Patricius Ararſius		466
Paulinus Aquileienſis	776	419
Biterrenſ.	410	249
Nolanus	393	184
Petricorius	461	290
Presbyter	420	257
Anglicus	1404	70 A.
Paulus Apoſtolus	33	8
Burgenſis	1415	78 A.
Paulus Corteſius	1500	148 A.
Cyrus Florus	555	342
CP.	642	382
Diaconus	757	415
Emiſenus	431	270
Epiſcopus	401	239
Pannonius	430	267
Paulus I. Papa	757	415
II. Papa	1464	120 A.
Perſa	436	275
Samoſatenus	260	85
Warnefridus	774	418
Pelagius Hæreticus	405	244
Ovetenſis	1109	562
Pelagius I. Papa	555	342
II. Papa	579	348
Pelbartus Oſvaldus	1501	158 A.
Perdiccas Epheſinus		176 D.
Perpetuus Turonenſ.	461	289
Peregrinus Laureac.	971	504
Petilianus	399	218

	Clar.	an.	Pag.
Petronius Bononienſ.		440	280
Petrus Abailardus		1120	570
Alexandrinus		301	101
Alexand. jun.		371	161
de Alliaco		1396	55 A.
Alphonſus		1106	561
de Ancharano		1410	77 A.
Antiochenus		1040	522
Apollon. Collatius		1490	140 A.
Apoſtolus		31	3
Argivorum Epiſc.			176 D.
Aureolus		1321	16 A.
Petrus Berchorius		1360	43 A.
Bertrandus		1325	18 A.
Blæſenſis		1160	589
Brutus		1485	136 A.
Burrus		1500	147 A.
Petrus Cameracenſis, vid. Pet. de Alliaco			
Candidus December		1450	109 A.
Caſſinenſis		1137	579
Caſſiodorus	1302 6 A.	1250	632
Cellenſis		1182	598
Chryſolanus		1110	562
Chryſologus		433	272
Cluniacenſis		1123	574
de Columbario		1355	37 A.
Comeſtor		1170	592
Petrus Damaſcenus			176 D.
Damiani		1057	528
Diaconus		520	327
Diaconus CP.		1092	541
Dorlandus		1495	146
de Dusburg		1326	18 A.
Edeſſenus		450	286
Galatinus		1516	163 A.
Gallus		1070	534
Herentalius		1390	54 A.
Jeremiæ		1430	87 A.
Lombardus		1141	581
Martyr		1501	157 A.
Monachus		1212	623
Mongus		477	294
Natalis		1470	121 A.
Nicomedienſis		680	396
Niger		1475	124 A.
Paludanus		1330	20 A.
de Pilichdorf		1444	104 A.
Ranzanus		1478	126 A.
de Riga		1170	592
Schottus		1488	138 A.
Sebaſtenus		370	158
Siculus		870	469
Tarentaſienſis		1276	644
de Vineis		1230	628
Philaſtrius		380	176
Phileas Thmuit.		296	98
Philippus Callimachus Exper.		1486	136 A.
Eyſtetenſis		1307	8 A.
Decius		1508	160 A.
Gortynenſ.		172	44
Grevius		1230	628
Harvengius		1140	580
de Leidis		1369	48 A.
de Monte Calerio		1340	27 A.
Presbyter		440	280
Ribotus		1368	48 A.
Sideta		418	253
Solitarius	1095 543	1105	560
Tarent.		1136	579
Philo Carpathius		401	240
Diaconus & Agath.		107	28
Judæus		40	14
Rhetor			176 D.

	Clar.	an.	Pag.
Philoſtorgius		425	264
Philotheus Achillinus		1370	49 A.
Philotheus CP.		1362	45 A.
Philotheus alter			177 D.
Phæbadius		359	137
Photinus CP.		596	357
Photinus Hæreticus		344	131
Photius CP.		858	463
Tyrius		451	286
Pierius Alexand.		283	93
Pilgrinus vid. *Peregrinus*			
Pinytus Cretenſis		172	44
Pirminius		750	415
Pius I. Papa		158	39
II. Papa		1458	114 A.
† Plinius Secundus		100	57
Polemius		448	284
Polemon		385	179
Polybius		402	243
Polycarpus		108	28
Polycrates Epheſius		196	56
Polychronius		410	249
Ponticus Virunnius		1490	139 A.
Pontius Diaconus		251	81
Porchetus Salvaticus		1315	11 A.
† Porphyrius		270	98
Poſſeſſor Afer		520	327
Poſſidius Calam.		430	267
Potho		1152	586
Potamius Odyſſip.		357	137
Primaſius		550	339
Priminius		750	415
Priſcillianus		381	177
Proba Falconia		371	161
Prochorus		70	24
Proclus CP.		434	272
† Proclus Diadochus		500	358
Procopius Cæſarienſ.		527	330
Diaconus			177 D.
Gazæus		520	327
Proculus		210	60
Proſper Aquitanus		444	281
Proterius Alexandr.		451	286
Prudentius		405	244
Prudens Tricaſſinus		846	455
Ptolomæus Hæreticus		150	39
Ptolomæus Lucenſis.		1303	7 A.
Q.			
Quadratus Athenienſis		123	31
Quintianus Aſculan.		484	295
R.			
Rabanus Maurus		847	456
Rabbulas		431	270
Radulphus Ardens		1101	558
Bockingus		1270	643
de Baldock		1304	7 A.
de Coggeshal		1228	627
de Columna		1290	654
de Diceto		1197	601
Flaviacenſ.		1157	588
de Rivo		1390	54 A.
Ranulphus Higdenus		1357	38 A.
Ratherius Veronen.		928	496
Raymundus de Agiles		1095	543
Jordanus		1381	52 A.
Lullius		1301	3 A.
Martini		1278	648
de Pennaforti		1228	627
de Sabunde		1430	86 A.
Raynerius Piſanus		1301	3 A.
Reginaldus Peacock		1444	102 A.

Regino

Digitized by Google

	Clar. an.	Pag.
Regino Prumienſ.	892	478
Reimannus	990	509
Reinerius Sachonus	1254	634
Rembertus	865	467
Remigius Autiſſiod.	880	474
Florentinus	1290	655
Lugdunenſis	855	460
Remenſis	471	291
Rheticius Auguſtodun.	313	110
Rheginus Conſtant.	431	270
Rhodon	189	51
Ricemarchus	1085	539
Richardus Armachanus	1347	31 A.
Anglus	1177	596
Belliloccnſis	1050	526
Burienſis	1333	21 A.
de S. Germano	1243	632
Hagulſtad.	1180	597
Hampolus	1340	26 A.
de Mediavilla	1290	654
de S. Victore	1150	585
Ullerſton	1408	74 A.
Richerius	1260	639
Ricoldus	1296	658
Riculphus Sueſſionenſis	889	476
Rigordus	1225	626
Rinaldus II.	1136	579
Robertus Caracciolus, vid. Robertum de Licio		
Robertus Flemyngus	1477	125 A.
Gaguinus	1494	142 A.
de Grayſtanes	1333	21 A.
Groſthead	1235	629
Holkot	1340	26 A.
Kilvvarbius	1272	644
de Licio	1480	128 A.
Monachus	1150	586
Montenſis	1210	622
Pulienus	1144	582
de Remigio	1101	558
Retinenſis	1120	572
de Sorbona	1252	633
de Tumbalenia	1087	540
Rodericus de Arevalo	1466	120 A.
Ximenius	1208	621
Rodulfus Tortarius	1101	559
Rodulphus Trudon	1120	571
Rogerius Baconus	1278	648
Connovius	1350	35 A.
de Hoveden	1198	602
Roſvvida	980	506
Rudolphus Agricola	1474	123 A.
Fuldenſis	850	459
Ruffinus Aquileienſ.	390	182
Rufinianus	363	145
Rupertus Tuitienſis	1111	563
Ruricius	470	291
Ruſticus	454	287
Diaconus	550	339
Epiſcopus	454	287
Elpidius	498	300
† Rutilius Numatianus	417	301
S.		
Sabas Abbas	484	296
Monachus	840	455
Sabbatius	440	277
Sabinus Heracleenſis	425	265
Salonius	453	286
Salvianus	440	279
Samona	1072	535
Sampirus	1010	519
Samuel Edeſſenus	468	291

	Clar. an.	Pag.
Samuel Marochianus	1070	533
Saxo Grammaticus	1170	594
Secundinus	390	184
Sedulius Presbyter	434	273
Sedulius Scotus	818	441
Serapion Ægyptius	347	132
Serapion Antioch.	190	52
Sergius CP.	608	375
Sergius Cyprius	645	384
Sergius Hiſtoricus	828	444
Sergius I. Papa	688	392
II. Papa	844	452
Sergius Syrus	801	433
Servus Dei	467	290
Severianus	401	240
Severus Ægyptius	978	505
Severus Antioch.	513	323
Balear.	418	254
Malacitanus	584	351
Milevitanus	420	257
Sulpitius	401	239
Sextus	196	57
Sibyllina Oracula	130	35
Sidonius Apollinaris	472	292
Siffridus	1307	8 A.
Sigebertus Gemblacenſis	1101	558
Sigifridus Mogunt.	1069	533
Sigiſmundus Groſſembrot	1483	135 A.
Simeon de Caſſia	1335	23 A.
Simeon Dunelmenſis	1130	577
Simeon Metaphraſtes	901	492
Simeon Logotheta	967	503
Logotheta junior	1170	593
Macjinus	1172	595
S. Mamantis	1051	526
Stylites ſen.	448	283
Stylites jun.	527	329
Theſſalonic.	1410	76 A.
Simon Benignius	1513	162 A.
de Cremona	1338	24 A.
Hieromonachus	1276	646
Jacumæus	1400	58 A.
Magus	35	14
Tornacenſis	1216	624
Simplicianus Mediol.	397	195
Simplicius Monachus	560	343
Papa	467	290
Siricius Papa	385	179
Siſebutus	612	375
Siſinnius	395	186
CP.	994	510
Siviardus	710	407
Sixtus III. Papa	432	272
IV. Papa	1471	112 A.
Smaragdus Verdunenſ.	810	435
Smyrnenſis Eccleſia	147	39
Socrates Scholaſticus	439	275
Solomon Conſtantienſ.	891	477
Sophronius	390	181
Hieroſolym.	629	378
alter		358
Soter Papa	164	39
Sozomenus	440	275
Italus	1292	656
Stephanus Æduenſis	1113	564
Birchingtonus	1380	51 A.
Brulifer	1480	129 A.
Byzant.	806	434
Epheſius		177 D.
Germanus	990	510
Hardingus	1109	561
Hierapolit.	598	357
Hiſpanus	1150	586
Langtonus	1206	620

T 3 Stepha-

	Clar. an.	Pag.
Stephanus Leodiens.	903	494
Stephanus I. Papa	253	81
II. Papa	752	415
III. Papa	768	416
V. Papa	885	475
VI. Papa	896	478
IX. Papa	1057	528
Stephanus Parisiensis	1132	578
Stephanus Torcellanus	1515	163 A.
Stephanus Tornacensis	1192	600
Stylianus Mapa	870	469
† Suetonius	112	57
Sugerius	1123	223
Suidas Grammaticus	980	505
Sulpitius Bituric.	624	377
Syagrius	437	275
Sylverius Papa	536	335
Sylvester II. Papa	999	511
Sylvester Giraldus	1200	617
Sylvester Sguropulus	1438	95 A.
Symeon	1090	541
Abbas		177 D.
Euchaitensis		178 D.
Monachus		178 D.
Scholarius		177 D.
Studita		178 D.
† Symmachus	384	220
Symmachus Ebionita	201	60
Symmachus Papa	498	301
Synesius	410	250
Syricius Barcelon.	657	387
Syrus	1010	519
T.		
† Tacitus	100	57
Taio Cæsaraug.	646	384
Tarasius CP.	785	422
Tatianus Syrus	172	45
Tertullianus	192	54
Testament. XII. Patriarch.	190	51
Tetradius	530	332
Thalassius	640	382
Theganus	837	447
Themison Hæreticus	172	45
Themistius	601	374
Theobaldus Stampensis	1250	632
Theobaudus Bezuens.	1130	578
Theoctistus	472	293
Theodoricus Engelhus.	1420	83 A.
de Niem.	1408	75 A.
Trudon.	1101	558
Thuring. de Apold.	1289	653
Urias	1414	78 A.
Theodoritus	423	260
Theodorus Abbas	580	349
Abucara	867	468
Alaniensis		178 D.
Alexand. Monachus	601	374
Antidensis		178 D.
Balsamon	1180	596
Cantuar.	668	387
Campedonensis	680	389
CP.	920	495
Cyzicenus		178 D.
Daphnopates	956	501
Diaconus Alex.	451	286
Graptus	818	442
Heracleens.	334	128
Iconiensis	564	346
Lælius	1460	117 A.
Lector	518	326
Lascharis	1255	634
Metochita	1301	3 A.

	Clar. an.	Pag.
Theodorus & Theodosius } Monachi	668	387
Theodorus Monachus	1101	559
Mopsuestenus	407	247
Papa	642	382
Paphensis		178 D.
Petrensis		178 D.
Pharan.	640	382
Presbyter	344	131
Presbyter alter		178 D.
Ptochoprodromus	1150	585
de Rhaytu	646	384
Scutariota		178 D.
Smyrnæus		178 D.
Studites	813	436
Trimethuntinus		178 D.
Theodosius Alexandr.	535	334
Ammor.	787	422
CP.	1181	598
Hierosol.	869	468
Monachus	601	374
Theodotion Ponticus	175	46
Theodotus Ancyranus	430	267
Theodotus Antiochenus	423	264
Theodotus Hæreticus	192	52
Theodulphus Aurelian.	794	423
Theodulus Monachus	1311	10 A.
Presbyter	480	294
Theofridus	1101	559
Theognostus Alexandr.	270	86
Theognostus CP.	858	466
Theoleptus	1310	9 A.
Theophanes Byzantius	580	348
Cerameus	1040	522
Confessor	792	422
Graptus	818	442
Nicænus	1347	31 A.
Theophilus Alexandr.	385	178
Antioch.	168	41
Cæsariens.	192	52
Chronogr.		178 D.
Theophylactus	1077	536
Simocatta	611	375
Theorianus	1170	593
Theosterictus	828	444
Theotimus Scytha	392	184
Alter Scytha	457	288
Thomas Anglus	1170	594
Thomas Aquinas	1255	635
de Argentina	1345	31 A.
de Becket	1162	591
Thomas Brabantius sive Cantipratens.	1255	638
Thomas Bradvvardinus	1348	32 A.
Chaundlerus	1457	114 A.
Chesterfield	1347	31 A.
Cisterciensis	1201	619
Dorniberg	1455	113 A.
Haselbach	1420	81 A.
Hharanita	990	510
Jorsius, sive Joisius	1305	7 A.
à Kempis	1450	107 A.
Maurigniac.	1144	581
Morus	1320	14 A.
Ra linus	1510	161 A.
Rudburn	1445	104 A.
Spalatensis	1230	628.
Stubbs	1360	39 A.
VValdensis	1409	75 A.
VValleis	1332	21 A.
VValsinghamus	1440	98 A.
VViccius	1299	659

Tho-

Digitized by Google

	Clar.	an.	Pag.
Thoros		1054	528
Tiberianus Bæticus		385	179
Tichonius Afer		390	181
Timothæus Alexandr.		379	175
Ælurus		457	287
alter		415	252
Chronogr.			178 D.
CP.	511	610	322
Titus Bostrensis		362	144
Trajanus		690	393
Trifolius Presbyter		520	328
Triphon		235	78
Triphyllius Cyprius		340	129
Turcius Rufius Asterius		494	299
Turgotus		1108	561
Turibius Asturicensis		447	283
Turpinus		773	418

V.

	Clar.	an.	Pag.
Valentinus Hæreticus		120	32
Philipp.		457	288
Valerianus Cemeliens.		439	275
Valerius Asturicensis		680	391
Asturic. alter		902	494
Ubertinus de Cassalis		1315	12 A.
Udalricus de Argent.		1280	649
Venantius Fortunatus		560	343
Verecundus Juncensis		546	339
Verus Rutinensis		625	378
Victor Antiochenus		401	239
Capuanus		545	338
Cartennensis		460	289
Carthagin.		646	384
Victor I. Papa		192	52
II. Papa		1055	528
III. Papa		1086	539
Victor Tununensis		555	341
Vitensis		484	296
Victorinus Afer		362	145
Massiliens.		434	273
Petavionens.		290	94
Victorius Aquitanus		457	287
Vigilantius		406	245
Vigilius Afer		484	295
Diaconus		420	257
Papa		540	337
Trident.		390	181
Vincentius Bandellus		1496	146 A.
Bellovacensis		1244	632
Ferrerius		1414	78 A.
Lirinensis		434	274

	Clar.	an.	Pag.
Vitalianus Papa		657	386
Vitalis è Furno		1312	10 A.
Vitellius Afer		344	131
Ulgerius Andegav.		1136	578
Ulphilas Gothus		365	145
† Ulpianus		220	98
Voconius		460	289
Uranius Presbyter		431	271
Urbanus II. Papa		1087	540
III. Papa		1185	599
IV. Papa		1261	640
V. Papa		1362	45 A.
VI. Papa		1378	50 A.
Ursinus Afer		440	277
Gallus		690	393
Usuardus		876	473
Vulfinus Boetius		830	446

W.

	Clar.	an.	Pag.
Walafridus Strabo		842	452
Waldramnus		895	478
Wandelbertus		850	459
Warinus		1028	520
Warmannus		1025	520
Waselinus Momalius		1130	578
Wernerus Rollvvinck		1480	132 A.
Wilhelmus ab Hazenburg		1366	47 A.
Wilhelmus Malmsburien.		1130	577
Metensis		1073	535
Stephanides		1190	600
Woodford		1390	54 A.
Willerarius		1070	534
Willibaldus		742	414
Willibrand. Oldenb.		1211	623
Wilielmus de Wycumba		1140	580
Wipertus		1056	528
Wittikindus Corbeiens.		940	498
Wolfhadus		866	467
Wolfhardus		886	476
Wolstanus		1001	518

Z.

	Clar.	an.	Pag.
Zacharias Chrysopol.		1157	588
Zacharias Papa		741	414
Zacharias Rhetor		491	297
Zacharias Scholasticus		536	335
Zeno Veronensis		360	142
Zozimas Abbas.			178 D.
† Zosimus Historicus		425	302
Zosimus Papa		417	253

Digitized by Google

INDEX CONCILIORUM

ALPHABETICO-CHRONOLOGICUS.

NB. CONCILIA GENERALIA *in hoc Indice juxta vulgarem numerandi rationem notantur.*

	An.	Pag.
Abrincatense	1172	612
Adanense	1320	61 A.
Adrumetinum	394	235
Ænhamense	1009	545
Africanum I.	401	302
II.	401	302
III.	407	303
IV.	408	303
V.	409	303
VI.	410	303
VII.	551	364
VIII.	592	368
IX.	603	394
Agathense	506	359
Agaunense I.	515	359
II.	888	490
Agrippinense	346	226
Airiacense	1020	545
Albiense	1254	663
Alexandrinum I.	230	99
II.	308	222
III.	315	223
IV.	324	223
V.	339	225
VI.	362	230
VII.	363	230
VIII.	399	236
IX.	430	306
X.	633	395
Alnense	709	424
Altinense	802	479
Ancyranum I.	315	223
II.	358	228
Andegavense I.	453	315
II.	1269	665
III.	1279	666
IV.	1336	63 A.
V.	1365	65 A.
Angariense sive Sangar.	391	235
Anglicanum I.	756	427
II.	904	512
III.	969	515
IV.	1072	550
V.	1075	551
VI.	1093	554
VII.	1095	554
VIII.	1167	612
IX.	1341	64 A.
Aniciense seu Podiense	1130	607
Ansanum I.	1025	546
II.	1070	549
III.	1100	555
IV.	1112	605
Antiochense	368	231
Antiochenum I.	252	99
Antiochenum II.	265	100
III.	270	100
IV.	330	224
V.	341	225
VI.	345	226
VII.	356	228
VIII.	357	228
IX.	360	229
X.	363	230
XI.	378	231
XII.	443	309
XIII.	447	310
XIV.	1136	608
Aquileiense I.	381	233
II.	553	367
III.	698	400
IV.	1184	613
Aquisgranense I.	789	430
II.	797	431
III.	799	431
IV.	802	479
V.	809	479
VI.	816	480
VII.	828	481
VIII.	836	482
IX.	842	482
X.	860	484
XI.	862	485
XII.	1022	546
Arausicanum I.	441	309
II.	529	360
Arelatense I.	314	222
II.	353	227
III.	452	315
IV.	455	315
V.	471	316
VI.	524	360
VII.	554	367
VIII.	813	479
IX.	1210	660
X.	1234	662
XI.	1260	664
XII.	1267	664
Ariminense	359	229
Armachanum	1158	610
Armenum	435	309
Armoricum	1079	551
Arvernense I.	535	362
II.	549	364
III.	587	368
Asturicense	446	310
Attiniacense I.	822	480
II.	834	482
III.	870	487
Audomarense.	1099	555

Audomaro-

Digitized by Google

	An.	Pag.
Audomaro-Pontanum	1279	666
Avenionense I.	1209	659
II.	1210	659
III.	1270	665
IV.	1279	666
V.	1282	666
VI.	1326	62 A.
VII.	1337	63 A.
Augustanum	952	514
Augustodunense I.	663	396
II.	1094	554
Aurelianense I.	511	319
II.	533	361
III.	538	363
IV.	541	363
V.	549	364
VI.	645	395
VII.	1017	545
Auscense I.	1068	549
II.	1279	666
Auscitanum I.	1300	668
II.	1308	59 A.
Ausonense	1068	549
Autissiodorense I.	578	367
II.	695	400
Bagaiense	394	235
Bajocense	1300	668
Balgentiacense I.	1104	604
II.	1151	610
Bambergense	1011	545
Barcinonense I.	540	363
II.	599	368
III.	906	512
IV.	1064	549
Barense	1097	555
Basileense I.	1061	548
II. *Generale*	1431	151 A.
Bassegiense	1228	661
Becanceldense I.	694	400
II.	798	431
Bellovacense I.	845	482
II.	1114	605
Beneventanum I.	1087	553
II.	1091	553
III.	1108	604
IV.	1117	606
Beningdonense	850	483
Berghamstedense	697	400
Biterrense I.	356	228
II.	1233	662
III.	1246	663
IV.	1255	663
V.	1279	666
VI.	1280	666
VII.	1299	668
VIII.	1351	65 A.
Bituricense I.	1031	546
II.	1225	661
III.	1276	665
IV.	1286	667
V.	1336	63 A.
VI.	1438	152 A.
Bononiense	1264	664
Bostrenum	243	99
Bracarense I.	411	304
II.	563	367
III.	572	367
IV.	675	396
Brandanfordiense	959	514
Brennacense	581	367
Brionense	1050	547
Britannicum I.	449	311

	An.	Pag.
Britannicum II.	512	359
III.	701	424
Brixiense	1080	552
Brivatense	1094	554
Budense	1279	666
Burdegalense I.	385	234
II.	1079	552
III.	1255	663
IV.	1263	664
Burgense	1080	552
Burgundicum	955	514
Byzacenum I.	507	359
II.	541	363
III.	602	394
Cabersussitanum	394	235
Cabilonense I.	579	367
II.	603	394
III.	650	395
IV.	813	480
V.	873	487
VI.	875	487
VII.	894	490
VIII.	915	513
IX.	1063	549
X.	1073	550
Cæsaraugustanum I.	380	232
II.	592	368
III.	690	399
IV.	1318	61 A.
Cæsariense I.	196	58
II.	316	223
III.	334	224
Cæsenatense	1042	547
Calchutense	787	428
Calniense	978	515
Cambricum I.	465	316
II.	940	513
Campiniacense	1238	662
Cantianum	617	394
Cantuariense I.	605	394
II.	1439	153 A.
III.	1463	154 A.
Capuanum I.	389	234
II.	1087	553
III.	1118	606
Carilocense	926	513
Carisiacense I.	849	483
II.	857	484
III.	858	484
IV.	868	486
Carpentoractense	527	360
Carthaginense I.	215	99
II.	251	99
III.	252	99
IV.	253	99
V.	254	100
VI.	255	100
VII.	256	100
VIII.	256	100
IX.	306	222
X.	308	222
XI.	311	222
XII.	348	227
XIII.	390	235
XIV.	397	235
XV.	398	236
XVI.	398	236
XVII.	399	236
XVIII.	401	302
XIX.	401	302
XX.	403	303
XXI.	404	303

Digitized by Google

	An.	Pag.
Carthaginense XXII.	405	303
XXIII.	407	303
XXIV.	408	303
XXV.	409	303
XXVI.	410	303
Collatio Cath. inter & Donat.	411	303
XXVII.	412	304
XXVIII.	416	304
XXIX.	418	305
XXX.	418	305
XXXI.	423	306
XXXII.	426	306
XXXIII.	484	316
XXXIV.	525	360
XXXV.	533	362
Cassiliense	1172	612
Cavernense	394	235
Celychitense	816	480
Chalcedonense I.	403	303
II. *Generale* IV.	451	311
Charnense	622	394
Cicestrense I.	1157	610
II.	1289	667
III.	1292	668
Cilicense	423	306
Cirtense I.	305	222
II.	412	304
Clarendonense	1164	611
Claromontanum I.	1095	554
II.	1110	605
Cleonadense	1162	611
Cloveshoviense I.	742	425
II.	747	426
III.	800	431
IV.	803	479
V.	822	480
VI.	824	481
Coloniense I.	843	482
II.	870	487
III.	873	487
IV.	887	49[illegible]
V.	1056	548
VI.	1116	606
VII.	1118	606
VIII.	1260	664
IX.	1266	664
X.	1280	666
XI.	1300	668
XII.	1310	59 A.
XIII.	1322	62 A.
XIV.	1423	150 A.
XV.	1452	153 A.
Compendiense I.	756	427
II.	833	481
III.	1085	552
IV.	1270	665
V.	1301	58 A.
VI.	1303	59 A.
VII.	1329	63 A.
Compostellanum I.	900	491
II.	1056	548
III.	1114	605
Complutense I.	1326	62 A.
II.	1379	66 A.
Confluentinum I.	860	484
II.	922	513
Constantiense I.	1044	547
II.	1094	554
III. *Generale*	1414	149 A.
Constantinopolitanum I.	336	225
II.	338	225
III.	360	229

	An.	Pag.
Constantinopolitanum IV. *Generale* II.	381	232
V.	383	234
VI.	394	235
VII.	399	236
VIII.	426	306
IX.	448	310
X.	449	311
XI.	450	311
XII.	459	316
XIII.	492	316
XIV.	496	316
XV.	499	316
XVI.	518	360
XVII.	520	360
XVIII.	531	361
XIX.	536	362
XX.	541	363
XXI.	547	363
XXII. *Generale* V.	553	364
XXIII.	587	368
XXIV.	639	395
XXV. *Generale* VI.	680	397
XXVI.	691	399
XXVII.	712	425
XXVIII.	754	426
XXIX.	806	479
XXX.	809	479
XXXI.	814	480
XXXII.	814	480
XXXIII.	842	482
XXXIV.	854	483
XXXV.	861	484
XXXVI. *Generale* VIII.	869	486
XXXVII.	879	488
XXXVIII.	901	511
XXXIX.	944	513
XL.	963	514
XLI.	975	515
XLII.	1140	609
XLIII.	1143	609
XLIV.	1144	609
XLV.	1147	610
XLVI.	1166	611
XLVII.	1168	612
XLVIII.	1277	665
XLIX.	1280	666
L.	1285	667
LI.	1341	64 A.
LII.	1347	64 A.
LIII.	1450	153 A.
Copriniacense I.	1255	663
II.	1260	664
III.	1262	664
Cordubense	852	483
Coyacense	1050	547
Cyprium	399	236
DAlmaticum	1199	614
Danicum	1257	663
Dertusanum	1429	151 A.
Dingolvingense	771	427
Diospolitanum	415	304
Divionense	1199	614
Dubliniense	1176	612
Duisbergense	927	513
Dunelmense I.	1255	663
II.	1276	665
Dunstapliense	1214	660
Duriense	779	427
Duziacense I.	871	487
II.	874	487

Ebo-

	An.	Pag.
EBoracense I.	1195	614
II.	1252	663
III.	1367	65 A.
IV.	1466	154 A.
Egarense	614	394
Eliberitanum	305	221
Emeritense	666	396
Engilenheimense	948	514
Vide Ingilheimense		
Epaonense	517	360
Ephesinum I.	196	58
II.	245	99
III. *Generale* III.	431	306
IV.	440	309
V.	449	311
Erpfordiense sive Erphord.	932	513
II.	1073	550
III.	1074	550
Exoniense	1287	667
FErrariense & Florent.	1438	152 A.
Fincenhallense I.	788	429
II.	798	431
Florentinum I.	1055	548
II.	1105	604
Floriacense	1107	604
Forojuliense	791	430
Francofordiense I.	794	430
II.	1006	545
Frisingense	1440	153 A.
Fusselense	1104	603
Fuxense	1226	661
GAngrense	340	225
Gentiliacense	767	427
Germanicum I.	742	425
II.	745	425
III.	1225	661
Gerundense I.	517	360
II.	1097	555
Gisortianum	1188	614
Glocestriense	1378	66 A.
Gonteriense I.	1231	661
II.	1253	663
III.	1268	665
Grateleanum	928	513
Guastaliense	1106	604
Guidonense	1242	662
HAbamense	1012	545
Hafniense	1425	151 A.
Hedtfeldense	680	396
Helenense I.	944	514
II.	1027	546
Herbipolense I.	1166	612
II.	1287	667
Herudfordiense.	673	396
Hibernicum I.	450	311
II.	1097	555
III.	1152	610
Hierapolitanum I.	173	58
II.	444	309
Hierosolymitanum I.	47	25
II.	350	227
III.	415	304
IV.	536	362
V.	553	366
VI.	1099	555
VII.	1107	604
VIII.	1111	605
IX.	1136	608
X.	1142	609
Hipponense I.	393	235

	An.	Pag.
Hipponense II.	426	306
Hispalense I.	590	368
II.	617	394
Hispanicum	447	310
JAccitanum	1060	548
Iconiense	230	100
Ilerdense I.	524	360
II.	1129	607
III.	1246	663
Illyricianum I.	367	230
II.	515	359
III.	550	364
Ingilheimense I.	826	481
II.	840	482
Insulanum I.	1251	663
II.	1288	667
Jotrense	1130	608
Juliobonense	1080	552
Juncense	524	360
KAlense	1008	545
Karrofense	989	516
Kingstoniense	838	482
Kyrtlingtoniense	977	515
LAmbesitanum	240	99
Lambethense I.	1206	659
II.	1261	664
III.	1280	666
IV.	1281	666
V.	1330	63 A.
VI.	1351	65 A.
VII.	1362	65 A.
Lampsacenum	365	230
Lanciciense I.	1197	614
II.	1246	663
III.	1285	667
Landavense I.	560	367
II.	890	490
III.	950	514
IV.	955	514
V.	988	516
VI.	1034	546
VII.	1056	548
Langesiense	1278	666
Laodicenum	367	231
Lateranense I.	649	395
II.	1102	603
III.	1104	603
IV.	1110	605
V.	1112	605
VI.	1116	606
VII. *Generale*	1123	607
VIII. *Generale*	1139	608
IX.	1168	612
X. *Generale*	1179	613
XI.	1215	660
Latiniacense	1140	609
Laudense	1161	611
Lauriacense	843	482
Lausdunense	1109	605
Legionense I.	1012	545
II.	1091	553
III.	1135	608
Lemovicense I.	1029	546
II.	1031	546
III.	1052	547
IV.	1095	554
Leodiense	1131	608
Leyrense	1022	546
Lingoniense I.	830	481
II.	858	484

Lingo-

Digitized by Google

	An.	Pag.
Lingonienſe III.	1080	552
Lippienſe	780	428
Liptinenſe	743	425
Londinenſe I.	833	481
II.	944	514
III.	948	514
IV.	970	515
V.	1075	551
VI.	1078	551
VII.	1102	603
VIII.	1107	604
IX.	1108	604
X.	1109	604
XI.	1125	607
XII.	1127	607
XIII.	1138	608
XIV.	1140	608
XV.	1143	609
XVI.	1154	610
XVII.	1162	611
XVIII.	1175	612
XIX.	1200	614
XXI.	1214	660
XX.	1237	662
XXII.	1265	664
XXIII.	1268	665
XXIV.	1291	667
XXV.	1296	668
XXVI.	1309	59 A.
XXVII.	1321	61 A.
XXVIII.	1328	62 A.
XXIX.	1342	64 A.
XXX.	1382	66 A.
XXXI.	1391	66 A.
XXXII.	1396	67 A.
XXXIII.	1414	150 A.
XXXIV.	1486	154 A.
Lucenſe I.	567	367
II.	572	367
Lugdunenſe I.	196	58
II.	517	360
III.	567	367
IV.	583	368
V.	1055	548
VI.	1080	552
VII. *Generale*	1245	662
VIII. *Generale*	1274	665
Lumbarienſe	1176	612
Macrenſe I.	881	490
II.	935	513
Madritenſe	1473	154 A.
Magalonenſe	909	513
Magdunenſe	891	490
Maghfeldenſe I.	1332	63 A.
II.	1362	65 A.
Manaſchiertenſe	687	398
Mantalenſe	879	490
Mantuanum I.	835	482
II.	1064	549
Marciacenſe	1326	62 A.
Marzalienſe	973	515
Matiſconenſe I.	581	367
II.	585	368
III.	627	395
Matronenſe	962	514
Mediolanenſe I.	346	226
II.	355	227
III.	390	234
IV.	451	311
V.	679	396
VI.	1287	667
VII.	1291	667

	An.	Pag.
Meldenſe I.	845	482
II.	1201	659
Melfitanum	1089	553
Melodunenſe I.	1216	660
II.	1225	661
III.	1300	668
Mercianum	705	424
Mertonenſe I.	1258	663
II.	1300	668
Metenſe I.	753	428
II.	835	482
III.	858	484
IV.	863	485
V.	869	487
VI.	888	490
Milevitanum I.	402	302
II.	416	304
Moguntinum ſive Moguntiacenſe		
I.	813	480
II.	847	483
III.	848	483
IV.	852	483
V.	857	484
VI.	888	490
VII.	1023	546
VIII.	1049	547
IX.	1054	548
X.	1069	549
XI.	1071	550
XII.	1075	550
XIII.	1080	552
XIV.	1085	553
XV.	1105	604
XVI.	1233	662
XVII.	1235	662
Monſpelienſe I.	1162	611
II.	1195	614
III.	1214	660
IV.	1224	661
V.	1258	664
Montilienſe	1209	659
Mopſueſtenum	550	364
Moſomenſe I.	948	514
II.	995	516
Mutinenſe	973	515
Namnetenſe ſive Nannet. I.	658	396
II.		490
III.	1127	607
IV.	1264	664
Narbonenſe I.	589	368
II.	791	430
III.	906	512
IV.	911	513
V.	990	516
VI.	1054	548
VII.	1056	548
VIII.	1090	553
IX.	1207	659
X.	1227	661
XI.	1234	662
XII.	1374	66 A.
Nazarenum	1160	611
Memauſenſe I.	886	490
II.	1096	555
III.	1284	667
Neocæſarienſe	315	223
Neapolitanum	1120	606
Neuſtriacum	877	488
Nicænum I. *Generale* I.	325	223
II. *Generale* VII.	787	428
Nicenſe ſive Nicænum	359	229
Nicopolitanum	372	231

Nicoſienſe

Digitized by Google

	An.	Pag.
Nicosiense I.	1313	60 A.
II.	1320	61 A.
III.	1340	63 A.
Niddense	705	424
Nigellense sive Nivigellense	1200	614
Normannicum I.	1161	611
II.	1184	614
Northamptoniense I.	1138	608
II.	1164	611
III.	1176	612
IV.	1177	613
V.	1267	664
Norvvicense	1255	663
Noviomagense	831	481
Novi omense I.	814	480
II.	1344	64 A.
Nugaroliense I.	1290	667
II.	1303	59 A.
III.	1315	60 A.
Nymphæense	1233	662
Osboriense	1062	548
Oscense	598	368
Othoniense	1245	662
Ovetense I.	873	487
II.	901	512
III.	1115	605
Oxoniense I.	1160	611
II.	1222	660
III.	1408	148 A.
Paderbornense I.	777	427
II.	786	428
Palentinum I.	1114	605
II.	1129	607
III.	1388	66 A.
Pampilonense	1023	546
Papiense I.	1076	551
II.	1160	611
III. *Generale*	1423	151 A.
Parisiense I.	362	230
II.	551	364
III.	557	367
IV.	573	367
V.	577	367
VI.	615	394
VII.	824	481
VIII.	829	481
IX.	832	481
X.	834	482
XI.	847	482
XII.	849	483
XIII.	1050	547
XIV.	1092	553
XV.	1105	604
XVI.	1129	607
XVII.	1147	610
XVIII.	1186	614
XIX.	1196	614
XX.	1201	659
XXI.	1209	659
XXII.	1212	660
XXIII.	1223	660
XXIV.	1226	661
XXV.	1260	664
XXVI.	1263	664
XXVII.	1264	664
XXVIII.	1303	58 A.
XXIX.	1312	60 A.
XXX.	1323	62 A.
XXXI.	1329	63 A.
XXXII.	1346	64 A.
XXXIII.	1394	67 A.

	An.	Pag.
Parisiense XXXIV.	1429	151 A.
Pedredanum	1071	550
Pennafidelense	1302	58 A.
Pergamense	150	58
Perpinianum	1408	148 A.
Pharense	664	396
Pictaviense I.	1000	516
II.	1032	546
III.	1078	551
IV.	1100	555
V.	1106	604
VI.	1280	668
VII.	1284	667
Pinnatense	1062	549
Pipevvellense	1189	614
Pisanum I.	1134	608
II. *Generale.*	1409	149 A.
Pistense I.	862	485
II.	869	487
Placentinum I.	1095	554
II.	1132	608
Pontigonense	876	487
Portuense	897	491
Posoniense	1309	59 A.
Pragense I.	1405	148 A.
II.	1421	150 A.
Ptolemaidense	411	303
Quintiliniburgense I.	1085	552
II.	1105	604
Ratisponense	792	430
Ravennatense sive Ravennense		
I.	419	306
II.	877	487
III.	904	512
IV.	967	515
V.	997	516
VI.	1014	545
VII.	1128	607
VIII.	1253	663
IX.	1270	665
X.	1286	667
XI.	1307	59 A.
XII.	1310	60 A.
XIII.	1311	60 A.
XIV.	1314	60 A.
XV.	1317	61 A.
Redingense I.	1206	659
II.	1279	666
Redonense	1273	665
Regense	439	309
Rhemense I.	625	394
II.	813	480
III.	892	490
IV.	990	491
V.	923	513
VI.	936	513
VII.	953	514
VIII.	975	515
IX.	989	516
X.	991	516
XI.	994	516
XII.	995	516
XIII.	1049	547
XIV.	1092	553
XV.	1094	554
XVI.	1119	606
XVII.	1131	608
XVIII.	1148	610
XIX.	1232	661
XX.	1235	662
XXI.	1239	662

Digitized by Google

	An.	Pag.
Rhemenſe XXII.	1271	665
XXIII.	1287	667
XXIV.	1408	148 A.
Rochinghamenſe	1094	554
Roffiacenſe I.	1258	664
II.	1327	62 A.
Romanum I.	251	99
II.	263	100
III.	313	222
IV.	342	226
V.	349	227
VI.	367	230
VII.	370	231
VIII.	378	231
IX.	382	234
X.	386	234
XI.	430	306
XII.	431	306
XIII.	433	309
XIV.	444	309
XV.	449	311
XVI.	465	316
XVII.	484	316
XVIII.	487	316
XIX.	494	316
XX.	495	316
XXI.	499	316
XXII.	501	359
XXIII.	502	359
XXIV.	503	359
XXV.	504	359
XXVI.	518	360
XXVII.	531	361
XXVIII.	531	361
XXIX.	532	361
XXX.	589	368
XXXI.	595	368
XXXII.	601	393
XXXIII.	606	394
XXXIV.	610	394
XXXV.	640	395
XXXVI.	648	395
XXXVII.	667	396
XXXVIII.	680	397
XXXIX.	680	397
XL.	705	424
XLI.	721	425
XLII.	724	425
XLIII.	726	425
XLIV.	731	425
XLV.	743	425
XLVI.	745	426
XLVII.	769	427
XLVIII.	799	431
XLIX.	800	431
L.	826	481
LI.	853	483
LII.	861	484
LIII.	862	485
LIV.	863	485
LV.	864	485
LVI.	865	485
LVII.	868	486
LVIII.	877	487
LIX.	879	488
LX.	879	488
LXI.	881	490
LXII.	893	490
LXIII.	897	491
LXIV.	904	512
LXV.	906	512
LXVI.	949	514
LXVII.	963	514

	An.	Pag.
Romanum LXVIII.	964	514
LXIX.	964	515
LXX.	969	515
LXXI.	983	516
LXXII.	989	516
LXXIII.	993	516
LXXIV.	996	516
LXXV.	998	516
LXXVI.	1015	545
LXXVII.	1046	547
LXXVIII.	1047	547
LXXIX.	1049	547
LXXX.	1050	547
LXXXI.	1051	547
LXXXII.	1053	548
LXXXIII.	1057	548
LXXXIV.	1059	548
LXXXV.	1063	549
LXXXVI.	1065	549
LXXXVII.	1074	550
LXXXVIII.	1076	551
LXXXIX.	1078	551
XC.	1078	551
XCI.	1079	551
XCII.	1080	552
XCIII.	1081	552
XCIV.	1084	552
XCV.	1089	553
XCVI.	1098	555
XCVII.	1098	555
XCVIII.	1099	555
XCIX.	1116	606
C.	1122	607
CI.	1210	660
CII.	1228	661
CIII.	1302	58 A.
CIV.	1412	149 A.
Rhotomagenſe I.	692	400
II.	1050	547
III.	1072	550
IV.	1074	550
V.	1096	555
VI.	1118	606
VII.	1119	606
VIII.	1299	668
IX.	1335	63 A.
X.	1445	153 A.
Salegunſtadienſe	1022	546
Salisburgenſe I.	807	479
II.	1420	150 A.
Salmanticenſe	1335	63 A.
Salmurienſe I.	1253	663
II.	1276	665
III.	1294	668
IV.	1315	60 A.
Saltzburgenſe I.	1274	665
II.	1281	666
III.	1291	667
IV.	1310	59 A.
V.	1386	66 A.
Sandionyſianum I.	997	516
II.	1053	547
Sangarienſe	391	235
Santonenſe I.	563	367
II.	579	367
III.	1096	555
IV.	1280	666
V.	1282	666
VI.	1298	668
Sardicenſe	347	226
Sardinienſe	521	360
Sariſburienſe	1222	660

Schenin-

Digitized by Google

	An.	Pag.
Scheningense	1248	663
Schirachavanense	862	485
Scoticum seu Perthense	1259	664
Seleuciense	359	229
Senonense I.	657	396
II.	862	485
III.	1140	608
IV.	1198	614
V.	1252	663
VI.	1269	665
VII.	1320	61 A.
VIII.	1461	153 A.
Siciliense	367	231
Sidense	383	234
Sidoniense	512	359
Silvanectense I.	863	485
II.	873	487
III.	990	516
IV.	1315	61 A.
V.	1326	62 A.
Singedunense	366	230
Sirmiense I.	349	227
II.	351	227
III.	357	228
IV.	358	228
V.	359	229
Sisense	1307	59 A.
Spalense	590	368
Spoletanum, aliàs Romanum	1234	662
Stampense I.	1092	553
II.	1099	555
Stramiacense	836	482
Suessionense I.	744	425
II.	851	483
III.	853	483
IV.	861	485
V.	866	486
VI.	941	513
VII.	1092	553
VIII.	1115	606
IX.	1120	606
X.	1155	610
XI.	1455	153 A.
Sutrinum I.	1046	547
II.	1059	548
Syriacum	1115	606
TArdanense	972	515
Tarraconense I.	516	360
II.	1230	661
III.	1242	662
IV.	1279	666
V.	1312	60 A.
Tarsense	1177	613
Taurinense	400	237
Teleptense	418	305
Theodonis-Villare I.	821	480
II.	835	482
III.	844	482
Thevestinum	362	230
Thevinense	536	362
Thusdritanum	417	305
Ticinense I.	850	483
II.	855	484
III.	876	487
IV.	997	516
V.	1020	546
Toletanum I.	400	237
II.	405	303
III.	531	361
IV.	589	368
V.	597	368
VI.	610	394

	An.	Pag.
Toletanum VII.	633	395
VIII.	636	395
IX.	638	395
X.	646	395
XI.	653	396
XII.	655	396
XIII.	656	396
XIV.	675	396
XV.	681	398
XVI.	683	398
XVII.	684	398
XVIII.	688	399
XIX.	693	400
XX.	694	400
XXI.	704	424
XXII.	1086	553
XXIII.	1323	62 A.
XXIV.	1339	63 A.
XXV.	1347	65 A.
XXVI.	1355	65 A.
XXVII.	1473	154 A.
Tolosanum I.	873	487
II.	1056	548
III.	1068	549
IV.	1090	553
V.	1118	606
VI.	1119	606
VII.	1210	660
VIII.	1229	661
IX.	1319	61 A.
Trajectense	697	400
Trecense I.	1104	603
II.	1107	604
III.	1128	607
Tremoniense	1005	545
Trenorciense	1115	606
Trevirense I.	386	234
II.	948	514
III.	1148	610
Triburiense I.	895	490
II.	1031	546
III.	1276	665
Tricassinum I.	867	486
II.	878	488
Trojanum	1093	554
Trosleianum I.	909	513
II.	921	513
III.	924	513
IV.	927	513
Tullense I.	550	364
II.	859	484
III.	860	484
Tulugiense, aliis Helenense	1065	549
Turiasonense	1229	661
Turonense, sive Turonicum I.	461	316
II.	567	367
III.	800	431
IV.	813	480
V.	912	513
VI.	1055	548
VII.	1060	548
VIII.	1096	555
IX.	1163	611
X.	1236	662
XI.	1239	662
XII.	1282	666
XIII.	1448	153 A.
Tvvifordense	685	398
Tyanense	368	231
Tyrium I.	335	224
II.	448	310
III.	518	360

Digitized by Google

	An.	Pag.
VAlentinum Gall. I.	374	231
II.	530	360
III.	584	368
IV.	855	484
V.	890	490
VI.	1100	555
VII.	1248	663
Valentinum Hiſp.	524	360
Valliſoletanum	1322	62 A.
Vaſenſe I.	442	309
II.	529	360
Vavrenſe I.	1213	660
II.	1368	65 A.
Veneticum	465	316
Venetum	1177	613
Vercellenſe	1050	547
Vermerienſe I.	752	426
II.	853	483
III.	863	485
IV.	869	486
Vernenſe I.	755	427
II.	844	482
Verolamienſe I.	446	310
II.	793	430
III.	794	430
Veronenſe	1184	613
Viennenſe I.	892	490
II.	1112	605
III.	1267	664
IV. *Generale*	1311	60 A.
Villaregienſe	684	398
Virdunenſe	947	514
Vizeliacum	1146	609
Uniejovienſe	1375	66 A.
Uratislavienſe I.	1248	663
II.	1267	664
Urgellitanum	792	431
WEſtmonaſterienſe I.	1066	549
II.	1077	551
III.	1142	609
IV.	1176	613
V.	1177	613
VI.	1226	661
VII.	1316	61 A.
Wigornienſe I.	601	393
II.	1240	662
Windleshorenſe I.	1070	550
II.	1114	605
III.	1175	612
Wintonienſe I.	855	484
II.	975	515
III.	1021	546
IV.	1070	549
V.	1076	551
VI.	1139	608
VII.	1142	609
Wormatienſe I.	787	429
II.	829	481
III.	833	481
IV.	868	486
V.	890	490
VI.	1076	551
VII.	1122	607

Digitized by Google

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR.

Monendus est LECTOR, in hunc Indicem (missis quæ ad singulos Scriptores propriè spectant) ea tantummodò referri, quæ quasi obiter notata, prima statim fronte suis locis non ita commodè reperiri possent.

Pr. Prolegomena, A Appendicem notat. Ubi plures simul numeri Appendicem respiciunt Uncis includuntur. Quæ D. subnexum habent in Dissertationibus quærenda sunt.

A

Abbatissæ Synodis intersunt, Paginâ 400
Abailardus ob errores de S. Trinitate librum suum comburere coactus, 606
Abercius Marcellus, 51
Ἀβράξας Basilidianorum quid voluerit, 31
Abgari Epistola ad Christum, Christique Responsoria; earum fides astruitur, 2
Argumenta in contrarium solvuntur, ibid.
Ἁγιοπολιτικὸν hymnus apud Græcos, 179 D.
Acœmetæ Monachi, qui & unde ita dicti, 238. Nestorianis favebant, ibid.
Acta rerum apud se gestarum Romam transmittere solebant Provinciarum Rectores, 25
Acta Pilati de Christo quæ, ibid.
Acta SS. Martyrum; 60
Academiæ & Scholæ celebriores sub Carolo Magno florentes, 432
Academia Complutensis fundata, 159 A.
Heidelbergensis, 52 A.
Tubingensis, (126, 147 A.)
Adda Hæreticus, 89
Additamentum *Filioque* ad Symbolum in Synodo CP. damnatum, 489
Legitimè factum in Concil. Florentino declaratur, 152 A.
Aden maris rubri portus quis, 65
Adimantus Manetis discipulus, 89, 92
Ejus liber ab Augustino refutatus, ibid.
Ab *Addâ* diversus, 93
Adrianopolis, plures urbes ita dictæ, 217
Æmiliæ Ecclesiæ à subjectione Episcopi Ravennatensis eximuntur, 604
Αἶνοι apud Græcos Psalmi qui, 179 D.
Ἀκάθιςος hymnus B. Virginis apud Græcos, 179 D.
Quâ occasione institutus, ibid.
S. *Albani* Monasterium quando conditum, 430
Albigenses, vid. *Waldenses*.
Alemanni tanquam de naturâ Divinâ malè sentientes perperam accusati, 611
Allegoricæ S. Scripturæ interpretationes Christianis objectæ, 15
Almarici Carnotensis, ejusque discipulorum insana dogmata, 659
Ἀμαρτωλῶν σωτηρία liber Græcorum Ecclesiasticus 180 D.
Ambrosii operum editionem novissimam quæ commendant, 168
Ἄμωμος Psalmus CXVIII. cur ita dictus, 180 D.
Ἀναβαθμοὶ cantica graduum apud Græcos, 180 D.
Ἀναγνώσεις liber apud Græcos quis, 180 D.
Anastasius Biblioth. & Card. 470, 471
Andreas Trapezuntius, 97 A.
Angelos & animas humanas non prorsus esse incorporales tradebant Patrum nonnulli, 391
Angli Ecclesiasticæ antiquitatis studio insignes, *Pr.* 26
Angli Hispanis præcedere debere judicantur, 150 A.
Angliæ Episcopos ordinandi potestas à Pontifice injustè arrogata, 376
Angliæ aliquot sedes Episcopales in urbes translatæ, 551
Anglicanæ Ecclesiæ sententia de legendis Scripturis Ælfrici tempore, 508. item de Eucharistiâ, Christum in ea non esse corporaliter præsentem, ibid.
Anglicanus Clerus legum *Præmunire* abrogationem petit, 153 A.
Anglo-Saxones ad fidem Christi conversi, 317
Annatarum onus Ecclesiæ invectum, 54 A.
Annatarum exactio damnatur, 151 A.
Anni ab Adamo ad Christum quomodo à Græcis numerati, 258
Anni initium à Christi Nativitate computandum, 59 A.
Anselmo Cant. concessum, ut juxta Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum coram Papa sederet, 555. Alterius orbis Papa dictus, ibid

Digitized by Google

Antiochensium seditio adversùs Imperatoris Statuas, 177, 196
Antiochenum Vide Schisma.
Antiquitatis Ecclesiasticæ neglectus falsò Protestantibus objectus, *Pr.* 26
Antiquitatis Ecclesiasticæ studium commendatum, *Pr. ibid.*
Ἀνθολόγιον quisnam liber apud Græcos, 180 D. in quibus à Menæis differt, *ibid.*
Antologium novum quid, 180 D.
Ἀντίφωνα Officium Ecclesiasticum, 180 D. quando & quomodo recitatum, *ibid.*
Antonius Syrrectus, 157 A.
Ἀποδείπνον Officium apud Græcos, 181 D.
Appellationes ad sedem Rom. à Pontifice Rom. injustè vendicatæ, 253
Ab Ecclesiis Africanis damnatæ & prohibitæ, *ibid.* & 263
Apocrisiarii sedis Rom. apud Aulam Imperatoriam quando primùm facti. 278
Apollonius Martyr sub Commodo an Scriptor Ecclesiasticus, 52
Apollonius Tyanæus Christo Domino à Gentilibus comparatus, 218
Apostoli quamdiu in Judæâ remanserint antequam ad Gentes abirent. 4
Apostolorum Series & Acta juxta Dorotheum, 107
Ἀπόστολος liber Græcorum Ecclesiasticus, 181 D. cur ita dictus, *ibid.* antiquitas ejus, *ibid.*
Ἀποστολοευάγγελον quid, 181 D.
Aquæ benedictio apud Græcos quæ, 179 D. Officium duplex, *ibid.* aquæ in memoriam baptismatis Christi domi servatæ *ibid.*
Arelatensis Ecclesiæ jura ab Hilario adversùs Leonem Papam defensa, 268
Ariana Hæresis, 101. ejusque Sectæ variæ, *ibid.* unde primùm orta, 110, 111
Ariani S. Scripturam corruperunt, 173
Ariani quo sensu Christum Deum, & verum Deum esse dicebant, 196. 197. D. Creaturam esse affirmabant, 197 D. qualem Filii generationem agnoscebant, 199 D. idem illis creare & gignere, *ibid.* Filium esse ὁμοούσιον præfractè negabant, 200 D. nec æternum esse nisi Patris solummodò voluntate agnoscebant, 202 D.
Arianus divinitus obmutescens conversus, 360
Arii fraus & vafritia notata, 202, 205 D.
Aristotelis libri quidam exusti, 659
Armachanæ Academiæ alumnis solis licet Theologiam publicè prælegere, 611
Armeni à suis erroribus liberati, 394. Errores hi quinam, *ibid.*
Armeni, rejectis erroribus, doctrinam Catholicam recipiunt, 485, 609
Armeni in Acephalorum hæresin quomodo pertracti, 362
Armenorum cum Græcis concordia tentata, 592, 596. pleniùs, 613. quo sensu appendicem ad Trisagium intelligunt, *ibid.* cum Latinis Concordia, [59, 61 A.]
Arsacius in depositi Chrysostomi locum quo tempore subrogatus, 209. quamdiu sedem suam tenuit, *ibid.*
Articuli Cleri, qui, 61 A.
Ἄρτος ἐπιούσιος in Oratione Dominicâ, quid, 77
Astrologia vana à veteri Ecclesiâ damnata, 34
Athanasio crimina, viz. crudelitas, adulterium, homicidium, illicita ordinatio, impietas in Tyriâ Synodo objecta, 224, 225
Augustini editio nova Benedictinorum, ejus laus, elegantia, & utilitas, 191
Augustini de Roma libellus damnatus salvo auctore, 151 A.
S. Augustinus nunquam fuit Monachus, 144 A.
Augustinus Justinianus, 11 A.

B.

B*abilon* in primâ S. Petri Epistolâ, quem locum designat, 4
Bambergensis Ecclesia in Episcopatum erecta, 545
Banchorensium Monachorum strages ad *Augustinum Cant.* referenda, 357
De *Baptismo* Hæreticorum controversia, quando orta, 59, 61, 79, 81, 82, 100
Baptismus, varia apud Græcos circa illum officia, 181 D.
Barcabas & Parchor Gnosticorum Prophetæ, 35
Bardesanes Babylonius, an idem cum Bardesane Syro. 46
Bardesianistæ quænam docuerunt, 46
Barlaamitæ, (2, 24, 29, 39, 110 A.)
Barlaamitarum hæresis damnata, 64 A.
Baronii laus, *Pr.* 22. de ejus Annalibus judicium, *ibid.*
Βασίλειοι qui libri, 181 D.
Basilidis dogmata quæ, 31
Basilicarum dedicationes in publicis solenniis fieri solitæ, 112
Basilius amicus Chrysostomi neque Cæsariensis, neque Seleuciensis, 196, 285
Begvardi seu *Begvini*, 1 A.
Βῆμα apud Manichæos, quid, 92
Benedictinus Ordo, quando fundatus, 317, 332
Beneventana sedes Archiepiscopatus quando facta, 515
Berengarius synodicè non semel damnatus, 547. abnegatâ sententiâ suâ fidem Romanam amplexus, 548, 551.
Biblia Complutensia, (159, 160 A.)
Bibliotheca à Carolo Imp. IV. Universitati Carolinæ dono data, 47
Bibliotheca Hierosolymit. à quibus extructa & aucta, 61. 97
Bigamos notavit vetus Ecclesia, 190 D.
Bogomilorum hæresis quæ, 589
Bohemorum postulata in Conc. Basil. (151, 152 A.)
Boiarii quo tempore conversi, 317
Bonicontus J. C. 23 A.
Bonifacius Ferrerius, 72 A.
Bonifacius P. VIII. Philippum Galliæ R. injuriis afficit, 58 A.
Bremensis Ecclesia quando fundata, 129 A.
Bremensium & *Hamburgensium* Episcop. & Archiep. series, 120 A.
Britannorum Episcopi Romanos ritus agnoscere recusant, 394
Bogomilorum hæresis quando orta, 584. insana dogmata quæ, 609
Buttas Gymnosophistarum præceptor, 90
Byzantina sedes à quo fundata, 105
Catalogus, series & successio Episcoporum Byzantinorum usque ad tempora Constantini M. 105, 106, 107, 109, 110. Controversia inter sedem C.P. & Rom. de præcedentia, unde orta, 107. ab Origine sua prolixiùs repetita, 109. Privilegia Byzantinæ sedi concessa, 109, 238, 278.

C.

C*æremonias* Ecclesiæ veteris quinam descripserint, *Pr.* 23
Cæsaraugusta sedes Metropolitana, 61 A.
Calix Laicis interdictus, 68 A.
Canon varios notat Græcorum libellos & Officia Ecclesiastica, 185 D.
Canon magnus quis, & cur ita dictus, *ibid.*
Canones in Diptycha non relati, 315
Canonum collectores, 315
Cantuariæ Archiepiscopalis dignitas extinctâ Lichfeldensi restituta. 479
Cantuariensis Archiepiscopus totius Angliæ Primatis titulo donatus, 554
Cantuariensium Archiepiscoporum series & Vitæ, 51 A.
Tria Capitula quæ, 317. à Synodo 5, Generali damnantur, 337
Controversia de his à quo primùm mota, *ibid.*
Cardinalium institutio, dignitas, insignia, 517
Caritatis mirandæ exemplum insigne; 185
Carolini libri de non adorandis imaginibus, à quo conditi; 417,

417, 418. eorum fides & auctoritas vindicatur, 418
Catalogus librorum V. Test. à Melitone confectus, 42. quænam in eo observanda, *ibid.*
Cathismata in Græcorum Psalterio quæ, 192 D.
Catholicæ communionis judices à Theodosio constituti, 233
Caxtonus (Gul.) Historicus, 39 A.
Cerinthi hæresis qualis, 24
Χαιρετισμοὶ hymni in laudem B. Virginis, 192 D.
Chatzitzarii quare sic dicti, 170 D.
Chiliasmi opinio ab antiquis quibusdam Scriptoribus recepta, 30, 38, 78, 94. hæc opinio unde ac quo autore, 30
Christiani ob hetærias sub Trajano accusati, 26
Trajani de iis sententia, *ibid.*
Christiani in Ægypto singulares, 510
Christus, vide *Filius.*
Christus idem sub veteri & novo Testamento, 34
Christianæ Religionis professio publicè fieri debet, 145
Chronicon Alexandrinum cur ita dictum, 381. ubi repertum, & à quo tandem editum, *ibid.*
Chronologiæ Ecclesiasticæ Scriptores qui, Pr. 24
Circumcisio nonnunquam iterata, 60
Claudius Saturninus, 56
Clementinæ Constitutiones, 60 A.
Cleobius Hæreticus, 14
Clericorum in commune viventium societas instituta 547
Clericorum conjugium adversùs Papæ decretum animosè tuentur Germani, 550
Clerici vitæ communis instituti, 48 A.
Clericorum conjugium veteribus licitum, 98, 134, 149, 185, 239. 250, 255, 273, (103. A.)
Codex Encyclius quis, & quando conditus, 314, 315.
Codex Canonum Ecclesiæ universæ, quis 315. Origo ejus & processus, *ibid.*
Codex Canonum Ecclesiæ Orientalis, 315. & 182. D. quot & quos Canones continet, 181. D. in synodis super mensam collatus, 182 D.
Codex Canonum *Æthiopicus*, quid continet, 182 D.
Codex Evangeliorum in conciliis super mensam poni solitus, 182 D.
Cœlestis Dea ab Afris culta, 183. varia sortita nomina, *ibid.* sub Veneris nomine præcipuè à Carthaginensibus adorata, *ibid.* Astarte apud Phœnices dicta, 184
Cœlibatus jugum non imponendum, 43
Cœnobium Periblepte Constantinopoli quid, 567
Coloniensium Episcoporum & Archiepiscoporum Catalogus, 39 A.
Conciliorum Editores insigniores, Pr. 22
Concilium Basileense, (68, 85, 87, 88, 89, 90, 114. A.)
Concilium Constantiense, (58, 67, 68, 69, 70, 74, 77, 80. A.)
Concilium C. P. Generale VI. 369
Concilium Antiochenum adversùs Paulum Samosatenum, 78, 82, 83, 85, 86, 87.
Concilium Ephesinum quo tempore, quâ occasione habitum, 251.
Concilium Ferrariense & Florentinum, (68, 79, 80, 88, 89, 91, 92, 93, 94, 95, 96, 97, 98, 100. A.)
Concilium Lateranense sub Innocentio III. 616. De Canonibus ejusdem quid sentiendum, *ibid.*
Concilium Lateranense ultimum, (154, 162, 163. A.)
Concilium Hierosolymitanum I. 1
Concilio Nicæno non præfuit Hosius, tanquam Papæ legatus, 118
Concilium Quini-Sextum. 369
Concilium Pisanum I. (67, 74 A.)
Concilium Pisanum II. (141, 154, 161 A.)
Concilium Senense, 80 A.
Concilium Turonense (anno 1510.) 154 A.
Concilium Viennense, (1, 4, 7. A.)
Concilium Oecumenicum jure haberi potest absque Papa auctoritate, vel legatis, 426. potestatem habet immediatè à Christo, 149. A. etiam super Papam, *ibid.* & 151, 152. A.
Concordata Gallica, 154 A.
Concordia inter Latinos & Græcos in Concilio Lugdun. facta, 617. frustrà, *ibid.*
Confessio fidei μακρόστιχος dicta quæ, 226
Confessio Sacerdotalis primis Ecclesiæ sæculis necessaria non est habita, 116 A.
Confirmatio Episcoporum solorum munus, 82
Confirmatio cum Baptismo olim conjuncta, 187 D.
Conjugium cum consanguineâ damnatum, 516
Conjugium Clericorum damnatum, 663
Con-Lucianistæ qui, 116
Constantini Crysomali impia & absurda dogmata quæ, 609
Constantini Donatio à Pontificiis impugnata, (99, 103, 105, 106, 115 A.)
Constantinopolis quando ædificata, quando dedicata 128
Constantinopolitano Antistiti proximus post Romanum Episcopum honor tributus, 233
Simultates inter utramque sedem inde ortæ, *ibid.* Sedi huic privilegia à Concilio Chalcedonensi concessa, 314
CPolitanorum Patriarcharum series, 51 A.
Consuetudines Anglicanæ confirmatæ, 611. circa eas turbæ, *ibid.*
Contentio inter Theologos & juristas Oxon. 67 A.
Controversia de conjugio Clericorum quomodo decisa, 515. 606. 607
Conventus Francofurtensis sub Ludovico Bavaro Imp. 23. A.
Corporis Christi Festum à quo & quando institutum, 632, 640
Coventrensium & *Lichfeldensium* Episcoporum series, 32 A.
Crucigeri Patriarchales quinam, 95 A.
Cyprianus Episcopus Antiochenus alius à Cypriano Cartaginensi, 80

D.

Damasceni locus de processione Spiritûs S. à Græcis in Synodo accuratè excussus, 667
Decimæ quomodo olim dividendæ, 479
Decimarum pars quarta Ecclesiis Cathedralibus persolvenda, 549
Dei unitas à gentilibus agnita, 221
Defensor Ecclesiæ quis, 170 D.
Deputatus in Ecclesiâ Græcâ quis, 192 D. an idem cum *Ceroferario*, *ibid.*
Διακονικὸν quid, 182 D.
Διακαινόμενοι qui, 194
Διδασκαλίαι apud veteres variæ, 27, 28, 68
Disputationes in Concilio Nicæno habitæ fabulosæ, 293
Διδαχαὶ & Διδασκαλίαι veterum quæ, 13, 68
Διδαχαὶ apud recentiores Græcos quales, 182 D.
Dionysii reliquiæ detectæ & recognitæ, 547
Dionysii Areopagitæ scripta quando publicè citata, 385
Διπλοκατηχούμενοι quid notat, 182 D.
Δίπτυχα, quæ 183 D. antiquitas eorum, *ibid.*
Discipulus, quis. 122 A.
Docetæ Hæretici, 46
Dogmata Scriptori alicui afficta, veræ ejus doctrinæ contraria, scriptum illud spurium esse ostendunt. Pr. 14
Dominica in *Palmis* & oratio in eâ usurpanda, 181 D.
Dominicanorum Ordo à quo primùm institutus, & quando confirmatus, 616
Donatistæ, quid de iis actum. 237
Dorothei Monembasiensis de Athanasii exilio error. 121

E.

Ebionis Hæresis. 1, 60
Ebionitæ in Judæ Epistolâ Catholicâ descripti & designati. 11
Ecclesiam Orientalem inter & Occidentalem de causâ Acacii pax facta. 326
Eclipsis Solis tempore passionis Christi. 17
Edessa à Saracenis quando occupata. 559

Digitized by Google

Editiones S. Patrum quibus regulis seligendæ, Pr. 15. 16
Quò vetustiores, eò fideliores, Pr. 16
Editionum vetustiorum precium, & raritas, *ibid.*
Editio Chrysostomi Saviliana cur neglecta, Pr. 18
Eggelingus Brunsvicensis, 126 A.
Ἑιρμολόγιον liber Græcorum Ecclesiasticus, quis, 183 D.
Ἔισοδος in Ecclesiâ Græcâ duplex, 183 D. quænam in his officia, *ibid.*
Electoribus Imperatorem eligendi an facultas à Papa primùm concessa. 516
Eleutherius Papa Montanismo infectus, 49
Encœnia, plura circa hæc apud Græcos officia, 183 D.
Encratitæ, 45
Ἐννατα officium pro defunctis, 193 D. cur ita dictum, *ibid.*
Enthusiasmus divorum Pontificiorum, (6, 48, 96, 98, 107 A.)
Ἑξάψαλμος quid, 183 D.
Episcopi duo eodem tempore in eâdem sede, 61, 186, 438.
Episcopi contumeliosè non tractandi, 489
Episcopis injustè depositis, an cum eorum successoribus colenda communio, 642
Epistola Catholica S. Jacobi cur B. Petri Epistolis præponatur, 403
Epistolæ Honorii & Innocentii Papæ in causâ Chrysostomi post ejus mortem scriptæ, spuriæ, 213
Epistolæ decretales quando & à quo confictæ, 445, 446
Evangelia varia sub Apostolorum nominibus conficta, Pr. 13
Evangeliorum Codex apud Græcos qualis, 184 D. varia Evangelia in eorum officiis, *ibid.*
Evangelium secundùm Hebræos, 5, 10
Evangelium S. Matthæi à Pantæno in Indiâ repertum, 50
Proto-Evangelium admodum fabulosum. 119
Evangelium ÆTERNUM quando, & à quibus conditum. 616
blasphema dogmata in eo contenta, *ibid.*
ægrè à Papâ damnatum. 617
Ἐυαγγελιςάριον quid. 184 D.
Euchaitarum urbs Theodoropolis cur dicta. 527
Eucharistiam sub utrâque specie recipere Leonis I. tempore solebat Rom. Ecclesia. 278, 298
Poculum Eucharisticum recusare nota Manichæi, *ibid.*
Eucharistia sine vino celebrando permissio ab Innocentio *VIII.* Norvvegis facta. 135 A.
Eucharistia à Luciano martyre super proprium pectus celebrata. 98
Eucharistia sub una specie ministranda non obstante Christi institutione & Ecclesiæ Primitivæ praxi decernitur. 150 A.
Eudoxia Aug. in Chrysostomum ira quâ ex causâ, & quo tempore orta, 209. mortis ejus tempus accuratè definitur. 210
Eunomii in Christum blasphemiæ, 140, 141
Eusebii Cæsariensis fides & authoritas. 2
Eusebiani unde dicti. 118
Eusebius Arianismi immerito postulatus. 193 D. & *seqq.* quinam ex veteribus eum accusârunt. 194 D. malignus Baronii in illum animus unde, *ibid.* D. τὸ ὁμοούσιον Filii agnoscebat. 201 D. cur hoc vocabulum ægrè admisit. 201. 204 D. subscriptio decretis Nicænis prolixè vindicata, 204 D. formulam fidei Synodo Nicænæ obtulit, *ibid.* accuratum ejus decreti Nicæni examen, 204. D. apologiam pro se adversùs Arii dogmata edidit, 205. D. plures veterum & recentiorum sententiæ probantes illum non fuisse Arianum, 205 D. commercium ejus cum Arianis unde, 205 D. imposuit ei Arius, *ibid.* in scriptis ejus durius & incautius dicta unde. *ibid.*
Eutychius scriptor ignobilis. 68
Eutychianorum Sectæ variæ. 317
Ἐυχολόγιον Græcorum quid continet. 184. D. exemplar vetustissimum, *ibid.* præstantissima editio. *ibid.*
Excommunicatorum nomina mox publicanda. 487
Excommunicatus post mortem absolutus. 513
Ex *Enochi* libro plura desumpsit Sybillinorum auctor. 36
Exequiæ, officia circa eas apud Græcos. 183 D.
Expeditio nova in terram sanctam à variis Synodis decreta. 614
Expeditio contra Saracenos in Hispaniâ sancita. 614.
Eystetensium Episcoporum Catalogus, 8 A.

F.

Fabulæ inanes in libris vet. Patribus attributis suppositionis argumentum. Pr. 14. 15
Festum Annunciationis B. Virginis institutum. 54 A.
Festum Conceptionis B. Virginis institutum. 151 A.
Festum immaculatæ conceptionis institutum. (2, 122 A.)
Festum Transfigurationis D.N.J.C. institutum. 113 A.
Festum Translationis manûs S. Joannis Baptistæ quando institutum. 502
Festum SS. Trinitatis institutum. 55 A.
Fidei formula à Papa noviter electo profitenda. 151 A.
Filius minor *Patre* quo sensu à veteribus dictus. 195 & *seqq. D.*
Filii ex *Patre* progressus ad condenda universa, 195 & *seq.* D. quid per dictum illud de Filio, *priusquàm nasceretur, non erat*; intelligebant Ariani. 195 D.
Filii Divinitas demonstratur. 196 & *seqq.* D. Filius αὐτόθεος quo sensu dictus. 197 D. Essentiam habet Divinam sibi à Patre communicatam. 198 & *seqq.* D.
Filii generatio Divinæ Essentiæ communicationem denotat, 199 D. Ejusdem cum Patre naturæ, 200 & *seqq.* D.
Filium Patri esse simillimum, ejusque imaginem quo sensu agnoscebant Patres Catholici. 200 & *seqq.* D. Omnia habet quæ *Pater*, 201 D. ejus Æternitas fusè demonstratur. 202 & *seqq.* D.
Vox *Filioque* Symbolo addita, à Pontifice Rom. damnata, 423. Græcorum cum Latinis hâc de re controversia. 432
Fortalitium Fidei cuinam Authori debeatur. 116 A.
Franciscani Ordinis institutio. 621
Franciscanorum dissidia. (1, 11, 12. 13, 14. 21)
Fratres Prædicatores hæreticæ pravitatis inquisitores facti. 662
Fratricelli, (1, 12, 13 A.)
Frobenii (Joannis) Typographi encomium, Pr. 17.
Mors & Epitaphium. *ibid.*
Officinæ ejus Typographicæ laus, *ibid.*

G.

Gabriel Barelettus, 122 A.
Galerus rubrus Cardinalitius primùm institutus, 663.
Galeri coccinei usus Cardinalibus appropriatus, 120. A. Vid. in *Cardinales.*
Galliæ interdictum ob Philippi Regis nuptias illicitas, 614. solutum, *ibid.*
Gaudentius Episcopus Donatista alius à Gaudentio Brixiano. 181
Gebehardus in Papam electus, 548
Gelasii Decretum *de libris Apocryphis* in Synodo Romana latum, spurium esse variis argumentis demonstratur, 298
Gentilium salus possibilis an à Scriptoribus antiquis credita fuerit, 38, 39
Gentilium Scholæ à Juliano Christianis interdictæ, 142, 156, 219
Gentilium cultus à Juliano restitutus, 219
Gentilium adversùs fidem Christianam scripta à Christianis Impp. abolita, & quare, Pr. 3.
Geographiæ sacræ antiquæ Scriptores varii, Pr. 24
Γεροντικὸν liber Græcorum qualis, 182. D.
Gilberti Porretani errores circa S. Trinitatem qui, 610 excussi iterum & damnati, *ibid.*
Gnostici, 26, 31, 32, 33, 34, 38, 39, 40, 41, 51,
Gothi in Hispaniâ ab Arianismo à quo conversi, 350
Gothicus ritus apud Hispanos abrogatus, 548

Digitized by Google

Græca Ecclesiæ lites circa lumen in monte Thabor, 65. A.
Græca linguæ studium apud primos Typographiæ curatores, *Pr.* 18
Græca linguæ studium in Occidente resuscitatum, (53, 67, 82 A.)
Græcorum quorundam opiniones aniles de vitâ functorum animis, 162, 163
Græcorum cum *Latinis* concordia penitus rejecta, 612
Græcorum unio cum *Latinis* facta, sed frustra, 665
Græcorum Legati Basileam ad Concilium veniunt, 151. A.
Græcorum unio cum *Latinis* in Concilio Florentino stabilita, 153. A. in Concilio CPolitano rejecta, *ibid.*

H.

HArduini de Josepho insolens judicium, 6
De Hæresibus veteris Ecclesiæ Scriptores optimi, *Pr.* 23
Hæretici juxta Pontificios nequaquam tolerandi, 116 A.
Hæretici an post mortem damnari possint, 365
Haytonus Armeniæ Rex fit Monachus Minorita, 656
Hebrææ literæ in Occidente resuscitatæ, 143. A.
Hegemonius Scriptor. 93
Henrico IV. imperium abrogatur, & Rodulpho datur, 552 à Gregorio Papâ sæpe excommunicatus, 552, 553. iterum excommunicatus, 603 iterum depositus, 604
Henricianorum hæresis quæ, 552
Henricus de Zœmeren Decanus Antverpiens. 19 A.
Henricus Institor. 146 A.
Heracleon scriptor Hæreticus, 32
Hesychistæ Monachi, 24. A.
Herodes quando regnum suum primùm auspicatus est, 5
Hexapla, Tetrapla, Octapla, Origenis qualia, 75
Hiberniæ Archiepiscopatus quatuor qui, 610. quando instituti, *ibid.*
Hibernicæ Ecclesiæ status ad Anglicanæ formam compositus, 611
Hierocles duo, 114 viri doctiss. hâc de re error, *ibid.*
Hieronymus Pragensis, (68, 69, 70 A.)
Hieronymus Pragensis dogmata sua abjurat, 150. A. abjurationem revocat, *ibid.* hæreseos damnatus vivicomburium patitur, *ibid.*
Hierosolymorum eversio; 1
Hierosolymitana expeditio decreta, 555
S. Hildegardi nova suas prophetias evulgandi facultas à Pontifice concessa, 610
Hippolyti tres, 66
Hippolytus martyr, de quo Prudentius, alius ab Hippolyto Portuensi, 62
Historici Ecclesiastici celebriores, *Pr.* 21. 22
Homeritæ qui, 338 ad Christianismum quando conversi, *ibid.* inter eos multi Judæi, *ibid.*
Homuncionisti Hæretici qui, 131
Honorius Papa Monothelismi reus damnatus, 408
Horologium Græcorum quæ continet, 193 D.
Horologium parvum quid, 193 D.
Hussitæ hæreseos damnantur, 151. A. ab adversariis vexantur, *ibid.* eorum Fidei Confessio, 150. A.
Hydroparastate, 45
Hymnus Domini, quem Christo affinxerunt Priscillianistæ, 3
Hymnus Matutinus quis; 185 D. *Angelicus* cur dictus, *ibid.* magna illius antiquitas, *ibid.* Hymnis Deum colere solebant primi Christiani, *ibid.* Christi divinitatem celebrârunt, *ibid.*
Hymnus, *Te Deum* dictus, à quo & quando compositus, 167
Hymnus vespertinus quis, 183 D. ejus antiquitas demonstratur, 184 an ab Athenogene compositus, *ibid.*
Hymnologium Græcorum quid continet, 192 D. varia hymnorum genera, *ibid.*
Hymnorum alternatim decantatorum origo, 177
Hypatiæ Philosophæ cædes Cyrillo Alex. falsò affixa, 251

I.

JAcobitæ unde dicti, 340
Ianselmus Canova, 27 A.
Jason quis, 36, 37. ejus cum Papisco disputatio, *ibid.*
Idiota scriptor, 52 A.
Jejunium primi mensis quomodo celebrandum, 546
Jejunium in omnium Apostolorum vigiliis imperatum, 555
Ignatii Epistolarum oppugnatores, & Hyperaspistæ, 27
Ignatii Patriarchæ CP. depositio Synodalis, 484. ejus per aliam Synodum restitutio, 486
Imagines quo fine in templis primò positæ, 401. Earum cultus quando publicè in Ecclesiam introductus, *ibid.* à quibus sublatus, & à quibus restitutus sæculo *VIII. ibid.* damnatus à Synodo Francofurtensi, *ibid.* ab Ecclesiâ Gallicana, 432, 439, 442, 443, ab Ecclesiâ Anglicanâ, 401
Imaginum adoratio à Synodo Orientali Oecumenicâ damnata, 426. item in Synodo Francofordiensi, 430, & in Synodo Parisiensi, 481. Nullus pro imaginibus testis productus ante sæculum IV. 429. cultus imaginum restitutus, 482
Immaculata B. Virginis conceptio à quonam primùm excogitata, 2 A.
Imperatorum in urbem Romam potestas qualis sæculo 9, 432
Imperatores, Reges ac Principes à Pontificibus Romanis excommunicati & regnis privari jussi (7, 12, 13, 23, 29, 45, 49, 55, 77, 106, 114, 120, 122, 135, A.)
Impostor quinque crucifixionis vulnera præ se ferens punitus, 660
Incestuosorum hæresis quæ, 549
Indices librorum prohibitorum quando primùm cœperint, *Pr.* 19
Indicum Expurgatoriorum origo & progressus, *ibid.* Opera S. Patrum verè expurgari jubent, *ibid.* & *seqq.* Gretseri ineptiæ hâc de re refutatæ, *ibid.* 20 &c.
Indulgentia annorum 11000. 122 A.
Indulgentiarum turpissima mercatura, (155, 162, 163 A.)
Ingratitudinis pessimæ exemplum, 176, 240
S. Inquisitionis Officium quando & quâ occasione institutum, 616
Investiturarum fautores in Angliâ excommunicati, 604
Investituræ laicorum sæpius damnatæ, 604, 605, 606. Pontifici concessæ, 607
Joachimi Abbatis liber de S. Trinitate damnatus, 660
Joannes de Athonâ, 84. A.
Joannes Baptista qualis antiquis Patribus habitus, 1
Joannitæ qui, 196. sævitia quam in eos exercebant adversarii, 211
Joannes de Gessen, 107 A.
Joannes de Glanvillâ, 44 A.
Joannis Hocstrati cum Reuchlino certamen, 143 A.
Joannes Huss hæreseos damnatus crematur, 150. A.
Joannes de Lapide, 102 A.
Joannes Linturius, 133 A.
Joannes Marcus, 16
Joannes Patriarcha CP. exauctoratur, 65. A.
Joannes Trevisa, Historicus, 39 A.
Joannes Warsenius, 156 A.
Josephi de Christo Domino testimonium vindicatum. 22. à Judæis è libris suis erasum, *ibid.* locus difficilis de Ballistis, ὁ υἱὸς ἤρχεται, commodè explicatus, 23
Josephus Gorionides, Scriptor insulsus & fabulosus, 21
Joviniani errores damnati, 234. de eo quid exinde factum est, *ibid.*
Jubilæum Christianum, seu Romanum, à quo primùm institutum; 657
Jubilæus ab anno centesimo ad quinquagesimum reductus, 29 A.
Judæi ex variis Occidentis regionibus pulsi, 617

Digitized by Google

Judæi Angliâ expulsi, 667
Judæorum & *Mahometanorum* objectiones contra Transubstantiationem & Imaginum cultum, 116 A.
Judices jurejurando obligandi ad munus sanctè obeundum, 15 A.
Julius II. Papa, 154 A.
Ivo ad sedem Carnotensem difficulter admissus ab ipso Pontifice consecratus, 553
Juraturis mos Evangelii tangendi, 175
Justinus Siculus, 38

K.

Καλενδάριον sive Ephemeris Ecclesiastica, 185 D.
Κέρβος in Hieronymi catalogo quid, 149
Κλῖμαξ liber Ecclesiasticus apud Græcos quis, 186 D.
Κοντάκιον quid, 216
Κοντάκιον breve canticum apud Græcos cur ita dictum 186. D. Contaciorum origo quæ, *ibid.*

L.

Λυχνικὸν quid, 186 D.
Lexicographi Ecclesiastici insigniores, Pr. 24.
Lingua Hebraica, Arabica, & *Chaldaica* in Academiis perdiscendæ, 60 A.
Lisoii & *Heriberti* hæreses & blasphemiæ quæ, 545
Liturgia Domini apud Æthiopes quæ, 3
Liturgia variæ Apostolis affectæ. 5, 10
Liturgiarum origo, 186. D. Basilii, Chrysostomi, & Præsanctificatorum liturgiæ quo ordine in Ecclesiâ Græcâ recitatæ, *ibid.*
Liturgicum Græcorum quid continet, 186 D.
Λόγος ab antiquis Patribus quo sensu usurpatus, 38, 39
Lucernarium quodnam apud Græcos officium, 186. D.
Lucernarium & *vespertinum* quomodo differunt, *ibid.* antiquitas hujus officii, *ibid.* luminaria in Ecclesiis olim accendi solita, & donationes in hunc usum, *ibid.*

M.

Magalonensium & *Monspeliensium* Episcoporum series & vitæ, 24. A.
Manetis & veterum Manichæorum scripta recensita & illustrata, 90, 91, 92, &c.
Manichaismi conditores, 90. quam habuit Trinitatem, 91
Manuscripti Codices à Pontificiis purgati, Pr. 21
Manuscriptorum Codicum catalogos quinam dederint, Pr. 25
Marcionitica Hæresews principia quænam, 33, 34
Marcus Priscilliani Præceptor, 40
B. Maria V. Conceptio immaculata, 151. A.
Marianus Florentinus, 108. A.
Maronita num olim Catholici, 348, 349
Legatos ad Eugenium P. unionis causâ mittunt, 153. A.
Martialis Lemovicensis Apostolici nomine honorandus, 546
Μαρτυρικὸν hymnus apud Græcos in honorem Martyrum, 187 D.
Martyrum cultus prohibitus, 483
Massaliani Hæretici qui, 567. primus hujus sectæ auctor, *ibid.*
Matthias de Sueciâ, 47 A.
Mediolanensis Ecclesia adhuc sæculo 11°. sedi Romanæ non subjecta, 528
Μηναῖον Græcorum quid continet, 187 D. rerum etiam memorabilium in hoc opere officia, *ibid.* invocatio Sanctorum in his officiis frequens, *ibid.*
Mendicantium Ordinum intestina dissidia, (1, 12, 13, 14. 19 A.)
Mendicantium Ordinum & sæcularis Cleri dissidia, (1, 31, 35, 40, 116 A.)
Menologium Græcorum quid continet, 187 D. antiquissimum illius exemplar, *ibid.*
Meretricum vectigal à Sixto IV. excogitatum, 122 A.
Meritorum thesaurus Pontificius à Fr. Mayronio negatus, 11 A.
Michael de Carcano, 128 A.
Millennium septimum & sabbaticum, & quid de eo veteres, 13
Missa Mozarabica à quo composita 351 ubinam & quamdiu usurpata, 160 A.
Missarum & *indulgentiarum* nimius usus coercitus, 546
Monachi à scriptoribus gentilibus acriter vellicati, 220
Monachi Christiani à Rutilio notati, 301
Monachis & *Canonicis* legum & Physicæ studium interdictum, 611
Monachismus Ecclesiæ veteris à quibus descriptus, Pr. 23
Monica de Augustini filii salute pia sollicitudo, 186
Monothelita Hæretici qui, & quando orti, 369
Mons pietatis erectus, 128 A.
Moravis sacra publica linguâ suâ vernaculâ celebrare, à Pontifice concessum, 473
De *Mosaicorum* rituum observantiâ *Act. XV.* controversia unde orta 25, quomodo definita, ad intelligendas Pauli Epistolas apprimè necessaria, 26
Mozarabicum officium à quo institutum, & cur 552. cur ita dictum, *ibid.* in quibusnam Hispaniæ Ecclesiis hodie retinetur, *ibid.* à Card. Ximenio emendatum, *ibid.*
Muhamed Arabum impostor quando ortus, 369
Musæum, sive schola Alexandrina in eorum usum, qui meliores literas profitebantur, instituta, qualis, 47
Mysteriis sacris tres ordines olim expulsi, 216

N.

Narcissus Hierosolymitanus Episcopus, 61
Natura, sive φύσεως vox quo sensu à Cyrillo usurpata, 251
Nero Romam incendio consumpsit quo anno, 4
Hâc occasione primus in Christianos persecutionem movit, 1, 4
Nicolaus Baselius, 147 A.
Nipho monachus Bogomilicus, circa illum turbæ, 610
Noetus se pro Mose venditat, 99
Νόθοι libri quid Eusebio significent, 12
Nomen D.N.I.C. circulo primum depictum, 85 A. cultu superstitioso affectum, *ibid.* & 128 A.
Nominales Scholastici Theologi, 19 A.
Nomocanon quid, 188 D. quis eum composuit, *ibid.* librum pœnitentialem notat, *ibid.* D.
Notarum in excipiendis sermonibus apud veteres mos, 243
Nuptiæ secundæ ab Hieronymo durè nimis notatæ, 171
Nuptiæ quartæ velut illegitimæ damnatæ, 512
Nuptiæ incestuosæ damnatæ, 607
Nuptiæ, varia circa illas officia, 189. D. per octo dies à Græcis celebratæ, 190 D.

O.

Observantes Fratres instituti, 85 A.
Octoechus Græcorum quis, 188 D. hujus officii celebrandi mos, *ibid.*
Oecumenici Episcopi titulus à quo primùm introductus, 352 à Pelagio Papâ, *ibid.* item à Gregorio M. acerrimè damnatus, 369.
Oehonis & *Ottobonis* constitutiones pro legibus Ecclesiasticis in Angliâ receptæ, 666
Ogdoas Gnosticorum quid fuerit, 40
Οἶκος hymnus quis, & cur ita dictus, 188 D.
Ὁμοούσιος vocabulum à patribus Nicænis cur adhibitum, 200 D.

Oratio

Digitized by Google

Oratio ὀπισθάμβωνος quæ, 188. D. cur instituta, *ibid.*
Ordinatorum à Simoniacis pœnitentia qualis, 547
Ordinationum varia apud Græcos genera, & diversa circa illas officia, 192 D.
Ordinum Monasticorum incrementa, 517, 556
Ordo Dominicanorum quando institutus, 660
Organa Pneumatica à quonam primùm in Ecclesias invecta, 10 A.
Origenes Philosophus Gentilis, 76
Ὄρθρος quodnam apud Græcos officium, 188 D.
Osvaldus à Lasco, 158 A.
Ovetensis Ecclesia Metropolitana quando facta, 487. ejus confirmatio, 512
Oxoniense decretum de Appellationibus abrogatur, 63 A. decretum contra Lollardos, 148 A.

P.

P*Alamitæ*, [2,24,36 A.]
Pampilonensis Ecclesiæ sedès Episcopalis restituta, 546
Panegyricum liber Græcorum Ecclesiasticus quis, 188 D.
Papa non aliunde quàm ex Longobardiâ eligendus, 548
Papæ nomen è Diptychis C. P. excussum, 292
Papæ exactiones in Angliâ rejectæ, 661
Papæ quinta redituum Ecclesiasticorum pars ad triennium concessa, 663
Papam reliquis Patriarchis ordine, non dignitate, præcedere agnoscunt Græci, 153 A.
Paraclétice liber Græcorum Ecclesiasticus, 188 D. cur ita dictus, *ibid.* errores in eo à L. Allatio notati, *ibid.*
Paradisus liber Græcorum quid continet, 188 D.
Paschalis controversia, 26,28,40,42,52,82,83
De *Paschatis* die controversia, 58
Πασχάλιον quid, 189 D.
Pater in personis *Trinitatis* considerandus ut fons & principium Deitatis, 194, 195 D.
Πατερικὸν liber Ecclesiasticus apud Græcos, 189 D.
Patriarchæ in Synodo Nicænâ non stabiliti, 224
Patriarcharum apud Socratem mentio quo sensu, 233
Patriarchatus Venetus fundatus, 88 A.
S. Patrum opera à Pontificiis detruncata, 205. *Pr.* 19
Paulus Apostolus ad Occidentis terminum usque venit, 1
Paulus æquè ac *Petrus* Romanæ Ecclesiæ conditor & Episcopus, 8
S. Pauli stylus ab Hieronymo protervè & insolenter nimis notatus, 171
Pauli Samosateni dogma de Christo quid, 85, 86
Paulus de *Waan* quis, 147 A.
Peccatores post pœnitentiam lapsi quomodo recipiendi, 368
Pedilavium cur institutum & quomodo celebratum, 187 D. mos hic à Regibus observari solitus 188. in festo Pedilavii quis Judam proditorem repræsentabat, 187. item quis Petri Apostoli locum in hoc festo tenebat, *ibid.*
Πεντηκοστάριον quinam apud Græcos liber, 189. D. quid in eo carpit Allatius, *ibid.*
Persecutio prima sub Nerone, 1, 4.
Secunda sub Domitiano, 1
Tertia sub Trajano, 26, 27
Quarta sub Adriano & Antonino Pio, 26,32,33,37,42,49
Quinta aliis sexta sub Severo, 40, 60, ejus sævitia 57, 59 unde orta, *ibid.*
Sexta sub Maximino, 59
Septima sub Decio, 59, 78, 79
Octava sub Valeriano, 59,79,83
Nona sub Aureliano, 59
Decima sub Diocletiano, ejusque sævitia, 101
Persecutiones Ecclesiæ primitivæ quinam descripserint, *Pr.* 23
Petavii malignus in Eusebium animus, 204 D.
Petrum Romæ *XXV.* annos non sedisse pluribus demonstratur, 5. argumenta Schelstratii ex antiquitate in contrarium allata solvuntur, 7. ejus cum Simone Mago Romæ conflictus quis primus meminit, *ibid.* Romanæ Ecclesiæ Episcopus propriè dici non potest, 8
Petri de Bruis hæresis quæ, 608
Petri Joannis de Olivâ dogmata, 1. A.
Petrus Numagen, 129 A.
Philadelphia in sedem Metropolitanæ erecta, 9
Philander [Gul.] an Autor *Amatoriorum* sub Athenagoræ nomine, 47
Philippus de Mazeriis, 49 A.
Philippus Francorum Rex ob uxorem dimissam & incestas nuptias sæpius excommunicatus, 554. pœnitens factus Monachi habitum induit. *ibid.*
Philosophi nomen Monachis impropriè tributum, 48
Philosophi Gentiles in Concilio Nicæno de fide disputantes, 223
Philumene Pseudo-Prophetissa, 51
Φωταγωγικὰ preces vespertinæ apud Græcos, 192 D.
Πίναξ libellus pœnitentialis 189 D.
Plagium literarium, [30,51,55,82,83,96,97,100,107,145, 163 A.]
Ex *Platonica* Schola veteres plura dogmata in Christianam Theologiam induxerunt, 72, 143
Pœnitentiæ, plura circa illam officia in *Euchologio* Græcorum, 187 D.
Pontificiorum in supprimenda Chrysostomi ad Cæsarium Epistola, fraus, 204, 205
Pontificum Rom. electio ab Imp. confirmari solita, 408
Pontifices Rom. hæreseos à Pontificiis accusati, (1, 13, 14, 19, 21 A.) *à Pontificibus damnati*, 23 A. à Conciliis, 77 A.
Pontificis Rom. primatus impugnatus, [17,19,23,24,40, 50,70,71,86,88,90,105,108,117,125,154,161 A.]
Pontificiorum in edendis Patrum, aliorumque scriptis fraudes, (76,84,121,156 A.)
De *Pontificibus* Romanis Scriptores præcipui, *Pr.* 23
Portus Romanus ad mare rubrum 65
Posnaniensium Episcoporum series & vitæ, 120 A.
Possevini [Ant.] de opere imperfecto in Matthæum error notatus, 202
Prædictio Astrologica eventum sortita, 86 A.
Pragmatica Sanctio, (68,152,154,162 A.)
Πραξαπόστολος quid, 189 D. quo ordine in Ecclesiâ lectus, *ibid.*
Presbyteri titulus ætatè seniorem apud veteres plerumque denotat, 50
Presbyteris locus in Concilio denegatus, 86 A.
Primiano Donatistarum Episcopo objecta crimina quæ, 235
Processio S. Spiritûs ex Filio in Synodo Florentinâ decernitur, 152 A.
Procleani, seu οἱ κατὰ Πρόκλον, qui, 6
Προοιμιακὸς *Psalmus quis*, 189
Prophetissa Montanisticæ quæ, 4
Προψάλματα quæ, 189 D.
Psalmi à Paulo Samosateno in propriam laudem compositi, & in Ecclesiâ cantati, 85
Psalterium apud Græcos recitandi ordo, 192 D.
Publius Optatianus Porphyrius Poëta, 9.
Purgationis usus per judicium aquæ frigidæ confirmatus, 549
De *Purgatorio* Græcos inter & Latinos disputatur, 152 A.

Q.

Q*Vadratus* Apologista non alius ab Episcopo Atheniensi, 33
Quintilla hæretica, 57

R.

R*Avenna* Episcopo secundus à Pontifice locus in conciliis concessus, 547
Raymundus Neophytus, seu de Terragâ, [3,4,5. A.]

Digitized by Google

Raymundus de Vineis, 48. A
Reales Scholastici Theologi, 2. A.
De *Rebaptizandis* Hæreticis controversia, 59, 78, 79.
Reformationis instituendæ necessitas, (75, 102, 103. 129, 130. 159. A.)
Reformatio à Luthero inchoata, 163. A.
Regula ad spuria SS. Patrum opera à genuinis discernendæ necessariæ, *Pr.* 13. & *seqq.*
Regula ad explicandam Filii ad Patrem relationem necessariæ, 194. *D.* & *seq.*
Reliquia Sanctorum ab antiquis Christianis non cultæ, 28.
Rhetores Ecclesiastici qui 176 *D.* eorum dignitas splendida, *ibid.* munus eorum late sumptum, *ibid.*
Rhetores Palatini, 177 D.
Roberti Lincolniensis Episcopi laus, 74 A.
Ῥογάλια apud Græcos quid notant, 189 D.
Romana urbs ab Imperatoribus deficiens cuinam primùm Pontifici fasces detulit, [23, 35, 54 A.]
Romana Curiæ avaritia, 75 A.
Romanorum Pontificum primorum successio admodum incerta, 18
Romanorum Pontificum catalogi varii quo tempore confecti, 146
Romanus Pontifex ab Episcopis Africanis damnatus & excommunicatus, 364
Romani Pontifices non nisi à duabus Cardinalium partibus eligendi, 613
Rosarii sodalitas confirmata, 122 A.
Roscelini Dialectici errores perniciosi de Trinitate, &c. 553
Russi Græcorum ritus, quando, & qua occasione amplexi, 509

S.

Sabellii Hæresis, 59, 81, 83
Sacramentaria controversia quo tempore fervere cœpit, 517. renovata quando, 432
Saculum Obscurum cur ita dictum, 491. tristissima tunc Ecclesiæ facies, *ibid.*
Saculum Hildebrandinum unde sic dictum, 517
Sandii [Christophori] oscitantia, rerumque Ecclesiasticarum imperitia, 37
Sapientia liber apud antiquos Scriptores Proverbia Solomonis designat, 42
Saraceni Orientem invadunt. 162
Satan unde derivatus, 37
Scaliger (Josephus) in Eusebii Chronico haud satis accuratus, 69
Schematologium quid, 190 *D.* plura quæ huc spectant Officia, *ibid.*
Schisma Antiochenum à quo & quando extinctum, 177
Schisma Ecclesiæ Antiochenæ quando sublatum, 231
Schisma in Ecclesia CP. ob Arsenii depositionem ortum, 642 in Ecclesiâ Occidentali inter Urban. *VI.* & Clement. *VII.* PP. 66 A.
Schisma in Ecclesiâ Corinthiacâ quo tempore factum, 19
Schismata Ecclesiæ Romanæ, 81. (13, 14, 74, 88, 105, 129 A.)
De *Schismate* quæstio à viris doctis multum agitata, 51 A.
Schismatis, seu dissidii inter Eccles. Orientalem & Occidentalem causæ variæ, 432
Schisma diuturnum inter Pontifices Romæ ac Avenione sedentes, [1, 50, 55, 67, 68, 74, 77, 80 A.]
Schisma triceps, 149 A.
Schola κατηχήσεων Alexandrina, ejus antiquitas, institutio, magistri, 47, 48. 50. unica, non duplex, *ibid.* à Rhodone in Siden Pamphyliæ urbem translata, 48
Shola publicæ in Monasteriis & Episcopiis institutæ; 480
Scholastica Theologia. Vid. in *Theologia.*
Scholasticorum Theologorum odium melioris literaturæ, [137, 143, 144. 155 A.]
Scotellus, quis, 118 A.
Scoticana Ecclesiæ subjectio ab Anglicanis vindicata, 612
Scriptores Ecclesiastici; de iis quinam in genere agunt, *Pr.* 24. quinam ex professo & in particulari, *ibid.* 25
Scriptorem vel genuinum esse, vel suppositítium prodit ipsius ætas, *Pr.* 13
Scripta Veterum ab Hæreticis corrupta, 43, 53, 72. alia sub Veterum nomine conficta, *Pr.* 13
Scripta Patrum genuina à spuriis quomodo discernenda, *Pr.* 13 &c.
Scriptura S. in vulgarem linguam traducenda, 146
Scriptura S. versiones vernaculæ, (31, 41, 42, 44, 47, 164 A.)
Scriptura S. apud Pontificios contemptus, [75, 163 A.]
Scriptura Canonicæ quænam, [16. 103 A.]
Scriptura S. sufficientia, [86, 102, 116, 125 A.]
Scythianus hæresis Manichaicæ conditor 89, 90. vitæ genus, dogmata, scripta, & infelix exitus, *ibid.*
Secerius [Johan.] ob editionem Druthmari à Pontificiis injustè damnatus, 448
Sedes Pontificia Avenionem translata, 7 A.
Sidemanni Devoniæ Episcopi obitus, 515
Solomonis locus Prov. VIII. 22. ritè explicatur, 203 D.
Sorbona Collegium Paris. à quo & quando erectum, 616
Spirituales Franciscani, (1, 12, 13, 14, 23 A.)
Spiritualis tantummodò Christi in Eucharistia præsentia, 44 A.
Spuria scripta Apostolorum & Apostolicorum virorum nomine olim circumlata, 4, 5, 9
Stephani Papæ cum aliis Episcopis lites, 78, 79, 81
S. *Stephani* reliquiæ ubi & quando inventæ, 252 pars earum ab Orosio in Hispaniam delata, 253
Stephani [Roberti] doctrina, & rei typographicæ cura accurata, *Pr.* 16. 17
Editiones ejus quanti faciendæ *ibid.*
Stigandus Archiepiscopus Cant. ob graviora crimina depositus, 550
Στιχηρὸν, quid, 190 D. στίχος & στιχηρὸν quomodo differunt, *ibid.*
Στοιχεράριον libellus Ecclesiasticus quis, 190 D.
Stylus Scriptorum Provincialium minùs accuratus, 135
Stylus Scriptorem vel spurium esse vel genuinum ostendit, *Pr.* 14
Susanna Historia à Julio Africano impugnata, 69
Synaxarium quisnam apud Græcos liber Ecclesiasticus, 190 D. Nicephori in eo condendo labor, *ibid.*
Symbolum Athanasianum quem Autorem habeat, 123
De *Symbolis* veteris Ecclesiæ quinam egerint, *Pr.* 25
Symmachus ab Epiphanio Theodotioni præpositus, unde, 60
Symmachiani, *ibid.*
Synodus prima & secunda quæ, & cur ita dicta, 484

T.

Τακτικὰ libri ceremoniales, 190 D.
Ascodrugitæ, 45
Templariorum Ordo habitum & regulam quando accepit, 607 à Clemente P. V. extinguitur, [1, 7, 60 A.]
Templum in monte Sion à Latinis dedicatum, 608
Terbinthus Manetis præcursor, 90. Buddas dictus, *ibid.* ejus misera mors, *ibid.*
Τέρμα τῆς δύσεως in S. Clementis Epistola, quid, 1.
Testamentum XII. *Patriarcharum*, quid 51. quo fine scriptum, 36
Τετραώδιον quid, & quando usurpatum, 190 D.
Theodosii junioris Aug. laus, & in rem literariam studium, 237. Codex Theodosianus quando conditus, *ibid.*
Theologia Ecclesiastica qualis olim, 615
Theologia Scholasticæ origo, progressus, methodus, abusus, *ibid.*
Scriptores illius clari, *ibid.*
Theopaschitarum hæresis Romæ damnata, 485
Theotimus Scytharum Episcopus Origenis nomini amicus, 72
Θεοτόκια cantica in laudem Deiparę, 185 D.

Θεο-

Θεωτοκάριον, 185 D.
Therapeutæ Ægyptii, 15
Thesaurus liber Græcorum Ecclesiasticus, 185. *D.* Thesaurus novus, *ibid.*
Thessalia Episcoporum ordinatio inter sedem Romanam & CP. controversa, 361
Teutberga Regina propter adulterium repudiata, 484, 485. causa hæc à Pontifice in Concilio Romano damnata, *ibid.* legatorum Germanorum hac occasione responsum animosum, *ibid.*
Thomas Eboracensis obedientiam Cantuariensi præstare renuit, 604. lites inde consecutæ, *ibid.*
Thomas Scropus, al. Bradlæus, 48 A.
Tolosa in sedem Metropolitanam evecta, 61 A.
Tomus Occidentalium quid, 233
Transubstantiationis dogma quâ Synodo primò definitum 616. vocabulum à quo primùm usurpatum, 589
Trapezuntinum imperium quo tempore natum, 616
Tria Capitula, quæ, 364. istius controversiæ origo & progressus, 365
Tria Capitula in Synodo *V.* generali excussa & damnata, 365, 366
Τριαδικά hymni qui, 190 D.
Triodium Græcorum quid, 538. officium apud Græcos celeberrimum, 191. D. unde sic dictum, *ibid.* quid in Nicephori & Philothei additione damnat Allatius *ibid.* errores ab eo notati, *ibid.*
Magna Tribulatio in Hermæ visione quarta, quid, 20
Trisagium magnâ religione à Græcis usurpatum, 190 D. origo ejus, *ibid.* additio P. Fullonis, 191 D.
Τρίτα quodnam officium apud Græcos, 191 D.
Τροπάριον quodnam cantici genus apud Græcos. 191 D.
Triphon, Rabbi Judæus, 38
Typicum celebris Græcorum liber Ecclesiasticus, 191 D. quænam in eo continentur, *ibid.* diversa typicorum genera, *ibid.*
Typographi iidem simul & Professores, *Pr.* 17
Typographia ars Angliæ primùm invecta, 39 A.
Typographia Vaticana fraudis meritò suspecta, *Pr.* 21

V.

Valentia, duæ hujus nominis urbes, 231
Valentinus Hæreticus quæ docuit, 32
Valerius Diaconus, 81
Ultrajectensium Episcoporum series, 133 A.
Unctio extrema, officia circa illam in Ecclesia Græcâ, 184 D.
Unguentum sacrum, ejus conficiendi officium, 187 D.
Vocabula nova, vel novatæ significationis, veteris alicujus Scriptoris suppositionem arguunt, *Pr.* 13.
Usserii Bibliotheca qualis, *Pr.* 12

W.

Waldenses Hæretici damnati & prohibiti, 662
Waldensium origo, progressus, persecutiones, 556 Innoxii eorum mores & dogmata, testantibus ipsis adversariis, *ibid.* Dogmata in Anglia damnata, 611
Waterfordia in Hibernia sedes Episcopalis facta, 555
Wicklefi dogmata in Anglia damnantur, 66 A. scripta cremanda judicantur, 149 A. Ossa exhumanda & comburenda decernuntur, 150 A.
Wilhelm. Woodford contra Wicklefum disputat, 67 A.
Wicklefiani in Anglia vexati, 148 A.

Z.

Zosimi de Innocentio Papa calumnia, 242
Apologia Leunclavii pro *Zosimo* ingeniosa magis quàm prudens & solida, 302

FINIS.

Digitized by Google

MVSEVM
BRITAN
NICVM

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google